image
not
available

Northwestern
University
LIBRARY
Evanston, Illinois

Digitized by Google

GALLIA CHRISTIANA TOMUS II

Digitized by Google

GALLIA

CHRISTIANA,

IN PROVINCIAS ECCLESIASTICAS DISTRIBUTA;

QUA SERIES ET HISTORIA

ARCHIEPISCOPORUM,

EPISCOPORUM

ET ABBATUM

FRANCIÆ VICINARUMQUE DITIONUM

ab origine Eccleſiarum ad noſtra tempora deducitur, & probatur ex authenticis Inſtrumentis ad calcem appoſitis.

Opera & ſtudio Domni DIONYSII SAMMARTHANI, *Preſbyteri & Monachi Ordinis Sancti Benedicti, e Congregatione Sancti Mauri.*

TOMUS SECUNDUS.



PARISIIS,

EX TYPOGRAPHIA REGIA.

M. DCCXX.

Digitized by Google

All rights reserved. No part of this publication may be reproduced, stored in a retrieval system, or transmitted, in any form or by any means, electronic, mechanical, photocopying, recording, or otherwise without the prior permission of Gregg International Publishers Limited

Complete set – S.B.N. – 0.576.78556.3
This volume – S.B.N. – 0.576.78884.8

Republished in 1970 by Gregg International Publishers Limited
Westmead, Farnborough, Hants., England

Printed in offset by Anton Hain KG, Meisenheim/Glan
Western Germany

Digitized by Google

ADMONITIO.

PRODIT tandem in lucem, elegantiſſimis, & quidem typis plane regiis novæ Galliæ Chriſtianæ Tomus ſecundus, beneficio & munificentia Celſiſſimi & Regii Principis, qui Galliæ publicam rem, mira prudentia moderatur, parique tuetur fortitudine. Hoc Mœcenate, verius quam Horatianus, atavis Regibus edito, quid non licet nobis pro Gallia Chriſtiana polliceri!

Poſt plurima, ne dicam omnia pene comparata undecunque in hoc opus ſubſidia, unum videbatur deeſſe; ſcilicet ut notarum & obſervationum viri clariſſimi & doctiſſimi Stephani Baluzii, in Fratrum Sammarthanorum Galliam Chriſtianam nobis copia fieret, quod potiſſimum in votis erat. Sed huic theſauro, quem per annos ſexaginta quatuor congeſſerat, his gazis tanto labore partis incubabat paulo tenacior noſter ſenex; nec patere quorumcunque oculis patiebatur. At poſt ipſius mortem, quam cum omnibus litterarum cultoribus proſecuti ſumus lacrymis, voti tandem compotes facti ſumus, juſſu providentiſſimi Principis Franciæ ſupremi Rectoris, qui inter maxima regni negotia, minimis quoque mira vigilantia proſpicere non dedignatur. Itaque cum oculatiſſimum Principem minime lateret, Baluzium locupletiſſimam rei litterariæ reliquiſſe ſupellectilem, maximeque pro Galliarum hiſtoria eccleſiaſtica, quæ magno uſui mihi eſſe poſſet; præcepit, nec rogatus, nec monitus (ea eſt Principis beneficentia) ut tantis divitiis, ad commune reipublicæ litterariæ bonum mihi perfrui liceret: quod conſecutus ſum illuſtriſſimo viro D. de Machaut Regi à Conſiliis & Urbanarum rerum Prætore vigilantiſſimo, juſſorum Principis exſecutionem curante.

Tanto potiti theſauro, ſine mora contulimus Baluzianas animadverſiones & obſervationes in veterem Galliam Chriſtianam, cum novæ a nobis adornatæ & publici jam juris factæ tomo primo, & maxima parte tomi ſecundi jam tum typis mandata: & magno cum gaudio, nec ſine ſtupore explorate perſpeximus, pauca admodum eſſe in his doctis notis, quæ in opere deſiderentur noſtro[a]. Hæc citra jactantiam, & ſine fuco dicta explorare quiſque poteſt, laudatas notas conſulendo inſcriptas marginibus veteris Galliæ Chriſtianæ quadripartitæ, quæ nunc cum MSS. codicibus Baluzianis in regia bibliotheca aſſervatur; quod non dubium erit æquo & benevolo lectori, diligentiæ noſtræ in ſcrutandis eccleſiæ Gallicanæ veteribus monumentis argumentum.

Abſit tamen ut immunem a mendis putem novæ Galliæ Chriſtianæ tomum primum, ab annis quatuor editum, aut alterum qui nunc lucem aſpicit. Miraculo ſane proximum foret, ſi tantæ molis hiſtoria, innumera pene facta, ex reconditioris antiquitatis tam ſacræ quam prophanæ viſceribus eruta complectens, & multis propemodum inextricabilibus chronologiæ notis implexa, erratorum expers eſſet. Plurimorum quoque lapſuum cauſam præbuere tot

[a] Diſcrepamus tamen aliquando; ubi ſcilicet Baluzius aberrat. Exempli gratia, vir doctus corrigit Sammarthanos qui ſcripſerunt tom. 4. pag. 679. col. 2. Moyſſiacum addictum fuiſſe Cluniacenſi congregationi tempore S. Hugonis abbatis, & pro Hugone, Odilonem ponit; ſed charta XXIII. quam damus inter inſtrum. pag. 37. col. 1. probat legendum eſſe Hugonem. Idem Balux. annis 1229. 1234. 1236. aſſignat Guillelmum abbatem; at luce clarius eſt his annis abbatem Moyſſiac. fuiſſe Raimundum de Monte-penſato, & Guillelmum electum tantum fuiſſe an. 1245. Docet Bertrandum Roberti præfuiſſe circa 1380. Attamen probavimus Aimericum abbatem fuiſſe ab an. 1371. uſque ad 1403.

Digitized by Google

nomina & cognomina informibus exarata characteribus, quæ legere, niſi conjiciendo & divinando, non licuit.

De iis poſt editum primum tomum, ad me ſcripſere nonnulli viri docti, officioſe quæ emendatione digna cenſerent, ſolo, ut par eſt credere, veritatis acti ſtudio indicantes. Alii vero in hoc ſtudiorum genere parum verſati, ex contentione acriorem cenſuram adhibuerunt. Quid tum, dummodo veritas, cui ſoli ſcribimus & famulamur, magis ac magis innoteſcat. Utriſque reſpondebimus in animadverſionibus ad calcem ſubjiciendis.

Alia ſunt quæ obſervavimus a nemine notata; & ad hæc quoque bona fide deletilem adhibuimus ſpongiam. Si qua vero errata deinceps detexerimus, ea in tomorum ſequentium præfationibus detegere & detergere nunquam pigebit.

Poſt reſponſa ad ſingula quæ nobis objecta ſunt, reſtat generalis objectio diluenda.

D. Edmundus Martenne, inquiunt, tanta feſtinatione Gallicanas provincias obivit, ad colligenda eccleſiaſtica monumenta, ex quibus nova Gallia Chriſtiana conſarcinata eſt; ut vix potuerit ea qua oportebat accuratione chartophylacia ſcrutari, explorare inſtrumenta, & corrupta a ſanis & ſinceris diſcernere; maxime cum præcipuus ejus itineris litterarii ſcopus eſſet molem ſui theſauri anecdotorum, ut ipſe appellat, augere. Hanc objectionem, quæ in ore omnium pene eſt, diſſimulare non potuimus, ſed ad eam facile reſpondetur.

Primo, pleraque a nobis adhibita ad repurgandam & amplificandam veterem Galliam Chriſtianam, noſtro labore parta ſunt, & diligentia in legendis antiquorum monumentorum collectionibus, quæ ab annis ſexaginta in lucem prodierunt; in inveſtigandis codicibus manu exaratis, quorum in Pariſienſibus bibliothecis & muſeis, in parlamenti ac cameræ computorum archivis, &c. immenſa propemodum eſt copia. Quid nobis non ſuppeditavit litteraria penus Mabillonii, quam jure appellare poſſumus omnium ſcriptorum ad eccleſiaſticam & monaſticam hiſtoriam pertinentium inexhauſtum theſaurum.

Secundo, ſexennium in litterariis itineribus D. Edmundi Martenne & ſocii ejus inſumtum, ſufficiebat ad perluſtranda ſerio chartophylacia, & examinanda maturo judicio inſtrumenta; etiamſi magnam temporis partem in colligendis anecdotis contuliſſet, quorum jam duos habebat tomos, quando litterario quod deſcripſit ſe commiſit itineri anno 1708.

Tertio, D. Edmundus Martenne, non unicus, ſed unus fuit ex multis qui nobis opem tulerunt, ad conſulenda & colligenda chartophylaciorum inſtrumenta. Eo ſane conſilio D. Jacobus Boyer, ut alios interim bene multos ſileam, omnia pene loca, de quibus in priori, & altero tomo noſtræ Galliæ Chriſtianæ actum eſt, peragravit, nulloſque tabulariorum forulos intactos reliquit. Itaque ſi Martennius præproperans nonnulla prætermiſit, quæ ipſi exciderunt, Boherius haud dubie recolligit.

Præter adjutores & ſocios mei laboris in præfatione primi Galliæ Chriſtianæ tomi commemoratos, duo ex noſtro ſodalitio a tribus annis acceſſerunt viri religioſiſſimi & doctiſſimi domnus Johannes Thiroux & D. Joſephus Duclou, qui mutuam operam mihi conferunt ad ſuſcepti operis continuationem & perfectionem.

Complectitur hic tomus duas tantum provincias Bituricenſem & Burdigalenſem, ſeu Aquitanicas primam & ſecundam; & tamen majoris eſt molis quam primus, quia longe plures continet abbatias, quarum, uti archiepiſcopatuum & epiſcopatuum præmittendus eſt elenchus.

Digitized by Google

HOC IN TOMO CONTINENTUR.

Archiepiscopatus.

Bituricensis, *Bourges.* col. 1.
Burdigalensis, *Bordeaux.* 787.

Episcopatus, ordine alphabetico.

Aginnensis, *Agen.* 891.
Anicienſis, *Le Puy.* 685.
Claromontenſis, *Clermont.* 211.
Condomienſis, *Condom.* 954.
Engoliſmenſis, *Angouleſme.* 978.
Malleacenſis, *vide* Rupellenſis.
Kebecum, *Kebec.* 170.
Lemovicenſis, *Limoges.* 498.
Lucionenſis, *Luçon.* 1407.
Petracoricenſis, *Perigueux.* 1447.
Pictavienſis, *Poitiers.* 1136.
Rupellenſis, *La Rochelle.* 1363.
S. Flori, *S. Flour.* 420.
Santonenſis, *Saintes.* 1053.
Sarlatenſis, *Sarlat.* 1508.
Tutelenſis, *Tulle.* 662.

Abbatiæ.

A

Absia, *L'Abſie en Gaſtine.* 1380.
S. Æmilianus. 881.
Agedunum, *Ahun.* 608.
B. M. de Alba, *Noſtre-Dame la Blanche.* 1440.
Alba-petra, *Aube-pierre.* 644.
Albiniacum, *Aubignac.* 217.
Albugia, *la Bugue.* 1501.
B. M. de Allodiis, *Les Alleus.* 1295.
Alodii, *Les Alleus.* 617.
S. Amabilis Ricom. *S. Amable de Riom.* 388.
S. Amandus de Coli, *S. Amand de Coli de Sarlat.* 1536.
S. Amantius de Buxia, *Saint Amant de Boiſſe.* 1033.
S. Ambroſius, *S. Ambroiſe.* 181.
S. Andreas Claromont. 410.
Angeriacum, *S. Jean d'Angely.* 1096.
Angla, *Sainte Croix d'Angle.* 1347.
Angla, *Angle.* 1437.
S. Clara Aquæ-ſpartæ, *Aiguesperſe.* 418.
S. M. de Aquiſtriis, *Guiſtres.* 878.
Arthona, *Artonne.* 397.
S. Auguſtinus, *S. Auguſtin de Limoges.* 575.
Aurea-Vallis, *Airvaux.* 1386.
Autiliacum, *Orillac.* 438.
S. Auzonius, *S. Auzony.* 1039.

B

Barzella, *Barzelle.* 104.
Baſſacum, *Baſſac.* 1109.
Beania, *Baigne.* 1118.
Bella-aqua, *Bellaigue.* 406.
Bella-cumba, *Belle-combe.* 773.
Bellus-fons, *Belle-fontaine.* 1385.
Bellus-locus, *Beaulieu*, vel *Bellec.* 601.
S. Petrus de Bello-monte, *S. Pierre de Beaumont.* 380.
Bellus-viſus, *Beauvoir.* 218.
Beneventum, *Benevent.* 619.
Blanziacum, *Blanzac.* 1052.
Blaſilia, *Bleſle.* 449.
Boiſſetum, *du Boiſſet.* 467.
Bona-aqua, *Bonne-aigue.* 642.
Bona-ſania, *Bonneſaigne.* 614.
Bona-vallis, *Bonneval.* 1333.
B. M. de Bonis-vallibus, *Bonnevaux.* 1360.
Bonus-locus, *Bonlieu.* 628.
Bonus-locus, *Bonlieu en Carbon-blanc.* 890.
Bornetum, *Bournet.* 1050.
Boſchetum, *Bouchet.* 404.
Boſcum-cavum, *Boſchaut.* 1506.
Brajacum, *Brajac.* 382.
Brantoſmus, *Brantoſme.* 1490.
B. M. de Sede-Brignoni, *la Sye en Brignon.* 1197.
Brivas, *vide* S. Julianus.
Broglium-herbaldi, *Breüil-herbaud.* 1433.
Broſium-grolandi, *Boiſ-grolland.* 1437.
Bulium, *le Beuf*, vel *le Beüil.* 631.
De Burgo, *vide* S. Vincentius.
Buxeriæ, *Buſſieres.* 220.
Buxus, *Buys*, aut *Boiſſet.* 456.

C

Caduinum, *Cadoüin.* 1538.
Callovium, *Chalivoy.* 192.
Cambonium, *Chambon.* 1297.
Cancellata, *Chancelade.* 1502.
Cantoënum, *Chantoin.* 394.
Carentonium, *Charenton.* 174.
Carroſum, *Charoux.* 1277.
Caſa-Dei, *la Chaiſe-Dieu.* 317.
Caſale Benedictum, *Chezal-Benoiſt.* 162.
Caſæ, *les Chaſes.* 451.
B. M. de Caſtellariis, *les Chaſteliers.* 1349.
De Caſtris in diœc. Petroc. *Caſtres.* 1504.
B. M. de Caſtris in diœc. Santon. *Chaſtres.* 1135.
Celſinianæ, *Soucillanges.* 374.
Cella, in diœc. Bitur. *Celle en Berry.* 182.
Cella-fruini, *Cellefroüin.* 1047.
Cella S. Hilarii, *la Celle.* 1336.
Cella S. Mariæ, *N. Dame de la Celle.* 1337.
S. Clara Claromont. 416.
S. Clara Anicienſis, *Sainte Claire du Puy.* 781.
Clariacum, *Clairac.* 941.
Clavaſſium, *Clavas.* 780.
Columba, *la Colombe.* 639.
Corona, *la Couronne.* 1043.
S. Crux Burdig. *Sainte Croix de Bourdeaux.* 858.
S. Crux Pict. *Sainte Croix de Poitiers.* 1198.
Cuſſetum, *Cuſſet.* 384.
S. Cyprianus, *S. Cyprien.* 1230.

D

Dalona, *Dalon.* 623.
Dolenſe monaſt. *Bourgdieu.* 147.
Doratum, *le Dorat.* 548.
Dovera, *vide* Virzio.

E

Ebrolium, *Ebreüil.* 369.
S. Eparchius, *S. Cybard.* 1029.
Eſclaſia, *l'Eſclache.* 407.
Exienſe monaſt. *Eyſſe.* 933.
Exoldunum, *Iſſoudun.* 156.

F

Faiſia, *la Faiſe.* 887.
Fenariæ, *Fenieres.* 401.
Ferrariæ S. Leonardi, *S. Leonard de Ferrieres.* 1196.
Fons-comitis, *Fontaine-le-Comte.* 1340.
Fons-dulcis, *Fondouce.* 1110.
Fons-ebraldi, *Fontevrauld.* 1311.
Fons-Gauſerii, *Fongaufre.* 1334.
Fons-gumbaldi, *Fongombaud.* 168.
Fons-morigniaci, *Fontmorigny.* 198.
Fontenellæ, *Fontenelles.* 1433.
Frenada, *la Frenade.* 1133.

G

S. Genulfus, *S. Genou.* 145.
S. Gildaſius, *S. Gildas.* 153.
B. M. de Gondonio, *Gondon.* 950.
Granateria, *la Grenetiere.* 1429.
Grandis-mons, *Grandmont.* 645.

Gratia-Dei, *la Grace-Dieu.* 1397.
Gratia B. M. de Caronte, *Noſtre-Dame de Charon.* 1399.
B. M. de Groſſo-boſco, *Groſbos.* 1048.
H
S. Hilarius-magnus, *S. Hilaire le grand.* 1223.
I
S. Jacobus, *S. Jacques de Doï.* 769.
S. Illidius, *S. Allyre.* 324.
Inſula-Calveti, *l'Iſle-Chauvet.* 1432.
Inſula, *l'Iſle de Medoc.* 885.
B. M. in Inſula Rea, *Noſtre-Dame de l'Iſle-de Ré.* 1403.
S. Jovinus de Marnis, *S. Joüin de Marnes.* 1273.
Iſſiodorum, *Iſſoire.* 357.
S. Julianus Brivatenſis, *Brioude.* 467.
L
Landeſium, *Landais.* 200.
S. Launus, *S. Laon.* 1344.
S. Laurentius Bituric. *S. Laurent de Bourges.* 172.
S. Leodegarius, *S. Ligaire.* 1123.
S. Leonardi de Calmis, *la Chaume.* 1400.
Ligurium, *Ligueux.* 1497.
Liziniacum in Ambronio, *Lambron.* 497.
Locus-Dei, *Lieu-Dieu en Jard.* 1444. E.
Locus-regius, *Leroy.* 213.
M
Malus-leo, *Manleon.* 1391.
Magnus-locus, *Manlieu.* 360.
S. Maria major Pictav. *Noſtre-Dame la grande.* 1219.
S. Mariæ Sant. *N. D. de Saintes.* 1127.
B. Mariæ de Sede-Brignoni, *vide* Brign.
S. Martialis, *S. Martial.* 553.
S. Martinus, *S. Martin de Limoges.* 582.
Maſciacum, *Maſſay.* 141.
Maſdio, *Madion.* 1126.
S. Maurinus, *S. Maurin.* 944.
Maurtium, *Maurs.* 447.
Mauziacum, *Mauzac.* 351.
S. Maxentius, *S. Maixent.* 1145.
Medius-mons, *Megemont.* 409.
Meimacum, *Meimac.* 597.
Menatum, *Menat.* 366.
S. Menulfus, *S. Menoux.* 178.
S. Michaëlis in Eremo, *S. Michel en l'Erm.* 1418.
S. Michaëlis de Segureto, vel de Acu, *S. Michel de l'Aiguille.* 755.
Millebeccus, *Maubec.* 169.
Miſerayum, *Miſeray.* 189.
Miſericordia-Dei, *la Merci-Dieu.* 1356.
Monaſterium-novum, *Moutier-neuf.* 1263.
Monaſterium S. Theofredi, *vide* S. Theofredus.
Mons-petroſus, *Montpeiroux.* 399.
B. M. de Moroliis, *Moreaux.* 1298.
Moroliæ, *Mouroilles.* 1396.
N
Nantolium in Valle, *Nanteüil en Vallée.* 1292.
Niger-lacus, *Nerlac.* 195.
Nigrum-monaſterium, *Noirmoutier.* 1425.
Niolium, *Nieuil.* 1395.
Nobiliacum, *Neüaillé.* 1237.
Novem-fontes, *Neufons.* 414.
O
Obaſina, *Obaſine.* 635.
Olivetum, *Olivet.* 213.
Orbiſterium, *Orbeſtier.* 1428.
P
Palatium, *Palais Noſtre-Dame.* 634.
B. M. de Payriniaco, *Perignac.* 952.
B. M. de Petris, *N. D. des Pierres.* 215.
Petroſa, *la Peirouſe.* 1505.
B. M. de Pinu, *le Pin.* 1350.
Piperacum, *Pebrac.* 457.
Plana-Silva, *Plaine-Selve.* 892.
Plenus-pes, *Plein-pied.* 186.
Podium-Ferrandi, *Puyferraud.* 171.
S. Portianus, *S. Pourçain.* 371.
Pratea, *la Prée.* 207.
Pratum-benedictum, *Prébeniſt.* 632.
Q
Quinciacum, *Quincy.* 1289.
R
Regalis, *la Reau.* 1346.
Regula, *la Regle.* 610.
S. Romanus, *S. Romain de Blaye.* 883.
S
Sabloncellæ, *Sablonceaux.* 1131.
S. Salvator, *S. Sauveur de Blaye.* 880.
S. Satyrus, *S. Satur.* 187.
S. Savinus, *S. Savin.* 1285.
S. Severini, *S. Severin.* 1348.
S. Sigirannus, *S. Cyran.* 130.
Silva-benedicta, *la Sauve-benite.* 777.
Silva major, *la Sauve-majeure.* 866.
Silviniacus, *Souvigny.* 377.
Solemniacum, *Solignac.* 566.
B. M. de Stella, *l'Eſtoile.* 1352.
Stirpum, *Leſterp*, vel *l'Eterp.* 620.
S. Sulpicius, *S. Sulpice de Bourges.* 126.
T
Talmundum, *Talmond.* 1413.
Tauniacum, *Tonnay Charente.* 1116.
Tenalia, *la Tenaille.* 1121.
Terracinum, *Terraſſon.* 1532.
S. Theofredus, *le Monaſtier S. Chaffre.* 761.
Thiernum, *Thiern.* 363.
SS. Trinitas Pictav. *la Trinité de Poitiers.* 1504.
SS. Trinitas Dorat. *Dorat.* 618.
Triſagium, *Trizay.* 1444. A.
S. Petrus de Turre. 751.
Turturiacum, *Tourtoiras.* 1496.
V
Valentia, *Valence.* 1359.
Valeta, *la Valete.* 681.
Valles S. Stephani, *S. Eſtienne de Vaux.* 1111.
Vallis honeſta, *vide* Fenestræ.
Vallis-Lucida, *vide* Boſchetum.
Varenæ, *Varennes.* 211.
Vernucia, *la Vernuce.* 191.
Vertolium, *Verteüil.* 886.
S. Vincentius de Burgo ſupra mare, *de Bourg.* 885.
Virzio, *Vierzon.* 133.
Voſium, *le Vigeois.* 593.
Uſerchia, *Uſerche.* 585.
Y
Yſſiodorum, *vide* Iſſiodorum.

ANIMADVER-

Digitized by Google

ANIMADVERSIONES IN PRIMUM GALL. CHRIST.
Tomum, & nonnulla errata

COlumna 7. linea 3. *Forte is eſt Amarandus*, &c. adde: Et qui præpoſtere poſitus eſt in catalogo Moiſſiacenſi, cum tertio vel quarto ſeculo debeatur. Sane non mirum foret ſi auctor hujus catalogi, decimo fortaſſe vel ſequentibus & ſequioribus conſarcinati ſeculis, ſimilitudine nominis deceptus, ſeptimo vel octavo ſeculo tribuiſſet, quæ tertio vel quarto ſunt adſcribenda.

Col. 12. Arnaldus videtur Adelgario præponendus; & quæ dicuntur de Adelgario II. ad primum poſſunt referri.

Col. 27. in Arnaldo Guillelmi Alb. ep. hunc epiſcopum an. 1354. die 27. Novembris jam e vivis exceſſiſſe probant tabulæ matrimonii inter Sauram de la Barthe, & Guidonem de Levi Lautreci vicecomitem & baronem de Rupe: etenim his in tabulis conſectis hoc ipſo die 27. Novembris, fit mentio noſtri Arnaldi *quondam* Albienſis epiſc. tanquam Sauræ de la Barthe patrui; *ex archivo Albienſi epiſc.*

Col. 31. in Bernardo de Caſſilhac, *die 2.* lege XI.

Col. 37. in Aimaro Gouffier, adde: In inſtrumento ejus electionis appellatur frater Aimarus S. Dionyſii abbas. Obtinebat quoque abbatias Cluniacenſem & S. Jovini de Marnis.

Col. 51. poſt Guillelmum X. præpoſitum S. Salvii, collocandus Raimundus de Guarigas qui præerat 1396. ex urbis Alb. tabulario.

Col. 53. quæ diximus de Bernardo II. abbate poſt D. Claudium Eſtiennot, forte corrigenda; nam in quibuſdam ſchedis D. Jacobi Boyer lego Petrum abbatem obiiſſe an. 1298. menſe Novembri, & in ejus locum electum eſſe fratrem Izardum de Tauriaco priorem de Salvanaco.

Col. 54. quod diximus de Arnaldo IV. abbate Galliacenſi, & tempore quo ſedit, confirmatur ex charta venditionis vicecomitatus Turennæ, factæ a Cæcilia de Convenis, Guillelmo Rogerio de Bello-forti, an. 1350. 26. Aprilis; cujus teſtis eſt cum Bertrando Lombarienſi epiſc. Arnaldus hic abbas; *ex regiſt. chartarum theſauri Pariſ.*

Col. 59. in abbatibus Candelii, addendi poſt Guillelmum Boiſſeti Johannes cardinalis, & Thomas du Prat Clarom. epiſc. ex Johannis ceſſione.

Col. 62. non abs re erit notare quaſdam Clariſſarum Albienſ. abbatiſſas quas in ſchedis D. de Ganieres invenimus hoc ordine. *Scarz* (ſœurs) *Antoina Sarigota 1491. 1. April. Maria de Fonſeul 1. Junii 1500. Johanna de Chauvigné 15. Septemb. 1505. Iſabella de Navarre die ultima Auguſti 1517. & 4. Sept. 1522.*

Col. 63. & ſeqq. ex ſchedis mihi communicatis a D. Fornerio S. Victoris Maſſilienſis erudito aſceta, mortuo Audoino abbate Caſtrenſi & ſepulturæ mandato, an. 1236. x. cal. Auguſti, poſtulatus eſt abbas per compromiſſum Helziardus de Severiaco, decretorum doctor, prior de Chiriaco & monachus Maſſilienſis. Mortuo G. abbate Caſtrenſi, Raimundus Berengarii electus eſt an. 1260. die Jovis ante feſtum S. Vincentii ex tab. S. Victoris; & quidem vocatur abbas electus & confirmatus, in inſtrumento quo Stephanus abbas S. Vict. ejuſque conventus, & ipſe Raimundus conventuſque Caſtrenſis, eligunt amicabiles compoſitores ſuper quæſtionibus expenſarum quas unus ab altero petebat an. 1260. dies non annotatur. Hic Raimundus adhuc erat abbas Caſtrenſis an. 1270. *Ex arch. S. Victoris.*

Col. 71. Deodatus de Viridi-ficco monachus & prior S. Saturnini de Portu, fit epiſcopus Caſtrenſis an. 138. tranſcripto ſuo prioratu Petro de Thureyo cardinali, ex tab. S. Saturnini de Portu dicec. Uceteſis: vix tamen reperitur locus huic epiſcopo inter noſtros Caſtrenſes epiſcopos. Forſan epiſcopus fuit hic Deodatus in Italia ubi ſunt duæ urbes epiſcopales, quæ Caſtrum dicuntur.

Col. 73. Gerardi ep. Caſtrenſis verum cognomen eſt *Macheti.*

Col. 92. Odilo de Mercorio appellatur electus Mimatenſis in charta Alto-bracenſi, *Aubrac*, an. 1247. Erat decanus Brivatenſis non præpoſitus. Tom. 1. Anecdot. col. 1014. Martenni exſtat epiſtola Innocentii IV. data an. 1247. de hac electione; ſed ejus meminiſſe non poteramus, nondum enim edita erat, quando Mimatenſes epiſcopi, typis mandati ſunt.

Col. 93. in nota, *necrologio Canogil.* lege S. Illidii.

Col. 94. in nota, propendimus in ſententiam quæ docet Guillelmum Duranti natum in Provincia fuiſſe. Qui volunt ipſum apud Podium-Miſſon diœceſis Biterrenſis ortum eſſe, proferunt necrologium B. M. de Caſſiano diœceſis Biterrenſis, in quo ipſe ac ejus nepos qui voluit ſepeliri hac in eccleſia inſcribuntur. Quorſum autem hæc, niſi ex Biterrenſi diœceſi oriundi fuiſſent? hæc ratio pondere non caret. Verum noſtri propoſiti non eſt immorari hujuſmodi controverſiis.

Col. 100. in Johanne de Armaniaco, adde: In articulis pacti inter comitem Armaniacenſem, & Johannem de Blaing, pro reſtitutione fortalitiorum ab Anglis occupatorum in Aquitania, ſcripti an. 1390. die 25. Novembris, mentio fit hujus Johannis Mimatenſis ep. dicturque electus in Auſcienſem archiep. quod confirmat a nobis dicta in Auſcienſibus archipræſulibus.

Col. 102. in Johanne epiſcopo, *eodem anno* &c. adde, vel anno 1426.

Col. 106. Carolus de Piſſeleu ep. Mimatenſis, non fuit frater Condomenſis epiſcopi, ſed ipſe fuit hujus ſedis epiſcopus.

Col. 117. Bernardus III. jam ſedebat an. 1040. quo dedit monaſterium Carennacenſe S. Odiloni Cluniac. abbati. Ejus deceſſor an. 1034. interfuerat fundationi S. Satyri. Vide inſtr. tomi 1. p. 52.

Col. 137. in Sicardo, adde: Elegit ſepulturam in ſacello quod condiderat a latere dextro chori, ſub titulo S. Blaſii & S. Catharinæ, codicillis apud Mercueſium caſtrum epiſcopale obſignatis die Martis ante feſtum S. Matthæi menſe Septembri 1299.

Col. 143. Johannes de Podio ep. Cadurcenſis, erat ex ordine Prædicatorum, & inquiſitor hæreticæ pravitatis, ut conſtat ex computo ſeneſcalliæ Toloſæ, in expenſis *immuratorum* pro crimine hæreſis a 24. Junii 1436. ad 24. Junii 1437.

Col. 144. in Johanne: *in caſtris gentilitiis de Caſtro-novo & Bretenoſio.* Lege, in caſtro gentilitio Caſtelnau de Bretenoſio.

Col. 157. & 158. in ſyllabo abbatiarum omiſſa eſt Gordonium, cujus tamen hiſtoriam reperies c. 187.

Col. 170. in Aimerico abb. *Scripſit vitam.* lege ſcripſit chronicon ex quo ſumta eſt quarta vita &c.

Col. 174. ponendus eſt Hugo de Montmurat inter Ademarum II. & Ebulum ex Gaufredo Voſienſi p. 321.

Ibidem. Guillelmus Ebuli ſucceſſor, cognominabatur de Balaguer, & ſedebat jam an. 1181. ut videre eſt in chartis 46. & 47. inter inſtrumenta pag. 47. col. 2.

Col. 177. in Goſberto abb. adde: Fuit quartus abbas poſt Stephanum I. ex documentis Madirani, & vivebat tempore Willelmi I. Auſcienſis archiep. *Anecdota* Marten. t. 3. c. 1208.

Digitized by Google

Col. 178. poſt Guillelmum I. locus dandus cuidam Niel, qui erat abbas 15. Decembris 1370. ex charta authentica volum. 9. collect. D. de Ganieres in biblioth. regia.

Col. 179. noſter D. Jacobus Boyer miſit ad nos has *notulas* in decanos & abbates Sulliaci, quorum dedimus catalogum; Augerius obedientiam præſtat abbati Aureliacenſi an. 1305. Helias an. 1308. Petrus de Chamerluc inſtituitur litteris Joh. papæ XXII. datis 1319. Pontius de Borma ſedebat 1371. & 1382. Vitalis Raghac 1400. An. 1577. abbatia vacabat per mortem Johannis de la Combe. Ludovicus de Boiſſet pervenit ad an. 1595. Silveſter abbas Soliacenſis & Marciliacenſis non cognominabatur de Cruzy, ſed adeptus eſt poſſeſſionem per Johannem de Cruzy de Gout de Marſillac canonicum Moiſſiacenſem, ex noſtro Jac. Boyer.

Col. 180. W. abbas Auriliaci, decanus erat Soliaci an. 1144. Is eſt Willelmus I. Auriliaci abbas, de quo vide t. 2. col. 444.

Col. 191. Bairana de Caſtelnau 13. abbatiſſa Gratiæ-Dei legitur; qui autem evolvit omnia inſtrumenta hujus parthenonis D. Jac. Boyer, ibi legit *Sobeyrana*. Idem ait in nomine *Barrava, Barravia*.

Col. 198. in codice quodam MS. biblioth. Colbertinæ notato *Beaulieu* fol. 216. legitur Baraſconem de Themines fuiſſe fundatorem domus de Feudis, *Fieux*, 1297. quod pugnare videtur cum his quæ hic leguntur. At conciliari facile poſſunt. Diximus enim hunc prioratum fundatum eſſe *vel dotatum* ab Eblone de Mederio. Igitur cum antea fundatus eſſet hic prioratus a Baraſcone de Themines pro 12. monialibus ſeculo 13. Eblo de Mederio ſeculo ſequenti dotavit illum, ita ut pro 20. monialibus redditus ſufficerent.

Col. 202. poſt Elizachar reponendus videtur Ripertus, qui an. 870. libello Hincmari Laudunenſis epiſcopi ſic ſubſcribit: *De provincia Biturig. Ripertus Rond. epiſc.*

Col. 204. in marg. *Pibrac*, lege *Pebrac*.

Col. 220. in Bertrando de Cardaillac, *fuit cancellarius*, &c. Me monuit V. C. Steph. Baluzius Bertrandum de Cardaillac Ruthenenſem epiſc. minime fuiſſe cancellarium principis Walliæ, ut vulgo dicitur; huncque errorem, quem emendari cupiebat in editis a ſe nodis ad vitas pap. Aven. prodiiſſe ex ultima editione Froiſſarti. Antonius Bonal eadem quidem habet de Bertrando in commentariis ab eo ſcriptis anno 1622. poſt ultimam editionem Froiſſarti ac in biblioth. Colb. aſſervatis, & hactenus ineditis.

Col. 223. in Bertrando epiſc. Ruth. eum natione Vaſconem dixi, at contendit Baluzius fuiſſe ex diœceſi Tutelenſi oriundum.

Col. 229. ad Georgium d'Armagnac. Monuit me D. Jacobus Boyer, mortuo Franciſco d'Eſtaing, Johannem d'Eſtaing filium Ludovici domini de Vernine, & Margaritæ de Comborn, electum fuiſſe epiſcopum; at incaſſum, nominatione regia prævalente.

Col. 234. in præpoſitis, III. Raimundus lege R. Armundus. Memoratur etiam in litteris Petri epiſc. Ruth. inſtrum. pag. 62. col. 2.

Col. 245. in Bonifacio abb. Conchenſi, *charta Didonis*, &c. Hæc charta Didonis non eſt, ſed Raimundi Vidiani, qui meminit Didonis offerentis filium ſuum Petrum. Nos fefellit inſcriptio quæ legitur t. 3. analect. Mabill. p. 472.

Col. 248. in Guill. de Cardalhaco, *eligitur epiſc. Maſſil. an. 1324.* dele.

Col. 253. poſt Pontium abbatem collocandus eſt Bertrandus Bertrandi, filius Guillelmi ex Agnete de Malatour, protonotarius apoſt. ſedis, factus abbas litteris pontificiis an. 1336. ut legitur in tabul. Cæleſtinorum de Columbario.

Col. 262. poſt abbates Bonæ-vallis adde: B. Quadratum revelationibus & ſanctitate clarum, inter abbates Bonævallenſes diœc. Ruth. ponunt Bucelinus in menologio Ben. Henriquez, &c. ad diem 22. Februarii. At neſcitur quo anno rexerit.

Col. 267. Bego de Scorallia, expungendus eſt; eumque inter abbates Belli-loci ord. S. Ben. diœc. Lemovic. ad quos pertinet, recenſuimus in hoc ſecundo tomo col. 606.

Col. 268. Helena abbatiſſa monaſterii S. Saturnini poſt Ademaram eſt locanda. Hæc enim anno 1421. curam geſſit parthenonis de Salvitate prope Buzetum in diœceſi Toloſana, qui a S. Saturnini monaſterio dependebat. *Ex computis domanii ſeneſcallia Toloſane anni 1421. in camera comp. Pariſ.*

Col. 277. ad notitiam eorum quæ de Begone abbate Vabrenſi diximus, quædam duximus addenda. Mortuo & ſepulto Begone abbate, convenientibus monachis an. 1261. III. Kal. Novembris, electi ſunt compromiſſores Petrus Wi. Raimundus de Severiaco, Bernardus de Turre prior de Vernia, Bernardus de Roas, & Raimundus de Caſtugo; quibus data eſt poteſtas eligendi quem vellent; qui elegerunt Raimundum Cabiſcol ſacriſtam Vabrenſis monaſterii. Hic primum conſenſit electioni ſuæ & fuit inſtallatus; ſed antequam confirmatus eſſet ab abbate Maſſil. renuntiavit electioni ſuæ. Ipſe vero poteſtate ſibi facta a conventu eligendi, elegit Bernardum de Turre *ex arch. S. Vict. Maſſil.*

Col. 282. in Thoma Vabr. epiſc. adde: Adhærebat enoticæ factioni, quapropter duas tertias partes reddituum epiſcopatus Henricus IV. rex dedit Gabrieli d'Hebles domino de la Vacareſſe.

Col. 307. in Roſtagno I. loquimur de concilio Avenionenſi anni 1060. cum aliqua formidine, quod deſit Labbeanæ collectioni omnium accuratiſſimæ, verum illud celebratum fuiſſe tempore indicato conſtat ex his quæ dicimus col. 483. in Gerardo II.

Col. 323. verum ac genuinum Arnaldi Bernardi cognomen erat *Peiraredus* ex Baluz. non de Pireto.

Col. 333. A. in Jul. de Medicis. Hic archiepiſcopus poſtea fuit tranſlatus ad eccleſiam Albienſem ut diximus col. 39.

Col. 339. in Hieronymo Grimaldi neſcio quo caſu purpuram qua digniſſimus erat, ornatuſque fuit an. 1642. non commemoravimus; hoc enim minime nos latebat.

Col. 341. Bertrandus de Nigrello erat præpoſitus an. 1257. ideoque inter Otonem ac G. quærendus eſt ei locus.

Col. 354. l. 6. *optima nota*, lege optimæ, inquiunt, notæ.

Col. 356. in Eliphanto adde: Superſtes erat an. 1068. quo ſubſcripſit hoc modo, *ſignum Apteñis Eliphantis epiſcopi*, actis conventionum inter Raymundum Berengarii comitem Barchinonenſem, & Raymundum Bernardi vicecomitem Carcaſſonenſem. Vide appendicem Marcæ Hiſpanicæ col. 1138. Forte tamen hic epiſcopus erat Agatenſis, & per compendium Arenſis, non Aptenſis.

Col. 358. Petrus erat epiſcopus jam an. 1162. ex Baluzio qui in teſtimonium adducit chartul. Cluniac

Col. 373. l. 6. poſt *coadjutore*, adde, & Ludovico du Chaine Senecenſi.

Col. 374. Petrus de S. Paulo præpoſitus Aptenſis qui præerat anno 1160. ex charta 14. inter inſtrum. p. 78. debet præcedere Gaufredum I. qui idem eſſe videtur cum ſecundo.

Col. 399. l. 42. *vigeſimum quintum*. lege 26.

Col. 415. l. 43. *quod prelum exſpectat*. dele.

Col. 429. l. 15. *de Cilas*, lege de Scihans.

Col. 437. in Raimundo III. addi poteſt eum tranſlatum fuiſſe ad eccleſiam Appamienſem.

Col. 441. ad Nicolaum de Fliſco adde: eum tranſiiſſe a ſede Agathenſi ad Forojul.

Col. 450. in Guill. Martino Toroneti abb adde: Jam præerat an. 1228. quo unus fuit ex commiſſariis datis ab Honorio papa III. ut inducerent monachos

Digitized by Google

Victorinos in poſſeſſionem bonorum Rochelini, *ex chart. S. Vict. Maſſ.*

Col. 451. poſt Gaucherium reſtituendus eſt Honoratus de Baſchio, *Baſchy*, filius Bertholdi militis domini de S. Stephano, *S. Eſteve*, & Catharinæ d'Allemamon tertiæ ejus uxoris. Ex monacho S. Victoris Maſſil. abbas Toroneti legitur an. 1487. & 1491. vivebatque adhuc an. 1498. ut probatur ex multis inſtrumentis nobiliſſimæ illius familiæ, quæ ſunt penes marchionem d'Aubais in pago Nemauſenſi, ex hoc genere oriundum.

Col. 454. in S. Remedio l. 2. *Bertii*, lege Bortii, Bort.

Col. 464. in Guillelmo IV. adde: In comitiis urbis habitis ad conſulum electionem die 28. Martii, qui erat dies Martis poſt Paſcha, an. 1217. primus nominatus V. electus Vapincenſis, quem putamus eſſe Willelmum, *al.* Guillelmum.

Col. 480. in Johanne de Rochechouart, *in Pillonibus*, adde, & Lemovicibus.

Col. 487. in Pontio epiſc. diximus Guillelmum de Benevento archiepiſcopum Ebredunenſem jam mortuum fuiſſe an. 1207. Alii volunt eum ad an. 1210. viviſſe. Nodum hunc ſolvemus in Ebredunenſibus archiepiſcopis, oſtendemuſque Guillelmum quem poſt Marcellinum Fournier Jeſuitam Sammarthani fratres de Campo-ſauro cognominant, cognominatum fuiſſe de Benevento, ex charta Guillelmi Forcalquierienſis comitis an. 1180.

Col. 495. in Rainuſo addendum: Cognominabatur etiam de Gorze a caſtro *la Gorze*, quod a Tutela tribus abeſt leucis, ut nos docet Baluzius.

Col. 496. in Roberto epiſc. *Is Crepona in Arvernis*, lege Craponæ in Vallavia.

Col. 511. addendus in ſerie abbatum Lurenſium poſt Roſtagnum B. cui B. abbas S. Victoris, cum conſenſu fratrum ſuorum, confirmat poſſeſſiones & honorem & jura & cenſum, & quæcumque habebat abbas S. Victoris in valle de Alzonica idibus Decembris an. 1218.

Col. 525. cur poſt Concordium Arelatenſem epiſcopum, Conſtantium non commemoraverimus a fratribus Sammarthanis Concordio ſuffectum, quæritur; ſed hic epiſcopus erat Arauſicus, ut legere eſt t. 2. concil. Labb. col. 978. Delatæ ſunt ad me plurimæ aliæ queſtiones non abſimiles; cur Aquenſibus archiepiſcopis aut epiſcopis in Gallia, non accenſemus epiſcopos commemoratos in conciliis Italiæ; qui fuerunt haud dubie Aquenſes præſules apud Italos; cur a nobis non recuſa omnia carmina, epitaphia, &c. ſequioris ævi; quamobrem expuncti epiſcopi complures, qui locum habent in nonnullis catalogis, ſed nulla favente ratione: hæc ſane reſponſo non indigent.

Col. 570. Bertrandus cognominabatur *Maleferrati* ex duobus inſtrumentis Bernardi de Languiſello l. anni 1278. in quo laudat compoſitiones olim factas pro caſtro de Moreriis: *Inter D. Johannem Banſani, D. Bertrandum Maleferrati, & D. Florentium Arelatenſis eccleſiæ quondam archiepiſcopos; & D. Barralum dominum Baucii.* Alterum inſtrumentum eſt charta qua idem Bernardus arch. confirmat infeodationem caſtrorum Mirabelli, Vinſobrii, & Nionis, quam anno 1259. abbatiſſa monaſterii S. Cæſarii ſupradicto Barralo de Baucio fecerat, quamque *Bonæ memoriæ D. Bertrandus Malferrati Arelatenſis archiepiſcopus* eodem tempore laudaverat & approbarat. Præterea in concilio provinciali Inſulano habito an. 1288. ſub Roſtagno Arel. archipræſule, renovantur capitula quædam conciliorum olim celebratorum tempore DD. Johannis, *B. Malferrati*, Florentini alias Florentii & B. de S. Martino Arelat. archiepiſcoporum. Hæc debemus diligentiæ doctiſſimi patris Gaſparis Loys minoris Conventualis Arelatenſis, qui elucubrat commentarios de Arelatenſibus archipræſulibus. Idem contendit hunc Bertrandum Maleferratum ab hac luce migraſſe VIII. cal. Junii an. 1363. & *B. Bertrandum* præpoſitum eccleſiæ Arel. litteras direxiſſe pridie idus Octobris ejuſdem anni, *Reverendis in Chriſto patribus & dominis B.* [a] *Marſilienſi*, *G.* [b] *Carpentoratenſi*, *F.* [c] *Vaſionenſi*, *P.* [d] *Arauſicenſi*, *B.* [e] *Tricaſtinenſi*, *G.* [f] *Cavallicenſi*, *G.* [g] *Tolonenſi Dei gratia epiſcopis ac procuratoribus Avenionenſis eccleſiæ, necnon abbatibus, abbatiſſis, præpoſitis, prioribus, Guardianis & aliis eccleſiarum rectoribus per Arel. provinciam conſtitutis*: ut orationes ſuas pro anima jam dicti antiſtitis ad Dominum offerrent & offerri a ſuis ſubditis facerent, &c.

[a] Benedicto. [b] Guill. [c] Farando. [d] Petro. [e] Bertrando. [f] Giraudo. [g] Galterio.

Epiſcopi hac in epiſtola encyclica deſignati prima nominis littera reperiuntur an. 1263. in noſtris catalogis, quod non parum favet ad roborandam doctiſſimi viri ſententiam. Et quidem docet nomen Bertrandi Maleferrati Arelatenſibus in chartis reperiri adhuc ann. 1261. & 1262. hinc pro certo habemus Florentium ejus ſucceſſorem non ſediſſe an. 1260. & inconſulto conciliorum collectores ſcripſiſſe concilium Arelatenſe hoc anno habitum fuiſſe ſub Florentio archiepiſcopo, pro quo legendum Bertrando.

Col. 571. l. 61. *Forſitan junior vitam monaſticam in hoc*, &c. Bertrandus archiep. Arelatenſis vere erat monachus S. Andreæ Aven. & decanus; ſubſcripſitque an. M. CC XXXVIII. XVII. cal. Mali chartæ inſtitutionis monaſterii B. M. de Furnis per Calveriam abbatem, in hunc modum: *Et nos Bertrandus de S. Martino decanus, Petrus Duranti prior clauſtralis & ſacriſta, Petrus Guillermi eleemoſynarius*, &c. *monachi monaſterii S. Andreæ*, &c.

Col. 581. in Artaudo Arel. archiepiſcopo adde: Ex veteribus ſchedis Bertrandi Boiſſet civis Arelatenſis, fuerat epiſcopus Siſtaricenſis ante quam ad hanc perveniret metropolim; quod optime convenit cum his quæ diximus de Artaudo epiſcopo Siſtaricenſi.

Col. 586. in Philippo de Levis, quæ dicimus de ejus epiſcopatu Agathenſi, &c. emendavimus in Auſcienſibus archiepiſcopis. Itaque ex duobus Philippis de Levis non ſenior, ſed junior ſenioris nepos ex fratre fuit Arelatenſis archiepiſcopus.

Col. 599. in præpoſitis Arelatenſibus ex uno Ludovico de Roquemartine duos perperam fecimus.

Col. 625. Guillelmus de Cadro dicitur olim abbas Ulmeti diœc. Arelat. in quadam Arelatenſis archiepiſcopi ſententia inter comitem Forcalquerii & abbatem Montis-majoris, data menſe Julio 1241. proindeque ponendus ſaltem ante Johannem, quem decimum abbatem recenſuimus.

Col. 626. in abbatiſſis S. Claræ *Duriana de Malberto*, lege Suriana de Madalberto. Ibidem adde: N. de Gordes deſignata eſt abbatiſſa an. 1692. in feſto Paſchæ.

Col. 642. in Honorato III. Maſſil. epiſcopo adde: Exhibuit nobis religioſus & doctus vir D. Thomas le Fournier S. Victoris Maſſil. aſceta, *notitiam deſinitionis vel guirpitionis*, &c. in qua legitur: *Willelmo comite in Manoaſca, venit epiſcopus Pontius ſanctæ ſedis Maſſilienſis eccleſiæ, & abbas S. Victoris martyris Adalardus, reclamaverunt ſe de Rodulpho epiſcopo* [a], &c. In fine, *Facta notitia iſta in die Mercurii, in villa Manoaſca, ante eccleſiam S. Mariæ iv. Nonas Januarii anno xlv. regnante Conrado rege Alamannorum ſeu Provinciæ.* Subſcribunt Northaldus & Radaldus epiſcopi. Annus 44. Conradi regis deſignat annum Chriſti 981. hoc anno vivebat Nartholdus Aptenſis epiſcopus; is fortaſſe qui hoc in inſtrumento commemoratur. Porro ſi chartæ hujus ratio habeatur, Honoratus epiſcopus Maſſilienſis in duos dividi debet Honoratos, quorum unus præfuerit ſaltem ab anno 948. alter non obierit ante an. 994. & inter illos ponendus eſt Pontius ad annum 981. is eſt qui Poncio vocatur in charta quam commemoravimus in Annone Arelatenſi, col. 55. qui a duobus Pontiis jam

Ex magno chart. arch. S. Vict. fol. extans.

[a] Siſtarie cenſi.

Digitized by Google

cognitis diſtingui debet. Ratio tamen dubitandi de inſtrumentorum illorum ſinceritate, eſt quod Pontius epiſcopus S. Honorati ſucceſſor, de reſtauratione monaſterii S. Victoris agens, loquatur tantum de uno Honorato epiſcopo qui huic pio incubuerit operi & de ſe ipſo: *Fuerat* (cœnobium hoc) *adnullatum & pene ad nichilum redactum, quouſque bone memorie domnus Guillelmus & domnus Honoratus prefate civitatis epiſcopus, ac frater ejus domnus Guillelmus vicecomes, filiuſque ſuus D. Pontius preſul, qui eidem avunculo ſuo in epiſcopatum ſucceſſit, etiam pene lapſo manum ſublevationis porrexerunt; qui non ſolum ex ſua ei aliqua reddiderunt, verum etiam de propriis ſuis poſſeſſionibus ob remedium animarum ſuarum multa largiti ſunt, ac monachos aggregantes abbatem ibi ordinaverunt.*

Igitur ego Pontius, &c. Vincit tamen inſtrumentorum auctoritas.

Quod hæc loco ſuo non obſervaverimus, noſtra culpa non eſt, ſed eorum qui ad archivum Victorinum, omnem nobis aditum negavere.

Col. 645. in Pontio II. adde: Tertiam partem eccleſiæ S. Petri in territorio de Auriol dedit ad monachos Græcos, quos ea in eccleſia ipſe ac Iſarnus abbas S. Victoris poſuerant ſuſtentandos anno 1044. Ind. 13. ex magno chartario S. Vict. fol. 20.

Col. 646. expunge Aicadrum quem epiſcopum Maſſilienſem putavimus, decepti auctoritate Baluzii & cujuſdam inſtrumenti a Baluzio prolati, in quo appellatur *Reverentiſſimus Maſſilienſis*. At in autographo aſſervato in arch. S. Victoris non legitur *reverentiſſimus* [a]. Hic Aicadrus erat filius vicecomitis Maſſil. fuitque præpoſitus Maſſil. ut diximus.

Ibid. Expunge Raimundum II. & ad Raimundum I. refer quæ de ſecundo diximus. Nam ut locus inviteretur Aicadro, Raimundum hunc in duos partiri cogebamur. Anno 1119. v. idus Januarii compoſuit diſſidia inter eccleſiam Maſſil. & S. Victoris monaſt.

Col. 655. diximus legi Raimundum occubuiſſe an. 1288. contra quod pugnant quæ habentur in novo Carmelitarum bullario edito Romæ an. 1715. p. 39. quemdam Petrum Maſſilienſem epiſc. conceſſiſſe 40. dierum indulgentiam pauperum Fratrum ordinis Carmelitarum eccleſias viſitantibus. *Dat. Rome an. Incarn. m. cc. lxxxvj. pontificatus Honorii pape IV. an. 1.*

Col. 661. *Ludovico regi Francie.* Legendum, *regi Sicilie* me monuit Baluzius.

Col. 683. Petrum I. abbatem adfuiſſe concilio Vercell. probat bulla Leonis IX. in qua legitur: *Quia vero tu, dilectiſſime fili, cum ad ſynodum noſtram Vercellenſem veniſti, tu tamen noſtre apoſtolice defenſionis... ſupplici devotione poſtulaſti.* Vide theſ. Anecd. Edm. Mart. tom. 1. col. 171.

Col. 690. in Willelmo abb. adde: Erat jam abbas an. 1204. ex ipſiuſmet charta, in parvo chartul. fol. lxvj.

Col. 692. Guillelmum Grimoardi ex abbate factum papam regimen hujus monaſterii ſibi aliquandiu retinuiſſe, illudque per vicarium rexiſſe probavimus, ex bulla data IV. nonas Januarii an. 1. ejus pontificatus. Abbatem tamen nomine Stephanum ibi paulo poſt præfuiſſe nos docent duæ hujus pontificis bullæ, una data X. cal. Maii an. 2. pontificatus, altera IX. cal. Octobris ejuſdem anni. Sed quia idem Stephanus pro eccleſiæ negotiis fuerat ab eodem papa *ad partes Italie deſtinatus*, non dimiſit Urbanus papa monaſterii hujus adminiſtrationem, cui præpoſuit Pontium de Ulmo cellerarium monaſterii. Hæc probantur ex bulla data IV. cal. Junii an. 2. ejus pontificatus in qua ſic loquitur: *Nos qui monaſterium ipſum, etiam poſt quam fuimus ad apicem ſummi apoſtolatus aſſumpti, certo tempore... ad manus noſtras tenuimus, & de ipſo monaſterio, quandiu vita nobis comes exſtiterit... curam habere proponimus: volentes quod negotia ipſius monaſterii non poſſis utilius gerere quam majori poteſtate fueris communitus; te auctoritate apoſtolica tenore preſentium, vicarium generalem & procuratorem dicti monaſterii, uſque ad noſtrum beneplacitum, conſtituimus.* Hac bulla ſummus pontifex illi committit omnimodam diſpoſitionem monaſterii tam in ſpiritualibus quam in temporalibus.

Col. 694. in Aug. Trivulcio 1526. adde: Quo an. capitulum generale congregravit. Anno etiam 1531. quædam ſtatuta condidit. *Ex tabul. Vict.*

Col. 699. l. 30. *S. Salvatoris*, lege S. Pontii.

Col. 705. l. 3. *Ludovicus Ant.* lege Ludovicus Anſelmus.

Col. 713. conjicimus Aimarum epiſcopis Tricaſtinenſibus additum perperam, quam conjecturam confirmat quod me docet doctiſſimus D. Raybaud, Pontium de Grillon epiſcopum Tricaſt. commemorari ut teſtem donationis factæ anno 1138. ab Hugone de Montſegur, Templariis apud Richaranches. Ipſe dedit Templariis eccleſiam S. Johannis in urbe S. Pauli, ſed inſtrumentum donationis caret notis chronicis.

Col. 719. in Guillelmo III. epiſc. Tricaſtin. ſecuti ſumus clar. virum Ant. de Ruffi qui in hiſtoria Maſſilienſis urbis, enumerans abbates S. Victoris Maſſilienſis, Guillelmum de Cardailaco unum ex his abbatibus, dixit fuiſſe aſſumtum in epiſcopum S. Pauli Tricaſtinenſis, ſed ſcribendum *S. Papuli*. Idem dicendum putamus de Raimundo de Mouſtajouls, cui ante Guillelmum dedimus locum in Tricaſtin. epiſcoporum catalogo, decepti Antonii Bonal auctoritate; ſed plurimæ chartæ a nobis viſæ, quarum meminimus in S. Flori epiſcopis, nobis perſuadent illum fuiſſe non S. Pauli, ſed S. Papuli præſulem.

Col. 738. poſt Pontium I. abbatem locus debetur Raimundo, an. 1295. ex charta Cantogilenſi.

Col. 744. Willelmus II. fuerat S. Victoris Maſſil. monachus; unde ipſi exprobrat Anaſtaſius papa, quod oblitus fratrum ſuorum Maſſilienſium monachorum, eis injurias irrogaret.

Col. 758. Hodiernus epiſcopus Tolonenſis vocatur Ludovicus.

Col. 769. in Bonifacio vir clar. Ludovicus le Prevoſt, emendans quæ ad nos olim ſcripſit, nos monuit hunc epiſcopum jam an. 793. legi in chartis illuſtriſſimi epiſcopi, & in capituli tabulis, ſed de ipſarum antiquitate tacet.

Col. 770. in Aldirico, quæ adjecimus: *hic poteſt aſſignari tempus quo dua ſedes epiſcop. iſta ſunt unita*, non debent intelligi de prima unione, ſed de iterata; priorem enim perſeveraſſe ſemper uſque ad an. 1107. non putamus.

Col. 777. in Petro II. Fratres Prædicatores an. 1261. cœperunt Arauſicæ habitare.

Col. 781. in nota *a* Prevotius convenit cum Sammarthanis in cognomine præfecti Delphinatus, ſed male lectum eſt *de Ganevete*.

Col. 782. *Johannes Gombert epiſc. Arauſicanus*, lege Gobert, ex multis inſtrumentis Carmelitarum Claromont. quorum eccleſiam conſecravit hic epiſcopus an. 1472. inquit D. Jacobus Boyer.

Col. 782. in Laurentio Alleman, adde: bullæ tranſlationis ejus effectu caruerunt, quia priorem ſponſam deſerere noluit. Petrus Carte ſedit ab an. 1483. quo Carolus Francorum rex VIII. ei conceſſit fructus epiſcopatus ſub manu regia ſervatos tempore interpontificii, litteris datis Ambaſiæ die 5. Aprilis, ex regiſtro 2. cameræ comp. Gratianop.

Col. 783. ad Guillelmum & Ludovicum Peliſſier, Prevotius emendans quæ ad me olim ſcripſerat, monuit Guillelmum obiiſſe 19. Novembris an. 1532. in palatio epiſcopali, & Ludovicum 15. Novembris an. 1540. quo die Honoratus Iſnard canonicus in vicium

[a] In autographo legitur: *Conſolentibus .... Willelmo ſcil. Arvernie comite, Bitterenſi vero vicecom. B. denique Aicardo Maſſilienſe*; ex quo B. Baluzius fecit R. & reddidit *reverentiſſimo.*

Digitized by Google

rium generalem & officialem electus eſt.

Col. 792. in Franciſca de la Fare adde: illam monaſterium, olim a Calviniſtis deſtructum, e ruinis excitaſſe.

Col. 799. in Valente. Monuit me D. Jac. Boyer legendum *Caſaria*, non *Caſaria*, vocaturque vulgo *Sainte Caſaire*. Idem ad me miſit integrum S. Caſariæ epitaphium, quale legitur apud S. Andream:

Condita Caſaria ſunt hoc pia membra ſepulchro,
Cui probitas, virtus, facies, mens, nomen, origo
Connubiumque fuit ſimili ſplendore refulgens,
Et dulcis proles, poſt cujus fata ſuperſtes,
Se totam vovens caro cum conjuge, Chriſto
Jejunans, orans, mendicis lata miniſtrans,
Has ſolas cenſebat opes mercedis opimæ,
Quas illis, ſacriſque dabat de divite cenſu
Templis, unde ſatis meritis felicibus aulæ
Luſtris, &c.

Col. 812. Gaufridus I. epiſc. Aven. cognominatur *Langerii* p. 149. inſtrumentorum.

Col. 817. Zoen epiſcopum occubuiſſe an. 1263. uti diximus, probat inſcriptio epiſtolæ encyclicæ R. præpoſiti Arelatenſis, de morte Bertrandi archiepiſcopi, ſcriptæ hoc anno die 14. Octobris ad hujus metropolis ſuffraganeos, & *procuratores eccleſiæ Avenionenſis*, ſcilicet ad vicarios hanc eccleſiam, ſede vacante, adminiſtrantes, quam epiſtolam ad *libri nigri* calcem legit R. P. Gaſpardus Loys Minorita doctiſſimus, jam a nobis laudatus. Inde quoque probatur expungendum eſſe Stephanum epiſcopum, quem Fantoni doctus Carmelita ſcriptor hiſtoriæ Avenionenſis ſuper induxit.

Col. 830. l. 13. *duos*, lege tres. Ibidem *tres*, lege duos. Linea 14. *unus*, lege duo.

Col. 877. lin. 12. poſtea, lege *antea*.

Col. 899. poſt Bernardum addendus eſt Kerifonſius ſeu Erifonſius. Hic adfuit dedicationi eccleſiæ Helenenſis cal. Septembris an. 916. vocatus ab Helmerado Helenenſi epiſc. ex Marca Hiſpan. p. 384.

Col. 904. in Guillelmo adde: Adhuc vivebat aut in vivis credebatur die 14. Octobris anno 1263. ex inſcriptione epiſtolæ encyclicæ R. præpoſiti ſuperius commemoratæ.

Col. 973 l. 5. *moniales Benedictina*, lege Urſulanæ.

Col. 924. Petrus II. adde ejus cognomen de Mirabello, quod legitur col. 789.

Col. 929. in Gothio. Baluzius in notis ad vitam Benedicti XII. col. 811. & 812. negat eum fuiſſe Vaſionenſem epiſcopum, nec aliam profert auctoritatem quam Ordorici Rainaldi quam toties floccifacit.

Col. 930. In Petro epiſc. Vaſionenſi. Liquet eum prius fuiſſe epiſcopum Vaſionenſem, deinde patriarcham Jeroſolymitanum, bulla data Avinioni nonis Octobris, Clementis VI. an. 1. Chriſti an. 1341. Eodem tempore alia bulla committitur ei adminiſtratio epiſcopatus Vaſionenſis.

Col. 931. in Petro de Beretto. Aliqui cognominant eum de Beſſio, dicuntque eum non fuiſſe tantum Vaſionenſem adminiſtratorem.

Col. 945. lin. 51. *ad Bertrannum*, lege ad Bermundum.

Col. 949. l. 30. *datus eſt*, lege: datus dicitur.

Col. 998. in Johanne IV. adde: Conſule quæ diximus ſupra in Mimatenſibus epiſcopis.

Col. 1000. lin. 5. *cetera quæ ad eum*, &c. dele.

Col. 1014. *de Verdeſano*, lege de Verduſano.

Ibid. *de Verdunan.* lege de Verduſan.

Col. 1025. adde: Arnaldus de Monteſquiou abbas erat an. 1228. *ex D. Eſtiennot.*

Col. 1026. ponendus eſt poſt Willelmum Stephanus abb. Flerani, cui Forto del Til dedit ex. ſolidos de bonis mortanis ſuper omnem terram ſuam de Eilet. Fidejuſſores ſunt Raimundus Bernardus de Gelans & Willelmus Arnaldus frater ejus, &c. an. 1175.

Ibidem. Poſt Geraldum reſtituendus eſt Johannes de Monte-lugono, qui an. 1484. die 21. Maii adfuit ſolemni receptioni Caroli d'Armagnac in capitulo eccleſiæ Auſcienſis.

Col. 1030. in Guillelmo IV. adde: Adfuit concilio Piſano, 1409. ex ſpicileg. tom. VI. p. 355.

Col. 1036. erravi cum fratribus Sammart. ſcribens beatam Virginem eſſe Aquenſis eccleſiæ patronam; cum ſit ſub invocatione S. J. Baptiſtæ dedicata.

Col. 1053. David de Montferrand ponendus videtur inter Petrum III. & Petrum IV. Lopeſius enim in ſuis de archiepiſcopis Burdigal. commentariis docet eum prius canonicum fuiſſe eccleſiæ S. Andreæ Burdigal. tum vocatum eſſe ad ſedem Aquenſem die 19. an. 1408. & poſtea ſediſſe Burdigalæ.

Col. 1055. in J. Bapt. de Foix, *nothus Archembaldi*, adde: ſeu potius Matthæi ipſius filii, & Iſabellæ de Foix.

Col. 1058. adde in Franciſco de Noailles: Epiſcopatum abdicavit in gratiam Ægidii fratris ſui retenta 1600. penſione; qua de re exſtat epiſtola Regis ad ſummum pontificem data 23. Junii 1562.

Ibid. in Ægidio adde: Guillelmus de Maſſiot preſbyter & canonicus eccleſiæ Aquenſis, a rege Henrico IV. inſtituitur œconomus pro temporalibus epiſcopatus Aquenſis an. 1592. ſede vacante; unde inferre licet Ægidium jam mortuum.

Col. 1064. in abbate 35. *dictus ſenior, Arel. Burdig.* &c. lege: dictus junior; cetera dele uſque ad *ſedet.*

Col. 1067. addendus eſt poſt Johan. de Forcade Guido, *Guyot*, de Ruif, qui teſtis legitur in inſtrumento dato in curia temporali epiſcopi Clarom. pro Guillelmo d'Arſon 24. Octob. 1447. ex collect. D. de Ganieres volum. 9. in biblioth. regia. In eodem volumine quod complectitur inſtrumenta authentica, idem abbas legitur an. 1437. 10. Jan. 1442 & 1449. 14. Sept. & 1466. 3. Nov. Ideoque aliqui anni præfecturæ Johannis de Forcade ſunt reſecandi; niſi dicamus duos tunc de abbatia contendiſſe & abbatis titulum habuiſſe.

Ibid. *Salvatus de Harſa*, lege de Hiarſa.

Col. 1071. lin. 9. uti legitur in aula domus publicæ; lege, uti legebatur olim.

Col. 1078. Geraldus II. adhuc ſuperſtes erat anno 1194. ex archivi Palenſis charta ſcripta hoc anno die XI. exitus Madii.

Col. 1080. in Arnaldo. Anno 1343. die 9. Novem. occurrit in archivo Ruthen. ex ſchedis noſtri D. Joſephi Vaiſſete. Idem eſt ac Guillelmus a nobis commemoratus an. 1344. menſe Maio. Utrum hic ſit Arnaldus Guillelmus, aut ipſi præponendus ſit ancipites hæremus.

Col. 1087. errorem Oihenarti advertimus, dum Johannem d'Eſtreſſes appellat, filium fratris Leodegarii de Plas. Erat filius Gaſpardi d'Eſtreſſes & Iſabellæ de Plas, ſororis Leodegarii de Plas ſui deceſſoris, ex præfati Gaſpardi teſtamento ſcripto die 13. Octobris 1585. quod legit noſter D. Jacobus Boyer.

Col. 1087. in Johan. III. adde: Erat filius ſororis Leodegarii de Planis ſui deceſſoris, ſcilicet Iſabellæ de Planis, *de Plas*, quæ nupſerat Gaſpardo d'Eſtreſſes. Hæc eruit noſter D. Jac. Boyer ex ipſius Gaſpardi teſtamento condito die 13. Octobris an. 1585.

Col. 1088. in Hugone epiſc. *Picardia*, lege pago Lemovicino.

Col. 1093. in Involato meminimus Orioli epiſcopi, ad quem admittendum deſiderabamus chartarum teſtimonium. Duas autem nobis ſuppeditavit noſter D. Joſephus Vaiſſete, deſcriptas ex MSS. biblioth. Colbertinæ: *In nomine Domini ego Dato monachus pia devotione libenter elegi, ut ad venerandam eccleſiam S. Beati*[a] *monaſterii qui eſt fundatus in valle Bavartenſe ſuper fluvium Garona aliquid de proprium*

[a] *S. Beatus*, vetus monaſterium ord. S. Benedicti in dioceſi Convenenſi, adhuc pendet a Lelato.

meum, &c. dono unâ eccleſia medietate qui eſt vocatus S. Georgius, qui eſt fundatus in valle Bavartenſe in villa quæ dicitur Boce, &c. Facta carta Kal. Auguſti regnante Lantario rege, comite Raymundo, epiſcopo Ociolo S. Datone monacho .... S. Leone archidiacono, &c.*

* *f* Oriolo.

In chartulario Leſati quoque legitur : *xv. Calend. Junii, regnante comite Raimundo, & filio ſuo Bernardo, epiſcopo Oriolo, Oriolus preſbyter de S. Martorio donat S. Beato monaſterio qui eſt fundatus in comitatu Comenico in valle Bavartenſe ſuper fluvium Garona de Alode ſuo unam eccleſiam & villam nomine S. Medardi, &c.*

Col. 1094. in Bertrando epiſc. *Andofilei*, forte d'Andofiele, qui locus eſt prope Inſulam, *l'Iſle en Jourdain*, ex animadverſionibus Cl. abbatis de Cardaillac. Attamen Oihenartus in notitia Vaſconiæ p. 453. habet *d'Andofile*, & quidem ex veteribus chartis.

Col. 1101. in Guillelmo III. laudatus abbas penes ſe habet vetus inſtrumentum, quo nobiles quidam Guillelmo huic epiſcopo, accipitrem ſe daturos pollicentur, an. 1321. teſtes ſubſcribunt Arnaldus, Guillelmus de Malo-leone domicellus, & Arnaldus de Cardeliaco miles.

Col. 1103. cognomentum de Menanto, Gallice interpretandum, *de Manas*, ex eodem doctiſſimo viro, cujus ſunt quæ ſequuntur pleræque animadverſiones.

Col. 1105. in Johan. II. adde : Sepultus eſt in conventu Fratrum Minorum apud Vallem-cabrariam, *Val-cabraire*, ubi regulare S. Franciſci inſtitutum amplexus fuerat. Ipſius meminit Philippus de Commines in ſuis commentariis lib. 8. cap. 16. circa initium.

Col. 1112. l. 48. *Nubieres*, lege : Lubieres.

Col. 1114. archidiaconis Convenenſibus addendus Petrus Begonis archidiac. de Aura in eccleſia Conven. an. 1366. ind. IV. Subſcribit chartis nuptialibus Guidonis de Murato domini de Verninis diœc. Clarom. & Mariæ filiæ Guidonis de Podio-vallis, *Puy de Val*, diœc. Tutelenſis ex authentico aſſervato in caſtro de Preſchonat apud Arvernos.

Col. 1117. Arnaldus IV. Boni-fontis abbas erat adhuc 1354. 18. Martii, ex chartis authenticis D. de Ganieres.

Ibidem n. XLII. poſt Johan. de Malo-leone ponendus Johan. Bertrandi, nam in *ſpeculo politico* quod ipſi nuncupavit Guillelmus de la Periere Toloſas, edito Lugduni an. 1553. Johannes Bertrandi epiſcopus Convenarum, abbas Boni-fontis & ſigillorum Franciæ cuſtos dicitur. Ibidem poſt Johan. de Roſtaing, addendus Chriſtophorus du Verdier.

Col. 1119. in abbate 33. *Degué*, lege Dequé.

Col. 1121. l. antepenultima aquæ, lege quæ.

Col. 1122. n. XXVII. Annæ de Benca, lege Annæ de Noë.

Col. 1123. *ad Salatum fl. la Salle.* Sic appellatur in notitia Gall. Valeſii. Aliis geographis eſt, *le Sallat.*

Col. 1138. in Jordano de Aura adde : Filius erat Sancii Garciæ de Aura vicecomitis de Sarbouſt, & Bertrandæ de Juſſan dominæ de Cardaillac in pago Convenenſi.

Geneal. de Grammont.

Col. 1139. in Triſtando, adde : Filius erat Sancii Garciæ de Aura, & Annæ vicecomitiſſæ d'Aſter.

Col. 1140. in Menaldo de Martorio, *de Martory*, lege de Martres.

Ibidem in Hectore d'Oſſun Aquitania. Hic Aquitania ſumitur in latiſſima ſignificatione, qua complectitur pagum Bigerritanum, ubi ſitum eſt caſtrum, a quo nobiliſſima familia d'Oſſun cognomen ſumit.

Col. 1145. n. XIV. Jacobus ſedebat jam an. 1373. quo ei Gaſto comes Fuxenſis honoris cenſum reddidit.

Col. 1161. in Garſia epiſc. Adurenſi, adde cognomen ejus *de Navailles* quod eruitur ex inſtrumento hominii exhibiti Matthæo Fuxi comiti die 12. Novembris 1391. ab incolis de *Rocfort en Marſan*, cujus teſtis eſt hic epiſcopus.

Ibidem in Bernardo Bruni adde : In appendice ad concilium Conſt. tom. 12. concil. col. 1828. memoratur Petrus Adurenſis epiſcopus inter plurimos concilii patres. Hic forte Bernardo ſucceſſerat.

Col. 1173. quæ de Monte-alto ibi dicuntur delenda ſunt ; qui enim ea mihi ſcripſerat, hallucinationem ſuam nobis confeſſus eſt ; legerat nempe *Mons-altus* pro *Pons-altus*.

Col. 1184. poſt Arnaldum d'Aydie ponendus P. Cibar de Vaguel, qui deputatus eſt ad comitia Bleſis habita an. 1577. inquit D. J. Boyer, a quo pleraque hic notata accepimus.

Col. 1198. inter Fortonem & Arnaldum Guillelmi ad annum 1145. Raimundus Vaſatenſis epiſcopus reſtituendus, ex charta Petri abbatis S. Romani de Blavia quam lege col. 815. C. in archiepiſc. Burdig.

Col. 1219. in ſexto abbate Raimundo II. de S. Clair, *al.* de S. Clar, duo cognomines ſunt reſtituendi. Raimundus II. præfuit uſque ad an. 1535. quo nepoti ſuo Raimundo III. de S. Clar reſignavit. Hæc me docuit ex domeſticis inſtrumentis D. de S. Clar, in curia præſidiali Sarlatenſi conſiliarius.

Col. 1220. l. 13. *primus commendatarius*, dele primus.

Col. 1222. lin. 35. *de Laterano*, lege de Laſſerano. Ibid. l. 63. *Ignatius de Monteſquioux*, lege Ign. de Secondat de Monteſquiou.

Col. 1223. & 1224. diximus Bigerrones, vulgo vocari *Bigarrats* ſecuti Hadrianum Valeſium ; *Bigordans* ſeſe appellant.

Col. 1225. & 1226. addere lubet in gratiam illuſtriſſimæ familiæ de Cardaillaco, Minimorum conventum apud Tornacum fundatum fuiſſe anno 1592. a Raimundo de Cardaillac equite torquato, Aquarum-Mortuarum, *Aigues Mortes* gubernatore, ac Bigorræ ſeneſcallo & præfecto, necnon ab ejus conjuge Margarita de Juſſan.

Ibidem inter epiſcopos Tarbenſes Claudius Chatellain in ſuo martyrologio recenſet S. Landeolum, qui obiit in monaſterio S. Galli, ubi ſepultus jacet in S. Petri ſacello. Sed nulla id probant vetera monumenta. Certe apud Bollandum minime exſtat ejus memoria.

Col. 1233. in Hugone de Pardaillan Tarbenſi epiſc. adde : Adhuc memoratur an. 1245. ex ſchedis noſtri D. Joſephi Vaiſſete deſcriptis ex cod. MS. biblioth. Colb.

Ibidem in Arnaldo IV. adde : In cod. MS. bibliothecæ Colberti in quo continentur ſummaria l. 1. regiſtrorum Urbani IV. legitur : *Capitulo Tarvienſi ſuper promotione Arnaldi de Milleſanctis in epiſc. Tarvienſem.*

Col. 1237. adde ad Raimundum Bernardi : Baluz. monet bullam Martini V. qua proviſus eſt, exſtare Lutetiæ in theſauro Regio, ac debuerat indicare quo die, menſe & anno.

Col. 1238. in Menaldo de Aura l. 13. *Sorſac*, lege Soirac.

Col. 1239. Menaldus de Martory epiſcopatum Tarbenſem non obtinuit mortuo Thoma de Fuxo, ſed cedente, retenta penſione. Rogerio Montaltio ipſius æmulo parrocinabatur ſenatus Toloſanus ; ſed Franciſcus I. Galliæ rex patentibus litteris datis Mediolani 17. Octobris an. 1515. & aliis ſcriptis Viennæ die 7. Novembris ejuſdem anni, ſenatui litis hujus judicium interdixit. Hæc noſter D. Joſephus Vaiſſete ex ipſis parlamenti regiſtris eruit. Hunc epiſcopum Belleforeſtius vocat Menaldum de S^te. Colombe ; qua ratione non ſatis ſcio.

Col. 1245. Arnaldus de Aſtu... poni debet poſt Bertrandum de Palaya S. Severi abbatem ; obiitque an. 1407. die 4. Julii, & poſt eum electus eſt Arnaldus de Manaſco, quem cognominavimus *de Manſan*.

Col. 1250. in Arnaldo II. S. Savini abb. adde : Hic abbas varie cognominatur in actis electionis ejus, quæ deſcripſit Fornerius ex arch. S. Victoris ; ali-

Digitized by Google

quando enim legitur de Bar d'Artizas, aliquando de Bay d'Arciſas: ad electionem faciendam convenerunt monachi an. 1256. calendis Aprilis.

Ibidem in Fortanerio adde: Ejus tempore Bermundus de Mayroſio miſſus ab abbate S. Victoris, quædam decreta fecit ad monaſticam diſciplinam muniendam, ex tab. S. Vict.

Col. 1252. lin. 54. *de Teſac*, lege de Terſac de Monberaud de Vernajon.

Col. 1258 *N. de la Caſſagne*. Non fuit abbas Regulæ diœceſis Tarbenſis, ſed Regulæ diœc. Laſcurrenſis. Ipſe eſt qui nunc Laſcurrenſem obtinet cathedram.

Col. 1260. lin. 9. *de Chodean*, lege de Chodon. lin. 13. *Simore de Soleng.* lege: Simon de Solemy.

Col. 1261. in Johan. de Mareſtagno adde: Vivebat adhuc an. 1480. quo die 9. Februarii teſtis fuit tabularum matrimonii inter Raimundum de Cardaillac, & Johannam de Mareſtaing ſuam neptem, ex inſtrum. domus de Cardaillac. Ibidem deleto nomine Ludovici d'Anjou, lege Johannes d'Oſon. Fuit ultimus abbas regularis Scalæ-Dei, qui habuit æmulum quemdam clericum a Rege deſignatum vi concordatorum. Is forte fuit Ludovicus d'Anjou; ex ſchedis doctiſſimi abbatis de Cardaillac, qui per maternam lineam ex nobili gente d'Oſon ortus eſt. Ibid. lin. 27. *forte eſt*, dele: forte.

Col. 1272. poſt Gaillardum, pone Willelmum Andaſium qui confirmatus & electus eccleſiæ Elorenenſis in Bearnio dicitur in charta procurationis quam fecit Gaſto comes Fuxi vicecomes Bearnii, Jordano de Caſtro-verduno *ad tractandam pacem* cum Jacobo rege Majoricarum, die Mercurii poſt feſtum B. Mariæ Septembris anno Domini M. CCCVIII. ex ſchedis Colbertinis.

Col. 1274. in Arnaldo Guillelmi. Verum nomen & cognomen hujus epiſcopi produnt acta conciliorum habitorum an. 1398. die 16. Auguſti, coactorum ad præſtandum fidei ſacramentum Archembaldo Comiti Fuxenſi, & Iſabellæ de Foix ejus conjugi, in primo ipſorum adventu: his autem interfuiſſe legitur Arnaldus Guillelmus de Buſi, ex bibl. Colb.

Col. 1276. in Johan. de Pardaillan epiſc. adde: Adfuit Johanni regi & Catharinæ reginæ Navarræ, quando Jacobum de Fuxo Navarræ principem, *infant*, Joh. ep. Conſoran. & alios procuratores inſtituerunt, ad rata habenda pacta facta inter Regem & Reginam, Johannemque de Fuxo Stamparum comitem die 20. Oct. 1499. adhucque vocatur epiſcopus; at forte abdicarat; ex biblioth. Colbertina, quæ multa nobis ſuppeditavit. Hæc autem & alia non pauca excerpſit D. Joſephus Vayſſete noſtræ congregationis aſceta, qui in hiſtoria Occitaniæ ſcribenda deſudat.

Ibidem in Raimundo Arnaldo adde: Raimundus Arnaldus de Bes, alias d'Iberos, *electus & confirmatus* Olorenſis, nominatur exſecutor teſtamenti Catharinæ reginæ Navarræ 28. Junii an. 1504. ex MSS. biblioth. Colbert.

Col. 1280. in Joſepho epiſc. Oleron. *S. Chamont*, lege S. Chamand.

Col. 1295. in Arnaldo Laſcur. epiſc. *d'Arbonze*, lege: d'Arbus.

Col. 1297. in Arnaldo Salino, cenſet Cl. abbas de Cardaillac interpretandum hoc cognomen *de Salicis*.

Col. 1298. in Jacobo de Foix adde: Attigit an. 1553. quo, die 23. Julii teſtis fuit tabularum matrimonii inter Johannam de Fuxo ſuam neptem, & Hermannum de Gontaut, ex biblioth. Colbertina.

Col. 1304. adde abbatibus S. Petri de Reg. poſt Johannem de Salette, Gratianum de Herreta, qui an. 1484. 19. Junii, interfuit pactis matrimonii Johannis d'Albret, ac Catharinæ Navarræ reginæ, ex biblioth. Colbert.

Ibid. Henricus Xaverius de Bethune, lege *Belzunce*. Ceterum pro hoc abbate reponendus eſt *N. de la Caſſagne*, nunc Laſcurrenſis epiſc.

Col. 1306. poſt Arnaldum III. abbatem, ſequi debet Jacobus d'Aſpremont, qui obiit an. 1714.

Col. 1315. in Petro de Maritima quidam vir doctus carpit quod vicecomites Maritimenſes tribuerim pago Laburdenſi, ſeu Lapurdenſi. Sed legat Oihenartum in notitia Vaſconiæ p. 539. *Bayonenſem præfecturam, ſub qua vicecomitatus Aortenſis & Maritimenſis*, &c. Porro quæ hodie Bayona, fuit olim Lapurdum uti fatentur omnes.

Col. 1317. in Bartholomæo ep. adde: Erat Dominicanus, ut patet ex veteri codice Dominicanorum Toloſæ p. 128. apographi Baluziani. Erat adhuc epiſcopus anno 1383. die 26. Septembris, ut patet ex veteri codice MS. urbis Bayonenſis, ubi vocatur *Frater Bartholomæus de Ribeyre*.

IN INSTRUMENTIS.

PAg. 116. col. 1. E. in Bargo, lege in Burgo. Eſt prioratus dictus de Monachia, vulgo *la Mourguié*, congregationi S. Mauri unitus.

MUTATIONES FACTÆ IN CLERO GALLICANO, poſt editum Galliæ Chriſtianæ Tomum primum.

COl. 52. mortuo Hieronymo Franc. de Cardon, electus eſt præpoſitus N. Mege prius S. Salvii canonicus an. 1717.

Col. 172. Johannes Franciſcus d'Eſtrades obiit apud Paſſiacum prope Pariſios, die 10. Maii, an. 1715. & deſignatus eſt abbas Moiſſ. Joh. Ludovicus de Gontaut de Biron eccleſiæ Pariſ. canonicus, nunc decanus, menſe Februario an. 1716.

Col. 190. in abbatibus Gordon. adde N. de Hennaut, qui nominatus fuit die 6. Novembris an. 1717.

Col. 196. Catharina de la Fon-de-Jean de S. Projet, electa eſt Belli-loci prioriſſa die 24. Aprilis an. 1716. poſt mortem Claudiæ de Gourdon, quæ contigit eodem anno die 16. Aprilis. Hæc an. 1702. ſucceſſerat Galiotæ de Gourdon ſuæ amitæ mortuæ die 7. Januarii an. ejuſdem. Pendet a Belli-loci hoſpitio aliud apud Martelli oppidum in pago Cadurcenſi.

Col. 134. Paulus Ph. de Lezay, &c. obiit die 25. Februarii 1716. & ſucceſſor ei datus eſt Armandus Johannes de la Vove de Tourouvre qui conſecratus eſt ab Emin. Cardinali de Noailles Pariſ. archiep. an. 1718. die 10. Julii, aſſiſtentibus epiſcopis Altiſſiodorenſi & Sagienſi. Regi ſacramentum fidei præſtitit die 7. Auguſti an. ejuſdem.

Col. 444. in Luca d'Aquin epiſc. Forojul. adde: Obiit Pariſ. an. 1718. ineunte.

Col. 445. in Andrea Hercule de Fleury, vide quæ diximus in additionibus ad tom. 1. col. 1317. nomen ejus ſucceſſoris eſt Joſeph Petrus de Caſtellane.

Col. 505. Ludovicus de Thomaſſin epiſc. Siſtaricenſis obiit menſe Julio an. 1718. & deſignatus ejus ſucceſſor N. Laffiteau.

Col. 512. an. 1716. paulopoſt Epiphaniam N. de la Combe de Monteil deſignatus eſt Luræ abbas, mortuo N. de Valavoir qui creatus fuerat abbas bulla pontificia data 10. Februarii an. 1696. hic ſucceſſerat Felici de Caſtellane qui abbas factus eſt bulla data 10. Octobris an. 1667. Paulopoſt acceptam regiam ſchedulam pro abbatia Lurenſi, alia donatus eſt, & in ejus locum nominatione Regis Chriſtianiſſimi ſuf-

Digitized by Google

fectus eſt Balthazar de Burle.

Col. 618. Carolus Bichi, cardinalis, Montis-majoris Arelat. abbas, obiit Romæ die 6. Novembris an. 1718. ætatis ſuæ 81. cui ſucceſſor datus eſt clariſſimus abbas N. Rohault de Gamaches Romæ Rotæ auditor.

Col. 736. Joſephus Maurel de Chaffaut ep. Tricaſtinenſis, obiit die 10. Martii an. 1717. an. ætatis 59. cui ſuffectus eſt nominatione regia 20. Aug. ejuſdem anni Claudius Joſephus de Simiane, ex nobili gente jam ſæpe a nobis commemorata, qui erat decanus eccleſiæ collegiatæ S. Agricolæ Avenionenſis. Conſecratus eſt in majori eccleſia Arelatenſi die 21. Auguſti ab archiepiſcopo, cooperantibus Arauſicano & Vaſionenſi, *al.* Cabellic. epiſcopis. Fidem Regi jurat die 2. Octobris ejuſdem anni.

Col. 762. Petro d'Eſparra Alexander d'Eſparra preſbyter Oratorii ſucceſſit an. 1717.

Col. 1068. adde abbatibus Deivillæ N. d'Eſquilles a Rege deſignatum die 15. Aug. an. 1714. qui obiit 11. Octobris 1719.

Col. 850. N. Salviati prolegato præſide facto legationis Urbinenſis, in ejus locum ſuffectus eſt N. Caligola an. 1717. & an. ſequenti N. Negroni nominatur prolegatus.

Col. 1090. Ludovicus d'Illiers d'Entragues Regi ab eleemoſynis, prius deſignatus Claromontenſis epiſcopus, poſtea mortuo Franciſco Ludovico de Polaſtron epiſcopo, Lactorenſis conſecratur die 24. Julii an. 1718. in ſacello majori archiepiſcopalis Palatii Pariſ. ab emin. cardinali Lud. Ant. de Noailles Pariſ. archiepiſc. collaborantibus epiſcopis Laudunenſi & Altiſſiodor. die 7. Aug. anni ejuſdem præſtitit Regi ſacramentum.

Col. 1242. Franciſcus de Poudenx obiit die 24. Junii an. 1716. heredibus ex aſſe relictis clericis ſeminarii, ac noſocomii pauperibus, cujus in locum deſignatus a Rege Anna Franciſcus Guillelmus du Cambout doctor Sorbonicus Regi ab eleemoſynis, & ſindycus ſeu procurator generalis cleri Gallicani an. 1719. die 19. Novembris conſecratur Pariſiis ab em. card. de Noailles Pariſ. archiepiſcopo aſſiſtentibus Lactorenſi & Venetenſi epiſcopis.

Col. 1256. Romanus Dalon abb. S. Petri de Genoroſo obiit menſe Februario 1719.

Col. 1301. dominicus d'Eſclaux de Meſplez, non *Meſſelez*, obiit anno 1716. cujus ſucceſſor deſignatus eſt Martinus de la Caſſagne.

Col. 1351. in abbatibus B. Mariæ de Pinu adde D. Ludovicum le Grand an. 1719. abbatem factum ex Pruliacenſi priore.

ERRATA.

Col. 21. l. 4. *comite*, lege archiep. Col. 50. D. l. 7. *Petrus*, adde I. Col. 56. l. 11. *Petrus*, adde II. Col. 67. C. l. 8. *Petrus II.* lege III. Col. 73. D. l. 9. *archidiaconorum*, lege archidiaconum. Col. 81. in nota *ad viceſimum*, adde annum. Col. 82. B. *Petrus III.* lege IV. Col. 83. l. 7. *Petrus IV.* lege V. Col. 85. l. 4. *Petrus V.* lege VI. Col. 90. l. 10. *Petrus VI.* lege VII. Col. 93. C. l. 1. *Michaël*, adde I. Col. 99. D. l. 1. *Reginaldus*, adde I. Col. 104. l. 3. *Rex*, lege Rea. Col. 107. l. 12. *Petrus VII.* lege VIII. Col. 109. B. l. 8. *Michaël*, adde II. Col. 125. in catalogo abbatiarum, adde Virzionem & Maſciacum. Col. 156. l. ult. *inchoatam*, lege inchoatam. Col. 152. C. l. 2. *Johanne*, dele. Col. 162. l. 4. *Vallæ-Honeſtæ*, lege Vallis-Honeſtæ. Col. 171. l. 4. *de Mornay*, adde Ordinis Minorum Capucinorum. Col. 175. D. l. 9. *J. Bituricenſ.* lege G. Bitur. Col. 181. abbate, adde: adhuc notatur an. 1362. in inſtrumento eccl. Lemov. Col. 195. C. l. 9. *1346.* lege 1446. Col. 218. C. l. 9. *Guidone*, lege Geraldo. Col. 289. 2. tomi in Johanne de Meſlot non dicimus quo anno ſedere cœperit, ſed lege col. 96. inter inſtrumenta. Col. 358. l. 30. *170.* lege 270. Col. 314. B. l. 4. *ad an. 1510.* dele. Col. 379. D. l. 1. *Benedicto*, dele. Col. 388. C. 1146. forte legendum 1144. nam Lucius papa non erat an. 1146. ſed Eugenius III. Col. 395. E. l. 7. *Henrico*, lege Raimundo. Col. 410. D. *Ser. Delphinæ*, adde: l. 5. olim, & nunc Regi. *Ibidem* D. in margine *Magemont*, dele. Col. 427. E. l. 3. *Conſtantienſi*, l. Baſilienſi. Col. 436. D. l. 1. *Anicienſis*, lege Claromont. Col. 437. B. l. 5. *qui Arnaldo ſuc.* dele. Col. 440. D. l. 2. *al. Julii*, lege al. Junii. Col. 456. D. l. 8. *Urbani papæ III.* lege V. *Ibidem* in margine Butx. adde vel *Boiſſet.* Col. 467. l. 15. *reſervatur*, l. referri curavit. Col. 483. D. l. 3. *vicecomitum, Podemniaci*, lege vicecomitem Pod. Col. 487. B. l. 1. *1449.* lege 1439. Col. 507. l. 31. *repertum eſt*, adde fide dignum. Col. 523. B. l. 4. *Eugenio.* Ita legitur in chronico laudato, Labb. bibl. novæ t. 11. p. 305. ſed error eſſe debet in nomine papæ. Col. 527. in marg. p. 81. lege 84. Col. 530. ad marg. *1273.* lege 1283. Col. 574. B. *Leonis*, dele. Col. 735. l. 2. *actus*, lege acta. Col. 744. A. l. 3. *Anicienſis*, l. Suſſionenſis. Col. 817. D. l. penult. *Pictavienſi*, lege Engoliſmenſi. Col. 846. C. l. 9. *Anna*, lege Antonia. Col. 858. l. 6. *1679.* lege 1579. Col. 859. l. 14. G. ix. dele ix. *Ibid.* l. 15. uxore, dele. Col. 981. in Namatio *quod S. Faro ... conſeſſit*, lege obtinuit a Johanne. Col. 882. l. 13. *S. Benedicti*, lege Auguſtini. Col. 985. l. 5. *983.* lege 893. Col. 993. l. 5. VIII. dele. Col. 1005. l. ult. *Godofrido*, lege Bertrando Col. 1114. l. 24. *deprædaſſet*, ſcribe italico charactere. Col. 1117. *Innoij.* lege M.LXXXII. Col. 1123. l. 18. *la Salle*, adde vel Salla & Salat. Col. 1182. l. 14. *Nannetenſi epiſcopo*, lege epiſcopatu. Col. 1184. l. 32. *Malleacenſe*, lege Malleacenſis. Col. 1261. D. l. ult. *1628.* lege 1528. Col. 1264. l. 24. *anno*, lege annum. Col. 1307. l. 10. *1316.* lege 1361. Col. 1320. B. l. 13. *Bello-vacenſi*, lege Bellovacenſi. Col. 1350. l. 8. *de Billy 1581.* dele. Col. 1369. l. 20. *an. 1239.* lege 1236. *Ibid.* l. 23. *ut patet ex litteris*, lege, ſi fides debetur litteris. Col. 1455. B. l. 6. *præerant*, lege præerant. Col. 1458. A. l. 7. ad marginem 1103. lege 1013.

ERRATA INSTRUMENTORUM.

Col. 9. ad marg. *1005.* lege 1095. Col. 25. B. l. 7. *Bituricenſi*, lege Bituricenſis. Col. 69. B. l. 10. *Raſtura*, lege Paſtura. Col. 62. E. l. 3. *Callovienſium*, lege Callovienſem. Col. 64. E. l. 2. *ſex boves*, lege ſex boves. Col. 71. ad marg. *1242.* lege 1234. Col. 130. ad marg. *905.* lege 909. Col. 198. E. l. 4. *ſex menſis*, lege ſex manſos. Col. 224. l. 12. *canonicorumque*, dele que. Col. 235. B. l. 2. *Coyceſtriæ*, lege Leyceſtriæ. Col. 245. C. l. 5. M.CCCLXXIX. lege M.CCCLXXXIX. Col. 261. C. *ſic mutari debet argumentum chartæ 1.* ſum. pontifex aſſerit Burdig. archiepiſcopo jus viſitationis & procurationis, apud epiſcopos ſuos ſuffraganeos, capitula cathedralia, &c. Col. 319. A. l. 2. *omnimodis*, lege omnimodis. Col. 349. E. l. 1. *alii*, l. quibus alii. Col. 362. D. l. 10. ad marg. *1119.* dele. Col. 385. B. l. 7. *ſilis*, l. ſilvis. Col. 453. B. l. 11. *Mathoriis*, lege Marchoriis. Col. 463. E. lin. 3. M. CCLVI. lege M. CCVI.

GALLIA CHRISTIANA
IN PROVINCIAS
DISTRIBUTA.

PROVINCIA BITURICENSIS CUJUS METROPOLIS civitas Biturigum.

CIVITAS Biturigum Aquitaniæ primæ metropolis, Aquitaniarumque omnium caput, olim Celtis, *quæ pars Galliæ tertia eſt*, inquit Livius decade 1. lib. v. tribuebatur : *Celtarumque .... Tarquinio priſco Romæ regnante, penes Bituriges ſumma imperii fuit. Hi regem Celtico dabant.* Quanta vero tunc Celtarum poteſtas eſſet, oſtendit ibidem Livius narrans quomodo Ambigatus hoc tempore Celtarum rex a Biturigibus datus, prægravante multitudine, Gegoveſum in Hercynios ſaltus, Belloveſum in Italiam cum copiis miſerit. *Belloveſum* vero *ſecuti ſunt*, inquit, *Bituriges, Arverni, Senones, Ædui, Ambarri, Carnutes, Aulerci, quod eis ex populis abundabat ; poſtea Boii, Lingoneſque ; tum Senones recentiſſimi venere in Italiam.* His populis numeroſioribus & potentioribus imperitabant Bituriges, ut pote Celtarum potentiſſimi.

Hinc in expeditione Italica primi recenſentur, & in monimentum domitæ olim ab eis magnæ partis Italiæ Romæque pene expugnatæ, in mediterranea Tuſcia condita eſt *Biturgia urbs*, quæ *Bituriga* in tabula Peutingeriana legitur, inter Florentiam & * Umbronem fluvium.

* nunc Ombrone.

Porro Bituriges de quibus agimus, quorumque caput Avaricum, *Cubi* cognominantur a Strabone, Plinio, Ptolomæoque, ut diſtinguantur a Biturigibus Viviſcis, quorum urbs princeps Burdigala : hi vero pro limite habent Garumnam ; illi autem nimirum Cubi, Ligerim ; quorum ferrariæ fodinæ & fabricæ laudantur a Cæſare, & Rutilio l. 1. Itinerarii : vites vero, ſeu *prædia Biturigæ celebrem parientia Bacchum*, canit Guillelmus Brito Philippidos libro 1.

Quot urbes & populi ſub Biturigum ditione forent, inde liquet, quod juſſu Vercingetorigis, uno die *amplius xx. urbes Biturigum* ſint incenſæ. At tempore Auguſti Cæſaris, Bituriges Aquitanis attributi ſunt, ablata qua prius pollebant in Celtas poteſtate. Biturigum caput fuit olim Avaricum ; legimus enim apud Cæſarem : *Avaricum oppidum maximum munitiſſimumque in finibus Biturigum, atque agri fertiliſſima regione.* Addit fuiſſe *pulcherrimam prope totius Galliæ urbem, quæ & præſidio & ornamento ſit civitati, quod prope ex omnibus partibus flumine & palude circumdata unum habeat & peranguſtum aditum*, quam tamen expugnavit, cæſis ad quatuor fere millia incolis. Porro Avaricum eſſe Bituricas urbem probatur ex Æthico, qui in itinere a Burdigala Auguſtodunum, Avaricum collocat inter Argantomagum * & Tincontium *. Hinc refelluntur qui Avaricum interpretantur *Vierzon*, corrupte *Viaron*.

* Argenton.

* Sancoin.

Nomen Avarici videtur ſumtum a fluvio *Avara*, al. *Avera*, *Euvra*, vulgo *Yevre*, vel *Evre* qui Avaricum alluit ; ſed non ſolus, quatuor enim recenſentur, Avara major *Yevre*, Avara minor *Aurette*, Utrio *Oron*, & Molo *Mouton* ; qui duo fluvioli cum Auretta rivulo prope monaſterium S. Sulpicii in Avaram majorem confluunt, Avara autem iis aucta apud Virzionem Caro recipitur, *Le Cher.*

Avaricum poſtea (uti ceteris fere civitatibus contigit) amiſſo vel obſoleto proprio nomine, commune totius gentis nomen aſſumſit ; dicta *Biturigæ*, *Bituriges*, *Biturice*, *Biturica urbs* : unde vulgo *Bourges* conflatum. Illam urbem Adrevaldus in libro de miraculis S. Benedicti appellat caput regni Aquitanici.

Fuit olim urbs ampliſſima, magnificis ornata ædificiis. Romanorum tempore habuit amphitheatrum quod *Arenas* vocabant, a quibus adhuc quidam vicus appellatur, vicus Arenarum, *la ruë des Arenes*. Modo locus amphitheatri qui dicebatur foſſa Arenarum, eſt forum publicum dictum platea Burbonienſis, *la place Bourbon*. A Wiſigothis, aliiſque barbaris Gallias depopulantibus pene in vaſtitatem redacta eſt urbs ſeculo v. Tempore Gregorii Turon. multa paſſa eſt, obſidiones, incendia, luem &c. *Anno 767. Pipinus rex*, qui anno 762. urbe hac poſt longam obſidionem potitus fuerat, *Ligere tranſacto ad Betoricas acceſſit*, inquit coævus ſcriptor, *palatium ſibi ædificare jubet. Iterum campo Madio, ſicut mos erat, ibidem tenere jubet : initoque conſilio cum proceribus ſuis, reginam Bertradanem cum reliquis Francis ac comitibus fidelibus ſuis in prædicta Betorica dimiſit ;* ubi etiam per hiemem totam cum regina in palatio reſedit, ut narrat idem ſcriptor. Porro palatium iſtud tam cito paratum, ut aulam regiam commode caperet, erat vetus ædificium Romani operis, ut obſervat Hadrianus Valeſius in notitia Galliarum. Comites habuerunt Biturigeſ, ſub extremis ſecundæ ſtirpis regibus, & prioribus tertiæ, ſeu Capetianæ. Tandem Herpinus filius Godofredi, qui comitatum obtinebat ſub Hugone Capeto, de Jeroſolymitano ſacroque bello cogitans, comitatum hunc vendidit Philippo I. regi, ceſſitque pro 60. ſolidorum aureorum
† Sancerre. millibus. Tempore Philippi Auguſti Stephanus comes * Sacri-Cæſaris, qui cum plurimis proceribus bellum juveni regi movit, cujus erat avunculus, magnam pagi Bituricenſis partem obtine-
p. 104. bat ; de quo ita Willelmus Armoricus Philippidos libro I.

Plures de regno proceres, comiteſque, duceſque
. . . . . .
Infeſtare parant belloque laceſſere Regem,
Præcipueque comes Stephanus, qui mœnia Sacri-
Cæſaris, & ditis pro magna parte tenebat
Prædia Biturix, celebrem parientia vinum,
Quatuvis vaſallus, & regis avunculus eſſet,
Ut pote cujus erat ſoror Adela regia mater.

Comitatus Bituricenſis anno 1360. a rege Johanne ſub titulo ducatus datus eſt Johanni tertio ipſius filio ; ea lege ut deficiente maſcula prole, ducatus ad Regem reverteretur : quod factum eſt anno 1416. quo Johannes hic dux obiit die 15. Junii, nullis relictis poſt ſe liberis. Carolus VI. alteri Johanni filio ſuo ducatum contulit ; eoque mortuo, Carolo, qui rex fuit ſub titulo Caroli VII. cui populus & proceres provinciæ hujus, fidem integerrimam ſervaverunt. Itaque Avarici aulam habere conſueverat ; unde per jocum ab Anglis & Gallis perduellibus appellabatur *Biturigum rex*. Carolus Ludovici ſereniſſimi delphini filius, Ludovici magni nepos, nuper morte præreptus, in partem patrimonii acceperat hunc ducatum, qui rurſum Regis dominio eſt adjectus.

Præcipuæ urbes, poſt Biturigas ſunt Exoldunum, *Iſſoudun*, Sacrum-Cæſaris *Sancerre*, Argentomagus *Argenton*, Caſtra *la Chaſtre*, Caſtrum Radulphi, *Chateau-Raoul*, & corrupte *Chateauroux* ; Virzio *Vierzon*, Mediolanum ſeu Magdunum ad Avaram *Mehun ſur Yevre*. Latius autem patet Bituricenſis diœceſis, quam provincia ſeu pagus ; & quidem pars magna Burbonienſis pagi ad diœceſim pertinet, ubi Burbo Archembaldi *Bourbon l'Archambaud*, urbs ob ſalubres aquas notiſſima, ſic cognominata ad diſcrimen alterius Burbonis Anſelli dicti *Bourbon l'Anſi* in diœceſi Auguſtodunenſi, cujus etiam aquæ ob ſalubritatem frequentantur.

Diœceſis Bituricenſis multis fluviis alluitur, Elavere, *l'Allier*, qui eam ſeparat ab Auguſtodunenſi ; Ligeri, *la Loire*, qui inter epiſcopatus Nivernenſem & Autiſſiodorenſem ex una parte, ac Bituricenſem archiepiſcopatum ex altera limes eſt ; Carus, *le Cher*, pagum Bituricenſem in duas partes dividit. Alii fluvii minus nobiles, ſunt Anger vel Inger, *l'Indre*, ad quem Caſtellio ; Utrio, *l'Oron*, Avara *l'Yevre*.

Avaricum Biturigum nunc inter præcipuas Franciæ urbes cenſetur, ob ſedem archiepiſcopalem, quam etiam patriarchalem vocant ; quæſtorum Franciæ conſeſſum ; curiam præſidialem, cum prætoris ſeu baillivi provinciæ juriſdictione ; & eorum qui de vectigalibus & ſubſidiis judicant forum ; denique propter celebrem olim academiam, in qua floruerunt juris utriuſque ſtudia & peritia ; habuit enim variis temporibus nobiles hos juriſprudentiæ profeſſores : Andream Alciatum, Decium, Boërium, Franciſcum Duarenum, Eguinarium Baronem, Franciſcum Balduinum, Antonium Contium, Franciſcum Hottomannum & Jacobum Cujacium. Hanc academiam a S. Ludovico fundatam eſſe gloriantur Biturici, quam reſtauravit Carolus Biturigum dux, Caroli regis ſeptimi filius, pro qua multa ſummorum pontificum privilegia obtinuit. Anno 1379. die 2. Maii, Johannes dux Biturigum erexit hac in urbe cameram computorum, pro rationibus redituum ducatus

Digitized by Google

Ineundis ; ibique aliquandiu ſedit regiarum rationum curia Pariſienſis , quo tempore Lutetia magnaque regni pars ſub Anglorum tyrannide gemebat. Sed jam de eccleſiaſtico apud Bituricenſes ſtatu agendum.

Archiepiſcopus Bituricenſis triplicem ſibi vindicat juriſdictionem : patriarchalem ſeu primatialem in quatuor archiepiſcopatus, uti lego in patriarchio Bituricenſi , Narbonenſem, Auxitanum , Burdigalenſem & Toloſanum ; quibus addendus nunc Albienſis, qui nuper ex archiepiſcopatu Bituricenſi diſtractus eſt certis conditionibus , quas legeſis in archiep. Albienſibus : metropolitanam in epiſcopatus Claromontenſem, Sanflorenſem, Podienſem , Lemovicenſem & Tutelenſem ; olim quoque in Toloſanum. Ad eandem non ita pridem pertinebant metropolim epiſcopatus Albienſis & alii quinque. Sed noſtris temporibus Albienſis eccleſia facta eſt metropolitana, cui ſubjectæ ſunt quinque illæ ſedes epiſcopales , uti jam diximus , quando tomo primo novæ provinciæ Albienſis ſcripſimus hiſtoriam. Tertia juriſdictio archiepiſcopi Bituricenſis eſt ordinaria epiſcopi in ſuam diœceſim. De juriſdictione patriarchali monendum, Aquitanias olim ipſi ſubditas, maxime Burdigalenſem metropolim, jamdudum hoc jugum rejeciſſe , faventibus Clemente papa V. qui fuerat Burdigalenſis archiepiſcopus , & Anglorum rege , in cujus ditione tunc erant Aquitaniæ.

Ampliſſima eſt diœceſis Bituricenſis , diviſa in 9. archidiaconatus , & 20. archipresbyteratus; ſuoque ſinu continet plebanas eccleſias circiter nongentas, ab oppido Caſtellionæo Ingeri adjacente verſus Occidentem , ad Molinas apud Boios cis Elaverim *(l'Allier)* ſpatio 35. leucarum ad Orientem : & a Navis in archipresbyteratu Cantelæ verſus Gianum *(Gien)* cis Ligerim verſus Septemtrionem ſpatio 37. leucarum , ad Oblincum *(le Blanc)* verſus Meridiem.

In urbe præter eccleſias parochiales plurimas, ſunt quatuor abbatiæ. Quinta S. Hippolyti fœminarum ceſſit congregationi presbyterorum Oratorii. Septem [a] eccleſiarum collegiatarum quæ ibidem numerantur nobilior eſt quæ vocatur *ſacra capella* , Sedi apoſtolicæ immediate ſubjecta , de qua fuſius infra erit agendum. Vix ulla eſt diœceſis in qua plures videantur abbatiæ. De iis autem ſeorſim pro more noſtro dicemus. Præter prioratus quamplurimos per totam diœceſim ſparſos, numerantur decem præceptoriæ ordinis S. Johannis Jeroſolymitani , ſeu equitum Melitenſium , & 34. canonicorum ſecularium capitula.

De religioſis familiis quæ totam pene replent urbem , imo & diœceſim , longum eſſet peneque inutile loqui ſigillatim. Inter ſacras illas domos notatu digna eſt illa virginum Annuntiatarum quam fundavit B. Johanna Ludovici XI. regis filia , uxorque quondam Ludovici XII. quæ ibi Deo ſe conſecravit. Conventus Eremitarum ord. S. Auguſtini caput eſt monaſteriorum hujus inſtituti reformatorum , quæ componunt provinciam dictam S. Guillelmi.

In urbe ſunt multæ elegantes baſilicæ , ſed inter eccleſias cathedrales paucæ admodum ſunt quæ Bituricenſem elegantia magnificentiaque ſuperent. De ejus initiis loquitur Gregorius Turonicus l. 1. hiſt. c. 29. ubi poſtquam narravit tempore Decii imperatoris medio 3. ſeculo miſſos in Gallias Gatianum , Trophimum & alios quinque Evangelii prædicatores , ſubdit : *De horum vero diſcipulis quidam* [b] *Biturigas civitatem adgreſſus , ſalutare omnium Chriſtum Dominum populis nuntiavit. Ex his ergo pauci admodum credentes , clerici ordinati , ritum pſallendi ſuſcipiunt , & qualiter eccleſiam conſtruant ..... imbuuntur ..... hi vero ..... Leocadium quemdam primum Galliarum ſenatorem , qui de ſtirpe Vettii Epagati fuit , quem Lugduno paſſum pro Chriſti nomine ſuperius * memoravimus , repererunt. Cui ... ille reſpondit :* Si domus mea quam apud Bituricam urbem habeo , huic operi digna eſſet, præſtare non abnegarem. *Illi autem audientes , pedibus ejus proſtrati , oblatis trecentis aureis cum diſco argenteo , dicunt eam huic miniſterio eſſe condignam. Tunc ille acceptis de his , tribus aureis pro benedictione , clementer indulgens reliqua , cum adhuc eſſet in errore idololatriæ implicitus , Chriſtianus factus , domum ſuam fecit eccleſiam. Hæc eſt nunc eccleſia apud Biturigas urbem prima miro opere compoſita , & primi martyris Stephani reliquiis inluſtrata.* Hæc Gregorius ; & quidem adhuc hodie cathedralis Biturigum eccleſia pene omnes Galliarum pulcritudine vincit. S. Leocadii , ejuſque filii S. Luſoris mortui *in albis* , hoc eſt paulo poſt ſuſceptum baptiſmum , corpora in eccleſia Burgidolenſi condita dicuntur. Et quidem ibi viſuntur in crypta ſubterranea duo ſepulcra vetuſtiſſima variis figuris ornata , quorum unum e marmore , creditur eſſe S. Luſoris , juxta quod de ipſo ſcripſit Greg. Turon. l. de Gl. confeſſ. c. 92. Capituli hujus templi præſtantior dignitas poſt archiepiſcopum eſt decanus.

Archiepiſcoporum hujus ſedis hiſtoriam ſcripſit anonymus ſub titulo *Patriarchii Bituricenſis ;* quod edidit Philippus Labbeus Bituricus e Societate Jeſu tomo 11. Novæ bibliothecæ p. 1. Hunc anonymum fuiſſe S. Sulpicii in urbe Bituricenſi monachum ſuſpicatur idem Labbeus , appellatumque Benedictum Vernier nonnulli conjiciunt. Hunc mortuum eſſe Jacobo le Roy cathedram Bituric. obtinente , conjectura eſt : nam de hoc archiepiſcopo ſolum ingreſſum & acceſſum ad ſupremam hanc dignitatem refert. Anonymi lucubrationem habebat præ oculis Johannes Chenutus , quando in chronologica hiſtoria antiſtitum Galliæ , noſtrorum archiepiſcoporum catalogum texuit. Eundem laborem Claudius Robertus , & poſt ipſum Sammarthani fratres ſuſceperunt. Nos ex eorum qui nos præceſſerunt laboribus , proficiemus , iiſque adjiciemus.

[a] Ex iis duas nuper exſtinctas ſudio , Medium-monaſterium , & S. Petrum puellarum. Illa ſeminario ceſſit , iſta alendis ſacerdotibus emeritis ac ſenio confectis deputata eſt. Hæc porro nomina indicant has eccleſias olim fuiſſe monaſteria.

[b] *Quidam* ; hic alibi a Gregorio appellatur Urſinus ; ſcilicet l. de Gloria Confeſſorum c. 80. Sed de tempore quo Biturigas acceſſit mutavit ſententiam , ut mox demonſtraturi ſumus.

Digitized by Google

ARCHIEPISCOPI BITURICENSES.

I. S. URSINUS.

ANNI CHRISTI

DE S. URSINO ita loquitur Gregorius Turon. libro de Gloria Confeſſorum c. 80. *Bituriga urbs primum a S. Urſino, qui a diſcipulis apoſtolorum epiſcopus ordinatus in Gallias deſtinatus eſt, verbum ſalutis accepit, atque eccleſiam Biturigenſem primum inſtituit, rexitque; qui migrans a ſeculo, in campo* [a] *inter reliqua ſepulcra populorum ſepulturæ locatus eſt.* Hic vides Gregorium aſſerere S. Urſinum a diſcipulis apoſtolorum ordinatum & miſſum eſſe, quod de S. Clemente S. Petri in Romana cathedra ſucceſſore plerique intelligunt: ab ipſo enim volunt nobis veniſſe ſanctos Dionyſium, Saturninum, & quinque alios, quos ipſe memorat Gregorius l. 1. hiſtoriæ c. 28. quamvis eos a S. Clemente miſſos nequaquam dicat; quippe qui eos aſſerit veniſſe tantum medio tertio ſeculo, nimirum ſub Decio imperatore, qui regnare cœpit anno 249. & quidem capite 29. ſequenti Gregorius adhuc tardius in urbe Biturica diſſeminatum fuiſſe verbum Dei docet; quando id factum a diſcipulis eorum qui medio tertio ſeculo miſſi fuerant, narrat. Itaque Gregorius videtur mutaſſe ſententiam, & quod in primo hiſtoriæ libro dixerat, emendare voluiſſe in libro de Gloria Confeſſorum [b]. Eodem prorſus modo cum dixiſſet in libro 1. hiſt. S. Saturninum deſtinatum fuiſſe Toloſatibus, ad prædicandum Evangelium, imperante Decio; libro 1. de Gloria Martyrum c. 48. ait: *Saturninus vero martyr, ut fertur, ab apoſtolorum diſcipulis ordinatus, in urbem Toloſatium eſt directus.* Quis non videat eum priorem de miſſione S. Saturnini opinionem ejuraſſe! quod etiam dicendum de S. Urſini prædicatione apud Bituriges. Utra vero ſententia ſit amplectenda non audeo definire. At ſaltem quæ hic obſervavimus ſufficiunt ad elevandam auctoritatem teſtimonii Gregorii ex libro 1. hiſtoriæ, pro differenda Evangelii prædicatione & chriſtianæ fidei ſatione in Galliis, uſque ad tertium ſeculum. Auctor patriarchii Bituric. a tempore S. Simplicii archiepiſcopi, quem ait ſediſſe ſub Zenonis imperio, ordine retrogrado computando annos ſingulorum Bituricorum pontificum, uſque ad Urſinum, probare conatur primum hunc epiſcopum non præfuiſſe ante Decii imperium. Sed unde potuit depromere numerum annorum quo quiſque ex ſancti Urſini ſucceſſoribus ſedit! nunc redeamus ad S. Urſinum.

Cum nulla amplius in urbe Biturica ſupereſſet memoria de corpore S. Urſini extra urbem ſepulto, & plantata ſuper ejus ſepulcrum creviſſet vinea; tandem tempore Probiani epiſcopi, ipſe ſanctus Urſinus in ſomnis monuit S. Germanum Pariſiacum epiſcopum qui Bituricas advenerat, & abbatem S. Symphoriani prope muros Bituricæ urbis; ut corpus ſuum in decentiorem locum transferrent. Accedentes itaque effoſſa terra ſepulcrum reperiunt, & ſancti Urſini corpus, tanquam dormientis hominis nulla putredine reſolutum, intulerunt in S. Symphoriani baſilicam, quæ a ſacri corporis hoſpitio dicta eſt deinceps S. Urſini ibidem juxta altare ſepulti. Tranſlationis hujus meminit Fortunatus in vita S. Germani.

ANNI CHRISTI

Præter iſtam inventionem & tranſlationem, quam ad annum 558. referunt, alia facta eſt a Philippo archiepiſcopo anno 1239. de qua exſtant ejuſdem Philippi archiepiſcopi litteræ hujuſmodi:

Anno gratiæ M. CC. XXXIX. decimo calendas Novembris, nos Philippus permiſſione Divina Biturienſis archiepiſcopus, Aquitaniæ primas, invenimus corpus B. Urſini primi archiepiſcopi Biturigæ civitatis in ſuo ſarcophago retro altare, quod jam conſecratum erat in honore S. Urſini in eccleſia S. Symphoriani, cum litteris plumbeis ſic habentibus: HOC EST CORPUS BEATI URSINI PRIMI ARCHIPRÆSULIS BITURIGÆ CIVITATIS. *Et ipſum corpus tranſtulimus in capſam argenteam ſupra dictum altare anno pontificatus noſtri quarto.*

Poſtea anno 1475. v. cal. Martii Ludovico Francorum rege XI. præſente, aperta eſt iterum capſa argentea a Johanne Cordio * archiepiſcopo, & Johanne Abrincenſi [a] epiſcopo; ſed hanc capſam, intactis ſacris reliquiis, argento ſpoliaverunt hæretici Calviniſtæ anno 1562.

* Cœur.

Qui plura volet de S. Urſino, legat ejus acta in patriarchio jam laudato; quæ omittenda duximus, quod nullis teſtimoniis fulta inveniamus, quæ referuntur. Philippus Labbeus tom. 11. Bibliothecæ novæ p. 455. edidit *vitam & encomia* S. Urſini, ſive Urſicini primi Biturigum antiſtitis deſcripta ex cod. 851. bibliothecæ S. Victoris Pariſienſis, in quibus Urſinus aſſeritur unus ex Chriſti diſcipulis; adfuiſſe dicitur quando Spiritus ſanctus in diſcipulos effuſus eſt; teſtis fuit martyrii S. Stephani, ejuſque ſanguinem collegit, quem in eccleſia Bituricenſi a ſe conſtructa ſolemni ritu collocavit; ſecutus eſt Petrum Romam contendentem, viditque in cruce morientem; cui ſupplicio addictus fuerat ob Simonem magum, volantem, in terram dejectum. Reliqua prætermitto fabulis ſimillima.

II. S. SEVITIANUS ſeu SENECIANUS.

In vetuſtiſſimo breviario quo olim uſa eſt

[a] Nam intra urbes ſepelire leges prohibebant.

[b] Objici poteſt hiſtoriam a Gregorio ſcriptam fuiſſe poſt libros de Gloria Martyrum, & de Gloria Confeſſorum; eamque eſſe Ruinarti ſententiam in præfatione ad novam editionem. At non ita ſentit Ruinartus de omnibus hiſtoriæ libris, ſed tantum de quatuor ultimis. Sex vero priores longe antea editos contendit.

[a] Auctor patriarchii legit corrupte: *Ebrunicenſem.* Addit corpus S. Urſini inventum fuiſſe intra capſam, incluſum in corio albo; *quo viſo Luxovienſes*, inquit, *qui apud ſe S. Urſinum eſſe prius contendebant, in pœnitentiam verſi ſunt.*

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

Bituricenſis eccleſia, ex P. Labbeo qui nonnulla ejus excerpta edidit tom. II. Novæ Bibliothecæ MSS. p. 459. legitur de S. Urſino: *Antequam ex hoc mundo migraret ad Chriſtum, conſecravit eccleſiæ ſuæ Bituricenſis loco ſui ſucceſſorem Senicianum religioſum virum & bonis moribus ornatum.* Vita ejuſdem S. Urſini in vetuſto codice Herivallenſi ita fere deſinit, ut nos monent Sammarthani fratres: *Conſtituto, imo conſecrato Senitiano viro ſatis religioſiſſimo atque ſanctiſſimo in opere pontificis, XXVII. anno prædicationis ſuæ die IV. Kal. Januariarum, Abrahæ ad patriam felici migravit exceſſu.* Conſentiunt omnes Senitiani corpus compoſitum fuiſſe poſt mortem in eccleſia S. Crucis, quam Avarici conſtruxerat, fuiſſeque monaſterium aſſerit Johannes Chenu; poſtea vero docet factam fuiſſe parochialem eccleſiam unitis ipſius reditibus San-Sulpiciano cœnobio. Patriarchium Bit. & J. Chenu epiſcopatum Seniciani extendunt ab anno 280. ad 296. ſed ex mera conjectura.

III. S. Ætherius.

296. Ab anno 296. ad 307. ſediſſe dicitur, jacereque in præfata ſanctæ crucis baſilica, quæ videtur fuiſſe commune priorum antiſtitum conditorium.

307. IV. S. Thecretus cui 23. anni epiſcopatus
330. tribuuntur, a 307. ad 330.
337. V. S. Marcellus ab an. 330. ad 337.
354. VI. Viator ab an. 337. ad 354.
363. VII. Leotherius a 354. ad 363.
VIII. Pauper ab an. 363. ad 377.

IX. S. Palladius I.

Hic epiſcopus æque incognitus eſt hactenus ac alii ſuperius recenſiti; niſi quod in diœceſi eſt quædam eccleſia parochialis dicta S. Palladii, in qua corpus ejus fuit humatum; ejuſque dies feſtus quot-
377. annis ibidem celebratur VI. idus Maii. Septem annis præfuiſſe legitur, videlicet ab anno 377. ad 384. ſed, ut jam monui, nulla debet haberi ratio annorum in patriarchio Bituricenſi, & aliis in libris ex ipſo deſcriptis notatorum; quod maxime patet in Palladio. Inter epiſcopos Gallicanos qui ſubſcripſerunt epiſtolæ ſynodicæ miſſæ ad S. Leonem papam anno 451. occurrit Palladius, quem vix dubitamus fuiſſe S. Palladium Bituricenſem; nullus enim in Gallia epiſcopus hujus nominis agnoſcitur, qui fuerit S. Leonis papæ I. coævus. Attamen nec id adverterunt patriarchii auctor aut alii ſcriptores, qui non facile ab ipſo divelluntur. Quinetiam ſi ratio haberetur temporis quo vixiſſe aſſeritur, longe abeſſet ab ætate S. Leonis. Sed nulla debet eſſe religio mutandi chronologiam hanc; quæ ſeipſa evertitur. Etenim (ut hoc unum exemplum proferamus, ex S. Leone, de quo mox agemus, petitum) hic archiepiſcopus dicitur ſediſſe ab anno 431. ad 448. & tamen adfuiſſe concilio Turonenſi, quod habitum eſt anno 461. hoc eſt vixiſſe tredecim annos poſt ſuam mortem. In eodem errore perſeverans ille auctor tribuit Palladio II. Leonis ſucceſſori annos tredecim, & Eulado Palladii ſucceſſori annos novem. Attamen inter annum 461. quo Leo ſedit in ſynodo Turonenſi & annum 470. quo inchoat ejus epiſcopatum, fluxerunt ſolummodo novem anni.

Hæc ſufficiant ut docto lectori adprobemus, quod uſque ad annum 451. Palladius præfuerit; 451.
quo vero anno regere cœperit aut deſierit nos latet.

X. Villicus.
XI. Avitus.

De his archiepiſcopis nihil audemus ſtatuere, quando utrum fuerint Bituricenſi eccleſiæ præpoſiti dubitamus. Et quidem qui eos inducunt, nulla exhibent unde noti fiant; quamvis unidentur anni epiſcopatus 28. alteri 19.

XII. Leo.

In ſynodo Andegavenſi ab epiſcopis qui convenerant ad ordinandum in civitate Andegavorum Talaſium epiſcopum celebrata anno 453. 453.
primus recenſetur Leo, etiam ante Euſtochium Turonum epiſcopum & provinciæ tertiæ Lugdunenſis metropolitam; quod probat illum Leonem auctoritate ſaltem metropolitana præditum fuiſſe; unde facile adducimur ad credendum cum eruditiſſimo J. Sirmondo, Leonem hunc fuiſſe Bituricenſem archiepiſcopum.

Circa hoc tempus quidem ſedit Namnetis Leo; ſed non anno 453. quo tempore Namnetenſis epiſcopus erat Deſiderius, unus ex his epiſcopis quibus inſcribitur Leonis epiſtola tanquam præſidis concilii Andegavenſis, & aliorum patrum. Præterea ſi Leo fuiſſet aliquis epiſcoporum provinciæ tertiæ Lugdunenſis, qua ratione locus ipſi datus fuiſſet ante alios præſules, ipſumque metropolitanum Euſtochium! Nam, ut mox videbimus, Leo loquitur primus in epiſtola ſynodica his verbis:

*Dominis fratribus merito beatiſſimis in Chriſto venerabilibus Sarmationi, Chariatoni, Deſiderio epiſcopis, & presbyteris omnium eccleſiarum, quæ ſunt intra provinciam tertiam * conſtitutæ, Leo, Victurius, & Euſtochius epiſcopi. Tantam ſæculi poteſtates circa ſacerdotalem ordinem reverentiam prævalere voluerunt, ut etiam ii, quos ſub imperiali nomine terris divina potentia præeſſe præcipit, jus diſtringendorum negotiorum epiſcopis juxta divalia conſtituta permiſerint. Quod cum & juris antiqui formulis, & inlatis frequentius ſit legibus confirmatum, præſenti tempore a pleriſque invenimus fuiſſe calcatum. Nam prætermiſſo ſacerdotali judicio, paſſim ad examen ſeculare tranſierunt. Idcirco nobis viſum eſt, ut hanc & ſacræ legis, & noſtri ordinis contumeliam & ad præſens ulciſceretur plena diſtrictio, & obſervandam formulam conſtitueret in futurum. Cenſuimus itaque, ut quicumque prætermiſſo ſacerdote eccleſiæ ſuæ, ad diſceptationem venerit ſecularium, ſacris liminibus expulſus a cæleſti arceatur altario. Neque ullus poſt hanc definitionem, quæ communi ſedit arbitrio, quicquam ſibi ultra præſcriptum vindicare nitatur: ita fiet ut & hi qui ante erraverunt, congrua*

* Scilicet Lugdunenſem cujus Turonum civitas eſt metropolis.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

emendatione ſe corrigant, & quiſquis ſub obſervatione clericali cœleſti ſervire probatur officio, ex clerico habendum ſe norit, ſi prætermiſſo ſacerdotum judicio ſecularem adierit poteſtatem. Quod ideo ſingulos, univerſoſque voluimus agnoſcere, ut quod pleno & juris ordine conſtitutum eſt, effectum totius firmitatis in omnibus clericorum negotiis ſortiatur. Sane ſi clericum laïcus pulſet, prius audiri ſe ab epiſcopo poſcat; tum ſi petitioni ſuæ laïcum viderit obviare, ex permiſſu epiſcopi ſui in ſeculi moderatoris diſceptatione confligat. Leo epiſcopus ſubſcripſi. Victurius epiſcopus ſubſcripſi. Euſtochius epiſcopus ſubſcripſi.

Si quid ſupereſſet difficultatis, tollertur ſane ex actis concilii Turonenſis primi an. 461. in quo diſerte ſic ſubſcribit noſter archiepiſcopus: *Leo epiſcopus Bituricæ civitatis, interfui & ſubſcripſi.*

In patriarchio Bituricenſi quod Chenutius & Claudius Robertus in ſua Gallia Chriſtiana ſequuntur; atque in altera Gallia Chriſtiana Fratrum Samm. Leo legitur ſanctus; quamvis in ipſa eccleſia Bituricenſi nullus anni dies ejus cultui aſſignatus legatur, & a Sauſſayo fuerit omiſſus in ſanctorum Gallicanorum cenſu, uti in locupletiſſimo Caſtellani * martyrologio.

* Chaſtellain.

XIII. Palladius II.

Patriarchium Bituricenſe ejuſque ſectatores poſt Leonem recenſent B. Palladium, quem ſecundum appellant; jam enim præceſſit S. Palladius ordine nonus in Bituricenſium catalogo. Palladium quempiam Bituricenſem epiſcopum ſanctitate olim floruiſſe docet Uſuardus, qui ad VI. idus Maii habet: *In agro Biturico Galliarum S. Palladii epiſcopi & confeſſoris.* Sed minime duos admittit; quod etiam de Caſtellano dicendum; in cujus martyrologio tot ſanctis aucto, unus memoratur Palladius Biturigum epiſcopus. Attamen Sidonius nos docet 1°. Simplicium de quo mox agemus, uxorem habuiſſe de genere Palladiorum, quæ patrem habuerat epiſcopum, ut infra dicemus. 2°. Ipſius ſocerum & patrem factos fuiſſe epiſcopos, & quidem Bituricenſes ſucceſſive. Quo tempore ita maturus erat ad ſacerdotium Simplicius, ut jam tum Bituricæ urbis cives vociferarentur, poſtpoſitis tam ſocero quam patre, Simplicium ad ſacerdotium duci oportere.

XIV. Eulodius.

In omnibus catalogis notatur ante Simplicium hic epiſcopus, qui pater erat Simplicii ſui ſucceſſoris, uti Palladius anteceſſor Eulodii ſocer fuerat; verba ſunt Sidonii in concione pro electione Simplicii, in qua ſic Bituricæ cives alloquitur: *Iſtum, ut audivimus, tam ſocero quam patre poſtpoſitis, ad ſacerdotium duci oportere vociferabamini.* Et quidem paulo antea dixerat genus Simplicii epiſcopi floruiſſe.

XV. S. Simplicius.

Celeberrima fuit S. Simplicii electio ad cathedram Bituricenſem, uti intelligimus ex Apollinaris Sidonii epiſtola ad S. Perpetuum Turonum epiſcopum. Cui etiam addit concionem quam habuit in hac electione, cui non ſolum ut Bituricenſis provinciæ epiſcopus interfuit, ſed quia civium decreto fuerat accerſitus ad compeſcendas turbas. *Tanta erat turba competitorum*, inquit Sidonius, *ut cathedræ unius numeroſiſſimos candidatos nec duo recipere ſcamna potuiſſent. Omnes*, inquit, *placebant ſibi; omnes omnibus diſplicebant.* Niſi plebs lenita conſenſiſſet jacturam facere *judicii ſui*, hoc eſt juris ſuffragii ferendi hac in electione, numquam fieri potuiſſet, ob ſtudia varia & contraria in quæ ſcindebatur. At maluit ſacerdotali judicio ſe ſubdere; quo tandem electus eſt Simplicius; & quidem a Sidonio, cui ceteri electionem detulerunt, ut ex ejus orationis clauſula liquet. In hujus concionis exordio laudat Simplicium a nobilitate generis. *Parentes ipſius*, inquit, *aut cathedris, aut tribunalibus præſederunt. Illuſtris in utraque converſatione proſapia, aut epiſcopis floruit, aut præfectis. Ita ſemper hujuſce majoribus aut humanum, aut divinum dictare jus uſui fuit.* Ad perſonam veniens, ait Simplicium tenere *inter ſpectabiles principes locum.* Poſſe quidem dici Eucherium & Pannychium viros illuſtres haberi ſuperiores: at vero repelli a ſacerdotio per canonem, quod ambo ad ſecundas nuptias tranſiiſſent. Quod ſpectat ad ætatem, inter juvenilem & ſenilem conſtitutus, habebat *efficaciam de juventute, de ſenectute conſilium. Si litteras, vel ingenium*, inquit, *conferamus, certat natura doctrinæ; ſi humanitas requirenda eſt, civi, clerico, peregrino, minimo, maximoque etiam ſupra ſufficientiam offertur, & ſuum ſæpius panem, ille potius qui non erat redditurus agnovit. Si neceſſitas arripiendæ legationis incubuit, non ille ſemel pro hac civitate ſtetit ante pellitos reges, vel ante principes purpuratos.*

Inde Sidonius tranſiens ad majora; quæ ſit Simplicii fides, & quæ pro fide paſſus ſit a barbaris, proculdubio Gothis Arianis, ex quibus divinitus ereptus eſt, refert: *ſi ambigitur*, inquit, *quo magiſtro rudimentis fidei fuerit imbutus ..... domi habuit unde diſceret. Poſtremo iſte eſt ille, cariſſimi, cui in tenebris ergaſtularibus conſtituto, multipliciter obſerata barbarici carceris divinitus clauſtra patuerunt.* Tum ad memoriam revocat quomodo ipſe Simplicius oblatam olim epiſcopalem dignitatem reſpuerit, malueritque primum ſocero ſuo, tum parenti conferri. *Iſtum, ut audivimus, tam ſocero* [a] *quam patre* [b] *poſtpoſitis, ad ſacerdotium duci oportere vociferabimini; quo quidem tempore plurimum laudis domum retulit, quando honorari parentum maluit dignitate, quam propria.* Præterea commemorat a Simplicio adhuc juveni, milite, tenui, ſolo, adhuc filio familias, antequam parentum hereditatem adiiſſet, ædificatam fuiſſe eccleſiam; quod ipſe præ modeſtia ſilentio premebat. *Vir eſt namque*, inquit, *ni fallor totus popularitatis alienus, gratiam non captat omnium, ſed bonorum; non indiſcreta familiaritate vileſcens, ſed examinata ſodalitate pretioſus ..... in adverſis conſtans, in dubiis fidus, in proſperis modeſtus, in habitu ſimplex, in ſermone comis.*

l. VII. ep. 9.

[a] Palladio epiſcopo. [b] Eulodio.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

Poſtea deſcendit Sidonius ad laudes uxoris Simplicii : *Uxor illâ*, inquit, *de Palladiorum ſtirpe deſcendit, qui aut litterarum, aut altarium cathedras cum ſui ordinis laude tenuerunt. Sane quia perſona matronæ verecundam & ſuccinctam ſui exigit mentionem, conſtanter adſtruxerim reſpondere illam feminam ſacerdotiis utriuſque familiæ* [a], *vel ubi educata crevit, vel ubi electa migravit. Filios ambo bene & prudenter inſtituunt, quibus comparatus pater, inde felicior incipit eſſe quia vincitur.*

Claudit orationem Sidonius, electionem Simplicii pronuntiando his verbis : *Et quia ſententiam parvitatis meæ in hac electione valituram eſſe juraſtis, (ſi quidem non eſt validius dicere ſacramenta, quam ſcribere) In nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti, Simplicius eſt, quem provinciæ noſtræ metropolitanum, civitati veſtræ ſummum ſacerdotem fieri debere pronuntio. Vos autem de viro de quo loquimur, ſi novam ſententiam meam ſequimini, ſecundam veſtram veterem conſonate.*

Antequam vero ſententiam ſuam pro hac electione promeret, Euphronium Auguſtod. epiſcopum conſuluerat ei ſcribens : *Quia Simplicium ſpectabilem virum, epiſcopum ſibi flagitat populus Biturix ordinari, quid ſuper tanto debeam negotio facere, decernas. Hujus es namque vel erga me dignationis, vel erga reliquos auctoritatis, ut ſi quid fieri voles, (voles autem quicquid æquiſſimum eſt) non ſuadere tam debeas, quam jubere. De quo tamen Simplicio ſcitote narrari plurima bona, atque ea quidem a plurimis bonis. Quæ teſtimonia mihi prima fronte colloquii non ſatis grata, quia ſatis gratioſa judicabantur. At poſtquam æmulos ejus nihil vidi amplius quam ſilere, atque eos maxime qui fidem fovent Arrianorum; neque quippiam nominato, licet necdum noſtræ profeſſionis, illicitum opponi : animum adverti exactiſſimum virum poſſe cenſeri, de quo civis malus loqui, bonus tacere non poſſet.*

l. vii. ep. 8.

Electio hæc facta creditur anno 472. Certe non potuit fieri antea, cum hoc anno tantum Apollinaris Sidonius ſumſerit epiſcopatum. Porro id contigiſſe initio ipſius pontificatus ipſe ſignificat ſcribens Agræcio Senonenſi epiſcopo, quem invitat ad Bituricenſis metropolitani electionem : *Quæſo*, inquit, *ut officii mei* (epiſcopalis) *novitatem, pudorem, neceſſitatem, ſpectatiſſimi adventus tui ornes contubernio, tuteris auxilio.* Hac in epiſtola ſignificat Sidonius decreto civium ſe Bituricas evocatum eſſe, ut titubantis hujus eccleſiæ ſtatui ſubveniret : quid enim non timendum videbatur ab effreni ambitioſorum impudentia, qui ſacroſanctam ſedem dignitatemque affectare pretio oblato non reformidabant ! Quæ geſſerit Simplicius nemo, quem noverimus, litteris conſignavit. Titulus ſancti quo decoratur ex traditione, teſtimonium eſt vitæ in bonis operibus tranſactæ. Ejus corpus conditum eſt in eccleſia quam ipſe condiderat, dicta poſtea S. Auſtregeſili de Caſtro, quod ab ipſo fuerit ædificiis & reditibus aucta. Eccleſia eſt collegiata, quam Johannes dux Bituricus cum præbendarum collationibus ſacræ ſuæ capellæ theſaurario ſubjecit. Tempore S. Simplicii floruit in Bituricenſi pago S. Leopardinus S. Portiani frater, qui pro martyre habetur ; de eo loquemur agendo de veteribus monaſteriis.

l. vii. ep. 5.

472.

[a] Nempe cum filia eſſet Palladii Bituricenſis antiſtitis, collocata fuerat Simplicio filio Eulodii Palladii ſucceſſoris in eadem cathedra.

XVI. Tetradius.

Hic præſul adfuit concilio Agathenſi anno 506. & Aurelianenſi primo, anno 511. Ipſius meminit Gregorius Turon. lib. de miraculis S. Juliani c. 14. *Sigivaldus*, inquit, *cum rege præpotens, cum omni familia ſua, in Arvernam regionem ex Regis juſſu migravit : ubi dum multorum res injuſte competeret, villam quandam quam glorioſæ memoriæ Tetradius epiſcopus Biturigenſis, baſilicæ S. Juliani reliquerat, ſub ſpecie obumbratæ commutationis avidus pervaſit : ſed menſe tertio poſtquam aggreſſus eſt, correptus a febre & ſine ſenſu effectus, declinavit caput ad lectulum.* Nonnulli cenſent Tetradii nondum epiſcopi Sidonium meminiſſe epiſt. x. lib. 3. Tetradio cuidam ſcripta, quem vocat meraciſſimum fontem ſcientiæ.

506. 511.

XVII. Roricius.

Huic epiſcopo, alias pene incognito, duodecim anni regiminis tribuuntur. Carolus Cointius ejus epiſcopatum incipit anno 512. clauditque anno 518. Neſcio autem quorſum quidam dicant Roricium memorari in charta Childerici II. Francorum regis data regni ejus anno x. per quam donat monaſterio S. Dionyſii villam de *Viplay* in pago Bituricenſi, cum novem eccleſiis, *archiepiſcopo Bituricenſi Roricio venerabili bonæque memoriæ annuente ;* quaſi præſul hic non vixerit ducentis fere annis ante S. Dionyſii monaſterium conditum.

512. 518.

XVIII. Siagrius.

Patriarchium Bituricenſe Siagrium ſediſſe ab anno 508. ad 527. docet ; quam ſententiam amplexi ſunt plurimi. Cointius qui Roricii epiſcopatum produxit uſque ad 518. cenſet Siagrium ab hoc anno cathedram tenuiſſe uſque ad 523.

523.

XIX. Humatus.

Ad mentem Cointii Humatus fuit Bituricenſis metropolita ab anno 523. ad 527. Ejus tempore tradunt inſigne miraculum contigiſſe in puero Judæo, qui a patre ob Euchariſtiam in Chriſtianorum eccleſia ſuſceptam conjectus in fornacem a patre, illæſus evaſit. Eo vero in loco poſtea condita eſt eccleſia ſanctæ Mariæ de Furno-calido, vulgo *Noſtre-Dame du Fourchaud.* Johannes Chenutius teſtem hujus miraculi profert Stephanum Chenutium medicum avum ſuum, qui illud refert in libello Arboris Judaicæ, impreſſo Toloſæ anno 1517. Porro quod narrat, iiſdem fere verbis legitur apud Gregorium Turon. l. 1. de Gloria mart. c. 10. qui teſtatur id factum fuiſſe in Oriente ; unde conjicimus non aliud eſſe miraculum quam hiſtoriam relatam ab Evagrio l. 4. c. 36. poſt quem etiam Nicephorus eadem ſcripſit l. 17. c. 25.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

XX. Honoratus.

S. Honoratus adfuit concilio II. Aurelianenſi
533. anno 533. præfuit autem Arvernenſi, anno
535. 535. in quo epiſtolam ad Theodebertum regem nomine totius ſynodi ſcripſit: ſederant autem hoc in cœtu Flavius Remenſis, Domitianus Colonienſis, & Nicetius Trevirenſis metropolitanus cum duobus provinciæ ſuæ epiſcopis, Metenſi ac Virdunenſi. Porro patriarchium Bituricenſe concilium hoc anno 539. actum contendit, huicque alterum Honoratum, ab eo qui adfuit concilio II. Aurelianenſi, præfuiſſe aſſerit. Quod ſpectat ad annum concilii, ſatis indicatur in titulo: *Concilium Arvernenſe Theodeberti regis conſenſu in Arverna urbe celebratum VI. idus Novembris, poſt conſulatum Paulini junioris.* Paulinus junior conſul fuit anno 534. anno vero ſequenti nullus in Occidente conſul eſt renuntiatus. Unde hic annus dictus eſt *poſt conſulatum Paulini.* Legendus J. Sirmondus in notis ad concilium hoc, in quibus multis aliis rationibus fulcit chronologiam de tempore hujus concilii. Itaque etiamſi duo admittendi forent Honorati, qui unus poſt alterum ſedem Bituricenſem obtinuerint; cum alterius epiſcopatus cœpiſſe dicatur tantum an. 537. certiſſime conſtaret Honoratum priorem ſediſſe tam in Aurelianenſi quam in Arvernenſi ſynodis.

At quid cogit duos Honoratos recipere! certe nihil præter auctoritatem patriarchii, quæ tanti non eſt ut quippiam, niſi aliunde adſint teſtimonia luculenta, ex ipſius præſcripto ſtatuamus. Sane quod legitur in patriarchio & in ſcriptoribus qui ducem hunc ſequuntur, alterum Honoratum Bituricenſem eccleſiam rexiſſe ab anno 537. ad 540. falſi revincitur, ex iis quæ de Arcadio conſtant.

XXI. Arcadius.

Arcadius nobis notus eſt ex concilio III. Au-
538. relianenſi anni 538. cui ſubſcripſit & adfuit. Eum exortum eſſe epiſcopatum an. 536. docet Carolus Cointius. Ejus meminit Gregorius Turon. l. de Vita Patrum cap. 9. ubi agitur de S. Patroclo, qui fugiens ſeculum: *Abiit ad Arcadium Biturice urbis epiſcopum, petiitque ſibi comam capitis tonderi, adſciripque ſe in ordinem clericorum;* quod illi conceſſit Arcadius, collato etiam paulo poſt diaconatus ordine. Probianus presbyter ſubſcripſit
541. concilio Aurelian. IV. anno 541. *miſſus a domino Arcadio epiſcopo*, ſcilicet Bituricenſi; nam hujus eccleſiæ presbyter erat Probianus, qui poſt annos circiter 14. creatus eſt ejuſdem eccleſiæ archiepiſcopus. Pro ſancto habetur Arcadius, aiuntque Sammarthani fratres ejus memoriam agi in breviario Bituricenſi Calendis Auguſti, celebrarique feſtum ſub ritu duplici in eccleſia S. Urſini, ubi humatus eſt. In veteri martyrologio ſpicilegii tomo IV. legitur: *Kal. Aug. in Gallia civitate Bituricas beati Arceladi epiſcopi*, mendoſe pro *Archadii.* Et quidem hac die Sauſſaius S. Arcadium notat.

XXII. S. Desideratus.

S. Deſideratus, cujus meminit Gregorius Turon. c. 80. lib. de Gloria Confeſſorum, ante conſpectum muri Biturigi conſtruxit baſilicam, in honorem S. Symphoriani, ubi monachos poſuit, quibus præfecit Auguſtum abbatem. Deſiderati pontificis vita, edita dicitur ab abbate Bovienſi; eamque Ph. Labbeus inſeruit tom. II. Bibliothecæ ſuæ novæ. At non attendit vir, alioquin doctus, hanc eſſe ipſiſſimam vitam S. Audoëni, mutatis tantum nominibus, ut legenti ſtatim patebit. In frequenti cœtu metropolitanorum & epiſcoporum celebravit ſynodum Aurelianenſem V. anno 349. Paulo poſt eodem anno deſinente, vel 550. incipiente, adfuit Arvernenſi ſecundæ. Auguſtus, de ipſius domo, cum ita contractus manibus & pedibus eſſet, *ut non aliter niſi de geniculis atque cubitis ſuſtentaretur, ſi alicubi proceſſurus vellet incedere, inſpirante Deo, de eleemoſynis devotorum apud Brivas vicum, honore S. Martini antiſtitis oratorium ædificavit*, inquit Greg. Turon. lib. de Gloria Confeſſorum c. 80. *cujus* (S. Martini) *cum in ipſum* (oratorium) *reliquias detuliſſet, ſtatim directis membris ſanus effectus eſt.* S. Deſideratus anno 550. migravit in cælum die Dominica 8. Maii juxta Carolum Cointium; & ſane die hac feſtum ejus celebratur in eccleſia Bituric. cum novem lectionibus. 550.

XXIII. S. Probianus.

S. Probianus Franconis & Periculoſæ filius, adhuc infans B. Hilarii interceſſione ſanatus, preſbyter fuit ſub Arcadio archiepiſcopo, qui ipſum miſit ad concilium IV. Aurelianenſe anno 541. ut ſuo nomine conditis in eo canonibus ſubſcriberet. Epiſcopus factus adfuit concilio Pariſienſi II. anno 555. & tertio, anno 557. Meminit S. Pro- 555.
biani Greg. Turon. lib. de Gloria Confeſſorum. 557.
c. 80. Jam etiam monuimus in S. Urſino epiſcopo Fortunatum ejuſdem Probiani mentionem feciſſe in vita S. Germani epiſcopi Pariſienſis. Lib. 2. miraculorum S. Hilarii Pictavienſis epiſcopi c. 1. legitur Probianum, cum in infantili ætate lethali decumberet morbo, fuiſſe ſanatum beneficio S. Hilarii, ad cujus *tabernaculum* Franco & Periculoſa ejus parentes ipſum detulerant. Romam orationis & religionis cauſa, ut par eſt credere, perrexit, ibique acutiſſima febri correptus animam exhalavit anno 568. juxta Cointium; cui opinioni conſentaneum eſt ordinationis ejus ſucceſſoris tempus. Eum ſepultum fuiſſe dicunt Romæ in baſilica S. Laurentii via Tiburtina extra muros.

XXIV. S. Felix. [a]

Anno 568. Felix electus in epiſcopum Bituri- 568.
cenſem, ordinatus eſt [b] a S. Germano Pariſienſium

[a] Cointius in Annal. eccleſ. Franc. ad an. 615. n. 23. dicit Felicem epiſcopum Bituricenſem eumdem eſſe cujus meminit S. Bertramnus Cenomanenſis epiſcopus in ſuo teſtamento his verbis: *Villas illas quas bonæ recordationis Avitus filius Felicis quondam epiſcopi, qui parentem noſtram & proximam in conjugium habuit ſociatam, & omnes res Aviti, inter me & virum illuſtrem Gundolandum majorem-domus fuæ ſua pietas conceſſit.*

[b] Hæc ordinatio illuſtrata eſt inſigni converſione & miraculo; quæ refert Fortunatus in vita S. Germani Pariſienſis epiſcopi: *Cum Biturigas acceſſiſſet pro ordinatione Felicis epiſcopi, prædicante ſacerdote, Sigericus quidam Judæus fidei ſacramento percepto converſus eſt, habens in Judaiſmo Manconoarn nomine conjugem;* quæ cum in errore perſeverare vellet, Germanus applicata ipſius fronti manu diabolum illius autorem pertinaciæ ab ea viſibiliter fugavit. Quo facto non ſolum ipſa, verum etiam alii multi ejuſdem ſectæ converſi ſunt ad fidem.

epiſcopo.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI 573.

epiſcopo. Anno 573. celebratum eſt hac in urbe concilium quartum, ad quod convenit Felix, ſubſcripſitque epiſtolæ ejuſdem ſynodi ad Sigibertum regem, cum aliis præſulibus, rogans & admonens ut Promoti, qui in caſtro Dunenſi ordinatus fuerat epiſcopus, intercedente & reluctante Pappolo Carnotenſi epiſcopo, cauſam non defenderet. Celebratur a Fortunato l. 111. Carm. 23. ob *turrim* ipſius cura fabricatam ex auro, ad ſervandam Euchariſtiam; quod vas gemmis & margaritis fulgebat:

Quam bene cuncta decent ſacrati ut corporis agni
Margaritum ingens aurea dona ferant.
Cedant chryſolytis Salomonia dona metallis.
Iſta placere magis ars facit atque fides.

Quo anno Felix obierit minime ſcimus. Quieſcit in collegiata eccleſia S. Auſtregiſili de Caſtro, in ſuburbio Bituricenſi. Poſt mortem claruit miraculis ad tumulum ſuum, qui erat *marmore exſculptus Pario*, ut ait Gregor. Turon. lib. de Gloria Confeſſ. c. 102. nam cœcus quidam ad illum orans lumen recepit. Teſtaturque idem Gregorius pulverem lapidis amoti ab ejus ſepulcro, ut alius ex marmore Heracleo imponeretur ad tegendum ſarcophagum, ſumtum in potu, a febribus quartanis, tertianis & quotidianis ſæpius liberaſſe. Addit Gregorius corpus ejus poſt annum fere duodecimum a ſua morte, *ita inventum illæſum, ut nulla diſſolutio in corpore, nulla putredo reperiretur in veſte: ſed ita erant cuncta integra, ac ſi, ut ita dixerim, ea hora tumulo putarentur ingeſta.* Nunc nullus publicus cultus huic ſancto exhibetur.

XXIV. Remedius ſive Remigius.

Hic antiſtes ſub nomine Remedii ſubſcripſit & 581. interfuit ſynodo Matiſconenſi, anno 581. die calendarum Novembrium. Obitum ejus refert 584. Gregorius Turon. ad annum 584. lib. 6. hiſt. c. 39. ubi obſervat poſt ejus tranſitum gravi incendio partem urbis maximam concrematam eſſe, & illa *quæ hoſtilitati reſederant* periiſſe.

XXV. S. Sulpicius I.

Gregorius poſt notatum Remigii obitum ad annum 584. addit: *Poſt hæc Sulpicius in ipſa urbe ad ſacerdotium, Guntchramno rege favente, præeligitur. Nam cum multi munera offerrent, hæc Rex epiſcopatum quærentibus reſpondiſſe fertur:* Non eſt principatus noſtri conſuetudo ſacerdotium venundare ſub pretio, ſed nec veſtrum, cum præmiis comparare: ne & nos turpis lucri infamia notemur, & vos mago Simoni comparemini; ſed juxta Dei præſcientiam Sulpicius vobis erit epiſcopus. *Et ſic ad clericatum deductus, epiſcopatum eccleſiæ ſupradictæ ſuſcepit. Eſt enim vir valde nobilis, & de primis ſenatoribus Galliarum, in litteris bene eruditus rhetoricis, in metricis vero artibus nulli ſecundus. Hic ſynodum illam, cujus ſupra meminimus, pro parochiis Cadurcinis fieri commonuit.*

De controverſia pro parochiis Cadurcinis orta inter Urſicinum Cadurcenſem, & Innocentium Ruthenenſem epiſcopum agit Gregorius capite ſuperiori; de qua etiam diximus tomo 1. in epiſcopis tum Cadurcinis tum Ruthenenſibus.

ANNI CHRISTI

Ad eam componendam Sulpicius paulo poſt ordinationem ſuam, habuit ſynodum Arvernis, ex provinciæ ſuæ epiſcopis, qui judicarunt relinquendas eſſe Cadurcenſi epiſcopo parochias omnes, quas Ruthenenſis epiſcopus non poſſet probare antiquitus a ſe aut a ſuis deceſſoribus eſſe poſſeſſas. Optime vero Labbeus obſervavit hanc ſynodum non debere differri ad annum 588. nam ex Gregorio Turon. facile intelligitur S. Sulpicium, poſt ſuſceptam Bituricenſis metropolis gubernationem, nihil antiquius habuiſſe, quam hanc ſopire litem. Anno 585. ſubſcripſit & forte adfuit concilio 11. Matiſconenſi.

Superfluum videretur monere lectorem noſtrum Sulpicium, cognomento pium, prorſus alium eſſe a Severo Sulpicio, niſi quidam in hunc errorem impegiſſent quamquam craſſiſſimum, quos notat Joſephus Scaliger in prolegom. libri de emendatione temporum. Certe quam diſtat unus ab altero! Severus Sulpicius diſcipulus fuit ſancti Martini, cujus vitam ſcripſit; alter Sulpicius fuit priore ducentis fere annis junior. Primus fuit tantum presbyter; noſter, epiſcopus. Severus Sulpicius, Millenariorum errore, & juxta Gennadium Pelagianorum veneno infectus fuit, cujus tamen poſtea pœnituit: S. Sulpicius primus ab omni erroris contagione immunis fuit. De eo legendus Bollandus ad diem 29. Januarii; ubi tamen nulla edidit hujus ſancti acta; ſed quædam excerpſit ex præfatione hiſtoriæ ſeptem Dormientium apud Turones quieſcentium, quæ inſcribitur: *Beatiſſimo patri Sulpicio Dei gratia Bituricenſi archiepiſcopo Gregorius Turonorum indignus ſacerdos.* In epiſtola vero nuncupatoria laudatur S. Sulpicius ob ſummam prudentiam paremque ſollicitudinem, quibus titubantis eccleſiæ ſtatum firmare, & ejus ruinas reſarcire contendebat. Sed ſtylus auctoris non redolet Gregorianum, abhorretque ab ejus ætate titulus archiepiſcopi Sulpicio datus. Quin etiam dubitamus S. Martini monaſterium prope Turones Majus-monaſterium tempore Gregorii fuiſſe appellatum. Noſter Ruinartus hanc de ſeptem Dormientibus lucubrationem inter dubia opera rejicit in editione Gregorianorum operum; eam autem ut omnino ſpuriam rejicit Cointius. Obitum noſtri Sulpicii refert Gregorius ad annum 591. qui erat decimus ſextus 591. Childeberti, Guntramnique triceſimus. Sepultus fuit in eccleſia S. Juliani, ex qua poſtea tranſlatum eſt ejus corpus ad S. Urſinum, ubi quieſcit hodie.

XXVI. Eustasius al. Eustachius.

De hoc archiepiſcopo nihil habemus niſi quod legitur apud Greg. Tur. lib. x. c. 26. *Obiit & Sulpicius Bituricæ urbis pontifex, cathedramque ejus Euſtaſius Auguſtidunenſis diaconus eſt ſortitus.* l. x. c. 26.
Eum mortuum aiunt anno 607. pridie calendas 607.
Januarii. Cointius dicit eum obiiſſe ultimo die anni 602. 602.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

611. XXVII. S. Apollinaris.

Apollinaris electus juxta Cointium anno 603. ineunte, transivit ad Deum anno 611. nono sui pontificatus; jacuitque diu in ecclesia S. Austregisili de Castro secus muros Bituricenses: at sacra ejus ossa dissiparunt Calvinistæ anno 1562. Ejus festum seu memoria agitur pridie nonas Octobres, vacavitque sedes usque ad diem 13. Februarii.

* *Vulgo* S. Outrille. XXVIII. S. Austregisilus. *

S. Austregisilus patria Bituricus, Gundino seu Agundino patre nobili quidem sed minime divite, natus est 3. cal. Decembris an. 551. qui eum tamen in litteris maxime sacris institui curavit. Adultus primum quidem in aula Guntramni, fungens officio mapparii, cujus erat Regi mantile ad manus abstergendas offerre, ipsius gratiam consecutus est; sed Betellini hominis palatini æmulatione, qui de fiscalibus rebus quiddam occuparat, & fraudem fecerat, de falsi crimine insimulatus, quasi quædam scripta, quibus pecunia de fisco solvenda præcipiebatur, absque jussione Principis confecisset. Austregisilo crimen denegante, Guntramnus dissidentes inter se singulari pugna controversiam dirimere jussit; indictoque die ad certamen, adversarius Austregisili, divino judicio equo delapsus interiit, ex sancti pontificis vita ab æquali auctore conscripta.

Post hæc cum respuens filiæ divitis nuptias oblatas, factus fuisset clericus & subdiaconus ab Aunario seu Aunacharío præsule Autissiodorensi, tum presbyter & abbas S. Nicetii ab Ætherio Lugdunensi episcopo, Apollinari mortuo, cum Regis consensu eligitur archiepiscopus Bituricensis, & consecratur die 13. Februarii anni 612. Hanc sedem administravit duodecim annis, in qua virtutum omnium splendore, ceteris antistitibus præfulsit. Multis etiam miraculis servi sui sanctitatem Deus testatam esse voluit. Ea refert scriptor vitæ coævus, quem secuti sumus. Habetur autem hæc vita sincerior apud Bollandianos, & seculo II. Benedictino.

612.

624. Obiit 13. cal. Junii anni 624. sepultus est a B. Rauraco episcopo Nivernensi in ecclesia suburbana, quæ tunc monachorum erat, ubi Bercorialis & Bertradus abbates fuerunt, laudati in libro miraculorum hujus sancti, postea conversa in collegium canonicorum secularium, sub titulo sancti Austregisili; cui & alia parochialis in urbe consecrata est. Festo die colitur sub ritu duplici 20. Maii. S. Austregesilus B. Amando, qui postea Trajectensium fuit episcopus, seculum fugienti cellulam juxta ecclesiam in superiori civitatis muro construi fecit.

Sec. II. Bened. p. 712.

XXIX. S. Sulpicius II.

Sulpicius alter cognomento pius, oriundus e * Vatin. Vastino * oppido Biturigum claris parentibus, dicitur archidiaconus Bituricensis sub Austregisilo in vita S. Remacli Trajectensis episcopi. Et quidem a S. Austregisilo clericus factus legitur anno circiter 612. annuente Theoderico rege Burgundiæ; quo tempore jam in morbos & in dæmones potestatem acceperat.

A Clotario qui anno 613. solus monarchiam Francorum obtinuit, abbas castrensis [a], postea episcopus Bituricensis designatur anno 624. quo in munere tam virtutibus quam miraculis omnium in se oculos convertit. Anno VIII. Dagoberti regis S. Desiderium populi clerique suffragiis ad episcopatum Cadurcensem electum, convocatis provinciæ suæ episcopis auctoritate metropolitani ordinavit, invitatus his regiis litteris in quibus occurrerunt nobis quædam variæ lectiones, quas duximus adjiciendas.

ANNI CHRISTI 624.

Domino sancto & apostolico domino meo & patri Sulpicio papæ Dagobertus rex. * *Deo &* * Dum & vestræ. *vestræ sanctitati credimus esse compertum, qualiter noster fidelis vere illustris Desiderius thesaurarius, nobis adolescentiæ tempore fideliter deservivit.* * *Nos* * & nos. *devotissimam ac monasticam conversationem ejus habemus bene compertam, ideo nos cognoscite taliter decrevisse, ut in civitate Caturca, ubi germanus ejus dominus Rusticus* * *prævit, in locum ipsius honorem episcopatus in Dei nomine debeat accipere; quia divina inspirante potentia talis nostra devotio manet, ut eos quos moribus ornatos & sanctis operibus deditos perspicimus, sicut est iste fidelissimus Dei & noster Desiderius, hos ad episcopale culmen provehere debeamus; quia sic decet regiam celsitudinem, ut quos cognoscit in Dei timore conversari, & fidem catholicam integre custodire, vel Evangelica præcepta omnimodis* *, *ad pontificale officium studeat promovere. Proinde dum vos arcem metropolitani scimus tenere, præsentes apices, cum debito salutationis officio almitati vestræ studuimus destinare, petentes ut ad eum benedicendum properare debeatis, & litteras ad comprovinciales fratres vestros dirigatis, ut illi adesse debeant, ut canonice & juxta apostolicam institutionem sub vestri præsentia in sancta Paschali solemnitate pontificali benedictione debeat* * *esse consecratus; illud etiam ante omnia supplicamus, ut nos in sanctis ac Deo placitis orationibus vestris Domino commendetis, & ad explendum hoc negotium nullam moram faciatis.* * *Quod vero indicimus, manus nostræ subscriptione ut mos est, decrevimus roborari. Dagobertus rex subscripsit.*

* præfuit.

* observare.

* confirmari.

* Quem indiculum.

Interceſſit ſemper arcta neceſſitudo inter S. Sulpicium, & S. Deſiderium, quam mutuis fovere curaverunt epiſtolis. Apud Caniſium Antiq. Lect. tom. v. p. 526. & in biblioth. patrum tom. VIII. p. 579. exſtant duo libri epiſtolarum, quorum prior epiſtolas Deſiderii ad amicos, poſterior amicorum Deſiderii ad ipſum; in priori libro duodecima epiſtola eſt ad S. Sulpicium, quæ ſic incipit: *Sancto patriarchæ Sulpicio. Condecet primæ ſedis antiſtitem, ut ſolers circa eum conſacerdotum exhibeatur ſollicitudo &c.* In altero libro leguntur epiſtolæ S. Sulpicii ad ipſum Deſiderium, uti & ad Verum Rutenæ eccleſiæ epiſcopum.

Sulpicius interfuit concilio Remenſi ſub Sonnatio Remorum archiepiſcopo, anno 625. ex Flodoardo lib. II. c. 5. Cum ab anno 641. in coadjutorem, quem ſibi elegerat, Vulfoledum,

625.

641.

[a] Sic appellabatur qui monachis aut clericis præerat in aula aut in caſtris rei ſacræ operam dantibus.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

omnia epiſcopatus onera rejeciſſet, reſervata ſolummodo pauperum cura, migravit ad Dominum anno 644. al. 47. die 17. Januarii, & in 644. monaſterio ipſius nomine inſignito tanquam patronus colitur. Pariſiis ampliſſima eccleſia parochialis in ejus honorem eſt conſtructa, & ſub invocatione ipſius nominis. Johannes Bollandus ejus vitam exhibet ad diem 17. Januarii quam edidit quoque Mabill. ſec. II. Bened. S. Remaclum Leodienſem epiſcopum, ipſius diſcipulum, in diœceſi Leodienſi multas ſancto præceptori ſuo eccleſias conſecraſſe, teſtis eſt Molanus in natal. Belg. penes quem fides ſit. Memoratur in plurimis actis SS. uti S. Euſtadiolæ, S. Auſtregeſili, SS. Amandi & Laudoaldi; item in variarum eccleſiarum breviariis.

XXX. Vulfoledus vel Vulfeodus.

Vulfoledus ſubſcripſit cuidam privilegio Foſſatenſis monaſterii, quod refert Mabillonius ad an. 642. ut videre eſt libro XIII. Annal. Bened. n. 12. prius autem editum fuit in ſupplemento Antiquitatum Pariſ. Jacobi Brulii. Ex eo vero pene demonſtratur Vulfoledum pro vero epiſcopo habitum fuiſſe, ſtatim ac aſſumtus eſt in coadjutorem a S. Sulpicio.

Interfuit concilio Cabilonenſi circa an. 648. VIII. cal. Novembris.

Subſcripſit celebri privilegio quod Chlodoveus filius Dagoberti Dionyſiano conceſſit monaſterio an. regni ſui decimo-ſexto, Chriſti 653. vel 659. Vide in Eligio inter Noviomenſes epiſcopos.

Poſtea calculum quoque addidit alteri privilegio ab Emmone archiep. Senon. collato cœnobio S. Columbæ an. 3. regnante Chlotario, hoc eſt juxta Cointium & Mabillonium an. 658. forte melius juxta ſtabilitam in S. Eligio chronologiam, an. 664. Ejus tempore fundatæ dicuntur in diœceſi abbatiæ S. Sigiranni & Millebeccenſis. Obiit 4. calend. Januarii, fortaſſe non ante annum 664.

XXXI. Ado.

Exceſſiſſe dicitur e vita octavo idus Octobris, poſt pontificatum annorum 21. & ſex menſium; ſed chronologiæ patriarchii Bituricenſis, juxta quam anni 21. in pontificatu Adoni tribuuntur, minime ſtandum putamus. Cointius qui eum Aldum appellat, docet ejus epiſcopatum intra 668. & 680. claudi.

XXXII. Agolenus, al. Adolenus.

In Sammarthanorum fratrum catalogo nudum hujus præſulis nomen exhibetur. In patriarchio Bituricenſi, & apud Chenutium &c. legimus eum ſediſſe annis 14. a 682. ad 696. uno tantum anno diſcrepat ab iis ſcriptoribus Cointius, qui pro terminis aut limitibus epiſcopatus hujus præſulis, ſtatuit annos 683. & 697.

XXXIII. Rochus, ſeu Rocho.

Rochus, ſive Rocho, qui & Rochonus in veteri codice appellatur; adfuit funeri S. Euſtadiolæ quæ ad cœlos migravit VI. idus Junii & ſepulta eſt ad ædem S. Pauli extra muros, quam conſtruxerat, ut liquet ex MS. exemplari Medii-Monaſterii, tunc monialium, nunc clericorum ſeminarii. De hoc monaſterio ejuſque fundatrice & abbatiſſa Euſtadiola infra erit agendum. Ex patriarchio Bituricenſi, ejuſque chronologiæ fautoribus Rochus per annos 40. præfuit, ſcilicet ab anno 696. 697. ad 737. Cointius ipſi quoque tribuit annos totidem in regimine, quod inchoat ab anno 696. 736.

ANNI CHRISTI

XXXIV. Siginus.

Siginus vocatus ad regendam Bituricenſem metropolim anno 737. non potuit ſedere annos 24. ut legitur in vulgatis catalogis. Jacet in abbatiali S. Ambroſii eccleſia, quæ tum incolas habebat monachos; poſtea canonicis Regularibus inclinato ſeculo XII. tradita eſt. Ejus epitaphii fragmentum hoc refert Thaumaſerius Antiquitatum Bituricarum inquiſitor & explorator oculatiſſimus. 737.

Hic jacet eccleſiæ paſtor fiduſque maritus.

Abſcondit durus viſcera cara lapis.

XXXV. Bertellanus al. Berlanus.

Hunc antiſtitem ad ſedem Bituricenſem acceſſiſſe anno 751. quidam decernunt. Nihil tamen cogit ad ſtatuendum hoc anno ipſius epiſcopatus exordium: ſed anno 759. cogimur illi locum quærere & aſſerere, contra quam fecerunt qui aut patriarchii, aut variorum catalogorum ſunt auctores. Nempe anonymus in hiſtoria, quam Nibelungi comitis juſſu ſcripſit, ad annum X. Pipini regis patris Caroli magni, qui reſpondet an. 761. ita loquitur de Waifario aliiſque perduellibus: *Waifarius inito iniquo conſilio, contra Pipinum regem inſidias parat; exercitum ſuum cum Uniberto comite Bitorino *, & Blandino comite Arvernico, qui dudum ante annum ſuperiorem ad prædictum regem Pipinum cum Bertellano epiſcopo Bitoricæ civitatis miſſus fuerat, & animum Regis ad iracundiam nimium provocaſſet &c.* Hic vides Bertellanum Bituricenſem epiſcopum miſſum ad Pipinum regem anno 759. nam ſi decimus annus Pipini regis fuit 761. quod in confeſſo eſt apud omnes chronologos & hiſtoricos, annus *ſuperior* hujus ſaltem erat nonus; & annus qui anteceſſit hunc annum ſuperiorem, fuit octavus Pipini, proindeque annus Chriſti 759. Hic præſul, juxta Cointium, obiit anno 763. 759. 763.

* de Berry.

XXXVI. Landoarius.

Hunc Bertellano ſucceſſorem dat Carolus Cointius. De quatuor annis ipſi vulgo datis in epiſcopatu nihil aſſerimus; quamvis commode poſſimus cum Cointio deducere epiſcopatum hunc ab anno 763. ad 767. imo etiam ad 769.

XXXVII. Herminardus.

Herminardus qui & Hermenarius an. 769. interfuit concilio Romano a Stephano III. papa in baſilica Lateranenſi celebrato; in qua ſynodo, ut Anaſtaſius bibliothecarius in Stephani vita refert, diſcuſſa primum, ac reſciſſa Conſtantini pſeudopapæ 769.

ANNI CHRISTI

non ſolum ſubſcripſiſſe toties decantato privilegio, ſed etiam conventui Wormacienſi adfuiſſe; adhibetque Roverii teſtimonium in Reomao. At quid opus hujuſmodi teſtium, cum ſomniant & fingunt ex levibus conjecturis! Stephanum ſubſcripſiſſe privilegio Aldrici Senonenſis anni 836. (hanc putavit Roverius ætatem fuiſſe hujus inſtrumenti) legit hic ſcriptor. Et quia ſæpius contingebat ut epiſcopi ſubſcriberent in ipſis conciliis, eorum decretis & definitionibus; continuo putavit aſſerere ſibi licere Stephanum quoque ſediſſe in concilio Wormacienſi ubi conceſſum fuit hoc privilegium: at minime unum conſequens eſt ex alio. Itaque putamus Stephanum excepiſſe in B adminiſtratione Bituricenſis eccleſiæ Agiulfum, & paulopoſt nomen ſuum in ſignum conſenſus ſcripſiſſe in diplomate ſeu privilegio pro Remigianis apud Senonas monachis. Quamdiu autem ſederit ignotum nobis eſt.

XLV. S. Rodulfus.

S. Rodulphus nobili & antiqua ſtirpe ortus erat, nimirum Rodulpho Cadurcorum comite, & Aiga paris cum nobilitatis tum pietatis parentibus, [a] a quibus primum ad clericatum inſtituendus traditur Bertranno viro religioſo, aſſignata in titulum patrimonii villa quadam *extra conſortium fratrum*; quemadmodum Emenanæ Rodulfi ſorori ad ſanctimonialium habitum tradendæ, quandam cedunt eccleſiam nobiles parentes. Per clericatum poteſt hic intelligi monachatus, qui non raro in antiquis ſcriptoribus per clericatum deſignatur; maxime cum videamus Rodulfum abbatem ante epiſcopatum fuiſſe. Nec obſtat titulus ei datus, ſeu villa loco tituli clericatus velut aſſignata: nam id ſolebat fieri etiam pro monachis, uti probat charta Rotardi cujuſdam in tabulario Belliloci, apud Lemovices, unde erutum inſtrumentum de villa patrimonii loco data Rodulfo: nam Rotardus ibidem concedit Rodulfo abbati Bellilocenſi (is erat noſter Rodulfus) & monaſterio Bellilocenſi, *pro clericatu cujuſdam conſanguinei ſui nomine Gumberti*, ut idem Gumbertus hæc teneat, *uſque dum abbas & monachi ſupradicti loci, aut eccleſia alium ei honorem concedat, ut ſecundum clericatus ſui officium vivere poſſit.* Eodem itaque modo, quando Rodulfus noſter adoleſcens a parentibus traditus eſt ad monachatum, ſimul parentes dederunt villam indominicatam Bellomontis in pago Lemovicino, ut probat monaſterii S. Petri Bellilocenſis charta donationis hujus villæ, quam exhibet Mabillonius ſec. IV. Bened. parte II. pag. 157.

Deinde Rodulphus fuit abbas incerti loci; nam probat Mabillonius ad annum 840. ipſum quando adeptus eſt ſedem Bituricenſem, abbatem quidem fuiſſe, ſed nondum Floriacenſem, aut Veterinenſem, ſeu Bellilocenſem: quæ duo monaſteria nondum erant condita. De iis vero enucleatius agemus infra in Floriacenſis monaſterii abbatibus.

Rodulfus præeſſe cœpit metropoli Bituricenſi anno circiter 840. aut 41. & ſane anno 840. adhuc tantum abbas vocatur, in venditione villæ Beliaci facta a Boſone ejuſque conjuge Talaſia *abbati Rodulfo* (noſter eſt Rodulfus) *anno primo quo domnus Lotharius excellentiſſimus imperator aſſumſit imperium*, mortuo videlicet Ludovico patre menſe Junio anni 840. At paulo poſt Rodulfus factus eſt Bituricenſis archiepiſcopus, uti docet ipſe in charta quam ſuum teſtamentum appellat; in cujus fine legitur: *Rodulfus primæ ſedis epiſcopus huic teſtamenti chartulæ ſubſcripſit . . . . Datum menſe Martio anno primo Caroli regis.* Annus erat primus Caroli regis cognomento Calvi, poſt Ludovici patris mortem. Et hic forſan adhuc computabatur Chriſti 840. uſque ad Paſcha. Chartam hanc damus ſuo loco. C. IV. col. 3.

Ut de rebus a S. Rodulfo geſtis in epiſcopatu nunc dicamus, eodem anno quo cathedram conſcendit Veterinenſe * conſtruxit cœnobium, de cujus fundatione Mabillonius vulgavit inſtrumentum in elogio ſancti antiſtitis tom. IV. actorum SS. Benedict. parte 2. quo Domino Salvatori res C quaſdam ſuæ proprietatis offert, Saraziacum videlicet, cum villa S. Geneſii, ſitum in pago Caturcino, in vicaria Caſiliacenſi, necnon *caſam dominicariam* apud Veterinas ſuper fluvium Sordarim * in orbe Lemovicino. Hæc autem ab Aiga matre acceperat. Huic autem cœnobio præfecit Silvium abbatem; eumdem procul dubio, quem hoc tempore Solemniacenſem abbatem fuiſſe videmus. Patroni novi monaſterii erant præter mundi Servatorem, apoſtoli Petrus & Paulus, omnes apoſtoli, ſancti Laurentius, Sebaſtianus, Dionyſius, Mauricius, aliique martyres; confeſſores Hilarius, Martinus &c.

* Vegennis *una leuca a Bellaco.*

* Sordaria *rivulus.* La Sordoire.

D Eodem anno 840. conditum eſt Rodulfi munificentia Bellilocenſe monaſterium ſuper fluvium Dordoniæ, cujus Veterinenſe poſt modum factum eſſe prioratum legimus; unum autem ab altero parum diſtat; de hac vero celebri abbatia, cui Rodulfus voluit præeſſe venerabilem Gairulfum abbatem (quamvis ipſe tam Bellilocenſis quam Veterinenſis monaſterii uti abbas gereret ſollicitudinem) infra opportunius dicemus in Lemovicenſis epiſcopatus hiſtoria.

Anno 843. pius archiepiſcopus ad condendum aliud monaſterium [b] intra ſuæ diœceſis fines E animum applicuit, ad quod dotandum quædam eccleſiæ ſuæ prædia contulit. Ab initio vero conſtructum eſt apud Doverum *, poſtea ob accolarum inclementiam & infeſtationes, tranſlatum eſt in caſtellum proximum Virzionem dictum. Doverenſis monaſterii novæque congregationis ibidem Deo famulantis primus abbas poſt Rodul-

[b]

* Devre.

[a] Ex Mabill. ſec. IV. Bened. parte II. pag. 156. hi fuerunt filii Rodulfi comitis & Aiguæ: *Rodulphus clericus* (ipſe eſt archiepiſcopus noſter) *Godefridus comes, Rothertus, Landricus, Emenana* filia eorum fuit abbatiſſa S. Geneſii, apud Sarraſiacum. De Johanne qui fuerit abbas Bellilocenſis altum eſt ſilentium. Infra tamen Johannis hujus fiet mentio. Roberti conjux Retrudis ſepulta eſt in monaſterio Bellilocenſi. De iis plurima habes in hiſtoriæ Tutelenſis appendice.

[b] Rodulfum non fuiſſe primum hujus monaſterii architectum aut fundatorem ſuadere videtur quædam charta ejuſdem loci quæ incipit: *In nomine &c. Karolus gratia Dei rex &c. Statuimus atque firmamus ut prædicti monachi ſupraſcriptas res cum omni integritate a venerando pontifice Rodulfo vel ejus anteceſſoribus, ad eorum ſtipendia deputatas perpetuo teneant &c.* Forte irrepſit errore librarii *anteceſſorum* pro *ſucceſſorum*. Neque enim hujus diplomatis Carolini habemus autographum.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

fum, qui omnibus his monaſteriis præerat, fuit Aimericus, cujus meminit Carolus Calvus in præcepto pro hujus monaſterii confirmatione dato. *

* *Vide Mabil. ſec. iv. Ben. part. ii. p. 158.*

Eodem anno, adjuvante Aigua matre, prope caſtrum Caziliacum, in pago Caturcino, & villa Saraſiacenſi, condidit puellare cœnobium, uti præmonuimus, cujus abbatiſſa fuit Emenana Rodulfi ſoror. Tanta fuit Aiguæ comitiſſæ liberalitas in condendo hoc parthenone, ut pro fundatrice habeatur. Ibi quoque condita eſt poſt mortem, prope Rodulfum comitem virum ſuum ibidem ſepultum. In litteris Aiguæ dicitur fundatum hoc ſanctuarium, conſentientibus Rodulfo archiepiſcopo, Godalredo comite, Roberto, Landrico & Johanne Aiguæ liberis. Tempus autem conditi loci in hac litterarum clauſula innoteſcit: *Facta ceſſio iſta in menſe Februario, in anno 1. obitus bonæ memoriæ Rodulfi jam dicti* (comitis conjugis Aiguæ) *& anno tertio quo aſſumſit imperium dominus Lotharius.* Relictis vero rebus monaſticis ad alia majoris fortaſſe momenti tranſeamus.

845. Anno 845. interfuit conciliis Meldenſi, Moguntino anno 848. ſi Trithemio fides debeatur; 848. Tullenſi in villa dicta *Saponariæ*, menſe Junio 859. anno 859. in quo judex eligitur cum Remigio Lugdunenſi & aliis præſulibus, in cauſa Wenilonis archiepiſcopi Senonenſis, adverſus quem hac in ſynodo Carolus Calvus rex libellum proclamationis obtulerat. Subſcripſit autem epiſtolæ omnium adſtantium epiſcoporum ad eundem Wenilonem, & alteri ad Britonum præſules, qui ab Herardo Turonenſi archiepiſcopo ſuo metropolitano defecerant. Legitur etiam ejus ſubſcriptio in concilio Tullenſi ſecundo apud Tuſiacum anno 860. ubi Hincmarus archiepiſcopus 860. Remenſis, juſſu ſynodi, ad noſtrum Rodulfum & ad Frotarium Burdigalenſem archiepiſcopum ſcripſit conventum epiſcoporum eis qui primarum ſedium regni Aquitanici antiſtites erant, definiendam commiſiſſe cauſam de nuptiis Stephani, & filiæ Regimundi comitis; adhibito coepiſcoporum & primorum terræ conſilio, uti legitur tomo col. 716. 8. conciliorum, & tom. 3. concil. Galliæ. Occurrit ejus nomen in ſubſcriptionibus privilegii S. Dionyſii anno 862. dati in prima ſynodo Piſtenſi, & 862. conſtitutionis pro cœnobio S. Germani Antiſſiodorenſis, factæ in ſynodo Piſtenſi II. anno 864.

Ceterum Nicolaus papa I. Rodulfum Aquitaniarum primatem eſſe agnovit, & patriarchæ titulo decoravit, in epiſtola quæ legitur tomo 8. concil. Labbei, decima nona primæ appendicis col. 504. Hac in epiſtola notatu digna eſt Nicolai papæ reſponſio ad Rodulphi noſtri quæſita, qua definit ordinationes factas a chorepiſcopis, minime iterandas: *Ad formam enim ſeptuaginta* (diſcipulorum) *facti ſunt*, inquit; *quos quis dubitet epiſcoporum habuiſſe officia!* Idem papa monep. 40. nuit Rodulfum, ut penitus abſtineret a communione Theutgaudi & Guntarii epiſcoporum, quos damnarat apoſtolica ſedes. Flodoardus lib. III. c. 21. meminit litterarum quas Hincmarus Remorum archipræſul ad eundem ſcripſerat, ut ipſi bonorum abbatiæ S. Remigii in pago Lemovicenſi cuſtodiam commendaret ac defenſionem.

ANNI CHRISTI

Rodulfus quindecim capita de rebus eccleſiaſticis condidit pro diœceſis ſuæ clericis & ſacerdotibus. Edidit nuper V. C. Stephanus Baluzius tomo VI. Miſcellaneorum p. 139. ejuſdem capitula, de eodem fere argumento. Poſt eccleſiam Bituricenſem diu pie ac ſtrenue adminiſtratam, & monaſticum ordinem multis in locis propagatum obiit, titulum ſancti merito conſecutus, anno Chriſti 866. teſte Adone XI. cal. Julii, ſepultuſque eſt in baſilica S. Urſini apud Biturigas, ubi magna veneratione colitur. Unicus dumtaxat nævus in ſancti hujus archiepiſcopi vita deprehenditur, quod tot abbatias obtinuerit. Sed in iis quas fundaverat nihil ſibi lucri retinuit; omnia vero in monaſteriorum emolumentum refundere curavit. Et iis quidem abbates dedit; abbatis titulum nudum fere ſibi etiam ſervans, id eſt patris, qui optime conveniebat munifico fundatori. In hoc tamen reprehenſione dignus viſus eſt patribus ſynodi Tullenſis ad Saponarias anno 859. habitæ, quod Floriacenſem abbatiam cum archiepiſcopatu poſſediſſet.

Hanc ipſi Carolus Calvus conceſſerat, vivente etiam Bernardo abbate; Rodulfum hoc beneficio demereri ſperans, quo in Aquitanorum motibus uteretur; quippe ob generis nobilitatem, affinitates cum Aquitaniæ proceribus pene omnibus, ſedis dignitatem, maxime vero propter ſanctitatis famam, archiepiſcopi hujus poteſtas erat maxima. Sed in concilio I. Tullenſi patres id moleſte tulerunt, & in capitulo XI. legitur: *Poſtulavit humiliter generalis ſynodus ſe ad terram uſque proſternens ante Karolum regem, & Rodulfum Biturigum archiepiſcopum, obſecrans & adjurans per crucem & Chriſti ſanguinem ut privilegium monaſterii S. Benedicti, quod annuente præfato rege firmaverant, quodque idem Rodulfus ſubſcripſerat, qui præfatam abbatiam irregulariter tenebat, ratum & inconvulſum ſervare ſtuderent.* Rodulfum abbatia ceſſiſſe autumat Mabillonius, quia *Bernardus abbatis officium ad aliquot annos gerere non deſtitit*; ſed forſan vicaria, non ſuprema poteſtate.

Inter ceteras animi dotes enituit in hoc præſule ſumma prudentia, qua principum ab invicem diſſidentium & pro regno decertantium gratiam ſibi conciliavit. De Caroli Calvi erga eum benevolentia jam diximus, ubi narravimus ab hoc principe etiam contra leges eccleſiaſticas, datam ipſi fuiſſe Floriacenſem eccleſiam. Eidem quoque munificum ſe probavit Pipinus junior Aquitaniæ rex, filius alterius Pipini Aquitaniæ quoque regis; conceſſitque nonnullas villas, de quibus agit principis hujus diploma, quod legitur datum indict. XI. anno decimo regnante Pipino inclyto rege. C.v.col.3.

XLVI. Wlfadus.

Wlfadus unus ex clericis quos Ebbo Remorum archiepiſcopus ordinaverat, & Hincmarus e ſuo gradu dejecerat anno 853. ad Bituricenſem cathedram a Carolo rege, cognomento Calvo, Francorum rege, cujus filium Carolomannum poſtea S. Medardi abbatem educarat, poſtulatur & deſignatur ob eximia ingenii dona, & prudentiam in agendis; ut patet ex epiſtola ejuſdem regis ad

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

Nicolaum papam, paulo ante ſynodum Sueſſionenſem anni 866. ſcripta, in qua ait:

Rodulfus Bituricenſis eccleſiæ archiepiſcopus nuper defunctus eſt, & ipſa eccleſia, ſapienti & ſtrenuo, virilique paſtore indiget, propter quorumdam levitatem morum & inconſtantiam ipſius gentis. Unde conſilio accepto omnes epiſcopi, & fideles regni noſtri, ipſaque etiam diœceſis, unanimiter in electione prædicti Wlfadi conſenſerunt. Nam ſi illum talem non haberemus in regno noſtro, trahendus eſſet ex alio, propter maximam neceſſitatem ipſius loci; maxime tamen quia commendavimus ipſum regnum, ipſamque eccleſiam dilectiſſimo filio, noſtroque æquivoco; cujus infantiam infirmitatemque... conſiderantes, non potuimus recuperationem ſimilem reperire. Hic Wlfadus primum canonicus B. Mariæ apud Remos & œconomus, eo nomine interfuerat ſynodo apud Cariſiacum anni 848. Eumdem abbatem paſſim appellat Nicolaus papa in ſuis epiſtolis concilio III. Sueſſionenſi præmiſſis; forte quod eſſet Regis archicapellanus; is enim qui in regio palatio clericis præerat, abbas quandoque vocabatur. Carolus Calvus in epiſtola ad Nicolaum papam eum appellat *fidelem ſuum miniſterialem;* quia in rebus ſacris ſibi miniſtrabat. Aliunde tamen Vvlfadus fuit abbas San-Medardenſis & Resbacenſis. Sed quia ab Ebbone quondam Remenſi archiepiſcopo, poſt ejus exauctorationem ordinatus fuerat: ideirco Hincmarus ſuffectus Ebboni, habita Sueſſionis ſynodo apud S. Medardum anno 853. X. cal. Maias, Carolo Calvo rege præſente, obtinuit ut reſtitutio Ebbonis in ſedem Remenſem caſſaretur, ſua vero in ipſius locum ſubſtitutio probaretur; denique ſuis gradibus privarentur & privati haberentur omnes ab Ebbone ordinati. Sed qui dejectionis horum clericorum auctor quodammodo fuerat Carolus rex Ebbonis hoſtis, idem ut reſtituerentur egit, maxime ob Wlfadum cui favebat.

Itaque delatis ad Nicolaum papam I. clericorum illorum querelis, ejus juſſu concilium Sueſſionenſe III. indicitur medio menſe Auguſto anni 866. ut ubi exauctorati fuerant, gradus recuperarent amiſſos. Hoc in conventu celeberrimo (adfuerunt enim ex tota Gallia metropolitani multi cum longe plurimis epiſcopis) Hincmarus multa contra Vvlfadum diſſeruit; quod eccleſiam Lingonenſem uſurpare præſumſiſſet *, ac ejus facultates invaſiſſet; maxime vero quod jurejurando pollicitus eſſet ſe nunquam ad eccleſiaſticos gradus aſpiraturum; quod ipſi ad epiſcopatum, alioſque ordines aditum intercludebat. Incerti patres quid agerent, cauſam hanc ad Nicolaum papam referendam cenſuerunt, uti liquet ex epiſtola ſynodica data VIII. cal. Septembris ejuſdem anni 866.

* *Hanc Iſaaco cedere coactus eſt Vvlfadus.*

Verum ante reſtitutionem a ſancta ſede pronuntiatam Vvlfadus, jubente Carolo rege, in poſſeſſionem eccleſiæ Bituricenſis admittitur menſe Septembri ſequenti, per Carolomannum regis filium, ordinaturque ab Aldone Lemovicenſi epiſcopo, qui paulo poſt interiit ex febre, qua in ipſis ordinationis ſolemniis correptus fuerat. Sane ſcripſit Rex ad Nicolaum papam commendatam fuiſſe a ſe Vvlfado Bituricenſem eccleſiam, *cum rebus ſibi pertinentibus*, ut eam a rapinis pravorum tutaretur. In privilegio ab hac ſynodo Sueſſionenſi conceſſo monaſterio Solemniacenſi, Vvlfadus primus ſubſcribit cum titulo epiſcopi metropolis Biturigenſis eccleſiæ. Præcedit autem alios metropolitanos omnes, quod ad ſuam metropolim monaſterium Solemniacenſe pertineret.

ANNI CHRISTI

Nicolaus minime probavit varias artes & machinamenta quibus aut impedire aut remorari reſtitutionem clericorum & maxime Vvlfadi tentarat Hincmarus, tot libellis oblatis ſynodo; cujus etiam malam arguit fidem in referendis Benedicti papæ litteris. Moleſte tamen tulit ordinationem Vvlfadi factam antequam legitimè fuiſſet in priſtinum reſtitutus gradum. Hanc promotionem acceleratam excuſat Carolus ad papam ſcribens; ſimulque pallium pro ipſo petiit.

Neceſſarium, inquit, *duximus, nos humillime & devotiſſime ante conſpectum majeſtatis veſtræ noſtris apicibus excuſabilem reddere, eo quod ante reverſionem Egilis reverendi archiepiſcopi, vel reſcriptionem veſtri præſulatus, præfato Wlfado ſedem Bituricenſis archiepiſcopatus commendavimus; & eum epiſcopi nulla temeritate, ſed magna incumbente neceſſitate, ſiſi de magnitudine miſericordiæ veſtræ, ad honorem epiſcopatus provexerunt. Ideo enim eum in illas Aquitaniæ partes, ad filium & æquivocum noſtrum direximus, & eccleſiam illam ei commendavimus, quoniam eum in educatione alterius filii noſtri Karlomani ſcilicet ſervi veſtri, quem veſtræ Beatitudini ſpecialiter commendavimus, & aliis utilitatibus noſtris, experti ſumus & ingenio ſtrenuum, & moribus probum, & nobis in omnibus fideliſſimum. In qua acceleratione, ſi quid veſtræ ſanctæ ſerenitatis animo diſplicuit, veſtra ſancta paternitate nobis donari depoſcimus. Et quia in eodem regno magna paganorum perſecutio graſſabatur, quos miſericors Dominus per filium noſtrum ſæpe proſtravit, & ea occaſione non minor malorum Chriſtianorum infeſtatio latius effervebat, ſicut hic noſtratum apicum gerulus viva voce vobis indicare poteſt; ipſa urgente neceſſitate ipſius regni excitati epiſcopi, ne majora mala ſupercreſcerent, & præſentia ſedarentur, & quoniam illius regionis ſedes illa principatum obtinet, ut ejus prudentia & vigore, auctoritate etiam ſedis freti, facilius mala exorta compeſcerent, tempori conſulentes ejus ordinationem maturaverunt. In cujus ordinationis maturatione, quia veſtra licentia, pro dicto imminente periculo, exſpectata non eſt, veſtra benigniſſima ſanctitate petimus indulgendum. Præterea veſtram glorioſam & amplexabilem paternitatem ſuppliciter exoramus, ut quidquid in prædictis dimittendum eſt dimittatis, & prædictum fideliſſimum ſervum veſtrum Wlfadum pallio apoſtolicæ auctoritatis exornando decoretis & decorando confirmetis.* *Ex tom. 3. concil. Galliæ Sirmondi.*

Regis precibus annuit Hadrianus II. qui Nicolao I. ſucceſſerat; conceſſitque Vvlfado pallium ſcribens ad ſynodum Tricaſſinam I. an. 867. * congregatam: *veſtrum judicium ac veſtram ſententiam* (de Vvlfado) *quam apoſtolicæ ſedis cenſura, ſicut exegit ratio, præceſſit, approbamus, admittimus* ep. VI. 867. * vel 868.

ANNI CHRISTI

admittimus & corroboramus ; atque poſtulationi veſtræ, cui quidquam negari difficillimum eſt, annuentes, ad pleniorem confirmationem uſum pallii jam dicto fratri noſtro Wlfado Bituricenſi antiſtiti, ſecundum priorem conſuetudinem, ad genium & decus eccleſiæ ſibi commiſſæ, & inſtructionem ipſius concedimus. Ex his Hadriani verbis, *poſtulationi veſtræ ..... annuentes*, intelligimus non ſolum regem Carolum, ſed etiam Galliæ epiſcopos ſanctæ ſedi ſupplicaſſe pro pallio, novo antiſtiti concedendo.

Quomodo ſe geſſerit Vvlfadus in epiſcopatu non ſatis ſcimus. Par eſt credere ipſum memorem fuiſſe monitorum quæ a Nicolao papa acceperat: *Hortamur vos*, inquit, *ut tales de cetero in omnibus vos exhibeatis, ut in nullo ingrati circa beneficia Domini vobis collata reperiamini ... humilitatem præ oculis ſemper habentes, & cor veſtrum ad meditandum quæ æterna ſunt infatigabiliter erigentes. Ante omnia vero ſollicite præcaventes ne memores veſtrarum ſitis injuriarum.*

ep. 14.

869. Anno 869. in conventu Piſtenſi probavit ſua ſubſcriptione privilegium quo Egilo Senonenſis archiepiſcopus donavit monaſterium S. Petri-Vivi apud Senonas. Eodem anno convenit ad Vermerienſem ſynodum, ubi pridie cal. Maii ſubſcripſit præceptis regiis pro Carroſenſi cœnobio.

871. In ſynodo I. Duziacenſi anno 871. ſententiam dedit pro Hincmari epiſcopi Laudunenſis depoſitione. Diem clauſiſſe extremum calendis Aprilis

876. anni 876. dicitur, & ſepulturæ mandatum fuiſſe in S. Laurentii puellari monaſterio.

Vvlfadus ſcripſit epiſtolam paſtoralem ad parochos & parochianos ſuæ diœceſeos, quæ exſtat tom. 4. Analect. Mabill. p. 602.

XLVII. Frotarius.

Frotarius cum per multos annos Burdigalenſis eccleſiæ curam geſſiſſet, ab ea recedere coactus eſt ob frequentes infidelium barbarorumque incurſiones, qui oras illas aſſidue devaſtabant. Erat hic præſul Carolo Calvo regi & imperatori acceptus, qui ei anno 868. S. Hilarii Pictavienſis abbatiam dederat, ablatam filio Roberti comitis recens exſtincti, ad quam Frotarius barbarorum gladios fugiens ſeſe receperat; ubi quoque ſedem epiſcopalem obtinuit, ut patebit infra, ſi fides adhibeatur Aimoini continuatori. Hujus itaque Principis favore Johannes papa VIII. eum ad cathedram Bituricenſem morte Vvlfadi vacuam tranſtulit anno

876. 876. Quibus rationibus ad id adductus ſit exponit ſummus pontifex epiſtola XIII. ad Bituricenſes ſcribens: ſe didiciſſe a Leone epiſcopo & apocriſiario ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, & a Petro epiſcopo pene totam provinciam Burdigalenſi metropoli pertinentem, ita eſſe paganorum perſecutionibus deſolatam, ut non ſolum Frotarius illic lucri aliquid ſubjectis conferre non poſſit, verum etiam habitatio fidelium inde ſubtracta conſiſtat.

Quapropter, inquit, *quia eundem virum Frotarium reverendum archiepiſcopum probis moribus actibuſque præclaris, & ad lucrum animabus hominum conferendum idoneum eſſe comperimus, ne talis tantuſque vir otio quo prodeſſe aliis valeat, minime vacet, ejuſdem ſanctæ Bituricenſis eccleſiæ cui ſubeſtis, & paſtoralem curam apoſtolica auctoritate committimus, & in ipſa eum incardinandum neceſſario eſſe cenſemus. Cui vos ita decentem obedientiam & canonicam ſubjectionem humiliter exhibete, ut pote revera metropolitani jura tenenti, &c.* In fine epiſtolæ Johannes Frotarium ad ſedem Bituricenſem ita tranſlatum ſignificat, ut ceſſante cauſa hujus tranſlationis, ac reſtituta pace, ad ſedem redeat priſtinam; quod etiam rurſus dicit in epiſtola XIV. ad epiſcopos provinciæ Bituricenſis, in qua docet aperte illos prædones qui provinciam Burdigalenſem depopulati erant, fuiſſe Normannos. Hanc epiſtolam, quæ facile in conciliorum collectione reperitur, edendam non cenſuimus. Ibidem legeſis alias Johannis papæ epiſtolas, octavam & triceſimam ſeptimam.

tom. ix. col. 12.

Antea Frotarius conatus fuerat obtinere pro hac ſedis mutatione Gallicanorum præſulum conſenſum, in ſynodo Pontigonenſi anno 876. *& lecta eſt proclamatio Frotarii Burdegalenſis archiepiſcopi;* quia non poterat conſiſtere propter infeſtationem paganorum in civitate ſua; ut liceret ei Bituricenſem metropolim obtinere. Cujus petitionibus unanimitas epiſcoporum *nullatenus acquievit*, inquit Aimoini continuator lib. v. c. 33. Sed ante petitam aut a papa, aut a concilio facultatem migrandi ad ſedem Bituricenſem, jam Frotarius pro archiepiſcopo ſe gerebat & habebatur, ut liquet ex diplomate Caroli Calvi dato anno I. ejus imperii, anno vero 36. regni ejus, indict. VIII. III. idus Julii; proindeque diebus aliquot ante concilium Pontigonenſe, & multis menſibus antequam pro hujus archiepiſcopi migratione ab una cathedra ad aliam Johannes papa ſcripſiſſet. Diploma Caroli Calvi damus ſuo loco.

C. VI. col. 4.

Vide t. IX. conc. col. 319.

Porro de hac tranſlatione, quamvis tot rationibus fulta eſſet, acriter diſputatum eſt adhuc in ſynodo Tricaſſina anno 878. ex Aimoino * lib. VIII. *Lecti ſunt*, inquit, *in ſynodo canones Sardicenſis concilii, & decretum papæ Leonis de epiſcopis ſedes ſuas mutantibus. Sed & Africani canones, ut non fiant epiſcoporum tranſlationes, ſicut nec rebaptizationes, vel reordinationes, pro Frotario Burdigalenſi epiſcopo, qui a Burdigala Pictavos, indeque ad Bituricenſem civitatem exiliiſſe dicebatur.* Hoc præviderat Johannes papa; nam Frotarium ad hanc ſynodum invitans, ad quam venire ille diſtulerat, forſitan cenſuram formidans, & fortaſſe depoſitionem; eum monet ut inſtructus accedat; *ut cum de mutatione contra canones ſedium & de aliis exceſſibus*, inquit, *quibus, quod non optamus, patrum regulis feriri poſſis, impetitus fueris, cauſa juſtitiæ intercedente, illæſus & innocens recedere valeas.* Eadem ſedis mutatio jam exprobrata fuerat Frotario in ſynodo Pontigonenſi anno 876. teſte eodem Aimoino. Nunc ejuſdem geſta compendioſe pro more proſequamur.

* vel ipſius continuatore.

Adfuit concilio Pontigonenſi mox commemorato; ubi cum Anſegiſum Senonenſem ceteris metropolitanis præponi placuiſſet Carolo Calvo imperatori, impetratis de hoc primatu pontificiis litteris; & tum imperator, tum apoſtolici legati urgerent ut archiepiſcopi ſeſe obedituros

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

papæ decretis profiterentur, quod minime conſequi potuerunt: *Solus Frotharius, quoniam a Burdigala ad Pictavos, indeque ad Bituricam favore Principis, contra regulas ſe contulerat, per adulationem reſpondit, quod imperatori placere cognovit*, inquit Aimoinus vel ejus hiſtoriæ continuator lib. v. c. 33. qui ea deſcripſit ex annalibus Bertinianis. Hæc autem in ſynodo ſubſcripſit privilegio monaſterii Carilocenſis. Frotarii examini tradita leguntur præcepta quædam pro libertate monaſteriorum Magnilocenſis & Calmeliacenſis; quibus probatis, utramque abbatiam imperator Carolus ab epiſcopali dominatione exemit, cal. Auguſti indict. x. an. 38. regni ſui, & ſecundo imperii, apud monaſteriolum ſuper fluvium Segonam, *La Saone*. Notæ chronicæ deſignant annum 877.

Utrum Frotarius a Johanne papa vocatus epiſtola jam laudata, ad ſynodum Tricaſſinam tandem convenerit, ignoramus. Certe in ſubſcriptionibus præſulum nomen ejus deſideratur. Hic autem præſul Normannos Galliæ hoſtes qui Burdigalenſem provinciam devaſtabant, fugiens, apud Bituriges hoſtem infenſiſſimum invenit, Bernardum videlicet comitem, qui eum accuſavit perduellionis & proditionis erga Ludovicum regem; cujus hoſtibus Frotarium urbem Bituricam tradere voluiſſe contendebat Bernardus. In hoc gravi negotio Johannes papa archiepiſcopi defenſionem ſuſcepit; ſcripſitque ad Bernardum comitem, ut accederet cum Gerardo vicecomite & tribus aliis ſuper quos *reclamarat* Frotarius; *quatenus coram nobis*, inquit Johannes papa, *& coram . . . glorioſo rege, tam canonica cenſura, quamque humanæ legis ſancitu, inter vos quidquid contra fas & jus factum fuerit, nihilominus finiatur.* Cum minime obtemperaſſet Bernardus comes, tandem ſententiam excommunicationis tulit in hunc modum: *Bernardum ſacrilegum, filium Bernardi & Belilihildis, ſacrarum rerum eccleſiaſticarum pervaſorem, regiæque a Deo ordinatæ poteſtati contradictorem, a proprio archiepiſcopo Frotario, cui & civitatem & omnia quæ habuit ſuſtulit, tertio vocatum, a noſtra autem apoſtolica auctoritate bis, & a regia ſublimitate ſemel revocatum, venire nolentem, & in pertinacia ſua permanentem: qui etiam ab hominibus ſuis ſacramentum damnabile & damnandum, blanditiis & terroribus tyrannice contra Divina & humana jura extorſit, a corpore & ſanguine Domini Noſtri Jeſu-Chriſti alienum decernimus, & ab omni Chriſtianorum ſocietate ſeparavimus, uſque dum ad condignam ſatisfactionem emendaturus accedat.*

Ceterum errant qui volunt Frotarium tunc ad priſtinam ſedem, ſcilicet Burdigalenſem redire coactum fuiſſe. Certe prælaudatus Johannes VIII. in epiſtola 305. data v. cal. Septembris indictione xv. quæ reſpondet anno 882. ad Hugonem abbatem, Frotarium archiepiſcopum Bituricenſem appellat: quanquam fatemur præſulem hunc in præfati ſummi pontificis odium incurriſſe (quo pacto neſcimus); etenim in ſuperius indicata epiſtola ita Hugonem abbatem alloquitur: *Inter hæc ab omni te conſortio Formoſi anathematiſati, optamus, fili cariſſime, ſeparare, Johannis archiepiſcopi Rotomenſis *, Adhelardi Turonenſis, Frotarii Bituricenſis.*

ANNI CHRISTI

* Rotomagenſis.

Memoratur ut in cathedra Bituric. ſedens, in charta cujuſdam ceſſionis factæ Brivatenſi eccleſiæ, die Veneris menſe Junio, anno ſecundo regnante Carolo rege Francorum, quam Baluzius refert ad an. 883. Videſis inter probationes hiſt. Domus Arverniæ ab ipſo ſcriptæ. 883. p. 3.

Ex fratrum Sammarthanorum Gallia Chriſtiana Frotarii mentio habetur in charta monaſterii S. Crucis Pictav. an. 2. Karlomanni regis, pro commutatione ab eodem archiepiſcopo & abbate S. Hilarii facta cum Guarino Nobiliacenſi, de quibuſdam rebus ſitis in pagi Pictav. vicaria Rauciacenſi. Karlomannus hic erat filius Ludovici Balbi regis, cui an. 879. ſucceſſerat; ejuſque diplomata plurima commemorat Mabillonius tom. III. Annalium.

Idem Sammarthani plurima exhibent inſtrumenta in quibus ejuſdem Frotarii archiepiſcopi Bitur. fit mentio. Primum eſt præceptum Caroli Calvi pro Belliloccenſi monaſterio in pago Torinenſi ſuper fluvium Dordoniæ, datum an. 876. cujus jam ſupra meminimus. Secundum Karlomanni regis filii Ludovici Balbi, datum petentibus Frotario archiepiſcopo & Gairulfo abbate, in gratiam præfati monaſterii Belliloccenſis, cujus poſſeſſiones confirmat; quodque ſub ſuæ defenſionis ac tuitionis ſuſcipit *mundiburdo*. Datum eſt 18. calend. Julii anno IV. regni Karolomanni indict. XV. Hæ notæ chronicæ indicant annum 882. Tertium eſt charta cujuſdam concambii, inter eccleſias ſancti Martini Turonum epiſcopi, & S. Juliani martyris, per conſenſum & promtiſſimam voluntatem Odonis abbatis congregationis S. Martini, & Frotharii archiepiſcopi Bituricæ civitatis, & abbatis [a] fraternitatis S. Juliani. *Data menſe Maio, anno VI. in Italia, & in Francia IV. & in Gallia II. regnante ſereniſſimo & piiſſimo imperatore Karolo.* Carolum hunc interpretor Carolum Craſſum ſimul imperatorem & regem Franciæ poſt Carolomannum. Idem eſt qui nominatur in quarto inſtrumento nobis a Sammarthanis fratribus ſuppeditato, quo ipſe Frotarius Bituric. eccleſiæ archiepiſcopus, dat Belloloco Orbaclacum villam menſe Auguſto anno IV. imperante Carolo III. in Galliis, cujus inſtrumenti meminimus in Vvillelmo I. Cadurcenſi epiſcopo tom. I. p. 124. Hæc omnia vetera monumenta edimus inter inſtrumenta, ne aliquid eorum quæ quadripartita Gallia Chriſtiana continet, noſtræ deeſſe videatur. Alias chartas indicant ſolummodo noſtri Sammarthani, non vero ediderunt; inter quas una dicitur Odonis regis Aquitanorum menſe Junio an. 889. Non diu vixit Frotharius poſt hunc annum. Falluntur qui docent eum ſepultum fuiſſe in abbatia S. Cypriani; quæ certe hoc tempore nondum condita erat. De eo locuti ſumus in Adoleno Albienſi epiſcopo ad an. 883. 889. C. VI. VII. col. 4. & C. VIII. col. 5. C. IX, col. 6.

Chronicon Placentinum manu exaratum, quod citat Petrus Maria Campi prima parte hiſtoriæ

[a] Ex iis mihi videtur Frotharium fuiſſe S. Juliani abbatem.

ANNI CHRISTI

Placentinæ, docet Frotarium, cum Apoſtolorum limina ſalutaturus veniſſet, Placentiæ morte oppreſſum eſſe; cujus funeris ſollicitudinem geſſit Engelberga S. Sixti abbatiſſa, qua in baſilica jacere dicitur.

XLVIII. Adacius.

Adacius legitur in pancharta nigra B. Martini Turonenſis, primæ ſedis Aquitanicæ, & eccleſiæ protomartyris Stephani Bituricenſis archiepiſcopus. Subſcripſit actis concilii habiti apud Magdunum * ſuper Ligerim, in eccleſia S. Lifardi, juſſu Odonis regis anno 891. præſertimque privilegio monaſterio S. Petri-Vivi Senonenſis conceſſo, ut videre eſt tomo II. Spicilegii pag. 733.

* Meun.

XLIX. Madalbertus.

Madalberto quidam Jani cognomen tribuunt. Legitur autem *Moalbertus* & *Maalbertus*; ſeditque temporibus Arnulphi imper. & Caroli Simplicis Francorum regis. Subſcripſit apud Biturigas donationi, ſeu teſtamento Guillelmi [a] comitis Arvernorum, ducis Aquitaniæ, ad quod prima celebris Cluniacenſis monaſterii fundatio referenda eſt an. 910. cujus diploma inſeritur bibliothecæ Cluniacenſi, in quo Madalbertus peccatorem & Bituricenſem archiepiſcopum ſeſe nominat.

910.

De Madalberti morte legitur in chronico Maſciacenſi tomo 2. Bibliothecæ novæ Labbei p. 732. *dcccc. x. Madalbertus Bituricenſis epiſcopus a paganis occiditur*; & infra: *dcccc. xvi. Bituricas incenditur.*

L. Gerontius.

Gerontius Ebbonis domini Dolenſis, abbatiæ ejuſdem loci conditoris patruus vel avunculus, ex nobili & antiquo genere dynaſtarum Dolenſium ortus erat. Errant autem qui eum ante annum 910. acceſſiſſe ad cathedram Bituricenſem putant, cum Madalbertus ejus deceſſor anno 910. ut modo dicebamus, ſubſcripſerit teſtamento Willelmi ducis pro Cluniaco.

Gravis tamen hic ſuboritur difficultas ex tempore tranſlati Doverenſis monaſterii ad locum Virzionem dictum, quod in chronico legitur anno dcccc. iii. factum die Jovis in feſto S. Clementis, *adjuvante domno Gerontio Biturigenſium archiep.* Verum neceſſum eſt mendum irrepſiſſe in anno annotando. Anno 911. littera Dominicalis erat F, ac feſtum S. Clementis incidebat in diem Jovis; quo anno & die poſſemus conjicere tranſlationem hanc eſſe factam. Sed annus quartus Rodulfi regis quo chronicon aſſerit monachos Virzionem commigraſſe, non convenit cum hoc anno. Hanc tranſlationem factam anno 926. infra oſtendemus.

910.

Anno 910. Gerontius ſubſcripſit commutationi factæ inter Robertum abbatem S. Martini, & canonicos, de corte Martiniaco, cum aliis prædiis *II. Cal. Aprilis intra civit. Turonis in capitulo fratrum ad latus domus in qua corpus B. Martini quieſcit an. XVII. regnante Dom. Carolo rege*, videlicet Carolo Simplice, cujus annus XVII. reſpondet anno Chriſti 910.

913.

Anno 913. fundatum eſt Dolenſe ſeu Burgidolenſe cœnobium, ex charta ejus fundationis, in cujus fine legitur facta *juſſu Willelmi principis*, ducis, ut putamus, Aquitaniæ, qui Cluniaci auctor fuit; *IV. nonas Septembris anno XX. regnante Carolo rege.* Huic autem inſtrumento Gerontius archiepiſcopus *ſanctæ Biturigenſis eccleſiæ*, nomen ſuum adſcripſit & calculum dedit. Vide chartam hanc infra. Jam diximus Doverenſes monachos anno 926. ex priori monaſterio in aliud apud caſtrum Virzionenſe (ut ſuæ ſecuritati & ſaluti conſulerent,) tranſiiſſe; cui tranſlationi non ſolum Gerontius archiepiſcopus conſenſit, ſed etiam hoc conſilium modis omnibus adjuvit. Anno 929. laudatur in quodam diplomate, pro S. Martino Turonenſi, cum Turpione Lemovicenſi epiſcopo. Anno 936. quidam Airaldus, conſentiente uxore Rothilde, ſerio de ultima hora cogitans, decrevit monaſterium conſtruere ad quandam eccleſiam in honore S. Vincentii martyris conſtructam in pago Biturico, in confinio Arvernenſi, ſuper fluvium *Bubula*, ſub ſanctorum apoſtolorum Petri & Pauli patrocinio, pro canonicis Evahonenſibus, & Vitrado eorum præpoſito. Huic fundationi conſenſit & auxilium præbuit Gerontius, ſubſcripſitque chartæ Airaldi pro hujus prioratus, qui Cantella dicitur, conſtructione & dotatione.

C. I. col. 43.

926.

929.

936.

C. X. col. 6.

Monaſterio Exoldunenſi multa contulit; in iis eccleſias circiter viginti. Sed præ ceteris donis habendum eſt S. Paterni corpus quod illuc tranſferendum curavit. Subſcripſit chartæ Goteſcalchi epiſcopi Anicienſis, pro reſtitutione diſciplinæ regularis in S. Theofredi cœnobio, datæ an. 938. quam lege Diplom. pag. 569. Ex chronico Maſciacenſi tomo 2. novæ Bibliothecæ Labbeanæ edito, Gerontius, qui ibidem *Geruncus* appellatur, obiit anno 948. [b] cui concinit Flodoardi chronicon.

948. b

LI. Launus.

Launus filius fuit Launi principis Dolenſis, frater Ebbonis qui Dolenſe & San-Gildaſianum monaſteria fundavit, patruus Radulfi Largi qui de ſuo nomine Caſtrum-Radulfi conſtruxit, ac penes quem etiam erat Exoldunum. Sed Caſtrum-Radulfi tenuere continua ſerie generis Dolenſis primogeniti Radulfus Calvus, Odo Senior, Radulfus Prudens, Radulphus Theobaldus, Ebbo ſecundus, Radulfus de Dolis, ac denique Dionyſia, nupta Andreæ de Calveniaco, ad cujus poſteros tranſiit illud dominium. Caſtrum autem Exoldunenſe tranſmiſit poſteris ſuis Odo Exoldunenſis, alter filius Radulfi Prudentis. Hoc ſtemma vide tom. ſecundo bibliothecæ manuſcriptor. p. 744. Labbei.

p. 744.

Quod ſpectat ad Launum, archidiaconus erat

[a] Is fuit filius Bernardi comitis Arvernorum & Biturigum, cui ſupra vidimus Johannem papam excommunicationem comminatum eſſe ob vexatum & expulſum Frotharium.

[b] Paulo poſtquam Ebbo ipſius nepos ex fratre, in prælio adverſus Normannos lethaliter vulneratus, inter ipſius manus efflaviſſet animam.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

in eccleſia Bituricenſi, quando Gerontius ad meliorem migravit vitam. Eodem porro anno quo hic terrena deſeruit, Launus, ſive Launo, uti legitur in chronico Maſciacenſi [a], in ipſius locum ſubrogatur. Sedit annis ſeptem & exceſſit e vita anno 955. juxta chronicon Maſciacenſe.

a

955.

LII. Richardus I.

Richardus I. [b] natalium ſplendore conſpicuus, Richardo comite Trecenſi, & Richilde Roberti II. ducis, marchionis Franciæ, dicti Fortis, ortus, nepos Odonis & Roberti regum Franciæ, præerat anno Domini 956. mortuus 959. quamvis ſedem annorum novem & menſium ſex ipſi tribuat auctor chronici MS. archiepiſcoporum Bituricenſium, qui eum nepotem ex ſorore Odonis regis nominat, inquiunt Sammarthani. Ignoramus autem quodnam ſit chronicon hoc. In Patriarchio Bituricenſi de genere Richardi nihil legitur. Ejus fit mentio in charta eccleſiæ S. Martini Turonenſis, & Letgardæ comitiſſæ; ſed longe diſſimili elogio a deceſſore, qui cognomento Magnanimi inſignitus eſt; nuncupatur enim avarus Richardus; quod vitium in epiſcopo, & in regiæ ſtirpis principe turpiſſimum. Et certe vituperatur ob direpta Navenſis ſeu S. Sulpicii monaſterii bona, quæ Hugo ejus nepos & ſucceſſor poſtea reſtituere curavit.

b

LIII. Hugo.

Hugo Richardi nepos ex fratre Theobaldo I. Carnotenſi, Bleſenſi, & Turonenſi comite, & Letgarda, Herberti II. comitis Viromanduenſis & Trecaſſini filia; patruus autem Rogerii epiſcopi Bellovacenſis; electus, aut certe deſignatus creditur patruo Richardo vivente coadjutor; namque ut archiepiſcopus ſubſcripſit litteris Ragenfredi ep. Carnutum pro reſtauratione cœnobii S. Petri, datis ſaltem an. 954. una cum Hildemanno Senonenſi, Joſepho Turonenſi & aliis epiſcopis, ex libro Aganonis ſive chartulario S. Petri in valle. Verum conſtat hujuſmodi inſtrumenta non ſolum ab abſentibus quandoque, ſed etiam a poſteris fuiſſe ſubſcripta; hinc hujuſmodi ſubſcriptio minime cogit dicere Hugonem jam fuiſſe archiepiſcopum, quando Ragenfredus has dedit litteras. Certe chronicon Maſciacenſe ordinatum fuiſſe Hugonem in archiepiſcopum Bituricenſem anno tantum 969. docet.

Porro ipſe Hugo cum matre ſua Ledgardi comitiſſa, & fratre Odone comite, beneficus fuit erga cœnobium hoc; ut docet charta ex ejuſdem loci tabulario deſcripta data anno XXIV. regni Lotharii, qui fuit Chriſti 978. quam inter inſtrumenta typis mandavimus.

C. XI. col. 7.

978.

Ejuſdem anni Chriſti 978. ſeu anni 24. regni Lotharii eſt diploma Odonis comitis pro Salmurienſis caſtri cœnobio, cui noſter Hugo ipſius frater ſubſcripſit. Idem memoratur in alio diplomate Odonis epiſcopi Carnotenſis, & in alio Roberti pro quodam pagi Cenomanici monaſterio dicto de Ebronio *. Quod cum deſtructum fuiſſet, datum eſt monachis Carnutenſibus S. Petri ut ipſum reſtaurarent; qua de re Mabillonius ad annum 981. num. 2.

ANNI CHRISTI

* Evron.

981.

Hoc ipſo anno Hugo noſter dedicavit eccleſiam Cluniaci 16. cal. Martii ad preces S. Maioli abbatis; cui reformandum tradidit Majus apud Turones monaſterium ſibi datum ab Hugone Francorum duce, Hugonis Capeti regis parente. Itaque Maiolus ex archiepiſcopi præſcripto, pulſis inde canonicis, antiquam monachorum diſciplinam ibi reſtituit.

Poſt multa bona eccleſiis & monaſteriis, præſertimque Navenſi [c] S. Sulpicii collata, naturæ tandem debitum ſolvit an. 985. juxta chronicon Malleacenſe, die 1. Januarii, ſeu IV. nonas menſis hujus, ex B. Mariæ Carnotenſis necrologio. Videtur tamen Hugonem attigiſſe tempus regni Hugonis regis, hoc eſt annum 987. ex quadam charta Virzionenſi, qua Rotgerius quædam dat Virzionenſi monaſterio, *conſenſu uxoris ſuæ Hunberge ſimulque Hugoni archiepiſcopi, regnante Hugone rege.* Quin etiam in tabulario ejuſdem monaſterii quædam legitur charta data *regnante rege Hugone anno XII.* in qua fit mentio Hugonis archiepiſcopi in hunc modum: *Sion abbas qui abbatiam S. Petri Virzionenſis per donum Hugoni archiepiſcopi tenere videtur, &c.* Ex quibus quidam inferunt Hugonem anno 12. Hugonis regis fuiſſe ſuperſtitem, ſed perperam; cum Sion abbas potuerit tunc ex dono Hugonis archiepiſcopi poſſidere Virzionenſem abbatiam ſibi diu antea datam ab hoc antiſtite. Quidam addunt mentionem fieri noſtri Hugonis in charta Ebronienſis monaſterii circa an. 983. Sepultuſque eſt in capitulo Majoris-monaſterii cum fratre Odone Carnotenſi comite, & Letgardi comitiſſa matre, ſi doctiſſimis credamus Sammarthanis; at Letgardam in monaſterio S. Petri in valle Carnuti quieſcere pene demonſtrat hoc elogium gentilitii clypei areæ inſculptum, quod adhuc anno 1700. in clauſtro legebatur:

c

Hic jacet illuſtris quondam comitiſſa Legardis,

Cui Deus æternam det læta ſede coronam;

Hujus ab oppoſitis clypei numquam tumuletis.

LIV. Dagbertus.

Dagbertus ex abbate Dolenſi, ut videtur, creatus eſt archiepiſcopus Bituricenſis poſt Hugonem. Anno 987. ind. 14. ſubſcribit litteris fundationis eccleſiæ S. Petri Dovaſcenſis, Boſonis Marchiæ comitis munificentia conſtructæ & ditatæ; bonum opus hoc laudantibus antiſtitibus, Turonenſi, Pictavenſi, Aurelianenſi & Lemovicenſi. Eodem anno indictione 1. quæ incæpit

* *D. CCCC. XLVIII. ſic obiit Geraucus archipræſul Bituricenſis. Ipſo anno dominus Launo in præfata ſede nobiliter ordinatur.* Chronic. Maſciacenſe, tom. 2. bibliot. novæ Labbei.

b De Richardo ejuſque matre Richilde, quæ poſt conjugium facta eſt ſanctimonialis, vide chartam XII. col. 8.

c In patriarchio Bituricenſi legitur Hugonis charta data an. 983. qua reſtituit Navenſi S. Sulpicii monaſterio curtem nomine Bariacum cum eccleſia S. Aniani, ſuper fluvium Averræ & Dadonnæ; quæ ipſi abſtulerat ejus avunculus Richardus archiepiſcopus.

ANNI CHRISTI

menſe Septembri ; ſubdidit & adjecit nomen ſuum privilegio Hugonis Capeti regis pro confirmatione regalium monaſterii Corbeienſis, in gratiam Mangaudi abbatis conceſſo, approbantibus Remenſi, Senonenſi, & aliis prælulibus. Anno 990. dedit licentiam ſuis coepiſcopis eligendi & conſecrandi Gausbertum in epiſcopum Cadurcenſem, ut patet ex charta edita tomo VIII. Spicilegii p. 154. quam invenies tomo I. noſtræ Gall. Chriſt. in appendice p. 29. Interfuit
991. anno 991. XV. cal. Julii ſynodo provinciæ Remenſis in baſilica S. Baſoli ; quod monaſterium tribus vel quatuor leucis a Remis diſtat; ubi de exauctorando Arnulfo Remorum epiſcopo actum eſt. Poſtea ſuſpenſus eſt hic antiſtes, in concilio Romano ſub Gregorio V. anno 998. excuſo tom. IX. Spicileg. p. 68. cum Rocleno Nivernenſi epiſcopo, quod non rite conſecraſſet Stephanum in Anicienſem epiſcopum : ſed re propius perſpecta, ſummus pontifex eum honorifice reſtituit.

C. XLIX. col. 42. a

Dagoberti tempore in eccleſiam S. Petri Puellarum, loco monialium inducti ſunt canonici [a] ; quod etiam factum eſt in eccleſia B. Mariæ de Salis. Eodem ſedente inſtauratur S. Ambroſii
I. monaſterium, a Guifrido [b] vicecomite Bituricenſi, canonicis item datum ; cujus loci privilegio Robertus rex, Dagbertus, ceterique proceres Bituricenſis provinciæ ſubſcripſerunt III. nonas Auguſti, regnante Roberto anno X. præſidente in cathedra Bituricenſi Dagberto præſule anno XVIII. Sed in notis temporis aliquid eſt emendandum. Præterea in vita S. Menulfi epiſcopi legitur oſſa ipſius præſente Dagberto revelata fuiſſe tempore Adalgaſiæ abbatiſſæ in Vico Malliaco, qui nunc de hujus ſancti nomine S. Menulfus vocatur.

Animam emiſit pius paſtor XV. cal Martii an. 1013. ex chronico Maſciacenſi, cui conſonat Johannes Chenutius in chronologia archiep. Bit. Contendunt noſtri Sammarthani mortem ipſius contigiſſe anno ſaltem 1012. laudantque pro hac ſententia Gaufridi vicecomitis chartam de reſtauratione eccleſiæ S. Urſini datam an. M. XII. in qua legitur : *Urbs Bituris tunc carebat præſule, quia Dagbertus jam ab hac receſſerat luce.* Hoc autem unius anni diſcrimen, inde forſan ortum eſt quod menſis Martius quo mortuus eſt noſter præſul, aliquibus eſſet finis an. 1012. & aliis initium anni ducentibus a Januario, pertineret ad annum 1013. Sepultus eſt in eccleſia S. Auſtregeſili ad lævam chori.

LV. GAUSLINUS.

Gauſlinus Hugonis Capeti Galliarum regis nothus, ſub Abbone magiſtro in monaſterio Floriacenſi multum profecit in litteris, maxime vero in virtutum omnium ſtudiis. Quapropter primum quidem abbas Floriaci ordinatus eſt, rege Roberto fratre cupiente ; quam tamen dignitatem haud facile conſecutus eſt, quod non eſſet legitimo conjugio natus. Poſtea quando ad cathedram Bituricenſem fuit provectus, graviores ea occaſione motus orti ſunt. Audiendus ea de re coævus ſcriptor Ademarus Cabanenſis in chronico : *Rex Rotbertus pro defuncto* (Abbone Floriacenſi abbate a Vaſconibus occiſo) *ordinavit abbatem Gauzlenum, licet repugnarent monachi, nolentes ſibi præeſſe filium ſcorti. Erat enim ipſe nobiliſſimi Francorum principis* (Hugonis Capeti) *filius manzer, a puero in monaſterio S. Benedicti nutritus, quem etiam rex ſupra ſcriptus archiepiſcopum Bituricenſibus fecit poſtea, defuncto Dagberto archiepiſcopo. Sed & ipſi* (Bituricenſes) *quinquennio ſeditionem agentes, noluerunt eum intra urbem recipere, clamantes una voce :* non decet dominari eccleſiæ filium ſcorti. *Poſtmodum ſequeſtro Odilone abbate, Regis voluntas prævaluit, & Dei nutu in ſedem ſuſceptus eſt.*

Lab. Biblioth. nov. p. 172.

Infra loquens idem ſcriptor de ordinatione Geraldi in ſede Lemovicenſi, quem dicit in gradu pontificali fuiſſe ordinatum a Seguino monacho archiepiſcopo Burdigalenſi, ſubdit : *non enim adeſſe potuit Gauſtenus Bituricenſis archiepiſcopus, quia necdum receptus erat in ſede Biturica.* Jam in ſua urbe admiſſus videtur ſaltem an. 1014. [c] nam in ea urbe confirmavit chartam fundationis eccleſiæ S. Auſtregiſili Graciacenſis hoc anno. Adfuit Gauſſinus ſynodo Airiacenſi, pagi Autiſſiodorenſis, an. 1020.

p. 175. & 176.

c 1014.

Ex chronico S. Petri-Vivi tom. 2. Spicilegii conjicimus etiam ipſum ſediſſe in concilio Aurelianenſi an. 1022. in quo damnati ſunt quidam hæretici, poſtea flammis addicti ; quia ſubſcripſit cuidam præcepto Roberti regis tunc temporis dato pro Miciaco, *Aurelianis publice, anno Incarnationis Dom. M. XXII. . . . . quando hæretici damnati ſunt Aurelianis.* Anno 1025. Felicem monachum ſuum e Britannia reducem in abbatem benedixit, Hadegogis comitiſſæ Britonum hortatu, ut a ſe reſtaurata in pago Venetenſi cœnobia San-Gildaſianum atque Moriacenſe regeret, illuc regreſſus ; uti legitur in vita S. Gildæ ſeculo I. Benedictino.

1022. 1025.

Fuit autem gravis controverſia inter Gauſlinum & Jordanem epiſcopum Lemovicenſem. Is conſecratus fuerat a Seguino Burdigalenſi archiepiſcopo, ut jam ex Ademaro Cabanenſi retulimus ; qui tamen poſtea retractans quæ prius dixerat, teſtatur eum conſecratum fuiſſe ab Iſlone Santonenſi epiſcopo coadjutore archiepiſcopi Burdigalenſis. Cur ab alio quam a Bituricenſi archiepiſcopo conſecratus fuerit Jordanus, cauſam attulit ſupra, ſcilicet quod nondum Gauſtenus eſſet in ſede Biturica receptus. At paulo poſt aliam profert cauſam : *quia*, inquit, *pecuniam requirebat pro impoſitione manuum, contemtus eſt.* Notat vero Labbeus a codicibus Thuano & Claromontani collegii abeſſe verba hæc ; ſed ſufficiens cauſa

p. 175.

p. 180.

[a] Ex bonis hujus monaſterii viri nobiles dicti Eberardi, patre Eberardo nati, reſtituerunt quantum ſufficeret ad 8. canonicorum *victum & ſubſtantiam.*

[b] Vel Gaufrido, cum uxore ſua Eldeburgi & filio Goffredo, necnon Odone & Ebbone fratribus conjugis ſuæ ; pro remedio animæ patris *malicris* ſuæ, omniumque parentum. Vide patriarch. Bit. p. 76.

[c] Gauſlinum cepiſſe gubernaculum eccleſiæ Bituricenſis anno ſaltem 1007. videtur docere quædam charta Virtionenſis monaſterii quæ data legitur *anno 1007. regnante Henrico Francorum rege, & ſedente in cathedra Bituricenſium Joſſeno*, qui idem eſt ac Gauſlinus. At in hoc inſtrumento corruptæ ſunt notæ temporis : nam anno 1007. Henricus non regnabat, qui anno tantum 1031. regnum inchoavit.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

diſſidii fuit, quod ſine auctoritate ſui metropolitani conſecratus fuerat Jordanus ; itaque *facta ſynodo in Francia coram rege Rotberto, ubi ſeptem archiepiſcopi adfuerunt, die Pentecoſtes, cum ſuffraganeis epiſcopis, totum Lemovicinum excommunicavit, præter locum S. Martialis .... ipſumque prohibuit ab officio ſuo epiſcopali.* Purgare ſe poterat Jordanus coram papa, ut obſervat Ademarus ; at maluit paci conſulere & humilitatis exemplum præbere. Nam *ſatisfaciens nudis pedibus cum centum clericis & monachis, omnibus ſimiliter diſcalciatis pedibus, Bituricam ſedem adiit ; ubi archiepiſcopus cum clero eis proceſſit obviam, & honorifice eos deducens, quod ligaverat abſolvit.*

Helgaudus Floriacenſis monachus in epitome vitæ Roberti, auctor eſt Gauſlinum cum aliis Galliarum epiſcopis, levaſſe corpus B. Aniani, & in novum templum ab ipſo Roberto rege fundatum in urbe Aurelianenſi, ſolemnique ritu benedictum tranſtuliſſe an. 1029. quo anno e vita exceſſiſſe dicitur ; quamquam alii ad annum proxime ſequentem ejus mortem differant. Ejus vero epitaphium, quod edidit V. C. Baluzius tom. IV. Miſcellan. diem ejus obitus aſſignat VIII. idus Martii. Porro iſtud epitaphium hic edere negleximus, quod ſit barbare ſcriptum, & pauca de Gauſleno doceat ; nimirum quod Floriacenſe monaſterium, ubi jacet, prius flammis abſumtum [a], totum innovaverit.

Exſtat hujus archiepiſcopi epiſtola ad Robertum regem numero 96. apud Fulbertum Carnotenſem, de cauſis pluviæ ſanguinis, qua reſpondet quæſtioni ſibi a Rege propoſitæ. Nimirum, ut narratur in veteri hiſtoriæ fragmento apud Pithœum, in regione Aquitaniæ ſecus maritima tribus diebus ante ſolemnitatem S. Johannis Baptiſtæ, pluit ſanguis, qui cadens ſuper carnem hominis, aut ſuper veſtimentum, aut ſuper lapidem, non poterat lavari, hoc eſt, lotione auferri ; at ſi cadebat ſuper lignum, facile lavabatur. Hæc ad Robertum regem ſcripſerat Willelmus comes ; qui de hoc portento Gauſlinum conſuluit, utrum unquam accidiſſet quid ſimile, quidve id portendat ac ſignificet. Epiſtola Regis eſt 39. inter Fulberti Carnotenſis epiſcopi epiſtolas tomo IV. collectionis hiſt. Franc. Quercetani. Reſpondit Gauſlinus ſanguineam pluviam portendere bellum, maxime civile ; adducitque teſtimonium Valerii Rufi libro memorabilium, ubi docet ſimilia prodigia Caio Volumnio, & Servilio Sulpicio conſulibus, præceſſiſſe belli civilis initia, quo Romana reſpublica tandiu laboravit. In Sicilia ſcuta ſanguinem ſudaſſe ; Metenſibus cruentas ſpicas in corbem cecidiſſe ; oppido Cerites aquas ſanguine mixtas fluxiſſe. Poſtea multa recenſet ex Euſebii hiſtoria, & aliis ; maxime ſigna quæ Juſtiniano imperatore præcurrerunt illam peſtem inguinariam, qua homines in triduo exſtinguebantur. Reliqua epiſtolæ hujus, quæ pro tempore quo ſcripta eſt ſatis eruditionis complectitur, prætermittimus. Eidem quæſtioni reſpondit Fulbertus Carnotenſis epiſcopus ; & quidem habita ratione illorum temporum non indocte. Gauſlino Aimoinus nuncupavit librum de miraculis S. Benedicti. In chronico incerti auctoris quod refertur tomo IV. collectionis Quercetani legitur Gauſlini elogium : *Floruit his temporibus in Floriacenſi loco Gauſlinus abbas egregius, qui propter ſuorum probitatem morum, & animi ſui libertatem, a rege Roberto cum abbatia Floriacenſi Bituricenſem obtinuit pontificatum.* Cetera proſequemur cum de eodem ut Floriacenſi abbate erit agendum ; ſpectant enim ad Floriacenſem hiſtoriam.

ANNI CHRISTI

p. 96.

LVI. AIMO.

De Bourbon.

Johannes Columbi e Societate Jeſu vir eruditus, in obſervationibus ſuis ad Galliam Chriſtianam quas Blanca-Landanas appellavit, inter Biturigenſes archipræſules recenſet Rodulfum Henrici I. regis fratrem, *qui*, inquit, *anno 1031. ſedere cæpit, ex Alberico* [b]. Hunc archiepiſcopum huc uſque ignotum, operæ pretium erat non ſine indubitatæ auctoritatis teſtimoniis invehere. Donec vero prodeat notior, pro Gauſlini ſucceſſore ſalutabimus agnitum ab omnibus Aimonem a Borbonio clariſſimo genere genitum, patre Archambaldo II. comite Borbonii, matre Ermengarda de S. Mauricio, frater Archambaldi III. Geraldique de Borbonio domini *de Monluçon.* Paulo poſt aſſumta ſacræ præfecturæ inſignia ſynodum [c] habuit in ſua urbe ipſo die feſto omnium ſanctorum anni 1031. cum Jordano Lemovicenſi, Stephano Velavenſi, Rencone Arvernenſi, Raimundo Mimatenſi, Amelio Albienſi, & Deodato Cadurcenſi epiſcopis. Inter 25. canones ibidem conditos prior eſt qui S. Martialis Aquitaniæ doctoris nomen & memoriam, non amplius inter confeſſores, ſed inter apoſtolos haberi decernit ac celebrari ; hocque in ordine cenſeri tam in litaniis, quam in aliis divinis officiis. Ad idem iterum ſtatuendum, altera ſynodus Lemovicis coacta eſt a laudatis præſulibus eodem anno & menſe, nimirum 14. cal. Decembris.

p. 2.

1031.

Anno 4. Henrici regis, hoc eſt anno Chriſti 1034. Aimo menſe Auguſto confirmavit fundationem abbatiæ S. Satyri prope Sacrum-Cæſaris (*Sancerre*) conſtructæ beneficio Mathildis filiæ Gimonis eccleſiæ S. Stephani Bituricenſis militis, & dynaſtæ S. Satyri. Litteris Mathildis præter noſtrum Aimonem, comites Odo & Henricus cognomento Stephani ; Ermengardis & Adela comitiſſæ ; epiſcopi Anicienſis, Arvernenſis, Gabalitanus ; multique abbates ſubſcripſere ex archivis ſancti Stephani.

1034.

Bellum gerere adverſus Odonem ſeniorem Dolenſium ducem coactus eſt, anno circiter 1037. Anno 1040. dicitur habuiſſe ſynodum in qua indulſit Navenſi S. Sulpicii monaſterio ejuſque abbati Humberto Viviani ſucceſſori jus procuratio-

1037.

1040.

[a] Hoc incendium contigiſſe anno 1026. diſcimus ex fragmento chronici veteris tomo IV. collect. Quercetani p. 96. & infra biennium a Gauſlino reparatum eſſe.

[b] Error eſt Alberici qui Gauſlinum fratrem Roberti regis, appellat Rodulphum ; atque fuiſſe Henrici regis fratrem.

[c] In Patriarchio Bit. p. 77. fit mentio alterius ſynodi ibidem habitæ ſine ulla nota chronica ; ex nominibus vero epiſcoporum qui adfuerunt colligitur aliam fuiſſe a ſynodo anni 1031.

nis in omnibus eccleſiis quæ ad illud pertinebant ſub Renconis Claromontenſis aliorumque præſulum teſtimonio. Poſt epiſcopos autem ſubſcribit Durannus, Aimonis dictus chorepiſcopus. Idem remiſerant jam Dagbertus & Gauſlinus.

ANNI CHRISTI

Mabillon. annal. ad an. 1040. n. 24.

Jure & auctoritate primatis, archiepiſcopatum Burdigalenſem viſitavit; cumque Petrocoræ hoc officio fungeretur, monaſterium S. Frontonis benedixit; tum adfuit dedicationi B. Mariæ Santonenſis anno 1047. Anno 1052. menſe Septembri ſubſcribit præcepto Henrici regis pro nuper condito Caſæ-Dei apud Arvernos aſceterio, ex litteris originalibus. Sua etiam ſubſcriptione approbavit litteras Hildebrandi legati Victoris papæ II. pro recens inſtaurato S. Petri Viennenſis monaſterio, circa annum 1055. Anno 1056. ſubſcripſit concilio Cabilonenſi. Confirmavit præterea in capitulo Bituricenſi chartam conceſſionis eccleſiæ S. Jacobi ad capellam Gilonis, redditæ S. Sulpicii cœnobio, anno 1064. quo etiam ſubſcripſit litteris Hugonis Nivernenſis epiſcopi pro S. Stephani cœnobio. Interfuit concilio Toloſano anno 1068. ubi actum de reſtaurando epiſcopatu Lectorenſi. Tandem anno 1071. ad Deum migravit.

1047. 1052. 1064. 1068. 1071.

Mabillon. annal. ad an. 1055.

LVII. RICHARDUS II.

De tempore quo Richardus auſpicatus eſt epiſcopatum videtur ambigendum. D. Edmundus Martenne vidit duo inſtrumenta, unum anni 1065. quo hic archiepiſcopus, in quodam prioratu * ab illuſtriſſimo S. Dionyſii cœnobio pendente, inſtituit duas nundinas per annum; alterum quo certas leges eodem in loco obſervandas decernit anno 1067. Hæc ſane pugnare videntur cum actis concilii Toloſani anni 1068. cui legitur interfuiſſe Aimo Bituricenſis archiepiſcopus. Hic nodus haud poteſt ſolvi, niſi dicendo corruptas eſſe notas chronicas inſtrumentorum Richardi nomine inſignitorum, vel Richardum coadjutorem Aimonis fuiſſe ſaltem ab anno 1065. jamque tum archiepiſcopi titulum ſumſiſſe. Communis tamen eſt ſententia eum Senonis a Richerio archiepiſcopo fuiſſe conſecratum IX. cal. Maii anni 1071.

1065.

* La Chapelle aude *diæc. Bitur.*

1071.

Anno 1074. Gregorius papa VII. ipſi & Rodulpho archiepiſcopo Turonenſi, litem inter Dolenſe monaſterium & abbatem S. Sulpicii dirimendam committit epiſtola 19. libri II. data 17. calendas Decembris. Anno 1076. idem pontifex ipſi & Richerio Senonum archiepiſcopo ſcribit, ut in ſuffraganeorum ſuorum uno & communi concilio ſententiam ferant in Rainerium Aurelianenſem epiſcopum. Anno 1077. hic archiepiſcopus ſubſcripſit litteris Philippi regis, quibus S. Symphoriani Æduenſis monaſterium Floriacenſi donatum. Anno 1078. de ipſo ita ſcribit Gregorius VII. epiſtola 17. libri V. data VII. idus Martii: *Richardus Biturigenſis archiepiſcopus, quia irato animo, & non ſynodali judicio, dimiſit eccleſiam ſuam, virgam & annulum recepit, promittens ſe de objectis coram legato noſtro ſatisfacturum.* Nempe in Auguſtodunenſi, ut videtur, concilio infulas indignabundus projecerat; indeque cum aliis archiepiſcopis quatuor, de Hugone Dienſi legato conqueſturus, cauſamque ſimul dicturus Romam petierat.

1074. 1076.

Epiſt. 6. l. v. vide quoque epp. 8. & 9.

Adfuit concilio Santonenſi anno 1080. & Meldenſi ejuſdem anni aut 1082. Conceſſit Majori-monaſterio eccleſiam S. Martini de Briva, cum canonicorum conſenſu; quam donationem confirmari curavit in concilio Exoldunenſi habito anno 1081. 15. cal. Aprilis. Exſtant Richardi duæ chartæ, quarum priore reſtituit multas eccleſias, altera vero confirmat quædam pacta inter priorem & monachos S. Dionyſii de Capella, & Amelium Ermengardemque ejus uxorem; ſcriptæ autem creduntur annis 1088. & 1089. Regali S. Dionyſii cœnobio ſemper favit hic archipræſul, ut probant primæ chartæ ab eo datæ. Anno 1088. conſecravit eccleſiam Vicipleni, eamque dedit Dionyſianis.

ANNI CHRISTI 1080.

Hiſt. S. Dion. in append. t. 8. 119. 1089.

1088.

Memoratur in teſtamento Geraldi epiſcopi Cadurcenſis anno 1090. quod habetur tomo 8. Spicilegii, & in diplomate Philippi regis, pro confirmatione bonorum & poſſeſſionum S. Cornelii Compendienſis, cui ſubſcripſit Richardus. Id actum Pariſiis anno M. XCII. legitur tom. 2. Spicilegii, ſed forſan mendoſe, quod aliquando expendemus in Manaſſe Remenſi archiepiſcopo. Hoc anno 5. cal. * Maii ad meliorem vitam tranſiit, ſepultuſque dicitur in Plani-Pedenſi monaſterio, quod amplis reditibus ditaverat. In litteris Stephani Bituricenſis vicecomitis, quibus monaſterio Virzionenſi donat abbatiam S. Gundulfi ſuper Ligerim anno 1092. indict. XV. Richardus appellatur *incomparabilis ſuis temporibus Bituricenſis archipræſes.* Exſtat tomo VI. Miſcellan. Baluzii epiſtola abbatum Lemovicenſium ad eum, ſcilicet A. S. Martialis, G. Uſercenſis, G. Tutelenſis, W. Solemniacenſis, & Voſiacenſis, contra Humbaldum electum in epiſcopum Lemovicenſem.

1090.

p. 163.

p. 604.

*

p. 405.

Hic præſul fuit bonorum eccleſiæ defenſor acerrimus, & ut ea de manu laïcorum eriperet plurimum laboravit. Id maxime viſum eſt in concilio Exoldunenſi anni 1081. in quo Majoris-monaſterii monachis dedit eccleſiam S. Martini de Campis, olim de Briva appellatam, juxta muros urbis Bituricæ conſtitutam, cum iis omnibus quæ ad eandem eccleſiam pertinebant; *quorum partem ipſe*, inquit, *Deo miſerante per auctoritatem officii noſtri, laïcis qui ea rapina longo tempore detinuerant, eripui.* Hoc donum ad majorem cautelam ratum haberi voluit ab iis ipſis, qui bona illa tenuerant, Herberto, Gimone, Sarlone & Petro, cum filiis & uxoribus. De Richardo fit honorifica mentio in chartulario Virzionenſi, in charta quæ incipit: *Miſerante omnipotenti Deo.... Quod ſi quilibet modernorum hac laude dignus eſſe judicatur, cujus vita & regiminis adminiſtratio poſteris commendari digna eſſe judicetur, merito Richardus gratia Dei Bituricenſis archipræſul, & Berengarius Virzionenſis abbas, lauream fere omnium anteceſſorum ſuorum obtinere videbuntur; qui eccleſias ſuas multo ante tempore captivatas, in luto & lateribus ſervientes, & gratis venundatas, exhibitione laboris ſui ſine argento redemerunt. Hic cum omnes patriarchatus ſui eccleſias*

* In necrologio S. Dionyſii prope Pariſios notatur ejus obitus X. cal. Maii.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

*miro & indicibili modo dilatando magnificaverit ; præcipue noſtram Virzionenſem eccleſiam amicitia pariter & rogatu domni Berengarii jam dicti abbatis augmentare & ditefcere , vita comite non ceſſavit ; deditque nobis , imo reddidit plurimas eccleſias jam per multa annorum curricula a laïcis pervaſas : eccleſiam videlicet * Clementenſem , &c. ;*

* A Clemont, *prope Suliacum diœc. Bitur. prioratus cum parochia abbatiæ Virzionenſi ſubjectus.*

Hoc loco Johannes Columbi e Societate Jeſu in noctibus Blancaland. p. 3. ponit Leuterium Senem ſub Philippo rege , laudatque Ordericum Vitalem lib. 8. ad an. 1092. qui eum recenſet primum inter plurimos præſules , *quorum religione admodum Gallia gaudebat , & ſacris dogmatibus.* At ille , *Leutherius* , ſequitur , Audebertum non debet præcedere ; eſtque Leodegarius de quo infra diſſeremus. Quamvis vero ab editoribus Orderici Vitalis prænotetur in ora paginæ annus 1092. non ita legitur apud Ordericum; imo paulo poſtquam de iis Galliarum præſulibus qui florebant in Gallia locutus eſt , fere initio paginæ 700. ſic narrare incipit : *Anno ab Incarnatione Domini M. C. VIII. indictione I.* Nihil igitur obeſt quominus Audebertus priſtinum retineat locum.

p. 699.

LVIII. Audebertus al. Hildebertus.

Audebertus ex monacho S. Cypriani (alii dicunt Caſæ-Dei *) & abbate Dolenſi creatur archiepiſcopus Bituricenſis. Hic frater erat Garnerii de Monte-Maurelionis * militis illuſtris , poſtmodum apud S. Cyprianum Pictavis monachi ſanctitate conſpicui , teſte Goffrido Groſſo in vita B. Bernardi Tironenſis ; Ordericus tamen dicit eum fuiſſe Caſæ-Dei monachum. De Hildeberto noſtro ita ille rerum Normannicarum , immo & Gallicanarum nobilis ſcriptor : *Hildebertus Dolenſis abbas , ad archiepiſcopatum Bituricenſem promotus eſt , multiſque pollens virtutibus , ſanctitatis documentum ſequentibus Chriſtum verbo & actione largitus eſt.* Promotionem vero hanc factam anno 1092. 1092. vel 1093. communis eſt ac magis probabilis opinio. Urbanum II. pontificem max. Lemovicas euntem comitatus,cum aliis præſulibus firmat Mauzaci donationem anno 1094. * necnon aliam factam Rotenſi cœnobio, in pago Andegavenſi , inſertam tomo 2. Miſcellaneorum Baluzii , ubi ſubſcriptus legitur *Aldebertus.* Hoc eodem anno ex chartulario Cluniacenſi , adfuit abſolutioni Fulconis Richini comitis Andegavenſis. Anno 1095. ex chronico prioris Voſienſis , nomine Gaufredi , erat in comitatu Urbani papæ II. quando concilium Claromontanum celebravit. Anicium veniens ibi feſtum diem Aſſumptionis egit , & Caſæ-Dei dedicationi operam dedit ; quando Lemovicas venit menſe Decembri , ubi ſynodum habuit, eccleſiam S. Stephani IV. cal. Januarii , baſilicam vero S. Martialis ab Ademaro abbate *reformatam* & ornatam pridie cal. ejuſdem menſis conſecravit. Adfuit denique Audebertus concilio Turon. an. 1096. menſe Martio , eodem papa præſide ; quo anno hic archiepiſcopus obiit , nondum completo quinquenio in epiſcopatu. Erat ſimul Dolenſis abbas , ex charta Guillelmi epiſcopi Lemovicenſis , pro componenda controverſia inter canonicos Lemovicenſes & monachos Dolenſes , quam vide inter inſtrumenta. Idem quoque ſignificat Baldricus abbas Burgulienſis , in carminibus de ipſius morte quibus amico parentavit :

ANNI CHRISTI

C. XIII. col. 9.

Auditor vatum , vatum moderator & ipſe
Præſul Biturigas , Dolis autem præſul & abbas.
Qui juvenum proprios tranſcendens moribus annos ,
Se juvenem vovit monachorum religioni.
Hic Audebertus ſolemni more ſepultus
Dormit , qui vitam condigno fine ſacravit ,
Nunc quoque cum Chriſto nos ſæpe reviſat ab alto.

De eodem in alio carmine :

Audeberte pater , pater & ſanctiſſime præſul ,
Te Dolis ecce dolet , te dolet urbs Biturix.
His pater , his præſul , loca ſic præfata regebas ,
Ut neuter vacuus eſſet amore tuo.
Ecce jaces , corpus ſi ſit cinis , oſſaque corpus ,
In Domino requiem ſpiritus inveniat.
Ipſum cujus in hac corpus tellure quieſcit ,
Ditarat dives littera pontificem.
Abbas ipſe Dolis , Biturix ſimul ipſe ſacerdos ,
Unus utrique loco proderat & præerat.
Huic Audeberto licet in juvenilibus annis
Curam communem mors inopina tulit.
Hic igitur poſitum corpus fovet hoc monumentum ,
Omnipotens animam pontificis foveat.

Omitto longe plura de hoc argumento , ſcripta ab eodem Baldrico.

Tom. IV. collect. hiſt. Franc. p. 253. & ſeq.

Hujus archiepiſcopi tempore Odo dictus Arpinus ultimus vicecomes Bituricenſis , poſt uxoris obitum , vicecomitatum Philippo I. Francorum regi vendidit pro 60. aureorum millibus , ad expeditionem adverſus infideles ſuſcipiendam , quæ in concilio Claromontano decreta fuerat.

LIX. Leodegarius.

Leodegarius is videtur eſſe quem Ordericus Vitalis Leuterium appellat , uti jam diximus. Nempe ſæpius uſu venit ut nomina varie torqueantur ; & quidem pro Leodegario non raro legimus Laugerium , unde factum Gallice *Leger :* Facile autem fuit mutare Laugerium , in Lauterium vel Leuterium. Quicquid ſit , conſtat Leodegarium Audeberto ſucceſſorem datum eſſe. Id clare docet chronicon Malleacenſe , ubi ad annum 1096. legimus : *Eodem anno obiit Audebertus Bituricus epiſcopus , & ei Leodegarius ſucceſſit in epiſcopatu.* Communior tamen ſententia eſt id factum anno 1097.

* Mont-Morillon , *in ſuibus fere Lemovicum & Pictonum.*

* Hæc prima fronte pugnantia ſic noſter D. Jac. Boyer conciliat : Audebertus Garnerii de Monte-Maurilionis illuſtris militis frater , monachus ab adoleſcentia in monaſterio S. Roberti de Andrio dioceſis Autiſſiodorenſis abbati Caſæ-Dei ſubjacente ; poſtea de licentia Durandi abbatis ſecutus eſt Raynaldum electum abbatem S. Cypriani Pictavenſis. Deinde eligitur abbas Dolenſis , & tandem archiepiſcopus Bituricenſis. Vide S. Bernardi Tironenſis abbatis vitam a Soucheto editam.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

1097. Anno 1099. tertia poſt Paſchale feſtum hebdomada, concilio Romano adfuit ſub Urbano papa. Ad eum ſcripſit Ivo Carnotenſis doctiſſimus & celeberrimus epiſcopus epiſtolam 152. in cauſa domni Hugonis de Maiduno, & 180. pro Arnulfo Virzionenſi abbate. Memoratur hic antiſtes in diplomate Philippi I. Francorum regis confirmantis abbatiæ S. Ambroſii donationes Gaufredi Biturigum vicecomitis. Regiæ autem
Samm.
1102. litteræ datæ ſunt in feſto S. Ambroſii anni 1102. Legimus eodem anno ipſum ſua ſubſcriptione muniviſſe diploma Ludovici Craſſi pro Floriacenſibus, regnante adhuc Philippo patre; quo adhuc vivente Ludovicus pro rege fuerat agnitus.
1105. Anno 1105. ſubſcripſit chartæ Hugonis de Leziniaco, pro monaſterio ſancti Maxentii. Anno 1107. Paſchalis papa II. apud Silviniacum quamdam dedit bullam VIII. cal. Junii, in qua noſtri
1110. archiepiſcopi fit mentio. Anno 1110. cum epiſcopis & abbatibus ſuis venit ad concilium Floriacenſe, ubi unam & alteram epiſtolam ſcripſit ad Petrum Arvernorum epiſcopum, ut S. Petri Mauriacenſis monachos ſuo abbati rebelles cenſuris coërceret. Anno 1112. miſit legatum ad concilium Lateranenſe ubi inveſtituræ a principibus laïcis datæ, condemnatæ ac proſcriptæ fuerunt.

Cum eſſet controverſia inter monachos ſancti Dionyſii Pariſienſis, & monachos Agedunenſes, pro eccleſia de Vicopleno, eam Leodegarius Dio-
1114. nyſianis adjudicavit anno 1113. Anno ſequenti habitum eſt concilium apud Bellovacum, ubi viſus eſt cum ſuis ſuffraganeis, uti legitur tomo II. Spicilegii. Chartam pacis & concordiæ fecit inter monachos S. Dionyſii Ruiliacenſis & monachos Caſalis-Benedicti pro decima Goriæ certantes. Actum in camera Litterici abbatis S. Mariæ Exoldunenſis, anno M. C. XVII. quinto calend. April. regnante Ludovico rege. *Ex chart. Caſalis-Bened.*
1119. Anno 1119. Calliſtus papa ſynodum Remis habuit, cum octo Galliarum archiepiſcopis, quos inter Ordericus recenſet ſecundo loco Leotherium metropolitanum Bituricenſem, quem conſtat fuiſſe Leodegarium. Dedicavit eccleſiam Caſalis-Benedicti, & anno 1120. e vita migravit.

Ceterum toto vitæ tempore maxima familiaritate cum Roberto de Arbreſello inſignis monaſterii Fontebraldenſis fundatore conjunctus fuit; id enim tradit vitæ ejus ſcriptor Andreas ejuſdem ſocius & confeſſarius. *Eadem tempeſtate*, inquit, *Leodegarius, vir vita floridus & ætate, Bituricenſis diœceſis archiepiſcopatum tenebat, quem inſeparabilis dilectio magiſtro Roberto conglutinabat: tanto namque amore invicem conjungebantur, ut quod unus vellet, alius vix denegaret. De hoc ſiquidem Leodegario multa virtutum præconia poſſem referre: ſed quoniam adhuc innumeras hujus exſilii procellas in incerto navigat, ipſa humana ignorantia, velim nolim, cogit me tacere.* Eundem ve-
* Ourſam. nerabilem virum in prioratu Urſani * decumbentem viſitavit Leodegarius, ad quem ita locutus eſt Robertus: *O cariſſime pater, tu es meus archiepiſcopus, meus primas ac patriarcha. Tu ſcis quomodo nunc uſque te ſemper amavi, & quomodo tibi obediens fui. Scis etiam quod propter dulcem amorem tuum in has partes primitus veni; rogaſti enim me ut aliquas de bonis feminis meis traderem tibi; & tradidi..... Non habebam, ſicut ſcis, hic domos, non ullas poſſeſſiones, non agros. Præparaſti eis pro animæ tuæ tuorumque ſalute hunc locum; ædificaſti eis, inſpirante Deo, hoc habitaculum* (Urſanum cœnobium) *... acquiſiſti eis terras, &c.* Hæc retuli ut oſtenderem Leodegarium fuiſſe quodam modo fundatorem Urſani. Attamen videtur hic honor deberi Alardo ſeu Adelardo de Caſtro-Melano, qui dedit domno Roberto de Arbruſello menſe Decembri, regnante Ludovico rege, ſilvam quæ dicitur *Grosboc*, & villam Urſani; cujus donationi ſubſcripſerunt Leodegarius archiepiſcopus, & Vvillelmus ejus nepos archidiaconus, cum multis aliis.

Idem Robertus poſtea rogavit Leodegarium, ut curaret corpus ſuum poſt mortem ad Fontis-ebraldi cœnobium referri; quod etiam præſtitit, funus amici eo uſque proſecutus. Juſtis deinde ſolemni ritu ſolutis, in capitulo monialium orationem habuit de Roberti eximiis virtutibus & ſanctitate; quem antiquis ſigillatim patriarchis comparavit. Aderant Radulfus Turonum archiepiſcopus, Reginaldus Andegavorum præſul, Fulco junior Fulconis comitis Andegavorum filius, a quo Petronilla abbatiſſa, ſimul rogantibus qui aderant præſulibus, in his Leodegario, impetravit omnium quæ Gaufridus de Blaſone monaſterio dederat confirmationem. C. XIV. col. 9. De iis legendus Michaël Coſnier Fontebraldenſis parochus in notis ad Baldrici Dolenſis epiſcopi opuſculum de vita Roberti Arbreſſellenſis. Nunc vero de morte & funere ipſius Leodegarii quæ dicenda ſuperſunt proſequamur.

Animam Deo reddidit anno 1120. uti jam monuimus, die 31. Martii; terra vero tectus eſt in Urſano parthenone prope locum ubi conditum fuerat Roberti cor, ipſo jubente, aut potius votis ancillarum Dei annuente. Ejus vero ſepulcrum non ante multos annos detectum fuiſſe, cum ſigillo ipſius æneo, & hac inſcriptione: *Leodegarius archiepiſcopus Bituricenſis, Aquitaniæ primas*, teſtantur noſtri Sammarthani. 1120.

Leodegarii elogium legitur in charta quadam Herberti abbatis S. Petri Virzionenſis, his verbis ..... *Hoc ego Herbertus abbas agnoſcens, ad domnum Leodegarium, Biturigæ urbis religioſiſſimum Dei gratia archiepiſcopum, & totius Aquitaniæ primatem acceſſi, humiliter poſtulans ut eccleſiam de Noviaco, quam inter alias res perditas inveneram ut ſupra dixi, monaſterio noſtro reſtitueret. Quam quidem ipſe, ut erat natura benignus & pius, cum conſilio archidiaconorum & archipresbyterorum, ceterorumque clericorum ſuorum, atque totius capituli beatiſſimi protomartyris Stephani, per oblatam a me ſibi chirothecam, mihi & eccleſiæ Virzioneaſi reddidit; & quidquid ſui juris in ea erat, ut in perpetuo poſſideremus donavit; quorum nomina hæc ſunt Evrardus decanus, Matthæus cantor, &c.*

Ex litteris Vulgrini, quas legeſis inter inſtrumenta, diſcimus Leodegarium ejus anteceſſorem dediſſe Silviniacenſibus monachis eccleſiam ſanctæ Mariæ de Capis, & S. Petri de Chirac. C. XVI. col. II.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

LX. Vulgrinus.

Non multo poſt Leodegarii mortem Vulgrinus
1121. ipſi ſubrogatus eſt; quippe anno Chriſti 1121. regni Ludovici anno 13. & Adelaidis reginæ anno ſexto; una cum Gilleberto Turonenſi metropolitano, & Johanne Aurelianenſi epiſcopo, rogatu Alberti Miciacenſis abbatis, ſupplex adiit Ludovicum regem, a quo impetravit confirmationem bonorum, quibus potiebantur Miciacenſes; ut ex ejuſdem principis diplomate diſcimus.

Ejus pontificatum incepiſſe anno 1120. pene probat charta B. Mariæ de Salis, qua hic archiepiſcopus Gaufrido priori & canonicis B. Mariæ de Salis eccleſiam de Agungiis, cum decimis, ſepulturis, & oblationibus reddidit *XIII. cal. Septembris anno 1124. indict. 9. anno pontificatus domni Callixti papæ II. ſexto, pontificatus noſtri*, inquit, *quinto, regnante glorioſo Francorum rege Ludovico decimo ſexto.*

Legitur Vulgrinus archiepiſcopus Bitur. in charta indentata monaſterii B. Mariæ Exoldunenſis anno 1122. indict. XIV. pontificatus Callixti papæ II. anno tertio, iiſdemque anno & indictione, in tab. S. Cyrici hujus urbis. Anno ſequenti regali S. Dionyſii abbatiæ confirmavit eccleſiam de Stivaliculis, adverſus Clarum Agedu-
1124. nenſem abbatem. Anno 1124. confirmavit Silviniacenſibus monachis eccleſiam de Capis, &c. quam ipſis dederat Leodegarius archiepiſcopus. Nonnulli volunt ipſum anno 1125. fundaſſe Loci-regii monaſterium, quod alii ad 1128. aut 29. differunt. Dedicavit anno 1128. S. Gildaſii eccleſiam, die 25. Martii, commemoratione myſterii Divini Verbi carnem aſſumentis, in eccleſia celeberrimo; cui ſolemnitati adfuerunt epiſcopi ſexdecim & abbates ſex ſupra quinquaginta.

1129. Anno 1129. die Paſchatis Aprilis 14. Remis Philippus Ludovici regis filius, volente patre, unctus eſt in Regem in frequenti epiſcoporum ac procerum cœtu, quos inter eminebat Vulgrinus, qui ibidem ſubſcripſit præcepto Ludovici & Philippi regum pro reſtituendo Dionyſianis Argentolienſi cœnobio. Eodem anno confirmavit conventionem factam inter Gaufridum priorem, & canonicos B. Mariæ de Salis, ac monachos Loci-regii. Ex fratribus Sammarthanis adfuit Vulgrinus concilio Lateranenſi 1132. (legendum
1134. 1123.) & Piſano 1134. Anno 1132. ſedavit controverſiam exortam inter canonicos S. Auſtregeſili de Caſtro, & canonicos S. Ambroſii, de ſedibus quas occupare debebant in choro ſancti Stephani. Compoſitionem vero tunc factam confirmavit Ludovicus rex Francorum, quam videſis
C. XVIII. col. 12. inter probat. ubi de patriarchali Bituricenſium antiſtitum auctoritate ſit mentio.

Ejus tempore unitur capitulo S. Stephani capitulum Ajacenſe, cujus prior debebat ex capituli ſancti Stephani gremio aſſumi; uti docet charta
C. XV. col. 10. XV. Eodem quoque ſedente, & rogante, conſiliumque dante, Ludovicus rex cognomento Craſſus Bituris veniens quaſdam conſuetudines abrogavit, utilitati civium minime congruas; ut diſcimus ex fragmento diplomatis Ludovici VII. regis ejus filii, quod legitur datum apud Lorris anno VIII. regni ejus, quo tempore jam e vita exceſſerat Vulgrinus. Poſt depoſitum auctoritate primatis Gerardum Engoliſmenſem epiſcopum, quod Anacleto pſeudopapæ adhæreret, obiit VI. idus Januarii anni 1136. ſepultuſque eſt in eccleſiæ majoris S. Stephani choro cum hac inſcriptione: *Dominus Wlgrinus archiepiſcopus Bituricenſis.* 1136.

Exſtat quædam Honorii papæ bulla data anno C. XVII. col. II. 1126. qua decernitur archiepiſcopum Auxitanum obedire debere archiepiſcopo Bituricenſi, videlicet tanquam primati. Ejuſdem primatus argumenta in provincia Burdegalenſi hoc eodem tempore habemus. Nempe cum Gerardus epiſcopus Engoliſmenſis ſchiſmatis Petri Leonis, al. Anacleti, defenſor acerrimus, mortuo Arnaldo Burdigalenſi archiepiſcopo, hanc in ſedem vacuam involaſſet, epiſcopi Santonenſis, Petracoricenſis & Pictavenſis dicti Guillelmi, confugerunt ad Vulgrinum, ut nimirum auctoritate primatis Gerardi ambitum coërceret; uti probant horum præſulum epiſtolæ pauriarchii Bituric. cap. 62. tomo 2. novæ Bibli. Labbei. Ibidem habes duas Vulgrini epiſtolas ad epiſcopos provinciæ Burdig. Inter illuſtriores Vulgrini amicos fuit Sugerius abbas S. Dionyſii, qui ab ipſo abbatialem benedictionem recepit. Ad eum Guillelmus Santonum epiſc. ſcripſit epiſtolam qua invehitur in Girardum Engoliſmenſem; cujus epiſtolæ meminit Johan. Picart in not. ad ep. 200. S. Bernardi.

LXI. Albericus.

Dicitur Almericus in diplomate Ludovici VII. quo præſulibus Aquitaniæ Rex concedit immunitatem a regalibus, anno 1137. ut videre eſt lib. 2. de re Diplom. cap. 12. num. 13. Recenſetur a Nangio ad annum 1140. inter epiſcopos religione & ſapientia illuſtres, quibus tunc florebat eccleſia Gallicana. Quantum ſpectat ad ſcientiam, Albericus ita profecit ſub Anſelmi Laudunenſis epiſcopi diſciplina, ut ſcholæ Remenſis rector evaſerit: & quidem a Roberto de Monte in ſupplemento Sigeberti, dicitur litterarum ſcientia & conſilii prudentia clariſſimus. Quapropter electus eſt in epiſcopum Catalaunenſem, neque tamen hanc obtinuit cathedram. Sed poſtea provectus eſt ad archiepiſcopatum Bituricenſem anno 1136. 1136. quo ſuis litteris teſtatur ſe præſentem adfuiſſe concordiæ initæ inter Arverniæ comitem Robertum, & Brivatenſem eccleſiam; quas edidit ex tabulario Brivatenſi V. C. Steph. Baluzius in probat. *p. 59.* hiſt. domus Arverniæ. Præterea eodem anno ſubjecit Cantogilenſe * monaſteriolum, quod prius * Chantuge. fuerat abbatia, cœnobio Caſæ-Dei, uti depromſimus ex authenticis litteris. Anno 1138. confirmavit Floriacenſibus, eorumque abbati Ademaro eccleſiam de *Corcoe* *, & alias prius iiſdem collatas, ex tabul. Floriacenſi. * de Courchie.

Meminit Alberici chronicon Senonenſe MS. & Richardi Pictavienſis monachi Cluniacenſis ad annum 1137. his verbis; *Circa tempora Ludovici regis floruit Giſlebertus cognomento* Univerſalis, *natione Brito, poſtea epiſcopus. Poſt quem Remis civitate ſurrexit Albericus, non illo fama minor,* *Sam.*

ANNI CHRISTI

qui provectus in archiepiſcopum, modico duravit ſpatio.

Eodem anno adfuit Albericus Burdigalæ, in celebratione nuptiarum Ludovici VII. Francorum regis, cum Eleonora Willelmi Aquitaniæ ducis filia, teſte Gaufrido Voſienſi, qui noſtrum
1139. Albericum patriarcham appellat. Anno 1139. ad concilium Lateranenſe menſe Aprili celebratum venit; at in reditu captus eſt prope Pontem-Tremulum in epiſcopatu Lunenſi, ac indigne habitus cum multis aliis Galliarum præſulibus, uti ſcribit Petrus venerabilis abbas Cluniacenſis ad
Biblioth. Clun. Innocentium papam ep. 27. lib. 1. *Aderat*, inquit, *in comitatu noſtro non ignobilis, neque ultima pars eccleſiæ Dei, archiepiſcoporum, epiſcop. abbatum, monachorum non parvus numerus. Horribile ſpectaculum, tantas Eccleſiæ Dei perſonas videre diſtrahi, diſſipari, vulnerari, atque gladiis inſequentibus per diverſa fugari. Epiſcoporum, atque abbatum plurimi ad proxima caſtra violenter abducti, & quidam eorum poſt verbera & vulnera, barbarica immanitate incarcerati ſunt. Inter quos dominus Remenſis, cui nec ætas, nec dignitas adeſſe potuerunt, poſt multas injurias, & vulnera turri concluſus tenetur. Dominus Petragoricenſis ſimilia expertus eſt. Sed quid ego de ſingulis quaſi loquor, cum Bituricenſis & Senonenſis ſuis pene omnibus amiſſis, vix ad Pontem Tremulum *, tremuli & anheli pervenerint, & ibi cum Ebredunenſi, Trecenſi ictu haſtæ de equo dejecto, & inde graviter infirmato: cum Lemovicenſi, Atrebatenſi, Belicenſi, Redonenſi, atque aliis epiſcopis, &c. ſecundo carcere incluſi teneantur.*

* Pont-Tremoli *ditionis magni ducis Etruriæ.*

1141. Obiit Albericus anno 1141. ut obſervat Mabillonius in notis ad epiſtolam XIII. S. Bernardi, qua commendat eum Honorio papæ. Adverſarium habuit Petrum Abaëlardum cujus condiſcipulus fuerat in ſchola Guillelmi de Campellis. Ad eum Gualterius epiſcopus Laudunenſis ſcripſit epiſtolam IV. de Chriſti timore, quæ exſtat tomo II. Spicilegii p. 469. In eccleſia Loci-regii ubi ſepultus eſt ante majus altare legitur breve hoc epitaphium:

Hic Albericus requieſcit Bituricenſis

Primas magnificus, modo major in arce polorum

De la Chastre.

LXII. Petrus.

Petrus de Caſtra ex nobili & antiqua ſtirpe dominorum de Caſtra in agro Bituricenſi, Aimerici Eccleſiæ Romanæ cancellarii conſobrinus, & diſcipulus Alberici, Rege minime conſulto archiepiſcopus eligitur. De eo ita Gaufridus prior Voſienſis in chronico: *Petrus cognomento Effenouard ſeu Effenard, ex militibus de la Caſtra archiepiſcopus, Alberico Bituricenſi ſucceſſerat. Hic ad tempus in Ruthenico, metu Ludovici regis delituit. Electus quippe abſque illius nutu fuerat; ideoque contra eum ſententiam dictaverat. Victus denique precibus religioſorum, juramentum fregit* (Rex) *ſedeſque vacua præſulem admiſit.* De eodem Wil-
1142. lelmus Nangius ad annum 1142. *Defuncto Bituricenſi archiepiſcopo Alberico, miſſus eſt Petrus a papa ejuſdem eccleſiæ paſtor conſecratus. Sed a Rege repudiatus: nec in urbe recipitur, eo quod ſine ejus aſſenſu fuerat ordinatus. Ipſe vero Rex conceſſerat eccleſiæ Bituricenſi libertatem eligendi epiſcopum quem vellent (excepto dicto Petro) publiceque juraverat, quod ſe vivente non erat futurus archiepiſcopus. Qui tamen electus Romam profectus eſt, & conſecratus fuit a papa Innocentio: Rex vero archiepiſcopum excluſit redeuntem; eum enim comes Theobaldus Campaniæ recepit in terra ſua, & omnes ei eccleſiæ obediebant.* Hinc grave bellum Rex intulit comiti, in quo Vitriacum flammis devaſtatum eſt, quo ex incendio nomen retinet, appellatur enim *Vitry le bruſlé*. Sed rem clarius explicat chronicon Mauriniacenſe ex quo excerpenda duximus quæ ſequuntur: *Tunc temporis eccleſia Bituricenſis ſui paſtoris defunctione non mediocriter deſolata, gravis & importuni ſchiſmatis morbo inſolente concuſſa eſt: quidam enim prædictæ eccleſiæ clerici aſſentiente Rege, Cadurcum quendam ſibi volebant præficere. Altera pars illorum Petro, Haimerici Romani cancellarii conſobrino, prærogativam illius honoris affectabant. Papa vero cancellarium diligens, contribulem quoque ſuum pro ipſo diligebat. Unde & ipſi conſecrato in archiepiſcopum, ſuum integre auxilium impendebat. Et licet contra Regis voluntatem ipſe præficiendus eſſet, ipſum miſit Bituriges, Cadurcum vero omni eccleſiaſtico honore privavit; unde videns Rex voluntatem ſuam ad efficaciam non potuiſſe pertingere, non modico fremitu iræ concuſſus eſt, & quaſi in auctoritatem apoſtolici volens indignationem conceptam retorquere, Petro totius terræ ſuæ introitum interdixit. Innocentius vero gladium eccleſiaſticum in ultionem exerens, per omne Regis dominium Divini celebrationem officii interdixit.* Indignatus autem Rex prohibuit electiones & ordinationes epiſcoporum fieri, vacantes eccleſias fratri ſuo Roberto tradens, ut conqueritur S. Bernardus epiſtolis 222, & 224.

De tempore quo Petrus ad hujus eccleſiæ gubernationem vocatus eſt, ſtandum putamus Nangii ſententiæ; quæ confirmatur teſtimonio cujuſdam chartæ hujus archiepiſcopi datæ pro Cluniacenſibus apud Silviniacum, quibus concedit eccleſiam de Buxeriis anno 1156. ejus pontificatus decimo quarto. Multas alias infra proferemus quæ fulciunt chronologiam hanc, nec pugnat contra chartam laudatam alia ejuſdem monaſterii Silviniacenſis, in qua annus Chriſti 1156. concurrit cum anno 15. hujus archipræſulis: nam annus idem Chriſti potuit eſſe decimus-quartus hujus antiſtitis, & decimus-quintus, juxta varios menſes. Conſulenda ſunt quæ dicimus in Reginaldo abbate S. Sulpicii, & in Radulpho ſancti Satyri.

Matthæus Pariſius quidem ad annum 1146. narrat Eugenium papam, cum Pariſios veniſſet, Petrum hunc Aimerici Eccleſiæ Romanæ cancellarii nepotem conſecraſſe in archiepiſcopum Bituricenſem, Rege non ſolum inconſulto, ſed etiam invito. At in aſſignando hoc anno Matthæum hallucinatum fuiſſe minime dubitandum eſt poſt allata ſuperius teſtimonia. Ceterum non abs re erit proferre Matthæi Pariſii locum, ex quo multa

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

omiſſa tum a Gaufrido Voſienſi chronographo, tum a Nangio reperiuntur:

Eodem anno, inquit, *papa Eugenius Pariſiis veniens, conſecravit* [a] *Petrum quendam Aimerici Eccleſiæ Romanæ cancellarii nepotem, in archiepiſcopum Bituricenſem, contra Ludovici regis Franciæ voluntatem. Quod Rex in injuriam ſuæ dignitatis factum, vehementer indignatus, propoſitis publice ſacroſanctis reliquiis, in præſentia multorum juravit, quod archiepiſcopus præfatus, quamdiu ipſe viveret, civitatem Bituricam non intraret. Sic per triennium Regis perſona ſubjacuit interdicto. In quamcumque civitatem, vicum vel caſtellum intrabat, ſuſpendebatur celebratio divinorum. Tandem Bernardo* [b] *abbate Clarevallenſi perſuadente, ad hoc eſt cor Regis inclinatum, ut archiepiſcopum reciperet, & pro tranſgreſſione perjurii, Hieroſolymam ſe promitteret profecturum.* De hoc diſſidio ſcripſit Bernardus epiſtolam 219. in qua Regem excuſat triplici ex capite; *ira, ætate, majeſtate.* Ira videlicet quia indignatus ob contemtam ſuam auctoritatem, juraverat nunquam paſſurum Petrum ſe invito & deſpecto electum in Bituricenſi cathedra ſedere. *Probro autem ducitur*, inquit Bernardus, *ut optime noſtis, apud Francigenas juramentum ſolvere, quamlibet male publice juratum ſit.* Ætate; junior enim erat Rex quando incaute juraverat. Majeſtate, quæ læſa videbatur in hac electione. *Talis*, inquit Bernardus, *aliqua conſideratio in Rege & puero habeatur; ut hac ei vice tali quidem tenore parcatur, quo tale aliquid de cetero non præſumat ..... hoc ipſe Rex humiliter petit, hoc noſtra univerſa citra montana nimium jam afflicta Eccleſia ſuppliciter deprecatur.*

Hanc epiſtolam ſcripſit S. Bernardus anno 1143. jamque ab anno ſuperiore pro eadem cauſa Sedi apoſtolicæ ſupplicarat; ſed *peccatis meis*, inquit, *exigentibus deprecationem meam non exauditio, ſed indignatio; indignationem autem deſolatio pene univerſæ terræ ſecuta eſt.* Tandem vicit ſanctiſſimi abbatis caritas & perſeverantia; ejuſque opera tandem tantum exſtinctum eſt incendium. Nunc præcipua Petri acta in epiſcopatu perſtringamus.

1144. Anno 1144. abrogationem aut abolitionem pravæ conſuetudinis diripiendi bona mortuorum epiſcoporum Albienſis eccleſiæ, quam Rogerius vicecomes Biterrenſis ſuſtulerat & antiquarat, approbavit & confirmavit, rogante eodem vicecomite. Anno 1149. Vodolionis eccleſiam conſecravit, ex chronico Dolenſi. Ad fundationem abbatiæ Olivetanæ plurimum contulit, quando pro pœnitentiæ fructu injunxit Stephano de Graciaco ei cedere multa prædia, ex ejuſdem Stephani litteris quarum mentio fit in Bartholomæo primo Oliveti abbate. Annus 1151. notatus eſt in tabulis Caſalis-Benedicti ob collata ab eo huic monaſterio beneficia, & annus 1154. in tabulario parthenonis de Bella-valle ſeu Carentonii. Anno 1156. eccleſiam de Buxeriis dedit Petro de Velcia priori Silviniacenſi. Anno 1159. Ludovicus rex donavit ei amplum & perhonorificum præceptum, pro confirmanda bonorum eccleſiæ poſſeſſione. Ex quo intelligimus quanta eccleſiæ Bituricenſi bona attulerit hic præſul; quapropter illud edidimus inter inſtrumenta num. XXI. Inde quoque liquet eum fuiſſe Ludovico regi acceptiſſimum. Eodem anno beneficus fuit monaſterio Nigri-lacus, ut fidem faciunt ejuſmet litteræ in quibus hic annus legitur decimus-nonus ejus pontificatus. Anno 1160. qui legitur ejus epiſcopatus annus 21. fecit compoſitionem cum Archembaldo de Borbonio, &c. Anno ſequenti, vigeſimo ſecundo ſui pontificatus, confirmavit monaſterio de Villa-Lupæ * decimam de Eſtrangiaco, & eccleſias quas in ſua diœceſi poſſidebat. Anno 1168. pontificatus ſui 28. ratam habet donationem Hervæi de Giennio domini de S. Aniano, factam eccleſiæ S. Euſicii de Cella.

1156. 1159. C. XXI. col. 13. *Ex chart. archiep.* * Villeloin.

Hic vides conſtantem de annis pontificatus Petri chronologiam; quod etiam ex multis aliis inſtrumentis roborari poſſet: nam in alia charta ejuſdem Cellenſis monaſterii annus pontificatus ejus 26. illigatur cum anno 1166. & in alia eccleſiæ S. Petri Puellaris annus 27. epiſcopatus, componitur cum anno Incarnationis 1167. In tribus tamen chartis panchartæ ſancti Urſini annus Verbi incarnati 1162. concurrit cum anno 21. Petri ut pontificis. Sed id diſcriminis poſitum eſt in modo computandi, ſive a principio anni, ſive a medio vel a fine. Plurima alia poſſemus congerere de noſtro Petro ex chartis Nigri-lacus & Carentonii, aliarumque abbatiarum. Sed hæc ſufficiant. Ejus obitus ad annum 1171. notatur die 1. Maii.

1171.

Celebris eſt hujus antiſtitis memoria in eccleſia Bituricenſi ob ſingularia ipſi collata beneficia. Cum prius domus archiepiſcopales eſſent tanta ſede prorſus indignæ, & modicæ facultates; Petrus *gratiæ cœleſtis munere, & temporalis abundans fortunæ, inclytæ nobilitatis palatium erexit; domos celebres ædificavit, conſtituit grangias, terras acquiſivit & vineas, & in grangiis copioſam poſuit nutrituram.* Sumtus ad hæc neceſſarios ampliſſima & jam tum potentiſſima ſuppeditavit Caſtræa domus, cui nomen dedit Caſtra oppidum 15. leucis ab Avarico diſtans. Exſtant autem plurima illuſtris hujus gentis ſepulcra in abbatia Nigri-lacus. In gratiam ejuſdem archiepiſcopi ſummi pontifices Eugenius III. Hadrianus IV. & Alexander III. primatum Bituricenſem confirmarunt & tutati ſunt. Epiſtola 69. Eugenii ad eum ſcripta, ei aſſerit inter cetera primatum in provincias Bituricenſem & Burdigalenſem. Idem papa ſcripſit epiſt. 68. ad Sanſonem Remorum archiepiſcopum, vehementer eum redarguens quod auſus eſſet in eccleſia Bituricenſi Ludovicum regem coronare, abſente Petro, qui tum erat Romæ. Quapropter ei ejuſque provinciæ epiſcopis diem dicit, ad quem debeant ſibi adeſſe hac de re reſponſuri.

C. XXI. col. 14.

Tabul. S. Cæciliæ Alb.

1149.

1151.

[a] Conſecratum fuiſſe a papa Petrum teſtatur ipſe Bernardus ep. 219. ſcribens: *Archiepiſcopo debita veneratione ſervata, quem manus apoſtolica conſecravit.*

[b] In chronico Maurinlacenſi legimus Macharium hujus loci abbatem, qui erat nepos Alberici Oſtienſis epiſcopi, *cauſa pacificandi & reconciliandi Regem cum ſede apoſtolica*, Romam profectum; ac per cardinalium interceſſionem plurima impetraſſe; quamvis *ad reconciliationis gratitudinem nec precibus nec muneribus attingere poteris.*

Digitized by Google

ANNI CHRISTI C. XXII. XXIII. col. 14. C. XXIV. XXV. col. 15. 16.

Collegerunt Sammarthani fratres quaſdam litteras Petri ad Ludovicum regem, & ad Sugerium S. Dionyſii abbatem &c. necnon Ludovici, Sugerii, &c. ad ipſum ipſius cauſa ſcriptas; quibus etiam locum dandum inter inſtrumenta cenſuimus. In collectionis hiſt. Francorum Quercetani tomo IV. habentur ſex aliæ Petri archiepiſcopi epiſtolæ ad Ludovicum regem, ad quem ſcribit de variis negotiis, quorum nonnulla Rex ipſius curæ commiſerat; de eccleſia S. Portiani, de Brivatenſi, &c. ſexta extra ordinem ibidem legitur pag. 684. Sepultus eſt hic antiſtes in choro majoris S. Stephani eccleſiæ ſub lamina ænea, cui inciſum eſt hoc epitaphium:

Clauditur hic primas, ſtans nomine, menteque

Petrus

De Caſtra; nomen facta latere negant:

Major honore ſuo, fortuna fortis in omni,

Pertulit intrepidus damna, pericla, minas.

Oppida, templa, domus, quorum ſtructura ſuperbis

Auctorem facient inveterata novum.

Reddituum duplicans numerum, via jurls, aſylum

Pauperis, exemplar religionis erat.

Ultima primati Maii lux prima prioris

Vitæ meta fuit, principiumque novæ.

DE LA CHAPELLE

LXIII. STEPHANUS II.

Stephanus de Capella frater fuit Galteri domini Capellæ in Bria, & de Villebeon, Ludovici VII. ac Philippi Auguſti regum Franciæ cubicularii, ac patruus Petri Pariſienſis, Stephani Noviomenſis, & Guillelmi Meldenſis epiſcoporum, ut auctor eſt Quercetanus in hiſtoriæ Drocenſis lib. 2. c. 1. Hic poſt regimen eccleſiæ Meldenſis tranſlatus eſt ad metropolim Bituricenſem. Et quidem præſens legitur in panchartæ nigræ S. Martini Turonenſis tabula, qua homines territorii Sacri-Cæſaris in ſua diœceſi abſolvuntur a vectigali vulgo *tallia de Liriaco*, adſtantibus Giraudo al. Geraldo Cadurcenſi epiſcopo, & Gaufrido abbate apud S. Satyrum confecta. Memoratur & in vetuſto inſtrumento domini Roberti comitis Drocarum domini Branæ, pro immunitate cenſus data domui hoſpitali ſanctorum Gervaſii & Protaſii Pariſienſis in villa de Chaillis an. 1171. Brevi 1171. tempore Avarici Biturigum ſediſſe hunc archiepiſcopum argumento eſt, quod reliquum vitæ in monaſterio S. Victoris Lutetiæ peregerit inter ca- ante 1174. nonicos Regulares; mortuus enim legitur 1173. * in chronico Dolenſi, ſepulturæ vero mandatur apud eoſdem Victorinos hac cum epigraphe:

Hic Jacet

Reverendus pater dominus Stephanus, qui natus Pariſiis, ex epiſcopo Meldenſi, Bituricenſis primas factus eſt. a

In ejuſdem etiam cœnobii necrologio habentur hæc verba: *Pridie idus Januarias anniverſarium ſolemne piæ memoriæ venerabilis Stephani Bituricenſis archiepiſcopi, qui eccleſiam noſtram ſpeciali amore diligens, magnæ devotionis quam erga nos habebat affectu, de archiepiſcopatu ſuo ad nos veniens, quietis ſibi, ac ſepulturæ locum, eccleſiam iſtam inter omnes alias prælegit, ſocietatis noſtræ frater effectus: pro cujus archiepiſcopi anima dedit nobis in eleemoſynam frater ipſius Galterus Regis camerarius pro anniverſario, & pro ſuo, & uxoris Avelinæ, medietatem terræ, grangiæ, & aquæ de Chaſteillon, & omnium quæ ibidem habebat.* Vacabat ſedes anno 1174. quando Ludovicus VII. Francorum rex præcepto ſuo dato hoc anno, conceſſit ut clauſtrum S. Stephani muro cingeretur, muniretur, & *infortiaretur.* Præterea dedit libertatem & inmunitatem, omnibus iis qui intra ambitum clauſtri continerentur; ita ut confugientes huc ſalvi fierent b. Eodem diplomate decernitur ut homines epiſcopi per archiepiſcopum *juſtitiarentur*, & omnes homines capituli per decanum & capitulum. *Pro hac autem libertate ſibi conceſſa, capitulum celebrabit anniverſarium pro Rege, & pro anima Stephani bonæ memoriæ quondam Bituricenſis archiepiſcopi.* Unde liquet anno 1174. quo datum eſt hoc præceptum Stephanum obiiſſe. At multum aberrat auctor patriarchii Bituricenſis, cum aſſerit ſedem vacaſſe duobus annis cum novem menſibus, ut mox probaturi ſumus.

C. XXVI. col. 16.

LXIV. GUARINUS.

Guarinus cui Girardi cognomen dant, ex tertio abbate S. Edmundi Pontiniacenſis, Bituricenſis archiepiſcopus, genere & religione clarus vocatur in chronico Lemovicenſi. Sedere cœpit anno ſaltem 1174. nam in ejuſdem charta qua Ademaro 1174. Bonæ-vallis apud Ruthenos abbati confirmat decimas, primitias, oblationes huic monaſterio legitime acquiſitas anno MC. LXXV. hic annus numeratur ſecundus Guarini pontificatus. Eodem anno duabus in chartis memoratur; ſcilicet in litteris Ebbonis de Carentonio, pro prioratu de la Chappelaude, & in quodam inſtrumento Meimacenſi. Anno 1176. inſcribitur ejus nomen in 1176. charta prioratus S. Martini de Campis a Majori-monaſterio pendentis, ubi dicitur agere annum ſecundum in epiſcopatu; quod convenit cum litteris Ebbonis de Carentonio ſuperius laudatis, in quibus annus 1175. legitur primus ejus pontifi-

a In antiquitatibus Pariſienſ. Brolii additur: *obiit anno 1181. idus Januarii.* Hincque Johannes Chenu in chronologia Bituricenſium archiep. ſubodoratur poſt Guarini archiepiſcopi mortem electum fuiſſe quemdam Stephanum qui non fuerit confirmatus aut conſecratus. Quapropter in catalogo archiepiſcoporum locum non habet. Sed Stephanus per inſcriptionem ſuperius relatam deſignatus, eſt Stephanus de Capella anteceſſor Guarini non ſucceſſor; cui locum dedit per ſuam abdicationem; unde potuit fieri ut etiam poſt Guarini mortem ſuperſtes fuerit, obieritque tantum anno 1181.

b Hanc immunitatem confirmavit S. Ludovicus Vindocini anno 1259. menſe Januario.

catus. Neque vero id pugnat cum inſtrumentis ejuſdem anni, ubi cum hoc anno illigatur ſecundus hujus pontificis annus: idem enim annus potuit dici primus vel ſecundus ejus pontificatus, ratione habita diverſorum menſium. Anno 1178. reduxit numerum præbendarum eccleſiæ ſuæ ad triginta, cum Humbaldi decani & capituli conſenſu. Eodem anno conatus eſt revocare S. Urſini canonicos ad communem vitam; quam ne cogerentur amplecti, cauſati ſunt canonicos majoris eccleſiæ, quam matricem appellant, communem menſam non habere. Anno 1179. Remis adfuit inaugurationi Philippi regis, dicti Auguſti, ex Rogerio Hovedenenſi. Eodem quoque anno Romam profectus eſt ad concilium Lateranenſe menſe Martio celebratum, ubi ordinavit Saibrandum in epiſcopum Lemovicenſem. Moritur ex Autiſſiodorenſi chronico, anno 1180. die 20. Martii, uti etiam docet Guillelmi Nangii chronicon; ſepeliturque Pontiniaci in eccleſia prope majus altare ad latus Evangelii cum hac inſcriptione: *Hic jacet dominus Garinus archiepiſcopus Bituricenſis, tertius abbas hujus monaſterii.*

ANNI CHRISTI 1178. C. XXVI. col. 17. 1180.

LXV. PETRUS.

Miramur in catalogis Bituricenſium præſulum excidiſſe hunc archiepiſcopum, quem tam diſerte prodit Alberici chronicon, laudatum tamen a Sammarthanis; nam clare docet Albericus Henricum de Soliaco fuiſſe Petri ſucceſſorem, Petrum vero ſucceſſiſſe Guarino. Præterea conſtat Henricum non ſuſcepiſſe officium paſtorale ante annum 1184. unde ſufficiens tempus relinquitur Petro archiepiſcopo ab anno 1180. quo Guarinus obiit. De Petro tamen nihil aliud ſcimus.

Hunc Petrum putamus deſignari in altera parte chronici Gaufridi Voſienſis, ubi lego: *Poſt obitum ſiquidem Guarini ſedes vacavit annis fere tribus & menſibus ſeptem. Licet interim duo fuerint electi, neuter conſecratus eſt.* Hoc mortuo Henricus liberum ad cathedram aditum habuit.

LXVI. HENRICUS I.

DE SULLY.

Henricus de Soliaco filius Archembaldi I. dynaſtæ Soliaci ad Ligerim, & Mathildis de Balgenciaco, quæ per matrem cognominem ex Viromanduenſium comitum genere progenitam, a Francorum regibus originem trahebat. De eo ita loquitur Albericus in chronico a Sammarthanis laudato, ad annum MC. XXCVI. *Civitate Biturigas poſt Petrum epiſcopum Guarini ſucceſſorem erat archiepiſcopus vir nobilis & religioſus Henricus. Hujus frater Odo cantor Bituricenſis in epiſcopum Pariſienſem poſt Mauricium eligitur. Erant iſti duo fratres Ægidii de Soilleio*[a], *nepotes magni Theobaldi comitis, quorum ſoror Radulfo filio Ebonis de oppido de Dolis, peperit matrem Guillelmi de Chauvigny, qui per eum factus eſt dominus de Caſtro-Radulfi. Ægidius de Soilleio, de ſorore Ebonis de Charenton, epiſcopum unum Simonem, & Erkenbaldum patrem Henrici de Soilleio.....*

[a] In altera parte chron. Voſienſis p. 340. t. 2. Bibl. Lab. duo alii fratres Henrici nominantur Radulfus ab. Cluniac. & abb. Fiſcan. & Gilo de Soliaco.

Ejuſdem quoque nobiliſſimum genus celebrat Petrus Bleſenſis Bathonienſis in Anglia archidiaconus: *De illuſtriſſimis*, inquit, *principibus originem trahens; hinc regis Angliæ Henrici II. conſanguineus, inde Francorum regem Philippum Auguſtum linea generis propinquiore contingit.*

ANNI CHRISTI Vid. Epp. 126. 127. 160.

Petrus Friſon in Gallia purpurata, & Franc. Quercetanus docent Henricum fuiſſe monachum Ciſtercienſem, poſtea vero abbatem Caroli-Locenſem * prope Silvanectum, tandem creatum fuiſſe Biturigum antiſtitem; denique purpura cardinalitia veſtitum fuiſſe; quo tempore volunt eum fuiſſe epiſcopum Albanenſem. Quo vero ex fonte iſta depromta fuerint, ignoramus. Qui ex antiquis ejus cum laude meminerunt, de his prorſus ſilent. * De Chalis

De tempore quo Henricus cathedram conſcendit, nos docebunt ipſius litteræ pro Carentoniano parthenone datæ anno Chriſti 1189. ejus autem pontificatus ſexto. Proindeque primus ejus annus in pontificali ſede concurrit cum anno Chriſti 1184. aut 1183. Præterea vetus inſcriptio de tranſlatione reliquiarum ſancti Paterni facta anno 1186. indicat hanc factam fuiſſe anno 111. pontificatus Henrici de Soliaco, quæ egregie conveniunt. Idem inferius plurimis aliis teſtimoniis confirmabitur. Conſecratum fuiſſe Henricum a Lamberto Cribillo Mediolanenſi archiepiſcopo & cardinali, poſtea Urbano III. Bituricenſis eccleſiæ olim archidiacono, docent Sammarthani fratres. In patriarchio Bituricenſi conſecrator Henrici fuit Guillelmus Templier Burdegalenſis archiepiſcopus, qui vacante ſede cum conſenſu capituli ſacros ordines & alia pontificalia celebrarat; quod verius aut vero ſimilius exiſtimamus. Imo pro certo haberi debet niſi falſi poſtulemus epiſtolam [b] Stephani Noviomenſis epiſcopi ad Honorium papam. Præterea idem docet Gaufredus Voſienſis in altera ſui chronici parte, ubi legimus: *Conſecratus eſt Henricus a Guillelmo Burdegalenſi, Sebrando Lemovicenſi, Johanne Nivernenſi, &c.* Quæ autem olim in archiepiſcoporum inauguratione fierent non abs re erit hoc loco referre.

1184. b Tom. 2. Bibl. Lab. p. 340.

Omnes tam barones quam milites, & univerſus Bituriæ populus coram archiepiſcopo noviter ordinato, pro bono pacis & utilitate communi jurare debent treugam & communiam (quæ conſtituta eſt) ſe inviolabiliter ſervaturos. Iſti vero ſunt qui portare debent dominum archiepiſcopum in adventu ſuo: dominus de Magduno, cui (ſi præſens fuerit) competit habere annulum domini archiepiſcopi: item dominus S. Palladii: dominus de Albigniaco: do-

[b] Hanc epiſtolam, ut pote brevem, hic oculis ſubjiciendam duximus: *Sanctiſſimo in Chriſto patri, ac domino Honorio Dei gratia ſummo pontifici S. divina miſeratione Noviomenſ. eccleſiæ miniſter humilis, ſalutem, & tam devotæ, quam debitæ ſubjectionis, & obedientiæ famulatum. Mirantur omnes qui audiunt quo conſilio ductus dominus Burdegalenſ. archiepiſcopus a ſubjectione Bituricenſis eccleſiæ tantopere ſe eximere conetur, cui ſubeſſe prædeceſſores ſui honorificum reputabant. Nos quidem, pater ſancte, interfuimus, quando dominus Vvillelmus Burdegalenſis archiepiſcopus dominum Henricum electum in Bituricenſem archiepiſcopum conſecravit, ubi idem Burdegalenſis coram omni populo ſe ſubjectum eſſe Bituricenſi eccleſiæ, & cum, quem conſecraverat, primatem eſſe ſuum recognovit. Hoc autem ſi placet S. V. parati ſumus pro Deo, & juſtitia teſtificari, & jurare coram illis, quibus hoc V. S. duxerit committendum, & ita nos audiſſe, & vidiſſe in verbo veritatis, coram Deo & hominibus affirmamus.*

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

minus de Monte-Falconis : vicecomes de ..... dominus de Linieris : dominus de Caſtro : dominus de Chantella : dominus de Fontenayo : dominus de Boëmis. Et notandum quod dominus archiepiſcopus in vigilia ſui adventus (ut hactenus eſt conſuetudinis) ſolemniter recipi, & hac vice duntaxat in vita ſua gratis procurari debet apud S. Sulpicium, cum famulis & portitoribus ſuis. Ipſe vero dominus archiepiſcopus tenetur eiſdem portitoribus expenſas miniſtrare die ſui ingreſſus. Cui etiam fratres Sulpiciani probatæ conſuetudinis jure, debent cathedram ligneam, qua ad S. protomartyris Stephani eccleſiam eſt inde magna populi exultatione mediam per urbem deportandus.

Nunc de Henrici actis, quæ ad nos uſque pervenerunt, quædam ſunt compendio dicenda.

1183. Anno 1183. pontificatus ſui primo, fratribus Miſeriaci eccleſiam de Cloé donat. Anno 1184. pontificatus ſui I. præbendas Medii-monaſterii ad numerum XIII. reducit, cum antea forent decem & octo. Eodem anno, pontificatus ſui II. capitulo S. Urſini 18. ſextarios frumenti dimittit ; *cui conceſſioni*, inquit, *interfuerunt Odo frater noſter cantor B. Stephani, Gilo frater noſter dominus Soliaci.* In charta Nerlacenſi ſeu Nigri-lacus annus 1184. pariter illigatur cum anno ſecundo ejus pontificatus. In chartario S. Auſtregiſili de Caſtro exſtat una charta, & alia in archivis Exoldunenſis monaſterii, in quibus annus quartus ejus epiſcopatus illigatur cum anno Incarnationis 1186. quamquam eodem anno ſtatutum quod edidit pro canonicis S. Auſtregiſili Graciacenſis legatur datum anno ipſius epiſcopatus quinto. Eodem anno 1186. compoſuit controverſiam inter abbatem & monachos S. Sulpicii una ex parte, ac cantorem S. Stephani ex altera, *ſuper oblatione & officio miſſæ*, quæ in eccleſia S. Sulpicii ab archiepiſcopo, cum de novo inſtituitur, antequam in majori eccleſia cantet, celebratur ; cujus compoſitionis pacta lege in patriarchio Bituricenſi. Ibidem habetur ipſum hoc etiam anno celebraſſe ſynodum apud Karoffum tanquam primatem ; ubi proceſſionaliter exceptus eſt ab archiepiſcopo Burdigalenſi. Anno 1188. recenſetur in litteris Guillelmi de Culento pro prioratu de la Chappelaude.

Urbanus III. memor beneficiorum quæ jam pridem a Bituricenſi eccleſia receperat *in minori officio conſtitutus* ; volenſque gratum ſe exhibere Henrico archiepiſcopo, cujus devotionem erga Romanam Eccleſiam perſpectam habebat, eum conſtituit ſedis apoſtolicæ legatum in tota Bituricenſi provincia, excepto monaſterio Dolenſi. Litteras pontificias ea de re datas, ubi non deſunt Henrico debitæ laudes, require inter inſtrumenta. C. XXVIII. col. 18.

Varias a ſummis pontificibus obtinuit bullas pro Bituricenſis primatus confirmatione ; ſcilicet a Lucio III. anno 1183. Urbano III. v. cal. Februarii 1187. Clemente III. anno 1188. & Cœleſtino III. 3. idus Januarii an. 1192. Ad eum ſcripſit Lucius III. de pace in capitulis & in aliis ſuæ diœceſis eccleſiis reformanda, & condendis ea de re ſtatutis. Urbanus III. dedit ei poteſtatem ordinandi de præbendis eccleſiæ ſuæ cum majoris partis capituli conſenſu, ſi inter canonicos eſſet diſcordia. Clemens vero tertius bulla data Lateranis IV. idus Julii, pontificatus ſui anno 1. directa ad hunc primatem, decernit ut qui ſe divinis immiſcerent excommunicati, ad intrandum *in religionem* cogerentur.

ANNI CHRISTI

Anno 1192. Henricus auctoritate primatis confirmavit Sicardo Bonæ-vallis abbati apud Ruthenos quaſdam poſſeſſiones a Ruthenenſibus epiſcopis conceſſas. Anno 1193. R. decano & capitulo S. Stephani quadraginta ſolidos Gienenſes annui reditus dedit, ut feſtum Aſſumtionis B. Mariæ deinceps in ſua eccleſia celebraretur ſub ritu feſti annualis ; quemadmodum Natale Domini, Paſcha & Pentecoſtes. Anno 1195. nominatur in mandato Cœleſtini papæ, quo epiſcopos Æduenſem & Trecenſem, necnon abbatem Argonenſem, inſtituit judices in cauſa divortii inter Galcherum de Salinis, & M. de Borbonio. Exſtant Philippi Francorum regis litteræ anno 1197. datæ, quibus teſtatur præfatum Henricum conſanguineum ſuum magnos ſumtus feciſſe pro reparatione Caſtri Magdunenſis, quos illi rependi Rex æquiſſimus jubet. Anno 1198. tranſigit cum monachis S. Dionyſii. Adhuc ſedebat anno 1199. ex charta S. Auſtregiſili de Caſtro. Et quidem Innocentius III. qui S. Petri cathedram conſcendit tantum hoc anno, ei duas epiſtolas inſcripſit, unam quæ ſic incipit : *Nec univerſa ;* alteram datam Laterani XII. calendas Februarii, quæ habetur C. *Inter corporalia* de tranſlatione epiſcoporum. Hoc etiam anno electionem Pictavenſis epiſcopi probat, ſui primatus privilegio. Nec obſtitit Helias Burdigalenſis archiepiſcopus qui ad Urbanum III. ſcribens, Henricum primatem ſuum nuncupat. Eodem anno 1199. menſe Junio Claromontem venit, ubi ſedavit diſcordiam inter Robertum epiſcopum & Guidonem II. comitem Arverniæ ejus fratrem ; cujus concordiæ inter fratres reformatæ ab hoc archipræſule meminit ipſe Robertus, in charta data menſe Julio ejuſdem anni, quam edidit V. C. St. Baluzius in probation. hiſt. dom. Arverniæ. Denique idem annus notatur in facultate quam dedit colligendi eleemoſynas pro reædificatione eccleſiæ Chantoenſis, & indulgentias pro erogantibus. Hic annus fuit ultimus vitæ ipſius juxta Rigordum, in geſtis Philippi Auguſti regis, cui conſentit Nangius. At ejus mortem differt chronicon Lemovicenſe S. Stephani uſque ad annum 1200. III. idus Septembris ; cui adſtipulatur calendarium Medii-monaſterii ; atque in eorum ſententiam it Bailletus in vita S. Guillelmi die X. Januarii. Sepultus eſt in abbatia Loci-regii, ubi legitur hæc inſcriptio :

1192.

1195

Spicil. t. VIII. p. 110.

1197.

C. XXIX. col. 19.

Sæcul.

p. 78.

1200.

Hic bonus Henricus vir nobilis & patriarcha

Quondam Bituricus, tumuli jacet hujus in arca.

Tanti viri fit honorifica mentio in narratione de revelatione corporis S. Stephani de Mureto ordinis Grandimontenſis inſtitutoris ; qua in ſolemnitate ut primas Aquitanicus, ſacra celebravit. C. XXX. col. 19.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

LXVII. S. Guillelmus.

De Donjeon [a]

Guillelmus de Donjeon [a] ex comitibus Nivernenſibus oriundus, Mathildis comitiſſæ Nivernenſis dominæ Donziaci avunculus (forte patruus) fratrem habuit dictum Baldudinum de Hiere, qui profecturus Jeroſolymam, annuente A. uxore & I. & Ferrico filiis, quædam dedit Sacro-Portui ſeu Barbello Ciſtercienſis ordinis celebri monaſterio. Duos alios ejuſdem fratres eruimus ex reg. cameræ computorum Pariſ. Guidonem & Petrum de Dijon (Donjeon.) Guillelmus primum fuit canonicus Sueſſionenſis, tum Pariſienſis; inde Grandimontenſem ingreſſus ordinem, poſtea tranſiit ad Ciſtercienſem in monaſterio Pontiniacenſi, ubi prior fuit. Poſtea factus eſt abbas Caroli-loci [b], teſte Rigordo Philippi Auguſti chronographo, ad quem accedit Nangius. Tandem ex abbate eligitur Biturigum archiepiſcopus die feſto S. Clementis 23. Novembris, Odone [c] Pariſienſi epiſcopo præſente, non ſine miraculo, & a Burdigalenſi præſule, etſi Claromontanus epiſcopus id ſibi vindicaret, conſecratur. Meminit ejus ordinationis Albericus in chronico his verbis: *Abbas Caroli-loci Guillelmus factus eſt archiepiſcopus Bituricenſis, ſanctis moribus adornatus; & in vita ſua licet occulte, fecit miracula: non enim fuit mundo palam cognitus uſque poſt mortem ipſius. Erat enim nobilis genere, ita quod domina de Monteargiſo * fuit ſoror vel neptis illius; quæ domina Petro de Cortenaio regis Philippi patruo peperit comitem Petrum Autiſſiodorenſem,*

Tab. Barb.

[b] Ex Bailleto prius fuit abbas Fontis-Johannis in diœceſi Senonenſi; quod legitur in ejus vita quam edidit Labbeus tom. 11. novæ bibl. p. 379.

[c] Eum ex compromiſſo electum ut quem vellet archiepiſcopum diceret, Guillelmum renuntiaſſe legimus.

* Montargis.

Initium epiſcopatus Guillelmi non poteſt differi ultra annum 1201. ex ejuſdem litteris quibus comminatur excommunicationem cuidam bullæ Innocentii papæ III. non obtemperantibus Datæ autem ſunt ipſius litteræ menſe Januario anni 1201. uti plurimorum aliorum præſulum eadem de cauſa ſcribentium. Prius autem exceperat bullam hanc qua, ſupplicante Philippo rege, decrevit papa filios quos Rex ſuſceperat ex Agnete, poſt relictam Ingeburgem conjugem, pro legitimis habendos, maxime ob bonam fidem qua eam duxerat poſt diſſolutum in judicio epiſcopali ſuum cum Ingeburge conjugium. Verum in conſequentibus oſtendemus Guillelmi pontificatus exordium ad an. 1200. revocandum quo jam incipit inſcribi chartis Olivetani monaſterii ut benefactor.

1201.

Anno 1202. archipresbyteratum Exoldunenſem, qui prius erat ſubjectus archidiacono Caſtri-Radulfi, univit majori archidiaconatui, conſentiente capitulo, a quo ſibi oblatum jus conferendi præbendas cathedrales noluit accipere.

[a] In regiſtr. cameræ comp. Pariſ. de feodis a Rege pendentibus (*mouvans du Roy*) poſt feoda Meloduni legitur: *Les fief Monſieur Guy & Pierre de Donjeon freres, S. Guillaume de Bourges, jadis archeveſques, leſquels ils tiennent du Roy.*

A Hujus archiepiſcopi tempore primatus Bituricenſis clare eſt agnitus. Nam illum confirmavit Innocentius III. nonis Februarii anni 1200. & archiepiſcopi tum Burdigalenſis, tum Auxitanus litteris ſuis ipſi ſe ſubjectos eſſe perſpicue profeſſi ſunt. Habemus ea de re litteras Bernardi Auxitani, quibus quod Guillelmi paternitatem & matrem ſuam eccleſiam Bituricenſem nondum viſitaverit, rogat haberi excuſatum. Inſuper agnoſcit archiepiſcopi Bituricenſis omne jus primatiæ in Auſcitanam provinciam competere; ipſique omnem obedientiam & reverentiam pollicetur. Idem fere præſtitit Willelmus de Gebennis Burdigalenſis archiepiſcopus in epiſtola inſcripta: *Reverendo amico ſuo in Chriſto cariſſimo G. divina providentia Bituricenſi archiepiſcopo & primati.* Hac in epiſtola cum aliis inſtrumentis edita ſignificat quoties tentaverit ſe ſiſtere conſpectui Guillelmi, & ad condictum acceſſerit locum, ſed fruſtra, primate minime ad locum conveniente.

B

C. XXXI. col. 19.

Anno 1204. Innocentius papa III. ad S. Guillelmum reſcripſit v. calend. Aprilis, ut magiſter P. Parvus reciperetur in canonicum, quod theologiæ ſcholis apud Biturigas præfuiſſet, & non ſolum canonicos aſſidue auditores habuiſſet, ſed ipſum etiam archiepiſcopum. Anno 1207. dicitur adfuiſſe tranſlationi quarumdam reliquiarum S. Benedicti apud Floriacum. Anno 1209. menſe Septembri, canonicos B. Mariæ de Salis decem tantummodo eſſe in poſterum conſtituit; & tamen in tabulario B. Petri puellarum exſtat charta quædam, qua decanus S. Stephani, ſede vacante, confirmat venditionem factam eccleſiæ S. Petri puellaris, anno 1208. quod probare videretur S. Guillelmum anno ſaltem 1208. cœlum petiiſſe. Sed vereor ne mendum irrepſerit in notis numericis. Ad ſuperos evolavit S. Guillelmus die x. Januarii, & quidem anno 1209. cum pararet iter adverſus hæreticos Albigenſes, inquit Nangius, qui refert eum fuiſſe canoni ſeu catalogo ſanctorum additum ab Honorio, anno 1218. Longum eſſet omnes recenſere ſcriptores qui de S. Guillelmo egerunt. Exſtat ejus vita a quodam canonico Bituricenſi conſcripta, inquit Labbeus tomo 2. novæ Bibliothecæ pag. 379. ubi nulla pene acta, ſed plurima narrantur miracula. Longe anteponenda eſt vita quæ in Bituricenſi patriarchio legitur; at cum ſit recentioris auctoris qui minime notat ex quibus veteribus monumentis ea quæ ſcribit eruerit, præcipua tantum capita perſtringemus nec ſine formidine [d].

1204.

1207.

C

D

E

[d] Ratio dubitandi eſt quod ſcriptor veteres chartas quas exhibemus non conſuluerit, nam de iis filet.

Guillelmus Archeſiis vico Nivernenſis pagi natus ex illuſtri genere, nobiliſſimam & piiſſimam habuit matrem nomine Maeneiam, cujus frater Guillelmus archidiaconus Sueſſionenſis ob ſeveriorem vitam dictus eſt Eremita. Sub hujus pii avunculi diſciplina inſtitutus noſter Guillelmus multum profecit tum in ſacrarum litterarum ſcientia, tum in virtutum exercitatione. Hinc brevi canonicorum in collegium adſcitus eſt; ac pari poſtea dignitate ornatur in capitulo Pariſienſi.

Sed

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

Sed juvenis perfectioris vitæ amore incenſus, vitam amplexus eſt monaſticam apud Grandimontenſes ; a quibus tamen ad Ciſtercienſes tranſiit, ob ſubortas in Grandimontenſi congregatione turbas. Non puduit Guillelmum iterum in Pontiniacenſi monaſterio inter novitios probari. At poſtea factus eſt prior ejuſdem monaſterii ; inde abbas Fontis-Johannis. Abbatiam Caroli-loci regebat, quando electus eſt Bituricenſis archiepiſcopus ; quod ita factum :

Cum electorum, ut ſæpe fit, ſtudia eos in contraria diſtraherent, tandem Dei nutu tres ordinis Ciſtercienſis abbates, in his Guillelmum elegerunt, e quorum numero ſtatuerunt ſumendum eſſe archiepiſcopum. Itaque Odo Pariſienſis epiſcopus & cantor Bituricenſis nomina trium abbatum tribus in ſchedulis ſcripta poſuit ſuper altare, injectaque manu in unam ſchedularum legit Guillelmi Caroli-loci abbatis nomen ; cui electioni cum ipſe reluctaretur, juſſu abbatis ſui (vel Pontiniacenſis, vel forte Ciſtercienſis,) maxime vero præcipiente legato ſedis apoſtolicæ, ſuccedere oneri paſtorali coactus eſt. Sic autem epiſcopale munus implevit, ut monachi propoſitum non deſereret : inter divitias pauper, in honoris eccleſiaſtici faſtigio humilis, inter negotiorum ſtrepitus omni tempore ſilentio ſtudebat & orationi.

Ad ejus virtutis probationem non defuerunt adverſa ; nam ipſo fere epiſcopatus exordio iram Philippi Auguſti regis ſumma cum patientia diu ſuſtinuit. Hinc optimates, etiam ii qui in proſperis eum pro amico habebant & colebant, comminati ſunt ipſi tanquam læſæ majeſtatis reo exſilium, bonorum fiſco addictionem, aliaque graviora. Sed ſtetit immotus inter minas. Præterea eruperunt ſimultates canonicorum contra ſuum archiepiſcopum, quem gravibus contumeliis affecerunt. At Deus pacis diſcordias inter Regem & Sacerdotem exſtinxit, & clericos cum pontifice reconciliavit ; adeo ut illi obtulerint jus conferendi præbendas omnes ; quibus nullatenus conſenſit.

Paulo poſt Guillelmi ſanctitas multis adverſis exercitata, & variis diaboli tentamentis probata, cœpit miraculis illuſtrari quæ recenſere longum eſſet. Fidei ardore flagrans, ad Albigenſium converſionem & catholicorum quos vexabant defenſionem, hortante Innocentio papa III. profecturus, omnibuſque jam paratis ad iter, in febrim incidit paulo ante Epiphaniam ; quo tamen ſacro die populum more ſolito verbi divini pabulo refecit. At vi morbi urgente, domum reverſus ſanctam infirmorum unctionem v. idus Januarii feria ſexta ſuſcepit, & ſacra Euchariſtia paſtus eſt ; die vero x. Jan. ad cœlos evolavit. Hæc compendioſe ex patriarchio Bituricenſi excerpta ſufficiant.

De S. Guillelmi canonizatione hæc habet fragmentum ſeu excerptum veteris chronici Grandimontenſis : *Ademarus prior interfuit concilio generali, quod fuit celebratum ſub Innocentio papa III. ubi ab ipſo petiit canonizationem S. Guillelmi confeſſoris, Bituricenſis archiepiſcopi, quam impetravit, ad teſtimonium tam iſtius prioris, quam aliorum plurimorum religioſorum, & fide dignorum ; quia in quanta ſinceritate mentis, & conſcientiæ puritate vixerit in Grandimonte, Ademarus VIII. prior vir religioſus, adſtantibus archiepiſcopis, epiſcopis, abbatibus, & plurimis aliis, in ſolemni conſiſtorio, coram venerandæ memoriæ Innocentio papa, qui eos ad concilium evocarat, ſolemni & affirmativa in ordine ſuo proteſtatione monſtravit.* Itaque in album ſanctorum relatus eſt S. Guillelmus, poſt inquiſitionem factam de ejus geſtis & miraculis a Guillelmo Autiſſiodorenſi epiſcopo, & a duobus abbatibus Ciſtercienſis ordinis, efflagitante potiſſimum Girardo archiep. S. Guillelmi ſucceſſore. Bulla canonizationis ejus data eſt 17. Maii an. 1218. *Matildis vero comitiſſa ob cultum excellentiſſimi*, inquit, *confeſſoris Guillelmi avunculi ſui, legavit eccleſiæ Bituricenſi duodecim libras Pariſienſes redditus in quæſtura Nivernenſi, ad incendendum cereum perpetuo ante ipſius tumulum, diplomate menſis Julii 1223.* Ejus ſacræ reliquiæ in cineres a Calviniſtis redactæ ſunt an. 1562.

ANNI CHRISTI

LXVIII. GIRARDUS, al. GIRAUDUS.

DE CROS.

Girardus de Cros ante ſuam electionem erat archidiaconus Claromontanus, ex libello ſupplici oblato archiepiſcopo Bituricenſi anno 1195. quod Baluzius exhibet inter probat. hiſtoriæ domus Arvern. Electus eſt ſucceſſor S. Guillelmi eodem anno quo ex hac vita ad immortalem migravit ; id enim eruitur ex charta S. Petri Puellarum, qua Archembaldus decanus confirmat quandam compoſitionem factam inter canonicos S. Petri Puellarum, & Radulfum Sagnoret anno 1209. *domno Gerardo archiepiſcopo noſtro in itinere Romano conſtituto*, quod forſitan aggreſſus erat ad petendam a ſummo pontifice ſuæ electionis confirmationem, aut accipiendum pallium. Anno 1210. menſe Januario Girardus (al. Giraudus) dimiſit priori ſancti Petri Puellarum jus quod habebat percipiendi in craſtino Natalis Domini reſiduum cerei Paſchalis quod habere ſolebat in aliis Bituricæ urbis eccleſiis. Mortuo S. Guillelmo Burdigalenſem archiepiſcopum detrectaſſe ſubdi primatui Bituricenſi conjicimus ex hac epiſtola Philippi Auguſti regis ad papam, qua eum rogat ut ad obedientiam & officium revocet hunc antiſtitem, data anno 1211.

p. 72.

1209.

1210.

1211.

Beatiſſimo in Chriſto patri, & domino Dei gratia ſummo pontifici, Philippus eadem gratia rex Francorum ſalutem, & debitam in Chriſto reverentiam. Eccleſia Bituricenſis, licet tenuis in facultatibus, inter alias tamen regni noſtri eccleſias exiſtit nobilior, cum ſicut veſtra plenius novit paternitas, primatiæ obtineat dignitatem, cujus honorem noſtrum, & regni noſtri proprium reputamus. Cum igitur Burdigalenſis archiepiſcopus prædeceſſorum non ſequens veſtigia, ſe adeo obedientem, & devotum eccleſiæ Bituricenſi exhibere non velit, ſicut iidem prædeceſſores ſui feciſſe noſcuntur, paternitatem veſtram cum quanta poſſumus devotione rogamus, quatenus jus Bituricenſis eccleſiæ intuitu Dei, & precum noſtrarum obtentu conſervare velitis, nec ſuſtineatis, quod tantus honor regni noſtri, circa hoc in aliquo minuatur ; cum ſola Bituricenſis eccleſia in toto regno noſtro primatiæ obtineat dignitatem, in cujus diminutione, (quod Deus avertat) nobis,

ANNI CHRISTI

& regno noſtro non mediocriter reputaretur eſſe detractum. Actum Pariſ. MCC. XI. menſe Maii.

Jam anno proxime elapſo Rex in gratiam Girardi, quem appellat dilectum & fidelem ſuum, decretum fecerat de ſternendis ſaxo plateis civitatis Bituricæ, dato Pariſiis anno MCC. X. *Tab. S. Steph.*

Anno 1211. capitulum Ruthenenſe ad ipſum ſcripſit ut peteret facultatem eligendi epiſcopum; & menſe Julio electus eſt Petrus de Trilia.

Error quem irrepſiſſe credimus in editionem Matthæi Pariſ. Lutetiæ factam anno 1644. & forte in alias, quas non conſului, occaſionem dedit fratribus Sammarthanis ſcribendi Bituricenſem civitatem Albigenſibus hæreticis confœderatam, ſed a Cruceſignatis die feſto S. Mariæ Magdalenæ oppugnatam & ſuccenſam eſſe anno 1214.

At de urbe Biterrenſi hæc ſunt intelligenda non de Bituricenſi, quod facile demonſtrat Matthæi narratio. Nempe poſt expugnatam urbem hanc die feſto S. Mariæ Magdalenæ, *exactiſque ibidem diebus paucis, caſtra inde moventes Cruceſignati in feſto S. Petri ad Vincula pervenerunt proſpere Carcaſſonam.* Quis non intelligat urbem in feſto S. Magdalenæ expugnatam, fuiſſe Carcaſſonæ ſatis proximam; quod de Biturigenſi urbe quis unquam ſomniaverit! clarius id probatur ex verbis quæ ſequuntur: *Uſque adeo autem deterriti fuerunt pravitatis hæreticæ ſectatores* (ex his quæ in urbis Bit. expugnatione facta fuerant) *ut ad montium latibula fugientes, credantur reliquiſſe pluſquam centum caſtra vacua inter Biturum & Caïraſonam*, id eſt Biterras & Carcaſſonam; uti legitur in variantibus lectionibus.

Antequam de bello Albigenſibus a Cruceſignatis moto & illato a Simone Montifortio loqui ſuperſedeamus, juvat dicere quod legimus in hiſtoria Albigenſium Petri Vallium-Cernaii monachi: *Interea*, inquit, *comes nobilis Montisfortis, caſtra quæ apoſtaverant ipſo anno in diœceſi Nemauſenſi fortiter impugnabat. Venerant autem in ejus auxilium Girardus Bituricenſis archiepiſcopus, & Robertus Claromontenſis epiſcopus viri potentes, qui anno præcedenti crucem aſſumſerant contra turbatores pacis & fidei ſubverſores. Venerunt cum eis milites & ſervientes quamplures, quorum auxilio ſuffultus comes, obſedit quoddam caſtrum prope villam S. Egidii*; & infra: *archiepiſc. Bituricenſis & epiſcopus Claromontenſis peracto ſuæ peregrinationis termino, videlicet quadraginta dierum, ad propria remearunt.* c. 84. ad an. 1216.

Id factum legimus anno 1216. anno autem 1217. qui notatur octavus Gerardi, memoratur in veteri charta monaſterii B. Mariæ de Pratea. Albericus notat cum e vivis ſublatum in *via Romana*, hoc eſt cum Romam pergeret, anno 1218. nonis Julii, ex calendario Medii-monaſterii, cui dedit quinque libras Turonenſes pro anniverſario. Eumdem annum obitus ejus aſſignat Guillel. Nangius, apud quem eſt *Giraudus*. Eum Romam profectum fuiſſe autumamus ad impetrandam a ſummo pontifice Guillelmi canonizationem, quæ ſane hoc eodem anno decreta eſt. Floruit autem Girardus doctrina, ſanctitate ac miraculis; nec veretur auctor patriarchii Biturienſis eum titulo Beati ornare.

Huic archiepiſcopo ejuſque ſucceſſoribus in perpetuum prior & capitulum B. Mariæ de Salis ceſſerunt jus conferendi ſuæ eccleſiæ præbendas; attendentes *quod occaſione donationis* (earum) *quæ ad nos*, inquiunt, *pertinebat, multoties inter nos eſſet zelus & contentio.* Ibidem legitur per Geraldum & capitulum, duodenarium præbendarum numerum fuiſſe decretum. Inſtrumentum de hac re in Biturienſi patriarchio editum eſt.

ANNI CHRISTI

LXIX. SIMON I.

DE SULLY.

Simon de Soliaco, Henrici archiepiſcopi Biturienſis nepos, Ægidio II. Soliacenſi domino ex Lucia de Charenton natus eſt. De eo audiendus eſt Albericus in chronico: *Apud civitatem Bituricas poſt S. Guillelmum factus eſt archiepiſcopus Geraldus decanus Claromontenſis, qui poſt novem annos in via Romana deceſſit. Huic ſucceſſit vir honeſtus & nobilis Simon cantor Biturienſis, frater Erkenbaldi de Soilliaco ſuper Ligerim, cujus pater Ægidius, fratres habuit archiepiſc. Henricum, & epiſcopum Odonem Pariſienſem. Horum omnium pater Guillelmus dicitur frater extitiſſe magni comitis Campaniæ Theobaldi; ſed quia nullius valoris fuit & balbus, & quandam nobilem puellam, quæ erat in ſervitio matris ſuæ, filiam domini de Soliaco accepit, ideirco a comitatu alienatus.*

Simon prior erat ſancti Urſini Bituric. quando electus fuit in archiepiſcopum, quod contigit anno 1218. ut diſcimus ex veteri charta ſancti Urſini data præfato anno, in qua legitur: *Simon prior S. Urſini Biturienſis Dei gratia nunc electus Biturienſis, &c.* Et quidem anno ſequenti adhuc Simon alium quam electi non habet titulum, in litteris Honorii papæ, apud Reginaldum. Eodem anno 1218. menſe Septembri, compromittit cum Templi militibus vulgo Templariis de Ulmo Tiaudi, in G. canonicum Biturienſem, ſuper cenſu XL. ſolidorum Andegavenſium. Menſe Decembri ſequenti approbat compoſitionem quam fecerat Odo de Veura prior S. Petri Puellarum. Anno 1219. ſtatuit ut cantor Biturienſis, prior eſſet S. Petri Puellarum, & ut in hac eccleſia quindecim eſſent canonici. Anno 1220. edidit quoque conſtitutionem de numero præbendarum in eccleſia S. Urſini, in qua decernit eſſe XVI. canonicos; priorem, qui duas habet præbendas, ſex presbyteros, quinque diaconos, & totidem ſubdiaconos. Eodem anno menſe Octobri componit inter capitulum S. Urſini, & A. dominam Bellijoci, de capella apud Rondaugeriam. Quo etiam anno, reſcripto Honorii papæ III. facultatem accepit abſolvendi clericos qui vel interdicti vel excommunicati ordines ſuſceperant, vel celebrarant. Aliam bullam ei direxit idem papa, ad primatus Biturienſis confirmationem. Anno 1221. primus inter amicos & *parentes* heredum de Culent, conſenſit acquiſitioni tertiæ partis caſtri Exoldunenſis factæ a Philippo Auguſto rege, qui tres alias partes jam poſſidebat. Pro tertia vero parte hac Rex *quitavit* tertiam partem Caſtri-novi ſuper Carum fluvium, & tertiam partem Marolii, &c. Integram chartam damus inter inſtrumenta. C. XXXIV. col. 21.

1218.

1219.

1220.

Anno 1223. Archembaldus de Borbonio ei 1223.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

fecit hominium [a]. Eodem anno conſenſit ut Galterus Carnotenſis epiſcopus Romæ conſecraret Stephanum electum epiſcopum Mimatenſem. At vero ad ejus laudem maxime pertinet, quod hoc anno diſſidium monachorum Grandimontenſium exſtinxerit, jam a multis annis ortum. Compoſuit quoque controverſiam nepotum ſuorum de Soliaco an. 1225. ut fidem faciunt hujus archiepiſcopi litteræ, quas videſis inter inſtrumenta.

1225. C. XXXV. col. 21.

1226. Anno 1226. die 8. Novembris Ludovicus VIII. Francorum rex in Arvernia occubuit apud Montempenſerium, eique morienti adſtitit Simon archiepiſcopus, cui Rex mandatum dedit procurandæ coronationis filii ſui primogeniti Ludovici, qui fuit Ludovicus IX. eximiæ ſanctitatis rex.

Eodem anno Romanus cardinalis Honorii papæ legatus, concilium celebravit apud Biturigas adverſus Albigenſes, cui interfuere archiepiſcopi Lugdunenſis, Remenſis, Rotomagenſis, Turonenſis & Auſcienſis, quam ſynodum anno 1225. [b] habitam docent Albericus & alii.

Matth. Pariſ.

b

1227. Anno 1227. Gregorius IX. in ſancti Petri cathedra ſedere cœpit, & primo hoc ſui pontificatus anno, ſcripſit gravem epiſtolam ad Simonem de corrigendis & emendandis moribus.

C. XXXVI. col. 21.

Ea forte de cauſa noſter primas indixit concilium in octavis S. Martini celebrandum apud Biturigas, anno 1228. & ad hoc accerſivit Burdigalenſem metropolitanum cum ſuffraganeis.

1228.

Eodem anno 1228. poſt abdicationem Petri Guillelmi epiſcopi Albienſis, Simon ſcripſit ad capitulum Albienſe ut ad locum dictum Rupem-Amatoris (Rocamadour) conveniret faciendæ electionis gratia. Anno 1229. memoratur in charta cellæ ſancti Germani ad Arnonem, menſe Septembri. Anno 1231. querelam inter Durandum epiſcopum Albienſem & Ademarum abbatem Craſſenſem componit.

Tab. eccl. Alb.

Quod autem Simon fuerit adſcriptus inter cardinales cum tit. S. Cæciliæ a Greg. IX. 1232, anno ſedis ultimo, ut ait Petrus Friſon in Gallia purpurata, nihil habetur explorati in tabulis Soliacenſis familiæ, quæ ad ſuum decus non indiget falſis, aut etiam dubiis honorum titulis: quapropter eum in hiſtoria cardinalium omiſere Onuphrius, Ciaconius & alii; quamquam liquido conſtet eum ab eodem pontifice legationis officio in regno Franciæ, diœceſi Lugdunenſi, partibuſque Tranſmarinis fuiſſe decoratum, ut fidem facit diploma datum Viennæ 7. cal. Octob. pontificatus Gregorii an. 4. Obiit M. CC. XXXII. 6. id. Aug. in calendario Medii-monaſterii, cui dedit XX. libras pro anniverſario. Sepultus eſt in metropolis choro ſub lamina ærea his verſibus ornata:

ANNI CHRISTI

1232.

Exuperans hæreſes Simon, en in Præſule Præſes.
Orator, caſtus, patiens, ſine crimine faſtus,
Devotus Chriſto, tumulo requieſcit in iſto,
Bis ſexcentenos octo quater egerat annos,
Chriſtus homo, ſexto Sextiles evolat idus.

Sub hoc archiepiſcopo Archembaldus de Borbonio an. 1228. fundamenta poſuit conventus Fratrum Minorum apud Campum-Aquoſum (Champaigne) ſed vulgi more (Chamaigre.) prope Silviniacum (Souvigny:) quem abſolvit Guido de Dampierre frater Archembaldi in eodem humatus cum Franciſcanorum habitu.

LXX. PETRUS II. DE CHATEAU-ROUX.

Petri de Caſtro-Radulfi notitia debetur Alberico, qui commemorat in chronico ad annum 1232. mortuo Simone archipræſule, poſt tentatas fruſtra aliquas electiones, fuiſſe tandem ſuffragiorum numero ſubrogatum; ſed anno 1234. depoſitum fuiſſe. Quam cauſam eſſe putamus quod omiſſus fuerit omnibus in catalogis præterquam in Gallia Chriſtiana noſtrorum Sammarthanorum. Sane apud Nangium Simonis obitu præmiſſo anno 1232. continuo legitur: *cui ſucceſſit Philippus.*

1232.

LXXI. B. PHILIPPUS. BERRUIER.

B. Philippus Berruier [c] S. Guillelmi archiepiſcopi Bituricenſis nepos, Geraldi & Matthææ filius Turonis ortus, ubi maternum ejus genus nobilitate præſtabat, fratrem habuit Archembaldum cujus, necnon filii ipſius Stephani, mentio fit nonnullis in litteris quæ in camera computorum Bleſis aſſervantur. Primum archidiaconus Turonenſis fuit, cujus urbis oblatum pontifica-

c

[a] Hominium hoc ex tabulis eccleſ. Bituricenſis accipe: *Ego Archembaldus dominus de Borbonio notum facio univerſis præſentes litteras inſpecturis quod teneo in feodum de venerabili patre domino Simone Bituricenſi archiepiſcopo Vilabret, & inde feci ei homagium, & iſſud homagium tenentur facere ſucceſſores noſtri domini Montis-Lucii ſucceſſoribus archiepiſcopis memorati. In cujus rei teſtimonium præſentes litteras munimine ſigilli mei feci roborari. Actum apud Montem-Lucium anno Domini MCC. XXIII. menſe Maio.*

[b] Bituris magnum concilium celebratum eſt pridie calend. Decembris an. 1225. conveneruntque archiepiſcopi Lugdunenſis, Remenſis, Rotomag. Turon. Bituricenſis, Auxitanus; necnon epiſcopi novem provinciarum circiter centum. Quia vero Lugd. archiep. vindicabat ſibi primatiam ſuper archiep. Senonenſ. & Rotomagenſis ſuper Bituricenſem, Auxitanenſem, Narbonenſem (nullus tamen aderat Narbonenſis archiep. ſede tunc vacante) ad vitandam diſcordiam, *non fuit ſeſſum quaſi in concilio, ſed ut in conſilio.* Hoc in conventu frequentiſſimo actum eſt de reſtitutione ditionis Raimundi comitis Toloſani qui aderat. Vide tom. XI. concil. p. 291.

Hoc in concilio Romanus cardinalis tit. S. Angeli legatus S. Sedis, ex parte domini papæ per totum Franciæ regnum, petiit fructus duarum præbendarum in unaquaque abbatia, & in qualibet eccleſia cathedrali, & in aliis eccleſiis conventualibus fructus unius præbendæ, ad ſummi pontificis uſus in perpetuum retinendos. Cui cum aliqui epiſcoporum jam conſentirent, capitulorum nuntii iis omnibus coram legato & coram omnibus obviarunt. Adjecerat legatus, quod dominus papa duobus epiſcopis dederat in mandatis, quod ad dictum quatuor abbatum, quos ad viſitandas abbatias totius Franciæ, & ad corrigendos exceſſus earum deſtinaverat, abbates deponerent univerſos. Quo audito archiepiſcopi & epiſcopi, ſe per hoc in abbatiis juriſdictionem omnimodam perdidiſſe videntes, ſe hoc numquam quamdiu viverent, conceſſuros, unanimiter reſponderunt, & ſic præcepta apoſtolica tam de præbendis quam de depoſitione abbatum in pendulo remanſerunt. Hæc chronicon MS. Turon. tom. XI. concil. col. 291. vide quoque Matth. Pariſ. ad an. 1226.

[c] In martyrologio Oſivetano ad ſeptimum idus Octobris lego anniverſarium Archembaudi Berruers militis qui dedit in helemoſynam tres ſextarios ſiliginis ad menſuram Firmitatis-Hymbaudi, &c. pro ſuo anniverſario ſingulis annis faciendo, ut habetur in charta Philippi Bituric. archiepiſcopi ejuſdem fratris anno 1252.

Stephanus Berruers, armiger, filius dicti Archembaudi, dedit tres alios ſiliginis ſextarios pro ſuo anniverſario celebrando. Ex dicto martyrol. ad v. idus Septemb.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

tum recuſavit. Deinde votis cleri Aurelianenſis poſtulatus in epiſcopum, obtemperavit ægre, unctuſque eſt a Petro antiſtite Senonenſi. Cumque annis quatuordecim præfuiſſet ſumma cum laude, a Gregorio IX. ad archiepiſcopatum Bituricenſem promotus eſt; non tamen anno 1234. ut teſtatur chronicon Lemovic. quod laudant Sammarthani, ſed paulo tardius; quando quidem anno 1235. decanus & capitulum Lemovic. v. cal. Febr. facultatem petunt a capitulo Bituric. *ſede vacante*, eligendi epiſcopum poſt obitum Guidonis de Clauſellis ſeu de Combornio; ex tab. Bitur. Legimus etiam in tabulario Maſciacenſi Iterium officialem capituli Bitur. ſede vacante approbaſſe venditionem factam Maſciaco an. 1235. menſe Octobri.

Certe omnia vetera monumenta tradunt ſedem diu vacaſſe; quo tempore tamen pro archiepiſcopo ſe geſſit, & a nonnullis habitus eſt Petrus de Caſtro-Radulphi *, ut credere par eſt poſt Alberici ſcriptoris cœvi teſtimonium; porro non liquet quo tempore Philippus eccleſiæ Bituricenſis regimen ſumſerit. Electum archiepiſcopum ſe nuncupat in charta Floriacenſi data in craſtino feſti S. Bartholomæi anno 1236. Anno 1238. electus eſt judex inter Juhellum archiep. Turonenſem & capitulum S. Martini, in controverſia de juriſdictione ſpirituali ſuper abbatiſſam & monaſterium Belli-montis apud Turones.

Eodemque anno legitur confirmaſſe Guidonem de Turre in epiſcopum Claromontenſem. Anno 1239. tranſtulit reliquias S. Urſini, non anno 1240. Eodem anno Archembaudus de Borbonio juravit ei fidem. Anno 1240. Gregorius IX. papa ad ipſum ſcripſit ut conſecrationis munus impenderet magiſtro Durando præpoſito S. Juniani, electo in Lemovicenſem epiſcopum. Litteræ pontificiæ datæ ſunt apud Cryptam-Ferratam calendis Auguſti anno XIV. ipſius pontificatus.

Paulo antea, videlicet quarto nonas ejuſdem anni, Jacobus Prænestinus epiſcopus, Sedis apoſtolicæ legatus, litteras dederat de diviſione procurationum, quas archiepiſcopus Bituricenſis habere debet in provincia Burdigalenſi. Decreti autem ea de re facti, quo videlicet 50. procurationes huic primatui conceduntur, exſecutio demandata eſt decano & archipresbytero Turonenſi. Per procurationes vero intelligitur jus hoſpitii.

Anno quoque 1240. menſe Auguſto legitur aſſignaſſe annuos redditus *Domui Dei* ſeu pauperum de Cantela, & in inſtrumento ad id confecto primatem Aquitaniarum ſeſe dixiſſe. Anno 1245. fundatur apud Montem-Lucionem * conventus Fratrum Minorum, ab hujus loci civibus, ex bulla Eugenii IV. Ipſe archiepiſcopus legitur fratribus Prædicatoribus ædes in ſua urbe fabricari curaſſe ope Blancæ filiæ comitis Joviniaci.

Item anno 1245. adfuit concilio generali Lugdunenſi, & poſtea profectus eſt adverſus Saracenos cum rege Francorum, archiepiſcopis Remenſi, & Senonenſi, aliiſque præſulibus Crucefignatis. Anno tamen 1246. jam redierat, & in ſua diœceſi morabatur, Dominica poſt feſtum S. Lucæ; quo videlicet relevavit corpus B. Euſicii confeſſoris, in monaſterio quod ipſius S. Euſicii cella dicitur, ut fidem faciunt ejuſdem litteræ. Anno 1247. menſe Maio, in eccleſia S. Petri Puellaris reſidentiam inſtituit ad modum eccleſiæ matricis.

Anno 1248. dedicavit in palatio Pariſienſi ſanctam capellam inferiorem, menſis Aprilis die XXV. * quo tempore Odo, al. Otho cardinalis de Caſtro-Radulfi Tuſculanus epiſcopus conſecrabat ſuperiorem. Anno 1249. fuit electus a Rege *ad pacificandum diſcordias* inter ducem Borbonii, & Robertum Arverniæ. Quapropter compoſitioni inter ipſos factæ die Jovis ante feſtum apoſtolorum Philippi & Jacobi interfuit, & rogatus huic inſtrumento ſigillum ſuum appoſuit, ex Baluzio. Anno 1251. confirmat quædam ſtatuta capituli S. Auſtregiſili de Caſtro.

Annis 1252. & 1254. memoratur in chartis monaſterii Maſciacenſis. Hoc anno 1254. ſacramentum a B. Albienſi epiſcopo accepit, quo pollicitus eſt homagium ſe redditurum pro urbe Albienſi ejuſque appendicibus ſi deberi probaretur. Eodem anno Innocentius, papa IV. pontificatus ſui anno XI. Philippo permiſit diſpenſare ſuper irregularitate pauperum clericorum, habita de ejus circumſpectione plena fiducia. Anno 1256. Robertus filius ſancti Ludovici regis naſcitur, quem noſter Philippus baptizavit, & Humbertus magiſter generalis ord. Prædicatorum de ſacro fonte ſuſcepit. Anno MCC. LVIII. B. Philippus adhuc memoratur in tab. collegiatæ eccleſiæ S. Cyrici Exoldun. Denique pius præſul, qui fuſius laudatur in annalibus eccleſiæ Aurelianenſis; cujus zelus paſtoralis, charitas, ceteræque virtutes pluribus abhinc annis in provincia Bituricenſi celebrantur, ubi viget ſanctitatis ejus opinio miraculis crebris aſſerta, ad Dominum migravit an. MCC. LX. circa feſtum Epiphaniæ, *beato fine*, inquit Guillelmus Nangius, *cujus ſanctitatem diverſis ſignis & miraculis declaravit*. Sepultus eſt in choro ante aquilam æneam, cumhac inſcriptione:

Mole ſub hac lapidis ſacrata ſede ſedentis
Philippi Bituris oſſa beata jacent.
Clarus in orbe fuit, pauper ſibi, pauperis altor,
Carnem mire domans aſſiduis precibus,
Vivus, humoque jacens, medicamen præſtitit ægris,
Eſt ſibi nunc crebris laurea pro meritis.

1236. 1238. 1239. 1240. 1245. 1246. 1248. 1254. 1256. 1258. 1260.

LXXII. JOHANNES I.

DE SULLY.

Audita Philippi morte Alexander papa IV. bullam direxit ad priorem fratrum Prædicatorum, & ad guardianum Fratrum Minorum apud Biturigas, facultatem eis concedens abſolvendi ca-

* De Chateau-Roux.

Samm.

Archiv. S. Martini. C. XLIV. col. 26. C. XXXIX. col. 23.

C. XXXIII. col. 20.

* Mont-Laçon.

Prob. hiſt. Dom. Arv. p. 106.

* In hiſtoria MS. S. capellæ lego: XXVI. *Aprilis die Dominica in qua cantatur* Quaſimodo. Sed cum hoc anno Paſcha eſſet die 16. Aprilis, Dominica Quaſimodo incidit in diem 23. Aprilis.

ANNI CHRISTI

nonicos a cenſuris eccleſiaſticis, ne propter hoc impedimentum futuri archiepiſcopi retardaretur electio; porro bulla hæc Alexandri data eſt Lateranis XIII. cal. Martii, pontificatus ejus anno VII. Electus autem eſt Johannes de Soliaco Simonis Bituricenſis archiepiſcopi nepos ex fratre Archembaldo II. Soliaci domino; matrem habuit ex illuſtri genere Mariam de Dampierre, nam in quadam charta nobilis vir Guido de Dampierre frater Mariæ dicitur ejus avunculus. Johannes proximam pontificali dignitatem obtinebat in hac eccleſia; decanus enim erat, quando electus eſt in archiepiſcopum. Porro initium ejus pontificatus eruitur ex charta ejuſdem data *anno* MCC. LX. *die Veneris poſt ignes* [a], hoſt eſt non longe ante Paſcha, quo annus 1261. incipere debebat.

1262. Anno 1262. tertio calendas Maii ſcripſit ad epiſcopum Albienſem, ut in octava feſti Pentecoſtes veniret Bituricas homagium facturus. Anno ſequenti concilium provinciale indixit celebrandum die Lunæ proximo poſt feſtum omnium ſanctorum; ad quod vocatus Petrus de Roſcida-Valle, Burdigalenſis archiepiſcopus, reſcripſit Johanni & ejus provinciæ epiſcopis, ſe minime poſſe adeſſe, cum teneretur Pariſios accedere in octavis S. Martini hyemalis, ubi Ægidius Tyrenſis epiſcopus apoſtolicæ Sedis legatus concilium tunc celebraturus eſſet; cui intereſſe juſſus fuerat. Hic obſervandum eſt Petrum de primatu Bituricenſi, cui ſubjectus foret minime contendere. Et quidem anno ſuperiori die feſto ſancti Gregorii duo archiepiſcopi, Johannes Bituricenſis & Petrus Burdigalenſis, ſcripſerant Urbano papæ IV. humiliter deprecantes quatenus certas ſententiæ a Gregorio IX. latæ conditiones, ſuper ipſorum querela de primatia, quæ Bituricenſi eccleſiæ adjudicata fuit, explicare dignaretur, uti legimus in tabulis Albienſis epiſcopatus. Credere autem par eſt Urbanum explicationes a ſe petitas libenter dediſſe, ut omnes contentionum occaſiones præfocaret.

C. XL. col. 24.

C. XXXVI. *inter inſtrument. eccleſiæ Burdegalenſ. col. 293.*

Et quidem Johannes viſitavit provinciam Burdigalenſem; exceptuſque fuit in eccleſia Pictavienſi ab epiſcopo & capitulo, ad majus altare celebravit cum pallio, orationem habuit e ſacro ſuggeſtu, indulgentiaſque conceſſit; quod & Santonis fecit, & in ipſa metropolitana S. Andreæ eccleſia apud Burdigalam; quæ urbs cum tunc interdicto ſubjecta eſſet, quia quidam homicidii accuſatus ex baſilica S. Severini vi abſtractus fuerat; ab eo fuit abſoluta per archiepiſcopum Burdigalenſem, Johanne primate præſente. Sola eccleſia S. Hilarii Pictavienſis noluit eum recipere in hac provinciæ Burdigalenſis luſtratione; quapropter ſententiam interdicti in eccleſiam & canonicos tulit, quam confirmavit Clemens papa IV. bulla data Peruſii
1265. pridie calendas Auguſti anni 1265. qui dicitur annus 1. ejus pontificatus. Eodem anno ipſe &

[a] Ignes hic ſignificant *brandones*. Sic olim noſtri appellabant primam Quadrageſimæ hebdomadam, quod prima ejus die ſub veſperum pueri faces accenderent. Brandones vero dicti a *Brand* voce Germanica quæ ſignificat incendium. Priſtinum morem adhuc retineri & obſervari nonnullis in locis maxime in Burgundia audimus.

Guido ep. Clarom. compromittunt de injuriis invicem acceptis & illatis ſuper juriſdictione eccleſ. Anno 1266. menſe Martio confirmavit manumiſſionem conceſſam hominibus de Culento a Renulfo de Culento milite, Caſtri-novi ſuper Carum domino, & a Petro dynaſta S. Palladii; qua videlicet immunitas eis concedebatur a *tallia*, vectigalibus, & quibuſlibet oneribus. Eodem anno concilium provinciale indixit, apud Montem-Lucium. Corpus S. Aigulfi martyris tranſtulit ex lapideo ſepulcro, in novam capſam elegantiorem, anno 1269. die Dominica qua cantatur *miſericordia Domini*, *&c.* Eodem anno die Dominica in octavis reſurrectionis Domini, tranſtulit corpus S. Sigiranni; ut videbimus in S. Sigiranno. Anno ſequenti alia facta eſt ejuſdem corporis tranſlatio ex capſa lignea in cupream, ut eruimus ex veteri codice a V. C. Johanne Alebat priore S. Urſini nobis communicato. Hoc item anno menſe Septembri ratam habuit donationem Drogonis de Borbonio canonici Bituricenſis & capicerii Carnotenſis factam Agneti de Borbonio.

ANNI CHRISTI

1266.

C. III. col. 2.

C. LIII. col. 45.

1270.

Johannes ex hac vita migravit anno 1271. ut docet chronicon Lemovicenſe S. Stephani. Ex charta monaſterii B. Mariæ Exoldunenſis ſedes vacabat anno MCC. LXXI. menſe Aprili; cui concinit charta anni 1272. in octavis hyemalibus feſti S. Martini *ſede Biturica tunc vacante.* Sane hic epiſcopatus erat in regalia ſaltem a nativitate B. Johannis Baptiſtæ anno 1272. uſque ad idem feſtum 1273. & a feſto B. Mariæ aſſumtæ in cœlum 1274. uſque ad idem feſtum 1275. & a feſto nativitatis B. Mariæ 1275. uſque ad feſtum idem 1276. ut colligitur ex regiſtro Roberti Mignon, & accepimus a viro erudito ac veri ſtudioſiſſimo.

1271.

LXXIII. GUIDO.

DE SULLY.

Guillelmus Nangius, qui mortem Johannis de Soliaco differt uſque ad an. 1273. docet ipſi ſubrogatum fuiſſe magiſtrum Guillelmum de Ponte-Chevron decanum Pariſienſem, qui *nec confirmatus nec conſecratus defunctus eſt. Cui ſucceſſit Simon de Bello-joco* (leg. Bello-loco) *in Bria, Carnotenſis archidiaconus.* Sed gravis eſt error Nangii nunc a nobis refellendus. Innocentius V. qui ſedit tantum per quinque circiter menſes, miſericordia motus erga ſtatum luctuoſum Bituricenſis eccleſiæ, quando quidem a pluribus annis jacebat deſtituta paſtore, unde gravia jam orta fuerant ſcandala & longe plura impendebant; ipſi præfecit Guidonem de Soliaco, quem electum vocat; moxque ipſum Francorum regi commendavit; *quem*, inquit, *ſuis claris exigentibus meritis, benevolentia proſequimur ſpeciali.* Quare rogat Regem ut eidem dimittat regalia. Chartam damus inter inſtrumenta.

Geſta Philippi III. regis; collect. Quercet. tom. V. p. 528.

C. XLI. col. 24.

Guido Johannis deceſſoris ſui frater, & Henrici I. domini de Soliaco magni Franciæ buticularii, in ordine Fr. Prædicatorum vota emiſerat, & prior erat in conventu Pariſienſi, quando anno 1276. XV. cal. Junii ſummus pontifex eum aſſumſit in paſtorem & archiepiſ-

1276.

ANNI CHRISTI

copum, uti ipſe teſtatur, in bulla data Laterani vi. cal. Junii, ſui pontificatus anno 1. [a] Eodem anno pridie idus Januarii accepit pallium ſibi oblatum a Guidone Claromontenſi epiſcopo, & abbate Dolenſi, in eccleſia S. Vincentii de Cantella. Statimque ſacramentum fidelitatis emiſit, contentum in ejus epiſtola ad Johannem papam

C. XLII. col. 25. XXI. quam damus inter inſtrumenta.

Eo anno etiam ante ſuſceptum a Guidone pallium, habitum eſt Avarici Biturigum concilium; ſed ei non præfuit hic archiepiſcopus: aderat enim Simon cardinalis, Johannis papæ legatus. Anno quoque præfato Iſabellam de Monte-berulfo vicecomitis Ventadorienſis uxorem, ejuſque terram ab interdicto & cenſuris abſolvit. Anno ſequenti

1277. ſigillum appoſuit conſtitutionibus ab hoc legato editis. Anno 1278. interfuit concilio apud Aureliacum habito, cum Guidone Clarom. G. * Lemovicenſi, S. * Mimatenſi, R. * Ruthenenſi epiſcopis.

* Girberto. * Stephano * Raimundo.

Lego apud Sammarthanos, conceſſam a ſummo pontifice fuiſſe Guidoni facultatem conferendi beneficia extra ſex menſes vacantia. *Datum pridie cal. Decembris anno 1. pontificatus ipſius.* Hæc ignoravit auctor patriarchii Bituricenſis. Anno 1279. die Lunæ ante feſtum omnium Sanctorum pernoctavit apud *Roſſac*, qui eſt prioratus a ſancti Martialis abbatia pendens: at ne aliquid detrimenti monachi S. Martialis inde paterentur, dedit chirographum quo notum faciebat omnibus ſe *declinaſſe* ad hunc locum, non ex jure, ſed ex gratia præpoſiti, & *in propriis expenſis* hac in cella pernoctaſſe. Hoc in chirographo Guido ſe fratrem

Arch. S. Martial.

1280. præfatur. Obiit anno 1280. menſe Martio, ſepultuſque eſt apud Dominicanos fratres ſuos. Sepulchro affixa eſt brevis hæc inſcriptio, ante majus altare ubi poſitum fuit cadaver ſub tumulo lapideo:

HIC JACET

Frater Guido, nobilitatis ſpeculum; cunctis exemplum fuit, in ſæculo puer purus, in clauſtro morum gravitate maturus, lector utilis, prior amabilis, in dignitate præſul humilis, benignus omnibus, largus muneribus, ſibi parcus. Obiit anno MCC. XXC. III. nonas Martii, IX. [b] *ejuſdem menſis ſepelitur.*

[b]

Hoc vero anno facta non fuit electio ſuc-

1280. ceſſoris, imo anno 1281. vacabat adhuc, ut fidem faciunt regiſtra cameræ computorum Pariſienſis; ex quibus liquet eccleſiam Bituricenſem tunc regaliæ ſubjectam fuiſſe. De hoc præſule honorifice loquuntur ſcriptores omnes qui de viris illuſtribus & ſanctis ordinis ſancti Dominici egerunt:

De ipſo hæc habet codex MS. bibliothecæ fratrum Prædicat. Toloſan. *Frater Guido de Soliaco electus fuit in archiepiſcopum Bituricenſem, & per dominum Innocentium papam qui eum optime noverat, exſufflata contradictione frivola quorumdam paucorum, exſtitit celeriter & feliciter confirmatus in archiepiſcopum, patriarcham primatemque Aquitaniæ; (hiis enim tribus dignitatibus præeminet qui in illa ſede a multis ſanctificata ſedet) anno Domini 1276. erat autem tunc prior Prædicatorum Pariſius, germanus frater domini Johannis de Soliaco, cui ſucceſſit in archiepiſcopatu memorato; fuitque dominus iſte frater Guido humilis & ſublimis: ſublimis quidem carne, ſed mitis & humilis corde: in rebus Dei conſtans atque magnanimus. Hic obiit Bituris anno Domini 1280. epiſcopatus vero ſui anno quinto.*

ANNI CHRISTI

LXXIV. SIMON II.

DE BLAULIEU.

Poſt Guidonis mortem canonici Bituricenſis eccleſiæ convenientes ad electionem ſucceſſoris faciendam, viam compromiſſi ceteris præferre conſtituerunt. Itaque in Johannem de S. Verano, & alterum Johannem de Eculento compromiſerunt, quibus omne electionis negotium committerent, qui e gremio capituli elegerunt Johannem de Soliaco concanonicum ſuum. At hic electus *conſtitutus* in præſentia Martini IV. *juri, ſi quod ſibi ex electione hujuſmodi competebat, ſponte ac libere in manibus* pontificis *reſignavit. Cujus reſignationem admittendam* duxit Martinus. Itaque ne diuturna vacatione Bituricenſis eccleſia damnum pateretur, elegit magiſtrum Simonem de Belloloco *magnis ſcientiarum dotibus præditum, converſationis laudabilis honeſtate decorum, morum elegantia redimitum, & aliis diverſis & variis gratiis ac virtutibus inſignitum ac refulgentem.* Hæc C. XLVII. col. 25. nos docent litteræ ipſæ pontificiæ ſcriptæ decano & capitulo Bituricenſi, datæ x. calendas Januarii anno 1. ejus pontificatus, qui anno Chriſti 1281. eſt inchoatus, quas ex chartario archiepiſcopali eruimus. Similes litteras idem pontifex ſcripſit ſeorſim populo civitatis, tum clero civitatis & diœceſis, tum denique vaſallis eccleſiæ Bituricenſis, ut omnes Simoni electo obedirent.

Simon cognomen acceperat a Bello-loco in Bria Campaniæ vicina, diœceſis tamen Senonenſis, ubi natus erat ex nobili familia. Corrupte vero apud Guillelmum de Nangis de geſtis Philippi III. regis cognominatur *de Bello-joco.* Archidiaconorum Carnotenſem ipſum fuiſſe legitur in eodem Nangio. Addunt Sammarthani fratres Simonem ſimul potitum archidiaconatu Pictavienſi, adhucque fuiſſe canonicum S. Martini Turon. & Bituricenſis eccleſiæ; idem dicit de duplici canonicatu Claudius Robertus, quod repugnare videtur ſanctitati morum quæ tribuitur Simoni, unde vero id ſumtum neſcimus.

Paulo poſt ſuam inaugurationem hic archiepiſcopus ſynodum provincialem indixit & celebravit anno 1282. Anno ſequenti Pariſiis in par-

1282. lamento omnium Sanctorum cum aliis præſulibus ſedit ad judicandum de comitatu Pictavienſi, uti refert Tilius. An. 1283. ſcripſit ad ſummum pontificem in gratiam canonicorum Albienſium, qui regularem ſtatum mutare geſtiebant. An. 1284. viſitavit Burdigalenſem provinciam jure primatus

[a] Docent Sammarthani fratres Guidonem adhuc appellatum electum in charta Agnetis Borbonii dominæ anno 1276. ante feſtum S. Martini. Quod fieri non potuit ſi de feſto ſancti Martini menſe Novembri agatur. Nam tunc etiam litteris pontificiis confirmatus fuerat, etſi pallium nondum accepiſſet.

[b] Incœpit regalia a die Mercurii poſt Dominicam *Reminiſcere*; ex regiſtr. cam. comput.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

ſui in Aquitania, aſſiſtentibus ipſi Johanne abbate S. Sulpicii Bitur. domno Guidone de Noailles capicerio Pictavienſi, fratribus Simone Palin & Johanne de ſancta Severa ord. Minorum & aliis. Fragmenta actorum hujus viſitationis factæ in diœceſi præſertim Lemovicenſi, apud Bellolocum, villam de Bellegarde, &c. habes tom. 3. analect. Mabill. pag. 505. *Poſt feſtum S. Martini hyemalis, die Lunæ*, ut ibidem legitur, *venit apud Telliacum, ubi fuit ſecum domnus epiſc. Carnotenſis, qui de patria ſua venerat obviam corpori ..... Philippi regis*, videlicet Philippi tertii cognomento Audacis, qui Perpiniani in bello adverſus Aragones mortuus [a] erat anno 1285. Hujus principis funus excepit Simon Biturigis, ſpectaculum ſane lacrymis dignum, in quo novus rex Philippus IV. dictus *pulcher* viſebatur propriis humeris corpus patris deferens, qui idem olim officium præſtiterat patri ſuo S. Ludovico. Sequebantur funebrem pompam Otho Burgundiæ comes & alii principes. Regi mortuo parentavit in ſua eccleſia Simon, ſacraque celebravit præſentibus Carnotenſi & Cadurcenſi epiſcopis.

[a] De die variæ ſunt ſententiæ; aliis diem 15. Septembris, aliis 23. ejuſdem menſis, aliis diem 6. Octobris decernentibus.

De diſciplina eccleſiaſtica vel reſtauranda, vel conſervanda ſollicitus hic præſul, aſſiduus erat aut in perluſtrandis non ſolum ſuæ diœceſis, vel etiam provinciæ ſuæ eccleſiis, ſed etiam iis quæ ad ſuum primatum pertinebant: aut in celebrandis conciliis. Anno 1286. feria v. poſt octavas nativitatis B. Mariæ habuit Bituricis provincialem ſynodum cum G. epiſcopo Lemovicenſi, R. Cadurcenſi, R. Ruthenenſi, & B. Albienſi. Adfuit G. Mimatenſis tantum per vicarium ſuum generalem. Quo in cœtu inter cetera cautum eſt, ne quis clericus apud ſe haberet ſuſpectas mulieres.

Tab. epiſc. Alb.

Anno 1290. feria IV. poſt feſtum S. Michaëlis aliud concilium habuit provinciale apud Nobiliacum, ad quod convenerunt iidem epiſcopi, addito Claromontenſi; Mimatenſis autem ſatis habuit mittere vicarium ſuum generalem. Hic epiſcopus erat celeberrimus Guillelmus Duranti *ſpeculator* dictus, ſuis ſcriptis ſatis notus.

Tab. epiſc. Alb.

Tunc ſedebat Romæ Nicolaus papa IV. qui anxius de bello contra infideles Eccleſiæ hoſtes gerendo, bullam dedit calendis Auguſti anno quarto ſui pontificatus, qua Chriſtianos vehementer hortabatur ad hoc bellum ſacrum: qua accepta Simon ad ſuos ſuffraganeos ſcripſit, eos hortatus ut ſummo pontifici morem gererent. Ejus autem litteræ datæ leguntur in feſto S. Andreæ anni 1291.

Ibid.

Eodem anno Raimundus epiſcopus Cadurcenſis ipſi ſcripſit in hæc verba: *Paternitatem veſtram nobis cariſſimam requirimus & rogamus, quatenus hac inſtante die Sabbathi, ubique vos eſſe in noſtra diœceſi contigerit, omnes ſi placet ordines celebretis, & omnia alia faciatis nomine veſtro, & noſtro, quoad veſtram pertinet dignitatem, nos ſi placet habentes bene excuſatos quod vobis tarde ſcribimus, cum hoc inſtanti die Veneris tarda hora ubi vos eratis, ignorabamus omnino; ſcientes, reverende pater, quod ad vos habuiſſemus acceſſum, ſi equitare poſſemus. Valeat veſtra paternitas per tempora longiora.* A

Datum Cadurci die Veneris poſt Dominicam qua cantatur Lætare, *an. Chriſti* MCC. XCI. Simon vero ſic ei reſcribit. *Cum nos hac inſtanti die Veneris ante Ramos palmarum ad veſtram eccleſiam proponamus cauſa ibidem officium viſitationis exercendi, favente Domino declinare, mandamus vobis quatenus dicta die procurationem nobis debitam præparetis, &c.*

Ultima ſynodus a vigilantiſſimo antiſtite indicta, eſt Aureliacenſis. Porro litteræ ejus quibus Ademarum epiſcopum Claromontanum ad eam vocat datæ ſunt Sabbato poſt octavas S. Magdalenæ. Synodus autem celebranda erat Dominica poſt feſtum S. Matthæi anni 1294. Paulo poſt eodem anno, legimus cum donatum fuiſſe epiſcopatu Præneſtino & factum cardinalem. Atque hoc ipſo anno, incæpiſſe regalia a die Veneris poſt feſtum S. Luciæ, uſque ad diem S. Martini æſtivalis. At iis obſtant litteræ Simonis archiep. & epiſcoporum provinciæ Bituric. quibus concedunt Regi decimam proventuum eccleſ. ad duos annos, datæ an. 1295. & aliæ ipſius Regis, quibus vetat quicquam exigi ultra ſubventionem hanc. Exſtant hæ litteræ in archivo epiſcopi Claromont. ex quibus liquet Simonem adhuc archiepiſcopum fuiſſe hoc an. 1295. B 1294.

Poſt S. Cœleſtinum, a quo Simon de Belloloco creatus eſt Præneſtinus epiſcopus & cardinalis, aliquot menſibus elapſis, Bonifacius VIII. Romanam conſcendit cathedram; qui Simonem cardinalem miſit in Gallias cum cardinali Albanenſi ad pacem inter Francorum & Anglorum reges conciliandam. Sed re infecta reverſus eſt in Italiam. *Urbe veteri anno 1297. die 18. Auguſti ad meliorem vitam tranſiit, ubi conditus eſt ante aram majorem eccleſiæ S. Franciſci cum epitaphio in tabula marmorea exarato, nunc prætereuntium pedibus fere exeſo; unde vix legi poteſt. Ex iis tamen quæ ſuperſunt ſatis intelligitur Simonem fuiſſe cardinalem & epiſcopum Præneſtinum; ac mortuum eſſe anno 1297. die 18. menſis Auguſti: viſuntur ibidem inſignia gentilitia quæ in Gallia Chriſtiana Sammarthanorum & in Purpurata Friſoni viſuntur. [b] C D

* Orvieto

b

Exſtat in eccleſia Joyacenſis monaſterii ante majus altare, cenotaphium noſtri Simonis cum hoc epitaphio: E

Quem lapis iſte tegit, Simon virtute ſubegit,
Juſtus perfidiam, largus avaritiam.
De Bello, fuit iſte loco, primas Aquitanus.
Ex dono meriti, prælatus Bituricanus,
Fit Carnotenſis prius archi. Bituricenſis.
Poſt fit prælatus, cardine fine datus.
Tres annos demas tantum de mille trecentis,
Et poſt quindenam matris domini Morientis,
Lunæ quære diem; tunc habuit requiem.
Qui legis hic plores & Chriſtum dulcitur ores.
Tranſeat examen, & requieſcat, Amen.

[b] Scilicet *De ... a la faſce chargée d'un lion coupé, & 7. beſans en pointe 3. 3. & 1. en pointe.* alii dicunt, *d'azur à 6. beſans d'or 3. 2. & 1. & en chef d'argent chargé d'un lion iſſant de ſable armé & lampaſſé de gueules.*

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

Primus epitaphii verſus perſuadere videtur corpus Simonis jacere in eccleſia Joyacenſi *quem lapis iſte tegit.* At in ſimilibus cenotaphiis non raro legimus : *Hic jacet*, aut aliquid idem ſonans; quamvis conſtet eſſe vacuum & umbratile ſepulcrum memoriæ defuncti dicatum. Multa beneficia contulerat hic archiepiſcopus Joyacenſi monaſterio Ciſtercienſis ordinis ; unde ut perennaretur tanti benefactoris memoria, Joyacenſes hoc monumentum ipſi poſuere. Eadem ratione anniverſarias pro eo preces fundunt. Commemoratio ejuſdem fit in Carnotenſis eccleſiæ necrologio ad IV. cal. Novembris.

COLOMNE

LXXV. ÆGIDIUS.

a

Ægidius [a] Columna, vulgo dictus *de Roma*, ob patriam ; Romanus enim erat ex gente Columna apud Italos antiquitate ac nobilitate, militarique laude præſtantiſſima, adoleſcens in ſodalitium Eremitarum S. Auguſtini admiſſus eſt, apud quos plurimum in litteris profecit. Pariſiis præſertim ſub Divo Thoma Aquinate ſacris litteris operam dedit, fuitque doctrinæ magiſtri ſui defenſor acerrimus, uti & Auguſtinianæ. Ob ſingulares animi dotes, pietatem, eruditionem electus eſt prior generalis in ordine ſuo anno 1292. & biennio poſt creatur Bituricenſis primas a Bonifacio VIII.

Quando S. Cœleſtinus papa Simonem de Bello-loco a ſede Bituricenſi amoverat, ut cum Prænestinæ præficeret, Johannem de Savigneio deſignarat archiepiſcopum Bituricenſem. At poſt Cœleſtini abdicationem, Bonifacius papa ipſi ſubrogatus, rejecto Johanne, promovit ad hanc cathedram Ægidium bulla data an. 1. ſui pontificatus, eumque commendavit regi Franciæ adverſus Johannem ; ut eruitur tum ex regio apud Pariſios chartophylacio, tum ex cameræ rationum promtuario, ubi de regalia eccleſiæ Bituricenſis a die Veneris poſt feſtum S. Luciæ uſque ad feſtum S. Martini æſtivalis * ratio redditur ; ceterum in hac controverſia Ægidius Romanus ſuperior fuit & archiepiſcopatum obtinuit, optimatibus quidem ægre ferentibus [b] quod papa ſic alienigenis epiſcopatus Galliæ traderet, ſed Rege maxime approbante, qui pædagogum habuerat Ægidium. Hinc opus ſuum *de regimine principum*, huic nuncupavit principi, cujus juſſu fuerat elucubratum. Eundem Lutetiam adventantem poſt unctionem & inaugurationem ſuam Remis factam, & ſolemni pompa ingredientem, nomine Univerſitatis ſtudiorum, oratione luculenta ſalutavit, quam Paulus Æmilius l. 1. de geſtis Francorum, & 8. hiſtoriæ recitat : in ea autem, de juſtitia, præcipua virtute Regis Chriſtianiſſimi, aperte diſſerit.

Threſor des Ch.

* al. hyemalis.

b

[a] Appellatur Ægidius Auguſtini, in regiſtro Roberti Mignon. Ubi de regalia eccleſiæ Bituricenſis inter Simonem de Bello-loco & noſtrum Ægidium ; *Ex dom. du Fourny.*

[b] Expoſtulatoriis ea de re nobilium Galliæ litteris reſpondendo Romani cardinales ſic loquuntur : *Noſtræ quoque memoriæ non occurrit quod cathedralibus eccleſiis dicti regni providerit (Bonifacius) de perſonis Italicis niſi Bituricenſi & Atrebatenſi eccleſiis, quibus de perſonis providit ipſis Regi non ſuſpectis & regno, quorum eminens ſcientia late patet, nec ſunt conditiones eorum incognitæ. Multis vero aliis eccleſiis cathedralibus providit de perſonis oriundis de regno prædicto, nec Regi, nec regno prædictis probabili ratione ſuſpectis.*

Cum talis tantuſque foret Ægidius, ad eam tamen paupertatem redactus eſt (uti refert Nangii continuator) propter deprædationes auctoritate pontificia in eccleſia Bituricenſi factas (aliis non mitiori ſorte utentibus) *ut tamquam unus de ſuis ſimplicibus canonicis, ad percipiendum quotidianas diſtributiones pro vita neceſſariis, horas eccleſiaſticas frequentare coactus ſit.* Nunc adſcribamus quæ de eo chartæ nobis ſuppeditant. ANNI CHRISTI

Tom. xi. Spicil. p. 620.

Anno 1294. ſynodus apud Aureliacum habita eſt, in qua conceſſæ ſunt regi Franciæ Philippo cognomento *pulcro* quædam decimæ ; hoc eodem anno ibidem coactam ſynodum a Simone de Bello-loco jam diximus : at hæc celebrari debuit Dominica poſt feſtum S. Matthæi ; illa autem in qua decimæ regi Philippo conceſſæ ſunt, habita eſt feria IV. Cinerum ejuſdem anni. Hanc autem credimus fuiſſe habitam Ægidio præſide, a quo legimus collectas fuiſſe decimas Regi decretas. Anno ſequenti aliud concilium indixit apud Clarummontem feria 2. poſt Dominicam *Lætare*, celebrandum. 1294.

Tab. epiſc. Alb.

An. 1296. a Bonifacio papa VIII. bullam obtinuit ſibi permittentem inſtituere vicarios generales qui diœceſim & provinciam Bituricenſem viſitarent, quandiu ipſe in curia Romana verſaretur. Bulla data fuit v. idus Julii, pontificatus Bonifacii anno 2. juxta quam tres vicarios generales inſtituit die 24. Julii ; quibus data quoque facultas alios ſibi ſubſtituendi. Anno 1299. per ſuos vicarios generales feſtum S. Ludovici regis in tota ſua provincia celebrandum craſtina die poſt feſtum S. Bartholomæi apoſtoli mandat ſuis ſuffraganeis, juxta litteras Philippi pulcri regis datas die feſto aſſumtionis B. virginis Mariæ. Anno 1300. edidit ſtatuta pro canonicis S. Auſtregiſili de Caſtro, & iterum anno 1309. Anno 1306. permittit vicariis celebrare miſſam in altari S. Urſini, retro majus altare eccleſiæ eidem ſancto ſacræ. 1296. 1299. 1300.

Tab. epiſc. Alb.

Exſtant ſpicilegii tom. x. Ægidii Bituricenſis archiepiſcopi, necnon Remenſis & Turonenſis litteræ, quibus notum faciunt ſe accepiſſe an. 1308. a Clemente papa V. litteras in cauſa Templariorum *bulla plumbea & filo cannabis bullatas* ; anno vero 1311. adfuit concilio generali Viennenſi, in quo Templariorum damnatio conclamata eſt ; quorum domum quam in urbe Bituricenſi habebant obtinuit pro inſtituti ſui religioſis viris. Eodem anno ſynodum provincialem habuit ; & anno 1315. circa feſtum nativitatis B. Mariæ virginis, ut habemus ex tabulis epiſcopatus Albienſis, in quibus legitur Ægidium archiepiſcopum benigne excepiſſe & audiiſſe abbatem Montalbanenſem, & Petrum de Nogaret ab epiſcopo Albienſi miſſos ut ipſum excuſarent quod non adfuiſſet huic ſynodo Bituricenſi. 1311. 1315.

p. 356.

Anno denique 1316. menſe Decembri Avenione animam efflavit. Corpus ejus ut teſtamento caverat, delatum eſt Pariſios ubi jacet in eccleſia Auguſtinianorum juxta majus altare. Lapidi ſepulcrali hoc epitaphium inſcriptum legitur :

HIC JACET

Aula morum, vitæ munditia, archiphiloſophiæ Ariſtotelis perſpicaciſſimus commentator, Clavis & Doctor

ANNI CHRISTI

Doctor ſacræ theologiæ, lux in lucem reducens dubia. Frater Ægidius de Roma ordinis fratrum Eremitarum S. Auguſtini, archiepiſcopus Bituricenſis, qui obiit an. Dom. 1316. XXII.[a] *menſis Decembris.*

Supremis tabulis vaſa & ornamenta divino cultui dicata reliquit ſui ordinis monaſteriis Romano & Bituricenſi. Libris ſuis ditari voluit bibliothecam ſuorum fratrum Pariſiis degentium. Auctor patriarchii Bituricenſis profert ex ejus teſtamento, quod dicit conditum fuiſſe an. 1296. legatum inſigne pro eccleſia fratrum Minorum perficienda. Egregias Ægidio laudes confert Abraham Bzovius (ut de ceteris ſcriptoribus interim ſileam) ad an. 1316. num. XVI. Erat ſane in philoſophia Peripatetica, & theologia ſcholaſtica apprime verſatus; unde & theologorum princeps, & doctor fundatiſſimus audiit, poſt multos annos in academia Pariſienſi, docendo philoſophiam & theologiam, tranſactos.

Præcipua ejus opera ſunt: commentarius in Hexaëmeron: comm. in lib. 1. Sententiarum: quæſtiones in lib. 11. Sent. elucubrationes in quatuor libros Sententiarum: de regimine principum: defenſorium librorum S. Thomæ contra reprehenſorium Guillelmi cujuſdam profeſſoris Oxonienſis; adverſus quem etiam ſcripſit apologiam S. Bonaventuræ: quæſtio in utramque partem diſputata, de poteſtate regia & pontificia; in qua inclinat ad pontificias partes. Scriptus eſt libellus tempore diſſidii inter Bonifacium VIII. & Philippum IV. regem cognomento pulcrum, in quo ad Bonifacii partes propendet; unde non mirum ſi hoc ſcripto Rex & proceres non leviter ſint læſi. E contrario illud ita gratum fuiſſe Bonifacio aſſerunt, ut in præmium, auctorem cardinalitia donare infula cogitaverit. Verum antequam renuntiatus eſſet, papa morte oppreſſus eſt. Plurimi tamen negant unquam aut a Bonifacio, aut a Clemente V. &c. Ægidium factum fuiſſe cardinalem. Sed hac in concertatione nihil definio. Ejus vitam ſcripſit Angelus Rocca ex eodem ordine Auguſtinianorum apoſtolici ſacrarii præfectus.

DE LA PORTE.

LXXVI. REGINALDUS I.

Reginaldus a Porta, frater Guidonis abbatis S. Martialis, ortu Lemovix de Alaſſaco, ex canonico & archidiacono Lemovicenſi eligitur epiſcopus; demum ad ſuæ provinciæ metropolim evectus eſt
1316. anno 1316. ex chronico S. Martialis Lemovicenſis. Bernardus Guidonis in catalogo epiſcoporum Lemovicenſium [b] dicit eum factum eſſe archiepiſcopum Bituricenſem, per proviſionem Johannis papæ XXII. in vigilia Circumciſionis, *ſcilicet octava die a ſepultura prædeceſſoris ſui domini fratris Ægidii.*

1317. Anno 1317. cum Johanne de Cherchemont tunc canonico Pariſ. poſtea Franciæ cancellario, delectus eſt ab eodem Johanne papa ad redintegrandam Aurelianenſem academiam. Anno ſequenti ab hoc pontifice miſſus eſt nuntius in Belgium. Hoc etiam circiter tempore, cum Ambianenſi & Mimatenſi epiſcopis, inſtituitur judex in cauſa Catalaunenſis antiſtitis, bulla Johannis ejuſdem papæ. Statuta edidit pro reformatione divinorum officiorum, cum conſenſu decani & capituli; quæ lege-ſis in Bituricenſi patriarchio, in hoc videlicet archiepiſcopo.

ANNI CHRISTI

Odoric. Rainald. ad hunc an. §. 16.

Anno 1320. Johannes papa XXII. ad eum & 1320.
ad ipſius ſuffraganeos miſit bullam adverſus Paſtorellos, quæ habetur in archivo ſedis epiſcopalis Clarom. Eodem anno veſtitus eſt Romana purpura XIII. cal. Januarii; a quo fere tempore archiepiſcopatui ſuo nuntium remiſit, ex conſuetudine tunc obſervata, & Avenionem conceſſit, a Papa vocatus, ut eum propiorem & a latere haberet, cujus conſilio & opera uteretur, in univerſalis Eccleſiæ regimine. Deceſſit Avenione anno 1325. 1325.
aut 1326. poſt menſem Junium. Certe in actis capituli provincialis fratrum Prædicatorum Lemovicenſium habiti anno 1327. in octavis SS. apoſtolorum Petri & Pauli, commendatus eſt precibus, ut jam vita functus. Ejus ſepulcrum viſitur in eccleſia majori Lemovicenſi, ubi appoſita gentilitia ejus ſtemmata, quæ ſcilicet exhibent in area cærulea portam argenteam.

Baluz. in notis ad vit. pap. Aven. c. 744.

DE BROSSE.

LXXVII. GUILLELMUS II.

Guillelmus de Broſſe ex proſapia vicecomitum de Broſſia in Pictonibus oriundus erat, parentibus Rogerio domino de ſainte Severe & de Bouſſac, ac Margarita d'Eaües *, pronepos Guillelmi Senonenſium archiepiſcopi, fratrem habuit Petrum dominum de Bouſſac a quo Pentevriæ comites in Aremorica. Primum [c] quidem epiſcopus Podienſis, tum Meldenſis fuit; poſtremo per Johannem XXII. papam ad Biturigum cathedram vocatus eſt anno 1321. Anno milleſimo trecenteſimo vigeſimo ſecundo, cum controverſia foret 1321. 1322.
inter ipſum & Beraldum Albienſem epiſcopum, pacis cupidus, hujus finiendæ provinciam mandavit Petro Albienſi, litteris datis die vigeſima nona Decembris. Anno ſequenti ambo conveniunt die 12. Octobris, judicium querelæ ſuæ committere duobus viris prudentibus.

* de Deols.

Eodem anno Guillelmus ratam habuit unionem prioratuum Mothæ, S. Juſti, Aurati, & Vallis-Urſeriæ factam per Simonem deceſſorem ſuum conventui Piperacenſi die Dominica poſt feſtum B. M. Magdalenæ. Eodem anno milleſimo trecenteſimo vigeſimo tertio ſupplicat cum canonicis apud Papam, ut debiti ſanctis cultus & honores Philippo archiepiſcopo, non ita pridem vita & officio paſtorali defuncto, decernantur. Idem famoſus papa ad Guillelmum archiepiſcopum Bituricenſem ſcripſit, ut inquireret contra quoſdam fratres Minores, Exolduni dioec. Bituric. commorantes, qui in feſto tranſlationis B. Nicolai, cum mitra, baculo paſtorali, & aliis pontificalibus inſigniis miſſam conventualem celebraverant, & ex illis unus cardinalem ſe a ſummo pontifice factum jactaverat. Datum Aven. cal. Junii an. X. pontificatus ex 1. tom.

[a] In vigilia Natalis Domini ex Bernardo Guidonis infra laudando ſepulturæ mandatur, *Avinione in eccleſia fratrum ſancti Auguſtini.* Verum nihil vetat quominus ejus cadaver inde Pariſios fuerit tranſlatum.

[b] In catalogo edito tom. 2. bibl. Lab. hæc non leguntur.

[c] Eum prius fuiſſe decanum Bituricenſem alicubi legimus.

Digitized by Google

secret. an. 9. & 10. Fidem clientelarem Regi promiſſam ab hoc archiepiſcopo anno 1323. die v. Aprilis legimus. ANNI CHRISTI

1327. Anno 1327. prorogavit Albienſi epiſcopo tempus quo ſe officiali metropolitano ſiſteret, ex litteris datis feria 2. poſt feſtum omnium Sanctorum. Poſtea mutavit ſedem & factus eſt Senonenſis archiepiſcopus.

De Rochechouart.

LXXVIII. Fulcaudus.

Fulcaudus Aimerici vicecomitis de Rupe-cavardi hujus nominis noni filius ex Johanna domina de Taunay Charante, Simonis frater, anno 1292. erat tantum archidiaconus ex litteris Aimerici *de Rupe-choardi* vicecomitis dantis Fulcaudo avunculo ſuo, hoc eſt patruo, pro parte bonorum hereditariorum & paternorum libras 30. annui redditus; tom. VI. Miſcell. Baluz. pag. 564. Ex archidiacono & decano Bituric. epiſcopus Noviomenſis creatus eſt; tandem ſuffragiis capituli Bituric. archiepiſcopatum hunc conſecutus eſt. Anno 1332. accepit a Johanne XXII. bullam, qua multis privilegiis ornabat prælatos alioſque eccleſiaſticos viros qui Philippo VI. regi Valeſio dicto in terram ſanctam eunti ſeſe comites adjungerent. Bullam hanc datam VII. cal. Auguſti anno 17. pontificatus Johannis, hoc eſt anno 1332. eodem anno Fulcaudus miſit ad Albienſem epiſcopum. Anno 1335. die 19. Junii monuit Petrum Albienſem epiſcopum ut quantocius accederet homagium pro civitate Albienſi præſtiturus; ſed eodem anno feria II. ante Natale Domini dat eidem inducias. Tandem an. 1336. die XVI. Octobris ab officiali Albienſi, epiſcopi vices agente, hominium recepit. Eodem anno concilium provinciale celebravit circa menſem Octobris; nam feria 3. poſt feſtum S. Dionyſii ejuſdem anni ab hac ſynodo exemit procuratorem S. Martini de Canonica * & monaſterii prope Chirac *ordinis Maſſilienſis*[a], ut legimus in tabulis ſedis epiſcopalis Albienſis. Eodem adhuc anno M. CCCXXXVI. die XVII. Octobris ratam habuit & confirmavit quarumdam decimarum permutationem factam inter Beraldum epiſcopum Albienſem & priorem eccleſiæ de Fargues.

Du Fouray, generaux des Gal.

Tab. epiſc. Alb.

1332.

1335.

a La Canourgue.

1336.

A Benedicto papa XII. bullam obtinuit datam X. cal. Martii, ejus pontificatus anno VI. qua archiepiſcopis & epiſcopis regni Franciæ facultas tribuebatur abſolvendi ab excommunicatione & interdicto, eos qui Philippo VI. regi decimam ad duos annos conceſſam a ſede apoſtolica non ſolviſſent. Hanc vero bullam Fulcaudus direxit ad epiſcopum Albienſem XXIII. Octob. anni MCCC XL. Anno MCCC. XLIII. cum licentia Clementis papæ VI. teſtamenti codicillos fecit. Litteræ Papæ licentiam dantes ſcriptæ ſunt Avinioni 3. idus Julii an. 1. pontificatus. Codicilli dati leguntur in domo Gerliaci an. 1343. indictione XI. die Sabbati poſt nativitatem B. Johannis Bapt. pontificatus Clementis papæ VI. an. 2. In iis meminit Johannis vicecomitis de Rupe-cavardi nepotis & heredis ſui, quem voluit unum eſſe ex ſui teſtamenti curatoribus & exſecutoribus. Alii fuerunt epiſcopi Lemovicenſis, Pariſienſis & Carnotenſis; Petrus de Croſo decanus Pariſienſis, Johannes Galvini ſubdecanus Aurelian. Aimericus abbas S. Genulphi, &c. In eccleſia Bituricenſi ſepeliri petit, & cuilibet canonico qui intererit ſuis exſequiis legat libras decem; vicariis, quinque; cuilibet *bachalario*, duos ſolidos Pariſienſes; ſingulis pueris de choro, 12. denarios Pariſ. Pro anniverſario legat quæ acquiſivit in ſua terra de Cornuſſa a Philippo de Croſo domicello, terras, prata, vineas, redditus, domos; quorum omnium jamdudum capitulum poſſeſſionem adierat. Fundum quoque dedit eccleſiæ de Rupe-cavardi, pro anniverſario ibidem faciendo. Feſtum S. Johannis Baptiſtæ celebrari voluit ſub officio cantoris; quod tamen in ejus teſtamento minime cautum eſt. Obiit VII. idus Auguſti anno MCCC. XLIII. jacetque in medio chori in eleganti monumento, quod duobus circiter cubitis a pavimento aſſurgit. ANNI CHRISTI

1340.

1343.

1343.

Tab. epiſc. Albienſis.

LXXIX. B. Rogerius.

Le Fort al. de Beaufort [b]

Rogerius Fortis Godofredi [b] domini de Ternes in Marchia Lemovicena filius, cujus mater e gente d Arrablay, Petri de Capella epiſcopi Toloſani & cardinalis ſoror fuit, Aureliæ litteris operam dedit præſertim juriſprudentiæ, quam docuit hac in academia, ſcripſitque commentarios de actibus. Primus autem Rogerii gradus ad dignitates fuit archipresbyteratus Ebroïcenſis, inde fit decanus Bituricenſis, poſtea epiſcopus Aurelianenſis, tum Lemovicenſis; tandem archiepiſcopatum Bituricenſem adipiſcitur anno 1343. Tranſtulit ſolemni pompa corpus S. Odilonis apud Silviniacum anno 1345. die 21. Junii *ex Silviniacenſibus tabulis*. Quo etiam in cœnobio adfuit elevationi corporis S. Majoli abbatis. Anno 1350. qui fuit nonus pontificatus Clementis VI. hic papa V. cal. Februarii bullam dedit qua Johanni Franciæ regi conceſſit ad duos annos decimas omnium ſacerdotiorum Franciæ, iis tantum exceptis quæ aut ad cardinales aut ad fratres S. Johannis Jeroſolymitani pertinebant. Hanc autem bullam miſit Rogerius ad epiſcopum Albienſem die 12. Maii anni 1352. Similem bullam conceſſit Innocentius VI. datam XI. cal. Martii an. 2. ſui pontificatus, quam pariter notam fecit epiſcopo Albienſi die XX. Junii anni MCCC. LIV. ut nos docent acta ſedis epiſcopalis Albienſis. Fundavit monaſterium Cæleſtinorum pro duodecim presbyteris cum priore, in paterna domo de Thernis, cujus eccleſiam conſecravit. Huic cœnobio dedit 200. libras annui redditus, caſtrum & bibliothecam. Abbatiæ Virzionenſis velut alter parens fuit. Xenodochium etiam in Marchia conſtruxit.

Sanm.

1343.

1345.

Porro anno MCCC. LVII. tota urbs conflagravit, exceptis eccleſia majore ac ædibus archiepiſcopalibus; quod aiunt ultione divina contigiſſe ob contemtum antiſtitem ſanctiſſimum; qui poſt conſumtas omnes, dum vixit, opes in piis

a Hi prioratus pendent a Maſſilienſi S. Victoris monaſterio ord. S. Benedicti.

b Claudius Robert in ſua Gal. Chriſt. dicit Rogerium archiepiſcopum filium fuiſſe Guidonis cujuſdam, de quo fertur eum vitam produxiſſe uſque ad viceſimum ſupra centeſimum, ut animadvertit V. C. Baluzius in not. ad vitas paparum Aven. c. 627.

Digitized by Google

operibus, moriens reliquit pueris bonarum litterarum ſtudioſis quidquid ſibi ſupereſſet. Ad cœlos evolat nonagenarius 1367. cum ſediſſet annos 24. non integros. Elegerat ſepulturam in cœnobio de Ternis, verum humatur prope cathedram archiepiſcopalem verſus majus altare, cum hoc epitaphio : ANNI CHRISTI 1367.

* intumulatus.

*De Ternis natus Rogerius intitulatus **
Noſter prælatus jacet hic intus bene gratus,
Ter C. mille dabis, ſex x. ſeptem numerabis.
In prima feria (quem ſuſcipe virgo Maria)
Marci migravit, qui caſte ſemper amavit.

Monet Baluzius in notis ad vitas paparum Avenion. exſtare in codice 5092. Colbertinæ bibliothecæ varios ſermones & alia opera Rogerii Fortis. Lego quædam facta eſſe ad ipſius tumulum miracula.

D'ESTAIN.

LXXX. PETRUS III.

Petrus de Stagno (al. de Stanno) ex antiquiſſima & nobiliſſima apud Ruthenos familia, quartus fuit filius Guillelmi hujus nominis II. comitis de Stagno, ex Eminarda de Petra. Regulæ S. Benedicti ſeſe addixit in monaſterio S. Victoris Maſſilienſis, emiſſa profeſſione die 15. Octobris an. 1341. poſtea factus eſt epiſcopus S. Flori in Arvernia, anno 1365. demum archiepiſcopus Bituricenſis anno 1367. ſed brevi tempore hanc rexit eccleſiam. Etenim Urbanus V. papa creavit eum cardinalem cum titulo S. Mariæ trans Tiberim, feria VI. quatuor temporum poſt Penteceſten an. 1370. apud Montem-Flaſconem; fuitque epiſcopus Ferrarienſis, deinde Oſtienſis ac Romanæ Eccleſiæ camerarius. Hanc quidem dignitatem ei negat vir doctiſſimus [a], a quo nunquam niſi invitus divellor. Sed præ manibus habuimus chartam ex refertiſſimo Corbeienſi tabulario anni 1373. in qua legitur papæ camerarius. At forſitan tunc alius erat camerarius S. R. Eccleſiæ, & alius papæ camerarius. Inſuper legatione fungitur in Italia ſub eodem Urbano, qui eum ordinavit vicarium in patrimonio & aliquibus circumjacentibus regionibus, inquit ſcriptor prioris vitæ hujus pontificis; quod officium a Gregorio XI. ei prorogatum fuit.

Sedit in cathedra Bituricenſi annis duobus, menſibus XI. Romæ autem, non Avenione, ut nonnullis viſum, deceſſit VII. cal. Decembris an. 1377. ſepultus in S. Mariæ trans Tiberim eccleſia, quæ dignitatis ejus cardinalitiæ titulus erat. De eo legi poteſt Ughellus in præſulibus Ferrarienſibus & Oſtienſibus.

Obſervare non pigebit Sammarthanos fratres in Petro d'Eſtaing delineaſſe ſcutum gentilitium nobilis hujus domus, quale habebat ante conceſſa regii ſcuti lilia aurea, in area cærulea. Tempore tamen hujus archiepiſcopi, jam Stagneæ gentis proceres gerebant ſcutum cærulei coloris liliis aureis non numeratis ornatum, cum faſcia aurea in capite. Nam teſtatur Antonius Bonal in hiſt. MS. epiſcoporum Ruthenenſium, agens de Franciſco d'Eſtaing hujus eccleſiæ epiſcopo, a ſe viſam quandam hujus nobilis gentis chartam anni 1272, cui appenſum erat ſigillum eadem inſignia exhibens. ANNI CHRISTI

[a] Baluz. in notis ad vitas pap. Aven. c. 1030.

LXXXI. PETRUS IV.

DE CROS.

Petrus de Croſo, al. *de Croſſo*, ex monacho S. Martialis Lemovicenſis abbas Trenorchii, deinde S. Papuli epiſcopus, ex hac ſede transfertur ad Bituricenſem vacantem per promotionem Petri de Stagno ad cardinalitiam dignitatem anno 1370. VI. idus Junii. Sponſalia celebravit inter Ludovicum Caſtillonæum comitem Dunenſem, & Mariam Johannis ducis Biturigum filiam. Fuit poſtea archiepiſcopus Arelatenſis; ad quam ſedem non fuit tranſlatus ante an. 1374. quo videlicet eum adhuc fuiſſe Bituricenſem archiepiſcopum probat teſtamentum Gregorii XI. hoc anno conditum die 5. Maii. 1370. 1374.

Duplex teſtamentum ſcripſit, unum die 27. Februarii anni 1388. ex quo multa ad ejus vitam ſpectantia didicimus: alterum die 15. Novembris. Utrumque edidit Baluzius in notis ad vitas pap. Avenioni ſedentium. Hac in urbe ſarcinam corporis depoſuit XVI. cal. Decembris an. 1388. ſepulcro donatus ad S. Martialis; ubi collegium pro monachis ordinis Cluniacenſis fundaverat. Conſule quæ de ipſo jam præmiſimus in Arelatenſibus archiepiſcopis. *Not. in vit. pap. Av. c. 1474. & c. 1008. & ſeq.*

LXXXII. BERTRANDUS.

DE CHANAC

Bertrandus de Chanaco * Lemovix patrem habuit nobilem virum Guidonem de Alaſſaco, matrem Iſabellam de Monte-Radulfo. Cum eſſet clericus cameræ apoſtolicæ, ſub Clemente ſexto papa, atque Agathenſis eccleſiæ archidiaconus an. 1350. anno 1374. creatus eſt archipræſul Bituricenſis, cujus eccleſiæ adminiſtratio ipſi relicta eſt quando factus eſt patriarcha Jeroſolymitanus anno 1382. Anno etiam ſequenti addita eſt adminiſtratio eccleſiæ Anicienſis [b] quam brevi tempore ſervavit. Anno 1385. creatus eſt presbyter cardinalis, a Clemente VII. non a Gregorio XI. papa. 1474. 1382. 1385.

* *al.* Canhaco.

Ceterum pauca leguntur a Bertrando geſta in regimine eccleſiæ Bituricenſis. Anno 1386. die 8. Junii Dominicus Albienſis epiſcopus ipſi ſuo nomine hominium præſtandi provinciam demandat archidiacono Petracoricenſi, camerario cardinalis Lemovicenſis, ex tab. Albienſis epiſcopatus.

Obſervant noſtri Sammarthani confundi Bertrandum hunc cum alio ejuſdem tam nominis quam cognominis [c], ex epiſcopo Convenenſi ad purpuram vocato an. 1371. a Gregorio, qui ei abſenti galerum miſit, poſtea mortuo Avenioni anno 1374. noſter autem Bertrandus junior dictus cardinalis Jeroſolymitanus ad patriarchatum eve-

[b] Legendum *Abrincenſis*, contendit Arturus du Monſtier in hiſt. MS. epiſcoporum Abrincenſium, ſed perperam.

[c] Immo hujus Bertrandi cognomen non erat de *Chanaco*, ſed de *Coſnaco*, ut oſtendimus in epiſcopis Convenenſibus, ubi quid de hoc Bertrando ſentiendum ſit aperuimus.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

hitur 1382. in locum Philippi, fuitque proviſus de eccleſia Anicienſi, cui ante aſſumtionem ad eccleſiam Jeroſolymitanam non præſidebat. A Benedicto autem XIII. ad Sabinenſem pontificatum promotus eſt 1396.

Hujus tempore capitulum patriarchalis eccleſiæ, a juriſdictione ordinarii eximitur, diplomate [a] Clementis VII. papæ in ſua obedientia, hoc eſt in Gallia, Arragonia, Scotia, & Italiæ parte: atque etiam religioſi Carmelitæ in urbe 1374. inſtituuntur 1374. in fundo Johannis Pelourde civis Bituricenſis.

1404. Avenione deceſſit XII. cal. Junii 1404. ſepultuſque eſt in æde Dominicanorum prope Willelmum cardinalem de Chanaco, patruum, ubi legitur epitaphium:

HIC JACET

Reverendiſſimus in Chriſto pater dominus Bertrandus de Chanaco, Lemovicenſis diœceſis, genere nobilis, qui doctor utriuſque juris, archiepiſcopus Bituricenſis, poſtmodum patriarcha Jeroſolymitanus, & adminiſtrator eccleſiæ Anicienſis exſtitit, & deinde in S. Romanæ eccleſiæ tituli S. Pudentianæ presbyterum cardinalem aſſumtus, & demum Sabinenſis epiſcopus effectus, obdormivit in Domino, die XX. Maii, anno Domini MCCCC. IV.

De cardin. Chanaco plura commemorant Ciaconius, Friſonus, aliive hiſtorici, qui tamen in nonnullis mendis reprehenduntur ab Ughello in epiſcopis Sabinenſibus. Gentiles Bertrandi noſtri fuere Guillelmus cardinalis Mimatenſis, & Carnotenſis præſul, Guillelmus alter epiſcopus Pariſienſis, patriarcha Alexandrinus, Fulco officialis Pariſienſis, & Galiena de Chanaco uxor Ranulphi domini de Pompadorio, a quo illuſtres dynaſtæ hujus nominis in Lemovicibus vicecomites de Comborn.

In codice notato 3852. bibliothecæ regiæ viſitur ejus effigies cum ſcuto gentilitio, cui addidit inſignia patriarchæ Jeroſolymitani, poſtquam hac dignitate ornatus eſt; gentilitia exhibent duodecim faſciolas alias argenteas, alias cæruleas, quibus appoſitus leo aureus.

Me monuit vir doctiſſimus Pinſonius in necrologio Cœleſtinorum monaſterii dicti *Colombiers* prope Annonacum (Annonay) in pago Vivarienſi, mentionem fieri Bartholomæi de Montchal Bituricenſis archiepiſcopi, propter centum aureos ducatus huic loco datos anno 1381. Prorſus autem nos fugit quiſnam is fuerit, aut quo jure titulus archiepiſcopi Bituricenſis ipſi ſit inditus. Forte legitur per abbreviationem *archi. Bituricenſis*, quod potius legi debuit *archidiaconus*, vel *archipresbyter.*

DE ROCHE-CHOUART

LXXXIII. JOHANNES II.

Johannes de Rupe-Cavardi ex vicecomitibus Rupis-Cavardi, per lineam dominorum de Charoſt in Biturigibus, ad hanc ſedem vocatus eſt poſt Bertrandum, eamque obtinebat annis 1386. 1386. & 1389. quo die 25. Febr. homagium recepit a 1389. Guillelmi epiſc. Albienſis procuratore pro civitate Albienſi, &c. De ipſo egimus in Arelatenſibus archiepiſcopis; hac enim eccleſia quoque potitus eſt.

[a] Illud habes in patriarchio Bituricenſi & apud Johan. Chenu.

ANNI CHRISTI

LXXXIV. PETRUS V.

AIMERY.

Petrus Aimericus Claromontanus Guillelmo epiſcopo Albienſi prorogat tempus quo præſtet hominium pro urbe Albia & aliis. Litteræ Petri hac de re datæ ſunt die 15. Auguſti anni 1392. 1392. Eodem an. confirmat Sicardo abbati Bonæ-Vallis diœc. Ruthen. poſſeſſionem quorumdam bonorum. Aliæ litteræ ſunt ejuſdem argumenti datæ die 20. Maii 1397. Die 5. Maii 1402. confirmat 1397. electionem Vitalis de Caſtro-Mauro archiepiſcopi Toloſani. Sanctam capellam a Johanne Biturigum duce conſtructam in honorem S. Salvatoris conſecravit poſtridie Paſchæ anni 1405. 1405. Die præcedenti theſaurarius Arnaldus Belin duci a confeſſionibus cum XII. canonicis, & aliis ipſi eccleſiæ mancipatis, a Principe in poſſeſſionem miſſus fuerat, P. Toletano cardinale legato, Vitale archiepiſcopo Toloſano, Elia Podienſi, Petro Aquenſi epiſcopis, Bernardo ſancti Sulpicii, & Emerico ſancti Ambroſii abbatibus, Guidone de Broſſia, Johanne de Rupe-Cavardi vicecomitibus, multiſque aliis proceribus adſtantibus, ut colligitur ex authentico exemplari fundationis. Cujus dedicationis annum ſignant inſcripti duo verſus, C. XLVII. col. 18. qui ad lævam ingredientium leguntur, ſi litterarum numeralium majuſcularum ratio habeatur:

Me duCs Conſtruxit BitUriCus atque
dotavit
præſul, & attendens anno præſente
ſaCravit

Tranſiit Petrus ad patriarchatum Alexandrinum; & cum adfuiſſet concilio Piſano anno 1409. 1409. menſe Martio, eodem anno exceſſit ex hac vita.

BOIS-RATIER.

LXXXV. GUILLELMUS III.

Guillelmus de Bois-ratier, patre Johanne cive Bituricenſi religioſo ac divite, ſub optimis præceptoribus inſtitutus, magnos in litteris profectus fecit, maxime vero in juriſprudentia cui Bononiæ operam dedit, ubi legum doctor eſt renuntiatus. In patriam reverſus, a rege Carolo VI. libellorum ſupplicum eligitur magiſter; quin etiam Rex eum voluit habere a ſecretis epiſtolis & mandatis. Poſtea vero variis eccleſiæ dignitatibus fulſit; fuit enim ſacræ capellæ canonicus, prior S. Urſini, decanus Bituricenſis; quo tempore cancellarius fuit Johannis ducis Biturigum, electus eſt epiſcopus Mimatenſis. Denique creatur & inauguratur archiepiſcopus ſaltem anno 1409. uti pro- 1409. babimus in conſequentibus. Statim vero profectus eſt Romam, forſitan ad petendum pallium. Jam anno 1409. Romæ verſabatur, ut probat ſequens inſcriptio quam in quodam marmore illo in loco ubi olim erat corpus S. Cæciliæ, legit noſter D. Philippus Raffier congregationis noſtræ procurator generalis in Romana curia:

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

HIC QUONDAM RECONDITUM FUIT CORPUS B. CÆCILIÆ VIRG. ET M.

HOC OPUS FECIT FIERI REVERENDISSIMUS PATER DOM. GUILLELMUS

ARCHIEPISC. BITURICENSIS ANNO DOM. MCCCC. IX.

Forte eodem tempore curavit ornari ſepulcrum B ſanctæ Lucinæ; nam idem D. Philippus pergens luſtrare Catacumbas, al. cæmeterium Callixti, in ipſius veſtibulo prope altare quoddam, ubi olim aſſervabatur corpus S. Sebaſtiani, offendit ſepulcrum ſanctæ Lucinæ renovatum cum hac inſcriptione:

*HOC EST SEPULCRUM S. LUCINÆ * VIRGINIS: GUILLELMUS ARCHIEP. BITURICENSIS F. FIERI.*

Forſitan Guillelmus Piſis creatus eſt archiepiſcopus, tempore concilii ibidem habiti anno 1409. cui adfuit ut regius orator; inde autem profectus
1410. eſt Romam. Certe anno tantum 1410. adiit poſſeſſionem die 18. Maii, præſentibus Pictavienſi & Carnotenſi epiſcopis; neque vero abſtinuit a regni negotiis ob curam paſtoralem: legationes quippe obivit plurimas pro Rege.

Exſtant in tabulario Palenſi litteræ Caroli VI.
1412. datæ 10. Novembris an. 1412. quibus hic archiepiſcopus, Carolus d'Albret, & Gontarius Colſon legati conſtituuntur ad tractandam & faciendam pacem aut treugam cum Henrico Angliæ D rege; ex inventario tabularii Palenſis facto jubente Johanne Colberto, & in ejus bibliotheca aſſervato. Idem confirmatur ex inſtrumentis quæ Rimerius Anglus in ſua collectione tomo IX. p. 170. & 196. ubi legitur miſſus regius pro pace
1413. ineunda cum Angliæ rege ad an. 1413. Aliam
1415. legationem ſuſcepit anno 1415. ad Henricum Angliæ regem cum epiſcopo Lexovienſi & comite Vindocinenſi, teſte Johanne Juvenali de Urſinis, in hiſtoria Caroli VI. ubi eum a facundia, & ab aliis animi dotibus laudat.

Adhuc fungebatur officio cancellarii ducis Biturícenſis, poſtquam ſacrum magiſtratum capeſſivit, ut liquet ex regiſtris cameræ computorum Divionenſis, in rationibus redditis anno 1414. ubi centum ſcuta (cent eſcus) leguntur data a duce Burgundiæ *reverendo in Deo patri* Guillelmo archiepiſcopo Biturícenſi ducis Biturícenſis, cancellario, ob navatam operam in conſcribendis pactis matrimonii inter filium Regis Jeruſalem & Siciliæ, ac unam *ex natis prædicti ducis*, videlicet Burgundiæ.

Ejuſdem archiepiſcopi mentio fit in tabulis

* In Roma ſubterranea legitur *Luciæ*, & quidem titulum virginis non lego datum Lucinæ.

A matrimonii Ludovici Borbonii comitis Vindocinenſis cum Blancha de Roucy. Eodem anno 1414. quo etiam anno prælati eccleſiæ Gallicanæ Biturícis congregati menſe Septembri, epiſtolam ſcripſerunt ad Carolum regem VI. petentes immunitatem ab impoſitione 40. ſolidorum *ſupra qualibet cauda vini*, (queuë.) Inſtitutus eſt curator & exſecutor teſtamenti Johannis Biturigum ducis defuncti anno 1416. Pariſiis in ſuo hoſpitio de Nigella (Neſle.) Eodem an. die 14. Septembris, Guillelmus *defectu* archiepiſcopi Toloſani confirmavit electionem Vitalis electi Rivenſis.

Anno 1417. menſe Novembri ſedebat in con- 1417.
cilio Conſtantienſi; cumque decretum fuiſſet factum de adjungendis nonnullis archiepiſcoporum, epiſcoporum, & prælatorum collegio cardinalium ad eligendum papam, noſter Guillelmus fuit aſſumtus in electorem; & cum ceteris die XI. Novembris elegit Odonem de Columna, qui fuit Martinus V. Inſtrumentum electionis hujus damus, quod inter Conſtantienſis concilii acta deſideretur. Illud autem reperimus inter ſchedas N. Sammarthani congregationis Oratorii presbyteri, qui C. XLIII. col. 25. laudat vetus regiſtrum Pariſienſe. Johannes Chenu teſtatur eum domum archiepiſcopalem ſumC tuoſis ædificiis in ſuburbiis S. Michaëlis Lutetiæ ſuis ſumtibus conſtruxiſſe, eamque peculiarem ſuis ſucceſſoribus ceſſiſſe; ſed ejus nihil ſuo tempore ſupereſſe præter ruïnas. Hujus archiepiſcopi honorifica fit mentio in chronico Ingelranni * Monſtreleti. Demumque migravit e vita 1421. Julii XIX. ſepultus in choro eccleſiæ cathedralis, ubi ejus anniverſarium notatur XIII. Januar. monumentoque hoc additum epitaphium: * Enguerrand.

Eloquio clarus, ſtudioque, & floridus olim
Bononiæ leges doctor utraſque legens,
Guillelmus Boisraterii, qui nobilis urbe
Natus in hac, PRIMAS fulſit Aquitaniæ,
Biturigum præſul regni perſcriptus, honorum
Geſtor, opem cunctis, rebus, & arte ferens,
Regis amans, inopumque pater, fideique ſacerdos,
Carne ſubactus humo, ſydera mente rapit.

In camera computorum Pariſienſi plurima Guillelmi Boisraterii chirographa habentur, quibus E teſtatur certam pecuniæ ſummam a quæſtore ſeu præfecto regii ærarii ſibi perſolutam, quibus appenſum viſitur ſigillum, & in eo exhibentur in- * D . . . 3. croix d'or deux & une. ſignia gentilitia qualia * deſcribunt fratres Sammarthani hoc loco.

LXXXVI. HENRICUS II. D'AVAUGOUR.

Henricus d'Avaugour gente nobiliſſima in Armorica ortus, anno 1423. jam thronum Bitu- 1423.
ricenſem conſcenderat quo, die 3. Julii Ludovicus filius Caroli VII. delphinus, & poſtea Ludovicus rex XI. Avarici Biturigum ortus, ſacro

ANNI CHRISTI

lavacro ſuſceptus eſt a Johanne duce Alençonio in ædе metropolitana.

Auctoritate primatis confirmavit Guillelmum de Charpaignes electum Pictavienſem, nepotem Martini Claromontenſis epiſcopi, etiam recuſante id facere Petro Burdigalenſi archiepiſcopo. In foro ſuo eccleſiaſtico cui præeſt officialis, non alios quam viros doctos & probos jura dare permiſit, aut etiam negotia procurare; quibus in mandatis dabat forenſes tricas, & longas fraudulentaſque litigantium ambages reſecare. Statutorum ea de re factorum præfatio habetur in patriarchio Bituric.

1428. Anno 1428. die 4. Martii conceſſit 40. dies indulgentiarum in gratiam eorum qui adeſſent anniverſario dominorum de Marle in eccleſia fratrum Prædicatorum. Anno 1431. die 14. Novembris, acceptis litteris Juliani cardinalis ſancti Angeli S. Sedis in Germania legati, qui præeſſe debebat concilio Baſileenſi, ad illud concilium vocavit epiſcopos Claromontenſem, S. Flori, Albienſem, Mimatenſem, Ruthenenſem, Caſtrenſem, Lemovicenſem, Tutelenſem, Cadurcenſem & Vabrenſem; ad quod ipſe profectus eſt. Inde reverſus die 7. Julii anni 1438. promulgavit in ſua urbe pragmaticam Sanctionem, ex ejuſdem concilii decretis.

Arch. Prædicat.

1431.

Tab. ep. Albienſ.

1438.

Ipſo ſedente domus ſeu conventus Franciſcanorum conditur apud Montem-Lucium * anno 1446. die 5. Maii, & Regis juſſu S. Dionyſii reliquiæ Bituricas allatæ ſunt, ut eſſent certum contra Anglos munimentum. Anno eodem 1446. abdicavit ſponte [a] archiepiſcopatum menſe Auguſto, & reliquum vitæ egit in monaſterio Nigrilacus *, ubi poſt duos circiter menſes pie obiit, ibidemque terræ mandatur cum hoc brevi epitaphio:

* Mont-Luçon.

a

* Nerlac.

HIC JACET

Defunctus bonæ memoriæ dominus Henricus d'Avaugour quondàm Bituricenſis archiepiſcopus, Aquitaniæ primas, qui obiit XIII. menſis Octobris anno Dom. MCCCC. XLVI.

CŒUR. LXXXVII. JOHANNES III.

Johannes Cœur patriam habuit Bituricam; patrem, Jacobum Cœur civem illum ditiſſimum, qui fuit regii ærarii * cuſtos & præfectus; quique ſuæ munificentiæ monumentum reliquit in ſuperbis illis ædibus adhuc ſuperſtitibus [b]; patruus ejus Nicolaus fuit epiſcopus Lucionenſis; frater Gaufridus Regis pincerna erat. Johannes vero a parentibus in litteris & pietate inſtitutus ſumma cura, multum profecit, ut in academia Aurelianenſi vix ullus eſſet ſcholaris, quem doctrina & ingenio non ſuperaret. Maxime vero dicendi & orandi præſtantia clarus evaſit. Idque cauſæ fuit cur Henricus d'Avaugour iis quas lubens depoſuerat infulis eum ornaverit, vix annos 25. natum. Oſtendit tamen e veſtigio ſe non immature provectum fuiſſe ad tantum onus paſtorale: ſtatim enim cœpit ſingulis Dominicis & feſtis diebus concionari ſua in eccleſia, niſi diœceſim perluſtraret, & ſingulas inviſeret eccleſias; nullas autem pene reliquit, nullum etiam ſacellum, quod non auxerit ædificiis, vaſis argenteis, ornamentiſque eccleſiaſticis, & ſacra ditaverit ſuppellectili.

* *vulgo.* argentier.

b

ANNI CHRISTI

Cavebat maxime ne ſacerdotia daret indignis miniſtris; ut etiam regi Ludovico XI. poſtulanti archidiaconatum pro quodam curiali, minime morem geſſerit; quare iratus Rex, juſſit ut ab urbe Lutetia non diſcederet, reditum ad eccleſiam ſuam prohibens. Sed Johanne ſingulis Quadrageſimæ diebus in eccleſia S. Andreæ concionante, magno auditorum concurſu & applauſu; Rex audiens unum ex aulicis de eo mira referentem, remiſit iram, & archiepiſcopum ad ſuam eccleſiam reverti permiſit. Qui narrat hæc S. Sulpicii monachus auctor Bituricenſis patriarchii, teſtatur ſe ea accepiſſe ab abbate ſuo Johanne a Monte-majore, cui eadem narraverat nobiliſſimus vir Gabriel de Caſtra, *qui eo tempore rei bellicæ gloria valde inclytus erat.*

Sub id tempus D. Ægidius Milleti S. Sulpicii abbas morbo inſanabili correptus, Johanni Cordio abbatiam cedere conſtituit, magna ſpe concepta de ipſius regiminis utilitate; nec ſpes fefellit, nam ſtatim ac ea potitus eſt, eccleſiam inſtauravit, domum abbatialem refecit, ac quod laudabilius eſt, ſibi in communi monachorum dormitorio cellam paravit, quo ſecularia fugiens negotia ſæpius ſe conferebat. Quoties oratorium ingrediebatur, flexo poplite factoque ſignaculo crucis, terram oſculabatur. Ab omni luxu alienus, ſe & ſuos miniſtros tunicis *aërii coloris* ſemper veſtiri volebat. Qui hæc ſcripſit monachus Sulpicianus, teſtatur ſuis diebus adhuc ſuperſtites fuiſſe qui ea vidiſſent.

In ſynodo Paſchæ anni 1451. promulgavit conſtitutiones ad diſciplinam eccleſiaſticam contra morum corruptelas muniendam; quas lege-ſis in Bituricenſi patriarchio. Se gregemque ſuum in dira fame & mortifera lue ſanctiſſimæ virginis Mariæ protectioni commiſit; ejuſque viſitationis feſtum ſingulis annis ſub præcepto feriatum eſſe voluit.

Anno 1464. fundata eſt academia Bituricenſis, quam ad preces Ludovici regis XI. & Caroli ducis Bituricenſis ejuſdem Regis germani confirmavit Paulus II. bulla data pridie calendas Decembris anni 1464. ſui pontificatus an. 1. 1464.

Anno 1467. in craſtino Aſcenſionis, urbs pene tota incendio conflagravit. Anno 1475. v. cal. Martii, petente Ludovico rege, Johannes archiepiſcopus aperuit capſam S. Urſini olim Bituric. archiepiſcopi, ubi ſervabantur ſancti pontificis reliquiæ, quas tamen eccleſia Lexovienſis ſibi vindicabat; ſed eædem prorſus repertæ ſunt, magno populi gaudio. 1467. 1475. C. XLIV. col. 16.

Tandem anno 1483. decubuit in monaſterio S. Sulpicii Johannes, epidemico morbo correptus, qui eum abſtulit VII. calendas Julii ejuſdem anni; cujus corpus magno apparatu ad divi Stephani eccleſiam ductum eſt. Jacet in choro juxta portam Occidentalem. Super ſepulcralem lapidem nigri 1483.

* *Cum ſuſpectus eſſet de lepra*, ut loquitur auctor patriarchii Bituricenſis.

[b] Sammarthani noſtri Johanni matrem tribuunt Matthæam (Macée) de Leodepart.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

marmoris ſculptum legitur : *Memorare quæ mea ſubſtantia.* Religioſos viros coluit, præſertim Cartuſiæ majoris aſcetas, quos fratres & amicos cariſſimos vocabat, iiſque annuos redditus quoſdam ex domibus quas Pariſiis acquiſierat conceſſit in perpetuum, litteris datis die 10. Februarii anno 1476. Ipſi ob ſingularem prudentiam & pietatem Sixtus IV. provinciam dedit reformandi ordinem Fontebraldenſem.

CADOET.

LXXXVIII. PETRUS VI.

Poſt Johannis Cordii mortem, capitulum ad Regem miſit legatos, facultatis eligendi ſucceſſorem petendæ gratia; qui cum introducti fuiſſent ad principem per Petrum Cadoëtum ejuſdem eleemoſynarium primarium, Ludovicus rex audita eorum petitione, reſpondit nullum ſede Bituricenſi digniorem eſſe Petro Cadoët, canonicoſque ſibi gratum facturos ſi eum vellent eligere; quod minime ipſis placuit. Itaque per annum integrum electionem diſtulerunt. Interim vero Rex a Sixto ſummo pontifice obtinuit bullas quibus ad archiepiſcopatum hunc Petrus promotus eſt, qui Regis favore poſſeſſionem iniit.

Hic erat civis Bituricæ urbis, prior eccleſiæ collegiatæ B. Mariæ de Salis, Regi ab eleemoſynis; officialiſque munere, & quidem gratis, defunctus fuerat ſub Johanne Cordio. Hæc tamen haud potuerunt canonicorum extorquere conſenſum; ſed libertatem ſuam eligendi, hoc ſeculo in conciliis Conſtantienſi & Baſileenſi aſſertam, læſam fuiſſe ægre ferentes, poſt annum & aliquot menſes, convocato capitulo ad electionem faciendam, elegerunt Guillelmum Cambrayum ſuum decanum. Inde ſchiſma in hac eccleſia ſubortum foret niſi Guillelmus cum adverſario compoſuiſſet ea conditione ut Petrus, quoad viveret, obtineret cathedram; ipſo vero mortuo Guillelmus, ſi ſuperſtes foret, in ejus locum ſuccederet: interim vero aliquanta redditum archiepiſcopatus parte potiretur. Annuit facile Petrus, qui corradendæ & coacervandæ pecuniæ nunquam cupidus fuit. *Indigentium, non dico preces*, inquit auctor patriarchii Bituricenſis, *ſed vota quoque anticipare ſatagebat ..... Quaſdam viduas honeſtas, jamque ipſa ſenectute venerabiles delegerat, quæ ſecundum ejus mandatum inquiſitione facta de pauperibus parochiarum, eidem ſeorſum nuntiarent ſingulorum neceſſitates. Et ille quidem miſeratione permotus, virgines nubiles matrimonio jungebat; ceterorum vero indigentium, maxime eorum quos ingenuus pudor domi retinebat, ne ad publicum ſtipis petendæ gratia exirent, neceſſitatibus ſublevandis, ſecreto certam pecuniæ ſummam, hordeum veſteſque largiebatur:* quibus in luſtratione diœceſis onuſtam rhedam ducere ſolebat. Ut verum paſtorem ſe probavit in his caritatis officiis, ita etiam in ceteris; quæ proſequi ſupervacaneum foret. Satis itaque nobis ſit quædam acta notare, quæ ad illuſtrandum ejus pontificatum pertinent.

1486. Anno 1486. cum epiſcopus Albienſis præpoſitum & *monachos* S. Salvii, ad ulciſcendas proprias injurias, cenſuris innodaſſet, eos Petrus abſolvit, ſententia data eodem anno, feria IV. ante feſtum SS. Simonis & Judæ. Anno 1487. die

Tab. S. Salv.

Dominica qua celebratur feſtum ſanctæ Mariæ Magdalenæ, atrox incendium conſumſit magnam urbis partem; nec pepercit abbatiis S. Ambroſii & S. Laurentii, aut eccleſiis & clauſtris tum Auguſtinianorum, tum Carmelitarum, aliiſque multis eccleſiis. Ad quæ damna reſarcienda alacriter Petrus contulit.

Ante ſuum epiſcopatum anno 1470. conventum monialium ordinis S. Claræ fundaverat in Urbe, quibus, factus pontifex, omni ſtudio favorem impertiit. Suo tempore vidit cum ingenti lætitia exordium reformationis abbatiæ Caſalis-Benedicti, Petro de Maſo (du Mas) tunc hujus loci abbate, tam pii operis auctore & opifice; ex quo celebris congregatio ſub titulo Caſalis-Benedictinæ feliciter poſtea propagata eſt; ac felicius poſtmodum acceſſit ad ſancti Mauri congregationem.

Poſtquam in codicillis ſuis pauperes, quos pro liberis habebat, ſcripſiſſet ſuos heredes ex aſſe, ſarcinam corporis depoſuit pridie calendas Septembris anno Dom. 1492. in eccleſia B. Mariæ de Salis ſepulcro donatam. Ipſo morienie quidam ita de eo cecinit : 1492.

En Petrus antiſtes Bituris qui pavit egenos
Conſilio, nummis, hoſpite, veſte, cibis.
Ergo ejus nomen ad cœlos uſque feramus :
Corpore ſi moritur, nomine ſemper erit.

Exſtat Petri ſequens epitaphium:

Conditur hac petra Petrus fortiſſima petra ;
Firmus quippe fide fuit, affluus & pietate,
Hoſpitium pacis, mæſtis ſolamen, & ægris,
Nudorum veſtis, quorum eſt plebs, turbave teſtis,
Quod zelator erat ſacrarum religionum,
Conventus referat Claræ ſtructura ſororum,
Paucis contentus, iſdem cum paupere factus,
Plura pauperibus, quam divitibus hylaratus.
O qui pauper ades, dum tranſis quæ tibi clades !
Ergo pro ſe ores paſtor jam poſtulat, ô grex,
Doctrina clarus, omnis juris bene gnarus
Omni poſcenti lucrum aptans lege talenti,
Villicus in cœlis prudens, ſervuſque fidelis,
Namque alter Paulus fuit omnibus omnia factus,
Annis quique decem primatum Bituricenſem
Rexit, terque decem eccleſiam hanc prius ipſe Salenſem.
Mille quadringeno, ac octogeno duodeno,
Auguſtique die poſtremo Chriſte Mariæ
Fili, celſa petra, Petrum tecum fer in æthra ;
Adſis tuque pia, pro ſe orans virgo Maria.

DE CAMBRAY.

LXXXIX. GUILLERMUS IV.

Guillelmus, ſæpius *Guillermus*, ſi fidem adhibeamus Johanni Chenu Biturico in chronologia archiepiſcoporum Bituricenſium, cognomen videtur ſortitus a Cameraco urbe. Quippe *avum habuit*, inquit, *Johannem Johannis Biturigum*

ANNI CHRISTI

ducis conſiliarium, rationumque ſuarum magiſtrum anno 1374. quem ipſe dux e villa de Rupi in Picardia, non longe a Cameracenſi urbe ob ingenii dexteritatem paulo antea advocaverat, quique poſtea, videlicet anno 1383. a Carolo VI. Francorum rege, equeſtri ordine torquato Jandæ donatus & decoratus fuit. Avia ejus erat Margareta Chambellan; pater ejus Johannes regis Caroli VII. panetarius, & Caroli Biturigum ducis conſiliarius, ac rationum magiſter, uxorem duxerat Iſabellam Eſtevart. Ipſe vero Guillelmus clero adſcriptus, per omnes gradus aſcendit ad archiepiſcopale faſtigium: nam primo fuit vicarius in eccleſia S. Stephani, deinde canonicus, archidiaconus de Sigalonia *, tum decanus; quam dignitatem poſſidebat, quando electus eſt in archipræſulem. Nec deerant honores ſeculares: nam fuit in parlamento Pariſienſi, & in majori conſilio ſenator; & jam libellorum ſupplicum magiſter erat anno 1457. ex nonnullis ſchedis.

* Sologne.

Porro miramur Johannem Chenu ipſoſque Sammarthanos dixiſſe Guillelmum auſpicatum ſolummodo eſſe pontificatum anno 1493. Nam ex charta ſincera [a] nobis conſtat de inito epiſcopatu anno antecedenti; die vero 14. Octobris poſſeſſionem adeptus eſt comitantibus epiſcopis Cadurcenſi, Sanpapulenſi, Tutelenſi & Agathenſi.

[a]

Ejus opera, mandato a ſummo pontifice accepto, moniales Fontebraldenſes inducuntur in parthenonem Pariſienſem, quem Filiarum-Dei appellant. Anno vero 1501. monaſterium Annuntiatarum [b] fundatur Bituricis a B. Johanna duciſſa Biturigum, filia Ludovici XI. nupta prius Ludovico duci Aurelianenſi, qui cum Franciæ rex evaſiſſet, eam repudiavit judicibus eccleſiaſticis irritum eorum conjugium declarantibus.

1501.

[b]

Paulo poſt mortem B. Johannæ, quæ obiit die 4. Febr. anno 1504. cujuſque exſequias celebravit Guillelmus archiepiſcopus, ex hac vita migravit die ultima Aug. anni 1505. & pro ſuo & patrui ſui Stephani de Cambray canonici Biturienſis, poſtea vero Agathenſis epiſcopi anniverſario, legavit capitulo centum ſcuta aurea, & duodecim libras Turonenſes annui & perpetui redditus, aſſignatas ſuper dominium S. Palladii, *ratione ſtagni, quod idem archiepiſcopus donavit ſuis ſucceſſoribus archiepiſcopis, ad onus ſolvendi dictas 12. libras Turon.* Cœnobio vero Caſalis-Benedicti ſuam bibliothecam legavit. Corpus ejus terræ traditum eſt

1505.

[a] Minime dubium relinquitur exordium epiſcopatus hujus aſſignandum eſſe anno 1492. ex hoc inſtrumento ejuſdem archiepiſcopi pro capitulo Feritatis-Umbaldi, quod ex tabulario hujus eccleſiæ ad me miſit noſter D. Carolus Conrade abbas S. Sulpicii Bituric.

Guillermus miſeratione divina Bituricenſis archiepiſcopus, Aquitaniæ primas, dilectis fratribus priori & capitulo eccleſiæ collegiatæ & ſecularis ſancti Taurini de Feritate-Umbaldi, intra diœceſis prædictæ terminos, ſalutem in Domino. Exhortamur, & nihilhominus mandamus quatenus ordinationes & conſtitutiones per bonæ memoriæ deffunctum dominum Petrum prædeceſſorem noſtrum de conſenſu veſtro factas & inſtitutas, quas etiam confirmamus, ratificamus & approbamus ſecundum formam & tenorem litterarum dicti domini Petri, quibus hæ noſtræ præſentes ſunt annexæ, obſervare, intertenere & inviolabiliter de puncto ad punctum mantenere habeatis & quilibet veſtrum habeat. Alioquin ſi contradicentes & rebelles, procedemus prout de jure ſervandum videbimus. Datum ſub curia noſtræ Bituricenſis ſigillo die decima ſexta menſis Decembris, anno Domini MCCCC. XCII.

[b] Earum regulam approbavit & confirmavit Guillelmus anno 1502. ex tabul. Annuntiatarum Albienſium.

in choro eccleſiæ cathedralis cum hoc epitaphio, partim metro, partim ſoluta oratione ſcripto:

Hic jacet exanimis patriæ flos, gemma decora
Guillelmus, Biturix cujus origo fuit.
Regius hic conſul, Biturigis atque decanus,
Poſthinc metropolis culmen honoris habens,
Qui ſibi pro meritis hæredes fecit egenos,
Denique ſumpturus gaudia vera poli.

Sepulcrum reverendiſſimi in Chriſto patris domini Guillelmi de Cambray archiepiſcopi Bituricenſis, Aquitaniæque primatis, domini noſtri Regis in ſuo magno conſilio, parlamentique curia Pariſius conſiliarii, qui obiit die ultima menſis Auguſti an. Dom. M. D. V.

Cum juriſprudentiam apprime calleret (quippe qui tum in parlamento Pariſienſi, tum in majori conſilio ſumma cum laude ſenatoris munus exercuerat) curam habuit ſcripto mandandi ſtilum fori & juriſdictionis eccleſiaſticæ, quod auctor patriarchii Bituricenſis teſtatur vidiſſe typis excuſum & publici juris factum.

XC. MICHAEL. DE BUCY.

Michaël de Bucy Pariſiis natus, Ludovici regis XII. nothus fuit, ſi famæ creditur, inquit patriarchii Bituricenſis ſcriptor. Qui adhuc puer interroganti Regi, quale vivendi genus ipſi magis arrideret, reſpondiſſe fertur ſe magnopere cupere cultui divino mancipari. Quare Ludovicus rex, doctiſſimis magiſtris eum erudiendum tradidit, & vacante Bituricenſi archiepiſcopatu, petente Rege, Michaël vix duodeviginti annos natus in minoribus ordin. conſtitutus, eligitur in archiepiſcopum per viam Spiritus ſancti, ut habet inſtrumentum electionis; paulo poſt ordinatur diaconus. Qui ſcripſit hæc monachus Sulpicianus, videtur ſignificare ipſum conſecratum fuiſſe epiſcopum, antequam ordinaretur presbyter: *Diaconii*, inquit, *ordinatione ſuſcepta, per ſpecialem ſummi pontificis gratiam, conſecrationis munus conſecutus eſt. Deinde cum pubertatem ſupergreſſus fuiſſet, presbyterii honore potitus .... ſacra miſſarum ſolemnia pontificalibus infulis glorioſe amictus celebravit.*

Noſtri Sammarthani docent Michaëlem ex canonico electum fuiſſe die 25. Septembris anno 1505. cum annum 22. ætatis vix attigiſſet; confirmatum [c] a Julio II. miſſum eſſe in poſſeſſionem die Veneris 13. 1506. ſed tantum ſub nomine adminiſtratoris, per aſſignationem ſedis inferioris archiepiſcopalis: die 19. Decembris ſequentis Ludovico XII. regi fidem clientelæ juraſſe: denique pro pontificalibus muniis hunc adminiſtratorem habuiſſe adjutorem epiſcopum Arcadiæ; exceſſiſſe e vivis anno 1511. id. Februarii VI. humatum ante ſedem Cancellarii.

[c]

XCI. ANDREAS I. FORMAN.

Poſt Michaëlis obitum ſedes vacavit per unum annum, menſes 5. dies 22. ex veteri indice;

[c] Bulla confirmationis data XI. cal. Dec. M. D. V.

quo tempore

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

quo tempore *venerabilis dom. decanus* & capitulum rexerunt. Interim tentaverunt, ſed fruſtra, canonici eligere ſeu poſtulare per viam Spiritus-ſancti Chriſtophorum de Brillac epiſcopum Aurelianenſem, aut Johannem de Villiers decanum Bituricenſem. Tandem die 7. Maii 1511. poſtulatus eſt a capitulo per viam Spiritus-ſancti Matthæus Lauthen cardinalis, epiſcopus *Gurcenſis* in Scotia. Sed hæc pugnant cum iis quæ ſuperius ex eodem indice retulimus, videlicet vacaſſe ſedem uno anno & multis menſibus. Certe iſtius aut electionis aut poſtulationis, ſi qua ſit facta, nulla habita eſt ratio. Nam in duobus inſtrumentis anni 1512. uno Landeſii, altero Belli-viſus, archiepiſcopalis cathedra legitur tunc vacaſſe. Tandem electus eſt Andreas Forman ex Scotia ortus, epiſcopus Moravienſis *, qui tunc regis Scotiæ legatus erat & orator ad Ludovicum Francorum regem, cui pergrata fuit electio hæc; eamque papa libenter confirmavit. Ludovico regi hominium præſtitit die 12. Septembris an. 1513. Sed anno & menſibus circiter quatuor elapſis, cum vacaret ſancti Andreæ archiepiſcopatus in Scotia, Reginæ & ducis Albaniæ precibus revocatus eſt Formannus in patriam, ubi creatus eſt Sanctandreanus metropolitanus, ſimulque abbas Dunfermilingenſis ac Arborotenſis. De eo plurima leguntur apud Johannem Leſlæum epiſcopum Roſſenſem.

* Murray en Ecoſſe.

BOYER.

XCII. ANTONIUS I.

Andrea Formanno cedere coacto ut rediret in Scotiam, Antonium Boyer ipſi ſubrogare placuit tam Pontifici quam Regi, ea lege ut Antonius abbatiam S. Audoëni Rotomagenſis cardinali Sedunenſi cederet. De hoc tamen cardinali nulla occurrit mentio inter S. Audoëni abbates. Sed pro cardinali Sedunenſi legi debet Innocentius Cibo cardinalis. Antonius Boyer Arvernus patriam habuit Yſſiodorum *, parentes Auſtremonium baronem de S. Cirgue Regi a conſiliis ac ſecretis, & Beraldam de Prato, Antonii de Prato cancellarii & cardinalis amitam; alii dicunt ſororem. Ab adoleſcentia vitæ monaſticæ in monaſterio Fiſcanenſi ſeſe addixit, cujus poſtea fuit abbas, ſed prius ſancti Audoëni Rotomagenſis; quam abbatiam dimiſit ut archiepiſcopatum Bituricenſem conſequeretur.

Patriarch. Bitur.

* Yſſoire.

Porro quamvis ad has dignitates adipiſcendas plurimum contulerit favor Antonii du Prat cancellarii ejus cognati, fatendum tamen eſt huic viro adfuiſſe plurimas eximias dotes, quibus ad ſumma quæque comparatus videbatur. Hinc quando Ludovicus XII. Normanniæ ſcacarium * mutavit in parlamentum ſtabile inſtar Pariſienſis, noſtrum Antonium unum ex præſidibus infulatis voluit eſſe, qui aliis præluceret ſenatoribus; cujus etiam ſenatus fuit cancellarius ſive ſigilli cuſtos. Ipſius magnificentiam probant ſtupenda opera per ipſum tot in locis incœpta & abſoluta, quæ adhuc ſtant & ſuperſunt apud Fiſcannum, & ſanctum Audoënum, ubi palatium abbatiale etiamnum ſuſpicitur.

* Echiquier.

Eodem ſemper afflatus ſpiritu & ſtudio loca ſacra ornandi, ampliandique, aut reſtaurandi, A cœpit ruinas eccleſiæ S. Stephani reficere. Novam turrim qua fulcitur porticus baſilicæ a læva ingredientium inchoatam curavit ad faſtigium perduci. Curiæ archiep. auditorium a fundamentis conſtruxit. Non in ſolis ædificiis, eccleſiæ decorem auxit, ſed addidit magnam ſuppellectilem in vaſis ſacris, ſacerdotalibus veſtimentis, altariſque ornamentis pretioſis.

ANNI CHRISTI

Anno 1515. die 11. Auguſti, petente Franciſco I. Francorum rege, eccleſiam Lucionenſem vacantem per obitum Petri de Saſſierges epiſcopi, contulit Philiberto de la Guiſche monacho Benedictino, auctoritate procul dubio primatis; quæ tamen collatio locum non habuit, ſed irrita fuit. 1515.

Anno 1517. cal. Aprilis allectus eſt in ſacrum cardinalium ordinem a Leone X. ſub titulo S. Anaſtaſiæ, ad nominationem Chriſtianiſſimi regis. 1517.

Anno 1518. Johannes de Vulcob major archidiaconus ei juravit fidelitatem; ad quod homagium erga Bituricenſem archiepiſcopum ceteri archidiaconi & cantor tenentur. Anno ſequenti die 27. Novembris Bleſis ex hac vita migravit; indeque cadaver ejus Bituricas revehitur, ſepeliturque in navi eccleſiæ majoris, ubi cenotaphium ejus his verſibus ornatur: 1518.

Antonius jacet hic Bohierus, origine quondam
Arverna, eloquio vir, meritiſque gravis.
*A puero monachus, clauſtris compluribus * abbas*
Dignus, & hac celebri præſul in urbe fuit.
*Paucos poſt annos * multos ſortitus honores,*
Tandem cardineo ſchemate clarus obiit.

* *In patriarch. Bitur.* Poſt hæc complicibus abbas. * Tempore non multo.

Circa laminam æneam quæ tegit ejus ſepulcrum legitur hoc epitaphium: *Cy giſt feu de bonne memoire monſieur Antoine Bohier cardinal du ſaint Siege, archeveſque de Bourges, abbé de Feſcan, qui treſpaſſa le XXVII. Novembre MD. XIX.* 1519.

Pro miſſa in perpetuum celebranda, quæ vulgo miſſa cardinalis appellatur, dedit ſex librarum Turonenſium millia, quibus exemtum eſt S. Radegundis dominium. Pro optimo eccleſiæ ſuæ, maxime cleri regimine, fecit multas conſtitutiones ſynodales ſaluberrimas. Habuit vicarium generalem Jacobum de Brolio canonicum & archidiaconum Borbonii, in eccleſia Bituric. ex litt. an. 1517.

DE BEUIL.

XCIII. FRANCISCUS I.

Franciſcus de Bueil, Jacobo comite Sacri-Cæſaris *, & Johanna de Sains * natus; frater Caroli comitis & Ludovici magni Franciæ pincernæ fuit. Is ab adoleſcentia totum ſe litterarum ſtudiis dedit, & juri canonico perdiſcendo plurimum incubuit: ac ob ſingularem eruditionem, cui majorem addere modeſtiam ſtuduit, inter publicos hujus facultatis profeſſores, cooptatus fuit. Porro cum jam eſſet ædis ſacræ palatii theſaurarius, cui dignitati acceſſit Plenipedis abbatia, & eccleſiæ metropolitanæ canonicatus, electus a capitulo fuit archiepiſcopus Bituricenſis die XI. Januarii *anno 1519. ſeu 1520. juxta hodiernum inchoandi anni morem, regnante apud Gallos* 1519.

* Sancerre. * *Chenu ait* de Sainte.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

Franciſco I. anno VI. Sed vi concordatorum A inter Leonem papam & Franciſcum regem, hic princeps deſignavit ſucceſſorem Antonii Guillelmum Parvi ordinis fratrum Prædicatorum, qui erat ipſi a confeſſionibus.

Interim Leo papa electionem capituli in gratiam Franciſci de Bueil confirmavit bulla * data Romæ apud S. Petrum anno Incarnation. Dom. MD. XXI. calend. Julii, pontificatus ejus anno IX. Hac in bulla Franciſcus appellatur canonicus Bituricenſis, de nobili & comitum genere procreatus, doctor & papæ notarius, in ordine presbyteratus conſtitutus. Hac bulla munitus Franciſcus conſecratur archiepiſcopus, & poſſeſſionem init. Guillelmus Parvi vero provectus eſt ad cathedram Trecenſem.

* *Legitur in patriarch. Bitur.*

1521.

Pravas quaſdam conſuetudines ſuſtulit vigilantiſſimus antiſtes, religioſiſſimuſque Dei cultor: 1°. commeſſationes & convivia in proceſſione corporis Chriſti fieri ſolita ſuſtulit: 2°. prohibuit ne, ut moris erat, in feſtis ſanctorum Martini, Nicolai & Innocentium, pueri vices pontificis & canonicorum ſupplerent in celebratione Divini officii, & choro majoris eccleſiæ præeſſent; cum e contrario ſacerdotes munia puerorum obirent. Nihil enim patiebatur fieri indecorum in templo Dei. Ad majus ipſius decus dedit plurima ornamenta ſerica, argentea & aurea. Libertatis eccleſiæ fuit propugnator acerrimus. Liberalitatem ſuorum anteceſſorum erga capitulum æmulatus, ei dedit villam* quandam *. Pariſiis diem obiit 25. Martii anno 1525. ante Paſcha more Romano. Corpus delatum Bituricas conditum eſt in eccleſia metropolitana prope aquilam in choro poſitam, juxta tumulum B. Philippi archiepiſcopi ſub lapide in quo nudum nomen domini Franciſci du Bueil archiepiſcopi inciſum legitur. De eo iſti verſus circumferuntur:

B

C

* Sury en Vaux.

1525.

Franciſcus jacet hic a ſtirpe Buellius, idem
Sanguinis, idem animi nobilitate valens,
Qui jurata ſemel ſemper ſervavit ad unguem,
Et cuncta intrepido pectore ſuſtinuit.
Parca breves annos licet dedit invida, virtus
Nomen inextinctum perpetuumque dabit.

D

Porro ex hac nobili familia de Bueil, præter proceres, qui ſummis regni dignitatibus potiti ſunt, quos inter Johannes dominus Buelli Franciæ maris præfectus, præſulis noſtri abavus, & egregie geſtis contra Anglos maxime conſpicuus; claruit etiam in ſacro ordine Harduinus Andegavenſis decimo quarto ſeculo epiſcopus. Obſervat auctor patriarchii Bituricenſis annis aliquot ante mortem Franciſci ventorum impetu multa everſa ædificia, evulſas arbores validiſſimis licet radicibus terræ inhærentes, denique terræ motus; quæ non ſolum noſtri archiepiſcopi mortem prænuntiabant; ſed graviora longe mala, præſertim Lutheri & Calvini aliaſque hæreſes in Galliis brevi graſſaturas.

E

XCIV. FRANCISCUS II.

ANNI CHRISTI DE TOURNON

De genere Franciſci ſane nobiliſſimo dicere ſupерſedemus, quod id jam ſit a nobis præſtitum agendo de Auſcienſibus prælatis. Itaque hoc loco notanda ſolummodo ſunt quæ ſpectant ad Franciſci pontificatum in urbe Bituricenſi: nam in quatuor eccleſiis metropolitanis ſedit; præterea que fuit cardinalis epiſcopus Oſtienſis, ſacrique collegii decanus; tum etiam tres ſupra decem abbatias poſſediſſe dicitur.

Franciſco Buellio mortuo, canonici convenerunt ad eligendum ſucceſſorem nonis Junii 1525. Capituli tunc *decora facies* erat ob eximios viros ſcientia boniſque moribus præditos, quos tunc fovebat; in iis eminebat Jacobus de Brolio canonicus & archidiaconus Borbonii, qui jam de eccleſia metropolitana bene meritus erat, quod ab inferiori ejus teſtitudine Chriſti Servatoris ſepulturæ monumentum poſuiſſet, ubi etiam ſepeliri optabat; & miſſam quarta & ſexta feria in perpetuum celebrandam inſtituiſſet. Pars itaque capituli conſenſit in electione Jacobi: alia Turnonium præferendum putavit, eique ſuffragiis favit. Cauſa itaque ad papam delata, ut dirimeretur, Clemens VII. in gratiam Turnonii judicium protulit; maxime quod iratus eſſet Jacobo Brolio provocanti ad futurum concilium generale. Itaque ſummus pontifex ſexto idus Januarii ejuſdem anni 1525. confirmavit Franc. Turnonium electum; qui per procurationem admiſſus eſt in poſſeſſionem anno 1526. die 16. Aprilis, & ſolemnem per ſe ipſum die 19. Maii ejuſdem anni. Anno 1527. concilium celebravit in ſua urbe VI. * idus Martii; quo anno memoratur ut cancellarius ordinis regii S. Michaëlis in litteris quibus hunc in ordinem adſcribitur Angliæ rex die 15. Septembris.

1525.

1526.

1527.

* *al. iii. idus. Rymer tom. 14. collect. p. 228.*

Tunc temporis hæreſis Lutherana cœperat erumpere, contra quam muniendum cenſuit ſuum gregem; ideoque damnato cum ſuis erroribus Luthero, in ſynodo cujus meminimus, pœnas comminatus eſt iis qui libros hoc veneno infectos aut venderent, aut emerent. Atque ne ſocordia & abſentia paſtorum malum ſerperet, canones de reſidentia canonicorum, præſertimque rectorum eccleſiarum innovavit; ut unuſquiſque in ſua ſpecula ſtaret vigilaretque. Publicavit quoque leges fori eccleſiaſtici ſui patriarchatus. Ad conciliandam Franciſco Turnonio majorem auctoritatem placuit Clementi papæ VII. eum adſcribere cardinalium collegio (quod etiam Franciſcus I. rex ab ipſo poſtularat) dato SS. Marcellini & Petri titulo, die 16. Martii anno 1530.

1530.

Anno 1536. *in craſtino Pentecoſtes triumphalis ludus actuum apoſtolorum (ſpectaculum plane ad hæc tempora orbi Chriſtiano inſuetum*, inquit auctor patriarchii Bituricenſis) *eſt Bituris celebratus... quo quidem elapſo* (anno 1536.) *& aliquot interjectis menſibus, dominus Franciſcus noſter hadenus pontifex ultro ceſſit primatu domino Jacobo le Roy, & ad regendam eccleſiam Auſciorum tranſmigravit, nobis ſui deſiderium ob modeſtiam & manſuetudinem, quibus virtutibus omnes ſibi amicitia devincire illi curæ fuit, relinquens.*

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

Adhuc de Franciſco Turnonio loquendi occurret occaſio. Interim juvat dicere multum tanti viri prudentiæ ac ſtudio pro fide orthodoxa debuiſſe Galliam. Sane plurimi eum faciebat Franciſcus I. nec minus carus fuit aliis poſt Franciſcum regibus, qui ejus ſæpiſſime conſilio in rebus arduis utebantur. Hinc de ipſo canit Michaël Hoſpitalius, qui fuit Franciæ cancellarius:

Turnoni genus heroum qui ſanguine ducis,

&c. quæ legi poſſunt in ejus elogio inter archiepiſcopos Auſcienſes.

Et Antonius Muretus:

Turnoni antiquæ ſpirans virtutis imago
Quo ſtupet hæc ætas, quoque beata tumet
Et tua cum ſeri repetent monimenta nepotes
Si, dederint cælum quæ tibi fata rogent:
Poſt alias laudes quas bello & pace paraſti,
Conſilio moderans tempus utrumque pari:
Quot, quas fudit opes pleno tibi copia cornu
Aſſidue doctos foveris hiſce viros:
Pectore & ingenuas conſtanti adamaveris artes:
Adjiciet titulis hoc quoque fama tuis.

XCV. JACOBUS.

LE ROY.

Jacobus Regius Renati domini de Chavigny in Lodunenſi pago, Regi a conſiliis, regioque cubiculo præpoſiti filius ex Magdalena Gouffier ſorore Adriani Conſtantienſis epiſcopi & cardinalis; fratrem habuit Ludovicum le Roy Regis ſtipatorum cohortis præfectum, qui reliquit filium Franciſcum eadem præfectura ornatum & torquatum equitem. Jacobus vero in congregatione Cluniacenſi vitam religioſam amplexus & profeſſus eſt. Poſtea fuit abbas S. Florentii Salmurienſis, inde Dolenſis, & Villæ-lupæ *. Electus eſt etiam Cluniacenſis; at Franciſco I. rege ita cupiente, electioni ſuæ nuntium remiſit, & juribus ceſſit ſuis, in gratiam Johannis Lotharingi cardinalis, anno 1528. Turnonio vero migrante a Bituricenſi cathedra ad Auxitanam, creatus eſt archipræſul Bituricenſis anno 1537. adeptuſque eſt poſſeſſionem die 16. Decembris eodem anno.

* Ville-lofa

1537.

Sedente hoc præſule urbs ab hæreticis capta eſt, omniaque urbis templa ſpoliata & polluta ſunt anno 1562. Poſt novennium anno 1571. fundatur in urbe collegium Societ. Jeſu a Johanne Niquetio S. Gildaſii abbate; quod unitum fuit Univerſitati Bituricenſi, Jacobo de Nucheze cancellario, qui fuit poſtea Cabilonenſis epiſcopus, & Edmundo Merillio anteceſſorum juris primicerio curantibus. Diem clauſit extremum Jacobus Regius Lutetiæ 1572. humatus in eccleſia parochiali S. Landerici.

1562.

1572.

Tempore hujus antiſtitis juriſprudentiam profeſſi ſunt in academia Bituricenſi Franciſcus Duarenus & Eguinarius Baro Armorici, Hugo Donellus Burgundus, Franciſcus Hotomannus Pariſienſis, Cujacius Toloſas, Franciſcus Balduinus Atrebatenſis, & Antonius Contius Noviodunenſis.

XCVI. ANTONIUS II.

ANNI CHRISTI

VIALART.

Antonius Vialart ex familia ſenatoria apud Pariſios, monachus ordinis S. Benedicti, ex abbate Bernaïenſi & priore S. Martini a campis, deſignatur archiepiſcopus Biturigum a Carolo IX. rege, cui ſacramentum fidelitatis profitetur 23. Aug. 1572. adeptus poſſeſſionem 18. calend. Octob. ejuſdem anni. Anno 1573. magna fame & frumenti penuria laboravit urbs, ut legitur in fine panchartæ archiepiſcopalis. Comitiis cleri Gallicani eodem anno interfuit Pariſiis. Plurima cathedrali ſuæ dona contulit, & palatii epiſcopalis partem bellorum civilium injuria dirutam ædificari curavit. Idem ut vicarius generalis Claudii a Guiſia abbatis, Cluniacenſe monaſterium adminiſtrabat anno 1575. Vivere deſiit ætatis annum agens XLVIII. in prioratu S. Mariæ de Gornayo ad Matronam 1576. pridie nonas Decembris, a ſuſcepto Martiniano præſulatu anno XIV. Corpus in templo S. Stephani Bituricenſis, a tergo aræ majoris tumulatur. *Vir*, inquit Martinus Marrier Benedictinus in hiſtoria cœnobii S. Martini a campis lib. III. *qui ad archiepiſcopatum evectus, haud ita implevit dignitatem, ut non tamen propoſitum monachi, habitumque deſeruerit. Vir ceteroqui, quem non tam pontificalis infula, quam ille pontificalem infulam decoravit; mirandis cum animi, tum corporis dotibus ornatus, adeo ut quod olim de Catone, etiam de illo uſurpari potuerit: ad id unum natus videbatur, quodcumque agebat.*

1572.

1573.

1576.

Laudatur in veteri charta ob indefeſſum laborem in prædicando & privatis colloquiis exhortando; ſicque a peſte Lutheranorum & Calviniſtarum ſervavit gregem ſuum intactum. Ex eadem Vialartorum gente fuerunt Carolus Abrincenſis epiſcopus, & Felix non ita pridem Catalaunenſis, quem populi tamquam ſanctum venerantur.

C. XLVI. col. 27.

XCVII. REGINALDUS.

DE BEAUNE.

Reginaldus de Beaune, quem doctrina juncta cum eloquentia ſingulari, fides in Regem, amor in patriam, in gregem, cui magna cum ſollicitudine præfuit, virtus erga omnes commendarunt, natus eſt Turonis an. M. D. XXVII. Avum habuit Jacobum Franciæ quæſtorem, vicecomitem Turonenſem, ejuſdemque provinciæ gubernatorem; parentes vero Guillelmum de Beaune baronem de Samblançay, ac Bonam Cotereau, patruos item Martinum archiepiſcopum Turonenſem & Jacobum Venetenſem epiſcopum; fratrem quoque Martinum præſulem & comitem Podienſem.

Samm.

Porro a dignitatibus ſecularibus iter ſibi fecit ad eccleſiaſticas. Primum igitur fuit ſenator Pariſienſis, tum præſes in auguſtiſſimo parlamento, comes conſiſtorianus, libellorumque ſupplicum in regia magiſter creatus, præterea Franciſci Andium ducis cancellarius; & in his omnibus egregiam Reipublicæ operam navavit. Deinde poſt ſenatorios honores acceſſit ad Eccleſiæ potiora munera. Igitur aliquandiu abbatiarum Curiæ-Dei & Moliſmi præfectura functus, ab Henrico III. nomi-

Digitized by Google

natur epiſcopus & comes Mimatenſis, poſtea archiepiſcopus Bituricenſis; quam ſedem an. 1581. vi. id. Julii obtinuit a Gregorio XIII. pontifice max. ad quem clerus, academia & civitas Bituricenſis communi omnium ordinum voto ſcripſere [a] ipſum rogantes ſibi dari Reginaldum archiepiſcopum tanquam firmiſſimum Eccleſiæ & religionis propugnaculum adverſus hæreticæ pravitatis impetus, quæ Galliarum regnum & fidem peſſundare moliebatur. Cum autem viri inſignis merita in regem Henricum IV. creviſſent, quem ſapientibus conſiliis & hortationibus ab hæreſi ad veram & antiquam majorum ſuorum fidem revocaverat, ipſum Rex magni Franciæ eleemoſynarii dignitate an. 1592. donavit, regiorumque ordinum commendatorem fecit. Certabant equidem in eo virtutes omnes tantis faſtigiis dignæ, ſcientia, rerum uſus, integritas, eaque facundia, ut ad res maximi momenti aut exponendas aut componendas ſæpius deligeretur.

ANNI CHRISTI 1581. 1592.

Hinc rogatus eſt ſæpius pro clero Gallicano coram Rege, tum in ſacro conſiſtorio, tum in comitiis Bleſenſibus, antea vero in generali Eccleſiæ Gallicanæ conventu habito 1582. aſſiſtentibus Arnaldo Pontaco Vaſatenſi, & Claudio Angenneo Noviodunenſi epiſcopis perorare; quem quidem eloquentia mirabili hortatus eſt ut ſacrum tueretur ordinem, & poſt tot graves injurias ab hæreticorum furore illatas, incendia, ſpoliationem bonorum, vexationem perſonarum, malorum jam tandem ingruentium turbines auctoritate regia propulſaret.

1582.

Anno vero 1583. Renati Biragii cardinalis, Franciæ cancellarii laudes oratione [b] publica in ipſius exſequiis Lutetiæ habita celebravit; quod pariter anno ſequenti in Andium ducis pompa funebri exſecutus eſt. Anno 1587. in Dei-paræ virginis baſilica Pariſienſi Mariam Stuartam, Francorum & Scotorum reginam, non modo a calumniis liberavit quibus ejus memoriam opprimere tentaverat Eliſabetha Anglorum regina, ſed & panegyrico ſermone, piiſſimæ & patientiſſimæ heroinæ manibus qua ſolebat ſtyli elegantia parentavit; ut quod ejus famæ probrum adſpergere Eliſabetha decreverat morte indecora & crudeli, ipſe Reginaldus in Mariæ ampliſſimam laudis materiam converteret; & e contra nefarium ambitioſæ Eliſabethæ facinus patefaceret.

1583. 1587.

Mortuo Henrico III. Reginaldus ſtatim ſeſe Henrici IV. partibus fideliſſime addixit, & quantis potuit tum facundiæ viribus, tum prudentia & animi moderatione effecit, ut ejus in Gallos legitimum imperium & agnoſceretur & probaretur. Neque omnino reticendum illud, quod tamen a Chenuto & Roberto noſtro ſilentio obductum eſt, Reginaldum archiep. primas partes pro rege Henrico IV. in colloquio Sureſnæ ad ripam Sequanæ prope San-Clodoaldum tenuiſſe, cum de pace inter catholicos regios & fœderatos

[a] Hanc epiſtolam a rectore, & Univerſitate ſcriptam ad Gregorium papam XIII. exhibet Johannes Chenu.

[b] Die ſexta Decembris dicta eſt, typiſque mandatur Pariſiis apud Ægidium Beys anno 1583. Idem archiepiſcopus laudes proſecutus eſt Annæ Thuanæ uxoris Philippi Huraldi Chevernii Franciæ cancellarii, in ipſius funere die 26. Octobris, quam orationem edidit Pariſiis Mam. Patiſſon 1584.

A B C D E

incunda, Principiſque ad fidem orthodoxam converſione ac inſtructione ſerio actum eſt. Menſe itaque Aprili anno Domini 1593. delegatur Reginaldus cum pluribus proceribus qui Regis partes ſequebantur. Fœderatorum nomine mittitur Petrus Eſpinacus archiepiſcopus Lugdunenſis. Cetera quæ memorant fuſe illuſtriſſ. viri Spondanus epiſcopus Appamienſis tomo 3. annalium, & præſes Thuanus lib. CVI. hiſtoriæ, nos paucis narrabimus:

ANNI CHRISTI 1593.

Cum conveniſſent ex utriſque partibus delegati, cal. Maii, Bituricenſis antiſtes poſt actas Deo gratias quod pro ſua bonitate ad calamitates Galliæ reſpexiſſet, inflexiſſet animos, ut civiles tumultus componerentur; quamobrem ii eſſent delecti, quorum fides in Deum & in patriam perſpecta eſſet; deplorato regni miſero ſtatu, hortatur omnes ut juxta Prophetam, inquirant pacem eamque perſequantur. Cui cum non minore eloquentia idem Eſpinacus reſpondiſſet, in id præcipue incumbendum ut fides & religio in tuto collocarentur; Bituricenſis, ſeductis collegis in proximum conclave, conſultatione cum illis habita, ad colloquium redit, & non aliter religioni conſuli pronuntiat, niſi conſtituta legitimi principis auctoritate, in religione fruſtra laborari incerto Rege, non alium poſſe aſſumi quam ex ſtirpe regia, præceptum eſſe divinum ut parentibus obediatur, quo nomine reges continentur, quorum poteſtas a Deo cum emanet, qui ipſis reſiſtunt, Dei ordinationi reſiſtunt; principes vero eſſe imagines Dei; ſentire omnes catholicos qui Regi adhærent, ab eo ſe non poſſe ſalva conſcientia diſcedere; paratum Regem ut amplectatur, recta inſtitutione facta, quod ad religionem ipſi deeſt, illud ab ipſo concorditer exorandum. Reſpondit archiep. Lugdunenſis conſentire omnes de inquirenda pace, ſed primum quærendum regnum Dei, cetera deinde adjici nobis, petere ſe principem, ſed chriſtianiſſimum pro majorum pietate; jus divinum & humanum, canones & uſum Eccleſiæ refragari ne rex alienus a fide eligatur aut toleretur; quod prolatis ex Scriptura & hiſtoria eccleſiaſtica quamplurimis exemplis comprobare conatus eſt. Ad hæc Bituricenſis: lætari ſe quod fidem ſalvam velint, ſpem ſubeſſe quod Henricus a Deo vocatus ad regnum pleno jure ſucceſſionis, errores a fide alienos relinquet; petere ipſum ut melius doceatur, paratumque eſſe, ubi primum agnoverit, hæreſim deſerere; interim a regiis partibus non diſcedendum, quod plurimis etiam ex Scripturæ & hiſtoriæ auctoritatibus confirmavit.

Ex quo celebri colloquio feliciter evenit ut Rex expetitam animi ſui in cauſa religionis de abjicienda hæreſi ſententiam propalaret, ſerio agens de reconciliatione. Conventu antiſtitum habito, Henricus circa controverſos articulos inſtruitur, in S. Dionyſii fano excipitur a Bituricenſi, cui facta ſolemniter fidei profeſſione, abjurationem chartâ ſubſcribit, & ab eo abſolutionem ſuſcipit. Tum in Eccleſiam omnium applauſu admiſſus, peccatorum confeſſionem Reginaldo emittit, celebri concione ab eodem habita, ſit par-

ANNI CHRISTI

ticeps communionis, atque inter fauſtas omnium vocces & gratiarum Deo actiones ſacrum ſolemniter peractum eſt.

Hac ergo legatione præclare obita Belnenſis de re Gallica & Eccleſia optime meritus, deinceps in tractandis gravioribus regni negotiis adhibitus eſt; nec interim diœceſis Bituric. curam neglexit; nam
1584. & concilium provinciale menſe Septemb. 1584. pro reformatione morum & diſciplinæ celebravit. Carnuti in æde B. Mariæ inaugurationi Henrici regis interfuit an. 1594. & nomine cleri Gal-
1594. licani 1598. Aug. 30. Alexandrum Mediceum cardinalem Florentinum, Sedis apoſtolicæ legatum pro ſancienda pace inter reges Franciæ & Hiſpaniæ, poſtea Leonem papam XI. adiit.

Sub ejus pontificatu mortuus eſt an. 1590. die 3. Octob. & in B. Petri templo ad pontem Avaronis ſepultus eſt Jacobus Cujacius, juriſconſultorum ætate ſua doctiſſimus & facile princeps, qui non parvam laudem ex multis voluminibus egregie ſcriptis promeruit. Doluerat & Biturix antea morte ſublatos illuſtres ſui ſeculi juriſconſultos Franciſcum Duarenum, Eguinarium Baronem, Anton. Contium, & alios doctrina præſtantes, de quibus ſupra locuti ſumus. Tunc in eadem juris facultate florebat Johannes Mercerius.

Tranſiit demum Reginaldus hic noſter ad Senonenſem eccleſiam anno Domini 1602. de quo in archiepiſcopis Senonenſibus plura inferius dicemus. Tempore hujus antiſtitis anno 1587. extra urbem Capucinis conditus eſt conventus liberalitate V. C. Jacobi Bochetel ſacri conſiſtorii conſiliarii, necnon Bernardini Bochetel epiſcopi Nannetenſis. Eorum eccleſia anno ſequenti dedicata eſt calendis Maii. Hæc deſumſimus ex Johan. Chenu in chronologia Bituric. archiep. quam edidit an. 1621. unde credibile eſt ipſum vixiſſe an. 1587.

FREMIOT.

XCVIII. ANDREAS II.

Andreas Fremiot abbas Ferrarienſis, S. Stephani Divionenſis & Bretolii, prior Nantuaci & Nogenti, patrem habuit ex nobili ſtirpe Benignum Fremiotum dominum de Tottes, in ſupremo Burgundiæ ſenatu præſidem, comitem conſiſtorianum; matrem vero Margaritam Berbiſey. Is Divione natus 1573. Auguſt. 26. ſtudiis ab adoleſcentia ſe dedit, & Patavii florentiſſimo Italiæ gymnaſio Vidum Pancirolam juriſconſultum ſumma doctrinæ fama juriſprudentiam docentem audivit, eoſque in ea progreſſus fecit, ut doctor renuntiatus, ſenatoris primum Burgundiæ 1597. deinde in arcano Regis conſiſtorio aſſeſſoris partes magna cum laude impleverit; unde tanta de eo concepta opinio, ut ab Henrico IV. rege deſignatus ſit qui in archiepiſcopum Bituricenſem præ-
1602. ficeretur 1602. Conſecratur itaque Lutetiæ an.
1603. 1603. VII. Decembris die feſto S. Ambroſii, a Reginaldo Belnenſi deceſſore, poſſeſſionem adeptus in vigilia Natalis Domini ejuſdem anni, per procuratorem Franciſcum Godard eccleſiæ & Univerſitatis cancellarium; ſolemni vero pompa urbem eccleſiamque ſuam adiit 1604. Dominica 9. cal. Novembris exceptus a metropolitanæ baſilicæ decano. Poſthæc autem non Reginaldi modo in munere ſucceſſor, ſed ejus etiam nomi- 1604.
nis & exiſtimationis æmulus fuit, ſive in inſtituto diœceſis regimine, ſive in fama eloquentiæ, præſertim quando coram Henrico magno, immortalis memoriæ principe, regnique viris illuſtribus, Pariſiis luculentam habuit cleri Francici nomine
oratione 1608. adſiſtentibus quatuor Rom. 1608.
eccleſiæ cardinalibus Gondio, Joyoſa, Surdiſio, & Rupi-fulcaldio, typis poſtea mandatam. Anno 1610. librum plane eruditum eidem Henrico dicavit de notis Eccleſiæ; & promulgatis diœceſis ſtatutis Gallico ſermone, inque meliorem formam digeſtis, rituales etiam libros correctiores edi curavit.

Fungens diaconatus officio, coronationi Mariæ Mediceæ interfuit apud S. Dionyſium celebratæ
13. Maii 1610. a Franciſco cardinale de Joyoſa. 1610.
Huic Reginæ poſt dirum Henrici IV. parricidium, quod Andreæ nonnullam ſpem ſacri galeri a papa obtinendi Regis beneficio invidit, libellum de conſtantia obtulit, quo eam in tanto luctu publico & privato aliquatenus ſolaretur. Sed & epiſtolam ſcripſit ad Aloyſiam Lotharingam Franciſci Borbonii principis Contii uxorem an. 1615. de acerba morte Paridis Lotharingi Guiſii Melitenſis equitis, Aloyſiæ fratris, qui ictu ænei tormenti in Provincia Phocæenſi miſerandum in modum interiit.

Adfuit porro comitiis generalibus Regni Pariſienſibus an. 1614. Principem Condæum Hen-
ricum Borbonium II. Biturigum proregem ba- 1614.
ſilicam majorem ſolemniter ingredientem, qua decuit orationis dignitate excepit die ſancto Chriſti præcurſori conſecrata an. 1616. 1616.

Sub noſtro antiſtite diœceſis multis religioſis familiis fuit adaucta; ſi quidem Capucini conventum ſibi condiderunt in cœmeterio urbis Virzionenſis juxta ſacellum omnium ſanctorum, faventibus monachis Benedictinis, an. 1612. quo, die 15. Auguſti Claudius de la Chaſtre Franciæ mareſcallus, regiuſque gubernator provinciarum Bituricenſis & Aurelianenſis, primum lapidem poſuit eorum conventui, cujus eſt beneſactor præcipuus. S. Franciſcus Saleſius primus Miſſam celebravit in hac Capucinorum eccleſia antequam ab archiepiſcopo ſolemniter conſecraretur ſub invocatione ſancti Claudii ultima die Maii 1620. Anno circiter 1615. patres Minimi recipiuntur Exolduni, & anno ſequenti apud Avaricum Auguſtiniani eremitæ, &c. Anno 1616, in oppido S. Aniani Capucini ſunt admiſſi; Auguſtiniani eremitæ ſtrictioris obſervantiæ Oblincum *, Albi- * Le Blanc.
niacum *, & ad S. Benedictum de Saltu * advo- * Aubigni.
cantur; Carmelitæ quoque eodem anno 1617. * S. Benoiſt du Sault.
Octobris 3. ſtabiliuntur in urbe Bituricenſi ac in templi fundamento primus lapis ab eodem archiepiſcopo ponitur die 2. Julii Dei-paræ viſitationi ſacra 1620. Ibidem ſacrum ſodalitium virginum Viſitationis B. Mariæ, inſtitutore S. Franciſco de Sales ep. Genevenſi, habitare cœpit an. 1618. die 14. Decembris; cujus ordinis prima veluti

ANNI CHRISTI

parens fuit Johanna Franciſca Fremiot noſtri archiepiſcopi ſoror, fortiſſimi viri Chriſtophori de Rabutin baronis de Chantal qui in Rex inſula occubuit, vidua, ingenio & pietate inſignis femina. Hoc anno circiter conventus ordinis Minorum apud Ynaium-caſtri (Aynai le chaſteau) conditur: in oppidis Caſtri-Raduſfi & Exolduni Capucini fundantur, qui ab ipſo præſule antea evocati fuerant Montem-Lucium; in eodem oppido Exoldunenſi Urſulanæ anno 1631. & moniales ſub titulo Viſitationis B. Mariæ an. 1640. habitare cœperunt.

Etſi vero Andreas magno ſtudio novas illas plantationes foverit, præcipuam tamen curam adhibuit in efformandis clericorum moribus. Maximam vero ſollicitudinem afferebat in delectu miniſtrorum ſacrorum, eorum præſertim quibus cura incumbit animarum: & ad illorum examen ſingulis Mercurii diebus congregationem ſeu cœtum præſtantiſſimorum virorum cogebat.

Ad augendum in ſua eccleſia S. Andreæ patroni ſui cultum, mille aureos capitulo dedit. Turlienſis caſtri, ditionis archiepiſcopalis, ædes inſtauravit, & variis hortorum & fontium oblectamentis decoravit.

Poſt hanc metropolim ſpatio viginti circiter annorum cum ſummæ prudentiæ laude adminiſtratam, in gratiam Rolandi Heberti pontificatu ſe abdicavit Andreas; non tamen ut in otio viveret, quippe carus Ludovico regi XIII. propter magnam in rebus agendis ſolertiam & peritiam, ab eo pro tractandis regni majoris momenti negotiis, Romam extra ordinem legatus mittitur; quo in itinere voto nuncupato, divæ Mariæ ſacram ædem Lauretanam religioſe adiit, eoque ſoluto, jubilæi anno limina Apoſtolorum inviſit, ipſumque pontificem maximum Urbanum VIII. an. 1625. qui in epiſtola ad Ludovicum regem antiſtitis noſtri pietatem commendans, illum Gallicanæ eccleſiæ egregium ornamentum nuncupat. In reditu etiam Rempublicam Venetorum arctiori in Francos amicitiæ vinculo copulavit, uti & Vallæſanos populos, ipſoſque Helvetios nutantes, in obſequium Regis confirmavit.

Andreas Pariſiis eccleſiam Viſitationis dedicavit 8. Septembris 1634. eique anno ſequenti inſcribit chronicon generale ordinis Minimorum Franciſcus Lanovius ejuſdem ordinis profeſſor eruditus. Tandem comitum conſiſtorianorum ſubdecanus obiit Lutetiæ 13. Maii anno 1641. ubi in templo monialium Viſitationis vici S. Antonii ſepelitur, oratione funebri laudatus a Renato de Ceriſiers; cor autem Divione conditum in æde abbatiali S. Stephani.

HEBERT.

XCIX. ROLANDUS.

Rolandus Hebert Bellomonte oppido Bellovacorum oriundus, primo in theologicis diſciplinis egregie verſatus, doctoratus laurea Pariſiis inſignitur, ac deinde fit paſtor ſanctorum Coſmæ & Damiani, cantor eccleſiæ collegiatæ S. Honorati, poſtea majoris pœnitentiarii munus graviſſimum ſumma cum prudentia, caritate atque patientia exercuit. Cum autem perſpecta foret apud omnes ejus pietas, poſtulatur ut eſſet a confeſſionibus Henrici Borbonii II. principis Condæi in arce Vincennarum detenti; qui Heberti noſtri morum candorem & ſuavitatem, ſimulque viri ſapientiam aliaſque dotes demiratus, a Rege obtinuit ut in Andreæ Fremioti jure ſuo cedentis locum ſufficeretur an. 1621. iſque a Gregorio XV. papa cum bullas accepiſſet datas Romæ apud S. Petrum pridie idus Martii, pontificatus 2. 1622. oblato regi Ludovico XIII. Juſto, hominii ſacramento, tunc ad fanum S. Johannis Angeriac. in Santonibus degenti; conſecratur in cathedrali S. Petri Santonenſis 16. Maii ejuſdem anni a Michaële Raoul urbis antiſtite, Guidone Champion Trecorenſi præſule & comite in Aremorica, ac Petro Scarron epiſcopo & principe Gratianopolitano adſiſtentibus; ſolemnem vero poſſeſſionem adipiſcitur 25. Maii in vigilia feſti corporis Chriſti. 1621.

Continuo ſacris muneribus totum ſe addixit paſtor vigilantiſſimus; & cum probe intelligeret præcipuam in eo eſſe curam & utilitatem, ſi ſacerdotes doctrina & pietate imbueret, a quibus poſtea in laïcos religio dimanaret, propterea ſæpius diœceſim luſtrabat, presbyteros quanta res ſacras vitæ ſanctimonia peragere deberent edocebat, potiſſimum in pœnitentiæ diſpenſatione, ad quos ſcribit librum perutilem de animarum directione; curavit & juxta concilii Tridentini decreta breviarium expurgari.

Ne vero lupi ingrederentur ovile Domini, ſedulo examini ordinandorum incumbebat, quos ut de ſacerdotii dignitate informaret, an. 1624. advocavit Guil. Gibiuffum ex doctore Sorbonico ſuo ſocio, poſtea Oratorii Dom. Jeſu ſacerdotem, virtute & ſcientia conſpicuum, ut cum aliis Oratorii presbyteris vineam Domini excoleret. Hic & alii Oratorii ſodales domum obtinuere Biturigis pia liberalitate principis Condæi dotatam, a quo etiam apud patres Jeſuitas theologica ſchola eodem tempore inſtituitur. Cum autem creſceret in dies zelus quo accendebatur pro domo Domini, ut Chriſtum imitaretur in omnibus, quærebat oves quæ perierant de domo Iſraël hæretica labe fauciatas; & quidem plures ſalutaribus documentis ſanavit & reduxit. Quo virtutum ſplendore Eccleſiæ Gallicanæ præſulum, & nuntiorum apoſtolicorum benevolentiam ſibi conciliavit; indeque factum eſt ut ab Urbano VIII. pallium gratuito munere conſequeretur; a quo idem delegatur 1633. commiſſarius, adjunctis Aurelianenſi & Nivernenſi epiſcopis, ut de vita, moribus & ſanctitate inquirerent Johannæ Aurelianenſis reginæ, Annuntiatarum monialium fundatricis, ut in beatarum album adſcriberetur; necnon a rege Ludovico XIII. miſſus cum Carolo Mironio Andegavenſi antiſtite, dein Lugdunenſi primate, ut de electione Ciſtercienſis abbatis motam controverſiam dirimeret. 1624. 1633.

Interfuit vero comitiis generalibus cleri Gallicani Lutetiæ 1624. quibus decem abhinc annis nondum præſul adfuerat; & cum ea tempeſtate ſingularis certaminis furor Gallorum animos a-

Digitized by Google

crius invaſiſſet, coram Rege an. 1625. apud Fontembellaquam 19. Julii elegantem orationem habuit qua Principem hortatur ut barbaram immanitatem auctoritate regia compeſceret. Hoc eodem an. 15. Maii Lud. Borbonium ducem Anguianum, Henrici principis Condæi ex Margarita Montmorenciana filium, in templo S. Stephani ſacris undis abluit. Ornavit & Bituricenſem provinciam multis familiis Religioſorum, admiſitque 1623. in oppidum Borbonii Capucinos, 1624. Caſtro-Radulphi & in S. Amando 1627. Caſtellione ſuper Ingerem * Auguſtinianos, apud Dunum-regium Minimos S. Franciſci de Paula. Biturigi flagrante peſte graviſſima virgines vulgo dictas hoſpitalarias pro cura pauperum 1629; quo tempore auctor fuit præſul divini cultus obſervantiſſimus majori & ſcabinis urbis, ut beatæ Virgini votum emitterent pro communi civitatis ſalute, quod quidem, impetrata a ſæviſſima lue ſanitate, ſingulis annis tanti beneficii memoria publica proceſſione celebratur. Anno 1630. Auguſtiniani apud Sacrum-Cæſarem, Recollecti apud Oblincum, Urſulanæ Exolduni, anno ſequenti eædem Avarici ex congregatione Pariſienſi, & in urbe Cellenſi 1634. propagantur. Anno 1633. Hoſpitalariæ ſub regula ſancti Auguſtini e parthenone Lochenſi accerſuntur Virzionem, ubi ædes habent juxta pontem lapideum, & antiquum S. Eligii ſacellum.

* Hndre.

Porro ſolemniter ab ipſo benedicitur Maria Albaſpinæa in abbatiſſam Buxeriæ apud monaſterium ſancti Laurentii, quod olim pontificiæ juriſdictionis, poſtea congregationis Caſalis-Benedicti, demum archiepiſcopi noſtri ſapientiſſimæ moderationi ſe ſubmiſit cum abbatia Buxeriæ, quæ abſoluta a Ciſtercienſium poteſtate, e Borbonienſi provincia in urbem traducta eſt. Carentonii quoque abbatiſſam, & Exoldunenſem archimandritam in æde Prædicatorum Bituricenſium ſolemni ritu benedixit. Idem plures in diœceſi ſacravit baſilicas, nempe Capucinorum Caſtræ, Exolduni, apud ſanctum Amandum, S. Anianum, Giani, & ſacellum majus caſtri Montis-Rotundi, Carmelitarum quoque oratorium apud S. Amandum, & Auguſtinianorum Albiniaci. Primum etiam poſuit lapidem chori abbatiæ S. Ambroſii intra novæ urbis mænia. Id in primis notandum quod anno 1636. monaſterium S. Sulpicii donatur monachis ordinis Benedictini congregationis S. Mauri.

Denique paſtor optimus, cum vitæ exemplo, laboribus plurimis, vereque chriſtiana pietate & ſanctimonia clerum plebemque ſibi a Deo commiſſam inſtituiſſet, obdormivit in Domino 21. Junii an. 1638. in urbe Bituricenſi. Teſtamento ejus cautum eſt ut ſub porticu eccleſiæ parochialis S. Palladii * quarto ab urbe lapide, patrimonio vetere archiepiſcoporum, tumulo mandaretur. Quanquam vero canonici multum expoſcerent ut in metropolitana baſilica ſepeliretur, tamen ejus ultimæ voluntatis adminiſtratores fidiſſimi Matthæus Perrotus cancellarius eccleſiæ, & Nic. Porcherius canonicus theologus, doctor Sorbonicus, Rolandi nepos, nefas duxerunt non obſequi modeſtiæ & humilitati tanti viri, quam cum perpetuo vivus coluiſſet, etiam poſt funus voluit obſervare. Mortui laudes in ſacello Sorbonæ publica otatione funebri expoſuit Petrus d'Hardivillier, ſane non minore dignus encomio, ut qui Heberti ſucceſſor exſtitit digniſſimus. Duo Rolandi epitaphia, unum Latinum metro ſcriptum, alterum oratione ſoluta lingua vernacula, præ manibus habemus, quæ non addenda duximus quod ſint longiuſcula, nec alia de eo nos doceant, quam quæ jam diximus.

* S. Palais.

C. Petrus VII. d'Hardivillier.

Petrus d'Hardivillier Pariſienſis ex doctore theologo Sorbonico & rectore eccleſiæ S. Benedicti, poſtquam varia multiplicis eruditionis & pietatis ſpecimina edidiſſet, dignus judicatur a rege Ludovico XIII. anno 1639. qui in archiepiſcopum Bituricenſem allegeretur. Hic fidem clientelæ pro temporali profeſſus eſt 1643. Januarii 31. Conſecratur Lutetiæ in abbatia S. Victoris die 8. Februarii ſequentis a Leonorio d'Eſtampes archiepiſcopo & duce Remenſi, primo Franciæ pari, adſiſtentibus Nicolao Denets Aurelianenſi, & Stephano Puget Dardaniæ poſtea Maſſiliæ epiſcopis. Die 30. Martii ejuſdem anni pro jucundo ingreſſu in cathedralem S. Stephani invectus eſt. An. 1645. comitiis generalibus cleri Gallicani Pariſienſibus interfuit. Hoc anno hoſpitalis domus de Nanceyo (Nançey) pro pauperibus Nançayi & Noviaci (Neuvy) fundatur ab Edmundo de la Chaſtre comite de Nancey Helvetiorum ſummo præfecto *, & a Franciſca de Cugnat ipſius uxore; ubi nunc miniſtrant ſorores a venerabili presbytero Vincentio de Paule inſtitutæ. Anno ſuperiori moniales a ſancto ſepulcro Jeroſolymitano nuncupatæ ſub regula S. Auguſtini, apud Virzionem, ubi puellas gratis docent, admittuntur, favente pio archiepiſcopo. Eo ſedente apud Biturigas, ſeminarium inſtituitur pro eccleſiaſticis viris ad clericorum munia, pietatem & doctrinam informandis, ſub moderamine patrum Oratorii. Teſtamentum deinde condidit in feſto Circumciſionis Chriſti Januarii 1. an 1649. ex cujus præſcripto ad valvam majorem baſilicæ metropolitanæ humari inſtituit. Ille autem diu non ſupervixit, etenim eodem anno moritur in urbe ſua 9. Octobris die S. Dionyſii. Vir fuit non minus animi modeſtia & morum candore, quam zelo quo flagrabat pro animarum ſalute commendabilis, in prædicando Dei verbo vehemens, & eccleſiaſticarum veritatum acerrimus propugnator. Sedente hoc antiſtite Exoldunum augetur anno 1640. nova monialium Viſitationis B. Mariæ familia. Epitaphium hoc legitur in lapide ſepulcrali quod ipſius humilitatem ac ſimplicitatem ſpirat:

1639. 1643. 1645. 1649.

* Colonel general des Suiſſes.

Hic jacet illuſtriſſimus & reverendiſſimus DD. Petrus de Hardivillier, patriarcha archiepiſcopus Bituricenſis, Aquitaniarum primas; cujus cadaver hic reſurrectionem expectat. Obiit die x. Octobris an. Dom. M. DC. XLIX. ætatis ſuæ LXX.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

CI. Annas.

De Levis.

Annas de Levis de Ventadour abbas S. Martini in Boſco, alias Ruricurtenſis & Meimaci, dominus Aubracenſis, ſanctioris conſiſtorii conſiliarius, antea regalis & ſacræ capellæ Pariſienſis palatii theſaurarius; ex illuſtriſſima gente natus erat, de Eccleſia jamdiu antea bene merita: nam collegio cardinalium Philippum dedit, Auſcienſi & Arelatenſi metropoli eundem Philippum & Euſtachium fratrem; Ebredunenſi Antonium, &c. In ſeculari vero ſtatu nobiles Ventadorii duces, & Mirapicii dominos ac marchiones, mareſcallorum fidei titulo inſignitos, quem ob egregia avorum facinora in Albigenſes hæreticos promeriti ſunt. Annas vero patre cognomine ortus eſt, duce de Ventadour Franciæ pari, ordinis S. Spiritus equite torquato, totius Occitaniæ progubernatore, matre Margarita de Montmorenci, Henrici I. ducis magiſtri equitum Franciæ & mareſcalli filia; quæ plures ex eodem ſuſcepit liberos, quorum natu maximus fuit Henricus dux Ventadorii, Carolus eques torquatus Lemovicenſis provinciæ præfectus, Franciſcus Lodovenſis antiſtes deſignatus, poſtea comes de Vauvert, Franciſcus Chriſtophorus dux de Damville, Annas hic noſter, & Ludovicus Hercules de Levis epiſcopus Mirapicenſis. Ad patriarchatus autem Bituricenſis honorem aſſumtus eſt Annas a rege Ludovico XIV. anno 1649. 1649. XI. die Novembris; de archiepiſcopatu proviſus eſt bulla papæ Innocentii X. idibus Februarii, anno 7. ejus pontificatus; ac præſtito fidelitatis ſacramento 19. Aprilis, conſecratur Lutetiæ die Dominica 30. ejuſdem menſis anni 1651. 1651. apud moniales Carmelitas ſuburbii ſancti Jacobi, a Georgio d'Aubuſſon archiepiſcopo & principe Ebredunenſi, aſſiſtentibus Ferdinando de Neufville Maclovienſi, & Hardoino de Perefixe Ruthenenſi præſulibus. Inaugurationi interfuere Anna regina Ludovici regis mater, Philippus dux Andegavenſis, principes Condæus & Contius, plurimique magnates. Die Maii 13. per Gabrielem de la Loüe abbatem Podii-ferrandi, magnum archidiaconum Bituricenſem poſſeſſionem adiit. Die Julii XI. ipſe ſolemni pompa a clero & univerſis civitatis ordinibus excipitur. Porro cum eodem anno 8. Octobris Rex auguſto apparatu urbem primum eſſet ingreſſus, ſequenti die Dominica clero comitante, eleganti oratione ſalutavit.

Teſtamenti codicillos confecit 20. Januarii & 1662. 15. Martii 1662. ac biduo poſt obiit Biturigis anno ætatis 57. ſepultus in ſua eccleſia, cui omnem ſacram ſegavit ſupellectilem & bibliothecam. Hoc epitaphium ejus tumulo inſcriptum:

Hic jacet illuſtriſſimus & reverendiſſimus DD. Annas de Levis de Ventadour patriarcha archiepiſcopus Bituricenſis, Aquitanorum primas. Obiit die 17. Martii anno Domini M. DC. LXII. ætatis LVII. Orate pro eo.

De Monpezat.

CII. Johannes.

Johannes de Montepenſato de Carbon ex illuſtri genere apud Aquitanos, patrem habuit Johannem Antonium dominum de Salies ſigniferum equitum cataphractorum reginæ, matrem Claram de Malo-Leone. Ante epiſcopatum, propter experientiam uſumque rerum, cujus jam periculum ſæpius fecerat in comitiis Fuxenſis comitatus, miſſus eſt ad generalem cleri Gallicani cœtum annis 1650. & 1655. Biennio poſt deſignatus eſt a rege Chriſtianiſſimo epiſcopus ſancti Papuli die 5. menſis Junii. Eodem anno * die 8. Septembris, epiſcopalem accepit unctionem & conſecrationem a Petro de Marca Toloſano archiepiſcopo, comitantibus Briocenſi & Cæſarienſi epiſcopis. Nominatur poſtea Bituricenſis archiepiſcopus die 28. Octobris anni 1664. cujus cathedræ poſſeſſionem adiit tantum die 12. Maii anno 1666. a qua tranſiit ad Toloſanam; & paulo poſt ad Senonenſem transfertur anno 1674. Vitam clauſit an. 1686. Comitiis generalibus cleri præfuerat anno 1670.

ANNI CHRISTI

* vel 1658.

1664.

1666.

1674.

CIII. Michael I.

Poncet.

Michaël Poncet de cujus genere, laurea doctorali, muniis, denique epiſcopatu Siſtaricenſi jam diximus primo tomo, ſchedula regia deſignatur archiepiſcopus anno 1674. Antequam vero poſſeſſionem obtinuiſſet, conſenſit cum ſuo anteceſſore erectioni epiſcopalis ſedis Albienſis in archiepiſcopalem, certis tamen conditionibus expreſſis inſtrumento ſcripto die 7. menſis Martii anni 1675. * Hoc etiam anno, die 17. * menſis Julii ad poſſeſſionem admiſſus eſt per procuratorem; per ſe autem die 30. Octobris, ſed eheu ante biennium exſtinctus eſt apoplexia die 21. Februarii anno 1677. Jacet in ſuæ eccleſiæ choro. Loci ſepulturæ indicandi cauſa, breve hoc epitaphium tumulo eſt additum:

1674.

* 1675. *27. Jul.

1677.

Hic jacet illuſtriſſimus & reverendiſſimus DD. Michaël Poncetius patriarcha archiepiſcopus Bituricenſis Aquitaniarum primas. Obiit die XXI. Februarii anno Domino M. DC. LXXVII.

Phelippeaux de la Vrilliere

CIV. Michael II.

Michaël Phelippeaux filius Ludovici Phelippeaux de la Vrilliere, marchionis de Chaſteauneuf, ſanctioris conſilii commentarienſis, & Mariæ Particelli, ex ſenatore in primaria & ſuprema regni curia factus epiſcopus Uzetienſis, poſtea creatus archiepiſcopus Bituricenſis anno 1677. ſolemniter eccleſiam ſuam adiit die 12. Septembris anni 1679. An. 1687. Franciſcus de Neſmond epiſcopus Bajocenſis prior S. Crucis de Volta, & Joachimus de la Chetardie presbyter Sulpicianus prior de Reuilly fundant domum filiarum a Cruce nuncupatarum, in dicto loco de Reuilly; & Catharina Gauret e domo Crucis de Volta in Arvernia ibidem inſtituitur prima præfecta. Michaël magnificentiæ ſuæ monimentum reliquit in ſeminarii ſui ædificiis: huic vero domo clericorum univit Medii-monaſterii capitulum. Moritur Pariſiis die 28. (al. 29.) Aprilis M. DC. XCIV.

1677.

CV. Leo.

ANNI CHRISTI

CV. LEO.

POTIER DE GESVRE.

Etſi Leo Potier de Geſvres ex illuſtri genere ſit ortus cui nihil deeſt ſplendoris aut ex ſummis affinitatibus, aut ex primariis aulæ regnique dignitatibus: incertum tamen eſt pluſne decoris a majoribus ſuis acceperit, quam in ipſos eorumque poſteros refuderit. Leo patrem habuit Leonem ducem de Geſvres, Franciæ parem, equitem torquatum, olim præfectum ſtipatorum Regis, primum ex nobilibus ejuſdem Regis cubiculariis, Lutetiæ gubernatorem, &c. matrem vero Mariam-Franciſcam-Angelicam du Val, filiam Franciſci marchionis de Fontenay-Mareüil, qui bis legatus Regis Romam profectus eſt, & Suſannæ de Monceaux d'Auxi.

Leo natus eſt die 15. Auguſti anni 1656. & ſtatim ac per ætatem licuit, optimis traditus eſt magiſtris, ſub quibus in litteris primum prophanis aut humanioribus, poſtea ſacris mire profecit; laureaque doctoris theologi facultatis Pariſienſis donatus eſt die 30. Septembris. Ante epiſcopatum annis plurimis Romæ protonotarii munus geſſit inter illos duodecim, qui *participantes* dicuntur; deſignatus autem eſt archiepiſcopus Bituricenſis a Rege Chriſtianiſſimo die 29. Maii anni 1694. Die 23. Januarii 1695. conſecratur ab eminentiſſimo cardinali Cæſare Eſtræo, cui aderant epiſcopi Ebroicenſis, & Claromontanus. Juravit fidem Regi die 30. an. 1706. Conſentiente & favente hoc antiſtite moniales hoſpitalariæ dictæ ex parthenone Virzionenſi educuntur deducunturque Albiniacum. Anno 1707. nominatur ad cardinalitiam dignitatem a Staniſlao tunc rege Poloniæ, Auguſti regis æmulo. Hanc autem nominationem confirmavit ipſe rex Auguſtus, cui virtutes doteſque Leonis perſpectæ ſunt; & a ſummo pontifice ſacram purpuram ut dignum earum præmium poſtulavit, exoravitque. Eſt ſimul abbas Auriliacenſis in dioeceſi ſancti Flori, & Bernaienſis in dioeceſi Lexovienſi.

ANNI CHRISTI

1694.

DECANI ECCLESIÆ BITURICENSIS.

I. GIRBERTUS nominatur cum Gaufrido præcentore, Johanne præpoſito, aliiſve canonicis in charta tranſlationis monachorum Doverenſium, in caſtrum Virzionenſe, ſub annum 926.* ex tabulario eccleſiæ metropolitanæ. Chartam hanc exhibet Mabillonius ſec. IV. Benedictino p. 160. Ad dotandum novum monaſterium hi pii viri contulerunt ex rebus S. Stephani.

II. Rogerius I. frater Gaufridi III. vicecom. Bituric. an. 1012. in membrana reſtaurationis S. Urſini.

III. Ranco poſtea epiſcopus Claromontanus circa an. 1030.

IV. Rotgerius II. ſubſcripſit diplomati Aymonis archiepiſcopi Bituricenſis, dato anno IV. regnante Henrico rege, proindeque anno 1035. aut 1036.

V. Emo ex tabulario Virzionenſi in charta Conſtabuli abbatis data an. M. XL. ind. VIII. in cujus fine legitur: *Hæc convenientia acta eſt in urbe Bituriga præſente vicecomite Goffredo, & decano ſancti Stephani Emone, ſive ceteris militibus adſtantibus, &c.* & infra. *Signum Goffredi viceconitis. S. Emoni decani. S. Giraldi, &c.*

VI. Odo ſubſcripſit chartæ Richardi archiepiſcopi Bituricenſis qua eccleſiam ſancti Martini de campis, olim de Briva, appellatam juxta muros civitatis tradidit majori monaſterio anno M. LXXXI. Vide tom. X. concil. Labb. col. 399.

VII. Ebrardus decanus cum Matthæo cantore, Lethardo archidiacono, &c. conſentit quibuſdam pactis cum Floriacenſibus, tempore Leodegarii archiepiſcopi, pro Valliacenſi eccleſia; ex tabul. Floriac. Idem ſubſcriptus legitur in alia charta Floriacenſi anni 1108. Idem eſt procul dubio ac Evrardus decanus Bituricenſis in charta B. M. Exoldunenſis anno 1118. Indict. XI. qua decanus hic & totum capitulum S. Stephani confert eccleſiam de Lizeriaco, huic cœnobio. Item in charta Virſionenſi tempore Leodegarii archiep. ejuſdem Ebrardi fit mentio in eodem Leodegario archiepiſcopo.

VIII. Simon decanus Bituric. ſubſcripſit chartæ Vulgrini archiep. pro ſocietate inter canonicos S. Stephani, & canonicos Aiacenſes. Vide chart. XVII.

IX. Gimo decanus ſancti Stephani, & canonici anno 1128. dimittunt eccleſiæ de Salis, quidquid juris habebant in eccleſia de Agongiis. Si quis contenderet Gimonem eundem eſſe ac Simonem ſuperius commemoratum; non perfracte id negaremus.

X. Emmo anno 1145. memoratur in charta B. Mariæ de Salis; idem haud dubie ac Emeneius decanus Bituricenſis in chartulario parthenonis S. M. Santonenſis M. C. XLVII.

XI. Humbaldus anno 1164. in tabula beatæ Mariæ de Salis; anno 1166. in alia S. Auſtregiſili de Caſtro. Anno 1167. componit pro quibuſdam decimis cum Francone abbate Nigri-lacus. Anno 1178. aſſenſum præbet reductioni præbendarum eccleſiæ S. Stephani ad numerum 30. canonicorum. Idem adhuc memoratur in charta Fontis-Morigniaci an. 1184.

XII. Raimundus chartæ Henrici archiepiſcopi, pro Exoldunenſi monaſterio datæ anno 1186. pontificatus Henrici anno quarto ſubſcribit. Item anno 1187. chartæ S. Benigni Divion. & 1189.

* Id referri ſolet ad an. 926. quod dicatur actum anno quarto Rodulfi regis, qui regnare cœpit an. 923. Sed Mabillonius annal. tomo III. pag. 319. vult Rodulfum regem hoc loco commemoratum, alium fuiſſe a Rodulfo Francorum rege; & forte Rodulfus erat rex Burgundiæ Tranſjuranæ. Vide ibidem pag. 335. Sed error irrepſit in annotato an. 903. apud chronicon. Certe Gerontio ſedem archiepiſcopalem tenente contigit tranſlatio Doverenſis monaſterii. At Gerontius non erat archiepiſcopus ante an. 910. uti probavimus.

Digitized by Google

Henrici archiepiſc. ſexto, in charta Callovienſis monaſterii. Idem occurrit anno 1190. in chart. S. Petri Puellarum; annis vero 1193. & 1195. in chartario archiep. Bituric. Teſtis legitur cum Odone præcentore & Adamo archidiacono majore in charta Radulphi cantoris S. Auſtregiſili, data in eccleſia S. Stephani, Philippo rege Hieroſolymis peregrinante an. Incarn. M. C. XCI.

XIII. Fulcaudus I. anno circiter 1195.

XIV. Adamus Braons an. 1198. in charta Callovienſis monaſterii, & anno 1200.

XV. Archambaldus anno 1202. inſcribitur chartario archiep. & in variis actis ab an. 1207. ad 1221. In chartario S. Petri Puellarum interfuit electioni abbatis Virzion. an. 1215. IX. cal. Junii. De eo vide in S. Guillelmo ad an. 1207.

XVI. Benedictus 1234. & 1237. in chartario S. Petri Puellarum.

XVII. Johannes de Soliaco anno 1254. memoratur in chartario ſancti Auſtregiſili de Caſtro anno 1256. & 1257. in chartario archiep. Bituricenſis. Poſtea fuit ad archiepiſcopatum evectus.

XVIII. Philippus I. de Caſtra (de la Chaſtre) 1259. 1261.

XIX. Simon II. de Rupe-Cavardi, filius Aimerici vicecomitis Rupis-Cavardi; ex canonico Lemovicenſi decanus Bituricenſis anno 1267. poſtea eligitur eccleſiæ Lemovic. epiſcopus a parte capituli an. 1272. ac poſt triennium lite adhuc pendente fit Burdigal. archiepiſcopus an. 1275.

XX. Goffridus de S. Brixio (de S. Briſſon) an. 1271. 1273.

XXI. Bernardus de Cuciaco (de Cuſſy) 1283. 1290.

Du Fourny Generaux des Gaſtres.

XXII. Fulcaudus II. de Rochechoüart ex archidiacono decanus 1292. & ſeq.

XXIII. Ebrardus II. an. 1300. in charta S. Auſtregiſili de Caſtro.

XXIV. B. Rogerius le Fort 1317. tandem Bituricenſis præſul evaſit an. 1343.

XXV. Odo de S. Juliano an. 1339. in charta monaſterii Charitatis.

XXVI. Petrus I. de Murato 1347. ex Johanne Chenu & Sammarthanis; forte citius.

XXVII. Faiditus de Agrifolio Clementis VI. conſanguineus laudatur ab Innocentio VI. de nobilitate generis, & de morum puritate, in bulla data XII. cal. Martii anno VI. ſui pontificatus, hoc eſt 1357. aut 1358. qua ei concedit ut propter decanatum non teneretur ad presbyteratum ſuſcipiendum ante Dominicam proximam poſt Pentecoſten; epiſcopus vero Rutenenſis factus eſt an. 1367.

XXVIII. Mauricius de Barda (al. de Borda) nominatur in curatorem & exſecutorem teſtamenti Delphinæ de Caſtro-novo conditi anno 1364. Vide collect. Baluz. ad vit. pap. Aven. col. 738.

XXIX. Petrus II. de Murato an. 1375. quo Guido dominus de Turre eum cum multis amicis rogavit ut teſtis eſſet ſui teſtamenti die 14. Septembris, ex prob. hiſt. domus Arv. Baluz. Forte idem de quo ſupra ad an. 1347.

p. 618.

XXX. Nicolaus Potarellus (Potar) an. 1380. 1381.

XXXI. Guillelmus II. de Bois-ratier anno 1408. ex charta S. Stephani. Obtinuit poſtea cathedram archiepiſcopalem.

XXXII. Robertus Magiſtri (le Maiſtre) 1409.

XXXIII. Hugo Grimaudi decanus & Guichardus... vicarii generales licentiati in legibus confirmarunt Dionyſium du Moulin electum in archiep. Toloſanum ſuo decreto dato die 13. Novembris an. 1422.

XXXIV. Martinus de Chauvigny 1441.

XXXV. Philippus de Fontenay 1458.

XXXVI. Petrus III. Fradet Biturices ſenator Pariſienſis, an. 1464. Obiit Romæ Ludovici XI. regis orator 1467. Fundator eſt capellæ Fradetorum in eccleſia Bituricenſi.

XXXVII. Johannes II. de Bella-villa ſenator Pariſienſis an. 1467. a Paulo II. in Fradeti locum ſuffectus eſt, cum hoc ſacerdotium vacaſſet in curia Romana.

XXXVIII. Guillelmus de Cambray 1475. Hunc putamus eſſe Guillelmum electum a capitulo decanum; cui dignitati ſummus pontifex præfecit quemdam Petrum in cujus gratiam Ludovico de Ambaſia epiſcopo Albienſi litteras direxit, rogans eum ut pro Petro apud Regem intercederet.

XXXIX. Johannes III. de Villiers an. circiter 1493. Die 26. Aprilis anni 1496. ſubſcribit cuidam inſtrumento pro ratis habendis, a tribus Bituricenſis provinciæ ordinibus pacis pactis; ex collectione Rimerii. Erat vicarius generalis Antonii Bohier archiep. an. 1517.

Tom. 12. p. 625.

XL. Stephanus III. de Villiers Johannis nepos 1524.

XLI. Petrus IV. Tullier Biturices 1528.

XLII. Petrus V. Mahé (al. Mathé) ſenator Pariſienſis, nepos ex ſorore Petri Tullier anno 1539. Obiit an. 1544.

XLIII. Philippus II. de Cambray brevi admodum tempore.

XLIV. Johannes IV. de Morvilliers, inde Aurelianenſis epiſcopus an. 1552. obiit an. 1577.

XLV. Johannes V. Bidault obiit an. 1563.

XLVI. Johannes VI. Crenequin eodem anno 1563.

XLVII. Germanus Vialart Pariſ. an. 1566.

XLVIII. Ægidius Quinaut an. 1569. Is fuit etiam abbas S. Genulfi.

XLIX. Claudius Deſcombes Matiſconenſis; obiit 18. Novembris 1573.

L. Johannes Jacobus de Cambray I. ex cancellario decanus electus eſt die 8. Januarii anni 1574. ex inſtrumento electionis. Fuit vicarius generalis capituli ſede vacante, & Jacobi Regii archiepiſcopi; idemque Regis vicelegatus Conſtantinopolim, ut obſervat Bellonius cap. 49. cui decano Jacobus Cujacius dicat libr. LX. Baſilicon 1575. & lib. 14. Obſervationum c. 34. vocat virum ornatiſſimum, & eruditiſſimum, multiſque præclare geſtis pro Rege nobiliſſimum. Johannes Chenu Biturices fere coævus hujus decani, dicit eum fuiſſe legatum & oratorem Henrici II. regis in Tranſſilvaniam. Forte legendum Henrici tertii.

LI. Claudius de Beauxoncles 1586.

LII. Joachimus de Beauxoncles nepos Claudii 1613.

LIII. Jacobus Gaſſot Bituricus 1617. Fato ſunctus eſt anno 1628. menſe Auguſto.

LIV. Georgius Froger doctor Sorbonicus, paſtor S. Nicolai de Carduето, vir pius electus a capitulo, tranſcripſit decanatum ſequenti.

LV. Philippus III. Hebert Rolandi archiepiſcopi nepos, doctor Sorbonicus & paſtor S. Magdalenæ Pariſ. oravit in funebri pompa Carlotæ Catharinæ Tremoliæ principis Condæi conjugis in eccleſia S. Stephani.

LVI. Johannes Jacobus Labbe dominus & prior de Aiis, vicarius generalis Petri d'Hardivilliers archiep. Bitur. Obiit die 24. Decembris an. 1655.

LVII. Johannes du Meſnil-Simon de Beaujeu a capitulo electus 1656. abbas de Bouras & Varennarum obiit 31. Julii 1661.

LVIII. Guillelmus Foucault abbas Podii-Ferrandi, primum canonicus, deinde archidiaconus Caſtri-Rodulphi ac demum decanus electus 31. Octobris 1661. obiit 14. Sept. 1674.

LIX. Nicolaus Chebon electus anno 1674. Octobris 31. obiit 2. Januarii 1692.

LX. Petrus Perrotin de Barmont jure indulti decanatum obtinuit, cui ſucceſſit

LXI. Nicolaus-Andreas Felibien Pariſinus, clariſſimi Andreæ Felibien regii hiſtoriographi filius, in utroque jure licentiatus, jam a pluribus annis vicarius generalis fit decanus; qui obiit Pariſiis tunc prior commendatarius S. Vincentii de Virazeil 15. die Septembris an. 1711.

LXII. Petrus-Ludovicus Lionet per reſignationem anno 1708. Condidit teſtamentum 2. Aug. 1712. Lutetiæ-Pariſiorum, elegitque ſepulturam ſuam in cœmeterio parochiæ in qua diem ſupremum expleret, at ſine ulla pompa, ſex tantum presbyteris funus comitantibus. Plures decernit miſſas dicendas in eccleſiis Bituricenſi, & Electenſi, quarum fuerat canonicus; obiit anno 1714.

Johannes Chenu annotavit quatuor decanos quorum obitus dies quidem notatur in necrologiis aut S. Stephani, aut ſancti Urſini, ſcilicet Bernardum, Conſtantinum de Borda, Mauricium de Borda, & Odonem de S. Juliano. Tres ex illis ſuis locis aſſignavimus, ex aliis quam librorum obituum teſtimoniis: at ſupereſt Conſtantinus omiſſus, cujus tempus non licuit explorare.

DE SANCTA CAPELLA BITURICENSI.

POST cathedralem S. Stephani eccleſiam inſignis eſt præ ceteris apud Bituricas ſancta Capella, quam mira operis elegantia conſtruxit, pinguibus reditibus dotavit, atque ampliſſimis privilegiis decoravit Johannes primus Bituricenſium dux, uti conſtat ex tabula fundationis inter inſtrumenta noſtra: ſedi apoſtolicæ immediate ſubjecta, juriſdictione quaſi epiſcopali gaudet. Capituli caput theſaurarius præeſt tredecim canonicis, totidemque capellanis & vicariis, ſexque clericis chori. Canonicatus confert rex Chriſtianiſſimus; capellanias, & vicarias, uti & canonicatus S. Auſtregiſili de Caſtro theſaurarius ipſe, cujus magna eſt in capitulo auctoritas. Porro theſaurariorum ſeriem debemus C. V. domno Regnier ejuſdem eccleſiæ canonico, qui eam ex regiſtris capitularibus ſumma cum diligentia eruit.

CATALOGUS THESAURARIORUM S. CAPELLÆ BITURICENSIS.

I. ARNULFUS BELIN natus Albiniaco, baccalaureus in legibus, a conſiliis & libellis ſupplicibus ſereniſſimi principis domini Johannis primi, Biturigum ducis, Regiæ capellæ Bituricenſis fundatoris, primam hujuſce nobilis collegii dignitatem, theſaurarii videlicet, adeptus eſt favore hujus ducis; cujus poſtea teſtamenti exſecutor cum aliis exſtitit, inſimulque regis Caroli VII. conſiliarius in camera rationum, per annos triginta & unum. Ipſa vero die Paſchatis, menſis Aprilis 19. anno 1405. locum hunc capeſſivit, ſuum ſingulis canonicorum occupantibus. Ceſſit e vita die 29. Septembris an. 1436. teſtamento condito die 16. ejuſdem menſis, quo ſuam elegit ſepulturam in Domo-Dei quam apud Albiniacum patriam ſuam erexerat, ubi jacet ſub tumba prope majus altare, cum hoc epitaphio:

Die 29. Sept. anno 1436. obiit felicis memoriæ venerabilis & diſcretus vir magiſter Arnulfus Belin baccalaureus in legibus & theſaurarius ſacræ capellæ S. Salvatoris palatii Bituricenſis, qui pro ſua pietate erga patriam ſuam, nempe Albiniacum, intra ejus mœnia ſolemnem capellam S. Trinitatis, & Domum-Dei, ut vocat, ſeu pauperum ſub regimine & adminiſtratione prioris; fundavit & dotavit, anno circiter 1419. indict. 14. regente Chriſti Eccleſiam Martino V. abbate S. Ambroſii Adjorando, Guillelmo Bituricenſi archiepiſcopo.

II. Gaufridus Vaſſal licentiatus in legibus, a Rege nominatus eſt anno 1436. poſſeſſionem iniit die 23. Octob. ejuſdem anni; ac deinde fuit archiepiſcopus Viennenſis.

III. Guillelmus Picardi licentiatus in legibus & baccalaureus in decretis, poſſeſſionem nactus eſt 16. Decembris an. 1439.

IV. Jacobus Juvenalis des Urſins licentiatus in legibus, Regi a conſiliis, & præſes in camera computorum, deſignatur a rege Carolo VII. die 25. Januarii an. 1443. Iniit poſſeſſionem die 23. Junii anni ſequentis. Poſtea Remenſis archiepiſcopus, Pictavienſis antiſtes, & patriarcha Antiochenus creatus eſt, ſervata interim ſub nomine

Digitized by Google

adminiſtratoris perpetui, primaria dignitate, ad annum 1449. quo ceſſit in gratiam ſequentis, annuente Rege.

V. Johannes de Bar licentiatus in legibus, libellorumque ſupplicum palatii magiſter, cedente Jacobo, a Rege nominatus eſt die 27. Maii anni 1449. litteris datis *in Domo-forti Raſſiliaci;* poſſeſſionem adeptus die 7. Octob. inſequentis.

VI. Ludovicus de Melun poſſeſſionem ingreſſus eſt die 25. Septemb. Sabbato poſt feſtum S. Matthæi an. 1462.

VII. Johannes Chenetcau, ſenator in curia Pariſienſi ſuprema, deſignatus an. 1464. poſſeſſionem iniit die 29. Septemb. ejuſdem anni.

VIII. Johannes Vigier licentiatus in legibus, & ſenator in parlamento Pariſienſi, vacanti per obitum præcedentis huicce dignitati præficitur a rege Ludovico XI. litteris datis die 12. Januarii anni 1468. poſſeſſionem obtinuit per procuratorem 18. Januarii inſequentis, & per ſe die 14. Februarii ejuſdem anni. Evehitur poſtea ad epiſcopatum Vaurenſem, ſervato nihilominus theſaurarii titulo.

IX. Gabriel du Mas poſſeſſionem adipiſcitur die 9. Maii an. 1497. infulis poſtea Petragoricenſibus decoratus.

X. Michaël Gaillard memoratur præſens in capitulo die 10. Aprilis an. 1500. Obiit anno ſequenti; epiſcopus etiam Petragoricenſis exſtitit, juxta quoſdam; cum tamen alii ſacræ Bituricenſis capellæ theſaurarium eum appellent anno 1500. nulla epiſcopatus facta mentione.

XI. Ludovicus d'Amboiſe epiſcopus Albienſis, poſſeſſionem nactus eſt 26. Julii an. 1502.

XII. Franciſcus de Büeil prænobili familia comitum Sacri-Cæſaris ortus, doctor & profeſſor in jure canonico, & canonicus eccleſiæ cathedralis; iniit poſſeſſionem die Dominica 6. Octobris an. 1510. promotus deinde ad archiepiſcopatum Bituricenſem die 22. Decembris, ipſum quinque annis rexit, Lutetiæ defunctus 25. Martii an. 1524. * unde corpus illatum eſt Bituricas, & ſepultum in choro *eccleſiæ cathedralis juxta ſanctum Philippum.*

* *al.* 1525. ſcilicet in Pleno pede.

XIII. Johannes le Maignen doctor theologus, deſignatus a Margarita Franciæ duciſſa Biturigum, poſſeſſionem accepit, primum per procuratorem 18. Decemb. an. 1521. tum per ſe die 12. Julii anni ſequentis.

XIV. Johannes de Langellerie * poſſeſſionem aſſecutus eſt 7. Julii an. 1525.

* *f.* Langallerie.

XV. Petrus le Poucre baccalaureus in theologia, poſſeſſionem adiit per procuratorem die 9. Septemb. an. 1548.

XVI. Carolus le Poucre abbas S. Eligii-fontis diœceſis Noviom. a conſiliis & eleemoſynis dominæ duciſſæ Sabaudiæ & Bituric. poſſeſſionem adeptus eſt per procuratorem die 14. Maii anno 1561. & per ſe 11. Febr. anni ſeq. cum fuiſſet inſtitutus a Margarita Franciæ, litteris datis 18. Decemb. an. 1560.

XVII. Vincentius Micheau licentiatus in juribus, vacantis per obitum Caroli hujus dignitatis poſſeſſionem conſecutus eſt 22. Aprilis 1567.

XVIII. Germanus Vialart decanus eccl. cathedral. Bitur. regius conſiliarius in parlamento Pariſienſi, ex canonico ſacræ capellæ Bitur. theſaurarius efficitur ceſſione præcedentis, quam approbavit domina duciſſa litteris datis 11. Decemb. anno 1568. poſſeſſionem vero conſequitur die 27. inſequenti menſis ejuſdem, mortuus anno 1574. Frater erat Antonii Vialart Bituricenſis archiepiſcopi.

XIX. Franciſcus de Maſtry clericus diœceſis Gratianopolitanæ, protonotarius apoſtolicus, & ordinarius domini Sabaudiæ ducis eleemoſynarius, litteras pro hac dignitate obtinuit Taurini datas die 3. Junii 1574. poſſeſſionem nactus die 18. Decembris inſequentis.

XX. Johannes de Baugy conſiliarius & ordinarius Regis eleemoſynarius, ſucceſſit an. 1579.

XXI. Martinus de Racines patria Bleſenſis, cedente in ipſius gratiam Johanne de Baugy, & accedente Henrici IV. regis conſenſu, hanc dignitatem obtinuit 23. Maii anno 1595. cujus poſſeſſionem aſſequitur die 4. Julii inſequentis; abbas ſimul erat Vernuciæ.

XXII. Antonius Fradet de Marmagnes licentiatus in juribus, ſenator Pariſienſis & conſiliarius Regis in omnibus ipſius conſiliis, abbas Plenipedis & Millebecci, canonicus ſanctæ capellæ Bituric. præcentor & canonicus cathedralis eccleſiæ, reſignatione Martini de Racines theſaurarius inſtituitur a Rege datis litteris apud Nanneus die 15. Julii an. 1626. Adiit poſſeſſionem 4. Auguſti ſequentis. Jacet in eccleſia S. Stephani in capella Fradetorum, defunctus *a Bourdeilles ſur Baranjan* die 19. Maii an. 1658.

XXIII. Michaël Colbert de SaintPoüenges ſubdiaconus diœceſis Pariſienſis; baccalaureus in theologia Sorbonicæ facultatis, ad hanc theſaurarii dignitatem promotus eſt a Rege, datis litteris die 18. Junii an. 1658. poſſeſſionem apprehendit per procuratorem die 28. Junii ejuſdem anni, & per ſe 23. Septemb. ſequentis. Evectus eſt poſtea ad epiſcopatum Matiſconenſem, neque tamen theſaurarii dignitate ceſſit.

XXIV. Renatus de Goulard de la Boulidiere diœceſis Pariſienſis presbyter, a conſiliis & eleemoſynis Reginæ anno 1676. die 7. Decembris promovetur a Rege ad hanc dignitatem, cujus poſſeſſionem accepit 29. Januarii anni ſequentis; ea potiebatur adhuc an. 1684. menſis Julii die 20. A morte Reginæ, eleemoſynarius dominæ duciſſæ Burgundiæ.

XXV. Robertus le Hours ex cantore & canonico S. Capellæ Bituricenſis, ſit theſaurarius; erat etiam abbas Plenipedis.

DE ECCLESIA S. AUSTREGISILI DE CASTRO.

CUM eccleſia S. Auſtregiſili de Caſtro, ſancto Simplicio Bituricenſi archiepiſcopo auctore, ut aiunt, conſtructa, cui S. Auſtregiſilus adjunxit monaſterium, poſtea mutatum in canonicorum collegium, ſacræ capellæ Bituricenſi, decimo quinto ſeculo ineunte, fuerit unita, non abs re erit hoc loco ſubjicere decanos aliquot qui huic eccleſiæ præfuerunt ex chartis erutos.

ECCL. S. AUSTREGISILI DE CASTRO ALIQUOT DECANI.

I. HUGO 1106.

II. Willelmus, cui Alexander papa III. anno 1173. privilegium conceſſit, quod, non obſtante interdicto, ſepulturæ eccleſiaſticæ cadavera tradantur. Reperitur adhuc in quibuſdam chartis an. 1188. 1190. 1199.

III. Henricus decanus S. Auſtregiſili frater Simonis cantoris Bituricenſis, & avunculus Henrici de Soliaco, reperitur in variis actis ab anno 1208. ad an. 1221. ſed jam obierat an. 1223. a quo ejus anniverſarium celebrari reperitur.

IV. Galterius anno 1246. ſocietatem init cum canonicis S. Urſini. Idem forte cum G. decano qui occurrit in charta anni 1234.

V. Petrus Turrini Galterio ſubrogatur.

VI. Simon de Rupe-Cavardi 1262.

VII. Stephanus Rigoreti 1276.

VIII. Johannes decanus ante annos 400. ſtatuta edidit pro reſidentia canonicorum.

IX. Petrus chartarium conſcribi curavit.

X. Simon de Archiaco 1303.

XI. Sancius 1334.

Poſtquam Johannes dux, S. Auſtregiſili canonicorum collegium exſtinxit, pœnitentia ductus, ſeu potius precibus cujuſdam medici ſui, qui Homo-bonus dicebatur, motus, aliud collegium duodecim canonicorum cum decimo tertio priore in eadem eccleſia fundare apud ſe conſtituit, illudque theſaurarii ſanctæ capellæ juriſdictioni ſubjecit. Erectionis bullas inter inſtrumenta edidimus. C. XLVIII. col. 41.

Præter hanc ſacram capellam alia eſt in diœceſi Bituricenſi, nimirum apud Burbonem Archembaldi, ducum Borboniorum munificentia fundata & ditata. Sacra ædes elegantia operis ſanctæ capellæ Pariſienſi parum videtur inferior; capitulum conſtat duodecim canonicis, quibus præpoſitus eſt theſaurarius qui habet juriſdictionem in canonicos.

DE ABBATIIS ET VETERIBUS MONASTERIIS DIOECESIS BITURICENSIS.

PRO more noſtro, antequam de abbatiis diœceſis Bituricenſis, quæ ad ætatem fere noſtram in priſtino ſtatu perſeverarunt, diſſeramus, de antiquis monaſteriis jam dudum pene exſtinctis & quorum oblitterata videtur memoria præfari lubet.

DE VETERIBUS MONASTERIIS AMPLIUS NON EXSTANTIBUS *IN DIOECESI BITURICENSI.*

I. Vivarienſe. TEMPORE Simplicii archiepiſcopi S. Leopardinus, obtenta Simplicii facultate, ab Ardeo viro clariſſimo fundum obtinuit nomine Vivaris, cujus in oratorio S. Symphorianus colebatur, prope Albiniacum *Aubigny* ubi cellulam ſibi condidit. Sed Blitildis Ardei conjux dono viri ſui minime conſentiens, viro Dei ſtruxit inſidias, quem a ſicariis dilaniari demumque capite truncari juſſit nonis Octobris. De eo in antiquo martyrologio ſancti Laurentii apud Bituricas, ad hunc diem legitur; *in territorio Bituricenſi, monaſterio Vivarienſi natalis S. Leopardini ſacerdotis & martyris.* Ejus acta tomo II. bibliothecæ Labb. habes.

II. Coloberonenſe. His in actis mentio fit Coloberonenſis monaſterii, ad quod cum S. Leopardinus perrexiſſet, in reditu prope lacum Salgorum incidit in quatuor ſicarios a Blitilde immiſſos; a quibus vulneratus in capite, lethali ſecuris ictu, divinitus tamen convaluit. De hoc monaſterio plura non habemus.

III. Ixienſe. In diœceſi Bituricenſi ponendum putamus Ixienſe monaſterium, in quo ſanctus Deodatus (S. Dié) poſt prima monaſticæ cœleſtiſque vitæ rudimenta poſita in urbe Biturica, per aliquot annos ſanctiſſime vixit ſub Feretri abbate. Is eſt S. Deodatus qui nomen dedit oppido * inſigni inter Balgentiacum & Bleſas. Vixit tempore Clodovei, ejuſque filii Childeberti regum. De eo Labbeus in collectione rerum Aquitanicarum tom. 2. bibliothecæ novæ. * S. Dié.

IV. Columbarienſe. S. Patroclus de quo Greg. Turonicus de vitis patr. c. IX. eodem teſte ædificavit monaſterium *Columbarienſe* (Colombiers) in archipresbyteratu Montis-Lucii, ubi exſtat prioratus Cluniacenſis a monaſterio Silviniacenſi pendens.

V. Necrenſe. Idem auctor fuit Necrenſis parthenonis; *nihil de omni labore ſuo quod ibidem aggregaverat, cum abſcederet ſumens, niſi raſtrum unum, unamque bipennem.*

VI. Tauriſiacum, &c. Idem Gregorius lib. de vitis patrum c. 18. meminit S. Urſi abbatis Cadurcinæ urbis incolæ, qui in termino Bituricum fundavit monaſteria Tauriſiacum, Oniam & Pontiniacum; deinde

Digitized by Google

Turonicum territorium ingreſſus..... monaſterium aliud ſtatuit, quod nunc *Loccis* vocant (Loches).

VII. Patriciacus, Princiacus, &c.

Celeberrimus eſt S. Euſicius de quo infra dicemus, quando de ejus cella, poſtea celebri abbatia, erit diſſerendum. Hic primum habitavit in monaſterio Patriciaco, ab hujus loci abbate numerata pecunia redemtus; eum enim parentes inopia cogente, pretio diſtrahere decreverant. Vide Carolum Cointium l. 1. annal. ad an. 508. n. 33. Ibid. n. 34. fit mentio tum Princiaci monaſterii cujus abbas Fraterius erat; & alterius, cui præerat Trictius.

VIII. S. Symphoriani monaſt.

S. Symphoriani monaſterium apud Biturigas auctorem agnoſcit Probianum epiſcopum eccleſiæ Bituricenſis, aut Deſideratum ejus deceſſorem; id enim obſcurum eſt in Gregorio. Primus ejus abbas fuit Auguſtus quidam nomine, ex familia Deſiderati quondam epiſcopi; qui Auguſtus ædificato apud Brivas oratorio, contractione membrorum liberatus, ibidem monaſterium conſtruxit: ubi collectis ſecum paucis monachis, *ſub regula monaſterii degens*, aſſidue orationi vacabat. Dein cum merita ejus ad epiſcopi notitiam deveniſſent, ab eo abbas ordinatur in baſilica S. Symphoriani, quam memoratus pontifex in urbis proſpectu fabricaverat. Non tamen prioratus cœnobii regimen dimiſit, ſed inſtituto iſtic præpoſito, ipſe utrumque locum rexit. Tum de requirendo S. Urſini, primi ejuſdem urbis epiſcopi, corpore cœlitus admonitus, viſum retulit ad epiſcopum, qui fidem ejus dictis primo non adhibens, & ipſe poſtmodum cœleſti oraculo ad id exſequendum compulſus eſt. In additionibus Molani ad Uſuardum fit mentio nonis Octobris ſancti Auguſti presbyteri & confeſſoris. Jam pridem monaſterium S. Symphoriani converſum eſt in collegium canonicorum ſecularium, nunc S. Urſini vulgo appellatum.

Greg. Tur. de gl. conf. c. 80.

Patriarch. Bituric. p. 25.

IX. * S. Auſtregiſili, *vulgo* S. Outrille.

In ſuburbio Bituricenſi erat olim abbatia, dicta poſtmodum S. Auſtregiſili *, qui ibidem ſepultus eſt, jam dudum converſa in canonicorum ſecularium collegium. Formularum auctor Marculfus, primo lector, deinde abbas effectus eſt baſilicæ in qua S. Auſtregiſili corpus conditum eſt, ut narrat auctor vitæ ipſius ſancti. Alios abbates habuit Bercorialem, Salomonem & Bertradum, tempore Eudonis principis Aquitaniæ & Pippini regis; de quibus inter miracula ſancti Auſtregiſili.

Secul. 11. Bened. n. 5. 6. 7. pag. 100.

Deſtructum hoc monaſterium, poſt ſuam reſtaurationem traditum eſt clericis ſecularibus; floruitque in hac eccleſia collegium canonicorum. Tandem unitum eſt anno 1405. ſacræ capellæ, petente Johanne duce Biturigum; qui tamen pœnitentia ductus, paulo poſt ibidem novum collegium canonicorum inſtituit, quod ſubjecit ſacræ capellæ. Ad calcem hiſtoriæ hujus baſilicæ, dedimus catalogum decanorum qui præfuerunt eccleſiæ collegiatæ S. Auſtregiſili, antequam uniretur & ſubjiceretur.

X. Cella S. Dionyſii de Rulliaco. * Ruilly.

Dagobertus rex cellam S. Dionyſii de Rulliaco * in Biturigibus ad ripam Arnonis exſtruxiſſe traditur; ſed incerta traditio. Ejus ſitus eſt inter Exoldunum, Virzionem & Maſciacum. Illic ſuperſunt vetera monaſterii rudera. Sub altari eccleſiæ crypta eſt longa pedes ſeptuaginta, viginti lata.

XI. Eccleſia S. Dionyſii Exoldunenſis.

Eccleſiam ſancti Dionyſii apud Exoldunum primitus abbatiam exſtitiſſe probatur ex bulla Eugenii papæ III. ad Petrum archiep. an. 1145. edita tomo 2. biblioth. Labbeanæ pag. 89. Nunc vero abbas Exoldunenſis decanus eſt hujus eccleſiæ in collegiatam mutatæ.

XII. Boſcum Dagoberti.

Boſcum Dagoberti *vulgo* Boiſdabert inter abbatias diœceſis Bitur. enumeratur in eadem bulla; at paulo poſt unita fuit abbatiæ B. Mariæ de Pratea ord. Ciſterc.

XIII. Boboleni monaſt. ad Milmandram.

Jonas in actis ſancti Euſtaſii Luxovienſis abbatis, meminit viri venerabilis Theodulfi cognomento Boboleni, qui tria in pago Bituricenſi condidit monaſteria: primum in inſula ſupra fluvium Milmanderam (*la Marmande*) cujus loci nullum cognoſcimus abbatem; erat enim virorum:

XIV. Gaudiacum.

Alterum pro viris idem pius vir conſtruxit; Gaudiacum nomine, non longe ab Albeta fluvio (l'Aubois) pro religioſis viris, uti ſuperius. Utrumque autem ſub regula S. Columbani fuit conditum; neutrum vero ſuper eſt:

Tertium cœnobium auctore Boboleno conſtructum apud Carantonium, fuit virginum ſupra fluvium Milmandram. De ipſo quod adhuc exſtat ſub S. Benedicti regula, inferius agemus. Quartum addidit ſed extra Biturigum fines, ſcilicet in pago Nivernenſi.

XV. Medianum monaſterium.

Paulo poſt circa annum 624. ſedente Bituricis beato Sulpicio, ſancta Euſtadiola matrona nobilitate inter cetéras conſpicua, conſentiente viro ſuo Tetradio, fundavit cœnobium pro puellis; quibus cum aliquanto tempore præfuiſſet, ſexto idus Junii ad cœlos evolavit; quod forſan Medianum eſt monaſterium, in collegium poſtea canonicorum mutatum anno circiter 1012. a quo vita communis extorris facta an. 1178. a Guarino archiepiſcopo.

Jam laudatus S. Sulpicius Bituricenſis epiſcopus præter Navenſe monaſterium in quo ſepultus eſt, cujuſque auctor fuit, complures eccleſias, monaſteria, & cellas conſtruxiſſe dicitur: unde *innumerabilium clericorum pater, & monachorum effectus* legitur.

XVI. Ambiliacum.

Sub S. Sulpicio vixit quoque S. Dulcardus, qui degebat in Ambiliaco monaſterio. Num præfuit ut abbas! negat Cointius; aſſerunt tamen Menardus & Sauſſayus. Hujus loci eccleſia parochialis unita eſt archipresbyteratui Urbis.

XVII. S. Petri Puellarum.

S. Petri Puellarum eccleſiam fuiſſe ſacrarum virginum vel ipſa nominis appellatio indicat. Illud monaſterium cum aliis ſeculo IX. deſtructum a paganis, hoc eſt barbaris infidelibus; tandem anno 1012. Dacberto Bituricenſem cathedram obtinente, reſtauratur a duobus Ebrardis fratribus quorum charta, cum mutila ſit in Patriarchio Bituricenſi, integram edidimus in inſtrumentis. C. XLIX. col. 42.

Ex ea intelligimus canonicos a piis illis fratribus hoc in loco inſtitutos fuiſſe, quorum præpoſitus prior vocatur. Nonnullos priorum e tabulis erutos hîc ſubjicere operæ pretium putamus.

Digitized by Google

SERIES PRIORUM S. PETRI PUELLARUM.

I. HUMBERTUS prior, cui anno 1138. Innocentius II. privilegium conceſſit quo illius eccleſiam ſub ſua protectione ſuſcipit. Anno 1149. canonicis Evaunenſis eccleſiæ capellam S. Mariæ quæ comitalis dicitur donat.

II. Guillelmus, cui anno 1170. Alexander papa III. privilegium conceſſit.

III. Henricus, cujus tempore Guarinus archiepiſcopus componit litem inter capitulum S. Urſini & capitulum S. Petri Puellarum de eccleſia S. Johannis a campis.

IV. Odo de Veura in variis chartis reperitur ab anno 1183. ad annum 1229. Reperio tamen Odelinum priorem tempore S. Guillelmi. Forte idem cum Odone de Veura, Odelinus propter parvam ſtaturam dictus. Niſi quis velit Odonem de Veura bis fuiſſe priorem ante & poſt S. Guillelmum.

V. Galterius de Prulliaco cantor Bituricenſis & prior S. Petri Puellarum anno 1236.

VI. P. prior anno 1239. quædam ſtatuta condit.

VII. Odo de Goſonio cantor Bituricenſis & prior S. Petri Puellarum 1267. menſe Februar.

VIII. Odo Ratier anno 1408. multa acquirit.

IX. Johannes Penin præcedentis nepos.

X. Johannes Bourbeau.

XI. Jacobus de la Sauſaie.

XII. Johannes Petrus de Logia.

XIII. Jacobus Girard 1584.

XIV. Antonius de Banlin.

XV. Johannes de Gamaches.

XVI. Renatus Dumerlier 1595. 1609.

XVII. Petrus Bigot obiit 1628.

XVIII. Johannes Jacobus Labbe.

XIX. Johannes Gautier.

XX. Petrus de Roulin.

XXI. Ludovicus Cluſel.

XXII. Gilbertus Aucler.

XXIII. Renatus Guenois.

XXIV. Ludovicus Suffre.

XXV. Johannes Alabat de Lonvert hodie præſt.

XVIII. B. Mariæ de Salis.

Bituricenſis eccleſia B. M. de Salis in prima ſui origine monaſterium fuit virginum, quod Bertuara ſeu Bertoara abbatiſſa ante annum 640. conſtruxit, teſtante Jona in vita S. Euſtaſii abbatis Luxovienſis. Certe in chartario B. Mariæ de Salis exſtat una charta continens donum Guibodi factum B. Mariæ de Salis tempore Guntranni regis, Auſtregiſili archiepiſcopi, & Bertoaræ abbatiſſæ, cujus moniales quindecim ibidem recenſentur. Sæculo IX. deſtructo Salenſi monaſterio, quod tunc monachis parebat, octo circiter leucis a primatiali urbe diſſito, ad Bituricenſe B. Mariæ de Salis cœnobium monachi ſe receperunt; quod quidem non multo poſt eamdem ſortem experitur, donec deſertam & forte deſtructam eccleſiam reparavit Gaufridus vicecomes Bituricenſis, anno 1012. & canonicis ſecularibus commiſit. Seriem priorum ex chartario ejuſdem eccleſiæ partim eruimus, partim nobis dedit V. Cl. Franciſcus Joſephus Jacquemet prior B. Mariæ de Salis.

Vide tom. 2. biblioth. Labb.

SERIES PRIORUM.

I. RAINALDUS prior B. Mariæ Salenſis reperitur regnante Roberto rege & Conſtantia regina.

II. Raino abba ex monaſterio B. Mariæ Salanenſis, nec non & omnes canonici ejuſdem loci quamdam terram emunt in villa Alſon anno III. regnante Henrico rege. Qui Raino hîc abba dicitur; in alia tantummodo prior nuncupatus, qua ſcilicet Rainoni priori & canonicis B. Mariæ de Salis datur villa quæ dicitur Feneſtiacus, quam donationem confirmant Gaufridus vicecomes & Eldeburgis uxor ejus, qui locum ipſum conſtruxerant.

III. Raginus prior & omnes canonici S. M. Salicacenſis emunt boſcum in villa quæ nuncupatur Lavatas anno XIII. regnante Henrico rege, id eſt 1043. Idem tribus ante annis in alia charta prior reperitur.

IV. Stephanus prior cum omni congregatione S. Mariæ Salicacenſis emit terram in villa Selſiaco anno 27. regnante Henrico rege, id eſt 1057.

V. Giraldus ſeu Giraudus prior & omnis congregatio S. Mariæ de Salis quædam emunt, regnante Philippo rege anno XIII. Ejuſdem Giraudi fit mentio in charta ſancti Urſini anno 1079. Sub eodem priore ſocietas initur inter eccleſiam B. Mariæ de Salis & monachos Moliſmenſes anno 1102. indictione 10. epacta nulla, concurrente II. præſidente Romanæ ſedi apoſtolicæ domno Paſchali, apud Biturigas Leodegario archiepiſcopo, eccleſiam Lingonienſem regente Roberto epiſcopo, in Francia regnante Philippo rege & filio ejus Ludovico, Hattone chartam ſocietatis dictante, Francone ſcribente, per omnia autem imperante Domino noſtro JESU CHRISTO. Giraudo etiam priori de Salis Leodegarius archiepiſcopus confirmat feodum presbyterale de Villenceſt anno 1107.

VI. Gaufridus prior beatæ Mariæ de Salis, & etiam cantor S. Stephani, cui eccleſiam de Agongiis cum decimis & ſepulturis & oblationibus reddidit Wulgrinus archiepiſcopus XIII. cal. Septembris anno 1124. indictione IX. *anno pontificatus domni Callixti papæ II. VI. anno pontificatus noſtri* V. inquit, regnante glorioſo rege Francorum Ludovico XVI. Ejuſdem Gaufredi mentio fit in duabus aliis chartis: una anno 1128. altera 1129.

VII. Petro S. R. E. ſubdiacono & priori B. Mariæ de Salis Innocentius II. papa privilegium concedit quo eccleſiam B. Mariæ ſub ſua protectione ſuſcipit, prædia ejus confirmat, ac prioris eligendi liberam facultatem concedit an. 1138.

VIII. Stephanus prior recenſetur jam anno 1144. in charta Uzerciæ, & 1145. quo Radulfus Exolduni dominus, laudante Alizia uxore ſua, & fratribus ſuis Saverico & Odone, duo molendina S. Urſino donat. Eodem anno privilegium obtinuit ab Eugenio papa III. & tranſegit cum Ermengarde abbatiſſa S. Menulfi; quam tranſac-

Digitized by Google

tionem approbavit Petrus archiepiſcopus Bituricenſis. Memoratur adhuc anno 1149. in alia charta.

IX. R. priori B. Mariæ de Salis Radulfus de Baugi miles anno 1208. vendit quicquid habebat in territorio de Feneſtrelaio.

X. Guillelmus de Ruiliaco memoratur in charta temporis nota deſtituta, ſed cujus caracter 400. annos ſuperat.

XI. Matthæus Comes ſeu Comitis 1425.

XII. Petrus Cadoüet ex canonico Bituric. & priore B. Mariæ de Salis 1462. archiep. Bituric. circa an. 1485

XIII. Henricus Cadoüet 1492.

XIV. Renatus Deblet 1499. 1513.

XV. Depolingues 1542.

XVI. Franciſcus Bidault 1544.

XVII. Leopardus Marvilleau, vicarius generalis Bituric. 1567.

XVIII. Claudius I. de Beauxoncles 1570.

XIX. Claudius II. Deſcombes 1571.

XX. Petrus Poncet 1579.

XXI. Sebaſtianus Lallemant 1585.

XXII. Petrus Barette 1619.

XXIII. Jacobus Gaſſot 1629.

XXIV. Johannes Naudet 1645.

XXV. Petrus Demeure vicarius generalis 1652.

XXVI. Nicolaus Porcher vicarius gener. & offic. 1657.

XXVII. Philippus Boucot 1668.

XXVIII. Johannes Alabat 1674.

XXIX. Philippus Bureau ſocius Sorbon. & officialis primatiæ, 1680.

XXX. Gilbertus Porte 1682.

XXXI. Franc. Joſephus Jacquemet electus 12. Maj. 1707.

XIX. S. Hippolyti.

Monaſterii Bituricenſis ſancti Hippolyti origo hactenus omnes auctores latuit. Fuiſſe ſacrarum virginum certiſſimum eſt; exſtabatque ſeculo XII. quo abbatiſſa cum priore S. Ambroſii litigavit apud Engoliſmam, coram Girardo epiſcopo; & vero memoratur in bulla Eugenii papæ III. ad Petrum archiepiſc. an. 1145. Duravit uſque ad an. 1405. quo, diſperſis in variis monaſteriis monialibus, illud ſanctæ capellæ a Johanne I. duce Bituric. fundatæ unitur.

Perſtitit tamen hactenus eccleſia, quam hodie presbyteri Oratorii poſſident. Ex abbatiſſis quæ huic monaſterio præfuerunt, ſequentes tantum deprehendere potuimus.

I. ERMENBURGIS abbatiſſa ſancti Hippolyti anno 1171. componit litem cum Gunterio magiſtro hoſpitalis in Bituria.

II. A. abbatiſſa anno 1241. in charta ſancti Auſtregiſili de Caſtro. Eadem forte cum Agnete abbatiſſa quæ anno 1249. in alia charta occurrit; imo fortaſſe cum Agna quæ pridie nonas Martii obiiſſe dicitur in necrologio Nivernenſis parthenonis B. Mariæ ſcripto an. 1317.

III. Anordis 1293.

IV. Iſabellis 1325. & 1331. anno vero 1337. acceptat Fulcaudi archiepiſcopi ſtatutum pro ſuo monaſterio, quo monialium numerum tam in capite quam in membris ad XXX. determinat.

V. Iſabellis de Varennis 1348.

VI. Mathildis de Baſerna 1357. 1363.

VII. Luca, forte Lucia, cujus mentio fit in libro miraculorum S. Philippi *, ſed quo tempore vixerit ignoratur.

* *Scilicet* Berruyer.

DE ABBATIIS QUÆ MODO EXSTANT.

HACTENUS de abbatiis aut veteribus monaſteriis, quæ a priori ſtatu defecerunt, diximus; nunc vero de aliis quæ aut in priſtino ſtatu perſeverant, aut cum ætate fere noſtra tantum amiſerunt eſt dicendum; ſunt autem:

Abbatia S. Sulpicii Bituric. — Ord. S. Benedicti.
S. Sigiranni
S. Genulfi
Burgidolenſis
S. Gildaſii
Exoldunenſis
Caſalis-Benedicti
Fontis-Gumbaldi
Millebeccenſis
Podii-Ferrandi.

FEMINARUM.

S. Laurentii
Carentonii
S. Menulfi.

S. Ambroſii — Ord. S. Auguſtini.
Cellenſis
Pleni-pedis
S. Satyri
Miſerayi
Vernuciæ ſeu Groſſi-boſci.

S. Mariæ de Chaliveio — Ord. Ciſterc.
Nigri-lacus
Fontis-Morigniaci
Landeſii
Barzellæ
Prateæ
Varenarum
Loci-Regii
Oliveti
B. Mariæ de Petris
Albiniaci.

FEMINARUM.

De bello-viſu
Buxerienſis.

ABBATIA

Digitized by Google

ABBATIA S. SULPITII BITURICENSIS.

SANCTI SULPITII ab exordio ordinis S. Benedicti monaſterium, alias Navenſe dictum quod eſſet hic locus navium opportuna ſtatio, ſitum eſt in ſuburbio Bituricæ ad Septentrionalem plagam, inter duos amnes, Euram* & Orionem*; quod quidem ferunt regnante Clotario II. conditum. Unitur an. 1497. Caſalinæ congregationi, poſteaque congregationi S. Mauri, cujus abbates triennales nunc ſunt.

* *al.* Avetam, *Yevre*, & Utricum, *Oron.*

ABBATUM SERIES.

I. SANCTUS SULPITIUS cognomento Pius, Bituricenſis archiepiſcopus, primus ejuſdem cœnobii fundator & abbas exſtitit, ibidem ſepultus, cujus vitam deſcriptam habes tom. 2. act. SS. ord. S. Benedicti. Ab hoc primo auctore nomen ſumſit monaſterium, cum prius fuiſſet dedicata baſilica in honorem ſanctæ Mariæ virginis, S. Stephani, S. Clementis, & omnium ſanctorum.

II. Domio præfuit ſtatim ab obitu S. Sulpitii, cujus baſilicam ampliavit, ut docet auctor vitæ S. archiepiſcopi.

III. Gunſindus abbas an. 788. ex noſtro D. Eſtiennot.

IV. Ramnineus circa annum 820. quo ſedente Halbertus diacon. & Anſarius clericus Deo & S. Sulpitio donaverunt manſum ſuum ſitum in pago Biturico, in vicaria Auliquiacenſium, loco qui vocatur Maidunus. Data III. non. Maii an. Hludovici ſereniſſimi regis, VII. & VIII. Pipini regis, &c. Vide Mabill. ad an. 820. n. 3. Idem abbas diploma obtinuit a Ludovico auguſto.

V. Evrardus I. qui conſtructis pontibus ſuper aquas Euræ & Orionis, a Carolo rege facultatem impetravit erigendi in iiſdem pontibus telonei, quod conceſſit Princeps litteris datis IV. cal. Martii, anno XV. ſui regni. Anno ſequenti pro eodem monaſterio Rodulfus Bituric. archiepiſc. ejuſdem principis præceptum obtinuit. Vide Mabill. ad an. 855. n. 98.

VI. Macbertus I. quo ſedente Acfredus quidam, & Girardus ejus frater villam ſuam *Falgerolas*, ſitam in pago Bituric. in vicaria *Ulvacanti*, dederunt; facta eſt donatio menſe Januario anno 1. regnante Karolo rege, ſcilicet Karolo filio Karoli Calvi, rege Aquitaniæ. Vide Mabill. ad an. 856. n. 11. Sub hoc abbate erat *maxima turba monachorum*, ut in charta donationis hujus legitur.

VII. Gunfridius notatus apud Mabillonium, ubi de ejus ſucceſſore Adoleno agit.

VIII. Adolenus circa annum 880. menſe Decembri facit quorumdam prædiorum commutationem.

IX. Macbertus II. cujus tempore Gaufridus Bituric. vicecomes quædam Navenſibus conceſſit in villa pagi Bitur. Colongiaco. Pervenit uſque ad an. 917. juxta Mabill.

X. Humbertus I. floruit ſub Rodulfo rege.

XI. Regimundus an. VII. Ludovici Tranſmarini, in quodam inſtrumento dato menſe Januario hujus anni.

XII. Ebrardus II. ab anno 3. Lotharii regis.

XIII. Herbertus ſub eodem rege; cujus abbatis temporibus Hugo archiepiſcop. Bituric. ablata ab *avunculo* ſuo Richardo reſtituit Navenſi cœnobio. Vide Mabill. ad an. 983.

XIV. Hictarius videtur ſucceſſiſſe Herberto.

XV. Engelbertus, *al.* Ingelbertus circa annum 990. cujus tempore Adalgarius ſubdiac. quædam monaſterio contulit an. III. Hugonis regis. Conſanguineus erat Odonis-Abelini militis de Bonofonte, cui quædam ceſſit abbas ſub annuo cenſu, regnante Roberto.

XVI. Vivianus ſucceſſerat Engilberto, anno Roberti regis XXVII. Ejus precibus permotus Aymo Bituric. archiep. Gauſlini ſucceſſor, prædones qui res monaſterii diripuerant, ad reſtitutionem coëgit. Anno Incarnation. 1032. regni Henrici regis VI. ſcilicet ex quo fuerat coronatus, Aymonis archiepiſcopi II. ſubſignavit litteras ejuſdem Aimonis pro reſtauratione ſancti Satyri, ubi vide. C. LVIII. col. 51.

XVII. Humbertus præerat ante annum 1040. Hoc an. in ſynodo Aymo archiepiſcopus relaxavit monaſterio Navenſi paradas, ſeu jus procurationis & hoſpitii, in omnibus eccleſiis ad monaſt. pertinentibus, prout relaxatæ erant a Dagberto, & Gauſcelino ſuis anteceſſoribus. Vide Mabill. ad an. 1040. n. 24.

XVIII. Odo ſedebat an. IV. Philippi regis, quo Navenſibus reſtituitur capella Gillonis ab Humbaldo & Gillone Borboniis, eorumque matre Agnete, pro anima patris ſui Archambaldi & majorum ſuorum, qui diu hanc eccleſiam injuſte detinuerant, ſervato jure ſepulturæ ibidem, aut in Navenſi eccleſia, ſub eodem abbate, anno 13. Philippi regis. Rogerius de Coldredo filium ſuum obtulit Deo in hoc cœnobio & ſimul quædam contulit prædia. Vide Mabill. ad an. 1063. n. 33. Rexit ad annum ſaltem 1074. quo laudatur tanquam *vir religioſus & in procurandis rebus temporalibus gnavus.*

XIX. Evrardus III. poſt aliquot annos ſucceſſiſſe dicitur Odoni præfato. Hucuſque vero licuit conſulere Mabill. nunc ſolus nobis ſupereſt noſter D. Claud. Eſtiennot in ſchedis MSS. quibus hic abbas inſcribitur anno 1085.

XX. Theduinus præeſt circiter an. 1090.

XXI. Odo, *al.* Eudo jam an. 1102. quo Stephanus, Magduni dominus, in cœnobio monachum induit, ut aſſerit D. du Bouchet in hiſt. domus de Corteniaco pag. 108. & ſeq. Anno 1110. Arnulfus II. dominus Virzionenſis, Godefridi filius, reſtituit eccleſiam de Salbris. Vide du Bouchet loco citato.

XXII. Fulco anno 1113. cujus tempore Ludovicus VI. Francorum rex, Leodegarius Biturigum archiepiſcopus, Vulgrinus ejus ſucceſſor

Digitized by Google

Raimundus de Caliveto miles, Bernardus de Monte-Schilcto, &c. multa contulerunt monaſterio; Callixtus vero papa II. omnia bona & jura confirmavit.

XXIII. Helias 1137.

XXIV. Savaricus anno 1140. adiit Ludovicum VII. regem, eum rogaturus ut litem quam habebant monachi Navenſes, eum Fulcone de Mercato, componere dignaretur. Anno ſequenti Rex confirmavit donationem factam a Sarlone de Moneſtello.

XXV. Rainaudus memoratur in bulla Eugenii III. pro Floriac. tempore Macharii abbatis.

XXVI. Sulpitius anno 1150. ex quodam pacto inter ipſum & abbatem Dolenſem.

XXVII. Petrus I. 1155.

XXVIII. Raginaudus legitur recepiſſe anno 1155. ab Adelaïde uxore Stephani vicarii, quæ ab ipſo male parta fuerant apud Berciacum. Subſcripſit chartæ Petri archiepiſcopi Bitur. qua donat Silviniaco eccleſiam de Buxeriis anno 1156. ejus pontificatus XIV. vel XV.

XXIX. Cadurcus an. 1162. 1163. 1186. Ipſum Alexander III. donavit diplomate, in quo monaſterii bona omnia recenſentur.

XXX. Stephanus anno 1190. quo Herveus Virzionenſis dominus dedit illi duas carrucatas nemoris in ſilva de Volt. Anno 1194. paciſcitur cum Radulfo, domino Magduni. Vide du Bouchet p. 108. hiſt. de Courtenay.

XXXI. Hugo regebat anno 1195. quo tranſigit cum Himberto abbate & conventu Caſalis-Bened. pro capella quadam, ex ejuſdem loci tabulario. Anno 1208. paciſcitur cum priore & canonicis S. Cyrici Exoldun. pro perceptione decimæ in media valle de Juncheria, ex tabul. Exoldun.

XXXII. Matthæus anno 1219.

XXXIII. Amelius 1230.

XXXIV. Philippus 1240.

XXXV. Guillelmus I. 1248.

XXXVI. Petrus II. 1259. & 1264. quo litigabat cum decano Bituricenſi.

XXXVII. Johannes I. 1284. & 1285. comitatus eſt Simonem de Bello-loco archiepiſcopum Bituricenſem, viſitantem Bituricenſem & Burdegal. provincias, ex patriarchio Bituric. *Clerembault* c. 74. Vide etiam tom. 2. analect. Mabill. pag. 613. & t. 3. pag. 505. &c. Hic eſt, ut videtur, quem vicarius generalis archiepiſcopi Bitur. Regi declarat a ſe confirmatum in abbatem an. 1282.

XXXVIII. Nicolaus anno 1296. 1297. quo celebravit capitulum generale, & 1300.

XXXIX. Petrus III. an. 1303. a Guillelmo de Brechant fidei ſacramentum ob ditionem de Cors exigit nomine Iſabellæ ejus uxoris debitum, quæ filia erat Johannis Damiti.

XL. Aymo anno 1305. emit pratum apud Moneſtellum Sarlonis.

XLI. Guillelmus II. a S. Georgio an. 1310. litteras accepit a Guillelmo de Calviniaco domino Caſtri-Radulfi, quibus profitetur ſe fidem clientelarem præſtitiſſe huic abbati apud Exoldun. ad quod in ipſo monaſterio pendendum tenebatur.

An. 1319. nomen ſuum addit litteris Reginaldi de Porta Bituricenſis archiep. pro reformatione Divini officii. Vide Patriarchii Bitur. c. 76.

XLII. Petrus IV. an. 1330. accerſit Mathildam dominam de Bommiers in monaſterii curiam, ut ſe purget de quibuſdam facinoribus. Adverſus baillivum Bituricenſem auctoritate Philippi regis tuetur monaſterii juriſdictionem. Anno 1335. hominium accipit a Johanne de la Porte, domino de Poligny.

XLIII. Guillelmus III. de Cruce anno 1336. Henricum de Porta ob feodum de Benegon, ad fidem clientelarem recipit; pro quo feodo Franciſcus de Brichanteau eques torquatus hominium præſtitit anno 1336. Anno 1350. ſenatuſconſulto parlamenti Pariſienſis definiuntur juriſdictionis monaſterii metæ.

XLIV. Silveſter 1350. & 1354. quo paciſcitur cum Andrea de Calviniaco Caſtri-Radulfi domino.

XLV. Simon anno 1361. coactus eſt tueri ſui monaſterii libertatem adverſus ducis Bituricenſis miniſtros. Ob negatum a Johanne de Sacro-Cæſare obſequium, publicavit feodum de Nançay anno 1362. pro quo poſtea ei fidem juravit Guillelmus de la Chaſtre. Lego in monaſtico Gallicano MS. domni Michaelis Germain Simonem abbatem anno 1367. manumiſiſſe Martinum Bervaut, & Perrinum de Bourdaloüe.

XLVI. Johannes II. occurrit in litteris authenticis anno 1381.

XLVII. Guillelmus IV. epiſc. Engoliſmenſis rexit circa annum 1391. cum perpetui adminiſtratoris titulo.

XLVIII. Bernardus I. memoratur in inſtrumento inſtitutionis canonicorum in ſancta capella Bitur. an. 1405. Jurium vero hujus eccleſiæ conſervatores facti ſunt abbates S. Sulpitii & S. Ambroſii. Paulopoſt monaſterium pene deſtruitur. Vide patriarchii Bituric. cap. 84. 85. at adjutorem & ſingularem benefactorem Sulpitiani experti ſunt Boſco-Raterium archiep.

XLIX. Andreas de Fontana anno 1419. in litteris Caroli delphini commemoratur. Item in aliis chartis anno 1436. & 1439.

L. Johannes III. de Menato anno 1442. quedam locat prædia. Anno 1451. jurat ei fidem Ludovicus de la Tremoille toparcha de Bommiers.

LI. Ægidius de Miſeto anno 1455. obtinet a Carolo VII. cui ob fidem ſervatam gratus erat, litteras regias pro tuitione bonorum & jurium. Poſtea lepra laborans, ceſſit pedo in gratiam Johannis Cœur circa an. 1461.

LII. Johannes IV. Cœur Jacobi regni ærarii præfecti filius, decanus Pictavienſis, deinde archiepiſcopus Bituric. præfuit utiliter monaſterio ab anno 1462. ad 1484.

LIII. Johannes V.* Alabat vir ſanctæ converſationis pedum ceſſit ut ſuum monaſterium uniret congregationi Caſalis-Bened. circa annum 1497. Anno vero 1487. pene tota urbs incendio conſumitur. Vide patriarch. cap. 88.

LIV. Guido Juvenalis, Caſalis-Bened. monachus, vi ceſſionis abbas inſtituitur ad triennium a

* *al.* Guillelmus.

Guillelmo de Cambray, Bituricenſi archiepiſcopo. Ceteros abbates triennales omittemus, præterquam inſigniores. Vide patriarch. cap. 89.

LV. Johannes de Chauſſé in exſecutionem bullarum Alexandri VI. & Julii II. ſummorum pontificum, necnon litterarum Guillelmi Bituric. archiepiſcopi, pro confirmatione ordinis monialium Virginis Annunciatæ fundati a Johanna Franciæ duciſſa Bituricenſi delegatus, viſa auditaque refert in acta die 17. Octob. anni 1507. ex tab. parthenonis ejuſdem ord. apud Albiam.

LVI. Simon Clou abbas S. Sulpitii Bitur. 1509. & 1511. & congregationis Caſalinæ viſitator.

LVII. Stephanus du Croſet miſſus fuit ad concilium Tridentinum. Abbas erat an. 1552.

LVIII. Ludovicus Rouillard præerat an. 1636. cum brevi apoſtolico, regio diplomate, conſenſuque monachorum, tum hoc monaſterium, tum congregatio Caſalina tota unitur congregationi reformatæ S. Mauri.

LIX. Bernardus II. Audebert primus abbas e congregatione S. Mauri fuit, deinde ejuſdem ſuperior generalis per an. 12. quem Philippus Labbe, e Societate Jeſu presbyter, appellat virum litteratiſſimum & religioſiſſimum tom. 2. Bibliothecæ novæ pag. 425.

ABBATIA S. SIGIRANNI.

S. CYRAN EN BRENNE.

SANCTI SIGIRANNI in Brena * ſeu pago Brionenſi monaſterium ad Claſiam fluvium, *la Claiſe*, ordinis S. Benedicti, dictum olim a ſitu ſuo Longoretenſe, *Lonrey*, patronum & fundatorem agnoſcit B. Sigirannum [a], cujus feſtum aſſignatur 4. Decembris in additionibus Molani ad Uſuardum, & memoratur ſub hoc titulo: *In pago Bituricenſi, in loco qui dicitur Longoretus, tranſitus domini ac ſanctiſſimi archidiaconi Sigiranni confeſſoris ac levitæ Chriſti, qui idem vir beatus primum clericus effectus, ac deinde ab archidiacono Turonenſi archidiaconus ordinatus eſt, poſtea in monachali habitu converſatus, ſigniſque ac virtutibus multis, gloria clarus migravit ad Chriſtum.* Vide inſtrumenta noſtra. Hic primum conſtruxit monaſteriolum, Millebecum nomine, in ſaltu Brionenſi; poſtea in loco amœniori Longoreto dicto [b] ad Claſiam fluvium, cui proximæ erant ædes Flaocati Majoris-Domus regni Burgundiæ, ſui quondam amici, congruum monaſterium eodem Flaocato favente ædificavit, *ſub ſancta regula a beato edita Benedicto*, & patrocinio S. Petri apoſtoli. Hic ſilentio præterimus tabulas neſcio quas hujus monaſterii fundationis tanquam a Dagoberto rege exſtructi, editas a Sammarthanis in ſua Gallia Chriſtiana, ut pote quæ ipſiſmet adulterationis ſuſpectæ & nobis videantur. Itaque veniamus ad abbates quorum catalogo Gemellis fratribus ab amico ſuo Pictavienſi antiſtite clariſſimo Henrico Caſtaneo Rupipozæo olim communicato multa addidimus.

* I. a Brenne.

a De eo lege Mabill. ad annum 635. n. 49. ubi vix ante Chlodovei junioris principatum conditum fuiſſe hoc monaſterium dicitur; at conſule ejuſdem ſancti vitam ſeculo II. Bened. tom. 2. p 432.

Conſtrui cœptum an 641. cenſet Mabil. ſec. II. Bened. pag. 437.

b C. LIII. col. 45.

ABBATUM SERIES.

I. SANCTUS SIGIRANNUS, uti primus auctor, ſic & primus abbas hujus monaſterii, de quo vide quæ ſupra diximus; obiit anno circiter 655. In codice MS. S. Urſini Bituricenſis exſtat vita ſancti Sigiranni, cujus fragmentum de ipſius ſepultura & tranſlatione edidimus inter inſtrumenta. C. 2. col. 45.

II. Francardus ſedebat circa an. 679. quo Barontus ejus monachus extra ſe raptus & ad paradiſi portam ductus, ibi vidit manſionem abbati ſuo Francardo præparatam. Vide Mabill. ad an. 679. n. 89. ubi notat monachum anonymum qui viſionem hanc retulit, profiteri ſe eam ex ore ipſius Baronti audiviſſe, qui aſſeverabat eam contigiſſe VIII. cal. Aprilis, an. VI. Theodorici regis Franc. Idem anonymus hæc teſtatur de Francardo: *Erat Dei timens, valde pius, ſacris lectionibus inſtructus, nutritor & doctor filiorum nobilium; per cujus religionem multæ monaſterio poſſeſſiones accreverant; & tandem longa infirmitate ad æterna gaudia capeſſenda purgatus.*

Circa illud fere tempus florebat in Longoretenſi cœnobio S. Deſiderius, cujus vita edita ſec. II. Bened. p. 828.

III. Bernardus abbas S. Sigiranni an. 1066. memoratur in charta Pruliacenſis monaſterii.

IV. Humbaldus ſive Umbaudus ſubſcribit litteris Radulfi Dolenſis pro Caſali-Benedicto, circa an. 1106. tempore ſcilicet Andreæ primi abbatis Caſalis-Bened. ex chronico MS. hujus monaſterii.

V. Johannes I. anno 1228. nomine archiepiſcopi Bituric. citat archiepiſcopum Burdigalenſem ad concilium Bitur. Idem memoratur in tabulis S. Sigiranni anno 1233.

VI. Sivinus an. 1266. ex litteris quas ſcripſit ad archiepiſcop. Bituric. quæ exſtant in fine lectionarii MS.

VII. Gaufridus anno 1268. præfecturam reſignat in manu archiepiſcopi Bituricenſis. Is eſt fortaſſe qui de Moncourt cognominatur apud Sammarthanos.

VIII. Petrus I. monachus & ſacriſta Villælupæ poſt Gaufridi abdicationem electus abbas, facultatem obtinuit ab abbate ſuo tranſeundi ad monaſterium S. Sigiranni, ejuſdemque electionis confirmatio petita eſt a Johanne archiepiſcopo die Lunæ poſt feſtum S. Johannis Baptiſt. an. 1268. Idem forte qui Huaul *al.* Hault cognomen habet apud Sammarth.

IX. H. abbas S. Sigiranni an. 1275. ſocietatem init cum monachis de Villa-lupæ.

X. Giraldus an. 1382. ex ipſius litteris quibus offert quoſdam monachos ordinandos archiepiſcopo Bituricenſi, in fine lectionarii veteris; forte is eſt qui Rebuffe cognominatur apud Sammarthanos.

XI. Petrus II. des Nots ex nobili gente de Marafin prope S. Sigirannum, ex Sammarth.

XII. Guillelmus anno 1452. memoratur in charta S. Genulfi.

XIII. Raimundus de Cabannes.

XIV. Philippus de Foſſeguerin.

XV. Johannes I. de Saix obiit 1523. ex ipſius epitaphio.

Digitized by Google

XVI. Ludovicus de Brizay ex dynaſtis de Beaumont-Brizay, curavit eccleſiam novam dicari die 20. Junii an. 1531. a Petro epiſcopo Ebronenſi ſuffraganeo Franciſci cardinalis Turnonii archiepiſcopi Bitur. Chori etiam ſedilia elaboravit, ædificia denique regularia aut a fundamentis erexit aut reſarcivit.

XVII. Johannes III. de Mauvoiſin 1559.

XVIII. Franciſcus I. de Beaueaire dominus de la Creſte epiſcopus Metenſis, ſimulque abbas ſancti Germani Autiſſiod. & Rigniaci.

XIX. Renatus Chaſteigner de la Rochepozay, Caroli Rupiſpozeæ toparchæ filius naturalis, monachus ordinis ſancti Benedicti, & prior S. Romani de Caſtro-eraldi, abbas an. 1599. defunctus menſe Septemb. 1614. in procinctu itineris ad comitia generalia regni Pariſiis convocata. Vide hiſt. genealog. Caſtanæorum Andreæ Quercetani.

XX. Henricus Ludovicus Chaſteigner epiſcopus Pictavienſis, poſſeſſionem adeptus eſt per procuratorem 6. Aprilis an. 1616. [a] de quo multa in epiſcopis Pictav.

XXI. Johannes IV. du Verger de Haurane Baionæ natus 1581. præcedentis epiſcopi reſignatione ſuffectus abbas, præfuit an. 1620. Exceſſit e ſeculo die XI. Octobris 1643. in urbe Lutetia, ubi & ſepultus eſt in eccleſia S. Jacobi de Altopaſſu, in ſuburbio S. Jacobi.

XXII. Martinus de Barcos Baionenſis, Johannis nepos ex ſorore, patruus vero N. de Barcos die 31. Octob. anni 1705. deſignati abbatis S. Jacobi Biterrenſis, die 9. Maii an. 1644. admittitur ad poſſeſſionem, a quo tempore depravatos ſuorum mores correxit, ædificia regularia vel a fundamentis erexit vel refecit, dormitorium, clauſtra, cellam hoſpitum, ſacrarium ſeu ſacriſtiam de novo conſtruxit; bibliothecam omnibus fere libris inſtruxit, annuos reditus multum auxit; quodque majus eſt, monachos ad arctiſſimam ſanctæ Regulæ obſervationem perduxit; quod utinam diu perſeveraſſet. Verum hæc omnia nunc videmus labefactata & everſa. Obiit menſe Auguſto anni 1678. [b] ſepultus in eccleſia ſui monaſterii.

XXIII. Thomas de Mouchi 1678. obiit menſe Aprili 1700.

XXIV. Franciſcus II. Gaſpardus de la Mer de Matha epiſcopus Aduренſis ab anno 1700. ad an. 1710. quo vivere deſiit Junii menſis die trigeſima.

XXV. Eduardus de Bargedé Nivernenſis epiſcopus die 24. Auguſti an. 1710.

[a] al. 25. Julii.

[a] D. Claud. Eſtiennot an. tantum 1619. factum fuiſſe abbatem, & in ſequenti ceſſiſſe obiiſſeque an. 1635. aſſerit, ubi etiam tacet epiſcopatum.

[b] P. Anſelmus al. domnus du Fourny in genealogia Emerici de Vic procancellarii recenſet Emericum de Vic deſignatum abbatem S. Sigiranni, qui obiit menſe Octobri 1676.

DOVERENSE, NUNC VIRZIONENSE MONASTERIUM.

DOVERENSIS monaſterii initia referuntur ad annum 843. in chronico Virzionenſi apud Labbeum Novæ-bibliothecæ tomo 2. de quo etiam in patriarchii Bituricenſis ibidem editi cap. 47. legitur quod ſanctus vir (Radulfus Bituric. archiepiſcopus) templum nobile in loco dicto Dovera exſtruxerit, eique pari dignitate monaſterium addiderit, ſitum in valle peramœna ad Carum fluvium haud procul a Virzione.

Hoc tamen cœnobium non tam fundaſſe Rodulfus [c] quam novis beneficiis locupletaſſe probatur, ex diplomate Caroli Calvi ad ipſius preces conceſſo: exſtat illud ſec. IV. Bened. p. 2. pag. 158. ubi legere eſt: *Statuimus atque firmamus ut prædicti monachi ſupraſcriptas res cum omni integritate a venerando Rodulfo vel ejus anteceſſoribus ad eorum ſtipendia deputatas perpetuo teneant atque poſſideant.* Et certe ipſiſſimum illud quod patriarchium Bituricenſe *nobile monaſterium vocat*, appellatur tantummodo *monaſteriolum memoratæ eccleſiæ ſuæ* (Bituricenſis) in præfato Caroli diplomate: ita nimirum ut quod ex dotatione anteceſſorum potificum erat monaſteriolum, Rodulfi munificentia factum fuerit nobile monaſterium.

Conjicimus itaque, nec levi fundamento, hanc abbatiam primitus fundatam vel a Carolo magno, vel certe ab ipſius filio Ludovico pio, quando ſolo regno Aquitanico potiebatur, hoc eſt ab anno 781. ad 814. quo per obitum patris factus eſt imperator. In hujus quidem imperatoris vita auctore anonymo ſynchrono ejus aulæ addicto, inter præcipua quæ pius princeps vel de novo exſtruxerit vel reparaverit monaſteria recenſetur monaſterium *Devera*, quod vix de alio hujus nominis in Aquitania cœnobio intelligendum videtur. Neque vero eſt quod objiciatur in edita hujus principis vita, necnon in hiſtoria Aimoini, legi hoc verbum *Devera*, per præpoſitionem *De* & nomen *Vera*, ſeparatim: nam in authenticis auctor iſte anonymus omnia per hunc principem tum inſtaurata, tum de novo exſtructa monaſteria in recto caſu recenſet. Et vero in pervetuſto chartularii S. Petri Mauriacenſis in Arvernia codice MS. exſtant annales eandem complectentes recenſionem, ubi verbum *Devera* abſque ulla ſyllabarum diviſione legitur.

Idem porro adſtruit & evincit privilegium Ludovici pii huic Doverenſi monaſterio conceſſum, quod in hiſtoria Biturigum dominus de la Thaumaſſiere laudat. Ex quibus manifeſte patet ætate Rodulfi antiquius eſſe hoc monaſterium. Cum autem hæc abbatia infeſtatione perverſorum hominum pene ad nihilum redacta eſſet; quidam eccleſiæ Bituricenſis canonici eam in tutiori loco, id eſt in caſtello Virzione proximo, inſtaurarunt, favente comite Theobaldo, ut docet inſtrumentum ſequens.

[c] De prædiis huic monaſterio a Radulfo conceſſis vide ejus elogium ſeculo IV. Bened. a noſtro Mabillonio vulgatum.

Charta de tranſlatione abbatiæ Doverenſis in cellam Virzionis.

Anno ab Incarnatione Domini nongenteſimo tertio [a] *eccleſia Doverenſis (quæ conſtructa quondam a rege Carolo & Rodulpho archiepiſcopo videbatur) infeſtatione iniquorum hominum devaſtata , ad nihilum pene redacta exſtitiſſet , niſi inſtinctu miſerationis Omnipotentis , clementia quorundam canonicorum ſancti Stephani ei ſuccurreret. Quod qualiter geſtum ſit , & quis inde fructus eccleſiæ Bituricenſi acceſſerit , ad utilitatem futurorum notare ſtuduimus. Namque Girbertus eccleſiæ S. Stephani decanus , & Gaufridus præcentor & Johannes præpoſitus , ſupradictum locum ſic redigi in deſolationem conſpicientes , monachos & abbatem eorum Ragomundum , alias* [b] *Raimundum aſſumſerunt , & de Theobaldi comitis amicitia præſumentes , in cellulam caſtellulo Virizione ſitam eos collocaverunt , & eis ex rebus S. Stephani neceſſaria ad eundem ipſum erigendum locum , ut ibi abſque penuria Domino ſervirent , largiter præbuerunt. Poſtea vero comitem prædicti canonici adeuntes , & Carnotum eum reperientes , ei quæ geſta erant retulerunt , & pro miſericordia ſervis Domini attributa , ab eo collaudati , eumdem ipſum locum , quia tutior , quam Doverenſis videbatur , ſupradictis monachis , & eorum ſequacibus in abbatiam , ſuo præcepto firmavit , & ſub tuitione & defenſione canonicorum S. Stephani magno munere ab eis accepto , in perpetuum idem monaſterium conſtituit ; & ut id ratum foret , chartulam fieri , & nomen ſuum in ea annotari juſſit , legitimos quoque teſtes juſſit conſcribi de ſua parte Walterum , Widonem , Gedeonem , Frotgerum. Ex canonicis Girbertus , Gaufredus , Johannes , Wandradus , Arnulphus. Actum menſe Novembris , die Jovis , in feſtivitate S. Clementis , quarto anno Rodulphi regis , aſſiſtente & adjuvante domino Geruntio Biturigenſium archiepiſcopo. Valanus S. Stephani canonicus ſcripſit.*

Hoc itaque pacto factum eſt , ut Dovera quæ quaſi mater Virzionis erat , deinde fieret ipſius filia ; quippe quæ in cellam huic monaſterio ſubjectam jam dudum redacta ſit ; imo nunc nonniſi ſacellum eſt , ubi vix ſemel in anno myſteria Divina celebrantur. Itaque monaſterium , quod prius Doverenſe appellabatur , cœpit vocari Virzionenſe , de quo nunc agendum ; & ubi prius erat tantum *cellula* , ut legitur in charta tranſlationis , ſurrexit celeberrimum cœnobium.

[a] Errorem ſuſpicamur in hac nota chronologica ; quippe Geruncius hujus tranſlationis adjutor , nondum ſedebat anno 903. Præterea feſtum S. Clementis non incidit hoc anno , in diem Jovis , ſed in diem Mercurii , ut obſervat Mabillonius ad hunc annum n. 19. Sed neque tunc temporis regnabat Rodulfus ſed Robertus. Unde his rationibus victus idem Mabillonius in addendis & emendandis , ad calcem tomi IV. annal. pag. 852. col. 2. cenſet tranſlationem memoratam in charta , quæ legitur facta anno quarto Rodulphi regis , non contigiſſe niſi anno 926. vicefimo tertio poſt ejus everſionem.

[b] Patriarchium Bituricenſe cap. 52. in biblioth. Labb. tom. 2. pag. 70. habet *Edmundum* pro *Raimundo*. Quod ſpectat vero tranſlationem hanc , eundem habet annum , uti etiam chronicon Virzion. apud Labb. quod utrumque explicandum eſt ad ſenſum ſuperioris notæ.

A Virzio Biturigum oppidum , abbatiam habet ſancti Petri apoſtoli nomine inſignitam, ordinis S. Benedicti , quæ in primaria ſui origine cella tantummodo erat , ad confluentes Avarici amnis in Carum poſita , quam ſi non fundavit , certe plurimum auxit Embramus Virzionenſis , uti creditur , dominus , ut pote qui vocat eam *cellulam ſuam* , in charta qua ſubjectam eſſe vult Doverenſi monaſterio hic ſubjicienda : Vierzon.

Charta Embrani pro monaſterio S. Petri Virzionenſis.

B *Quoniam juſta expoſcit ratio ut quandiu vivitur in hoc mundo , elemoſynis & aliis bonis operibus originalis & quotidiani emendetur peccati commiſſio. Idcirco ego Ambranus ad conſequendam Dei miſericordiam anhelans , bona melioribus accumulare deſiderans , cellulam meam , eccleſiam videlicet S. Petri ſub caſtro Vierſonenſi in ipſo ipſius caſtri deſcenſu fundatam , ſervitio Dei & ſanctis ſtudiis de die in diem proficere conſiderans , ſtudui de rebus meis ampliare , ne ibi ſervientes fratres a propoſito aliquando inopia retrahat ; ſed ad perſeverandum largitatis moderatæ dextera fortes teneat. Quam*
C *videlicet eccleſiam abbatiæ Doverenſi , cui venerabilis abbas Emericus præeſſe dignoſcitur , ſub tuitione itidem venerabilis Rodulfi archiepiſcopi contradidi. Do igitur Deo & prædictæ eccleſiæ ſancti Petri poſſeſſionem meam quæ dicitur Mariæ in territorio Exoldunenſi ſitam , una cum terris cultis & incultis , aquis , pratis , vineis ; inſula quoque de Tutiaria , tertiam partem & ſilvæ & terræ planæ ; terram quoque de Brolio cultam & incultam , vineas & omnia quæ ibi viſus ſum habere , cum colibertis & ſervis meis utriuſque generis. Sed & terram de Dornon cum colibertis meis utriuſque*
D *ſexus. Hæc omnia libere & quiete poſſidenda fratribus & dominis meis in ſupradicta eccleſia Deo ſervientibus in æternum concedo. Addo etiam ut in ipſo caſtro Vierzonenſi bis in anno in duabus feſtivitatibus S. Petri , ut nundinæ celebrentur , ita ut nullus omnino , nulla poteſtas , nulla exactio , nulla violentia aliquid de reditibus eorum in ſuos uſus pervadere præſumat , non teloneum , non pediaticum , non rotagium , non aliquid quod exigi & exquiri poteſt in talibus negotiationibus , ſed omnes reditus in uſus prædictorum fratrum quiete cedant. Omnium igitur venientium ad nundinas , & re-*
E *deuntium res conſuetudinario more , ad uſus monachorum proſpiciant , & ab omni de cetero perſonæ ſalvæ & intactæ permaneant. Quam meam donationem ſi quis temerare vel infringere in aliquo præſumſerit , æternæ maledictioni ſubjaceat , & cum Datan & Abiron vivus in infernum deſcendat , ibique perpetuo perpetuas pœnas ſuſtineat , niſi cito reſipuerit , & per condignam pœnitentiam male acta correxerit. Et ut carta ſive donatio firma & irrevocabilis perduret , manu mea & propinquorum ſive procerum meorum corroborando confirmavi & confirmando corroboravi. Signum Caroli glorioſiſſimi regis. Signum Ambrani. S. Rodulfi archiepiſcopi qui monaſterium Doverenſe conſtruxit. S. Aimerici abbatis. S. Raimbaudi. S. Beraudi. S.*

Digitized by Google

Gotefridi. S. Vicherii. S. Goterii. Data menſe A *Maio. Jonas diaconus ſcripſit.*

Alia inſuper charta in hiſtoria Biturigum domini de la Thaumaſſiere laudatur ex chartulario Virzionenſi tranſſumta, qua hæc ipſa donatio Ambrani adſtruitur; qui expreſſis verbis dicitur inter alia dediſſe monaſterio Doverenſi eccleſias B. Mariæ, & S. Capraſii, cum *monaſterio* quod exſtruxerat *prope clauſuram Virzionis appidi.*

Anno Domini 1236. monachi de Virzione recognoverunt ſe teneri nuntiare decano & capitulo Bituricenſi mortem vel ceſſionem ſui abbatis, & eligendi licentiam petere, & poſt electionem electum ſuum eiſdem decano & capitulo B præſentare, qui eumdem electum domino archiepiſcopo Bituricenſi repræſentant, & poſt electionem ipſum electum per ſe decanus inſtallare habet, ut pluribus vacationibus occurrentibus deinceps conſtat fuiſſe obſervatum. In bulla etiam Eugenii papæ III. ad Petrum Bitur. archiepiſcop. recenſetur abbatia de Virzione inter eas quæ ipſi archiepiſcopo ſubjiciuntur. Nunc agendum de abbatibus qui utrique iſti monaſterio præfuerunt. Virzionenſis abbatia, etiamnum perſtat, ac unita fuit an. 1671. congregationi S. Mauri.

Abbatum series.

I. Aymericus novæ congregationis Doverenſis abbas laudatur in præcepto regis Caroli, dato, ut conjicit Mabill. anno 843. atque etiam in charta Embrani ſuperius commemorata, cellam Virzionis monaſterio Doverenſi ſubjicientis. Obitus ejus necrologio inſcribitur XII. cal. Maii.

Sec. iv. Bened. p. 158.

II. Aſinarius Aymerico ſucceſſit, cui poſt annos decem a dicto Caroli præcepto, hoc eſt anno circiter 853. Centulfus vir præpotens tradit res ſuas ſitas in pago Santoniaco, in vicariis Braſdunenſi & Chriſpenſi, litteris datis menſe Febr. D regnante Carolo rege anno tertio decimo. Idem porro Aſinarius obtinuit præceptum Ludovici regis cognomento Balbi, quo utraque donatio, ea ſcilicet quam Rodulfus eidem loco pro cœnobii conſtructione fecerat, & ea quæ facta eſt a Centulfo confirmatur. Vide Mabill. ad annum 843. n. 70.

Ibid. p. 260.

III. Raimundus tempore tranſlationis congregationis Doverenſis ad caſtellum Virzionem; qua de re vide chartam ſupra relatam. Obiit ex necrologio X. cal. Julii.

IV. Odo anno tertio Lotharii regis, hoc eſt circiter 957. nonnulla dat ad cenſum in vicaria E Vaſtinenſi *Vatan.* Obiit VI. calend. Octob. Ex necrol.

V. Andreas I. annis ejuſdem regis Lotharii 10. 15. 21. ex tabulis. Ejus obitus in necrologio notatur VI. nonas Auguſti.

VI. Girbertus, quo ſedente anno 982. regis Lotharii XXVIII. Anſgardis nobilis femina in infirmitate poſita, præſente viro ſuo Hattone, dat monaſteriis B. Mariæ Exoldunenſis & S. Petri Virzionenſis quoddam juris ſui alodium *Fontanas* dictum, in pago Bituricenſi, in vicaria Riomenſi, reſervato Hattoni ad vitam uſufructu.

VII. Andreas abbas Virſionenſis Hunboldo militi, in gratiam ſervitiorum monaſterio redditorum, ad domum conſtruendam locum concedit, regnante Hugone rege, Dagberto Bituricenſi pontifice, menſe Auguſto, indictione 4. id eſt anno 991.

VIII. Sion * anno XII.[a] Hugonis regis ſedebat, ex inſtrumentis hoc tempore confectis. Anno 993. componit cum Berengario filio Odonis. * *f.* Simon.

IX. Chriſtianus an. 1014. in charta Goffredi domini Virzionenſis & anno 23. Roberti regis, quo Gaufredus Venator filium ſuum parvulum, nomine Bernardum, Deo in monaſterio obtulit. B Attigit initium pontificatus Aimonis in ſede Bituricenſi, hoc eſt annum 1029. ex charta quæ ſequitur:

Anno ab Incarnatione Domini M. XXV. ..... Sacroſanctæ baſilicæ S. Petri Virzionenſis monaſterii, quæ eſt conſtructa in honore apoſtolorum principis, ubi etiam ſanctorum corpora quieſcunt humata, Bizeneſi confeſſoris, & Perpetuæ martyris, ubi etiam Chriſtianus abbas præeſſe dignoſcitur. Quapropter ego Stephanus pro remedio animæ meæ, vel patris mei, ſeu matris meæ dono alodium meum quod eſt ſitum ſuper fluvium Euræ prope caſtello Magduno, & omnes etiam terras ſine C *heredibus exiſtentes eidem monaſterio confero. Eccleſiam parochialem S. Georgii & totam decimam totius leguminis totius parochiæ, & de omnibus aliis rebus medietatem decimæ eiſdem monachis contuli; aquas ad monaſterium pertinentes, videlicet lacum qui dicitur Cantarena & lacum Amarum, multaſque alias aquas circumquaque adjacentes firmiter teneant monachi cum his conſuetudinibus, ſcilicet quod tria molendina habeant in ipſis aquis, duo ante burgum & unum ad Cantarena & tres areas ad molendina facienda; & dominium habeant in aquis ſuis & piſcatorium ſuum proprium habeant in omnibus aquis a molendino Delperri* D *uſque Salvatoris, tam in die quam in nocte. Signum Humbaldi domini Virzionenſis, S. Stephani de Magduno. S. Rainaldi Potini, Rainaldi Ramaldina, Barini de Maciaco, regnante Roberto rege, Bituricenſi præſule Aimone.*

X. Martinus ſubſcribit litteris fundationis ſancti Satyri datis regnante Henrico in Gallia. Has vide ſuo loco. Sub ejuſdem regimine Humbaldus Virzionenſis dominus potentiſſimus monaſticam vitam in hoc cœnobio amplexus eſt, cui plurima donavit, anno 1031. Cumque Evrardus quidam dirutum Doverenſe monaſterium inſtaurari curaviſſet, illuc Martinus priorem E cum duobus monachis direxit, qui divina ibi peragerent. *C.* LVIII. col. 51. *t. iv. anal. Bened. p. 312.*

XI. Conſtabulus in litteris reſtitutionis factæ a quodam Geraldo an. 1040. indict. VIII. & in aliis litteris Everardi vicecomitis Bituricenſis, & Roberti ejus fratris archidiaconi an. 1044. indictione XII. Obiit III. nonas Aprilis, ex necrol.

XII. Berengarius in tabulis anno 1054. & 1075. Laudatur in litteris de variis monaſterii ſtatibus anno 1130. ſcriptis. Obiit XVII. calend.

[a] Hugo rex non ſedit 12. annis, attamen poſſunt computari duodecim anni ejus regni, itaut primus & ultimus fuerint inchoati, & pauciorum menſium.

Digitized by Google

Maii. Sub hoc igitur abbate caſtrum Virzionis intenſum eſt, quando quidem id contigiſſe anno 1067. in chronico legimus.

XIII. Humbaldus regimen abbatiæ obtinuit ab anno circiter 1082. ad 1095. Anno certe 1088. teſtis legitur in litteris Richardi Bituricenſis archiepiſcopi, quædam prædia monaſterio ſancti Dionyſii reſtituentis. Ipſius autem curæ attributa fuit & ſubjecta abbatia[a] S. Guindulfi ſuper Ligerim (*S. Gond, où Gondon*) a Stephano vicecomite Bituricenſi an. 1092. pro qua mox altercandum fuit cum Willelmo S. Florentii Salmur. abbate, qui hanc ſuo monaſterio jam dudum a Francorum regibus traditam contendebat. Jure tamen ſuo haud ita multo poſt ceſſit Willelmus, anno ſcilicet 1095. ita tamen ut Virzionenſes ſingulis annis in perpetuum duas auri ſinceri uncias Salmurenſibus ad feſtum S. Florentii perſolvere deberent. Obiit Humbaldus XI. cal. Decembris.

XIV. Herbertus e monacho Doleníi fit abbas auctoritate Aldeberti Bituricenſis archiepiſcopi, qui etiam cœnobium Virzionenſe Dolenſi ſubjecit, invitis monachis, ex tabulario S. Stephani Bituric. Verum poſtea ſublata eſt ſubjectio hæc. Teſtis legitur in charta donationis factæ Caſalis-Benedicti monaſterio ſub regimine Andreæ primi abbatis; proindeque ante annum 1112. Ad ipſum litteras apoſtolicas direxit Callixtus papa II. pontificatus anno 2. quibus monaſterium ſub tutela S. Sedis recipit. Adhuc præerat anno 1121. moriturque XI. cal. Julii.

XV. Stephanus I. ab anno 1122. ad 1137. ut conjicitur potius quam probatur. Nempe regebat temporibus Fulconis abbatis S. Sulpitii, qui ad hunc annum pervenit.

XVI. Arnaudus, Artaudus & Arnulfus, cui Arnulfus Virzionenſis caſtri dominus, ire Jeroſolymam volens, habito conſilio cum Goffrido filio ſuo & Roberto clerico fratre ſuo & optimatibus ſuis, dedit ad ſingulas portas Virzionenſis caſtri partem vindemiarum duodecimam. Quod quidem cum præfatus Goffridus comitante avunculo ſuo Roberto & ipſe Jeroſolymam profecturus, ſuper Evangelio, & ſanguine protomartyris Stephani obſervaturum ſe in capitulo promiſiſſet, ei viciſſim abbas Arnulfus tabulam argenteam quæ ante altare poſita erat, conceſſit anno 1142. regnante Ludovico rege, Aquitanorum duce in Francia, Petro archiepiſcopo Bituricenſi, & Goffrido Virzionenſis caſtri domino permanente. Obiit Arnulfus VII. idus Auguſti.

XVII. Fulco abbas Virzionenſis commemoratur in rotulo Calonis Pictavienſis epiſcopi; ac proinde obierat ante annum 1157.

XVIII. Petrus I. tempore Petri de Caſtra Bituric. archiepiſcopi ſæpius occurrit in tabulis, maxime an. 1163. Anno ſequenti ſubſcribit concordato inter Gauterium abbatem Maſciacenſem & Guimontem Magdunenſem *. Obiit IV. idus Septemb. Vocatur autem *bonæ memoriæ abbas* in charta Oliveti anni MC. LXXVII.

XIX. Guillelmus I. an. 1185. quo Robertus Magdunenſis ipſi & conventui cedit duas carrucatas equorum de nemore mortuo, ſingulis diebus in ſilva ſua de Volt percipiendas. Anno ſequenti ſubſcribit chartæ Henrici archiepiſcopi Bituricenſis pro monaſterio Exoldunenſi datæ anno quarto ejus pontificatus, Chriſti 1186

Anno 1193. VII. cal. Maii fundata eſt eccleſia S. Petri Virzionenſis, inquit chronicon, quod de reædificatione baſilicæ intelligendum credimus. Anno vero *1197* *. *caſtrum Virzionis a rege Angliæ deſtructum eſt*, ex eodem chronico; ubi etiam hæc leguntur: *Anno 1202. oſtenſæ ſunt reliquiæ SS. Perpetuæ & Felicitatis populo Virzionenſi, præſente abbate Guillelmo.* Anno 1205. & 1209. excipit Guillelmus multa cœnobio collata. Obiit hoc anno III. nonas Januar.

XX. Gerardus an. 1210. paciſcitur cum Petro priore & canonicis S. Cyrici Exoldun. pro vineis de Lury, ex S. Cyrici tabulario. Anno 1213. Herveus Virzionenſis toparcha donat eidem Girardo & conventui ejus unam navatam de mortuo nemore ſingulis diebus in ſilva de Badeura colligendam. Obiit XIV. cal. Octobris.

XXI. Theobaldus anno circiter 1215. quo certe abbatem electum fuiſſe tacito nomine legimus; ſocietatem precum init cum Henrico Troon abbate ac monachis Dionyſianis prope Pariſios; & iterum cum Petro abbate & monachis ejuſdem monaſterii an. 1226. ex authentico aſſervato in tab. S. Dionyſii. Anno 1224. componit pro molendino de Lury. Eidem Matthæus abbas Pontilevienſis dedit beneficium eccleſiæ ſuæ.

XXII. Rainaudus an. 1226. menſe Febr. teſtis fuit donationis factæ monaſterio Monetenſi * ab Herſendi ſorore Hervei de Virzione & relicta Guillelmi de Lineriis. Obiit III. idus Aug. Cenſet noſter D. Michaël Germain Rainaudum expungendum eſſe; ac Arnulfum, ex Bituricenſis eccleſiæ ſcriniis, Theobaldi fuiſſe immediatum ſucceſſorem. Forte idem eſt ac Arnaldus, qui Arnulfus quoque vocabatur. Certe Arnulfus indifferenter dicitur Arnaldus, & ex Arnaldo facile fuit conflare Rainaudum.

XXIII. Odo 1234. ex quodam concambio.

XXIV. Evrardus an. 1248. adfuit homagio quod Willelmus Virzion. dominus exhibuit Willelmo San-ſulpiciano abbati pro quibuſdam prædiis, ex tab. Navenſi fol. 88. Obiit V. id. Aprilis.

XXV. Petrus II. quo ſedente, anno ſcilicet 1263. Herveus, Virzionis dominus, ipſo die profectionis ſuæ in urbem Jeroſolymam S. Vincentio ſacro venit in capitulum; de illatis injuriis veniam petiit, nonnullaque prædia conceſſit.

XXVI. Willelmus ſeu Guillelmus II. regebat annis 1270. 1271. & 1278.

XXVII. Guido de Bello-loco antea prior de Gendonis, electus eſt abbas anno 1283. Societatem iniit cum Archembaldo abbate Villæ-lupæ 1285. & anno ſequenti cum abbate & conventu Conchenſi. Eodem anno 1286. comitatus eſt Simonem archiepiſcopum Bituricenſ. viſitantem dioeceſim Cadurcenſem. Vide tom. 2. analect. Mabill. pag. 633. ubi dicitur *frater domini*, hoc eſt archiepiſcopi, ſicuti infra, Hugo monachus

[a] Nunc prioratus abbatiæ Virzionenſi ſubditus, Gennabo diſtans tribus leucis prope Ligerim.

* Mehun ſur Yevre.

* *al.* 1196.

* Meneton.

Vide etiam Sec. IV. Bened. p. 2. pag. 2 5 8.

Digitized by Google

S. Sulpitii Bituric. dicitur *pœnitentiarius domini*, A ſcilicet archiepiſcopi; proindeque de genere hujus abbatis require in hoc archiepiſcopo. Moritur Guido x. cal. Martii.

XXVIII. Helias annis 1291. & 1293.

XXIX. Guillelmus III. de Pomeyo abbas electus eſt an. 1327. pontificatus Johan. papæ XXII. undecimo, ut patet ex authentico ad calcem chartularii. Hic anno 1331. domos duas cantori aſſignavit.

XXX. Benedictus de Lauvancourt mortuus die 14. * Julii anni 1372. Eo forſitan ſedente, anno 1353. unitus eſt menſæ abbatiali prioratus S. Optati Doverenſis; quo circiter etiam tempore B. Rogerius le Fort munificum ſe præbuit erga iſtud monaſterium, cujus quaſi alter fundator exſtitiſſe dicitur a Sammarthanis. B

* *al.* XIV. *cal. Julii.*

XXXI. Petrus IV. an. 1372.

XXXII. Franciſcus 1394. 1395. & 1400. Obiit v. cal. Julii, ex necrologio.

XXXIII. Johannes I. de S. Avito (S. Avit) e nobili ſtirpe ortus præerat, ex tabulis, 1404. 1408. & 1409. quo anno miſit ad concilium Piſis congregatum procuratores cum plena poteſtate, uti nos docent ejuſdem acta concilii, Spicil. t. VI. pag. 366. Memoratur adhuc anno 1412. & 1413. quo demum e vivis exceſſit C VII. idus Julii.

XXXIV. Petrus V. 1414.

XXXV. Johannes II. Galcherius *al.* Galicerii 1422. 1435. 1450. 51. & 53. inter optimos abbates jure annumerandus, obiit VII. cal. Julii.

XXXVI. Benedictus de Maucour ex priore de Novo-vico eligitur abbas per viam inſpirationis Spiritus ſancti, ejuſque confirmatur electio an. 1454. Duobus poſt annis, ſcilicet 1456. obtinuit facultatem utendi mitra & aliis pontificalibus ornamentis, in eccleſiis ſibi ſubjectis, Præerat adhuc an. 1469. abbas de monaſterio bene meritus; ſepultus eſt in capitulo. D

XXXVII. Guillelmus IV. cognomento Galicerii, aliis & quidem ſæpius Botet, forte utroque notus, occurrit abbas in pluribus actis ab anno 1471. ad an. ſaltem 1484. in quibus acquiſiviſſe plura reperitur. Ceterum hunc obiiſſe lego anno 1494. ineunte, qui tamen jam an. 1492. ſucceſſorem habet, forte coadjutorem.

XXXVIII. Johannes Vaſchet, Vachet & Bachet ab an. ſaltem 1494. ad 1522. Johannes enim, cognomento minime addito, legitur an. 1492. prioratum de Thencolio contuliſſe. Eidem porro indultum eſt abbati uti pontificalibus ornamentis. E Simul erat abbas Olivetenſis.

XXXIX. Antonius Pot nobilis ſtirpis, monachum induerat in Majori prope Turones monaſterio. Partim vero ſuffragiis fratrum, partimque regia nominatione ad regimen monaſterii Virzionenſis evocatus, ſolemnem accepit benedictionem a Franciſco Pariſienſi epiſcopo in ſancta capella palatii Lutetiæ anno 1524. die 8. Maii infra octavas Aſcenſionis, præſentibus Guidone Montis-burgi in diœceſi Conſtantienſi, & Carolo S. Maglorii Pariſienſis abbatibus. Præerat adhuc anno 1535. Eum uſque ad annum circiter 1552. ſeditle docet noſter D. Michael Germain, nec agnoſcit Antonium qui ſequitur.

XL. Antonius II. des Ruyaulx 1542. Forte ſub diverſis cognominibus unus & idem eſt abbas.

XLI. Andreas * de ſancto Stephano, *al.* de ſaint Steph, & in quibuſdam chartis, de S. Eſteban, & de ſaint Steban, præerat abbas commendatarius an. 1546. 1549. 1551. 1654. & 1556. Poſtmodum reſignavit.

* *al.* Antonius.

XLII. Franciſcus de Combaret nobilis Arvernus ſedebat annis 1562. 1563. 1575. 1579. poſt cujus mortem electus eſt Franciſcus de Combaret junior; ſed ejus electioni interceſſit camerarius monaſterii; utrum vero hæc oppoſitio prævaluerit necne, minime auſim affirmare. Id unum addam utrumque me legere fuiſſe monachum Virzionenſem; & vicarium generalem abbatis, hunc fortaſſe nimirum fratris aut affinis; alterum ſuperioris.

XLIII. Petrus VI. de S. Gobert, & ipſe videtur fuiſſe monachus, quando in nonnullis actis nominatur, *Reverend pere en Dieu frere Pierre*; regebat autem anno 1589. ad octo circiter annos.

XLIV. Stephanus II. de Villebeon, *al.* de Illeden (quod mendum autumo,) bullas obtinet anno 1598. præerat adhuc anno ſaltem 606.

XLV. Johannes III. de Leſſignan occurrit annis 1610. & 1617.

XLVI. Johannes Jacobus de Plas ex nobili & & antiqua familia de Plas in provincia Lemovicenſi oriundus, abbatiam tenebat annis 1621. 1622. & 1634.

XLVII. Ludovicus de Plas nepos Johannis aut conſanguineus abbatiam obtinuit an. 1637. quam per multos annos pluribus beneficiis auxit; quibus addidit maximum, eam uniendo congregationi S. Mauri anno 1665. An. vero 1675. ad mercedem laborum & piorum operum percipiendam e vita migravit. Sepultus eſt in choro pone pulpitum ſine pompa, & uti teſtamento caverat, ſine epitaphio.

XLVIII. Carolus l'Anglois presbyter diœceſis Rotomagenſis, doctor theologus, Regi a conſiliis & eleemoſynis, abbatiæ poſſeſſionem adiit anno 1676. Hanc poſtea reſignavit in gratiam ſequentis, annuente Rege.

XLIX. Michael Poncet de la Riviere ceſſione Caroli l'Anglois & accedente regia nominatione fit abbas, nondum ex ephebis egreſſus. Nunc eſt epiſcopus Andegavenſis, de quo alias.

His adde Briennium cujus meminit necrologium Pontilevienſe ad diem v. cal. Junii; at quo rexerit tempore ignoratur.

ABBATIA MASCIASCENSIS. MASSAY.

MASCIACUM vel Maſſayum ordinis S. Benedicti, in archipresbyteratu Graciaci, prope Carum fluvium, non longe a Virzione, S. Martino dicatum eſt, ſub Carolo Magno, & a Ludovico pio ejus filio reſtauratum; cujus initia chronicon breve ejuſdem loci, editum tomo 2. biblioth. Labbeanæ, refert ad annum 738. auctore & conditore Egone comite;

comite ; adventum vero ſeu reditum monachorum ad hoc monaſterium anno 814. aſſignat, reformatore S. Benedicto Anianæ abbate, qui multa contulit,& coloniam quadraginta monachorum eo deduxit. Memoratur hoc cœnobium a vetere aſtronomo inter monaſteria quæ Ludovicus pius aut reſtauravit, aut a fundamentis erexit. Vide annales Cointii ad annum 812. n. 29. 30. &c. Seriem abbatum, ut ſequitur, tum ex chronico præfato, tum ex chartis monaſterii contexuimus.

Abbatum series.

I. Abbo primus abbas occurrit in chronico, ubi dicitur anno 817. natus, 847. ordinatus, & 866. mortuus. In veteri calendario ita legit Labbeus: *VII. cal. Decembris Abbo abbas migrat ad Chriſtum.*

II. Wandalmarus anno 867. ordinatur abbas, ex chronico, cui Girardus comes & uxor ejus Adalſindis multa ceſſerunt. Biturix eodem anno a paganis vaſtatur & incenditur;atque Marcomanni in Maſciacum venerunt an. 873. ex eod. chronico.

III. Berno abbas Gigniaci & Cluniaci,paterque pene omnium cœnobiorum in Aquitania, præfuit Maſciacenſi;alioquin cur in chronico ejuſdem monaſterii legeretur: *Anno 926. obiit Berno abbas!* Præterea Maſciacenſem abbatem ipſum fuiſſe dubitare non ſinit ejuſdem teſtamentum,quo S. Odonem deſignat ſucceſſorem ſuum ad monaſteria Cluniacum,Maſciacum & Dolenſe. Conditum eſt hoc teſtamentum an. 926. cui ſubſcripſit Odo qui ſequitur.

IV. S. Odo I. jam anno 926. ex dictis ſuperius, abbas ſimul Cluniaci & plurimorum cœnobiorum, de quo alias. Quanto vero tempore hoc monaſterium per ſe rexerit, incompertum; alium certe Odonem ab ipſo præfectum fuiſſe nobis ſuadet chronicon infra citandum.

V. Odo II. abbas ordinatur anno 935. inquit chronicon. Anno 961. bellatores Francorum monaſterio Maſciaco latenter voluerunt rapere, cumque de nocte exturbaverunt. Anno 967. VIII. idus Junii obiit Odo abbas bonæ memoriæ. Quæ ſane ad alium quam ad S. Odonem celeberrimum abbatem Cluniacenſem referri debent; hic enim obiit circa annum 942.

VI. Adelardus anno 978. abbas ordinatur, ſub quo Maſciacenſe caſtrum deſtruitur an. 999. quo & ipſe mortuus eſt; ex chronico.

VII. Ingo abbas ordinatur anno 1002. eodem chronographo teſte. De eo Helgaldus in epitome vitæ Rotberti regis: *Vir magnæ nobilitatis in ſeculo* (Ingo in ſchola Gerberti, Regis ſodalis) *quem abbatia S. Martini Maſciacenſis remuneratum, poſt abbatia S. Germani Pariſienſis inclitum ſæculo reddidit, ut decebat tantum virum.* Fuit etiam abbas S. Petri-Vivi Senonenſis poſt Rainardum anno 1015. Vide Mabill. ad hunc annum n. XI.

VIII. Azenarius, regnante Rotberto rege; abbas etiam Floriacenſis cœnobii, in cujus regimine Gauzlino Bituricenſi archiepiſcopo ſucceſſit defuncto circa annum 1029. Hic primum *inter grammaticos detritus* *, *& poſtea in palatio*; tum

*f. nutritus.

A Jeroſolymam profectus, dehinc factus monachus, *jubente rege Rotberto in ſolo Bituricenſi monaſterii* Maſciacenſis *prælaturam ſuſceperat*, ut ipſe ait in concilio Lemovicenſi an. 1031. cui interfuit.

IX. Acmerius anno quarto Henrici regis Francorum, hoc eſt anno Chriſti 1034. quo ſubſcripſit litteris Mathildis fundatricis cœnobii S. Satyri, quas habes in appendice, legunturque in chartulario S. Stephani Bituricenſis. C. LVIII. col. 51.

X. Sulpitius Maſciacenſis abbas 1088. teſtis in litteris Richardi archiepiſcopi Bituricenſis,quædam prædia monaſterio S. Dionyſii reſtituentis.

B XI. Rainaudus, Bartholomæus & Petrus abbates Maſciaci ante annum 1157. quippe qui commemorantur in rotulo Calonis epiſcopi Pictavienſis. Anno 1128. monaſterium S. Martini Maſciacenſis arſit una cum burgo : ex chronico Virzionenſi.

XII. Petrus I. forte qui ſupra, an. 1152. memoratur in litteris ceſſionis Seguini, qui ſibi aliquid vindicabat in molendinis de Characes. Exſtant litteræ in tabulario S. Mariæ Exoldunenſis.

XIII. Gautherius tempore Petri archiepiſcopi Bituricenſis, Petri abbatis Exoldunenſis & Giraudi abbatis de Miſerayo : ex chartis Exoldun. C Præerat certe an. 1160. circa quod tempus ſubſcripſit donationi factæ Caſali-Benedicto a Reginaldo de Gracey. Memoratur anno ſequenti in chartis Caſalis-Benedicti & Virzionis. An. 1164. laudavit ſua ſubſcriptione ceſſionem molendinorum quorumdam factam cœnobio Exoldunenſi. Quædam & ipſe donavit Bartholomæo abbati Olivetenſi, cujus ceſſionis litteræ exſtant in chartulario Maſciacenſi fol. 46. Item etiam compoſuit inter Reginaldum Graciacenſem & monachos S. Martini Graciacenſis, ſed quo anno, charta minime docet.

D XIV. Boſo teſtis donationis quam an. 1186. Exolduncnſi monaſterio fecit Odo Exolduni dominus: ex charta B. M. Exoldun. An. 1193.* ſubſignavit pacta quædam pro feodo de S. Aniano: ex tabul. S. Sulpicii Bitur. fol. 75. *al. 1198.

XV. Garnerius finiente ſeculo 12. vel ineunte decimo tertio, precum ſocietatem iniit cum Garnerio abbate Floriacenſi.

XVI. Hugo I. 1208. 1211. & 1222.

XVII. Herveus anno 1223. concordat cum fratre de Villa-benos, pro caſali ſito apud Villabenos, quod ceditur Herveo pro 60. ſolidis monetæ Virzionenſis. Præerat adhuc annis 1229. E 1232. 1233. quo tranſegit cum Odone de Marolio milite; quinimo nomen ejus occurrit in chartis uſque ad annum 1243. Unde merito rejiciendos putamus, primo Reginaldum neſcio quem, a quo volunt an. 1224. ſuſceptum Aimericum epiſc. Claromontanum e concilio Carnotenſi redeuntem, qui de conſilio plurimorum clericorum ſuorum reſtituerit monaſterio eccleſias quaſdam violenter ablatas; nobis enim incognitus eſt Aimericus hic, nec magis notum concilium Carnotenſe hoc tempore habitum. Secundo ablegamus Petrum quem aiunt anno 1231. *terram de Chenevert abbati B. Mariæ de Oliveto ceſſiſſe.

* al. abſque nota chronica.

Digitized by Google

XVIII. Guillelmus I. ſedebat jam anno ſaltem 1248. quo ſubjectionem Petri domini de Graciaco excepit. Idem abbas dominus Culenti memoratur in charta Virzionenſis monaſterii anni 1253.

XIX. Fulco 1294.

XX. Ramnulfus an. 1307.

XXI. Simon de Neuchaſtel 1328.

XXII. Odo III. de Fougeres 1341. & 1354.

XXIII. Simon 1383. componit cum prioriſſa de Moneſto pendente a Bellomontenſi prope Turones parthenone.

XXIV. Hugo II. 1398.

XXV. Petrus II. Tiſon 1412. 1418. 1422. & 1424. poſt cujus obitum

XXVI. Johannes de Gracey prima die Junii anni 1428. * electus eſt, qui cum electioni ſuæ præbere aſſenſum recuſaret, juſſus eſt ab Henrico archiepiſcopo oblatam dignitatem acceptare die 22. Junii ejuſdem anni; tandemque ab eo benedictione ſolemni donatus eſt die 20. Auguſti ſequentis. Præerat adhuc anno 1441.

* al. 1425.

XXVII. Guillelmus II. de Rogemont reperitur abbas an. 1445. in charta monaſterii de Vernucia.

XXVIII. Jacobus I. de Gracey 1446. poſt cujus mortem, eligentium monachorum votis in contrarium abeuntibus.

XXIX. Gilbertus de Chamboran eligitur abbas a Johanne archiepiſcopo Bituric. die 21. Sept. anno 1457. * Filius erat Fulcaudi domini de Dreux, de Chamboran, d'Orſanne, &c. & Jaquetæ de Cluys [a]. Sedebat anno 1477.

* al. 1456.

a

XXX. Bertrandus de Chamboran ſubrogatur Gilberto an. 1482. die 3. Martii; ſed propter oppoſitiones electioni ejuſdem factas, anno tantum 1484. * benedictus eſt ab archiepiſcopo Nazareno. Curavit autem ædificari turrim ad campanas ſuſtinendas, ex inſcriptione quæ docet eam eſſe conſtructam anno 1495. Præerat adhuc annis 1501. 1506. 1508. & 1516.

* al. die 16. Jan. 1483.

XXXI. Jacobus II. de Chamboran.

XXXII. Ludovicus de Cravant ex priore de Moneto, *Meneton le Raſteau*, Maſciacenſis abbas reperitur annis 1526. 1546. & 1547.

XXXIII. Sebaſtianus de l'Aubeſpine magiſter libellorum ſupplicum, epiſc. Venetenſis, poſtea Lemovicenſis, abbas occurrit an. 1551. 1569. 1579. & 1581. Obiit an. 1582. die 2. Aug.

XXXIV. Carolus I. de l'Aubeſpine marchio de Chaſteauneuf, bis procancellarius, abbas erat Maſciacenſis annis 1606. 1608. & 1648. Obiit 17. Septemb. 1653. abbas ſimul Pratellenſis, Nigri-lacus, &c.

XXXV. Petrus Michon, dictus Bounet, *al.* Bourdelot, Regis conſiliarius, abbas 1654. 1662. 1669. & 1681. deceſſit die 9. Februar. an. Chriſti 1685. ætatis ſuæ 76.

XXXVI. Carolus II. Coquart de la Mothe canonicus Pariſienſis & archipresbyter Verſalienſis, abbas 1685. menſe Aprili & 1686. Obiit menſe Februar. anno 1689. abbas erat etiam de Virtute dioec. Catalaun.

XXXVII. Carolus III. Ranan de Vieilbourg 1689. menſe Aprili, licentiatus in Sorbona, qui anno 1695. clericalem militiam abjecit.

XXXVIII. Edmundus de Vieilbourg 1691. & 1693.

XXXIX. Franciſcus de Mailli archiepiſcopus Arelatenſis, poſtea Remenſis, abbas deſignatus eſt 8. die Sept. anni 1695. Hucuſque vivit.

S. GENULFI ABBATIA.

STradense S. Salvatoris, S. Mariæ & S. Genulfi [b] monaſterium in Biturigibus ordinis S. Benedicti, anno ab Incarnatione 828. conditum eſt ad Angerem * *ſeu* Ingerem fluvium in amœno loco, qui juris erat Wicfredi Biturigum comitis ex regali proſapia oriundi, ibidem ſepulti cum Oda uxore nobiliſſima; fundatio autem his verbis concepta exprimitur apud anonymum ſcriptorem vitæ ſancti Genulfi: *Comes Vifredus*, inquit, *inclytus, religionis gloria clariſſimus fuit: pari conſilio, communique voto venerandæ conjugis Odæ, placuit, ut ad laudem Creatoris celebrandam, divinaque myſteria peragenda, in jure ſuæ proprietatis in villa quæ dicitur Strada, eccleſiam fundaret, quam de propriis rebus ad eccleſiæ miniſtrorum uſus ſufficientiſſime dotaret. Quod quidem ut diſpoſuit, efficaciter etiam divina largiente clementia complevit, anno XV. imperii domini Ludovici ſereniſſimi auguſti, filioque ejus Pipino quartodecimo anno regnante, qui eſt ab Incarnatione Domini D. CCC. XXVIII. Cum vero ad uſque dedicationem eccleſiæ ventum eſſet, eam in honore ſanctæ ſemperque virginis Mariæ & omnium ſanctorum dedicari conſtituit, ejuſque vel aliorum reliquiis ſanctorum ſolemniter decoravit. Cui in die conſecrationis ejus, qui eſt VII. calend. Julii, prædia quædam circumadiacentia, quæ ſui juris erant, cum mancipiis ibidem commanentibus, conceſſit, & teſtamento delegavit. Poſtquam vero clariſſimus vir Pipino regi eccleſiæ fundatæ cauſam innotuit, in præſentia primorum palatii, totiuſque nobilitatis propoſuit edictum, ut iſdem locus Strada ab omnium poteſtatum inquietudine maneret immunis, anno XVII. imp. Lud. ſereniſſimi auguſti ſui genitoris, & XVI. ſui regni. Eoque proceſſit amplificatio rei ipſius eccleſiæ, ut inter reliqua matris eccleſiæ Bituricenſis membra connumeraretur & ipſa. Abſolutis ædificiis monaſterii baſilica dedicata eſt ſacriſque reliquiis locupletata.* Monaſterio præfuerunt tanquam abbates hi qui ſequuntur.

Vide bibliot. Floriac. in vita S. Genulfi.

* l'Indre.

ABBATUM SERIES.

I. DODO primus abbas Stradenſis fuit, cui & religioſis cœnobitis *ſecundum inſtitutionem beatiſſimi Benedicti* ſemper regendum committitur cœnobium, ex laudato anonymo. Idem

[a] V. C. Stephanus Baluzius. l. 3. hiſt. Tutelenſis cap. 9. pag. 216. docet Gilberti avunculos fuiſſe Bertrandum de Malomonte, & Johannem de Cluys Tutelenſes epiſcopos.

[b] Titulum S. Genulfi obtinuit ab ejus reliquiis eo delatis. Guillelmus Crucius in hiſtoria epiſcoporum Cadurcenſium, hunc Genulfum ait fuiſſe primum eccleſiæ ſuæ epiſcopum. Vide in epiſc. Cadurcenſ.

Dodo erat ſancti Savini apud Pictones abbas & S. Martialis Lemovicenſis, ex aliis monumentis. Privilegium obtinuit atque immunitatem a fiſcalibus tributis, tum a Pipino, tum a Carolo rege ejus germano, anno ejus regni IV.

II. Mainardus vivente adhuc Dodone, ipſoque volente, monaſterio præficitur; qui cum Carolum regem cognomento Calvum pro quibuſdam negotiis adiiſſet circa an. 852. jubetur ſimul præeſſe S. Petri monaſterio apud Nivernos, inter Ligerim & Elaverim * conſtructo; ea lege ut deinceps abbatibus Stradenſibus ſubjiceretur. Nunc cella eſt abbatiæ S. Martini Æduenſis. Eo confugerunt Stradenſes tempore procellarum Normannicarum, & corpus S. Genulfi prius tranſlatum ad Stradenſem baſilicam XII. cal. Julii, detulerunt.

* l'Allier.

III. Amalricus *vir ſtrenuus* Mainardo ſucceſſit.

IV. Lætarius *vir claræ nobilitatis*, qui condidit monaſterium ad honorem B. Johan. Baptiſt. & S. Genulfi, in pago Waſtinenſi.

V. Aimo.

VI. Æricus, ſub quo ſancti Genulfi reliquiæ Stradam revehuntur.

VII. Elias, cujus tempore Hungari an. 951. & 953. Aquitaniam invadentes, coëgerunt fratres Stradenſes confugere ad caſtrum *Lucas Loches*. Pervenit autem hic abbas uſque ad tempora Hugonis principis, poſtea regis.

VIII. Rotbertus novam fabricam monaſterii aggreditur, & in novam baſilicam corpus S. Genulfi transfert an. circiter 990.

IX. Odo abbas baſilicæ Stradenſis, quæ & S. Genulfi circa annum 1007. De quo in geſtis comitum Andegav. t. 10. Spicil. legitur Fulconem comitem fundatorem Belli-loci, viro huic vita ſpectabili novum ſuum monaſterium commendaſſe. *Qui de ſuis probatos fratres eligens, novam eccleſiam, novo conventu publicavit ..... Et quandiu rebus humanis interfuit, utramque eccleſiam, Stratenſem videlicet & Lochenſem, ut bonus paſtor pio moderamine gubernavit.*

X. Hugo ſub Henrico rege Francorum.

XI. Petrus I. abbas S. Genulfi anno 1066. quo tempore eccleſia dedicata eſt ab Haimone Bituricenſi & Bartholomæo Turonenſi archiepiſcopis. Ex charta Prulliaci.

XII. Aimericus circa an. 1112. *Sammarth.*

XIII. Antonius an. 1118.

XIV. Bertrandus anno 1173. vendit Johanni abbati Baugeſii terram de Doſaco; ex charta Baugeſii.

XV. Petrus II. electus anno 1178. vivebat adhuc an. 1184. ex chartis Prulliaci.

XVI. Gaufredus reperitur abbas in variis chartis Landeſii ab anno 1220. quo nonnulla commutavit cum Yvone abbate Landeſii, ad 1226.

XVII. Michaël 1226. arbiter diſſidii Radulfi domini Buſenciaci.

XVIII. Petrus III. præfuit anno 1240.

XIX. Petrus IV. alter juxta Sammarthanos enuntiatur in charta Johannis de Pria dynaſtæ de Buſenciaco.

XX. Johannes 1391. idem forte qui anno 1409. miſit procuratorem ad concilium Piſis pro ſchiſmatis extinctione congregatum, ex actis editis tom. VI. Spicil. pag. 367.

XXI. Herveus Savari moritur anno 1415. eoque mortuo prior & conventus petunt facultatem eligendi abbatem, ab archiepiſcopo Turonenſi, quia abbas S. Genulfi erat canonicus Turonenſis eccleſiæ. *Ex archivo Turon.*

XXII. Mathurinus de Beauregard an. 1434. data fide & facto homagio-ligio eccleſiæ Turon. ratione ſui monaſterii, canonicus Turonenſis eccleſiæ agnoſcitur. Præerat annis 1435. 1462. & 1467. componit cum Petro de Brillac domino d'Argé. *Ibid.*

XXIII. Antonius Tranchelyon, abbas quoque de Vernucia, vicariuſque generalis Renati cardinalis de Pria abbatis Burgidolenſis, occurrit annis 1512. 1513. & 1520. Arguitur ob prædia monaſterii diſſipata & alienis collata; quin etiam aiunt eum, cum pene animam ageret, coram ſe chartas omnes comburi juſſiſſe.

XXIV. Renatus de l'Hoſpital protonotarius apoſtolicus & reginæ eleemoſynarius 1553. & 1557. Rem bene adminiſtravit, augendo maxime domum abbatialem.

XXV. Ægidius Quinaut decanus eccleſiæ Bituric. 1570.

XXVI. Jacobus Quinaut metu Calviniſtarum, S. Genulfi ſacras exuvias Avaricum Biturigum detulit, ac Franciſcanis aſſervandas tradidit, qui eas adhuc poſſident. An alius eſt quem eodem donatum cognomine, per ſolam primam nominis litterarum T. deſignatum reperio an. 1585. Ceterum noſter Cl. Eſtiennot hoc anno Ægidium Quinaut concilio interfuiſſe Bituricenſi refert.

XXVII. Ægidius de Souvré reſignat anno 1612.

XXVIII. Iterius Franciſcus Chaſtelain, quem Sammarthani canonicum B. Mariæ Pariſ. faciunt, abbas erat 1622. ex charta Fontis-Gombaudi.

XXIX. Ludovicus Fumée ex dominis des Roches S. Quentin. Duplicem facit, patruum ſcilicet & nepotem idem D. Cl. Eiennot.

XXX. N. de Marſilly per annos quinque reditus percipit, ceditque poſtea Ludovici nepoti qui ſequitur.

XXXI. Johannes * Armandus Fumée dominus des Roches S. Quentin prope Lochas, annis circiter ſexaginta præfuit. * al. Petrus.

XXXII. N. de la Fayete abbas S. Genulfi deſignatur a Rege, in vigilia Paſchæ die 26. Martii an. 1712.

DOLENSIS ABBATIA.

DOLENSE * ſeu Burgidolenſe monaſterium antiquum & nobile in Biturigibus ad fluvium Andram * ſeu Indrum vel Ingerem, ordinis Benedictini, ſexdecim leucis ab Avarico Biturigum, conditur ab Ebbone * toparcha Dolenſi, in valle amœna, quod, ut obſervat Ademarus in chronico ad annum 917. cœpit ædificare in honore Dei genitricis &

* *Olim* Bourgdeols *nunc vero* Bourgdieu. * Indre.

* Seniore primo domino Dolenſi.

Digitized by Google

a poſtea integravit filius ejus Rodulfus [a], ubi magnam cohortem monachorum congregavit regulariter degentium. Is Biturigenſium princeps vocatur in fragmento hiſt. Franc. & nobiliſſimus princeps in patriarchio Bituric. Porro de origine hujus monaſterii idem ſcribit Bernardus Guidonis: *In Bituria caſtro Dolenſi fundatum cœnobium nobile, quod Dolis vocatur, ab Ebbone viro illuſtri prædicti caſtri domino. Hic vir devotus primo a Britannia monachos mortis metu Normannorum rabiem fugientes ſuſcepit; hi caput B. Gildaſii abbatis detulerant ad caſtrum Dolenſe, cui idem Ebbo proprium cœnobium juxta caſtrum ſuum ex alia parte conſtruxit, ubi ejuſdem ſancti corpus cum multis reliquiis requieſcit.* Memorat etiam quod Paſchalis II. ad Gallias veniens eccleſiam hanc B. Mariæ virginis in caſtro Dolenſi dedicavit. Jam vero primum dedicata fuerat an. 920. ex chronico apud Labb. Hæc autem majorem accipient lucem ac certitudinem ex ipſius Ebbonis charta de fundatione Dolenſis cœnobii, quæ a Beſſio primum edita eſt in hiſt. comitum Pictav. & ducum Aquitaniæ, tum a Philippo Labbeo in Miſcellaneis pag. 505. Eam recudere inter C. I. & II. col. 43. inſtrumenta noſtra haud inutile viſum eſt, ubi & aliam reperies qua priorem idem Ebbo confirmat, datam anno v. regis Rodulphi, hoc eſt C 927. Munificus etiam fuit erga monaſterium iſtud Willelmus comes Arvernorum, de quo in priori charta Ebbonis, ut docet quædam ejus tabula tum apud Labbeum, tum v. ſeculo Bened. pag. 84.

Præterea de hoc cœnobio agunt Gregorius VII. lib. VI. epiſt. 27. & 28. Yvo epiſt. 78. & auctor vitæ S. Genulfi. Secularibus canonicis addicta eſt hæc abbatia a Gregorio XV. ſummo pont. cum vicina S. Gildaſio ſacra, & ex utraque duplex collegium canonicorum, unum in eccleſia S. Martini apud Caſtrum-Radulfi, alterum in Dolenſi eccleſia inſtitutum eſt an. 1623. inſtante D Henrico Borbonio Condæo, Franciæ pari, ac regii ſanguinis principe primario, ejuſdem Caſtri-Rodulfi duce, Biturigum, Boiorum & Burgundiæ gubernatore, ac ipſius collegii patrono & præbendarum collatore, Ludovico XIII. rege volente & probante.

Ceterum etſi fuſe ſatis diſſeruerint noſtri Sammarthani de abbatibus Dolenſibus, non pauca nihilominus addenda collegimus, unde ipſorum catalogus accuratior fiat & auctior.

Abbatum series.

I. Sanctus Berno primus Dolenſi præfuit E cœnobio, Cluniacenſis etiam abbas, qui ſucceſſorem ſuum ad reginen Cluniaci, Maſciaci & Dolenſis monaſteriorum teſtamento deſignavit ſanctum Odonem; obiit anno Chriſti 927.

II. S. Odo Cluniacenſis & ipſe abbas, deſiit A vivere an. 942. Veriſimile eſt alium Odonem præter magnum abbatem Cluniacenſem, poſt ipſum ſediſſe; certe legimus Odonem abbatem Dolenſem Ludovicum * regem adiiſſe, ab eoque privilegium impetraſſe, eo tempore quo Odo Cluniacenſis in Romano itinere erat occupatus. Vide Mabill. ad an. 942. n. 37. * Transmarinum.

III. Frobertus, *alias* Frambertus, obiit anno 951. de quo chronicon Malleacenſe.

IV. Rainardus deceſſit an. 968.

V. Ranulfus fato functus 970. Privilegium obtinuit a Johanne XIII. datum menſe Januario indictione undecima, hoc eſt an. Chriſti 968. B vel 969. Vide inter inſtrumenta. C. III. col. 44

VI. Dacbertus interiit 978. Eodem nomine Bituricenſis archiepiſcopus ſedebat an. 987. dubium an idem uterque ſit.

VII. Roccho obiit 990.

VIII. Hugo I. inſtaurator monaſterii a fundamentis; exceſſit e vivis 997.

IX. Emenus vel Eumerius emiſit ſpiritum an. 1013. Anno 1003. Dolenſibus datum eſt monaſterium SS. Donatiani & Rogatiani, ex majori chronico.

X. Herbertus [b] cui Odo miles magni Rodulfi b filius dimiſit pro anima ſua & filiorum Rodulfi, Odonis, Eliæ & Ebbonis, omnes malas conſuetudines quas pater habuerat in loco Dolenſi, regnante Henrico rege. Comcambivit idem Odo ſenior de Dolis cum Arberto abbate, & accepit alodium terræ de Villa-Dei S. Mariæ, ut patet ex tabulis Dolenſibus. Anno ejuſdem regis Henrici I. decimoquarto ſubſcripſit diplomati fundationis S. Satyri, hoc eſt anno 1046. *melius tamen* anno quarto, hoc eſt 1034. Sub hoc igitur abbate celebrata eſt ſecunda Dolenſis monaſterii dedicatio, quæ facta legitur in chronico apud Labbeum IX. cal. Febr. an. 1021.

XI. Bernardus, de quo nihil nobis occurrit præter id quod habent Samnarthani, ſcilicet eo ſedente Odonem de Dolis donaviſſe fratribus S. Mariæ, vicariam totam burgi S. Mariæ circa iſtud monaſterium.

XII. Ingelbodus cujus meminere chronicon utrumque monaſterii, majus & minus, & Malleacenſe; obiit 1051.

XIII. Raimundus, cujus tempore, an. ſcilicet 1054. datus eſt monaſterio prioratus de Maigniaco. Anno circiter 1055. ſubſcripſit litteris Hildebrandi legati Victoris papæ II. pro recens inſtaurato Viennæ S. Petri cœnobio. Fuit in elecmoſynis largiſſimus: obiit an. 1063. ex chronico; de cujus tamen fide hic dubitare liceat, quando Rademundum, haud dubie eundem cum Raimundo, ſubſcripſiſſe legimus chartæ qua Sigoni abbati ſancti Florentii reſtituitur monaſterium in

[a] Cum Ebbo decumberet ex vulnere accepto in prælio contra Normannos aut Danos apud Lochas, antequam perfectum eſſet cœnobium, illud commendavit filio ſuo Radulfo, ſimulque ſignificavit Geroncio archiep. Bituric. ſe illud commiſiſſe *apoſtolicæ tutelæ, ita ut in eo ſola Romana eccleſia juriſdictionis habeat plenitudinem.* Vide patriarchium Bituricenſe c. 52. ubi habetur quod cum Radulfus ſeu Rodulfus ceſſiſſet caſtrum Dolenſe monaſterio, aliud caſtellum ædificaverit, quod ex ejus nomine dictum *Caſtrum-Radulfi* (Chaſteauroux, Chaſteau-raoul.)

[b] Mabillonius Emeno dat ſucceſſorem Hugonem alium a ſuperiori. Ad an. quippe 990. num. 41. dicit Hugoni ſuffectum eſſe Emenum an. 997. Et ad an. 1003. num. 43. legimus: *Dolenſi . . . . monaſterio tunc præerat Hugo . . . . . cujus tempore, id eſt hoc an. Chriſti milleſimo tertio ejus regiminis quinto, monaſterium SS. Donatiani & Rogatiani apud Nemetas Dolenſi abbatiæ conceſſum eſt. Hugoni ſucceſſit poſt annos undecim Eumenus bonæ memoriæ abbas noſter.* Ex his colligere licet duplicem Hugonem & duplicem Emenum ſeu Eumenum, in ſerie abbatum Dolenſium, ſed perperam.

Digitized by Google

caſtro Salmurienſi conſtructum. Acta & pacta ſunt hæc apud cœnobium S. Florentii an. MLXVII. Et certe anno tantum 1072. interiiſſe tradunt Sammarthani fratres. Is eſt autem, ut verè ſimile eſt, qui XVII. cal. Sept. memoratur in necrolog. Divion.

XIV. Petrus ſucceſſit ex chronico Malleacenſi.

XV. Guarmundus ſeu Warmundus, abbas Dolenſis laudatur anno 1074. in chronico Dolenſi. Anno 1077. creatur archiepiſcopus Viennenſis, cujus electionem Gregorius papa comprobavit ſcriptis litteris ad clerum & populum Viennenſem, gratulatus quod haberent *ex dono divinæ propitiationis ordinatum Warmundum, bonum & juſtum epiſcopum, virum religioſum atque prudentem*, cui eos obedientes eſſe jubet. Nec ideo deſeruit abbatiæ regimen, jubente Gregorio VII. ut infra videbitur in Gauterio. Et hoc fortaſſe in cauſa fuit cur de eo Manaſſes Remorum archiepiſcopus conqueſtus ſit in litteris ad Gregorium papam. Perperam vero tum depoſitus ob ſimoniæ crimen, tum in brevi chronico Dolenſi mortuus dicitur anno 1083. epiſcopatus ſexto, qui anno 1088. tanquam abbas, teſtis deprehenditur in litteris Ricardi Bituric. archiepiſcopi, quædam prædia monaſterio S. Dionyſii reſtituentis. Jam anno tamen præcedenti hujus prælaturæ ſarcinam depoſuerat, ſi fides habenda chronico Dolenſi, ut in Aldeberto videbitur.

XVI. Gauterius ex chronico Malleacenſi; prætermittitur in elencho abbatum Dolenſium quem Labbeus edidit t. 2. bibliothecæ ſuæ novæ pag. 741. ex veteri MS. codice, qui elenchus mera nomina continet. De ipſo tamen eſt epiſtola Gregorii VII. vigeſima ſeptima lib. 6. ad monachos Dolenſis monaſterii. *Noveritis Gualterium quem vobis in abbatem contra excommunicationem apoſtolicæ ſedis conſtituiſtis, collaudatione Romani concilii a nobis irrecuperabiliter eſſe depoſitum. Et ſi de adminiſtratione abbatiæ veſtræ ſe ulterius, cognitis his litteris, intromiſerit, omnino excommunicandum. Quapropter apoſtolica vobis auctoritate præcipimus ut confratrem noſtrum Warmundum Viennenſem archiepiſcopum, quem vobis in abbatem, Deo annuente, ordinavimus, ſine omni contradictione ſuſcipiatis, & ei ſicut patri & abbati per omnia toto cordis affectu obediatis. Et quia non modicum pro inobedientia veſtra incurriſtis delictum, præcipimus vobis ut Dominica I. poſt Pentecoſten, ſcilicet in octavis, coram vicario noſtro Hugone Deenſe epiſcopo ſatisfacturi, Valentiæ videlicet urbi vos repræſentetis, & quod ipſe vobis præceperit, obedienter teneatis..... Data Romæ VIII. cal. Aprilis indict. 2.* id eſt, an. 1079. Ejuſdem argumenti eſt epiſtola 28. ad nobiles Bituricenſes Rodulfum, Odonem, &c. qui abbatiam Dolenſem in tutela habebant, favebantque Gualterio.

XVII. Aldebertus cognomento de Monte-Maurilionis ex monacho Caſæ-Dei *al.* S. Cypr. Pictav. eligitur abbas an. 1087. ad quem annum ſic habet chronicon: *Adventus domni Aldeberti abbatis Dolenſis.* De quo idem chronicon: *Anno 1092. ordinatur archiepiſcopus Bituricenſis;* qui denique obiit 1097. Is autem eſt haud dubie qui ceſſiſſe in gratiam Caſæ-Dei legitur quidquid habebat in eccleſia S. Felicis diœceſis Pictavienſis an. 1092. non 1192. ut conſtat ex teſtibus Rainaldo S. Cypriani, & Gervaſio S. Savini abbatibus, qui ſub finem XI. ſeculi, non XII. vivebant.

XVIII. Giraudus ſeu Geraldus ſufficitur in Aldeberti locum anno 1097. moriturque anno 1099. ex majori chronico Dolenſi [a].

XIX. Hugo II. explevit mortalitatem 1102. ex laudato chronico.

XX. Johannes I. præerat jam anno 1103. cujus tempore dedicatur eccleſia a Paſchali II. an. 1107. vel 1106. Obiit 1138.

XXI. Johannes II. de Pictavia vel de Pictavis alteri Johanni ſucceſſit, ad breve tempus; memoratur in chartul. Urſanienſi & in litteris Gerberti de Pruneriis. Johanni abbati Dolenſi Herveus monachus de quo infra, nuncupavit commentarium in Iſaiam prophetam, qui MS. aſſervatur in bibliotheca collegii Claromontani, teſte Labbeo. Utrum autem Johanni de quo nunc agimus, an ſuperiori ſit inſcriptum hoc opus, non facile eſt definire.

XXII. Gerbertus concordat an. 1148. cum Hugone abbate Landeſienſi. Occurrit an. 1152. in charta Landeſii, obiitque anno ſeq. ex Sammarthanis. Sub quo ſanctiſſimæ vitæ curſum conſummavit Herveus monachus, non minus ob eruditionem commendandus. In primis ſcripſit commentarium in epiſtolas D. Pauli, qui falſo tribuitur S. Anſelmo in editione Colon. 1612. Epiſtolam encyclicam monachorum Burgidolenſium hujus ſancti viri vitam & ſcripta continentem habes tom. 2. Spicilegii Dacherii, pag. 514.

XXIII. Giraldus Morail poſt annos 22. abdicavit 1176. ac diem clauſit ultimum 1186.

XXIV. Johannes III. de Roccha, ſub cujus præfectura illuſtratur eccleſia Dolenſis miraculo B. M. virginis. Vivis exceſſit 1184.

XXV. Geraldus vel Geraudus de Spinolio ceſſit an. 1194. & obiit 1200. ex chronico.

XXVI. Rodulfus de Podio an. 1205. quædam ad cenſum tradit G. abbati Fontis-Morigniaci, coram Willelmo epiſcopo Nivernenſi, & Arnulfo abbate Exoldunenſi, a quo & ipſe anno 1210. menſe Decembri accipit ad cenſum totam terram quam Arnulfus habebat apud Eſpeliis. Debitum naturæ perſolvit 1211. in monaſterio S. Leonardi Corbiniac. dum Romam pergeret, indeque tranſlatus ad eccleſiam Dolenſem ſepultus eſt ante altare B. M. Magdalenæ.

XXVII. Johannes IV. de Roccha 1211. dijudicat quæſtionem inter Raimundum priorem de Tauſiliaco, priorem & canonicos S. Auſtregiſili de Caſtello, Bernardum ejuſdem eccleſiæ, & Guillelmum capellæ B. M. de Caſtro capellanos 1220. Memoratur an. 1225. menſe Febr. in charta Maſciaci. Nominatur exſecutor teſtamenti Guillelmi de Calviniaco domini de Caſtro- *Sammarth.*

[a] Circa hæc tempora (Mabillonius habet an. 1097.) conſtat electum fuiſſe Dolenſem abbatem Bernerium monachum Bonævallis in diœceſi Carnotenſi qui poſtea fuit abbas Bonævallenſis. Vide ep. 78. Ivonis Carnot. Ejus electionem ad abbat. Dolenſem a quibuſdam fratribus fuiſſe turbatam & reprobatam ibidem legimus. Ignoramus autem, utrum pacifice hac præfectura potitus ſit.

Radulfi, cum Petro abbate S. Gildaſii, &c. an. 1234. Raimundus cui Ebbo de Argentonio dedit alodium ſuum dictum *Eſcharbot*: cujus filius Marcus, cum inde moveret calumniam, Johannes abbas Dolenſis quartam ejuſdem alodii partem ei in vita ſua & filio ſuo concèſſit; ex charta authentica nobis communicata a clar. v. D. Gouignon.

XXVIII. Johannes V. abbas Dolenſis anno 1251. in charta Belli-viſus. Ad eum & ad priorem de Aleſto diœceſis Nemauſenſis Innocentius papa IV. bullas dedit Peruſii IV. nonas Julii an. 1254. pontificatus ſui XI. ut legitur in hiſtoria Caſæ-Dei in Bertrando de Paulhiac abbate. Memoratur an. 1269. in charta Landeſii; an is qui appellatur apud noſtros Sammarthanos *Johan. de Monte*, diciturque mortuus 14. calend. Maii an. 1282.

XXIX. Evrardus I. de Nozeroles eligitur die 17. Maii anni 1283. obiitque an. 1295. XII. cal. Junii, ex chronico.

XXX. Johannes VI. de Ybernali eodem anno electus eſt in abbatem; fato functus 1308. cujus tempore (inquiunt Sammarthani) Clemens papa V. cum undecim cardinalibus hoc monaſterium inviſit 1306.

XXXI. Guillelmus de Ceris tranſegit anno 1313. cum Johanne epiſcopo Lemovic. Migravit a ſeculo 1325. XVII. cal. Novembris.

XXXII. Hugo III. de Geneſines, vel de Genetines eodem anno electus fuit a fratribus; verum prævaluit

XXXIII. Gaufridus de Ceris fretus auctoritate Johannis papæ XXII.

XXXIV. Hugo IV. de Cros præfuit annis 35. ex Sammarthanis. Anno 1383. ſopivit ut arbiter & judex electus litem inter abbatiſſam ſancti Laurentii Bituric. & rectorem ſancti Boniti.

XXXV. Helias, quem in actis concilii Piſani an. 1409. legimus miſiſſe procuratores ad hanc ſynodum.

XXXVI. Simon de Ceris obiit 1459.

XXXVII. Aimartius abbas Dolenſis memoratur an. 1464. in tabulario Landeſii.

XXXVIII. Evrardus II. de Leron æmulum paſſus eſt Hugonem Fumée Belli-loci abbatem qui poſtea ceſſit. Obſtitit Evrardus * ſeculariſationi prioratus S. Hilarii de Lineriis an. 1471. quæ biennio poſt fuit facta. Deceſſit an. 1476.

* *al.* Eduardus.

XXXIX. Ludovicus de Combornio protonotarius Sedis apoſtolicæ eodem anno abbas poſtulatus, obiit 1482. * abbas ſimul Conchenſis, ubi vide, & S. Auguſtini Lemovic.

* *al.* 1488.

XL. Johannes VI. Loubet ex priore de Sangiaco electus abbas; defecit an. 1501. In fuſiori Gallia Chriſtiana Robertus præponitur ſequenti, quem aiunt Sammarthani præfuiſſe 2. annis, at quo tempore, nec ipſi, nec majus Dolenſe chronicon afferunt. Sed neque ulla ipſius alibi reperitur mentio quam in chronico minori.

XLI. Renatus de Prie epiſcopus Bajocenſis & poſtea cardinalis ſub Julio II. abbas ſimul Exoldunenſis & Prateæ, ubi ſepelitur.

XLII. Adrianus Goufier cardinalis de Boiſy & epiſc. Alb. fit abbas an. 1516. jubente Rege, ex chronico, ubi & habetur quod anno *1520. legatus & abbas ſuum fecerit jucundum adventum.* Obiit 1523. die 24. Julii, conditus in eccleſia Burgidolenſi.

XLIII. Claudius du Prat abbas Burgidolenſis; ex tomo I. novæ Galliæ Chr. pag. 105.

XLIV. Jacobus I. Loubet electus fuit fratrum ſuffragiis die 15. Octobris. Vide in S. Savino Pictav.

XLV. Georgius de Ambaſia cardinalis, archiepiſcopus Rotomag. Obiit an. 1550.

XLVI. Johannes VII. du Puy abbas Burgidolenſis, filius Perrini, ſive Petronii domini de Dames & Iſabellæ Sigonneau. Avum habuit Johannem du Puy dominum du Coudray-Monin aquis & ſylvis in Gallia præfectum, &c. qui deceſſit 1513. *Du Fourny hiſtor. aquis & ſylvis præfectorum.*

XLVII. Robertus de Lenoncourt cardinalis permutavit cum ſequenti.

XLVIII. Jacobus II. le Roy, Bituricenſis archiepiſcopus; ſub quo abbate collegium canonicorum congregationi monachorum ſuccedit, ut jam diximus; cujus etiam tempore Renatus du Pleſſis cardinalis Richelii conſanguineus, erat infirmarius Dolenſis monaſterii.

S. GILDASII ABBATIA.

SANCTI GILDASII monaſterium ord. S. Benedicti ad Indrum fluvium, ſexdecim leucis ab Avarico Biturigum, fundatur ab Ebbone auctore cœnobii Dolenſis, non longe ab hoc monaſterio, pro abbate & monachis S. Gildaſii Ruyenſis Normannorum furorem fugientibus, ſubjiciturque a conditore, archiepiſcopo Bituricenſi. At forte hiſtoriam hujuſce fundationis ex patriarchio Bituric. cap. 52. etſi longiuſculam, legere haud ingratum erit. Itaque exeunte ſeculo nono, & decimo incipiente, cum Aremoricam Normanni fœde popularentur, maxime oras Venetenſium, quos tunc Alanus & Paſquetanus fratres regebant, Moriacenſe cœnobium, quod *Locmenech* vocabatur, atque San-Gildaſianum Ruyenſe, monachi ſui deſeruerunt, atque ad Ebbonem Dolenſis caſtri principem confugerunt. Daiocus ſive Daocius abbas Ruyenſis erat, iſque ſic allocutus eſt Ebbonem: *Ego miſer & ſocii nei per Dei miſericordiam perſecutionem Normannorum, Danorum, Hunorum, & Wandalorum evaſimus, deferentes nobiſcum calicem Dominicæ Cœnæ in quo vinum aquæ mixtum in veri ſanguinis ſui ſubſtantiam Chriſtus permutavit, dicens: HIC EST SANGUIS MEUS NOVI ET ÆTERNI TESTAMENTI: corpuſque eximii confeſſoris Gildaſii utriuſque Britanniæ doctoris egregii: Item corpora SS. Patricii apoſtoli Hibernorum, Albani martyris, Paterni Venetenſis epiſcopi & B. Brigidæ Schotorum abbatiſſæ: cum aliis multis pignoribus SS. martyrum, confeſſorum atque virginum; rogamus ergo magnificentiam tuam, O glorioſe princeps, ut tantis hoſpitibus tibi a Deo tranſmiſſis, locum manſionis & venerationis in terra tua tribuas, quatenus eorum interceſſionibus perpetuam manſionem*

Biblioth. Labb. t. 2.

Digitized by Google

in cœlis habere merearis. Erat autem eo tempore nemuſculum e regione caſtri Dolenſis verſus Occidentalem plagam, in quo antiquitus fundata fuit eccleſia in honore B. Mariæ ſemper virginis, & juxta eam manſiones olim ab eremitis habitatæ; ſed tunc temporis vacabant habitatore. Porro religioſiſſimus princeps eaſdem manſiones feſtinanter refarciri, baſilicam præparari & ornari præcipit, in qua ſanctuaria & prædictorum SS. corpora quanta potuit reverentia collocavit; monachos autem in eiſdem manſionibus ponens, de redditibus ſuis eis neceſſaria affatim providit. Expleto denique biennio vir alti conſilii & eximiæ nobilitatis princeps Ebbo, in inſula quæ dictæ eccleſiæ a Septentrionali parte ſubjacebat, monaſterium *in honorem S. Salvatoris mundi atque officinas monachis opportunas propriis expenſis ædificare cœpit; quod opus dum ad exitum perducere feſtinaret, illa de qua aliquanto prius mentionem fecimus, nefanda & barbarica rabies jam depopulata urbe Turonica, Bituriæ fines ingredi propoſuit.* His occurrit Ebbo ad caſtrum Lochas, ſuiſque & regis Francorum copiis victor vulnus mortiferum accepit in ipſo conflictu. *Aureliam* delatus, Radulpho filio, Launo Bituricenſi archidiacono fratri ſuo, & Gerontio civitatis ejuſdem archiepiſcopo commendavit inceptum a ſe monaſterium, his verbis affatus Radulphum; *Inſuper attentius te adjuro & obſecro ut monaſterium quod in honore Salvatoris mundi, ſanctique Gildaſii, cum officinis fratribus neceſſariis ædificare cœpi, ſed conſummare non potui, perficias; ſanctuaria, quæ de Britannia allata ſunt, ibi decenter reponas; Daocium ſanctum abbatem cum ſociis ſuis ibidem honorifice colloces, eiſque tantum de prædiis & redditibus largiaris, ut ſine murmure & querela in pace Deo ſerviant. Poſt hæc ad S. Geroncium, & archidiaconem Launum fratrem ſuum dixit: Tu domine archiepiſcope pater ſpiritu, & tu frater carne, ſcitis quod monaſterium a me in Dolenſi caſtro fundatum commiſerim apoſtolicæ tutelæ, ita ut in eo ſola Romana Eccleſia juriſdictionis habeat plenitudinem; monaſterium autem quod in honore S. Gildaſii conſtruere cœpi, O digniſſime præſul, tuæ & ſucceſſorum tuorum ſpeciali trado poteſtati, quatenus tu & ſucceſſores tui ipſum privilegiorum largitionibus augeatis, juſtitiæ clypeo defendatis, & eumdem locum quaſi propriam manſionem veſtram, auxilio, conſilio & beneficiis foveatis. His dictis, per manum memorati archidiaconi fratris ſui ordinato eccleſiis & pauperibus teſtamento, cum magno animi dolore ſuorum migravit a corpore, cum Chriſto perenniter regnaturus, pro cujus amore & fidei chriſtianæ defenſione ſanguinem ſuum in ſupradicto bello fundere non metuit. Ejus vero ſacratiſſimum corpus, jubente Rege, decenter & honorifice ſepultum eſt Aurelianis apud S. Anianum..... poſt cujus felicem tranſitum, expletis exſequiis, filius ipſius, videlicet illuſtriſſimus princeps Radulphus cum magna multitudine baronum ſuorum reverſus ad propria, caſtrum Dolenſe Deo & beatis apoſtolis Petro & Paulo ac monachis ibidem Deo ſervientibus ſecundum patris ſui præceptum & venerabilis Launi avunculi conſilium conceſſit & dedit perpetuo poſſidendum. Indeque recedens, aliud caſtellum quod nunc uſque ex ejuſdem vocabuli appellatione vocatur Caſtrum-Radulphi, opere permagnifico condidit. Abbatiam quoque S. Salvatoris ab ſtrenuiſſimo patre ſuo inchoatam, ad ſummum perduxit faſtigium, ubi quum ſacratiſſimum calicem Cœnæ Domini, & corpora SS. Gildaſii, Albani, Patricii Paterni & Brigidæ virginis, cum multis aliorum SS. pignoribus præcipua veneratione collocaſſet, non multo poſt ad petitionem venerabilis pontificis Launi patrui, tunc temporis adhuc S. Gerontii archidiaconi, caput & principalia membra beati Paterni Venetenſis epiſcopi tranſtulit in caſtrum Exolduneſe; ut ſicut Caſtrum-Radulphi ſacris pignoribus prædictorum SS. decorabatur, ſic & monaſterium Exolduni reliquiis S. Paterni nobiliter polleret.*

Jam vero nunc exhibenda foret abbatum ſucceſſio; ſed heu! quam pauci pro vetuſtate hujus cœnobii nobis occurrerunt, incuria fortaſſe canonicorum qui monachis anno 1623. petente ſereniſſimo principe Henrico Borbonio Condæo ſubſtituti ſunt, ſeu injuria temporum, bellorumve atque hæreticorum procellis. Fragmenta nihilominus colligere juvat ne pereant. Itaque

Abbatum series.

I. Daiocus *al.* Daocius, & corrupte amanuenſium oſcitantia Mocius, primus abbas exſtitit S. Gildaſii Bituricenſis, ex abbate Ruyenſi, quem Normannos fugientem cum ſuis monachis & reliquiis S. Gildaſii aliorumque ſanctorum ſacris pignoribus excepit Ebbo, ut ſupra diximus. Hunc autem & cœnobio Exoldunenſi præfuiſſe ferunt. *Vide Mabill. ſec. 11 Bened.*

II. Durandus abbas S. Gildaſii adeſt dedicationi eccleſiæ Vindocinenſis anno 1040. quem conjicit Mabillonius fuiſſe abbatem S. Gildaſii Bituric. nec immerito, cum iſtud monaſterium longe vicinius eſſet duobus aliis in Armorica poſitis.

III. Vitalis ſubſcribit chartæ reſtitutionis cellæ in caſtro Salmurienſi conſtructæ, quam Fulco Richinus amotis clericis reddidit S. Florentii monachis, eorumque abbati Sigoni an. 1067. Vide in hoc abbate. Anno 1128. die 25. Martii eccleſia S. Gildaſii dedicata eſt a Vulgrino Bituricenſi archiepiſcopo, ex Sammarthanis; quo etiam anno Girardus Engoliſmenſis epiſcopus & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ legatus in monaſterio ſancti Gildæ Dolenſi concilium rexit, ex chronico Kemperleg. Miſcellan. Baluzii tom. 1.

IV. Nicolaus abbas erat anno 1178. de quo in abbatibus Prateenſibus.

V. S. memoratur in litteris Radulfi Dolenſis pro monaſterio Prateenſi, an. 1202.

VI. G. anno 1206. in charta Landeſii, qui Gaufredus dicitur eodem anno in litteris Radulfi Exoldunenſis pro Prateenſibus.

VII. Emeno 1210. in charta Landeſii.

VIII. P. an. 1219. tranſigit cum Prateenſibus pro Granetta. Idem P. memoratur an. 1223. in tabul. archiep. Bitur.

IX. Theobaldus an. 1231. in charta Landeſii.

X. Petrus legitur exſecutor teſtamenti Willel-

Digitized by Google

mi de Calviniaco Dom. de Caſtro-Radulfi an. 1234. in tabul. S. Satyri Bitur.

XI. Guido an. 1256. paciſcitur cum Prateenſibus.

XII. Gaufridus 1263. in charta B. Mariæ de Pratea.

XIII. Johannes abbas an. 1409. memoratur in actis concilii Piſani inter abbates qui huc miſerunt procuratores cum plena poteſtate. Cognominatur de Thaſneriis an. 1426. in ipſiuſmet litteris datis indict. IV. anno 5. Martini papæ V. quæ exſtant in bibliotheca Caſalis-Bened. Occurrit Johannes an. 1429. in charta Landeſii.

XIV. Thomas de Leſſe an. 1456. nonnulla cedit ad cenſum. Obiit IX. cal. Martii an. 1462. celebraturque in necrologio Fratrum Minorum Caſtri-Radulfi.

XV. Franciſcus Guerin abbas ſimul B. M. de Petris 1512.

XVI. Johannes II. Niquetius an. 1571. Bituricis collegium Societatis Jeſu inſtituit ex Sammarthanis.

XVII. Franciſcus de Chevneres, *al.* de Chenevieres abbas commend. ædes abbatiales ab heterodoxis dirutas, necnon eccleſiam reparavit. Moritur die 26. Julii an. 1616.

EXOLDUNENSIS B. M. ABBATIA.

* Iſſoudun.

EXOLDUNUM *, oppidum inſigne octo leucis ab Avarico poſitum, illuſtratur maxime abbatia beatæ Mariæ, ordinis S. Benedicti, *La Thiole ad Theum fluviolum *. Situm vero eſt monaſterium in ipſo caſtro Exoldunenſi, unde *nobile caſtrum* dicitur Guillelmo Aremorico Philippidos lib. 2. primariaque eſt totius urbis eccleſia, in qua præter abbatiam duo ſunt collegia canonicorum, S. Cyrici & S. Dionyſii *, cujus decanatum obtinet abbas B. Mariæ. In publicis autem ſupplicationibus, ſi quando interſint monachi, primas ubique tenent, habentes ad latus ſiniſtrum canonicos S. Cyrici. Incerta vero ſunt quammaxime hujuſce monaſterii primordia, quæ tamen vulgo referunt ad annum 947. illudque *a Radulfo & Baltilda ejus uxore, necnon Hugone (patrocinante S. Odilone) oppidi Exoldunenſis altiſſimis dominis* fundatum volunt, aſſeruntque primarium fundationis inſtrumentum in Criſpinenſi Flandriæ monaſterio conſervari. Quamvis, ſi hæc de S. Odilone Cluniacenſi abbate intelligantur, tolerari nequaquam poſſunt, ut pote qui necdum viveret, integroque poſt ſeculo defunctus ſit. Certe tempore Gerontii archiepiſcopi Bituricenſis, Radulphus Largus Ebbonis filius princeps Dolenſis, *ad petitionem ſpectabilis pontificis Launi patrui ſui, tunc temporis adhuc S. Gerontii archidiaconi, caput & principalia membra beati Paterni Venetenſis epiſcopi tranſtulit in caſtrum Exoldunenſe*, ex abbatia ſancti Gildaſii Dolenſis quam in caſtro a ſeipſo conſtructo, dicto Caſtro-Radulfi, ædificaverat atque conſummarat, a patre ſuo Ebbone inchatam. *Patriarchium Bituricenſe*

* Aliquando vetus abbatia unita cœnobio B. M. facta poſtmodum eccleſia collegiata an. 1186.

cap. 53. tom. 2. biblioth. novæ Labbeanæ.

Iſte Radulfus Largus, Launi nepos; qui Launus caput gentis ac ſtirps ipſa fuit, proavus fuit Radulphi prudentis, qui plures filios habuit, ex hiſque Radulphus Theobaldus, Caſtri-Radulphi toparcha fuit, Odo vero Exoldunenſis, dominus Exolduni fuit, filioſque procreavit Radulfum & Gaufredum Exoldunenſem; ut legitur eadem biblioth. Labbeana tom. II. pag. 740.

Quidquid ſit, hac in abbatia ſingulari cultu habentur SS. Thalaſius & Baius martyres Exoldunenſes, quorum ſanctitatem frequentia quæ ad ſacras eorum reliquias fiunt miracula probant. Inſuper etiam habentur S. Brigidæ & S. Patricii Hiberniæ apoſtoli corpora in lapideo tumulo aſſervata. Ibidem quoque olim aſſervabatur ſancti Paterni Venetenſis epiſcopi corpus, quod poſtea ad prioratum ejus nominis ab Exoldunenſi monaſterio dependentem tranſlatum fuit. In eodem monaſterio ſepulta jacet illuſtriſſima Johanna a Luxemburgo regina Franciæ, una cum filio quem moriens enixa eſt. His adde Annam a Sabaudia Frederici Arragonenſis, Tarentini principis & domini Exoldunenſis conjugem, quæ ibidem an. 1480. ſepulta eſt.

Nunc agendum de abbatibus quos tum ex tabulis monaſterii diligenter evolutis, tum ex ſchedis Jacobi Touchet ultimi abbatis regularis eruimus.

SERIES ABBATUM.

I. ODO Exoldunenſis abbas anno 947. ſi fides ſit Johanni Mallet Criſpinenſi monacho, qui fundationem Exoldunenſis monaſterii in ſuo cœnobio reperiri aſſeverat.

II. Dahoc innoteſcit ex dono Rogerii patris Emenonis domini Exoldunenſis.

III. Hiterius tranſigit cum Emenone præfato, de prato in vicaria Cirſiacenſe in villa Arterico. Actum Exolduni publice; *Dat. menſe Febr. anno XXVIII. regnante Hlothario.* Occurrit rurſus biennio poſt in litteris ejuſdem Emenonis & Fulconis ejus filii, qui *principatum Auxelioduni* * *caſtri* tenebant. His autem litteris conſuetudines omnes burgi S. Martini conceduntur cœnobio S. Mariæ, rogatu Heterii abbatis. Vide inſtrumenta noſtra & Mabill. ad an. 984. n. 55. Ejuſdem meminit necrologium ad XIII. cal. Junii. * Iſſoudun. C. LIV. col. 46.

IV. Mocius, *melius* Doacius vel Dajocus, circa an. 1000. tranſtulit corpora SS. Paterni, Patricii & Gildaſii abbatis & S. Brigidæ virginis; idemque primus abbas exſtitit S. Gildaſii, ut legitur in libro obituum ejuſdem monaſterii.

V. Aimo archiepiſcopus ſubſcripſit an. 1034. fundationi S. Satyri referendæ ſuo loco. Vivebat tempore Odonis Dolenſis & Exoldun. domini, filii Emenonis, & Gauſlini Bituric. archiepiſcopi.

VI. Radulfus temporibus Henrici Francorum regis, ait noſter D. Cl. Eſtiennot.

VII. Literius abbas Exoldunenſis & archidiaconus Sedis metropolitanæ anno 1066. reperitur in charta Prulliacenſis monaſterii, diœceſis Turon. Anno MLXXXI. habitum eſt concilium Exoldunenſe; de quo vide Spicil. tom. VI. pag. 17.

VIII. Giraudus teſtis memoratur an. 1088. in litteris

litteris Richardi Bituric. archiepiſc. prædia quædam monaſterio S. Dionyſii in Francia reſtituentis. Ipſe eſt cui Leodegarius archiepiſcopus, præſente Girardo Engoliſmenſi epiſcopo, concedit eccleſiam Campaniſiæ anno 1105. quem etiam Radulfus Exoldunenſis dominus rogat ut beneficiorum intuitu monachum unum recipiat.

IX. Littericus, vel Letericius jam an. 1117. v. cal. Aprilis abbas erat, ex charta Leodegarii Bitur. archiep. Donatur anno ſeq. eccleſia de Lizeriaco ab Evrardo decano, totoque S. Stephani capitulo, approbante eodem archipræſule; quo etiam anno interfuit reconciliationi monaſterii Caſalis-Bened. factæ ab eodem Leodegario, ex chronico Caſalis-Bened. Memoratur in charta eccleſiæ collegiatæ S. Cyrici Exoldun. anno Incarnationis Dom. M. C. XXII. indict. XIV. pontificatus Calliſti papæ anno III. regnante Ludovico rege. Subſcripſit anno 1134. litteris Radulfi domini Exolduni, quibus Caſalino cœnobio ceſſit medietatem ſalis quod annuatim percipiebat; ex ejuſdem tabulario. Anno 1135. caſtrum Iſſoldunenſe cum abbatia incenſum, ex chronico Virzionenſi bibliothecæ Labbæanæ tomo 2. p. 737. Littericus præerat adhuc annis 1137. & 1138. quo anno, regnante rege Ludovico, Ludovici regis filio, regni ſui anno primo, in conventione quadam cum Viventio Iſembardi ſe ſe abbatem B. M. Exoldun. & S. Dionyſii indignum miniſtrum nuncupat.

X. Giraldus occurrit in chartis duabus ſancti Cyrici Exoldun. prima, pontificatus Eugenii III. an. VIII. hoc eſt Chriſti 1152. altera, pontificatus Adriani papæ IV. an. 1. hoc eſt 1154.

XI. Petrus I. de Turron, *al.* de S. Denis, tempore Radulphi Exoldunenſis domini, & quidem an. 1158. quo pacem fecit cum Pagano Curtet, menſe Septembri, per manus ejuſdem Radulfi.

XII. Radulfus ſucceſſor Petri innoteſcit ex charta an. 1164. quo domini Exoldunenſes Radulfus, ejuſque filius Odo, molendina quædam cœnobio conceſſerunt. Litteris ſubſcribunt Walterius abbas Maſciaci & Girardus de Miſerayo. Mortuus eſt Radulfus V. nonas Martii, ex necrologio.

XIII. Geraldus Folius (la Fuille *) an. 1185. collegium canonicorum inſtituit, cujus decanum voluit eſſe abbatem Exoldunenſem. Hujus porro inſtitutionis chartam quia non parum gloriæ Girardo confert, integram inter inſtrumenta retulimus. Anno ſequenti tranſtulit reliquias S. Paterni ex veteri capſa, IV. idus Martii, anno 3. pontificatus Henrici de Soliaco. Eodem anno, qui tamen quartus dicitur epiſcopatus Henrici (ſcilicet inceptus) idem archiepiſcopus laudavit Giraudo abbati donationem factam ab Odone Exoldunenſi domino, de conſilio matris ipſius Mathildis, coram Boſone Maſciacenſi, Willelmo Virzionenſi & Simone de Pratea abbatibus, in compenſationem videlicet domorum quas ad muniendum caſtrum ſuum diruerat. Idem abbas hoc ipſo anno privilegium accepit ab Urbano papa III. Jacet in eccleſia S. Dionyſii ſub turri ubi tumulum habet elatum.

* *al.* La Fuitte.

C. LVIII. col. 48.

Vide annales Mabill. ad an. 984. n. 55.

XIV. Archimbaldus anno 1186. regere cœpit, quo idem Odo Exolduni dominus ei conceſſit panes quinque in caſtello Exoldunenſi quotidie percipiendos. Obitus ejus in necrologio aſſignatur nonis Febr. & in Virſionenſi XII. cal. Febr.

XV. Aymo temporibus Willelmi Bituric. archiepiſcopi, ex noſtro D. Eſtiennot.

XVI. Arnulfus reperitur anno 1200. in charta Oliveti. Anno 1201. terram ſuam quæ *Gonerellus* dicitur, *adcenſat* Simoni abbati de Pratea. Idem an. 1208. componit litem inter Henricum S. Auſtregiſili Bituric. decanum, & Arnulfum de Mornayo militem. Præerat adhuc annis 1209. 1210. 1211. & 1212.

XVII. Stephanus I. occurrit an. 1214. 1216. in charta Oliveti, & 1218. quo fecit concordiam cum hominibus burgi S. Paterni, quibus libertatem & *franchiſiam* certis conceſſit conditionibus. Jacet in clauſtro, cujus exſtat adhuc tumulus lapideus, cum epitaphio pene oblitterato.

XVIII. Radulphus II. an. 1236. menſe Martio venditionem quandam abbatiſſæ de Bello-viſu factam a priore de S. Thoreta laudavit; ex chartario mon. de Bello-viſu.

XIX. Johannes paciſcitur an. 1242. menſe Aug. cum Andrea abbate de Pratea pro pratis juxta Arnonem fluvium. Anno ſequenti 1243. III. nonas Julii S. Paterni reliquias reſeravit, cum licentia Philippi archiepiſcopi Bituric. Inſcribitur necrologio nonis Novembris.

XX. Petrus II. Turrini an. 1252. menſe Octobri tranſigit cum Guidone abbate de Pratea pro decima S. Auſtregiſili, & rurſus anno ſequenti. Ejus depoſitio in necrologio notatur IV. idus Aprilis.

XXI. Dionyſius obiit die 4. Febr. an. 1278. ex necrologio, ubi dicitur multa bona feciſſe eccleſiæ Exold.

XXII. Petrus III. cujus nomen occurrit in tabulis Exoldun. & Prateenſibus, an. 1279. 1280. & 1289. Obiit anno 1290. die 23. Januarii.

XXIII. Petrus IV. cognominatus Turrin a D. Cl. Eſtiennot 1294. Idem fortaſſe qui an. 1307. die Lunæ poſt Purificationem B. M. obiiſſe dicitur, abdicato ſcilicet regimine; nam

XXIV. Stephanus II. occurrit abbas an. 1298. in charta S. Cyrici & 1299.

XXV. Petrus V. Prevoſt ab an. 1308. ad 1340. quo inſcribitur necrol. 2. * nonas Sept. Teſtamentum vero prius condiderat quod Fulcaudus Bituric. archiepiſcopus confirmavit die 12. Octob. an. 1339.

* *al.* 3.

XXVI. Gauffridus de Milleſent fato functus anno 1352. jacet ante altare S. Brigittæ, ubi habet epitaphium ex quo hunc ipſius obitus annum didicimus.

XXVII. Guillelmus de Cella præerat anno 1363. ex charta prioratus de S. Thoreta; obiit eodem anno die 3. Martii.

XXVIII. Petrus VI. 1364.

XXIX. Hugo de Landa reperitur abbas variis in inſtrumentis ab an. 1369. ad 1400. Tametſi Petrum etiam abbatem reperio an. 1385. An iſte ceſſerat in gratiam Hugonis, & poſt

abdicatam dignitatem abbatis titulum retinuit? Ceterum Hugo an. 1395. die 3. Novembris tranſigit cum Jacobo abbate de Pratea, pro loco de la Villate. Teſtes ſunt Bernardus abbas de Nerlaco, Johan. abbas de Oliveto. Permutatio vero hæc approbatur a Jacobo abbate Ciſtercienſi.

XXX. Gatianus Tabou præerat an. 1401. Ejus nomen occurrit an. 1404. in tabulis Caſalis-Bened. in arcula inſcripta *S. Paterne, Iſſoudun.* Recenſetur etiam inter illos qui ad concilium Piſanum an. 1409. miſerunt procuratores cum plena poteſtate; ex actis ejuſdem concilii tom. VI. Spicil. pag. 367.

XXXI. Stephanus III. abbas Exold. ſimulque decanus eccleſiæ ſecularis & collegiatæ ſancti Dionyſii prope Exoldunum, memoratur an. 1409. die 18. Maii.

XXXII. Ludovicus I. Maſtires * præerat jam anno 1412. Varia autem beneficia conferre legitur annis 1413. 1414. 1415. & 1418.

* *al.* Martinet.

XXXIII. Jacobus I. de Caſtra (de la Chaſtre) filius Johannis de Caſtra equitis de Bruillebault ex Belaſſez de Magnac domina de Fourminiere, infirmarius erat & prior S. Blaſii prope Linerias, antequam ad ipſam abbatiam promoveretur. Præfuit autem ab an. 1419. ad 1461. quo vita functus x. cal. Septemb. * ex necrol. ubi plura bona monaſterio feciſſe dicitur; ſepelitur ad ingreſſum chori, ante imaginem Crucifixi.

* *al.* Junii.

XXXIV. Stephanus IV. d'Yebles ex priore curato S. Germani de Cella prope Linerias a monaſterio S. Martini de Maſſayo dependentis, necnon priore de Gii Pontelevio ſubjecti, electus eſt in abbatem Exoldun. an. 1461. die Lunæ 19. Octob. & a Johanne Cœur Bituricenſi archiepiſcopo confirmatus & benedictus. Mox ad reſtauranda regularia ædificia maximeque baſilicam ſe accingit. Anno 1479. die 26. Martii Dominica Palmarum baptizavit in eccleſia S. Cyrici Carolam filiam Frederici Arragonii principis Tarentini ac domini Exoldunenſis, & Annæ a Sabaudia. Regebat adhuc an. 1481. Poſtea reſignavit in gratiam ſequentis: obiitque anno 1494. nonis Octob. ſepultus ante altare B. Mariæ de Compaſſione, quod fecerat.

XXXV. Jacobus II. de Chaſteau-neuf e nobili ſtemmate ortus, licentiatus in utroque jure, Sedis apoſtolicæ protonotarius, abbas commendatarius per ceſſionem Stephani, & decanus de Varia. Ab anno 1482. ad 1494. occurrit variis in inſtrumentis. Sepultus jacet ante altare B. Mariæ de Compaſſione prope Stephanum d'Yebles. Ejus obitus die 13. Maii annotatur.

XXXVI. Johannes II. Baſchet abbas Exold. Virzionenſis & Oliveti, memoratur annis 1499. & 1502. poſtea reſignavit.

XXXVII. Ludovicus II. Ajaſſon reperitur abbas Exold. an. 1505. quam abbatiam deinde permutavit pro Miciacenſi S. Maximini cum Renato de Prie cardinali; obiit vero 17. * Julii anni 1515. * ex libro obituum, ubi dicitur Ludovicus Maſſon.

* *al.* 16.

* *al.* 1516.

XXXVIII. Renatus I. de Prie cardinalis, abbas ſimul B. Mariæ Dolenſis & Prateæ; ubi ſepelitur mortuus die 17. Julii anni 1516. * In alio indice Renatus de Prie præmittitur Ludovico.

* *Du Fourny.*

XXXIX. Mathurinus de Chauvigny ex nobiliſſima familia de Calviniaco, præfuit ab anno 1516. * uſque ad 1531. quo vivis exceſſit die 18. Julii, ſepultus ante altare S. Trinitatis.

* *Ex chronico Dolenſi*

XL. Jacobus III. Collin 1532. & 1534. abbas ſimul ſancti Ambroſii Bituric. & de Oliveto, ad an. 1539.

XLI. Franciſcus I. du Bourg epiſcopus Rivenſis & abbas S. Evurtii Aurelianenſis an. 1541.

XLII. Franciſcus II. de Vicomercato conſiliarius & regius medicus an. 1546.

XLIII. Sebaſtianus de Luxembourg reperitur abbas commend. an. 1547. omiſſus in quadam ſerie, ubi ejus anteceſſor præfuiſſe dicitur ad annum 1556.

XLIV. Renatus II. Charlet, Stephani in curia ſubſidiorum præſidis filius, præfuit anno 1556.

XLV. Godefridus Charlet per ceſſionem fratris factus eſt abbas an. 1568.

XLVI. Franciſcus III. de Combaret nobili loco natus, reperitur abbas an. 1574. Fuit etiam abbas Virzionenſis, qui obiiſſe dicitur an. 1579.

XLVII. Petrus VII. de Jodoine an. 1579. & 1580. menſe Martio; cujus etiam anni paucis menſibus præfuiſſe legitur in quadam ſerie Petrus de Riant, forte idem duplici cognomine donatus.

XLVIII. Gilbertus * de Tournebulle anno 1580. abbas Exoldun. & B. Mariæ de Arciſſus in Pertico exſtitiſſe dicitur. Poſt cujus obitum an. 1595. ſchedula regia tres deſignantur, ſcilicet domini de Reſures *, Montigny, & de la Chac *, qui de perſona idonea abbatiæ providerent; hi vero in dominum de Blancafort anno 1598. oculos direxere.

* *al.* Robertus.

* De Veſures.
* De Lajac.

XLIX. Jacobus * IV. Bertheau procurante domino de Blancafort factus abbas Exoldun. ceſſit in gratiam nepotis ſui, qui ſequitur.

* *al.* Petrus.

L. Renatus III. du Pont dominus de Laudré de Villours.

LI. Jacobus V. Ferron prior clauſtralis S. Petri Carnotenſis ab anno 1600. ad 1619. ſed nomine tenus, cum ſcilicet interim Renatus du Pont abbatiæ reditibus gauderet. Ceſſit an. 1619. in gratiam ſequentis; vixit vero ad annum uſque 1640. quo obiit in ſenectute bona octogenario duobus annis major, die 14. Januarii.

LII. Jacobus VI. Touchet ultimus abbas regularis ex reſignatione Jacobi Ferron, annuentibus rege & papa, poſſeſſionem adeptus eſt an. 1620. De quo hæc in clauſtro Exoldunenſi leguntur: *Reverendus pater Jacobus Touchet abbas hujus monaſterii B. M. Exoldunenſis, adeoque decanus eccleſiæ ſæcularis & collegiatæ S. Dionyſii juxta idem Exoldunum, poſt Rupellæ obſidionem 1628. peſtes 1629. & annonæ caritatem 1630. memor beneficiorum Dei, has ædes erigi, clauſtrumque partim conſtrui, partim reſtaurari fecit annis 1631. 1632. 1633. 1634.* Obiit an. 1674. die 10. * Octobris annos natus 79. ſepultus ad altare beatæ Mariæ de Compaſſione.

* *al.* 19.

LIII. Petrus VIII. Bellet abbas commendatarius qui bullas obtinere nequivit.

LIV. Jacobus VII. du Sauſſay abb. Exold. nominatur abbas Aquæ-Bellæ ſeu Vallæ-Honeſtæ in diœc. Tricaſtin. 1697. Vide tom. 1. pag. 739.

LV. Renatus IV. Joſephus Belet abbatia potiebatur 1708. ſed nullis obtentis bullis.

Præter hos abbates leguntur in obituario Daniel mortuus 24. Maii & Gaubertus, menſe Januario. Ignoramus quem locum obtinere debeant.

LVI. Guillelmus du Puy abbas Exoldunenſis frater Johannis abbatis Burgidolenſis, qui avum habuere Johannem dominum du Coudray-monin mortuum an. 1513. cujus fit mentio in hiſt. genealogica P. Anſelmi recenſita a dom. du Fourny.

CASALIS-BENEDICTI ABBATIA.

CASALE-BENEDICTUM, olim Caſale-Malanum, cœnobium eſt ord. ſancti Benedicti octo leucis ab urbe diſtans metropolitana, S. Petro dicatum VII. idus Martias an. 1093. indictione prima, tempore Aldeberti Biturigum archiepiſc. ac perſecutionis Henrici [a] tyranni, ut habet vetus chartularium. Hujus loci primus auctor & abbas fuit Andreas de Umbroſa-valle in Etruria, litterarum cognitione pleniter inſtructus, & lucrandis animabus maxime idoneus, apud Ordericum lib. 8. Qui primum accerſitus a Gaufrido comite Cabilonenſi, domino caſtri S. Aniani, fundavit ejus munificentia *Silviniacum*, ſic dictum a nemore opaco, ad fines diœceſeon Aurelianenſis & Carnotenſis, anno circiter 1087. ditatum poſtea donis Stephani comitis Bleſenſis. Nomen autem Corneliaci datum poſtmodum Silviniaco, propter huc adſportatas S. Corneſii reliquias, aiunt, vulgo *Cornilly*, prope Pontilevienſe monaſterium. Nunc eſt cella a Caſali-Benedicto pendens. Hoc autem cœnobium in angulo Silværegiæ, vulgo dictæ *de Chevre*, inceptum ſcribit anno 1088. [b] chronicon Malleacenſe. Hujus præcipui fundatores ſeu benefactores fuerunt canonici S. Cyrici Iſſuldunenſis, Odo cognomento Erpinus Bituricenſium vicecomes, qui poſtea quidquid habebat in pago Bituricenſi vendidit Philippo regi hujuſce nominis primo, & Gaufridus dominus Exolduni *Iſſoudun*, in cujus territorio ſitum eſt cœnobium. Eccleſiam dedicavit piiſſimus Biturigum antiſtes Leodegarius, & benedixit B. Andream in primum abbatem, anno circiter 1096. Itaque nunc veniendum ad abbatum ſeriem, quorum brevem texendo hiſtoriam, ea ſimul quæ notatu digniora monaſterio contigerunt proſequemur.

[a] *F.* Henrici IV. imperatoris, qui contra ſummos pontifices bellavit & ab ipſis pro tyranno eſt habitus.

[b] Poſteriorem fuiſſe originem Caſalis-Bened. docet Robertus de monte ſcriptor pene ſynchronus; nam c. 3. de immutatione ord. monach. ait: *Exacto aliquo tempore, exinde ex quo Ciſtercienſis ordo inceptus* (quem inchoatum an. 1098. ſcribit) *Andreas genere Italus de Valle Brutiorum, monachus effloruit, & in Bituricenſi pago monaſterium quod Caſale-Bened. nuncupatur, conſtruxit.*

SERIES ABBATUM.

I. BEATUS ANDREAS I. Orderico dictus *de Valle Brutiorum monachus*, natione Florentinus, ſub S. Johannis Gualberti Vallis-umbroſæ fundatoris diſciplina primum inſtitutus, unde cognominatus *de Valle-umbroſa*, multorum deinde aliorum cœnobiorum aut cellarum pater effectus eſt, de quo legenda epiſtola quam ejus diſcipuli poſt ipſius mortem ſcripſerunt, inſerta tomo 2. Dacheriani Spicilegii. Hic jam, ut diximus, Corneliacenſis prior apud Silviniacum, ubi favente Gaufrido comite cellam erexerat, ad novi cœnobii, ipſiuſmet de quo nunc agitur, fundationem invitatur ab Herpino, qui tunc audiebat Biturigum princeps. Locus itaque delectus eſt in ditione Gaufridi Iſſoldunenſis domini, qui Caſale-Malanum dicebatur. Annuerunt canonici ſancti Cyrici Iſſoldunenſis in præſentia venerabilis Aldeberti Bituricenſis archiepiſcopi, ut frater Andreas, tunc temporis tantum monachus, cum fratribus ſuis haberet poteſtatem ibidem ædificandi eccleſiam cum cœmeterio, certis tamen conditionibus. *Actum anno nonageſimo tertio ſupra milleſimum.* Idem porro canonici anno 1104. rogatu Leodegarii archiepiſcopi Bituricenſis, & Gaufridi Iſſoldunenſis, atque Aimonis de Carofio, &c. permiſerunt Andreæ tunc abbati ut burgum quod infra ſtatutos terminos ædificaverant, liberum poſſiderent, ſeu omnes qui infra eoſdem terminos habitaverint, ab omni debito quod in parochia requiritur, excepto baptiſterio; ita tamen quod parochiani ſui ibi ad habitandum non reciperentur, & pro hac conceſſione cenſum quinque ſolidorum redderent unoquoque anno in feſto S. Cyrici. Anno 1108. idem archipræſul conceſſit Floriacenſibus eccleſiam de Corcoé, hac lege ut ipſi cederent capellam de Tauvigniaco Andreæ abbati eccleſiæ S. Petri de Caſali, ex tab. Floriac. Mira præſertim eluxit in eo miſericordia erga egenos & in propriam carnem ſævitia; qui ad meliorem vitam evolavit XII. * cal. Febr. anno ab Incarn. Domini 1112. * indict. V. *p. 518.* * *al.* IX. * *al.* 1113.

II. Gerardus mortuo B. Andreæ ſubrogatur. Præerat jam anno ſaltem 1117. quo pepigit cum priore S. Dionyſii de Ruilliaco. An. 1119. Gaufridus Carnotenſis epiſcopus dedit huic cœnobio eccleſiam S. Germani de Villa-Emblonis, ex chartul. Caſal. Bened. Notatur in necrol. ad diem Junii 15.

III. Iſembertus, cui idem epiſcopus dedit decimam parochiæ Villæ-Emblonis, ex chartul. Caſal. Bened.

IV. Rodulfus ſeu Radulfus, de quo in Macharii abbate Floriacenſi tempore Eugenii III. ab hoc ſummo pontifice bonorum monaſterii ſui confirmationem obtinuit 2. calend. Martii anni 1145. ac deinde an. 1151. a Petro Bituricenſi archiepiſcopo.

V. Guillelmus I. ſepultus in tumulo prope januam clauſtri, cum hoc brevi ac ſimplici epitaphio: *Willelmus abb. V.*

VI. Arnulfus I. de S. Lupo, notatus in catalogo MS. an. 1168.

VII. Arnulfus II. de S. Benedicto ibidem an. 1170.

VIII. Rainaldus Gremius 1171. quo optimum palefridum 20. ſolidorum dedit Johanni a Lineriis coram teſtibus.

IX. Garnerius de Lineriis 1185. de quo fit mentio in tranſactione cum abbate S. Launomari Bleſenſis pro Corneliano *, obiit 16. Martii.

* Cornilly prioratu prope Pontemleviam.

X. Petrus I. Lemovix 1191. die 20. Maii, ex catalogo MS. & in necrologio.

XI. Humbaldus de Caſtellulo 1195. anno 1200. compoſuit cum S. abbate de Pratea, ex charta. Forte eſt Imbertus. Et quidem Himbertus occurrit abbas ad an. 1195. in tabul. Caſalis-Bened.

XII. Thomas I. de Caritate 1201.

XIII. Johannes I. abbas Caſalis-Bened. legitur an. 1210. in tabul. Bitur. archiepiſc.

XIV. Stephanus I. de Condeto 1213. nonis Januarii ſepultus eſt; cujus an. 1711. dum paratur tumulus D. Antonii de Varennes unius ex noſtris defuncti, repertus eſt ingens lapis ſepulcralis cum hoc ſimplici epitaphio litteris uncialibus exarato: *Hic jacet donnus* Stephanus abbas XIII. hujus eccleſiæ. In catalogo veteri numeratur decimus quartus; in noſtro eſt 15. Fortaſſe epitaphium omiſit ex duobus Arnulfis ſuperius memoratis unum aut alterum, catalogus vero utrumque. Ceterum inter Johannem & Stephanum contentio fuit de abbatia; jam enim anno 1209. occurrit Stephanus in tabul. Exoldun.

XV. Hugo 1229. is fecit ſtagnum de Coutant. Obiit v. idus Septemb.

XVI. Rogerius an. 1241. ex inſtrumento confecto ipſum inter & Philippum archiepiſcopum Bituric. & an. 1245. ex ceſſione facta Petro Gratiacenſi domino

* al. IV.

XVII. Joſerlinus 1254. XIV. * cal. Febr. in necrologio.

XVIII. Stephanus II. 1255.

XIX. Thomas II. 1262.

XX. Reginaldus de Quarta 1263. Reginaldi obitus notatur in necrologio idibus Auguſti.

XXI. Petrus II. 1269.

XXII. Guillelmus II. 1271.

XXIII. Rainaudus I. de Meſſa 1274. Occurrit anno ſequenti Reginaldus in charta B. Mariæ de Pratea.

XXIV. Benedictus.

XXV. Johannes II. an. 1284. quo tempore Simon archiepiſcopus Bituricenſis viſitavit cœnobium Caſalenſe. Die 20. Martii, *& prior ejuſdem loci & capitulum per ſuas litteras ſigillo conventus ſigillatas dederunt* poteſtatem plenariam providendi ipſi monaſterio de abbate, quandocunque ipſum monaſterium per reſignationem fr. Johannis tunc abbatis contigerit vacare. Is eſt forte Johannes de Melle notatus an. 1286. qui nonnulla commutavit cum Fulketo Thibous milite, & multa bona acquiſivit. De ipſo necrologium ad diem 8. Octobris.

Annal. Mabill. tom. 2. pag. 614.

XXVI. Johannes III. de Brulon prioratum ſeu dominium de Albiniaco obtinet.

XXVII. Rainaudus II. de Meſſa, *al.* Reginaldus, obiit an. 1318. juxta D. Mich. Germain.

XXVIII. Johannes IV. Pilours * abbas de monaſterio optime meritus. Anno 1323. tranſigit cum Simone abbate de Pratea, & Johanna d'Artenay domina de la Croiſette, ſuper paſcuis animalium. Attigit an. 1329.

* al. Pylon vel Piloux.

XXIX. Guillelmus III. Flandrin defunctus anno 1344. jacet in choro a parte Evangelii, in medio fornicis, ut patet ex tumulo; cujus meminit necrologium idibus Februarii.

XXX. Guillelmus IV. de Cambonio 1347.

XXXI. Petrus III. de Launay 1372. & 1386.

XXXII. Guillelmus V. Auvignon * 1394. & 1398. idem procul dubio qui recenſetur in actis concilii Piſani an. 1409. inter abbates, quorum procuratores cum plena poteſtate ad hoc concilium convenerunt.

* al. Amignon.

XXXIII. Jacobus I. Laterie 1430. nonnulla commutat cum Jacobo de Landa milite an. 1439.

XXXIV. Philibertus la Verne 1470. Periſtylium & ſedilia chori de novo conſtruxit, multaque alia reparavit ædificia. Sequenti dignitatem ſuam reſignavit an. 1479.

XXXV. Petrus IV. de Maſo ex primo priore abbatiæ de Caſtro fit abbas Caſalis-Bened. brevi apoſtolico Sixti IV. dato XV. cal. Septemb. an. 1479. ſtatimque reſtituit ædificia cœnobii Anglico bello labefactata, juvante imprimis fratre domino de Liſle qui Carolo VIII. regi Francorum carus erat. Sed de reſtauranda regulari diſciplina magis ſollicitus pius pater, accerſivit Cluniacenſes, a quibus ſuos monachos & ſeipſum regulæ monaſticæ obſervationem edoceri ſtuduit. Mox vero litteras apoſtolicas impetravit ad novæ congregationis reformatæ erectionem, cui tantæ molis operi immoritur Petrus an. 1491. ſepultus in medio chori VIII. cal. Aprilis. De eo dictum eſt quod fuit bonus ſcientia, melior conſcientia, & optimus temperantia. Ejus epitaphium tale eſt:

Hic generoſe jaces, Petre du Mas, quo Benedictum
Patre Caſale novum cœpit habere decus:
Quique reformator tantos novus inter abuſus
Denique prodieris, fama perennis erit.
Nempe ſecunda tibi debetur gloria, teque
Germanum Andreas [a] *rite vocare poteſt.*

a

XXXVI. Martinus Fumée e nobili ſtirpe ortus, per reſignationem Petri du Mas factus abbas, præfuit ab anno 1491. ad 1500. quo pedum dimiſit ut abbates fierent triennales, juxta novæ reformationis legem, quam feliciter ad effectum perduxit, non autem ſolum quoad hocce monaſterium, verum etiam quoad alia plurima; quæ cum viſitare & corrigere Alexander VI. ſummus pontifex permiſiſſet bulla ipſi Martino aliiſque duobus abbatibus anno 1494. directa, ea paulo poſt in congregationem [b] coaluerunt, quæ

b

[a] Alludit ad Andream primum abbatem Caſalenſis monaſterii.

[b] Abbatiæ autem erant S. Sulpitius Bituricenſis, S. Illidius Claromontenſis, S. Vincentius Cenomanenſis, S. Martinus Sagienſis, Brantoſmum, S. Germanus Pariſienſis, S. Iſidorus Molinenſis, S. Laurentius Bituricenſis, S. Maria Nivernenſis, S. Petrus Lugdunenſis, S. Menulphus Bituricenſis, & Carentonium ejuſdem diœceſis, B. M. de Soliaco Caturc diœceſis. *Sammarth.*

Digitized by Google

dicta eſt Caſalina, a Caſali-benedicto, quod aliis monaſteriis in hac reformatione ſuſcipienda præluxit. Jacet Martinus in medio chori in ſuperiori parte juxta presbyterii gradus.

XXXVII. Johannes V. le Roy * primus abbas triennalis [a] anno 1500. 1505.

* *al.* de la Roiſt.

a

XXXVIII. Stephanus III. Pinon * electus eſt abbas in capitulo generali apud S. Sulpitium Bituricenſem an. 1505. iterumque ſervata illi dignitas in ſequenti capitulo generali habito apud S. Illidium an. 1508. quo anno decreta capitulorum confirmata ſunt per delegatos a Georgio de Ambaſia cardinali. Stephanus anno ſequenti miſit domnum Yvonem Moriſſon (qui poſtea fuit abbas) ad ſanctam Juſtinam Paduenſem, ut modum vivendi hujus congregationis addiſceret. Obiit 1541. ſepultus in media navi eccleſiæ.

* *al.* Pinet.

XXXIX. Michael I. du Puy 1514. ſub cujus regimine Caſalina congregatio confirmata fuit a Leone X. an. 1516. apud Chopinum lib. 2. de domanio cap. 3. & a Franciſco I. 1517. edicto in ſenatu promulgato.

XL. Yvo Moriſſon 1520. Obiit an. 1547. in media navi ſepultus, ut patet ex lapide ſepulcrali.

XLI. Johannes VI. Habon 1524.

XLII. Johannes VII. Gombault 1526.

XLIII. Johannes VIII. Chauſſé poſt abdicationem Johannis Gombaut an. 1527. prorogatus in capitulo generali apud ſanctum Illidium an. 1530.

XLIV. Andreas II. le Moulnier renuntiatur abbas die 29. Aprilis anni 1537. in capitulo generali apud S. Illidium.

XLV. Yvo Moriſſon cedente Andrea le Moulnier electus eſt in capitulo generali apud S. Sulpitium an. 1539. Obiit 1546. vel 1547. pridie nonas Maii.

XLVI. Leonardus du Vergier 1542. in capitulo apud S. Sulpitium. Obiit VIII. cal. Januarii 1555.

XLVII. Placidus Leger ibidem electus 1548. ad alterum triennium.

XLVIII. Andreas le Moulnier iterum electus 1554. in cœnobio Illidiano; iterumque an. 1557. in capitulo generali apud S. Germanum Pariſienſem. Anno circiter 1559. fulminata ſeu promulgata fuere privilegia hujuſce congregationis.

XLIX. Johannes VIII. Caigre 1560. * apud S. Vincentium Cenomanenſem.

* *al.* 1561.

L. Andreas le Moulnier in locum præcedentis an. 1561. ſubſtitutus eſt; eodem anno domnus de Crozet miſſus fuit ad concilium Tridentinum nomine congregationis, pro conſervatione privilegiorum ejuſdem.

LI. Ægidius I. Marchant electus an. 1564. in capitulo generali apud S. Germanum, iterumque apud S. Vincentium ad alterum triennium.

LII. Franciſcus d'Amours 1569. in monaſterio S. Martini Sagienſis.

LIII. Michael II. Jondio 1572.

LIV. Ægidius II. Audet obiit an. 1577. XVIII. cal. Octob. ex necrologio.

LV. Sebaſtianus I. Guerrel * electus in monaſterio S. Illidii an. 1578. Anno 1582. accrevit congregatio unione monaſterii S. Columbæ Senonenſis. De Sebaſtiano ſic habet necrologium: *VII. cal. Novembris obiit venerabilis pater Sebaſtianus Guerrel quondam abbas hujus eccleſiæ.* Deceſſit apud Corneliacum an. 1603.

* *al.* Guerret.

LVI. Dionyſius des Vignes nominatur abbas apud S. Vincentium Cenomanenſem an. 1584. qui deceſſit 1586. nonis Octob. ex necrologio.

LVII. Michael Jondio iterum electus apud S. Sulpitium an. 1590.

LVIII. Guillelmus VI. du Puy apud Caſale-Bened. 1593.

LIX. Petrus V. Roger apud S. Illidium 1596.

LX. Sebaſtianus II. Guerret iterum electus apud S. Martinum Sagienſem 1597. ad 1600.

LXI. Jacobus II. Morel 1601. apud S. Illidium.

LXII. Thomas III. Berdraux apud Branthol-mium 1603.

LXIII. Petrus VI. du Peyrat electus 1609. apud S. Vincentium Cenoman. quo anno die 24. Septemb. ſocietatem precum iniit cum RR. PP. Minimis conventus Bomerienſis.

LXIV. Gatianus le Roy 1615. apud Caſale-Bened. Obiit 1627. die 1. Aprilis, jacetque in eccleſiæ navi.

LXV. Antonius Sotereau 1622. Obiit 1628. 15. Febr. ſepulturam nactus in eccleſiæ navi, ubi ejus tumulus videtur.

LXVI. Bernardus Melon 1627. apud S. Sulpitium, omiſſus in quadam ſerie.

LXVII. Ludovicus I. Roüillard 1630.

LXVIII. ..... Gautier 1636.

LXIX. Ludovicus II. Doulay 1639. Tunc vero temporis plurimum defecerat Caſalina congregatio, proprioque veluti pondere fatiſcens, vergebat in interitum, cum ecce renaſcens nova S. Mauri congregatio opportune omnino præſto fuit quæ labentem ſolidaret, ne dicam ſuſcitaret collapſam. Id factum eſt an. 1636. ſaltem quoad aliqua monaſteria, quæ nomen huic congregationi dederunt; ſerius autem Caſale-Benedictum, nec niſi ea lege ut una ex ſex provinciis quibus conſtat S. Mauri congregatio, Caſalis-Benedicti titulum ac nomen gereret, ea nimirum, in qua hæc abbatia contineretur.

Abbates ab unione congregationi S. Mauri.

Domnus Humbertus Jamet electus in capitulo generali 1645.
Michaël Pirou 1651.
Sixtus Mouſnier 1657.
Placidus Hamelin 1660.
Ludovicvs Janet 1666.
Antonius Savy 1669.
Franciſcus de Montclar 1672.
Adeodatus Buiſſon 1675.
Johannes Villatel 1681.
Johannes Blenio 1684.

[a] Abbates Caſalis-Benedicti triennales ad hæc uſque tempora huic catalogo inſerendos duximus, quod in hac abbatia reformationis Ordinis exordium ſumſerit, celebriſque poſtea congregationis exſtiterit caput. De abbatibus triennalibus S. Sulpicii Bitur. S. Illidii Clarom. S. Vincentii Cenom. & S. Martini Sag. loqui ſupersedemus.

Digitized by Google

Gabriël Gerentes 1687.
Gilbertus la Porte 1693.
Maurus Marcland 1696.
Auguſtinus Collet 1702.
Marcellinus Pinel 1705.
Mathurinus Tranchant 1708.
Guido Buiſſon 1711. iniit poſſeſſionem die XI. Julii tranſlationi S. Benedicti ſacra.
Nicolaus Lanne.

FONTIS-GUMBALDI ABBATIA.

FONTIS-GOMBAUDI monaſterium ordinis S. Benedicti ad Croſam amnem, non longe ab Oblinco * oppido, fundatorem agnoſcit Petrum de Stella ſeu de Stellis, Bernardo abbati Tironienſi, Roberto de Arbriſſellis & Vitali Salviniacenſis cœnobii conditori familiarem, qui excavatis in rupe cellulis, nonnullos ibidem eremitas congregavit, & ſacellum in honorem S. Juliani epiſcopi Cenomanenſis, quæ etiam hodie cernitur, ædificavit. Deinde creſcente diſcipulorum numero, ad alteram Croſæ fluminis ripam conſtruxit hoc cœnobium, de quo nunc agitur. Hujus porro inchoationem ſcriptor chronici Malleacenſis refert ad annum 1091. Nobis autem, Mabillonio duce, paulo ſerius differenda videtur, ex vita Bernardi Tironienſis. Hic veritus ne in abbatem S. Savini, poſt Gervaſii abbatis deceſſum, qui non ante annum 1093. contigit, a monachis eligeretur, ad Petrum de Stellis qui non longe a S. Savini monaſterio eremiticam agebat vitam ſe recepit, dein eodem Petro duce, ad Robertum de Arbriſſello, Vitalem de Mauritania, & Radulphum de Fuſteia, qui in confinio Cenomanniæ & Britanniæ regionis ſolitarie vivebant. Quæ omnia contigere, antequam Petrus de Stella monaſterium Fontis-Gombaudi exſtrueret, ut in eadem Bernardi vita diſerte legitur. Jam vero cum iſtud per Calviniſtas deſtructum ſit monaſterium, & chartæ per fiduciarios & larvatos abbates diſſipatæ, mirum videri non debet, ſi paucos tantum quos expiſcari licuit, hic ſubjiciamus abbates.

* Le Blanc en Berry.

Beſly pag. 443.

SERIES ABBATUM.

I. PETRUS DE STELLA primus abbas Fontis-Gombaudi *obiit morbo aupeta, id eſt igne inextinguibili ſive ſe conſumente*, an. 1114. ex chronico Malleacenſi. Sepultus eſt in capitulo, ubi hoc habet epitaphium :

*Petrus eram dictus, * non ſum ſine nomine pulvis.*
Si miſer a.... edo de pulvere credo reſurgam.
Dic homo qui tranſis, Deus ut mihi propitietur.
Nunc quod es ipſe fui, quod ſum modo, tu quoque fies.

* *f.* nunc.

II. Guillelmus I. ſucceſſit, teſte eodem chronico, & poſt eum

III. Airaudus, qui de conſenſu capituli ſui ceſſit monialibus Longi-fontis ord. Fontebrald. terram Bruilliarum, coram Iſembardo & Fulcherio abbatibus Prulliaci. Exſtant litteræ ceſſionis hujus in probationibus vitæ B. Roberti de Arbriſſellis, auctore Pavillon. Nonnulla etiam donavit Iſembardo præfato abbati Prulliaci, poſtea patri religioſorum fratrum eremitice viventium. *Ibid.*

IV. Herbertus an. 1285. ſocietatem iniit cum abbate & monachis de Villa-lupæ.

V. Jocelinus 1370.

VI. Stephanus 1389.

VII. Guillelmus II. an. 1409. miſit procuratorem ad concilium Piſis congregatum, ut ex actis ejuſdem diſcimus tom. VI. Spicil. pag. 367.

VIII. Ludovicus 1439.

IX. Leo Caſtanæus Rupipozæus, præpoſitus Carrofenſis, abbas quoque S. Hilarii Carcaſſonenſis & Nantolii in valle, defunctus 1537. ex Sammarthanis.

X. Antonius I. de Chamroppin 1539.

XI. Guillelmus III. Bochetel 1553. & 1555.

XII. Johannes I. de Morvillier 1569. forte idem cum Johanne epiſcopo Aurelianenſi qui ſponte ceſſit in gratiam ſequentis.

XIII Philibertus Jourderii bullas obtinet a Gregorio papa XIII. anno 1572.

XIV. Matthæus Tremblai 1574.

XV. Theodorus Bigeart clericus, qui nuptiis poſtea contractis abdicauit.

XVI. Johannes II. Briet ſucceſſit, poſtquam abbatiæ reditibus potiti ſunt Antonius & Ludovicus d'Allogni de Rochefort pater & filius, ſub fiduciario abbate.

XVII. Andreas Pellant, donec Ludovico per archiepiſcopum Bituricenſem excommunicato, abbatia tandem ceſſit ſequenti.

XVIII. Anſelmus de mornai ex aſceta ordinis S. Auguſtini fit abbas regularis, ea conditione ut monachos diſperſos ad vitam communem revocaret. Poſſeſſionem iniit an. 1657. præeratque adhuc anno 1674.

XIX. Antonius II. d'Allogni de Rochefort filius Ludovici marchionis de Rochefort & frater Henrici Ludovici Franciæ mareſcalli 1676. & 1681. Obiit an. 1687.

XX. Johannes III. Franciſcus Chamillard, poſtea epiſcopus Silvanectenſis ac primus ſereniſſimæ Delphinæ eleemoſynarius, ab an. 1687. N. Tiraqueau ſucceſſit nominatus a Rege 19. Maii 1714.

MILLEBECCENSIS ABBATIA.

MILLEBECCUS * ſeu Millebeccum in ſilva Brionenſi * ordinis ſancti Benedicti fundatur a Flaucado * majori domus Theodorici * regis Burgundiæ, & a S. Sigiranno, qui primus illi præfuit ut teſtatur anonymus in ejus vita edita ſeculo 2. Bened. pag. 432. & ſeq. Unita fuit an. 1674. menſa hujus monaſterii tam abbatialis quam conventualis, Kebecenſi eccleſiæ in America; eccleſia vero in parochialem evaſit.

Poſt S. Sigirannum primus abbas fuit S. Leodaldus * (S. Loyau.)

Regembaldus memoratur in concilio Lemovicenſi, an. 1031. ubi ventilata quæſtio de apoſtolatu S. Martialis; laudatur, inquam, pater monaſterii Millebecoenſis, qui *ante plures annos* pro S. Martialis apoſtolatu ſententiam dixerat.

* Meaubec *vel* Meobec.
* de Braines.
* *al.* Fulcaudo.
* *al.* Clodovæi.
* *al.* Licodaldus.

tom 2. bibloth. Labb.

Gumbertus anno 1074. arbitri munere fungitur inter abbates ſancti Sergii & ſancti Albini Andegavenſes.

Walterius an. 1088. teſtis memoratur in litteris Richardi archiepiſcopi Bitur. prædia nonnulla monaſterio S. Dionyſii reſtituentis.

Petrus circa an. 1112. querelam cedit quam habebat cum ſanctimonialibus Urſanii pro decima de Broliis. Vide probationes vitæ B. Roberti d'Arbriſſel fol. 559.

Leodegarius in charta Adalardi cujuſdam, an. 1114. ind. VII. regnante Ludovico.

Stephanus in litteris Petri Eſchaudet pro Urſanio an. circiter 1120. quæ exſtant chartularii Urſan. fol. 17.

P. memoratur an. 1183. in chartul. ſancti Stephani Bitur.

Johannes d'Azay an. 1429. tranſigit cum Petro le Frere abbate Landeſii.

Philibertus de Maraſin e nobili familia prope Caritatem ortus, prior S. Marcelli Cabilonenſis, abbas Millebecci eligitur prior Caritatis an. 1470. Obiit 1486.

Antonius de Champropin abbas etiam ſancti Cypriani, ubi vide. Obiit 1539.

Vide Thaumaſium de la Thaumaſiere pag. 84.

Antonius Fradet ſenator Pariſienſis, cantor & canonicus Bitur. abbas erat an. 1601. & 1618. abbas etiam Pleni-pedis, ubi vide.

Du Fouay.

Johannes de Gaucourt filius Ludovici de Gaucourt equitis ordinis S. Michaëlis, ac ducis Alenconii cubicularii, ex Johanna d'Eſcoubleau filia Johannis domini de Sourdis, abbas fuit Millebeccenſis, ſed quo anno ignoratur.

* *al.* de Saintot.

N. de Sainctou * abbas 1650. & quidem ultimus; abbatia, ut prænotavimus unita eccleſiæ Kebecenſi anno 1674. Quidni vero hac data occaſione tam opportuna eccleſiæ hujus tum erectionem tum eos qui ipſi præfuerunt epiſcopi liceat, breviter commemorare?

ECCLESIA KEBECENSIS.

KEBECUM urbs caput eſt, ſeu primaria novæ-Franciæ in Inſulis Occidentalibus civitas, quæ anno 1674. epiſcopali ſede decorata eſt a Clemente papa X. dotata maxime reditibus abbatiarum Millebecci & Stratæ. Certe vero epiſcopus quotannis habet decem & octo millia librarum, eaque ſingulari prærogativa gaudet ut canonicus S. Martini Turonenſis *ad honorem*, ut vulgo dicitur, habeatur.

Franciſcus de Laval de Montmorency, non vero *de Montigny*, ut quidam aiunt, ex epiſcopo Petreæ in partibus infidelium, primus a Rege deſignatus an. 1675. *al.* 1672. eccleſiæ Kebecenſis thronum epiſcopalem conſcendit, quem dimiſit an. 1685. erecto interea capitulo eccleſiæ cathedralis, ac fundato ſeminario. Obiit autem Kebeci die 6. Martii anni 1708. non ſine fama ſanctitatis, ſex annis octogenario major.

Johannes Bapt. de la Croix de Chevrieres doctor in theologia facultatis Pariſ. ceſſione ſuperioris admiſſa nominatur ad hanc ſedem menſe Aprili an. 1685. ſacram unctionem accepit in eccleſia S. Sulpitii Pariſienſis die 25. Januarii an. 1688. Regi ab eleemoſynis antea fuerat, abbas Gimundi, & eques Melitenſis.

R. pater de Mornay Regi ſacramentum præſtitit pro epiſcopatu de Quebec cujus eſt coadjutor, 19. Maii in vigilia Pentecoſtes an. 1714. intra miſſarum ſolemnia.

ABBATIA PODII-FERRANDI.

PODIUM-FERRANDI * ordinis S. Benedicti, alias ordinis S. Auguſtini, in archipresbyteratu de Caſtra, memoratur in bulla Eugenii III. an. 1145. Quo vero tempore, a quibuſve fundata fuerit hæc abbatia [a], hucuſque incompertum; ſed neque ipſius abbates, niſi hos paucos aſſequi noſtræ diligentiæ potis fuit.

* Puy-Ferrand.

Iſembertus tranſigit an. 1175. cum Johanne de Limieres pro decimis parochiæ S. Martini d'Is.

Hugo 1209. innoteſcit ex tab. Exoldunenſi. Componit videlicet cum Arnulfo abbate Exoldunenſi ſuper eccleſia de Yrs, quæ ipſi ceditur certis conditionibus, ſatagente Hugone archidiacono Bituricenſ. ſequeſtro. Reperitur etiam an. 1212. in Pratea.

Johannes I. an. 1218. cujus exſtant litteræ hoc anno datæ, in quibus explicat quæ Johannes Guarinus miles legavit Prateenſibus apud Boſcum-Dagberti.

Philippus 1311. vide in Pratea.

Johannes II. de S. Julien abbas etiam Prati-Benedicti 1490. 1491. & 1514.

Ibid. pag. 1078.

Gabriël de la Loüe major archidiaconus Bitur. deſignatus abbas anno 1620. per quem anno 1651. die 13. Maii Annas de Levis de Ventadour poſſeſſionem archiepiſcopatus Bituricen. adeptus eſt. Sediſſe vero Gabriël annis quinquaginta dicitur; annoque 1669. reſignaſſe in gratiam ſequentis.

Guillelmus Foucaut decanus eccleſiæ cathedr. Bituric. biennio poſt abdicavit in favorem Claudii Foucaut ſui nepotis.

Claudius Foucaut obiit Pariſiis menſe Julio anni 1675. qui quidem abbatiæ teſtamento ſuo legavit lampadem argenteam & 400. libras in fundo collocandas ad diurna lampadis neceſſaria.

Petrus Gauſſen Pariſinus, cum nondum attigiſſet annum ætatis undecimum a Rege nominatus eſt menſe Auguſto anni 1675. Nunc eſt preſbyter in jure licentiatus. Anno 1699. eccleſiæ navim reparavit; nec multo poſt ædes abbatiales quas incolit cum uno tantum ſacerdote, a fundamentis erexit, in quibus inciſa lapidi marmoreo ſupra porticum hæc inſcriptio legitur:

Hanc domum an. 1569. a ducæ
Des deux Ponts funditus everſam
Ac penitus exuſtam reſtauravit
Ann. 1706. Petrus Gauſſen
Presbyter jurium licentiatus
Abbas hujus loci.

[a] Attamen fundata creditur a baronibus Caſtri-Roduſii. Andreas de Chauvigny dominus de Chaſteauroux & de Chatellet mortuus an. 1356. in abbatia Podii-Ferrandi ſepultus eſt, ubi etiamnum viſitur ejus tumulus prope ſacriſtiam. Conſulenda hiſtoria domûs de la Thaumaſiere.

Digitized by Google

PARTHENON S. LAURENTII.

SANCTI LAURENTII in urbe Bituricenſi monaſterium, ordinis ſancti Benedicti feminarum, conſtruitur a Carolo Magno, petente Davide Bitur. archiep. & Aſclepio Lemov. epiſcopo. Unde in veteri hujus parthenonis martyrologio legitur: *Bituricas depoſitio S. Aſclepii epiſcopi, qui ſuo opere hoc monaſterium conſtruxit.* Davidem etiam Bituricenſem ad hujus cœnobii fundationem plurimum contuliſſe volunt & ibidem ſepultum. Aliunde tamen Aimoïni continuator lib. 5. c. 3. fundationem hanc adſcribit Ludovico pio imperatori qui primam ibi abbatiſſam conſtituerit Eufraſiam. Huic certe domina Superana de Cros abbatiſſa cenotaphium erigi curavit circa an. 1400. cum hac inſcriptione: *Cy giſt Dame ſainte Affroy qui fut fille du roy Charlemagne, & fonda cette abbaye, & fut premiere abbeſſe de ceans. Madame Souveraine a fait faire cette tombe.*

Ceterum cum variis incendiis & caſibus vetera omnia perierint inſtrumenta, nihil certi tam circa fundationem quam abbatiſſas priores uſque ad annum 1143. poſſumus affirmare.

SERIES ABBATISSARUM.

I. EUPHRASIA, mortuo viro Rotgerio comite, prima fuit abbatiſſa hujus monaſterii.

II. Lupa præerat an. 1143. quo paciſcitur cum Ebone de Carentonio fundatore parthenonis de Buxeriis.

III. T. abbatiſſa Petro abbati Boni-Radii dat ad cenſum ea quæ habebat in territorio de Gondegle an. 1152. ex chart. Callovii.

IV. Amelia an. 1186. tranſigit cum Ebone Carentonienſi, quorum pacta rata habuit Henricus Bituric. archiepiſcopus, litteris eodem anno datis. Anno 1197. Callovienſi monaſterio concedit ſex ſolidos cenſuales.

V. Euſtochia aut Euſtaſia an. 1210. reperitur in charta S. Urſini. Præerat adhuc biennio poſt ex tabulis.

VI. Mathildis 1214. in charta S. Urſini.

VII. Almais an. 1224. probat concordata inter prioriſſam Sacri-Cæſaris & capellanum de Veaugié.

VIII. Maria I. de Cluis circa an. 1245. & 1250. Inſcribitur necrologio 4. Febr.

IX. Iſabella I. an. 1254. quandam permutationem facit cum Philippo Bituric. archiepiſcopo. Memoratur adhuc an. 1279.

X. Adelais de Maugeſir * an. 1334. cujus meminit necrologium pridie cal. Septembris.

* *al.* De Maugizayi.

XI. Iſabella II. d'Arenges mortua IV. calend. Maii.

XII. Margarita de Chennevieres præerat 1357. obiit XVII. cal. Octob.

XIII. Superana de Cros notatur an. 1392. & 1413. ſepulta prope clathros ferreos chori ad latus Evangelii, cum hoc epitaphio: *Cy giſt tres-noble & honorable dame madame Souveraine de Cros abbeſſe de S. Laurent a qui Diex par ſa ſainte grace faſſe mercy & a tout ſon lignage, lequel eſt des Clementins* (neptis erat Clementis VI. papæ) *& trepaſſa l'an de grace 1413.* Fit ejus anniverſarium & ſimul ejus fratris Johannis cardinalis Lemovicenſis in cœnobio S. Laurentii.

XIV. Simona le Roy ab an. 1413. ad 1464. quo obiit die 5. Julii ſepulta juxta Superanam de Cros. In epitaphio appellatur *la Réine.*

XV. Johanna I. de Vigny * ab anno 1464. ad 1476. quo deceſſit die 13. Julii.

* *al.* De Bigny.

XVI. Agnes de Culant genere nobilis & virtutum laude nobilior præfuit ab anno 1476. ad 1492. aut 1493. obiitque VII. idus Aprilis. Ejus tempore cœnobium conflagravit cum urbe pene tota.

XVII. Anna I. d'Aniſoles de Pierrepont ab anno 1493. ad 1504. de ea vide in Maria de Rochechoüart abbatiſſa Carentonienſi. Circa hoc tempus unitur monaſterium congregationi Caſalis-Benedicti, quæ unio perſeveravit uſque ad annum 1632. Obiit 25. Septemb. an. 1529.

XVIII. Franciſca de Brandon e nobili apud Arvernos ſtirpe ab an. 1530. ad 1552. quo diem ſupremum obiit, menſis Auguſti die penultima.

XIX. Renata de Levy monialis S. Johannis Auguſtodunenſis, obiit 1564.

XX. Anna II. Bigot an. 1570. ſequenti reſignavit.

XXI. Catharina de Chazeron ex illuſtri apud Arvernos gente monialis de Carentonio rexit annis 31. ex ejus epitaphio, & obiit die 7. Octobris an. 1601.

XXII. Johanna II. d'Anlezy de Meneſtou, neptis ſuperioris, nec non etiam monialis de Carentonio, ab anno 1601. ad 1631. quo vivere deſiit die XII. Januarii.

XXIII. Maria II. de l'Aubeſpine de Chaſteauneuf ſoror Gabriëlis de l'Aubeſpine ep. Aurelian. & Caroli Franciæ procancellarii, e S. Laurentii parthenone aſſumta ad abbatiam Buxerienſem regendam, tandem rediit ut S. Laurentii cœnobio præeſſet. Præfuit autem decem annis, & obiit die 8. Januarii an. 1641. Fundavit prioratum de Montlucon, ubi ſanctiſſimum vivendi genus inſtituit, ſororibuſque exemplo præluxit. Ejus elogium ſcripſit Jacoba de Blemur tomo VI. Anni Benedictini.

XXIV. Johanna III. de Volvire de Ruffée filia Philippi marchionis de Ruffée & Aimeriæ de Rochechoüart, monialis de Tuſſon in Pictonibus, tum coadjutrix Mariæ de l'Aubeſpine an. 1633. rexit ad annum 1648. quo vivis exceſſit die 29. Januarii. Laudatur ob muros ad claudendum monaſterium conſtructos.

XXV. Angelica du Toé alumna parthenonis Montis-martyrum prope Pariſios creatur abbatiſſa S. Laurentii an. 1648. & præfuit profuitque uſque ad annum 1671. quo diem clauſit extremum 3. Auguſti. Ejus epitaphium docet chorum ac dormitorium ipſius cura conſtructa, obſervantiamque regularem refloruiſſe.

XXVI. Anna III. de Fauvelet neptis ſuperioris die 24. Octobris anni 1671. abbatiam conſecuta

conſecuta eſt, & benedicta die 1. Novembris ejuſdem anni a Bituricenſi archiepiſcopo. Hæc adornavit monaſterium, cujus & breve chronicon, exploratis ea exoptante tabulis, noſter Claudius Eſtiennot an. circiter 1674. contexuit.

XXVII. Franciſca Angelica Mareſchaux an. 1701. benedicitur ab archiepiſcopo, in eccleſia S. Laurentii. Num eadem eſt ac N. de Tournan deſignata ſancti Laurentii abbatiſſa an. 1699. in Aſſumpt. B. M. virginis?

Gabriëlis de Rochechoüart, abbatiſſa S. Laurentii Bituric. filia Renati de Rochechoüart baronis de Mortemart, &c. torquati equitis, ex Johanna de Saulx, qui nupſerunt 1570. de qua in hiſt. genealogica Regiæ domus & majorum Franciæ miniſtrorum *(les grands officiers.)* Porro quo tempore ſederit, certo aſſignare non poſſumus.

Du Fourny: Genealogie des galeres de France.

CARENTONIUM ORDIN. S. BENED.

CARENTONIUM * ſanctæ Mariæ, feminarum, ſupra fluvium Milmandram, vulgo *la Marmande*, ſub regula S. Columbani, anno circiter 620. conditum fuit a viro venerabili Theodulfo [a], cognomento Boboleno, ut refert Jonas in actis S. Euſtaſii abbatis; nunc autem & a plurimis ſeculis ſubditum regulæ S. Benedicti. Dicitur autem Bella-vallis *Bellavaux*, a valle pinguiſſima & amœniſſima in qua ſitum eſt inter Avaricum Biturigum & Gergoviam Bojorum, ſeu Molinum, ab utroque æque diſtans. An. vero 1113. expulſas ex hoc cœnobio fuiſſe moniales a Leodegario Bituricenſi archiepiſc. auctoritate Paſchalis II. ut darent locum canonicis Regularibus, conſtat. Sed Leodegario defuncto, canonici ſancti Stephani, ejectis canonicis Regularibus, revocarunt ſanctimoniales; quod quidem ægre tulit Callixtus papa II. datis ad Wigrinum archiepiſcopum litteris ut canonicos Regulares reſtitueret. Mandatum tamen iſtud ſuum effectum minime ſortitum fuiſſe patet ex brevi ſecuto Eugenii III. diplomate, quo ſanctimoniales ſub ſua & Sedis apoſtolicæ protectione ſuſcipit. Abbatiſſarum ſeriem ex duobus catalogis ſat ſimilibus noſtrorum D. Claud. Eſtiennot atque Edmundi Martenne ſic contexuimus.

* Carenton.

a

ABBATISSARUM SERIES.

I. AGNES anno 1147. privilegium obtinet ab Eugenio papa III. quo ſummus pontifex monaſterium ſub ſua protectione ſuſcipit, ejuſque prædia & poſſeſſiones confirmat. Memoratur inſuper an. 1154. ind. 2. in litteris Petri Bituricenſis archiepiſcopi, & in aliis Ebbonis de Carentonio. Ad eandem quoque abbatiſſam vel ſequentem pertinent litteræ ſocietatis inter A. abbatiſſam de Carentonio & P. abbatem Ebrolienſem an. 1177.

II. Adelais, ſeu Ahalis præerat anno 1187. quo Ebbo de Carentonio ipſi pro animæ ſuæ remedio nonnulla donavit, quæ anno 1189. idem Ebbo Jeroſolymam profecturus confirmavit, confirmarique ab Henrico Bituricenſi archiepiſcopo fecit. Circa idem tempus præfatus archiepiſcopus eccleſiam B. Mariæ dedicavit, indulſitque ut interdicti tempore ſolemnem hujus dedicationis feſtivitatem annuam januis omnibus patentibus celebrarent. In chartario denique domini Bituric. archiepiſcopi occurrit charta anni 1209. qua A. abbatiſſa totuſque conventus B. M. de Carentonio J. Bituricenſi archiepiſcopo terram de Carnoſſo largiuntur.

III. Hermenardis ſeu Hermengardis 1223. 25. 30. & 40.

IV. Sibilla I. præerat ſaltem ab anno 1247. ad 1266. ex authenticis. Anno 1249. excepit donum Mathildis de Carentonio uxoris Rainaldi de Monte-falconis. Ipſa vero Sibilla anno 1258. Radulfo Brechard militi domino de Breſſolles locum ſtagni, & molendinum ſub annuo cenſu conceſſit. In litteris Iſabellis quæ ſequitur, memoratur concordia facta inter hanc abbatiſſam & Ludovicum comitem Sacri-Cæſaris *Sancerre* an. 1261. Denique anno 1266. Guillelmus de Molinis miles quædam monialibus B. M. de Carentonio tribuit, quibus Sibilla abbatiſſa præerat.

V. Iſabellis I. jam an. 1261. ſedebat. An. 1270. tranſigit cum Ludovico Sacri-Cæſaris comite pro quibuſdam ſilvis, de quibus magna Sibillam abbatiſſam inter & hunc comitem fuerat contentio. Ejuſdem exſtant litteræ datæ die Lunæ ante Aſcenſionem an. 1271. ſub cujus etiam regimine Stephanus de Molinis miles caſale quoddam tribuit monialibus B. Mariæ de Carentonio. Præfuit ad annum ſaltem 1306. quo prioratum S. Petri de Entellis *des Eſteux*, vacantem per obitum mag. Guillelmi de Caſtra, contulit Iſabelli de Culento moniali ſui monaſterii.

VI. Iſabellis II. de Culento anno 1309. ad an. 1312.

VII. Sibilla II. anno 1312.

VIII. Margarita I. de Sacro-Cæſare * filia Johannis comitis Sacri-Cæſaris & amita Ludovici, contra quem jura monaſterii ſui viriliter defendit; jam præerat anno 1315. Anno 1334. concordiam fecit cum præfato Ludovico nepote. Obiit anno 1345. Vide hiſtoriam domus de Corteniaco * fol. 185. & ſeq. Ea e vivis ſublata die Mercurii poſt feſtum S. Marci, moniales numero 43. præter abſentes undecim numero, in capitulum coactæ, diem Jovis poſt feſtum Pentecoſtes ad futuræ abbatiſſæ electionem celebrandam indixerunt.

* Sancerre.

* De Courtenay.

IX. Johanna I. de Vailli vel de Vaillac electa eodem anno 1345. rexit ad an. circiter 1360.

X. Maria I. de Sacro-Cæſare anno 1367. præerat.

XI. Blanca de ſancto Juliano ex illuſtri familia quæ hactenus in Marchia ſubſiſtit, Petro militi de S. Quintino conſanguinitate conjuncta, uti & Adeliſiæ ſeu Aelydi * relictæ Ægidii de Soliaco militis; quæ intuitu illius & aliarum cognatarum ſuarum multa contulit cœnobio, ut docent ejus litteræ. Sororem habuit Eglentinam nomine. In publicis vero inſtrumentis Blanca nominatur abbatiſſa ab anno 1371. ad 1378. quo anno cum

* al. Adipdi

* Antiqua monaſterii traditio primam ſui originem ſancto Chalentio B. Columbani diſcipulo acceptam refert (inquit D. Edmundus Martenne,) cujus hactenus in eccleſia viſitur ſepulcrum.

Guichardo de Culento domino caſtri S. Amandi pro quibuſdam ſervis contendit.

XII. Sobarena *al.* Superana de Cros abbatiſſa B. M. de Carentonio, moxque tranſlata ad abbatiam S. Laurentii Bituricenſis.

XIII. Catharina I. Celleriere, aut le Cellerier, anno 1381. bullas obtinuit a Clemente [a] papa VII. pontificatus ejus anno tertio.

XIV. Johanna II. de Treſſort parum temporis præfuit.

XV. Margarita II. de Treffort anno 1401. in feſto S. Johannis Bapt. jam præerat, ſub cujus præfectura multæ ex illuſtrioribus familiis in monaſterio Carentonienſi reperiuntur. Illa vero poſt annos regiminis 38. vel 39. reſignavit ſequenti, adhuc ſuperſtes an. 1446. decem poſt reſignationem annis octogenaria, de qua in necrologio ad XVI. cal. Junii: *Obiit D. Marg. de Treſſort quondam abbatiſſa hujus mon. ante reformationem.*

XVI. Johanna III. de Bazerna neptis Philippæ de Bazerna relictæ Johannis de Malo-ſento militis; forte etiam ſoror Margaritæ de Bazerna dominæ d'Aiguemorte, an. 1436. ex ceſſione præcedentis regimen obtinuit, quod cum vita reliquit an 1461. 20. Maii, inſcribitur tamen necrologio die 22.

XVII. Magdalena I. d'Amboiſe electa 1461. abbatiſſa etiam S. Menulfi, anno 1497. reſignavit nepti ſuæ quæ ſequitur.

XVIII. Maria II. de Rochechoüart litteris apoſtolicis ad prædictam ceſſionem accedentibus, abbatiſſa inſtituitur an. 1497. Hæc unionem prioratuum aliorumque beneficiorum menſæ conventuali procuravit an. 1503. cumque ſuis ſororibus reformationem congregationis Caſalis-Benedicti eſt amplexa, ſuumque monaſterium ejuſdem ſuperioribus ſubdidit, dimiſſis ſecularibus presbyteris. Ejuſdem exemplum ſecuta ſunt alia plura monaſteria, S. Petri Lugdunenſis, S. Menulfi, Iſorenſe, Charliacenſe, &c. Anno 1504. ſex e ſuis monialibus ad Bituricenſe S. Laurentii monaſterium reformandum tranſmiſit, quo anno Anna de Pierrepont [b] S. Laurentii abbatiſſa, regia auctoritate a ſua dignitate dejecta, ad Carentonienſe monaſterium miſſa fuit. Obiit Maria de Rochechoüart non ſine ſanctitatis fama die 3. * Febr. an. 1518. ſepulta in choro, cum brevi hoc epitaphio: *Cy giſt Marie de Rochechoüart premiere abbeſſe de la reforme.*

XIX. Magdalena * II. de Chazeron cedente ac decedente Maria anno 1518. bullas accepit. Ejus tempore, anno ſcilicet 1527. Petrus epiſcopus Ebroicenſis, vicarius generalis cardinalis a Turnone Bituricenſis archiepiſcopi, tranſtulit corpora SS. Pantaleonis, Columbini & Silvini. Præfuit ad annum 1529. promovendæ magis ac magis regulari diſciplinæ intenta. Jacet in capitulo cum hoc epitaphio: *Cy giſt dame Magdelaine de Chazeron en ſon vivant deuxieme abbeſſe de la reformation de ceans, qui trepaſſa en devote reconnoiſſance de ſon Createur le 23. Fevrier 1529.* Lapidi vero ſepulcrali ſtemma gentilitium inſculptum eſt junctum alteri, ſcilicet domus Ambæſiæ, ex qua haud dubie etiam originem trahebat.

XX. Magdalena III. des Aages vel des Aaiges eligitur abbatiſſa die 24. Febr. anni 1529. cujus electionis inſtrumentum habebat apud ſe D. Cl. Eſtiennot. Benedicta fuit die 21. Martii a Petro Ebroicenſi ſeu Ebronenſi epiſcopo, præſentibus Caſalis-benedicti & S. Sulpitii Bituric. abbatibus. Reſignavit ſequenti, & obiit die 29. Martii 1559. Sepulta jacet in capitulo.

XXI. Johanna IV. des Aages ex reſignatione bullas obtinuit VIII. cal. Maii 1551. annos nata 27. In choro jacet, ubi hoc habet epitaphium: *Cy giſt dame Jeanne des Aages en ſon vivant quatrieme abbeſſe de la reformation, qui mourut le 5. * May 1583.*

XXII. Anna * de la Grange de Montigny monialis Carentonii, bullis datis eodem anno calendis Julii abbatiſſa inſtituitur anno ætatis trigeſimo, poſſeſſionem adepta die 15. Januarii anni 1584. Coadjutricem adſcivit ſibi anno 1618. ſororem Magdalenam ejuſdem parthenonis ſanctimonialem; at bullarum fulminationi tam conventus ipſe, quam patres congregationis Caſalis-benedicti interceſſerunt. Tumulata jacet in choro, ubi hoc habet epitaphium: *Cy giſt reverende dame Anne de la Grange, cinquieme abbeſſe de la reformation de ceans, agée de 76. ans, qui a regné en ſa charge 47. ans & deceda le 12. Mars 1630. Priez Dieu pour ſon ame.*

XXIII. Margarita III. de la Grange de Montigny, Annæ ſoror, uti & mareſcalli de Montigny, Bituricis benedicitur in eccleſia abbatiali S. Laurentii die 18. Auguſti 1630. ſedit uſque ad annum 1659. quo ad meliorem vitam tranſiit, ſepulta in choro cum hoc epitaphio: *Cy giſt reverende dame de la Grange Montigny VI. abbeſſe de la reformation, qui deceda le 17. * Juillet agée de 78. ans, qui a regné en ſa charge 29. ans. Priez Dieu pour ſon ame.* Sub hac abbatiſſa ſubducta eſt cura ſanctimonialium patribus congregationis S. Mauri, qui Caſalinis ſucceſſerant, licet reclamantibus publico inſtrumento pleriſque e ſacris virginibus.

XXIV. Maria III. de Culento monaſterii alumna fit abbatiſſa anno 1660. & ex hac vita migravit 1674.

XXV. Catharina * II. de la Rochefoucaud filia Franciſci, primi ducis de la Rochefoucaud & Gabriëlidis du Pleſſis, bullis datis Romæ 31. Maii anni 1674. facta eſt abbatiſſa; poſſeſſionem vero adepta eſt die 30. Auguſti ejuſdem anni, prius benedicta die 15. Auguſti ab Henrico epiſcopo Ebroicenſi. Poſtea tranſlata fuit ad Paraclitenſe [a] monaſterium, reſignavitque ſequenti.

XXVI. Renata de Meſgrigny an. 1675. die 22. Sept. poſſeſſionem adiit. Filia erat Johannis marchionis de Meſgrigny & de Vandœuvre

[a] *al.* calendis.

[b] Pregente nominatur a domino du Fourny: Mar. de Fr.

[a] *al.* 14. ex necrol.

[a] *al.* Johanna.

[a] *al.* 19.

[a] *al.* Gabriëlis.

[a] Qui tempore ſchiſmatis ſedit Avenione, & in Gallia pro legitimo papa eſt habitus.

[b] In quodam tamen catalogo abbatiſſarum S. Laur. lego Annam hanc fuiſſe abbatiſſam, uſque ad an. 1529. & cuſſe ſuum monaſterium unîri congregationi Caſalinæ.

[a] Noſter D. Claud. Eſtiennot in ſua ſerie MS. abbatiſſarum hujus monaſterii, Gabrielidem de la Rochefoucaud prius ait Paraclitum rexiſſe per annum, quam vocaretur ad regimen Carentonii, in optima ſchola Franciſcæ de Foix abbatiſſæ ſanctæ Mariæ Santonenſis inſtitutam.

vicecomitis Trecenſis ex Renata de Buſſi, neptis Ludovici de Meſgrigny equitis Melitenſis, Jacobi de Meſgrigny baronis de Bonivet præſidis in ſenatu Pariſienſi, Matthæi de Meſgrigny abbatis Pontiniacenſis, Nicolai de Meſgrigny prioris Seviniacenſis, & Franciſci de Meſgrigny comitis de Briel & d'Alainville. Monaſterium vero ſumma cum laude adminiſtravit, cujus jura viriliter propugnavit, & collapſa ædificia reparavit. Obiit virtutibus plena, relicto ſororibus ſuis ſummo ſui deſiderio, die 26. Decembris 1697. ſepulta in choro, ubi hoc habet epitaphium: *Cy giſt reverende dame madame Renée de Meſgrigny religieuſe profeſſe de Malnoüe, huitiéme abbeſſe de cette abbaye depuis la reforme, elle a regué en ſa charge 22. ans dans une parfaite regularité, elle a retabli le ſpirituel & le temporel, elle eſt morte le 26. Decembre 1697. agée de 58. ans.*

XXVIII. Maria IV. Ludovica de Beauverger * Mongon, filia Caroli-Alexandri de Beauverger-Mongon domini de Mongon, de Corin, d'Aubuſſon in Arvernia, de Boiſſonelle, &c. & Mariæ ex illuſtri familia de la Barge, ſororis Johannis-Franciſci de Beauverger-Mongon ſubpræfecti generalis regiorum exercituum, necnon equitum qui *dracones* vulgo vocantur generalis moderatoris, Johannis de Beauverger equitis Melitenſis, regiarum navium præfecti, Philippi de Mongon prætorianæ * cohortis Gallicæ præfecti, & Petri de Mongon abbatis Iſſiodorenſis, poſt mortem Renatæ de Meſgrigny, a Rege deſignatur abbatiſſa die 29. Martii anni 1698. bullas vero obtinuit 11. calendas Junii ejuſdem anni, in quibus dicitur profeſſa ordinis S. Benedicti ex monaſterio Caſarum *des Chazes* diœceſis S. Flori, *zelo religionis, vitæ munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicium virtutum donis ornata.* Poſſeſſionem adepta eſt die 11. Decembris, ſtatimque inceptis monaſterii ædificiis perficiendis incubuit, prædiorum domos refecit, locumque hortis adaptandis congruum comparavit.

XXIX. ** de Mongon abbatiſſa nominatur 20. Aprilis 1715.

* de Cordebœuf de Mongon.

* Capitaine aux gardes Françoiſes.

S. MENULFUS.

SANCTUS MENULFUS (S. Menoux) abbatia feminarum ordinis S. Benedicti, in archipresbyteratu Borbonii, dicta olim *Malliacum* * a loco ubi fundata eſt, tribus ab urbe Molinenſi, duabus vero a Borbonio-Archembaldi leucis diſtans, memoratur juxta Sammarthanos fratres in diplomate Adriani IV. anno 1158. cujus præcipui benefactores fuere ab ipſius reſtauratione domini de Borbonio, de Monte-Falconis, & de Carentonio [a]. Reformatus eſt hic parthenon an. 1507. ſub congregatione Caſalis-Benedicti; nunc autem aggregatus eſt congregationi Cluniacenſi. Sequentes abbatiſſas ex chartis monaſterii diligenter evolutis eruimus.

* Maſſy *ſupra vivarium* Roſe *qui Elaveri inmiſcetur.*

[a] Ante moniales ibi monachos vixiſſe poteſt erui ex vita S. Menulfi, de quo tomo 2. biblioth. Labbeanæ pag. 413. & al. In omnibus martyrologiis inſcribitur epiſcopus & confeſſor IV. idus Julii.

ABBATISSARUM SERIES.

I. ADALGASIA Malliacenſis abbatiſſa tempore Dagberti Bituricenſis archiepiſcopi circa annum milleſimum; quo tempore tranſlatæ, ſeu potius inventæ ſunt S. Menulfi reliquiæ, & cœnobium aut reſtauratum, aut etiam conditum eſt.

II. Ermengardis an. 1145. memoratur in charta B. Mariæ de Salis & 1150. in charta domeſtica Henrici Æduenſis epiſcopi, qua ipſe de conſenſu capituli ſui Ermengardi conceſſit eccleſiam Iſoriæ (Saint Pierre d'Yſeure lés Moulins). *Hoc autem actum eſt per manum & conſilium Galonis Corbiniacenſis, & Richardi de Septem fontibus, & Obberti S. Margaritæ abbatum; Willelmi decani, Bertramii cantoris, &c. Data Æduæ anno Incarn. M. C. L. quarto idus Septemb. Luna XV. Eugenio apoſtolicæ Sedis pontifice, Ludovico rege Franc. Odone duce Burgundiæ.*

III. Margarita I. cui Agnes domina de Borbonio donationes fecit anno 1273. & 1281. memoratur etiam anno 1285. menſe Auguſto die Veneris poſt feſtum S. Petri ad vincula.

IV. Pontia 1296.

V. Alaidis de Joſerent 1311. die Veneris ante feſtum nativitatis S. Johannis Bapt.

VI. Beatrix de la Tour abdicavit an. 1370.

VII. Margarita II. de Tocy-Bazerne 1370.

VIII. Ita 1375.

IX. Iſabella de Barbezieux 1413.

X. Johanna Jacquelina ſeu Jacqueta delphina Arverniæ, filia Beraldi II. comitis Claromontis & Margaritæ comitiſſæ Sacri-Cæſaris anno 1414. ſoror erat Roberti Carnotenſis epiſcopi; nominaturque in ſenatuſconſulto Pariſienſis parlamenti an. 1450. edito inter probationes hiſt. genealogicæ domus Arverniæ, auctore Stephano Baluzio p. 383. vide etiam pag. 374. Cum vero eſſet domina uſufructuaria Carentonii & de Meillant anno 1433. muros Carentonii reparavit.

XI. Magdalena d'Amboiſe filia Petri domini de Calvo-monte * ſuper Ligerim ex Anna de Bueil, ſoror vero Georgii cardinalis d'Amboiſe Rotomag. archiepiſcopi, erat abbatiſſa S. Menulfi an. 1498. In veteri choro eſt ſepulcrum cujuſdam abbatiſſæ quæ legitur in epitaphio mortua anno 1500. die XI. Auguſti. In lapide ſepulcrali ſemieſo nomen hujus abbatiſſæ legi non poteſt. Clauſtrum, &c. & eccleſiæ partem ædificaſſe dicitur in hoc epitaphii fragmento; ex eo inſupes colligitur eam duplicis monaſterii præfecturam habuiſſe, ſuſpicamur autem hanc abbatiſſam eſſe Magdalenam d'Amboiſe.

* Chaumont.

XII. Anna I. d'Amboiſe ſuperioris neptis, filia Johannis baronis de Buſſy.

XIII. Antonia d'Amboiſe.

XIV. Franciſca de Brederode ex illuſtri ſtirpe in Belgio procreata.

XV. Anna II. de Baufremont.

XVI. Catharina de Baufremont ſepulta in veteri choro; ubi legitur in epitaphio Gallice ſcripto mortua die 4. Octobris an. 1580. fuerat etiam

* *f.* S. Honorati.

abbatiſſa * S. Marthæ Taraſconenſis & S. Catharinæ Avenionenſis ex eodem epitaphio. In catalogo abbatiſſarum S. Catharinæ Avenionenſis occurrit Anna de Beaufremont ad an. 1565. unde poſſumus intelligere diu eam præfuiſſe.

XVII. Conſtantia de Bauffremont cui domnus Sebaſtianus Marcaille baccalaureus in theologia, ſubprior & vicarius generalis abbatis Cluniacenſis in monaſterio Sylviniacenſi, nuncupat tractatum de virtute Reliquiarum ſanctorum, in quo præcipue agitur de vita & miraculis S. Menulphi epiſcopi, editum Molinis apud Petrum Vernoy 1606. Obiit Conſtantia an. 1637.

XVIII. Conſtantia du Blé filia Antonii baronis d'Uxelles ex Catharina-Amata de Baufremont; deceſſit 20. Julii anni 1648.

XIX. Maria-Conſtantia du Blé d'Uxelles ſuperioris neptis, eodem anno ſucceſſit amitæ, abbatiſſa deinde Faræ-monaſterii deſignata 1678. ubi obiit 30. Maii an. 1685.

XX. Maria-Gabriëlis du Boulay-Favier 1678. obiit Borbonii 13. Junii 1695. Cetera nos docet ipſius epitaphium Gallico ſcriptum idiomate; ſcilicet ipſam in lucem ſuſceptam fuiſſe an. 1642. in ordine S. Dominici profeſſionem emiſiſſe an. 1658. an. 1678. regiis litteris fuiſſe deſignatam abbatiſſam S. Menulfi, cui annos 17. præfuit cum magna pietatis & providæ adminiſtrationis bonorum temporalium laude, ipſius curæ baſilicæ, totiuſque monaſterii ac ædium extra monaſterium ſarta tecta deberi. Plura cogitantem mors corripuit die & anno ſuperius indicatis, lugentibus filiabus.

XXI. Antonia de la Chaiſe-d'Aix filia Franciſci comitis de la Chaiſe prætorianorum militum ad januam Regis excubitantium præfecti *, & Genovefæ Ramadier; profeſſa B. Mariæ de Cuſſiaco, nominatur ad abbatiam S. Menulfi die 8. Septembris anni 1695. Benedictionem vero accepit 1. die Maii anni ſequentis apud Cuſſiacum, a Franciſco Bochart de Saron Claromontenſi epiſcopo, iniitque poſſeſſionem 111. die Junii ejuſdem anni 1696. adhuc præeſt, optimæque abbatiſſæ munia omnia implet ſtrenue.

* *Capitaine des gardes de l'appartement du Roy.*

S. AMBROSII ABBATIA ORDINIS S. AUGUSTINI.

BITURICENSE S. AMBROSII monaſterium canonicorum Regularium S. Auguſtini, patronum habet S. Ambroſium non Mediolanenſem, ſed Caturcenſem epiſcopum. Fundatorem agnoſcit Gaufridum vicecomitem Bituricenſem, qui anno 1012. eccleſiam reſtauravit, agente præſertim Dagberto archiepiſcopo, atque canonicis ſecularibus commiſit, quibus temporis progreſſu ſubrogati ſunt canonici Regulares ordinis S. Auguſtini. Conſulenda eſt charta reſtaurationis edita inter inſtrumenta. Abbatum ſeriem eruimus ex archivis ejuſdem monaſterii quæ nobis perhumaniter luſtrari permiſit R. P. Nicolaus Teteleve prior ejuſdem monaſterii, adjuvante nos R. P. Johanne Baptiſta Martialot procuratore.

C. LVII. col. 49.

SERIES ABBATUM.

I. GAUFRIDUS, qui ſolo prioris titulo donatur. De decimis Romigniaci contendit cum abbatiſſa S. Hippolyti coram Girardo Engoliſmæ epiſcopo, præſentibus J. Briocenſi epiſcopo, Odone Majoris-monaſterii, & L. B. Mariæ de Corona abbatibus.

II. Godefredus abbas erat an. 1150. ex charta Callovienſis monaſt. Anno 1163. concordiam init cum Rainaldo de S. Andrea, contendente pro decimis de Axigniaco, præſente Petro archiepiſc.

III. Achardus an. 1170. ex charta Fontis-Moragniaci.

IV. G. abbati S. Ambroſii domnus Montis-Falconis concedit feodum ſuum in parochia de Solengiaco anno 1186. Is eſt fortaſſe Giraldus abbas S. Ambroſii, cui Germanus Painotus cum uxore & filiis quædam relaxat in terra de Berciaco, regnante Philippo rege, haud dubium Auguſto, ut ſcripturæ character demonſtrat.

V. A. abbas S. Ambroſii donationem factam a quodam Abelino recipit. Charta donationis chronicis notis caret, ſed character annos circiter 500. repræſentat.

VI. Petrus I. de Opere, anno 1250. quædam commutat.

VII. Guido abbas S. Ambroſii anno 1278. reperitur in quadam permutationis charta.

VIII. P. abbas S. Ambroſii anno 1302. quædam dat ad cenſum.

IX. Simon an. 1303. innoteſcit ex charta prioratus S. Martini de Campis apud Biturigas, a Majori-monaſterio dependentis.

X. Petrus II. abbas anno 1350. quædam permutat.

XI. Aimericus anno 1394. præerat. Anno 1405. interfuit fundationi ſanctæ Capellæ a Johanne primo Bituricenſium duce factæ. In vivis adhuc erat anno 1412.

XII. Adjorandus abbas S. Ambroſii 1419.

XIII. Johannes I. Tailhardi abbas S. Ambroſii reperitur in variis actis ab anno 1428. ad 1439. Anno 1436. exſecutor fuit teſtamenti Arnulfi Belin ſanctæ Capellæ theſaurarii.

XIV. Urſinus de Sonzaio præfuit an. 1446. 1450.

XV. Franciſcus I. de Perpirolio anno 1455. reperitur abbas S. Ambroſii, & anno 1463.

XVI. Johannes II. Royer abbas S. Ambroſii innoteſcit ex variis actis ab an. 1465. ad 1490.

XVII. Bertrandus Daulx abbas S. Ambroſii & B. M. de Pratea anno 1496. reperitur in charta de Pratea; anno vero 1497. confert prioratum S. Vincentii de la Vau.

XVIII. Franciſcus II. Daulx an. 1514. præerat.

XIX. Chriſtophorus de Brilhac archiepiſcopus Turonenſis & abbas S. Ambroſii an. 1517.

XX. Jacobus I. Herpin abbas reperitur in variis actis annorum 1522. 1523. 1525.

XXI. Georgius d'Armagnac epiſcopus Ruthenenſis, 1526. 1529.

XXII. Jacobus II. Colin Regi ab eleemoſinis & commentariis, abbas S. Ambroſii, Exoldunenſis,

Digitized by Google

& Oliveti, anno 1531. præerat monaſterio S. Ambroſii, an. 1532. Exoldunenſi, an. 1545. abſolvitur a cenſuris quas incurrerat, an. 1547. adhuc in vivis erat, & abbas S. Ambroſii, hoc ipſo tamen anno vivere deſiit.

XXIII. Ludovicus de la Mer de Matha ab anno 1547. uſque ad 1588. in variis actis occurrit cum titulo abbatis S. Ambroſii. Monaſterii ædificia cum reparaſſet, hanc eis inſcriptionem curavit inſculpi: *Ludovicus de Matha Alvernus hujus cœnobii antiſtes, me lapſum ac dirutum vetuſtate, a fundamentis inſtaurandum curavit 1571.*

XXIV. Domnus Hilarius Labbeſſe præfuit annis 1589. 1591. 1594. & 1602. quo officium ſacriſtiæ contuliſſe reperitur.

Vide Thaumaſerium, pag. 84.

XXV. Jacobus III. Maugis, canonicus ſacræ Capellæ & S. Urſini Bituricenſis, in Pariſienſi ſenatu conſiliarius, & comes Brivatenſis. Anno 1630. S. Ambroſii abbatiam jam obtinebat, eamque tenebat adhuc anno 1657. obiit anno ſequenti die 12. Julii.

Sub ejus præfectura anno 1634. unita fuit celebri congregationi Gallicanæ, a qua novum ſplendorem tam in ædificiis quam in obſervantia regulari accepit. Hunc abbatem ſic laudat Hugo Grotius:

Ingenium locuples, & mens tot culta per artes,
Magna quidem, primus ſed bonitatis honos.
* *Erat Regi & Regina matri ab eleemoſynis & conſiliis.*
Hac Regina parens, Hac te Rex ipſe miniſtrum *
Parte legunt, Reges quæ facit una Deos.

XXVI. Jacobus IV. de Souvré major prior Franciæ, filius erat Ægidii de Souvré marchionis de Courtanvaux equitis torquati, ac primi cubicularii regis Ludovici XIII. ex Franciſca de Bailleul, obiit Lutetiæ in Templo, menſe Maio anni 1676. ſepultus in eccleſia S. Johannis Lateranenſis ejuſdem urbis.

XXVII. Gilbertus de Vieilbourg annis 1667. & 1677.

XXVIII. Carolus Ranan de Vieilbourg 1670. per ceſſionem haud dubie præcedentis, abdicavit an. 1684.

XXIX. N. de Fourcy 1684. quo deſiit vivere.

XXX. Olivarius Franciſcus de Fourcy eccleſiæ Pariſ. canonicus eodem anno ſucceſſit fratri ſuo. Obiit menſe Febr. an. 1717.

XXXI. Jacobus Alanus de Gontaut de Biron, decanus metropolitanæ eccleſiæ Pariſienſis, nominatur abbas menſe Octobri an. 1717.

CELLENSIS ABBATIA.

* Saudre. * le Cher.

CELLA SEU CELLÆ, *Celles*, ſancti Euſitii pene ad confluentes Saldriæ * & Cari *, ubi nobile caſtrum gentis de Bethune & oppidum ſatis cultum, leucis 18. ab Avarico, conditur munificentia Childeberti regis, Clodovæi magni filii, ubi ſanctiſſimus vir Euſitius multos monachos variis in cellis (unde Cellarum nomen) incluſos congregavit; atque ideo patronus monaſterii agnoſcitur cum beata Dei-genitrice. De eo conſule Mabillonium ad an. 572. n. 52. & dactiores hagiographos. Cum everſum fuiſſet cœnobium, Nortmannorum procella ſæviente, diu jacuit ſine ſacris cultoribus. Deinde clerici circa an. 1020. ibidem monachorum obiere munia, qui ſe tandem ſuumque monaſterium Majori-monaſterio Turonenſi circa an. 1140. tradere voluerunt, uti noſter D. Edmundus Martenne meminit ſe legiſſe in veteri charta Majoris-monaſterii; at Petrus de Caſtra Bituricenſis archiepiſcopus locum hunc paulo poſt canonicis Regularibus conceſſit, quibus denique ſucceſſerunt Fulienſes ab anno 1612. De S. Euſitio hæc Gregorius Turon. lib. de gloria confeſſorum cap. 82. *Fuit in hoc territorio*, inquit, *Euſichius* * *multarum vir virtutum, qui tanquam eremita inter ſpinarum condenſitatem, ab hominum ſe familiaritate removerat..... Ad hunc ſenem Childebertus in Hiſpaniam abiens venit. Cumque ei quinquaginta aureos obtuliſſet, ait ſenex:* Quid mihi iſta profers? illis qui ea pauperibus largiantur attribue. Sufficit mihi ut pro meis peccatis Dominum merear deprecari; *& adjecit:* Vade & victoriam obtinebis. *Tunc Rex aurum pauperibus erogans, vovit ut ſi eum Dominus cum ſua gratia de itinere illo reduceret, in honore Dei baſilicam in eo loco ædificaret, in qua ſenis membra quieſcerent; quod poſtea adimplevit.* * Euſitius.

Hos abbates variis in ſtatibus vetera ſuppeditant monumenta.

ABBATUM SERIES.

I. SANCTUS EUSITIUS e Petracoriis humili loco natus, a parentibus ob inopiam venundatus abbati Patriciaci [a] (quod monaſterium poſtea cum Cellenſi unitur,) ibi ad ſacerdotium ob eximiam virtutem evehitur; inde permittente abbate ſeceſſit in Bituricenſis pagi locum nemoribus conſitum, *Priſciniacum* dictum, *Precigny*, ubi pane hordeaceo additis oleribus & aqua victitavit. Hoc in loco deprehenſus eſt a Childeberto rege, qui reverſus ex Hiſpania, ipſi, ut pollicitus fuerat, ædificavit baſilicam & monaſterium. Ibi depoſitus eſt poſt mortem in conſpectu Domini pretioſiſſimam; attamen ſancti viri vita e codice bibliothecæ regiæ, ait virum nobiliſſimum, ex ipſo regio ſtemmate oriundum nomine Wiſinum, viſis Euſitii miraculis, ſuper ipſius ſepulcrum elegantem conſtruxiſſe baſilicam, aptiſque inſtruxiſſe ædificiis & bonis ditaſſe, ubi electos monachos conſtituit, & ipſe vitam amplexus eſt monaſticam.

II. S. Leonardus in cœnobio Patriciacenſi nutritus, S. Euſitio, dignus virtutum heres & ſollicitudinis paſtoralis ſubrogatur. Obiit die 30. Decembris.

III. Odulfus circa an. 900. Ante an. 937. funditus everſum eſt aſceterium, ubi pro monachis obſervabant clerici an. 1020. Tunc Theobaldus Carnotenſium & Bleſenſium comes bona invaſerat.

IV. Radulphus, cui prioris titulo tantum inſignito & eccleſiæ B. Mariæ & S. Euſitii de Cella, Johannes epiſcopus Aurelianenſis eccleſiam S.

[a] Severino, poſt quem & ipſe factus eſt cœnobii præfectus, in quo utriuſque reliquiæ ſumma hucuſque veneratione coluntur.

Digitized by Google

Aniani de Biliaco donavit an. 1128. ind. VI. præſentibus Matthæo Albanenſi epiſcopo, Sedis apoſtolicæ legato, Gaufrido Carnotenſi, Goſſeno Sueſſionenſi, Bartholomæo Laudunenſi, & Burchardo Meldenſi epiſcopis.

V. Ernaudus primus abbas poſt introductos a Petro Bituricenſi archipræſule circa an. 1145. canonicos Regulares, uſque ad annum fere 1154.

VI. Iterius an. 1154. quo Manaſſes epiſcopus Aurelianenſis ei confirmat eccleſiam de Biliaco, &c.

VII. Paganus Doëti * an. 1166. ind. XIV. oratorium in villa de Varenella conſtrui permittit, Petro archiepiſcopo exiſtente, anno pontificatus ſui XXV. Hugone Landeſii & Fulcherio Barzellæ abbatibus. Eidem Pagano Doëti abbati donum Hervei de Giennio domini de S. Aniano confirmat idem Petrus archiepiſcopus an. 1168. pontificatus ſui 28. Hoc autem anno ceſſiſſe conſtat ex charta Gaufridi domini ſancti Aniani cujus teſtes fuerunt *Paganus Cloët qui fuit abbas*, & Guillelmus qui prædicto Pagano adhuc viventi in abbatia ſucceſſit.

* *al.* Cloeth

VIII. Guillelmus I. cui anno 1181. Herveus dominus S. Aniani quandam laudavit donationem. Eidem Clemens papa III. anno pontificatus ſui primo privilegium indulſit, hoc eſt anno Chriſti 1188.

IX. Philippus ſuperioris nepos, quo ſedente Radulfus de Magduno & Philippus ejus frater abbatiæ Cellenſi immunitatem ab omni exactione largiti ſunt an. 1189. quo item anno pactum iniit cum Roberto I. Magduni domino, ex ejuſdem Roberti litteris anno ſequenti datis, quæ in tabulario Cellenſi fol. 71. chartularii aſſervantur.

X. Reginaldus I. abbas Cellenſis memoratur in charta Barzellæ anni 1205. Omittitur a noſtro D. Eſtiennot.

XI. Guillelmus II. 1215. in tab. Cellenſi, & 1217. in charta Barzellæ, atque anno 1225. in litteris Simonis archiepiſcopi Bituric. ex tabul. Cell.

XII. Petrus I. præerat 1229. 1230. 1231. & 1233. ex tabul. Cell. & 1236. ex charta Barzellæ.

XIII. Johannes I. 1255. & 1258. & 1266. in charta Barzellæ.

XIV. Guillelmus III. 1268. & 1273.

XV. Goffridus ſeu Gaufredus 1274. 1275. 1277. & 1296.

XVI. Johannes II. le Tant de Thorigny ab anno 1296. ad 1303.

XVII. Raginaldus II. 1303. & 1304. quo anno leproſorum domus regimen & cellæ ſancti Lazari delegat Andreæ Jobert clerico. Præerat adhuc an. 1309.

XVIII. Guillelmus IV. occurrit annis 1312. 1317. 1344. 45. & 67. niſi dicamus duos conſequenter fuiſſe hujus nominis abbates, quod temporis diuturnitas ſuadere videtur. Hiccine eſt quem epiſcopum Cabellicenſem incerto anno fuiſſe dicimus tom. 1. pag. 952. A.

XIX. Bertrandus 1376. & 1378.

XX. Raimundus Jourdain in eccleſia Uceſtienſi canonicus & præpoſitus, poſtulatur abbas Cellæ an. 1381. Multa ſcripſit quæ ſunt edita ſub titulo *contemplationum Idiotæ*; vide editionem Pariſ. an. 1654. apud Jacobum Queſnel. Obiit ante annum 1390.

XXI. Rainaldus ſeu Raginaldus III. an. 1390. & 1397. in charta Barzellæ.

XXII. Petrus II. 1407. Commemoratur inter abbates qui ad concilium Piſis congregatum an. 1409. miſerunt procuratores cum plena poteſtate. Vide acta tom. VI. Spicileg. pag. 366. ubi monaſterium ſimul dicitur S. Mariæ & S. Euſichii.

XXIII. Guillelmus V. 1412. 1415. & 1418. Huic Johannes papa XXII. conceſſit facultatem utendi pontificalibus indumentis, brevi dato XIII. cal. Aprilis, pontificatus ſui anno tertio. Obiit Romæ.

XXIV. Nicolaus annis 1423. 26. 29. & 30. quo Carolus VII. rex monaſterium in tutelam ſuam ſuſcipit. Sedit ad annum 1441.

XXV. Johannes III. Charlieu, *al.* Charleau, ultimus abbas regularis ab anno 1441. ad 1483. Hujus certe nomen chartis inſcribitur an. 1444. & 1461.

XXVI. Johannes IV. de Tremoillia, Sedis apoſtolicæ protonotarius, regali ex progenie ortus, abbatiam obtinuit in commendam annis 1484. & 1489. Poſtea fit archiepiſcopus Auxitanus, abbatia retenta annis 1493. 1494. 1496. 1502. & 1505.

XXVII. Jacobus I. de Turre 1507. 1508. 1522. Obiit autem anno 1525. die 8. Septemb. nec ſerius quam die quarta poſt ejus obitum conventus eligendi facultatem poſtulavit, ſcilicet die 12. Septemb. ejuſdem anni. Hic abbas reditus annuos auxit & ædificia.

XXVIII. Renatus de Beauvilliers 1527. 1534. & 1535. Electus tamen eſt a canonicis Johannes Leban, *al.* Libault an. 1528. ſed ejus electio non prævaluit.

XXIX. Ludovicus Taureau * 1546.

* *al.* De Touneau *vel* de Tanneau.

XXX. Jacobus II. Brillard, *al.* Billard 1547. 55. 56. 66. & 1567.

XXXI. Matthæus Baugeci *al.* Mareus Baugery 1569.

XXXII. Guillelmus V. Bouguier * 1587. quo defuncto

* *al.* Baugery.

Dominus du Chaſtel anno 1589. a Rege chriſtianiſſimo nominatur, qui anno 1592. reſignaſſe legitur in gratiam Dom. Bertrandi d'Eſchaux. Verum an iſti duo revera fuerint abbates aut bullas obtinuerint non ita clarum eſt; alium enim abbatem reperimus anno 1591. ſcilicet

XXXIII. Philippum du Bec ex Nannetenſi epiſcopo Remenſem archiepiſcopum, qui anno 1595. reſignavit in gratiam Jacobi Suppligeon monachi & ſacriſtæ Pontilevienſis monaſterii.

XXXIV. Jacobus III. Suppligeon, de cujus vita & moribus fiunt inquiſitiones juſſu ſummi pontificis anno 1597. Omittitur a noſtro D. Eſtiennot.

XXXV. Renatus de * Baron, quo defuncto

* *al.* Daron.

anno 1607. eligitur a conventu Petrus l'Ecuyer*, A Honorato de Beauvillier interim deſignato abbate ſchedula regia ; uterque vero ceſſit, ille quidem ut abbatia Cellenſis San-Victorinæ congregationi uniretur, hic in favorem domini de Bethune, qui zelo reſtaurandi cœnobii permotus, hanc unionem procuravit ; at non diu perſeveravit hæc unio, cum Victorinis nulla ſpes affulgeret diruti cœnobii rurſus erigendi. Tandem vero anno 1611. Philippus de Bethune, Cellenſis comes, id egit ut Cella uniretur congregationi Fulienſium ; quod factum eſt per bullam Pauli V. datam 14. calend. Aprilis, anno Chriſti 1612. pontificatus ejus an. 8. petente Henrico Franciæ B & Navarræ Chriſtianiſſimo rege.

Ceterum ab eo tempore uno quoque triennio abbates a capitulo generali nominantur.

* Alias ſic legimus ; Honoratus de Beauvillier ultimus abbas commendatarius reſignavit domino de Bethune qui Cellam uniri congregationi San-Victorinæ curavit ; unde anno 1607. Petrus l'Ecuyer Victorinus canonicus vir pius & eruditus creatus abbas poſſeſſionem iniit die 16. Decembris.

PLENUS-PES.

* Pleinpied. PLENUS-PES *, abbatia S. Martino ſacra ordinis S. Auguſtini duabus leucis ab Avarico, fundatur circa an. 1080. a Ricardo Bituricenſi archiepiſcopo, qui jacet ibi ſepultus in choro. Hujus abbates fuerunt, qui ſequuntur.

ABBATUM SERIES.

* *Melius* VIII. I. PETRUS I. anno 1100. ind. XII. *V. cal. Martii dat ſanctimonialibus Fontis-Ebraldi locum in Borbonenſi pago nomine Brolium-novum, rogatu L. archiepiſcopi Bituric. in præſentia Goſſeni Bituric. archidiaconi, & Goffredi civitatis ejuſdem archipresbyteri. Idem Petrus anno 1118. terram Brolii iiſdem monialibus liberam dimiſit ſeu confirmavit.

II. Stephanus I. anno 1164. Gilberto abbati & fratribus Fontis-Morigniaci cedit terram Urſicampi, cui ceſſioni interfuit Guillelmus prior nepos Petri Bituric. archiepiſcopi vigeſimum quartum epiſcopatus annum agentis. Idem Stephanus D dat Nerlacenſi cœnobio tria annonæ ſextaria. Forte vero idem eſt cum S. abbate Plenipedis cujus memoria fit an. 1187. in charta Callovii.

III. Galterius 1214. in charta Fontis-Morigniaci.

IV. Gaufridus I. eodem anno componit cum Girardo archiepiſc. ſuper eccleſia de Carnoſſo.

V. Johannes I. an. 1237. approbat commutationem factam inter priorem S. Fulgentii & Amiſium de Lineriis. Forte idem eſt cujus fit mentio in libro miraculorum S. Philippi Bituric. archiepiſcopi.

VI. A. 1277.

VII. Gaufridus II. 1294. ſocietatem init cum Stephano abbate S. Martini Nivernenſis.

VIII. Guillelmus 1313.

IX. Raimundus 134...

X. Aimericus I. 1380.

XI. Stephanus II. 1415. forte idem qui cognominatur Croili anno 1421.

XII. Guichardus Millon 1423. & 1431.

XIII. Johannes II. Hugetus 1438. & 1445.

XIV. Ægidius de Glons, *al.* de Colons 1469. *Du Fourny.*

XV. Johannes III. le Groing abbas ſimul Vernuciæ, fato functus an. 1478.

XVI. Chriſtophorus Gelons 1499.

XVII. Robertus archidiaconus Bituricenſis, nepos ex fratre Guillelmi de Cambray Bituricenſis archiepiſcopi, haud aliunde notus quam ex Gallia Chriſtiana Sammarthanorum fratrum.

XVIII. Philippus de Bourbon 1510.

XIX. Franciſcus de Buëil 1513. poſtea Bitu- *Du Fourny.* ricenſis archiepiſcopus, ex canonico eccleſiæ Bituric. ac theſaurario S. Capellæ. Obiit die 25. Martii an. 1525.

XX. Nicolaus de Heure 1527.

XXI. Aimericus II. circa an. 1530.

XXII. Johannes IV. de Planis, *al.* de Plines epiſcopus Petragoric. ex canonico Bituric. & abbas Plenipedis occurrit in MS. codice recenti archiepiſcopi Bituric.

XXIII. Petrus II. de Planis decretorum doctor, prior S. Angeli, ſenator in ſupremo conſilio, & commiſſarius dominæ ducisſæ Bituricenſis delegatus ad excipienda homagia ipſi debita, abbas quoque Plenipedis ab anno ſaltem 1540. & adhuc C 1544. & Manſi-azilis, obiit 1550. ex charta S. Michaëlis de Angelis.

XXIV. Sebaſtianus de l'Aubepine epiſcopus Lemovicenſis 1552.

XXV. Petrus III. de Tolla Regi a ſecretis 1573. forte idem qui Tolbet cognominatur an. 1581. abbas ſimul Nerlacenſis.

XXVI. Johannes V. de Tolla * canonicus * *al.* Tolet. Bituric. filius Guillelmi ex Anna de Maupuy 1590. & 1598. abbas etiam de Nigro-lacu.

XXVII. Antonius Fradet de Marmagnes 1625. de quo alias in theſaurariis ſacræ Capellæ Bituricenſis. Obiit anno 1658. abbas etiam de D Millebecco ejuſdem diœceſis & canonicus præcentorque eccleſiæ cathedralis Bituric.

XXVIII. Claudius de Caillebot de la Sale 1666. poſtea epiſcopus Tornacenſis.

XXIX. Gabriël de S. Eſteve 1674. deinde epiſcopus Conſeranenſis.

XXX. Silvinus Gaudon Regi a concionibus 1682.

XXXI. Robertus le Hours * doctor theolo- * De Lours. gus, ſacræ Capellæ præcentor 1683. & 1704.

XXXII. Honoratus Tournely doctor Sorbonicus, theologiæ profeſſor, atque canonicus Tornacenſis, abbas deſignatur a Rege 18. * Maii * *al.* 19. E anni 1709. antea nominatus ad abbatiam Meimaci die 23. April. an. 1707. quam anno ſequenti Regi ceſſerat.

ABBATIA S. SATYRI.

SANCTUS SATYRUS, * ord. S. Aug. in archi- * S. Satur presbyteratu Sacri-Cæſaris, non longe a flu- ſous Sancerre. mine Ligeris, fundatur a Mathilde loci domina, quemadmodum docet tabula chartophylacii ejuſdem abbatiæ, quam vide inter inſtrumenta. Hæc *C. LVIII.* eccleſia poſtea ceſſit canonicis Regularibus S. Au- *col. 51.*

Digitized by Google

C. LIX. col. 52. & C. LX. col. 53. guſtini, ex bullis Innocentii II. & Alexandri, quas ibidem videſis. Conſulendus etiam Johannes Picardus in notis ad epiſtolam S. Bernardi 150. & Stephanus Tornacenſis ep. 59. 69. 70. & 71. nunc 45. 51. 52. & 53. quibus adde bullam Eugenii anno 1145. In hac abbatia nuper admiſſi ſunt canonici Regulares reformationis inſtitutæ apud Boſchum-Achardi in Normannia.

ABBATUM SERIES.

C. LVIII. col. 51.

I. PETRUS abbas primus eſſe videtur, ad quem bulla Innocentii II. in probationibus excuſa, qua inter cetera ſtatuit ut decedentibus ſecularibus canonicis, eorum præbendæ regularibus dentur. Data eſt anno 1131.

II. R. 1144. in charta Meimaci; forte Radulfus, qui præerat anno 1151. indict. XIV. ex charta Petri archiepiſcopi Bituricenſis pro cella S. Palladii Majoris-monaſterii, & 1156. ind. IV. an. XV. pontificatus ejuſdem Petri archiep. ex tab. Silviniaci, & in alia ejuſdem pro Caſali-Benedicto. Idem Radulfus memoratur 1152. in charta Fontis-Morigniaci: 1154. & 1162. in chartis S. Urſini Bituric. 1158. 1161. & 1164. in chartis Callovii. Ejuſdem quoque fit mentio in notis ad epiſtolam 150. S. Bernardi. Poſt ejus mortem Alexander papa III. ſcripſit ad capitulum ep. 44. ſecundæ appendicis, hortatus religioſos viros ut ſervarent quæ ſub bonæ memoriæ Radulfo abbate ſervare conſueverant. Inter illas autem conſuetudines, maxime commendat ut inviolabiliter obſervent abſtinentiam a carnibus tam extra quam intra clauſtrum.

C. LIX. col. 52.

III. Johannes I. cui inſcribitur bulla Alexandri III. data anno 1164. quam inter inſtrumenta exhibendam operæ pretium duximus.

IV. Godefridus ad quem plurimæ exſtant epiſtolæ Stephani Tornacenſis an. 1173. jus quod reclamabat in nemore de Charnes conceſſum a Stephano comite Sacri-Cæſaris, ceſſit Grandimontenſibus; forte idem eſt ac Gaufridus qui an. 1188. cum Ulrico abbate Callovii compoſuit pro decimis trium parochiarum.

V. Andreas 1193. in charta Callovii.

VI. Odo I. abbas S. Satyri an. 1213. quo litteras confecit de ſtallo quod eccleſiæ S. Amatoris Autiſſiodorenſis dedit abbas Caſtri-Nantonis.

VII. A. 1221. in charta Callovii.

VIII. Odo II. 1264.

IX. Guillelmus ante annum 1287. ex articulo ſequenti. Forte vero hic eſt Guillelmus de Menipeny frater Alexandri domini de Concreſſant, quem inter abbates S. Satyri Sammarthani recenſent abſque nota temporis.

X. Johannes II. an. 1287. renovat ſocietatem olim initam inter Guillelmum abbatem ſancti Satyri & Johannem abbatem S. Severini Caſtri-Nantonis. Jam autem anno præcedenti inierat ſocietatem cum Stephano abbate ſancti Martini Nivern.

XI. Johannes III. unus fuit ex præſidentibus electis a capitulo provinciali canonicorum Regularium Bituricenſis, Burdegalenſis, & Anicienſis diœceſium, Lemovicis celebrato die Jovis poſt feſtum B. Gregorii 1339. ex archivis B. Mariæ de Corona.

XII. Gaufridus 1388. in chartis Callovii.

XIII. Jacobus an. 1440. ſuis permiſit tranſitum ad canonicos S. Martini Nivernenſis.

XIV. Simon de Rouvray filius Galcherii domini de S. Simon ex Maria de Sarrebruche ſecunda conjuge, ſenator in ſuprema curia, ab an. 1454. ad 1458. quo deceſſit. *du Fourny hiſt. des grands Louvetiers.*

XV. Bertrandus Keneringhen natione Germanus, decanus Pictavienſis, & abbas Flaviniaci circa an. 1530.

XVI. Franciſcus I. de la Guiche decanus Matiſconenſis & protonotarius Sedis apoſtolicæ, frater Claudii epiſcopi Mirapicenſis, vivebat an. 1559.

XVII. Franciſcus II. de la Guiche nepos ſuperioris, ejuſdem ceſſione fit abbas ſancti Satyri. Simul erat præpoſitus S. Petri Matiſconenſis.

XVIII. Franciſcus III. de la Guiche patruum excepit in præfectura S. Satyri.

XIX. Claudius de Thoulongeon 1617.

XX. Franciſcus IV. de Rochechoüart filius Franciſci domini de Jars & Annæ de Monçeaux, militiæ Jeroſolymitanæ præceptor 1652. Obiit menſe Aprili an. 1670.

XXI. Johannes IV. de Montpezat de Carbon archiepiſcopus Senonenſis, mortuus menſe Novembri anni 1685.

XXII. N... de Villeterte Mornay 1685. abbas etiam Loci-regii ejuſdem diœceſis, antea vero parochus S. Germani in Laya.

XXIII. Auguſtinus-Nicolaus Laguyé, obiit menſe Aprili anni 1702. ſimul abbas Loci-regii.

XXIV. Maximilianus Philippus comes de Manderſcheid Falkenſteim canonicus Colonienſis & Argentinenſis deſignatur abbas 15. menſis Aprilis an. 1702.

ABBATIA DE MISERAYO.

Miseray. * Leroux.

MISERAYUM diœceſis Bituricenſis, in archipresbyteratu * de Leproſis & territorio toparchiæ Buſenciaci, ord. Auguſtiniani, fundatur ſub honore Deiparæ virginis & S. Nicolai a Girberto, Hugone, Arberto, & Amalfredo nobilibus viris, qui apud Buſenciacum caſtrum morabantur, ac pagum in ſylva Ognenſi pro exſtruenda abbatia Girardo & Godefrido conceſſere, ut apparet ex diplomate fundationis, quod ex archivis ejuſdem eccleſiæ inter ſchedas dom. abbatis Villalupenſis repertum, in appendice noſtra exhibemus. Hîc miniſtrant modo canonici Regulares ſtrictioris obſervantiæ, qui ex Normannia profecti, multa nunc canonicorum Regularium incolunt monaſteria, maxime in Bituricenſi diœceſi.

C. LXI. col. 57.

ABBATUM SERIES.

I. GERALDUS monaſterii fundator, prioris tantum nomine gaudebat ab anno 1089. ad 1136. quo recenſetur in bulla Innocentii II. quam vide inter inſtrumenta.

C. LXII. col. 59.

II. Girardus alter, ut quidem videtur, 1143. in charta

Digitized by Google

in charta Landeſii abbas memoratur. An. 1164. ſubſcribit donationi factæ monachis Exoldunenſibus a Radulfo & Odone ejus filio, dominis Exolduni.

III. Jacobus I. cum Jordano Aquæ-vivæ abbate ſocietatem init an. 1185. Præerat adhuc an. 1191.

IV. Matthæus anno 1206. memoratur in tabulario archiepiſcopi Bituricenſis; a quo anno ad 1219. legitur ejus nomen in variis Landeſii chartis. Exuit ſe præfectura; unde in charta Landeſii anni 1231. dicitur quondam abbas.

V. Michaël 1225. & 1229.

VI. Petrus I. 1229. in charta Landeſii.

VII. Hugo anno 1247. vendit quandam domum abbatiſſæ & conventui Belli-viſus. Ejuſdem memoria recurrit an. 1250. qui demum e vivis exceſſit an. 1268. IV. nonas Maii; ex necrologio Aquæ-vivæ.

VIII. Lucas Hugoni defuncto ſufficitur per compromiſſum; cujus electionis confirmatio petitur a Johanne archiepiſcopo anno 1268. die Jovis poſt Tranſlationem S. Nicolai.

IX. Ægidius capellanus de Hugina *vir providus & diſcretus, in ſpiritualibus & temporalibus circumſpectus, & ſciens & prævalens eccleſiæ jura tueri*, poſt mortem Lucæ abbas eligitur, quem confirmari petunt ab Johanne archiepiſcopo Bituricenſi an. 1269. Præerat adhuc an. 1277.

X Jacobus II. cui Henricus archiep. an. 1283. pontificatus ſui primo donat eccleſiam Cloë.

XI. Petrus II. 1296.

XII. Johannes I. 1340.

XIII. Johannes II. 1381.

XIV. Guido I. 1399.

XV. Robertus miſit procuratorem ad concilium Piſanum cum plena poteſtate an. 1409. ex ejuſdem concilii actis.

XVI. Guillelmus Naudet 1432.

XVII. Philippus Salmon 1446.

XVIII. Nicolaus Dargi 1459. & 1461.

XIX. Stephanus Chateauchalon 1470. 71. 80. & 89. abbas regularis.

XX. Renatus I. de Prie cardin. epiſc. Baïocenſis & Lemovicenſis anno 1500. & adhuc 1514. ſecundum Sammarthanos fratres.

XXI. Bonaventura d'Azay abbas regularis an. 1522.

XXII. Renatus II. de Chouppes monachus Benedictinus, proviſus de abbatia 20. Martii an. 1527. juxta Sammarthanos.

XXIII. Ludovicus Tiercelin canonicus ſancti Martini Turon. abbas de Oratorio & Miſeraii 1548. & 1550.

XXIV. Guido II. de Laage 1567.

XXV. Edmundus de Laage ſenator clericus in parlamento, abbas S. Memmii Catalaunenſis & de Fontenaio dioec. Bajocenſis, filius Ludovici de Laage & Franciſcæ de Montagnac, Miſeraii legitur abbas an. 1584.

XXVI. Antonius de la Soreſtie 1595.

XXVII. Jacobus Gontier 1616.

XXVIII. Ludovicus I. de Juſſac d'Entragues 1643.

XXIX. Benignus Roy dominus de S. Germano ſenator clericus in parlamento 1666. Hic loco penſionum tertiam reditum partem conventui aſſignavit.

XXX. Thomas le Gac 1668.

XXXI. Johannes Bapt. de Bongueret le Blanc decanus Pariſienſis 2. Octobr. 1680. & 1681.

XXXII. Ludovicus II. Pertat de Villemareuil canonicus eccleſiæ Pariſienſis 1692. abbas deinde Voti dioec. Conſtantienſis in Normannia, obiit longævus anno 1705. menſe Sept.

XXXIII. Franciſcus Baudin jam abbas de Lonlayo ord. ſancti Benedicti, poſſeſſionem adiit anno 1704. ceſſione præcedentis.

His adjungendus eſt Leodegarius memoratus in donatione Agnetis dominæ de Gironne, facta monaſterio Landeſii, cujus tempus ignoratur.

ABBATIA VERNUCIÆ, SEU GROSSI-BOSCI.

VERNUCIA B. Mariæ ſacra, dicta veteribus Groſſum-boſcum, abbatia ordinis ſancti Auguſtini, ſex leucis a Virzione, de cujus origine nihil ex chartis beneficio Renati Boizard diligenter inſpectis diſcere licuit, præter abbatum ſeriem quam ſubjicimus. Hoc cœnobium nunc tenent canonici Regulares arctioris obſervantiæ de quibus ſupra.

ABBATUM SERIES.

I. BERNARDUS ſocietatem iniit cum Bernardo abbate Nantolii, a quo etiam nonnulla prædia recepit anno 1172.

II. Ricardus anno 1177. privilegium obtinet ab Alexandro papa III. quo ſummus pontifex monaſterium ſub ſua recipit protectione. Reperitur etiam abbas in charta anni ſequentis regnante Ludovico rege anno 42.

III. R. abbas de Vernucia, cui anno 1182. C. prior S. Urſini una cum ſuo capitulo eccleſiam S. Sulpicii de Azenaio conceſſit: ex charta ſancti Urſini. Is eſt fortaſſe Robertus qui reperitur abbas anno 1197. in charta S. Sulpitii Bitur. vel Richardus qui præceſſit. Inter epiſtolas Adami abbatis de Perſenia, vigeſima inſcribitur R. abbati de Vernuſia.

IV. Herveus 1205. ex charta monaſterii Barzellæ & 1232. in charta Vernuciæ. Idem forte cum Habbe qui reperitur in inſtrumento anni 1234.

V. Petrus I. 1235. & 1239.

VI. Odo 1251.

VII. Stephanus I. an. 1261. litem componit cum decano & capitulo S. Auſtregiſili Bituric.

VIII. Droco 1295.

IX. Petrus II. de Virzione 1336. An etiam idem cum Petro qui 1359. occurrit?

X. Nicolaus de Bleſis 1380. 1382. 1398. & 1400.

XI. Johannes I. 1413.

XII. Nicolaus de Blois 1414. An diverſus ab alio ejuſdem nominis?

XIII. Clemens Cuiguat 1420. 1428. 1429.

XIV. Petrus III. de Troye abbas de Groſſo-boſco 1434. in veteri charta Nantolii.

XV. Johannes II. 1437.

XVI. Jacobus 1439. cognominatus de Rogemont an. 1442.

XVII. Petrus IV. cognomento Chouffier 1444. 1455. 1462. & 1470.

XVIII. Johannes le Groing, abbas etiam Plenipedenſis, frater Guillelmi abbatis ſancti Martini Pontiſarenſis. Obiit 1478. in vigilia Pentecoſtes. *Du Fourny.*

XIX. Petrus V. 1478. in bulla Sixti IV.

XX. Stephanus II. Taveau, abbas etiam ſancti Benedicti prope Pictavos an. 1489.

XXI. Antonius Tranchelion 1511. & 1512. abbas ſimul S. Genulfi, de quo vide ibidem.

XXII. Claudius I. de la Touche 1526. & 1529.

XXIII. Claudius II. de Brilhoc, quo defuncto

XXIV. Joachimus de Racine bullas obtinuit a Paulo III. an. 1547. Reperitur etiam in quibuſdam inſtrumentis ann. 1565. & 1572.

XXV. Martinus de Racine canonicus eccleſiæ Pariſienſis, 1572. 1595. 1620. & 1621. Anno 1615. adfuit comitiis generalibus cleri Gallicani.

XXVI. Matthæus Perrot cancellarius eccleſiæ Bituric. abbas de Varennis 1615.

XXVII. Franciſcus de Racine 1637. & 1641.

XXVIII. Armandus de Bethune 1666. epiſcopus poſtea Anicienſis, ceſſit in gratiam ſequentis, an. 1682.

XXIX. Renatus Boizard vicarius major, officialis, ac decanus Anicienſis, ſub quo reformatum eſt monaſterium, advocatis canonicis Regularibus e monaſterio de Bocachard.

XXX. N. Barjavet deſignatur abbas Vernuciæ a rege Chriſtianiſſimo an. 1711. die 14. Auguſti.

XXXI. N. Jubert du Thil nominatione regis Chriſtianiſſimi fit abbas an. 1712. 26. Martii in vigilia Paſchæ.

ABBATIA B. M. DE CHALIVEIO, ſeu CALLOVIO.

CALLOVIUM * ſeu Chaliveium ordinis Ciſtercienſis monaſterium, B. Mariæ ſacrum, filia Pontiniaci, primam ſui originem debet Juliano cuidam eremitæ, cui anno M. C. XXXIII. Guiſridus de Magniaco terram Fontem-juſti dictam duabus leucis a Callovio diſſitam donavit ad capellam & domos pro fratribus, quibus ille præerat, ædificandum. Quam donationem confirmavit Wlgrinus archiepiſcopus Bituricenſis, cum conſtructam a Juliano capellam apud Fontem-juſti dedicavit. Primam hanc donationem quinquennio poſt auxit Iterius *de Bonoil*, data prædicto Juliano terra de Undrea anno M. C. XXXVIII. ea conditione, ut ſi ſe ſuumque monaſterium ordini Ciſtercienſi dare vellet, aut alio ſe transferre, libere id exſequi poſſit: ſi vero Cluniacenſi ordini, aut alteri non abſimilis obſervantiæ, ſe dederet; terraquam dabat, ad ſuos hæredes, ſi vellent, rediret. Hac poteſtate innixus Julianus, ſtatim ſe ſuaque tradidit Ciſtercienſibus, qui monaſterium a Fonte-juſti ad Callovium ſeu Chaliveium tranſtulerunt. Id certe jam exſecutioni demandarant anno M. C. XLV. quo Rainaldus de Monte-Falconio monachis Ciſtercienſibus ceſſit quidquid juris apud Callovium habebat. Certe recenſetur hoc monaſterium in litteris Eugenii papæ III. ad Petrum de la Chaſtre Bituricenſem archiepiſcop. an. 1145. editis tomo 2. biblioth. Labb. Hæc ipſa de origine Callovienſis monaſterii patent ex chartis, quas e chartario Callovienſi deſcriptas, edi probationes inter curavimus. C. LXIII. col. 60. C. LXIV. col. 61. C. LXV. col. 61. C. LXVI. col. 62. C. LXVII. col. 64.

Nunc itaque veniendum ad abbatum ſeriem, quam ex chartis item monaſterii contexuimus.

ABBATUM SERIES.

I. RICHARDUS primus abbas Callovii nominatur in charta Rainaldi de Monte-Falconio anni 1145. Vide inſtrum. R. abbas Chaliveii teſtis legitur in charta Iterii baronis de Toucy, qui aggrediens iter Jeroſolymitanum, quædam ſuo nepoti Godefredo abbati de Rupibus donavit an. 1147. Præerat adhuc anno 1150. quo teſtis fuit donationis factæ monaſterio de Rupibus a Gimone de Caſtro-Cenſurii. C. LXV. col. 61.

II. Manſellus anno 1153. Petri archiepiſcopatus anno XIII.

III. Willelmus anno 1156. præerat, quo terram emit quæ Paradiſus dicebatur. Hoc eodem anno memoratur in charta Petri archiep. quam vide inter inſtrum. Anno 1160. teſtis eſt donationis factæ abbatiæ Boni-radii a Gaufrido Dado in manu Petri archiepiſcopi Bituricenſis, pontificatus ipſius anno 20. Anno 1162. cum Radulfo abbate ſancti Satyri componit pro decimis trium grangiarum; & cum Odone de Pariniaco & filio ejus Matthæo pro quibuſdam terris. C. LXVI. col. 62.

IV. Ulricus I. anno 1170.

V. Gaufridus anno 1176. emit terram de Beloſa. Reperitur adhuc in duabus chartis, una anni 1177. altera anni 1178.

VI. R. abbas Callovii cum Gaufrido abbate de Rupibus reperitur in quadam charta. Gaufridus autem abbas præerat an. 1178. immo an. 1174.

VII. Elias 1180. & in charta B. Mariæ de Salis 1185.

VIII. Ulricus II. anno 1188. componit cum Gofrido abbate S. Satyri ſuper decimis de parochia de Focis, de Grecia, & de Luiniaco. Reperitur adhuc an. 1189. 1191.

IX. Bernardus ante annum 1198.

X. Amandus I. reperitur in variis chartis ab anno 1220. ad 1233. & quidem anno 1220. A. Callovii abbas & R. abbas Curiæ-Dei ſententiam ferunt adverſus abb. Clarevallenſem, qui monialium de Frieſtor viſitationem ambiebat in præjudicium abbatis Morimundi. Ejus ſub præfectura Petrus de Eſpinolio miles anno 1227. ſepultus eſt apud Callovium.

XI. S. abbas Callovii anno 1234. quandam commutationem facit cum Petro Tribul. Fortaſſe vero idem eſt cum eo qui ſequitur.

* Chaliveium.

XII. Stephanus I. 1255. & in charta Fontis-Morigniaci 1256.

XIII. Laurentius I. anno 1267. reperitur in chartario archiepiſcopi Bituricenſis, & an. 1268. litem componit cum abbate S. Ambroſii.

XIV. Amandus II. 1270.

XV. Guillelmus I. anno 1279. cum Hugone de Lata-Petra, præceptore domus de Franca-villa militiæ Templi, compromittit pro terra de Faia. Sub hoc circiter abbate Philippus Francorum rex ſub ſua cuſtodia monaſterium eſſe declaravit litteris annorum 1280. & 1295. quas vide inter inſtrumenta.

C. LXVII. col. 64.

XVI. Johannes I. anno 1302. cum priore Caritatis compromittit in abbatem S. Laurentii pro quibuſdam decimis, præerat etiam 1305.

XVII. Henricus 1323.

XVIII. Laurentius II. an. 1327. cum Ludovico de Brocia milite quædam permutat.

XIX. Stephanus Quinaut 1437.

XX. Johannes II. Jaillet * 1440. jam præerat. Anno 1449. factus eſt etiam abbas Fontis-Morigniaci; reperiturque Johannes abbas Callovii in variis chartis uſque ad 1464. Denique tranſlatus eſt ad abbatiam de Rupibus dioec. Autiſſiodor. permutatione facta cum ſequenti, auctoritate abb. Pontiniac. & aſſenſu abbatis Ciſtercienſis, quam an. 1467. approbavit capitulum generale.

* *al.* de Autiſſiodoro.

XXI. Bertrandus Gallois, de quo ſupra, præerat jam 1467. præfuitque uſque ad an. 1503. Ejus tempore an. 1470. Guillelminus de Niſon miles, dictus de Brezi, dominus de Chanteraine de Chatillon lez Heri, Callovii ſepultus eſt.

XXII. Tuſſanus Gillet præfuit ab an. 1550. tametſi

XXIII. Guillelmus II. Bouchetel anno 1549. & 1550. abbas reperitur, uti & 1552.

XXIV. Johannes de Morvillier epiſcopus Aurelianenſis abbas reperitur in variis inſtrumentis ab anno 1563. ad 1575.

XXV. Guillelmus III. Foucaut Regis eleemoſynarius & canonicus ſacræ capellæ Bituric. 1581. 1611.

XXVI. Palameder de Fondria; obiit anno 1626.

XXVII. Euſtachius Picot, *al.* Picol, Regi a conſiliis & eleemoſynis, præpoſitus ſymphoniſtarum capellæ regiæ, canonicus S. Capellæ Pariſ. erat abbas Chalivcii 1637. & 1655. In tumulo tamen ejus plumbeo condito in cavea inferioris S. Capellæ, notatur ejus obitus contigiſſe 26. Junii 1651.

XXVIII. N. Girard.

XXIX. Antonius de Furetiere academicus, dictionario linguæ Gallicæ, & altercationibus litterariis contra ſodales ſuos valde notus: ab an. 1663. ad 1687. aut 1688.

XXX. Petrus de Beaumont de Chantelou de Bearnier ejus nepos ab anno 1688.

XXXI. Herveus de Goazanvot * regis capellanus, 17. Auguſti an. 1710. abbas deſignatur; erat adhuc an. 1712.

* *al.* de Goanzavol.

NIGRI-LACUS ABBATIA ORDINIS CISTERCIENSIS.

NERLACENSE monaſterium, alias Domus-Dei de Nigro-lacu, filia Claræ-vallis, ad Carum fluvium, uno ab urbe S. Amandi milliari ſitum, fundatorem agnoſcit Ebbonem de Carentonio *, qui monachis Clarevallenſibus an. 1150. locum *Domum-Dei* appellatum in Brioria dedit ad conſtruendam abbatiam, aſſentiente uxore ſua Agnete, ſuppeditatis etiam reditibus ad alendos monachos qui ipſam abbatiam inhabitarent. Fundationem hanc an. 1159. ratam habuit Petrus archiepiſc. Bituricenſis, pontificatus ſui an. 19. noviſque adauxit prædiis Ebbo præfatus, pietate monachorum permotus: quæ quidem omnia Ebbo ejuſdem Ebbonis filius corroboravit & ampliavit, confirmata poſtmodum ab Henrico Bituricenſi archiepiſcopo anno 1189. Hæc ſane conſtant ex litteris authenticis, quas integras inter inſtrumenta retulimus.

a

C. LXVIII. col. 64. C. LXIX. col. 65. C. LXX. col. 66.

Quam vero inſigne quondam fuerit Domus-Dei monaſterium, probant adhuc quæ ſuperſunt ædificia, clauſtrum, refectorium, piſcina, dormitorium, novitiorum cella, & capitulum in quo cum pleriſque abbatibus tumulati jacent Ebbo Carentonii dominus fundator, Agnes uxor, Ebbo junior eorum filius, & Mathildis de Carentonio. Jacent in clauſtro domini de Caſtra *, & in capitulo nobilis vir Rainaudus de Monte-Falconis junior. In eccleſia autem prope majus altare ad latus Evangelii jacet Henricus d'Avaugour Bituricenſis archiepiſcopus, qui obiit anno 1346. His præmiſſis abbatum ſeriem pro more noſtro ſubjicimus.

* de la Chaſtre.

ABBATUM SERIES.

I. ROBERTUS I. ut aiunt, S. Bernardi nepos vel certe conſanguineus, primus abbas, ad quem exſtat ejuſdem celebris epiſtola, quæ prima omnium excuſa eſt. Hic Ciſtercienſis monachus factus, cum deinde juvenis nobilis aſperæ Ciſtercienſium vitæ eſſet impatiens, ad Cluniacenſes tranſierat; at laudata epiſtola revocatus & corroboratus, ad finem uſque perſeveravit. Quæ utrum iſti Roberto ſint adaptanda, ut quidam volunt, non auſim affirmare. Certe vero quod aiunt huic monaſterio præfuiſſe per annos quinquaginta ſex, vix credam ex dictis de fundatione, ac dicendis in continuatione abbatum.

II. Wido jacet in capitulo cum brevi hoc epitaphio: *Hic jacet Wido abbas.*

III. Franco, quicum Humbaldus decanus S. Stephani compoſuit anno 1167. pro quibuſdam decimis. Eidem vero Stephanus abbas Pleſſi-pedis anno 1175. tria annonæ ſextaria donavit. Obiit Franco non ſine ſanctitatis nota, ad cujus tumulum populos olim confluxiſſe tradit Manricus Ciſtercienſis ordinis annaliſta. Jacet in capitulo cum hoc brevi epitaphio: *Hic jacet Franco, III. abbas.*

* Noſter D. Eſtiennot fundationem hanc Roberto S. Bernardi conſanguineo acceptam refert ad an. 1136.

Digitized by Google

IV. Willelmus abbas quartus an. 1178. ſubſignat concordata inter Willelmum abbatem Prateæ, & Nicolaum abbatem S. Gildaſii de Caſtro-Radulphi ex tab. Prateenſi. Eidem Willelmus de S. Amando & Herveus filius ejus medietatem manſi ſui de Verreriis dederunt an. 1184. epiſcopatus Henrici Bituricenſium archipræſulis anno ſecundo. Item anno 1189. Ebbo de Carentonio junior laudavit Willelmo abbati fundationem & largitiones ab Ebbone patre ſuo factas. Ante annos vero quatuor, ſcilicet anno 1185. Elyon abbatiſſa B. Mariæ de Buxeriis promiſit libram unam incenſi quotannis ſolvendam Willelmo abbati Domus-Dei, & patri Buxeriarum; quo etiam nomine ratum habuiſſe memoratur pactum initum inter Elyonam abbatiſſam Buxeriarum & quemdam militem nomine Willelmum: ex tab. Buxer. Anno 1197. interfuit compoſitioni inter Simonem abbatem Prateæ & priorem S. Cyrici Exoldunenſis ſuper decima & aliis apud Cerzey, ex tab. S. Cyrici & Prateæ, in quo reperitur adhuc an. 1190. & 1204. in charta S. Willelmi Bituricenſis archiepiſcopi pro monaſterio Domus-Dei. Quin etiam teſte D. Edmundo Martenne attigit Willelmus abbas annum 1211. ex charta S. Auſtregiſili de Caſtro: ex quo nihilominus Willelmo duplicem facit, imo triplicem, D. Claud. Eſtiennot, duos conſequenter, ac tertium poſt quemdam Ar... quem invenit an. 1202. ſubſcripſiſſe cum Ar. Exolduni, E. Fontis-Morigniaci & S. ſancti Gildaſii abbatibus, pactis inter Radulfum abbatem Dolenſem & S. Prateæ: ex tab. Prat. Ceterum Willelmus I. II. vel III. memoratur adhuc an. 1207. in tab. Buxer. & an. 1215. teſtante D. Claud. Eſtiennot. Jacet in capitulo cum hoc epitaphio: *Hic jacet domnus Willelmus abbas IV. iſtius domus. Anima ejus requieſcat in pace.*

V. Robertus II. memoratur an. 1216. in charta prioratus S. Martini de Campis prope Biturigas; eidem Roberto an. 1217. Guillelmus de Lineriis quædam conceſſit pro anniverſario ſuo. Hunc autem an. 1222. factum abbatem Clarevallenſem D. Claud. Eſtiennot & Sammarthani an. 1221. aſſerunt, mortuum vero 1223. idibus Martii.

VI. Elyas, cui anno 1224. Odo de Souzaio miles dat unum ſextarium frumenti. Occurrit & anno 1226. in charta B. Mariæ de Moreis, forte *Moris*. Jacet in capitulo, ubi breve hoc habet epitaphium: *Hic jacet Elias ſextus abbas.*

VII. Petrus I. memoratur anno 1237. in charta S. Auſtregiſili de Caſtro-Bituricenſi. Idem forte cum P. abbate qui reperitur an. 1241. in charta Nerlacenſi.

VIII. Garnerius recenſetur an. 1247. in charta S. Auſtregiſili de Caſtro Bituric. ubi etiam in alia charta dicitur Garinus. Jacet in clauſtro Nerlacenſi, ubi hoc habet epitaphium: *Hic jacet domnus Garnerius X. abbas domus iſtius.*

IX. Gumo, *al.* Guido, qui in capitulo hoc habet epitaphium: *Hic jacet domnus Gumo XII. abbas domus iſtius, anima ejus requieſcat in pace.*

X. Hugo jacet in capitulo cum hoc epitaphio: *Hic jacet Hugo XIII. abbas iſtius domus; anima ejus requieſcat in pace.*

XI. Willelmus in capitulo ſepultus, ubi dicitur abbas XIV. Interfuit an. 1266. donationi Odonis Exoldunenſis factæ monaſterio Prateenſi.

XII. Theobaldus de Sanſiaco ex abbate Domus-Dei an. 1270. factus eſt ab epiſtolis & mandatis Bononi abbati Claræ-vallenſi, tum prior Claræ-vallis, deinde abbas, ac tandem abbas Ciſtercienſis.

XIII. Johannes I. prius monachus Prateenſis, Domus-Dei regimen obtinebat anno 1275. quo ratum habuit quoddam excambium inter abbatem conventumque Prateenſem & Julianam abbatiſſam de Buxeriis, tanquam hujus monaſterii pater. Anno 1287. inſtituitur exſecutor teſtamenti Johannis domini de Soliaco; abbaſque Claræ-vallis eligitur, ubi mortuus eſt poſt quinque annos & aliquot menſes. Alibi tamen reperio jam an. 1286. electum abb. Claræ-vall. At illa diſcrepantia ſe tenet ex modo incipiendi annum, vel a Paſchate vel a menſe Januario.

XIV. Petrus II. an. 1323. occurrit in tabulario Buxerienſi.

XV. Rainaudus 1362.

XVI. Johannes II. du Buz 1362. ex tabulis Buxerienſibus ratas habet quaſdam commutationes. Occurrit etiam an. 1374. 14. die Maii, ſed tacito cognomine.

XVII. Rainaldus de Corbigny 1381. & 1386. qui litem ſopit inter Buxerienſes & oppidanos S. Paterni Exoldunenſis, cum Guillelmo abbate Olivetenſi.

XVIII. Bernardus teſtis eſt permutationis & tranſactionis factæ inter Hugonem abb. B. Mariæ de Exolduno & Jacobum abb. de Pratea, an. 1395. die Mercurii poſt feſtum omnium ſanctorum III. Novembris, indict. VI. Benedicti papæ XIII. an. II.

XIX. Rainaudus cujus legitur hoc epitaphium in capitulo: *Hic jacet domnus Rainaudus abbas domus iſtius, qui obiit anno Dom. 1403. anima ejus requieſcat in pace.*

XX. Johannes III. Tendron, qui Feudronius noſtro Eſtiennot, reperitur abbas 1407. in charta Landeſii, & in alio inſtrumento an. 1417. Obiit an. 1421. ſepultus in capitulo cum epitaphio hunc annum mortis ejus deſignante.

XXI. Herveus I. Perſil præerat jam anno ſiltem 1452. Ejus ſepulcrum viſitur in capitulo, hoc epitaphium habens inſcriptum: *Hic jacet reverendus Herveus Perſil XXIV. abbas hujus monaſterii, qui obiit 28. Julii 1464. requieſcat in pace.*

XXII. Herveus II. Aubery ex monacho Fontis-Morigniaci abbas 25. mortuus die 5. Aprilis 1492. ut docet nos ejuſdem epitaphium in capitulo.

XXIII. Dalphinus Tourbes abbas de Domo-Dei, alias de Nigro-lacu, reſignavit Claudio de Meſme protonotario Sedis apoſtolicæ, quam reſignationem approbat capitulum generale an. 1508.

XXIV. Johannes IV. Pennot anno 1493. intereſt comitiis generalibus ordinis. Occurrit etiam an. 1519. in inſtrumento electionis dominæ Gabrielis de Mouſſy in abbatiſſam Buxeria-

Digitized by Google

rum, cui præfuit ex antiquo jure. Abbates vero Johannis ſucceſſores eodem jure uſi ſunt uſque ad Mariam de Laubeſpine de Chaſteauneuf abbatiſſam, quæ anno 1628. obtinuit abſolutionem a poteſtate abbatis Nigri-lacus, ſuumque monaſterium archiepiſcopis ſubjecit.

XXV. Jacobus d'Albret epiſcopus Nivernenſis reperitur abbas 1530. & 1539.

XXVI. Cæſar Juvenal, filius Latini Juvenal reperitur abbas anno 1544. 1545.

XXVII. Tiburtius Burce, eques S. Johannis Jeroſolymitani, abbas reperitur in variis actis ab an. 1551. ad 1574.

XXVIII. Nicolaus de Auguſtinis Italus & patricius Caſenatenſis in Romandiola, abbas Nerlacenſis anno 1574.

XXIX. Petrus III. de Tholhet abbas Nerlacenſis, Fontis-Johannis, & de Eſcharliis 1581.

XXX. Johannes V. de Tollet filius Guillelmi ex Anna de Maupuy; abbas etiam Plenipedis.

XXXI. Guillelmus de l'Aubeſpine Regis eleemoſynarius 1600. Duos ejuſdem familiæ ſucceſſores habuit abbates, quorum nomen deprehendere nequivimus.

XXXII. Camillus de Neuville 1636. abbas Nerlacenſis, Athanacenſis & Inſulæ-Barbaræ. Factus archiepiſcopus Lugdunenſis, ceſſit abbatia Nerlacenſi.

XXXIII. Carolus de l'Aubeſpine, abbas etiam Maſciacenſis, obiit 17. Sept. an. 1653.

XXXIV. Franciſcus de Berthemet canonicus Remenſis reperitur in variis actis ab anno 1655. obiit an. 1676. *

XXXV. Claudius Mauroy ab anno 1677.* ad an. ſaltem 1708.

XXXVI. Ludovicus Antonius d'Orillac an. 1714.

FONS-MORIGNIACI ORDINIS CISTERCIENSIS.

FONTIS-MORIGNIACI monaſterium ordinis Ciſtercienſis, filia Claræ-vallis, fundatorem habuit dominum Montis-Falconis, qui monachos ex Clarevallenſi monaſterio miſſos[a] in hoc admiſit anno 1148. * Chartam fundationis in archivis non reperimus, ſed tantum ipſius confirmationem factam a Rainaldo Montis-Falconis domino anno 1169. quam inter inſtrumenta retulimus. Jam vero ſeriem abbatum qualem ex archivis eruimus ſubjicere juvabit.

SERIES ABBATUM.

I. GISLEBERTUS primus Fontis-Morigniaci abbas occurrit anno 1149. Memoratur in pluribus chartis annorum 1152. 1154. & 1162. Anno 1156. privilegium obtinet ab Adriano papa IV. & an. 1163. ab Alexandro III. An. 1164. Giſleberto abbati & fratribus Fontis-Morigniaci Stephanus abbas Pleni-pedis cedit terram Uricampi, cui ceſſioni interfuit Guillelmus prior Pleni-pedis nepos Petri archiepiſcopi Bituricenſis, an. 24. epiſcopatus ejus. An. 1169. Giſleberto abbati Rainaldus de Monte-Falconis confirmat fundationem. Anno ſequenti 1180. Guido comes Nivernenſis G. abbati & fratribus Fontis-Morigniaci concedit exemtionem ab omni pedagio. Eodem anno Rainaldus Nivernenſis, filius Nivernenſis comitis, venit ad monaſterium Fontis-Morigniaci, & de conſilio Giſleberti abbatis miſſam quotidie celebrandam, quatuor pauperes feria quarta alendos, & lampadem unam coram altari accendendam fundavit. Fundationis hujus chartam retulimus inter inſtrumenta, ut eo magis innoteſcat pietas Rainaldi. Denique Giſlebertus anno 1183. adhuc præerat, quo ipſi & fratribus Fontis-Morigniaci Iterius Juvenis dedit terram de Laloſa; quam donationem confirmavit Henricus archiepiſcopus Bituricenſis pontificatus ſui an. 1. C. LXXII. col. 68.

II. Huo ſive Hugo, anno 1188. reperitur in chartario monaſterii B. Mariæ de Callovio, & anno 1189. in compoſitione facta cum Arnulfo de Pariniaco.

III. Gaufridus 1191.

IV. Galterius, cui anno 1195. Ugo de S. Leodegario donationem fecit, confirmatam a Johanne Nivernenſi epiſcopo.

V. E. abbas reperitur in quibuſdam chartis anni 1200. & 1202. quo anno A. abbas ſancti Laurentii cedit E. & fratribus Fontis-Morigniaci quicquid juris habebat in decima de Cetiliaco per manum Hugonis epiſcopi Autiſſiodorenſis.

VI. Guido abbas anno 1205. privilegium inſigne obtinet ab Innocentio III. papa. Eodem anno Radulfus abbas Dolenſis, præſente Willelmo Nivernenſi epiſcopo, & Arnulfo Exoldunenſi abbate, eidem Guidoni quædam aſcenſat. Denique Guidoni abbati & fratribus Fontis-Morigniaci anno 1208. Petrus de Barris dat terram in territorio de Curs.

VII. Conſtantinus abbas anno 1210. menſe Decembri cum G. archiepiſcopo Bituricenſi componit pro quadam terra. Idem Conſtantinus anno 1214. cum Galterio abbate Pleni-pedis contendit pro quibuſdam decimis.

VIII. J. abbas Fontis-Morigniaci reperitur in quibuſdam chartis anni 1220. & 1226. in charta monaſterii de Mores, ubi Johannes nuncupatur. Sub eo baſilica reædificata fuit & dedicata a Simone I. Bituric. archiepiſcopo, XVII. cal. Julii an. 1225. ut docet vetus inſcriptio.

IX. U. abbas anno 1234. reperitur in charta B. Mariæ de Salis.

X. Guillelmus I. 1247.

XI. Thomas an. 1263. reperitur in quibuſdam litteris Jacobi abbatis Ciſtercienſis. Anno 1278. cum Guidone archiepiſcopo Bituricenſi litem componit.

XII. Stephanus præerat an. 1283. & 1293. Reperitur etiam an. 1305. in quibuſdam chartis B. Mariæ de Callovio. Anno 1312. ſedebat adhuc, quo recepit quinquaginta libras Turonenſes a Petro de Fontenay ad faciendam capellam pro ejus ſepultura.

[a] Non tunc primo fundatum eſt, ſed ſociatum ordini Ciſtercienſi, ut habet MS. codex abbatiæ; pro qua unione litteras dedit Petrus de la Chaſtre archiepiſcopus Bituricenſis. Et certe memoratur hæc abbatia in brevi apoſtolico Eugenii papæ III. ad Petrum archiepiſcopum Bituricenſem an. 1145.

Digitized by Google

XIII. Petrus I. an. 1352. componit litem cum Guillelmo Flotæ domino de Ravel, de Boiſgibaut.

XIV. Johannes I. Radoys 1405. Obiit Nivernis in domo ſita in burgo S. Stephani ad ſuam Fontis-Morigniaci abbatiam pertinente: a qua domo deportatum fuit defuncti corpus in abbatiam præfatam; & pro jure parochiali Guillelmus du Scaut, religioſus & procurator dictæ abbatiæ, dedit ſexaginta ſolidos Johanni Chaſelli priori S. Stephani Nivernenſis & Guillelmo de Nivernis curato ejuſdem eccleſiæ. Datum die Dominica in feſto Nativ. beatæ Mariæ 1420. ex charta S. Stephani Nivern.

XV. Guillelmus II. in variis chartis ab an. 1432. ad 1448. An. 1436. Guillelmus abbas Fontis-Morini commiſſarius pro reformatione monaſteriorum ord. Ciſterc. in provinciis Bituricenſi & Senonenſi delegatus eſt ab abbate Ciſtercienſi, ex charta Boſcheti.

XVI. Johannes II. Failleti ex abbate Callovii fit abbas Fontis-Morignei, & in poſſeſſionem inducitur a Philippo abbate Claræ-vallis anno 1449. 16. Decembris; præerat adhuc 1456. Idem forte eſt cum Johanne abbate qui reperitur in quibuſdam chartis annor. 1458. 1459. & 1460.

XVII. Johannes III. Guichard 1492. 1498. Anno 1493. interfuit Pariſiis comitiis ordinis generalibus

XVIII. Johannes IV. Marion poſt Johannem Guichard electus, cujus benedictio anno 1504. celebratur ab archiepiſcopo Bituricenſi, die 25. Octobris.

XIX. Johannes V. des Barres licentiatus in utroque jure, protonotarius apoſtolicus, commendatarius an. 1512. 1518. 1523.

XX. Franciſcus I. des Bares in variis inſtrumentis ab anno 1537. ad 1555.

XXI. Franciſcus II. Pyvet 1587.

XXII. Franciſcus III. de la Grange, frater Franciſci Franciæ mareſcalli, primicerius eccleſiæ Metenſis, reperitur in quodam inſtrumento an. 1626. * Poſt cujus mortem frater * ejus, nominis ejuſdem, abſque tum regia tum apoſtolica ſchedula, per dolum & fraudem ab omnibus damnandam, abbatiam poſſedit uſque ad 1673.

XXIII. N. de Villedouvé, forte contendit cum præcedente.

* *al.* 15. XXIV. Jacobus Boutet 1673. obiit 13. * Decembris 1699.

* *al.* Flamant. XXV. Gilbertus Flamen * canonicus Nivernenſis, Regis eleemoſynarius, eodem anno die 24. Decembris abbas renuntiatur, ſuperſtes ad an. ſaltem 1708.

ABBATIA LANDESII.

* Leuroux. LANDESIUM B. MARIÆ, in archipresbyteratu Leproſi *, ordinis Ciſtercienſis, filia Eleemoſynæ, Barzellæ parens, fundatum creditur anno 1115. cujus ſi non auctores præcipui, ſaltem benefactores agnoſcuntur domini de Buzençois, quorum hactenus ſepulcra viſuntur in eccleſia; haberi autem voluit pro fundatore Petrus de Brilhac dominus d'Argy an. 1484. Hæc certe familia, uti & de Pria, munificam ſe præbuit iſti cœnobio. Ceterum hunc locum monialibus ad inhabitandum primo donatum fuiſſe fidem facit ſequens tabula martyrologii MS. Landeſienſis e chartophylacio deſumta. *In nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti. Ne facile laberetur a memoria, placuit annotari cartulæ huic, quod Archembaudus de Argy, & Stephanus Muſellus pro remedio animarum ſuarum & parentum ſuorum dederunt ſanctimonialibus, Ramburgi ſcilicet atque ſororibus ſuis, & ſucceſſoribus earum tam viris, quam mulieribus inibi Deo ſervientibus, manſionem ſitam in nemore Landeſi, quietam, pacificam, atque ab omni ſeculari conſuetudine ſive dominio liberam, quæ vulgo Fonsſtabilis dicitur, cum appendiciis ſuis, hortis, fontibus, virgultis, rivo, ſtagno, pratis, quantum ædificare poſſent ex utraque parte rivi; dederunt etiam eis terram ad operandum, & excolendum, nemus autem ad claudendum, & plectandum, quantum ſibi neceſſarium foret, paſturam quoque porcorum ſuorum, ſeu animalium, ſive cæterarum pecudum, & omnes omnino proprios uſus in toto territorio Landenſi, & in omnibus nemoribus ſcilicet libere conceſſerunt. Donum autem hoc factum an. MCXV. ab Incarnatione Domini, regnante Ludovico rege Francorum, Leodegario preſidente archiepiſcopo Bituricenſi: hujus doni teſtes fuerunt ex parte dominorum, milites Willelmus filius Bernei, Galterius Mornellus, Helias Cotinus; ſervientes, Gaufridus Præpoſitus, Groſſus filius Franci, Petrus Aalardus, Gaufridus de Paludello, Rainaudus Cuneis, Johannes de Geneſte; ex parte autem ſanctimonialium, Gauterius monachus, Giraudus & Sevibertus heremitæ, Ebrardus & Humbertus ſacerdotes, Johannes de Croſt, Petrus de la Foreſt, Aubertus de Monaſteriolo.* Catalogus abbatum auctior & emendatior prodit in lucem ad fidem inſtrumentorum monaſterii adornatus.

ABBATUM SERIES.

I. HUGO I. cujus mentio frequens occurrit in tabulis Landeſii, minime tamen ante annum 1143. quo ei R. * toparcha de Buzençois decimas quaſdam & molendinum largitus eſt; conſentiente Odone filio. Eidem privilegium conceſſit anno 1147. Eugenius papa III. necnon Alexander III. anno 1163. quo etiam recenſetur in tabulario Dolenſi. Teſtis etiam nominatur in charta Henrici II. regis Angliæ pro abbatia de Baugeſcio: vide append. ad opera Petri Bleſenſis pag. 772. Anno quoque 1166. Hugo abbas Landeſii ſubſcribit quibuſdam litteris Petri archiepiſcopi Bituricenſis pro eccleſia de Varnella, ex tabulario cellæ S. Euſitii in arca *La Varnelle*. Forte tamen id pertinet ad Hugonem II. ſi tamen duo fuerunt hujus nominis ſucceſſive & non unus.

* Radulfus apud Sammarth.

II. Hugo II. ſecundum Sammarthanos, de quo chirographum vetus pactionis initæ cum Herveo abbate Villalupenſi 1169.

III. Petrus I. an. 1175. ex eiſdem Sammarthanis, & Claud. Eſtiennot.

IV. Giraudus memoratur an. 1184. in tabula

Mareſchaux de France. * *Al.* nepos ex fratre Carolo Stephano camerario ducis Aurelianenſis; cui Joachimus de la Grange frater, dicitur a D. du Tourny datus ſucceſſor.

Archembaldi de Argiaco donantis quæ poſſidebat in territorio de Foſſart, aſſenſu Agathæ uxoris.

V. R. anno 1185. in litteris Stephani de Garda.

VI. Clemens Landeſii monaſterium regebat anno 1188. Philippo rege Francorum exiſtente & Henrico Biturigenſi archiepiſcopo.

VII. Reginaldus qui & Rainaudus 1195. ſecundum Sammarthanos. Memoratur an. 1200. in litteris Roberti domini Buzenceii, quibus teſtatur Vivianum de Meneſtriol militem in cœnobio Landeſii factum fuiſſe monachum. Anno vero 1202. inſigne privilegium obtinuit ab Innocentio papa III.

VIII. Herbertus 1205. recenſetur in ceſſione facta monachis Landeſii in decima Gaufridi de Paludello *; cujus memoria habetur annis 1206. & 1210.

* Palluau.

IX. Andreas I. 1212.

X. Petrus II. 1217. paciſcitur cum canonicis Leproſii.

XI. Andreas II. 1219.

XII. Ivo an. 1222. quædam commutat cum Gaufrido abbate S. Genulfi. Anno ſequenti nonnullas donationes accepit; eidem quoque, anno 1226. Gaufridus abbas S. Genulfi donum Silvæ *de la Pommeraye* factum a patre ſuo monaſterio Landeſii, laudavit. Eodem anno quædam comparavit a Thoma abbate Miſericordiæ-Dei. Reperitur etiam abbas an. 1227. 1229. & 1231. ſed hoc ipſo anno dignitate abbatis ceſſiſſe videtur; in charta enim ejuſdem anni dicitur quondam abbas Landeſii.

* 1231. *Sammarth.*

XIII. Hugo III. cui anno 1232. * Radulfus dominus de Buzenciaco quædam legavit pro habenda in monaſterio Landeſii ſepultura. Charta donationis facta eſt XI. calend. Martii præſente Roberto * epiſcopo Venetenſi, qui tunc in monaſterio commorabatur.

* al. Rodoaldo.

XIV. Andreas III. an. 1233. componit cum J. abbate Burgidolenſi, pro quibuſdam prædiis. Anno ſequente pacem iniit cum Radulfo Buzenciaci toparcha.

XV. Thomas, cui anno 1261. quædam donatio reperitur facta. Anno vero 1262. quædam permutavit cum domino Calviniaci.

XVI. Hernaudus * jam abbas erat an. 1264. ex charta B. Mariæ de Pratea. Anno 1267. quædam permutat cum Matthæo Corau milite. Rexit ad annum ſaltem 1271.

*

XVII. Johannes I. an. 1281. quoddam fecit excambium cum Johanne abbate Dolenſi.

XVIII. Guillelmus I. an. 1283. nonnulla permutavit cum Odone de Ronchenons milite.

XIX. Petrus III. an. 1320. componit cum Johanne de Rupe-forti; anno vero 1338. quædam acquiſiviſſe reperitur. Memoratur & anno 1339. apud Sammarth.

* D. Eſtiennot vidit in tabul. Prateenſi, in arcula *Martiil*, litteras Hernaudi, ſeu Arnaldi, & Gorberti abbatum Landeſii, datas an. 1264. quibus teſtantur ſe legiſſe teſtamentum N. dominæ Caſtri-novi ſuper Carum. Fortaſſe tunc Arnaldus pedum tenebat, & Gosbertus titulum abbatis retinuerat, quia prius ſederat. Poteſt ejus regiminis tempus aſſignari inter Andream & Thomam.

XX. Dionyſius an. 1369. dat quædam prædia ad manufirmam.

XXI. Laurentius, cui anno 1386. Johannes Muſeau miles, dominus de Coublon, vincas quaſdam cum aliis prædiis conceſſit pro ſuo anniverſario & pro ſua in monaſterio ſepultura; quam donationem an. 1387. Johannes & Hugo ejus nepotes confirmarunt.

XXII. Johannes II. Raffin 1402. 1417. & 1422. quo anno abdicavit.

XXIII. Petrus IV. le Frere eodem anno electus eſt. Compoſuit autem an. 1429. cum Johanne d'Azay abbate de Millebecco pro quibuſdam prædiis. Reperitur etiam abbas an. 1432. & 1439.

XXIV. Johannes III. Chevallier jam abbas an. 1445. quo in Univerſitate Aurelianenſi ſtudebat. Præerat adhuc anno 1457. quem etiam perveniſſe ad annum 1468. aſſerit noſter D. Eſtiennot.

XXV. Johannes IV. an. 1473. dat quædam ad manufirmam.

XXVI. Renatus de Prie cardinalis & abbas commendatarius annis 1474. & 1478.

XXVII. Petrus V. de Cloue anno 1478. in pluribus chartis reperitur.

XXVIII. Antonius Tranchelion 1493.

XXIX. Johannes V. d'Arveau an. 1498. abbatiali donatus eſt benedictione a Theobaldo epiſcopo Sagienſi, de licentia Guillelmi archiepiſcopi Bituricenſis. Eodem anno reperitur abbas in pluribus chartis, atque etiam an. 1500. & 1501.

XXX. Johannes VI. Rapiat eccleſiam, chorum & clauſtra monaſterii reſtauravit, ex Sammarthanis, & Claud. Eſtiennot, ſecundum quos ſedebat jam an. 1506. Præerat certe an. 1518. 1520. & 1521. ex charta Exoldunenſi.

XXXI. Jacobus I. Chartier anno 1522. electus a conventu, præfuit uſque ad annum 1539.

XXXII. Petrus VI. de Thiville an. 1541. abbatiam de Barzellis Landeſii filiam viſitavit. Anno 1543. interfuit benedictioni Catharinæ de la Chaſtre abbatiſſæ de Bello-viſu. Præerat autem jam anno 1540. ſeditque ad annum 1553. quo ſecundum Sammarthanos diem ſupremum obiit 14. Octobr. ſepultus in capella prope majorem januam eccleſiæ.

XXXIII. Guillelmus II. de Thiville eleemoſynarius Regis ſecundum Sammarthanos, ex monacho Villalupæ fit abbas Landeſii, ſedebatque anno 1562.

XXXIV. Ludovicus I. Pechot vel Preſchot religioſus Mercedis-Dei ſecundum Sammarthanos, abbas erat 1578. 1594. 1595. 1603. & 1605.

XXXV. Ludovicus II. Buiſſon ſenator Pariſienſis, abbas 1605. 1606. & 1613.

XXXVI. Franciſcus de ſaint Paſtour 1613. & 1623.

XXXVII. Andreas Stegler, Regiæ matris eleemoſynarius *, abbas de Moris & de Landeſio 1623. & 1627.

* *Sammarth.*

XXXVIII. Seraphinus, *al.* Stephanus de Mauroy 1629. & 1649.

Digitized by Google

XXXIX. Johannes Baptiſta Peſſot 1650. A omittitur a noſtro D. Claud. Eſtiennot.

XL. Nicolaus Colbert epiſcopus Lucionenſis & poſtea Autiſſiodor. Præerat jam anno 1655. Eo jubente tabularium Landeſii fuit ordinatum & confectus abbatum catalogus ex chartis. Obiit an. 1676. die 7. Septembris.

XLI. Jacobus II. Deſmarets, epiſcopus Regenſis in Provincia primum, nunc archiepiſcopus Auſcienſis, nepos præcedentis abbatis ex ſorore, poſtera die nominatus, hactenus ſedet.

ABBATIA BARZELLÆ.

BARZELLA, ſeu Bardella, vel Barzelona ordinis Ciſtercienſis monaſterium beatæ Mariæ
a ſacrum, filia Landeſii [a] fundatur in loco peramœno an. 1137. [b] a Reginaldo Bigri, qui in extremis poſitus & locum ceſſit Hugoni religioſo viro ad abbatiam ædificandam, & ampliſſimos ad ſufficientem monachorum numerum reditus ſuppeditavit. Id ſane patet ex charta Reginaldi domini Graciaci, qui tamquam loci principalis dominus, fundationem hanc approbavit; vide inſtrumenta.

C. LXXIII. col. 69.

Eccleſia tamen, quæ ampla eſt & elegans, non niſi anno 1219. pridie calendas Junii dedicatur. C
al. 1315. Cum anno 1313. * ab Anglis deſtructa eſſet, reparatur beneficio domini de Beauregard, cujus tumulus prope majus altare Barzellenſis eccleſiæ cernitur.

Abbatum elenchum ex veteri martyrologio MS. & aliis membranis communicamus.

ABBATUM SERIES.

I. FULCHERIUS abbas primus Barzellæ innoteſcit ex quodam MS. ejuſdem monaſterii unde hos verſus depromſimus:

Ædificata loco traxit Barzella nitenti
Fulcherio fauſtum ſub patre principium.
Mille anni & centum triginta poſt quoque ſeptem
Claudebant Chriſti tempora lapſa pii.
Qui ſua terribili ſortitur nomina marte
Menſis quindenam cæperat ipſe diem.

Verum & aliunde nobis notus eſt Fulcherius; anno quidem 1146. Petro Bitur. archiepiſcopo, ex charta Oliveti; anno vero 1147. privilegium obtinuit ab Eugenio papa III. & rurſum aliud ab Alexandro III. an. 1163. Memoratur quoque an. 1166. in charta cellæ S. Euſitii. De quo etiam interpretari licet quod legimus tom. IV. ſcript. hiſt. Franc. pag. 736. F. nimirum abbatem de Barzella ſcripſiſſe ad Ludov. VII. regem per E priorem ſui monaſterii, in hæc verba: *Quoniam eccleſiæ in honore B. & glor. ſemper virg. Mariæ conſtruendæ poſuimus fundamenta, nullum habentes opificem præter Deum .... Petrum eccl. noſtræ priorem dilectioni veſtræ deſtinamus ..... quatinus pro Dei amore ad prædictum opus perficiendum vos habeamus auxiliatorem.* Fulcherius denique obiit VIII. cal. Novembris, ex necrologio, ubi primus abbas nuncupatur.

II. Petrus I. de quo idem necrol. *V. calendas Januarii obiit Petrus abbas ſecundus.*

III. Yvo I. cujus ita meminit necrologium: * *al.* XI. cal. Febr. *X. calendas * Aprilis obiit domnus Yvo tertius abbas Barzellæ.*

IV. Petrus II. ibidem ſic commemoratur: *2. calend. Septembris obiit domnus Petrus abbas Barzellæ IV.*

V. Maximinus, an. 1181. litteris Hervei do- *Eſtiennot.*
B mini caſtri S. Aniani ſubſcripſit, quibus multa cedebat monaſterio cellæ S. Euſitii.

VI. Hamericus, cui anno 1187. Vivianus Venator domum cum vivario donavit. Is eſt fortaſſe A. abbas Barzellæ qui anno 1197. memoratur in charta Landeſii. Idem A. & W. abbas Ciſterc. & H. de Curia-Dei abbas an. 1189. cum monachis Culturenſibus pepigerunt.

VII. Nicolaus Barzellæ abbas ſeptimus ponitur in necrologio II. idus Januarii.

VIII. Yvo II. præfuit anno 1218. ex charta Landeſii & 1219. quo dedicatur eccleſia pridie cal. Junii.

IX. Thomas de quo necrologium: *XIII. cal. Decembris obiit domnus Thomas de Alneto nonus abbas Barzellæ.*

X. Andreas & ipſe innoteſcit ex duabus chartis Landeſii an. 1227. & 1229.

XI. Guillelmus I. de Alneto notatur in martyrologio ad marginem hoc modo: *XI. cal. Maii obiit domnus Guillelmus ..... neto de Burgo XI. abbas Barzellæ.*

XII. Hermagnus 1254. paciſcitur cum abbate *Eſtiennot.*
& conventu Caſalis-benedicti pro litigioſis apud Poulaines & Chambon.

XIII. J. an. 1270. reperitur abbas Barzellæ
D in charta Vernuciæ; idem forte qui Jonas apud Sammarth. defunctus XI. cal. Decemb.

XIV. Guillelmus II. Bleſenſis de quo necrologium: *III. idus Octobris obiit domnus Guillelmus Bleſenſis abbas Barzellæ, & homo ſanctæ converſationis.*

XV. Johannes, de quo necrologium: *VIII. cal. Januarii obiit frater Johannes abbas hujus eccleſiæ decimus tertius,* [c] *qui rexit eam per viginti* c
annos bene & decenter, fecitque fieri inter cetera dormitorium ejuſdem eccleſiæ, cum pluribus aliis operibus.

XVI. Stephanus 1282. in charta monaſterii
E Cellenſis.

XVII. Hugo de la Boulaye reperitur in charta anni 1451. quo etiam vivere deſiit, ex necrologio, ubi hæc legere eſt: *X. cal. Octob. obiit domnus Hugo XIV. abbas Barzellæ, qui receſſit ab hoc ſeculo anno M. CCCC. LI. Tempore ſuo fuit venerabilis converſationis & honeſtæ, & inter alia bona .... eccleſiam hujus monaſterii .....*

[a] Attamen ad introitum chori hæc legi verba, *Barzella Amoris filia*, teſtatur D. Claud. Eſtiennot. Fortaſſe *Amoris-Dei*.

[b] In baſilicæ infima parte legitur: *L'an M. C. XXXVII. le XV. Mars cette égliſe fut commencée, le dernier jour de May elle fut dediée l'an M. CC. XIX. Ayant eſté gaſtée par les Anglois l'an M. CCC. XV. elle fut dediée l'an M. CCC. XXI. Elle fut conſacrée cinq jours après les Roys, voutée & blanchie l'an M. CCC. XIX.*

[c] Hujuſce numeri nulla pene ratio habenda videtur, qui ſane additus eſt, atque inductus a neſcio quo indagatore chartarum monaſterii, quæ cum abbates omnes minime continerent, mirum non eſt ſi aliis aliunde repertis, hi numeri minime conveniant.

XVIII.

XVIII. Johannes II. Bergier 1455. & 1456. cujusſic meminit necrologium: *III. cal. Maii obiit domnus Johannes quintus-decimus abbas Barzellæ.*

XIX. Michael de la Font, de quo idem necrol. * *IV. nonas Auguſti obiit frater Michael de Fonte XVI. abbas hujus eccleſiæ anno M. CCCC. LXV.*

* al. calendis.

XX. Johannes II. Rigault in necrologio ita notatus: *XIV. cal. Aprilis obiit frater Johannes Rigault XVII. abbas Barzellæ.*

XXI. Jacobus I. de la Font 1486. & 1488.

XXII. Johannes IV. Prevoſt, qui hoc modo notatur in necrologio: *XII. * cal. Octob. obiit domnus Johannes Prevoſt abbas Barzellæ, qui receſſit de hoc ſeculo an. Domini 1521. 20. menſis Septemb. qui multa bona fecit in hoc monaſterio.*

* al. X.

XXIII. Jacobus II. Prevoſt nonniſi die 22. Septemb. anni 1527. electus eſt abbas, præſente Jacobo abbate Landeſii: ut probat electionis ejus proceſſus verbalis. Vivebat adhuc an. 1566. ut colligimus ex quibuſdam chartis, ubi dicitur abbas antiquus; quod certe innuit eum antea reſignaviſſe. Inſcriptus autem necrologio legitur VI. cal. Februarii; juxta quod etiam præfuit an. 26. numeratis videlicet ab anteceſſoris morte.

XXIV. Johannes V. d'Eſtampes abbas commendatarius reperitur jam anno 1547. & rurſum 1562. & 1575. Filius erat, ſecundum Sammarthanos & Claud. Eſtiennot, Ludovici domini de Valençay ex Maria Hurault; de quo necrologium ſic habet: *XIV. cal. Auguſti obiit bonæ memoriæ Johannes d'Eſtampes primus abbas commendatarius hujus eccleſiæ 1587. qui regnavit per 40. annos. Fecit nobis facere clauſtros & multa alia bona. Fuit pius pater pauperum, eleemoſynarum largitor.* Reperitur tamen an. 1581. Laurentius Chappon abbas, quem dicunt fuiſſe fiduciarium.

XXV. Johannes VI. d'Eſtampes nepos alterius Johannis, pronepos autem ſecundum Sammarthanos, qui hunc etiam volunt reſignaviſſe Antonio Scaron protonotario apoſtolico & Regis eleemoſynario, filio Michaelis Scaron domini de Vaure & de Vaujour, qui præfuit anno 1637.

XXVI. Rogerius d'Aumont filius Jacobi d'Aumont baronis de Chappes, ac præpoſiti Pariſienſis ex Catharina de Villequier, epiſcopus Abrincenſis, & abbas Uzerchiæ diœc. Lemovic. Obiit Lutetiæ menſe Martio anni 1653.

XXVII. Carolus d'Aumont Rogerii nepos, Antonio patre, duce d'Aumont, pare & mareſcallo Franciæ, necnon equite torquato natus, matre vero Catharina Scaron, abbatiam obtinuit an. 1653. menſe Aprili, defunctus 1695. menſe Januario, abbas ſimul Uzercienſis.

XXVIII. Ludovicus I. Marion de Chanroze renuntiatur abbas die 8. Septemb. anni 1695. quem ita commemorat necrologium: *Anno a partu Virgineo 1701. obiit in ædibus abbatialibus dominus Ludovicus Marion ſacerdos Dei Altiſſimi, doctor Sorbonicus, & hujus loci abbas commendatarius die 15. Decemb. Sepultus eſt ad gradus altaris quod eſt omnium ſanctorum.*

XXIX. Ludovicus II. Bruel major vicarius domini Bleſenſis epiſcopi, regia nominatione fit abbas 1701. die 24. Decembris; hactenus vivit.

ABBATIA PRATEÆ.

PRATEA, ad ripam Arnonis ſita, ſex leucis ab Avarico, ordinis Ciſtercienſis, filia Claræ-vallis, fundatur (circa an. 1128.) ſub patrocinio B. Mariæ, a Radulfo Exolduni & Marolii domino; hoc eſt inchoatur; ipſa enim fundatio ſeu perfectio monaſterii paſſim refertur ad annum 1145. In eo præcipuo cultu honoratur S. Fauſta virgo & martyr, cujus reliquiæ ſacræ in lapideo tumulo ibidem hactenus aſſervantur. In eodem jacet monaſterio Galcherius de Paſſac dominus de la Croiſette, cujus ſepulcrum in eccleſia cernitur. Prateæ poſtmodum unita fuit abbatia de Boſco-Dagoberti *. Ex veteribus autem inſtrumentis abbatum ſeriem uti ſequitur eruere conceſſum eſt.

Laptée ſur Arnon.

* al. Boſco-Dagberti.

ABBATUM SERIES.

I. RADULFUS an. 1128. & 1145. Hic a S. Bernardo miſſus traditur, de quo id tantum ſupereſt in veteri hagiologio: *II. nonas Martii obiit Radulfus primus abbas de Pratea*, quem ſepultum ferunt in clauſtro prope januam eccleſiæ.

II. Giraudus obiit 2. nonas Aprilis.

III. Gualterius, cui Radulfus Exolduni dominus (haud dubie fundator qui anno 1134. Jeroſolymitanum iter aggreſſus eſt, ex chartular. Caſalis-Benedicti) confirmat omnia quæ a ſuis militibus tradita monaſterio fuerant.

IV. Petrus I. memoratur an. 1174. in charta Pontii epiſcopi Claromontani, pro eccleſia ſancti Martini Turonenſis.

V. Guillelmus I. ſeu Willelmus 1178. ex charta Callovii, quo anno componit cum Nicolao abbate S. Gildaſii prope Caſtrum-Radulfi, pro litigioſis apud Serzay, præſentibus Ægidio abbate de Varennis, Willelmo abbate Domus-Dei ſeu Nigri-lacus, &c. Anno 1181. Bartholomæus Gauberti legat huic abbati & conventui terras, quas habebat apud Serzay. Memoratur 1183. in charta Fontis-Morigniaci; & 1184. in charta Nerlacenſi; quo anno etiam ſubſcripſit litteris Roberti de Bommiez pro Caſali-Benedicto.

VI. Simon I. ſubſcribit chartæ Henrici archiepiſcopi Bitur. pro cœnobio B. Mariæ Exoldun. datæ anno 4. ejus pontificatus, Chriſti 1186. Præerat jam an. præcedenti, cui an. 1187. idem Henricus Bitur. archiepiſcopus confirmat donationem factam per Borellam relictam Odonis de Bomella. Eidem etiam Odo Exolduni dominus laudat ceſſionem monaſterio factam ab avo ſuo Radulfo, an. 1190. Nomen Simonis adhuc inſcribitur in tabulis annorum 1194. 1197. quo tranſigit cum canonicis S. Cyrici Exoldunenſis, teſtibus Willelmo abbate Domus-Dei, & 1198. cum Arnulfo abbate Exoldunenſi. Anno 1200.* præfatus Odo Exolduni dominus plurima Simoni

* In charta Caſalis-Benedicti, qua inter ſe de quibuſdam litigioſis componunt abbates Caſalis-Benedicti & Prateæ, an. Incarnationis MCC. nomen abbatis Prateæ deſignatur per P. Sed vero ſimile eſt litteram S. negligenter ſcriptam ſumtam eſſe pro P. nam conſtat Simonem ultra an. 1200. præfuiſſe.

largitus eſt, qui denique Simon anno eodem pactum iniit cum decano & capitulo S. Stephani Bitur. & rurſum cum Y abbate Caſalis-Benedicti. Memoratur adhuc an. 1201. in litteris Willelmi Bitur. archiepiſcopi & A. * Exoldun. abbatis: a quo abbate emit & adſcenſavit poſſeſſionem quæ dicitur *Genevrelum*; teſtes ſunt Jobtus abbas de Trizay, Nicolaus abbas de Petris, &c. Imo reperitur S. an. 1202. in hiſt. Nigri-lacus, ubi vide.

* Arnulfi. *Tab. Exold.*

VII. A.... 1201. & 1202. quo anno componit cum Radulfo abbate Dolenſi, teſtibus S. ſancti Gildaſii, Ar. Exolduni, Ar. Domus-Dei, & E. Fontis-Morigniaci abbatibus.

VIII. Evrardus anno 1202. ex charta Guillelmi archiepiſcopi Bituric. Anno 1206. Odonem Exolduni dominum beneficum experitur.

IX. G.... *al.* Gaufredus, *al.* Gauterius annis 1208. & 1211. ex inſtrumentis publicis. Anno quidem 1208. lego Herbertum Flans cum fratribus ſuis Radulfo, Bernardo & Petro conceſſiſſe Gaufredo abbati ſilvam dictam *Bruiſat*, al. *Flans* juxta ſilvam dictam *de Bruel des Varennes*, de conſenſu Petri-Nigri domini feudatarii prædictæ ſilvæ, in præſentia D. Guillelmi archiepiſcopi Bitur. Aquitaniæ primatis. Reperitur quoque facta ejuſdem ſilvæ donatio ab Humbaldo & Stephano filiis Petri-Nigri, in præſentia Hugonis abbatis de Podio-Ferrandi, an. 1212. Gaufredi adhuc recurrit memoria anno 1213. & 1211. in litteris Guillelmi de Calviniaco domini de Caſtro-Radulfi. Porro in donationibus hoc tempore factis una occurrit obſervanda, qua Radulfus Exolduni dominus in monaſterio unum conſtituit ſacerdotem ſeu fundat, qui ſingulis diebus ſacrum faciat pro ipſo; forte jam ea tempeſtate cœnobium de Boſco-Dagberti, a Dagberto archiepiſcopo Bitur. fundatum, unitum erat Prateæ: nam Johannes Guarinus miles nonnulla cedit G. abbati de Pratea apud *Boſcum-Dagberti.*

X. Ha... 1215. quo anno donum Odonis de Boneto militis excepit, & 1216. Eſt forte beatus Habraham, de quo in necrol. Ciſterc. ad 17. cal. Junii.

XI. P. an. 1216. emit ab Haimone de Solas pratum de Biſlegio; quo etiam anno pepigit cum Johanne abbate Dolenſi. Is videtur eſſe

XII. Petrus I. qui menſe Junio anni 1218. commemoratur.

XIII. Stephanus I. an. 1220. præerat, ex charta Exoldunenſis monaſterii. Jacet in capitulo.

XIV. R... 1223.

XV. Humbertus 1226. in charta B. M. de Moris.

XVI. Guillelmus II. 1230. 31. & 32.

XVII. Hugo I. an. 1233. menſe Maio vendit capitulo S. Auſtregiſili Bituricenſis caſale de Amoya: ex chart. S. Auſtregiſili. Memoratur adhuc an. 1234. menſe Octobri, & menſe Novembri 1235. quo anno Radulfus dominus de Lunery donum ei conceſſit.

XVIII. Philippus 1236. 1237. menſe Martio quo ei pratum ſecus Arnonem ſitum, Artaudus de S. Palais donavit.

XIX. Andreas an. 1239. bona quædam commutat cum Gaufrido de Oë milite. Tranſigit an. 1242. * menſe Aug. cum Johanne abbate Exoldun. pro 14. arpennis pratorum in riparia de Arnon. Præfuit ad annum ſaltem 1245. *al. 1244.

XX. Hugo II. 1247. ex ſchedis noſtri Jacobi Boyer.

XXI. Guido an. 1252. menſe Octobri accipit a Petro Turrini abbate Exoldun. feodum quod habebat in decima ſita in parochiis S. Auſtregiſili de Cloſis, &c. Eidem etiam Margarita, uxor Ebonis de Viridario militis, quaſdam decimas pro ſuo anniverſario largita eſt anno 1253. Anno 1256. concordat cum Johanne abbate Dolenſi. Sedebat adhuc an. 1258. ex charta ſancti Cyrici Exoldun.

XXII. Goofridus arbiter una cum archidiacono Bituricenſi pro penſione debita Aimerico capellano de Veneſme ab Aimerico Roolino de Pratea clerico, filio Radulfi de Pratea fratris dicti capellani, an. 1263.

XXIII. Johannes I. cujus mentio fit in charta beatæ Mariæ de Bello-viſu, an. 1270. & 1272. in charta beatæ Mariæ de Vernutia; anno 1274. concordiam iniit cum abbate & conventu Caſalis-Benedicti; & 1288. menſe Octobri cum abbate & conventu Exoldun.

XXIV. Stephanus II. de Trecis circa annum 1290. Obiit VII. idus Junii an. 1306. ex ejus epitaphio, ſepultus in capitulo.

XXV. Petrus II. 1308. 1311. quo anno concordat cum Philippo abbate de Podio-Ferrandi, pro litigioſis apud Boſcum-Dagberti; & an. 1314. cum Adeleide de Mery & Petro de S. Palais domino de Marolio & de Vaſtino *Vatan.* Præerat adhuc an. 1316.

XXVI. Simon II. occurrit annis 1320. 23. & 26. quo anno permutavit decimas de Saint-Pater pro decimis de Semur cum Perrino du Coudray; & adhuc an. 1328.

XXVII. Nicolaus de Veilhiaco * ſepultus in capitulo cum hoc epitaphio: *Hîc jacet Nicolaus de Veilhiaco XVII. abbas de Pratea, qui obiit anno Domini M. CCC. XLIII. VI. cal. Julii. Anima ejus requieſcat in pace, Amen. Orate pro eo omnes.* Qui vero dicatur abbas XVII. nos fugit: forte jam tunc veterum abbatum memoria perierat, aut ab aliqua monaſterii reſtauratione hoc ordine numeratur. * *al.* de Veltatano.

XXVIII. Helias 1348. dicitur abbas Dei providentia, & S. Sedis apoſtolicæ gratia; tranſigit eodem anno cum Philippo de Paſſac domino de la Croiſette, ubi nuncupatur Petri ſucceſſor, forte non immediatus, nihil enim de Petro inter Heliam & Nicolaum reperire licuit.

XXIX. Ludovicus I. Preverault jacet in capitulo cum hoc epitaphio: *Hîc jacet reverendus in Chriſto pater dompnus Ludovicus Preverault; ſacræ theologiæ bachalaureus formatus, qui fuit prior * hujus monaſterii annis 16. * poſtea abbas menſibus totidem. Anima ejus requieſcat in pace.* At quo vixerit anno incompertum. * *al.* procurator. * *al.* 17.

XXX. Johannes II. ſedebat an. 1356. 66. & 74. ex certis horum annorum documentis.

XXXI. Jacobus de Lantena 1386. & 1395. quo anno tranſigit pro loco de la Villate cum Hugone abbate Exold. die Mercurii poſt feſtum omnium SS. tertia menſis Novembris, Benedicti papæ XIII. anno 11. indict. IV. Reperitur adhuc annis 1396. 1406. 1408. 1410. & 1411. Obiit an. 1415. die 14. Octob. ut probat ejus epitaphium in capitulo.

XXXII. Guillelmus III. an. 1416.

XXXIII. Johannes III. cujus Johannes Morelli & ejus uxor ex parochia de Lunery ſervos ſe eſſe recognoſcunt an. 1419.

XXXIV. Petrus III. Vocheli 1427. forte idem cum Petro du Bouſchet abbate de Pratea, qui tranſegit an. 1434. cum Philiberto de Saint-Palais domino de Mareüil, pro exemtione ſuæ juſtitiæ; & cum incolis de Lunery, in favorem incolarum de Roſieres, die 8. Auguſti anni 1450. Occurrit etiam annis 1444. 46. & 47. Jacet in capitulo cum hoc epitaphio: *Hic jacet bonæ memoriæ frater Petrus Boſcheti quondam abbas hujus venerabilis abbatiæ, qui obiit 13. * die menſis Octobris anno Domini M. CCCC. LIII. Anima ejus requieſcat in pace.*

* al. 16.

XXXV. Odo vel Odettus Goudin jam anno 1454. ſedebat, quo ſcilicet in quadam charta cognominatur *capellanus & confeſſarius Regis*; ſtudens vero dicitur in academia Bituricenſi in tabula anni 1468. Vivebat adhuc an. 1470.

XXXVI. Rogerius Lourain vel Lorrin 1473.

XXXVII. Bertrandus d'Aulx 1476. 77. 94. & 98. quo anno die 30. Aprilis tranſigit cum Roberto Dolé; & cum Johanne le Groin domino de Mareüil die 26. Julii an. 1503. Reperitur & anno 1504. abbas ſimul S. Ambroſii Bitur.

XXXVIII. Yvo Compaing *novus abbas de Pratea* nominatur in *quittancia* 12. librarum data a canonicis Bituricenſibus S. Petri Puellarum, erga quos quilibet recens abbas de Pratea pari tenetur ſumma poſt ſuam inſtallationem: *Datum 19. Julii die anni 1507.* Memoratur quoque in chartis annorum 1510. 1512. & 1513.

XXXIX. Renatus de Prie cardinalis epiſcopus Bajocenſis & Lemovicenſis, abbas de Pratea an. 1515. Dolenſis, Miciacenſis & Exoldunenſis, obiit v. idus Septembris an. 1516. ſepultus in eccleſia Prateæ prope tumulum S. Fauſtæ, cum hoc epitaphio: *Hic jacet, heu mortales! eminentiſſimus ac reverendiſſimus DD. Renatus de Prie, filius Antonii baronis de Prie domini de Buſançois & Magdalenæ d'Amboiſe, S. R. E. cardinalis, epiſcopus Bajocenſis & Lemovicenſis, abbas ſanctæ Mariæ de Pratea, ab humanis diſcedens animam Deo optimo maximo tradidit, ſuumque cadaver juſſit humiliter recondi juxta divam Fauſtam. Obiit V. idus Septembris anno M. D. XIX.*

* melius M. D. XVI.

XL. Michaël Vallet, ex curato de Dampere inter Prateam & Caſale-Benedictum an. 1513, abbas regularis Prateæ annis 1520. & 1521.

XLI. Claudius de Beſſey doctor in legibus, Antonii domini de Trichaſtel ballivii Divionen ſis & Johannæ de * Lenoncourt filius, inquit noſter D. Eſtiennot, ex abbate Macerlarum eligitur abbas de Pratea an. 1522. a quo die 5. Novembris anni ſubſequentis canonici S. Petri Puellarum 12. libras de quibus ſuperius, ſe recepiſſe coram Martino Chambellan regio in curia Bituricenſi procuratore confeſſi ſunt. Nomen ejus tabulis inſcriptum legitur annis 1524. 31. 36. 38. 44. 47. 12. Auguſti, & 1548. in charta Landeſii.

* f. de Longecourt, vel infra ad Ludovic. cum II. de Lenoncourt.

XLII. Ludovicus II. de Beſſey, ex Claud. Eſtiennot, Claudii nepos, filius ſcilicet Claudii domini de Longecour ex Johanna de Crux, primum Prateenſis monachus, tum abbas Maceriarum, deinde Prateæ, tandemque Ciſtercii. Tridentino concilio interfuit, e quo regrediens mortem oppetiit in monaſterio de Poiglola.

XLIII. Philippus du Puy, filius Georgii du Puy domini du Coudray Regis panetarii, & Johannæ Rafin, abbas commendatarius annis 1550. & 57. E. vivis exceſſit in Caſtro de Dames anno Dom. 1560. an. ætatis ſuæ 26. ex dom. du Fourny, qui ait eum pro patruo ſuo in abbatia ſucceſſiſſe.

Hiſt. gen. grands Paneti

XLIV. Stephanus de Lineriis (Lignieres) abbas commendat. an. 1561. An. 1564. procuratorem ſuum inſtituit Claudium du Puy dominum du Coudray Regis panetarium. Obiit an. 1567. Frater erat Jacobi de Lineriis in ſuprema Pariſienſi curia præſidis infulati.

XLV. Nicolaus d'Auvergne 1571. & 1574. eundem habuit procuratorem Claudium du Puy.

XLVII. Johannes IV. Boudard 1595. 97. 1601. quem an. 1602. lego habuiſſe procuratorem Johannem de Gammaches, quem aiunt etiam abbatiam obtinuiſſe, & poſtea reſignaſſe Petro Bouguier. Huic tamen ex nomenclatura abbatum præmittimus Mich. Denys.

XLVIII. Michaël Denys legitur abbas an. 1622. Procuratorem habuit Claudium de Gamaches baronem de Chaſteau-Meillan & cubicularium Regis.

XLIX. Petrus IV. Bouguier de Montbelin ſenator in curia ſuprema Pariſienſi, abbas erat Prateæ annis 1640. 45. & 51. Obiiſſe dicitur 1653.

L. Franciſcus Molé præcedentis nepos ex ſorore, præerat jam anno 1654. abbas ſimul S. Crucis Burdegal. &c. Obiit 5. Maii 1712. nonagenario major.

LI... de Valoris nominatur abbas 14. Maii an. 1712.

LII. ..... de Montlaure hanc abbatiam obtinuit ſchedula regia die 5. Maii an. 1713.

ABBATIA VARENARUM.

VARENARUM cœnobium in archipresbyteratu de Cluys, ordinis Ciſtercienſis, filia Vallis-Lucenſis, fundatur an. circiter 1155. cujus fundamenta jecit Ebo de Dolis; quod cum ægre ferrent domini de Cluys, Henricus rex Angliæ lapidem a fundamento removit, & poſtea repoſuit, voluitque eſſe monaſterii fundator & cuſtos;

ex ejuſdem regis charta data apud Chinon, quam memorat noſter D. Claud. Eſtiennot in ſuis ſchedis de antiquitatibus monaſticis apud Bitur. Præcipui dotatores fuerunt dom. de Dolis & de Cluys. Hujus loci abbatum ſeriem poſt Sanmarthanos fratres, exploratam tamen ad ſchedas noſtri D. Claud. Eſtiennot, hîc exhibemus.

Abbatum series.

I. Jordanus. Ei pont. max. Alexander III. dirigit bullam confirmationis omnium jurium ac reddituum abbatiæ an. 1162.

II. Ægidius an. 1178. in tab. Prateenſi.

III. Petrus I. concordiam fecit cum Guidone abbate Valliſlucentis 1339.

IV. Bernardus I. an. 1350.

V. Guillelmus I. 1369. & 1388.

VI. Bernardus II. 1398.

VII. Guillelmus II. 1402. paciſcitur cum Petro de Rochedagon equite: Guillelmus cardin. tit. ſancti Laurentii diplomate ad abbatem de Albis-petris poteſtatem donat abſolvendi illum abbatem, quia ſepulturæ mandarat in cimiterio cœnobii quoſdam laicos; Avinione III. idus Nov. an. III. pontif. Urbani V.

VIII. Andreas 1408. & 1412. a quo Amedeus de Saluciis cardinalis, Rom. Eccl. camerarius, fatetur excepiſſe 15. florenos quos debebat Andreas collegio purpuratorum 4. Nov. 1415.

IX. Johannes I. Bulliet, *al.* Buillier, obiit 7. Julii 1418. Hunc omittit noſter Claudius Eſtiennot.

X. Guillelmus III. Brunelli ex eodem cœnobio Varenarum abbas aſſumitur, cujus electionem confirmare recuſans abbas Valliſlucentis ſuperior immediatus & pater, litteræ Martino V. papæ directæ ſunt, quatenus eam electionem confirmare dignaretur; ſedit & 1430.

XI. Stephanus, 19. Decemb. 1451.

XII. Jacobus I. præfuit die 4. Martii anno 1466.

XIII. Petrus III. abbas S. Bartholomæi de Benevento, de Albis-petris, & Varenarum, canonicus Lemovicenſis an. 1478. in bulla Sixti IV. 1482. & 1488.

XIV. Antonius I. Beruger 1511. menſe Maio, & 1512. 1515.

XV. Thomas de Meſnoyx 1539.

XVI. Antonius II. de Bagallois 1564. omiſſus etiam a Claud. Eſtiennot.

XVII. Johannes II. de Liſter baccalaureus in theologia 1576.

XVIII. Petrus IV. Fradet 1589. 1598. & 1610.

XIX. Matthæus Perrot academiæ, eccleſiæque Biturigum cancellarius, 1615.

XX. Jacobus II. de Nucheze epiſcopus comes Cabilonenſis ceſſione Matthæi, de abbatia proviſus, præerat an. 1655. Obiit 1659. abbas ſimul Ferreriarum in diœceſi Senon. S. Stephani Divion. & Bretolii, &c.

XXI. Johannes III. du Meſnil-Simon de Beaujeu decanus Bituricenſis, abbas 1659.

XXII. Ludovicus Pot abbas de Varennes, filius Henrici domini de Rhodes, vicecomitis de Bridiers, magni cæremoniarum Franciæ magiſtri, ex Gabrielide de Bouville de Clinchamp, frater Caroli, qui Rege annuente, magni cæremoniarum Franciæ magiſtri munus vendidit an. 1684. *Du Fourny.*

XXIII.. de Caſtagnieres de Chaſteauneuf deſignatus abb. an. 1693. menſe Jan.

XXIV. N. de la Galiſſonniere nominatur a Rege Chriſtianiſſimo an. 1708. in Natali Dom.

LOCI-REGII ABBATIA.

Locus-Regius * ordin. Ciſtercienſis, filia Curiæ Dei & mater Ellantii, fundatur a Vulgrino Bituric. archiepiſc. qui an. 1135. * dedit Roberto abbati Curiæ-Dei locum qui vocatur Locus-Regius, ad abbatiam conſtruendam. Memoratur autem in reſcripto Eugenii III. 1145. & Adriani IV. 1158. * Loroy. *al.* 1125. 1128. & 1129. VIII. cal. Maii.

Series Abbatum.

Bliardus abbas Loci-Regii erat tempore Eugenii III. De eo vide in Machario abbate Floriac.

P. an. 1239. menſe Maio, quo de quadam monaſterio Barbelli facta venditione ab Adamo de Chailliaco domicello, litteras conſcripſit. Huic autem venditioni interfuiſſe leguntur R. prior Sacri-portus, ſeu de Barbello, Guibertus abbas quondam Prull. & Petrus abbas quondam Pontigniaci, &c. ex tab. Barbelli.

Henricus abbas judex electus cum Petro de Boiſſes canonico de Leproſo inter Matthæum de Vendoſme abbatem, & conventum S. Dionyſii in Francia, ex una parte, atque fratrem Imbertum præceptorem domuum militiæ Templi, ſententiam pronuntiat menſe Martio an. 1263. ex authentico in tabul. S. Dionyſii.

Stephanus 1453. in charta Vallis-lucidæ ſeu de Boſcheto.

Philippus de Cambray e gente Guillelmi de Cambray Bitur. archiepiſcopi, canonicus Bituricenſis & abbas Loci-Regii an. 1542.

Johannes de Montpezat de Carbon archiep. Senonenſis, & abbas Humolarii diœceſ. Noviom. Obiit menſe Nov. anno 1685.

N. de Villetem * Mornay deſignatur abbas die 24. Decemb. an. 1685. antea prior-curatus S. Germani in Laya. Fuit etiam abbas S. Satyri dioec. Bitur. * *al.* de Villeterve.

Auguſtinus Nicolaus Laguié, obiit menſe Aprili 1702. abbas etiam S. Satyri & eleemoſynarius Regis.

Franciſcus Madot epiſcopus Bellicenſis & abbas Belli-loci diœceſis Bolonienſis, abbas Loci-Regii nominatur a Rege die 15. Aprilis anni 1702. Demum a ſede Bellicenſi tranſlatus eſt ad Cabilonenſem.

ABBATIA OLIVETI.

Olivetum ordinis Ciſtercienſis, filia Curiæ-Dei ſub Ciſtercio, in parochia S. Juliani ad Carum fluvium, Remorentino duabus leucis,

Digitized by Google

conditur XIII. cal. Februarii an. 1144. ut legitur in exordio Ciſterc. cujus præcipui benefactores fuere domini de Graciaco *, Luriaci, Virzionis, Podienſes *, de Lazenays, de Moneto *, de Dompierre. Eccleſiæ dedicatio celebratur nonis Octobris.

* Graçay. * *vulgo*, de Pody. * Meneton.

ABBATUM SERIES.

I. BARTHOLOMÆUS præerat anno 1146. ex litteris Stephani de Graciaco, quibus teſtatur ob injunctam ſibi a Petro Bituricenſi archiepiſcopo pœnitentiam, ceſſiſſe Bartholomæo ejuſque fratribus multa prædia hic enumerata, & foreſtiam ſuam ad quoſcumque uſus. Frater vero ejuſdem Bartholomæi abbatis Guillelmus ſubſcriptus habetur in charta anni 1177. regnante Ludovico Francorum rege, & Garino archiepiſcopo Bituricenſi cathedræ præſidente.

II. Humbaudus teſtis in compoſitione facta inter prioriſſam de Moneſto & homines Hervæi Virzionenſis, Ermengarde abbatiſſa Belli-montis Turon. exiſtente; hoc eſt circa an. 1180.

III. Adam an. 1201. ſubſcribit pacto inito inter Hervæum Virzionenſem dominum, & Ranulfum de Caſtro-Melano, quod exſtat in chartul. Maſciacenſi.

IV. Albertus abbas 1204.

V. Andreas anno 1209. ſubſcribit litteris Rabelli de Carobriis pro cella S. Euſitii.

VI. G. abbas 1220. in tabul. metropol. eccleſiæ Bituric. & 1230. quo anno arbiter electus eſt inter Mabiliam abbatiſſam Belli-montis Turon. & prioriſſam de Moneſto, qui prioratus a Bellomonte Turonenſi pendet. Eodem anno idem G. abbas dat abbati Joyaci centum ſolidos quos habebat in *burſa* Regis percipiendos in nundinis Maii. Hic autem abbas forte eſt Guido qui anno 1233. compoſitionem fecit cum Petro de Verſalliis priore S. Dionyſii de Ruilliaco, ſuper terra de Graciis.

VII. Stephanus I. 1324. die Jovis poſt Decollationem S. Johannis-Bapt.

VIII. Hugo 1359.

IX. Guillermus I. an. 1373. memoratur in charta Prateenſi, quæ eſt in tabularii arcula inſcripta *Iſſoudun*; & 1376. quo anno judex & arbiter cujuſdam controverſiæ inter abbatem Prateæ & oppidanos S. Paterni Exoldunenſis inſtituitur a capitulo generali Ciſtercienſi, una cum Reginaldo abbate de Nigro-lacu.

X. Johannes I. abbas de Oliveto teſtis eſt compoſitionis factæ pro loco *de la Villate*, inter Hugonem abbatem Exoldun. & Jacobum abb. de Pratea, die Mercurii 3. Novembris an. 1395. ind. IV. an. 2. pontificatus Benedicti XIII. Præerat adhuc an. 1407. & 1409. 21. Aprilis, ex charta Exoldunenſis monaſterii.

XI. Jacobus Marandet 1450. & 1466.

XII. Gilbertus de la Place 1474. & 1476.

XIII. Stephanus II. Bonnefons 1495. In necrologio Doverenſi ad ſecundum nonas Septemb. cognominatur de Bonnefontaine, *vel* de Bourfontaine.

XIV. Johannes II. Baſchet abbas Virzion. Exoldunenſis, & Oliveti 1497. 1499. 1500. 1501. & 1502.

XV. Renatus de Prie cardinalis, epiſcopus Bajocenſis & Lemovicenſis, ſimulque abbas Miſeraii 1508. Obiit an. 1514. *

* *al.* 1516. & 1519

XVI. Jacobus Colin, in abbatiis S. Ambroſii & Exolduni, quas poſſidebat, dicitur abbas Oliveti.

XVII. Yvo Compaing, ſimul abbas Prateæ 1515. & 1520. chori ſedilia exſtruxit anno 1543. imo fortaſſe baſilicam, clauſtrum, ceteraque loca regularia inſtauravit, vel ornavit, ut conjicere licet ex ſtemmate gentilitio quod paſſim occurrit. Erat abbas regularis.

XVIII. Johannes III. Bigot monachus Oliveti, abbas erat 1550.

XIX. Johannes-Bapt. du Bourg, juris utriuſque doctor, Regi a conſiliis, libellorum ſupplicum magiſter, & epiſcopus Rivenſis, abbatiam Oliveti obtinebat 1556. & 1580.

XX. Ludovicus I. du Buiſſon in ſupremo Pariſienſi ſenatu conſiliarius, tertius fuit abbas commendatarius; obiit an. 1619.

XXI. Guillelmus II. Perrochet ſuperioris nepos, conſiliarius etiam in parlamento Pariſienſi, obiit 1628.

XXII. Ludovicus II. Perrochet præcedentis frater, regius conſiliarius in ſenatu Pariſienſi, cogitur abbatiam dimittere an. 1637.

XXIII. Franciſcus de Belleau, ſacerdos, vir eximiæ pietatis, Ludovico ſuffectus eſt.

XXIV. Nicolaus de Hailli canonicus & theſaurarius eccleſiæ Lexovienſis 1660. & 1711. quo anno noſter D. Jacobus Boyer hæc ex inſtrumentis monaſterii quæ diligenter ſcrutatus eſt, decerpſit.

XXV. N. Gauthier abbas Oliveti deſignatur a Rege in vigilia Paſchæ die 26. Martii an. 1712.

BEATA MARIA DE PETRIS.

BEATA MARIA DE PETRIS * ordinis Ciſtercienſis, filia monaſterii de Albis-Petris ſub Clara-valle, in parochia S. Pauli de Sidiables & in archidiaconatu de Caſtra *, ſita prope Culentum in Valle-horrida. Fundatur anno 1149. beneficio præſertim Radulfi & Ebonis Dolenſium principum. Bene quoque de ipſa meriti ſunt Adelardus de Caſtro-Metiano, Agnetis primæ Urſanienſis parthenonis ord. Fontebrald. prioriſſæ maritus, hujuſce monaſterii fundator, dominique de Culent.

* Noſtre-Dames des Pierres. * de Chaſtre.

ABBATUM SERIES.

I. STEPHANUS I. ex monaſterio de Albis-Petris aſſumtus præfuit ab anno 1149. ad 1192. Nominatur in bulla Alexandri papæ III. data Turonis VII. idus Junii, indict. X. pontificatus ejus anno quarto, Incarnationis Dominicæ 1163.

II. Aimericus 1197. & 1198. in cujus manibus Willelmus dominus de Rocha junior ſilvam de Cava-rupe tradidit, ubi tamen nonniſi per primam nominis litteram A. deſignatur.

III. Nicolaus teſtis anno 1201. legitur in charta compoſitionis inter Arnulfum abbatem

Digitized by Google

Exoldunenſem & Sy. abbatem de Pratea.

IV. Petrus I. 1202.

V. Stephanus II. 1208. & 1213. Anno 1211. compoſitionem iniit cum priore Caſtri-Melani * pro quibuſdam vineis & pratis, ſequeſtro Johanne abbate Dolenſi, cui dictus prior ſubjacebat.

*Chaſteaumeillan, *prope abbatiam de Petris.*

VI. Johannes I. 1213. 1214. & 1215.

VII. Giraudus an. 1216. teſte viro clariſſimo de Marolio, qui nomen ejus ſe legiſſe dicit in tabulario Prateenſi.

VIII. Bernardus I. eodem anno & 1224.

IX. Joſſelinus 1224.

X. Ranulfus I. 1229.

XI. Guillelmus I. 1232.

XII. Ranulfus II. 1237.

XIII. Reginaldus de Seligny. In ſchedis D. Edmundi Martenne de viris illuſtribus eccleſiæ Bituricenſis, reperimus Reginaldum de Seligny canonicum, fuiſſe abbatem de Petris & epiſcopum Autiſſiodorenſem, circa an. 1245. Videtur ponendus poſt Ranulfum.

XIV. Bernardus II. 1243. 1251. & 1260.

XV. Ranulfus III. 1260.

XVI. Johannes II. 1270. & 1277.

XVII. Stephanus 1280. ex Sammarthanis & D. Claud. Eſtiennot.

XVIII. Bernardus III. 1285. ex tabulario Buxerienſi.

XIX. Guillelmus II. 1294.

XX. Bernardus IV. 1304.

XXI. Petrus II. 1315. Hunc Sammarthani fratres cognominant *du Buy*. Occurrit adhuc an. 1324.

XXII. Rogerius 1329.

XXIII. Hugo 1384.

XXIV. Andreas Pommier, *Dei & apoſtolicæ Sedis gratia abbas de Petris* 1412. 1416. & 1440. quo ſupremum diem oblit ultima die Maii.

XXV. Johannes III. 1440. 1443. forte idem qui cognominatur Marandet an. 1447.

XXVI. Petrus III. de Belleville 1448. 49. & 51. mitra & aliis pontificalibus ornamentis fuit inſignitus. Hic cum de plurimis criminibus eſſet infamatus, timore pœnæ, filio ducis Montispenſerii reſignavit, cui duci ſupplicatum eſt a capitulo generali, an. 1461. ut ceſſio hæc non haberet locum.

XXVII. Johannes IV. de S. Avy. 1452.

XXVIII. Petrus IV. 1456. & 1461. omittitur in ſerie MS. noſtri D. Claud. Eſtiennot.

XXIX. Guillelmus III. de Albiria ſanctæ Sedis apoſtolicæ protonotarius, abbas commendatarius de Petris 1466. & 1472.

XXX. Petrus V. du Mas 1483.

XXXI. Gabriel du Mas epiſcopus primum Mirapicenſis, tum Petragoricenſis, & ſanctæ Capellæ Bituricenſis theſaurarius, obtinebat commendam an. 1492.

XXXII. Franciſcus Guerin 1512. abbas ſimul S. Gildaſii apud Caſtrum-Rodulfi.

XXXIII. Johannes V. de S. Avy 1519. & 1526. abbas etiam de Bono-loco & præpoſitus de Chambon.

XXXIV. Bernardinus de Forges filius Fiacrii de Forges & Franciſcæ Bertrand, prior de Mouladyer, præpoſitus de Chambon & Valatre, abbatiam de Petris obtinebat 1546. & 1550. ſepultus eſt in capitulo.

XXXV. Andreas II. de Lambert œconomus abbatiæ de Petris 1586.

XXXVI. Johannes VI. de Monmnet abbas regularis, doctor & vicarius generalis ordinis Ciſtercienſis in provincia Bituricenſi, præerat 1590. & 1591. poſtea reſignavit ſuo nepoti, qui ſequitur.

XXXVII. Annas, *al.* Annetus de Montmi-net, *f.* de Montmiret, an. 1610. abbas regularis (uti ſequentes) reſignavit ſequenti.

XXXVIII. Michaël Tartier doctor & vicarius generalis ordinis Ciſterc. in provincia Bituricenſi, regebat annis 1612. 1621. & 1640.

XXXIX. Johannes VII. Droüet doctor theologus & ipſe vicarius generalis ord. Ciſterc. in provinciis Arverniæ, Borbonii, &c. ex priore Ciſtercii Michaëli Tartier ſucceſſor datus eſt, qui quidem ſuum in monaſterium ſtrictiorem induxit obſervantiam, quæ ibi etiamnum viget.

XL. Viventius Soucellier 1659.

XLI. Ludovicus Bourva 1668.

XLII. Claudius Sanguin filius Claudii, ordinarii dapiferi ſereniſſimi Aurelianenſium ducis, ex Maria Potier, profeſſionem emiſerat Pontigniaci pro monaſterio Fontis-Johannis; abbatiam vero de Petris obtinuit bulla Innocentii papæ XI. data VII. cal. Februar. anni 1677. poſſeſſionem adeptus 12. Aprilis 1678. ſolenniter benedictus fuit in capella Regia regalis abbatiæ de Caroliloco diœceſis Sylvanectenſis a Dionyſio Sanguin Sylvanectenſium præſule, adſiſtentibus domno Laurentio de Cardonville priore clauſtrali dictæ abbatiæ Carolilocenſis, & D. Antonio Boudon priore clauſtrali abbatiæ de Valloriis diœceſis Ambianenſis, die 30. Martii 1682. Pius hic abbas eccleſiam & monaſterium fere a fundamentis reædificavit; ut indicat ejus epitaphium quod legitur in medio presbyterii, & tale eſt: *Hic jacet anno Domini M. DCC. VIII. die IX. Decemb. Dom. Claudius Sanguin, regalis abbatiæ de Fonte-Johannis religioſus, baccalaureus theologus, qui hanc domum funditus labefactatam reædificavit atque reſtauravit; idemque XXX. fere 2. annis pie abbatiſavit. Requieſcat in pace.*

XLIII. Ludovicus Guibert poſtquam fuerat Perſeniæ prior per annos fere triginta, factus eſt abbas ineunte an. 1709. In abbatia autem Vallisclaræ, cujus profeſſus erat, ſolemnem accepit benedictionem menſe Junio anni 1711.

ALBINIACUM.

ALBINIACUM in archipresbyteratu Argentonii ad Carum fluvium, prope ſanctum Benedictum de Saltu, ord. Ciſterc. filia Dalonarum, fundatur an. 1138. memoraturque in reſcriptis pont. Eugenii III. anno M. C. XLV. & Hadriani IV. an. M. C. LVIII. Aubignac.

Abbates præfuerunt, qui ſequuntur:

Digitized by Google

Guillelmus præerat anno circiter 1150. ex charta Pontiniaci.

He. abbas Albiniaci auctor fuit compoſitionis monachos Dalonenſes inter & Stephanum de Gorſolas capellanum de Cella, ſuper decima manſi *Ubert* & grangiæ de *Jous*, an. 1194. ex chartul. Dalon.

Franciſcus Hedelin presbyter diœceſis Pariſienſis, abbas commendatarius Albiniaci & Meymaci an. 1669.

Ludovicus Faideau ſenator in parlamento Pariſienſi 1670.

N. des Vieux deſignatur abbas die 14. Aug an. 1673. Obiit menſe Decembri an. 1680.

N. Monſigot menſe Aprili 1681.

ABBATIA DE BELLO-VISU.*

* Beauvoir.

MONASTERIUM B. M. DE BELLO-VISU (Beauvoir) feminarum, ord. Ciſterc. ſupra fluviolum d'Yevre in amœniſſima planitie prope Magdunum, filia Ciſtercii, fundatores habuit Robertum de Curteniaco Magduni dominum, & Mathildem ipſius conjugem ante an. 1234. ut docent nos litteræ ipſiuſmet fundationis, quas vide inter inſtrumenta.

C. LXXIV. col. 1.

Hanc fundationem confirmavit S. Ludovicus Francorum rex eodem an. 1234. cui & Blanchæ matri hic locus percharus fuit, ſervatque hactenus ſanctiſſimi Regis cultellum cum pretioſis aliis reliquiis. Verum defuncto an. 1242. menſe Novembri Roberto conditore, acceſſit ejus filii Petri de Curtiniaco, cum conjuge ſua Petronilla, confirmatio anno 1243. menſe Auguſto; atque inſuper Roberti Atrebatenſis comitis Damfromtis, Concharum & Magduni domini anno 1269. menſe Maio. Nunc abbatiſſarum elenchum ex veteribus documentis in lucem proferamus.

SERIES ABBATISSARUM.

I. ISABELLIS ſeu ISABELLA 1266. & 1272. quo anno Robertus Atrebatenſis comes & Magduni dominus confirmat *uſagium in foreſta de Volt.* Eadem Iſabella reperitur in chartis annorum 1274. & 1283.

II. Guillelma Fradet abbatiſſa nominatur in quodam anni 1471. inſtrumento; circa quod tempus a Sixto papa privilegium obtinuit contra uſurpantes bona monaſterii.

III. Johanna Beaulme, cui ſucceſſit

IV. Petronilla de Fleers, quæ anno 1483. ſedebat.

V. Ludovica I. de la Riviere reperitur abbatiſſa annis 1505. & 1510. die 27. Septembris. Defuncta notatur in necrologio an. 1513. 22. Aprilis. Hæc magna cum laude præfuit, multaque in commodum ſui monaſterii feciſſe dicitur, cujus ſacram ſupellectilem auxit, baculumque paſtoralem confici curavit.

VI. Ludovica II. de la Chaſtre occurrit anno 1510. die 25. Septemb. in quodam inſtrumento: forte vero præcedens quam non niſi anno 1513. obiiſſe diximus; dignitate ſua in gratiam hujus ceſſerat; aut forte unica eſt eademque Ludovica duplici cognomine inſignita, quod quidem probabilius oſtendit ſequentis electio.

VII. Maria de la Sommaigne electa 1513. memoratur annis 1522. & 1524. Fato fungitur die 14. Januarii anni 1542. Diſſimulare tamen nolumus Petronillam abbatiſſam in necrologio notari defunctam die 20. Januarii an. 1541. fortaſſe nimirum hæc abbatiam adepta per reſignationem alterius, illam morte anticipavit.

VIII. Catharina * de la Chaſtre anno 1543. benedictionem percepit a Petro Ebronenſi epiſcopo, præſente Petro de Thivile abbate Landeſii. Obiit 22. Martii 1587. Sed longe antea præfecturam abdicaſſe neceſſe eſt; nam

* al. Maria-Catharina.

IX. Carola de la Chaſtre abbatiſſa de Bello-viſu reperitur in variis inſtrumentis annorum 1566. & 1583. Deceſſit vero 14. die Octobris anni 1598.

X. Renata de Roulant, *al.* de Rolland præerat anno 1599. & 1614. cujus obitus in necrologio conſignatur die 2. Julii 1625.

XI. Ludovica III. de la Haye regebat annis 1628. 1633. & 1535. obiit 26. Junii 1650.

XII. Franciſca de Luſignan de S. Gelais, ſoror marchionis de S. Gelais, Ludovicæ de la Haye ſucceſſit, tranſlata deinde ad abbatiam de Gerciaco diœceſis Pariſienſis.

XIII. Anna de Beauvillier, filia Franciſci ex comite ducis de S. Aignan Franciæ paris, primi cubicularii regii, & proregis Turonenſis agri & Gratiæ-portus, ex Antonietta Servien; ſoror vero Elizabethæ abbatiſſæ Loci-Dei diœceſis Aurelianenſis, Bello-viſui præerat abbatiſſa 1653. & B. Mariæ de Remorantin 1662. tranſlata ad abbatiam Loci-Dei ordinis Ciſtercienſis, in diœceſi Aurelianenſi anno 1664. defuncta vero 1669. Lego tamen alicubi hanc ex alumna beatæ Mariæ oppidi de S. Aniano creatam fuiſſe abbatiſſam de Bello-viſu an. 1658. pro qua abbatia bullas obtinuit 5. Decembris an. 1664. tranſlata poſtmodum ad abbatiam B. Mariæ de Loco-Dei, ubi diem extremum clauſit an. 1668.

De Fourg.

XIV. Gabrielis de Beauvillier de S. Aignan ſuperioris ſoror, ex ejuſdem reſignatione annos nata 19. pedum accepit, & benedictionem abbatialem, a domno Johanne Petit abbate Ciſtercienſi 21. Martii an. 1671. quæ cum omnia monaſterii bona diſſipaſſet, ſua lubens dignitate ceſſit anno 1676. Obiit 24. Maii 1694.

XV. Maria de Chauvelin de Richemont, ex moniali ordinis Fontis-Ebraldi, die 26. Junii an. 1676. abbatiſſa de Bello-viſu a Rege Chriſtianiſſimo deſignata, bullas obtinuit eodem anno datas Romæ IV. nonas Octobris. Poſſeſſionem adepta 18. die Decembris anni 1677, benedicta eſt ab abbate Ciſtercienſi anno 1690. Hactenus ita feliciter præeſt ut pietatem in monaſterio ſuo floreſe fecerit, debita perſolverit omnia, eccleſiæ fornices ædificarit, ſacra ſupellectili ſacriſtiam inſtruxerit, monaſterii ædificia repararit, atque murorum ambitu cinxerit, quæ utinam ad plures annos vivat.

Digitized by Google

ABBATIA BUXERIENSIS.

BUXERIA ſeu monaſterium B. Mariæ de Buxeria, virginum ordinis Ciſtercienſis prope Culantum, filia Eſclaſiæ, fundatores agnoſcit Ebbonem de Carentonio & Guiburgam de Borbonio ejus conjugem, qui prima hujuſce parthenonis fundamenta poſt annum 1135. & ante annum 1160. jecerunt, abſolutumque ſacris virginibus abbati de Nigro-lacu ſubjectis commiſerunt. Inſigniores vero poſt illos monaſterii benefactores fuerunt Willelmus de Culant, qui etiam fundator audit, Reginaldus & Bernardus de Monte-Falconis, Agnes de Borbonio, Ænor de Milliaco, Radulfus de Caſtra, &c. Tranſlatum eſt hoc cœnobium in urbem metropolitanam an. 1625. ut infra dicemus.

Abbatiſſarum hæc ſunt nomina, quantum noſtra diligentia potuimus aſſequi.

SERIES ABBATISSARUM.

I. HELYON, ſeu ELYONNA præerat an. 1180. Nominatur in tabulis an. 1189. 1202. 1203. 1204. & 1207. imo etiam an. 1240. niſi forte alia ſit ejuſdem nominis abbatiſſa.

II. Valeria an. 1257.

III. Mathildis I. 1260.

IV. Juliana an. 1275. commutavit quædam cum abbate & conventu Prateenſi, litteris quibus adhuc appendent ſigilla Julianæ & Johannis abbatis Domus-Dei.

V. Mathildis II. 1285. 1287. & 1295.

VI. Margarita I. tranſegit cum heredibus Willelmi de Culant an. 1323.

VII. Perrota ſeu Petronilla de Proltreon * 1334. menſe Octobri.

* *al.* de Proteon.

VIII. Margarita II. an. 1351. multa dat ad cenſum.

IX. Adelais du Mas occurrit in tabulis 1364. 1371. & 1395.

X. Margarita III. de Malleret 1408.

XI. Margarita IV. de Gallebrune 1440. 1446. & 1447.

XII. Johanna de Gallebrune paciſcitur anno 1453. cum Gobino de Gournay milite.

XIII. Philippa de Mouſſy memoratur annis 1492. 98. & 1508. moritur 1519.

XIV. Gabriëlis de Mouſſy eligitur an. 1519. præſidente electioni Johanne Penot abbate Nigri-lacus. Baſilica veteri collapſa novam ædificavit, quæ dedicatur an. 1534. die 8. Decemb. Sedit Gabriëlis ad annum circiter 1548.

XV. Margarita V. de Mouſſy pedum accepit 7. Junii an. 1548. tenuitque uſque ad annum circiter 1560.

XVI. Beneventa de Beaucaire memoratur an. 1568. 72. & 74.

XVII. Franciſca I. de Beaucaire coadjutrix electa an. 1584. Sedit fere per decennium.

XVIII. Marquiſia de Beaucaire abbatiſſa reperitur annis 1593. 97. & 1603.

XIX. Franciſca II. de Beaucaire 1606. & 1611.

XX. Maria I. de l'Aubeſpine de Chaſteauneuf ex moniali S. Laurentii Bituric. an. 1611. fit abbatiſſa Buxeriæ; pro cujus habendo regimine benedictionem accepit a Rollando Hebert Bituricenſi præſule. Anno 1625. * die 7. Septemb. monaſterium ſuum in urbem Biturigas tranſtulit, ac die ſequenti locum ibidem paratum comitantibus monialibus ingreditur ſolenni pompa & proceſſione, cui præfuit illuſtriſſimus archiepiſcopus Rolandus Hebert, SS. ſacramentum geſtans. Anno 1628. nuntium miſit obedientiæ abbatis Ciſtercienſis, & archiepiſcopali juriſdictioni parthenonem ſubdidit. Anno vero circiter 1630. fundamenta jecit prioratus S. Bernardi apud Monluçon. Denique an. 1631. electa eſt in abbatiſſam ſancti Laurentii Biſur. Cui cœnobio cum abbatiam Buxeriæ fruſtra tentaſſet unire, hanc reſignavit ſequenti; obiitque abbatiſſa anno 1641. ætatis ſuæ 59.

* *al.* 1630.

XXI. Anna I. de Cochefilet de Vaucelas, neptis Mariæ de l'Aubeſpine, ex ejus ceſſione abbatiſſa renuntiatur; qua dignitate unico tantum anno potita eſt, nequidem apprehenſa poſſeſſione: forte ad aliam tranſmigravit abbatiam; certe dom. du Fourny in equitibus torquatis commemorat Mariam Annam de Cochefilet natam in Hiſpania patre Andrea, comite de Vauvineux, equite torquato, & matre Elizabetha de l'Aubeſpine Chaſteauneuf, S. Lupi & Buxeriæ abbatiſſam, ſororem abbatiſſæ Belli-montis in Turonibus & S. Corentini diœc. Carnot.

XXII. Anna II. de Vaudetar de Perſan ex libera dominæ de Cochefilet abbatiſſæ reſignatione, poſſeſſionem adiit die 9. Julii anni 1639. & biduo poſt benedicta eſt. Duobus vero tantum annis in regimine expletis, ceſſit in gratiam Mariæ Gueffier, quæ tamen poſſeſſionem non accepit. Deinde Anna de Vaudetar facta eſt abbatiſſa S. Jacobi Vitriacenſis prope Pariſios, ſuperſtes adhuc an. 1674.

XXIII. Ludovica de Vaudetar de Perſan monialis Pontis-dominarum, poſſeſſionem iniit die 3. Novembris an. 1643. Vita fungitur die 27. Januarii an. 1645.

XXIV. Carola de Caſtelnau admittitur ad poſſeſſionem abbatiæ die 5. Auguſti anni 1645. Obiit anno 1681. bene merita de monaſterio ſuo, cujus adauctis ædificiis regularibus, ſacrarum etiam virginum numerum ampliavit.

XXV. Maria III. de l'Eſpinai * claro exorta ſanguine, toto Buxeriæ conventu exoptante transfertur ab Inſulis Autiſſiodorenſibus, ad Buxerienſe monaſterium, quod ſumma cum prudentia gubernavit ad annum 1710. verbo & opere ſuis ſororibus prælucens, quibus modeſtiæ præſertim & humilitatis inſignia præbuit exempla, recuſatis ſeptem pinguioribus abbatiis.

* *al.* de Caſtelnau neptis ſuperioris.

XXVI. N. Solu * de Villerault nominatur a Rege an. 1710. 19. Aprilis in feſto Paſchæ.

* Soliï.

Digitized by Google

ECCLESIA CLAROMONTENSIS.

QUÆ modo Clarus-mons dicitur Arvernorum princeps civitas in Aquitania olim Auguſto-nemetum vocabatur, uti legitur apud Ptolemæum, in tabula Theodoſiana ſeu Peutingeriana, apud Æthicum in coſmographia, &c. Quare ubi legitur in Strabone *Nemoſſus*, non levis eſt conjectura *Nemetum* legendum eſſe, uti affirmat Caſaubonus. Jam antea more plurimarum Galliæ urbium nomen totius gentis huic urbi Arvernorum capiti datum fuerat cœperatque appellari *Arverni*, ſaltem ætate Plinii: nam loquens de coloſſis qui tunc in civitatibus certatim fabricabantur, ait lib. 34. c. 7. *Verum omnem amplitudinem ejus generis ſtatuarum vicit ætate noſtra Zenodorus, Mercurio facto in civitate Galliæ Arvernis per annos decem, pedum CCCC. in magno pretio;* quare Romam accitus eſt a Nerone, *ubi deſtinatum illius principis ſimulacrum coloſſeum fecit centum & decem pedum in longitudine.* Poſtea hoc fere ſolo nomine Arvernorum deſignata eſt primaria illa gentis Arvernæ civitas, ut videre eſt paſſim in conciliis, apud Ammianum Marcellinum, Apollinarem Sidonium, & Gregorium Turonicum; qui ambo fuerunt Arvernicæ gentis * magna lumina; & pleroſque hujus vel inferioris ævi ſcriptores.

Porro quia de gente illa loquendi ſe ſe offert occaſio, diſſimulare non licet quanta fuerit olim Arvernorum potentia & fama; quod eſſet Galliæ Celticæ maxime bellicoſa, uti dicitur a Stephano. Auctor eſt Julius Cæſar commentariorum libro VII. imperata fuiſſe Arvernis a Vercingetorige millia hominum triginta quinque, *adjunctis Helveteris, Cadurcis, Gabalis, Vellavis, qui ſub imperio Arvernorum eſſe conſueverunt;* hinc vicinis ſuis terrorem injiciebant; & ſane refert Cæſar *Gabalos proximoſque pagos Arvernorum*, immiſſos fuiſſe a Vercingetorige in Helvios, licet ab eis monte Cebenna diſcluſos; alia vero ex parte bellicoſus hic princeps invaſit Boiorum fines qui cum Æduis Romanorum amicis & fratribus erant fœdere conjuncti, & eorum urbem Gergobiam oppugnavit; ſed audito Cæſaris adventu ab oppugnatione receſſit.

Etſi olim Arvernorum ditio, quam Dio libro 40. Arvernidam τὴν Ἀρουερνίδα appellat, latius olim pateret quam nunc Arvernicus pagus; hic tamen adhuc amplus eſt, dividiturque in ſuperiorem, ubi S. Flori oppidum & epiſcopatus inter aſperas rupes, monteſque excelſos, quos Alpes appellat Fortunatus in carmine 17. libri octavi ſic alloquens Gregorium Turonicum in Arvernis natum:

Lumen ab Arvernis veniens feliciter arvis,
Qui illuſtrans populos ſpargeris ore pharus.
Alpibus ex illis properans mens altior ipſis.

Et in inferiorem, cujus pars ad ſiniſtram ripam Elaveris fluminis, *l'Allier*, Lemane dicta eſt, fertilitate amœnitateque tota Gallia celeberrima. Unde Childebertus rex dicere ſolitus erat; *Velim Arvernorum Lemanem, quæ tanta jocunditatis gratia refulgere dicitur, oculis cernere*, uti narrat Gregorius Turon. hiſtoriæ lib. III. c. 4. Idem in libro de gloria martyrum: *Sicuti Lemane veſtitum ſegetibus, nudum habetur a ſilvis.* Utraque autem Arvernia multis abundat urbibus, aut locis inſignibus. In ſuperiori, præter fanum S. Flori, ſunt Rupes-Beruſſi, *la Roque-Brou*, ad Ceram fluvium: Vicus, *Vic*, adjacens eidem fluvio: Cartilatum, *Carlat*, non longe a præfato flumine: Mauriacum, *Mauriac:* Aureliacum, *Aurillac:* Mons-ſalvius, *Mont-ſalvi:* Interaquæ, *Entragues:* Aquæ-Calidæ, *Chaudes-Aigues*, quas Apollinaris Sidonius appellat *Calentes* * *Baias* libro V. epiſtola 14. Muratum ad Alamonem, *Alagnon.*

* *Sirmondus legit:* Calenſes; *fatetur tamen in nonnullis codicibus exaratis legi:* Calentes.

In inferiori Arvernia numerantur Caſa-Dei, ſic dicta a nobiliſſima S. Roberti abbatia: Billomagus, *Billom:* Voluta, *la Voute:* Vicus-comitis, *Vic le Comte:* Curva-petra, *Corpierre:* Brivas, *Brioude*, ubi collegium illuſtre canonicorum qui comites dicuntur, & ex nobilioribus familiis eliguntur: Iciodorum, *Iſſoire:* Aqua-Sparſa, *Aigues-Perſe:* Mons-ferrandus: Ricomagus, *Riom*: & provinciæ dioceſiſque caput Clarus-mons; quo nomine nunc nota eſt urbs olim *Arverni* & *Auguſtonemetum* dicta; de qua adhuc multa nobis notatu digna referenda.

Clarus-mons medio fere octavo ſeculo reparatæ ſalutis memorari cœpit; nam in anonymo qui, jubente illuſtri viro Nibilungo comite, Pipini regis geſta ſcripſit, decimo anno regni ejus legitur: *Maximam partem Aquitaniæ vaſtans, uſque urbem Arvernam cum omni exercitu veniens* (Pipinus), *Claremontem-caſtrum captum atque ſuccenſum bellando cepit, & multitudinem hominum tam virorum quam feminarum vel infantum plurimos in ipſo incendio cremarunt. Blandinum comitem ipſius urbis Arvernicæ captum atque ligatum ad præſentiam Regis adduxerunt.* Ex iis intelligimus per *Claromontem* non deſignari Arvernicam urbem, ſed arcem ſeu caſtrum in monte vicino ædificatum, ad urbis munitionem. At cum ob frequentes hoſtium incurſiones in urbe habitare minus tutum videretur, urbis incolæ in hunc montem natura & arte munitum commigrarunt. Hanc ſententiam, quam tuetur

Continuator chron. Fredegarii in parte.

* Oplnatur tamen Sirmondus in notis ad carmen XVIII. Sidonii eum ortu fuiſſe Lugdunenſem; at conjugio & cathedra Arvernum, quod ſufficit ad illius gentis decus.

Digitized by Google

V. C. Johannes Savaro in originibus Claromont. libenter amplectimur, & ipſi ſane favet popularium traditio; nam qui vineas aut agros urbi ſubjectos colunt ruſtici, loca hæc vulgo vocant *la Cita;* quod is fuiſſet olim civitatis locus. Quod præterea confirmatur ex variis antiquis monumentis, quæ ex iſtis aut vinetis aut agris jam effoſſa ſunt, & adhuc non raro effodiuntur.

Hunc Montem-clarum civitati Arvernorum vicinum, a Gergovia poſita in altiſſimo monte quæ omnes aditus difficiles habebat, teſte Cæſare, non longe ab Arvernis, omnino diverſum eſſe, in confeſſo eſt apud omnes, qui locorum non ſunt prorſus ignari: nam quidam mons nonnullis ſtadiis ab urbe diſtans, adhuc priſtinum nomen retinet, appellaturque *Gergoye*, ubi ſuperſunt antiquæ urbis rudera & vetera monumenta.

Territorium Claromontenſe ſeu Arvernenſe ita deſcribit Apollinaris Sidonius lib. 4. epiſtola 21. *Taceo*, inquit, *territorii peculiarem jocunditatem; taceo illud æquor agrorum in quo ſine periculo quæſtuoſæ fluctuant in ſegetibus undæ: quod induſtrius quiſque quo plus frequentat, hoc minus naufragat: viatoribus molle, fructuoſum aratoribus, venatoribus voluptuoſum; quod montium cingunt dorſa paſcuis, latera vinetis, terrena villis, ſaxoſa caſtellis, opaca luſtris, aperta culturis, concava fontibus, abrupta fluminibus: quod denique hujuſmodi eſt, ut ſemel viſum advenis, multis patriæ oblivionem ſæpe perſuadeat.*

Arvernorum urbs ſeu Clarus-mons merito de ſuâ antiquitate ac nobilitate gloriatur. Habuit enim ſuum ſenatum inſtar Romæ. De ſenatoribus Arvernis paſſim agunt Apollinaris Sidonius, & Gregorius Turonicus, qui ex genere ſenatorio hac in urbe natus erat; Sidonius vero filiam duxerat Aviti, qui ex ſenatore Arvernæ civitatis factus fuerat imperator. Huic auguſto ſocero ſuo panegyricum ſtricta oratione dixit Sidonius, in quo miris laudibus Arvernicam gentem extollit, uti & fœcundum regionis ſolum:

Eſt mihi quæ Latio ſe ſanguine tollit alumnam
Tellus clara viris, cui non dedit optima quondam
Rerum opifex natura parem. Fœcundus ab urbe
Pollet ager, primo qui vix proſciſſus aratro,
Semina tarda ſitit, vel luxuriante juvenco
Arcana exponit piceam pinguedine glebam.
Aſſurrexit huic, coxit quod torridus auſter
Niliacum, Lybicumque ſolum: collataque ſemper
Arida Mygdoniæ damnarunt Gargara falces.
Apulus & Calaber ceſſit. Spes unica rerum,
Hanc, Arverne, colens, nulli pede cedis in armis:
Quoſvis vincis equo. Teſtis mihi Cæſaris eſto
Hic nimium fortuna pavens, cum colle repulſus
Gergoviæ, caſtris miles vix reſtitit ipſis.
Hos ego tam fortes volui, &c.

Idem Sidonius epiſtola 21. lib. IV. ad Aprum, urbem Arvernam ſtudiis floruiſſe tum grammaticorum, cum rethorum docet, quibus cum ibidem Aper fuiſſet non mediocriter imbutus, ipſi non licebat Arvernos vel propter litteras non amare. Priſtinam gloriam adhuc Claromontani totaque gens Arverna retinent; valent enim ingenio, ad litteras potiſſimum acutiſſimo. Olim fuit *Univerſitas* ſtudiorum apud Billomum erecta, ad petitionem Caroli ducis Borbonii, ac Ludovici comitis Montis-pancerii, inſtantibus decano & capitulo eccleſiæ S. Syrenei, & *Univerſitate hominum villæ Billonii*, per bullam Eugenii papæ IV. datam Romæ apud S. Petrum an. M. CCCC. LV.... qua ſummus pontifex facultatem concedit creandi baccalaureos & doctores in utroque jure. Hanc academiam regebant decanus & canonici S. Syrenei, qui in tranſactione cum Guillelmo du Prat epiſcopo, a quo ibidem fundatum eſt collegium Societatis Jeſu, ſibi & capitulo reſervant juriſdictionem in illud collegium, cum jure viſitandi, corrigendi, &c.

Antiquos etiam honores non amiſit urbs, ſed auxit; nam præter curiam præſidialem ab anno 1632. ſedes eſt curiæ ſupremæ ſubſidiorum, quæ prius apud Montem-ferrandum ſedebat. In ſuburbio S. Illidii viſu dignus eſt rivus Trundo dictus, vulgo *Tiretaine*, ob pontem impoſitum qui ex ipſius aqua in lapidem converſa, nulla hominum arte prodiit: lapideſcit enim hæc aqua, & quidquid in eam projicitur.

Ut nunc de ſtatu eccleſiaſtico dicere incipiamus, eſt in urbe Claromontana epiſcopatus ampliſſimus, qui primum locum tenet inter alios Bituricenſi ſubditos metropoli. Eccleſia cathedralis, ſub titulo beatiſſimæ virginis dedicata [a], ob magnitudinem & ſingularem, qua fabricata eſt, artem ſpectabilis eſt. In ea ſex concilia ſunt habita, quorum celeberrimum fuit an. 1095. ſub Urbano II. Capitulum tres habet dignitates, præpoſitum, abbatem, decanum. Præcentor quoque a nonnullis inter dignitates recenſetur, ſed eſt tantum perſonatus, habetque annexam præbendam. Canonicatus & præbendæ ſunt numero 35. ex quibus ſunt 29. capitulantes, & ſex ſacerdotales quæ in duodecim ſemipræbendas diviſæ ſunt pro presbyteris altari & choro famulantibus; idque factum fuit ex ſtatuto capituli, quod ſenatuſconſulto parlamenti Pariſienſis fuit confirmatum. Dignitates, canonicatus, & alia eccleſiæ ſacerdotia ad collationem & omnimodam diſpoſitionem capituli pertinent.

In diœceſi quæ circiter 758. eccleſias parochiales continet, ſunt 15. archipresbyteratus:

[a] Olim quoque patronos habuit SS. Vitalem & Agricolam martyres.

1. Claromontenſis.
2. Lemani pagi, *la Limagne.*
3. Silviniaci, *de Souvigny.*
4. Cuſſiaci, *Cuſſet.*
5. Biliomagi, *de Billon.*
6. Libratenſis.
7. Celſiniarum, *Saucillanges.*
8. Iſſiodorenſis, *Iſſoire.*
9. Merdoniæ.
10. Ardilis.
11. Maceriaci.
12. Rupis-Fortis.
13. Hermenei, *Hermeu.*
14. Menati, *Menat.*
15. Bloti.

Sunt in diœceſi multa canonicorum capitula ſeu collegia, quæ juxta archipresbyteratus in quibus ſunt recenſebimus.

1. Beatæ Mariæ Portus, *le Port*, habet decanum & 15. præbendas ad collationem omnimodamque epiſcopi diſpoſitionem pertinentes.

2. S. Geneſii in urbe, *S. Genez*; habet abbatem, cantorem & decem præbendas ad omnimodam capituli diſpoſitionem ſpectantes.

3. S. Petri in urbe conſtat decano, cantore, præbendiſque 15. ad collationem capituli.

4. B. Mariæ Camelariæ *Chamalieres*, prope urbem, ubi ſunt decanus, cantor, præbendæque 12. ad omnimodam diſpoſitionem capituli.

5. B. Mariæ Montis-Ferrandi cantore conſtans & præbendis 13. ad capituli diſpoſitionem.

6. S. Stephani Cebaziaci, *Cebazac*, ex decano & undecim præbendis, ad collationem capituli.

7. S. Ludovici capella regia Ricomagi, ubi theſaurarius & canonici 13. ad collationem Regis, & ſemi-præbendarii ſex ad diſpoſitionem capituli.

8. S. Amabilis Ricomagenſis; decani, & cantoris dignitates, necnon præbendæ pertinent ad capituli collationem.

9. Marthureti præpoſitura, *le Marthuret*, ad collationem capituli S. Amabilis, præbendæ vero decem ad collationem capituli Marthureti, duæ vero ad nominationem domini de Langeac.

10. SS. Victoris & Coronæ Enneſiaci, *Ennezac*, ubi decanus, cantor, præbendæ 12. & duæ ſemi-præbendæ.

11. B. Mariæ Pontis-Caſtri, *Pont du Chaſteau.*

12. S. Martini Cornonii, *Cornon.*

13. S. Martini de Arthona ubi abbas, cantor, canonici 13. ad collationem capituli.

14. S. Mariæ Aquæ-Sparſæ, *Aigue-Perſe.*

15. Capitulum S. Ludovici, * capella ſacra, & regia apud Aquam-Sparſam; præbendæ, quarum prior eſt theſaurarii, & ſemi-præbendæ ad præſentationem ducis Montis-Panſerii pertinent.

16. S. Venerandi, alias *de Veau*, ad nominationem abbatis Ebrolii

17. S. Petri de Vernolis habet decanum, cantorem, præbendas 13. ad nominationem ducis Borbonii.

18. B. Mariæ Cuſſiaci præeſt cantor; ſunt præbendæ 12. ad præſentationem abbatiſſæ Cuſſiaci.

19. Varenarum ſuper Thechiam, *Varen ſur Teche.*

20. S. Germani de Lembron.

21. B. Mariæ du Broc, ubi decanus curam parochiæ annexam habens, & cantor pendet a menſa conventuali Caſæ-Dei. Ibidem duodecim præbendæ ſunt ad nominationem capituli.

22. SS. Victoris & Coronæ Marelogii, *Marieuge* in Ambronis.

23. B. Mariæ Creſti, *du Creſt.*

24. S. Amantii, *S. Chamand.*

25. B. Mariæ Orcivallis.

26. B. Mariæ Magdalenæ de la Queille.

27. B. Mariæ Hermenei, *Hermeu.*

28. SS. Trinitatis de Croc.

Tom. 2. biblioth. Labb. pag. 707. editus eſt vetus codex de eccleſiis, & altaribus, quæ in Claromonte conſiſtunt, cum amplo Johan. Savaronis commentario, qui probat auctorem codicis ſcripſiſſe circa an. D. CCCC. L.

Sunt in urbe ac in tota diœceſi plurima diverſorum ordinum monaſteria, de quorum fundatione quædam attingemus in hiſtoria epiſcoporum, ſub quibus condita ſunt. At de abbatiis quæ plurimæ ſunt, ſeorſim differemus poſt epiſcoporum catalogum & hiſtoriam. De originibus, ſeu antiquitatibus Claromontanis Gallice ſcripſit Johannes Savaro in curia Claromont. præſes & prætor, ubi etiam de epiſcopis hujus urbis egit vir doctiſſimus, de litteris & patria optime meritus. Ad penitiorem geſtorum epiſcopalium notionem explorandam recenſuimus vetera monumenta, & archivi eccleſiæ inſtrumenta omnia; quod libentiſſime venerabiles & illuſtres viri præpoſitus, decanus, canonicique permiſerunt noſtro D. Jacobo Boyer ad hoc miſſo; qui in difficili hoc opere maxime adjutus eſt a viris clariſſimis archivi præfectis D. D. Petro Andrea de la Roche-André, & Michaële Peliſſier de Feligonde canonicis.

* Apud Aquam-Sparſam urbem ſatis elegantem in Limania, *Aigue-Perſe*, eſt ſacra capella cujus fundator fuit Ludovicus Borbonius *boni* cognomen conſecutus, Montis-Panſerii comes, Arverniæ delphinus, filius Johannis I. ducis Borbonii & Arverniæ, inſigniturque titulo S. Ludovici. Bulla pontificia quam dedit Sixtus papa IV. ad confirmandam fundationem, hunc annum præfert 1475. diemque nonum Septembris. Immediate pendet a ſancta Sede. Conſtat vero capitulum octo canonicis quorum unus eſt theſaurarius, præſtque capitulo: alter præcentor qui fungitur officio curionis erga perſonas ad capitulum pertinentes, & principes, eorumque familiam, quando in urbis hujus caſtro morantur. Sunt præterea octo ſemi-præbendati. Sileamus de minoribus miniſtris. Ibi conditi ſunt multi regiæ ſtirpis principes, præſertim Ludovicus Borbonius fundator.

EPISCOPI CLAROMONTENSES.

I. S. Austremonius.

ANNI CHRISTI 250.

Sanctus Austremonius, vel, ut legitur in nova Greg. Turonenſis editione, Stremonius, unus fuit ex illis eximiis verbi Divini præconibus qui medio ſeculo III. Decio & Grato conſulibus, miſſi a Romano pontifice Roma profecti ſunt ut venirent in Gallias, uti legitur apud Gregorium lib. 1. hiſt. c. 28. Poſt fundatam apud Arvernos eccleſiam, ſtudio protelandi Chriſti ſervatoris imperium, Noviodunum Æduorum, ſeu Nevernum ad Ligerim appulit, ubi religionis Chriſtianæ fundamenta jecit. Idem feciſſe dicitur Avarici Biturigum. Et quidem, ut jam diximus in Bituricenſibus epiſcopis, S. Urſinus primus Biturigum apoſtolus, teſte Gregorio Turon. l. 1. hiſt. c. 39. fuit diſcipulus horum apoſtolicorum virorum, quos c. 28. miſſos dixit in Gallias ab apoſtolica ſede; quidni igitur Stremonii?

Tandem ad ſuos Arvernos reverſus in partem oneris paſtoralis, quod 36. annos ſuſtinuerat, ſanctum Urbicum ſucceſſorem elegit, & ad Iciodorenſem * æremum divina contemplaturus ſe recepit. Illic a Judæis, ex quibus multos Chriſto acquiſierat, variis ictibus affectum Auſtremonium capite plexum fuiſſe eccleſiæ Claromontenſis traditio eſt; ut loquar cum eruditis viris qui novo breviario pro Arvernenſi eccleſia navant operam. Conditus eſt in eodem loco ubi ad ejus ſepulcrum condita eſt abbatia. De eo ita Greg. Turon. l. de glor. Confeſſ. c. 30. *Per ſanctum Stremonium qui & ipſe a Romanis epiſcopis cum Gatiano beatiſſimo, & reliquis quos memoravimus, eſt directus, primum Arverna civitas verbum ſalutis accepit, eoque prædicante Salutare mundi Redemtoremque omnium Chriſtum Dei filium credere cæpit. Hujus autem ſepulcrum apud Iciodorenſem vicum habetur, ad quod cruda ruſticitas, licet ſciens quod quieſceret, nullum tamen ibi exhibebat honoris cultum. Poſt longinqua vero annorum curricula, Cautinus qui ipſius Arvernæ urbis epiſcopus datus eſt, in diaconatu ſuo eccleſiam vici illius rexit.* Hic cœleſti viſione admonitus, debitum ſancto confeſſori honorem reſtituit; quo ex tempore cœpit miraculis coruſcare, quæ ſibi narrata fuiſſe ab eodem Cautino facto epiſcopo aſſeverat Gregorius.

* Iſſoire.

Tandem cum idem locus adhuc propter varias clades eſſet incultus, Avitus epiſcopus inde ſacrum ſancti confeſſoris corpus tranſtulit ad Volvicenſe cœnobium, a ſe fundatum; unde poſtea Lautfridus abbas Mauzacenſis, auctoritate Pipini regis, illud tranſtulit ad ſuum monaſterium an. circiter 764. ut ait Mabill. ad hunc an. n. 71. Fertur condidiſſe eccleſiam in honorem Dei-paræ quæ *S. Maria inter ſanctos* appellata eſt, ob frequentia martyrum aut aliorum ſanctorum ſepulcra circumpoſita. Nunc autem eſt baſilica S. Illidii, *S. Allyre*. Conſule noſtrum Ruinartum in addendis ad Greg. Turon. pag. 1400. & ſeq.

A S. Auſtremonii vitam edidit Labbeus tom. 2. Bibliothecæ pag. 482. ſed fabulis plenam. In ea ſanctus vir unus ex 70. diſcipulis Domini dicitur, legiturque capite truncatus calendis Novembris Judæorum gladiis, anno 64. poſt Chriſti paſſionem; quæ omnia pugnant contra Gregorii Turon. ſententiam, qui S. Auſtremonium tertio ſeculo miſſum diſerte docet, nec martyrem fuiſſe cenſuit, quem videlicet inter confeſſores tantum retulit, in libro videlicet de Gloria Confeſſorum.

ANNI CHRISTI

Scriptoris hujus ſententiæ favere tamen videntur quædam veteres inſcriptiones. In eccleſia ſancti B Illidii, ubi jacuit aliquandiu S. Auſtremonii corpus tranſlatum ex Iciodorenſi cœnobio, ut diximus, deſtructo altari S. Illidii anno 1709. die 24. Septembris, inventus eſt lapis marmoreus cum hac inſcriptione uncialibus litteris: HIC RELIQUIÆ SUNT B. AUSTREMONII MRS SCIQUE JULIANI ET STABILE, &c. In eccleſia quoque cathedrali ſubtus altare majus ſervatur capſa ex argento inaurato cum hac inſcriptione: *PARTES FEMORIS SANCTI AUSTREMONII ARVERNORUM* C *EPISCOPI ET MARTYRIS.* Sed id probat ſolummodo ea ætate qua inſcriptiones hujuſmodi factæ ſunt, Auſtremonium pro martyre fuiſſe habitum: at neutra ex iis inſcriptionibus ſeptingentos annos ſuperat; æquumque non eſt auctoritatem hanc anteponere teſtimonio Gregorii Turonici, qui ante annos centum ſupra mille ſcribebat; & aliunde Arvernicis de rebus erat a puero apprime edoctus.

II. S. Urbicus.

S. Urbicus ſucceſſit Auſtremonio. Gregorius D Turon. hiſtor. lib. 1. cap. 39. *Apud Arvernos*, inquit, *poſt Stremonium epiſcopum, prædicatoremque, primus epiſcopus Urbicus fuit, ex ſenatoribus converſus, uxorem habens: quæ juxta conſuetudinem eccleſiaſticam, remota a conſortio ſacerdotis religioſe vivebat. Vacabant enim ambo orationi, eleemoſynis, atque operibus bonis. Cumque hæc agerent, livor inimici, qui ſemper eſt æmulus ſanctitati, commovetur in feminam; quam in concupiſcentiam viri ſuccendens, novam Evam efficit. Nam ſuccenſa mulier a libidine, operta peccati tenebris,* E *pergit ad domum eccleſiæ per tenebras noctis. Cumque obſerata omnia reperiſſet, pulſare fores eccleſiæ domus cæpit.....tandem ſacerdotis tepeſcit religio. Jubet eam cubiculo intromitti, uſuſque concubitu ejus diſcedere jubet.*

Hæc, quamvis Urbico epiſcopo minus honorifica videantur, a poſteris ignorari noluit Gregorius, ut hoc humanæ fragilitatis exemplum ſacerdotes, clericos, ceteroſque fideles cautiores redderet. Itaque pergit Gregorius: *Dehinc tardius ad ſe reverſus, & de perpetrato ſcelere condolens, acturus pœnitentiam, diœceſis ſuæ monaſterium expetit; ibique cum gemitu ac lachrymis quæ*

ANNI CHRISTI

commiserat, diluens, ad urbem propriam est reversus. Qui impleto vitæ cursu, migravit a seculo. Nata est enim ab hoc conceptu filia, quæ in religione permansit. Ipse quoque sacerdos cum conjuge & filia in crypta Cantobennensi * juxta aggerem Publianum * est sepultus. In cujus loco Legonus episcopus subrogatur. Obiit circa annum 312. ad mentem Savaronis; tardius juxta Bailletum ita judicantem ex nonnullis circumstantiis historiæ supra ex Gregorio Tur. descriptæ. Ex Cantobennensi crypta postea translatus est in basilicam S. Illidii.

* Chantoin
* publicum
312.

In libro *de ecclesiis & altaribus quæ in Claromonte consistunt* ad quem doctos edidit commentarios Johannes Savaro, legitur §. VIII. *In ecclesia S. Galli altare S. Mariæ ubi requiescunt S. Gallus, & S. Urbicus, &c.* quibus ex verbis infert vir eruditissimus, S. Galli ecclesiam conditam esse juxta cryptam illam Cantobennensem S. Urbici sepulcretum; *de qua vel minante ruinam vel eversa, S. Urbicus in Illidianam* (basilicam) *migravit;* laudatque tabulam sancti Illidii. Exstitit olim Cantobonense * monasterium puellarum dicatum S. Petro, ut legitur in jam laudato Claromontensium ecclesiarum catalogo Savaroniano lib. 1. c. 26. De hoc monasterio agemus in abbatiarum historia.

* vel Cantocunense.

B C

III. Legonus, *al.* Legontius.

Multum debemus Gregorio Turon. qui Arvernorum episcoporum seriem tam accurate suæ Francorum historiæ inseruit. Itaque juxta illum Urbici successor fuit Legonus, qui & Legontius, & Leccontius legitur. De hoc vero præsule nihil scimus. In codice Savaroniano lib. 2. cap. 18. memoratur ecclesia S. Leogontii, ubi idem sanctus, quem Legonum Gregorius appellat, dicitur quiescere. Cap. 10. libri 1. laudati codicis a Savarone notis & observationibus illustrati, memoratur S. Linguinus in ecclesia S. Venerandi sepultus. Utrum vero is sit idem cum Legono quis asserere audeat aut negare?

D

IV. S. Illidius.

S. Illidius inter episcopos Arvernenses sanctimonia notus, florebat circiter an. 370. Gregor. Turon. de ipso hist. l. 1. c. 40. fatur his verbis: *Quo defuncto, Leogontio, sanctus Hillidius successit, vir eximiæ sanctitatis ac præclaræ virtutis, qui in tanta sanctitate emicuit, ut fama ejus etiam extraneos fines adiret. Unde factum est, ut imperatoris[a] Trevirici filiam expetitus a spiritu immundo curaret; quod in libro illo, quem de ejus vita conscripsimus, memoravimus. Fuit autem (ut fama refert) valde senex & plenus dierum, plenusque bonis operibus, qui felici consummatione, vitæ hujus perfunctus tramite, migravit ad Christum: sepultusque in crypta, suburbano * civitatis illius. Habuit autem & archidiaconum nomine & merito Justum, qui & cursum vitæ bonis consummans operibus, magistri tumulo sociatur. Jam vero post transitum B. Hillidii confessoris, ad glorioſum ejus sepulcrum tantæ virtutes apparent, ut nec scribi integre queant, nec memoria retineri.*

370.

a

E

* f. Suburbana, ut habet quidam codex MS.

In libro de vita patrum c. 11. idem Gregorius docet S. Illidium factum fuisse episcopum, Deo inspirante, & populo eligente; deinde plurima recenset miracula; in iis insignem liberationem & curationem a dæmone filiæ Maximi imperatoris: *Quod miraculum imperator cernens, immensos auri argentique cumulos sancto offert sacerdoti: quod ille exsecrans ac refutans, hoc obtinuit ut Arverna civitas, quæ tributa in specie triticea ac vinaria dependebat, in auro dissolveret, quia cum gravi labore penui inferebantur imperiali.*

Illidius hoc in itinere migravit ad Christum; a suisque delatus, in sua sepultus est urbe, ex eodem Gregorio, qui narrat se adhuc parvulum hujus sancti meritis sanatum fuisse a morbo gravissimo, post emissum de clericatu suscipiendo votum. Episcopus Turonum factus, in dedicato a se nuper oratorio quasdam S. Illidii reliquias collocaverat, quæ aut panni erant, aut linteamina ex tactu ejus corporis consecrata; refertque filum quo colligabantur, in ignem lapsum minime consumtum fuisse. Locus ejus sepulturæ fuit ecclesia quam ipse construxerat ipsius nomine insignita, ubi postea celebre monasterium conditum est, quod hodie supereſt ac floret. Quo anno sanctus Illidius obierit Gregorius non indicat. Maximus imperator, cujus filiam paulo ante mortem a dæmone liberaverat, imperavit ab anno circiter 381. usque ad an. 388. Itaque non obiit sanctus Illidius ante an. 381. aut post an. 388. Sancti episcopi vitam fabulis deturpatam ediderunt Bollandiani, ad diem v. Junii, quo festum ejus apud Arvernos celebratur, etsi in martyrologio Romano commemoretur die v. Julii. Translatio ejus reliquiarum anno M. CCC. XI. facta est ab Arberto episcopo.

V. S. Nepotianus.[b]

b

Nepotianum Illidio suffectum esse docet Gregorius toties decantatus lib. 1. hist. c. 41. cujus verba hic referenda: *Apud Arvernos S. Nepotianus quartus habebatur episcopus. A Treveris vero legati in Hispaniam mittebantur, ex quibus Artemius quidam admirabilis sapientiæ atque pulcritudinis, & prima ætate florens, vi febrium est correptus. Præcedentibus vero aliis, hic apud Arvernos ægrotus relinquitur. Nam eo tempore apud Treveros sponsali erat vinculo nexus. A sancto autem Nepotiano visitatus, atque oleo sancto perunctus, tribuente Domino redditur sanitati. Qui cum ab eodem sancto verbum prædicationis accepisset, oblitus tam sponsam terrenam, quam facultates proprias, sanctæ copulatur ecclesiæ, factusque clericus in tanta prælatus est sanctitate, ut B. Nepotiano successor exsisteret, ad regendas gregis Dominici caulas.* Quanto tempore præfuerit non legitur. Secundum Savaronem in originibus Clarom. ad cœlum evolavit die 22. Octobris an. 388. Se-

388.

[a] Significat Maximum, sive tyrannum sive imperatorem qui a Theodosio victus & occisus est.

[b] In quodam catalogo Isicius quintus episcopus legitur. Festum S. Isicii celebratur in diœcesi die 5. Junii, & translatio die 16. Decembris. Fuit fortasse chorepiscopus tantum. Certe satius est S. Gregorio Turonico quam incertorum auctorum catalogis credere.

ANNI CHRISTI

pulcrum ejus in eccleſia S. Venerandi erat tempore Gregorii Turonen. qui c. 37. de Gloria Confeſſorum ait: *Ibi & ſanctus Nepotianus epiſcopus requieſcit, qui fuit in ſeculo ſummæ vir ſanctitatis, obtinens nunc cum Domini potentia quæ ab eo fuerint implorata.* S. Nepotiani corpus ab Arberto epiſcopo diu quæſitum, inveniri non potuit. Forte jam tranſlatum fuerat. In antiquis reliquiarum Illidianæ eccleſiæ catalogis recenſetur corpus S. Nepotiani.

VI. S. Artemius.

Jam præmiſimus quæ Gregorius Turonicus de hoc ſancto epiſcopo narrat in Nepotiano ipſius anteceſſore. Savaro conjicit vel potius divinat eum e vita exceſſiſſe anno 394. Habuit olim eccleſiam ſub ſui nominis titulo, quæ memoratur in libello de eccl. Clarom. c. 29. nunc ſolo adæquatam; lugetque Savaro quod arca lapidea quæ olim ejus oſſa continebat, ſuo tempore a prætereuntibus conculcaretur. Feſtum tamen ejus quotannis celebratur die 24. Januarii.

VII. S. Venerandus.

Quæ de S. Venerando S. Artemii ſucceſſore dicturi ſumus ſuppeditabunt Gregorius & Paulinus. Gregorius Tur. lib. 2. hiſt. c. XIII. ait poſt tranſitum S. Artemii Venerandum e ſenatoribus, hoc eſt ex ſenatorio inter Arvernos ordine, fuiſſe ordinatum epiſcopum. *Qualis autem*, inquit, *fuerit hic pontifex teſtatur Paulinus* [a] *dicens: Si enim hos videas dignos Domino ſacerdotes, vel Exſuperium Tholoſæ, vel Simplicium Viennæ, vel Amandum Burdegalæ, vel Diogenianum Albigæ, vel Dynamium Ecoliſmæ, vel Venerandum Arvernis, vel Alithium Cadurcis, vel nunc Pegaſium Petrocoriis; utcunque ſe habent ſeculi mala, videbis profecto digniſſimos totius ſanctitatis ac fidei religioniſque cuſtodes.* S. Venerandus tranſivit ad meliorem vitam in ipſa Dominici natalis vigilia. De eccleſia ejus cultui dicata loquitur Gregorius lib. de Gloria Confeſſorum c. 35. & ſeq. ex quo diſcimus plurima ibi ſanctorum corpora ſepulta; quod etiam legitur in libello de eccleſiis Clarom. cujus hæc ſunt verba: *In eccleſia S. Venerandi altare S. Juliani, & S. Baſiliſſæ Antiochenæ, altare S. Quintini*, &c. *ubi S. Venerandus, & S. Linguinus, & S. Nepotianus, & S. Avitus & S. Clara & alii ſex millia ducentorum in corpore quieſcunt; quorum nomina Deus ſcit.* Hodie hæc eccleſia eſt in hortis Illidiani monaſterii. Feſtum S. Venerandi die 18. Januarii celebratur.

VIII. S. Rusticus.

Lib. II. hiſt. c. 13. Poſt S. Venerandi obitum *fœda fuit pro epiſcopatu intentio*, Gregorio teſte, populuſque ſtudia in contraria abreptus, in unius epiſcopi electionem conſpirare non poterat. Reſidentibus vero epiſcopis die Dominica, quædam mulier velata Deoque conſecrata, dixit Deo nequaquam placere eos quos ad ſacerdotium poſtulabant populi tot in partes ſciſſi ob ambitum & cupiditatem; ſed ſtatim adfuturum eum quem ſibi Deus elegerat. Sanctimoniali adhuc loquente, ecce *ſubito Ruſticus nomine, qui erat ex ipſa urbis Arvernæ diœceſi presbyter, advenit, ipſe enim jam mulieri per viſionem fuerat indicatus. Quo viſo, ait:* En ipſum, quem elegit Dominus. Ecce qualem vobis Dominus pontificem deſtinavit, hic ordinetur epiſcopus. *Hæc ea loquente, omnis populus cuncta intentione poſtpoſita, clamavit dignum ac juſtum eſſe. Qui in cathedra poſitus, ſeptimus in eodem loco pontificatus honorem, populo gaudente ſuſcepit.* Ex Mabill. l. IV. de re dipl. in notis ad tabell. XIX. Ruſticus Arvernenſis epiſcopus dedicavit eccleſiam S. Vincentiani confeſſoris *poſt obitum viri Dei Vincentiani octo menſibus jam* tranſactis, XV. ſcilicet cal. Septembr. ſub rege Clothario XV. an. Mortuus eſt die 24. Sept. de quo martyrologium meminit eodem die. Vulgo appellatur *S. Rotiri.* In veteri martyrologio edito tomo IV. Spicilegii legitur: *VIII. kal. Octobris Arvernis depoſitio S. Ruſtici epiſcopi.*

IX. S. Namatius.

Pergens Gregorius in texendo catalogo epiſcoporum ſuæ patriæ, docet lib. 2. hiſt. c. 16. Namatium qui uxorem habebat, S. Ruſtico ſubrogatum fuiſſe. Qui ædificavit eccleſiam cathedralem ſeu *ſeniorem*, uti loquitur Gregorius, *infra muros civitatis, habentem in longum pedes centum quinquaginta, in latum pedes ſexaginta, in altum infra capſum uſque cameram pedes quinquaginta: in ante abſidem rotundam habens, ab utroque aſcellas eleganti conſtructas opere; totumque ædificium in modum crucis habetur expoſitum. Habet feneſtras 42. columnas ſeptuaginta, oſtia octo.... ..... Parietes ad altarium opere ſarſurio, ex multo marmorum genere exornatos habet. Exacto ergo in duodecimo anno beatus pontifex ædificio, Bononiam civitatem Italiæ ſacerdotes dirigit, ut ei reliquias ſanctorum Vitalis & Agricolæ exhibeant, quos pro nomine Chriſti Dei noſtri manifeſtiſſime cruxifixos eſſe cognovimus.*

Greg. ibid. c. 17. Uxor S. Namatii eodem ſtudio pro gloria Domus-Dei accenſa, baſilicam S. Stephani [b] ædificavit in ſuburbio Arvernorum, quæ ab annis circiter 200. nomen habet S. Eutropii, eſtque nunc eccleſia parochialis. [b]

Ceterum olim rariſſime ædificatæ ſunt eccleſiæ intra muros: nam pleræque baſilicæ ſuper martyrum tumulos ſunt conſtructæ, qui extra muros erant, cum olim vetitum eſſet in urbibus mortuorum cadavera condere.

Ibid. Pia matrona cum baſilicam hanc *fucis colorum adornare vellet, tenebat librum in ſinu ſuo, legens hiſtorias actionum antiquorum, picturibus indicans quæ in parietibus fingere deberent*, inquit Gregorius. Quæ de ea ſubdit probant quantæ eſſet humilitatis hæc ſancta mulier; quippe quæ ex veſte atra & vili, pro paupere fœmina ſedente ad eleemoſynam habita ſit, nec dedignata fuerit fruſtum

[a] Editi ante noviſſimam editionem cum nonnullis codicibus manu exaratis habent, *Paulinus presbyter*; attamen nihil vetat tribuere hæc Paulino poſtea Nolano epiſcopo, qui potuit ea ſcribere, adhuc presbyter. Ceterum hæc nullibi reperiuntur in operibus S. Paulini.

[b] Johan. Savaro profert matriculam ſive veterem deſcriptionem civium Claromont. trecentis abhinc annis ſcriptam, in qua hæc eccleſia vocatur adhuc *la paroche de S. Stephe*: Idem legitur in ordinali Clarom. & in rituali libro S. Illidii

panis a mendico accipere ; quam humilitatem Deus miraculo remuneravit. Sepultus eſt ſanctus Namatius in eccleſia S. Stephani, ut docet libellus de eccleſiis notis Savaronis illuſtratus, c. XIII. *In eccleſia S. Stephani, ubi S. Namatius, &c. & alia ſanctorum corpora, quorum nomina neſcimus, quieſcunt.* S. Namatii feſtum celebratur die 27. Octobris. De annis epiſcopatus S. Namatii Tillemontius tom. XV. commentariorum, ita conjicit : Forte ſucceſſit Ruſtico an. 446. rexit uſque ad 462. quo Eparchio locum dedit, qui obiit ſaltem an. 471. ſed de his nihil conſtat. Quamvis titulo *ſancti* ſit inſignitus, nullus tamen ejus cultui dies eſt aſſignatus.

ANNI CHRISTI — *p. 410.* — 446. — 462.

X. EPARCHIUS.[a]

Defuncto apud Arvernos Namatio epiſcopo Eparchius ſucceſſit, vir ſanctiſſimus, atque religioſus, inquit Gregorius l. 2. hiſt. c. 21. *Et quia eo tempore eccleſia parvam infra muros urbis poſſeſſionem habebat, ipſi ſacerdoti in ipſo, quod modo ſalutatorium dicitur, manſio erat, atque ad gratias Deo tempore nocturno reddendas ad altarium eccleſiæ conſurgebat.* Agnoſce hic veterum epiſcoporum ſimplicitatem & modeſtiam, quibus pro habitatione ſufficiebat *tuguriolum* juxta eccleſiam, ut loquuntur patres Africani. Salutatorium ſeu ſecretarium idem eſt ac hodie ſacriſtia. Ante ſacrorum myſteriorum celebrationem, epiſcopus ſedebat in ſecretario, ubi filiorum eccleſiæ ſuorumque ſalutationes excipiebat ; unde ſalutatorii nomen huic loco datum, quod obſervatum a nobis eſt in epiſtolam 56. S. Gregorii papæ libro V.

Solebat S. Eparchius diebus Quadrageſimæ ſecedere in monaſterium, quod in arce Cantobennici montis condidiſſe fertur, ibique recluſus manebat. *Die autem Cœnæ Dominicæ*, inquit Gregorius Tur. *cum magno pſallentio, comitantibus clericis civibuſque, ad eccleſiam ſuam revertebatur.* Exceſſit e vivis anno 472. juxta communem opinionem.

472.

XI. APOLLINARIS SIDONIUS.[b]

Exſtincto per mortem hoc magno lumine quo Arvernenſis eccleſia refulgebat, ſurrexit in ejus locum luminare fortaſſe majus, ob ſplendorem natalium, dignitates, imperiales nuptias, doctrinam, eloquentiam ; quæ omnia conjuncta ſummæ pietati, epiſcopum numeris omnibus abſolutum conſecrarunt.

Caius Sollius Apollinaris Sidonius, *ſecundum ſeculi dignitatem nobiliſſimus, & de primis Galliarum ſenatoribus*, inquit Gregorius Turon. patrem & avum habuit prætorii Galliarum præfectos. Lugduni anno circiter 431. ortus, ut probat Jacobus Sirmondus in ejus vita, adverſus Johan. Savaronem, qui Sidonium gente Arvernum fuiſſe contendit : ſub optimis magiſtris, litteris operam dedit in Gallia, quæ tum liberalium artium ſtudiis florebat ; uſus eſt autem Hoënio in poëticis, ut ipſe commemorat, & Euſebio in philoſophicis, ſub quibus quantum profecerit maxime in poëtica norunt eruditi. Quos audierit in rhetorica non legimus : ſed magiſtram naturam ſe habuiſſe in facultate dicendi probarunt plurimæ orationes extemporaneæ & repentinæ ſcriptiones. Eadem elucebat in eo ingenii felicitas in pangendis verſibus. Gregorius Turon. poſt laudes ei datas ob facilitatem in ſcribendo & dicendo extemporanee, quantum polleret memoria oſtendit hoc prolato exemplo : Proceſſerat Sidonius epiſcopus ad celebranda quodam in monaſterio ſancta myſteria, die feſtivo baſilicæ, forte in dedicatione. At defuit libellus quo ad rem ſacram utebatur ; fucrat enim nequiter ſubtractus. Nihilominus tamen memoriter omnia quæ libro continebantur, quaſi legiſſet, recitavit ac cantavit ; ut omnes in ſtuporem acti exclamarent, *non hominem locutum fuiſſe ſed angelum. Quod*, inquit Gregorius, *in præfatione libri quem de miſſis ab eo compoſitis conjunximus, plenius declaravimus.*

His naturæ dotibus, accedente ſtudio & exercitatione id conſecutus eſt Sidonius, Mamerto Claudiano teſte, ut eruditorum ſui ævi peritiſſimus & diſertiſſimus haberetur, poëtices maxime. Laude clarus apud principes, in eorum familiaritatem & amicitiam facile aditum habuit, quin etiam Papianillam Fl. Aviti conſulis ac demum imperatoris filiam uxorem duxit, ex qua tres liberos Apollinarem filium, Roſciam & Severianam[c] ſuſcepit. Anno 457. a Majoriano imperatore qui Avitum Cæſarem Sidonii ſocerum imperio ſpoliarat in obſidione Lugdunenſi captus, maximo in honore eſt habitus ; cui principi cum ineunte anno ſequenti panegyricum dixiſſet, Majorianus, petente quoque ſenatu, eum ſtatua laureata donavit in foro Trajani poſita, & comitiva. Quamquam Sirmondus velit ſub Avito auguſto ſtatuam Sidonio Romæ in bibliotheca fori Trajani eſſe poſitam. Ab Anthemio imperatore Romam vocatus, Auguſtum oratione panegyrica laudavit, a quo præfectus Urbis creatus eſt & patricius ; ſicque familiam ſuam ex præfectoria patriciam reddidit. Nunc de ejus epiſcopatu agamus.

Anno circiter 472. invitus a tribunali ad Arvernorum cathedram epiſcopalem raptus eſt, tuncque relictis filio ſuo Apollinari bonis & honoribus, ad res cœleſtes animum ſtudiaque adjecit ; uxorem tamen, nonniſi quoad thorum dimiſiſſe videtur ex his quæ de eo narrat Gregorius. *Cum autem eſſet*, inquit, *magnificæ ſanctitatis, atque ex ſenatoribus primis, plerumque neſciente conjuge, vaſa argentea auferebat a domo, & pauperibus erogabat. Quod illa cum cognoſceret, ſcandalizabatur in eum : ſed tamen dato egenis pretio, ſpecies domi reſtituebat ;* quibus ex verbis intelligimus quoque pontificem hunc non omnino abſtinuiſſe ab argentea & pretioſa ſupellectili. Idque videtur ſignificare Gregorius Turon. quando id narraturus præmittit : *Cum autem eſſet magnificæ ſanctitatis, atque ut diximus, ex ſena-*

472.

l. 2. c. 21. & 22.

col. 1236. verſ. 310. carm. 16.

[a] In majoris eccleſiæ catalogo vocatur S. Barthius, vulgo S. Bar.

[b] In MS. Illidiano ante Sidonium ponuntur : Deletronius & Sezerolus, qui in codice majoris eccleſiæ appellantur Peletronius, & Ferreolus. Sed illorum MS. nulla habenda ratio.

[c] Greg. Turon. lib. 3. cap. 2. memorat Alchimam, Apollinaris filii noſtri Apollinaris Sidonii ſororem, quæ proinde videtur a Sidonio quoque genita. Vide infra in Apollinare epiſcopo XIV.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

toribus primis ; moxque ſubdit pia ipſius furta : *plerumque neſciente conjuge vaſa argentea auferebat a domo.* Porro poſt ordinationem ſuam, majori ſtudio cœpit ſacras litteras excolere quam prophanas & humaniores antea ; ita ut de locis difficilioribus ſacræ Scripturæ, ac de fidei chriſtianæ dogmatibus, ab aliis præſulibus conſulceretur ; quos ob animi demiſſionem ac modeſtiam ad ſanctos patres remittere ſolebat. Tanta erat de ejus prudentia exiſtimatio, ut electionem epiſcopi ad metropolitanam ſedem Bituricenſem provinciamque regendam, ab ipſo pendere voluerint congregati pro hac electione ejus coepiſcopi. Quamvis in deliciis enutritus, jejuniis ita cœpit aſſueſcere, in quibus oratione ſola ſe recreabat, ut pene quotidiana eſſent ac continua.

Virtutis avitæ non oblitus & bellicæ fortitudinis priſtinæ (olim enim ſchola egreſſus, militiam ſecutus fuerat) multa præclare geſſit, Arvernis quibus ducis loco erat obſidione cinctis per Gothos ſub Evarico rege, diutinæ oppugnationis impetus conſtanter ſuſtinuit. Inde urbe in poteſtatem hoſtium dedita, ab iis obtentu legationis a ſede pontificia ejectus, cogitur exſulare : tandem cathedræ ſuæ reſtitutus, cum inter barbaros optimi paſtoris munia ſedulo impleret, ſingulari in omnes propenſus benignitate, ſumma autem in egenos liberalitate, æmula duorum presbyterorum odia in ſe conſtanter pertulit ; qui omnimoda ſedis ſuæ poteſtate ei contumelioſe ablata, ad maximas anguſtias illum redegerunt, ſed a calumnia liberatur, poſtquam ſeditioſorum presbyterorum alter divinitus morbo percuſſus, Arii mortem obiiſſet ; quod fuſius habes obſervatum Greg. lib. 2. c. 23. Tandem vero Aprunculo divina quadam præſenſione deſignato ſibi ſucceſſore, ad Chriſtum feliciter migravit 12. cal. Sept. anno 482. cum vixiſſet annis circiter 52.

482. al. 484.

Ut de ingenii ejus fœtibus jam loquamur, opera quamplurima elucubravit, in quibus ſane, ut Sirmondus in ipſius elogio, *ſeu metro vinctis, ſeu liberis ac ſolutis, ſive narret aut ſuadeat, ſive laudet aut vituperet, & quodcumque argumentum tractet, par in omnibus felicitas & copia, atque ea tum verborum, tum ſententiarum varietas, ut mira in eo vis ingenii, & abundantia quædam doctrinæ ſtatim eluceat.....Quantus eſſet oſtendit in extemporalibus etiam repentiniſque ſcriptionibus, quarum illi tam promta facultas erat, ut non pauculos duntaxat verſus non meditatos funderet e veſtigio..... cum eximiis ſeculi illius poëtis Domnulo, Severiano, atque Lampridio decertavit.....Multa autem ſuppreſſit ingenii monumenta, & quædam adorſus, ut Attilæ bellum, operis pertæſus abjecit. Hiſtoriam præterea ſui temporis ut ſcriberet, hortante Leone Eurici regis Veſigothorum conſiliario, detrectavit, cum diceret hiſtoriæ ſcribendæ conſilium clerico minime convenire.* Hactenus Sirmondus. Porro ferme omnia quæ habemus de Sidonii vita poſſunt erui ab ipſis Sidonianis operibus, & hiſtoricis, a quibus paſſim laudatur : inter eos Claudianus Mamertus presbyter Viennenſis, de ſtatu animæ libros tres inſcribens *præfectorio patricio doctiſſimo viro & optimo Sollio Sidonio*, illum potiſſimum diſertum, eruditiſſimum virorum, ac veteris eloquentiæ reparatorem appellat ; & alibi, multis ſcientiarum abundantem talentis. Gennadius item presbyter Maſſilienſis de viris illuſtribus cap. 92. *Sidonius Arvernorum epiſcopus ſcripſit varia & grata volumina, & ſanæ doctrinæ ; homo ſiquidem tam divinis quam humanis ad integrum imbutus, acerque ingenio, ſcripſit ad diverſos diverſo metro, & proſa compoſitum inſigne volumen, in quo quid litteris poſſit, oſtendit, verum Chriſtiano vigore pollens, etiam inter barbaræ feritatis duritiem, quæ eo tempore Gallos oppreſſerat, catholicus pater & doctor habetur inſignis : floruit ea tempeſtate qua Leo & Zeno Romanis imperabant.* Pari præconio celebratur a mediæ ætatis ſcriptoribus non contemnendis Flodoardo, Sigiberto Gemblacenſi, Hugone Floriacenſi in chronico, Honorio Auguſtodunenſi, Petro Venerabili abbate Cluniacenſi, Abaelardo, & aliis. E neotericis vero opera ejus commentariis inter ceteros illuſtrarunt, Jacobus Sirmondus, & Johannes Savaro, ambo Arverni doctiſſimi, ex quorum notis ad Sidonium plura deſumſimus. In eccleſia Arvernenſi ſanctorum albo adſcriptus colitur ritu ſolemni, cujus cineres in veteri S. Saturnini baſilica primo tumulati ſunt, inde tranſlati ad ædem S. Geneſii. Hujuſmodi autem epitaphium in vetuſto codice Cluniacenſi repertum eſt his verſibus :

Sanctis contiguus, ſacroque patri,
Vivit ſic meritis Apollinaris,
Illuſtris titulis, potens honore,
Rectus militiæ, forique judex,
Mundi inter tumidas quietus undas,
Cauſarum moderans ſubinde motus,
Leges barbarico deait furori.
Diſcordantibus inter arma regnis,
Pacem conſilio reduxit amplo,
Hæc inter tamen & philoſophando
Scripſit perpetuis habenda ſeclis,
Et poſt talia dona gratiarum,
Summi pontificis ſedens cathedram,
Mundanos ſoboli refundit actus,
Quiſque hic dum lachrymis Deum rogabis,
Dextrum funde preces ſuper ſepulcrum,
Nulli incognitus, & legendus orbi,
Illic Sidonius tibi invocatur.
XII. cal. Septemb. Zeno imp.

XII. S. Aprunculus.

Mortuo S. Sidonio, presbyter ille qui cum altero divinitus percuſſo, ut mox diximus, adverſus ſanctum ſeditionem moverat, *protinus omnem facultatem eccleſiæ, tamquam ſi jam epiſcopus eſſet, inhians cupiditate, præoccupat dicens :* Tandem reſpexit in me Deus cognoſcens me juſtiorem eſſe Sidonio. Die vero Dominico paravit epulas *in domo eccleſiæ*, hoc eſt in ædibus epiſcopalibus, ad quas vocavit cives. At ei pincerna dum præberet poculum, comminatus eſt ex divina revelatione mortem proximam æternaque ſupplicia ob vexatum injuſte S. Sidonium. Quæ audiens presbyter, elapſo de manu poculo, exhalavit animam. Itaque S. Aprunculus epiſcopus a S. Sidonio deſignatus cathedram obtinuit.

Greg. Tur. l. 2. c. 29.

Is prius

ANNI CHRISTI

Is prius Lingonum fuerat epiſcopus, cujus epiſcopatus tempore Sidonius ad eum ſcripſerat epiſtolam x. libri noni. Ipſum Gregorius lib. II. c. 36. Divionenſem appellat. Qua vero ratione ex ſede Lingonenſi tranſlatus ſit ad Arvernenſem, ita explicat idem Gregorius :

Cum jam terror Francorum reſonaret in his partibus, & omnes eos amore deſiderabili cuperent regnare, S. Apruncul. Lingonicæ civitatis epiſcopus, apud Burgundiones cæpit haberi ſuſpectus. Cumque odium de die in diem creſceret, juſſum eſt ut clam gladio feriretur. Quo ad eum perlato nuntio, nocte a caſtro Divionenſi per murum demiſſus, Arvernos advenit, ibique juxta verbum Domini quod poſuit in ore S. Sidonii, undecimus datur epiſcopus.

491. Obiiſſe legitur anno 491. ſepultuſque eſt in templo S. Stephani, ex lib. I. eccleſiarum Clarom. cap. 13. ubi ſanctus dicitur, celebraturque ejus feſtum in diœceſi, die 14. Maii quo ſignatur in martyrologio Gallicano Sauſſayi.

XIII. S. Eufrasius.

S. Eufraſius Apruncul. ſucceſſor ex eodem Gregorio l. III. cap. 2. *apud Arvernos*, inquit, *poſt obitum B. Apruncul. S. Eufraſius duodecimus epiſc. habebatur. Hic quatuor annos poſt Chlodovæi obitum vixit, viceſimo quinto epiſcopatus ſui anno tranſiens. Quintianum Ruthenæ civitatis epiſcopum extorrem benigne ſuſcepit in urbe Arverna, eique ex facultate eccleſiæ munifice contulit.* Interfuit per Paulinum
506. presbyterum concilio Agathenſi an. 506. & Au-
511. relianenſi ſubſcripſit anno 511. Obiiſſe videtur
515. anno 514. aut 515. De eo in martyrologiis & apud Bollandum, ad diem 14. Januarii. Ejus tamen vitam refert Bailletus die 15. Maii. Epiſtola 38. Aviti Viennenſis ad Euphraſium ſorte ad eum ſpectat.

XIV. Apollinaris.

Poſt mortem Euphraſii populus elegit in epiſcopum S. Quintianum, qui e Ruthenorum ſede, propter fidei catholicæ confeſſionem, a Gothis Arianis ejectus fuerat; ſed Alcima ſoror Apollinaris, filii S. Apollinaris Sidonii, & Placidina quæ ejuſdem Apollinaris junioris uxor erat, rogaverunt S. Quintianum, ut permitteret ſuo loco Apollinarem ordinari, quem pollicebantur ipſius juſſis ſemper obſecuturum. Reſpondit pius ſenex : *Quid ego præſtabo, cujus poteſtati nihil eſt ſubditum! Sufficit enim ut orationi vacans, quotidianum mihi victum præſtet eccleſia.* Hæc audientes Alcima & Placidina, de Apollinari ad Regem ducendo conſilium inierunt. Sicque ille oblatis Regi multis muneribus *in epiſcopatu ſucceſſit, quo quatuor* * *abutens menſibus, migravit a ſeculo*, inquit Gregorius in libro III. hiſt. c. 2.

Greg. l. III. hiſt. c. 20.

* *In libro de vita Patrum & alibi, tribus.*

Lugendus ſane hic exitus filii Apollinaris Sidonii, quem piiſſimus pater tanto ſtudio in bonis moribus inſtituerat. Habemus ejuſdem epiſtolam ad cariſſimum filium, in qua laudat eum quod caſtimoniam colat : *Unice probo, gaudeo, admiror*, inquit, *quod caſtitatis affectu contubernium fugis impudicorum ; præſertim quibus nihil penſi, nihil ſancti eſt in appetendis garriendiſque turpitu-*

Lib. III. ep. 13.

ANNI CHRISTI

dinibus. Tota epiſtola plena eſt præceptis moralibus. Ex his profeciſſe ſtatim viſus eſt Apollinaris. Cum ſeſe adjunxiſſet ſocium Victorio Eoriclii ſeu Evaricis Gothorum regis duci Italiam petenti, captus, Mediolanum miſſus eſt ubi honeſta & pene libera cuſtodia detinebatur. Libertatem vero impetravit ope S. Victoris martyris, ut narrat Greg. Turon. lib. de Gloria mart. c. 45. Idem Apollinaris Arvernorum copias ducebat in Vogladenſi prælio, inter Clodovæum Francorum & Alaricum Gothorum regem commiſſo, qui fuſo fugatoque exercitu ſuo eſt occiſus. Arvernos ſub duce Apollinari ſtrenue in hoc certamine decertaſſe ſignificat Gregorius, ubi ait plurimos (vel primos) ex Arvernorum gente in hac pugna corruiſſe. Utinam fama ſibi præclaris facinoribus comparata frui contentus fuiſſet Apollinaris, nec uxorius & ut ita dicam *ſororius* ultra modum, uſurpare epiſcopatum conſenſiſſet. Ex uxore Placidina ſuſtulit filium Arcadium patrem Placidinæ, quæ nupſit Leontio juniori, poſtea Burdigalenſi epiſcopo. Hinc minime mirere quod Fortunatus Placidinæ hujus originem referat ad Avitum lib. I. carm. XIV.

l. 2. c. 37.

Cogor amore etiam Placidinæ pauca referre,
Quæ tibi tunc conjux, eſt modo cara ſoror.
Lumen ab Arcadio veniens genitore refulget
Quo manet Auguſtum germen, Avite, tuum.

De templo quod apud Arvernam urbem Alcima ſoror & Placidina conjux Apollinaris condiderunt, ad celebrandam S. Antoliani martyris memoriam conſulendus Greg. Turon. lib. I. de Glor. mart. c. 65.

XV. S. Quintianus.

De ſancto Quintiano Afro & nepote S. Fauſti epiſcopi, ut quidam volunt, Præſidienſi*, qui tempore Hunnerici regis pro fide in exſilium ejectus eſt, jam locuti ſumus in Ruthenorum epiſcopis; quare ceteris omiſſis, nunc de ejus epiſcopatu in urbe Arvernenſi tantum agendum eſt. Cum Theodorico regi nuntiatum fuiſſet Apollinarem occupaſſe ſedem epiſcopalem apud Arvernos, *juſſit inibi S. Quintianum conſtitui, & omnem ei poteſtatem tradi eccleſiæ, dicens :* Hic ob noſtri amoris zelum ab urbe ſua ejectus eſt. *Et ſtatim directi nuntii, convocatis pontificibus & populo, eum in cathedram Arvernæ eccleſiæ locaverunt.* At vero in epiſcopatu multa paſſus eſt, præſertim a Proculo, qui ex ærario presbyter ordinatus fuerat. Hic enim omnem ei poteſtatem de rebus eccleſiæ abſtulit, victumque conceſſit tenuem victum ſancto epiſcopo miniſtrari. At ſuæ iniquitatis pœnas dedit graviſſimas, ſecundum Quintiani vaticinium : nam *irruptis* Lovolautrenſis caſtri muris, ab ingredientibus hoſtibus, Proculus hic ante ipſum eccleſiæ altare, gladiorum ictibus in fruſta diſcerptus eſt.

Id factum legimus anno 525. quando Theodoricus rex, unus ex quatuor Clodovæi magni filiis, fratribus Burgundiam invadentibus Arvernorum fines prædabundus ingreſſus eſt, urbem vallavit; cujus ſi potiri potuiſſet, de ejiciendo in

* vel Buromitani, de quo Victor Vitenſis lib. I. n. 11.

ANNI CHRISTI

exsilium episcopo cogitabat, & de muris urbis evertendis. Toto vero tempore obsidionis beatus vir in oratione assiduus, muros urbis per noctem psallendo circuibat; afflictus in jejuniis & vigiliis, instanter orabat. Porro Deus non passus est sancti viri preces esse irritas; nam Thedericus rex *nocte pavore perterritus, de stratu suo exsiliit, ac solus per viam publicam fugere nititur; perdiderat enim sensum, nesciens quid ageret.* Consilio vero Hilpingi ducis religiosissimi ab obsidione recessit, cavitque ut intra octo milliaria ab urbe, nemo laederetur. Nec abs re erit ipsa verba Hilpingi referre: *Gloriosissime rex . . . . . ecce muri civitatis istius fortissimi sunt, eamque propugnacula ingentia vallant; quod ut plenius magnificentia vestra cognoscat, de sanctis quorum basilicæ muros urbis ambiunt hæc loquor. Sed autistes loci illius magnus apud Deum habetur.*

Vit. Pat. c. 4.

Ex sancti viri persecutoribus acerrimus fuit Hortensius unus ex urbis senatoribus, qui comitatum urbis gerebat. Hunc autem domuit immissis oratione sua repentinis lethalibusque morbis; quibus post amissos pene omnes servos, interire metuens, ad Quintiani pedes prostratus veniam petiit & consecutus est, simulque omnium qui supererant in familia sua salutem. Multa patravit miracula in Candidobrensi * monasterio, & alibi.

* Combleronde.

Abunde effundebat eleemosynas in sinum pauperum. De cetero in ecclesiasticis scripturis eruditus est habitus. Longam vitam clausit an. 527. *perfectus in sanctitate, & sepultus est in basilica S. Stephani, ad lævam altaris* [a], hæc Gregorius loco laudato. Celebratur festum S. Quintiani in diœcesi Claromontana die x. Novembris.

527.

a

XVI. S. Gallus I.

Inter S. Quintianum & S. Gallum Desiderio cuidam episcopo dandum esse locum autumant Bollandiani; quod facile fieri posse aiunt, quia quo tempore S. Quintianus e vivis abierit, quove episcopatum adierit Gallus, non est certum. Et quidem celebratur, inquiunt, in ecclesia Claromontana festum cujusdam Desiderati episcopi, qui quo tempore federit ignoratur. Itaque eorum conjectura est Desiderium episcopum qui S. Aregium Vapincensem episcopum baptizavit, fuisse Arvernensem episcopum, non Cabilonensem; favetque huic conjecturæ, quod S. Aregius legatur præpositus, ante suum episcopatum, ecclesiæ Morgecensis *, quæ leucis circiter quinque distat a Claromonte Arvernorum. At vero nihil in actis S. Aregii manifestius, quam Desiderium a quo baptizatus legitur S. Aregius in ecclesia S. Vincentii Cabilonensis, fuisse hujus ecclesiæ episcopum. Itaque S. Gallum sancto Quintiano subrogatum fuisse in sede Arvernensi minime dubitandum; maxime cum id clare doceat Gregorius Turon. qui eum habuit patruum, & apud ipsum se educatum fuisse asserit. Quid enim clarius his verbis: *Cum B. Quintianus, sicut supra diximus, ab hoc mundo migrasset, sanctus Gallus in ejus cathedram, Rege opitulante, substitutus est.* Quod idem Gregorius fusius refert in vita S. Galli, ex qua pleraque de illo dicenda desumemus.

* Morgec.

l. iv. c. 5.

S. Gallus Arvernæ urbis incola, patrem habuit nomine Georgium, matrem Leocadiam de stirpe Vettii Epagati ortam, quem Lugduni passum Eusebii Cæsarienſis testatur historia libro v. c. 1. ad annum Christi 180. sicque parentibus ortus est *qui ita de primoribus senatoribus fuerunt, ut in Galliis nihil inveniatur esse generosius atque nobilius.*

ANNI CHRISTI

Vit. Patr. c. vi.

Gallo adulto pater quæsivit cujusdam senatoris filiam, quam ei collocaret; *quod ubi audivit juvenis, monasterium Cromonense * expetiit sexto situm ab Arverna urbe milliario, suppliciter abbatem exorans, ut sibi comam capitis tondere dignaretur. At ille videns prudentiam atque elegantiam pueri, nomen inquirit, genus & patriam.* Ut vero audivit eum esse filium Georgii senatoris, ait: *Bene desideras, fili, sed primum oportet hæc in patris tui deferri notitiam.* Statimque misit ad eum, quid fieri juberet rogans; religiosus vero pater: *Primogenitus*, inquit, *erat mihi, & ideo eum volui conjugio copulare; sed si eum Dominus ad suum dignatur adscire servitium, illius magis quam nostra voluntas fiat.* Itaque *abbas puerum clericum* [b] *fecit*, hoc est totondit.

* Cournon.

b

Statim Gallus gravitate morum in juvenili ætate senior visus est, ab omnibus jocis abstinens, jejuniis carnem domans, assiduæ lectioni incumbens, Psalmis decantandis tantum delectabatur; habebat autem *miræ dulcedinis vocem, cum modulatione suavi.* Quapropter S. Quintianus episcopus eum ex claustro assumsit, *& ut cælestis pater in dulcedine spiritali nutrivit.*

Non latuit Theodoricum regem quæ de Gallo dicebantur; quare illum accersivit, quem *tanta dilectione excoluit, ut eum proprio filio plus amaret; a regina autem ejus simili amore diligebatur, non solum pro honestate vocis, sed etiam pro castimonia corporis.* Tunc temporis Theodericus ex civibus Arvernis clericos multos abduxit, quos Trevericæ ecclesiæ addixit; sed Gallum in comitatu retinuit. Itaque cum secutus esset Regem Coloniam-Agrippinam euntem, ibi fanum idoli cujusdam, ad quod magnus erat populi concursus, recuperandæ salutis gratia, succendit. Tunc autem erat tantum diaconus.

Paulo post anno circiter 527. ad Deum migravit Aprunculus Treverorum episcopus, eodemque fere tempore S. Quintianus animam efflavit. Gallus vero post S. Quintiani transitum, cui morienti adfuerat, Regem adiit, qui cum episcopum Arvernorum designavit, invitis hujus ecclesiæ clericis; nam alium elegerant, & cum instrumento electionis multisque muneribus ad Regem accesserant, ejus consensum emere cupientes; jam enim tum sacerdotium vendi a regibus, & emi a clericis cœperat. Ab hac peste immunis fuit sanctus Gallus: nam referre solebat non amplius donasse

527.

[a] Ubi etiamnum visitur ejus sepulcrum, sed vacuum; nam sacrum corpus ad ecclesiam SS. Symphoriani & Genesii in Urbe inde translatum est, ubi adhuc quiescit.

[b] Thomassinus Discipl. Eccl. tom. 1. l. 2. c. 39. ex hoc loco & aliis multis docet abbates olim tonsuram clericalem contulisse. Cointius & Mabill. idem observarunt, quod etiam eruitur ex S. Greg. magno scribente lib. XII. ep. 12. de Opportuno, quem promovendum judicabat ad episcopatum, hortandum eum esse ut vel monachus, vel subdiaconus fieret; quasi tonsus in monachum, clericus fieret.

ANNI CHRISTI

se pro episcopatu, quam unum triantem coquo, qui prandium paraverat. Eodem tempore clerici Trevirenses a Rege postularunt Gallum in episcopum, Aprunculique successorem, sed repulsam passi elegerunt S. Nicetium.

Gallus tunc presbyter ordinatus, a Rege mittitur Arvernos, comitantibus duobus episcopis, & a suis concivibus cum multo *psallentio* susceptus, in ecclesia sua episcopus consecratur.

In Gallo, crescente dignitate, creverunt & virtutes, humilitas, caritas, patientia; ita ut in capite percussus a presbytero suo, ne verbum quidem asperum responderit. Ab Evodio, qui ex senatore factus erat presbyter, conviciis & calumniis lacessitus, surrexit, & sacra loca circuire cœpit pro calumniatore rogaturus; qui pœnitentia ductus, ad ejus pedes sese prostravit in ipsa platea veniam, quam facile impetravit, petens.

Sanctitatem hujus episcopi probaverunt plurima miracula; nam incendium quo sua urbs in favillas redigi periclitabatur, oratione, oblatoque Evangeliorum libro repressit. Luem inguinariam, quæ per vicinas provincias grassabatur, a suo grege avertit, multos a morbis liberavit. Ob impetratam vero populi sui salutem gratias acturus, instituit ut media Quadragesima supplicationes (rogationes appellat Gregorius) ad basilicam S. Juliani martyris, itinere pedestri trecentorum & sexaginta stadiorum fierent, semper psallendo.

Mortem prospiciens, populum accersivit cum ardenti febre decumberet, ac omnibus communionem porrexit. Die Dominica, luce jam albescente, *Psalmo quinquagesimo & benedictione decantata & alleluiatico, cum capitello expleto, consummavit matutinos*, laudes nunc vocamus, in quibus etiamnum canimus Psalmum 50. canticum *Benedicite*, alleluiaticum seu Psalmum 148. cum duobus sequentibus, quibus pro titulo præmittitur *Alleluia. Hoc perfunctus officio, fratribus vale dixit*, moxque, *extentis membris spiritum cœlo intentum præmisit ad Dominum*, postea abluitur & vestitus defertur in ecclesiam. Tunc agebantur *illæ Rogationes, quæ quotannis ubique in Paschate fiunt*; hoc est, tempore Paschali. Quarto post mortem die, congregatis vicinis episcopis, corpus ejus delatum est in S. Laurentii basilicam olim a Victorio duce constructam, teste Gregorio lib. 2. hist. c. 20. ibique terræ mandatur. Itaque ille S. Gallus qui Arvernis quiescere dicitur in ecclesia sui nominis, alius est ab hoc episcopo, & ab illo S. Gallo, qui sepultus in ecclesia Illidiana legitur. Sancti viri funus ipsi Judæi cum tædis accensis lugendo prosecuti sunt. Obiit ætatis anno 65. episcopatus sui 27. juxta Gregorium, cui magis adhibenda fides quam Fortunato in S. Galli epitaphio, qui paulo brevius facit ejus episcopatus tempus. Itaque mors ejus ad annum 553. aut 554. revocanda est.

l. iv. Carm. 4.

553.

Subscripsit per Laurentium presbyterum concilio Aurelianensi II. an. 533. Arvernensi an. 535. adfuit; ad Aurelianense III. Optardenum misit. In Aurelianensi IV. an. 541. sedit, & in Aurelianensi V. an. 549. Commemoratur in martyrologio Romano ad diem 1. Julii. Ejus virtutes Fortunatus complexus est in epitaphio ejus quod stricta oratione condidit in gratiam Gregorii Turonensis.

ANNI CHRISTI

De S. Gallo fit officium duplex calend. Julii in diœcesi. Sacras ejus reliquias possidet ecclesia Portuensis. Ejus nomini dedicata est collegiata & parochialis ecclesia urbis Langeaci, olim monachorum Casæ-Dei subjacentium.

XVII. Cautinus.

Cautinus ex archidiacono ecclesiæ Arvernensis, jussu Theodobaldi regis, cathedræ per sancti Galli mortem vacanti imponitur, episcopatum ambiente Catone presbytero.

Quæ de utroque Gregorius refert l. iv. hist. capp. 5. & sequ. ipsius verbis subjiciemus:

Cum ab hoc mundo migrasset (Gallus) & ablutus in ecclesiam deportatus fuisset, Cato presbyter continuo a clericis de episcopatu laudes accepit: & omnem rem ecclesiæ tanquam si jam esset episcopus, in suam redegit potestatem. Ordinatores removet, ministros respuit, cuncta per se ordinat. Episcopi tamen qui advenerant ad sanctum Gallum sepeliendum, postquam eum sepelierant, dixerunt Catoni presbytero: Videmus quia te elegit pars maxima populorum: veni, consenti nobis, & benedicentes consecremus te ad episcopatum. Rex vero parvulus est, & si qua tibi adscribitur culpa, nos suscipientes te sub defensione nostra, cum proceribus & primis regni Theodobaldi regis agemus, ne tibi ulla excitetur injuria. Nos quoque (intantum fideliter crede, ut spondeamus pro te) omnia etiamsi damni aliquid supervenerit, de nostris propriis facultatibus id reddituros. *At ille cothurno vanæ conflatus gloriæ ait:* Nostis enim fama currente, me ab initio ætatis meæ semper religiose vixisse, vacasse jejuniis, eleemosynis delectatum fuisse, continuatas sæpius exercuisse vigilias, psallentio vero jugi crebra perstitisse statione nocturna. Nec me Dominus Deus meus patitur hac ordinatione privari, cui tantum famulatum exhibui. Nam & ipsos clericatus gradus canonica sum semper institutione fortitus: lector 10. annis fui: subdiaconatus officium 5. annis ministravi, diaconatui vero 15. annis mancipatus fui, presbyterii autem jam honore 20. annis potior. Quid enim mihi nunc restat, nisi ut episcopatum, quem fidelis servitus promeretur, accipiam! Vos igitur revertimini ad civitates vestras: & si quid utilitati vestræ competit, exercete. Nam ego canonice adsumturus sum hunc honorem. *Hæc audientes episcopi, & in eum vanam gloriam exsecrantes, discesserunt.*

cap. 6.

Igitur cum consensu clericorum ad episcopatum electus, cum adhuc non ordinatus cunctis ipse præesset, Cautino archidiacono diversas minas intendere cœpit, dicens: Ego te removebo, ego te humiliabo, ego tibi multas neces impendi præcipiam. *Cui ille:* gratiam, *inquit*, tuam, domine piissime, habere desidero, quam si mereor, unum tibi beneficium præstabo. Sine ullo enim labore tuo, & absque ullo dolo, ego ad Regem pergam, & episcopatum tibi obtinebo, nihil petens, nisi ut promerear gratiam tuam. *At ille suspicans eum sibi velle illudere, hæc valde despexit. Hic vero cum*

cap. 7.

ANNI CHRISTI

ſe cerneret humiliari, atque calumniæ ſubjici, languore ſimulato, & per noctem civitatem egrediens, Theodobaldum regem petiit, adnuntians tranſitum S. Galli. Quod ille audiens, vel qui cum eo erant, convocatis ſacerdotibus apud Mettenſem civitatem, Cautinus archidiaconus epiſcopus ordinatur. Cum autem veniſſent nuntii Catonis presbyteri, hic jam epiſcopus erat. Tunc ex juſſu Regis traditis ei clericis, & omnibus quæ hi de rebus eccleſiæ exhibuerant; ordinatiſque qui cum eo pergerent epiſcopis, & camerariis, Arvernos eum direxerunt. Qui a clericis & civibus libenter exceptus, epiſcopus Arvernis eſt datus. Grandes poſtea inter ipſum & Catonem presbyterum inimicitiæ ortæ ſunt: quia nullus unquam potuit flectere Catonem, ut epiſcopo ſuo ſubditus eſſet. Nam & diviſio clericorum facta eſt, & alii Cautino epiſcopo erant ſubditi, alii Catoni presbytero, quod eis fuit maximum detrimentum. Cautinus autem epiſcopus videns eum nulla ratione poſſe flecti, ut ſibi eſſet ſubditus, tam ei, quam amicis ejus, vel quicumque ei conſentiebant, omnes res eccleſiæ abſtulit, reliquitque eos inanes ac vacuos. Quicunque tamen ex ipſis ad eum convertebantur, iterum quod perdiderant, recipiebant. Hæc Gregorius. Ut ſchiſmatis occaſionem tolleret Cautinus, procuravit Catonem eligi in epiſcopum Turonenſem, Gunthario epiſcopo mortuo. Itaque conjuncti clerici cum Leubaſte martyrario[a] & abbate, cum magno apparatu Arvernum properarunt, & Catoni Regis voluntatem patefecerunt: hic poſt paucorum dierum moram, ut erat vanæ gloriæ cupidus, ab adunata pauperum caterva hos clamores proferri curavit: *Cur nos deſeris, bone pater, quos nunc uſque educaſti! Quis nos cibo potuque reficiet ſi tu abieris! Rogamus te ne nos relinquas, quos alere conſueviſti. Tunc ille converſus ad clerum Turonicum ait: Videtis nunc, fratres cariſſimi, qualiter hæc multitudo pauperum me diligit; non poſſum eos relinquere, & ire vobiſcum.*

Greg. l. iv. c. xi.

Greg. ibid.

Vera recuſandæ hujus cathedræ cauſa fuit, quod Catoni Chramnus filius Chlotarii regis ipſi pollicitus eſſet Arvernenſem cathedram, mortuo Chlotario patre. Et ſane Chramnus qui tum apud Arvernos morabatur, Cautino epiſcopo ſe ſe oſtendit infenſiſſimum. Fatendum quoque eſt Cautinum pravis ſuis moribus & atrocioribus facinoribus omnium odium in ſe concitaſſe. Vino ultra modum erat deditus, unde in comitialem incidit morbum; inſatiabili torquebatur auri fame & avaritia. Tantæ vero erat immanitatis, ut Anaſtaſium presbyterum, ob recuſatas chartulas juſſerit vivum includi, & ſepeliri in veteri crypta inter mortuorum cadavera, tectum ſepulcrali lapide, poſitiſque cuſtodibus, ne quis eum educeret. Solos Judæos amicos habebat hic tyrannus, ob morum ſimilitudinem.

Greg. ibid. cap. 12.

ibid. c. 31.

Tandem in inguinaria illa lue quæ tot urbes vaſtavit, Cautinus periit die ipſa Paraſceves, cum in urbem regreſſus eſſet, anno 572. Eadem exſtinctus eſt peſte Cato Cautini æmulus, ut docet

572.

[a] Martyrarii dicebantur, qui martyrum oratoriis præficiebantur. Concilium Aurelian. II. can. 13. prohibet ne abbates, martyrarii, &c. *apoſtolia*, ſeu litteras dimiſſorias dare præſumant. Martyriarius quoque dicebatur noſocomii moderator, ex formula Andegav. n. 48. tom. IV. analect. Mab.

A Greg. *Tunc & Cato presbyter mortuus eſt. Nam cum de hac lue multi fugiſſent, ille tamen populum ſepeliens, & miſſas viriliter dicens, nunquam ab eo loco diſceſſit. Hic autem presbyter multæ humanitatis, & ſatis dilector pauperum fuit: & credo hæc cauſa ei, ſi quid ſuperbiæ habuit, medicamentum fuit.*

XVIII. S. Avitus I.

Cum multi vacantem epiſcopatum ambirent, præſertim Euphraſius presbyter, filius Ennodi ſenatoris, qui miſſis muneribus illum ſe conſecuturum ſibi blandiebatur, B. Avitus archidiaconus, a clero & populo electus, cathedram obtinuit; qui Regi ita acceptus erat, ut voluerit eum coram ſe ordinari; quod factum eſt Metis. Et quidem præter *canonicum rigorem*, ut notat Gregorius Turon. nam juxta canones debebat hic epiſcopus ordinari a ſuo metropolitano, & in ſua provincia, convocatis omnibus provinciæ epiſcopis. At Rex cupiebat ab ipſo in epiſcopum uncto eulogia accipere.

Greg. Tur. ibid. c. 35.

Avitus accepto epiſcopatu dignum ſeſe oſtendit, *juſtitiam populis tribuens, pauperibus opem, viduis ſolatium, pupilliſque maximum adjumentum, peregrinis hoſpitium.* Luxuriæ bellum indixit, C aliiſque vitiis. Sed minime prætermittenda victoria quam de indurata Judæorum gente reportavit anno 576. poſt deſtructam a Chriſtianis eorum ſynagogam, ob injuriam illatam cuidam Judæo qui Chriſti fidem erat amplexus. Sanctus tamen pontifex vim ipſis inferri prohibuerat, & ad eos legatos mittens, qui dicerent ſuo nomine: *ut ego vos confiteri Dei filium non impello, ſed tamen prædico, & ſalem ſapientiæ veſtris pectoribus trado. Paſtor ſum enim Dominicis ovibus ſuperpoſitus; & de vobis ille verus paſtor, qui pro nobis paſſus eſt, dixit habere ſe alias oves, quæ non ſunt ex ovili ſuo, quas eum oporteat adducere, &c.* Tertia die conjuncti D in unum Judæi, quibus ad Aviti preces gratia cœleſtis illuxerat, ei hoc reſponſum miſerunt: *Credimus Jeſum filium Dei vivi nobis prophetarum vocibus repromiſſum; & ideo petimus ut abluamur baptiſmo, ne in hoc delicto permaneamus. Gaviſus autem nuntio pontifex, nocte ſancta Pentecoſtes vigiliis celebratis, ad baptiſterium foras muraneum egreſſus eſt: ibique omnis multitudo coram eo proſtrata baptiſmum flagitavit. At ille præ gaudio lacrymans, cunctos aqua abluens, chriſmate liniens, in ſinu matris Eccleſiæ congregavit. Flagrabant cerei, lampades refulgebant, albicabat tota civitas de grege candido. Nec minus fuit urbi gaudium, quam* E *quondam Spiritu ſancto deſcendente ſuper apoſtolos, Hieruſalem videre promeruit. Fuerunt autem qui baptizati ſunt amplius quingenti.* Hæc geſta ſunt, Gregorio teſte, anno eodem quo mortuo Sigiberto rege, Childebertus ejus filius regnare cœpit, & idcirco anno 576. aſſignari debet. De hac Judæorum converſione Fortunatus carmen ſcripſit. Miſit etiam ad Avitum tria epigrammata, cum hac inſcriptione: *Domino ſancto atque apoſtolicis actibus prædicando, & peculiariter dulci in Chriſto patri Avito papæ:*

Greg. l. v. c. 11.

l. v. c. 4. l. vi. carm. 24.

ANNI CHRISTI

Officiis intente piis pater Orbis Avite ;
Gloria pontificum , noſter & altus amor :
Per quem plebs, regio, peregrinus, & hoſpes aluntur.
In quo cuncta rapit , quæ ſibi quiſque cupit.
Ex opere immeritus merui pia dona patroni ,
Ne minimam paſcens immemor eſſet ovem.
Qui trahis ore greges æterna ad pabula Chriſti ,
Qualiter hinc vivant eſt quoque cura tibi , &c.

S. Avitus invenit corpus S. Illidii in capſa lignea, tranſtulitque in locum decentiorem, conſtructa in circuitu miri operis abſide, ut ait Greg. Turon. de Vit. patrum c. 11. n. 4. ubi cum ſanctum appellare non dubitat. Ibidem in prologo vitæ S. Illidii, dixit ſe a B. Avito impulſum fuiſſe B ad ſcribendum de rebus eccleſiaſticis.

Conſtruxit eccleſiam Thiernenſem in honorem B. Geneſii martyris pueri, de quo Greg. Tur. lib. 1. de gloria Mart. c. 67. in qua eccleſia leguntur duæ ſequentes inſcriptiones in fornicibus presbyterii ac chori : *Templum hoc anno conditum 575. interiore parte vetuſtate everſum, reſtauratum anno 1107. Calviniſtarum flammis deturpatum anno 1578. Templum hoc a B. Avito conditum capitulo opibuſque auxit Guido a Thierno anno 1016.*

Greg. l. 1. de glor. Mart. c. 65.

Baſilicam S. Antoliani martyris olim apud urbem Arvernam paſſi, quam Alchima ſoror & C Placidina uxor Apollinaris ædificarant, ruinæ proximam, ut ex rimis intelligebatur, S. Avitus reparare ſollicitus fuit.

Monaſterii quoque Volvicenſis fundator Avitus, eo loci collocavit corpus S. Stremonii primi epiſcopi, e primo ſepulcro Iciodorenſi (qui locus ob frequentes clades incultus erat) tranſlatum.

Legitur etiam in MS. codice B. Mariæ principalis, vulgo *Noſtre-Dame du Port*, hanc eccleſiam fundatam fuiſſe a S. Avito, quam poſtea Normanni flammis tradiderunt : *Sed Sigo hanc præſul priſco decoravit honore.*

Ceterum non audemus aſſerere hujus epiſcopi tempore celebratam eſſe Arvernis ſynodum provincialem a Sulpicio Severo Bituricenſi metropolitano, cum aliis provinciæ præſulibus, ad reſtituendas Cadurcinæ eccleſiæ parochias, quæ indebite retinebantur a Rutheno epiſcopo, uti legitur apud Gregorium hiſtoricum lib. VI. c. 38. ubi refert hanc ſynodum ad an. IX. Childeberti regis, Chriſti 584.

S. Aviti feſtum celebratur una cum feſto ſancti Sidonii 23. Auguſti; at in novo breviario, cujus ſpecimen editum eſt anno 1706. feſtum S. Aviti duplex decernitur 21. Auguſti.

XIX. S. Desideratus.

S. Deſideratum ſucceſſorem fuiſſe S. Aviti, 594 eique ſubrogatum anno 594. contendunt ; ſed quærimus qui id probet. In libro de altaribus eccleſiiſ-ve Claromont. n. XI. memoratur quidem S. Deſideratus in eccleſia Illidiana ſepultus, ſed minime titulum epiſcopi gerit ; & conſtat eo loci plurimos conditos fuiſſe ſanctos, qui non fuerunt epiſcopi. Cedo tamen magno ſcriptorum conſenſui, qui hoc ordine Deſideratum reponunt in catalogo Arvernorum pontificum. At veriſimile A mihi videtur nihil certi haberi de tempore quo ſederit hic epiſcopus. Idem cenſeo de duobus ſequentibus Avolo, & Juſto. In catalogo confecto tempore Bernardi Salviani epiſcopi, qui aſſervatur in archivis eccleſiæ Clarom. poſt Cautinum ſequitur Deſideratus, manifeſto errore. Alii qui inter Avitum & Cæſarium locum dederunt Deſiderato, Avolo & Juſto, non alia ratione ad id ducti ſunt, quam quod ab an. 594. quo ſanctus Avitus in cœlum migravit, uſque ad an. 630. quo putabant S. Cæſarium interfuiſſe concilio Remenſi ſub Sonnatio, nullum inveniebant epiſcopum. Officium S. Deſiderati fit in diœceſi die undecima Februarii.

XX. S. Avolus.

S. Avolus legitur in tabula Illidiana & in catalogo epiſcoporum, uti in libro de antiquis eccleſiis & altaribus Clarom. n. XI.

XXI. S. Justus.

Gregorius Turon. meminit S. Juſti archidiaconi his verbis : *Habuit* (S. Illidius) *archidiaconum nomine & merito Juſtum, qui & curſum vitæ bonis conſummans operibus, magiſtri tumulo ſociatur.* Unde liquet S. Juſtum epiſcopum, qui ineunte ſeculo VII. hic ſediſſe legitur, alium eſſe ab archidiacono S. Illidii, quarti Arvernorum epiſcopi, qui ab his temporibus adeo diſtabat. In ſacello baſilicæ S. Illidii legitur inſculptum tabulæ marmoreæ : *Ibi requieſcit ſanctus Juſtus Arvernicæ urbis epiſcopus.* Ibidem prope majus altare ex parte Evangelii viſitur S. Juſti tumulus marmoreus, cujus fornix facile probat ipſius antiquitatem. *l. 1. c. 40.*

XXII. S. Cæsarius.

S. Cæſarius ſedit in concilio Remenſi, quod alii quidem referunt ad annum 630. alii, & quidem melius, ad 625. Hoc ipſo anno acta Maximi 625. D abbatis Limovici ad Rhodenum, commemorant epiſcopum Arvernenſem nomine Auguſtinum, qui cum Paſchaſio Viennenſium epiſcopo, æque incognito, teſtis fuit cædis Maximi. Hos epiſcopos merito reprobat Carolus Cointius ; acta hæc edidit Bollandus ad diem 2. Januarii ex vetuſtiſſimo, inquit, codice S. Martini Treverenſis ; ſed fatetur ea mendoſiſſime deſcripta. S. Maximus ex illis actis martyrium paſſus eſt *anno XII. ſub Flothario rege*, ſeu Chlotario, qui ſolus regnare cœpit anno 614. Porro annus duodecimus Chlotarii ſecundi, de quo debet loqui ſcriptor, fuit annus Chriſti 625. quo Cæſarius erat Ar- E vernorum epiſcopus. Quod vero agatur de Chlothario II. & non de alio manifeſtum eſt ; nam ibidem Maximus legitur ſuſceptus in lucem *anno VIII. ſub Brunielde regina*, hoc eſt Brunichilde.

XXIII. S. Gallus II.

Hunc dicunt ante epiſcopatum fuiſſe archidiaconum B. Avoli. Feſtum habet calendis Novemb. In vita S. Amabilis Gallice a D. Chevalier edita Lugduni apud F. Barbier 1701. lego S. Gallum S. Avoli archidiaconum ædificaſſe ſacellum in honore S. Amabilis, in quod ejus ſacrum corpus

ANNI CHRISTI

tranſtulit calend. Aprilis an. 649. creatus deinde Arvern. epiſcopus anno 650.

XXIV. Proculus.

De eo mentio fit in tabulis Illidianis. Varie autem appellatur, Progolus, Prologus, ſed melius Proculus. Memoratur quoque in actis ſanctorum Geneſii & Præjecti.

XXV. S. Genesius.

S. Geneſius ex ſtirpe ſenatoria in Arverna urbe ortus, archidiaconi officio functus eſt ſub Proculo epiſcopo, quo tempore S. Præjectum inſtituit in ſacris litteris. Omnium votis epiſcopus poſt
656. Proculi mortem electus an. 656. accedenteque epiſcoporum comprovincialium judicio, electioni tamen ſuæ conſentire noluit, donec indicto triduano jejunio Dominus *patenti indicio* oſtendit Geneſii delectum ſibi maxime placere, ut lego in ejuſdem actis a Cointio laudatis, quæ recentiora eſſe videntur. Tunc, etſi ægre, conſecra-
* Manlieu. tionem accepit. Magnilocenſe * *cœnobium in propria conſtituit gleba, atque virum venerabilem Evodium inſtituit patrem*, ex melioris notæ actis ſancti Boniti.

Non procul ab urbe in loco dicto Cantoënum & Crypta Cantobennenſis, *Chantoin*, monaſterium quoque virginum collocavit, ex auctore vitæ a Savarone laudato in notis ad librum de antiquis eccleſiis Claromont. De hoc monaſterio quod ſeculo XII. datum eſt canonicis Regularibus, & nunc a Carmelitis diſcalceatis poſſidetur, agemus infra. Sepultus eſt ſanctus epiſcopus in æde ſacra S. Symphoriani, quæ nunc S. Geneſii dicitur. Hanc eccleſiam quæ ab initio monachos habuit, nunc canonicos ſeculares, ipſe exſtruxerat, ex hac vetuſtiſſima inſcriptione: *Geneſius papa pontifex pius paſtor exſtitit, hanc in quidem proprio prædio opere ſuo ſublimavit fabrecam.*

Cointius, Bailletus & alii ejus epiſcopatum in-
662. choatum an. 656. abſolvunt anno 662. obiit forſan die 3. Junii, qui ejus cultui & memoriæ dicatur apud Arvernos.

XXVI. Gyroindus.

Subſcripſit Gyroindus privilegio quod Emmo Senonum antiſtes conceſſit monaſterio S. Petrivivi, cui conſenſerunt plurimi ex Galliæ epiſcopis, & in his *Gyroindus Arvernenſis*. Deſunt notæ chronicæ huic veteri inſtrumento, ſed veriſimile eſt illud confectum fuiſſe eodem tempore ac privilegium S. Columbæ monaſterio prope eandem urbem conceſſum ſub die *VII. calend. Septembres, anno tertio regnante domno Chlothario glorioſo rege*, hoc eſt Chriſti anno 662. vel 663. neque tamen inde probatur hoc anno ſubſcriptum a Gyroindo privilegium S. Petri, cum tunc mos eſſet hujuſmodi privilegia epiſcopis ſubſcribenda offerre, etiam elapſis poſt eorum conceſſionem aliquot annis. De utroque Senonico privilegio agit Mabill. in Annal. ad an. 658. n. 63. & 64.

XXVII. Felix.

Felicem novimus ex actis B. Præjecti epiſcopi, ubi legitur: *Felix urbis jam dictæ* (Arvernicæ) *cathedram præſidebat; & tunc Candidinenſe cœnobium tradidit ad regendum Præjecto.* Savaro parthenonem hunc Cantoënenſem eſſe putat. Jacet Felix in ſacra S. Stephani æde.

ANNI CHRISTI

XXVIII. Garivaldus.

Garivaldus, qui & Gairovaldus, brevi tempore cathedram quam uſurparat obtinuit, ex altera S. Præjecti vita, ubi hæc leguntur:

Defuncto Felice epiſcopo, cum maxima pars cleri vel populi Præjectum cuperent habere antiſtitem, archidiaconus præfatæ urbis, Gairoaldus nomine, cupiditatis inſtinctu, clero contemto, laicorum uſus conſilio, epiſcopatum urbis Arvernicæ uſurpavit præmio. Sed 40. dierum evoluto curriculo, mortis ſortitus eſt tranſitum. Sepultum eum aiunt in eccleſia S. Galli.

XXIX. S. Præjectus.

S. Præjectus * nobilis Arvernus Gundolenum * S. Prix
& Belidiam * parentes habuit, qui de ipſius edu- * Helidiam
catione ſolliciti ab ineunte infantia, cum tradiderunt ſcholæ Iciodorenſi, poſtea jam adultum commendaverunt S. Geneſio, qui tunc erat archidiaconus, poſtea vero pontifex fuit. Diaconus ordinatus Præjectus, *paſſiones martyrum Caſſii, Victorini, Anatoliani & Aſtrebodii, ac ceterorum ſanctorum qui in urbe Arvernenſi ſanguinem fuderunt pro Chriſto, glorioſo elucubravit ſtylo.* *Vita altera S. Præject.*

*Interea cum vacaret ſedes, & clerus populuſque Geneſium virum inclytum, & ſenatoria dignitate prælatum pontificalis cathedræ ſublimare voluiſſet in ſolio: ipſe vir potens & ſapiens hunc gradum incaute non appetens, indignum ſe hoc officio fatetur coram cunctis. Quin potius concionatur ad cives, ut Præjectum a Rege poſcerent in ſede paſtoris. Tunc itaque favore populi concordante, imo magis S. Spiritu gubernante, inito conſilio, Præjectum * elegerunt antiſtitem: decreto etiam Regis petitionibus populi annuente.* Hæc ejus acta. Et poſt multa..... *Cæpit interea Præjectus Geneſium ſuadere, ut quia ſoboles non haberet mundanas, Eccleſiam ſibi pro filiis adoptaret. Tandem ejus verbis conſentiens, in ſuburbano memoratæ urbis * monaſterium conſtruens, ſub norma ſanctæ regulæ *, ibidem conſtituit virgines, reliquam ampliſſimam facultatem poſt ſuum obitum per loca deputavit eccleſiarum ſanctarum. Conſtruxit etiam vir Dei aliud cœnobium virginum in territorio Arvernorum. Nam ante illud tempus in eadem provincia nulla fuerant virginum monaſteria inſtituta.* Trucidatus fuit a nefariis quibuſdam ſatellitibus, percuſſore Radeberto Saxone, de quo Sigebertus in chronico ad an. 670. *Hoc tempore claruit ſanctus Præjectus Arvernenſis civis & epiſcopus, qui etiam martyrizatus eſt ab ipſius urbis primoribus, in ultionem Hectoris Maſſilienſium patricii ab Hilderico Francorum rege peremti, propter injuſtitias Arvernenſi eccleſiæ ab eo illatas.* Terræ mandatur in loco qui dicitur Volvicus. Annuus vero ejus cultus dies eſt 25. Januarii. Martyrium ejus Cointius refert ad an. 674. quem conſule
674. n. 11. 15. & ſeq. Eadem eſt ſententia Mabillonii in Annalibus, ad hunc annum. * an. 665.

* Camaldulienſe.
* SS. Benedicti, Cæſarii & Columbani

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

Cum vero ad S. Præjecti tumulum miracula patrari cognoviſſet S. Avitus II. ibidem baſilicam exſtruxit cum monaſterio; nunc eſt tenuis prioratus a Mauzaco abbatia pendens. Ejuſdem reliquiæ partim ad Flaviniacenſe monaſterium ſunt delatæ, ubi pro patrono habetur, partim in ſancti Quintini oppidum Veromanduorum, ubi adhuc exſtat ord. S. Bened. cœnobium, hujus martyris titulo inſignitum.

Vitam S. Præjecti ſcripſerunt duo anonymi, ſed ſynchroni. Utriuſque opus habes in Januario Bollandiano ad diem 25. & in ſec. II. Bened. 640.

Ejus feſtum ſub ritu duplici fit in tota diœceſi Claromontana.

Collegialis & regalis eccleſia apud S. Quintini fanum in Veromanduis colit S. Præjectum 12. Julii, qua die fit *annua recordatio qualiter huc primum advectus fuerit a finibus Arvernicæ regionis* (S. Præjectus) *& nobis attulerit vernantiam florum, & virtutum ſuaviſſimi odoris. Recolitur & in ipſa, & jure habetur recolendum qualiter a Flaviniaco huc iterum fuit allata pars ejus corporis reliquiarum, flavæque dulcedinis melliſluum exuberantem nobis contulerit favum. Tempore namque regni Caroli magni*, &c. Ita in legendario. Fulradus abbas dicitur obtinuiſſe partem cerebri, quam Radebertus gladio excuſſerat.

XXX. Rusticus.

Ruſtici Arvernorum epiſcopi nomen eruimus ex libello vitæ S. Vincentiani confeſſoris, cujus eccleſiæ dedicatio per ipſum facta legitur *poſt obitum viri Dei Vincentiani octo menſibus jam tranſactis, quinto decimo ſcilicet calendas Septembris ſub rege Clothario* (tertio) *quinto decimo anno.* Hæc vero nota chronologica obſervatione digna eſt, nam ſcriptores accuratiores dant tantum annos quatuordecim regni, Chlothario tertio. Sed Mabillonius ad annum 670. n. 3. in inſtrumento fundationis parthenonis Brogarienſis * in pago Stampenſi ad fluviolum Urbiam *, obſervavit legi ad calcem : *Actum apud Morlacas vicum, publice, quod fuit menſis Martius dies decem anno ſexto-decimo regni Chlotacharii regis.* Ad hæc Mabillonius ut componat hunc calculum cum chronologia huc uſque recepta, dicit forte Chlotharium vivente patre fuiſſe deſignatum regem; aut hanc diverſitatem rejiciendam in annos cavos. Porro cum Chlotharius III. inchoaverit regnum anno 660. juxta receptam chronologiam, annus decimus-quintus hujus regis fuit 674. aut 675.

* Bruyeres.
* L'Orbe.

XXXI. S. Avitus II.

Avitus cum audiiſſet fieri miracula ad tumulos ſanctorum Præjecti ejuſque ſociorum martyrum apud Volvicum, ibi baſilicam exſtruxit cum monaſterio, cui præfecit abbatem Gadonem S. Præjecti conſanguineum, uti jam diximus. Poſt quindecim annos regiminis obtinuit facultatem eligendi ſibi ſucceſſorem S. Bonitum, cujus vita mox laudanda, multa habet de S. Avito. Sedit ſaltem, uſque ad an. 689. ſi fuerit epiſcopus per annos quindecim. Ejus memoria fit die 21. Jan.

XXXII. S. Bonitus. *

ANNI CHRISTI

* tertii.

S. Bonitus Arvernis ex ſenatoria gente ortus Theodato & Syagria, regiis miniſteriis Sigeberti * primum addictus, tum ab eo fit magiſter pincernarum, regii annuli cuſtos & referendarius, demum præfectus Maſſiliæ primæ Provinciæ creatur a Sigeberti regis mortui pronepote; quo in munere, ſacerdotis potius quam judicis partes egit. Neque enim homines venundari, ut moris erat, aut exſilio mulctari, aut captivos detineri unquam juſſit; ſed potius, ſi quos reperiret venditos, redimebat.

Per idem tempus, inquit vitæ ſcriptor, *germanus ejus Avitus pontifex, vir exterioribus ſtudiis eruditus, ſacriſque litteris, omnibuſque officiis Divinis præpotens, ter quinis fere amplius annis, magna cum alacritate Arvernam ſibi commiſſam rexit eccleſiam. Tandemque correptus morbo, cum extremum cerneret adventare vitæ ſuæ diem, conſentiente ipſi eccleſia, Bonitum virum Dei cum primis idoneum ſucceſſorem ſediſque ſuæ digniſſimum judicavit ſacerdotem. Miſſa autem ab illo ad Regem legatio eſt, ut is auctoritate regia electioni Boniti, ſuum quoque conſenſum adjiceret.*

Eo tempore ſub Theodorico rege Pipinus major-domus, curam palatii & regni gerens, cuncta fere pro ſuo moderabatur arbitratu. Non defuit hac in re conſenſus Regis, Domino illius cor permovente, qui eccleſiæ ſuæ opportunum paſtorem, & adverſus immanis belluæ rabiem defenſorem parabat. Reverſis itaque legatis cum gaudio, vir Dei Bonitus ſumma omnium voluntate, lætitia & favore in cathedra eſt collocatus. Ille vero ſuſcepto epiſcopatu, cum eſſet vir prudens, non honorem, ſed onus impoſitum ſibi arbitratur. Cathedram obtinebat anno 689. At poſt fere decennium abdicata dignitate, pauperibus bona diſtribuit, deſignatoque ſucceſſore, cum Regis conſenſu, in monaſterio Magniloci ſuæ diœceſis ſeſe abdidit anno circiter 700. 689. 700.

Cauſa autem cur dimiſerit epiſcopatum hæc videtur eſſe quod contra canones, fratris ſui adhuc viventis epiſcopalem ſedem accepiſſet; quapropter adiit S. Tillonem in monaſterio Solemniacenſi, S. Eligii olim alumnum, cujus conſilio abdicavit, & ad monaſterium Magniloccnſe acceſſit. Poſt annos 4. Romam religionis ergo perrexit, unde reverſus obiit annos natus 86. Mabillonius ejus mortem aſſignat an. 709. aitque contigiſſe Lugduni, forte in parthenone S. Petri, ubi ſepultura donatus eſt; inde tranſlatus fuit Arvernos, conſentiente Fulcoaldo Lugd. epiſc. ſed reſiſtente Dida S. Petri abbatiſſa, quæ tamen poſtmodum ceſſit, ſolius ejus amphibali parte contenta. Hæc tranſlatio facta eſt a Proculo epiſcopo Arvern. qui in eccleſia S. Mauricii ſacrum pignus depoſuit. Inſcribitur ſacris faſtis XVIII. cal. Febr. Ejus vitam ab anonymo æquali conſcriptam, ex variis codicibus MSS. ex Surio & Bollando Mabillonius inſeruit parte 1. ſec. III. Bened.

* Obſervat Mabillonius in Annalibus ad an. 681. n. 17. eum binominem fuiſſe, ſimulque nuncupatum Euſebium, quo nomine deſignatur in dedicatione novi cœnobii Menatenſis ab ipſo facta.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

In ſuo ſeceſſu epiſtolam ſcripſit contra renaſcentes apud Arvernos Arii & Joviniani errores; quæ epiſtola ſervabatur in Magniloccenſi cœnobio, tempore quo vita ipſius conſcripta eſt. Petrus Damiani epiſtola nona lib. 1. ad Nicolaum II. [a] & decima ad Alexandrum II. contendit S. Bonitum non ſolo ſolitudinis amore epiſcopatum depoſuiſſe, ſed quod de laïca manu illum accepiſſet. Id autem unde hauſerit Petrus Damiani neſcimus.

XXXIII. Nordebertus.

Nordebertus a S. Bonito deſignatus eſt epiſcopus, ut nos docet ejus vita ſuperius laudata: *Sanctus epiſcopus virum Dei Nordebertum cum primis excellentem & induſtrium, genere nobilem, ingenio valde perſpicacem obſecravit ut ipſi ſucceſſor, & plebi commiſſæ rector, patriæque defenſor eſſe vellet; miſſi ſunt autem ad Regem legati idonei, qui illud negotium agerent, puta Cautinus archidiaconus, & aliquot ejus comites bene digni; illi ubi ad virum Dei, re confecta ſunt regreſſi, cum magno omnium favore Nordobertum ſua in cathedra repoſuit.* Tentaſſe tranſlationem S. Boniti ex Lugdunenſi ſepultura ad ſuam eccleſiam legitur; ſed hoc opus debebatur Proculo ipſius poſt Bubum ſucceſſori, ut mox videbimus.

Huic epiſcopo ſubrogatur Bubus in catalogis; ſed de ipſo dubitandum eſſe autumamus: nam Proculus in vita S. Boniti, cujus ſcriptor eſt ſynchronus, de Proculo ait: *Vir venerabilis Proculus præſulatus cathedra Arvernicæ urbis poſt virum Dei* (Bonitum) *loco tertio ſublimatus;* quod videtur ſignificare Nordebertum ſecundum epiſcopum a Bonito eſſe numerandum, & Proculum tertium. At alia poteſt afferri hujus loci interpretatio: ut Nordebertus fuerit primus qui pedum geſſerit poſt Bonitum, & Proculus tertius. Sicque daretur locus Bubo, quem Demochares, Savaro, Chenutius, Robertus, fratres Sammarthani & Cointius admittunt ſolo nomine notato.

XXXIV. Bubus.

XXXV. Proculus.

De hoc epiſcopo quæ ſequuntur prodit vita S. Boniti ſuperius memorata: *Cum vir venerabilis Proculus præſulatus cathedra Arvernicæ urbis poſt virum Dei loco tertio ſublimatus fuiſſet, dignum ille ſuo munere ſuſcepit opus. Nam B. Mauricii eccleſiam cernens omni ex parte deformem, quædam etiam illius diruta, miro modo non ſolum in priorem illam reſtituit ſtatum, ſed etiam ad ejus ſplendorem non parum adjecit. Simul etiam ad S. Boniti reliquias repetendas dignos ablegavit ſacerdotes, venerabilem ſcilicet Adelphium monaſterii Magniloccenſis abbatem, necnon & Eoaldum Volvicenſis cœnobii patrem, Moderatumque Teclacenſis* [b] *monaſterii rectorem, & alios ſacerdotes & monachos, quos tali exſequendo negotio idoneos eſt arbitratus. Qui ut Lugdunum, ad virum induſtrium Fulcoadum, qui eo tempore præſulatus officio erat præelectus, pervenere, eique ſui adventus cauſam expoſuere, ab eo petita impetrarunt: ſanctumque B. Boniti corpus ab ipſo Proculo epiſcopo in eccleſia ſancti Mauricii collocatum eſt.* Hæc eccleſia poſtea nomen & titulum S. Boniti accepit, in qua tantum ſupererat altare S. Mauricii. In libro de veteribus eccleſiis Clarom. *In eccleſia S. Boniti altare S. Mauricii, altare S. Angeli*, &c. *ibi requieſcit S. Bonitus in corpore.* Adhuc ſtabat eratque prioratus Illidiatæ ditionis & eccleſia parochialis, tempore Savaronis; nunc dicitur eccleſia S. Ferreoli, ibique eſt ſeminarium, & viſitur adhuc ſancti præſulis ſepulcrum. Corpus ejus reverenter adſervatur in majori altari eccleſiæ cathedralis, ubi ejuſdem caput pretioſa theca incluſum per octavam feſti, quod ſolemniter in diœceſi celebratur, patet expoſitum. Caſula ejuſdem ſancti non eſt candida, ut ait Jacobus Branche in vit. ſanctorum Arverniæ, ſed violaceo colori prope ſimilis. Ejus corpus hac veſte ſacerdotali coopertum, dum ex urbe Lugduno tranſferebatur, potius crediderim, quam a B. virgine donatum ea fuiſſe ſanctum, ut aiunt, antiſtitem; cum de tanto dono haud loquantur antiqui ſcriptores vitæ S. Boniti. Quicquid ſit, reverenter adſervatur ſub primario altari eccleſiæ matris, & die 15. Januarii ante ſacrum ſolemne celebrans alba & ſtola indutus, flexis genibus, in presbyterio accipit hanc caſulam a ſacerdote pluviali induto. Tranſlationis feſtum celebratur 6. Junii.

XXXVI. Thaido.

XXXVII. Daibainus.

Aliter Dailenus uti legitur in cod. Portuenſi & in MS. Illidiano, & poſt eum ponitur Dumbertus in eodem cod. MS.

XXXVIII. Stephanus I.

Stephanus memoratur in codice manu exarato Mauzacenſi, ubi agitur de Lanfredo abbate.

XXXIX. Adebertus I.

Conſecravit monaſterium Mauzacenſe a Pipino rege inſtauratum. Præfuit ſolemni pompæ, qua corpus S. Stremonii primi epiſcopi Arvern. & martyris, e Volvicenſi monaſterio in Mauzacenſe eſt illatum, auctoritate Pipini regis, petente Lantfredo abbate, an. circiter 764. quo in cœnobio ipſe poſtea ſepeliri voluit. Haud dubie Adalbertus eſt cujus nomen ſic ſubſcriptum legitur in teſtamento Rogerii comitis pro Caroffenſi cœnobio: *Signum Adalberti Arvernenſis epiſc.* Datum eſt an. circiter 785. ex Mabill. cujus Annales conſule ad hunc an. n. 48. & in appendice tom. 2. p. 713. col. 1.

764.

In patriarchio Bituricenſi ſæpe fit mentio ſancti Aſclepii epiſcopi, quem patriarchii auctor dicit fuiſſe epiſcopum Arvernenſem, & vixiſſe tempore Caroli magni; fuiſſeque cum Davide Bituricenſi arch. parthenonis S. Laurentii fundatorem. In monaſterio S. Laurentii Bituricenſis colitur quidem

[a] Petrus Damian. ep. 9. l. 1. ad Nicol. II. papam de abdicatione epiſcopatus: *Nec te, Bonite ſalix, præteream, qui hac duntaxat occaſione percepta quoniam de manu Regis, laici videlicet hominis, traditionem eccleſiæ te ſuſcepiſſe contigerat, cathedram contemſiſti atque ad vitæ remotioris cuſtodiam te protinus contuliſti.*

[b] Mabillonius poſt Savaronem hoc monaſterium intelligit de Camalarienſi ubi corpus S. Teclæ requieſcere dicitur. Sed vero ſimilius credo de Tecletenſi interpretandum, vulgo *Teillet* quod olim erat conventuale, & nunc ſubjacet Caſæ-Dei.

ANNI CHRISTI

quidem S. Aſclipius epiſc. IV. non. Januarii, ſed de ejus ſede tacetur.

XL. Bernuinus

Bernuinus nobis innotuit ex carminibus quæ edidit Mabillonius tom. 2. Annal. in appendice pag. 717. col. 2. & ſeq. Ex his diſcimus Bernwinum qui ſe epiſcopum dicit, conſtruxiſſe Illidianam apud Arvernos eccleſiam tempore Caroli Aug. Non alius autem ſedis epiſcopus fuit quam
811. Arvernæ. Vide Mabill. ad an. 811. n. 90.

XLI. S. Stabilis.

Stabilis anno 10. imperii Ludovici Pii, ejuſdem miſſi provincia defungitur, & præeſt commutationi factæ inter eccleſiam Laudunenſem B. Mariæ, & Conquenſem in Aquitania, cui ſubſcripſit Stabilis. Vide Mabill. ad an. 823. n. 56. & Carolum Cointium ad eundem annum num. 54. & 55.

Ex hoc inſtrumento Conquenſi Cointius deprehendit duos Stabiles pene eodem tempore Arvernenſes epiſcopos, quorum primus is eſt de quo agitur in charta Conquenſi, qui ſedebat an. 823. hunc excepit Adebertus, juxta Cointium, & dedicavit Moſacenſe cœnobium inſtauratum a Pipino rege Ludovici pii filio. Adeberto ſucceſſit alter Stabilis qui anno 860. ſubſcripſit concilio Tuſiacenſi. Sed nihil cogit duplicem fingere Stabilem, quod certe fieri non poteſt niſi etiam inducto duplici Adeberto; nam qui dedicavit monaſterium Moſacenſe, non ſedebat tempore Pipini filii Ludovici pii. Potuit autem commode idem epiſcopus Arvernenſem cathedram tenere ab an. 823. ad 860. per annos triginta ſeptem. Obiiſſe dicitur calendis Januarii, quo die notatur in martyrologio Gallicano. Olim celebrabatur feſtum S. Stabilis cum octava in eccleſia S. Illidii. Recole quæ ſupra diximus in S. Illidio de reliquiis S. Stabilis juxta quandam inſcriptionem in marmore, anno 1709. inventam ſub altari S. Illidii.

Porro in nullis catalogis video notari duos Stabiles, præterquam in eo quem diximus confectum tempore Bernardi Salviati epiſcopi. At fateor non reperiri in his catalogis S. Stabilem eo ordine quo Sammarthani fratres eum collocaverunt, quos ſecuti ſumus, ſed præmitti Fridigiſo, quem ſequitur Avitus III. At vitioſi omnino ſunt catalogi & mutili, quos ex notis monumentis emendamus. Porro cum de Fridigiſo nihil reperiamus, eum duximus omittendum.

XLII. S. Sigo.

S. Sigo reſtaurator habetur baſilicæ S. Mariæ de Portu a Normannis everſæ, ubi conditus eſt. Dicitur ſediſſe an. 862. Certe per Stephanum
863. comitem Arvernenſem an. 863. ſede Arvernenſi ejectus eſt, quod ſignificat Nicolaus papa ep. 66. *Quia contra omne quod Chriſtianæ religioni convenit, dejecto ſanctiſſimo Sigone Arvernenſi epiſcopo, in locum ejus pervaſorem Adonem clericum ſubſtituiſti; præcipimus auctoritate Dei omnipotentis, beatorumque apoſtolorum principum Petri ac Pauli, ut nullam paſſus moram, ſanctiſſimum Si-*

ANNI CHRISTI

A *gonem epiſcopum, dejecto pervaſore, eccleſiæ ſuæ reſtituas, & in omni ſacerdotli dignitate eum manere amodo dimittas. Nam quia nonnulla impudica ac ſceleſtiſſima de te inculcantur, apoſtolica auctoritate ſancimus, ut de his pleniſſime ſatisfacturus, in noſtrorum legatorum præſentia, qui conſtitutæ a nobis ſynodo præeſſe debebunt, in loco præfixo occurrere ſtudeas; quodque ſi neglexeris, & præſentiam tuam a ſynodico examine defraudare tentaveris, ſcias te præſulatus noſtri auctoritate, a vini & carnium participatione omnino excommunicatum, quoadusque Romæ in noſtra ſpeciali præſentia diſtrictam poſiturus rationem adſiſtas. Pervaſor vero*
B *ſanctæ Arvernenſis eccleſiæ, ſi poſt hanc noſtram definitionem illic remorari tentaverit, & aliquod impedimentum ſanctiſſimo Sigoni epiſcopo facere quacumque argumentatione præſumſerit, ſciat ſe pari modo, non tantum a vini & carnium, verum & a corporis & ſanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti participatione penitus eſſe ſejunctum, quandiu noſtris juſſionibus obſtinate in præſentiam Apoſtolicam venire diſtulerit.* Concilio Sueſſionenſi 3. adfuit an. 866. ubi approbavit privilegium conceſſum cœ- 866.
nobio Solemniacenſi. Illius feſtum notatur 4. idus Februarii in calendariis, & ejus cineres in Portuenſi æde aſſervantur.

C S. Sigone per Stephanum comitem ejecto, ſuſpicamur a Ranulfo cathedram Arvernenſem, favente comite, occupatam eſſe. Et quidem apud *Capp. 4. 6 5.*
Juſtellum lib. 1. hiſtoriæ gentis Arvern. legitur charta Brivatenſis de quadam commutatione facta inter Bertrandum comitem & monachos Mauzacenſes an. 864. *una cum conſenſu & præceptione regis Caroli, & Ranulfi epiſcopi*, non alterius utique eccleſiæ, quam Arvernicæ, a qua pendet Mauzacenſe monaſterium. Ita quoque cenſet Mabillonius in Annalibus ad hunc annum n. 17. eſtque viri eruditi Juſtelli conjectura.

D

XLIII. Agilmarus, *al.* Aimarus.

Agilmarus anno 875. ſua ſubſcriptione cor- 875.
roboravit privilegium conceſſum cœnobio Trenorchienſi *. Adfuit ſynodo Pontigonenſi anno * Tournus.
876. & Tricaſſinæ ſecundæ anno 878. 876.

Ejus ſit mentio in præcepto Caroli Calvi pro 878.
Magnilocenſi cœnobio, quod Agilmarus ſuæ eccleſiæ ſubjicere moliebatur; at reclamante Heirardo abbate, qui adiit imperatorem, & ab eo præceptum obtinuit datum calendis Aug. ind. X. an. 38. regni domni Caroli imperatoris in Francia, & imperii ejus an. 2. Vide Mabill. ad an.
E 877. n. 98. Comes fuit Johannis VIII. pontificis in Italiam revertentis, qui eum epiſt. 125. commendat Ludovico Balbo regi an. 878. *præſentem*, ait, *latorem epiſtolæ, Agilmarum venerabilem epiſcopum excellentiæ veſtræ plurimum commendamus, quatenus idem, ſuaque eccleſia creſcat dugmento perfectionis, qui in omnibus opportunitatibus noſtris nulli ſecundus exſtitit, & vobis fideliſſimum in cunctis, quæ cognoverit, veriſſime comprobavimus. Inter hæc epiſcopos, quos ſerenitas veſtra in noſtrum juſſit venire adjutorium, ſcias præter Agilmarum nullum veniſſe.*

Agilmarum e Burgundia, & quidem nobili

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

loco natum probat ſcriptor vitæ & miraculorum S. Viventii apud Bollandum tom. 1. Januarii pag. 813. ait enim Agilmarum ſancti hujus reliquias devote ſuſcepiſſe, & in propria poſſeſſione repoſuiſſe, quam a proavis in Burgundiæ partibus in comitatu Amauſo ſex millibus ab Arari diſſitam habebat; illicque baſilicam cum clauſtris in honorem S. Viventii exſtruxiſſe.

Inter ſubſcriptiones epiſcoporum qui adfuerunt ſynodo Magdunenſi anni 891. ind. IX. & confirmarunt privilegium conceſſum monachis ſancti Petri-vivi a Walterio Senonum archiepiſcopo, quædam iis concepta verbis legitur: *Semper Agilmari manens ſub nomine firma.* Hunc autem Agilmarum putamus fuiſſe eum de quo agimus.

Aliter legitur hæc ſubſcriptio a nonnullis; & quidem, ut nobis videtur, melius, conjunguntque ita duas ſubſcriptiones, unam Herfridi epiſcopi, alteram Agilmari: *Herfridus epiſcopus ſemper Agilmari manens ſub nomine firma*, id eſt Herfridus epiſcopus vel regionarius qui nullam habebat ſedem, vel e ſua ſede pulſus a Normannis, aut aliis barbaris, ſub nomine Agilmari epiſcopi Claromontenſis, ejuſque vices agens, firmavit. Et hoc modo ſemper habemus Agilmarum adhuc ſediſſe anno 891. 891.

XLIV. Johannes I.

De eo altum eſt in tabulis ſilentium; unde ipſum exſtitiſſe minime recipio. Sed neque habeo unde probetur ipſum eſſe expungendum. *MS.*

XLV. Adalardus.

Adalardus donavit eccleſiam S. Victoris eccleſiæ ſuæ menſe Decembrio, anno XIII. Caroli regis, hoc eſt Chriſti anno 905. ex archiv. eccl. cathedralis, quam Adalardus in inſtrumento donationis vocat matrem *eccleſiam SS. martyrum Agricolæ & Vitalis.* Eccleſia autem S. Victoris exiſtimatur ea quæ eſt in vico Camalarienſi (Chamalieres) a dicto præſule emta *quam de ærario*, inquit, *comparavimus.*

Chartam Adalardi epiſcopi de conſecratione cujuſdam eccleſiæ in honore SS. Juliani & Privati martyrum anno 905. invenies inter inſtrumenta diœceſis S. Flori ad S. Julianum Brivatenſem ſpectantia. C. III. col. 130.

Nomen Adalardi ſubſcriptum legitur teſtamento Willelmi comitis Arvernorum, ducisque Aquitaniæ Cluniaci fundatoris, anno 910. Memoratur etiam lib. 3. c. 6. vitæ S. Geraldi Auriliacenſis. Amblardus appellatur a Mabillonio, ad an. 909. num. 55. ubi aſſerit eum adſtitiſſe S. Geraldo comiti morienti, quem ſacramentis munivit. 910.

XLVI. Adelbertus II.

Adelbertum nobis ſuppeditat vetuſtiſſima inſcriptio quæ legitur in capſa aurea aſſervata ſub majori altari eccleſiæ cathedralis; vocaturque *capſa S. Arthemii*, quamvis ex inſcriptione conſtet eam eſſe SS. martyrum Agricolæ & Vitalis. Sedebat hic epiſcopus anno XVIII. Caroli regis cognomento ſimplicis, hoc eſt Chriſti 910. vel 911. Inſcriptionis tranſlumtum vulgari charactere ſcriptum hoc loco dandum cenſuimus, quale ad nos miſit D. Damianus Vernet presbyter & canonicus S. Geneſii Claromontenſis:

IN NOMINE DEI SUMMI ET IN HONORE SANCTORUM MARTYRUM AGRICULI ET VITALIS ARVERNÆ CIVITATIS, HANC CAPSAM EX ELIMONIA CAROLO REGE ANNO DECIMO-OCTAVO REGNI SUI, NEC NON HICTERIO COMITE, VEL RELIQUIS CHRISTIANIS QUI HUNC AURO VEL GEMMAS CONGREGAVERUNT PRO ANIMAS EORUM HADDEBERTUS EPISCOPUS FIERI ROGAVIT. ET VOS DOMINI EPISCOPI SUCCESSORES VESTRI CUM CLERO VESTRO IN MERCIDE ORATE PRO NOBIS. DEO DIGGUS FECIT.

In penultima linea quoddam verbum inſcriptionis VI tantiſper læſum videtur ob infixum clavum. Per *Elimoniam* intelligendam putamus Limaniam, *la Limagne*, quo ex pago tranſlatæ fuerant ſanctorum Agricolæ & Vitalis reliquiæ. Porro ex multis chartis undecimi ſeculi habemus hos ſanctos Arvernenſis eccleſiæ patronos fuiſſe poſt Deiparam virginem. In eadem eccleſia eſt alia capſa eodem opere ex auro fabricata, ſimilibuſque characteribus verba ſequentia exhibens:

IN NOMINE DEI SUMMI ET IN HONORE SANCTÆ MARIÆ, SANCTI PETRI ET SANCTI MARTIALIS VEL QUORUM RELIQUIE HIC CONDITE SUNT ANDEBERTUS EPISCOPUS FIERI JUSSIT.

Ad hæc pertinere videtur alia hæc inſcriptio:

HIC HAB. RELIQUIE DE CAPUT SANCTI AGRICULI ET SANCTI VITALIS..... HADEBERTUS EPISCOPUS IN BONONIA CIVITATE JUBENTE CAROLO REGE RECIPIT FESTO EORUM IV. KAL. DECEMB.

XLVII. Arnaldus I.

Arnaldus ſive Arnoldus ſubſcripſit litteris fundationis Burgidolenſis monaſterii datis IV. nonas Septemb. an. 20. regnante Carolo rege, Chriſti circiter anno 912. Idem eſt procul dubio ac Ermoldus, qui ſubſcripſit litteris Willelmi pii fundatoris Cluniaci, quæ de fundatione Celſinianenſis monaſterii * datæ fuerunt *in menſe Novembrio in die Mercoris anno XVIII. domino Carolo rege Francorum ſive Aquitanorum.* Anno 924. conſenſit fundationi eccleſiæ in honorem S. Juliani, rogante Johanne archidiacono, quam ipſe conſecravit & dotavit, ex majori chartulario Brivatenſi; de quo vide tom. XI. Spicilegii; laudatur etiam in charta fundationis Cantogilenſis * monaſterii tom. 3. Annal. Mabill. in appendice pag. 707. Habetur pro reſtauratore monaſterii ſancti Illidii, rogante & adjuvante Raimundo comite circa an. 937. Idem eſt proculdubio ac Arnoldus epiſcopus Arvernorum ſubſcriptus in charta fundationis S. Vincentii de Cantella VII. calendas Aprilis anno ab Incarnat. Dom. DCCCC. XXXVI. 912. 924. 937.

* Soucillanges. *Alab. ad an. 916. n. 2.*

pag. 283. * Chanteuges.

ANNI CHRISTI

indict. VI. anno VII. regnante Chludovico Francorum & Aquitanorum rege. Notæ tamen temporis sunt omnino corruptæ; & quidem Ludovicus hic, scilicet IV. regnare cœpit an. 936.

XLVIII. Bernardus I.

Consecravit monasterium Iciodorense a Gisleberto Carrofensi monacho reædificatum ipsius ope; qua de re agemus in historia hujus monasterii.

XLIX. Bego I.

Hic locus debetur Begoni episcopo, ut putatur, Arvernensi, qui subscripsit chartæ Godhescalci episcopi Aniciensis, pro Calmiliacensi cœnobio, anno secundo regis Ludovici, qui juxta Mabillonium lib. VI. de re diplomatica pag. 569. n. 136. illigatur anno Christi 937. Sane idem Bego retegit anno 937. S. Clementis reliquias in monasterio S. Illidii, curante Mancidio abbate. Consulendus Mabillonius ad hunc annum num. 83. Non debet confundi cum alio Begone de quo infra.

937.

L. Stephanus II.

D'Auvergne.

Stephanus, prius abbas Conquensis in Ruthenensi pago, erat filius Roberti vicecomitis Arvernorum, & Hildegardis, ut liquet ex charta ecclesiæ Brivatensis, in qua stemma gentilitium Stephani describitur [a], edita inter instrumenta historiæ domus Arverniæ auctore Baluzio. Testatur Baluzius nomen Stephani jam episcopi subscriptum legi in charta ecclesiæ Brivatensis data mense Junio anni 937. & in Celsinianensi scripta mense Decembri anni 943. Certe jam sedebat anno X. regnante Ludovico rege Franciam Aquitaniamque regente, scilicet Ludov. IV. dicto Transmarino; quem annum recte Baluzius revocat ad 945. Eodem anno inchoavit monasterium Liziniaci apud Arvernos, in quo postea, mutato consilio, constituit canonicos an. 962. Legesis Mabill. ad hunc annum n. 79. & consule quæ ad emendandum hunc locum addidit tomo IV. Annal. pag. 852. col. 2. Consule etiam tom. XI. Spicil. pag. 285. Sua subscriptione roboravit chartam donationis ab Aldegardi comitissa matre sua factæ monasterio Celsinianensi, anno XIII. Ludovici, hoc est anno Christi 948. vel 949. Suo testamento multa legavit *cœnobiis communiter viventibus, atque canonicis sub sua potestate commorantibus*, præsertim majori B. M. ecclesiæ, monasteriis Issiodorensi, Magnilocensi, Celsinianensi, &c. Anno 950. subscripsit cuidam diplomati Ludovici regis pro Cluniaco. De hoc episcopo ita loquitur Frodoardus in chronico: *Anno DCCCC. LI. Ludovicus rex Aquitaniam cum exercitu petit. Sed antequam eandem ingrederetur provinciam, Karlus Constantinus Viennæ princeps, & Stephanus Arvernorum præsul, ad eum venientes sui efficiuntur: idem vero episcopus opimis eum honorat muneribus.* Ad ipsum præsertim scripsit Agapitus papa pro defensione Celsinianum contra optimates hujus loci bona deprædantes, ut habes apud Mabillonium in Annalibus ad an. 951. num. 53.

pag. 34.

945.

948.

Vid. C. t. II. III.

Vid. Mabil. ad a. 951. n. 49.

ANNI CHRISTI

Subscripsit cuidam donationi factæ cœnobio Cluniac. a nobili viro Stephano & ejus uxore Ermengardi, Aimardo tunc abbate, quæ charta *lecta est in curte Enizïaco ante domnum Willelmum comitem, in præsentia domni Stephani Arvernorum ep. die illo quando seniores Arvernici cum comite supra nominato convenerunt, eique se commendaverunt*; hoc est, quando mortuo Ludovico Francorum rege, Willelmo Pictavorum comiti se subdiderunt. Baluzius id factum refert ad annum 952. Mabillonius vero ad annum 955. Eodem anno 952. subscripsit chartæ fundationis prioratus B. Mariæ de Oyadellis, in pago Matiscoensi.

Stephanus factus episcopus, Conquensem abbatiam minime dimisit; nam anno 945. adhuc abbatem se præfatur, & cum cuncta congregatione Conquensi quandam facit donationem, *anno X. quo Ludovicus rex cœpit regnare*, ubi vocatur abba episcopus. Ibidem in charta data an. XII. regni ejusdem Ludovici seu anno 947. dicitur tantum *abba*, uti an. VI. regnante Lothario, seu anno Christi 959. in alio instrumento. Attamen hoc ipso anno 959. & annis 961. ac 968. nominantur in chartis Conquensibus Stephanus episcopus, & Hugo abba, qui ambo dicuntur præesse monasterio. Hic Hugo in instrumento confecto an. XV. regnante Lothario, appellatur *abbas secundum regulam*. Unde fere persuasum habeo Hugonem fuisse abbatem regularem, Stephanum episcopum vero abbatem laicum; quam abbatiam forsitan habuerat de jure patris sui aut matris suæ. Ludovicum regem dictum Transmarinum ei abbatiam hanc contulisse docet Baluzius in hist. Arverniæ. Anno octavo regni Lotharii seu Christi 961. Bego erat abbas, fecitque concambium cum Stephano episcopo, & Hugone, totaque congregatione. Anno VII. regnante Lothario seu anno Christi 959. aut 960. de Begone episcopo, Stephano episcopo, & Hugone abbate legitur: *Ubi præesse videntur*; scilicet in monasterio Conquensi. Itaque Stephanus videtur semper abbatiam Conchensem aut abbatiæ partem retinuisse. Quædam charta anni XVI. Lotharii, Christi 969. vel 970. hujus episcopi tanquam superstitis meminit. Quandiu autem episcopalem occupaverit cathedram ignoramus. Begonem abbatem de quo mox agebamus, ejus fuisse successorem in sede Arvernensi consentiunt omnes. Unde consequens videtur Begonem, cedente Stephano, etsi episcopi titulum retinuerit, creatum fuisse episcopum. Id tamen pro certo minime damus. Sane chronicon Conquense, & liber *mirabilis* hujus loci, vix possunt conciliari, generantque graves scrupulos; unde non mirum si aliquando nobis titubare contingat.

Lib. Mirabilis Conch.

[a] Vide etiam tomo XI. Spicilegii pag. 285. & seq. ubi leguntur fundationes ecclesiarum Cantajolensis & Liziniacensis ipso auctore. Præter parentes jam nominatos, ibidem recenset avunculos suos Eustorgium & Magfredum, necnon Guidonem, fratres suos Eustorgium & Rotbertum. Hic fuit pater Widonis Arverniæ vicecomitis cujus Baluzius inter instrumenta hist. Arvern. pag. 40. edidit chartam in qua meminit patris sui Rodberti, & avunculi, hoc est patrui sui Stephani episcopi. Hic Stephanus adhuc nominat avunculum suum Armandum, & filium suum (id est ejus) Amblardum. Laudatus Baluzius loco citato pag. 45. dedit diploma Roberti comitis Arverniæ, in quo fratris sui Arvernensis episcopi meminit.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

Ex iis vero corrigenda parumper quæ de Stephano in abbatibus Conquenſibus diximus. Condidit teſtamentum Romam profecturus, quod ex archivis eccleſiæ Claromontenſis deſcripſit noſter D. Jacobus Boyer :

In nomine Dei ſummi in Trinitate regnantis. Ego Stephanus Arvernicæ ſedis epiſcopus, properare volens Romam ad limina apoſtolorum Petri & Pauli, decrevi facere beneficiale ſcriptum præſentibus futuriſque ſciendum, de rebus a Deo nobis traditis. Anteceſſores quidam noſtri alienaverunt ipſas res a ſancta matre eccleſia, quas nos pro remedio animæ noſtræ, vel ut præſentem vitam felicius tranſigamus, ipſi eccleſiæ ſanctæ Mariæ, & ſancti Laurentii, atque ſanctorum martyrum Agricolæ & Vitalis, fratribuſque ibi Deo in commune deſervientibus, ut in reliquum tempus ipſi matri eccleſiæ ſine penuria vinearum & panis alacriter deſerviant, has res ad præſens ſub omni integritate contradimus..... factum hoc beneficiale [a] *ſcriptum anno* DCCCC. LIX. *indictione* II. *Incarnationis Dominicæ, regnante Lothario rege.*

Anno 1058. teſtis fuit cum Roberto abbate Caſæ-Dei in inſtrumento Roberti Ruthenenſis comitis pro eccleſia Conquenſi. Memoratur quoque an. VII. regnante Lothario rege, hoc eſt an. 960.

pag. 38. Baluzius in probationibus hiſt. Arverniæ exhibet etiam hujus epiſcopi teſtamentum, quod a noſtro multum diſcrepat. Ignoro autem cur vir

976. eruditiſſimus illud notet factum fuiſſe an. 976. cum ex hoc inſtrumento id nequaquam elici poſſit. Eandem tamen ætatem huic teſtamento tribuit Savaro in libro de vet. eccleſiis Claromont. at nullum profert argumentum unde id adſtruatur.

Multæ exſtant chartæ, in quibus Stephani munificentia palam fit, quas inter inſtrumenta retuliſſemus, niſi nos occupaſſet vir clariſſ. Stephan. Baluzius cujus diligentiam nulla effugerunt. Porro in iis modo Arvernenſis, modo Claromontanus dicitur epiſcopus. Ex chronico Maſciacenſi anno 965. urbs Arvernenſis conflagravit; quo tempore adhuc ſediſſe Stephanum non dubitamus. Et quidem urbem Stephani epiſcopi cura & ſumtibus reædificatam fuiſſe docet Savaro.

LI. Bego II.

Begonem abbatem Conchenſem Stephano ſubrogatum fuiſſe in Arvernenſi cathedra teſtatur chronicon Conchenſe. Nomen epiſcopi Begoni datur in quodam documento facto die Veneris, menſe Junio, Lotharii regis anno VII. ſeu Chriſti 959. vel 960. Ibi tamen epiſcopus Arvernenſis aut Claromontenſis non dicitur; aliundeque Stephanus vixit uſque ad annum ſaltem 969. aut 970. memoraturque ut epiſcopus. Unde vix definire licet, quo tempore inchoatus ſit Begonis epiſcopatus.

980. Anno 980. ſubſcripſit donationi Geraldi preſbyteri pro Illidiano cœnobio, quod tunc regebat abbas Mancio. Commemoratur in charta de

Annal. Mabill. ad an. 980. n. 98. treuga & pace facta anno 990. editaque lib. VI.

990.

[a] Hoc *beneficiale* viderat Johannes Savaro in notis ad librum de vet. eccl. Clarom.

A de re diplomatica pag. 577. Eodem anno conſenſum præbuit electioni Gausberti in Cadurcenſem epiſcopum, ut videre eſt tomo VIII. Spicilegii pag. 155. Anno 994. quo S. Majolus abbas Cluniacenſis obiit, conſecravit altare, quod ſtatim poſt ſancti abbatis obitum, ipſius tumulo impoſitum eſt. Vixit ſaltem uſque ad an. 1010. quo benedixit Petrum abbatem Thiernenſem; quod cœnobium paulo poſt datum eſt Cluniacenſibus, Odilonique abbati.

ANNI CHRISTI

Mabill. ibid. ad hunc an. n. 88.

1010.

LII. Stephanus III.

D'AUVERGNE.

B Filius erat Guillelmi IV. Arvernorum comitis, & Umbergæ, quæ anno 990. multa donavit Celſinianenſi monaſterio, tempore Begonis epiſcopi, qui chartæ donationis ſubſcripſit. Anno 1010. memoratur in charta Thiernenſi. Poſt biennium ſubſcripſit chartæ datæ menſe Septembri feria VI. regnante Roberto rege an. XV. qui eſt annus Chriſti milleſimus duodecimus. Anno 1013. cum ad inviſendam materteram ſuam, Legardam nomine, profectus eſſet, latenter eſt interfectus, ut docet breve chronicon Maſciacenſe editum a Philippo Labbeo tom. 2. Bibliothecæ novæ; chronicon quidem non deſignat quæ

pag. 732.

C eſſet Stephani epiſcopi ſedes; at loquitur haud dubie de epiſcopo provinciæ Bituricenſis, in cujus metropoli mortuum narrat eodem anno Dacbertum metropolitanum. Nullus autem eo tempore in provincia Bituricenſi epiſcopus erat nomine Stephanus, præterquam in eccleſia Claromontana.

Poſt ipſum catalogo inſcribitur quidam Johannes epiſcopus, de quo nihil nobis notum.

LIII. Stephanus IV.

Stephanum hunc epiſcopum Juſtellus putavit

D fuiſſe filium Guillelmi Arverniæ comitis ex Philippia ejus uxore; quem ſecuti ſunt Sammarthani fratres. Et quidem Guillelmus V. comes ex Philippia filium habuit nomine Stephanum, ut probatur ex tabulis eccleſiæ Claromontenſis, loco laudato a V. C. Steph. Baluzio, in chartul. Celſinienſi, fol. 199. Stephanus Arvernorum epiſcopus, dedit monaſterio Celſinienſi eccleſiam ſancti Martini de Chidrac, &c. hujuſque doni inſtrumento ſubſcribunt poſt epiſcopum, Willelmus frater ipſius, Audebertus de Roca-Sabina. Ejuſdem eſſe putamus chartam qua Stephanus epiſcopus dat præfato monaſterio, eccleſiam Chauria-

Prob. hiſt. Arv. p. 48.

E cum aliaſque duas, cum ſua matre & fratribus; item cum Rorgio, filio ejus Faramundo, &c. ſubſcribunt Arbertus vicecomes & multi alii. Vide inter inſtrum. C. III. col. 75.

Stephanus occurrit in quadam charta pertinente ad eccleſiam Thiernenſem data indict. 13. octavo idus Januarii, Luna 4. in Francia regnante piiſſimo Roberto, anno M. XVI. Ipſe fuit unus 1016. ex epiſcopis Burgundiæ & Aquitaniæ, ad quos Benedictus VIII. ſcripſit pro tuitione Cluniaci; tom. IV. collect. Querc. ſcriptorum hiſt. Franc. An. 1025. 18. cal. Octobris, conſecravit baſi- 1025. licam Voltæ prioratus inſignis Cluniacenſis, a S. Odilonis nepotibus conditi. Vide Mabil. ad hunc an. n. 72.

ANNI CHRISTI

Hic antiſtes excommunicavit Pontium Arverniæ comitem, ob dimiſſam uxorem, & aliam ductam. Pontius filius erat Guillelmi V. comitis & Philippiæ. Unde argumentum nobis ſuppeditatur ad probandum Stephanum hunc epiſcopum non habuiſſe parentes Guillelmum & Philippiam; quis enim credat fratrem a fratre fuiſſe anathemate percuſſum? aut ſi id factum fuiſſet, qui rem narrant, obſervare curaſſent Stephanum, nulla ratione habita carnis & ſanguinis, in proprium fratrem ſententiam excommunicationis protuliſſe.

Pontius, cum a Stephano abſolutionem obtinere non potuiſſet, Romam profectus eſt, adiitque papam, qui ipſum abſolvit. Id in Galliis magnas querelas excitavit, maxime in concilio Lemovicenſi anni 1031. in cujus actis lego: *Rurſus in concilio conqueſtum eſt de excommunicatis Aquitanigenis, qui ignorantibus epiſcopis ſuis, a Romano papa pœnitentiam & abſolutionem accipiunt. Et hac de cauſa pax & concilium in Aquitania deſtruitur, dum quos iſti juſte ligant, ille injuſte abſolvit.* His tamen querelis reſpondit Engelricus canonicus S. Mariæ Anicienſis, quæ geſta fuerant exponendo: *Stephanus Arvernenſis præſul,* inquit, *ante hos annos Pontium comitem Arvernenſem excommunicatione obſtrinxit, pro uxore legitima quam dimiſerat, & aliam duxerat. Quem cum nulla vellet ratione abſolvere* (epiſcopus) *niſi emendatum, comes Romæ a domino papa abſolutionem accepit, ignorante papa eum excommunicatum. Quod graviter epiſcopus ferens, conqueſtorias litteras Romam Apoſtolico miſit, cui ille in hunc modum remiſit epiſtolam:* Quod neſcienter egi, frater cariſſime, non mea ſed tua eſt culpa. Scis enim quia quicunque de univerſa Dei Eccleſia.. ..... ad me cauſa remedii recurrent, impoſſibile eſt mihi ejus curam negligere..... Quo ergo modo ſedes apoſtolica poterit ejicere aliquem de medela niſi rationabili cauſa? Debueras certe mihi, antequam illa mortua ovis Romam veniret, ejus cauſam tuis innoteſcere apicibus, & ego eam omnino abjicerem, tuamque firmando auctoritatem, eam anathematis ictu repercuterem. Profiteor quippe omnibus conſacerdotibus meis, ubique terrarum adjutorem me & conſolatorem potius eſſe, quam contradictorem..... Itaque illam pœnitentiam & abſolutionem, quam tuo excommunicato ignoranter dederam, & ille fraudulenter accepit, irritam facio, & quaſſam; ut de illa nihil aliud ſperet quam maledictionem, quoad ſatisfactum tu juſte abſolvas. *His auditis epiſcopi dixerunt Apoſtolicum,* hoc eſt papam, *ſine culpa eſſe.*

LIV. Renco.

Renco nobili apud Ruthenos genere ortus, ſororem habuit Raingardem S. Roberti Caſæ-Dei primi abbatis matrem. Obtinuit decani dignitatem in eccleſia Bituricenſi; quo munere magna cum laude eſt defunctus, tempore Gauſlini & Haimonis archipræſulum. Epiſcopus Arvernorum creatus eſt, anno circiter 1028. cum ex ipſius epitaphio ſederit annos fere 24. aliunde habeamus ejus mortem anno 1052. contigiſſe. Anno 1032. Geraldus quidam, cum ſuis fratribus majori eccleſiæ S. Mariæ virginis & SS. martyrum Agricolæ & Vitalis manſum unum cedit, &c. *pro pœnitentia* quam *domnus Renco epiſcopus donavit.* Subſcripſit chartæ Haymonis archiepiſcopi Biturigum, qua hic præſui in cœnobio Bitur. an. 1035. reditus eccleſiæ Pompiniacenſis (Pompignac) reſtituendos matri eccleſiæ curat; ceſſit abbati S. Sulpicii & monachis debitum ſynodorum. Anno decimo tertio regni Henrici, ſeu Chriſti 1043. vel 44. ſui nominis ſubſcriptione munivit diploma Willelmi Arverniæ comitis, pro eccleſia B. Mariæ & SS. Agricolæ & Vitalis, quæ mater eſt eccleſia. Ipſe huic eccleſiæ contulit villam dictam Vezola, quam comparaverat a Radulpho de Bociaco, & alia multa ex ejuſdem eccleſiæ archivis. Anno 1044. VIII. calend. Aprilis ſubſcripſit quoque teſtamento Hugonis de Salinis Biſuntini archiepiſcopi.

Anno 1052. legitur SS. apoſtolorum limina viſitaſſe, & a ſede apoſtolica litteras impetraſſe pro Caſæ-Dei monaſterio, cujus eccleſiam conſecravit, conſtituto ibidem abbate S. Roberto, cujus erat avunculus. Ipſi quoque dedit litteras commendatitias ad Henricum regem, qui conceſſit ut monaſterium hoc in abbatiam erigeretur, diplomate dato Vitriaco palatio eodem anno, cui Renco cum multis epiſcopis ſubſcripſit. In litteris authenticis quæ apud Caſam-Dei aſſervantur Rex Renconem appellat ſuum dilectiſſimum & familiariſſimum. Eodem anno pridie nonas Januarii ſedit in ſynodo, ubi electus eſt Icterius in epiſcopum Lemovicenſem. Dicitur ſolemne feſtum Aſſumtionis B. virginis fundaſſe. Diem ſuum obiit 17. Septembris ex veteri necrologio. Teſtantur fratres Sammarthani hujus epiſcopi ſepulcrum quatuor fultum columnis detectum eſſe, cum eccleſiæ Capucinorum fundamenta ponerentur, ubi reperta quoque hæc inſcriptio:

Continet hic tumulus Rauconis præſulis artus.
Præfuit Arvernis annis fere bis duodenis.
Tempore & Henrici regis ſibi ſemper amici
Tranſiit Octobris ter quinis nempe calendis.

Hoc tamen prorſus incognitum viris doctis, qui apud Clarummontem non pauci ſunt. Neque vero J. Savaro vel alius quiſpiam ex iis qui de rebus Claromontenſibus olim ſcripſerunt, hujus tumuli reperti meminerunt. Imo tumulum Renconis in capitulo eccleſiæ cathedralis eſſe probat vetus ceremoniale hujus eccleſiæ, ubi legitur de aſperſione aquæ benedictæ, quæ olim fiebat in capitulo ſeu loco capitulari: *Tunc ceroferarii & thuribularii poſitis candelabris & thuribulo ſuper ſepulcrum domini Renconis*, &c. & infra: *Si epiſcopus præſens fuerit, expectet eum diaconus cum aqua benedicta, ad ſepulcrum dom. Rènconis.* Num alius eſt hic Renco, a noſtro epiſcopo. Quidquid ſit, viri doctiſſimi veritatiſque ſtudio-

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

fissimi non finxerunt quæ referunt, neque versus de Rencone episcopo, qui ejus ætatem prorsus redolent, condiderunt.

Hujus episcopi tempore Hictor, post Jerosolymitanam peregrinationem fundavit quoddam monasterium in pago Arvernico, juxta castrum *Galinici Jalligny*, quod appellavit sanctum sepulcrum, *facta charta mense Octobrio IX. cal. Novembris, anno VI. regnante Henrico rege*, hoc est an. Christi 1036. hanc vero fundationem ratam habuit Renco episcopus, & chartæ subscripsit. Hoc monasterium fuit postea prioratus Casæ-Dei. Chartam damus inter instrumenta, C. 39. col. 105.

In vita S. Phaletri, quam edidit Labbeus tomo 2. Bibliothecæ-novæ legitur sanctum virum in reditu Romanæ peregrinationis primum adiisse *Osium* Aginnensem episcopum, apud quem quatuor annos egit. *Postea*, inquit, *venerabilem Dionysium Arvernorum præsulem adiit, apud quem quinque annos degens, ab eo presbyter ordinatus est.* Osius episcopus Aginnensis hic commemoratus fictitius est, uti & Dionysius Arvernensis episcopus. Stephanus papa de quo hac in fabula, electus est anno 1056. sedit que octo mensibus. Ab anno 1052. usque ad finem seculi undecimi constat de episcopis qui sedem Arvernensem obtinuerunt. Unde minime locus invenitur Dionysio huic, qui debuisset sedere circa annum 1060.

LV. STEPHANUS V.

DE POLIGNAC

De genere Stephani duæ sunt eruditorum opiniones. Eum filium fuisse Armandi vicecomitis de Podemniaco docent Sammarthani fratres, & Guillelmi I. fratrem; quod aiunt ex chartis genealogicis illustrissimæ hujus familiæ probari. Vir clarissimus Stephanus Baluzius contra contendit cognominatum fuisse Stephanum *de Mercorio*, patremque habuisse Guillelmum de Mercorio fratrem S. Odilonis Cluniaci abbatis; at contra morem, nullorum instrumentorum testimonium adducit ad opinionem hanc fulciendam. Ad manum vero nobis est charta donationis ecclesiæ S. Andeoli de *Polemniaco*, al. *de Podemniaco*, in qua sic lego: *Proinde præfatus Stephanus Arvernorum episcopus supradictam ecclesiam.....consilio patris sui* (Armandi vicecomitis Polemniaci) *Deo & sancto Piperaci monasterio, & domno Petro* (de Chavanon) *ejusdem loci præposito*, &c. *Hæc autem scripta sunt jussu domni Armandi, ejusque filii Stephani, aliis faventibus filiis Willelmo & Pontio. Deinde Pontius vicecomes*, &c. Aliud testimonium non minoris ponderis infra dabimus in Aniciensibus episcopis.

lib. 1. Hist. Arv. p. 28.

Stephanus præpositus erat Aniciensis, quando ad ecclesiam Claromontensem accessit; videturque primam hanc dignitatem Aniciensis ecclesiæ retinuisse post sumtum episcopatum; nam in charta concessionis ecclesiæ sancti Stephani de Genestinis factæ monasterio Celsiniarum per Armannum de Batpalmis in manu Roberti prioris, Stephanus appellatur episcopus Arvernensis, simulque præpositus Aniciorum sanctæ Dei Genitricis. Anno 1056. fecit ordinationes [a] apud Bilhomum, & sub pœna excommunicationis confirmavit donum partis ecclesiæ de Tresalaco in Arvernia, factum abbatiæ Trenorchiensi, a Falcone de Jaliniaco. Anno 1064. Stephanus hic episcopus, ejusque nepos Guillelmus canonicus Brivatensis, monasterio Lirinensi ecclesiam sancti Justi restituerunt, cum proposito & voto ibi monachi habitum suscipiendi; ex chronologia Lirinensi. Anno 1068. XIV. calendas Maii regnante Philippo rege Francorum Robertus comes Arvernorum, & Juditha ejus uxor, quædam Celsinianis suis litteris asseruerunt, in quibus Stephanus legitur simul episcopus & præpositus (scilicet Anicien sis.) Anno 1069. interest cuidam donationi factæ monasterio Celsinianensi a Roberto II. Arverniæ comite.

ANNI CHRISTI 1056.

[a] *Hist. Trenorch. pag. 311.*

part. 2. p. 153. 1068.

Anno 1073. Stephanus Claromontensem cathedram deseruit, & invasit Anicien sem. Cumque id multos his in ecclesiis motus excitasset, Stephanus Romam venit ad Gregorium papam VII. cui pollicitus est, adhibito etiam sacramento se Anicien si sedi nuntium remissurum. Sed cum promissis non stetisset, anno 1075. in concilio Romano anathemate percutitur. Anno sequenti Hugo Dien sis episcopus Sedis apostolicæ legatus, habito apud Claromontem concilio, iterum Stephanum excommunicavit, & episcopatu spoliavit; quod judicium confirmavit summus pontifex; cujus epistolæ 18. & 19. libri IV. sunt legendæ, uti & 80. lib. 1. Sub hoc episcopo fundata est ecclesia collegiata Eneziacen sis, cujus fundationis chartam damus inter instrumenta.

1073.

C. VI. col. 78.

LVI. GUILLELMUS.

Guillelmus de Camaleria [b] ex cessione Stephani factus est episcopus Claromontensis anno 1073. verum accusatus simoniæ deponitur in Claromontana synodo, ab Hugone Dien si apostolico legato. Nostri Sammarthani ex Guillelmo de Camaleria & Guillelmo de Baffia unum & eundem episcopum conflarunt, quem locant post Durandum. Hunc itaque volunt cognominatum fuisse de Baffia, quod ex genere Baffiorum foret, & simul nuncupatum de Camaleria, quia Camalerien sis ecclesiæ decanus erat. At quantum ab invicem discrepent infra ostendemus. Et quidem unus præcessit Durandum, alter excepit.

[b]

1073.

[a] In fine chartæ Falconis multa prædia, &c. donantis apud Tresalium legitur: *Hoc datum ..... laudavit & confirmavit dominus Stephanus Arvernorum episcopus, residente & ordines suos faciente in sede sua quæ dicitur* Bilom; *& eodem excommunicante & anathematizante omnes quicumque hoc donum .....infringere tentaverint.*

[b] In chartularii Celsinien sis folio 232. lego instrumentum quo Geraldus de Turre & fratres ejus donant monasterio Celsiniarum alodum ecclesiarum S. Pardulphi, sanctæ Mariæ Castren sis, S. Donati, & sancti Petri Mezen sis, *eo pacto*, inquiunt, quod *pro hac donatione suscipiet nos domnus Hugo abbas ad habitum sancti Benedicti absque ullo munere. Actum regn. Philippo, Vuillelmo episcopo Arvernorum cognomento Camalerie.* Verisimile non est Guillelmum dictum fuisse de Camaleria, quia decanus fuerat ecclesiæ Camalerien sis. Constat tamen eum dignitatem hanc obtinuisse. In tabulario S. Illidii legitur: W. *decanus Camaleriæ qui quondam fuit episcopus, dimisit parata de Bassila*, &c. Forte post suam depositionem obtinuit hunc decanatum. Idem in charta Savigniaci prope Montem-Brison em, legitur simul abbas S. Yrenei, vel potius S. Syrenei Billonien sis.

Chart. Celsin.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

LVII. Durandus, vel Durannus.

Gúillelmo expulſo tanquam ſimoniaco & invaſore, Durandus creatus eſt epiſcopus Arvernenſis in ipſo concilio apud Clarummontem habito an. 1076. aut 77. [a] ut refert Hugo Flaviniacenſis in chron. Virdunenſi, & ibidem conſecrationis munus accepit. Hic jam decennium in regimine abbatiæ Caſæ-Dei impleverat; & *poſt biennium, petitione, & voluntate fratrum, curam regiminis Seguino dereliquit*, ex laudato ſcriptore. Quæ verba ſignificant Durandum per duos annos poſt initum epiſcopatum, adhuc munere abbatis Caſæ-Dei functum eſſe, nec niſi anno 1078. abbatiam abdicaſſe. An. 1081. in concilio Exoldunenſi ſedit, ubi ſubſcripſit chartæ Richardi ſui metropolitani, qua contulit Majori apud Turones monaſterio eccleſiam S. Martini de Campis prope urbis Bituricenſis mœnia. Anno 1094. * Mauzacenſe cœnobium S. Hugoni Cluniacenſi abbati conceſſit; cujus ceſſionis acta vide in bibliotheca Cluniacenſi. Anno 1095. VI. idus Novemb. conſecravit apud Silviniacum altare S. Jacobi. Anno eodem, die 12. menſis Septembris dedicavit eccleſiam S. Crucis de Bredonio, in qua B. Hugo Cluniacenſis abbas poſuerat monachos ex monaſterio S. Petri de Mauzaco eductos, ex MS. codice Bredonenſi. Paulo poſt in ſua urbe decubuit, occubuitque, poſt acceptam ab Urbano papa II. benedictionem. Aderat enim ſummus pontifex ad celebrandum concilium menſe Decembri, in quo numerati dicuntur 300. epiſcopi [b]. Ejus exſequias curarunt Hugo epiſcopus Gratianopolitanus, Jarento abbas S. Benigni & Pontius abbas Caſæ-Dei, qui ſub Durando monaſticam vitam profeſſi erant.

1077. 1078. 1081. *Tom. x. concil. pag. 400.* 1094. *1095. *p. 533.*

Sepultus eſt in eccleſia S. Nicolai. Præſul fuit pietate ac doctrina præditus. De ejus morte & funere ita loquitur Hugo Flaviniacenſis in chronico, dicto Virdunenſi: *Durandus antequam concilium hoc inciperetur, toto orbe ad ejus exſequias occurrente, ab ipſo papa & epiſcopis terræ eſt mandatus cum gloria, & ſedem ejus Willelmus de Baſſia adeptus eſt laude cleri & populi, præcepto Apoſtolici.* Baldricus abbas Burgulii haud contemnendis epitaphiis ejus memoriam celebrat in carminibus hiſtoricis quæ collegit Quercetanus tomo IV. ſcriptorum hiſt. Franc.

Nomine Durandus jacet hic præſul venerandus,
Quem commendavit vita benigna Deo.
Exſequias celebres quæ forma fuere triumphi,
Diſpenſavit ei gratia ſumma Dei.
Urbanus ſynodo generali papa vocata,
Patres bis centum [c] movit ad obſequium.
Tertia quæ decimam lucem præit ante Decembre
Vitæ præſentis lumen ademit ei.
Arvernis ſanctos cineres reverenter habeto
Atque patrocinio tutior eſto ſuo.

Item:

Temporibus luteis vir magnæ ſtrenuitatis
Aurea Durandus ſecula reſtituit.
Arvernis præſul digniſſimæ præſule fecit,
Fecit digna Deo religioſus homo.
Ipſius exſequias dicas ſimilaſſe triumphum,
Et diſpenſantis ſigna fuiſſe Dei.
Adfuit Urbanus centeno præſule ſeptus,
Abbatum vero major erat numerus.

Durandus cum eſſet abbas Caſæ-Dei, ſcripſit ad S. Anſelmum qui tum apud Beccum ſacras docebat litteras. Anſelmus ad eum reſcribens, utitur his verbis perhonorificis: *Domino & patri merito ſanctitatis cum amore reverendo, cum reverentia amando Durando abbati Caſæ-Dei*, &c. Utriuſque epiſtolæ, in lib. I. ep. Anſelmi ſunt 61. & 62. Durandi epiſtola formata ad Radulfum Turon. archiepiſcopum probat adhuc ejus ætate has litteras fuiſſe in uſu. *Vide tom. VIII. concil. col. 1908.*

ANNI CHRISTI

LVIII. Guillelmus II. de Baffie

Guillelmus de Baffia nobili genere natus patrem habuit Dalmatium Baffiæ in Arvernia dominum. In duabus chartis quæ aſſervantur in tabulario Celſinianenſi, Willelmus ſe appellat Willelmum de Baffia, & ſe dicit Dalmatii filium, nominatque Durannum anteceſſorem ſuum. Ejus mater, ſummo quoque loco nata erat, ſcilicet ex genere toparcharum de Turre in Arvernia, ſi nonnullorum conjecturis indulgeamus. Electum fuiſſe Guillelmum in concilio Claromontano, docet Virdunenſe chronicon jam a nobis laudatum. At non ſtatim fuit conſecratus; nam XII. calendas Aprilis, Luna exiſtente 22. anno 1096. in concilio Turonenſi ſubſcribit *Guillelmus electus de Claromonte*, cuidam ſanctioni pro ſacello ſancti Nicolai Credonienſis * datæ in Rotenſi * cœnobio, quam vide, ſi lubet, tom. 2. Miſcellan. Baluzii. At poſt paucos dies ſacram ſacerdotalemque unctionem recepit; & forte in præfato concilio Turonenſi, nam tertio calendas Aprilis ejuſdem anni decreto Urbani II. quo abbas Cormaricenſis * ſubjicitur capitulo S. Martini Turonenſis, ſubſcribens, non amplius electum ſe dicit, ſed epiſcopum. Eodem an. 1096. confirmavit IV. idus Decembris donationem eccleſiæ S. Juliani de Mendonnio [d] factam ab Hugone Lugdun. metropolit. Caſæ-Dei, de bonis quæ in manus ejuſdem dereliquerat Willelmus comes Forenſis, ad ſacram expeditionem Jeroſolymitanam profecturus anno 1097.

* de Craon. * La Roue. * Cormery.

Commemoratur in chronico S. Petri Podienſis, ubi etiam appellatur abbas S. Evodii. Cum Lugduni eſſet quarto idus Novembris an. 1096. teſtis fuit donationis eccleſiæ S. Juliani Antio-

[a] Ex chronico Virdunenſi Hugonis Flaviniacenſis conſecratus eſt Durannus Arvernorum epiſcopus *peracto decennio regiminis ſui in loco Caſæ-Dei.* At ejus anteceſſor in abbatia Caſæ-Dei tantum *migravit ad Dominum anno M. LXVII. ſucceſſorem ſuum deſignans nomine Durannum.* Unde conſequens videtur Durannum non fuiſſe epiſcopum Claromontenſem ante annum 1077.

[b] Infra nos docebit Baldricus quot huic ſynodo, cui ipſe interfuerat, adfuerunt epiſcopi.

[c] Hic Baldricus inter patres recenſere debet abbates; nam in carmine ſequenti diſerte dicit:

Adfuit Urbanus centeno præſule ſeptus.

[d] Locus hic poſitus in diœceſi Lugdunenſi, vulgo appellatur *le palais de Moing.* In litteris Guillelmi confirmantis donationem hujus eccleſiæ S. Juliani Antiochenſis, dicitur epiſcopus Arvernenſis, abbas S. Irenæi & canonicus Lugdunenſis. Vocatur etiam abbas S. Irenæi in charta S. Crucis Savigniacenſis prope Montem-Briſonem.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

cheni, in vico Modonio prope Montem-Briſonem A factæ Caſæ-Dei ab Hugone Lugdunenſi archiepiſcopo.

Legimus Urbanum II. huic epiſcopo confirmaſſe jus præcedendi ceteros primæ Aquitaniæ epiſcopos.

* Scorailles

*Guido de Scurallia * & frater ejus Radulfus conceſſerunt & dederunt ſuum caſtrum, videlicet Scuralliam in alodium B. Mariæ, & matri eccleſiæ, ſanctiſque martyribus Agricolæ & Vitali inibi cultis & veneratis, Willelmo epiſcopo ſuiſque canonicis ..... inſuper etiam malas conſuetudines quas per invaſionem & injuſtitiam & vim ſuam, in terra Aureliacenſis abbatiæ & prioratus Mau-* B *riacenſis tenuerant, ex toto in manus ejus (Guillelmi) dimiſerunt, ut eas amplius non expeterent. Hoc autem eſt factum & adnotatum menſe Decembri, III. feria, Luna IIIIX. domno papa ſecundo Urbano Romanæ Eccleſiæ præſulante, & rege Philippo Francorum regnante, & eodem Willelmo ſupradicto Arvernis canonice epiſcopante. Et hujus facti teſtimonium faciunt ſignum Anſelmus decanus ejuſdem eccleſiæ Claromontenſis, & Petrus de Pontegibaldo, & duo Willelmi de Ermone, aliique plerique canonici.*

Ex arch. eccl. Claromont.

Ibid.

Hic epiſcopus ſuæ dedit eccleſiæ & canonicis eccleſiam S. Martini de Ulmis, & in prima Domi- C nica Adventus Domini centum caſeos, & unum prandium in die Pentecoſtes omnibus canonicis in refectorio communiter. Idem cum omni capitulo cauſa religionis & optimæ procurationis *contradidit* monaſterio S. Portiani eccleſiam de Contigny, & hoſpitale de Vernolio cum ibidem pertinentibus. *Facta iſta charta menſe Aprili anno ab Incarnatione M. C. indict. VIII. defuncto Urbano papa, Paſchale jam in ſede Romana ſublimato. S. Anſelmi decani. S. Willelmi Ermonis.* Monachis Celſinianenſibus malas quaſdam conſuetudines werpivit. Legitur dediſſe in alodium manſum de la Mura in quo ædificatum eſt caſ- D trum d'Uſſon, *quando Guillelmus Pictavenſis Jeroſolymam petiit.*

Tab. S. Portiani.

1100. Sammarth. ex chart. Podienſi.

1101. An. 1101. in feſto Pentecoſtes, quod incidit hoc an. in diem 29. Maii, Richardus Albanenſis epiſc. S. Sedis legatus celebravit concilium, in urbe Arvern. more jam fere ubique recepto, ut nulla ſynodus haberetur, niſi legato pontificio præſide.

Roux.

LIX. Petrus I.

Petrum Ruffum patria Arvernum Guillelmo ſuffectum eſſe in epiſcopatu Claromontenſi conſtat; verum quo anno minime liquet. Notatur in E chronico S. Petri-vivi ad annum 1105. occaſione tumultuum in cœnobio Mauriacenſi ortorum.

Tom. 2. Spicil. pag. 751.

1105. Cum Arnaldus abbas S. Petri-Vivi, a quo cœnobium Mauriacenſe tunc pendebat, Mauriaco reverteretur, ubi Petrum de S. Balderico decanum inſtituerat, Gausberto depoſito, quem ſibi refractarium experiebatur, *captus eſt ab inimicis militibus cognominatis Robertinis, & ductus in carcerem pago Lemovico, in caſtro quod dicitur Ventadurus. Hoc autem totum factum eſt tractatu Petri Armari cujuſdam militis, qui reclamabat in eccleſia Mauriacenſi conſuetudines, quas aſſequi, quia rectitudo ei abſtulit, minime potuit. Contigit autem ut eo tempore epiſcopus Claromontenſis vir religioſus nomine Petrus, congregato maximo exercitu, circa Auriliacenſe cœnobium, ut mos eſt epiſcoporum præfatæ urbis, hoſtes quæreret, qui nunquam deſunt ſanctæ Eccleſiæ. Pervenit autem ad aures ejus, relatione Widonis & Rodulfi * fratris ejus, qui domini erant caſtri quod dicitur Scurillias, quique hominium fecerant præfato abbati, dolo & machinatione ſæpe dicti Petri abbatem carceratum. Unde ſuper eum, & ſuper caſtrum ejus, quod dicitur Miramons, faciem exercitus vertit: & vellet, nollet abbatem & ſuos incarceratos ..... reddere fecit.* Ex iis agnoſcimus quam ſtrenuus eſſet hic antiſtes.

* Supra in Guillelmo de Baſſa de duobus iis fratribus locutiſumus.

Heldinus princeps Jaliniaci conceſſit Franconi de Bociaco priori & fratribus S. Portiani eccleſias Parodi & Villariæ, per manum domini Petri Arvern. epiſcopi menſe Martio, feria VI. Luna XIII. indictione XIV. regnante Philippo rege Francorum. Hi autem characteres deſignant annum Chriſti 1106.

Poſt annos quatuor turbatum eſt rurſus apud Mauriacum ob decani Petri ſævitiam & rabiem. Is enim ita exœanduit contra capellanum, quod ad C abbatem S. Petri Senonenſis confugiſſet, expoſtulaturus de damnis injuriiſque ſibi illatis a decano & nonnullis monachis, ut nocte ſubſequenti nativitatem B. virginis, juſſerit eum conjici in vincula, eique oculos eruerit. Hæc audiens abbas, decanum & improbos monachos ad ſe vocavit; at illi venire contemſerunt. Indignatus abbas, in Arverniam venit cum hiſce litteris Richardi S. Sedis legati ad epiſcopum Claromontenſem: *Richardus Albanenſis eccleſiæ qualiſcumque miniſter, apoſtolicæ Sedis licet indignus ſervus & legatus, Petro cariſſimo Arvernorum epiſcopo ſalutem. Abbas S. Petri Senonenſis monaſterii conqueſtus eſt apud* D *nos de inobedientia & rebellione Mauriacenſis decani & fautorum ejus. Quod graviter ferentes, ut pote de Romanæ Eccleſiæ filio, vobis mandamus & præcipimus ut ab Eccleſia ſancta hoc tantum dedecus ſubmoveatis, ne filios contumaces in pertinacia ſua eſſe ſinatis; ſed ad abbatis obedientiam in-præſentiarum venire cogatis. Quod ſi neglexerint & mandatis noſtris non adquieverint, gladio Spiritus ſancti eos ferimus, & ut itidem faciatis præcipimus. Præterea ex ejuſdem inobedientiæ radice ſacerdotem quemdam cœcatum pro certo accepimus; quod ſevere & pro modo culpæ vindicandum judicamus. Itaque laïci qui tyrannidem hanc exercue-* E *runt, & cœcati presbyteri bona invaſerunt, vel poſſident, excommunicentur; qui vero ſacerdotes vel clerici cooperatores aut conſentientes fuerunt, officio divino arceantur, rebus eccleſiaſticis, ac juſtitiis (quas nos præbendas vocamus) priventur, talique ſententiæ ſubjaceant, quæ eorum culpæ conveniat, & quam ceteri timeant.*

Petrus epiſcopus his legati litteris non obtemperavit, ut par erat; decanus autem ad abbatis ſui objecta reſpondere juſſus coram Petro abbate Auriliacenſi, & alio S. Martini de Tutela, necnon Rodulfo priore Caſæ-Dei, contemſit. *Fretuſque*

ANNI CHRISTI

que militari manu, & multorum laïcorum, qui illuc confluxerant, & præcipue cujuſdam archipresbyteri nomine Petri de Sennis, conſentiente ipſo epiſcopo, ad epiſcopum provocavit. Igitur abbas reum, ſecundum judicum illorum ſententiam, communione privavit, cum aliis quatuor ejus aſſeclis, adituque monaſterii interdixit. Illi vero ſententiam hanc ſpernentes, cum militibus iiſdem qui capellani oculos eruerant, ſcilicet dominis de Caſtro-Elaveris, de Monte-Claro, de Salerno, & de Scuraliis, non ceſſarunt impetus nocturnos in Arnaldum abbatem facere, & res ad eum pertinentes deprædari, toto Adventus tempore, ipſo etiam die Natalis Domini, & in Theophania. Abbas tamen, cum ceteris monachis qui a debito non receſſerant obſequio, perduelles tandem domuit, & dejecto e præfectura Petro indigno decano, Robertum de Capſana ſubſtituit.

Noſter Petrus, quem modo vidimus infenſo fuiſſe animo in S. Petri Senonenſis abbatem, an. 1110. in concilio Floriacenſi calendis Octobris habito, cum eodem & monachis Mauriacenſibus pacem iniit. Vitam clauſit die 19. Octobris an. M. CXI. Adfuerat dedicationi eccleſiæ Illidianæ a * 16. Paſchali papa II. factæ anno 1106. die 26. * Junii. Ipſe an. 1107. apud Silviniacum altare ſub honore S. Johan. Baptiſtæ conſecravit.

1110. *Tom. x. concil. col. 766.*

1111.

Poſt Petrum catalogi editi habent Stephanum VI. epiſcopum; qui deſideratur in MSS. codicibus Illidiano, & eccleſiæ majoris.

LX. AIMERICUS I.

Aimericus abbas Caſæ-Dei non fuit aſſumtus ad cathedram epiſcopalem Arvernorum ante an. M. CXI. tum ex ſupra dictis, tum ex inſtrumento authentico Caſæ-Dei, a quo adhuc duo dependent ſigilla integra. Judicium eſt Geraldi Engoliſmenſis epiſc. & legati Sedis apoſtolicæ, inter Gaufredum abbatem S. Maxentii Pict. & Aimericum abbatem Caſæ-Dei, de tribus eccleſiis quas huic abbati, intercedente fruſtra Maxentiano, Petrus Pictavorum epiſcopus dederat, & ipſi adjudicat legatus an. M. CXI. ind. IV. Aimericus non amplius abbas erat Caſæ-Dei an. 1115. cum ab an. 1114. chartæ hujus monaſterii nomen Stephani de Mercorio ejus ſucceſſoris præferant. Præterea charta ejuſdem monaſterii anni 1113. habet nomen Aimerici epiſcopi.

1114.

Aliunde Aimericum ſediſſe anno 1114. probatur tum ex litteris Raimundi Ucetienſis epiſcopi datis hoc anno indict. VII. in quibus Aimericus memoratur ut epiſcopus; tum ex charta Celſinianenſis monaſterii in qua legitur: *Hoc autem donum.....factum eſt..... an. Incarnat. Dom. M. CXIV. indict. VII. epacta XII. regnante Ludovico, imperante Henrico, Paſchali papa pontificante, Aimerico epiſcopo Arvernenſi præſidente; qui Aimericus etiam ſubſcripſit.*

Prob. hiſt. Arv. Baluz. pag. 57.

1114.

Anno 1117. calendis Septembris eccleſiam S. Laurentii Alſonenſis, alias Auſonenſis (nunc collegium eſt canonicorum diœceſis S. Flori) dat Stephano abbati Caſæ-Dei, conſentientibus Ademaro decano & aliis canonicis. Vide in Stephano abbate Caſæ-Dei.

1117.

Idem epiſcopus occurrit in charta Piperacenſi anno M. C. VIIIX. quod interpretamur 1118. quo ſedavit injuſtam querimoniam monachorum S. Theofredi contra canonicos S. Boniti de Medeiroles. Confirmavit quoque donationes factas a Durando epiſcopo, feria IV. in capite jejunii, quod videtur convenire cum anno 1118.

ANNI CHRISTI 1118.

Anno 1122. Willelmus dux Aquitanorum S. Liberatæ eccleſiam, *quantum ad præſens ſeculum juris & poteſtatis ſuæ* ut ait, ab Adalberto Aginnenſi epiſcopo Stephano abbati Caſæ-Dei olim traditam, eidem abbatiæ donat & concedit II. cal. Apr. Hujus autem beneficii teſtes ſunt Aimericus Arvernenſis, Euſtorgius Lemovicenſis epiſcopus. Ante annum 1125. Hildebertus epiſcopus Cenomanenſis ei ſcripſit epiſtolam, hoc eſt antequam ad archiepiſcopatum Turon. fuiſſet tranſlatus. An. 1124. 13. cal. Aprilis indict. II. memoratur in charta Maſciacenſi. Anno 1127. VII. idus Februarii Luna tertia concedit Pontio de Monte-rubeo, *Mont-roux*, abbati Piperacenſi eccleſiam de Alteraco, *Auteyrac*. Anno 1129. recenſetur in Ludovici regis diplomate de reſtitutione Argentolienſis monaſterii facta Sugerio S. Dionyſii abbati. Hujus epiſcopi tempore Innocentius II. celebravit concilium apud Clarummontem anno 1130. ex Othone Friſingenſi.

1122. *Tab. S. Libr.*

1127.

Anno 1131. die 21. Septembris Aimericus epiſcopus Arvernenſis & canonici concordiam ineunt cum Petro Cluniaci abbate & Celſiniarum monachis pro eccleſiis quibuſdam, quas Celſinianenſibus monachis ceſſerunt, ad ſedandas diuturnas contentiones. Anno 1136. hic epiſcopus contulit eccleſiam de Monte-ferrando Stephano Caſæ-Dei abbati; ſubſcribunt donationi poſt epiſcopum P. Præpoſitus, Calo archidiaconus, Ildinus decanus de Portu, Stephanus S. Urſirii abbas, & alii plures. Inter Menatenſes monachos, & fratres de Bella-aqua eodem anno controverſiam compoſuit litteris datis apud Claromontem V. cal. Jan. Luna 1. Ex tabulis majoris Clarom. eccleſiæ.

V. Ch. archiv.

Eodem quoque anno Trenorchienſi cœnobio reſtituit eccleſiam de Treſalaco, ex tab. Trenorchienſi. Denique hoc anno approbavit compoſitionem factam inter Robertum III. Arverniæ comitem & Brivatenſem eccleſiam, de qua Albericus Biturigum archiepiſcopus litteras dedit. Anno 1137. conſenſit unioni Cantogilenſis * monaſterii, cum Caſæ-Dei cœnobio, Raimundo abbate pedum deponente. Anno 1143. aut 44. adſtitit Cœleſtino papæ II. viſitanti S. Flori eccleſiam, qui locus Cluniacenſibus datus eſt. Anno 1147. univit plurimas eccleſias Silviniaco.

Tabul. Brio.

Vid. C. x. col. 8 a. a Chanteuſe.

1143.

1147.

Hic epiſcopus pietate, caſtimonia, prudentiaque præſtabat. Obazinenſibus B. Stephani diſcipulis auctor fuit monaſticæ regulæ ſibi deligendæ, quod in hujus vita ſic legitur: *Placuit ut alicujus ordinis eorum qui in eccleſia auctoriſati ſunt, profeſſionem aſſumerent; ut deficientibus magiſtris, ſcriptæ legis auctoritas eis indeficiens permaneret. Cumque diu de his hæſitatum fuiſſet, dum quidam monachorum, quidam canonicorum regulam magis amplecterentur, tandem inſpirante Deo & ſapientum interveniente conſilio, præcipue domni Aimerici*

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

Arvernorum epiſcopi, qui illis familiariſſimus erat, omnes in monachorum regulam aſſenſum dederunt. Anno igitur ab Incarnatione Domini 1142. Dominica ante Paſcha, &c.

Orta contentione inter ipſum & Guillelmum VII. Arvernorum comitem propter Montemferrandum, componere maluit, quam cum potenti hoc principe contendere, atque compoſitionem inter ipſos factam confirmavit Ludovicus rex VII. anno 1145. Laudatur ob ſingularem cultum quo Dei-param virginem proſequebatur. Obiiſſe dicitur die 18. Aprilis; at quo anno ignoratur. Noſter Claudius Eſtiennot autumat cum ſediſſe uſque ad an. 1152. Sed infra probaturi ſumus ejus ſucceſſorem anno 1151. jam præfuiſſe.

Prob. hiſt. Arvern. Baluz. pag. 61.

De Aimerico ita legitur in archivis Claromontenſis eccleſiæ: *Aimericus Dei gratia Arvernorum epiſcopus, ad propellenda mala, ſicut bonus & pius paſtor, inſtituit formam juramenti, quod ipſe & ſucceſſores ejuſdem clericis canonicis præſtare tenerentur. Factum hoc inſtitutum anno ab Incarnat. Domini M. C. XLV. regnante Lodovico rege Francorum. Id confirmarunt ſequentes epiſcopi, Stephanus Aimerici ſucceſſor, Pontius, G. Rotbertus, Hugo, Guido anno 1250. Ademarus 1286. Johannes die Paſchæ 1298. menſe Aprili, P. die Dominica in craſtinum Purificationis anno 1302.* Hæc ſubjungere ex veteri codice non piguit, quia ad ſtabiliendam chronologiam non parum conferunt.

De hoc epiſcopo Sugerius, S. Dionyſii abbas, in vita Ludovici groſſi regis hæc nos docet, quæ contigerunt anno circiter 1122. nam paulo poſt mentionem factam concilii Lateranenſis hoc anno celebrati ſubdit: *Ea tempeſtatis temperie Alvernorum pontifex Claromontenſis, vir honeſtæ vitæ, & defenſor Eccleſiæ illuſtris, & pulſatus & pulſus Alvernorum ſuperbia nova & antiqua, quæ eis titulatur:* Alvernique auſi Latios ſe fingere fratres, *ad dominum Regem confugiens, querelam eccleſiæ lachrymabilem deponit, comitem Alvernenſem civitatem occupaſſe, eccleſiam B. Mariæ epiſcopalem, decani ſui fraude multa tyrannide muniviſſe. Renitentes etiam pedibus provolutus ancillatam eccleſiam exancillari, tyrannum effrænatum compeſcere regiæ majeſtatis gladio ſuppliciter efflagitat. Rex autem, ut conſueverat eccleſiis promtiſſime opitulari, cauſam Dei gratanter ſed ſumtuoſe aſſumens, quia verbis & majeſtatis ſuæ ſigillo tyrannum corrigere non valet, facto maturans militares colligit vires, movet in Alverniam recalcitrantem copioſum Francorum exercitum. Cui Bituricis adventanti, regni optimates, comes Andegavenſis Fulco, comes Britanniæ Conanus, comes Nivernenſis, multique alii regni proceres, manu magna militari, regni debitores occurrunt, in Alvernos injuriam Eccleſiæ & Regni ulciſci feſtinantes*, &c. *Quo audito, qui civitatem (Claromontenſem) tenebant, timore perculſi, fugam parant, civitatem exeunt, eamque Regis arbitrio derelinquunt. Rex autem & Deo eccleſiam, & clero turres, & epiſcopo civitatem, pace inter eos & comitem, & ſacramentis, & obſidum multiplicitate firmata, victor in omnibus reſtituit. Verum temporum luſtro peracto, cum Arvernorum comitum perfida levitate ſolveretur, recidiva epiſcopi & eccleſiæ calamitas, recidivam reportat Regi querimoniam; qui ſe caſſo labore adeo defatigatum dedignans, collecto primo multo majore exercitu, terram repetit Alvernorum*, &c. *Erant in ejus expeditione comes præpotens Flandrenſis Carolus, comes Andegavenſis Fulco, comes Britanniæ, tributarius regis Anglici Henrici de Normannia exercitus, barones & regni optimates quamplures*, &c.

ANNI CHRISTI

Denique poſt expugnatum & flammis pene conſumtum Montem-ferrandum comes, rogante pro eo Willelmo Aquitaniæ duce, in gratiam Regis receptus eſt poſtquam de damnis illius ſatisfeciſſet. Hæc facta fuiſſe ſedente Stephano quodam, quem ſextum appellant, Juſtellus & Sammarthani fratres autumant. Sed ex dictis pene demonſtratum putamus nullum locum ſupereſſe huic epiſcopo, in veteribus catalogis ignoto. Sane ſi admittendus eſſet, quia eum memorari dicunt in vita S. Amabilis, ponendus eſſet inter duos Aimericos. At unicus Aimericus in antiquis agnoſcitur catalogis. Nec eſt quod nobis opponatur vita S. Amabilis, in qua aiunt fieri mentionem Stephani epiſcopi qui Aimericum anteceſſerit. Conſului vitam hujus ſancti editam a Bollandianis ad diem XI. Junii, quam decimiquinti ſeculi tantum eſſe fatentur, nec aliam exhibent. In hac vita, ſeu potius in hoc encomiaſtico ſermone, verbis copioſo, jejuno, inquiunt, in rebus (in quo parachroniſmi ducentorum annorum, & plurimæ fabulæ) nihil de illo legi epiſcopo. Notatur tantum ſancti Amabilis eccleſiam fuiſſe de novo conditam a Stephano VI. epiſcopo; ſed id poteſt intelligi de Stephano Mercorienſi. Prætereaque nullam pene fidem meretur hujuſmodi vita tot mendis aſperſa & fœdata.

LXI. STEPHANUS VI. DE MERCŒUR

Stephanus de Mercorio, [a] Beraldi Mercorii toparchæ, & Odilonis Brivatenſis eccleſiæ præpoſiti frater, patruuſque Odilonis Anicienſis epiſcopi, alterius Odilonis abbatis Cluniacenſis conſanguineus ſedebat ſaltem ab an. M. C. LI. 1151. nam hoc anno Dalmatius de Baffia reliquit ad monaſterium Calciomontis, *Chaumont*, & monachis, &c. omnes querimonias quas ipſi habebant cum eo. *Geſta ſunt hæc in media Quadrageſima apud Calvum-montem an. Domin. Incarn. M. C. LI. regnante rege Lud. ſedem Claromont. regente Stephano pontifice de Mercorio*, ut legitur in tabul. Celſinian. An. circiter 1152. convenit cum Petro Trenorchienſi abbate, & Archimbaldo de Borbone, ad monaſterium S. Portiani, juſſu Francorum regis Ludovici, ad judicium ferendum de reſarciendis hujus eccleſiæ damnis.

Inſcribitur chartulario Valetæ ſub nomine Stephani de Mercurio, ad annum Chriſti M. C. LVI. 1156. regnante Lodoico Francorum rege. An. ſequenti decrevit ut eccleſia S. Martini, eccleſiæ B. Ju-

[a] Petrus venerabilis epiſt. 25. loquitur de neſcio quo epiſcopo Claromontenſi, qui uti paſtorem decebat, minime ſe gerebat, ipſo tempore quo ſcribebat idem Petrus.

liani de Pullo eſſet ſubjecta. Teſtes ſunt P. Ebrar- A
ANNI CHRISTI 1165. dus abbas S. Germani (*F. S. Germain Lambron*) P. Joglars, &c. Anno 1165. Alexander papa III. ſcripſit ad eum & ad capitulum, approbans pacta facta inter eos, & Willelmum Arvernorum comitem. Alexandri epiſtolam legeſis inter probat. hiſtor. *pag. 65.* Alvern. auctore Steph. Baluzio. Anno 1168. ratum habuit donum plurimarum eccleſiarum factum a Willelmo VII. comite Arverniæ, eccleſiæ S. Amabilis apud Ricomagum. Suſcepit in *Baluz. l. 1. hiſt. Arv. pag. 65.* urbe Alexandrum III. qui ad eum direxit reſcriptum, quo ſancitur incendiarium eccleſiæ in mor- *C. v. in litt. de Bapt.* te pœnitentem & abſolutum, in cœmeterio ſepeliri poſſe, & heredes compelli ad ſatisfaciendum B pro mortui facultate. Morte oppreſſus eſt 26. Januarii anni 1169.

LXII. Pontius.

Pontius ex monacho Ciſtercienſis ordinis & abbate Claræ-Vallenſi factus eſt epiſcopus Arver-
1170. nenſis anno 1170. deſinente, uti nos docet Clarevallenſe chronicum. Idem clare demonſtratur ex charta Illidiani tabularii data per manum Ildini cantoris, anno Incarnat. Dominicæ M. C. LXXXV. regni Philippi regis Francorum quinto, Pontii Arvern. epiſcopi XV. qui proinde ſedere cœpit
1170. an. 1170. Ejuſdem quoque meminit Herbertus C Turrium in Sardinia archiepiſc. l. 3. de miraculis c. 1. An. 1173. cum Roberto electo Viennenſi, & Vivarienſi epiſcopo fecit amicabilem compoſitionem inter epiſcopum eccleſiamque Anicienſem & vicecomitem de Podemniaco; quæ pacta con-
Prob. hiſt. Arv. Bal. pag. 68. firmavit Ludovicus VII. rex Francorum. Anno 1175. tranſactionem inter Ademarum abbatem Bonævallis & priorem S. Flori ratam habuit. Frequens eſt hujus epiſcopi mentio in tabulis Salviniaci, in pancharta S. Martini Turon. & in chartario S. Illidii, tempore Ainardi abbatis, cui an. 1175. donat eccleſiam de Gerzac; & Pontii ejus ſucceſſoris, cui noſter Pontius confirmavit D donum eccleſiæ de Valbelliz. Anno 1179. ceſſit Willelmo Aimoni abbati Piperacenſi eccleſiam
* S. Ilpiſe. S. Ilpidii *: litteris ejus appenſum eſt ſigillum in quo ejus effigies viſitur cum mitra ſingularis formæ. Anno 1180. teſtis legitur in charta Artaudi Albi vicecomitis, cuſtodiam de Amberta remittentis Theobaldo abbati Cluniacenſi. Idem 1184. teſtis occurrit in charta Bernardi de Anduſia pro monaſterio Bonæ-Vallis.

Exſtat hujus epiſcopi epiſtola ad Mauricium Pariſiorum epiſcopum, & Stephanum abbatem S. Evurtii, quæ eſt tertia apud Stephanum Tor- E nacenſem; quos ſic alloquitur: *Vobis duobus ſpecialiter fidem noſtram ducimus referendam, quos & ſpiritalis commendat affectus dilectionis, quem erga vos habemus, & ſpecialis intelligentia ſcripturarum fructuoſos reddit & commendabiles apud omnes.* Ei autem reſpondit Stephanus epiſtolis 4. & quinta Thomas ordinis Ciſtercienſis monachus ipſi inſcripſit commentarios in Cantica Canticorum; de quorum auctore tamen eſt controverſia*, a ſed tanti non eſt ut ei immoremur.

* De qua conſule Caſimirum Oudin, in ſupplemento pag. 444.

Adhuc memoratur anno 1185. in charta S. Illidii, & anno 1186. in ejuſdem loci chartula- ANNI CHRISTI 1186.
rio, ubi dat Ar. abbati S. Illidii capellam B. M. de Anglars, eccleſiamque S. Petri de Valbelliz hoc eodem anno. Eum mortuum die 2. Aprilis anni 1189. docent Sammarthani fratres. 1189.

Noſter D. Jacobus Boyer antiquitatum, præſertim eccleſiaſticarum, accuratus indagator, nuper invenit in eccleſia de Camaleria epitaphium hujus Pontii epiſcopi, inſculptum tabulæ marmoreæ duas in partes diviſæ ad majus altare hujus eccleſiæ amplificandum. Porro epitaphium ita ſe habet:

Clarus & inſignis divinæ præco ſalutis,
Pontius hoc modico ſanctus requieſcit in antro,
Qui domino famulans vitam virtutibus ornans,
Curas eccleſiæ fidei geſtabat amore.
Veſtibat nudos, ſimul & paſcebat egenos;
Et ſic a primo vitam deduxerat ævo.
Hic cuinto nonos dormivit pace ſacerdos,
Cum Crux ex Helena bene creditur eſſe reperta.
Et prima feria ſcandens, ut credimus, aſtra,
Tempore Paſchali meruit Chriſto ſociari.

Ex quatuor ultimis verſibus eruitur quo tempore obierit Pontius, ſcilicet quinto nonos ſeu nonas, die tertia Maii, in qua celebratur Inventio ſanctæ crucis, prima feria, hoc eſt, Dominica die. C Nam ſi dies Lunæ vocatur feria ſecunda, Dominica eſt feria prima; qua de re conſulendum eſt gloſſarium Cangii. Itaque Pontius obiit die 3. Maii anni 1187. quo Paſcha incidit in diem 29. Martii, & dies tertius Maii erat Dominica quinta poſt Paſcha, juxta doctas conjecturas D. Jacobi Boyer. Iis tamen obſtat quod in charta Caſæ-Dei memoretur adhuc an. M. C. LXXXVIII. hic epiſcopus. Sed facile contingere potuit ut amanuenſis pro M. C. LXXXVII. legerit & ſcripſerit M. C. LXXXVIII. Præterea cum in tabulis annorum Chriſti, litterarum Dominicalium, Indictionum & Paſchatum, primus numerus deſignet annum Chriſti, ſecundus Indictionem, tertius Paſcha; Paſcha quod incidit in diem 29. Martii videtur clauſiſſe annum 1187. antea notatum, & exordium dediſſe an. 1188. tunc enim annum inchoabat Paſcha. Plura de eo Henriquez in faſciculo Sanct. lib. 2. & alii Ciſtercienſis hiſtoriæ ſcriptores. Vide martyrolog. Gallic. ad diem 6. Martii; in necrologio B. Mariæ de Cuſſiaco legitur: *III. non. Aprilis obiit Pontius*, &c. Fundavit an. 1182. eccleſiam collegiatam S. Martini de Cornon.

LXIII. Gilbertus.

E In catalogo majoris eccleſiæ deſideratur hic epiſcopus, quem tamen ſediſſe probatur ex ejuſdem ſacramento præſtito tempore ſuæ inaugurationis. Et quidem recenſetur ſupra inter eos qui poſt Aimericum ſacramento ſe obſtrinxerunt canonicis, juxta formam ab eodem Aimerico epiſcopo datam. Præterea notatur præſul hic multis in actis publicis anno 1190. quo forte fuit ad 1190.
munus paſtorale aſſumtus; ſuo ſigillo munit char- *Tab. S. Illid.*
tam Aimuini de Rochafort, concedentis monaſterio S. Illidii omne jus quod habebat in eccleſia S. Georgii de Agella. Ejuſdem fit mentio in

charta S. Amabilis de Ricomago. Anno 1193. mense Maio. indictione x. G. episcopus Claromontensis, W. præpositus & G. decanus, &c. archidiaconi & canonici fere universi, venerabilibus in Christo W. priori & omnibus fratribus de Lacu-rubeo * concedunt in perpetuum, *hospitale & capellam Montis-pancerii.*

ANNI CHRISTI

* Lacrouge, ord. S. Aug.

Habuit hic episcopus aliquam controversiam cum Arnaldo abbate S. Illidii, ad quam componendam summus pontifex elegit Heliam archiepiscopum Burdegalensem. E vita migravit die 25. Augusti anni 1195.

D'AUVERGNE.

LXIV. ROBERTUS.

Robertus patre Roberto Arverniæ comite, & matre Mathilde de Burgundia natus, fratres habuit Guillelmum & Guidonem Arverniæ comites, aliumque nomine Robertum. Noster vero Robertus ex decano Æduensi electus est in episcopum Claromontensem anno 1195. cujus electionem confirmavit Henricus de Soliaco archiepiscopus Bituricensis, rogatus litteris supplicibus capituli, quas damus. In charta quadam archivi episcopalis legitur subscriptus ante W. præpositum & plurimos canonicos, *R. electus episcopus & canonicus Claromontensis mense Februario an. M. C. XCV. ind. XIII.* unde adstruitur epocha electionis Roberti. Igitur minime audiendus Albericus in chronico ubi videtur hanc electionem differre ad annum 1199. quod quantum abhorreat a vero mox ostendemus. Electionem hujus episcopi non fuisse unanimi consensu factam autumamus; & partem capituli quemdam Johannem elegisse; nam in tabular. archiepiscopali Bituricensi legitur quidam Johannes episcopus Claromontanus mense Martio anno 1196. Sed Roberto cedere coactus est. Certe an. 1195. mense Febr. indict. XIII. Pontius de Captolio *(Chapteüil)* & Jarentona ejus uxor professi sunt debitum a se hominium pro castro *de Vertaison* D. R. (Roberto) venerabili electo, W. præposito, S. Decano, Bert. de Murols & G. du Cros archidiaconis, Pont. abbat. S. Genesii; *hæc acta sunt delphino illustri comite Arvernorum*, &c. An. sequenti delphinus comes Arvernorum, W. filius delphini, & Uga quondam filia W. de Camaleria uxor W. filii delphini, obligant & pignorant R. Claromont. episcopo Camaleriæ castrum pro 600. libris Clarom. monetæ. *Actum an. Incarn. Dom. M. C. XCVI. mense Decembri. Testes sunt dominus W. Clarom. comes, G. decanus, Bertrandus de Murol, Pont. abbas S. Genesii*, &c. Eodem anno indict. XIIII. mense Januario, cum venerabiles fratres Arnaldus abbas & conventus S. Illidii conquererentur de bajulo & servientibus dicti episcopi, quod clamores hominum S. Illidii ad monasterium pertinentium reciperent, & causas eorum tractarent, &c. justitiam & immunitates præfati monasterii liberas remanere definiit Robertus, ex instrumento cui episcopus & capitulum sua sigilla impresserunt. In sigillo episcopi cernitur antistes casula & mitra ornatus, dextra manu benedicens, & pedum tenens sinistra. Anno 1197. IV. idus Aprilis Robertus

C. XI. col. 82.

1195.

Chart. S. Illid.

1197.

transtulit sancti Austremonii reliquias in abbatia Mauzacensi, & dedicavit ecclesiam monasterii de Boscheto Cistercienſis ordinis, quam ab ipsius patre fundatam legimus. Hoc etiam anno [a] consensit dono ecclesiæ S. Genesii de Campaniliis facto abbati Ar. & monachis S. Illidii.

ANNI CHRISTI

Biblioth. Lab. t. 2. pag. 307. Prob. hist. Arvern. Baluz. pag. 261.

Postea cum inimicitiæ essent inter ipsum & Guidonem II. comitem Arverniæ ipsius fratrem, a comitis militibus captus est, & in custodiam missus; a quo tempore multæ cædes, multaque in diœcesi latrocinia per biennium patrata sunt [b], donec accedens Henricus de Soliaco archiepiscopus Bituricensis, fratres dissidentes, quorum erat consanguineus, ad pacem coegit, sub certorum pactorum lege anno 1199. mense Julio, quæ anno 1201. iterum confirmata sunt. Anno 1202. ratam habet acquisitionem ecclesiæ sancti Remigii factam ab Ar. abbate S. Illidii.

b

1199. 1201.

Anno 1204. mense Januar. Philippus rex Franciæ ipsi adjudicavit castrum Vertazanense, *de Vertaison*, ad puniendam rebellionem Pontii de Captolio & Jarentonæ ejus uxoris; qui cum esset homo-ligius episcopi, intra istud castrum proditorie receperant ipsius hostes ad ipsum capiendum missos. Hoc castrum erat juris episcopi Clarom. an. 1256. ut probant litteræ *fratris* Guidonis episcopi hujus anni, editæ in probationibus hist. Domus Arverniæ Baluz. pag. 110.

1204.

Huic episcopo ejusque successoribus capitulum Billomense reliquit collationem 30. præbendarum XIII. cal. Martii an. 1201. & episcopus præfato capitulo univit ecclesiam & præposituram S. Juliani. An. sequenti a Rege obtinuit pro clericis ut suis antiquis privilegiis gauderent, & non cogerentur ad subsidia guerrarum; itemque ut non esset *granarium* salis in Arvernia.

Ad exstinguenda fraterna odia Innocentius papa III. operam auctoritatemque adhibuit; nam acceptis litteris supplicibus Guidonis comitis, scripsit episcopis Rejensi & Consoranensi, necnon abbati Cistercienſi, ut ipsum absolverent ab ecclesiasticis censuris, modo pro male actis pœnitentiam ageret ac satisfaceret. In litteris papæ mentio fit incarcerationis Roberti episcopi. In gestis Philippi Augusti regis, auctore Rigordo, de Guidone hæc leguntur: *Comes Guido Arverniæ multis multas injurias irrogabat; multæque de ejus intolerantia ad aures Philippi regis magnanimi*

[a] *Ego R. Dei gratia Claromon. episcopus notum facimus omnibus quod cum Petrus Clemens, olim capellanus ecclesiæ sancti Genesii de Campaniliis, se contulerit Ar. abbati, & monasterio S. Illidii, ibidem sub monastico ordine Domino servaturus, nos eandem ecclesiam cum pertinentiis omnibus, tibi Ar. abbati & monasterio S. Illidii concedimus*, &c. *Actum hoc anno M.C.XCVI. mense Novemb.* Ex chartul. S. Illidii.

[b] Vexatus a fratre Robertus accersivit copias coterellorum & ruptariorum, &c. a quibus ditio comitis fuit vastata; quare Guido ita ad Innocentium papam III. scripsit: *Vestram protectionem & defensionem super fratrem meum Robertum Claromontensem episcopum exoravit, sicut videtur, decrevi: quoniam idem frater meus præfatus episcopus, conjunctis & adjuratis sibi coterellorum & Basclorum ruptis diversis, in præjudicium sui ordinis, & prævaricationem totius juris, terram meam incendiis, homicidiis, & rapinis devastet. Vestræ itaque sanctitatis pedibus prostratus preces fundo, ut eum a tanta injuria revocetis: & sententiam excommunicationis, quam in terram meam tulit, amovetatis, & judices vel examinatores causæ nobis constituatis dominos archiepiscopum Burdegalensem, & præpositum Evaunensem, qui ab universis abbatibus vicinis, veritate cognita, remota appellatione, tantam injuriam terminare studeant.*

ANNI CHRISTI

querimoniæ. Qui correptus a Rege per litteras & per nuntios increpatus, non deſtitit a ſævis actibus. Immo in Dei eccleſiam manum injiciens, quoddam regale monaſterium violenter deſtruxit, &c. Bellum anno 1207. recruduiſſe & iterum Robertum a fratre ſuo captum fuiſſe docet Baluzius.

Conſequenter notavimus omnia quæ ad illam fratrum diſcordiam pertinebant; nunc reliqua Roberti facta ſaltem inſignia breviter proſequamur. Anno 1201. vel 1202. menſe Januario litteras dedit pro admittenda bulla Innocentii papæ III. qua filios Philippi regis ex Agnete pro legitimis habendos juſſerat. Eodem an. 1202. Robertus cum epiſcopis Cadurcenſi & Lemovicenſi, interfuit pactis matrimonii Guillelmi filii fratris ſui Guidonis, *Guyot*, cum filia Archembaldi de Monte-Lucio, *Mont-Luçon*. An. 1204. componit ſub pœna anathematis litem inter abbates S. Illidii & S. Andreæ, ac eorum conventus, ex una parte, & Johannem de Creſto, & Arb. Revelli ex altera parte, ſuper decimis a W. de Donazac conceſſis. Act. menſe Maii an. præfato ind. VII. Teſtes ſunt Dom. epiſcopus, Salo. archipresbyter, Ildinus cantor, Po. abbas S. Geneſii, &c. An. 1205. remittit procurationes quas in eccleſiis ad capitulum pertinentibus petierat, & ſibi debitas contenderat. Actum in capitulo Clarom. præſente & confirmante dom. Guillelmo Bituric. arch. Anno 1207. menſe Februario inſcribitur chartulario S. Illidii.

Savaron in orig. Clar.

1209. Anno 1209. cruce aſſumta perrexit ad bellum adverſus Albigenſes.

1214. Anno 1214. teſtis fuit tranſactionis factæ inter Odonem ducem Burgundiæ, & canonicos ipſius ducis capellæ pro collatione decanatus & præbendarum hujus loci. Porro his in litteris Odo dux Robertum appellat ſuum conſanguineum. Et quidem Robertus in litteris ſuis anno 1232. jam factus archiepiſcopus Lugdun. conſanguineum ſuum dicit Hugonem ducem Burgundiæ. Anno ſequenti comitatus eſt Geraldum de Cros archiepiſcopum Bituricenſem ad bellum contra Albigenſes proficiſcentem; anno vero ſequenti redux erat:

Petr. de Valle-cern. pag. 54.

Perard pag. 281.

1217. anno 1217. Philippo Auguſto regi fidem promiſit clientarem. Eodem anno menſe Martio promittit indemnem ſe præſtiturum comitiſſam Blancham, ſi quod incurreret damnum occaſione ſponſionis quam pro ſe ipſo fecerat domino Regi de mille marchis, ſi contra ipſum Regem venire

1220. præſumeret, ex chartul. Campaniæ. An. 1220. pius Rex dominium epiſcopale multum auxit. Eodem an. 1220. confirmavit donationem factam pro altari S. Mariæ in cœnobio Columbarienſi, rogante dom. B. de Murol. Anno 1227. tranſiit ad ſedem Lugdunenſem; conditoque teſtamento anno 1232. poſt biennium Deo animam reddidit. Favore proſecutus eſt Piperacenſes, quibus tradidit abbatiam Cantaonenſem, quam reſtaurari curavit, ut ex ejus litteris liquet. Robertus adhuc an. 1225. inſcribitur chartæ Mauziacenſis monaſterii.

C. XII. XIII. col. 84.

Hujus epiſcopi temporibus Innocentius papa III. conſtituit ut capitulum conſtaret canonicis quadraginta. Sub eodem epiſcopo conventus Fr. A Minorum fundatur apud Montem-Ferrandum an. 1211. a Guichardo de Bello-Joco; & monaſterium fratrum Prædicatorum in urbe conſtruitur, anno videlicet 1219. Eſt autem ea ſacra domus quarta filia conventus ejuſdem ordinis apud Pariſios via Jacobæa: tres enim priores ſunt Lemovicenſis, Remenſis, & Aurelianenſis.

ANNI CHRISTI

In catalogo epiſcoporum confecto tempore Bernardi Salviati epiſcopi, legitur Robertus aſſumtus ad archiepiſcopatum Lugdunenſem anno 32. ſui epiſcopatus, quod optime convenit cum noſtra chronologia. De eodem additur: *Multa bona eccleſiæ fecit, & ipſum tam in ædificiis, quam in multis aliis bonis multum augmentavit.* Plurima alia de hoc præſule referuntur in noſtris inſtrumentis.

col. 85. 86.

Porro ignoramus quiſnam ſit Aimericus Claromontenſis epiſcopus notatus in charta Maſciacenſis monaſterii, diœceſis Bituricenſis, data anno M. CC. XXIV. XIII. cal. Aprilis indict. XI. ubi appellatur Claromontenſis epiſcopus. Sole enim clarius eſt Robertum hoc tempore fuiſſe Claromontenſem epiſcopum. Num tempore quo Robertus vexabatur a fratre, aliquis nomine Aimericus epiſcopi Clarom. titulum uſupare eſt auſus.

LXV. HUGO. DE LA TOUR.

Hugo de Turre, prior Celſinianenſis, filius erat Alberti ſeu Arberti domini & baronis de Turre, ex Maria de Arvernia Roberti epiſcopi ſorore juxta Juſtellum & fratres Sammarthanos; quod tamen in dubium revocat Baluzius hiſt. Arvern. lib. v. pag. 368. Sed omnem controverſiam de hujus epiſcopi genere tollere videtur, quod legitur tomo IX. Spicilegii pag. 187. videlicet pactum initum inter Hugonem ejuſque fratres iis conceptum verbis:

Nos Hugo Dei gratia Clarom. epiſcopus, & Humbertus dominus Bellijoci, & Arbertus dominus de Turre, & Guido archidiaconus Lugdunenſis, & Arbertus de Turre, & Hugo ſeneſcalcus Lugdunenſis, fratres &c. an. Dom. M. CC. XLVI. menſe Septembri.

Anno 1227. aſſumto ad Lugdunenſem thronum Roberto ſuffectus eſt Hugo, quo mittente, an. 1227.

1229. legimus eccleſiam Franciſcanorum apud Montem-Ferrandum conſecratam fuiſſe a Thoma epiſcopo Aſcalonita. Hoc eodem anno compoſitio facta eſt inter Hugonem epiſcopum, & Mauricium de Breon, necnon Hugonem Guillelmi, de multis querelis & controverſiis, pacis ſequeſtris W. de Turre præpoſito Brivatenſi, & Bernardo domino de Turre. 1229.

Anno 1230. menſe Novembri noſter Hugo litteras dedit de compoſitione facta inter Aimericum abbatem Mauzacenſem & Willelmum comitem Claromontanum antea litigantes. An. 1234. in craſtino decollationis S. Johannis, rejecta electione abbatis S. Illidii, *ex officio* ſuo, eundem tamen quem monachi elegerant abbatem dedit, ut probant quæ eruimus ex arch. S. Illidii, & dedimus inter inſtrumenta. Anno 1240. excipit homagium a R. comite Claromontano, pro caſtris Camalcriæ & Pontis-Gibaudi, &c. in 1230.

C. XIV. col. 86.

1240.

ANNI CHRISTI

Tab. Carcaſſ.

cristino octavarum S. Martini hyemalis. Anno 1242. vice regis S. Ludovici, a Raimundo comite Toloſano, caſtellum de Saverdun accipit menſe Decembri.

1244. Anno 1244. menſe Januario, litteras dedit de electione Adhemari in abbatem Figiacenſem.

1245. Anno 1245. interfuit concilio Lugdunenſi; quo anno, *die Mercurii per octabas Pentecoſtes quittavit* & abſolvit Willelmum de Laſtic quondam abbatem Piperacenſem, & tunc archipresbyterum Brivatenſem & Langeacenſem *ab omnibus reditibus, procurationibus*, &c. Anno 1246. ne inſtituendo abbatem S. Illidii Robertum de Alta-rupe videretur læſiſſe jus electionis monachorum, chirographum dedit, quo agnoſcit hoc jus ad monachos pertinere. Anno ſequenti menſe Martio litteras dedit contra infeſtantes hoc monaſterium & bonorum ejus invaſores. Eodem rurſus anno abſoluta eſt conventus Dominicanorum fabrica; ſed anno 1398. conflagravit.

Eodem anno Innocentius papa IV. indulgentias conceſſit eleemoſynas largientibus ad perficiendum conventum fratrum Minorum Brivatenſium; quod nobis perſuadet ipſius fabricam recens inceptam fuiſſe, & ſub Hugone epiſcopo. Anno

1248. 1248. interfuit Pariſiis dedicationi ſanctæ & regiæ Capellæ. Obiit ultra mare in exercitu ſancti

1249 Ludovici, die 28. Decembris an. 1249. an. 22. ſui epiſcopatus, cum teſtamento legaſſet quædam Franciſcanis, & pro anniverſarii ſui celebratione

col. 89. A in majori eccleſia. Inter inſtrumenta reperies quædam hic omiſſa. Hoc epiſcopo ſedente, canonici hujus eccleſiæ quandam plantationem novam canonicorum ſecularium inſtituerunt in eccleſia S. Petri Clarom. ad capitulum pertinente, ea lege ut ſemper obedirent huic capitulo, juxta formam ſacramenti; quod ab hoc tempore uſque ad præſentem diem eſt obſervatum. Litteras quibus Hugo confirmavit fundationem hanc, ſimulque chartam capituli, & formulam ſacramenti exhibemus inter

C. XV. XVI. XVII. col. 87. 88. inſtrumenta.

Habuit Hugo vicarium generalem Guillelmum de Cebaſiaco, ex charta monaſterii de Boſcheto, data menſe Decembri an. 1242.

LXVI. Guido.

De la Tour.

Guido de Turre [a] ordinis Prædicatorum, quem lego fuiſſe nepotem ex fratre ſui deceſſoris, patremque habuiſſe Arbertum de Turre dominum de la Tour du Pin, natus eſt matre Beatrice

1250. de Coloniaco. Hic electus anno Domini 1250. dicitur anno ætatis ſuæ 18. vel etiam 17. ſancto

b Ludovico [b], inquiunt petente, unctionemque ſuſcepit a Petro de Collemedio archiepiſcopo Rotomagenſi, poſt confirmatam ejus electionem a Philippo Bituricenſi archiepiſcopo; qua de re ſcripſit ad Blancham reginam S. Ludovici matrem; unde conjicimus ipſam pro juniore hoc electo rogaſſe ut propter immaturam ætatem non rejiceretur. Certe mirum eſt beatum Philippum Berruyer hanc electionem ratam habuiſſe contra canones [c]. An. 1253. menſe Januario, teſtatus eſt a ſe viſas litteras Ludovici IX. regis non corruptas, non cancellatas, in gratiam cœnobii Piperacenſis, datas menſe Aug. an. M. CC. XXXVIII. quas vide inter inſtrumenta. C. XVIII. col. 89.

Anno 1254. excepit in eccleſia ſua divum 1254. Ludovicum regem e tranſmarino bello revertentem; quo anno quoque litem habuit Guido cum Roberto domicello comite Arverniæ, qui ab eo petebat caſtra Mauduini & Laudoſi. Epiſcopus vero a comite repetebat feudum de Lais & de Chalendrac, &c. At vero ad componendas controverſias, conſenſerunt eas arbitrio & judicio Radulfi comitis Gebennenſis, ac Arberti domini de Turre permittere. Quid vero ab ipſis judicatum ſit, docet quædam charta Radulfi comitis Gebennenſis a Baluzio edita. An. 1255. III. nonas Januarii ceſſit Caſæ-Dei eccleſiam S. Johannis des 1255. Olieres, & ſacellum d'Oliergues, præſentibus Hugone de Turre abbate Claromontenſi, Guillelmo de Cebazac, abbate Caſæ-Dei Bertrando de Paulhine; poſtea tamen infenſus fuit juribus hujus monaſterii, ad quæ propugnanda Urbanus papa IV. animos addidit Alberto abbati bulla data Viterbii 2. cal. Decembris, an. 1261. ſui pontificatus I. An. 1256. promiſit hominibus Vertazonis, Mauduini, Laudoſi, &c. damnorum ipſis illatorum a R. comite Alverniæ compenſationem. *Datum die Lunæ poſt Epiphaniam Domini*, &c. Cum multis aliis præſulibus ſcripſit ad S. Ludovicum regem an. 1259. pro reſtitutione bonorum 1259. eccleſiæ facienda. Anno 1262. Robertus primus 1262. comes Claromontenſis ſui teſtamenti tabulas ſcripſit, cujus exſequendi curam demandavit Hugoni epiſcopo, adjunctis collegis Ainardo abbate Ebrolii, & Hugone de Dora abbate Iſſiodori. *Actum in vigilia Paſchæ* præfati anni.

Prob. hiſt. Arv. pag. 109.

Chart. Caſa-Dei.

1256.

Theſaur. reg. chart.

Prob. hiſt. Arv. pag. 270.

Anno 1265. compromittit cum Johanne archiepiſcopo Bituricenſi de injuriis hinc inde acceptis & illatis, ſuper juriſdictione eccleſiaſtica. Vades fuit Beraldo de Mercorio, quod Aimarus de Pictavia comes Valentinenſis duceret ejus filiam Alixent, ut liquet ex litteris datis menſe Aprili anni 1266. Item menſe Aprili an. 1268. 1266. Anno 1274. nominatus judex inter Guigonem 1268. Viennenſem archiepiſcopum & capitulum Romanenſe, *homineſque dictæ villæ*, auctoritate Gregorii papæ X. eorum diſſidia compoſuit ſententia ſeu *ordinatione*, data menſe Julio hujus anni. Anno 1276. nomine Johannis papæ dedit pallium Guidoni de Soliaco Bituric. archiepiſcopo. An. 1277. interfuit publicationi teſtamenti Ro- 1277. berti comitis Arverniæ & Boloniæ, VII. idus Januarii. Eodem anno inter Henricum comitem Ruthenenſem, & Guillelmum de Petrolis priorem monaſterii Montis-Salvi, fuit pacis ſequeſter; eoque auctore facta eſt compoſitio inter eos die Martis poſt Aſſumtionem B. Mariæ. Anno 1278. ſedit in concilio provinciali apud Auri-

Ibid. pag 288. & 232.

Arch. regs Rath.

[a] In tabulis FF. Prædic. Claromont. cognominatur *de Turribus*. Inſignia ipſius turris rubea in palma aurea.

[b] Utrum S. Ludovicus pro Guidone epiſcopatum petierit ſubdubito. Conſtat enim Blancham reginam, S. Ludovici matrem, Guidoni regalia dimittere rogatam denegaſſe, quod ejus electio facta fuiſſet, nequidem petita eligendi facultate; nec inficiebatur Guido; at utrum licentia poſtulanda foret ignorabat. *Theſaur. reg. chart.*

[c] Præterea rogavit Blancham reginam ut electo regalia remitterentur. *Threſor des ch. 1250.*

liacum. An. 1283. ſcripſit ad ſummum pontifi- ANNI CHRISTI 1285. cem in gratiam Albienſium canonicorum, qui regularem veſtem abjicere ambiebant. An. 1285. tenebat Bortum prioratum Cluniacenſem, ut legitur Analectorum Mabillon. tom. 2. pag. 628. Accepta ab Innocentio papa licentia, teſtamentum 1286. condidit, obiitque anno 1286. die 28. Febr. ex necrol. S. Petri de Caſis, aut 1285.[a] ſecundum veterem morem; quo anno die 1. Martii inchoata eſt regalia, & duravit uſque ad diem Lunæ ante feſtum beati Dionyſii, ut legitur in regiſtro Roberti Mignon. Reliquit vero teſtamenti exſecutorem fratrem ſuum Hugonem ſeneſcallum Lugdunenſem, & Ægidium Aycelin præpoſitum Claromontis, quo inter cetera caſtrum de Aulnato legat cathedrali eccleſiæ. Savaro vult eum ſepulturæ mandatum fuiſſe in eadem æde; attamen legitur ſequens ejus epitaphium in baſilica FF. Prædicatorum Claromontenſium: *Frater Guido de Turre epiſcopus Alverniæ decimumquintum agens annum, puer nobilis genere, ut pote delphinorum Viennenſium, qui contempto mundi faſtu, ordinem Prædicatorum eſt ingreſſus, anno vero decimo octavo ætatis ſuæ ſub Ludovico pio rege Francorum provehitur ad epiſcopatum Arverniæ. In epiſcopatu ſuo, ad honorem Dei & matris ſuæ, necnon ad eccleſiæ Claromontenſis exaltationem librum de ſtatutis ſynodalibus eccleſiæ Claromontenſis edidit. Obiit anno Domini M. CC. LXXXVI.* Sed inſcriptio hæc ſubjecta eſt imagini Guidonis coloribus expreſſæ, non vero tumulo appoſita; conſtatque hunc antiſtitem fuiſſe in eccleſia cathedrali ſepultum. Tempore epiſcopatus Guidonis cœnobium Franciſcanorum urbis S. Porciani ædificatur an. 1263. De eo videndus Johannes Michael Pius parte 2. de viris illuſtribus Dominicanis, & Chriſtophorus Juſtellus lib. 2. hiſtoriæ genealogicæ Arverniæ comitum.

Hoc epiſcopo ſedente majorem eccleſiam novo opere fuiſſe fabricatam contendit dom. du Fraiſſe canonicus Clarom. Hanc ditavit pretioſis reliquiis quas ad eum miſit S Ludovicus cum hac epiſtola: *Ludovicus Dei gratia Francorum rex dilecto & fideli ſuo G. epiſcopo Claromontenſi ſalutem & dilectionem. Præclaris exeniis vos & eccleſiam veſtram decorare volentes, in cruce aurea ornata lapidibus has pretioſas reliquias, videlicet de cruce Domini portionem unam, de corona Domini ſpinam unam, de ſudario, de veſte purpurea, de pannis infantiæ Domini Salvatoris, de linteo quo præcinctus fuit in cœna; & cum iſtis de oſſibus B. Mariæ Magdalenæ vobis tranſmittimus, cum præſentium teſtimonio litterarum; vos rogantes attenti ut eas reverenter & honorifice conſervare curetis, & pro nobis Altiſſimum exorare; & orationes & ſuffragia in piis locis procurare devota. Actum Pariſius die Lunæ poſt Nativitatem Domini anno ejuſdem M. CC. ſexageſimo nono.* Hæc crux aurea vel potius deaurata (eſt enim cuprea, ſed auro obducta) ſervatur in archivis eccleſiæ. Reliquiæ vero recenſitæ cernuntur in altera cruce ex auro. ANNI CHRISTI 1285

Guidonem poſtulatum in archiepiſcopum Lugdunenſem, ſed non admiſſum fuiſſe a Clemente IV. legimus; ad quod probandum hæc adducuntur ex epiſtola quadam Clementis data Viterbii anno 3. ejus pontificatus: *Tene igitur in omni patientia locum tuum, ne a nobis reputes te deſpectum, quem ex toto corde diligimus, & hoc ipſum ad amoris ſpecialis indicium in theſauro cordis tui conſignes, quod tam ſalubriter famæ tuæ providimus, & juſtitiæ non detraximus, & noſtræ ſatisfecimus honeſtati.* Quid de poſtulatione hac ſentiendum ſit, expendemus agendo de Lugdunenſibus archipræſulibus.

Sub hoc epiſcopo an. 1280. conditur conventus Franciſcanorum extra urbem Ricomagum, intra cujus ambitum transfertur an. 1359. Circa idem fere tempus ex eodem inſtituto viros religioſos recepit Guido de Turre Boloniæ comes, intra ſuum caſtrum urbi Claromont proximum; huicque conventui alter unitus eſt, qui prius conditus fuerat in loco urbi proximo dicto de Beaurepaire prope plateam de Jaude, quem adhuc vulgus appellat *les Cordeliers vieux*. Multa alia de hoc præſule vide inter inſtrumenta. col 89. 90.

LXVII. ADEMARUS, *al.* AIMARUS. DE CROS.

Ademarus de Croſo, patria Claromontanus, cantor erat eccleſiæ Arvernenſis anno 1281. menſe Novembri, quando videlicet Robertus II. comes Claromontenſis, Arverniæ delphinus, ipſum inſtituit exſequendi ſui teſtamenti procuratorem. Hoc munere fungebatur anno 1286. quando ſubrogatus eſt Guidoni. Ejus vero electionis meminit vetus charta, in hæc verba: *Claromontenſis eccleſia per obitum Guidonis epiſcopi paſtoris ſolatio deſtituta, præpoſitus & capitulum ipſius eccleſiæ, Hugoni de Turre ſeneſcallo Lugdunenſi, abbati eccleſiæ ſupradictæ, providendi ea vice ipſi eccleſiæ de paſtore, cum conſilio dicti præpoſiti, de aliqua tamen ex perſonis dicti capituli, quæ tunc ab ipſis præpoſito & capitulo nominatim fuerint expreſſæ, conceſſerunt unanimiter liberam poteſtatem. Ipſe vero poſt deliberationem ab eo ſuper hoc habitam diligentem, de conſilio & conſenſu præpoſiti ſupradicti, auctoritate conceſſionis hujuſmodi, Ademarum tunc Claromontenſis eccl. cantorem, ac defectum in ordinibus patientem, in Claromontenſem epiſcopum poſtulavit, quod & Honorius (quartus) papa confirmavit litteris ſuis ad regem Franciæ ſcriptis, Tyburi 3. cal. Aug. anno ſecundo ſui pontificatus*; hoc eſt, ut autumamus, Prob. hiſt. Arv. pag. 279. 1263.

[a] In necrologio Dominicanorum Claromontenſium legitur: *vi. nonas Martii venerabilis pater frater Guido de Turre quondam epiſcopus Claromontenſis.* Huic præſuli non ſucceſſit Bernardus de Turre ejuſdem ordinis, uti aſſerunt non pauci; in eodem enim necrologio fieret mentio dignitatis epiſcopalis, ubi de hoc Bernardo agitur iis verbis: *vi. nonas Martii anniverſarium reverendi patris domini Bernardi de Turre cardinalis qui legavit L. S. perpetuo ſupra capitulum Claromontenſe: & tenemur ire ad miſſam in die obitus ſui.* In necrologio Fr. Minorum Clarom. legitur de Guidone epiſcopo: *iiii. cal. Januarii..... ob. reverendus in Chriſto pater Guido de Turribus epiſc. Claromont. qui legavit conventui FF. Minorum Clarom. LII. ſextaria frumenti, quæ debet reddere epiſcopus*, &c.

Noſter D. Edmundus Martenne tom. 4. Anecd. c. 149. edidit acta concilii Aureliacenſis, cujus ſupra meminimus; & in iis legitur: *Nos frater Guido miſeratione divina Bituricenſis arch..... frater Guillelmus Claromontenſis*, &c. Sed mendoſe, legendum enim eſt, frater Guido, quem conſtat tunc fuiſſe Claromontenſem epiſcopum.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

anno Chriſti 1286. [a] De hoc tamen epiſcopo nihil in actis publicis legimus ante an. 1290. quo interfuit concilio provinciali. Nominatur in actis, quibus Imbertus Bello-Jocenſis vendit Philippo pulcro comitatum Montis-ferrandi, die Lunæ poſt feſtum SS. Simonis & Judæ 1291. Acceptis litteris Simonis archiepiſcopi Bituricenſis, anno 1294. feria 2. poſt Aſſumtionem beatæ Mariæ, ſcripſit ad Albienſem epiſcopum, die Dominica poſt feſtum S. Matthæi, apud Aurilhacum in diœceſi Claromont. indictum eſſe provinciale concilium, ut eo ipſe conveniret, ac ut intereſſent moneret omnes abbates, priores, decanos, archidiaconos, parochos, & alios alicujus eccleſiaſtici officii titulo inſignitos.

1286. 1290. 1294. *Tab. epiſc. Albienſis.*

Anno ſequenti, de mandato Ægidii Bituricenſis archiepiſcopi, ſcripſit adhuc ad epiſcopum Albienſem, die feſto converſionis S. Pauli, ut adeſſet concilio celebrando apud Clarum-montem die Dominica *Lætare*, id eſt quarta Quadrageſimæ, ad deliberandum de ſubſidio quod Philippus, cognomento pulcher, a clero petebat. An. 1296. ſecundum litteras vicariorum generalium Ægidii Bituricenſis archiepiſcopi, epiſcopum Albienſem vocat ad concilium & conventum quodammodo generalem Eccleſiæ Gallicanæ Pariſiis habendum feria v. ante feſtum S. Johan. Bapt. ſimulque mandat ut alios epiſcopos comprovinciales convocet, ex litteris Simonis epiſcopi Præneſtini & cardinalis, Petri Remenſis archiepiſcopi, S. Senonenſis, & Guillelmi Rotomagenſis. Eodem anno feria IV. ante Nativitatem B. virg. Mariæ, alias vicariorum metropolitani litteras ſignificat pro collectione quarumdam decimarum. Eadem fere de cauſa ſcripſit adhuc ad Albienſem præſulem, & alios Bituricenſis provinciæ antiſtites anno 1297. Hoc anno ſcriptis codicillis, quorum exſecutores inſtituit Ægidium Aycelin archiepiſcopum Narbonenſem, Johannem Aycelin præpoſitum Claromontenſem, & abbatem S. Illidii, quid poſt ſuam mortem fieri vellet teſtatum reliquit, & paulo poſt mortem oppetiit die 17. Octobris; ſcilicet die Lunæ [b] ante feſtum S. Lucæ; a quo tempore duravit regalia uſque ad diem Veneris ante feſtum B. Lucæ (anni ſequentis) ex ſchedis viri clariſſimi dom. du Fourny.

1296. *Ibid.* *Ibid.* 1297. b

Ex dictis refellitur Vincentius Maria Fontana, qui in ſuo theatro Dominicano edito an. 1666. ponit Bernardum de Turre Dominicanum in ſede Claromontenſi anno 1290. At hoc tempore proculdubio ſedebat Ademarus. Vide quæ ſupra diximus in notis. Inter inſtrumenta invenies quædam excerpta ex tabulario epiſcopatus, quæ ad hunc pertinent epiſcopum. Sub hoc pontifice Carmelitæ in urbem admiſſi ſunt, anno ſcilicet 1288. eorumque oratorium (ſic legitur in inſtrumentis) ſub patrocinio Dei-paræ virginis Deo conſecratum eſt: ac paulo poſt ſanctus Ludovicus Francorum rex in album ſanctorum recens relatus, ſecundus acceſſit patronus.

ANNI CHRISTI col. 91.

LXVIII. JOHANNES II. AYCELIN.

Johannes Aycelinus frater Ægidii Aycelini præpoſiti Claromontenſis & poſtea Narbonenſis & Rotomagenſis archiepiſcopi, necnon cuſtodis ſigilli regii, anno 1290. nominatur ad prioratum de Vernegia diœceſis Lemovicenſis; [c] jamque erat abbas in eccleſia Claromontenſi; exſtat enim bulla Nicolai papæ, data anno 1. ejus pontificatus qua ei confert abbatiam ſecularem eccleſiæ Claromontenſis, cum diſpenſatione ad obtinendam abbatiam & canonicatum in eccleſia S. Geneſii, & canonicatus in eccleſiis Claromontenſi, Billomenſi & Camalerienſi. Item alia ejuſdem Nicolai bulla, data apud Urbemveterem VIII. cal. Septembris, ejus pontificatus anno III. hoc eſt Chriſti 1288. aut 89. ei confertur canonicatus in eccleſia Belvacenſi. Eundem fuiſſe præpoſitum eccleſiæ Claromontenſis vix dubitamus, ipſumque eſſe Johannem Aycelini quem mox diximus inſtitutum exſecutorem teſtamenti Ademari de Croſo. Electus eſt autem epiſcopus Claromontenſis die Paſchæ anni 1298. [d] ejuſque electionem confirmavit vicarius generalis archiepiſcopi Bituricenſis, qui Romam profectus fuerat. Anno 1299. die 2. Januarii unit eccleſiam S. Mameti menſæ capitulari eccleſiæ cathedralis. Eodem anno ratam habuit electionem Gozelli prioris veteris Brivatæ in abbatem Chantoenſem. Memoratur anno 1300. in charta hominii Geraldi de Vernois militis domini de Chamilharges; & eodem anno epiſcopo Albienſi litteras vicariorum generalium E archiepiſcopi Bituricenſis notas facit, feria quinta poſt octabas Paſchæ, quibus mandatum erat in tota provincia Bituricenſi celebrandum eſſe feſtum S. Ludovici regis, craſtina die poſt feſtum S. Bartholomæi: ex tabul. epiſcopatus Albienſis. Obiit die 15. Junii ex vetuſto necrologio S. Petri de Caſis, & quidem anni 1301. Legitur in regiſtro Roberti Mignon regaliam incœpiſſe in eccleſia Clarom. ab die ſabbati poſt feſtum nativitatis S. Johannis Baptiſtæ; quod confirmatur ex tabulis eccleſiæ Camalerienſis ubi legitur ſedem vacaſſe nonis Nov. 1301. Item die Veneris poſt feſtum S. Martini hyemalis die 17. Nov. ex charta Carmelitarum. Ab ipſo præfati Carmelitæ licentiam habuerunt miſſarum ſolemnia celebrandi apud Clarum-montem, viaticum habendi, &c. an. 1301. Etſi enim prius habitare cœpiſſent

Du Fourny. c 1299. *Tab. Pipe-rac.* 1301. *Du Fourny. ex Camera comp. Pariſ. Threſor des Ch.*

[a] Et quidem hoc anno pridie cal. Aprilis capitulum, ſede vacante, inſtituit Petrum Falcon rectorem eccleſiæ Camalerienſis ad præſentationem capituli de Camaleria; ſed poſtea novus epiſcopus Ademarus hoc eodem anno confert regimen eccleſiæ de la Beſſa Geraldo Amirat, ad præſentationem capituli Claromont. Ceterum quia electio facta fuerat ſine licentia Regis, electus & procurator capituli Regi fecerunt *emendam*, miſſe videlicet libris ſolutis, ut legitur in regii theſauri chartulario. Ibidem habetur capitulum pro hac electione compromiſiſſe in Hugonem de la Tour abbatem eccleſiæ Claromontenſis, & Honorium papam ſcripſiſſe ad Regem pro Ademaro a ſe confirmato, anno 2. ſui pontificatus, hoc eſt an. 1286.

[b] Attamen in necrologio FF. Minorum Claromont. legitur: *Id. Octobris obiit venerabilis vir Ademarus de Cros quondam epiſcopus Claromontenſis, qui nobis legavit perpetuo* XXXVIII. *ſextaria frumenti.*

[c] Pontius de Alegrio canonicus Anicienſis ſubſcribit nominationi Johannis Aycelini ad prioratum de Vernegia diœceſis Lemovicenſis, dat. apud Urbemveterem in hoſpitio Hugonis Aycelini cardinalis de Billomo anno a Nativitate Dom. 1290. indictione III. 18. Decemb. pontificatus Nicolai papæ IV. anno tertio.

[d] Seu anni 1297. definentis.

in urbe,

ANNI CHRISTI

in urbe, ſcilicet anno circiter 1288. hanc licentiam ſolemniter celebrandi non habebant. In præfato inſtrumento ſic lego : *In nomine Domini, Amen. In anno ejuſdem milleſimo trecenteſimo primo, ſeptima die menſis Julii, Indictione XIII. pontificatus Bonifacii, Dei providentia papæ VIII. an. VII. per præſens inſtrumentum cunctis evidenter appareat quod poſt conceſſionem factam priori & fratribus domus B. Mariæ de Monte-Carmeli Claromont. a bonæ memoriæ Johanne quondam epiſcopo Claromont. dum vivebat, poſſunt & poſſint in ſuo loco cum altari viatico miſſarum ſolemnia celebrare, &c.* Idem prorſus habent tria alia inſtrumenta. Porro Johannes papa XXII. bulla data pontificatus ſui B an. 1. calendis Maii, præfato epiſcopo mandavit *ut locum quem fratres de Pœnitentia J. C. obtinuerant in civitate Claromontenſi, qui erat ab eiſdem fratribus derelictus, & in diſpoſitionem apoſtolicæ Sedis remanſerat, juxta conſtitutionem Gregorii papæ prædeceſſoris ſui ſuper hoc editam in concilio Lugdunenſi, concederet priori & fratribus ordinis Carmelitarum ad ampliandum ipſorum conventum.* Ex chart. Carmelit.

DU CROS. *De Fourq. Ex cam. comput.*

LXIX. PETRUS II.

Petrus de Croſo ex genere, ut putamus, Ademari de Croſo *, dicitur electus in epiſcopum die 3. C Febr. an. 1301. quo tempore Bonifacius VIII. eum commendavit Regi anno ſui pontificatus ſeptimo. Appellatur *magiſter Petrus de Alvern. clericus confirmatus epiſcopus*, in reſtitutione ipſi facta de regalia, die Jovis poſt Dominicam in qua cantatur *Oculi mei*, ſeu Dominica III. Quadrageſimæ anni M.CCC.I. Anno 1302. præſtitit juramentum [a] de more. Anno M. CCC. III. Petrus epiſcopus excepit homagia Petri Boyer, & Bertrandi de Rupeforti militis domini de Saillans pro caſtro de Moyſſac, necnon Hugonis de Montmorillon pro his quæ habebat in parochiis de Varennis, & de S. Ignatio, & de Tiaco, die Sabb. poſt feſtum apoſt. D Philippi & Jacobi M. CCC. III. Anno ſeq. 1304. Philippus Franc. rex plura concedit privilegia Clarom. epiſcopo, *oblatam ſibi liberalitatem pro ſubſidio guerræ Flandrenſis gratam plurimum & acceptam habens, eidem gratioſius reſpondendo*, &c. ut habetur in ipſius litteris datis Pariſiis die prima Maii M. CCC. IV. Eodem anno eo ſedente celebratus eſt a præſulibus provinciæ Bituricenſis eccleſiaſticus cœtus, ratione decimarum regi Philippo pulcro conceſſarum. Variæ ſunt de tempore mortis hujus epiſcopi ſententiæ, ſed ratio habenda eſt regaliæ.

Thréſor des Chart.

1301. *Cam. comp. Pariſ.*

[a]

1303.

1304.

Mortuus legitur Petrus de Cros die 25. Septembris in calendario Claromontenſi. At id de- E buit contingere anno 1304. nam ex regiſtris Cameræ comp. incœpit regale jus die 25. Septembris hujus anni, & duravit uſque ad octavas Nativitatis S. Johannis anni 1306. imo etiam

De Fourq.

[a] Ex arch. eccl. Claromont. *Petrus epiſcopus Claromontenſis juramentum exhibet in manu venerabilis & diſcreti viri domini Rollandi præpoſiti Claromontenſis, præſentibus in capitulo venerabilibus viris Stephano abbate, Guillelmo cantore, Reynardo de Meyes ſeniore, Ademaro de Cros, &c. Anno ab Incarnatione Domini M.CCC.II. indict. XV. pontificatus Bonifacii papæ VIII. anno VIII. XVI. calendas Septembris, die Veneris poſt feſtum Aſſumptionis B. Mariæ.*

A uſque ad diem Martis in octabis Aſſumtionis B. Mariæ 1307. [b] Cur autem tandiu ſedes vacaverit nos docet Clemens papa V. ſcribens ad Philippum regem anno II. ſui pontificatus, Chriſti 1306. quod *vacante eccleſia Claromontenſi per obitum bonæ memoriæ Petri epiſcopi, Bernardus de Ganniaco ordinis fratrum Prædicatorum fuerat electus per viam compromiſſi, & poſtmodum Rollandus præpoſitus Claromontenſis a Johanne de Fargetis ejuſdem eccleſiæ canonico, qui contendebat jus eligendi ad ſe devolutum eſſe hac vice.* Utramque vero electionem inſuper habens Clemens papa, Aubertum, qui ſequitur, promovit. *Baluz. not. in vit. pap. Aven. col. 71.*

ANNI CHRISTI c

Multum vero temporis conſumtum eſt in iis altercationibus, ita ut adhuc ſedes vacaret anno 1307. Ex tabulis eccleſiæ collegiatæ de Camaleria.

LXX. AUBERTUS, ſeu ARBERTUS.

AYCELIN.

Quæ jam præmiſimus de variis electionibus poſt mortem Petri de Croſo factis, leguntur quoque in archivis capituli Claromontenſis ; ſed additur Arbertum Aycelini, a parte quadam canonicorum fuiſſe electum, cum major pars Bernardo de Ganniaco faveret. Re ad ſummum pontificem delata, Aubertum Aycelini elegit creavitque epiſcopum, ex bulla ejuſdem papæ data Pictavis III. idus Auguſti, pontificatus ſui anno II. aſſervata in archivo eccleſiæ Clarom. Idem papa, ſcilicet Clemens V. commendavit Regi *Albertum* a ſe confirmatum ep. Clarom. per obitum Petri, rogans Regem ut ei regalia remitteret. *Sec. E. cot. F.*

Arbertus Ægidii Aycelini domini Montis-Acuti nepos erat, & Ægidii archiepiſcopi Narbonenſis, poſteaque Rotomagenſis, necnon Johannis Aycelini epiſcopi Claromontenſis. Addit alium ejus patruum Baluzius, ſcilicet Hugonem dictum de Billom cardinalem & epiſcopum Oſtienſem. Arbertus vero erat canonicus Claromontenſis & archidiaconus Carnotenſis, quando ad epiſcopatum traductus eſt, anno 1307. In charta etiam Carmelitarum Claromont. notatur die Lunæ prima Quadrageſimæ an. 1307.

1307.

Et quidem hoc anno die Martis in octabis Aſſumtionis B. Mariæ, admiſſus fuit a Rege ad fidelitatem & juramentum, ut conſtat ex regiſtro Roberti Mignon in camera computorum Pariſienſi aſſervato ; quo die ceſſavit jus regale. Anno conſequenti, menſe Septembri, domum apud Clarum-montem, a Johanne comite Foreſii emit mille & quadringentis libris, vulgo nuncupatam palatium Hugonis de Turre, quod in feudum tenebat ab epiſcopo. Eodem anno, indict. VII. die Lunæ ante feſtum converſionis S. Pauli, Bernardus dominus de Turre & S. Amantii, litteras dedit in gratiam hominum villæ S. Amantii, *excellentiſſimo principe dom. Philippo ..... rege Franciæ, & dom. Arberto Arvernorum epiſcopo regnantibus.* *Thréſ. Roy. des Chart.* *Prob. hiſt. Arvern. p. 781.*

Anno 1310. compoſuit cum Euſtachio & 1310. Heraclio de Montebuxerio, quibus pactis inter-

[b] Ex chart. Carmelitarum id confirmatur, in quibus legitur vacaſſe ſedem epiſcopalem die Mercurii poſt Paſcha an. 1305. Item die Lunæ poſt Epiphaniam 1306. Indict. V. Clementis papæ V. ſecundo anno

ANNI CHRISTI

fuit Robertus III. comes & delphinus Arvern. Ea quoque confirmavit Philippus rex, cognomento pulcher, ſuis litteris datis die Martis poſt octavas Pentecoſtes ejuſdem anni.

Anno 1311. elevavit corpus S. Illidii die 9. Decembris, quo anno ad ſynodum generalem Viennenſem convenit quæ uſque ad an. 1312. habita eſt ſub Clemente V. Ex ejuſdem pontificis actis eodem anno 1311. teſtis legitur in inſtrumento ſponſaliorum Ægidii Aycelini, & Maſcaronæ filiæ Bernardi domini de Turre. Anno 1312. dedicavit altare majus ſancti Illidii. Anno 1711. in majori altari S. Illidii tunc innovato repertus fuit calix plumbeus cum reliquiis SS. Illidii, Galli & Petri & hac inſcriptione in pergameno: *ANNO DOMINI MILLESIMO CCC. DUODECIMO DIE LUNÆ IN FESTO BEATI BONITI FUIT CONSECRATUM HOC ALTARE IN HONORE S. ILLIDII CONFESSORIS ATQUE PONTIFICIS ARVERNICÆ PER REVERENDUM PATREM B. ARBERTUM ARVERNORUM EPISCOPUM INDIGNUM SUCCESSOREM EJUSDEM.* In ſigillo ex una parte viſitur epiſcopi effigies, ex altera imago B. Mariæ. An. 1313. in capitulo generali celebrato in octavis S. Johannis Bapt. univit eccleſiam S. Saturnini menſæ eccleſiæ cathedralis.

Prob. &c. pag. 378.

1314. An. 1314. Beraudus de Mercorio illum ſui teſtamenti, quod fecit die ſacro Pentecoſtes, inſtituit exſecutorem. Eodem anno die Jovis in octabis Aſſumtionis B. Mariæ virginis adfuit pactis de matrimonio contrahendo inter nobilem virum Bertrandum de Turre militem dominum de Olergio, & Margaritam filiam nobilis viri domini Ægidii Aycelini militis domini Montis-Acuti, & nobilis dominæ Blanchiæ de Caſtro.

ibid. pag. 338.

1316. Anno 1316. ſciſſa eſt Claromontana diœceſis, ad erigendum novum S. Flori epiſcopatum, inſtrumento facto die Martis poſt feſtum S. Barnabæ.

1324. An. 1324. univit prioratum Theeletæ, prioratui Bloti (qui duo prioratus *Teillide* & *Blot*, pendent a Caſa-Dei) petente Johanne tunc abbate celeberrimi hujuſce monaſterii. Pauca admodum novimus ex iis quæ geſſit hic epiſcopus in vitæ extremis annis. Cum lites eſſent inter eum & capitulum de juribus, ad eas finiendas papa deſignavit Bertrandum cardinalem S. Marcelli.

Tab. Caſa-Dei.

1328. Moritur Billomi anno 1328. Sepulcrum ejus ex marmore albo in presbyterio majoris eccleſiæ a parte epiſtolæ viſitur, ubi ſpectabilis eſt ejus effigies, ob pallium quo ornatur ſuper caſulam. Porro inter inſtrumenta damus multa excerpta quæ ad hunc epiſc. ſpectant.

C. XXI. col. 92. 93

DE COMMINGE.

LXXI. ARNALDUS II.

Antequam hujus epiſcopi geſta referamus, expendendum eſt utrum idem fuerit cum Arnaldo Rotgerii qui anno 1291. erat præpoſitus Toloſanus, cujuſque Maſcarona de Convenis, Henrici comitis Ruthenenſis uxor, meminit in ſuo teſtamento his verbis: *Et facimus & inſtituimus exſecutores noſtros præſentis ordinationis & diſpoſitionis prædictorum bonorum noſtrorum venerabiles viros dominum Arnaldum Rotgerii præpoſitum S. Stephani de Toloſa, & dominum Bernardum de Convenis fratres noſtros.* Maſcaronem ſeu Maſcaroſam filiam fuiſſe Bernardi IV. Convenarum comitis liquet ex pactis ejus matrimonii cum Henrico Ruthenorum comite; hincque habemus patrem Arnaldi Rotgerii præpoſiti. At ſi epiſcopus Claromontenſis Arnaldus Rotgerii de Convenis ſit idem ac præpoſitus, fuit epiſcopus Lumbarienſis antequam epiſcopatum Arvernenſem adipiſceretur. Nam Arnaldus præpoſitus anno 1291. jam erat ætate maturus; & Arnaldus, ſeu Arnoldus epiſcopus Lumbarienſis, vix natus erat anno 1291. cum annos tantum viginti ſeptem haberet ætatis, quando eſt promotus ad ſedem Lumbarienſem. In catalogo tamen epiſcoporum Claromontenſium facto tempore Bernardi Salviati epiſcopi legitur noſtrum Arnaldum a ſede Lumbarienſi ad hanc migraſſe; idque habent litteræ Johannis papæ XXII. commendantis Regi noſtrum Arnaldum *a ſe*, inquit, *confirmatum in epiſcopatu Claromontenſi, antea vero epiſcopum Lumbarienſem, per obitum Alberti, pontificatus ſui anno XII.* quam ſententiam omnino amplectendam putamus; at non videtur idem cum præpoſito Toloſano.

ANNI CHRISTI *ibid. pag. 547.*

Theſ. ch. Reg.

Arnaldus Rogerii de Convenis prius abbas regularis Lumbarienſis cœnobii, ex abbate creatus eſt hujus loci epiſcopus, quando placuit Johanni papæ XXII. hanc abbatiam in eccleſiam epiſcopalem erigere. Poſt decem circiter annos hac in cathedra laudabiliter tranſactos, dignus judicatur majoris ſedis, transferturque ad Claromontanam, ſaltem anno 1328. Etenim hoc anno die 6. Auguſti appellatur epiſcopus Claromontanus in teſtamento Bertrandi de Turre domini Oliergii, in cujus exordio legimus: *Philippo Dei gratia Francorum rege regnante, & reverendo in Chriſto patre domino Arnaldo eadem gratia Claromontenſi epiſcopo exiſtente.* Ex Johannis papæ XXII. mandato, inquiſivit de propinquitate generis inter Robertum delphinum dominum de Saligniaco, & Iſabellam de Caſtro-Petro dominam de la Ferté, qui die 1. Junii anni 1329. matrimonio copulati ſunt, ex diſpenſatione ſummi pontificis. Præſtitit juramentum capitulo ſolita forma. De hoc præſule qui vixit uſque ad annum 1336. multa alia nos docent acta publica, quorum excerpta damus in inſtrumentis.

1328.

Prob. hiſt. Arv. pag. 706.

1329.

ibid. pag. 429.

col. 93.

LXXII. RAIMUNDUS.

DES PREZ.

Raimundus de Pratis, forſan frater aut conſanguineus Petri de Pratis Aquiſextienſis archiepiſcopi [a], jam epiſcopus erat anno 1337. hoc enim titulo inſignitur in teſtamento Hugonis delphini canonici Claromontenſis, condito die Veneris poſt feſtum S. Luciæ, ubi ſolo nomine Raimundi deſignatur, omiſſo cognomine; & præſertim hoc probatur ex ejus juramento hoc anno præſti-

a

1337.

[a] Conjecturam hanc proponimus nihil aſſerendo, maxime cum nos minime lateat Raimundum in nonnullis catalogis & chartis cognominatum *Deſpects*, non *des Prez*. Ita maxime legitur in catalogo ſcripto tempore Bernardi Salviati epiſcopi. Ita quoque habetur in bulla Benedicti papæ XII. pro capitulo data contra Raimundum, an. 1339.

Prob. hiſt. Arv. pag. 552.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

to[a]. Urbem eſt ingreſſus die 24. Maii, & ſacramento ſe obſtrinxit coram capitulo die 29. Septembris more ſolito. Obiiſſe Avenione legitur die 1. Aprilis an. 1340. Benedictus XII. commendat Regi Stephanum epiſcopum Clarom. electum poſt obitum Raimundi defuncti in curia; litteræ papæ datæ ſunt an. 6. ejus pontificatus. In catalogo tempore Bernardi Salviati confecto legitur duos illos ultimos epiſcopos, Arnaldum & Raimundum *non bene rexiſſe.*

Threſor des chart.

Anno 1339. celebratum eſt in conventu Claromontenſi capitulum generale ordinis FF. Prædicatorum; cujus gratia Benedictus papa XII. dedit bullam ad Bituricenſem, Albienſem & Claromontenſem officiales. Hac in bulla, quæ archetypa in præfato conventu aſſervatur, ſummus pontifex mandat, ut præfati officiales, ſuper legatis relictis ad pios uſus, perſonis vel locis incertis, 900 francos auri, ſemel tantum, in ſupportationem onerum capituli generalis, priori & fratribus dicti conventus, auctoritate apoſtolica concedant & tradendos curent etiam per cenſuras eccleſiaſticas. *Datum Avenioni III. idus Aprilis, pontificatus anno II.* Quæri debent inter inſtrumenta, quæ de hoc epiſcopo ex archivis eruimus.

col. 94.

AUBERT.

LXXIII. STEPHANUS VII.

Stephanus Alberti diœceſis Lemovicenſis, juris civilis doctor, ab epiſcopatu Noviomenſi tranſiit ad Claromontenſem an. M. CCC. XL. Quem cum adminiſtraret anno 1342. menſe Septembri creatus eſt cardinalis tituli SS. martyrum Johannis & Pauli bulla data Avenione V. idus Octob. Benedicti papæ an. VI. Poſtea fuit epiſcopus Oſtienſis. Tandemque papa dictus Innocentius VI. Adhuc erat epiſcopus Claromontenſis die XI. Septembris, quo præſens fuit cum Clemente VI. pactis ſponſalitiis Guillelmi de Turre cum Ahelide Rogerii, filia domini de Sancto-Superio, quæ neptis erat Clementis VI. & ſoror Gregorii XI. Quædam excerpta de eo invenies inter inſtrumenta.

Prob. hiſt. Arv. pag. 602.

col. 94.

D'ANDRE'

LXXIV. PETRUS III.

(Ex arch. cath. Armar. 21. fac. A. cotte x.)

Petrus Andreæ ortu Claromontenſis, Noviomi ſederat antequam Arvernorum cathedram conſcenderet anno 1342. fueratque ſigillorum Regis cuſtos. Ignoramus autem quid cauſæ fuerit ut ſacramentum præſtare diſtulerit uſque ad an. 1345. Teſtis fuit in ceſſione delphinatus ab Humberto delphino, facta in gratiam Philippi filii Franciæ regis an. 1343. eumque Rex conſtituit ſuum procuratorem & legatum ad exſecutionem pactorum de hac ceſſione initorum, cum Guillelmo Flote procancellario, &c. litteris datis hoc anno 1343. die VII. Julii.

1342.

Mem. de Dauphiné page 455.

Litigavit cum Armando de Caſtro-novo domino de Meleto pro recognitione feodali manſi de Salis. Anno 1344. obtinuit a Clemente papa VI. anno 2. ejus pontificatus bullam qua concedit indulgentias iis qui eleemoſynas conferrent ad abſolvendam cathedralis eccleſiæ fabricam. Poſtea tranſiit ad Cameracenſem epiſcopatum. Habuit in adminiſtratione diœceſis Claromontanæ pro vicario generali & officiali Guillelmum de Griſac, qui poſtea fuit Urbanus papa V. In necrologio FF. Prædicatorum Claromontanorum legimus: *VI. idus Septembris obiit Reverendus pater & dominus dom. Petrus Andreæ quondam epiſcopus Cameracenſis, a quo habuimus libros, & veſtimenta, & multa alia bona.* Item ibidem legitur: *V. idus Maii obiit Johanna Andrena mater domini epiſcopi Cameracenſis.* Ad calcem codicis manu exarati Prædicatorum Claromontenſium legitur: *Dominus Petrus Andreæ quondam civis Claromon. in utroque jure licentiatus, poſtmodum Noviomenſis, poſtea Claromontenſis, ultimo Cameracenſis epiſcopus hunc librum cum pluribus aliis libris & paramentis encauſticis & altaris ornamentis dedit iſti conventui Claromontenſi ordinis fratrum Prædicatorum propter quæ obligamur ad ſuum anniverſarium perpetuo faciendum. Quicunque in iſto libro ſtuduerit, oret Deum pro eo, quia multa bona per eum habuimus, ideo ei & generi ſuo multipliciter tenemur. Iſtum titulum qui malicioſe deleverit anathema ſit, Amen. Scriptum in die B. Georgii quæ fuit XXIII. dies menſis Aprilis anno Domini M. CCC. LXXVII.* Porro in hoc codice ſunt, paſtorale S. Gregorii, epiſtolæ quædam S. Hieronymi, ſynonyma ſancti Iſidori Hiſpalenſis epiſcopi & ſermones Hermandi de Bello-viſu ord. FF. Prædicatorum. De hoc epiſcopo quædam alia excerpta ex tabulis inter inſtrumenta poſuimus.

ANNI CHRISTI

col. 95.

D'AIGREFEUILLE ET D'ARFEUILLE.

LXXV. PETRUS IV.

De genere Petri de Agrifolio jam non ſemel egimus, videlicet in Raimundo Ruthenenſi, & in Faidito Avenionenſi epiſcopo. Petrus vero noſter nobilis Lemovix, ex abbate Caſæ-Dei creatur epiſcopus Claromontanus ſaltem anno 1347. ut probatur contra Savaronem & alios ex bulla Clementis papæ ſexti data anno V. ejus pontificatus, hoc eſt anno Chriſti 1347. qua videlicet confirmat unionem cujuſdam prioratus cum altero S. Roberti de Monte-ferrando, factam a *Petro* epiſcopo Claromontenſi, requirente Stephano abbate Caſæ-Dei, Petri hujus epiſcopi ſucceſſore in abbatiali Caſæ-Dei dignitate; proindeque unus ex iis jam erat epiſcopus Arvernenſis, alter abbas Caſæ-Dei, anno 1347. Hoc epiſcopo *in remotis* partibus agente, Guillelmus de Ulmo prior Albiniaci diœceſis Lemovic. qui fuit poſtea abbas Caſæ-Dei, cujus erat alumnus, vicarius generalis erat in eccleſiæ Claromont. adminiſtratione, ut docet quoddam inſtrumentum datum ultima die menſis Januarii 1349.

1347.

Tab. Caſæ-Dei.

Anno 1350. Johannes rex Francorum mandavit ballivo Alverniæ, ut inquireret de iis quæ ſub nomine *redhibentiarum* pro jucundo ſuo adventu exigebat hic epiſcopus ſub pœna excommunicationis & interdicti: quæ ut Regis ſubditis

1350.

[a] Ex archivis eccleſiæ Clarom. *Raimundus juramentum præſtitit in capella S. Nicolai, ubi conſueverunt capitulari, & tenere capitulum ſuum canonici cathedralis eccleſiæ Claromontenſis, coram venerabilibus & diſcretis viris dominis Geraldo de Creſo præpoſito, Guillelmo de Orto abbate, Petro Recci decano, Petro Giraldi cantore, Hugone Delphini, Ægidio de Chalencone, anno ab Incarnatione Domini M. CCC. XXXVII. ind. VI. pontificatus Benedicti PP. anno IV, penultima die menſis Januarii, videlicet die Veneris poſt feſtum Converſionis S. Pauli, circa horam tertiæ.*

Digitized by Google

ANNI CHRISTI C. XXVIII. col. 96.

damnosa Rex prohibebat. *Datum Parisius in parlamento nostro*, inquit Rex, *die XXIII. Novembris anno Domini M. CCC. L. sub sigillo Castelleti nostri Parisiensis in absentia majoris.*

1351. An. 1351. die 5. Aprilis, pontificatus Clementis VI. an. IX. Avenione concessit cum multis aliis archiepiscopis & præsulibus dies 40. indulgentiarum de pœnitentiis injunctis, visitantibus ecclesiam de Vicinis in diœcesi Aurelianensi.

Tab. hujus mon.

1352. Petrus, relicta sede Claromontensi, ad Vabrensem accessit, anno circiter 1352. postea ad Mirnatensem; cujus tamen possessionem adeptum eum non esse quidam autumant. Qui volunt eundem fuisse quoque episcopum Avenionensem, fortasse ipsum confundunt cum Faydito de Agrifolio, qui quidem ecclesiæ præfuit Avenionensi. Hic episcopus vicarium generalem habuit Aimericum Vigerii canonicum Claromont.

Anno 1352. mense Januario fundantur RR. PP. eremitæ Augustiniani extra muros Eneziaci in honorem Dei omnipotentis, B. Mariæ, sancti Johannis Baptistæ, & SS. apostolorum Petri & Pauli, S. Augustini, & S. Catharinæ, (quæ titularis est ecclesiæ) a Guillelmo Flotte domino de Ravello milite, Franciæ cancellario, pro XIII. fratribus sub uno priore. Anno 1401. Guillelmus Flotte ejus heres & successor eosdem Augustinianos propter bella transtulit infra urbis muros, prius enim eorum conventus ædificatus fuit in loco qui vocatur cimiterium Judæorum, ibique hodie videre licet plures lapides sepulcrales cum epitaphiis Hebraice scriptis.

col. 95. De hoc episcopo novissime nobis suppeditavit nonnulla tabularium episcopale, quæ instrumentis adjecimus. Habuit pro vicario generali in spiritualibus & temporalibus Aimericum Vigerii canonicum Clarom. qui eo *in remotis agente*, die Mercurii post festum S. Barnabæ 16. Junii an. 1250. contulit Petro Bernardi clerico de Villa-nova prope Cretum ecclesiam parochialem S. Martini de Ulmis, vacantem per obitum Beraldi de Frigidofonte ad præsentationem capituli Claromont.

De Mello.

LXXVI. Johannes III.

Johannes de Meiloto, alias de Mello, nobilis Burgundus ex illustri satus genere dominorum de Givry, quod consanguinitate vel affinitate attingit illustrissimas familias, Burgundam, Cabilonicam, Tremoliam, Joviniacam, *Joigny*, Meduaneam, *Mayenne*, Nuccerianam, *Noyers*, ex episcopo Cabilonensi creatus est Claromontensis; at quo tempore aut anno, nondum definire possumus.

1366. An. 1366. testis fuit transactionis factæ a Francisca de Aurosa relicta Roberti delphini, tutrice filii sui Beraudi impuberis, cum Imbaudo in Regis aula ministro.

Prob. hist. Arv. pag. 444.

An. 1371. interfuit pactis sponsalitiis inter Johannam de Bolonia, & Beraldum II. delphinum Arverniæ comitem Claromontanum, die 14. Junii: subscripsit testamento Guidonis Bolonienſis, cardinalis Portuensis, sepulti in abbatia de Boscheto; cujus testamenti scripti an. 1372. die 16. Maii institutus est executor. Ineunte an. 1374. Johannes de Mello episcopus, mutuo accepit a comite Armaniaci quinque librarum mil-

ibid. pag. pag. 180.

lia, ad ejiciendos ex Arvernia & præsertim ex arce de Miromonte Anglos. Erat enim Johannis ducis Biturigum & Arverniæ Regis fratris *locum tenens*. Sepultus est in medio chori ecclesiæ suæ juxta gradus. Excerpta ex tab. ad eum spectantia lege in instrumentis.

ANNI CHRISTI

col. 96.

De la Tour.

LXXVII. Henricus.

Henricus de Turre, filius Bertrandi IV. domini de Turre, ex Isabella de Levis, frater fuit Bertrandi episcopi Tullensis & Anicien sis, ac Bernardi episcopi & ducis Lingonensis, necnon Johannis monachi Benedictini abbatis Floriacensis, quem Baluzius docet factum fuisse cardinalem a Gregorio papa XI. an. 1371. Quod spectat ad Henricum, primum ut canonicus militavit in ecclesia Claromontensi, postea fuit archidiaconus Parisiensis anno 1375. anno vero sequenti [a] donatus est episcopatu Claromontensi. Memoratur a Froissarto ad an. 1390. Ad eum vero exstat epistola Bonifacii papæ IX. pro libertate monasterii S. Illidii. Consecravit majus altare cœnobii Carmelitarum Claromontensium die 7. Junii anni 1400. ex affixa inscriptione. An. 1405. die 28. Decembris confert vicariam perpetuam capellæ d'Andelot ad præsentationem abbatis Casæ-Dei. Idem Henricus legitur inscriptus in charta Cussiacensis parthenonis anni 1407. cum Guillelmo præposito. An. 1409. celebratum est concilium Pisanum, in cujus actis noster episcopus recensetur inter præsules, qui satis habuerunt mittere ad synodum legatum & procuratorem. Forte distinebatur in Gallia ob negotium grave nuptiarum Johannæ de Turre consanguineæ suæ cum Beraldo Arverniæ delphino; cujus conjugii pactis interfuit die 22. Julii an. 1409. Vitæ curriculum peregit 8. idus Maii 1415. ex necrologio [b] FF. Minorum Clarom. apud quos jacet.

Hist. d'Auv. pag. 411.

a

1376. *Sammarth.* 1390. 1400. 1407.

Probat. hist. &c. pag. 386. 90. 96. 97. 411.

b

Sedente Henrico, an. 1410. mense Aprili post Pascha Ludovicus dux Borbonius fundavit monasterium Cœlestinorum prope Vichiacum secus Elaverim, *l'Allier*, pro uno priore & 12. monachis. Tempore quoque hujus episcopi S. Vincentius Ferrerius, ordinis Prædicatorum, conciones habuit in ecclesia Claromontensi tam per Adventum, quam per Quadragesimam, anno videlicet 1407. Pars ejus suggestus ex quo concionabatur, asservatur in capitulo, & pars altera in conventu fratrum Prædicatorum. Apud eosdem religiosos viros legitur sequens epitaphium, ex quo pene probatur Henricum episcopum, professores theologiæ sua in urbe instituisse: *Hic jacet reverendus pater magister Geraldus la Rocon, oriundus de villa S. Amantii la Cheyra, in sacra pagina professor domini episcopi primarius, qui obiit in die festo S. Luciæ, anno Dom. M. CCCC. IX. Orate pro eo si placet.* Plura de eo reperies in instrumentis.

col. 97.

Sub eodem episcopo, sacra Ricomagi capella

[a] Secundum hodiernum morem inchoandi annum a Januario. In instrumento S. Martini Cornonii quod penes se habet D. Jac. Boyer legitur ad calcem: *An. millesimo trecentesimo septuagesimo quinto, die 10. mensis Martii, dom. Enrico de Turre Clarom. episcopo.*

[b] Ubi legitur: *VIII. Idus Maii apparitio sancti Michaelis archangeli. Obiit dominus Henricus de Turre episcopus Claromontensis anno Dom. M. CCCC. XV. hic sepultus.*

ANNI CHRISTI

conſtruitur an. 1382. a Johanne Franciæ duce Bituricenſi & Arvernenſi, ipſiuſmet ſacræ Bituricenſis capellæ fundatore; at non niſi poſt centum & novem annos dotata eſt a Petro de Bourbon abnepote Johannis ex linea materna, pare & magno Franciæ cambellano, & ab ejuſdem uxore Johanna Franciæ Ludovici XI. nata. Eccleſia patronum habet S. Ludovicum Francorum regem, quam ex fundatione bulla Innocentii papæ VIII. approbata, theſaurarius, undecim canonici, quatuor ſemipræbendati ac duo ſacriſtæ cum ſex pueris choralibus, omnes & ſinguli a juriſdictione epiſcopi Claromontenſis liberi, adminiſtrant. Annuit tunc temporis epiſcopus Carolus de Bourbon illi exemtioni, at ſucceſſores eam reſcindere ſæpius conati ſunt. Privilegia vero dictæ capellæ Ludovica mater Franciſci I. ſuis litteris annorum 1525. & 1529. roboravit; cujus exemplum ſecutus eſt filius an. 1532. ac denique Ludovicus XIV. an. 1671.

Couge.

LXXVIII. Martinus.

a Martinus Gouge [a] dictus de Charpaigne, genere Biturix, ducis Bituricenſis cancellarius, cui principi erat ab intimis conſiliis, fuit etiam Franciæ cancellarius, ut liquet ex ejus chirographo
1420. dato die 12. Januarii anni 1420. quo teſtatur ſibi ſolutas fuiſſe libras ſexcentas, in quo ſe Franciæ cancellarium profitetur; chartæ appenſum eſt
Ex cam. Comp. Pariſ. ejus ſigillum, in quo gentilitia ejus inſignia viſuntur, qualia ſolent ei tribui [b], ſcilicet in area cœrulea faſcia aurea, quam comitantur tres lunæ creſcentes argenteæ cornibus ſurſum erectis, duæ ſupra faſciam, tertia infra. Quod ſpectat ad ejus epiſcopatum apud Arvernos, initium ipſius aſſignatur anno 1415. quo ex ſede Carnotenſi ad hanc migravit. Anno vero 1419. ſacramentum
b c feciſſe capitulo die 24. * Martii legitur.

* *vel potius 26. ex arch. capituli.*

Quamvis variis curis occupatus ad publicum regni & eccleſiæ bonum, (nam ei ſigilla commiſſa ſunt an. 1420. ſeu 1421. ſecundum diverſum modum inchoandi anni) nihilominus de eccleſia ſua ornanda & beneficiis ditanda ſollicitus fuit, ſiquidem in ea conſtruxit pulpitum ſeu odæum, idemque fecit in eccleſia Billomenſi. Dedit quoque ſuæ eccleſiæ crucem pretioſam in qua partem veræ crucis contineri aiunt: in majori
Arch. cath. eccleſia fundavit tredecim anniverſaria; ſcilicet unum ſingulis menſibus, die primo menſis non impedito, & decimum tertium die ſui obitus, ut cautum erat ejus teſtamento ſcripto an. 1444. Anniverſariæ quoque preces fiunt pro ipſo in Billomenſi eccleſia die 18. Februarii. Item ſuo teſtamento fundavit quatuor *vicarias* in altaribus B. virginis, ſeu *noſtræ dominæ de gratia*, & ſancti Martini, quæ ſua munificentia conſtruxit. Item dedit octo libras annui reditus, pro celebrando ſolemnius feſto S. Martini hyemalis. Dedit quoque domum pro pueris chori ſeu ſymphoniaſtis. Paulo poſt conditum teſtamentum, eodemque an. 1444. efflavit animam die v. Martii; notatur
B ejus obitus in necrologio S. Petri de Caſis. At per vocem *obitus* forte intelligi debent potius annuæ pro mortuis preces & ſacrificia, quam ipſius mors. Nam communis eſt ſententia Martinum condidiſſe teſtamentum die 8. Octobris præfati anni, & die 25. aut 26. Novemb. ſpiritum emiſiſſe in caſtro epiſcoporum vulgo dicto de Beauregard. Sepultus eſt in navi eccleſiæ ad portam chori inter duo illa altaria, ſcilicet beatæ Mariæ, ac S. Martini, quæ ab eo conſtructa docuimus.

Hujus præſulis frequens eſt mentio in hiſtoria Caroli VI. regis. Sub Carolo VII. ejus filio, magna pars fuit rerum tunc temporis pro ſalute
C regni geſtarum. In motu civili captus fuit a Carolo Borbonii duce; ſed libertatem recuperavit menſe Septembri anni 1427. maxime ope Martini papæ V. ut probant ejus litteræ hac de re datæ an. 10. ſui pontificatus, quas legeſis inter inſtru- C. xxxi. col. 98.
menta. De eo Alanus Quadrigarius, *Chartier*, & C. xxxii, col. 99.
alii ſcriptores coævi. Ejus frequens eſt mentio in tabulis Caſæ-Dei 1433. Silviniaci 1439. ſancti Urſini Bituricenſis, & Cœleſtinorum Vichiaci in quorum necrologio legitur: *XXVI. Novembris reverendiſſimus in Chriſto domnus Martinus de Charpaigne epiſcopus Claromont. obiit, qui dedit*
D *nobis ducenta ſcuta aurea.* Alibi legitur obiiſſe 5. Martii, ſcilicet in necrologio S. Petri de Caſis. Sedente hoc epiſcopo, in conventum Clariſſarum, apud Aquas-Sparſas, *Aigues-Perſes*, a Johanne Borbonii duce fundatum introducta eſt S. Coleta cum aliquot ſororibus an. 1423. Conſule excer- col. 98.
pta de hoc epiſcopo inſerta inſtrumentis. Annuæ pro ipſo preces & oblationes fiunt in eccleſia Pictavienſi die 24. Julii.

De Comborne.

LXXIX. Jacobus I.

Vix olim fuit apud Arvernos illuſtrius genus, quam Comborniorum, uti probe norunt qui in
E inveſtigandis genealogiis ſerio ſuam collocaverunt operam. Jacobus frater erat Ludovici de Combornio, cujus jam in Conquenſibus abbatibus facta eſt mentio & in Burgidolenſibus, & infra in Illidianis. Ex canonico vero Lugdunenſi, Jacobus electus eſt Claromontanus epiſcopus a capitulo die 23. Decembris anni 1444. In archivo eccleſiæ habetur bulla Eugenii papæ IV. data 12. cal. Junii an. 1445. ad confirmandam illam elec- 1445.
tionem: poſſeſſionem iniit an. 1446. quo anno 1446.
cum capitulo paciſcitur. Tranſegit cum Petro de Bona-valle S. Illidii abbate pro decimatione agrorum & vinearum parochiæ ſancti Caſſii, die 22. Junii 1449. 1449.

[a] Vide infra epitaph. Ant. de Langeac abb. Clarom.

[b] Ita deſcribuntur in Gallia Chriſtiana Fratrum Sammarth. Eadem viſuntur in multis locis eccleſiæ Clarom. & xdium epiſcopalium: addito pedo paſturali, quod quaſi faſciæ innixum poſitum eſt inter duas lunas creſcentes ſuperiores.

[c] De hoc ſacramento ita legitur in arch. capituli: *Martinus Gouge juramentum capitulo præſtitit anno ab Incarnatione Domini M. CCCC. XIX. & die Dominica 26. menſis Martii hora tertiæ indictione XII. pontificatus vero ſanctiſſimi in Chriſto patris & domini noſtri domini Martini divina providentia papæ V. anno II. ac regnante ſereniſſimo principe & domino Carolo Dei gratia Francorum rege, præſentibus reverendo in Chriſto patre & domino Roberto Delphini abbate Tiernenſi electo in epiſcopum Carnotenſem, reverendiſque patribus & dominis Petro de Chaſtus Ebrolii, Philiberto Archimband Mauziaci, Guillelmo de Rupeforte Iſſiodori, Ludovico de Neyſſonio ſancti Illidii prope Claromontem, Petro Morglya ſancti Amabilis Riomenſis, & Petro de Chadanayo Chantoenai monaſteriorum abbatibus; aliis & potentibus viris dominis Bertrando domino de Turre & Montis-Gaſconis, Johanne domino Apchonii, & Ludovico domino Montis-lauri, & pluribus aliis.*

ANNI CHRISTI

Quædam ſtatuta condidit & promulgavit die 2. Decembris an. 1454. pro presbyteris hebdomadariis quotidie majus ſacrum celebraturis de beata Maria in eccleſia S. Geneſii Thiernenſis.

Arch. S. Illid.

1454. *Arch. Thier.*

In catalogo epiſcoporum tempore Bernardi Salviati facto, de ipſo hæc legimus: *Fecit fieri in intercapedine altaris majoris hujus eccleſiæ columnas æreas, & ambonem ſive pulpitum æreum in medio chori; vitreas magnas in navi eccleſiæ a parte Borealı; & alia plura bona huic eccleſiæ dedit & fecit.* In his quæ a ſe omiſſa dicit auctor catalogi, forte recenſendum, quod conſtruxerit templum S. Sepulcri, & fundaverit ſacerdotia pro quibuſdam vicariis in eccleſia majori. Laudatur præterea ob reparatum ipſius cura & ſumtu cœnobium Dominicanorum flammis conſumtum, & aucta in fratrum Minorum & Carmelitarum conventibus ædificia. Dedit quoque Cartuſianis Glanderii pro ædificanda una cella 40. ſcuta, & pro veſtiario fratrum triginta ſeptem, necnon calicem argenteum. Anno trigeſimo ſui pontificatus ex hac vita migravit, die 15. Februarii an. 1474. ſepultuſque eſt in majori eccleſia.

1474.

Sub hoc epiſcopo an. 1463. fundatur conventus Franciſcanorum apud Caſtrum-Odonis, *Chatel-Don en Bourbonnois*, per Philippum de Vienne, & Petronillam de Chaſeron, ex bulla Pii II. data VII. Julii præfati anni 1463. Quædam excerpta de hoc epiſcopo vide inter inſtrumenta.

C. XXXIII. col. 100.

ALLEMAND.

LXXX. ANTONIUS.

Ex tabulis eccleſiæ Cadurcenſis Antonius Allemand epiſcopus Cadurcenſis an. circiter 1474. migravit ad ſedem Claromontenſem bulla Sixti papæ V. tranſlatus. Parvo autem ſedit tempore; & epiſcopatum reſignavit in manibus papæ per procuratorem ſuum Bartholomæum Ferrarienſem epiſcopum anno 1476. Ejus cognomen ſiletur in archivis epiſcopalibus Clarom. quorum aditus patuit ſede vacante noſtro D. Jacobo Boyer, faventibus viris clariſſimis Johanne du Four domino de Villeneuve judice majore in ſeneſcallia Claromontenſi, & David du Four domino de Vernols regio cognitore. Porro eorum beneficio multa alia ex laudatis archivis eruimus in ſupplementum hiſtoriæ Claromont. præſulum quam jam adornaveramus. Anno 1475. ind. VIII. die nona Sept. Sixti IV. anno quinto illuſtris & excellens princeps D. Ludovicus de Borbonio, comes Montis-Pancerii, dalphinus Arverniæ, fundavit in villa ſua Aquæ-Sparſæ circa ſuum palatium eccleſiam ſeu ſanctam capellam in honorem B. M. ſub vocabulo S. Ludovici regis Francorum, a quo præfatus comes fundator propriam originem traxit. In hac autem eccleſia, vulgariter nuncupata *capella Ludovici comitis Montis-Pancerii, dalphini Arverniæ* conſtituit ſexdecim clericos *deſervientes*, ſcilicet octo canonicos præbendatos, & octo capellanos perpetuos ſive manſionarios ac chorarios, & quatuor clericulos; ut liquet ex fundationis inſtrumento dato in caſtro Scolæ diœceſis Claromontenſis, ejuſdem domini fundatoris die & anno præfatis. Ex quo ſequentes clauſulas hic inſerere non pigebit; nempe quod inter canonicos unus ſit theſaurarius, qui caput ſit capituli, & dignitas eccleſiæ; alius vero canonicus ſit cantor ſeu magiſter chori, & ſit perſonatus vel officium, non vero dignitas; item decernit quod in dicta capella tres miſſæ ſingulis diebus celebrentur, matutinalis de B. Maria, ſecunda de defunctis, & magna miſſa alta voce de die aut feſto occurrente; quod celebretur quotidie Divinum officium, & canonici deferant cappas & almutias de griſeis ad inſtar canonicorum cathedralis eccleſiæ Claromontenſis, & capellani de Cirogulis ſive d'*Eſcurolz*. Item quod huicce eccleſiæ incorporati, eorumque domeſtici aut familiares perpetui, licet reſideant infra limites eccleſiæ parochialis & collegiatæ B. Mariæ Aquæ-Sparſæ, ab eccleſia collegiata S. Geneſii Thierni dependentis, poſſint ſacramenta eccleſiaſtica a cantore dictæ capellæ ſive ejus commiſſo percipere abſque licentia parochi B. Mariæ. Qui cantor ratione curæ animarum, ſemel in anno ad ſynodum diœceſanam ire vel mittere tenebitur. Item fundator ſibi reſervat & ſucceſſoribus ſuis, & eorum defectu Gabrieli de Borbonio filiæ ſuæ & liberis ejus, & comitibus Montis-Pancerii nominationem præbendarum, & capellaniarum. Quam fundationem cum omnibus clauſulis Sixtus papa IV. confirmavit diplomate pontificio dato Romæ, apud S. Petrum M. CCCC. LXXV. ſexto calend. Novemb. pontific. anno quinto; eidem inſuper eccleſiæ ſeu capellæ concedens omnia privilegia, exemtiones, immunitates, quibus canonici & perſonæ eccleſiarum collegiatarum illarum partium & præcipue capellæ S. Salvatoris Bituricenſis per Johannem ducem Bituricenſem fundatæ, potiuntur & gaudent.

ANNI CHRISTI

LXXXI. CAROLUS I.

DE BOURBON.

Carolus Borbonius cardinalis tituli S. Martini in Montibus, ex canonico & cantore Lugdunenſi ejuſdem eccleſiæ archiepiſcopus, poſſeſſionem eccleſiæ Claromontanæ accepit an. 1476. die 10. Martii, munitus bulla Sixti IV. data an. 1476. ejus pontificatus quinto, idibus Julii, per procuratorem Gilbertum Dinet officialem; per ſe vero die 24. Octobris an. 1479. Die 2. Decembris 1474. fidem clientarem Regi juraverat. Huic autem eccleſiæ præfuiſſe annis 13. dicitur, proindeque uſque ad an. 1488. Suffraganeo, ut aiunt, uſus eſt ad epiſcopalia munia Bertrando epiſcopo Bethleemitano, qui dedicavit eccleſiam Franciſcanorum Vicicomitis, die 3. Octobris an. 1484. fundatam a Bertrando VII. comite Arvern. & Ludovica Tremolia ejus uxore. Carolus inſtituerat quoque vicarium ſuum in ſpiritualibus & temporalibus Laſſaudum, *forte Iaſſaudum*, Quintini, bachalaureum in decretis, canonicum Claromontanum, abbatem commendatarium ſeu perpetuum adminiſtratorem Chantoeni prope & extra muros civitatis Claromontanenſis: Carolus erat quoque Iſſiodorenſis abbas, prior Silviniaci; obtinebatque, ſaltem an. 1473. S. Porciani prioratum. De eo plura dicemus in Lugdunenſibus archiepiſcopis.

1476.

1479.

1484.

ANNI CHRISTI

LXXXI. Carolus II.

De Bourbon.

Alter Carolus de Bourbon, prioris abnepos erat ex Carolo I. duce Borbonii, cujus nothus Reginaldus, poſtea Narbonenſis archiepiſcopus, eum genuerat. Ita vero Carolus hic Claromontanam adeptus eſt ſedem vacantem.

* Montboiſſier.

Guillelmus de Monte-buxerio * a capitulo non ſolum electus aut poſtulatus fuerat, ſed etiam præſtito ſacramento in cathedra pontificia collocatus fuerat. At noſter Carolus favore Caroli VIII. regis, qui eum ſui conſobrini loco habebat, priori electione reſciſſa [a] fuit electus an. 1488. die 24. menſis Januarii. Lutetiæ ſacramentum fecit & fidem promiſit clientelarem Regi, cujus in forma juramenti conſobrinus dicitur. Die ultima Februarii 1489. iniit poſſeſſionem; eodemque anno viſitavit ſuam dioeceſim. Anno 1491. die 15. Junii Geraldus * epiſcopus Darienſis, ſuffraganeus hujus Caroli epiſcopi Clarom. & ad id ſpecialiter ex privilegio apoſtolico commiſſus, in palatio epiſcopali Claromont. confirmavit electionem Jacobi de S. Nectario in abbatem Caſæ-Dei, & canonicam declaravit, uti legitur in tabulis Caſæ-Dei. An. 1500. Carolus excepit homagium Gilberti domini de la Fayete & de Pontgibaud, necnon Johannis de Seneterre domini de Fontenilles. Ejuſdem præſulis juſſu confectus eſt liber homagiorum ipſi exhibitorum, cum amplo inſtrumentorum, quæ in archivis ſuperſunt, repertorio, an. 1503.

1488.

1489.

1491.

* *Alibi legitur* Guillelmus; *ſcilicet in litteris tonſuræ ab illo collatæ an. 1499. die 13. Maii.*

De beneficiis quæ Carolus Borbonius eccleſiæ ſuæ contulit ita loquitur auctor catalogi non diu poſt ipſius mortem ſcripti: *Fecit proviſionem nemoris* (materiæ) *in parte neceſſarii ad faciendum chorum eccleſiæ. In Bello-Regardo* (nobile eſt caſtrum epiſcopi) *domum ſumtuoſam & hortum, pluribus ibidem acquiſitis prædiis conſtruxit, cincturam ligneam circum majus altare Claromontis fecit. Domum vocatam de Cros, & quandam aliam domum per ipſum acquiſitas, a parte Occidentis domui epiſcopali conjunxit.* De Caroli hujus morte addit laudatus ſcriptor: *In Bello-Regardo obiens in domino XLIII. anno ſuæ ætatis migravit ad Chriſtum die XXII. menſis Februarii anno Dom. M. D. IV.*

De Montboissier.

LXXXII. Guillelmus.

Guillelmum catalogo præſulum Claromontenſium adjiciendum eſſe ſatis probant quæ diximus. Eum mortuum eſſe an. 1490. eruitur ex tertia bulla Innocentii papæ VIII. in notis commemorata.

D'Amboise.

LXXXIII. Jacobus II.

Jacobus de Ambaſia frater fuit Georgii cardinalis Rotomagenſis archiepiſcopi, qui ſub Ludovico XII. rege regni fuit adminiſter ſumma pene cum poteſtate. Porro Jacobus in Caroli mortui locum ſubrogatus eſt die 15. Martii an. 1505. aſſenſu totius capituli, accedenteque bulla Julii II. data 10. cal. Junii 1505. fratremque Georgium æmulatus, cujus magnificentiæ monumenta tot ſuperſunt Rotomagi & in multis aliis locis, ad eccleſiæ ſuæ decorem plurima contulit. Etenim eam plumbo texit, addito campanili, chorum novis ſtallis inſtruxit, elegantique lignea fabrica veſtivit, necnon pretioſis ornamentis, aulæis, picturis, aliiſque donis ad ſacram ſuppellectilem pertinentibus ditavit. Quædam quoque ad victum & ſumtus puerorum chori ſuppeditavit; & ad publicos uſus fontem coram atrio epiſcopalis palatii per canales deduxit.

ANNI CHRISTI 1505. *Sammarth.*

Inter ipſum & Jacobum a S. Nectario abbatem Caſæ-Dei graviſſima lis orta eſt, cui finem impoſuit Julius papa II. bulla data anno 1507. qua privilegia Caſæ-Dei confirmavit, volens ea illibata permanere. Eodem an. excepit homagium Amati dom. d'Apchon die 12. Jul. Pro ſuffraganeo Jacobus habuit quemdam Laurentium epiſcopum, cujus ſedis nomen difficile legitur: nam ex litteris collatorum ordinum & tonſuræ in Illidiano monaſterio aſſervatis, munia pontificalia hic obibat annis 1505. 1510. & 1515. an. vero 1516. vacante ſede, cum licentia capituli ordinationes fecit in eccleſia Clarom.

1507.

1515.

1516. *arch. S. Illid.*

Jacobus obiit anno 1516. in prioratu Paredimonialis, die 27. Decembris. Jacet Cluniaci in ſacello S. Martialis epiſcopi; nam erat ſimul abbas Cluniacenſis, imo & Gemeticenſis, necnon S. Illidii.

Du Prat.

LXXXIII. Thomas.

Thomas du Prat Iſſidiorenſis, Antonio domino de Veyneres, & Johanna de l'Aubeſpine [b] parentibus natus, abbas Candelii, & canonicus Claromontenſis receptus anno 1512. die 6. Auguſti, ſuffragiis capituli aſſumtus eſt ad patriæ ſuæ cathedram die 25. Martii an. 1517. conſecratus eſt non Avarici Biturigum, ſed Turonis in eccleſia collegiata S. Venantii, conſentiente capitulo ſancti Martini; ut patet ex litteris teſtimonialibus ejuſdem Thomæ in archivo Martiniano aſſervatis, ubi legimus conſecrationem Thomæ collatam ab ep. Lexovienſi, adſiſtentibus epiſc. Engoliſm. & Caſtrenſ.

[b]

Hic epiſcopus in ornandis pontificis ædibus multum laboravit, nec modicam conſumſit pecuniam. Idem præſtitit in ſtructura ædium caſtri de Beauregard ac de Mauzun. Præterea publici commodi gratia, fontes in urbem deduxit. A Franciſco primo in Italiam miſſus cum Renata Ludovici XII. Franciæ regis filia, Herculis Ferrariæ ducis futura uxore, Mutinæ * in Lombardia morti ſuccubuit die 19. Novemb. an. 1528. an. ætatis quadrageſimo, ſepultuſque eſt in æde ſacra S. Laurentii, uti teſtamento ſuo caverat, ſed abſque ulla pompa.

* Modenæ.

1528.

[a] Tres inveniuntur bullæ in arch. epiſc. Clarom. pro Caroli epiſcopatu, prima Innocentii papæ VIII. data Romæ apud S. Petrum, anno Incarn. M. CCCC. LXXXVIII. VI. cal. Octobr. pontificatus anno V. Carolo electo Claromontenſi, notario apoſtolico, præcentori Narbonenſi confert epiſcopatum; altera data VIII. calend. Januar. ejuſd. anni apud S. Petrum, diſpenſat Carolum in 28. ætatis anno conſtitutum, ſuper defectu *natalium ex antiſtite ac ſoluta*; tertia demum ejuſdem pontificis bulla data an. 1490. pontificatus VII. poſt deceſſum Guillelmi (quem idcirco credidit pontifex legitime electum) inſtituit Carolum ejus ſucceſſorem.

[b] Sammarthani fratres matrem Thomæ appellant Jaquelinam Boyer. At vero Thomas Boyer, vel Bouhier qui Thomam du Prat ex ſacro levavit fonte, diſerte teſtatur eum ex matre Johanna de l'Aubeſpine progenitum. Vide inter inſtrumenta. col. 100.

ANNI CHRISTI

Præſul fuit magna laude dignus, quod litteratos viros foveret, pauperes amaret, adulatorumque hoſtis eſſet acerrimus. Præterea ſpectabilis erat ob divini humanique juris peritiam. Suffraganeum habuit Petrum epiſcopum Aſcalonenſem, ſaltem an. 1522. ex S. Illidii tabulis.

DU PRAT.

LXXXIV. GUILLELMUS III.

Guillelmus du Prat Antonii cardinalis, Franciæ cancellarii & archiepiſcopi Senonenſis filius legitimus ex Franciſca * Valny, Thomæ ſuperius memorati nepos, abbas SS. apoſtolorum Petri & Pauli Mauzacenſis, prior commendatarius ſancti Petri de Rodolio *, & S. Arnulfi de Creſpiaco, patruo ſuo ſuffectus eſt die 16. Februarii anni 1528. quamvis poſſeſſionem non adierit niſi die 2. Januarii an. 1535. quod forte debet intelligi de poſſeſſione per ipſum ſumta: nam veriſimile non eſt per annos ſeptem poſt electionem ſuam, Guillelmum hunc epiſcopatum non poſſediſſe. Concilio Tridentino adfuit pontifex avitæ religionis retinentiſſimus, & Lutheri Calvinique ac aliorum contra quos coactum erat concilium hoc hoſtis infenſiſſimus. Ea de cauſa inſtitutum ſancti Ignatii de Loyola qui bellum his novatoribus indixerat, fovit maxime, ejuſque ſociis collegium dictum Claromontanum dedit Pariſiis. Duo alia iiſdem collegia dedit, Billomenſe in Arvernia inferiori, & Mauriacenſe in ſuperiori, quæ ſufficientibus bonis dotavit, non ſolum ad Jeſuitarum, ſed etiam ad plurium pauperum ſcholarium ſuſtentationem, ut liquet ex ejus teſtamento dato die 25. Junii an. 1560. in caſtro de Bello viſu, *Beauregard*. Præterea fundavit xenodochium apud Clarum-Montem, & cœnobium Minimorum prope caſtrum de Beauregard. Parthenoni de Marziaco multa bona contulit, eique tres prioratus ad ſuppeditanda ſacris virginibus neceſſaria conjunxit.

Anno 1546. R. P. Franciſcus Romeus magiſter generalis ordinis FF. Prædicatorum, ad inſtantiam Guillelmi du Prat Claromont. epiſcopi, conventum Claromontenſem univit congregationi Gallicanæ. Anno 1548. die 29. Aprilis in feſto S. Petri martyris celebratum eſt in eodem conventu capitulum provinciale, non generale, ut putat Savaro; cui capitulo dictus Guillelmus epiſcopus omnia neceſſaria liberaliter miniſtravit & conceſſit. Eidem conventui legavit XXX. libras ſuo teſtamento, quod condidit 25. Junii 1560. ex arch. hujus conventus.

E vivis exceſſit die 22. Octobris an. 1560. ætatis ſuæ anno 53. Cadaver ejus delatum eſt ad cœnobium Minimorum de Beauregard, indeque ad eccleſiam patrum Societatis Jeſu apud Billomum. Ultimus fuit qui per canonicorum electionem Claromontanam conſcenderit cathedram.

SALVIATI.

LXXXV. BERNARDUS II.

Bernardus Florentinus, Jacobum ex nobiliſſima ſtirpe Salviatea, & Lucretiam de Medicis ſororem Leonis X. ſummi pontificis, parentes habuit. Cum militiæ S. Johannis Jeroſolymitani nomen dediſſet, ea relicta clericalem eſt amplexus. Accerſituſque a Catharina Medicea, ejus fuit eleemoſynarius primus; deinde epiſcopus ſancti Papuli; demum cardinalis a Pio quarto creatur, & prætiul Claromontanus menſe Maio an. 1561. Romæ interiit an. 1568. ſepultuſque eſt in B. Mariæ ſuper Minervam. Ejus nomen inſcribitur litteris ordinum collatorum ab anno 1562. ad 14. Junii 1568. Julianum Salviati nepotem ſuum vicarium generalem creavit an. 1561.

ANNI CHRISTI 1561. 1568.

DE SENETERRE.

LXXXVI. ANTONIUS I.

Antonius de Senneterre ex linea toparcharum de Clavelier & de Fontenilles, vicarius generalis Bernardi, ei ſubrogatur die 21. Novembris anni 1570. ſolemni pompa excipitur Billomii urbiſque poſſeſſionem adipiſcitur die 7. Octobris an. 1571. Interfuit comitiis Bleſenſibus an. 1577. morte raptus eſt die 15. Sept. an. 1584. in caſtro de Beauregard, ſepultuſque eſt in eccleſia Minimorum ſubtus caſtrum præfatum, ſub odæo quod ipſe conſtruxerat. Eum fuiſſe monachum Caſæ-Dei ait noſter Claudius Eſtiennot, in hiſtoria MS. hujus monaſterii, laudatque pro hac ſententia Savaronem, in originibus Claromontanis. Quædam additamenta damus ex tabul. epiſcopali.

1570. 1571.

DE LA ROCHEFOUCAUD.

LXXXVII. FRANCISCUS I.

De illuſtri Rupifulcadiorum genere præfari quicquam ſupervacaneum videtur, quod multis a ſeculis in tota Gallia ſingulari ſplendore fulgeat. Franciſcus filius erat Caroli I. comitis Randani Francici peditatus magiſtri, ex Fulvia Pica Mirandulana, ex Mirandulæ principibus. Poſſeſſionem eccleſiæ Claromontanæ adeptus eſt die 7. Octobris an. 1585. per procuratorem Stephanum Mauguin abbatem Claromont. ſuum vicarium generalem, & per ſe tertio die Febr. 1586. Ei dicavit Johannes Savaro libros duos de eccleſiis Claromontanis, & Jacobus Sirmondus e Societate Jeſu notas in Apollinarem Sidonium, quo tempore ex hac ſede tranſlatus fuerat ad Silvanectenſem. In epiſtola nuncupatoria vir doctiſſimus docet Franciſcum ſediſſe in cathedra Claromontana per *luſtra quinque*, & omnes huic eccleſiæ prudentiſſimi vigilantiſſimique paſtoris numeros reddidiſſe; creditamque ſibi plebem cœleſtibus diſciplinis, nec verbis tantum ac ſermone, ſed ſcriptis etiam voluminibus, ut veræ pietatis magiſtrum decebat, erudiviſſe. Itaque an. 1609. hic præſul tranſlatus eſt ad Silvanectenſem eccleſiam. Multis aliis dignitatibus ornatus eſt; erat enim cardinalis, major Franciæ eleemoſynarius, Ordinum regiorum præceptor, abbas S. Genovefæ, & Trenorchienſis, ſed priorem ceſſit, ut per abbates regulares, qui uno quoque triennio eliguntur, regeretur. Sicque cœnobium hoc factum eſt caput congregationis reformatæ, cujus ſuperior generalis eſt S. Genovefæ abbas. Ejuſdem pii cardinalis curis monaſticus ordo S. Benedicti debet ſuam in Galliis reſtaurationem. Sed de his opportunius in Silvanectenſibus epiſcopis.

1586.

Sedente hoc epiſcopo Mauriaci inſtituitur ſocietas quorumdam pœnitentium ſub titulo Virginis annuntiatæ, die 24. Junii an. 1589. quam confirmavit Urbanus VIII. an. 1624. An. 1599. Capucinis

1599.

ANNI CHRISTI

Capucinis fundatur monaſterium apud Billomum, beneficio Margaritæ d'Alegre, filiæ Antonii d'Alegre baronis de Millot, conjugis domini de Beaufremont comitis de Crouſilles, favente epiſcopo, qui eccleſiam hujus conventus conſecravit die 29. Octobris 1606. Eodem anno iidem religioſi viri conventum accipiunt apud Thiernum beneficio Antonii de Culard toparchæ de Charnazel & de Treyſſonet. Anno 1608. Capucini Iſſiodorenſes fundantur extra urbem.

Rosz.

LXXXVIII. Antonius II.

Antonius Roſe theologus doctor Pariſienſis e regia Navarræ domo *, ex cathedra Silvanectenſi ad Claromontanam fuit tranſlatus anno 1609. bulla Pauli papæ V. data idib. Martii, pontif. an. v. permutatione cum Franciſco Rupi-fucaldio Randano facta; cui occaſionem dedere lites cum capitulo. Addendum quod, ut docent Sammarthani fratres, Henoticæ factioni * nomen dediſſet. Præterea, cum Regi cariſſimus eſſet Franciſcus, quem novis dignitatibus in aula volebat ornare, opportunus ei viſus eſt epiſcopatus Silvanectenſis. Nihil de Antonio legimus, niſi quod ſuo capitulo, non ſecus ac Silvanectenſi lites intentavit.

* al. Sorbona.

* La Ligue.

1614. Obiit Aureliæ die 31. Januarii an. 1614. Anno 1610. conditur conventus Capucinorum extra urbem. Recollecti fundantur Marergii (Maringues) per Claud. Thierry decanum Claromontanum an. 1613.

d'Estain.

LXXXIX. Joachimus.

Joachimus d'Eſtain filius Johannis hæredis bonorum omnium nobiliſſimæ domus de Stagno tam apud Ruthenos quam Arvernos, & Gilbertæ de Rupe-fucaldi, ex canonico & comite Lugdunenſi, necnon abbate S. Auſtremonii Iſſiodorenſis, deſignatur Claromontenſis antiſtes anno 1614. quo generalibus regni comitiis apud Pariſios interfuit. Deinde poſſeſſionem adipiſcitur per procuratorem menſe Decembri, anno vero ſequenti *, die 3. Aprilis ipſe acceſſit & in poſſeſſionem miſſus eſt ſolemni pompa.

1614.

* vel die 17. Aug. 1616.

Hoc præſule presbyteri Oratorii Domini coeperunt habitare communiter in Urbe an. 1618. Urſulanæ virgines an. 1620. prius receptæ apud Ambertum; quo etiam an. Capucini admittuntur Gannati menſe Februar. cujus conventus fabricam Antonius Ruzé marchio d'Effiat ſuis ſumtibus proſecutus eſt. Idem, qui paulo poſt fuit ſummus ærarii & rei tormentariæ præfectus ac eques torquatus, fundavit apud Effiat ejuſdem congregationis Oratorii presbyteros, conſtruxitque ac dotavit xenodochium, cujus curam dedit fratribus *Charitatis* vulgo dictis. Minimi apud Clarummontem an. 1630. fundantur, Carmelitæ diſcalceati an. 1635. ſorores hoſpitalariæ an. 1642. Moniales Ciſtercienſes, vulgo *les petites Bernardines* dictæ, ut a monialibus abbatiæ Eccleſiæ diſtinguantur, an. 1647. Virgines ſub beatæ Mariæ Elizabetham viſitantis patrocinio a S. Franciſco Saleſio inſtitutæ an. 1649. Benedictinæ ſtrictioris obſervantiæ an. 1650. Extra urbem apud Thigernum, *Thiers*, virgines Urſulanæ admiſſæ fuerant an. 1633. Anno 1630. conditur conventus Recollectorum apud Salernum, *Salers*, in ſuperiori Arvernia, beneficio Johannæ de Levis dominæ de Poſteillet de Salers comitiſſæ de Caylus. Ibidem an. 1646. die 10. Januarii admittuntur virgines, vulgo *les filles de Noſtre-Dame*, & an. 1649. in urbe Gannato. Eodem anno moniales ordinis S. Dominici recipiuntur in oppido S. Martini *de Val-Maroux* in ſuperiori Arvernia, quarum prima prioriſſa fuit Anna de la Tour de Gouvernet. An. 1650. monialis S. Benedicti apud Claromontem fundavit cœnobium ſub invocatione S. Joſeph. Eodem anno moniales a S. Franciſco Saleſio inſtitutæ, apud Billomum; & moniales Benedictinæ admiſſæ apud Salviniacum. Inchoaturque nova Cella fratrum ordinis Grandimontenſis apud Thigernum, S. Stephani inſtitutoris hujus ordinis patriam.

ANNI CHRISTI

Obiit bonus præſul in caſtro epiſcopali de Mozun die Dominica XI. Septembris anni 1650. ſepultuſque eſt in navi majoris eccleſiæ die 20. ejuſdem menſis. Cor ejus aſſervatur apud Minimos caſtri de Beauregard.

Inter varias pias fundationes ſub hoc epiſcopo factas, omiſimus parthenonem monialium Benedictinarum conditum intra domum præceptoriam ord. S. Antonii Viennenſis apud Carrofium, *Charroux*, diœceſis Claromont. a Philippa de Tianges de Moriac Benedictina. Sede vacante an. 1651. ſtabiliuntur Clariſſæ, ſive Urbaniſtæ apud Caſtrum-Odonis, annuente duciſſa Engoliſmenſi domina Caſtri-Odonis; cujus parthenonis fundator fuit Gabriel dominus de la Perchiere; prima huic præfuit Antonia de l'Hoſpital. Joachimus publicavit ſtatuta ſynodalia an. 1620. typis vulgata Arvernis.

d'Estain.

XC. Ludovicus.

Joachimus ſucceſſorem habuit Ludovicum fratrem, abbatem Bellæ-aquæ ord. Ciſtercienſis, & Annæ Auſtriacæ reginæ matri regis Ludovici XIV. a ſacris & eleemoſynis. Pariſiis conſecratur epiſcopus in collegio Navarræ die Auguſti 1651. Eiſdem menſe & anno D. Pereyret magiſter dicti collegii, officialis & vicarius generalis ab hoc epiſcopo electus, ejus nomine poſſeſſionem adeptus eſt epiſcopatus; & ipſe eodem anno 1651. more anteceſſorum, primum ſe contulit ad monaſterium S. Illidii, atque ad eccleſiæ valvas receptus eſt ab abbate ac monachis. Per biduum ibi egit, gratulationes ordinum omnium excipiens. Die Dominica prima Octobris hora 4. pomeridiana deductus eſt a monachis ad valvas monaſterii, mozeta & pileo viridi ornatus, in equo ſedens, comitantibus officiali & tribus capellanis pallio oblongo ſupra ſuperpelliceum indutis, & bireto coopertis, pariter in equo ſedentibus. Inde ad urbis portam quæ dicitur de Greſſibus, *des Greſ*, ab octingentis circiter viris armatis deducitur, ubi ſalutatus eſt ab urbis conſulibus. Tandem ad gradus majoris eccleſiæ indutus pontificalibus, a cantore, nomine capituli, cum oratione gratulatoria exceptus eſt, deinde eccleſiam ingreſſus omnia ſolito more proſecutus eſt. Obiit in palatio epiſ-

Digitized by Google

ANNI CHRISTI 1664.

copali Sabbato die 15. Martii anni 1664. anno ætatis 63. ſepultus in æde ſacra ſeminarii quod magnis ſumtibus inſtituit, cujus ope diœceſim meliorem in ordinem revocavit. Hoc in loco, ſcilicet in presbyterio, ad parietem affixum legitur breve hoc epitaphium :

Hic jacet Dominus D. Ludovicus d'Eſtain epiſcopus Claromontenſis, hujus ſeminarii inſtitutor. Obiit anno Domini M. DC. LXIV. die XV. Martii, ætatis ſuæ anno LXIII. epiſcopatus XIV.

Anno 1651. menſe Septembri fundavit Anna Gaulmin vidua Johannis Bravel, parthenonem monialium Benedictinarum in domo ſua Ventolienſi prope ſancti Porciani fanum, cujus prima prioriſſa fuit Antonia Gaulmin educta ex abbatia S. Menulphi cum nonnullis aliis. Tranſlatæ ſunt nuper ex Ventolienſi cœnobio in urbem ſancti Porciani.

Circa idem tempus pro aliis monialibus Benedictinis conditur monaſterium Silviniaci, cujus poſſeſſionem iniit domina Gabrielis Bardon prioriſſa die 29. Junii 1650. monaſterii S. Petri de Yſſodoro, *Yſeure*, alumna. In utroque viget maxime obſervantia regularis.

Ludovicus conceſſit collegium Tiernenſe presbyteris congregationis SS. Sacramenti, ut in eo philoſophiam, humaniores litteras & grammaticam doceant. Ibidem ſeminarium clericorum ab eodem epiſcopo inſtitutum; quo utroque munere præfato ſacerdotes ſumma cum laude funguntur. Legenda eſt vita D. Chriſtophori d'Authier de Silgau, ex Benedictino abbatiæ S. Victoris Maſſilienſis epiſcopi Bethleemitani, inſtitutoris hujus congregationis; quæ Lugduni proſtat apud Johan. Certe.

Urſulanæ admittuntur Marergii menſe Maio 1662. curis Ant. de Benoiſt de ſaint Port, qui etiam ſuis impenſis eccleſiam egregie adornatam ædificavit, & benedici curavit an. 1677.

Ludovico d'Eſtain annuente die 20. Novembris 1656. confirmante Ludovico XIV. rege, 7. Junii 1665. ſtabiliuntur Mauriaci ſorores ſancti Dominici e parthenone Muratenſi accerſitæ. Earumdem nova eccleſia Mariæ matri gratiæ nuncupatur an. 1702.

Hoc præſule Auguſtiniani diſcalceati in Claromontenſis urbis ſuburbio ſedes obtinuerunt an. 1656. collegiumque Societatis Jeſu ex Monteferrando urbe ad epiſcopalem urbem transfertur anno 1663. & moniales a Viſitatione B. Mariæ nuncupatæ ſtabiliuntur extra muros Thierni.

Anno 1659. inſtituuntur Urſulanæ apud Arlencum, pium opus in primis promovente Aulonenſi epiſcopo; quam inſtitutionem confirmavit ſummus pontifex an. 1671.

Uſus eſt opera Jacobi Pereyret vicarii ſui generalis ad reformandos in diœceſi mores tum clericorum tum laïcorum, cujus elogium legeſis in notis Durandi ad Savaronis origines. An. 1653. typis excuſi ſunt canones ſynodales diœceſis, & mandata hujus epiſcopi.

DE VENT D'ARBOUZE.

XCI. GILBERTUS.

Gilbertus de Veny d'Arbouze filius Gilberti equitis, domini de S. Geniez, &c. ex Magdalena de Marſac de Bayart, ultimus abbas regularis Magniloci, ubi monaſticam vitam eſt amplexus, deſignatur epiſcopus Claromontanus die 9. Aprilis anni 1664. ſacro inungitur oleo Pariſiis die 4. Septembris in baſilica regia monialium Vallisgratiæ ab Harduino de Perefixe archiepiſcopo Pariſienſi, adjuvantibus Ludovico de Baſſompierre Santonenſi, & Tuſſano de Forbin de Janſon tunc epiſcopo Dienſi, poſtea Maſſilienſi & Bellovacenſi, ac cardinali. Præſtitit ſacramentum Regi 30. Octobris. Poſſeſſionem adiit die ultima Novembris Dominica prima Adventus ejuſdem anni. Obiit die Dominica 19. Aprilis 1682. in caſtro epiſcopali de Beauregard, ſepultus in eccleſia ſeminarii die 22. cum hoc epitaphio : *Hic jacet Dominus D. Gilbertus de Veny d'Arbouze epiſcopus Claromontenſis. Obiit anno 1682. 19. Aprilis ætatis an. 74. epiſcopatus 18.* Eo præſule anno 1666. domus dicta *Refugii* in Urbe, pro ſeminarum lapſarum pœnitentia & cuſtodia fundata eſt. Anno 1674. die 16. Julii obiit ſoror Maria Paret tertii ordinis S. Dominici, cum opinione ſanctitatis. Anno 1678. apud Iſſiodorum filiæ congregationis Noſtræ Dominæ recipiuntur.

ANNI CHRISTI 1664. 1682.

Anno 1682. Johannes Gaſchier dominus de Font-gieve, cauſarum capitalium prætor in curia præſidiali Claromont. donat domum ſuam apud Clarom. fratribus *a Caritate* dictis, qui eam in noſocomium converterunt, admiſſi anno 1696. In eorum æde ſacra quieſcit præfatus fundator, qui pauperes ægrotos hujuſce noſocomii, ampli patrimonii hæredes conſtituit. Obiit 31. Martii 1716. Ibidem jacet uxor Anna de Fredefont, quæ obierat 28. Octob. 1703. pauperum inſignis benefactrix. In altera domo ſuburbana Johannis Gaſchier nuper inſtitutum eſt ſecundum clericorum ſeminarium.

CASSAGNET.

XCII. MICHAEL.

Michael Caſſagnet de Tilladet epiſcopus Matiſconenſis an. 1682. deſignatur epiſcopus Claromontenſis. Sed cum non potuiſſet bullas obtinere a ſummo pontifice, an. 1684. ad primam rediit ſponſam.

DE SAINT GEORGE.

XCIII. CLAUDIUS.

Claudius de S. George nobilis generis in pago Lugdunenſi, canonicus, præcentor & comes Lugdunenſis eccleſiæ, necnon officialis, nominatus ad epiſcopalem ſedem Arvernorum an. 1684. ante conſecrationem deſignatur archiepiſcopus Turonenſis; quam metropolim ut vicarius generalis capituli diu gubernavit. Inde vero non acceptis bullis & conſecrationis expers, migravit ad cathedram Lugdunenſem. Interfuerat comitiis generalibus cleri Gallicani Lutetiæ habitis an. 1682. vir doctrina præſtantiſſimus, & canonum peritiſſimus. Antequam fuiſſet deſignatus ad eccleſiam Claromontenſem, acceperat ſchedulam regiam pro Matiſconenſi epiſcopatu an. 1682.

1684.

BOCHARD DE SARRON.

XCIV. FRANCISCUS II.

Franciſcus Bochard de Sarron ex nobili familia

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

non ſolum ſenatoria ſed etiam patricia ortus, quæ præcipuis togæ dignitatibus fulſit, dedit enim ſupremo Galliæ ſenatui principem, deſignatus eſt epiſcopus Arvernorum menſe Maio anni 1687. inauguratus eſt die 31. Auguſti anno 1692. ab Auſcienſi archiepiſcopo, adſiſtentibus Bayonenſi & Tarbeienſi epiſcopis. Die 13. Decembris ejuſdem anni pro ſolemni ingreſſu acceſſit ad monaſterium S. Illidii die Dominica qua celebratur feſtum tranſlationis S. Illidii. Novus epiſcopus interfuit miſſæ ſolemni a R. P. abbate celebratæ, in cujus fine abbas benedictionem dedit ſiniſtra gerens pedum. Quinque diebus tranſactis in monaſterio S. Illidii, præſul ſolemni pompa urbem & eccleſiam ingreditur die 18. Decemb. feria v. & ſolitum canonicis præſtat ſacramentum.

Sub hoc præſule fundantur in urbe ſorores Caritatis Chriſtianæ a clariſſimo viro Carolo de Ribeyre primo præſide in ſuprema ſubſidiorum curia Claromon-ferrandenſi, & N. de Laire in ea-
1702. dem curia ſecundo præſide, anno 1702. Non ſunt ex inſtituto venerabilis patris Vincentii a Paula, quamvis ab ipſius alumnarum pietate non diſcrepent. Accerſitæ autem ſunt ex urbe Nivernenſi, & jam in diœceſi Claromontana pullulant: ſunt enim receptæ apud Anaziacum, *Aynezat*; apud Gerziacum parochiam a S. Illidio pendentem; in oppido de Mouton, anno 1707. in oppido d'Aubiere, anno 1711. Porro aliæ ſorores a Vincentio de Paule inſtitutæ ſunt etiam in urbe, ſerviuntque in noſocomio S. Joſephi fundato anno 1700. Obiit anno 1715. undecima Auguſti, hora poſt meridiem tertia, ſepultus eſt in ſuperiori parte chori die 13.

ANNI CHRISTI

D'ILLIERS D'ENTRAGUES.

XCV. LUDOVICUS.

Ludovicus d'Illiers d'Entragues Regi ab elee-moſynis, nominatur epiſcopus Claromontenſis. At menſe Octobri an. 1717. datur ſucceſſor Franciſco Ludovico de Polaſtron epiſcopo Lactorenſi nuper mortuo. Claromontenſis autem epiſcopus deſignatur Camillus le Tellier, Sorbonæ doctor, abbas Burgulii & bibliothecæ regiæ præfectus, qui ſe excuſatum haberi rogavit. Itaque

MASSILLON.

XCVI. JOHANNES BAPTISTA.

Johannes Baptiſta Maſſillon, presbyter congregationis Oratorii, verbi divini præco celeberrimus, necnon Regi a ſacris concionibus, deſignatur epiſcopus Claromontenſis die 6. Novemb. an. 1717.

In charta quadam Maſciacenſis monaſterii, quæ nullas præfert notas chronologicas occurrit Simon Arvernorum epiſcopus; cui locum aſſignare nonniſi divinando poſſumus.

PRÆPOSITI CLAROMONTENSES.

I. ODO ſubſcripſit chartæ Adalardi epiſcopi, qua S. Victoris eccleſiam ſuo concedit capitulo menſe Decembrio, anno XIII. regnante Carolo rege, nimirum Carolo dicto Simplici, hoc eſt anno Chriſti 905.

II. Bernardus ſub Stephano II. epiſcopo, medio circiter ſeculo decimo *, legitur ſubſcriptus in charta pro monaſterio Celſinianenſi.

* an. 936.

III. Euſtorgius an. 1016. tempore Stephani epiſcopi.

IV. Giraldus I. tempore ejuſdem Stephani ep. ſubſcribit donationi quam Helias fecit eccleſiæ matri, in menſe Aprili, ſub die Jovis Luna v. an. XXI. regnante Rotberto rege.

V. Iſterius poſt Stephanum IV. epiſcopum confirmat anno Chriſti 1021. quandam donationem a Radulfo abbate factam.

VI. Stephanus I. anno 1030. & 1035. Stephano abbate, Roberto decano.

VII. Amblardus in charta Renconis epiſcopi, anno Dom. 1035. indict. III. regnante Henrico rege, in dono facto eccleſiæ majori.

VIII. Stephanus II. anno X. Henrici Francorum regis, hoc eſt anno 1040. vel 1041. Idem poſt Renconem epiſcopum ſubſcribit chartæ donationis factæ a Willelmo Arvern. comite eccleſiæ Claromont. Henrico rege regnante, circa 1050. Pervenit uſque ad tempus Alexandri papæ II. ut patet ex charta fundationis capituli Enneziaci; ſimulque erat epiſcopus Anicienſis; ille haud dubie qui cognominatur in Gallia Chriſt. Sammarth. *de Mercorio*.

IX. Ugo vel Hugo I. in charta Stephani Arvernorum epiſcopi, menſe Januario, die Mercurii Luna I. indict. II. regnante Philippo rege anno v. hoc eſt anno Domini 1065. Item in alia charta menſe Junio feria III. Luna VIII. regnante Philippo rege.

X. Robertus præpoſitus Clarom. ſubſcribit diplomati Philippi regis confirmantis ceſſionem abbatiæ Mauzacenſis factam Cluniacenſibus, tempore Hugonis abbatis anno 1095. ex charta Mauzaci & bibliotheca Cluniac. pag. 533. vide inſtrumenta.

Prob. hiſt. Arvern. Baluz. pag. 48.

C. XLIV. col. 110.

XI. Hugo II. ſubſcribit cuidam chartæ cum Durando epiſcopo & Hugone decano circa annum 1095. adhuc occurrit in chartis an. 1097. Hoc loco poni debet vir ille venerabilis ſimul archidiaconus & præpoſitus Claromontenſis, qui factus eſt monachus Majoris-monaſterii tempore Guillelmi abbatis, qui ſedebat ineunte 12. ſeculo; præterea in hiſtoria hujus converſionis notatur tunc monachum fuiſſe in Majori-monaſterio Garnerium, *qui poſtea fuit abbas*; at poſt Willelmum abbatem, elapſis 17. circiter annis, Garnerius abbas fuit ordinatus. Lege hanc hiſt. biblioth. Labb. tom. 2. pag. 741. ubi mira narrantur de humilitate & ſanctitate hujus anonymi quondam præpoſiti Claromont.

XII. Petrus I. de Camaleria ſubſcribit chartæ

Digitized by Google

compoſitionis factæ ab Aimerico Arvernorum epiſcopo, cum monachis Celſinianis, an. 1131. Idem reperitur in chartis Cluniacenſibus, Silviniacenſibus, Cantogilenſibus, uſque ad annos 1147. ac 1149. De eo legitur in necrologio S. Andreæ Claromontenſis; *XVI. Febr. commemoratio Petri præpoſiti Claromont. eccleſiæ, fundatoris hujus eccleſiæ.*

XIII. Stephanus III. præerat tempore Stephani Arvernorum epiſcopi.

XIV. Guillelmus I. d'Auvergne, Roberti Arvernorum epiſcopi patruus, an. 1183. cum eodem interfuit viſitationi corporis S. Stremonii in cœnobio Mauziacenſi anno 1197. Idem cum G. decano ſubſcripſerat chartæ conceſſionis domus hoſpitalis Montis-Pancerii factæ Willelmo priori, & fratribus de Lacu-Rubeo anno 1193. ind. x. Memoratur in hominio facto a Pontio de Captolio an. 1195. Roberto electo Clarom. In vivis adhuc erat anno 1207. menſe Novembri, ex charta Roberti epiſcopi, quam habes in inſtrumentis hiſt. Arvern. Baluzii pag. 73. ſimulque recenſentur Guillelmus abbas & G. decanus.

XV. Guillelmus II. d'Auvergne anno 1219. menſe Novembri, ex archivis eccleſiæ Clarom.

XVI. Hugo III. de Turre ſubſcribit inſtrumento compoſitionis factæ inter capitulum Claromont. & Willelmum dominum de Baffia, opera Roberti Arvernorum epiſcopi, anno Domini 1221. menſe Maio. Componit controverſiam inter fratrem Boſonem præceptorem domorum S. Antonii in Arvernia, & Beatricem relictam D. Odonis an. 1224. ex inſtrum. S. Antonii Montis-ferrandi. An. 1226. menſe Decembri Guillelmus de S. Rom. ipſi reddit hominium. Adhuc præerat an. 1227.

XVII. Guillelmus III. in arch. eccleſiæ an. 1230. die 25. Junii, & 1234. Forte idem ac G. de Cros præpoſitus Clarom. memoratus in charta R. comitis Clarom. an. 1240. qua recognoſcit ſe habere in feudum epiſcopi & eccleſiæ Clar. caſtrum Camaleriæ; quo etiam an. recognovit feudum de Verninas, R. comiti Clarom.

Baluz. ibid. pag. 266.

XVIII. Guillelmus IV. Odonis in tabulis Cantoenenſibus præpoſitus legitur an. 1251. menſe Maio. Item reperitur in litteris fratris Guidonis Arvernorum epiſcopi datis die Martis poſt Pentecoſten Guillelmus præpoſitus, anno 1273. Utrum vero ſit idem cum Guillelmo Odonis & G. de Cros non audeo definire.

XIX. Ægidius Aycelini erat præpoſitus & cantor eccleſiæ Claromont. an. 1283. Fuit collector decimarum a Johanne H. S. Cœciliæ presbytero cardinali apoſtolicæ ſedis legato deputatus 1284. menſe Auguſt. reperiturque in charta Camalerienſis eccleſiæ. Judex & arbiter an. 1288. eligitur omnium controverſiarum, quæ oriri poſſent ſuper conventionibus matrimonialibus inter Henricum comitem Ruthenenſem patrem Iſabellæ, & Robertum comitem Claromontenſem qui eam ducebat. Fuit miſſus a Philippo IV. Francorum rege, ad Nicolaum papam ad efflagitandam decimam eccleſiaſticorum bonorum ex ejuſdem Regis litteris an. 1289. in craſtino Nativitatis Dom. Fuit poſtea archiep. Narbon. an. 1290. ac Rotom. 1311. necnon regni ac Regis ſigillifer. De eo vide inſtrumenta C. xx. col. 91.

Baluz. ibid. pag. 291.

Not. ad vit. paparum Aven. col. 11.

XX. Johannes Aycelini cui Ægidius ejus frater factus archiepiſcopus Narbonenſis, præpoſituram tranſcripſit. Fuit exſecutor teſtamenti Ademari Clarom. epiſcopi, ex ſchedis D. Jac. Boyer.

XXI. Rollandus [a] recipit juramentum Petri du Cros, *al.* du Croc epiſcopi 16. cal. Septemb. 1302. Subſcripſit chartæ unionis eccleſiæ ſancti Saturnini factæ ab Arberto Aycelin epiſcopo an. 1313. Electus [b] fuerat epiſcopus mortuo Petro de Cros epiſcopo; at ceſſit Arberto æmulo. In necrologio legitur *VII. cal. Junii obiit Rollandus Gros quondam præpoſitus Claromon. qui legavit duas lib. panis & vini.*

Arch. eccl. Clarom.

XXII. Raynaldus de Mezet 1321. indict. v. Item 1324. & 1326. die ultima Febr.

XXIII. Geraldus II. de Croſo interfuit ſacramento Raimundi des Prez, *al.* Deſpects, epiſcopi an. 1337. Item 1339. ind. VII.

XXIV. Radulfus de Cros canonicus 1345. poſtea præpoſitus. De eo Savaro in originibus Claromont.

XXV. Guido I. de Borbonio.

XXVI. Guillelmus V. de Thierno anno 1405. die 4. Decemb. ind. XIV. Benedicti papæ XIII. duodecimo, idem eſt ac Guillelmus qui legitur cum Henrico epiſcopo in charta Cuſſiacenſis parthenonis an. 1407. Item in actis capituli ejuſdem anni die penultima Julii, ubi nuncupatur *nobilis & honorabilis vir.*

XXVII. Guido II. *Guyot*, de Turre, ſimul abbas, anno 1411.

XXVIII. Petrus II. de Turre an. 1418.

XXIX. Jacobus I. de Comborn, dictus de Treignac, canonicus & præpoſitus Clarom. Regis conſiliarius in ſenatu Pariſienſi, a capitulo Clarom. ad conventum Bituricenſem miſſus pro pragmatica Sanctione. Ab eodem capitulo electus eſt in epiſcopum anno 1444.

XXX. Guillelmus VI. de Turre 1463.

XXXI. Guillelmus VII. de Doyac an. 1466. litem habuit adverſus Georgium Piquete ob merces venditas in loco ſacro.

XXXII. Jacobus II. præpoſitus an. 1475. 1477.

XXXIII. Claudius I. de Doyac, abbas Valetæ, creatur epiſcopus S. Flori 1482.

XXXIV. Jacobus III. an. 1484. deſinente, & 1485. ineunte.

XXXV. Guillelmus VIII. de Mont-boiſſier protonotarius apoſtolicus & ſenator Pariſienſis 1485. obtinebat præpoſituram. Deſignatur epiſcopus a ſuo capitulo cal. Octob. 1488. at cogitur cedere Carolo de Bourbon, cui Rex favebat.

XXXVI. Guido III. de la Tour d'Auvergne, anno 1490.

XXXVII. Carolus de Beaufort de Canillac

[a] Erat nepos Hugonis cardinalis Aycelini dicti de Billomo. Ex charta XXXVIII. Prædicatorum Claromont.

[b] Electus fuit a Johanne de Fargetis canonico, qui contendebat electionem ad ſe ſolum pertinere; forte quod ſoret *hebdomadarius* hoc tempore. Vide quæ diximus ſupra in Petro & in Arberto ejus ſucceſſore.

Digitized by Google

1491. cum ipſi ceſſiſſet ſuum jus Raimundus A Jacques in capitulo die Sabbati 23. Maii.

XXXVIII. Guillelmus IX. de Benaud 1515. 1517. 1525. 1528. canonicus & præpoſitus Clarom. abbas commendatarius S. Amabilis Ricomagenſis & prior Portus-Dei, necnon vicarius generalis Jacobi de Ambaſia epiſcopi Clarom.

XXXIX. Marqueſius de Mont-boiſſier decanus & ſenator Pariſienſis, eligitur in præpoſitum die Sabbati 21. Nov. an. 1528. poſt obitum Guillelmi de Benaud. Adhuc præerat an. 1533.

XL. Philibertus de Chazeron.

XLI. Antonius du Bos obiit 26. Febr. 1553. B

XLII. Blazius Ciſtel ex baronibus de la Garde de Bort, ac vice-comitibus de Montglandier, frater Petri Ciſtel vicarii generalis & officialis Guillelmi du Prat epiſcopi Clarom. cujus erat conſanguineus, eligitur præpoſitus a capitulo eccleſiæ cathedralis, præſidente præfato Guillelmo du Prat epiſcopo die Martis 27. Februarii 1553. erat hic abbas B. Mariæ de Quadraginta, necnon prior ac dominus Godeti diœceſis Anicienſis.

XLIII. Annetus de Lachenal Elizabethæ conjugi Caroli IX. Francorum regis ab eleemoſynis.

XLIV. N. de Valois, an. 1571.

XLV. Jacobus IV. de Veyni d'Arbouze nobilis Arvernus, filius Michaëlis præfecti domus Franciſci ducis Andium fratris Regis, ex Petronilla de Marillac, fuit præpoſitus Claromontenſis. Poſtea ceſſit præpoſituram Petro du Croc, & factus eſt monachus, major prior, demumque abbas Cluniacenſis. Ceſſione facta hujus abbatiæ cardinali de Richelieu, fuit abbas Magnilocenſis & prior de Rivis, *Ris*, ubi ſepultus eſt.

XLVI. Petrus III. du Croc.

XLVII. Jacobus IV. du Croc abbas S. Gilberti Novem-fontium 1671.

XLVIII. Henricus Gilbertus de Veyni d'Arbouze, nepos Gilberti epiſcopi Claromont. filius Gilberti & Franciſcæ de Belveſe, prius canonicus S. Amabilis, theſaurarius S. Capellæ Aquarum-Sparſarum, & canonicus comeſque S. Juliani Brivatenſis. Obiit die 20. Novembris an. 1704.

XLIX. Claudius II. de Laire patria Claromontanus, filius Michaëlis in curia ſubſidiorum ſenatoris, nepos N. de Laire ejuſdem ſenatus principis, theologiæ & utriuſque juris doctor, electus eſt præpoſitus a capitulo an. 1709. præeſt hoc an. 1717. eſtque vicarius generalis ſede vacante.

ABBATES IN ECCLESIA CLAROMONTENSI.

PROFERTUR quædam charta Adalardi Arvernorum epiſcopi, in qua ſubſcripſerunt quatuor abbates, Geraldus, Giraldus, Regenaldus, & Adalardus. Hos fuiſſe abbates ſeculares Claromontenſis eccleſiæ nonnulli contendunt, qui ſucceſſive hac in dignitate fuerunt conſtituti; ſed id nec probatur, nec veriſimile videtur. C

Idem dico de Aymoino, Rotberto & Stephano abbatibus anno 958. ind. 11. notatis in teſtamento Stephani Arvernicæ ſedis epiſcopi. Iis igitur omiſſis, alios longe certiores proferamus. D

I. RADULFUS de quo hæc in charta Clarom. *v. nōn. Martii, id eſt tertium diem poſt cal. obiit Radulphus abba & Levita ..... Theodoſianus nos inſtruit codex, ut quicunque nobilis perſona aliquid de hereditatibus Deo aut cuilibet mortali largiri voluerit, firmiſſimam habeat libertatem ..... Quapropter ego enim in Dei nomen Radulfus abba, cedo aliquid de rebus meis propriis reverentiſſimis & dulciſſimis .... ad canonicis beatæ Mariæ Arvernæ ſedis, & beatorum* E *martyrum Agricolæ atque Vitalis, dimitto in communia de alode meo in villa Preſſiago ..... Firmamus hanc donationem in præſentia domini Stephani epiſcopi, & Icterio præpoſiti, & Arberto abbati, & ceterorum canonicis.*

Signum Stephani epiſcopi. S. Icterii præpoſiti. S. Arberti abbati. S. Rotberti vicecomiti, &c.

Datum die Sabbati mediante Octobrio annos xxv. regnante Rotbertus rex.

Charta hæc alio tempore ſcripta fuit a Radulfo, vel ab aliquo ipſo dictante; alio fuit confirmata ſubſcriptionibus. Neque enim eodem tempore fuerunt abbates Radulfus, & Arbertus, cum hic Radulfi litteris ſubſcripſerit ut abbas ejus loco factus. Annus 25. Roberti regis illigatur cum anno Chriſti 1021. Stephanus qui tunc Arvernenſem regebat eccleſiam, erat hujus nominis quartus.

II. Arbertus abbas menſe Aprili ſub die Jovis, Luna v. anno xxi. regnante Roberto rege; & anno 25. regnante eodem Roberto. Vide ſupra. Item in Stephano Arvern. epiſcopo.

III. Stephanus II. an. 1035. 1040. 1041. 1054. Subſcripſit donationi eccleſiæ S. Juliani de Bombiaco quam Petrus conceſſit eccleſiæ Arvern. tempore Renconis epiſcopi die Mercurii III. cal. Jan. regnante Henrico Francorum rege.

IV. Hugo I. an. 1090.

V. Atto tempore Duranti & Willelmi epiſcoporum, notatur in archivis an. 1100.

VI. B. ſub Stephano de Mercorio epiſcopo anno circiter 1151.

VII. Guillelmus 1183. ex charta Caſæ-Dei.

VIII. Bertrandus de Murol an. 1203. in chartulario S. Illidii.

IX. Guillelmus d'Aubuſſon in charta Rotberti epiſcopi an. 1207. vide in Guillelmo I. præpoſito.

X. B. 1211. forte Bartholomæus, qui legitur adhuc an. 1218. vide in P. de Cros decano.

XI. G. an. 1218.

XII. Bertrandus 1230. ſedente Hugone epiſc.

XIII. A. abbas 1234.

XIV. Ludovicus I. de Royre eligitur exſecutor

Digitized by Google

teſtamenti Beraldi canonici Claromont. & abbatis Secureti Anic. dioec. an. 1252. menſe Martio. Vide Savaronem de eccleſiis Clarom. num. III.

XV. Hugo II. de Turre an. 1255. Guidone de Turre epiſc. Clar. cujus teſtamenti exſecutor inſtituitur an. 1286. Simul erat ſeneſcallus Lugdun.

XVI. Petrus de Palatio cellerarius quondam venerabilis viri domini Hugonis de Turre abbatis Claromontenſis, donat omnia bona ſua monaſterio ſancti Illidii per ſuum teſtamentum, anno M. CC. LXV.

XVII. Johannes [a] Aycelini fit abbas poſt Hugonem diplomate pontificio Nicolai papæ dato Romæ apud S. Mariam-Majorem III. idus Decembris, anno primo ſui pontificatus 1287. cum diſpenſatione obtinendi ſimul abbatiam S. Geneſii & præbendas in eccleſiis Billomenſi & Camalerienſi. Poſtea fit epiſcopus.

[a] Fuit hic Johannes magnus ſacerdotiorum helluo; nam erat præpoſitus & abbas in eccleſia Clarom. abbas S. Geneſii, prior de Vernegia, canonicus eccleſiæ Clarom. S. Geneſii, Billomenſis, Camalerienſis, Belvacenſis. Habetur quoque in archivis Dominicanorum Clarom. diploma pontificium Nicolai papæ IV. datum apud Urbem-Veterem V. idus Maii pontificatus Nicolai an. IV. quo confert Johanni Aycelini canonicatum in eccleſia B. Mariæ Anicienſis vacantem per liberam reſignationem Ægidii Aycelini Narbon. archiepiſcopi. Idem Johannes ex bulla diſpenſatoria Cœleſtini papæ V. data Averſæ II. nonas Novembris pontificatus anno I. obtinuit canonicatus ſeu præbendas in eccleſiis Narbonenſi, Laudoſienſi & S. Mariæ Orcivallis, necnon prioratum de Marcilliaco prope Billomum. Annoque 1295. obtinuit abbatiam S. Aphrodiſii Biterrenſis, Landoſum, *Lezoux*, eſt eccleſia collegiata S. Taurino Ebroicenſi dicata, prope Billomum. Orci-vallis eſt quoque eccleſia eo legiata diœceſis Clarom.

XVIII. Stephanus notatur an. 1302. in juramento Petri Clarom. epiſcopi. Is eſt Stephanus Chauſiti abb. Clarom. die Sabbati poſt feſtum S. Petri ad vincula, an. Dom. M. CCC. III. in charta Camalerienſi. Idem anno M. CCC. XI. & M. CCC. XVII. die Veneris in feſto beatæ Mariæ Magdalenæ ab A. * Claromontenſi epiſcopo deputatus legitur. Item anno M. CCC. XXII. ab eodem epiſcopo legatus mittitur.

C. XXI. col. 92.

* Arberto. *Ibid.*

XIX. Bernardus an. 1337. ex Mabill. Annal. tom. III. pag. 436.

XX. Guillelmus II. 7. Aprilis 1339. ind. VII. pontificatus Benedicti XII. an. V. Forte Guillelmus de Orto qui teſtis fuit juramenti præſtiti a Raimundo epiſcopo, die 30. Jan. 1337. ubi præcedit decanum eccleſiæ Clarom.

XXI. Petrus Fabri abbas & ceteri canonici accipiunt homagium a nobili viro Guillelmo Ebraldi domicello domino de Monte-Spendonio & de Confolent in parochia de Olby die 27. Febr. 1397. Idem an. 1398.

XXII. Guido, *Guyot*, de Turre, canonicus, abbas & præpoſitus eccl. Claromontenſis, a Bernardo Lingonum epiſcopo ſuo patruo inſtitutus heres, obiit an. 1411.

Baluz. hiſt. Arv. pag. 319.

XXIII. Pontius de Langeac 1437. ex arch. S. Geneſii Clarom.

XXIV. Petrus II. de Langeac 1443.

XXV. Pontius de Langeac 1447.

XXVI. Antonius de Langeac canonicus Pariſienſis & Claromontenſis, conſiliarius in ſenatu Pariſienſi, a Ludovico XII. Francorum rege legatus ad Venetos 1505. erat abbas Claromont. 1459. 1467. 1495. 1505. Plurimas fecit pias fundationes in eccleſia Claromontenſi. Hoc ejus epitaphium in eccleſia Clarom. legitur:

Quiſquis hic intactas divæ Genitricis ad aures
Doctus vota facis congeminaſque preces,
Ut finem dederis, greſſum rogo ſiſte parumper,
Et flectens oculos huc quoque verte pios.
Langiacus claudor monumento Anthonius iſto
Editus inſigni conſpicuaque domo.
Quem decretorum præclara licentia docto
Munivit titulo conſtituitque gradu.
Sedis apoſtolicæ mox prothonotarius, auri
Nomen & excrevit gloria lata michi,
Canonicus ſiquidem ſed & abbas hoc venerando
Prælatus ſulſi non ſine laude chori.
Præpoſituſque ſacra Juliani in martyris æde
Quæ Brivatea cernitur urbe fui;
Magnique Antonii generalis Frugeriarum
Præceptor ſolers ædituuſque ſacer,
Virginis & rexi granatia templa parentis,
Et Bonebaldanis civica jura dedi.
Nunc jacco Clari claro cum antiſtite montis,
Qui cum Martino præſule nomen habet,
Cognomen Gouge, agnomen Charpanius illi,
Quique meæ frater matri uterinus erat.
Partem hanc canonici michi permiſere benigni
Exangue ut digno corpus honore cubet.
Tu rogita jugis mens libera pace quieſcat,
Hoc abs te tantum lector amice peto.

XXVII. Johannes de Langeac canonicus præbendatus & abbas eccleſ. Claromont. necnon S. Gildaſii dioeceſis Nannetenſis 1517. 1529. menſe Decembri.

XXVIII. Ludovicus II. Chabanier ſenator Pariſienſis, erat canonicus & abbas Claromont. an. 1535. quo excepit ſacramentum Guillelmi du Prat epiſcopi.

XXIX. Guillelmus III. d'Oultre a capitulo abbatialem dignitatem recepit vacantem per obitum Ludovici Chabanier an. 1557. Simul erat abbas Cantoenſis an. 1560. Permutavit cum ſequenti.

XXX. Stephanus IV. Mauguin jurium doctor, primum cantor & canonicus Clarom. tandem abbas an. 1571. in poſſeſſionem admittitur. Fuit vicarius generalis ſub quatuor epiſcopis, & ſede vacante a capitulo deputatus an. 1584. interfuit ſynodo provinciali Bituric. Ejus elogium vide apud Savaronem.

XXXI. Georgius Ferrieres mortuo Stephano ſubrogatur a capitulo die 17. Aprilis 1589.

XXXII. Alexander de la Rochefoucauld eodem an. die prima Maii.

XXXIII. Renatus de la Ferté.

XXXIV. Annetus Mangot in ſupremo ſenatu Pariſ. conſiliarius, fit abbas per ceſſionem liberam Renati de la Ferté in manus capituli die Martis 24. Aprilis an. 1601.

XXXV. Johannes Veiſſier bachalaureus in decretis obtinet abbatis dignitatem per Anneti ceſſionem, capitulo eam conferente pleno jure die Mercurii 27. Febr. an. 1613. obiit an. 1637.

XXXVI. Franciſcus Champflour filius Geraldi in ſuprema ſubſidiorum curia ſenatoris & N. Taillandier, canonicus Clarom. in utroque jure

Digitized by Google

licentiatus, & in curia Claromontenſi conſiliarius clericus, providetur a capitulo de abbatia vacante per obitum Johannis Veiſſier, die 20. Junii 1637. In cujus poſſeſſionem admittitur die 22. ejuſd. menſis. Obiit 1682.

XXXVII. Stephanus V. Champflour, filius Johannis conſiliarii in ſubſidiorum curia, & Mariæ Fayet, licentiatus Sorbonæ, Franciſci nepos, eidem ſucceſſit per reſignationem. Fuit vicarius generalis capituli ſede vacante, necnon epiſcopi. Domum abbatialem reædificavit magnis ſumtibus. Nominatur ad Rupellenſem epiſcopatum calend. Januarii 1703. & reſignavit nepoti.

XXXVIII. Johannes Baptiſta Champflour, filius Blaſii ſenatoris in ſubſidiorum curia, & Helenæ de Laire, doctor Sorbonicus, abbatiam obtinuit an. 1703. vivit hoc an. 1717.

Sequentibus abbatibus minime poſſumus locum aſſignare.

Hugo abb. filius Beatricis in veteri libro anniverſariorum in quo ſequentes abbates reperiuntur.

VIII. cal. Martii anniv. Bertrandi de Murol ab. Clarom.

VII. Idus Auguſti anniv. Amedii abbatis Claromont.

Idibus Sept. anniv. Hugonis de Turre Clar. abb. pro quo debet capitulum facere preces, oblationes & claſſica; & reſiduum debet librari..... librantur XL. ſolidi pro dom. Hugone de Turre abbate quondam Clarom. & ſeneſcalco Lugdunenſi.

VII. Idus Decembris anniv. W. d'Albuſſo abb. quondam Clarom.

Idibus Sept. anniv. H. de Turribus quondam abb. Clar. pro quo fiunt preces, oblationes & claſſica per capitulum.

Ex necrologio ſanctæ Andreæ Clarom.

VI. Febr. commemoratio D. Bertrandi de Murol Claromontenſis abbatis, & infra:

XII. Febr. obiit D. Bertrandus de Murol Clar. eccl. abbas.

In clauſtro S. Andreæ ord. Præmonſtratenſis legitur hoc epitaphium in lapideo cœnotaphio ſculptum:

Bertrandus Murol jacet hic abbas Claromontis,
Nil ..... intus ruſticitatis habens;
Sic circumſpectus, ſic re moderatus in omni
Ut nichil abſque modo crederet eſſe decens.

In necrologio majoris eccleſiæ ſuperius laudato notatur obitus Chatardi abbatis.

DECANI CLAROMONTENSES.

I. SALOMON reperitur decanus an. 924. in charta Brivatenſis eccleſiæ.

II. Robertus decanus nominatur in inſtrumento eccl. Clarom. an. 21. regnante Roberto rege, vide in Giraldo præpoſito. Subſcribit cuidam chartæ Willelmi comitis Arverniæ, ejuſque uxoris Philippiæ tempore Renconis epiſcopi, qui ſedit ab an. circiter 1028. ad 1052. Videtur idem cum Roberto Arvernenſi decano, qui in chart. Celſinienſi dicitur avunculus Euſtorgii, a quo eccleſia S. Flori Cluniacenſibus, & monaſterio Celſinienſi eſt tradita. Utrum idem ſit ac Robertus decanus notatus in charta an. 34. regnante Henrico; & Robertus qui ſubſcripſit donationi, ab Heldino Willelmi & Ricardis filio factæ in communia fratrum ſanctæ matris eccleſiæ Arvernenſis ſervientium, menſe Octobrio, regnante Philippo Francorum rege, ignoramus.

III. Fulco decanus præſens recenſetur in dedicatione eccleſiæ S. Timothei & S. Crucis Bredonenſis apud Arvernos an. 1095. cujus monaſterioli hiſtoriam collegit D. Claud. Eſtiennot, ex chartis originalibus.

IV. Hugo I. ſubſcribit inſtrumento fundationis eccleſiæ ſeu ſacelli S. Nicolai de Clauſtro, poſt Durantum epiſcopum Clarom. Hugonem præpoſitum, Attonem abbatem menſe Junio feria 3. Luna 8. annus non notatur.

V. Ademarus I. ſubſcribit litteris Willelmi epiſcopi dantis eccleſiæ B. Mariæ Clarom. & canonicis eccleſiam ſancti Martini Dalz Olmas, & villam de Grenoillas; ſubſcribit cum eo Ato abbas. Chartæ deſunt notæ chronicæ, ſed data eſt an. circiter 1100.

VI. G. nominatur in inſtrumento electionis Roberti d'Auvergne an. circiter 1196. quam poſtulavit cum capitulo confirmari ab archiep. Bituric.

VII. Anſelmus I. decanus ſubſcribit donationi baſilicarum duarum Veteris-Brivatæ, eccleſiæ ſancti Saturnini, &c. factæ a Durando epiſcop. Claromont. Petro de Chavanon fundatori cœnobii Piperaci anno circiter 1060. ex tabular. cœnobii.

VIII. Hugo II. ſubſcribit chartæ de capella S. Nicolai, vivebatque tempore Duranti epiſcopi, ex tabulis eccl. Clarom. *Prob. hiſt. Arv. pag. 254.*

IX. Anſelmus II. decanus legitur tempore Guillelmi de Baffia epiſcopi Clarom. circa an. 1096. Item Anſelmus decanus ſubſcribit litteris ejuſdem epiſcopi pro S. Portiano an. M. C.

X. Ademarus II. Noſter D. Jacobus Boyer dicit Ademarum decanum ſubſcripſiſſe donationi eccleſiæ S. Martini de Ulmis de qua locuti ſumus in Guillelmo de Baffia epiſcopo, & in altero inſtrumento an. 1100. Forte hic eſt Ademarus qui tempore Aimerici epiſcopi notatur in charta Caſæ-Dei an. IIII. An. 1117. cal. Septembris conſentit donationi eccleſiæ S. Laurentii Alſonenſis, quam Aimericus ceſſit Caſæ-Dei. Vide in hoc epiſcopo.

Idem decanus in charta Piperacenſi & alia Arthonæ an. 1118. nominatur.

XI. Petrus I. poſt Aimericum epiſcopum ſub-

ſcribit chartæ an. 1137. ind. XV. x. cal. Maias, ex tab. Cantogilenſi.

XII. G. ſubſcribit dono domus hoſpitalis Montis-Pancerii an. 1193. Vide in Stephano tertio præpoſito. Idem decanus teſtis in charta Delphini comitis Arvern. oppignerantis epiſcopo Claromontano caſtrum Camaleriæ, menſe Decembri an. 1196. Notatur in multis aliis inſtrumentis a Baluzio editis ab an. 1195. ad 1207. Vide in Guillelmo I. præpoſito. Attamen noſter D. Jacobus Boyer in tabulis epiſcopatus obſervavit S. decanum legi in hominio quod præſtitit Pontius de Chapteuil Roberto electo Clarom. &c. menſe Feb. 1195. Forte lapſu calami ſcriptum fuit S. pro G.

Prob. hiſt. Arv.

Bal. pag. 262. ibid. pag. 71.

XIII. Guillelmus I. archidiaconus Clarom. & Petrus Parent canonicus S. Geneſii de decanatu contenderunt ineunte ſec. XIII. pro qua dirimenda lite Innocentius papa III. inſtituit cognitores & judices Hugonem d'Anglars abb. Caſæ-Dei, & abbatem Novem-fontium ordin. Præmonſtr. vide in Hugone abbate Caſæ-Dei qui obiit IV. id. Oct. 1203.

XIV. Geraldus vel Girardus de Cros, alias Wlgrini, poſtea archiepiſcopus Bituricenſis an. circiter 1209.

XV. Guido I. frater Geraldi de Cros archiep. Bituric. memoratur in charta ejuſdem Geraldi, de partitione bonorum ſeu hereditatis inter ſuos fratres, data menſe Julio an. 1213. ex probat. hiſt. Alverniæ Baluzii pag. 254.

XVI. P. frater Ademari de Cros, nepos Geraldi & Guidonis præfatorum, decanus dicitur in laudata charta, cujus teſtis fuit. Is eſt Petrus qui in chartario archiepiſcopi Bituricenſis notatur ad an. 1215.

XVII. P. de Cros decanus, & G. archidiaconus tranſigunt cum G. de Cros, & W. de Murat fratribus, an. M. CC. XVIII. menſe Octobri, teſtibus Bartholomæo abbate Clarom. & P. abbate S. Geneſii. In iſta conventione notatur quod P. de Murat frater G. archiepiſc. Biruricenſis, ſit pater G. & W. fratrum ſupra memoratorum, & quod dictus P. decanus habuerit patrem Ademarum de Cros, & patruum Guidonem de Cros: Idem erat decanus an. 1221. & 1224.

XVIII. Guido II. 1230. die 25. Junii, ex arch. eccl. Clarom. G. forte idem an. 1234. & 1238. quo die Veneris poſt feſtum S. Bartholomæi ſopivit cum A. cantore Clarom. litem ortam inter abbates & conventus Mauzaci & Ricomagi, pro quadam ſepultura.

XIX. Guillelmus decanus & capitulum an. 1242. novam plantationem inſtituerunt in eccleſia S. Petri Clarom. quæ ad capitulum pertinebat, ſcilicet collegium canonicorum ſecularium; quod probavit & confirmavit Hugo epiſcopus menſe Aprili ejuſdem anni, ſalvo tamen cenſu quem eccleſia hæc capitulo & decano debebat. Vide chartas XV. XVI. & XVII. col. 87. 88.

Ex tab. eccl. Claromont.

XX. Geraldus an. 1246.

XXI. Guillelmus II. de Cebaziaco decanus Clarom. & vicarius generalis Hugonis epiſc. Clarom. ut judex electus componit controverſias ortas inter abbatem Tyernenſem, & Stephanum de Turno die Jovis ante feſtum Nativ. B. Mariæ an. 1248. *Probat. hiſt. Dom. Arv. Baluz. pag. 33.* Idem an. 1256.

XXII. Guido III. de Quiriaco * nepos Guidonis de Turre fuit decanus Claromontenſis, ex charta monaſterii Cantaonenſis data calend. Septembris anni 1274.

* de Quiriaco.

XXIII. Petrus II. Rocci decanus an. 1337. ex juramento Raimundi epiſc. Idem an. 1339. ind. VII. in inſtrumento eccleſiæ majoris, una cum Geraldo præpoſito, Guillelmo abbate, Petro Giraldi cantore, Rollando Groſſi canonico, &c. Idem excepit hominium Imberti an. 1341. menſe Septembri, & fecit homagium capitulo pro ſuo hoſpitio die 19. Aprilis 1347.

XXIV. Guillelmus III. de Agrifolio commemoratur in litteris Hugonis Alberti ep. Albienſis an. 1362. die penultima menſis Decembris, quæ aſſervantur in archivo collegii S. Martialis Toloſæ, inquit Baluz. in notis ad vitas pap. Aven. pag. 997. putat autem vir doctus eum eſſe Guillelmum ab Agrifolio, filium Ademari de Agrifolio militis, qui doctoris lauream accepit Toloſæ an. 1365. poſteaque factus eſt notarius ſedis apoſt. tandemque cardinalis tit. S. Stephani in Cœlio monte an. 1367. 12. menſis Maii.

XXV. Marinotus de Ambillon dominus de la Grange decanatu fruebatur an. 1410.

XXVI. Johannes de Montmorin an. 1437. ex chartis S. Geneſii, de quibus tamen locus eſt dubitandi, nam

XXVII. Simon de Obſtaris * decanus & vicarius generalis Jacobi de Comborn epiſcopi Claromontenſis tunc in remotis agentis, in tabulis capituli & decanatus reperitur die 14. Aprilis 1425. Item 1426. 39. 44. 51. & 52. die 21. Febr. Diſpenſavit Guillelmum vicecomitem Narbonenſem a ſacramento quod emiſerat de non retractanda donatione vicecomitatus Narbonenſis, quam fecerat Ludovico de Beaufort domino de Canillac. Ex tabular. Narbon. in biblioth. Colbert. Obiit die 17. Julii 1452.

* de Obſcuris.

XXVIII. Petrus Richardi. *Magiſter Petrus Richardi, in decretis licentiatus, conſiliarius domini noſtri Francorum regis in ſua venerabili curia parlamenti Pariſius*, ex canonico * Clarom. electus in decanum, capitulo juramentum præſtitit die XXX. menſis Julii anno M. CCCC. LII. Nominatur in variis inſtrumentis an. 1461. 1466, 1469. cui ſucceſſit in decanatu

*

XXIX. Johannes Petitdé, Johannis II. ducis Borbonii & Arverniæ conſiliarius, abbas Thierni, factus poſtea Mimatenſis epiſcopus, an. 1474. de quo vide ibidem.

XXX. Matthæus de Porta doctor utriuſque juris, cauſarum ſacri palatii auditor, canonicus & decanus erat Clarom. die 13. Junii 1475. In *terrario* decanatus plurimæ recognitiones leguntur ipſi factæ a præfato anno ad 1486. In necrologio dicitur obiiſſe die undecima Septembris; * *pro cujus anniverſario diſtribuuntur* L. *ſolidi, ad*

* P. Richardi reperitur fuiſſe canonicus in act. capitular. 1435.

inſtar epiſcoporum,

inſtar epiſcoporum, cum precibus, & orationibus, & claſſicis. Additur : *librariam hujus eccleſiæ de ſuis bonis conſtruere fecit, & libros ſuos illi donavit.*

XXXI. Antonius de Montmorin dominus du Chaſtelart, abbas Magni-loci, an. 1494. die 13. Sept. eligitur decanus Claromontanus. Erat nepos Anneti de Montmorin abbatis Magni-loci, ex Carolo fratre ; matrem habuit Philippam de l'Eſpinaſſe dominam du Chaſtelart. Adhuc ſuperſtes annis 1507. ac 1510.

P. Anſelm. a domno du Fourny recognitus : Hiſt. des grands Officiers.

XXXII. Gaufridus de Turribus decan. 1512.

XXXIII. Marqueſius de Monte-Buxerio * canonicus & decanus XI. April. 1520. Item 1525. 1527. electus eſt a capitulo præpoſitus die Sabbati 21. Nov. per obitum Guillelmi de Benaud, anno 1528. Ejus canonicatum ac præbendam eodem die contulerunt canonici capitulantes nobili viro magiſtro Gilberto de la Fayette jurium licentiato & abbati S. Jodoci ; decanatum vero Annæ Regin qui ſequitur.

* Montboiſſier.

XXXIV. Annas, *al.* Annæus Regin electus decanus 1528. decanatum pro cantoria permutavit, die Novemb. ultima ejuſdem anni, utrumque beneficium conferente capitulo, in cujus manibus ceſſionem ſive, ut vocant, demiſſionem fecerant decanus & cantor. Appellatur *nobilis & egregius vir dominus & magiſter Anna Regin jurium profeſſor, S. Sedis apoſtolicæ protonotarius, archidiaconus major Albienſis, cantor & canonicus eccleſiæ cathedralis Claromontenſis, curio de la Chabaſſe, prior Vici-comitis, vicarius generalis Guillelmi du Prat, ejuſque conſanguineus amitinus, canonicus præbendatus eccleſiæ principalis beatæ Mariæ Portus-Clarom.* in charta ejuſd. eccleſiæ Portuenſis 1547. quo tempore non erat decanus; hanc enim dignitatem parvo tempore obtinuit. Obiit 17. Junii 1556. humatus in eccleſia cathedr. in ſacello S. Annæ retro altare primarium.

XXXV. Antonius I. Chabanier, patria Bortenſis [a], ex canonico & cantore electus decanus, die Lunæ 30. Novemb. 1528. Erat conſiliarius in Pariſienſi ſupremo ſenatu. Plures excepit recognitiones 1530. 32. & 35.

a

XXXVI. Deodatus Boutin, Borti quoque natus, pariterque ſenator Pariſienſis, decanatus poſſeſſionem adeptus eſt 9. Septemb. 1556. * die Mercurii. Illum reperio decanum in terrariis ab anno 1548. ad 1560.

*f. 1546.

XXXVII. Franciſcus de Terſat, dominus de Lambres, protonotarius, prior de Briffons, *al.* de Briffoux, canonicus & decanus Clarom. 1581. 1589.

Ex teſtamento G. du Prat.

XXXVIII. Claudius Thyerri ex cantore decanus, ſepulturam habet in eccleſia cathedrali in ſacello S. Juliani Brivatenſis. Hujus viri pietatem loquuntur tabulæ in eodem oratorio conſpicuæ; obiit anno 1612.

XXXIX. Antonius II. de Montmorin 1620. ex charta Magni-loci.

XL. Petrus III. Bournet, Bellimontenſis, conſiliarius in curia præſidiali Clarom. decanatu gaudebat annis 1622. 28. & 1630.

XLI. Antonius III. Taillandier Blaſii advocati in Claromontenſis urbis ſede judiciaria, ac Benedictæ Breuil filius, fuit canonicus ac decanus Clarom. necnon prior S. Boniti Montis-Pancerii *, an. 1638. 46. 50. 1657. Sua reſignavit ſacerdotia tribus nepotibus, videlicet canonicatum Blaſio Gayte, nunc canonicorum decano ſeu antiquiori, prioratum Blaſio de Creſpat, hodie canonico, ac decanatum Geraldo ſequenti. Sepultus jacet in capella cathedralis eccleſiæ nuncupata S. Margaritæ.

* Montpancier proche Aigueperſe.

XLII. Geraldus Champflour, Antonii ſuperioris abnepos, Stephani abbatis, nunc Rupellenſis epiſcopi, frater, eccleſiæ cathedralis decanatum obtinuit per reſignationem anno 1659. menſe Januar. Dignitatem vero conſiliarii ac ſigillorum cuſtodis in ſupremo ſubſidiorum Arverniæ ſenatu adeptus eſt 25. Septemb. 1664. Eligitur primus e vicariis generalibus, ſede epiſcopali vacante, menſe April. 1682. Viam omnis carnis ingreſſus eſt menſe Junio 1697. ac in tumulo paterno apud eccleſiam cathed. humatus in ſacello S. Agathæ.

XLIII. Franciſcus II. Augier, Petri Franciæ quæſtoris ex Anna Champflour filius, Geraldo avunculo ſucceſſit a capitulo electus anno 1697. In jure verſatiſſimus eſt, & conſiliarius clericus in præſidiali curia Clarom. Officialis munere fungitur ſede vacante hoc anno 1717.

S. GENESII CLAROMONT. ECCLESIA

S. Geneſ de Clermont.

CUJUS PRIMA DIGNITAS NOMEN ABBATIS OBTINET.

SANCTUS GENESIUS Arvernorum epiſcopus fertur in urbe ſua eccleſiam conſtruxiſſe in honorem S. Symphoriani martyris, obtentis ab epiſcopo Æduenſi ſancti hujus reliquiis, quæ etiamnum in eadem eccleſia religioſe adſervantur. Poſtmodum ipſe Geneſius in hac ſua eccleſia tumulatus eſt, ejuſque ſepulcro appoſitum celebre epitaphium, quod refert Savaro in ſuis Claromontanis originibus pag. 56. Videtur autem oblongo marmori inſculptum, quod antiquitatem maxime redolet, apud ſacellum S. Geneſio ſacrum, ubi ejuſdem corpus traditur olim humatum fuiſſe; nunc vero in altari principe collocatum eminet in argentea capſa impenſis canonicorum affabre facta, cum epigraphe ſequenti :

Hierotheca hæc conſtructa fuit ſumptibus capituli, anno milleſimo ſeptingenteſimo nono, Ludovico decimo quarto regnante.

Eccleſia S. Symphoriani ab an. 1090. ſancti Geneſii nomen præferebat, ut probat Savaro in libro de eccleſiis & altaribus Clarom. num. 25. ſed a quo tempore abbatia hæc originem duxerit, an monachi vel canonici eam primum incoluerint, quis audeat divinare! nunc autem eſt canonicorum collegium, & veteres tabulæ de communia fratrum illic Deo ſervientium loquuntur.

Nunc præter abbatem, qui eligitur a capitulo, ſunt ibi decem canonici, quorum unus cantoris officium exercet ad vitam, & poſt abbatem primum occupat locum. In inſtrumento viſitationis quam fecit Simon archiep. Bituricenſis, an. 1284. legimus quod Sabbato ſancto viſitaverit *ſanctum Geneſium* canonicorum ſecularium, & an. 1287. 15. Aprilis die Martis.

Analect. Mabillon. tom. 2. pag. 615.

[a] Bort in finibus Arverniæ & Lemovicini pagi, prope Durnium flumen, *la Dordogne.*

Digitized by Google

Abbatum ſeriem hic pro modulo damus, tum ex archivis S. Geneſii, tum ex aliis documentis.

ABBATUM SERIES.

I. ROTGERIUS AGAISUS abbas S. Geneſii, anno 1136. ex chartulario ſancti Illidii. Eo nullum antiquiorem reperire potui.

II. S. abbas S. Geneſii ſubſcribit conceſſioni hoſpitalis Montis-pancerii *, an. 1193. ex charta eccleſiæ cathedralis Claromont.

* Montpancier.

III. Pontius I. reperitur in chartulario S. Illidii an. 1194. 1204. 1209. 1214. Idem occurrit in archivis epiſcopi Claromont. an. 1195. menſe Febr. Ind. XIII. & in litteris Roberti epiſc. Clarom. an. 1199. Vid. prob. hiſt. Arv. & noſtra inſtrumenta inter excerpta ad Robertum epiſc. Clarom. ſpectantia col. 86. A. Idem eſt etiam proculdubio ac P. abbas S Geneſii, decanus Clarom. & Camalerienſis eccleſiarum an. Incarn. 1215. ex charta Camalerienſi. Exiſtimamus cum eſſe Pontium cujus anniverſarium notatur III. idus Septemb. in necrolog. majoris eccleſiæ.

pag. 78.

IV. L. abbas S. Geneſii ſubſcriptus habetur in charta tranſactionis inter capitulum cathedralis eccleſiæ, & Willelmum dominum de Baffia anno 1221. menſe Maio, ex arch. cathedr.

V. Amblardus abbas S. Geneſii anno 1236. in feſto S. Petri ad vincula; ex charta eccleſiæ collegiatæ B. Mariæ de Camaleria, & ex chartario S. Illidii an. 1246. Eſt procul dubio ille Amblardus Vigerii de quo inſtrum. hoc: *Amblardus Vigerii abbas S. Geneſii, totumque capitulum ejuſdem loci, penſatis gratuitis beneficiis quæ venerabilis pater Hugo epiſcopus Clarom. ipſis & eccleſiæ S. Geneſii propria liberalitate contulit & cothidie conferre non ceſſat, ſpondent eidem præſuli ſe poſt ejus deceſſum pro ipſo ejuſque parentibus anniverſarium in præfata eccleſia ſingulis annis celebraturos ſollemniter in perpetuum. Actum an. Dom. M. CC. quadrageſimo primo menſe Decembri.* In archivo S. Geneſii an. 1253. legitur Amblardum Vigerii cantorem Claromontenſis eccleſiæ, ſuam elegiſſe ſepulturam in eccleſia S. Geneſii, eidemque decimam de Monte-pancerio conceſſiſſe. An ſit idem cum cantore abbas Geneſianus, & abbatiam abdicarit, non auſim adfirmare. Certe in dicto teſtamento non meminit abbatialis dignitatis.

VI. Pontius II. ex Illidiano chartul. an. 1269.

VII. Petrus I. de Gerſiaco ibidem an. 1278. ejus anniverſarium notatur in necrol. eccleſiæ cathedralis calend. Januarii.

VIII. Johannes Aycelin obtinet diſpenſationem habendi abbatiam eccleſiæ cathedralis cum abbatia S. Geneſii *quam in antea* obtinebat, ex bulla Nicolai papæ data Romæ apud S. Mariam majorem III. idus Decemb. pontific. an. primo. Bulla hæc adſervatur in ſacriſtia fratrum Prædicatorum Claromont. Poſtea conſcendit Johannes cathedram Claromontenſem.

IX. Raynardus de Meziaco abbas ſecularis eccleſiæ S. Geneſii Claromontenſis, & capitulum ejuſdem eccleſiæ permutant quaſdam decimas cum Aymuino abbate Caſæ-Dei, & Geraldo de Talempdes priore Marmiliaci * die Sabbati poſt feſtum beatorum apoſtolorum Petri & Pauli an. Domini M. CCC. ex charta denticulata cujus pars altera adſervatur in archivo Caſæ-Dei, altera in archivio S. Geneſii. Appellatur canonicus eccleſiæ cathedralis, in compoſitione facta cum priore & fratribus domus de Monte-Carmelo an. 1305. 19. Aprilis ind. III. vacante ſede apoſtolica. An. 1311. memoratur in tabula epiſc. Claromont. ubi cognominatur de Meſſiaco. Vide inter inſtrum. eccleſiæ Clarom. chartam XXI. col. 92.

* Marmilliac *prope* Ricomagum *prioratus Caſæ-Dei ſubditus ac unitus.*

X. Stephanus Bordonis canonicus erat S. Geneſii anno 1295. & 1302. ex bulla Bonifacii papæ VIII. directa Guillelmo ep. Mimatenſi, in qua nominatur cum multis aliis S. Geneſii canonicis, qui domum fratrum ord. beatæ Mariæ de Monte-Carmeli hoſtiliter invaſerant apud Clarum-montem. Hanc bullam ex archivis Carmelitarum Clarom. deſcripſit noſter D. Jac. Boyer. Stephanus hic abbas erat 1313. & 1316. Iſte una cum Johanne Caſæ-Dei, canonico eccleſiæ S. Geneſii, peregrinationis ergo venit ad eccleſiam B. Mariæ Anicienſis die Martis ante feſtum Pentecoſtes an. 1319. ex litteris teſtimonialibus Petri Jacobi legum doctoris, officialis Anicienſis, datis die & anno præfatis.

XI. Bertrandus de Turre reperitur in charta die Lunæ ante feſtum cathed. S. Petri 1344. Hoc loco notabimus tres abbates, quorum ætas ignoratur.

XII. W. Delmatz ex terrario nuncupato *le Dogue*, an. 1317. ſcripto. In Arvernia reperiuntur plura ejuſdem nominis terraria, forſan a notario qui vocari poterat *le Dogue*, vel potius eo quod terraria ſint documenta.

XIII. Raimundus de Monte-ferrario canonicus Claromontenſis & abbas S. Geneſii inſtituit vicariam in capella S. Geneſii. Ex eodem terrario.

XIV. Petrus II. de Giac. Ex eodem.

XV. Bermundus vel Bremundus de Cherio, licentiatus in decretis, in charta eccleſiæ cathedral. nuncupatur Raymundus an. 1437. at in pluribus chartis S. Geneſii Bermundus ſive Bremundus, annis videlicet 1434. 36. 52. 58. 60. Ut procurator capituli majoris eccl. an. 1445. excepit hominium Armandi Vallix rectoris ſancti Martini de Ulmis. Concordiam iniit cum capitulo cathedralis coram arbitro Johanne de Montemorino legum doctore, decano Brivatenſi & Claromontenſi, prædictæ & Lugdunenſis eccleſiæ canonico, *& in venerabili parlamento præſidente, regio ac requeſtarum magiſtro*, anno a Nativit. Domini 1437. ind. XV. 27. die Maii, Eugenii IV. anno VII. Idem compoſuit cum Iſabella de Foreſta abbatiſſa Bellimontis 1449. Abbatiam dimiſit in manibus ſui capituli 1466.

XVI. Johannes II. de Cherio, in legibus baccalaureus, canonicus S. Geneſii 1452. curatus S. Remigii 1467. eodem anno fit abbas S. Geneſii. Nominatur quoque canonicus cathedralis annis 1489. & 1493.

XVII. Jacobus Boati.

XVIII. Antonius I. Brunel legum doctor, canonicus cathedralis eccleſiæ, & abbas S. Geneſii 1515. decernit annuale poſt obitum ſuum apud eccleſiam S. Illidii 28. Aprilis 1517. ſepultus eſt in ſua abbatiali eccleſia.

XIX. Hugo Gontard canonicus erat S. Geneſii 1515. abbas vero 1519. Altare majus elegantiſſimo opere conſtruxit.

XX. Claudius Gontard 1545.

XXI. Petrus III. Ceberet.

XXII. Durandus Ceberet 1565.

XXIII. Johannes III. Vidilhe canonicus eccleſiæ cathedr. & abbas S. Geneſii 1569.

XXIV. Annetus le Riche 1583. Eo ſedente Antonius l'Ayné-Ravel ſedilia chori miro opificio elaborata dedit eccleſiæ S. Geneſii an. 1595. Annetus condidit teſtamentum 1597.

XXV. Gilbertus Mauguin, ſimul canonicus eccleſiæ Clarom. 1598. fit abbas, obiitque anno 1606.

XXVI. Petrus IV. Bournet 1607.

XXVII. Antonius II. Bournet 1617.

XXVIII. Guillelmus I. Vangon canonicus cathedralis & abbas Geneſianus 1631.

XXIX. Guillelmus II. Bohet ſuperioris ex ſorore nepos 1659.

XXX. Jordanis Montigny etiam ſuperioris nepos ex ſorore 1679.

XXXI. Franciſcus de Combes Ricomagenſis, ſacræ facultatis Pariſienſis doctor theologus & ſocius Sorbonicus, filius nobilis viri Caroli in curia præſidiali Ricomagenſi prætoris, ex Franciſca de Ribeyre ſupremi vectigalium in Arvernia ſenatus principis ſorore: frater vero Gabrielis in Ricomagenſi curia præſidiali prætoris. Linguam Hebraïcam apprime callet, in ſacris libris & theologia verſatiſſimus, ſummæ eruditioni ſummam pietatem jungit. Abbatiam obtinet a menſe Julio anni 1693.

ABBATIÆ DIOECESIS CLAROMONTENSIS.

LICET plurimæ ſint adhuc abbatiæ in dioceſi Claromontenſi, longe plures tamen olim exſtabant, quarum pauca ſuperſunt monumenta. Sed ne tot veterum monaſteriorum memoria penitus pereat, de iis primum loquemur breviter; & longe fuſius poſtea de abbatiis nunc exſtantibus aut a brevi tempore deſtructis.

DE VETERIBUS MONASTERIIS QUÆ STATUM PRISTINUM MUTARUNT.

I. Cambidobrenſe.

DE veteribus monaſteriis quæ a ſtatu priori exciderunt dicturi, exordium ſumendum putamus ab antiquiſſimo Cambidobrenſi, *Combronde*, cujus meminit Gregorius Tur. lib. de vit. Patrum cap. 6. de S. Quintiano epiſcopo, qui hoc in monaſterio energumenum a dæmone liberavit; & cap. 5. de S. Portiano abbate, ubi meminit beati Protaſii apud Cambidobrenſe monaſterium recluſi, qui Portianum ſalutaribus monitis muniit contra dæmonis fraudes & aſtus. Verba Gregorii hæc referentis, induxiſſe videntur Jacobum Sirmondum ut crederet Cambidobrenſe monaſterium, idem eſſe cum S. Portiani cella; verum ex contextu Gregorii diverſa eſſe monaſteria probat Mabillonius. Sane Gregorius referens miraculum in S. Portiani monaſterio ab ipſo patratum, addit: *Idque ſtatim revelatum eſt beato Protaſio, qui tunc apud Cambidobrenſe monaſterium habebatur recluſus.* Si idem fuiſſet Cambidobrenſe monaſterium, ac Miradenſe S. Portiani, quid opus fuiſſet revelationis, ut miraculum hoc S. Protaſio ibidem commoranti notum fieret? Denique diverſi locorum ſitus id probant; nam S. Portiani oppidum octo fere leucis diſtat a Cambidobro, quod Ricomago vicinum eſt. De hoc cœnobio plura non habemus. Nunc eſt prioratus abbatiæ Menatenſi ſubjectus, in oppidulo cui nomen dat, prope Ricomagum; diſtat vero ab oppido & monaſterio S. Portiani octo circiter leucis. Conſequenter dicemus de aliis monaſteriis quorum notitiam debemus eidem Gregorio.

p. 1163. num. 4.

Monaſterium S. Cyrici * in ſuburbio Clarom. cujus abbatis nomine Abrahami ſanctitate conſpicui meminit Greg. Turon. lib. 2. hiſt. Franc. cap. 21. & lib. de vit. Patrum cap. 3. quod integrum eſt de ejus vita; nunc eſt eccleſia parochialis. Lirinenſium vivendi genus hoc in monaſterio olim ſervatum fuiſſe innuit Apollinaris Sidonius lib. 7. epiſt. 17. ad Voluſianum, ad quem mittit epitaphium Abrahami abbatis. Ibidem indicat S. Auxanium huic cœnobio præfuiſſe poſt Abrahamum. *Qui vir, ut noſti*, inquit Apollinaris, *pluſculum juſto & corpore infirmus, & verecundus ingenio, eoque parendi quam imperandi promtior, exigit te rogari, ut tuo ipſe ſub magiſterio monaſterii magiſter accedat.* Amblardus abbas S. Cyrici an. 1019. interfuit inſtrumento de geſtis vitæ canonicæ introductæ in eccleſiam Gerundenſem, ex Mabillonio ad hunc annum pag. 265.

II. S. Cyrici. * S. Cirgues

Cromonenſe * monaſterium ſexto ab urbe Claromontana milliario diſtabat. Deſtructum fuit a Danis, ut & alia ejuſdem regionis fere omnia: at ſeculo x. inſtauratum pro canonicis Regularibus, quibus tandem ſeculares canonici ſucceſſerunt. Monaſterii Cromonenſis meminit Gregor. Turon. tum lib. 4. hiſt. cap. 40. tum lib. de vitis Patrum cap. 6.

III. Cromonenſe. * Cournon.

Monaſterium S. Martii, cujus ſanctiſſimi abbatis vitam deſcribit Greg. Turon. lib. de vit. Patrum c. 14. ſitum erat non procul ab urbe Arvernica, ad radices Waiſeri caſtri, inter monaſt. Rubiacenſe & eccleſ. S. Victoris; nunc eſt prioratus abbatiæ Illidianæ ſubjectus.

IV. S. Martii.

Volvicenſe monaſterium * diœceſis Clarom. ab Avito epiſcopo conditum eſt in honorem S. Præjecti deceſſoris & S. Amarini abbatis ex Voſagenſi monaſterio iſthuc profecti; qui ambo a ſicariis trucidati ibidem ſepulti jacebant. Godonem vero Præjecti conſanguineum ſanctus fundator huic cœnobio primum abbatem præfecit; de quo vide in S. Præjecti vita ſeculo 2. Bened. pagg. 650. & 651. Hunc in regimine videtur excepiſſe Eoaldus, qui anno circiter 709. una cum Moderato

V. Volvicenſe * Volvic.

Digitized by Google

Teclatenſi abbate miſſus fuit a Proculo Arvernenſi epiſcopo ad Fulcoaldum Lugdun. archiep. rogaturus ut corpus S. Boniti Arven. epiſcopi, ſuæ eccleſiæ reſtitueretur; mortuus quippe Lugduni ſepultus fuerat in S. Petri parthenone. Diſtat Volvicus quinque paſſuum millibus ab urbe Arvernorum, totidemque a Mauzaco, ordinis Cluniac. abbatia, cujus eſt tenuis modo prioratus.

VI. Tecladenſe. Tecladenſe monaſterium, ſeu S. Petri de Teclada, ordinis ſancti Benedicti, vulgo *Teillede*, exſtabat VII. vel VIII. ineunte ſeculo: nam *Moderatus* rector ſeu abbas Teclatenſis monaſterii interfuit tranſlationi & exſequiis S. Boniti epiſc. Clarom. ex hiſt. hujus tranſlat. Jam an. 1146. ſuberat Caſæ-Dei, ex litteris apoſtol. Eugenii papæ III. ubi cellæ huic ſubditæ aſceterio recenſentur. Certe Simon archiepiſcopus Bituricenſis in inſtrumento viſitationis ſuæ, ſub finem ſeculi XIII. factæ, dicitur acceſſiſſe non ſemel ad *Teillede*, Latine *Tecletas, prioratum Caſæ-Dei*, qui ſitus eſt haud procul a Ricomago verſus Cambidobrum oppidum.

VII. Camelarienſe. * Chamalieres. Camelarienſe * monaſterium, a loco ubi conditum eſt Arvernorum ſuburbano, *Camelaria* nomine, ſic dictum, primariam ſui S. Præjecto debet originem; qui videlicet circa annum 665. Geneſio viro illuſtri auctor exſtitit, deficiente prole, eccleſiæ Dei ſibi pro liberis adoptandæ. Hic itaque in loco prædicto puellarum cœnobium ſub regula SS. Benedicti, Cæſarii & Columbani exſtruxit, ubi Præjectus feminam illuſtrem Gundilanam nomine abbatiſſam conſtituit. Porro in caſtro Camelaria erant eccleſiæ quinque, una beati Petri apoſtoli, virginibus ſacris aptata; altera ſanctæ Cæciliæ, monachis attributa. Utra vero ſit quæ modo collegiata canonicorum ſecularium, ubi S. Thecla requieſcere dicitur, an utraque, neſcire profitemur. *Sec. 2. Ben. pag. 641.*

VIII. Caorrenſe. Caorra, cujus loci abbas Viſianus teſtis eſt chartæ qua abbas S. Michaëlis de Cluſa dat tutelam & munitionem in villa & eccleſia de Salviac, Roberto IV. comiti Arvern. an. 1182. *Probat. hiſt. domus Arv. Baluz. pag. 70.*

IX. Rubiacenſe. Rubiacenſis apud Arvernos parthenonis a Monte-Rubiaco ſic appellati incerta eſt origo, inquit Mabil. ad an. 542. attamen noſter domnus Petrus Laurent, vir olim non vulgaris ſagacitatis in monumentorum veterum inveſtigatione, eam tribuendam putat S. Præjecto Arvernorum epiſcopo. Hoc monaſterium juxta Clarum-montem ſitum, hinc indeque montibus ſeptum, ab Oriente ſolummodo pandens aditum, haud procul eminet urbi, inquit vita S. Boniti Arvernorum epiſcopi. Sub rupe vero in qua ſitum erat, fluit amnis ſeu torrens vulgo dictus *Tiretaine*. Huc autem S. Bonitus Arvern. epiſcopus adduxit ex Britannia Blancam, cui lumen oculorum reddiderat, eamque abbatiſſæ commendavit. Nunc eſt eccleſia parochialis cum prioratu, qui a Mauzacenſi pendet monaſterio.

X. Marciacenſe. Parthenon Marciacenſis, *Marſac*, fundatus creditur a B. Namadia uxore B. Calminii fundatoris Mauziacenſis monaſterii. Diſtat a Mauziaco ſemi-leuca, cui ut prioratus ſubditur. Catharina de Alexandro huic parthenoni præerat an. 1344. obiitque 1358. Margarita de ſancto Deſiderio 1413. prioriſſa erat; obiit 1423. Adhuc ſupereſt cum numeroſo ſacrarum virginum cœtu.

XI. Geneſienſe. S. Juliani de Geneſta ſanctimonialium cœnobium prope parthenonem S. Geneſii conditur a S. Roberto Caſæ-Dei abbate, aut ab ipſius ſucceſſore; enumeratur inter membra Caſæ-Dei ſeu cellas ab hoc monaſterio pendentes an. 1184. in litteris Lucii III. datis VI. calendas Octobris, indictione ſecunda, an. pontificatus III. Adhuc floret hic parthenon, & triginta circiter habet ſanctimoniales ſub prioriſſa.

XII. S. Geneſii. S. Geneſii, *S. Geniez*, monialium prope Pont-Gibault oppidum, Caſæ-Dei etiam ſuberat an. 1184. ex laudatis Lucii III. litteris. Adhuc in hoc monaſterio moniales Chriſto ſponſo ſerviunt.

XIII. Albæ-Petræ. Inter abbatias diœceſis Claromontanæ non exſtantes recenſet Johannes le Paige doctor theologus, collegii Præmonſtratenſis prior, ejuſdemque ordinis procurator ſyndicus, abbatiam SS. Gervaſii & Prothaſii de Alba-Petra apud Scholam Arverniæ vicum, *Ecole*, a monaſterio S. Gilberti ſeu Novem-Fontium duabus leucis diſſitam, modo redactam in prioratum præfato ſubditam S. Gilberti monaſterio. Huic monialium Præmonſtratenſium parthenoni, ut fertur, in Francia unico, ſucceſſive præfuerunt ſancta Petronilla S. Gilberti uxor, eorumque filia Pontia. Noſter D. J. Boyer audivit a Scolæ ſenioribus olim a ſe viſas moniales in dicto prioratu. Conſule vitam S. Gilberti & S. Petronillæ, itemque Raynerii S. Mariani Altiſſiodorenſis abbatis primi, a dicto Pagio editam Pariſiis ex typograph. Bertr. Martin CIↃ. IↃC. XX.

Idem D. Jacobus Boyer habuit præ manibus & deſcripſit chartam Stephani Arvernorum epiſcopi datam anno 976. in qua commemorat *abbatiam S. Mariæ quæ dicitur Principalis*, du Port, *atque abbatiam S. Martini, quæ vocatur Cronenſis.*

ABBATIÆ QUÆ EXTANT IN DIOECESI CLAROMONTENSI.

ABBATIÆ quæ exſtant, quibus eas accenſemus quæ uſque ad noſtram pene ætatem priſtinum retinuerunt ſtatum, ſunt:

Ord. S. Benedict.

S. Illidius,
Caſa-Dei,
Mauziacum,
Iciodorum,
Magnus-locus,
Thiernum,
Menatum,
Ebrolium,
Prioratus S. Porciani,
Celſinianenſis,
Silviniaci.

FEMINARUM.

S. Petrus de Bello-monte,
Brajacum,
Cuſſetum.

Ord. S. Auguſt.
S. Amabilis Ricomagenſis,
Cantoennum,
Arthona.
Ord. Ciſtercien.
Mons Petroſus,
Vallis-honeſta,
Boſchetum,
Bella-aqua.,

A FEMINARUM.

Eſclachia,
Vallis-ſana,
Medius-Mons.
S. Andreas, Ord. Præm.
Novem-fontes.
S. Clara Clarom. Clariſſarum.
Aquæ-Sparſæ.

S. ILLIDIUS * ORDINIS S. BENEDICTI.

* S. Allyre.

POSITA eſt hæc abbatia prope & extra muros urbis Claromontenſis, in amplo ſuburbio S. Illidii nuncupato, quod Gregorius Turon. lib. 1. hiſt. c. 43. *Vicum Chriſtianorum* appellat, quingentis circiter ab urbe paſſibus ad meridiem, in declivi planitie ad Trundonem * fluviolum. Eccleſia primitus a B. Auſtremonio Arvernorum protopræſule in honorem *B. Mariæ Inter-ſanctos* * conſecrata fertur; deinde a S. Illidio ejus ſucceſſore in honorem B. Clementis papæ & martyris, ob acceptum ejuſdem ſancti pontificis brachium; tandem S. Illidii ibidem ſepulti nomen obtinuit; ut patet ex Gregor. Turon. in libro de vit. Patrum cap. 2. qui eam S. Illidii baſilicam vocat. Vide Ruinartum in additionibus ad Gregorium Turon. pag. 1400. & ſeq. Iſtam porro baſilicam ac monaſterium a Normannis anno 916. everſum Arnaldus præſul & Raimundus comes Claromontanus inſtaurarunt, accerſitis Cluniaci monachis circiter an. 958. Baſilicam conſecravit Paſchalis II. 6. cal. Julii an. 1106.

* In Tiretaine.

* Noſtre-Dame d'Entre-Saints.

De hac domo ſic habet anonymus in fine pervetuſti Illidiani necrologii:

Illidiana domus fortiſſima turribus eſt arx,
Albaque diverſo perlucent marmore clauſtra.
*Hic divo ſacrum Venerando * inſigne ſacellum,*
Sanctaque ſculpturæ præſtantis cerne ſepulcra,
Quæ tot ſacrarunt pretioſo ſanguine teſtes.
Hunc modicus lambit veniens de montibus amnis;
Juxta & fons ſalſus pontem lapideſcit in altum.

* Ep. Clar.

Exſtat in tabulario S. Illidii bulla Gregorii papæ XI. data Romæ apud S. Petrum III. cal. Januarii, ejus pontif. an. VII. hoc eſt an. Chriſti 1377. vel 1378. qua ſubdit cœnobium Illidianum Caſæ-Dei, ea lege ut electus abbas Illidianus a capitulo, confirmaretur a Caſæ-Dei abbate. Neſcimus autem utrum ſecundum bullam hanc Illidianum cœnobium aliquando alteri ſubjacuerit.

In hoc monaſterio epiſcopus Claromontenſis hoſpitio excipitur & pernoctat in ſuo primo adventu, indeque ſolemniter procedit ad eccleſiam ſuam; quam antiquam conſuetudinem obſervarunt tres ultimi epiſcopi.

Hoc monaſterium primum unitum eſt congregationi Caſalis-Benedicti, anno circiter 1500. poſtea acceſſit ad congregationem ſancti Mauri an. 1636. cujus beneficio refloruit ibi obſervantia regularis. Abbatum hiſtoriam texere nobis nunc incumbit.

B

C

D

E

ABBATUM SERIES.

I. BERNARDUS I. quo inſtante Arnoldus ſeu Armoldus epiſc. Arvernenſis conſilio clericorum ſuorum & baronum Arverniæ, & præſertim Bernardi hujus loci domini, huic ſanctæ eccleſiæ per manus dom. Odonis abbatis monachos reſtituit, & plurima tribuit, id confirmante Lothario rege; *ex cod. MS. Illidiano.* Veriſimile eſt S. Odonem, Bernardo cedente, abbatem in ejus locum ſubrogatum eſſe, quod tot in monaſteriis contigit.

II. Mancidius, quo ſatagente Bego Arvernenſis epiſcopus retegit an. 937. reliquias S. Clementis in monaſterio Illidiano.

III. Mancio abbas ſancti Illidii memoratur in charta Geraldi ſacerdotis, *qui videbatur manere ad eccleſiam S. Petri, quæ vocatur de Timarias;* pro Illidiano cœnobio an. 1080. ex Mabill. ad hunc annum.

* Forte idem eſt ac Mancidius.

IV. Petrus I. de Ponte-Gibaudi, S. Illidii monachus, abbas ibidem ſecundum Seguini abbatis Caſæ-Dei vaticinium conſtitutus, multis adverſis exercitatus fuit, hoſtes infenſiſſimos expertus comitem Claromontenſem & canonicos, variiſque impetitus calumniis. Verum Urbano II. ſe iſtens in concilio Claromontenſi, omnes criminationes refellit. Hic S. Illidii baſilicam abſolvit, quam Paſchalis, ipſo rogante, dedicavit. Primus recenſetur in veteri necrologio, quod ſic incipit: *Venerabilium patrum prædeceſſorum abbatum monaſterii noſtri S. Illidii Clarom. nomina, & migrationis diem ipſorum ab hoc ſeculo, & locum ubi tumulati ſeu ſepulti fuerunt, ad perpetuam præſentium & futurorum memoriam, in ſcriptis ſubſequentibus duximus declarandum. In primis:*

*Depoſitio venerabilis patris dom. Petri iſtius monaſterii primi * abbatis, qui conſecrationem præſentis eccleſiæ, quæ facta fuit ſuo tempore ab inclyto papa Paſchale II. & archipræſule Bituricenſi Leodegario, necnon & antiſtite ſedis Alvernicæ Petro, a Paſſione Domini 1106. Francorum regni gubernacula retinente Philippo,* &c.

* Primi poſt dedicationem.

V. Oſtendus memoratur in præfato necrologio XIII. cal. Octobris, pro quo officium plenarium; ejus tamen anniverſarium celebratur XII. calend. Octobris, & ejus ſepulcrum ſitum eſt in veteri capitulo, id eſt ad introitum portæ de la Groleta, &c.

VI. Drugbertus.

Digitized by Google

VII. Mauricius frater Stephani bajuli, cui Borgo nobilis princeps magnæ ſtirpis, filiam ſuam in matrimonio collocarat; præerat tempore quo idem Borgo ejuſque filii multa contulerunt cœnobio, hoc eſt, ut conjicit noſter D. Claud. Eſtiennot, circa an. 1115. ex charta Illidiani tabularii. Ejus depoſitionis dies conſignatur v. idus Nov.

VIII. Johannes I. abbas S. Illidii & canonicus Claromont. ſubſcribit chartæ unionis monaſterii Cantogilenſis, *Chanteuge*, cum abbatia Caſæ-Dei x. calend. Maii an. 1137. Luna 26. indict. xv. Johannes idem an. 1139. ſubſcribit compoſitioni factæ a Guidone diacono legato ſedis apoſt. inter duos abbates pro quarumdam eccleſiarum poſſeſſione litigantes, Stephanum Caſæ-Dei, & Ademarum S. Tiberii. Vide in Stephano.

IX. Arnardus I. ad quem Alexander III. papa direxit ampliſſimum diploma, pro confirmatione omnium poſſeſſionum cœnobii, quæ ibi enumerantur. Datum eſt apud Clarum-montem xvii. cal. Julii indict. xiii. an. Incarn. Dom. 1165. pontificatus D. Alexandri papæ III. anno ſexto. Forte idem eſt qui dicitur Aynardus an. 1174. apud Sammarthanos.

X. Pontius, de quo necrologium ſic habet: *xi. cal. Febr. depoſitio dompni Pontii abbatis, qui emit quandam decimam apud Turiacum*; prioratus eſt S. Illidii.

XI. Arnaldus II. ex monacho Caſæ-Dei fit abbas Iſſiodor. deinde Pontio ſuccedit in abbatia S. Illidii an. 1184. cui P. de Camaleria ibi ſepeliri volens, plurima conceſſit an. 1192. ii. id. April. apud Turiacum. Anno 1207. menſe Julio in vigilia S. Mariæ Magdal. dedit eidem delphinus comes Arverniæ, quidquid in feudis ſuis, vel a feudatariis acquiſierunt monachi, vel acquirere poterunt. Datum in campis ante eccleſiam ſancti Johannis de Segur [a], a parte Claromontis. Anno ſequenti hominium excepit ab Eldino Eſpaclara milite, & Eldino filio ejus domicello, pro decimationibus S. Aviti in territorio de Neyrac. Ejus obitus notatur in necrologio iv. idus Febr. anniverſarium vero die ſequenti. Sepultus eſt juxta portam capituli, tumulo prædeceſſoris intermedio, a parte Septentrionali. Tempore hujus abbatis Robertus Claromont. epiſcopus litteras dedit pro juriſdictione monaſterii, an. 1196. ex tab. epiſc.

XII. Hugo I. d'Anglars, de quo ſic habet necrologium: *v. cal. Martii memoria parentum & amicorum & fratrum domni Hugonis d'Anglars abbatis, pro decimis quas comparavit apud Turiacum.*

XIII. Amblardus de Bronio monachus erat & ſacerdos ſub regimine Arnaldi annis 1192. & 1208. Memoratur ut abbas in necrologio vii. idus Aprilis.

XIV. Petrus II. de Lavetz 1234. Forte hic eſt Petrus, qui in MS. Illidiano de ſocietatibus precum & bonorum operum cum variis Galliarum cœnobiis initis commemoratur, ubi dicitur ſocietatem conſtituiſſe cum conventu ſanctimonialium de Bello-monte.

[a] Eccleſia S. Johannis de Segur eſt præceptoria ordinis Melitenſis.

XV. Johannes II. de Banſo obiit xi. cal. Julii, ex necrologio.

XVI. Robertus de Alta-rupe an. 1249. ſocietatem init cum Roberto abbate Savigniaci. Subſcripſit teſtamento Boniti capellani S. Adjutoris, in Sabbato ſancto an. 1252. quo anno regimen abdicavit. Etenim in electione Hugonis qui ſequitur eodem anno facta menſe Decembri, cui ſubſcripſit, dicitur quondam abbas. Fato functus eſt xvi. cal. Junii ex necrologio.

XVII. Hugo II. de Cuſſac, prior de Bello-viſu, eligitur in abbatem S. Illidii an. 1252. die Mercurii poſt feſtum S. Nicolai hyemalis, Guidone epiſcopo Claromontenſi probante, ad petitionem Stephani de Gerziaco prioris & conventus ſancti Illidii. Anno 1263. ſocietatem precum iniit maxime pro defunctis monachis, cum Alberto abbate Caſæ-Dei. Biennio poſt, anno ſcilicet 1265. benedictionis ſuæ 14. ætatis 59. libros tres Iſidori de ſummo bono impenſis ſuis exſcribi curavit. Adhuc præerat an. 1271. Imo ſecundum D. Claud. Eſtiennot, an. 1275. Deceſſit vero iv. nonas Januarii, pro quo officium plenarium ex necrologio.

XVIII. Petrus III. quædam permutavit cum Johanne abbate Montis-petroſi 1269. in feſto SS. Simonis & Judæ.

XIX. Johannes III. Belli, prior de Baſvila, qui ſolus interceſſerat electioni præcedentis; obiit abbas xvii. cal. Septemb. ex necrologio.

XX. Stephanus I. moritur v. idus Febr. Ejus anniverſarium celebratur in feſto beatæ Scolaſticæ virg.

XXI. Bernardus II. Lordeti obiit xviii. cal. Maii. Vix dubitamus hunc eſſe Bernardum, quocum Gerardus abbas Mimatenſis iniit ſocietatem an. 1288.

XXII. Guiotus Eſcot 1311. apud Sammarthanos.

XXIII. Simon de Griſoles.

XXIV. Georgius de Chandenay.

XXV. Stephanus II. Alberti, nepos Innocentii papæ VI. *al.* Urbani V. qui ejus opera in variis negotiis eccleſiaſticis uſus eſt, factus eſt abbas S. Illidii an. 1340. ex decano hujus monaſterii; poſtea ſucceſſit Guillelmo Grimoardi de Griſac in Maſſilienſi S. Victoris abbatia, poſtquam Guillelmus aſſumtus eſt ad ſummum pontificatum. Illidianam abbatiam non poſſedit ultra annum 1350. quo legimus in tabulis epiſcopatus Claromont. licentiam capitulo ſancti Illidii datam eligendi abbatem. Antequam migraret ad aliam ſedem abbatialem, adhibitum illum fuiſſe ab Innocentio papa, cujus nepos erat, ad eccleſiæ negotia ſuſpicamur. Certe poſtquam factus eſt S. Victoris abbas, Urbanus V. creavit in hac abbatia vicarium generalem cum omnimoda poteſtate, propter Stephani abſentiam laboribus graviſſimis pro eccleſia diſtenti. Aiunt illum obiiſſe an. 1378. & ſepultum eſſe in monaſterio S. Illidii, ſecus introitum capituli juxta Pontium abbatem. Certe dies ejus obitus in necrologio recentiori manu exarato, conſignatur xviii. cal. Julii, pro quo officium plenarium.

Vide Baluz. not. ad vit. pap. Av. col. 1433.

XXVI. Petrus IV. de Viers præfuiſſe reperitur

an. 1368. obiiſſe vero 1375. XIII. cal. Decemb. Nullibi vero mentio fit Guillelmi de Ulmo tanquam abbatis Illidiani.

XXVII. Andreas memoratur abbas S. Illidii in charta Cantogilenſis monaſterii, data Gregorii papæ XI. pontificatus an. 7. indict. XV. die Mercurii 4. Martii an. Domini 1377.

XXVIII. Ademarus de Murat an. 1387. quandam compoſitionem facit cum Henrico ep. Clarom. ex tabulis epiſcopatus. Obiit 5. Martii 1411.

XXIX. Ludovicus I. de Neyſſonio.

XXX. Ludovicus II. de Thierno.

XXXI. Johannes IV. de Uſſello.

XXXII. Petrus V. de Bona-valle tranſigit an. 1449. die 22. Junii cum D. Jacobo de Combronio pro decimationibus parochiæ S. Caſſii.

XXXIII. Ludovicus III. de Comborn, frater Jacobi de Comborn epiſc. Clarom. ſeculo 15. medio, fuit abbas Conquenſis, Burgidol. & ſancti Illidii.

XXXIV. Jacobus de Ambaſia abbas Cluniaci, S. Petri Gemeticenſis & S. Illidii 1485. Hujus abbatiæ titulo renuntiavit an. 1500. in gratiam monachorum, intuitu ſane congregationis cui Cazalinæ nomen dederunt; a quo tempore præfuerunt abbates ad triennium, quos omittimus, brevitati ſtudentes.

LA CHAISE-DIEU.

CASA-DEI.

CELEBERRIMUM eſt in Arvernia ordinis S. Benedicti monaſterium ſub patrocinio SS. martyrum Vitalis & Agricolæ, ad ripam Sinus-aurei fluvioli, vulgo *Senoire*, quod S. Robertus nobilis Arvernus, matre Raingarde, patre Geraldo de genere S. Geraldi Aureliacenſis toparchæ progenitus, primum canonicus Brivatenſis & theſaurarius, tum ab an. 1043. eremita, multis deinde ad ejus magiſterium concurrentibus cœpit ædificare monaſterium an. 1046. favente huic conſilio multorum fidelium pietate, qui certatim in hos uſus præſidia & pecunias conferre geſtiebant. Abſoluto jam monaſterio idem Robertus ad Henricum regem cum litteris commendatitiis miſſus a Rencone Arvernorum epiſcopo, petiit ut eccleſia recens conſtructa in abbatiam erigeretur. Annuit Rex ſub certis conditionibus, dato diplomate *Vitriaco palatio*, menſe Septembri, Luna XI. indict. III. anno regni ſui viceſimo primo, ab Incarnatione Domini 1052. Hujus aſceterii, quo nullum in tota Arvernia æque celebre, chronica tribus deſcripſit tomis MSS. noſter Claud. Eſtiennot, bullaſque pontificias & regia collegit diplomata. Ceterum olim ſubditi erant octo abbates abbati Caſæ-Dei, & in capitulo generali ſequentem ordinem tenebant ex ſtatutis Johannis Champdoratii. A dextris abbatis Caſæ-Dei ſedebant abbates S. Andreæ Viennenſis, S. Michaëlis Galliacenſis, S. Marini Papienſis, S. Quirici Lucani, prior major Caſæ-Dei, prior S. Gemmæ, &c. a ſiniſtris vero abbates S. Theodardi Montalbanenſis, S. Petri Brantolmienſis, S. Petri Fraxinorenſis, S. Mariæ Faverniacenſis, priores S. Martini Portus-Dei, S. Roberti de Cornilione, & alii priores. Adhuc abbatia S. Petri de Caſis, aliaque feminarum celebria monaſteria ſubſunt Caſæ-Dei juriſdictioni.

Vide Mabil. ad hunc annum.

Multos etiam illuſtres pietate & eruditione viros peperit hoc cœnobium; qui ſi enumerandi forent, longius protraheretur oratio. Octo primi abbates ab Arvernenſium rerum ſcriptoribus inter ſanctos computantur: inter quos præcipue enituerunt poſt S. Robertum Seguinus, qui Carthuſiano ordini naſcenti & bonis & auctoritate conſuluit: ac S. Adhelelmus, qui in Hiſpaniam cum Conſtantia regina profectus, ibidem miraculis claruit, & multa monaſteria ab hoc dependentia conſtruxit. Illud quoque cœnobium præ ceteris illuſtravit Petrus Rogerii, qui poſt adeptas varias dignitates, tandem ex archiepiſcopo Rotomagenſi ad ſummum Eccleſiæ Romanæ præfulatum ſub Clementis VI. nomine aſſumtus eſt. Is vero præ aliis locis quibus præfuerat, Caſæ-Dei monaſterium adeo ſincere dilexit, ut ibi corpus ſuum poſt mortem ſepeliri mandaverit. Quod re ipſa factum eſt; & quidem viſitur hodieque in majori eccleſia, quam ſuis ſumtibus ædificari curaverat, ejus ſepulcrum, vel potius ſepulcri reliquiæ. Ipſum nempe ab hæreticis furentibus ſeculo proxime elapſo violatum fuit, cum altero ſepulcro cardinalis ejus nepotis. Mitto alios celebres viros qui ex eodem Caſæ-Dei cœnobio prodiere, ut ipſius præſentem ſtatum oculis exhibere feſtinem. Unitum eſt hoc celeberrimum cœnobium, congregationi S. Mauri ob arctiorem diſciplinam in Galliis florentiſſimæ an. 1640. non ſolum conſentiente ſed jubente eminentiſſimo cardinali Armando Richelio tunc abbate; invitantibuſque religioſis viris hujus ſacri loci alumnis, præſertim nobiliſſimo & reverendiſſimo D. Paulo de Fretat magno priore, qui die 20. Julii hujus anni miſit in poſſeſſionem locorum regularium D. Antonium de l'Eſpinaſſe viſitatorem hujus congregationis, quæ tunc dicebatur ſancti Benedicti, ſeu Cluniacenſis & S. Mauri, in provincia Toloſana. Nunc texenda nobis ſupereſt abbatum hiſtoria, quam Deo adjuvante auctiorem & emendatiorem dabimus.

ABBATUM SERIES.

I. SANCTUS ROBERTUS, cujus habes vitam ſeculi VI. Bened. p. 2. pag. 183. & ſeqq. presbyter canonicus & theſaurarius eccleſiæ ſancti Juliani Brivatenſis, ſolitudinem Caſæ-Dei, cum duobus ſociis Dalmatio & Stephano militibus, ingreditur 28. die Decemb. an. 1043. Monaſterii ædificia incœpit anno circiter 1046. quo tandem abſoluto an. 1052. novem ſcilicet poſt primum receſſum annis, primus Caſæ-Dei abbas inſtitutus eſt per Renconem Arvernorum epiſcopum, brevi apoſtolico Leonis papæ IX. ſultus, & regio diplomate Henrici I. Francorum regis, quod edidimus inter inſtrumenta, licet illud cum brevi Leonis papæ jam vulgaverit V. C. Baluzius in appendice ad Lupi-Servati epiſtolas pag. 524.

C. XXXVIII. col. 103.

Digitized by Google

Obiit ſanctus abbas die 17. Aprilis an. 1067. [a] ſepultus tamen duntaxat die 24. ejuſdem menſis, quo etiamnum ejus feſtivitas ſolemniter celebratur. Biennio poſt ipſius mortem, vita ejuſdem S. viri contexta eſt a Geraldo de Venna, & oblata ſummo pontifici Alexandro II. an. 1069. qui anno ſeq. eum in SS. album retulit. Sacrum ejus corpus e tumulo levatum eſt an. 1351. die 19. Octobris a Johanne de Champdorat Anicienſi epiſcopo, quo die tranſlationis celebritas cum octava recolitur. Auctoribus porro qui de B. Roberti vita ſcripſere a Mabillonio laudatis accenſendus eſt anonymus quidam Caſæ-Dei monachus an. 1130. Item D. Franciſcus Gardon Ricomagenſis, monachus Caſæ-Dei & ſacriſta S. Baudilii Nemauſenſis, vitam S. Roberti Gallice ſcriptam publici juris fecit. Denique D. Simon Genoux e congregatione S. Mauri, ſubprior Caſæ-Dei, magna diligentia vitam S. Roberti conſcripſit, & ſeriem ſucceſſorum ejus in abbatia Caſæ-Dei, in qua & ipſe obiit 26. Martii an. 1667. ſepultus ante ipſam B. Roberti aram, juxta parvum campanile.

II. Durantus, ſeu Durandus aut Durannus (ſic enim varie in variis chartis legitur) monachus ejuſdem cœnobii, S. Roberto in regimine ſucceſſit. Hujus abbatis tempore plurima contulerunt monaſterio Guillelmus dux Aquitaniæ an. 1073. cujus litteras lege apud Beſlium in hiſt. comitum Pictav. Stephanus de Mercœur, qui ſuum filium ſimul ad monachatum obtulit: Hugo de Luſignen, qui eccleſiam *de Frontenay* conceſſit, ſubſcribentibus Guidone epiſcopo Lemovic. Furchardo, *al.* Fulrado abbate Carroſi, Goffredo Pictavienſi comite, &c. Geraldus de Turlanda, *al.* de Curlanda, &c. Præcipua tamen cura Durandi fuit, S. Roberto debitos honores procurare, miſſo Romam ea de re Gerardo de Venna, ut diximus. Dum autem adhuc eſſet abbas, Rainaudus Caſæ-Dei monachus ad abbatiam S. Cypriani Pictav. evocatur; & Jarento, qui monachum induerat ſub ipſo Duranno, quique poſtea prioratus officium ejuſdem juſſu & totius congregationis ſuſceperat ac tres annos geſſerat, ad abbatiam S. Benigni Divionenſis evehitur an. 1078. quo item anno Durandus creatur epiſc. Claromontenſis. De hoc ſic habet Hugo Flaviniacenſis: *Conſecratus eſt præfatus abbas Durannus Arvernorum epiſcopus, peracto decennio regiminis ſui in loco Caſæ-Dei, qui etiam poſt biennium, petitione & voluntate fratrum curam regiminis Siguino dereliquit.* S. Adelelmus cœnobii alumnus, ab ejus vitæ ſcriptoribus dicitur ſubrogatus Durando; quod Hugo Flaviniac. ſuperius laudatus falſi revincit. Alii volunt eum fuiſſe Seguini ſucceſſorem. Denique plurimi cum expungunt, quos ſequimur. Vita ipſius exſtat ſec. VI. Ben. p. 2. pag. 895.

III. Seguinus & Siguinus vir illuſtris ex caſtro Eſcotayaco in pago Lugdunenſi ortus, eligitur abbas an. 1078. quo ſedente jam anno ſeq. locus Caſæ-Dei tum religionis fama, tum ampliſſimis poſſeſſionibus excrevit, adeo ut abbates S. Michaëlis Galliacenſis, uti jam diximus in tom. 1. col. 52. & S. Martini Montalbanenſis [b], annuentibus Guillelmo Albienſi & Stephano Cadurcenſi epiſcopis, ſe ſe ſuaque monaſteria abbati Caſæ-Dei ſubdita reſcripto declararent; cujus rei confirmationem Seguinus Romam profectus impetravit a Gregorio papa VII. bulla data Laterani VI. * cal. Aprilis, per manus Petri S. R. E. presb. card. ac bibliothecarii, anno ſeptimo pontificatus, indict. III. Ex Italia remeans venerabilis abbas Seguinus, monaſterium Montis-albani viſitaturus, tranſiit per cœnobium Carennacenſe, ubi ſe prophetiæ dono præditum clare oſtendit, ut videre eſt ſecul. VI. Ben. p. 2. pag. 219. Anno 1080. abbas Brantolmienſis dictorum abbatum veſtigiis inſiſtens, ſuam abbatiam Caſæ-Dei monaſterio ſubjecit, conſentientibus Guillelmo epiſcopo & Helia comite Petracoricenſi. An. 1081. III. idus Januarii ſubſcripſit litteris Willelmi comitis Pictav. & Aquitaniæ ducis, quibus eccleſiam S. Eutropii Santonenſis, de manu laïcali acquiſitam dedit abbati Cluniacenſi Hugoni, Widone quoque Caſæ-Dei monacho fratre comitis Nivernenſis nomen ſuum iiſdem litteris apponente. Id fortaſſe actum eſt in concilio Santon. cui Seguinus hoc anno interfuiſſe dicitur. A Rainaldo Remenſi archiepiſcopo rogatus, diſciplinam regularem in monaſterio S. Nicaſii Remenſis reſtituit, ut fuſius infra dicemus. Cum Remis degeret Seguinus, iniit amicitiam cum Brunone Remenſi canonico, quem a mundi ſtudio avocavit; eidemque poſtea Cartuſiæ ſolitudinem petenti *domnus abbas Siguinus de Caſa-Dei, cum ſuorum fratrum conventu, quidquid ibi juris habere videbantur, ſupradictis conceſſerunt fratribus*, nempe Brunoni & ſociis. Excerpta autem ſunt hæc verba ex inſtrumento donationis Cartuſiæ, facto Gratianopoli in eccleſia B. M. quarta feria ſecundæ hebdomadæ Dominici Adventus, in præſentia domini Hugonis Gratianopolis epiſcopi, atque canonicorum, &c. celebrantium ſanctam ſynodum V. idus Decemb. an. 1086. & relato apud Johannem Columbi Societatis Jeſu presbyterum in diſſertatione quam typis vulgavit de Cartuſianorum initiis; ubi etiam tota charta noſtri Seguini refertur, qua Lauduino priori & ſociis Cartuſiam reſtituit, ſibi & congregationi Caſæ-Dei commiſſam, a Brunone Romam ab Urbano ſummo pontifice evocato. *Factum eſt* (ſic explicit iſta charta) *anno ab Incarnatione Domini 1090. XV. cal. Octob. Ego Siguinus abbas ſubſcripſi & in præſentia archiepiſcopi Hugonis hanc chartam ex integro*

Archiv. Camagil.

Ex chart. Cluniac.

Vide infr. C. XII. col. 107.

[a] Alii ejus mortem aſſignant an. 1058. quod diſcrimen poſitum videtur in computandis 15. annis, quos in regimine exegiſſe legitur. Nam qui illos computant ab anno 1043. quo ſeceſſit in ſolitudinem, volunt eum obiiſſe an. 1058. qui vero numerare incipiunt ab anno 1052. quo factus eſt abbas ab epiſcopo Rencone, eum perveniſſe volunt ad an. 1067. Certe Bernardus qui ſcripſit S. Roberti vitam tripartito opere, aſſerit eum obiiſſe XV. cal. Maii 3. die poſt octavas Paſchæ, quod feſtum an. 1067. incidit in diem 8. Aprilis. Huic concinit Hugo Flaviniac. auctor accuratus in chronico Virdunenſi biblioth. Labb. t. 1. p. 197. *Anno enim, inquit, ab Incarnatione Domini M..... illuc, in ſolitudinem, venit, ubi præfuit..... annis IX. & factus..... abbas præfuit annis..... & migravit ad Dominum anno M. LXVII. ſucceſſorem ſuum deſignans nomine Durannum.*

[b] Hujus ſubjectionis mentio fit in bulla Johan. XXII. pro Montalban. epiſcopatus erectione.

Digitized by Google

integra confirmavi. Unde Seguinus ſacri ordinis Cartuſienſis quaſi alter parens cum S. Brunone videtur.

Ademarus Anicienſis epiſcopus ei conceſſit eccleſiam de Uciono *Uſſon*, an. 1087. cal. Aprilis apud Podium; quam donationem ratam habuit Raimundus comes Rutenenſis. Eidem quoque Petrus Ermengaudi Nemauſens. præſul, eccleſiam S. Baudilii apud Nemauſum Gotiæ urbem donavit, rogatu Raimundi comitis & Hermengardis vicecomitiſſæ, donationem hanc confirmantibus Guigone decano, &c. v. cal. Jan. die Sabb. Luna 27. regnante Philippo Francorum rege.

Anno 1092. Gelduinus & Ebbo fratres, dederunt Seguino abbati eccleſiam S. Petri, quæ dicitur Partheniaci-veteris. Vide Beſlium chronic. Aquitan. pag. 397. Anno ſequenti cum ſeptem annos rexiſſet abbatiam ſancti Nicaſii Remenſis, Caſam-Dei revertitur, ſubrogato Nicolao, ſancti Roberti diſcipulo, & poſt ipſum Johanne Caſæ-Dei etiam monacho. Denique obiit Seguinus anno circiter 1094. idibus Julii * ut aſſerit Petrus Bringerius in catalogo abbatum Caſæ-Dei, a quo *ſanctus* nominatur, eoque nomine in antiquis Caſæ-Dei breviariis celebratur. Dicitur vero ſepultus *Avinione*, quod non eſt intelligendum de urbe Avenionenſi; ſed potius de prioratu Avinionenſi, vulgo *Avignonnet* in archipresbyteratu Mauriacenſi diœceſis Claromont. ſito, de quo ibidem articulo IX. fit mentio tanquam Caſæ-Dei ſubjecto; cum e contra in urbe Avenionenſi nulla ſit eccleſia a Caſa-Dei dependens. Ceterum tempore Seguini floruerunt in monaſterio Caſæ-Dei Audebertus de Monte-Maurilionis, deinde abbas Dolenſis & archiep. Bituric. necnon frater ejus Garnerius, poſtea prior ſanctæ Gemmæ; & Petrus, a Gregorio papa Fraxinenſis eccleſiæ abbas ordinatus.

Sec. vt. Ben. p. 2. pag. 219.
* *Necrol. Divion. ſic habet*: Siſvinus abbas Caſæ-Dei, 2. idus Julii.
Ibid.

IV. Pontius I. de Turnone * ex nobiliſſima familia apud Delphinates oriundus, vitam monaſticam amplexus eſt tempore Durandi abbatis. Electus abbas an. 1094. Urbano II. papæ anno ſeq. præſentatur Anicii, in die Aſſumtionis beatæ Mariæ ab Audeberto Bituric. archiepiſcopo, Durando Claromont. & Hugone Gratianopolitano epiſcopis, quorum & Pontii rogatu ſummus pontifex eccleſiam a S. Roberto exſtructam in honorem SS. Vitalis & Agricolæ ſolemniter conſecravit, adſiſtentibus, præter modo recenſitos præſules, Hugone Lugdun. archiepiſcopo, Lamberto Piſano, Brunone Signienſi, Amato Burdigalenſi, Geraldo Cadurcenſi, & Johanne Portuenſi antiſtitibus. Completa vero hujus dedicationis ceremonia, ſupremus ille antiſtes monaſterium Caſæ-Dei liberum & immune a quacumque epiſcoporum juriſdictione vivæ vocis oraculo declaravit; quod poſtea ratum habuit bulla data apud burgum S. Ægidii per manus Johannis S. R. E. diaconi card. VIII. idus Septemb. indict. III. pontificatus ſui anno octavo, Chriſti 1095. Hoc anno Pontius interfuit concilio Placentino, ſimulque privilegio Urbani II. pro ſancto Ægidio ſubſcripſit. Adfuit etiam hoc eodem anno celebri apud Claromontem ſynodo, ubi parentavit pio parenti Durando hujuſce urbis epiſcopo; atque * nonnullas cum abbate Cluniacenſi Hugone permutavit eccleſias, per manus Urbani papæ, necnon Hugonis Lugdun. & Audeberti Bituricenſis archiepiſcoporum. Anno ſequenti Pontius cum quatuor monachis Lugdunum profectus, ibi in conventu canonicorum ab Hugone præfato Lugdun. archipræſule eccleſiam S. Juliani Antiochenſis accepit, in vico qui dicitur Modonium, ſitam juxta Montem-Briſonem, confirmantibus & præſentibus Guillelmo de Baffia Arvernenſi epiſcopo & abbate S. Irenæi, Bernardo epiſcopo Matiſconenſi, Guigone venerabili abbate monaſterii Inſulæ-Barbaræ & canonicis Lugdunenſibus IV. idus Nov. an. 1096. In eadem urbe Lugdunenſi Pontius amicitiam iniit cum S. Anſelmo Cantuarienſi archiepiſcopo, qui menſe Julio ſequentis anni, rogatu venerabilis abbatis, Caſam-Dei divertit, ubi miracula patravit quæ videre eſt in appendice ejus operum a noſtro D. Gabr. Gerberon editorum. Sub idem tempus Guido, Guillelmi comitis Burgundiæ filius, Viennenſium archiepiſcopus, tradidit Pontio & ſucceſſoribus omnimodam adminiſtrationem abbatiæ S. Andreæ apoſtoli, ſitæ infra mœnia urbis Viennæ, de conſenſu domni Roſtagni præpoſiti, domni Ligebodi decani, ceteris canonicis conlaudantibus. Exſtat etiam guirpitio quædam facta inter ipſum & Raimundum ep. Nemaus. an. 1099. menſe Januario. Anno denique circiter 1102. ex vulgatis catalogis Pontius eligitur epiſcopus Anicienſis, ubi cetera quæ ad ipſum ſpectant conſule.

* *al.* De Monte-Buxerio.

V. Aimericus degebat in monaſterio S. Roberti de Andrio, quando accitus eſt ad regendam Caſæ-Dei abbatiam. Id vero contigiſſe an. 1102. teſtis eſt Hugo Flaviniacenſis in chronico Virdunenſi. Certe anno ſeq. a Lucio epiſc. Lucenſi eccleſiam S. Quirici in monticulo ſitam accepit. Charta hujus donationis facta eſt anno præfato, v. idus Martii, indictione XI. Aimericus adfuit an. 1106. VI. cal. Febr. conſecrationi eccleſiæ ſancti Martini Athanacenſis a Paſchali II. peractæ, qui hoc eodem anno privilegia monaſterii Caſæ-Dei confirmavit, inprimis abbatiam ſancti Andreæ Viennenſis a Guidone Viennenſi archiepiſcopo, eccleſiam S. Treverii * ab Hugone Lugdunenſi, & cellam de Beciano a Bernardo Agathenſi præſulibus conceſſas: *Datum apud Cluniacum per manum Johannis S. R. E. diaconi card. ac bibliothecarii, ſecundo nonas Febr. indict. XV. pontificatus anno VIII.* Anno ſeq. idem ſummus pontifex Aimerico majora conceſſit privilegia, data bulla Laterani per manum præfati Johannis nonis Decemb. indict. I. an. 1107. In his vero Caſæ-Dei ſubjicit cœnobia S. Marini Ticinenſis, Fraxinorenſe, S. Quirici Lucenſis, S. Baudilii Nemauſenſis, Vallis-traverſæ, &c. Petrus denique Pictavorum epiſcopus Aimerico dedit tres eccleſias in villa, quæ Gazenobium dicitur, ſitas, ſcilicet S. Mariæ, S. Macuti, & S. Genovefæ virginis, ut patet ex charta confirmationis ab Aimerico decano aliiſque canonicis facta. Attamen Gaufredus abbas S. Maxentii has eccleſias ſui juris eſſe contendebat; ſed Geraldus Engoliſmenſis epiſcopus & S. R. E.

* S. Trivier près de Dombes.

* Alibi lego id factum eſſe an. 1097.

Digitized by Google

legatus, de consilio Leodegarii Biturie. archiepiscopi, Petri Pictav. episc. Aimerici Pictavienſis decani, &c. præfatas tres eccleſias abbati Caſæ-Dei adjudicavit. *Actum eſt Pictavis in camera epiſcopali an. M. CXI. indict. IV. regnante Ludovico rege Francorum.* Unde ſequitur Aimericum ſedem Claromontenſem non conſcendiſſe ante annum M. CXI. quo dicitur abbas Caſæ-Dei in præfato Geraldi epiſc. inſtrumento, quod etiamnum in archivo Caſæ-Dei integrum adſervatur, cum duobus ſigillis pendentibus, tertium vero deperiit.

VI. Stephanus I. de Mercorio, *de Mercœur*, quem volunt S. Odilonis Cluniacenſis abnepotem ex fratre, vel ſaltem conſanguineum, ſucceſſit Aimerico; ejus tamen memoria non occurrit ante annum 1114. Anno 1115. Petragoras venit, ubi conſilio Petri abbatis S. Andreæ Viennenſis, olim monachi-Caſæ-Dei, aliorumque Caſæ-Dei monachorum, tranſegit cum Guillelmo de Alba-rocha epiſcopo Petragoricenſi, qui hoc an. ind. X. die 1. Junii eccleſiam de Chaſlar ea lege monaſterio Caſæ-Dei conceſſit, ut monachi Caſadenſes ſingulis annis in feſtivitate ſancti Frontonis unam incenſi libram pro hac eccleſia canonicis S. Frontonis perſolverent. An. 1116. Galterus Magalon. epiſcopus dedit Stephano eccleſias S. Vincentii de Joncheriis, ſancti Petri de Portiano * & de Taurone, rogatu L. Vivarienſis, & A. Avinionenſis epiſcoporum. Eodem anno VII. idus Januarii Stephanus Lugdunum petiit, ubi nonnullas cum canonicis majoris eccleſiæ permutavit eccleſias, approbantibus G. Lugdun. archiepiſcopo, L. Vivarienſi epiſcopo, G. decano, aliiſque plurimis canonicis; item G. S. Regneberti, P. Athanacenſi & G. Inſulæ-barbaræ abbatibus. Anno 1117. calend. Septemb. Aimericus Arvernorum epiſcopus Stephano dedit eccleſiam S. Laurentii Aleſonenſis, *Auſon*, conſentientibus Ademaro decano, ceteriſque canonicis Clarom. Hæc eccleſia modo eſt collegiata in diœceſi ſancti Flori. Eodem anno communis conventus clericorum S. Liberatæ, *ſainte Livrade*, ſe ſe in perpetuum tradit Stephano abbati Caſæ-Dei & ſucceſſoribus ejus; ut videre eſt in charta hac de re confecta, quam ad probationes amandavimus. Calixtus papa II. eidem confirmavit abbatias ſancti Martini Papienſis, Fraxinorenſem, S. Sixti apud Placentiam, &c. bulla data per manum Chryſogoni S. R. E. diaconi card. ac bibliothecarii IV. cal. Maii indict. XII. Incarnat. Dom. an. 1120. pontificatus ſui anno primo. Anno 1122. Willelmus Aquitanorum dux Stephano abbati ejuſque ſucceſſoribus laudavit eccleſiam S. Liberatæ intra parochiam Agennenſem in ripa Olti fluminis ſitam, quam quidem prius a domino Aldeberto Agennenſi epiſcopo donatam, deinde domini papæ Caliſti privilegio roboratam eſſe profitetur. Teſtes fuerunt Aimericus Arvernenſis & Euſtorgius Lemovicenſis epiſcopi, domnus quoque Rodulfus abbas S. Juniani Nobiliacenſis &c. *Data Anagiaci XI. calend. Aprilis anno ab Incarnatione Domini 1122. Signum comitis manu propria*; ex archivis Caſæ-Dei. Innocentius papa eidem confirmavit antiqua Caſæ-Dei privilegia, necnon monaſterium S. Baudilii, cellam de Lanſaco, eccleſias de Bellicadro, S. Treverii, &c. bulla data Cremonæ, per manum Aimerici S. R. E. diac. card. & cancellarii, ſecundo idus Julii, indict. X. anno Incarnat. Dom. 1132. pontificatus anno tertio. Anno ſeq. Anſericus Biſuntinenſis archiepiſcopus inſignem Faverniaci eccleſiam, ipſiſmet ſanctimonialibus, clero & populo pari voce acclamantibus, conceſſit Stephano abbati; ut patet ex inſtrumento donationis dato Biſuntii anno ab Incarnatione 1133. indict. XIII. 15. cal. Octob. huic autem ſubſcripſerunt Petrus de Trena decanus S. Stephani, Hugo Luxovienſis abbas, Wido abbas de Cariloco, Lambertus abbas de Clarafontana, Nicolaus abbas de Morimonte, &c. Anno 1136. Aimericus Arvernorum epiſcopus Stephano dedit eccleſiam de Monte-ferrando, ſubſcribentibus N. decano aliiſque pluribus canonicis, & omnium noviſſimo Stephano abbate S. Urſerii. Eodem anno, *al.* 1137. Cantogilenſe S. Marcellini monaſterium acceſſit ad Caſam-Dei, volente Raimundo abbate Cantogilenſi, qui Dominica I. ſanctæ Quadrageſimæ in capitulo Caſæ-Dei, in præſentia & manu dom. Stephani abbatis ſuum ceſſit monaſterium; & rurſum in eodem capitulo tertia die poſt feſtum B. Roberti, adminiſtrationem Cantogilenſis abbatiæ in manu Aimerici Claromont. epiſcopi cum virga depoſuit, in præſentia epiſcoporum & abbatum, & totius capituli Caſæ-Dei; vide noſtra inſtrumenta. Anno eodem 1137. menſe Octob. plures eccleſias a Jaucerano Vivarienſi præſule accepit. Bernardus quoque Parmenſis antiſtes quindecim eccleſias Stephano abbati & Odefredo priori donavit an. 1139. quo item anno Guido diaconus card. Sedis apoſt. legatus, querelam inter Stephanum Caſæ-Dei & Ademarum S. Tyberii abbates componit: chartæ ſubſcrib. Guillelmus Arelat. archiep. Sedis apoſt. legatus, Petrus Nicienſis, Raimundus Agathenſis, Guillelmus Nemauſenſis, Jaucerannus Vivarienſis, & Everardus Uticenſis, epiſcopi; necnon Petrus abbas S. Ægidii & Johannes abbas S. Illidii Clar. Acta ſunt hæc apud ſedem Uticenſem an. M. C. XXXIX. pontificatus Innocentii papæ II. anno X. Anno 1141. nobiliſſimus vir inter Arvernos Euſtachius de Monte-Buxerio, *Montboiſſier*, Jeroſolymam profecturus, plurima Caſæ-Dei monaſterio prædia largitus eſt in prioratu S. Deſiderii, *S. Dier*, diœc. Clarom. præſentibus Aimerico Arvernorum epiſcopo, & Jordano de Monte-Buxerio Caſæ-Dei priore majore, &c. Lucius papa II. bulla data XI. cal. Junii indict. VII. Dominicæ Incarn. an. 1144. pontificatus ſui primo, monaſterii Caſæ-Dei quod vocat *religionis monaſticæ modernis temporibus ſpeculum, & in Galliarum partibus documentum*, privilegia roboravit; item Eugenius III. data bulla calendis Febr. indict. IX. an. 1146. pontificatus anno I. in qua laudat inprimis donum eccleſiarum de Cornilione, de S. Salvatore, Cantogilenſis, Montiſferrandi, S. Mariæ Montis-piloſi, & de Bullione, S. Liberatæ, &c. Tandem meritis plenus obiit hoc anno 1146. IV. calend.

* Pouſſin.

C. X. col. 82.

C. XL. col. 106.

Digitized by Google

Aprilis, ſepultuſque eſt juxta altare SS. Virginum ad ſiniſtram partem ; miraculis fulſiſſe dicitur. Ceterum vitam S. Roberti Stephano non eſſe dicatam, ſed Seguino, contra Sammarthanos probat Mabillonius in actis SS. ord. S. Bened. ſec. VI. p. 2. pag. 183.

VII. Jordanus de Montboiſſier nobili vetuſtaque proſapia de Monte-Buxerio in Arvernia genitus, frater Eraclii Lugdun. archiepiſcopi, Pontii Vezeliacenſis & Petri cognomento *Venerabilis* Cluniacenſis, abbatum, ex majore Caſæ-Dei priore factus eſt abbas. Romam non multo poſt accedens, detulit ad Eugenium papam litteras fratris ſui Petri Venerabilis, quibus modeſte commendat Jordani caſtos mores & ſcientiam. Idem vero ſummus pont. privilegia Caſæ-Dei conceſſa munivit ſua bulla data IV. idus Martii indict. XII. Incarn. Dom. 1149. pontificatus ſui anno ſexto. Anno 1151. cum Jordanus abbas prioratum S. Deſiderii haud procul a domo paterna ſitum viſitaret, accepit a Germano fratre Euſtachio de Monte-Buxerio ampliores pro dicto prioratu poſſeſſiones, conſentiente Aimerico Arvernorum epiſcopo, in clauſtro S. Deſiderii. Sub id tempus Oribeltus prior major Caſæ-Dei eligitur Valentinenſis epiſcopus. An. 1156. Jordanus decimas Azeraci acquirit a Radulfo de Lughaco. Obtinet an. ſeq. diploma pontificium ab Adriano papa IV. Laterani datum idibus Decemb. pro confirmanda compoſitione facta inter prædictum Jordanum & Raimundum abbatem Crudatenſem, ſuper eccleſiis de Malliaco, per manum Raimundi Vivarienſis epiſcopi, & Durantii Manſiadenſis abbatis. Hoc ipſo anno interfuiſſe dicitur exſequiis fratris ſui Petri abb. Cluniac. qui diem extremum obiit 25. Decemb. an. 1157. * Ipſe vero defunctus eſt die 24. Novemb. anni ſequentis, ſepultus juxta deceſſorem Stephanum ante altare SS. Virginum (Urſulæ & ſociarum) poſtquam, inquit noſter Claud. Eſtiennot, Caſam-Dei rexiſſet annis 12. menſibus ſeptem, diebus 25.

VIII. Pontius II. de Bellodiſnario, *Beaudiſner*, nobilis Velaunus, bullis quatuor ab Alexandro III. donatus eſt, prima V. idus Junii anni 1162. altera VI. idus Auguſti ejuſdem anni ; duabus aliis notæ chronicæ deſunt ; at ſumma illarum hæc eſt : nempe ut Petrus Bituricenſis archiepiſcopus cum ſuffraganeis ſuis non modo Caſæ-Dei monaſterium honoret, verum etiam a malignorum injuriis protegat, alterius vero, ut corpora eorum qui in eccleſia Caſæ-Dei ſepulturam elegerint, niſi ſint excommunicati, aut nominatim interdicti, eccleſiaſticæ ſepulturæ tradantur. Interfuiſſe dicitur concilio Turonenſi an. 1163. Certe an. 1167. XV. cal. Julii Petrus Anicienſis epiſcopus de conſilio Ademari Santonenſis, Raimundi Uceticenſis & Guigonis Amelienſis * epiſcoporum, dedit Pontio abbati Caſæ-Dei eccleſiam ſancti Pauli * & capellam S. Stephani de Lardeyrol ; & inſuper ut firma & perpetua inter utramque eccleſiam familiaritas habeatur, concedit Pontio ejuſque ſucceſſoribus *canonicam & dignitatem in eccleſia Anicienſi, ſicut habet abbas Cluniacenſis* ; ceteris vero Caſæ-Dei fratribus annuit, ut poſt ſuum obitum fiat pro eis in eccleſia Anicienſi, ſicut pro uno canonico. Subſcribunt Willelmus præpoſitus, Petrus decanus, Petrus abbas S. Petri, &c. Tandem Pontius loca ſacra inviſendi ſtudio incenſus in Palæſtinam ſe contulit, ubi poſt aliquod tempus in oratione rerumque cœleſtium contemplatione exactum, ſuaviter exſpiravit pridie cal. Maii anno juxta D. Claud. Eſtiennot 1169. ſepultus in valle Joſaphat juxta ſepulcrum B. V. Mariæ, ſi tamen Epheſi non ſit ſepulta beatiſſima Virgo. Addunt vero plures auctores ſancti titulo ornatum fuiſſe hunc abbatem.

IX. Guillelmus I. de Torrent nobili ſtirpe apud Arvernos natus, quem ex magno priore electum abbatem volunt, an. 1169. accepit a Matthæo dicto Canonico, & Agnete conjuge, quidquid in eccleſia S. Mariæ de Orcivallis poſſidebant, pro filio ſuo in monachum recipiendo, confirmante hoc donum Guillelmo comite Arvernorum ; qui quidem an. 1173. W. Caſæ-Dei abbati terram quæ vocatur *Tahum*, alias *de Tauve*, ea conditione donavit, ut parthenon S. Mariæ de Cumbis, *de Comps* vulgo *la Vau-Dieu*, ſubditus foret abbatis Caſæ-Dei juriſdictioni. Dicitur autem obiiſſe an. 1176. 2. idus Octob. *al.* die 4. Julii, ſepultus in *crota* * mortuorum inter majus altare & capellam B. Mariæ. Eo tempore florebat Johannes profeſſus S. Roberti in Andrio, prior S. Roberti de Cornilione, & tandem epiſcopus Gratianopolitanus.

X. Bertrandus Iſarni, *al.* Iſarin, cui Alexander papa III. diploma pontificium direxit datum Tuſculani IV. nonas Januarii indict. XI. anno Chriſti 1178. pontificatus ſui 19. quo potiſſimum monaſterio Caſæ-Dei confirmatur ſubjectio abbatiarum S. Sicarii Brantholmienſis, S. Michaëlis de Galliaco, S. Theodardi, &c. Interiiſſe traditur an. 1179. VIII. cal. Octobris, ſepultus juxta deceſſorem ſuum in prædicta *crota* ſeu crypta. Florebat autem ejus tempore Robertus e Caſadenſi monacho Viennenſis archiepiſcopus.

XI. Lantelmus, quem Bringerius nuncupat Lancelinum, ordinatur abbas an. 1179. Hunc antea monachum in Andrio fuiſſe, tum prioris majoris officio in abbatia Caſæ-Dei defunctum aſſerunt nonnulli. Odo Valentinenſis epiſc. an. 1184. Lantelmo conceſſit capellam B. Mariæ de caſtro Cruſſolii. Eodem anno plura ipſi diplomata Lucius papa III. indulſit, quibus immunitates Caſæ-Dei confirmantur. Horum alterum exſtat ſeculi VI. Bened. p. 2. pag. 187. n. 2. quo mitræ uſus Lantelmo, licet renitenti, ejuſque ſucceſſoribus conceditur. Lantelmus poſtea Verulis abſcedens, Veronam ſe contulit, ubi a Friderico Romanorum imperatore diploma protectionis pro ſuo monaſterio accepit, datum ibidem anno Incarn. Dom. 1184. tertio nonas Novemb. ind. III. Hujus rei teſtes ſunt, Conradus archiepiſcopus Mogunt. Robertus archiepiſc. Viennenſis, Willelmus epiſc. Vapincenſis, Bertrandus epiſc. Metenſis, &c. Sub hoc tempus florebat Arnaldus monachus Caſæ-Dei ad abbatiam S. Auſtremonii Iſſiodor. evocatus, tum ad Claromontenſem S. Illidii hoc an. 1184. poſt obitum Pontii.

l. VI. ep. XI. — *al. 1156.* — * *Vide t. I. col. 1326.* — * S. Pal lez Mons. — * *Hoc eſt crypta gallicé grotte.*

Anno denique 1186. eidem Lantelmo Raimundus Arelat. archiepiſcopus ordinandam tradidit eccleſiam parochialem S. Nazarii de Bellicadro, in qua monachos & priorem conſtituit. Porro ad hunc annum revocari debet ſublevatio Lantelmi ad epiſcopatum Valentinenſem, ex charta Raimundi Uceticenſis epiſc. qua Dalmatio abbati, qui ſequitur, concedit eccleſiam S. Dionyſii, cum omnibus ad eam pertinentibus. Data eſt hoc an. 1186. ut amplius patebit ex inſtrumento ſuo loco referendo. Valentiæ dicitur obiiſſe, aut ſepultus XV. cal. Julii. Noſter D. Michaël Germain qui hiſtoriam monaſteriorum Benedictinorum congregationis S. Mauri in Gallia adornavit, ſubodoratur Lantelmum, expetitum in epiſcopum Valentinenſem, non fuiſſe conſecratum.

XII. Dalmatius de Cutia*, *de Cuſſe*, alias de Curia, *de la Cour*, memoratur abbas in charta Raimundi Ucetienſis epiſcopi data anno 1186. quam daturi ſumus in epiſc. Uticenſibus. Curavit an. 1188. fieri tranſſumtum privilegii ſupra laudati, an. 1184. a Friderico imperatore conceſſi, cui tranſſumto ſubſcripſerunt Robertus archiep. Viennenſis, Pontius epiſc. Claromont. Johannes epiſc. Gratianopol. Lantelmus (qui ſupra) epiſc. Valentinenſis. Garnerius abbas Floriacenſis iniiſſe legitur precum ſocietatem cum noſtro Dalmatio. Obiiſſe dicitur Dalmatius an. 1192. IV. nonas Junii, & ſepultus eſt ante altare SS. Virginum juxta oſtium. At de anno mortis dubitamus, nam ejus ſucceſſor Stephanus ſubſcripſit chartæ Richardi Angliæ regis an. 1190. ut videre eſt tom. I. col. 988.

XIII. Stephanus II. de Brezons ſtirpe apud Arvernos nobiliſſima natus, ex eleemoſynario creatur abbas an. 1190. Expoſtulavit apud Cœleſtinum papam de delphino Arverniæ Claromont. comite, quod gravia inferret damna eccleſiis a Caſa-Dei pendentibus, quæ reparare coactus eſt auctoritate Cœleſtini papæ III. cujus etiam litteris apoſtolicis datis an. 1193. idibus Decemb. aſſeruit Caſæ-Dei dominium in eccleſiam & clericos Montis-Piloſi *. Deceſſit abbas Stephanus an. 1194. nonis Aprilis, & jacet juxta altare SS. Confeſſorum ad aquam Benedictam.

XIV. Bernardus Balon, ſeu de Vallons electus 1194. cum veniſſet in Aquitaniæ partes, de conſilio Petri abbatis S. Johannis Monaſterii-novi, conceſſit eccleſiæ Bonæ-vallis, cui tunc præerat Gaufredus abbas ordinis Ciſterc. terram de Andraio abbatiæ contiguam & valde neceſſariam, ſub annuo triginta ſolidorum Andegavenſis monetæ cenſu, Caſæ-Dei monaſterio ſingulis annis in feſtivitate fidelium defunctorum perſolvendo, ut patet ex inſtrumento anni ab Incarn. Domini 1195. regnante Anglorum rege domino Richardo, Willelmo Temperio Pictavorum epiſc. Interfuiſſe concilio Divionenſi Bernardum an. 1199. quidam aiunt, ſed id non conſtat. Viam univerſæ carnis eſt ingreſſus VIII. cal. Maii, ſepultus in prioratu S. Petri apud Parthiniacum * veterem in diœceſi Pictavienſi, ubi quidam dicunt eum a Philippo rege vexatum exſulare coactum fuiſſe.

XV. Hugo I. d'Anglars nobili ſtemmate in ſuperiori Arvernia prope Muratum ortus, una cum abbate Novem-fontium ord. Præmonſtr. ab Innocentio papa omnimodam auctoritatem accepit pro dirimenda lite inter Guillelmum archidiaconum Claromontenſem, & Petrum Parent ſancti Geneſii canonicum, qui de cathedralis eccleſiæ decanatu contendebant. Obiit Hugo IV. idus Oct. an. 1203. ſepultuſque eſt apud prioratum beatæ Mariæ de Maringues ad Elaverim fluvium in diœceſi Claromontenſi.

XVI. Armandus de Brezons, Stephani quondam abbatis ex fratre nepos, eligitur abbas anno 1204. Ipſum adfuiſſe tranſlationi corporis ſancti Benedicti in monaſterio Floriacenſi an. 1207. & concilio Lateranenſi 1215. quidam aſſerunt, ſed unde id acceperint, non probant. Certius eſt eum ab Honorio papa III. tres bullas accepiſſe pro confirmatione privilegiorum ſui monaſterii, quarum tertia data eſt Signiæ VII. cal. Auguſti indict. XI. Incarn. Dom. an. 1224. pontificatus Honorii anno octavo. E vivis exceſſit Armandus 2. cal. Octob. *al.* 31. Octob. ſepultus ad dexteram partem altaris SS. Virginum an. 1227.

XVII. Geraldus de Monte-claro e nobiliſſima apud Arvernos familia, filius N. de Montclar militis, domini de Montpenſier & de Grezin, a pueritia in cœnobio Caſæ-Dei educatus, ejuſdem abbas eligitur an. 1227. cujus tempore, propter laudabilem religionem obſervatam hactenus in eccleſia Caſæ-Dei, Robertus archiepiſc. Lugdunenſis eccleſiam Montis-Verduni donavit. Anno 1231. arbiter fuit compoſitionis inter Albertum de Aurelha abb. S. Theodardi, & Raimundum comitem Toloſ. Interiit III. cal. Octob. ſepultus retro chorum ad altare SS. Virginum.

XVIII. Guillelmus II. de Boiſſonnelle, *al.* de Boſſozello, e nobili prope Billomium in Arvernia gente ſatus, rexit ſaltem ab anno 1233. quo Nivernenſis & Forenſis comes Guillelmus ipſi donavit domum de Andreya. An. 1240. Blancum inſtituit priorem S. Liberatæ. Statuta vero ſaluberrima condidit anno 1246. XVI. cal. Maii pro monaſterio Montis-albani, qua de re chartam apud nos habemus; unde profecto perperam ab aliis dicitur vivendi finem feciſſe anno 1243. qui quidem hæc ipſa ad Bertrandum ſucceſſorem ſtatuta referunt, neſcio quo fundamento. Ceterum obiiſſe dicitur 8. idus Julii, & quieſcere apud Andanciam Caſæ-Dei prioratum in diœceſi Viennenſi, nunc unitum collegio Turnonenſi PP. Soc. Jeſu.

XIX. Bertrandus de Paulhiac *, e nobilibus prope Billomium parentibus ortus, præeſſe cœpit an. circiter 1247. quo S. Ludovicus Francorum rex monaſterium Caſæ-Dei in ſuam defenſionem ſuſcepit; datum eſt ea de re diploma menſe Martio, anno Chriſti 1247. cujus præſidio & auctoritate retunditur officialium Alfonſi Pictavorum comitis rapacitas, qui magna ſicariorum manu ſtipati, eccleſiarum diœceſis Pictav. Caſæ-Dei ſubjacentium dominia & poſſeſſiones infeſtabant.

* Mont-Piloux *in Italia.*

* Parthenay le vieux.

* *ſeu de* Paulhine.

* Cognominatur *de Villa-Guerra*, in charta Colſiniacenſi. Alii legunt de *Bella-Guerra*.

Anno 1249. Bertrandus viſitationis cauſa proficiſcitur ad monaſterium B. Mariæ de Fraxinorio diœceſis Mutinenſis; cujus cum abbas Bertrandi ſtatutis morem gerere abnueret, bulla Innocentii papæ data Lugduni IV. cal. Nov. ejuſdem anni coërcetur. Altero diplomate dato ibidem pridie cal. Aprilis an. 1251. ad uſum mitræ, abbati Lantelmo a Lucio deceſſore indultum, addidit pontifex in gratiam Bertrandi uſum annuli, chirothecarum & ſandaliorum, necnon benedictionis populo impertiendæ in officiis divinis licentiam, dummodo non adeſſet præſens epiſcopus, vel Sedis apoſtolicæ legatus. Anno 1255. Guido Clarom. epiſcopus Caſæ-Dei ceſſit eccleſiam S. Johannis des Olieres, & capellam d'Olhiergues III. nonas Januarii apud Claromontem, in domo epiſcopali, præſentibus Hugone de Turre abbate Clarom. Guillelmo de Cebazac, aliiſque canonicis. Hugo presbyter card. tit. S. Sabinæ, Sedis apoſt. legatus, graviſſimam inter Guillelmum Biſuntinenſem archiep. & abbatem Bertrandum querelam de monaſterio Faverniacenſi compoſuit an. 1257. hoc ſcilicet pacto ut in poſterum abbas Faverniacenſis eligeretur in cœnobio Caſæ-Dei & de ejus gremio, tum vero confirmatus per abbatem Caſæ-Dei, ab archiepiſcopo Biſuntino benedictionem humiliter requirere teneretur, &c. quod ſtatutum Hugonis ratum habuit Alexander papa diplomate dato Anagniæ II. idus Novemb. an. 1258. Denique an. 1259. poſt ingentes pro tuendis abbatiæ ſuæ juribus exantlatos labores, relicto fratribus maximo ſui deſiderio moritur cal. Nov. *al.* III. cal. ſepultus in ſacello beatæ V. M. ante altare.

Vide ſecul. VI. Ben. p. 2. pag. 186.

XX. Albertus ſeu Arbertus de la Molette, e nobiliſſima apud Velaunos ſtirpe, an. 1260. obtinuit a ſummo pontifice bullam qua monaſterii privilegia confirmantur. Data eſt Anagniæ idibus Januarii anno præfato. Eodem anno Petrus de abbatia Faverniacenſi nuper proviſus, totuſque ejus conventus Alberto abbati obedientiam filialem & omnimodam pollicentur ſubjectionem. Exſtant ea de re litteræ abbatum Faverniacenſis, Carilocenſis & Clariſontenſis munitæ ſigillis, datæ apud Faverneyum VIII. cal. Aprilis anno Incarn. Dom. 1260. in quibus Faverneyum nuncupatur abbatia filia. Hoc ipſo anno 1260. ad monaſteria Caſæ-Dei unita, nova fit acceſſio liberali pietate Agnetis viduæ Frederici comitis Tullenſis, dominæ Fonteneti caſtri, quæ donavit Arberto abbati & conventui Caſæ-Dei, *viris ubique adprobatis, ſummæ religionis & ſanctitatis*, abbatiam de Valle-Dei in diœceſi Baſileenſi a ſe erectam in honorem Dei & omnium SS. de voluntate, conſilio & aſſenſu reverendi patris B. * Dei gratia Baſileenſis epiſcopi, & religioſi viri G. * abbatis Vallis-Dei; qui quidem in teſtimonium ſuæ ſubjectionis, obolum aureum annuatim in feſto S. Roberti, domino abbati Caſæ-Dei reddendum promiſit. Actum anno Dom. 1260. menſe Octobri. Quo etiam anno Petrus Belmundi abbas S. Theodardi de Monte-albano ceſſit Arberto prioratum de Villamur diœceſis olim Toloſanæ, nunc Montalbanenſis, cum omnibus appenditiis. Anno ſequenti Urbanus papa IV. dato Viterbii reſcripto

* Bernardi. * Guidonis.

A 2. cal. Decemb. pontificatus ſui anno 1. Arbertum abbatem Caſæ-Dei conſtituit ſuum ſpecialem procuratorem adverſus Guidonem epiſc. Claromontenſem, qui cœnobium Caſæ-Dei moleſtabat; *ne jus Romanæ eccleſiæ*, inquit papa, *remaneret indefenſum.* Idem Arbertus an. 1263. interfuit concilio Claromontenſi in eccleſia ordinis ſancti Dominici; quo abſoluto, ſocietatem iniit cum Hugone de Cuſſac abbate S. Illidii, eo pacto ut, *cum breve pro aliquo defuncto monacho monaſterii Caſæ-Dei delatum fuerit, ſtatim pulſabitur tabula & claſſicum de choro S. Illidii pro celebrando officio in remedium animæ defuncti fratris, & in refectorio* B *dabuntur panis, vinum & ceteræ dapes in eleemoſynam;* & viciſſim iiſdem conditionibus adſtringuntur Caſadeenſes. Anno 1266. VII. idus Febr. Petrus abbas Faverniacenſis dignitati ſuæ nuntium remiſit: ideoque capitulum Faverniacenſe miſit ad Caſadeenſes Willelmum, & Petrum cellerarium Faverniacenſem, tum ut de Petri ceſſione certiores eos facerent, tum etiam ut novum de gremio Caſæ-Dei abbatem expoſcerent. Epiſtola vero quam hi legati ex parte conventus Faverniacenſis detulerunt, ſic inſcripta erat: *R. in Chriſto patri ac domino Alberto, Dei gratia abbati monaſterii Caſæ-Dei, Claromont. diœceſis, &* C *venerabili ejuſdem loci conventui, Petrus prior monaſterii Faverniacenſis, Biſuntinæ diœceſis, & totus ejuſdem loci conventus, ſalutem & obedientiam debitam & devotam cum omni reverentia & honore.* Secus egit Bernardus abbas S. Theodardi Montalbanenſis, qui, dum Arbertus monaſterium hoc viſitaret, jugum excutere adniſus eſt; unde gravis inter utrumque oborta eſt controverſia an. 1270. quæ tamen a Bertrando abbate S. Petri Moiſſiacenſis ea conditione ſopita eſt, ut Bernardus abbas Montalbanenſis flexis genibus obedientiam exhiberet, & fidelitatem promitteret Alberto abbati & ejus ſucceſſoribus. Conventionis hujus inſtrumen- D tum datum eſt in monaſterio Caſæ-Dei III. nonas Novemb. 1277. Interea vero Guillelmus prior Bellicadri de licentia Arberti abbatis ſui ducentas libras Turonenſes conceſſit, ut candela jugiter arderet in eccleſia Caſæ-Dei coram altari B. Mariæ III. cal. Maii an. 1273.

Vid. ep. 4. l. v. epiſt. Petri Ven. abb. Clun.

Anno 1275. Arbertus obtinuit privilegium a Philippo Franc. rege; quo etiam anno hominium excepit a Guigone domino Caſtri de Rocha VI. idus Decemb. necnon tranſegit cum capitulo Brivatenſi, Sabb. poſt S. Lucam. Anno 1276. menſe Aprili concordiam fecit inter Gaufridum priorem S. Flori, & donatos domus infirmariæ E S. Thomæ in urbe S. Flori, ex veteri chartario epiſc. S. Flori. Hominium excepit anno 1279. X. cal. Maii a Dalmatio de Champdorat domino de Boiſſieux, pro quarta parte quam habebat in ſilva de Mauzun. Obiit digniſſimus abbas pridie cal. Octob. an. 1282. * & jacet in presbyterio majoris eccleſiæ juxta altare ſanctæ Mariæ ad partem ſiniſtram.

* Quidam volunt eum abbatiali dignitate ſe ſpoliaſſe ante mortem, & Petrum quemdam præfuiſſe ante Ebbonem, eumque ſtatuta condidiſſe, pro S. Theodardi Montalbanenſi monaſterio, conſentiente Bernardo hujus loci abbate; laudamusque chartam quamdam.

Digitized by Google

XXI. Eblo de Monte-claro, Gerardi quondam abbatis ex fratre nepos, erat prior Cantogilensis an. 1262. ex testamento Beatricis de Benat omnia sua Cantogilo legantis. Abbas effectus bullam a Martino papa datam Perusii nonis Martii an. 1284. impetravit, contra invasores bonorum monasterii. Jam vero anno præcedenti die 20. Decemb. sententiam obtinuerat a Jacobo diacono card. S. Mariæ in Via-lata adversus Guidonem Papiensem episcopum, qui expulso jam diu Guillelmo de Rogeriis, dato in abbatem S. Marini Papiensis ab Alberto abbate Casæ-Dei, substituerat Albertum monachum SS. Gervasii & Protasii diœcesis Placentinæ. Ea sententia districte inhibebatur episcopo, ne in posterum conventum Casæ-Dei in electionis jure impediret, vel molestaret. An. 1287. Pontius Montis-lauri dominus homagium manuale reddidit solemniter cum osculo Ebloni abbati, juravitque fidelitatem, apud S. Paulum in refectorio. Anno 1290. die Jovis post festum S. Martini Eblo abbas ratum habuit compromissum factum inter Henricum Rutenensem comitem & priorem cellæ de Cabrespines, ex tab. Rutenensi. Rexit Eblo ad annum saltem 1293. quo die Jovis ante Nativit. S. Johan. Bapt. Catharina d'Alegre priorissa monasterii de Comps, ei promisit obedientiam. Obiit vero idibus Maii, sepultus ante altare sanctorum Confessorum ad januam qua intratur in claustrum.

Archiv. Cantogil.

XXII. Aimoinus, *al.* Aimuinus vel Aymerinus de la Quëuille, quem Bringerius *de la Cula*, alii de Falcula nuncupant, ex illustri apud Arvernos familia natus, antea prior S. Petri de Mazerac nunc diœcesis S. Flori, an. 1296. die Jovis ante festum B. Mathiæ apostoli composuit cum Guillelmo Viennensi archiepiscopo de certis procurationibus quas præfatus antistes exigebat. Anno 1297. hominium excepit a barona de Verneto, uxore Aimonis de Bossozello domicelli, ex archiv. Cantogil. Cum Armando Piperacensi abbate permutat feodum de Sorlhaco parochiæ de Alteyraco, pro feodo de Bergogeseto parochiæ S. Privati, Dominica post Natale Domini, anno 1299. Anno 1303. capitulum celebravit, in quo statuta viginti quinque condidit, maxime contra vitium, ut aiunt, *proprietatis*; atque ut hæc firmiora essent, instrumento publico ea de re confecto abbas ipse, Bertrandus & Pontius monasterii procuratores sigilla sua apposuerunt, anno præfato, indict. 1. mensis Febr. die sexta, pontificatus Innocentii papæ anno octavo. Transtulit Aimoinus an. 1307. [a] Beraldo dynastæ de Mercorio & de Saulgues, dominium feodale quod ipsi competebat in plurimis dominiis: ex regestis Cameræ comput. Paris. At vero defunctus XI. cal. Septemb. sepultus est ad sanctum Necterium, prioratum Casæ-Dei in diœc. Clar. Florebat ejus temporibus Eustorgius alumnus Casæ-Dei, abbas S. Theodardi Montalbanensis, qui de consensu ejusdem capellam in monasterio Casæ-Dei ad honorem S. Patris Benedicti ædificandam curavit, eique census annuos addixit. Aimoinus vero in gratiam hujus beneficii statuit, ut singulis diebus Sabbati in dicta capella sacerdos unus celebraret, tam pro anima Eustorgii, quam parentum ejus.

[a] Mendum esse in hac nota numerica cogit nos credere, quod de Hugone successore modo sumus dicturi.

XXIII. Hugo II. de Arcu ad Tiliam amnem *, nobilis Burgundus, abbatis Benigniani cognominis fortasse consanguineus, jam anno millesimo trecentesimo sexto abbas erat, quo videlicet, die Martis post Epiphaniam Domini prioratum de Javalque diœcesis Claromont. * cum pertinentiis & juribus suis, pitanciarii officio univit. Charta hæc est authentica, in qua mendum irrepsisse circa notas numericas subdubitare non licet, nam annus millesimus trecentesimus sextus, ex integro scribitur, non adhibitis numerandi notis. Instituit anno 1312. festum S. Blasii martyris solemniter celebrandum; & anno sequenti v. idus Maii, ut in monasterio Casæ-Dei, omnibusque prioratibus & membris ejus solemne ac generale omnium fidelium defunctorum celebraretur officium, in crastinum festi SS. Trinitatis, prout celebrari consuevit in crastinum festivitatis omnium SS. Eodem anno 1313. hominium accepit ab Eustachio domino de Alegrio milite. Anno 1318. Raimundus de Roquecor monachus Casæ-Dei, ex abbate S. Michaëlis Galliacensis, primus Sarlatensis episcopus creatus est. Quo anno, secundum nonnullos quos sequimur, 1319. secundum alios, feliciter obiit abbas Hugo IV. cal. Maii in prioratu de Bellicadro, ubi aliquandiu jacuit sepultus, unde postea ad majorem Casæ-Dei basilicam translatus, tumulatus est a parte australi presbyterii, juxta altare B. Mariæ.

* Tille *aut* Til, *in Burgundia, infra in Avarim.*

* *nunc* S. Flori.

XXIV. Johannes de Campo-Deaurato, *de Chandorat*, nobilis Velaunus, frater Geraldi de Montibus prope Anicium, doctor in utroque jure, disciplinæ monasticæ cultor eximius, e priore S. Martini de Caprispinis diœcesis Rutenensis, Casæ-Dei abbas eligitur die 7. Maii an. 1318. quo anno cum pro negotiis monasterii in remotis agere deberet, quatuor vicarios generales constituit, scilicet Raimundum priorem majorem, Guillelmum priorem secundum, Petrum camerarium, & Armandum infirmarium dicti monasterii. Anno 1320. ipso annuente Guillelmus de Meziaco operarius monasterii, fundat eleemosynam in pane, vino, fabis & denariis distribuendam centum pauperibus, quibus in claustro pedes lavari debent feria V. in Cœna Domini. Actum die Martis post festum Nativit. B. Mariæ. Baluzius in notis ad vitas pap. Avenion. col. 1432. laudat litteras Johannis abbatis Casæ-Dei scriptas die 15. Octob. an. 1321. Memoratur an. seq. mense Aprili in charta ecclesiæ S. Flori. Anno 1334. Bernardus de Anduzia, dominus & baro Floriaci, testamentum scripsit, quo suam in monasterio Casæ-Dei sepulturam elegit. Johannes vero abbas an. 1337. adfuit compilationi constitutionis Benedictinæ, cum cardinalibus & aliis abbatibus, jussu summi pont. Benedicti XI. vel XII. qui hanc publicavit constitutionem die 26. Junii anni præfati, apud monasterium S. Petri de Cultura; cui Johannes adjecit quædam pro Casa-Dei ejusque membris. Eodem anno, tertio Benedicti XII. ordinat & instituit auctoritate apost. unum lectorem

Digitized by Google

theologiæ in cathedrali Sarlatenſi, bulla ſibi & Gregorio abbati Iſſiodorenſi directa, data Avenione idibus Decembris, pontificatus anno 2. Profitetur anno 1338. jus patronatus eccleſiæ de Meleto, pertinere ad Armandum de Caſtronovo dominum de Meleto, litteris datis die 1. Aug. fidem vero clientelarem ab eodem Armando cepit an. 1341. Anno 1339. die 5. menſis Julii indict. VII. pepigit cum Archembaldo S. Flori epiſcopo de procurationibus quas in prioratibus dictæ diœceſis ad Caſam-Dei pertinentibus ſibi vindicabat. Volunt quidam eum an. 1342. Avenionem profectum fuiſſe, pontificatum Clementi gratulaturum, qui a teneris annis in monaſterio Caſæ-Dei educatus fuerat. Sane bullas ab eodem impetravit ſeptem, datas III. nonas Julii, primo pontificatus anno, quarum una juriſdictio epiſcopalis abbati, & ſede vacante, conventui Caſæ-Dei conceditur, exercenda in urbe Caſæ-Dei tantum & tribus eccleſiis parochialibus, SS. Agricolæ & Vitalis, B. Mariæ, & S. Martini epiſcopi. Hoc ipſo anno 1342. idem papa Clemens VI. Johannem Caſæ-Dei abbatem ad ſedem Anicienſem evexit; ubi vide quæ de eo dicenda ſuperſunt.

A non tanquam archiepiſcopus, ſed ut vicarius tantum adminiſtraſſe dicendus eſt.

XXV. Rigaldus, *al.* Reginaldus I. de Monteclaro, Eblonis abbatis de quo ſupra nepos, frater vero toparchæ de Montclar, de Montpenſier & de Grezin, abbas Caſæ-Dei eligitur an. 1342. quo duobus a ſummo pontifice diplomatibus honoratur; priori, quod eſt datum Avenione III. Idus Octob. conceditur Rigaldo abbati & ſucceſſoribus, licentia benedicendi populum ſolemni ritu, non tantum in monaſterio, verum etiam in eccleſiis parochialibus ad monaſterium ſpectantibus; necnon conſecrandi & reconciliandi eccleſias, cæmeteria, altaria, calices & vaſa ſacra quorumcumque locorum ad cœnobii juriſdictionem pertinentium. Altero diplomate dato ibidem calendis Novemb. confirmatur compoſitio facta inter Archimbaldum epiſcopum S. Flori & abbatem conventumque Caſæ-Dei pro quibuſdam procurationibus. Anno ſeq. 1343. ſumtibus & munificentia Clementis papæ VI. eccleſiæ Caſæ-Dei fundamenta jaciuntur; quo etiam idem ſummus pontifex bulla data apud Villam-novam XV. cal. Aprilis, uſum altaris portatilis Caſadeenſibus monachis indulſit. Eodem anno, 25. die Decembris indict. X. memoratur in quodam *vidimus* litterarum Guillelmi archiep. Bituric. quibus an. 1322. jus procurationum in certis prioratibus remittit. Obiit Rigaldus calendis * Auguſti an. 1346. & ſepultus eſt in majori baſilica ad introitum chori juxta vas aquæ luſtralis. Super ejus tumulum affabre in modum fornicis elaboratum, cernitur ipſius effigies ex marmore albo. caſula induta & mitra ornata.

* *al.* X. cal.

XXVI. Petrus de Agrifolio e nobiliſſima apud Lemovicenſes in finibus Arverniæ familia, ab adoleſcentia monachum profeſſus in Caſæ-Dei cœnobio, huic præficitur abbas an. 1346. unde non multo poſt favore Clementis VI. evocatur ad regimen eccleſiæ Claromontenſis, an. 1347. ubi vide. Savaro quidem hunc archiepiſcopum Avenionenſem facit; at ſi hanc rexerit eccleſiam,

XXVII. Stephanus III. Domale, vel de Malet Caſæ-Dei monachus, vir ſane maturus moribus, ingenio pollens, ac vitæ religioſæ merito non mediocriter inſignis, humilitatis præſertim ita ſtudioſus legitur, ut ſuæ ſolus electioni, quæ contigit an. 1347. reniteretur. Ipſo requirente Petrus deceſſor, epiſcopus Claromontenſis, prioratum B. Mariæ d'Orcival univit prioratui ſancti Roberti de Monte-ferrando; quod Clemens VI. bulla Stephano noſtro directa, pontificatus ſui anno quinto, hoc eſt 1347. confirmavit. Eodem anno Stephanus abbas ſtatutorum Johannis Chandorati confirmationem obtinuit a Sede apoſtolica, dato diplomate XVI. cal. Aprilis. Meminit vero Baluzius Stephani abbatis Caſæ-Dei, qui anno 1350. traductus fuit ad cathedram Helenenſem *; quod optime convenit huic Stephano. Obiit anno ſeq. die 2. Aprilis ante acceptam poſſeſſionem.

In notis ad vit. pap. Aven. col. 1431.

* Toloſanam.

XXVIII. Stephanus IV. de Agrifolio gentilis Petri quondam abbatis, frater fuit Raimundi abbatis Angeriacenſis Craſſenſiſque, ex monacho S. Martialis, demumque epiſcopi Rutenenſis, necnon Guillelmi & Faiditi cardinalium, ac Petri abbatis Craſſenſis & epiſcopi Utſcenſis. Is e ſacriſta majori eccleſiæ Caſæ-Dei, factus eſt abbas anno 1350. Regularis obſervantiæ, cultuſque divini ſtudioſiſſimus, prioratum de Panuzia prioratui S. Roberti de Villa-Dei uniendum curavit; ſuæque priſtinæ dignitatis haud immemor, plura eccleſiæ ornamenta contulit; legavitque 120. florenos aureos, ut ritu deinceps ſolemniori anniverſariæ feſtivitates S. Gabriëlis archangeli, S. Annæ & SS. Agricolæ & Vitalis, eccleſiæ titularium, peragerentur. Anno 1352. plura pontificia diplomata accepit data X. cal. Martii; quorum altero prioratus S. Martini de Capriſpinis diœceſis Rutenenſis, & S. Domnini de Barnazaco dioec. Claromont. menſæ abbatiali uniuntur. Anno ſequenti die 8. Aprilis corpus Clementis VI. a cardinalibus in medio chori Caſæ-Dei depoſitum fuit; quo die in veteri calendario notatur hujus ſummi pont. anniverſarium; *vigiliam habet & magna cymbala pulſantur.* Abbas autem Stephanus memor ipſius beneficiorum, ſtatuit ut ad ejus tumulum diebus ſingulis, præter feſta ſolemniora, poſt miſſam conventualem, ſubmiſſiori voce per hebdomadarium celebrantem, adſiſtente diacono, fieret abſolutio; quod etiamnum religioſe obſervatur. Anno 1361. menſe Januario, a Johanne rege Chriſtianiſſimo privilegium obtinuit. Tandemque multis ad ſuæ domus utilitatem præclare geſtis, obiit in Domino XII. cal. Septemb. legatis pro ſuo anniverſario centum florenis aureis; ſepultuſque eſt in ſacello B. Mariæ de Collegio, ad dextrum cornu altaris e regione Johannis de Champdorat.

Ibid. & ſeq.

XXIX. Guillelmus III. Gauterii cum eſſet pietate, prudentia & regularis obſervantiæ zelo conſpicuus, ſacriſque litteris apprime eruditus, abbas renuntiatus eſt anno 1361. Biennio poſt ab Urbano quinto confirmationem privilegiorum impetravit bulla data XVI. cal. Junii an. 1363.

Digitized by Google

Item a Carolo Francorum rege privilegium obtinuit datum menſe Junio an. 1366. quo anno traducitur ad abbatiam S. Medardi Sueſſion. ubi diem extremum obiit.

XXX. Guillelmus IV. de Ulmo, e caſtro Caſæ-Dei vicino, in parochia SS. Agricolæ & Vitalis, *in* charta anni 1349. ultima die menſis Januarii, cum nondum eſſet abbas, legitur licentiatus in decretis, prior de Albiniaco diœceſis Lemovicenſis & vicarius generalis in ſpiritualibus & temporalibus R. in Chriſto patris & D. P. Clarom. epiſcopi in remotis agentis. Baluzius cum ab Illidiano monaſterio aſſumtum, beneficio Gregorii XI. an. 1376. * aſſerit in notis ad vitas pap. Aven. col. 1433. Subrogatur vero in alterius Guillelmi locum an. 1367 circa menſem Martium. De quo ſic habet MS. codex : *Eo tempore quo ſtudio & vigilantia Guillelmi Gaultier abbatis, diſciplinæ regularis vernabat obſervantia, fervebat pietatis intuitus, exultabat pſallendi concentus, coruſcabat inter fratres obedientiæ radius, præcellebatque ſanctæ caritatis ornatus, tanti abbatis fama ſepulta non latuit ..... in cujus locum, ſumma monachorum concordia ſuffectus eſt Guillelmus de Lorme, vir ſanctis moribus ac pietate inſignis, necnon litteris tam ſacris quam humanioribus apprime excultus.* Ab Urbano V. pontificatus anno quinto III. idus Aprilis diploma conſequitur, quo tribuitur ei collatio quorumcumque prioratuum, &c. Cum vero Guillelmus apud ſucceſſorem Gregorium XI. conqueſtus eſſet, quod in ſingulis novi abbatis electionibus 3000. florenos Cameræ apoſtolicæ perſolvere teneretur monaſterium, hic pontifex præfatam ſummam ad 2000. florenos reduxit; ut patet ex reſcripto Guillelmi de Agrifolio dicti junioris, presbyteri card. S. Stephani in Cœlio-Monte, dato pridie cal. Maii indict. x. 1372. Ejuſdem vero cardinalis ſuaſu Gregorius XI. majorem Caſæ-Dei baſilicam ſingulari Clementis VI. munificentia inchoatam, perfici & conſummari voluit, necnon ſacriſtiam Johannis Chandorati ſtudio conſtructam plurimis ornamentis eccleſiaſticis locupletavit. Conſulendum eſt hoc teſtamentum Gregorii papæ XI. a Dacherio noſtro editum in ſuo Spicilegio : quod confirmavit codicillus Romæ factus in palatio apoſtolico prope eccleſiam S. Petri, in ſecreta camera ejuſdem palatii, præſentibus DD. cardinalibus camerario & theſaurario anno Dom. 1378. menſis Martii die 19. indict. 1. pontificatus anno octavo. Obiit paulo poſt Gregorius XI. die 27. Martii, quo ſolemne ipſius anniverſarium in veteri calendario notatur, in quo *debet fieri abſolutio, & magna cymbala pulſantur ;* quod etiam hodie agitur. Mortuus eſt quoque hoc ſaltem anno abbas Guillelmus : nam exſtant ſucceſſoris ejus ſtatuta facta in capitulo generali die XI. Maii an. 1378. ſepultus eſt ante altare SS. Angelorum. Plurima vaſa ſacra argentea legavit monaſterio ; e quibus etiamnum ſupereſt calix unus, ejuſdem gentilitio ſtemmate inſignitus.

XXXI. Andreas de Chanaco, Anicienſis, quem alii cognominant *Airaud*, forte utroque donatus cognomine, frater erat Geraldi abbatis S. Martialis. Is autem cum eſſet decretorum doctor, prior de Calma in diœceſi Claromont. tum prior de Boſqueto diœceſis Uzetienſis, Caſæ-Dei monaſterium, in quo ab adoleſcentia monaſticen profeſſus erat, regendum ſuſcepit, anno ſaltem 1378. ex dictis ſuperius. Anno 1382. ſuum prioratum de Calma monaſterio Caſæ-Dei uniendum curavit ; quo etiam anno adjecit animum ad conſtructionem locorum regularium. Et revera ſuis ſumtibus & curis reſtauravit aquæ-ductus, clauſtri partem baſilicæ majori proximam perfecit, cui bibliothecam fornicibus decoram ſuperimpoſuit ; totumque monaſterium prætaltis mænibus, fortalitiis & turribus cinxit. Erga pauperes munificus, eorumdem pater ac tutor appellari ſolebat. Anno 1384. die 29. Decemb. nominatur exſecutor teſtamenti Guillelmi de Chanaco patrui, cardinalis. Vide collect. Baluzii ad vitas pap. Aven. col. 964. & notas ejuſdem col. 1086. Anno 1390. die 15. Maii de conſilio fratrum, ſocietatem iniit cum Cartuſia Bonæ-fidei, diœceſis Vivarienſis, diſſita quinque leucis Anicio. Pio fœdere ſancitum eſt, ut ſingulis annis die 12. Octob. in utraque eccleſia ſolemne defunctorum officium celebraretur pro fratribus utriuſque familiæ defunctis. Idem an. 1394. die 2. Januarii mitram ſuam magni pretii margaritis ornatam, & libros ſuos monaſterio donavit. Adfuit an. 1399. die 23. Nov. receptioni Hugonis abbatis Piperacenſis. Anno 1402. Bernardum comitem Rutenenſem & Armaniaci, necnon Bonam Bituricenſem ipſius conjugem pro collatis in prioratum de Cabreſpines beneficiis, bonorum omnium ſpiritualium conventus participes efficit ; ex regio Ruten. tabul. Anno 1406. fratribus dedit 1500. libras auri ad conſtructionem capſæ pro reponendis ſacris B. Roberti reliquiis. Anno ſeq. cum Amelio Turonenſi archiepiſcopo, & Guidone de Roſiaco abbate B. M. Craſſenſis, in diœceſi Carcaſſon. nominatur exſecutor teſtamenti Guidonis de Maleſec cardinalis epiſcopi Prænestini, conditi Avenione die 12. Sept. ejuſdem anni. Interfuit an. 1409. concilio Piſano, ut patet ex ejuſdem actis, Spicilegii t. VI. p. 353. Plura legavit monaſterio annis 1410. 1411. & 1417. Item an. 1419. ſeptima die menſis Julii fundavit in eccleſia S. Juliani Brivatenſis unum *Placebo*, pro mortuis dicendum ultima die menſis Auguſti, & die craſtina miſſam majorem, datis ad hoc 80. libris monetæ currentis. Sub id vero temporis degebant in monaſterio Caſæ-Dei octoginta monachi choro addicti. Anno 1420. ultimo vitæ ſuæ meritiſſimus abbas argentea theca auro illita concluſit brachium S. Sebaſtiani martyris. Obiit eodem anno die Dominica 12. Maii in monaſterio S. Marcellini Cantogilenſis, unde corpus ejus ad Caſæ-Dei monaſterium maxima cleri populique frequentia delatum, ſepultum eſt in introitu chori juxta ſepulcrum comitis de Beaufort ; ad cujus tumulum ſingulis diebus poſt miſſam conventualem fit abſolutio per celebrantem comitante diacono, poſt abſolutionem ad tumulum Clementis papæ factam, de qua ſuperius. In veteri necrologio notatur proceſſio facienda ad tumulum

*1367.

abbatis

abbatis Andreæ ſingulis menſibus. Ibidem legitur : *Abbas Andreas XII. Maii vigiliam habet, XII. denarii & dimidia libralia dantur, & magna cymbala pulſantur.* In necrologio S. Petri de Caſis ad diem 22. Aprilis memoratur Andreas du Puy abbas Caſæ-Dei ; idem porro videtur eſſe ac Andreas de Chanaco.

XXXII. Hugo III. de Calviniaco, *Chauvigny de Blot*, ex abbate Menatenſi eligitur archimandrita Caſæ-Dei die Martis, 21. Maii, anno 1420. cujus tamen non adiit poſſeſſionem niſi die 15. Aprilis anni 1421. Mira Hugonis in cives Caſadeenſes enituit pietas, cum tota pene eorum urbe flammis conſumta an. 1426. munifica liberalitate in reſtaurandis civium domibus omnem operam poſuit. Conſulendus hîc Antonius Yepez tom. VI. chronic. centur. 7. cap. 5. pag. 564. Obtinuit anno 1434. privilegium a Carolo Francorum rege datum Viennæ ; & aliud a Ludovico ejus filio * datum Novioduni III. cal. Aug. an. 1444. Item litteras apoſtolicas a Nicolao V. datas an. 1450. Anno denique 1465. ſenio confectus & morbis, nepoti ſuo, de fratrum conſenſu abbatiam reſignavit, retenta ſibi modica penſione ; atque in monaſterium Cantogilenſe ſeceſſit, ubi meritis plenus & annis obiit die 2. Auguſti an. 1478. corpus inde Caſam-Dei delatum ſolemni pompa, ante cancellos presbyterii in loco ubi leguntur epiſtolæ *ad Moyſen* ſepultum eſt. In veteri necrologio ſic habetur : *Abbas Hugo de Blot III. die Auguſti cum magnis cymbalis, & dantur dimidia libralia cum XII. denariis ; vigiliam habet, convivium*, &c.

* nondum rege.

XXXIII. Reginaldus de Chauvigny de Blot Caſæ-Dei monachus & infirmarius major, necnon prior S. Salvatoris in Rua, patruo ſponte cedenti ſucceſſit, confirmatus a Paulo II. ſummo pont. bulla data eodem anno 1465. *Jura eccleſiæ viriter defendit, veſtiaria augmentavit, fuit amator hoſpitalitatis, reparationum & numeri religioſorum*, inquit MS. codex Petri Bringerii. Vigebat tunc temporis in monaſterio Caſæ-Dei conſuetudo exigendi a quolibet monaſticum habitum ſuſcepturo, ſummam XII. nummorum aureorum, pro lecto novitii ; quæ ut penitus abrogaretur ſatagens Reginaldus abbas, prioratum S. Roberti de Villa-Dei diœceſis Mimatenſis, menſæ conventuali uniri curavit, bulla Sixti papæ IV. data idibus Decemb. an. 1477. Cultus eccleſiæ ſollicitus, analogium, ſive ut ait vetus codex MS. lectorium cupreum confici curavit. Librum Evangeliorum per manus Jacobi Guozelli exarari fecit an. 1479. Ornamenta plurima pretioſa eccleſiæ legavit, domum abbatialem a fundamentis excitavit, necnon maximam partem ædificiorum regularium conſtruxit, in quorum fornicibus viſuntur adhuc gentilitia ejus inſignia. An. 1489. indict. 7. die 27. Aprilis tranſegit cum canonicis de Langehac. Obiit an. 1491. 9. Maii, quo die anniverſarium ejus annotatur in veteri calendario. Jacet inter presbyterium & cathedram celebrantis.

XXXIV. Jacobus de ſancto Nectario (Seneterre) ex illuſtri proſapia ſatus, eligitur abbas ſub initium menſis Junii an. 1491. cum eſſet prior S. Gemmæ in diœceſi Santonenſi, & confirmatur a Geraldo, qui poſtea fuit epiſcopus Pariſienſis, ſuffraganeo Caroli de Borbonio epiſcopi Claront. ad id ſpecialiter ex privilegio Sedis apoſt. delegato, in palatio epiſcopali Clarom. die 15. Junii ejuſdem anni ; ipſo deinde ſummo pontifice Innocentio VIII. laudante & approbante bulla data apud S. Petrum, VIII. idus Julii, pontificatus an. ſeptimo. Tranſegit an. 1493. die 23. Auguſti cum Jacobo d'Amboiſe abbate Cluniacenſi ſuper hereditate Antonii de Balſac, epiſcopi Valentinenſis, qui prioratus ad utramque abbatiam pertinentes poſſidebat. Nulli anteceſſorum magnificentia ceſſit, imo ſuperavit omnes tum in pauperibus ſublevandis, tum in reparandis monaſteriorum Caſæ-Dei, & Cantogilenſis ædificiis. Siniſtra ſane hujus liberalitati data eſt occaſio, cum an. 1497. die 25. Auguſti baſilicæ Caſadeenſis tecta delapſo fulmine in cineres redacta ſunt ; neque vero hanc prætermiſit, ſed illico ea magna cum diligentia reſtauravit. Anno 1501. Ludovicus Francorum rex regni ſui quarto, menſe Febr. inſignia monaſterii qualia nunc ſunt, petente Jacobo abbate conceſſit. Aliquanto poſt lis graviſſima oborta eſt inter Jacobum d'Amboiſe epiſcopum Claromont. & Jacobum abbatem Caſæ-Dei, pro jure viſitationis in monaſterio & prioratibus ſubjectis, quod ſibi vindicabat epiſcopus ; ſed compoſita eſt auctoritate Julii papæ II. qui confirmata Caſæ-Dei exemtione anno 1507. irritam ſimul declaravit excommunicationis ſententiam, quam in abbatem & alios vibraverat præſul. Præfuit Jacobus abbas ad annum 1518. quo vitam cum morte mutavit, ſepultus ad portam anteriorem cancellorum presbyterii, cum hoc epitaphio : *Hîc jacet domnus Jacobus de Seneſterre ultimus abbas regularis hujus monaſterii meritiſſimus, qui obiit die XXVII. Octobris anno M. D. XVIII.*

XXXV. Adrianus Goufier de Boiſy presbyter card. tit. S. Sabinæ & epiſcopus Conſtantienſis, vi concordatorum primus abbas commendatarius deſignatur, & bulla Leonis papæ X. data Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dom. 1518. (antiquo more computandi) VII. calend. Januarii confirmatur abbas. Poſſeſſionem vero abbatiæ perſonaliter adeptus eſt an. 1519. cui nuntium remiſit elapſis ſex circiter menſibus, in favorem ſequentis.

XXXVI. Franciſcus de Tournon archiepiſcopus Ebredunenſis, tum cardinalis, archipræſul Bituricenſis, & Lugdunenſis, Caſæ-Dei commendam obtinuit an. 1519. Anno 1533. cum eſſet jam cardinalis & archiepiſc. Bituricenſis, Franciſcum I. Francorum regem Anicium voti cauſa pergentem, in ſua Caſæ-Dei abbatia honorifice ſuſcepit. Hic autem abbas ſuam a conventuali menſam ſeparavit, numero monachorum ad nonaginta conſtituto. Quæ omnia probavit Paulus papa IV. bulla Romæ apud S. Petrum data primo ſui pontificatus anno, VII. cal. Junii. An. 1556. prioratum B. M. de Orceneta conventuali menſæ uniendum procuravit. Longe tamen antea, anno videlicet 1541. abbatiam nepoti ſuo reſignaverat, ſed omnimodam ejus ſibi retinuerat adminiſtrationem.

Digitized by Google

XXXVII. Carolus de Tournon epiſcopus Vivarienſis, cedente patruo, & accedente bulla Pauli III. abbas nomine tenus declaratur anno 1541. quem titulum anno ſequenti ut pote ſupervacaneum Franciſco præcedenti reſtituit. Itaque

Franciſcus de Tournon iterum proviſus Henrici II. nominatione, & annuente Paulo III. regreſſum obtinuit anno 1548. Hic de bonis Caſæ-Dei collegium Turnonenſe fundavit; quod tamen haud obſtitit quo minus ſacriſtiam Caſæ-Dei pluribus ornamentis eccleſiaſticis, mirando ſane opificio elaboratis locupletaret; necnon eccleſiæ chorum analogio æneo exornaret, in quo circa ejus ſtemmata gentilitia inſcriptio ſequens legitur: *Franciſcus de Turnone cardinalis me fieri fecit hoc anno Domini 1534.* Obiit 22. Aprilis 1562.

XXXVIII. Henricus d'Angouleſme Henrici II. regis filius naturalis ex Diana de Poictiers, Franciæ thalaſſiarcha & magnus prior in ordine Melitenſi, abbas S. Petri de Claïraco, & locum tenens generalis pro rege Chriſtianiſſimo in Provincia, nominatur ad abbatiam Caſæ-Dei anno 1562. quo anno die 1. Auguſti monaſterium a Calviniſtis direptum eſt. Occubuit anno 1586. apud Aquas-Sextias pugione percuſſus a Philippo Caſtellanæ barone, ſepultuſque eſt in eccleſia Carmelitarum in ſacello dicto Renati Siciliæ regis & Andium ducis ac Provinciæ comitis. De eo codex MS. ſic habet: ..... *fuit abbas 24. annis. Redditus abbatiæ accepit, ſed parum fecit.* Addit eo mortuo *religioſas* elegiſſe Petrum de Fretat majorem priorem in abbatem, *ſed ea electio*, inquit, *non venit ad effectum, quia rex Henricus III. dedit abbatiam Carolo d'Orleans de Valois nepoti ſuo, filio naturali regis Caroli IX. an. 1586.*

XXXIX. Carolus d'Orleans, Caroli IX. Francorum regis filius naturalis, eques ordinis ſancti Johannis Jeroſolymitani & magnus prior Franciæ poſt Henricum d'Angouleſme, abbatiam Caſæ-Dei obtinuit in commendam an. 1586. electo interim, ut diximus, Petro de Fretat de Sarra e nobili prope Caſam-Dei familia, doctore in decretis & ſacrarum litterarum profeſſore, qui cedere coactus eſt die 7. Junii an. 1589. Eandem quoque fortunam paſſus eſt Antonius d'Urfé, Jacobi marchionis filius, de quo hæc in chartis cœnobii: *Carolus d'Orleans fuit abbas commend. Caſæ-Dei; ſed poſtquam completi ſunt tres anni, iterum religioſi hujus monaſt. intraverunt in electionem volentes privilegiis uti, & elegerunt nobilem Antonium d'Urfé religioſum profeſſum in abbatem, ſcilicet 16. Junii an. 1589. ſed hæc electio nullius fuit effecti ..... & factus eſt abbas commend. Nicolaus de Neufville.* Antonius autem poſtea creatus eſt epiſcopus S. Flori. Uxorem vero duxit Carolus d'Orleans, factus comes Arverniæ duxque Engoliſmenſis; obiitque anno 1650.

XL. Nicolaus de Neufville nothus erat Nicolai de Neufville domini de Villeroy Regi a commentariis in ſanctiori conſilio. Ipſe vero in parlamento Pariſienſi ſenator clericus, ceſſione Caroli Aurelianenſis nominatur abbas commendatarius ab Henrico IV. confirmatus deinde bulla Clementis VIII. data Romæ apud S. Marcum an. 1597. Poſſeſſionem adipiſcitur die Veneris 7. Novemb. anni ejuſdem, per procuratorem Renatum de la Ferté Regi a conſiliis & eleemoſynis. Ceſſit autem & ipſe poſtea Ludovico Caroli filio, (Hæc enim tum erat morum corruptela ut iſta ſacerdotiorum colluſoria poſſeſſio & reſtitutio urbanitas vocaretur.) Tuncque proviſus de abbatia S. Lupi Trecenſis an. 1608. ea potitus eſt ad annum 1613. abbas ſimul Caziacenſis, Fontanellenſis, &c. inſuper canonicus S. Capellæ regiæ Pariſienſis.

XLI. Ludovicus de Valois Caroli Arverniæ comitis ex Carola de Montmorency filius, deſignatur abbas regia Henrici IV. nominatione, qua per bullam Pauli papæ V. confirmata, poſſeſſionem adiit an. 1608. Ad ſedem porro Agathenſem evectus an. 1612. a Ludovico XIII. ſed numquam conſecratus eſt; inſtituit anno 1615. ſuum in abbatia Caſæ-Dei vicarium generalem Johannem Valladerium abbatem S. Arnulfi Metenſis & 1624. 18. Januarii Carolum de Rouvignac abbatem S. Leodegarii de Ebrolio; at neuter hujus dignitatis munia potuit exercere, intercedentibus monachis, eo quod ex privilegiis ſummorum pontificum vicarius generalis e gremio monaſterii debeat aſſumi; quod & ſupremus Pariſienſis ſenatus confirmavit. Denique Ludovicus abbatia ceſſit in gratiam ſequentis an. 1629. quo uxorem duxit Henrietam de la Guiche, comes Aleſienſis & Gallo-Provinciæ prorex effectus.

XLII. Armandus Johannes du Pleſſis cardinalis dux Richelius, Urbani VIII. bulla renuntiatur abbas anno 1629. poſſeſſionem adeptus eodem anno die 10. Julii per procuratorem D. Amabilem de Fretat doctorem theologum, Caſæ-Dei priorem tertium & vicarium generalem monaſterii tempore Ludovici Valeſii. Agente vero eminentiſſimo cardinali unitur hoc cœnobium congregationi S. Mauri an. 1640. Deceſſit vir per omnia magnus die 4. Decemb. an. 1642.

XLIII. Alfonſus Ludovicus du Pleſſis de Richelieu card. archiepiſcopus & comes Lugdunenſis, bulla munitus Urbani papæ VIII. data Romæ ad S. Mariam major. 1. Auguſti 1643. eodem anno die 2. Octobr. poſſeſſionem adeptus eſt per magiſtrum Ludovicum de Ville eccleſiæ Lugdunenſis officialem. Obiit Alfonſus 23. Martii 1653. ſepultus in eccleſia Caritatis Lugdunenſis, prout deſtinaverat.

XLIV. Julius Mazarini cardinalis epiſcopus Metenſis, bullis nondum obtentis, vi decreti in magno conſilio * dati die 10. Octobris anno 1653. poſſeſſionem accepit die 15. ejuſdem menſis per procuratorem Gilbertum Noiret dominum de Ranois. Alteram nihilominus poſſeſſionem adeptus eſt die 21. Januarii 1656. per procuratorem Giraldum de la Lande dominum de Bellenouë, cum jam bullas accepiſſet X. cal. Maii anni præcedentis. Obiit 9. Nov. 1661. humatus Pariſ. in oratorio collegii Mazarin.

* *al.* in ſanctiori conſiſtorio.

XLV. Franciſcus Maria Mancini cardinalis nepos ſuperioris, regia Ludovici XIV. nominatione facta die ultima Octob. an. 1661. omnimodam abbatiæ conſequitur adminiſtrationem cum

Digitized by Google

antea eſſet ſub œconomo Michaële Joanin, regiis ad hoc litteris die 11. Junii datis commiſſo. Hic autem cardinalis ſuum œconomum die 1. Febr. 1662. conſtituit Johannem le Gentil in Remenſi eccleſia vicedominum, qui placito regio dato die 24. Octob. ejuſdem anni munitus, nomine prædicti cardinalis abbatiæ poſſeſſionem adeptus eſt die 9. Febr. anni 1663. Cum autem poſtea bullis donatus fuiſſet a Clemente IX. die 2. Decemb. an. 1667. poſſeſſionem iterum accepit cardinalis per D. Adrianum de Rely Caſæ-Dei ſubpriorem die 2. Martii an. 1668. Romæ deceſſit die 28. Junii 1672.

XLVI. Hyacinthus Serroni nobilis Romanus, religioſus ex familia Dominicanorum, epiſcopus Arauſicanus 1646. tum Mimatenſis 1661. abbatiam Caſæ-Dei obtinuit in commendam die 11.* Octobris an. 1672 *. Anno 1674. die Dominica 15. Julii Caſæ-Dei conſecravit eccleſiam in honorem SS. Vitalis & Agricolæ mart. & S. Roberti. Primus deinde Albienſium archiepiſcopus creatus an. 1676. Obiit 7 *. Januarii 1687. ætatis ſuæ 70. cujus elogium ſcripſit Franciſcus de Camps abbas Igniacenſis.

* al. 15. Aug.
* al. 1671.
* al. 9.

XLVII. Henricus I. Achilles de la Rochefoucault patrem habuit Franciſcum VI. ducem de la Rochefoucault, matrem Andream de Vivonne. Abbas Caſæ-Dei nominatur die 20. Januarii an. 1687. poſſeſſionem adeptus per procuratorem die 20. Apr. ejuſdem anni. Abbas etiam erat Fontis-Frigidi ord. Ciſterc. in diœceſi Narbon. ac Belliportus ord. Præmonſtr. diœceſis Briocenſis. Sub hoc abbate monaſterium pene totum flammis abſumtum fuit in feſto S. Roberti die 24. Aprilis an. 1695. Obiit in vigilia Pentec. 19. Maii an. 1698. ſepultus Lutetiæ in eccleſia S. Germani a Pratis.

XLVIII. Henricus II. de la Rochefoucault ſuperioris patruus, regia ſchedula fit abbas in Aſſumtione B. virginis an. 1698. abbas ſimul Fontis-Frigidi & ſanctæ Columbæ Senonenſis. Poſſeſſionem adiit 28. Maii 1699. per D. Joſephum Malavergne ſubpriorem Caſæ-Dei. Obiit 16. Decemb. an. 1708. ætatis ſuæ 75.

XLIX. Franciſcus-Ludovicus-Anna-Maria a Lotharingia dictus de Armaniaco, filius comitis d'Armagnac regii ſtabuli magiſtri, presbyter, abbas Dervenſis, in theologia baccalaureus facultatis Pariſienſis, a Rege nominatus 24. Dec. * an. 1708. bulliſque donatus 1709. XI. cal. Martii, poſſeſſionem adeptus eſt per D. Guidonem Buiſſon priorem majorem Caſæ-Dei die 13. Junii 1710. Obiit an. 1712. die 19. Octobris apud urbem Monacho ſeu Herculis Monæci portum, quo perrexerat inviſurus ſororem ſuam ſereniſſimam principiſſam, principis Monacho uxorem.

* al. menſe Jan. 1709.

L. Armandus Gaſto de Rohan cardinalis major Franciæ eleemoſynarius & epiſc. Argentinenſis, deſignatur abbas 22. Aprilis an. 1713.

MAUZAC. MAUZIACUM, *al.* MAUZACUM.

MAUZACUM * ordinis S. Benedicti patronos habet S. Petrum apoſt. & S. Capraſium martyrem, fortaſſe Lirinenſem, jacet in ſolo fertiliſſimo & amœniſſimo juxta Ricomagum urbem Arverniæ ſecundam, & ceterarum ferme elegantiſſimam, exſtructum autem a Calmilio ſenatore Romano ejuſque uxore Namadia traditur in veteribus monimentis. In inſcriptione vetuſtiſſimæ capſæ in qua includuntur S. Calmilii, *al.* Calminii, & beatæ Namadiæ reliquiæ, ex uno latere legitur: *S. Calminius conſtruit tertiam abbatiam nomine S. Capraſii, & S. Petri.* Integram inſcriptionem habes in annal. Bened. ex qua intelligitur capſam factam a Petro abbate Mauzacenſi, & hoc in monaſterio S. Calmilium cum uxore S. Namadia ſepultum eſſe. Hujus loci varia eſt denominatio; vocatur enim ab aliquibus Muſiacus, quibus adſtipulatur Greg. Turon. cap. 41. lib. de Gloria Confeſſorum Muſiacum appellans; Muſiacas, in hiſtoria tranſlationis S. Auſtremonii primi Arvernorum epiſcopi Mauſiacum nuncupatur. Illud cœnobium a Pipino rege inſtauratum eſt; ideoque perperam aliqui tribuunt ejus fundationem Roberto hujus nominis primo Arverniæ comiti, pluſquam ſeculo poſteriori. Chartam dotationis ſeu inſtaurationis ex codice autographo viri cl. Johannis Savaronis eruditiſſimi Arverni, in appendice damus. Ceterum hoc monaſterium circa annum 1095. fuit unitum congregationi Cluniacenſi, dono Duranni Arvernenſis epiſcopi, tempore S. Hugonis abbatis Cluniac. quod probavit & confirmavit Philippus rex. Inſtrumenta autem ad hanc unionem pertinentia habes in bibliotheca Cluniac. pag. 533. & ſeq. & iterum inter noſtra inſtrumenta. Denique an. 1675. adjunctum eſt eidem congregationi reformatæ, a Franciſco d'Albon abbate, cui hactenus adhæret. Sed nunc incumbendum texendæ abbatum hiſtoriæ, quam damus tum ex inſtrumentis Cluniacenſibus tum ex domeſticis.

C. XLIII. col. 108.
C. XLV. col. 110.
C. XLVI. col. 111.

ABBATUM SERIES.

I. EUTERIUS commemoratus in laudata Pipini charta, ubi dicitur eum pro monaſterio impetraſſe a regibus Theuderico & Clodovæo ejus filio auctoritatem præcepti.

Vide act. SS. ord. Ben. ſec. 3. p. 2. pag. 191. & Annal. t. 1. pag. 561. & t. 2. p. 263.

II. Lantfredus I. ex iiſdem Pipini litteris præerat an. 764. tempore tranſlationis S. Stremonii.

III. Lantfredus II. ſedebat an. 864. ex chartario Brivatenſi, qui fecit quandam prædiorum commutationem cum Bernardo comite, cum conſenſu & præceptione Caroli regis, & Rodulfi epiſcopi. Vide Mabill. tom. 2. ſecul. IV. Bened. p. 195. & tom. 3. Annal. ad an. 864. n. 17. necnon probationes hiſt. domus Arverniæ Steph. Baluſii p. 3. Vide etiam inſtrumenta noſtra.

C. XLIII. col. 108.

IV. Manſion, frater Aimonis abbatis S. Martialis Lemovicenſis.

V. Stephanus I. ſubſcribit chartæ Stephani epiſcopi Arvern. pro Celſinianenſi cœnobio dato Cluniacenſibus medio X. ſeculo.

VI. Petrus I. cui Alexander II. bullam confirmationis bonorum conceſſit.

VII. Euſtachius I. de Guines filius Rodolfi comitis, ex Roſella de S. Paul, primus e familia Cluniacenſi Mauziacenſis abbas a S. Hugone conſtitutus an. 1095. de quo vide biblioth. Cluniac. pag. 533. & 1411.

Digitized by Google

VIII. Hugo de Sinemuro, nepos S. Hugonis abb. Cluniac. filius Dalmatii domini de Monte-Acuto in Burgundia 1102.

IX. Euſtachius II. de Montboiſſier, filius Mauricii, frater vero Petri Venerabilis abbatis Cluniacenſis, memoratur an. 1131. & 1147. in charta Silviniacenſi. Tranſigunt vero hi duo abbates cum Willelmo Arvernorum comite pro injuriis quas hic intulerat Mauzacenſi & Celſiniacenſi monaſteriis.

C. XLVI. col. 111. X. Petrus II. de Turre ad quem exſtat bulla Alexandri papæ III. an. 1165. in appendice relata. Ceterum ante hunc Petrum electus videtur

C. XLVII. col. 113. Aimo, ſed non conſenſiſſe. Conſule appendicem. B

XI. Petrus III. de Marſac reperitur ab an. 1168. ad an. 1181. An. 1169. privilegium obtinuit a

C. XLVIII. col. 114. Ludovico rege Francorum, quod ex authentico deſcriptum noſtris operæ pretium duximus probationibus inſerendum.

XII. Guillelmus I. de Bromont compoſitionem iniit cum Ildino d'Amanzac qui ſe in Mauziacenſi eccleſia ſepeliri poſtulavit. Anno 1195. menſe Julio tranſegit cum Drogone abbate ſancti Amabilis Ricomag. ſubſcribentibus 34. monachis Mauziacenſibus. Præerat adhuc an. 1197.

XIII. Euſtorgius teſtis an. 1205. in veteri charta pro Lehunio.

XIV. Gerontius de Turre præceptum obtinuit a Philippo Francorum rege anno 1212.* Summa autem hujus diplomatis hæc eſt, Philippum regem pro aquæ curſu, quem ſuo Riomi caſtro acquiſierat, dare 42. ſextarios frumenti in tribus molendinis percipiendos. *Actum apud Giſortium anno ab Incarnatione Dom. M. CC. XII. regni noſtri XXXIIII. aſſantibus in palatio noſtro, &c. dapifero nullo. S. Guidonis buticularii. S. Bartholomæi camerarii. S. Proconis conſtabularii. Dat. vacante cancellaria.*

XV. Aymericus de Mercorio ex priore Marciaci factus abbas Mauziacenſis, privilegium conſequitur ab eodem Philippo rege anno 1217. Componit an. 1230. menſe Nov. cum Willelmo comite Clarom. ſequeſtro Hugone epiſcopo Claromontano, ut ex ejuſdem Hugonis litteris liquet editis inter probationes hiſt. domus Arv. Baluz. p. 90. An. 1241. menſe Octobri arbiter fuit inter Philippam relictam Guillelmi comit. Clarom. ac Robertum de Corcellis ejus virum una ex parte, & Robertum comitem Clarom. filium Willelmi ex altera, ex ejuſdem Aimerici litteris ibid. p. 262. Occurrit an. 1233. in tabulis Cluniac. deſignatus per nudum A. Hominium excepit an. 1224. a Roberto de Mezeſt & 1243. ab Hugone domino de Conferio. Proindeque idem eſt qui prima nominis littera notatus rogat H. abbatem Cluniacenſem ut P. decanum

C. XLIX. col. 116. Langiaci in paſtorem Silviniaci concedere dignetur. Vide inſtrumenta.

XVI. Petrus IV. de Chazelas nepos Hugonis de Chazelas præceptoris domus hoſpitalis S. Johannis de Segur, prope Montem-ferrandum, cui ab Aimerico avunculo traditus fuerat educandus, ex priore Marciaci anno 1244. abbas deinde Mauziaci evaſit. Hic eſt haud dubie qui ſola littera P. deſignatus in tabulis Cluniac. abbati Cluniacenſi commendat Aldemarum electum in abbatem Figiaci an. 1245. *Vide inſtr. eccl. Cadurc. t. 1. pag. 45.*

XVII. Petrus V. de Yſſarpano d'*Iſerpans*, ex priore de Volvico eligitur an. 1252. proindeque ipſe eſt Petrus ille cui hominium præſtitere an. 1254. Alix relicta Hugonis domini de Conferio militis, anno ſeq. Johannes Gilberti canonicus Hermenei, Petrus de Chaluz miles pro decimis Novæ-villæ menſe Novemb. & an. 1261. Chatardus de S. Germano miles dominus Cruſiaci-veteris. Hic abbas plurimum diſceptavit cum abbate Cluniacenſi, cui etiam viſitationis & correctionis cauſa adventanti, domus ſuæ ingreſſum denegavit. Quamobrem excommunicatur a ſummo pontifice, cum ſuis omnibus aſſeclis an. 1266. alterque abbas eligitur; ſic enim quædam ſubjectionis epiſtola ad abbatem Cluniacenſem incipit: *Petrus & Bertrandus abbates Mauſiaci*, &c. anno 1266. Rurſum vero Petrus ab omni officio ſuſpenditur & excommunicatur ab Yvone abbate Cluniacenſi an. 1267. unde anno ſequenti abbatiæ regimen abbati Caſæ-Dei reliquit. Tertio denique anathemate percutitur an. 1269. eo quod C citatus non comparuiſſet. Feciſſe nihilominus an. 1298. capſam in qua reconduntur oſſa B. Calminii fundatoris cœnobii Mauziac. & uxoris ejus Namadiæ commemoratur, at perperam de hoc Petro intelligitur, quod melius refertur ad Petrum de Valeriis qui hoc anno ſedebat; maxime cum in inſcriptione hujus capſæ ſileatur cognomen.

XVIII. Aymonius I. de Vergy quem abbatis Cluniacenſis conſanguineum fuiſſe veriſimile eſt, Petro abbati exauctorato ſubrogatur, anno ſaltem 1269. quo reperitur obtinuiſſe privilegium a Ludovico Francorum rege. Itaque Bertrandus, de quo ſupra, vel minime confirmatus fuit, vel certe D defunctus ante hunc annum.

XIX. Petrus VI. de Feritate-Calderonis obiit an. 1284.

XX. Aymo II. Brum ex priore Rumbiaci electus dicitur anno 1284. defunctuſque legitur an. 1286. forte vero idem eſt ac Aymonius de Beauregard, qui reperitur in tabulis an. 1285.

XXI. Guillelmus II. de S. Saturnino, primo decanus Mauziaci, tum prior Marſiaci, *al.* ſancti Germani, tandem abbas Mauziaci electus eſt an. 1286. Memoratur in chartis an. 1287. & 1290. quo Stephanus d'Eſpinacia, domicellus, filius E defuncti Chatardi d'Eſpinacia domini Sancti-Andreæ in Foreſio, fecit ei homagium-ligium, & juravit fidelitatem. Occurrit adhuc anno 1293. Deceſſit anno ſeq. Nullus itaque locus ſupereſt Ymberto quem noſter D. Claud. Eſtiennot ex regio Carcaſſonenſi tabulario aſſerit hominium feciſſe Francorum regi an. 1288. niſi Guillelmus duplici dicatur nomine inſignitus.

XXII. Petrus VII. de Valeriis monachus fuerat Dolenſis monaſterii apud Biturigas, tum prior clauſtralis Mauziaci & prior de Cella Brueriæ, quando electus eſt abbas Mauziaci VI. cal. Febr. an. 1294. Societatem iniit an. 1298. cum mo-

* Mendoſe in chart. 1222. Sequimur diploma authenticum.

Digitized by Google

nachis Savigniaci. Vide ſupra in fine articuli de Petro d'Yſerpans ad hunc annum. Memoratur Petrus in charta prioratus de Volta an. 1303. qui reperitur cum ſuo cognomine an. 1306. 1307. & 1309.

XXIII. Guido de Grezolles præerat jam an. 1318. Robertus filius Franciſci de Chazeron ipſi hominium exhibuit an. 1320. Excuſat ſe a capitulo generali an. 1328. ob infirmitatem, ut videtur, quæ ſcilicet ipſum impulerit ut anno ſequenti die Lunæ poſt feſtum hyemale S. Nicolai teſtamentum in capitulo conderet, quo ſepeliri voluit ante altare S. Crucis. Fundavit vicariam S. Crucis, quam ex eodem teſtamento contulit fratri Johanni de Grezolles nepoti ſuo. Præfuit autem ad annum 1343. quo tranſegit cum Maria comitiſſa Boloniæ & Arverniæ per procuratorem fratrem Robertum de Vichy priorem S. Germani Foſſatenſis & monachum Mauziacenſem.

XXIV. Johannes I. de S. Sernin hominium cepit a Guillelmo de Corteys domicello an. 1343. Plura vero hic abbas bona contulit monaſterio.

XXV. Bernardus de Tranchaleonis a puero monachus, cui Stephanus de Caſtro hominium fecit an. 1350. & plures alii an. 1352.

XXVI. Stephanus II. Coteti reperitur annis 1361. 1370. 72. 73. 75. & 77.

XXVII. Johannes II. de la Qucuilhe electus eſt an. 1387. Anno 1389. præſentavit eccleſiam Cruziaci die 19. Maii. Memoratur an. 1397. & 1399. in tabulis Cluniac. Anno 1400. die Martis poſt octavam omnium SS. 9. Novembris teſtamenti tabulas conſcripſit, quas anno ſeq. 26. Aprilis Raimundus de Cadoëne abbas Cluniacenſis confirmavit. An. 1401. confert prioratum S. Pauli de Mauziaco die Sabbati ſexta Martii ex archiv. epiſcopi Clarom. Erga ſuum monaſterium munificus exſtitit, qui demum exhalavit animam menſe Aprili an. 1406. ſepultus a latere chori ante *reveſtiarium* ſive ſacriſtiam.

XXVIII. Philibertus I. Archambauld, *alias* Archimbaud, ex camerario monaſterii eligitur abbas menſe Aprili an. 1406. An. 1408. die XI. Julii nominat ad eccleſiam Cruziaci, ex tabulis epiſcopatus. Sedilia chori conſtruxit, præeratque adhuc an. 1419. 26. Martii, ex charta cathedralis eccleſiæ Claromont.

XXIX. Philibertus II. de l'Eſpinaſſe e nobili apud Arvernos familia, abbas occurrit an. 1421. & 1424.

XXX. Ludovicus I. de Banſon abbas legitur annis 1426. 1429. 1441. 1450. & 1457. quo anno die 17. Aprilis teſtamentum condidit. Ceſſit hic fratribus Minoribus Celletam in eremo ſitam, *vulgo* la Cellete in diœceſi Clarom. ubi Franciſcani conventum exſtruxerunt an. 1474. ex bulla Sixti IV.

XXXI. Raimundus de Marcenac præerat an. 1459. & 1463. Legitur adhuc abbas an. 1467. in tabulis epiſcopi. Inter alia vero quæ præclare geſſit, reparavit maxime ſuum monaſterium, & prioratum de Volvico.

XXXII. Johannes III. de Marcenac, ſuperioris nepos & ſucceſſor, electus eſt primus definitor in capitulo Cluniacenſi, ſub Johanne de Borbonio, in quo ſtatuta pro regulari obſervantia condita fuerunt. Reperitur in variis inſtrumentis ann. 1479. 1481. 1485. 1505. & 1507. Anno 1503. ſe ſe a capitulo excuſavit, ex tabulario Cluniac.

XXXIII. Ludovicus II. de la Chaſſaigne in decretis baccalaureus, ſacriſta monaſterii Rubiacenſis *de Royac*, tum eleemoſynarius Mauziacenſis, vacante abbatia per obitum Johannis de Marcenaco, omnium unanimi voce cooptatur in abbatem an 1510. ex indice ad nos tranſmiſſo. Negotium tamen faceſſit quod alibi legimus, Ludovicum de la Chaſſaigne abbatem Mauziacenſem anno 1507. fuiſſe definitorem capituli generalis Cluniacenſis. Forte vices tantum gerebat Johannis de Marcenac, & vocatur abbas propter dignitatem adeptam tantum poſtea.

XXXIV. Claudius du Prat habitum monaſticum induerat ſub Jacobo de Ambaſia Cluniacenſi abbate. Abbas denique inſtitutus ſe excuſat apud abbatem & definitores quod ad comitia generalia ſe conferre non poſſit, litteris Candiaci, *Chandieu*, datis die 8. Aprilis an. 1516. quia ſcilicet bullas acceperat Dominica duntaxat præcedenti. Mauziacenſe capitulum conſtruxit. Erat autem ſimul abbas Magnilocenſis & epiſcopus Mimatenſis; reperiturque in chartis an. 1517. 1518. & 1519.

XXXV. Thomas du Prat epiſc. Clarom. erat abbas Mauzacenſis; obiit an. 1528. *Du Fourny.*

XXXVI. Guillelmus III. du Prat, prior S. Petri de Rodolio * & S. Arnulfi Creſpeienſis, canonicus & magnus archidiac. Rotom. tum epiſcopus Clarom. ſucceſſit Thomæ patruo in abbatia Mauziacenſi, cui præerat annis 1529. 1539. 1545. & 1558. Ut abbas Mauziaci curavit reformationem parthenonis Marciaci, *Marſac*, abbatiæ ſuæ ſubditi; ad quam promovendam frater Johannes de Montmajour abbas S. Illidii, una cum Gabriele de Chauvigny, alias de Blot, abbate S. Leodegarii de Ebrolio, & Stephano Laillier officiali ac canonico Clarom. exſecutor bullæ Pauli papæ III. datæ Romæ apud S. Petrum an. Incarn. Dom. 1546. v. idus April. pontific. an. XII. prioratus B. Mariæ de Marciaco, & beatæ Mariæ de Giaco, ad preces Guillelmetæ de la Platiere, alias des Bordes, prioriſſæ Benedictinarum Marciaci, & Chriſtophori Coquille prioris majoris Cluniaci, dicto parthenoni univit, eo pacto ut moniales reformationem accipiant. Obiit 21. Octob. an. 1560. * Rueuil.

XXXVII. Sebaſtianus de l'Aubeſpine epiſcopus Lemovicenſis a Rege nominatur abbas Mauziaci an. ſaltem 1568. quo ei præfuiſſe legitur, uti ann. 1572. & 1573.

XXXVIII. N. de Chezy abbas erat 1584.

XXXIX. Nicolaus de Neufville memoratur abbas ann. 1571. 1576. & 1610. quod quidem vix poteſt conciliari cum ſuperius dictis, niſi dicendo deſignatum eum revera fuiſſe abbatem, ſed tamen juniorem adhuc cedere coactum duobus præcedentibus, ad tempus. Sub hoc abbate captum fuit Mauziacum ab hæreticis ſub duce d'Andelot an. 1592.

Digitized by Google

XL. Antonius Rigoullet Regi a conſiliis, faven- A te Nicolao de Neufville abbatiam obtinuit, tenuitque ann. 1610. & 1613. quo die 10. Sept. vicarium ſuum generalem Lugduni creavit Amabilem de Fretat theologiæ doctorem monachum Caſæ-Dei in Arvern. Notatur ann. 1616. 1626. 1629. & 1639. Fratrem habuit D. Blaſium Rigoullet priorem ſui monaſterii Mauziac.

XLI. Camillus de Neufville archiepiſcopus Lugdun. & abbas Athanaci, reperitur abbas Mauziaci an. 1640. Permutavit deinde cum ſequenti an. 1655.

XLII. Franciſcus d'Albon canonicus & comes Lugdunenſis, filius Franciſci d'Albon domini de B Chazeul & Antoniæ de Bigny, ex permutatione prioratus Montis-Virduni pro abbatia Mauziaci, factus eſt abbas; obiit menſe Martio an. 1705. Sub hoc abbate D. Theophilus Guillot, primus obſervantiæ Cluniacenſis prior, Mauziacenſe monaſterium reformavit.

XLIII. Joſephus Michaël Archon Ricomagenſis presbyter, frater abbatis S. Gilberti, canonicus S. Amabilis, unus e ſex regiis capellanis, nominatur ad abbatiam Mauziacenſem vacantem per obitum Franciſci d'Albon, a Ludov. XIV. die 30. Maii 1705. confirmatur bulla Clementis papæ XI. data Romæ, apud S. Mariam majorem anno Incarn. 1705. ſeptimo Idus Decembr. pontif. anno quinto. Huc uſque ſedet. C

Issoire.

YSSIODORUM, ET ICIODORUM.

HÆC abbatia, ordinis S. Benedicti, e congregatione S. Mauri, patronum habet S. Auſtremonium. Sita eſt octo milliaribus ab Arvernorum civitate ſecus fluviolum, *la Couze*, qui ad Iſſiodori proſpectum immiſcetur Elaveri.

Hujus monaſterii, quamvis in codice MS. Illidiano vitæ S. Auſtremonii legatur ab ipſo conditum, valde obſcura ſunt initia. Fuit autem reſtitutum hac occaſione. Karrofenſes monachi, ut legitur in hiſtoria tranſlationis S. Auſtremonii, cum ad caſtrum S. Yvonii, ſeu Petræ-inciſæ apud Arvernos confugiſſent cum capite S. Auſtremonii & ſuis theſauris, ne a barbaris diriperentur, atque ex his unus eſſet ſuperſtes Giſlebertus qui ex pagenſium filiis quoſdam *monachaverat*, cœpit tractare quomodo ſe ſuoſque ſodales a ſubjectione abbatis Karrofenſis ſubtraheret. Inierunt igitur conſilium ut præfatum caſtrum everterent, & monaſterium Iciodorum olim a S. Auſtremonio conſtructum reædificarent; detulerunt ergo Iciodorum caput S. Auſtremonii, ubi Giſlebertus abbas E factus, baſilicam miræ magnitudinis ædificavit, quam Bernardus epiſcopus Arvernorum dedicavit in honorem SS. Auſtremonii & Petri.

Abbatum catalogum nonniſi mutilum dare poſſumus, quia deficiunt inſtrumenta.

Abbatum series.

I. GISLEBERTUS de quo ſupra.

II. Bernardus præerat rege Lothario, ut docet Stephani pontificis diploma, quo villam nuncupatam Altam-ripam cum appendicibus, &c. concedit S. Auſtremonio ad locum Iciodorenſem.

III. Girardus; legitur ab hujus loci monachis interfectus.

IV. Robertus I. cum ſua congregatione vendidit Ricfrido Celſinienſi priori vineam, cujus venditionis inſtrumentum factum eſt menſe Maio feria VI. regnante Lothario rege Francorum.

V. Hugo I. quem ferunt ſub Roberto abbate monaſterium cum decani titulo rexiſſe, & res domeſticas promoviſſe, abbas fuit poſt eundem Robertum.

VI. Willelmus I. abbas Iciodorenſis an. 1064. ſubſcribit chartæ Hugonis Nivern. epiſc. pro eccleſia S. Stephani, quæ approbata eſt in concilio Cabilonenſi hujus anni a multis tum epiſcopis tum abbatibus. Vide in hoc epiſcopo Nivernenſi.

VII. Johannes I. abbas S. Illidii an. 1139. Vide in Stephano abbate Caſæ-Dei. Utrum geſſerit pedum Iciodorenſe ante vel poſt Illidianum, ignoramus.

VIII. Gausbertus in ſchola Mauzacenſi educatus, cum abbatiam hanc obtinere nequiviſſet, Iciodorenſem regendam ſuſcepit; vivebatque circa tempus Roberti Arvernenſis epiſcopi.

IX. Arnaldus ex monacho Caſæ-Dei abbas Iſſiod. & poſtea S. Illidii Claromont. an. 1184.

X. Caſtus, an. 1212.

XI. Hugo II. de Dora ſubſcripſit teſtamento Roberti I. comitis Clarom. in vigilia Paſchæ an. 1262. Vide probat. hiſtor. domus Arverniæ pag. 170.

XII. Aymo, an. 1280. ex charta Montis-acuti.

XIII. Guillelmus II. memoratur an. 1289. die Veneris poſt feſtum S. Martini hyemalis, in charta Boſcheti. Idem eſt profecto qui cum rege Philippo plures redditus permutavit die Martis ante Nativitatem B. V. M. an. 1296. ex chartul. regio Pariſienſi.

XIV. Johannes II. interfuit concilio cuidam Avenionenſi, ſecundum Sammart. & noſtrum Michaëlem Germain. Sed hic nobis aliunde ignotus. D

XV. Gregorius teſtis nominatur in quodam inſtrumento confecto die Lunæ poſt octabas B. Michaëlis anno 1311. ex probat. hiſt. domus Arvern. Anno 1337. delegatur a ſummo pontifice Benedicto XI. vel XII. ad reformationem ord. Benedictini, bulla data idibus Decemb. pontificatus anno 2. *Baluz. pag. 143.*

XVI. Rigaldus 1379. in charta de Chandeleu.

XVII. Guillelmus III. de Rochefort monachus Benedictinus, anno 1391. die Lunæ ante feſtum omnium ſanctorum præſentat epiſcopo Clarom. clericum præficiendum eccleſiæ S. Clari de Chandeleu. An. 1401. die decimo Januarii idem præſtat pro eccleſia S. Crucis de Gannato die 5. Decembris an. 1411. pro eccleſia B. M. de Orbelio, an. 1418. pro eccleſia de Mazegoto, ex archiv. epiſcopi. An. 1412. die 6. Feb. teſtis eſt pactorum ſponſalium inter Agnum de la Tour dominum d'Oliergues, & Alipidem de Vendac, ex prob. hiſt. domus Arv. [a] An. 1419. præſens memoratur juramento quod Martinus Gouge *Idem pag. 720.* [a]

[a] Hæc pugnant cum archivis epiſcopalibus ſupra laudatis in Rigaldo, ex quibus conſtat Rigaldum abbatem fuiſſe uſque ad an. 1418. Fortaſſe Rigaldus abdicarat, & titulum tamen abbatis retinuerat.

Digitized by Google

epiſc. Claromontenſis capitulo fecit. An. 1422. A ſacrum fieri juſſit ſingulis diebus in ſacello D. Benedicti pro animæ ſuæ & parentum ſalute, & ad hoc dedit quinque ſextarios frumenti, 20. ſolidos, & unam gallinam cenſuales, credituales percipiendos ſuper territoriis D. Yvonii & le Trezens, ut plenius conſtat ex litteris 10. Aug. 1422.

XVIII. Robertus Dauphin, ex delphinis Arverniæ, monachus Caſæ-Dei, tum abbas Tironienſis 1419. quo anno ut talis & electus in epiſcopum Carnotenſem præſens fuit juramento quod Martinus Gouge epiſcopus Claromont. capitulo præſtitit, ex archivo cathedr. Clarom. Inde Albienſis epiſcopus; fundavit miſſam dictam de aurora, & jacet in templo Franciſcanorum Brivatenſium. Notatur abbas Iſſiodor. a Sammarthanis an. 1432.

XIX. Carolus de Bourbon archiep. & comes Lugdun. epiſcopus Clarom. & card. adminiſtrator perpetuus abbatiæ Yſſiodorenſis 1462. monachorum numerum reduxit ad 20. inter quos recenſentur cellerarius, decanus, camerarius, ſacriſta, operarius, infirmarius, eleemoſynarius, cantor, priores S. Aviti, de Paix, S. Aniani, de Parentignaco, & de Saurieres. Hanc reductionem confirmavit Paulus papa II. an. 1469. C

XX. Claudius de Lage in ſenatu Pariſienſi conſiliarius 17. Junii 1497.

XXI. Antonius I. Bohier Iſſiodorenſis, filius Auſtremonii Bohier ex Beralda du Prat, monachus ordinis D. Benedicti, abbas S. Audoeni Rotomagenſis & Fiſcannenſis, princeps ſenatus Rotomagenſis, archiepiſcopus Bituricenſis & cardinalis an. 1499. fuit quoque abbas commendatarius Iſſiodorenſis uſque ad annum 1517. quo obiit Bleſis.

XXII. Ludovicus I. Doreille frater Rigaldi magiſtri officiorum domus auguſtæ Ludovici XI. in ſenatu Pariſienſi Regis conſiliarius, conſuetudinem Arverniæ reformavit; potitur abbatia Iſſiodorenſi uſque ad an. circiter 1524. D

XXIII. Gabriel de la Queuilhe ex illuſtri familia apud Arvernos oriundus, præerat ann. 1526. & 1531. ex tabulis Illidianis.

XXIV. Antonius II. d'Artaud e loco dicto Neſchers apud Arvernos natus, an. 1532. abbas legitur.

XXV. Johannes III. Bayard, 8. Jan. 1533.

XXVI. Michael Bayard protonotarius Sedis apoſtolicæ 11. Novemb. 1550.

XXVII. Petrus I. Seguier in ſenatu Pariſienſi Regis conſiliarius, an. 1560. E

XXVIII. Ludovicus II. Aultier de Villemontée, Arvernenſis patria, monachus profeſſione, vivebat 7. Septembris 1572. Sub hæc tempora monaſterium Iſſiodorenſe ab hæreticis ſub duce *Merle* omnino vaſtatum fuit & direptum; anno 1575. urbs Iſſiodorenſis triplici vallata muro capta fuit a duce Andium fratre Henrici regis, & a militibus incenſa, flammiſque abſumta 1575. aut 1577.

XXIX. Ludovicus III. Aymar monachus ordinis S. Benedicti.

XXX. Petrus II. Aymar 1589.

XXXI. Franciſcus de Beleſtar monachus Benedictinus, nobilis Arvernus 1600. interfuit cœtui generali Cleri Gallicani Lutetiæ habito 1606. Obiit an. 1618. & ſepultus eſt in ſacello S. Auſtremonii pone majus altare.

XXXII. Joachim d'Eſtaing epiſcopus Clarom. ſub quo mareſcallus d'Effiat ex ærario regio, cujus erat ſupremus moderator, conceſſit 1500. libras pro eccleſiæ Iſſiodorenſis reparatione.

XXXIII. Martialis Chanut reginæ Annæ Auſtriacæ ab eleemoſynis & viſitator virginum ordinis de Monte-Carmelo, filius erat legati apud Suevorum regem; eo ſatagente Gallicana ſancti B Mauri congregatio inducta eſt anno 1665. 21. Febr. in monaſterium Iſſiodorenſe, importuno maxime civium rogatu. Domum abbatialem pius abbas a fundamentis ædificavit, plurimumque ad monachorum dormitorium contulit reſarciendum, an. 1666. Concilium Tridentinum Gallice reddidit an. 1674. Tres lypſanothecas variis refertas ſanctorum reliquiis & egregio opere a monialibus Carmelitis elaboratas ſacriſtiæ dedit anno 1677. quo item anno ſedilia chori ejus potiſſimū curis & impenſis abſoluta ſunt. An. 1679. corpus S. Benedicti martyris e catacumbis exſtractum ſolemni pompa in ſuum curavit monaſterium transferri. Inſuper an. 1688. dedit eccleſiæ ſuæ calicem aureum, urceolos, aliaque ſacra vaſa & ornamenta ſacerdotalia. Vivere deſiit die 13. Sept. an. 1695. morte ſubitanea Lutetiæ Pariſiorum correptus.

XXXIV. Jacobus du Sauſſay ducisſæ Carnotenſium ab eleemoſynis, deſignatur abbas die 1. Novembris an. 1695. poſſeſſionem iniit per procuratorem 9. Julii an. ſeq. Abbas etiam exſtiterat Aquæ-bellæ ord. Ciſterc. dicec. Tricaſtinenſis, ubi perperam fortaſſe ipſius mortem conſignavimus anno 1700. obiiſſe enim dicitur 5. die Auguſti an. 1699.

XXXV. Petrus III. Gabriel de Beauvergier Mongon e nobiliſſima oriundus familia Iſſiodorum inter & Magnum locum, comes canonicus S. Juliani Brivatenſis, & prior d'Augeroles, &c. abbas deſignatur die 14. Auguſti an. 1700. ac deinde abbas ſimul Magnilocenſis.

MAGNUS-LOCUS. *

* MARLIEU.

ANTIQUISSIMUM ordinis S. Benedicti monaſterium S. Sebaſtiano ſacrum, ſecus fluviolum *Alliout*, qui in Elaverim illabitur, poſitum eſt; cujus origo, vel potius reſtauratio hæc legitur in hiſtoria tranſlationis S. Sebaſtiani martyris & S. Gregorii papæ: *In provincia Aquitaniæ, in pago Alvernico, vico Tudurnenſi eſt cœnobium meritis hujus præcellentiſſimi martyris ac nomine conſecratum ..... Fuit in eadem regione ſacerdos quiſpiam morum probitate notabilis actu ac nomine Magnus ..... Hic itaque dum fidei ardore ferveret ..... monitus per viſum, celerem greſſum prætendere, Romam ire, martyris Sebaſtiani pretioſiſſimum mauſoleum fideuter expetere.* Magnus itaque Romam advolans, S. martyris tumulum viſitat ex quo pulverem detulit, quem donec tantiſper quieſceret, in ſarcinula ramo arboris ap-

Sec. 4. Ben. parte 1. pag. 401. & 20. Jan. in collect. Bolland.

pendit, dum per Arverniam tranſiret. Sed multis miraculis ibidem tunc patratis, intellexit S. Sebaſtianum velle eo loci coli. Neque vero renuit Magnus, a quo monaſterium Magnilocenſe dictum; etſi a S. Geneſio Arvernenſi epiſcopo conditum ſit anno circiter 656. ordinato ibi Evodio abbate, ut habet fragmentum vitæ S. Boniti Arvernorum item epiſcopi, qui monachum induit in Magni-locenſi monaſterio; ſeculi III. Bened. parte I. Vide quoque de Magni-loci exordio Mabill. ad annum 657. n. 58. Iſtud porro monaſterium locum habet in eorum cenſu quæ Ludovicus Pius aut renovavit, aut ex integro ædificavit. Vide Annales Cointii ad an. 812. n. 35. Item in ſerie monaſteriorum cum quibus ſocietatem habebat Augienſe ſeculo IX. nominatur Magnus-locus.

Abbatum nomenclatura.

I. Sanctus Evodius Magni-locenſi cœnobio primus abbas a S. Geneſio fundatore præfectus eſt circa an. 656. ut ſupra diximus, ex vita S. Boniti epiſc. Arvern. tom. I. hiſt. Franc. Quercet. quæ duos etiam abbates ſequentes nobis ſuppeditat.

II. Bobo de quo in laudata vita: *Reſurrectionis Dominicæ illuceſcente die, rogarunt illum* (S. Bonitum,) *fratres Magni-locenſis monaſterii, cujus abbas erat vir reverentiſſimus Bobo, ut miſſarum ſolemnia apud illos perageret, &c.*

III. Adelphius ibidem deſignatus his verbis: *Cum igitur ex more, ad aram aqua manus abluerет* (Bonitus) *venerabilis pater Adelphius, tunc adhuc levita, ſed poſtmodum antedicti Bobonis viri Dei in Magni-locenſis monaſterii regimine ſucceſſor, id temporis ad altare viro Dei aſſiſtens, diaconi fungebatur officio.* Proculus Arvernenſis epiſcopus miſit Adelfium abbatem Magni-locenſem cum Eoaldo abb. Volvicenſi, & Moderato Teclatenſi ad Fulcoaldum arch. Lugdun. an. circiter 709. a quo impetravit corpus S. Boniti Arvern. epiſc. qui Lugduni jacebat in parthenone S. Petri. Vide in Proculo Arv. epiſcopo. Huic Adelfio inſcripta eſt vita S. Boniti, cujus in Romana peregrinatione comes exſtiterat, ſec. 3. Ben. I. parte pag. 89.

IV. Hermannus temporibus Caroli magni & Ludovici Pii.

V. Aimo cujus rogatu Ludovicus Pius præceptum immunitatis & tuitionis conceſſit cœnobio, datum Andecavis palatio XVI. cal. Septemb. anno imperii ſui 5. hoc eſt anno 818. cum Aurelianis in urbem Andecavorum profectus eſſet. Ejuſdem Haimonis nomen ſæpe legitur in præcepto Pipini Aquitanorum regis, dato pridie nonas Octob. anno XX. imperii Ludovici & regni Pipini XIX. * Hoc inſtrumentum damus ex regio Carcaſſon. tabul. aſſervato in biblioth. Colbert. ſed abſque annorum nota.

Annal. Ben. ad hunc an.

al. XVIII. C. I. col. 117.

VI. Heirardus an. circiter 877. contra Agilmarum, *al.* Ademarum Arvernenſem epiſcopum ſubjugare cœnobium conantem reclamavit, & a Carolo Calvo litteras immunitatis obtinuit in probationibus noſtris editas, oblatis prius Ludovici Pii & ejuſdem Caroli jam pridem conceſſis diplomatis. Pipinus quoque II. rex Aquitaniæ haud abſimiles ei litteras impertivit IV. nonas Octob. ind. X. anno regni ſui 8. quas vide ibidem.

C. III. col. 119.

VII. Stephanus abbas Magni-loc. obedientiam & ſubjectionem profitetur R. epiſcopo Clarom.

VIII. D. ſacramentum idem exhibet G. epiſcopo Clarom. ex archivis eccl. Clarom. Utrum autem hi duo abbates ſuo temporum ordine ponantur, quis aſſerat, quiſve neget, niſi aliunde mutuetur argumenta?

IX. Armanus ex priore Cluniacenſi abbas Magni-loci, ortus erat ex familia nobili de Montboiſſier in Arvernis, frater Petri abb. Cluniac. Pontii Vizeliacenſis & Jordani de Caſa-Dei abbatum. Forte vero idem eſt qui prima ſui nominis littera A. deſignatus ſcribit ad Ludovicum VII. regem; vide ejus epiſt. tom. 4. ſcriptorum hiſt. Franc. p. 739. & cum Armando qui ſubjectionem pollicitus eſt Stephano epiſc. Clarom. coram altari B. Mariæ, ex archivo eccl. cathedr.

Bibliech nov. Labb. P. 301. t. 2.

X. Petrus I. abbas Magni-locenſis adeſt an. 1182. abbati S. Michaëlis de Cluſia, litteris teſtanti ſe dediſſe tutelam & munitionem in villa & eccleſia de Salviac. Roberto IV. comiti Arvern. ex probat. hiſt. dom. Arvern. Baluz. pag. 70. Pontio epiſcopo Claromontano promiſit obedientiam, ex ſcheda eccl. cathedr.

XI. Artaudus an. 1233. in charta S. Crucis Savigniacenſis, qua Willelmus de Rota prior Savigniaci Montis-Bruſonis, per manum Artaudi abbatis Magni-loci compoſitionem iniit pro eccleſia & cimiterio conſtructis in parochia eccleſiæ Modonii, pertinentis ad prioratum Savigniaci, teſte magiſtro Humberto Blanco dicto rectore domus elcemoſynariæ Montis-Bruſonis, & Johanne archipresbytero Nigrondæ, *Neronde*, rectore ejuſdem domus, &c.

XII. Hugo concordiam fecit an. 1256. menſe Junio, cum Pontio abbate & conventu Vallis-lucidæ, ex charta hujus mon.

XIII. Marcellus, *al.* Martellus vel Marthellus tempore Guidonis epiſc. Clarom. ex Savarone, cui congruit ſcheda eccleſiæ cathedr. in qua legitur M. Magni-loci electum obedientiam promiſiſſe Guidoni Arvern. epiſcopo, die Mercurii poſt feſtum B. Lucæ 1256. vel potius IX. cal. Nov. 1266. ubi Martellus dicitur electus per compromiſſum ex abdicatione Hugonis, die Martis poſt feſtum S. Juliani 1266.

XIV. Arnaldus cum quo Bertrandus I. de Turre, dominus Olergii d'*Oliergues*, compoſuit an. 1319. pro ſummo jure, *la haute juſtice*, loci dicti *Vertolaye*, vide Baluz. hiſt. domus Arvern. pag. 372. Memoratur an. 1321. in charta eccl. cathedral. Tranſigit an. 1346. die Dom. ante feſtum Aſſumt. B. V. Mariæ, cum Roberto comite Arverniæ & Boloniæ, pro juſtitia villarum du Roure & S. Mauricii, ex archivis epiſcopalibus.

XV. Guillelmus I. compoſitionem iniit pro earumdem villarum juſtitia, cum Johanna Francorum regina, comitiſſa Arverniæ & Boloniæ, die ultima Octob. 1352.

XVI. Bertrandus de Tineri ann. 1375. 1377. Anno 1388. appellat ab Andrea abbate Caſæ-Dei exſecutore litterarum apoſtolicarum.

XVII. Chatardus 1405.

XVIII.

C. LI. col. 118.

Digitized by Google

XVIII. Robertus notatus in tabula epiſcopi Clarom. data die ultima Maii 1418.

Du Fourny. XIX. Annetus, *al.* Agnetus de Montmorin filius Petri, Caroli regis VII. cambellani, ex Iſabella Chavigny domina de Nades, prior Portus-Dei & abbas commendatarius Magni-loci 1463. & 1469. quo anno fratri Sebaſtiano de Vallibus monacho Magni-locenſi contulit prioratum de Bacco in comitatu Forenſi dioec. Lugdunenſis. An. 1498. die 17. Decembris tranſegit cum Carolo de Bourbon epiſc. Claromont. ex archiv. epiſcopali.

XX. Antonius de Montmorin Anneti nepos ex Carolo fratre, anno circiter 1507. Vide in decanis.

XXI. Claudius du Prat nobilis Arvernus, erat jam abbas Mauzacenſis & Magni-locenſis an. 1517. ex archivio epiſcopali. Eccleſiam & capitulum, ceteraque monaſterii loca reſtauravit an. 1522. Fuit etiam epiſcopus Mimatenſis.

XXII. Philippus de la Chambre cardinalis Bononienſis 1542. & 1545. 5. die Januarii.

XXIII. N. de Chaſeron conſtruxit refectorium.

XXIV. Guillelmus II. de Montmorin refecit campanile.

XXV. Auguſtinus de Thou anno 1621. & & 1625. ex tab. epiſcop. Clarom.

XXVI. Gilbertus de Veny d'Arbouze, monachus Magni-loci & abbas per quinquaginta quatuor annos, obiit epiſcopus Clarom. die 22. April. an. 1682.

XXVII. Jacobus de Rochechoüart de Montmoreau, filius Renati de Rochechoüart comitis S. Audoëni & de Montmoreau ex Antonia de Malinguehen, nepos vero Ludovici vicecomitis de Rochechoüart & Magdalenæ de Boüillé parentum Renati, qui nupſerant menſe Aug. an. 1579. nominatus a Rege 26. Maii an. 1682. podagra interiit, dum in Arverniam ſe conferret abbatiæ poſſeſſionem adepturus. Vide in Barneto.

Du Fourny.

Du Fourny. XXVIII. Johannes Franciſcus Gaſpardus de Montmorin, filius Franciſci Gaſpardi marchionis de S. Herem, gubernatoris Fontis-Bellaquei, & Annæ le Gras an. 1682. deſignatur abbas octava die Septembris. E vivis exemtus eſt an. 1702.

XXIX. Jacobus Gabriel de la Chaiſe, dictus abbas du But, frater R. patris Franciſci Regi a confeſſionibus, prior Silviniacenſis & S. Germani in Eremo, nominatur abbas Magni-loci an. 1702. obiit 4. Septemb. an. 1708.

XXX. Petrus II. Gabriel de Beauvergier Mongon, *al.* de Cordebouf de Mongon, renuntiatur abbas 1. die Novembris anno 1708. jam abbas Iſſiodorenſis.

THIERN.

THIERNUM.

THIERNUM abbatiam ordinis ſancti Benedicti ſupra Durolam fluvium ad radices urbis Thierni in Arvernia, ſub patrocinio S. Symphoriani, Thiernenſes vocant, *le Moutiers*. Cum autem jam dudum inculta eſſet, ac deſerta, veniſſetque in manus Widonis [a] viri præpotentis; illi placuit locum hunc reſtituere in priſtinum ſtatum ſub regula S. Benedicti: ad quod delectus eſt Petrus abbas, *omni nobilitate conſpicuus & beatæ ſimplicitatis filius*, ordinatuſque a Begone Arvernenſi epiſcopo. Poſtea accerſitus eſt S. Odilo; ſicque locus Cluniacenſibus ceſſit, quem duo vel tres duntaxat monachi nunc incolunt, cum antiquitus ibi quatuordecim eſſe deberent cum abbate, imo viginti quinque decreto an. 1324.

C. LIII. col. 120.

[a] Idem videtur eſſe qui collegiatam eccleſiam S. Geneſii Thiernenſis fundavit an. 1016. Vide inſtrum. C. IV. col. 75.

ABBATUM SERIES.

I. JOSEPHUS I. PIPINI regis apocriſiarius ſeu cancellarius, poſt ipſius regis deceſſum [b] Thiernenſis apud Arvernos monaſterii abbas factus eſt, circa an. 765.

II. Petrus I. *filius beatæ ſimplicitatis*, circa an. 1010. de quo vide inter inſtrumenta. Odilonem abbatem Cluniacenſem, futurum adjutorem evocavit.

III. Ugo I. jam regebat an. 1077. quo chartam conſcribi fecit donationis factæ in ſilva de Borno, Mauricio priori de Magenciaco, &c.

IV. Bertrandus I. an. 1251. menſe Julio in charta Alfonſi filii regis Francorum, comitis Pictav. & Toloſ. marchionis Provinciæ. Reperitur etiam an. 1256. ind. XIV. in chartul. S. Flori & 1258. in tab. Moiſſiac. quo anno arbiter electus inter abbatem de Cluſa & priorem B. M. Deauratæ Toloſ. diſputantes de prioratu S. Michaëlis de Caſtello prope Toloſam, ſententiam protulit feria ſecunda, *al.* tertia, poſt feſtum S. Laurentii.

V. Gaufridus I. an. 1262. in craſtinum Purificationis, nominatur in tab. epiſc. Clarom. Idem anno 1271. menſe Martio adhuc præerat.

VI. Hugo II. de Rupe, ex camerario Thiernenſi abbas electus an. 1275. an. 1287. una cum prioriſſa Curtæ-petræ [c], *Croupieres*, componit cum Ademaro Claromont. epiſc. 3. cal. Julii 1287. An. 1293. excuſat ſe apud abbatem Cluniacenſem quod non poſſit intereſſe capitulo generali. An idem eſt Hugo qui anno 1298. teſtis fuit homagii quod fecit Bernardus dominus de Turre Bertrando abbati Cluniacenſi? ex prob. hiſt. dom. Arv. & rurſus qui an. 1306. indict. v. Clementis papæ V. anno ſecundo concordiam fecit cum prioriſſa & conventu Curtæ-petræ, ſequeſtro Cluniacenſi abbate Bertrando.

Annal. Ben. t. 2. pag. 203. 204. & ſec. 3. p. 2. pag. 192.

Arch. ep. Clarom.

Baluz. pag. 565.

VII. Henricus compoſitionem facit cum Alberto ep. Clar. an. 1308. ex archivis epiſc. Clarom.

VIII. Hugo III. de Huchone abbas erat anno 1315. Forte idem eſt ac Hugo qui tacito cognomine componit anno 1312. cum prioriſſa & conventu Curtæ-petræ, mediante Bertrando abbate Cluniacenſi.

IX. Hugo IV. de Merlia, *de la Merlée*, e nobili apud Seguſianos familia ortus, reperitur in plurimis chartis annorum 1321. 32. 41. 44. 46. & 1352. Compoſitionem fecit an. 1332. cum Johanne comite Forenſi. H. abbas occurrit an. 1325. in ſchedis Cluniac.

[b] D. Claud. Eſtiennot pro *deceſſu* habet *diſceſſum ab Arvernia*, ut legitur, *inquit*, in hiſt. tranſlationis S. Auſtremonii ad cœnobium Mauzacenſe.

[c] Hic parthenon ord. S. Benedicti Thierno ſubjacet, & inſtitutio prioriſſæ ad abbatem ſpectat.

Digitized by Google

X. A. abbas Thierni ſubdelegatus legitur ab epiſcopo Anicienſi, pro tuendis juribus ordinis Ciſtercienſis, an. 1370. ex charta Boſcheti ſeu Vallis-lucidæ.

XI. Durandus de Boiſſello 1383. 85. 87. die 2. Martii quo Henrico epiſc. præſentat ad eccleſiam prioratus cujuſdam, ex tab. epiſc. Clarom. Item 1389. 91. & 96. Obiit anno 1398. ex charta Cluniacenſi.

XII. Johannes I. Ruffi de Condato electus fuit ultima die Novembris anni 1398. præerat adhuc anno 1401.

XIII. Guillelmus I. de Croſo, *du Cros*, 1408. 1413. & 1417. quo definitor fuit in capitulo generali Cluniac. Obiit an. 1419.

XIV. Godfridus II. ſeu Gaufridus de Monte-Morino, *de Montmorin*, baccalaureus in decretis, filius Gaufridi ex Delphina de Thinieres prima conjuge, electus eſt poſt obitum Guillelmi de Croſo an. 1419. tertia Septembris, cum eſſet prior Heliſonæ; ſed non multis poſt diebus ceſſit, juſtis de cauſis; qui tamen an. rurſus 1420. dicitur abbas apud D. du Fourny. Nimirum hujus electionem abbas Cluniacenſis irritam primo declaraverat, quod facta fuiſſet abſque ſuo conſenſu; quo accedente poſtea, confirmatur. *Ex ſchedis Cluniac.*

XV. Robertus de la Rue, decanus de Rivis, presbyter ordinis Cluniacenſis, Gaufrido cedenti ſubrogatus eſt an. 1419. ſeptima die Novembris. Sedebat annis 1422. 27. & 28.

XVI. Erardus Ducis, vulgo *le Duc*, alias *Chancelot*, prior de Villaribus S. Sepulcri, ord. S. Benedicti, diœceſis Belvacenſis, eligitur die 16. Auguſti an. 1432. Memoratur an. 1434. Martino Arvernenſi epiſcopo, & 1442.

XVII. Simon 1447. & 1449.

XVIII. Henricus de la Rue 1454. 57. 60. & 1465.

XIX. Johannes II. de Mauriaco 1468.

XX. Johannes III. Petri, epiſcopus Mimatenſis, abbas commendatarius S. Symphoriani Thiernenſis 1474. & 1476. die 5. Auguſti.

XXI. Claudius de l'Age, ſacriſta primum Cluniacenſis, tum rector collegii S. Martialis Aven. an. 1476. inſtitutus a Johanne de Bourbon abbate Cluniac. ex tabulis hujus collegii, deinde adminiſtrator perpetuus Thierni reperitur an. 1478. & 1481. quo anno fortaſſe permutavit cum Philiberto de Lariere magno priore Cluniacenſi, qui ſcilicet abbas Thiernenſis legitur obiiſſe an. 1482. ibidem ſepultura donatus. Videtur autem poſtea regreſſus Claudius de l'Age magnus prior Cluniacenſis, qui factus abbas die 29. Jan. an. 1483. interiiſſe dicitur an. ſeq. ac ſepultus Cluniaci in magno clauſtro ante S. Petrum-veterem. Hæc omnia vero, ut ingenue fateamur, valde incerta ſunt; maxime cum adhuc occurrat Claudius de l'Age an. 1496. Inſequenti anno vacabat ſedes, ex ſchedis Cluniacenſibus; fortaſſe tamen duo fuerunt Claudii de l'Age, quorum ultimus erat ſimul abbas Iſſiodorenſis hoc anno 1497. commemoratus a Sammarthanis.

XXII. Guillelmus II. de Monte-Buxerio, *de Mont-boiſſier*, commendatarius perpetuus anno 1499. Vacabat ſedes an. 1504. ex ſchedis Clun.

XXIII. Antonius I. de Colonges, *al.* de la Mothe, ex tab. epiſcopi Clarom. jam ſedebat an. 1508. Item an. 1513. & 1524.

XXIV. Claudius II. du Cros 1525. 1526. 1528. & 1529. Erat monachus & camerarius monaſterii Thiernenſis anno 1507.

XXV. Antonius II. de Murat abbas regularis 1533. & 1539. plures ad abbatem Cluniacenſem ſcripſit epiſtolas 1531. 38. 41. & 1543. ex ſchedis Cluniac.

XXVI. Johannes III. de Colombes 1548. 1549. & 1550. Excuſat ſe a capitulo generali apud abbatem Cluniac. ex ſchedis Clun. In animadverſionibus tamen noſtri D. Jacobi Boyer legimus Bertrandum, qui ſequitur, fratri ſuo Carolo de Marillac Viennenſi archiepiſc. ſucceſſiſſe in abbatia Thiernenſi, quam obtinebat an. 1548. & 1563. forte contentio fuit inter Johannem electum, ut videtur, a capitulo, & Carolum primo, tum Bertrandum a Rege nominatos, qui tandem prævaluerunt.

XXVII. Bertrandus II. de Marillac, relicto fratrum Minorum inſtituto, abbas Thiernenſis deſignatus, præter annos ſupra notatos occurrit annis 1550. & 1561. quo ſe excuſat a capitulo generali, ex ſchedis Cluniac. Poſtea fuit epiſcopus Redonenſis. Obiit autem an. 1573. die 31. Maii.

XXVIII. Joſephus II. Veiny doctor theologus 1573.

XXIX. Antonius III. de Murat 1593.

XXX. Petrus II. David Viennenſis 1603. & 1605.

XXXI. Petrus III. de Maugiron an. 1615. & 1628. ex ſchedis noſtri D. Claud. Eſtiennot.

XXXII. Georgius David 1638.

XXXIII. Petrus IV. David cui ſucceſſit

XXXIV. Germanus de la Chaſtaigneraye de ſainte Foy, eruditus geometres & mathematicus ab anno 1706. die 14. Auguſti ad annum ſaltem 1712. Sub hoc abbate, anno 1707. fluvius excreſcens evertit ſacriſtiam, partem clauſtri, capitulum, refectorium, & pene omnia monachorum habitacula.

Apud urbem Thiernum eſt inſuper eccleſia collegiata ſub patrocinio S. Geneſii, cujus dotationem a Widone ſuperius memorato, & brevem notitiam damus in inſtrumentis, C. IV. col. 75. 76. 77. col. 363. E

MENATUM. MINAT.

MENATENSE S. Martini cœnobium ord. S. Benedicti in finibus Boiorum, novem ab urbe Clarom. leucis, inter Sivolim * ſeu Sicaulam & Bulbulam in valle Vaveris poſitum, modo pertinet ad Cluniacenſes, cujus origo certe antiquiſſima, cum ipſius meminerit Gregorius Turon. *de vita Patr. c. 12.* Inſtauratio vero Menelco octavi ſeculi abbati debetur, & ejus ſociis Saviniano & Conſtantio, qui in S. Theofredi * monaſterio per ſeptennium inſtructi fuerant. Menatum nunc S. Menelei nomen obtinet, & ſacrum ejus corpus reverenter cuſtodit. Hujus eccleſiæ dedicatio facta primitus a S. Bonito Clar. præſule die Junii 15. quotannis celebratur.

* la Sioule & la Bouble.

* S. Chaffre

Digitized by Google

ABBATUM SERIES.

I. SANCTUS BRACHIO natione Toringus ibi præficitur abbas, cum jam religio intepeſcere cœpiſſet; ob quam fortaſſe regularis diſciplinæ relaxationem Carileſus & Avitus monachi, clariſſimi poſtmodum abbates, inde recedentes, ad S. Maximinum in Miciacenſi apud Aurelianos monaſterio virtutis ejus imitandæ ſtudio ſe contulerunt. De S. Brachione legendus Greg. Turon.

II. S. Menelcus, de quo ſupra, obiit circa annum 720. cujus vitam habes ſeculi 3. Bened. parte 1. Vide Annal. Mabill. ad an. 681. n. 17. p. 561. & ad annum 720. n. 36. necnon Labbeum tom. 2. biblioth. In martyrologio Uſuardi conſignatur ejus obitus XI. cal. Auguſti, qua die feſtum ejus recolitur.

III. S. Savinianus eidem ſucceſſit. Ipſius memoria celebratur 8. die Junii. Ab hoc tempore ſervatam ibidem fuiſſe Benedictinam regulam non dubitamus, ſub qua cœnobium adhuc perſeverat, oſſibus S. Saviniani & reliquiis S. Medulfi, vulgo *S. Mion* locupletatum.

IV. S. Benedictus Anianenſis a Ludovico Pio locum hunc regendum & melioribus inſtitutis informandum accepit. Itaque ibi vir magnus duodecim monachos conſtituit, quibus præfecit abbatem *ſummæ reverentiæ virum nomine Audoarum*, ex S. Bened. Anian. vita.

V. Audoarus vel Andoërius, de quo vide Mabill. tom. 2. Annal. pag. 356.

VI. Guillelmus ſubſcribit chartæ Duranni epiſcopi Arvernorum pro monaſterio S. Portiani, ex archivis hujus mon.

VII. Ayraldus anno 1136. conſilio Duranni decani & Petri prioris atque aliorum Menatenſium fratrum, concordiam iniit cum fratribus de Bella-aqua, v. cal. Januarii ex archivo cathedr. Clarom.

VIII. Durantus obedientiam promiſit Giſlaberto Claromontenſi epiſcopo, non autem Guidoni, (ut ait Savaro) ex archivo cathedr. Clarom.

IX. Petrus fidem ſpopondit Roberto Clarom. epiſcopo; ibid.

X. W. componit cum P. Bloti milite anno *vel. 1214. 1218. Willelmus abbas an. 1223. * ſocietatem iniit cum Stephano abbate & conventu S. Leodegarii Ebrolienſis, ex charta hujus mon.

XI. R. ſubjectionem pollicetur G. Claromont. præſuli.

XII. Hugo I. profitetur obedientiam Guidoni epiſcopo.

XIII. Guillelmus de novo creatus abbas, eidem obedientiam promiſit die Sabb. poſt diem Dominicam qua cantatur *Reminiſcere*, an. 1264.

XIV. G. Caſſara, poſt cujus obitum qui contigit anno 1286. prior clauſtralis & conventus Menatenſis rogavere capitulum Claromont. ut eligerent abbatem, die Jovis in octavis Aſſumtionis B. Mariæ an. Domini 1286. ex archivo cathedr.

XV. Gerardus an. 1288. die Dominica, B. Mariæ Magdalenæ ſacra, ſocietatem iniit cum Bernardo S. Illidii abbate. Haud dubie vero hic eſt qui novus abbas dicitur anno 1287. quo Simon archiepiſcopus Bituricenſis venit apud Menatum cum novo abbate & epiſcopo Claromontenſi, & novus abbas inſtallatus eſt, & miſſam novam celebravit, die Martis 20. Maii. Analect. Mabill. tom. 2. pagg. 647. & 648.

XVI. Johannes I. Rodolphi reperitur anno 1304. in charta eccleſiæ Camalarienſis.

XVII. Johannes II. Gaſtelli occurrit an. 1366. indict. IV. die 18. Junii; quo item anno teſtis memoratur in quodam inſtrumento dato die Veneris ante feſtum S. Catharinæ, exſtracto ex regiſtro cancellariæ n. 97. Vide prob. hiſt. domus Arvern. *Baluz. pag. 448.*

XVIII. N. de Montmorin chorum eccleſiæ Menatenſis exſtruxit.

XIX. Hugo I. de Chauvigny de Blot an. 1418. die Veneris in feſto SS. Simonis & Judæ, Martino Clarom. epiſcopo præſentat presbyterum in rectorem eccleſiæ novæ. Electus eſt abbas Caſæ-Dei 21. Maii an. 1420. Toparchæ de Blot egregium habent ex albo marmore tumulum, juxta collateralem portam eccleſiæ Menatenſis.

XX. Hugo II. de Boſco an. 1467. ex tabul. epiſcopi Clarom.

XXI. Carolus de Bourbon, abbas ſimul Grandimont. &c. ubi vide.

XXII. Jacobus I. an. 1510. in chartis prioratus de Fonte-Gehardi a Majori-monaſterio pendentis.

XXIII. Franciſcus de Bort tranſegit an. 1528. cum capitulo Caſæ-Dei, pro decimis prioratus Thecletæ, *Teillede*, Caſæ-Dei ſubjecti, ex charta Cantogilenſi. Idem reperitur an. 1531.

XXIV. Jacobus II. de Bort majus altare ex ære affabre elaborato conſtruxit an. 1534. multaque alia præclare geſſit. Tranſactionem fecit cum Borbonii duciſſa ſuper carnificinis urbis Ricomagi in Arvernis.

XXV. Guido d'Anglard, ultimus abbas regularis, crucem pretioſam miræ magnitudinis dedit, ex qua hujus nomen abbatis accepimus: defertur in proceſſionibus ſine haſta. In ea ſic legitur: *Noble & reverend pere en Dieu frere Gui Anglard abbé & ſeigneur de Menat a fait faire cette preſente croies, en l'honneur de la mort & paſſion de Noſtre-Seigneur, l'année 1598. Vous prierez Dieu pour lui qu'il luy pardonne ſes fautes.* Obiit an. 1604. a quo per œconomum gubernata fuit hæc abbatia ad annum 1628. quo tradita eſt in commendam

XXVI. Claudio de Montmorin filio Franciſci domini de S. Herem vicecomitis de Clamecy & Johannæ de Joyeuſe dominæ de Botheon, qui nupſerunt an. 1526. ex D. du Fourny.

XXVII. Gilbertus de la Fayette abbas S. Jodoci ad mare & Menati; vide in abbatibus S. Jodoci.

XXVIII. N. de Batefort de l'Aubeſpine abbas etiam Vadacii ord. S. Aug. dioec. Cenoman. nominatus ad hoc monaſterium die 1. Novemb. an. 1670.

XXIX. Jacobus III. d'Aubuſſon ex linea de Savignac, filius Johannis Georgii & Catharinæ de S. Chamans, quam duxit anno 1635. Regi a conſilijs & eleemoſynis, ab ipſo Rege deſignatur abbas an. 1684.

Digitized by Google

XXX. N. d'Harcourt d'Ollonde, ex linea secundaria primariæ ac nobiliſſimæ ſtirpis Harcurianæ, patruelis comitis d'Harcourt d'Ollonde domini d'Eſcoville & d'Ollonde, & frater germanus marchionis d'Harcourt, regia nominatione fit abbas die 1. Novembris an. 1709. bullis donatus anno ſequenti XIV. cal. Junii.

Ebreule

EBROLIUM.

EBROLIUM ſeu EBOROLIUM, olim *prædium Apollinaris Sidonii*, nobile Benedictinorum cœnobium ad ripam Sivolis ſeu Sicaulæ * ſitum, duabus ab urbe Gannato leucis, tribus vero a Menatenſi cœnobio, conditum eſt anno 971. regnante Lothario, ut obſervat chronicon Malleacenſe; cujus patroni B. Maria, SS. apoſtoli Petrus & Paulus, ac S. Leodegarius martyr, ut diſcimus ex charta fundationis monaſterii S. Leodegarii de Cogniaco. Vulgo tamen S. Leodegarii monaſterium nuncupatur, cujus ſacra pignora una cum reliquiis S. Guarini fratris ejuſdem S. Leodegarii epiſcopi Æduenſis in altari principe adſervantur.

* la Sioule.

Octo primos abbates damus ex dicto chronico Malleacenſi, biblioth. novæ MS. Philippi Labbe t. 2. p. 203. Alios ex variis chartis excerpſimus.

ABBATUM SERIES.

I. AMBLARDUS, ex chronico Malleac.

II. Bernardus I. ſucceſſor ejus, ex eodem chronico.

III. Emmo an. 1016. donatur a Willelmo Aquitaniæ comite quadam terra. Vide Mabill. ad hunc annum. Adhuc vivebat anno circiter 1031. ut patet ex charta fundationis S. Leodegarii de Cogniaco, in qua hic abbas appellatur ſanctiſſimus, Deo dilectus; cujus fama ſanctitatis ubique ſpargebatur, eumque gratiſſimum fecit Guillelmo Aquitaniæ comiti, qui ei locum Ebrolium nomine in pago Sanctonenſi, ad ædificandum monaſterium alteri Ebrolio ſubditum, conceſſit.

a. 24.

IV. Raimundus ex prædicto chronico.

V. Gerbertus ſeu Girbertus; quo ſedente Arnaldus nepos Arnaldi epiſcopi Petracoricenſis, fundatoris S. Leodegarii de Cogniaco, cui etiam conſtruendo multum contulerat, cum Romam pergens moratus eſſet apud Ebrolium in Arvernis, huic cœnobio tradidit præfatum monaſterium de Cogniaco, ex ejuſdem tabulis, teſte noſtro D. Claud. Eſtiennot. In ejuſdem abbatis manu data eſt anno 1064. eccleſia S. Magdalenæ de Cronin, monachis S. Leodegarii de Cogniaco, ex ejuſdem loci chartulario. Laudatur Gerbertus in libro de miraculis S. Odilonis, hac ſcilicet occaſione, quod illius nepos Gauzfredus ſtrenuus miles linguæ officium meritis S. Odilonis adhuc viventis apud Silviniacum recepiſſe traditur.

VI. Willelmus I. cujus mentio in donatione eccleſiarum de Velcia, facta S. Leodegario ab Arnone de Velcia, an. 1080. Item in donatione eccleſiæ S. Portiani de Navas, quam fecit Hugo filius Hugonis Raimundi, an. 1083. ex tabul. Ebrol. Præerat jam anno 1072. memoraturque anno 1074. Odericum Vindocinenſem abbatem honorifice in ſuo monaſterio excepiſſe, ubi ambo litem compoſuerunt, quæ jamdiu erat inter utrumque monaſterium. Subſcripſit etiam Guillelmus chartæ donationis eccleſiarum de Barberiaco & de Kareſto factæ monaſterio S. Portiani per Durandum Arvernorum epiſcopum, ex charta hujus monaſterii.

VII. Gofredus ſeu Gaufridus, in cujus manu Willelmus Paluet miles multa ceſſit priori & monachis S. Leodegarii Cogniacenſis. Anno 1096. querelam ſopivit cum Anſculfo abbate Angeriacenſi, apud Santonas, ex chartul. hujus monaſterii. De eodem Gofredo vide notam ad Petrum de Solbizia epiſc. Santonenſem. Vivebat adhuc anno ſaltem 1102.

VIII. Teptardus ſeu potius Teodardus, ad quem exſtat bulla Paſchalis papæ II. data Laterani per manum Johannis S. R. E. cardinalis ac bibliothecarii II. nonas Aprilis indict. VII. Incarnationis Dominicæ anno 1115. pontificatus D. Paſchalis anno 15. in archivis Ebrolii. Vide inſtrumenta. Vivebat procul dubio anno 1134. quo explicit chronicon Malleacenſe. C. LIV. col. 121.

IX. Johannes I. an. 1166. componit cum P. archiepiſcopo Bituricenſi, ſuper eccleſia de Navis, decimis & pertinentiis ejus.

X. Petrus I. enuntiatur in donatione Guillelmi de Murato an. 1204. Conjicimus eum eſſe P. abbatem Ebrolienſem notatum in charta archivi epiſcopalis an. 1213. forte quoque hic eſt P. inter quem & A. abbatiſſam de Carentonio facta legitur ſocietas an. 1177.

XI. Geraldus in chartis S. Leodegarii de Cogniaco occurrit abbas Ebrolii, in cujus manu Petrus Ramers *dedit plenarium expletum* in feodo nemoris de Born. monachis ſancti Leodegarii Cogniacenſis.

XII. Stephanus occurrit an. 1222. in charta Mauziacenſis cœnobii. Anno 1224. ſocietatem precum iniit cum Willelmo abbate & conventu Menatenſi, in feſto B. Leodegarii.

XIII. Guillelmus II. 1235. menſe Aprili.

XIV. Armandus vel Ainardus teſtis fuit in teſtamento Roberti I. comitis Clarom. in vigilia Paſchæ an. 1262. *Prob. hiſt. dom. Arv. Baluz. pag. 270.*

XV. Bernardus II. abbas Ebrolii inſtitutus, promiſit anno 1276. in feſto S. Martini hyemalis, obedientiam Guidoni epiſcopo Claromont. ex archivis eccleſiæ cathedr. & Ebrolii. Memoratur an. 1279. menſe Maio, & 1285. quo anno concordiam fecit pro juſtitia de Chalignac.

XVI. Guillelmus III. reperitur abbas Ebrolii an. 1299. die ſabb. ante feſtum SS. Philippi & Jacobi apoſtolorum, an. 1310. & 1311. die Sabb. poſt feſtum Nativitatis S. Johannis.

XVII. Bertrandus annis 1342. & 1349.

XVIII. Petrus II. de Chaſlus an. 1419. ind. XII. interfuit juramento præſtito a Martino Gouge epiſcopo Clarom. die Dominica 26. Martii, ex archivo eccl. Clarom.

XIX. Petrus III. de Rupe-Briant electus & confirmatus eſt 25. Febr. an. 1434.

XX. N. de Rupe-Briant abbas an. 1467.

Digitized by Google

ex tabul. epiſc. Claromont. forte idem de quo ſupra.

XXI. Petrus IV. de Eſpinacia, *de l'Eſpinaſſe*, electus eſt an. 1478. die 28. Julii; de cujus nobili genere vide Baluz. hiſt. domus Arvern. lib. 3. pag. 233.

XXII. Johannes II. de Turnone an. 1493. contulit præbendam eccleſiæ de Vellere diœceſis Claromont.

XXIII. Franciſcus I. de Tournon chorum exſtruxit an. 1510. poſtea cardinalis Oſtienſis & archiepiſcopus plurimarum eccleſiarum.

XXIV. Gabriel de Chauvigny dictus de Blot 1545. ex charta Mauziacenſi; & 1546. ex charta archivi epiſcopalis Claromont.

XXV. Georgius de Blot cui ſucceſſit immediate

XXVI. Franciſcus II. Boyer proviſus de conſilio fratrum, bulla Gregorii papæ XIII. data Romæ apud S. Petrum an. 1574. pridie nonas Febr. pontificatus anno tertio.

XXVII. Hilarius Girauld 1596. die 10. Septembris.

XXVIII. Carolus Charretier de Rouvignac, abbas regularis, Regi a conſiliis & eleemoſynis, vicarius generalis illuſtriſſimi principis Ludovici de Valois abbatis Caſæ-Dei, confert ſacriſtiam Montis-ferrandi die 30. Julii an. 1624. ex charta hujus monaſterii. Munus tamen benedictionis haud accepit niſi die Dominica 24. Novembris ejuſdem anni, in eccleſia collegiata & parochiali S. Amabilis Ricomag. a Joachimo d'Eſtaing epiſcopo Claromont. præſentibus magiſtris nobili Johanne de Combes decano in dicta eccleſia Ricomagi, & Jacobo Deſmons priore S. Johannis præfatæ urbis in theologia licentiato.

XXIX. Petrus V. de Combes Ricomagenſis, dormitorium ædificavit, abbatialemque domum reſtauravit.

XXX. N. du Val abbas Ebrolii annis 1670. & 1680.

XXXI. Ludovicus de Peſtivier de Cuvilly, ſeu de Quevilly, congregationis ſancti Mauri olim monachus, nominatus a Rege confirmatur ab Innocentio XI. bulla data III. cal. Novemb. an. 1687. Benedictionem percepit an. 1688. die Dominica 17. Octobris, in eccleſia collegii Cluniac. apud Pariſios, ſacris operante Ludovico Marcello de Coëtlogon epiſcopo Briocenſi, aſſiſtentibus vero RR. PP. Ludovico Mechet abbate Caritatis, & Laurentio l'Empereur majori priore monaſterii Cluniac.

XXXII. Stephanus de Monſaulnin de Fontenay, filius Claudii baronis de Fontenay, & Catharinæ Heurtaut, natus in caſtro de Fontenay apud Boios in diœceſi & finibus Biturigum, annum agens decimum ſextum profeſſionem emiſit in monaſterio *de ſaint Gon* diœceſis Trecenſis. Fuit ſucceſſive theſaurarius dicti monaſterii, tum theſaurarius ſeu ſacriſta monaſterii S. Chriſtophori *en Halate* ord. Cluniac. diœc. Silvanectenſis, deinde prior de Monvino diœc. Trecenſis, poſtea camerarius Menatenſis, tandem ex demiſſione Ludov. de Peſtivier nominatur ad abbatiam Ebrol. ſchedula regia 17. April. 1716. quam abbatiam poſſidet cum prioratibus *de ſaint Palais* diœceſis Bituricenſis, & *de ſaint Urain des bois* diœceſis Altiſſiodorenſis ab abbatiis Caſæ-Dei & S. Germani Autiſſiodor. dependentibus.

His ordinis S. Benedicti abbatiis adjungendos putamus tres prioratus conventuales inſignes: Mirandenſem S. Portiani: Celſiniacenſem & Silviniacenſem, utrumque ordinis Cluniacenſis.

SAINT POURÇAIN

S. PORTIANI MONASTERIUM.

MIRANDENSE S. Porciani monaſterium ſitum eſt paulo infra Menatum, ad fluvium Sivolim, *la Sioule*, intermedio oppidulo Ebrolio, & rivum *de Gadoüet*, qui immiſcetur aquis Sivolis, prope pontem lapideum inter civitatem Bojorum, vulgo *Moulins*, & civitatem Arvernorum, vulgo *Clermont*. Forte vero Mirandenſe dictum eſt a monticulo *de Montmiret*, qui vix uno diſtat ab urbe S. Porciani milliario. Eccleſiæ dedicatio celebratur 10. die Julii. Porro iſtud cœnobium abbatia eſſe deſiit jam ante octingentos annos, eſtque duntaxat prioratus a Trenorchio pendens, quem Claud. Carolus de Rochechoüart prior ceſſit presbyteris congregationis S. Lazari an. 1660. Abbates itaque pauci exſtiterunt, multoque pauciores nobis occurrerunt, nimirum quatuor ſolummodo: S. Portianus, cujus vitam habes apud Greg. Turon. lib. de vita Patrum cap. 5. ad quam vide obſervationes ſeu notas noſtri Theoderici Ruinart.

Vide tom. XII. Spicil.

Ejus reliquiæ adſervantur partim in eccleſia S. Portiani, partim in eccleſia ſancti Martini de Aquila, l'*Aigle*, in Normannia, ut conſtat ex inſtrumento viſitationis Henrici de Maupas epiſcopi Ebroicenſis 26. Novemb. 1673. qui inter plures S. Portiani reliquias caput ejuſdem reperit cum hac epigraphe: *Caput D. Portiani quod fractum fuit ab hæreticis in eccleſia S. Martini de Aquila anno 1567. die vero Martii decima octava.* Ignoratur nomen abbatis deceſſoris S. Portiani; aliqui putant dictum fuiſſe Protaſium.

II. Geilo abbas fratrum S. Mariæ & S. Philiberti Herenſis monaſterii, cui Carolus-Calvus Franc. rex concedit ad refugium abbatiam S. Portiani diplomate dato III. cal. Novemb. ind. IV. anno XXXII. regnante Carolo glorioſiſſimo Rege. Actum Camlimptum in Dei nomine feliciter. Amen. Quam donationem confirmat Johannes papa VIII. diplomate pontificio dato anno 876. Vide Spicil. tom. 12. pag. 551. & ſeq. necnon Petrum Franciſcum Chiffletium hiſtor. Trenorchienſ. pag. 214. &c. pag. 15.

Digitized by Google

III. Herveus abbas S. Portiani 945. poſtea Trenorchii 948. obiit 960.

IV. Stephanus Hervei ſucceſſor transfert oſſa S. Portiani, & monaſterium a fundamentis renovat. Qui præfuerant deinceps, fuerunt tantum priores, inter quos multi fuerunt celebres ; quapropter eorum catalogum edere operæ pretium duximus.

SERIES PRIORUM S. PORTIANI.

I. WILLELMUS anno 1080. ex MS. cod. S. Portiani.

II. Stephanus anno 1100.

III. Franco de Rociaco, vulgo *Rouzay*, e nobili gente monaſterio vicina, poſtea Threnorchienſis abbas. Eo ſedente Archembaldus de Borbonio fecit ſacramentum Regi ſuper abbatia ſancti Portiani.

IV. Godefridus de Belle-nave ex nobili apud Arvernos gente, ab an. 1116. ad 1125.

V. Johannes I. Bruni, an. 1130.

VI. Odelo 1171.

VII. Stephanus 1190. 1193. &c. poſtea eligitur abbas Trenorchienſis.

VIII. Guiſcardus de Roaneis 1208. 1216. poſtea Trenorchienſis abbas.

IX. Berardus, deinde abbas ejuſdem monaſterii Trenorchienſis circiter 1223.

X. Rainaldus ab an. 1223. ad 1247.

XI. Hugo I. de Montbelet 1272.

XII. Odardus ab an. 1272. ad 1286.

XIII. Amedeus de Montibus ab an. 1287. ad 1301.

XIV. Henricus de Senecey, natalibus clarus, præeſt per ſexennium, poſtea creatus Trenorch. abbas.

XV. Arnaldus de Pellegrue S. Rom. eccl. cardinalis prior S. Portiani & S. Benedicti de Saltu ab an. 1307. ad 1332.

XVI. Ademarus Geneſii ab anno 1332 ad 1349.

XVII. Hugo II. de S. Germano nobilis in Arvernia generis, ad an. 1357.

XVIII. Geraldus de S. Germano Hugonis nepos ex fratre ad an. 1360.

XIX. Hugo III. de S. Germano præeſt per decennium.

XX. Johannes II. de Croſo cardinalis potitur prioratu per biennium.

XXI. Hugo IV. de Croſo per ceſſionem patrui prior uſque ad an. 1386. quo fit abbas S. Johannis Laudunenſis.

XXII. Petrus I. de Croſo cardinalis, frater Hugonis, ad an. 1388.

XXIII. Bertrandus de Monte-claro, *Montclar*, ex illuſtri apud Arvernos proſapia ad an. 1401.

XXIV. Humbertus de Corgenon Amedei abbatis Trenorchienſis frater, ad an. 1419.

XXV. Jacobus I. Lupi ad an. 1428.

XXVI. Reginaldus de Chartres, archiep. Remenſis, prior commendatarius ad an. 1444.

XXVII. Johannes III. de la Chaſtre ex monachis Caſæ-Dei, æmulum habet Johan. d'Harcourt Narbonenſem archiep. prior tamen fuit ad an. 1472.

XXVIII. Johannes IV. de Bourbon cardinalis, poſſidet in commendam ad an. 1488.

XXIX. Hugo V. d'Andelot Trenorchii monachus ad an. 1491.

XXX. Johannes V. Louvet ad an. 1501.

XXXI. Petrus II. de Nineuil de Creſpy, aut Eſtrepy, vix anno integro præeſt.

XXXII. Robertus I. de Lenoncourt commendatarius ab an. 1503. ad 1509.

XXXIII. Benedictus Adam ad an. 1512.

XXXIV. Johannes VI. d'Aurouſt ad annum 1515.

XXXV. Robertus II. de Lenoncourt ad an. 1536.

XXXVI. Jacobus II. Colin ad an. 1547.

XXXVII. Johannes VII. du Bellay cardinalis ad an. 1510.

XXXVIII. Renatus de Crevant uno anno regit.

XXXIX. Franciſcus de Tournon uno etiam anno.

XL. Jacobus III. de Tournon ep. Valentinenſis ad an. 1562.

XLI. Antonius de Caſtellane ad an. 1566.

XLII. Georgius de Givry ad an. 1569.

XLIII. Philibertus de Malain ad 1580.

XLIV. Alexander de la Rochefoucaud ad 1604.

XLV. Claudius Carolus de Rochechoüart cedit prioratum Miſſionariis S. Lazari.

CELSINIANUM, *al.* CELSINIACUM.

MONASTERIUM CELSINIARUM, vulgo *Soucilanges*, ſitum in ſolo Arvernenſi 15. milliaribus a Claromonte, ſex ab Iſſiodoro, & paulo amplius a Caſa-Dei, conditur ab Hecfrido Arvernorum comite, de quo Juſtellum conſule; Cluniaco vero datur a Stephano Arvernorum comite. Hoc cœnobium primo rexerunt abbates qui ſequuntur.

SERIES ABBATUM ET PRIORUM.

I. ODO abbas Cluniac. & Celſinienſ. 928. multoties nominatus in chart. Celſiniac.

II. Aymardus abb. Clun. & Celſ. 944.

III. Raguibertus cuſtos Celſiniarum 948.

IV. Maiolus abbas Clun. & Celſ. Huic quoque plurimæ fiunt donationes, ex chartul. an. 954.

V. Raimundus abbas anno 958.

VI. Raymbertus abbas Celſin. 961.

VII. Odilo I. abb. Clun. & Celſin. plura acquirit monaſterio 995. *Piiſſimo patri diſcretiſſimo atque beatiſſimo Odiloni abbati*, Artmannus dat eccleſiam S. Stephani de Geneſtines. Eidem abbati fit donatio Montis-ardennæ, cui ſubſcribunt Radulphus & Odalricus abbates menſe Martio Dominica. ΔHCIΔHPIOC CΓPIIICIΘ. id eſt *Deſiderius ſcripſit.*

VIII. Robertus d'Auvergne cuſtos Celſ. 996.

IX. Stephanus I. de Mercorio abbas Celſin. 1034.

X. Hugo I. de Mercorio abbas & prior Celſ. 1060.

Digitized by Google

XI. Hugo II. de Semur abb. Clun. & Celſ. A qui abbatiam in prioratum reduxit M. LXII. Eo regente S. Petrus Venerabilis educatur apud Celſ.

XII. Odilo II. de Mercorio prior Celſinienſis 1063.

XIII. Aldebertus prior 1065.

XIV. Gerardus I. de Vergy 1068.

XV. Robertus I. de Vergy 1069.

XVI. Odo II. Albus de Vergy 1071.

XVII. Guido Albus de Vergy 1075.

XVIII. Bernardus I. de ſancto Præjecto prior 1078.

XIX. Euſtachius I. poſtea abbas Mauziacenſis. Urbanus papa II. conſecrat eccleſiam Celſiniacenſem 1095. B

XX. Stephanus I. Candioli prior 1096.

XXI. Hugo III. de Semur, quem credunt S. Hugonis Cluniac. nepotem, prioratum regebat an. 1100. de quo forſan in Annal. Bened. ad annum 1094. pag. 335.

XXII. Johannes I. de Vienne prior anno M. C. II.

XXIII. Jacobus de Vienne M. C. IV.

XXIV. Garinus de Vienne M. C. VIII.

XXV. Philippus I. de Vienne M. C. VIIII.

XXVI. Stephanus II. de Monte S. Johannis C M. C. XI.

XXVII. Arpinus de Monteſalconis M. C. XII.

XXVIII. Rolannus M. C. XIV.

XXIX. Otgerius d'Anglure M. C. XV.

XXX. Mauritius de Montmorin M. C. XVI.

XXXI. Hugo IV. de Clermont M. C. XXI.

XXXII. Blandinus de Clermont eod. anno.

XXXIII. Bernardus II. de Poitiers M. C. XXII.

XXXIV. Stephanus III. de Turre M. C. XXIII.

XXXV. Helias I. de S. Hilario M. C. XXIX.

XXXVI. Humbertus de Turre M. C. XXXI.

XXXVII. Aſterius de Soleſchas M. C. XXXVII.

XXXVIII. Odo III. de Monte-Buxerio D M. C. XXXIX.

XXXIX. Pontius de Monte-Buxerio M. C. XLI.

XL. Euſtachius II. de Monte-Buxerio M. CXLII.

XLI. Armannus de Monte-Buxerio M. C. L.

XLII. Petrus I. de Vaumertis M. C. LVI.

XLIII. Hugo V. de Bauziaco M. C. LX.

XLIV. Rodulphus de Sully 1162. poſtea abbas Cluniaci.

XLV. Aymericus de Mercorio ſucceſſit Rodulpho.

XLVI. Beraldus de Mercœur M. C. LXXXI.

XLVII. Otbertus de la Tour M. C. XC.

XLVIII. Bernardus III. de la Tour M. CC. III. E

XLIX. Petrus II. de la Tour M. CC. XXVII. iſte prior fuit patrinus (ut vocant) magni æris campani una cum S. Ludovico rege.

L. Philippus de Chartres prior an. M. CC. XXXVIII.

LI. Hugo VI. du Chini M. CC. XL.

LII. Guillelmus I. de Commerto M. CC. XLV.

LIII. Petrus III. de Campel 1269.

LIV. Petrus IV. de ſancto Abundo, vulgo de *Saint-Avon*, regebat an. M. CC. LXXVIIII.

LV. Elias II. de Bello-Rigardo, *Beau-Rigaud*, 1285. & 1290.

LVI. Gaufredus erat prior an. M. CC. XCIV.

LVII. Bertrandus I. de Vignolles M. CCC.

LVIII. Gerardus II. de Vignolles 1304. & 1308.

LIX. Johannes II. de Caſtro-Petri, *Chaſtel-Perron*, 1314.

LX. Gerardus III. de Commerto 1323.

LXI. Guillelmus II. de Commerto an. 1327.

LXII. Bertrandus II. de Narceſio 1331. & 1336.

LXIII. Petrus V. 1338.

LXIV. Elias III. de Campel 1344. & 1346.

LXV. Petrus VI. de Monte-claro 1348. & 1374.

LXVI. Gerardus VI. du Puy 1376. poſtea prior Caritatis, & cardinalis.

LXVII. Petrus VII. de Montillet 1377.

LXVIII. Robertus II. de Chaudeſſole prior Celſinianenſis & procurator ordinis in concilio Conſtantienſi, unus ex electoribus Martini papæ V. regebat annis 1399. 1402. & 1415.

LXIX. Johannes III. de Vinzelle 1416.

LXX. Andreas Textor 1419. & 1433.

LXXI. Robertus III. Rouſſelly 1440.

LXXII. Fulco de Saillants cujus nomen reperitur inſcriptum alteri a majore campana an. 1457.

LXXIII. Carolus de Bourbon cardin. archiep. Lugdun. 1483.

LXXIV. Johannes IV. des Laurents 1493. conſtruxit capellam B. M. de Boſco.

LXXV. Johannes V. de Blois prior 1504.

LXXVI. Claudius de Chappel 1508.

LXXVII. Dionyſius de Chardon 1510.

LXXVIII. Philibertus I. de la Guiche 1513. 1516.

LXXIX. Philibertus II. de la Guiche 1523. 1528.

LXXX. Philippus de la Guiche 1528. 1529.

LXXXI. Johannes VI. de la Guiche 1564. 1567.

LXXXII. Gaſpardus de Bonnefont 1576. 1593.

LXXXIII. Antonius Faure prior fiduciarius 1594. & 1609.

LXXXIV. Vitalis de Reſne 1621.

LXXXV. N. de la Rochefoucaud 1622. *(Bournonville.)*

LXXXVI. Ludovicus de la Rochefoucaud 1623. 1655.

LXXXVII. Raynaldus d'Eſt cardin. 1656.

LXXXVIII. Henricus de Goüé 1662. 1676.

LXXXIX. Carolus-Franciſcus de Goüé, prior regularis, 1676. & 1709. fuit vicarius generalis Antonii epiſcopi Lemovicenſis.

XC. Fredericus Conſtantinus de la Tour d'Auvergne 1710.

XCI. Ludovicus de la Tour de Murat, ex perantiqua apud Arvernos familia, profeſſus ord. Cluniacenſis in monaſterio de Nantua in Bugeyo, prioratum obtinet ab anno 1716. die 14. Martii.

Digitized by Google

SILVINIACUS.

ANTIQUUM exſtat ordinis Cluniacenſis monaſterium & percelebre in pago Burbonenſi nomine Silviniacus *, tribus leucis diſtans a Burbone-Archembaldi, & eodem fere intervallo ab urbe Molinis. Litteræ quibus locum hunc Aimardus vel Ademarus miles Cluniaco donavit, in chartario Cluniacenſi continentur, quas edidit noſter Mabillonius in ſeculo v. Benedictino pag. 85. elogium B. Bernonis abbatis Cluniacenſis ſcribens. Eaſdem litteras deſcripſit ex ipſo Cluniacenſis archivi fonte Martennius hoc tenore, additis tamen variis quibuſdam lectionibus, quas ex editione Mabilloniana deſumſimus.

* Souvigny

*Igitur ego Aymardus timens gehennam & deſiderans ut quando anima mea de hac luce migraverit & ante tribunal Chriſti in die judicii venerit, Dei miſericordia veniam mereæ accipere; ideo pro Dei amore & remedio animæ meæ, cedo ad locum Cluniacenſem qui eſt in honore Dei, & S. Petri, atque permitto, conceſſumque in perpetuum eſſe volo aliquid de meo jure. In ipſius, inquam, loci trado dominationem, transfero atque transfundo, imprimis ipſam curtem Sibviniaci ubi eccleſia S. Petri eſt fundata. In ipſa villa ſunt caſales cum ſuperpoſitis vineis, campis & pratis, ipſa & quantumcunque in ipſa villa viſus fui habere, totum ad integrum trado ad ſupradictum locum. Et de foreſta de Borne medietatem, & de alia foreſta quæ dicitur Maſorgas medietatem; & in monte Oen * quantumcumque viſus fui habere, & in moncello ſimiliter & in Bayenayo ſimiliter & in Vitlema quantumcunque viſus fui habere, ſive in campis, ſive pratis, ſive vineis, quantum ad ipſas villas aſpicit, totum ad integrum trado ad jam dictum locum Cluniacum & in veteri * Silviniaco, & in * Genebraria ſimiliter & in Fontonella; ſimiliter & in boſco ſtraderio ſimiliter iſtas res ſuperius conſcriptas vel prænominatas ad integrum ibidem cedo in elemoſinam pro remedio animæ meæ, ut faciant rectores ejuſdem eccleſiæ ſicut mos & conſuetudo jure expoſcit. Et ut donatio iſta firma permaneat cum omni ſtipulatione ſubnixa, ego ipſe Aymardus manu eam propria firmavi & manu bonorum hominum teſtium roborandam decrevi. Signum ipſius Aymardi *. S. Aymonis, S. Notardi, S. Aldeberti, Niſerii data in die Lunis in menſe Martio anno XXIII. regnante Carolo rege. Hunaldus juſſione Aymardi ſcripſit.* Mabillonius ſcribit: *an. XXIV. regnante Carolo rege.*

* & illo monte.

* velio.

* illa.

* Signum ip. Aymard. Signum Emmo. S. Archembald. S. Dagbert. S. Aymo. S. item Aimo. S. Notard. S. Adevert. S. Nizezio.

Locum hunc, antequam Cluniaco ſubjaceret, eccleſia in honore S. Petri fundata inſignitum fuiſſe docent præmiſſæ litteræ. Ibidem prius exſtitiſſe monaſterium, eique plurimos præfuiſſe ſive abbates ſive præpoſitos contendit doctus aſceta Silviniacenſis D. Phelippart qui ad nos miſit quidquid colligere potuit de nobilis hujus prioratus hiſtoria. Hos priores enumerat ſeculo nono vir eruditus; Hermonem circa an. 830. Humbertum, de cujus ætate ſilet, Bernardum de S. Geran an. circiter 880. Conſtantinum, cujus tempus ignoratur; Aimonem, qui dedit argenteum calicem A & librorum copiam anno * ..... Quibus ex monumentis eruti ſint hi priores ignoramus. Certe ſi tempore donationis factæ Silviniaci ab Aimardo, monachi ſub præpoſito vel priore ibidem incolebant, eorum mentio fieri debuiſſet in inſtrumento donationis præmiſſo.

* *Abraſi ſunt characteres quibus annus notabatur.*

Poſt mortem Aymardi, Aimo vel Aimus ejus filius, Burbonis dominus, Silviniacum ſibi vendicavit jure paternæ hereditatis; ſed melius conſultus, pœnitentiaque ductus, totum quod rapuerat reſtituit in manu Aimardi abbatis Cluniacenſis; addiditque allodium ſuæ proprietatis *Logovernum* nomine, pro animabus genitoris ſui Aimardi & genitricis ſuæ Ermengardis, fratrumque ſuorum Dacberti & Archembaldi, & pro ſoſpitate uxoris ſuæ Adalſendis, & filiorum ſuorum Geraldi & Archembaldi.

Silviniacus olim primaria erat urbs pagi Burbonienſis; quam nobilitant plurimorum dominorum Burbonienſium ſepulcra, ſed præſertim ſacri ſanctorum Maioli & Odilonis abbatum Cluniacenſium tumuli. Nunc provinciæ caput eſt Molinæ.

PRÆPOSITORUM SILVINIACENSIUM CATALOGUS.

PRIMI qui Silviniacenſi monaſterio præfuerunt, ſunt ſanctus Odo Cluniacenſis abbas; ejuſque ſucceſſores Aymardus, Maiolus, Odilo, Hugo, ex Silviniacenſibus ſchedis ad nos miſſis. Conjicimus tamen hos ſanctos abbates, cum monachos per ſe regere non poſſent, vicarios hoc in prioratu conſtituiſſe. Et quidem liquet multis ex chartis Guidonem, quem aiunt ex comitibus Matiſconenſibus prognatum eſſe, Silviniaci adminiſtrationem nactum fuiſſe ſub S. Hugone abbate.

Sub eodem S. Hugone abbate Petrum præfuiſſe palam fit ex inſtrumento fundationis prioratus de Genzac anno M. C. regnante Philippo rege, a duobus iſtis adminiſtratoribus præpoſitorum ſeu priorum.

I. Guido de Matiſcone ſub S. Hugone Cluniacenſi.

II. Petrus I. anno 1100. S. Hugone Cluniacenſe monaſterium adminiſtrante.

III. Pontius Petro ſucceſſit; utrum vero ſit Pontius, qui abbas fuit Cluniacenſis, non definimus.

IV. Girardus an. 1124. ex litteris Wlgrini Bituricenſis archiepiſcopi, confirmantis Silviniaco eccleſias S. Mariæ de Capis, *de Chapes*, & S. Mariæ de Chirac, quas ejus deceſſor Leodegarius dederat cœnobio. Vide inter inſtrumenta Bituric. C. col. 11.

C. xvi: col. 11.

V. Aſterius mutuo dedit Archimbaldo VI. Burbonienſi toparchæ quinque ſolidorum millia monetæ Silviniacenſis; Archimbaldus vero cum ſua uxore agnes indulſit ac remiſit monachis candelas quas ab eis accipere ſolebat.

VI. Helias Aſterii ſucceſſor an. 1147. obtinuit ab Aimerico Arvernenſi epiſcopo confirmationem eccleſiarum Silviniaco ſubditarum in Arvernenſi dioceſi.

VII. Brocardus memoratur cum Petro abbate Cluniacenſi, in ſacramento præſtito ſuper altare S. Maioli

S. Maioli ab Archimbaldo Burbonis dynaſta de reddendis 400. marchis argenti, ipſi commodatis pro tranſmarina peregrinatione.

VIII. Petrus II. de Petra-Bufferia an. 1155. ſub quo decanus fuit Petrus de Velcia.

IX. Conſtantinus, de quo vide in Petro abb. Novem-fontium.

X. Petrus III. de Velcia, ex decano prior ſub Stephano I. Cluniacenſi abbate, donum eccleſiæ de Buxeriis accipit a Petro de Caſtra Bituricenſi archiepiſcopo, anno 1156. Vide in hoc archiepiſcopo. Item inſtrumenta Bituric. Hujus Petri rogatu Pontius Arvernorum epiſcopus, inquiſitione facta de juribus, privilegiis, & poſſeſſionibus monaſterii, ex ſeniorum teſtimoniis, de iis cenſum habuit, omniaque confirmavit. Ideo hæc ſolemniter facta ſunt anno 1173. quod univerſa documenta monaſterii incendio conſumta eſſent.

C. XIX. col. 12.

XI. Aimericus an. 1183. comparavit ſtagnum & molendinum adjacens, Philippo rege Francorum, Pontio epiſcopo Claromontano. An. ſequenti, judicio epiſcopi Nivernenſis auctoritate Lucii papæ delegati, jus præſentandi ad capellam Burbonis Silviniacenſibus confirmatur, quod ad ſe trahere volebat Burbonenſis archipresbyter.

XII. Aimericus II. an. 1247. Hîc interrumpitur priorum ſeries per octoginta circiter annos; quibus fortaſſe præfuerunt Stephanus I. Stephanus II. Petrus Carnotenſis, Hugo de Petra-fixa, Guillelmus de Spinaſſia, Stephanus III. de Virizeto.

XIII. Frater Johannes prior an. 1324.

XIV. P. decanus Langiaci; pro quo inſtituendo in priorem Silviniaci A. abbas Mauzacenſis ſcribit ad abbatem Cluniacenſem. Vide inſtrumenta.

C. XLIX. col. 116.

XV. Fr. Aimo de S. Giranno, *de S. Geran*, an. 1348.

XVI. Bernardus de Turre 1366.

XVII. Henricus de Iſerpanno, *d'Iſſerpan*, an. 1384. & 1386. quo obtinuit a Benedicto papa, Mauricio Nivernenſi epiſcopo auctoritate apoſtolica ſententiam ferente, ut jus confirmandi decanum eccleſiæ collegiatæ B. Mariæ recens erectæ Molinis, ad priorem Silviniaci pertineret: canonici vero priorem accedentem ad hanc eccleſiam proceſſionaliter exciperent, eique obviam irent.

XVIII. Guido de Nory.

XIX. Aimo II. de S. Giranno.

XX. Godefridus Cholet S. Michaëlis in periculo maris monachus, monaſterium pene lapſum reſtauravit. Ejus munificentiæ debetur baſilica quæ nunc exſtat. Ejus tempore Silviniaci erant monachi 40. quorum 29. erant presbyteri. Obiit an. 1457. ex epitaphio quod adhuc legitur.

XXI. Carolus de Bourbon, qui fuit cardinalis, Lugdunenſis archiepiſcopus, & epiſcopus Claromontenſis; mortuus legitur an. 1488.

XXII. Ludovicus de Rupe-cavardi, *Rochechoüard*, mortuus an. 1500.

XXIII. Gofridus de Ambaſia prior Silviniaci, an. 1510. fit Cluniacenſis abbas; humanis rebus exemtus legitur an. 1518. die 15. Aprilis.

XXIV. Franciſcus I. de Chatillon.

XXV. Franciſcus II. de Tournon, cardinalis & archiepiſcopus Lugdunenſis &c. ad meliorem vitam tranſiit x. cal. Maii an. 1562.

XXVI. Antonius de Caſtelnau.

XXVII. Philibertus Malain, quem aiunt fuiſſe abbatem Loci-Dei; at ſunt plures abbatiæ nomine hoc inſignitæ.

XXVIII. Franciſcus III. de Piles.

XXIX. Renatus de Birague cardinalis, obiit anno 1583.

XXX. Gaſpardus de Birague.

XXXI. Philippus de Birague an. 1597.

XXXII. Carolus d'Ajaſſe.

XXXIII. Nicolaus de Megrigny an. 1652. dedit calicem argenteum magni ponderis & elegantis operis, cum cruce, quatuor candelabris, pelvi, urceolis, & tintinnabulo ex eodem metallo.

XXXIV. Petrus Pingré, canonicus eccleſiæ Pariſienſis, & Silviniaci prior, fit epiſcopus Telonenſis, moriturque an. 1693.

XXXV. Jacobus Danes epiſcopus Telonenſis, abdicato epiſcopatu fit, ut conjicio, prior Silviniacenſis, per reſignationem Petri Pingré, qui ei in ſede epiſcopali Telonenſi ſucceſſit. Prior fuit annis 1659. & 1660.

XXXVI. Henricus le Grant, permutatione facta prioratus ordinis Grandimontenſis, cum Silviniacenſi, hac in præpoſitura paucos annos vixit. Mortuus eſt an. 1664. die 21. Aprilis, ejuſque tumulum in eccleſia Silv. hoc epitaphio cohoneſtavit Alexander ejus frater:

Hic jacet admodum Reverendus in Chriſto pater DD. Henricus le Grant regi a conſiliis & eleemoſinis prior ac Dominus Sylviniacenſis, mira in Deum pietate inſignis, magna in pauperes miſericordia; quos ſanos & agros ſecreto ac publice pavit & curavit. Obiit die 21. Aprilis anni M. DC. LXIIII. annos XLIIII. natus; expectat beatam ſpem & adventum gloriæ magni Dei J. C.

Alexander, Magdalena, & Elizabeth le Grant frater & ſorores hoc doloris monumentum fratri chriſtianiſſimo poſuerunt. Requieſcat in pace. Amen.

XXXVII. Alexander le Grant, cui Henricus frater prioratum ceſſerat, in ædibus prioris reſarciendis multum impendit pecuniæ; jamque ad majus altare magnificentius conſtruendum, lapides comparaverat, & pecuniam; ſed cum Divionem contenderet, læſo capite ex rhedæ caſu, interiit.

XXXVIII. Jacobus Gabriel de la Chaiſe du But, moritur menſe Septembri an. 1708.

XXXIX. Henricus Oſwaldus de la Tour d'Auvergne abbas Cluniacenſis, ſimul quoque Silviniacenſis prior eſt; de quo tomo ſequenti plura dicturi ſumus in Cluniacenſium abbatum nomenclatura.

ABBATIA S. PETRI DE BELLO-MONTE. FEMINARUM.

BEAUMONT les CLERMONT.

HIC parthenon ord. S. Benedicti prope Claromontem ad urbis meridiem in gratiſſimo ſitus eſt monticulo, quem unum eſſe ex duobus cœnobiis quæ Geneſius comes conſilio S. Præjecti epiſc. Arv. condidit, autumat noſter Claud. Eſtiennot. Ibi S. Præjectus inſtituit regulam SS. patrum

Benedicti, Cæsarii & Columbani, & præfecit abbatissam nomine Gundilanam, ex vita ejusdem sancti. Has duntaxat potuimus in archivis monasterii & alibi reperire abbatissas.

ABBATISSARUM NOMENCLATURA.

I. GUNDILANA, de qua supra.

II. Ermengardis I. obedientiam promittit Aimerico Arvernorum episcopo.

III. Cecilia eidem profitetur obedientiam; ex archivis ecclesiæ Claromont. in quibus servantur schedulæ juramenti earumdem. Huic autem Alexander papa III. præsidium impensurus ejusque cœnobio, litteras pro confirmatione omnium jurium & possessionum concedit Casæ-Dei XII. cal. Julii, ind. XII. Incarn. Dom. an. 1165. sui pontificatus sexto.

IV. Ermengardis II. sub eodem episcopo.

V. Petronilla Gillaberto episcopo obedientiam spondet. Ibidem.

VI. Aalais obedientiam promittit Rotberto episcopo. Ibidem.

VII. Haalaidis. Forte eadem quæ supra; reperitur in charta monasterii de Cantoenio sine temporis nota.

VIII. Laureta, sub eodem episcopo.

IX. Aldina, an. 1253.

X. Aycelina an. 1306. 1314. 1316. die Jovis post quindenam festi Annuntiationis Dom. Item 1321. 1326.

* de Crot. XI. Huga de Croso * 1343.

XII. Margarita de Rochefort 1366.

XIII. Beatrix de Monte-acuto 1389.

XIV. Randona, *al.* Audona de la Foresl, seu de Foresta 1399. 1402. 1406. 1412. 1413. quo die 4. Julii præsentat ad ecclesiam S. Martini de Chalvigniac in archipresbyteratu Mauriacensi, Henrico de Turre episc. Clarom.

XV. Agnez de Monte-morino 1428.

XVI. Isabellis de la Foresl 1446. transigit cum abbate & capitulo S. Genesii Clarom. die 16. Decemb. 1449. ex arch. S. Genesii. Reperitur & in chartis Belli-montis 1463. 71. & 1473.

XVII. Maria de la Foresl 1513.

XVIII. Claudia du Vernet an. 1601. Utrum præcesserit Franciscam du Vernet, necne, ignoramus.

XIX. Franciscа du Vernet.

XX. Anna le Groing, obiit an. 1640.

XXI. Apollonia le Groing de la Pouvriere in monasterio Belli-montis monasticum habitum induit anno ætatis suæ decimo, professionem emisit 22. fit coadjutrix Annæ abbatissæ ætatis anno 28. abbatissa anno 35. post obitum Annæ le Groing cujus erat neptis; construxit dormitorium, partem claustri, in quod fontem induxit, plurimaque alia in monasterio restauravit. Scripsit pias meditationes pro singulis anni diebus, & festis præcipuis, exercitia decem dierum, & directorium diei Religiosæ, & alios pietatis tractatus. Scripsit & testamentum spirituale quod maximum mundi contemtum, & eximium amorem in Deum spirat. Strictiorem observantiam in suo monasterio constituit, plaudente universa diœcesi, die 24. Decemb. anno 1650. Abbatiam rexit annis quadraginta duobus summa cum laude. In pauperes fuit munifica, officiosa erga inimicos, spiritu omnium justorum plena, instar SS. patriarchæ Benedicti, cujus sanctam regulam ad amussim servavit, & a suis sororibus servandam curavit, spiritum suum reddidit Creatori Dominica Pentecostes die X. Junii 1685. hora 5. post meridiem, annum agens 79. sepulta feria tertia sequenti maximo omnium luctu, qui etiamnum perseverat in ore & corde virginum Bellimontis.

XXII. Johanna de Villelume du Batiment transiit ad abbatiam S. Ausonii Engolismensis.

XXIII. Angelica de Lignery d'Espinay ex abbatissa S. Ausonii. Verum non multo post exsulare cogitur pravi regiminis insimulata, & abbatiam dimittere, quam sorores omnes capitulari decreto anni 1697. 19. Julii beatissimæ virgini Mariæ detulerunt. Unde sequens abbatissa statuam Deiparæ in sede abbatiali collocavit, & pastorale pedum Virgini tanquam primariæ abbatissæ cessit, ipsa cum maxima reverentia sedens a dextris B. Mariæ tanquam ejus vicaria.

XXIV. Maria-Francisca de Lantillac, Apolloniæ le Groing proneptis, designatur XI. die Aprilis anni 1700. Observantiam strictiorem fovet eximia sollicitudine.

Emeniardis obiit 9. Septembris, præerat incerto tempore.

In schedis nostri D. Petri Laurent reperio Amabiliam abbatissam S. Petri de Bello-monte an. M. CC. XIII. Forsan eadem est cum Mabili abbatissa Bellimontensi prope Turones.

BRAJACUM.

NOMEN habet secundum nonnullos ab oppido de Brageac superioris Arverniæ in finibus diœceseon Lemov. Tutelensis & Clarom. ad quam ultimam pertinet, distatque a Mauriaco una duntaxat leuca; sed vero propius est abbatiam oppido nomen indidisse. Sita vero est in præcelsa rupe & horrenda, ad cujus & alterius montis radices præterfluit Ansa, l'*Anse*, quæ miscetur Dordoniæ prope abbatiam Valletæ. Ecclesia, quæ simul parochialis est & maximam redolet antiquitatem, dicata est, B. Mariæ sub titulo Assumtionis, cujus quotidie parvum officium a piis monialibus recitatur. Patronos etiam speciales agnoscit SS. Cosmam & Damianum, quorum unius occiput, sinciput alterius huc allata (ut fertur) a Radulfo de Scorralia milite, ibi magna veneratione adservantur. Primum pro viris fundatur a S. Tillone monacho Solemniac. seu Paulo, quod nomen assumserat, dissimulato proprio, ex ejusdem actis die 7. Januarii a Bollandianis editis, quæ non audmus asserere incorrupta. Vide Mabill. ad an. 631. n. 23. Exordium vero hujus ascaterii refert noster D. Estiennot ad an. circiter 675. nec putat improbabile ab initio fuisse fundatum tam pro viris quam pro mulieribus (quod his temporibus non insolens) quibus tandem integrum reliquerunt

Digitized by Google

monachi. Reſtauratum fuiſſe dicitur a Roberto d'Eſcoraille circa annum 1100. verum nihil certi habetur, cum nullæ ſuppetant veteres chartæ. Porro cum cœnobium iſtud crebra & maxima tum a Gothis, tum ab Anglis ſeu Waſconibus damna pertulerit, mirum non eſt ſi neque fundationis inſtrumentum, neque integrum abbatiſſarum catalogum dare valeamus. Itaque e pauculis duntaxat quæ ſuperſunt chartis ſequentes accipe; hoc prænotato quod abbatiſſa de Brageac omnimodis gaudet juribus in oppidum & fluviolum Anſam.

ABBATISSARUM INDEX.

I. GUALIARDA de Chambonio occurrit an. 1202.

II. Agnes I. cujus donatio facta reperitur an. 1247. menſe Julio fratribus de Domiſco Ciſtercienſis ordinis. Num eadem quæ ſequitur?

III. Agnes II. reperitur in variis inſtrumentis ab anno 1269. ad an. 1300.

IV. Beatrix de Monte-claro, *Mont-clar*, e nobiliſſima prope Brajacum familia, recenſetur an. 1313.

V. Salvatgia 1314. 1315. 1316. 1322. 1332. & 1350.

VI. Franciſca I. de Scorraille, ſeu d'Eſcoraille ex celeberrima apud Arvernos & juxta Brajacum ſtirpe, memoratur an. 1434.

VII. Jolanda de Vigilando e nobili apud Lemovicenſes gente reperitur an. 1449. & 1456. fortaſſe hæc eſt quam an. 1450. cognominatam de la Volpiliere reperio in ſchedis noſtri D. Eſtiennot.

VIII. Catharina de ſancto Martiale, *S. Marſal*, 1471. 1473. & 1477.

IX. Lyona ſeu Leonia de Scorraille 1484. 1509. & 1523.

X. Gabrielis de Scorraille 1535. ad 1559. Nominatur antiqua abbatiſſa in inſtrumento anni 1564. 22. Januarii.

XI. Johanna de Scorraille vocatur præſens abbatiſſa in præfato inſtrumento an. 1564. quæ quidem jam an. 1559. brevi apoſtolico renuntiata, benedictionem accepit a Ludovico de Genoiiilla de Gourdon epiſc. Tutelenſi an. 1562. Reſignavit abbatiam an. 1582. die 2. Novemb. in favorem ſequentis.

XII. Anna de Riguail, *alias* de la Vaiſſiere de Rigaud, profeſſionem emiſit decima die Novemb. an. 1572. in manibus Johannæ, cui ſucceſſit cum beneplacito Regis an. 1582. cal. Septemb. ſedit vero ad an. 1594.

XIII. Catharina II. de Scorraille regulam ſanctam profeſſa eſt in abbatia *de Bonne-ſaigne* die 15. Febr. an. 1589. ſub Catharina de Chabannes abbatiſſa. Bulla vero Clementis papæ VIII. data v. cal. Julii an. 1594. creatur abbatiſſa & ſedit ad an. 1622. Obiit centenaria, de ſuo monaſterio benemerita, abdicato regimine in gratiam ſuæ neptis quæ ſequitur.

XIV. Margarita Aultier de Ville-montée, Ludovici domini de la Grange, &c. ac Annæ d'Eſcoraille filia, renuntiatur abbatiſſa vi apoſtolicarum litterarum menſis Julii an. 1622. Annum ætatis ſexageſimum aſſecuta, coadjutricem obtinuit Franciſcam ſororem germanam, a viginti & amplius annis profeſſam. Obiit die 30. Julii an. 1659.

XV. Franciſca II. Aultier de Villemontee an. 1610. orta, profeſſionem emiſit in cœnobio Brageacenſi an. 1626. die 14. Maii, coadjutrix ſororis inſtituitur bulla Innoc. papæ X. data apud S. Mariam-majorem v. idus Decemb. pontificatus anno ſexto, Chriſti 1649. Ceſſit in gratiam ſequentis, fato functa 17. Novemb. an. 1696.

XVI. Gilberta Aultier de Villemontée coadjutrix a Rege nominata 24. Decemb an. 1675. bulliſque donata a Clemente X. datis apud S. Mariam-maj. an. Incarn. 1676. pridie idus Junii, pontificatus anno ſeptimo, poſſeſſionem adepta eſt die 28. Maii an. 1679. Refecit chorum & eccleſiæ navim vetuſtate collapſam, quodque imprimis ipſius honori vertit, obſervantiam regularem enixe fovit. Annum agens 67. obtinuit coadjutricem Gilbertam filiam fratris ſui Franciſci Aultier domini de Villemontée & Claudiæ de Roquelaure-Brian, dicti parthenonis monialem profeſſam cal. Nov. 1700. annos natam duos ſupra triginta anno 1716. quo regia ſchedula coadjutrix nominata eſt, die ſcilicet 12. Auguſti; præeſt hoc an. 1717.

CUSSETUM *, *al.* CUCIACUM. * Cusset.

ABBATIA eſt virginum ord. S. Benedicti antiquiſſima S. Salvatori nuncupata, vulgo tamen B. Mariæ dicta ab eccleſia fere contigua canonicorum, in qua abbatiſſa Cuſſiacenſis præerat choro ante clauſuram regularem pautis abhinc annis introductam. Sita eſt prope fanum S. Portiani, & Vichium aquis mineralibus celeberrimum oppidum. Sic autem ipſius initia Mabillonius refert Annalium ſuorum tomo 3. p. 257. n. 7. Apud Nivernum, *inquit*, ſuburbana baſilica S. Martini, quæ modo canonicorum Regularium eſt, villam *Cuciacum* in comitatu Arvernenſi poſſidebat. Illic cœnobium ſanctimonialium condere decrevit Emmenus epiſcopus (Nivernenſis), reque peracta, privilegium a Carolo imperatore obtinuit, ut nunquam monaſticus ordo illic mutaretur ab ullo pontifice Nivernenſi; nec alius ordo, quam ſanctimonialium feminarum ibi conſtitueretur. Ad hæc, ut poſt mortem abbatiſſæ libera eſſet penes ſanctimoniales electio; nec epiſcopus Nivernenſis ullo modo, ſine conſenſu ſanctimonialium, aliam aliunde abbatiſſam ibi conſtitueret. Atque ut ſanctimoniales illæ ſe epiſcopo Nivernenſi ſubjectas agnoſcerent, ſancitum, ut quolibet anno in feſtivitate S. Martini, quæ in menſe Novembri celebratur, libram unam argenti epiſcopo perſolvant; at nullus alius ab eis cenſus, nullæ decimæ exigantur. *Data XVI. calendas Septembris anno Incarnationis Domini 886. indictione IV. anno autem regni domni Caroli piiſſimi imperatoris Auguſti in Italia V. in Francia IV. in Gallia II. Actum Attiniaco palatio.* Vide ibidem in appendice pag. 688. & Baluz. probat. hiſtor. domus Arvern. pag. 3. Memoratur hoc cœnobium in vita S. Maioli abbatis Cluniac. lib. 1. c. 27. de miraculis ad ejus tumulum patratis. Ad nobilitatem hujus monaſterii

Digitized by Google

accedit quod ad illud adcreverit oppidum haud ignobile, in quo erecta eſt an. 1236. ab Hugone epiſcopo Arvernenſi eccleſia collegiata B. Mariæ, ad preces abbatiſſæ, cui ſubjacet, cum jure nominandi cantorem & omnes, numero duodecim, canonicos. Exſtat ibidem extra urbem conventus Capucinorum. Sequentes abbatiſſas ex variis maxime hujus monaſterii chartis eruimus.

Abbatissarum series.

I. Agnes I. cui Archimbaldus de S. Juliano eccleſiam de Paragniaco largitur, regnante Ludovico rege Francorum, & Aimerico Arvernorum epiſcopo. Vide inſtrumenta. Obiit IV. nonas Julii.

C. IV. col. 122.

II. Florentia ceſſit anno 1184. Philippo regi Francorum mediam partem urbis Cuſſiaci. Obiit VI. idus Novemb. ex veteri necrologio ſcripto *regnante Ludovico rege Francorum, qui tunc temporis erat ultra mare pugnaturus Sarracenos anno Domini 1253.* in quo etiam necrologio reperimus abbatiſſas quæ ſequuntur, abſque nota chronica, ordine duntaxat menſium recenſitas, uti occurrerunt.

III. Helyſabeth I. obiit XIII. cal. Martii.

IV. Petronilla de Turiaco VIII. cal. Martii.

V. Emaut de Meſchines V. cal. Maii.

VI. Beatrix de Vichiaco VI. cal. Maii.

VII. Alaſia I. de Monte-Luciano VII. idus Auguſti.

VIII. Ebrarda de Quinciaco IV. nonas Sept. cujus mater domina Guillerma de Quinciaco notata V. idus Aprilis, legavit pro ſuo anniverſario & domini Ebrardi mariti ſui, patris dictæ abbatiſſæ, pratum ſuum de Cognat.

IX. Guillerma de Caſtello III. nonas Octob,

X. Emina VII. idus Novemb.

XI. Alaſia II. X. cal. Decemb.

XII. Lucia de Vichiaco IV. nonas Decemb.

XIII. Alaſia III. de Palitia, *la Paliſſe*, calendis Januarii, *al.* XVII. cal. Jan.

XIV. Alix de Brolio obiit X. cal. Januarii an. 1240. ex eodem necrologio, ubi ſic habetur: *Ipſa ædificavit clauſtrum noſtrum & refectorium & caput monaſterii & multa alia bona nobis fecit.*

XV. Catharina de Caſtello, de qua ſic legitur in ſchedula eccleſiæ Claromont. *Ego Katerina de Caſtello in Montanis de novo creata abbatiſſa in monaſterio Cuciaci, promitto obedientiam Guidoni epiſcopo Clarom. die Dominica in feſto B. Martini hyemalis an. Domini 1263.* Obiit ex necrologio V. nonas Maii, ubi mater ejus Beatrix de Caſtello notatur IV. idus Januarii, ſoror vero nomine Beatrix de Caſtro-in-Monte IV. id. Martii.

XVI. Alaſia IV. de Vichiaco, filia Radulfi de Vichiaco domicelli, abbatiam regebat an. 1319.

XVII. Iſabella II. de S. Germano 1320. ex D. du Fourny. Obiit die 4. * Dec. ex necrologio.

* *al.* IV. id. Decemb.

XVIII. Iſabella III. de Caſtro-Lucio 1349.

XIX. Dionyſia de Rupe, affinis Clementis papæ VI. gente Lemovicini pagi haud ignobili nata, in cœnobio B. M. de Regula monialis facta, illud ſuſcepit regendum brevi apoſtolico ejuſdem ſummi pontificis dato Avenione anno pont. tertio, ad annum 1351. quo volente eodem papa migravit ad abbatiam de Cuſſiaco. Obiit X. cal. Aug. ex necrologio.

XX. Alizon de la Fayette 1389. Obiit Aliſendra de Fayeta IV. cal. Decembris an. Domini 1400. ex necrologio.

XXI. Agnes II. de Vendaco obiit XIV. calend. Septemb.

XXII. Margarita d'Yſerpans * 1407. Henrico Arvernorum epiſcopo, & 1408. Obiit V. cal. Octob.

* *al.* des Serpens.

XXIII. Fauqueta de Chauvigny, ſeu Fauque de Chauvigniaco 1431. Obiit calendis Auguſti.

XXIV. Blancha I. vel Blanchia de Turre 1446. & 1448. ex Baluzio.

XXV. Blanchia II. de Turre eligitur anno 1456. vocaturque nobilis viri comitis Bononiæ filia, ac domini de Turre ſoror, atque regis Francorum conſanguinea. Præerat adhuc ann. 1471. & 1472. quo legavit conventui quinquaginta libras pro quatuor anniverſariis; imo reperitur an. 1474. Utrum hæc ſit an ſuperior quæ dicitur filia Bertrandi comitis Arverniæ & Bononiæ ex Jacoba du Peſchin, apud Juſtellum & Baluz. hiſt. domus Arvern. p. 333. ignoramus.

XXVI. Anna de Blot eligitur e gremio a monialibus an. 1476. poſt obitum Blanchiæ de la Tour. Sed æmulam paſſa eſt Margaritam de Spinacia, d'*Eſpinaſſe*, Marciniaci profeſſam, quæ a rege Ludovico nominata, confirmatur a Sixto papa IV. bulla Romæ data apud S. Petrum pridie nonas Aprilis an. Domini 1476. pontificatus anno quinto. Alteram nihilominus ejuſdem pontificis bullam reperimus, qua idibus Maii 1476. canonicam Annæ de Blot confirmat electionem; erat etiam prioriſſa Vallis-Dei.

XXVII. Franciſca d'Eſpinaſſe ex nobili genere in Arvernia, de quo diſſerit Baluzius in hiſt. domus Arvern. lib. 3. p. 232. & ſeq. & in probationibus pag. 452. & ſeq. anno ætatis ſuæ undecimo Annæ ſucceſſit, ex bulla Alexandri papæ VI. data anno 1496. XIV. cal. Aprilis anno pontificatus 5. Ob ejus tamen infirmiorem ætatem alia bulla committitur abbatiæ adminiſtratio Margaritæ d'Eſpinaſſe annum tunc agenti ſexageſimum. Hæc porro videtur eadem cum Margarita ſuperiori, quæ filia erat Johannis de l'Eſpinaſſe & Blanchæ delphinæ filiæ Beraldi II. delphini domini S. Ilpedii & de Combornio.

XXVIII. Petronilla de Levis de Caſtro-morando, ſoror Antonii Ebredun. archiepiſc. creatur abbatiſſa an. 1537. cedente Franciſca de Spinacia, & accedente bulla Pauli papæ III. data Romæ apud S. Petrum nonis Novemb. pontificatus anno 4. Erat etiam prioriſſa S. Andreæ de Comps ſive Vallis-Dei.

XXIX. Gilberta de Montbas de Barton, neptis ex ſorore germana Franciſci cardinalis de Turnone, ætatis anno decimo quinto Petronillæ ſucceſſit, nominata a Franciſco I. & confirmata bullis Pauli papæ III. datis anno 1545. VII. idus Martii, pontificatus anno XI. Obiit vero 1594. cum longe antea regimen abdicaſſet.

XXX. Jacquelina le Long de Chenillac per

Gilbertæ ceſſionem ſit abbatiſſa bulla Sixti papæ A V. data XVII. cal. Junii an. 1586.

XXXI. Diana I. Scholaſtica de la Guiche filia Claudii ex Suſanna des Serpens nata eſt anno 1578. Profeſſionem emiſit Marciniaci, ex quo monaſterio paulo poſt aſſumta eſt, ad regendum Cuſſiacenſe. Loca ſtatim regularia ædificavit, clauſuram conſtituit, & vitam communem induxit; organa pneumatica fabricari & muſicam ſorores edoceri curavit. Denique ad habitum monaſticum quinquaginta tres puellas admiſit; ex eo tamen maximè laudabilis quod erga pauperes, ortos imprimis honeſto loco, munifica eſſet. Pie tandem
* *al.* 23. obiit die 30. * Julii anni 1657. annos nata B
* *al.* 78. 80. * ſummo ſui omnibus relicto deſiderio. Non poteſt eſſe eadem ac Diana d'Urfé ſoror Antonii epiſcopi S. Flori, quam D. du Fourny ex abbatiſſa Cuſſeti factam hoc circiter tempore monialem apud Sueſſiones dicit; ſed neſcio quo fundamento.

XXXII. Diana II. Thereſia de Linars ex coadjutrice Scholaſticæ de la Guiche per 20. annos, abbatiam obtinuit viginti duobus annis, quibus laudabiliter exactis vitam clauſit die 29. Aprilis an. 1679. ætatis ſuæ 72. Eccleſiam S. Salvatoris & B. Mariæ nuncupatam reædificat, adjuta præſertim a Jacquelina de la Guiche-ſaint Gerant filia C mareſchalli de ſaint Gerant, ſponſa vero marchionis de Boulier, quæ in monaſterio Cuſſiacenſi defuncta eſt 8. die Januarii an. 1662.

XXXIII. Maria-Catharina de la Chaiſe-d'Aix, filia Georgii d'Aix comitis de la Chaiſe & Renatæ de Rochefort, SS. Sacramento tabernaculum adaptavit, altare majus deauravit, ſacriſtiam pretioſis inſtruxit ornamentis, ſigna ærea fudit poſt campanilis incendium, plures reliquias ſuæ eccleſiæ procuravit, imprimis S. Fulcranni Lodovenſium præſulis, qui primariam monaſterii eccleſiam conſecraſſe fertur. Abbatiæ jura propugnavit acerrime; vere omnium ſororum parens, & mater pau- D perum, ac obſervantiæ regularis ſtudioſiſſima, anno 1684. die 17. Auguſti ſocietatem precum iniit cum RR. PP. Celeſtinis SS. Trinitatis de Vichiaco; necnon cum Benedictinis S. Portiani e congregatione S. Mauri. Obiit plena meritis die 7. *al.* 8. Martii an. 1701. ingenti omnium dolore.

XXXIV. Genoveſa de la Chaiſe-d'Aix filia Jacobi ex Catharina de Bardonanches, Marciniaci profeſſa, nominatur a Rege abbatiſſa Cuſſiaci die 26. Martii an. 1701. bullas vero accepit eodem anno pridie nonas Maii. Deinde benedictionem percepit ab Armando de Montmorin archipræſu- E le Viennenſi, in eccleſia abbatiali S. Andreæ ſuperioris civitatis Viennenſis, præſentibus Eliſabetha de Villars dicti monaſterii S. Andreæ, & Lucia de la Poype monialium des Colomnes, ſeu S. Claræ Viennenſis abbatiſſis, die 30. Julii ejuſdem anni 1701. poſſeſſionem adepta 26. Octobris ſequentis, etiamnum præeſt cum laude & prodeſt.

RICOMAGENSE S. AMABILIS

S. Amable de Riom.

COENOBIUM OLIM ORDINIS S. AUGUSTINI.

RICOMAGUS S. AMABILIS, Arverniæ oppidum, cœnobium habuit S. Amabilis, ordinis ſancti Auguſtini, diœceſis Claromontenſis in Limania. Initia ſua Durando præſuli Claromontano debet, qui anno 1077. parochialem S. Amabilis eccleſiam ſancto Petro de Chavanon præpoſito & fundatori eccleſiæ Piperacenſis conceſſit informandam. Hic eo deduxit aliquos inſtituti ſui diſcipulos, canonicos videlicet Regulares, qui domum hanc incoluere ad annum 1548. quo Savaro donatam fuiſſe toga ſeculari, ſeu tranſiiſſe ad canonicos ſeculares auctoritate Pauli III. aſſeverat. Nunc juvat abbatum ſeriem contexere, beneficio maxime D. Sauvageon cantoris ejuſdem eccleſiæ.

ABBATUM NOMENCLATURA.

I. DALMATIUS cognomento de Chalez poſtquam S. Petrus de Chavanon evolavit ad cœlum die 8. Sept. an. 1080. Ricomagenſe monaſterium gubernavit ſub titulo primi abbatis ab anno 1081. ad 1092.

II. Robertus biennio tantum præfuit.

III. Bernardus de Chanac interfuit concilio Claromontenſi an. 1095. Biennio poſt in abbatiam erigi curavit ab Urbano II. Piperacenſem præpoſituram; quæ lubens horum trium abbatum piæ moderationi ſubjecta fuit.

IV. Willelmus an. 1146. regnante Ludovico rege Francorum, & Aquitaniæ duce, atque Lucio univerſam Eccleſiam gubernante, donum eccleſiæ de Cereis, nunc S. Dompni, & confirmationem eccleſiæ S. Hippolyti excepit ab Aimerico epiſcopo Claromont. ex hujus abbatiæ tabulario. Jam præerat an. 1145. ex ejuſdem epiſcopi charta dantis eccleſiam S. Hippolyti infra Tornolium.

V. Euſtachius, cui Stephanus epiſcopus Claromontanus plures eccleſias * ab Aimerico de- *
ceſſore conceſſas laudat. Actum menſe Martio an. 1168. feria v. Luna iv. Subſcripſit P. abbas S. Germani, ſcilicet Liziniacenſis, ſeu de Lambron; inter prob. hiſt. Arvern. Baluz. p. 63. An. 1181. P. Claromontenſis epiſcopus ipſi ejuſque ſucceſſoribus capellam leproſorum in publica ſtrata juxta ſtagnum poſitam dedit.

VI. Drogo abbas Riomenſis præſens an. 1182. confectioni inſtrumenti, quo abbas S. Michaëlis de Cluſia dat tutelam & munitionem in villa & eccleſia de Salviac, Roberto IV. comiti Arverniæ, ex prob. hiſt. Arvern. Baluz. p. 70. Memoratur in bulla Celeſtini papæ III. an. 1194. Idem abbas an. 1195. paciſcitur cum Guillelmo de Bromont abbate Mauziacenſi. Anno ſequenti Guido comes Claromonti ei & monaſterio conceſſit hoſpitalem domum Ricomagi, his verbis:

* Scilicet de Iſſiaco *Iſſac*, Bonævallis *Bonneval*, de Villareto *Villaret*, de Cereis, nunc S. Domnini *S. Domp*, de Vitriaco *Vitrac*, S. Hippolyti juxta Tornolium *Tournoüe*.

Digitized by Google

Cum Riomenſe monaſterium plurimum diligam, hoſpitale paupetum, quod eſt Riomi, & ordinationem ipſius tam interius, quam exterius Riomenſi monaſterio dono & concedo in perpetuum ordinandum & poſſidendum, nec per alios, niſi per eos quos abbas & canonici ibidem inſtituerint & præfecerint debeat ordinari, &c. *& ipſe comes dedit oſculum abbati ſe firmiter hæc conſervaturum & defenſurum.* Eodem an. 1196. Robertus epiſc. Claromont. donationem hanc roboravit, quam & Celeſtinus III. ratam & inconcuſſam declaravit.

VII. Amblardus an. 1197. præſens aderat Mauzaci quando corpus S. Auſtremonii detectum eſt. Idem eſt forſan A. qui in archiv. epiſcopi Claromontenſis notatur an. 1213.

VIII. Petrus I. de Monte-acuto, *de Montaigu*, menſe Martio 1217.

IX. Hu. poſt cujus obitum electus eſt abbas

X. Bertrandus de Cerers qui juravit obedientiam R. epiſcopo Claromontenſi. Tanta hujus abbatis & conventus erat pietas & fama, ut religioſi beatæ Mariæ Magdalenæ de Columberio in ſuburbio Claromontenſi ſe ſe ultro illi commiſerint, aſſentientibus Eblone d'Uſſel ipſorum eccleſiæ patrono, & Hugone Claromontano præſule, menſe Auguſto an. 1233. Hæc ſunt ipſiſſima inſtrumenti verba: *Quæ plurimum noſcitur inter ceteras eccleſias prædicti ordinis ejuſdem diœceſis, religionis obſervantia coruſcare.*

XI. Johannes I. Ameilh an. 1247.

XII. G. an. 1256. pactum fecit cum Bertrando abbate Caſæ-Dei, ex archiv. Cantogili, *de Chanteuge.*

XIII. Stephanus I. præerat an. 1257. menſe Aprili, ex tabul. Mauziaci.

XIV. Guillelmus I. de Mauſac abbas ſimul Piperacenſis & Ricomagenſis 1264. quo anno precum & ſuffragiorum unio facta eſt cum monaſteriis d'*Evaux en Combraille*, & Piperacenſi in ſuperiori Arvernia, necnon Cantoëni in ſuburbio Claromonti, cum ea, ex parte hujus abbatis promiſſione, quod abbas S. Amabilis in nova ſui creatione ab abbate & conventu Cantoëni *proceſſionaliter* exciperetur.

XV. Stephanus II. Bompar obedientiæ ſacramentum præſtitit G. epiſcopo Clarom. an. 1285. die Martis poſt octavas feſti Pentecoſtes, ex archiv. eccl. cathedr.

XVI. Stephanus III. Ameilh an. 1289.

XVII. Stephanus IV. de Randas, vel des Ramades abbas S. Amabilis commemoratur in charta ejuſdem anni 1289.

XVIII. Guido Bompar an. 1292. die Lunæ poſt feſtum S. Juliani menſe Januario dedit magiſtris Johanni Collucberii & Stephano Boerii clericis, facultatem legendi grammaticam & logicam apud Riomum, *quoad uſque ipſam licentiam idem abbas duxerit revocandam.*

XIX. Guillelmus II. Bompar ex abbate Cantoëni eligitur abbas S. Amabilis die 9. Martii an. 1296.

XX. Stephanus V.

XXI. Petrus II. de Monte-acuto frater Odonis de Monte-acuto majoris Arverniæ prioris, an. 1317.

XXII. Guillelmus III. Gregorii menſe Febr. an. 1327.

XXIII. Stephanus VI. Bompar anno 1340. menſe Novembri.

XXIV. Guillelmus IV. menſe Maio an. 1345.

XXV. Petrus III. Jaumar menſe Sept. an. 1361.

XXVI. Guillelmus V. anno 1363. menſe Septemb.

XXVII. Johannes II. de Ginſay, cujus maxime commendatur pietas erga fratres Minores qui nuper ſedem Riomi fixerant, an. 1371. menſe Junio.

XXVIII. Guillelmus VI. de Caſtro 1385. menſe Novembri.

XXIX. Petrus IV. Morga, vel Morgha ex rectore eccleſiæ parochialis Riomi factus eſt abbas an. 1404. ſtatimque, eodem ſcilicet anno, die 9. Junii, Benedictus XIII. cujus diſcipulus fuerat, uti pontificalibus ei permiſit. Hoc inſuper jure ſingulari gaviſus eſt hic abbas, ut crearet 12. notarios publicos, imperiales & apoſtolicos ad quæcumque acta. Hoc loco edere placet ſupplices litteras ſcriptas pro obtinenda confirmatione electionis Petri Morgæ: *Sanctiſſimo in Chriſto patri ac domino, domino Benedicto papæ tertio decimo. Supplicant devoti oratores veſtri Johannes Vitalis prior clauſtralis, Johannes Auberti, Jacobus Mercerii, Guillelmus Vitalis, Durandus Ayme, Durandus de Chaſtenhos, Guillelmus Celerii, Johannes Iniberti, Stephanus Dalmas, Johannes Guyberti, & Hugo Ponghibaut conventum facientes veſtri humillimi monaſterii ſancti Amabilis Riomi ordinis canonicorum Regularium S. Auguſtini. Quod cum monaſterium vacaret per mortem bonæ memoriæ domini Guillelmi de Caſtro quondam dicti monaſterii immediati abbatis, & per nos cum veſtræ ſanctitatis beneplacito proceſſum fuerit ad electionem, ne diu deficeret cura paſtoris, ut exinde lupus rapax gregem Dominicum invaderet, modo & forma quibus in decreto eadem veſtra ſanctitas latius videbit, & elegerimus nobis in paſtorem & abbatem dicti noſtri monaſterii religioſum virum dominum Petrum Morga concanonicum noſtrum & curatum ſancti Amabilis Riomi, utique virum providum & honeſtum, ac moribus, ſcientia, & ætate multipliciter inſignitum, & qui eſt decretiſta bonus, nam ab eadem veſtra ſanctitate audivit decretum in Montepeſſulano ubi tunc eratis in minoribus conſtituti, & qui longeve laudabiliter rexit curam animarum ſancti Amabilis Riomi, ubi ſunt XXX. m. parochiani, quibus continue prædicat, & docet, evellit, diſſipat, atque plantat, & qui plus valet oneribus hinc inde compenſatis quam abbatia, & per quem credimus noſtrum monaſterium multum oppreſſum relevari & in melius commutari, quibus pro Dei miſericordia, & pietatis intuitu, ac promiſſa Domini noſtri Jeſu Chriſti, dignetur eadem veſtra ſanctitas munus confirmationis impendere, ac ſupplere defectus in electione prædicta ſi qui ſint. Quin credimus & certius ſumus experti, quod multum fructum afferet monaſterio valde lapſo, & etiam credimus melius fuiſſe proviſum eccleſiæ quam perſonæ. Altiſſimus per ſuam ſanctam miſericordiam ſanctiſſimam*

Digitized by Google

perſonam veſtram longeve conſervare dignetur Eccleſiæ ſuæ ſanctæ. Et ut prædicta veſtræ ſanctitati pateant nota, ea fecimus noſtri ſigilli munimine roborari.

Hoc inſtrumentum, & multa alia debemus diligentiæ viri ſcientia pietateque inſignis domini Antonii Sauvageon eccleſiæ S. Amabilis canonici & cantoris.

XXX. Guillelmus VII. de Beauvaud 1424. menſe Septembri.

XXXI. Petrus V. Morge, ſeu Morgha eligitur a capitulo ſub Eugenio IV. a quo, etſi hujus abbatiæ nominationem ſibi retinuiſſet, ob ſingulares tamen animi dotes confirmatus eſt, & regi Carolo VII. commendatus. Intereſt an. 1419. juramento Martini Gouge, ex archivo cathedr. Clarom. Memoratur & an. 1433.

XXXII. Johannes III. Olier licentiatus in facultate Pariſienſi, & judex Claromontanæ diœceſis, diu præfuit & profuit tam in ſpiritualibus quam in temporalibus: plures ei demandatæ ſunt provinciæ a ſummis pontificibus, quas cum ſingulari prudentia obivit. Eidem quoque vir inſignis Johannes Matuer ducis Arverniæ cancellarius ſuam legavit bibliothecam. Memoratur an. 1449. & 1467. in archivis epiſcopi & cathedralis eccl. Clarom.

XXXIII. Thomas Bourdier unanimi conſenſu eligitur ab omnibus die 18. Auguſti an. 1478. in hoc maxime laudandus quod capſam S. Amabilis argenteam, imo pluribus in locis inauratam & affabre elaboratam ponderis maximi fabricari & perfici curaverit.

XXXIV. Petrus VI. Chabaure ex rectore S. Amabilis abbas deligitur an. 1495. Obtinuit a ſummo pontifice facultatem celebrandi miſſas in facellis & oratoriis non conſecratis an. 1509.

XXXV. Raimundus de Jonaco reperitur annis 1509. 1510. in charta Cantoëni, & 1511.

XXXVI. Johannes IV. Amy ultimus abbas regularis an. 1512.

XXXVII. Guillelmus VIII. de Benaud canonicus cathedralis eccleſiæ Clarom. & prior Portus-Dei, primus abbatiam hanc obtinuit in commendam an. 1515. cui præerat adhuc an. 1528. Frater erat Johannæ de Benaud prioriſſæ de Marſac.

XXXVIII. Jacobus de Chalencon illuſtri genere ortus, toparcha oppidi d Ambert, Chriſtophoro de Chalencon vicecomiti de Chaſteauclon fratri ſuo dedit jus omne quod habebat in villa de Ferrieres pagi Borbonienſis, die 19. Auguſti 1558. Sub hoc abbate eccleſia S. Amabilis facta eſt ſecularis, bulla Pauli III. cujus ſynopſim hoc loco damus:

PAULUS epiſcopus ſervus ſervorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Ex ſuperna Majeſtatis providentia Romanus pontifex in Apoſtolicæ dignitatis ſublimitate conſtitutus, circa eccleſiarum & monaſteriorum quorumlibet ſtatum in melius commutandum, prout ex debito paſtoralis officii ſibi incumbit, diligenter proſpicit ac intendit, illumque interdum alterat, commutat, ac deſuper diſponit & ordinat prout rationabiles cauſæ ſuadent, & pia catholicorum Regum vota expoſcunt, ac temporum, locorum, & perſonarum qualitatibus & conditionibus diligenter conſideratis, ad Divinum cultus augmentum, & bonorum illorum conſervationem, ac eccleſiarum, monaſteriorum, & perſonarum eorumdem decorem & venuſtatem conſpicit in Domino ſalubriter expedire. Sane cariſſimus in Chriſto filius Henricus Francorum rex chriſtianiſſimus, tam ſuo quam dilectorum filiorum Jacobi de Chalenconio clerici qui monaſterium S. Amabilis oppidi Riomi ordinis S. Auguſtini, Clarom. diœceſ. ex conceſſione apoſtolica in commendam obtinet, & conventus ipſius monaſterii, &c. Nos igitur, &c. ad omnipotentis Dei laudem & gloriam, ac militantis Eccleſiæ exaltationem, necnon dicti monaſterii & illius perſonarum ſalubriorem directionem & feliciorem ſucceſſum, in monaſterio nomen & titulum monaſterii, ac dignitatem abbatialem & conventualitatem, &c. nec non prioratum clauſtralem, infirmariam, cameratiam, celerariam, cantoriam, refectuariam, & forſan alia officia clauſtralia, &c. & beneficia prædicta illorumque qualitates & denominationes, &c. autoritate apoſtolica, tenore præſentium penitus & omnino perpetuo ſupprimimus & exſtinguimus, ac in eccleſia hujuſmodi ſtatum regularem in ſtatum ſecularem canonicorum presbyterorum & clericorum ſecularium immutamus & illam ad ſtatum ſecularem reducimus, &c. ac loco ſupprimendæ abbatialis dignitatis, unam abbatiam decanatum nuncupandam ſecularem, quæ dignitas principalis &c. pro uno abbate-decano nuncupando ſeculari qui inibi caput exiſtat; ac loco cantoriæ regularis unam cantoriam ſecularem pro uno cantore ſeculari quæ officium ſimplex inibi exiſtat, &c. Ipſique canonici canonicatus & præbendas hujuſmodi reſignare non poſſint, donec numerus eorum ad numerum canonicorum quatuordecim reductus fuerit, &c. necnon ſex perpetua beneficia ſimplicia eccleſiaſtica ſemipræbendas nuncupanda pro ſex presbyteris perpetuis ſimplicibus beneficiatis ſemipræbendatis nuncupandis, eiſdem auctoritate & tenore erigimus & inſtituimus, &c. necnon ſex pueros chorarios, &c. necnon unum ſuccentorem ſeu magiſtrum qui pueros edoceat, &c. necnon duodecim presbyteros & chorarios ſupra chorum nuncupandos qui ſtipendientur, &c. & amovibiles exiſtant, dempto antiquiore qui eccleſiæ S. Caſſii perpetuus vicarius exiſtat, &c. Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ 1548. decimo nono calend. Septemb. pontificatus noſtri anno XIV.

Porro hæc bulla non fuit ſolemniter promulgata & exſecutioni mandata, niſi die 23. Martii an. 1570. Nunc igitur collegium iſtud canonicis quatuordecim conſtat, quorum princeps *abbas decanus* appellatur, ſoluſque duplici præbenda gaudet. Conſiſtoriale habetur hoc beneficium, unde a Rege confertur, bullaque ſummi pontificis confirmatur.

Decanum ſequitur cantor, hunc præpoſitus, & iſtum curatus, qui ſunt quatuor capituli dignitates.

Præter hos vero recenſentur ſex ſemi-canonici *ad honeſtam canonicorum ſuſtentationem*, inquit bulla; videas inſuper 12. chorarios presbyteros

Digitized by Google

qui ſtipendiarii ſunt & amoveri poſſunt a capitulo, præter antiquiorem, quem bulla ipſa prænominata hoſpitalarium ſeu curatum majoris Domus-Dei conſtituit.

Cetera omittimus noſtro ut pote inſtituto ſupervacanea, ita tamen ut ſeriem decanorum dare non pigeat.

Series decanorum.

I. Petrus I. Demeurat urbis Riomi primoribus ortus, prior erat clauſtralis, antequam hæc abbatia in collegiatam eccleſiam verteretur, qua mutatione facta & ipſe factus eſt primus abbas-decanus. Obiit vero menſe Novembri an. 1586.

II. Petrus II. du Lion a Rege deſignatus an. 1587.

III. Renatus de la Ferté Regi a conſiliis & eleemoſinis, necnon canonicus ſacræ capellæ Pariſienſis, iniit poſſeſſionem menſe Junio an. 1601. memoratur & an. 1607. 13. Octob. in archivis Caſæ-Dei, abbas ſimul beatæ Magdalenæ de Caſtroduno.

IV. Johannes Decombes filius, frater, & patruus vel avunculus protopræſidum in curia præſidiali Riomenſi, ex ceſſione ſuperioris, annuente Rege ad poſſeſſionem admiſſus eſt die 20. Junii an. 1616. Hac dignitate ceſſit in manibus Regis in gratiam Johannis Martin qui ſequitur, an. 1632. ut fieret *Capucinus*, quo in ordine pie obiit.

V. Johannes Martin domus & collegii patrum Oratorii apud Riomum ſuperior erat, quando per reſignationem præcedentis hoc munus vir doctus & pius obtinuit. Hic de mandato epiſcopi Claromontani capſam S. Amabilis reſeravit die 2. Maii an. 1650. e qua dentem ejuſdem ſancti eduxit. Obiit menſe Septembri ejuſdem anni.

VI. Nicolaus Lambert aſſumtus & ipſe ex Oratorio, nominante Regina, poſſeſſionem nactus eſt die 12. Octob. an. 1651.

VII. Claudius Celoron Oratorii pariter alumnus, cedente ſocio, & accedente regia & pontificia voluntate exceptus eſt die 10. Octobris an. 1653.

VIII. Johannes Courtin prænobili familia Ricomagi natus, doctor Pariſienſis, ſed maxime ſua in pauperes miſeratione commendandus, iniit poſſeſſionem an. 1656. pieque obiit die 20. Decembr. an. 1691.

IX. Guillelmus d'Aubuſſon Toloſanus doctor & canonicus, ad eccleſiæ portas Claromonti exceptus eſt die 23. Decemb. an. 1692. Obiit 1712. menſe Decembri, cui ſucceſſit eodem anno

X. Paulus Guerin, Iſſiodorenſis, filius Petri præſidis Iſſiodor. & Jacquelinæ de Fonte-freide, doctor theologus facultatis Toloſanæ, nominatus a Rege 26. Martii 1712. bullas accepit IX. cal. Junii, & poſſeſſionem iniit 28. die Septemb. ejuſdem anni.

Eſt adhuc apud Ricomagum ſacra capella, cujus fundationis charta Gallice ſcripta, data eſt tantum an. 1491. Bulla tamen Innocentii papæ VIII. pro erectione capituli ſacræ hujus capellæ præfert annum 1489. An. 1492. Carolus Borbonius Claromontenſis epiſcopus ſuo chirographo conſenſit ut hæc eccleſia immunis eſſet liberaque ab epiſcopi Claromontenſis juriſdictione.

CANTOENNUM

Chantoin. *Conſule Baluz. in prob. hiſt. domus Arv. p. 258.* a

Gregorio Turonico lib. 1. c. 39. *Crypta Cantobennenſis*, & lib. 2. c. 21. hiſt. *Cantobennicus mons*, ordinis S. Auguſtini, puellarum monaſterium [a] olim, a S. Geneſio Clarom. epiſc. erectum prope & extra muros civitatis Clarom. patronum habet S. Petrum. Fundatorem ſeu potius inſtauratorem nos docet titulus ſepulcri in capitulo Cantoënnico ita inciſus: *Hic jacet magiſter Aldefredus pœnitentiarius Claromontis, qui fundavit hanc domum Cantoënni, & obiit XVII. cal. Maii.* Haud dubie vero hic eſt Alfredus cui an. 1199. menſe Febr. W. abbas Piperacenſis ſcribit epiſtolam, gratulans ei quod eccleſiam Cantoën. Piperacenſi monaſterio adquiſierit; & indulgens ut quoſcunque voluerit, in canonicos & familiares ſive converſos, recipere valeat; vide inſtrumenta. C. LVIII. col. 124.

Eodem anno Robertus epiſcopus Claromont. dedit litteras pro unienda Cantoënnenſi eccleſia cum Piperacenſi; quo item anno ad eccleſiæ reſtaurationem Henricus archiepiſc. Bituricenſis & idem Robertus Claromont. epiſcopus dederunt facultatem colligendi eleemoſynas, iis qui largirentur conceſſis indulgentiis; quam quidem ſæpius iteravit Robertus, annis videlicet 1219. & 1229. vide inſtrumenta. C. XII-XIII. col. 84.

Hanc abbatiam Johan. Savaro in libello de ſanctis, eccleſiis, & monaſteriis Claromontis, ex vetuſtis membranis Cantoënni, vocari ſcribit a Roberto de Turre epiſcopo anno 1200. menſe Martio, *principalem filiam*: ſubinde cathedralis eccleſiæ canonicis conceſſum eſt in Cantoënni clauſtra ſecedere, & more majorum regulariter ibi vivere; ſed nunc iſti baſilicæ deſerviunt Carmelitæ diſcalceati, in cujus poſſeſſionem inducti ſunt die Veneris 10. Junii an. 1633. per epiſcopum & conſules Claromontis, vi regiarum litterarum 31. Martii ejuſdem anni, ad preces D. Seguier cancellarii, ut videre eſt apud Durandum in notis ad Savaronem pag. 125. Nonniſi tamen an. 1639. ſuppreſſa eſt abbatia Cantoëni, bulla Urbani VIII. data v. cal. Junii.

Abbatum index.

I. Alfredus inſtaurator Cantoëni, ut habetur in charta ſuperius laudata anno 1199. Anno ſequenti menſe Martio Robertus Claromont. epiſcopus conſenſit donationi manſi de Mirabel, quam Petrus de Veteri-Brivata, olim archipresbyter Brivatenſis, fecit domui de Chantoën & fratribus præſentibus & futuris regulariter ibi Domino ſervituris. C. LVIII. col. 124.

II. B. an. 1207. pro quadam permutatione tranſigit cum A. abbate S. Illidii, ex charta hujus monaſterii, in chartulario Illidiano ſignato B.

[a] Cantoënnenſe monaſterium poſſidebant adhuc ſeculo decimo ſanctimoniales, quo tempore vetus auctor, qui catalogum eccleſiarum Claromontenſium ſcripſit, mentionem facit monaſterii puellarum Cantoënnii, ubi eccleſia S. Petri & altare S. Præjecti.

Digitized by Google

III. W. 1212. ex charta S. Illidii.

IV. Johannes I. cui anno 1223. menſe Octobri W. comes Claromontenſis, & R. filius ejus donationem fecere. Idem eſt proculdubio qui prima ſui nominis littera J. memoratur an. 1217. & 1225. menſe Julio. Johannes recenſetur abbas 1220. & 1226.

V. Aldefredus de quo ſic habet charta monaſterii : *Magiſter Aldefredus rector* eccleſiæ Chantoënnenſis 1234. menſe Decembri.

VI. Pontius I. an. 1250. menſe Julio abbatum Piperacenſium jus recognoſcit in abbatiam Cantoënni, qua de re vide inſtrumenta. C. XII. XIII. col. 84.

VII. Guillelmus I. an. 1259. promiſit obedientiam Guidoni epiſcopo, ex archivo Clarom. eccleſiæ.

Vide Anekd. Mabill. tom. 2. p. 615. VIII. Johannes II. Eſpinaſſe in chartis Illidianis reperitur abbas 1261. & 64. die Sabbati, menſe Julio poſt feſtum apoſt. Petri & Pauli, ex archiv. ep. Clarom. Item an. 1265. & 67. 74. 75. in chartis epiſcopalibus & Illidianis, ac 1277. in charta Cantoënni XVI. cal. Maii.

IX. Stephanus an. 1293. die 16. Maii quandam permutationem facit cum capitulo B. Mariæ Portuenſis.

X. Guillelmus II. Bompar ex abbate Cantoënni fit abbas S. Amabilis Ricomag. die 9. Martii an. 1296.

XI. Armandus abbatia ceſſit an. 1299. menſe Octobri, ex charta Piperacenſi.

XII. Mauziacus Gaſelas ex priore Veteris-Brivatæ electus eſt in abbatem Cantoënni an. 1299. ind. XIII. die Martis poſt feſtum S. Geraldi, pontificatus Bonifacii VIII. anno v. ex tabul. Piperacenſi; ubi etiam legitur confirmatus eodem anno tum a Johanne Aycelini epiſcopo Clarom. tum ab Armando Duſſel abbate Piperacenſi. Mauziacus idem tranſegit an. 1304. die Veneris ante feſtum B. Hilarii cum capitulo eccleſiæ Clarom. Anno 1308. die Veneris IV. cal. Auguſti procurator a capitulo Piperacenſi conſtitutus eſt ad obtinendum Claromontenſis epiſcopi conſenſum pro permutatione prioratus de Jax cum capella Infirmarum-Vallis diœceſis Anicienſis; ex charta Piperacenſi.

XIII. Johannes III. 1320.

XIV. Petrus I. 1322. ſedente Johanne papa XXII. An. 1327. Arbertus Aycelini epiſcopus Claromont. univit abbatiæ Cantoënni prioratum Pontis-de-caſtro, *Pont-du-Chaſteau*, qui ſitus eſt ſupra Elaverim, tribus leucis Claromonte, hodieque pertinet ad Carmelitas diſcalceatos Cantoënni.

XV. Pontius II. de Gorſia 1331. die Veneris poſt feſtum B. Lucæ & 1334. die Dominica ante feſtum B. Catharinæ. Eodem anno idem Pontius, toto annuente conventu, donationem fecit fratribus Prædicatoribus Claromontis die Lunæ ante feſtum Pentecoſtes.

XVI. Johannes IV. fidem ſpondet Henrico ep. Clarom. an. 1338. ex archiv. epiſc. Clarom. Forte idem qui ſequitur

XVII. Johannes V. Vigerii, *Vigier*, die 2. Decembris an. 1369. ind. VIII. pontific. Urbani papæ anno octavo.

XVIII. Petrus II. de Chadenayo 1410. ex charta fratrum Prædicatorum Clarom. 1416. & 1422. ex chartis Cantoënni, 1420. ex charta eccleſiæ Claromont. & 1431. ex charta eccleſiæ S. Flori.

XIX. Johannes VI. Maleti 1444. & 1445. quo anno tanquam procurator Jacobi de Comborn epiſcopi Claromont. die 19. Julii ind. VII. Eugenii papæ IV. anno 15. poſſeſſionem accepit hujus epiſcopatus, vi bullæ apoſtolicæ datæ Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis 1445. XII. cal. Junii.

XX. Martinus ab Albano tit. S. Praxedis S. R. E. presbytero cardinali, Avenionenſi vulgariter nuncupato, in regno Franciæ, &c. legato apoſtolico delegatus ad fulminandam in favorem eccleſiæ cathedralis bullam, id exſecutus eſt 13. Julii 1455. ind. IV. Calliſti papæ III. anno primo, in capella de Alegrie, ex archivo cathedralis Clarom. Eo defuncto an. 1464. prior & conventus Cantoën. rogant Jacobum Clarom. epiſcopum & capitulum ut velint de more duos mittere canonicos deputatos ad capitulum Cantoënnenſe qui interſint electioni novi abbatis, anno a Nativitate Dom. 1464. ind. XIII. pontificatus Pauli papæ ſecundi anno primo, die 24. Novemb. ex arch. cathedralis.

XXI. Durandus Maleti 1467. ex archivis epiſc. Clarom.

XXII. Petrus III. de Agia 21. Octob. anni 1476.

XXIII. Vaſſaldus * ſeu Vaſſaudus Quintini in decretis baccalaureus, canonicus Claromontis, abbas commendatarius ſeu adminiſtrator perpetuus monaſterii Cantoënni, vicarius erat generalis reverendiſſimi in Chriſto patris DD. Caroli de Borbonio abbatis S. Martini in Montibus, S. R. E. presbyteri cardinalis & epiſcopi Claromont. an. 1482. die XI. Septemb. ex archivo Cantogilenſi. Memoratur annis 1490. in tabulis epiſc. Claromontenſis, & 1493. in chartis Cantoënni. Obiit non multo poſt, ſepultus ante maius altare in presbyterio eccleſiæ Carmelitarum urbis. * *al.* Laſſaudus.

XXIV. Antonius de Monthilio an. 1499. ex archivis epiſcop. Claromont. Anno 1503. in feſto ſancti Auguſtini celebravit capitulum generale.

XXV. Guillelmus III. Quintin in decretis licentiatus, canonicus eccleſiæ cathedr. Clarom. & abbas commendatarius Champtoënnii, die Sabb. 18. Decemb. 1512.

XXVI. Guillelmus IV. Doultre canonicus & abbas eccleſiæ cathedralis, necnon abbas commendatarius Cantoënnenſis 1549. & 1560. ex actis capitularibus cathedralis.

XXVII. Petrus IV. du Fayet bulla Innocentii papæ IX. creatus eſt abbas.

XXVIII. Claudius Titaſſon per obitum Petri du Fayet abbatiam obtinuit bulla Clementis VIII. data Romæ apud S. Petrum an. 1591. v. idus Febr. pontificatus anno primo. Nominatur in charta Cantoënni 29. Julii 1596.

XXIX. Ægidius de Portes ultimus abb. 1622. ſereniſſimæ Regis matri Reginæ ab eleemoſynis.

ARTHONA.

ARTHONA, B. Martini abbatia ſecularis, ſita eſt in colle amœniſſimo prope fluviolum Morgiam *, qui deinde immiſcetur Elaveri, duabus leucis ab urbe Ricomago, in diœceſi Clarom. Nomen fecit urbeculæ, cujus toparcha eſt D. de Broglio, de qua mentionem agit Greg. Tur. lib. de Gloria Confeſſ. cap. v. & in Vit. patrum cap. v. Vide notas noſtri D. Ruinarti, & fundationis litteras apud Labb. tom. 11. biblioth. novæ. Dedicatio eccleſiæ S. Martini Arthonæ notatur in vetuſto calendario ejuſdem eccleſiæ Dominica infra octavam Aſcenſionis. Apud Arthonam hodie ſunt 12. canonici, ut in fundationis inſtrumento, præter abbatem, qui annexum habet canonicatum, & eligitur a capitulo. Iſtos olim canonicos vitam egiſſe communem indicant, tum capituli, clauſtri, refectorii, cellarii &c. ruinæ, tum tabulæ ſeculi XIII. bene multæ, ex quibus & actis capitularibus, necnon obituum libro ſeu necrologio hos paucos abbates noſtri D. Jacobi Boyer diligentia, cui plurima alia debemus, collectos exhibemus.

* la Morge.

ABBATUM CATALOGUS.

I. JOHANNES I. abbas Arthonæ an. 1048.

II. Amblardus de Monte-Pedonio *; forſitan is de quo in charta fundationis. In libro obituum hæc lego: *XVIII. Novembris obiit Guillelmus de Monte-Pedonio, miles, dominus de Paredo, pater Amblardi abbatis Arthonæ, & jacet apud S. Medulphum; & legavit eminam frumenti dividendam in die obitus ſui. Item 2. Aprilis obiit Amblardus de Monte-Pedonio abbas ſecularis eccleſiæ de Arthona, & legavit dictæ eccleſiæ duo ſextaria frumenti dividenda per manum vicarii ſui.*

* Monte-Pedon *caſtrum nobile prope Arthonam.*

III. Petrus I. de Monte-Pedonio. Ejus obitus notatur ad diem XVII. Septembris, qua *legavit unum ſextarium frumenti eccleſiæ ſervitoribus dividendum. Item prima die Lunæ cujuſlibet menſis totius anni eminam frumenti dividendam. Item in tribus diebus Rogationum tria ſextaria frumenti dividenda illis qui dictas Rogationes ſequentur. Item illis qui præſentes fuerint in magno feſto B. Michaëlis, cuilibet duos denarios ſolvendos;* & alia plurima legata. Et forte hic eſt P. abbas nominatus in charta anni 1118. pro Piperacenſi cœnobio de eccleſia de Medeyrolas, ubi occurrunt Aimericus epiſcop. Arvern. & Ademarus decanus.

IV. Guillelmus I. Bleys, cujus obitus notatur die v. Junii in feſto ſancti Illidii epiſcopi: *Obiit Guillelmus Bleys abbas Arthonæ, & jacet apud Claromontem. Dedit duo ſextaria frumenti & unum avenæ in territorio de Val.* forte idem eſt ac W. Blayni canonicus Claromont. & abbas Arthonæ, cujus anniverſarium notatur in necrologio Claromont. VIII. idus Junii.

V. Guillelmus II. de Ulmo abbas ſecularis eccleſiæ de Arthona dicitur in charta fratr. Prædic. Claromontenſium anni 1295. Obiit VI. Octobris, legatis ſeptem quartis & modio vini pro libratione facienda.

VI. Thomas Rauzel obiit XIII. Julii. Legavit octavam partem bladi & vini decimarum de Glenat, 1421.

VII. Guido de Rivo *, cancellarius comitatus Arverniæ, ſedebat an. 1457. ex chart. abbatiæ de Boſcheto. Litteris comitis de Turre datis an. 1464. 31. Auguſti pro abbatia de Feneriis ſubſcriptus legitur. Obiit IX. Septembris. Legavit pro ſuo anniverſario ſex quartas frumenti, anno 1473. Quo item anno, & die 21. dicti menſis Jaqueta du Peſchin comitiſſa Boloniæ & Arverniæ, domina Arthonæ, &c. ſepelitur inter chorum & altare. Fundavit plures miſſas.

* du Rif & Guyot du Roux.

VIII. Gaſpar de Rupe-forti, alias du Peſchin, in decretis licentiatus, abbatiam reſignavit ſequenti an. 1510.

IX. Petrus II. du Peſchin, juris pontificii licentiatus, diœceſis Bituric. reſignavit etiam ſequenti anno 1533. Sub eo abbate an. 1514. die 1. Aprilis, octava B. Mariæ R. Pater Lauducenſis * epiſcopus, Jacobi de Ambaſia Claromontenſis epiſcopi ſuffraganeus, conſecravit altaria beatæ Mariæ de commiſeratione & ſanctor. Blaſii & Paterni in majori eccleſia Arthonæ prope majorem portam. An. 1520. Petrus de Albo Stabilonenſis epiſcopus, Claromont. præſulis ſuffraganeus, ſacræ theologiæ profeſſor, conſecravit altaria SS. matris Dei Mariæ, S. Cypriani, S. Petri, S. Catharinæ & S. Rochi. Anno 1535. Petrus du Peſchin, paulo ante hujus eccleſiæ abbas benemeritus, tunc autem prior de Leproſo diœceſis Bituricenſis, fundavit Arthonæ miſſam & vigilias in cathedra S. Petri menſe Februario.

* ita in epigraphe.

X. Johannes II. Villate, presbyter diœceſis Bituricenſis, abbatiæ poſſeſſionem iniit per procuratorem Paternum le Faure presbyterum *habituatum* Arthonæ die 16. Maii 1533. Permutavit cum ſequenti pro prioratu de Capella-moniali Albæ-terræ ordinis Præmonſtr. diœceſis Clarom. 14. Julii 1535.

XI. Jacobus de Malleſico 1535.

XII. Petrus III. Hureau XI. Junii 1539.

XIII. Antonius I. Hureau XI. Nov. 1543.

XIV. Johannes III. Tyal Arthonenſis 1545.

XV. Johannes IV. Tyal junior; obiit 6. Julii 1548.

XVI. Johannes V. de Verthamy 1564.

XVII. Gabriel Granget 1569.

XVIII. Petrus IV. Rabuſſon 1571.

XIX. Antonius II. Tyal 1576. obiit 31. Decemb. 1602.

XX. Johannes VI. Chappus, ex cantore Arthonæ electus eſt abbas a capitulo 1603. Permutavit cum ſequenti pro canonicatu B. Mariæ de Marthureto apud Riomum 1610.

XXI. Johannes VII. Chaſtain abdicavit in manibus Capituli 1612.

XXII. Amabilis Borlin Riomenſis, doctor theologus a Capitulo electus eſt 1612.

XXIII. Franciſcus I. Mutaud, reſignavit ſequenti, an. 1666.

XXIV. Ludovicus Ogier an. 1666. Obiit an. 1686.

XXV. Franciſcus II. Ogier, ſuperioris nepos, ex ejuſdem reſignatione abbatiam obtinebat an. 1712.

Digitized by Google

MONT-PEIROUX.

MONS-PETROSUS ORD. CISTERC.

MONS-PETROSUS ordinis Ciſtercienſis, filia Bonæ-vallis Viennenſis diœc. de linea Ciſtercii, fundatur idibus Aprilis a Falcone de Jaligny. Alibi lego initium habuiſſe a Dom. Johan. abbate Bonæ-vallis diœceſis Viennenſis, & Amedeo pio monacho, quibus multa dederunt domini de Thierno & de Monte-Buxerii, ex MS. cod. hujus monaſterii. Ejus eccleſia conſecrata fuit anno 1175. III. cal. Auguſti a B. Pontio epiſcopo Claromontano ex ordine Ciſtercienſi aſſumto. Sita eſt hæc abbatia in valle amœna in parochia S. Illidii, ſecus fluviolum Credoniam * qui abhinc ſemileuca, ad Podium ſcilicet Guillelmi, influit in Doram in finibus Arverniæ, Boiorum & Seguſianorum. Diſtat vero ſemileuca ab urbe Caſtellodunо *, duabus leucis ab urbe Thiernenſi. [a] Arſit heu monaſterium peneque everſum fuit; ſed anno circiter 1685. ſatagentibus domno Stephano Prinſtet priore monaſterii, tum generali totius ordinis Ciſterc. in curia Romana procuratore, ac domno Johanne Bapt. Grangier priore item monaſterii, egregie reſtauratum eſt. Sequentes abbates e paucis, quibus flamma pepercit, tabulis eruimus.

* la Credoine.

* Chateldun.

a

ABBATUM SERIES.

I. JOHANNES I. JUVENEL cui anno 1139. die 25. Martii Falco de Jaligny de quo ſupra, jus piſcandi in fluvio Dora conceſſit.

II. Fulcherius præerat ſeculo XII. ex chartis Bonarum-vallium. Conſule epiſtolam 26. lib. IV. epiſt. Petri abbatis Cluniac.

III. Theobaldus recenſetur abbas tertius in charta Falconis de Jaligny abbatiæ, ſecundum aliquos, fundatoris, qua idem Falco omnia quæ monaſterio donaverat in terris Montis-petroſi, & Podii-Guillelmi rata habet; & omne jus ac dominium in homines dictarum terrarum attribuit, traditione unius calicis argentei duarum marcharum pondo. Actum an. 1155. præſentibus viris nobilibus Hugone de la Batiſſe, Petro Bouilletz, Petro de Chabannes, Guillelmo de Montviannay, &c.

IV. Jauſſerant abbas Montis-petroſi teſtis eſt donationis delphini comitis Arverniæ factæ monaſterio Medii-montis, *Megemont*, an. 1206. Vide prob. hiſt. domus Arvern. Stephani Baluze pag. 249.

V. Johannes II. 1209.

VI. Guido 1224. in bulla Honorii papæ.

VII. Pontius 1247.

VIII. Johannes III. 1251. quo anno ipſe & conventus mera & ſpontanea liberalitate dederunt Ludovico Francorum regi medietatem Villæ-Franchæ de Podio-Guillelmi ſitæ in diœceſi Claromont. cum medietate cenſivæ, juſtitiæ, clamorum; quam medietatem idem Ludovicus rex ceſſit fratri ſuo Alfonſo comiti Pictavorum & Toloſ. marchioni Provinciæ: Alfonſus autem promiſit prædictam terram ſe retenturum in perpetuum & nulli alii donaturum, nec permutaturum, vel quocunque alio modo tranſlaturum, præterquam in prædictam domũ Montis-petroſi. Actum apud Tornolium an. Dom. 1251. menſe Julio.

IX. Stephanus ſucceſſit Johanni III. & præceſſit Johannem IV. ex charta anni 1265. menſe Julio.

X. Johannes IV. permutationem quandam facit cum Petro abbate S. Illidii, in vigilia SS. Simonis & Judæ an. 1269.

XI. Robertus Vallette 1270.

XII. Juvenis abbas Montis-petroſi die Sabb. poſt Purificat. 1283. ratam habet compoſitionem factam inter Robertum Delphini comitem Clarom. & Dalphinam abbatiſſam Medii-montis ord. Ciſterc. quod monaſterium a Monte-petroſo pendebat, probat. hiſt. domus Alvern. Baluz. p. 300. Idem abbas reperitur an. 1286. & 1294.

XIII. Euſtachius 1303.

XIV. Petrus I. de Ponte 1314.

XV. Petrus II. de Alta-valle 1331. & 1335.

XVI. Johannes V. 1351. quo anno concordat cum comite Foreſii pro quibuſdam limitibus, & an. 1362. in chartis S. Illidii; reperitur adhuc an. 1370.

XVII. Robertus an. 1370.

XVIII. Himbertus 1386. vide in S. Gilberto.

XIX. Edmundus 1401.

XX. Petrus III. de Ponte 1402. quo anno captum fuit abbatis caſtrum a dominis de la Batiſſe & du Boſt, & fugati ſunt monachi. At Johannes dominus de Langeac eques, Regis cambellanus & Arverniæ ſeneſcallus, multis nobilibus viris ac militibus ſtipatus, dictum caſtrum obſedit, obſeſſoſque ad Regis obedientiam glorioſe reduxit. Concordiam fecit cum Petro Chand vicario generali Martini Claromontenſis epiſcopi, aliiſque ejuſdem præſulis procuratoribus, pro decimis de Giat, &c. die Veneris ante feſtum Aſſumtionis B.M. an. Dom. M. CCCC. XVII. ex inſtrum. archiv. epiſcopi Clarom. Obiit Petrus de Ponte an. 1434.

XXI. Johannes VI. Chauvin ex ordine S. Franciſci tranſiit ad Ciſtercienſem bulla Eugenii papæ IV. an. 1434. Emiſſa profeſſione in monaſterio Foſſæ-novæ Terracinenſis diœceſis in Italia, continuo idem ſummus pontifex, ad commendationem Caroli ducis Borbonii, eum conſtituit abbatem monaſterii Montis-petroſi vacantis per obitum Petri abbatis, qui intra Romanam curiam diem clauſit extremum, bulla Florentiæ data eodem anno 1434. XVII. cal. Decemb. pontificatus anno 4. ac directa abbati Bonæ-vallis Viennenſis. Creatur poſtea epiſcopus Berſabeæ favore ejuſdem ſereniſſimi ducis, cujus erat capellanus, a Nicolao papa V. bulla data Romæ an. Dom. 1448. XVII. cal. Septembris pontificatus anno ſecundo. Obiit Johannes an. 1467. die 10. Novembris.

XXII. Antonius de Forgiis, *des Forges*, a primæva ætate monachus Montis-petroſi, anno profeſſionis ſuæ 27. electus eſt in abbatem & confirmatus ab Hymberto abbate Ciſtercii die 5. Decembris an. 1467. indict. XV. pontificatus Pauli II. anno tertio. In poſſeſſionem vero inductus eſt ab abbate Benedictionis-Dei, nulla ratione habita interceſſionis Johannis Baſtoneti abbatis commendatarii Bonæ-vallis Viennenſis, qui no-

[a] Vide Annales Ciſtercii ad annum 1126. cap. 4. num. 8. & librum Gallice ſcriptum cui titulus: Verum regimen ordinis Ciſtercienſis. Pariſiis apud Sebaſt. Marbre-Cramoiſy 1678.

Digitized by Google

minandi ad abbatiam Montis-petrosi sibi jus arrogabat. Multa passus est ab assectis Ludovici filii comitis Montis-pancerii, qui regio munitus diplomate abbatiam obtinere adnitebatur, eoque devenerunt ut bonis omnibus, ipsaque ecclesia direptis, & chartis ablatis, abbas & monachi per quinque menses e monasterio suo exsulare coacti sint. Vicit tamen piissimi abbatis patientia, qui deinde totus incubuit bono monasterii regimini, exstruxit enim chori sedilia an. 1500. ac terraria renovavit.

XXIII. Johannes VII. Dehu 1505. & 1511.

XXIV. Gilbertus I. de Rupe 1522.

XXV. Gabriel Ragnier ex monacho Vallis-lucidæ seu de Boscheto eligitur a capitulo & confirmatur litteris Guillermi abbatis Cistercii datis die 4. Novembris an. 1522.

XXVI. Pregentus du Moustier abbas commendatarius Montis-petrosi, necnon Castri-Nantonis an. 1557.

XXVII. Johannes-Baptista de la Verchere præpositus Thiernensis, abbas commendatarius, e nobili prope Thiernum familia nunc extincta, abbas erat an. 1642. ex tabulis episcopalibus.

XXVIII. Gilbertus II. de la Verchere superioris ex fratre nepos, abdicavit.

XXIX. Carolus d'Estaing, filius Joachimi comitis d'Estaing, & frater episcopi S. Flori, comes Lugdunensis, prior de Polminiac & abbas S. Syrenei Billomensis, quibus deinde sacerdotiis nuntium remisit.

XXX. Josephus * Mareschal, Vichii natalis soli curatus, regii hujusce urbis procuratoris filius, abbatiam obtinebat annis 1702. & 1711.

* *al.* Franciscus.

FENIERS.

ABBATIA VALLIS-HONESTÆ seu DE FENERIIS.

HENRIQUEZ hanc abbatiam filiam nuncupat Aquæ-bellæ, fundatamque dicit an. 1169. Manriques vero ipsius fundationem differt ad annum 1173. Legimus alibi eam filiam Bonæcumbæ, e linea Morimondi; quod vix crediderim, quando quidem Bona-cumba Claræ-valli subjacet, non Morimondo. Ut ut sit, sita est in parochia S. Lupi & S. Nazarii de Condato, quæ pertinet ad ecclesiam cathedralem Claromont. etsi judicialem potestatem ejusdem loci monasterium obtineat, in archipresbyteratu Ardilensi, d'*Ardes*; continetur inter fluviolos *la Ruë* & *la Sentoire*, qui confluunt in Dordoniam. Vallis-honesta posita est supra montem, sed montibus altioribus ac nemoribus circumsepta. Distat duodecim leucis ab urbe Claromontensi, quinque ab urbe Bortio, & tribus ab urbe Alanchia, totidemque ab abbatia Vallis-sanæ. Monasterium plura pertulit incendia; sed recens a fundamentis egregio juxta ac solido opere constructum est secundis curis R. P. D. Nicolai de la Barriere abbatis de Villario-Betnach in Lotharingia, vicarii generalis D. abbatis Cisterciensis in provincia Arverniæ, aliisque adjacentibus, ac prioris Vallis-honestæ ab anno 1686. Monasterio imminet castrum munitissimum abbatis supra montium positum. Ecclesia ampla est & antiqua, cujus dedicatio celebratur die 2. Sept. Quamvis autem fundationis instrumentum nostram fugerit diligentiam, aliunde tamen discimus, scilicet ex litteris Francisci I. Francorum regis datis anno 1522. dominos de Mercorio haberi fundatores. Et certe cœnobium istud fundatum est in ducatu de Mercœur, cujus etiam præcipui benefactores delphini Arverniæ commemorantur. Sequentes duntaxat abbates e paucis chartis excerpere licuit.

ABBATUM SERIES.

I. JOHANNES I. DE LA TOUR. Ad bellum sacrum profectus dicitur cum abbate Cistercii, alio abbate, & 24. prioribus, quando Philippus Augustus cum Angliæ rege, &c. crucis vexillum explicavit. At vero id perperam Johanni de la Tour abbati an. 1369. acceptum id refertur, cum Philippus Augustus ante annos ducentos interiisset.

II. Durandus I. Chays abbas nobis occurrit, de quo id unum novimus quod immediate præcesserit Raimundum qui sequitur.

III. Raimundus post obitum Durandi electus abbas, Beraldo de Mercorio recognoscit an. 1284. quidquid suum monasterium in ducatu de Mercorio, &c. possidet.

IV. Durandus II. an. 1306. domino de la Tour d'Auvergne hominium præstitit pro quibusdam prædiis monasterio a prædecessoribus concessis.

V. Beraldus d'Onneste transigit an. 1308. cum Bertrando de Turre comite Boloniæ & Arverniæ pro alta, media & infima justitia ab antecessoribus dicti Bertrandi monasterio concessa, feria III. post festum S. Matthæi apostoli, ubi dicuntur abbatiæ partim fundatores.

VI. Geraldus. Instituitur a Bernardo de Turre exsecutor testamenti quod scripsit an. 1317. ex prob. hist. domus Arvern. Cum capitulo Claromontensi composuit XI. Januarii die Veneris post Epiphaniæ festum an. Incarn. 1319. indict. III. Johannis XXII. an. IV. ex archivo cathedralis Claromont. *Baluz. pag. 573.*

VII. Johannes II. de Pruveyre componit cum Maurino de Brion domino de Merdogne anno 1331.

VIII. Johannes III. de la Tour, e nobilissima stirpe, erat etiam prior ac dominus S. Fidis de Molompise in diœcesi S. Flori an. 1369. propugnavit dominium de Valence adversus Arnaldum de Mercorio usurpatorem.

IX. Johannes IV. Hubertus du Peschin abbas 2. Decembris 1428.

X. Antonius I. de Serre monachus professus Yssiodori, postulatus a monachis Vallis-honestæ, providetur de abbatia, bulla Eugenii papæ IV. data Romæ apud S. Mariam trans Tyberim anno Incarn. Dom. M. CCCC. XXXIIII. tertio nonas Junii, pontificatus anno IV. Hæc bulla adservatur in archivo Vallis-lucidæ seu Boscheti. Idem Antonius abbas reperitur adhuc anno 1459. 1453. in charta Vallis-honestæ; 1464. 31. Aug. & 1466. in archivis cathedralis ecclesiæ Clarom.

Digitized by Google

Hic de monaſterio bene meritus eſt, ut etiamnum ejus inſignia pluribus in locis appoſita probant.

XI. Bernardus de Serre, profeſſus Vallis-honeſtæ, ab 18. monachis ejuſdem conventus unanimi conſenſu eligitur in abbatem anno 1517. Ejus competitor fuit Claudius de Montdor ſecularis, qui ut a monachis in abbatem poſtularetur, eoſdem multis vexationibus, direptionibus, violentiis perturbavit; attamen Bernardus rexit per quinquennium. Quo defuncto

XII. Claudius de Montdor abbatiam occupavit anno 1522. & plurimas ſuo monaſterio calamitates intulit. Anno 1541. die quinta Auguſti R. P. in Deo Claudius de Montdor abbas & dominus de Feneriis homagium reddit Delphino domini Regis primogenito, duci Britanniæ, comiti Arverniæ & baroni de Turre; & an. 1543. die 16. Junii domino de Montpenſier per D. Anton. de la Beſſie monachum de Feneriis ſuum in hac parte conſtitutum procuratorem.

XIII. Antonius II. d'Apchon *, doctor jurium, Regis conſiliarius ac eleemoſynarius, abbas an. 1566. Hic plura monaſterii bona diſtraxit annis 1558. 1564. & 1569.

* *alias* d'Archon.

XIV. Johannes V. des Monts abbas 1588.

XV. Petrus de Langornez, *al.* Langournes, commendatarius 1597. Antequam abbatiam obtineret, Gabriel Dabin & alii laici eandem poſſidebant, & proventus percipiebant, ablatis chartis & deſtructis regularibus ædificiis. Deceſſerat die 12. Auguſti 1606. quo Johan. Roche monachus de Feneriis, nomine procuratorio conventus, hominium fecit Henrico de Bourbon de Montpenſier.

XVI. Franciſcus d'Eſpinchal, filius Franciſci d'Eſpinchal baronis des Ternes, prior jam erat Bortii ad Dordoniam, quando Henrici regis nominatione, annum ætatis 18. nondum prætergreſſus, abbatiæ poſſeſſionem iniit 9. Junii 1607. poſt obitum Petri de Langornez. Conſtruxit majus altare eccleſiæ. Anno 1609. hominium reddit Mariæ de Luxembourg ducisſæ de Pentheure, dominæ de Mercœur, principisſæ de Martigues, viduæ principis excellentiſſimi Philippi Emmanuelis a Lotharingia ducis de Mercœur, tutrici Franciſcæ de Lorraine ipſorum filiæ. Franciſcus obtinebat abbatiam an. 1621. quam abdicavit in favorem ſequentis. In ea tamen deceſſit 27. die Septembr. an. 1660.

XVII. Johannes VI. de Cailus de Levy primum abbatiam obtinuit in commendam; tum priore Fenerenſi adigente, profeſſionem emiſit in ſuo monaſterio, ſex tantum novitiatus menſibus expletis, ex diſpenſatione ſummi pontificis data VI. Sept. 1669. Anno 1673. hominium fecit domino duci Vindocinenſi & Mercorienſi, die III. Novembris. Obiit an. 1678. 7. die Septembris poſtquam in reſarciendis ædificiis multum laboraſſet.

XVIII. Ludovicus Geraldus de Cordemoy, celeberrimi academici filius, lector ſereniſſimi Delphini, menſe Septembri anni 1678. deſignatur abbas Fenerienſis, poſſeſſionem adeptus an. 1680. quo titulo potiebatur adhuc an. 1718.

BOSCHETUM * ſeu VALLIS-LUCIDA.

* Bouchet.

HÆC abbatia, ordinis Ciſtercienſis, ſita prope Vicum-Comitis * tribus circiter milliaribus ab Iſſiodoro in parochia d'Ironde, fundatur [a] a Roberto comite Arverniæ an. 1198. *al.* 1197. dedicatur a Roberto Claromontenſi epiſcopo. Ejuſdem loci ſingulares benefactores fuerunt Bernardus IV. de Turre, ut refert Juſtellus lib. 5. Godefridus de Bolonia Dom. Montis-Gaſconis, &c. Ibi jacent humati Guido de Arvernia cardinalis Bolonienſis, qui ſufficientem huic monaſterio pecuniæ ſummam legavit, qua reditus acquirerentur alendis duodecim monachis pares: & Lodoica Tremollia comitiſſa Arverniæ, domina de Bomiers, de S. Juſt, de Bouſſac & Donzenac, filia Georgii comitis de Guines, &c. Catharina domina de l'Iſle-Bouchard, &c. cum ſuo marito Bertrando VI. hujus nominis, domino de la Tour, comite Arverniæ, Bononiæ, dicitur fundatrix hujus monaſterii, quod ſane ſic intelligendum, ut ſit quaſi fundatrix ſeu reſtauratrix; vel ſi mavis, ita nuncupatur, quia cœnobium a majoribus ejus fundatum eſt, ut pote quæ ſerius a fundatione, anno ſcilicet 1474. defuncta ibidem memoratur. Franciſcus de Polignac in eadem eccleſia ſepelitur an. 1503. & Ludovica de Crequi 15. Martii 1469.

* Vic le Comte.

[a] *Vide tomum 2. Gall. Chriſt. Sanm. p. 529.*

Baluz. not. ad vit. pap. Aven. c. 840.

Du Tourny hiſt. magn. Franciæ cambell.

Hos Boſcheti abbates chartæ veteres ſuppeditarunt.

ABBATUM CATALOGUS.

I. ÆGIDIUS abbas del Boſchet ſubſcriptus reperitur in duabus Illidianis chartis an. 1204. menſe Octobri, craſtina die S. Leodegarii, & 1206. quo anno teſtis nominatur cum dom. Jauſerant abbate Montis-petroſi in donatione Delphini comitis Arverniæ pro monaſterio Medii-montis, *Megemont*, ex prob. hiſt. domus Arvern. Steph. Baluzii p. 249. ubi etiam p. 83. teſtis commemoratur teſtamenti comitis Arvernorum conditi VI. cal. Junii an. 1209.

II. B. ſubſignat donationem Petri de Veteri-Brivata monachi del Boſchet factam monaſterio B. M. Piperacenſis an. 1222. ex archivis hujus monaſt. Abbatis hujus tempore, an. videlicet 1221. reſtauratur abbatia Boſcheti, fundum ſuppeditante Guidone Claromontenſi comite, ex charta ejuſdem inter inſtrumenta. C. LIX. col. 125.

III. J. 1233.

IV. Pontius an. 1256. concordiam fecit cum Hugone abbate Magni-loci, menſe Junio. Subſcripſit an. 1259. teſtamento P. Morriola domicelli, menſe Auguſto.

V. Guillelmus I. teſtis fuit teſtamenti Roberti I. comitis Claromontani in vigilia Paſchæ anno 1262. inter probationes hiſt. domus Arvern. *Baluz. p. 270.*

VI. Geraldus Geneſii 1282. & 1284. quo anno die Martis poſt *Reminiſcere*, accepit quædam ad cenſum a Roberto comite Boloniæ & Arvern.

* De inchoato monaſterio id non eſt intelligendum, jam enim an. 1192. exſtabat ex bulla Cœleſtini papæ III. cujus damus excerptum in noſtris probationibus, C. LIX. col. 124.

Digitized by Google

ex prob. hiſt. domus Arvern. Baluz. pag. 134. A Memoratur quoque annis 1286. & 87. 1300. 1301. & 1305. qui tamen jam anno præcedenti abdicaſſe videtur ; etenim

VII. Johannes I. du Vinghal, *al.* Delvinhal (quæ gens olim nobilis inter Arvernos) regebat an. 1304. 1309. & 1313. quo anno die Dominica ante Aſcenſionem Domini recognovit ſe tenere quaſdam parcerias, &c. a nobili & magnifico Dom. Bernardo de Turre milite, ex prob. hiſt. domus Arvern. ubi ſiletur Johannis cognomen. Memoratur adhuc annis 1314. 1316. & 1320.

Idem p. 567.

VIII. Robertus I. du Vinghal, *al.* Delvinhal, Johannis nepos, 1323. 1327. 1329. & 1332. B die Martis poſt tranſlationem B. Benedicti abbatis, quo anno memoratur in teſtamento Guillelmi Boloniæ & Arverniæ comitis, qui voluit ſepeliri cum majoribus ſuis in abbatia Boſcheti. Hoc inſtrumentum editum eſt in prob. hiſt. domus Arvern.

Idem p. 765. & ſeq.

IX. Guillelmus II. Eſchamini 1341.

X. Guillelmus II. de S. Amantio 1343. Num idem cujus tacetur cognomen an. 1347.

XI. Guillelmus IV. de la Freydeira * 1355. ind. VIII. menſe Junio Innocentii VI. anno tertio.

* la Frediere *prope* Ambertum *in Arvernia.*

XII. Imbertus, *al.* Guibertus, Rainaud præerat jam an. 1369. in cujus manu Gaudefridus Boloniæ dominus Montis-Gaſconis & Rupis-Savinæ, ſuam in eccleſia de Boſcheto ſepulturam C eligens, in qua jam ipſius uxor Margarita delphina ſepulta erat, donat monaſterio decimas S. Boniti de Nova-cella & S. Amandi prope Rupem-Savinam. Datum Avinioni 22. Januarii 1374. Habes inſtrumentum Gallice ſcriptum inter probationes hiſt. domus Arvern. Idem Imbertus an. 1376. & 1380. 26. Januarii in charta Petri Arelat. archiepiſcopi, domini papæ camerarii, & an. 1382. indict. v.

Idem p. 169.

XIII. Durandus Corvazac abbas Vallis-lucidæ die Mercurii 2. Januarii an. 1386.

XIV. Guillelmus V. 1388.

XV. Nicolaus Geraldi 1398. & 1400. in charta Godefredi de Bolonia domini caſtrorum de Monte-Gaſconis & de Rupe-Savina. Subſcripſit anno ſeq. cuidam inſtrumento dato die Jovis in vigilia Epiphaniæ Domini. Anno 1410. die 14. Auguſti convenit cum Hugone de Tholono decano, & capitulo S. Syrenei Billomenſis. Reperitur & in chartis annorum 1416. & 1419. ubi conſtanter legitur frater Nicolaus Geraldi ; in charta tamen anni 1404. 25. Martii lego fratrem Nicolaum de Caſtellodone ; duplici proinde gaudebat cognomine, uno forſitan a patre ſumto, E altero a patria.

XVI. Robertus II. Roſelha 1423. 25. 26. 27. 29. & in litteris Bertrandi domini de Turre 6. Januarii 1432.

XVII. Johannes II. Falconeti ad quem exſtant litteræ Franciſci tit. S. Clementis presbyteri card. domini papæ camerarii datæ Ferrariæ an. 1438. indict. 1. die 29. Aprilis, Eugenii papæ IV. anno octavo ; necnon Angelotti tit. S. Marci presbyteri card. ſacri collegii camerarii, datæ ibid. an. 1438. menſis minime eſt annotatus. Obiit abbas iſte die XI. Januarii an. 1444.

XVIII. Antonius I. Rouſſilia, *al.* Roſilla vel Roſſilha e monacho Vallis-lucidæ abbas eligitur a fratribus die 16. Januarii an. 1444. indict. VII. Eugenii papæ IV. an. 13. quo item anno 18. Martii electio ipſius facta poſt obitum Johannis Falconeti, confirmata fuit a Carolo Francorum rege. Præfuit ad annum ſaltem 1460.

XIX. Johannes III. de Serra monachus Vallis-honeſtæ, *al.* de Feneriis (quod idem ſonat) electus eſt abbas Vallis-lucidæ an. 1471. indict. IV. die 9. Maii, Pauli II. anno ſeptimo.

XX. Antonius II. de Serra 1476.

XXI. Godefridus de Turre abbas commendatarius 1482. idem proculdubio ac Godefridus de Bolonia nothus, qui reperitur abbas an. 1483.

XXII. Theobaldus de Turre, comitis Arverniæ & Boloniæ filius naturalis, protonotarius Sedis apoſtolicæ, abbas commend. an. 1497. ſimul epiſcopus Siſtaricenſis.

XXIII. Franciſcus I. du Peſchin abbas commend. concordat cum Petro de Montagut pro fundatione facta in eccleſia B. M. de Boſcheto a majoribus dicti Petri, an. 1504. Occurrit adhuc anno ſequenti.

XXIV. Gaſpardus de Rupe-forti an. 1512.

XXV. Carolus de Monteeaulx abbas regularis C 1543. & 1558.

XXVI. Polydor de Gemini patria Italus, abbas commendatarius, permutavit an. 1626. cum ſequenti pro canonicatu Carnotenſi.

XXVII. Franciſcus II. de Gemini ſuperioris nepos, ex canonico Carnotenſi.

XXVIII. Guillelmus VI. de Flecelles ſenator Pariſienſis, obiit 4. die Decembris an. 1673.*

* *al.* 1671.

XXIX. Stephanus * de Chabenat de Bonneuil filius Stephani, oratorum ad regem introductoris, ex Magdalena Petit, obiit an. 1692.

* *al.* Antonius.

XXX. Joſephus Brunet abbas deſignatur die D 14. Aug. an. 1692.

XXXI. Claudius Brunet, quem ideo maxime alium autumo a Joſepho, quod Claudius uno tantum anno, ſcilicet 1695. abbatiam tenuiſſe dicatur, quam vir pius vitandæ beneficiorum pluralitatis cauſa abdicavit.

XXXII. Johannes IV. de Boisgibault d'Aumale ab anno 1696. * ad annum ſaltem 1712.

* *al.* 24 Decemb. 1694.

In necrologio S. Andreæ ſecus Avenionem notatur mors Rixendis abbatis Boſcheti, VIII. id. Martii.

BELLA-AQUA.

E BELLA-AQUA, ordinis Ciſtercienſis, filia Montis-Petroſi, conditur IV. cal. Septembris an. 1137. vel potius VI. cal. Julii, ut legitur in Exordio Ciſterc. In MS. codice Montis-Petroſi legitur : *An. M. C. XXXVI. fratres noſtri fundavere domum B. Mariæ de Aqua-bella in Combrallia, cui plurima bona fecere nobiles domini de Borbonio & de Jo..... & de Monte-acuto.* Anno 1173. abbas & monachi hujus loci fundaverunt domum B. M. de Valle-honeſta ſeu de Feneriis, *Feniers.*

De abbatibus qui Bellaquenſe rexerunt aſceterium, nihil ad nos pervenit præter hos quatuor :

Digitized by Google

I. WILLELMUS ſeu Guillelmus occurrit an. 1148. in tabul. Obaſinæ, & rurſum 1149. teſtis legitur in dono Guillelmi de Pelſors de Caſtello pro Calercio.

II. A. de la Chenat abbas Bellaquæ adfuit nomine Clari-montis comitiis regni generalibus, ſeu cœtui notabilium habito Pariſiis 1557. feria IV. die 5. Januarii.

III. N. de Bayard 1670. Obiit 1675.

IV. N. Elian an. 1680.

Esclache

ESCLACHIA, ESCLEASIA, ESCLACIA, & ESCHALARIA.

HÆC abbatia monialium ordin. Ciſtercienſis, olim diſtabat a Claromonte ſeptem leucas, ſita in parochia de Prondines in montibus Arverniæ, ubi tamen vicina ſunt ſtagna quædam; tranſlata poſtmodum in ſuburbium Claromon-
* Fongieres tenſe apud Fontem-Judaïcum *, ac denique in aliud ſuburbium Claromontis in parochia S. Geneſii juxta Benedictinarum monaſterium, de quibus tranſlationibus conſule Durandum in notis ad Origines Savaronis p. 150. Exſtabat anno ſaltem 1159. quando Eſclacienſes hoc ipſo anno, calendis Auguſti, initium dederunt Buxerienſi cœnobio prope Culentum, ut eruit ex tabulis Buxeriæ noſter D. Claud. Eſtiennot. Ex hoc parthenone nuperrime prodierunt Anna Ludovica de S. Herem abbatiſſa Gaudii prope Nemoroſium, diœceſis Senonenſis; Anna de Montmorin de S. Herem abbatiſſa de Clavas, diœceſis Anicienſis; Carola de Veiny d'Arbouze abbatiſſa Moleſiæ diœceſis Cabilonenſis; & Magdalena de la Richardie abbatiſſa Boni-loci diœceſis Lugdunenſis. Huic autem præfuerunt abbatiſſæ quæ ſequuntur.

ABBATISSARUM SERIES.

I. AELYS obedientiam ſpondet Hugoni Arvernorum epiſcopo an. 1240. ex archivo cathedralis.

II. Elvidis de Baſremont memoratur 1272. in ſtatutis capituli generalis ordinis Ciſterc.

III. Alaſia domina & abbatiſſa Eſclachiæ, filia quondam dom. Rotberti dalphini comitis Clarom. obiit anno Dom. M. CC. LXXVII. tertio idus Junii, ex ejus inſcriptione ſepulcrali eruta ex veteris abbatiæ parietinis diligentia noſtri D. Jac. Boyer; in medio lapidis crux eſt inſculpta, ad cujus latus viſitur pedum paſtorale. Quatuor lapidis angulos ornant totidem delphini.

IV. Iſabellis de Langiaco hominium reddit epiſcopo Clar. an. 1333. ex arch. epiſc.

V. Ludovica I. de Monte-rugoſo, *de Montroignon*, reperitur in charta Rogerii de S. Avito abbatis Boni-loci diœceſ. Lemovic. ord. Ciſterc. menſe Aug. an. 1422.

VI. Agnes de Vaſſel annis 1444. & 1464. Reſarcivit monaſterium S. Benedicti de Prato juxta Gergoviam, Eſclaſiæ ſubditum.

VII. Ludovica II. de la Roche-Aymon an. 1503.

VIII. Anna de la Roche-Aymon ſuperioris ſoror an. 1540.

IX. Gabrielis I. de la Roche-Aymon, *alias* de la Ville-du-Bois, filia Claudii de la Roche-Aymon, neptis vero Annæ ſuperioris, in cujus manibus profeſſionem emiſerat 10. die Aprilis an. 1541. Ex ejuſdem reſignatione inſtituitur abbatiſſa, bullis a Paulo papa conceſſis an. 1543. pontificatus nono; benedictionem vero percepit ab Antonio Paſchali Roſenſi epiſcopo in eccleſia B. Mariæ de Eſclachiis, permittente Guillelmo du Prat epiſcopo Claromontenſi. Moritur an. 1572. ætatis ſuæ 48.

X. Johanna de Flageac bullas accepit a Gregorio XIII. datas Romæ apud S. Marcum anno Incarnationis Dom. 1573. VIII. idus Auguſti, pontificatus anno 2. Inducitur in poſſeſſionem a Petro Ciſtel officiali Claromontenſi die 12. Decembr. anni ejuſdem. Præfuit ad an. 1580. quo ceſſit Margaritæ ſequenti, ſuæ ex matre ſorori.

XI. Margarita de la Roche-Aymon renovavit terrarium an. 1598. Moritur an. 1645. reſignata paulo ante abbatia.

XII. Gabrielis II. de Curton de Chabanes, Helenæ abbatiſſæ Vallis-Sanæ, & Iſabellæ Pontis-Dominarum abbatiſſæ ſoror, præerat an. 1646. Nepti cedit anno circiter 1655.

XIII. Elizabetha de Chabanes filia Chriſtophori marchionis de Curton, *al.* Johannis Caroli, & Ludovicæ de Margival, ex abbatiſſa Vallis-Sanæ transfertur ad abbatiam Eſclachiæ; ſed affecta hydropiſi, revertitur ad Vallem-Sanam 28. Dec. 1662. ibidemque obiit 3. die Maii an. ſeq.

XIV. Catharina Angelica de Montmorin de S. Herem filia Gilberti Gaſpardi domini de ſaint Herem ex Catharina de Caſtille, anno ætatis ſuæ 29. coadjutrix facta eſt bulla Alexandri VII. data in arce Gandulfi diœceſis Albanenſis anno Incarnationis 1657. IV. nonas Maii, pontificatus anno tertio, aſſumta ex parthenone S. Scholaſticæ Biliomenſis, cujus erat alumna. Cœnobium vero ſitum in terra deſerta & invia, ad civitatem Arvernorum tranſtulit, cui ſtabiliendo & augendo ſedulam navabat operam anno 1676. Obiit 20. Julii 1692.

XV. Franciſca de la Roche du Ronzet, filia Joſephi equitis, domini de Giat & du Ronzet in Arvernia, & Gabrielis de la Blanchiſſe, monialis profeſſa Eſclachiæ, abbatiam obtinet ſchedula regia 1692. & bulla Innoc. XII. data Romæ apud S. Mariam-Majorem calendis Novemb. ejuſdem anni, pontificatus anno 2. Benedictionem excepit die XI. Januarii anni ſeq. in eccleſia RR. PP. Carmelitarum Claromont. a Franciſco Bochart novo tunc Claromontenſi epiſcopo. In cœnobio regularem obſervantiam reſtituit & tueri pergit pia abbatiſſa, multarum mater.

VALLIS-SANA. LaVassin

VALLIS-SANA, *la Vaiſſy* in antiquis documentis, nunc *la Vaſſin*, ubi S. Johannes Bapt. ſpeciali cultu celebratur, filia Ciſtercii, feminarum eſt, ſita in parochia S. Donati, in archipresbyteratu Rupiſortis ad ripam fluvioli *la Trentaine* ita nuncupati, ut aiunt, a triginta fontibus e Monte-aureo, *Mont-d'or*, ſcaturientibus, e

Digitized by Google

quibus iſte fluviolus conflatur, influens deinde in Dordoniam. Appellata fuit etiam aliquando hæc abbatia d' *Entraigues, Inter-aquas*, quod inter aquas *de la Trentaine*, & alterius rivi ſit poſita. Tribus abeſt leucis, a prædicto Monte-aureo, balneis celeberrimo, totidemque ab urbe Bortio *, duabus vero a Turre Arverniæ, ac decem a Claromonte. Jacet in profunda valle ſilvis, rupibus & montibus circumſepta; quæ cum ante ſexaginta circiter annos incendio abſumta ſit, mirum videri haud debet, ſi nec fundationis inſtrumentum, nec plurium abbatiſſarum nomina reperire datum eſt.

* Bort.

Quædam abbatissæ.

I. Petronilla abbatiſſa de la Vaiſſy promittit reverentiam & obedientiam Deo & eccleſiæ Clarom. & D. Rotberto epiſcopo ſub finem XII. ſeculi, ex ſchedula juramenti in arch. cathed. Clarom.

II. Agnes abbatiſſa de la Vaiſſy eidem Rotberto obedientiam ſpondet. Ibidem.

III. N. de la Tour conſtruxit portam majorem eccleſiæ.

IV. N. de Tregnolle.

V. Almodia legitur abbatiſſa de la Vaiſſy anno Domini 1350. die S. Luciæ, in inſtrumento Montis-acuti.

VI. Anneta de Tineyra abbatiſſa de la Vaiſſy confert Johanni David presbytero vicariam eccleſiæ de Prades 28. Septemb. 1442. ex charta Montis-acuti.

VII. Helena de Chabanes filia Joachimi de Chabanes, marchionis de Curton, Toloſæ ſeneſcalli, equitis honorarii Catharinæ de Medicis, ex Ludovica de Pompadour ſecunda conjuge; ſoror Iſabellæ Pontis-dominarum abbatiſſæ.

VIII. Michaëlis de Chabanes neptis Helenæ, profeſſa Pontis-dominarum, ſepulta eſt ante presbyterium a latere Evangelii.

Du Fourny. IX. Elizabetha de Chabanes, filia Johannis Caroli de Chabanes, transfertur ad abbatiam Eſclachiæ ex abbatia Vallis-Sanæ, ad quam regreditur 28. Decemb. 1662. hydropiſi affecta, qua ibidem occubuit anno ſeq. die 3. Maii.

X. Franciſca de Chabanes Elizabethæ neptis, multa prædia ſuo monaſterio acquiſivit; exactiſque in regimine probo annis triginta, obiit 20. Januarii an. 1690.

XI. Eliſabetha de Chabanes de Curton, ſoror Franciſcæ, patrem habuit Chriſtophorum, matrem vero Gabriëlem Franciſcam de Rivoyre du Palais. Sexennis ingreſſa eſt in Vallis-Sanæ monaſterium, decennis monaſticum ibidem habitum induit, tandemque a Rege nominata, abbatiſſa inſtituitur bulla Innocentii papæ XII. data Romæ apud S. Mariam-majorem, anno Incarnationis Domin. 1691. tertio idus Januarii, pontificatus anno primo. Præerat adhuc an. 1712. viginti monialibus.

Mege-mont.

MEDIUS-MONS.

Olim feminarum erat, nunc virorum, in provincia Lugdunenſi & diœceſi Claromont. condita eſt a delphinis & comitibus Arverniæ. Has abbatiſſas recenſet noſter D. Claud. Eſtiennot.

Series abbatissarum et abbatum.

I. Maria I. de Ressa reperitur an. 1274.

II. Delphina I. de Rocafolia ab anno 1276. ad 1298.

III. Delphina II. ejuſdem cognominis ab an. 1299. ad 1347. Inter probationes hiſt. domus Arverniæ auctore Baluzio p. 299. exſtat compoſitio inter Robertum comitem Clarom. & abbatiſſam Dalphinam, facta menſe Martio Pariſiis an. 1321. in qua dicta abbatiſſa fidem profitetur comiti.

IV. Maria II. de Buante per conjecturam hoc loco reponitur.

V. Iſabellis de Trizel, *al.* de Toſel 1389. Eadem haud dubie eſt quæ in veteri necrologio fratrum Minorum Claromontenſium ita commemoratur: *Idibus Junii natalis B. Anthonii conf. Obiit Iſabellis de Toſello abbatiſſa Mediimontis.*

VI. Agnes de l'Aſtie ex abbatiſſa Caſarum, abbatiſſa Medii-montis, teſte necrologio Caſarum, ubi commemoratur VI. Aprilis.

VII. Jacquetta de l'Aſtie an. 1500. abſolvit ædem abbatialem, ex inſcriptione appoſita & ſtemmate gentilitio.

VIII. Helena de Clavieres, *alias* de Murat an. 1587. Mortua creditur an. 1605.

IX. Franciſca de Nereſtang 1605. & 1612. quo anno commutavit hoc monaſterium cum cœnobio Benedictionis-Dei.

Abbates.

I. Claudius de Nereſtan ex abbate commendatario Benedictionis-Dei, abbas Medii-montis.

II. Franciſcus de Cremault ad an. fere 1650.

III. Petrus de Cremault comes & canonicus Lugdun. ac præpoſitus Matiſcon. Erat abbas an. 1675. moritur vero an. 1681. Hic vel anteceſſor vocabatur etiam Hector; vel tres hujus cognominis admittendi ſunt abbates.

IV. Carolus Andrault de Maulevrier-Langeron comes Lugdunenſis, ſereniſſimæ delphinæ ab eleemoſynis, abbas etiam S. Johannis Reomenſis & S. Petri Cabilon. nominatur a Rege ad abbatiam Medii-montis, menſe Septemb. an. 1681. De eo require in epiſcopis Æduenſibus.

ABBATIA S. ANDREÆ CLAROMONT. ordin. Præmonstr.

Mege-mont.

Coenobium iſtud in ſuburbio Claromontenſi conſtructum eſt a Guillelmo V. cognomine Magno, ceterorum Arverniæ comitum propagatore, in cujus monaſterii baſilica jacet cum uxore Johanna de Calabria; cor vero & viſcera Ludovici VIII. regis ibidem depoſita ſunt. Hujus dotationis exemplar, etſi jam editum a Sammarthanis ex Savaronis, inquiunt, autographo, & a Baluzio inter probationes hiſt. Arvern. pag. 62. necnon Spicilegii tom. VIII. p. 154. recudere inter noſtra inſtrumenta haud inutile viſum eſt. Nunc brevem abbatum hiſtoriam ex variis conflatam monumentis ſubjiciamus.

C. LVI. col. 1232

Abbatum

Digitized by Google

ABBATUM SERIES.

I. GUALTERIUS ſolo prioris titulo inſignitur in bulla Alexandri papæ III. qua fundationem hujus abbatiæ prope & extra muros Claromontenſes confirmat; data eſt Anagniæ idibus Maii an. 1174.

II. Rogerius reperitur abbas anno 1181. in charta Mauziacenſis monaſterii.

III. Durandus, ſive Durantus, componit anno 1185. cum Arnaldo abbate S. Illidii. An. 1188. Clemens papa III. confirmavit abbatiæ fundationem, data bulla Laterani, III. nonas Junii anni ſupra dicti. Interfuit idem abbas an. 1197. B tranſlationi corporis S. Auſtremonii in monaſterium Mauzacenſe. Abdicaſſe vero videtur paulo ante hunc annum, a quo ſcilicet ad an. uſque 1214. frequenter & conſtanter dicitur quondam abbas.

IV. Johannes I. abbas S. Andreæ 1196. ex chartul. S. Illidii ubi ejus nomen ſubſcriptum aſſeritur cum D. quondam abbate.

V. Thomas ſubſcriptus reperitur cum Ar. abbate S. Illidii, in charta Bartholomæi de Agella ſacerdotis, qui Jeruſalem pergens, Illidiano concedit monaſterio quidquid habet juris in eccleſia S. Georgii de Agella, &c. an. 1200. Teſtis iterum legitur cum Duranto quondam abbate S. C Andreæ in donatione W. de Chamaleria facta eidem Ar. abbati S. Illidii; charta vero notis chronicis caret; at certe præerat anno 1203. ex eodem chartul.

VI. J. abbas S. Andreæ occurrit in charta Ro. Claromont. epiſcopi data menſe Maio an. 1204. indict. VII. ex chartul. S. Illidii. Reperitur Johannes an. 1208. cum Duranto quondam abbate, ex eodem chartul.

VII. Thomas memoratur ibidem an. 1214. cum Duranto quondam abbate. Errorem tamen ſuſpicor ex hac tum Johannis, tum Thomæ repetitione in hujus chartularii ſcriptore. Forte nimirum haud ſatis attendit ad efformationem primæ D horum nominum litteræ majuſculæ quam ut conjicio nudam offendit, quæ quidem litteræ videlicet J. & T. negligenter efformatæ ſæpius confunduntur, unde illas modo per Johannem, modo per Thomam temere interpretatus eſt.

VIII. R. 1216.

IX. Guillelmus I. 1240.

X. Petrus I. 1242. fortaſſe hic eſt Petrus Atayna quem D. du Fourny defunctum aſſerit 24. Novemb.

XI. Guillelmus II. Bompar 1243. & 1251. E qui regimen abdicavit anno incerto, proindeque de ipſo poteſt intelligi quod legimus in charta S. Illidii, G. abbatem præfuiſſe an. 1260. menſe Januario, vel de Guillelmo Uzenda brevi ſecuturo, ſi annum ejus obitus per veterem computandi morem explicemus.

XII. Petrus II. 1255.

XIII. Guillelmus Uzenda, *alias* de Merdoigne 1256. & 1258. *Guidone præſulante*, ex archiv. epiſc. Clarom. Obiit XI. Febr. 1259.

XIV. Petrus III. de Camaleria, *de Chamaliere*, 1261. in charta S. Illidii & 1262. in tabul. A Bituric. archiepiſcopi, ubi Johannes archiepiſc. debitam ſibi ratione viſitationis procurationem remittit &c. item ex tab. Illidianis 1263. Mortem oppetiit 28. Januarii 1265.

XV. Geraldus I. 1266. & 1267. in chartis Illidianis.

XVI. Petrus IV. Teyſſers, vel Tuſſers, *al.* Teyſſier 1274. in charta S. Illidii, & 1276. Obiit 1278. die 8. Febr.

XVII. Guillelmus IV. de Beſſia vel de la Beſſa reperitur an. 1278. XVII. cal. Aprilis in charta Cantoënnenſis monaſterii; & rurſum 1288. & 1295. Obiit 12. * Martii 1296. * *al.* 21. Mali.

XVIII. Stephanus I. 1296. in charta S. Illidii.

XIX. Bertrandus de Plonziaco obiit 8. Auguſti an. 1300.

XX. Geraldus II. Uzenda memoratur anno 1300. Deceſſit in feſto S. Martini an. 1304.

XXI. Johannes II. an. 1304. ex ſchedis D. Jacobi Boyer.

XXII. Bertrandus de quo hæc lego in ſchedis D. Jacobi Boyer: *Frater Geraldus abbas Vallislucidæ diœceſ. Claromont. & conventus ejuſd. loci cum fr. Bertrando abbate & conventu S. Andreæ Claromont. tranſactionem faciunt de Vaulcieux & de Inighas, &c. die Lunæ ante feſtum Nativit. S. J. Baptiſtæ anno M. CCC. quinto.*

XXIII. Aſtorgius Barat reperitur annis 1307. & 1318. qui fato functus eſt die 24. Januarii an. 1320.

XXIV. Jacobus * de Serre, *al.* Deſſera, præ- * Jatmo. erat jam anno 1321. Hic adjutus a fratre W. de la Guarda magiſtro domus de Bravane, terrarium fecit Arvernica lingua ſcriptum in pergameno, an. 1331. Dominium & juſtitiam dicti loci de Bravane ſuo monaſterio acquiſivit optimus abbas, & utiliter pro abbatiæ ſuæ bono laboravit, ut patet ex variis inſtrumentis. Inſtituitur exſecutor teſtamenti Hugonis delphini præpoſiti Brivat. die Veneris poſt feſt. S. Agathæ an. 1347. ex probat. hiſt. dom. Arv. Baluz. p. 311. Idem Jacobus abbas an. 1340. die XI. Junii rogatus fuerat a Johanne comite Clarom. & delphino Arv. ut eſſet teſtis ſui teſtamenti & exſecutor, cum præfato Hugone delphini præpoſ. Briv. ibid. p. 318. An. 1351. amicabilis fuit compoſitor inter abbatem & monachos S. Illidii, ut liquet ex hoc inſtrumento:

Jacobus Dei gratia humilis abbas monaſterii S. Andreæ prope Claromontum Præmonſtratenſis ordinis, una cum Johanne Aſſolent Camaleriæ & S. Geneſii Claromont. eccleſiarum canonico & archipresbytero Cuſſiaci Claromont. diœceſis, tractator & amicabilis compoſitor ſeu commiſſarius electus a DD. Guidone Divina Dei providentia epiſcopo Portuenſi S. R. E. cardinale, & Stephano Dei gratia archiepiſcopo Tholozano, Domini noſtri papæ camerario, compoſitionem fecit abbatem inter & conventum S. Illidii pro ſeparatione abbatialis menſæ a conventuali.

Acta fuerunt hæc in capitulo S. Illidii die XVI. menſis Auguſti, quæ dies fuit dies Martis in craſtinum feſti Aſſumptionis B. Mariæ virginis circa horam tertiæ dictæ diei, anno ab Incarnat. Domini

Digitized by Google

M. CCC. L. primo, indictione IV. pontificatus SS. in Chriſto patris & D. D. Clementis Divina providentia papæ VI. anno X. Obiit denique 14. die Januarii an. 1353.

XXV. Matthæus de Podio-Rainaldi, *de Puy-Rainaud*, memoratur abbas annis 1354. & 1359. Diem obiit 13. Julii 1360. abdicato prius regimine.

XXVI. Bonpar, *al.* Bonus, obiit 20. die Martii an 1360. poſt aliquot menſes regiminis.

XXVII. Geraldus III. Jaumar 1360. & 1371.

XXVIII. Stephanus II. Rauzier 1374. 1400. die 7. Decembris, Henrico epiſcopo, ex archiv. epiſcopi Claromont. & 1406. Hic menſam abbatialem a conventuali diviſit.

XXIX. Guillelmus V. Simon 1409. Obiit 27. Julii anno incerto.

XXX. Stephanus III. Iſſartel 1415. & 1437. obiit 28. Octob.

XXXI. Beraldus de la Volpilliere 1440. moritur die Septemb. 18. an. 1451.

XXXII. Johannes III. de la Volpilliere 1455. 1467. ex archiv. epiſcopi Clarom. & 1485. ultimus abbas regularis. Ceſſit ante obitum, qui contigit 5. Decemb. an. 1492.

XXXIII. Guillelmus VI. de la Volpilliere primus abbas commendatarius, affinis Thomæ & Guillelmi du Prat epiſcoporum, canonicus eccleſiæ Claromont. & abbas de Quadraginta, 1487. & 1529. quo anno deceſſit die 19. Julii.

XXXIV. Claudius du Prat epiſcopus Mimatenſis & abbas Magniſocenſis, &c. 1529. Contulit ſacros ordines in eccleſia S. Andreæ die 24. Septemb. an. ſeq. ex archivo S. Illidii. Obiit autem 18. Febr. 1533. ſepultus in hac S. Andreæ abbatia.

XXXV. Philippus de la Chambre presbyter cardinalis tit. S. Martini in Montibus, cardinalis de Boulogne vulgo nuncupatus, abbas Corbeiæ, Magni-loci, &c. 1533 & 1549. Abſtulit ſacra vaſa argentea, ſtromata ex auro & ſerico texta, aliaque plurima monaſterio intulit damna.

XXXVI. Tyberius I. Criſpus cardinalis diaconus tit. S. Agathæ an. 1550.

XXXVII. Tyberius II. Criſpus civis Romanus, abbatiam obtinebat anno 1557. Tranſegit anno ſeq. die 30. Auguſti cum Placido Legier abbate S. Illidii pro decimis de Blanzac. Permutavit cum ſequenti, retenta ſibi penſione in epiſcopalem ſedem Bononienſem, qua gaudebat abbas qui ſequitur.

XXXVIII. Proſper presbyter tit. S. Mariæ Angelorum ad Thermas cardinalis a S. Cruce vocitatus, perpetuus eccleſiæ Arelatenſis adminiſtrator 1569. & 1580. Cum vero mota lis eſſet inter hunc Proſperum & anteceſſorem Tyberium ob mutuam permutationem, hic tribus a Rota ſententiis obtentis, abbatiæ regimen iterum adipiſcitur an. 1580. Reſignavit poſtea ſequenti ſub penſione an. 1582.

XXXIX. Hieronymus Ravaſquier 1582. Reſignavit ſimiliter Stephano qui ſequitur.

XL. Stephanus III. de la Barge archidiaconus major & canonicus comes Lugdunenſis 1585. Obiit Lugduni calendis Januarii anno 1602. abdicata, ut videtur, abbatia, quam tamen adhuc an. 1595. obtinebat.

XLI. Carolus de Valois Arverniæ comes & magnus Franciæ prior, abbatiæ proventibus potiebatur an. 1599. at nullibi nomen abbatis S. Andreæ uſurpaſſe legitur.

XLII. Ludovicus de Valois ſuperioris filius, epiſcopus & comes Agathenſis, abbas Caſæ-Dei & S. Andreæ 1607. & 1622. Uxoratus poſtea, dictus eſt comes d'Alais & dux Engoliſmenſis.

XLIII. Henricus Ardier, filius Henrici regii ærarii cuſtodis * & N. Philippeaux, ſenator clericus in parlamento Rotomagenſi, canonicus eccleſiæ Pariſienſis, prior & dominus Manſi-azilis in Occitania & S. Crucis Savignacenſis prope Montem-Briſonem, abbas erat S. Andreæ an. 1624. cujus tempore, an. videlicet 1648. R. pater Nicolaus Houſſel, doctor theologus, in abbatiam hanc prior miſſus ab Auguſtino le Scellier abbate generali Præmonſtratenſi, ſtrictiorem in hoc cœnobium obſervantiam induxit. Henricus vero abbas tranſactionem fecit cum monachis pro partitione bonorum, quæ admiſſa fuit in parlamento Pariſienſi die 27. Julii an. 1662. Vita functus eſt in balneis Borbonicis 29. Septemb. an. 1664.

* Threſorier de l'épargne.

XLIV. Gaſpardus de Tourreil filius cognitoris regii in parlamento Toloſano, a Rege nominatus eſt abbas 8. die Januarii an. 1665. poſſeſſionem vero adeptus eſt per procuratorem 23. Martii anni ſequentis, & rurſum vi bullæ pontificiæ 7. Febr. an. 1668. Sedebat adhuc an. 1710. quo hæc eruit ex archivis S. Andreæ noſter D. Jacobus Boyer. Obiit autem die 14. Martii an. 1712.

XLV. Johannes-Antonius de Nevenſtein ſchedula regia deſignatur abbas S. Andreæ die 26. Martii an. 1712. bullis pontificiis datis die 21. Junii ejuſdem anni, poſſeſſionem adiit die 3. Aprilis an. 1713.

Præter hos abbates duo alii occurrunt, quorum tempus ignoratur, videlicet Bertrandus de Murol mortuus die 13. Febr. & Arnulfus du Bois vel des Bois 24. Octobris.

ABB. S. GILBERTI, *al.* NOVEM-FONTIUM ORDINIS PRÆMONSTR.

St. Gilbert, dit Neufpons.

MONASTERIUM S. GILBERTI ordinis Præmonſtr. in archipresbyteratu Limaniæ, in parochia S. Deſiderii ab ipſo pendente, prope rivulum *Andelot*, una leuca ab urbe S. Portiani, fundatur circiter anno 1150. a Gilberto nobili milite Arverno e Palæſtina reduce, cui monaſterio primus abbas ipſe præfuit, de quo Roberti monachi Altiſſiodorenſis chronicon, Hugone de Caſtilione quondam domino Scolæ, *Ecole*, fundum in quo abbatia fundata eſt, concedente. Iſti vero cœnobio immediate ſubjacet abbatia S. Andreæ ſecus Claromontem. Ex archivis autem abbatiæ hanc ſeriem abbatum depromſimus.

ABBATUM SERIES.

Videtom. 2. biblioth. l. abb. pag. 752. & 761.

I. SANCTUS GILBERTUS, cujus vitam habes lib. 2. biblioth. Præmonſtr. pag. 482. & apud Jacobum Branche in vit. SS. Arverniæ. Obiit VIII. idus Junii anno 1152. qua die magna celebritate colitur; ſepultuſque eſt in clauſtro, eo in loco ubi hactenus leguntur hi verſus: *Anno milleno*, &c. relati ab auctore biblioth. Præmonſtr. ibidem pag. 484. Deinde tranſlatus eſt in eccleſiam a latere Evangelii, ubi videre eſt loculum ejuſdem lapideum: nunc vero quieſcit ſupra majus altare in capſa deaurata egregio opere ſculpta. Petronillæ vero uxoris ejuſdem ſancti, de qua videſis ibidem, talis habetur memoria in necrologio S. Juſti Belvacenſis: *XVI. Maii dominæ Petronillæ quondam uxoris S. Gilberti I. abbatis & fundatoris Novem-Fontium in Alvernia, & primæ prioriſſæ Albæ-Petræ.*

II. Godefridus.

III. Petrus I. an. 1159. tranſtulit corpus ſancti Gilberti; quo circiter tempore Conſtantinus prior Silviniacenſis eccleſiam ſuam de Lazac eidem *accenſuavit*, Stephano Arvernorum epiſcopo.

IV. Johannes anno 1188.

V. Stephanus jacet in capitulo.

VI. B. abbas Novem-Fontium reperitur in inſtrumento ſcripto in domo ſororum de Eſcolete anno Incarnati Verbi 1213. Mathildis domina Borbonii, laude & aſſenſu Archembaudi domini Borbonii filii ſui, concedit pro anniverſario ſuo, eccleſiæ & conventui Novem-Fontium quinquaginta ſolidos in prato de Broil, & monialibus de Eſcolete triginta ſolidos, an. 1217. menſe Sept. Idem eſt fortaſſe qui memoratur a Sammarthanis an. 1233.

VII. Pontius hic reponendus videtur, ex necrologio parthenonis beatæ Mariæ de Cuiciaco, ſcripto anno 1253. ubi memoratur IV. nonas Januarii.

VIII. Arnulphus, cujus litteræ exſtant cum Odone filio ducis Burgundiæ domino Borbonii, & Mathilde uxore, pro villa S. Deſiderii, menſe Septembri 1259.

IX. Geraldus de Uzenda 1280.

X. Petrus II. de Montemundo permutationem facit cum Yvone abbate Cluniacenſi, pro quibuſdam terris domui de Eſcuroliis commodioribus. Actum apud Cluniacum menſe Aprili 1281. Reperitur etiam in charta an. 1286.

XI. Hugo de Mardonia ſeu de Mardonhia 1311. & 1314. quo anno die Pentecoſtes nominatur exſecutor teſtamenti Beraudi de Mercorio: & rurſus 1321. Deceſſit an. 1324.

XII. Johannes I. de Razella 1325. 1328. & 1339.

XIII. Guillelmus I. 1350.

XIV. Johannes II. Boirolli 1380. & 1384. quo anno die 20. Junii ad ipſius preces Franciſcus Gratianopolitanus epiſcopus, domini papæ camerarius, Pontio de Crotis canonico Anicienſi, nuntio & collectori apoſtolico in diœceſibus Claromontenſi & Anicienſi, aliiſque civitatibus, bullam excommunicationis contra detentores bonorum A abbatiæ ſancti Gilberti publicandam demandat. Datum Avinione die & anno quibus ſupra, indict. VII. Clementis VII. anno ſexto. Tranſegit anno 1386. cum Imberto abbate Montis-petroſi. Occurrit etiam an. 1395. Deceſſit vero an. 1400. ineunte.

XV. Johannes III. Chapus, cujus electionem factam die XI. Febr. an. 1400. poſt obitum ſcilicet fratris Johannis Boirolli, Nicolaus abbas Dei-loci, adſiſtente Stephano abbate S. Andreæ Clarom. confirmavit. Immediatus pater abbatiæ S. Andreæ Clarom. ſcriptus habetur in charta viſitationis an. 1402. Reperitur etiam an. 1409. & 1424. B ſed nullibi cognominatus Eyrandi, ut legitur apud Sammarthanos, a quibus dicitur obiiſſe XIV. cal. Novemb.

XVI. Humbertus de Chareil, ultimus abbas regularis, occurrit annis 1441. & 1446.

XVII. Guillelmus II. de S. Avit (non Gilbertus) doctor in decretis, abbas B. Mariæ de Bonoloco in Marchia, & primus commendatarius ſeu perpetuus adminiſtrator abbatiæ S. Gilberti 1489. & 1492. Obiiſſe dicitur an. 1495. ſed perperam, quando quidem fuit judex & exſecutor bullæ Alexandri papæ VI. datæ Romæ apud S. Petrum anno 1497. XVI. cal. Oct. pontific. VI. in gratiam Johannis de Cuminiaco prioris S. Roberti extra muros Montis-ferrandi. C Datum in monaſterio Boniloci 1499. indict. 2. 24. Junii, ex chartis ſancti Roberti Montis-ferrandi.

XVIII. Franciſcus de Saint-Avit Sedis apoſtolicæ protonotarius 1536.

XIX. Gilbertus II. Bayard 1552.

XX. Claudius de Prevoſt filius Philippi equitis, toparchæ de Beaulieu, la Roche & Brialles 1638.

XXI. Jacobus du Croc, Regi a conſiliis & eleemoſynis, canonicus & præpoſitus eccleſiæ Claromont. necnon vicarius generalis Gilberti de Veiny d'Arbouze epiſcopi Clarom. cui immediate D ſucceſſit. Abbas erat commendatarius an. 1651.

XXII. Ludovicus Archon, Ricomagenſis, doctor Sorbonicus, capellanus Regis ordinarius, cuſtos ornamentorum oratorii & capellarum Regis, abbatiam obtinuit anno 1678. Obiit Ricomagi die 24. Febr. an. 1717. ſepultuſque eſt in eccleſia S. Amabilis, cujus per annos 19. canonicus fuerat. Is capellæ regum Franciæ hiſtoriam conſcripſit, duobus tomis. Frater ejus Mauzacenſi potitur abbatia.

XXIII. N. de Tilly abbas nominatur a Rege Chriſtianiſſimo die 6. Novembris an. 1717.

E

ABBATIA S. CLARÆ CLAROMONT.

ABBATIA S. CLARÆ Claromontenſis, olim S. Johannis Baptiſtæ, ſecus Claromontum, patronum agnoſcit S. Johannem Baptiſtam. Sita eſt prope urbis portam dictam S. Petri, juxta Illidianum ſuburbium. Antiquiſſima eſt, nam in teſtamento Halionoræ comitiſſæ Boloniæ & Arverniæ in archivo S. Illidii aſſervato, reperitur donatio ſeu legatum factum monaſterio S. Claræ Claromontenſis an. 1285. Reperitur & donatio Philippi Francorum regis 22. Julii 1313. qua

Digitized by Google

dicto monaſterio concedit *calfagium* in ſuis ſylvis & nemoribus regii dominii. Ex hoc monaſterio Clariſſarum Urbaniſtarum prodierunt quinque, ut vocant, coloniæ, a quibus quinque alia monaſteria fundata ſunt, videlicet Caſtrum-Odonis, *Chateldon*, in Burbonienſi pago: Carolium, *Charoles* dicec. Æduenſis: Doujonium, *le Doujon*: Argentacum, *Argentac* in vice-comitatu Turennæ; S. Amandi de Talende dicec. Clarom. Porro conventus Claromontenſis originem ignoramus, veteribus inſtrumentis duplici incendio conſumtis, imo ipſis ædibus. Eadem ratione paucas novimus hujus loci abbatiſſas quarum nunc danda ſeries.

Abbatissarum series.

1300. I. Guillelma abbatiſſa Minoriſſarum Claromontenſium reperitur anno M. CCC.

II. Catharina, cujus meminit Benedictus papa XII. monialibus ſcribens ſuper electione abbatiſſæ poſt obitum Catharinæ, quæ a cuſtode fratrum Minorum provinciæ Arverniæ, contra jus, ut contendebat, abbatiali dignitate privata fuerat. Datum apud Pontem-Sorgiæ * Aven. dicec. 4. non. Aug. an. 1. hoc eſt an. 1334. aut 35. Chriſti; ex lib. 2. litterarum commun. n. 790.

* le Pont-de-Sorgue.

1336. III. Blanchia abbatiſſa M. CCC. XXXVI.

IV. Damiana Vernet an. 1342.

V. Petronilla Maloëti 1355.

VI. Geralda Pomeyrola abbatiſſa S. Claræ, approbante fratre Johanne Audebrant guardiano Minorum Clarom. Tranſegit cum magiſtro Johanne Poëlli parocho S. Caſſii an. 1376. reperitur eadem G. Pomeyrola in tabula anni 1382. præſentat ad quandam capellam in ſua eccleſia fundatam, 12. Auguſti 1405.

VII. Margarita I. de Buxis, filia Petri Burgenſis Claromontenſis, ſoror vero Jacobi de Buxis baccalaurei in legibus, canonici Camalerienſis anno 1438. poſtea decani ejuſdem eccleſiæ an. 1451. Abbatiam regebat annis prænominatis.

VIII. Anthonia de Rodillon, alias de Mont-George, nominatur adminiſtratrix monaſterii S. Claræ in inſtrumento anni 1545.

IX. Magdalena I. Faure inſtituitur abbatiſſa bulla pontificia Pauli papæ III. dat. X. April. 1545. & inducitur in poſſeſſionem die Maii decima anni ſequentis per Johannem de Porta canonicum eccleſiæ Claromontenſis.

X. Gabriëlis I. du Buiſſon inſtituta vi bullæ Pauli papæ IV. die 4. Maii 1557. poſſeſſionem adepta eſt 17. Octob. ejuſdem anni.

XI. Gabriëlis II. de Villelume de Barmonteil abbatiſſa 1582. bulla Gregorii papæ XIII.

XII. Franciſca I. de Chauſſecourte, alias de Cherdon, abbatiam obtinuit per bullam Sixti papæ V. datam Romæ apud S. Petrum anno Incarnat. 1587. calend. Decemb. pontificatus anno III. admiſſa in poſſeſſionem die decima Novemb. an. 1588. per Antonium Gonnon vicarium perpetuum S. Caſſii, permittente Johanne Ciſtel de la Garde utriuſque juris doctore, canonico & officiali Claromontenſi.

XIII. Franciſca II. Droüillette de Chenonceau nominatur regia ſchedula 5. Julii anno a Nativit. Dom. 1612. inſtituitur pontificio diplomate 6. Junii anno ab Incarn. 1614. poſſeſſionem conſequitur 15. Octob. 1614.

XIV. Margarita II. du Cloux monialis S. Claræ Claromont. profeſſa ante octo annos, in trigeſimo ætatis ſuæ anno conſtituta, nobili genere ex utroque parente procreata, abbatia donatur per bullam Pauli papæ V. dat. Tuſculi anno Incarnation. 1615. non. Octob. pontific. anno XI.

XV. Magdalena II. de Plantadis Bois-franc per reſignationem Franciſcæ abbatiſſæ factam die 6. Junii 1614. & admiſſam Romæ ſub Paulo papa V. nominata a rege Ludovico XIII. 5. Julii 1614. poſſeſſionem iniit 15. Octobris anni ſequentis. Profeſſa erat ordinis Fontis-Ebraldi in monaſterio de Bleſſaco prope Albuconium, tum prioratum Bonæ-vallis ordinis S. Benedicti, tandem abbatiam S. Claræ obtinuit, quam reſignavit ſequenti.

XVI. Margarita III. Carola de la Chetardie profeſſa in monaſterio Urbaniſtarum Lemovicenſium, abbatiam adepta eſt nominatione regia Ludovici XIV. 29. Julii 1644. ſede Romana vacante, in poſſeſſionem admiſſa eſt per Joachimum d'Eſtaing epiſcopum Claromontenſem, 15. Julii 1645. Iteratam poſſeſſionem obtinuit 21. Maii 1646. obtentis bullis ab Innocentio papa X. & fuit benedicta a præfato antiſtite Claromontenſi. Optima abbatiſſa obiit 19. Septembris 1684. ſepultaque eſt in choro. Soror erat Joachimi de la Chetardie paſtoris S. Sulpicii Pariſ.

XVII. Angelica de Mont-boiſſier de Beaufort Canillac ei ſucceſſit, & poſt quinque luſtra regiminis a ſeculo migravit die 15. Octob. 1709. In choro tumulata juxta Carolam de la Chetardie.

XVIII. Carola Thereſia d'Agrain, e nobili apud Anicium familia, magnum ſui relinquens deſiderium erepta eſt ſuis ſororibus die Aprilis 27. 1712. cum præfuiſſet anno uno, menſibus 5. diebus 7. Sepulturam habet juxta duas ſuperiores.

XIX. N. de Joncheres, monialis Longi-Campi prope Pariſios, recuſavit ſchedulam regiæ nominationis anno 1713. die 16. Septembris datam.

XX. N. Laſtic de Sieujac, ex parthenone Eſclachiæ evocata fuit ad abbatiam S. Claræ in qua exſpectat bullam pontificiam.

ABBATIA S. CLARÆ DE AQUIS-SPARSIS.

Aquæ-Sparsæ * urbs eſt primaria ducatus Montis-Penſerii, ubi fundata eſt abbatia Clariſſarum circa an. 1423. a Maria de Berri, uxore Johannis de Bourbon comitis Clarom. & Montis-Penſerii, licentia prius obtenta a Martino V. ſummo pontifice, tertio ipſius pontificatus anno, hoc eſt an. 1421. Eccleſia dedicatur ſub titulo SS. Petri & Pauli die 26. Junii 1425. ab Odone epiſcopo Athonenſi in Arabia, de conſenſu Martini Claromont. epiſcopi dato 29. Nov. 1424. Poſtea tamen hujus dedicationis ſolemnitas tranſlata eſt ad diem penultimam Julii a Carolo de

* Aigues-Perſes.

C. LX. col. 126. C. LXII. col. 1275. C. LXI. col. 126.

Digitized by Google

Bourbon epiſc. Claromont. an. videlicet 1499. A Gabriëlis de Boulogne de la Tour, domina de Montpenſier in ea ſepelitur menſe Martio 1494. Benefactricem habuit hic parthenon Annam-Mariam-Ludovicam d'Orleans duciſſam de Montpenſier & delphinam Arverniæ, quæ an. 1690. ipſum reædificavit.

Abbatiſſæ præfuerunt quæ ſequuntur.

Abbatissarum series.

I. Sancta Coletta I. evocatur a fundatrice B Maria de Berri ad conſtruendum monaſterium, cui præfuit annis circiter duobus, inde in Sabaudiam accerſita ad nova ſui ordinis ædificanda cœnobia.

II. Maria I. de Corbie aſſumitur e parthenone de *Sure*, ab ipſamet S. Coletta.

III. Magdalena I. de Naddes.

IV. Anna d'Urfé 1463. die 1. Aprilis.

V. Catharina I. de Bourbon jus ingenuitatis * accepit menſe Julio 1452. quam ſane Carolus VIII. Francorum rex ſuam vocat amitam litteris C 28. Maii 1491. ad ipſam datis.

* legitimationis.

VI. Coletta II. de Chazeron ex familia de Monetay.

VII. Johanna I. *al.* Carola de Chambon nobili genere de Marcillac des Ternes orta, 1510. & 1514.

VIII. Magdalena II. de Naddes 1544.

IX. Magdalena III. Tronchot vivebat anno 1560.

X. Magdalena IV. de Marcillac.

XI. Gabriëlis I. de Blot Chouviny.

XII. Sebaſtiana de Siſtel.

XIII. Franciſca de Parcenat trigeſimo ſui regiminis anno deceſſit 3. Maii 1613.

XIV. Johanna II. Popelard eligitur 6. Maii 1613.

XV. Maria II. Jubar de Maringues 1617. & 1620. die 9. Septemb.

XVI. Gabriëlis II. Vigier reperitur abbatiſſa 28. Apr. 1638. & 14. Aprilis 1645.

XVII. Johanna III. de Veiny d'Arbouze 1646. 49. 51. & 1664. quo migravit ex hoc ſeculo.

XVIII. Petronilla Joly eligitur die 5. Septemb. ejuſdem anni, moritur 5. Martii 1666.

XIX. Anna II. de la Roque cooptatur in abbatiſſam 8. Martii 1666. Diem obiit 20. Febr. 1679.

XX. Johanna IV. Bargirot electa eſt eodem anno 25. Febr. Mortem oppetiit 15. Maii 1696.

XXI. Margarita de Dreüille de Villebant eligitur 20. Maii 1696. defuncta eſt 20. Maii 1707.

XXII. Agnes de Capponi, filia Alexandri baronis & domini de la Fons ex Maria de Veiny d'Arbouze, creatur abbatiſſa die 4. Sept. 1707. Adhuc feliciter præeſt.

Hæc a R. P. Claudio Urion Oratorii presbytero, Aquis-Sparſis nato, viro docto & urbaniſſimo, magna ex parte accepta tranſmiſit ad nos D. Jacobus Boyer.

ECCLESIA S. FLORI.

Floropolis, ſeu S. Flori * urbs, Arveniæ ſuperioris caput, quæ & *Indiciacus*, in monte edito ſic dicto ubi ſita eſt condita, ſecundum ſcriptorem vitæ S. Flori, in pago dicto *Planetia*, vicinum habet fluviolum Adiam * nomine. Locus hic jam ſeculo decimo deſinente pertinebat ad celebre monaſterium Cluniacenſe, ut liquet ex litteris Gregorii papæ V. anno 996. confirmantis monaſteria omnia & cellas juris Cluniacenſis abbatis; in his monaſterium Celſiniacenſe (in comitatu Arvernenſi) cum ſuis cellis & eccleſiis, cellam S. Flori, cellam Reliacus, &c. ut lego in Annalibus Mabillonianis ad an. 996. num. 33. *Bullar. Clun. p. 10.*

* Sic dicta a S. Floro Lutevenſium, inquiunt, epiſcopo, qui in hac parte Arvernia prædicaſſe, ibidemque ſancto fine quieviſſe dicitur.

* Lande.

Contra hoc tamen pugnare videtur quod Mabillonius poſt noſtrum D. Claudium Eſtiennot dicit ad annum 1007. num. 106. nobiles Arvernos Euſtorgium *, & Amblardum cognomento Male-Hybernatum ipſius nepotem eccleſiam S. Flori & alia ad eam pertinentia, *quæ conjacent in comitatu Arvernenſi, in patria quæ vocatur Planetia, in monte Indiciaco* contuliſſe *beatis apoſtolis Petro & Paulo ad locum Cluniacum & Celſinienſe monaſterium quibus præeſt domnus ac reverendus pater Odilo.* Integram chartam exhibet Mabillonius in appendice tomi IV. Annal. cui ſubſcribunt Stephanus epiſcopus Claromontenſis & Robertus vicecomes. At nulla eſt nota temporis quæ cogat chartam hanc ad an. 1007. referre; proptereaque Mabillonius non aſſerit hoc donum factum eſſe anno 1007. ſed ſatis habet dicere ad hunc annum: *Sub idem tempus nobiles Arverni Euſtorgius*, &c. Forte laudata charta tantum eſt confirmatio doni jam facti anno 996. Ad hoc S. Flori monaſterium, ſeu cellam, ſpectabat quædam S. Martini de Calidis-Aquis eccleſia, *de qua monachi S. Flori diu ante concilium Claromontenſe inveſtiti fuerant*, ut docet alia charta eodem loco Annalium Mabillon. edita. Ex ea autem eruimus tres S. Flori priores: Stephanum, qui præerat tempore Urbani papæ II. & concilii Claromontenſis, necnon Petri Arvernenſis epiſcopi: Anſelmum, cujus tempore Cœleſtinus papa (forte ſecundus, qui ſedere cœpit anno 1143.) ad Sanctum-Florum venit: & Adelelmum, qui paulo poſt Anſelmum rexit monaſterium. Alios priores ex chartario illuſtriſſimi epiſcopi ſancti Flori, & ex aliis tabulis eruit noſter D. Jacobus Boyer hac ſerie:

* de Bretons.

p. 697.

p. 698.

Digitized by Google

4. Guido I. prior M. CC. VII.
5. Hugo I. M. CC. XIII.
6. Dalmatius M. CC. LVI.
7. Petrus I. M. CC. LIX.
8. Gaufridus I. 1263. 1265.
9. Hugo II. 1265.
10. Raymundus prior in charta Petri de Brezons M. CC. LXVIII. cujus tempore Petrus vicecomes & dominus de Murato donat monaſterio S. Flori & eccleſiæ S. Martini de Vigouroux, eidem monaſterio ſubjectæ, plures decimas. *Datum & actum in communi capitulo S. Flori in feſto B. Mariæ Magdalenæ 1265. menſe Julii.*
11. Guido II. 1270. 1276.
12. Gaufridus II. in charta Guarini de Caſtro-novo domini d'Apcher pro feodo ſuper caſtrum de Broſſadols M. CC. LXXVI. Idem Gaufridus eodem anno menſe Aprili facit concordiam cum donatis domus infirmariæ ſancti Thomæ de ſancto Floro.
13. Odo I. 1277.
14. Gaufridus III. 1277. 1279.
15. Rotbertus prior, cui Maraqueſius de Canillac reddit homagium pro feodo de Calidis-aquis M. CC. LXXXIII.
16. Guarnerius, *al.* Guarinus, in alio dicti Marqueſii inſtrumento reperitur M. CC. LXXXIV. concordat cum fratre Hugone priore de Volta pro domo de Lauriol 1294. reperitur adhuc 1297. poſt erectam epiſcopalem ſedem.
17. Johannes M. CCC. XVI.
18. Odo II. 1352.
19. Antonius Juvenis-Rufi 1387. 1394.
20. Petrus II. de Lautoing ex priore factus epiſcopus 1452.
21. Guillelmus tit. S. Sabinæ presbyter cardinalis obtinet a Nicolao papa V. prioratum S. Flori, primam dignitatem poſt epiſcopalem, vacantem per promotionem Petri epiſcopi. Dat. Romæ apud S. Petrum 1452. non. Julii, pontif. Nicolai an. VI.
22. Petrus III. Juvenis-Rufi, infirmarius monaſterii Caſæ-Dei, ultimus S. Flori prior titularis. Nam Julianus epiſcopus Sabinenſis, cardinalis S. Petri ad vincula, domini papæ pœnitentiarius major, in Francia aliiſve regnis ſanctæ Sedis legatus, univit ad menſam capituli prioratum S. Flori vacantem per ceſſionem Petri Juvenis-Rufi, reſcripto ad abbates Caſæ-Dei ac Piperaci dato Turon. anno Incarn. M. CCC. LXXXI. VI. calend. Maii, pontificatus Sixti papæ IV. anno X. Prioribus vero ſucceſſerunt ſequentes.

D. Claud. Eſtiennot ante Stephanum conjicit ponendum eſſe Aſtorgium de Brezons. Poſt Stephanum vero locum dat Simoni, cui Bernardus d'Oradour & alii nobiles ceſſere eccleſiam de Oradour, ex chronico cujus excerptum dedit tomo IV. fragmentorum hiſt. Aquitaniæ. Simoni ſubjicit quemdam Geraldum, qui paciſcitur, *inquit*, cum Stephano d'Oradour ſuper eccleſia de Calidis-aquis, ex præfato chronico. At id non legi in laudatis excerptis.

S. Flori oppidum mœnibus cinxiſſe ſanctum Odilonem ferunt, ibidemque inſignem baſilicam erexiſſe, ac inſtituiſſe monachorum cœtum, cui priorem præfecit. Baſilicam hanc Urbanus papa II. conſecravit anno 1096. Beneficiis & donis monaſterium auxerunt multi Arverniæ nobiles, ſcilicet domini de Breſonio, de Mercorio, de Turre, de Canillaco, de Petra, de Laſtico. Tandem Johannes XXII. tot ſedium epiſcopalium auctor in Gallia, eccleſiam S. Flori cathedralem & epiſcopalem fecit [a], partem diœceſis Claromontenſis ei tribuens, in qua lego numerari ducentas & nonaginta quinque eccleſias parochiales in quinque archipresbyteratus diſtributas, qui ſunt : S. Flori : Auriliacenſis : Langeacenſis : Brivatenſis, *de Brioude :* & Blaſilienſis, *de Bleſle.* Numerantur duodecim capitula ſecularia præter eccleſiam cathedralem, inter quæ primas obtinet nobilis baſilica S. Juliani Brivatenſis, Sedi Romanæ immediate ſubjecta, cujus canonici ſunt comites. De abbatiis ſigillatim ſuo dicturi ſumus loco.

Eadem diœceſis plurima alia continet cœnobia, ſcilicet : 1. S. Crucis de Volta ſecus Elaverim : 2. S. Andreæ de Valle-Dei, alias de Cumbis, feminarum, quod Caſæ-Dei ſubeſt : 3. De Alzonio : 4. De vico S. Præjecti : 5. S. Vincentii de Veteri-Brivata, ubi pons ſuper Elaverim : 6. S. Elpidii : 7. Montis-Salvi, ordin. S. Auguſtini. Iis addenda plurima ordin. Fontis-Ebraldi, S. Dominici, S. Franciſci, &c. de quorum fundatione aliquando dicendum erit. Capitulum conſtat præpoſito, archidiacono, archipresbytero, qui dignitates cenſentur, & ſeptemdecim canonicis, quorum primus eſt epiſcopus, caput capituli, & urbis dominus. Canonici cum regularem ac monaſticum ſtatum retinuiſſent diu, anno 1476. facti ſunt ſeculares bulla Sixti papæ IV. Hæc epiſcopalis ſedes metropoli Bituricenſi ſubeſt, intra fines parlamenti Pariſienſis. Urbs inſignior hujus diœceſis eſt Aurilliacum, in qua eſt prætoris ſedes & curia præſidialis, nec non celebris abbatia.

1. la Veulte de Chillac : 2. la Vau-Dieu : 3. Auzon : 4. Vic-S. Projet : 5. Vieille-Brioude : 6. S. Elpiſe : 7. Mont-Salvi.

De tempore quo S. Flori cœnobium in eccleſiam epiſcopalem mutatum eſt nunc inquirendum. In tabulis Piperacenſis monaſterii mentio fit Antonii epiſcopi Claromontenſis tanquam diœceſani,

[a] Bulla data Avinione X. cal. Martii, pontificatus Johannis papæ XXII. an. 2. Bulla diviſionis ſedis novæ epiſcopalis a Claromontana, data eſt 7. idus Julii an. 1. pontificatus Johan. Utraque aſſervatur in archivo eccleſiæ S. Flori

die Jovis poſt Dominicam 1. Quadrageſimæ anni 1315. ſcilicet in compoſitione facta inter abbatem, & rectorem eccleſiæ parochialis de Lerciere. Secundum hodiernum morem inchoandi annum a Januario, annus 1316. jam currebat tempore ſcriptæ hujus compoſitionis. Itaque nondum eccleſia S. Flori proprium habebat epiſcopum initio Quadrageſimæ hujus anni. At quod deinceps nomen epiſcopi Claromontenſis non legatur in chartis hujus monaſterii, continuo non ſequitur novam ſedem epiſcopalem creatam fuiſſe anno 1316. niſi proferantur inſtrumenta hujus anni in quo novus Sancti-Flori epiſcopus memoretur. Itaque ad annum 1317. differendam putamus hujus ſedis epiſcopalis fundationem & inſtitutionem. Pro hac erectione gratias egerunt Johanni papæ an. 1322. Johannes abbas Caſæ-Dei, G. Piperacenſis, Guillelma abbatiſſa Blaſiliæ, Iſabellis abbatiſſa de Caſis, Halens prioriſſa de Connis, Armandus vicecomes de Podemniaco, &c. menſe Aprili. De epiſcopis, S. Flori dominis, qui hanc rexerunt eccleſiam nunc dicendum; poſteaque agemus de abbatiis quæ hac in diœceſi exſtant. Porro ad illorum præſulum hiſtoriam non pauca nobis contulit D. Jacobus Boyer.

EPISCOPI S. FLORI.

DE MONSTUEJOULS.

I. RAIMUNDUS I.

ANNI CHRISTI

PRIMUS epiſcopus S. Flori, fuit Raimundus, cujus cognomen varie ſcribitur. Nam in in tabulis Piperacenſibus, legitur *de Mimegel* vel *de Montegeol.* Baluzius in Vitis pap. Avenionenſium, legit *de Monſtuejouls* [a], Latine, *de Moſtuejolis.* In Gallia Chriſtiana fratrum Sammarthanorum, lego *de Moſcuerolis*, ſive *de Monfajouls.* Additur aliud cognomen *de Vehens.* Hic monachus erat Gellonenſis * monaſterii, diœceſis Lodovenſis, & decretorum doctor, ac ſecundum nonnullos S. Tiberii diœceſis Agathenſis, aliis prior S. Flori, quando ad epiſcopales infulas eſt provectus anno 1318. [b] bulla data IIII. idus Julii, Johannis papæ an. 1. Anno 1319. Johannes XXII. ipſi & aliis undecim doctoribus commiſit examen quarumdam opinionum Petri

1318.

* S. Guillem du Deſert.

a 1758.

b

A Johannis Olivi. Initio hujus an. tranſlatus fuit ad eccl. San-papulenſem; & poſt hanc tranſlationem eodem an. ei commiſſum eſt examen graviſſimarum accuſationum in fratrem Bernardum Delitioſi Minoritam, de quib. vide in epiſcopis Sanpapulenſibus. Ornatus eſt purpura die 18. Decembris, an. 1327.

ANNI CHRISTI

II. HENRICUS.

DE FALTREDI.

Henricus cognominatus de Faltredi in tabulis Piperacenſibus, eligitur anno 1319. [c] E vivis exceſſit 4. calendas Februarii, ſepulturæque eſt datus in eccleſiæ ſuæ ſacello dicto S. Petri, ubi ejus effigies ex ære conſpicitur. In abbatibus Cluniacenſibus Galliæ Chriſt. Fratrum Samm. (hac enim dignitate ornatus eſt ante epiſcopatum) cognominatur de Falteriis, diciturque obiiſſe an. 1330. legendum potius 1320. quarto cal. Febr. ut me monuit noſter D. Jac. Boyer. Et quidem noſtri Sammarthani tribuunt ei ſucceſſorem in ſede S. Flori eodem an. 1320. Ejus effigies ænea conſpicitur in majori eccleſia.

c

1319.

1320.

III. ARCHEMBALDUS, vel ARCHOMBALDUS.

Archembaldus abbas Auriliacenſis, an. 1320. die 11. Martii ſucceſſor datus eſt Henrico. Anno 1324. die 13. Julii univit eccleſiam de Jax abbatiæ Piperacenſi. Neſcimus tamen utrum hæc unio diu ſteterit; etenim epiſcopus Archembaldus eandem eccleſiam, ſeu prioratum de Jax contulit anno 1325. die Lunæ poſt feſtum nativitatis B. Mariæ ex tabul. Piperacenſ. An. 1333. tranſegit inter eccleſiam Anicienſem & collegiatam S. Flori pro *Leſcure* & *Pruneires*, ratione quorum debebatur homagium capitulo Anicienſi. Eodem epiſcopo poſtulante, anno 1337. die Dominica poſt feſtum Inventionis S. Crucis, dominus de Azineriis dedit decimas quas habebat in parochia S. Georgii de Aurato. Anno 1339. die 2. Septembris ind. VII. anno quarto * Benedicti papæ XII. exiſtentibus in clauſtro Archambaldo epiſc. S. Flori, & Guidone abbate Piperacenſi, inter eos pacta fiunt, ratione viſitationis eccleſiarum ab abbatia pendentium. Inſtituit eccleſiam collegiatam

1320.

1324.

1333.

1339.

* quinto.

* S. Jean de Gardonanche.

[a] Primus S. Flori epiſcopus nominatur conſtanter *Monſtuejol* in pluribus inſtrumentis quæ ſedulo expendit noſter D. Jac. Boyer in noſtro S. Guillelmi de Deſerto monaſterio; quæ hic ſubjicio & habere locum merentur in Gallia Chriſtiana. Igitur Raimundus de Monſtuejol nepos Guillelmi abbatis S. Guillelmi de Deſerto, ſub quo monachum induit, poſtea fit camerarius ejuſdem monaſterii; compromiſſarius fuit pro electione Bernardi de Valle-bona in abbatem; poſt cujus obitum, cum eſſet prior S. Johannis de Gardonica *, diœceſis Nemauſenſis, nominatus eſt abbas dicti monaſterii S. Guillelmi a Johanne papa XXII. deinde ab eodem creatus epiſcopus S. Flori, &c.

Anno M. CCC. XXII. indictione V. die 25. Septemb. Raimundus de *Monſtuejol* epiſcopus S. Papuli fundavit in capella B. Mariæ, quæ eſt in eccleſia S. Guillelmi de Deſerto, capellaniam ad nominationem nobilis viri Aimerici de *Monſtuejol* & ſuorum, & ad inſtitutionem abbatis S. Guillelmi. Idem præſul fundavit in capella B. Mariæ, quæ eſt ſita in caſtro de Monſtuejol, ſex capellanias pro ſex capellanis ſecularibus ibi inſtituendis; Albertus Mimatenſis epiſcopus, Raimundi nepos, & teſtamenti ejuſdem exſecutor, trea alias fundavit capellanias in eadem capella.

Anno 1328. decanus, abbas & conventus S. Guillelmi de Deſerto epiſtolam dirigunt ad Raimundum de Monſtuejol tit. S. Euſebii presbyterum cardinalem, *quatenus qui* monaſterium rexerat & dilexerat ab *antiquo*, illud amplius protegeret in futurum; eique concedunt unam miſſam ſolemnem de Spiritu ſancto per ſingulos annos dum viveret, & ſolemnem miſſam de defunctis poſt ipſius obitum.

An. 1334. Raimundus card. ſuum condidit Avenione teſtamentum, quo elegit ſepulturam in eccleſia S. Guillelmi de Deſerto, cui plura contulit dona. Quædam etiam donat monaſterio S. Tiberii, cujus abbas fuerat. Exſtat ejus ſepulcrum in dictæ eccleſiæ presbyterio a latere Evangelii e vario marmore, cum iconibus marmoris albi, magno lapide nigro opertum, ſed ab hæreticis furentibus turpiter fœdatum.

[b] Sub annum hunc de quibuſdam articulis quos Minoritæ aliqui tenere ferebantur, ſententiam ferre poſtulatus, ſic reſpondit: *Ego Fr. Raimundus epiſcopus S. Flori & decretorum doctor, credo & dico ſupraſcriptos articulos & eorum quemlibet eſſe hæreticos; & pertinaces aſſertores eorum fore ſicut hæreticos condemnandos, in cujus rei teſtimonium ſigillum meum feci præſenti ſcripturæ appendi, & eidem ſubſcripſi.* Ex tomo 1. miſcell. Baluſ.

[c] Bulla Johannis papæ data eſt Avinione X. cal. Maii anno III. ejuſdem papæ.

Digitized by Google

B. Mariæ, & 18. canonicos [a] in ea, petente nobili viro Armando de Caſtro-novo domino de Meleto, litteris datis apud S. Florum an. 1341. Compoſuit cum abbate Caſæ-Dei, pro nonnullis procurationibus; quæ pacta confirmavit Clemens papa VI. an. 1342. calendis Novembris. Tranſegit cum Guidone de Meyrone abbate Piperacenſi pro decimis S. Ilpidii die 27. Maii anni 1346. 1346. Adhuc præerat an. 1348. In litteris authenticis hujus epiſc. datis die 13. Julii an. 1324. ejuſdem ſigillum exhibet tres leones erectos & coronatos.

ANNI CHRISTI *Sammarth.* a 1341. *Tab. Pip.* 1346. 1324.

torum conventus, expenſis Johannis filii regis Francorum, ducis Biturigum & Arvernorum, comitis Pictavorum, de Stampis, Boloniæ & Arverniæ, &c. uti conſtat ex inſtrumento archetypo dato in palatio Ricomagenſi, menſe Decembri, an. 1402. ubi Johannes dux aſſerit ſe eſſe fundatorem præfati conventus, & in eo poſuiſſe aurem S. Johannis Baptiſtæ; quod ſacrum munus ibidem adhuc aſſervatur. Cum iis novis hoſpitibus ex S. Dominici familia tranſactionem fecit.

ANNI CHRISTI

IV. Deodatus.

DE CANILLAC

Deodatus natus ex nobiliſſima in Arvernis ſtirpe de Canillaco, anno 1346. die 27. Maii litem compoſuit inter abbatem Piperaci & Robertum Delphinum dominum S. Ilpidii. Anno 1348. memoratur in ſententia data die 4. Julii pro quibuſdam decimis, anno 7. Clementis papæ VI. ind. 1. An. 1351. tranſactionem factam inter Guidonem de Meirone abbatem Piperacenſem, & priorem S. Privati *des Dragons* pro decimis, confirmavit appenſo etiam ſuo ſigillo, in quo viſitur leo erectus * vel potius vertagus, quem in antiquis ſigillis facile fuit ſumere pro leone. Nominatur in compoſitione facta die 14. Novembris anno 1352. inter abb. Piperacenſem & priorem S. Privati, ratione decimarum S. Elpidii & S. Privati. Eo adhuc vivente [b] Beraldus comes Claromontenſis & delphinus Arverniæ teſtamentum ſcripſit die 19. Auguſti an. 1356. An. 1361. litteras ſcripſit ad ſuum vicarium generalem, pro unione prioratus Veteris-Brivatæ, cum menſa Piperacenſi. Non ſedit uſque ad an. 1365. ut quidam opinantur.

1346. 1351. * Lion rampant. 1356. 1361.

V. Petrus I.

D'ESTAIN.

Petrus de Stagno, *al.* de Stanno, quartus filius Guillelmi hujus nominis II. baronis de Stagno, & Eminardæ de Petra, ex monacho S. Victoris Maſſilienſis, ubi emiſit profeſſionem idibus Octobris anni 1341. ſuffectus eſt Deodato an. 1361. ex inſtrumento eccl. cath. 20. Febr. hujus anni. In tabulario Piperac. exſtat ſententia quam tulit Guillelmus abbas monaſterii de Maurcio, *Maurs*, ejus vicarius generalis, data die XIV. Dec. anno M. CCC. LXII. dum ipſe epiſcopus, qui per litteram P. deſignatur, in remotis ageret. Eodem anno die 15. Maii urbem ſolemni pompa ingreſſus fuerat per portam de Tegula, præſtito ſacramento de conſervandis urbis privilegiis. Non diu ſedem tenuit; nam anno 1367. factus eſt archiepiſcopus Bituricenſis. Anno vero 1370. creatus eſt cardinalis, ut diximus in archiepiſcopis Bituric. Sub hoc epiſcopo ædificatus eſt in urbe fratr. Prædica-

1361.

[a] Olim erant 20. canonici. Sed una præbenda, ſcilicet theologalis, unita eſt collegio, & præpoſitus duas habet præbendas. Porro ante Archembaldum epiſcopum, jam exſtabat hæc B. Mariæ eccleſia, ut liquet ex inſtrumento concordiæ *capituli B. Mariæ civitatis S. Flori*, factæ an. 1310. cum Guigone de Bozolio S. Evodii & Jaucerando Maleti S. Petri de Turre abbatibus & canonicis eccleſiæ B. Mariæ Anicienſis.

[b] Teſtamentum hoc legitur conditum Innocentii papæ anno VI. Johanne regnante in Francia, Deodato S. Flori epiſcopo exiſtente. Vide prob. hiſt. dom. Arvern. auctore Stephano Baluz. pag 777.

VI. Petrus II.

RAUSSEN, *al.* DE RENSIN.

Petrus, quem nonnulli cognominant Rauleti, Petro de Stagno ad metropolim Bituricenſem tranſlato, ſucceſſor datus eſt an. 1367. Ejus mentio fit in tabulis Vaticani, ut aiunt Sammarthani fratres, eodem an. 1367. Hic epiſcopus primus fuit aſſumtus ex clero ſeculari; nam quinque priores qui præfuerunt antiſtites, monachi erant. Habuit vicarium generalem Bertrandum de Monteclaro, priorem Villæ-Dei, uti probat inſtrumentum eccleſiæ datum die 7. Januarii an. 1371.

VII. Pontius.

DE ROCHEFORT.

Pontius, vulgo *Poncet*, ex nobiliſſima inter Arvernos gente, filius erat Bertrandi I. de Rupeforti domini d'Aurouſe, fraterque Franciſcæ d'Aurouſe conjugis Roberti III. delphini domini de S. Ilpiſe [c]. Hic epiſcopus ſecundum communem ſententiam ſedebat anno 1373. die 7. Auguſti, quo forte cœpit præeſſe. Attamen eruditus D. Beaufils, eccleſiæ Sanflorenſis canonicus, vidit ejuſdem litteras datas die 4. Febr. an. 1366. quibus confert eccleſiam de Langeac Bartholomæo Chamalieres presbytero diœceſis Anicienſis. Sed vitium videtur irrepſiſſe in anni notatione; nam Petrus de Stanno erat adhuc epiſcopus an. 1666. D. Claud. Eſtiennot eum notat ad an. 1370. ſed citius; nam ex actis Vaticani factus eſt epiſcopus tantum die 7. Auguſti an. 1373. exceptus eſt ſolemniter in urbe an. 1375. die Dominica poſt *Octabas* S. Matthæi die 4. Martii, Gregorii papæ XI. an. v. Anno eodem die 23. Decemb. contulit eccleſiam S. Juliani de Caſis, Juliano Pradonis presbytero, ad nominationem Margaritæ abbatiſſæ S. Petri de Caſis. Occurrit in tabulis Piperacenſibus anno 1379. An. 1380. contulit adhuc eccleſiam S. Juliani de Caſis.

VIII. Petrus III.

DE VISSAC

Petrus de Viſſac in lucem editus eſt apud Arvernos, ex gente vetuſta & pernobili. Ipſum fuiſſe monachum Benedictinum docet D. Claud. Eſtiennot [d]. Anno 1384. fuit teſtis compoſitionis factæ die Jovis poſt Epiphaniam inter Beraldum comitem Claromontenſem, delphinum Arverniæ, & Gaufridum de Bolonia dominum Montis-gaſconis, quam edidit Baluzius in probat. hiſt. dom. Arvern. Anno 1385. die Sabb. poſt feſtum S. Matthæi apoſt. compoſuit cum Dalmatio

[c] Vide hiſtor. dom. Arvern. Baluz. l. 3. p. 225.

[d] Forte monachus erat Caſæ-Dei in Arvernia; nam in necrologio hujus monaſterii legitur: *Idibus Aprilis, convivium (in anniverſario) reverendi in Chriſto patris domini Petri de Viſſaco, Dei gratia ep. S. Flori.*

de Balcio

ANNI CHRISTI

de Balcio abbate Piperacenſi pro juriſdictione epiſcopali in eccleſias (ſic beneficia vocant) Piperacenſi abbatiæ ſubjectas. Anno 1387. die 15. Junii facta eſt tranſactio inter ipſum & capitulum. Die 18. ejuſdem menſis & anni elegit in vicarium generalem Petrum Bajuli licentiatum in decretis, monachum & cantorem majorem Caſæ-Dei, ex ipſius-met litteris. Eodem inſuper anno die 4. Octobris Petrus de Viſſaco epiſcopus, Antonius de Jouvenroux prior, & capitulum S. Flori, paciſcuntur cum fratr. Prædicatoribus. Poſtea fuit Vaurenſis epiſcopus, tranſlatus ad hanc ſedem an. 1. Benedicti XIII. ſeu an. 1394. quo tempore antequam novæ ſedis poſſeſſionem adiiſſet, ſe dicebat adminiſtratorem S. Flori, ut liquet ex ipſius litteris ad vicarium S. Ilpidii datis in eccleſia Vallis-Dei die 27. Maii an. 1396. (1395.) ubi legitur: *Petrus miſeratione divina epiſcopus tranſlatus ad eccleſiam Vaurenſem, adminiſtrator eccleſiæ S. Flori.* Eodem anno die 20. Auguſti quaſdam decimas adjudicavit abbati Piperacenſi. An. 1397. dedit fratribus Prædicatoribus S. Flori 60. *ſcutos* auri, pro eccleſia ædificanda, ex charta in archivis hujus conventus aſſervata, in qua epiſcopus Vaurenſis tantum appellatur. Sepultus eſt in monaſterio Caſæ-Dei ante majus altare, ut nos docuit D. Jacobus Boyer ejuſdem monaſterii doctus aſceta.

A B C

IX. Hugo.

DE MANHAC.

Hugonem de Manhac, ſeu de Maignac ſubrogatum fuiſſe in locum Petri de Viſſac, poſt ipſius tranſlationem ad cathedram Vaurenſem, intelligimus ex bulla Benedicti XIII. data Avenione IV. idus Julii, pontificatus domini papæ anno 1. quo ex inſtrumento habemus eum fuiſſe abbatem Reſbacenſem. Johannes Goyeti vicarius generalis ipſius, poteſtate ab eodem accepta, poſſeſſionem epiſcopatus iniit die 3. Junii an. 1396. ind. IV. pontificatus Benedicti XIII. an. 2. ex actis eccleſiæ. Anno 1399. idem J. Goyeti ut vicarius generalis confirmavit electionem Aſtorgii de Rupe in abbatem Piperacenſem die 22. Maii in ſynodo, in camera epiſcopali, ut legitur in veteri codice MS. ejuſdem abbatiæ. In charta quadam S. Hilarii eodem anno deſignatur Hugo per primam nominis ſui litteram H. Anno 1402. nominatur curator exſecutionis teſtamenti Johannis Tabary epiſcopi Morinenſis. Poſtea migravit ad eccleſiam Lemovicenſem. Regi erat a conſiliis, legiturque in charta authentica data die 20. Decembris anno 1403. *generalis ſuper regimine ſubſidiorum belli.*

1399. 1402. *Sammarth.* 1403.

D E

X. Geraldus.

DU PUY.

Geraldum de Podio loco ſuo reſtituimus; præpoſtere enim antea poſtponebatur Bertrando, qui eum excepit hac in cathedra, ut clare patebit. Hic anno 1405. Johanni Biturigum duci, fratri Caroli V. regis, librum de planctu mortis Caroli-magni imperatoris ab Aymerico Moiſſiacenſi abbate elucubratum obtulit. An. 1406. die 29. Aprilis Johannes la Broſſa licentiatus in decretis, præpoſitus ac monachus Aheni monaſterii diœceſis Lemovicenſis, vicarius generalis in ſpiritualibus & temporalibus Geraldi epiſc. S. Flori, contulit *curam S.* Arcontii ſecus Elaverim ad præſentationem Beatricis abbatiſſæ de Caſis. Idem vicarii generalis adhuc officio fungebatur die 8. Januarii anno 1411. ex charta Clarom. Porro Geraldus *jocundum* fecit ingreſſum in urbem per portam de Tegula die Dominica quæ fuit 25. Maii an. M. CCCC. X. ex inſtrumento archetypo eccleſiæ. Memoratur in quadam regii theſauri chartarum tabula cum Roberto de Braquemont milite an. 1408. In collectione Rimerii tom. VIII. die 7. Decembris ad annum 1407. ejuſdem fit mentio [a]. Ceterum notat Baluzius *pleroſque omnes* ſcripſiſſe Geraldum de Podio abbatem Majoris-monaſterii & cardinalem qui obiit an. 1389. fuiſſe epiſcopum S. Flori; quod tamen negat. Certe dici non poteſt eſſe hunc Geraldum de Podio qui ſedebat 1405. Vide Baluz. in notis ad Vitas pap. Aven. col. 1180. Forte hic Geraldus fuit nepos aut conſanguineus alterius, cujus vide inſignia gentilitia in Ebbone epiſcopo Carnot. fratre Geraldi cardinalis.

1410. 1408. *p. 507.* a

ANNI CHRISTI

XI. Bertrandus.

DE CADORNE.

Quo tempore Bertrandus epiſcopatum ſit auſpicatus, non invenimus; quanquam veriſimile eſt illum Geraldo ſucceſſorem datum ſtatim ac ſedes vacavit: at neſcimus quo id anno contigerit. Ex monacho electus epiſcopus legitur in charta S. Galli Langeacenſis. Anno 1415. die Martis 14. menſis Maii habita eſt ſeſſio X. concilii Conſtantienſis, in qua reverendus pater dom. Bertrandus epiſcopus S. Flori ambaſiator regis Cypri, *cantavit* officium miſſæ de SS. Trinitate. Ipſo ſedente lata eſt ſententia pro decimis bladorum & agnorum, inter priorem & parochianos S. Petri de Chaſagnes die 2. Maii an. 1420. Eodem anno ejuſdem fit mentio in inſtrumento electionis Hugonis de Chauvigny de Blot abbatis Caſæ-Dei, quæ facta legitur anno tertio pontificatus Martini V. inchoati 1417. die 11. Novembris. An. 1426. menſe Februario Berardus Vaſſcillas erat judex curiæ ſpiritualis reverendi in Chriſto patris Bertrandi, ut legitur in tab. Piperacenſibus. Dedit eccleſiæ ſuæ ornamenta albi & rubei coloris, & nummos 2000. pro condendis honeſte reliquiis. Dicitur tranſlatus poſtea ad ſedem Ucetienſem.

1420. *tom. VII. concil. pag. 59. col. 2.*

XII. Jacobus I.

LE LOUP.

Jacobus Lupi Borbonienſis [b], Carroſi monachus, prior S. Porciani ab an. 1419. 13. cal. Junii eligitur epiſcopus an. 1427. confirmatuſque fuit a concilio Conſtantienſi. Occurrit in charta majoris eccleſiæ die X. Januarii anni 1428. Anno 1430. memoratur in tranſactione facta die 9. Novembris inter priorem & parochianos S.

E

[a] De treugis per totam Aquitaniam initis: *Nous, &c. comme nagaires ſcient venus par devers la Reverend Pier en Dieu Meſſire Gerard de Puy Eveque de S. Flour 7. Decemb. 1407. tom. 8. pag. 507. 509. 1408.*

[b] In eccleſia S. Porciani pagi Borbonienſis, eſt ſacellum & tumulus familiæ hujus præſulis.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

Petri de Chaſagnes pro cera in exſequiis. Huic inſtrumento appenſum eſt ejus ſigillum in quo legitur : *Jacobus Lupi epiſc. S. Flori.* In charta S. Petri de Caſis, die 29. Martii an. 1431. legitur nomen ejuſdem epiſcopi, ut in alia Cuſſeti
1437. charta. Die 14. Januarii an. 1437. approbat compoſitionem factam pro decimis de Aſineriis, inter Piperaci abbatem, & Guillelmum de Rupe
1438. dominum de Aſineriis. Anno 1438. die Jovis, quæ fuit nona Junii, hora 1. *ſacroſancta generali ſynodo in civitate Baſilienſi in Spiritu ſancto legitime congregata*, facta eſt electio Armandi de Flageac in abbatem Piperacenſem, Jacobo tunc in cathedra S. Flori ſedente. Anno 1443. die 26. Junii contulit eccleſiam parochialem Ciſteriarum, *de Ciſtrieres*, ad præſentationem abbatis Caſæ-Dei. Docent noſtri Sammarthani epiſcopum hunc fuiſſe e pago Borbonienſi oriundum, ſcilicet ex genere dominorum de Beauvoir, eumque monachum fuiſſe aſſerunt, necnon & Caroli VII. regis conſiliarium. Cum comes de Rebedieu in patriam turmas militares immiſiſſet quæ eam undecunque vaſtabant, ad eas expellendas, æris alieni plurimum contraxit, ut in actis cameræ computorum
1451. Pariſ. legitur. Dicitur occubuiſſe anno 1451. poſt majorem cathedralis eccleſiæ partem ſuis ſumtibus reſtauratam.

Forte hic præſul duplici nomine appellabatur; nam in tabulis Caſæ-Dei noſter D. Jacobus Boyer invenit litteras Ar. epiſcopi S. Flori, conferentis eccleſiam parochialem de Azeraco, ad præſentationem Johannis abbatis Caſæ-Dei, die 8. Decembris an. 1432. quo tempore procul dubio epiſcopus erat Jacobus noſter. Alioquin dicendum foret tunc fuiſſe duos hac in eccleſia qui de epiſcopatu contenderent.

DE LAUTOIN DE MONTGON

XIII. Petrus IV.

Petrus de Lautoin ex monacho & priore S. Flori eligitur & confirmatur epiſcopus a Nicolao papa V. bulla data ejus pontificatus anno VI. Chriſti 1452. nonis Julii ex tab. Vaticani. Reperitur *Sammarth.* Petrus epiſcopus adhuc an. 1458. in charta S. Geraldi Auriliac. Inſtituit collegium ſacerdotum, & inter eos vitæ victuſque communitatem, in eccleſia S. Elpidii. Abdicato epiſcopatu in favorem ſequentis, exceſſit e vita die 23. Novembris. Jacet ante majus altare, ad cujus ædificationem multa contulerat.

DE LAUTOIN, *al.* HEUTOIN.

XIV. Antonius I.

Hic ſuperioris epiſcopi frater fuit & in monaſterio ſodalis, cujus etiam in tumulo ſepeliri voluit. Anno 1463. jam ſedebat ; ejus enim nomen exhibet charta S. Petri de Caſis hujus anni. Anno
1466. 1466. die 4. Decembris eccleſiam parochialem de Arleto contulit ad præſentationem abbatis
1471. Caſæ-Dei. Anno 1471. die 1. Decembris benedictionem abbatialem impertivit Guillelmo de Flageac, cujus electionem in abbatem Piperacenſem ipſi mandaverat Sixtus papa IV. bulla data XIV. cal. Octob. ejuſdem anni. Eum cum fratre ſuo Petro epiſcopo eccleſiam S. Flori ædificaſſe, quam Antonius conſecravit, docent duæ inſcriptiones. Die 2. Martii anni 1472. committit curam eccleſiæ Veteris-Brivatæ ; quod iterum fecit anno 1482. in loco de Montgon ; ubi cum ad manum non haberet ſigillum epiſcopale, uſus eſt *ſigillo ſuo rotundo*, uti notatur in ejus litteris.

ANNI CHRISTI

Illo conſentiente an. 1476. VIII. idus Januar. monachi ad canonicorum ſecularium ſtatum redacti ſunt, ex brevi apoſtolico Sixti IV. quod exſtat apud Chopinum l. 1. de Sacra politia tit. 3.

Obiit an. 1482. conditurque in tumulo com- 1482.
muni epiſcoporum cum fratre. Chorum conſtruxit & duas majores campanas fieri curavit ; fundavitque miſſam quotidianam & 12. anniv.

In litteris collationis eccleſiæ Veteris-Brivatæ an. 1472. dicitur conſiliarius Regis, & ad cognomen *de Lieuthonio* additur aliud *de Mocgon.* Vicarium generalem habuit Ludovicum de Leuthonio, qui ejus nomine *vicariam* S. Georgii de Aurato contulit die 9. Septembris 1480. item eccleſias S. Martini de Pinolis 1479. S. Hippolyti de Digons 1480. & S. Juliani de Caſis 1481. ex arch. Cantogil. Piperac. & de Caſis. In reg. 205. theſauri regii legitur abolitio pro Antonio de Heutoing epiſcopo S. Flori pro pluribus exceſſibus menſe Januarii anni 1478.

DE DOYAC

XV. Claudius I.

Claudius de Doyac, præpoſitus Claromontenſis & abbas Valetæ, electus 1483. apud Villam-Dei, ubi capitulum ob ingruentem peſtem commorabatur. Sacramentum præſtitit in aula capitulari S. Flori, die 8. Julii 1486. Eodem anno die 1486.
28. Maii, fidei ſacramentum exhibuit Regi, uti legitur inter probat. libertatum eccleſiæ Gallicanæ cap. 15. n. 69. An. 1488. contulit prioratum 1488.
S. Hippolyti de Digons * Armando de Cineirac * vel Digny.
de la Roque ; & in ejus ſigillo [a], quo muniuntur litteræ hac de re datæ, legitur : *Sig. Cl. de Doyac ep. & domini S. Flori.* a

Porro Claudius pacificam epiſcopatus poſſeſſionem non obtinuit, quamvis ab Innocentio VIII. proviſionem, ut aiunt, accepiſſet ; nam Alexander VI. commiſit Guiſcardum * Carcaſſonenſem epiſcopum ad dirimendam litem inter * *al.* Gultardum.
Claudium * & Carolum de Gaudioſa qui ſequitur: * *Vide tom.* 3. *col.* 146.
at Guiſcardus hanc deprecatus eſt provinciam urgentia cauſatus negotia, & commiſit ſui vice Bernardum Laciati epiſcopum Hipponenſem litteris datis 12. Novembris anno 1493. Ex litteris Alexandri papæ a nobis viſis, vitioſa habebatur ejus ordinatio ; quippe quæ facta fuiſſet a duobus tantum epiſcopis & uno abbate. Quapropter juſſerat Innocentius papa ut *rehabilitaretur* ipſe & ii qui ab ipſo fuerant ordinati. Obiit in loco dicto de la Pegaliere, ſepultuſque eſt apud Cuſſetum in Arvernia patria ſua.

[a] Sigillum hoc planum & nudum eſt ; nihilque in illo apparet præter inſularum & pedi ornamenta.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

XVI. Carolus I.

DE JOYEUSE. a

Carolus de Gaudioſa [a] Tanaquilli, *Tanneguy*, vicecomitis, & Blanchæ de Turnonio, amitæ Franciſci cardinalis, filius; ob nonnullos defectus ſive in electione ſive in ordinatione Claudii, qui moverunt Sixtum IV. ad eas reprobandas, ab eodem pontifice creatus eſt epiſcopus S. Flori, poſt electionem ipſius a capitulo an. 1483. die 10. Sept. quo anno jam inſcriptum ipſius nomen legitur in tabulis Piperacenſibus, & an. 1485. Die 1. Oct. an. 1490. confert vicariam S. Mariæ de Alteiraco Guillelmo canonico Regulari Piperac. An. 1492. die 23. Martii ejus officialis agnoſcit jus abbatis hujuſce loci in præſentatione neſcio cujus vicariæ. An. 1494. conſecravit eccleſiam B. M. Piperac. Idem memoratur an. 1498. in Johanne de Flageat abbate Piperac. Adhuc ſacras ordinationes fecit die 6. menſis Martii anni 1500. ut probant litteræ pro collato presbyteratus ordine datæ fr. Beraldo Reſſonis Piperacenſi canonico Regulari. Jacet in choro eccleſiæ S. Flori, in communi epiſcoporum ſepulcro. Habuit vicarium generalem Johannem de Laſtic B. Mariæ civitatis S. Flori canonicum, qui an. 1493. contulit curam eccleſiæ d'Arlet, in archipresbyteratu Langeacenſi, abbate Caſæ-Dei præſentante.

Sammarth. 1483. 1490. 1492. 1494. 1498.

XVII. Ludovicus.

DE JOYEUSE.

Ludovicus de Joyeuſe Caroli nepos ex fratre Guillelmo vicecomite, matrem habuit Annam de Balſac; &, inter plurimos fratres ſpectatæ nobilitatis ac virtutis, Johannem vicecomitem avum Annæ ducis de Joyeuſe paris Franciæ ac præfecti maris, aliorumque heroum, qui affinitate conjuncti ſunt cum illuſtriſſimis regiiſque familiis Lotharingiæ, Sabaudiæ & Franciæ. Lud. jam erat epiſc. die 3. Nov. 1501. quo Claudius de Agurio in decretis licentiatus, canonicus S. Flori, vicarius generalis Lud. de Gaudioſa hujus eccleſiæ commendatarii, ſeu adminiſtratoris in remotis agentis, confert curam eccleſiæ de Siangues, die 30. Martii. An. 1504. legimus eum habuiſſe officialem eumdem Claudium de Agurio. Anno ſequenti confert per Petrum d'Eſcoralle, ſuum vicarium generalem, vicariam de Lorciere, die 25. Februarii. An. 1509. in litteris pro collatione hujus ſacerdotii dicitur *epiſcopus Dei & apoſtolicæ ſedis gratia.* Eodem anno die 23. Aprilis, concedit quaſdam indulgentias, in gratiam eorum qui ſolemnem benedictionem acciperent a Johanne de Flageac Piperaci abbate. Notatur in aliis tabulis Piperacenſibus annorum 1515. 1517. die 15. Octobris, 1529. die 12. Januarii, 1532. die 14. Januarii. Ad munia epiſcopalia utebatur Antonio Paſchali epiſcopo Roſenſi, ut liquet ex hac inſcriptione inventa in monaſterio Piperacenſi: *Anno Domini milleſimo quingenteſimo vigeſimo quarto die XXII. menſis Maii ego Antonius Paſchalis epiſcopus Roſenſis, ſuffraganeus domini epiſcopi S. Flori, conſecravi hoc altare in honorem S. Johannis-Baptiſtæ.*

1504. 1509. 1515. 1529. 1532.

[a] In quibuſdam chartis viſitur ejus ſigillum ex cera rubra, circa quod legitur: *S. pontificale Caroli de Gaudioſa epiſcopi S. Flori.*

Forte idem eſt ac ille de quo vetus Gallia Chriſt. tom. 1. pag. 284. col. 1. Præter duos vicarios generales ſuperius indicatos, tres alios novimus: Jacobum de Gaudioſa S. Flori canonicum, ex collatione canonicatus, die 12. Julii 1524. Petrum Brugier canonicum quoque, qui an. 1526. ejuſdem capituli præbenda donavit Bernardum de Mala-rupe: denique Claudium Comitis, qui contulit prioratum de Jax an. 1529. & vicariam perpetuam de Alteyraco, *Auteyrac*, an. 1532.

ANNI CHRISTI

XVIII. Johannes I.

BURLOUD.

Etſi Johannem Burloud, aliter Burle, apud Forum-Seguſianorum * ortum, fuiſſe quidem epiſcopum S. Flori non inficiemur; quamvis de illo publicis in actis nihil reperire licuerit: quod tamen legitur apud Sammarthanos eum fuiſſe tranſlatum ad hanc ſedem a Sanpapulenſi valde incertum putamus, ne dicamus falſum. Et quidem ipſimet Sammarthani nullam ipſius fecere mentionem in epiſcopis Sanpapulenſibus. Quo vero tempore, vel quandiu ſederit ignoramus. An. 1542. deſinente, ſcilicet die 20. Martii adhuc vacabat ſedes, ex litteris Petri Brugier canonici & vicarii generalis capituli, ſede vacante, aſſervatis in Claromontenſi S. Illidii tabulario.

* Bourg en Breſſe.

XIX. Balthazar.

JARENTE.

Balthazar [b] Jarente, *al.* de Gerente, filius Thomæ baronis de Senas ex Ludovica de Glandeves nobili genere in Provincia ortus, juriſprudentiæ operam dedit & doctoris lauream conſecutus eſt, poſteaque officium primi præſidis in curia computorum & vectigalium Provinciæ apud Aquas-Sextias. Hoc munere magna cum integritate perfunctus: accitur ad paſtorale & epiſcopale in cathedra Vencienſi, poſtea in San-Florenſi exercendum ſchedula Franciſci I. Francorum regis, auctoritate concordatorum cum Leone papa X. factorum freti. Juramentum præſtitit capitulo die 12. Sept. an. 1544. datis urbi pro jucundo ingreſſu 800. libris Turonenſibus. Anno ſequenti die 13. Februarii creavit ſuum vicarium generalem Nicolaum fratrem ſuum epiſcopum Vencienſem. Chriſtophorus de Brezons, S. Flori canonicus, erat ibidem vicarius generalis ſub noſtro epiſcopo die X. Maii 1546. & 1547. Quæ omnia nos docent tabulæ eccleſiæ S. Flori. Demum Balthazar tranſiit ad metropolim Ebredunenſem, permutatione facta cum Antonio qui ſequitur. Obiit an. 1565. die 27. Junii ex necrol. Aquæ-Sextienſis eccleſiæ ubi fuerat canonicus.

[b]

XX. Antonius II.

DE LEVIS.

Antonius de Levis Jacobo barone de Chaſteaumorand ex Ludovica Turnonia Franciſci cardinalis ſorore natus, canonicus & comes Lugdun. abbaſque Benedictionis-Dei, poſt occupatam ſedem metropolitanam Ebredunenſem, in cujus adminiſtratione uſus eſt epiſcopo Roſenſi tanquam vicario, hanc ſummam dignitatem permutavit cum epiſcopatu S. Flori.

[b] Nonnulli illum appellant *de Gerente*, aut *de Jarente*. In necrologio eccleſiæ Aquæ-Sext. legitur ſimpliciter Baltazar Jarente.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

Sacramentum præſtitit capitulo die 15. Sept. an. 1551. Carolum d'Eſcoralles, *al.* d'Eſcorolles, eccleſiarum cathedralis & collegiatæ S. Flori canonicum, vicarium generalem habebat 13. Decembris 1552. An. 1558. die 20. Septembris conceſſit erectionem oratorii, ſeu ſacelli in caſtro de Chavagnac prope Langeacum in parochia S. Georgii de Aurato.

DE SELVE.

XXI. JOHANNES-PAULUS.

Hujus epiſcopi ſolum nomen tenemus, & patriam; eum enim Lemovicenſem fuiſſe aſſerunt noſtri Sammarthani. Ipſum e vivis exceſſiſſe an. 1570. conjicit D. Beaufils Sanflor. canonicus, quo videlicet capitulum, ſede vacante, novos officiales ad jus dicendum inſtituit: ſed qui prius ab epiſcopo inſtituti fuerant, decretorio parlamenti ſenatus conſulto fuerunt confirmati.

DE LA BAUME.

XXII. PETRUS V.

Petrus, quem Proſperum appellari alicubi legimus, abbas Begardi in Aremorica, & de Boſco-Alberici apud Turones, Reginæ ab eleemoſynis primus, filius erat Claudii de Balma baronis Montis-S. Sorlini ex illicita copula. Sacramento ſe obſtrinxit capitulo flexis genibus & nudo capite ante majus altare die 1. Septembris an. 1576. Interfuit concilio Bituricenſi anno 1584. celebrato. Anno 1592. die 16. Februarii contulit vicariam perpetuam S. Ilpidii, uti legimus in tab. Piperacenſibus.

Sammarth.

1584.

1592.

Sub hoc præſule Annetus de Fontanges protonotarius apoſtolicus, priorque commendatarius S. Michaëlis, fundavit in urbe S. Flori gymnaſium. Jacet in choro ſuæ eccleſiæ.

D'URFE.

XXIII. ANTONIUS III.

Antonius d'Urfé, ex nobiliſſima in pago Forenſi gente ortus, parentes habuit Jacobum, & Renatam a Sabaudia Tendæ dominam, fratrem vero Honoratum d'Urfé, fabuloſis narrationibus, quibus ingenioſe luſit, celeberrimum. Antonius vero cum monachus eſſet Caſæ-Dei, & in abbatem electus fuiſſet a fratribus, in ſolatium caducæ electionis (nam Rex ei oppoſuit Nicolaum de Neufville,) promovetur ad S. Flori cathedram, at non fuit conſecratus. Cum Floropolim acceſſiſſet, exire paulo poſt coactus eſt, quod urbs Regis partibus adverſaretur. An. 1593. die 13. Junii contulit eccleſiam S. Juliani de Caſis ad præſentationem Catharinæ de Rivoyre abbatiſſæ de Caſis. Si occubuerit die XI. Oct. anni 1593. ut legimus apud noſtros Sammarthanos, brevi præfuit tempore; hoc eſt menſes circiter ſeptem. Sepultus dicitur apud Franciſcanos Baſtiæ in Seguſianis.

1593.

Porro de ejus morte hæc narrantur. Cum bellis civilibus graſſantibus ad fratrem Honoratum Caſtri-novi comitem pergeret; jamjamque caſtro ſuccederet, non agnitus a domeſticis militibus, qui caſtrum cuſtodiebant, ſclopeti globis plumbeis ictus efflavit animam magno fratris ſui ejuſque uxoris Dianæ de Chaſteau-morand luctu. Conventus Franciſcanorum Baſtiæ in quo jacet, fundatus dicitur a Petro d'Urfé ejuſque uxore Antonia de Beauveau. Poſt ipſius eædem Petrum de la Baume iterum ſedem epiſcopalem occupaſſe legimus.

ANNI CHRISTI

XXIV. RAIMUNDUS.

ROUCHON

Raimundum Rouchon priorem S. Petri de Regula dioeceſis Vaſatenſis ſucceſſorem fuiſſe Antonii d'Urfé conjicimus; hæc autem certa argumenta de ejus epiſcopatu huc uſque ignoto habemus, ex documentis ſodalitii Pœnitentium Nigrorum ſanctæ Crucis apud S. Florum, quod ipſe inſtituit. Hujus confraternitatis, ut aiunt, ſtatuta hic epiſcopus approbavit die 22. Junii an. 1599. quo etiam an. in die natali S. Johan. Baptiſtæ ſacramentum fidelitatis præſtitit Regi Chriſtianiſſimo, in eccleſia cathedrali Aurelianenſi. Anno 1600. die 24. Septembris procuratorem inſtituit ad obtinendam in curia Romana confirmationem hujus ſodalitii. Procurationem excepit Minoris notarius regius, apud caſtrum de la Fage in Lemovicibus. Bulla pontificia pro eadem confirmatione data eſt die 9. Novembris ejuſdem an. 1600. *verificata* fuit in fano S. Flori die 10. Martii anni 1601. a magiſtro Briſſon hujus epiſcopi vicario generali: ipſe Raimundus epiſcopus hanc bullam veram & indubitatam publicavit die 22. Junii ejuſdem anni in caſtro de la Fage: die 11. Septembris an. 1602. Mag. Andreas de la Grange vicarius generalis, ſede vacante, eandem bullam approbavit. Itaque hoc anno ante diem XI. Septembris hic epiſcopus e vivis exceſſerat. Anno 1598. die Dominica, quæ erat 14. Junii, Fratres Minores admiſſi ſunt in poſſeſſionem conventus ſui apud Sanflorenſem urbem, ubi prius erat xenodochium ſub titulo S. Stephani. Hæc nos docet vir doctus D. Beaufils canonicus S. Flori.

DE NOAILLES

XXV. CAROLUS III.

De Carolo Noaillio jam locuti ſumus in Ruthenenſibus epiſcopis. Nunc de ejus apud S. Flori fanum epiſcopatu breviter dicendum. Nominatur epiſcopus anno 1610. an. ætatis ſuæ 22. conſecratur an. 1614. Anno 1615. adfuit comitiis generalibus cleri Gallicani apud Pariſios. Anno 1621. religionis ergo inviſit ſacras reliquias cœnobii Piperacenſis. Anno 1636. convenit adhuc ad cœtum totius Cleri, cujus nomine die 20. Aprilis ſalutavit Lud. XIII. regem eleganti oratione. Anno 1645. rurſum acceſſit ad generalia cleri comitia; anno vero ſequenti tranſivit ad Ruthenenſem eccleſiam. Eo ſedente ac promovente fundatur collegium Societatis Jeſu apud Auriliacum an. 1619. & Langeaci conventus S. Catharinæ monialium ordin. S. Dominici, Capucini apud Brivatem, quorum conventus an. 1685. eleganter innovatus eſt. An. 1624. admittuntur apud Aureliacum virgines a noſtra Domina nuncupatæ; ad eandem urbem moniales S. Claræ in loco *de Boiſſet* ab Iſabella de Rodes vicecomitiſſa *de Carlat* fundatæ, transferuntur anno 1625. An. 1628. inſtituuntur in urbe epiſcopali virgines a Viſitatione B. Mariæ nuncupatæ. An. 1631. Capucini

1615.

1621.

1636.

1645.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

apud Langiacum habitare cœperunt. An. ſequenti Laurentia de Bonaſos pia vidua fundavit ædes pro monialibus noſtræ Dominæ apud S. Florum: moniales eædem apud Langeacum habent egregiam domum fundatam an. 1645. An. 1644. Camilla de Peſteils cum conſenſu viri ſui Annæ de Noailles marchionis de Mont-clar, fundavit apud Vicum, *Vic*, prioratum ord. S. Benedicti cui præpoſita eſt ejus filia Suſanna de Caſſagnes ſancti Saturnini Rutenenſis alumna. Perfecit hic epiſcopus campanile majus, & epiſcopale palatium conſtruxit, ritualeque ac homilias pro ſingulis anni feſtis, typis mandari Toloſæ curavit. Bibliothecæ domus profeſſæ Soc. Jeſu apud Toloſam inſtaurator fuit munificus, in qua præſulis illuſtriſſimi ſpectare eſt effigiem, cum hac Vitalis Theron ejuſdem Societ. epigraphe:

In tabula caſti majeſtas emicat æris
Ingenii, latet effigies auguſta; ſed iſti,
Quos dedit, & quorum veneres & grandia ſenſa
Unus habet, muto libri ſermone loquuntur.

AUVRY.

XXVI. CLAUDIUS II.

Claudius Auvry deſignatus epiſcopus S. Flori, ad Conſtantienſem in Normannia ante ſuam conſecrationem transfertur eccleſiam, ubi de eo fuſe ſatis, & in theſaurariis S. capellæ Pariſienſis acturi ſumus.

DE MONT-ROUGE.

XXVII. JACOBUS II.

Jacobus de Mont-rouge Pariſinus, doctor Sorbonicus, Annæ reginæ regenti regis Ludovici XIII. viduæ, matri Ludovici-magni, erat ab eleemoſynis & concionibus, ſimulque abbas S. Voluſiani apud Fuxum, cum vocatus eſt ad epiſcopales labores. Fuerat jam deſignatus epiſcopus Appamienſis an. 1643. Bullas accipit ab Innocentio papa X. anno 1647. & conſecratur epiſcopus S. Flori Pariſiis apud Cartuſianos a Petro de Bertier Uceſienſi epiſcopo coadjutore Montalbanenſi, adſiſtentibus Jacobo Danés Tolonenſi, & Johanne de Lingendes Sarlatenſi. Anno 1661. die 1. Julii tranſlatus eſt ad eccleſiam Anicienſem. Sed ad priorem ſponſam reverſus obiit anno 1664. in oppido de Ganat, die 20. April. Sub hoc epiſcopo Carola de Noailles fundavit monaſterium virginum a Viſitatione, apud Aureliacum.

1661.

DE BETHUNE.

XXVIII. ARMANDUS.

Armandus de Bethune ex linea comitum Celſæ in pago Bituricenſi ad Carum fluvium, anno 1661. die 1. Julii nominatur a Rege ad epiſcopatum S. Flori, ſed Jacobo de Mont-rouge ad hanc ſedem redeunte Armandus nondum conſecratus deſignatus eſt epiſcopus Anicienſis, ordinatuſque eſt die 12. Julii anni 1665.

DE LA MOTHE HOUDANCOUR.

XXIX. HIERONYMUS.

Hieronymus de la Mothe Houdancour frater Henrici Auſcienſis archiepiſcopi, de quo jam egimus, qui ambo parentes habuerunt Philippum de la Mothe Houdancour & Ludovicam Charles, alteram ejus conjugem, menſe Maio anni 1664. accepit ſchedulam regiam pro hoc epiſcopatu. Die 17. Aug. Compendii conſecratus eſt in parthenone S. Nicolai a fratre ſuo Auſciorum archiepiſcopo, cui adſiſtentes dati Dionyſius Sanguin Silvanectenſis epiſcopus, & Carolus de Bourlon Sueſſionenſis. Die 26. ejuſdem menſis & an. Regi fidem clientelarem juravit. Bis Piperacū acceſſit ad cultum ſacris reliquiis hujus loci exhibendum, ſcilicet die 30. Maii an. 1665. & 9. Junii 1673. Animam exhalavit die 29. Maii anni 1693. annos natus 76. poſt 29. annos epiſcopatus, quibus nunquam abfuit a ſua diœceſi. Sepultus fuit die 2. Junii in communi epiſcoporum ſepulcro, intra chorum. Sedente hoc epiſcopo Petrus Chomel archipresbyter & canonicus, vicarius generalis & officialis, viſitator Carmelitarum, fundavit moniales *de Calidis-Aquis*.

ANNI CHRISTI

1673.
1693.

D'ESTAIN.

XXX. JOACHIMUS-JOSEPHUS.

Joachimus-Joſephus d'Eſtain-Saillant, patre Joachimo comite d'Eſtain-Saillant, & N. du Terrail de Bayard pronepti celeberrimi Petri du Terrail dicti *equitis Bayard*, ob facinora bellica toto orbe noti, fuit canonicus & comes eccleſiæ Lugdunenſis, in quam a 400. fere annis, undecim ejuſdem generis nobiliſſimi clerici admiſſi ſunt. Ex hoc autem illuſtri collegio aſſumtus eſt ad epiſcopatum S. Flori deſignatus a rege Chriſtianiſſimo die 8. Septembris anni 1693. anno ſequenti conſecratur Pariſiis die 3. Januarii in eccleſia novitiatus Societatis Jeſu a Carolo le Goux de la Berchere tunc Albienſi archiepiſcopo; die 5. ejuſdem menſis Regi ſacramentum fidei clientelaris præſtitit. Anno 1715. adfuit comitiis cleri Gallicani, in quibus fuit unus ex cœtus ampliſſimi præſidibus.

1693.

ARCHIDIACONI ECCLESIÆ S. FLORI.

I. JOHANNES DE BREZONS, in bulla ſeculariſationis.

II. Bernardus de Mala-rocha, ſeu de Mala-rupe, utriuſque juris doctor. Archidiaconus, & capitulum S. Flori tranſigunt cum Carolo de Gaudioſa epiſcopo pro collatione præbendarum eccleſiæ cathedralis 9. Maii 1498. Reperitur adhuc Bernardus 1514.

III. Jacobus de Gaudioſa erat canonicus ſancti Flori & vicarius generalis Ludovici epiſcopi 1524. Reperitur archidiaconus ac in decretis baccalaureus 15. Januarii 1527.

Jacobus de Gaudioſa archidiac. eccl. S. Flori, vicarius generalis in ſpiritualibus & temporalibus Ludov. de Gaudioſa epiſcopi, confert curam parochialem de Pinols Petro Limoſin ad nominationem Franciſci de Tournon abbatis Caſæ-Dei. Datum Biturigibus 28. Octob. 1530.

IV. Franciſcus de Jouvenroux archidiaconus 10. Maii 1546.

V. Antonius de Stanno, ex illuſtri familia apud Ruthenos 23. Septemb. 1581. & 1586.

VI. Ludovicus de Pons de la Grange ceſſit archidiaconatum ſequenti.

VII. Andreas I. de Pons de la Grange, dominus de Frugieres poſt Ludovici demiſſionem

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

electus fuit a capitulo 13. Maii 1594. Reperitur 1612. & 1614.

VIII. Petrus I. de Pons de la Grange 1636.

IX. Andreas II. de Pons de la Grange 1639.

X. Petrus II. de Pons de la Grange 1656. Erat canonicus & comes Lugdunenſis: ſequenti ceſſit pro prioratu SS. Gervaſii & Prothaſii de Javolz diœceſis Mimatenſis.

XI. Philibertus I. de Ponſonaille de Grizols filius Guidonis & Carlotæ d'Apchier nobilium parentum; ex priore de Javolz & rectore parochiæ de Faveyroles, inſtitutus eſt archidiaconus bulla Alexandri VII. data in arce Gandulphi diœceſis Albanenſis an. 1666. XIV. cal. Dec. pontific. an. XII. Obiit an. 1680.

XII. Philibertus II. de Ponſonaille de Grizols A providetur de archidiaconatu per patrui reſignationem bulla Clementis papæ X. dat. Romæ apud S. Mariam majorem anno Incarn. 1673. v. cal. Maii pontif. anno III. Electus eſt vicarius generalis, ſede vacante poſt obitum Hieronymi epiſcopi. Obiit an. 1695.

XIII. Philibertus III. de Ponſonaille de Grizols, frater ſuperioris, electus archidiaconus a capitulo 14. Martii 1695. Obiit die 2. Junii 1710.

XIV. Johannes-Franciſcus de Ponſonaille de Grizols, filius Raimundi-Joſephi equitis domini du Chaſſan, ex Franciſca de Montvallat, ex canonico S. Flori fit archidiaconus 2. Junii 1710. vir ſane ingenita animi nobilitate, & morum candore cunctis acceptiſſimus.

ANNI CHRISTI

ABBATIÆ DIOECESIS S. FLORI.

ANTEQUAM de abbatiis nunc exſtantibus B loquamur, non abs re erit pauca dicere de Cantogilenſi * monaſterio, quod ex antiqua abbatia nunc eſt prioratus conventualis a Caſæ-Dei pendens.

* Chanteuge.

Cantogilum, ſeu Cantogilenſe SS. Juliani, Saturnini & Marcellini Ebredunenſis epiſcopi cœnobium, ſitum eſt in diœceſi S. Flori inter Elaverem * fluvium, & rivulum Dejam * dictum, ubi aſſurgit prærelſa rupes, cui impoſitum eſt monaſterium. De ipſius origine hæc breviter ſunt notanda.

* l'Allier.

* la Deuje.

Claudius vir illuſtris, ad quem locus hic pertinebat ſeculo nono, propoſuerat iſtic inſtituere collegium canonicorum; quod cum exſequi non potuiſſet morte occupatus, prædium reliquit Cuneberto levitæ ſuo nepoti, ea lege ut poſt Cuneberti mortem Brivatenſi eccleſiæ cederet, cujus is erat præpoſitus. Cunibertus cum Hectore decano, ceteriſque Brivatenſibus canonicis, ſatius eſſe judicavit Cantogilum *ad diſtrictiorem converſationem*, ſcilicet monachorum inſtituere; *quia*, inquit, *frigeſcente jam caritate, cum ..... juxta canonicam inſtitutionem converſari ad integrum nequeamus, ſaltim hoc nobis ante Deum proficiat, ſi illos qui regulariter vivant de noſtro jure ſuſtentemus.* Faverunt huic conſilio Raimundus comes Toloſanus, & Aquitanorum princeps, Dalmatius vicecomes ac Brivatenſis abbas, & Arnaldus Anicienſis epiſcopus, ad cujus diœceſim tunc pertinebat Cantogilum. Exſecutio pii propoſiti demandata eſt Arnulfo abbati (Auriliacenſi) uti putat Mabillonius: *ut monachi cum abbate ſuo regularem ſecundum traditionem S. Benedicti vitam ducant*, quod erat etiam Auriliacenſium monachorum inſtitutum. *Data hæc auctoritas teſtamenti V. calendas Septembris, anno I. regnante domno Ludovico piiſſimo Francorum rege*, &c. Integrum inſtrumentum edidit Mabillonius in appendice ad tom. III. Annalium Benedict. Legitur etiam in probat. hiſt. Arvern. Baluz. pag. 16.

C

D

p. 707.

Ludovicus rex fundationem hanc poſt ſex annos ſuo præcepto confirmavit rogatu monachorum S. Marcellini Cantogilenſis cœnobii, ad preces Herici Lingonenſis epiſcopi & Goteſcalci Anicienſis præſulis (qui Arnaldo ſucceſſerat.) *Datum nonis Decembris indict. XV. an. VI. regnante Ludovico glorioſiſſimo rege.* Odilo cancellarius ad vicem Herici epiſcopi ſummique cancellarii recognovit.

In litteris Cuniberti ex archivo Caſæ-Dei deſcriptis, patroni monaſterii deſignantur poſt *Salvatorem noſtrum Deum*, S. Julianus Brivatenſis martyr, alter Julianus Antiochenus, & S. Saturninus quorum duorum ibidem eccleſiæ jam conſtructæ erant; denique S. Marcellinus Ebredunenſis epiſcopus, cujus glorioſum corpus ad hunc locum tranſlatum fuerat *cum multis aliis ſanctorum pigneribus:* ea ſunt corpora ſanctorum Caſſii, & Antoliani martyrum Arvernenſium, caput S. Pavacii Cenomanenſis epiſcopi, &c.

Hos tantum abbates potuimus reperire.

I. OBERIUS, qui videtur primus fuiſſe. In ejus manu Bertrandus Levita donationem fecit in die Mercurii, menſe Auguſto, Ludovico Francorum rege, fortaſſe eccleſiæ S. Saturnini mart. quam legimus ab ipſo dimiſſam monaſterio; nunc eſt eccleſia parochialis loci. Bertrandus hîc ibidem monachum induit.

II. Robertus abbas Cantogilenſis, non Cantinobenſis, ut notavit Mabillon. Annal. tom 3. pag. 507. poſtea abbas Yſſiodorenſis, regnante Lothario.

III. Raimundus abbas Cantogil. abbatiam dimiſit monaſterio Caſæ-Dei 1136. Dom. prima Quadrageſ. depoſuit virgam in manu Aymerici Clarom. epiſcopi, & abbatiam in prioratum Caſæ-Dei attribuit tertia die poſt feſtum beati Roberti 1137. Hanc ſubjectionem confirmaverunt primum Aymericus Arvernorum epiſcopus, deinde Albericus Aquitaniæ primas. Tandem Lucius

papa II. deceſſoris ſui Innocentii veſtigiis inhærens, confirmat monaſterium Cantogilenſe in ordine prioratus, ſub obedientia abbatum Caſæ-Dei, ad requiſitionem Stephani abb. Caſæ-Dei, an. Incarn. Domini 1143. indict. 7. pontif. an. 1. Hadrianus IV. confirmat bullam Lucii.

Johannes XXII. unit Cantogilenſem prioratum menſæ Caſæ-Dei, *pro obſervanda hoſpitalitate, ab olim in eodem Caſæ-Dei monaſterio inſtituta*, XI. cal. Septemb. pontif. an. 3. & XI. cal. Julii pont. anno 11. Clemens ſextus utramque Johannis bullam confirmat Avinione III. idus Octob. pontif. anno primo.

ABBATIÆ QUÆ EXSTANT IN DIOECESI S. FLORI SUNT:

AURILIACUM, *Aurillac.*
S. Petrus de Maurtio, *Maurs.* — Ord. S. Benedict.
S. Petrus de Blazilia, fem. *Bleſle.*
S. Petrus de Caſis, fem. *les Caſes.*
S. Johannes Baptiſta de Buxo. fem. *du Buix.*
Piperacum, *Pebrac.* — Ord. S. Auguſti.

ABBATIA S. GERALDI AURILIACENSIS ORD. S. BENEDICTI.

AURELIACUM urbs ſuperioris Arverniæ diœceſis olim Claromontenſis, hodie S. Flori, veteri caſtro & celeberrima abbatia inſignis, ſita eſt in valle amœna quam alluit Jordana fluviolus. Nunc autem clarior evaſit ob curiam præſidialem cujus ſedes eſt. In urbe Franciſcani & Carmelitæ conventus habent. Anno 1377. ibidem fundatur noſocomium.

Quod ſpectat ad abbatiam condita eſt a S. Geraldo Auriliaci comite. Geraldus ortus eſt ſub annum 855. ex alto regum ſanguine, ut docet S. Odo Cluniacenſis abbas, qui S. Geraldi res geſtas quatuor libris eſt complexus. Natus eſt Geraldo comite, matre Adaltrude, piiſſimis nobiliſſimiſque parentibus, quorum alteruter matrem habuit Mathildem Pipini Aquitaniæ regis filiam, ſi S. Geraldus illam aviam habuit, ut volunt qui ejus generis ſtemma deſcripſerunt. Ab ineunte ætate in Geraldo caritas erga pauperes enituit, ſumma cum modeſtia in veſtibus, & morum caſtimonia. Oblatam ſibi conjugem Willelmi Aquitaniæ ducis ſororem recuſavit; & de relinquendo ſeculo cogitans, condendi monaſterii apud Aureliacum conſilium iniit. Itaque Romam profectus eſt ut illud beato Petro offerret, ſub annuo cenſu duodecim ſolidorum, *ad urnam beati Petri*, ut habet S. Odo libro 2. vitæ S. Geraldi.

Non habemus primum teſtamentum S. Geraldi, quo fundavit Auriliacenſe monaſterium ex prædio Auriliaco, S. Petro ſeu S. Sedi oblato, & ex ipſius *appendiciis*; quo in inſtrumento cautum erat de cenſu 12. ſolidorum ad urnam B. Petri; ſed aliud a viro doctiſſimo Johanne Savarone acceptum, in notis ad vitam S. Geraldi edidit Quercetanus, quod prætermittere non debemus. Ita autem ſe habet:

Bibl. Clun. p. 34. appendicis.

Mundi termino appropinquante, ruinis crebreſcentibus, jam certa ſigna manifeſtantur, quia his advenientibus vere mundus arguetur. Et ſi aliquid de rebus noſtris locis ſanctorum conferimus, retributorem nobis eſſe Dominum confidimus; qui dicit, *Date eleemoſynam.* Ob hoc igitur, EGO GERALDUS conſiderans caſum fragilitatis humanæ, & pertimeſcens ultimum trementem diem judicii, propterea cedo ad loca ſanctorum & eorum ſervientium, & in ſubſtantia pauperum, & parentibus meis atque fidelibus: hoc eſt in primis ad locum * pro Deo & S. Petri condonatum habeo, qui vocatur Aurelhacus monaſterium, hoc eſt quod a die præſenti ipſi monachi poſſident, & medietatem de ipſa curte, & ipſum caſtellum cum baccalaria dominicaria, & duos manſos in Grandemonte, & in Fabricas manſo, ubi ſtabilis viſus fuit manere Rainaldus *, teneat dum vivit: poſt obitum illius ordini Aurelhaco remaneat. Mediam curtem æqualiter dividant Rainaldus & monachi, & poſt obitum illius omnia ad Aurelhacum ſuccedant. Decatucerias curte medietatem ad ipſum locum ſupra nominatum dono, & medietatem Rainaldo nepoti meo dono dum vivit. Poſtea ad Aurelhacum remaneat. Villam meam ad illos Ermos monachi habeant. Villa mea Fraxininas monachi medietatem, & Rainaldus medietatem, poſt obitum illius ad Aurelhacum remaneat. Curtogillo Rainaldus habeat dum vivit, poſtea ad Aurelhacum remaneat. Glaurgo eccleſiam monachi poſſideant. Curte mea Roacina Rainaldus dum vivit teneat, poſt obitum illius ad Aurelhacum remaneat. De hoc quod in Goliaco viſus ſum habere, monachi medietatem, Rainaldus medietatem dum vivit, poſt obitum illius ad Aurelhacum remaneat. Boreſia dono a Malfredo filio Galamon dum vivit, poſt illius obitum ad Aurelhacum remaneat. Similiter Marconi manſo, quem ab Adoaldo emi, dum vivit teneat, poſt illius obitum ad Aurelhacum remaneat. Quantumcumque ad ipſas cauſas ſupra nominatas aſpicit aut aſpicere videtur, quæſitum vel ad inquirendum, cum ipſis mancipiis ibidem manentibus, & eorum conſanguineis de foris his cauſis jam dictis degentibus, & cum omnibus pertinentiis, & appenditiis, & adjacentiis eorum, & ad integrum dono & S. Petri & S. Clementis & eorum ſervientibus dono ad jure proprium habendi, tenendi, & uſufructuarium recipiendi; ea ratione dum vivo poſſideam, & poſt obitum noſtrum Rainaldus nepos meus habeat poteſtatem de hoc ſupra nominato monaſterio ad abbates mittendi, tollendi ſint, cauſas monachorum inquirendi ante reges & comites, &

Luc. 11. 41.

* quem.

* Hic erat S. Geraldi nepos ex ſorore Avigerna.

Digitized by Google

eorum vicarios, ſive in diverſis plagis monachorum, & eorum familiis tuitione tenendi. Et acceſſio iſta a me facta, omnique tempore firma ac ſtabilis permaneat cum omni firmitate, & manibus hominum roborata, ſtipulatione quoque annexa. Facta ceſſione iſta in menſe Septembrio ſub die Jovis anno 17. quod Carolus rex ſumſit imperium, & ſignatum Geraldus, qui donatione iſta ſcribere vel affirmare rogavit, ſignatum Fataldi, ſignatum Vigoni, ſignatum Vicarni, ſignatum Bladino, ſignatum Tugiranni.

Ex hoc inſtrumento patroni hujus monaſterii fuerunt SS. Petrus, & Clemens; at poſt S. Geraldi mortem, hujus ſancti fundatoris nomen geſſit. Infelici hoc ſeculo quo cœnobium Aureliacenſe eſt exſtructum, pauci erant in monaſteriis, qui ſecundum S. Benedicti leges viverent. In Vabrenſi fuerant inſtituti nobiles adoleſcentes, quos S. Geraldus in ſuum monaſterium induxit, qui minime ipſius exſpectationi reſponderunt, nec ipſe primus abbas; de quo jam agendum & de ejus ſucceſſoribus, quorum catalogum edidit Dominicus a Jeſu Carmelita diſcalceatus [a]. Certiora autem habuimus teſtimonia ex veteribus inſtrumentis.

Series abbatum.

I. Sanctus Odo primi abbatis Auriliacenſis nomen tacuit, quod ille diſſolute vixerit; nec tamen ab officio paſtorali removit illum S. Geraldus, quia neminem habebat, quem ejus loco ſubrogare poſſet. Is vero, ut conjicit noſter Mabillonius tomo 3. Annal. fuit Adalgarius, aliter Adalginus dictus. Primus enim inter abbates recenſetur in chronico Auriliacenſi. Erat autem unus ex nobilibus adoleſcentibus, quos in monaſterio Vabrenſi, ubi vigebat diſciplina regularis, inſtitui curaverat. Eum legimus miſſum a S. Geraldo ad Carolum regem, ab eoque privilegium pro novo monaſterio impetraſſe. Datum eſt IV. nonas Julii, *al.* Julii ind. II. anno VII. regnante Carolo ſereniſſimo rege. Secundum chronicon obiit ante S. Geraldum, cujus mors ad annum 909. refertur [b]. Porro chronicon Aureliacenſe noſter Mabillonius edidit tom. 2. Analect. p. 237. cujus ſcriptorem vixiſſe ſeculo 12. in quo deſinit, probabile eſt.

II. Johannes, qui ex præclara S. Geraldi ſtirpe originem ducebat, ut probant litteræ Raimundi Auriliacenſis ac Bernardi Tutelenſis abbatum, quas edidit Stephan. Baluzius in appendice actorum vet. ad Reginonem. Eo adhuc vivente, mortuo Adalgario ſubrogatur hic abbas non ſolum propter generis nobilitatem, ſed etiam ob præclaras dotes. Romano pontifici Johanni X. carus fuit, ab eoque obtinuit confirmationem privilegii, quo cœnobium ab omni alia poteſtate, quam ſummi pontificis, abſolvebatur. Centum manſos conventui ceſſiſſe memoratur, pro fratrum forſitan victu aliiſque neceſſariis. Idem Tutelenſem abbatiam ſimul tenuiſſe dicitur. Ejus tempore Geraldi ſanctitas miraculis coruſcare cœpit.

III. S. Odo, ſecundus abbas Cluniaci, tertius fuit qui Auriliacum rexit ut abbas. Fortaſſe cum ibi moraretur, ad preces Turpionis Lemovicenſis epiſcopi, & Aimonis qui abbas erat S. Martialis, ſcripſit libros IV. de vita S. Geraldi, cujus virtutum odor adhuc fragrabat in hoc monaſterio, & miracula refulgebant. Multa alia monaſteria gubernavit S. Odo, & reformavit Sarlatenſe, Maſciacenſe, Senonenſe S. Petri, Claromontanum S. Illidii, Floriacenſe, & Turonenſe S. Juliani in quo migravit ad dominum die 18. Novembris an. 942.

IV. Arnulphus [c] cum eſſet ſanctitate vitæ clarus, a S. Odone eligitur in quem onus curæ paſtoralis transferret, pro monaſterii Auriliacenſis regimine. Itaque Arnulfus S. Odonis, qui tot cœnobiis præerat, fuit coadjutor & coabbas, tempore Leonis papæ VI. & Rodulfi regis, quem libertatem monaſterii confirmaſſe docet chronicon. Arnulfus ſubſcripſit fundationi monaſterii ſancti Pontii Tomeriarum; eoque deduxit monachorum ſuorum coloniam, ex quibus Otgarius ordinatur abbas, ex Raimundi Toloſatum comitis, dicti Pontii, fundatoris litteris apud Catellum l. 1. c. 14. Eidem S. Theotfredi monaſterium reformandum ſubjicit Gotheſcalcus epiſcopus Wallavenſis, an. circiter 938. Vide Mabill. ad hunc an. n. 93.

V. Adraldus I. prius monachus Conchenſis ex pago Rutenico, nobilibus ortus parentibus, majorem eccleſiam conſtruit, & ædificat monaſterium Cadenaci, *al.* Cadeiraci, in quod deduxit ſuorum monachorum coloniam.

VI. Geraldus I. de Sancto-Sereno *, ita cognominatus ab oppido pagi Cadurcenſis in quo ortus erat, ædificium baſilicæ ab anteceſſore inchoatum abſolvit, eamque dedicari procuravit an. 972. indict. V. * Johanne papa XIII. adhuc ſedente. Reſtauravit quoque S. Clementis eccleſiam, quam a Geraldo patre S. Geraldi conditam fuiſſe teſtatur S. Odo in ipſius ſancti vita. Poſtea Geraldus Romanam & Jeroſolymitanam peregrinationes aggreſſus eſt. Sub hoc abbate valde crevit res familiaris monaſterii, cujus tuendæ ſollicitus, vicinos nobiles magnis devinxit beneficiis, maxime comites Turenenſem & Carladienſem, alioſque in pago Caturcino; quibus reliquit ad decem manſorum millia, præter aliqua oppida. Hæc profuſior liberalitas multum attuliſſet detrimenti monaſterio, niſi virtus divina ſubveniſſet, bona continue augendo. Ad initium regni Ludovici pervenit Geraldus, teſtante Gerberti epiſtola 71.* qua eum hortatur ut ad omnipotentem manus pro ſtatu eccleſiarum Dei erigat, ardente nimirum bellis orbe terrarum, quod ad initia regni Ludovici poſt patris Lotharii mortem pertinet. Mortuus in baſilica ſepelitur, *ad lævam majoris portalis.*

VII. Raimundus [d] nobilis Caturcenſis ex caſtro

[a] In libro Gallice ſcripto cum hoc titulo: *Hiſt. panegyrique des trois ſaints protecteurs du haut Auvergne 1638.*

[b] Vide Mabill. ad hunc annum n. 55. ubi legespium hujus ſancti comitis obitum.

[c] Chronicon ex S. Odone & Arnulfo unicum duntaxat facit abbatem.

[d] Cenſet Baluzius Raimundum auſpicatum eſſe abbatis officium an. 984. Quod non videtur convenire cum tempore quo ejus anteceſſor præfuit, adhuc enim præerat an. 986. quo Ludovicus cœpit regnare ſolus. Certe quæ vir doctiſſimus profert teſtimonia Ludovicum nominant Galliæ regem, non Lotharium.

Saura,

p. 293.

Vide Mabil. ad an. 936. n. 77.

* S. Seré.

* lege XV.

* Ad eumdem ſcripſit epiſt. 37.

Digitized by Google

Saura, ſeu Vaura, erudiendi Gerbertum juvenem monachum magnæ ſpei ſollicitus fuit. Is eſt qui poſt archiepiſcopatus Remenſem & Ravennenſem, cathedram S. Petri obtinuit ſub nomine Silveſtri II. Gerbertus epiſtola 91. ſic Raimundum affatur: *Clariſſimo patre Heraldo* * *orbatus, totus ſupereſſe viſus ſum. Sed te deſiderantiſſimo ſecundum vota mea in patrem creato, denuo totus in filium renaſcor. Nec ſolus veſtro honore gaudeo, gaudet pater Adalbero, ſe ſuaque vobis ex animo conferens, quanto amplius luce religionis ac ſcientiæ conlucetis, cujus ob meritum amorem, fere continuum triennium in Francia conſumſi.* Chronicon Auriliacenſe *Gerlentium* appellat Gerbertum; quod nomen ipſi nuſquam alibi datum legitur. Gerbertus multa contulit cœnobio cujus fuerat alumnus, & miſit multa munera Raimundo, ſcilicet libros grammaticorum & alios. De Gerberto plura lege apud Mabill. ad annum 964. n. 86. Raimundus abbas ſepultus eſt ad dextram portæ ſub arcu lapideo. In hiſtoria monaſterii Figiacenſis, quam edidit Baluzius tom. 2. Miſcell. pag. 300. legitur Calſtonem abbatem Figiacenſem auctorem fuiſſe noſtro Raimundo, ut ſcriberet librum de cantu, ſecundum Romanum morem.

* Geraldo de S. Sereno.

VIII. Adraldus II. ex oppido S. Chriſtophori, & nobili familia hujus nominis, ut legimus apud noſtrum D. Claud. Eſtiennot, matrem habuit prædivitem; quæ ipſi commendavit magnum pondus auri & argenti. Ea vero abſente, omnia in baſilicæ ornamentum conſumſit. Inter cetera imaginem S. Geraldi ex auro puro fabricavit; altare argenteum decoravit pluribus gemmis. Eodem tempore comitiſſa Narbonenſis obtulit calicem cryſtallinum plurimis lapidibus pretioſis ornatum. Adraldus ſedebat circa annos 1060. & 1071. ut conjicimus ex tempore quo vivebat Leo abbas de Fundo & epiſcopus Caietæ qui monaſterium inviſit; is enim interfuit anno 1059. concilio Romano ſub Nicolao II. ac dedicationi Montis-Caſini anno 1072. Obiit Adraldus 18. calend. Novembris, & ſepultus eſt juxta Raimundum abbatem.

Chron.

IX. Geraldus II. de Vaxia *, a loco natali ſic nuncupatus, qui vicus eſt diſtans una leuca ab Auriliaco, monaſticam diſciplinam neglexit; nec majorem rerum temporalium curam habuit. Quare bona monaſterii diripuit Geraldus de Caturcia nobilis incola de Vaxia, & monaſterii quoque munitiones occupavit. Sepultus eſt Geraldus juxta ſepulcrum Raimundi abbatis; habens pedes pone parietem baſilicæ.

* Vaix.

X. Geraldum III. de Calcidia, vulgo *de la Cauſſade*, al. *de la Chauſſée*, ſedem uſurpaſſe ſignificare videtur auctor chronici, dicens eum abbatem ſe decreviſſe. Illicitum ingreſſum ſecuta eſt adminiſtratio peſſima, quam referre pudor eſt, inquit hic ſcriptor; at brevis fuit. Mortuus 15. cal. Julii ſepelitur ad prædeceſſoris tumulum.

XI. Geraldum IV. nobilem Cadurcenſem Deus providit monaſterio, ad reſarcienda damna quæ ipſius anteceſſor intulerat. Certe is religioſe ſe geſſit, & in ſua adminiſtratione felix fuit: monaſteriumque ejus tempore ditatum, novum decus accepit. Unum defuit ejus felicitati, quod habuerit monachos inobedientes. Obiit VIII. cal. Maii, & ſepultus eſt paulo ſupra tumulum Geraldi de Vaxia.

XII. Petrus I. de Limoniis, *de Limaignes*, in regimine Geraldo abſimilis, bona dilapidavit. Adfuit Geraldo Cadurcenſi epiſcopo ſuum teſtamentum ſcribenti an. 1090. ex tom. 8. Spicilegii pag. 163. Sepelitur in eodem loco ac Geraldus de Vaxia. Eum eſſe putamus Petrum nomine, abb. Aureliac. cui vicarii * Greg. VII. præceperant anno circiter 1080. reſtitui ab abbate Pezanenſi nomine Dodone, eccleſiam B. Mariæ de Dalmairaio. Vide l. 7. ep. 18. Gregorii ſeptimi, ad Guillelmum Auxienſem archiep. & quæ diximus in Dodone abbate Peſſanenſi tom. 1. col. 1013.

1090.

a

XIII. Emilius bona monaſterii profudiſſe carpitur. Attamen obſervantiæ regularis tenax fuit, & fratribus gratum ſeſe præbuit. Idem fortaſſe eſt ac Amelius qui cellulam, *Coriacum* dictam, Hugoni abbati Cluniacenſi dediſſe perhibetur in tabul. Moiſſiacenſi. Epiſtolam Amelii qua commendat Coriacum Hugoni, dat Martennius tom. 1. Theſ. anecdot. col. 313. Senex obiit, & ſepultus eſt ad Salvatoris templum, unde tranſlatum eſt ejus corpus, in Magdalenes ante portam.

Chron.

XIV. Petrus II. ex Soliacenſi * decano fit abbas. Oriundus erat ex caſtro Ciſennii, *Cizieres*, & forte ex genere toparcharum hujus loci, nam eum nobilem fuiſſe aſſerit chronici auctor. Idem laudat ejus prudentiam, caſtimoniam aliaſque virtutes quæ monachum maxime decent. Morum ſuavitate fratrum devinxit animos; a quibus electus in abbatem ſapientiſſime rexit; nam reparavit ædificia & plures recuperavit eccleſias. Urbanum papam II. poſt concilium Claromontenſe Auriliacum deduxit anno 1095. Cadurci mortuus an. 1107. Auriliacum deportatur, ubi ſepelitur in arcu qui ineſt parieti eccleſiæ B. Benedicti extrinſecus, cum ſummo quidem honore, ut legitur in veteri chronico. Sed ſubodoror errorem in numero annorum; anno enim 1109. Petrus abbas Auriliacenſis, memoratur in placito Arnaldi abbatis S. Petri-Vivi adverſus Petrum de Balderio decanum Mauriacenſem, ex chr. S. Petri-Vivi pag. 756.

* Souillac.

XV. Gosbertus, quem aiunt præfuiſſe Calliſto papa II. & abbatiæ ſuæ ſtrenue jura defendiſſe. Chronici ſcriptor coævus ipſius minime meminit; verum reperimus illum in charta Willelmi & Aimerici de Gordon an. 1119. Inſcribitur necrologio Silvæ-majoris, ad 18. cal. Octobris.

XVI. Petrus III. de Roca, a patria prope Auriliacum cognomen hoc fortitus, ingenio, moribus,

* Gregorius ſeptimus ad Willelmum Auxienſem archiepiſcopum ſcripſit anno 1080. his verbis: *Injuncta tibi eſt (a vicariis noſtris) cura juſtitiam faciendi Petro abbati Aureliacenſis cœnobii, juris hujus ſanctæ Romanæ eccleſiæ, de Dodone abbate Pezanenſe, qui ex longo tempore invaſam detinet eccleſiam juris ejusdem beati Petri, ſed præfato monaſterio Aureliacenſi conceſſam, quæ nominatur ſancta Maria Dalmairaci. Addit illum abbatem* Pezanenſem excommunicationem incurriſſe, quia *a legatis noſtris Stephano cardinale & Gerardo Oſtienſi epiſcopo adjudicatus debere illam eccleſiam reddere*, non paruit, præcipit ut illum cogat ad reſtituendum, & contumacem eccleſiæ introitu interdicat. Ejuſdem quoque argumenti eſt epiſtola 19. libri 7.

honeſtate, facie liberali præditus, clauſtra lignea invenit, fecit lapidea, conſtruxitque altaria ex marmore. Plenus dierum mortuus ſepelitur in Magdalene extra portam ſeptentrionalem anno Dom. 1129. In eo deſinit vetus chronicon; aliud invenit noſter D. Claud. Eſtiennot.

XVII. Petrus IV. d'Auzon ex nobili gente Alzonia ad ripam Elaveris *, omittitur in catalogo manu exarato quo diximus uſum eſſe domnum Eſtiennot.

* l'Allier.

XVIII. Gauſelus, ſeu Gauſſelenus ex laudato codice dicitur ſuperioris nepos.

XIX. Willelmus I. abbas Auriliaci & decanus Soliacenſis an. 1141. in bulla Innocentii II. ſervata Soliaci 1144. Memoratur in veteri charta Uſercienſi.

XX. Eblo, ſeu Ebbo Romam profectus ut limina SS. Apoſtolorum inviſeret, ibidem in Domino obdormivit.

XXI. Petrus V. Auriliacenſis abbas. Anno 1169. obtinuit a Ludovico rege diploma quod noſter D. Eſtiennot collegit tom. 2. fragm. hiſt. Aquit. &c. An. 1180. componit cum comite Toloſano præſentibus Hugone Ruthenenſi epiſcopo, Guiraudo abbate Conchenſi & Guillelmo Nantenſi. Mediator & ſequeſter eſt cum fratre ſuo Richaldo comite concordiæ initæ inter Ugonem ep. Ruth. & Ugonem comitem an. 1195. menſe Madio. Vide in Ugone epiſc. Ruth. Quieſcere dicitur ad portam S. Clementis.

XXII. Ranulfus dicitur mortuus an. 1203. quod minime inficior; ſane Geraldus jam præerat an. 1204. at eum præfuiſſe per annos 22. falſum demonſtrant ſuperius dicta de Petro V. Jacere legitur in ſacello S. Magdalenæ.

XXIII. Geraldus V. de Cardaillaco, ex illuſtriſſima gente de qua jam ſæpe diximus, reliquias S. Geraldi in capſam tranſtulit. G. abbas Auriliaci tranſigit cum Guillelmo epiſcopo, & capitulo Albienſi, ſuper eccleſia de Viancio quam ipſis dimittit, qui viciſſim abbati dimittunt eccleſias de Laval, de Calm, & S. Nazarii cum append. an. 1204. ex tabul. S. Cæciliæ Albienſis. Mortuus an. 1233. 22. Auguſti, conditur ante altare ejuſdem ſancti. Hoc abbate ſedente Henricus comes Ruthenenſis teſtamento legavit Deo, & B. Petro, ſanctoque Geraldo de Auriliaco manſum de Monmilla cum omni jure ad eum pertinente, ex tom. 9. Spicileg. p. 774.

XXIV. Bertrandus I. anno 1234. & 1236. ex archivo monaſterii de Cairaco dioceceſis Cadurcenſis. An. 1241. memoratur in charta Bolbonæ. Anno 1245. ſcripſit ad Guillelmum abbatem Cluniacenſem, de electione Aldemari monachi & cellerarii Auriliacenſis in abbatem Figiacenſem. Adhuc notatur abbas an. 1248. Legitur obiiſſe anno 1252. ſepulturaque donatur in ſacello S. Mariæ.

XXV. Ademarus Aureliaci alumnus jam erat abbas Auriliacenſis anno 1252. die Martis poſt octavam Nativitatis B. Mariæ. Prius fuerat abbas Figiaci, cujus adhuc adminiſtrator dicitur anno 1252. Ex iis intellige cum quem in abbatibus Figiacenſibus notavimus poſt Ademarum, ſub titulo adminiſtratoris, tacito ipſius nomine, hunc ipſum eſſe Ademarum. Obiit VI. idus Sept. an. 1262. ſecundum Sammarthanos & Dominicum a Jeſu Carmelitam diſcalceatum. Et quidem anno 1261. adhuc memoratur in charta Obaſinæ. Tumulus hujus Ademari eſt ſub porticu eccleſiæ S. Petri.

XXVI. Guillelmus II. cui cognomen Arnaldi datur, ſedere cœpit an. 1262. ſed cur notatur ejus mors eodem anno? Noſter D. Edm. Martenne invenit eum in vet. charta an. 1276. Certe in tabulis Cairaci memorantur II. non. Aprilis M. CC. LXXX. Raimundus ep. Ruthenenſis, Guillelmus abb. Auriliacenſis, &c.

XXVII. Geraldus VI.

XXVIII. Arnaldus omittitur in codice MS. quo uſus eſt D. Claud. Eſtiennot, at occurrit in alio. An. 1291. vacaſſe abbatialem ſedem conſtat ex inſtrumento viſitationum Simonis Bituricenſis archiepiſcopi, Analectorum Mabill. t. 2. p. 651.

XXIX. Petrus VI. Mala-faida nobili ſtirpe in pago Lemovicino genitus, ex qua Aimericus de Mala-faida patriarcha Antiochenus. Petrus abbas an. 1298. præſentat ad eccleſiam S. Mariæ in valle S. Mauritii. Adhuc notatur in tab. an. 1299. Obiit anno 1300.

XXX. Dragonetus præfuit tempore Bonifacii VIII. & Clementis V. nam memoratur in charta eccleſiæ Agennenſis anni 1310. & in alia Fontis-Gauſerii dioec. Sarlateuſis an. 1311.

XXXI. Guillelmus III. anno circiter 1311. electus rexit ſub Clemente V.

XXXII. Archambaldus ſimul erat epiſcopus S. Flori.

XXXIII. Guillelmus IV. de Ungulis d'*Ongles*, obiiſſe dicitur 1333. Hoc fere tempore Auriliaci conditur conventus fratrum Minorum. Dirutus eſt ab heterodoxis, & poſtea reparatur an. 1636.

XXXIV. Aimericus de Monte-alto, *de Montal*, ex gente nobili prope Auriliacum, an. 1344. in charta B. M. de Soliaco. Obiit anno 1345. alii dicunt 1347. ſepultus in ſacello S. Quiteriæ. Circa hoc tempus conventus Carmelitarum fundatur a Guidone de Gagnac Auriliacenſi.

XXXV. Petrus VII. de S. Exuperio *S. Xupery* nobilis Lemovix obtinuit privilegium celebrandi cum ornamentis pontificalibus, ſcilicet, cum mitra, pedo paſtorali, &c. Non obiit IV. idus Januarii an. 1407. nam notatur in charta Soliaci, an. 1408. Jacet ante ſacellum S. Geraldi.

XXXVI. Bertrandus II. de S. Baudelio, *S. Bauzire*, ſimul abbas Bernaii dioceceſ. Lexovienſis. Petri de Luna, ſeu Benedicti XIII. partes ſecutus eſt. Fundavit Toloſæ prioratum S. Geraldi pro ſex monachis, qui ibidem litteris operam darent. Obiit 1457.

XXXVII. Hugo de Rupe-Draconis, *Roche-Dagoux*, Bertrandi nepos ex gente nobili, ultimus fuit abbas regularis.

XXXVIII. Johannes II. de Armaniaco epiſcopus Caſtrenſis, adminiſtrator Auriliaci, Romæ erat anno 1484. quando Innocentius papa VIII. creatus eſt. Adhuc Romæ degebat an. 1493. ut probavimus in epiſcopis Caſtrenſibus.

Digitized by Google

XXXIX. Petrus VIII. an. 1489. ex tabulis a noſtro D. Jacobo Boyer viſis.

XL. Gratianus de Villa-nova, Carmelita, abbatia potitus eſt, ſed quo anno, nos latet. Vixit ſub pontificibus Innocentio VIII. & Alexandro VI. An. 1488. cum eſſet papæ familiaris, nuntius & confeſſarius, confirmatur procurator generalis & vicarius generalis ſui ordinis in Italia, bulla data die 9. ejuſdem menſis & anni. Idem Gratianus appellatus perpetuus commenſalis papæ, fit minor pœnitentiarius in baſilica principis apoſtolorum pro natione Hiſpanica. In alia bulla an. 1489. die 5. Martii vocatur papæ orator ad Fridericum imperatorem, ad Maximilianum regem, & ad Renatum Lotharingiæ ac Barri ducem. Obtinuit præceptoriam hoſpitalis S. Spiritus in Saxia, prioratumque conventualem S. Godonis Trecenſis per liberam reſignationem Galterii Stuart, bulla data 1496. v. cal. Octobris, Alexandri papæ VI. an. v. Hæc bulla & plurimæ aliæ habentur apud Eliſium Monſignanum ord. Carmelit. procuratorem generalem.

XLI. Antonius I. de Cardaillac, contendit adverſus fr. Vitalem de Marminhac ſe dicentem electum abbatem die 25. Septembris 1499. Adhuc legitur abbas an. 1512.

XLII. Carolus I. de Sancto-Nectario anno 1520. ex charta Cameliacenſi.

XLIII. Johannes III. de Lorraine, archiepiſc. Narbon. Vivere deſiit anno 1550.

XLIV. Auguſtinus Spinola, cardinalis, epiſcopus Peruſinus, S. R. E. camerarius.

XLV. Carolus II. de S. Martin circa annum 1556.

XLVI. Johannes IV. de Cardaillac conſtruxit novo opere ſacellum S. Geraldi, ejuſque reliquias intra capſam argenteam recondidit. Præerat circa an. 1558.

XLVII. Carolus III. de Sancto-Nectario, *de Saint-Nectaire*, Antonio domino Sancti-Nectarii ex Maria d'Alegre natus, abbas item ſancti Theofredi, ut nobilitate, ſic pietate clarus, ædificiis non mediocriter inſtauratis, paulo ante obitum dedit aſſenſum ut abbatia in ſecularem ſtatum mutaretur; ac mortalitatem explevit an. 1560. Sepultus eſt in cœnobio S. Theofredi.

XLVIII. Antonius II. de Saint-Nectaire, Caroli nepos, permutatione cum Martino ad epiſcopatum Podienſem aſſumitur, adeptus poſſeſſionem 1561. Exſtinctus, uti & patruus, in cœnobio S. Theofredi conditur, cujus etiam erat abb. 1592.

XLIX. Martinus de Beaune [a], Catharinæ reginæ cancellarius, ſucceſſit, dimiſſo in gratiam Antonii epiſcopatu Anicienſi. Eo ſedente monaſterium bullis Pii IV. ad ſecularem ſtatum tranſit 13. Maii 1561. quæ vigore ſenatuſconſulti 23. Febr. 1562. exſecutioni demandantur; tuncque Benedictinorum congregatio in capitulum ſeculare canonicorum commutatur.

L. Guillelmus V. Viole epiſcopus Pariſienſis.

LI. Aloyſius Piſani Venetus patricius, cardinalis tit. S. Vitalis, epiſcopus Patavinus, poſſeſſionem accepit an. 1568. Deceſſit Venetiis 1570. pridie calend. Junii; tumulatur in æde S. Mariæ Gratiarum appellatæ. An. 1573. 19. Auguſti ſedes vacabat, ex tabul. Calminiacenſibus. Lego apud D. Eſtiennot abbatiam fuiſſe adminiſtratam per Dom. N. Fabri œconomum pro Dom. protonotario de Foix, uſque ad an. 1578.

LII. Georgius cardinalis d'Armagnac, epiſcopus Ruthenenſis, Toloſanus, & Avenionenſis archiepiſcopus ac legatus, in poſſeſſionem inducitur per archidiaconum Ruthenenſem 1578. 3. Auguſti.

LIII. Philippus des Portes canonicus S. capellæ Pariſ. abbas SS. Trinitatis de Tironio, Boni-portus, & Joſaphat, Henrici III. Franciæ & Poloniæ regis lector, poëta celebris [b], poſſeſſionem adiit 1585. per fratrem dominum de Beuiliers comitem conſiſtorianum. Obiit an. 1603. ſepultus in abbatia Boni-portus.

LIV. Franciſcus cardinalis de Joyeuſe archiepiſcopus Narbonenſis, Toloſanus, & Rotomagenſis, epiſcopus Oſtienſis, ſacri Collegii decanus obiit an. 1615.

LV. Carolus IV. de Noailles epiſcopus & dominus S. Flori, poſtea Ruthenenſis, an. 1648. vivendi finem fecit.

LVI. Ludovicus Barbier de la Riviere abbas Floriacenſis ad Ligerim, Craſſenſis, S. Petri in Valle, B. Mariæ de Lira, & Silvæ-Majoris, cancellarius regii ordinis torquatorum equitum, abbas ſecularis & dominus eccleſiæ collegiatæ S. Geraldi Aureliacenſis, ad Romanam eccleſiam nullo medio pertinentis, inſuper epiſcopus Lingonenſis. Obiit Pariſiis 30. Januarii an. 1670.

LVII. Hercules Mauſieri, ducis Mutinenſis procurator, anno 1670. Dedit capſam argenteam ad condendas reliquias S. Geraldi, calicem & urceolos magni pretii, ac ornamentum completum, tam pro altari quam pro ſacris miniſtris.

LVII. Leo Potier de Geſvres archiep. Bituric. & abbas ac dominus Auriliacenſis.

Neſcio quo loco nobis occurrit Cæſar cardinalis Valentiæ abbas Auriliacenſis.

Hoc in catalogo omiſſus eſt Gaufredus abbas cujus obitus in necrologio Canonicæ, *la Canourgue*, notatur XVIII. cal. Octobris: niſi dicamus aliquem ex commemoratis abbatibus fuiſſe binominem & unum ex his nominibus, videlicet Gaufredum, omiſſum fuiſſe.

ABBATIA S. PETRI DE MAURTIO. MAURES.

ABBATIA S. PETRI DE MAURTIO, ordin. S. Bened. ſita eſt in finibus ſibi ſubditæ parochiæ S. Sulpitii, diœceſis S. Flori, in valle d'Arcambe, ſecus fluviolum d'Alrence, in finibus Arvernorum & Cadurcorum. Quo tempore fundata ſit non audemus aſſerere; nihil enim certi ea de re in chartis deprehendimus, neque de iis qui ejus pedo potiti ſunt per centum annos & amplius.

[a] Legit D. Eſtiennot *de la Baume*, quem ait permutaſſe epiſcopatum Anicienſem cum Martino de Beaune.

[b] Præceteris ejus lucubrationibus laudes meretur verſio Pſalmorum in linguam Gallicam ſtricta oratione.

Digitized by Google

ABBATUM CATALOGUS.

I. PRIMUS quem noverimus eſt Petrus I. notatus in charta anni 1255. qua ceſſit medietatem dominii villæ Maurzii Guidoni Arvernorum epiſcopo ejuſque ſucceſſoribus; ad id adactus violentiis, deprædationibus, contumeliiſve ſuo illatis monaſterio a vicinis militibus. Actum apud *Maurtz*, anno Domini M. CC. LV. menſe Maii, præſentibus Guillelmo de Sebaziaco decano Claromont. magiſtro Johanne Pouheti Silviniacenſi, & Ademaro de Cros Aureliacenſi archidiaconis, aliiſque pluribus.

II. Petrus II. Eſcafres abbas Maurtii, reperitur in inſtrumento domus epiſcopalis Clar. 1268. die Martis ante Aſcenſion. Dom. Guidone Arvernorum epiſcopo.

III. Petrus III. Oliverii confirmat ceſſionem medietatis dominii villæ Maurtzii factam a Petro prædeceſſore ſuo, die Sabbati ante feſtum B. Michaëlis M.CC.LXXXI. in præſentia fratris Philippi de Foreſio, fratris Germani, & fratris Guillelmi ſociorum fratris Guidonis epiſcopi, ordinis fratr. Prædicatorum; magiſtri Petri de Monte-Jovis præpoſiti Laudoſii, archipresbyterorum Bloti & ſancti Flori, &c.

IV. Bernardus I. an. 1298.

V. Guillelmus I. an. 1306.

VI. Bernardus II. exhibet hominium Alberto epiſc. Clarom. die Dominica poſt feſtum B. M. Magdelenæ anno Domini M. CCC. VIII.

VII. Ademarus ſimile homagium reddit eidem Alberto pro medietate villæ Maurtii; nota temporis deeſt. Alicubi memoratur an. 1319.

VIII. Petrus IV. abbas ſimile præſtat obſequium Martino epiſcopo * pro dicta villæ medietate an. M. CCC. XXI.

* *Forte ſuffraganeo.*

IX. N. de Rilhaco idem homagium reddit an. M. CCC. XXX. II. Indictione XV. Johannis papæ XXII. an. XVII.

X. Guillelmus II. fidem clientelarem jurat Arnaldo Rotgerii Claromont. epiſc. an. 1335.

XI. Bertrandus abbas 28. Junii 1338.

XII. Guillelmus III. pariter jurat Stephano epiſc. Arvern. 14. Auguſti 1342. Eodem anno *compoſitio facta fuit ſuper juriſdictione & juribus, quæ habent epiſcopus Claromontanus, & abbas de Maurcio ex una parte, & dominus Germanus de Pomeriis & frater ejus N. domicellus ex altera, in eodem loco Maurcio*; & anno ſequenti *compromiſſum factum eſt inter dominum epiſcopum & abbatem Maurtii ad cauſam homagii.* Vide noſtra inſtrumenta, C. XXIII. col. 157.

XIII. Guillelmus IV. abbas de Maurcio an. 1362. Fuit vicarius generalis Petri epiſcopi S. Flori [a]. Vide quæ de eo diximus in hoc præſule.

[a] *col.* 424.

XIV. Petrus V. de Mirabello an. 1492.

XV. Guido de Caſtro-novo, an. 1509.

XVI. Gilbertus de Caſtro-novo, an. 1510.

XVII. Johannes de Montal.

XVIII. N. la Calmontie.

XIX. Antonius de Cotignon. Obiit an. 1672. vel 73.

XX. Franciſcus-Maria de la Vieuville nominatur anno 1686. Obiit in menſe Aprili anno 1690. Vide in abbatibus Saviniac. in diœceſi Abrinc.

XXI. Claudius-Carolus de Foucault ſequenti ceſſit an. 1707.

XXII. Paulus-Joſephus Dourados de Cambefort, Arvernus, ex antiqua & nobili gente, filius Johannis in curia præſidiali Auriliac. conſiliarii, & Johannæ de Gaignac; doctor Sorbonicus, rector B. Mariæ de Bono-nuntio apud Pariſios, nominatur abbas S. Petri de Maurtio 23. die Aprilis an. 1707. poſſeſſionem paulo poſt adeptus eſt. Eccleſiam, dormitorium, & abbatiales ædes reſtauravit.

[a] De iis qui huic abbatiæ præfuerunt, ab hoc abbate ad Petrum de Mirabello, id eſt per centum & viginti annos, nihil nos docent chartæ; ex iis ſolummodo diximus, *anno 1420. factum fuiſſe fœdus dom. epiſcopi de medietate juſtitiæ abbatiæ Maurcii, & de omnibus rebus quæ movent de feudo Dom. epiſcopi ratione dictæ abbatiæ.* Vide noſtra inſtrum. C. XXIII. col. 157.

ABBATIA S. PETRI DE BLASILIA ORD. S. BENED. FEM.

BLESLE.

HOC monaſterium ſitum eſt in oppido Blaſilienſi, *Bleſle*, ſex aut ſeptem milliaribus a Brivate, *Brioude*, totidem a Mercorio, cui ſubeſt. Fundatur autem ab Ermengarda comitiſſa uxore Bernardi comitis Pictavorum, pro ſalute ipſius & comitis, necnon pro animabus filiorum defunctorum Warini & Willelmi; aſſignatis ad victum aliaque neceſſaria monialium prædiis, villis, eccleſiiſque adjacentibus. Poſtea Ermengarda *Romam petiit, ipſumque cœnobium B. Petro apoſt. atque epiſcopo, qui tunc temporis apoſtolicæ ſedi præſidebat, in proprio jure conceſſit.* Papa vero contentus annuo quinque ſolidorum Pictavienſis monetæ cenſu, hoc cœnobium abbatiam fecit & privilegio communivit. Hæc ſcribunt Blaſilienſes moniales ad Urbanum II. ipſius opem adverſus Caſæ-Dei monachos implorantes.

Vid. Baluz. t. VI. Miſcel. p. 403.

Mabillonius papam cui Ermengarda ſuum obtulit parthenonem, cenſet fuiſſe Sergium III. qui obiit anno 910. Itaque non poteſt differri hæc fundatio ultra hunc annum. Ermengarda comitiſſa erat Arverniæ; fuitque mater Willelmi comitis cognomento Pii. Hoc cœnobium, licet ſanctæ ſedi ſubjectum, pendet tamen a congregatione Cluniacenſi.

SERIES ABBATISSARUM.

I. PRIMA abbatiſſa recenſetur Emilda, vel Emildis, quæ ab anno 1010. * ad 1030. præfuiſſe legitur. Eam vixiſſe tempore Ermengardæ aiunt; unde ſequeretur fundationem parthenonis centum annis eſſe recentiorem.

* *al.* 1009.

II. Bompara 1084.

III. Florentia, ad quam Urbanus II. diploma direxit, ſeu privilegium tuitionis, datum Caſæ-Dei an. Chriſti M. XCVI. Illud ex authentico deſcripſit noſter D. Claud. Eſtiennot. Vide Mabill. in Annal. tom. V. p. 356.

IV. Adelais 1141.

V. Philippia impetrat ab Alexandro papa III. privilegium, quo quæcumque donata ſunt parthenoni, confirmat; eumdemque ſub protectione Sedis apoſtol. ſuſcipit anno M. C. LXX. Illud

Digitized by Google

privilegium collectum a D. Claud. Eſtiennot legitur in ejus ſchedis.

VI. Haalays ad quam Lucius III. miſit bullam datam II. non. Aprilis ind. III. ſui pontificatus an. IV. hoc eſt Chriſti 1184. in qua recenſentur plurimæ eccleſiæ huic monaſterio ſubjectæ. Hanc bullam reperit noſter D. Jac. Boyer in archiv. eccleſiæ ſeu capituli Claromont.

VII. Maurina an. 1195.

VIII. Saura an. M. CC. XX. & M. CC. XXV. quo Roberto epiſc. Clarom. obedientiam ſpondet, ex Originibus Clarom. & ex archiv. eccleſ. Clar.

IX. Amelina anno 1240. & 1243.

X. Jauſionda, vel Lauzionda 1248. & 1251. & 58.

XI. Bompara obedientiam promittit Guidoni epiſcopo Clarom. an. 1266. in feſto B. Mariæ Magdal. Eadem memoratur adhuc anno 1268.

XII. Ahelis I. præerat M. CC. LXXVII. quo pactum iniit cum domino Beraldo de Mercœur ſuper multis controverſiis.

XIII. Ermengarda rexit anno M. CC. XCII. & aliis.

XIV. Ahelis II. an. M. CCC. XI. ex litteris Beraldi dom. de Mercorio, cum quo paciſcitur hoc an. die Sabb. ante feſtum S. Johan. B. *Prob. hiſt. Arv. Baluz. p. 434.*

XV. Guillelma de Taillac præerat jam anno M. CCC. XVI. quo Beraudus de Mercorio conſtabulus Campaniæ dimittit poſſidenda ea quæ tam ipſa abbatiſſa, quam quæ præceſſerunt, in feodis ſuis habuerant. Eadem an. 1322. in charta eccleſiæ S. Flori.

XVI. Margarita occurrit annis 1329. 1340. & aliis. Jam regere ceſſarat an. 1350. Eam lego cognominatam *de Lurlanges.*

XVII. Agnes de Verdezun 1350.

XVIII. Mauritia, *al.* Moreta, & Maura delphina, Beraldi, ut conjicitur, comitis Claromontenſis & Arverniæ delphini ſoror aut filia, jam an. M. CCC. LVIII. ſedebat, & adhuc an. M. CCC. LXIII. Forte illa ipſa eſt Delphina Roberti III. Clarom. comitis, delphini Arverniæ, & Alaïdis de Mercœur filia, cujus meminit Juſtellus l. IV. c. 5. Memoratur an. 1376. in prob. hiſt. Arv. p. 434. Adhuc præerat ſecundum quaſdam ſchedas ad nos miſſas, an. 1383. Ex iiſdem ſchedis habemus quatuor abbatiſſas ſequentes:

XIX. Delphina de Gilberteſio ex nobili familia pagi S. Flori, poſt obitum Mauriciæ Delphinæ electa eſt per decanum & conventum via S. Spiritus uno ore; quam electionem N. titulo S. Marci presbyter cardinalis, de mandato Clementis papæ ..... viva voce dato confirmavit, addita facultate benedictionem recipiendi a quocumque epiſcopo catholico. *Datum apud Caſtrum-novum diæc. Avenion. id. Septembris pontificatus anno V.* Memoratur 1384. & 1394.

XX. Jacoba Delphina 1396. 1413.

XXI. Iſabella de Barbery 1413. 1424.

Du Fourny Des grands Fauconniers

XXII. Maria de Beauvoir 1427. 1447.

XXIII. Iſabellis de Bello-viſu *de Beauvoir*, ex gente nobili, ut auguramur, dicta *de Belle-veſé* adhuc ſuperſtite in dominis de Joncheres & d'Oradour, occurrit jam an. M. CCCC. XLVIII. & adhuc an. M. CCCC. LXXVIII. ac M. CCCC. LXXXI.

XXIV. Ahelis III. d'*Aureille* moderabatur parthenonem an. 1483. non prætergreſſa an. 1499. & ſecundum quoſdam abdicavit anno 1491.

XXV. Blanca de Langheaco regebat ſaltem an. 1499.

XXVI. Iſabella de Langheaco legitur abbatiſſa anno 1530. & aliis ſequentibus uſque ad annum 1535.

XXVII. Margarita de la Faye occurrit ab an. 1535. Diu præfuit ſcilicet uſque ad an. 1572. Reſignavit ſequenti.

XXVIII. Jaquelina de Langeac abbatiam obtinuit per Margaritæ reſignationem.

XXIX. Radegundis de la Marche 1574. 1584. ceſſit ſequenti.

XXX. Genoveſa de Gourdon ex nobili apud Lemovices gente, de qua Juſtellus in hiſt. comitum Arverniæ, ſedebat anno 1585. & ſeq. Pro de *Gourdon*, alii legunt de *Boſredon.*

XXXI. Ludovica de Precor de Montjournal fit abbatiſſa an. 1610. & fere decennio rexit.

XXXII. Suzanna I. de Villeneuve de la Berliere nominatur abb. anno circiter 1626. Diu rexit & an. 1657. coadjutricem ſibi aſſumſit Suzannam neptim ſuam quæ ſequitur. Mortua an. 1660. ſepelitur in ſacello B. M. de Arcubus.

XXXIII. Suſanna II. de la Roque d'Azimeres ſuperioris neptis, amitæ ſuccedit an. 1660. Adhuc regebat an. 1676. quo D. Claud. Eſtiennot ex veteribus parthenonis hujus inſtrumentis brevem ipſius hiſtoriam, qua uſi ſumus, conſcripſit.

XXXIV. Chriſtina de Noailles de Verneiiil menſe Januario an. 1681. deſignatur abbatiſſa.

XXXV. Eleonora de la Queulhe 1687.

XXXVI. N. de Chavagnac an. 1716.

ABBATIA S. PETRI DE CASIS ORD. S. BENED. FEM.

LES CHASES.

PARTHENON S. PETRI ſitus eſt ſecus fluvium Elaverim *, in valle profunda & horrenda, adeoque anguſta ut vix inde cœlum aſpicere liceat; celebris tamen eſt tota Arvernia ob monialium tum nobilitatem, tum pietatem. Hunc vero locum noſter D. Claud. Eſtiennot originem ſuam autumat debere conjugi Claudii Cantogilenſis toparchæ, qui anno circiter 800. imperante Carolo magno & haud dubie volente, *converſus voluit in loco Cantogilo canonicam facere congregationem, ſicut uxor ejus de reliqua ſua parte cum ſanctimonialibus geſſit;* ex charta fundationis monaſt. Cantogil. tom. 3. Annal. Mabill. p. 707. Certe hæc ultima verba de Caſenſis monaſterii initiis intelligenda nobis videntur, tum quod Cantogilenſi vicinum ſit, tum quod olim nullum in toto Brivatenſi comitatu aliud eſſet ſacrarum virginum aſceterium. Nulla tamen occurrit mentio Caſenſis parthenonis uſque ad ſeculum XI. quo, anno circiter 1075. curam ipſius habuit S. Petrus de Chavanone, ut refert vita tomo 2. Spicilegii edita. His temporibus reſarcitum & auctum beneficiis epiſcop. Arvernorum Renconis & p. 694.

* l'Allier.

Digitized by Google

Durandi fuiſſe perſuadent plurima documenta, quibus conſtat abbatiſſas homagium feciſſe Claromontano epiſcopo. Paucæ ſuperſunt chartæ poſt aliquod incendium quo cœnobium conflagravit, ex quibus has abbatiſſas eruit noſter D. Jac. Boyer.

Abbatissarum series.

I. Blanca ceſſit, locumque dedit Lauræ poſt ipſam electæ, ex charta ipſius electionis, quæ docet Blancam, Stephaniam, Petronillam, Agnetem, Luciam, Alaſaſiam, Bomparam, Aiglinam, &c. moniales de Cheſiis, poſt abdicationem Blanchæ quondam abbatiſſæ, Lauram ejuſdem loci monialem in abbatiſſam una voce electam præſentaſſe R. patri Dom. Roberto Claromontenſi epiſcopo, *ex archiv. monaſterii.* Ceterum Blanca, cui noſter D. Claud. Eſtiennot cognomen tribuit de Seiſſac, vel de Saiſſac, teſte eodem, an. 1213. cum Pontio de Lachaſas compoſuit pro *manulevamentis* apud Lachaſas. Ejuſdem, *inquit*, necrologium meminit, 3. cal. Maii.

II. Laura promiſit obedientiam Roberto epiſcopo his verbis: *Ego Laura abbatiſſa de las Cheſas, de mandato & licentia Hugonis præpoſiti Claromontenſis, vices venerabilis patris noſtri R.* (Roberti) *Claromontenſis epiſcopi gerentis, a venerabili patre epiſcopo Miratenſi munus benedictionis aſſecuta, promitto obedientiam & ſubjectionem Deo, & B. Mariæ, & tibi Roberto Clarom. ep. & ſucceſſoribus tuis, ſicut a ſanctis patribus eſt ſtatutum, ita me facturam ore promitto, & ſuper hoc altare manu propria firmo*, ex archiv. eccl. Clar. Obitus ejus bis notatur in necrologio, ſcilicet die 1. Maii & die 4. forte primus eſt dies mortis, & alter dies ſepulturæ. Præcrat tempore Roberti epiſcopi & Hugonis præpoſiti, qui vivebat anno 1221. nec functus eſt officio præpoſituræ ante annum 1207.

III. Guillelma I. de Graverio menſe Maio an. 1235. quo tempore Bonpartus de Spaleto miles ipſi facit aliquod donum. *Actum Anicii in hoſpitali S. Jacobi, &c.* Hæc eſt procul dubio Willelma quæ an. 1255. promiſit obedientiam epiſcopo Claromontenſi.

IV. Guillelma II. de Petra tranſigit cum Armando de Alegrio milite, Sabbato in vigilia beatorum Simonis & Judæ apoſtolorum an. 1263. ſede Anicienſi vacante. Anno ſequenti 1264. die Veneris ante feſtum S. Andreæ apoſtoli tranſegit cum Falcone de Bratellis & Guillelmo de Bonas bajulis univerſitatis Clericorum Anicienſium. Eidem Guillelmus Saunerii domicellus donationem fecit die Jovis ante feſtum S. Michaëlis an. 1265. domino Guillelmo exſiſtente Anicii epiſcopo. Item tranſigit Guillelma de Petra cum religioſo viro fratre Raymundo de Chambarut præceptore domus militiæ templi Anicienſis, nomine fratris Guillelmi de Menteyras ſive Poget ejuſdem ordinis. *Actum in dicta domo templi Anicienſis anno 1272. die Veneris in feſto S. Ylarii.* Num iſta eſt Willelma quæ hominium fecit epiſcopo Claromontenſi an. 1270.

V. Margarita I. cui frater Guillelmus, ſola miſeratione divina Anicienſis epiſcopus, donat decimas de Chaſpuzac apud Spaletum anno 1282. die Martis, in feſto Annuntiationis. Eidem donum facit Pontius dominus Montis-Lauri & caſtri de Pradas an. 1286. Accepit a Dalmatia de Viſſac decimas de Beaune & de Navat 1287. Forte eadem ac Margarita de Alegrio, ex inclyta gente inter Arvernos, quæ anno 1277. hominium fecit epiſcopo Claromont. Dominica qua cantatur, *Miſericordias.* Anno 1300. rata habuit concordata inter epiſcopum Anicienſem & conventum de Valle-regia, *Vaurey.* An. 1306. tranſegit cum Gisberto de Solempniaco die Sabbati poſt feſtum S. Fidis. Anno 1311. die Lunæ poſt octavam Aſſumtionis quædam ei cedit Bertrandus de Ceyſſac miles. In necrologio legitur: *11. Auguſti obiit domna Margarita de Alegrio abbatiſſa de Caſis, quæ legavit pro obitu ſuo panem & vinum & duas carnes.* *Arch. ep. Clarom.*

VI. Iſabella de Langeac ex gente etiam nobiliſſima, jam an. 1322. menſe Aprili ex charta S. Flori. Confert anno 1332. Aiglinæ Olivier prioratum de Vaurey. Epiſcopo Claromontenſi fidelitatem juravit annis 1333. 1346. & 1362. Obiit 25. Julii * ex necrologio ubi legitur conſtituiſſe & ordinaviſſe pitanciam conventus in die Transfigurationis; *Et requiſivit conventum, quod revereutia fieret, quando fiet commemoratio ſanctæ Trinitatis genibus flexis, & ſuper hoc aſſignavit quod darentur tres muttones qui percipiuntur in campo de la Pereyra a Runniac.* * *al.* VI. cal. Auguſti.

VII. Margareta II. de Pruneto * ex nobili ſtirpe apud Velavos, ad cujus nominationem an. 1375. die 23. Decembris Pontius epiſcopus S. Flori confert eccleſiam S. Juliani de Caſis, Juliano Prudonis presbytero. Anno 1376. tranſigit cum Pontio Vitalis domicello; item cum Hugone abbate Piperacenſi 1380. & cum abbate Caſæ-Dei an. 1390. An. ſequenti nominat ad vicariam perpetuam de Varennis diœceſis Anicienſis. Ejus obitus in necrologio notatur menſis Martii die 27. * de Prunet.

VIII. Beatrix de Vergezac, ſeu de Vergerac, ex nobili Velavorum genere, prioriſſa de Raghada, fit abbatiſſa Caſarum. Procuravit unionem prioratus S. Arcontii cum menſa abbatiali an. 1403. Ad hujus loci vicariam perpetuam præſentat 29. Aprilis 1406. Paciſcitur cum abbate Piperacenſi 1409. Ejuſdem fit adhuc mentio in tabulis Cantogilenſibus an. 1421. Obiit die 5. Aprilis *, ex necrologio. An. 1431. 29. Martii vacabat ſedes abbatialis. * *al.* IX. cal. April.

IX. Maria I. de Aubeyra tranſigit cum Ludovico de Chalancon domino de Rupe-baronis die Martis 3. Februarii 1431. occurrit in aliis inſtrumentis 1453. 1457. In necrologio notantur plurimi obitus, qui debent pro ipſa celebrari; obiit autem die 10. Martii, hoc eſt ſexto idus, *alias* vero dicitur VI. cal. Febr.

X. Maria II. de Langiaco memoratur in chartulario 1462. 1465. 1474. Tranſigit cum abbate Piperacenſi 1475. obiit die 12. Auguſti. Aliqua conſtruxit ædificia, ut probant ejus natalitia inſignia.

XI. Iſabella mortua anno circiter 1482.

XII. Blanchia de Langiaco monialis de Caſis,

Digitized by Google

ex nobili ac militari genere procreata, poſt obitum Iſabellæ abbatiſſæ monaſterii de Caſis ad Rom. ſedem nullo medio pertinentis, legitur voce concordi electa a ſororibus in abbatiſſam, licet annos tantum 21. nata. Confirmatur vero diplomate Sixti papæ IV. dat. apud S. Petrum an. 1482.

XII. Antonia de Chalancon die 25. Februarii 1494. jam regebat. Nominat ad vicariam perpetuam de Cubellis 28. Octobris 1518. Ceſſit ſub penſione Gabrielidi de la Fayette, ut indicant hæc verba necrologii: *25. Martii * miſſa perpetualis dominarum Antoniæ de Chalançon abbatiſſæ penſionariæ de Caſis*, &c. Ædificavit principalem portam & magnam turrim. An. 1533. die Lunæ Rogationum 16. Maii obiit.

* *al* IX. cal. Apr. *hoc eſt* 24. Martii.

XII. Gabriëlis de la Fayette abbatiſſa an. 1531. obtinet inſuper prioratum S. ſepulcri de Avena, bulla Pauli papæ anni 1540. Multos obitus fundavit, & in necrologio bis legitur: *Obiit domin. Gabriella de la Fayette abbatiſſa*, ſcilicet 19. & 25. Aprilis. Ædificavit periſtylium, ſeu clauſtrum, & multa alia in monaſterio, ut probant ejus inſignia gentilitia. Soror erat Gilberti de la Fayette abbatis S. Jodoci ſupra mare, inquit noſter D. Claud. Eſtiennot. Obiit 10. April. 1541.

Du Fourny.

XIII. Iſabella II. de la Fayette, ſuperioris neptis, fuit abbatiſſa & prioriſſa de Avena ab an. 1543. Anno 1545. dat prioratum de Vaurey vacantem per obitum Claudiæ de Piers, ſorori Franciſcæ de la Tour moniali conventus de Avena. Nominat ad vicariam perpetuam S. Arcontii 1551. Obiit die Dominica penultima Januarii 1563. ſepeliturque ante majus altare.

XIV. Catharina de Rivoyre, filia Philippi de Rivoyre domini de la Battye du Palais, & Antoniæ de la Fayette, eligitur unanimi conſenſu cal. Febr. 1563. Confirmatur bulla Pii papæ IV. cal. Martii ejuſdem anni. Adepta eſt poſſeſſionem tantum an. 1566. Ad ipſius nominationem Antonius d'Urſé epiſcopus S. Flori confert vicariam perpetuam S. Juliani de Caſis die 23. Junii an. 1593. Diem ſuum obiit an. 1609.

XV. Johanna de Beauvergier Montgon, ex nobiliſſima in Arvernis familia, fit abbatiſſa bulla pontificia data XIII. cal. Octob. an. 1613. poſſeſſionem adit die 17. Julii 1614. Fuit diſciplinæ regularis ſtudioſiſſima. Anno 1623. dominus Amabilis du Fretat Caſæ-Dei prior & vicarius generalis dedit ſolemniter ſcapulare omnibus monialibus. Anno 1637. abbatiſſa & moniales aggregantur cœnobio Caſæ-Dei, & die 19. Septembris domnus Guillelmus de la Borie de Polargues procurator generalis & promotor ordinis viſitavit parthenonem. Anno 1645. flammæ omnia conſumſerunt præter eccleſiam & clauſtrum. Obiit Johanna 26. * Auguſti 1652. Tempore incendii erant in monaſterio 40. moniales & 60. nobiles convictrices.

* *al.* 25.

Johanna de Beauvergier, Suſanna de Coligny prioriſſa, aliæque nobiles virgines ſe ſponte ſubdunt correctioni, viſitationi, & juriſdictioni prioris & conventus Caſæ-Dei die 17. Septemb. an. 1637. ſub auſpiciis Em. card. de Richelieu tunc abbatis; *Hiſtoria Caſæ-Dei.*

XVI. Franciſca de Beauvergier Montgon ſuperioris neptis, nominatur ejus coadjutrix anno 1642. die 17. Maii; XVIII. cal. Septembris ejuſdem anni bullis munita, poſſeſſionem obtinet 28. Januarii 1643. ut coadjutrix, & ut ſola abbatiſſa die 28. Sept. 1652. Benedicitur ſolemniter in eccl. Cantogilenſi a Jacobo de Montrouge ſancti Flori epiſcopo die 8. Sept. 1655. conſtruxit novum dormitorium. Sociatur ordini Cluniacenſi anno 1670. patribus congregationis S. Mauri regimen monaſterii recuſantibus. Obiit 10. * Octob. 1675.

* *al.* 9.

XVII. Carola de Beauvergier Montgon, filia Jacobi comitis de Beauvergier, & Annæ de Blot, Franciſcæ neptis, quinquennis Deo conſecrata monaſticum induit habitum in monaſterio de Caſis, ac ſolemnem emiſit profeſſionem in monaſterio Caſæ-Dei. Annos nata duodeviginti inſtituitur prioriſſa de Caſis; tum coadjutrix nominatur 27. Auguſti 1665. confirmata per bullam Alexandri papæ VII. datam apud S. M. Majorem XVII. cal. April. anno Incarn. Dom. 1665. pontificatus undecimo. Benedictionem excepit a D. Hieronymo de la Mothe Houdancour epiſcopo S. Flori in eccleſia S. Galli Langeacenſis. Perfecit dormitorium, domum abbatialem inſtauravit, eccleſiam reparavit, organum in choro conſtruxit an. 1704. Ex ejus diſciplina prodierunt optimæ neptes Ludovica de Montgon abbatiſſa de Carentonio in diœceſi Bituricenſi, Catharina de Beauvergier Montgon abbatiſſa de Bonneſaigne in diœceſi Lemovicenſi, ejuſque ſoror Maria Gilberta de Beauvergier Montgon prioriſſa S. Saturnini Vallis-regiæ, vulgo *Vaurey*. Carola de Beauvergier obiit 16. Januarii 1715.

XVIII. Maria Ludovica de Beauvergier Montgon nobilibus parentibus Carolo Alexandro de Beauvergier comite de Montgon & Maria de la Barge, in parthenone de Caſis emiſſa profeſſione an. 1686. an. 1698. fit abbatiſſa Carentonii, Mortua vero Carola de Beauvergier cujus patruelis erat pater Mariæ Ludovicæ, deſignatur per ſchedulam regiam abbatiſſa de Caſis die 20. Aprilis anni 1715. Acceptis litteris pontificiis datis 8. idus Junii ejuſdem anni, poſſeſſionem cœpit die 10. Novemb. Mariam Alexandrinam de Beauvergier ſororem habet Carentonii abbatiſſam quæ, ut audio, nominationem regiam acceperat pro abbatia de Caſis menſe Januario an. 1715. At ceſſit eam ſorori cui ſucceſſit in Carentonii abbatia.

Abbatiſſæ, quarum ætas ignoratur, & mors notatur in necrologio ſunt:

I. ALayse mortua VI. Januarii.

II. Maria de qua die 27. Januarii: *Obiit nobilis domina Maria abb. de Caſis. Dedit conventui XV. mutones aureos pro patre & matre & aliorum parentum ſuorum, quorum & quarum animæ requieſcant in pace.* Id porro noſter D. Claud. Eſtiennot Mariæ de Aubeyra adſcribit.

III. Guarda, 14. Februarii, *al.* XIV. calend. Martii.

IV. Adalays I. 28. Februar. *al.* IV. idus Jan.

V. Blancha de Seyſſac obiit XXVIII. *al.* 29.

Digitized by Google

April. *Annuale cum duabus carnibus de cellario.*

VI. Agnes de Laſtic tranſlata poſtmodum ad abbatiam Medii-montis, VI. Aprilis.

VII. Kanta, ſeu Lanta & Tanta III. nonas Maii.

VIII. Adalays II. 1. Maii.

IX. Sibilla 2. 1. Auguſti.

X. Stephana nota ex eodem necrologio, ubi legitur: *Obiit Lucia de Canilhaco mater Stephanæ abbatiſſæ 1. Decemb.* Ipſa vero memoratur ibidem XVIII. cal. Aprilis.

XI. Raingardis 11. Decembris.

XII. Andreva; *XV. Decembris ob. domna Andreva electa de Caſis.*

XIII. Catharina de Gilbertis X. cal. Januarii.

XIV. Bletmondis.

Buix ſei Aurillac

S. JOHANNES BAPT. DE BUXO.

ABBATIÆ S. JOHANNIS BAPT. DE BUXO, *Boiſſet*, feminarum ordinis S. Benedicti, ignoramus originem. Vulgo tamen tribuitur abbatibus Auriliaci. Sita eſt in edito colle qui vicinus eſt urbi Auriliacenſi prope fluvium Jordanam. Olim titulo S. Crucis inſigniebatur, forte ob S. Crucis Domini particulam quæ ibi colitur.

SERIES ABBATISSARUM.

I. LUCIA nominatur in bulla Alexandri papæ III. qua monaſterium ſub apoſtolica protectione ſuſcipit anno 1162.

II. Ida, *al.* Juda ex inſtrumento pro terra de Pojolat 1241.

III. Beatrix I. de Veyrac 1249.

IV. Petronilla de Valete 1250. & 1254.

V. Beatrix II. de Verniro ab anno 1276. ad 1291.

VI. Raymunda I. de Ornhac 1298. & 1316.

VII. Bertranda I. de Camba-forti 1316. 1324.

VIII. Raymunda II. de Polignac, *al.* de Scriſis, abbatiam regebat 1326. & 1328.

IX. Aſtrugueta de la Roque 1330. 1333.

X. Helis de Montal 1336. 1347.

XI. Beatrix III. de Vayrac, filia Limareti de Veyrac, monialis ab anno 1309. abbatiſſa annis 1348. & 1360.

XII. Bertranda II. de Rouffinhac, *al.* Meſſignac proviſa fuit de abbatia bulla Urbani papæ III. anno 1364. vivebat 1372. 1381. 1394.

XIII. Alaſia de Montal, filia Berlandi de Montal dom. de Yolet, ſanctimonialis erat an. 1354. abbatiam obtinebat ann. 1397. & 1420.

XIV. Irlanda de Nieudon, vel de Nieudomp 1429. 1454. qua regente, prioratus capellæ Delbern unitur abbatiæ.

XV. Catharina I. de Croze dicta Bertranda, *al.* Bernarda 1456. terrarium abbatiæ fieri juſſit.

XVI. Galiena de Pouzols profeſſa monaſterii, a ſororibus in abbatiſſam electa, & ab Aurilacenſi abbate confirmata fuit menſe Julio 1456. fato functa eſt die 30. Aug. media nocte an. 1472.

XVII. Ludovica de Brezons ex illuſtri ſtirpe in Arvernia, monaſterii alumna, electa eſt abbatiſſa 12. Septemb. 1472. & ab Aurilacenſi abbate confirmationem accepit. Obiit 28. Sept. 1489.

XVIII. Johanna I. de Pouzols de Saint-Coigne alias de Malfaras profeſſa monaſterii, a conventu eligitur, & approbatur ab abbate S. Geraldi Aurilacenſis 14. Oct. 1489. regebat adhuc 1507.

XIX. Johanna II. de Langeac ſimul cum prioratu de Chaſſignoles abbatiam obtinebat 1516. & 1545. terrarium renovavit. Inſcribitur necrologio S. Petri de Caſis ejus obitus ad diem 2. Januarii.

XX. Gaſpara de Chauſeron dicta d'Anyon 1546. 1550.

XXI. Maria I. de Senecterre, ſoror Caroli abbatis Aurilacenſis, abbatiam obtinet reſignatione Gaſparæ an. 1550. obiit 1569.

XXII. Catharina II. de Talhac de Margeride providetur a ſummo pontifice per reſignationem Mariæ de Senecterre 1568. poſſeſſionem adepta eſt 1569. Obiit 5. Octob. 1599. ex odæo in eccleſiæ pavimentum decidens.

XXIII. Suſanna de Peſteils, ex nobiliſſima apud Arvernos familia, toparchæ de Peſteils, de Branſac, de Fontanges, &c. filia, profeſſa Buxienſis, ad abbatiam a Rege nominatur 1599. cujus realem obtinet poſſeſſionem menſe Junio 1601. obiit 1636.

XXIV. Franciſca de Brandon filia Petri ex Ludovica de Salers, monaſterii profeſſa, regia nominatione, & diplomate pontificio de abbatia providetur, cujus obtinuit poſſeſſionem poſt gravia & diuturniora jurgia, ſenatus Pariſienſis decreto. Conſtruxit in ſuo monaſterio varia ædificia. Obiit 9. Martii 1682. reformato ſuo monaſterio.

XXV. Maria II. de Saint-Martial de Puydeval, filia Henrici equitis domini de Conros prope Aurilacum, baronis d'Aurillac, Montal, la Baſtide, Liſſac, & Johannæ de Pompadour, monialis profeſſa monaſterii S. Bernardi Tutellenſis, nominatur a Rege 28. Martii Sabbatho ſancto an. 1682. confirmatur diplomate pontificio 2. Maii 1690. quo pariter anno benedicitur Tutellæ ab epiſcopo Tutellenſi die 13. Auguſti, & in ſuum excipitur monaſterium 9. die Octobris. Præeſt adhuc hoc an. 1716.

PIPERACUM.

Pebrac.

ABBATIA Piperacenſis, B. Mariæ ſacra, ſub regula S. Auguſtini in Arvernia juxta fluviolum Degiam, haud procul a Langiaco, in declivi montis eſt ſita; olimque erat diœceſis Claromontenſis, nunc S. Flori. Fundata legitur a S. Petro de Chavanon Langiaci archipreſbytero, anno 1062. Durando tum epiſcopo Arvernenſi; ſed notato anno Durandus, *al.* Durannus nondum erat epiſcopus. Qui chartarium Piperac. propriis luſtrarunt oculis, obſervarunt annum 1062. qui aſſignatur pro fundationis tempore, fuiſſe alia, & quidem recentiori, manu ſcriptum. Aliunde conſtat Piperacenſem eccleſiam canonicos Regulares habuiſſe ante Duranni epiſcopatum, & ſaltem ſub ejus anteceſſore Stephano. Nam in hujus loci tabulario & chartario exſtat inſtrumentum de dominatione eccleſiæ S. Andeoli de Podemniaco,

Polignac,

Digitized by Google

Polignac, cujus hæc ſunt verba : *Proinde præfatus Stephanus Arvernorum epiſcopus ſupra dictam eccleſiam . . . . conſilio patris ſui* (Hermandi vicecomitis Pollemniaci) *Deo & ſancto Piperaci monaſterio, & domno Petro ejuſdem loci præpoſito, &c. Hæc autem ſcripta ſunt juſſu domni Armandi, ejuſque filii Stephani, aliis faventibus filiis Willelmo & Pontio. Deinde Pontius vicecomes*, &c. Ita chartarii fol. 12. Ex his quoque refellitur quod profert Baluzius ut probet Stephanum hunc epiſcopum non appellandum de Podemniaco, ſed de Mercorio, ut diximus in hoc epiſcopo.

Itaque quod legimus Durannum epiſcopum qui non ſedit ante an. 1076. donaſſe Petro de Chavanon eccleſiam Piperacenſem, intelligi debet de confirmata ei eccleſiæ hujus poſſeſſione *. Dicitur præterea Durannum ipſi contuliſſe eccleſiam S. Amabilis Ricomagenſis, baſilicas duas Veteris-Brivatæ, (quem in locum abbatia tranſlata aliquandiu manſit, ſi fides ſit tabulis Piperacenſibus in donatione terræ de Mirabel ſub abbate Geraldo de Cereis ; ceterum poſtea, & quidem, ut conjicimus non multo poſt, abbatia priſtino reddita eſt loco) : eccleſiam S. Saturnini, quæ dicitur villa, nunc vero Motha, ſubſcribentibus Anſelmo decano Claromontenſi & aliis canonicis, necnon Petro caſtri Bulidonenſis domino, Bertrando de Motha, &c. Ceſſit præterea noſtro Petro eccleſias S. Petri de Chaſellis, & S. Boniti de Medeyrolis Bertrandus Boſt Anicienſis presbyter. Alia recenſentur a Durando epiſcopo data, ſcilicet eccleſiæ de Thaillaco, S. Georgii de Aurato, Flagiaci, Vallis-Urſeriæ, & S. Marii. Robertus comes Arverniæ præterea largitus eſt quidquid habebat juris in caſtro de Ganillon juxta Piperacum. Alii quoque ſive fundatores, ſive benefactores leguntur in chartario, ſcilicet Audigerus de Taglac, & Willelmus de Piperaco, cum Stephano & Dalmatio ipſius fratribus. Sed de iis ſatis. Nunc de præpoſitis & abbatibus qui cœnobium hoc rexerunt eſt agendum, maxime ex ſchedis D. Jacobi Boyer.

* Idem probatur ex charta donationis Geraldi Vivarienſis ep. an. M. LXX. qua concedit eccleſias S. Pontii, & S. Laurentii monaſterio Piperacenſi. Petrus de Chavanon ibi nominatur domnus Petrus vir religioſiſſimus, fundator & primus præpoſitus Piperacenſis monaſt. Denique ex inſtrumento ſocietatis initæ inter capitulum S Juliani Brivatenſis, id clare oſtenditur : *Anno Incarnationis Dom. M. LXX. domnus Petrus Piperac. eccl. præpoſitus venit in capitulo S. Jul. . . . . ſi autem* canonicus S Juliani ad regularem habitum eorum pervenire vellet, ipſi Piperacenſes fratres, eos cum magno gaudio reciperent, &c.

Præpositorum et abbatum catalogus.

I. Sanctus Petrus I. de Chavanon, vulgo nuncupatus S. Petrus de Pebrac, nobili genere natus circa an. 1007. in urbe Langeaco, ubi etiamnum ſupereſt domus ipſius prope pontem ad Elaverim, primus fuit præpoſitus & fundator B. Mariæ Piperacenſis ; de quo in veteri MS. legitur : *Anno Domini milleſimo LXX. dompnus Petrus Piperacenſis eccleſiæ præpoſitus venit in capitulo S. Juliani Brivatenſis, in præſentia canonicorum, ibique ſupradictam eccleſiam Piperacenſem . . . . . donavit in allodio S. Juliano martyri, canonicisque ſuis . . . . . canonici S. Juliani condonaverunt domno Petro, ſucceſſoribus ſuis, qui in eccleſia Piperacenſi prælati eſſent futuri, præbendam in perpetuum, ut ipſi eſſent canonici, ſicut unus ex illis*, &c. Ei Durandus ex abbate Caſæ-Dei Arvernorum epiſcop. plurimas ob inſignis ejus ſanctitatis famam dedit eccleſias. Hanc autem eccleſiam Piperacenſem S. Petrus rexiſſe dicitur annos 18. migravitque in cœlum die natali B. V. Mariæ an. 1080. Die ſequenti 9. Septembris recolitur ejus feſtivitas, in qua celebrans ad ſolemnes veſperas utitur ejuſdem ſancti pluviali cum parvo capitio. Sacrum ipſius corpus in ſacello eidem ſacro a patre Rigoberto l'Eveſque priore conſtructo reverenter aſſervant canonici Regulares Gallicanæ congregationis, qui obſervantiam regularem in domo Piperacenſi renovarunt. Vide ipſius vitam in ſecundo Spicilegii Acheriani tomo editam ; exſtatque manu exarata in archivo Piperacenſi ; quam Gallice reddidit D. Jacobus Branche præpoſitus major Piperacenſis, in vitis ſanctorum Arverniæ. p. 703.

II. Dalmatius I. de Challes, ſive de Chalez S. Petri diſcipulus, ei ſucceſſit in præpoſitura Piperacenſi. Huic Pontius Ruthenenſis epiſcopus eccleſiam caſtri Boiſoroli an. 1085. conceſſit. Geraldus vero epiſc. Vivarienſis confirmavit eccleſias S. Laurentii & S. Pontii, jam pridem domno Petro conceſſas. Rexit ad an. 1092. abbas ſimul S. Amabilis Ricomagenſis.

III. Robertus præpoſitus Piperacenſis & abbas Ricomagi duobus annis præfuit.

IV. Bernardus I. de Chaſnac abbas Ricomagi, præpoſituram Piperacenſem quam annis 35. adminiſtravit, in abbatiam erigi curavit ab Urbano II. pontifice maximo, an. circiter 1097. Pontius vicecomes Podemniacenſis eccleſiam S. Petri de Billiaco una leuca Anicio diſtantem, prioratuique Podemniacenſi S. Andeoli ſubjectam, ei conceſſit, laudante Pontio epiſcopo Anicienſi avunculo ſuo, in præſentia Pontii Mauricii abbatis & Willelmi decani.

Anno 1. poſtquam poſſeſſa eſt Jeruſalem a fidelibus, Leodegardus Vivarienſis epiſcopus dedit eccleſiam de Chaniaco Deo & Piperacenſi monaſterio in manu Bernardi abbatis . . . . . Petrus de Fais vir diſertiſſimus donum ex parte ſua laudavit & confirmavit. Anno 1099. capta eſt Jeroſolyma, proindeque donum hoc non potuit tardius fieri quam anno 1100.

V. Pontius I. de Monte-rubeo, *Montroux*, cui Aimericus Arvernorum epiſc. eccleſiam S. Mariæ de Alteraco * largitur, Luna III. VII. idus Febr. 1127. Eodem Pontio jubente, vita S. Petri de Chavanon a Stephano canonico Piperacenſi conſcripta eſt 1120. ſub quo item abbate Humbertus epiſc. Anicienſis Roma rediens, eccleſiam S. Martini Podemniacenſis abbatiæ Piperacenſi univit an. 1129. * laudantibus Stephano Anicienſis eccleſiæ præpoſito, Armando abbate de Seguret, Petro Urbano abbate S. Petri de Turre, Odilone abbate S. Evodii, Willelmo de Raphaël abbate Brivatenſi. Bernardus autem de Chadrac nobilis Anicienſis prioratui S. Martini Podemniacenſi præfectus eſt. Diem ultimum obiit Pontius an. 1139. * Aureyrac. * al. 1128.

Digitized by Google

VI. Gaucerandus Delfau ſedebat an. 1142. ex charta Bernardi de Langiaco & Willelmi fratris ejus facta feria IV. Luna 9. ſexto idus Aprilis, Aimerico Arvernorum epiſcopo.

VII. Raimundus Garimes bullam impetravit ab Anaſtaſio papa IV. qua Piperacenſi eccleſiæ abbatialis dignitas confirmatur 1153. iterumque roboratur Alexandri III. an. 1174. Cœleſtini III. an. 1193. & Alexandri IV. 1257. pontificiis diplomatibus.

VIII. Willelmus I. Aimo cui Pontius Claromont. epiſc. dedit eccleſiam S. Elpidii 1179.

IX. Bernardus II. de Roffiac bullam, de qua ſupra, a Cœleſtino III. accepit 1193.

X. Willelmus II. Garimes 1199. quo anno Robertus de Turre Claromont. epiſc. abbatiam Cantoennenſem ei conceſſit, pro qua renovanda Henricus archiep. Bituric. facultatem indulſit eleemoſynas colligendi, largientibuſque tribuit indulgentias. Obiit Willelmus an. 1202. cum ſediſſet annos octo, inquit pervetuſtus abbatum catalogus.

XI. Geraldus de Cereis, ex antiqua apud Velaunos familia, in cujus caſtro ſuperſunt adhuc rudera templi Cereri dicati, rexit abbatiam annis quindecim, mortuus 1217.

XII. Wido ſeu Guido I. de Sedails, cui Dalmatius de Peiruſta terram de Combarnaldo vendidit an. 1222. Attigit annum 1224.

XIII. Guillelmus III. de Laſtic ex priore Veteris-Brivatæ factus abbas, tranſegit cum canonicis Brivatenſibus S. Juliani, de præbenda ſibi & ſucceſſoribus ſuis reſervanda. Tutelaris abbatiæ patronus vicecomes de Polignac declaratur ſub hoc abbate qui poſt duos annos regiminis abdicavit in favorem ſequentis.

XIV. Petrus II. de Chavagnac abbatia itidem poſt biennium ceſſit.

XV. Guillelmus III. de Laſtic iterum abbatiæ regimen ſuſcepit ad duodecim annos, quibus elapſis, abdicavit rurſus, factus archipresbyter Brivatenſis & Langeacenſis. Interim an. 1231. omnia cœnobii jura, inprimiſque terram Veteris-Brivatæ, confirmanda curavit a Roberto comite Claromontenſi. Anno 1234. fuit contentio inter eccleſias Brivatenſem & Piperacenſem, quam compoſitam legimus. In ſententia autem arbitrali Stephani Mimatenſis epiſcopi, quæ multa decernit inter utrumque capitulum controverſa, additur in fine, hæc acta eſſe *Bernardo de Rupeforti abbate Brivatenſi, Pontio de Pauliaco ſubdecano*, &c. unde ſuſpicor abbatem eundem fuiſſe ac decanum; nullus enim poſt abbatem nominatur decanus, ſed tantum ſubdecanus, ex tab. Piperacenſi. Anno 1238. menſe Septembri idem Guillelmus terram de Rocha ab Odilone de Mercorio præpoſito Brivatenſi accepit. Vivebat adhuc an. 1248. quo Hugo ep. Claromontenſis eum tunc archipresbyterum abſolvit & *quittavit*, &c. *die Mercurii per octabas Pentecoſtes.* Tunc etiam erat prior Veteris-Brivatæ ex charta data die Martis poſt feſtum S. Andreæ an. 1248.

XVI. Johannes I. Pauliani ceſſione Guillelmi abbatiam conſequitur, quam ſimiliter poſt duos annos dimiſit 1242.

XVII. Pontius II. Operarii, *Ouvrier*, Anicienſis patria, rexit abbatiam per quatuor annos, exſtinctus 1246.

XVIII. Guillelmus IV. de Mauzac multa cœnobio acquiſivit. Huic Alexander IV. bulla data 1257. donationes eccleſiarum in Arv. factas confirmavit. Idem tranſegit cum Hugone fratre comitis Roberti Claromont. pro decimis de Draols apud S. Ilpidium. Item obtinuit a nobilibus Petro de Viſſac canonico S. Mariæ Anicienſis, & Johanne fratre prioratum de Chaſſagne. Pontius abbas Cantoennenſis ei clientelare ſacramentum præſtitit an. 1250. fœdus ac ſocietatem inter eccleſias Piperacenſem ac Riomenſem renovavit 1264. Piperacenſem vero ſuis ſumtibus partim, partim expenſis beneficiariorum, ut aiunt, ſuæ abbatiæ ſubjacentium reparandam curavit 1272. Denique cum rite abbatiam per annos viginti octo gubernaſſet, obiit an. 1274. Ejus ſchedula qua promiſit Hugoni Claromont. epiſcopo obedientiam menſe Octobri 1246. aſſervatur in archivo eccl. Clarom.

XIX. Petrus III. de Sancto-Habundo, *Saint-Ahond*, e nobiliſſimo in Vellavia ſtemmate ortus, rexit ad annum 1276.

XX. Armandus I. d'Uſſel an. 1276. ratam habet tranſactionem factam inter Guillelm. d'Engles priorem S. Genovefæ, & Stephanum Bonævallis abbatem. Eodem an. VI. idus Junii præfuit capitulo generali. Alia habuit an. 1283. 1294. 1297. &c. An. 1286. V. nonas Octobris compoſuit cum Guarino de Caſtro-novo domino de Apcherio, qui contendebat merum & mixtum imperium, jurisdictionemque univerſam terrarum & bonorum immobilium prioratus S. Marii diœceſis Claromont. ad ſe pertinere, ex tabul. domus de Caſtro-novo.

Anno 1299. Johannes epiſc. Claromontenſis confirmat electionem Gazelli prioris S. Vincentii Veteris-Brivatæ in abbatem Cantoennenſem, probante Armando abbate, qui prioratum S. Petri de Billaco contulerat an. 1279. Idem abbas an. 1300. eccleſiam S. Johannis Mimatenſis extra muros cum epiſcopo Gabalitano permutavit. Diem clauſit ultimum an. 1304.

XXI. Gilbertus de Miromonte *Miremont*, nobilis Arvernus, ex priore S. Genovefæ in Ruthenis fit abbas Piperacenſis; eoque ſedente an. 1305. P. epiſc. Ruthenenſis eccleſias S. Petri de Buſſageol & de Alto-podio *Alpuech*, univit monaſterio Piperacenſi; itemque Ludovicus epiſc. Vivarienſis eccleſiam S. Pontii. Anno 1318. eccleſiam S. Benigni, *S. Berin*, in diœceſi Anicienſi obtinuit a domino Mercorii. Tranſegit an. ſeq. cum Henrico Ruthenenſi comite, pro decimis eccleſiæ de Alto-podio. Eccleſiam de Valle an. 1324. die 13. Julii Archembaldus S. Flori epiſc. Piperaco univit. Sepultus jacet in eccleſia ſua ad ingreſſum chori, ubi etiamnum ſequens epitaphium legitur: *An. Dom. M. CCC. XXVII. obiit Gilbertus de Miromonte abbas Piperac. cujus anima requieſcat in pace.*

XXII. Stephanus Bodeſt jam præerat anno 1333. quo videlicet, die 4. Novemb. adquiſivit

Digitized by Google

multa monaſterio. Obiit 1337. Dedit vas argenteum in quo ſuſpenſum ſervatur Chriſti corpus: ibique viſuntur ejus inſignia quæ exhibent caput bovis cum duplici luna creſcente, erectis cornibus.

XXIII. Guido de Meyronne an. 1340. caſtrum de Ganillon exſtruxit. Tranſegit an. 1346. die 27. Maii cum Archambaldo epiſcopo S. Flori, pro decimis S. Elpidii. Anno ſeq. Robertus delphinus dominus de Combronde pro anniverſario ſuo quædam Piperaco legavit. Anno 1357. 8. Aug. Guido abbas permiſit Dalmatio *Deus-Bals* præcentori, poſtea abbati, proſequi ſuum jus ad ſucceſſionem obtinendam ſibi obvenientem ex parentibus. Ejus inſignia in ſigillo exhibent aquilam expanſis alis. Vivis exemtus eſt 1359.

XXIV. Hugo de la Roqua, ſeu de Rupe-canum-cornutorum jam ſedebat an. 1359. ex recognitione ipſi facta a priore Veteris-Brivatæ. Prioratum de Grezis contulit an. 1364. Tranſegit an. 1380. cum Margarita de Pruneto Caſarum abbatiſſa. Obiit an. 1384. deſinente.

XXV. Dalmatius II. de Balcio paciſcitur an. 1385. cum Petro d'Eſtain epiſcopo S. Flori, pro juriſdictione beneficiorum abbatiæ. Fatis conceſſit menſe Octobri 1399.

XXVI. Abſtorgius I. de Rupe-canum-cornutorum hominium reddit toparchæ S. Ilpidii an. 1400. & moritur anno ſequenti, poſt quindecim menſes regiminis.

XXVII. Abſtorgius II. de Torciaco pactum fecit cum Beraldo delphino pro prioratu S. Ilpidii an. 1407. Moritur calendis Junii 1413. aut potius 1412. ex dicendis.

XXVIII. Henricus de Torciaco prioratum S. Petri de Buſſegol, *alias* de Boiſo-jolio diœceſis Ruthen. contulit 19. Auguſti 1412. ex tabulario, & ſacriſtiam S. Andeoli Podemniacenſis 1420. Tranſigit cum Roberto delphino Arverniæ, Mercorii domino, pro quibuſdam homagiis; iſtudque pactum Johannes ep. Mimatenſis ratum habuit an. 1424. Deceſſit Henricus an. 1438.

XXIX. Armandus II. de Flaghaco, *Flageac*, illuſtri apud Arvernos gente, patre ſcilicet Ludovico de la Tour de Flageac, matre Iſabella de Saliez natus, electus fuit in abbatem 19. Junii 1438. cum eſſet prior S. Vincentii Veteris-Brivatæ, & vicarius generalis Henrici de Torciaco.

In veteri catalogo abbatum Piperacenſium ſcripto anno 1511. hæc leguntur: *Armandus de Flaghaco fuit electus in abbatem 19. menſis Junii anno Dom. 1438. & rexit eccleſiam 33. annis, & 3. menſibus: qui reædificavit de novo dictam eccleſiam, & totam habitationem domini abbatis, & dormitorium, & turrim de Labiſtor: qui etiam fundavit capellam de Flaghaco in præſenti eccleſia: qui obiit 19. menſis Julii anno Dom. 1480. cujus anima requieſcat in pace.*

XXX. Guillelmus V. de Flageac de quo legitur in laudato abbatum catalogo: *Poſt Armandum de Flaghaco venit Re. dominus Guillelmus de Flaghaco nepos dicti domini Armandi; qui dictus Armandus renunciavit dignitatem abbatialem in favorem dicti Guillelmi anno Dom. 1471. & die 19. menſis Septemb. Qui rexit ecc. XXIV. annis & VII. menſibus; qui fundavit unam miſſam quolibet die alta voce, & unum* libera me, &c. *& plures alias fundationes fecit quæ continentur in libro vocato* Lo Domino; *& primus qui dedit redditus dominorum de conventu, & conceſſit ut ipſi de conventu haberent proprium; ac etiam multas decimas adquiſivit præſenti eccleſiæ; qui etiam fecit & munivit librariam de libris, & ædificavit de novo caſtrum de Ganillon, & incæpit ædificare anno Dom. 1483. & 15. menſ. Martii. Ac etiam fecit terraria tam in capite, quam in membris, qui obdormivit in Domino 27. menſis April. an. Dom. 1495. cujus anima requieſcat in pace. Amen.*

Anno 1494. eccleſia B. Mariæ Piperacenſis conſecrata fuit a Carolo de Gaudioſa * epiſcopo S. Flori die 20. Auguſti, & anniverſarius dedicationis dies ab eodem præſule tranſlatus in diem decimam Septembris poſt feſtum S. Petri de Chavanon; ſed quia hac die Piperaci habentur nundinæ, illuſtriſſ. Joachimus-Joſephus d'Eſtain epiſcopus & dominus S. Flori feſtum dedicationis eccleſiæ Piperacenſis tranſtulit ad diem Dominicam poſt feſtum S. Martini, qua die celebratur dedicatio omnium eccleſiarum diœceſis. Guillelmus obtinebat prioratum S. Andeoli Podemniacenſis, cum electus fuit abbas Piperacenſis. Sepultus eſt cum patruo in ſacello S. Annæ, dicto communiter *capella de Flageac*, ob Armandum abbatem ipſius fundatorem.

* Joyeuſe.

XXXI. Johannes II. de Flageac de quo ſic habet catalogus jam citatus: *Et poſt Guillermum de Flaghaco venit Re. D. dominus Johannes de Flaghaco frater dicti Guillermi; qui fuit electus ipſo exiſtente Pariſius pro negociis dicti monaſterii die Jovis ultima menſis Aprilis an. Dom. 1495. & rexit eccleſiam XXX. annis, qui fecit facere tapiſſeriam chori, ubi eſt impreſſa glorioſiſſima paſſio Domini noſtri Jeſu Chriſti; quæ fuit facta & patrata an. Dom. 1505. & etiam tapiſſeriam quando Dominus Jeſus Chriſtus apparuit beato Gregorio celebranti miſſam: ac etiam tapiſſeriam primæ Dominicæ Quadrageſimæ*: Ductus eſt Jeſus in deſertum; *quas dedit dominis de conventu pro ſervicio divino & redemptione animæ ſuæ. Et etiam conſtruxit votam capellæ S. Johannis, & capellæ S. Catharinæ, & oratorium, ac etiam capellam quæ eſt in fine aulæ. Et primus qui obtinuit diſpenſationem* [a] *a beatiſſimo Julio papa ſecundo an. Dom. 1508. VI. Idus Sept. uti inſigniis pontificalibus ubicumque, & elargiri benedictionem ſollempnem poſt miſſarum, veſperarum, matutinarum, ac aliarum horarum ſollempnia, & per vias, & ſui ſucceſſores: qui mitram & alia inſignia pontificalia dedit dominis de conventu Piperaci pro ſervicio Divino, & redemptione animæ ſuæ. Et adquiſivit vineam vocatam de Flaghac a multis, ſitam in territorio del Moly, quam fecit plantare de plantu vinearum de Beaune in Burgundia, & vineam de la Vouta & deux pailhas vineæ de las Angladas an. Dom. 1510. qui etiam fecit facere organa in præſenti eccleſia magna & parva, quæ facta fuerunt an. Dom. 1511.* Hic explicit elenchus abbatum.

[a] Jam utebatur abbas baculo paſtorali, & tonſuram clericalem conferre ſuis religioſis conſueverat, ex bulla pontificia, quam damus in inſtrumentis eccleſiæ S. Flori, col. 162. A. B. C.

Competitorem nihilominus habuit Johannem Boyer Sedis apoſtolicæ protonotarium, cantorem & canonicum eccleſiæ Pariſienſis, abbatem de Buſay & S. Gildaſii, necnon in parlamento Pariſienſi conſiliarium, qui Romanæ curiæ munitus erat indulto; ſed hic tandem compoſitione facta 17. Decembris 1495. pro penſione annua 350. librarum Turonenſium aliquandiu quievit, dum ex alio anni 1498. indulto ſumeret occaſionem movendæ querelæ pro impetrandis prioratibus de Chaniac & de Dompnac. Ceterum hoc ipſo anno Johannes de Flageac confert eccleſiam parochialem Piperacenſem fratri Guillelmo Romey, annuente Carolo de Gaudioſa epiſcopo ſancti Flori. Obiit meritiſſimus abbas die Sabbati 25. Sept. an. 1525. ex libro actorum capitularium, in inſtrumento facto die ſequenti, quo Johannes de Langiaco poſtulatur in abbatem. Humatus fuit honorifice in præfato S. Annæ ſacello, cum fratre & patruo, ubi hæc epigraphe legitur: *Pro cunctis domibus hæc noſtra ſola domus.* In ſtromatis chori, de quibus ſupra, ſic legere eſt: *L'an mil cinq cens & cinq reverend pere en Dieu monſeigneur Jehan de Flaghac, abbé & ſeigneur de Pebrac, donna la preſente tapiſſerie a ſon convent, pour le ſalut de ſon ame & ſervice de l'égliſe de ceans. Cujus anima requieſcat in pace. Amen, Pater noſter, Ave Maria.* Stemmata vero gentilitia trium ultimorum abbatum regularium, quæ exhibent in area aurea tres palos, vulgo *de vair*, viſuntur in cameris, parietibus & vitreis eccleſiæ feneſtris, in majori ceteriſque altaribus, in ornamentis & ſexcentis monaſterii locis, necnon in pluribus eccleſiis Piperacenſi ſubjectis.

XXXII. Johannes III. de Langiaco, Lugdunenſis comes, Regis eleemoſynarius, protonotarius S. Sedis, commendator S. Antonii de Frugeriis & de Billomio, electus fuit præpoſitus S. Juliani Brivat. anno 1499. abbas S. Gildaſii de Nemore 1505. archidiaconus de Rez eodem anno, abbas in eccleſia cathedrali B. Mariæ Claromontenſis 1507. libellorum ſupplicum magiſter 1516. decanus S. Galli Langeacenſis 1522. abbas ſancti Laudi 1523. poſtulatur in abbatem Piperacenſem die 26. Septembris 1525. a canonicis Piperacenſibus; creaturque primus abbas commendatarius a Franciſco primo Francorum rege, ſub quo variis legationibus egregie perfungitur. Plurima in abbatiam beneficia, & ornamenta contulit. Clauſtrum ædificavit, quod & variis decoravit picturis, ſicut & majus altare, & ſacellum noſtræ Dominæ de pietate 1530. Elevavit corpus S. Petri de Chavanon 2. Aprilis 1537. Ex Abrincenſi ſede ad Lemovicenſem evocatus, obiit 22. Julii 1542. ſepultuſque eſt in eccleſia cathedrali S. Stephani Lemovicenſis a latere Evangelii; & cognomen Boni epiſcopi etiamnum in ſua diœceſi obtinet.

XXXIII. Jacobus I. de Roſtaing, ex nobiliſſima apud Seguſianos familia, duci Aurelianenſi ab eleemoſynis, & poſtea reginæ Catharinæ de Medicis, præpoſitus eccleſiæ Anicienſis, necnon abbas Bonifontis, creatur abbas commendatarius Piperacenſis 1542. at utramque abbatiam abdicavit an. 1581. in gratiam ſequentis. Plurima inſtauravit ædificia Piperaci. Obiit 5. Octob. 1585. in urbe Anicio, ſepultus in eccleſia S. Claræ ejuſdem urbis.

XXXIV. Chriſtophorus du Verdier, in loco S. Boniti diœceſis Lugdunenſis nobili ortus genere, licentiatus & doctor juris canonici, canonicus Anicienſis, & abbas S. Evodii * in eadem urbe, per abdicationem avunculi abbatiam Piperacenſem ſimul cum abbatia Boni-fontis ordinis Ciſtercienſis in commendam obtinuit XIV. calend. Dec. 1581. Reædificavit caſtrum de Ganillon, necnon angulum & turrim juxta portam majorem abbatiæ Piperacenſis, in qua multa ad uſum canonicorum habitacula, & porticus quaſdam conſtruxit. Fundavit unam miſſam ſingulis hebdomadis celebrandam; dedit ſuam, ut vocant, capellam argenteam auro illitam, & aliqua ornamenta ſacerdotalia. Univit prioratum Podemniacenſem, vicecomite reluctante, Anicienſi collegio. Deputatus pro Bituricenſi provincia, adfuit comitiis generalibus cleri an. 1615. Peregrinationis ergo viſitavit ædem ſacram beatæ Mariæ de Monte-Serrato, & in cathedrali Gerundenſi perhonorifice fuit exceptus. Annos explevit die 22. Octobr. 1621. ſepultus ante majus altare ſuæ Piperacenſis abbatiæ quam circiter ann. 40. obtinuit.

* S. Voſi du Puy.

XXXV. Jacobus II. d'Apchon dictus de Chanteloube, ex illuſtriſſima apud Arvernos familia quam ab Urſinorum gente originem duxiſſe tradunt, factus ſacerdos Oratorii D. Jeſu, reſignavit ſequenti.

XXXVI. Johannes-Jacobus Olier filius N. Olier libellorum ſupplicum magiſtri, ex Maria Dolu matrona piiſſima, natus eſt Pariſiis die 20. Septemb. 1608. Sacris undis ablutus in eccleſia S. Pauli Pariſienſis, educatus in ſuburbio S. Germani a pratis. Anno 1622. S. Franciſcus Saleſius futuram Jacobi ſanctitatem prædixit Lugduni, ubi tunc pater adoleſcentis, provinciæ præfectum agebat. Baccalaureatu inſignitus eſt in academia Pariſienſi, linguas Latinam & Græcam apprime callebat. Romam profectus, in æde Lauretana oculorum morbo ſanatur. Ad abbatiam B. Mariæ Piperacenſis nominatus anno 1626. comes & canonicus S. Juliani Brivatenſis eodem anno die undecima Octobris ſollemni ritu receptus fuit. Eum in ſeminario S. Lazari ad ſacros ordines ſe comparantem, venerabilis Vincentius a Paula ſuis ſociavit alumnis. Anno 1633. feſto die natali præcurſoris Domini primam miſſam celebravit peractis ſpiritualibus exercitiis in domo S. Lazari. An. 1634. adgreditur iter Arv. ubi animarum zelo æſtuans, miſſionibus indefeſſe vacat. Piperacenſem ſuam abbatiam reformare tentat, plures oblatas recuſat infulas, & epiſcopi Catalaunenſis coadjutor deſignatus, cardinali Richelio humiliter breve regium remittit. Ad majora vocatus ceſſit abbatiam ſequenti, anno 1640. & fundavit primum ſeminarium in loco de Vaugirard 1642. quo item anno menſe Auguſto poſſeſſionem adeptus eſt parochiæ S. Sulpitii Pariſienſis per reſignationem D. de Fieſque. Verum anno 1652. circa feſtum S. Barnabæ ſuum curiale beneficium inter manus abbatis S. Germani a pratis remiſit,

Digitized by Google

qui ſponte contulit illud D. de Bretonvilliers die 29. Junii. Fundatis ſeminariis ſecundum mentem concilii Tridentini, Lutetiæ, Nannetis, in urbe Vivarienſi, quintum inſtituit Anicii, ubi decanatum a præſule Henrico de Maupas recuſavit ſacerdos humilis. Ibidem in eccleſia cathedrali videtur ejus effigies argentea ad pedes Virginis Dei-paræ, quam eximio venerabatur obſequio. Tandem annos natus 44. paralyſi correptus eſt; attamen per ſuos ſextum inſtituit Claromonti ſeminarium, & ſeptimum in inſula Montis-Regalis in Nova-Francia. Mortis ſuæ præſcius, ſacramentis omnibus muniri voluit vir cleri decus & ornamentum. Vigore ſacerdotali clarus, paſtorali ſollicitudine clarior, zelo reſtaurandæ eccleſiaſticæ diſciplinæ, omnium denique virtutum adgregatione clariſſimus, in animis omnium quos Chriſto & Eccleſiæ genuit vivit, mortuus anno Domini 1657. feria 2. poſt Paſcha, die 2. Aprilis hora quinta poſt meridiem, annos natus 48. menſes 6. dies 12. in ſeminario Pariſienſi S. Sulpitii, cujus fundator & primus ſuperior exſtitit.

XXXVII. Felix Vialart epiſcopus & comes Catalaunenſis, vir omnigena laude major, Piperacenſem abbatiam obtinet anno 1640. Ejus auſpiciis feliciter unitur congregationi Gallicanæ canonicorum Regularium, cui tunc præerat R. P. Franciſcus Blanchart abbas ſanctæ Genovefæ de Monte. Reverendus autem pater Petrus Darie prior a præfato generali præpoſito deputatus, locorum regularium poſſeſſionem init anno 1649. die 6. menſis Septembris qua celebratur feſtum omnium ſanctorum canonicorum Regularium, felici prorſus omine ſub abbate Felici, qui felici morte deceſſit nunquam moriturus, die 13. Januarii 1680. fuerat etiam abbas Sacræ-Cellæ dioec. Senonenſis.

XXXVIII. Petrus IV. Barbereau doctor Sorbonicus, abbas per ceſſionem præcedentis, obiit Pariſiis 1669.

XXXIX. Thomas Morin, *Regi ab eleemoſynis & conſiliis*, deſignatus abbas die 15. Aug. 1680. obiit cal. Octob. 1687.

XL. Gaſpardus du Bourg ex nobili apud Vivarienſes ſtemmate, obiit 27. April. 1705. abbas quoque Gimundi dioec. Auſcenſis.

XLI. Antonius Charpin de Genetines, Seguſianus, comes Lugdunenſis, & vicarius generalis illuſtriſſimi epiſcopi S. Flori, a rege Ludovico XIV. nominatur abbas Piperacenſis die 30. Maii 1705. poſſeſſionem civilem adipiſcitur die Junii 17. an. 1706. Ad epiſcopatum Lemovicenſem adſumtus inauguratur Lugduni Dominica die 23. Januarii 1707. ab archiepiſcopo Lugdunenſi Claudio de S. Georges olim comite Lugdunenſi, adſiſtentibus Joachimo-Joſepho d'Eſtaing ex comite Lugdunenſi epiſcopo S. Flori, & Franciſco Madot epiſcopo Bellicenſi, necnon præſente archipræſule Viennenſi, in eccleſia metropolitana. Abbatiæ vero Piperacenſis canonicam iniit poſſeſſionem die 26. Maii 1707. vi bullæ Clementis papæ XI. datæ 13. Septemb. 1706. anno pontificatus ſexto, per procuratorem ſuum Durandum Valette presbyterum, doctorem theologum, canonicum eccleſiæ collegiatæ de Chaudes-aigues, priorem de Lyoutades, & ſyndicum cleri in diœceſi S. Flori. Præeſt adhuc an. 1718.

DU BOISSET.

BOISSETUM.

Abbatia du Boisset Aureliacum tranſlata eſt, ord. Clariſſarum Urbaniſtarum, cujus antiqui Cardailliaci vicecomites patroni exſtitere. In hujus abbatiæ poſſeſſione domna de Reilhac conſervatur edicto ſanctioris conſilii anno 1644. 30. Aug. ea tamen lege, ut poſt ipſius obitum, triennalis abbatiſſa eligeretur. An. ſeq. 20. Octob. quas dicta domina patentes obtinuerat litteras, edicto ſupremi conſilii in commentarios referuntur. An. 1650. 1. Octob. de conſilio domini ſpiritualis & temporalis Auriliaci præfata domina tranſegit cum ſuis monialibus, quatenus nimirum ipſis liceret egredi e monaſterio, hujuſce perpetuitatis impatientibus, atque in aliam domum ſecedere ſub triennali ſuperioriſſa degendi cauſa, in cujus tranſactionis confirmationem præfatæ moniales patentes litteras obtinuerunt menſe Junio 1662.

DE NOBILI ECCLESIA COLLEGIATA S. Juliani Brivatensis.

De celeberrimis eccleſiis collegiatis agere ſaltem breviter ſolemus, maxime ſi olim abbatiæ titulo fuerint inſignitæ. At cum vix ulla in Galliis exiſtat celebrior Brivatenſi, quæ quidem abbatiæ titulo quondam decorata eſt, de illa paulo fuſius agemus, ex ampliſſimis commentariis clariſſimi viri Bernardi Chriſtophori de Bragelone ejuſdem eccleſiæ decani.

Brivas, de qua paſſim Gregor. Turonenſis, ad Elaverim * fluvium, ad radices montium, in capite ſeu initio Arverniæ inferioris poſita, diſtat 12. leucis a Claromonte verſus meridiem, & ſex a Floropoli in ortum æſtivum, leucæ quadrante a Veteri-Brivate, ubi viſitur pons ſuper Elaverim. Vicus tantum erat quarto ineunte ſeculo: qui illuſtratus martyrio, ſepulcro, & baſilica S. Juliani, urbs evaſit non ignobilis. Comitatus titulo decoratam & territorii cujuſdam caput fuiſſe a tempore Ludovici pii, Caroli magni filii, multa probant inſtrumenta. * l'Allier.

Canonicorum collegium, cui annexum eſt comitatuum Brivatenſis & Bellimontis dominium cum toparchia urbis San-Germanæ *, ditionem obtinet in nobiles vaſſallos pluſquam centum, qui vel dignitatibus, vel ipſi capitulo feudum & hominium facere, & caſtra ad nutum reddere tenentur. Eidem collegio nobilitas ab antiquo annexa eſt, ita ut nemo inter comites Brivatenſes (ſic enim appellantur canonici) locum habere poſſit, niſi qui genere & ſtirpe nobilium quadruplici ab utroque parente gradu procreatus eſt. Brivatenſi collegio ſubjacebant initio ſeculi duodecimi quatuor abbatiales eccleſiæ, S. videlicet Germani in Lembronio, ſancti Marcellini de Cantogilo *, quam capitulum poſtea dedit abbati * *S. Germain-Lembron*, vel *Lembron*. * Chanteuge.

Casæ-Dei ; sancti Juliani Turonensis [a], & beatæ Mariæ de Piperaco *, cum quindecim aut sexdecim parochialibus ecclesiis. Nuper adhuc subdita erat eidem collegio, non in temporalibus tantum, sed & in spiritualibus, urbs Brivatensis ; at spiritualia episcopo sancti Flori inita transactione an. 1677. concessit capitulum, retenta in suos jurisdictione ordinaria & ad sedem apostolicam sine medio subjectione.

a

* Pebrac.

Julianus martyr, cujus in honore Deo consecrata est hæc ecclesia, Brivatæ ubi declinandæ persecutionis causa secesserat, obtruncato capite martyrii coronam obtinuit. Corpus ejus cum projectum esset inhumatum, Ilpidius Arcontius, & Arsenius in vico Brivatensi sepelierunt. Miraculis deinde illustratum Juliani sepulcrum sacello decoratum fuisse sub imperatore *Treverico* [b] a nobili quodam Arverno & ejus conjuge, quorum nomina memoriæ non sunt tradita, testis est Gregorius Turonensis. Quo quidem anno incertum, imperante tamen Constantio Chloro, aut saltem Constantino magno, jacta fuisse hujus basilicæ fundamenta conjicere licet tum ex dictis ipsius Gregorii Turonensis & antiqua Brivatensium traditione, tum ex rerum & temporum facta collatione : de his legendus est doctissimus Ninus Tillemontius in notis ad sanctum Julianum. Quoquo modo res se habeat, hæc fuere Brivatensis ecclesiæ incunabula, quæ regum & imperatorum muneribus aucta, jam quinto ineunte seculo inter Galliæ nostræ basilicas locum tenebat non infimum, ut probat Gregorius supra laudatus. Abbate & collegio sive clericorum, sive monachorum præfulgebat seculo septimo, quod ex Flodoardo collegit D. J. Mabillon Annal. Bened. lib. XIII. num. 20. In illa autem clade quam Saraceni, tempore Caroli-Martelli ex Hispania irrumpentes Galliæ intulerunt, destructa & igne combusta fuit Brivatensis ecclesia. Novam Ludovicus pius anno imperii decimo secundo ædificavit, usus opera Berengarii, cui comitatum Brivatensem in beneficium concesserat. In charta Ludovici Aug. anni circiter 825. de reædificatione Brivatis a Berengario comite, postquam ecclesia S. Juliani a Saracenis fuisset destructa, fit mentio frequens abbatis qui præerat canonicis. Et in præcepto Pippini Aquitaniæ regis an. circiter 835. quo bona ejusdem loci confirmat, memoratur monasterium constructum in honore S. Juliani in comitatu Brivatensi. Vide Spicil. tom. XII. pag. 104. & seq. Monasterium etiam appellatur in diplomate Caroli regis & imperatoris, dato Attiniaco palatio XVI. cal. Decembris ind. VIII. an. XXXV. regnante Carolo glorioſissimo rege, quod collegit D. Claud. Estiennot in fragmentis hist. Aquitanicæ MS. tomo 3.

Vide Greg. Turon. lib. de passione, virtutibus, &c. S. Juliani, maxime cap. IV.

Idem monasterium desinente seculo IX. vel X. incipiente resarcivit Willelmus pius dux Aquit. qui ibidem sepultus est. Utrum autem ibi olim Deo servierint monachi an clerici non audet definire

[a] De S. Juliani Turon. subjectione erga Brivatensem ecclesiam nihil novimus.

[b] Quidem hic designari putant Maximum, qui assumta imperiali purpura Treveris sedem imperii elegit.

A Mabillonius, quem consule lib. 13. Annal. n. 20. Ut ut est, magnum olim fuisse hujus ecclesiæ canonicorum numerum inde probatur, quod ad octoginta redacti fuerint a S. Leone hujus nominis nono, bulla data anno 1049. quæ a Callixto hujus nominis secundo confirmata fuit an. 1119. & ab Honorio tertio anno 1223.

Octogenarius ille canonicorum numerus usque ad annum 1424. permansit ; in eo septem erant hebdomadarii dicti. Inter septuaginta tres alios locum habuere episcopi duo Anicensis & Mimatensis, & abbates Casæ-Dei, sancti Juliani Turonensis, & beatæ Mariæ Piperacensis. Tandem B Martinus V. exstinctis præbendis viginti & una, ad quinquaginta novem canonicos collegium reduxit, in quibus quadraginta octo nobiles, decem hebdomadarios, eleemosynarium unum esse, bulla Romæ data II. idus Jan. pontificatus septimo sanxit. Vide nostra instrumenta. C. XXI. col. 154.

Quod ad dignitates attinet, tres olim fuere : abbas nempe, præpositus & decanus ; personatus sex, foris decanus, cantor, senescallus, thesaurarius, eleemosynarius & sacrista. An. millesimo ducentesimo quinquagesimo nono, Alexander IV. suppressis abbatia S. Germani & thesauraria Brivatensi, offi- C. XII. col. 138. C cio sacristæ jura thesaurariæ addidit ; postea abba- C. XIII. tiam, forisdecanatum, & cantoriam abolivit Cle- col. 14. mens hujus nominis sextus, relictis tantum præposito, decano & eleemosynario ; vide instrum. C. XIX. Quid vero de senescallo & sacrista factum fuerit col. 148. nos fugit, a multis enim seculis non apparent personatus hi duo.

Præter illud Brivatensium canonicorum collegium, aliud est in ecclesia S. Juliani, olim universitas scholæ nuncupatum, nunc chorariorum dictum, cujus multa meminere instrumenta seculi noni & subsequentium temporum. Ad vi- D ginti sex chorarios redactum fuisse hoc collegium anno quingentesimo septimo supra millesimum probat decretum quoddam supremi senatus Parisiensis : hos inter locum obtinet præcipuum prior monasterii Pontis-de-la-Bajasse, ab Odilone de Cambo Brivatensi canonico, anno centesimo sexagesimo primo supra millesimum fundati. C. VIII. col. 134.

Præsens igitur Brivatensis ecclesiæ status hic est : primas tenent præpositus & decanus, quadraginta octo numerantur comites, seu canonici nobiles, inter quos præbendas & loca obtinent prædicti duo episcopi & abbates tres. Comites subsequitur eleemosynarius : decem sunt hebdo- E madarii canonici : undecim presbyteri chorarii ; quorum primus prior Pontis-de-la-Bajasse ; tandem viginti alii chorarii tum clerici, tum in ordinibus sacris positi agmen claudunt. Iis adde capellanos fere quadraginta, quorum duo nobiles. Septem præterea parochiales ecclesiæ sunt in urbe Brivatensi, una sancto Ferreolo dicata, altera Deiparæ virgini, tertia S. Johanni Baptistæ, quarta S. Petro apostolorum principi, quinta S. Genesio, sexta S. Laurentio, septima S. Præjecto. Ibi etiam sunt tria virorum cœnobia, unum fratrum Minorum, alterum Minimorum, tertium Capucinorum : totidem sunt monialium parthenones unus ordinis Fontis-Ebraldi, alter congrega-

Digitized by Google

tionis B. Mariæ, ultimus ordinis S. Franciſci Saleſii, quibus adde Pœnitentium laïcorum ſodalitium, & duo xenodochia: unum a S. Roberto canonico & theſaurario Brivatenſi, poſtea abbate Caſæ-Dei fundatum: alterum ab Antonio de Langiaco, *Langeac*, præpoſito Brivatenſi conſtructum.

Ceterum ex eccleſia Brivatenſi prodiere viri tum ſanctitate tum eccleſiaſticis dignitatibus ſpectatiſſimi; quos inter, priorem locum occupant S. Gallus Arvernorum epiſcopus, S. Odilo Cluniacenſis & S. Robertus Caſæ-Dei abbates, Clemens IV. & Gregorius IX. ſummi pontifices, quorum hunc præpoſitum, illum canonicum fuiſſe Brivatenſis eccleſiæ multa nos docent inſtrumenta. Longum eſſet ſigillatim recenſere hos omnes qui ex canonicis Brivatenſibus ad dignitatem epiſcopalem evecti ſunt: ſed nihil antiquius habemus quam catalogum Brivatenſium abbatum, præpoſitorum, & decanorum omni diligentia texere.

Series abbatum.

I. Felix, qui Brivatenſem eccleſiam abbatis nomine regebat ſeptimo ſeculo, ut docet Flodoardus lib. 2. cap. 6. ubi agit de Angliberto Remenſi pontifice, qui circa an. 643. controverſiam habuit cum Gallo Arvernorum præſule, pro quibuſdam bonis quæ trans Ligerim habebat eccleſia Remenſis, & occuparat Felix abbas. Ejuſdem etiam meminit Mabillon. lib. XIII. n. 20. Ann. Benedict. Poſt Felicem vero deſiderantur multi abbates, obliterata enim penitus eſt memoria eorum qui ad octavum uſque ſeculum ſederunt.

II. Gedeon anno duodecimo Vayfarii Aquitaniæ ducis, ideſt anno ſeptingenteſimo ſexageſimo ſexto ſedebat, ut bene notavit noſter D. Boyer. Ejus ſucceſſorum ad Ferreolum uſque acta, imo & nomina periere.

III. Ferreolus permutationem fecit cum Luigone viro illuſtri adſtante Berengario comite an. IV. Ludovici Pii. Manſum quoddam accepit ab Adreberto presbytero in territorio Ruilacenſi *, *menſe Madio, anno IIII. imperante domno & perexcellentiſſimo Ludovico imperatore.* Ad abbatiam Brivatenſem vocatus, eccleſiæ bona Saracenorum vaſtatione diſtracta & dilapidata invenit; ad ipſam reſtaurandam cum acceſſiſſet, feliciter opus ſuum abſolvit. Anno enim vigeſimo quinto ſupra octogenteſimum, quæ multis ab annis barbarorum rabie combuſta fuerat baſilica S. Juliani, in priſtinum ſtatum ejus ope reſtituitur. Porro res eccleſiæ pro majori parte reſtitutæ ex beneficio Berengarii comitis, ideſt ex comitatu Brivatenſi, amplo diplomate ab imperatore Ludovico dato, firmatæ ſtabilitæque ſunt. Exſtat diploma illud in chartulario Brivatenſi art. 452. & habetur Spicil. tom. XII. pag. 104. *Datum II. nonas Junii, anno decimo ſecundo imperii Ludovici ſereniſſimi Auguſti indictione tertia.* Eodem edicto confirmatur reædificatio *Caſtri-Victoriaci* in quo viginti canonicos Berengarius conſtituerat. Quid ſit Caſtrum-Victoriacum, an eccleſia S. Ferreoli a victoria S. Juliani qui ibidem paſſus eſt, nomen ſortita! an Dei-paræ virgini ædes ſacræ in quibus clericorum fuiſſe collegium quidam aſſeruerunt! divinare non audemus. Superſtes adhuc erat Ferreolus anno decimo ſexto Pipini Aquitanorum regis, ut patet ex charta 295. MS. libri de honoribus S. Juliano collatis; memoratur etiam menſe Septembri anno XX. regnante Pipino; quod notavit D. Jac. Boyer.

* Riliac.

IV. Stabilis Arvernorum epiſcopus ſimulque abbas Brivatenſis erat anno 835. quo Pipinus rex Aquitaniæ ad ejus preces confirmavit poſſeſſiones S. Juliani Brivatenſis. Documentum ex quo abbatis hujus notitiam hauſimus editum eſt in Spicil. tom. XII. pag. 105. In charta Caroli * Francorum regis data an. 34. regni ejus, in recenſione domorum præpoſitorum, abbatum, canonicorum, &c. fit mentio domus Stabilis, his verbis: *Manſio Stabili habet in longum perticas 9. &c.* Vide inſtrumenta.

* *Carnot. Calvi.*

C. II. col. 139.

V. Bernardus I. Arvernorum comes, poſt exceſſum Stabilis abbatialem Brivatenſis eccleſiæ titulum aſſumſit; quo titulo inſignitus reperitur anno VIII. regnante Pipino Aquitanorum rege, hujus nominis ſecundo, anno ſexto regnante Carolo Calvo & menſe Junio, anno octavo Lotharii imperatoris, ut notavit D. J. Boyer. Villam de Moret in aice Maſſiacenſi habendam conceſſit Brivatenſi eccleſiæ, aſſentiente Lieudgarde ejus uxore menſe Maio, anno nono regnante Carolo Francorum rege: cujus donationis memoriam nobis ſuppeditat diploma 95. MS. libri de honoribus ſancto Juliano collatis. Memoratur etiam in charta 79. ejuſdem libri data menſe Februario anno XVII. ejuſdem Caroli regis. Crucem Brivatenſibus canonicis dedit Bernardus laminibus indutam aureis & variis lapidibus pretioſis ornatam, cujus in brachiis hodie adhuc leguntur priſco caractere cælata hæc verba:

IN CHRISTI NOMINE ET IN HONORE
SANCTI JULIANI MARTYRIS
HANC CRUCEM BERNARDUS COMES
ET LIUTGARDIS CONJUX FIERI
JUSSERUNT.

Mabill. Annal. tom. III. pag. 284.

& in lamina aurea recentiori cælatæ ſunt hæ litteræ SLVI.

VI. Willelmum I. ex nobili Arvernenſium comitum ſtirpe oriundum abbatem ſubminiſtrat nobis chartularium Brivatenſe, in quo legitur num. 74. donatio facta canonicis Brivatenſibus per Anaſtaſium decanum de terris quas habebat *in loco cognominato de Caſilis*, tempore Willelmi comitis ſeu abbatis, Adalgiſi præpoſiti, & Anaſtaſii decani; cujus ceſſionis inſtrumentum datum eſt menſe Martio anno XX. Pipini regis. *Hunc Willelmum comitem & abbatem S. Juliani ſuper ipſam Caſam-Dei præfuiſſe anno XXII. regnante Carolo rege Phrancorum & Aquitanorum*, demonſtrat donatio facta eodem anno menſe Octobri ab Octomaro presbytero. Conſule hiſtoriam Arvernenſis domus a Baluſio conſcriptam.

VII. Bernardus II. comes Willelmo primo ſubrogatus eſt circa annum 863. anno enim vigeſimo quarto Caroli Francorum & Aquitanorum regis menſe Januario, regio conſenſu fretus, & accedente voluntate Ermengardis uxoris ejus,

Digitized by Google

permutationem fecit, cum Lamfredo abbate Mauziacenſi, *de Mauzac*, cui permutationi aſſenſum præbuit Radulfus epiſcopus, *fortaſſe Claromontenſis*. Exſtat inſtrumentum conventionis hujus in libro MS. de honoribus S. Juliano collatis, art. 214. Brivatenſis abbatis nomine decoratus reperitur idem Bernardus comes in diplomatibus 264. & 398. ejuſdem MS. quorum primum datum eſt menſe Maio, anno XXVI. Caroli Francorum & Aquitanorum regis, alterum anno II. Ludovici regis, quo anno fortaſſe e vita migravit Bernardus.

VIII. Warinus adepto Arvernorum comitatu abbatiam Brivatenſem, majorum more, regendam aſſumſit. Bis illius meminit chartularium Brivatenſe, ſcilicet in inſtrumento 58. *dato menſe Martio anno ſecundo regnante Ludovico Caroli regis filio*, & in charta 328. qua Ricoïnus conceſſit *canonicis S. Juliani* omnia quæ erant in loco vulgariter vocato *Nozariolas in aice Cantilaaico*. data menſe Septembri regnante Ludov. Aquitanorum rege.

IX. Frotarius cum eſſet Burdegalenſis archiepiſcopus, a Carolo-Calvo abbatiam Brivatenſis eccleſiæ obtinuit: eique præfuit uſque ad annum primum Odonis regis. Quo anno a principe deſignatus fuerit abbas incertum eſt; anno quidem 874. Frotarii precibus motus Carolus, edicto confirmavit *manſiones*, quas in Brivatenſis monaſterii clauſtro poſſidebant canonici, conceſſa *unicuique clericorum ejuſdem monaſterii licentia, has manſiones dimittendi aut vendendi abſque alicujus abbatis contradictione, in juſta tamen cauſa*; datum *ſexto idus Mart. ind. VII. anno XXXIV. regnante Carolo glorioſiſſimo rege & in ſucceſſione regni Lotharii anno V. Actum Compendio in palatio regio in Dei nomine fæliciter, Amen.* Privilegium ab eodem Rege obtinuit pro monaſterio S. Juliani; confirmatum deinceps a Ludovico VII. an. 1138. & a S. Ludovico IX. anno 1269. menſe Dec. Hoc quidem privilegio, quod editum eſt Spicil. tom. x. pag. 649. cautum eſt *ne quis in ſupraſcripto monaſterio regius aut abbatialis, aut epiſcopalis, aut comitalis homo manſiones ſine fratrum aſſenſu accipere præſumat, neque in villis prætaxati cœnobii ubicumque locatæ fuerint, quas nunc habent vel quæ, Deo donante, auctura eſſe potuerint.* Quo quidem privilegio frequenter uſa eſt Brivat. eccleſia & ad hoc uſque tempus intactum retinet.

Villam de Moret in comitatu Talamitenſi a Bernardo comite eccleſiæ Brivatenſi conceſſam, & ab Eldegario injuſte detentam, S. Juliano integram reſtitui curavit Frotarius noſter, *regnante Carolo Francorum & Aquitanorum rege.* Inſtrumentum reſtitutionis hujus, quod eſt abſque anni data, reperitur art. 139. chartularii Brivatenſis; in eo Bituricenſis archiepiſcopus dicitur Frotarius, quo etiam titulo donatur in charta 289. ejuſdem chartularii, data menſe Septembri anno primo regis Odonis. Cathedrales eccleſias Burdegalenſem, Bituricenſem & Pictavenſem cum abbatia S. Juliani Brivatenſis Frotarium obtinuiſſe non unicum docet inſtrumentum.

Abbatis Brivatenſis cohoneſtatus titulo reperitur, non modo in inſtrumentis a nobis ſuperius laudatis, verum etiam anno ſecundo Ludovici regis menſe Aprili, anno primo Caroli Craſſi menſe Januario & menſe Decembri; item anno ſecundo ejuſdem Regis menſe Martio & anno tertio ejuſdem Caroli menſibus Martio & Maio quod ex chartis 251. 287. 331. 335. 345. & 382. MS. libri de honoribus S. Juliano collatis hauſimus.

X. Adalgerium abbatem S. Juliani ſimulque epiſcopum Ruthenenſem fuiſſe probat MS. libri, toties a nobis laudati, de honoribus S. Juliano collatis, inſtrumentum centeſimum quintum datum anno IV. regnante Odone menſe Auguſto. D. J. Boyer notavit omiſſum fuiſſe Adalgerium in catalogo Ruthenenſium epiſcoporum; hunc, Frotardum inter & Gausbertum hujus eccleſiæ præſules, collocandum requirit temporum ſeries. Porro ad eccleſiam Brivatenſem acceſſit an. 888. eamque rexit uſque ad annum quartum aut quintum Odonis regis: anno enim ſexto ejuſdem regis menſe Auguſto in ejus locum ſuffectus erat Willelmus pius Pictavorum comes, de quo dicemus infra. Hujus chronologiæ probationem nobis obtulere inſtrumenta quatuor in chartulario Brivatenſi exarata, quorum primum datum eſt anno primo regnante Odone, menſe Junio, eſtque numero 369. Secundum & tertium quæ ſunt ordine 62. & 266. data fuere ejuſdem regis anno tertio menſe Junio & anno quarto menſe Aprili; ultimum anno quarto Odonis menſe Auguſto.

XI. Willelmus II. cognomento pius, dux Aquitanorum & comes Pictavorum Brivatenſi abbatia laïcorum ditioni iterum ſubjecta, potitus eſt circa annum 893. In charta ſuperius laudata anni VI. regis Odonis Willelmus comes & abbas nuncupatur, Eldefredo præpoſito; eodem an. Roberti cujuſdam levitæ donum accepit. Armandus vicecomes anno 1. Caroli ſimplicis menſe Auguſto, dedit canonicis Brivatenſibus *eccleſiam fundatam in honore B. M. & S. Juliani cum omnibus quæ ad ipſam pertinent in loco vulgariter vocato Fontanas in aice Brivatenſi*, approbante & donationem excipiente Willelmo comite & abbate Brivatenſi. Anno III. ejuſdem Caroli regis menſe Martio, Vitardus quidam Willelmo duci & abbati S. Juliani, canonicisque Brivatenſibus dedit eccleſiam in honore B. Mariæ conſtructam cum manſo vulgariter vocato Airolas. Ducis titulo inſignitus reperitur Willelmus ab anno 900. uſque ad ejus obitum: regnante enim Odone, & Caroli ſimplicis anno primo, comitis tantum præfulgebat honore. Abbatiam autem Brivatenſis eccleſiæ obtinuit uſque ad annum 917. Inſtituit & largis opibus ditavit Cluniacenſe monaſterium anno nongenteſimo decimo. Ejus obitus notatur in necrologio Brivatenſi his verbis fol. 167. *II. nonas Julii obiit Guillelmus pius, comes Pictavenſis, dux Aquitaniæ*, &c. ſepultus fuit in eccleſia Brivatenſi & in priore templi parte juxta altare ſanctæ Crucis, cujus ſepulchro inſculptum erat hoc epitaphium:

Willelmus pius comes jacet hic tumulatus,
Cujus morte polus gaudet, terra lacrimatur,
Gaudet Brivata tanto duce nobilitata,
Flent ſibi ſublata Pictavi oſſa beata.

Collocato

Digitized by Google

Collocato autem altari S. crucis extra navim ecclesiæ, in viciniori columna inclusa fuere ossa Willelmi pii, circa annum 1513. ab Antonio de Langeac præpositio Brivatensi. De obitu Willelmi pii hæc in Universitatis scholæ obituario leguntur : *II. nonas Julii obiit dominus Guillelmus comes Pictavensis, dux Aquitaniæ, fundator ecclesiæ, pro quo capitulum debet librare I. denarium ad processionem.*

Vide Annal. Mabill. ad an. 918.

In necrologio capituli Brivat. fol. 167. Hæc habentur : *II. non. Julii obiit Guillelmus Pius, comes Pictavensis, dux Aquitaniæ.*

XII. Willelmus pio Acquitanorum duci avunculo subrogatus est. Princeps Acquitaniæ dicitur in charta donationis mansi *de Ladignac*, quem quidam Bernardus canonicis Brivatensibus concessit anno XX. Caroli Simplicis mense Aprilis. Mense Octobri subsequenti Eldenordis femina quidquid possidebat in loco Solemniaco, *Solignac*, dedit ecclesiæ S. Juliani Brivatensis, *ubi in Christi nomine Guillelmus, gratia Dei comes successor Willelmi majoris, super ipsam catervam præesse videtur, &c.* Denique anno XXI. Caroli regis decimo calendas Januarii, *cum apud Celcinanigas degeret, & venatoriæ arti insisteret, ne bona communis mensæ S. Juliani imposterum in usu tum laicorum, tum clericorum disperderentur*, cavit amplo diplomate quod editum est Spicil. tom. XI, pag. 282. & in MS. libro de honoribus S. Juliano collatis exstat ordine sexagesimum nonum.

XIII. Alfredus Willelmi frater Brivatensi ecclesiæ præerat ut abbas anno 25. Caroli regis, hoc est Christi anno 917. aut 918. & an. 923. seu anno primo Radulphi regis mense Aprili, quo a *Cavallariaco* vineam accepit *Miseriago in vicaria Bonorochensi*. Ex charta 194. Brivatensis chartul. ecclesiam sub invocatione S. Petri ædificatam in loco Braciacensi, *de Brassac*, cum redditu ampliſſimo dedit Brivatensi collegio *mense Octobri anno IV. quo Franci inhonestaverunt regem suum Carolum, & contra legem elegerunt Rodulfum*, donum excipientibus Allebardo præposito, & Cunaberto decano; vide Spicileg. tom XI. pag. 283.

XIV. Dalmatius I. anno v. Rodulfi regis abbatiam Brivatensem possidebat, ut patet ex instrumento sexagesimo Brivat. chart. dato mense Octobri. Anno proxime sequenti duplicem excepit donationem Dalmatius abbas, primam ab Isamberdo quodam mense Augusto, alteram a Guarino mense Decembri, anno VI. regnante Rodulpho.

XV. Cunabertum abbatis nomine insignitum reperimus in charta 267. MS. libri de honoribus S. Juliano collatis, data anno VII. regis Rodulfi mense Aprili; nihil præterea de illo nobis suppeditant instrumenta. Forte Dalmatius superius notatus, non est alius ab eo qui sequitur; & Cunabertus abbas erat abbas religiosus, cum Dalmatius foret abbas laïcus.

XVI. Dalmatius II. quem Stephani vicecomitis de Podemniaco filium, & nepotem Armandi fuisse existimabat noster D. Petrus Laurent, qui in disquirendis & examinandis chartis, maxime Arverniæ, integram fere vitam consumserat. Reperitur abbas anno VIII. regnante Radulfo, seu Christi 930. & an. X. ejusdem Regis mense Junio, Bonefacius quidam dedit vineam *Gignaco in vicaria Ambronense* canonicis S. Juliani, Dalmatio abbate recipiente, ex diplom. 77. chart. Brivat. Sedebat & anno decimo tertio ejusdem Radulfi regis, & annis Ludovici Ultramarini primo, tertio, quinto, VII. VIII. IX. X. XI. XVI. quo ab *Amblardo* donum excepit, Josepho præposito, & Gobfaldo decano Brivatensis ecclesiæ. Memoratur etiam regnante Lothario annis III. IV. VIII. IX. X. XI. XV. XVI. XVII; anno demum prædicti Lotharii XXVIII. mense Maio habuit ratum instrum. quo Robertus quidam canonicis S. Juliani dono dedit mansum unum in loco *Felgerias in vicaria Brivatensi* situm. Vulgo asseritur 50. annos abbatiam rexisse; verum huic sententiæ contrarium videtur quod legimus de Roberto, seu Josberto, qui dicitur abbas Brivatensis an. 962. quo Stephanus episcopus monachis canonicos substituit. Idem vero videtur esse Robertus in cujus manu & dominatione vult esse post suum decessum idem Stephanus episcopus monasterium Liziniaci, ex charta fundationis hujus cœnobii facta an. 945. Spicilegii tom. XI. pag. 285. Robertus abbas occurrit quoque an. 4. regnante Lothario, hoc est an. Christi 957. vel 958. Hæc tamen facile conciliari possunt si dicamus duplicem tunc fuisse abbatem, unum laïcum, alterum monachum aut clericum.

XVII. Arculfus, cujus exstat mentio in charta 54. libri de hon. S. Jul. collatis, de concessione vineæ in territorio *Maceriaco*, Mazerat, *in vicaria Brivatensi*, data mense Martio anno tertio regnante Roberto, tempore vero Geraldi præpositi. In hoc instrumento notatu dignum judicavimus Geraldum præpositum ante Arculfum abbatem nominari, quod observatum fuit subsequenti tempore; primas enim abbates tenebant in ecclesia Brivatensi ante seculum XI. at seculis XI. XII. XIII. priorem locum occupaverunt præpositi, abbates secundum, & aliquando tertium.

Allafus, vel Allufus quidam abbas Brivatensis dicitur in diplom. 94. chart. Brivat. mense Novembri, regnante Roberto, absque temporis nota, Willelmo comite, Geraldo præposito, & Beraldo decano. Hinc quæritur quis fuerit Allafus ille, an idem ac Arculfus, an sit ab eo distinguendus? nos litem dirimere non audemus.

XVIII. Ebraldum, sive Evraldum sedem abbatialem obtinuisse tempore Roberti regis probat instrumentum restitutionis Faveirolanensis ecclesiæ quam *Pontius post mortem Pontii comitis ejus avunculi injuste retinuerat*; datum regnante Roberto absque anni nota. Vide instrumenta. Anno 1011. aut 1012. decimo quinto ejusdem Regis mense Februario, *Umberga* quædam concessit *Euraldo*, vel *Evrardo abbati, Geraldo præposito, Beraldo decano & canonicis Brivatensibus, ecclesiam S. Justi, fundatam in loco vulgariter vocato Luziag;* charta donationis hujus exstat in Brivat. chartulario, num. 430. Idem Ebraldus nominatur post Ustorgium præpositum in instrumento 280. prædicti chartularii quod exstat sine anni nota.

C. VI. col. 132.

Digitized by Google

XIX. Eraldus ſedebat tempore Henrici regis, dum Stephanus hujus nominis primus præpoſituram Brivatenſem, & alter Stephanus epiſcopus decanatum ejuſdem eccleſiæ obtinebant, ii fides adhibenda eſt inſtrumento 428. chartularii Brivatenſis, dato menſe Dec. regnante Henrico rege, anno non indicato. Abbatiam una cum decanatu Brivat. regebat, fortaſſe poſt obitum Stephani epiſc. tempore prædicti præpoſiti: cujus rei probationem ſubminiſtrat charta 424. ejuſdem MS. Facile crederem Eraldum eumdem eſſe cum Ebraldo.

XX. Stephanus præſens fuit cum Stephano præpoſito donationi factæ S. Juliano per Pontium & Guillelmum fratres, de cenſu quem habebant in territorio vulgariter vocato Alboſc. Inſtrumentum ex quo depromtum eſt nomen abbatis hujus, chronicis caret notis; ſed ad tempus Henrici regis referendum eſſe conjicimus; mortuo itaque Eraldo ſubrogatum fuiſſe Stephanum non quidem aſſerere ſed ſuſpicari poſſumus.

XXI. Radulfus I. Brivatenſis eccleſiæ abbas erat an. Chriſti 1063. ut docet chartularium Caſæ-Dei. Cum Roberto comite ſubſcripſit litteris Pontii Avoiro, qui manſum unum, vulgariter vocatum *Caſa in loco de Madriac*, dedit canonicis Brivatenſibus menſe Februario. Inſtrumentum habes abſque chronologico caractere in MS. lib. de hon. S. Jul. coll. eſtque ordine 436.

Radulphus abbas Brivatenſis & Radulfus de * Lugeac. Lauziaco * circa an. 1066. dederunt Rotberto abbati Caſæ-Dei eccleſiam S. Andreæ de Cumis olim *de Comps*, poſtea de Valle-Dei, *de Vau-Dieu*, diœceſis olim Clarom. nunc S. Flori.

XXII. Pontius præerat anno milleſimo ſexageſimo ſexto, quo Petrus quidam canonicus Brivatenſis conſtitutus fuit præpoſitus eccleſiæ SS. Ferreoli & Juliani urbis Viennæ, a Leodegario archiepiſcopo Viennenſi, tempore Stephani *de Polignac* Arvernorum epiſcopi, præpoſiti, & Petri epiſcopi decani Brivatenſis eccleſiæ. Ejuſdem meminit Mabillonius tom. v. Annal. pag. 10. ad an. 1067.

Cœnobium in honore SS. Ferreoli & Juliani Viennæ conditum, in quo vigebat olim ſumma cum laude eccleſiaſticarum virtutum ordo, a priſca morum auſteritate & diſciplina deſciverat circa annum 1030. Quod ægre ferens Leodegarius Vien- * Iſmo. nenſis præſul, regendum illud dedit Iſmano * abbati S. Victoris Maſſilienſis. Mortuo Iſmano & in ejus locum ſuffecto Petro, cum ſacro diſciplinæ monaſticæ jugo collum ſubtraxiſſet cœnobium Viennenſe, ad opprimendum penitus morbum iterum aggreditur Leodegarius: accedente itaque Nicolai ſummi pontificis auctoritate, Viennæ convocata eſt ſynodus, cui præfuit Stephanus cardinalis legatus, adſiſtente archiepiſcoporum & epiſcoporum nobili corona, qua Brivatenſi collegio & eccleſiæ S. Mauritii Viennenſis conjunctim, ad reſtaurandum traditum fuit prædictum SS. Ferreoli & Juliani cœnobium. Anno itaque 1066. reſtaurati cœnobii præpoſitus conſtitutus fuit Petrus *S. Juliani Brivatenſis alumnus*, eique a Leodegario præſule delegatus ſocius *S. Mauritii canonicus & archidiaconus nomine Richardus, ut eorum labore &*

Conſule Mabill. Annal. Bened. lib. lxii. n. cvi. & lib. lxviii. n. xcviii.

Concil Brivatenſe an. 1094.

induſtria cum aliis ſervis Dei reviviſcerent ibi divina & humana obſequia. De cetero, inquit Leodegarius, *poſt finem iſtorum, qui ibi præpoſitus electus fuerit a fratribus qui ibidem ſervituri ſunt, aut de noſtris, aut de Brivatenſibus, eorum a noſtro capitulo confirmatio laudetur: obteſtamur per Trinitatem & electos angelos & per merita ſanctorum martyrum Mauritii & ſociorum ejus, necnon Ferreoli & Juliani ut ſine pretio electio ipſa fiat.* Hujus hiſtoriæ notitiam hauſimus ex inſtrumento 305. MS. libri de honoribus S. Juliano collatis.

XXIII. B.... de Alzone abbas nuncupatur in inſtrumento conventionis initæ anno 1100. inter Odilonem de Mercorio decanum Brivatenſem ex una parte, & univerſum Brivatenſis eccleſiæ conventum ex altera, pro villis de Coltinas & de Moret; obiiſſe ſexto calendas Aprilis docet necrologium Brivatenſe.

XXIV. Willelmi IV. initium nobis incompertum. Circa annum 1136. vixiſſe ex Juſtello pag. 26. hauſit D. J. Boyer. Eſt haud dubie Willelmus de Rafaël, qui inſcribitur multis tabulis Piperacenſibus, & abbas erat nonis Julii an. 1138.

XXV. B. Deſignatur, more tunc recepto, quidam Brivatenſis abbas ſola priori nominis littera, ſcilicet B. in charta dotationis domus Leproſorum Pontis-de-la-Bajaſſe ab Odilone de Cambo Brivatenſi canonico ædificatæ, data anno 1161. Ejus etiam meminit Juſtellus ad annum 1162. Vide paginam 32. Arvernenſis hiſtoriæ.

XXVI. Radulphus II. memoratur apud J. Columbi pag. 220. in epiſcopis Vivarienſibus, & præfuiſſe dicitur anno 1207. Deſignatur etiam in charta Pontii vicecomitis Podempniaci, quam habes inter inſtrumenta, per primam nominis litteram R. data *anno ab Incarnat. Domini 1201. menſe Julio Luna decimaquarta, regnante Philippo rege Francorum.* Is eſt fortaſſe qui præſens fuit ſententiæ latæ per Hyacinthum cardinalem, lite pendente inter abbatem Caſæ-Dei & univerſum Brivatenſe capitulum anno 1175. C. IX. col. 134.

XXVII. Willelmus V. de Turre ex cantore Brivatenſi ad ſedem abbatialem evectus eſt, nobiliſſimo genere apud Arvernos natus. Hanc obtinebat circa annum 1224. ad præpoſituram ejuſdem eccleſiæ tranſlatus fuit circa annum 1226.

XXVIII. Bernardus de Rupeforti, Willelmo de Turre ad præpoſituram Brivatenſem promoto, dignitatem abbatialem accepit. Anno 1227. menſe Februario indictione prima ſigillo roboravit inſtrumentum compoſitionis factæ inter Templarios ex una parte, & capitulum Brivatenſe ex altera. Præſens fuit anno 1234. IV. cal. Martii indictione IV. arbitrali ſententiæ quam dedit Stephanus Mimatenſis epiſcopus inter capitulum Brivatenſe & abbatem Piperacenſem, qua *canonia* in eccleſia S. Juliani, *cum ejuſdem perceptione* abbatibus Piperacenſibus debita dicitur ea lege, *ut quandocumque abbas a capitulo Piperacenſi fuerit electus, & quandocumque electus, vel abbas benedictus cedere voluerit, vel reſignare, in capitulo Brivatenſi & ipſi capitulo cedere vel reſignare teneatur, & ab ipſo capitulo confirmationem electus petere & obtinere; & eccleſias, pro ut*

Vide C. VII. col. 132. & C. X. col. 136. *in privilegio domini Callixti papæ & domini Innocentii plenius continetur, eccleſiæ Piperacenſi ſub cenſibus longo tempore præſtitis, ex cauſa eleemoſinæ a Brivatenſi eccleſia collatas fuiſſe & conceſſas perpetuo recognoſcant abbas & ſyndicus ſupradicti, &c.*

XXIX. B. de Monte-acuto nominatur poſt Fulconem de Monte-acuto præpoſitum in decreto ſolemni Brivatenſis capituli dato nono menſis Junii die Veneris ante feſtum S. Barnabæ anno Dom. 1256. indictione XIV. regnante Ludovico Francorum rege. Illud vero edidimus inter noſtra C. XII. col. 138. inſtrumenta. Hoc decreto penitus exſtinctus & abolitus fuit *ſanctione irrefragibili* mos antiquus *de terris Brivatenſis eccleſiæ conferendis quotieſcumque* B *eas vacare contingebat, ſingularibus perſonis ad uſus earum proprios, inveſtitura præpoſiti pro tempore exiſtentis ſubſequente: ex quo uſu contingebat quoſdam ditari de patrimonio Crucifixi, qui collata ſibi non in ſervitio eccleſiæ ſed ad uſus proprios pro ſuæ voluntatis arbitrio expendebant, cæteris in paupertate degentibus.* Eodem ſtatuto univerſa S. Juliani dominia & præſertim abbatia S. Germani de Lembrone ad communem menſam canonicorum reſidentium converſa & redacta fuerunt, exceptis iis quæ *dignitatibus vel perſonatibus ab antiquo erant ſpecialiter aſſignata & ratione prælaturæ, ſeu perſonatus deputata.* Huic ſanctioni aſſenſum C præbuere Fulco de Monte-acuto præpoſitus, B. de Monte-acuto abbas, Odilo de Mercorio decanus, Bomparius de Langeac, B. de Rupeforti ſeneſcallus, Guillelmus de Gondras magiſter: cum ceteris canonicis quos inter ſilentio prætermittere non debemus Dalmatium de Rupe, Aſtorgium de Monte-acuto, Hugonem de Bonnaroca, Iterium de Rupeforti, Petrum de Viſſac, Eraclcum de Monte-buxerio, Chatardum de Niché, Petrum Papabeuf, Guillelmum & Petrum & Stephanum de Laſtic, Draconem de Balzac, Guillelmum de Rupe, Robertum de Corſellis, Geraldum de Chalus, Caſtum de S. Nectario, Armandum de D Rupe, Petrum de Polhiaco, Armandum de Roſiaco, Johannem de Rocheſort, W. de Salians, Guillelmum de Monteravello, Robertum de Corſo, Aſtorgium de Tailhiaco, Guillelmum de Rochefort & Guillelmum de Turlanda. Decretum illud Alexander IV. *canonicorum ſupplicationibus inclinatus, conſideratione quoque dilecti filii magiſtri Milonis eccleſiæ Brivatenſis foriſdecani* ejus ſcriptoris, ratum habuit bulla data quarto non. Auguſti, pontificatus anno quinto. Vide inter inſtC. XIII. col. 141. trumenta. Eidem B. de Monte-acuto abbati ejuſque ſucceſſoribus conceſſit capitulum *decem libras Viennenſes debitales*, &c. Ipſe vero abbatis nomine dedit capitulo *eccleſiam S. Petri in perpetuum & quiete poſſidendam*, tranſactione habita ſupra memorato die nono menſis Junii anno 1256.

XXX. Geraldus de Chalus abbatialem dignitatem obtinebat anno 1349. Interſerendi nonnulli; ſex enim reperiuntur, ſed quo tempore quove ordine recenſendi ſint nobis incompertum. Geraldi exſtat memoria in inſtrumento quo Petrus Rogerii, beatæ Mariæ-novæ diaconus cardinalis, præpoſitus & canonicus Brivatenſis, Clementis hujus nominis ſexti ex fratre nepos, juramentum & A recognitionem feudi fecit de dicto præpoſitatu, in manibus canonicorum Brivatenſium per procuratores, *die Jovis poſt feſtum converſionis S. Pauli anno Incarnat. Dominicæ 1349. ind. tertia*, &c. Ultimus Brivatenſis abbas fuit Geraldus noſter, anno enim 1342. abbatia cum foriſdecanatu, præcentoria & eccleſia S. Ferreoli, ſuppreſſa fuerat, auctoritate Clementis VI. bulla data Avenioni III. idus Julii pontificatus anno primo, quam inter C. XIX. col. 148. probationes retulimus.

P. forte Petrum de Monte-acuto abbatem Brivatenſem fuiſſe novimus ex MS. libro chartarii Brivatenſis *continente tranſactiones, ſeu compoſitiones olim initas inter capitulum & diverſi ſtatus perſonas.* Refertur enim in inſtrumento quodam hujus chartularii P. de Monte-acuto abbatem Brivatenſem, Bertrandum de Turre canonicum ejuſdem eccleſiæ & Petrum Durandi officialem Avenionenſen, inquiſitionem feciſſe de crimine adulterinæ fabricationis monetæ, cujus accuſati erant B. Auricula ejuſque nepos.

Porro præter hunc P. de Monte-acuto reperiuntur in necrologio Brivatenſi abbates ſequentes, ſed ſine chronicis notis, quorum notitiam debemus noſtro Jac. Boyer. Sederunt fortaſſe poſt B. de Monte-acuto & ante Geraldum de Chalus C ultimum abbatem, ab anno ſcilicet 1256. uſque ad annum 1359.

I. Aſtorgius de Talliaco cujus obitus notatur v. cal. Maii.

II. Ludovicus del Royre II. cal. Novembris.

III. F. de Rochefort XVI. cal. Septembris.

IV. Bertrandus IV. cal. Aprilis.

W. de Rafaël non. Julii.

PRÆPOSITI ECCLESIÆ BRIVATENSIS.

I. RADBERTUS, *al.* RADEBERTUS, an. 817. præpoſitus & cuſtos dicitur in charta 323. chartularii Brivatenſis data menſe Maio anno IV. D Ludovici *perexcellentis imperatoris, Ferreolo abbate.*

II. Adalgiſus, *al.* Algiſus memoratur in donatione Richaldi facta eccleſiæ Brivatenſi anno ſexto Caroli-Calvi menſe Maio: & in alia donatione cujuſdam Garibaldi conferentis S. Juliano quidquid habebat in loco Solemniaco, *Soliniac*, tempore Bernardi comitis & abbatis, regnante Carolo Francorum rege anno XVII. menſe Febr. Illius meminere inſtrumentum 264. chartularii Brivatenſis datum menſe Maio anno XXVI. regnante Carolo Francorum & Aquitanorum rege, & charta 58. ejuſdem manuſcripti data menſe Martio anno II. regnante Ludovico Caroli regis E filio. Item Adalgiſum reperio 846. 848. 852. 858. 862.

III. Caſtellanus anno XXXIV. Caroli-Calvi, quo Frotarius archiepiſcopus Burdegalenſis & abbas S. Juliani, privilegium obtinuit in gratiam canonicorum Brivatenſium. Anno I. Ludovici [a]

[a] Fortaſſe ille Ludovicus rex non eſt Ludovicus ſecundus dictus Balbus, ſed Ludovicus III. Et certe in lib. de hon. collatis S. Juliano habetur donatio Arloini levitæ facta menſe Junio an. 1. regni Ludovici, Frotherio archiep. & abb. Caſtellano præpoſito.

Item donatio Benedicti & uxoris menſe Aprili, an. IV. regni Caroli, Frothario archiep. abbate & protectore, Caſtellano præpoſito.

Digitized by Google

Balbi menſe Junio ratam habuit donationem Arloini quæ refertur in chartulario Brivatenſi art. 31. Item alteram donationem loci de Frodgerias, *Frugere*, collati Brivatenſibus ab Eldebardo preſbytero anno II. Caroli-Craſſi menſe Aprili. Hunc præpoſitum fuiſſe uſque ad annum IV. ejuſdem Caroli teſtis eſt MS. libri de honoribus S. Juliano collatis charta 35.

IV. Futarius præpoſitus una cum Aldefredo decano conſenſum præbet donationi quam Frotarius archiepiſcopus Bitur. & abbas, fecit Stephano cenſus annui X. ſol. de manſis apud Giſacum, abſque chronicis notis.

V. Heldefredus, ſive Elfredus, vel Helfridus, aut Aldefridus, his enim nominibus varie nuncupatur; ex decano Brivatenſi ad præpoſituram ejuſdem eccleſiæ evectus fuit circa an. 889. nam anno I. Odonis regis menſe Septembri, cum Frotario archiepiſcopo Bituricenſi & abbate S. Juliani, & Geraldo decano ejuſdem eccleſiæ, aſſenſum præbuit donationi loci de Pauliaco, *Pauliac*, a Roberto canonicis Brivatenſibus conceſſi; menſe Junio ſubſequenti conſentit alteri donationi factæ tempore Adalgerii epiſcopi & abbatis S. Juliani, ex qua liquet ultimum Frotarii archiepiſcopi annum & primum Adalgerii Ruthenenſis epiſcopi cum anno 889. concurriſſe. In libro MS. de honor. S. Juliano collatis reperitur fundatio capellæ in honorem S. Andreæ, Frotario archiepiſc. & abbate, Helfredo præpoſito, menſe Septembri anno I. regnante Odone rege, (id eſt, an. 888.) Anno VIII. ejuſdem regis Elfredus permutationem quandam fecit cum Bernardo decano Brivat. In eod. cod. MS. legitur donatio Abonis & Adæ uxoris, Guillelmo comite & abbate & Helfredo præpoſito, anno V. regnante Carolo; item donatio Gerardi & Agmodis uxoris menſe Novemb. an. XII. regnante Carolo, Guillelmo duce rectore eccleſiæ Brivat. & Helfredo præpoſito. Item donatio Gonterii clerici eodem Guillelmo comite & abbate, Eldefredo præpoſito & curam gerente. Heldefredus autem noſter præpoſituram Brivatenſem occupavit uſque ad an. XII. Caroli Simplicis.

VI. Radulphus I. donationi Iterii cujuſdam interfuit tamquam præpoſitus Brivatenſis, menſe Septembri anno XIV. Caroli-Simplicis. Vide chartam 39. MS. lib. de honor. S. Juliano collatis. Radulfum reperio in charta Brivat. menſe Aprili anni prædicti XIIII. Caroli regis.

VII. Arlebaldus, ſive Ariabaldus memoratur in inſtrumentis 218. & 263. chart. Brivatenſis, datis menſibus Maio & Junio, regnante Carolo anno XV. Willelmo comite & abbate. Item annis XIX. & XX. ejuſdem regis. Anno D. CCCC. XIX. Ind. VII. decimo cal. Januarii Carolo rege Francorum anno XXI. adiit Willelmum Aquitaniæ ducem & abbatem S. Juliani, & ab eo diploma obtinuit quo cautum eſt ne bona communis menſæ S. Juliani in uſu tum laïcorum, tum eccleſiaſticorum diſperderentur. Nominatur in charta 194. chart. Brivatenſis data anno I. Rodulfi regis; anno proxime ſequenti una cum Cunaberto decano Brivatenſi ſubſcripſit Kariabaldus inſtrumento fundationis monaſterii Celcinienſis dato *anno II. quo infideles Franci regem ſuum Carolum inhoneſtaverunt, & Rodulfum in principem elegerunt.* Anno denique IV. ejuſdem Rodulfi menſe Octobri una cum eodem Cunaberto decano, excepit donationem loci *de Braſſac*, quem Acfredus comes & abbas Brivatenſis canonicis S. Juliani conceſſit. Vide album Brivatenſium abbatum.

VIII. Cunabertus primum decanus, poſtmodum præpoſitus circa annum 927. aut 928. Anno V. regnante Rodulfo, menſe Octobri, laudavit donationem ab Hictore in gratiam Brivatenſis eccleſiæ factam tempore Dalmatii abbatis. In lib. de honorib. S. Juliano collatis reperitur donatio Bernardi die 3. Novemb. regn. Rodulpho rege, Dalmacio vicecomite, Cunaberto præpoſito. Memoratur etiam annis VI. & VIII. ejuſdem regis, item annis I. II. III. & V. Ludovici Ultramarini, quod in chart. Brivatenſi videre eſt. Huic Cunaberto debetur fundatio monaſterii Cantogilenſis, cujus inſtrumentum refert Mabill. Annal. Bened. tom. III. pag. 707. in appendice, ubi levita dicitur. Fato functus erat anno VI. Ludovici IV. Vide capitul. tom. II. cap. 1537. & Annal. Benedict. tom. III. pag. 434.

IX. Joſeph ex Odilo, ſeu Odilone & Ildiarde genitus, fratres habuit Stephanum & Aſtorgium. Conſobrinus erat Blidſendis uxoris Bernardi Arvernorum comitis. Præerat menſe Martio an. VI. Ludovici Ultramarini: hujus etiam fit mentio in inſtrumentis 118. 119. 148. 294. 316. 340. & 386. chart. Brivat. datis regnante Ludovico hujus nominis IV. annis VII. VIII. IX. X. XI. & XVI.

X. Robertus, Stephani Arvernorum epiſcopi nepos, præpoſituram occupavit per ſpatium XXV. annorum, memoratur enim in MS. libro de honoribus S. Juliano collatis ab an. III. ad XXVIII. Lotharii regis. Aſſenſum præbuit inſtrumento quo prædictus Arvernorum epiſcopus conceſſit S. Juliano Brivatenſi vicum vulgariter vocatum Liſiniacum, nunc Sangermanum, *cum eccleſiis & aliis appenditiis*, &c. datum an. 962. Nativ. Dom. ind. V. menſe Febr. An. XVI. Lotharii regis menſe Febr. interfuit donationi Izengarde, quæ dedit canonicis Brivatenſibus quidquid habebat in comitatu Brivatenſi, in vicaria de Cantalogo. Memoratur etiam in chartis 324. & 392. MS. lib. de honor. S. Juliano collatis, datis menſibus Februario & Maio, regnante eodem Lothario anno XXVIII.

XI. Gerardus, ſeu Geraudus præpoſituram Brivatenſem occupabat anno ſalutis 1000. Hunc ex nobiliſſima Aureliacenſium toparcharum ſtirpe oriundum eſſe aſſeruit dominus Audigier in hiſtoria Arvern. manuſcripta. Gerardi præpoſiti exſtat mentio in charta 54. chartul. Brivat. data an. III. Roberti regis menſe Martio tempore Arculfi abbatis: anno XV. ejuſdem regis menſe Februario ratam habuit donationem Umbergæ, quæ locum vulgariter vocatum Luziac cum eccleſia S. Juſti Brivatenſibus conceſſit, approbantibus Willelmo comite & Roberto vicecomite; ejuſdem Gerardi tempore, anno ſcilicet XX. Roberti regis menſe Februario Pontius comes Gabalitanus & Forenſis conceſſit Brivatenſi collegio eccleſiam Faveirola-

C. IV. col. 131.

nenſem, *de Faveirolle*, cum omnibus quæ ad ipſam A ecclesiam pertinebant, cujus donationis teſtes fuere Stephanus & Robertus vicecomites. Elapſis quibuſdam annis, eamdem eccleſiam, quam injuſte retinuerat Pontius nepos prædicti Gabalorum comitis, S. Juliano integram reſtituit, regnante Roberto Francorum rege, tempore Geraldi præpoſiti, Beraldi decani, Evraldique abbatis. Gerardi obitus notatur in necrologio Brivatenſi XII. cal. Julii.

XII. Euſtorgius, circa finem regni Roberti, Hugonis Capeti filii, præpoſituram Brivatenſem regebat. Illius tria Brivat. inſtrumenta meminere: ſextum ſcilicet, datum menſe Octobri regnante Roberto; trigeſimum ſextum, datum menſe Maio B regnante eodem Rege; & 280. In lib. de honor. S. Juliano collatis habetur donatio Deſiderii clerici menſe Octob. regnante Roberto rege, Euſtorgio præpoſito Brivat. Item donatio Deſiderii levitæ (forte ſupradicti) die VI. Maii regnante Roberto, Euſtorgio præpoſito.

XIII. Stephanus qui ex Mercoriana, *de Mercœur*, ſtirpe perilluſtri originem ducebat (ſi fides adhibenda eſt prædicto domino Audigier) regnante Henrico rege menſe Decembri, Eraldo abbate Brivatenſi, conſenſum præbuit donationi factæ capitulo, cujuſdam eccleſiæ in honore S. Benedicti C ædificatæ in loco vulgariter vocato *Muzearda*, tempore quo alter Stephanus epiſcopus decanatum eccleſiæ S. Juliani Brivatenſis occupabat; ex charta 428. chartularii. Adfuit cum Eraldo abbate & decano Brivatenſi venditioni factæ canonicis S. Juliani per Oldaricum abbatem S. Germani in Embronio, cujuſdam domus quam idem Oldaricus poſſidebat apud Sangernanum prope eccleſiam; hujuſce venditionis inſtrumentum, quod eſt 424. exſtat in MS. libro de honoribus S. Juliano collatis.

XIV. Stephanus de Podemniaco, *de Poliniac*, Arvernorum epiſcopus, & præpoſitus Brivatenſis, nominatur in inſtrumento quo Petrus canonicus D S. Juliani a Leodegario Viennenſium antiſtite conſtitutus fuit præpoſitus reſtaurati cœnobii Viennenſis, in honore SS. Ferreoli & Juliani conſtructi, dato anno MLXVI. Vide ſeriem abbatum Brivatenſium in Pontio abbate XXII.

XV. Willelmus I. de Podemniaco, *de Poliniac*, anno MC. præſens fuit tranſactioni, ſeu concordiæ factæ inter canonicos Brivatenſes & Odilonem de Mercorio decanum ejuſdem eccleſiæ, pro villis de *Coltinas & de Moret*. Supremus Willelmi dies notatur in obituario Brivatenſi his verbis: *III. id. Novembris obiit Willelmus præpoſitus Po-* E *demniaci*.

XVI. Odilo de Mercorio, *de Mercœur*, ex decano Brivatenſi conſtitutus fuit præpoſitus, fortaſſe poſt obitum Willelmi de Podemniaco; fratrem habuit Stephanum Claromontenſem epiſcopum, nepotem Odilonem epiſcopum Anicienſem, patruum vero S. Odilonem canonicum Brivatenſem, Cluniacenſis deinde monaſterii abbatem. Erat præterea canonicus eccleſiæ Clarom. Teſtis fuit pacis & concordiæ initæ inter capitulum Brivatenſe ex una parte, & comitem Robertum ex altera anno Domin. Incarnat. M. C. XXXVI. Luna quinta, feria V. regnante Ludovico rege, tempore Petri Lugdunenſis, & Alberi, ſeu Alberici Bituricenſis archiepiſcoporum, A. Claromontenſis præſulis, Stephani decani Brivatenſis, &c. Odilonis præpoſiti juſſu conſcripta fuit hiſtoria S. Odilonis, quam habes editam in bibliotheca Cluniacenſi. Vide Galliam Chriſtian. quadripartitam tom. II. fol. 528. Juſtellum pag. 26. notas Cheſnii in biblioth. Clun. & Annal. Bened. lib. L. n. 73.

XVII. Eraclius præpoſitus ex charta Piperacenſi an. M. C. XXX. IIX.

XVIII. Willelmus II. præpoſituram obtinebat an. M. C. LXI. aderat enim hoc anno in capitulo Brivatenſi cum Odilo de Cambo, ejuſdem eccleſiæ canonicus, dedit domui leproſorum Pontis-de-la Bajaſſe & quatuor clericis in eadem domo ſervientibus, agros & vineas & cetera quæ habebat ultra Elarium fluvium, cujus donationis inſtrumentum C. VIII. col. 134. habes inter probationes. Anno Domini 1175. indictione VII. quinto idus Decembris interfuit ſententiæ latæ per Hyacinthum cardinalem inter Bertrandum abbatem & totum religioſum conventum Caſæ-Dei ex una parte, & univerſum Brivatenſe capitulum ex altera, pro cœnobio Cantajolenſi, & præbenda in eccleſia S. Juliani debita abbati Caſæ-Dei pro tempore exiſtenti.

XIX. Willelmus III. filius Willelmi Claromont. comitis, Eraclium vicecomitem Podemniacum qui anno 1179. villam Brivatenſem & villam S. Germani in Embronio cum extraneis gentibus incendio vaſtaverat, pœnitentia ductum & ad januam eccleſiæ S. Juliani ſub virga correctionis humiliatum, benigne excepit die tertia poſt feſtum S. Juliani an. 1181. ea lege ut ipſe Eraclius ejuſque ſucceſſores capitulo Brivatenſi profiterentur clientelam pro caſtris de Cuſſiac & de Solaſvit, *de Cuſſe*, & *de Solaſvit*, & eadem ad nutum redderent canonicis S. Juliani *cum guerra facienda immineret, univerſumque capitulum & homines urbis Brivatæ ſequerentur manu armata & ſine pretio*. Anno denique 1201. Delfinus Arvernorum comes, Poncium vicecomitem, Podemniaci prædicti Eraclii filium, compulit ad exhibendum homagium capitulo Brivatenſi; quod hominium recepit Willelmus noſter, totius capituli nomine, menſe Julio, Luna decimaquarta, regnante Philippo Francorum rege. Vide noſtra inſtrumenta. Ejuſdem Willelmi meminit Juſtellus C. IX. col. pag. 42. & 139. Fato functus erat an. 1222. 134.

XX. Poncius de Lorhat ex inſtrumento dato anno M. CC. XXII. obiit circa annum M. CC. XXVI. Ejus obitus notatur in necrologio ſecundo idus Aprilis.

XXI. Willelmus IV. dictus de Turre, ex nobiliſſimo apud Arvernos genere natus, præcentoriam, abbatiam & præpoſituram Brivatenſis eccleſiæ ſucceſſive occupavit. An. 1226. menſe Decembri a S. Ludovico epiſtolam obtinuit in gratiam capituli Brivatenſis, qua Rex Chriſtianiſſimus conceſſit capitulo jura regaliæ quæ ſibi & ſucceſſoribus ſuis, vacante præpoſitura deberi intendebat. Eam edidit Steph. Baluzius. Anno proxime ſequenti menſe Februario aſſenſum præbuit compoſitioni factæ inter Templarios milites &

Digitized by Google

eccleſiam S. Juliani. Libellum ſupplicem pro parte capituli obtulit Amalarico de Corcellis conſtabulario Arverniæ, contra Guillelmum comitem Delphini filium, qui fidelitatis juramentum capitulo præſtare recuſabat pro caſtris de Veteri-Brivata & de S. Ilpidio, datum anno M. CC. XXXVII. die Jovis poſt feſtum SS. Philippi & Jacobi. Nominatur in ſententia lata a prædicto Amalarico comite-ſtabuli adverſus comitem Guillelmum die Lunæ ante feſtum S. Lucæ anno M. CC. XXXIX. Anno M. CC. XLII. indictione XV. die Lunæ in vigilia Nativitatis B. Johannis Baptiſtæ, ipſe & capitulum compoſuerunt litem pro cenſu cujuſdam domus Stephani Coſta. Tandem capituli nomine excepit homagium Roberti Claromontenſis comitis pro caſtris Veteris-Brivatæ & S. Ilpidii die Lunæ ante feſtum S. Martini hyemalis an. 1243.

Ex obituario Brivat. *Obiit die XVI. cal. Aprilis an. Dom. M. CC. XLV. dimiſitque mille denarios capitulo, & ſcolæ quinquaginta ſolidos.* Conſule Stephan. Baluzium in hiſtoria Arver. domus [a].

XXII. Fulco de Monte-acuto, *de Mont-agu*, memoratur in decreto ſolemni Brivatenſis capituli, cujus meminimus in articulo B. de Monte-acuto abbatis, quo abbatia S. Germani in Embronio & theſauraria Brivatenſis exſtinctæ fuerunt, & univerſa eccleſiæ dominia ad communem canonicorum reſidentium menſam redacta, dato anno Dom. M. CC. LVI. indict. XIV. nono menſis Junii die Veneris ante feſtum S. Barnabæ. Is eſt C. VII. col. 233. Fulco de Monte-acuto qui, accedente conſenſu univerſi capituli, conceſſit præbendam in eccleſia Brivatenſi, cum plenitudine juris canonici, dom. Guidoni Anicienſi epiſcopo & omnibus in eadem ſede epiſcopali ſucceſſoribus, amplo diplomate dato in craſtinum Nativitatis beatæ Mariæ anno Dom. M. CC. LIX. quam conceſſionem ratam habuit Clemens papa hujus nominis VI. a quo Anicienſis epiſcopus primus Brivatenſis eccleſiæ comes renuntiatus eſt bulla Avenioni data cal. Julii, pontificatus anno primo. Fulconis obitus notatur in necrologio Brivatenſi menſe Septembri, ſed abſque anni nota. Item in necrol. Clarom. eccleſiæ III. id. Septemb. Fundavit in ſua Brivat. eccleſia vicariam ſub annua quinque ſextar. frumenti penſione, a dominis caſtri de Monte-acuto ſolvenda.

XXIII. Jacobus de Monte-acuto, *de Mont-agu*, poſt exceſſum Fulconis eligitur & uſque ad annum 1275. præpoſituram occupat.

XXIV. P. præpoſitus Brivatenſis M. CC. LXXV.

XXV. Odilo II. de Mercorio, *de Mercœur*, Beraldi domini de Mercorio filius, nepoſque Odilonis Brivatenſis decani epiſcopique Mimatenſis, decanatum Brivatenſem obtinuit uſque ad annum 1275. vel 1276. Adepta præpoſitura, litem habuit cum procuratore regis Philippi audacis *ſuper fidelitate quam dicebat Rex ſibi deberi a præpoſito Brivatenſi*; hujus litis auditores fuere Robertus de Fronvilla Pariſienſis & Johannes Maran Remenſis canonici, qui an. M. CC. LXXX. diebus Jovis & Lunæ ante feſtum S. Dionyſii, ſuſcepta funcți ſunt provincia. Anno proxime ſequenti die X. cal. Martii aſſenſum præſtitit tranſactioni initæ inter Beraldum dominum de Mercorio ſuum genitorem ex una parte, Gaucelinum de Garda decanum Brivatenſem ex altera, & univerſum ejuſdem eccleſiæ capitulum ex tertia parte, tractantibus prædicto Gaucelino de Garda decano, Aſtorgio de Monte-acuto abbate Secureti, Guillelmo de Monte-Revello præpoſito Anicienſi, Petro Racherii & Johanne de Rupe-forti canonicis Brivat. in præſentia Armandi vicecomitis Podenniaci & Guillelmi vicecomitis Murati, adſtante militum, clericorum & domicellorum numeroſo cœtu. Villam de Lurlangas, *Lorlange*, a capitulo conceſſam, dominio præpoſituræ addidit, tranſlato in canonicos juris dicendi honore, quem habebant præpoſiti, aut habere ſe dicebant in urbe Brivatenſi, tranſactione ſuper his habita anno M. CC. LXXXVIII. die Veneris poſt octavas B. Matthæi apoſtoli & evangeliſtæ. Superſtes erat Odilo anno 1300. dies ejus ultimus ignoratur.

XXVI. Bernardus de Rupe-forti, *Rochefort*, ex inſtrumento dato die Jovis ante feſtum S. Antonii anno Dom. M. CCC. V.

XXVII. Eraclius de S. Nectario, *de Senneterre*, alias *de Saint-Nectaire*, dominus caſtri de Clavellerio, præpoſitus erat Brivatenſis die Sabbati poſt feſtum S. Antonii anno M. CCC. VIII. die vero Dominica poſt feſtum S. Mariæ Magdalenæ anno 1325. ind. VII. pontific. Johannis papæ XXII. anno IX. hominium recepit Iſabellæ Ruthenenſis vicecomitiſſæ de Carlat, *pro caſtris vulgariter vocatis les murs de Barré & Ladignac.* Eodem die & anno *Bernardus de Turre filius nobilis & potentis viri Bernardi de Turre militis ex Beatrice de Ruthena*, fidelitatem juravit & clientelam profeſſus eſt pro *ſilva quæ vocatur Lagaleſta*, Eraclio de S. Nectario præpoſito homagium excipiente, mandato, voluntate & nomine prædicti capituli. Recenſetur etiam in charta Caſæ-Dei anno 1330. 22. Aprilis.

XXVIII. Guillelmus de Rupe-forti memoratur in charta data die Lunæ in feſto cathedræ S. Petri anno 1333.

XXIX. Hugo I. Roberti III. Arverniæ delfini, comitiſque Claromontenſis filius ex Iſabella de Caſtellione, *de Chaſtillon*, cum eſſet canonicus Claromont. ad præpoſituram Brivatenſem evectus eſt anno 1334. Procuratores ſuos adipiſcendæ poſſeſſionis cauſa inſtituit die XIX. Februarii ejuſdem anni; die Martis ſequenti in feſto cathedræ S. Petri ſacramentum præſtitit capitulo & poſſeſſionem accepit. Obiit X. Februarii anno 1347. ex necrologio S. Andreæ Claromontenſis. Poſt ejus obitum orta eſt controverſia inter capitulum & Beraldum Arverniæ delfinum dominumque Mercorii ejus nepotem, ratione hereditatis ab Hugone relictæ, quæ tandem compoſita fuit charta data Blaſiliæ, *Bleſle*, die 1. menſis Maii anno Dom. 1348.

XXX. Hugo II. Delphini, nepos prioris, præpoſituram Brivatenſem occupabat anno 1349. quod patet ex ſententia contra eum lata die Veneris,

[a] In necrol. eccl. Claromont. ſcripto an. 1291. ſic legitur: *VI. non. Martii obiit* W. *de Turre præpoſitus Brivatenſis, qui dedit eccleſiæ l. ſol. cenſuales pro anniverſario ſuo faciendo.*

quæ fuit xx. Martii : qua licet duplex præbenda præpoſito reſidenti attributa ſit ab antiquo, unicam tantum non reſidenti debitam eſſe dicitur.

XXXI. Petrus Rogerius, *Roger*, Beaufort, Lemovix, S. R. E. tituli S. Mariæ-Novæ diaconus cardinalis, nepos Clementis papæ VI. patrem habuit Guillelmum Rogerium dominum de Rozariis, matrem Mariam de Chambon, fratrem vero Guillelmum comitem Bellifortis, & vicecomitem Turrenæ. Sacro jam cardinalium collegio adſcriptus erat, cum ad præpoſituram Brivatenſem ſummi pontificis diplomate ſuffultus, acceſſit : fidem clientelarem juravit capitulo & poſſeſſionem inivit per procuratores ſuos die Jovis poſt feſtum Converſionis S. Pauli anno 1350. indict. III. pontificatus Clementis VI. an. VIII. Memoratur in titulo regiſtri cauſarum curiæ ſecularis præpoſituræ Brivatenſis incœpti anno Dom. 1361. die Lunæ ante feſtum Aſſumtionis B. Mariæ. Ad ejus inſtantiam an. 1366. indict. IV. Urbani papæ V. an. V. lata eſt excommunicationis ſententia adverſus *quoſdam iniquitatis filios qui villam de Lurlangas ad prædictum Dom. cardinalem ratione præpoſituræ Brivatenſis ſpectantem, & parochialem ejuſdem loci eccleſiam invadere, diruere & incendio concremare præſumſerant*. Ejus meminit inſcriptio cujuſdam decreti lati auctoritate Guillelmi de Pionſaco bailivi & locum tenentis pro nobili viro Roberto de Martinenchiis milite, judice curiæ ſecularis præpoſituræ Brivatenſis, anno 1367. die Martis poſt feſtum S. Mathiæ apoſtoli. Denique cum præpoſituram rexiſſet annos viginti, ad ſummi pontificatus apicem ſublimatus eſt Avenioni an. 1370. die XXIX. Decembris, aſſumto Gregorii XI. nomine. Rexit ſedem S. Petri uſque ad annum 1378. quo Romæ obiit, Avenione relicta.

XXXII. Radulfus II. de Auroſa, *d'Aurouſe*, vel *de Rochefort*, ad ſummum pontificatum tranſlato Petro Rogerio, præpoſitus Brivatenſis renuntiatus eſt, eoque nomine in urbe exceptus anno 1371. die Mercurii ante feſtum S. Margaritæ. Hominium Guillelmi Vigier domini de *Vernaſſal* excepit coram Aymerico notario die Martis ante feſtum S. Hilarii anno 1377. Extremus ejus dies ignoratur.

XXXIII. Nicolaus S. R. E. presbyter cardinalis tituli S. Martini in montibus, præpoſituram Brivatenſem, quæ diu vacaverat, adeptus eſt ſummi pontificis bulla anno 1380.

XXXIV. Armandus de Langiaco, *de Langeac*, poſt obitum Nicolai anno 1383. menſe Aprili.

XXXV. Draco Bompar, ſeu de Laſtic, ex titulo dato, an. 1385.

XXXVI. Johannes Talapani, & Talpain, fidem de ſervandis conſuetudinibus eccleſiæ per procuratorem ſuum præſtitit, & realem poſſeſſionem adeptus eſt die VIII. Aprilis anno Dom. Incarnationis 1388. indict. XI. pontificatus Clementis papæ VII. anno X. Liti finem impoſuit compoſitione inita cum capitulo die XX. Septembris anno 1400. Elapſis ſex annis a Carolo rege tranſigendi cum eodem capitulo licentiam obtinuit die Junii XX. anno 1405. quæ quidem licentia felicem habuit exitum anno 1417. die Jovis quæ fuit XVII. menſis Junii, agente domino Helia Anicienſi epiſcopo comite Vallaviæ. Nominatur in Caſæ-Dei inſtrumento an. 1417. Superſtes erat & præpoſitus an. 1420.

XXXVII. Poncius de Langiaco frater Johannis domini de Langeac & de Braſſac regi chriſtianiſſimo Carolo VII. a cubiculis, notus ex triplici tranſactione quarum prima inita eſt anno 1426. altera an. 1435. tertia vero die X. Julii anno ſalutis 1438. confirmata deinceps auctoritate concilii Baſileenſis ab Amedæo archiepiſcopo & comite Lugdunenſi commiſſario a ſacroſancta ſynodo deputato Baſileæ anno a Nativitate Domini 1449. indict. II. die Veneris VIII. menſis Maii, pontificatus Eugenii papæ IV. anno IX.

XXXVIII. Antonius I. de Langiaco hujus nominis I. Johannis domini de Langeac Arvernorum ſeneſcalli filius, præpoſituram occupavit poſt obitum Poncii uſque ad annum 1480.

XXXIX. Antonius II. de Langiaco dominus de Bonnebault, abbas Claromontenſis, archidiaconuſque Rothomagenſis, & S. Sedis apoſtolicæ protonotarius, ab anno 1480. uſque ad annum 1515. Baſilicam S. Juliani ſuis ſumtibus decoravit, xenodochiumque conſtruxit in ſuburbio Brivatenſi in honore B. Mariæ Virginis. Ejus elogium in lapide quadrato inſculptum legitur juxta Brivat. eccleſiæ januam, a S. Bartholomæo nomen ſortitam.

XL. Antonius III. de Rupe-forti, *de Rochefort Dally*, apoſtolicus protonotarius, Johannis Tullenſis epiſcopi patruus, Antonio de Langeac ſubrogatus eſt circa annum 1515. Diem clauſit ultimum anno ſalutis 1530. die XVII. menſis Januarii.

XLI. Johannes II. de Langiaco Triſtani domini de Langiaco filius ex Anna d'Alegre. Cum jam eſſet Abrincenſis epiſcopus, conſiliarius & magiſter libellorum ſupplicum, abbaſque Piperacenſis, viginti trium canonicorum Brivatenſium voto electus fuit ejuſdem eccleſiæ præpoſitus anno Dom. 1530. die quarta menſis Aprilis : eodem die & anno coram iiſdem notariis eodemque in loco capitulari, viginti ſeptem alii canonici elegerunt R. in Chriſto patrem dominum Hectorem de Rochefort Dally epiſcopum Tullenſem cancellarium ducis Lotharingiæ ; unde orta eſt lis inter prædictos præſules, quæ tandem ſopita eſt ceſſione voluntaria Tullenſis epiſcopi.

XLII. Ludovicus Chabanier Regi a conſiliis & in parlamento Pariſienſi ſenator, præpoſituram Brivatenſem obtinebat an. 1553. & 1555. Præpoſitatus jurium defenſor acerrimus exſtitit. Fato functus erat anno 1557. menſe Septembri.

XLIII. Theobaldus Boutin, ſenator Pariſienſis, ex ceſſione prædicti Ludovici Chabanier. Majorum nobilitatis, tum ex inſtrumentis in medium prolatis, tum ex teſtimonio militum fide dignorum, teſtimonia edidit ſecundum perantiquos Brivatenſis eccleſiæ uſus, die XXIII. menſis Auguſti an. 1557. ſeditque uſque ad annum 1571.

XLIV. Franciſcus de la Gueſle archiepiſcopus Turonenſis, ſplendido ortus genere, ex quo prodiere nonnulli ſenatus Pariſienſis infulati præſides, præpoſitus ab an. 1571. ad 1614. quo *V. Savaron orig. Clar. pag. 315*

Digitized by Google

vivendi finem fecit. Hujus præpoſiti tempore, A anno ſcilicet 1598. die vigeſima quarta menſis Aprilis Johannes de Ludeſſe comes Brivatenſis, prior Pontis-de-la-Bajaſſe, eoque nomine primus S. Juliani chorarius, ceterique ejuſdem eccleſiæ chorarii, univerſa ſcholæ bona capitulo conceſſerunt, retenta unicuique presbytero chorario eorumque ſucceſſoribus dimidia parte præbendæ canonicalis; ex qua conceſſione non mediocriter ditatum eſt capitulum. Sub eodem præpoſito eccleſia S. Ferreoli conceſſa eſt patribus Minimis capituli munificentia, conſtructumque fuit monaſterium opimoque donatum prædio die decima quarta Junii anno 1608. Gymnaſium in quo juven- B tus litteris operam navaret, comitum & civium liberalitate fundatum fuerat anno 1584. ejuſdem Franciſci tempore.

XLV. Marcus de Beſſe ex nobili apud Arvernos proſapia, electus anno 1614. die III. Novembris, eccleſiaſticæ diſciplinæ cupidus multa præſtitit utilia urbi & capitulo. Capucinis locum ad ædificandum monaſterium ex proprio præpoſituræ patrimonio conceſſit anno 1619. die VI. Junii. Ab anno 1627. uſque ad annum 1633. ipſe & Hugo de Colonges decanus Brivatenſis litem habuere cum capitulo, non ad deſtructionem ſed ad ædificationem, quæ com- C poſita eſt die XVIII. Junii ſolemni Pariſienſis ſenatus edicto, quo vindicata fuere dignitatum in canonicos & comites jura, quæ jam a longo tempore præpoſitorum & decanorum oſcitantia penitus deperdita fuerant. Non minus acrem ſe præſtitit adverſus nobiles qui præpoſituræ dominia aut invadere, aut imminuere conabantur. Animam Creatori reddidit anno 1643.

XLVI. Franciſcus de la Chaſſaigne ex nobili genere dominorum de Sereys, filius ſcilicet Jacobi de la Chaſſaigne & Catharinæ de Faugieres, præ- poſituram conſecutus eſt anno 1643. Ad ejus D & totius capituli preces Henricus de Maupas du Tour epiſcopus Anicienſis primuſque Brivatenſis eccleſiæ canonicus comes, eccleſiam monialium congregationis B. Virginis recéns in urbe Brivata conſtructam, Deo conſecravit ſub titulo & ad honorem B. Mariæ Annuntiatæ die XIII. Junii an. 1647. Sacramentum confirmationis populo, ſacroſque ordines clero contulit de conſenſu & licentia prædicti Brivatenſis capituli feria V. & Sabbato quatuor temporum Pentecoſtes ejuſdem anni. Obiit Franciſcus die 11. Octobris anno 1653.

XLVII. Hugo III. de Colonges in ſacra facul- E tate Pariſienſi doctor theologus, ex antiqua ducatus Burgundiæ familia originem ducebat: patrem habuit Stephanum dom. de Preſſis & de Cutini, matrem Mariam d'Auvert, patruum vero Antonium de Colonges Brivatenſem decanum: ipſe decanatum obtinuit ab anno 1621. uſque ad an. 1642. Præpoſituram conſecutus eſt an. 1653. die III. menſis Octobris; Pariſienſis parlamenti edictum obtinuit die XIX. Aprilis an. 1655. contra Johannem de la Chaſſaigne qui ſe ad eandem præpoſituram canonice promotum fuiſſe contendebat. Die Jovis XXII. Decembris anno Dom. 1661. fidem clientelarem, in capitulo Brivatenſi, juravit & promiſit chriſtianiſſimo regi Ludovico XIV. in manibus vicecomitis de Beaune Regis præfecti apud Arvernos, hominiumque præſtitit capituli nomine pro comitatu Brivatenſi, baronia S. Germani, comitatu Bellimontis & toparchia Faveirolanenſi. Tempore hujus præpoſiti moniales Viſitationis B. Mariæ a Claudio Ivone d'Alegre fundatæ, die XIX. Septembris an. 1659. Brivatæ capituli auctoritate recipiuntur. Cum eſſet Hugo de Colonges facultatis theologicæ decanus in Univerſitate Pariſina, ſummaque in ſenectute poſitus, libere dignitatem dimiſit Hugoni IV. ex fratre nepoti ſuo, anno Incarnat. Dom. 1660. nonis Decembris, quam tamen non amiſit ante annum 1664. Obiit an. 1666.

XLVIII. Hugo IV. de Colonges præcedentis ex fratre nepos, cum patruo contendit annos circiter quatuor, quibus elapſis pacificam adeptus eſt poſſeſſionem die XVIII. Novembris anno 1664. Diuturnam cum capitulo controverſiam habuit, quæ tandem ſopita eſt mediante Johanne Bapt. des Mareſt de Vaubourg barone de Cramaille, tunc libellorum ſupplicum magiſtro & ſummus rei æra- riæ, & judiciariæ in Arvernia præfectus, nunc vero comite conſiſtoriano, die 11. Decembris an. 1689. amicabili quidem compoſitione, quam ratam habuit Rex chriſtianiſſimus ſupremi conſilii decreto dato in regia Verſallienſi die XIII. Februarii ſequentis anni. Fidelitatis ſacramentum excepit a Claudio de Breſſon milite dom. de la Roque Poliac, Balzac & S. Heram pro caſtris de Balzac, Riomarte & territorio de Combadime die tertia Decemb. an. 1700. Obiit die XIII. Maii, an. 1713. relicta præpoſitura Hugoni Franciſco qui ſequitur. Corpora SS. martyrum Juliani & Ilpidii, Arconciique confeſſoris, quæ in ſepulcro marmoreo diu condita fuerant, in thecis deauratis ſeorſim incluſit, & ſuper altare S. Juliano dicatum collocavit, ſacellaque S. Sacramenti, S. crucis & incliti martyris Juliani magno apparatu decoravit, & ſacram eccleſiæ ſuppellectilem nobili, fere dicam regia, auxit munificentia.

XLIX. Hugo Franciſcus de Colonges licentiatus theologus in academia Pariſienſi, prior S. Johannis de Lachamp, ex Hugone domino de Preſly & Nicolaa de la Souche natus; canonicatum-comitatum ſeu præbendam nobilem in eccleſia Brivatenſi adeptus eſt anno 1692. præpoſituram vero ex ceſſione Hugonis IV. ejus patrui auſpicatus eſt ſummi pontificis bulla data Romæ apud ſanctam Mariam-Majorem idibus Septembris anno Incarnationis Dominicæ 1707. reali tamen poſſeſſione non eſt donatus ante annum 1709. & diem XXV. menſis Octobris; debitum naturæ exſolvit die XVII. Martii an. 1715. ætatis ſuæ trigeſimo quarto; ſepultuſque fuit in eccleſia parochiali loci de Preſly in comitatu Matiſconenſi.

L. Carolus-Auguſtus de la Garde de Chambonas in ſacra facultate Pariſienſi baccalaureus theologus, prior S. Stephani du Vigam & loci de Chambonas, ex canonico & archidiacono necnon vicario generali Vivarienſi, creatus eſt Brivatenſis eccleſiæ præpoſitus bulla Romæ data apud ſanctam Mariam-Majorem

Digitized by Google

Majorem pridie id. Martii an. Dom. Incarnationis 1714. poſſeſſionem adeptus eſt anno 1716. die 18. Septembris, ſacramentum præſtitit capitulo die XXV. ejuſdem menſis. Patruum habuit Carolum Antonium de la Garde de Chambonas epiſcopum Vivarienſem, patrem Carolum dominum de S. Thomé & de Cornillon, matrem adhuc ſuperſtitem Mariam Victoriam de Rochefort d'Ally ex ſtirpe dominorum de S. Poingt.

BRIVATENS. DECANORUM SERIES.

I. ANASTASIUS decanus Brivatenſis innoteſcit ex inſtrumento 374. MS. libri de honoribus S. Juliani, anno XX. Pipini II. Aquitanorum regis; & in charta donationis Octomari presbyteri, data menſe Octob. an. XXII. Caroli Francorum & Aquitanorum regis.

II. Heldefredus, ſive Helfredus an. II. Ludovici regis menſe Aprili, tempore Frotarii archiepiſcopi, & abbatis S. Juliani, ratam habuit donationem Hucberti presbyteri quæ exſtat in chart. Brivatenſi num. 345. Permutationem fecit cum Aſtorgio menſe Septembri an. III. Caroli-Craſſi. Ex charta 350. ejuſdem MS. conſtitutus fuit præpoſitus poſt Caſtellanum.

III. Teraldus I. nominatur in charta 284. MS. libri de hon. S. Jul. collatis, data menſe Septembri anno 1. Odonis regis, tempore Frotarii Bituricenſis archiepiſcopi, qui tum erat abbas S. Juliani, & Heldefredi Brivatenſis præpoſiti.

IV. Bernardus decanatum Brivatenſem occupabat anno III. regnante Odone menſe Junio, & anno IV. ejuſdem Regis menſe Auguſto. Aſſenſum præbuit donationi Geraldi cujuſdam, qui manſos duos in comitatu Brivatenſi in loco vocato vulgariter *Fontenago* conceſſit canonicis S. Juliani, regnante Odone Francorum & Aquitanorum rege, anno 8. menſe Septembri.

V. Nectardus, *al.* Nectarius [a] ab Adalardo Arvernorum epiſcopo petiit ut ſibi, Heldefredo præpoſito & ceteris canonicis *qui ſub utriuſque ditione Deo ſanctoque Juliano famulabantur*, liceret eccleſiam conſtruere *in proprio S. Juliani fundo, in loco cui vocabulum Blanedas in aïce Nonatenſi & in comitatu Brivatenſi*: annuit petitioni præſul, conſtructamque eccleſiam in honore SS. Juliani & Privati martyrum conſecravit, an. Dominicæ Incarnationis 905. ind. VIII. regante Carolo anno XI. menſe Decembri. Chartam habes inter inſtrumenta. Decani autem nomine inſignitus reperitur ab anno primo, ad annum XXIII. Caroli Simplicis, in inſtrumentis 87. 232. 239. 277. 338. 387. 396. 415. & 431. Brivat. chartul.

C. III. col. 130.

VI. Cunabertus I. decanus Brivatenſis ſubſcripſit fundationi monaſterii Celſinienſis *anno 11. quo infideles Franci regem ſuum Carolum inhoneſtaverunt, & Rodulfum in principem elegerunt*, id eſt anno ſalutis 924. An. IV. ejuſdem Radulfi regis menſe Octobri, ratam habuit donationem Acfredi comitis & abbatis S. Juliani, qui Brivatenſibus conceſſit locum vulgariter vocatum *Braſſac*; quod ex charta 420. Brivat. chartul. hauſimus; anno proxime ſequenti ad præpoſituram ejuſdem eccleſiæ evectus eſt.

VII. Hector, ſeu Iſtor, vel Hictor, decanatum adeptus eſt Cunaberto ad præpoſituram tranſlato; reperitur in inſtrumentis MS. libri de honor. S. Jul. coll. annis VI. X. & XII. Radulfi regis, item annis I. II. V. VII. VIII. IX. X. & XI. Ludovici Ultramarini.

VIII. Gobfaldus, Golfaldus, *al.* Vulfaldus, decanatum obtinebat menſe Maio, anno VI. regnante Ludovico IV. Ultramarino, Dalmatio (II.) abbate, Joſepho præpoſito. Item an. XVI. regnante eodem Ludovico quarto Ultramarino menſe Maio, quo ab Amblardo donum excepit, Brivatenſis eccleſiæ nomine.

IX. Cunabertus II. conſenſum præbuit donationi Gilbergæ, quæ dedit canonicis S. Juliani quidquid habebat in comitatu Brivatenſi, in vicaria de Orato in loco vulgariter vocato *le Vilars*, an. XX. regnante Ludovico, menſe Auguſto. Memoratur etiam in chartis 63. & 270. Brivat. chartularii datis anno 3. Lotharii, menſibus Maio & Novembri tempore Dalmatii abbatis, Robertique præpoſiti. Item menſe Octob. anno IV. regnante Lothario. Item anno ſexto regnante eodem Lothario, menſe Maio.

X. Ermengaldus decanus Brivat. menſe Febr. anno VII. regn. Lothario, Guillelmo comite, Dalmatio abbate, Roberto præpoſito.

XI. Berengaudus, *al.* Beringaudus, decanus Guillelmo comite, Dalmatio abbate, Roberto præp. anno VIII. * regnante Lothario. * *forte* VII.

XII. Armandus anno VII. Lotharii regis menſe Februario, ex charta 272. Brivat. chartularii. Ejuſdem meminere inſtrumenta 158. 243. 245. 265. & 301. MS. lib. de hon. S. Juliano collatis, data annis VIII. IX. XI XV. & XVI. regnante eodem Lothario.

XIII. Euſtorgius, vel Uſtorgius decanatum Brivatenſem adeptus eſt circa annum 971. interfuit enim duplici donationi factæ canonicis S. Juliani anno 16. Lotharii regis, menſibus Junio & Octobri, Willelmo comite, Dalmatio abbate, Robertoque præpoſito. Quo tempore fato functus fuerit, quemve ſucceſſorem habuerit nobis non eſt compertum.

XIV. Rutardus decanus Euſtorgio præpoſito nominatur in charta Edrenardi apud Sariacum menſe Februario abſque alia temporis nota.

XV. Beraldus cui ſucceſſerit incertum, nulla enim in chartis exſtat mentio decanorum Brivatenſium ab anno 971. uſque ad tempora Roberti Hugonis Capeti filii. Decani titulo inſignitus reperitur in inſtrumento 94. chartul. Brivatenſis dato menſe Novembri, regnante Roberto rege, tempore Willelmi comitis, Arculfi abbatis, Gerardique præpoſiti; & in donatione loci de *Luziac*, facta canonicis S. Juliani anno 15. ejuſdem regis, menſe Februario, cujus notitia exſtat in prædicto chartulario num. 430. Memoratur etiam in charta Poncii Gabalorum & Forenſium comitis, qui villam de *Faveirolle* S. Juliano conceſſit anno XX.

[a] Anterius decanus erat Dalmatio abbate & rectore, ac Cunaberto præpoſito, abſque alia temporis nota; forſan idem cum Nectario, vel Nectardo.

Digitized by Google

Roberti regis, menſe Februario : item in inſtru- A mento reſtitutionis ejuſdem Faveirolanenſis villæ, quam Poncius nepos Gabalorum comitis *injuſte retinuerat poſt mortem ejus avunculi.*

XVI. Eraldus abbatis decanique Brivatenſis nomine cohoneſtatus reperitur in inſtrumento 424. chartularii ejuſdem eccleſiæ, chronicis carente notis.

XVII. Stephanus epiſcopus eccleſiam S. Benedicto dicatam in loco *Muſearda* dono excepit, Brivatenſis capituli nomine, regnante Henrico rege menſe Februario, ex inſtrumento abſque anni nota, in MS. libro de hon. S. Jul. collatis, ordine 428. Cujus autem ſedis epiſcopus fuerit Stepha- B nus noſter ambigimus ; is eſt fortaſſe Stephanus de Podemniaco qui Claromontenſem epiſcopatum his temporibus occupabat, qui poſtea præpoſituram Brivatenſem adeptus eſt.

XVIII. Petrus I. epiſcopus, Brivatenſiſque decanus aderat cum Leodegarius Viennenſis antiſtes Petrum S. Juliani Brivatenſis alumnum conſtituit præpoſitum cœnobii in honore SS. Ferreoli & Juliani conſtructi, apud Viennenſes, an. Dom. 1066. Hujus autem decani nihil præterea habemus. Cui eccleſiæ præſulis nomine præfuerit, nobis plane ignotum eſt.

XIX. Odilo I. de Mercorio, nepos S. Odilonis, C decanatum Brivatenſem obtinebat undecimo exeunte ſeculo, & duodecimo ineunte : inter ipſum & Willelmum de Podemniaco præpoſitum, B. de Alzone abbatem, univerſumque eccleſiæ S. Juliani conventum facta eſt concordia pro villis de *Cultinas* & *de Moret*, anno 1100. ante refectorium, cujus ſanctionis exemplar habes in catalogo Brivatenſium abbatum. Ad præpoſituram traductus fuit poſt obitum Willelmi de Podemniaco.

XX. Stephanus II. nobis non innoteſcit ante annum 1136. quo tractante pax ſtabilita eſt inter capitulum Brivat. & comitem Robertum, Luna v. feria v. regnante Ludovico rege. Confirmata D fuit ſubſcriptionibus Petri ſacroſanctæ Romanæ ſedis legati, Lugdunenſis archiepiſcopi, Alberici Bituricenſium præſulis, Odilonis præpoſiti, Stephani decani, &c. Nondum ex chartis, quæ in occulto latitant, licuit eruere nomina & geſta eorum, qui Stephanum inter & Odilonem de Mercorio hujus nominis ſecundum, Brivatenſem adepti ſunt decanatum, duobus exceptis qui ſequuntur, & quos eruit noſter D. Jacobus Boyer.

XXI. Odilo II. decanus anno 1190.

XXII. Pontius I. de Chalancon decanus Brivat. 1235.

XXIII. Odilo III. de Mercorio, *de Mercœur*, E decanus an. 1244. ind. II. quo cum Willelmo de Turre præpoſito & ceteris Brivatenſ. canonicis, dedit ex cauſa mutui Roberto comiti Claromonſi ſexdecim millia ſolidorum monetæ Claromontenſis die Lunæ ante feſtum S. Martini hyemalis. Ab Innocentio IV. renuntiatus eſt Mimatenſis epiſcopus ante annum 1250. Iiſdem Brivatenſibus canonicis anno 1256. conceſſit eccleſiam virginis Dei-paræ juxta decanatus ædes ſitam, quæ decanis ab antiquo ſubjecta fuerat. Anno 1258. menſe Februario tranſegit ſuo & ſucceſſorum decanorum nomine cum Fulcone præpoſito & univerſo Brivatenſi capitulo, pro villis de Coltinis & de Moret. Charta compoſitionis hujus, quam habes inter inſtrumenta, munita eſt Odilonis ſigillo in quo videtur ex una parte effigies leonis transeuntis *un lion paſſant*, & legitur : S. O. DE MERCORIO DECAN. BRIVATEN. ex altera ſcutum quoddam gentilitium * cum hac inſcriptione : SIGILLUM SECRETUM. Obiit an. 1273. C. XIV. col. 141. * *palé de 4. pieces de gueules.*

XXIV. Odilo IV. cujus meminimus in catalogo præpoſitorum, præcedentis nepos. Johanni de Baſſia præceptori Frotgeriarum, *de Frugieres*, ordinis S. Antonii conceſſit *in perpetuam emphyteoſim, ſeu pageſiam, territorium vulgariter vocatum Porchareſſa*, ſub annuo cenſu viginti quinque ſexteriorum frumenti, &c. ſibi ſuiſve ſucceſſoribus decanis Brivatæ exſolvendo ſingulis annis, conſentiente Odilone permiſſione divina Gabalorum epiſcopo, olim decano Brivatenſi, ejus patruo, menſe Junio anno Dom. 1272. Vide inſtru- C. XV. col. 143 menta. Elapſis annis quinque decanatu relicto, ad præpoſituram tranſiit.

XXV. Iterius de Rupeforti, *de Rochefort*, decanus jam anno 1275. Anno 1277. conceſſit capitulo mediam partem cujuſdam argenti ſodinæ in toparchia decanatus inventæ, in territorio de *Chaſelles*. Compoſitionis actum edidimus inter C. XVI. inſtrumenta. Obiit IV. calendas Auguſti an. 1278. col. 144.

XXVI. Gaucelinus de Garda ex forisdecano Brivatenſi electus eſt ejuſdem eccleſiæ decanus poſt obitum J. de Rupeforti. Anno 1281. caſtra de Cultinis & de Moret, decanatus ædes & varia minoris momenti dominia recuperavit vi cujuſdam tranſactionis initæ anno prædicto die X. calend. Martii. Memoratur etiam in inſtrumento compoſitionis factæ anno ſequenti die Mercurii poſt feſtum S. Nicolai hyemalis, inter ipſum & Bernardum de Charbonnieres, ratione cenſus quem dictus de Charbonnieres percipiebat in villa de Moret. Vacante Gabalorum ſede, cum de novo præſule eligendo diu inter ſe decertaſſent Mimatenſes canonici, jus providendi tranſtulerunt per viam compromiſſi in Gaucelinum noſtrum, & in tres alios viros eccleſiaſticis dignitatibus ſpectatiſſimos, qui anno 1286. vacantes Mimatenſis cathedræ infulas detulerunt Guillelmo Duranti viro de republica litteraria benemerito. An. demum 1291. canonicis Brivatenſibus conceſſit ex proprio decanatus patrimonio decimam de Buſſet cum quibuſdam aliis in charta deſuper confecta relatis. Hunc tandem conſtitutum fuiſſe Magalonenſis eccleſiæ epiſcopum diſcimus ex necrologio Brivatenſi in quo ſic legitur ad IV. idus Februarii : *obiit dominus Gaucelinus de Gardia qui fuit epiſcopus Magalonenſis.*

XXVII. Guillelmus Delfini, patruus Hugonis primi Brivat. præpoſiti, filius Roberti ſecundi Arvernorum delfini comitiſque Claromontenſis, Gaucelino de Garda ſubrogatus eſt anno 1291. quo aſſenſum præbuit una cum fratre ſuo Roberto III. Claromontenſi comite, compoſitioni initæ inter Hugonem Delfini ex una parte, & capitulum Brivatenſe ex altera.

Digitized by Google

XXVIII. Poncius II. de Podemniaco decanus donat Petro de Monte-acuto domum ſuam de *Corneille* nuncupatam, & alteram domum in qua degebat Aſtorgius de Monte-acuto abbas Secureti, in eccleſia Anicienſi. Actum die Lunæ ante feſtum S. Magdalenæ 1315. ex inſtrum. caſtri Montis-acuti; memoratur in chartis eccl. Claromont. & Caſa-Dei 1321. Idem recepit homagium ab Yſena de Tornello abbatiſſa Bellæ-cumbæ die Veneris 7. Januar. 1327. ex chart. caſtri de Volta Podemniaci. Obiit die vigeſima quarta Dec. an. 1335. poſt conditum teſtamentum, quo vectigal quoddam in loco de la Chaumette conceſſit canonicis S. Juliani; ſepultus fuit in baſilica Brivatenſi & in inferiore templi parte, ubi erectum cernitur marmoreum mauſolcum cum ejus effigie & brevi hoc epigrammate:

Hic jacet dominus Poncius de Pondompniaco bonæ memoriæ, condam decanus eccleſiæ Brivatenſis, qui obiit in vigilia Natalis Domini, anno Domini M. CCC. trigeſimo quinto.

XXIX. Poncius III. de Podemniaco dictus Poncettus, Armandi vicecomitis Podemniaci frater, nepoſque Poncii primi; Brivatenſis decani titulo inſignitus erat anno 1337. quod patet ex charta data eodem anno die 17. menſis Aprilis.

XXX. Petrus II. dictus Alamannus. Anno 1341. die Mercurii poſt feſtum Nativitatis S. Johannis Baptiſtæ hominium recepit Dalmatii Bordilhe pro decima territorii de *Pourchareſſe*. Anno ſequenti, pontificatus Clementis papæ VI. primo, die 22. Junii, Armandum de Rocha Brivatenſem canonicum adegit ad homagium ſibi præſtandum, ratione cujuſdam poſſeſſionis quam dictus Armandus habebat in territorio urbis Brivatæ. Eidem decano fidem clientelarem promiſit Guillelmus de Verduſone domicellus pro caſtro de Chabreuge, & juramentum fidelitatis fecit Avenioni die Jovis 11. menſis Aug. an. Dom. 1345.

XXXI. Poncius IV. de Rupeforti, ex nobili proſapia dominorum caſtri de Auroſa, *d'Aurouze*, notus ex duplici inſtrumento clientelari, quorum primum continet juramentum fidelitatis, quod excepit ab Jolanda de Ribas domicella, datum die Dominica poſt feſtum S. Fidis virginis an. Dom. 1365. alterum eſt homagium Imberti domini de Diena, *de Dienne*, anno 1370. die 26. Auguſti.

XXXII. Petrus III. ex familia baronum de Viſſac, Stephani Franciæ cancellarii filius: ſacramentum præſtitit capitulo die 17. Novemb. anno 1374. decanatum occupavit uſque ad an. 1382.

XXXIII. Amblardus de Murolio, cardinalis, hujus nominis ex fratre nepos, fidelitatem juravit in capitulo Brivatenſi die 6. Januarii anno 1383. dignitatem retinuit annos quadraginta ad minimum, memoratur enim non ſolum anno 1383. verum etiam annis 1392. 1397. 1410. & 1423. At cum totius eccleſiæ catholicæ negotiis occupatus apud ſummos pontifices, præſertim Johannem XXIII. & Martinum V. Romæ detineretur, ab eccleſia Brivatenſi multis annis abfuit; beneficum ſe tamen erga illam exhibuiſſe multa probant inſtrumenta; ſacellum S. Blaſii in ædibus decanorum olim fundatum nonnullis auxit reditibus.

XXXIV. Johannes de Monte-Morino, *de Montmorin*, epiſcopus Agathenſis, decanatum Brivatenſem obtinuit Romani pontificis bulla an. 1427. Litem compoſuit die Martis x. Junii an. 1438. inter capitulum Brivatenſe & Poncium de Langiaco præpoſitum motam, pro juris dicendi honore in urbe Brivatenſi, quem pars utraque ſibi vindicabat. Arbitralis ſententia a Baſileenſi ſynodo confirmata fuit. Supremam ejus diem ignoramus, quia & noſtris, imo & ſuis chartas capituli perluſtrare canonici minime permiſerunt.

XXXV. Ludovicus Comptour, nobilis Arvernus ex ſtirpe dominorum de Apchone, *d'Apchon*, Johanni de Monte-Morino ſucceſſit: quo tempore, hæremus anxii. Certe decanus erat an. 1461. die 17. Junii quo Hugonem quemdam presbyterum inſtituit vicarium perpetuum ſacelli in honore S. Blaſii fundati in ædibus decanatus ſui. Anno 1467. die ſecunda Januarii de præbenda decanatui debita, & a canonicis per fas & nefas detenta, apud Regem movit querelam, quæ per arbitros compoſita eſt die 23. Nov. anno 1471. Senio confectus obiit Brivatæ anno 1479. corpus ſuum ſepeliri nudum voluit juxta altare S. cruci dicatum.

XXXVI. Geraldus Comptour d'Apchon, licentiatus in decretis, libellorum ſupplicum hoſpitii Regis magiſter, Ludovico ſucceſſor datus eſt anno 1475. Memoratur in charta data die 23. Octobris anno 1487. & in alia anni 1488. qua parochiali eccleſiæ S. Geneſii Brivatenſis rectorem dedit Johannem Albe presbyterum, die 28. Sept. Ejus tempore orta in capitulo graviſſima tempeſtas. Canonici obtenta ab Alexandro VI. bulla 13. cal. Jun. an. 1497. præpoſituram & decanatum abrogare tentarunt; ſed incaſſum, abrogationem enim prohibuit ſenatus Pariſienſis; & ne quid ſimile moliri auderent in poſterum canonici, ſolemni placito cautum eſt an. 1500. quo, nepoti ſuo dignitatem ſuam ceſſit Geraldus.

XXXVII. Johannes Comptour d'Apchon ex canonico Brivatenſi decanus renuntiatus, fidem de ſervandis ſtatutis & conſuetudinibus eccleſiæ juravit die 9. Novembris an. 1500. Hominium recepit Gabrielis de Stagno, *d'Eſtaing*, baronis de Murolio, Chambon, Beal & Varenne, pro cenſu quem habebat in locis de Moret & de Nuis, per Claudium de Combette procuratorem, die 6. Maii an. Domini 1509. Memoratur etiam ann. 1533. 1541. & 1543. menſe Novembri.

XXXVIII. Bertrandus Pons decanus anno 1544. Non diu rexit, elapſo enim quadriennio dignitatem & vitam amiſit.

XXXIX. Jacobus de Monte-Morino, dictus de S. Herem, decanus eligitur poſt obitum Bertrandi die 12. Junii anno 1547.

XL. Antonius de Frigida-villa, *de Fredeville*, decanatum adeptus eſt die 9. Junii anno 1552. Ejus arbitrio ſedata eſt controverſia inter canonicos comites & Ludovicum Chabanier præpoſitum Brivatenſis eccleſiæ anno 1555. Vixit uſque ad annum 1581. Fuit etiam canonicus Claromont.

XLI. Aymarius de Chavagnac, nobili & antiquiſſima inter Arvernos gente natus, decanus conſtituitur die 5. Julii anno Dom. 1581. ſa-

Digitized by Google

cramentum præſtitit capitulo & poſſeſſionem nactus eſt die 7. ejuſdem menſis & anni. Rector erat parochialis eccleſiæ S. Sulpicii in ſuburbio Pariſienſi die 7. Maii an. 1595. Eleemoſynarius & concionator regius nominatur in ſententia curiæ libellorum ſupplicum palatii, data die 14. Maii an. 1600. Decanatum retinuit uſque ad an. 1601.

XLII. Franciſcus de Monte-buxerio, *de Montboiſſier*, dictus de Beaufort de Canillac, decanus & comes Brivatenſis eligitur, & Aymario de Chavagnac ſubrogatur an. 1601. die 5. Aug. Dignitatem remiſit capitulo die 30. Aprilis an. Dom. 1605.

XLIII. Johannes III. de Ludeſſe, presbyter baccalaureus theologus, ſplendidiſſimo loco natus, ad vacantem Brivatenſis eccleſiæ decanatum advocatur die 2. Maii an. 1605. mox eod. die poſſeſſionem adit; fato functus eſt die 10. Febr. an. 1609.

XLIV. Antonius II. de Colonges, nobilis Burgundus, decanus eligitur anno 1609. die 11. Februarii. Ceſſit in gratiam Hugonis de Colonges die Auguſti 7. anno 1618. titulum nihilominus & dignitatem retinuit uſque ad an. 1621.

XLV. Hugo de Colonges præcedentis nepos, ad decanatum regendum accitus eſt pontificali bulla data Romæ VII. id. Auguſti anno 1618. Poſſeſſionem apprehendit die 27. Julii an. 1621. Jura dignitatum ut in temporalibus, ita in ſpiritualibus reſtauravit, fretus ſupremæ curiæ Pariſ. ſenatuſconſultis datis an. 1626. die 23. Aprilis, & die 18. Junii 1633. chartas pleraſque & ablata recuperavit bona. Anno 1641. gravi correptus morbo & morti proximus, decanatum dimiſit Gabriëli de Vergezat. Die 30. Junii pro mortuo habitus, cum jam funebri compoſitus feretro, tumulo mandandus eſſet, repente, ut ita dicam, reviviſcere cœpit, elapſoque brevi dierum curriculo ſanitati reſtitutus fuit; recuperatæ valetudinis cauſa gratias egit Deo ſanctoque Juliano, & beneficii memor anno 1642. penſile anathema erexit juxta ſepulchrum inclyti martyris. Decanatu itaque ſpoliatus, ab anno 1642. inter comites Brivatenſes verſatus eſt uſque ad annum 1653. quo ad præpoſituram evectus fuit.

XLVI. Gabriel de Vergezat, poſſeſſionem adiit die Sabbati 29. Junii an. 1641. Tranſegit cum Hugone de Colonges die 27. Nov. ejuſdem anni; rurſumque poſſeſſionem apprehendit apoſtolica fretus bulla die Jovis decima Aprilis anno 1642.

XLVII. Franciſcus II. de Vergezat, Gabriëlis patrui ſui ceſſione decanatum occupavit, eumdemque regebat annis 1646. & 1652.

XLVIII. Ludovicus de Chavagnac, dominus de Meyronne decanatum Brivatenſem adeptus eſt anno 1655. retinuitque uſque ad annum 1682. quo obiit die 9. Martii.

XLIX. Nicolaus de Bragelongne baccalaureus theologus in univerſitate Pariſienſi, Regi a conſiliis & eleemoſynis, honoris ſcilicet gratia, prior B. Mariæ de Leſignaco, *Luzignan*, patrem habuit Thomam dominum d'Enjenville in parlamento Pariſienſi præſidem, ſupremi deinde ſenatus Metenſis principem, comitemque conſiſtorianum; matrem Mariam Marleam, *de Marle*, quæ inter avos numerabat Henricum Marleum dominum de Verſigni ſenatus Pariſienſis principem regnique cancellarium. Porro Nicolaus ex canonico comite Brivatenſis eccleſiæ, ad vacantem decanatus ejuſdem eccleſiæ honorem, communi totius capituli conſenſu aſſumitur die x. Martii, an. 1682. poſſeſſionem adeptus eſt per procuratorem die 8. menſis Aprilis ſubſequentis, ſacramentumque præſtitit capitulo die 20. Auguſti ejuſdem anni. Obiit die 16. Septembris anno 1713.

L. Bernardus Chriſtophorus de Bragelongne, Chriſtophori-Franciſci domini d'Enjenville, in primaria Pariſienſis parlamenti camera ſenatoris filius, ex Carola Pinette de Charmois, doctor utriuſque juris in academia Pariſienſi, &c. decanatum Brivatenſem obtinet hoc anno 1716. vir ſane eruditus & in hiſtoria verſatiſſimus communicavit nobis, quem ipſemet contexuit catalogum abbatum, præpoſitorum, ac decanorum eccleſiæ ſuæ, ex quo noſtrum confecimus, nonnullis additis aut mutatis.

LIZINIACENSE S. GERMANI

IN AMBRONIO MONASTERIOLUM

ad eccleſiam S. Juliani Brivatenſis pertinens.

LIZINIACENSE in Ambronio, *Lambron*, monaſteriolum Stephanus Arvernorum epiſcopus, ſub titulo S. Germani Altiſſiodorenſis conſtruxit anno circiter 945. ibique inſtituit 12. monachos cum abbate, ea lege ut S. Juliano, Brivatenſi ſcilicet, ſubjecti eſſent. Primum abbatem fuiſſe Robertum, qui Cantogilenſi quoque monaſterio præerat, docet noſter D. Claud. Eſtiennot, in antiquit. Benedict. diœceſis S. Flori. Stephani litteras ea de re datas 9. cal. Octobr. anno 10. regnante Ludovico rege Francorum, Aquitaniamque regente, legeſis tom. XI. Spicil. Acheriani. Vide & Mabillon. ad an. 945. n. 79. & quæ ad emendandum hunc locum exſtant tom. IV. Annal. p. 852. Vide etiam tom. XI. Spicil. p. 285. & ſeqq. Nonnullos hic alios referemus abbates.

Odalricus Sangermanenſis abbas vendidit canonicis Brivatenſibus domum quam poſſidebat in urbe S. Germani prope eccleſiam, ex inſtrumento 424. libri de honoribus S. Juliani.

Bertrandus abbas S. Germani an. 1136. legitur in tabulario Cantogilenſi, poſt Odilonem præpoſitum, & Stephanum decanum.

Robertus de Corcellis regebat abbatiam S. Germani an. 1227. Eraldi de Monte-Celino hominium excepit an. 1242. menſe Decemb.

Guido frater Roberti comitis Arv. an. 1254. Eo ſedente, Brivatenſes canonici tandem effecerunt ut abbatialis titulus S. Germani abrogaretur an. 1256. & omnes reditus ad ſuam menſam revocarentur. Exindeque collegium illud Embronenſe conſtat ſacriſta duntaxat, parocho, ſeu vicario perpetuo, & x. ſacerdotibus beneficiatis qui chorarii nuncupati ſunt.

Digitized by Google

ECCLESIA LEMOVICENSIS.

AQUITANIÆ primæ civitas Lemovicum ad Vigennam fluvium, vulgo *la Vienne*, olim *Ratiaſtum* appellatam eſſe docet Hadrianus Valezius in notitia Galliarum, poſt Claudium Ptolemæum; plurimi vero Lemovicum Auguſtoritum vocant. Sed aliarum urbium more nomen gentis, cujus caput eſt, ſumſit; dictaque eſt a Lemovicibus, Lemovicæ, Lemovica, civitas Lemovica, urbs Lemovicina, uti legitur apud Gregorium Tur. Fredegarium & Fortunatum. pag. 267.

Porro Lemovices a Cæſare in commentariis recenſentur inter Galliæ potentiſſimos populos. Et quidem Vercingetorix Arvernus, poſt ſuam a Romanis defectionem, eos ſibi adjungere curavit cum Senonibus, Pariſiis, Pictonibus, Cadurcis, Turonis, Aulercis, Andis. Cumque Aleziam obſidione cinxiſſent Romani, ad eam urbem liberandam, Galliarum principes decem armatorum millia Lemovicibus imperarunt, quot Bellovacis Belgarum potentiſſimis; etſi Pictonibus octo tantum millia, Turonibus ſex, Mediomatricis, Nerviis, Morinis, &c. quina, & Atrebatibus quatuor duntaxat eſſent imperata. cap. 7.

Ex veteri notitia conſtat Lemovices Aquitaniæ, & quidem primæ, eſſe tribuendos; nam ſub Bituricenſi metropoli recenſentur. Inter plurimas Aquitaniæ civitates enumeratur ab Apollinari Sidonio civitas Lemovicum lib. 7. epiſtolarum ep. 6. *Burdegala*, inquit, *Petrocorii, Ruteni, Lemovices, Gabalitani ... multoque jam major numerus civitatum*, &c. Aquitanis quoque eos accenſent Julius Cæſar, Strabo & alii.

Lemovicum antiqua civitas amphitheatrum ſuum habuit, quod *Arenarum* nomine adhuc ſuperſtite ſignificabatur apud Gallos. In commemoratione abbatum Lemovicenſium legitur de Stephano ſeptimo abbate S. Martialis, qui florebat ineunte ſeculo x. *Turres in caſtello Martialis duas fecit, unam contra ſcutarios nomine Orgoletum, alteram contra Arenas nomine Fuſſiniam, præcipiente hoc rege Carolo minore, ad repellendum Guillelmum ducem A. Pictavinum comitem: & ex nomine ſuo ipſum caſtellum nominavit Stephanopolim.* Carolus minor hoc commemoratus loco, eſt Carolus Simplex. Una ex urbis parochiis olim erat eccleſia S. Mariæ *de Arenis*; adhucque ex portis Lemovicarum una *porta Arenarum* appellatur.

Regum Franciæ prioris dynaſtiæ temporibus, Lemovicis moneta cudi ſolebat, ut docet S. Audoënus l. 1. de vita S. Eligii; probantque nummi quidam veteres *Lemovicis*, vel *Lemovecas F.* inſcripti; nunc etiam ibi moneta percutitur. Urbs etiamnum eſt ampla, populoſa, dives opum commercio acquiſitarum, maxime imaginum encauſto pictarum. Publicis ædificiis præſertim ſacris ornata, ſcilicet eccleſiis & monaſteriis; ac inter colles vitiferos eſt ſita. Ibi eſt vectigalium tribunal, ſedes præſidialis a Burdigalenſi parlamento pendens, collegium quæſtorum Franciæ, cum rei tum ærariæ tum judiciariæ præfecto.

Quod ſpectat ad ſtatum eccleſiaſticum urbs eſt epiſcopalis ſub metropoli Biturigenſi. In eccleſia cathedrali ſub invocatione S. Stephani dicata tres ſunt dignitates: decani, cantoris & archidiaconi de Mala-morte, quæ pendent ab electione & collatione capituli pleno jure. Succentoris, qui debet eſſe canonicus, officium a cantore confertur. Sunt præterea 28. canonicatus, ſex præbendæ. Eadem in eccleſia miniſtrant 14. magni vicarii quorum unus eſt parochus eccleſiæ S. Johannis prope eccleſiam cathedralem, duo ſacriſtæ, major bedellus, cum aliis inferioris ordinis. Canonicatus & officia pertinent ad plenam collationem canonici in ſua hebdomada celebrantis. Diœceſis dividitur in 17. archipresbyteratus, qui continent eccleſias parochiales pluſquam ſexcentas. Archipresbyteratuum nomina ſunt:

1. De Combraille.
2. De Albuconio, *Aubuſſon.*
3. De Chiroſa, *Chirouſe.*
4. S. Exuperii, *Saint-Superi.*
5. De Gimello, *Gimel.*
6. De Brivaſaco, *Brivazac.*
7. De Briva, *Brive.*
8. Voſiarum, *Vigeois.*
9. De Luberſaco, *Luberſac.*
10. De Porcheria.
11. S. Pauli, *S. Paul.*
12. De la Meyſe.
13. De Nontronio, *Nontron.*
14. S. Juniani, *S. Junien.*
15. De Ranconio, *Rançon.*
16. De Benevento, *Benevent.*
17. De Anziſma.

Pagus Lemovicinus in ſuperiorem & inferiorem dividitur. In ſuperiori ſunt Lemovicæ, Albuconium, & omnes loci archipresbyteratibus inſignes ſuperius notati. In inferiori caput eſt Tutela, quæ urbs eſt epiſcopalis, de qua infra loquemur. In diœceſi Lemovicenſi plurimæ ſunt abbatiæ, quarum hiſtoriam texemus poſt accuratum, quantum licebit, epiſcoporum catalogum. De iis ante Sammarthanos ſcripſerat Johannes Corderius hujus eccleſiæ canonicus, vir antiquitatis eccleſiaſticæ peritus; cujus operi multa adjecerunt Sammarthani, ex variis inſtrumentis ſibi ſuppeditatis. Longe plura collegimus, ut quivis æquus lector judicabit, poſt perſpectam auctiorem hanc & quidem emendatiorem ſeriem.

Digitized by Google

EPISCOPI LEMOVICENSES.

I. S. MARTIALIS.

ANNI CHRISTI

SANCTUS MARTIALIS, quem plurimæ gentes Aquitaniæ ſuum contendunt apoſtolum fuiſſe, ſub Decio & Grato conſulibus, hoc eſt medio tertio Chriſti ſeculo, *Lemovicinis eſt deſtinatus epiſcopus*, inquit Greg. Turon. lib. 1. hiſt. c. 28. Contra hanc ſententiam pugnat vulgaris traditio, vel potius opinio popularis, ſecundum quam Martialis unus fuit ex Chriſti ſervatoris diſcipulis, S. Stephani primi martyris & S. Petri apoſtoli conſanguineus, qui eum juſſu Domini baptizavit, cum Marcello & Elizabeth parentibus. Is Petrum ſecutus, Antiochiam primum, deinde Romam venit; qua ex urbe miſſus eſt ab apoſtolorum principe in Gallias, cum ſociis Alpiniano & Auſtricliniano; quem in itinere mortuum, admoto S. Petri baculo ſuſcitavit. Lemovicum urbem ingreſſus, a Suſanna hoſpitio exceptus eſt, quam cum filia Valeria ſalutaribus aquis lavit. S. Valeriæ ſponſum Stephanum ducem ex hoſte Chriſti Chriſtianorumque inſecutore ferociſſimo ad Chriſtum convertit. Stephanus ille dux, uti legitur in S. Martialis actis, *principatum* tenebat *a fluvio Rhodani, uſque ad mare Oceanum, Vaſconum atque Gothorum gentem regendi habens poteſtatem uſque ad montes Pyrenæos*. Hac forſan ratione in concilio Lemovic. an. 1031. Stephanus hic Galliarum rex appellatur. Interea *a Nerone Stephanus cum exercitu evocatus, Romam pergit*, & S. Petrum adit, comitante omni exercitu. Petrus autem pro tanta hominum multitudine ad Deum converſa lætatus, ducentas auri libras quas a Nerone Stephanus acceperat ſibique offerebat, deferri ad Martialem juſſit, ut ex iis eccleſias ædificaret. Sic Stephanus cum exercitu Lemovicas rediit. Hæc & multa alia recenſens vir illuſtriſſimus Franciſcus Boſquetus, poſtea Monſpelienſis epiſcopus, pro fabellis habet, nec immerito. Itaque hic ſubſiſtendum, & rejectis ſpuriis illis actis, dicendum de S. Martiale, primo Lemovicum epiſcopo, nihil ad nos perveniſſe niſi ſolum nomen. Neque nobis objici poſſunt concilia, Bituricenſe ſcilicet & Lemovicenſe, celebrata an. 1031. in quibus aſſertus eſt S. Martialis apoſtolatus; nam in hujuſmodi actis nihil proprie definitum legimus; neque damnati fuerunt qui de hoc apoſtolatu contra ſentiebant. Alioquin ubi de hujuſmodi factis agitur, minime ligat concilii provincialis auctoritas.

Eccl. Gallic. hiſt. l. 1. c. 23.

Æque conficta ſunt duæ epiſtolæ quæ S. Martialis nomen præferunt ac ipſius acta, & ex eadem forſitan prodierunt officina: una ad Burdegalenſes, ad Toloſanos altera ſcripta legitur; eo vero tempore quo agitata eſt quæſtio de S. Martialis apoſtolatu, opportune repertæ ſunt in ſacrario baſilicæ S. Petri urbis Lemovicæ, Philippo in Galliis regnante. Verum non eſt quod diu immoremur in iis rejiciendis, cum ab omnibus pene reprobentur tanquam fictitiæ ac ſuppoſititiæ, etiam Poſſevino, Bellarmino, Miræo, Labbeo. Memoria S. Martialis recolitur die 30. Junii. Sane in vet. martyrologio edito Spicil. tomo IV. legitur: *Lemovicas depoſitio S. Martialis epiſcopi pridie cal. Julii.*

ANNI CHRISTI

Inter inſtrumenta edendam cenſuimus epiſtolam Jordani Lemovicenſis epiſcopi, nomine plurimorum archiepiſc. & epiſcop. ad Benedictum papam VIII. ſcribentis, in qua negat S. Martiali titulum apoſtoli tribuendum eſſe, arguitque ſuperbiæ quendam S. Martialis abbatem, qui ſe adierat & rogarat, ut in concilio ſuo ſeu ſynodo *ſanctiſſimum confeſſorem* Martialem *in numero poneret apoſtolorum, quod facere noluit*. Notandum tamen Jordanum admiſiſſe acta S. Martialis ut genuina; nec alia ratione titulum apoſtoli Martiali denegaſſe, quam quod a ſuis anteceſſoribus fuerit ſemper habitus tantum pro confeſſore. De eo Gregorius Tur. lib. de Glor. confeſſ. c. 27. agens[a], aperte innuit ipſum tantummodo ſanctis accenſendum confeſſoribus. De celeberrima abbatia ſub ejus patrocinio conſtructa, infra.

C. 1. col. 161.

pag. 916. a

II. S. AURELIANUS.

Ex actis quæ jam rejecimus, Aurelianus in urbe Lemovicum erat falſorum deorum ſacerdos, quando huc advenit S. Martialis; cui cum reſiſteret, cœleſtem expertus eſt vindictam, percuſſuſque fulmine interiit. Sed ab eodem ſancto verbi Divini præcone ad vitam revocatus baptizatur, & ex perſecutore factus eſt ejus adjutor & ſucceſſor. Quin etiam ejus hiſtoriæ ſcriptor dicitur. De iis autem quid credendum ſit, jam ſententiam noſtram depromſimus. Migraſſe ad Dominum die 6. Martii an. 89. legitur. An. circiter 1300. Reginaldus de Porta Lemovicenſis epiſcopus ſacrum ejus corpus e terra levavit & tranſtulit in ſacellum ejus cultui dicatum, ubi ſacrum ejus caput certis diebus exponitur.

III. EBULUS.

Tertius Lemovicum epiſcopus, quem Sammarthani Emilium appellant, alii Evolium, Ebulus in epiſtola Jordani epiſcopi ad Benedictum papam VIII. vocatur. Metu perſecutionis apud Evahonium, *Evaux en Combraille*, latitavit uſque ad mortem.

IV. ATTICUS.

Atticus qui & Atricus, & Aſtricius legitur, ſedebat ſecundum nonnullos an. 171. Sed alii forte

[a] *S. Martialis epiſcopus a Romanis miſſus epiſcopis, in urbe Lemovicina prædicare exorſus eſt; everſiſque ſimulacrorum ritibus, repleta jam credulitate Dei urbe, migravit a ſeculo. Erant tunc temporis cum eo duo presbyteri* (Alpinianus, *al.* Albinianus, & Stratoclinianus, *al.* Auſtriclinianus) *quos ſecum ab Oriente adduxit in Galliam.*

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

melius ejus epiſcopatum differunt ad annum circiter 310. Emerinus, *al.* Eamenus, in vulgatis catalogis ipſi ſucceſſor datur; ſed omittitur a Jordano in epiſtola ad Benedictum papam.

V. Hermogenianus.

Hermogenianum pro metropolitano Aquitaniæ agnitum fuiſſe aiunt; qua dignitate potiri quoque debuerunt ipſius anteceſſores; at nova, inquiunt, diviſione Galliarum facta, metropolis Aquitaniæ primæ honor ad civitatem Bituricas tranſlatus eſt. Iiſdem auctoribus, pro quibus ſpondere non auderem, Hermogenianus præfuit annos 37. obiitque an. 247.

VI. Adelphius.

Huic tribuuntur anni 29. in epiſcopatu, cujus finis aſſignatur an. 276. Sed de his primis epiſcopis nihil certi occurrit.

VII. Dativus.

Dativus poſt annos 19. in pontificatu tranſactos, depoſitus legitur tempore perſecutionis Diocletiani: utrum propter fidei defenſionem ab imperatorum miniſtris, an ab epiſcopis ob aliquem lapſum, ignoramus. Huic ſubrogatur alter Adelphius qui dicitur prioris nepos, in quodam catalogo manu exarato, omiſſus tamen a Sammarthanis; primuſque eſt qui pacem eccleſiæ redditam viderit ſub Conſtantino imperatore.

VIII. Exuperius.

Exuperium multa paſſum eſſe ab Arianis per annos 35. epiſcopatus, ſub Conſtantio imperatore, leginus in quodam catalogo manu exarato.

IX. Astidius.

Idem dicitur de Aſtadio, qui per annos 18. præfuiſſe legitur. Ex ejuſdem progenie ortum fuiſſe B. Aredium abbatem nonnulli volunt, de quo ſæpe meminit Gregorius Turon. maxime lib. x. hiſt. c. 29. ubi teſtatur eum fuiſſe Lemovicinæ urbis incolam valde ingenuum.

X. Petrus I.

Petrus epiſcopus *de Palatio* ſubſcripſit concilio
506. Agathenſi an. 506. quo nomine intelligendum epiſcopum Lemovicenſem autumat Hadrianus Valeſius in notitia Galliarum ad verbum *Palatium*; quem locum dicit Lemovicum civitati vicinum, ubi fortaſſe tum epiſcopi morabantur & latitabant: *Sic*, inquit, *epiſcopi Sajenſes, Oxomenſes, vel Oximenſes dicti; epiſcopi Pictavorum, Ratiatenſes; Conſtantienſes, Brioverenſes; Carpentoratenſes, Vindauſcenſes*, &c. eruditus lector de hac conjectura judicet.

XI. Ruricius I.

Inter Aſtidium & Ruricium catalogus manu exaratus ad nos miſſus ponit duos epiſcopos, Ruſticum I. & Ruſticum II. quorum prior ſanctitate & doctrina clarus obiit anno 406. alter poſt multa adverſus Arianos certamina per annos 38. curſum conſummavit an. 444. Quibus vero ex fontibus nova hactenus hæc fuerint depromta, prorſus nobis ignotum; qua de cauſa duos illos epiſcopos omittendos putamus; veniendum itaque ad Ruricium.

Ruricius avita nobilitate conſpicuus & Anicianæ familiæ conjunctus, ut docet Fortunatus, ante epiſcopatum duxit uxorem Iberiam apud Arvernos Ommatii nobilis viri filiam; quapropter illuſtribus conjugibus epithalamium cecinit Apollinaris Sidonius carmine XI. Ambo poſtea, ut Deo religioſius ſervirent, ſeculi curas abjecerunt, uti Fauſti Reienſis epiſtolæ ſexta & ſeptima docent; Ruriciuſque fundavit S. Auguſtini monaſterium extra Lemovicæ urbis muros prope Vigennam, ubi ſepultus eſt.

Quo tempore cathedræ Lemovicenſi fuerit præfectus ignoratur. Carolus Cointius, qui in epiſcoporum Lemovicenſium indice utrumque Ruricium ſeniorem & juniorem recenſet, de priori tamen omnino ſilet in Annalium ſuorum decurſu, niſi quod ad an. 508. n. 6. recenſens epiſcopos qui in Aquitania I. florebant quando Clodoveus rex bellum Wiſigothicum geſſit, ait: *Sedebat in cathedra Lemovicina Ruricius, avita nobilitate qua familiam Anicianam contingebat clariſſimus.* Tomo IV. conciliorum Labbei editæ ſunt mutuæ col. 1399. epiſtolæ Cæſarii & Ruricii epiſcoporum; item Sedati epiſcopi ad eundem Ruricium epiſcopum epiſtola, Ruriciique ad Sedatum reſponſio. Labbeus exiſtimat Cæſarium hunc eſſe Arelatenſem, qui amice queritur quod Ruricius neglexiſſet intereſſe concilio Agathenſi anno 506. aut mittere legatum qui ad ipſius vicem hujus concilii decretis ſubſcriberet. Idem eſt argumentum epiſtolæ Sedati, forte Nemauſenſis epiſcopi.

Ruricium autem fuiſſe epiſcopum Lemovicenſem vix dubitat Labbeus. Si res ita ſe habeat, ruit conjectura Valeſii exiſtimantis Petrum epiſcopum de Palatio, qui ſubſcripſit concilio Agathenſi an. 506. fuiſſe Lemovicenſem epiſcopum. At prorſus incertum eſt Cæſarium qui ſcripſit ad Ruricium, fuiſſe Arelatenſem, ipſumque loqui voluiſſe de ſynodo Agathenſi. Item Ruricium, ad quem ſcribunt Cæſarius & Sedatus, fuiſſe Lemovicenſem epiſcopum dicere nihil cogit. Guillelmo Cave arridere videtur conjectura Labbei, non enim dubitat dicere floruiſſe hunc epiſcopum circa annum 470. & vocatum ad concilium Agathenſe, non acceſſiſſe; qua de cauſa cum a Cæſario Arelatenſi epiſcopo fuiſſet objurgatus, ad excuſandam abſentiam ſuam cauſatum eſſe ætatem gravem & corporis infirmitatem, nec multo poſt grandævum obiiſſe: quæ etſi pro certis non habenda ſint, ſunt tamen veriſimillima. In actis S. Juniani, qui ſanavit Ruricium noſtri Ruricii nepotem, ejuſdem fit mentio; legeſis apud Cointium tom. I. Annal. ad an. 506. n. 25.

Exſtant Ruricii epiſcopi duo libri epiſtolarum editi tom. V. Antiq. lectionum Caniſii ex MS. codice S. Galli, & in Biblioth. patrum. Sidonius ad eum ſcribens l. IV. ep. 16. iis verbis ejus eloquentiam commendat: *Accepi... paginam veſtram, quæ plus mellis an ſalis habeat incertum eſt. Ceterum eloquii copiam hanc præfert, hos olet flores, ut &c.*

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

libro vero VIII. ep. 10. quod maxime commendat ſanctum hunc virum, ait ſermone pulcro vitam fuiſſe pulcriorem.

XII. Ruricius II.

Avum hic habuit Ruricium ſeniorem, uti Fortunatus docet. Anno 535. ſubſcripſit ſynodo Arvernenſi I. Aurelianenſi quoque IV. interfuit an. 541. ad quintam vero an. 549. legatum miſit Bantaredum archidiaconum. Porro hic ſubjiciendum putamus elogium funebre & ſepulcrale, quod in honorem utriuſque Ruricii ſcripſit Fortunatus lib. 4. Carminum:

Hic ſacra pontificum toto radiantia mundo
Membra ſepulcra tegunt, ſpiritus aſtra colit.
Ruricii gemini flores, quibus Anniciorum
Juncta parentali culmine Roma fuit.
Actu, mente, gradu, prænomine, ſanguine nexi,
Exultant pariter hinc avus, inde nepos.
Tempore quiſque ſuo fundans pia templa patroni,
Iſte Auguſtini, condidit ille Petri.
Hic probus, ille pius, hic ſerius, ille ſerenus,
Certantes pariter, quis cui major erit.
Plurima pauperibus tribuentes divite cenſu,
Miſere ad cælos quas ſequerentur opes.
Quos, ſpargente manu, redimentes crimina mundi,
Inter apoſtolicos credimus eſſe choros.
Felices, qui ſic de nobilitate fugaci
Mercati, in cælis jura ſenatus habent.

Ruricius junior in eccleſia S. Petri de Quadrivio *, vulgo *du Queroir*, quam ædificarat, jacet.

* Seu in crypta S. Juniani, ex lib. de geſtis epp. Lemov. c. 3.

XIII. Exotius.

Exotius, *al.* Exochius & Eſotius, quem aliqui recenſent ante duos Ruricios, ſedit per annos 15. Ejus epitaphium ſcripſit idem Fortunatus lib. IV. in quo eum laudat a patientia, manſuetudine, eccleſiarum cultu, aliiſque virtutibus; ultimos tantum verſus referam:

Qui tria luſtra gerens in pontificatus honore,
Pergit ad antiquos plebe gemente patres.

XIV. S. Ferreolus.

Præfuit S. Ferreolus Chilperico I. regnante. Hic princeps anno 18. regni ſui, Chriſti 575.* Lemovicinum pagum vectigalibus oneravit. Audiamus Gregorium Turon. lib. v. hiſt. cap. 29. *Chilpericus rex deſcriptiones novas & graves in omni regno ſuo fieri juſſit. Qua de cauſa multi relinquentes civitates illas * vel poſſeſſiones proprias, alia regna petierunt.... ſtatutum enim fuerat, ut poſſeſſor de propria terra unam amphoram vini per aripennem redderet. Sed & aliæ functiones infligebantur multæ, tam de reliquis terris, quam de mancipiis; quod impleri non poterat. Lemovicinus quoque populus cum ſe cerneret tali faſce gravari, congregatus in calendis Martiis, Marcum referendarium qui hæc agere juſſus fuerat interficere voluit; & feciſſet utique, niſi eum epiſcopus Ferreolus ab imminenti diſcrimine liberaſſet; arreptis quoque libris deſcriptionum incendio multitudo conjuncta concremavit. Unde multum moleſtus Rex, dirigens de latere ſuo perſonas, immenſis damnis populum afflixit.*

* al. 579.

* ſua.

Adhuc noſtri Ferreoli meminit Gregorius, videlicet lib. VII. cap. 10. ubi refert ejus cura & ſollicitudine baſilicam S. Martini apud Brivam-Curretiam [a], quæ ab hoſtibus cremata fuerat, reſtauratam fuiſſe. Idem epiſcopus adfuit concilio Matiſconenſi II. an. 585. curavit etiam funus S. Aredii abbatis, ut in ejus vita, quæ Gregorio Turon. tribuitur, cap. 34. refertur. Ferreolum ex hac vita ad immortalem migraſſe legimus an. 595. Ejus geſta edidit Labbeus tom. 2. Biblioth. pag. 527.

ANNI CHRISTI

595.

XV. Asclepius.

Aſclepius, *al.* Aſclepiodorus, quem Adelphium appellat auctor catalogi manu exarati, ſedit ex eodem annos 17. Ejus mors notatur in martyrologio Lemovicenſi 10. cal. Januarii. Cointius ad an. 667. num. 49. ſcribit eum mortuum eſſe 9. cal. Januarii an. 613.

XVI. S. Lupus.

S. Lupus ſecundum Carolum Cointium ordinatus eſt IV. idus Maias an. 614. Fundationi Solemniacenſis monaſterii a S. Eligio conditi conſenſum præbuit an. 631. potius quam 638. nam litteræ S. Eligii quibus ſubſcribunt S. Lupus & alii epiſcopi, datæ ſunt an. decimo regis Dagoberti, qui ad an. Chriſti 631. referri ſolet. Fatendum tamen variare ſcriptores in computandis Dagoberti annis, quos, omiſſo tempore quo per ſexennium regnavit in Auſtraſia, nonnulli inchoant ab an. 628. quo Clotarius rex ejus pater mortem oppetiit.

614.

631.

XVII. Simplicius.

Hic epiſcopus e vita migravit cum S. Eligius adhuc eſſet laïcus, & in aula degeret, ut ex Audoëno qui ſancti hujus vitam ſcripſit diſcimus libro 2. cap. 28. Locum mox prolaturi ſumus.

XVIII. Felix.

De Felice Simplicii ſucceſſore hæc legimus in vita S. Eligii, auctore S. Audoëno Rotomagenſi epiſcopo: *Dum adhuc ſub laïcali habitu eſſet*, Eligius, *præſagus futura prænuntiavit. Ex quibus nocte quadam dum conſuetas orationes expleſſet, paululum in diſcubitu requieſcens, cæpit ſubito in ſomniis vehementer fatagere. Quem mox clericus excitum, cum cauſam viſionis illius interrogaret, hujuſmodi ab eo reſponſum audivit: Nuper*, inquit, *Simplicius Lemovicinæ urbis epiſcopus migravit de mundo; & ecce modo jam Felix, qui ſacerdotio ſortitur, miſſos ad nos deſtinavit, ut ejus parti ſolatium præbeamus. Cum ipſis quidem nunc loquebar; ſolliciti ergo nunc eſtote, haud procul enim ſunt. Dixit, & conquievit. Et ecce poſt ejus verba, cum lux diei daret initium, cæperunt repente prædicti nuntii veſtibulum domus pulſare; qui illico ingreſſi, nuntiant epiſcopi mortem, cunctaque ita eſſe geſta, ſicut jam Eligius prædixerat. Tunc vero offerentes copioſam pecuniam a Felice pro adminiculo epiſcopatus miſſam,*

Tom. v. Spicil. pag. 255.

[a] Sic dicta quod ibi Curretia fluvius ponte tranſeatur: Briva enim in veteri lingua Gallica pontem ſignificat. Briva nunc eſt urbs pagi Lemovicini non inelegans, vulgo dicta *la Gaillarde*. Hunc locum occuparat Gundevaldus mentitus rex, de quo ibidem conſule Gregorium.

nullatenus

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

nullatenus ſuadere potuerunt ut quippiam ex eadem acciperet ; ſed protinus ingreſſus ad principem, cuncta quæ petierant obtinuit.

Hunc Audoëni textum a neoterico interpolatum putat Cointius : *Nam nec Felicem*, inquit, *adeo flagitioſum arbitramur, ut pecuniam pro adipiſcendo epiſcopatu ad Eligium miſerit ; nec Eligium exiſtimamus adeo ſceleri faviſſe, ut eum rogarit epiſcopum fieri, qui pontificatum palam per ſimoniam ambiret.* Nulla tamen interpolationis veſtigia in hac narratione deprehenduntur. Et quanquam ex ea rejicerentur, quæ de pecunia oblata pro epiſcopatu inſerta putat Cointius, Eligius non eſſet omnino immunis a culpa, quod auxilium præbuiſſet presbytero palam epiſcopatum ambienti. At cum adhuc eſſet laïcus, ipſi indulgendum quod diſciplinæ eccleſiaſticæ ignarus fuerit.

Felix ſuo nomine miſit Paternum abbatem ad concilium Cabilonenſe, quod Cointius an. 644. autumat celebratum, Jacobus Sirmondus ante annum 648. vulgo tamen anno 650. tribuitur.

XIX. Adelphius II.

De eo nihil ſcimus.

XX. Rusticus.

Hoc loco ponendum Ruſticum merito cenſet Cointius, de eo etenim ſæpius eſt mentio in vita S. Vincentiani * cujus exſequias curavit menſe Januario ; & octavo poſt menſe baſilicam in honorem beatiſſimæ Virginis dedicavit an. Ch. 667. regnante Clotario III. Conſule Cointium ad hunc an. n. 39. & ſeq. Legitur ſediſſe ad an. 669.

* *S. Vincent.*

667.

669.

XXI. Hertgenobertus.

XXII. Cæsarius.

De duobus illis præſulibus nihil ſcimus præter nomina.

XXIII. Ermenus.

Ermenus, qui & Ermenarius & Ermeno appellatur, in litteris Stodili epiſc. an. 851. ſcriptis dicitur dediſſe matriculariis S. Stephani villam de Magniaco. Anno 690. S. Tillonis * monachi Solemniacenſis exſequias celebravit, & ab eo gravi ſanatus eſt infirmitate.

690.

* S. Theau.

XXIV. Salutaris.

XXV. Aggericus.

Sola duorum illorum epiſcoporum nomina ſunt nobis nota, cetera ignoramus, niſi quod Aggerici mentio fit in vita S. Sacerdotis, iis verbis capitis 8. *Defuncto Lemovicenſi epiſcopo beatæ memoriæ Aggerico*, &c. ut infra.

XXVI. S. Sacerdos *.

* *vulgo* S. Sardos, Sadroc, Sardot.

S. Sacerdos ex Aquitania oriundus clara ex ſtirpe, patrem habuit Laban nomine, matrem vero Mundanam, qui erant de primoribus Burdegalæ. Suſceptus eſt in lucem in vico Calabro ſito inter fines Caturcenſium & Petracoricorum, non longe a fluvio Dordoniæ, ubi etiam aquis baptiſmi tinctus eſt, ſuſceptoremque habuit in baptiſmo quendam regem, qui ei dedit vicum Calabrum jure hereditario poſſidendum. Puer traditus eſt S. Capuano Caturcenſi epiſcopo, qui eum diaconum ordinavit. Poſtea Sacerdos monachum induit in cœnobio * vici Calabri, cui ejuſdem vici dominium ceſſit ; exactiſque ſeptem annis ſub abbatis regimine ante ſuſceptum presbyteratum, tandem præficitur in abbatem ; tuncque cœpit ejus virtus etiam miraculis coruſcare. Itaque ejus fama per totam Aquitaniam percrebreſcente, defuncto beatæ memoriæ Aggerico Lemovicenſi epiſcopo, electione cleri & populi ipſi ſubrogatur. Imminentis mortis præſcius, ad Calabrenſe monaſterium redire conſtituit, ſed ad Deum migravit in itinere ; ejus tamen diſcipuli corpus ſancti præſulis per Dordoniæ alveum Calabrum detulerunt, ubi ſepulturæ datum eſt. Poſtea tranſlatum eſt ad monaſterium Sarlatenſe, in baſilicam S. Salvatoris quando reſtaurata eſt tempore Caroli magni, ubi adhuc aſſervatur in eccleſia cathedrali. Quanto, imo quo tempore ſederit Sacerdos incertum ; conſule Bolland. ad diem quintum Maii. Ejus vita, quæ corrupta fuiſſe videtur, exſtat tom. 2. biblioth. novæ Labbei pag. 661. Creditur præfuiſſe eccleſiæ Lemovicinæ ab anno 711. ad 720. memoratur in hagiologio Lemovic. ad III. nonas Maii. De eodem agit Bernardus Guidonis, in libello de ſanctis Lemovicenſibus extra diœceſim ſepultis.

* *vulgo* Calviac.

711.

720.

XXVII. Ausindus.

Auſindus, *al.* Auſuidus, Auſnidus, pene nobis incognitus, niſi quod ejus mentio fiat in variis epiſcoporum Lemov. indicibus, & in Demochare, Chenutio, Roberto, Sammarthanis. Ejuſdem meminit Baluzius in diſquiſitione ſeculi quo vixit S. Sacerdos.

XXVIII. S. Cessator *.

* S. Ceſſadre & *corrupte* S. Sadre.

Floruit ſanctus hic præſul tempore Caroli cognomento Martelli, qui ſub majoris domus regiæ titulo pene regnabat. Quieſcere traditur apud S. Sanctinum juxta caſtrum de Mala-morte. De eo in hagiologio 17. cal. Decembris : *Apud civitatem Lemovicam natalis S. Ceſſatoris epiſcopi & confeſſoris, qui multum contra Wandalos & diu pugnavit.* Nomine autem Wandalorum intelligendi ſunt Saraceni ex Hiſpania profecti. Ejus epiſcopatum protrahit Cointius uſque ad annum 732. quamvis nihil aſſerat. Extra muros urbis adhuc viſitur eccleſia Deo ſub ejus invocatione dicata, quo feſtis diebus convenit ad divina peragenda ſacra piorum laïcorum ſocietas purpurei coloris, vulgo *les Penitens rouge*.

732.

XXIX. Ebbo.

Ebbo, qui & Ebulo ac Ebulus, abbas Solemniaci, fuit epiſcopus Lemovicenſis poſt Ceſſatorem ; & in catalogo abbatum Solemniaci inſcribitur, *Ebulo epiſcopus.* At ignoratur utrum ex abbate factus ſit epiſcopus, an ex epiſcopo abbas ; atque utrum ſimul epiſcopale & abbatiale officium geſſerit. Pervenit uſque ad regni Pipini primordia, ſcilicet ad annum 752. ſi Cointii conjecturæ fidem habemus.

750.

ANNI CHRISTI num. 22.

XXX. Asclepius.

793. Idem Cointius ad annum 793. ponit in ſede Lemovicenſi Aſclepium parthenonis S. Laurentii apud Biturigas fundatorem. In martyrologio hujus monaſterii ad IV. nonas Januarii commemoratur quidem Aſclepius epiſcopus, *qui ſuo opere hoc monaſterium conſtruxit*; at cujus ſedis eſſet epiſcopus, inde minime noſcimus.

XXXI. Regimpertus.

Hic præſul impetravit confirmationem privilegiorum eccleſiæ S. Stephani a Ludovico pio imperatore, 17. cal. Auguſt. an. IV. imperii, hoc
817. eſt an. 817. Eodem anno dedit præceptum pro confirmatione donationis factæ eccleſiæ S. Stephani, videlicet cellæ de Carantenago, ut legere
C. II. col. 164. eſt inter inſtrumenta.

XXXII. Audacher.

Audacher, ſeu Odoacer acceſſit ad regendam eccleſiam Lemovicenſem anno circiter 821. ex quodam catalogo MS. Attamen tantum eſt no-
C. III. col. 165. tus ex tabulis quibus largitur canonicis S. Stephani, Ramnaci manſum an. 18. quo Ludovicus imperator regnare cœpit, hoc eſt anno 831.
831. Præterea in quadam compoſitione inter Gerardum comitem, & Stodilum epiſcopum, pro quodam excambio, die 5. Aug. an. 855. Audacher legitur Stodili anteceſſor.

Johannes Columbi tempore hujus epiſcopi ad annum 844. locat quendam Bernardum epiſcopum, citatque chronicon Malleacenſe, in quo tamen de eo ad tempus indicatum nihil a nobis repertum. Inter ipſum & Stodilum catalogus MS. locat quemdam Chriſtianum epiſcopum, annis 835. & 840. Sed nulla proferuntur teſtimonia.

XXXIII. Stodilus.

Stodilus, qui aliquando Stolidus legitur, nominatur annis 841. & 851. in variis chartis Bellilocenſis monaſterii, maxime in litteris Rodulphi archiepiſcopi Bituricenſis, hujus cœnobii fundatoris, de quibus vide Mabillon. ad annum. 846.
846. n. 43. Pipinus Aquitaniæ rex poſt patrem Pipinum, ei tribuit ſeu ejus eccleſiæ, fiſcum Oziacum, & villam *Orzis*, anno 8. ſui imperii, ſeu Chriſti 845. Item Carolus cognomento Calvus eum donavit inſigni præcepto an. X. ſui regni, hoc eſt Chriſti 850.
Vide C. IV. & V. col. 165. 166. & omnia hujus eccleſiæ privilegia confirmavit. In fragmento chronici MS. rerum Aquitanicarum cœnobii S. Bertini Audomarenſis, ad an. 855. vel 856. menſe Octobri legitur: *Carolus puer, filius Caroli regis Aquitaniæ unctus per eundem pontificem*, (Stodilum) *corona imperii condecoratur* [a]. Excambivit eccleſiam S. Saturnini vocatam Sonniacum cum Radulfo archiepiſcopo Bituricenſi, quam idem ceſſerat huic monaſterio anno 859. Eo pontifice canonici S. Martialis habitum monachalem ſuſcipiunt in generali conventu Caroli Calvi, coram archiepiſcopis & principibus Aquitaniæ, Stodilo ægre conſentiente, uti dicemus in abbatibus S. Martialis. Ceterum interfuit ſynodo Tuſiacenſi, an. 860.

ANNI CHRISTI

860.

XXXIV. Aldo.

Aldo legitur in concilio Sueſſionenſi III. an. 866. ubi confirmata ſunt privilegia Solemniacenſis monaſterii. Obiit nonis Octobris & ſepultus in S. Salvatoris templo. Annales Francorum Bertiniani ſub an. 866. *Vulfadi Bituricenſis exordinator potius quam ordinator Aldo Lemovicenſis epiſcopus, in ipſa ordinatione febre correptus in brevi moritur.*
866.

XXXV. Gerlo, *al.* Geilo.

Gerloni catalogus MS. tribuit 3. annos adminiſtrationis, quibus tranſactis obiit an. 869. IV. id. Jul.

XXXVI. Anselmus.

Quo anno ceperit ſedere intelligitur ex charta quam profert Juſtellus lib. 1. de gente Turen. c. 3. ubi in fine legitur: *Actum hoc Lemovicis civitate in ſynodo plena, ſecundo non. Nov. an. Inc. D. 897. indict. 3.....ordinationis domini Anſelmi pontif. an. 28.* Ergo primus ejus ordinationis annus fuit 869. Ejus nomen legitur inter ſubſcriptiones ſynodi Vermericenſis * ejuſdem circiter temporis, & in charta S. Stephani Lemovicenſis, qua Frotarius miles dat villam ſuam Ramnacum cum eccleſia S. Sebaſtiani ad communia canonicorum ſtipendia anno 871. Interfuit concilio Pontigonenſi anni 876. Anno 879. Johannes papa VIII. ei ſcripſit ep. 188. ex qua deſumtum caput: *Ad Limina.* 30. quæſt. 1. *non ſeparandum eſſe virum ab uxore, qui filium ſuum urgente neceſſitate baptizavit.* Memoratur adhuc anno 884. anno 1. quo Carlomannus obiit, in charta de dono Martiliaci, a quodam Daniele Lemovicenſi eccleſiæ conceſſi. Adhuc memoratur an. 897. in charta Belli-loci. Obiit V. idus Februarii, conditus in S. Salvatoris baſilica.

Ex chartario Bellilocenſi tempore Gairulfi abbatis.

869.

* Verberies.

871.

876.

879.

884.

D'Aubuſſon.

XXXVII. Turpio.

Turpio de Albuçonio, quem alii Turpium & Turpinum appellant, *avunculus*, id eſt patruus Roberti vicecomitis, & frater Aimonis abbatis S. Martialis, jam præerat anno 905. a quo videlicet
905. recenſetur in charta Deusdet archidiaconi, de dono cujuſdam *capellæ*, in villa de Monciaco cum ſuo alode, anno 12. regnante Carolo rege. Anno
914. [b] mentio ejuſdem fit in dono Eldegarii vicecomitis pro anima Aldeberti vicecomitis patris
914. ſui & Altrudis matris ſuæ, atque Petronis abbatis conſobrini ſui, *anno XVI. regnante Carolo rege poſt obitum Odonis.* De eo ſic loquuntur geſta pontificum Lemovicenſium: *Fuit ex clariſſimo genere..... Monaſterium S. Auguſtini Lemovicenſis reædificavit* [c], *atque ibi monachos qui antea canonici*

[a] *Anno 855. Aquitani urbem Lemovicum mediante Octobri menſe convenientes, Carlum puerum filium Carli regem generaliter conſtituunt, unctoque per pontificem coronam regni imponunt ſceptrumque attribuunt*, ex Annal. Bertinianis. Nempe illum Aquitanis petentibus regem, Carolus dederat.

[b] vel 910. computando annos regni ejus a morte Odonis. Sic enim numerantur in alia charta infra laudanda.

[c] Edidimus inter inſtrumenta C. VI. col. 167. chartam Turpionis de fundatione cujuſpiam monaſterii; quæ a nonnullis intelligitur de S. Auguſtini monaſterio.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

Regulares, priuſquam rex Pipinus Lemovicenſem urbem deſtrueret (nam eccleſias & monaſteria ibidem funditus evertit) inſtituit. Multa & mirabilia ab eodem geſta videre eſt in chronicis dicti monaſterii. Apud Valericum diœceſis Lemovicenſis in Domino requieſcit. Huc uſque Bernardus Guidonis Lodovenſis epiſcopus. Et alibi : *Odonem abbatem Cluniacenſem magno amore excoluit ; qui Odo, Turpione rogante, vitam S. Geraldi compoſuit, & librum de contemtu mundi.* Quæ hic legimus de canonicis Regularibus qui ante monachos monaſterium S. Auguſtini obtinuerant, etiam tempore Pipini regis, minime conſtant : nec auctoritas Bernardi Guidonis, qui vivebat ſeculo decimo quarto, ſufficit ad id perſuadendum. Idem Turpium teſtatur fuiſſe ſanctitate & miraculis celebrem ; quod forſitan non ſufficiet ad ipſum in ſanctorum album referendum. Hoc tamen de eo legitur in chronico Ademari Cabanenſis monachi S. Eparchii.

* *al.* Deda. Eodem pontifice Doda * pro delicto quod patrarat adverſus S. Stephanum & Turpinum præſulem, ejuſque filius Hildebertus abbas, conceſſerunt alodum ſuum in pago Lemovicenſi, & villa * *al.* Oioilo. Adiola * an. 920. ind. VII. regnante Carolo. Subſcripſit cum ſuo metropolitano chartæ fundationis Dolenſis monaſterii ; item diplomati Rodulfi 920. 929. regis pro S. Martini Turonenſis eccleſia an. 929. demum litteris Airaldi uxoriſque ejus Rothildis, an. 936. cum Gerontio Bitur. archiep. Migravit 944. e vita Albuçonii 7. cal. Auguſti an. * 944. quo * *al.* 946. anno vernaculam ſuam Valetrudam S. Stephano donavit, jacet tamen apud S. Valericum.

XXXVIII. EBLUS.

DE POITIERS.

Eblus ſive Ebolus de Pictavio, Ebuli II. Pictavii comitis & ducis Aquitaniæ filius, ex Adela Anglica *, non Willelmi II. ducis, ut putavit Buchetus, frater Willelmi qui Caput-Stupæ dictus eſt, fuit abbas S. Michaëlis in eremo * & S. Maxentii, necnon S. Hilarii majoris apud Pictavos archiclavis [a] ſeu theſaurarius. Adeptus eſt autem epiſcopatum Lemovicenſem favore tum Ludovici regis dicti Tranſmarini, ut legitur in Geſtis Lemovicenſium epiſcoporum, tum parentum ſuorum. De ipſo hæc leguntur in chronico Ademari : *Defuncto Eblo comite Pictavino, filiorum ejus alter comes, alter epiſcopus factus eſt. Eblus enim, annuente rege Ludovico, pontifex Lemovicæ factus eſt. Willelmus vero cognomento Caput-Stupæ, a rege ſupra dicto Arvernis, Wellavis, Lemovicæ, & Pictavis comes provectus, dux Aquitaniæ exſtitit.... Fuit idem Eblus bonus paſtor eccleſiæ ; & caſtellum S. Stephani Lemovicæ ſedis, quod Turpio epiſcopus anteceſſor ejus magna ex parte a ſolo conſtruxerat, hic ad perfectum integravit. Conſtruxit a novo caſtellum Hilarii & canonicos ibi diſpoſuit, quia infeſtatione Normannorum idem locus a monachorum priſca habitatione deſciverat.* Addit idem ſcriptor ab Eblo reſtaurata eſſe S. Michaëlis ad eremum, & S. Maxentii monaſteria ; eumque circa S. Maxentii cœnobium caſtellum perfeciſſe. Infra addit : *Eblus XXXIX. a B. Martiale epiſcopus fuit, & ad onus epiſcopale ſufferendum, ordinavit ſub ſe chorepiſcopum Benedictum, quem ipſe a puero nutriverat ; qui captus ab Helia comite Petragoricæ oculis privatus eſt : & propterea Eblus nimio dolore afficiebatur uſque ad diem mortis ſuæ ; ipſum enim poſt ſe voluit relinquere ſucceſſorem.*

* *Normannorum principis filia dicitur in fragmento hiſt. Monaſterii Novi.*

[a] en l'Erm.

[a] Seu claviger aut archi-clavus, ut legitur multis in chartis quibus ſuſcripſit.

Ex hoc chronico difficile eſt ſtatuere quo tempore Ebulus foederit. Sed ex inſtrumento fundationis eccleſiæ S. Auſtregiſili de Turre, liquet eum epiſcopum fuiſſe anno 958. ſeu anno 5. regni Lotharii ; etenim hæ notæ chronicæ leguntur ad calcem litterarum Drotrici dictæ eccleſiæ fundatoris : *Data VI. idus Auguſti, anno V. regnante Hlotario rege, indict. 1.* quæ annum 958. indicant. Porro quæ confert Drotricus, dat *per manus venerabilis præſulis domni Eubalonis ad nomen ſancti & protomartyris Stephani.* 958.

Adhuc ſuperſtes erat an. 960. ſeu ſeptimo regni Lotharii, ut liquet ex litteris Himblardi, ſeu Amblardi Lugdunenſis archiepiſcopi hoc anno datis, in quibus memoratur. 960.

Inde probatur errare eos qui Eblonem vel Ebulonem mortuum anno circiter 958. contendunt ; quos refellunt teſtimonia multa, quæ ſuppeditant chartæ a Beſlio prolatæ in hiſt. comit. Pictavienſium, pag. 284. ex tabulario S. Hilarii ; prima eſt anni 969. menſe Januario, ind. 13. cui ſubſcribit Ebolus patruus Willelmi Aquitanorum ducis abbatis S. Hilarii, Lemovicum epiſcopus, & S. Hilarii archi-clavus. Secunda charta data eſt ſaltem an. 972. poſt mortem Johannis papæ XIII. Tertia anno 974. quibus ſubſcribunt idem Ebolus epiſcopus clavigerque S. Hilarii, necnon Benedictus ejus chorepiſcopus de quo ſupra. Non audeo tamen aſſerere Beſlium qui has chartas eſſe annorum ſaltem 972. & 974. contendit, non hallucinari ; quia jam tum Hildegarium ei ſucceſſiſſe in epiſcopatu probant quædam documenta infra laudanda ; & quidem notatur in chartis S. Aug. ad an. 963. Sepultus eſt hic epiſcopus in monaſterio S. Michaëlis ad eremum ex chronico Ademari. Multis beneficiis cumulavit monaſterium S. Maxentii, ut probant chartæ IX. & X. quas edidimus inter inſtrum. C. VIII. col. 169. 969. 974. col. 170. 171.

XXXIX. HILDEGARIUS.

DE LIMOGES.

Hildegarius, *al.* Aldegarius, Geraldi vicecomitis Lemovicenſis ex Rothilde natus, germanos habuit Hilduinum [b] qui ſequitur, & Guidonem ſtirpis ceterorum vicecomitum progenitorem uſque ad Mariam Arturi II. ducis Britanniæ conjugem ; item Aimericum de Rupe-cavardi cognominatum Oſto-Francum, a quo dynaſtæ Rupis-cavardi propagati, & Gofredum abbatem S. Martialis, & Geraldum de Argentonio. In chartis eccleſiæ Tutelenſis legitur epiſcopus jam anno 15. regni Lotharii, proindeque Chriſti 969. vel 968. Sed diu antea præerat, comparetque in tabulis S. Auguſtini an. 963. at quomodo conciliari queunt hæc cum charta Willelmi ducis & abbatis

[b] Hæc genealogia confirmatur ex litteris ipſius Hildegarii C. XXVI. col. 181. & ex charta tabularii Uſerchenſis, ubi legitur : *Ego Guido, & uxor mea Emma filia Ademari vicecomitis, de conſenſu fratris mei domini Hildegarii epiſcopi, atque ad præſens dom. Alduini epiſcopi, fratris ſui, pro anima anteceſſoris mei Ademari vicecomitis*, &c. Eſtiennot in antiquitatibus Lemovic. pag. 426.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

S. Hilarii data an. 12. Lotharii regis tempore Eboli epiſcopi & archi-clavi, ex tabul. S. Hilarii pag. 75.

Fundator habetur cœnobii S. Petri de Uſerchia; aliud quoque fundavit ſub nomine S. Stephani, in loco dicto Agento, ſeu Aento, *Eymontier*, octo leucis ſupra Lemovicas ad Vigennam. Verum Hilduinus ejus ſucceſſor & frater, inde pulſis monachis, canonicos admiſit, Ademaro teſte. Sedit ſaltem uſque ad annum 983. quo adfuit calendis Junii concilio Carrofenſi. Immo an. 11. regnante Hugone, cum Roberto filio ſuo an. 1. recenſetur in charta Ramnulfi, proindeque ſuperſtes adhuc erat an. 988. ſubſcripſitque privilegio pro monaſterio Uzercenſi an. 987. quod Baluzius in hiſt. Tutel. refert. Jacet apud S. Dionyſium in Francia, quo in monaſterio rediens a concilio Remenſi an. 992. obiiſſe legitur in veteri chronico Lemovicenſi Gallice ſcripto. Eidem regali cœnobio pretioſa contulit ornamenta, quæ ex aſceterio S. Maxentii * adſportaverat, teſte Ademaro. Error tamen forſan irrepſit in anno mortis ejus, ſcilicet 992. quo tempore jam epiſcopus erat Hilduinus ejus ſucceſſor & frater.

983.

* al. S. Martialis. Vide D. Eſtienn. not part. 1. antiq. Lemovic. pag. 386.

Non reticendum eſt in charta fundationis eccleſiæ Doratenſis, data an. 1. Hugonis regis, Chriſti 987. legi ſubſcriptionem Hervei Lemovicenſis epiſcopi; ſi autem hic ſederit anno 987. non poteſt protrahi epiſcopatus Hildegarii ad annum 11. Hugonis regis. At prorſus incognitus eſt in Lemovicenſium præſulum catalogis hic Herveus; nec potuit eſſe ſucceſſor Hildegarii, ut infra probaturi ſumus. Nonnulli ſuſpectam habent hanc fundationis Dorati chartam, ut aliquando dicemus. Et quidem hæc ſubſcriptio ad ſuſpicionem augendam non parum confert.

987.

XL. Alduinus.

De Limoges.

Alduinus, ſeu Hilduinus & Audoinus, fratri mortuo ſubrogatus eſt, ut docet Ademarus; nam poſtquam egit de morte ac ſepultura Aldegerii, ſubdit: *Succeſſit pontifex Alduinus frater ejus, per manum Willelmi ducis; conſecratuſque eſt Egoliſmæ ab archiepiſcopo Burdegalenſi Gumbaldo, & a Frouterio * Petragoricenſi, & Abone Sanctonicenſi, & Ugone Egoliſmenſi, qui eum Lemovicæ inthroniſavit primo in cathedra vectatoria, apud eccleſiam S. Gerardi, deinde in ſede S. Martialis.*

* apud Lab. Frontem.

Jam erat epiſcopus anno 4. regnante Hugone Francorum rege, hoc eſt an. Chriſti 990. Memoratur enim in charta Gaufridi locum de Plavia donantis eccleſiæ Lemovicenſi hoc ipſo anno, ut eſt in chartario ejuſdem eccleſiæ. An. 992. nomen ejus legitur in charta S. Maxentii, ubi Audoinus appellatur.

990.

992.

Alduini temporibus peſtilentiæ ignis ſuper Lemovicinos exarſit, corpora enim virorum & mulierum ſupra numerum inviſibili igne depaſcebantur, inquit Ademarus in chronico. Itaque epiſcopus & Joffredus S. Martialis abbas, qui Wigoni ſucceſſerat, habito conſilio cum duce Willelmo, triduanum jejunium indixerunt. Tunc omnes Aquitaniæ epiſcopi in unum Lemovicæ congregati ſunt, habitæque ſunt ſupplicationes in quibus delatæ ſunt ſacræ reliquiæ, corpuſque S. Martialis de ſepulcro ſublatum eſt; & omnis infirmitas ubique ceſſavit, ex laudato Ademari chronico.

ANNI CHRISTI

Ad coërcendam militum rapinam hic epiſcopus conſtituit ut eccleſiæ & monaſteria ceſſarent a divino cultu, & ſancto ſacrificio; & hanc obſervantiam excommunicationem cenſebat. *Ibid.*

Arguitur quod monaſterium S. Stephani Agentenſe, *quod Aldegerius ornate diſpoſuerat in magna caterva monachorum, antequam moreretur, per triennium, ſuadente diabolo, deſtruxit, & ibi canonicos reſtituit.* Sed ut pro tali culpa faceret ſatis, intra urbem Lemovicam monachos in eccleſia S. Martini, (quod monaſterium a Normannis deſtructum reſtauraverat,) aggregare curavit, quibus præfecit abbatem Radulfum Tutelenſem monachum.

Nominatur in plurimis monaſterii Uzerchienſis chartis, quarum una data eſt anno 997. eſtque Boſonis Marchiæ comitis, & fratris ejus Gausberti, donantium quandam eccleſiam a ſuis anteceſſoribus poſſeſſam; altera eſt Millendis vicecomitiſſæ, dantis quandam villam anno 1001. pro remedio animæ Ademari vicecomitis. Diſſimulare non debemus quæ de eo narrat Ademarus in chronico: *Alduinus epiſcopus acceptis pretioſioribus S. Martialis ornamentis & veſtimentis, & multa affluentia argenti, quia in manu ſua habebat abbatiam emtam a Widone, properavit ante Quadrageſimam cum Willelmo duce Romam .... Reverſus epiſcopus baſilicam ſedis S. Stephani, quam S. Martialis dedicaverat, deſtruendam & amplificandam diſpoſuit, lineaſque ad fundamenta jecit, ut poſt dies 15. inſiſteret operi. Inde abiens ad ſupradictam eccleſiam Agento, unde monachos extruſerat, ſpiritum ibi exhalavit.* Sedem tenuit uſque ad annum 1012. ſi conſtet ipſum eo anno, ut legimus, (& quidem ita habetur in S. Martini tabulis,) Radulfum abbatem dediſſe monaſterio S. Martini. Sepulcro donatus eſt in eadem baſilica Martiniana, in ſacello S. Remigii. Utrum fuerit creatus epiſcopus ex abbate Brantolmienſi aliquando expendemus.

997.

1001.

1012.

XLI. Geraldus I.

De Limoges.

Geraldus Alduini ac Hildegarii nepos ex fratre Guidone Lemovicum vicecomite, matrem habuit Emmam vicecomitiſſam. Hic una die omnibus ordinum gradibus inſignitus per manus Giſleberti Pictavienſis epiſcopi, ab oſtiariatu ad presbyteratum, quod magnæ altercationi * & controverſiæ occaſionem dedit, ad ſedem patrui promovetur, inauguratus menſe Nov. anno, ut putatur, 1012. a Siguino monacho archiepiſcopo Burdegalenſi, in eccleſia S. Hilarii, ſede Biturica tunc vacante; quia Gauſlenus nondum in ea receptus erat; qui tamen ibi habuit miſſos ſuos ex S. Benedicti monachis, ut docet Ademarus Cabanenſis in chronico. Ejus conſecrationi adfuerunt, præter Giſlebertum Pictavienſem, Iſlo Santonum epiſcopus, Arnaldus Petragoricenſis, & Grimoardus Egoliſmenſis. Ii

*

* Controverſiæ cauſa fuit, quod epiſcopi contenderent ordinationes graduum ab oſtiario uſque ad presbyteratum, nonniſi per jejunia quatuor temporum fieri debere, & tota Quadrageſima, per dies Sabbatorum uſque ad Dominicam in Palmis. Sed Willelmi ducis voluntas prævaluit.

Ademar. Caban. & in chron.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

duo *poſt benedictionem, quæ Dominica die peracta eſt, comitati ſunt eum Lemovicam uſque .... primo ad S. Martialem venerunt ſimul, & recepti ſunt a monachis. Inde monachos duxerunt cum antiphonis ad eccleſiam Cairohenſem. Ibi in cathedra ſedit, & humeris populi vectus, canonicis antiphonas concinentibus, textum Evangelii a Grimoardo epiſcopo legendum ſumſit; & ita legens, & aſſidue dextra benedicens, ad oſtium baſilicæ S. Stephani ſedens cum gloria deductus eſt; Grimoardus tradidit ei portas eccleſiæ, Arnaldus chordas ſignorum, & ambo in ſede S. Martialis inthroniſaverunt eum, & alta voce* Te Deum laudamus *Arnaldus epiſcopus intonuit. Epiſcopum ſedentem omnes oſculati ſunt. Deinde miſſam celebraverunt de martyrio S. Theodori, cujus ipſo feſtivitas die agebatur. Per dies ſeptem inductus* proceſſit ſtola ſanctificata & indumentis cum quibus benedictus fuerat, & cum cappa Romana, abſque colobio tamen & caſula; & per eoſdem continuos VII. dies per ſtationes urbis miſſas celebravit.*

*f. indutus.

Hæc deſcribere ex chronico Ademari operæ pretium duximus, quod veteres ritus plurimos nobis exhibeant. Ex hac vero narratione habemus diem quo poſſeſſionem adiit Geraldus, ſcilicet nonum Novembris; nam eo die celebratur natale S. Theodori martyris. Nunc explorandus annus.

Caput S. Johannis Baptiſtæ revelatum eſt apud Angeriacum anno 1010. ut docet hiſtoria hujus monaſterii, conſentitque Mabillonius ad hunc annum. Confluentibus ad hunc locum populis, Geraldus, *al.* Giraldus epiſcopus Lemovicenſis, comitante promiſcui vulgi innumera multitudine, cum Joffredo abbate S. Martialis ejuſque monachis, eo quoque proceſſit menſe Octob. & miſſam de Nativitate S. Johannis Bapt. ibidem celebravit. Veriſimile itaque eſt Geraldum conſecratum fuiſſe in epiſcopum anno 1009. menſe Novembri, & anno ſequenti menſe Octobri Angeriacum religionis ergo perrexiſſe. Obſtat tamen quod ſupra diximus de Alduino adhuc ſuperſtite anno 1012. quo dicitur monaſterio S. Martini Ramnulfum abbatem præfeciſſe. Præterea in chartulario regis Roberti cap. 2. act. 13. legitur hic epiſcopus adfuiſſe ſynodo cuidam Pictav. habitæ an. 1011. menſibus Jan. Febr. & Martio, vel anno 1010. veteri more. Et hæc quidem pugna chartarum me facit ancipitem de tempore quo Geraldus ſedere cœpit.

n. 39.

n. 30.

1010.

Cum Romam petiiſſet, in eccleſia S. Martialis tempore Quadrageſimæ, tantus ad vigilias nocturnas factus eſt populi concurſus, ut ſupra quinquaginta viri & mulieres conculcati in ipſo templo animas exhalaverunt. Itaque ad reconciliandam eccleſiam ſanguinis effuſione pollutam accerſitus eſt Arnaldus Petragoricenſis præſul.

Ademarus.

Tempore Giraldi epiſcopi per Aquitaniam exorti ſunt Manichæi negantes baptiſmum, & S. crucis virtutem, & quidquid ſanæ doctrinæ eſt, abſtinebant a certis cibis ut monachi, & caſtitatem ſimulabant; ſed inter ſeipſos omni libidini habenas laxabant.

Paulo ante mortem Giraldus fruſtra conatus abbatiam S. Martialis ſibi vindicare, inimicitias exercuit contra Hugonem abbatem Joffredi ſucceſſorem, cui benedictionem impertire denegavit per biennium.

Paulo poſt cum Pictavos tenderet, ubi erat S. Hilarii theſaurarius, decubuit & occubuit anno 1020. ex Baluz. apud Carroſum, ibique ſepultus eſt. Ad caput ejus tabula plumbea poſita eſt hanc inſcriptionem continens: *Hic requieſcit Giraldus epiſcopus Lemovicæ. Obiit III. idus Novembris. Præfuit eidem ſedi VIII. annis.*

XLII. Jordanus. De Laron.

Jordanus de Loron, *al.* de Laron, uti legitur, & quidem melius, in geſtis pontificum Bernardo Guidonis auctore, S. Leonardi præpoſitus, vir nobilis, cum pagi Lemovicini optimates de Lemovicæ urbis epiſcopatu non ſine ſimonia obtinendo decertarent, electus eſt epiſcopus in conventu habito apud S. Junianum a prudentiſſimo Aquitaniæ duce Guillermo, in fine Januarii. Electum dux, aſſumtis quibuſdam epiſcopis & proceribus, in urbem Lemovicas deduxit, & in majorem S. Stephani eccleſiam, ubi eum pontificali honore gratis cum baculo paſtorali *inveſtivit*. Poſtea Jordanus apud Angeriacum Sabbato mediæ Quadrageſimæ diaconus & presbyter ordinatus eſt, & Dominica ſequenti conſecratur ab Iſlone Santonenſi epiſcopo, coadjutore archiepiſcopi Burdegalenſis, tribuſque aliis Boſone, Arnaldo & Iſemberto epiſcopis. Deinde Guillermus ducis Willelmi filius, & Arnaldus Petracoricenſis præſul, ſedi S. Martialis ipſum impoſuerunt. Interim Gauſlinus Bituricenſis archiepiſcopus indigne ferens, quod fuiſſet a Jordano contemtus, (ab ipſo enim, ſuo videlicet metropolitano debuerat ordinari,) collecta ſynodo coram Roberto rege, cui ſeptem archiepiſcopi cum ſuffraganeis epiſcopis adfuerunt, *totum Lemovicinum excommunicavit ..... ipſumque Jordanum ab officio epiſcopali prohibuit.*

Bern. Guid.

Ex Ademaro Cabanenſi, Bibl. Labb. t. 2. pag. 180.

Cauſabatur Jordanus vitandæ ſimoniæ cauſa, impoſitionem manuum, pro qua Gauzlinus pecuniam requirebat, ab alio petitam & acceptam. Nihilominus tamen, ut ſatisfaceret, *nudis pedibus ſedem Bituricenſem adiit, cum centum clericis & monachis, omnibus ſimiliter diſcalceatis pedibus. Cui archiepiſcopus cum clero obviam venit, & quos prius ligaverat, eos honorifice adducens abſolvit.*

An. 1024. pridie nonas Martias indict. VII. approbavit fundationem cellæ de Liziniaco, auctore Hugone de Liziniaco viro nobiliſſimo. Ante profectionem Jeroſolymitanam dedicavit monaſterium de Arnaco, in quo quieſcit corpus S. Pardulfi, idibus Julii, an. D. Inc. 1028. *Adfuit Guido de Turribus nobilis Lemovix, cum venerabili conjuge Engalſia*, al. *Emalſia, & Ademaro de Loron* genero, Eholo Combornenſi fratre Archambaldi, cognomine Chamba-putrida, cum Ademaro filio Guidonis vicecomitis...* auctore Gaufrido Voſienſi in chron. c. 9.

1024.

1028.

* Leorum.

Eodem anno conſecrata eſt baſilica regalis Salvatoris Lemovicæ XV. cal. Decembris ab undecim præſulibus Gothofredo archiepiſcopo Burdegalenſi, Jordano Lemovic. Iſemberto Pictavenſi, Rohone Engoliſmenſi, Arnaldo Petragoricenſi, Petro Gerundenſi, Deusdedit Cadurcenſi, &c.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI 1031.

Anno 1031. adfuit concilio Bituricenſis provinciæ, Lemovicis habito, in quo actum de S. Martialis apoſtolatu, quem in patrum cœtu propugnavit; tametſi prius epiſtolam ſcripſerat ad Benedictum papam VIII. de non accenſendo apoſtolis hoc ſancto, quam dedimus inter inſtrumenta. Ex iis vero quæ Jordanus in præfato concilio peroravit, diſcimus anno 1029. vel potius 1028. habitam fuiſſe aliam ſynodum apud Lemovicas, in qua eadem cauſa diſceptata & judicata jam fuerat, cui ipſe aderat. De hoc S. Martialis apoſtolatu Johannes XVIII. * ſcripſit ad Jordanum, docens eos inſanire, qui hunc ſanctum, apoſtolum negarent.

C. 1. col. 161.

Tom. 9. conc. Lab. col. 556. * al. XIX. vel XX.

In concilio anni 1031. Jordanus palam declamavit in milites, qui res ſanctuarii deprædabantur, & pauperes opprimebant; contra quos hæc anathemata protulerunt patres: *Excommunicamus illos milites .... maledicti ipſi & adjutores eorum in malum: maledicta arma eorum, & caballi illorum; erunt cum Caïn fratricida, & cum Juda traditore .... & ſicut hæ lucernæ extinguuntur in oculis veſtris, ita gaudium eorum extinguetur in conſpectu ſanctorum angelorum, niſi ante mortem ad ſatisfactionem atque emendationem ſive pœnitentiam dignam venerint in judicium epiſcopi ſui.*

Anno ſequenti Jordanus convenit adhuc ad ſynodum Pictavienſem commemoratam in chronico Malleacenſi. Anno 1047. facta eſt dedicatio eccleſiæ S. Mariæ Santonenſis a plurimis epiſcopis, inter quos Jordanus recenſetur. Anno 1048. adfuit conſecrationi eccleſiæ Uſercienſis, cum Geraldo Petragoricenſi, & Guillelmo Engoliſmenſi epiſcopis; tuncque teſtis fuit donationis factæ huic cœnobio ab Aulberga vocata Bonaſia ſanctimoniali, & filio ejus Boſone.

1048.

Ex chartario eccleſiæ Lemovicenſis deſcripſimus ejuſdem epiſcopi litteras quibus multa confert S. Stephano *ad communiam*; in iis autem leguntur ejus parentum nomina. Ex eodem chartario habuimus concordiam initam inter eum & Willelmum Pictavorum comitem; quam inter inſtrumenta legendam dedimus. Jordani mors anno 1052. tribuitur. Sepultus eſt in divi Auguſtini templo.

C. XI. col. 171.

C. XII. col. 172.

Ademarus Cabanenſis ei & multis tum epiſcopis, tum abbatibus epiſtolam dedicavit apologeticam pro apoſtolatu S. Martialis, anno 1028. quam Mabillonius edidit tom. IV. Annal. in appendice; ex ea autem diſcimus non ſolum annum quo ſcripta eſt, ſed etiam quo habita eſt prior ſynodus Lemovicenſis pro aſſerendo hoc apoſtolatu, ſcilicet 1028.

CHABOT.

XLIII. ITERIUS.

Poſt Jordani mortem eccleſia Lemovicenſis multis quaſſata eſt tempeſtatibus; quibus ne diutius ſubjaceret, habitus eſt conventus epiſcoporum, in quo Iterius vir nobiliſſimus, videlicet ex Chabotiorum familia, inquit Bernardus Guidonis in geſtis Lemov. pontif. moribus probus, hoſpitalis, benignus, ſobrius, & ad omne opus Dei paratus, *ex monogamia* electus eſt; quod ſignificare videtur ipſum ante epiſcopatum ſemel uxorem duxiſſe. *Elegimus illum*, inquiunt clerus & populus, *ſecundum domini præceptum reluctantem & contradicentem, ex voluntate & conſenſu domni Guillelmi comitis, & Ademari vicecomitis, omniumque procerum & caſatorum, atque totius populi; clericorum quoque; decani, videlicet Petri, & præpoſiti Goſſridi, & omnium archidiaconorum, &c. Elegimus illum & adhuc eligimus ad regendam eccleſiam B. Stephani Lemovicæ ſedis, ut ſit nobis paſtor pius in neceſſitate, ad ſuccurrendum promptus, & pro omnibus ſibi commiſſis bellator indefeſſus.*

ANNI CHRISTI

Poſtea electores electum ante conſpectum Bituricenſis metropolitani & comprovincialium epiſcoporum ſiſtunt, ut eum ordinarent a Deo præelectum, a ſe acclamatum, ab *apoſtolico* Romano & omnibus comprovincialibus epiſcopis collaudatum, & a comite cum omnibus optimatibus. Nec mora, ordinatus & conſecratus eſt Iterius a præſentibus epiſcopis, Bituricenſi metropolitano Aimone, Arvernenſi Rencone, Gerardo Petragoricenſi; laude & conſenſu Petri Ruthenenſis, Guillelmi Albienſis, Bernardi Caturcenſis epiſcopi. Hæc ſunt acta menſe Januario, pridie nonas anno 22. Henrici regis. Subſcribunt Aimo Bituricenſis archiepiſcopus, Renco Arvernenſis epiſcopus, Geraldus Petragoricenſis, Guillelmus Albienſis, Bernardus Caturcenſis, Hildebertus Gabalitenſis, Stephanus Velavenſis, Petrus Ruthenenſis. Hæc ſumma fide ex chartario Lemovicenſi tranſſumſimus; & ad ea contulimus quæ tomo 9. concil. Labbei col. 1068. ſunt edita.

1052. *vel* 1053.

In eodem chartario legitur epiſtola cleri Lemovicenſis ad Willelmum Aquitaniæ comitem, poſt mortem, ut videtur, Jordani ſcriptam, qua petit ut per ipſum liceat eligere paſtorem optimum.

C. XIII. col. 173.

Iterius adfuit unctioni ſolemni & inaugurationi Philippi Francorum regis anno 1059. An. 1060. vel potius 1062. * regnante Philippo rege an. 2. indict. 15. ſubſcripſit chartæ Ademari vicecomitis, qua abbatiam S. Martialis tradidit Cluniaco, abbatique Hugoni. An. 1068. calend. Aprilis convenit ad ſynodum Burdegal. a Stephano Sedis apoſt. legato celebratam. Hoc epiſcopo annuente, Rainaldus ceſſit S. Aredio * & S. Martino, Ranzoliæ monaſterium a ſuis majoribus deſtructum, ex Baluzio in hiſt. Arverniæ; quod factum an. circiter 1070. conjicimus. In charta Uſerchiæ ejuſdem anni vocatur corrupte Itgerius. Recenſetur inter præſules qui convenerunt ad concilium Burdegalenſe habitum ſub Alexandro papa II.

1059. 1062. *

* S. Yrier. *prol. pag. 47.* 1070.

Hic epiſcopus mortem a longe proſpiciens jam teſtamentum condiderat an. 1062. quod noſter D. Claud. Eſtiennot invenit in tabulario Nobiliacenſi apud Lemovices; etenim pro notis temporis præfert hunc annum, epactam VII. Lunam IV.

Antiq. Lemovic. pag. 477.

* Utrum anno 1060. an 1062. Ademarus ceſſerit hanc abbatiam Cluniacenſibus, incertum videtur. Anno ſecundo regni Philippi videtur magis convenire annus Chriſti 1060 cum eum corona redimitum ſciamus an. 1059. ſed indictio 15. non congruit. Itaque dicendum annos regni Philippi computari a morte patris, hoc eſt an. 1060. hicque rationem habitam annorum non inchoatorum, ſed completorum; ſicque optime concurret annus Chriſti 1062 annotatus, cum regni Philippi anno ſecundo.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

menſem Novembrem, indict. XV. Mortuus an. circiter 1073. jacet in æde S. Auguſtini. Apud Sammarthanos fratres legitur tranſtuliſſe caſtrum de Chaſlus ex loco vocato *Franchenas*, in eum ubi nunc viſitur; *erat quippe frater principis hujus caſtelli.*

Interfuit concilio Burdegalenſi tempore Alexandri papæ II. cujus concilii annus ignoratur.

1073. Rebus humanis exemtus eſt anno 1073. quo Ademarus vicecomes Lemovicenſis, pro illatis majori S. Stephani eccleſiæ injuriis, dedit unum manſum de alodo ſuo, & alia, diſcalceatiſque pedibus, ad eandem eccleſiam acceſſit. Ante novem annos, ipſius Ademari conſilio, Alexander quidam nuntium remiſit malis conſuetudinibus, quas in eccleſia & terris S. Stephani uſurparat.

C. XIV. col. 173.

XLIV. GUIDO I.

DE LARON.

Guido de Laron, *al.* de Leron, Jordani epiſcopi nepos, ſucceſſor datur Itherio an. 1073. Hugo de Caſtello-novo ſecularis abbas Belli-loci, volens illud monaſterium ordinandum Hugoni abbati 1076. Cluniacenſi committere, anno 1076. hujus epiſcopi conſenſum petiit & obtinuit. Adfuit concilio Exoldunenſi, cui præerat Hugo Dienſis epiſcopus S. Sedis legatus, cum frequentibus epiſcopis anno 1081. ubi ſubſcripſit cuidam donationi 1081. [b] factæ Majori-monaſterio, [b] a Richardo metropol. Bitur. hac in ſynodo confirmatæ. Rogatus ab Archembaldo vicecomite, filio Archembaldi vicecomitis, Ebaldique vicecomitis nepote, conceſſit ut in eccleſia quæ vocatur *Maiſmac*, monaſterium ſub regula S. Bened. conderetur, quod liberum ab omni conſuetudine foret ſicut Uſerchia. *Actum* III. nonas Febr. an. M. LXXXV. indict. VII. Guidonem 1085. [c] an. circiter 1086. [c] obiiſſe inde conjicimus, quod hoc anno ſedes vacaverit ex tabulis S. Stephani.

a

b

c

cap. 21. *Defuncto Guidone epiſcopo*, inquit chronicon Voſienſe, *tumulatum eſt corpus ejus in monaſterio S. Stephani ante altare perpetuæ virginis Mariæ ab ipſis canonicis, cum in illa urbe nullius cadaver defuncti jacuerit. Tunc Geraldus abbas S. Auguſtini, convocato comite Pictavenſi, corpus pontificis ab eccleſia ſublatum, infra paucos dies apud S. Auguſtinum magna cum frequentia diverſorum ordinum recondit; unus tamen de turba lapide jacto, caput ſacerdotis mortui percuſſit, unde ſanguis non ſine admiratione multorum exivit.*

Sub Guidone epiſc. Willelmus comes Pictav. obſedit Lemovices. Tunc fuerunt combuſtæ eccleſiæ quæ erant extra caſtrum an. 1082.

De hoc antiſtite eſt epiſtola 17. lib. VII. Gregorii papæ VII. ad monachos Dolenſes: *Frater & coepiſcopus noſter Lemovicenſis conqueſtus eſt nobis in ſynodo, quam nuper Romæ Deo opitulante celebravimus, quod veſtra fraternitas eccleſiæ ſuæ duo monaſteria ſubtrahit. Teſtatus eſt etiam ipſe frater & coepiſcopus noſter, atque legatus noſter Hugo Dienſis epiſcopus, quod vos pro hac cauſa ad duo concilia, ſcilicet ut inter vos & prælibatum epiſcopum exinde juſtitiæ finem componeret, admonuit: ſed ut ipſe aſſerit, nullam juſtitiam ſeu obedientiam exhibere voluiſtis. Quapropter ſynodalis conventus decrevit ut præfata monaſteria in poteſtate Lemovicenſis eccleſiæ redire debeant; & ſine contradictione veſtra ſeu veſtrorum uſque ad adventum legati noſtri quiete ab ipſa eccleſia poſſideantur*, &c. Data Romæ cal. Aprilis, ind. 3. id eſt an. 1080.

ANNI CHRISTI

XLV. HUMBALDUS.

DE STE. SEVERE.

Guidoni in pontificatu ſucceſſit Humbaldus a S. Severa nobilis Bituricus, uti docet Gaufridus Voſienſis prior in chronico. At Ademarus S. Martialis abbas, qui ad electionem præter morem non fuerat vocatus, [d] adverſus hunc electum appellata ſede apoſtolica inſurrexit. Urbanus autem papa II. decrevit abſque abbatis voluntate Humbaldum minime eſſe habendum pro epiſcopo. Hæc vero contentio inter antiſtitem & abbatem plurimis cædibus locum dedit, cum Humbaldus nulla arte potuiſſet obtinere electionis ſuæ confirmationem. At conſilio Heliæ de Gimel archidiaconi, machinamento cujuſdam Vitalis, qui erat tunc Lemovicenſis aurifex, ſuppoſititias ſub nomine *Apoſtolici* fabricavit litteras. Iis munitus Lemovicas rediit, eumque ſuſcepit S. Martialis abbas publica & ſolemni proceſſione.

d

Humbaldum pro vero epiſcopo habitum eſſe annis 1087. 88. 91. 95. probant chartæ Tutelenſes horum temporum. An. 1093. rogatus a Gerardo Uſerchiæ abbate, benedixit cœmeterium in Monte-cenſo. Sed anno 1095. coactus eſt maximus cœtus Lemovicis, quo acceſſit Urbanus papa II. decimo calendas Januarii, comitantibus ex Gallia Ugone Lugdunenſi, Audeberto Bituricenſi, Amato Burdegalenſi archiepiſcopis; epiſcopis vero Petro Pictavienſi, Ramnulfo Santonenſi, Raimundo Ruthenenſi, Humbaldo Lemovicenſi. Hic accuſatus coram pontifice ipſa in ſynodo convincitur, & *apud S. Martialem in conſpectu Ademari abbatis, quo contradicente electus fuerat, a domino papa publice deponitur. Qui Humbaldus apud S. Severam ſeceſſit, ibique inter laïcos laïcaliter multo tempore vixit: erat quippe frater dominorum ejuſdem caſtri, quod eſt in Biturico.*

1087. 1091. 1093. 1095.

Chron. Voſ. cap. 28.

Eodem anno quo depoſitus eſt, concordiam iniit cum abbate & monachis Dolenſibus, pro eccleſia Turrenſi, cujus pacti inſtrumentum edidimus ex chartario Lemovic. Imo poſt ſuam depoſitionem adhuc aliquandiu epiſcopatum retinuit; nam VI. cal. Maii an. 1096. cum Caſa-Dei monachis permutavit eccleſiam de Uſſello, pro eccleſia de Angiaco. At hoc anno legitur in charta Tutelenſi vacaſſe cathedram.

C. XV. col. 174.

XLVI. GUILLELMUS I.

DE URIEL.

Guillelmus de Uriaco nobili ortus genere, ex priore S. Martialis factus eſt Lemov. epiſcopus.

[a] Scribit Baluzius, *de Leron*, in ſua Tutelenſi hiſtoria; attamen in eadem hiſtoria pag. 139. gentem hanc nobiliſſimam *Lernadenſem* vocat.

[b] Scilicet eccleſiæ S. Martini de Campis, alias de Briva prope muros civitatis. Vide tom. VI. Spicilegii pag. 18. & tom. X. concil. pag. 400.

[c] In necrologio S. Leonardi Lemovic. legitur: *12. cal Febr. obiit Guido ep. Lemov.* quod intelligi debet de noſtro Guidone.

[d] Videtur tamen ſibi contradicere ſcriptor; nam in conſequentibus ibidem legitur: *In electione quippe pontificis abbas diſceptaverat cum canonicis.* At verba hæc ſignificare tantum queunt in alia electione olim inter abbatem & canonicos fuiſſe controverſiam.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

De ipſo eſt audiendus Gaufridus Voſienſis in chronico :

Depoſito Humbaldo, Guillermus prior monaſterii S. Martialis pontifex efficitur, ſed non ſtatim *. *Ipſe fuit frater nobilium virorum de Ureec*[a], *quod eſt caſtrum in Biturico. Hic conſecravit monaſterium de Uſerchia in honorem principis Apoſtolorum undecimo cal. Febr. una cum Arnaldo*[b] *epiſcopo Petracoricenſi, tempore ſupradicti Gauberti abbatis, Dominicæ Incarnationis anno 1097. altare vero majus conſecratum fuerat olim ab Hugone Lugdunenſi archiepiſcopo, & Guidone Lemovicenſi epiſcopo: nunc vero mundatum & expiatum eſt a præfatis præſulibus, & alia quædam altaria conſecrata. Eodem ſub tempore epiſcopus Guillermus corporali poſſeſſione inveſtivit Voſienſem eccleſiam, & Petrum abbatem ejuſdem cœnobii de capella de Bré, ſicut olim conceſſerat Firminus de Bré, ejuſque poſteri. Cumque idem præſul zelo Dei tactus pravorum moribus contrairet, infra tertium ſacerdotii annum ab eiſdem veneno petitur, per manus cujuſdam Martini, qui erat de urbe Lemovica, qui cognominabatur Chriſtianus, qui in hoc facto exſtitit paganus, imo pejor quam paganus. Cumque gravari ſe pontifex cerneret, abbatem quanquam tarde expetivit, qui tali peſte laborantibus ſubvenire ſolitus fuerat..... Sole ruente præſul obiit ..... Lugubri pulſatione ſignorum mors pontificis declaratur..... Corpus igitur præſulis honore condigno in baſilica Salvatoris mundi tumulatur ante altare S. Auſtricliniani, quaſi paſſibus octo: juxta cujus tumbam alria duo, unum in honore S. Jacobi, aliud in honore S. Vincentii levitæ & martyris conſtructa & conſecrata ſunt.*

ANNI CHRISTI

* *Id ſupra probavimus.*

[a] Nos monuit V. C. Carol. d'Hozier cognomen hujus gentis Gallice eſſe d'*Uriel*.

[b] *al.* Rainaldo, ut legitur in chartulario Uſerch. cognominaturque de Tiberio.

Ex Gaufrido Voſienſi vix plures quam tres anni tribui debent epiſcopatui Guillelmi. Certe quamvis Humbaldus fuerit depoſitus an. 1095. minime tamen ſententia depoſitionis exſecutioni eſt mandata. De hac mora intelligendus videtur Urbanus papa II. an. 1099. in bulla ad Hugonem Lugdun. archiepiſcopum, in qua ſic habet: *Electionem igitur ſive conſecrationem* (ſcilicet Humbaldi) *illic non jure factam nos quidem irritam habemus; ſed adhuc ſententiam pro non ſpernenda domni patris noſtri Cluniacenſis abbatis poſtulatione diſtulimus* (exſequi), *ſuppliciter enim exoravit ne in fratrem illum impatienter ageremus*, &c. Et quidem ſupra oſtendimus Humbaldum adhuc epiſcopali fungentem officio, quædam permutaſſe cum Caſæ-Dei monachis. Nihil a Guillelmo geſtum
1097. legimus ante XI. cal. Februarii anni 1097. ſeu 1098. ſecundum hodiernum morem inchoandi annum a Januario. Nihil vero de ipſo occurrit poſt
1100. annum 1100. quo ſacellum Porchariæ Uſerchienſi donavit monaſterio. Tempore hujus epiſcopi Urbanus papa an. 1096. Aquitaniam peragrans apud Santonas, hoc privilegium dedit Ademaro S. Martialis abbati ejuſque ſucceſſoribus, ut abſente Lemovicum epiſcopo abbas cum majoribus Lemovicenſis eccleſiæ canonicis, totius diœceſis curam gerat, ac præcipua etiam eo præſente illius eccleſiæ negotia ejus conſilio peragantur; utque epiſcopi electio ad ejus potiſſimum arbitrium diſponatur.

XLVII. PETRUS I. VIROALDUS.

Petrus cognomento Viroaldus ex decano[c] Burdegalenſi creatur Lemovicenſis præſul. De eo ita loquitur S. Stephani chronicon: *Poſt Willelmum epiſcopum Lemovicenſem præfuit Petrus Burdegalenſis, cognomine Viroaldus, litteratus: poſt hunc præfuit Euſtorgius; & quia comes Pictavenſis non diligebat eum, quia adhærebat Adhemaro vicecomiti Lemovicenſi, non erat auſus morari in terra vicecomitis.* De eodem chronicon Voſienſe: *Defuncto Guillermo, ſuſcepit ſacerdotium Petrus Burdegalenſis; hic litteris quidem valde eruditus fuit. Verum immoderata ingluvies nimiam edacitatem ciborum ei ſuggerebat, infirmitate naturæ cogente. Iſte dedit monaſterio Voſienſi capellam de Combornio. Dedicavit monaſterium de Arnac 15. cal. Dec. in honorem S. Trinitatis, ſanctique Pardulphi, cujus corpus illic honeſte quieſcit. In quo monaſterio pontifex linteum ſubtiliſſimo opere decoratum tenens concupivit, petiit & accepit. Poſt hæc pontificatum derelinquens, ſe ſe ex toto cathedra ſubſtraxit. Nondum pontifices ſubjectas eccleſias procurationis cauſa gravabant, nondum illas tantis exactionibus opprimebant.* De Petro eadem fere legimus in geſtis Lemovic. pontificum Bernardi Guidonis. Jam ſediſſe Petrum anno 1100. 1100.
docent noſtri Sammarthani; ad quod probandum adducunt chartarum Uſerchiæ teſtimonium. Aliquas præ manibus habuimus anni 1103. Sed 1103.
parum temporis poſtea fuit epiſcopus; nam in chartis duabus eccleſiæ Tutelenſis habetur ſedem vacaſſe annis 1104. & 1105. 1105.

Petrus uſus eſt Guillelmo de Carbonieras, ad ſacerdotale, ſeu paſtorale officium, per biennium; *qui tamen nunquam ad ſacerdotium*, hoc eſt epiſcopatum, *pervenit*, inquit chron. Voſienſe. In Silvæ-majoris necrologio mortuus legitur XV. cal. Junii. Memoratur in quodam inſtrumento edito inter inſtrum. tomi 1. col. 2. p. 28.

[c] Vide quæ de eo dicimus in decanis Burdegalenſis eccleſiæ. Erat autem ſimul ejuſdem eccleſiæ archidiaconus. Et quidem in chartulario Angeriacenſi dicitur quod *Petrus tunc archidiaconus Burdegalenſis, poſtea epiſcopus Lemovicenſis principaliter ſententiam totius regebat negotii, videlicet de eccleſia Mareſtaſii; additur quod ſæpedictus Petrus Lemovicenſis epiſcopus, tunc archidiaconus, cyrographum ex ore ſuo, accito notario, dictavit nutu & voluntate Amati metropolitani & totius concilii, atque tanta auctoritate roboratum abbati tradidit conſervandum Angeriacenſi.*

XLVIII. EUSTORGIUS[d]. d

Euſtorgium jam ſediſſe anno 1106. probat 1106.
charta eccleſiæ Tutelenſis. Idem epiſcopus anno 1107. annuente Ildeberto decano, Gauberto ab- 1107.
bati Uſerciæ eccleſiam de Selon concedit. Eodem anno ipſi etiam Uſerciæ donat eccleſias de Chambaret, de Sodæna, S. Hilarii de Laſcorbas & de Trainaco. Anno 1108. inveſtivit eundem abbatem de eccleſia S. Pauli de Torena, & 1118. 1108.
Aldeberto abbati dedit capellã de Vitrac. Præterea

[d] Vocatur Auſtorgius in tabulis Bellilocenſibus. Vide C. XVII col. 175. & Euſtachius in codice MS. biblioth. Petavianæ pag. 608.

ſubdidit

ANNI CHRISTI C. xvi. col. 175.

ſubdidit Uſerchiæ Agedunenſem abbatiam & Maiſmacum, ut videre eſt inter inſtrum.

In tabulario Voſienſi exſtant ejuſdem litteræ datæ anno 1111. quibus huic monaſterio eccleſiam de Spartiniaco largitur. In hiſtoria Arverniæ Baluzius profert litteras Bernardi vicecomitis de Combornio anni 1112. pro monachis Tutelenſibus, in quibus ejuſdem Euſtorgii fit mentio.

1111. *Prob. pag. 484.*

1114. Memoratur quoque an. 1114. in electione Bernardi abbatis S. Martialis facta hoc anno *nonis Octobris indict. VII. epacta 12. regnante Ludovico rege, præſidente in ſede Lemovicenſi Euſtorgio pontifice.* Recenſetur an. 1120. in electione Rogerii 1. abbatis Dalonenſis.

Erat in comitatu Guillelmi Aquitanorum du-

1122. cis XI. cal. Aprilis an. 1122. quando hic princeps eccleſiam S. Liberatæ, *Sainte Livrade*, ad Oltum fluvium Stephano abbati Caſæ-Dei dedit. Anno

1126. 1126. tranſegit cum Golferio de Turribus, de ſibi illatis injuriis, ſuper eccleſia de Obiaco.

1130. Adfuit concilio Claromontano, anno 1130. ſub Innocentio papa II. cui Euſtorgius adhæſit contra Petrum Leonis, ſeu Anacletum antipapam; cujus legatus Geraldus Engoliſmenſis, alium epiſcopum Lemovicenſem creavit, ſcilicet Ramnulfum, de quo audiendum Chronicon Voſienſe:

cap. 46. *Interim Geraldus Engoliſmenſis, conſilio ducis, Dauratenſem abbatem Ramnulfum conſecravit epiſcopum* Lemovicenſem..... *ipſe Petro* Leonis, *& Euſtorgius parebat Innocentio, qui poſtea vicit, quia prolixius vixit. Ramnulfus apud Subterraneam ordines fecit, quia principes terræ illius propter comitem Pictavum eum recipiebant; ordinati poſtea degradati ſunt, quorum primum vidi Geraldum Rudel de Vercillac,* al. *de Bertillac..... Die quarta Ramnulfus Subterraneæ, Euſtorgius fecit ordines Uſerchiæ.* Et quidem an. 1131. Ramnulfus ut epiſcopus Lemovicenſis ſubſcripſit diplomati Willelmi Aquitaniæ ducis. Arnulfus Sagienſis archidiaconus, poſt epiſcopus Lexovienſis, de hoc ſchiſmate ita loquitur, invehens in ipſius auctorem Geraldum Engoliſmenſem:

Beſly com. Pict. pag. 494.

De ſchiſm. l. 2. Spicil.

Pictavienſis ac Lemovicenſis eccleſiæ, comitis viribus abutendo, catholicos ejeciſti pontifices, alios extraordinarie ſuperponens; quorum alterum minus vita probabilem: alter vero..... nec ſcientia litterarum famoſus apud omnes adulter, ſingulis fere noctibus a dæmonio rapitur. Pauloque infra irritum Gerardi conatum adverſus Euſtorgium fuiſſe ſignificat hoc modo: *At Lemovicenſis*, epiſcopus, *ab urbe ſua ſtadio uno vix interjacente remotus, caſtrum S. Martialis pro foribus urbis inhabitat; unde is qui ſedem ſibi cathedræ pontificalis uſurpat, ſingulis diebus audire poſſit campanas in ſua excommunicatione ſonantes.*

Euſtorgius tandem eccleſiæ ſuæ reſtitutus eſt ope S. Bernardi abbatis Claræ-vallenſis; quando videlicet vir ſanctus ignea facie, igneis oculis, ad comitem Pictavenſem poſt celebrata miſſarum ſolemnia Pictavis acceſſit, ferens in manibus corpus Domini ſuper patenam, ac minacibus verbis ipſi imperavit ut reconciliatus epiſcopis quos ejecerat, eos ſedibus ſuis reſtitueret, ut refertur lib. II. c. VI. vitæ S. Bernardi.

De hac reconciliatione & ſchiſmatis exſtinctione ita Chron. Voſienſe: *Tandem, miſerante Deo, pacem fecit comes apud Pictavas cum Euſtorgio. Ramnulfus hoc facto confuſus a Pictavis revertebatur, cum repente de equo manſueto corruit & obiit. Perlatus eſt in cœnobium quod vocatur Bulos, ubi ipſe quondam bona contulerat, quod eſt non longe de caſtello de Nioil. Guillermus quoque, cognomento Adalelmus, tunc Pictavenſem recuperavit ſedem, quam Petrus de Caſtelteyraut occupaverat propter diſſidium ducis & præſulis.* Hic Gaufridus Guillelmum ducem Aquitaniæ & comitem Pictavienſem, modo ducem, modo comitem appellat.

ANNI CHRISTI *cap. 45.*

cap. 46.

1135. 1137. B Hæc geſta ſunt anno 1135. Biennio elapſo, ſcilicet an. 1137. 3. cal. * Decembris ad Dominum migravit Euſtorgius, ſepultuſque eſt apud S. Auguſtinum a Lamberto Engoliſmenſi epiſcopo Girardi ſchiſmatici ſucceſſore, qui paulo poſt Euſtorgium ſedi ſuæ reſtitutum repentina morte impœnitens oppreſſus fuerat. Adfuerunt ipſius exſequiis Amblardus S. Martialis abbas, Bernardus Uſercienſis ſucceſſor Aldeberti, Ademarus Voſienſis, Ebolus Tutelenſis, G. Solemniacenſis, P. S. Auguſtini, & Guillelmus S. Martini; qui ad ſynodum convenerant acciti a præſule quamvis infirmo.

* nonas ex *D. Claud. Eſtiennot Antiq. Lemov. p. 1. pag. 83.*

Chr. Voſienſ. cap. 48.

Euſtorgii præcepto, & conſilio Gauberti Nor- *Chr. Voſienſ.*
C manni Gregorius cognomento Bechada de caſtro *cap. 30.*
de Turribus, profeſſione miles, ſubtiliſſimi ingenii vir, aliquantulum imbutus litteris, de liberatione Jeruſalem an. 1099. materna lingua, rythmo vulgari ingens volumen compoſuit; cui operi per annos 12. incubuit.

Euſtorgio ſedente prima Obazinæ monaſterii fundamenta jecit B. Stephanus Obazinenſis. Poſtquam enim aliquandiu, comite Paulo, latitaſſet in ea ſilva, duriſſimam aſperrimamque vitam traducens, aliquot ad ipſum confluxere diſcipuli; tunc-

Vita S. Stephan. tom. IV. Miſcell. Baluzii.

que *ſuperius memoratus ejus ſocius, communi aſſen-*
D *ſu, Lemovicam perrexit ad urbem, adjuncto ſibi clerico Bernardo, qui nuper ad eos convenerat. Pervenientes ad urbem, epiſcopo tunc Euſtorgio colloquuti ſunt, diligenter ei cauſam ſuam & propoſitum beati viri aperientes. Qui benedicens eis, crucem quam ei detuleraut conſecravit, eiſque cum aqua a ſe benedicta tradidit, dans poteſtatem miſſam celebrandi & monaſterium conſtruendi; ita dumtaxat ut morem a patribus traditum ſequerentur. Qui mox acceptis quæ detulerant, habitationem ſuam in ulteriorem rivuli ipſius partem promovit, unde noxia & inutilia quæque ſuccidens, ad inſtar monaſterii domos ædificavit, hoc eſt oratorium, dormitorium, refectorium, coquinam, & in*
E *medio eorum clauſtrum, omnibus his vix unius haud magnæ domus ſpatium occupantibus.*

Euſtorgius erat avunculus Geraldi IV. Cadurcenſis epiſcopi, ex decreto capituli Grandimontenſis, quo ſtatuitur ut pro illis preces fiant, & pro Geraldo epiſcopo qui ſequitur.

Videtom. I. pag. 131.

XLIX. GERALDUS II. DE CHER.

Geraldus de Cher [a] S. Aredii in pago Lemo-

[a] Geraldus cognominatur Hector anno Incarn. M. C. LVII. regnante Lodoico rege, ex charta fundationis abbatiæ B. M. de Bona-aqua. Cognomen *de Cher*, ei tribuitur in Chr. Uſercienſi.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

vicino decanus, Euſtorgii epiſcopi nepos, qui eum Aldeberto Uſerchiæ abbati litteris imbuendum tradiderat, poſt ipſum ſedit in cathedra Lemovicenſi, de qua alius cum ipſo contendebat, ſcilicet Amblardus abbas S. Martialis, uti nos docet Gaufridus prior Voſienſis coævus ſcriptor in Chronico: *Tumulato pontifice* (Euſtorgio) *eligitur a quibuſdam in epiſcopum abbas Amlardus* *. *Qui protinus pontificalem thronum aſcendit, quod ei nocuit poſtea multum. Electus eſt ab aliis Geraldus, S. Aredii decanus, nepos Euſtorgii, factaque eſt contentio inter ſingulorum fautores. Petrus Laureç, qui propter eccleſiam Cayronenſem amicorum turba pollebat, pontificalem thronum abbati ex parte ſummi pontificis interdixit. Quapropter a Bonifacio abbatis cliente vulneratus, ſanguinem in veſte fuſum ab eo, prout potuit, Eugenio papæ oſtendit. Amlardus Romam ire diſponens, Cluniacum petiit, auxilium ipſorum flagitans; in nullo ab ipſis auxiliatus retrogradum conficit iter. Geraldus interim Romam venit, petitio illius bene audita eſt, verumtamen non ad votum rem ad effectum libuit venire. Repetit ergo Lemovicas. Evoluto tempore regreſſus eſt ſecundo Romam. Cernens itaque ſuum præter ſpem differri negotium, vocat ad convivium majores curiæ Romanæ. Quid multa? ut de ciborum & potus varietate ſileam, ante convivia expoſita ſunt vaſa diverſa operati metalli; celebrante autem Apoſtolico miſſam* *, *ſcyphum argenteum aureis plenum denariis quaſi pro anima Euſtorgii Geraldus obtulit ipſi: Euſtorgius ſiquidem magnum eidem Geraldo commiſerat theſaurum, quem erogare rogavit eccleſiis. Propter ſuum epiſcopatum, jurat tandem electus ſeptima manu nullas alicui promiſiſſe vel dediſſe pecunias. Quo expleto, ab ipſo papa ante ſanctum Paſcha preſbyter & pontifex conſecratur, & poſt hæc in pace remittitur.*

* Abb. S. Martialis.

* Pro Euſtorgio ex *Bernardo Guidonis.*

Confirmatus a S. Sede, poſt reditum ſynodum celebravit. Ceterum Roma reverſus erat an. 1142. quo de ipſo hæc leguntur in vita B. Stephani primi Obazinenſis abbatis: *Igitur anno ab Incarnatione Domini 1142. Dominica ante Paſcha quam Palmas vocamus, præſente domno Geraldo Lemovicenſi epiſcopo multiſque religioſis viris, venerabilis pater Stephanus a quodam abbate, qui cum epiſcopo venerat, monachus eſt effectus; ſtatimque in abbatem promotus & ab epiſcopo conſecratus, omnes quos habebat clericos fratres in monachos benedixit, ceteros in priſtino habitu manere conſtituit. His ita peractis, præcedente epiſcopo cum clericis, abbate novo cum monachis novis & fratribus laïcis, ſubſequente ſanctimonialium religioſa caterva, comitantibus etiam multis populorum agminibus, qui ad tam glorioſum ſpectaculum eo die convenerant, proceſſionem Palmarum a monaſterio virorum uſque ad monaſterium feminarum cum magno pſallentio peregerunt;* eaſque ſanctimoniales Stephanus recluſit. Non multo poſt cum Stephanus in Arvernenſi territorio monaſterium conſtituiſſet, idque *ſitus aſperitate rerumque inopia premeretur, ſuggeſtu ac præcepto domini Geraldi Lemovicenſis epiſcopi, in ipſius diœceſis finibus a domno Stephano poſt aliquot annos fuit tranſlatum.*

1142.

Exſtat in tabulario Voſienſi Geraldi epiſcopi charta, ad finiendam controverſiam inter Voſienſe cœnobium & S. Sanctini eccleſiam, data anno 1144. Eodem anno tranſegit cum abbate Mortuimaris. Memoratur in tabulis Uſerchienſibus ann. 1145.* 1146. 1158. & 1168. Vituperatur autem in hujus loci chronico, quod opem impenderit cuidam Hugoni, qui in prioratu Maiſmacenſi ad jus eccleſiæ Uſerchienſis ſpectante, contra voluntatem abbatis novam abbatiam creaverat, & ſe ſe abbatem conſtituerat. Sed hoc mutavit & emendavit Geraldus, litteris datis 1147. indict. x. ad confirmandam Maiſmaci ſubjectionem ab Uſerchia. An. 1156. feria VI. ante Palmas, benedicto prius Obazinæ cœmeterio, novæ eccleſiæ primum lapidem in fundamentum depoſuit.

ANNI CHRISTI 1144.

a

1147.

Præſtitit auxilium Heliæ de Horto, quinto Artigiæ priori, ad transferendum ejus monaſterium, in locum qui dicitur Major-Artigia.

Bibl. Labb. tom. 2. pag. 278.

Poſt ſecundam ad SS. Apoſtolorum limina peregrinationem, in qua ſocios habuit Geraldum Cadurcenſem epiſcopum, Petrum abbatem S. Auguſtini, & Martinum priorem Voſienſem, quem Gaufridus ſcriptor Voſienſis Chronici ſuum appellat anteceſſorem, oculis cœpit infirmari, citraque tertium annum circiter omnino cœcus effectus eſt.

Ch. Voſienſ. cap. 58.

Adfuit pridie nonas Octobris Dominica die anni 1166. vel potius 1168. ut optime advertit Philippus Labbeus, conſecrationi eccleſiæ Grandimontenſis a Petro Bituricenſi archiepiſcopo, Bertranno Burdegalenſi, Geraldo Caturcenſi, Petro Engoliſmenſi, Rogerio Sagienſi & Johanne Petragoricenſi epiſcopis facta. An. 1170. dedit abbatiæ Tutellenſi eccleſiam S. Clementis, cujus donationis chartam vide hiſt. Tutel. col. 489.

1168.

Anno 1173. multæ hoſtilitates factæ ſunt in pago Lemovicino. Cum Geraldo convenerunt Lemovicas Raimundus de Turenna, Archambaldus de Comborno, Guillermus Sector-ferri filius comitis Engoliſmenſis, cum principibus multis. Quem eventum habuerit hoc bellum non ſatis aperte docet Gaufridus Voſienſis.

Aliud bellum geſſit utilius Geraldus an. 1177.[b] ut docet Bernardus Guidonis, ſuæ vitæ ultimo, adverſus Barbanſones, & Cotarellos, qui erant prædones atrociſſimi; quorum interemit duo millia & amplius in territorio Brivenſi, juxta caſtrum nunc inde a *Mala-morte* appellatum, cum antea Bellefort nuncuparetur. Hoc actum eſt in die Dominicæ Cœnæ menſe Aprili. Ex hac vita nonis [c]

b *Geſta Lemovic. epiſc.*

c

[a] Celebris eſt charta hujus anni indictione VIII. qua dat Uſercæ & Bernardo abbati eccleſiam de Chambaru. Teſtes fuerunt Albertus abbas S. Martialis Lemov. Petrus S. Auguſtini Lem. Bonitus S. Savini Pict. Giraldus Agiduni.

[b] Bernardus Guidonis duo dicit quæ invicem pugnare videntur: primum, Geraldum epiſcopum an. 1177. feliciter pugnaſſe contra Barbanſones, vel Brabanſones in die Dominicæ Cœnæ menſe Aprili; alterum, domnum Sebrandum Chabot eodem anno 1177. IV. idus Februarii fuiſſe electum epiſcopum Lemovicenſem. Certe ſi hujus epiſcopi electio facta eſt poſt mortem Geraldi, hæc ſtare non poſſunt. Nam quocunque modo anni initium ſtatuntur, dies qui eſt IV. idus Februarii debet præcedere menſem Aprilem. Prior Voſienſis qui hoc tempore florebat & ſcribebat, docet tamen fere eadem ac Bernardus Guidonis de tempore pugnæ Malamontenſis, ad quam Geraldus quamvis cœcus properavit. Nullam viam conciliandi hæc ſpecie tenus pugnantia habemus, quam dicendo Geraldum tempore hujus pugnæ jam abdicaſſe, forte propter cœcitatem.

[c] Geraudus epiſcopus Lemov. conſignatur quoque in necrologio Fontis-Ebraldi ad VIII. idus Octobris.

ANNI CHRISTI

Octobris migravit Geraldus, ſepultuſque eſt prope Euſtorgium in S. Auguſtini cœnobio *. In appendice Roberti de Monte, comes urbis Lemov. appellatur. *Cœnobitis recentibus exſtitit munificus, antiquis vero auſterus, fuit nempe multum dives*, inquit auctor Chronici Voſienſis.

* Ita patr Anſelm. a dom. du Fourny citatus: Amiraux de France.

CHABOT.

L. SAIBRANDUS.

Saibrandus Chabot archidiaconus Thoarcenſis in eccleſia Pictavienſi, quem lego fuiſſe quoque ſcholaſticum * in eccleſia Cameracenſi, ex vetuſta illuſtrique gente Chabotia, patre Sebrando Vulventi * in Pictonibus domino, matre Agnete, ut conjicit Quercetanus, domina Rochæ-cerveriæ genitus, creatur epiſcopus poſt Geraldum.

* Vouvant.

Prior Voſienſis qui tunc ſcribebat, de eo ita loquitur c. 70. Chron.

A cujus, Geraldi, *tranſitu die centeſimo vigeſimo v. Februarii IV. idus eligitur Sebrandus archidiaconus de Thoarceſi, quamvis occulte, quia regi Anglorum res diſplicebat..... Calendis Septembris detecta eſt apud S. Aredium Sebrandi electio. Idcirco expulſi ſunt canonici a propria domo, extranea facta eſt mater a filiis ſuis, ac per annum ac menſes novem omni caruit myſterio divino.* Et cap. 71. ita pergit: *Calendis Decembris Saibrandus primo in ſede a quibuſdam canonicis Lemovicenſibus levatur apud Solemniacum; dehinc velocius receſſerunt. Deinde Romam pergens, magna in ſynodo quæ habita eſt ſub Alexandro papa præſulum pene totius Orbis in Quadrageſima, conſecratus eſt a Garino Bituricenſi archiepiſcopo.* Concilium hoc fuit Lateranenſe nonum, habitum anno 1179. 12. cal. Aprilis. Cap. 72. de Saibrando hæc adhuc ſubdit: *primus Saibrandi præſulis introitus in urbem Lemovic. XIII. cal. Auguſti Luna XXIV. celebratus eſt. Tunc miſſam ipſe feſtivam explevit; ac deinceps non caruit* (eccleſia) *divinis officiis. Pontifex iterum ab ingreſſu urbis abſtinuit, eo quod rex Anglorum Henricus II. ſenior animum ex parte non ex toto precibus amicorum flexiſſet.*

1179.

Quæ de electione Saibrandi, & irato in eum regis Angliæ animo narrantur in Chronico Voſienſi, confirmant Chronicon Lemovicenſe, & Geſta pontificum Lemovicenſium, quæ ex hoc Chronico magna ex parte ſunt deſumta. Nominatur in plurimis chartis præſertim Obaſinæ ab anno 1178. ad 1191. Una ex Obaſinenſibus hæc habet: *An. ab Incarn. Dom. M. C. LXXVIII. rege Ludovico, & in civitate Lemovic. Seibrano epiſcopo electo.*

Saibrandus conſecravit S. Auguſtini monaſterium, cum Geraldo Caturcenſi, v. cal. Novembris, & eccleſiam S. Geraldi fer. 3. in natali apoſtolorum Simonis & Judæ. Beati Aredii corpus e ſepulcro levavit Dominica poſt Rogationes XVI. cal. Junii, præſentibus Guillermo Voſienſi, Odone Brantoſmenſi, Stephano de Caſtris abbatibus. Sed quo anno ea geſta ſint annotare negligit ſuo more Gaufredus. Delegatus a Lucio papa III. cum B. abbate Stirpenſi, compoſitionem decernit inter abbatem S. Mariæ Exoldunenſis, & priorem S. Cyrici.

ANNI CHRISTI 1180.

Anno 1180. ipſe & Geraldus abbas Tutelenſis, ut compromiſſores, ſopiunt litem inter Iſambertum S. Martialis & Geraldum Dalonenſem abbatem, 3. calend. Januarii pro decimis nonnullis. Anno 1182. memoratur in litteris Henrici Albanenſis epiſcopi, pro S. Crucis Burdigalenſis monaſterio, cui adjudicat eccleſiam de Soliaco, cum G. Antiſſiodor.

1183.

Anno 1183. apud Grandimontem cum Johanne Nivernenſi epiſcopo, & Bernardo Aginnenſi exſequias celebravit Henrici Anglorum regis, qui obierat apud Martellum in Lemovicino pago, inſtante feſto S. Barnabæ, die Sabbati hebdomadæ Pentecoſtes.

1186.

Anno 1186. *Sebrandus vicecomes* (Lemovicenſis) *milites & populus pugnaverunt contra ſex millia Barbanſonum, eccleſiam Dei vaſtantium, totamque patriam depopulantium; eoſque per totam Combralhiam perſequentes fere omnes peremerunt.* An. 1187. compoſuit cum Henrico Bituricenſi archiep. pro juriſdictione in monaſterium de Columba ord. Ciſterc.

1189.

Anno 1189. adfuit *relevationi* corporis S. Stephani Grandimontenſis, qui hoc anno a Clemente papa III. in album Sanctorum relatus fuerat. *De fund. ord. Grandim. l. 2. Bibl. Labb. pag. 276.*

Unus fuit ex antiſtitibus qui conſecrarunt Henricum de Soliaco in Biturigum archiepiſcopum, ex Gaufrido Voſienſi, in altera parte Chronici, ubi legimus: *Conſecratus eſt Henricus a Guillelmo Burdigalenſi, Sebrando Lemovicenſi*, &c. An. 1194. Saibrandus ex præcepto Cœleſtini papæ, B. Gaucherii oſſa in capſa incluſa fidelium venerationi expoſuit. Legitur obiiſſe an. 1197. & ſepultus eſt ad S. Auguſtini baſilicam, die ultima Martii ex obituario Artigiæ. De eo in calendario eccleſiæ Lemovicenſis quod edidit Labbeus t. 2. Bibl. *II. cal. Aprilis obiit Sebrandus epiſcopus Lemovic. Ad anniverſarium debentur XXXV. ſol. in eccleſia de Trocha annuatim.*

Ibid. pag. 340.

1194.

Ibid. pag. 363.

pag. 760.

pag. 759.

Ibid. de Saibrandi parentibus legitur: *Eodem die* (XVI. cal. Aprilis) *obiit Seebrandus Chabot pater Seebrandi Lemovicenſis epiſcopi, & mater ejus Agnes Chaboſſa, & Theobaudus frater dicti epiſcopi, ad quorum anniverſarium debentur XXV. ſolidi de eccleſia S. Severini de Valveyra, & debent reddi in ſynodo S. Lucæ.* Hæc de illo Sammarthani fratres laudant ex chronico Grandimontenſi: *Revertebatur a rege Angliæ Henrico II. & Ricardo comite, & filio ejus comite Pictavenſi, in quorum gratiam honorifice redierat, a diſtantia quam cum eo pro epiſcopatu habuerat. Audiens autem Chriſti virgines ſuam jam intraſſe diœceſim, & ſequenti die ad Grandimontem eſſe venturas, ut eis ipſe obviam procederet, remanſit. Quarto igitur cal. Maii honore debito ſuſcipientes reliquias virginum & martyrum, devotione & humilitate mirabili portaverunt eas uſque in eccleſiam B. Mariæ.* Majorem eccleſiæ cathedralis campanam fieri juſſit; quod docet hic verſus qui in ipſa campana legitur:

Me dedit antiſtes Sebrandus, & hoc miki nomen.

* Prior Voſienſis coævus ſcriptor docet eum auſpicatum eſſe ſuum epiſcopatum anno 1137. vel 1138. dum cap. 70. ſui Chronici docet eum mortuum eſſe nonis Octobris an. 1177. quadrageſimo ſui ſacerdotii anno.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

LI. Johannes I.

De Veirac.

Johannes ex nobili genere de Veiraco, jam erat epiſcopus an. circiter 1197. ex tabulis S. Martialis.

1200. Anno 1200. confirmavit donationem Golferii de Turribus filii Canſtantini de Born, & Agnetis uxoris ejus, ſcilicet *bordariæ de la Maſchardia*,

1202. factam fratribus Dalonenſibus. An. 1202. interfuit pactis matrimonii Guillelmi XI. comitis

pag. 81. Arverniæ ex Baluzio in hiſt. Arverniæ libro 1.

pag. 858. Ex eodem, lib. 6. Miſcellaneorum Johannes inquiſitionem fecit de electione Raimundi de Rabaſtens ep. Toloſani, in qua ſe nihil reprehenſione dignum reperiſſe ſcripſit capitulo Narbonenſi, cum ſuis collegis in hac inquiſitione a papa delegatis; ſcilicet abbatibus Majoris-Silvæ P. & R. de Corona.

1203. Ex Chronico S. Martialis, *anno 1203. liberavit Johannes Lemovicenſis epiſcopus terram & regaliam ſuam a rege Francorum, tali pacto, quod nunquam de cetero rediret feodum ad regem Angliæ; & ita permiſit ſibi rex Philippus.*

Hic epiſcopus non diu pacem habuit cum Lemovicæ urbis civibus; ſed inter eos bellum exarſit; Guido vero vicecomes favebat epiſcopo. In iis vero concertationibus Hugo abbas S. Martialis captus eſt. Neſcimus utrum de hoc bello intelligi debeat quod legimus in Geſtis epiſcoporum Lemovic. Johannem expugnaſſe Nobiliacum villam auxilio baronum, prælatorum & populi, & occidiſſe multos Brabanſones in ea incluſos, an. 1404. melius 1204. An. 1208. occurrit in chartulario Bonæ-aquæ.

Anno 1212. die feſto SS. martyrum Victoris & Coronæ, qui eſt 14. Maii, eccleſiam S. Valeriæ dedicavit, & calendis Aug. ejuſdem anni eccleſiam S. M. de Regula. Eodem anno, a Philippo Francorum rege miſſus eſt ad urbem Sarlatenſem, ut *burgenſes* cum monachis ad concordiam revocaret, eorumque litem, pro *queſta* quam abbas Sarlatenſis a burgenſibus exigebat in novo ſuo adventu, compoſuit: *Act. in capitulo Sarlat. XII. cal. Decembris*, anno ſupra indicato.

Rex Angliæ omnibus ſedis epiſcopalis regalibus Johannem ſpoliavit; quapropter Jeroſolymitanum

1218. iter eſt aggreſſus, in quo mortuus eſt anno 1218. apud Acram, *al.* Accon, ut docent Albericus & Bernardus Guidonis.

De Savene vel Favene.

LII. Bernardus I.

Bernardus de Savena vel Favena capellanus eccleſiæ S. Hilarii prope Petram-buffariam, poſtea canonicus ordinis Artigiæ in diœceſi Lemovicenſi prope S. Leonardum, tempore Petri de Mantiaco

Bibl. Labb. tom. 2. pag. 278. ſexti prioris hujus loci, de quo Bernardus Guidonis agit, Johanni jam ſuffectus fuerat an. 1219.

1219. quo fundatum eſt Glanderienſe monaſterium ordinis Cartuſienſis, inter caſtra de Combornio, & de Pompadorio, in valle occulta, ſilvis & monticulis circumſepta, ab Archimbaldo Combornii vicecomite. Inſtrumentum fundationis, ſcriptum in vigilia S. Martini præfati anni, meminit Bernardi epiſcopi, qui huic ſacro loco multa contulit. Eodem anno legimus Dominicanos in urbe Lemovica receptos fuiſſe. Anno 1223. die Dominica poſt Nativitatem B. Mariæ, ex mandato ſummi pontif. Simon archiepiſcopus Bitur. & Guido archidiac. permiſerunt Grandimontenſibus habere poſſeſſiones extra ſepta ſua. Rite adminiſtrato epiſcopatu, cum eſſet in comitatu & in caſtris Ludoviei regis patris S. Ludovici, ex hac vita migravit apud Avenionem, die feſto S. Mariæ Magdalenæ, anno 1226. Corpus ejus terræ mandatur in

1226. monaſterio Artigiæ in medio chori. Legitur confirmaſſe omnia quæ prior & conventus Grandimontenſis acquiſierant in ſuo feudo; ſed id factum eſſe an. 1239. dicere non ſinunt ſuperius probata.

Bibl. Labb. tom. 2. pag. 279.

De Clauſelles.

LIII. Guido II.

Guido, quem Sammarthani fratres de Combornio cognominatum dicunt, in litteris capituli Lemovicenſis eccleſiæ, petentis a Simone Bituricenſi archiepiſcopo confirmationem electionis ejus factæ an. 1226. *in octabis S. Lucæ*, diſerte ap-

1226. pellatur Guido de Clauſelles. Bernardus Guidonis in Geſtis Lemov. epiſc. appellat cum Guidonem de Clauſello, docetque eum fuiſſe S. Aredii canonicum & archidiaconum eccleſiæ Lemovicenſis. Conſecratus fuit eodem anno in octava S. Martini, ingreſſuſque eſt in urbem, & cathedram conſcendit ſolemni more. Vixit multum ſenex; ac ſæpe ajebat *ſe annos habere pluſquam 140.* inquit Bernardus Guidonis. Obierat an. 1235. v.

1235. calendas Februarii, ut liquet ex infra dicendis. Sepultus eſt in ingreſſu chori S. Martialis.

Tab. arch. Bitur. Geſta Lem. ep. Bibl. Labb. pag. 270.

Hujus epiſcopi tempore, anno 1229. menſe Martio Archambaldus vicecomes de Combornio regi Ludovico juravit obſequium, tanquam Aquitaniæ duci, excepto Lemovicenſi epiſcopo, cujus hominem ſe profitetur, ex reg. Carcaſſonenſi cur. Franc. fol. 60. De Guidone ita vetus charta: *Guido Lemovicenſis epiſcopus attendens devotionem prioris & fratrum domus Glanderii, quorum domus eſt novella plantatio, quos etiam dominus quaſi primitias in Lemovicenſem diœceſim ſua gratia collocavit, dedit eidem domui X. libras*, &c. In eccleſia S. Petri Pict. ejus anniverſarium celebratur die 25. Septembris.

Du Pur

LIV. Guillelmus II.

Guidone viam univerſæ carnis ingreſſo, decanus & capitulum eccleſiæ Lemovicenſis petierunt facultatem eligendi a capitulo Bituricenſi, ſede vacante, quinto cal. Februarii anni 1235. Electus

1235. eſt autem *Guillelmus de Podio canonicus Engoliſmenſis, vir venerabilis & magnanimus, ætate quidem juvenis, ſed gravitate morum præclarus, diuturna detentus infirmitate, quia terra non erat digna tanto præſule, ante conſecrationem infra annum obiit.* Sedes vacabat an. 1236. ex tab. S. Auguſtini; eamque diu vacaſſe conjicimus; adhuc enim vacua erat anno 1240. ex veteri inſtrumento, quod

1240. vidit noſter D. Edmundus Martenne.

LV. Durandus.

Durandus Lemovicenſis archidiaconus, ac D. Juniani præpoſitus, ab altera parte ſuffragiorum

Geſta Lemov. epiſcop.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

capellanorum [a] creatus fuit an. 1240. & confirmatus diplomate pontificio dato 1241.* die 4. poſt feſtum S. Bartholomæi. Hic dedit cymbalum quod vocatur Durandus : ceſſit viris religioſis priori & conventui Grandiſmontis decimas, quas uſque ad tempus promotionis ſuæ acquiſierant in parochiis de S. Silveſtro, de Ambazaco, de S. Martino de Suiſſac, apud Grandimontem in vigilia omnium Sanctorum 1243. Eodem anno approbat donum factum Valletæ a Geraldo Dagallo diacono IIII. idus Julii ex tab. hujus monaſterii. Fatis eſt functus in nocte feſti S. Thomæ martyris 4. [b] calend. Januarii an. 1245. & jacet ad Prædicatores.

a * 1240.

b

Notatur inter præcipuos Glanderienſis Carthuſiæ benefactores, quod ſex millia ſolidorum ad ædificandam eccleſiam dederit.

LVI. AIMERICUS I.

De Malemort.

Aimericus dictus de Serta, *al.* de Serra *, & de Seura, in catalogis cognominatur de Malamorte, & in theſauri regii chartis ubi legimus Philippum archiepiſcopum Bituricenſem pro Aimerico de Malamorte epiſcopo Lemovicenſi a ſe confirmato, litteris datis die Sabbati poſt, *Invocabit me*, anno 1245. in quibus Aimericus dicitur capellanus domini papæ, petiiſſe ut rex ipſi regalia dimitteret. Repulſam ſtatim paſſus erat archiepiſcopus, quia electio Aimerici facta fuerat abſque Regis licentia. Sed poſtea pius rex hæc remiſit, & indulſit epiſcopo. *Cum eſſet archidiaconus Marchiæ in eccleſia Lemovicenſi, præpoſitus S. Juniani*, inquit codex de Geſtis epiſcoporum, *electus fuit eodem anno in octavis Purificationis S. Mariæ. Annis 26. permanſit epiſcopus.* Conſecratur a Petro de Collemedio Rotomagenſi archiepiſcopo, confirmaturque per Bituricenſem archiepiſcopum, & accipit a Rege jura regaliorum, apud Paciacum menſe Martio anni 1245. quem nunc dicimus 1246. In ſua ſynodo Lemovicis, die Jovis poſt feſtum S. Lucæ evangeliſtæ 1256. ſtatuit ut celebraretur feſtum S. Stephani de Mureto confeſſoris ac primi inſtitutoris ordinis de Grandimonte, ubi ejus corpus requieſcit, quem Clemens papa III. catalogo ſanctorum adſcripſit, ut patet ex chartulario Grandimontenſi. An. 1259. ſcripſit cum multis aliis epiſcopis ad S. Ludovicum regem pro reſtitutione bonorum eccleſiæ facienda. An. 1263. Romam profectus eſt. Anno 1266. vocatus ad concilium provinciale, excuſatum haberi petiit.

* *Italegitur in tabul. Regula.*

1245.

1246.

1256.

1259. *Threſor des Chartres.*

Tab. eccl. Bituric.

1266.

Ad divini cultus augmentum eccleſiam de Roſieres decano & capitulo donavit VIII. calend. Julii an. 1272. quo obiit VI. nonas Julii. Et quidem vacabat ſedes hoc anno, quo capitulum vicecomitiſſam Lemovicenſem, ob mala civibus illata, anathemate percuſſit. Bernardus Guidonis docet vacaſſe cathedram tribus annis & ſex menſibus. Certe non habebat epiſcopum VIII. idus Febr. anno 1274. ſeu 1275. ſecundum hodiernum computandi modum. Aimericus primus fuit qui ſepulcro donatus ſit in eccleſia Lemovic eo quod magnam pecuniæ ſummam ad ejus fabricam abſolvendam reliquiſſet ; quo ſubſidio Helias de Malamorte S. Stephani decanus, & canonici primum lapidem in fundamento pro ipſa amplianda, uti nunc cernitur, poſuerunt. Decem clericos aliis ejuſdem eccleſiæ miniſtris addidit.

ANNI CHRISTI

Ad hujus præſulis epiſcopatum revocanda videtur inſtitutio capituli B. Mariæ de Orcivalle, confirmata pontificio diplomate Innocentii papæ IV. anno pontific. III. Anno 1436. redactum eſt capitulum ad numerum 13. canonicorum, quorum primus eſt decanus ; quibus tandem adjuncti ſunt ſex pueri chorales liberalitate Gilberti de Chabannées domini de Curton proregis apud Arvernos ac Lemovicenſes.

LVII. GIRBERTUS. [c]

De Malemort. c

Antequam Girbertus cathedram Lemovicenſem conſcenderet, alii duo de ipſa contenderant, de quibus in chronico MS. legitur: *Anno 1272. menſe Septembri, duo fuerunt electi ad epiſcopatum Lemovicenſem : Simon de Rupe-cavardi decanus Bituricenſis, & canonicus* (Lemovicenſis) *ex una parte ; & Clemens de S. Hilario canonicus ex alia. Iſte Clemens obiit 1274. dum cauſam* (ſuam) *perſequebatur. An. 1275. menſe Septembri fuit proviſum de dicto domino Simone de Rupe-cavardi, Burdegalæ, pendente adhuc cauſa Lemovicenſi.*

1272.

1274.

Itaque neuter proprie Lemovicenſibus epiſcopis accenſendus videtur. Sed anno 1275. die tertio poſt feſtum S. Luciæ, ſcilicet die 16. Decembris, electus eſt canonicorum omnium calculis Girbertus de Malamorte, ex illuſtri proſapia Gerardi de Malamorte militis, primi ſenetcalli regis Franciæ in provinciis Lemovicina, Petracorienſi, & Cadurcenſi.

1275.

An. 1278. inſcribitur cuidam chartæ Obazinenſi. An. 1283. cum Simone Bituric. archiep. & Guidone Clarom. ep. ſummo ſcripſit pontifici ; in gratiam canonicorum Albienſium, qui regularem veſtem deponere cupiebant. Anno 1286. interfuit ſynodo Bituricenſi a Simone metropolitano celebratæ. An. 1291. memoratur in charta Rupis-amatoris (Roquamadour.)

1273.

Poſt annos 18. & menſes 6. in regimine paſtorali exactos, rebus humanis exemtus eſt anno 1294. [d] ſepulturamque nactus eſt in majori eccleſia, circa S. Barnabæ feſtum, ex veteri cod. MS. In calendario Lemovicenſi de eo legitur : *Eodem die* (v. idus Junii) *obiit Girbertus epiſcopus Lemovicenſis in ſynodo Pentecoſtes ; & fuit corpus ejus traditum ſepulturæ tertio die ſequenti.* Ibidem legitur : *III. idus Maii hic fieri debet anniverſarium parentum domini Girberti Lemovic. epiſcopi ; ad quod faciendum dedit idem epiſcopus*

1294.

[a] Ita habet Bernardus Guidonis. Legendum tamen videtur *canonicorum.*

[b] In libro obituum ad diem 30. Decembris: *Obitus bonæ memoriæ Durandi ep. hac die defuncti M. CC. XLV.* In calendario eccleſiæ Lemov. *III. cal. Jan. hic fiat anniverſarium Durandi ep. qui obiit hac die an. M. CC. XLV. & diſtribuantur xv. libræ.*

[c] *al.* Gilbertus epiſcopus Lemovic. In charta monaſterii S. Angeli ſubſcribit compoſitioni factæ inter Abbonem de Caſtra priorem S. Angeli, & Hugonem de Mirabello dicti monaſterii feudatarium, anno 1279. menſe Novembri.

[d] vel 1295. nam hoc anno capitulum petiit licentiam eligendi, ut habetur in Theſ. chart. Sed forte errore amanuenſis irrepſit 1295. pro 1294. qui annus notatur in omnibus actis ad electionem ſucceſſoris Girberti pertinentibus.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

xxxv. ſolidos. Sedente hoc præſule Lemovicenſem ſedem epiſcopal. immunem a jure regaliæ ſenatuſconſultum Parlamenti pronuntiavit anno 1276. cum miniſtri regis non potuiſſent probare ex conſuetudine illum ad id tenerl, uti lego apud Petrum de Marca.

DE LA PORTE.

LVIII. REGINALDUS.

Reginaldus la Porta [a] canonicus & archidiaconus Lemovicenſis, oriundus de Alaſſaco, circiter *quindenam* poſt feſtum omnium Sanctorum electus eſt in epiſcopum a capitulo, petita prius a Philippo Francorum rege eligendi licentia. Congregati ad electionem canonici, unanimi conſenſu poſtularant Petrum de Seperia Donzenaci apud Lemovices ortum, tunc canonicum Ebroicenſem; ſed hanc dignitatem deprecatus eſt ob ſingularem modeſtiam, quæ jam effulſerat in recuſando Albienſi epiſcopatu ſibi a ſummo pontifice oblato, maxima laude dignus. Obiiſſe dicitur Blaviæ * an. 1306.

a

* Blaye.

Poſtea ventum eſt ad Reginaldum, qui onus epiſcopale non detrectavit. In theſauro regio chart. legimus Bonifacium VIII. vacanti eccleſiæ Lemovicenſi præfeciſſe *Rainaudum*, factamque a capitulo de eo electionem approbaſſe. At ut reſcivit Cœleſtinum papam ſibi reſervaſſe hujus eccleſiæ proviſionem & diſpoſitionem, hanc a capitulo factam electionem irritam declaravit; quam tamen poſtea ratam habuit. Reginaldus in ſynodo die Jovis poſt Pentecoſten habita Lemovicis anno 1297. rata habuit quæ de feſto S. Stephani, ordinis Grandimontenſis fundatoris, celebrando jam decreta fuerant, juſſitque ut VI. idus Februarii per totam diœceſim fieret. An. 1299. die Veneris ante feſtum Pentecoſtes tranſegit cum Reginaldo priore Portus-Dei [b].

1297.

1299.

b

Cum in tumultu contra Fratres Prædicatores, quidam *vitreamina* in eorum eccleſia fregiſſent, eorumque tecta demoliti eſſent, noſter Reginaldus ut conſervator privilegiorum huic ordini a Benedicto papa XI. nuper conceſſorum, eos excommunicatione multavit feria 3. poſt feſtum S. Jacobi anno 1305. Anno 1308. 15. cal. Julii litteris ſuis teſtatus eſt a ſe viſam fuiſſe præfati papæ bullam in gratiam Dominicanorum datam. Anno 1310. hujus ordinis alumnos introduxit in oppidum S. Juniani ſuæ diœceſis. Anno 1312. teſtamentum ſuum condidit, mature de morte cogitans. Anno 1315. in magna abbatum & canonicorum frequentia corpus S. Aureliani epiſcopi e terra levatum, in capſam decentem tranſtulit, & ſuper altare S. Ceſſatoris honorifice collocavit. Anno ſequenti traductus eſt ad metropolim Bituricenſem. Ipſi & aliis octo Clemens papa V. commiſit inquiſitionem cauſæ Templariorum, litteris datis pridie idus Auguſti, quas edidit Petrus Puteanus in Templariorum hiſtoria

1305. *Ex tabul. Carceſſ. Tab. Fr. Pr. Albi. Baluz. in not. ad vit. pap. Av.*

1312.

1315.

1316.

[a] Ita appellatur in litteris capituli Bituricenſis teſtificantis Regi ſe auctoritate metropolitana confirmaſſe Reginaldum *la Porta*, electum Lemovicenſem, an. 1294. ex theſ. reg. chart.

[b] Eſt prioratus adhuc conventualis pendens a Caſa-Dei celeberrima abbatia, ſitus in diœceſi Lemovicenſi.

LIX. GERARDUS III.

ANNI CHRISTI ROGER.

Gerardus Rogerii conſecratur apud Avenionem die 13. Februarii an. 1317. a Johanne papa XXII. cujus erat conſanguineus. Obiit ibidem in papæ comitatu anno 1324. Ad ſupplicationem Johannis abbatis Caſæ-Dei, fr. Guillelmi prioris & conventus Portus-Dei, huic monaſterio univit prioratum de Leſmhaco. *Dat. Avenione v. Junii an. M. CCC. XXIV.*

1317.

1324.

LX. HELIAS.

DE TALAIRAND.

Helias Talayrandus de Petracoriis, Helia Talairando comite Petracoricenſi, & Bruniſſendi de Fuxo parentibus ortus, bulla Johannis [c] XXII. ad ſedem Lemovicenſem promotus eſt data VI. id. Octobris anni 1324. Vero propius eſt eum non fuiſſe conſecratum; nam die 24. Novembris anni 1325. adhuc ſe tantummodo electum dicit. Et quidem in teſtamento ſuo electum Lemovicenſem ſe ſolum vocat. Poſtea fuit epiſcopus Autiſſiodorenſis & cardinalis.

c

1324.

LXI. PETRUS II.

Petrus electus Lemovic. epiſc. in veteri inſtrumento anni 1325. elegantiorem eccleſiam incœpiſſe ſe aſſerit, cui perficiendæ mediam partem fructuum eccleſiarum parochialium, cum vacarent, per ſex annos aſſignavit. Paucis annis præfuit, & huc uſque in catalogis epiſcoporum Lemovicenſium minime eſt cognitus.

1325.

LXII. ROGERIUS.

LE FORT.

Rogerius le Fort, de quo jam egimus in Bituricenſibus archiepiſcopis, an. 1328. jam ſedebat, uti acta hujus temporis probant. Occurrit in veteri inſtrumento anno 1329. Adfuit an. 1330. die 12. Febr. dedicationi eccleſiæ S. Ludovici apud Piſſiacum, factæ præſente Philippo VI. rege, in frequenti epiſcoporum cœtu, ex tabulis Piſſiacenſibus. Anno 1336. 16. calendas Nov. interfuit concilio provinciali Bituricenſi, cujus acta quære tom. XI. conciliorum parte II. An. 1343. traducitur ad metropolim Bituricenſem. *p. 2522.*

1328.

1330.

1336.

LXIII. NICOLAUS I.

DE BESSE.

Nicolaus de Beſſe Clementis VI. papæ nepos ex ſorore Delphina Rogeria, quæ nupſit Jacobo Beſſio, ex canonico Pariſienſi & archidiacono Pontivenſi * in eccleſia Ambianenſi, creatur epiſcopus Lemovicenſis anno 1343. & diaconus cardinalis, ſub titulo B. Mariæ in via-lata. Mortuus eſt Romæ nonis Novembris anni 1369. Inde vero corpus ejus tranſlatum fuiſſe Lemovicas probat ipſius ſepulcrum ex marmore candido, cui ſuperimpoſita eſt ejuſdem effigies verſibus ornata; quamvis nunquam conſecratus fuerit epiſcopus. Nicolaus dictus cardinalis Lemovicenſis, fratrem habuit Petrum de Bellafagia & de Peyraco dominum, qui adhuc erat ſuperſtes an. 1382.

* De Ponthieu.

1343.

[c] Johannes XXII. Regi commendavit Eliam a ſe confirmatum in ſede epiſcopali Lemovicenſi per obitum Gerardi defuncti *in curia*, pontif. an. 9. Idem Johannes rogavit Regem ut unius anni inducias dicto Eliæ concedat tunc Romæ degenti, quo fidelitatis ſacramentum ei præſtet, pontif. an. 9. *Theſaur. reg. chart.*

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

LXIV. Guido III.

De Comborn

Guido de Combornio epiſcopus Lemovicenſis vocatur in actis conſiſtorialibus anni 1346. die 22. Aprilis.

LXV. Johannes II.

De Cros.

Johannes de Croſſo, Gregorii papæ XI. conſanguineus in tertio gradu, frater Petri Bituric. archiepiſcopi, provectus eſt ad cathedram Lemovicenſem die 26. Octobris an. 1348. Actis publicis inſcriptus eſt ut epiſcopus annis 1366. 1369. 1370. Hoc anno captus eſt in epiſcopali ſede ab Anglis; ſed liberatur a rege Galliæ, qui pro illo ſolvit mille *francos*, ex ſcheda quadam data in *boſco Vincennarum* die IV. Februarii præfati anni. Sacra purpura donatus eſt ac titulo SS. Nerei & Achillei a Gregorio papa XI. anno 1372. feria VI. quatuor temporum poſt Pentecoſten, ex I. vita hujus papæ apud Baluzium. Anno vero 1376. factus eſt Prænestinus epiſcopus. Inſuper legatus miſſus eſt in Galliam a Roberto Genevenſi, *al.* Clemente VII. cujus partes tuebatur adverſus Urbanum VI. tandemque ex hac mortali vita diſceſſit anno 1383. Avenione ubi jacet in eccleſia cathedrali cum hoc epitaphio:

1348. 1366. 1370. 1372.

Hic jacet reverendiſſimus in Chriſto pater dominus Johannes de Croſſo, de Calimaforti, Lemovicenſis diœceſis, deinde aſſumtus fuit in Eccleſiæ Romanæ presbyterum cardinalem, & ſubſequenter fuit electus epiſcopus Prænestinenſis, & ſummus pœnitentiarius, qui obiit XXII. die menſis Novembris anno a Nativ. Dom. M. CCC. LXXXIII. pro cujus animæ ſalute Deum humiliter deprecamur, ut in pace cum Angelis requieſcat. Amen.

Johannis de Croſſo temporibus urbs Lemovicenſis quæ ſe nuper dominio Eduardi principis Walliæ ſubduxerat, & ad regem Francorum defecerat, vel potius redierat, ab Anglis obſeſſa, *fuit totaliter demolita & deſtructa; & exinde effecta inhabitabilis & deſerta, ſola eccleſia cathedrali duntaxat remanente*, inquit ſcriptor prioris vitæ Urbani V.

LXVI. Aymericus II.

Cathi.

Gregorius papa XI. Aymericum Cathi, oriundum e loco *Lajouchat* prope S. Aredium, Bononienſem epiſcopum, ab hac ſede tranſtulit ad Lemovicenſem vacantem poſt aſſumtum ad cardinalitiam dignitatem Johannem de Croſſo. Multi æris debitor erat Aymericus ſacro cardinalium collegio. Et quidem ſolvendo erat; nam in Galliam commigrans, magnam pecuniæ copiam ſecum attulit; ſed placuit Gregorio papæ, ut ea uteretur ad reſarcienda eccleſiæ Lemovicenſis damna; quæ propter bella libris, ornamentis atque *jocalibus* ſpoliata erat. Epiſcopus tamen id facere neglexit, ſatis habens reſtaurare campanile an. 1389. Obiit anno ſequenti in vigilia B. Martini, & ſepultus eſt in eccleſia S. Stephani, ex ſchedis Biblioth. reg. Anno 1391. die 13. Aprilis Carolus VI. rex Franciæ ſeneſcallo Lemovicenſi ſcripſit pro regaliæ jure, ex regiſt. parlamenti Paril.

Ganiere.

1372. 1389.

LXVII. Bernardus II.

ANNI CHRISTI De Bonevalle.

Bernardus de Bonavalle [a] per procuratorem poſſeſſionem epiſcopatus adeptus eſt die 27. Januarii an. 1390. Nihilo tamen minus adhuc juri regaliæ ſubjacebant ſedis epiſcopalis bona temporalia, ut probant Caroli VI. regis litteræ ſuperius laudatæ. Die vero 15. Octobris an. 1391. novus epiſcopus urbem ſolemni ingreſſus eſt ritu. Occurrit in tabulis Cantogilenſibus die 6. Decembris an. 1398.

1390. 1391.

Fit ejus mentio pro an. 1401. in placito parlamenti Pariſ. die 24. Martii an. 1444. quo jus capituli S. Martini Turon. in eccleſia S. Aredii, contra epiſcopos Lemovicenſes aſſeritur. Suum diem obiit an. 1403. quo ſede vacante miniſtri regis *temporalitatem epiſcopatus in manus Regis poſuerunt*; quam tamen Carolus rex decreto ſuo in gratiam capituli dimiſit.

1401. 1403.

LXVIII. Hugo I.

De Maignac

Hugo de Maignaco, *al.* de Manhaco prius epiſcopus S. Flori, ex abbate Resbacenſi, Bernardo ſubrogatur. An. 1405. occurrit in veteri inſtrumento eccleſiæ Belvacenſis. Anno 1409. miſit procuratorem ad concilium Piſanum, ex ejuſdem actis tom. VI. Spicil. quo etiam anno S. Ebrulfi oſſa novam in thecam tranſtulit; in cujus tranſlationis inſtrumento abbas Resbacenſis etiam appellatur. Erat quoque præſes curiæ ſubſidiorum apud Pariſios, ſeu *generalis* ſuper regimine ſubſidiorum belli; a quo officio abſolvitur litteris datis 14. Novembris an. 1411. ex memoriali G. cameræ computorum.

1405. 1409. *pag. 352.* 1411.

Anniverſarium ſuum fundavit an. 1410. Eccleſiam libris & ornamentis decoravit. Obiit an. 1412. relictis heredibus S. Stephani, & S. Martialis eccleſiis.

1412.

LXIX. Ramnulfus.

De Peruse.

Hugoni in Gallia Chriſt. ſubjiciuntur Nicolaus Viaudi & Germanus Paillardi; immo in manuſcripto chron. Lemov. Ergo dicendum eſt Nicolaum menſe Octobri 1412. [b] creatum fuiſſe epiſcopum Lemovicenſem, ac poſt ejus e vivis exceſſum ſuffectum ipſi a ſummo pontifice Ramnulfum de Peyruſſa; capitulum vero elegiſſe Hugonem de Roſſiniaco. Qui cum diu inter ſe litigaſſent, tandem diuturnis altercationibus Martinum V. ſummum pontificem finem impoſuiſſe, Ramnulfum Mimatenſi, Hugonem Rivenſi præficiendo eccleſiæ. Verum his obſtant monumenta & chartæ eccleſiæ Lemovicenſis in quibus reperio ſedem vacaſſe 1412. 1413. 1414. De ſucceſſore autem Hugonis de Magniaco certos nos facit ſequens ſcriptum, quod ex archivis capituli libens ſubjicio: *Poſt deceſſum bonæ memoriæ Dom. Hugonis de Magniaco Lemovicenſis quondam epiſcopi, nos*

b

[a] In actu capitulari menſe Maio 1395. ubi perſecutor eccleſiæ appellatur, legitur tranſlatus ab eccleſia Nemauſenſi ad Lemovicentem *Ex ſchedis D. de Gaulieres, in Biblioth. Reg.*

[b] In quibuſdam ſchedis ad me miſſis lego Nicolaum Viaudi proviſiones epiſcopatus accepiſſe an. 1414. a Johanne XXIII & in poſſeſſionem immiſſum fuiſſe, quamvis capitulum elegiſſet Ramnulfum; eoque mortuo ſummum pontificem ei ſuffeciſſe Hugonem de Roſſiniaco.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

capitulum ipſius eccleſiæ Lemovicenſis, videlicet omnes & ſinguli canonici in ſacris conſtituti, in eodem reſidentes, elegimus rite & canonice, ſervatis juris debitis ſolemniis, unanimiter & concorditer per viam Sancti-Spiritus, in noſtrum & ipſius eccleſiæ epiſcopum & paſtorem, nobilem & ſtrenuiſſimum virum magiſtrum Ramnulfum de Peruſia in decretis licentiatum, Dom. noſtri Regis conſiliarium, &c. *25. menſis Junii 1414.*

Ramnulfus, cum ob nobilitatem generis, & affinitates, auctoritate præſtaret in pago Lemovicino, domos epiſcopales, caſtra, prædia, &c. quæ in Lemovicibus erant, occupavit, quamvis parlamenti ſenatusconſultum Nicolao Viaudi jus in epiſcopatu aſſeruiſſet. At Hugo de Roffiniaco, qui Nicolao ſucceſſerat, cum poteſtate polleret in Marchia, & Pictonibus, invaſit bona & dominia iis in locis ad epiſcopum Lemovicenſem ſpectantia.

Ut finis huic ſchiſmati imponeretur, Martinus papa V. Rege conſentiente ac volente, Ramnulfum ad eccleſiam Mimatenſem tranſtulit; Hugonem vero Rivenſi præfecit eccleſiæ. Quæ omnia legi in commentationibus de Lemovicenſibus epiſcopis ad me miſſis; quibus omnimodam fidem deberi nolim aſſerere. Certe ad componendam illam controverſiam oportebat utrique contendentium eodem tempore alias dare ſedes epiſcopales: attamen unus præficitur eccleſiæ Mimatenſi anno 1424. vel etiam 1422. alter vero Rivenſi an. 1427. Quin etiam ſatius fuiſſet unum relinquere in ſede Lemovic. & alterum ad aliam ſedem promovere.

His omnibus perpenſis, cenſemus vacante ſede per mortem Hugonis de Maignac, papam Nicolaum Viaudum promoviſſe ad hunc epiſcopatum, alia ex parte vero Ramnulfum a capitulo electum fuiſſe. Nicolaum paulo poſt ſuam promotionem mortuum eſſe, cui a ſummo pontifice ſuffectus eſt Hugo de Roffiniaco: quapropter utrique dandus videtur locus in hoc catalogo.

VIAUDI.

LXX. NICOLAUS II.

De hoc Ramnulfi æmulo jam ſatis diximus.

DE ROFFIGNAC.

LXXI. HUGO II.

Hugo ex nobili genere ortus de quo dicemus in Sarlatenſibus epiſcopis, Nicolao ſubrogatus, de epiſcopatu quoque contendit cum Ramnulfo. Tranſlatus fuit ad Rivenſem cathedram an. 1427. Cum Ramnulfus an. 1424. creatus ſit epiſcopus Mimatenſis, Hugo videtur pacificam obtinuiſſe poſſeſſionem ſedis epiſcopalis Lemovicenſis, per tres circiter annos.

1427.

DE MONTBRUN.

LXXII. PETRUS III.

Petrus de Montebruno electus abbas S. Auguſtini prope Lemovicas, poſt tranſlatum ad Rivenſem cathedram Hugonem de Roffiniaco ſuffectus eſt a Martino V. bulla data ejus pontificatus anno decimo[a], in qua dictus Hugo deſcribitur zelo religionis, litterarum ſcientia, vitæ munditia & morum probitate ornatus. Adiit poſſeſſionem per procuratorem die 7. Aprilis an. 1427. die vero 22. Junii ejuſdem anni ipſe acceſſit, ingreſſuſque urbem ſolito more cathedram conſcendit.

a

[a] In theſ. chart. regio leguntur litteræ Martini V. quibus commendat Regi Petrum a ſe confirmatum epiſc. Lemovic. per tranſlationem Hugonis ad ſedem Rivenſem an. 1. pontif. Martini, ſed melius x.

ANNI CHRISTI 1427.

Petrum a vicecomitibus Turenæ exagitatum fuiſſe lego, & in vincula conjectum libertatem ſuam magno pretio redemiſſe, circa an. 1444. De quibuſdam quoque criminibus apud ſummum pontificem inſimulatus eſt (forte ab iiſdem adverſariis), ſed facta de iis inquiſitione per cognitores a papa delegatos, Eugenii papæ IV. judicio eſt abſolutus anno 1443. Diem clauſit extremum 19. * Februarii anni 1456. An. circiter 1440. in tabul. S. Martialis occurrit cum titulo epiſcopi quidam Jacobus Jonvion, ab hoſtibus Petri haud dubie intruſus.

1443. * al. 1. Martii in caſtro Intulæ.

1440.

DE BARTHON.

LXXIII. JOHANNES III.

Johannes de Barthon, Johannis vicecomitis de Montbas Marchiæ cancellarii filius ex Gilberta de Benac, inquiunt Sammarthani, canonicus Lemovicenſis, licentiatus in legibus, in curia parlamenti conſiliarius, cum eſſet tantum diaconus electus eſt in epiſcopum a capitulo; cujus electionis decretum XI. Aprilis anni 1457. ad Bituricenſem mittitur archiepiſcopum, qui eam confirmavit. Solemnis ejus ingreſſus in eccleſiam fuit die 18. Septembris ejuſdem anni. Dimidium navis eccleſiæ tam ipſe quam nepos & ſucceſſor ipſius alter Johannes de Barthon conſtruxerunt. Exſtant litteræ Philippi cardinalis presbyteri titul. S. Laurentii, ad Johannem epiſcopum Lemovic. quibus diſpenſatur cum Alano d'Albret ac Franciſca de Bretagne, ob matrimonium contractum in quarto gradu conſanguinitatis 3. nonas Decembris, pontificatus Pii II. an. v. item aliæ litteræ ejuſdem cardinalis, poſt confeſſionem conjugum quod conſanguinei forent in tertio gradu; ſequuntur litteræ ipſius Johannis epiſc. ex tab. caſtri Palenſis, pro rebus Petragoricenſibus & Lemovicenſibus, & ex inventario aſſervato in bibl. Colb. Poſtea noſter Johannes factus eſt archiepiſcopus Nazarienſis, inquiunt Sammarthani fratres, poſt Claudium Robertum: ignoramus autem quid ſit hæc ſedes archiepiſcopalis.

1457.

DE BARTHON.

LXXIV. JOHANNES IV.

Johannes Barthonis, Petri vicecomitis Monbaſii, cancellarii quoque Marchiæ, & cubicularii regii ex Perreta Fabricia natus, ſucceſſor datus patruo qui ceſſerat in ipſius gratiam, poſſeſſionem adeptus eſt die 7. Maii 1486. De hac Barthonum gente multa diximus in Lactorenſibus epiſcopis. Porro etſi diu vixerit Johannes, nulla tamen ab eo geſta ſcitu digna conſignantur in actis publicis. Ad eum ſcripſit Ludovicus rex XII. de modo providendi ſacerdotiis, ut videre eſt in noſtris inſtrumentis. Obiit IV. idus Septembris an. 1510. Poſt ejus mortem Franciſcus de Montbas a majori capituli parte electus, diu litigavit pro epiſcopatu, cum Fulcaldo de Bona-valle, qui minorem ſuffragiorum partem habuerat; ſed neuter pontificalem thronum potuit conſcendere. Guillelmum de Barthon aliquod etiam jus ad hanc ſedem eo tempore

Sammarth.

1486.

C. XIX. col. 176.

1510.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

tempore habuiſſe conjicimus, quod legerimus ipſum donatum fuiſſe Lactorenſi ſede, ob nuntium ſedi Lemovicenſi remiſſum, vel juri quod habebat. Sub Johanne epiſcopo conventus S. Projecti, *S. Projet*, fratrum Minorum fundatur ſecus Dordoniam in parochia de Novo-vico, *Neuvy*, a Ludovico de Ventadoro ejuſque uxore Catharina de Beaufort, & a marqueſio de Scorailla anno 1489. præſentibus domino egregio de Uſſello milite, domino de Carlutio & d'Anglars, & Carolo domicello de la Beiſſaria.

De Prie. **LXXV. Renatus, vel Rainaldus**

Renatus de Prie, Antonii baronis Buſanciaci, magni Franciæ coqui *, & Magdalenæ de Ambaſia filius, a teneris clericali militiæ fuit addictus. Eum fuiſſe archidiaconum Bleſenſem in eccleſia Carnotenſi Sammarthani docent, ubi de ipſo loquuntur in Lemovicenſibus epiſcopis; at in Bajocenſibus docent eum potitum majori archidiaconatu Bituricenſi. Præter hæc ſacerdotia, ipſi tribuunt Lactorenſem epiſcopatum, ac Lemovicenſem, poſteaque Bajocenſem. Utrum fuerit Lactorenſis epiſcopus, jam expendimus. In hiſtoria vero majorum Franciæ officialium a dom. du Fourny iterum edita, pro Lactorenſi ſede tribuitur ei Morinenſis; quamvis nullus ei locus detur inter Morinenſes epiſcopos; demumque cardinalis purpura donatus eſt.

* *vulgo* : grand queux.

Quod ſpectat ad Lemovicenſem ſedem, poſſeſſionem adiit die 26. Septembris an. 1514. etſi promotus fuiſſet ab anno 1510. quo pro facienda electione convenerant canonici die 25. Novembris. Sed cum multos haberet æmulos, opus fuit diuturniori mora ad controverſias finiendas. Itaque ſic fuerunt compoſitæ: Datum eſt Sueſſionenſe pedum Fulcaldo de Bona valle, Lactorenſe Guillelmo Barthonis, Renatuſque hoc pacto potitus eſt Lemovicenſi cathedra. Obiit an. 1517. poſt abdicatas pontificales infulas; eodemque anno capitulum vicarios generales inſtituit.

1514.

1517.

De Mont-morency. **LXXVI. Philippus.**

Philippus de Mont-morency, frater Annæ magiſtri equitum Franciæ, & mareſcalli, ducis de Mont-morenciaco, proregis Occitaniæ, filius Guillelmi ex Anna Pot; de cujus gentis Mont-morenciacæ inſignibus, & ſtemmate genealogico, fuſe admodum ac luculenter ſcripſit Andreas Quercetanus, cujus genio familiæ illuſtres æternum ſitabunt. Fuerat antea Philippus archidiaconus Bleſenſis in eccleſia Carnotenſi per reſignationem Renati deceſſoris. Fuit etiam canonicus ſacræ capellæ Pariſienſis; promotus ad Lemovicenſem cathedram 1517. eam per biennium rexit; mortuus in ævi flore 1519. cui appoſitum hoc epitaphium:

Ille ego Philippus, ille præſtantiſſimus
Præſul Lemovicum, altiſſima juvenis ſatus
(Maurencius Mons, Pariſii princeps agri
Ditio, vetuſto quam cohoneſtat nomine)
Familia, ea doctrina, & illis moribus,
Quos vel mediocri in re ſatis haud temere ſui
Compos juventa, vel ſecunda, adeo, ac favens
Fortuna, vix potiſſimum iſthoc ſæculo
Pati videbantur, ſub hoc tumulo jacet
Plane beato ex hac miſera vita exitu.
Quam olim ſuperſtes (amica feliciſſimum
Etſi illum, hominem hic quantum licet ſemel omnibus
Fata numeris perfecerant) felicior
Paucos hodie his vere titulis claros leges
Ubivis, religio eſt dicere nullum, Bene vale.
Antonius Papilio fecit XII. cal. Nov. M. D. XIX.

ANNI CHRISTI

Aliquam eccleſiæ partem conſtruxit, condiditque ſtatuta ſynodalia quæ adhuc obſervantur, ſuntque leges fundamentales ceterorum, quæ poſt ipſum fuere promulgata.

De Barthon **LXXVII. Guillelmus III.**

Guillelmum Barthonis decanum ſuum canonici Lemov. elegerunt in epiſcop. die 25. Nov. an. 1510. qui adverſarios multos paſſus eſt; ac idcirco conſenſit ab eccleſia Lemovicenſi transferri ad Lactorenſem; in qua utrum conſecratus fuerit aliquando, ignoramus. De eo in libro obituum hæc lego: *x. calendas Februarii obitus venerabilis ac ſcientifici viri magiſtri Guillelmi Barthonis decani & electi Lemovicenſis hac die defuncti 1520.*

De Villiers. **LXXVIII. Carolus.**

Carolus de Villiers, ex illuſtri genere toparcharum de Inſula-Adami, parentes habuit Antonium Inſulæ-Adami & Novigenti toparcham, & Agnetem du Moulin de Fontenay; cum eſſet Philippi Montis-Morenciaci conſobrinus, primus fuit a Chriſtianiſſimo Rege vi concordatorum ad epiſcopatum Lemovicenſem nominatus & deſignatus. Poſſeſſionem obtinuit die 6. Aprilis an. 1522. Dedit ſex columnas æreas, & cetera ex ære pariter affabre facta, quæ majus altare ornant. Aliquam navis eccleſiæ partem conſtruxit, ut indicant ejus inſignia fornici affixa. Poſt annos fere decem tranſlatus eſt ad cathedram Bellovacenſem an. 1530. uti inſculptum legitur in opere æneo ſex columnis impoſito de quo jam locuti ſumus. Sepultus eſt in abbatia B. Mariæ de Valle ord. Ciſtercienſis, nunc Fulienſium, non longe a Pontiſara, cujus monaſterii abbas erat; aiuntque corpus ejus incorruptum repertum fuiſſe a viginti circiter annis. Sub Carolo de Villiers epiſcopo Lemovic. nova eccleſia monaſterii S. Angeli, *Saint Angel*, conſecratur in honorem S. Michaëlis, a Petro de Albo Aſcolenſi in Italia præſule die 14. Martii 1522. annuentibus dicto Lemovic. epiſcopo, & Franciſco de Levi epiſcopo Tutellenſi ac priore commendatario dicti monaſterii ſancti Michaëlis de Angelis.

1522.

1530.

Lascaris. **LXXIX. Antonius I.**

Antonius Laſcaris de Tende Belvacenſis epiſcopus, facta cum Carolo permutatione, Lemovicenſi potitus eſt epiſcopatu; a quo regreſſus eſt ad eccleſiam Regenſem priorem ſponſam, ut in Regenſibus diximus epiſcopis.

LXXX. Johannes V.

Johannes de Langeac abbas Piperaci, cui cœnobio multa bona contulit & ornamenta præſertim decorandæ eccleſiæ, ex nobiliſſimo apud Arvernos genere ortus patre Triſtano Langeaci do-

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

mino, matre Anna d'Alegre, ante epiſcopatum fuit libellorum ſupplicum magiſter. Poſt Abrincenſes inſulas, Lemovicenſes obtinuit, quarum poſſeſſionem per ſe adiit die Dom. 22. Jun. 1533. Fecit ordinationes 22. Decembris 1533. 4. Aprilis 1534. & 5. Maii 1536. Hac autem in eccleſia plurima laude digna fecit; nam baſilicam a longo inchoatam tempore perfecit, eo in ſtatu quo nunc viſitur. Odæum autem exquiſito conſtruxit opere. Non minori magnificentia palatii epiſcopalis fabricam eſt aggreſſus; at perficere non potuit. Corpus S. Domnolini e terra eductum, in locum decentem tranſtulit, & in eccleſia huic ſancto extra muros urbis ſacra repoſuit anno 1534. Tumulum ſibi paravit magno ſumtu. Die 22. Maii an. 1541. teſtamentum ſuum conſcripſit; ac eod. an. die 25. Julii ex hac vita deceſſit Pariſ. illatuſque eſt in eccleſiam cathedralem, ubi quieſcit in exquiſiti operis ſepulcro, cui inſcriptum legitur hoc epitaphium: *Exemplo tibi ſatis ſim, quiſquis es; ſi ſapis, præſentibus necte futura; natus quidem vixi, at hercle mori præſtitit, ut plus magiſque viverem.*

Vir fuit in publicis negotiis tractandis peritiſſimus; quapropter ad plurimos principes legationibus perhonorificis defunctus eſt. Fratres habuit Antonium abbatem S. Antonii Viennenſis, & Guillelmum abbatem Cellæ Pictav. ſororem vero Franciſcam monialem S. Petri de Caſis, & prioriſſam de Sanſaco, quæ fundavit anniverſarium celebrandum 26. Julii pro anima fratris ſui Johannis epiſc. Lemovic. ex archivis S. Petri de Caſis. Eo ſedente monachi S. Martialis Lemovicenſis in priſtinum ſtatum ſecularem reſtituti ſunt 1535. Stephanus Doletus ei dicavit tractatum de legatis, &c. editum Lugduni 1541.

DU BELLAY.

LXXXI. JOHANNES VI.

Johannes de Bellayo, cujus meminimus in epiſcopis Baionenſibus, inter plurimos quibus potitus eſt epiſcopatus, Lemovicenſem obtinuit, cujus poſſeſſionem per procuratores Guill. de Bonas & Dominic. de Ruſtaing die 15. Septembris
1541. anni 1541. nactus eſt, retinuitque uſque ad
1547. an. 1547. Obiit Romæ anno 1560. ubi humatus eſt in eccleſia SS. Trinitatis de Monte.

SANGUIN.

LXXXII. ANTONIUS II.

Antonius Sanguin, dictus cardinalis de Meudon, Antonii ſummi aquarum & ſilvarum Franciæ magiſtri, Meudoniſque prope Pariſios domini filius, propter ingenii præſtantiſſimas dotes, & in tractandis ſummis negotiis dexteritatem, quæ in concilianda pace inter Chriſtianiſſimum regem Franciſcum & Carolum V. cæſarem enituit, accedente favore Franciſci I. regis, ob cognationem ducisſæ Stampenſis ipſius neptis epiſcopus Aurelianenſis, & Lemovicenſis, denique Toloſanus archiepiſcopus, Franciæ major eleemoſynarius, demum cardinalis & epiſcopus Oſtienſis evaſit. Ut de ſolo Lemovicenſi epiſcopatu nunc loquamur, ipſo potiri cœpit anno tantum 1546. quo jam purpura fulgebat ab anno 1539. 14. cal. Januarii. Paulo poſt Toloſano archiepiſcopatu donatur. De ceteris quæ ad ipſum pertinent loquemur in Toloſanis archipræſulibus.

LXXXIII. CÆSAR.

Cæſar de Burgundionibus, natione Italus, nunquam Lemovicas, cujus urbis epiſcopatum obtinuerat, adiit; habuit tamen hac in eccleſia vicarium generalem; prætereaque editum eſt ejuſdem auctoritate breviarium Lemovicenſe quod hactenus viſitur. Memoratur epiſc. Lemov. 27. Jul. 1553. Obiit anno 1559.

ANNI CHRISTI DES BOURGUIGNONS

LXXXIV. SEBASTIANUS.

DE L'AUBESPINE.

Sebaſtianus de l'Aubeſpine, abbas S. Martialis *, & B. Eligii Noviomenſis, Regi ab arcanis conſiliis, Claudii domini de la Corbiliere filius fuit, & Margaritæ le Berruier, cujus germanus Claudius de Albaſpina baro Caſtrinovi ſuper Carum, primus quatuorvirorum a ſecretis epiſtolis & mandatis, Franciſco I. Henrico II. & Carolo IX. regibus, pronepotem habuit Gabriëlem epiſcopum Aurelianenſem, & Carolum marchionem Caſtrinovi, Turonum proregem, ac Franciæ procancellarium. Sebaſtianus regere cœpit epiſcopatum Lemovicenſem 1559. Ejus munificentiæ ac pietati debentur campanæ majoris eccleſiæ, quarum concentum omnes mirantur. In ſacro & privato conſiſtorio per plures annos graviſſimis negotiis addictus, arduas obiit legationes in Germania, Hungaria, Anglia, Belgio & Heluetia: demum Lemovicæ an. 1582. e vivis ſublatus eſt die 2. Auguſti. Cor ejus in cathedralis choro fuit ſepultum & cadaver in ſacello gentilitio Albaſpineorum, in cathedrali Bituricenſi. Epitaphium ſequens ſculptum eſt in choro Lemovic. eccleſiæ. *D. O. M. S. & æternæ memoriæ Cl. v. Sebaſtianus Albaſpineus Lemovicenſis epiſcopus, regii conſiſtorii conſiliarius, qui diverſis celeberrimis legationibus pro chriſtianiſſimo Franciſco I. & Henrico II. regibus, in Germania, Hungaria, Heluetia, bis in Belgio, ad Mariam reginam & imperatorem Carolum V. cum quo inducias peropportunas an. 1556. fecit, feliciterque obitis, Franciſco II. apud Hiſpanum regem Philippum orator fuit, quique tot rerum uſu præſtantiſſimo a Carolo IX. (ſub quo fœdus cum Heluetiis ictum renovavit) Henrico III. reverenda & auguſta regum matre ſanctioris conſilii ſenator lectus, in eo ſupra ſeptemdecim annos ſumma cum fide, integritate, & prudentia, in tanta veteris diſciplinæ perturbatione claruit, & tot tantiſque laboribus 40. annos perfunctus, totum ſe ad pietatis ſtudia in reliquum vitæ tempus contulit, ſicque in ſua diœceſi commorans, in eccleſiæ ſinu morbo graviſſimo 8. dies afflictatus, bene beateque obiit 2. Julii, anno ſalutis 1582. Vixit annis 64. menſibus 2. diebus 2.* 1582. *& fuit a B. Martiali 80. Lemovicenſis epiſcopus, cui ſucceſſit illuſtriſſimus vir Johannes de l'Aubeſpine illius nepos.* Plures ejus epiſtolas habet Gallandus in prob. hiſt. Navar. & Flandriæ p. 84.

* Maſciacl, Miciaci, ſeu S. Maximini Aurel.

DE L'AUBESPINE.

LXXXV. JOHANNES VII.

Johannes de l'Aubeſpine abbas S. Martialis, & S. Eligii Noviomenſis, ſuperioris nepos ex fratre Ægidio domino de Verderone, & Maria Gobelin. Interfuit ſynodo Bituricenſi 1584. menſe
1584. Septembri; poſtea Aurelianenſis epiſcopus.

DE LA MARTHONIE.

LXXXVI. HENRICUS.

Henricus de la Marthonie in Petragoricenſi diœceſi ortus, frater Gaufridi Ambianenſis epi-

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

ſcopi, avum habuit Mondotum qui ex primo præſide parlamenti Burdegalenſis, factus legitur princeps ſenatus Pariſienſis; & propatruos Gaſtonem ac Johannem epiſcopos Aquenſes in Novempopulania. Henricus vero natus parentibus Gauſfrido & Iſabella de Pompadour, ex abbate S. Juſti diœceſis Belvacenſis, ac comite conſiſtoriano, per ceſſionem Johannis epiſcopus conſecratur anno 1587. moriturque 7. Octobris 1618. ac ſepelitur in eccleſia cathedrali.

Sub ejus epiſcopatu anno 1604. die 7. Octobris Uſſelli admittuntur Minores Recollecti provinciæ SS. Sacramenti; eccleſia dedicata eſt ab archiepiſcopo Bituricenſi Anna de Levi de Ventadour an. 1652. die 4. Auguſti. Anno 1662. Maria de la Guiche vidua Caroli de Levi ducis de Ventadour agnita eſt fundatrix hujus conventus.

An. 1624. die 27. Junii conſenſit inſtitutioni monialium Benedictinarum ex parthenone SS. Trinitatis Pictav. adductarum, in urbe Dorato, ad petitionem dominæ Johannæ Guiſchard Borboniæ abbatiſſæ SS. Trinitatis, & ejus ſororum; ex litteris authenticis. Cœnobium fuit conditum ſub titulo SS. Trinitatis, cujus prima abbatiſſa fuit Catharina de Biron de Salaignac, quæ obiit x. Junii an. 1652. ſecunda Johanna de Barbeſieres de Chemerault mortua 29. Martii anno 1663.

DE LA MARTHONIE.

LXXXVII. RAIMUNDUS.

Raimundus de la Marthonie, Henrici ex fratre nepos, canonicus Ambianenſis, prior S. Johannis; qui nondum præſulatu initiatus adfuerat comitiis cleri generalibus Pariſienſibus 1614. Ex pontifice Chalcedonenſi, & coadjutore patrui, Lemovicenſis factus eſt epiſcopus. Publicavit ſtatuta anno 1620. Obiit 1627.

1620. 1627.

DE LA FAYETTE.

LXXXVIII. FRANCISCUS.

Franciſcus de la Fayette, abbas beatæ Mariæ de Dalon, prior S. Angeli, comes conſiſtorianus; patrem habuit Claudium toparcham de la Fayette, d'Eſpinaſſes, de Naddes, & de Hauteſeüille, qui nobilem & vetuſtam repetebat originem a Gilberto Fayettæ domino, Franciæ mareſcallo. Hic regi Carolo VII. fidelem, utiliſſimamq; toti Galliæ operam navavit in debellandis Anglis, & e Francia depellendis. Matre vero Maria d'Alegre natus eſt Franciſcus, qui nominatur Lemovicenſis præſul an. 1627. Jan. die 11. ab Urbano VIII. confirmatus, Lutetiæ Pariſiorum ſacra inauguratione conſecratur in æde patrum Minimorum ad Plateam-Regalem, Martii 19. 1628. ab Andrea Fremioto Bituricenſi archiepiſcopo, necnon Auguſtino Potier Bellovacenſi antiſtite, & Stephano Puget tunc Dardaniæ, poſtea Maſſilienſi, præſentibus non modo Gaſtone Johanne Baptiſt. duce Aurelianenſi, pluribuſque aliis viris principibus & epiſcopis, cum Nuntio apoſtolico; ſed etiam Anna Auſtriaca regina; cui cum eſſet primus ab eleemoſynis, ut ſuam benevolentiam erga ipſum publico monimento teſtaretur, & quanto in pretio ipſum haberet, tempore conſecrationis e digito adamantem pretioſſimum ad ipſum deferri mandavit, ut eo Lemovicenſem eccleſiam ſuam ſibi deſponſaret; cui eccleſiæ tam fideliter adhæſit, ut cum ejus poſſeſſionem eſſet adeptus ſolemni apparatu 1628. die Jovis poſt S. Lucam, ſynodis dicata, ab ea numquam potuerit avelli, etſi ditioris epiſcopatus obtinendi ei ſæpius eſſet oblata occaſio. Cum vero diſciplinam eccleſiaſticam collapſam ſenſiſſet, ſimoniacam luem ubique ſerpſiſſe, cuncta fere beneficia a nobilibus occupata confidentiæ ſacrilegio, unde ſupina rerum divinarum ignorantia non tantum plebem, ſed etiam presbyteros & paſtores invaſerat, his tantis malis obſiſtere, & mederi ſibi propoſuit. Primum ego viſitationem diœceſis incœpit anno 1629. biennio ipſam non ſine magnis laboribus abſolvit 1631. celebratiſque ſynodis & promulgatis ſtatutis utilibus ad diœceſis adminiſtrationem, hæc obſervari diligenter curavit, multaque beneficia e ſervitute nobilium, in eccleſiæ libertatem fortiter aſſeruit. Poſtea anno 1635. Bituricenſis provinciæ ſuffragiis ad Cleri generalia comitia delegatus, in iis plurimum ſe ſe commendavit prudentia ſua. Statim confectis comitiis ad diœceſim evolavit, cui perpetua cura invigilavit, tum ut vitia graſſantia exſtirparet, tum ut frenum nobilibus res eccleſiæ uſurpantibus imponeret, tum ut cuncta meliorem ad ordinem componeret; quæ geſſit non ſine gravibus litium impenſis, pluribus ſenatuſconſultis ſua diligentia obtentis; & maxime ſacri conſiſtorii Regis placito, quo cautum erat, ut canonici cathedralis eccleſiæ parochias poſſidentes, eligerent intra menſes tres, cui ſe ſe beneficio vellent addicere, injunctumque paroeciarum rectoribus ut reſidentiam obſervarent, permiſſumque epiſcopo ut contravenientes privaret beneficiis, alioſque ipſis ſubſtitueret. Hoc decretum Rex ſtatuit toto regno obſervari, quod epiſcopus ita ſtricte procuravit adimpleri, ut nullus ab eo fuerit immunis. Cum plures abbatiæ a regula defeciſſent, & inſuper juriſdictionis epiſcopalis jugum excuſſiſſent, eas ad ordinem revocavit, partim coactione ſenatuſconſultorum, partim auctoritate ſua. Secularis abbatia D. Martialis Lemovicenſis a ducentis annis epiſcopi jura neglexerat, nec hoc intervallo viſitationem ſubierat, cui ſe ſubjecit anno 1633. ſolemni tranſactione data Burdegalæ. Plures ejus exemplum imitatæ ſunt eccleſiæ. Abbatiſſa Regulæ Lemovicenſis, & moniales, cum ſe crederent a juriſdictione pontificia exemtas, ei januas aperire denegarunt, & per annos octo judicium declinavere; tandem decreto ſenatus an. 1653. damnatæ, viſitationem ſubierunt; confectiſque regulis piiſſimis, prudenti moderamine eas ita devinxit epiſcopus, ut nunc ei ſuaviſſime pareant, abjectis iis qui rebellionem fovebant. Moniales abbatiæ de Bonaſaina, *Bonneſaigne*, in Lemovicino tractu ſuperiore, paulo poſt ultro ſe ſe obtulere, ut ab illo viſitationem & vitæ regulas acciperent. Iterum generalem totius ſuæ diœceſeos perluſtrationem aggreſſus anno 1649. eam abſolvit anno 1652. tanto fructu, ut abrogatis pravis conſuetudinibus, maxime epularum & compotationum, quæ ſub ſocietatis piæ prætextu fiebant, Chriſtianos mores reviviſcere viderit, plebem frequentibus concionibus & miſſionibus informari, eccleſias a bonis ſacerdotibus regi, ſynodos bis in anno ſemper

1629. 1631. 1635. 1652.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

cogi, ſacros ordines ter & quater in anno celebrari. Sub ejus pontificatu Lemovicis fundantur moniales Viſitationis B. Mariæ, tum Congregationis B. Virginis, necnon in urbe S. Leonardi; Urſulanæ vero Uſſelli & in urbe d'Eſmoutiers. Dum fureret ubique per Gallias civilis belli tempeſtas, ad generales conventus Regni delegatus eſt primus e
1655. provincia Lemovicenſi an. 1651. An. 1655. convocatis comitiis univerſi Cleri Galliarum, ex provincia ſeu metropoli Bituricenſi, omnium calculis electus, inter ſex præſides denominatur.

Celebre ſeminarium pro clericis extra urbem inſtituit, quod ſubjecit S. Sulpicii presbyteris. Naturæ mortalis debitum ſolvit die 3. Maii an. 1676. annos natus 86. An. 1654. apud Bellum-locum fundatur miſſio Societatis Jeſu concedente eis domum Claudio Fabro parocho ſancti Martini de Beilhac.

De Lascaris d'Urfé.

LXXXIX. Ludovicus.

Ludovicus de Laſcaris d'Urfé, marchio hujus loci, comes de Sommerive, baro de la Baſtie & de S. Juſt, primogenitus Emmanuelis marchionis d'Urfé, qui genus trahebat ex dynaſtis de Laſcaris de Tende Sabaudiæ principibus, poſt annos multos ab ipſa pueritia in aula chriſtianiſſimi Regis, aut Sabaudiæ ducis honorifice tranſactos, magno mundi contemtu juri prioris ortus nuntium remiſit, ſeceſſitque in ſeminarium S. Sulpicii, vitæque
1676. clericali ſe addixit. An. 1676. petente Franciſco de la Fayette nominatus fuit coadjutor, & hoc epiſcopo mortuo deſignatur ejus ſucceſſor. Bullas obtinuit menſe Decembri ejuſdem anni, annoque
1677. 1677. die Dominica in octava Epiphaniæ die 11. Januarii conſecratus eſt ab archiepiſcopo Pariſienſi. Menſe Martio Lemovicas ingreſſus eſt nullo apparatu, relictoque palatio epiſcopali, in ſeminario manere elegit, quod & a deceſſore inchoatum abſolvit, ubi perſeveravit uſque ad obitum. Biduo poſt ingreſſum, poſſeſſionem adiit ſolito ritu, poſtea totum ſe dedit officio paſtorali, celebrando ſynodos, eccleſias & monaſteria viſitando; maxime vero pauperes copioſis eleemoſynis ſuſtentando. In iis piis operibus curſum feliciter conſummavit die ultima Junii an. 1695.

ANNI CHRISTI

De Carbonel

XC. Franciscus.

Franciſcus de Carbonel de Caniſy, ex nobili gente quæ inferiori Normanniæ plurimos dedit ſubpræfectos, & Abrincarum gubernatores, ex decano hujus urbis, & cantore Lexovienſi, deſignatus eſt epiſcopus Lemovicenſis die 8. Septembris 1695. Conſecratur ab archiepiſcopo 1696.
Bituricenſi, in ſacello ſeminarii S. Sulpitii apud Pariſios die 25. Martii an. 1696. collaborantibus epiſcopis Tullenſi & Elnenſi, ſolemniterque urbem eſt ingreſſus die 24. Maii ejuſdem anni. Anno ſequenti maxima fame laboravit omnis Lemovicinus pagus. Quod coëgit pium epiſcopum Lutetiam accedere ad colligendas pro alendis pauperibus eleemoſynas. Summa cum pietate & caritate præfuit quandiu licuit per valetudinem. At vero metuens ne aliqua in re deeſſet officio epiſcopali ob infirmum corpus, ſua dignitate carere maluit. Sub hoc præſule anno 1700. clerici dicti 1700.
Barnabitæ apud Garactum, *Gueret*, admittuntur. Duabus potitur abbatiis, Montburgo in diœceſi Conſtantienſi, & Bella-valle in Campania.

Charpin de Genetines.

XCI. Antonius.

Antonius Charpin de Genetines, Seguſianus, comes Lugdun. & vicarius generalis illuſtriſſimi epiſc. S. Flori, deſignatur epiſc. Lemov. per liberam ceſſionem Franciſci de Carbonel, & Lugduni inauguratur die 23. Januarii ab archiep. Lugdun. adſiſtentibus epiſcopis S. Flori Joachimo Joſepho d'Eſtaing, & Franciſco Madot Bellicenſi. Eodem an. 26. Maii 1707. cœpit poſſeſſionem abbatiæ Piperacenſis. Adfuit comitiis generalibus cleri Gallicani anno 1711.

DECANI ECCLESIÆ LEMOVICENSIS.

I. Bosinus decanus an. 831. in diplomate Odoacri epiſcopi.

II. Iterius an. 4. regnante Hugone rege, cum Alduino epiſc. recenſetur in dono Gaufredi de Plania.

III. Theſaugardus ſub Gerardo epiſcopo, tempore Roberti regis, in dono Gilberti canonici.

IV. Ademarus I. 1037.

V. Petrus I. ſub Jordano epiſcopo, regnante Henrico rege, in charta de Comperio. Vixit etiam tempore Iterii epiſcopi, in cujus electione nominatur.

VI. Ramnulfus an. circiter 1060.

VII. Wido 1070. ſub Iterio epiſcopo.

VIII. Audebertus an. 1075. ex chartulario Lemovicenſi.

IX. Gosbertus ſubſcripſit compoſitioni inter Humbaldum epiſcopum & Dolenſes monachos, pro monaſterio Turrenſi 1095.

X. Hugo I. de Gimel 1100.

XI. Aldebertus, *al.* Hildebertus ann. 1104. & 1107. ex eodem chartul. Idem videtur eſſe ac Eldebertus, qui præerat tempore Euſtorgii ep. anno 1114. ex charta electionis Bernardi abb. S. Martialis.

XII. Geraldus tempore Geraldi ep. an. 1145. ex charta Uſerchiæ.

XIII. Hugo II. de Gimel decanus ab an. 1160. Subſcribit donationi factæ Uſerchiæ an. 1163. a Johanne Petracoricenſi epiſc. Vide in Petro Uſerchiæ abbate. Hugo decanus cum Aimerico archidiacono, Geraldo Voſienſi archipresbytero, & aliis clericis, conſentit dono facto a Geraldo ep. Lemovic. Geraldo abbati Tutelenſi, de eccleſia S. Clementis, circa an. 1170.

Digitized by Google

* al. de Vorragine.

XIV. Johannes I. de Veirac *, teſtis in charta Saibrandi epiſc. qua confirmat donum factum a Geraldo II. an. 1188.

XV. G. in chartul. Lemov. quod deſcripſit D. de Ganieres, legitur decanus an. 1200. & eodem an. alius occurrit ibidem, ſcilicet A. Roberti, qui forte de decanatu contendebat cum G. nam idem G. legitur decanus an. 1207. in aliis chartis, ſub Johanne de Veirac epiſcopo.

XVI. Arnaudus I. an. 1209. ex chartul.

XVII. G. anno 1212. ex laudato chart.

XVIII. Hugo III. in litteris Honorii papæ III. datis an. M. CC. XVII. VII. idus Decembris indict. VII. pro domo hoſpitali Lemovicenſi, dicitur donaſſe *borderiam* quandam huic xenochio; ubi legitur ſimul præpoſitus S. Juniani.

XIX. Aicellus, vel Aicelinus decanus S. Stephani, in tranſmarinis partibus exiſtebat an. 1218. ex chartul. Adhuc legitur in charta Petri de Cella militis.

XX. Arnaudus II. 1230. & 1236. die Martis ſexta poſt feſtum apoſtolorum Petri & Pauli. Forte habuit æmulum Johannem de Veirac, qui an. 1230. occurrit decanus in laudato chart.

XXI. Geraldus Roberti decanus & baillivus in veteri inſtrumento 1240. Forſan eſt G. decanus, qui cum A. cantore ſopivit an. 1238. litem inter abbates Mauzacenſem & Riomenſem ortam, eo quod Riomenſes canonici ſepeliſſent ſua in eccleſia Guillelmum Bonditi Mauzacenſem monachum, ex tab. Mauzac.

XXII. Helias I. 1248. 1254. & 1265. quo anno domum decanatus a debito 70. librarum liberavit, cognominabaturque Dureti.

XXIII. Helias II. de Malamort capellanus dom. papæ, exſecutor fuit teſtamenti Aimerici Lemov. epiſcopi. Primum lapidem ab ipſo poſitum in fundamento eccleſiæ Lemovicenſis an. 1272. legimus. Præerat adhuc an. 1275. Quidam ſcribunt eum decanatum obtinuiſſe uſque ad an. 1291. ſed perperam.

XXIV. Gaucelinus de Petra-Bufferia legitur decanus ann. 1279. 1282. & 1293. in chart. Lemovic.

XXV. Ademarus II. de Nova-villa 1296. ſub Reginaldo ep. 1306. 1308. 1311.

XXVI. Bernardus an. 1321. ex chart. Lemov. in quo an. 1323. cognominatur Bruni.

XXVII. Raimundus de S. Criſpino 1341. & uſque ad 1349.

XXVIII. Johannes II. Deux, in utroque jure licentiatus, decanus reperitur in veteri inſtr. 1374. Verum inſcribitur chartulario Lemov. jam anno 1365. Aymericum epiſcopum redarguit quod aſſignatas a Gregorio papa pecunias ad eccleſiæ decorem non impenderet.

XXIX. Petrus II. de Eſgallos in curia Romana agebat an. 1391. ex chartul.

* ſeu Mirola, aut Carroola.

XXX. Arnaldus de Auriola *, legum doctor, decanus legitur in chartul. an. 1398. Ibidem dicitur decanus Santonenſis.

XXXI. Johannes III. de Reyaco ann. 1414. & 1417. In concilio Conſtantienſi fuit provinciæ Bituricenſis procurator.

XXXII. Johannes IV. Richonis, *al.* Rochon 1427. & 1450. idem ac Johannes Richon in utroque jure licentiatus decanus eccleſiæ Lemovicenſis & conſiliarius Regis in ſua curia parlamenti 1438. die 2. Aprilis ante Paſcha.

XXXIII. Henricus Cordis an. 1457.

XXXIV. Johannes V. Barthon * ab an. 1474. ad 1483. poſtea fuit Lemovic. epiſcopus.

* ſeu Barthonis.

XXXV. Antonius de Pompadour, poſtea epiſcopus Condomenſis. Nonnulli volunt fratrem Antonii fuiſſe decanum, non ipſum Antonium; ſed forte uterque ſucceſſive dignitatem obtinuit. Sammarthani fratres in Antonio de Pompadour ep. Condom. dicunt ipſum fuiſſe decanum Engoliſmenſem, Robertum vero ejus fratrem fuiſſe decanum Lemovicenſem. Neuter in chartul. Lemov. reperitur.

XXXVI. Guillelmus I. Barthonis, ex chartul. anno 1486. & uſque ad 1505.

XXXVII. Johannes VI. Barthonis junior an. 1505. Abbas erat commendatarius S. Auguſtini ex chart. Lemov. epiſcopuſque fuit Lactorenſis.

XXXVIII. Guillelmus II. Barthonis an. 1511.

XXXIX. Johannes VII. Barthonis 1516. poſtea ep. Lemovic.

XL. Franciſcus I. Barthonis, abbas quoque ſancti Auguſtini commendatarius ann. 1522. 1525. & ultima die Decembr. 1539.

XLI. Johannes VIII. de Lomenie an. 1548. obiit 1561. menſe Junio.

XLII. Franciſcus II. Boyol 1569. obiit menſe Octobri 1572.

XLIII. Jacobus I. Boyol 1573.

XLIV. Jacobus II. Boyol 1581. migravit a ſeculo 4. Julii 1581.

XLV. Johannes IX. de Puſillon, in jure licentiatus, decanus, & vicarius generalis Johannæ de Borbonio abbatiſſæ de Regula an. 1582. die ultima Octobris. Item vicarius generalis Johannis de l'Aubeſpine epiſcopi an. 1586. decanus an. 1591. obiit 1594.

XLVI. N. Ridier de Gueret decanatum tenuit per annos circiter ſex. Sed cum dubia eſſet ejus inſtitutio, ſequenti cedere coactus eſt, ſcilicet Matthæo de Verthamont.

XLVII. Matthæus * de Verthamont Regi a conſiliis, abbas Prati-Benedicti; decanus erat 1594. 1606. & 1624.

* al. Johannes.

XLVIII. Franciſcus III. de Verthamont de Lavau.

XLIX. Stephanus I. de Chenaille ſucceſſit avunculo ſuo an. 1630. ceſſit nepoti 1696.

L. Stephanus II. de Chenaille per reſignationem præcedentis ab anno 1696. hactenus præeſt. Lego in quibuſdam commentariis de Chevailles.

In quodam catalogo quem ad nos miſit R. P. abbas S. Auguſtini Lemovicenſis, qui tantum continet 18. decanos, multi ſunt nobis ignoti nulliſque chartarum teſtimoniis fulti, ut Helias de Ma-

Digitized by Google

lamorte factus archiepiſc. Burdegal. an. 1182. Simon de Rupe-cavardi electus epiſcopus Lemov. poſtea archiep. Burdegal. 1275. Clemens electus epiſcopus Lemovicenſis contra hunc Simonem. Guido de Combornio 1326. Johan. Seguin 1367. Guillelmus de Turribus, *de Lastours*, an. circiter 1373. Helias III. de Pompadour circa 1400. Helias IV. de Malomonte cujus meminit necrolog. S. Leonardi Nobiliacenſis his verbis: *XIV. cal. Junii ob. Helias de Malomonte decanus Lemovic.* Nullum annum aſſignatum habet.

PRÆPOSITI LEMOVICENSES.

I. PETRUS nominatur præpoſitus in charta Turpionis Lemovic. epiſcopi.

II. Goffridus tempore electionis Iterii anno 1052.

DE ABBATIIS DIOECESIS LEMOVICENSIS.

DE abbatiis dicturi, exordium ſumimus a veteribus monaſteriis, quæ a longo tempore jugum inſtituti regularis excuſſerunt.

DE VETERIBUS MONASTERIIS.

I. ATANENSE S. Aredii * cœnobium, ab auctore ſuo ſic appellatum cum oppido circumpoſito, ſitum eſt in finibus pagi Lemovicenſis verſus Petrocorios. Iſtic *ex familia propria*, ut Gregorii * verba referam, *tonſuratos inſtituit monachos, cœnobiumque fundavit, in quo non modo Caſſiani, verum etiam Baſilii & reliquorum abbatum qui monaſterialem vitam inſtituerunt, celebrantur regulæ.* Id vero factum eſt paulo ante annum 572. quo teſtamentum B. Aredius cum Pelagia matre ſua condidit, in gratiam baſilicæ S. Martini apud Turonos, cui Atanenſe monaſterium in primis commendavit anno XI. regis Sigeberti, ejuſque præpoſito ſubjectum eſſe voluit. Vide inſtrumenta.

* St. Yrier de la Perche.

* lib. 2. hiſt. c. 29.

C. XXI. col. 177.

Aliud quoque teſtamentum morti jam proximus conſcripſit Childeberti Auſtraſiorum regis anno ſexto-decimo, Chriſti nonageſimo primo ſupra quingenteſimum, ut priori ſcilicet teſtamento robur adferret. Vide Analecta Mabill. tom. 2. pag. 48. & appendicem ad Gregor. Turon. col. 1308. & ſeqq.

Proceſſu temporis converſa eſt hæc abbatia in collegium 32. canonicorum ſecularium, Turonicæ S. Martini baſilicæ ſubjectum; qua de re vide

C. XXIII. col. 178.

præceptum Caroli magni inter inſtrumenta.

Itaque primus abbas primuſque auctor Atanenſis monaſterii fuit B. Aredius Nicetii epiſcopi Trevirenſis, necnon Sebaſtiani abbatis Voſienſis diſcipulus; ipſius Aredii vitam habes ſecul. 1. Bened. pag. 350. & in appendice Gregorii Turon. pag. 1283. Item inter noſtra inſtrumenta.

C. XXII. col. 178.

Aſtedius ab eodem Aredio patruo deſignatus abbas ſucceſſit. Voſienſi antea monaſterio præerat; qui cum accerſitus venire diſtuliſſet, mortuum reperit Aredium, VIII. videlicet calendas Septemb. dyſenteria oppreſſum.

Stodilus abbas S. Aredii Atanenſis adfuiſſe conſecrationi Alaonenſis in Vaſconia monaſterii legitur in præcepto Caroli regis Ludovici Auguſti filii, dato XII. cal. Febr. anno 5. Caroli regis ind. VIII. hoc eſt 845.

Audebertus in fundatione Dalonæ, S. Aredii decanus occurrit an. 1114.

II. Rauzoliæ-Monaſterium * Atanenſi S. Aredii abbatiæ addictum an. 751. vel 52. a Cariſſima Odonis Biturigum principis & Baſiliæ filia, ob amorem ipſius Aredii, ex cujus genere originem maternam ducebat. Vide inſtrumenta. Hactenus eſt eccleſia collegiata quæ immediate Atano, mediate S. Martini Turon. decano paret.

* Montier-Rauzeille.

C. XX. col. 177.

III. Adde his monaſteriis Nobiliacenſe * S. Leonardi, ita dictum ab auctore ſuo primoque abbate. Item S. Valerici, utrumque nunc canonicorum ſecularium.

* S. Leonard.

IV. Retenſe monaſterium, de quo vide in S. Savino ad an. 830.

V. Ruffiacenſe ad Croſam monaſterium, vulgo *Ruffec.* Vide ibidem.

VI. Fit quoque mentio Ambaciacenſis monaſterii ſiti haud procul a Mureto, in tomo IV. Analect. & in appendice Gregorii Turonenſis operum, ubi de Gandomero monacho *de monaſterio Ambacianis*, aliis *Ambiacini*, quod non longe ab urbe Lemovicina ſitum erat: qui Gandomerus infeſtatione dæmonis ad S. Aredii tumulum liberatus eſt. Jam pridem ſubjectum eſt Benedictinæ abbatiæ S. Auguſtini extra muros Lemovicenſes.

VII. Antimonaſterium S. Stephani, ſeu Aëntenſe * monaſterium ad Vigennam, vel ut alii volunt Antiquum-Monaſterium, vulgo *Emontiers*, incertam omnino habuit originem; quam tamen ad ſeculum IX. vel X. revocat Mabillonius. Hoc unum certum eſt quod modo collegium ſit tredecim canonicorum cum præpoſito & aliis clericis numero fere 25. choro deputatis; quodque jam an. 1279. ad ſtatum ſecularem divertiſſet. Hac autem in eccleſia quieſcere B. Pſalmodium aſſerit Goffridus Voſienſis in Chronico; cujus quidem ſancti Pſalmodii, vulgo *S. Pſaulmet*, Aënti monaſterii patroni vitam e MS. legendario editam a V. C. Johanne Colin S. Juniani canonico & theologo in faſtis ſacris die 13. Junii legere eſt.

* Eymontiers.

VIII. Doratum ſeu Scotorium, S. Petri in Marchia inferiori ad Separim, ſeu Severum * amnem vetus eccleſia, cujus archimandrita dicebatur abbas Scotorienſium, teſte Ademaro Cabanenſi, ut aiunt Sammarthani fratres; nunc autem ſeculare capitulum, cui præeſt abbas. Legitur

* la Sevre.

Digitized by Google

autem apud eoſdem Sammarthanos quoddam inſtrumentum in quo dicunt fundationis tenorem contineri; quod minime invenimus. Initio chartæ quæ data legitur an. 987. Hugo rex prolixe præfatur de bonorum operum fructu & præmio, nihil vero dicit de Dorato aut de alio loco ſacro cui beneficium conferat. Sed Boſo comes Marchiæ dicit ſe deſtinare capellam in honore S. Petri, cum conſenſu Aginæ uxoris & Heliæ filii ſui; canonicum vero ordinem elegiſſe qui obſervetur ab iis qui hoc in loco Deo ſunt famulaturi.

Nobis ſuppeditavit aliam chartam domin. Johannes Joüilhac unus ex Regis capellanis, qui pro abbatia Doratenſi litigavit. In ea legimus Clodovæum magnum, poſt devictum Alaricum Gothorum regem, ad pagum Schotorenſem inter duos rivulos ſitum veniſſe, & in gratiarum actionem pro reportata victoria parvum oratorium in honorem ſanctificæ crucis & principis apoſtolorum erexiſſe, conceſſiſſeque immunitatem & libertatem omnimodam clericis quos hic inſtituerat. Verum ex quo theſauro depromtum fuerit hoc monumentum, ignoramus; aliunde vero antiquitatem minime ſapit.

Abbatum ſeries.

I. Fulcaudus ex eo ſolo notus inſtrumento an. 987. quod in dubium revocamus.

II. Petrus I. Drutus de Mortuo-mari, dynaſtæ Morte-marenſis filius, Scotorio præerat circa an. 996. quo peregrinatus eſt in Syriam & ad loca ſancta: ex noſtro D. Claud. Eſtiennot.

III. Gaufridus nepos Bartholomæi Turon. archiepiſcopi, abbas canonicorum S. Petri Dorat. 1066. in charta Aymonis archiep. Bituric. pro Prulliaco.

IV. Guillelmus I. filius Radulfi ſenioris Caſtri. Radulfi toparchæ, frater Ebbonis ſecundi, Gaufredi de Prulée, Caroli, Radulfi & Gaufredi de Mellano, oriundus ex veteri principum Dolenſium proſapia, præerat abbas an. 1092. ex tom. 2. biblioth. Labb. pag. 740.

V. Ramnulfus, Raynulfus, *al.* Radulfus, de Niolio *Nieuil*, vel de Brigolio, *Brigueüil*, abbas erat Dorati & archidiaconus S. Stephani Lemovic. an. 1107. quo teſtis eſt doni eccleſiæ S. Martialis de Beſſaco facti a Gerardo ep. Cadurc. Gerardo abbati Belliloci. Erat & præpoſitus S. Juniani Comodoliacenſis, cujus videlicet tempore Reginaldus Petrocoricenſis epiſc. eccleſiam S. Juniani conſecravit. Memoratur abbas Dorat. anno 1111. in charta Euſtorgii ep. pro Voſienſi cœnobio. Eumdem Raynulfum poſtea Gerardus epiſcopus Engoliſm. tamquam legatus antipapæ Anacleti, fecit epiſcopum Lemovicenſem in locum Euſtorgii, cui Willelmus IX. dux Aquitaniæ, fautor ſchiſmatis Anacleti, erat infenſiſſimus. Sed poſtea reconciliatione facta epiſc. cum duce, ope S. Bernardi Claræ-Vallis abbatis, Raynulfus cedere coactus eſt; cumque rediret a Pictavis, de equo, licet manſueto, corruit, & obiit, ex Chronico Voſienſi. Vide in Euſtorgio Lemovic. ep. In monaſterio Bulienſi cujus fundator audit, jacere dicitur.

VI. Archimbaldus de Chambon e nobili Cambonia gente ortus, abbas Dorati occurrit anno 1130. In veteri necrol. eccl. Lemov. memoratur III. cal. Julii.

VII. Helias abbas de Dorato circa an. 1134. tempore Geraldi ep. Lemovic. Vide in abbatis Stirpenſi.

VIII. Willelmus II. abbas Dorat. confirmat ut teſtis, chartam Henrici II. regis Angliæ pro abbatia de Oratorio, l'*Oroux*. Vide in appendice ad opera P. Bleſenſis pag. 773. Bullam tuitionis obtinuit ab Lucio III. ſummo pont. IV. nonas Maii, ind. IV. pontif. Lucii an. IV.

IX. Antonius de Ranconio, nobiliſſima Ranconiorum ſtirpe natus, ſedebat 1180.

X. Anſelmus Dorati abbas memoratur anno 1185.

XI. Guido de Blaon, præpoſitus etiam S. Juniani Comodoliacenſis, obiit an. 1206. ante menſem Maium.

XII. Arnaldus de Monteil pedum Scotorienſe gerebat an. 1211.

XIII. Iſembertus abbas Dorati fundavit ſacellum S. Cyricii ad Theoletum.

XIV. Petrus II. de Cubol memoratur 1220. in chartis Grandim. Deceſſit an. 1223. ex Chronico Bernardi Ytherii.

XV. Petrus III. anno 1227. ex charta S. Savini.

XVI. Aubertus abbas B. Petri Doratenſis nominatur in conventione facta inter abbatem S. Savini Pictav. prioremque de Viveriis, ac Launum de Tilia militem. Actum in eccl. B. Stephani de Viveriis XV. cal. Sept. an. M. CC. XXVII. ex tabulario abb. Nobiliac.

XVII. Audoinus I. de Petra-Bufferia abbas Doratenſis 1287. ex tabul. Uzerchenſi, & 1289. pridie cal. Martii, ex charta Glanderienſi.

XVIII. Geraldus de Malomonte, *de Maumont*, caſtrum de Chaluſſet ejuſque ditionem accepit a Maria vicecomitiſſa Lemovicum. Præcentor fuit Bituricenſis & capellanus dom. papæ 1294. Memoratur Geraldus abb. Dorat. & canonicus Lemovic. X. cal. Maii in veteri necrol. eccleſ. Lemov.

XIX. Nicolaus Felletin præerat an. 1330.

XX. Stephanus de Pinu abbas Doratenſis eligitur in patriarcham Conſtantinopolitanum anno 1346. in litteris Gasberti archiepiſcopi Narbon.

XXI. Audoënus II. de Pierre-Buffiere ſedebat an. 1360.

XXII. Petrus IV. de Pierre-Buffiere, Audoëni frater 1361.

XXIII. Imbertus de la Fueille 1376.

XXIV. Bartholomæus de Arſaco, 1367. 1399.

XXV. Guillelmus III. de Arſaco, Bartholomæi germanus.

XXVI. Bernardus de Cheyro, Raimundi *Baſſæ* Marchiæ prætoris filius.

XXVII. Noderus occurrit abbas Doratenſis an. 1407.

XXVIII. Guillelmus IV. l'Hermite, ex præpoſito S. Juniani electus abbas Doratenſis, muros urbis reſtitui curavit. Sedebat autem an. 1420.

Digitized by Google

item 1427. ex inſtrumento eccleſiæ Lemovic. ubi dicitur etiam canonicus Lemovic.

XXIX. Johannes I. Barthon de Monbas, Johannis vicecomitis de Monbas cancellarii Marchiæ & Gilbertæ de Benao filius, eligitur abbas Scotorienſis an. ſaltem 1446. item 1450. epiſcopus vero Lemov. an. 1457.

XXX. Petrus V. Barthon de Monbas ceſſione Johannis factus eſt abbas Doratenſis an. 1457. qui & ipſe pedum dimiſit 1466.

XXXI. Philippus Barthon de Monbas archipresbyter Bituricenſis, præpoſitus Subterraneæ, erat abbas Doratenſis an. 1466.

XXXII. Guillelmus V. Barthon de Monbas, Petri vicecomitis de Monbas, cancellarii Marchiæ & cubicularii regis, ex Perreta Fabricia natus, nepos autem Johannis III. ep. Lemovic. & frater Johannis IV. epiſcopi quoque Lemovicenſis, & Petri abbatis S. Aug. Lemovic. Scotorienſe pedum jam pridem acceperat an. 1477. qui decennio poſt pro *juſtitia* & quibuſdam juribus cum ſuis litigavit. Occurrit adhuc annis 1490. 1495. 1499. & 1500. decanus ſimul Lemovicenſis.

XXXIII. Petrus VI. Barthon de Monbas, prior de Clauſis, *Cluis*, cedente Guillelmo fit abbas Doratenſis ab an. circiter 1506. ad an. fere 1514.

XXXIV. Johannes II. Barthon de Monbas Lactorenſis epiſcopus, Bernardi vicecomitis de Monbas & Mariæ de Sully filius, Johannis Barthon Lemovicenſis epiſcopi nepos, abbas ſimul S. Aug. Lemovic. & Doratenſis. Obierat jam an. 1531. ex D. Cl. Eſtiennot; at melius an. 1544. 21. Sept. ex nova Gallia Chriſt. inepiſc. Lactor.

XXXV. Matthæus de la Vau de Drouille curio Bellacenſis; cum aliquando indecora veſte indutus curiam parlamenti Pariſienſis eſſet ingreſſus, ſenatuſconſulto in carcerem truſus eſt. Præerat autem adhuc an. 1578. ſub cujus regimine duriſſima pertulit eccleſia Doratenſis ab heterodoxis, qui etiam eo defuncto abbatiam occupavere.

XXXVI. Gabriel de Maran Ranconienſis, prior Marganenſis, Regi ab eleemoſynis & conſiliis, an. 1615. adfuit comitiis generalibus cleri Gallicani pro Bituricenſi provincia deputatus. Præerat adhuc anno 1631. quando litteris regiis ad dignitatem primariam ſanctæ capellæ Pariſienſis promotus eſt.

XXXVII. Renatus de Maran Ranconienſis, patrui ceſſione facta 1648. fit abbas Doratenſis ad annum ſaltem 1676. Huic vitam B. Iſraëlis Comodoliacenſis eccleſiæ reſtauratoris ac primi præpoſiti, necnon eccleſiæ Doratenſis canonici & præcentoris, ex veteribus utriuſque eccleſiæ monumentis, eleganti ſtylo conſcriptam dicavit J. Collin doctor theologus, quæ MS. aſſervatur in abbatia Stirpenſi.

XXXVIII. Johan. Barny Lemovix, abbas Dorat. mortuus circa an. 1700.

IX. S. Andreas in Ratiaſto.

Vetus abbatia S. Andreæ in Ratiaſto Lemovicum, a S. Martiale primo Lemovicenſium antiſtite ædificata fuiſſe traditur, a Pipino rege deſtructa, atque a Danis vel Normannis ſolo æquata, ita ut vix undecimo ſeculo veſtigium aliquod ipſius apparet. Hanc tamen ut abbatiam S. Stephano Lemovicenſi Adhemarus [a] vicecomes ceſſit an. circiter 1074. eaque potiti ſunt canonici S. Stephani ad an. 1160. quo eam abbati & canonicis Beneventi in Lemovicibus dimiſere pro certis aliis prædiis in quibus ipſi canonici Lemovicenſes Beneventanis tenebantur. Tandem vero poſt varios caſus ad RR. PP. Carmelitas diſcalceatos devenit, pia quorum induſtria factum eſt ut ibi celebris & numeroſa congregatio ſubſiſtat. [a]

X. S. Michaël de Piſtoria.

B. Michaëlis de Piſtoria in urbe Lemov. monaſterium initium habuit medio circiter ſeculo ſexto, auctoribus Soro, Jocundo, Sebaſtiano S. Aredii præceptore & Pelagia principis Jocundi conjuge, Aredii matre; qui quidem Jocundus moriens, in eadem S. Michaëlis baſilica ſepeliri voluit, ut teſtantur Goffredus Voſienſis & Annales Lemovicenſes. Idem Goffredus in ſuo Chronico notat abbatiam de Terraſſon, rogatu B. Sori, abbatiæ S. Michaëlis Piſtorienſis ſubjugaviſſe S. Arediun, & utriuſque regimen commiſiſſe nepoti ſuo Aſtedio Voſienſi abbati; qui deinde poſt obitum S. Aredii factus Attanenſis abbas, Terracin. & S. Michaëlis Piſtoricenſis cœnobia Attanenſi ſubjecit. Horum alterum, Terracinenſe, ſeu Terraſonenſe videlicet, collo jugum excuſſit, alterum Attanenſi immediate & S. Martini Turonenſis aſceteriis mediate ſemper paruit, & etiamnum paret ac ſubeſt. Porro eccleſia S. Michaëlis a Pipino Brevi deſtructa fuit an. 763. iterumque a Danis peſſumdata an. 848. Hactenus tamen exſtat eccleſiola S. Michaëlis de Piſtoria dicta, in veteris cœnobii ruderibus, ad quam pia laïcorum ſocietas, vulgo *les Penitens noirs*, divina officia celebratura feſtis diebus accurrit.

Analect. tom. 2. pag. 66.

XI. S. Paulus in urbe.

S. Pauli in urbe monaſterium conſtruitur a Jocundo & Pelagia B. Aredii parentibus, atque a S. Ferreolo præſule dotatur; qui quidem anno 597. ex meliori chronologia mortuus eſt, inquit noſter D. Claud. Eſtiennot, ac in eadem S. Pauli abbatia ſepultus eſt; uti & S. Aſclepius, quorum corpora abbas S. Auguſtini ad ſuum poſtea monaſterium tranſtulit. Modo tantum eſt eccleſia parochialis ad præſentationem abbatis S. Auguſtini.

XII. Comodoliacenſe monaſterium. *juniorem. b

Comodoliacenſis ad Vigennam, *la Vienne*, SS. Juniani & Amandi [b] abbatia olim monachorum, modo canonicorum ſecularium, auctores habet S. Amandum qui ibidem ſolitarie vixit, & S. Roricium * ep. Lemovicenſem, qui eidem S. Amando poſt annum 500. a Chriſto nato ædiculam conſtruxit, necnon S. Junianum, cui & Roricius junior cenotaphium exædificari fecit, ubi ſepeliri voluit [c]. Iſta autem eccleſiola paulatim in cœnobium evaſit, jamque hoc nomen obtinebat anno 848. ex Adhemari Cabanenſis Chronico. Verum paulo poſt a Danis

[a] Editæ ſunt ea de re litteræ in probationibus hiſt. vicecom. Pictav. V. C. Johannis Beſlii fol. 356.

[b] Hiſce patronis S. Andreas videtur acceſſiſſe, quando in litteris Geraldi ep. Lemovic. ann. 1149. & 1150. varias eccleſias legimus datas eccleſiæ S. Andreæ & S. Juniani.

[c] In lib. de Geſtis epiſcoporum Lemovicenſium cap. 3. legimus ſepultum in crypta apud S. Junianum; *alias* in eccleſia S. Petri de Quadrivio, *du Quevoir*, quam * ſane cum monaſterio S. Juniani Joſfredus, quondam theſaurarius, a jure S. Martialis fraude ſubtraxit an. 848. ex Goffridi Voſienſis Chronico cap. 15.

* Cairoenſem ex Ademari Cabanenſis Chronico.

deſtructum

deſtructum reſarcitur circa an. 880. quod quidem a fine decimi ſeculi nonniſi præpoſitura fuit, ſed regularis, ad annum ut videtur 1150. Abbatum talis eſt elenchus apud noſtrum D. Claud. Eſtien.

Guillelmus anno circiter 950.

Aymericus ante annum 990.

Iterius Comodoliaci abbas ultimus, Ebulo Lemovicenſi præſule cogente, aſſenſum invitus præbuit ut poſt obitum ſuum hæc abbatia ad epiſcopos Lemovicenſes pleno jure devolveretur, ut referunt litteræ Petri de Pierre-Buffiere præpoſiti S. Juniani contra Bernardum de Bona-Valle epiſc. Lemovicenſem. Itaque circa an. 993. hæc abbatia eſſe deſiit, & epiſcopo Lemovicenſi fuit attributa; quanquam & ea citius potitum fuiſſe innuere videatur Ademarus Cabanenſis.

XIII. Waractenſe. * Gueret. * la Gartampe.

Inter antiqua Lemovicenſis dioeceſis monaſteria nunc oblivione ſepulta, Waractenſe * S. Petri recenſetur, a Lantario comite fundatum ad fontes Wartimpæ * fluvii, ubi nunc eſt *Gueret*, urbs primaria Marchiæ. Hujus loci abbas celeberrimus fuit S. Pardulfus, *S. Pardoux*, cujus vitam habes ſec. 3. Bened. p. 1. pag. 571. Modo prioratus eſt ad nominationem abbatis S. Savini Pictav. ut notat MS. codex Solemniac.

De aliis quæ adhuc exstant abbatiis.

Abbatiarum quæ priſtinum adhuc ſtatum obtinent, aut ab eo non antiquitus defecerunt, hîc indiculum damus:

Abbatia S. Martialis in urbe, ord. Bened. nunc ſecularis
Solemniaci, *Solignac*, o. B.
S. Auguſtini, *S. Auguſtin de Limoges*, o. B.
S. Martini, *S. Martin de Limoges*, o. B.
Uſarchiæ, *Uſerche*, o. B.
Voſienſis, *le Vigeois*, o. B.
Meimaci, *Meimac*, o. B.
Belliloci, *Beaulieu*, o. B.
Ageduni, *Ahun*, o. B.
Regulæ, *la Regle*, femin. o. B.
Bonæ-Saniæ, *Bonneſaigne*, fem. o. B.
De Allodiis, *les Allois*, femin. o. B.
Beneventi, *Benevent*, ord. Aug.
Stirpenſis, *Sterp*, o. A.
Dalonarum, *Dalones*, ord. Ciſt.
Boni-loci, *Bonlieu*, o. C.
Bulii, *de Beul*, o. C.
Prati-Benedicti, *Pré-Benoiſt*, o. C.
Palatii, *le Palais*, o. C.
Obaſinæ, *Obaſine*, o. C.
Columbæ, *la Colombe*, o. C.
Bonæ-aquæ, *Bonne-aigue*, o. C.
Albæ-Petræ, *Aubepierre*, o. C.
Grandimontis, *Grammont*.

S. MARTIALIS ABBATIA.

Sancti Martialis in urbe Lemovica vetus ac celebris eccleſia, donis comitum, vicecomitum & epiſcoporum Lemovic. nobilitata, ubi reges ac duces Aquitaniæ diadema excipiebant, S. Salvatoris primum, inde S. Martialis nomine appellata eſt, & quidem contra nonnullorum opinionem, antequam in illa regali baſilica, præſente Ludovico Francorum rege atque imperatore, corporis hujus ſancti elevatio ſolemniter celebrata fuiſſet, uti probat Cointius, laudante Mabillonio ad 828. ex privilegio Pipini Aquitanorum regis pro monaſterio Montis-Olivi * *dato VIII. idus ..... anno quintodecimo Hludovici ſereniſſimi Auguſti, anno vero regni domni Pipini regis quartodecimo*, ut in authentico legitur, non *duodecimo*, ut in editis. *Actum in monaſterio S. Martialis.*

* Montoliou.

In veteribus chronicis legitur monaſterium S. Martialis ædificatum fuiſſe a Ludovico Pio, qui eo transferri curavit corpus S. Martialis, & abbati contulit Lemovicenſis urbis dominium, quod ipſe abbas poſtea ceſſit vicecomiti Lemovicenſi, ea lege ut de eo præſtaret hominium ac fidem obligaret; qua conditione minime impleta, dominium hoc occupavit, ex tabulario Palenſi pro chartis ad Petracoricenſem & Lemovic. pagum pertinentibus. Ibidem ſunt acta duorum hominiorum a præfatis vicecomitibus præſtitorum abbati S. Martialis, annis videlicet 1286. & 1307.

Exſtabat nihilominus hæc abbatia, jam anno ſaltem 804. quo Palnatum apud Petrocorios monaſterium in honorem Salvatoris & S. Benedicti conſtructum, ab ipſis fundatoribus ſancto Martiali apud Lemovicas ſubjectum fuit. Ex quo etiam intelligitur monachos tum exſtitiſſe in Lemovicenſi baſilica S. Martialis, ſiquidem S. Martiali traditur Palnatum *ad uſus monachorum*: niſi dixeris hoc intelligendum de monachis Palnati inſtituendis. Si tamen, inquit Mabillonius, ut horum ſenſus verborum exigere videtur, priori modo intelligas, dicendum eſt S. Martialis monachos non multo poſt ad canonicorum mores & habitum defeciſſe, quando illic reſtitutus eſt monaſticus ordo, Carolo Calvo regnante, ut notant Sammarthani fratres in veteri Gallia Chriſtiana. Hæc autem ſunt ipſorum verba: *Carolus Calvus Lemovicæ conventum generalem habuit tempore Quadrageſimæ ..... Ainardus præfectus monaſterii S. Martialis depoſito canonicali habitu monachus efficitur: ſimiliter omnes canonici S. Martialis in monaſticum habitum iterum ſe transferunt, & deinceps idem locus a monachis ordinatur. Josfredus vero theſaurarius nolens relinquere ſeculum, a Stodilo epiſcopo monaſterium S. Juniani, deprædatione a jure S. Martialis ſubripuit.* Eadem ferme refert in Chronico Ademarus Cabanenſis, luculentus ætate ſua ſcriptor, p. 161. editionis Labbeanæ.

Attamen iſte auctor ſibi non conſtat in hac chronologia, ſi mendum non eſt in Mabillonio ad an. 1028. ubi fragmentum epiſtolæ ejuſdem Ademari de ſancti Martialis apoſtolatu commemorat, quamque integram in appendice refert. Si enim ab anno 1028. quo ſcribere ſe dicit auctor, annos 160. quos effluxiſſe affirmat, ex quo canonicus ordo in monaſticum verſus eſt, ſubtraxeris, annus emergens ex hac computatione non erit 848. ſed 868. itaque pro 160. legendum videtur 180.

Eccleſiæ S. Martialis, quæ Regalis appellata eſt, multa conceſſa ſunt privilegia, in primis quod in ſolemnitatibus Paſchæ & Pentecoſtes ibi baptiſmus conferretur. Vide Mabill. ad an. 1031. num. 102.

Digitized by Google

Eidem quoque multa olim ſubjecta fuiſſe monaſteria legimus, puta Beaniam in pago Sanctonico, vulgo, *Baigne*, Voſium *le Vigeois*, atque Terracinam *Terraſſon*, & alia bene multa. Verum poſtea ipſummet S. Martialis monaſterium Cluniaco traditum eſt ab Ademaro vicecomite, ut patet ex ipſius charta, quam magna ex parte refert Mabillonius ad annum 1062. num. 119. ex qua habemus vicecomitem, ad purgandam ſimoniacam labem & reformandum hoc monaſterium, illud tradidiſſe S. Hugoni & Cluniacenſibus, ſub quibus refloruit. Integrum diploma habes in appendice. C. XXIV. col. 179.

Floret etiamnum hæc baſilica, ſed pro monachis habet canonicos ſeculares ex indulgentia Pauli papæ III. Abbatum hiſtoriam ſatis accuratam exhibuere noſtri Sammarthani, quibus tamen multa nos adjeciſſe ſcitu digniſſima nemo negabit.

SERIES ABBATUM.

I. DODO, qui & Odo, antea S. Savini Pictav. abbas, poſtulatur a canonicis, reſignante Ainardo anno 848. * Chronicum MS. Lemovicenſe S. Martialis de eo ſic fatur: [a] *Anno 848. Carolus Calvus habuit generalem conventum Lemovicenſem, cum omnibus archiepiſcopis, epiſcopis & principibus Aquitaniæ, & reſidente Carolo in throno regali Ainardus princeps monaſterii S. Martialis, & canonici ejuſdem eccleſiæ proſtraverunt ſe ante pedes ejus, & quæſierunt ſibi dari habitum quo fierent monachi. Tum rex precibus eorum inclinavit, excepto Stodilo Lemovic. epiſcopo qui contradixit: ſed compulſus a Rege conſenſit propter munera; & noluerunt ex ſe habere abbatem, & præfecerunt ſibi Dodonem abbatem S. Savini. Jotfredus vero theſaurarius noluit relinquere ſeculum.*

* *Aliud chronicon habet:* 840. pridie calend. Aprilis.

[a]

Poſt duos annos præfecturæ apud S. Martialem, regreſſus eſt Odo ad S. Savinum, & anno 853. ſynodo interfuit Sueſſionenſi, qui quidem etiam ſibi regimen Stradenſis, ſeu S. Genulfi monaſterii retinuerat.

II. Abbo Dodoni ad S. Savini monaſterium reverſo ſucceſſor datus an. 850. annos undecim præfuit: cujus anno quinto Carolus Caroli Calvi filius in regem Aquitaniæ apud Lemovicas inunctus eſt. Et certe huic chronologiæ conſentiunt Annales Bertiniani, in quibus id factum legitur anno ſeculi noni quinquageſimo quinto. Ineunte anno ſeq. Guigo quidam nobilis Lemovix Miliacum villam pagi Petragorici ſimul cum eccleſia S. Radegundis ibidem exſtructa, Abboni S. Martialis abbati conceſſit: Datum menſe Januario an. 1. regni domni noſtri Caroli regis Aquitaniorum. Hanc autem villam Palnatenſi apud Petrocorios monaſterio attribuit idem Abbo, qui tandem e vita migraſſe notatur in necrol. XIV. cal. Junii.

III. Benedictus ſub quo humatus Stodilus epiſc. Lemovic. in baſilica S. Salvatoris. Præfuit annis quindecim, ac mortuus eſt an. 876. IV. id. Julii, *al.* XIV. cal. Febr.

IV. Gunſindus, ſeu Gozilenus pedum geſſit paſtorale annis octodecim, quem libelli de abbatibus S. Martialis auctor ait ſe ægre in catalogo abbatum poſuiſſe, quod ſub habitu monaſtico cor ſeculare geſſerit, quippe qui multas eccleſias & terras ſecularibus poteſtatibus perperam conceſſit. Hujus anno 2. Carolus Calvus imperator obiit, ipſe vero fato functus eſt VII. cal. Novembris 894.

V. Fulbertus I. ſubrogatur ad ſex annos, cujus anno quinto rex Odo deceſſiſſe traditur, & Carolus minor regnum recuperaſſe. Diem ultimum clauſit Fulbertus an. 899. IX. cal. Febr. ſub quo ſepelitur apud S. Salvatorem Anſelmus epiſc. prope Aldonem.

VI. Fulbertus II. cujus anno ſexto S. Geraldus apud Auriliacum deceſſit III. idus Octob. ſepultus in monaſterio S. Petri apoſt. quod ipſe ædificaverat. Obiit Fulbertus calendis Febr. poſtquam annis 20. præfuiſſet.

VII. Stephanus rexit annis 17. de quo legitur in commemoratione abbat. Lemovic. *Compoſuit ſuper altare S. Salvatoris eccleſiam ex auro & gemmis & argento, turreſque in caſtello Martialis duas fecit, unam contra ſcutarios nomine Orgoletum, alteram contra Arenas nomine Fuſtiviam, præcipiente hoc rege Carolo minore, ad repellendum Guillelmum ducem, Pictavinum comitem; & ex nomine ſuo ipſum caſtellum nominavit Stenopolim* * *quaſi Stephani civitatem.* Obiit autem XVIII. cal. Decemb. Vide Mabill. ad an. 934. pag. 422.

* *f.* Stephanopolim.

VIII. Aymo, ſeu Aymonius frater Turpionis epiſcopi Lemovicenſis, quem ſummopere excoluit, necnon Martini abbatis S. Cypriani apud Pictavos, præfuit annis ſex *, inquit Ademarus Cabanenſis eorum conſanguineus, obiitque nonis Maii, tribus ante fratrem ſuum epiſcopum annis.

* *al.* ſeptem

Huic autem ſuo familiari S. Odo Cluniacenſis abbas vitam S. Geraldi Auriliacenſis inſcripſit. Mabillon. plures aliquot annos ſuperaddit regimini Aymonis, inchoans illud an. 934. eo quod nimirum ipſius nomen inſcriptum legatur teſtamento Turpionis fratris pro inſtauratione S. Auguſtini Lemovicenſis, cui hunc annum adſcribendum putat ex aliis ejuſdem Turpionis in idem argumentum litteris apud Labbeum, datis hoc anno 934. At vero quis eum præmonuit teſtamentum hoc non ſerius factum; vix enim fas eſſe putamus abſq; certo monimento recedere ab Ademari ſententia pronepotis, auctoriſque pene coætanei. Ceterum idem Mabillonius hunc Aimonem putat eumdem eſſe qui Tutelenſi præerat monaſterio ante annum 925. Certe S. Martialis pedum adhuc gerebat an. 942. Ludovico rege regnante anno ſexto.

Labb. tom. 2. biblioth. pag. 272.

C. VI. col. 167.

Labb. ibid. pag. 278.

IX. Aimericus poſt Aimonem abbatiam tenuit per annos unum & triginta, non monachus ſed canonicus, immo potius laïcus moribus, qui monaſterii poſſeſſiones & eccleſias ſecularibus hominibus dare non dubitavit. Ejus tyrannidem ſubveritus rex Ludovicus *honorem S. Martialis*, id eſt abbatiam, illi ea tantum lege commiſerat, ut monachus fieret. Quod ille ſub ſacramento ſe quantocius facturum pollicitus erat. Verum tertio tantum ante mortem die id exſecutus eſt. Porro anno hujus regiminis decimo, Chriſti 953. * monaſterium S. Martialis divino judicio igne crematum fuiſſe teſtatur Ademarus Cabanenſis. Debitum naturæ perſolvit anno 973. aut 974.

Labb. ibid. pag. 167.

* *al.* 951.

[a] *Tom. VIII. concil. c. 1928. iſta legantur ſenſu eodem, ſed verbis tamtsper diverſis.*

Digitized by Google

X. Guigo præfuit annis ſeptemdecim, cujus anno duodecimo rex Lotharius, qui paulo poſt obiit, Lemovicas adiit, præcepitque abbati ut caſtri muros ædificaret, teſtante Ademaro; qui itidem narrat ſub ejus præfectura cryptam auream D. Martialis combuſtam eſſe menſe Junio ante feſtivitatem S. Martialis, quam cuſtos ejus ſepulcri Josbertus monachus intra quindecim dies reſtauraverat. Hic Adalbertum, Turpionis epiſcopi neptis filium, decanum in monaſterio conſtituit; ac denique obiit III. cal. Octobris, Engoliſmæ ſepultus in ſancto Eparchio, cujus etiam monaſterii abbas erat, ante altare S. Stephani.

XI. Joffredus I. Guigonem excepit in annos ſeptem, cujus tempore, id eſt anno 994. tanta ignitorum morborum plaga deſæviit in Aquitania, ut amplius quadraginta millia hominum interierint. Ut vero graſſanti peſti cœleſte remedium adhiberetur, Aquitaniæ epiſcopis viſum eſt ut S. Martialis corpus ſolemni ritu in Montem-Gaudii deferretur. Nec ſpem fefellit eventus. Nam ſtatim atque ſacer loculus levatus eſt, plaga illa mox ceſſaviſſe traditur. Id factum, inquam, tempore Joffredi abbatis, eo nomine primi, qui ex aurea icone S. Martialis loculum fecit aureum cum gemmis, in quo vectum eſt corpus S. Martialis; itemque duas cruces ex auro & gemmis conflavit. Hæc Ademarus Cabanenſis, qui mortem Joffredi conſignat v. idus Octobris.

XII. Adalbaldus vir *regularis meriti* appellatus ab Ademaro, annis novem abbatiam tenuit, ſcilicet ab an. 998. ad 1007. quo anno die XI. cal. Aug. obiit. Ejus opera & ſtudio baſilica S. Martialis renovatur. Vide quæ de eo dicimus in abbatibus S. Aug. Lemov.

XIII. Joffredus II. ſeu Gaufredus de Limoges frater Heldoini epiſc. & Guidonis vicecomitis Lemov. præfecturam iniit anno 1008. quippe cujus anno tertio ſepulcrum Domini Jeroſolymis a Saracenis & Judæis confractum perhibetur & alia circumquaque loca vaſtata; id vero contigiſſe anno 1010. teſtatur Gaufridus prior Voſienſis. Hic abbas coronam auream cum gemmis pendentem ante corpus B. Martialis fecit, atque a novo baſilicam Salvatoris magnifico opere inſtauravit; quod quidem inchoatum fuiſſe paulo poſt * conſecrationem Geraldi epiſc. Lemov. Ademarus aſſerit. Angeriacum etiam cum ſuo conventu & Geraldo epiſcopo proceſſiſſe memoratur, caput S. Johan. Bapt. veneraturus, quod inventum ibidem anno 1010. non 1025. uti Baronio placet, magna populorum frequentia colebatur. Hoc abbate Alduinus epiſcopus frater Jotfredi abbatis *acceptis pretioſioribus S. Martialis ornamentis & veſtimentis* (quod jam antea fecerat Hildegarius epiſc. Alduini frater) *& multa affluentia argenti, quia in manu ſua abbatiam habebat, emtam a Widone, properavit ante Quadrageſimam cum Guillelmo duce Romam.* Hæc Ademarus ſæpius a nobis laudatus, a quo etiam habemus quod abbas Joffredus nonis Decembris * in vivis eſſe deſierit, obtento regimine annis duodecim.

* *al.* 1017. ind. XV.

Labb. ibid. p. 178. & Beſſus p. 63. & 345.

* 1018.

XIV. Hugo I. *dilectione Dei fortiſſimus*, ex eodem Chronico, ſub finem anni 1019. mortuo A Joffredo ſufficitur ad annos ſex, ſed epiſcopus Geraldus *ei reſtitit dari conſecrationem cauſa zeli* quia non poterat vindicare ſibi abbatiam; ſed poſtea aſſenſit, inquit Ademarus, qui de Hugone iterum ſic fatur: *Collationem in Francia coram Rotberto rege & Gauzlino Bituric. archiep. multiſque aliis epiſc. & ſapientibus viris habuit de S. Martialis apoſtolatu, qui ei in illa collatione aſſertus traditur.* Hugonis denique anno ſexto deceſſit VI. cal. Maii Rogerius, frater Adalberti decani, vir clariſſimus, & Ademari Ecoliſmenſis monachi patruus & magiſter, poſt quem Hugo abbas obiit VI. calend. Junii ejuſdem anni 1025.

XV. Odolricus *prudentia inſignis*, fratrum communi calculo ſuffectus & a Jordano epiſcopo conſecratus, cœnobium per annos 15. optime rexit, eccleſiam variis decoravit ornamentis, ac monaſterium Arnacenſe ubi S. Pardulfus quieſcit, per Jordanum epiſc. in honorem SS. Trinit. conſecrari fecit. Adfuit an. 1027. aut 28. ordinationi Amalfredi in abbatem S. Eparchii Engoliſmenſis factæ a Rohone civitatis præſule. Eo inſuper agente celebris hoc anno 1028. die 15. cal. Decemb. *al.* pridie nonas Martias dedicatio facta eſt baſilicæ regalis Salvatoris, ſeu S. Martialis, cui interfuerunt undecim epiſc. cum Gotofredo Burdegal. archiep. a quibus levatum eſt corpus S. Martialis. Eodem anno habita eſt ſynodus apud Lemovicas pro aſſerendo S. Martialis apoſtolatu, cui præſens fuit hic abbas, ad quem & ad alios tum epiſcopos, tum abbates Ademarus Cabanenſis ſcripſit epiſtolam apologeticam pro eodem apoſtolatu, editam tom. IV. Annal. Bened. in appendice. Interfuit etiam an. 1031. concilio Lemovic. ubi ipſo præſertim auctore apoſtolatus S. Martialis quæſtio eſt agitata. Verum & in hoc concilio Jordanus epiſc. inter alia ſuæ diœceſis monaſteria quæ boni odoris exempla latius diffundebant, laudavit in primis familiam D. Martialis in urbe &c. Ejuſdem Odolrici tempore Alduinus Ecoliſmenſis comes, ſancto Martiali eccleſiam S. Mariæ in territorio Burdegal. cum inſula magna Dordoniæ, in qua ſita eſt, contuliſſe traditur. Memoratur & anno 1040. in dedicatione monaſterii Vindocinenſis; qui denique mortalitatem explevit V. cal. Octob. ejuſdem anni, referente quodam monacho Helia de Roſiaco apud Labbeum.

Tom. 2. Biblioth. pag. 273.

XVI. Antherius Odalrico ſuffectus ad paucos annos, ex veteri chronico quod evolvit D. Edmundus Martenne, omittitur a continuatore Ademari Cabanenſis & Mabillonio.

XVII. Petrus I. Alberti ex eodem chronico, idem haud dubie quem Helias de Roſſiaco, chronici abbatum S. Martialis continuator, ait feciſſe portam de Montmalier dictam. Annis autem 1053. & 1060. XI. cal. Maii monaſterium S. Martialis igne crematum eſt, ex chronico. *Ibid.*

XVIII. Mainardus monaſterium ſumtuoſis decoravit ædificiis; ſepultus eſt in capitulo, ex eodem chronico. Eo vivente, Ademarus vicecomes monaſterium Cluniaco tradere non eſt auſus, ſed ipſo mortuo an. 1063. ſtatim excœcatus oblatis ab abbate Cluniacenſi muneribus, tradidit. Subjicere quidem jam anno ſuperiori decreverat, idque

Baluz. Miſcell. lib. 5. p. 517.

Digitized by Google

C. XXIV. col. 179. litteris ſuis quas in appendice referimus conteſtatus fuerat, minime tamen ante annum 1063. ſortitæ ſunt effectum.

XIX. Petrus II. Aubonis, Mainardo ſucceſſit ex veteri chronico, qui tamen ignotus eſt tum continuatori Ademari, tum Mabillonio, atque adeo nobis ſuſpectus. Vide Mabillonium ad annum 1063. ubi quo pacto Cluniacenſes in S. Martialis monaſterium introducti fuerint diſſerit.

a XX. Ademarus [a] itaque a Cluniacenſibus vacanti ſedi impoſitus circa 1064. monaſterium præ ceteris abbatibus religione & rerum temporalium copia mirifice ampliavit per annos quinquaginta cum menſibus novem, quibus illud rexit. B Navim eccleſiæ ab altari ſanctæ crucis ad portam Occidentalem protendiſſe memoratur. Laudatur Ademarus ab Hildeberto epiſc. in libro de vita S. Hugonis Cluniac. cujus *diſpenſator benedictionum*, ſeu eleemoſynarum, antequam abbas eſſet, fuiſſe dicitur, & non ſemel *diſpendium*, ſeu imminutionem *in diſtributo non ſenſiſſe argento*. Adfuit anno 1068. concilio Toloſano, Hugone Albo cardinali & S. Sedis legato præſide; necnon Santonenſi an. 1080. præſide Amato Ellorenſi epiſcopo. Alexander papa II. ei bullam protectionis indulſit anno pontificatus ſui octavo, hoc eſt 1068. Idem abbas ſubſcripſit chartæ Iſemberti domini de Caſtro-Alionis, *Chaſtellaion*, pro fundatione monaſterii Ayenſis ord. Cluniac. an. 1077. ex authentico. Circa 1091. A. ſancti Martialis, G. Uſercenſis, G. Tutel. W. Solemniac. & G. Voſiacenſis abbates, ſcriptis ad R. archiepiſc. Bituric. litteris interceſſerunt electioni Humbaldi in epiſcopum Lemovic. Sub ejuſdem Ademari regimine eccleſia S. Martialis Lemovic. fuit dedicata ab Urbano II. die ultima Decemb. an. 1095. adſtantibus Hugone Lugdun. Alberto Bituric. & Amato Burdegal. archiep. Petro Pictav. Arnulfo Xanton. Rainaldo Petracor. Rainundo Ruthen. & Humbaldo Lemovic. epiſcopis. Ea de re chartam habes in Gallia Chriſt. quadripartita, cujus etiam meminit vir illuſtriſſimus Petrus de Marca in fine diſſertationis ad concil. Claromont. Eodem anno idem abbas ſubſcripſit diplomati Philippi regis, quo abbatiæ Mauziacenſis facta ceſſio in favorem Cluniaci ejuſque abbatis Hugonis, confirmatur. An. 1097. bullam protectionis obtinuit ab Urbano II. ſimulque privilegium, *ut ſecundum antiquæ conſuetudinis modum, abſente epiſcopo, B. Martialis abbas præcipue, cum majoribus canonicis, Lemovicenſis eccleſiæ curam gerat, & epiſcopalis electio in ejus potiſſimum arbitrio diſponatur.* Chronicon S. Martialis anno 1101. tradit Ademarum de S. Riberio abbatem Terracinæ, ſe & ordinationem ſui monaſterii Ademaro ejuſque ſucceſſoribus contuliſſe. Idem aſſerit Mabillonius de abbate Voſienſi. An. 1103. Paſchalis II. bullam ei direxit; qui tandem animam exhalavit X. cal. Septemb. an. 1114. humatus in capitulo. In necrol. Solemniac. memoratur VIII. cal. Maii; poſt

Claud. Eſtienn. not. tom. IV. antiq. Bened. Pict. pag. 467. Baluz. Miſcell. l. VI. pag. 405. & ſeq.

Ex Chron. Lemovic. & Gaufr. Voſienſ.

tom. V. concil. pag. 587.

[a] In quodam inſtrumento S. Mariæ Santonenſis reperitur quidam Amblardus abbas S. Martialis an. 1071. quo hæc charta data legitur; ſed in ea commemorantur præſentes Gaufridus archiepiſc. Burdegal. & Aymarus Engoliſm. epiſc. qui ſane hoc anno ſedes has non obtinebant.

A cujus deceſſum ingens de abbatis electione obortа diſſentio, promto ac proſpero labore Pontii abbatis Cluniac. pacatur; ut diſcimus ex charta Steph. Baluzii Miſcell. lib. VI. pag. 521.

XXI. Bernardus * de Brancione, olim camerarius, tunc prior Cluniaci, fit abbas S. Martialis an. 1114. indict. VII. epacta XII. nonis Octobris, ex chartulario Cluniac. Pontii cap. XI. Hic enim eſt qui Bernardum abbatem conſtituit, omnibus pariter una voce acclamantibus. Teſtes autem fuerunt hi: Rainaldus abbas Voſienſis, Stephanus abbas S. Auguſtini, Ademarus abbas S. Flori, Eldebertus decanus ſedis Lemovic. cum omni capitulo B &c. regnante Ludovico rege Francorum, præſidente in ſede Lemovicenſi Euſtorgio pontifice. Abbatiam biennio tantum tenuit Bernardus, eique ſucceſſit

* *al.* Bern. Grotius de Brancedu-no, *ex Baluz.*

XXII. Amblardus *magnæ religionis & honeſtatis abbas*, ex priore Silviniaci, *al.* Solemniaci, de quo vide in Geraldo Lemovicenſi præſule, teſtis nominatur anno 1117. in charta Geraldi Engoliſmenſis epiſc. pro Cluniaco. Ejus tempore monaſterium cum adjacenti villa flammis abſumitur 1121. Combuſtum caſtrum S. Martialis & monaſterium cum omnibus officinis Mabillonius habet 1122. & MS. codex S. Stephani Lemovic. 1120. Illud reparavit Amblardus, ad quem exſtat epiſtola Goffridi abbatis Vindocin. lib. 4. epiſt. 22. Rexit annis 28. mortuus anno 1143. XII. cal. Septemb. ex necrol. Solemniac. ſub cujus vel ſequentis abbatis regimine templum S. Salvatoris dedicatur, ex veteri Gall. Chriſt. t. I. pag. 168. Ejus tempore repertum eſt caput S. Martialis a Wlgrino Bituric. archiep. & Aimerico Claromont. epiſc. an. 1130.

Vide Goſſr. Voſienſ. cap. 18.

Labb. tom. 2. biblioth. pag. 274.

XXIII. Albertus I. *vir admodum religioſus* recenſetur an. 1145. in charta Geraldi ep. Lemov. eccleſiam de Chambaret Uſercienſi monaſterio confirmantis. Anno ſeq. Eugenius III. ei bullam D protectionis indulſit; quo item anno aſſenſum præbuit Albertus donationi quam Augerius prior S. Johannis de Laurenx fecerat Guiraldo abbati Salvaneſii. Memoratur etiam in charta Uſerciæ data anno quo Ludovicus rex Franc. Jeroſolymam petiit, hoc eſt 1147. Pactum fecit anno ſeq. * V. cal. Aug. indict. X. cum Sanctonenſibus S. Mariæ monialibus ſuper eccleſia S. Silvani Petragoric. Præfuit Albertus annis 13. obiitque an. 1156. V. idus Aug. cui ex Goffrido * Voſienſi ſuccedunt Hugo de Faya & Petrus Groſſus, aliunde incogniti.

Hiſt. eccleſ. D. Fleury.

* Melius 1147. ut quidem alibi lego, ſed perperam Adhemaro abbati attributum, errore cujuſpiam incauti, qui nomen ſola prima littera ſcriptum Adhemarum pro Alberto interpretatur eſt.

XXIV. Petrus III. ex priore Cluniacenſi ſedit E annis quatuor cum tribus menſibus. An. 1158. bullam ab Adriano IV. conſequitur; proindeque ipſe regebat, quando an. 1157. in natali B. Johannis Bapt. totum caſtrum Lemovic. & monaſterium S. Martialis, & ſigna *clocherii* concremata fuerunt.

* *Labb. tom. 2. biblioth. pag. 274.*

XXV. Petrus IV. de Barry *pravorum morum rigidus corrector*, ex abbate S. Aug. Lemov. factus eſt abbas S. Martialis an. 1160. Tranſegit 1163. cum Iterio Stirpenſi abbate, quando ſcilicet concilium Turonis habitum eſt ab Alexandro III. Obiit Petrus IV. idus Octob. 1174. poſtquam 13.

Digitized by Google

annos cum octo menſibus gubernaſſet.

XXVI. Iſembertus Eſcoblart prior de Roffiaco, abbas an. 1177. ex chronico S. Martialis, nobilibus multum gratus. Exactionem quam epiſcopus Lemovic. & canonici ſub nomine confratriæ a populo violenter expetebant, irritam fecit. Inſcribitur chartulario Dalonenſi III. cal. Januar. an. 1180. Vide in Sebrando ep. Lemovic. & hiſt. Tutel. append. col. 489. An. 1186. bullam protectionis obtinuit ab Urbano III. Idem anno 1194. dedit pro redemtione regis Angliæ Ricardi marchas quinquaginta de proprio ſuo, & quinquaginta *de noſtro*. Rexit per annos 24. qui per unum, antequam migraret a ſeculo menſem, cura paſtorali ceſſit; cumque ad diem electionis abbas Cluniacenſis, cujus juris erat monaſterium S. Martialis, priores, præpoſiti & alii conveniſſent, pie admodum inter eos animam exhalavit menſe Sept. anno 1198. In craſtino electio celebrata, feria 2. honorifice traditus ſepulturæ, præſentibus Johanne Lemovic. G. Caturcenſi epiſcopis, & abbatibus Cluniacenſi, noviter electo S. Martialis, S. Petri Solemniac. S. Auguſt. & S. Martini.

XXVII. Hugo II. de Bruccia, *al.* de Broſſa vel de Brouſſat vigeſimus ſextus abbas S. Martialis Lemovic. nuncupatus, præfuit annis 14. & ſex menſibus. Notatur in chartis Grandim. an. 1200. An. 1203. componit cum burgenſibus caſtri S. Martialis, qui pro illatis monaſterio injuriis 1300. ſolid. ſolvere coacti ſunt. In Cœna Domini in morbum incidit, a quo cum ſanari non poſſet per annum, vergebat iſtud cœnobium in detrimentum, cum nec ipſe illud gubernare ſufficeret, nec, a fratribus licet monitus, regimen abdicare vellet. Secundo anno menſe Aug. crucem una cum epiſc. Lemovic. ſuſcepit hortatu Roberti de Corſo legati natione Angli, qui deinde ratus abbatem inſufficientem, menſe Octobri ex inſperato depoſuit (ſuperſtitem nihilominus ad an. 1218.) & monachis appellantibus, Alermum monachum Johannis Anglorum regis quondam pœnitentiarium, qui ante duos annos in monaſterio fuerat admiſſus, abbatem eis nominavit, cui poſtea ipſo jubente epiſcopus Engoliſmenſis benedictionis munus impertit. Quod quidem ægre ferentes monachi, electionis die aſſignata ad Dominicam infra octavas S. Martini, more antiquo elegerunt Petrum Lagriſa tunc præpoſitum de Roxa (melius de Roſſac vel Roffiac) qui tunc erat diaconus, quem ſtatim Johannes ep. Lemov. confirmavit, ſed benedictionem ei dare diſtulit. Cumque generalis ſynodus Romæ in anno ſequenti immineret, Alermus illuc perrexit; ſed Petrus noſter electus infirmitate detentus, pro ſe nuntios miſit qui domino papæ nihil obtulerunt, ſed ſex mille ſolidos inutiliter expenderunt. Cumque poſt Epiphaniam domin. papa Innoc. III. cauſam noſtram audiſſet, extemplo electionem noſtram caſſavit, & nos privilegio eligendi privavit; inſuper Johannem epiſcopum vehementer increpavit quod talem electionem confirmaſſet. Poſt duos menſes dedit commiſſionem epiſcopo Petragoricenſi, decano Engoliſmenſi, & archidiacono Santonenſi, ut Alermum, ſi poſſent probare fore idoneum, abbatem præficerent, qui accepta commiſſione diem aſſignaverunt in feſto S. Laurentii, ſed infra hos dies dominus papa e vivis exceſſit. Tunc Geraldus abbas Cluniacenſis miſit pro ſe priorem Nivernenſem & duos alios; inprimis eſt ablata tribus præfatis judicibus poteſtas judiciaria; & ad dandum conſilium, qualiter eccleſia idoneum paſtorem haberet, ſocii tantum ſunt admiſſi. Quid plura? omnes ſimul tam monachi quam laïci in capitulo convenerunt, & Alermum rogaverunt ut daret pacem eccleſiæ periclitanti; qui cum precibus eorum acquieviſſet, quod arbitrio trium judicum provideretur, juratum eſt. Quo facto tres electi, cum tribus judicibus in ſepulcrum ſunt ingreſſi; poſt duas horas elegerunt capicerium in abbatem. Et hæc facta ſunt an. 1216. Ita legitur in quadam notitia l. VI. Miſcel. Baluz. pag. 523. Seceſſerat autem Hugo poſtquam abdicavit, apud S. Benedictum de ſaltu, cujus antea prior exſtiterat, ibidemque obiit.

XXVIII. Petrus V. de Naillac, antea præpoſitus de S. Valerico & capicerius S. Martialis, Dominica infra octavam Aſſumtionis benedictionem accepit. Sedit autem annis quatuor & menſibus tribus. Sane jam mortuus erat die 12. Novemb. anni 1220. Rotlandus enim abbas Cluniac. die & anno præfatis promittit ſe venturum ad electionem novi abbatis S. Martialis faciendam, in vigilia S. Ceſſatoris.

XXIX. Guillelmus I. de Jaunac vel de Jouignac prior Montis-morilionis *de Montmorillon*, annis quinque præfuit & menſibus ſex, defunctus an. 1226. in vigilia S. Georgii. Nullus itaque locus ſupereſt Petro Davalco ſeu Davalaco, quem nonnulla chronica mendis ſcatentia Petro de Naillac ſubrogatum ferunt.

XXX. Raimundus Gaucelini abbatiali dignitate potitus eſt annis 19. & menſibus 2. Urbem Subterraneam, quam violenter invaſerat Marchiæ comes, liberavit. An. 1229. III. cal. Nov. vocatus ab abbate & conventu Voſienſi, accepit R. de Longa abbatis Voſienſis reſignationem, præſente conventu. Eodem anno regi Franc. Ludovico fidelitatem juravit; ipſe vero a Widone vicecomite Lemovic. pro villa Lemovic. hominium accepit an. 1245. in feſto decollationis S. Johan. Bapt. mortuus eodem anno die 5. Septembris. *Baluz. tom. IV. Miſcell. pag. 486.*

XXXI. Guillelmus II. Amalvini, Voſienſis monachus & abbas, rexit annis 15. menſibus octo; ſub cujus regimine clauſtrum ædificari cœptum 1248. conſummatur 1249. expenſis in opus 50000. ſolidis. An. 1246. monaſterium S. Martialis a Cluniacenſi congregatione ſubtractum eſt, mediante ſumma centum librarum Turon. annuatim ab abbate & conventu S. Martialis, abbati & conventui Cluniacenſi perſolvenda. Morte oppreſſus eſt an. 1261. in vigilia S. Laurentii.

XXXII. Aimericus I. 1264. ex chartis S. Mariæ Santonenſis, atteſtante noſtro Edmundo Martenne, cui ſi fides habenda, detrahendi ſunt aliquot anni a regimine ſucceſſoris, quod Sammarthani protrahunt ad decem annos & ſex menſes.

XXXIII. Guillelmus III. de Mareüil obiit 1271. VIII. cal. Martii.

XXXIV. Jacobus I. prior de Caleſio electus

Digitized by Google

fuit die Veneris poſt Paſcha, quod fuit pridie cal. Maii an. Dom. 1272. & in feſto apoſt. Philippi & Jacobi, quod erat in octavis Paſchæ, confirmatus ac benedictus ab Aimerico ep. Lemov. Moritur 1275. in craſtinum B. Agathæ apud *Craſſai* in Biturico, redeundo de curia regis Franciæ, ubi litigabat cum rege Angliæ & cum vicecomite Lemov. & fuit ſepultus ſequenti die Mercurii Lemovicis, quæ dies erat ſeptima mortis ejus.

XXXV. Petrus VI. de S. Voulry an. 1284. IV. idus Febr. totum jus quod vicecomes Lemovicenſis habebat in caſtro apud Lemovicas apprehendit, quia nolebat ſibi facere hominium, & expulit præpoſitum ſuum, cujus loco inſtituit Guillelmum de S. Valerico judicem, ut habet Chronicon S. Martialis. Ratam habet compoſitionem factam inter Henricum comitem Ruthenenſem, & Elianum priorem eccleſiæ S. Mariæ de Panuſia dependentis a Lemovicenſi cœnobio. Compoſitio facta eſt pridie idus Octobris 1287. & conſenſus abbatis datus eſt die Mercurii poſt feſtum S. Barnabæ an. 1288. Obiit an. 1295. bonæ memoriæ domnus Petrus de S. Valarico quondam abbas S. Martialis.

XXXVI. Gerardus I. Faydit, *al.* de Luxe vita exceſſit an. 1298. qui certe alicubi perperam dicitur electus Honorii IV. papæ anno 1.

XXXVII. Guido de la Porte abbas Voſienſis, frater Reginaldi epiſc. Lemovic. eligitur B. Martialis abbas in feſto S. Matthæi 1298. Statim vero dicitur a domino papa depoſitus, & in ejus locum ſuffectus Ægidius de Turre, factus poſtea Voſienſis abbas. Sub hoc abbate anno 1306. feſtum Corporis Chriſti primum celebratur in monaſterio poſt octavam Pentecoſtes.

XXXVIII. Gaillardus ſeu Gualardus de Miraumont proviſione ac bulla D. papæ factus eſt abbas, cui fidem clientelæ juravit an. 1307. Johannes vicecomes Lemov. filius Arturi Britanniæ ducis, pro caſtro, caſtellania, & moneta Lemovic. quæ tenet a S. Martialis abbate. Obiit Gaillardus an. 1311.

XXXIX. Helias I. Gaufredi de Chabriniac, præpoſitus de Roſſaco, in abbatem cooptatur an. 1311. menſe Nov. cujus electionis confirmatio poſtulatur ab R. epiſcopo Lemovic. eodem anno Dom. poſt octavam S. Martini. Recenſetur hic abbas annis 1326. & 1329. in chartis Cluniacenſibus: & quidem in charta hujus anni pactionem factam de quadam penſione Cluniacenſibus ſolvenda ratam habet. Obiit ultima die Martii 1339. in capitulo ſepultus.

XL. Guillelmus IV. de Ventadour filius Eblonis ſeu Ebbonis VIII. vicecomitis de Ventadour & Galienæ filiæ Geraldi de Malomonte domini Donzenaci, oppidi Lemovicum, Brivam inter & Uſercam, frater vero Eliæ de Donzenaco epiſcopi Caſtrenſis, ubi vide; antea decanus monaſterii de Rivo-petroſo, accepit abbatiam die Sabbati ante feſtum decollationis S. Johan. Bapt. 1339. deceſſit an. 1340.

XLI. Helias II. de Baudir, *al.* de Podio, *du Puy*, & etiam *de Lodio*, e loco de Caliers, *al.* de Colauries, dioceſis Petragoric. oriundus, eligitur abbas S. Martialis an. 1340. & obiit an. 1361. *al.* 1351.

XLII. Aimericus II. de Brolio, *du Breuil*, *al.* de Drolio *de Drouilles*, oriundus e Lemovicino pago de Leychouſier in parochia de Bonaco, cum eſſet præpoſitus de Roſſaco electus eſt abbas, benedictus, & poſſeſſionem nactus an. 1361. Iſte a papa Gregorio XI. impetravit patrocinium apoſtolicum. Deceſſit 13. Januarii 1383. ſecundum veterem computandi morem, ut conjicimus ex electione ſucceſſoris, & fuit in capitulo ſepultus.

XLIII. Geraldus II. de Jovion, a loco ubi natus eſt prope Treyniacum in dioceſi Lemovic. ita nuncupatus, *al.* de Chanaco dictus, Guillelmi cardinalis & Fulconis ep. Aurelianenſis nepos, ex abbate S. Martini Lemov. & S. Salvatoris Carrof. eligitur abbas S. Martialis menſe Febr. 1384. quo anno die 29. Decemb. inſtituitur exſecutor teſtamenti Guillelmi de Chanaco cardinalis. Recenſetur adhuc an. 1385. qui demum migravit a ſeculo die 5. Martii 1393. *al.* 2. Martii 1392.

Baluz. in collect. ad vitas pap. Avenion. c. 963. & in notis ad eaſdem vitas c. 1085.

XLIV. Stephanus Minonis, *al.* Aymoini *d'Aymoin*, oriundus e loco *de Vaublanche* in Marchiæ comitatu, ex chronico MS. Lemovic. Gerardo ſucceſſit. Hunc tamen Almericum, ſeu Stephanum Allemand Sammarthani vocant, ex chronico, inquiunt, S. Martialis nondum typis edito. Certe Stephanus ſedebat anno 1401. ex chartis eccl. Lemovic.

XLV. Petrus VII. de Drulhiis, *de Drouilles*, *al.* de Jovion, Gerardi abbatis nepos, licentiatus in legibus, præpoſitus de Combes, Lemovicenſis officialis & abbas S. Martini, ex veteri chronico, inquit noſter Edmundus Martenne, certe S. Auguſtini. Ex indice abbatum hujus loci, Stephano ſuffectus, ſepulcrum S. Martialis decoravit. In quodam S. Martialis terrario hæc legimus: *Hic inferius deſcribuntur vendæ & accaptamenta* levata per me Petrum de Drulhis D. G. abbatem hujus almi monaſterii S. Martialis ord. S. B. qui durante generali concilio Piſis celebrato fui tranſlatus de monaſterio S. Aug. Lemov. ad hoc monaſterium per D. Alex. papam V. in conſiſtorio in præſentia D. cardinalium menſe Sept. die 9. an. 1409. & intravi in poſſeſſionem die Jovis poſt Epiph. Dom. *eodem anno.*

XLVI. Bartholomæus d'Audier prior de Duneto, memoratur abbas 15. Junii 1422. An. 1424. decretum ſancit ſuper oſtenſione reliquiarum S. Martialis. Quo eodem anno recipit hominium Andreæ Eſtourneau. Sedebat adhuc an. 1427.

XLVII. Petrus VIII. de Verſellis, *al.* de Verſalhia, poſtea Dignienſis epiſc. ac Meldenſis, tandemque in Græcia Eugenii papæ IV. legatus, de quo plura in epiſc. Meldenſibus, obiit an. 1446. Inierat abbatiæ poſſeſſionem an. 1430.

XLVIII. Jacobus II. Joviondi, Petri de Drouilles abbatis nepos, præpoſitus de Rillaco & de Subterranea, necnon abbas S. Cypriani Piclav. Lemovicenſi S. Martialis monaſterio præerat anno 1440. quo nimirum die Dominica 26. Nov. Petrus de Bello-forti comes de Torena ipſi hominium præſtitit pro caſtro & comitatu de Torena.

Digitized by Google

Imo jam ſedebat an. 1433. ſic enim habetur in quodam terrario: *1433. 8. Febr. recognitiones factæ D. Jacobo Joviondi abb.* Memoratur adhuc annis 1441. 1459. & 1464. poſtea factus abbas S. Martini, hanc abbatiam permutavit cum epiſcop. Andegav. Jacet in capitulo S. Martialis, in tumulo quondam avunculi ſui Petri de Drolliis.

XLIX. Albertus II. de Jovion Jacobi nepos, abbas S. Martini Lemov. ex permutatione cum ſuo patruo, an. 1487. III. nonas Martii proviſus fuit de abbatia S. Martialis.

L. Matthæus de Jovion ſolemnem apud Lemovicas ingreſſum fecit die XI. Octob. 1523. Hic monachos ſuos ſeculari toga indui procuravit 1535. Obiit 1542. 1. die Maii.

LI. Robertus de Lenoncourt cardinalis, epiſc. Catalaunenſis, abbas S. Remigii, &c. per obitum Matthæi bullas obtinuit a Paulo III. anno pontif. ipſius nono, Dom. Incarn. 1543. Demum creatur archiep. Arelat. ac Toloſ. Adhuc abb. erat 1549.

Du Fourny Grands-maiſtres de l'artillerie.

LII. Ludovicus Ricard de Gourdon Genoilhac, filius Johannis Ricard tertii hujuſce nominis, ex Margarita d'Aubuſſon, ſedis apoſtolicæ protonotarius, abbas S. Martialis 1551. & S. Romani de Blavia, ac deinde ex permutatione abbas S. Laudi in Normannia, decanus de Carennac & epiſc. Tutelenſis an. 1561. permutatione facta abbatiæ; interfuit concil. Tridentino. Defunctus eſt an. 1583.

LIII. Johannes I. de Fonſeque ex baronibus de Surgeres, epiſc. Tutelenſis non conſecratus, abbas fuit uſque ad 1581.

LIV. Sebaſtianus de l'Aubeſpine epiſc. Lemov. mortuus an. 1582. erat etiam abbas S. Martialis.

LV. Johannes de l'Aubeſpine poſſedit abbatiam uſque ad an. 1591.

* *al.* 21. LVI. Petrus X. du Verdier 1598. Obiit 7.* Octob. 1652.

LVII. Carolus-Franciſcus de la Vieuville, Caroli ducis de la Vieuville equitis torquati, ærarii Franciæ præfecti, ex Maria Bouhier filius, cum eo qui ſequitur abbatiam permutavit pro epiſcopatu Redonenſi an. 1660. Deceſſit 20. Janu. 1676. ſimul abbas Savigniacenſis in Normannia & Stirpenſis in Lemovicibus.

LVIII. Henricus de la Mothe Houdancour abbas S. Martialis ex permutatione epiſcopatus Redonenſis pro hac abbatia, tum archiep. Auſcienſis 1662. ubi vide; e vivis ereptus eſt 1684. die 24. Febr.

LIX. Jacobus III. de Courtaver de Pezé, Cenomanenſis, honorarius Philippi ducis Aurclianenſis eleemoſynarius, & marchioniſſæ de Lanſac Regis pueritiæ moderatricis nepos, deſignatur abbas an. 1684. in feſto Aſſumtionis, *al.* in feſto Paſchæ. Crucis pectoralis uſum propugnavit adverſus epiſcopum Lemovicenſem. Fatis conceſſit an. 1700. *al.* 1701. menſe Febr. ætatis ſuæ anno 75.

LX. Johannes-Carolus de Taillefert de Barriere, ex antiquis Petrocoriorum comitibus oriundus, honorarius papæ camerarius, cum attuliſſet archiepiſcopo Pariſienſi Antonio-Ludovico de Noailles pileum cardinalitium, a rege fuit nominatus abbas S. Martialis Lemov. 26. Martii 1701. Præeſt adhuc 1718.

ABBATIA SOLEMNIACENSIS.

SOLEMNIACENSE * S. PETRI monaſterium ord. S. Benedicti, ad fluvium Brianciam *, in amæna valle, quæ ſex circiter millibus ab urbe Lemovica diſtat, B. Eligio patria Lemovice, qui poſtmodum fuit epiſcopus Noviomenſis, auctore gloriatur, ut palam fit ex ejuſdem litteris datis anno x. [a] regni Dagoberti, hoc eſt anno Chriſti 631. Atque inſuper id probatur ex ipſiuſmet S. Eligii vita lib. 1. cap. 15. auctore S. Audoeno Rotomagenſi archipræſule.

* Soligiac.

* la Briance.

Vide infr. C. XXIX. col. 188. a

C. XXX. col. 189.

Eccleſiæ dedicatio facta eſt eodem anno 631. die 9. Maii, cui viginti duo epiſcopi adfuerunt, ex veteri necrologio. Ceterum hac in dedicatione, præcipuis patronis, ſcilicet Petro & Paulo apoſtolis alii plurimi additi ſunt, Pancratius & Dionyſius martyres cum ſociis ſuis, Martinus, Medardus & Germanus confeſſores. Multis bonis novum monaſterium ditavit Dagobertus rex, conceſſa imprimis Solemniaco villa; quo in loco Eligius congregavit centum & quinquaginta monachos, quibus obſervandam dedit regulam S. Benedicti [b], additis S. Columbani inſtitutis.

b

Eo accedens S. Audoënus, ut ipſe teſtatur, tantam vidit ſacræ regulæ obſervantiam; ut ſancti præſulis judicio, præ ceteris Galliæ monaſteriis floreret, uno excepto Luxovienſi.

Vaſtatum Saracenorum incurſionibus celebre hoc monaſterium Ludovicus Pius imperator a fundamentis reſtauravit, ut habet anonymus ejus vitæ ſcriptor. Varias quas deinceps vices expertum eſt monaſterium notare curabimus, hiſtoriam abbatum qui illud rexerunt, proſequendo.

ABBATUM CATALOGUS.

I. SANCTUS REMACLUS, ſeu REMACLIUS & Rimaſclus Solemniaci abbas primus exſtitiſſe videtur, tum ex charta S. Eligii ſuperius memorata, tum ex S. Audoëni lib. 2. vitæ S. Eligii cap. decimo quarto, ubi ait primum ejus monaſterii abbatem, quem tamen nuſquam nominat, ad epiſcopatum aſſumtum fuiſſe, quod quidem ſub annum ſeculi VII. quinquageſimum Remaclo contigiſſe in epiſcopis Leodienſibus videbimus. Itaque emendanda eſt S. Remacli vita, ubi Solemniaci ſub abbate inſtitutus fuiſſe dicitur. Hanc habes ſec. II. Bened. pag. 488. Remaclus poſtea e Solemniacenſi cœnobio accitus eſt a Sigeberto Auſtraſiæ rege ad regendum cœnobium Caſæ-Congidunenſe, tum Malmundarienſe & Stabulenſe in Arduenna, quæ pius rex ædificarat. Legitur in epiſtolis Sigeberti *epiſcopus-abbas* antequam regimini Tungrenſis eccleſiæ admotus eſſet, quo dimiſſo epiſcopatu ad Stabulenſe rediit monaſterium, ubi mortuus eſt die 3. Sept. an. 664. ex Mabillonio.

II. Childomarus ſucceſſiſſe videtur S. Remaclo;

[a] Qui computant annos Dagoberti ab obitu patris Clotarii, differre coguntur Solemniacenſis monaſterii exordium ad an. 637. aut 638.

[b] Eligius in litteris de fundatione hujus monaſterii dicit illud a ſe conditum, ut monachi tramitem religionis ſanctiſſimorum virorum Luxovienſium ſectentur, & regulam beatiſſimorum patrum Benedicti & Columbani firmiter teneant.

Digitized by Google

Vide ſec. II. Benedict. pag. 994.

præerat enim quando Tillo ſub S. Remaclo monaſticen proceſſus, e Brajectenſi apud Arvernos eremo in quam ſeceſſerat, Solemniacum revertit, inquit Bollandus.

III. B. Gundebertus, ſeu Godebertus, cujus permiſſu idem S. Tillo in proxima Solemniaco cella ſe recluſit, circa annum Chriſti 700. Sane huic annum 690. pro regimine aſſignatum lego in veteri abbatum indice. Nullus itaque locus ſupereſt Childemno, qui quidem videtur idem cum Childomaro; neque Papoleno, inductis a Johanne Cordeſio. Hic enim Stabulenſis potius quam Solemniac. abbas dicendus eſt ſecundum Herigerum & Notgerum in vita S. Remacli. Ceterum in antiquo breviario Solemniacenſi, & in vita S. Tillonis Gundebertus ſanctorum numero adſcribitur.

IV. Silmo, vel Salmo, *f.* Silvio, de quo infra.

V. Frotarius uti præcedens, nulla majori auctoritate quam Johannis Cordeſii inductus videtur. Hos neſcit in Annal. Mabillonius; ejus ſodalis & comes individuus D. Michaël Germain opinatur locum dandum inter Solemniac. abbates Ebulo, qui circiter an. 740. inquit, ad Lemovic. epiſcopatum promotus eſt & obiit an. 786. Eum aiunt patrem habuiſſe Ebulum comitem Pictavienſem & Aquitaniæ ducem; ſimulque obtinuiſſe abbatias S. Hilarii Pictav. S. Maxentii & S. Michaëlis in eremo. De hoc epiſcopo abbate locuti ſumus in hiſtoria præſulum Lemov.

VI. Giraldus ſolo nomine, quod in indicibus vulgatis legitur, notus.

VII. Aimericus, de quo idem dicendum.

VIII. Agiulfus prolatis Pipini regis atque Caroli magni litteris quibus Solemniaco præceptum immunitatis conceſſerant, haud abſimiles obtinuit a Ludovico imperatore Aquiſgrani datas IX. calend. Auguſtas, imperii Ludovici piiſſimi auguſti anno IV. Chriſti 817. indict. X. Exſtant in tomo 2. Capitularium. Porro hic Agiulfus, ſeu Agiolfus fuit unus ex abbatibus qui cum Benedicto abbate Anianenſi reformandis monaſteriis inſudavit.

IX. Dructeranus, ſeu Dructamnus, quem Agiulfo præmittit Cointius, ſucceſſit eidem Agiulfo, inquit Mabillonius tom. 2. Annal. pag. 440. Certe huic abbati vetus catalogus attribuit annum 839. quo quidem privilegium accepiſſe legitur a Pipino II. Aquitanorum rege anno regni ejus primo. [a] Cointius putat eum eſſe Dructeranum abbatem cui Claudius presbyter Taurinenſis & poſtea epiſcopus nuncupavit expoſitionem in epiſtolam ad Galatas; quam ſententiam prius amplexus Mabillonius mox retractavit, & quidem melius conſultus, nam hæc Claudii lucubratio inſcripta eſt Dructeranno abbati S. Theofredi, quem noverat Claudius cum eſſet in Arvernico pago. Ductramni obitus notatur in necrolog. VIII. idus Septemb.

X. Chunebertus abbas erat tempore Rodulfi Bituric archiepiſc. qui ab eo petiit monachos ad fundandum Bellilocenſe monaſterium & Gairulfum abbatem anno circiter 840. ut nos docet S. Rodulfi teſtamentum editum in hiſtoria cœnobii Bellilocenſis & apud Mabill. ſecul. IV. part. 2. pag. 161.

XI. Silvius qui & Silvio, in cujus manu Rodulfus Bituricenſis archipræſul res quaſdam ſuæ proprietatis offert Domino Salvatori, Saraziacum ſcilicet, cum eccleſia S. Geneſii, necnon *caſam dominicariam*, apud Veterinas, *Vegennes*, in orbe Lemovicino, in vicaria Aſnacenſi, ſuper fluvium Sordariam, *la Sordoire*, eo pacto ut idem Silvius ſecum apud Veterinas monachorum cœnobium ſub regula S. Benedicti conſtruat *in honore Dei Salvatoris noſtri*, &c. hoc addito ut quandiu ipſe Rodulfus & Silvius abbas vixerint, monachi ejus loci ſub communi utriuſque regimine conſiſtant. Actum Condato villa anno I. Caroli regis menſe Martio, hoc eſt anno Chriſti 841. In Rodulfi quidem litteris non legitur Silvium abbatem Solemniaco præfuiſſe, ſed non videtur alius fuiſſe quam Solemniacenſis; quam conjecturam [b] Mabillonii ſequimur. Veterinenſe monaſterium nunc cella eſt vicina Bellilocenſi abbatiæ. Ceterum Silvius a Carolo Calvo privilegium accepiſſe legitur datum IV. cal. Jan. ind. XV. anno regni ejuſdem XII. hoc eſt 852. & aliud a Pipino II. Aquitanorum rege, V. cal. Martii ind. XI. anno decimo regnante. Recenſetur Silvio abbas in necrol. XIV. cal. Aprilis.

XII. Bernardus I. jam ſedebat tempore Benedicti papæ III. a quo videlicet litteras defenſionis obtinuit. Adfuit concilio Sueſſion. an. 866. ubi Regem ac epiſcopos deprecatus ut, quoniam Normannorum crudelitate graſſante prima ſui monaſterii inſtrumenta concremata fuerant, eadem privilegia renovarentur impetravit. Editum eſt hoc privilegium tom. III. conciliorum Galliæ. Jam autem ſua propria auctoritate Carolus rex hoc ipſum indulſerat Bernardo abbati anno XXV. regni ſui, XVIII. cal. Julii, indict. XIII. hoc eſt 864. vel 865. Idem abbas interfuit concilio Pontigonenſi anno 877. ſubſcripſitque inſtrumento confirmationis Cariloci. Vide tom. IX. concil. Labb. pag. 1263. Obtinuit etiam a Carolo rege duas villas Voſias [c] & Ludiniacum XVII. cal. Auguſtas ind. VIIII. an. XXXVII. regnante Carolo glorioſiſſimo imperatore & in ſucceſſione regni Lotharii VI. imperii autem ejus anno I. Actum Pontioni palatio imperiali.

XIII. Daniel privilegium apoſtolicum accepit a Marino papa datum anno I. ejus pontificatus, Chriſti 883. editum in Italia ſacra in epiſcopis Portuenſibus pag. 131. & magna ex parte in Annalibus Bened. ad hunc annum 883.

XIV. Theodericus præceptum regiæ tuitionis ab Odone rege obtinuit anno regni ejus ſecundo, Chriſti 889. non 888. ut probat Mabillonius ad an. 889. n. 39. Exſtat apud Baluz. Miſcellan. *Capitul. tom. 2. c. 1515.*

[a] Pipinus gratia præveniente divinæ majeſtatis Aquitanorum rex, monaſterium Solemniaci quod noſtra munificentia ſub regularis ordinis diſciplina noſcitur . . . gubernari quo venerabilem virum Ductramnum abbatem fore *conſtituimus*, ſub ſua protectione ſuſcipit. *Anno* Incarn. Dom. 839. ind. 2. (f. 1.) anno 1. *regni noſtri.*

[b] Conjectura non eſt; ſi quidem in charta Caroli *data* IV. cal. Jan. ind. V. anno 12. regnante Carolo, qua ſub ſua protectione ſuſcipit Solemniac. monaſterium, Silvius illius abbas dicitur.

[c] Numquid inde Voſienſis abbas dicitur?

Digitized by Google

tom. VI. pag. 495. diploma Caroli Simplicis pro Solemniaco, datum an. 924. Turpione epiſcopo Lemovic. at nomen abbatis reticetur.

XV. Geraldus II. ſuffragiorum ac precum iniit ſocietatem cum Floriacenſibus menſe Febr. anno VI. Ludovico * rege regnante, hoc eſt anno Chriſti 942. Vide in appendice hiſt. eccl. Tutelenſis Baluzii chartam cujus titulus eſt : *Conceſſio Ger. abb. Solemn.* col. 369. Idem abbas cum Adacio Tutelenſi abbate permutationem fecit, regnante Ludovico prædicto.

* Tranſmarino.

XVI. Bernardus II. a nonnullis cognominatus de Comborn, Hugonis inter Aquitanicos proceres nobiliſſimi filius, ut refert Aimoinus in Abbonis vita, Deo puer ad ſerviendum oblatus eſt in Floriacenſi cœnobio, Ricardo tunc ejus loci abbate, qui eum Abbonis, clariſſimi per ea tempora magiſtri, diſciplinæ commiſit; unde cum ſatis eruditus liberalibus artibus viſus eſſet, a patre revocatus, Solemniac. primum abbatia donatur, poſtea Bellilocenſi, quam genitor ejus belli jure & victricibus armis acquiſierat, tandemque epiſcopatu Cadurcenſi, ubi vide plurima de eo. Quo tempore Solemniaco præfuerit inquirendum. Bernardus anno circiter 983. ſucceſſerat Geraldo abbati Bellilocenſi, cujus a longo tempore coadjutor & coabbas erat; obtinuit autem abbatiam Solemniacenſem ante Bellilocenſem; unde ſequitur ante annum 983. ipſum Solemniaco datum fuiſſe abbatem.

XVII. Amblardus circa annum 1001. ſcripſit epiſtolam ad Hervæum baſilicæ S. Martini Turonis archiclavum ſeu theſaurarium, miſſo ad eum libro de vita S. Eligii epiſcopi, quem ab ipſo peticrat. Integram habes apud Mabillonium Annal. Benedict. tom. IV. pag. 155. In ea ſe aliquando ſub Hervæi diſciplina poſitum agnoſcit, ſeque cum rege Roberto frequenter locutum fuiſſe. Qui Hervæus cum ejuſdem S. Eligii vitæ percupidum Regem ſciret, eam ipſi legi precatur. Idem forte eſt ac Adalbardus [a] qui circa hæc tempora abbas fuit Caroffi, Solemniaci, Tutelæ, Uzerchiæ, S. Auguſtini, & S. Martialis, ubi ſepultus eſt. De eo vide in abbat. S. Auguſtini Lemovic.

[a]

XVIII. Geraldus III. abbas erat Solem. anno 1028. ut liquet ex epiſtola apologetica Ademari Cabanenſis, quam habes in appendice ad tom. IV. Annal. Bened. Mabill. pag. 717. ad ipſummet Geraldum Solemniaci abbatem *doctiſſimum*, uti ad alios plurimos tum abbates, tum epiſcopos directam. Idem an. 1031. menſe Novembri interfuit ſynodo Lemovic. ubi ventilata quæſtio de S. Martialis apoſtolatu, qua de re protulit teſtimonium veterum ſui monaſterii codicum.

XIX. Adalfredus, ſeu Alfredus, Geraldo ſufficitur, laudatus in litteris Geraldi de Bonavalle anno 1055. datis, quibus manſum ſeu bordariam Monthilii dicto abbati & monachis dimittit. Adalfrido ſucceſſit

Vide tom. V. Annal. Ben. ad an. 1050. n. 91.

XX. Wido I. cujus tempore Gaucelinus de Petra-Bufferia monaſterium S. Crucis ejuſdem loci commiſit Solemniacenſibus ſub an. 1070. *al.* an. 2. imperii Philippi regis Franc. hoc eſt 1061.

[a] Noſter D. Claud. Eſtiennot, Amblardo omiſſo, ſolius memi nit Adalbaldi poſt Bernardum.

Anno 1076. Ademarus vicecomes Lemovicenſis, Fulcherius, Guido de Agiuno, vulgo *Ayen*, & Willelmus de Valle nobiles, cedunt eccleſiam de Agiuno. Subſcribunt huic dono Petrus Jaunaci, Fulcherius de Peiruſſa, Bernardus de Chabanes, Ademarus de Leſpinaz, Gerardus de la Marcha milites.

XXI. Gauzbertus Uſercenſis abbas Guidoni ſubrogatus fuiſſe videtur; cui nimirum, inquit Mabillonius, Solemniacenſe monaſterium commiſſum fuiſſe dicitur. Omittitur a D. Claud. Eſtiennot.

XXII. Robertus occurrit abbas an. 1090. in veteri catalogo MS. abbatum; ſub quo Aldegarius de Jaunac morti proximus terram de Lobeac donavit, atque inter monachos adſcribi voluit. Anniverſarium habet Robertus; ſedebat adhuc anno 1100. ind. VIII.

XXIII. Audoinus, Aldoinus, & Elduinus antea præpoſitus, abbatialem obtinebat dignitatem an. 1105. inquit MS. codex; quo tempore Ademarus vicecomes Lemovic. nonnulla dediſſe monaſterio perhibetur. Sedebat adhuc an. 1110.

XXIV. Mauricius 1114. ex Gaufrido Voſienſi narrante Petri de Petra-Bufferia caſum & mortem, & ex charta fundationis Dalonæ cui ſubſcripſit; necnon an. 1115. ex MS. codice. Ad quem etiam annum vel anteriorem revocat Mabillonius quandam ſynodum Dalonæ habitam, cui Mauricius abbas Solemniacenſis cum Willelmo Petragoric. epiſcopo, Guidone Turturiacenſi abbate, &c. interfuit. An. 1116. idem Mauricius plura dediſſe Venſiodorenſi monaſterio legitur apud Baluz. Miſcellan. lib. VI. pag. 489.

XXV. Geraldus IV. cognominatus de Terrazo adfuit ſepulturæ Euſtorgii epiſcopi Lemovic. in monaſterio S. Aug. cum Lamberto ep. Engoliſm. & ſex abbatibus an. 1137. Litigavit cum Geraldo ep. Lemov. circa an. 1147. de eccleſia Aëntenſi, quam certe hoc anno epiſcopus abbati dimiſit. Hic duo pontificia diplomata impetravit, alterum ab Eugenio III. aliud ab Adriano IV. ex MS. codice, qui fontem etiam ab ipſo deductum in clauſtrum commemorat. Eundem eſſe autumamus qui prima ſui nominis littera connotatus, dedit in manu domni R. Dalonenſis abb. quidquid habebant Solemniacenſes in excluſa & in molendino de Archaſola. Pervenit autem Geraldus ad an. ſaltem 1157.

XXVI. Archambaldus I. a quibuſdam cognominatus de Malomonte, a Balduino Noviomenſi epiſcopo brachium S. Eligii accepit, ex MS. codice jam ſæpius laudato, qui quidem annum 1160. adſignat huic abbati. Memoratur adhuc annis 1177. & 1179. in chartulario Dalonæ, ſed jam antea videtur abdicaſſe. Nam

XXVII. Ademarus I. jam anno 1176. occurrit in eodem tabulario. Idem an. 1178. locum de Condiers Grandimontenſibus contulit, ex MS. cod. Grandimont. itemque circa hæc tempora cum Iſerno abbate Conchenſi ſocietatem iniit.

XXVIII. Gaubertus de Soliaco dedit Arberto abbati & fratribus Dalonenſibus omnem decimam manſi Ubert an. 1193. Legitur etiam nonnulla dediſſe Gaucelino de Petra-Bufferia, ea lege

Digitized by Google

ut ipſe & poſteri de his fiduciariam clientelam Solemniacenſibus præſtarent.

XXIX. Hugo I. de Malomonte *de Maumont*, recenſetur in actis publicis ab anno 1195. ad 1228. quo ceſſit Ademaro. An. 1214. ſocietatem precum iniit cum Radulfo S. Eligii Noviom. abbate. Vivebat adhuc 1232.

XXX. Ademarus II. de Las Tours, parentes habuit Archambaldum de Las Tours, & Jordanam filiam Agnetis de Bré de Comborn ſororem Bernardi vicecomitis de Comborn; ex Goffrido Voſienſi aut ipſius continuatore part. 2. Chronici num. 26. Occurrit an. 1228. Noſter D. Michaël Germain docet ipſum quædam prædia conceſſiſſe Grandimont.

XXXI. Mauricius II. mutuam ſuffragiorum communionem ſancivit, ſeu renovavit, cum Stabulenſi monaſterio, an. 1234. ex litteris ea de re datis, quæ ſunt excuſæ apud Mabill. ſec. 2. Benedict. pag. 1093.

XXXII. Hugo II. 1236. menſe Mart. die Sabb. ante *Invocavit me*, vacante ſede Lemov. & 1239. ex MS. codice. Idem eſſe videtur ac Hugo abbas optimus mortuus circa 1240. pro cujus anima Solemniacenſes petierunt preces fere ab omnibus Galliæ eccleſiis, ut probat rotulus adhuc aſſervatus qui ulnas 14. continet.

XXXIII. Petrus I. notatur in eodem MS. codice ad annum 1250. Sed longe antea ſedebat, ut pote qui jam an. 1243. & iterum 1262. varias lites cum Guidone * de Luſignan Encoliſmorum ac Marchiæ comite compeſcuit, ex Michaële Germain. Memoratur 1253. in inſtrumento quo concordia initur cum Haele Durandi Las Molieiras de redditibus de Aneta. Ad ipſum vero Petrum ſpectare videtur hoc epitaphium quod in clauſtro legitur:

* al. Hugone.

Petra tegit Petrum, Chriſtus petra det mihi tetrum
Infernum fugere, cœliſque locum mihi det habere.
Vos qui tranſitis, me cernere quæſo velitis.
Quod vos ſentitis, nos ſenſimus. Ivimus, itis.
Pro me quæſo piam nunc exorate Mariam,
Ne mihi claudatur quæ cœli porta vocatur.

XXXIV. Archambaldus II. electus eſt Solemn. abbas an. 1263. quo de baculo paſtorali, de caſula & de ſandaliis S. Remacli reliquias obtinuit a Stabulenſibus monachis; qua de re vide apud Mabillonium loco proxime laudato litteras Johannis decani Stabulenſis ad Archambaudum abbatem Solemniacenſem, quibus & ſe inſigniores in brevi reliquias miſſurum pollicetur. Et revera quinto poſt anno, videlicet 1268. brachium S. Remacli Archambaudo direxerunt Stabulenſes per domnos Clementem cellerarium & Vivianum ſacriſtam Solemniaci cum litteris officioſiſſimis, uti videre eſt apud eundem Mabillonium ibidem. Idem abbas memoratur anno 1271. die Veneris poſt Nativitatem S. Johannis Baptiſtæ, ex charta præpoſituræ Brivazaci.

XXXV. Geraldus V. confirmatur & benedicitur ab Aimerico ep. Lemovic. in octavis Paſchæ an. 1272. Obiit 1275. * in craſtino B. Agathæ, in Biturica, redeundo de curia regis Franciæ, ubi litigabat cum rege Angliæ & cum vicecomitiſſa Lemovic. Fuit ſepultus ſequenti die Mercurii Lemovici, quæ dies erat ſeptima mortis ejus.

* al. 1276.

XXXVI. Ademarus III. conſignatur ad an. 1280. Forte is eſt Bertrandus Ademar quem codex MS. reponit an. M. CC. LXX. pro M. CC. LXXX.

XXXVII. Hugo III. ad an. 1283.

XXXVIII. Archambaldus III. 1290. 1307. & 1314. quo anno vicariam in eccleſia Solemn. ad honorem S. Martialis fundaſſe memoratur. Noſter D. Michaël Germain putat eum geſſiſſe pedum ab an. 1286. ad 1318.*

XXXIX. Bertrandus I. ad an. 1318. D. Michaël Germain eum vocat Petrum Bernardi, quem tamen fatetur ab aliis Bertrandum appellari.

XL. Archambaldus IV. de S. Amant, dictus junior, Solemniaco præfuit ab anno ſaltem 1320. ad 1334. Nonnulla acquiſivit apud Anedam an. 1323. Laudatur maxime tum ob ſingularem pietatem in iis quæ ad decorem domus Dei ſpectant ac divinum cultum, tum ob præclara quæ circa victum monachorum edidit ſtatuta. Sancivit quoque an. 1325. die 5. Sept. feſtum Nativitatis B. M. ſolemnius deinceps celebrandum.

XLI. Petrus II. cognominatus de Helia a D. M. Germain, quem ex nobili dominorum de Pompadour ſtemmate ortum dicit, ſedebat an. 1334. Carolus dux Britanniæ, vicecomes Lemovic. fecit homagium P. abbati Solemn. pro caſtro & caſtellania de Axia apud fratres Minores Lemov. 9. Mart. 1344. Obiiſſe dicitur an. 1348.

XLII. Bertrandus II. Ademari Petro ſucceſſit. Docet D. M. Germain ipſum ex camerario creatum eſſe abbatem unanimi fratrum conſenſu, ſed a Clemente papa VI. dignitate ſpoliatum, quem tamen paulo poſt reſtituit idibus Octob. pontificatus anno VI. quo etiam anno idem ſummus pontifex fratrum numerum ad tricenarium revocavit. Ipſi obſequia clientelaria præſtiterunt. Guido de Barreria 15. Aprilis anno 1348. Johannes de Motha & alii nobiles. Beneficum expertus eſt Edwardum Valliæ principem, regis Angliæ filium. In ſuo monaſterio excepit Urbanum V. tandemque vivis exceſſit die 29. Maii [b] an. 1370. quo ſuum baculum paſtoralem legavit monachis, duaſque vicarias fundavit in capella B. M. ubi ſepultus fuit.

XLIII. Bertrandus III. de S. Amant erat Brivazaci præpoſitus, quando hoc anno 1370. indict. VIII. die decima Junii electus eſt in abbatem Solemniaci, qua in electione abbati Uſercienſi ſuffragium impertierat. Memoratur in litteris venditionis *juſtitiæ altæ* S. Hilarii Bonæ-Vallis 2. Jul. 1377. indict. XV. VII. pontif. Greg. XI. regnante Carolo.

XLIV. Wido I. ſeu Guido, Solemniaci legitur abbas anno 1372. quo Johannis Davidis hominium excepit.

XLV. Bertrandus IV. a D. Michaële Germain cognominatus de S. Chamant, & in charta anni 1378. menſe Decembri dictus de Molæo,

* Arturus illuſtris Britanniæ ducis, Richemundiæ comiti primogenitus, vicecomes Lemovic. cum Maria uxore faciunt homagium pro medietate caſtri & caſtellaniæ de Axia Archambaldo abbati . . . cal. April. 1286.

[b] In necrol. obitus ejus conſignatur idibus Maii.

Digitized by Google

memoratur annis 1385. & 1388. quo anno ipſi Carolus rex diploma tuitionis indulſit.

XLVI. Hugo IV. nuncupatus de Bony 1392. 1393. & 1417.

XLVII. Johannes I. Raimundi prior de Yvelio diœceſis Lemovic. bulla Martini V. data IV. nonas Aug. pontific. an. VIII. hoc eſt 1424. aut 25. inſtitutus eſt abbas. An. 1444. vicariam Brivazaci a Bertrando de S. Amant ſuo prædeceſſore fundatam contulit. Idem an. 1452. a vicecomite Lemovic. hominium excepit pro caſtellaniis de Axia & de Larcha. Obiit 20. Febr. 1456. die Dominica, & eadem die ipſe & epiſcopus Lemov. inhumati fuere.

XLVIII. Martialis de Bony, antea prior de Aneta, via inſpirationis electus 21. Martii 1456. præſentatur eccleſiæ Lemovic. capitulo ad confirmationem obtinendam, ſede vacante. Memoratur abbas annis 1457. 1462. 1473. 1484. Chori ſedilia eum extruxiſſe ſtemmata gentilitia illis affixa probant. Notatur in obituario VIII. cal. Sept. ubi quadraginta ſolidos renduales dediſſe dicitur.

XLIX. Hercules de Gaingh prior de Suſſaco, abbas 1484.

L. Archambaldus V. an. 1485. decimam Hugonum apud Bouzonnic acquiſivit.

LI. Bozo, ſeu Booz Jouſſinelli *de Jouſſineau*, præfuit ab anno 1490. ad 1503. quo diem clauſit extremum Pariſiis in monaſterio S. Martini a Campis, die 17. Sept. ad quam ſic habet necrologium: *XV. cal. Octob. obiit bonæ memoriæ Boſo Jouſſinelli abbas Solemn. qui legavit 30. ſolidos renduales.*

Poſt ejus obitum magna fuit altercatio pro electione ſucceſſoris; electo enim a fratribus Aimerico de la Vergne monacho & ſacriſta Solemniaci, Johannes de Barthon ep. Lemovic. hanc annulavit electionem, atque in abbatem inſtituit Petrum Barthonis Benedictinum monachum, antea abb. S. Aug. Lemov. quem & poſtea fratres nonnulli unanimiter elegerunt. Interea vero ſummus pont. Julius II. hoc anno 1503. XIV. calend. Jan. pontific. ſui anno 1. ad petitionem Ludovici regis Francorum bullas conceſſit pro abbatia Solemniac. in favorem Fulcaudi de Bonavalle canonici Narbonenſis ac protonotarii apoſtolici, qui nunquam tamen adeptus fuit poſſeſſionem. Itaque

LII. Petrus III. Barthon de Monbas, filius Petri vicecomitis de Monbas, Marchiæ cancellarii, ac regis cubicularii, & Petronillæ Fabriciæ, *de Fabri*, monachus Benedictinus, anteaque S. Auguſt. Lemovic. abbas, nominatur & inſtituitur abbas Solemniacenſis a Johanne ipſius fratre epiſcopo Lemovic. menſe Octobri anni 1503. iterumque a fratribus eligitur abbas ultima die Dominica menſis Decembris ejuſdem anni. Occurrit vero in chartis nonnullis an. 1504. & 1505. quo vivere deſiit, ſepultus in monaſterio S. Aug. Lemovic.

LIII. Willelmus I. Barthon de Monbas, Doratenſis abbas ac decanus Lemovic. per obitum fratris anteceſſoris abbatiam obtinuit in commendam an. 1505. De eo ſic habet necrologium: *XI. cal. Febr. anniverſarium felicis recordationis Guillelmi Barthonis abb. commend. & decani Lemovic. & celebratur hodie & 1. Maii & 1. Sept. cujus laudum præconia omnis prædicat eccleſia.* Legitur abbas & adminiſtrator perpetuus anno 1514. quo quidem videtur abdicaſſe.

LIV. Rolandus Barthon de Monbas, filius Bernardi vicecomitis de Monbas & Mariæ de Sully, occurrit abbas ipſo an. 1514. Fratres habuit Johannem ep. Lactorenſem & Franciſcum abbatem S. Aug. Lemov. patruos vero anteceſſores Guillelmum & Petrum ſub quo tum abbate S. Aug. Lemov. an. 1499. monachalem habitum induerat. An. 1515. ex hiſtoria manu exarata S. Aug. Lemovic. præfuiſſe dicitur capitulo generali hujus monaſterii, nomine Franciſci fratris ſui abbatis noviſſime deſignati. Memoratur & an. 1520. die 8. Jan. in charta Brivazaci, atque etiam in bulla Leonis papæ de unione prioratus de Aneta menſæ conventuali prædicti monaſterii anno 1526. idibus Maii. An. 1537. abbatiam dimiſit in manibus Pauli papæ III. in gratiam alterius Guillelmi Barthon, nepotis ſui, electi epiſcopi Lactor. retentis ſibi medietate fructuum & adminiſtratione perpetua abbatiæ; qua de cauſa legitur in chartis ab anno 1537. uſque ad an. 1557. *Frater Rolandus olim abbas, nunc adminiſtrator perpetuus abbatiæ S. Petri.* Item vocatur abbas Solemniac. in relatione *oſtenſionis* reliquiarum S. Martialis die Dom. 22. Oct. 1542. cui adfuit cum Guill. Jouviond abb. S. Martini. Anniv. habet VII. id. Maii.

LV. Guillelmus II. Barthon ep. Lactorenſis, filius Petri vicecomitis de Monbas & Eliſabeth de Levis de Chateaumorant, abbatiam obtinuit in commendam reſignatione Rolandi patrui ſui an. 1537. An. 1548. quemdam monachum Solemniacenſem ad præpoſituram Brivazaci tunc vacantem nominavit. Legitur adhuc abbas an. 1571. Verum paulo poſt a Calviniſtis male acta eſt abbatia, quam invaſerunt domini de Bourdeille & de Pierre-Buffiere, ipſique præfecerunt fiduciarios abbates, inter quos primus occurrit

LVI. Antonius Bondon, aut Boudou annis 1578. & 1581.

LVII. Petrus IV. *al.* Franciſcus Belut & ipſe nomine tenus abbas ab anno 1582. ad 1587. quo obiiſſe dicitur Franciſcus, cui fortaſſe Petrus ſucceſſit ad an. 1590. Hoc enim anno memoratur.

Sequentibus vero annis uſque ad annum 1600. ſedes abbatialis vacavit, ſed raptoribus non caruit. Dominus a ſancto Matthæo miles œconomum, neſcio quo jure, habebat in æde abbatiali, invito domino de Pierre-Buffiere & de Chateauneuf milite Lemovicenſi hæretico, qui dictæ abbatiæ proventus ſibi vindicare volebat.

LVIII. Johannes II. Jaubert de Barraut ep. Vaſatenſis ac deinde archiep. Arelatenſis jure caduci abbatiam impetravit anno 1600. pro qua reformanda pactum fecit cum aſcetis S. Aug. Lemov. an. 1615. ſua exinde cura confirmatum tam a Rege quam a ſummo pontifice; tandemque anno 1619. ſtrictam congregationis S. Mauri in dictum monaſterium obſervantiam induxit. Obiit Lutetiæ an. 1643.

LIX. Georgius d'Aubuſſon de la Feüillade ab

Digitized by Google

anno 1643. ad 1648. quo anno evectus eſt ad Ebredunenſem cathedram ac demum ad Mettenſem, quam obtinebat an. 1676.

LX. Arturus, ſeu Artus de Lionne Delfinas, primum ſenator Gratianopolitanus, tum epiſcopus Vapincenſis, poſtea nominatur a rege Chriſtianiſſimo Ludovico XIV. Ebredunenſis archiep. Sed ſuam deſerere ſponſam noluit, tuncque Georgius d'Aubuſſon ad hanc ſedem evectus, Solemniacenſe pedum Arturo dimiſit an. 1648. qui & ipſe nepoti ſuo ceſſit anno 1657. mortuus 18. Maii 1663.

LXI. Julius-Paulus de Lionne, Hugonis Regi a ſecretis & mandatis filius an. 1665. reſignavit D. Petro Godefroy de Beauvilliers, poſtquam anno præcedenti ſeptis monaſterii ad muros urbis extendendis aſſenſum præbuiſſet.

LXII. Petrus V. de Godefroy de Beauvilliers * obiit menſe Febr. 1689.

* al de Boiſſemont

LXIII. N. du Belloy de la Feüillée 9. Aprilis 1689. abbas ſimul Montis-S. Mariæ diœceſis Biſunt. moritur menſe Sept. an. 1699.

LXIV. Guillelmus III. Bitaud poſſeſſionem adeptus per procuratorem die 28. Januarii 1698. Vivit adhuc hoc an. 1718. optimus abbas, a cujus laudibus abſtinemus inviti.

Plures adhuc abbates occurrunt tum in veteri Gallia Chriſtiana, tum in MS. codice a nobis ſæpius laudato, quos ut pote notis chronicis deſtitutos, aliaſque incertos omittimus.

S. AUGUSTINI ABBATIA.

SANCTI AUGUSTINI Lemovicenſis ord. S. Benedicti monaſterium ab rerum Chriſtianarum apud Lemovices exordio, fuit commune hujus eccleſiæ ſepulcrum, a B. Martiale primo epiſcopo & Aquitaniæ apoſtolo ad Vigennam fluvium cum oratorio S. Salvatoris conſecratum. Adauctum poſtea fuit ab Attico, qui inter Lemovicenſes præſules quartus numeratur. Sed Ruricius ſenior, qui in cathedra Lemovicenſi floruit quinto ſeculo inclinato, & ad ſexti exordium perveniſſe dicitur, ibidem fundavit templum Deo ſub S. Auguſtini patrocinio dedicatum, uti docet Fortunatus.

Canonicos regulares hac in eccleſia poſitos ſomniavit Bernardus Guidonis lib de progreſſu monaſterii S. Auguſtini; quos tamen cap. 6. ejuſdem libri vocat canonicos ſeculares. Hanc fabulam jure merito exſufflat Guillelmus Cave in hiſtoria litteraria, de noſtro Ruricio epiſcopo agens. Certe Ruricii tempore ignorabatur hoc diſcrimen canonicorum regularium & ſecularium; imo ipſum canonicorum nomen nondum uſurpabatur, neque mos illorum temporum ferebat, ut extra civitates collegia clericorum inſtituerentur, ſed monachi, quibus ubique Galliarum tunc extra urbes extructa eſſe monaſteria certis conſtat argumentis. Sed cum in bellorum procella, maxime a Danis illatorum, urbs Lemovica eccleſiæque omnes, maxime ſuburbanæ dirutæ fuiſſent, Turpio nobiliſſimus & piiſſimus præſul hoc cœnobium reædificavit, collocatis in eo quas ex Romana & Italica peregrinatione attulerat S. Auguſtini reliquiis, ibique monachos regulæ S. Benedicti addictos congregavit, ac eos ampliſſimis dotavit poſſeſſionibus, ut ex diplomate a Quercetano in notis ad bibliothecam Cluniacenſem edito, atque a nobis in appendice recuſo palam habetur. Porro id actum an. 12. Rodulfi regis, hoc eſt Chriſti 934. probat Mabillonius in Annalibus ad hunc annum. Indicem abbatum nunc operæ pretium eſt adornare.

C. vi. col. 167.

SERIES ABBATUM.

I. MARTINUS a Turpione epiſcopo cœnobii reſtauratore ex monaſterio S. Cypriani, ubi abbas erat, accerſitus præficitur novæ congregationi, anno circiter 934. non relicta cura prioris abbatiæ, in qua obiit ac jacet. Frater erat Aimonis abbatis S. Martialis, ut docent Sammarthani fratres, & conſentit Mabillonius; unde conſequi videtur eum fuiſſe etiam fratrem Turpionis epiſcopi, quem germanum fuiſſe Aimonis diſerte dicit Ademarus Cabanenſis, qui ex eodem genere erat ortus.

Labb. t. 2. biblioth. p. 272.

II. Ricardus proabbas in regimine monaſterii vices egit Martini.

III. Adarſius, ſeu Adacius etiam proabbas & vices gerens Martini, fuit quoque quartus abbas S. Martini Tutelenſis, ubi quievit in pace.

IV. Rotgerius abbas & epiſcopus, ſed cujus ſedis ignoratur; forte fuit ordinatus chorepiſcopus, ut Ebulonis epiſcopi, muſtis & quidem ſecularibus curis diſtenti, vices ageret; ſepultus eſt ad S. Auguſtinum.

V. Gosbertus & ipſe epiſcopus eccleſiæ incertæ, e Balmenſi cœnobio a Turpione d'Aubuſſon Lemovicenſi antiſtite vocatus ut monaſterio S. Auguſtini præeſſet, fuit poſtea primus abbas S. Petri de Uſarchia, ubi ordinis S. Benedicti monachos inſtituit. Ad priſtinum vero S. Auguſtini Lemovic. monaſterium rediiſſe dicitur, in quo ſepultus eſt juxta prædeceſſorem.

VI. Adalbaldus *de domo S. Majoli*, quod alii interpretantur de agnatione & conſanguinitate, alii volunt eum ex diſciplina S. Majoli prodiiſſe & ex ejus domo ſcilicet Cluniaco, fuit abbas S. Aug. Cum in veteribus monumentis hujus monaſterii legatur abbas plurimorum aliorum monaſteriorum Tutelæ, Solemniaci, Uſerchiæ, Caroffi, S. Martialis, difficile eſt aſſignare quo tempore vel anno cuique præfuerit, & an ſimul aut ſucceſſive ea gubernarit. Opinatur Stephanus Baluzius hiſtoriæ Tutelenſis lib. 2. pag. 82. eum prius fuiſſe Tutelæ cellerarium, tum abbatem ſed brevi tempore circa an. 984. poſtea raptim & præcipitanter tranſiiſſe ad regimen tot monaſteriorum, quæ recenſuimus. Sepultus eſt in monaſterio S. Martialis, obiitque XI. cal. Aug.

VII. Stephanus I. rector optimus in chronico dictus, præerat circa an. 1000.

VIII. Aſterius juxta ſepulcrum Stephani anteceſſoris ſui terræ mandatur.

IX. Guido I. campanile conſtruxit. Jacet prope Stephanum.

X. Gerardus I. is haud dubie cui inter ceteros nuncupat Ademarus Cabanenſis apologeticam epiſtolam pro apoſtolatu S. Martialis anno 1028.

Digitized by Google

quam Mabill. edidit in appendice tomi IV. Annal. Vide in Jordano Lemovicenſi hac ætate epiſcopi.

XI. Adalbertus, ſeu Albertus, ſepultus eſt juxta Geraldum, inquit vetus Chronicon S. Aug.

XII. Philippus cum eſſet monachus Dolenſis, factus eſt abbas S. Aug. circa an. 1088. ex Chronico Voſienſi. Omittitur a Stephanotio noſtro.

XIII. Geraldus II. ob eximiam humaniorum litterarum peritiam dictus *Grammaticus*, ex monacho S. Martialis, tum S. Valerici præpoſito, erat abbas S. Auguſtini an. 1095. Ejus tempore miraculum accidit ad ſepulcrum Guidonis de Loron epiſc. Lemov. quem faſti Lemov. epiſc. primum omnium ad eccleſiam cathedralem S. Steph. ſepultum fuiſſe ſumma populi frequentia diverſorum ordinum notant, de quo hæc ait Gaufredus prior Voſienſis in Chron. *Defuncto Guidone epiſcopo tumulatum eſt ejus corpus in monaſterio S. Steph. ante altare perpetuæ virginis Mariæ ab ipſis canonicis, cum in illa urbe nullius cadaver defuncti jacuerit. Tunc Geraldus abbas S. Auguſtini, convocato * comite Pictavienſi, corpus pontificis ab eccleſia ſublatum infra paucos dies apud S. Auguſtinum magna cum frequentia diverſorum ordinum recommendavit *, unus de turba lapide jacto corpus ſacerdotis mortui percuſſit, unde ſanguis non ſine admiratione exivit.* Jacet in monaſterio ſuo Geraldus ad caput ejuſdem Widonis epiſcopi.

* *al.* connivente.

* *al.* recondit.

XIV. Guido II. ex burgenſi Lemov. dictus *Bona borſa*, manzer, ex cellerario monaſterii abbas electus eſt an. 1104. VII. idus Julii. Deceſſit autem an. 1110. prima die Sept. ſepultus in capitulo.

XV. Stephanus II. vir miræ cum ſimplicitatis tum pietatis, auſteri tamen inſtituti, memoratur anno IIII. in charta Euſtorgii epiſc. pro Voſienſi monaſterio, & 1114. in electione Bernardi abbatis S. Martialis. Monaſterium B. Mariæ Carvicenſis, *Chervix*, a fundamentis erexit. Obiit an. 1137. die 2. Sept. humatus prope ſuum anteceſſorem. Idem profecto eſt cum illo Stephano quem ex genere vicecomitis Ademari natum, Sammarthani mortuum eſſe volunt anno 1138. III. nonas Septemb.

XVI. Philibertus, *al.* Philippus vixit ſecundum Sammarthanos & Baluz. an. 1137. ac eodem anno III. nonas Decemb. adfuit cum multis aliis tum epiſcopis tum abbatibus funeri Euſtorgii Lemovic. epiſc. ad S. Auguſtinum ſepulti. Ejus præfecturam prorogat noſter D. Michaël Germain uſque ad annum 1140.

XVII. Petrus I. de Barry, frater Itherii domini d'Aixe, interfuit an. 1145. donationi eccleſiæ de Chambaret factæ monaſterio Uſercienſi a Gerardo Lemovic. præſule, ubi tamen ipſius cognomen reticetur, uti in tabulario S. Mariæ Santonenſis an. 1147. V. idus Febr. indict. X. & 1148. in tranſactione inter Albertum abbatem S. Martialis & moniales Santonenſes. Exſtat ad ipſum epiſtola 1. lib. 5. Petri Cluniacenſis, cognomento Venerabilis, ubi inter alia ait: *Neque enim honor aſſumtus ab amore noſtro ſemel olim concepto vos in aliquo permutavit: non eſtis ſecutus quoſdam noſtri temporis homines qui de congregatione noſtra aut in abbatias aſſumti, aut epiſcopatibus decorati, ut corpore ſic & mente a nobis diffugiunt: ab amore ſuorum ſtatim reſiliunt, & velut abjecto gravi quantum ad ipſos monaſtici ordinis jugo, exultant. Oſtendunt quo animo dum humiles viderentur, Deo ſervierint; qui data occaſione eccleſiaſtici regiminis, totos ſe quantum audent Deo ſubtrahunt, mundo dedicant: & non ſicut ſervi Dei, ſed quaſi velamen habentes militiæ, libertatem, effrenes & præcipites, velut jam adepti quod diu optaverant, ubique diſcurrunt; ſuos poſtponunt, alienos ſectantur, nec jam vel quo primum venerint, vel ubi manſerint, vel unde exierint recordantur. Non ſic tu, ut audio, cariſſime, non ſic plane tu facis, qui noſtra tuis negotia ſemper anteponis: qui pro cauſis Cluniacenſibus terminandis huc illucque diſcurris, & ad nutum noſtrum vel noſtrorum, reipublicæ noſtræ impugnatoribus te ubique audacter opponis.* Ad eundem etiam ſcripſit Adrianus papa IV. in gratiam monaſterii S. Auguſtini an. 1158. quam bullam dedimus inter inſtrumenta. Suſcepit Ludovicum regem hebdomada Nativitatis Dominicæ ad portam Leonis, Lemovicas cum regina uxore ad dedicationem S. Salvatoris venientem, ut habet Chronicon Voſienſe. An. 1160. factus eſt abbas S. Martialis, retento ſimul S. Auguſtini moderamine; hoc tamen ante obitum dimiſit, qui contigit an. 1174. IV. idus Septemb. in quadam S. Martialis cella. Sammarthani, quos ſequitur D. Michaël Germain, dicunt an. 1164.

C. XXV. col. 168.

XVIII. Raimundus I. de Binace, ſeu potius de Beinac, illuſtri dominorum de Perigueux ſanguine clarus, longeque virtutibus clarior, monaſterii de novo fundamenta jecit, anno videlicet 1171. inquit Labbæus, & 1172. ex Bernardo Itherio in chronico. Primos autem huic ædificio lapides admoverunt Alienor Angliæ regina, ejuſque filius Ricardus cognomento, *Cœur de lion*, tunc in urbe Lemovicenſi commorantes. Anno 1177. nonis Octobris præſens fuit quando Audebertus Marchiæ comes Henrico Angliæ regi terram ſuam vendidit, quia nullum habebat hæredem, ex codice vetuſto S. Stephani Lemovic. Tranſegit an. 1180. cum canonicis S. Johannis d'Aurel, quo anno monaſterium conſecratum eſt a Sebrando Lemovicenſi & G. Caturcenſi epiſcopis. Sepultus eſt an. 1184. nonis Octobris, *al.* VIII. idus Sept. in feſtivitate B. Imperiæ virginis, ad oſtium monaſterii, cui vetus abbatum catalogus triginta regiminis annos attribuit.

XIX. Hugo I. a viro nobili Falcone de Buniaco, *de Bugné*, fidelitatis juramentum excepit an. 1190. Clemente III. papa Romano, Willelmo Pictav. epiſcopo, S. Lemovic. epiſc. Ricardo rege Anglorum duce Aquitanorum; ex charta veteris Chronici. An. ſequenti pactum fecit cum dominis de Montecuculli, de Stagno, &c. Tranſegit an. 1193. cum dominis de Bonac ſuper eccleſia ſancti Saturnini de Bonac. Occurrit etiam in chartis Grandimont. an. 1196. Jacet in capitulo.

XX. Guillelmus I. varie a ſuis & præſertim ab Hugone præpoſito vexatus regimen abdicavit an. 1214. ex Bernardo Itherio, tuncque liber & privatus ad Carrovicenſem cellam, *Chervix*, ſe recepit. Ei tamen conceſſum eſt ut ipſius anniver-

Digitized by Google

farium ſicuti pro abbatibus celebraretur.

XXI. Hugo II. Brucius, vulgo *de Brucy* & *de la Broſſe*, prius monaſterii præpoſitus, eodem anno quo Guillel. ceſſit ab ipſo exagitatus, abbas electus eſt ſecundum eundem Bernard. Itherium.

XXII. Aimericus de Bonac, *al.* de Bouhac ſæpius occurrit in chartis, annorum videlicet 1222. 1225. 26. 30. 37. 42. 43. 44. & 1247. Jacet in capitulo.

XXIII. Geraldus III. Fabri, prior S. Martialis, abbatiæ S. Auguſtini præficitur ab Odone Caſtri-Radulfi Tuſculano epiſcopo & legato apoſtolico. Poſt multa bona monaſterio collata moritur anno 1264. die Aprilis 18.[a] ex Chronico Lemovic. S. Stephani, in introitu monaſterii a dextra parte ſepultus.

XXIV. Amelius de Montecuculli rexit annis 26. ex recentiori abbatum indice, vetus tamen habet 23. tantum.

XXV. Bernardus Folcherii, *Faucher*, ex nobili apud Lemovices genere ortus, in veteri abbatum catalogo ultimus recenſetur annis 1293. 94. & 95. multa paſſus eſt in internecionis motibus, inter Lemovicarum cives ac Margaritam vicecomitiſſam.

XXVI. Simon 1311. & 1315.

XXVII. Guido III. de Cornilio 1337. 1357. & 1366. quo tempore poſt varios belli motus, qui vaſtitatem & clades intulerunt plurimas, Lemovicinus pagus Anglis reſtituitur, qua conditione inter illos & Gallos pax apud Britiniacum eſt inita an. 1360.

XXVIII. Raimundus II. vixit tempore cladis illius maximæ ab Anglis immiſſæ an. 1370. in qua epiſcopus Lemovic. in vincula conjectus eſt & cum 3000. incolis propter defectionem ad Gallos morti addictus eſt, ſi fides habeatur chronologiæ Petragoricenſi. Tunc autem Francorum rex ſpeciali beneficio largitus eſt Raimundo quingentos Francos auri, pro ipſius redemtione, die 4. Febr. ex veteri regiſtro. Memoratur abbas jam anno 1367. ſententiamque obtinuit an. 1369. adverſus fratrem Philippertum de Agmanda priorem de Gleny, qui ſex libras cum dimidia, ad quas erga ipſum tenebatur, ſolvere detrectabat.

XXIX. Petrus II. Joubert recenſetur annis 1372. 75. 76. 84. 88. 94. 95. & 1406.

XXX. Petrus III. de Drolliis *de Droüilles*, adfuit pro clero Lemovicenſi, concilio Piſano an. 1409. ex ejuſdem actis tom. VI. Spicil. pag. 355. Deinde factus eſt abbas S. Martialis.

XXXI. Guillelmus II. archiep. Burdegal. & abbas commendatarius S. Aug. Lemovic. 1410. & 1411.

XXXII. Robertus Delmeyrat in charta quadam dicitur immediatus anteceſſor Petri de Montebruno. Hinc rejicienda conjectura illorum qui autumant Johannem Boves, qui in concilio Conſtantienſi vocatur procurator regis Franciæ & procurator abbatiæ S. Auguſtini, fuiſſe ipſius abbatem. Vero ſimilius enim videtur eum fuiſſe procuratorem abbatis & conventus, quemadmodum Godefridus Dauli agebat ibidem ut procurator epiſcopi Lemovic. & abbatis S. Martialis.

XXXIII. Petrus IV. de Montebruno 1422. evectus deinde ad epiſcopatum Lemovic. anno 1427. auctoritate Martini V. ſummi pontificis. Ceſſit e vita in caſtro ſuo Inſulæ an. 1456. 1. die Martii, epiſcopatus ſui anno 28. Ceterum in codice manu exarato S. Martialis cui titulus: *Privilegia & reditus*, an. 1440. Jacobus Jovion abbas S. Martialis dicitur etiam abbas de Charros & antea S. Aug. Lemovic. Numquid ipſi Petrus de Montebruno ceſſerat, quando factus eſt epiſcopus? attamen

XXXIV. Johannes I. Hugonis in pluribus chartis memoratur ab anno 1426. ad 1467.

XXXV. Ludovicus de Comborn protonotarius apoſtolicus & abbas de Conchis in diœceſi Ruthen. ubi vide, legitur abbas S. Aug. Lemov. ab an. 1470. ad 1481. Hunc etiam aiunt Sammarthani fratres evaſiſſe canonicum eccleſ. Lugdunenſis an. 1444. tempore Eugenii papæ IV. per ceſſionem fratris ſui Jacobi epiſcopi Claromontani.

XXXVI. Petrus V. Barthon ex familia vicecomitum de Monbas in Pictonibus, eligitur abbas an. 1482. Quod ubi reſcivit (erat enim tunc temporis Lutetiæ Pariſiorum,) obtinuit a ſummo pont. facultatem celebrandi cum mitra & baculo, necnon vaſa eccleſiæ & ornamenta conſecrandi. Lemovicenſe Chronicon obſervat illum hoc ipſo anno, tempore Quadrageſimæ regulam S. Benedicti ſuis alumnis explicare cœpiſſe. An. 1484. die 19. Novembris in inſtrumento N. Goubert notarii apoſtolici nuncupatur *religioſus & honorabilis vir, in decretis licentiatus, decanus ſeu prior decanatus regularis de Rivo-petroſo ordin. S. Bened. diœceſis Ruthen. conſiliarius & eleemoſynarius illuſtriſſimi & Chriſtianiſſimi principis domini noſtri Francorum regis, vicarius generalis & officialis domini epiſcopi Lemovic. cujus erat frater.* Eodem anno 8. Decemb. dicitur abbas S. Aug. ac præpoſitus de Verneüil & 6. Januarii prior S. Paxentii de Clauſis-ſuperioribus a Dolenſi monaſterio pendentis. An. 1485. frater ejus Stephanus dominus de Fayac ipſum conſtituit procuratorem generalem in dominiis de Fayac, &c. Stalla chori anno 1487. qualia etiamnum permanent, fabricanda curavit. Anno 1490. prior de Peiza & annexorum vocitatur. Ab anno 1491. ad 1500. incluſive præfuit capitulis generalibus ſingulis annis in feſto S. Auguſtini haberi ſolitis. An. 1492. pro abbatia Solemniacenſi, quam edicto ſupremæ curiæ Burdegalenſis obtinuerat, unius anni reditum ſolvit. Cum autem anno 1493. die XI. Aug. abbatiæ S. Martini Lemovic. poſſeſſionem nactus eſſet, an. 1494. cedere coactus eſt Johanni Jovion electo & confirmato 7. die Sept. ſub penſione 67. librarum cum dimidia. An. 1497. præpoſituram de Panezol & prioratum de Nontron, illam a S. Martiale, iſtum a Caroffo pendentem ſuis aliis titulis eccleſiaſticis adjecit. Rollandum Barthon filium Bernardi octo annos natum anno 1499. ad habitum monaſticum ſuſcepit. Reſignavit an. 1500. in gratiam nepotis ſui Johannis

[a] Ejus epitaphium, quod exſtat in clauſtro, præfert XIII. cal. Maii, ex Baluzio.

Digitized by Google

Barthon, poſtea epiſcopi Lactorenſis ; cujus tamen nomine anno 1504. capitulo generali præſes fuit. Denique obiit die 24. Auguſti an. 1505. ſepultus prope gradus majoris altaris.

XXXVII. Johannes II. Barthon Bernardi vicecomitis de Monbas & Mariæ de Sully filius, cedente patruo fit abbas commendatarius S. Aug. Lemov. cujus capitulo generali præfuit per ſe, vel per vicarios, ab an. 1501. ad an. 1515. Anno 1513. alterius patrui ceſſione, Guillelmi videlicet Barthon, factus eſt epiſcopus Lactorenſis; unde in inſtrumento eccleſiæ Lemovic. anni 1514. dicitur *proviſus Lactorenſis, & abbas S. Auguſtini.*

XXXVIII. Franciſcus I. de Barthon decanus eccl. Lemovic. per reſignationem fratris creatur abbas commend. anno ſaltem 1515. a quo ad 1531. per ſeipſum aut per vicarium præfuit capitulo generali. Utrum vero iiſdem capitulis annorum 1532. & 33. præfuerit, minime annotatur, etſi abbatem adhuc fuiſſe an. 1533. liquido conſtet. Ejus obitus conſignatur in necrologio B. M. de Coyreſio ad diem 4. Maii, qua ipſius anniverſarium celebratur. Sepultus fuit in abſide S. Stephani Lemovic.

XXXIX. Godefridus de Bonneval, Antonii filius ex Magdalena de Foix, Fulcaudi Petragoric. & Caroli Sarlatenſis epiſcoporum frater, præerat jam anno 1534. quo de conſenſu monachorum in capitulo generali, ipſorum numerum ad decem reduxit; ſedebatque adhuc an. 1551. quo, die 19. Decemb. fratri Johanni Rebuffier ipſum dediſſe procurationem ad percipiendos abbatiæ reditus membrana teſtatur. Qui fit igitur ut Petrus Jovion an. 1539. die 15. Martii abbas commendatarius recenſeatur! hic fortaſſe de abbatia contendit cum Godefrido.

XL. Franciſcus II. de la Vergne abbatiam obtinuit an. 1553. die 31. Jan. & adhuc obtinebat an. 1558.

XLI. Martialis Benedicti, vicarius generalis & officialis, abbas S. Auguſtini clauſtrum inſtauravit. Occurrit autem annis 1561. 62. & 63. quo anno ita commemoratur ad 1. Julii in libro obituum eccleſiæ Lemov. *Hic fiat anniverſarium venerabilis ac ſpectabilis viri domini Martialis Benedicti abbatis S. Auguſtini Lemovicenſis, archidiaconi, canonici & officialis Lemovicenſis, qui obiit die 29. Junii 1563.*

XLII. Johannes III. de Monſtrio, abbatis larva, ut ſuſpicatur noſter D. Claud. Eſtiennot.

XLIII. Andreas Auvoiſin ex monacho neſcio cujus ordinis, abbas fuit commendatarius, ſeu fiduciarius annis 1579. 1593.

XLIV. Johannes IV. Regnault, Subterrancæ, quæ præpoſitura eſt a S. Martiale dependens, monachus profeſſus & doctor facultatis Pariſienſis, abbatia donatur ab Henrico IV. Francorum rege die 10. Maii an. 1594. cui reformandæ ſtatim impigre operam dedit. Ac primo quidem edictum ſupremæ curiæ Burdegal. obtinuit an. 1596. 28. Sept. quo bona monaſterii in commune repoſita ad nutum duorum ex reformatione patrum dividerentur. Hæc Ægidio Naudier priori Brantolmienſi cura commiſſa, adjuncto illi ſocio priore Carthuſiæ Glanderii, qui ambo pari conſenſu quandam reformationis ſpeciem induxerunt; eique ſe ſe tum abbas tum monachi in capitulo adunati ſubdiderunt an. 1607. die 27. Sept. Sed neque ſic factum eſt ſatis ſtudio quo pius abbas flagrabat. Itaque anno 1613. die 13. Martii cum reformatis Lotharingiæ patribus Benedictinis de uniendo illorum congregationi ſuo monaſterio paciſcitur, habitoque ſuper hoc, die 23. Julii ejuſdem anni ſenatus Burdegalenſis placito, illuc ſtatim, ineunte ſcilicet Auguſto menſe, a prædictis patribus unus qui novæ reformationis alumnis præeſſet, directus eſt. Anno 1618. cum in capitulo generali congregationis S. Vitoni, novæ congregationis in Francia erectio decreta fuiſſet, atque Regis ea de re ſummique pontificis Gregorii XV. an. 1621. acceſſiſſet voluntas, abbatia S. Auguſtini recens natæ congregationi S. Mauri præbuit incunabula. Domnus Johannes Regnault abbatiam reſignavit hoc anno 1621. die 21. Dec. in gratiam domni Mauri du Pont prioris clauſtralis, ac denique obiit die 31. Januarii anni 1622. Jacet ſub lampade majoris altaris.

XLV. Maurus du Pont, Picardus, probata Regi ceſſione, bullas obtinuit 1622. 19. Maii. Poſſeſſionem vero adeptus eſt die 31. Octob. ejuſdem anni, ſtatimque ſuperior fratrum electus eſt a capitulo generali Corbeiæ habito; iterumque in capitulo generali anni ſequentis in monaſterio S. Faronis celebrato, ubi etiam viſitator in Aquitaniæ provincia nominatus eſt. Denique præcipuis in congregatione dignitatibus perfunctus, ſuo abbatis titulo ceſſit ad electionem triennalem in poſterum a capitulo generali faciendam. Aſſenſit Rex litteris datis an. 1627. ſed non ita facile conſilium majus, quod non niſi anno 1629. die 6. Sept. pium opus approbavit. Supererat ut accederet ſedis Apoſtol. confirmatio, quæ licet enixe a Rege Chriſtianiſſimo poſtulata, non prius obtenta eſt quam an. 1632. 13. Aprilis & quidem poſt graviſſimas expenſas. His autem litteris apoſtolicis quas Johannes Bandel officialis Lemovic. exſecutioni mandavit, non modo commendæ exſtinctio, verum etiam unio beneficiorum omnium huic abbatiæ ſubjectorum approbatur. Obiit Maurus an. 1652. die 21. Septemb. Qui ſequuntur abbates, triennales fuerunt, quos recenſere non ſolemus.

ABBATIA S. MARTINI.

Sancti Martini cœnobium apud Lemovicas, *ad baſilicam* dictum, teſte Gaufrido Voſienſi, ordinis Benedictini, quod ab Alicio S. Eligii fratre conditum ferunt, ubi ipſe S. Eligius viginti monachos poſuiſſe & parentes ejus humati fuiſſe dicuntur, inſtauratum eſt anno circiter 1012. ab Alduino, ſeu Heldoino Lemovicenſi antiſlite, Gotofredi abbatis S. Martialis & Widonis vicecomitis fratre: cauſam & modum in geſtis Francorum reperies. Jam vero ſub annum 1030. florebat iſtud monaſterium, Jordano epiſcopo in concilio Lemovicenſi ſuper apoſtolatu S. Martialis habito atteſtante, quod monaſteria ejus

urbis, videlicet S. Auguſtini & S. Martini, &c. *ſancti ordinis reverentiam regulariter obſervent.* Abbatum hiſtoriam altius repetere fruſtra tentavimus quam ab inſtauratione monaſterii, cum temporum & bellorum iniuria chartæ omnes deperierint.

Abbatum catalogus.

I. Radulphus *de Chantemoule*, [a] Tutelenſis monachus, primus abbas ab Hilduino reſtauratore monaſterii inſtituitur, quem & alicubi Mabillonius primum abbatem videtur appellare.

II. Berengarius ei ſucceſſit, qui quidem in diſſentione obiiſſe dicitur in itinere.

III. Donadeus & ipſe monachus Tutelenſis, qui pœnitentiarius Lemovicenſis fuiſſe & miracula quædam in vita ſua feciſſe dicitur, vir bonus & juſtus, electus fuit an. 1074. idibus Novembris, calendiſque Decembris benedictus, Dominica in Adventu Domini.

IV. Jordanus mortuus extra monaſterium dicitur, in diſſentione cum Berengario abbate.

V. Geraldus I. abbas quintus ex monacho Tutelenſi, tempore Geraldi Engoliſmenſis epiſcopi, cui & canonicis ejuſdem eccleſiæ, Geraldus & monachi S. Martini Lemov. ſe in poſterum miſſuros per legatum ſuum Engoliſmam tres libras piperis pollicentur, ex tabulario cathedralis Engoliſm. Tantam vero penuriam ſub hoc abbate patiebantur fratres, ut ille per diœceſim pro eis victum quæritaret.

VI. Reginaldus, ſeu Rainaldus, ex Agedunenſi monaſterio fuit aſſumtus, unde allatl breviarii conſuetudinem in ordine ſecuti ſunt monachi.

VII. Guillelmus I. electus 1134. Memoratur & an. 1137. quo adfuit exſequiis Euſtorgii epiſc. Lemov.

VIII. Petrus I. antea prior Celſiniacenſis *, non Saligniaci, ut habet Mabillonius, præficitur abbas a Lemovicenſi epiſcopo, quem euntem Romam benigne in hoſpitio Celſiniaci exceperat. Pius fuit ac litteratus; cumque viginti & ſeptem annos hanc abbatiam rexiſſet, Anglicano bello ingruente Cluniacum ſeceſſit, ubi mortuus eſt & jacet cum hac inſcriptione: *Hic jacet Petrus abbas S. Martini Lemov. juxta oſtium quod exit in cimiterio.* Memoratur anno 1174.

* Soucelanges.

IX. Ramnulfus, pace reddita, cum Petrus nollet reverti, monachos diſperſos vocavit a quibus ex cellerario abbas electus eſt; at propter loci pauperiem abbatia paulo poſt ceſſit.

X. Willelmus II. oriundus ex genere militum de Claſtras, qui ſunt de Comborn.

XI. Raimundus de Vergnac, *al.* de Treignac præpoſitus S. Auguſtini Lemovicenſis, intruſus potius quam verus abbas dicendus eſt, quem videlicet Petrus Auduret regis Angliæ ſeneſcallus minis ac terroribus eligendum procuravit. Deſignatur prima nominis littera R. in tab. Grandimont. 1196. Ejus temporibus magna fames graſſata eſt, unde ſecuta loci deſolatio a burgenſibus caſtri, qua de re mota eſt quæſtio coram B. Willelmo Bituricenſi archipræſule; ſed abbas totum remiſit. His autem circiter diebus conſilium habitum eſt de mutanda abbatia apud Beuna, quod Raimundus abbas S. Auguſtini vir bonus & religioſus inhibuit. Item abbas S. Martialis Hyſimbertus locum ſibi vindicare volebat, faciendo prioratum; & Johannes epiſcopus in canoniam redigere nitebatur. Tandem vero convenerunt omnes quod in ea remaneret libertate, quæ primo illi conceſſa fuerat.

XII. Willelmus III. de Montegaudii, unus ex decem presbyteris de choro S. Stephani, ab epiſcopo Johanne præficitur abbas, quo in munere ſtrenue ſe geſſit ac laudabiliter. In necrol. Solemn. memoratur nonis Auguſti.

XIII. Bernardus I. Girbertus ex cellerario Solemniacenſi adſcitus abbas S. Martini, hanc ſapienter rexit eccleſiam per 12. annos, fato functus anno 1214. XVI. calend. Aprilis; qui expreſſe inhibuit ne fieret pompa candelarum in funere ſuo, præcepitque candelam in feretro ſuo unicam accendi.

XIV. Bernardus II. Vigerii, *al.* Erigerii, alumnus monaſterii & præpoſitus de Feytiac, providum abbatem ſe ſe exhibuit, mortuus anno 1235. tempore famis. Occurrit in chartis Grandimont. Bernardus an. 1228. utrum autem ſit B. Vigerii, an. ejus deceſſor, ignoramus.

XV. Petrus II. de Maſieres, *al.* la Maëza, ex cellerario abbas, an. 1236. die Martis ante feſtum B. Gregorii quædam ceſſit Stephano præceptori domus Dei leproſorum Lemovic. & iterum XII. cal. Decemb. 1240. capellam S. Johannis ædificavit, ad cujus oſtium ſepultus; obiit autem in craſtinum B. Laurentii, abdicato regimine anno 1247.

XVI. Petrus III. Coral monaſterii erat prior quando per ceſſionem alterius Petri electus eſt abbas an. 1247. Hujus loci chronicon ſcripſit, ex quo hæc ipſa decerpſimus. Poſtea factus eſt abbas Tutelenſ. poſtulatus 1276. in feſto B. Auguſtini.

XVII. Guido de Malaguiſa de Domzenac, quem Baluzius in notis ad vitas pap. Aven. c. 1445. autumat fuiſſe fratrem Bernardi de Malaguiſa de Donzenaco viri nobiliſſimi, præpoſitus de Beuna, de gremio S. Martini monachorum aſſumitur in abbatem an. 1276. in vigilia Nativit. B. Mariæ.

XVIII. Geraldus II. de Lur, *al.* de Lux, ſic lego in MS. codice, ubi etiam habetur quod G. abbas S. Martini Lemovic. obierit anno 1296. fortaſſe Guido, Geraldi anteceſſor qui abdicaverat, Geraldus enim occurrit abbas *an.* 1282. in libro hominiorum eccl. Lemov. aſſervato in regia bibliotheca, & adhuc 1305. in ſchedis D. de Ganiere, *ibid.*

XIX. Aimericus de Borna, cujus in regimine adſcribitur annus 1329. Ære alieno prægravatum monaſterium dimiſit.

XX. Petrus IV. de Lux, *al.* de l'Hur, alumnus monaſterii, ſedebat annis 1350. 1354.

XXI. Geraldus II. Joviondi ex præpoſito abbas, tum Caroſſenſis, ac deinde S. Martialis. Omittitur in alio catalogo.

XXII. Stephanus

[a] Hujus monaſterii codex MS. hunc Radulfum a militibus de Chantanolla prope Agedunum genus traxiſſe docet. Mabillonium ſecuti ſumus.

Digitized by Google

XXII. Stephanus Maliani ad annum 1379. A

XXIII. Petrus V. de Vallibus ad an. 1396. ex procuratore & cellerario.

XXIV. Johannes I. Matthæi præpoſitus, annis 1400. 1408. & 1415.

XXV. Guillelmus IV. Sonlier 1417. & 1437.

XXVI. Petrus VI. de Droüilles, abbas etiam S. Auguſt. Lemovic. & S. Martialis, ubi vide.

XXVII. Johannes II. de Lezis, ad an. 1438.

XXVIII. Petrus VII. ad annum 1441.

XXIX. Jacobus I. 1453. & 1454.

XXX. Guillelmus V. 1455.

XXXI. Albertus de Jovion, abbas etiam S. Martialis, per commutationem cum Jacobo, ubi vide. B

XXXII. Jacobus II. de Jovion 1456. poſtea epiſcopus.

XXXIII. Leonardus Bidonis 1459. 1479.

XXXIV. Euſtachius Bidonis, nepos præcedentis, *al.* germanus, 1480.

XXXV. Johannes III. de Jovion, archiepiſcopi Cæſareæ nepos, ex monacho S. Martialis eligitur abbas S. Martini an. 1492. nonnullis refragantibus monachis; unde in quadam ſcheda nonniſi anno 1494. die 7. Septembris electum eum & confirmatum legimus.

XXXVI. Michaël de Jovion, canonicus & cantor Lemovicenſis, decanus de Rivo-petroſo, C & primus abbas commend. 1506. & 1520.

XXXVII. Guillelmus VI. de Jovion, ex reſignatione præcedentis, 1524. & 1542. quo adfuit *oſtenſioni* reliquiarum S. Martialis die Domin. 22. Octobr.

XXXVIII. Jacobus III. de Jovion, vel Joviond, abb. 1542. & 1548. cantor & canonicus eccleſ. Lem. 18. Maii 1545. ex reg. capitul. Lemovic. Ipſo abbate monaſterium ab hæreticis everſum eſt. Permutavit die 28. Januar. cum ſeq. qui eod. die iniit poſſeſſionem.

XXXIX. Johannes III. Bermondet.

XL. Joſephus I. Juliani 1562. in tabul. Nobiliaci, & 1568. D

XLI. Joſephus II. Juliani ſucceſſit hoc anno vel ſequenti.

XLII. Ludovicus Marchandon canonicus S. Stephani Lemovicenſis 1599. Hic Fulienſibus monachis abbatiam commilit an. 1619. die Junii 17. annuentibus rege Chriſtianiſſimo, necnon papa Gregorio XV. bulla conceſſa anno 1622. die Junii 15. Obiit an. 1628. ætatis 64. ad S. Martinum ſepultus. Sequentium abbatum ut pote triennalium hiſtoriam texere ſuperſedemus.

ABBATIA USERCHIENSIS. E

USERCHIA S. PETRI, ordinis Benedictini, monaſterium nobiliſſimum, ex actis concilii Lemovic. haud procul a Viſera fluvio verſus Tutelam, conditur ab Hildegario epiſcopo, juxta quod Ebolus ejus deceſſor mente jam conceperat. Patet id ex tabulis fundationis, quas e chartophylacio Uſerchienſi publici jam pridem juris factas a Johanne Beſlio in Analectis ſuis ad hiſtoriam comitum Pictav. & ducum Aquitaniæ, recudi fecimus in appendice. Vide etiam Annales Bened. ad an. 958.

C. XXVI. col. 181.

Quod ſpectat ad locum ubi conſtructum eſt hoc cœnobium: ex chartulario Uſercenſi, deſtructa urbe Lemovica a Pipino rege, quæ, Gaifario duce Aquitaniæ auctore, adverſus Regem rebellarat, idem rex aliam urbem ædificavit, decem & octo turribus munitam, quam Uſeream appellari voluit, ubi ſedem regalem & epiſcopalem conſtituit. Hanc civitatem Hunni aliquando per annos ſeptem obſederunt, nec potuerunt expugnare. At mortuo Pipino, Lemovica reædificata, Turpio epiſcopus Lemovicenſis, invidia ductus quod Uſeræ ſplendor Lemovicam obſcuraret, novam urbem, ipſamque eccleſiam quantum potuit deſtruxit; ſicque *hoc monaſterium in multis dimiſit miſeriis, cleras vero ſecum duxit.* Sed hæc fabulis videntur ſimillima, eaque videtur ignoraſſe Hildegarius epiſcopus, Uſeræ fundator. Porro præcipuus monaſterii benefactor poſt Hildegarium fuit Arbertus de Chavalino cum ſua uxore Alaïde. Abbates tum ex Chronico Voſienſi, tum ex veteri Chronico quod præmittitur chartario Uſercenſis eccleſiæ eruimus, maxime vero ex chartis ejuſdem monaſterii.

ABBATUM SERIES.

I. GAUSBERTUS I. cum tribus monachis, ex monaſterio S. Auguſtini cujus abbas erat, aſſumtis, primus abbas fuit nuper conſtructi monaſterii. Qua de cauſa dictus fuerit chorepiſcopus, uti legitur in veteri chartulario, ignoramus.

II. Adalbaldus in chartulario vir ſapientiſſimus, omnique litterarum peritia doctiſſimus appellatus, ſub cujus dominatu an. 997. Boſo comes eccleſiã in honorem S. genitricis Dei Mariæ conſecratam a vico Ageduno non longe diſtantem dedit. Aliquando vocatur Adalbertus; & quidem Adalberto abb. an. 1003. ſupremo ejus regiminis anno, Galterius quidam & mater ejus Sulpitia dederunt quoſdam e ſervis ſuis. Poſtea vero Adalbaldus ſancto Martiali præfectus eſt abbas a Widone vicecomite Lemov. quod monaſterium annis novem gubernavit, ex veteri Chronico ſupra laudato.

III. Ricardus præeſſe cœpit anno 1003. quo quidem memoratur in charta Rigaldi d'Artoza, regnante Roberto rege. An. 1025. cum veterem abbatiam Turturiacenſem[a] in Petragoricis Guido a vicecomes & Emma ejus uxor a ſe reſtauratam Uſercenſi monaſterio ſubjeciſſent, Ricardus noſter abbatem in ea præfecit Stephanum, qui decanus erat Uſercenſis. Gaufredus Voſienſis tradit, poſt tres annos, ſcilicet anno 1028. nonis Maii, cœnobium Uſercenſe incendio conſumtum fuiſſe tempore Ricardi abbatis, qui illud poſt biennium inſtaurare cœpit. Certe hoc anno 1030. recenſetur Ricardus in charta Archambaldi de Bochiac; quo etiam anno Ebolus vicecomes eccleſiam Bellimontis ei conceſſit. Denique anno 1036. donum excepit Guidonis & Gaufredi vicecomitum, de eccleſia & villa de La-Faya.

IV. Petrus I. de Donzenaco poſt Richardum abbas Uſercenſis, ex veteri chronico, ſub quo, anno 1048. dedicatum eſt Uſercenſe monaſterium. Erat vir nobilis & præpotens divitiis,

[a] Olim hæc abbatia, vulgo nuncupata *Tourtoiras*, cum Agedano & Meimaco, ſuberat Uſercenſi monaſterio.

Digitized by Google

qui poſtquam monaſterium ſtrenue rexit, cancri morbo percuſſus, regimen dimiſit & ad S. Vincentianum * ſe recepit. Eundem admittit abb. Mabillonius Annal. t. 4. ad annum 1028. num. 50. qui tamen poſtea mutaſſe videtur ſententiam, quando ait eorumd. Annal. t. v. num. 91. Conſtantinum pietate inſignem Richardo ſucceſſiſſe; quia ſcilicet Chronici Voſienſis auctoritatem, laudato veteris chronici teſtimonio præponendam cenſuit.

*S. Viance.

V. Conſtantinus obſervator monaſtici ordinis præcipuus, inquit vetus chronicon, ſanctæque religionis amator inſtantiſſimus, invitus & renitens electus eſt. Vixit in cura paſtorali annis quatuordecim. Idem etiam habet Chronicon Voſienſe ad annum 1028. his verbis: *Cœnobium Uzercenſe Nonas Maii, Luna 9. hora noctis prima, igne crematum eſt in diebus Ricardi abbatis; biennio evoluto Luna 16. feria quarta, decimo cal. Maii inchoatum eſt renovari ab eodem Ricardo abbate, vel monachis: huic ſucceſſit Conſtantinus per quatuordecim annos*, cui Guido de Turribus & Ademarus de Leron, &c. dederunt anno 1061. bordariam ſuam juxta eccleſiam S. Silvani ſitam. Teſtis nominatur in ſcheda chartularii Lemov. pro eccleſia de Nioil, in qua narratur, *poſt mortem Aimerici de Rocha-cavard remanſiſſe nobiliſſimum filium ejus Aimericum de Rocha-cavard, tenentem honorem patris ſui; qui conſiderans poſt longum tempus infelicem mortem ejus, condolens multum, ſciens ſine dubio animam ejus cruciari, propter quod abſtulerat S. Mariæ de Uzercia ex eleemoſyna patris ſui Aimerici Oſtofranc, medietatem ſcilicet eccleſiæ de Nioil cum curte del Collais, acceptoque conſilio cum ſuis, accerſivit abbatem Conſtantinum, reddiditque omnia ſicut Aimericus Oſtofrancus, & Guido, atque Tiſalga, Aldiardis quoque ſoror eorum, pro anima patris ſui vicecomitis, & Rothildis vicecomitiſſæ matris eorum dederant S. Petro. T*. Conſtantinus abbas, Sego abbas S. Florentii de Salmur, Jordanus monachus de Borgolio, Aimericus de Rocha-cavard, R. de Campania, Willelm. Chabot, Landricus de Chabanez, Jordanus Oldoricus, P. de Brigill. Archamb. de Buciaco.*

* f. Teſtes.

VI. Geraldus I. Conſtantinum excepit, inquit Mabillonius, cui concinunt noſtra duo chronica. Voſienſis hæc ſunt verba: *His diebus adduxit * tres magnæ honeſtatis monachos, quorum nomina non debet delere oblivio: primus Guillelmus*, cognomento Deva, *qui Arnaco præpoſitus, de Caleſio prior, Figiaci abbas ..... exſtitit: 2.* Alcius *prior Lemovicenſis .... 3. Geraldus, quem elegerunt ſtatim in abbatem Uzercenſes, expleto uno anno poſt Conſtantinum. Hic ampliavit propriam eccleſiam præ ceteris in ſpiritualibus & temporalibus rebus.* Chronicon vetus ſic habet: *Geraldus ante natale apoſtol. Petri & Pauli in anniverſario domni Conſtantini electus*, &c. *ſub quo fratrum numerus ad centenarium ſuccrevit.* Teſtis nominatur in charta Ademari vicecomitis Lemovic. pro cœnobio Uſercenſi anno 1068. quo quidem anno initium ſui regiminis ſumſiſſe ſchedæ aliquot atteſtantur. Eidem abbati an. 1071. Ademarus vicecomes Ademarum Arberti de Valleta filium, ipſo annuente Arberto obtulit, & cum eo manſum in parochia S. Eparchii in villa Delmont; quem etiam idem Arbertus cum alio manſo in parochia de Iburia, in villa de Chalcis eodem tempore obtulit, Iterio Lemovicenſi epiſcopo exiſtente. Geraldo item abbati eccleſiam de Salon Ademarus vicecomes Lemov. conceſſit anno 1078. Archambaldus quoque de Bochiac ſub eodem abbate ſacro ſe monaſticæ religionis jugo ſubjiciens, dedit Uſerchiæ medietatem eccleſiæ S. Eparchii. Anno 1083. * Geraldo, inquit tabula Uſercienſis, cœnobii curam gerente, Chriſto cunctis imperante, cœnobium de Maimaco Uſerciæ confirmatur ex libertate * Archambaldi vicecomitis de Comborn. Recenſetur adhuc Geraldus 1091. & 1093. quo anno ad ipſius preces Umbaldus epiſcopus cœmeterium in Monte-cenſo benedixit. Porro is eſt epiſcopus quem haud multo poſt Urbanus papa II. Uſercenſem eccleſiam ab abbate noſtro maxima ex parte reſectam conſecrare volens, renitentem depoſuit, in concilio, ut conjicimus, Claromontano, cui Geraldus abbas interfuit an. 1095. Hoc autem anno vel ſequenti deceſſit; de quo ita Chronicon Voſienſe: *Peractis*, inquit, *in capella ſua miſſarum ſolemnibus, ipſo die natalis Domini, pro quibuſdam eccleſiæ ſuæ negotiis Lemovicas decidit in lecto agritudinis, & in feſto S. Mauri apud S. Martialem, cujus quondam monachus exſtiterat, ſpiritum exhalavit. Sepultus vero eſt ab abbate vel monachis, in ſacrario B. Petri juxta oſtium ad dextram intrantibus clauſtrum; hic 28. annis abbatiam propriam obtinens rexit.*

*al. 1085.

* f. liberalitate.

Vide Baluz. Miſcell. lib. 6. p. 410. & Anal. Ben. tom. 5. p. 361.

VII. Gausbertus II. Malafayda, ex militari proſapia ortus. Chronicon Voſienſe de eo hæc ſubdit: *Cui*, Geraldo, *ſucceſſit Gausbertus cognomento Malafayda monachus S. Martialis, & monaſterii quoque Voſienſis ſacriſta, ex genere oriundus militum de vico S. Vincentiani, qui eſt pene Viſeram fluvium. Iſte abbatiam ſibi commiſſam per annos duodecim meliorare curaverat.* Certe an. 1097. doni eccleſiæ de Montpezat Uſercenſi eccleſiæ facti ab Armando de Montpezat, confirmationem accepit ab Amato Burdegal. archiep. Quo etiam anno Guillermus * epiſcopus Lemovic. & Rainaldus Petragoricenſis Uſercenſem baſilicam xi. cal. Febr. conſecraſſe dicuntur. Alibi vero ſic legitur: *Conſecratum eſt hoc monaſterium in honorem principis apoſtolorum 2. cal. Febr. coram Arnaldo Petragoric. tempore Gauberti abbatis anno Incarn. Dominicæ 1097. Altare majus conſecratum olim fuerat ab Hugone Lugdun. archiepiſcopo & Guidone Lemovicenſi antiſtite.* Ceterum anno 1104. Guillelmus epiſc. Petragoricenſis dedit Gausberto abbati eccleſiam S. Medardi de Abbatia; cui dono ſubſcripſerunt Aldebertus comes Petragor. & Talcrandus ipſius nepos, præſente etiam Geraldo Engoliſin. epiſcopo & canonico Petragoricenſi. Ademarus quoque vicecomes Lemovicenſis, Euſtorgio epiſcopo jubente, an. 1107. ipſi donum patris ſui Ademari confirmavit. Eodem anno Euſtorgius ipſe, annuente Ildeberto decano, eccleſiam de Selon Gauberto ceſſit, & anno ſequenti eccleſiam S. Pauli de Torena, conſilio & voluntate Stephani archipresbyteri de Noallas. Addit Chronicon ſuperius laudatum: *Gaubertus Uſercenſis, cauſa*

*al. Humbaldus, ex Geſſr. Voſ. Chronic. cap. 28.

* Ademarus abb. S. Martialis Lem.

Digitized by Google

concordiarum ducis & præſulis, qui invicem diſſidebant, Lemovicas veniens, 4. cal. Octob. obiit & infra baſilicam regalem Salvatoris mundi, ſeu S. Martialis, non longe a tumulo Guillermi pontificis non ignobiliter traditur ſepulturæ. Hujus nepos exſtitit Stephanus ille monachus cognomento Malafayda, quem cæcum a nativitate, perpetua virgo Maria in monaſterio de Souillac corporaliter ſimulque mirabiliter illuminavit. Chartularium Uſercenſe de Gauberto ſic habet: *Cum hoc monaſterium per 12. annos ab anno 1096. Gausbertus Malafayda optime rexiſſet, Lemovicas profectus propter Euſtorgium epiſcopum, qui a Willelmo comite Pictav. captus detinebatur, liberandum, pace inter eos reformata, & epiſcopo liberato, anno 1108. * obiit, ſepultus in monaſterio S. Salvatoris.*

* al. Ibidem infirmatus, 1110. in fata conceſſit, quod quidem animis ejus regiminis minime convenit.

VIII. Petrus II. Brechada * de Turribus, cui Guillelmus de Alba-rocha Petragoric. epiſc. Exidolii monaſterium, *Exideuil*, ſuæ diœceſis commiſit an. 1110. quo etiam anno Gerardus epiſc. Engoliſm. medietatem fiſci presbyteralis eccleſiæ de Nioil eidem conceſſit. Præfuit per annos quinque ex Chronico Voſienſi; quibus expletis, inquit vetus chronicon, abbatiam reſignavit an. 1113. & ad eccleſiam S. Angeli ſeceſſit. In chartulario Uſercenſi notatur ejus levitas, quæ multarum turbarum ſeminarium fuit in monaſterio.

* al. Bechada.

IX. Aldebertus Grimoardi, ſeu Grimaldi ex militibus de Segur, *miles exſtitit*, ait prior Voſienſis, *ſed lethaliter vulneratus, effectus eſt monachus, deinde presbyter, litteras nempe noverat ante.* Erat autem prior Uſerchienſis, quando abbas communibus fratrum calculis electus fuit an. 1113. ex Chronico veteri. Sane in chartis memoratur 1114. Huic Euſtorgius epiſc. Geraldum de Cher, ſuum poſtea in epiſcopatu ſucceſſorem, tradidit educandum; cujus fortaſſe beneficii memor idem Euſtorgius, capellam de Vitrac & eccleſias de Triniaco ei donavit anno 1118. Eidem quoque Arnaldus Burdegalenſis antiſtes eccleſiam S. Vincentii de Barriaco anno 1122. * confirmavit. Nominatur Aldebertus in charta Archembaldi vicecomitis, confirmantis donationes matris ſuæ Ermengardis, quæ data eſt x. cal. Junii an. 1129. Item in alia Amblardi Guillabaldi villam de Chavagna an. 1133. concedentis. Ceſſit hoc anno, retenta ſibi eccleſia S. Silvani, ut ſenectutis ſuæ debilitatem a rigore monaſtici ordinis relevaret, uti legitur in chartulario. Exinde vero facta eſt in electione diſcordia [b], aliis Gaubertum de Mirabel ſitteratum, nobilem virum, eligentibus, aliis in Hugonem de Porcharia vota conferentibus; qui cum inter ſe per biennium litigaſſent, & uterque tandem ſuo jure ceſſiſſet,

a

Probat. hiſt. domus Arvern. Bahuz. p. 454.

b

X. Bernardus I. de Alba-roca præpoſitus de Paulnac, an. 1135. abbas electus eſt ad annos 14. de quo Voſienſe Chronicon: *Ipſo anno Bernardus qui fuit de Alba-roca [c], Uſercam abbatiam, quam per annos 14. gubernaverat, cui eccleſias de Celon & de Chambaret ingenti labore acquiſierat, relinquens ob metum cœnobitarum, furvum ſcapulare pro cuculla nigra ſuſcepit. Hic ab ineunte ætate monachus exſtitit S. Martialis ac poſtmodum præpoſitus de Paulnaco.* Anno 1144. pro eccleſia S. Pauli de Torena ſententiam obtinuit adverſus abbatem Aureliacenſem, quam protulit Petrus archiep. Bituric. præſentibus W. abbate Aureliaci & decano Soliaci, R. abbate S. Satyri, G. decano S. Auſtregiſili & Stephano priore de Salis. Eidem an. 1145. Geraldus Lemovic. epiſcopus confirmavit eccleſias de Selon & de Chambaret, præſentibus Alberto S. Martialis, Petro S. Auguſtini, Boneto S. Savini abbatibus & Geraldo decano. Memoratur etiam 1146. & 1147. qui denique an. 1149. abbatia dimiſſa, ad Obazinenſe monaſterium ſub Stephano abbate ſeceſſit, & habitu arctioris religionis ſe decoravit, inquit chartularium; ita firmus in ſuo propoſito, ut hortante licet ad reditum Eugenio III. ſummo pontifice in concilio Remenſi, nunquam reſilierit, ex veteri Chronico. Idem legitur in hiſtoria Uſerchenſis monaſterii quam edidit Baluzius in appendice hiſtoriæ Tutelenſis col. 825. & in hoc abbate deſinit hæc Uſerchienſis hiſtoria.

c

XI. Gaubertus III. de Mirabel, *clara oriundus proſapia* in Chron. memorato Voſienſi, *monachus quidem Uſercenſis, a puero quoque S. Martialis monachus profeſſus, qui de Subterranea & Arnaco diverſis quidem temporibus præpoſitus fuit. Hic per duos annos abbatiam tenens, morte mediante, Hugonem de la Porcharia fratrem Seguini habuit ſucceſſorem, & in capitulo Uſercenſi humatus eſt.*

XII. Hugo de la Porcharia, de quo, & de anteceſſore vide ſupra in articulo Aldeberti Grimaldi. A Raimundo Petragoric. epiſc. eccleſiæ Quinciaci confirmationem accepit an. 1151. indict. XIV. v. cal. Aug. Memoratur etiam 1150. quo anno Geraldus Cadurcenſis epiſc. S. Boniti eccleſiam ei conceſſit. Hujus ita meminit Chronicon Voſienſe: *Hugo de Porcharia 13. ſui regiminis anno Uſercenſem reliquit abbatiam.*

XIII. *Geraldus II. de Mirabel, monachus S. Martialis, eligitur; at obſtante abbate ſuo pro quodam debito deponitur,* Cluniacumque petens paulo poſt ibidem moritur.

XIV. Petrus III. Matthæi Uſercenſis monachus, abbas efficitur, cui anno 1163. Johannes Petragoric. epiſc. præſentibus & ſubſcribentibus Hugone de Gimele decano Lemovic. & Petro archidiacono, dedit eccleſiam S. Angeli, & eodem anno conſilio Geraldi Caturc. epiſcopi fratris ſui, ei confirmavit jus præſentandi capellanos ad eccleſias S. Medardi, S. Remigii, & S. Martini de Montezens. Idem abbas dedit Obaſinenſi monaſterio unum *capmanſum a Serra*, an. 1165. rege Ludovico & epiſcopo G. ex tabul. Obazinæ. Conceſſit etiam Amelio Dalonenſi abbati decimam medietatis manſi de Suffranas, ex tabul. Dalonæ. Ei vero promiſit obedientiam Elias de Comarcha

[a] Ex his emendanda quæ auctore Juſſello leguntur tom. 1. Gall. Chriſt. pag. 179. in decanis Sublacenſibus de Geraldo abbate Uſerchienſi, an. 1122.

[b] Videtur etiam fuiſſe contentio inter ipſum Aldebertum & Petrum Alboinum de Malamorte, quem ſane Goffridus Voſienſis Uſercenſem factum fuiſſe abbatem an. 1114. aſſerit, pedumque geſſiſſe annis 22. id eſt ad an. 1136. quo diem clauſit extremum VII idus Sept. ſepultus intra monaſterium ſuum, non procul ab altari S. Mariæ.

[c] Ab illis militibus de Alba-roca originem ducens, qui dicuntur de Monlevi, inquit chartul. Uſerch.

Digitized by Google

abbas Turturiacenſis coram Johanne epiſcopo Petragoric. Pervenit ad annum ſaltem 1168.

XV. Rainaldus de Maurangas, Othonem & Petrum de Bré germanos an. 1171. munificos expertus eſt. Eidem Alexander papa III. eccleſiam de Triniaco confirmavit. R. abbas Uſereiæ reperitur 1175. de quo Voſienſe Chronicon his verbis: *Ab ordinatione ſua anno 7. P. Matthæi abbas, abbatiæ renuntians ſoſpes, ſucceſſorem habuit Rainaldum de Maurangas*; & infra ait: *Rainaldus Uſercenſis VII. idus Aprilis apud S. Martialem obiit, ante januam B. Auſtricliani reponitur.*

XVI. Bernardus II. monachus & præpoſitus Tutellenſis, electus eſt anno 1177. ex Gaufr. Voſienſ. pag. 324. Anno 1178. bullam protectionis obtinuit ab Alexandro papa III. pontificatus ipſius anno XX. Recenſetur an. 1181. in tabulario Obaſinæ, Philippo regnante & epiſcopo Scebranno, a quo præſule omnium ſui monaſterii poſſeſſionum accepit confirmationem an. 1185. Vide ad hunc annum in W. abbate Voſienſi.

XVII. Aimericus abbas Uſercenſis an. 1190. VIII. cal. Martii Dalonenſi monaſterio terram de Mas-Ubert donavit. In chartular. Uſerch. reperitur donum quo Raimundus Petragoric. epiſcopus eccleſiam de Chambranes Uſerchienſi monaſterio conceſſit in manu Gausberti Uſerch. 1199. ſed legendum 1099.

XVIII. Guillelmus I. teſtis donationis Petri de la Ribeira, factæ domui Glanderienſi an. 1222. menſe Aug.

XIX. Guido I. fidelitatem juravit Ludov. regi Francorum, ejuſque matri & fratribus apud Brivatem an. 1222. ex chartis Grandimontenſibus, & M. CC. XXVIII. die Mercurii proximo ante *Lætare Jeruſalem*, ex camera Comput. Pariſ. in regiſtro de ſeneſcall. Carcaſſon. & Toloſ.

XX. Elias 1230. & 1236. quo anno Guidonis militis recognitionem accepit. An. 1234. dicitur etiam abbas de Cluſa ex archivo epiſcopi Albienſis. Tranſegit anno 1239. cum vicecomite de Combornio. Ejus epitaphium habes inſculptum æri in clauſtro Obazinæ, ad eccleſiæ januam collateralem, his verbis:

Inter opes varias vixit quaſi pauper Helias,
Chriſte, tuas propria ſponte ſequendo vias.
Abbas mitratus, prudens, humilis, anulatus,
Eſt hic vir gratus vermibus eſca datus.
Hic apud Uſercam mitram tulit arduitatis,
A Cluſa per quam crevit honore ſatis.
Hunc Deus ad ſuperos abbatem perfer Heliam,
Qui poſt te miſeros precipit ire viam.

Memoratur Elias in necrol. Solemniac. XVI. cal. Decembris.

XXI. W. an. 1247. ex originali archivi regii.

XXII. Johannes I.

XXIII. Willelmus I. 1270. & 1273. cal. Septembris in charta Glanderienſi.

XXIV. Geraldus III. 1288. ex Baluzio.

XXV. Guillelmus II. 1306. in recognitionibus.

XXVI. Geraldus IV. 1388. ibidem. Vocatur Geraldus de Converſio in chartis eccl. Lemovic. ubi dicitur ſubcollector in Lemovicibus a Johanne Franciſci canonico Carnotenſi ſubdelegatus an. 1390.

XXVII. Guido II. 1413. ibidem & 1414. Hic nominatur in actis concilii Piſani an. 1409. inter abbates qui illuc procuratores miſerunt cum plena poteſtate.

XXVIII. Guichardus de Combornio ann. 1442. 15. Oct. 1454. & 1463. Sub Pio II. litigaſſe dicitur cum Johanne epiſcopo; qui rurſus in epiſcopis Tutelenſibus cauſa legitur cecidiſſe circa hanc ſedem epiſcopalem de qua certabat cum Ludovico d'Aubuſſon. *In ſchedis D. de Gaierre.*

XXIX. Carolus I. de Maumont 1496.

XXX. Rigaldus de la Tour, filius naturalis Antonii vicecomitis Turennæ, erat abbas anno 1531. menſe Julio, cui Franciſcus de la Tour vicecomes Turennæ in ſuo teſtamento facto anno 1532. commendat liberos ſuos tanquam ſuo fratri, non tamen ex legitimis nuptiis nato; ex probat. hiſt. domus Arvern. Baluz. pag. 756. Sedebat adhuc anno 1536.

XXXI. Gerardus IV. Ruffi, *Rouxel*, ep. Oleron. *Coſm. Munſteri, tom. 1. pag. 218.* Novarum hæreſum fautor erat ac promulgator, licet occultus. Vide apud epiſc. Oleron. tom. 1. col. 1277.

XXXII. Franciſcus I. de Pompadour, quem Sammarthani protonotarium apoſtolicum nuncupant, naſcitur an. 1515. 20. Martii ex Franciſco de Pompadour vicecomite de Combornio & Anna de la Rochefoucault. Fuit abbas Uſerciæ, ex hiſt. majorum Franciæ eleemoſynariorū D. du Fourny.

XXXIII. Goffridus de Caumont abbas Uſerchiæ & Cleiraci, poſt mortem fratris ſui natu majoris, cujus fuit hæres, uxorem duxit die 16. Octob. an. 1568.

XXXIV. Chriſtophorus de l'Eſtang epiſcop. Carcaſſon. obiit 1621. die 12. Aug.

XXXV. Rogerius d'Aumont epiſc. Abrincatenſis & abbas Longivillaris ordin. Ciſterc. & Belliloci ord. S. Auguſtini, utriuſque in diœceſi Bolonienſi, necnon Barzellæ ord. Ciſterc. diœceſis Bituric. Obiit Lutetiæ die 25. Martii anno 1653. ſepultus in eccleſia Pœnitentium de Picpuce.

XXXVI. Carolus II. d'Aumont, Rogerii nepos, natus an. 1634. die 13. Novembris, patruo ſucceſſit in cunctis ejus abbatiis menſe Aprili 1652. Diem ſupremum obiit menſe Januario an. 1695.

XXXVII. Franciſcus II. d'Urfé, marchio de Baugé nuncupatus, frater epiſcopi Lemov. abbas S. Juſti, poſt ſeptennium in laboribus evangelicis apud Canadenſes expletum, decanus Anicienſis nominatur per reſignationem Hippolyti de Bethune, tum revertitur ad Canadenſes ad annos ſexdecim *, quibus exactis, Gallias ſenio confectus repetiit; nec multo poſt abbas Cellæ-Medulfi, & poſt duos menſes die nimirum 3. Aprilis anno 1695. abbas Uſerchiæ renuntiatur, in quod monaſterium cum fruſtra per triennium ſtrictiorem S. Mauri obſervantiam inducere tentaſſet, tandem in caſtrum gentilitium * ſeceſſit; ubi virtutibus omnigenis conſummatus, ad æterna præmia evolavit die ultima Junii commemorationi doctoris gen-

* *al.* ſeptem

* Baugé.

Digitized by Google

tium ſacra. Sepelitur die ſequenti in xenodochio Baugiacenſi apud Sebuſianos, ad cujus tumulum legitur epitaphium quod ſequitur:

Piæ & perpetuæ memoriæ. Hic jacet illuſtriſſimus & Reverend. dominus D. Franciſcus de Laſcaris d'Urfé, presbyter, regii cœnobii S. Petri d'Uſerche abbas digniſſimus, apud Canadenſes miſſionarius apoſtolicus, hujus & loci pauperum pater beneficus, omnibus carus & lugendus, cujus memoria in benedictione eſt. Obiit die ultima Junii 1701.

XXXVIII. Carolus III. Franciſcus de Halencourt de Dromenil epiſc. Æduenſis, deſignatur abbas Uſerchiæ 14. Aug. 1701. Ceſſit an. 1706.

XXXIX. N. Patri, dominus de Labro, vicarius generalis epiſcopi Montalbanenſis, nominatur abbas 1. die Novembris an. 1706.

VOSIENSIS ABBATIA.

* Vigeois. VOSIUM * S. PETRI, *al.* S. MARIÆ, extra urbem ad Viſeram fluvium, ordin. S. Benedicti ubi beata Madalgaudis * floruit, quæ de Britannia majori illuc delata, ſignorum multiplicitate inclaruit, ut habetur in Chronico Gaufredi prioris Voſienſis. Hæc autem abbatia ſucceſſu temporis Solemniaco, & poſtea S. Martiali ſubjecta eſt. Abbates hi tantum reperti.

* Badalbodis, *apud Sammarth.*

SERIES ABBATUM.

I. SEBASTIANUS huic cœnobio præfuit tempore Ruricii junioris circa medium ſeculum ſextum epiſcopi Lemovic. Is autem eſt Sebaſtianus qui B. Aredium Atanenſis cœnobii auctorem primumque abbatem a pueritia litteris inſtruxit. Id nos docet teſtamentum ipſius Aredii cedentis *Deo & S. Petro apoſtolo ad monaſterium Voſidenſe apud Lemovicas, monaſterium S. Michaëlis.* Idem Aredius Voſienſe monaſterium deſtructum reſtauravit poſt mortem Sebaſtiani abbatis, monachis iſtic duodecim collectis, quibus nepotem ſuum Aſtidium, virum illuſtrem, præfecit abbatem.

Analect. tom. 2. pag. 66. & ſeqq.

II. Aſtidius & Aſtedius, nepos S. Aredii abbatis Atanenſis cœnobii, & poſtea ſucceſſor in hujus regimine; de quo hæc leguntur in chronico memorato: *Michaëlis archangeli eccleſia ſublimatur corpore Jocundi principis, genitoris almi Aredii, quæ quondam abbatia exſtitit, quam ipſe Aredius nepoti ſuo abbati Voſienſi Aſterio una cum abbatia de Terraſſou, quam rogatu B. Sori eidem monaſterio S. Michaëlis ſubjugaverat, ſubjecit.*

Collegit D. de Ganieres quandam chartam qua Froterius de Terrazun, & ejus uxor Oda multa dant monaſterio, cui ſubditur S. Aſterii abb. nomen.

III. Ringaldus quem noſter D. Claud. Eſtiennot hunc eſſe conjicit qui Voſienſi cœnobio nonnulla ceſſit, regnante Hlotario (Clotario.)

IV. Cunibertus 855. idem fortaſſe qui Solemniacenſis abbas.

V. Bernardus 865. & ipſe Solemniac. abbas.

VI. Petrus I. In ſchedis Dom. de Ganieres occurrit donatio unius bordariæ factæ ab Willelmo Amalvino, pro filio ſuo Gausfrido quem monachum fecit, *audientibus abbatibus ejuſdem monaſterii D. Geraldo & D. Petro.* Forte unus erat abbas laïcus, & alter abbas regularis. Item Petrus abbas memoratur in dono Ugonis de Aquæductu. Sed hæ chartæ nullas prorſus habent notas chronicas.

VII. Adazius an. circiter 970. videtur noſtro D. Claud. Eſtiennot idem eſſe qui S. Aug. Lemov. ac Tutellenſis abbas erat.

VIII. Armulfus.

IX. Petrus II. cujus mentio in Chronico Voſienſi: *Ea tempeſtate ſub abbate Petro qui erat frater*, al. *cantor de Mirabel, Voſienſe monaſterium quod ſanctus Aredius reædificaverat, igne crematur, privilegia, & ornamenta, libri, pluraque ſimilia bona perierunt: cognoſcentes monachi pro negligentia ordinis ſe caſtigari, abbatem S. Martialis expetunt, ut errata corrigeret, patremque idoneum eis præficiat. Qui infirmitati illorum compatiens, præfert illis abbatem Geraldum videlicet cognomine de Leſtrade, ex equeſtri genere caſtri de Moncron oriundum*

X. Geraldus de Leſtrade eligitur poſt Petrum an. 1082. G. memoratur abbas Voſienſ. an. 1091. & certe vivebat Geraldus tempore Geraldi abbatis Uſerciæ qui obiit an. 1095. aut 1096. Audiendus Gaufredus prior Voſienſis in Chronico, quod dicavit *ſacro S. Martialis conventui, & univerſo clero Lemovicini climatis*, ubi ſic fatur: *Hic ab ineunte ætate canonicus S. Aredii, poſtmodum magnæ religionis monachus S. Martialis exſtitiſſe refertur*, & infra: *Obiit Geraldus abbas Voſienſis v. cal. Januar. & ſepultus eſt inter oſtium monaſterii & parietem capituli in clauſtro.* Ceterum D. de Ganieres collegit multas chartas in quibus Geraldi abbatis fit mentio; ſed nullæ notæ indicant quo tempore vixerit, & forte plures fuerunt Geraldi his in actis memorati.

XI. Petrus III. ex decano electus poſt Geraldum, ut habet idem Chronicon: *Huic ſucceſſit P. Hic cum Rainaldo ſucceſſore ſuo apud S. Martialem diu converſati ſunt; quorum alter Anoſium, alter Multonem ſub abbatis Ademari imperio rexit;* & ibidem hæc ſubjungit: *Epiſcopus Guillelmus corporali poſſeſſione inveſtivit Voſienſem eccleſiam, & Petrum abbatem ejuſdem cœnobii de capella de Bré, ſicut olim conceſſerat.* Abbas erat temporibus Gausberti Uſerciæ abbatis, & annis 1102. & 1110. indict. III.

Exſtat inter ſchedas Dom. de Ganieres inſtrumentum Voſienſis monaſterii datum in præſentia Petri abb. temporibus Philippi regis, Paſchalis papæ, & Petri Lemov. epiſcopi.

XII. Rainaldus, Petri de Noalliis & Rainaldi atque Hugonis de Roſiniaco avunculus, legitur abbas in charta Euſtorgii ep. Lemov. pro Voſienſi cœnobio data an. 1111. Idem chirographum apposuit chartæ electionis Bernardi in abbatem S. Martialis an. 1114. In charta Uſerciæ memoratur tempore Aldeberti abbatis & in tabulis domeſticis ann. 1116. & 1118. indict. XI. atque Euſtorgio Lemovicenſem cathedram occupante. Is ex eodem Chronico (an. 1124.) *ab honore ſimiliter & onere regiminis, ſenectute cogente, ſubſiſtens, non multo poſt 111. nonas Aprilis obiit.*

Digitized by Google

In ſchedis D. de Ganieres reperimus chartam Voſienſem qua Galterius de Caſtra, & Johannes & Stephanus fratres ejus dant Deo ac beatiſſimæ Madalgodi virg. IIII denarios in manſo de Noallaguet. Quod *donum factum eſt in manu D. Rainaldi abbatis* ..... regn. Ludovico rege Francorum, & ſedem epiſcopatus tenente Euſtorgio Lemovicinæ urbis.

XIII. Ademarus, & ipſe S. Martialis monachus, eligitur abbas Voſii, volente Rainaldo & præſente Amblardo S. Martialis abbate in die SS. Simonis & Judæ, an. 1124. In dejectione Pontii Cluniaci abbatis & electione Petri, Amblardus S. Martialis abbas Voſias veniens, aſſumſit Ademarum abbatem, & ambo Romam cum Pontio adiere. Memoratur in charta Petri de Bré & Otonis, cum Euſtorgio Lemov. epiſcopo & Audeberto abbate Uſercenſi; rurſumque in charta Uſerchiæ facta ſub Geraldo ep. Lemovic. Euſtorgii ſucceſſore, cum Stephano Obaſinæ & Bernardo abb. Bulienſi. Paulo ante interfuerat exſequiis Euſtorgii pontificis Lemovic. & funeri Oliverii de Turribus nobilis dynaſtæ, ſui regiminis an. 40. infirmitate jam laborans, ut ait Chronicon Voſienſe. Ipſe nihilominus in diebus natalis Domini & Epiphaniæ miſſas celebravit, & in octava Dominicæ apparitionis, perceptis ſalutaribus ſacramentis, ab electione ſua anno 40. Chriſti 1164. menſe XI. die 17. valde mane ſpiritum exhalavit, ſepultus juxta Rainaldum abbatem. Inter inſtrumenta quæ ipſius meminerunt, deſcripſitque D. de Ganieres, unum habemus datum anno quo Guillelmus (IX.) Pictav. comes in peregrinatione ad S. Jacobum obiit.

XIV. Amelius præpoſitus de Arnaco, in die converſionis S. Pauli, tumulato Ademaro, præſente domno Petro S. Martialis archimandrita, eligitur; de quo idem Chronicon meminit verbis iſtis: *Amelius abbas Voſienſis an. 1171. vigilia Aſſumtionis B. Mariæ cœnobium Obaſinæ ingreſſus, non albus ſed brunus de nigro efficitur. Hic domum ſibi creditam per annos ſex & menſes totidem optime rexit, ſed a contrariis ſalutarium præceptorum irritatus receſſit.*

XV. Petrus IV. Durnays [a] ex monacho S. Martialis Lemovicenſis. Chronicum Voſienſe: *Electus eſt die S. Juliani P. cognomento Durnays, profeſſus S. Martialis. Domnus P. abbas adeſſe non potuit, ſed pro ſe miſit Marbodum, Boſonem, Guillermum qui vices illius agerent in electione: qui videntes ſchiſmata, vel loci detrimentum, rem contradixerunt: electus poſtmodum, ratione cogente, in capitulo apoſtoli Martialis coram domno P. abbate virgam paſtoralem relinquens ſupplex perſeveravit, quouſque cum illius gratia in pace rediret. Obiit XVII. cal. Novembris anno a promotione ſua 9. die Lunæ & juxta avunculum ſuum R. (Rainaldum) tumulatur;* inquit Goffridus Voſienſis cap. LXXI.

XVI. Willelmus I. e priore Caleſii, abſens, die S. Capraſii, capitulo Voſienſi præſidente Iſemberto abb. S. Martialis, Voſienſis abbas eligitur. Solemnem benedictionem apud Brivam in feſto S. Martini Turon. a D. Sebrando Chabot Lemovicenſium epiſcopo ſuſcepit. Pacta inter Geraldum de Miramont Dalonæ abbatem, & præpoſitum de Arnaco pro decimis de Colſorn, Tutellæ coram Sebrando Chabot ſubſignavit an. 1179. Ejus quoque ac Bernardi Tutellenſis abbatis conſilio, S. præſul (Lemovic.) & J. abbas (S. Martialis) apud Grandimontem pacem fecerunt. In Chronico memorato dicitur Aredii beatiſſimi corpus loco priſtino relevaſſe. Is autem eſt profecto W. abbas Voſienſis qui cum Obaſinenſibus pro manſo de Mante concordavit, præſentibus Geraldo abbate Dalonenſi & B. Uſercenſi, apud eccleſiam S. Mariæ de Trocha, menſe Auguſto, die S. Stephani an. Incarnationis 1185.

XVII. Petrus V. excepit donum Geraldi Boto, & fratris ejus Bonii, quod laudavit eorum pater Archambaldus. Inſtrumentum deſcripſit D. de Ganiere ex chartulario Voſienſi. In fine legitur: *Factum eſt donum iſtud regnante Philippo rege anno ab Incarn. M. CC. II. ind. XV.* melius V.

XVIII. Raimundus 1205. ex chartul. Dalon. ſola prima nominis littera R. deſignatus reperitur annis 1208. & 1209. ex chartul. Obaſinæ & 1222. Fortaſſe eſt R. de Longa, *al.* Logri & le Gris, qui cum ab Hiſemberto abbate S. Martialis accepiſſet adminiſtrationem tanquam a patre-abbate monaſterii, reſignavit eam in manus Raimundi Gaucelini ejus ſucceſſoris in abbatia S. Martialis an. 1229. III. cal. Nov. *Baluz. tom. IV. Miſcell. p. 487.*

XIX. P. Hugonis III. cal. Nov. anno 1229. eligitur abbas Voſienſis, præſente Raimundo Gaucelini abbate S. Martialis & multis aliis. Procul dubio eſt Philippus qui anno 1225. notatur in chartis Grandimontenſibus.

XX. Willelmus II. Amalvini, an. 1237. 14. cal. Februarii ex chart. Glander. deinde abbas S. Martialis Lemovic.

XXI. Arnaudus anno 1253. menſe Octobri teſtis in charta donationis factæ a Petro la Ribeira domicello domui Glanderienſi an. 1259. menſe Martio & 1260. menſe Aprili.

XXII. Conſtantinus, teſtis in charta venditionis factæ domui Glanderienſi a Bernardo de Vaſſinhac clerico, &c. an. 1263. menſe Decembri. Reperitur etiam an. 1261. Sabbato poſt feſtum apoſt. Simonis & Judæ, ibidem.

XXIII. Guido de la Porte Reginaldi epiſcopi Lemovic. frater, & ipſe poſtea S. Martialis cœnobiarcha 1298.

XXIV. Guillelmus III. le Groing occurrit abbas Voſienſis an. 1475.

XXV. Ægidius de la Tour, filius Agnonis de Turre domini d'Oliergues & comitis Belliſortis in Andibus propter uxorem Annam de Beaufort, cujus toparchiæ domina erat, canonicus Ruthenenſis ac protonotarius Sedis apoſt. erat abbas Voſienſis, cum fuit electus a parte quadam capituli in epiſcopum Sarlatenſem an. 1492. vide in epiſc. Sarlat. adhucque vivebat cum hac dignitate abbatiali an. 1527. quo, die Martis, 24. Martii eum inſtituit exſecutorem ſui teſtamenti

[a] Petrus Durnais Voſienſis ſacriſta memoratur in charta Heliæ de Aien quædam dantis monaſterio Voſienſi, *temporibus Innocentii papæ, Ludovici regis, & Geraldi Lemov. ep.*

Digitized by Google

Bobrt. p. 755.

Franciſcus de la Tour Turennæ vicecomes, ex authentico in probat. hiſt. domus Arv.

XXVI. Petrus VI. de Pompadour baro de Treignac, prior de la Valette, præpoſitus d'Arnac & abbas Voſienſis, filius Leonardi Philiberti vicecomitis de Pompadour regiorum ordinum equitis, ex Maria Fabry, vivebat an. 1680. pervenitque ad annum 1710. octogenario major, ſub quo in ſuis ruinis pene ſepultum jacebat hoc monaſterium. Is eſt profecto N. d'Elie Pompadour qui jam præerat an. 1676. quo noſter D. Claudius Eſtiennot monaſterii chartas evolvit.

Du Fourny hiſtoire des grands aumoniers de France.

XXVII. N. de Boiſſe de la Farge, vicarius generalis epiſcopi Lemov. deſignatur abbas Voſienſis ſchedula regis Chriſtianiſſimi anno 1710. in feſtivitate Natalis Domini.

Præter hos abbates, duo alii nobis innoteſcunt ex necrologio Glanderienſi, Conſtantinus videlicet & Guido Rotgerii.

ABBATIA MEIMACENSIS.

MEIMACUM ordin. S. Benedicti in finibus diœceſis Lemovic. verſus Arvernos prope Ventadorum, Vezerum * inter & Dordoniam fluvios, conditur an. circiter 1080. ab Archembaldo vicecomite Combornenſi, inquit Mabillonius, aut vicecomite de Ventadour, ut placet noſtro Edmundo Martenne; exſtant vero in hujus monaſterii tabulario teſtes ea de re litteræ, in quibus Archembaldus ſic Maimacenſis monaſterii originem ac progreſſum deſcribit: *Ego qualiſcumque vicecomes Archembaldus, cognoſcens cujus eſſet piaculi res eccleſiaſticas poſſidere, adii Guidonem Lemovic. pontificem; petiique tam clerum ejus quam ipſum, ut eccleſiam de Maimac quam de eo in fevo tenebam, liceret mihi ordini monaſtico deputare: ſed obtinere non potui, niſi eccleſiam de Otgiac, quam de ipſis ſimiliter in beneficium habebam in caſtellania de Comborn, & quam multum appetebant, redderem; quod feci.*

* *f.* Viſeram

Maimacenſis eccleſiæ libertatem adeptus vicecomes, eam Geraldo Uſercenſi abb. ejuſque monaſterio ſubjecit; Guido vero epiſc. eamdem eccleſiam Geraldo abb. ordinandam commiſit. Sunt & aliæ ejuſd. Archembaldi in idem argumentum litteræ anno 1085. datæ, quas in appendice conſulas velim. Atque hinc patet primos Meimaci rectores cum ſolo prioris titulo, ab Uſercenſi abbate fuiſſe inſtitutos. Cum autem non multo poſt excutere hoc jugum, abbatiſque nomen aſſumere tentaſſent, hoc monaſterium Uſerchiæ iterum ejuſque abbati Gausberto traditum eſt ab Euſtorgio epiſc. Lemovic. ſecundum hanc ipſius chartam: *Ego Euſtorgius Lemovic. ep. de conſenſu clericorum meorum, tradidi Gausberto abbati Uſerchienſi curam monaſteriorum Uſercæ, Ageduni, & Maiſmaci*, &c. Neque vero hæc epiſcopalis ſententia Meimacenſium monachorum ſuperbiam fregit, quin adhuc reſilirent & recalcitrarent. Quapropter ad Eugenium papam re delata a Bernardo Uſercienſi abbate, pontifex excutiendam ac finiendam Petro Bituricenſi archiep. tradidit, qui ſententiam adverſus Meimacenſes protulit in appendice noſtra relatam. Retinuerunt tamen retinentque hactenus nomen abbatis, quorum ſeriem ad fidem inſtrumentorum ejuſdem monaſterii contexuimus. Ceterum eccleſiæ patrona eſt S. Maria cum S. Leodegario, quibus adde S. Andream, ut ex pluribus chartis comprobatur.

C. XXVII. col. 183.

C. XXVIII. col. 185.

PRIORES ET ABBATES.

I. PETRUS I. prioris ſolummodo titulum præfert in antiquiſſimis chartis temporis nota deſtitutis.

II. Hugo I. qui cum prior eſſet, contra voluntatem abbatis Uſercenſis novam abbatiam creavit, & ſe abbatem propria auctoritate conſtituit, favente ſibi Geraldo de Cher epiſcopo, ex chartul. Uſercenſi his verbis: *Geraldus de Cher* (circa an. 1145.) *manu tenuit in errore ſuo quemdam Ugonem, qui in prioratu Meſmacenſi ad jus eccleſiæ Uſercenſis ſpectante, contra voluntatem abbatis* &c. Ibidem tamen additur, poſtea abbatem Uſerchiæ nomine Bernardum, Meimacum recuperaſſe, qua de re vide inter inſtrumenta chartam Petri Bituric. archiep. datam an. 1146.

C. XXVIII. col. 185.

III. Stephanus I. d'Arnac de quo hæc leguntur in chartulario Uſercenſi: *Bernardus de Alba-Roca, abbas Uſercenſis, pacem iniit cum Geraldo Lemov. epiſcopo, Maimacenſe monaſterium recepit, Hugonem intruſum novum abbatem depoſuit, ac Stephanum d'Arnac monachum Uſercenſem tunc temporis camerarium ibi abbatem præfecit*, &c. Hoc autem non ante annum 1146. factum eſt, ac proinde perperam legitur alicubi Stephanus d'Arnac cum abbatis nomine an. 1135. legendumque ſuſpicamur 1155. certe memoratur in charta Uſercienſi tempore Gausberti abbatis qui circa hunc annum ſedebat.

IV. Hugo II. Cluniacenſis & Maimacenſis monachus a Garino Bituricenſi archipræſule abbas inſtitutus eſt an. 1175. ut patet ex charta ſequenti: *Guarinus Domini gratia Bituricenſis eccleſiæ archiepiſcopus toti Uſerchienſis eccleſiæ conventui ſalutem. Cum monachi Meimacenſes in eligendo ſibi abbate jus ſuum ſalva Uſerchienſis eccleſiæ dignitate nobis conceſſiſſent, veſtra in veſtris privilegiis cognita dignitate ſuper hoc, eam rurſus quam in hujuſmodi electione habetis poteſtatem noſtro arbitrio commiſiſtis. Nos igitur Uſerchienſis eccleſiæ dignitati, & Meimacenſis eccleſiæ utilitati providere volentes, ne hujus vel illius in hoc ullatenus dignitas offendatur ſalvis veſtris privilegiis, de conſilio prioris & monachorum Maimacenſium, & virorum etiam quos ad nos miſeratis monachorum, Hugonem Cluniacenſem & Meimacenſis eccleſiæ monachum prædictæ eccleſiæ dedimus abbatem.*

Actum eſt hoc anno Incarn. Verbi M. C. LXXV. *Alexandro papa III. Geraldo Lemovic. epiſcopo tunc temporis & R. abbate Uſerchiæ exiſtentibus.*

V. Guillelmus I. reperitur an. 1201. in charta Eboli de Ventadorio pro Grandimonte; cujus quidem Eboli, ſeu Eblonis conſanguineus appellatur a noſtro D. Claudio Eſtiennot.

VI. P. de la Chaſſanha, *al.* de la Chaſſagne abbas de Meimac, & W. frater ejus prior S. Angeli ſubſcribunt donationi factæ conventui Bonæ-aquæ a Rogerio de la Faya, an. 1208. regnante In-

Digitized by Google

nocente PP. Romano & J. Lemovic. ep. & Galliæ rege Philippo, ex chartul. Bonæ-aquæ. Reperitur P. de la Chaſſanha in libro anniverſariorum Meimaci die 2. Aug. Forte vero is eſt P. qui cum nobili viro Elya d'Uſſel pacem inter P. abbatem Bonæ-aquæ & G. priorem Portus-Dei conciliavit.

VII. W. fortaſſe Willelmus de la Chaſſanha ſuperioris frater, ac prior S. Angeli. Memoratur autem W. abbas Meimacenſis 1221. menſe Maio ex chartis Grandimontenſibus, ubi nominatur unus ex *plegiis*, quos ad conſervationem Grandimontis dedit Ebolus de Ventadoro, & an. 1230.

VIII. Johannes I. de la Chaſſagna notus ex charta Bonæ-aquæ, hic reponendus videtur.

IX. Gerardus I. 1246. Fortaſſe hic eſt G. de Podio qui occurrit in charta Ugonis de la Chaſſanha clerici, & P. fratris ejus domicelli, qua domui Valletæ ſolidos decem reddituales concedunt pro anima fratris ſui Conſtantini de la Chaſſanha in eccleſia B. M. de Valleta ſepulti, ex chartul. Valletæ. Rurſum vero Geraldus memoratur an. 1248. in quibuſdam ſchedis, quæ ſi genuinæ ſint, dignitem jam abdicaſſe dicendum eſt; nam

X. Petrus II. an. 1247. electus dicitur. An. 1250. Agnes quædam hortum ei legavit. Forte hic eſt Petrus Aymars qui ſediſſe legitur annis 1258. 1268. & 1269. quo anno Ebolus de Ventadorio ei confirmavit omnia quæ prædeceſſores monaſterio contulerant. An. denique 1270. quædam acquiſiviſſe reperitur.

XI. Hugo III. præerat an. 1272. Forte is eſt Hugo Aimars cujus anniverſarium notatur in veteri necrologio.

XII. Petrus III. 1273. & 1275. Is eſt fortaſſe Petrus Ademari qui annis 1284. 85. 86. & 88. occurrit. Et vero videtur idem qui paulo ſuperius, qui nimirum abdicato regimine abbatis nomen retinuerit, aut ad ſedem ſuam redierit.

XIII. Hugo IV. Eboli de Ventadorio conſanguineus, quem anno 1292. munificum expertus eſt, ſedebat jam anno 1290. & adhuc 1297. 1301. & 1303. Fortaſſe is eſt Hugo Deſpoch qui abjecta regiminis ſarcina vivebat adhuc 1309. & 1321.

XIV. Geraldus II. Gaufredi, *de Gaufré*, annis 1306. & 1312. Hic fundavit feſtum SS. Leonis & Coronati menſe Decembri.

XV. Petrus IV. 1323. 25. 29. & 1334. ſed ante hunc annum ceſſiſſe videtur. An vero ſit P. Gautier qui locum habet in veteri anniverſariorum libro, quis certo aſſeveret?

XVI. Johannes II. de Vez, nepos Hugonis Deſpoch de Vez, de quo ſupra, inducitur abbas an. 1331. a noſtro D. Claud. Eſtiennot.

XVII. Guillelmus II. 1340. Conjicimus hunc eſſe qui ſolidos decem annuales pro ſuo anniverſario dedit.

XVIII. Petrus V. de Podio 1342. poſtea abbas S. Florentii Salmurienſis 1346. & 1367. Necrologium ſi habet: *Peyre del Poch abbas de Sens Florens de Saumur, loquals fo abbas de Meymac.* Fundavit feſtum S. Jacobi menſe Julio & mandatum pro 12. pauperibus in die Cœnæ Domini.

XIX. Hugo IV. de Lantholio, *al.* de Lantholiaco, *de Lantouillac*, 1349. Vicariam S. Leodegarii fundavit, pluraque ſuo monaſterio acquiſivit; ſub quo nihilominus duodecim tantum erant monachi apud Meimacum.

XX. Guillelmus III. de Lantholio in ſerie domni Jacobi Boyer memoratur anno duntaxat 1367. & 1368. a D. Claud. Eſtiennot. Verum D. Edmundus Martenne omiſſo Hugone qui ſupra, iſti Guillelmo vindicat an. 1349. 1365. & 1368.

XXI. Bertrandus I. la Forſa, ſeu de la Forſa 1384. 86. 87. 96. 1412. 1423. & 1433.

XXII. Jacobus de Lobperteſio, *de Loubartez*[a] 1434. 1435. 1436. 1440. & 1444. Reſignavit anno 1450. *al.* 1451. in gratiam ſequentis.

XXIII. Bertrandus II. de Lobperte, *al.* de Loubartez, prior S. Pantaleonis ord. S. Benedicti 1450. 1452. Nepoti ceſſit an. 1457. ſuperſtes adhuc anno ſaltem 1460.

XXIV. Johannes III. de Lobperte, ex abbate Bonæ-aquæ 1458. 1467. 1479. An. 1489. die 8. Septemb. Johannes abbas S. Andreæ de Meimaco bullam pro erectione conventus S. Præjecti fratrum Minorum de Obſervantia ut judex commiſſarius apoſtolicus exſecutioni mandat. Memoratur adhuc Johannes de Lobperte, ſeu de Loubartez annis 1494. 1507. & 1528. Anno 1507. ſenatus Burdegal. placitum dedit, quo ſuis abbas monachis victum & veſtitum ſuppeditare, & ii in menſa communi refici tenerentur.

XXV. Antonius I. Beſchet protonotarius ſedis apoſtolicæ, 1554. omittitur a D. Jacobo Boyer.

XXVI. Antonius II. de Montel abbatiæ poſſeſſionem apprehendit 19. Junii 1568. præſentibus novem monachis profeſſis.

XXVII. Stephanus II. Pallot poſſeſſionem obtinuit per procuratorem 24. Junii 1578.

XXVIII. Guillelmus IV. Sartres, ſeu le Sartre, poſſeſſionem adeptus eſt per procuratorem Johannem de Veilhan 25. Auguſti 1579.

XXIX. Mathnon de Montel 1580. omittitur a D. Jacobo Boyer, qui quidem ſuperiorem & ſequentem fiduciarios abbates dicit, quibus & hic adjungendus eſt.

XXX. Julianus Bage ſeu Bages, presbyter diœceſis Agathenſis, poſſeſſionem accepit per Rigaldum du Puy priorem Meimaci cal. Febr. 1602.

XXXI. Franciſcus I. de Levi de Ventadour quem D. Edmundus Martenne ſuperiori præmittit, ceſſit ſequenti, mortuus in obſidione Rupellæ 1626.

XXXII. Annas de Levi de Ventadour ſuperioris frater, abbas Meimacenſis 1602. poſtea præſul Bituricenſis.

XXXIII. Henricus de Levi ceſſit an. 1664.

XXXIV. Franciſcus II. Hedelin Albiniaci commendatarius, poſſeſſionem Meimaci adipiſcitur 1665. Alexandri VII. bulla munitus data 26. Februarii ejuſdem anni. Congregationem vero S. Mauri ſuum induxit in monaſterium 1669. Reſignavit ſequenti, cum regis beneplacito.

[a] Cognomen de Monac ei attribuit noſter D. Claud. Eſtiennot.

XXXV. Armandus

XXXV. Armandus Auguſtus Langlois de Blafort, Armandi Regis dapiferi filius, ſereniſſimæ Delphinæ ab eleemoſynis, & canonicus S. capellæ Pariſienſis receptus anno 1676. bullas obtinuit pro abbatia Meimaci 26. Maii 1673. obiit vero 2. Maii 1693. Jacet in S. capella inferiori.

XXXVI. Ludovicus Philippus de Meſchatin, comes & canonicus Lugdunenſis, frater, *al.* nepos epiſcopi Vapincenſis, a Rege nominatus abbas 30. Maii, *al.* 31. 1693. poſſeſſionem adeptus eſt 15. Decemb. ejuſdem anni per procuratorem D. Martinum Bailly. Ceſſit 1706. *al.* 1707.

XXXVII. Honoratus Tourneli, in collegio Navarræ doctor & profeſſor, die 23. Aprilis an. 1707. abbas deſignatus, anno ſeq. menſe Maio Regi dimiſit abbatiam, a quo nominatur ad Plenum pedem 18. Maii 1709.

XXXVIII. Mauricius Rochette, ſeu de Rochette, Claromontenſis, filius Johannis in ſubſidiorum curia Claromon-ferrandenſi ſenatoris & Margaritæ Pereyret, doctor Sorbonicus, canonicus eccleſiæ Claromontenſis, viſitator Carmelitarum, & vicarius generalis D. F. Bochart, a Rege nominatus anno 1707. * vi decreti magni Conſilii poſſeſſionem adipiſcitur 21. Martii 1708. Nondum habet bullas.

* *al.* 1708. in feſto Pentec.

Duos alios abbates reperit D. Jacobus Boyer in veteri necrologio idiomate Lemovicenſi exarato; videlicet Willelmum de Chaſtel-neu & Willelmum de Chaſtel-neu ejus nepotem ac ſucceſſorem, at quis ordo ipſis aſſignandus prorſus nos latet.

* Beaulieu, ou Bellec.

ABBATIA BELLILOCENSIS. *

BELLILOCENSE apud Lemovices SS. Petri & Pauli ac ſanctæ Felicitatis * monaſterium, ordinis Benedictini, ad Dordoniæ ripam, in Torinenſi vicecomitatu, vicaria Aſinacenſe, archipresbyteratu Brivazaci, in extremis pagi Lem. verſus pagum Caturcenſem finibus, duobus a Caſtro-novo milliaribus, quinque a Turenna, condi cœptum eſt in loco qui dicebatur olim Vellinus, ſaltem anno primo regnante Carolo glorioſiſſimo rege, hoc eſt 840. vel 841. ut patet ex inſtrumento cujuſdam Adalgarii & uxoris ejus Aiguæ, *qui res quaſdam proprietatis ſuæ, ſitas in pago Caturcino, in vicaria Exidenſi, in loco qui vocatur Bejonis, hoc eſt eccleſiam S. Michaëlis, cum ſuis appendicibus, conferunt ad monaſterium quod vocatur Bellus-locus, ubi vir venerabilis Gairulfus præeſſe videtur.* Facta ceſſio in menſe Januario anno præfato. Præcipuus autem cœnobii hujus fundator audit Rodulfus Bituricenſis antiſtes, etſi nullum Rodulfi occurrat inſtrumentum ante annum Caroli regis quartum, quo eccleſiam S. Saturnini apud Siuniacum cedit monaſterio, quod Bellus-locus dicitur, *ubi beata Felicitas corpore requieſcit, quod Chriſto propitio in fundo juris mei*, ait, *conſtituo, monachiſque ibidem Deo famulantibus, quibus venerabilis vir Gairulfus abbas præeſſe dignoſcitur.* Atque hinc fortaſſis monaſterium iſtud per multa ſecula debuit homagium primati Bituricenſi.

* Baluz. hiſt. Tutel. col. 309.

Ademarus in commemoratione abbatum S. Martialis Lemovicenſis, conditum tradit cœnobium Bellilocenſe (perfectum intellige) an. 855. ut patet ex authentico in archivo Bellilocenſi aſſervato, quod vide inter inſtrumenta. Mabillonio * tamen hoc inſtrumentum non annum 855. ſed 846. præfert, hoc eſt non annum XVI. Caroli minoris, ſed ſextum duntaxat. Verum quoquomodo ſumatur, reſtat ſemper maxima difficultas de Gairulfo, quem abbatem jam anno 1. Caroli regis, & iterum anno quarto ex chartis a Mabillonio relatis, ſupra diximus; quanquam in Rodulfi teſtamento [b], aliquanto ſaltem recentiori, monachus ſolummodo dicatur. Porro haud alia ſane ratio ſuppetit ſolvendi nodum hunc, quam chartam iſtam ceteris antiquiorem eſſe dicendo, maxime cum hujus notæ chronicæ varient, & aliunde primaria nemini attente legenti non videatur, aſſeratque inſuper Mabillonius ad annum 846. Rodulfum ante annos ſex Bellilocenſe monaſterium condidiſſe. Hæc ſufficiant ad qualemcumque Bellilocenſis abbatiæ notitiam, quæ quidem ex abbatum hiſtoria non minimum illuſtrabitur.

C. XXXI. col. 188.

* *Annal. Bened. ad an. 846. p. 670.*

[b]

SERIES ABBATUM.

I. GAIRULFUS monachus Solemniacenſis ab abbate ſuo Chuniberto [c] Bellilocenſi monaſterio præficitur abbas, qua quidem dignitate potiebatur, ex ſupradictis, annis 1. & 4. Caroli regis, hoc eſt 840. & 843. Memoratur quoque iiſdem circiter annis, in dono ſcilicet villæ Biliaci, facto Bellilocenſi cœnobio anno 1. quo domnus Lotharius aſſumſit imperium, hoc eſt 841. & in permutatione quadam Rodulfi Bituric. archiepiſcopi cum Johanne epiſcopo Lemovicenſi anno quarto Caroli regis, ubi poſt Rodulphum Garulfi abbatis nomen ſubſcriptum reperitur. Sedit Gairulfus per annos quinquaginta ſex vel etiam ſeptem, donatus interea regio diplomate Caroli Calvi, dato XV. cal. Julii indict. VII. anno 19. regnante Carolo rege glorioſiſſimo, hoc eſt anno Chriſti 859. Recenſetur etiam in charta Godofredi comitis, quaſdam res proprietatis ſuæ conferentis *ad monaſterium, quod nuper a ruſticis Vellinus, ſed novo opere a nobis*, inquit, *Bellus-locus nominatur, ubi vir venerabilis Guarulfus præeſſe videtur.* Facta hæc ceſſio *in menſe Octobri anno 27. Caroli regis & anno 1. Ludovici filii ejus Aquitanicæ regionis regis.* Poſt quatuor annos idem Gairulfus Bernardum comitem interpellavit, de quodam homine qui eccleſiam S. Chriſtophori in villa pagi Lemovic. Coſatico ſitam præter jus invaſerat, & hæc quidem eccleſia Bello-loco aſſerta eſt. *Facta iſta notitia in menſe Auguſto, anno quinto Ludovici regis filii Caroli regis.* Subſcripſit etiam privilegio quod in conventu Pontigonenſi, Carilocenſi monaſterio conceſſum eſt, an. 36. regni Caroli glo-

Baluz. hiſt. Tutel. col. 311.

* In variis donationum inſtrumentis, patroni loci, præter apoſtolos Petrum & Paulum & ſanctam Felicitatem, memorantur S. Dionyſius cum ſociis, ſancti Pancratius, Criſpinus & Criſpinianus, Urſinus & Marcellus, Hilarius, Martinus, Benedictus, Eligius & Tillonus; quibus etiam adduntur Primus, Felicianus, & Æmilius, quorum reliquiæ uti & S. Felicitatis ibidem quieſcere dicuntur.

[b] Editum eſt tom v. act. SS. Bened. p. 2. pag. 161.

[c] Ipſe Chunibertus aliquando dicitur primus abbas Bellilocenſis.

Digitized by Google

rioſiſſimi auguſti in Francia, & imperii ejus primo, calendas Junias, indict. IX. ubi mendoſe dicitur Carrulfus. Eodem anno III. idus Julii, vel potius ſequenti a viceſimo die Junii inchoato, Carolus idem imperator prædia quædam in villa pagi Lemovicenſis Orbaciaco, in vicaria Exandonenſi, Bellilocenſibus dedit *ad deprecationem Frotarii Bituric. archiep. & Gayrulfi monaſterii Belli-loci abbatis, quod eſt in honore B. Petri conſtructum ..... in pago Torinenſi, ſuper fluvium Dordoniæ.* Ipſe vero Frotarius villam comitatus Lemovicini & vicariæ Exandonenſis, Orbaciacum vocabulo, ſitam ad Viſeram fluvium Bellilocenſi eccleſiæ contulit cui tunc Gerulfus, ſeu Gairulfus abbas præerat. *Actum menſe Auguſto anno imperii Caroli* * *ſeptimo, non quarto*, inquit Mabillonius, *in Galliis tertio.* [a] Idem abbas curavit an. 897. quandam capellam a ſe recens ædificatam in villa Favara, in fiſco Cameyraco conſecrari ab Anſelmo Lemovicenſi epiſcopo. *Actum hoc* inſtrumentum *Lemovica civitate, in ſynodo plena, pridie nonas Decembris, anno Incarnationis Dominicæ 897. indict. I. regnante Odone rege anno X. ordinationis quoque domni Anſelmi pontificis anno 28.* Gairulfus tamen ſenio gravis, ante ſex annos abdicaſſe videtur, vel certe ſibi ſublegiſſe coadjutorem, ex Mabillonio,

Vide inſtr. eccleſ. Bitur. c. VI. col. 4. c. XX. col. 6.

* Craſſi.

[a]

II. Rainulfum nomine, ſeu Ranulfum, cui menſe Aug. anno IV. regnante Odone rege, Avitus quidam res ſuas tradit, ſitas in orbe Lemovicino, in vicaria Aſnacenſe, in villa quæ vocatur Lupiacus, cum caſa dominicaria, cum ipſa baccalaria, ſeu cum ipſis manſis qui ad ipſum pertinebant. Idem occurrit tum in litteris Eldoardi cujuſdam anno Odonis regis ſexto, tum in charta cujuſdam Blandini de villa Rodeſalio & Sereniaco vicariæ Exidenſis, in menſe Januario, anno VIII. quo Oddo regnare cœpit. Item in alia charta cujuſdam Frotarii & uxoris ejus Goldindis pro Belliloco, facta in menſe Maio, anno VIII. regnante Oddone rege. Et tamen hoc ipſo anno menſe Aprili, Gairulfus abbas Bello-loco præfuiſſe dicitur in litteris Calſtoni & uxoris ejus Adalgridis. Quinimo hic abbas laudatur annis ſecundo & ſexto Odonis regis, idemque pervenit, ut diximus, uſque ad decimum annum ejuſdem regis. Ceterum Sammarthani fratres Rainulfum recenſent ad annum I. Caroli *, hoc eſt 898. Fortaſſe vero idem eſt abbas Gairulfus & Rainulfus errore duorum apicum utrobique facili.

*Simplicis.

III. Silverius memoratur abbas anno I. Caroli regis, (num Simplicis?) ex D. Claud. Eſtiennot.

IV. Rodulfus abbas occurrit primum anno 6. ſecundum Sammarthanos, certe ſeptimo quo Carolus Simplex regnare cœpit. Variis exinde annis varias accepit donationes, nimirum annis IX. XI. XV. XVIII. & XX. Caroli regis, & anno I. Rodulfi regis, qui erat Chriſti 923.

V. Johannes I. reperitur abbas anno quinto menſe Septembri, ſexto, octavo & decimo ejuſdem Rodulfi regis.

VI. Boſo ſedebat anno tertio Ludovici Tranſmarini, Chriſti 938. dicitur autem epiſcopus & abbas anno ejuſdem regis quinto.

VII. Bernardus I. Boſoni jam ſucceſſerat anno ejuſdem Ludovici regis duodecimo, Chriſti 947.

VIII. Guerno ſucceſſor Bernardi, nominatur in charta Eboli cujuſdam qui cum uxore ſua Ermengarde nonnulla prædia dedit, anno XIII. regnante Lothario, Chriſti 967. vide Mabill. ad hunc annum num. 12. In alia vero charta notis chronicis deſtituta duo ſimul abbates exſtitiſſe perhibentur, Guerno & Geraldus; & hunc quidem nonnulli volunt fuiſſe abbatem laïcum.

IX. Geraldus I. ſolus abbas nominatur in alia cujuſdam Ragamfredi charta Bellilocenſi monaſterio quoddam manſionile tribuentis apud Podiomeranum, *ſitum in orbe Caturcino, in vicaria Caſiliacenſi, ad ſacrarium*, id eſt ad luminaria concinnanda, &c. facta ceſſio in menſe Decembri, ſub Lothario rege; item in alia donatione facta *anno bis deno quinto ſub rege Lothario.* Geraldus & Adalgiſus ſimul abbates erant, quando Gausbertus quidam vineam ſuam apud Pagaciacum, *in orbe Lemovicino in vicaria Aſnacenſi* donavit, *in menſe Maio, regnante Lothario rege.* Ad hæc *breve memoriale* fecerunt Geraldus & Adalgarius abbates, (idem forte qui Adalgiſus,) de rebus ac poſſeſſionibus Bellilocenſis monaſterii. Idem Geraldus, mortuo forte Adalgiſo, Kealſtonem adlegit ſibi coadjutorem, qui ambo nominantur abbates in donatione Gerberti & uxoris ejus Dedæ, facta in menſe Martio anno 21. ſub Lothario rege. Bernardum etiam coabbatem habuit, uti probant litteræ cujuſdam Gauſleni, quaſdam res ſuas Bellilocenſi monaſterio, cui Geraldus & Bernardus abbates tunc præerant, conferentis, &c. *Actum* menſe Maio, regnante Lotharîo rege. Superſtes adhuc erat Geraldus abbas anno triceſimo Lotharii regis, Chriſti 984. aut 85.

X. Bernardus II. non infimo inter Aquitanicos proceres ortus loco, ex monacho Floriacenſi fit abbas Solemniacenſis, tum Bellilocenſis, de quo Aimoinus in vita S. Abbonis c. X. Creatus poſtmodum epiſcopus Caturcenſis, abbatiam aliquandiu retinuit, quam deinde Hugoni de Combornio, ſuo ex fratre nepoti, homini ſeculari reſignavit. Peſſimus tunc erat hujus monaſterii ſtatus, quod comes Toloſanus ſibi addixerat, poſtea contulerat in beneficium comiti Petragoricenſi; hic vero vicecomiti Combornienſi.

Labb. Bibl. nova t. 2. p. 788.

XI. Hugo I. de Combornio filius fratris Bernardi, cum clericus tantum ſecularis eſſet, ac nihilominus abbatiam hanc occuparet, ea de re graves querelæ delatæ ſunt ad Lemovicinæ ſynodi patres anno 1031. qui exclamaſſe leguntur: *Hoc magna deſtructio eſt; & pro tali deſtructione locorum Dei, ira ſuper populos a facie Dei egreditur.* Quapropter Hugo coactus eſt abbatialem poteſtatem transferre in ſequentem. Circa vero id temporis florebat Werno grammaticus, B. Petri apoſtoli Bellilocenſis eccleſiæ monachus, hos inter viros illuſtres annumeratus quibus apologeticam de

[a] Huic inſtrumento iſta immediate verba ſubjiciuntur: *Secundum mandatum quod Salvator noſter inſtituit pridie quam pateretur, de abluendis pedibus pauperum, nunc deſtructum eſt ab eodem abbate noſtro, qui melius merito lupus dicitur rapax, qui ſibi vendicat eandem elemoſynam ſive numos quos dominus pontifex Rodulfus ibi conſtituit.* Quis ſit hic abbas ignoramus.

Digitized by Google

S. Martialis apoſtolatu epiſtolam inſcripſit Ademarus Cabanenſis.

XII. Frodinus, ſeu Frudinus, erat monachus quando munus abbatiale auctoritate concilii promeritus eſt. Sedebat temporibus Alexandri papæ & Philippi regis ; quem Hugo de Caſtello-novo in tantum exagitavit, ut ipſi tandem cedere coactus ſit, decanatu retento ; deinde vero factus eſt abbas Tutelenſis.

XIII. Hugo II. de Caſtello-novo quem Baluzius, rejecto Hugone de Combornio, unum ex duobus Hugonem facit, de Caſtro-novo nuncupatum, an. 1076. Locum hunc qui in ejus manus ex ſucceſſione parentum devenerat, Hugoni abbati Cluniacenſi ordinandum commiſit.

XIV. Geraldus II. a Paſchali II. bullam accepit datam Laterani per manum Johannis S. R. E. diaconi cardinalis, XVI. cal. Junii, ind. X. Incarn. Dom. an. 1103. pontificatus autem domni Paſchalis tertio. Huic etiam abbati Geraldus Caturcenſis epiſcopus dedit eccleſiam S. Martialis de Baſſaco ; & hoc factum eſt de conſilio Gauzberti Caturcenſis prioris, Sequini, Guidonis, & Willelmi archidiaconorum, infra eccleſiam S. Sereni ante altare, cal. Martii, anno ab origine mundi VI. CCC. XII. anno ab Incarnatione Domini M. C. XII. indict. V. Paſchali papa II. regnante Ludovico rege Francorum. Idem abbas occurrit an. 1118. menſe Septembri, Gelaſio papa, & Euſtorgio Lemovicenſi epiſcopo.

XV. Petrus I. de S. Cereno [a] in Obaſinæ chartulario legitur abbas an. 1164. indict. XII. epacta VI. 4. die menſis Martii, regnante Ludovico. Reperitur etiam annis 1170. 1172. & 1188. quo anno domini de Cavagnac hominium excepit. Poſtmodum reſignavit ſequenti, tempore Philippi regis. D. Michaël Germain inter Geraldum & Petrum inſerit Galterium, ſed ex litteris mutilis, quæ notis chronicis carent.

XVI. Umbertus, vel Imbertus, occurrit 1190. quo Raimundus vicecomes de Turrenna & Boſo filius ejus hominium ei præſtiterunt ; actum apud Figiacum, in domo Folcherii Ortolderii an. Inc. Dom. 1190. apud Romam Clemente papa, regnante Philippo Francorum rege, Henrico Bituric. archiepiſcopo, teſtibus G. de Gordo abbate Obazinæ, &c. Nominatur idem Umbertus an. 1203. Monet Dom. Michaël Germain fieri mentionem Petri de S. Sereno an. 1204. tanquam abbatis, quem putat eſſe Petrum, Umberti anteceſſorem ; forte hic Petrus, qui abdicarat ex dictis, mortuo Umberto, priſtinam ſedem conſcendit.

XVII. Gausbertus 1205.

XVIII. Hugo III. memoratur anno 1223. obiit vero 1233. & prope abbatem Bernardum Solemniac. [b] cujus erat familiaris, ſepultus eſt XVII. [a] cal. Aug. in capitulo S. Martini Lemovic. cum huc veniſſet ad reſignandum, ex chronico.

XIX. Bernardus III. anno 1251. vel 1252. ex inſtrum. eccl. Tutelenſis fol. 224. edit. Vicecomitis Torinenſis & Boſonis ejus filii hominium excepit ante portam capellæ del Batut.

XX. Johannes II. 1256. menſe Junio.

XXI. Bego de Scorallis, *de Scoraille*, gente præclara apud Arvernos genitus, abbatiam Bellilocenſem obtinebat 1259. cujus egregie jura & libertates defendit. Memoratur an. 1261. in tabulis eccl. Bituric. & 1265. in chartis eccl. Tutel. Idem an. 1263. pactum fecit cum Johanne archiep. Bituric. cui anno 1269. fidelitatem juravit. Eodem anno conſulibus Belli-loci permiſit pontem inferiorem ſupra Dordoniam exſtruere. Legitur etiam in charta Obaſinæ 1266. & in chartis eccl. Bituric. & præpoſituræ Brivazaci 1271. Concordiam iniit an. 1281. cum domino de Caſtro-novo, pro piſcationis jure, ſequeſtro domno Hugone decano Soliaci. Idem abbas hominium exhibuit Simoni archiepiſcopo Bituric. eique claves tradidit XIX. cal. Aug. an. 1285. cum tamquam Aquitaniæ primas Lemovicenſem diœceſim viſitaret. Denique an. 1288. ſaluberrima ſuo monaſterio ſtatuta promulgavit. Conſignatur in necrologio die 7. Octobris.

Analect. Mabillon. tom. 2. p. 629. & tom. 3. p. 506.

XXII. Guillelmus I. a Bertrando de Longueval hominium accepit an. 1290.

XXIII. Bernardus IV. de quo in hiſtoria Juſtelli, an. 1298. cum Raimundo vicecomite Torinenſi compoſuit, ſuper hominio quod hi vicecomites abbatibus Bellilocenſibus debebant ; eoque nomine Bernardus de Cumengis * vicecomes Torinenſis huic abbati hominium præſtitit die 27. Januarii an. 1311.

* *cf.* de Cornenil.

XXIV. Helias tranſegit cum domino de Caſtro-novo annis 1316. & 1317. anno vero ſequenti concordiam iniit cum conſulibus & oppidanis Bellilocenſibus.

XXV. Hugo IV. de Malafayda ex illuſtri apud Lemovices genere ortus, ſedebat an. 1320. legiturque ad annum 1325. perveniſſe.

Labb. Bibl. tom. 2. p. 295.

XXVI. Raimundus de Vallon Burgundus, domini de Cavagnac hominium excepit an. 1327.

XXVII. Guillelmus II. anno 1333. ſtatuta quædam condidit.

XXVIII. Radulfus hominium fecit Fulcaudo archiepiſcopo Biturienſi die 14. Octob. 1336. ipſi vero dominus de Granolhaco fidem clientelarem exhibuit 1341. Fundavit pius abbas capellam S. Marci, ac de ſuo monaſterio benemeritus eſt.

XXIX. Gilbertus an. 1354. a Bertrando de Favars hominium accepit.

XXX. Antonius, filius Franciſci Guillerii nobilis Lemovicenſis & Mariæ de Monte-ruco, cujus propatruus erat Petrus de Monte-ruco cardinalis nepos Innocentii VI. ex ſorore, abbas fuit Belli-loci circa 1360. vide Baluz. in notis ad vitas pap. Aven. c. 935.

XXXI. Guido an. 1362. hominium accepit a Geraldo de Majoria, regnante Eduardo ; & 1367. ab Olivario de Boſco domino Caſtri-novi.

XXXII. Guillelmus III. memoratur an. 1374. quo videlicet ipſum tunc Romæ degentem Belliloci conſules pontis ſuperioris ſupra Dordoniam dominum agnoverunt.

[a] Caſtrum S. Cereni duabus tantum leucis a Bello-loco diſſitum, diœceſis tamen Caturcenſis, urbi cognomini de S. *Céré* præeminet, pertinetque ad vicecomites Torinenſes.

[b] Intelligе Bernardum abbatem S. Martini, (inquit Baluzius) cui in vita diu ante promiſerat quod hic veniret mori & ſepeliri juxta ipſum.

[b] *al.* XVI.

Digitized by Google

XXXIII. Bernardus V. filius Hugonis de Belloloco militis, anno Domini 1379. Clementis papæ VII. primo, eo pacto tranſegit cum Guillelmo Rogerii vicecomite Torinenſi & Raimundo ejus filio, ut in poſterum vicecomites Torinenſes abbatibus Belli-loci conſuetum exhiberent hominium, iidemque abbates ex duodecim viris diſcretis, ſibi a quadraginta burgenſibus electoribus præſentatis, quatuor conſules libere, ut mos erat, eligerent. Idem abbas paciſcitur cum Johanne domino de Caſtro-novo, ſuper eo quod caſtrum abbatis, de Aſtaliaco dictum, incendiſſet, quo incendio cuncti incolæ caſtri ad octoginta perierunt, quos inter aderat ſoror Bernardi abbatis. Ipſe vero Bernardus deceſſit XVI. cal. Novembris 1389. ſepultus in capella S. Nicolai.

XXXIV. Nicolaus præerat 1402. quo anno maxima lues Bellilocenſem urbem afflixit. Huic Johannes le Maingre, dictus mareſcallus de Boucicaut, comes de Beaufort & d'Aleth, vicecomes de Turenne hominium exhibuit 1415.

XXXV. Stephanus anno 1423. legitur ſtatuta condidiſſe diſciplinæ reſarciendæ utilia. Obitus ejus notatur VI. cal. Junii, in necrologio Solemniaci, ubi cognominatur *Ademari*.

XXXVI. Durandus abbas Belli-loci & officialis Montalbanenſis, bullam Martini V. pro numero duodenario canonicorum prioratus S. Antonini exſecutioni mandari curavit, ex eorum proceſſu verbali facto 1. Junii 1430. indict. VIII. pontificatus Martini an. 13. Bulla autem hujus papæ data eſt III. idus Decembris, pontificatus ejus anno 8.

XXXVII. Bertrandus I. de Planis de Curamonte, *de Plas de Curemont*, nobili ſatus prope Bellilocum genere, memoratur abbas annis 1442. & 1444. Ita de eo necrologium: *XVII. Octobris obiit dom. Bertrandus*, alias 17. Septemb. Pariſiis tumulatus.

XXXVIII. Petrus II. de Comborn 1445. & 1466.

XXXIX. Guyotus Ademar de Grignan, protonotarius apoſtolicus, bulla Pauli papæ II. fit abbas commendatarius an. 1466. *al.* 67. contra Ludovicum de Comborn a monachis in abbatem poſtulatum. Sedebat an. 1470. quo tranſegit cum epiſcopo Lemovicenſi. Fuit quoque epiſcopus Arauſicanus, ubi vide. Memoratur in necrologio, die 6. Aug.

XL. Guillelmus IV. Ademar de Grignan ſuperioris frater, epiſcopus Tricaſtinenſis & abbas commendatarius Belli-loci; quo nomine anno 1494. die 19. Maii * hominium per procuratorem fecit archiepiſc. Bituricenſi, ex tabul. Bituric. Præerat adhuc 1515.

* *Junii ex chartul. archiepiſc. Bituric. fol. 195.*

XLI. Bertrandus II. de Fargis, *al.* de Fagis 1530. & 1553.

XLII. Johannes III. de Cappis, *de Chappes*, alias *de Ceppes*, filius domini des Peſchers, aut de Peſchieres in ſuprema Burdegalenſi curia ſenatoris, monachus Bellilocenſis, abbatiam obtinuit anno ſaltem 1569. qua ceſſit anno 1580. in gratiam ſequentis.

XLIII. Colhagius de Martel bulla pontificia a Rege procurata inſtituitur abbas, adverſus vicecomites de Turenne, qui ſuapte auctoritate abbatem conſtituerant Gramundum de Martel, *al.* N. de Gramont, *al.* Petrum Grangon; tres iſti fortaſſe a vicecomitibus de Turenne ſucceſſive abbates nominati ſunt.

XLIV. D. d'Abbin de la ..... pro hac & aliis abbatiis ſchedulam regiam obtinuit an. 1595. Vide in Granataria.

XLV. Pantaleo de la Coſte titulo ſine re gaudebat, an. 1597. quando nimirum abbatiæ proventus ſibi Torinenſes vicecomites vendicabant.

XLVI. Geraldus III. de Caſtajoux pari modo abbatiam poſſidebat an. 1616. compoſuit anno 1636. cum monachis Belli-loci, arbitro Johanne d'Eſtreſſes, *al.* d'Eſdreſſe epiſcopo Lactorenſi. Obiit 1652.

XLVII. Emmanuel Theodoſius a Turre, cardinalis, dux d'Albret, e vicecomitibus Turennæ, abbatiæ poſſeſſionem adeptus eſt per procuratorem die 28. Sept. 1659. Pactum fecit an. 1661. die 21. Julii cum domno Benedicto Brachet ſuperiore generali congregationis S. Mauri, pro uniendo huic congregationi ſuo monaſterio. Id tamen non niſi poſt biennium fortitum eſt effectum, anno videlicet 1663. quo, die XI. Martii hoc in monaſterium aſcetæ hujus congregationis inducti ſunt. Abdicavit in gratiam ſequentis.

XLVIII. Franciſcus le Sauvage, Emmanuelis Theodoſii ſtudiorum moderator, eo cedente abbatiam obtinuit anno 1661. futurus aliquando Vaurenſis epiſcopus. Is autem poſt ſumtam poſſeſſionem Bellilocenſis abbatiæ, nihil antiquius habuit, quam pium opus reformationis a deceſſore inceptum ad exitum perducere, quod præſtitit an. 1663. Præerat adhuc anno 1676.

XLIX. Paſchalis de Ravillon Sarlatenſis.

L. Johannes IV. Phelip de S. Viance deſignatur abbas die 1. Novemb. 1688. Mortem oppetiit 1707.

LI. N. de Tilli de Boisfranc, *al.* de Beaufranc nobilis Normannus, canonicus Vernonenſis, ſchedula regia renuntiatur abbas die 3. Auguſti 1707. *al.* in feſto Paſchæ.

LII. N..... Broſſard, vicarius major eccleſiæ Lemovicinæ, a Rege nominatur abbas Bellilocenſis in feſto Aſſumtionis 1713.

Præter hos abbates alium nobis ſuppeditat necrolog. Solemniacenſe, Ebulum ſcilicet IV. nonas Februarii.

AGEDUNUM.

Abun.

AGEDUNUM, *al.* Acedunum, *Ahun*, abbatia ordinis S. Benedicti, cujus nunc primus patronus S. Stephanus, in ſuperiore Marchia fundatur a Boſone Marchiæ comite, qui eccleſiam S. Mariæ in vico Ageduno ſitam ad Croſam fluviolum contulit Adalbaldo Uſercenſi apud Lemovices abbati, ea conditione ut *per ſuccedentia tempora monaſticus ordo & religionis obſervantia ſub regula ſanctiſſimi Benedicti teneatur & cuſtodiatur*, &c. Subſcribunt poſt Boſonem Gaubertus frater ejus, Alduinus epiſc. Lemovicenſis, Adalbaldus, &c. an. Incarn.

Digitized by Google

Domin. 997. regnante Rotberto rege. Chartam integram habes t. 4. veteris Gall. Chriſt. p. 963. Colitur in hoc monaſterio S. Silvanus, anno ætatis 25. *al.* 15. in perſecutione Vandalica paſſus 16. Oct. Sic autem initia hujus monaſt. ediſſerit noſter D. Claud. Eſtiennot : Hildegarius ep. Lemovic. huic cœnobio initium dedit circa 980. quod, ut ait Goffridus Voſienſis poſt Adhemarum, ordinate diſpoſuit in magna caterva monachorum. Paucis tamen annis in eo ſubſtitere monachi, Alduinus enim poſt Hildegarium epiſcopus Lemov. qui primum chartæ Boſonis Marchiæ comitis an. 997. ſubſcripſerat, volens ut nullus alienare præſumeret hunc locum a religione monaſtica & poteſtate abbatis, quique illum ſubdiderat Uſercienſi aſceterio, quod ipſemet Hildegarius hortante genitore ſuo cariſſimo D. Geraldo vicecomite reſtauraverat, paulo poſt ſuadente diabolo expulit ab eodem loco monachos & ordinem monaſticum, atque ibi canonicos inſtituit, ut refert Goffridus du Breuil prior Voſienſis in Chronico, qui quidem addit poſt Adhemarum Cabanenſem, ibidem poenas dediſſe Hilduinum ubi deliquerat : cum enim aliquando eccleſiam S. Stephani de Ageduno, unde monachos exſtruſerat, adiret, ſpiritum ibi exhalavit, ad S. Martinum ſepultus.

Abbates quos reperire licuit hîc ſubjicimus.

Abbatum catalogus.

I. Adalbaldus Uſercenſis abbas, quamdiu vixit, Agedunenſe monaſterium rexiſſe videtur ex charta fundationis; imo fortaſſe ſucceſſores longe poſthac id juris ſibi vindicarunt.

II. Clarus Ageduni abbas, ſalvo Uſercæ jure, inquit Mabillonius, inſtitutus eſt ab Euſtorgio epiſcopo, & Rotgerio comite Marchiæ. An. 1123. cecidit lite in cauſa eccleſiæ de Stivaliculis quam Sandionyſiani monachi poſſidebant.

III. Geraldus Uſercenſis monachus tempore Bernardi abbatis Uſerciæ, teſtis legitur in charta Geraldi epiſcopi Lemovicenſis pro Uſercia anno 1145. iterumque in charta Meymacenſi anno 1147. indictione X.

IV. Philippus abbas Ageduni 1196. ex tabulis Grandim. a domino de Ganieres deſcriptis.

V. Petrus an. 1241. hujus loci abbas memoratur in charta Nerlacenſis monaſterii.

VI. Andreas 1390.

VII. Johannes I. de Armaniaco abbas commendatarius moritur 1493. abbas erat 1470. 1473.

VIII. Martialis Bithon. Obiit 1510. Poſt quem electi duo: Petrus de Marche & Guillel. de S. Marcello cui abbatiam adjudicavit epiſcopus Lemov. Petro de Marche appellante coram archiepiſcopo Bituric. Lite pendente ipſe mortuus eſt primo Decembris 1510. cui ſubſtitutus a monachis Franciſcus de Montagnac eleemoſynarius dictæ abbatiæ, ex actis & inſtrumentis eccleſiæ Lemovicenſis.

IX. Johannes II. de Albuconio eligitur eodem anno.

X. Matthæus du Bois canonicus Lemovic. obiit 1565.

XI. D. d'Abbin de la..... an. 1595. ſchedulam regiam obtinuit pro hac abbatia & aliis. Vide in Granataria.

XII. N. Coquille 1670. & 1680.

XIII. N. Geneys 31. Octob. 1704.

ABBATIA REGULÆ.* * La Regle.

Regula Beatæ Mariæ, ordinis S. Benedicti monaſterium feminarum enumeratur ab anonymo aſtronomo, Ludovici Pii vitæ ſcriptore, inter ea monaſteria quæ de novo condita fuere in Septimania ab hoc principe. Vana itaque traditio illa eſt quæ cœnobii hujus S. Martiali acceptam refert originem. Nec minus falſa quæ Pippinum regem an. 763. erga illud munificum facit. Pippinus enim ille qui beneficia quædam huic monaſterio contuliſſe dicitur, non Galliæ ſed Aquitaniæ rex, filius nempe Ludovici Pii dicendus eſt. Ceterum in cenſu monaſteriorum facto ſub Ludovico Pio, anno 817. nominatur *monaſterium S. Mariæ puellare in Lemovicas* inter ea quæ Regi & regno nec dona, nec militiam debent, ſed ſolas preces. De priſca hujus parthenonis religione ac diſciplina teſtis egregius eſt Jordanus epiſcopus Lemovicenſis, qui in concilio Lemovicenſi ſuper apoſtolatu S. Martialis ſub annum milleſimum triceſimum habito dixit, quod monaſteria ejus urbis, videlicet S. Auguſtini & S. Martini, *necnon congregatio virginum in baſilica beatæ Genitricis-Dei Mariæ, ſancti ordinis reverentiam regulariter obſervent.* Hanc baſilicam Urbanus ſecundus anno ejuſdem ſeculi nonageſimo dedicavit. Poſt annos decem incendio conſumtum fuit cum multis aliis eccleſiis hoc monaſterium, cujus omnium propemodum ante id tempus abbatiſſarum nomina exciderunt. Reſiduarum ſeriem accipe.

Abbatissarum catalogus.

I. Guntrada, prima illius parthenonis abbatiſſa nominatur in vitioſo diplomate Pippini Aquitaniæ regis, quem eidem monaſterio impenſe munificum fuiſſe conſtat ex diplomatibus poſteriorum regum qui ejus donationes confirmarunt. Sedebat anno 837. ex Dom. de Verthamont libellorum ſupplicum in regia magiſtro a Sammarthanis laudato.

II. Deda ſoror Ademari Scalarum vicecomitis, anno 15. regnante Ludovico rege, ex chartulario Tutelenſi. Quædam vendidit Bernardo abbati Tutelenſi an. circiter 950. Vide hiſt. Tutel. lib. 1. p. 13. & in appendice col. 347. & 349.

III. Almois, ſeu Almodia, Bonæ-Sainæ monialis, eligitur abbatiſſa Regulæ circa annum 1155. de qua necrologium XI. die Septembris, *al.* XV. cal. Octob. ſcilicet in necrol. Bonæ-Saniæ.

IV. Maria I. de Limoges de Comborn, filia Ademari de Comborn & Bruneſendis vicecomitiſſæ Lemovicenſis, ex genealogia Gaufridi de Breuil cap. XLI. * præerat circa annum 1165. quo frater ejus Ademarus vicecomes Lemovicenſis in vivis agebat.

V. Amabilis, ſeu Mabilia an. 1180.

VI. Agnes I. abbatiſſa & totum capitulum

* Auctor iſte ſuum chronicon ad annum 1184. perduxit.

Digitized by Google

S. Mariæ de Regula de Lemovicis donant monaſterio Dalonenſi quaſdam pecias terræ 1198. ex chartulario Dalonæ. An eadem quæ cognominatur de Las Tours an. 1226.

VII. Germana 1233. & 1240. quo anno tranſegit cum Eliz & G. de Juliaco. Memoratur adhuc an. 1245. ex ſchedis V. C. Dom. de Verthamont & 1258.

VIII. Martina an. 1259. & 1262. 17. cal. Feb.

IX. Agnes II. de la Serre, ſoror Aimerici de la Serre epiſcopi Lemovic. electa fuit anno 1269. obiit vero 1272. ex Chronico MS. S. Martialis, ex quo etiam colligitur alium habuiſſe fratrem S. Martini Tutelenſis abbatem.

X. Sibilla eodem anno 1272. ſucceſſit, quæ moritur an. 1275. vel ſequenti, ex MS. codice S. Martialis.

XI. Lucia etſi canonice electa ſtatim a morte Sibillæ, minime tamen ante annum 1282. poſſeſſionem adepta eſt, æmulam videlicet neſcio quam paſſa cui nonnullæ ſuffragatæ fuerant moniales. Certe anno 1283. ipſa & Guido de Beynac miles contraxiſſe leguntur cum Geraldo de Sereilhac domicello, & Petro ejus filio. Vivebat adhuc annis 1307. & 1311.

XII. Siguina de S. Amant ann. 1313. 1322. 1326. & 1339. ex chartis Regulæ. Sepulta eſt in monaſterio, cum hoc epitaphio: *Hic jacet..... Seguina..... cui papa dedit.....*

XIII. Maria II. des Alloiz, Nicolai cardinalis Lemovicenſis germana, necnon Clementis VI. & Gregorii XI. conſanguinea, præerat anno 1344. Num eadem eſt ac Dionyſia de Rupe, Clementis VI. itidem affinis, quo volente legimus eam ex moniali Regulæ factam ejuſdem parthenonis abbatiſſam anno pontific. tertio, hoc eſt 1344. ad an. 1351. Transfertur Cuſſiacum, eodem ſummo pontifice etiam volente.

XIV. Margarita I. des Alloiz neptis præcedentis, anno 1354.

XV. Maria III. de Judicia, *de la Jugie du Puy*; Bonæ-Saniæ ſanctimonialis, ſoror Guillelmi & Petri cardinalium, ex Baluzio, ſedebat annis 1363. 1374. & 1389. quo anno vel ſequenti deceſſit; diuque poſtea vacavit ſedes. Anno 1395. Agnes de la Tour & Maria de Peyruſſe abbatiam adminiſtrabant. Mariæ abbatiſſæ mentio fit in necrol. Bonæ-Saniæ III. nonas Maii.

XVI. Johanna I. de Rochechouard vacuam ſedem obtinuit circa annum 1396. cujus parentes dom. du Fourny profert, Ludovicum vicecomitem de Rochechouard & Iſabellam de Parthenay dominam d'Aſpremont filiam Guidonis l'Archeveſque, domini de Soubiſe, & Guidonæ, *Guyone*, de Laval-loüé.

XVII. Maria IV. de Rochechouard neptis præcedentis, ab an. circiter 1404. ad an. 1410. ex chartis eccleſiæ Lemovic. aſſervatis in Biblioth. regia. *Memoires de Gaignieres.*

XVIII. Johanna II. de Rochechouard 1410. 1411. & 1413. ex libris recognitionum.

XIX. Iſabellis d'Amboiſe electa 1415. præfuit ad annum 1436.

XX. Catharina I. de Comborn, alumna Bonæ-Saniæ, circa hunc annum abbatiſſa Regulæ proclamatur, quæ anno 1451. eccleſiæ cameram inchoavit, ut liquet ex hac inſcriptione poſita in ſecunda columna: *K. de Comborn abbeſſe de ceans a fait commencer cette voute, l'an 1451.* Eadem abbatiſſa dedit monaſterio Coyreſiano prioratum de Cornac, in cujus doni memoriam anniverſarium ejus apud Coyreſium die 4. Novembris celebratur, quo in fata conceſſit, ex necrologio in hæc verba: *4. al. 3. Nov. * obiit donnus Catharinæ de Combornio abbatiſſe Regulæ Lemovicenſis futurum & in perpetuum.* In necrol. Bonæ-Saniæ obitus ejus conſignatur ad XII. cal. Oct. * *al.* x. Januarii

XXI. Catharina II. d'Aubuſſon ex prioriſſa de Charli diœceſis Bituric. regimini admovetur an. 1461. de qua legitur hæc inſcriptio: *Anno Domini 1468. veneranda domina K. de Albucione abbatiſſa iſtius monaſterii fecit fieri præſentem chorum.*

XXII. Margarita II. d'Aubuſſon amitæ ſucceſſit an. 1473. Obiit an. 1485. vel ſequenti.

XXIII. Anna I. de Maumont an. 1456. erat prioriſſa Bonæ-Saniæ; jam autem an. 1482. præerat ut abbatiſſa Regulæ, & adhuc 1490. Proindeque Margarita præcedens ante obitum ceſſiſſe dicenda eſt. In necrol. Bonæ-Saniæ memoratur Anna de Malmont XV. cal. Sept.

XXIV. Ludovica Beaupoil, ex D. du Fourny locum habet inter abbatiſſas Regulæ; ſed quo præciſe anno ſederit, non audet aſſerere. Id ſolum habet quod ipſius parentes Julianus Beaupoil & Gallienna Helie nupſerint anno 1443. ſororque illi fuerit Franciſca Beaupoil prioriſſa Regulæ, quæ deceſſit an. 1507.

XXV. Franciſca I. de S. Aulaire electa dicitur circa 1495. ſedebatque adhuc an. 1506.

XXVI. Margarita III. de Las Tours circa 1506.

XXVII. Catharina III. de Maumont, neptis Annæ de Maumont electa 1512. præerat anno 1522.

XXVIII. Carola I. de Maumont neptis Catharinæ 1535. 1553. 1569.

XXIX. Johanna III. de Bourbon-Lavedan, filia Johannis de Bourbon vicecomitis de Lavedan & Franciſcæ de Silly, ſororem habuit Ludovicam de Bourbon abbatiſſam Fontis-ebraldi. Ipſa autem monialis facta S. Crucis Pictavienſis, a Rege nominatur abbatiſſa Regulæ an. 1575. * Nonniſi tamen an. 1586. XII. cal. Maii bullas accepit annum agens 38. Tum vero permutatione facta cum Franciſca de Rohan 1594. fit abbatiſſa S. Trinitatis Pictavienſis, ubi vide. * *Alibi tamen dicitur abbatiſſa jam anno 1572. & 1582.*

XXX. Franciſca II. de Rohan, Franciſci de Rohan & Catharinæ de Silly filia, ex abbatiſſa, ut diximus, SS. Trin. Pictav. fit abbatiſſa Regulæ an. 1594.

XXXI. Maria V. Vidart, addito interdum cognomine, *de S. Clair*, deſignatur a Rege anno 1604. vel 1605. Bullas autem obtinuit pro coadjutrice anno 1612.

XXXII. Virgilia de Pont-Jarnault reſignavit ſequenti poſt biennium regiminis an. 1618.

XXXIII. Maurilia de Verthamont ſchedula

Digitized by Google

regia obtinuit abbatiam anno 1618. qua ceſſit anno ſequenti in gratiam ſororis ſuæ.

XXXIV. Johanna IV. de Verthamont, Martiale de Verthamont, Franciæ quæſtore, & Maria de Mauplo nobilibus parentibus orta, undevigeſimum duntaxat ætatis annum, quintumque ſui in vita monaſtica noviciatus menſem apud S. Laurentium de Allodiis agebat, quando cedente ſorore litteras regias pro abbatia Regulæ obtinuit, anno ſcilicet 1619. ultima die Octobris; cujus poſſeſſionem conſecuta eſt quinta Julii an. 1620. qua die ibidem profeſſionem emiſerat. Obiit plena meritis 12. Martii an. 1675. ſepulta in capitulo cum hoc epitaphio:

AUx tems & à l'éternité ici repoſe le corps de reverende & religieuſe dame, madame Jeanne de Verthamont. Se voulant conſacrer a Dieu, elle prit le ſaint habit de la religion le vingt & un de Juin de l'an 1619. dans l'abbaye de Noſtre-Dame des Alloys, fit ſes vœus ſolennels le V. de Juillet de l'an 1620. dans celle de Noſtre-Dame de la Regle, dont elle avoit eſté nommée abbeſſe par Sa Majeſté le dernier jour d'Octobre de l'an 1619. en conſequence de la demiſſion que luy en avoit fait madame Maurille de Verthamont ſa ſœur, elle en prit poſſeſſion le V. de Juillet de l'an 1620. Dieu luy donna les vertus avec la qualité d'abbeſſe, & du moment qu'elle le fut, elle s'appliqua, au peril meſme de ſa vie, a remettre l'obſervance reguliere dans ſon monaſtere qui n'en avoit plus que le nom; elle a retiré enſuite les biens alienez & uſurpez, a fait baſtir les dortoires, refectoire, chambres abbatiales, & preſque tous les autres lieux reguliers; elle a fait faire tous les ornemens qui ſont a l'égliſe; & en un mot, à conſiderer cette abbaye dans l'eſtat qu'elle la prit, & dans celuy où elle la laiſſée, on peut dire qu'elle la fondée, & a faite une maiſon nouvelle de la plus pauvre, & de la plus petite communauté une des plus nombreuſes & des mieux reglées qu'ait l'ordre dans le Royaume; le 2. de Janvier de l'an M. DC. LVI. elle fit, avec la joye de toutes ſes religieuſes, ſa coadjutrice madame Marie de Verthamont ſa niepce, qui luy a ſuccedé dans ſa charge & dans ſon zele, qu'elle a eu toûjours juſqu'au dernier moment fort grand, pour ſa perfection & celle de ſes filles; ſa bonne vie nous donne un tres-juſte ſujet de croire qu'elle la changea en une meilleure à ſa mort, arrivée le XII. Mars de l'an M. DC. LXXV. Abundate in opere Domini ſemper, ſcientes quod labor veſter non eſt inanis in domino. 1. Cor. 15.

XXXV. Maria VI. de Verthamont, Franciſci de Verthamont quæſtoris Franciæ generalis, & Johannæ de Chevaille filia, habitum religionis aſſumſit 22. Junii an. 1644. Obiit 1679.

XXXVI. Eliſabeth d'Aubuſſon de la Feuillade, ſoror Georgii Ebredunenſis archiepiſcopi, ex prioriſſa monialium Noſtræ Dominæ urbis Ricomagi, abbatiſſa S. Juliani de Prato apud Cenomanos, tum a Rege nominata ad abbatiam de Longo-campo prope Pariſios, a qua non obtentis bullis transfertur ad abbatiam Regulæ ſchedula regia data 21. Aprilis an. 1679. Obiit 12. *al.* 13. Martii an. 1704. cujus exſequias ad preces monialium curavit D. Franciſcus Redon abbas S. Auguſtini Lemovicenſis, cum ſuis monachis.

XXXVII. Maria VII. d'Aubuſſon de Banſſon deſignatur a Rege 22. Martii 1704. bullaſque obtinuit XI. cal. Junii ſequentis. Morte prærepta eſt anno 1705. menſe Junio; cujus item funus rogati monachi S. Auguſtini proſecuti ſunt.

XXXVIII. Johanna VIII. Flavia de Verthamont, nata Martialis de Verthamont domini de la Vaud, ex Iſabella de Lamberti, ipſo die Aſſumtionis B. Mariæ an. 1705. nominatur, benedicitur vero die feſto S. Johannis Evangeliſtæ ejuſdem anni. Hactenus feliciter præeſt.

ABBATIA BONÆ-SANIÆ. *

* Bonne-Saigne.

BONA-SANIA, ordinis S. Benedicti parthenon ſub patrocinio B. Mariæ in archipresbyteratu Gimelli, jacet in paludoſa planitie a qua & nomen Bonæ-Saniæ accepit (Sania enim vernacula lingua idem ſonat ac fundus pinguis & humidus) duobus milliaribus ab Uſſello & cœnobiis S. Michaëlis de Angelis, vulgo *S. Angel*, ac Meimaci diſtat. Romanæ ſedi immediate ſubjacet, locique domina audit abbatiſſa.

SERIES ABBATISSARUM.

I. JOVITA bullam accepit ab Alexandro papa III. anno 1165. XVIII. cal. Julii, ubi ſolummodo dicitur prioriſſa. Attamen in necrol. die VIII. idus Aprilis abbatiſſa nuncupatur.

II. Flora, cujus nomen in libro obituum conſignatur 4. Novembris.

III. Margarita I. de la Jugie, cujus obitus notatur 28. Julii.

IV. Almodia I. de S. Geat, *al.* de S. Gallo, *S. Jal*, 25. Julii obiiſſe memoratur.

V. Martha I. Brune, *al.* Matta-Bruna, 8. Mail occurrit in libro obituum.

VI. Almodia II. de Courailli, *al.* d'Eſcoraille 28. Julii locum habet in libro obituum.

VII. Almodia III. memoratur abſque cognomine IV. cal. Aug. quam tamen eandem eſſe cum præcedenti ſuſpicamur.

VIII. Gallarda I. de Ventadour 1220.

IX. Maria I. de Beaumont 1235. notatur in libro obituum 3. Aprilis.

X. Gallarda II. de Robert 1249. ad an. circiter 1263.

XI. Stephana de Chabanes 1263. 1267. & 1275. Recenſetur in necrol. III. nonas Julii.

XII. Martha II. *al.* Matha de Chaſteauneuf, filia Petri de S. Germain, domini de Chaſteauneuf & Burgundæ de Ventadour, & ſoror Petri archidiaconi de Combraille, præerat anno 1276. contendit cum Eblone vicecomite de Ventadour anno 1280. quo apud Bonam-Seinam erant moniales 45. & fratres donati 5. Superſtes erat 1285. obiit vero die 3. Aug. ex necrol. *Gallett.*

XIII. Aalix ſeu Elix de Ventadour memoratur an. 1292.

Digitized by Google

[a] XIV. Blancha I.[a] de Ventadour, foror Guidonis epiſc. Camer. & Vabrenſ. filia Eblonis VIII. vicecomitis de Ventadour, & Marg. de Bello-joco, ex hiſt. Arv. Baluz. p. 287. abbatiſſæ dignitatem obtinebat 1326. Donationes a Bernardo vicecomite nepote ſuo excepit annis 1338. & 1345.

XV. Gallarda III. Roberte 1347. 1348. Obiit die 21. Julii 1365.

XVI. Delphina I. d'Anglars 1365. pedum accepit, quod per annos 15. bellicos inter tumultus tenuit.

XVII. Gallarda IV. Roberte, neptis Gallardæ Roberte abbatiſſæ, præerat 1381. Terrarium monaſterii renovavit 1400. Eccleſiam de Mauſſac an. 1406. ipſi conceſſit Petrus de Mauſſac dominus de Blange ejus avus. Plures excepit donationes 1408. 1411. 1416. Teſtamentum condidit 1421. Memoratur adhuc 1428. obiit vero die 4. *al.* 5. Aug. 1434.

XVIII. Delfina II. de Chabannes, Roberti de Chabannes & Adelaidis de Bort filia, Antonii comitis de Dammartin Franciæ polemarchi ſoror, Jacobi item baronis de Curton & de la Paliſſe germana, e moniali Faræ-monaſterii fit abbatiſſa Bonæ-Saniæ an. 1435. renuitque Faræ-monaſterii [b] regimen ad quod vocabatur. Anno 1453. prædo quidam nomine Rigaldus cœnobium Bonæ-Saniæ invaſit ac depopulatus eſt. An. 1456. Delfina prioratum de Villevalets Blanchæ de Maumont contulit. Obiit die 24. Maii, *al.* Martii 1469.

XIX. Blancha II. de Gimel, Regulæ Lemovicenſis alumna, eligitur abbatiſſa Bonæ-Saniæ anno 1469. ætatis ſuæ 26. Interim vero Anna de Maumont nominata fuit a ſummo pontifice Paulo II. bulla data die 29. Januarii 1470. ſed fruſtra, quæ tamen poſtea evaſit abbatiſſa Regulenſis. Itaque Blancha poſſeſſionem adepta eſt an. 1470. ex diplomate pontificio dato die 29. Auguſti hujus anni. Denique ceſſit an. 1504. deſinente, in gratiam Margaritæ de Gimel ſuæ neptis.

XX. Margarita II. de Gimel ex reſignatione præcedentis poſſeſſionem adipiſcitur menſe Junio 1505. æmulam paſſa Johannam de Veyrac a nonnullis Bonæ-Saniæ monialibus electam, ſed hæc tandem cedere coacta eſt. Margarita igitur an. 1506. nepti ſuæ decenni tantum Mariæ de S. Chamant contulit prioratum de Champagnac, eidemque in extremis agens anno ſequenti * pe- *al. 1518.
dum dimiſit; ſed ut melius habuit, iterum quod ceſſerat ſibi vendicavit. Adminiſtrationem nihilominus alteri commiſit Maria, donec attigit annum trigeſimum; & hæc quidem vicaria non alia videtur exſtitiſſe quam Gabriëlis de S. Chamant abbatiſſa nuncupata anno 1529. quo ſe ad dandum prandium monachis ac presbyteris urbis Meimacenſis, qui die S. Marci ad monaſterium de Bonne-Saigne convenire ſolent, teneri agnoſcit. Tandem vero adepta regimen Maria anno 1537. amitæ prioratum de Villa-vallis & annuam *Ex archivo Alamacti.*
penſionem aſſignavit; quæ bellis ingruentibus iterum ad Bonam-Saniam regreſſa, ibi extrema fere pertulit, ac tandem ſame, & morbo exſtincta eſt die 6. * Januarii 1547. * *al.* calend. Maii.

XXI. Maria II. de S. Chamand filia Petri baronis de S. Chamand domini d'Eſcoraille & Margaritæ de S. Aulaire obiit 14. Martii 1555.

XXII. Catharina I. de Chabannes Curton, filia Joachimi marchionis de Curton, ex Catharina Claudia de la Rochefoucault tertia conjuge, abbatiſſa nominatur ab Henrico II. rege 26. Maii 1555. cum eſſet antea monialis Pruliæ, *Proüilles*, prioratus ord. S. Dominici, & hæc quidem prævaluit Margaritæ de Livron a Rege item nominatæ. Multa egregie præſtitit in gratiam ſui monaſterii. Prædones quoſdam temulentos, qui cœnobium invaſerant, comburi juſſit circa an. 1560. at biennio poſt talaſſiarcha Colinæus in ultionem & vindictam, Bonæ-Saniæ domum igne conſumſit. Obiit Catharina die 8. Aprilis 1605.

XXIII. Gabriëlis de Beaufort de Canillac die 20. Aprilis anni 1605. abbatiſſa renuntiatur a Rege, confirmaturque a Paulo V. ſummo pontifice 20. Aug. ejuſdem anni. Clauſuram in monaſterio inſtituit, novaſque edidit conſtitutiones, quibus ad meliorem illud obſervantiam revocaret. Tranſegit an. 1636. die 28. Octob. cum Franciſco du Cros de Beral priore & domino prioratuum S. Pantaleonis in diœceſi Lemovicenſi, de Leſcure & S. Juliani in diœceſi Rutenenſi; ex inſtrum. Montis-acuti. Quoſdam prioratus menſæ adjungendos curavit, humanum tamen aliquid paſſa, tum cum prioratus Villæ-vallis & Campaniaci, e menſa cui adhærebant, avulſos, neptibus ſuis Annæ & Mariæ Franciſcæ de Montmorin contulit. Illam denique, Annam [c] videlicet, aſſumſit co- [c]
adjutricem anno 1645. die 17. Julii, eidemque regimen ceſſit anno ſequenti; ac tandem obiit die 17. *al.* 18. Febr. 1651.

XXIV. Anna de Montmorin, Ludovici ex Maria de Beaufort Canillac filia, ab amita ſuſcipitur in monialem die 20. Octob. anno 1632. & in coadjutricem 17. Julii 1645. cui defunctæ ſubrogatur an. 1651. ſolemnem vero benedictionem accepit ab epiſcopo Tutelenſi Ludovico de Rechignevoiſin de Guron die 8. Sept. 1658. Pepigit an. 1660. 19. Novemb. cum Bernardo Gaye d'Aigleton, ex inſtr. Montis-acuti. Suum a congregatione Cluniacenſi cœnobium avelli & ordinario ſubjici fategit; cujus abbatiſſæ potiſſimum favore noſter D. Claud. Eſtiennot chartas omnes monaſterii diligenter evolvit an. 1676. Defuncta eſt 10. Julii 1683.

XXV. Claudia de Levis de Ventadour vitam profeſſa religioſam in Calenſi prope Pariſios monaſterio, ad regimen Bonæ-Saniæ evocatur; ubi cum ſtrictiorem obſervantiam inducere multis laboribus tentaſſet, pie obdormivit in Domino an. 1701.

XXVI. Catharina II. de Beauverger ex moniali S. Petri de Caſis, a Carola de Beauverger de

[a] Duas cognomines, imo fortaſſe tres, noſter D. Claud. Eſtiennot recenſet: alteram anno 1307. cujus obitum conſignat die 5. Junii: alteram quæ regimen auſpicata eſt 1326. & adhuc præerat 1345. locumque habet in necrol. VII. Junii: & aliam aut unam ex illis memoratam in necrol. nonis Aprilis, *al.* VIII. idus. Utra fuit ſoror Guidonis ep. &c. inquirendum.

[b] Martennius noſter abbatiſſam hujus monaſterii prædicat.

[c] D. du Fourny Mariam Franciſcam vocat, cujus parentes dicit Jacobum regii ordinis equitem & Gilbertam de Marconnay dominam de Montaret; at ſane perperam, nam omnibus omnino catalogis ad nos tranſmiſſis contrarius eſt.

Mongon abbatiſſa.....

Digitized by Google

Mongon abbatiſſa ..... in prioriſſam S. Saturnini de Valle-regia, *Vaurey*, diœceſis Anicienſis nominatur, cujus poſſeſſionem apprehendit 18. Febr. 1701. tum eodem anno menſe Auguſt. deſignatur a Rege abbatiſſa Bonæ-Saniæ, cui præerat adhuc an. 1170. Jam antea vero prioriſſa Vallis-Dei ab Henrico de la Rochefoucaut Caſæ-Dei abbate renuntiata fuerat.

les Alois

ABBATIA DE ALODIIS.

ALodii ordinis S. Benedicti parthenon, B. Mariæ & S. Laurentio ſacer, in declivi monticuli ſitus, ab epiſcopali civitate duabus leucis, paulo minus a S. Leonardo, ac fere tribus Solemniaco diſtat. Cluniaco paruiſſe videtur ex necrologio ubi legitur quod in feſto S. Scholaſticæ miſſa cantetur per monachum deſtinatum a viſitatore Cluniacenſi.

Series abbatissarum.

I. Blancha prioriſſa hujus monaſterii, tum abbatiſſa ſepulta eſt in monaſterio.

II. Ayzalina de Sarrau præerat anno circiter 1198. de qua ſic habetur in necrologio: *II. nonas Julii octava apoſtolorum dantur conventui pro Ayzalina de Sarrau abbatiſſa panis, vinum, carnes & caſei, & pro Raimundo de S. Paulo milite.* Item memoratur in necrologio IV. nonas Sept. ibique prima dicitur abbatiſſa.

III. Beatrix I. de Jovignac 1215. Ipſius meminit necrologium XVII. cal. Jul.

IV. Johanna I. circa 1225.

V. Alais 1231. cujus ita meminit necrol. v. idus Junii dantur conventui panis, vinum & carnes pro domina Alayda abbatiſſa.

VI. Almois 1236. Eadem haud dubie ac Almodia, pro qua ex necrol. dantur conventui panis, vinum & carnes.

VII. Folqua circa 1240.

VIII. Ozanna vel Auzanna, ſub qua degebant 50. moniales, an. 1279. menſe Sept. ſtatuit in capitulo ut quotidie duæ miſſæ dicerentur in eccleſia S. Mariæ de Alodiis pro benefactoribus, &c. In necrologio ſic habetur: v. idus Aprilis S. Gautherii, *al.* VI. id. Apr. dantur conventui pro Auſanna abbatiſſa panis, vinum & carnes.

IX. Volguda 1290. cujus ſic meminit necrologium: 2. cal. Nov. vigilia omnium SS. obiit Volguda abbatiſſa de Alodiis & dantur conventui panis, vinum, caſei & ova vel piſces.

X. Beatrix II. 1304. menſe Sept. & 1321.

XI. Falca ſeu Folca 1320. die Veneris poſt feſtum S. Hilarii, ſecundum veterem, ut conjicimus, computandi morem 1337. & 1345.

XII. Margarita I. Lamy ſexaginta nobilibus puellis præerat an. 1348. & 1354. cui ſucceſſit

XIII. Maria I. Audoyna, 1368. De ea fit mentio in chartis ann. 1378. & 1402. Obitus ejus in necrol. notatur VI. cal. Decemb.

XIV. Serena de la Boulyeris, *al.* de Larboulieras 1441. 54. & 59.

XV. Johanna II. de la Boulyeris neptis Serenæ, *al.* ſoror, præerat annis 1464. & 1469.

XVI. Margarita II. de la Boulyeras 1486. obiit 1512. Ejus anniverſarium notatur in necrol. die 19. menſis Aug.

XVII. Franciſca de Jovignac an. 1512. IV. nonas Aug. ſynodi Piſanæ Lugdunum ad tempus tranſlatæ litteris inſtituitur abbatiſſa ex ceſſione ſuperioris cujus erat neptis. Curavit an. 1519. die 19. Julii campanam in honore S. Johannis Bapt. benedici. Vivebat adhuc 1543.

XVIII. Margarita III. de Jovignac 1556. 58. & 60. Deceſſit an. 1595. die Jovis 16. Nov. *al.* 15. hora ſecunda matutina. Anniverſarium fundavit.

XIX. Iſabellis de Jovignac 1595. 1600. & 1612.

XX. Suſanna de Beaufort de la Vergne, Petri de Beaufort toparchæ de la Vergne in Combralia & ipſius pagi Combraliæ gubernatoris filia, ob minorem ſequentis ætatem abbatiſſa nominatur, cui poſtea ceſſit * an. 1626.

* *al.* deceſſit

XXI. Judith I. de Jounhac de Fourſat ſextum ætatis annum ſolummodo agebat quando Iſabellis amitæ coadjutrix nominata fuit an. 1612. Cum itaque junior eſſet tempore obitus præfatæ Iſabellis, Suſanna de Beaufort in ejus locum ſuffecta eſt ad annum 1626. quo Judith regimen capeſſivit die 2. Dec. Obiit autem 12. Jan. an. 1669.

XXII. Judith II. de la Baume de Fourſat eodem anno 1669. die 8. Julii poſſeſſionem adepta eſt, tenuitque ad annum 1715. quo obiit die Maii 21. anno ætatis 87. In ſchedis tamen nonnullis ſatis accuratis occurrit Delphina de Vaugué ſeu de Vogué, *al.* de Vaugé * abbatiſſa die 24. Decemb. 1699.

XXIII. N. Pichon filia domini Pichon præſidis infulati in parlamento Burdegalenſi & N. Daffis, profeſſionem emiſit in parthenone Benedictinarum Burdegalenſium die 26. Julii 1680. eidem poſtea præficitur monaſterio, tandemque nominatur abbatiſſa de Alodiis 9. Julii 1715. Bullas accepit 15. Nov. poſſeſſionemque iniit 6. Decemb. ejuſdem anni.

ABBATIA SS. TRINIT. DE DORATO.

Conditum eſt in urbe Doratenſi cœnobium SS. Trinitatis, anno 1624. a Johanna Guiſcard de Bourbon abbatiſſa SS. Trinitatis Pictavienſis, annuentibus tum abbate, canonicis, & conſulibus de Dorato, tum epiſcopo Lemovicenſi Raimundo de la Marthonie; quo imprimis favente hoc ipſo anno, die 3. Octobris tres e præfato SS. Trinitatis Pictav. parthenone ſanctimoniales miſſæ, novi cœnobii poſſeſſionem apprehenderunt.

I. Catharina de Biron de Salagnac prima fuit abbatiſſa, & quidem perpetua, deſignatione abbatiſſæ SS. Trinit. Pictav. Præfuit ab an. 1624. ad an. 1652.

II. Johanna de Barbezieres de Chemeraut ſucceſſit ad an. 1663. quo diem clauſit extremum an. ætat. 64. die 29. Martii.

* In nuntiis publicis, *les Gazettes*, dicitur abbatiſſa S Clara d'Allois.

Digitized by Google

III. Franciſca d'Aſnieres ad triennium eligitur abbatiſſa die 10. Aprilis 1663. & iterato ad alterum triennium an. 1666. die 19. Octobris.

IV. Magdalena de la Hitte de Gaſparde ad triennium abbatiſſa nominatur die 29. Novembris, & ſex diebus tantum ſedet; mortua die 3. Decembris.

V. Franciſca d'Aſnieres tertio abbatiſſa renuntiatur an. 1670. die 3. Maii, elapſoque triennio ad aliud eligitur die 30. Maii an. 1673. ſuperſtes ad an. 1676.

Benevent.

ABBATIA BENEVENTI.

BENEVENTUM ſancto Bartholomæo ſacrum, ordinis S. Auguſtini, inchoatur anno 1028. in loco de Secondelas duabus leucis ab urbe Lemovic. ſumtibus Roberti canonici Lemovicenſis. Ita Sammarthani. Hæc autem prima fundatio plurimum adaucta eſt ſub annum 1073. ab ipſomet eccleſiæ Lemovicenſis capitulo, ea lege ut ad ipſum ſpectaret prioris ſive præcentoris ſive ſacriſtæ confirmatio, deberetque eccleſia Beneventana capitulo prædicto centum ſolidos annuæ penſionis, *necnon recipere dominos canonicos faciendo curſum decimarum in prædicto monaſterio, & eiſdem tradere prandium, necnon claves horreorum in ſignum ſuperioritatis, qui de eiſdem diſponere poſſunt, prout eiſdem bonum videbitur; & debet prior ſeu abbas homagium fidelitatis eiſdem dominis in ejus nova poſſeſſione; & prædicti domini, ſede abbatiali vacante, habent adminiſtrationem dicti monaſterii, & abbas eſt canonicus natus in eadem eccleſia, habetque groſſum & vocem in capitulo*, ex veteri pancharta beneficiorum diœceſis Lemovicenſis. Chartam vero integram hujuſce dotationis habes inter inſtrumenta. Quod ſtatum præſentem ſpectat, vacat hæc abbatia, tum abbate, tum aſcetis, ab an. 1693. quo menſa abbatialis epiſcopatui, conventualis autem capitulo Quebecenſi attributæ ſunt. Sequentes ſeu priores, ſeu abbates in monumentis eccleſiæ reperimus.

C. XLII. col. 198.

SERIES ABBATUM.

I. BERNARDUS prior Beneventi 1279.

II. Hugo 1357.

III. Stephanus Benedicti in canonicum Lemovicenſem receptus an. 1374.

IV. Ludovicus I. Foucaudi abbas, obiit 12. Januarii 1466.

IV. Petrus Foucaudi electus poſt triduum, *al.* 16. Jan. nobilis & militaris generis ab utroque parente, confirmatus a capitulo Lemovic. die 9. Febr. accepit poſſeſſionem die 13. Febr. 1466. ſucceſſit Ludovico Foucaudi, cujus tempore circa an. 1459. prioratus Beneventi in abbatiam evectus eſt. Memoratur Petrus in bulla Sixti papæ IV. an. 1478. Defunctus eſt 1510.

V. Ludovicus II. Foucaudi confirmatur abbas a capitulo Lemovic. 15. Julii 1510. Legimus tamen in chartis eccl. Lemov. aſſervatis in biblioth. Regia Marcum de Rourgue militem eccl. Lugdunenſis abbatem commend. de Benevento proviſum a papa, IV. cal. Decemb. 1510. receptum fuiſſe in canonicum Lemovic.

VI. Foucaudus de Bonneval 1522. epiſcopus Sueſſion.

VII. Franciſcus Rincon 1545. & 46.

VIII. Carolus Foucaud de S. Germain Beaupré, filius Gabrielis domini de S. Germain Beaupré & Johannæ Pouſſart, frater vero Ludovici Foucaud Franciæ mareſcalli, præerat an. 1638.

IX. Paulus Peliſſon Fontanier libellorum ſupplicum magiſter, vir in litteraria republica maxime notus, unus e 40. academiæ linguæ Gallicæ proceribus, abbas erat 1680. Obiit 7. Febr. 1693. abbas etiam Gimundi in diœceſi Auſcienſi & prior S. Orientii Auſcienſis.

l'Eter.

ABBATIA STIRPENSIS.

STIRPUM l'Eſterp, vulgo tamen l'Eter, S. Petro ſacrum, ordinis S. Auguſtini, octo leucis ab urbe epiſcopali, undecim Engoliſma, quatuordecim Pictavis & una ab amne dicto, *le gay des plaies*, diſſitum, conditur a nobiliſſimo viro Jordano Abonis filio & uxore ejus Dia, qui cum aſſenſu liberorum ſuorum, Jordani ſcilicet atque Boſonis, ſive Aimardi, ſimulque Rainaldi Karrofenſis abbatis, matrici Sedi apoſtolicæ ſanctiſſimi Petri apoſtolorum principis dederunt manſum cum capella quæ vocatur, *Stirpis*, cum decima & omnibus ad ſe pertinentibus, *ubi monaſterium*, inquiunt, *conſtruimus ad nomen & gloriam ſanctæ & individuæ Trinitatis, & memoriam ipſius S. Petri, de rebus noſtræ proprietatis, ubi habitet clerus & populus ab omni noſtro ſervitio & omnium heredum ac proheredum noſtrorum liber & abſolutus, tantummodo ſubjectus ſit Romano pontifici & rectoribus hujus loci & clero ſibi commiſſo*, &c..... *ut habeant ea perpetuo jure, nullo noſtro contradicente herede aut ſucceſſore cedimus, & de noſtro jure & dominatione, in jus & poteſtatem S. Petri apoſtolorum principis, in ſpeciales uſus abbatum atque rectorum, cum ſibi ſubjectis canonicis transfundimus*, &c. Annus fundationis in charta authentica ex qua hæc depromſimus, quamque integram videſis inter inſtrumenta, deſideratur. At vero ſimile eſt confectum fuiſſe hoc inſtrumentum circa annum 1032. quo Gualterius ex canonico Dorati Stirpenſis abbas evaſiſſe dicitur. Hujus & ſequentium abbatum brevem hiſtoriam accipe.

C. XXXIX. col. 194.

SERIES ABBATUM.

I. GUALTERIUS ex canonico Dorati factus abbas [a] anno circiter 1032. qui cum in Aquitania natus eſſet ex nobilibus parentibus, ab ineunte ætate mundum ſprevit, & totum ſe contulit ad pietatis & litterarum ſacrarum ſtudia. Carus fuit Victori II. qui ipſi poteſtatem ligandi & ſolvendi peccatores ampliſſimam dedit. Quanto plus miſericordiæ impendebat in alios, eo magis in ſe ſæviebat jejuniis, vigiliis, flagellis. Pervenit tamen ad octogeſimum, annum & obiit 5. idus Maii an. 1070. Vita B. Galteri abbatis Stirp. &

[a] Ita nuncupatur in legendis & in proprio canonicorum Regul. congregationis Gallicanæ die Maii XI. videtur tamen fuiſſe tantum præpoſitus ſeu ſuperior fratrum Stirpenſium, uti ſucceſſor ejuſdem Ademarus; certe Ivo Carnotenſis hujus cœnobii præpoſito ſcribit epiſt. 69.

Digitized by Google

comitis de Chateauvieux auctore Marbodo tunc Andegav. archid. poſtea ep. Redon. habes apud Bollandum[a]. Factus eſt poſtea cum S. Petro patronus monaſterii, ut patet ex pluribus chartis donationum Deo, & S. Petro, ſanctoque Gauterio, Stirp. eccl. ac canonicis inibi Deo famulantibus factarum an. 1133. &c. In inſtrumento quoque dedicationis eccleſiæ S. Amantii Buxienſis factæ 17. cal. Decembris anno 1170. inter abbates qui adfuerunt, legitur *abbas S. Gauterii Stirpenſis.*

[a] Habetur item pag. 145. libri cujus titulus eſt : *Hiſtoire ſacrée de la Vie des ſaints principaux & autres perſonnes plus vertueuſes, qui ont pris naiſſance, qui ont vécu, ou qui ſont en veneration particuliere en divers lieux du dioceſe de Limoges tiré fidellement des archives de pluſieurs anciennes abbayes du Limoſin, ou autres documens authentiques de la meſme province. Par J. Collin. A Limoges, chez Martial Barbou 1672.*

II. Ademarus, patre Gaufrido Ecoliſmenſi conſule ſeu comite, Petronilla matre, ex abbate ſeu præpoſito eccleſiæ Stirpenſis, eligitur Ecoliſmenſis epiſcopus anno 1076. poſt mortem ſcilicet fratris ipſius Willelmi, quæ contigit hoc anno 12. cal. Octobris. Monachorum amans prædicatur, quos per Ecoliſmenſem diœceſim, quoad potuit, propagavit, auditus aliquando dicere, ſe cupere unamquamque ſuæ diœceſis eccleſiam eſſe prioratum monachorum.

III. Fulcherius circa hunc annum ordinatur abbas a Widone Lemovicenſium præſule. Primus videtur abbatis nomen & inſignia geſſiſſe ; eique dum præfuit plures memorantur factæ donationes. Is eſt profecto F. abbas Stirpenſis qui cum J. abbate Floriacenſi laudatur in bulla Urbano II. ſuppoſita ab Humbaldo Lemovicenſi epiſcopo, apud Baluz. Miſcell. lib. 6. p. 408. anno 1094. *melius* 1093.

IV. Walterius ſeu Gauterius & Gualterius 1093. indictione prima, epacta XX. quo anno pridie cal. Aprilis Umbaldum Lemovicenſem epiſcopum, tum etiam fundatorum monaſterii nepotes beneficos experitur ; vide chartam inter inſtrument. Idem Gauterius a Willelmo epiſcopo Umbaldi ſucceſſore eccleſiarum de Caſtro-Confluento inveſtituram accepit. Rigaldus quidam ei conceſſit quidquid habebat in eccleſia S. Marci, an. 1101. indict. X. epacta nulla, concurrente 1. Item anno ſequenti indict. X. epacta nulla, concurrente 1. Petrus de ſancto Marco donavit ei quoſdam hortos, de mandato patris ſui, cum conſilio procerum Albuconenſium.

C. XXV. col. 180.

V. Geraldus.

VI. Ranulfus abbas occurrit 1123. imo jam anno 1113. Paſchalis papa II. bullam ei direxit, qua libertatem burgi Stirpenſis, & dona dominorum Cabanenſium, Jordanis, qui adhuc ſupereſt, & prædeceſſorum ejus, quæ pro animarum ſuarum ſalute eccleſiæ Stirpenſi contulerunt confirmat, VI. idus Aprilis, indict. V. pontificatus ſui anno 13. Conio filius Conionis de S. Germano quaſdam alodii ſui partes Deo & S. Petro, ſanctoque Gauterio Stirpenſis eccleſiæ in manu Ramnulfi abbatis dimiſit an. 1133. indict. XI. epacta XII. concurrente VI. Ceterum annis triginta præfuiſſe monaſterio teſtatur epitaphium ſequens quod etiamnum in eccleſia parochiali legitur. Sepultus autem fuerat in abbatialis baſilicæ navi, quæ deinde facta eſt parochialis ſub titulo S. Magdalenæ, ejuſdem choro ſeu capitio canonicis Regularibus contentis :

Ecce Deo gratus latet hic Ramnulfus humatus,
Paſtor condignus, plus abbas, virque benignus,
Qui per ter denos vitæ moderamine plenos
Annos regnavit, commiſſos rexit, amavit,
Menſe ſub Auguſto migrat de corpore, Chriſto
Vivit adhuc multus fama jam carne ſepultus.
Pro famulo Chriſti requiem cant.te miniſtri.

VII. Iterius ſeu Icterius ab Innocentio II. bullam accepit, qua Stirpenſem eccleſiam inter & Cellenſem inita concordia Willelmi Pictavorum epiſcopi ope, in præſentia capituli utriuſque eccleſiæ & abbatum Iterii Stirpenſis & Johannis Cellenſis, confirmatur ; ita videlicet quod Stirpenſis eccleſia nihil amplius in eccleſia S. Mariæ de Cella quæreret, præter ſexaginta ſolidos denariorum Andegavenſis monetæ, quos canonici S. Mariæ de Cella, apud Tuiſetum annuatim Stirpenſibus ſolvant ; datum XV. cal. Maii indict. XI. pontificatus D. Innocentii papæ II. anno 5. Idem Willelmus Pictav. epiſcopus abbates Iterium Stirpenſem ac Geraudum Agedunenſem conciliavit, ſuper parochiali jure ac decimis eccleſiæ S. Paxentii ; teſtes fuerunt Maſcelinus abbas S. Cypriani &c. anno 1140. Ludovico rege Francorum & Aquitanorum duce, feria III. epacta nulla, ind. III. Luna XV. Pictavis in capitulo B. Petri. Geraudus etiam Lemovic. epiſcopus Iterio abbati confirmavit inveſtituram eccleſiarum de Caſtro-Confluento ; teſtes ſunt Amblardus abbas S. Martialis, Petrus Lauterius archidiaconus, Geraudus decanus & archidiaconus, &c. Helias abbas Scotorenſis ſeu Doratenſis. Occurrit abbas Icterius anno 1148. in collectaneis monaſterii beatæ M. Cellenſis, & 1158. in veteri eccleſiæ Lemovicenſis inſtrumento. Idem quoque tranſegit cum Petro abbate S. Martialis anno 1163. quando celebratum eſt concilium Turonis a felicis memoriæ Alexandro III.

VIII. Boſo Willelmi de Matha filius, cui anno 1179. bullam direxit Alexander papa III. Laterani datam nono calendas Maii indict. XIII. pontificatus ſui anno vigeſimo, qua monaſterio ſub beati Petri & ſua protectione ſuſcepto confirmat eccleſias S. Georgii de Alvicanio, S. Maximi & S. Michaëlis de Confluento, eccleſiam S. Dionyſii & eccleſiam S. Hilarii de Rivarenne, eccleſiam S. Petri & eccleſiam S. Petri de Cabaniſio, eccleſiam S. Petri de Nantolio, cum pertinentiis ſuis & eccleſiam S. Chriſtophori. Hunc vero ſub finem XII. ſeculi ſocietatem precum iniiſſe cum Odone, primo, ut videtur, ab inſtaurata in monaſterio Brantoſmenſi diſciplina abbate, aſſerit D. Claud. Eſtiennot. Is eſt procul dubio B. qui cum S. * epiſcopo Lemov. a Lucio papa delegatus, concordiam fecit inter abbatem Exoldunenſem & priorem S. Cyrici ; ex charta S. Cyrici. Sed non ita certum eſt, ipſum eſſe de quo Innocentius III. 1198. lib. 1. epiſt. conqueritur ad Bituricenſem archiepiſcopum, ut contra abbatem Stirpenſem diffamatum inquirat.

* Subrando

IX. Guillelmus I. 1249.

Digitized by Google

X. Gaufridus Rabata 1338.

XI. Guillelmus II. de la Chaſſanha tempore Innocentii papæ VI. annis 1354. & 1355.

XII. Amelius 1362.

XIII. Guillelmus III. *humilis ddminiſtrator perpetuus* monaſterii Stirpenſis 1393. & 1398.

XIV. Guido 1405. 1423. & 1435.

XV. Johannes I. Tripier 1445. & 1456. In chartis vero eccleſiæ Lemovic. memoratur ad annos 1457. & 1459. ſed jam antea reſignaverat, ut videtur.

XVI. Johannes II. d'Armagnac abbas commendatarius 1457. & 1465. fuit Caſtrenſis epiſcopus.

XVII. Bertrandus de Montibus, Sedis apoſtolicæ protonotarius, abbas commendatarius 1481. & 1482.

XVIII. Clemens de Brilhac epiſcopus Tutelenſis, abbas commend. 1507. Poſt cujus obitum electi ſunt Blaſius Normand rector eccleſiæ parochialis de Stirpo, & Bertrandus de Rupe-amatoris camerarius; at ſententia vicarii generalis Lemov. 25. Maii 1515. electio Blaſii rite facta declaratur, qui tamen abbas nullibi reperitur.

XVIII. Johannes III. de Reilhac Sedis apoſtolicæ protonotarius, abbas commend. monaſteriorum Stirpenſis & Angeriacenſis, 1516. 1520. & 1522. obiit in caſtro de Preignat an. 1547.

XIX. Johannes IV. de Reſere 1546.

XX. Guillelmus IV. Ruzé Regi ab eleemoſynis, 1569.

XXI. Medericus du Vic de Sarret, ſereniſſimi Andium ducis eleemoſynarius, ac libellorum ſupplicum magiſter, 1573. poſtea vicarius generalis abbatis ſequentis 1581.

XXII. Carolus I. cardinalis presbyter tit. S. Euphemiæ, nuncupatus de Rambouillet, 1581. & 1597.

XXIII. Jacobus Brouſſaudier bullas obtinuit a Clemente VIII. pontificatus anno 7. datas Ferrariæ die 9. Junii 1598. in quibus abbatia taxatur ad 500. florenos aureos; vivebat 1611.

XXIV. Jacob de Phelippeaux ſenator Pariſienſis 1614. obiit 1647.

XXV. Maximilianus Alpinus de Bethune 1647.

XXVI. Carolus II. Franciſcus de la Vieuville, epiſcopus Redonenſis, quo auſpice canonici Regulares Gallicanæ congregationis in monaſterium Stirpenſe inducuntur, die 15. Januarii 1657. Obiit 20. Jan. 1676. etiam abbas S. Launomari Bleſenſis.

XXVII. Ludovicus Philippus Daniau * de Viſé Stirpenſis abbatiæ poſſeſſionem obtinuit die 29. Octob. 1676. cujus commendam abſque bullis pontificiis ad annum ſaltem 1714. poſſedit, qui cum nuper ſacerdotio initiatus eſſet, vicarius generalis epiſcopi creatus eſt.

* *al.* Damneau.

ABBATIA DALONENSIS.

DALONA ſeu Dalonum vel Dalonium B. M. nobile pagi Lemovicenſis monaſterium, condi cœpit a Geraldo de Salis plurium aliorum parente anno 1114. qui Dalonenſem locum ſilva obſitum accepit a viris nobiliſſimis Geraldo & Golferio de Turribus, Euſtorgio Lemovic. epiſc. confirmante. Horum omnium teſtes ſunt litteræ ad calcem rejectæ. Diſtat hic locus leucis duodecim ab urbe Lemovicenſi, ſex a Petragoricenſi, quinque a Brivenſi, & una ab oppido S. Roberti in quo præpoſitura eſt monaſterio Caſæ-Dei ſubjacens. Cœnobium vero quod nullius erat ordinis in exordio ſuo [a], ceſſitque non multo poſt Ciſtercienſi, de linea Pontiniaci, ſitum eſt in valle, ſecus Dalonium qui influit in fluviolum *de Lauvezere*, alium a Viſera, *la Vezere*, intra fines parochiæ S. Silveſtri de Teilloux. Dalonenſis abbatiæ honorifica mentio fit in optimæ notæ vita Stephani Obazinenſis abbatis, cujus in libro 2. dicitur nullum regulare monaſterium in illa regione tunc fuiſſe præter Dalonenſe. Recenſetur etiam in epiſtola 125. Innocentii papæ III. Ipſius porro dignitatem teſtatur quod in ea olim tria clauſtra, monachorum, converſorum & hoſpitum exſtitiſſe legimus, quodque etiamnum ei ſeptem ut minimum abbatiæ ſubſint, nempe Bullium, Palatium, Bonus-locus in Marchia, Pratum-Benedictum, Albiniacum, Locus-Dei & S. Leonardi monaſterium. His adde baſilicam auguſtam & amplam etſi nave carentem, quam Angli, ut creditur, everterunt. Erat & ſpecialis S. patri Benedicto nuncupata eccleſia, deſtructa jam pridem & dicta Capella abbatis. Nunc inveſtiganda ſeries abbatum ex chartis maxime ipſiuſmet monaſterii, quibus a fine 13. ſeculi ad finem 15. deficientibus magnus hiatus relinquitur.

C. XLV. col. 201. C. XLVI. col. 201.

[a]

Bulæ. t. iv. Miſcell. pag. 108.

ABBATUM SERIES.

I. GERALDUS de Salis poteſt dici primus abbas Dalonis; vide in abbatia de Ponte-alto tom. 1. pag. 1183.

II. Rogerius patria Lemovicenſis, ex Chronico Malleacenſi primus Dalonenſis abbas a fratribus poſt obitum Geraldi de Salis, cum jam ordini Ciſtercienſi nomen dediſſent, eligitur an. 1120. ſedetque ad annum 1159. quo migravit ad Dominum pridie calendas Junii. Interim vero temporibus Innocentii papæ Romam profectus, ab eodem ſummo pontifice & Lucio ſucceſſore privilegia duo impetravit; idemque abbatiam in pago Ruthenico, Locum-Dei vocabulo, inſtituit, ubi vide; ac ſocietatem iniit cum Petro abbate Caſtrenſi, vide inſtrumenta tom. 1. pag. 13. col. 1. Huic abbati vicecomes Lemovicenſis Ademarus pedagia remiſit, atque leidas rerum omnium in terra ſua, ita ut nullus ſuorum hominum a fratribus Dalonæ præſumat ea exigere. Datum in præſentia Euſtorgii Lemovicenſis epiſcopi; hancque donationem Guido & Ademarus fratres vicecomitis eidem Rotgerio confirmarunt. Item Golferius de Turribus, Agnes uxor ejus, Guido & Oliverius eorum filii, Deo concedunt & B. Mariæ in manu Rotgerii abbatis manſum de Pinac. *Factum eſt hoc in die quo primum celebrata eſt miſſa apud Dalonum, in monaſterio novo & præſente D. Eu-*

[a] Mabill. ordini Benedictino vindicat, ſtatuitque in parochia Segoniaci inter Viſeram ſuperiorem & Viſeram inferiorem fluvios.

Digitized by Google

ſtorgio epiſcopo, omnique circumſtante clero & populo; quod ſuper altare ſollempniter firmavimus & firmiter conceſſimus. Anno 1146. Guillelmus Talaſerii comes Engoliſmenſis pedagium &c. in omni terra ſua remittit, ac Dei ſervitoribus donat terram de la Colre, &c. in manu Rotgerii abbatis.

III. Amelius, Rogerii ſucceſſor ex eodem chronico, ſedebat an. 1159. Ab Oliverio de Turribus donum accepit, cujus etiam uxoris, Almodis nomine, exſequiis interfuiſſe dicitur, cum ſubditis ſibi abbatibus novem apud Arnacum, ut teſtatur Goffridus Voſienſis. Ipſi Petrus Fulcaldi, Valeria uxor ejus, & Garrens ſoror Valeriæ dederunt medietatem terræ quæ dicitur Mainil. Eidem quoque Raimundus vicecomes Turennæ manſum de Las Treilas conceſſit; quod Talairans ejuſdem vicecomitis gener ratum habuit apud Martellum, anno ab Incarn. Domini 1167.

IV. Willelmus I. frater erat Hugonis II. comitis Ruthen. ex charta donationis ei factæ anno 1174. ab eodem Hugone, quam habes in appendice. Ebolus quoque vicecomes Ventedornenſis Willelmum hunc conſanguineum ſuum vocat in ſuis ejuſdem anni litteris, quibus ipſi pedagium in omni terra ſua dimittit. Præerat autem jam an. 1171. quo Bulgius comes Engoliſm. Willelmi filius, privilegium patris Rotgerio abbati anno 1146. conceſſum firmavit in manu Willelmi abbatis, apud villam de Segunzaco juxta eccleſiam in caminata.

C. XLVII. col. 203.

V. Johannes I. 1177. quo anno Archambaldus abbas S. Petri Solemniacenſis cum conſilio & voluntate monachorum ſuorum ei & fratribus ejus concedit littora ex una parte ſtagni nemoris Dalonenſis, quantum eis commodum & neceſſarium fuerit ad conſtructionem ſtagni & molendini, ad cenſum duorum ſextariorum ſiliginis, ad menſuram de Geniz, &c. Eodem anno epacta XVIII. indict. X. Johannes abbas Dalonis medietatem bordariæ de Las Vernas & plura alia prædia comparavit. Anno ſequenti Archambaldus vicecomes de Comborn, Jordana uxor ejus, & Archambaldus eorum filius libertatem a pedagio in omni terra ſua concedunt domui Dalonis. *Factum eſt hoc* apud Obazinam in manu D. Johannis abb. Dalon. anno ab Incarn. Dom. 1178. VIII. cal. Decemb. quod privilegium eidem Johanni eodemque anno apud Tutelam confirmavit Helias vicecomes, filius prædicti Archambaldi. Huic etiam Ademarus vicecomes Lemovicenſis eo die quo Jeruſalem proficiſcebatur, quædam largitus eſt, pro emendatione malorum quæ domui Dalonenſi fecerat, an. 1179. VI. die Julii, Guidone filio confirmante. Præſentes fuerunt Stephanus Bernardi & Petrus de Chamblazaco monachi, Petrus de la Boaria, Ademarus de Buiſſac, &c. converſi Dalonenſes. Teſtes Raimundus vicecomes Torenenſis, Eblo vicecomes de Ventedorn, Bernardus S. Aredii decanus, Eſchivas de Chabanes, Ademar de Nova-villa, &c. Hoc ipſo anno idibus Junii abbas idem beneficum expertus eſt Heliam de Noallas filium Guillelmi. Datum apud Caſtrum de Archaſola.

VI. Geraldus *de Miramont* annis 1180. * & 1192. plura ſuo acquiſivit monaſterio. Idem concordiam fecit cum venerabili capitulo eccleſiæ S. Frontonis Petragoricenſis, ſuper decimis domus de Tahalpetit ſitæ in parochia S. Urſæ, cujus dominium ad dictum capitulum pertinebat. *Facta autem eſt hæc compoſitio* anno ab Incarnatione Domini 1181. epacta III. concurrente III. Domino Alexandro papa III. D. Petro Petragoric. epiſcopo, Philippo in Francia regnante, Ricardo comite Pictav. ducatum Aquitaniæ gubernante. Helias d'Aien & Otho frater ejus plurima donant in manu D. Geraldi abb. apud Dalonium in eccleſia S. Benedicti abbatis, idibus Maii an. 1182. Biennio poſt VI. cal. Febr. Raimundus vicecomes de Torenna dat eccleſ. Dalonenſi in manu Geraldi abbatis plenam libertatem domorum, quas eccleſia præfata apud Torennam poſſidet, &c. Hujus rei teſtes ſunt Robertus abbas Obazinæ, &c. Eodem anno Geraldus abbas plurium donationum ſeu libertatum confirmationem accepit ab Ademaro vicecomite Lemovic. Factum hoc apud Exidolium; & rurſus a Guidone filio vicecomitis, apud Segur; quod uterque denuo confirmavit eodem anno apud Martellum: item ab Aimerico de Salanac & filiis ejus Ramnulfo & Aimerico, terram Davidalac & plures alias poſſeſſiones obtinuit anno 1186. Anno præcedenti menſe Auguſto, die S. Stephani, concordiæ inter W. abb. Voſienſem & Obaſinenſes monachos interfuit. Cum autem Willelmus de Tauron ſex libras ad illuminandum cimiterium Dalonenſe per noctem contuliſſet, quatuor ei Geraldus abbas ſextarios frumenti cenſuales conceſſit ad faciendum prædictum luminare in perpetuum. Actum in communi capitulo Dalonenſi anno 1187. Sequenti anno Heliam de Telol & fratres ejus beneficos expertus eſt. Inſuper Bertrandus de Born & Bertrandus filius ejus fratribus Dalonis concedunt bailiam manſi de Urtic & condaminarum de Podio de Conchis, eo pacto ut omni die una præbenda tribuatur in eleemoſynam pauperum ad portam pro peccatis ſuis & parentum ſuorum redimendis; *Hanc vero petitionem conceſſit dominus Geraldus abbas Dalon. conſilio fratrum ſuorum Bertrando de Born in perpetuum conſervandam. Factum eſt hoc anno ab Incarnat. Dom. 1189. IV. cal. Julii apud Autafort in eccleſia, in manu D. Geraldi abbatis.* Hoc ipſo denique anno pridie cal. Novembris Geraldus de Segonzac decimarius & fratres ejus medietatem bailiæ decimæ omnium poſſeſſionum quas fratres Dalonenſes poſſeſſuri erant in parochia de Segonzac, dederunt in manu domni Geraldi abbatis, qui viciſſim participes eos fecit omnium ſpiritualium bonorum quæ fiunt in Dalonenſi monaſterio, additis viginti ſolidis: *Actum apud Dalonum juxta ſepulturam D. Rotgerii abbatis.*

* *Vide in Saibrando ep. Lemov. ultimo an.*

VII. Petrus 1192. in charta Guidonis Archambaldi de Felicio, præſente Girberto priore, &c. teſtis Ademarus vicecomes Lemov. & Guido vicecomes filius ejus. Memoratur an. ſequenti in charta Guidonis Galairans apud la Vaiſſe. Forte autem is eſt Petrus de Brenac qui Dalonis erat prior an. 1183.

Digitized by Google

VIII. Arbertus jam 1193. ex hiſtoria Solemniaci. Memoratur 1194. in dono Bernardi de Pairac apud abbatiam Palatii facto, & 1195. in charta Aimerici Bruni.

IX. Johannes II. Dalonenſis abbas VI. idus Januarii 1196. obtinet privilegia ab Archambaldo vicecomite de Comborn. Bertrandus de Born & Iterius frater ejus volentes ſatisfacere Deo & B. Mariæ & fratribus Dalonis, pro damnis & injuriis quas eis fecerant, urgentibus guerris, plura eiſdem donant. Charta autem donationis ſic explicit: *Nos quoque ipſos ita offerimus & exponimus fratribus Dalonis, quod omnes res eorum in omnibus locis pro poſſe noſtro tueri & defendere promittimus, non ſolum a nobis & a noſtris, ſed etiam ab omnibus hominibus, jurantes hæc omnia, tacta divina & ſacratiſſima lege. Factum eſt hoc anno ab Incarn. Domini 1200. in capitulo Dalonenſi, in manu D. Johannis abbatis*, &c. Quo quidem anno Stephanus de Turenna erat converſus Dalonæ ex charta Dominici de Petra-fumata, ſigillata a Raimundo vicecomite Turennenſi pro conceſſione foreſtagii de Las Bedenas. Memoratur adhuc annis 1203. & 1208. Golferius item de Turribus dedit eidem Johanni decimas in parochia de Tellol, an. 1205. apud S. Vincentianum. Teſtes fuere Arnaldus de Montinac & Ademarus de Rinac monachi & cellerarii Dalonis, Helias Mala-fayda & Geraldus Mala-fayda, &c.

Hiſt. domus Arv. l. iv. C. xi. pag. 299.

X. Willelmus II. cui Baluzius patrem Ricardum Ruthenenſem comitem ex acquiſitione facta anno 1209. & fratrem Hugonem II. comitem vindicare perperam videtur (hæc enim ad priorem Willelmum pertinent ex dictis) præerat jam anno 1211, qui anno ſequenti XII. denarios cenſuales accepit a Guidone de Gallo, præſente Stephano de Baiſſac priore Dalonenſi. Interfuit an. 1214. capitulo generali Ciſtercienſi; recenſeturque adhuc annis 1220. & 1221.

XI. Bernardus Gaudini ex priore monaſterii 1218. & 1220. abbatis nomen obtinebat anno 1223. IV. calend. Martii & 25. Junii. Itemque 1224. quo anno Johannes de Exidolio Dalonenſi monaſterio dedit omnia paſcua totius terræ ſuæ in manu B. abb. Dalonenſis. Teſtes Guido prior Dalon. Ademarus de Coulonges, Ebrardus curſor abbatis, &c.

XII. Guido de Mala-fayda erat prior Dalonis 1221. & 1224. abbas vero 1228. & 1229. Abdicavit deinde.

XIII. B. 1230. præſente domno Guidone prædeceſſore ipſius, inquit charta hujuſce anni. Guido Mala-fayda quondam abbas domus Dalonis, Ademarus de Rinhac prior & G. de Banhac converſus compromiſſores amice conciliant Ebrardum de Telhol cum abbate Dalonenſi, an. 1231. in feſto S. Luciæ virginis. Hic autem B. abbas annum 1240. attigiſſe dicitur.

XIV. Johannes III. de Ungres erat prior 1242. abbas autem reperitur 1244. 15. Febr. & 1247.

XV. Guillelmus III. abbas 1251.

XVI. Martinus 1256.

XVII. Guillelmus IV. abbas Dalonenſis vendidit duos ſolidos renduales quos habebat ſuper quadam domo ſita in villa podii S. Frontonis, fratribus B. M. de Petroſa, anno 1278. in feſto S. Martini hyemalis; ex inſtrumento Petroſæ. Hic ingens abbatum hiatus, cujus cauſam incendio duplici quo monaſterium fuit abſumtum tribuere haud temere poſſumus.

XVIII. Stephanus abbas Dalonenſis concordiam fecit cum Helia abbate de Groſſo-boſco an. 1435. ex charta B. Mariæ de Groſſo-boſco.

XIX. Johannes IV. Helias de Colongis, in legibus baccalaureus, domini papæ protonotarius, & abbas commendatarius B. Mariæ Dalonis ac S. Petri de Turturiaco, ord. S. Benedicti, 1489. & 1494. Memoratur in litteris Franciſci I. datis an. 1529. menſe Maio, ex regeſto archivi regii Pariſ.

XX. N. de Las Tours chorum exſtruxit.

XXI. Carolus de Rupe-forti abbas commend. obtinuit prioratum S. Angeli 1615. quem reſignavit Franciſco de la Fayette; abbatiam vero ſub penſione dimiſit ſequenti.

XXII. Claudius Meallet abbas regularis, ceſſit in favorem ſequentis, diemque poſtremum obiit Brivæ.

XXIII. Franciſcus de la Fayette primus Annæ Auſtriacæ Francorum reginæ eleemoſynarius & epiſcopus Lemovicenſis, parentes habuit Claudium de la Fayette dominum de Haute-feüille & de Nades, & Mariam d'Aligre, ſedebat anno 1675. obiit vero 3. die Maii 1678. * ætatis ſuæ an. 86.

Du Fourny grands maiſtres de l'artillerie. edit. 1676. ætatis 84. melius, ut puto.

XXIV. Ludovicus de la Fayette Franciſci nepos deſignatus abbas 14. Auguſti 1676. ſedebat an. 1712. ſimul abbas Granatariæ diœc. Lucion. & Validi-montis diœceſis Rotomagenſis.

ABBATIA BONI-LOCI.

Boniloc.

BONUS-LOCUS Ciſtercienſium abbatia, Dalonarum filia, in Marchia ad fluviolum nomine Tardam conditur an. 1121. apud manſum de Mazerolles in parochia de Peyrato, pontificante Euſtorgio Lemovicenſi. Congregationi monachorum & exædificando cœnobio Amelius caſtellaniæ Cambonenſis in Combralia toparcha, fundum dono dedit, cum præfato manſo de Mazerolles, quod Rogerio abbati Dalonenſi oblatum eſt, ut diploma chartularii Boniloc. exponit. Edidimus inter inſtrum. Habuit igitur hoc monaſterium munificos benefactores Amelium Cambonenſem, Guillelmi, & Archembaldi abbatis S. Petri de Dorato fratrem, cujus Amelii conjux Aleydis, liberique Alardus & Aubertus, conceſſerunt medietatem pagi vicani de Anglia; & alteram portionem fundi in quo ſita eſt abbatia, contulerunt nobiles duo e territorio Marchiæ Radulfus de Catena, & Conſtantius du Pontel: commemorandi ſunt quoque inter donatores Aldebertus comes Marchiæ, filiuſque cognominis, ac Boſo, qui dominia Villæmarini, Dunlevadæ & alia largiti ſunt; Hugo Bruni comes Marchiæ, Guillelmus comes Arverniæ, Guillelmus Borbonienſis dominus Montiſlucionis, vicecomites Lemovicenſes, Bruciæ, de Combornio, antiqui etiam vicecomites de Albuconio Rainaldus, Guido

C. XLIII. col. 199.

Digitized by Google

filius vicecomes Albuconenſis, ceterique ex hac A ſtirpe nobiles dynaſtæ, qui plures toparchias memoratæ abbatiæ conceſſerunt, uti etiam dynaſtæ Rupis-Aymonis, domini de S. Juliano a ſtirpe Chambonia, de Gouzon, de S. Prix, de S. Domet, & de S. Avit, quorum tumuli ſpectantur in baſilica Boni-loci, quam conſecravit an. 1232. 29. Septemb. Guido [a] epiſcopus Lemovicenſis. Abbatum nomina hîc ſubjungimus, quæ Sammarthanis exhibuit Franciſcus le Tonnelier Boniſlocenſis prior hac ſerie quam auximus.

ABBATUM CATALOGUS.

I. PETRUS I. DE S. JULIEN primus abbas B. B M. Boni-loci (Geraldus enim qui excepit donationem fundatoris, neque abb. neque prioris ſed ſolum magiſtri & ſervi Dei titulo inſignitur) inſtitutus a Rogerio Dalonenſi archimandrita, vitæ regularis aſſertor fuit & reſtaurator; Adalbertus comes Marchiæ, Guillelmus de Borbonio dominus de Monluçon Albam terram, Rainaldus vicecomes Albuconenſis, & alii plurimas villas dederunt. Jacet ante altare capellæ S. Juliani, ſeditque ab anno 1121. quo fundatur cœnobium, uſque ad annum 1151. quo vivis exemtus eſt.

II. Geraldus du Montel, ex monacho Boni-loci eligitur, ac eo ſedente Hugo de Cambonio 1171. C donationem patris Amelii confirmavit. Item Guillelmus de la Roſiere de Toule multa bona erogavit abbatiæ, mortuus circa 1174.

III. Johannes I. de Comborn an. 1174. teſtis in charta Guidonis vicecomitis Albuconenſis apud caſtrum ſuum ſcripta idibus Decemb. eccleſiam & clauſtra perfecit, plurimaſque eidem immunitates contulerunt vicecomites Bruciæ, Lemovicenſes; & Archembaldus Combornii, cum Jordana uxore, donant libertatem ab omni pedagio in terris ſuis apud caſtrum de Pompadour an. 1184. VIII. idus Maii, præſentibus Guillelmo abbate Voſienſi, & Ademaro de Brucia. Ad meliorem vitam tranſ- D iit 1195. quo Ademarus vicecomes Lemovicenſis dedit etiam immunitatem a pedagiis.

IV. Bertrandus de S. Marc, ortus ex nobili familia Marchiæ; interiit anno 1200.

V. Thomas I. electionis ſuæ anno mortuus.

VI. Armandus, obtinuit litteras a comitibus Marchiæ & Arverniæ pro feodis Boni-loci, tum etiam privilegiorum confirmationem ab Innocentio 3. pont. max. pro eodem monaſterio, Romæ apud S. Petrum anno 1205. Helias, Albertus, & Alardus domini de S. Julien qui jacent in Bono-loco, eidem contulerant pagos de Sermanzanes E & du Cros; Aymo & Bernardus de la Roche decimas parochiæ de Champagnac & manſum de la Faye. An. 1206. ſubſcripſit teſtamento Guidonis comitis Arvernorum profecturi contra hæreticos, quo teſtamento centum ſolidi dantur cœnobio Boni-loci. Vide probationes hiſtoriæ domus Arvern. Stephani Baluzii pag. 83. & inſtrumenta noſtra. Tandem fato functus eſt Armandus 1215.

C. XLIV. col. 200.

[a] Geraldus epiſc. jam an. 1141. VII. cal. Nov. Innocentio papa II. cœmeterium benedixit, & locum qui prius vocabatur Mazerola, Bonum-locum nominavit, & conventum ibi tenuit, altare conſecravit, abbatem & conventum ibi inthronizavit; ex chartul. Dalonenſi.

VII. Emericus de S. Hilaire. Ei Bernardus de la Roche donavit pagum de Reiberes, defunct. 1224.

VIII. Guillelmus I. Bertrand e dominis de S. Pris, qui dederunt olim Bono-loco pagum de la Villate, ſedit Guidone Lemovicenſi præſule, ac obiit anno 1227.

IX. Petrus II. de Rueterre, ex priore Boni-loci unius anni fuit abbas.

X. Hugo mortuus 1230.

XI. Johannes II. de Meinſac præfuit abbatiæ ſexennio, & poſtea regimine ejus ſe abdicat.

XII. Reginaldus I. Vallette ex cellerario, 1239. Reddidit ſpiritum 1260.

XIII. Ademarus de quo charta recognitionis feodi Hugonis de Alayraco militis facta Johanni domino Borbonii 1265. & 1280.

XIV. Bernardus, vivere deſiit 1296.

XV. Thomas II. de Beaumont diſſidium habuit cum comite Arverniæ pro terra du Betoul, & abbatiam rexit decem annis.

XVI. Ebolus, plurima eccleſiæ bona acquiſivit, fato functus 1334.

XVII. Guillelmus II. de Genouillat, e dominis ejus loci apud Marchianos, litem habuit cum nobilibus qui poſſeſſiones invaſerant, ideoque obtinuit diploma ab Innocentio VI. papa an. 3. pontificatus, quod exſecutioni demandatum eſt per abbatem S. Auguſtini Lemovicenſis & officialem; tandem e vivis abiit 1368.

XVIII. Pardulfus de Leyders, antea cellerarius, diſceptavit cum Renato domino de S. Julien, de propugnaculo monaſterii. Poſtquam præfuiſſet 30. annis, interiit 1393.

XIX. Johannes III. Marianus, *al.* de Mordet, ex priore, ſedit ſeptem circiter annis, jacetque in capitulo.

XX. Rogerius de S. Avit, filius Johannis domini de S. Avito, frater Bertrandi ſeneſcalli Marchiæ, mortachus Prati-Benedicti, deinde abbas Columbæ, juvenis præficitur difficillimis temporibus, ac bellis graſſantibus inter domos Burgundicam & Aurelianenſem, an. ſaltem 1422. ſub quo adminiſtrante, ejus frater monaſterium ſtrenue defendit, unde protector monaſterii nuncupatur & benefactor; jacet in ſepulcro gentilitio hujus familiæ in abbatia Boni-loci, ibidem tumulatus cum eodem Bertrando 1438. præfuit vero annis circiter 40.

XXI. Petrus III. de S. Avit Bertrandi filius, Rogerii nepos, condidit domum abbatialem, & monaſterium ſummopere auxit, ultimus abbas regularis.

XXII. Guillelmus III. de S. Avit, Petri ex fratre nepos, primus commendatarius & archimandrita ſancti Gilberti; quam abbatiam permutavit pro prioratibus B. Mariæ de la Contau, & S. Johannis de la Cour juxta Albuconium. Deceſſit 1495. ſepultus in capella ſacriſtiæ.

XXIII. Guido de S. Avit, filius Claudii domini de S. Avito, reſignatione patrui. Sedit 40. & amplius annis, defunctuſque die SS. Innocentium 1540.

XXIV. Franciſcus des Greniers dominus de la Sagne in Lemovicibus.

Digitized by Google

XXV. Johannes IV. Damolettes.

XXVI. Johannes V. de S. Avit nepos Guidonis, antea prior Domus-Dei prope Toarcium, & des Puits, quod beneficium permutavit pro præpoſitura de Chambon. Ædificavit is caſtrum du Mazeau juxta Bonum-locum, proviſus etiam de prioratibus de Peirat, & S. Lupi des Landes, ubi diem ſuum obiit.

XXVII. Johannes VI. de S. Avit, ex fratre nepos ſuperioris abbatis, inſtigante Johanna d'Arbouville nobili fœmina, cœnobium reſignavit in manus fiduciarii, tribuſque poſt menſibus deceſſit an. 1572. poſtquam abbatia fuiſſet adminiſtrata centum & ſeptuaginta annis a familia de S. Avit. Johanna autem ſecundis nuptiis juncta fuit Gilberto de Maleſſay domino de Chaſtellus in Marchia, qui cum duodecim circiter annis hoc beneficio potitus fuiſſet, tandem abdicavit in gratiam

XXVIII. N. domini de Bigny, qui ea abbatia ſpoliatus eſt propter hæreſim. Ipſi ſucceſſit

XXIX. Annetus de la Roche-aymon, nobili genere ortus, Franciſci domini de la Roche-aymon ex Franciſca le Loup filius. Jacet in eccleſia de Meinſac in ſepulcro gentilitio dominorum de la Roche-aymon.

XXX. Reginaldus II. de la Roche-aymon ſuperioris abbatis gentilis, mortuus an. 1646. tumulatur in eccleſia patrum Oratorii d'Effiat in Arvernia.

XXXI. Nicolaus I. de la Sagne de S. Georges præerat cœnobio Boni-loci anno 1649. Abdicavit in favorem ſequentis.

XXXI. Nicolaus II. de Montagnat ſenator in parlamento Pariſienſi, abbas erat 1670. Nuptias deinde contraxit.

XXXII. Nicolaus de Saignes S. Georges iterum.

XXXIII. N. Seicault cantor & canonicus eccleſiæ collegiatæ S. Niſerii Lugdunenſis, necnon major vicarius generalis domini de S. Georges archiep. Lugdun. 12. Junii 1702. deſignatur abbas 1707. die feſto Pentec.

A

B

C

D

SERIES ABBATUM.

I. STEPHANUS primus abbas inducitur a noſtro D. Claud. Eſtiennot.

II. Bernardus abbas Bulienſis reperitur in veteri charta Uſerciæ, una cum Stephano Obaſinæ, & Ademaro Voſienſi abbatibus ſub Geraldo epiſc. Lemovic. qui ſedere coepit anno circiter 1144. Præerat adhuc an. 1151. ipſiuſque fit mentio in fragmento necrologii VII. idus Martii.

III. Rainaldus occurrit abbas an. 1160.

IV. Johannes I. 1184. & 1191.

V. Geraldus an. 1200. cujus meminit necrologium IX. cal. Novemb.

VI. Bargudus ſeu Bargaudus memoratur in obituario VII. idus Martii; vivebat autem circa an. 1220.

VII. Bartholomæus circa 1223. ex chartul. Dalon. & 1240. notatur in necrologio die 14. Aug. *al.* 13.

VIII. Petrus 1248.

IX. Johannes II. 1270.

X. Willelmus obiit XI. die Aug. anni 1300. ex necrologio.

XI. Itherius vivis exceſſit IX. cal. Jan. 1326. ex fragmento veteris necrologii.

XII. Raimundus 1379.

XIII. Petrus de Gaing abbas Bullionis & adminiſtrator perpetuus Caduini, an. 1471. die 8. Aug. tranſegit cum Arturo de Montauban Burdegal. archiepiſcopo. In charta Obaſinæ memoratur an. 1473. vivebatque adhuc anno ſeq. quo librum recognitionum fieri curavit. Vocatur de Gand in charta eccleſ. Lemovic. 1491.

XIV. Johannes III. Giraud de Giſcours 1684. & 1687. Hic plura bona monaſterii a dominis d'Oradour uſurpata recuperavit.

XV. Johannes IV. de Lezay de Luzignan 24. Decemb. 1691.

XVI. Jacobus Poiſſon, Regis, ac ducisſæ Burgundiæ capellanus, abbas Burgi-novi & Bulienſis 1703. & 1714.

ABBATIA BULII.

le Beuf *vel* le Beuil.

BULIUM ſub patrocinio beatæ Mariæ, ordin. Ciſterc. filia Dalonarum, inchoatur ſeu potius unitur congregationi Ciſterc. an. 1123. X. cal. Maii; de qua unione conqueſtus eſſe dicitur Rogerius abbas Dalonenſis & ad S. Bernardum epiſtolam dediſſe, qua eum ſimilem eſſe dicit homini habenti 99. oves & ſurripienti oviculam pauperis ad laute excipiendum amicum ſuum. Ita noſter D. Claud. Eſtiennot, qui hanc quidem epiſtolam ſe fruſtra quæſiviſſe tum in Dalonenſi tum in Bulienſi tabulariis fatetur. Fundationem vero idem acceptam refert Ramnulfo de Nieuil abbati Doratenſi qui circa an. 1122. ibidem ſepultus fuiſſe dicitur. Situm eſt in valle duos inter ſaltus, juxta Glanetam, *al.* Glaniam rivulum, tribus ab urbe Lemovicenſi leucis, non procul ab oppido S. Juniani ad Vigennam in agro Lemovicenſi.

ABBATIA PRATI-BENEDICTI.

Pré-Benoiſt.

PRATUM-BENEDICTUM beatæ Mariæ, ord. Ciſtercienſis, filia Dalonarum, in officialatu de Gueret, & limite provinciarum Bituricæ & Marchiæ prope Creuſam fluvium conditur a toparchis de Maleval an. 1140. & dotatur a vicecomitibus Bruciæ, quorum quidam ante majorem aram viſuntur tumuli: abbatum indiculus ex membranis monaſterii, ac ſchedis dom. de Marolles eo tenore deſumtus eſt.

ABBATUM SERIES.

I. BERNARDUS 1162. in charta donationis Willelmi de Nozerinnes.

II. Elias 1182. nominatur in charta Bernardi vicecomitis Bruciæ pro fratribus Boni-loci. Memoratur jam anno præcedenti in compoſitione Geraldi abb. Dalonenſis & Aldeburgis abbatiſſæ Santon. ex chart. Dalon.

III. Archembaldus

Digitized by Google

III. Archembaudus in litteris ſub ſigillo Sebrandi Lemovicenſis epiſcopi, quibus cedit Odo Dolenſis fratribus Prati-Benedicti omnes conſuetudines terrarum. Factum an. 1191. apud Caſtrum-Melanum.

IV. Willelmus, cui Odo de Dolis dominus Caſtri-Melani, Agnes uxor, Radulphus & Ebbo filii, dant abbatiæ Prati-Benedicti locum in villa Caſtri-Melani ad domum conſtruendam 1204.

V. Benedictus. Reperitur ejus mentio in donatione Radulfi Dolenſis & filiorum Ebbonis & Radulfi, domui Dalonenſi & monachis Prati-Benedicti facta, de omni poſſeſſione in nemore de Ladrula 1208.

VI. P. anno 1214.

VII. J. in quadam concordia anni 1215.

VIII. Johannes I. cui & cœnobio Prati-Benedicti Aubertus dominus de Mala-valle concedit quamdam terram, confirmatque omnes donationes Guillelmi patris & deceſſorum 1223.

IX. Raimundus,[a] ut apparet ex venditione ipſi facta anno 1273. menſe Januario. Exſtat in archivis teſtamentum Rogerii de Brocia. Datum Dominica ante feſtum Magdalenæ 1276. quo delegit ſepulturam ante majus altare.

X. Geneſius, una cum conventu Prati-Benedicti, concedit domum Chodeirier ſub quodam reditu bladi an. 1279.

XI. P. abbas pacem facit cum Margarita de Dolis domina de Bociaco ſuper querelis 1288.

XII. Hugo concordiam facit die feſto S. Crucis 1300.

XIII. Petrus I. de S. Avit 1375. 1376. & 1379.

XIV. Johannes II. de Brollaco 1394. & Rogerius de S. Avito nuper monachus dicti monaſterii, & tunc abbas Columbæ, ſuper quibuſdam querelis concordiam faciunt 27. Novemb. 1398. Hic notatur feciſſe etiam plures tranſactiones an. 1397.

XV. Johannes III. de Nozerinnes, inter quem & Johannem dominum de Grociaco fit permutatio hereditagii in parochia Rupis de Domo-Forti & Caſtro-Lucio 1402. 25. Januarii.

XVI. Petrus II. de Bordia oppigneravit in cenſum molendinum de la Moliere 26. Aprilis 1405.

XVII. Johannes IV. de Petra anno 1419. adcenſat hereditagia 1421. vivebat & 1425.

XVIII. Philippus Robinet tranſegit de quodam diſſidio menſe Januario an. 1436. Hujus nomen reperitur in tabulis adhuc 1438.

XIX. Johannes V. de S. Julien commendatarius abbas Prati-Benedicti & Podii-Ferrandi 1490. 1491. 1514.

XX. Olivarius 1522. protonotarius ſanctæ Sedis apoſtolicæ, abbas Prati-Benedicti, ejuſque conventus, quædam hereditagia in cenſum donant in parochia S. Defiderii an. 1525. die 4. menſis Maii; vivebat & 1539.

XXI. Johannes VI. de Ribinghes, baccalaureus facultatis Pariſienſis, abbas & Noſtræ-Dominæ de Bolonia, 25. Febr. 1545.

XXII. Bartholomæus I. Mounier commendatarius 1548.

XXIII. Franciſcus de S. Julien anno 1548. 1551. 1555. & 1557.

XXIV. Bartholomæus II. Mounier 1568.

XXV. Ludovicus I. de S. Julien ex dominis S. Vauri in Lemovicibus an. 1572. & 1574.

XXVI. Simon du Mas 1578. 10. Septemb. proviſus regia ſcheda reſignatione præcedentis, & 29. Sept. 1586.

XXVII. Johannes VII. de S. Julien 1599.

XXVIII. Johannes VIII. d'Eſtampes 1612. & 1614.

XXIX. Matthæus de Verthamont, decanus S. Stephani Lemovicenſis, abbas 1621. obiit circiter 1639. Monaſterium auxit & decoravit.

XXX. Ludovicus II. Sauvat, canonicus ſacræ capellæ de Vivario in Bria 1676.

XXXI. Guillelmus-Antonius de Beauvais de Chaſtelus obiit circa 1691.

XXXII. N. Boſcq 14. Auguſti 1706.

ABBATIA DE PALATIO.

Palait-Noſtre-Dame.

PALATIUM B. MARIÆ, monaſterium ordinis quondam Benedictini, poſtea Ciſtercienſis cui unitum eſt an. 1162. inchoatur a B. Geraudo (de Salis) & abſolvitur a B. Rogerio abbate Dalonenſi, cujus monaſterii filia eſt.

SERIES ABBATUM.

I. ARBERTUS abbas de Palatio & Johannes de Albuçonio ejuſdem monaſterii monachus nominantur in charta Brandiz ſeneſcalli regis Anglorum an. 1194. ex chartul. Dalon.

II. Johannes de Colonjas an. 1211. reſignaverat, & in cœnobio S. Martialis monachum agebat, ex Chronico Bernardi Itherii armarii ſancti Martialis.

III. Guillelmus abbas de Palatio B. Mariæ an. 1257. quædam conceſſit domui Glanderienſi, ex tabul. hujus domus in regia bibl. aſſervato.

IV. Audoinus d'Aubuſſon, filius Johannis domini de la Borne & Margaritæ Chauveron, abbas erat 1463.

V. Guichardus d'Aubuſſon epiſc. Conſeran. ſimul erat abbas Palatii.

VI. Franciſcus Jaille, ſacræ theologiæ profeſſor, 1533. ex veteri charta Luminis-Dei.

VII. Robertus d'Aubuſſon, filius Franciſci domini de la Feüillade regii ordinis equitis, abbas Palatii, cujus pater obiit an. 1611.

VIII. N. du Pouget de Nadaillac obiit menſe Julio 1707.

IX. N. de France Montalbanenſis 14. Aug. 1707. moritur 1709.

X. N. de Mauchan, *al.* Mouchant, 14. Aug. 1709. abbas etiam Florani.

XI. N. de la Deveſe deſignatur abbas Palatii a rege Chriſtianiſſimo, in ſolemnitate omnium Sanctorum 1710.

[a] In capitulo abbatiæ Nigri-lacus legitur hoc epitaphium: *Hic jacet Dom. Raimundus abbas Prati-Benedicti.*

Digitized by Google

ABBATIA OBASINÆ.

OBASINA in vicecomitatu Combornii fundatur a Stephano, qui in pago Lemov. honeſtis parentibus, patre Stephano, matre Gauberta genitus, clericali primum militiæ adſcriptus eſt & presbyter ordinatus: pro molli veſtimento cilicium induit, pro ſuavi cibo, pane arido ſuis lacrymis emollito veſci voluit, balneo ſæpe uſus media hyeme in congelatis aquis, quarum glaciem ſecuri fregerat. Hic aſſumto ſocio, nomine Petro, qui presbyter quoque erat, cœpit quærere locum ab hominum conſortio ſeparatum, in quo ſedem figeret; tandemque pervenit ad ſaltum Obaſinenſem ubi reperit locum, duabus [a] tantum leucis diſſitum a Tutela urbe, præruptis hinc inde ſcopulis cinctum, poſitum ad Correſiam fluvium, *la Courreze*, qui ei non parvam præſtat amænitatem. Hunc ad habitandum ſibi delegit, ubi ab exordio acerbiſſimam aliquandiu paſſus eſt inediam, Euſtorgio epiſcopo Lemovicis tunc ſedente. Ab initio cœnobium fuit duplex, unum pro viris, alterum pro feminis [b], ad quod pœnitentiæ & converſionis cauſa confluxerant etiam nobiliores. Apud utrumque ſexum altum ſilentium diu noctuque ſervabatur, aſperrimus erat veſtitus, cibus parciſſimus & viliſſimus; quæ omnia fuſe deſcribuntur in B. Stephani vita, quam edidit Baluzius tom. IV. Miſcell. *

[a] *Vide etiam collect. Bolland. die 8. Martii.*

Cum diu anceps fuiſſet de deligendo inſtituto, canonicorum Regularium, an monachorum; tandem cum conſilio Aimerici Arvernorum epiſcopi hoc amplecti cum ſuis decrevit, accepitque a Dalonenſi cœnobio magiſtros. Poſtea vero an. 1142. in Dominica Palmarum, præſente Geraldo Lemovicenſi epiſcopo, monachus effectus eſt a quodam abbate, & ipſe ſtatim in abbatem benedicitur. Aliquot elapſis annis, cum Eugenius papa III. anno 2. ſui pontificatus in Galliam veniſſet, ac Ciſtercii tantiſper moraretur, ad eum acceſſit Stephanus, rogans ſe ſuoſque in ordine Ciſtercienſi ſuſcipi. Obſtabat inprimis huic unioni, quod feminas ſimul & viros regeret, id enim a Ciſtercienſium abhorrebat inſtituto; ſed ſpes fuit abolendorum paulatim omnium, quæ ordini adverſarentur. Poſt hæc, duo alia condidit monaſteria, unum in Caturcenſi diœceſi, ſcilicet Guardam-Dei, alterum in Santonenſi dictum Frenadam, cui dedit abbatem Robertum, tertium poſtea Obaſinæ abbatem. Reliquum vitæ B. Stephani curriculum proſequemur in abbatum hiſtoria, quam nunc juvat ſubjicere.

ABBATUM SERIES.

I. BEATUS STEPHANUS e vico de Vielge parochiæ Baſſignaci ſuperioris in diœceſi Tutelenſi oriundus, Obaſinæ primus auctor & abbas fuit, cui Archambaldus vicecomes manſum de la Corbeira cum quadam parte Obaſinenſis ſilvæ dedit in eleemoſynam, ubi monaſterium in honore ſanctæ Dei-Genitricis ſemperque virginis Mariæ, & B. Johannis-Baptiſtæ, ſanctique Petri apoſtoli, & omnium SS. Dei a prædicto abbate & cohabitatoribus ejus conſtructum eſt. Nominatur in chartul. annis 1152. 53. 56. & 57. Eidem Stephano manſum de Las Cheſas Stephanus de Scorralia conceſſit. Prior Obaſinæ ſolummodo nuncupatur in dono vicecomitiſſæ Turenenſis Boſonis relictæ, facto pauperibus Obaſinæ apud eccleſiam S. Mariæ de Baldran commorantibus, Geraldo epiſcopo & rege Lodoico. Memoratur cum Ademaro abbate Voſienſi & Bernardo abbate Bulienſi, in charta Uſerchiæ, quæ facta eſt ſub Geraldo epiſc. Lemovicenſi. Obiit in monaſterio Bonæ-aquæ VIII. * idus Martii Domin. 2. * *al.* VI. Quadrageſimæ anno ab Incarnat. Domin. 1159. multis miraculis in vita & poſt mortem clarus, cujus ſepulcrum egregio conſtructum opere cernitur in collaterali parte eccleſiæ ante altare S. Stephani Ciſterc. abbatis. Ejus fit mentio in necrologiis Obaſinæ & Coyreſii, VII. idus Martii, quem ita depinxit Rainardus abbas Ciſtercienſis, quando ipſum in capitulo congregatis aliis abbatibus obtulit: En cernitis, domini fratres, abbatem hunc corpore modicum, ſtatura brevem, habitu deſpicabilem, vultu deformem, ſed quidquid in eo videtis, totum ſpiritu ſancto & fide plenum ſciatis.

II. Geraldus I. poſtea abbas Guardæ-Dei in Cadurcis, Obaſinenſis archimandrita a Willelmo Roberti donum accepit, factum apud S. Palladium an. 1159. *quo advenerunt in hac terra duo reges Francorum & Anglorum.* Eodem anno terram de Chadabec ab Archambaldo vicecomite Combornenſi accepit. Item an. 1160. Raimundum vicecomitem de Toronia beneficum expertus eſt, rege Lodoico & epiſcopo Giraldo. Ipſe vero Geraldus abbas ſub iiſdem rege & epiſcopo anno 1163. dedit centum ſolidos de Barbarinis Guillelmo vicecomiti de Braſzach pro manſo vicecomitali de Platea-Dalic, &c. Ejus anniverſarium celebratur in monaſterio de Coyreſio, die VIII. Martii, *al.* VII. idus Martii quo dicitur obiiſſe.

III. Robertus, antea primus abbas de Fraiſnedia ſeu de Frenada diœceſis Santonenſis, Obaſinenſi monaſterio præerat annis 1164. & 1165. [c] rege Lodovico & epiſcopo Giraldo. Nominatur in charta Ugonis de Belchaſtel 1167. & 1169. in litteris Eboli vicecomitis; cujus item fit mentio annis 1174. 1175. regnante Ludovico & epiſcopo Giraldo, & 1180. Recenſetur etiam in charta Dalonæ 1184. & 1185. Abdicavit Rotbertus, ut patet ex dicendis. Ceterum hi duo abbates auctores fuerunt anonymo, Stephani diſcipulo, ut ejus acta ſcriberet.

IV. Geraldus II. de Gordo abbas erat anno 1188. Teſtis legitur in charta hominii a Raimundo vicecomite de Turenna & filio ejus Boſone exhibiti Umberto abbati Belli-loci anno 1190. quo

[a] D. J. Boyer tribus abeſſe leucis Tutela, duabus Briva teſtatur.

[b] Adhuc perſeverabant moniales Obaſinæ an. 1289. quo Raimundus de Cornelio legavit monialibus de Obaſina 10. libras Caturcenſes. Vide tom. IV. Miſcell. Baluz. pag. 502.

[c] Imo jam anno M. C. LX. niſi ſit error amanuenſis, qui ita ſcripſit pro M. C. LXX. ex dono Baudoini de Cornil, (ſcilicet domus & horti juxta nemus Peironeg,) *quoadusque cœptum monaſterium conſummetur, & cetera ædificia eidem monaſterio neceſſaria,* facto in manu Rotberti abbatis anno præfato, rege Lodovico & epiſcopo Geraldo.

Digitized by Google

etiam Rotbertus quondam abbas Obaſinæ dicitur in charta Girberti de Malamort abbati Geraldo quædam donantis, Philippo rege & epiſcopo Sebranno. Boſo idem vicecomes & Haeliz vicecomitiſſa mater ejus dederunt medietatem molendini de Tolvia, pro damno quod intulerant domui Obaſinæ & grangiis ejus. *Actum in aula* Torenne in manu Geraldi Caturcenſis epiſcopi & Geraldi abbatis Obaſinæ an. Domini 1191. rege Philippo & epiſcopo Seebranno. Nominatur adhuc an. 1192. in chartul. Obaſinæ.

V. Amelius ex abbate Voſienſi quibuſdam videtur evaſiſſe abbas Obaſinæ.

VI. B. Gregorius de Cardaillac, de quo nihil occurrit in chartis, quique ipſiſmet Obaſinenſibus monachis ignotus eſt, hîc ex fide Sammarthanorum reponitur, quem vixiſſe dicunt tempore S. Dominici, memorarique in martyrologio SS. ordinis S. Benedicti.

VII. R. abbas Obaſinæ 1201. ex tabulario Valletæ.

VIII. Wido I. 1203. idem fortaſſis ac G. 1205.

IX. Geraldus III. 1209. Geraldi obitus notatur ad diem 26. Maii in necrologio parthenonis B. Mariæ de Coyreſio.

X. Wido II. ſeu Guido, cui Archambaldus[a] vicecomes de Cambon cruce ſignatus plures manſos donavit 1209. præſente R. abbate Voſienſi. Idem compoſuit cum Hugone priore de Albiniaco 1211. Reperitur & annis 1218. 1220. & 1230.

[a] Tumulus ejus cernitur in Obaſinenſi capitulo, ubi ex uſu Ciſtercienſium fundatores ſepelichantur.

XI. Raimundus I. de Marcillac dat Willelmæ abbatiſſæ Gratiæ-Dei ſeu Luminis-Dei eccleſiam de Flaugeac, III. nonas Nov. 1233.

XII. Guillelmus I. in charta Gordonii 1241. in charta B. Mariæ de Eremo 1245. in charta Obaſinæ 1247. Ejus anniverſarium agitur apud Coyreſium die 30. Octobris.

XIII. Geraldus IV. 1250. & 1255.

XIV. Guillelmus II. in chart. Eremi, 1256.

XV. Geraldus V. 1261. & 1267. quo anno fecit concordiam cum Eblone priore Brivæ.

XVI. Johannes I. cujus anniverſarium virgines Coyreſii celebrant die 13. Octobris.

XVII. Petrus I. notatur in necrologio Coyreſiano ad diem 23. Julii.

XVIII. Durandus ad diem 6. Julii ibidem memoratur, *al.* VI. idus Julii.

XIX. Jacobus in chartis Valletæ & Obaſinæ 1278. Girberto Lemovicenſi epiſcopo. Iterum in charta Obaſinæ die Lunæ ante feſtum S. Andreæ apoſtoli 1279. regnante Philippo, ſede Caturcenſis eccleſiæ vacante; ibidem 1281. ac in charta Eremi 1282. & 1284. in codice hominiorum epiſc. Claromont. Ejus obitus notatur in necrologio Coyreſii, calendis Maii.

XX. Guillelmus III. abbas Obaſinæ 1293. in charta abbatiæ de Frenada.

XXI. Raimundus II. 1295. & 1296.

XXII. Bertrandus die Sabbati poſt Nativitatem beatæ Mariæ, 1299. in charta Rupis-amatoris.

XXIII. Raimundus III. de Pleaux 1303. 28. Martii, 1305. & 1307. Se ſe cognominat de Plodio[b] in litteris anni ſequentis, quibus monaſterio Valletæ pro ſuo anniverſario tribuit 15. ſolidos, quos Rigaldus de Pleaux domicellus debere ſe recognoſcit, & inſuper quinque ſolidos in affaria de Vernhas parochiæ S. Sanctini. Pervenit ad annum 1310. quo deputatus eſt ad ſtatum Grandimontenſis ordinis componendum. Ipſi adjuncti ſunt hoc in negotio Arnaldus Novelli abbas Fontis-Frigidi & paulo poſt cardinalis, ac Johannes de Genſanis archidiaconus de Combrallia in eccleſia Lemovicenſi. Hi tres ſtatuta quædam condiderunt, a Clemente V. poſtea confirmata.

[b] Plodium, oppidum eſt Arvernæ, haud procul a cœnobio Valletæ.

XXIV. Petrus II. 1310. & 1313. Præſentat Hugoni epiſcopo Caturcenſi ad *curam* S. Jacobi de Caliſſo 8. Octob. 1315. Item reperitur 1322. 28. 33. 42. Ejus obitus conſignatur 6. Januarii. *Baluz. in not. ad vitas pap. Aven. t. 661.*

XXV. Johannes II. 1354. & 1357.

XXVI. Petrus III. 1372. & 1398. quo anno Franciſcus archiepiſcopus Narbonenſis, papæ camerarius, litteras ei direxit die 9. Junii. Reperitur etiam in charta Obaſinæ an. 1401. & in inſtrumento Valletæ 1418. calendis Septembris. Anno 1428. dicitur licentiatus in decretis & vicarius generalis abbatis Ciſtercienſis.

XXVII. Johannes III. de Miſſaſionne 1429. In necrol. Coyreſii memoratur III. id. Oct.

XXVIII. Petrus IV. de Comborn, Ebroicenſis epiſcopus & Obaſinæ perpetuus adminiſtrator 4. Aprilis 1460. ſede Caturcenſi vacante *, 1461. & 1463. monachi Cadunienſes ſacrum ei Chriſti ſudarium crediderunt. Ejus anniverſarium agitur apud Coyreſium die 8. * Septembris. * *Vide tom. 1. col. 144.* * al. 7. diciturque epiſc. S. Pontii Tomer.

XXIX. Petrus V. de Gaing dicitur abbas Bullionis & adminiſtrator perpetuus Obaſinæ anno 1473.

XXX. Johannes IV. de Ventadour, Sedis apoſt. protonotarius, reperitur an. 1484. abb. commend. Item 1494. 1497. & 1504. quo adfuit capitulo generali; ſepultus eſt juxta vas luſtrale.

XXXI. Franciſcus I. de Levi, filius Lodovici comitis de Villars & Blanchæ de Ventadour, in utroque jure baccalaureus, Sedis apoſtolicæ protonotarius, abbas Obaſinæ & Valletæ, prior S. Michaëlis de Angelis 1517. Obiit epiſcopus Tutelenſis apud Burdigalam menſe Decembri 1535. & quidem VI. idus Decemb. ex necrol. Coyreſii. Martennius noſter hunc abbatem & epiſcopum vocat Ludovicum; an alter eſt?

XXXII. Petrus V. de Grangia abbas regularis 1543. notatur in necrol. pridie nonas Nov.

XXXIII. Franciſcus II. de Neufville abbas ſimul Grandimont. obiit III. idus * Junii 1563. ſepultus apud Obaſinam. Ejus anniverſarium peragunt moniales Coyreſii die 20. Junii. * al. idibus.

XXXIV. Guillelmus IV. Barthon de Montbas epiſcopus Lactor. 1566. Jacet in presbyterio eccleſiæ Obaſinenſis, mortuus prima die Maii an. 1572. *Ex necrol. Coyreſii.*

XXXV. Johannes V. le Roy abbas commendatarius 1584.

Digitized by Google

XXXVI. Ogerius de Canole, dominus d'Andron 1608.

XXXVII. Franciſcus III. d'Eſcoubleau, cardinalis de Sourdis, archiepiſcopus Burdigalenſis, obiit 1628.

XXXVIII. Henricus I. d'Eſcoubleau in hac utraque præfectura Franciſco fratri ſucceſſit, defunctus 1645.

XXXIX. Rogerius de Buade de Frontenac filius Antonii domini de Frontenac Regia conſiliis, & equitis torquati in promotione anni 1619. ex Anna de Roque-Secondat, abbas Obaſinæ & Angiæ 1645.

XL. Carolus de Cardaillac, de Canole, quo præciſe anno ſederit incertum, fortaſſe poſt Ogerium de Canole, qui ſupra, certe non ante annum 1600. tribuſque duntaxat annis.

XLI. Henricus II. d'Eſcoubleau 1652. die 6. Octobris. Obiit 1659.

XLII. Franciſcus IV. d'Eſcoubleau ſucceſſit Henrico eodem anno. Sedebat adhuc an. 1675.

XLIII. Petrus VI. Armandus Bloüin 1686. ſedebat adhuc anno 1713. fratrem habuit Verſaliarum gubernatorem, & alterum abbatem S. Vincentii de Burgo ord. S. Auguſtini in diœceſi Burdegalenſi.

La Colombe.

ABBATIA COLUMBÆ.

COLUMBA beatæ Mariæ ſacra, ordinis Ciſtercienſis, filia Pruliaci, diœceſis olim Bituricenſis, in utriuſque finibus ad fluvium Caldereti, *le Chauderet*, inchoata legitur anno 1146. 25. Junii in territorio vicecomitis Bruciæ, vocatis e Pruliaco monaſterio in Bria monachis, quibus ad exædificationem quædam bona collata ſunt. Præcipui benefactores commemorantur illuſtriſſimi domini de Tremolia, a quibus reſtaurata ampliſſime dotatur; qui & in ea habent ſepulcra ante altare S. Virginis, quod eſt capella Tremolliorum, videlicet Audebertus dominus de Tremolia, Guido III. filiuſque cognominis cum uxore Alipde de Vouhet, & Guido V. una cum conjuge Radegunda Guenant ex familia dynaſtarum des Bordes, de quorum donationibus paſſim in membranis abbatiæ exemplaria exſtant. Memoratur hæc abbatia in litteris Innocentii papæ III. cap. 14. de Præſumtionibus, legendum enim *Columba*, pro *Colona*, & in epiſtolis Honorii III. pro canonizatione S. Guillelmi archiepiſcopi Bituricenſis. Conſtructum eſt cœnobium in modico colle inter duos montes, ubi labitur rivulus le Chauderet, qui in Benaſiam amniculum influit; baſilica monaſterii jacet in pago Lemovicenſi, pars vero hortorum quæ adjacet, in territorio Biturico, non longe a Marchia. Abbatia ſubeſt feneſcalliæ Pictonum municipii Montis-Maurilionis, & vicecomitatus Bruciæ.

Abbatum catalogum cum Sammarthanis communicaverat abbas penultimus, Claud. Chalemot, quem ipſemet poſtea emendavit, ex quo noſtrum potiſſimum mutuati ſumus.

ABBATUM SERIES.

I. THEODORICUS monachus Pruliaci in charta hujus monaſterii memoratur abbas Columbæ tempore Alani epiſcopi Autiſſiodorenſis. *Eſtienot fragm. tom. 9. p. 371.*

II. Bochardus in veteri charta; idem forte qui Boëmundus dicitur in tabula Criſtæ circiter 1173.

III. Guido Cadurcenſis in veteri membrana.

IV. Humbertus 1187. quo anno legitur ejus nomen in tabulis archiep. Bitur.

V. Gaufridus 1190. & 1208.

VI. Guillelmus I. 1210. & 1217.

VII. Guarinus, cui videtur Honorius III. ſcripſiſſe anno 1217. uti abbati Boni-radii, pro inquiſitione facienda de vita B. Guillelmi Bituricenſis archiepiſcopi, cujus ob crebra miracula a Gerardo ipſius ſucceſſore canonizatio poſtulabatur. Floruit uſque ad annum 1223.

VIII. Petrus I. Anglicus ſeu de Anglia, *Angle*; obiiſſe videtur anno 1224.

IX. Guillelmus II. Aſſilati 1224. & 1227.

X. Odo 1228. & 1230.

XI. Giſardus 1252. mortuus IV. nonas Maii.

XII. Stephanus 1264. & 1271.

XIII. Dionyſius, 1300. obiit V. idus Januarii, quo anno ſepultus eſt in monaſterio Guido de la Trimoüille dominus de Chateau-Guillaume, menſe Octobri.

XIV. Guillelmus III. de Gadefay 1309.

XV. Simon d'Eſtampes 1311. 1318.

XVI. Gregorius I. Roy abbatiam prudenter adminiſtravit ab anno 1320. ad 1347. Mortuus eſt XVII. cal. Novembris, tumulatus in capitulo ante ſedem præſidis.

XVII. Johannes I. de Timar, Philippo Valeſio regi Francorum percarus, cujus orator in Hiſpaniam delegatus fuit pro pace firmanda Hiſpaniam inter & Galliam 1356. * Præfuit ab an. 1347. ad 1358. * *Sanm.* 1344.

XVIII. Gregorius II. hoc anno memoratur, & 1361. quo Alipiam conjugem domini de la Trimoüille in ſua eccleſia ſepelivit.

XIX. Johannes II. 1364.

XX. Raimundus 1381. & 1387. quo anno Radegunda uxor Guidonis de la Trimoüille ſepulturam hîc elegit.

XXI. Rogerius de S. Avit monachus Prati-Benedicti, 1398.

XXII. Philippus I. 1403.

XXIII. Johannes III. 1406. ſub quo videtur eccleſia reſtaurata.

XXIV. Guillelmus IV. Garſaud ab an. 1431. ad 1450. quo defecit VI. idus Februarii.

XXV. Petrus II. 1454. & 1455.

XXVI. Philippus II. de Lapha ab an. 1456. ad 1489.

XXVII. Georgius au Large ex procuratore eligitur abbas anno 1489. ſeditque ad annum 1493.

XXVIII. Jacobus I. de Caſtro-novo, Sedis apoſtolicæ protonotarius, abbatiæ commendam obtinuit 1493.

Digitized by Google

XXIX. Chriſtophorus de Brachimont poſſeſſionem nunquam adeptus videtur.

XXX. Andreas de Sully abbas regularis ab 1502. ad 1514.

XXXI. Franciſcus de Sully 1518.

XXXII. Mauricius Richard nominatur anno 1520.

XXXIII. Johannes IV. d'Aubuſſon cognomento *de Menou*, filius Ludovici domini de la Feüillade & Catharinæ de Rochechouart, 1528. & 1529.

XXXIV. Albinus de Rochechouard commendatarius 1534.

XXXV. Guillelmus V. de Vallery 1550.

XXXVI. Johannes V. Bouchetel, 1556.

XXXVII. Jacobus II. Vulcob archidiaconus Bituricenſis, ab an. 1564. ad 1582.

XXXVIII. Antonius Garſonneau ab anno 1584. ad 1600.

XXXIX. Honoratus Silvain abbas regularis ab anno 1600. ad 1615. quo decima die Martii aquis præfocatus eſt.

XL. Petrus II. Taſſin doctor theologus facultatis Pariſienſis, monachus & prior Urſi-campi & antea Frigidi-montis, Ciſtercienſis ordinis, in Pictavienſi, Engoliſmenſi, Santonenſi, & Alnenſi provincia vicarius generalis, patria Picardus, abbas nominatur anno 1615. ſtatimque monaſterio ſuo tam in ſpiritualibus quam in temporalibus renovando feliciter inſudavit. Abdicavit poſtea in favorem ſequentis, tandemque rebus humanis exemtus, terræ conditus eſt ante presbyterii gradus, cui tale epitaphium poſitum a Claudio ſucceſſore : *Tumulus domni Petri Taſſin doctoris theologi Pariſienſis, qui antea Urſi-campi monachus & prior, nutu divino hujus abbatiæ titulo fuit auctus, quam ex indigeſta ruderum mole innumeris laboribus eduxit, parſimonia ditavit, regulari obſervantia illuſtravit. Hic dum viveret, modicus ſibi, egenis munificus, cœlum dives meritis ingreditur anno Domini 1643. calend. Julii poſtquam præfuiſſet 29. annis.* Requieſcat in pace.

XLI. Gaſpardus Corceſſin doctor theologus Pariſienſis, cedente Petro fit abbas an. 1640. defunctus 4. die Aprilis 1647. cui hæc inſculpta epigraphe : *Hic jacet domnus Gaſpardus Corceſſin quem Agendicum edidit, Vallis B. Mariæ monachum fecit, ſacra facultas Pariſienſis laurea donavit, Pruliacum priorem, & ſtrictioris obſervantiæ parentem habuit, ordo virtutis ſpeculum, Columba prælatum, cui tam inſignem pietate virum gementi ſubripuit præmatura mors anno ſalutis ſupra milleſimum ſexenteſimum quadrageſimum ſeptimum, pridie nonas Aprilis.* Orate pro eo.

XLII. Claudius Chalemot doctor theologus Pariſienſis, monachus Caroli-loci, ac ſucceſſive prior Joyaci, Regalis-montis, & Vallium-Cernaii, tandem a Rege nominatur abbas Columbæ in vigilia Nativitatis Domini 1647. fuit vicarius generalis in utraque Pictavia, ac denique in favorem ſequentis abdicato regimine, obiit in Parco-dominarum 1. die Novembris anni 1667.

XLIII. Petrus III. de la Salle licentiatus in ſacra Pariſienſi facultate, ex monacho Claravallenſi per ceſſionem Claudii factus abbas 1667. menſe Maio, benedictionis munus accepit 21. die Novembris. Vicarii generalis officium ſumma cum laude obiit ab anno 1683. in provincia Burgundiæ, Bituricenſi, Petragoricenſi & Burdegalenſi. Præerat adhuc anno 1711.

ABBATIA BONÆ-AQUÆ. Bon-aigue.

BONA-AQUA, Obaſinæ filia, ordinis Ciſterc. ſita eſt ad ripam Dordoniæ in parochia ſancti Frigionis una leuca ab urbe Uſſello quæ ducum de Ventadorio juris eſt : charta vero fundationis in appendice relata præfert annum 1157. at præceſſiſſe debuit aliquot ſaltem annis ex libro III. vitæ B. Stephani Obaſinenſis num. 1. ubi legitur, quod *anno 1159. Bona-aqua jam longo tempore abbate deſtituta erat.* Et certe in Obazinæ chartulario fol. 150. reperitur Johannes abbas Bonæ-aquæ anno 1148. regnante Lodoico rege & epiſcopante Geraldo, & Rainaldo abbate de Ciſtercio, & Stephano abbate Obazinenſi. Itaque ſat vero ſimilis eſt Sammarthanorum ſententia fundationem hanc calendis Octob. an. 1143. adſcribentium, ex mente Chryſoſtomi Henriquez in faſciculo SS. ord. Ciſterc. In necrologio notantur *XIV. cal. Decembris Helias de Uſſello fundator hujus monaſterii, & VIII. idus Decembris Eblo de Uſſello fundator.* Abbatum ſeriem ex variis variorum collectorum ſchedis exhibemus. C. XLVIII. col. 803. *Baluz. tom. 4. Miſcell.*

INDEX ABBATUM.

I. JOHANNES I. de quo ſupra, fuit primus abbas Bonæ-aquæ. Ejus elogium exſtat in vita S. Stephani Obazinenſis lib. 2. num. 8. & 25. Memoratur etiam in chartulario domeſtico III. cal. Septemb. ſed annus deſideratur. *Baluz. ibid.*

II. G. X. cal. Aug. temporibus Ebrardi prioris Portus-Dei, Stephani de Perols & Arberti prioris de Bohort; is eſt fortaſſe Guido, cujus nominis abbates duo nobis occurrunt in necrologio, alter XII. cal. Octob. alter VI. cal. Novemb.

III. Amelius ex chartulario, tempore Willelmi de Galnac prioris Portus-Dei.

IV. Stephanus XI. cal. Sept. tum ex necrol. tum ex chartulario.

V. T. ex chartulario.

VI. H. ex chartulario ſine temporis nota.

VII. Bernardus I. 1188. Idem proculdubio qui prima tantum nominis littera deſignatus manſum de Leubardi, &c. accepit a Geraldo de la Rocha priore Portus-Dei, audientibus P. Delbroil, & D. Amblart monachis Bonæ-aquæ.

VIII. P. Delbroil 1205. & 1208. fortaſſe Petrus qui III. cal. Sept. memoratur in necrologio.

IX. B. Niellus ſeu Nielli 1212. & 1215. cujus tempore P. Delcros miles ſe monaſterio tradidit cum decimis del Beſabru & S. Exuperii. Vivebat adhuc anno 1230. ex dicendis, ſed abdicarat.

X. B. de Salquis, ad quem exſtat donatio Eblonis de Uſſello facta 1225. vide inſtrum. Idem fortaſſe qui tacito cognomine recenſetur anno 1229. & qui Bernardus nominatur 1230. cujus C. XLIX. col. 204.

Digitized by Google

tempore Petrus Proet clericus nonnulla contulit Bonæ-aquæ monaſterio, præſentibus Eblone de Uſſello & Guillelmo Nielli militibus. Hic tamen Bernardus eodem anno alicubi cognominatur Iſmar ſive Gaſmar.

XI. P. abbas erat eodem anno 1230. ex charta Meimaci, quo tempore vivebat B. Niels quondam abbas Bonæ-aquæ, & 1231. Petrus regebat an. 1239. ex charta S. Illidii.

XII. Johannes II. Delbroil 1262. in charta Meimacenſi & 1274.

XIII. Guillelmus I. 1277.

XIV. Petrus I. Rioſſol 1282. 84. & 86.

XV. Guillelmus II. Martini anno 1296. ex charta Illidiana.

XVI. Robertus I. del Pradinats 1299. & 1305.

XVII. Guido I. de S. Martial 1307. 12. 15. & 17.

XVIII. Bernardus Galterii, *al.* Gallebii 1317.

XIX. Johannes III. Biventi, *al.* Riventi 1320. & 1321.

XX. Helias de Jo 1323. 34. & 39.

XXI. Gerardus 1343. & 44. fortaſſe Gerardus Gaſmar, qui notatur in chartulario, tempore Petri de la Chaſſanha prioris Portus-Dei.

XXII. Pontius 1349. 1353. 66. & 69.

XXIII. Johannes IV. de Buxis 1387. 92. & 1399.

XXIV. Guillelmus III. de Buxis 1405. & 1422.

XXV. Petrus II. abbas Bonæ-aquæ, commiſſarius & reformator in provincia Auxitana, 1428.

XXVI. Johannes V. Labraut 1450. 56. 58. & 1472.

XXVII. Johannes VI. de Lobperteſio, fuit etiam abbas Meimaci.

XXVIII. Carolus I. de Gaudioſa, Sedis apoſtolicæ protonotarius, epiſcopus S. Flori, abbas commendatarius Bonæ-aquæ Lemovicenſis & Camporum-bonorum Vivarienſis dioceceſum 1492. Obitus ejus conſignatur in necrologio x. calend. Septemb. 1502.

XXIX. Franciſcus de Levi, in decretis baccalaureus, ac Sedis apoſtolicæ protonotarius, epiſcopus Tutelenſis, abbas Obazinæ, prior S. Angeli & abbas commendatarius Bonæ-aquæ 1509.

XXX. Carolus de Levi abb. ex teſtamento ſupradicti Franciſci.

XXXI. Geraldus de Maumont, Sedis apoſtolicæ protonotarius 1516.

XXXII. Petrus III. Andrée ſive Andrieu, ex dominis de la Ganne, ſubprior S. Angeli ſeu prior clauſtralis ac prior titularis S. Clari de Cava-rupe, electus abbas Bonæ-aquæ dicitur in inſtrumento dedicationis eccleſiæ S. Angeli quam reædificaverat an. 1522. Præerat annis 1524. 26. 28. 30. 35. & 44. Clauſtrum Bonæ-aquæ de novo exſtruxiſſe laudatur. Obitus ejus notatur in necrologio nonis Nov. 1559. Alias tamen obiiſſe dicitur an. 1561. ſepultus in eccleſia S. Michaëlis de Angelis, in qua miſſam fundavit matutinalem, ante altare S. Petri.

XXXIII. Petrus IV. Avere *vel* Averé conſignatur anno 1547. quem etſi duo catalogi a ſuperiore diſtinguant, vix tamen diverſum putamus.

XXXIV. Johannes VII. de Grangia obiit electus tantum, VIII. idus Januarii.

XXXV. Jacobus Tranchelin fortaſſe Tranchelion, obiit IV. idus Aug. 1562. ex necrologio.

XXXVI. Guido II. ſucceſſit, cujus obitus notatur X. cal. Octobris 1563.

XXXVII. Johannes VIII. de Mont-roux 1568. 86. & 87. Obiit 1603. 22. Febr.

XXXVIII. Johannes IX. alter de Mont-roux obiit VII. idus Septemb. 1622.

XXXIX. Dionyſius Leſtar deceſſit an. 1642. X. cal. Martii, cum prius reſignaſſet.

XL. Johannes X. de Peyriſſat præerat anno 1629. & adhuc 1636. & 1645. Abdicavit 1657.

XLI. Marcus Philippus de Peyriſſat abbas regularis jam anno ſaltem 1662. Nonniſi tamen anno 1689. die Dominica 10. Julii ſolemniter benedictus fuit in eccleſia S. Auguſtini Lemovic. adſiſtentibus D. Silveſtro Morel abbate S. Auguſtini, & abbate S. Martini congregationis Fulienſium. Hic funditus everſum reparavit monaſterium, collapſamque diſciplinam reſtituit, inducta ſtrictiori obſervantia, quam tamen ipſe nunquam profeſſus eſt. Obdormivit in Domino die Julii an. 1714.

XLII. Robertus II. Paſcal, Arvernus, profeſſionem emiſit in monaſterio Bonæ-aquæ die 14. Decemb. 1692. dein cellerarius, ac tandem abbas renuntiatur ſchedula Regia 15. Aug. 1714. bullaque pontificia confirmatur die 10. Februarii 1715. poſſeſſionem adeptus 27. Julii ejuſdem anni.

ABBATIA ALBÆ-PETRÆ.

Aube-Pierres.

ALBÆ-PETRÆ ord. Ciſterc. abbatia, filia Claræ-vallis & Petrarum, in finibus hujus dioeceſis, verſus Biturigas prope Argentonium, non longe a Guaracto ad ſcaturiginem Wartimpæ, fundatur III. id. Junii 1149. Fortaſſe vero primitus exſtitit virginum domus, cujus primam priorifſam Petronillam nomine reperimus circa an. 1160. in S. Gilberto ſeu Novem-fontibus. Ibi modo abbas tantum, & duo vel tres monachi demorantur.

SERIES ABBATUM.

I. ARNAUDUS erat abbas Albæ Petræ anno 1178. ex charta Callovienſis monaſterii.

II. Helias de Faga an. 1308. XV. cal. Octobris, qua die procuratore ipſo uſus eſt Bertrandus de Bordis electus Albienſis ad recipiendum quoddam hominium.

III. Petrus cognomento Fulcaudi 1478. in bulla Sixti IV. vide in Varennis & in Benevento.

IV. Guillelmus le Vaſſeur abb. commend. 1. die Nov. 1686.

V. Jacobus O Riant, presbyter Hibernus & reginæ Angliæ ab eleemoſynis, nominatur abbas Albæ-Petræ menſe Febr. an. 1710.

Digitized by Google

Grandmont.

ABBATIA GRANDIMONTENSIS.

GRANDISMONS, caput ſuæ congregationis, [a] inchoatur primum in eremo de Mureto pagi Lemovicenſis anno 1076. a Stephano de Mureto, poſt cujus tranſitum fratres commigrarunt Grandimontem, poſtquam hujus ſancti confeſſoris corpus e Mureto, ibidem ſepulturæ locatum eſt, quem locum ita deſcribit vetus codex manu exaratus: *Grandiſmons eſt ſitus in montanis in territorio Lemovicenſi, auſterus & gelidus, infertilis & ſcopuloſus, nebuloſus, ac ventis expoſitus. Lapidibus exuberat ad ædificandum, ſed ligna ad ædificium apta ibi pauca raro inveniuntur. Omnis etenim terra quæ in confinio loci hujus habetur, vix aut numquam ſufficeret ad ea quæ ibi ſunt neceſſaria, ob infertilitatem, & ſterilitatem, egeſtatemque illius territorii. Attamen ad radicem montis iſtius ſunt vineæ, arboreſque fructiferæ, ſunt ibi prata virentia, horti & agriculturæ; locus vero iſte ſolitarius eſt, aptus pœnitentiæ & religioni, in quo qui permanent, aſperam ducunt vitam cibis & indumentis.* Huic archicœnobio, cujus familia per Galliam adeo propagata eſt, præpoſiti fuere priores, inde abbates conſtituti ab anno 1317. Baſilica ſumtibus regum Anglorum conſtructa eſt, nimirum Henrici I. & Henrici II. qui magnis expenſis renovavit eccleſiam beatæ Virginis, prius a fratribus laïcis & converſis conditam: teſtantur id ſequentes verſiculi prædicti manuſcripti:

Ultima ſi vaſti penetraris limina mundi,
Grandiſmons Chriſto religione præit.
Hic antiqua ſenum probitas, hic ſemina morum
Jactavit Stephani vita quieta pii.
Quem numeroſa patrum cunctis ex partibus Orbis
Turba, ducem ſequitur, numine tacta Dei.
Grandia munificus largitur dona Britannus
Pervigili turbæ, quam tegit uſque nemus.
Henricus nulli Regum pietate ſecundus
Plumbea tecta locans, pavit, agroſque dedit.

Richardus cognominatus Cor-leonis ejus filius, parietes, totum cœnobium, & opus novæ eccleſiæ plumbo cooperiri fecit, libertates, immunitateſque cum omni jure ac dominio largitus eſt an. 1192. Denique Henricus III. pro parte etiam illud monaſterium fundavit & reparavit, clauſtris & ceteris ædificiis e parte ſeptemtrionali, quæ dicitur Angliæ terra, in meridionalem tralatis, ſicuti hodie magnifice ſpectantur. Eidem abbatiæ benefecerunt multi principes ac nobiles toparchæ, quos inter eminent Theobaldus rex Navarræ comes Campaniæ, rex Henricus, Johannes rex Angliæ, Alienor regina & comitiſſa Pictaviæ, Alfonſus comes Pictavenſis, Hugo Bruni de Leziniaco comes Marchiæ, vicecomites Lemovicenſes, Rupiſcavardi, & Ventadorii, domini de S. Germano in Marchia, Montiſmaurilii, de Maſtacio, de Magnaco, & alii dynaſtæ. Catalogum porro generalium & abbatum hujus monaſterii copioſe excerpſerunt Sammarthani fratres, tum ex variis monumentis, tum ex codice MS. Grandimontenſis abbatiæ, qui penes ipſos, inquiunt, exſtabat. Hos tamen in aliquibus emendamus, maxime ex epitome Annal. ord. Grandimont. a J. Leveque Trecis an. 1662. edita.

[a] Vide Jacobum de Vitriaco cap. 19. hiſt. Occidentalis.

SERIES PRIORUM ET ABBATUM.

I. STEPHANUS I. de Mureto, ſic dictus a loco ubi per annos fere 50. vitam egit ſolitariam, primus prior, inſtitutor & fundator ordinis Grandimontenſis, erat ex nobili proſapia Arveniæ, filius Stephani vicecomitis de Tiernio ſeu de Tigerno, ex Candida, non inferioris generis matrona. Pater vero in Italiam profectus, eum tantum duodennem ſocium aſſumſit; ſed cum in morbum puer incidiſſet, commendatus eſt a comite, Miloni Beneventano archiepiſc. ex Arvernia quoque oriundo, viro eximiæ ſanctitatis, ſub cujus diſciplina duodecim annis fuit inſtitutus, qui cum ad Dominum migraſſet, Stephanus Romam venit, ubi quatuor annos exegit. Tunc electus eſt in papam Hildebrandus, dictus Gregorius VII. cui noſter Stephanus notus erat. Ab eo ergo licentiam & privilegium impetravit inſtituendi novum ordinem monaſticum ſecundum regulam S. Benedicti, quam diu jam obſervarat inter quoſdam in Calabria monachos arctioris obſervantiæ. Certe ſic loquitur Gregorius VII. in ſuo diplomate: *Cum indeſinenter ..... a S. ſede .... poſtules poteſtatem auſpicandi conceptum ordinem monaſticum juxta regulam S. Benedicti, quam diu expertus es inter fratres de Calabria*, &c. Vide ſeculum VI. Bened. parte 2. præfationis, num. 82. & num. 83. ubi Mabillonius docte pro ſuo more de his differit. Datum eſt diploma anno 1073. quamvis ordinis Grandimontenſis inſtitutionem differant uſque ad triennium. Multi autem ſeculum deſerentes, ſequuti ſunt eum, quibus eandem vivendi normam oſtendit, & regulam ſcripſit, ſuiſque fratribus obſervandam reliquit, in qua omnem eſum carnium, curamque ac conſortium mulierum, ſubſtantiam pecorum ſeu animalium, proprietatemque terrarum, exceptis eremis in quibus degerent, diſcipulis ſuis perpetuo interdixit. Quam regulam tam Urbanus, quam Adrianus, Alexander III. ac Lucius III. Romani pontifices ſucceſſivis temporibus confirmarunt, munientes ordinem præfatum permultis gratioſis privilegiis. Verum pro patribus nati filii, quia regula nimis rigida videbatur, eandem multoties moderari fecerunt per ſummos pontifices, & maxime per Innocentium papam IV. apud Lugdunum poſt concilium generale 17. cal. Decemb. 1247. ac demum per Clementem papam V. apud Avenionem 12. cal. Maii ſub an. 1309. Sanctus Stephanus a ſeculo ad Chriſtum migravit in cella de Mureto, diaconus tantum exiſtens in ordine levitarum, in hoc imitator effectus alterius S. Stephani protomartyris & levitæ, ætatis ſuæ anno octogeſimo, plenus miraculis & ſanctis operibus 6. idus Februarii, epacta 3. concurrente ſeptimo cum biſſexto, anno 1124. cum in eremo vixiſſet annis ferme quinquaginta, duobus menſibus minus, ut his ex carminibus colligi poteſt:

Digitized by Google

Nimboſus luces jam Februus egerat octo,
Luciſluus Stephani cum ſpiritus aſtra petivit,
Anno milleno centeno bis quoque deno
Adjuncto quarto, regno cœli ſibi parto.
Propoſito fixo crucifixus cum Crucifixo,
Chriſto ſervivit Stephanus per quem modo vivit.

Eodem anno 1124. corpus ejus delatum eſt Grandim. VII. cal. Julii. Eum paulo ante mortem inviſerant duo cardinales S. Sedis legati, Gregorius tit. S. Angeli, & Petrus Leonis, qui totam ejus vivendi rationem didicerant. Fuit autem ſanctorum confeſſorum catalogo inſcriptus per Clementem III. bulla data XII. cal. Aprilis pontific. anno 2. Chriſti 1188. quo anno tranſmiſit a latere ſuo legatum Johannem tit. S. Marci cardinalem, cum litteris apoſtolicis apud Grandimontem, ad promulgandam canonizationem ejuſdem ſancti Stephani, circa finem menſis Auguſti: huc autem migraverant diſcipuli ſancti Stephani a prima ſede Mureto, quod monachi S. Auguſtini Lemovic. contenderent locum hunc ad ſe pertinere, qui tribus circiter millibus a Grandimonte diſtabat; tuncque ſolemni apparatu legatus celebravit relevationem S. Stephani, convocatis plurimis præſulibus, abbatibus, & religioſis viris, decurſis ab ejus tranſitu annis 62. [a] multis præviis miraculis, ad declarationem ſanctimoniæ ejuſdem divinitus perpetratis. Vita ejus amplior habetur manu exarata in codice abbatiæ Grandimontenſis.

II. Petrus I. Lemovicinus cognomine & origine, patri Stephano ſecundus prior ſucceſſit; iſte prius in ſeculo venerabilis ſacerdos, poſtea religionis æmulator enituit: qui a principio moderaminis, grege ſuo in augmentum religionis proficiente, locum de Mureto ubi ſub S. Stephani regula fratres Domino ſerviebant, deſeruit, monachis S. Auguſtini præpoſituræ vici de Ambazaco illum vindicantibus. Quocirca territorium aliud perquirere curaverunt, ubi caput novellæ religionis ſuæ conſtituerent. Celebrato igitur Euchariſtiæ ſacrificio, & fuſis ad Deum precibus, divina revelatione præoſtenſa, migraverunt fratres de Mureto ad Grandimontem, deferentes ſecum corpus Stephani anno 1124. menſe quinto poſt ejus exceſſum: quemadmodum continetur in chronicis ordinis. Hujus hortatu Henricus I. Angliæ rex templum B. Mariæ apud Grandimontem exſtruxit: adeo ut de illo priore ſicuti de Joſue ſucceſſore Moyſis poſſit dici, quod fuerit magnus ſcilicet nomine ſuo, maximus in ſalutem electorum Dei. Defunctus eſt nonis Januarii, ac ſepelitur Grandimonte an. 1139. cum illa epigraphe [b]: *Hic jacet domnus Petrus ſecundus prior, qui ad exemplum David cultum Dei ampliavit. Vixit in prioratu XIII. annis minus 34. diebus*, vir magnæ probitatis fuit, bonis moribus, & aliis virtutibus præditus, de quo fuſe in Chronico Grandimontenſi.

III. Petrus II. de ſancto Chriſtophoro, presbyter ex vico S. Auguſtini Lemovicenſis oriundus, ſubrogatur Petro, vir humilis ac manſuetus, qui conſummatus in brevi explevit tempora multa, namque ſublatus eſt ex hac vita idibus Januarii, anno, ut conjectura eſt, 1141. quanquam aliqui velint ipſum prioratui ſuo renuntiaſſe. Hujus vero ſepulcralis inſcriptio talis eſt: *Hic jacet domnus Petrus tertius prior, qui ſecundum doctrinam Petri, forma humilitatis erat commiſſo gregi: vixit in prioratu annis duobus cum dimidio.*

IV. Stephanus II. de Liciaco Lemovicenſis patria, ſub cujus moderamine ordo in domibus plurimum dilatatur. Hic etiam geſta Stephani confeſſoris conſcribi ac recitari fecit, ut notat citatum chron. ubi dicitur diſcretus, largus in eleemoſynis, potens opere ac ſermone, in oratione devotus, in jejuniis aſſiduus, qui gregi feliciter præfuit; mortuus eſt, ut arbitrantur 1161. 3. non. Januarii. Habet illud epitaphium: *Hic jacet domnus Stephanus quartus prior, oliva fructifera in domo Domini, vixit in prioratu XXIII. annis:* Ita Pardulfus de Garda & Johannes l'Eveſque. Ipſius tempore Henricus II. rex Anglorum monaſterium Grandimontenſe locupletavit; regum quoque & principum munificentia in variis partibus conſtruebantur cellæ aut prioratus, quæ Grandimontenſi eccleſiæ matri ſubjiciebantur, pro fama pietatis fratrum hujus cœnobii: nec vero otioſum videtur eſſe ad propoſitum, ſi ſubjiciatur tale reſcriptum ſummi pontificis:

Adrianus epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis Stephano & fratribus Grandimontis ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Venerabiles fratres, Lemovicenſis & Caturcenſis epiſcopi, ad ſedem apoſtolicam venientes, religionem, & converſationem veſtram multis laudum præconiis extulerunt, & magnam inde cordi noſtro lætitiam, magnumque gaudium contulerunt. Nos vero id quod prædictis fratribus noſtris referentibus de vobis accepimus, gratum modis omnibus & acceptum habentes, pium & laudabile propoſitum veſtrum, & ſanctæ religionis fervorem, quæ late diffunditur, & de vobis famoſe ſatis & publice prædicatur, plurimum in Domino commendamus. Verum quoniam non qui incipit, ſed qui perſeverat in finem, virtutis præmium obtinebit, & quia bonum principium optimus debet ſemper exitus comitari, dilectionem veſtram per apoſtolica ſcripta rogamus, monemus, & exhortamur attentius, ut in bono opere, quod cœpiſtis, præeunte divina gratia inviolabiliter perſiſtatis, & nihil ſit quod conſtantes & viriles animos veſtros a Conditoris obſequio debeat aliquatenus retardare. Sed pro laudabili converſatione vitæ, & ſacræ religionis ardore, illud divinæ Scripturæ teſtimonium vobis poſſit non immerito adaptari, quo dicitur: laudabilis populus cui Dominus Deus exercituum benedixit, dicens, opus manuum mearum tu es, hereditas mea Iſrael. *Confortamini ergo in Domino, & in potentia virtutis ejus, ſtate fortes in fide, abjiciatis opera tenebrarum, & induamini arma lucis, atque omnes antiqui hoſtis inſidias, divino comitante præſidio ſuperantes, calcate vitia, inhærete virtutibus, invicem ſupportantes, & mutuam in vobis* *Iſai. xix. 25.*

[a] In ſchedis D. de Ganiere in regia biblioth. aſſervatis, hi præſules adfuiſſe leguntur canonizationi S. Stephani de Mureto 30. Aug. 1188. ab ejus obitu 64. Henricus Bituric. Raimundus, *al.* Rainaudus Appamienſis, Helias Burdegal. Szibrandus Lemovic. W. Pictav. Helias Santon. Ademarus Petragoric. Geraldus Caturcenſis, & Bertrandus Aginnenſis.

[b] Valde incerta ſunt hæc epitaphia, ut pote quæ hodie apud Grandimontem non exſtant.

Digitized by Google

in vobiſmetipſis caritatem habentes, ita quidem ut in nullo, juxta Apoſtolum, præſumatis, niſi tantum in Domino, & de Domino gloriari, ſicut ſcriptum eſt: Qui gloriatur, in Domino glorietur : non enim qui ſe ipſum commendat, ille probatus eſt, ſed quem Deus commendat. *Nos autem qui ex injuncto nobis officio, univerſis Chriſti fidelibus, & præſertim religioſis exiſtimus debitores, vobis paterno providebimus caritatis affectu, & in opportunitatibus veſtris & eccleſiæ veſtræ, abſque intermiſſione curabimus, actore Domino, ſubvenire. Rogamus præterea caritatem veſtram, quod ſupernæ clementiam majeſtatis pro nobis aſſiduis precibus exoretis, ut per ſuam ingenitam bonitatem Eccleſiæ ſuæ ſanctæ nobis taliter præeſſe concedat, quod ad noſtram, & fidelium populorum ſalutem debeat pertinere, atque in illo futuro examine, divina voce mereamur audire:* Euge ſerve bone & fidelis, intra in gaudium Domini tui. *Datum Laterani 8. calend. Aprilis, pontificatus noſtri an. 11.*

2 Cor. 10. v. 17. 18.

Matth. 25. v. 21.

V. Petrus III. Bernardi de Boſchiac oriundus ex nobili familia, frater Bernardi Aimerici de Bré, ut ſcribitur in quodam libro antiquo S. Martialis, electus 7. id. Februarii ejuſdem anni, de ſua electione certum fecit Henricum II. Angliæ regem, qui eidem ſcripſit anno regni ſui ſeptimo. Hic prius miles uxoratus, poſt cœnobita, ac denique presbyter ordinatur; vir religioſus vita & moribus, vitiorum hoſtis rigidus, ac deceſſoris ſui virtutum egregius imitator : quæ & plura encomia de illo memorantur in præfato chronico. Anno 1165. dicata eſt eccleſia B. Mariæ Grandimontis 4. Septemb. conſecrante majus templum Petro Bituricenſi patriarcha, adſtantibus Bertrando Burdegalenſi, Geraldo Lemovicenſi, Engoliſmenſi, Caturcenſi, Sagienſi, & aliis pontificibus. Iſte totum refectorium abbatiæ cum teſtudine lapidea de novo præclare inſtauravit : item eccleſiam perfecit ex parte capitis uſque ad ingreſſum chori clericorum, quæ antea inchoata fuerat, & facta a parte inferiori. Eo ſedente fit quædam tranſlatio corporis beatiſſ. Stephani a clauſtro in eccleſiam, præſente Geraldo Lemovicenſi antiſtite in craſtino Nativit. B. Johannis Baptiſtæ præcurſoris Chriſti. Dignitate ſua ceſſit circa an. 1167. factus corrector Vincennarum, vixitque ad annum ſaltem 1191. uti probant ejus epiſtolæ.

VI. Guillelmus I. de Treynhaco, alias de Axia, Lemovicenſis diœceſis, renuntiatus eſt vigilia Aſſumtionis B. Mariæ; qui jejuniis, vigiliis, & orationibus intentus, prioratum adminiſtravit annis 18. menſibus tribus. Sub ejus præfectura excipitur crucis Dominicæ portio, ut fidem facit ſequens ſchedula : *Anno ab Incarnatione Domini M. C. LXXIV. papa Alexandro III. præſidente, Amalrico rege Hieroſolymitano VI. Ludovico VII. rege Francorum, Henrico II. rege Anglorum regnantibus, tempore domni Guillermi ſexti prioris Grandimontenſis, pridie cal. Junii, ſuſceptio vivificæ crucis quam prædictus Manuel imperator Conſtantinopolitanus præfato Amalrico neptis ejuſdem imperatoris marito, cum aureo contulit philacterio. Idem vero rex Amalricus divina inſpiratione illuminatus, eandem crucem cum eodem philacterio per Bernardum venerabilem Liddenſem epiſcopum apud Grandimontem direxit, ubi a priore prænominato, & univerſis fratribus cum omni honore & devotione ſuſcepta eſt. Communi itaque conſilio prioris & fratrum ſancitum eſt, ut ſi quis vel totam crucem, vel aliquid de ipſa cruce a loco Grandimontenſi tranſmutare vel ſubtrahere præſumſerit, anathema ſit, Amen.* Sub præſulatu Guillelmi, inſtigante humani generis inimico, ſuborta eſt gravis diſſenſio in ordine Grandimontenſi, in religionis quæ huc uſque tunc floruerat, grave diſpendium, & ſcandalum plurimorum, quæ triennio deſæviens perduravit uſque ad tempus Clementis III. papæ. Idem, inquam, Guillelmus clericorum ſuæ domus libertatem ſtrenue tutatus eſt adverſus fratres converſos, quorum eo profiliit audacia, ut ipſum nefario auſu non modo carceri mancipaverint, ſed & officio prioratus quoque deponere præſumſerint, intruſo Stephano. Quamobrem Carnotenſis epiſcopus, & S. Victoris cœnobiarcha, judices a Lucio III. delegati ſunt, qui priſtino honori, opitulante Audeberto comite Marchiæ, Guillelmum reſtituêre. Deinde vero cum ſe abrenuntiaturum promiſiſſet, tam ipſum quam Stephanum in ejus locum ſuffectum excidiſſe a præfectura decrevit Clemens papa III. alterius eligendi conceſſa facultate; qua de re vide bullam inter inſtrumenta. Poſtmodum fit conventio inter clericos & converſos per Innocentium III. pont. max. ſed Guillelmus Romæ, vel, ut alii produnt, a Curia reverſus, evocatur ex hac vita 14. calend. Decemb. elatus funebri pompa ad Grandimontem, inter priores tumulatur ſub hoc brevi epitaphio: *Hic jacet domnus Guillermus* [a] *reverentiſſimus ſextus prior, verus Iſraëlita, in quo dolus non erat. Vixit in prioratu XVIII. annis & tribus menſibus.*

C. XXXVI. col. 19.

VII. Geraldus Itherii Guillelmo ſuffectus eſt ſuffragiis capituli generalis celebrati 3. cal. Oct. in feſto S. Michaëlis 1188. cujus promotione tranquillitas fratribus a Domino redditur. Hic porro prior ſtudioſe depoſcentibus religioſis anno primo adminiſtrationis ſuæ procuravit canonizationem & tranſlationem corporis S. Stephani, cooperantibus Helia Burdegalenſi, Sebrando Lemovicenſi, ac Bertrando Agennenſi epiſcopis, miſſis ad Sedem apoſtolicam duobus Geraldi diſcipulis Roberto & Guillelmo, cum litteris prædictorum prælatorum, ac etiam aliorum epiſcoporum, abbatum, ac principum. Bulla data eſt 12. cal. Apr. pontificatus Clementis an. 11. Cetcrum hic prior zelo diſciplinæ monaſticæ ſtudium litterarum feliciter adhibuerat, ut pote qui S. Stephani geſta perſcripſit, edita in libro qui *Speculum* appellatur. Ejus epitaphium hæc de eo nos docet: *Hic jacet domnus Geraldus VII. prior; manſit in prioratu X. annis, tribus menſibus. Poſtmodum amotus obiit XIII. cal. Maii; quia dum adhuc viveret, prioratui renuntiavit, & inter priores Grandimontis honorifice ſepultus fuit.*

[a] An. 1639. inventa eſt arca plumbea, in qua requieſcit corpus Guillelmi prioris, cum hoc diſtycho :

Cerne, prior ſextus Willelmus pro grege factus
Exſul, cum Chriſto tumulo requieſcit in iſto.

VIII. Ademarus I. [a] de Friaco ſeu d'Afriac, uti legit noſter D. Claud. Eſtiennot, eruditione ac pietate conſpicuus, cujus tempore collecta fuerunt ſtatuta & vita S. Stephani. Innocentius papa III. eidem Ordini conceſſit privilegium in quo memoratæ conſtitutiones confirmantur; archiepiſcopus enim Bituricenſis, ac Aurelianenſis epiſcopus auctoritate apoſtolica apud Grandimontem convenientes, plura ad domus ſtabilimentum decreta promulgarunt. Ademarus concilio generali ſub eodem Innocentio adfuit, ubi teſtimonium tulit de pia converſatione & bonis moribus S. Guillelmi Bituric. patriarchæ, quandiu fuit apud Grandimontenſes. Anno 1209. octodecim jugera nemoris Belli-prati monaſterio conceſſit Ebolus vicecomes de Ventadorio, coram Maria uxore, & filiis Roberto ac Ebolo, habitu Ordinis induendus; deditque fidejuſſores Robertum vicecomitem de Turenna ceteroſque, litteris ſcriptis Grandim. an. 1201. Sub hoc abbate rex Anglorum Richardus donavit locum de Grandimonte, & omnia quæ poſſidebant fratres in ducatibus Normanniæ, Aquitaniæ, & in comitatibus Pictaviæ & Andegaviæ, cum omni dominio; libertatem a pedagio, teloneo, exercitu, & exactione; pro ſalute animæ ſuæ & anteceſſorum, diplomate dato apud Grandimontem 1192. pridie cal. April. Eaſdem libertates confirmavit Alienor regina Angliæ apud Niortum. Variis temporibus, Solemniaci, S. Martialis & B. Auguſtini Lemovicenſis abbates, plurima Grandimontenſi familiæ contulere. Hugo autem ſenior, princeps ac dominus de Leziniaco, comes Marchiæ, cum pro fide Chriſti a Sarracenis captus fuiſſet, in patriam reverſus gratias agens Deo, in Grandimonte religionis habitum ſumſit, & in domo de Eſcluſa quam ipſe prius ſumtibus propriis a fundamentis ædificaverat, reliquum vitæ exegit; demum ſenio confectus migravit ad dominum, tranſlatuſque Grandimontem, jacet in cœmeterio ſub tumba eminenti lapidea. Reverſus porro a memorata ſynodo œcumenica Ademarus, præfecturæ anno 18. Incarnat. Dom. 1215. ex necrol. S. Martialis, pridie nonas Martii ceſſit ex hac vita Abiternæ, inquit noſter D. Claud. Eſtiennot, humatuſque eſt apud Grandimontem.

IX. Caturcinus poſt Ademarum ſublectus eſt, ac ſedit an. 1216. *vir*, ut de illo inquit MS. *Deo devotiſſimus, in clericorum exaltatione ferventiſſimus fuit, & ſecundus pro* clericis perſecutionem ſuſtinuit a converſis. Hic prior cum ſuo munere utiliter duodecim annis functus fuiſſet, dignitati ſponte renuntiavit 6. Martii anno 1228. ac poſtea divinæ contemplationi in otio fere per decem annos vixit; mortuus 12. cal. Decemb. præſente generali capitulo, inter priores Grandimontenſes terræ mandatur.

X. Helias Arnaudi ſedem Caturcini ſpontanea ceſſione vacuam adeptus eſt. Hujus tempore ordinatum fuit per Gregorium papam IX. quod duo de Ciſtercienſi, & totidem ex Cartuſienſi ordinibus, ſemel in anno uſque ad triennium tunc futurum, in Grandimont. capitulo generali, omni appellatione remota, ſtatuerent & reformarent quidquid in Ordine ſtatuendum cognoſcerent aut reformandum, ceſſante appellationis impedimento per cenſuram eccleſiaſticam. Et ad inſtantiam quorumdam ex fratribus Grandimontis, epiſcopus Pictavienſis, cum Petro priore fratrum Prædicatorum Pariſienſium, & J. archidiacono [b] Caſtri-Ledi * diœceſis Cenomanenſis, judex a Sede apoſtolica delegatus ſuper criminibus contra prædictum Heliam priorem propoſitis, amotionis ſententiam in eum protulit Turonis in abbatia S. Juliani an. 1238. [c] ut fidem facit ipſum depoſitionis inſtrumentum, quod refert in ſuis Annalibus Johannes Levéque, excommunicando ipſum, ſi pro priore ſe gereret & adhærentes eidem. At ipſe eidem Gregorio papæ ſe ſiſtens, a ſententiis quas incurrerat, per abbatem S. Laurentii extra muros de Urbe, pontificia auctoritate abſolvi obtinuit, & paulo poſt Romæ fatis conceſſit anno 1239. ex libro Andegavenſi (ſic vocant veterem codicem acta priorum & abbatum Grandimont. continentem, qui ante ducentos annos exaratus eſt) vel 1240. v. idus Aug. ex Pardulfo de Garda. Idem porro Gregorius IX. bullam edidit pro reformatione Ordinis datam Laterani 4. cal. Julii, pontificatus 12.

* Château du Loir.

XI. Johannes I. de l'Aigle genere Normannus, ex oppido Aquilæ, obtinuit prioratum electione promulgata in domo de Vincenis poſt depoſitionem Heliæ an. 1238. Iſte Johannes ſtatuta per abbates de Savigniaco & de Maceriis alioſve delegatos ad reformationem Ordinis edita in capitulo generali apud Vincenas celebrato, cum omni animi demiſſione ſuſcepit. Sed tranquillioris vitæ cupidus, in quantum potuit, præfecturæ onus detrectavit, *attendens quod ſecundum Auguſtinum, nihil eſt in hac vita difficilius, laborioſius, & periculoſius prælati officio: indignuſque eſt ſacerdotio ille qui non fuit ordinatus invitus.* Suo gregi per tres annos cum dimidio laudabiliter præfuit, ac poſtmodum ipſe abdicavit, mortuus in domo de Quercu-Galonis 3. non. Julii. Innocentii papæ IV. plurima exſtant reſcripta ad priorem & capitulum generale, directa comiti Marchiæ & Engoliſmæ, pro tuendis Ordinis reformatoribus.

XII. Ademarus II. de la Vernha, Lemovicenſis diœceſis, ſucceſſit, ac per tres annos ſuum rexit

[a] Ante Ademarum in Gallia Chriſt. quadripartita fratrum Sammarthanorum ponitur Guillelmus II. qui dicitur prior octavus, ſed omitti debet; anno enim 1639. reperta eſt arca plumbea cum ſequenti inſcriptione exarata in lamina plumbea: *Ademarus de Friaco prior octavus.* Unde e catalogo priorum probatur Guillelmum II. expungendum. Eum certe non recenſet J. Levéque in epitome Annal. ord. Grandim. Item in ſchedis D. de Ganiere aſſervatis in bibl. regia Ademarus nominatur octavus prior.

[b] Alii aſſeſſores Petri epiſcopi nominantur in veteri Gallia Chriſtiana, ſcilicet abbates de Saviniaco, & de Maceriis Ciſtercienſis ordinis, & priores de Ligeto & de Glanderiis Cartuſienſis. Tunc vero temporis M. abbas erat Saviniaci, G. abbas de Mazeriis vel Maceriis ord. Ciſterc. L. prior Cartuſiæ Ligeti & P. prior Cartuſiæ Glanderienſis. Forte ex pluribus judicibus a papa inſtitutis, duo tantum adfuerunt Petro, quando judicium decretorium in hunc abbatem eſt latum, unde duorum illorum ſolummodo mentio fit. In hujuſmodi negotiis etſi pluribus demandari ſoleant, duobus aut tribus ex majori numero poteſtas datur judicandi & decernendi.

[c] In ſchedis D. de Ganiere in regia biblioth. aſſervatis ſedes Grandimontenſis vacaſſe dicitur anno 1237. 2. cal. Junii, III. nonas Junii, VI. cal. Aprilis, & calendis Maii.

Digitized by Google

Ordinem, celebrato Grandimonti in feſto nativit. B. Johannis Baptiſtæ capitulo generali, diem poſtremum obiit 6. cal. Febr. 1245. ibidem ſepultus.

XIII. Guillelmus III. Dongres ſub quo regula & privilegium Grandimontis ab Innocentio papa IV. Lugduni in concilio renovatur & in meliorem formam redigitur 1247. biennioque poſt 10. calend. Aug. Guido vicecomes Lemovicum omnia acquiſita in terra ſua & feudis a fratribus hujus monaſterii, litteris ſigillo ſuo obſignatis confirmat. Ceſſit an. 1251. ut patet ex litteris ejus ceſſionis apud Grandimontem aſſervatis; tunc vero factus eſt corrector in domo Machereti, obiitque VII. cal. Julii.

XIV. Iterius Merle, dictus Meruli, Lemovicenſis diœceſis. Eo ſedente fratres Gallici conati ſunt traducere caput & dignitatem prioratus ordinis Grandimontis, ad domum de Vincenis prope Pariſios, ſuffragante regio favore, at irrito conatu; & quamplures eorum, ab Ordine multorum flagitiorum conſcii abſceſſerunt, agente rege Franciæ, qui prius illos patrocinio foverat. Iterius igitur æmulorum invidia, ut coram Rege ſe ſiſteret vocatus, Lutetiam pergit, & voti compos Grandimontem reverſus, abdicat prioratum, factus corrector in domo de Samarſia prope Rupellam. Grandimonti vero præerat adhuc anno 1260. qui ceſſiſſe creditur anno ſeq. Spiritum reddidit V. nonas Octob. in prædicta domo traditus ſepulturæ.

XV. Guido * I. Archerii, oriundus ex caſtro Lemovicenſi, doctrina & pietate conſpicuus, ſummaque animi demiſſione præditus, cujus tempore Theobaldus rex Navarræ corpus B. Macarii martyris, unius ex legione ſanctorum Thebæorum Grandimontem detulit. Idem apud Tutelam in regno Navarræ domum S. Martialis de Tutela dicto priori & Ordini ſuo contulit, eamque multis bonis dotavit, an. 1269. Ceterum haud diu prior iſte moram fecit in præfectura; namque coactus eſt ob quorumdam exceſſus Pariſios ſe recipere. Ac interim luſtratis domibus Franciæ & Neuſtriæ, Romam proficiſcitur pro negotio fratrum qui jugum detrectabant, ſicque impetratis judicibus a Sede apoſtolica, ex Italia remeans, audito exitu fratrum Gallicorum inobedientium, ſacro magiſtratui nuntium remiſit, & poſt breve tempus exſtinctus eſt Grandim. 15. cal. Novemb.

XVI. Fulcherius Grimoardi diœceſis Petragor. pacifice 12. annis Ordinem gubernavit, ab anno ſcilicet 1269. quo electus fuit die 25. Sept. ad 1281. quo obiit 26. Sept. Concilio Lugd. an. 1274. interfuerat.

XVII. Petrus de Cauſac oriundus ex Fontibus prope Figiacum, Cadurcenſis diœceſis, ſucceſſit Fulcherio anno 1282. quo anno Philippus rex Francorum pro ſalute animæ ſuæ confirmavit fratribus Grandimontis, omnia quæ acquiſierant in epiſcopatu Lemovicenſi, ac decem libras Pictavis redditus annui ibidem aſſignatas ab Aimerico vicecomite Rupiſcavardi pro anniverſario. Hic in domo de Deffenſo ſui ordinis in diœceſi Agenenſi, aliquanto tempore educavit Bertrandum de Gotho in puericia, poſtmodum papam Clementem V. Duobus vero annis a ſua promotione prædictum priorem viſitatores ordinis, confictis criminibus perjurii & ſimoniæ, necnon objecto defectu ſcientiæ, interpoſitis ad Sedem apoſtolicam appellationibus depoſuerunt, & ad nominationem alterius convocaverunt electores, deſignato priore, non tamen apud Grandimontem, *Bernardo Riſſé*, alias Biſſæ, de Boſco Raherii aſſumto, unde gravis diſſenſio ſubſecuta eſt. Ea de cauſa Petrus Romam proficiſcitur ad Honorium papam IV. fueruntque per Sedem pontificiam judices & reformatores Ordinis deſtinati, Bertrandus de Monteacuto abbas Moiſiacenſis, Geraldus prior provincialis fratrum Prædicatorum, & Radulfus Mirabel decanus Pictavienſis; ſicque Romæ confirmationem ſuam obtinuit, ejecto e prioratu Bernardo Riſſa. Poſtmodum Petrus apud Grandimontem celebravit capitulum generale; & prioratu ceſſit 1290. tranquillioris vitæ ſtudio, ad memoratam domum de Deffenſo, ubi corrector fuerat regreſſus; aliquot annis ſupervixit, cum archimonaſterium rexiſſet circiter novem annis. Jacet in eodem conventu de Deffenſo mortuus 6. cal. Octobris.

XVIII. Bernardus de Gandalmar diœceſis Petragoricenſis, eligitur 22. Febr. 1291. poſt demiſſionem Petri de Cauſaco; atque apud Pinellum in diœceſi Toloſana ejus nominatio per prædictos judices papæ, abbatem Moyſiacenſem, & priorem provincialem Dominicanorum, rata habetur. Sed Pinello pergens Grandimontem, deceſſit infra unum menſem a die electionis ſuæ, ſepultuſque in domo de Ganhazes prope Gordonium in Cadurcis 9. cal. April. anno 1291. Vacavitque prioratus inter moras & diſpendia diſſenſionis nondum ſopitæ circiter anno uno.

XIX. Guido III. Focherii, vel Fulcherii oriundus de Buxeria-Galandi de Turribus, diœceſis Lemov. prioratum iniit circa an. 1292. Bonifacius papa VIII. monaſterium immunitate donavit, & in Grandim. Reginaldus Lemov. epiſc. idipſum probat reſcripto dato 8. cal. Julii 1298. Ultimo regiminis Guidonis Fulcherii anno Clemens papa V. cum ſeptem cardinalibus, & curia Romana Grandimontem ſibi immediate ſubjectum acceſſit 1306. ubi per quinque dies honorifice exceptus eſt. Cum vero ſummus pontifex abdicationem Petri de Cauſaco improbaſſet, Guido, nondum ſopitis Ordinis motibus, invidiæ ſe ſubducens, ſponte ceſſit in capitulo generali vigilia Pentecoſtes apud Grandimontem, præſentibus viſitatoribus a Clemente V. papa tranſmiſſis anno 1306. Ac tandem X. cal. Octob. in domo de Sermazia prope Rupellam fato fungitur, ubi cœnotaphium habet.

XX. Guillelmus II. de Prato-maurelli, natus ex Larcha diœceſis Lemovicenſis, quem alii vocant de Podio-Maurelli, poſt Guidonem in capitulo generali electus publicatur, ſecunda die a reſignatione deceſſoris, & confirmatur ſecundum conſtitutionem Clementis papæ V. Tempore iſtius prioris bulla pontificia ejuſdem Clementis & indulgentia, eſus carnium permittitur in Ordine ſub an.

* In ſchedis D. de Ganiere aſſervatis in biblioth. regia dicitur prior 15.

1309. XII. calend. Maii. Idem ſui regiminis anno octavo vocatus fuit per Clementem V. ad concilium generale Viennenſe: & cum apud Grandim. triduo ante Aſcenſionem Domini capitulum convocaſſet, paralyſi correptus, eripitur e vivis 5. idus Martii 1312. Rexit annis ſex, & totidem menſibus, quieſcitque in Grandimontis claustro.

XXI. Jordanus de Rabaſtens, diœceſis Albienſis, ex nobili genere de Rapiſtagno procreatus, eligitur 3. vel 4. Maii 1313. auctoritate papæ, delegatis abbatibus S. Fermerii Vaſatenſis, S. Maxentii Pictavienſis diœceſium, & archidiacono Caturcenſi; cui omnes viſitatores, & correctores ad electionem vocati, obedientiam profeſſi ſunt. Cœnobium dormitorio ac officinis inſtruxit, plumboque cooperiri fecit. Interim vero contentio in Ordine magna ſub annum 1314. oriri cœpit, quibuſdam eidem Jordano adhærentibus, aliis vero reluctantibus. Hæc vero controverſia biennio & amplius perduravit, cauſantibus monachis eum eſſe bonorum dilapidatorem.

ABBATES GRANDIMONTENSES.

I. Guillelmus I. Pellicerii de Albenca, diœceſis Cadurcenſis, erat rector ſeu corrector domus beatæ Mariæ de Pinello diœceſis Toloſanæ, quando in abbatem electus eſt, ſub annum 1317. benedictionem abbatialem vero cum virga & baculo paſtorali recepit per manum Nicolai cardinalis Oſtienſis epiſcopi apud Avenionem in curia, Dominica in octavis Paſchæ, ultima Aprilis 1318. In jure civili & canonico plurimum verſatus erat, quem Johannes papa XXII. regi Francorum commendavit anno ſui pontificatus ſecundo. Scripſit de ratione officii Grandimontenſis, de forma eligendorum abbatum & priorum ejuſdem Ordinis, de doctrina novitiorum. Obiit 4. Febr. an. 1336. ſepultus apud Grandimontem ſub tumba lapidea in introitu chori eccleſiæ.

D. Clerambaut.

II. Petrus I. Alberti, frater germanus Innocentii VI. ſummi pontificis, a puero in eccleſia Autiſſiodorenſi præbendatus, inde ad Grandimontenſem ordinem tranſiens, prioratum conventualem B. Mariæ de Nemore Vincenarum Pariſienſis diœceſis, quem nunc poſſidet Minimorum familia, obtinuit: poſtmodum ſecundus abbas deſignatus regimen aſſumſit cœnobii, quod pacifice multis annis gubernavit. Hic a Benedicto XII. papa confirmationem accepit 1337. Sede apoſtolica Avenioni tunc conſiſtente. Hominem exuit Petrus Grandimonti 15. cal. Aprilis 1347. ſepultuſque fuit in medio chori ſub tumba lapidea; quo anno Ludovicus dux Borbonius confirmavit conventui juſtitiam altam, ut aiunt, loci Grandimontis, cum de jure pertineat ad comitem Marchiæ.

III. Johannes Chabriti prior conventualis B. Mariæ de Veteri-pediculo * *al.* de S. Mauritio, ordinis Grandimont. ac diœceſis Senonenſis, abbas creatus eſt an. 1347. bulla Clementis VI. in appendice relata. Hic obtinuit ab Innocentio VI. uſum mitræ, pedi paſtoralis, & aliorum ornamentorum pontificalium. Poſt octo regiminis annos deceſſit an. 1355. ex codice Andegavenſi quem laudat J. Levéque.

* Vieux-poux.

Cxxxviii col. 193.

IV. Ademarus de Creſpi vel de Creſpin ex familia de Neſſon in Lemovicis, prior conventualis B. Mariæ de Fagia Nivernenſis diœceſis, deinde prior de Haya, litterarum ſcientia & morum probitate illuſtris, ſummam Ordinis præfecturam accepit Urbano V. pontifice. Interfuit an. 1378. electioni Urbani VI. ſublatus e vita hoc anno vel ſeq. die 15. Apr. ex I. Andegav. ſecundum quem electus abbas Grandimontanus an. 1355. rexit Ordinem 24. annis. Hujus tempore Odoardus * filius regis Angliæ dux Cornubiæ confirmavit conventui 110. lib. apud Rupellam, ex donatione & eleemoſyna regum anteceſſorum.

* Eduardus

V. Aimericus Fabri vita & moribus inſignis, in reparando monaſterio & Divino cultu augendo admodum ſollicitus commendatur. Ad ejus preces Carolus rex Francorum an. 1379. monaſterium Grandim. & cellas in Aquitania conſtitutas abſolvit *a ſolutione financiarum* quas ab aliis monaſteriis percipiebat. Obiit anno 1385. jacetque ante altare prioratus de Boſco-Alonæ Pictavenſis diœceſis.

VI. Ramnulfus Iterii prior conventualis B. M. de Machereto Trecenſis diœceſis, deſignatur in abbatem abſens apud Grandimontem & poſtremum diem clauſit Avenione 1387. vel 1388. ibidemque ſepelitur calendis Aprilis; poſt cujus obitum frater Johannes Ralloti in conſiſtorio Clementis papæ & cardinalium proclamatus eſt abbas Grandimont. at poſt aliquas controverſias cum P. Redondelli, ceſſit eidem.

VII. Petrus Redondelli juris canonici doctor peritiſſimus, antea prior B. M. de Chavanon ſui ordinis, diœceſis Claromontenſis, regi Francorum a conſiliis, abbas creatur a Clemente VII. v. idus Maii 1388. Concilio Piſano an. 1409. adfuit, ut liquet ex ejuſdem actis editis tom. VI. Spicilegii pag. 354. Ei profitetur hominium Albertus Fulcaudi dominus de ſancto Germano, de Crozo, & aliarum toparchiarum, una cum filiis ſuis Johanne Fulcaudi milite & Marco domicello, pro caſtellaniis de Billangeys & Chaſtelar 1435. Deceſſit XI. die Martii an. 1437. ſepultus in tumulo Guillelmi primi abbatis, in introitu chori clericorum.

VIII. Guillelmus II. de Fumel nobilis Vaſco, prius monachus ordinis Benedictini, poſtmodum in cœnobio S. Martialis Lemovicenſis magiſter novitiorum, totum cœnobium præclare inſtauravit, magnam turrim & domum abbatialem novo opere exædificavit, integrum monaſterium plumbo cooperiri curavit, quod 36. annis gubernavit fideliſſime; Regis erat conſiliarius ac patriarchæ Antiocheni titulo gaudebat. Senio confectus ceſſit menſe Aprili 1471. ac 22. Octobr. inſequenti apud Grandimontem debitum naturæ perſolvit. Tumulus ejus exſtat ante oſtium chori eccleſiæ, ſub imagine Crucifixi.

IX. Carolus de Bourbon cardinalis presbyter tituli S. Martini in Montibus, archiepiſcopus & comes Lugdunenſis, primas Galliarum, Avenionenſis legatus, per reſignationem Guillelmi de Fumello in manu pontificis, bullas obtinuit 30.

Digitized by Google

April. 1471. Hic multa eccleſiæ Grandimontenſi dona contulit, ac tempore Ludovici XI. regis confirmationes privilegiorum, & immunitates obtinuit. Permutatione facta cum ſequenti, ab hac præfectura receſſit, ut legimus in ſchedis D. de Ganiere.

X. Antonius Allemand epiſcopus & comes Cadurcenſis, abbatiæ poſſeſſionem adeptus eſt menſe Aprili 1471.[a] quam decem & novem annos pacifice rexit, ſecundum Sammarthanos. Litterarum ſcientia claruit, necnon munificentia erga ſuam eccleſiam, quam inſigni perizomate locupletavit. Obiiſſe dicitur Julii 1. 1506.[b] ſepultus in eccleſia SS. Trinitatis apud Andegavum.

XI. Guillelmus Briçonnet Turonenſis, cardinalis tit. S. Pudentianæ, archiepiſc. Narbonenſis, & Maclovienſis epiſc. poſtmodum Remenſis archipræſul & commendatarius perpetuus abbatiæ ac totius ordinis Grandimontenſis die 15. Martii an. 1494. hominium accepit a Franciſco domino de S. Germain. In ipſo ingreſſu monaſterium ferme dirutum reperit, quod pro viribus priſtino ſplendori reſtituit: dedit calices aureos, & crucem ex eodem metallo ſmaragdis ornatam, baſilicamque multis aliis muneribus ditavit: capitulum generale celebravit & ſacros ordines in ſua eccleſia contulit.

XII. Sigiſmondus de Gonzague, cardinalis tit. S. Mariæ-novæ, epiſcopus Mantuanus, & in Marchia Anconitana legatus, Federici Mantuæ marchionis ex Margarita Bavara filius, abdicatione Guillelmi Briçonnet factus abbas Grandimontis, bullas obtinuit a Julio II. xv. cal. Octobris anni 1507. Reſignavit in manu ſummi pontificis an. 1513.

XIII. Carolus de Finali, ex illuſtri genere marchionum de Finario in ditione Genuenſi, cardinalis diacon. tit. S. Nicolai Inter-Imagines, poſt ceſſionem præcedentis, an. 1513. 12. Auguſti factus eſt Grandimontis abbas commendatarius & adminiſtrator perpetuus. Biennio poſt, xi. Auguſti an. 1515. ipſe abdicavit.

XIV. Nicolaus de Fliſco, cardinalis presbyter tit. S. Priſcæ, ex nobiliſſima familia Fliſcorum comitum Lavaniæ apud Genuenſes, epiſcopus Albanus, abbas autem Grandimontis per ceſſionem Caroli de Finali factus, Johanne Bartholomæo de Soranea, diœceſis Parmenſis, vicario generali uſus eſt. Fuit quoque epiſcopus Forojulienſis, ac Ebredunenſis metropolitanus in Gallia, denique epiſc. Oſtienſis, ſacrique collegii decanus & princeps. Ceſſit in gratiam ſequentis, penſione ſibi retenta; unde

XV. Sigiſmondus de Gonzague Grandimontis abbatiæ reſtitutus eſt, bullis obtentis a Leone papa X. 26. Novembris 1519. Clementis papæ VII. privilegio ſingulari conceſſa vel potius confirmata eſt abbatibus Grandimont. pro jocundo adventu poteſtas conferendi quatuor prioratus conventuales qui poſt abbatis benedictionem vacare cenſerentur, ſemel in vita duntaxat. Mantuæ obiit Sigiſmondus anno 1525. nonis Octobris, tumulatus in majori baſilica ejuſdem urbis ſub eo titulo: *Sigiſmundo Gonzagæ cardinali, qui cum generis ſplendore bonitatem adæquavit.* Plura de eo legeſis tomo 1. Italiæ ſacræ in epiſcopis Mantuanis. Reperitur in archivis Grandimontenſibus tranſactio Herculis tit. S. Mariæ-novæ cardinalis, de Gonzaga Mantuani, ſuperioris nepotis, de ceſſione facta 1526. die 23. Martii, pro Franciſco de Novavilla quæ ſic habet *Cum ita ſit quod bonæ memoriæ Sigiſmondus de Gonzaga S. Mariæ-novæ cardinalis diaconus, dum in humanis ageret, ceſſerit commendæ monaſterii Grandimontenſis, ordinis S. Stephani confeſſoris Lemovicenſis diœceſis, quod tunc ex conceſſione & diſpenſatione apoſtolica obtinebat, in manibus domini papæ, fueritque per ſuam ſanctitatem Franciſco de Novavilla clerico Lemovicenſi idem monaſterium commendatum, conceſſit*, &c. Attamen an. 1525. 11. Novembris feſto S. Martini, ſede vacante, promulgata fuit electio in Grandimonte, aſſumtuſque eſt e conventu frater Claudius de Laigue, ſed reſignavit in favorem abbatis de Cella-fruini Engoliſmenſis diœceſis, fratris comitis de Rupefulcaudi, qui morte præventus præfectura caruit, quamobrem

XVI. Franciſcus I. de Neuville ſenior, ex nobilibus toparchis de Novavilla, Johannis baronis de Magnaco, ſeneſcalli Ruthenenſium, ex Jaquelina de Ruffec filius; antequam abbas deſignaretur, ordinem Minorum ingreſſus Toloſæ in conventu de Obſervantia, infra annum probationis receſſit, & ſanctæ Sedis factus protonotarius, hujus monaſterii Grandimontenſis totiuſque ordinis abbas inſtituitur ſecundo pontificatus Clementis VII. anno 1525. die 13. Octob. bullis acceptis. Hanc porro dignitatem ipſi jam ceſſerat Sigiſmondus ſub annua penſione; ſed hoc e vivis prærepto, antequam Franciſcus ceſſionis litteras acciperet, favore Ludovicæ duciſſæ Engoliſmenſis hanc abbatiam obtinuit, in eaque perſeveravit ad annum 1560. quo illam nepoti ſuo tranſcripſit die 29. Novembris. Fuit etiam abbas Obaſinæ Ciſtercienſis ord. ubi jacet, mortuus apud caſtrum gentilitium de Neufville anno 1563. iii. idus Junii die S. Barnabæ apoſtoli. Necrologium Coyreſii mortis ejus diem conſignat 20. Junii.

XVII. Franciſcus II. de Neuville junior, ſuperioris nepos ex fratre Antonio barone de Magnaco, item ſeneſcallo Ruthenenſi & Maria de Bournel de Tiembronne, per reſignationem ſibi factam in manu pontificis max. an. 1561. 18. Maii, die Dom. in abbatem receptus fuit vi bullarum papæ Pii IV. ac poſſeſſionem adipiſcitur 25. Octobris an. 1563. Præerat adhuc 1585. die 18. Martii. Obiit autem die 10. Maii an. 1596. ſepultus in choro clericorum Grandimont. ſub tumulo Petri Alberti abbatis.

XVIII. Franciſcus III. de Maran ex priore clauſtrali abbas electus die xi. Maii an. 1596. turbatur a Carolo Valeſio Arverniæ comite, atque a domino

[a] Attamen in quadam ſcheda D. de Ganiere, ſic legimus: *Jo. de Cayrols in decretis licent. prior B. Mariæ de Viaye ord. Grandim. vicarius generalis in abbatia Grandimont. pro Carolo de Borbonio archiepiſc. & comite Lugdun. Avenionenſi legato, abbate commendatario Grandimont. 16. Novemb. 1473. accenſat locum nuncupatum* la Grange de la Chapelle de Balazin, *cum torculari.*

[b] *al.* obiiſſe legitur 22. Decemb. 1495. vide quæ de eo diximus in Cadurcenſibus epiſcopis.

Digitized by Google

de S. Germain de Bello-Prato in Marchia, qui regiæ nominationis ſchedulam impetraverat: verum ſenatus Pariſienſis placito 17. Julii 1599. confirmatus, abbatiam tenuit per annos ſeptem, nunquam tamen abbatialem benedictionem conſecutus eſt. Ceſſit lubens 28. Maii 1603. factus iterum prior clauſtralis.

XIX. Rigaldus de Lavaur ex gente de Lavaur in Lemovicibus, electus eodem die, Ordinis reformator nuncupari promeruit. Rexit annis circiter 29. ac poſtremum diem obiit ex apoplexia, in domo paterna 9. April. 1631. ex quo loco elatus ſepulturæ traditur in Grandimontenſi eccleſia.

XX. Franciſcus IV. de Total, *al.* de Tautal ex domo de Chanterelles in Arvernis, eligitur die 15. Apr. ejuſdem anni, moritur vero 2. Oct. 1635. apud Mauriacum in Arvernis, quieſcit tamen in abbatia ſua.

XXI. Georgius Barny, patria Grandimontanus, totius Ordinis tunc erat vicarius generalis & prior clauſtralis Grandimontis apud Turones, quando abbas electus eſt die 4. Oct. ejuſdem anni, confirmaturque die 24. ejuſdem menſis, a prioribus clauſtralibus Grandimontis Turonum & de Pychevrier, quibus jamdudum a ſummis pontificibus Innoc. IV. & Johanne XXII. hoc jus datum eſt. Is autem paulopoſt benedictionem accepit a domino de la Fayette epiſc. Lemov. adſiſtentibus S. Auguſtini & S. Martini ejuſdem urbis abbatibus. An. 1643. capitulum generale celebravit, in quo ſtatuta vim regulæ hactenus habentia condita ſunt. Favit plurimum reformationi Ordinis, quæ ſuperiori anno, curante Carolo Fremont Grandimontenſi alumno, primoque poſtea vicario generali pro ſtricta obſervantia initium ſumſerat. Curavit etiam Georgius annales Ordinis ſcriptis mandari a Johanne Levéque ejuſdem ordinis monacho, qui quidem in bibliotheca D. de Caumartin manu exarati cernuntur. Sedit annis 19. mortuuſque 3. Julii 1654. tumulatur apud Grandimontem.

XXII. Stephanus Talin Lemov. ex oppido de Correza, primus ex ordine aſſumtus ad lauream doctoratus in alma facultate Pariſienſi, ex priore de Renello eligitur calculis fratrum Grandimont. 6. die Julii ejuſdem anni, ſed minime confirmatus fuit, intercedente Alberto Barny fratre abbatis defuncti priore clauſtrali, quia eo abſente facta fuerat electio.

XXIII. Antonius de Chavaroche ex priore S. Mauricii, caduca præcedentis electione declarata, in abbatem cooptatus eſt; ſed ſanctioris conſilii placitum electiones Stephani ac Antonii irritavit 8. Oct. 1654. At redintegratis comitiis ad quæ 42. monachi profeſſi convenerunt, a ſaniori parte denuo electus eſt pridie cal. Dec. ejuſdem anni Antonius, tum confirmatus a quatuor prioribus Ordinis die 12. Januarii ſeq. triduo poſt inducitur in poſſeſſionem, ac tandem benedicitur die 31. ejuſdem menſis a domino de la Fayette epiſcopo Lemov. Obiit 14. Oct. 1677. poſt cujus deceſſum maximæ obortæ ſunt controverſiæ. Cum enim Stephanus Chavialle, qui tunc prior clauſtralis erat, Regem haud præmonuiſſet de morte abbatis ſeu de eligendo ſucceſſore, electione de ſe facta cecidit edicto ſanctioris conſilii 26. Nov. 1677. Sed neque tranquillior neque firmior exſtitit electio Leonardi Gaucheron ſuperioris de Bercé facta 15. Febr. anni ſeq. ob quoſdam monachos a commiſſario regio calculi jure privatos. Quibus ad Regem perlatis, hanc in ſuo conſilio 5. Septemb. 1678. irritam pronuntiavit electionem. Tandem vero unanimiter electus eſt 5. die Novemb. inſequentis

XXIV. Alexander Fremont Turonicus, frater Caroli Fremont reformatoris Ordinis, de quo ſupra, prior Grandimontis apud Rothomagum. Confirmatus autem die 19. ejuſdem menſis, Regique probatus die 26. benedictione donatur 25. Martii 1679. a domino d'Urſé epiſcopo Lemov. Multa præclare geſſit tam in ſpiritualibus quam in temporalibus, qui quidem longiori vita dignus apoplexia ſuffocatur Grandimonti 8. Julii 1687. & ſub eccleſiæ crucifixo tumulatus. Biennio poſt moritur frater ejus, in vicariatu generali reformationis ſucceſſorem ſortitus Franciſcum Thomas ad annum 1705. quo & ipſi defuncto ſubrogatus eſt Franciſcus le Fevre.

XXV. Henricus de la Marche de Parnac, prior titularis de Bercé, ſuffragiis quinquaginta trium vocum ex novem ſupra ſexaginta, eligitur abbas die 9. Septemb. an. 1687. tumque a Rege confirmatus die 22. ejuſdem menſis, benedictionem accepit ab epiſcopo Lemovicenſi die 9. Novemb. 1687. præerat feliciter an. 1711. reformationi maxime propitius.

Porro non abs re viſum eſt ad calcem hujus catalogi ponere epitaphium piiſſimi patris Caroli Fremont, ejus tumulo inſcriptum in ſanctuario eccleſiæ monaſterii Thiernenſis in Arvernia:

D. O. M.
Viro candidiſſimo,
Dilecto Deo & hominibus,
Venerabili patri Carolo Fremont Turonenſi,
Alteri Stephano,
Pio, benigno, veri rectique amantiſſimo,
Antiquiori regulæ, quam ſcriptis elucidavit, &
Poſt multos exantlatos labores, ipſo etiam vitæ diſcrimine,
Exemplo, & fuſis ad Deum precibus,
Bona cum abbatum venia in Ordine reſtituit,
Addictiſſimo;
Qui eremiticam paupertatem ad ultimum retinuit,
Suiſque moriens reliquit.
Fratrum Grandimontenſium ſtrictioris obſervantiæ patri,
Hujus monaſterii inſtitutori, & primo ſuperiori
Mœrentes filii poſuere
Hoc ſuæ pietatis monumentum,
Dum eccleſiæ chorum lapidibus ſternerent
Circa feſtum Paſchæ anni 1705.
Obiit 13. Novembris 1689. ætatis ſuæ 79.

BRIVÆ ſunt Minoriſſæ, cujus conventus abbatiſſa erat circa annum 1340. Dalphina de Coſnac filia Guillelmi de Coſnac & Almodiæ de Malaguiſa. Vide Baluz. in notis ad vitas pap. Avenion. col. 1445.

Digitized by Google

ECCLESIA TUTELENSIS.

TUTELA, vulgo *Tulle* *, inferioris pagi Lemovicini caput, duobus fluviolis Curretia, *la Courege*, & Solana, *la Solane*, in unum confluentibus cingitur, æquali fere intervallo a Briva & Uzerca diſtans. Urbs eſt ſatis ampla, partim in rupibus & ſaxis, partim in amœna planitie ſita. Ejus originem putamus referendam ad celebrem hujus loci abbatiam, quam ſeptimo ſeculo conditam autumat Stephanus Baluzius [a], patria Tutelenſis; quæ ſententia a Mabillonio & pleriſque noſtrarum antiquitatum diligentiſſimis inveſtigatoribus approbatur. Certe Ademarus Scalarum vicecomes hujus monaſterii reſtaurator, in ſuo teſtamento ait ſe reddere *S. Martino* (qui loci patronus [b] eſt) *& monachis in antedicto monaſterio ſibi ſervientibus, abbatiam veterem, quæ a proavo patris* ſui ipſi *ſucceſſerat*, hoc eſt ceſſerat. Hæc ſcripſit Ademarus ſeculo IX. exeunte; proavus autem ejus patris, quem ipſe numerabat quartum avum, haud dubie vivebat tempore Caroli Martelli, qui nobilibus militibus loca ſacra dederat, ad belli ſumtus. Ergo ante hæc tempora, ſcilicet ſeculo VIII. jam Tutelenſe ſtabat cœnobium, vel etiam ſeptimo. Et quidem in inſcriptione quam leges in abbatibus Calmeliacenſibus, Calminius ejuſque uxor Namadia, qui ſeculo VII. inclinato vivebant, dicuntur fundaſſe abbatiam *Tullenſem*, id eſt Tutelenſem; deſtructum autem fuit in ſæva Normannorum procella; jacuitque uſque ad ſeculum IX. pene fugiens, ſeu decimum inchoatum; quo tempore Ademarus loci poſſeſſor de illo reſtaurando ſerio cogitavit. Novum vel potius innovatum cœnobium præcepto, quod poſt Baluzium edidit Mabillonius tomo 3. Annal. Rodulfus rex communivit. In eo meminit priſcæ reverentiæ huic loco ſuis etiam temporibus, ob miracula quæ adhuc ibidem fiebant conſervatæ. Recenſet abbates qui uſque ad tempus quo ſcribit præfuerunt; conſtituitque ut poſt Adacium qui fuit tertius abbas, abbates a monachis e gremio eligantur. Quædam decernit *de munburdo & cauſædico*, quem habere debeant. Datum eſt præceptum anno Rodulfi regis XI. reliqua vide ſuo loco in inſtrumentis. Hanc abbatiam in ſedem epiſcopalem, detractam ex Lemovicenſi, erexit Johannes XXII. anno 1318. Antequam autem de eccleſia Tutelenſi ut eſt ſedes epiſcopalis, dicere aggrediamur, exhibenda eſt abbatum ſeries.

* *Olim* Tuelle.

[a] *Vide* C. 1. & 11. *inter inſtrumenta* col. 203. & 205.

Ad an. 931. n. 25.

C. 1. col. 803.

ABBATUM TUTELENSIUM CATALOGUS.

I. ODOLRICUS primus legitur in veteri catalogo, quem exhibet codex biblioth. Colb. Memoratur etiam in tabulis Gausberti, & uxoris ejus Emenæ datis *in menſe Januario, anno VII. regnante Odone rege*, hoc eſt, 894. Videtur præfuiſſe ante reſtaurationem, quæ certe debetur Aimoni ſequenti, ex Rodulfi regis præcepto. Et quidem Odolricus omiſſus eſt in notitia de abbatibus Tutelenſibus.

II. Johannes abbas Auriliacenſis, Tutelenſi cœnobio præfuiſſe dicitur, forte poſt Odolricum. Hoc tacet chronicon Aureliacenſe tomo 2. Analectorum Mabill. editum pag. 237. Teſtatur Mabill. t. 3. Annal. ad an. 914. num. 86. difficile eſſe aſſignare, quo tempore ſederit hic Johannes, ſi locus ipſi concedendus ſit. Sane ipſius meminit charta edita a Baluzio ad Lupum Ferrarienſem pag. 635.

III. Aimo S. Savini Pictavienſis monachus, accerſitus eſt ad reſtaurandum Tutelenſe monaſterium, precibus Ademari, *qui locum eatenus tenuerat; ſuggerente etiam Ebolo comite.* Id proculdubio cauſæ fuit cur Rodulfus rex, qui acceſſiverat Aimonem ex monaſterio S. Savini *ad reſtaurandum* Tutelæ *regulare præpoſitum*, juſſerit ut hoc cœnobium S. Savino foret ſubjectum. Ad Aimonis abbatis & Turpionis Lemovicenſis epiſcopi petitionem S. Odo Cluniac. abbas vitam S. Geraldi fundatoris Auriliacenſis monaſterii conſcripſit.

Chron. Auriliac. Aliquis forſan nobis opponet Ademarum Scalarum vicecomitem fuiſſe non ſolum reſtauratorem, ſed etiam primum abbatem Tutelenſem; quo nomine inſignitur in ipſius teſtamento edito in appendice ad Reginonem. Reſpondeo Ademarum potuiſſe appellari abbatem laïcum qui hereditario jure hoc monaſterium a parentibus acceperat. Præterea abbas, hoc eſt pater monaſterii dici potuit. Uxorem eum habuiſſe non liquet; legitur autem, cum legitimos non haberet filios, quibus amplas poſſeſſiones relinqueret, Tutelenſem eccleſiam heredem feciſſe; cui non ſolum ceſſit *veterem abbatiam*, & quaſdam alias eccleſias, ut videre licet in inſtrum. ſed etiam Scalas caſtrum ſuum *cum omni caſtania* *, & cum univerſis fevalibus & eccleſiis, & caſtrum Folioſum in Caturcenſi comitatu, legat poſt mortem ſuam, & mortem Gauſberti fratris ſui, & Gauzlæ uxoris ſuæ.

C. III. col. 208.

* *al.* caſtelania.

Idem Aimo erat abbas S. Martialis, ut auguratur Mabill. cumque utriuſque cœnobii regimini parem ſeſe non exiſtimaret, curavit præfecturam Tutelenſem committi S. Odoni.

Porro inter Odolricum & Aimonem Steph. Baluzius ponit quemdam Odonem abbatem, alium a Cluniacenſi, de quo infra, & Johannem, quos noſter Mabillonius non agnovit.

IV. S. Odo Cluniacenſis præerat monaſterio Tutelenſi tempore Rodulfi regis, ut legitu in ejuſdem præcepto. In litteris Geraldi cujuſdam nonnulla dantis baſilicæ S. Martini Tutelenſis cœnobii, additur: *ubi præſenti tempore dom. Oddo abbas præeſſe videtur .... Factum eſt hoc in menſe Madio an. III. regnante Rodulfo rege*, id eſt D. CCCC. XXV.

[a] Regiis typis edidit nuper hiſtoriam Tutelenſem.
[b] Alii patroni ſunt S. Clarus & S. Laudus, quorum ibidem erant reliquiæ an. 925 vide Mabill ad an. 914. n. 86.

Digitized by Google

V. Adacius quem S. Odo ſibi *ad vicem* ſuam ſupplendam ordinari petiit, præerat an. 4. regnante Rodulfo rege. Obtinuit præceptum a Ludovico Tranſmarino anno 8. ejus regni, quod legeſis in hiſtor. Tutel. append. col. 368. pervenit ad 12. hujus regis annum. Rexit etiam cœnobium Sarlatenſe. Poſt ipſius mortem Rodulfus rex libertatem dedit monachis quem mallent e ſuis in abbatem eligendi ; ita ut *neque Rex, nec comes aut epiſcopus, aut quælibet alia perſona, res eorum inquietare, aut alicui dare præſumat ; ſed nec oppido quidem dominari audeant.* Adacius obiit an. 947. ex veteri catalogo, vel potius a regimine monaſterii Tutelenſis, ad Sarlatenſe gubernandum aſſumtus eſt. Nam in charta cujuſdam Odolrici cedentis nonnulla loco S. Salvatoris Sarlatenſi, in præſentia domni Adazacii abbatis, quæ legitur in chartulario veteri eccleſiæ Caturcenſis, hæc eſt clauſula : *In menſe Junio anno XVIIII. regnante Ludovico imperatore.* Hic Ludovicus eſt Tranſmarinus cujus anno 19. reſpondet annus Chriſti 954. quo proinde adhuc ſupererat Adacius ; ſed cum nulla poſt annum 947. occurreret ipſius mentio in tabulis, veteris catalogi abbatum Tutelenſium ſcriptor opinatus eſt eum vita defunctum fuiſſe.

VI. Bernardus I. Ademari vicecomitis Scalarum filius nothus, Adacii ſucceſſor, rexit uſque ad an. 969. inquit Mabillonius. Attamen ex tabulis non ſedit ultra annum 12. Lotharii regis, qui erat Chriſti 966. Conſtruxit eccleſiam de Veinaco ſeu de Veiriaco.

VII. Geraldus præfuit ſaltem annos 10. Notatur in chartis, annis 12. 14. 15. regnante Lothario rege.

In tabulis S. Auguſtini Lemovicenſis Adalbaldus legitur abbas Tutelæ, & plurimorum aliorum monaſteriorum. Nullum tamen locum habet aut in catalogo abbatum Tutelenſium, aut in veteribus Tutelenſis eccleſiæ monumentis. Opinatur Steph. Baluzius in hiſt. Tutel. Adalbaldum abbatem fuiſſe circa an. 984. eumque eſſe qui erat cellerarius ſub Geraldo abbate de quo mox loquebamur ; chartis vero & catalogo inſcriptum non fuiſſe, quod brevi admodum tempore præfuerit, ac ad alia monaſteria regenda ſtatim raptus fuerit.

VIII. Bernardus II. ex Auriliacenſi monaſterio aſſumtus, compoſuit cum Raimundo abbate Auriliacenſis monaſterii, pro tribus libris piperis vel pigmenti, quas annuo cenſu Tutelenſes ſolvere tenebantur. Vide Mabill. ad an. 989. n. 22. Diu ante annum hunc præerat, regnante videlicet Lothario rege an. 20. qui reſpondet anno Chriſti 974. Quædam notitia Tutelenſium abbatum edita tom. v. Annal. Mabill. pag. 672. docet hunc Bernardum fuiſſe epiſcopum Caduroenſem.

IX. Ademarus anno 30. regnante Lothario, ſcilicet an. 984.

X. Petrus I. recenſetur in dono Bernardi de Caunaco, regnante Roberto rege, & ſub Geraldo epiſcopo Lemovicenſi, circa an. 1000. & 1020. De eo vide Baluz. in notis ad vit. pap. Aven. col. 1449.

XI. Bernardus III. ſimul Caduroorum epiſcopus, regnante Roberto rege, memoratur in charta Ebali Vetuli de Comborn. De eo jam plurima diximus in epiſcopis Caduroenſibus, ubi probavimus eum non ſediſſe ultra annum 1028. quo certis conſtat teſtimoniis cathedram Caduroenſem tunc obtinuiſſe alium epiſcopum, videlicet Deusdedit. Baluzius in charta data menſe Maio Roberto rege deprehendit quemdam Petrum abbatem laïcum, quem putat fuiſſe Tutelenſem.

XII. Bernardus IV. qui etiam fuit Caduroorum epiſcopus poſt Deusdedit, Henrico rege regnante, excepit donum Archambaldi, Eboli & Bernardi vicecomitum de Combornio, vide inſtrum. An. 1047. dedit Carcennacum & Moiſſiacum. An. 1052. Itherii Lemov. epiſc. electioni adfuit. C. IV. col. 208.

XIII. Frudinus ſeu Fruinus memoratur in teſtamento Gerardi de Tutela, & in dono Euſtorgii Bernardi ; uti in privilegio Iterii Lemovicenſis epiſcopi, & litteris Widonis ejus ſucceſſoris monaſterio Tutelenſi eccleſiam de Geneſta confirmantis. Ipſe eſt Frodoinus, quo præſente Wido Lemovic. ep. an. 1076. commiſit Bellilocenſe cœnobium reformandum Hugoni abbati Cluniacenſi. Difficile eſt præfecturæ Frudini certos limites præſcribere, chartæ enim pleræque de eo carent temporis notis. Jam præerat ſub Iterio Lemovicenſi epiſcopo, ex ſuperius dictis, & proinde anno ſaltem 1073. quo mortuus eſt hic præſul. In charta anni 1081. quam exhibet Baluzius hiſt. Tutel. lib. 2. cap. 7. pag. 104. idem Frudinus, vel Fruinus nominatur. Opinatur Baluzius eum mortuum eſſe an. 1085. quia hoc anno Gausbertus erat abbas Tutelenſis. Alii volunt eum adhuc vixiſſe an. 1088. ſed antea abdicaſſe.

XIV. Gausbertus ex monacho Majoris-Monaſterii electus eſt an. 1085. ut colligitur ex dono Hugonis facto an. 1088. ordinationis Gausberti abbatis anno 4. Ex alia veteri charta annus 1087. componitur cum anno 2. ejus ordinationis. Fratrem habuit Ebalum nomine, monachum Tutelenſem, qui memoratur in dono Petri de Sennac. Donationem Rotbergæ vicecomit. excepit 1088. & eodem anno donum Gerardi de Roca. Memoratur adhuc 1091. in dono Boſonis dom. de Turene, & eodem anno exiſtente Umbaldo epiſcopo Lemovic. in dono Amelii & Bernardi judicum.

XV. Robertus de Monte-berulfi monachus Cluniacenſis, ex illuſtri gente de Monte-berulfi, (Montbront vel Montbrolf ex Baluzio) familiæ Ventadorienſi affinitate conjuncta, Gosberto ſubjicitur in manuſcripto catalogo Tutelenſi.

XVI. Adalbertus abbas Carrofenſis & Solemniacenſis, qui obiit XI. calendas Auguſti, ut conjicimus, cui tamen locum non reperimus inter abbates Solemniacenſes. Baluz. Robertum factum eſſe abbatem anno 1091. docet, ac anno 1692. ſucceſſorem habuiſſe Guillelmum ; ſicque de Adalberto ſilet.

XVII. Guillelmus a Baluzio cognominatus de Carbonarias, abbas Tutelenſis creatus eſt anno 1092. Nam annus regiminis ejus decimustertius illigatur cum anno 1104. in dono manſi de Quintiniaco. Nepos fuit Bernardi vicecomitis, qui ipſo die Nativitatis Domini quando Guillelmus abbas

Digitized by Google

abbas primum in conventu miſſam cantavit, manſum de Colonis donavit Tutelenſibus monachis. Idem Guillelmus bullam protectionis ab Urbano II. obtinuit 1096. & a Paſchali II. 1105. Ejus tempore anno 1103. reſtauratur monaſterium, ut docet nos charta in ordine inſtrumentorum quinta. Præerat adhuc 1110. ex dono decimarum de Vogairo, & 1111. ex dono Dinæ de Cornelio uxoris Giraldi de Vilate. Celeberrima eſt apud Tutelenſes memoria hujus abbatis, ob reſtauratum ejus curis & ſumtibus monaſterium. Putat Baluzius Guillelmum de Carbonerias, quem Gaufredus Voſienſis dicit vices epiſcopi Petri geſſiſſe per biennium in ſede Lemovic. non alium eſſe a noſtro abbate.

C. v. col. 209.

XVIII. Ebolus de Turena filius erat Boſonis vicecomitis Turenenſis & Girbergæ vicecomitiſſæ [a], frater Raimundi de Turena. Ejus ordinationis annus ſecundus illigatur cum anno Incarnationis 1113. Memoratur in diverſis actis 1112. 1113. An. 1112. Bernardus vicecomes de Comborn & uxor ejus Petronilla de Turre, dederunt Deo & S. Martino & monachis Tutelenſibus pro quodam monacho nomine Geraldo de Vencenciano, quem monachum fecerant, unum manſum qui dicitur Boſileſe, *in præſentia domni Eboli abbatis, an. ab Incarn. Dom. M. C. XII. regnante Ludovico rege, Euſtorgio præſidente in Lemovicenſi ſede.* Vide probat. hiſt. domus Arv. pag. 484. Bullam protectionis a Paſchali II. obtinuit 1115.

[a] *Juſtellus.*

Anno 1116. ſubſcripſit cum Euſtorgio Lemovicum epiſcopo, Mauricio abbate Solemniacenſi, Geraldo Bellilocenſi, &c. dono Bernardi vicecomitis facto Cluniacenſi eccleſiæ, & Ventadorenſi monaſterio. Cum Ermengaudo abbate Cluſenſi tranſigit anno 1117. præſentibus Hildeberto Cenomanenſi, & Rainaudo Andegavenſi epiſcopis. Ejus tempore ſub Euſtorgio Lemovicenſi 1119. Odo comes Marchiæ ſilvam Montis-Salvi Tutelenſi monaſterio conceſſit. Vivebat adhuc 1124. obiiſſe dicitur 8. idus Novembris 1150. ſepultus in Lemovicenſi S. Martialis eccleſia. Baluzius ejus mortem differt ad an. 1152.

De Ebolo hæc leguntur in vita B. Stephani Obazinenſis abbatis: *Cum in eadem urbe* (Lemov.) *ſynodus fieret, & ipſe præſens eſſet Tutelenſis abbas, qui tunc erat Ebolus nomine, litem contra eum injuſte ſatis commovit..... cum vir ſanctus mitia ei verba reſponderet.... tunc ille faſtu ſecularis potentiæ* (erat ex gente de Turenna oriundus) *tumefactus..... tanta ei ac talia ſe facturum minatus eſt. Porro vir Dei nequaquam minis ejus perterritus..... ſic ei reſpondiſſe fertur:* O domine potens, nolite tanta in poſterum comminari, cum ignoretis quid ſuperventura pariat dies. *Taliter altercantes, amicis intervenientibus utcumque ſedati ſunt, atque ab invicem diſceſſerunt.* Sequente vero nocte mortuus eſt Ebolus abbas, non ſine veneni ſuſpicione, ut addit ſcriptor æqualis vitæ S. Steph. tom. 4. Miſcellan. Baluz. p. 148. non notatur tempus quo hæc contigerunt. S. Stephanus obiit an. 1159.

Invenit Baluzius in monaſterio Obazinenſi rotulum de morte Ebali, in quo laudatur ob pietatem in Deum, prudentiam in adminiſtrando, caritatem erga pauperes, amorem ſolitudinis, & contemtum rerum humanarum.

XIX. Geraldus de Scorallia, de cujus nobiliſſimo genere agit Baluzius hiſt. Tutelenſis pag. 144. ex Valetæ tabulis abbas erat an. 1151. bullam protectionis ab Adriano papa impetravit anno 1154. Memoratur an. 1156. & an. 1175. quo fecit concordiam inter Robertum abbatem Obaſinæ, & Guillelmum Gerardumque de Borna fratres, Geraldo Cadurcenſi epiſcopo, cujus erat avunculus, ſedente. Privilegium accepit a Clemente III. primo ipſius pontificatus anno, & ultimo noſtri abbatis, ne quis eccleſiam intra fines parochiarum monaſterii Tutelenſis conſtrueret. In chartario Dalonenſi occurrit cum Saibrando Lemovicenſi epiſcopo 3. cal. Januarii an. 1180. & in Obaſinenſi, cui monaſterio dedit ſalinam quandam quam emerat in Olairo, *ville d'Oleron*, in manu Roberti abbatis. Obiiſſe creditur anno 1188. die 12. Novembris. Huic abbati Alfonſus Caſtellæ & Toleti rex, & uxor ipſius Alienor regina, eorumque filius Sancius rex inſignem donationem faciunt æra 1219. Chriſti an. 1181. anno 5. ex quo præfatus rex Alfonſus Concham fidei Chriſtianæ mancipavit, & anno 1. quo Infantaticum a Ferrando patruo ſuo recuperavit; quam donationem alii poſt eum reges confirmaverunt.

XX. Bernardus IV. an. 1191. dedit Obaſinenſi monaſterio quidquid *requirere* poterat in molendino d'Alſegelar. Ipſi autem Geraldus Marciliacenſis abbas ceſſionem fecit eccleſiæ de Rupe-Amatoris, *Roc-Amadour*, an. 1193. Geraldo Cadurcenſem ſedem obtinente. Forte eſt B. qui notatur abbas in tabulis anno 1195.

Tab. Obaſ.

XXI. Bertrandus quædam ſtatuta condidit an. 1209.

XXII. Bernardus V. de Ventadour, filius Ebuli de Ventadorio & Aleidis natæ Guillelmi I. de Montepeſſulano, anno 1210. Æmulum habuit Galbertum; qua ex contentione multa damna paſſum eſt monaſterium, quæ tantiſper compenſavit donum ab Ebalo de Ventadorio ipſius fratre factum anno 1214. teſtibus Uſerchiæ, & S. Auguſtini abbatibus. Feſtum S. Catharinæ inſtituit anno 1228. & anniverſarium pro ſe an. 1231. adhuc vivebat anno 1234. Hinc parum tuta mihi videntur, quæ adducuntur ad probandum Heliam qui ſequitur abbatem fuiſſe ab an. 1227.

Baluz. hiſt. Arv. pag. 285. & hiſt. Turel. pag. 154.

XXIII. Helias 1239. calendis Aprilis.

XXIV. Petrus II. de Vart ſeu de Mala-morte jam præerat an. 1241. & 1243. ex chartario Bituricenſi, & ex aliis inſtrumentis anno 1251. & ſeq. Querelam inter Bartholomæum Cadurcenſem epiſcopum, & urbis conſules, ſuper pontis conſtructione juxta Deauratam, in portu Bullier, ſopivit menſe Julio, ex tabulis eccleſiæ Cadurcenſis. Idem lites compoſuit inter præfatum Bartholomæum, & Bertrandum abbatem Caſæ-Dei pro juriſdictione in monachos S. Theodardi de Montealbano, an. 1254. ex archivo Cantogilenſi. Ab

[a] Ejus genealogiam deſcribit Baluzius l. 2. hiſt. Tutel. c. 14.

Digitized by Google

Helia de Tutela villam Tutelenſem acquiſivit an. 1255. Adhuc notatur in chartis 1259. & 1270. Anno 1272. Ebolus vicecomes Ventadornenſis præſtitit hominium Petro abbati, haud dubie Petro II. ex Baluzio, qui eum docet obiiſſe tantum anno 1276. attamen in collectaneis quæ mihi ſuppeditavit noſter Martennus, an. 1272. occurrit quidam Petrus de Luro nobilis Lemovix abbas Tutelenſis.

XXV. Petrus III. de Coral abbas S. Martini Lemov. eligitur in abb. Tutelenſem, vel poſtulatur an. 1276. in feſto S. Auguſtini. An. ſequenti Nicolaus III. eum epiſcopis Ruthenenſi & Mimatenſi ſocium dedit in negotio de ſeculariſatione eccleſiæ Albienſis. Præerat etiam 1278. quo legitur *humilis miniſter B. Mariæ Rupis-Amatoris.* Cum Jacobo abbate Obaſinæ tranſigit an. 1282. An. 1285. memoratur in charta S. Illidii. Scripſit hiſtoriam monaſterii S. Martini Lemovic. cujus abbas fuerat.

XXVI. Raimundus de Terraſſo annis 1291. 1299. & 1303. poſt cujus obitum electi fuerunt Arnaldus de S. Aſterio, & Elias; qui cum jus ſuum Clementi papæ V. ambo reſignaſſent, ſummus pontifex, anno pontificatus ſui ſecundo Arnaldum abbatem inſtituit.

XXVII. Arnaldus de S. Aſterio nobilis Petragoricenſis, ultimus abbatum, & primus epiſcopus. Cum foret abbas, an. 1308. miſſus eſt cum Onuphrio Trebano Meldenſis eccleſiæ decano tanquam nuntius apoſtolicus in Italiam ad Ferrarienſes, ut ipſos intra Eccleſiæ ditionem reciperent [a]. Anno ſeq. Venetos a Ferraria invadenda dehortantur. Clemens papa V. an. 2. ſui pontificatus dediſſe legitur bullam, qua irritas declarat collationes beneficiorum factas ab alio quam ab abbate eo tempore quo ægrotus decumbebat.

[a] De illis Guillelmus Arrufati cardinalis gravem ad Bononienſes ſcripſit epiſtolam de qua Cherubinus Ghevardacius lib. 16. hiſt. Bonon. pag. 519.

EPISCOPATUS TUTELENSIS.

CUM urbs Tutelenſis populo videretur aucta tempore Johannis papæ XXII. placuit ſummo pontifici ſedem epiſcopalem eo in loco inſtituere; epiſcopatum Lemovicenſem in duos dividendo, & Tutelenſi partem pagi Lemovic. inferioris tribuendo. De hujuſmodi diœceſibus & ſedibus epiſcopalibus diviſis, adhuc Gallia querebatur tempore Petrarchæ, ut ipſe teſtatur in libro Rerum memorandarum. Exhibemus Johannis papæ bullam, qua & ſedem epiſcopalem inſtituit, & ipſius ſedis limites deſcribit. Epiſcopatus Tutel. eſt ſub metropoli Bituricenſi, & intra parlamenti Burdegalenſis fines cui ſubjecta eſt curia præſidialis qua nunc Tutela decoratur. Eccleſia cathedralis patronum antiquum abbatiæ retinet S. Martinum. Capitulum conſtat decano, præpoſito, theſaurario ac cantore, & 12. canonicis. In diœceſi ſunt 52. parochiæ, & una tantum abbatia, ſcilicet B. M. de Valeta.

C. VI. col. 210.

EPISCOPI TUTELENSES.

I. ARNALDUS I.

De S. Astier.

ANNI CHRISTI

HIC poſt abbatialem dignitatem cum laude geſtam, aſſumtus eſt ad majorem, epiſcopalem videlicet, a Johanne papa. Munus conſecrationis accepit a Berengario epiſcopo Tuſculano. Statuta condidit anno 1324. exceſſit e vita an. 1333. jacetque apud Rupem-Amatoris.

1324.
1333.

II. ARNALDUS II.

De Clermont.

Arnaldus de Claromonte, ordinis Minorum, tum in academia Pariſ. theol. baccalaureus, præficitur eccleſiæ Tutelenſi ab eodem Johanne papa, bulla data Avenioni idibus * Septembris an. 18. ejus pontificatus, ex regiſtro pontificatus hujus papæ, pro anno 18. Chriſti 1333. Adfuit concilio Bituricenſi anno 1336. ſub Fulcaudo metropolitano. Obiit anno 1337. die Sabbati ante feſtum apoſtolorum Petri & Pauli ex Baluzio, licet in conſtitutionibus quas edidit, legatur eas conditas fuiſſe an. 1339. Idem Baluzius autumat noſtrum Arnaldum ſcripſiſſe adverſus opinionem Johannis XXII. de Viſione beatifica ſanctis ante reſurrectionem denegata.

* al. IV. id.

1333.
1336.
1337.
1339.

III. HUGO.

Roger.

ANNI CHRISTI

Hugo Rogerii, Lemovicenſis, Clementis papæ VI. frater, Guillelmi Roſariorum toparchæ, ex Maria de Chambon filius erat, ſi fides adhibenda Juſtello, in genealogia Belfortiorum. Quanquam Baluzius contendit matrem Hugonis fuiſſe Guillelmam nobilem feminam ex gente Monſtria; quem conſule in notis ad vit. pap. Aven. col. 845.

Hugonis nepos Johannes (quem alii fratrem dicunt) fuit archiepiſcopus Auxitanus; ipſe vero primum monachus ord. S. Bened. in monaſterio Tutelenſi, poſtea abbas Angeliacenſis, & electus Tutelenſis appellatus eſt, creatus videlicet a Clemente VI. 15. cal. Auguſti, anno 1. ejus pontificatus, ſeu Chriſti 1342. ſed numquam conſecratus fuit. Promotus eſt autem ad cardinalitium faſtigium die 21. Septembris anno 1342. ex ſcriptoribus vitæ Clementis VI. Ex regiſtro capituli Ambianenſis, hujus eccleſiæ canonicus erat adhuc anno 1349. Exſtinctus dicitur Avenione an. 1363. 12. cal. Novembris; ſepultuſque eſt in eccleſia monaſterii Montis-olivi, ex hujus loci

1342.

Vide Baluz. in notis ad vit. pap. Aven. pag. 845.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

necrologio, ubi ſcriptum: *An. 1373. die XXI. Octobris migravit ad dominum reverendiſſimus pater H. S. Laurentii in Damaſo presbyter cardinalis Tutelenſis, ſepultus in eccleſia hujus monaſterii.* Sed poſtea corpus ejus delatum eſt ad eccleſiam S. Germani de Manſo-ſereno, *Maſeré*, apud Lemovices, non procul Tutela, quo in loco eccleſiam fundaverat, ubi jacet in elegantis operis tumulo ex ære facto, ut docet Steph. Baluzius in notis ad vitas pap. Aven. pag. 849.

Notat Quercetanus poſt Spondanum, mortuo Innocentio VI. an. 1361. cardinales numero 20. conclave ingreſſos, quorum quindecim ſummum pontificatum Hugoni detulerunt, quem deprecatus eſt propter ingraveſcentem ætatem.

IV. Guido.

Guido Hugoni ſucceſſor datus, in remotis agere
1342. dicitur anno 1342. in veteri inſtrumento Tutelenſi. Aberat a ſua eccleſia, & Avenioni adhuc morabatur an. 1344. die 16. Januarii; quo tempore vicarium generalem habuit Petrum Faucher, Cuzanciæ priorem. Adhuc erat epiſcopus annis 1345. & 46. inquit Baluzius, qui tamen fatetur Bertrandum ſive Bernardum, qui ſequitur, factum eſſe epiſcopum anno 1343. Fortaſſe Bertrando nondum conſecrato Guido præeſſe non deſiit, & officium epiſcopale quoad ſpiritualia exercere.

Sed multo magis nos torquet quod legimus, ſcilicet Johanni epiſcopo Tutelenſi recognoviſſe Margaritam Pichardam filiam quondam Johannis Pichardi armigeri, ſe tenere in feodum francum & nobile, cum hominio fidelitatis & juramento 1343. die 14. Apr. ex archivis ſedis epiſcopalis. Num de hac ſede duo tunc contendebant?

V. Bernardus.

* *al.* Bertrandus.

Bernardus * e gremio Tutelenſium monachorum (nam erectione epiſcopatus priſtinum retinuerunt ſtatum) aſſumtus dicitur, anno 1343.
1343. Memoratur an. 1346. die 27. Junii. Quamdiu
1346. præfuerit, haud ſatis nobis conſtat. Vicarium generalem in ſpiritualibus & temporalibus habuit Bernardum Fornerii canonicum Æduenſem & Tornacenſem.

VI. Petrus I.

Petrum ſediſſe Tutelæ inter Bertrandum & Archembaldum qui ſequitur, probat quod legitur in regeſtis Avenionenſibus, inquit Baluzius, videlicet Archembaldum an. 1352. die VII. Novembris, ſolviſſe curiæ Romanæ pro Petro ſuo anteceſſore, quæ eidem curiæ debebat.

VII. Archembaldus.

Archembaldus anno 1348. factus epiſcopus
1349. annis 1349. menſe Auguſto & 1353. notatur
1357. in chartis. An. 1357. Olivarius de Bello-caſtro, &c. hominium præſtat Archembaldo ep. Tutel. pro his quæ habebat tum apud Bellum-caſtrum, tum apud caſtellum de Vairac die 1. Sept. ex tabul. capituli de Roc-amadour in diœceſi Cadurcenſi.

Eidem ſe clientelarem profitetur Guillelmus de Temines domnus de Temines & de Gordon die 9. Julii an. 1360. ibidem. Obiit an. 1361. & quidem ex tabulis vacabat ſedes die 26. Februarii anni hujus. Paulo antea, ſcilicet die 28. Januarii Arnaldus Garnerii nonnullis in litteris ſe præfatur vicarium generalem Archembaldi epiſcopi in remotis agentis, hoc eſt Avenioni ubi manere ſolebat. Alii ejus vicarii generales fuere Petrus Focherii præpoſitus eccl. Tutelenſis, Pontius Vaſſalli camerarius, & Rainaldus de Grandivalle ſacriſta.

ANNI CHRISTI 1361.

VIII. Laurentius.

Dal Biars.

Laurentius dictus Dal Biars, ex vico ſic appellato quatuor circiter leucis a Tutela diſſito, ubi natus erat, vulgo cognominatus de Albiaco, medicus Innocentii papæ VI. ab ipſo creatus eſt epiſc. Vaſionenſis; qua ex ſede anno 1361. ab eodem papa tranſlatus ad Tutelenſem, obiit anno 1370. 1370.
ex necrologio S. Juniani Nobiliacenſis; condituſque eſt in eccleſia cathedrali ad dexteram altaris principis.

IX. Johannes I.

Fabri.

Johannes Fabri Tutelenſis vel potius Lemovicenſis diœceſis anno 1370. Laurentio ab Urbano papa V. ſexto idus Auguſti, epiſcopo ſubrogatur. Presbyter cardinalis tit. S. Marcelli creatur a Gregorio papa XI. cujus conſanguineus erat, anno
1372. * feria ſexta quatuor temporum poſt * *al.* 1371.
Pentecoſten, ex priori vita Gregorii XI. a Stephano Baluzio edita, qui ait eum obiiſſe an. 1372. 1372.
die 6. Martii. De tempore quo Johannes creatus eſt epiſcopus non nihil difficultatis proponit Baluzius hiſt. Tutel. pag. 306.

X. Bertrandus I.

De Cosnac.

Bertrandus de Coſnac nobilis Lemovicenſis ex Brivenſi pago, filius erat Hugonis II. de Coſnaco ex Helide de Mulcedone, ut docet Baluzius (quem libenter ſequimur) in notis ad vitas pap. Aven. col. 1445
ubi fuſius explicat gentis Coſnacorum genealogiam. Bertrandum epiſcopum factum fuiſſe anno
1371. & fuiſſe Avenioni an. 1375. die 13. Aug. 1371.
tractaſſeque matrimonium Johannis Melions domini caſtrorum S. Chriſtophori, & de Flaumonte cum Guiſcarda filia Heliæ domini de Noalhas legimus apud Baluz. in hiſt. Tutel. quo etiam anno 1375
conjicit eum diem extremum clauſiſſe. Certe an. 1376. ſedes vacabat ex veteribus actis. In catalogis Bertrando ſucceſſor datur quidam Aimericus. At Baluzius, quem ſecuti ſunt catalogorum ſcriptores, emendat ſe & Aimericum expungit in notis ad vitas pap. Aven. col. 1313.

XI. Petrus II.

De Cosnac.

Petrus de Coſnac, Bertrandi frater & ſucceſſor, anno 1365. doctoris lauream accepit a Guillelmo de Agrifolio; tuncque prior erat de Briva, inquit abbas Moiſſiacenſis in vita Urbani papæ V. Electus Tutelenſis appellatur in promiſſione facta die ultima Februarii anno 1376. de ſolvendis 1376.
curiæ Romanæ communibus ſervitiis. Ex ſchedis D. Emundi Martenne memoratur in veteri inſtrumento anni 1378. & cum capitulo tranſigit an. 1378
1380. An. 1398. vicarium generalem habebat 1380.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

Raimundum de Coſnaco, qui in magno cœtu Pariſiis habito hoc an. ad deliberandum de extinctione ſchiſmatis per viam ceſſionis, ſuam ſententiam promſit relatam a Baluzio hiſt. Tutel. l. 3. pag. 209. Petrum deſiiſſe vivere anno 1402. communis eſt opinio, quod ſerius contigiſſe autumat Stephanus Baluzius.

1402.

BOTINANDI.

XII. BERTRANDUS II.

Bertrandus Botinandus patria Lemovicenſis, ex pago S. Germani prope Petram-bufferiam, prius canonicus & præpoſitus de S. Spano (S. Eſpain) in eccleſia S. Martini Turon. auditor cauſarum palatii Apoſtol. & auditor Guidonis de Maleſicco cardinalis, qui eum inſtituit exſecutorem ſui teſtamenti menſe Septembri anno 1407. quo nondum epiſcopus appellatur, ſedem Tutelenſem non obtinuit ante an. 1408. Et quidem menſe Januario hujus anni adhuc vacabat ſedes. Anno 1409. adfuit concilio Piſano, uti legitur lib. VI. Spicilegii. Hic epiſcopus beneficus ceſſit codicillis ſuis 3. Junii 1412. decimas B. Hilarii de Floiſſaco, quæ ex ſuo jure erant, pro quatuor anniverſariorum dotatione. Conſtitutus eſt curator teſtamenti Nicolai de Bello-forti domini de Limolio anno 1415. cum Bertrando de Turre & Guillelmo de Petra-bufferia militibus. Extremum diem clauſit an. 1416.

pag. 352.

1412.

1416.

XIII. HUGO II.

Mortuo Botinando, pars una monachorum elegit Martinum de S. Salvatore, quem electum confirmavit metropolitanus; altera pars conſenſit in electione Hugonis Combarelli, filii Johannis equitis, qui erat ſenator in curia juvaminum, ſeu ſubſidiorum, & an. 1415. ampla & honorifica legatione functus eſt ad Genuenſes. Hugo vicit æmulum ſuum; ſenatuſque Pariſienſis decreto dato an. 1421. die 12. Julii, quo electio Hugonis aſſerta eſt, Martinum ad reſtitutionem fructuum coëgit. At Hugo paulo poſt anno 1422. ineunte tranſlatus eſt ad ſedem Biterrenſem a Martino V. permutatione facta cum Bertrando de Malo-monte; ac biennio elapſo ad Pictavienſem.

1415.

1421.

XIV. MARTINUS.

Cum ex dictis conſtet Martinum de S. Salvatore electum an. 1416. fructus ſedis epiſcopalis percepiſſe uſque ad an. 1421. per annos circiter quinque, vix poteſt ipſi denegari locus in epiſcoporum Tutelenſium catalogo. Verumtamen obſervat Baluzius Jacobum de Campis præpoſitum de Navis, diœceſim tunc rexiſſe in ſpiritualibus tanquam vicarium generalem regia auctoritate conſtitutum.

DE MAUMONT.

XV. BERTRANDUS III.

Bertrandus de Malo-monte nobilis Lemovix [a], prius Mirapicenſis, poſtea Vaurenſis, ac demum Biterrenſis epiſcopus, anno 1422. menſe Januario vocatur ad ſedem Tutelenſem. Anno 1423. præbendatos Rupis-amatoris ad numerum quindecim reduxit. Legimus ſupra Marciliaci abbatem ceſſiſſe Bernardo abbati & conventui Tutelenſi eccleſiam de Roc-amadour, de mandato dom. Cœleſtini papæ, an. 1194. In archivis hujus loci legimus Raimundum de la Vaiſa, & Aimericum de la Vaiſa, conceſſiſſe eccleſiæ de Roc-amadour & B. abbati Tutelenſi, & monachis qui ibidem Deo ſervierint, quidquid habebant de Willelmo de la Vaiſa; quo tempore Bertrandus Rupis-amatoris prior erat. Inſtrumentum caret notis [b] chronicis. Bertrandus epiſcopus adhuc ſuperſtes erat die 25. Julii an. 1425. quo obiiſſe dicitur. Jacet in eccleſia ſua.

1422.

1423.

1425.

[a] Avunculos habuit Hugonem de S. Martiali cardinalem, & Petrum Toloſ. archiepiſcopum.

[b] Id videtur actum circa annum 1193. quo tempore B. prior erat Rupis-amatoris.

XVI. JOHANNES II.

DE CLUYS

Johannes de Cloſis ex nobili & antiquo genere pagi Bituricenſis, Bertrandi epiſcopi affinis & vicarius generalis, ipſi ſuffectus eſt. Anno 1428. Carolus rex Franciæ ipſum elegit & inſtituit legatum ad regem Caſtellæ, litteris datis die 26. Junii. Anno ſequenti compoſuit cum capitulo quaſdam controverſias, & an. 1431. concordiam iniit cum civibus. Anno 1444. Petrus comes Belli-fortis & vicecomes Turenæ ſui teſtamenti curam & exſecutionem demandavit Johanni epiſcopo, die 9. Junii, qui eodem anno obiit & ſepultus eſt in medio chori; ſed ejus tumulus poſtea loco motus eſt. Abſolvit ædes epiſcopales.

1428.

1431.

1444.

XVII. HUGO III.

D'AUBUSSON.

Hugo de Albuconio ex nobiliſſimo in Marchia Lemovicum genere, filius Reginaldi & Margaritæ de Combornio, prior clauſtralis, an. 1451. die 25. Julii primum fecit ingreſſum in urbem, electus tantum nondumque conſecratus. Quid cauſæ fuerit, ut tandiu caruerit epiſcopo ſedes hæc, ignoramus; niſi dicamus id contigiſſe ob diſſidium inter curias Romanam & Francicam. Autumat Baluzius has inſulas datas fuiſſe a papa poſt Johannis mortem, Petro de Combornio, e ramo dominorum de Freignac; ſed ejus promotio, inquit, non valuit, quod eſſet contra Sanctionem pragmaticam. Attamen recenſetur cum titulo epiſcopi Tutelenſis, inter præſules qui adfuerunt tranſlationi S. Martini in eccleſia Turon. an. 1453. menſe Febr. Quod ſpectat ad Hugonem, an. 1451. exeunte miſſus eſt a Rege obviam Guillelmo d'Eſtoutevilla legato pontificio. An. 1454. die 8. Junii Guillelmus de Sedieyra recognovit coram hoc epiſcopo, ſe tenere ab ipſo locum de Sedeyra. Obiit eodem anno, exeunte menſe Septembri, & ſepultus eſt coram majori altari.

1451.

1454.

XVIII. LUDOVICUS I.

D'AUBUSSON.

Ludovicus de Albuconio Hugonis germanus, ordinis S. Benedicti monachus, & prior de Mortanha ordin. item Benedictini; electus a majore parte capituli 1454. menſe Sept. confimatur per officialem Biturigum, contra Guichardum [c] de

1454. c

[c] Hic juri ſuo tandem renuntiavit die 22. Julii anno 1465. retenta trecentarum librarum annua penſione.

Digitized by Google

Combornio abbatem Uſerchiæ 2. Maii, tandemque per Calliſtum III. an. 1455. 27. Decembris, ut notant acta conſiſtorialia; pauloque poſt conſecratur. Memoratur in bulla Pii II. pro quindecim præbendariis Rupis-amatoris. Mortuus dicitur a Baluzio an. 1471. Jacet in cathedrali Tutelenſi prope Hugonem.

ANNI CHRISTI 1471.

DE BAR.

XIX. DIONYSIUS.

Dionyſius de Barro nobilis Bituricenſis, ex dominis de Baugi, qui tunc erat epiſcopus S. Papuli, petente Rege tranſlatus eſt ad ſedem Tutelenſem. Eccleſiam hanc ſolemni pompa ingreſſus eſt die 25. Martii an. 1472. Nonnullorum tamen monachorum ſuffragiis, frater Geraldus de Malomonte [a] cellerarius Tutelenſis electus fuerat. Porro lis inter utrumque duravit uſque ad annum ſaltem 1487. 1487. tandemque ceſſit Geraldus. Reparavit Dionyſius oratorium beatæ Mariæ Rupis-amatoris anno 1479. ut probat inſcriptio in veteri lapide apud Rupem-amatoris huc uſque aſſervato. Hoc epiſcopo ſedente fratrum Minorum conventus fundatur in urbe an. 1491. liberalitate Bertrandi de S. Amantio, *S. Chamant*, & Tutelenſium civium; qui ſacer locus Minoribus recollectis datus eſt ineunte ſeculo 16. Demum ad San-papulenſem cathedram rediit Dionyſius an. 1495. ubi diem ſuum obiit an. 1517. 31. Maii. In monaſterio Dominicanorum Bituricenſium ſepultus eſt, habetque hoc epitaphium:

1472. 1491. 1495. 1517.

Præſul erat ſancti Papuli, Dionyſius illi
Nomen, & a Barro nobilitatis honos.
*At decus hoc majus * quod cum virtutibus artes*
*Una omnes ſecum victor ab urbe * tulit.*
Qui ſi forte polos nondum tenet, Altitonantem
Propter eum precibus ſollicitate piis.

* magnis. * hoſte.

Inter bonas artes quas Dionyſius coluit, aſtronomiæ potiſſimum operam dedit, cujus defenſionem ſuſcepit in opere quod manu exaratum habetur in bibliotheca patrum Auguſtinianorum ſuburbii S. Germani apud Pariſios, cujus titulus eſt: *De aſtronomicorum profeſſorum epitoma.*

DE BRILLAC.

XX. CLEMENS.

Clemens de Brillac equeſtri familia ſatus, Guidonem dominum de Brillaco, & Martham, ex clara gente Pompadorienſi in Lemovicibus parentes habuiſſe dicitur. Poſt adeptum San-papulenſem pontificatum factus eſt epiſcopus Tutelenſis, permutatione inita cum Dionyſio de Barro, VI. id. Martii an. 1495. Exſtruxit palatium epiſcopale, & variis ornamentis decoravit. Ejus tempore capitulum quod hucuſque ſtatum regularem & monaſticum retinuerat, in ſeculare per Leonem papam X. bulla [b] data 6. cal. Octobris 2. pontificatus Leonis, Chriſti an. 1514. quæ exſecutioni datur die 2. Nov. an. 1516. per epiſcopum S. Flori, abbatem Maimacenſem, & archidiaconum Lactorenſem. Hac bulla pro monachis inſtituti ſunt 16. canonici, quos inter quatuor dignitates cenſentur: decanus qui duplicem habet præbendam, præpoſitus, theſaurarius & cantor. Obiit autem Clemens anno ſaltem 1515. nam cum per ejus mortem vacaſſet abbatia de Stirpo, quam poſſidebat in commendam, & in ejus locum electus eſſet abbas Stirpenſis Blaſius Normand, ejus electio canonica declarata eſt judicio vicarii generalis Lemovicenſis die 25. Maii an. 1515.

ANNI CHRISTI 1515.

[a] Inter probationes libertatum eccleſiæ Gallicanæ c. 15. n. 68. memoratur decretum parlamenti datum in hac cauſa die 6. 1485. ubi hic æmulus Dionyſii de Barro appellatur Geraut de Naymont.

[b] Bullam hanc vide inter noſtra inſtrum. C. VII. col. 211. & hiſt. Tutel. col. 789.

Vid. C. VIII.

DE LEVIS.

XXI. FRANCISCUS I.

Franciſcus abbas Obaſinæ ex nobili & antiqua gente de Levis per ramum dominorum de Vouta, filius erat Ludovici comitis de Vouta & Blanchæ de Ventadorio. Hic in electione facta poſt Clementis mortem æmulum habuit Ægidium de Turre ex Turenæ vicecomitibus. Verum Franciſcus confirmatus eſt ab archiepiſcopo Bituricenſi die 29. Maii an. 1517. Ipſius fit mentio in actis conſecrationis eccleſiæ prioratus S. Michaëlis de Angelis * facta die 14. Martii an. 1522. a Petro de Albo Aſcolenſi in Italia epiſcopo; cujus loci prior erat Franciſcus de Levis. An. 1532. menſe Auguſto celebravit magna pompa exſequias Franciſci II. Turenæ vicecomitis apud Brivam cum epiſcopis Petragoricenſi & Sarlatenſi. Obiit anno 1535.

1517. * S. Angel. 1522. 1535.

AMELIN.

XXII. JACOBUS.

Jacobus Amelin Chriſtianiſſimo regi Franciſco I. a ſecretis & commentariis, necnon ab eleemoſynis & ſacris confeſſionibus, fuit abbas S. Georgii de Balcheri-villa, canonicus ſacræ apud Pariſios capellæ, epiſcopus autem Tutelenſis erat die 21. Maii an. 1536. quo poſſeſſionem adipiſcitur die 9. Maii. Hoc etiam anno ordines contulit Tutelæ. E vita migravit Senonis menſe Maio 1539.

1536.

DU CHASTEL.

XXIII. PETRUS III.

Petrus Caſtellanus, ſacræ quoque capellæ in regio apud Pariſios palatio canonicus, Lingonenſis origine, Franciſci I. eleemoſynarius, lector & regiæ bibliothecæ præfectus, ut aiunt Sammarth. fratres, vir ſeculo ſuo doctiſſimus; epiſcopus anno 1539. ſuffraganeum, ſeu vicarium ad epiſcopalia munia habuit in cathedra Tutelenſi Guillelmum Piatum, præſulem Tarſenſem. Poſtmodum fit Matiſcon. & Aurelian. epiſcopus; quo in munere, inter concionandum obiit, quam dignam epiſcopo mortem laudavit verſibus Michaël de l'Hoſpital Franciæ cancellarius, ubi plura de eo vide, necnon in elogiis Scævolæ Sammarthani, & apud Jacobum Auguſtum Thuanum in hiſt. lib. 3.

FAUCON.

XXIV. FRANCISCUS II.

Franciſcus Falco ex Septimania oriundus genere nobili quod a gente Falconia inter Florentinas antiqua illuſtrique primam ducebat originem, ut docet Scævola Sammarthanus lib. v. elogiorum, in Claudio Falcone Rizio Armoricani ſenatus principe; patrem habuit Falconem de Falcone, matrem vero Carlotam Bucelli. Hic ex canonico ſacræ capellæ Pariſienſis factus eſt epiſcopus Tute-

lensis an. 1544. in cujus eccleſiæ adminiſtratione uſus eſt ad munia pontificalia Petro de Biſquieris Nicopolitano epiſcopo. Inde fuit Aurelianenſis, Matiſconenſis, & Carcaſſonenſis epiſcopus. Eratque ſimul abbas S. Johannis Senonenſis, S. Petri Altivillaris, & Bellæ-perticæ. Obiit octogenarius anno 1565. die 25. Septembris; conditusque eſt Carcaſſonæ in cathedralis eccleſiæ choro. *Franciſco a Falcone Tuletanæ* eccleſiæ præſuli Paulus Mazinus Arvernus obtulit de rerum naturalium generatione paradoxa edita typis Matthæi Davidis via Amygdalina, an. 1549.

ANNI CHRISTI

1565.

XXV. Johannes III.

De Fonseque

Johannes de Fonſec Roderico de Fonſeca nobili Hiſpano avo, patre Edmundo barone de Surgeres, in pago Alniſienſi *, matre Harduina de Laval genitus, creatus eſt Tutelenſis epiſcopus an. 1553. ſed nunquam fuit conſecratus. Hinc ad officium epiſcopale obeundum adhibuit Benedictum de Rota S. theol. profeſſorem, Caronotenſem in partibus, ut aiunt, epiſcopum. Dignitate epiſcopali potitus eſt ad an. 1560. Fuit poſtea abbas S. Martialis, ceſſione facta ſedis epiſcopalis pro hac abbatia.

* le pays d'Aulnis.

1553.

1560.

XXVI. Ludovicus II.

De Gourdon de Genoillac

Illuſtris eſt in pago Cadurcenſi Gordoniorum de Genoillac familia, ex qua erant hi tres fratres filii Johannis & Margaritæ Albuconiæ: Johannes de Gourdon de Genoillac dominus de Vaillaco: Flotardus, de quo infra: & Ludovicus. Hic fuit abbas S. Romani de Blavia, *Blaye*, S. Martialis Lemovicenſis, S. Laudi, priorque de Fagia * Nivernenſis diœceſis. Inſuper promotus eſt ad Tutelenſem epiſcopatum anno 1560. Anno ſequenti die 1. Junii, ſolemni ritu eccleſiam ſuam urbemque eſt ingreſſus, dato de more ſacramento civibus quod eorum privilegia ſervaret. Adfuit colloquio Piſciacenſi, poſtea concilio Tridentino ex quo rediit an. 1564. Vicario uſus eſt Petro de Sediere abbate Tortoiracenſi. Tandem obiit longævus, an. 1583. in caſtro Boiſſeto prope Blaviam, ſepultuſque eſt in eccleſia parochiali Valliaci.

*delaFaye.

XXVII. Flotardus.

De Gourdon de Genoillac a

Flotardus a Ludovici frater ac ſucceſſor ex decano Tutelenſi, & Ronſenacenſi in Petragoriis, epiſcopus creatus eſt an. 1583. ſed non diu ſedit; anno enim 1586. menſe Martio fato eripitur. Ejus tempore capta eſt Tutela a Turennio vicecomite, cujus rei brevem hiſtoriam ſcripſit Johan. Baluzius proavus eruditi viri Stephani Baluzii nuper defuncti.

1583.

1586.

XXVIII. Antonius.

De la Tour.

Exſtincto Flotardo Antonius de la Tour decanus Tutelenſis ex hac dignitate aſcendit ad epiſcopalem an. 1587. 17. cal. Maii. In poſſeſſionem mittitur per procuratorem 3. cal. Octobris. Conſecratur Burdigalæ ab Arnaldo Pontaco epiſcopo Vaſatenſi die 4. Septembris 1588. Sub hoc pontifice patres Recollecti ordinis S. Franciſci conventus Tutelenſis poſſeſſionem adipiſcuntur; cujus etiam auctoritate Alborum Pœnitentium ſub nuncupatione D. Johannis Baptiſtæ, in ſacello pauperum juxta xenodochium inſtituta fuit congregatio an. 1591. confirmata a ſummis pontific. Greg. XIV. Clemente VIII. & Paulo V. Tandem obiit octogenarius anno 1595. die 8. menſis Septembris; & reſurrectionem exſpectat in æde Rupis-amatoris, quæ eccleſia diœceſis Cadurcenſis, unita eſt menſæ epiſcopi Tutelenſis.

ANNI CHRISTI

a Ejus mater Margarita Albuconia eum appellat Floquetum in ſuo teſtamento.

XXIX. Johannes IV.

De Vi-sandon.

Johannes de Viſandon Ludovenſis in diœceſi Burdigalenſi, doctor juris canonici, nominatus ab Henrico IV. 18. Octobr. 1594. cum Antonius de Turre renuntiaſſet epiſcopatui in ejus favorem, 12. die Septemb. ejuſdem anni. Poſſeſſionem adipiſcitur per procuratorem die 3. Octob. an. 1595. numquam vero fuit conſecratus, aut bulla pontificia confirmatus.

1695.

XXX. Johannes V.

De Gourdon de Vaillac.

Johannes de Genoillac de Vaillac filius Ludovici præfecti urbis Burdigalenſis, equitis torquati, & Annæ de Monberon natus in diœceſi Burdigalenſi, Ludovici & Flotardi nepos, fit epiſcopus ætatis ſuæ an. 25. papa cum eo diſpenſante ſuper defectu ætatis an. 1599. quinto idus Novembris. Poſſeſſionem adipiſcitur per procuratorem prima Maii anno 1600. Interfuit cœtui cleri Gallicani an. 1603. & nomine totius provinciæ inferioris Lemovic. comitiis generalibus Galliæ habitis Lutetiæ an. 1614. Moritur Meyronæ in Cadurcis die Veneris decima tertia Januarii anno 1652. Sub hoc epiſcopo plures religioſæ familiæ apud Tutelam admittuntur; nempe an. 1614. moniales S. Claræ in ſuburbio; Fulienſes monachi anno 1615. Urſulanæ an. 1618. virgines ord. Ciſtercienſis anno 1620. patres Societatis Jeſu 1621. Carmelitæ diſcalceati 1645. moniales a Viſitatione B. Mariæ dictæ.

1599.

1652.

XXXI. Ludovicus III.

De Rechigne Voisin.

Ludovicus de Guron de Rechigne-voiſin, epiſcopus, vicecomes & dominus Tutelenſis, abbas de Moroliis, ex dominis de Guron in Pictonibus, ſacratur antiſtes in baſilica virginum Carmelitarum Burdigalæ 1. Nov. anni 1653. per Samuelem Martineau Vaſatenſem præſulem, cooperantibus Carolo d'Anglure Aduренſi, & Franciſco de Pericard Engoliſmenſi epiſcopis. Poſſeſſionem adipiſcitur per procuratorem 27. Maii 1654. die inſequenti feſtiva pompa exceptus eſt a ſuis Tutelenſibus. In ipſo ſui epiſcopatus exordio litteras accepit ab Innocentio papa X. quas Baluzius ſuæ Tutelenſi hiſtoriæ attexuit. Promulgavit cenſuram & damnationem libri inſcripti: *Apologie pour les Caſuiſtes*, die 18. Aprilis an. 1658. Anno 1671. tranſiit ad eccleſiam Convenenſem. Edidit pro diœceſi Tutelenſi conſtitutiones ſynodales.

1653.

XXXII. Julius.

Mas-caron.

Julius Maſcaron Maſſilienſis, presbyter Oratorii,

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

ob eloquentiam tot concionibus in urbe & in aula notus, deſignatur epiſcopus Tutelenſis die 5. Januarii anni 1671. conſecratur die 8. Maii in eccleſia S. Maglorii Pariſ. a Franciſco Harlæo Pariſiorum archiepiſcopo, adſiſtentibus Tuſſano de Fourbin tunc Maſſilienſi epiſcopo, & Coſma Roger Lumbarienſi. Sacramentum Regi præſtitit anno 1672. die 25. Aprilis. Solemni pompa excipitur in urbe die 18. Junii ejuſdem anni. Anno 1679. transfertur ad eccleſiam Aginnenſem. Eo ſedente conditum eſt xenodochium extra urbem, & ſeminarium ad inſtituendos clericos.

1671.

1679.

ANCELIN.

XXXIII. HUMBERTUS.

Humbertus Ancelin filius nutricis regis Ludovici XIV. cum Reginæ eſſet ab eleemoſynis & abbas Marciliaci dioec. Cadurcenſis, nominatur ſchedula regia Tutelenſis ep. die 4. menſis Oct. an. 1680. conſecratur die 21. Junii 1681. in abbatia S. Victoris Pariſ. a Franciſco Harlæo archiepiſcopo Pariſ. adſiſtentibus Franc. Faure epiſc. Ambian. & Carolo le Goux de la Berchere tunc epiſcopo Vaurenſi, præſente Regina. Urbem ſuam ingreditur 21. Oct. anni ſequentis. Anno 1702. abdicat, ſitque abbas Hamenſis.

1680.

ANNI CHRISTI

1702.

DE BEAUPOIL SAINT AULAIRE.

XXXIV. ANDREAS-DANIEL.

Andreas-Daniel de Beaupoil de S. Aulaire ex gente in pago Lemovicino illuſtri, nobiles parentes habuit Danielem baronem de S. Aulaire & Guyonam Angelicam de Blot Chovigny ſecundam Danielis conjugem. Andreas nominatur epiſcopus Tutelenſis poſt Humberti ceſſionem die 16. Aprilis an. 1702. cum foret vicarius generalis Petracoricenſis epiſcopi. A Tutelenſibus excipitur an. 1703. die 14. Jan.

1702.

1702.

DECANI ET PRIORES TUTELENSES.

I. INTER decanos eccleſiæ Tutelenſis qui leguntur in editis catalogis, primus qui recenſetur ad annos 947. 948. & 955. non videtur alius ab Adacio quem S. Odo Cluniacenſis abbas & Tutelenſis inſtituit tanquam ſecundum abbatem, ut ſui vices ſuppleret in hujus monaſterii regimine. Hic forte fuit appellatus a nonnullis decanus aut prior, quod ſecundum tantummodo locum teneret in cœnobio, ſubeſſetque alteri abbati.

II. Gausfridus 958. 961. & 965.

III. Petrus I. an. 969. 979. & 984. quo ultimo anno reperitur fuiſſe ſimul decanus & camerarius

IV. Ademarus an. 1091.

V. Geraldus eodem anno, & hic fuit ultimus decanus, ceteri vero qui eum ſecuti ſunt, prioris titulum geſſerunt uſque ad an. 1514.

VI. Bernardus de Roffiniaco erat prior annis 1092. 1094. & 1097.

VII. Stephanus Baudrici prior Tutelenſis circa an. 1180. ex Gaufrido Voſienſi pag. 291. Nomina ſequentium priorum ad nos uſque non pervenerunt; forte ii ſunt qui ſub titulo præpoſitorum poſtea recenſentur, nam a quo capitulum ex regulari factum eſt ſeculare, rurſus habere decanos cœpit.

VIII. Gabriel de Malo-monte an. 1530. præpoſitus etiam de Clergous.

IX. Johannes I. de Puydeval erat decanus an. 1560. ex quodam regeſto domini du Glenic.

X. Flotardus de Genoillac poſtea epiſcopus an. 1583.

XI. Petrus II. du Mas clericus Ruthenenſis dioeceſis, proviſus an. 1583. Baluzius habet bullam inter ſchedas D. de San-marſal.

XII. Antonius I. de la Tour decanus, dein epiſcopus an. 1587.

XIII. Johannes II. *al.* Franciſcus l'Eſtrade eodem anno eligitur decanus.

XIV. Bertrandus I. de la Tour Antonii epiſcopi nepos, vicarius generalis & officialis Tutelenſis, ſcripſit de inſtitutione eccl. Tutelenſis.

XV. Johannes III. Marcus de la Tour Bertrandi nepos, filius Johannis præſtantiſſimi juriſconſulti, obiit juvenis ſepultus in eccleſia cathedrali.

XVI. Bertrandus II. de la Tour iterum poſt mortem nepotis, electione capituli fit decanus, inde prior du Glenic in dioeceſi Tutelenſi, obiit an. 1646. in eadem eccleſia ſepultus.

XVII. Martinus d'Arche, Johannis filius, antea prior du Glenic & canonicus Tutelenſis, decanus ex permutatione facta cum ſuperiore, mortuo epiſcopo Johanne electus eſt a capitulo vicarius generalis an. 1652. obiit an. 1666.

XVIII. Petrus III. Larve vel la Ruë mortalitatem explevit an. 1697. die 5. Septembris.

XIX. Martialis Ludovicus de Broſſart decanus eccleſiæ Tutelenſis, vicarius generalis epiſcopi Tutelenſis, necnon archiepiſcopi Bitur. officialis primatialis, adeſt comitiis cleri Gallicani an. 1711. ſuperſtes anno 1717.

Digitized by Google

PRÆPOSITI TUTELENSES.

I. BERNARDUS I. præfuit an. 1091.
II. Witardus an. 1153. ſub Geraldo abb.
III. Leodegarius Mari anno 1154.
IV. Bernardus II. de quo Gaufridus Voſienſis: *Dominica poſt Penteceſten Bernardus monachus & præpoſitus non inutilis Tutelenſis, conſilio Gausberti prioris effectus eſt abbas Uſercenſis.* Hæc electio facta eſt an. 1177.

Labb. tom. 2. Novæ bibliothecæ pag. 324.

V. Raynaudus de Reiaut 1209. x. calend. Aprilis, & 1216.

VI. Helias I. de Ventadour Lemovicenſis, filius Ebali vicecomitis Ventadorienſis, frater Bernardi abbatis Tutelenſis, & Eboli abbatis Figiacenſis, annis 1245. & 1246.

VII. Ademarus I. Roberti ex veteribus inſtrumentis, erat præpoſitus Tutelenſis anno 1291. teſte Stephano Baluzio in notis ad vitas paparum Avenion. col. 1423. Erat autem ex dominis de S. Gallo, *S. Jal.*

VIII. Aimericus Vigerius 1337.

IX. Petrus I. Focherii præpoſitus, erat vicarius generalis Archambaldi epiſcopi anno 1361. menſe Januario.

X. Bernardus II. Roberti Lemovix ex eadem gente ac Ademarus de quo ſupra, anno 1387. unde etiam prodierunt Ademarus Roberti cardinalis an. 1342. & Ademarus Roberti archiepiſcopus Senonenſis mortuus an. 1384.

XI. Martinus I. Philippi Lemovix, 1410.

XII. Raimundus de la Chapoulie Lemovicenſis 1414.

XIII. Johannes I. de Biars Lemovix e vicecomitibus de Seidiere 1420.

XIV. Matthæus Fornerius 1428.

XV. Guillelmus de Fumel ex illuſtri ſtirpe vicecomitum in pago Aginenſi 1433. 15. Martii & 1436. 15. Novemb. quo anno memoratur in actis concilii Baſileenſis die Veneris 1. Junii factus abbas Grandimontenſis an. 1437.

XVI. Johannes II. d'Eſtampes 1438. 1439. poſtea epiſcopus Carcaſſonenſis, an. 1451. fundavit anniverſarium ſuum in eccleſia Tutelenſi.

XVII. Petrus II. Faucherius 1450.

XVIII. Stephanus I. Barthon Lemovix e dominis de Monbas 1450. 54. & 1455. In electione facta epiſcopi poſt mortem Hugonis de Albuconio, unum tantum ſuffragium fortitus eſt pro hac dignitate obtinenda.

XIX. Johannes III. Barthon ex eadem gente 1458. forſan idem qui poſtea epiſcopus Lemov.

XX. Philippus de Gorges 1468.

XXI. Johannes IV. Joffredi epiſc. Atrebatenſis & Albienſis, creatus cardinalis tituli S. Martini in Montibus, præpoſitus Tutelenſis & prior de Saulieyra Lemovicenſis diœceſis ord. S. Aug. an. 1471. obiit 1473.

XXII. Helias II. de S. Aſtier 1477. forte ex familia primi epiſcopi Tutelenſis.

XXIII. Martinus II. de Sorris, *al.* de Campo 1493.

XXIV. Petrus III. de Campo.

XXV. Stephanus II. Chazal 1497.

XXVI. Hugo de S. Eularia, *ſainte Aulaire*, cum Bertrando de S. Amantio qui ejus ſororem Margaritam duxerat, multum contulit ad conſtructionem conventus fratrum Minorum Tutelenſium, qui inchoatus eſt ſeculo XV. deſinente.

XXVII. Johannes V. Paleti patria Tutelenſis 1512. 1514. & 1516.

XXVIII. Petrus IV. Paleti ſenator parlamenti Burdegal. abbas de Vertolio, & præpoſitus Tutelenſis, Johannis frater, teſtamentum condidit an. 1517. die ultima Auguſti.

XXIX. Carolus de Levis de Ventadour, abbas etiam Valetæ diœceſis Tutelenſis 1518. epiſcopi Franciſci frater.

XXX. Johannes VI. de Puydeval 1559. & 1567. forte idem qui decanus.

XXXI. Johannes VII. Dioudela.

XXXII. Matthæus II. Vergne.

XXXIII. Aſtorgius de Albiniaco.

XXXIV. Raimundus II. Donarelli.

XXXV. Annetus Jouberti.

XXXVI. Martinus III. de Freyſſinges.

XXXVII. Johannes VIII. de Freyſſinges. Horum ſeptem nihil novimus præter nuda nomina, neque fortaſſis hoc loco ponendi ſunt.

XXXVIII. Johannes IX. d'Eſtain ex nobilibus de Stagno in Arvernis, an. 1581.

XXXIX. Leonardus de Vedrenes an. 1600.

XL. Martialis de Fenis 1609. obiit Tutelæ 6. Maii 1631. ſepultus in eccleſia cathedrali.

XLI. Ademarus II. de Mainard 1631.

XLII. N. de Fenis deceſſoris nepos, præturam diu exercuit in curia præſidiali Tutelenſi. Moritur Tutelæ 1696. & jacet in parochia S. Petri urbis primaria.

XLIII. Franciſcus Martialis de Fenis ſuperioris nepos, filius Ignatii prætoris & primi præſidis curiæ præſidialis Tutelenſis ex Magdalena de S. Chamans, prætor ipſe, patrui ceſſione fit præpoſitus, adhuc ſuperſtes hoc anno 1718.

ABBATIA

Digitized by Google

ABBATIA BEATÆ MARIÆ DE VALETA.

VALETA, filia Obaſinæ ſub Ciſtercio, ſita eſt in valle admodum ſolitaria ſecus Dordoniam, in finibus diœceſeon Lemovicenſis, Claromontenſis & Tutelenſis, tamen in diœceſi Tutelenſi, in parochia d'Auriac. A Tutela diſtat ſex leucis & tribus a Mauriaco. Charta ejus fundationis periit; at certum eſt Begonem fuiſſe patrem monachorum de Domiſco, antequam ſe ad Valetam conferret. Domiſcum autem, vulgo *le Peſtre*, alias *Doumis-ſoutro* *, ad fluviolum Anſam poſitum, diſtat duabus leucis a monaſterio Valetenſi, cui etiamnum ſubditur, & eſt diœceſis Claromontenſis. Hîc itaque relictis aliquot monachis, ad locum qui dicitur Valeta, ſeu Vallis-læta, hortante Geraldo Lemovicenſi epiſcopo, an. 1145. Bego tranſmigravit. Abbates, uti collegit noſter D. Jacobus Boyer, exhibemus.

* Souſtro, *ſignificat inferius Arvernica lingua.*

ABBATUM SERIES.

I. BEGO filius Radulfi de Scorralia, ex hujuſce domus genealogica tabula, monachus Obaſinæ, vitæ merito abbas apud Domiſcum inſtituitur a B. Stephano abbate Obaſinenſi an. 1143. Sed cum ejus monaſterium ſitus aſperitate ac rerum inopia maxime premeretur, hortatu Geraldi Lemovic. epiſcopi, ad locum Valetam dictum biennio poſt tranſlatum eſt. Vide in appendice excerpta ex chartulario hujus monaſterii in dono Rotberti de Durforti & in dono Stephani de Turniaco an. 1156.

C. VIII. col. 217. 218. 219. 220.

II. Petrus I. ex priore Valetæ, cujus mentio fit in dono Gosberti de Vigoro, ibid. & in dono Willelmi de Rialac ubi vocatur ſecundus abbas, uti in donatione Bernardi de Sen-Chriſtophol, ibid.

III. Stephanus I. de Durfort vocatur abbas tertius in dono Fulconis de Vigoro, ibid. Quædam emit an. 1164. ex eodem chartulario.

IV. Conſtantinus, ex priore [a] Valetæ. Vide appendic. in dono duorum fratrum de la Conca inter noſtra excerpta ex chartul. Valetæ, & in alio dono Auſtorgii de Vila, ibid.

[a] Sub Petro abbate invenio in chartul. Conſtantinum priorem.

V. Geraldus I. 1173. Forte idem ac G. qui cum B. priore & fratribus emit feudum de Moſtolac an. 1179. ibid.

VI. Robertus I. an. 1198. dedit 40. ſolidos Willelmo de Rocilla pro bordariis de Selva, ex chartulario. Fortaſſe idem eſt ac R. abbas de Valeta qui cum Bernardo de Tellet cellerario legitur in charta Ugonis de Miramont pro manſo del Fraiſſe, anno 1188. ex Obaſinæ tabulario. Certe Rotbertus vocatur in chartulario ad an. 1187.

VII. Bernardus I. du Teilhet 1200. Forte idem qui ſupra cellerarius dicitur. An. 1201. B. abbate, Ugo de Miramont dedit manſum de Boſquit, ex chartulario.

VIII. Ademarus I. eligitur abbas cal. Febr. 1204. Ipſo abbate an. 1205. præfatus Ugo dedit bordariam de la Beſſa. Notatur in chartul. annis 1204. 1205. 1206. 1207.

IX. Gerardus II. de Baſſignac 1217. menſe Aug. die Veneris poſt feſtum S. Bartholomæi fecit compoſitionem cum Odone de Sanhas, ex chartulario. G. abb. de Valeta, A. de Cerveira donat pedagium & paſcua & leſdam, in tota Lautriæ terra an. 1222.

X. Gerardus III. de Jo 1232. 1235. & 1240. quo anno manſum de Choirer accepit ab Hugone priore Avinionenſi. In ejus præſentia Raimundus de Forena conceſſit ad luminare S. Mariæ 12. ſolidos renduales, anno 1236. Bis memoratur an. 1244. ſcilicet in donis Willelmi de Varanzac militis, & Willelmæ S. Martini. De eo frequens eſt mentio in chartulario ab an. 1232.

XI. Stephanus II. cui pro ſuo anniverſario Bernardus de Ventadour capellanus papæ & archidiaconus Lemovicenſis decem ſolidos in bordaria de Paliſſis percipiendos concedit an. 1243.

XII. Petrus II. an. 1246. recipit donum Halchaietæ Ruthenenſis comitiſſæ, & Hugonis filii ejus menſe Aug. ex chartul. Quo anno concordat cum P. la Garde milite pro manſo de Las Chalmetas. Sub eo Rotbertus comes Claromontenſis leſdam in foro de Campellis dedit in perpetuam eleemoſynam, eo pacto ut panis *frumentitius* monachis per totam Quadrageſimam daretur. *Actum menſe Julii 1250.* An. 1253. Petrus de Mauriaco domicellus, filius Guidonis de Mauriaco militis & monachi Mauriacenſis, fundat ſuum anniverſarium apud Valetam.

XIII. Jacobus 1262. & 1263. quo anno X. cal. Junii emit affarium de la Rugia pretio quadraginta trium librarum Viennenſium. An. 1269. concordat cum Guidone de Scorralia. Idem reperitur abbas in chartis annorum 1276. & 1277.

XIV. Johannes I. de Marcillac electus fuit in abbatem die feſto S. Valentini menſe Febr. 1277. Nominatur & anno 1179.

XV. Raimundus 1283. & 1288. quo anno R. de Rillac ſuſcipiendus in monachum, ei bordariam de Vayſſeiras donavit. Idem anno 1290. & 1294. Ebolum vicecomitem de Ventadoro, necnon Petrum d'Albuſſangis beneficos expertus eſt.

XVI. Bernardus II. quædam comparavit annis 1298. & 1301.

XVII. Aſtorgius de Conros, e nobili ſtirpe ſuperioris Arverniæ prope Auriliacum, an. 1302. pagi inferioris de Saligons dimidiam partem emit a Stephano de S. Privato: Item an. 1328. quoſdam cenſus apud Jalaniacum pretio 200. ſol. Clarom. a Bernardo de Turre tutore Eblonis & ab Archimbaldo de Sanhas, acquiſivit. Bernardus Arverniæ delphinus, comes Clarom. ac dominus de Mercorio eidem confirmavit donum Roberti comitis Claromont. de quo ſupra, eo pacto ut in tota Quadrageſima fieret ab ipſo conventu oratio ſpe-

Digitized by Google

cialis pro ipſius prædeceſſoribus. *Actum an. 1343.*

XVIII. Robertus II. la Faye, cui Bego de Scorralha filius Raimundi & Margaritæ, hominium reddit pro condaminis, ante majus altare Valetæ, an. 1348.

XIX. Hugo de Rupe hominium facit vicecomiti Turennæ die 4. Julii 1351.

XX. Ademarus II. Charpentier paciſcitur cum Odone de Sanhas pro grangia de Broc, Petro de Maſcon milite ſequeſtro, an. 1359. item cum Rigaldo de Pleaux milite, Obaſinæ abbatis nepote, an. 1348. Obiit 23. Januarii 1397.

XXI. Petrus III. Leuchy eligitur abbas 5. Feb. ejuſdem anni, & confirmatur ab abbate Obaſinæ. Sub eo Petrus Tutelenſis epiſc. ſacramentum confirmationis adminiſtravit Valetæ die 2. Octobris anni 1400. tanquam *in ſolo accommodato*, ut ipſe declarat publico documento. Item Bernardus du Vignal duos ſextarios frumenti purgati dat annuatim monaſterio Valetæ *ad opus hoſtiarum*, an. 1405. Petrus abbas an. 1414. hominium præſtat Johanni le Maingre de Boucicaut comiti de Beaufort, vicecomiti de Turenna, eique tradit *unas chaſſas panni albi lanæ* recipienti pro ſe & pro domina Antonia de Turenne uxore ſua. Actum in aula prioris monaſterii S. Martini de Briva die ultima Februarii 1414. Porro hunc abbatem gravi detentum infirmitate Bertrandus epiſc. Tutelenſis anno primo pontificatus D. Martini papæ *charitative* viſitavit; nec multo poſt ingraveſcente morbo Petrus abbas ſequenti reſignavit, probante Petro abbate Obaſinæ cal. Sept. 1418. vivebat tamen adhuc an. 1430.

XXII. Geraldus IV. Teſtud rebus monaſterii temporalibus adaugendis plurimum inſudavit, defunctus 26. Aprilis 1433.

XXIII. Johannes II. Valmier profeſſus Valetæ, cum eſſet baccalaureus in decretis, annum agens quadrageſimum electus eſt abbas die Mercurii 29. Aprilis 1433. ſed nonniſi ægre conſenſit, confirmatus vero eſt ab abbate Obaſinæ 7. Maii ejuſdem anni dato inſtrumento apud S. Exuperium diœceſis Lemovicenſis, præſente abbate de Garda-Dei. Reſignavit ſequenti annos natus 75. Calixto papa ſedente, die 29. Januarii 1457. de conſenſu capituli.

XXIV. Ludovicus Valmier alumnus monaſterii, per ceſſionem patrui factus abbas. Antonii de Clavieres domini de Murato & de Caſtro-novo 1464. & Guillelmi domini de Montclar calend. Januarii 1465. hominia excepit. Anno 1472. die 26. Junii Bertrandus Boloniæ comes & de Turre Arverniæ apud Valetam tria fundavit anniverſaria. Ludovicus abbas capellam de Domiſco reædificavit an. 1480.

XXV. Claudius de Doyac, præpoſitus Claromontenſis, abbatiam Valetæ obtinuit in commendam 1481. quo anno benedicendi capellam de Domiſco obtenta licentia a Jacobo de Vaſſello vicario generali Caroli de Borbonio card. tit. S. Martini in Montibus, epiſcopus Claromont. Johannes de Marſac prior Valetæ eam conſecravit anno ſeq. die 12. Maii. Huic autem abbati per capitulum S. Flori in epiſcopum electo an. 1486. ſedes epiſcopalis adjudicatur contra Carolum de Joyeuſe a ſummo pontifice proviſum.

XXVI. Petrus IV. Pignot abbas regularis ab anno ſaltem 1493. ad 1500.

XXVII. Carolus I. de Levi frater Franciſci epiſcopi Tutelenſis anno 1500. abbatiam occupavit contra jus Petri Pignot legitime electi, quem tamen ſuum conſtituit procuratorem, & poſt ejus deceſſum fratrem Antonium Pignot optimi abbatis nepotem. Carolus obiit menſe Julio 1536. * cum prius caviſſet teſtamento die 23. Junii ejuſdem anni condito, ut ad introitum capituli Valetæ habitu Ciſtercienſi indutus ſepeliretur, ac pro ſuo anniverſario quinquaginta libras annuatim ſolvendas legaviſſet, Gilberto comite de Ventadour barone de la Voute nepote ultimæ ſuæ voluntatis deſignato exſecutore.

* 1535. *Du Fourny grands maîtres des eaux & forets*, ubi etiam abbas dicitur de Bouhaigue.

XXVIII. Hieronymus Autier de Villemontée, e nobili apud Arvernos familia, deſignatur abbas an. 1537. ad annum circiter 1559. quo nobilis Claudius Pelet a Rege delegatus fuit commiſſarius ſeu œconomus Valetæ redituum in annos decem.

XXIX. Felix de Vermond poſſeſſionem adiit calendis Martii 1569.

XXX. Carolus II. de Leberon epiſc. Valentinenſis poſſeſſionem apprehendit 13. Febr. 1579.

XXXI. Petrus V. Andreas de Leberon epiſc. Valentinenſis Carolo ſucceſſit in abbatia die 14. Octobr. 1601.

Titres originaux de Ganiere tom. 15. des abbaies.

XXXII. Carolus III. de Noailles epiſc. S. Flori & poſtea Ruthenorum, permutavit prioratum S. Liberatæ ord. S. Benedicti diœc. Aginnenſis cum abbatia Valetæ 15. Apr. 1603. obiit autem an. 1648.

XXXIII. Joſephus de Gontaud de Biron nominatur abbas an. 1648. Poſtea ceſſit.

XXXIV. Johannes III. de Noailles, Henrici de Noailles filius naturalis, deſignatur abbas die 16. Octob. 1654. bullas accepit XIV. cal. Maii 1655. poſſeſſionem adeptus 26. Oct. ejuſdem anni; obiit in caſtro de Pinieres 6. Jan. 1673.

XXXV. Annas de Noailles renuntiatur abbas 16. Januarii 1673. bullis donatur eodem anno IV. nonas Maii; poſſeſſionem iniit 16. Martii 1674. Deceſſit in caſtro de Pinieres die 25. Sept. 1709. Sub quo reſtauratur eccleſia impenſis monachorum anno 1675. novumque dormitorium conſtruitur 1703.

XXXVI. Franciſcus de l'Ort Auriliacenſis, eminentiſſimi cardinalis de Noailles ab eleemoſynis, frater & patruus regii judicis primarii in ſenatu Auriliacenſi, doctor theologus & prior S. Petri de Caunis diœceſis Senonenſis, nominatur abbas 1710. in poſſeſſionem admiſſus die 10. Aug. ejuſdem anni.

Digitized by Google

ANICIENSIS ECCLESIA.

ANICIUM ſic dictum a Monte-Anicio, *le Mont-Anis*, quod nunc Podium Vellavorum * appellatur, non erat olim hujus gentis caput, aut ſedes epiſcopi; de eo enim loquitur Gregorius Turon. tanquam de loco a civitate Vellava diſtante, ſcilicet lib. x. hiſt. c. 25. *Ingreſſus Vellavæ urbis terminos, ad locum quem Anicium vocitant accedis, & ad baſilicas propinquas*, &c.

* Le Puy en Velay.

Vix dubitari poteſt San-paulianum vicum, *S. Paulien*, qui diſtat ab Anicio duabus leucis, fuiſſe primum locum in quo epiſcopi cathedram poſuerint, ſervatque adhuc partem antiqui decoris in eccleſia collegiata S. Georgii epiſcopi, cujus canonici eaſdem almutias purpura prætextas, habitum eundem gerunt atque canonici eccleſiæ cathedralis. Itaque San-paulianum oppidum eſſe Vellavam civitatem aut Vellavorum urbem in antiquis hiſtoricis & variis notitiis celebratam pene certum habemus; idque confirmatur ex antiquis monumentis; ibi enim reperiuntur adhuc in ipſo oppido & in vicinis agris vetera numiſmata, & antiquæ inſcriptiones, quarum aliquas exhibuit noſter Mabillonius in ſuis Sanctorum [a] actis. Hanc urbem poſt tranſlatam ſedem epiſcopalem apud Anicium, *Vetulam* appellatam eſſe conjicimus ex his quæ leguntur ſeculi IV. Benedictini parte I. pag. 588. *Cum igitur Aquitanici populi cum pontificibus concilium apud civitatem quæ dicitur* Vetula *in pago Vallavorum celebrarent, adfuit & Romanenſium congregatio corpus prælibati * pontificis deferens.* Vetulam Vallavorum Anicium eſſe putat Chiffletius in hiſtoria Trenorcienſi; ſed ex ſequentibus apparebit Vetulam potius fuiſſe S. Pauliani oppidum, ubi primum erecta eſt ſedes epiſcopalis, ac inde Anicium tranſlata. Vide infra in S. Georgio epiſcopo. Porro nomen proprium prioris hujus civitatis apud Ptolomæum eſt *Rueſio*, & in tabula Peutingeriana, *Reveſſio*, ut probat Hadrianus Valezius in notitia Galliarum, ad vocem *Vellavi*. Sed more aliarum Galliæ urbium poſtea nomine gentis inſigniri cœpit; appellataque eſt civitas Vellavorum, uti legitur in notitia quæ Honorii Auguſti tempore facta dicitur; aliquando etiam Vellavi.

[a]

* Bernardi Viennenſis.

Ut autem de Vellavis populis quædam attingamus, libro VII. comment. Julii Cæſariis annumerantur iis qui ſub Arvernorum imperio degebant; nempe ubi ſcribit ad Aleſiam obſidione Romana ſolvendam a Galliæ principibus, triginta quinque hominum millia *imperata eſſe Arvernis, adjunctis Eleutheris, Cadurcis, Gabalis, Vellaunis, qui ſub imperio Arvernorum eſſe conſueverunt.* Et quidem San-paulianum oppidum, quod olim Vellavorum caput fuiſſe putamus, adhuc in Arverniæ ditione remanet. Vellavia tamen provincia nunc Occitaniæ accenſetur, epiſcopuſque Anicienſis in Occitaniæ comitiis ſedet, eiſque intereſt nomine urbis legatus.

Vellavorum tractus, vulgo *le Vellay*, quem mediæ ætatis ſcriptores Vallagiam appellarunt, tam in longum quam in latum ad 14. leucas protenditur figura pene rotunda. Medium ſecat Ligeris fluvius; alluuntque fluvioli Lignonius & Borna. Vellavi habent ab Oriente Vivarienſes, ab Auſtro Gabalos, ab Occaſu Arvernos, & ab Aquilone Seguſianos.

Caput Vellavorum Anicium, nunc vocatur Podium; quæ vox antiquis Gallis montem ſignificabat, vulgo *le Puech, le Pui, le Puy*. Hoc nomen habere cœperat ætate Rigordi duodecimo ſeculo deſinente; ſic enim loquitur in geſtis Philippi Auguſti ad an. 1183. *Durando Dominus dicitur apparuiſſe in civitate Anicienſi quæ vulgo nunc Podium dicitur.* Hæc urbs impoſita eſt celſo monti, qui eſt jugum unum Cebennicorum montium, a Rhodano uſque ad Garumnam per Helvios, Vellavos, Arvernoſque protenſorum. Diſtat a fluvio Ligeri uno circiter milliari. Radices montis & mœnia duo fluvioli alluunt, Borna * & Dolezotus. Urbs, ſi exceperis Toloſam, cujus parlamento ſubjacet, ceteras Occitaniæ urbes amplitudine ſuperat.

* la Borne, le Dolezon.

Anicii jus dicunt curia præſidialis, prætor ſeu baillivus qui ſuos habet aſſeſſores, curia quam communem vocant, ex judicibus regiis & epiſcopalibus conſtans. Eſt præterea juriſdictio ſex conſulum qui purpura decorantur. Hoc in ea urbe notatu dignum minime prætereundum eſt, quod ab hæreticorum Calvinianorum qui Galliam totam infecerunt, labe ſemper fuerit illæſa: ita ut nulla unquam familia hujuſmodi heterodoxorum in urbe fuerit admiſſa. Sæpius etiam ab hæreticis tentata & oppugnata, ſemper invicta remanſit, uti legitur in inſcriptione eccleſiæ cathedralis columnæ affixa:

Civitas hæc non vincitur,
Nec vincetur; ſic legitur;
Per Mariam protegitur,
Hæc privilegiata.

Eccleſia cathedralis, quæ Dei-param virginem patronam habet, in ſuperiore parte urbis eminet; cujus ædificia in colle declivi ad Meridiem, quaſi multiplici contabulatione in modum amphitheatri diſpoſita, uno proſpectu pene omnia videre licet. Olim circa majorem hanc eccleſiam viſebantur in

[a] Scilicet in appendice ad partem I. ſec. IV. act. SS. ord. Bened. p. 758. Unicam ex iis proferimus repertam in antiqua via quæ ex oppido S. Pauliani Gergobiam ducit: GAES. PRINCEPS JUVENT. VIAS ET PONTES VETUSTAT. CONLAPSAS RESTITUI. F.

Digitized by Google

modum coronæ ſuperbæ ædes comitum de Ventadorio & de Monte-Lauro; vicecomitum de Turenne & d'Alegre; baronum de Chalanconio, de la Tour S. Vidal, aliorumque nobilium. Nunc autem vix ullæ ſuperſunt præter domum vicecomitis de Podemniaco, *Polignac*; qui præterea ad leucæ diſtantiam habet caſtrum nobile & antiquum, a quo illuſtriſſimæ gentis hujus cognomen derivatum, Podemniacum olim appellatum; in quo templi & oraculi Apollinis adhuc veſtigia dicunt ſupereſſe. Non longe ab eccleſia ſunt xenodochium, noſocomium, publica pauperum domus, & infantium incerto patre natorum hoſpitium.

Sunt præterea intra cathedralis eccleſiæ clauſtrum tres eccleſiæ ſimul collegiatæ & parochiales, ſcilicet S. Georgii, S. Evodii *, & S. Agripani *. Hæc ultima unita eſt eccleſiæ S. Georgii, quæ ceſſit ſeminario; illud regunt presbyteri ex Pariſienſi S. Sulpicii ſeminario accerſiti. In ejuſdem cathedralis eccleſiæ clauſtro exſtat S. Johannis Baptiſtæ baptiſterium, quod in tota urbe unicum eſt.

* S. Voſy. ** Agreve.

Præter S. Georgii & S. Evodii parochiales eccleſias, quatuor aliæ ſunt in urbe, ſcilicet S. Petri de monaſterio, S. Hilarii, S. Petri a Turre, & S. Spiritus. Extra urbem eſt parochia S. Johannis Jeroſol. quæ uti eccleſia S. Bartholomæi olim pertinebat ad milites Templi, vulgo Templarios, nunc vero ad Melitenſes. In tota vero diœceſi ſunt 135. parochiæ in quatuor archipresbyteratibus. Earum vero nonnullæ ſunt in Arvernia & pagis Gabalitano ac Vivarienſi. In urbe & ſuburbiis ſunt: monaſterium S. Petri, a monachis Cluniacenſibus arctioris obſervantiæ nuper reformatum ſecundum S. P. Benedicti regulam: S. Roberti prioratus, Caſæ-Dei ſubjacens: conventus Fr. Prædicatorum, Minorum Conventualium, Carmelitarum & Capucinorum: collegium Societatis Jeſu: parthenones monialium nuncupatarum a Noſtra-Domina, quæ puellas inſtituunt: virginum S. Mauricii dictarum ord. S. Auguſtini: S. Claræ, & earum quæ S. Mariam viſitantem Elizabeth patronam habent: domus dicta Refugii, domus hoſpitalis puellarum orphanarum, domus ſororum, vulgo *inſtructionis* ſub infantis Jeſu titulo. Miſſa facio oratoria quamplurima; in his facellum B. Agnetis a Jeſu cum domo adjacente pro ſororibus pœnitentibus. De abbatiis quæ hac in diœceſi continentur ſeorſim dicemus.

Epiſcopus Anicienſis nulli metropolitano ſubditum ſe contendit, ſed ſoli Romano pontifici, ex bulla Paſchalis II. ad Pontium Mauricium anni 1105. *Manſuro in perpetuum decreto ſancimus*, inquit papa, *ut tam tu, quam tui deinceps ſucceſſores, nulli præter Romanum, metropolitano ſubjecti ſint; & ut omnes qui tibi in eadem ſede ſucceſſuri ſunt, per manum Romani pontificis, tanquam ſpeciales Romanæ ſedis ſuffraganei, conſecrentur.* Idem decernit Eugenius papa III. in bulla ad Petrum epiſcopum, anno 1145. Sane Stephanus de Chalancon ſic præfatur in charta qua notum facit matrimonium contractum a vicecomite Podemniaci nomine Pontio, cum Adelaïde, an. 1223. *Nos Stephanus Dei gratia Anicienſis epiſcopus Dom. papæ ſuffraganeus ſpecialis*, &c. Spicil. tom. X. p. 167.

Hic epiſcopus utitur pallio, ſingulari privilegio; & quidem Stephanus de Mercorio primus pallium a Leone papa IX. accepit, ut refert Baronius Annal. tom. X. ad an 1050. Idem antiſtes comes [a] eſt Vellaviæ, ſimulque comes & canonicus S. Juliani Brivatenſis primus poſt regem Chriſtianiſſimum. Olim epiſcopi Anicienſes tanquam Anicii domini, & Vallaviæ comites, jus habebant cudendæ monetæ, & comitiis particularibus Vallaviæ etiamnum præſunt.

a

Capitulum conſtat decano [b], præpoſito, abbatibus S. Petri de Turre & S. Evodii, (hæ ſunt majores dignitates,) ac canonicis 40. Minores dignitates, quæ non habent canonicatum annexum, ſunt duo ſordecani * id eſt foris decani, major & minor qui præcedunt omnes canonicos; ſeſcallus, forte ſeneſcallus, cellerarius, paneterius, hebdomadarius minor. Hic & alii quatuor hebdomadarii canonici alternis vicibus celebrantis munus implent, hocque gaudent privilegio, ut excommunicationi aut interdicto non ſubjaceant. Canonici majoribus in ſolemnitatibus mitras geſtant, olimque ferebant extra eccleſiam tota Paſchæ ſeptimana in ambitu clauſtri, ut colligitur ex antiquo ordinario ubi legitur: *Caveant ut non ſoli, ſed cum honeſta ſocietate incedant, cum mitras, ornamentum videlicet epiſcopale, deferunt.* Eadem in eccleſia ſunt decem canonici dicti pauperes ſeu paupertatis, qui peculiarem habent menſam. Hi unum ex ſodalitio ſuo vicarium creant, qui tenetur recitare officium cum canonicis infirmis. Miſſos facio inferiores miniſtros eccleſiæ, muſicæ præfectum, oſtiarios, mazerium, quem vocant regem eccleſiæ, abbatem campanilis, qui pulſationi campanarum præeſt. Olim numerabantur in Anicienſi eccleſia 60. canonicatus præter ſequentes perſonatus, qui nunc exſtincti ſunt, ſcilicet abbas de Segureto, archidiaconus, præcentor, cancellarius, theſaurarius, major ſacriſta, capiſcolus. Horum munia obeunt ſinguli viciſſim & annuatim electi. De honorariis canonicis inter quos Chriſtianiſſimus rex & ſereniſſimus delphinus eminent, nihil nunc ſingulare quod dicatur occurrit. Collatio decanatus, præpoſituræ, duarum abbatiarum & 25. canonicatuum, pertinet ad epiſcopum pleno jure; alii quindecim canonicatus dantur a capitulo.

b

* *vulgo*, ſordoyen mage, & ſordoyen moindre.

Eccleſiam Anicienſem, quam angelicam appellant, viſitantibus indulgentiæ inſignes conceſſæ ſunt, maxime in die annuntiationis B. Mariæ, quando concurrit cum feria VI. Paraſceves.

[a] Tertius canonicus & comes eccleſiæ S. Juliani Brivatenſis, eſt Mimatenſis epiſcopus: quartus, eſt abbas Caſæ-Dei: quintus, abbas S. Juliani Turonenſis.

[b] Præpoſitus videtur præcedere decanum in veteribus chartis cum S. Petri Pod. tum aliorum locorum. Certe ter hoc obſervatum a me in tabulis S. Petri, nuſquam vero decanus præpoſitum antecedit.

Digitized by Google

ANICIENSES EPISCOPI.

ANNI CHRISTI

DE Anicienſibus epiſcopis copioſe ſcripſit Gallice Odo Giſſeus Societatis Jeſu presbyter, cujus labore fruemur; non pauca tamen emendando & addendo ex veteribus inſtrumentis.

I. S. Georgius.

SANCTUS GEORGIUS primus occurrit epiſcopus in vulgatis eccleſiæ tabulis. Antiqua ſuperſunt numiſmata cum hac inſcriptione : *S. Georgius Vallavie protopræſul.* Magna veneratione colitur in tota diœceſi tanquam Vellavorum apoſtolus. Ejus feſtum de præcepto celebratur IV. idus Novembris, juſſu Durandi a S. Portiano epiſcopi. Ejuſdem inventio recolitur 3. cal. Decembris. Tranſlatio vero facta 12. cal. Januarii a Norberto epiſcopo, ex eccleſia S. Pauliani in Anicienſem, celebratur per totam diœceſim.

Jacuit diu in eccleſia ſui nominis ornata titulo, quam nuperrime a fundamentis excitari curavit pius juxta ac eruditus vir D. Petrus-Nicolaus Girardin canonicus & cellerarius B. M. Anicienſis, officialis ac vicarius generalis illuſtriſſimi ac reverendiſſimi epiſcopi. At die 21. Martii an. 1712. reverendiſſimus epiſcopus Anicienſis ejus ſacras exuvias ex veteri capſa lignea, in qua incluſæ fuerant a Petro ep. an. 1162. ut teſtatur inſtrumentum ibidem repertum, tranſtulit in aliam decentiorem capſam ; in veteri vero capſa inventa eſt tabula marmorea in qua legitur ſequens inſcriptio:

Ex ipſo autographo nobis a D. Guyton ſuperiore ſeminarii exhibito, & nondum edito.

Petrus Anicienſis epiſcopus omnibus Chriſtianæ religionis fidem ſervantibus, notum fieri volumus quod ego Petrus Anicienſis epiſcopus, conſilio prælatorum eccleſiæ noſtræ, Armanni abbatis Segureti, Anthonii & Stephani ſacriſtarum, Petri Guillelmi theſaurarii, Stephani de Pratis tunc præcentoris, Armanni hebdomadarii, & rogatu clericorum S. Georgii, Bernardi pœnitentiarii, magiſtri Simonis Baldi Caldariæ, & aliorum qui in eadem eccleſia commanebant anno ab Incarn. Dom. M. C. LXII. indictione decima, feria quarta ante diem Paſchæ, feci aperiri me præſente, cum ſupradictis, & pluribus aliis, quoddam vas quod erat poſt altare ſancti Georgii, & inveni ibi membra ſanctorum cum duabus tabulis marmoreis, in una quarum erat ſcriptum ſic : HIC REQUIESCUNT MEMBRA SANCTI AC GLORIOSISSIMI GEORGII EPISCOPI. In altera : HIC REQUIESCUNT MEMBRA SANCTI AC GLORIOSISSIMI HYLARII PICTAVIENSIS EPISCOPI. Et eadem membra cum eiſdem tabulis repoſui in vaſe ligneo laminis ferreis hinc inde firmiter ligato, in die natalis S. Stephani protomartyris, & eadem die repoſui illud vas in vaſe lapideo, & in ſignum memoriæ hanc chartam ſcribi & ſigillo meo muniri præcepi, & intus repoſui; aliam autem eadem continentem extra reſervari ad majorem fidem poſteris relinquendam juſſi.

Porro præfatarum inſcriptionum formam & characteres oculis ſubjicere operæ pretium duximus.

ANNI CHRISTI



B



De S. Georgio in MS. hagiologio, quod apud fratres Minores Anicii aſſervatur, leguntur hæc verba : *IV. idus Novembr. ſit natale & feſtum S. Georgii epiſcopi & confeſſoris, qui verſus Occidentalem populum, ob gratiam prædicationis miſſus a B. Petro apoſtolo ab urbe Roma cum B. Frontone coepiſcopo, ſemen vitæ, ubicumque commodum noverant ſpargentes, Aquitaniam uſque pervenere ; moxque properantes ad quandam Vallavenſis comitatus civitatem, quæ ob antiquitatis privilegia tunc temporis civitas Vetula dicebatur, ibidem ſunt ſuſcepti. In hac præfuit beatus Georgius epiſcopus, primus doctor Vallavenſium.*

II. Macarius I.

Hunc epiſcopum S. Georgii diſcipulum fuiſſe, & ſanctitate floruiſſe tradunt.

III. S. Marcellinus.

S. Marcellinus illibato, inquiunt, virginitatis flore, & miraculorum laude celebris, quieſcit apud Moniſtrolium, *al.* Monaſtrolium, qui locus ſedes eſt ſecundi archipresbyteratus, in eccleſia ſuo nomine inſignita, in quam ex S. Pauliani oppido, a Norberto epiſcopo tranſlatæ ſunt ſacræ ipſius reliquiæ. In eadem Bernardus de Caſtaneto ejus ſucceſſor collegium canonicorum inſtituit an. 1309. Ejus feſtum agitur 7. idus Junii.

IV. Roricius I.

V. Eusebius.

VI. S. Paulianus.

Tanta cum laude Paulianus in munere paſtorali ſe geſſit, ut Vellavorum urbs antiqua, ubi ſedebat, rejecto priori nomine, ab ipſo nomen ſumere gloriata ſit. Ejus ſacrum corpus ibi in peranti-

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

qua crypta vetuſtæ eccleſiæ ipſius nomine inſignitæ, ſub majori altari cum reliquiis ſanctorum Valentini & Albini collocatum, pio fidelium concurſu honoratur VI. cal. Martii, quo ejus natalis dies celebratur. Altare autem conſtat unico lapide concavo, ac fulto quatuor columnis ex hoc unico lapide compactis. Affixa eſt altari hæc inſcriptio :

Hic jacet huic templo qui nomen fecit & urbi,
Inſuper hæc ſanctos continet urna duos.

VII. S. Evodius.

* S. Voſy. Evodius * ſedem epiſcopalem ab urbe Vellavorum S. Pauliani nomine nobilitata, tranſtulit ad Montem-Anicium [a], quod forſitan locus foret ſecurior. Ibi vero eccleſiam cathedralem condi curavit, aſſumta in patronam beatiſſima virgine Maria. Ejus corpus aſſervatur in eccleſia ſub ejus patrocinio conſtructa, in qua nuper anno videlicet 1712. die 28. Febr. repertum eſt ab illuſtriſſimo Anicienſi epiſcopo in capſa, ubi vetus inſcriptio docebat ejus ſacrum corpus hîc requieſcere.

VIII. S. Scrutarius.

Scrutarium titulo Sancti donatum nobis exhibet catalogus a noſtro D. Jacobo Boyer viſus; eumque commendat ut ſocium & ſucceſſorem S. Evodii, in cujus eccleſia ipſius oſſa religioſe aſſervantur; ubi etiam ejuſdem feſtum ſimul & S. Evodii aliorumque ſanctorum epiſcoporum celebratur ſolemni ritu pridie idus Novembris. In vulgatis catalogis ipſi ſubrogatur

IX. S. Epipodius, cui ſucceſſit

X. S. Suacrius.

De eo & de ipſius anteceſſore Epipodio conſulendum martyrologium Anicienſe XII. Nov.

XI. S. Armentarius, *al.* Hermentarius.

Forte fuit unus ex epiſcopis hujus nominis, qui ſubſcripſerunt epiſtolæ ſynodicæ præſulum Gallicanorum miſſæ anno 451. ad S. Leonem papam. Ejus reliquiæ aſſervantur in templo Evodiano.

XII. Faustinus.

Quidam epiſcopus nomine Fauſtinus memoratur apud Apollinarem Sidonium lib. IV. epiſt. 6. *Per Fauſtinum antiſtitem*, inquit, *non minus mihi veteris contubernii ſodalitate, quam novæ profeſſionis communione devinctum, verbo quæpiam cavenda mandaveram ; dicto pariiſſe vos gaudeo.* Hunc Fauſtinum fuiſſe noſtrum epiſcopum Anicienſem quidam conjiciunt. Certe ſedes utriuſque, ſcilicet Sidonii epiſcopi Arvernenſis, & Fauſtini Vellavenſis, ob viciniam potuiſſent amicitiam & familiaritatem inter utrumque conciliare & fovere ; præſertim cum ii epiſcopi eſſent comprovinciales. Nihil tamen ex hac conjectura licet aſſerere. Huic epiſcopo ſucceſſores dantur in catalogis

ANNI CHRISTI

XIII. Forbius, *al.* Fortius;

XIV. Flavianus.

Ex præmiſſis epiſcopis numero 14. nullus memoratur in Cointianis Annalibus præter S. Evodium.

XV. Aurelius.

S. Aurelius diptycis ſanctorum qui Vellavenſem rexerunt eccleſiam, inſcriptus memoratur a Gregorio Turon. lib. X. hiſt. c. 25. ubi loquitur de quodam falſo propheta, qui præſtigiis magnam Galliæ partem deluſerat : *Quidam*, inquit, *ex Biturico, ut ipſe poſtmodum eſt profeſſus, dum ſaltus ſilvarum ingreſſus ligna cæderet, ad explendam operis cujuſdam neceſſitatem, muſcarum eum circumſedit examen ; qua de cauſa per biennium amens eſt habitus : unde intelligi datur diabolicæ emiſſionis fuiſſe nequitiam. Poſt hæc tranſactis urbibus propinquis, Arelatenſem provinciam adiit : ibique indutus pellibus quaſi religioſus orabat : ad quem inludendum pars adverſa divinandi ei tribuit facultatem. Ex hoc, ut in majori proficeret ſcelere, commotus a loco, provinciam memoratam deſerens, Gabalitanæ regionis terminum eſt ingreſſus, proferens ſe magnum, ac profiteri ſe non metuens Chriſtum, adſumta ſecum muliere quadam pro ſorore, quam Mariam vocitari fecit. Confluebat ad eum multitudo populi, exhibens infirmos, quos contingens ſanitati reddebat. Conferebant enim ei aurum, argentumque, ac veſtimenta, hi qui ad eum conveniebant. Quod ille, quo facilius ſeduceret, pauperibus erogabat, proſternens ſe ſolo, effundens orationem cum muliere memorata, & ſurgens, ſe iterum a circumſtantibus adorari jubebat. Prædicebat enim futura, & quibuſdam morbos, quibuſdam damna provenire denuntiabat, paucis ſalutem futuram. Sed hæc omnia diabolicis artibus, & præſtigiis neſcio quibus agebat. Seducta eſt autem per eum multitudo immenſa populi, & non ſolum ruſticiores, verum etiam ſacerdotes eccleſiaſtici. Sequebantur autem eum amplius quam tria millia populi. Interea cæpit quoſdam ſpoliare ac prædari, quos in itinere reperiſſet, ſpolia tamen non habentibus largiebatur. Epiſcopis ac civibus minas mortis intentabat, eo quod ab iis adorari deſpiceretur. Ingreſſus autem Vellavæ urbis terminum, ad locum, quem Anicium vocitant, accedit : & ad baſilicas propinquas cum omni exercitu reſtitit, inſtruens aciem, qualiter Aurelio ibidem tunc conſiſtenti epiſcopo bellum inferret, mittens etiam ante ſe nuntios, homines nudo corpore, ſaltantes atque ludentes, qui adventum ejus adnuntiarent. Quod ſtupens epiſcopus, direxit ad eum viros ſtrenuos, inquirentes quid ſibi vellent iſta quæ gereret. Unus autem ex iis, qui erat ſenior, cum ſe inclinaſſet quaſi oſculaturus genua ejus, ac diſcuſſurus viam illius, juſſit eum adprehenſum ſpoliari. Nec mora, ille evaginato gladio in fruſta concidit, ceciditque*

[a] Hic ſequimur communem ſententiam, cum nondum certiorem teneamus. Objici tamen poteſt tempore Gregorii Turonenſis, & S. Aurelii Vellavenſis epiſcopi de quo infra, nondum Anicium fuiſſe civitatem epiſcopalem ; quando de eo loquens Gregorius hæc habet : *Ingreſſus autem Vellavæ urbis terminum, ad locum quem Anicium vocitant, accedit.* Sane de urbe epiſcopali non ita loqueretur Gregorius Turon. Forte S. Evodius poſtponi deberet S. Aureſio : nihil enim de chronologia iſtorum epiſcoporum conſtat uſque ad Aurelium. Aliunde idem Gregorius non obſcure ſignificat infra, Aurelium epiſcopum apud Anicium tunc ſedem habuiſſe : *Qualiter Aurelio ibidem tunc conſiſtenti epiſcopo bellum inferret.* Forte Anicium tunc tantum caſtrum erat ſitu plus quam arte munitum, quod nondum in magnam urbem creverat, quia recens erat ſedis epiſcopalis ad hunc locum tranſlatio.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

Chriſtus ille, qui magis antichriſtus nominari debet, & mortuus eſt; diſperſique ſunt omnes, qui cum eo erant. Maria autem illa ſupplicüs dedita, omnia phantaſmata ejus ac præſtigias publicavit.

Hæc refert Gregorius ad annum decimumſextum Childeberti regis, qui anno Chriſti 590. illigatur; quo proinde tempore vivebat S. Aurelius, de quo plura non habentur. Eum mortuum aiunt anno 595. Jacet in baſilica S. Evodii ubi pro ſancto colitur. 591.

XVI. S. Benignus.

Fundaſſe dicitur hoſpitalem domum, quæ eccleſiæ eſt contigua ex parte Septemtrionali, curatoreſque ac adminiſtratores habet B. Mariæ canonicos. Hanc plurimi ſummi pontifices indulgentiis & privilegiis ditarunt. Sepultus eſt Benignus ad S. Evodium ubi ejus feſtum & aliorum ſanctorum epiſcoporum fit die 12. Novembris.

XVII. S. Agripanus. *

* S. Agreve.

Ut martyr colitur in Anicienſi eccleſia, quanquam minime certa videantur quæ de ipſo vulgo narrant; nimirum ipſum Hiſpanum fuiſſe: a Martino papa I. conſecrationem accepiſſe: decertaſſe adverſus Arianos ac ethnicos, quorum impius cultus adhuc in Vellavis vigebat: ab iis, cum Roma rediret, occiſum capitis obtruncatione fuiſſe cum ſocio Urſicino apud Chiniacum in pago Vivarienſi, hortante paganos loci domina. De ejus martyrio, cultu, tranſlatione conſulendus Bollandus ad calendas Februarii, qui dies eſt ejus martyrii. Olim ejus tranſlatio celebrabatur die 25. Octob. nunc die 6. Novembris ab an. 1522. Antonii epiſcopi juſſu. C

XVIII. Dulcidius.

Notus eſt hic epiſcopus ex actis S. Agripani, cujus corpus ex Vivarienſi pago tranſtulit Anicium, in oratorium ſubterraneum ſancti Stephani. Poſtmodum deportatæ ſunt S. Agripani reliquiæ in eccleſiam, quam ipſe Dulcidius ædificarat, ad radices Rupis-Corneliæ, ſub nomine S. martyris. Celebris olim eccleſiæ hujus collegiatæ vetuſtate collabentis bona & præbendæ, ſeminario ceſſerunt; quod in hujus baſilicæ ruderibus conditum fuit. D

XIX. Higelricus.

Hujus antiſtitis epiſcopatum inchoat Carolus Cointius an. 705. eumque ſuperſtitem fuiſſe putat anno 732. cum pars Saracenorum poſt pugnam Pictav. in qua cœſi ſunt, per diœceſim Anicienſem in Septimaniam ſe recepit; quo tempore Saraceni Calmelienſe S. Theofredi cœnobium invaſerunt, & ipſum ſanctum abbatem Theofredum lethalibus conſecerunt vulneribus. E

XX. Torpio.

Sedente, & ut par eſt credere, juvante Torpione, monaſterium * Calmelienſe, quod etiam S. Theofredi * nomen gerit, conditur in Velavia. Hujus illuſtris cœnobii abbates, ut canonici Anic. in choro ſedent cum ſuperpelliceo. Et quando primum accedunt ad hanc eccleſiam, ſolemni pompa excipiuntur, præſtantque hoc ſacramentum, uti videre eſt in receptione Drogonis de S. Vidal abbatis an. 1392. *Ego N. juro eſſe fidelis frater capitulo Anicienſi, fraternamque unionem quæ inter capitulum & abbatiam ab antiquo exſtitit, & adhuc exiſtit, manu tenebo, & inviolabiliter obſervabo; ſalvis in omnibus juribus abbatiæ prædictæ: & alia juro obſervare, prout prædeceſſores mei juraverunt.* Torpio potuit attingere annum 752.

* Monaſtier, *al.* * S. Chaffre

ANNI CHRISTI

XXI. Basilius.

Baſilius, de quo Carolus Cointius ad annum 778. ædem ſacram ad ſepulcrum S. Theofredi martyris conſtruxiſſe legitur. 778.

XXII. Roricius II.

De hoc epiſcopo multa narrantur quæ dubiæ fidei habentur apud eruditos. Hinc ejus tantum nomen exhibet Cointius in Annalibus, conjicitque ipſum epiſcopatum ſumſiſſe ſeculo nono jam inchoato. Eum dominum (comitem alii appellant) pagi Vellavenſis fratres Sammarth. ſcripſere. Addunt aliqui eum excepiſſe Anicii Carolummagnum jam imperatorem factum; qui volens fundare in Hiſpania ſedem epiſcopalem Gerundenſem, primum epiſcopum elegit ex canonicis Anicienſibus; hinc orta ſocietas inter utramque eccleſiam quæ hactenus perſeverat. Hæc judicio lectoris permittimus. Circa tempus epiſcopatus Roricii, Theodulfus Aurelianenſis epiſcopus obtulit, ut aiunt, inſignem codicem eccleſiæ Anicienſi, quo continentur vetus & novum teſtamentum, multaque alia. In fronte libri qui aſſervatur ſub armario SS. reliquiarum legitur:

Codicis hujus opus ſtruxit Theodulfus amore
Illius, hic cujus lex benedicta tonat, &c.
Vive diu felix per plurima tempora. Lector,
Theodulfi ne ſis immemor, oro tui.

XXIII. Dructanus.

Cointius tom. 8. Annal. ad an. 840. n. 92. inducit in hunc locum poſt Roricium Dructanum abbatem S. Theofredi, qui in antiquis monumentis dicitur ſimul abbas & epiſcopus: *Sedes epiſcopatus*, inquit Cointius, *haud longe quærenda. Poſt Roricium locus inter Anicienſes epiſcopos tribuendus videtur Dructano.* 840.

XXIV. Harduinus.

Harduinus Vellaunenſis pontificis nomine ſubſcriptus reperitur canonibus ſynodi Tuſiacenſis 860. & Sueſſionenſis III. 866. 860. 866.

XXV. Wido I.

Wido roboravit privilegium Trenorchienſi monaſterio conceſſum in ſynodo Cabilonenſi anno 875. eique ſubſcripſit, uti & concilio Pontigonenſi anno 876. Impetrarat Wido præceptum [a] a Carolo Calvo, quo monaſterium S. Theofredi ſuo ſubjici epiſcopatui procurarat. Sed imperator, audito Roſtagno S. Theofredi abbate, immunitatem cœnobii hujus allo præcepto confirmavit, cui ſubſcripſit Frotarius e ſede Burdigalenſi Bitu- 875 a

[a] Hoc præceptum lege inter inſtrumenta C. 1. col. 221.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

rigas tranſlatus. Habes has litteras apud Mabill. lib. 6. Diplom. n. 107. p. 546. & Annal. l. 37. ad an. 877. n. 98. Guido obiit nono cal. Aug. ex necrologio ; & quidem in Etruria, ut aiunt, cum Romam pergeret.

DE POITIERS.

XXVI. NORBERTUS.

Norbertus Bernardi Arvernorum comitis necnon Cabilonenſis & Matiſcónenſis filius erat ex Ermengarde. Bernardi autem pater, Norberti avus, erat alter Bernardus comes Pictavienſis, cujus frater Ranulfus I. fuit comes Pict. & dux Aquitaniæ. De hac vero genealogia conſule Baluzium hiſt. domus Arv. l. 1. c. 1. Norbertus fuit ep. 880. Anicienſis circa an. 880. Dicitur tranſtuliſſe reliquias S. Georgii epiſcopi ex urbe & eccleſia S. Pauliani, Anicium ; cujus tranſlationis cauſam ita refert Mabillonius ſec. IV. Benedictino, parte 1. p. 759. Is (Norbertus) cum æmulum haberet Vitalem abbatem, vicecomitis Podomniacenſis, *Polignac*, fratrem, qui a nonnullis epiſcopus electus fuerat, multaque ob id incommoda ab eodem vicecomite ſuſtineret, hanc tandem cum eo concordiam iniit *ut pro reformatione pacis, Vetulam civitatem, quæ modo dicitur S. Paulianus, vicecomiti largiretur. Placuit utrique parti, ea tamen conditione vel pacto ut primitus ſanctorum corpora Georgii & Marcellini de civitate Vetula afferrentur : & ita locus iſte ſancti Pauliani in poſſeſſionem vicecomitis commigraret. Præfixa eſt certa dies, in qua ſanctorum corpora tollerentur ; atque ita conſtitutum eſt, ut beatus Georgius, qui primus fuit pontifex & apoſtolus Vallavorum, ſedi propriæ redderetur*, id eſt loco ubi tunc ſedes epiſcopalis obtinebat. Meminit etiam vetus proſa in die feſto S. Georgii a canonicis Anicienſis eccleſiæ olim cani ſolita :

Denum pace confirmata,
Urbs Vetula ſibi data
Fuit, & tunc quoque facta
Tranſlatio S. Georgii,
Ab urbe prænominata.

Utrumque hoc teſtimonium vidit retulitque Guillelmus de Chalanconio Anicienſis epiſcopus in inſtrumento abs ſe condito an. M.CCCC.XXVIII. de apertione tumuli S. Georgii, quam fecit rogatu canonicorum eccleſiæ collegialis S. Georgii Anicienſis ; in eo ſiquidem inſtrumento integram refert hiſtoriam prædictæ tranſlationis S. Georgii. Hæc Mabillonius.

XXVII. ADALARDUS.

Adalardus præerat anno 919. ex teſtamento Hervei Æduenſis epiſcopi, quo quædam legat eccleſiæ S. Nazarii apud Æduos an. 919. jam deſignato : etenim huic chartæ ſubſcripſit noſter Adalardus epiſcopus, ut videre eſt Spicilegii tom. VIII. & tom. III. Annal. Mabill. ad annum 919. p. 151. n. 32. Obtinuit præceptum a Rodulfo rege ; quod conſule inter inſtrumenta. In bibliotheca eccleſiæ Anicienſis exſtat liber *de ſynodis univerſalibus*, & ſummorum pontificum decretis, in cujus priori folio legitur : *liber oblatus ad altare S. Mariæ Anicienſis eccleſiæ, dono Adalardi ejuſdem Sedis epiſc.* Nunc eſt in bibliotheca regia apud Pariſios. C. 11. col. 221.

XXVIII. HECTOR ſeu HAECTOR.

ANNI CHRISTI

Poſt Adalardum locandus videtur Hector epiſcopus, ex charta quadam Bliſmodis edita a Mabillonio ad calcem tomi IV. Annalium, p. 695. ubi quandam donationem factam dicit *pro remedio animæ ſuæ .... & pro animabus Adelardi, & Hectoris, & Gotiſcalci pontificum ..... Data menſe Martio, regnante Rodulfo rege anno ſexto*, hoc eſt anno Chriſti 928. Tempore quo charta 928. hæc confecta eſt, Gotheſcalcus jam erat epiſcopus ; unde conſequens eſt Hectorem non vixiſſe ultra annum 928. aliumque eſſe ab Hectore decano S. Juliani Brivatenſis commemorato in charta fundationis Cantogili facta an. 1. regni Ludovici Ultra-marini ſeu Chriſti 936. quæ legitur in appendice t. 3. Annal. Mabill. p. 707. Ceterum nobile erat genus Hectoris, quippe qui filius foret Engelberti fratris Sebonis Viennenſis archiepiſcopi, qui parentes habebant Berlionem & Hermengardim. Berlio vicecomes Arelatenſis filius erat Theutbaldi comitis Arelatenſis, ex uxore Bertha, quam Lotharius Auſtraſiæ rex genuerat ex Waldrada famoſiſſima femina. Vide in Sebone Viennenſi archiepiſc. & conſule Baluz. in hiſt. Arvern. p. 255. & in probat. p. 479.

XXIX. GOTESCALCUS.

Goteſcalcus ex monacho S. Theofredi, ut ait Mabill. in obſervationibus ad vitam S. Theofredi ſec. 3. Bened. 1. parte p. 476. & ſeq. ſubſcripſit litteris fundationis Cantogilenſis * monaſterii nunc diœceſis S. Flori, quod a Caſæ-Dei cœnobio modo pendet. Hanc autem fundationem factam fuiſſe anno 936. jam monuimus. Memoratur an. 941. 936. quo videlicet comes Arverniæ quædam confirmat eidem monaſterio *ad deprecationem Henrici Lingon. & Goteſcalchi Anicienſis præſulis*, ex ipſis tabulis apud Juſtell. in probat. hiſt. gentis Arvernæ. Idem epiſcopus S. Theofredi videns monaſterium, cujus alumnus fuiſſe creditur, rectorum incuria ad ſummam inopiam redactum, quæ religionem omnem in eo exſtinxerat, cœpit curare ut direptæ cupiditate ſecularium facultates monaſterio reſtituerentur ; addiditque prædia quædam ea conditione ut ad ſingulas horas canonici officii duo pſalmi pro ipſo, ipſiuſque ſucceſſoribus cantarentur, exceptis diebus feſtis. Tum ex Auriliacenſi S. Geraldi monaſterio Arnulfum abbatem accerſivit, ut ipſi monaſterium commendaret reformandum in monaſtica diſciplina ſecundum S. Benedicti regulam ; quod factum eſt cum conſenſu Guillelmi marchionis, anno Ludovici regis ſecundo, ſeu Chriſti 938. *Vide l. de re Diplom. p. 169.*

* Chanteuge.

Goteſcalcus orationis gratia in Hiſpaniam profectus eſt, & ad extremos Galiciæ fines pervenit, S. Jacobi ſuffragia imploraturus. In hac autem peregrinatione ad Hildenſe monaſterium in finibus Pampeloniæ divertit, rogavitque pium hujus loci abbatem Gomeſanum nomine, ut ſibi conſcriberet librum S. Hildefonſi de perpetua B. Mariæ virginitate, quem ſecum tulit ut tanto theſauro eccleſiam ſuam ſanctæ Mariæ patrocinio nobilem ditaret. Id factum menſe Januario, *currente feliciter æra* D. CCCC. LXXXIX.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI 951. C. III. col. 222.

æra D. CCCC. LXXXIX. hoc eſt, anno Chriſti 951. ut legitur in præfatione Gomeſani, quam damus. Eodem an. 3. nonas Maii, feria 2. Luna VIII. ſubſcripſit chartæ pro ſubjectione cellæ S. Enimiæ cœnobio S. Theofredi, cujus tunc abbas erat Dalmatius. Vide Mabill. ad an. 951. n. 50.

Godeſcalcus legitur primum poſuiſſe lapidem ædis S. Michaëlis, in vertice ſtupendæ rupis de Acu *, Auguſto menſe anno 962. & obiiſſe 1. Decembris ejuſdem anni, ex libro obituum, poſt impetratam a Lothario rege confirmationem privilegiorum ſuæ eccleſiæ, de qua apud Giſſeium. [a]

* S. Michel de l'Aiguille.

XXX. Bego.

Bego ſubſcripſit litteris Goteſcalci pro reſtitutione monaſterii S. Theofredi, multis annis poſtquam datæ ſunt, & poſt Goteſcalci anteceſſoris ſui mortem. Idem fecit Wido Begonis ſucceſſor mortuo Begone, ut obſervat Mabillonius. De hoc epiſcopo nihil ſupereſt præter id quod habet vetus calendarium ad diem 11. Februarii: *Eodem die lacrimabilis tranſitus Begonis venerandi præſulis, qui decus eccleſiæ augere laborans, virtutum omnium flore perſpicuus, in juvenili ætate poſitus aſtra petit, clericorum mentibus fletum addens ſævi diſcriminis.*

Ad an. 938. n. 93.

XXXI. Wido ſeu Guido.

D'Anjou.

Inter Begonem & Widonem catalogi editi collocant Hectorem & Petrum epiſcopos. At Hectorem præmittere debuimus Goteſcalco: Petri vero nullam habemus notitiam. Itaque nunc de Widone dicendum, ac primum de illuſtriſſimo ipſius genere. Filius erat Fulconis junioris comitis Andium ex Gerberga, fraterque Goffridi ſeu Godefredi, Griſagonellæ a veſtimento dicti, Andium quoque comitis; ut nos docent geſta comitum ſeu conſulum Andegavenſium: *Fulco tres habuit filios, primogenitum Gosfridum: alter Guido epiſcopus Podii: tertio Drogo.*

Guido litteris imbutus juſſu parentum, ſecularibus pompis valedixit, monachumque induit in Cormaricenſi diœceſis Turonenſis monaſterio, ubi, pulſo Arnaldo intruſo, communi fratrum conſenſu, annuente Rege, in abbatem eſt electus. Tunc abbas Cormaricenſis Villa-lupenſem quoque abbatiam regebat. At cum Guido diſſenſiones eſſe inter utriuſque monaſterii monachos animadverteſſet, hortatu & conſilio Arduini Turonenſis archiepiſcopi, Villa-lupenſibus poteſtatem fecit ſibi eligendi abbatem in poſterum; elegeruntque Humbertum. Simul fuit abbas Ferrarienſis, & S. Albini Andegavenſis; retinuitque Cormaricenſem præfecturam uſque ad an. 976. quo creatus eſt epiſcopus Anicienſis, inquit Mabill.

976.

Aliquot annis ante epiſcopatum, ob multa prædia diſtracta ex monaſteriis & data in beneficium, cum pœnituit, litterasque dedit, quibus adjurabat eos qui hoc pacto poſſidebant ſuorum monaſteriorum terras, eas quantocius reſtituerent: ipſe vero ſic a ſe occupata reſtituit. Nunc de ejus epiſcopatu dicamus.

ANNI CHRISTI

Wido, Lothario rege volente, non ſponte promotus ad epiſcopatum Anicienſem, cum ad eum capeſſendum acceſſiſſet, obviam ei venerunt ſoror ejus Adelais uxor Willelmi provinciæ comitis, eorumque filii Pontius & Bertrandus, qui *Aquitaniæ nobiliſſimi conſules* appellantur. Eorum ope opportune uſus eſt ſapiens epiſcopus tum ad procurandam pacem & tranquillitatem, ſanciendo *treugam Dei*, tum ad coërcendos bonorum eccleſiæ raptores, quos ablata reſtituere coëgit. Legere juvat in inſtrumentis pie & fortiter ab eo geſta deſcripta in charta veteri quam noſtris Sammarthanis communicavit dom. du Bouchet. Fundatio eccleſiæ S. Petri de Monaſterio ibi facta legitur an. 993. Perveniſſe dicitur uſque ad annum 996. Sed eum tardius occubuiſſe probat charta ſeu decretum de treuga & pace ab eo promulgatum, quod inter inſtrum. eccleſiæ Anicienſis edidimus. Ad annum 1002. decretum hoc in dubium revocat Marcæ Hiſpanicæ ſcriptor eruditiſſimus. *Cum enim*, inquit, *inter eos* (epiſcopos qui cum Widone decretum condiderunt) *nominatur Fredolo Elenenſis, nullaque ejus mentio reperiatur ante annum octavum regni Roberti regis, & anno milleſimo certum ſit Berengarium* (Fredelonis anteceſſorem) *fuiſſe epiſcopum Elenenſem, liquet eum epiſcoporum conventum agi non potuiſſe ante an. milleſimum.*

C. IV. col. 223.

993. 996

C. V. col. 225.

p. 418.

Alia ex parte conſtat Widonem epiſcopum annum milleſimum in epiſcopatu non attigiſſe, cum Stephanus ejus ſucceſſor poſt Drogonem depoſitus ſit anno 998. Unde conjicimus Widonem, cum animadverteſſet Drogonem vel epiſcopatum renuiſſe, vel morte præventum obtinere non potuiſſe, Stephanum vero a Gregorio V. depoſitum fuiſſe, ad epiſcopalem cathedram rediiſſe, & auctoritate qua pollebat in ea aliquandiu perſeveraſſe.

XXXII. Drogo.

Magnas in anguſtias nos conjiciunt de Drogonis epiſcopatu diverſa omnino invicemque pugnantia teſtimonia. Sammarthani fratres, qui ſequuntur geſta comitum Andegavenſium, Widoni epiſcopo ſubrogant Drogonem, *Dreux*, Widonis fratrem: *Drogo*, inquiunt hæc acta, *a Fulcone nimis dilectus, quia eum in ſenectute genuerat, peritia litterarum & artium liberalium edoctus, benignitate Hugonis regis in epiſcopatum Podii fratri ſucceſſit.* His opponitur nomen Drogonis nullibi occurrere in catalogis aut in tabulis Anicienſibus; unde altum de ipſo in hiſtoria Giſſei ſilentium. Præterea noſter D. Jacobus Boyer, qui ſcrutatus eſt & excuſſit omnes tabulas Anicienſes, nullum documentum invenit in quo Drogonis vel nomen occurrat. Inſuper Stephanus de quo infra, in concilio Romano ſub Gregorio V. condemnatus fuit & omni ordine ſacerdotali ſpoliatus, *eo quod a Widone vivente epiſcopo avunculo & prædeceſſore ſuo eſſet electus ſine cleri & populi voluntate; ac poſt ejus mortem contra cleri & populi voluntatem a duobus tantum epiſcopis non comprovincialibus ordinatus.*

Lab. Bibl. nova t. II. p. 765.

[a] Notat noſter Claud. Eſtiennot in hiſt. MS. Aureliacenſis cœnobii, circa an. 943. floruiſſe Theobaudum epiſcopum Vellavorum qui fuerat Aureliac. monachus; unde autem id eruerit, non indicat; ſed falſi arguitur niſi admittatur duplex Goteſcalcus.

ANNI CHRISTI

Reſpondetur irrepſiſſe mendum, & pro Widone legi debere Drogonem. At vero idem Widonis nomen ſemper legitur in hujus concilii canonibus, nuſquam autem & nunquam Drogonis.

Difficile tamen eſt reſpuere Geſtorum comitum Andegavenſium teſtimonium ; quod aliunde lego confirmari auctoritate chartularii hiſtorici Roberti regis. Itaque dici poteſt Drogonem Widonis fratrem, ipſo conſentiente & ſponte cedente, ab Hugone Capeto rege deſignatum fuiſſe Anicienſem epiſcopum ; ipſo vero vel renuente, vel ignota nobis ratione impedito, vel etiam mortuo, Widonem elegiſſe nepotem ſuum Stephanum.

De Gevaudan.

XXXIII. Stephanus.

Stephanus ex comitibus Gabalitanis, Stephanum comitem Gabalitanum, & Adelaïdem ſororem Guidonis epiſcopi de quo ſupra, & Drogonis, parentes habuit [a]. In concilio Romano anni 998. depoſitus eſt a Gregorio papa V. ut jam diximus, quod citra populi & cleri conſenſum electus fuiſſet, ac ordinationem, conſecrationemque accepiſſet a duobus tantum epiſcopis non comprovincialibus. Attamen Dagbertus Bituricenſis archiepiſcopus, qui ipſum conſecravit, erat metropolitanus.

a

XXXIV. Theotardus, vel Theodardus.

Theotardus, quem dicunt fuiſſe monachum Auriliacenſem, eligitur in Anicienſem epiſcopum eodem anno quo Stephanus depoſitus eſt, ſcilicet 998. quo ejus aliorumque epiſcoporum uſus conſilio Stephanus vicecomes Gabalitanenſium, dedit partem de ſuis poſſeſſionibus, ad conſtruendum monaſterium ſub jure abbatis S. Theofredi. Lege diploma lib. 6. de re Diplom. n. 148. pag. 579. De hoc epiſcopo meminit Silveſter papa II. in litteris ad ipſum directis, quas exhibemus inter inſtrumenta, quibus approbat ejus electionem.

C. VI. col. 226.

Theodardus donavit eccleſiæ Claromontenſis ſedis Villam-novam, & villam de Vento-grado, tempore Begonis epiſcopi Arvernenſis, ex tabulis hujus eccleſiæ.

Anno Chriſti milleſimo fer. VI. poſt Aſcenſionem Domini Guillelmus *Arvernis, Vellavis, Lemovicis & Pictavis comes*, duxque Aquitaniæ, confirmavit dona a parentibus ſuis Guillelmo & Agnete facta cœnobio B. Mariæ, ad uſum fratrum inibi Deo ſervientium ; id eſt canonicorum communitatem vitæ victuſque ſervantium ; quod olim fecerunt Anicienſes, ut teſtantur clauſtrum, refectorium, capitulum vetus, dormitorium, & cetera loca regularia, quæ adhuc integra perſeverant.

Ex chart. Anicienſi, & Adem. de Cab.

In calendario veteri eccleſiæ Claromont. præſcribuntur preces pro anima Theodardi epiſcopi die 21. Julii quo vivere deſiit ; haud dubie ob beneficia quæ ſupra recenſuimus.

d'Anduse

XXXV. Fredolus I.

Fredolus nobilibus toparchis de Anduſia in pago Nemauſenſi ortum debebat ex tabul. S. Petri Podienſis ; ubi vitioſe Fredolus dicitur electus concorditer a clero & populo, poſt Guidonis epiſcopi tranſitum. Memoratur in charta Bernardi militis patris ejuſdem Fredoli, & Geraldi de Anduſia epiſcopi Nemauſenſis. Ex hac porro charta, quæ eſt inter inſtrum. noſcimus genus Fredoli ; ſcilicet parentes ejus Bernardum Pelitum militem & Garſindem uxorem ejus : fratres Geiraldum epiſcopum Nemauſenſem, Almeradum, Raimundum, Bermundum, quibus conſentientibus pius pater dat beatæ Mariæ ſedis principalis in Nemauſo civitate, multa prædia in comitatu Nemauſenſi, in caſtro Anduſiæ.

ANNI CHRISTI

C. VI. col. 227.

Fredoli fit mentio in bulla Benedicti VIII. pro Cluniacenſibus. Cœnobium B. Petri auxit, ex ejuſdem loci chronico. Notatur ejus obitus VI. nonas Octobris.

Sammarth.

XXXVI. Stephanus II.

De Thiern.

Hunc epiſcopum ex nobili & perantiqua proſapia de Mercorio in Arvernis ortum, filiumque Beraldi II. ac nepotem S. Odilonis abbatis Cluniacenſis exiſtimarunt Sammarthani fratres. At vero Stephanus Baluzius, qui Mercorianæ gentis genealogiam texuit in hiſtoria domus Arverniæ, nullum in ea locum dat huic Stephano ; aliamque ipſi tribuit originem, non minus tamen nobilem ; quæ æque ac Mercoriana ex illuſtriſſimo Arverniæ comitum genere prodiit.

lib. 1. c. 12.

Itaque ex laudato ſcriptore Stephanus filius erat Guidonis II. Thierni domini, & Reclindis ; Guido vero genus ducebat a Matfredo Thierni vicecomite, filio Euſtorgii, & nepote Bernardi II. Arverniæ comitis. In charta Thiernenſis eccleſiæ quam exhibet Baluzius inter inſtrum. hiſt. Arverniæ, Guido Thierni dominus quædam donat cum filiis ſuis Theotardo & *Stephano epiſcopo*, ſcilicet Anicienſi.

Baron.

Hunc præſulem Leo papa IX. dicitur exemiſſe a metropolitani Bituricenſis juriſdictione anno 1051. ac pallio donaſſe. De exemtione ipſius ac ſucceſſorum a juriſdictione metropolitani loquitur Chronicon S. Petri Podienſis, verum de pallio conceſſo ſilet. At habetur bulla hujus papæ hac de re in inſtrumentis.

C. VIII. col. 228.

Stephanus adfuit ſynodo Lemovic. an. 1031. ſubſcripſit litteris fundationis monaſterii S. Satyri anno quarto Henrici regis, Chriſti 1034. & an. 1044. teſtamento Hugonis Veſontionenſis archiep. Nomen ejus legitur inter ſubſcriptiones ſubjectas formulæ electionis Icterii Lemovicenſis epiſcopi, factæ menſe Januario anni 1052.

1031. 1034. 1044.

Mortuus anno ſalutis reparatæ 1053. legitur ſepultus in cœnobio S. Crucis de Volta, *la Voulte*, quod ipſe cum beato Odilone avunculo ſuo in propria conſtruxerat tellure, inquit Chronicon MS. S. Petri Podienſis, ubi dicitur obiiſſe die 4. Auguſti flentibus populis & gaudentibus angelis.

Ceterum hoc teſtimonium Chronici S. Petri Podienſis, noſtrum Stephanum S. Odilonis nepotem appellantis, ancipitem me facit utrum cognominandus ſit de Mercorio, an de Thierno ; fortaſſe ex paterno genere vicecomites Thiernenſes progenitores habebat, ex materno, Mercorii

Ex Veſont. impreſſi.

[a] Vide hiſt. domus Arvern. auctore Steph. Baluz. lib. 1. c. 10. pag. 40.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

toparchas; ignoramus enim qua ex gente eſſet Ri- A clendis ejus mater, cujus cognomen tacetur.

XXXVII. Petrus II.

Petrus nepos Stephani, quem aliqui volunt fuiſſe filium fratris ejus Beraldi III. de Mercorio *, ad
1053. epiſcopales infulas provectus eſt an. 1053. bulla Leonis noni, quam in archivo eccleſiæ aſſervari aiunt, & ab hoc ipſo pontifice conſecratus eſt apud Ravennam, cum prius fuiſſet ordinatus preſbyter ab Humberto cardinali, eccleſiæ S. Rufinæ epiſcopo. Æmulum habuit Bertrandum Mimatenſis eccleſiæ archidiaconum, cui comes Toloſa- B nus, & Henricus Francorum rex favebant. Inſtrumentum electionis & ordinationis Petri habes in
P. 742. appendice ad tom. IV. Annal. Mabill. quo ex inſtrumento diſcimus quæ ſequuntur.

Poſt obitum Stephani facta eſt diſſenſio pro eligendo epiſcopo, inter clericos eccleſiæ Vallavenſis, & Henricum Francorum regem; qui cum pollicitus eſſet electionem ab ipſis factam confirmare, promiſſis non ſtetit. Porro non ſolum clerus, ſed etiam populus & *militia* elegerant virum nobiliter natum, nobilius educatum, Stephani epiſcopi nepotem, nomine Petrum, ejuſdem eccleſiæ C archidiaconum & præpoſitum; quem cum electores in præſentiam Regis duxiſſent conſecrandum, Rex poſtpoſita auctoritate canonum, neglectoque clamore pontificum qui aderant, interveniente Toloſano comite, uxoris hortatu, non ſine pecunia, dedit Anicienſem epiſcopatum cuidam Bertramno Mimatenſis eccleſiæ archidiacono; qui & ordinem presbyteralem, pretio *diſtraxerat*, & pontificalem gratiam, donum Spiritus Sancti pecunia emit.

Electores a Rege non auditi, adierunt Leonem papam IX. apud Ravennam, opem conſiliumque præbentibus Hugone archiep. Biſuntino, D Aymone Sedunenſi, & Artaldo Gratianopolitano epiſcopis, necnon Viennenſi archiepiſcopo Leodegario Anicienſis eccleſiæ canonico & *nutrito*. Summus pontifex probavit electionem Petri, quem juſſit *presbyterari* ab Umberto cardinali, eccleſiæ S. Rufinæ epiſcopo. Alia vero die ipſe Leo papa manu propria novum presbyterum, epiſco-
1053. pum conſecravit. Hæc acta ſunt anno M. LIII. indictione VI.

1056. Petrus adfuit ſynodo Toloſanæ an. 1056. An.
1062. 1062. comes Bigoritanus Bernardus comitatum ſuum ſubjecit clientelæ eccleſiæ B. Mariæ virginis apud Anicium; cujus diploma etſi jam editum ab E illuſtriſſimo viro Petro de Marca hiſt. Benearni
C. IX. col. 218. lib. 9. c. 4. inter inſtrumenta eccleſiæ Anicienſis iterum edendum judicavimus, tamquam inſigne devotionis erga Dei-param virginem argumentum. Petrum pium epiſcopum multis moleſtiis affeciſſe dicitur vicecomes Podemniacenſis; quod fortaſſe movit eum ad Jeroſolymitanam peregrinationem ſuſcipiendam; ex qua cum reverteretur, obiiſſe
1073. Genuæ die 13. Julii an. 1073. legitur. Corpus ejus in Galliam attulerunt Anicienſes quidam ca-

* Loquimur ad mentem eorum qui volunt Stephanum fuiſſe ex gente dynaſtarum Mercorii, quod docet Chronicon MS. S. Petri Podienſis.

nonici, ſacræ hujus peregrinationis comites; quod conditum eſt in eccleſia Voltæ prope Stephani epiſcopi ejus patrui, vel avunculi ſepulcrum. ANNI CHRISTI

De eo laudatum Chronicon S. Petri: *Poſt beatæ record. Stephani epiſcopi finem ſucceſſit ei..... vir probus Petrus nepos Stephani ep. qui multa prælia geſſit cum civibus, necnon & vicinis omnibus, quibus ad ultimum devictis.... Jeroſolymam adiit; indeque reverſus apud cœnobium Voltæ, regnante Heinrico rege Franc. cum avunculo ſuo requievit in pace.* Pro *Henrico*, legendum, *Philippo*.

XXXVIII. Stephanus III. De Polignac

Stephanus hic, ex viro eruditiſſimo Stephano Baluzio, filius erat Guillelmi de Mercorio, nepos Beraldi, qui inter plurimos liberos genuit S. Odilonem abbatem Cluniacenſem, & præfatum Guillelmum Stephani patrem. Sed hanc opinionem coacti ſumus relinquere & aliam ſequi quam jam aſſeruimus in epiſcopis Claromontanis. Eandem confirmant litteræ Armandi vicecomitis de Podemniaco, ejuſque filii Stephani qui cognominabatur Scindens-ferrum *, pro S. Andeolo; * Taffiefer. huic enim ſubſcripſit Stephanus filius ejus *Anicienſis patriæ epiſcopus*. Vide C. X. * Jam quoque * col. 229. diximus ibidem eum tanquam invaſorem & ſimoniacum depoſitum fuiſſe & anathemate percuſſum, quod relicta Claromontenſi cathedra occupaſſet Anicienſem. At alibi dicta retractare hic oportet. Gregorius VII. epiſt. 80. libri 1. meminit cujuſdam Stephani electi ab Anicienſibus, qui promiſſa obedientia gratiam S. Sedis recuperaverat, inſuperque Anicienſem eccleſiam prudenter defenderat adverſus ſimoniacum Stephanum, ſedis hujus invaſorem. Ex quibus conjicimus Stephanum de Podemniaco, ſede Anicienſi vacante, canonicorum hujus eccleſiæ calculis electum fuiſſe; ad quam dignitatem anhelabat, aut patriæ deſiderio, aut ambitione majoris ſedis. Eam autem toparchæ Podemniacenſis auctoritate eſt adeptus. Ceterum Stephanum, ſpreta prima ſponſa, alienam ſibi vindicaſſe indigne tulit Gregorius VII. quem tamen tantiſper placavit Stephanus promiſſis S. Sedi obedientia, & debita ſatisfactione ac emendatione. Inſuper papæ perſuaſit quemdam Stephanum ſimoniacum ac Anicienſis eccleſiæ invaſorem, ſua opera, & ſumma qua gens Podemniacorum in Vallavis poteſtate pollebat, fuiſſe expulſum. Is Stephanus erat forſan aliquis miles qui bona hujus eccleſiæ rapuerat, vel quiſpiam nonnullorum canonicorum ſuffragiis electus.

Promiſſis ſuis non ſtetit Stephanus, qui ad leniendum irati papæ animum pollicitus fuerat ſe ſe aditurum ſanctam ſedem, ejuſque judicio obtemperaturum. Interim vero de pontificali officio *ſe non intromiſſurum.*

Quare Gregorius papa epiſtola 18. lib. IV. præcepit Anicienſibus ut ei obedientiam denegarent. Ac epiſtola 19. ejuſdem libri ad Galliarum epiſcopos, prohibet fieri *oblationes in Podio S. Mariæ, ſive ad altaria, ſive ad manus ſacerdotum;* quippe quod iis abuteretur Stephanus. Claromontana ſynodus in qua dejectus eſt ab Hugone Dienſi epiſc. S. Sedis legato, habita legitur an. 1077. 1077.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI DE MONTEIL.

XXXIX. ADHEMARUS.

In Chronico S. Petri Podienſis Adhemarus legitur filius conſulis, id eſt comitis Valentinenſis provinciæ ; cujus exemplum ſecutus, militiæ ſe addixit ab adoleſcentia. Sed poſtea vitam clericalem amplexus, ad ſedem epiſcopalem Podienſem provectus eſt. Jam ſedebat an. 1087. cal. Aprilis; quo tempore donavit Seguino abbati & monachis Caſæ-Dei eccleſiam de Ucione. Eodem anno benedixit Guillelmum S. Theofredi abbatem. Excepit in urbe ſua Urbanum papam II. forte poſt concilium Claromontanum cui præfuit hic ſummus pontifex ; ſedit autem Ademarus in hoc percelebri cœtu habito an. 1095. a trecentis decem patribus, ex quibus aliqui tantum erant abbates : qua in ſynodo, hortante Urbano papa bellum ſacrum decretum eſt adverſus Turcas. Inter præcipuos qui huic militiæ nomen dederunt, Fulcherius Carnotenſis in ſua hiſtoria Jeroſolymitana noſtrum recenſet Ademarum Podienſem epiſcopum, *qui*, inquit, *poſtea fungens vice apoſtolica, cunctum Dei exercitum prudenter & conſulte rexit, & ad negotia peragenda vivaciter animavit.* Certe primas in hoc bello partes poſt Urbanum II. Chronicon Andrenſe dat Ademaro his verbis : *An. M. XCVI. Philippi regis XXXVI. via Jeroſolymitana incæpta eſt apud Clarummontem in Arvernia, per auctoritatem Urbani papæ, & cohortationem Aimari Podienſis epiſcopi.* Quapropter Urbanus cum legatum apoſtolicum conſtituit in illa celebri expeditione cruceſignatorum duce Godefrido Bullionio ſuſcepta, quam optima fide litteris mandavit Willelmus Tyrenſis archiepiſcopus de Bello ſacro. Laudatur præſertim ab eo lib. IV. c. 22. quod ad avertenda Dei flagella, poſt indictum triduanum in toto exercitu jejunium, cum aliorum epiſcoporum conſilio, adhibita quoque principum auctoritate, decerni curavit ut fatuæ ac leves mulierculæ ab exercitu ſequeſtrarentur ; adulteria & omne fornicationis genus ſub pœna mortis inhiberentur ; comeſſationes & ebrietates, *periculoſus aleorum ludus*, incauta juramenta, in pondere & menſura fraudes interdicerentur. Nec minus bellicis facinoribus clarus, expugnationi civitatum Niceæ & Antiochiæ interfuit. Libro VI. c. 16. ubi de magnanimitate cruceſignatorum Antiochiam propugnantium, poſt inventam divinitus lanceam qua latus Chriſti Domini percuſſum eſt, agit Willermus Tyrius, hæc præ ceteris notanda de Ademaro addit : *Vix reperiebatur in tanto populo conditionis aut ætatis cujuſpiam qui non meditaretur fortia, qui ad arma non conſurgeret, qui non ſibi præſagiret victoriam. Sacerdotes vero ſacris induti veſtibus, turmas circumeuntes*, &c. *Inter quos præcipuus Chriſti cultor dominus Podienſis epiſcopus, exhortationibus jugiter inſiſtens, jejuniis & orationibus, & larga eleemoſynarum liberalitate, ſeipſum Domino dabat holocauſtum.* Et infra cap. 17. *Epiſcopus vero Podienſis dominus Ademarus bonæ memoriæ, cum ſua & domini comitis Toloſani familia, quartæ præerat aciei, Dominicam ſecum deferens lanceam.* Commiſſo prælio fugati cæſique ſunt hoſtes, qui Antiochiam obſidione premebant ; eorumque caſtris potiti ſunt Chriſtiani, ubi multas invenerunt opes, magnamque commeatuum copiam. *Factum autem eſt hoc*, inquit Tyrius, *anno ab Incarnatione Domini M. XCVIII. die 28. menſis Junii.* 1098.

Idem ſcriptor : *Reverſis*, inquit, *principibus de prælio, & urbe jam in omni tranquillitate compoſita, curæ fuit omnibus, & præcipue patrono exercitus viro venerabili domino Podienſi epiſcopo, cooperantibus aliis qui in eodem exercitu erant pontificibus, & plebe ſuffragia ſubminiſtrante, tam majorem urbis eccleſiam, quæ in honore principis apoſtolorum dedicata erat, quam reliquas, quæ per urbem erant conſtitutæ, in priſtinum decorem reformare baſilicas ; & in clerum reſtituere, qui divinis jugiter ſe manciparet obſequiis ..... Placuit igitur de communi conſilio, ut ſtatim ſine dilatione in eis clerus reſtitueretur, & priſtina reformaretur dignitas, deſignatis ſtipendiis unde poſſent ſuſtentari, qui in eis Domino militarent. Obtulerunt itaque de ſpoliis hoſtium aurum & argentum, unde fierent candelabra, cruces, calices*, &c.

Demum poſt biennium recedente patriarcha Græco, Bernardus Artaſienſis epiſcopus, qui Ademarum ſecutus fuerat in hac expeditione, quique ipſius capellanus erat, electus eſt in patriarcham Antiochenum.

De morte Ademari hæc narrat Tyrenſis l. VII. c. 1. *Suſcitata eſt itaque ex cauſis occultis, ſtatim urbe capta & conſummata victoria, tanta clades in populo, ut vix aliqua præteriret dies, in qua triginta vel quadraginta non efferrentur funera ; ita quod de populo ſupererat, jam quaſi penitus deleretur. Qua lue peſtifera & contagione, cunctos longe lateque indifferenter involvente, vir vitæ venerabilis & immortalis memoriæ dominus Ademarus Podienſis epiſcopus viam univerſæ carnis ingreſſus eſt, atque cum gemitu & lachrymis, & intimis omnium ſuſpiriis, tanquam pater & præcipuus plebis univerſæ moderator in baſilica B. Petri, in eo loco ubi lancea Domini reperta fuiſſe dicebatur, cum multa ſepultus eſt honorificentia.* De ſacræ lanceæ inventione ſic ipſi duces expeditionis verba faciunt in ſuis ad Urbanum II. litteris quas exhibet Baluz. t. 1. Miſcell. pag. 418. *Sed interim clementiſſima miſericordia omnipotentis Dei nobis ſubveniente, & pro nobis vigilante, Dominicam lanceam, qua latus Jeſu Chriſti Longini manibus perforatum fuit, ſancto Andrea apoſtolo cuidam famulo Dei ter revelante, & ipſum locum ubi lancea jacebat demonſtrante, in eccleſia beati Petri apoſtolorum principis invenimus. Cujus inventione & multis aliis divinis revelationibus ita confortati & corroborati fuimus, ut qui antea afflicti & timidi fueramus, tunc ad bellum faciendum audaciſſimi promtiſſimique alii alios hortabamur.*

Ademari autem epiſcopi mortem ſic lugent : *Sed quia ſemper ſolet aliquid mæſtum lætis intervenire rebus, ille Podienſis epiſcopus, quem tuum vicarium nobis commiſeras, bello peracto in quo honeſte fuit, & pacificata civitate, calendis Auguſti mortuus eſt.*

De eodem ita Ordericus Vitalis l. IX. ad an. 1098. *Aimarus Podienſis epiſcopus ægrotavit, & paterno*

ANNI CHRISTI 1098. c. 23.

Collect. Quercet. tom. IV. p. 818.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

more lugubres filios confortavit, viamque univerſæ carnis ingrediens cal. Aug. ad Dominum migravit. Luctus itaque immoderatus in tota Chriſti militia factus eſt, quoniam ipſe fuerat conſilium nobilium, ſpes orphanorum, imbecillium ſuſtentamentum, militibus homo militaris. Sed præſertim de Ademaro ſcripſit Raimundus de Agiles canonicus Podienſis & capellanus comitis Toloſani qui ſuo epiſcopo in Jeroſolymitana peregrinatione comitem ſeſe adjunxerat; cujus opus editum eſt inter *Geſta Dei per Francos*. Hic de morte Ademari hæc lugens ait: *Dominus Ademarus Podienſis epiſcopus dilectus Deo & hominibus, vir per omnia omnibus carus die cal. Auguſti migravit in pace ad Dominum, tantuſque luctus in morte ejus fuit, ut nos qui vidimus, dum præ magnitudine rerum ſcribere curamus, comprehendere aliquatenus nequivimus.*

In memoriam ſtrenui & magnanimi præſulis, ejus ſucceſſores epiſcopi Anicienſes in inſignibus geſtant enſem cum pedo paſtorali; & canonici cathedralis tempore Paſchali deferunt in modum thoracis, ſeu ſcapularis, anguſtum vellus leucophæum, quod *lingarellam* nuncupant. Ex tabulis S. Theofredi multa huic monaſterio dedit Ademarus: in iis eccleſias S. Frontonis, S. Georgii de Coubon, S. Amantii de Chadron, & S. Vincentii de Solignac.

Ab hoc famoſiſſimo præſule Mons-Ademari dicta legitur urbs Delphinatus in pago Valentinenſi, *Montelimar* appellata; & Montilii toparchæ nomen Adhemari gerunt.

Sedente Ademaro Raimundus de S. Ægidio, Toloſatum & Ruthenenſium comes, villas Segrerii & Brugoriæ dedit eccleſiæ Anicienſi, & multa alia quæ in ejus diplomate recenſentur.

C. XI. col. 229.

XL. Pontius.

De Tournon

In vulgatis Anicienſium epiſcoporum catalogis duo Pontii poſt Ademarum recenſentur; unus Pontius Mauricius de Monte-Buxerio, alter Pontius de Turnone. De cognominibus minime inquiremus, quæ in tabulis non reperiuntur; nunc videndum utrum unicus fuerit Pontius, an duo ſint admittendi.

D. Claud. Eſtiennot ex duobus unum facit; & quidem in Gallia Chriſtiana Fratr. Sammarthanorum, de ſecundo nihil dicitur quod de priore non legamus, videlicet ipſum ſepultum fuiſſe in prioratu de Roca-paupere. Pro ſua ſententia D. Eſtiennot laudat Chronicon S. Petri Podienſis. Hanc quoque ſententiam amplecti cogimur.

Itaque obſervandum eſt Ademaro in peregrinatione Jeroſolymitana mortuo anno circiter 1098. tardius datum fuiſſe ſucceſſorem, ſcilicet an. 1102. ut diſerte notat Hugo Flaviniacenſis in fine ſui chronici, quod vulgo Virdunenſe appellatur. Scribebat autem quæ ſua ætate contigerant; hinc ei fides indubitata debetur: *Anno*, inquit, *ab Incarnatione Dom. M. C. II. ordinatus eſt in epiſcopum Anicienſem Pontius Caſæ-Dei abbas; & abbatiam Caſæ-Dei procurandam ſuſcepit Aimericus.*

Ex hoc teſtimonio ſequitur Pontium illum epiſcopum cognominatum fuiſſe de Turnone; nimirum, qui præfuit eccleſiæ Anicienſi Pontius, idem prius Caſæ-Dei abbas fuerat ex Hugone Flaviniacenſi & aliis; at nullus inter hujus monaſterii abbates reperitur qui fuerit appellatus Pontius Mauritius de Mont-boiſſier.

Nobile ipſius genus innoteſcit ex litteris Pontii vicecomitis Podemniacenſis, concedentis abbatiæ Piperacenſi eccleſiam S. Petri de Billiaco, quæ donatio laudata fuit *a Pontio epiſcopo Anicienſi vicecomitis avunculo*. Nulla legitur in hoc inſtrumento temporis nota; ſed factum eſt tempore Bernardi de Chaſnac primi abbatis Piperacenſis, qui præfuit ab an. circiter 1097. ad 1118.

Ex tabul. Piperac.

Cum ex duobus Pontiis unus duntaxat exſtet; huic tribui debent quæ inter utrumque partiuntur ſcriptores. Itaque dicendum Paſchalem II. ipſi pallium conceſſiſſe an. circiter 1105. 8. calend. Aprilis. Anno 1117. fœdere perpetuo junxit eccleſiam Anicienſem & Caſæ-Dei abbatiam. Mortuus die 25. Januarii legitur, & quidem anno 1131. ſed duobus aut tribus circiter annis citius, quando conſtat Humbertum Pontii ſucceſſorem jam ſediſſe an. 1128. vel 1129. Jacet in prioratu de Roca-paupere diœceſis Valentinenſis in pago Vivarienſi. Legimus tamen alicubi eum mortuum XII. cal. Maii, ſepultum fuiſſe in Caſæ-Dei monaſterio. Verum in martyrologio Cornilionis legitur & quidem melius: *IX. cal. Februarii D. Pontius Anicienſis epiſcopus & quondam noſter abbas.*

1105. 1117.

XLI. Humbertus.

Humbertum electum fuiſſe in epiſcopum Anicienſem ſaltem an. 1128. vel 1129. docet ejuſdem charta [a], qua donat in feſto Annuntiationis B. Mariæ, an. M. C. XXIX. *eccleſiæ B. Mariæ de Pebrac, atque S. Andeoli, quæ eſt in caſtro quod vulgariter vocatur Podempnac* eccleſiam S. Martini in eodem caſtro Podemnacenſi conſtructam; qua in charta ſe appellat Anicienſis eccleſiæ electum. Ex eodem inſtrumento edito in appendice diſcimus eum Romam petiiſſe conſecrationis obtinendæ gratia.

[a] *Tab. Piper.*

C. XII. col. 230.

Anno 1133. Umbertus epiſcop. Podienſis, Guillelmus Mimatenſis, & Gaucerandus Vivarienſis, xenodochii S. Mariæ Podienſis ſodales commendarunt fidelium Chriſtianorum caritati, & eleemoſynas huic xenodochio erogantes participes fecerunt precum, aliorumque bonorum operum ſodalitii hujus.

1133. *Tab. epiſcop. Albienſ.*

Hoc epiſcopo Anicienſi poſtulante, Ludovicus VI. Francorum rex, privilegia eccleſiæ Podienſis auxit; deditque ſeu potius confirmavit Humberto & ejus ſucceſſoribus civitatem Anicium, caſtrum Corneliæ, cum omnibus munitionibus, forum, teloneum, monetam, &c.

Hoc in inſtrumento, quod legimus in autographo, Rex Humbertum fidelem & amicum ſuum appellat. In fine legitur: *Actum Aureliæ publice anno Incarnati Verbi M. C. XXXIIII. regni noſtri XX. VII. Ludovico filio noſtro in regem ſublimato anno tertio, aſtantibus in palatio noſtro*

[a] Charta indentata eſt ſed diviſa per priores alphabeti litteras, quam ex archivo Piperacenſi eruit R. P. de la Coudre abbatiæ Piperacenſis major prior meritiſſimus.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

quorum nomina subtitulata sunt & signa : S. Radulphi dapiferi nostri Viromand. comitis. S. Guillelmi buticularii. S. Hugonis camerarii. S. Hugonis constabularii. Data per manum Stephani cancellarii.

Ad Regis exemplum multi nobiles eidem episcopo plurima contulerunt ; in iis Isarnus vicecomes de Lautrec , & Bego de Caraman : Hugo Armangaudus de Vintroy , Petrus de Panas cum fratribus suis Gualterio & Guitardo , necnon Bernardo de Mirandol fororis eorum marito. Horum nobilium litteris subscripsit Hugo Albiensis episcopus , in cujus diœcesi erant bona quæ Anicienſi conferebant ecclesiæ. Inde vero eruitur Hugonem sedisse Albiæ an. 1134. Legimus Humbertum
1144. animam exhalasse an. 1144. die 17. Octobris.

XLII. Petrus III.

Hic antistes Viterbii consecrationem & pallium accepit ab Eugenio III. ut probat hujus papæ bul-
1145. la data 1. Maii an. 1145. Ludovicus VII. Francorum rex sequenti anno , seu anno quo assumsit crucem , ei confirmavit civitatem Anicienſem, dominationem , firmitates , castrum Cornelium cum omnibus munitionibus. Vide C. XIII. col. 231. Hadrianus papa IV. ei & ecclesiæ Anicienſi privilegia quoque asseruit. Eidem Johannes Ruthenorum comes hominium reddidit pro castris
1154. de Segur , & de Tanus an. 1154. Eodem anno Willelmus Arvernorum comes Petrum Anicienſem episcopum & Pontium vicecomitem Podemniacensem reconciliat.

Guillelmus de Baffia Claromontensis episcopus , dedit ecclesiæ Anicienſi in alodium mansum de la Mura , in quo ædificatum est castrum d'Usson. Alter Guillelmus de Baffia , prioris nepos , tempore Petri episcopi , hominium præstitit an. 1155. canonicis , qui hactenus hunc locum possident. Mortuus III. cal. Sept. jacet Cisterii , *Cistrieres* , inter S. Flori fanum & Langeacum.

XLIII. Pontius II.

* *Not. 2669.* Hunc episcopum nobis suppeditavit codex * MS. bibliothecæ Colbertinæ , ubi legitur diplo-
* C. XIV. col. 232. ma * Ludovici VII. Francorum regis inscriptum Pontio Anicienſi episcopo , quo ipsi confirmat omnia quæ supra enumeravimus in Petro III.
1158. Datum Biturigis anno M. C. LVIII. Eundem appellat amicum & fidelem suum.

XLIV. Petrus IV.

1159. Petrus adeptus est sedem episcopalem an. 1159. In Chronico S. Petri Podiensis legitur aperuisse capsas reliquiarum S. Georgii Vallavorum apostoli , & S. Hilarii Pictavorum episcopi , quas transtulit sub altare majus ecclesiæ ejusdem S. Georgii
1162. an. 1162. ind. X. feria 4. ante Dominicam Paschæ. Accepit pallium in ecclesia S. Dionysii in Francia
1164. anno 1164. Hic præsul suæ ecclesiæ bona tutelæ summi pontificis commendavit. Cessit abbatiam de Doa canonicis Regularibus an. 1167. die 15. Julii. Pontio abbati Casæ-Dei , ejusque successoribus dedit cum consensu capituli *canonicam & dignitatem in ecclesia Anicienſi* , sicut habebant abbates Cluniacenses. Simul etiam eis concessit ecclesiam S. Pauli *. Multas ejus temporibus vexationes passa est Anicienſis ecclesia a vicecomitibus Podemniaci , qui compositiones secum factas insuper habebant. Tandem coram Ludovico VII. Francorum rege an. 1171. Parisiis in ipso palatio regio pacta sunt facta ; & postea apud *Fontem-Bliaudi* , an. 1173. Vide probationes historiæ domus Arvern. Steph. Baluzii , p. 66. & seq.

ANNI CHRISTI

* S. Pol lez Mons.

Legitur hic episcopus attigisse an. 1187. quod 1187.
etiam aiunt ex tabulis constare. Imo eum tantummodo e vivis excessisse an. 1189. die 5. Januarii , lego in schedis D. Jacobi Boyer ; contra quas opiniones quædam possunt opponi.

In diplomate Friderici imperatoris , pro Roberto Dienſi episcopo , & hac ecclesia , an. 1178. III. cal. Augusti indictione XI. regni Frederici XXVII. imperii XXIV. quidam Pontius Anicienſis episcopus testis occurrit. Unde sequeretur Petrum non perveniſſe ad an. 1187. Sed pro *Anicienſi* legi debet Avenionensis. Et quidem anno 1178. episcopus Avenionensis erat nomine Pontius. At vero in schedis D. Edm. Martenne lego Humbertum Anicienſem præsulem subscripsisse litteris Frederici imperatoris anno 1178. pro ecclesia Dienſi datis. Exploravimus chartas omnes ad ecclesiam Dienſem pertinentes ; & nullibi nobis occurrit Humberti Anicienſis episcopi nomen hoc anno. Unde potuit mendum irrepere in describendis his chartis.

In instrumento continente jura præpositi , quod suo loco edidimus , invenimus alium episcopum qui fecerit anno 1179. quo proinde probatur Petrum IV. minime præfuisse usque ad an. 1187. Sic incipit vetus hoc documentum : *In nomine*,&c. *Anno Incarnationis ejusdem M. C. LXXIX. mense Septembri , domino Philippo Dei gratia rege Francorum regnante , & Dom. Guillelmo eadem gratia Anicienſi episcopo exiſtente.* Sed Philippus rex anno 1179. nondum regnabat. Unde existimo legendum esse 1279. quo tempore Philippus III. Audax cognominatus regnabat, & Guillelmus cognominatus de la Rouë erat Anicienſis episcopus. Certe qui habuit præ manibus hoc instrumentum noster D. Jacobus Boyer in catalogo episcoporum Anicienſium quem adornavit , non dat locum Guillelmo episcopo ad an. 1179.

Hujus Petri episcopi obitus notatur in necrologio monasterii S. Petri Anicienſis III. non. Febr. pro cujus anniversario dantur XII. monachis cuilibet IIII. denar. Turonenses , de quibus solvit decanus Anicienſis duas partes , & ecclesia tertiam partem.

Alexander papa III. Petro Anicienſis ecclesiæ episcopo & canonicis confirmat privilegia , &c. dictoque episcopo concedit *palleum , plenitudinem videlicet pontificalis officii ;* necnon prædecessorum suorum Paschalis , Eugenii & Hadriani vestigiis inhærens , *mansuro in perpetuum decreto* sancit , ut tam ipse episcopus quam ipsius successores nulli præter Romano metropolitano subjecti , per manus Romani pontificis tanquam speciales sedis apostolicæ suffraganei consecrentur , nec a quoquam nisi a Romano pontifice vel cui ipse com-

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

miſerit judicentur, &c. huic privilegio poſt ſummum pontificem ſubſcribunt XII. cardinales.

Philippus Francorum rex eccleſiæ Podienſi, quæ ad regiam juriſdictionem pertinere dinoſcitur, confirmat privilegia a genitore ſuo Ludovico rege conceſſa eidem eccleſiæ, Petro epiſcopo & ſucceſſoribus ſuis, in primis ut nomine pedagii tredecim denarii Podienſis monetæ de unoquoque troſſello auctoritate regia infra civitatem Anicii accipiantur; quorum quinque percipiat epiſcopus, tres eccleſia, vicecomes Podemniaci permiſſione præfati regis Ludovici & eccleſiæ Anicienſis quinque percipiat ab epiſcopo in feodum. Hanc autem compoſitionem factam inter Petrum Anicienſem epiſcopum & eccleſiam una ex parte, Pontium vicecomitem Podemniaci ex altera, corroboratam ſacramento ipſius vicecomitis, & filiorum ſuorum Eraclii, Stephani de Rocha-Savina, Hugoniſque canonici Brivatenſis, approbatam a Ludovico rege prælaudato, confirmavit filius ejus Philippus ad petitionem Petri Anicienſis epiſcopi totiuſque capituli: *Actum apud Podium anno Incarnati Verbi M. C. LXXXVIII. regni noſtri anno nono, aſtantibus in palatio noſtro quorum nomina*, &c. *S. comitis Theobaldi dapiferi noſtri. S. Guidonis buticularii. S. Matthæi camerarii. S. Rodulphi conſtabularii.* Itaque nihil vetat quominus dicamus noſtrum Petrum obiiſſe tantum an. 1189. Donavit XXX. marcas argenti pro fundatione ſui anniverſarii, ex libro obituum.

XLV. AINARDUS.

1189. Ainardus electus eſt an. 1189. Philippo Auguſto regi e Syria reduci fidem clientelarem promiſit anno 1191. tuncque Rex ei facultatem dedit percipiendi fructus, ut aiunt, ſedis epiſcopalis, qui in manu regia erant. An. ſequenti menſe Junio idem princeps dedit ei litteras, quibus præcipiebat Anicienſis urbis civibus, ut ſuo antiſtiti debitum honorem exhiberent. Hoc regium præceptum ſigillo ex cera viridi munitur, in quo ex una parte Rex viſitur in ſolio ſedens, ex adverſa vero 1195. lilium aureum. Anno 1195. Ainardus dedit xenodochio pratum dictum de Fenis, cum molendino ſupra Dolezonium.

DE MERCŒUR

XLVI. ODILO.

Odilo hucuſque poſtpoſitus Bertrando de Chalancon in Anicienſium præſulum ſerie, debet eum antecedere, ut ex infra dicendis patebit. Odilo ex illuſtri Mercoriorum gente, filius Beraldi domini de Mercorio, & ex filia Willelmi comitis Arverniæ, nepos Stephani epiſcopi Claromontenſis & Odilonis præpoſiti Brivatenſis, *de Brioude*, ejuſdem eccleſiæ decanus fuit. Suffectus Ainardo jam 1197. epiſcopus erat anno 1197. quo Bertrandus toparcha de Eſpaleto Cartuſianorum ordinem profeſſurus, ceſſit caſtrum ſuum de Eſpaleto, cum omnibus ad ipſum pertinentibus, eccleſiæ B. Mariæ Anicienſis, probante Odilone epiſcopo. Anno 1198. menſe Februario inſcribitur cuidam chartæ eccleſiæ S. Agripani, vulgo *S. Agreve*. Item Beraldus dominus de Solignaco, eidem eccleſiæ Anicienſi toparchiam hanc ceſſit. Anno denique

A 1199. Thomas comes Maurianenſis in Sabaudia, dat cenſum centum ſolidorum, ab Humberto ſuo parente, eccleſiæ Anicienſi conceſſum. Adhuc ſedebat anno 1202. ex tabulis nobiliſſimæ familiæ de Mercorio. Diſſimulare tamen nolo monitum me fuiſſe in charta eccleſiæ collegiatæ S. Agripani, Bertrandum qui ſequitur, dici epiſcopum an. 1198.

ANNI CHRISTI 1199. 1202.

XLVII. BERTRANDUS I. *al.* BERNARDUS.

DE CHALANCON.

Hic epiſcopus in duos diviſus apud Sammarthanos fratres, quando præcedit Odilonem Bertrandus; mox poſtpoſitus Odiloni Bernardus appellatur. In chartis tamen paſſim Bertrandus legitur [a]. Ex Segureti abbate [b] hunc de gremio cleri Anicienſis factum eſſe epiſcopum dicunt Sammarthani fratres; quo vero anno minime ſcimus. Anno 1205. ipſe & capitulum Anicienſe, ſocietatis 1205. fœdus inierunt cum epiſcopo & capitulo Valentinenſi. Anno ſequenti ſimilem ſocietatem paciſcuntur cum Hugone abbate & conventu Cluniacenſi, menſe Januario, in vigilia Epiphaniæ. An. 1208. cum Hugone decano, & V. præpoſito approbavit quædam pacta in gratiam clericorum qui ſuperpellicium gerebant. An. 1211. hic epiſco- 1211. pus & capitulum Philippo regi, dicto Auguſto, dant in ſubſidium 250. marcas argenti. Qui rex ipſi conceſſit vel potius confirmavit caſtrum d'Arſon, ut eruitur ex veteri inſtrumento reg. curiæ Franc. Carcaſſonenſis, dato menſe Junio anni 1212. quo 1212. tempore hominium Regi præſtitit pro eodem caſtro; in cujus inſtrumento teſtatur ſe in hoc caſtrum inductum fuiſſe a M. regis Philippi conſtabulario; & pollicetur ſe prædictum caſtrum Regi reſtituturum ad ipſius nutum, ex tabul. Carcaſſon. Ab eodem principe confirmata quoque & aucta legimus capituli privilegia. Anno 1213. menſe Januario Pontius vicecomes Podemniacenſis Bertrando epiſcopo reddit ſolemne hominium pro ipſa Podemniaci toparchia; & fit poſtea monachus Ciſtercienſis, inſtituta prius herede bonorum ſuorum Anicienſi eccleſia, defectu legitimi ſucceſſoris. Eodem anno 1213. die 21. Decembris obiit 1213. Bertrandus.

a Eum tamen inſerere catalogo abbatum Segureti non auſi ſumus, quod chartæ deſunt ad id probandum.

b Attamen dicitur Bernardus in concordia Roberti epiſcopi Clarom. cum Pontio dom. de Captolio an. 1211.

DE MEDUN.

XLVIII. ROBERTUS.

Poſt Bertrandum in Gallia Chriſtiana fratrum Sammarth. datur locus cuidam Radulfo; quem fatentur in tabulis & chartulariis Anicienſibus minime reperiri: ſed reſtituendus eſt, inquiunt, ex veteri diplomate Philippi Auguſti, cujus initium eſt: *Notum quod nos Philippus*, &c. Ex hoc vero inſtrumento mihi pene liquet Radulfum omittendum; etenim in laudato diplomate minime legitur Radulfus, ſed Robertus, in optimæ fidei codice MS. bibliothecæ Colbertinæ notato 2669. qui videtur eſſe annorum 500. Eſt autem liber ſeu regiſtrum feudorum regiorum tempore Philippi Auguſti & aliquot regum ſequentium. Diploma hoc loco referemus quod breve ſit: hoc enim in libro compendioſe inſtrumenta ſæpius re-

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

feruntur, & omiſſis quæ vel in exordio vel in fine ex præſcripta forma legi ſolent : *Notum*, &c. *quod nos Philippus rex Francorum donamus cariſſimo conſanguineo & fideli noſtro Roberto Anicienſis eccleſiæ electo, ejuſque ſucceſſoribus in eadem eccleſia ſubſtituendis in perpetuum, caſtrum de Chalancon, caſtrum de Rochebaron, caſtrum de Chaptueil *, caſtrum de Glavenas cum pertinentiis eorum, ſicut ea de jure poterit acquirere, & ſicut ad nos regiæ dignitatis jure pertinere dicuntur. Plenam quoque proprietatem & dominium caſtri quod dicitur Arſon cum pertinentiis, quod piæ recordationis Bertrando Anicienſi epiſcopo prædeceſſori ſuo pridem conceſſeramus, dicto electo & ſucceſſoribus ejus in perpetuum concedimus. Quod ut perpetuæ ſtabilitatis robur obineat*, &c. *Actum Pariſius anno Dom. Incarn. M. CC. XIV. regni XXXVI. aſtantibus in palatio, dapifero nullo, Guidone buticulario, Bartholomeo camerario, Drocone conſtabulario. Data vacante cancellaria.*

* de Captolio.

Ex iis diſcimus anno 1214. Robertum *electum* Anicienſem tantum appellatum, proindeque nondum fuiſſe conſecratum. Porro hic fuit Robertus de Mehun, ex gente nobiliſſima, quem Philippus Aug. rex conſanguineum ſuum appellare non dedignatur. Adfuit vero concilio Lateranenſi ſub Innocentio papa III. anno 1215.

1215.

Inter eum & cives urbis Podienſis controverſias & bella exarſiſſe probat quædam charta num. 336. Philippi regis, *de reformatione pacis epiſcopi Podienſis cum civibus ſuis*, an. 1218. in qua mentio fit Roberti epiſcopi [a]. Graviores contra ipſum diſcordias exercuit Poncius de Monte-lauro, pro collecta pedagiorum juxta caſtrum de Charboneriis; quod vulgari lingua dicitur, *la Sauvetat*, ad quas componendas rex Philippus Auguſtus chartam dedit Pariſiis an. 1219. menſe Novembri, quæ inſcribitur : *Charta * de conventionibus inter dominum regem, epiſcopum Anicienſem, & Poncium de Monte-lauri.* Ex illis pactis duæ partes pedagiorum Poncio de Monte-lauri, & ejus heredibus debebantur, ac una tantum epiſcopo ; ſed duas partes Poncius tenere debebat in perpetuum ab Anicienſi epiſcopo.

1218. a

* *Edita eſt in probat. hiſt. Arv. Baluz. pag. 86.*

Paulo poſt, videlicet die 21. Decembris * pro tuenda eccleſiaſtica libertate occiſus eſt, ex Alberico in Chronico; quod etiam legitur in Chronico Autiſſiodorenſi, ex quo fratres Sammarthani hæc deſcripſerunt : *Anno Domini M. CC. XIX. Robertus Anicienſis epiſcopus, a quodam milite pro injuriis eccleſiæ irrogatis ab ipſo epiſcopo vinculo anathematis innodato occiditur ; quod populus Anicienſis grave tulit ; unde ſtatim inſurrexerunt in parentes ipſius, quædam ipſorum caſtella diruentes : erat enim idem antiſtes nobilis genere, ſed nobilior moribus. Nam & corporis virginitatem uſque ad vitæ exitum creditur cuſtodiſſe, quod in eo valde laudabile fuit, cum eſſet præ multis hominibus forma ſpecioſus, claruit autem nonnullis virtutibus.*

* *al.* Novembris.

ANNI CHRISTI

Eadem fere de hac cæde habet Nangius ad an. 1220. ubi Robertum noſtrum cognominat *De Meduno*, occiſus eſt a Bertrando de Cares milite quem excommunicarat ; cujus nomen diſcimus ex epiſtola Honorii papæ III. quam refert Rainaldus ad an. 1220. n. 28. nimirum, cum quidam ex impiis illis ſicariis pœnitentia ducti adiiſſent Romani pontificis clementiam, Honorius ſpem obtinendæ veniæ nullam eis dedit, niſi præmiſſa debita ſatisfactione ; cujus conditiones & leges Honorius definit ſua ſententia ſcribens ad epiſcopos Vivarienſem & Tricaſtinenſem, eiſque provinciam hujus judicii exſequendi mandans. Vide Rainaldum loco citato. Epiſtola papæ data eſt X. Jul. an. 1220.

Rem accuratius deſcribit noſter D. Jacobus Boyer, in hiſtoria patriæ ſuæ, ſcilicet urbis Anicienſis, maxime verſatus. Primum obſervat ad electionem Roberti non omnes canonicos concurriſſe, ſed Brocardum de Rochebaron ex abbate S. Petri a Turre electum a nonnullis fuiſſe canonicis ; qui confirmationem ſuæ electionis minime potuit obtinere. Porro obiit Brocardus an. 1215. 2. cal. Febr. unde pacem turbare diu non potuit, ſed gravior tempeſtas ingruebat ab Anicienſibus.

Robertus ex concilio Lateranenſi rediens, ſtipatus Guigone Seguſianorum comite, mittit ad Anicienſes litteras apoſtolicas Innocentii, quæ nihil omnino potuere in animos diſſidentis multitudinis ; comes autem metuens ne violentiam Roberto inferrent, ipſum ex urbe educens, deduxit in caſtrum quoddam, in quo ſententiam excommunicationis in rebelles tulit epiſcopus : qui poſtea ſeceſſit in Pontiniacenſe * monaſterium ordinis Ciſtercienſis, dioceceſeos Autiſſiodorenſis, illuſtrium epiſcoporum pro eccleſia decertantium aſylum. Interea Honorius III. mandat epiſcopis Mimatenſi & Matiſconenſi, necnon abbati Cluniacenſi, ut Anicium ſe conferant, & oves errantes ad legitimum paſtorem convertant ; ſed fruſtra. Honorius ergo aliam excommunicationis bullam in miſſis parochialibus legendam dirigit ad Gallicanæ eccleſiæ epiſcopos ; & ſpecialiter conteſtatur antiſtites Autiſſiodorenſem, ac Trecenſem, ut una cum Roberto Anicienſi ad Philippum regem conveniant, pacem paſtori ſimul ac gregi procuraturi ; qui cum eſſet Vernone menſe Octobri an. 1217. pacem ſancivit minis & auctoritate, epiſcopum inter & cives : utraque pars vero abbatem Ciſtercienſem controverſiarum ſuarum arbitrum elegit. Robertus tandem a Silvanectenſi epiſcopo reductus Anicium, pacem firmat, veniam concedit efflagitantibus, reſervata tamen ipſos abſolvendi facultate ſummo pontifici, vel ejus deputatis epiſcopis Toloſano, Carcaſſonenſi, Bigorritano, & Convenenſi. Hujus illuſtris & generoſi paſtoris, qui velut alter Thomas Cantuarienſis die S. Thomæ gladiis impiorum occubuit, juxta pagum S. Germani de Pratis *, corpus delatum eſt ad abbatiam S. Jacobi de Doa ordinis

* Pontigny.

* S. Germain la Prade, non longe a Doa.

[a] Philippus rex Anicii civibus mandatum dedit ut dicto epiſcopo ejuique ſucceſſoribus honorem & reverentiam exhibeant, ipſiſque præbeant exercitus & cavalcatas pro defenſione caſtellorum epiſcopalium contra prædones viarum & raptores eccleſiarum. Actum Vernonæ anno Dom. Incarn. M. CC. XVIII. regni quadrageſimo, aſtantibus in palatio dapifero nullo, Guidone buticulario, Mattheo camerario, Mattheo conſtabulario. Data vacante cancellaria

Philippus Franc. rex R. Anicienſi epiſcopo *conſanguineo & fideli* ſuo confirmat privilegia olim a Ludovico VI. & Ludovico VII. conceſſa. Actum Vernone M. CC. XVIII. regni XL. aſtantibus in palatio dapifero nullo, Guillelmo buticulario, Bartholomeo camerario, Mattheo, conſtabulario. Data vacante cancellaria. *Ex archetypo.* Porro acta controverſiæ hujus exſtant in regiſt. XXXI. archivi regii Pariſ. fol. 41. verſo, & in cod. 1670. biblioth. Colbert 137.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

ordinis Præmonſtratenſis ubi honorifice tumulatum eſt juxta majus altare a latere Evangelii, cum ſequenti epitaphio quod ibidem legitur:

D O M.

Et inclytæ memoriæ beati Roberti de Mehun
Anicienſis epiſcopi hîc ab impiis interfecti,
Et in iſto loco ſepulti.
Anicienſis eras præſul, Roberte, paternis
Stemmatibus clarus, ſed pietate magis.
Jura tuendo ſacræ cathedræ cadis enſe cruento,
Te civem perhibent ſigna ſuperna poli.

Obiit 21. Decemb. an. Dom. 1219.

De Chalancon.

XLIX. Stephanus III.

Stephanus de Chalancon, Bertrandi olim epiſcopi conſobrinus, ex illuſtri genere baronum de Chalancone, electus eſt ſaltem menſe Auguſto an.
1220. 1220. quo tempore homagium-ligium ei præſtitit Pontius de Captolio pro caſtris de Captolio, de Lardeyrol, de Meſeris, de Bello-loco, de Artias. Poſt ſuam electionem factam a capitulo, cum litteris ejuſdem capituli & decani, acceſſit ad Honorium papam III. aſſumto Raimundo ejuſdem eccleſiæ canonico. Papa vero eum ordinavit diaconum & presbyterum; poſteaque epiſcopum conſecravit, & pallium ipſi contulit. Id nos docent hæ Honorii papæ litteræ:

Honorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis decano & capitulo Anicienſi ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Venerabilem fratrem noſtrum Stephanum epiſcopum veſtrum tunc electum, una cum dilecto filio Raimundo canonico veſtro, nobis veſtras litteras exhibentes, ad noſtram eccleſiam venientes, eo benigniore affectione recepimus, quo vos & eccleſiam veſtram ſinceriori caritate diligimus, tanquam ad apoſtolicam ſedem ſpecialiter pertinentes: ipſumque diaconum & presbyterum propriis manibus ordinantes, in epiſcopum curavimus conſecrari, ei pallium conferendo. Eundem igitur ad vos cum noſtræ gratiæ plenitudine remittentes, mandamus ut ſicut patri & paſtori veſtro obediatis humiliter ac devote. Non. Julii, pontificatus noſtri anno VII.

Hæ notæ chronicæ, ſi ſanæ ſint, annum Chriſti 1222. indicant. Attamen ante hunc annum tanquam epiſcopus admiſit intra urbem S. Dominici ordinis Prædicatorum inſtitutoris alumnos, quibus de conſenſu decani & capituli donavit eccleſiam parochialem S. Laurentii, ut patet ex inſtru-
1221. mento dato menſe Octobri anni 1221. Sed in hoc inſtrumento mox ſubjiciendo, appellatur tantum electus confirmatus:

Nos Stephanus Anicienſis electus & confirmatus, notum facimus univerſis, quod de aſſenſu & voluntate Hugonis decani, totiuſque capituli Anicienſis, pro remedio animarum noſtrarum & anteceſſorum ſeu ſucceſſorum noſtrorum, donamus in perpetuum pleno jure tam in ſpiritualibus quam in temporalibus, omnia jura quæ habemus & habere debemus in eccleſia & hoſpitali ſancti Laurentii, cum omnibus pertinentiis ſeu appendentiis ſuis, quæcumque ſint, & ubicumque, R. magiſtro provinciali ordinis Prædicatorum & ſucceſſoribus ſuis & ordini jam dicto. Datum Anicii anno M. CC. XXI. menſe Octobri.

Hæc conceſſio ad integrum continetur in pontificio diplomate Gregorii papæ IX. eandem confirmantis. Dat. Lugduni IV. calend. Februarii, pontificatus anno tertio. Adhuc electus appellatur an. 1222. ex hac veteri notitia:

Guigo comes Forenſis Pontium de Monte-Lauri captum & detentum in carcere epiſcopali datis pignoribus liberavit, & ipſum propter damna Anicienſi eccleſiæ illata, CCCC. marchas argenti Stephano Anicienſi electo & capitulo ejuſdem eccleſiæ ſolvere juſſit pro emenda; & in ejus præſentia dicto electo hominium-ligium fecit præfatus Pontius anno M. CC. XXII. menſe Auguſto. Et A. domina du Luc pro Luco & Pradelis menſe Februarii ejuſdem an.

Cum eodem S. epiſcopo ſtipulavit Pontius vicecomes Podempniaci, eique fecit homagium-ligium, mediantibus G. decano, & Heracleo d'Arlenc canonico Anicienſi, & Guillelmo de Chalencone. *Act. in foro Anic. an. Dom. M. CC. XXIV.* Sabbato poſt feſtum B. Matthæi. Idem Stephanus concordiam fecit cum Eracleo de Monte-lauro, arbitris Roberto de S. Bonito & Guillelmo de Chalancone. *Actum inter ſanctum-Privatum & Rochaguda in agris, Sabbato ante Dominicam in Ramis palmarum an. Dom. M. CC. XXX.* Teſtes ſunt prior S. Laurentii, frater Hugo, & Bomparus converſus ejuſdem ordinis, P. ſeneſcalcus, P. capellanus, & Johannes notarius D. epiſcopi, Falco de Pratellis, prior de Lingonia, prior de Boſcheto, prior S. Privati, &c.

Recepit fratres Minores conventuales, quorum familiæ apud Podium receptæ aliquando præfuit S. Antonius de Padua, quem miraculis coruſcantem Anicienſis populus olim miratus eſt; & etiamnum adjutorem potentiſſimum in dies experitur. In hoc conventu fratrum Minorum ſepultus jacet fr. Bernardus de Quinta-valle primus S. Franciſci ſoclus.

Baluz. Hiſt. Arvern. p. 251.

An. 1223. fer. V. ante feſtum omnium Sanctorum, ratum habuit matrimonium Pontii vicecomitis Podemniaci cum Adelaïde filia Garnerii de Triangulo *; juravitque ſe opitulaturum uxori contra Pontium, ſi pacta matrimonii erga ipſam non obſervaret. An. 1227. Johannes Viennenſis archiepiſcopus acceſſit ad Anicienſem eccleſiam ad proſequendum mandatum domini papæ commiſſum Roberto Lugdunenſi archiepiſcopo, & magiſtro Petro de Boteon canonico Viennenſi, ſuper colligendis proventibus epiſcopi & capituli Anicienſis ad faciendam ſolutionem Romanis, Senenſibus, Lucenſibus, Papienſibus, & aliis creditoribus dictorum epiſcopi & capituli; & *concordavit* cum H. decano: A. præpoſito: V. abbate Segureti: B. abbate S. Evodii: V. cantore: L. theſaurario: Durando de Ceiſſac, Pontio d'Alegre, Pontio Alemandi & ceteris canonicis, quod ſolvant mille marcas ſterlingorum dictis creditoribus. Actum apud Aculeam in Sala anno Dom. 1227.
M. CC. XXVII. menſe Maii, quinta feria ante Pentecoſten. Homagium Philippi & Ademari de Pictavia comitum Valentinenſium accepit pro caſtris de Fay, de Monte-regali, de Queyrieres, &c. anno milleſimo ducenteſimo vigeſimo nono.

* de Traſſenel.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

An. 1228. calend. Febr. exemit a calvacatis incolas S. Nicolai de Boſcheto. Actum Anicii in domo dominorum de Chalancon.

An. 1230. VI. cal. Maii ſuis litteris notum fecit quod teneretur in hominem recipere Alfonſum fratrem S. Ludovici regis pro caſtris de Albenaco &c. qui debebat uxorem ducere filiam R. comitis Toloſani. Hoc inſtrumentum damus cum duobus aliis fere ejuſdem argumenti. Eodem anno commutat domum & fortalitia de Rupe-acuta, *Rochegude*, pro caſtellania de Quaires, cum Eracleo de Monte-Lauro; quod confirmavit Ludovicus rex eodem ſimiliter anno menſe Aprili. Obiiſſe dicitur hic epiſcop. 9. cal. Martii (alii dicunt die 8.[a] Februarii) an. 1231. ex libro obituum, in quo legitur inſtituiſſe duos majores cereos ante SS. Sacramentum accendendos, aſſignato pro ſumtu pago de Duriane ſui patrimonii, quem capitulo majoris eccleſiæ donavit. Dedit etiam capitulo S. Majoli manſum unum juxta Anicium. Circa annum mortis Stephani ſcrupulum generat quod legimus de ipſius ſucceſſore; hanc difficultatem mox perpendemus. Huic epiſcopo quidam tribuunt vitam S. Placidi quæ exſtat apud Surium. Legeſis apparat. Poſſevini & Arnoldum Wion ad diem V. Octobris.

C.XVI. col. 233.

DE ROCHEFORT.

L. BERNARDUS I.

Bernardus de Rupe-forti ſucceſſit Stephano, ex archivis S. Majoli, ubi legitur condito teſtamento anno 1236. caviſſe pro miſſis quibuſdam celebrandis.

1236.

Ex authent. tom. V. fragment. D. Eſtiennot.

B. Anicienſis epiſcopus ſupplicavit Gregorio IX. litteris datis IV. idus Octobris anni 1230. ut canonici ſeculares in locum regularium in eccleſia Mimatenſi conſtituerentur. Idcirco vero de eccleſia Mimatenſi curam agebat, quod Mimatenſis epiſcopus Anicienſis eſſet adminiſtrator, ſede vacante, & Anicienſis viciſſim, Mimatenſis. Henricus & Geraldus archiepiſcopi Bituricenſes decreverant ut in poſterum ſoli canonici ſeculares admitterentur in capitulum Mimatenſe; quod Conradus apoſtolicæ ſedis legatus confirmavit, accepta poteſtate ab Honorio III. anno IV. ejus pontificatus, poſtulantibus W. epiſcopo Mimatenſi, A præpoſito, P. de Laurac archidiacono & Willelmo Raimundi canonico. Verumtamen mutatum tunc non fuiſſe ſtatum capituli conjicimus, cum diu poſtea B. Anicienſis epiſcopus pro eadem mutatione facienda ſupplices ad Gregorium IX. litteras dederit.

Ceterum licet D. Claudius Eſtiennot aſſerat ex authentico deſcriptum fuiſſe quod refert de ſupplicibus ad Gregorium papam litteris Bernardi epiſcopi datis menſe Octobri an. 1230. vix poſſum credere immunes a mendo eſſe has temporis notas. Ex necrologio Stephanus epiſcopus obiit menſe Februario, & quidem an. 1231. proindeque ejus ſucceſſor non potuit ſedere anno 1230. menſe Octobri. Si dicas eum mortuum menſe Febr. an. 1230. quem nunc numeramus 1231. ergo menſis Octobris quo datæ ſunt litteræ Bernardi ejus ſucceſſoris, pertinet ad annum 1231. non ad an. 1230. Unicum ſupereſt effugium, ut ſcilicet dicamus Stephanum abdicaſſe paulo poſt datas litteras calendis Maii an. 1230.

ANNI CHRISTI

Bernardus epiſcopus compoſuit cum Beraudo domino de Solempniaco in capitulo Anicienſi, præſentibus B. S. Evodii & Willelmo S. Petri abbatibus, anno Incarn. M. CC. XXXIIII. IV. cal. April. concurrente VI. indictione ſeptima.

In veteri necrologio cathedralis Claromontenſis legitur: *V. calend. Martii Anniverſarium B. de Ruppe-forti Anicienſis epiſcopi; pro ipſo debent librari XXV. ſol.*

DE MONTAIGU.

LI. BERNARDUS II.

Bernardus de Monte-acuto nobilis Arvernus, quem lego apud Fr. Sammarthanos nepotem ex fratre fuiſſe Euſtorgii de Arvernia Nicoſienſis archiepiſcopi, Petri Templariorum, & Guarini Hoſpitalariorum magiſtri. An. 1237. cum capitulo aggreſſus eſt ad ſui defenſionem claudere mœnibus totum ſpatium inter palatium epiſcopale & & abbatiam S. Evodii, poſt datum chirographum quo profitentur ſe nullatenus detrimentum afferre velle juri & dominio Regis. *Dat. die poſt feſtum B. Mariæ Magdalenæ anno M. CC. XXXVII.* Tunc G. decanus erat Anicienſis, videlicet Guillelmus de Chalancon.

Tabul. Carcaſſon. 1237.

Anno 1238. menſe Martio Petrus de Banville Jeroſolymam profecturus, oppigneravit baroniam *de Cereis* pro 9000. ſolidis, ſubſtituens epiſcopum Anicienſem ejuſque ſucceſſores duobus ſuis nepotibus. Anno ſequenti noſter Bernardus comitatur Senonas uſque S. Ludovicum regem, a quo accipit unam ex ſpinis coronæ capiti Chriſti patientis impoſitæ, quæ honorifice aſſervatur cum regio diplomate quod ſequitur:

1238. 1239.

Ludovicus Dei gratia Franciæ rex, dilectis ſuis decano & capitulo Anicienſi ſalutem & dilectionem. Præſentium tenore vobis ſignificamus quod die quo ſuſcepimus ſanctam coronam ſpineam, quæ reverendo capiti Jeſu Chriſti D. N. fuit impoſita tempore paſſionis, de Conſtantinopoli nobis allatam; nos dilecto & fideli noſtro Bernardo epiſcopo veſtro de eadem ſancta corona conceſſimus ſpinam unam, ob reverentiam B. virginis, & honorem veſtræ eccleſiæ conferendam. Actum Senone anno Domini M. CC. XXXIX. menſe Auguſto.

Bernardus item compoſuit anno 1244. inter Cartuſiam de Bona-fide, & abbatiam Manſiadæ, *Mazan*, ordinis Ciſtercienſis, quam compoſitionem Innocentius papa IV. ratam habuit an. 1245. Eodem anno Armandus d'Alegre Bernardo reddidit hominium, pro Chambareil & Chadarnac. Hoc ipſo anno vivere deſiit hic epiſcopus, ex Gallia Chriſtiana fratrum Sammarthanorum. Attamen Bernardus Anicienſis epiſcopus adfuit anno 1248. Guillelmo abbati Cluniacenſi Guidonem de Belva priorem Karionis inſtituenti: & quidem D. Edmundus Martenne vidit apud Silviniacum chartarium Cluniac. in quo Bernardi fit mentio hoc anno; quod de noſtro Bernardo intelligi de-

1244. 1245. 1248.

Tab. Silviniac.

[a] In necrologio Fr. Minorum Anicienſium legitur obiiſſe V. idus Februarii, id eſt die nono hujus menſis. Ejuſdem anniverſarium annotatur in necrologio S. Petri de monaſterio Anicienſi V. idus Februar. *Pro cujus celebratione VII. monachis, cuilibet IV. denarios Turon. debet Petrus Bartholomei.*

ANNI CHRISTI

bet, non de Bernardo qui cognominatus est de Ventadoro. Etenim an. 1248. sedere non potuit, si inter utrumque Bernardum sedit G. de Murato an. 1250. & Bernardus de Ventadoro idem sit episcopus qui commemoratur an. 1254. Itaque statuendum est mortuum fuisse Bernardum de Monte-acuto die 23. Februarii an. 1248.

Anno 1245. convenerunt Anicium Galliæ & Arragoniæ reges ad colloquium, ex Hieronymo Surita lib. 2. de reb. Arrag. Anno 1247. fulminis ictu corruit turris campanilis S. Michaëlis de Acu, sive de Segureto, die 16 Julii.

Hic episcopus, recrudescentibus dissidiis cum Anicienſibus, eos debitum sibi obsequium exhibere negantes interdicto ecclesiastico illigavit. Donatus est hoc epitaphio, quod legitur prope majus altare:

B. vir discretus, affabilis, atque facetus:
Sobrius & castus, pius, & sine crimine fastus,
Largus in expensis præsul jacet Anicienſis
Hoc in sarcophago præsens, ut monstrat imago,
Cui de peccatis veniam det fons pietatis.

De Murat.

LII. Guillelmus.

Guillelmus de Murato ex nobili genere de Murato in Arvernia, successor datus est Bernardo de Monte-acuto; sedebatque jam an. 1248. ex bulla qua Innocentius IV. mandavit Auscienſi archiepiscopo, Lodovenſi episcopo, & Guillelmo nostro, ut inquirerent de pœnitentia Raimundi Tolosani comitis, qui subita morte abreptus fuerat. Auditis testibus hi præsules mortuum comitem absolverunt, secundum laudatam bullam quæ in archivis Anicienſis ecclesiæ asservatur; ex historia Anic. edita an. 1693.

An. 1250. Guillemus sedebat, inquiunt Sammarthani fratres, ex charta S. Andreæ Claromontenſis, in qua memoratur cum Petro vicecomite de Murato milite seu equite germano suo, qui duxit Gualardam de Turre sororem Bernardi de Turre; qua de re consulendus Stephanus Baluzius in probat. hist. dom. Arvern.

De Ventadour.

LIII. Bernardus III.

Bernardus, ex toparchis de Ventadorio [a] in Lemovicibus, nominatur episcopus in vigilia Pentecostes anni [b] 1251. & anno 1254. adhuc solum electus Podienſis appellatur [c], in litteris quibus ipse cum G. * decano, & toto capitulo profitetur mense Augusto, se obtemperaturum judicio Philippi Bitur. archiepiscopi, de jure regalium in sedem episcopalem Podienſem. Junio mense pollicitus jam fuerat se minime contradicturum S. Ludovico regi hoc jus regaliorum in præfata ecclesia sibi vindicanti. Eundem regem hoc ipso anno e Syria redeuntem sub mensis Julii finem exceperat. An. sequenti *, quo festum Annuntiatio-

a
b 1251.
1254.
* Guidone.

Tab. Carcaſſ.

* vel eodem anno desinente, secundum veterem normam inchoandi annum a Paschate.

[a] Hujus nobilissimæ familiæ genealogiam descripsit Baluz. in hist. Arv. p. 244. & 410.

[b] Nam ipsi electo Eustachius de la Mastre miles homagium fecit die Jovis post nativitatem S. Johannis B. an. M.CC.LI.

[c] Ludovicus rex Francorum, & B. Anicienſis electus, G. decanus, ac capitulum ejusdem ecclesiæ compromittunt in Ph. archiepiscopum Bituricenſem super possessione & saisina regalium dictæ ecclesiæ, sede vacante. Actum Anicii (ubi tunc sanctus Rex degebat) M. CC. LIV. mense Augusto. Ex arch. episcop. instrument.

nis beatæ Mariæ incidit in feriam sextam Parasceves, idem sanctus rex Anicium rediit ad lucrandas indulgentias Jubilæi tempore concedi solitas. Tantus vero tunc Podium confluxit peregrinorum numerus, ut propter infinitam propemodum multitudinem quadringenti supra mille homines oppressi sint; pro quibus noster Bernardus instituit anniversarium in Dominicæ Ascensionis vigilia celebrandum. Adhuc in cœmeterio sancti Petri de Turre, ubi sepulti fuerunt, eorum ossa visuntur; & ad parietem legitur:

Undecies quinque elapsis cum mille ducentis
Annis, Anicii fuit ingens pressio gentis.

Eodem anno cessit Bernardus episcopatu. Antequam vero abdicaret, cum Henrico rege Angliæ transegerat pro cessione terræ d'Esquivat apud S. Macarium, non longe ab urbe Burdigala, pactis anno 1254. 15. Junii confectis. Fuerat capellanus Innocentii papæ IV. ex ep. 386. an. 6. ejus pontif.

De Polignac

LIV. Armandus I.

Armandus de Podomniaco, clara & prænobili gente vicecomitum de Podomniaco genitus, patre Pontio IV. vicecomite, & matre Alcinoi de Monte-Lauro, ex abbate, ut aiunt, S. Petri de Turre, vel ex præpositio Anicienſi, post abdicationem Bernardi, sedem episcopalem Velavorum conscendit anno 1254. ex Chronico Anicienſi, & consecratus est in Anicienſi ecclesia ab archiepiscopo Viennenſi. Attamen an. 1256. adhuc legitur solum electus, quo videlicet anno die Sabbati post festum SS. apostolorum Petri & Pauli suis litteris professus est regem Francorum esse & fuisse in possessione & saisinia custodiæ & regalium in civitate Anicienſi & pertinentiis, sede vacante; hoc enim in instrumento quod asservatur in registris curiæ regiæ Carcassonenſis se tantummodo electum vocat; idem professi sunt G. * decanus, & capitulum: *Sanctus Ludovicus rex Francorum A. electo Anicienſi fidelitatis sacramentum præstanti reddit regalia, donec plenior fiat enquesta num ad Regem aut episcopum pertineant. Actum Parisius die Lunæ, post festum SS. apostolorum Petri & Pauli anno Dom. M. CC. LVI. Eodem anno Bertrandus Beraldus eques dominus de Pradellis, in capitulo Anicienſi reddit homagium Armando electo Anicienſi.* Hæc afferimus testimonia ut palam fiat cujus auctoritatis sit Chronicon Anicienſe.

1254.
1256.
* Guido.

Tabul. Carcaſſ. seu regiſtr. cur. Fr. Carcaſſ.

Crastina die post B. Virginis Purificationem pollicitus est cum capitulo Guillelmo de Antonio Bellicadri * seneschallo, pro domino rege Francorum (is erat S. Ludovicus) recipienti, se castrum de Bisagio redditurum ad ipsius nutum; in instrumento vero legitur tantum electus. Quamvis brevi sederit tempore, plurimas ecclesias in sua diœcesi & extra, beneficiis affecit & locupletavit, scilicet majorem B. Mariæ ubi est cathedra episcopalis: abbatias S. Petri & de Doa: ecclesiam S. Petri de Monasterio: prioratum de Vlaya,

* Beaucaire

[d] Hujus nobilissimæ gentis genealogiam descripsit Baluzius in hist. Arv. pag. 284. & 410.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

Viaye, ordinis Grandimontenſis prope Anicium : capitulum Brivatenſe : necnon Franciſcanorum cœnobium in civitate. Obiit [a] 17. vel 16. cal. 1257. Junii an. 1257. jacetque in cœmeterio Viayenſis monaſterii.

[a] Ejus obitus notatur in necrologio monaſterii S. Petri Anicienſis ad XVI. cal. Junii, pro cujus anniverſario vicecomes Podemniaci debet XII. monachis, cuilibet 4. denar. Turon. Attamen legitur in necrologio F. Minorum Anicii : *XVII. cal. Junii obiit D. Armandus de Podemniaco epiſcopus Anicienſis.*

Le Gros.

LV. Guido III.

Guido Groſſus, Fulcodi ſeu Fulcaudi cognominatus ex patre, Occitanus, in villa S. Ægidii ad Rhodani ripam ortus familia non ignobili, patrem habuit Fulcaudum, matrem Germanam ſanctiſſimam feminam. Guido ab adoleſcentia militiæ ſe addixerat ; qua relicta, litteris apprime imbutus, juriſprudentiæ potiſſimum operam dedit, in qua ita profecit ut Durandus clariſſimus ea ætate juriſconſultus, cum lumen juris appellet, Platina juriſconſultum totius Galliæ ſine contentione primarium, Onuphrius juriſconſultorum peritiſſimum. Itaque fori ſtudia & munia amplexus, quibus functus eſt integerrime, ob doctrinæ & virtutis famam allectus eſt a S. Ludovico in ſecretius conſilium ; ſub quo rege legitur quoque geſſiſſe præfecturam ſeneſcalliæ Bellicadri. Uxore mortua, ex qua duas filias ſuſceperat, clericali militiæ nomen dedit, primumque Anicienſis archidiaconus creatus eſt, tum electus epiſcopus anno 1257. [b]

[b] Venerabilibus viris & dominis Randone de Tornello præpoſito, Odone cardinali Secureti, & Gaucerando Maleti ſancti Petri de Turre in Anicienſi eccleſia abbatibus, Petro de Serviſſaſio theſaurario, Guillelmo de Chalanconio, Guillelmo de ſancto Bonito, Beraudo de Bidatgiis, Falcone de Spaleto, Guillelmo de Seyſſac, Georgio de Amplo-puteo, &c. canonicis Anicienſis eccleſiæ, quos hic recenſemus in argumentum nobilitatis canonicorum Anicienſium.

1259. Anno 1259. menſe Octobri pacis & concordiæ ſequeſter factus eſt inter S. Ludovicum regem, & Guillelmum Arelatenſem archidiaconum, pro caſtro de Bellicadro contendentes. Pacta ea de re facta rata habuit Bertrandus Arelat. archiepiſcop. cum capitulo. Anno eodem Fulco de Monteacuto præpoſitus eccleſiæ S. Juliani Brivatenſis, cum ſui capituli conſenſu, conceſſit Guidoni ejuſque ſucceſſoribus, canonici & comitis titulum & honores in præfata eccleſia, ex actis capitularibus ſeptima die Septembris ſcriptis ; & in ea ſolemni ritu receptus eſt menſe Martio ſequenti. Eodem inſuper anno recepit hominium Pontii de Mons domicelli, menſe Januario ex tab. homag. epiſcop. Univit autem capitulo parochiam de Rouret ; obtinuitque pro immunitate a regalia inſigne diploma S. Ludovici regis, quod inter inſtrumenta eſt numero XVIII. col. 234. Tranſlatus eſt ad metro-
1260. polim Narbonenſem, an. 1260. poſtremoque ex cardinali Sabinenſi electus eſt in papam an. 1265. ſub nomine Clementis IV. De eo iterum agemus in Narbonenſibus archiepiſcopis. Factus vero papa, prioris ſponſæ non immemor, ſtatuta valde utilia condidit pro canonicis.

De la Roue.

LVI. Guillelmus II.

Guillelmus de Rota ex antiqua familia ortus, primum fuit monachus & prior de Calma, *la Chaux*, diœceſis Claromontenſis, ordinis S. Benedicti, ſub celebri Caſæ-Dei monaſterio ; tum etiam cœnobii S. Crucis Savigniacenſis. Electus autem eſt in epiſcopum Anicienſem an. 1260. ſed non omnibus capituli ſuffragiis ; imo refragantibus ejus electioni ſeu poſtulationi decano & præpoſito ejuſdem eccleſiæ, qui Simonem ſancti Martini Turonenſis theſaurarium, ad munus epiſcopale expoſcebant. Hinc tempore hujus diſſidii ſedes vacaſſe legitur in tranſactione Guillelmæ de Petra abbatiſſæ de Caſis cum Armando de Alegrio, Sabbato in vigilia SS. apoſtolorum Simonis & Judæ an. 1263. ex tabul. de Caſis.

ANNI CHRISTI *Extabul. Caſæ-Dei* 1260.

1263. Vicit tamen Guillelmus, & anno 1263. apud Urbem-veterem * in Tuſcia ordinatus eſt die 22. Februarii, ab Urbano IV. ſummo pontifice. An. 1267. Clemens papa IV. ipſius deceſſor in Anicienſi cathedra, miſit ad eum pallium, & eccleſiæ Anicienſi ſuæ olim ſponſæ dedit ſacras reliquias in capſa argentea decentiſſime incluſas, aliaque munera. Anno 1270. adquiſivit a Gerantone [c] de S. Romano Bello-jocum pretio librarum Franc. 1020. & Moniſtrolium a Guigone de ſancto Deſiderio libris Francicis 1360. Idem caſtri de Eſpaletto fundamenta jecit. Anno 1275. confirmavit monaſterio Caſæ-Dei donum Capellæ-Agnonis factum ab Agnone comite de Magno-monte. An. 1280. fundavit anniverſarias preces oblationemque, pro anima Bernardi de Monte-acuto ſui anteceſſoris. Anno 1282. die Jovis poſt octavam Purificationis, Humbertus I. de Turre-Pini, delphinorum tertiæ ſtirpis caput, cum Anna uxore ſua delphinorum ſecundæ ſtirpis herede, Guillelmo Podienſi epiſcopo præſtitit hominium de canonicatu Podienſi, quem jure anteceſſorum ſuorum poſſidebat ; & de territorio Roſſada, non procul a Podio ; ex Chorerio l. II. ſect. 9. Eodem anno *frater Guillelmus ſola miſeratione divina Anicienſis epiſcopus* cedit *Margaritæ abbatiſſæ S. Petri de Caſis decimas de Chapuzac, in diœceſi Anicienſi. Datum apud Spaletum an. M. CC. LXXXII. die Martii in feſto Annunciationis*, ex tabulario S. Petri de Caſis. Anno 1283. migravit e vita. Jacere dicitur in monaſterio Caſæ-Dei. Non ſemper expertus eſt urbis ſuæ incolas obſequentes, quinimmo imperata facere detractarant ; quare ſenatuſconſulto mulctati, & pro ſatisfactione coacti ſunt perſolvere pecuniæ ſummam Regi, epiſcopo, & Franciſcanis, apud quos hujus præſulis officiales maximas paſſi fuerant injurias. Recenſetur inter inſignes benefactores cujuſdam monaſterii fratrum dictorum de Pœnitentia [d]. Nunc ignoratur quo loco fuerit conſtructum eorum monaſterium : nomen vero tantum reperitur in teſtamento vicecomitis Mauritii, patris Delphinæ. De hoc epiſcopo quæ leguntur in chartis collegimus, ut eorum copiam faceremus reipublicæ litterariæ.

1263. 1267. 1270. 1275. 1280. 1282. *p. 809.* C. XXI. col. 236.

* Orvieto

[c] Brodo canonicus Valentinenſis, abbas S. Felicis, frater Jarentonis de ſancto Romano, ceſſit Guillelmo Anicienſi epiſcopo quicquid juris habebat in caſtro de Bello-joco. Ex inſtrumento Armandi de Fayno officialis Anicienſis 1279. Sabb. poſt feſtum S. Martini.

[d] Opinamur hos fratres de Pœnitentia, eoſdem fuiſſe, qui vulgo dicebantur *Sachets*, ob ſaccum quo veſtiebantur. Coaluerunt autem cum Eremitis S. Auguſtini.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

Poſt Guillelmi mortem Petrus de Stagno ex genere illuſtri vicecomitum d'Eſtaing, Ruthenenſis archidiaconus, electus eſt epiſcopus Anicienſis feria tertia ante feſtum omnium Sanctorum, an. 1282. 1282. miſſique ſunt a capitulo duo canonici qui ipſi mitram offerrent; ſed oblatum ſibi honorem conſtanter recuſavit, ſuo contentus archidiaconatu. Vacante autem ſede, Philippus III. rex Francorum dictus Audax, religionis ergo Anicienſem ad eccleſiam acceſſit, obtulitque ad altare B. Mariæ magnam crucem ex auro, egregio opere elaboratam, in qua incluſa erat alia minor crux facta ex veræ Chriſti crucis ligno, cum parte ſpongiæ ejuſdem Servatoris ſitientis ori admotæ. Regem excepit Guillelmus de Monte-revello hujus eccleſiæ præpoſitus.

LVII. Guido IV.

Sammarthani poſt Guillelmum locum dant cuidam Guidoni, cujus epiſcopi nulla fit mentio apud 1283. Giſſeum; ipſum tamen præfuiſſe anno 1283. inquiunt Sammarthani, & probant litteræ hoc anno datæ, quibus, cum abeſſet a diœceſi ſua, vicarium ſuum generalem inſtituit Rainaldum de Porta, & paulo poſt vacavit ſedes, ex inſtrumento ſcripto 1284. die 4. Febr. an. 1284. Sed de hoc præſule quidam ambigunt; nam ex theſauro chartar. cujus excerpta multa nobis ſuppeditavit dom. de Clerembaud, de electionibus, legimus Guillelmo Podienſi epiſcopo defuncto electum eſſe a capitulo Petrum de Stagno; quo recuſante, Martinus IV. ad preces capituli nominavit ad hanc ſedem Fredolum jam antea epiſcopum Ovetenſem, quem Regi commendavit anno pontific. 4. Alia ex parte legimus in tab. Anicienſibus Guidoni epiſcopo Armandum de Bouzols homagium reddidiſſe an. 1283. quæ ſi addantur teſtimoniis in veteri Gallia Chriſtiana prolatis, pene certos nos faciunt exſtitiſſe, brevi tamen tempore, Guidonem epiſcopum.

Eo mortuo vel cedente, Caſto de Cornon canonicus & præcentor eccleſiæ Anicienſis, adminiſtrator fuit bonorum temporalium ejuſdem, ſede vacante, una cum abbatibus Secureti, & S. Petri de Turre, ac Johanne de Barone canonico Anicienſi, & hoc nomine tranſegit cum fratre Jordano de Cereys præceptore domus militiæ Templi Anicienſis pro domo de Salvitate. Actum apud villam de Salvetate die Sabbati poſt feſtum Reſurrectionis Domin. anno Dom. M. CC. LXXXIV. Quam tranſactionem confirmavit frater Pontius de Broëto magiſter domorum militiæ Templi in Provincia.

De S.t Bonnet.

LVIII. Fredolus II.

Fredolus de ſancto Bonito, Seguſianus, qui aliquando Fredolo & Fredoletus appellatur, a Martino papa IV. non ſolum electionis ſuæ confirma- 1284. tionem obtinet, an. 1284. die 2. Septembris, ſed etiam ab ipſo Romæ conſecratur. Urbem ſolemni ritu ingreditur eodem anno die 30. Septembris. Philippus IV. Galliæ rex cognomento pulcher, 1285. ex Navarra rediens an. 1285. Anicium acceſſit, obtulitque ante altare Dei-paræ virginis calicem 1288. aureum ingentis pretii. Anno 1288. Carmelitas in urbem admiſit; quo etiam tempore Pontius Comptor de Chateul heredem ſuum inſtituit epiſcopum Anicienſem. An. ſequenti rebus humanis exemtus eſt die 4. Auguſti, ut docent ſcriptores de rebus Anicienſibus. Attamen in necrolog. Fr. Minorum legitur obiiſſe VIII. id. Octob. Jacet apud Dominicanos. Vide inter inſtrum. C. XXII. col. 237.

ANNI CHRISTI

1289.

De Neufville.

LIX. Guido V.

Fredolo mortuo capitulum elegit ſucceſſorem; ſed electus, cujus nomen ignoramus, jus ſuum reſignavit in manibus Nicolai papæ IV. qui ad hanc ſedem promovit Guidonem de Nova-villa ſuum capellanum anno 3. ſui pontificatus menſe Julio; quo etiam anno, qui fuit Chriſti 1290. eundem Regi commendavit, & pallio donavit. Hoc quoque anno Guidoni ejuſque ſucceſſoribus, ſupremæ curiæ Pariſienſis placito aſſeritur jus hominii in comitatum Bigorrenſem. De hoc jure litem moverat Eduardus rex Angliæ & dux Aquitaniæ, denegaratque hominium epiſcopo Anicienſi; ſed cauſam obtinuit præſul menſe Februario anni jam indicati; at non ſine magnis impenſis, pro quibus impignoratæ fuerunt quædam pretioſæ reliquiæ; in iis ſuperhumerale Aaron, quod erat ponderis decem marcarum auri; ejuſdem cingulum undecim marcarum auri; ex repertorio, ut vocant, ſeu inventario ſacræ ſuppellectilis Anicienſis eccleſiæ, cui hæc dederat Clemens IV. Addita fuere iis multa alia: corona S. Andreæ ex auro cum gemmis & lapillis pretioſis, calix aureus cum patena, &c.

Theſ. reg. Chart.

1290.

De hoc Bigorrenſi comitatu clientelaris fidei profeſſionem fecit noſtro Guidoni Johanna Franciæ & Navarræ regina anno 1293. uſa procuratore Ægidio Narbonenſi archiepiſcopo. Anno 1294. die Mercurii Rogationum, reperitur in charta prioris S. Juliani de Turre, ex arch. Cantogilenſi [a]. Poſtea transfertur ad ſedem Santonenſem. Ex charta Montis-acuti an. 1291. id. Aug. ſcripta diſcimus cum habuiſſe pro vicario generali in ſpiritualibus & temporalibus, Reginaldum la Porta, qui fuit poſtea cardinalis, & an. 1293. die Martii poſt oct. feſti omnium Sanctorum. Vide prob. hiſt. Turen. pag. 68.

1293.

a

De Comines

LX. Johannes I.

Johannes [b] de Commis (alii dicunt de Cumenis) quem D. Fornerius S. Victoris Maſſilienſis aſceta doctiſſimus, celeberrimi hujus monaſterii abbatibus accenſet, teſtis fide dignus, qui bullas pontificum aliaque inſtrumenta in tabulario exploravit; & S. Germani Pratenſis archimandritis addit noſter D. Michaël Germain, poſt fratres Sammarthanos; ſuffectus eſt Guidoni per Bonifacium VIII. qui eum quoque pallio donavit & Regi commendavit an. 1296. menſe Aprili. Et quidem an. 1294. nunc 1295. die Martis poſt Purificationis feſtum, cum adhuc foret S. Germani abbas, nondumque epiſcopus, Carolus Francorum regis filius, comes Alençoniæ, Valeſiæ &

b

Thr. des Ch.

1294.

[a] Vide multa alia in Ch. XXIII. col. 238.
[b] De hoc epiſcopo vide ibid. chart. XXIV. col. 238.

ANNI CHRISTI 1297.

Andegaviæ, cum collegam dedit Petro Aurelianenſi epiſcopo, ſuo legato, ad pacem cum Arragoniæ rege tractandam. Anno 1297. [a] urbem eſt ingreſſus ſolemni pompa. Sacramentum præſtitit die 25. Auguſti. Hoc anno Philippum cognomento pulcrum, Franciæ regem, ad pariagium [b] ſeu ſocietatem dominii urbis Anicienſis admiſit. Pro parte vero Regi conceſſa dedit hic princeps Anduziam urbem apud Cebennas; unde vetus adagium:

Ben fut l'Eveſque del Peu buſe
Quand Changet le Peu per Anduſe.

Dedit idem Rex poteſtatem cudendi monetam, & jus acquirendi in feudis a Rege pendentibus. Primus fuit ex epiſcopis Anicienſibus qui titulum comitis Velaviæ ſumſerit; quanquam homagia Armandi de Podemniaco an. 1213. & Heraclii de Monte-Lauro an. 1227. Anicienſibus epiſcopis exhibita, probent eos hunc comitatum jam tum poſſediſſe. Indulſit epiſcopo Vivarienſi ſervitutem clientelarem ſibi debitam ratione feudi de l'Argentiere, ſub conditione reditus cujuſdam prioratus.

Idem epiſcopus cum Jacobo Juliani priore S. Juliani de Pineto concordat pro caſtro epiſcopali de Mezeras, & juriſdictione in homines dicti prioratus. Datum Anicii in domo Fr. Prædicatorum an. Dom. M.CCC.III. die Sabbati poſt feſtum beati Lucæ evangeliſtæ, teſtibus præſentibus dominis Guillelmo & Stephano de Chalanconio canonicis Anicienſibus fratribus.

Idem epiſcopus conſentiente capitulo, tranſegit cum Rege de omni jure ſuo in comitatum Bigorritanum, quem ceſſit ſub debito annuæ penſionis
1307. 300. librarum an. 1307. Eodem tempore nominatur in ordinatione facta per Guillelmum de Plaſiano, ſuper fabrica Pontis * S. Saturnini de Portu. Vita functus eſt menſe Junio die feſto Nativitatis S. Johannis Baptiſtæ, anno 1308. * conditurque in eccleſia Franciſcanorum Anicienſium, videlicet in ſacello ſancti Michaëlis archangeli.

* *Nunc vulgo*, Pont St. Eſprit, *ad Rhodanum.*

* 1307. apud Pictavenſ. urbem.

LXI. BERNARDUS IV.

ANNI CHRISTI DE CHASTINE

Bernardus de Caſtaneto, quem fuiſſe patria Monſpelienſem aſſerit Almaricus Augerius Biterrenſis in vita Innocentii papæ V. ab hoc pontifice, cum foret apoſtolici palatii auditor, & præſtantiſſimus juriſconſultus, creatus eſt epiſcopus Albienſis; ad Anicienſem vero eccleſiam transfertur an. 1308. [c] Inſtituit 13. canonicos Moniſtrolii * ad nominationem epiſcopi an. 1309. chartam fundationis damus in appendice, eſtque XXV. col. 239.

c 1308.

* Moniſtrol l'Eveſque-Vals, *prope Anicium.*

Hominium duplex accepit a Guillelmo de Poitiers Valentinenſium comite anno 1312. & alia multa a feudatariis ſedis epiſcopalis, præſertim ab Armando vicecomite de Polignac & uxore ejus Beatrice de Bouzols, III. cal. Auguſti M. CCC. XI. Acquiſivit quædam prædia a Bartholomæo de Moleta filio Pontii militis diœceſis Mimatenſis menſe Nov. ejuſdem anni; & dominium temporale epiſcopi valde auxit. Fecit compoſitionem pro juriſdictione cum capitulo an. 1314. Tandem cardinalis epiſcopuſque Portuenſis creatus eſt a Johanne XXII. anno 1316. pontificatus primo, cum facultate retinendi epiſcopatum; qua de re ſcripſit idem papa ad regem Franciæ, ex regio theſauro chart. At eodem an. menſe Septembri e vivis eripitur. Anno M. CCC. XII. die Auguſti 17. regn. Philippo, Bernardus de Caſtaneto Marqueſiæ *de Val-privas* prioriſſæ aliiſque decem ſororibus de Valle * ſupplicantibus tradidit regulam S. Auguſtini. Actum in caſtro Spaleti die & anno quibus ſupra, teſtibus Beraldo Juliani canonico Albienſi, Johanne Azenat curato de Combret diœc. Albienſis, & Stephano de Botonet canonico S. Georgii apud San-paulianum. Johannes papa XXII. confirmavit dictum monaſterium de Valle ſub regula S. Auguſtini anno 1320. hic vero parthenon adhuc floret.

1309. 1212. *tab. epiſc.* 1316.

* Vals, *unde circiter milliario ab Anicio.*

DE BROSSE.

LXII. GUILLELMUS.

Guillelmus de Broſſa ex dominis de Ste. Severe, qui originem ducebant ex vicecomitibus Lemovicenſibus, oriundus erat, uti de ipſo jam diximus in Bituricenſibus archiepiſcopis. Anicienſis epiſcopatus poſſeſſionem iniit per Simonem de Archaico decanum Pontiſarenſem, ut conſtat ex juramento per dictum decanum præſtito, circa feſtum omnium Sanctorum an. 1317. annoque ſequenti ſacramentum præſtitit ipſe capitulo. Hoc ipſo an. Pontius Bolzard de Laulanher miles ei fecit homagium die 18. Octobris. Habuit vicarium generalem Petrum de Manſo. Poſtea fuit Meldenſis præſul, Bituricenſis, tum Senonenſis, ubi plura de eo dicenda occurrent. Concordiam reſtituit & confirmavit inter canonicos ſuos & cives; ac diſſidiorum, ſi qua inter eos orirentur, judicem voluit eſſe abbatem Ciſtercienſem.

arch. capit.

1317. 1318.

[a] Vel potius 1296. Certe conſtat ex archivis capituli Johannem de Cumenis die Lunæ poſt octabas Aſſumtionis beatæ Mariæ juramentum ſolitum præſtitiſſe VI. cal. Sept. M. CC. XCVI. coram Guillelmo de Monte-Revello præpoſito, Jordano de Seiſſaco abbate S. Petri de Turre, Guigone de Bouzols abbate S. Evodii, &c.

[b] Cap. 7. Libertatum Eccleſiæ Gallic. n. 20. exſtat capituli Anicienſis inſtrumentum anno 1307. die Mercurii 2. idus Aprilis, quo *cum dictum capitulum intellexiſſet, & ad ipſius notitiam perveniſſet, ut dicebatur, quod nuper apud Vicenobricem, coram venerabilibus viris dom. Guilelmo de Plaziano, milite domini Francorum regis, dominoque Vicenobrii, & dom. Radulpho de Curtibus-jumellis clerico, dicti domini regis judice majore ſeneſcalliæ Bellicadri & Nemauſi, locumque tenente nobilis viri domini Bertrandi Jordani de Inſula, militis domini regis, ſeneſcalli Bellicadri & Nemauſi, & quibuſdam aliis curialibus dicti domini regis, venerabilis vir dominus Petrus de Serviſſas, theſaurarius & canonicus Anicienſis, procuratorio nomine dicti capituli, ab aſſociatione quæ fieri dicebatur inter dominum Anicienſem epiſcopum, & dominum Francorum regem, in meditate juriſdictionis civitatis Anicienſis, ut dicta aſſociatio & apprehenſio poſſeſſionis, ſeu quaſi dictæ juriſdictionis fieret, & a quibuſdam aliis in dicta aſſociatione contentis ad dominum Francorum regem, & ad dominum papam appellaverit; præfatum capitulum dixit & aſſeruit, quod in quantum dicta appellatio interjecta fuerit ad dominum papam, in quantum ipſa appellatio temporalitatem tangere poſſet, non proceſſit de ipſius capituli voluntate, & in quantum dicta appellatio temporalitatem tangere poſſet, renuntiaverit appellationi prædictæ, & ipſam quantum ad hoc, caſſam, irritam atque nullam eſſe voluit: dicens inſuper & aſſerens quod non fuit ejuſdem capituli intentio, nec eſt, quod de temporalitate domini regis ad dominum papam, ſed ad ſolum dominum Regem fuerit appellatum.*

[c] Conveniunt hæc cum iis quæ legimus in regio chart. theſ. ſcilicet Clementem V. commendaſſe Regi Bernardum a ſe confirmatum epiſcopum Podienſem, ex ſede Albienſi tranſlatum per obitum Johannis, anno pontificatus III. Deſeruit autem eccleſiam divitem, pro paupere, at illuſtri; tum propter varias vexationes, quas ſibi factas ab ambitioſis, & hæreticis queritur, tum propter ſingularem devotionem erga B. virginem, quæ Anicii colitur, ut ipſe dicit in notitia de ſua tranſlatione. De eodem epiſcopo multa collecta ex chartis vide T.I.C.XXI.p II.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

LXIII. Durandus.

Durandus, de ſancto Portiano * dictus a loco originis: aliquando etiam cognominatur Ferrandi. Hic ſolemnem emiſerat profeſſionem in conventu fratrum Prædicatorum Claromontenſium ætatis ſuæ an. undeviceſimo. Studuit Pariſiis in conventu vici S. Jacobi; ubi poſtea libros Sententiarum interpretatus, & doctoris laurea donatus eſt. Anno 1312. renuntiatur magiſter ſacri palatii. Deſignatur & conſecratur primus epiſcopus Alectenſis, ſecundum nonnullos quorum opinio carere fundamento nobis videtur. Gravius errat Guillelmus Cave in Hiſt. litteraria, ubi dicit eum ante Anicienſes inſulas, geſſiſſe Meldenſes an. 1326. conſtat enim anno 1318. Durandum jam Anicienſem cathedram conſcendiſſe, uti ipſe docet. Nempe hoc anno interrogatus de quibuſdam articulis, propter quos Minoritæ quidam Maſſiliæ combuſti fuerant, ita ſententiam profert, reſpondens Inquiſitori: *Ego frater Durandus epiſcopus Anicienſis & doctor ſacræ theologiæ, judico omnes ſupra ſcriptos articulos, & quemlibet eorum eſſe hæreticos; in cujus rei teſtimonium me manu propria ſubſcripſi, &c.* Eodem quoque an. approbat donationem factam a Beraldo dom. Mercorii & conſtabili Campaniæ de jure patronatus eccleſiæ S. Benigni Gilberto de Miramont abbati Piperacenſi, ex tab. Piper.

Anno 1320. ſtatuta condidit promulgavitque ad eccleſiaſticam diſciplinam muniendam & corroborandam. An. 1321. Judæi edicto Philippi V. regis, Anicio pulſi ſunt ob clericulum majoris eccleſiæ interfectum. Anno 1325. abbatiſſa de Mercoria ei homagium reddidit, ut diximus t. 1.* An. 1326. tranſiit ad Meldenſem cathedram, quo anno regalia incœpta in Annuntiatione beatæ Mariæ, uſque ad diem VI. Junii perducta eſt, ex ſchedis D. du Fourny. Elenchum operum Durandi habes apud Trithemium, Bellarminum & ceteros qui de ſcriptoribus eccleſiaſticis egerunt. Ex necrologio Fr. Prædicatorum obiit quarto idus Septembris.

Habuit Durandus vicarium generalem dominum Bernardum Hugonet ex caſtro Severaci ortum, priorem S. Ægidii Camalarienſis ſuper Ligerim, poſtea priorem S. Petri Anicienſis cujus eccleſiam abſolvit, ſacra ſuppellectili ditavit, & reditibus auxit. Ejus autem corpus integrum & incorruptum in ſacello S. Theofredi viſitur ad hunc uſque diem. Rainaldus Odericus ad annum 1322. n. 59. profert ſententiam Durandi in expoſitione regulæ S. Franciſci de paupertate evangelica.

* S. Pourçain.

Vide Ch. XXVI. col. 242.

1318.

Baluz. t. 1. Miſcellan.

* col. 114.

1326.

COGUEIL.

LXIV. Petrus V.

Petrus Gogueil, origine Pariſienſis, inquit Baluzius, ex regiſtris cameræ computorum poſſeſſionem adiit per procuratorem die 6. Junii anni 1326. Bernardum Hugoneti priorem ſancti Petri, & Petrum Radulfi de Riperia ſuos inſtituit vicarios generales litteris Avenioni datis menſe Aprili ejuſdem anni, quo etiam nominatur in inſtrumento Silvæ-Benedictæ die Sabbati *in octabis* B. Hilarii. At brevi tempore præfuit; obiit enim die 6. Februarii 1327. ex obſervationibus doctiſſimi viri dom. du Fourny.

1326.

Ceterum cognomen hujus antiſtitis varie legitur; quidam enim legendum putant de Longueil; eumque volunt fuiſſe Petrum de Longueil filium Guillelmi II. ex Chriſtina de Coëtivi. Noſter D. Jacobus Boyer teſtatur ſeſe copiam habuiſſe cujuſdam chartæ Anicienſis eccleſiæ, datæ die Dominica 23. Novembris in feſto S. Clementis ind. X. Johannis XXII. papæ an. XI. Bernardo Bruni decano, in qua hic epiſcopus legitur Petrus *Gojony*, vel *Gogony*; quod nomen minimam habet affinitatem cum *Gogueil*. Legit dominus du Fourny in regiſtris cameræ computorum quæ ad hunc ſpectant epiſcopum, & ex iis correxit quædam de ipſo, quæ habet vetus Gallia Chriſtiana; cognomen vero *Gogueil* intactum reliquit; quod argumento eſt ipſum ita legiſſe in laudatis regiſtris. Ibidem fit mentio Johannis Goguëil quem reliquit heredem hic epiſcopus. Itaque ex iis documentis Johannes Goguëil *civis* Pariſienſis, tanquam exſecutor teſtamenti Petri, compoſuit *Sabbato ante carniprivium* 1327. cum Guidone de Murol canonico Lemovicenſi, procuratore Bernardi, qui ſubrogatus fuerat Petro, *ratione maiſnagiorum, munitionum, refectionum, caſtrorum & domorum ad dictum epiſcopatum pertinentium.* Hæc ſatis ſuperque probant quale fuerit cognomen Petri epiſcopi.

1327.

1330.

1334.

1339.

LXV. Bernardus V.

Bruni vel Le Brun.

Bernardus Bruni * Brivatenſis, *al.* Brus, nepos Reginaldi de Porta Bituricenſis archiepiſcopi & cardinalis, idem videtur eſſe, ac Bernardus Bruni decanus Anicienſis memoratus in charta Anicienſi, de qua in Petro ejus deceſſore. Sammarthani eum decanum Lemovicenſem faciunt. Forſan in utraque eccleſia decanatum obtinuerat. Quomodo Bernardus ad ſedem Anicienſem pervenerit, electione capituli, an bulla pontificia, ignoramus. In urbe ſolito more ſolemniter exceptus eſt die 1. Maii an. 1327. Paulo poſt, ſcilicet die Mercurii ante feſtum Pentecoſtes ejuſdem anni, memoratur in donatione facta prioriſſæ de Valle-regia. Eodem quoque an. Johannes papa XXII. fui pontificatus anno XI. die 26. Januarii recepit ab hoc pontifice plurimas reliquias, aliaque magni pretii munera. Anno 1330. die 12. Februarii intereſt dedicationi eccleſiæ S. Ludovici Piſſiacenſis, præſente rege Philippo VI. Anno 1334. corpus unius ex S. Urſulæ virginis & martyris ſodalibus, defertur ex urbe Colonienſi, ad Anicienſem, a fr. P. Guillelmo de Molette.

Annus 1339. inſignis fuit ob receptionem in canonicum Humberti Delphini die 9. Octobris

* In necrol. Meimacenſi: *B. Brus que fo Eveſque del Puy layſet per ſa fon anoal vit. feſt. de ſegle a la meſura da Maymat e voli & ordenet que lo Mecre fauts hom chante una meſſa des morts per tot ſon lhinatge tan quant el moria, e lo Marti de la Pedecoſta que hom chante una meſſa del ſant Eſpirit ſollempnialmen. e aquet vit. feſt. de ſegle foron compta de Moſenhor de Penthodor ſobre la terra noſtra.* Hoc eſt:

B. Bruni, qui fuit epiſcopus Anicienſis, reliquit ad celebrandum annuale ſuum 7. ſextarios pliginis ad menſuram Maymati, & voluit & ſtatuit ut die Mercurii hebdomadæ ſanctæ canatur miſſa de mortuis pro parentibus ſuis uſquequo ipſemet moriatur, &c. Cur a nonnullis cognominetur Brieres, neſcimus.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

celebratam, ex inſtrumento quod videſis in commentariis hiſtoriæ Delphinatus pag. 403.

Cum Bernardus ep. Anic. diſceptaret cum capitulo ſuæ eccleſiæ, ſuper juriſdictione, correctione & dominiis, Johannes papa XXII. miſit legatos ſuos Theobaldum abbatem Trenorchienſem, & abbatem de Doa Anicienſis dioec. pro pace inter eos ſtabilienda; ex hujus papæ regiſtro pro an. 15. ejus pontificatus parte 2. num. 632. Litteræ pontificiæ datæ ſunt Aven. nonis Decembris an. 15. Alias ejuſdem argumenti ſcripſit papa an. ſeq. ad abbatem de Doa. Poſtea tranſiit hic epiſcopus ad eccleſiam Noviomenſem. In necrologio FF. Minorum Anicienſium obitus ejus inſcribitur X. cal. Februarii, ubi cognominatur Bruni.

LXVI. Johannes II.

DE CHAMDORAT.

Vide Ch. XXIX. col. 243.

Johannes de Chamdorat Vellavenſis, frater Geraldi de Montibus prope Anicium, ex doctore juris canonici & civilis, atque auditore palatii apoſtolici, necnon abbate Caſæ-Dei, ad patriæ ſuæ epiſcopatum vocatur anno 1342. ut liquet ex bulla Clementis papæ VI. qua ei dedit in mandatis, ut confirmaret permutationem factam inter Robertum priorem S. Marcellini Cantogilenſis & Armandum de Caſtro-novo dominum de Meleto, bulla data Avenione, die 8. Novembris 1342. ejuſdem Clementis papæ anno primo. Hanc permutationem ratam habuit Johannes an. 1343. die 8. Auguſti in ſuo caſtro de Eſpaletto * prope Anicium.

1342.

1343.

* Epailly.

1344.

Anno 1344. compoſuit cum ſuo capitulo, cui plenam reliquit juriſdictionem in hoſpitalem domum B. Mariæ, & omnimodam juſtitiam in clauſtrum, in urbeculam de Acu, & duas rupes, Corneliam, & S. Michaëlis.

Hic optimus paſtor de ſuis ovibus ſollicitus, veniam pro civibus Anicienſibus a Philippo Valeſio rege impetravit: & reddidit conſules urbi, quæ conſulatu caruerat poſt cædem officialium ſeu miniſtrorum Guillelmi de Rota epiſcopi.

Requirente Stephano de Agrifolio abbate Caſæ-Dei, vi bullæ Clementis papæ VI. datæ die 2. Septembris 1352. Johannes Anicienſis epiſcopus, adjuvantibus epiſcopis Claromontenſi, Mimatenſi, & S. Flori, corpus S. Roberti primi abbatis Caſæ-Dei, ex antiquo tumulo ad majus altare tranſtulit die 19. Octobris.

Obiit Johannes die 15. Septembris in ſuo Moniſtrolii * caſtro, & ſepultus eſt in majori ſacello intra monaſterium Caſæ-Dei, ſub titulo Sanctæ Mariæ de Collegio a ſe conſtructa & fundata. Ipſius fit mentio & capellæ ab eo fundatæ apud Caſam-Dei, in teſtamento Gregorii XI. Spicilegii tomo VI. Ejus elogium legitur in necrologio Caſæ-Dei ubi tribuuntur ei 14. anni epiſcopatus.

LXVII. Johannes III.

Poſt obitum Johannis Chamdorati, capituli votis expetitus eſt Guillelmus de Chalancon canonicus Anicienſis & theſaurarius, ſed fruſtra; nam cathedram Podienſem obtinuit Johannes [b] doctor & profeſſor juris, qui plurimos habuit epiſcopatus. Singulos jam enumeravimus in Regenſibus epiſcopis, quorum catalogo inſcribitur. Ad Anicienſem vero acceſſit poſt Helenenſem; uti ipſe teſtatur.

ANNI CHRISTI b

De eo hic attexere juvat quod ipſe ſcriptum reliquit in miſſali ſuo, ex quo liquet eum fuiſſe ſucceſſive epiſc. Regenſem, Valentinenſem, Lucionenſem, Elenenſem & Anicienſem. Ex cod. 730. bibl. Colbert.

XI. cal. Martii, hac die fui presbyter ordinatus in Avenione an. Domini M. CCC. XLV.

IX. cal. Martii, &c.

VI. nonas Martii, hac die fui tranſlatus ad eccleſiam Valentin. an. M. CCC. LII.

III. non. Martii, hac die fui factus auditor palatii an. Dom. M. CCC. LXII.

XI. cal. Aprilis, hac die fui conſecratus epiſcopus an. Dom. M. CCC. XLVIII.

III. nonas Aprilis, hac die deceſſit D. Nicolaus arch. Rotom. an. Dom. M. CCC. XLVII.

IV. cal. Martii, hic fui tranſlatus ad eccleſiam Anicienſem de Elnenſi, an. M. CCC. LVII.

III. non. Maii, hac die tranſlatus fui ad eccleſiam Lucion. M. CCC. LIV.

VI. idus Maii transfretavi mare rediens de Anglia an. LV.

IV. idus Aug. hac die factus fui auditor contradictarum an. D. M. CCC. L.

XIX. cal. Sept. hac die fui factus ep. Regenſis an. Dom. M. CCC. XLVIII.

Cal. Octob. hoc die fui factus doctor Toloſæ an. Dom. M. CCC. XXIX.

XI. cal. Decemb. hac die fui tranſlatus ad ecl. Elnenſem milleſimo CCC. LIV.

VIII. cal. die an. Dom. M. CCC. IX. *fui natus hic quantum potui informari.*

Exſtat epiſtola Innocentii VI. ad eum, qua ei mandatum dat de pace inter Johan. comitem Armaniaci, & Gaſtonem com. Fuxenſem conſtituenda, ad quod pontifex eos hortabatur litteris ſuis Johanni ep. directis; epiſtolas Innocentii VI. deſcripſit ex codice Divionenſi D. Guillelmus Aubrée, & ad nos miſit. Hic epiſcopus recepit multa homagia in ſacello epiſcopali Spaleti, præſentibus Galhardo Ebrardi canonico & abbate S. Petri a Turre, & aliis, anno a Nativitate Domini M. CCC. LVII. indictione X. die 12. Septembr. Innocentii papæ VI. anno quinto. Eidem Robertus de Roſſilione & Girardus ejus filius hominium reddunt pro caſtro S. Mauritii de Linione, in refectorio FF. Prædicatorum Anicii die prima Februar. 1358. ind. XI.

* vulgo *Moniſtrol l'Eveſque en Velay*, ut diſtinguatur ab alio Moniſtrolio dicto *Moniſtrol l'Allier.*

[b] Difficile eſt decernere, quod ſit verum hujus epiſcopi cognomen. In charta archetypa epiſc. diſerte cognominatur de *Jaurens*, in aliis recentioribus chartis, *Jauſens*, *Jauzonge*, a Baluzio, Sammarthanis, &c. *Joſerry*. Conjicimus duos fuiſſe Johannes epiſcopos diverſa cognomina ſortitos. Conſulenda ſunt inſtrumenta. Vidit domnus Claudius Eſtiennot in eccleſia S. Evodii tumulum epiſcopi cujus ita ſe habet epitaphium:

Hic jacet reverendiſſimus in Chriſto pater & dominus Johannes de Jaurens Lemovicenſis, Dei gratia epiſcopus Anicienſis & comes Valaviæ ac audientiæ litterarum apoſtolicarum domini papæ auditor & legum doctor, qui obiit anno Domini M. CCC. . . . . XXI. die . . . . . anima ejus requieſcat in pace. Ejus ſtemma gentile ibidem viſitur de . . . . a trois merlettes, deux & une a la bordure de . . .

Johannes

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

* *Obiit an. 1361. menſe Julio, ex Baluzio.*

Johannes legitur ſediſſe uſque ad annum 1361.* alii dicunt 1359 Tumulatus eſt in medio chori eccleſiæ S. Evodii Anicienſis, cui plures redditus aſſignavit. Nunc ejus tumulus tranſlatus eſt juxta eccleſiæ oſtium, ubi ejus effigies lapidea cernitur tumulo ſuperpoſita. Hic puto ex duobus epiſcopis unum eſſe conflatum. Conſtat Johannem Joffrevy ex Helenenſi epiſcopo factum fuiſſe Anicienſem, idque contigiſſe an. 1357. Aliunde dubitari vix poteſt ſediſſe Anicii quemdam epiſcopum Joſencium nomine, qui prius ſedebat Valentiæ. Quid igitur vetat dicere hunc obtinuiſſe cathedram Anicienſem ab an. 1355. ad 1357. quo ad hanc ſedem tranſlatus eſt Johannes Joffrevi?

Innocentius papa VI. Johannis Anicienſis epiſcopi bona reſervavit ſedi apoſtolicæ, poſt ipſius mortem; ut patet ex hujus papæ epiſtola ſcripta Petro Gervaſii canonico Anicienſi, apoſtolicæ ſedis nuntio..... ac Guillelmo Tardivi decano eccleſiæ Anicienſis 8. cal. Aug. an. 9. ſui pontif. ſeu an. 1361. vel 1362.

Eodem tempore alius epiſcopus ſeſe prodit nomine *Johannes de Cardaillaco.* Suſpicamur itaque plures ad eccleſiam Anicienſem, ſub variis titulis promotos fuiſſe epiſcopos.

De Cardaillac.

LXVIII. Johannes IV.

Johannes de Cardaillac cum eſſet epiſcopus Anicienſis, factus eſt Bracharenſis archipræſul, in locum Guillelmi, qui tranſlatus eſt ad ſedem Arelatenſem anno circiter 1360. *Nos deſiderantes*, inquit, Innocentius VI. *ipſi eccleſiæ Bracharenſi perſonam ſecundum cor noſtrum idoneam præſidere, ac ad perſonam venerabilis fratris noſtri Johannis de Cardaillaco archiepiſc. Bracharenſis, tum Anicienſis epiſcopi, quem tam ſcientiæ & probitatis, & multiplicium virtutum merita generiſque nobilitas nobis & ſedi apoſtolicæ multipliciter clarum reddunt, noſtræ mentis oculos dirigentes, ipſum a vinculo, quo eccleſiæ Anicienſi, cui tunc præerat, tenebatur, abſolvimus, eumque ad eccleſiam Bracharenſem eadem auctoritate duximus transferendum, præficiendo eum illi in archiepiſcopum & paſtorem*, &c. Hæc epiſtola inſcripta *cariſſimo in Chriſto filio Petro regi Portugalliæ*, &c. data eſt 3. idus Julii an. 9. pontificatus Innocentii, hoc eſt an. 1361. Sequentes epiſtolæ idem confirmant.

De la Tour.

LXIX. Bertrandus II.

Bertrandus de Turre, filius Bertrandi IV. domini de Turre & Iſabellæ de Levis, ut ipſe docet in charta data die Jovis in feſto S. Matthiæ anno 1355. qua omnia ſua bona legat *ſuis progenitoribus*, anno 1355. ætatis ſuæ 26. factus eſt Tullenſis epiſcopus, ex abbate ſeculari eccleſiæ collegiatæ S. Geneſii apud Clarum-montem. Poſtea transfertur ad Anicienſem eccleſiam die 18. Decembris anno 1361. ut docet probatque Stephanus Baluz. in hiſt. Arvern. pag. 312. Huic tamen ſententiæ opponitur Johannes Columbi e Societate Jeſu; dat enim locum Martino, *qui ante Bertrandum*, inquit, *ſedit an. 1362. ex chartis prioratus Tanſæ, quæ habentur in collegio Lugdun. Societ. Jeſu.* Ex iiſdem, Bertrandus fuit patriarcha Jeroſolymitanus an. 1388. Utinam has chartas nobis e theſauro ſuo protuliſſet vir doctus, qui pugnare mihi videtur contra ſeipſum; nam in appendice ad noctes Blancalandanas in epiſcopis Anicienſibus, laudat antiquum Chronicon MS. ſedis epiſc. Tullenſis, ubi legitur: *Cum Bertrandus de Turre Tullenſi eccl. præfuiſſet annis circiter ſeptem, ab Innoc. VI. donatus eſt Anicienſi epiſcopatu an. 1359. inveſtitus de regalibus a Carolo IV. an. 1364.* Ergo anno 1362. ſedebat noſter Bertrandus, non vero Martinus.

ANNI CHRISTI

An. 1367. confirmavit ceſſionem quam Bacon canonicus Anicienſis fecerat cuidam Roberto de Tieulan. Eodem anno legitur in charta data die 28. Martii, judex & conſervator privilegiorum ordinis Ciſtercienſis a Clemente papa VI. delegatus; quod inſtrumentum eſt in tabulario Vallis-Lucidæ. Item hoc an. 1367. die 9. Novembris nominatur in teſtamento nobilis viri Armandi de Chambonet. 1367.

Anno 1374. urbs fame magna laboravit, & ad hoc flagellum depellendum factæ ſunt publicæ ſupplicationes tempore Rogationum, in quibus delata eſt circa urbis mœnia imago Dei-paræ virginis; quod feliciter ceſſit. Eodem anno Autumnali tempore quibuſdam terræ motibus concuſſum eſt ejuſdem ſanctiſſimæ virginis majus templum; quod fulciendum fuit roſtrato munimento. 1374.

Anno 1375. comitia generalia Carmelitarum habita ſunt in monaſterio ſeu conventu Podienſi, hujus ordinis; & anno 1378. fratrum Minorum in eorum apud eandem urbem cœnobio. Anno 1380. Bertrandus du Gueſclin dux tot factis bellicis famoſiſſimus, rogatus ab Anicienſibus, quorum urbem & eccleſiam cathedralem religionis ergo inviſerat, Caſtrum-novum de Randone obſidione cinxit; cujus toparcha frequentia damna inferebat urbi: hac porro in expeditione diem extremum clauſit vir ſtrenuus; & paulo poſt obſeſſi deditionem fecerunt; caſtrique claves ſuper mortui feretrum fuerunt depoſitæ. Vidit noſter D. Jacobus Boyer chartam caſtri de Monte-acuto ubi legitur: *Bertrandus Divina providentia patriarcha Jeroſolymitanus, ac eccleſiæ Anicii perpetuus adminiſtrator, anno Incarnationis M. CCC. LXXXII. die 7. menſis Maii Carolo Franc. rege.* 1378. 1380. 1382.

Bertrandus epiſcopus efflavit animam die 14. Maii * ſepultuſque eſt in gentis ſuæ ſepulcro, Claromonti apud fratres Minores, quorum veſte voluit tegi poſt mortem. *

Pacem reſtituit inter capitulum Anicienſe & abbatem Caſæ-Dei, cui conceſſa ſunt tanquam ca-

* Attamen in necrologio Fr. Minorum Claromont. legitur: *x. cal. Junii obitus D. Bertrandi de Turre epiſcopi Anicienſis hic ſepulti cum habitu.* Sed forte per obitum, dies quo illatus eſt ſepulcro intelligi debet. Nam in necrologio Minorum Convent. Anicii legitur: *Pridie idus Maii obiit*, &c. Duo vero ſunt obſervanda in hoc necrologii Minorum Anicienſium loco: primum, epiſcopum hunc ibi Bernardum appellari; at ex inſtrum. noſtris C. XXXI. col. 244. liquet ipſum modo Bertrandum, modo Bernardum fuiſſe appellatum: alterum obſervatione dignum eſt, Bernardum hunc ex necrologio laudato, ſepultum fuiſſe in eccleſia Minorum Anicienſium, cum aliunde conſtet ipſum fuiſſe illatum gentis ſuæ ſepulcro apud Claromontem, ſed cum obiiſſet Anicii, prius depoſitum eſt ejus corpus in eccleſia Minorum hujus urbis, unde poſt aliquot dies delatum eſt ad eccleſiam Minorum Claromont.

ANNI CHRISTI

nonico jus in choro ſedendi, & exceptio ſolemnis in urbe, prima vice qua accedit. A

LXX. Bertrandus III.

De Chanac.

Bertrandus de Chanaco, de quo jam diximus in Biturícum archiepiſcopis, cardinalis tituli S. Pudentianæ, Bituricenſis antiſtes, patriarcha Jeroſolymitanus, præterea eccleſiæ Anicienſis adminiſtrationem anno 1383. conſecutus eſt, pro qua præſtitit ſacramentum die 18. Maii ejuſdem anni.

1383. In inſtrumento Piperacenſi dato an. 1384. die 13. Novemb. commemoratur. Vir Clar. Franciſcus Arcis, S. Evodii abbas, vidit inſtrumentum divortii datum die ſexta Junii an. 1386. Dom. Bertrando adminiſtratore perpetuo ſedis epiſcopalis Anicienſis, Vallaviæ comite; qua in charta anni ſcribuntur, non vero notis numericis ſignantur. Brevi præfuit tempore, ut infra oſtenditur. B

Gerardi.

LXXI. Petrus VI.

Petrus *Gerardi*, vel Geraudi, cardinalis Anicienſis cognominatus tit. S. Petri ad vincula, ex præpoſito Maſſilienſi * epiſcopus 1°. Lodovenſis, inde Anicienſis. An. 1386. cum jam foret epiſcopus Anicienſis, vocatur Clementis papæ VII. nuntius, qui per eum miſit *capellos rubeos* Pileo de Prata Ravennati epiſcopo, & Galeoto de Petramala prius cardinalibus in obedientia Urbani VI. a quo recedentes, defecerant ad Clementem VII. C

* *Vide prob. hiſt. Arv. p. 204. 207. 212. & 243. Baluz. not. ad vit. pap. Aven.*

1388. An. 1388. feria tertia, 22. Septembris, indict. XI. ſacramentum præſtitit reverendiſſimo de Cadris decano, & Guillelmo de Chalancon præpoſito; ex archivis capituli. Eodem anno die 15. Novembris adfuit Petro de Croſo cardinali Arelatenſi teſtamentum ſuum ſcribenti apud Avenionem.

1390. Fuit creatus cardinalis an. 1390. a Clemente VII. cujus erat cubicularius. Benedictus Clementis ſucceſſor eum an. 1402. fecit epiſcopum Tuſculanum & S. ſedis apoſtolicæ majorem pœnitentiarium. Poſtea Benedicti ſeu Petri de Luna partes deſeruit, & in Piſano concilio inter adverſæ partis epiſcopos ſedit; adhæſitque Alexandro V. & Johanni XXIII. pontificibus, retentis purpura, epiſcopatu Tuſculano, & majoris pœnitentiarii dignitate. Avenioni demum, ubi tanquam adminiſtrator ſederat, uti probat ejus teſtamentum, rebus humanis exemtus eſt die 9. Septembris an. 1415. Ibi tamen ſepulturam minime accepit, ut docet Ughellus, ſed in natali ſolo, ſcilicet in æde S. Symphoriani de Caſtello * dioceſis Lugdun. a qua urbe quatuor diſtat leucis. Hoc in loco, ubi præbendas fundaverat, uti docet ejuſdem teſtamentum, in medio chori jacet. D E

* *al.* de Caſtro.

a Scripto teſtamento a anno 1410. quo teſtatur ſe triginta poſſediſſe beneficia ex quibus erant 26. prioratus, legavit pro reparationibus domus epiſcopalis eccleſiæ Anicienſis & caſtrorum, aliorumque locorum; *in quibus fortaſſis teneri poſſet de tempore quo præfuerat eccleſiæ prædictæ, ſummam quingentorum Francorum auri.*

a Petri Geraudi teſtamentum ſcriptum an. 1410. exhibet D. Claud. Eſtiennot tom. 9. hiſt. pag. 412.

LXXII. Ægidius.

ANNI CHRISTI

De Belle-mere.

Ægidius de Bella-mera, ex referendario & auditore Rotæ, cujus deciſiones collegit ſecundum ordinem titulorum Decretalium, factus epiſcopus, relicti infulis Vaurenſibus, ad Anicienſes tranſlatus eſt an. 1390. die 17. Octobris, ut ipſe docet in 2. Decret. tom. 3. fol. 19. col. 2. quare mendum eſſe conjicimus quod legitur ibid. t. 2. fol. 255. col. 4. de ſuo primo adventu in urbem Anicienſem an. 1382. die 19. Octobris. In chirographo de ſoluta dote, die 16. Decembris 1391. apponitur hujus epiſcopi nomen, ut teſtatur qui vidit inſtrumentum dom. Franciſcus Arcis, ſancti Evodii abbas. Inde tranſiit ad Avenionenſem cathedram nondum metropolitanam; ubi plura de eo. Cetera in Vaurenſibus præſulibus requirenda. 1390.

LXXIII. Itherius.

De Martreil.

Itherius de Martrolio fuit prius cantor eccleſiæ Pictavienſis, & præpoſitus Audomarenſis. Sediſſe legitur jam anno 1390. quo videlicet, die ultima Octobris, inquiunt, compoſuit litem inter priores S. Petri de Monaſterio Anicienſi, & Podomniaci. In noſtris tamen ſchedis, quas deſcripſimus ex Piperacenſibus tabulis, legimus id factum anno M. CCC. XCII. quo etiam anno in tabulis matrimonii Claudii d'Alemanſes, ſcriptis die 3. Decembris legimus eas fuiſſe factas Itherio Anicienſi epiſcopo. Anno 1394. die 6. Auguſti habitatores Chambairaci, pro decimis litigantes, reconciliavit cum Podemniaci priore; quo anno quoque nomen ejus inſcribitur tabulis Silvæ-Benedictæ, & in inſtrumento caſtri de Monte-acuto, die 2. Maii. 1390.

Tabul. Piperac.

Eodem an. die 24. Martii excepit Carolum regem VI. ejuſque patruos duces Biturigum & Burgundiæ; ſtrumiſque laborantes in Anicienſi eccleſia Rex tetigit ad ſanitatem illis procurandam. Mutavit hanc ſedem Itherius cum Pictavienſi. Fuit cancellarius Johannis ducis Biturigum; aliqui addunt, Caroli VI. regis: attamen in regiſtr. cameræ computorum Divionenſis, in rationibus redditis pro an. 1399. uſque ad 1400. legitur tantum: *R. P. in Deo Itherius epiſcopus Pictavienſis, & domini ducis Bituricenſis cancellarius.*

LXXIV. Petrus VII.

d'Ailly.

Petrus de Alliaco Compendii ad Oeſiam natus an. 1350. celeberrimus doctor theologus facultatis Pariſienſis & cancellarius, canonicus Ambianenſis anno 1379. & archidiaconus Cameracenſis, prius Anicienſis epiſcopus fuit, deinde Cameracenſis, ac Rom. eccleſiæ cardinalis. Quando & quandiu Anicienſi eccleſiæ præfuerit ſtatuere arduum videtur. Ex archivis tamen capituli habemus eum poſſeſſionem obtinuiſſe an. 1395. per Petrum Majour, & quidem recenſetur in charta Parpalionis de Mercoyreto, pro anniverſario nobilis Catharinæ de Monte-Eſquino uxoris ſuæ, quod fundavit in eccleſia Retornacenſi die Lunæ poſt feſtum S. Blaſii eodem anno; quo etiam, die 20. Decembris memoratur in terrario de Veaunes. Prioris ſponſæ non immemor, ipſi legavit *400.*

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

muttones aureos, pro ſtipendio annuarum precum, quas in hac eccleſia fieri pro ſe conſtituerat; quæ pecunia eſt allata an. 1421. die 19. Auguſti.

DE L'ESTRANGE.

LXXV. HELIAS.

Helias de l'Eſtrange theologus & orator eximius, nepos Guillelmi archiepiſcopi Rotomagenſis, ex epiſcopatu Santonenſi huc tranſlatus, ſedebat anno 1397. die 20. Maii, ex actis conſiſtorialibus. Adiit poſſeſſionem uſus procuratore, die 28. Julii; ſolemni vero pompa urbem eccleſiamque ingreditur 25. Junii 1399. Die 20. Aprilis 1405. intereſt dedicationi ſanctæ capellæ Bituricenſis conſtructæ & dotatæ munificentia Johannis ducis Biturigum; quam conſecravit Petrus Aimericus Bituric. archiepiſc. adſtantibus archiepiſcopo Toloſano, epiſcopis Anicienſi & Aptenſi, & abbatibus S. Sulpitii & S. Ambroſii.

1397. 1399. 1405.

Anno 1409. ſedit in concilio Piſano, & anno 1417. in concilio Conſtantienſi ſeſſione 20. ubi præclare pro eccleſia ſe geſſit. Eadem de cauſa, & pro exſtinctione ſchiſmatis Lutetiam convenit. Diſciplinæ eccleſiaſticæ ſtabiliendæ & muniendæ ſollicitus publicavit in ſua diœceſi ſtatuta ſynodalia. Mortuus anno 1418. die 17. Julii, terræ mandatur in eccleſia fratrum Minorum Podienſium, religioſa tectus veſte. Anniverſariæ preces pro eo in necrologio hujus loci notantur IV. non. Januarii & cal. Februarii, Martii, &c. Recenſetur in chartis Retornaci die V. Decembris 1400. die 5. Octobris 1406. & 1417. Sedes Anicienſis vacabat die 28. Januarii 1419. ex *patronagio* eccleſiæ S. Jurii (vulgo *ſaint Jure*) quod in Lugdunenſi collegio ſervatum adſerit J. Columbi Societatis Jeſu in noctibus Blancalandanis, cum aliis prioratus Tanſæ chartis. Id tamen parum convenit cum iis quæ infra dicturi ſumus. Meminit Baluzius in notis ad Vitas paparum Avenionenſium, quarumdam lucubrationum Eliæ de l'Eſtrange pro Benedicto papa dicto XIII. in ſua obedientia. Sub hoc epiſcopo an. 1406. contigit ſolemnitas Jubilæi Anicienſis, de quo Johannes Juvenalis de Urſinis, in vita Caroli VI. [a] refert ob maximum peregrinorum concurſum ducentos homines oppreſſos obiiſſe. Vidit alterum Jubilæum Elias an. 1418. ſed cura & ſollicitudine ipſius, ex conferta populorum multitudine pauci perierunt, hoc eſt tantum triginta tres, quo tempore Martinus V. privilegia hujus Jubilæi confirmavit, & tempus lucrandarum indulgentiarum produxit uſque ad feriam 3. poſt Paſcha; forte ad cavendum ne in poſterum populi multis ex locis eod. tempore concurrentes ſe ſe comprimerent & conculcarent.

1418.

col. 1153

a

DE CHALANCON.

LXXVI. GUILLELMUS III.

Guillelmus de Chalancon, Willelmi baronis de Chalanconio, & Catharinæ de la Mothe-S. Jean natus, ex præpoſitura Anicienſi vocatur ad epiſcopatum hujus urbis, cujus ſumſit infulas die 23. Septembris 1418. & poſſeſſionem adiit per procuratorem Petrum de Crottes canonicum & ſordecanum.

ANNI CHRISTI 1418.

Anno 1419. Ludovicus Siciliæ rex annum agens decimum-ſextum viſitavit eccleſiam beatiſſimæ virginis Anicienſis, cum Yolande Arragonum regina, quos excepit Guillelmus epiſcopus. Eodem anno die Martis, duodecima Septembris interfuit pactis matrimonii Iſabellis de Turre, cum Ludovico de Chalancon, apud Ricomagum.

1419.

Carolus delphinus, qui poſtea fuit Carolus rex VII. [b] die 15. Maii an. 1420. Anicium ſolemni pompa ingreſſus eſt; & cum ſuperpellicio & amiculo ex pelle, quæ ſunt canonicorum inſignia, interfuit primis veſperis Aſcenſionis Domini. Die ſequenti audita miſſa quam in pontificalibus celebravit Guillelmus epiſcopus, & ſumta Euchariſtia, creavit equites, comitem de Pardiac & barones de Chalancon d'Apcher, de la Tour Maubourg & de la Roche, & nobiles toparchas de Vergeſac & de Rouſſel, qui fortiter ſe geſſerant in prælio adverſus Burgundiæ ducem. Paulo poſt audita patris morte, proclamatus eſt Francorum rex in caſtro epiſcopi de Eſpaleto. Sæpius poſtea Rex religionis ergo eccleſiam Anicienſem inviſit.

b

Anno 1421. poſt habitas prius pro regni neceſſitatibus ſolemnes ſupplicationes, dominus de Roche-baron patriæ hoſtis infenſiſſimus, bello captus eſt ab Imberto de Groſſé Lugdunenſium ſeneſcallo; Ludovicus de Chalon, Arauſicanus princeps, omnes Occitaniæ arces & loca munita quæ ipſius pater occupaverat, amiſit; & occiſo Clarentiæ duce Stephano Anglo, ejus vexillum ad eccleſiam Anicienſem delatum eſt.

1421.

An. 1428. celebratur Jubilæum, ob concurſum feſti Annuntiationis B. Mariæ cum feria VI. Paraſceves; quod papa, petente Rege, prorogavit uſque ad Dominicam in Albis. Anno 1429. memoratur in terrario de Vaunne.

1428.

Anno 1432. conditur parthenon monialium S. Claræ, quarum prima abbatiſſa fuit B. Coletta Corbeiæ orta; & fundatrix Claudia de Rouſſillon vidua Armandi vicecomitis de Podemniaco, ſociam ſeſe adjunxit B. Colettæ anno 1437.

1432. 1437.

Eccleſiarum parochialium rectoribus facultatem conceſſit condendi teſtamentum, quod ratum habuit Martinus papa V. anno ſui pontificatus octavo, inquiunt Sammarthani fratres. Ignoramus tamen cur iis presbyteris prius non licuerit de bonis ſuis diſponere teſtamento. Mors Guillelmi epiſcopi notatur die 25. Novembris an. 1443. Jacet apud fratres Minores Anicienſes cum plurimis e ſuis anteceſſoribus.

Sammarth.

DE BOURBON.

LXXVII. JOHANNES V.

Johannes Borbonius, Johannis I. ducis Borbonii & Arverniæ filius, ſed nothus; diſpenſatus fuit ſuper defectu natalium ab Eugenio papa IV. anno pontificatus nono, rogante rege Siciliæ, bulla quæ habetur in archivo Podienſi. Quamquam profeſſio monaſtica (fuit enim monachus & abbas S. Andreæ ſecus Avenionem) eum ab irregularitate quæ

Sammarth.

a J. Juven. de Urſinis hæc habet: *En ce Careſme l'Annonciation de Noſtre-Dame fut le Vendredy-Saint, ou Aoré: & tient-on que quand elle échet le jour dudit Vendredy, il y a pardon de peine & de coulpe au Pay. Et y fut tant de monde, & de peuple que merveille; & y eut bien deux cens perſonnes mortes ou éteintes.*

b Hæc leguntur in fronte veteris miſſalis egregie & pretioſe ornati.

Digitized by Google

contrahitur ob infamiam natalium liberaſſet. Electus vel potius poſtulatus eſt in epiſcopum anno ANNI CHRISTI 1443. menſis Decembris die 2. Decretum vero ipſius electionis ad cum attulerunt quinque canonici gradibus inſignes ; ex quibus elegit Johannem de Raviſſac, ut per eum procuratoris nomine in poſſeſſionem admitteretur ; idque factum die 2. Januarii anni 1444. Menſis autem Octob. ſequentis die 29. ipſe acceſſit & ſolemniter ecclesiam ſuam ingreſſus eſt. Anno 1445. accepit ab Eugenio IV. pallium, quo primum uſus eſt in die ſancto Paſchæ ; eodemque anno fit ejus mentio in quodam codice agrorum vectigalium de Vaunne. An. 1455. menſe Aprili Jacobus Boyer miles, dominus de Alteiraco, ſe ſe hominem Johannis epiſc. profeſſus eſt, ex lib. homagiorum. Hic epiſcopus magna cum laude Anicienſem rexit eccleſiam, quamvis multis aliis curis diſtractus, erat enim abbas Cluniacenſis ; ad quam dignitatem poſtulatus fuit an. 1456. non 1455. ut alibi diximus. Poſtulationem confirmavit & ratam habuit Calixtus papa III. bulla data anno ſequenti. Inſuper Borbonii pagi, Arverniæ Occitaniæque præfecturam [a] geſſit, vice Johannis II. ducis Borbonii, magiſtri equitum Franciæ. Præterea creatus eſt eccleſiæ Lugdunenſis adminiſtrator, pro nepote ſuo Carolo archiepiſcopo in adoleſcentia deſignato. Quæ fecerit laude digna in archimonaſterii Cluniacenſis adminiſtratione, alibi dicemus. Beneficum ſe oſtendit erga Anicienſem eccleſiam, nam ejus gazophylacium pretioſa ſuppellectili copioſe inſtruxit. S. Johannis Bapt. eccleſiam collegiatam de Retornaco fundavit ; caſtrum de Eſpaleto, turrim Moniſtrolii & alia epiſcopalis ditionis caſtra aut condidit, aut reſtauravit. Ante mortem fundavit miſſas in triginta celebrandas eccleſiis, quarum una fuit Auguſtinianorum apud Toloſam. Iis autem qui hujuſmodi miſſis intereſſent, Johannes epiſcopus Albanenſis, cardinalis Andegavenſis & legatus in Francia, plures indulgentias conceſſit, ex litteris datis 10. cal. Auguſti 1484. 1484.

Anno 1485. [b] morte ſublatus eſt die 2. Novembris in prioratu conventuali S. Regnaberti * diœceſis Lugdun. Conditus autem eſt Cluniaci in ſacello quod mira ſtructura & magnis ædificaverat ſumtibus. Ejus elogium legitur in chronico Cluniacenſi his verbis :

Flos religionis monaſticæ, vineæ Domini optimus cultor, vir angelicis animi dotibus præditus, exemplaris norma vitæ, nec minus angelorum conſortio digniſſimus, non fucatus erat, ſed ſincerus, ſolidus, verax & ſimplex, domi benignus, in victu ſuo parcus, in cultu, ut Dei ſervos decet, modicus, divinis myſteriis & orationibus ſedulo intentus, otii expers vixit, monaſteria, eccleſias, hoſpitalia, caſtra, domoſque illorum ædificavit, nonnulla etiam collapſa in priſtinum ſtatum reſtituit.

Tempore hujus epiſcopi, anno ſcilicet 1447. capitulum generale fratrum Prædicatorum habitum eſt in conventu hujus ordinis Anicii, ubi numerati ſunt 1800. Dominicani ; quos omnes, quandiu hac in urbe commorati ſunt, aluit Ludovicus de Chalancon vicecomes de Polignac ; atque ſingulis diſcedentibus largitus eſt ſeptem ſolidos & duos denarios. Quo tempore Bartholomæus eorum magiſter generalis canonicos Anicienſes participes effecit omnium bonorum operum Ordinis, die 28. Maii. Sub eodem præſule an. 1460. Agnes de Montilio vidua Johannis Jourda civis Anicienſis, prædium donavit majori eccleſiæ, ut ter in die pulſaretur major campana, ad cujus ſonitum ſalutatio Angelica recitaretur ; quæ conſuetudo nondum forte alibi erat recepta.

Eodem epiſcopo ſedente, Ludovicus XI. Franciæ rex ſæpius haberi ſupplicationes in majori B. Mariæ templo Anicienſi curavit, tum ad grates pro receptis beneficiis Dei matri habendas, tum ad nova impetranda beneficia. Ipſe anno 1475. pedes ingreſſus eſt Anicium, die 8. Martii, variaque contulit dona eccleſiæ B. Mariæ, urbis privilegia confirmavit, omniaque monaſteria muneribus cumulavit. Redux Lutetiam miſit ad canonicos Anicienſes multum pecuniæ ad conſtruendum thronum argenteum, in quo etiamnum ſacra imago reginæ cœlorum cultui fidelium exponitur. An. 1476. ultimam peregrinationem aggreditur hic princeps, de qua ſic Gaguinus : *Voto adſtrictus Ludovicus Anicium, quod Podium dicunt, Arverniæ civitatem pergit ; ubi novem totos dies in D. Mariæ templo quod in Galliis ſumma religione colitur, ſe votis abſolvit.* In archivis urbis Nemauſenſis vidit noſter Jac. Boyer quemdam libellum ſupplicem noſtro oblatum epiſcopo, in quo dicitur epiſcopus Podienſis, conſiliarius & cambellanus Regis, die 16. Januarii an. 1474.

LXXVIII. GODEFRIDUS. DE POMPADOUR.

Godefridus de Pompadorio, Golferii dynaſtæ Pompadorii ex Elizabetha de Combornio filius, frater vero Antonii epiſcopi Condomienſis, fuit primum cantor & vicarius generalis Ebroicenſis eccleſiæ, archidiaconus Vivarienſis ; de qua tamen dignitate litem habebat an. 1463. epiſcopus Engoliſmenſis an. 1465. abbas S. Amantii de Buxia, *de Boiſſe*, necnon B. Mariæ de Cancellata, præpoſitus d'Arnac, prior S. Cypriani Sarlatenſis, & Cellæ in pago Petracoricenſi ; item præpoſitus & canonicus Lugdunenſis ; poſtea epiſcopus Petracoricenſis anno 1472. a Ludovico XI. Carolo VIII. & Ludovico XII. intimis adhibetur conſiliis. Anno 1484. erat præſes in ſuprema ſubſidiorum curia, & anno ſequenti die 13. Decembr. primus cameræ computorum præſes. Denique an. 1486. menſe Junio * Anicienſi donatus eſt epiſcopatu, pro quo fidem clientelarem juravit Regi die 22. Julii ejuſdem anni, apud Silvanectum, retenta epiſcopatus Petracor. adminiſtratione, urbemque ſolemni pompa ingreſſus eſt die 28. Septembris. Attamen ei plurimas lites movit Petrus de Cha- 1486. * al. 15. Maii.

[a] Hoc nomine quædam decrevit die 13. Maii an. 1468. ſuper controverſia inter procuratorem ſeu actorem cleri Narbonenſis & conſules urbis, qui cogere volebant clericos ad partem vectigalium & ſubſidiorum a Rege indictorum ferendam ; a quibus, tum conſuetudine, tum edictis regiis immunes ſeſe contendebant. Ex tab. capituli Narbonenſis.

[b] Attamen Johan Columbi in noctibus Blancalandanis, dicit ipſum ſediſſe adhuc an. 1491. die 18. Dec. ex prioratus Tanſæ tabulis, in collegio Lugdun. Societatis Jeſu aſſervatis. Debuiſſet Columbi chartas illas notas facere, ut judicaremus cujus ponderis eſſet earum teſtimonium.

Arch. Anglic. Tol. — * S. Rambert.

lanon protonotarius apoſtolicus, electus Anicii epiſcopus, quarum actus adſervantur in archivo caſtri de Volta Podemniaci, *la voulte de Polignac*, ad Elaverim. Ob publica negotia quæ geſſerat, aliquandiu in cuſtodia detentus eſt anno 1487. quo renuit primi computorum præſidis dignitatem cedere Johanni de Lubieres : tuncque Podienſis epiſcopi, adminiſtratoris epiſcopatus Petragoricenſis, & Regis eleemoſynarii, ſcilicet majoris, titulos ſibi tribuebat : primus enim, ut aiunt, fuit qui majorem Regis eleemoſynarium ſe dixerit.

ANNI CHRISTI

1489. Anno 1489. adfuit pactis matrimonii Antonii domini de Pompadour ſui nepotis. Anno 1493. 1493. die 14. Februarii ſcripſit teſtamentum. 1502. Anno 1502. inſtitutus eſt a fratre ſuo domino de Pompadour heres uſufructuarius : anno ſequenti fecit in eccleſia Lugdunenſi, cujus præpoſitus erat, piam fundationem. Eodem anno in eccleſia de Pompadour proprio ære inſtituit collegium octo canonicis & duobus clericis conſtans, uſus auctoritate cardinalis de Ambaſia ſui familiaris, qui erat 1509. legatus in toto Franciæ regno. Anno 1509. nomen ejus notatur in ſententia judiciaria lata ab ejuſdem officiali die 28. Novembris. Anno 1511. 1511. adfuit connubio Franciſcæ de Pompadour ſuæ proneptis cum domino de Las-Tour de Limoſin. 1514 Obiit Pariſiis * anno 1514. die 8. Maii. Teſtamento ſuo elegerat ſepulturam in eccleſia d'Arnac, cujus fuerat præpoſitus ; ubi etiam quatuor capellas fundaverat & dotaverat. Multa moriens reliquit eccleſiis quas adminiſtraverat. Vicarium in muniis epiſcopalibus habuit Johannem de Preſſuris Trojanum epiſcopum, quem in ſchedis D. Jacobi Boyer lego fuiſſe Anicienſem canonicum, & cognominatum fuiſſe de Beulenco, ex necrol. Fr. Minorum, ubi legitur obiiſſe calend. Martii. Hujus epiſcopi tempore celebrata ſunt Anicii duo Jubilæa annis 1502. & 1513. Ad primum vero tanta convenit peregrinorum multitudo, ex Italia, Hiſpania, &c. ut 95. homines oppreſſi ſint. Arnaci prope majus altare ſepultus eſt cum epitaphio ex quo titulos quibus ornatus erat didicimus.

* *al.* in caſtro de Lauriere apud Lemovicas.

De Chabanes.

LXXIX. Antonius I.

Antonius de Chabanis ex illuſtri genere dominorum de la Palice, parentes habuit Godefridum dominum de la Palice, & Carlotam de Prie, fratrem vero Jacobum equitum tribunum, magnum Franciæ magiſtrum & mareſcallum ; eorum proavus Jacobus fuit regii palatii magiſter.

Hiſt. pal. reg. magiſt.

Antonius ante epiſcopatum erat canonicus Anicienſis, protonotarius ſanctæ ſedis apoſtolicæ & prior S. Martini d'Ambert. Electus [a] eſt die 1514. 12. Julii an. 1514. die 25. Novembris ſequentis in poſſeſſionem admittitur. Conſecratus eſt Lugduni a Guichardo Hieropolitano epiſc. in eccleſia 1516. Cœleſtinorum die 28. Septembris 1516. ind. IV. pontific. Leonis X. an. IV. Pallio donatur ab eodem, menſe Decembri. Urbem ſolemniter ingreditur eodem anno in feſto S. Martini die XI. Novembris. Compoſuit cum capitulo pro collatione prædendarum die 20. Januarii an. 1519. quam compoſitionem damus. Eam vero Leo X. confirmavit bulla data Romæ apud S. Petrum præfato anno, VI. idus Martii, ſui pontificatus anno VII. quam Bulhonis ſolemniter promulgavit Carolus de Senecterio abbas S. Theofredi, judex & exſecutor, die penultima Februarii 1520.

ANNI CHRISTI 1519. C. XXXV. col. 146. 1520.

Antonius epiſcopus obiit anno 1535. menſe Septemb. Ad pontificalia obeunda uſus eſt vicario, ſive, ut aiunt, ſuffraganeo Stephano de Preſſuris epiſcopo Trojano ordinis Minorum, pott patruum ſuum Johannem de quo ſupra meminimus. Habuit etiam vicarium generalem Carolum de Genteria ex charta Cantogilenſi, an. 1530. in qua etiam appellatur ejus cancellarius. Tempore hujus epiſcopi comitia generalia Occitaniæ Anicii habita ſunt, annis 1515. & 1516. Anno 1533. Franciſcus I. rex cum Eleonora regina, Franciſco delphino, Henrico duce Aurelianenſi, Carolo Encoliſmenſi, Johanne a Lotharingia cardinali, & multis tum præſulibus tum optimatibus, Anicium venit orationis ergo, & ſacram Dei-paræ virginis ædem adiit. 1535.

De Sarcus.

LXXX. Franciscus.

Franciſcus de Sarcus, Johannis domini de Sarcus in Picardia legionis Picardiæ præfecti generalis filius, Antonio ſubrogatus eſt anno circiter 1536. Quædam ſtatuta condidit pro diœceſis ſuæ clericis. Obiit anno 1557. Vicarium generalem & ſuffraganeum habuit Chriſtophorum de Alzonio canonicum Anicienſem & epiſcopum Trojanum, qui die 23. Martii anno 1557. dedit Claudio Lanier canonicatum apud Retornacum.

Sammarth. 1536. 1557.

De Beaune.

LXXXI. Martinus.

Martinus de Beaune genere Turonicus, libellorum ſupplicum in regia magiſter, reginæ Catharinæ Mediceæ cancellarius, abbas Regalis-montis & S. Petri in valle Carnotenſi, necnon S. Rigaudi diœceſis Matiſconenſis, frater Reginaldi Bituricenſis archiepiſc. tantum deſignatus fuit epiſcopus Anicienſis anno 1557. obtinuit tamen ab Henrico II. ſeneſcalli tribunal pro urbe Anicienſi.

De Sennetere.

LXXXII. Antonius II.

Antonius de S. Nectaire, communius de Sennetere, ex nobili inter Arvernos familia, Nectarii domini de S. Nectaire, & Margaritæ d'Eſtampes filius, abbas S. Geraldi Auriliacenſis, & S. Theofredi *, menſe Junio anni 1561. [b] promotus eſt ad cathedram Anicienſem. Poſſeſſionem iniit menſe Novembri * inauguratus a Georgio cardinali de Armaniaco Avenionenſi archiepiſcopo & legato 23. Maii 1563.

[b] * S. Chaffre vulgo Monetier.

* *al.* Decembri.

Anno 1562. decem millia hæreticorum ſub duce Blacone caſtrum de Eſpaleto diruunt, ſuburbia Podii diripiunt, urbemque arcta obſidione cingunt. At poſt dies quinque fugere coguntur

[a] Ex 35. electoribus viginti elegerunt Antonium, quem litteris die 14. Junii 1514. ſcriptis Rex capitulo commendaverat, in gratiam domini de la Palice ; ceteri ſuffragia tulerunt pro Jacobo de S. Nectario Caſæ-Dei abbate.

[b] Noſter D. Claud. Eſtiennot ait deſignatum fuiſſe epiſcopum Anicienſem anno 1571. laudatque cod. MS. Auriliac. abbatiæ, ubi legitur : *Antonius autem permutavit abbatiam ſuam Auriliaci, cum epiſcopatu Anicienſi an. M. D. LXXI. & apud Calmeliacum ſepultus eſt* ; ſed error irrepſit in numeris annorum.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

dic 8. Auguſti ; effugientes vero perſecutus eſt Antonius de Turre baro de S. Vidal ; quæ non ſine cœleſti auxilio, & ope Dei-genitricis acta creduntur. Quapropter quotannis pro gratiarum actione fit proceſſio & ſupplicatio publica die feſto S. Laurentii. Eodem anno deſtructæ ſunt eccleſiæ Carmelitarum, fratrum Minorum, & Prædicatorum.

1585. Anno 1585. die 4. Decembris Hugonoti ſub ducibus Caſtelleonæo filio Colinæi præfecti maris, & Andeloto, urbem noctu rurſus tentarunt, admoto ad portam de Fargis tormento bellico, ad effringendas fores. Sed ecce ſubito terrore correpti, in fugam convertuntur nemine perſequente, cujus rei memoria quotannis recolitur proceſſione ac ſolemni officio.

1588. Anno 1588. patres Societatis Jeſu intra urbem admittuntur, & anno ſequenti die 8. Novembris aperiunt ſcholas. Tempore Antonii quoque inſtituitur juxta majorem eccleſiam ſodalitium Pœnitentium Confalonis, ſub titulo virginis Annuntiatæ, quibus domum ſuam ceſſit marchio d'Alegre.

E vita migravit hic epiſcopus menſe Novem-

1592. bri an. 1592. in ſua ſancti Theofredi abbatia, ubi etiam ſepultus jacet.

De Serres.

LXXXIII. Jacobus I.

Jacobus de Serres, ex nobili familia prope An-

*Annonay. nonæum * in pago Vivarienſi, nominatur epiſcopus Anicienſis, procurante Anna de Levis Ventadorii

1596. duce, Annonæi toparcha, circa finem anni 1596. cum jam eſſet abbas Montis-burgi diœceſis Conſ-

1597. tantienſis in Normannia. Anno 1597. die 19. Aprilis ingreſſus eſt urbem & ſolemniter poſſeſſionem adipiſcitur, comitante Petro de Villars archiep. Viennenſi conſanguineo ſuo, qui in eccleſia cathedrali egregiam habuit concionem Dominica in Albis.

1598. An. 1598. die 6. Julii conſecravit Jacobus in ſua eccleſia SS. Innocentium altare, ubi repertum eſt corpus unius ex beatis infantibus, quod reperta inſcriptio teſtabatur ſub hoc altari reconditum fuiſſe anno 465. Anno 1600. conſecravit

1600. eccleſiam S. Marcelli decentius reſtauratam. An. 1603. litteris datis 20. Junii inſtituit officialem Johan. Laurent juris pontificii baccalaureum &

1604. priorem S. Johannis de Palhec. An. 1604. eccleſiæ collegii fundamenta jecit die 14. Julii ; in qua primam miſſam celebravit media nocte Natalis Domini an. 1618. Eodem anno 1604. primum poſuit lapidem conventus S. Catharinæ Senenſis.

1610. Anno 1610. virgines Urſulanas die 25. Martii recepit, quæ anno ſequenti regulam virginum ſacrarum, quas Noſtræ Dominæ filias appellare conſuevimus, aſſumſerunt. Capucinorum quos ad-

1613. miſerat an. 1607. eccleſiam dedicavit an. 1613. Cartuſianis Leproſorum ſeu S. Lazari domum ad Ligeris ripam ceſſit ; qui poſtea ſibi monaſterium ædificaverunt in caſtro de Villa-nova Anicio propinquiori, ad Ligerim. Litis inter ipſum & capitulum motæ compoſitione amicabili facta die 9. Martii 1620. numeravit 8000. libr. ad conſtituendos proventus annuatim diſtribuendos canonicis qui interſunt horis canonicis.

Cum perveniſſet Jacobus ad extremam ſenectutem, Juſtum de Serres nepotem ſuum obtinuit ſibi coadjutorem ab Urbano VIII. quem conſecrari in epiſcopum Tyropolitanum voluit aut conſenſit ſummus pontifex ; ad ſumtus vero faciendos Jacobus Juſto abbatiam Montis-burgi reliquerat. Diem clauſit ultimum anno 1621. ſepultus eſt 1621. in æde ſacra collegii. Hoc anno Gregorius XV. extendit indulgentias Jubilæi Anicienſis ad totam octavam Annuntiationis B. Mariæ, poſtulante Ludovico XIII. Francorum rege, bulla data Romæ die XXIV. Decembris, ſui pontificatus an. 1.

ANNI CHRISTI

LXXXIV. Justus.

De Serres.

Juſtus patruo Jacobo datus coadjutor, ſedis epiſcopalis poſſeſſionem obtinuit. An. 1622. Ju- 1622. bilæum Anicienſe celebravit ; idemque fecit anno 1633. Anno 1624. officia propria Sanctorum diœceſis ad formam breviarii Romani redigi curavit. An. 1626. conſecravit majus altare ſancti 1626. Roberti Caſæ-Dei ; moniales dictas Viſitationis 1630. B. Mariæ, in ſua urbe habere cœnobium permiſit. Patruo ſuo Jacobo epiſcopo tumulum erexit, in quo ſepeliri voluit. Animam efflavit anno 1641. 1641. die 28. Auguſti. Sub Juſto de Serres in urbe Monaſtrolii ædes Capucinorum eriguntur ſub titulo conventus ; eorum quippe domus fundata fuerat ſub titulo miſſionis pro quatuor Capucinis tantum anno 1628. Anno 1627. Cartuſiani inſtituuntur apud Brivam ſecus Ligerim uno leucæ quadrante ab urbe Anicio, cujus cives piis patribus ceſſerunt hoſpitalem domum Leproſorum ſeu S. Lazari ; anno vero 1699. die Nov. 23. præfati Cartuſiani ſecedunt, & commigrant Villamnovam Anicio viciniorem ſecus Ligerim. Probante Juſto de Serres, ſoror Lucretia de Fay de Gerlande abbatiæ S. Juſti Romanenſis, & ſoror Genovefa de Bronac abbatiæ B. Mariæ de Clavatio, nobiles moniales ordinis Ciſtercienſis, fundamenta jaciunt parthenonis ejuſdem Ordinis apud Montem-Falconem anno 1638. ubi nunc viget obſervantia regularis.

Cauchon de Maupas.

LXXXV. Henricus.

Henricus Cauchon de Maupas du Tour in Campania, Caroli Cauchon filius ex Anna de Gondy, ad Podienſem eccleſiam deſignatur a Ludovico XIII. an. 1641. Inauguratus eſt Lutetiæ in templo Jeſuitarum domus profeſſorum vici S. Antonii an. 1643. die 4. Octobris, a Carolo 1643. de Montchal Toloſano archipræſule, adſiſtentibus Franciſco Fouquet Agathenſi, & Antonio Godeau Graſſenſi epiſcopis. Die 27. Januarii anno 1644. ſolemni more urbem ingreditur ; quo etiam 1644. anno Jubilæum fuit in Anicienſi eccleſia.

Monialium Viſitationis oratorium conſecravit. In eccleſia collegiata S. Georgii presbyteros e ſeminario S. Sulpicii accerſitos collocavit, quibus præerat Johan. Jacobus Olier. Eremitas S. Johannis B. in diœceſi ſedes habere permiſit. Virginibus lapſis locum dictum *Refugium* conceſſit, ad agendam pœnitentiam.

Henricus inſtituit congregationem filiarum S. Joſephi nuncupatarum, quæ puellarum educationi, ægrotorum curæ, & proximi ſaluti maxime vacant,

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

cum uberrimo fructu, præsertim in parochiis ruralibus. Hospitium dictis sororibus S. Josephi exhibuit Anicii suis in ædibus illustris matrona Lucretia de la Planche D. de Joux uxor; deinde Henricus episc. in domo orphanarum S. Josephi Anicien sis. In vico de Monte-ferrando 15. Octobr. 1650. præmissa eloquenti concione, adprobavit earum statuta & congregationem litteris datis 10. Martii 1651. Armandus de Bethune eandem confirmavit 23. Sept. 1665. sub quo præfatæ sorores fundantur in parochia S. Juliani de Baulne an. 1671.

Eodem Henrico sedente an. 1646. moniales Augustinianæ habitare cœperunt apud Craponam, vulgo *Crapone*, e monasterio S. Magdalenæ de Valle, prope Anicium evocatæ. Harum ædes sacra dicatur S. Johanni Facondo 8. Julii 1700.

Scripsit vitam Johannæ-Franciscæ Fremiot, viduæ baronis de Chantal, sanctitatis fama celeberrimæ, necnon S. Francisci Salesii Genevensis episcopi; qui ambo monialium Visitationis S. Mariæ
1661. ordinem instituerunt, & propagarunt. An. 1661. translatus est ad ecclesiam Ebroicensem, die 1. Julii.

DE MONT-ROUGE.

LXXXVI. JACOBUS.

Jacobus de Mont-rouge episcopus S. Flori, die
1661. 1. Julii designatus est a Rege Podiensis episcopus; sed amore prioris sponsæ revocatus ad eam
1664. rediit, & in ejus sinu vitam clausit an. 1664.

DE BETHUNE.

LXXXVII. ARMANDUS II.

Armandus de Bethune, Hippolyti comitis de Celles in Biturigibus, regiorum ordinum equitis torquati, & Annæ de Beauvilliers filius, virtutem & musas a teneris unguiculis diligenter excoluit in seminario Pontis-Levii, ord. S. Benedicti, e congregatione S. Mauri. Annum agens solummodo 26. nominatione regia designatus est episcopus S. Flori, tum Anicien sis; sed ob ætatis defectum
1665. inauguratur tantum die 25. Maii anni 1665. ab Henrico de Bethune Burdigalensi archiepiscopo patruo suo, adsistentibus Cæsare d'Estrées Henrici archiepiscopi nepote, Laudunensi episcopo postea cardinali, & Johanne d'Estrade Condomiensi, Parisiis in ecclesia Fulien sium vici S. Honorati. Solemniori pompa in urbe Anicien si excipitur eodem anno, die 25. Augusti. Solo episcopatu contentus, abbatiam de Vernusia, ord. S. Augustini reliquit. Nullæ fere sunt ecclesiæ in urbe, in quibus non exstent magnificentiæ optimi hujus episcopi vestigia. Ecclesiam in honorem S. Mauritii de novo ædificavit magnis sumtibus, & juxta eam construxit monasterium in quo moniales ord. S. Augustini collocavit, quæ mulierum lapsarum & corruptarum emendationi invigilant, vocaturque Refugii domus. Hospitium generale pauperum construi curavit, in quod pauperes in-
1687. troduxit ritu solemni mense Junio anno 1687. Ecclesiæ suæ curam sollicitudinemque gerens assiduam, oves diligebat, protegebat pastores, dicecesim impigre lustrabat & circumibat. Quædam opuscula, quæ per otium scribebat, reliquit eximii ingenii monumenta: Reginæ Mariæ Austriacæ oratione funebri parentavit: Regi Ludovico XIV. ob recuperatam valetudinem luculenta oratione gratulatus est: Johannis Sobieski victorias & triumphum de Turcis carmine cecinit heroico. Paralysi correptus in suo Monistrolii castro, anno 1703. obiit die 10. Decembris, lugentibus om- 1703.
nibus, maxime vero ipsius famulis, quibus se potius patrem quam dominum ostendebat. Die 24. ejusdem mensis corpus ejus Anicium allatum est magna pompa. Tandem sepulturæ traditur in ecclesia S. Mauritii die 26. Dum præfuit, reformationem monasteriorum quantum potuit, procuravit, & reformatis monachis, maxime vero Casæ-Dei Benedictinis ascetis favit.

DE LA ROCHE-AYMON.

LXXXVIII. CLAUDIUS.

Claudium de la Roche-Aymon Antonio toparchæ de la Roche-Aymon peperit Maria de Lusignan soror Pauli-Philippi episcopi Ruthenensis. Archidiaconus & canonicus fuit Mimatensis, necnon vicarius generalis Placidi-Francisci de Baudry de Piencourt affinis sui, Mimatensis episcopi; nominatus est a Rege Christianissimo episcopus Anicien sis, die 24. Decembris an. 1703. con- 1703.
secratur die 22. Junii an. 1704. in sacello majori seminarii S. Sulpicii, a Carolo le Goux de la Berchere archiep. Narbonensi, adsistentibus episcopis Vasatensi & Montalbanensi. Die 29. sequ. Regi præstito sacramento fidem obstrinxit. Cum ad ecclesiam suam pergeret, S. Juliani Brivatensis canonicus & comes receptus est die 9. mensis Aug. Die 11. ejusdem mensis urbem solemni pompa ingressus, excipitur a capitulo, salutaturque trina oratione a Claudio Genestet præposito.

In libro obituum reperiuntur tres episcopi quorum nomina desunt in tabulis ecclesiæ Anicien sis, sed annos quibus vixerunt nullibi reperire potui. 1. Gothigaudus, forsan idem ac Gothescalcus. 2. Simon Gaufridus. 3. Artaldus episc. qui obiit pridie idus Martii. Stephanus Guyonius Jesuita, in oratione de veteri Anicien sium pietate & doctrina, quam habuit in collegio Anicien si calendis Octobris an. 1592. pro solemni studiorum instauratione, Lugduni edita typis Johannis Pillehotte 1593. posteaquam de Guidone Grosso Anicien sium episcopo, deinde Romano pontifice disseruit, laudat quemdam Nicolaum, *hujus etiam urbis* (Anicien sis) *antistitem* tempore Clementis papæ V. postea in collegium patrum purpuratorum adjunctum, quem Gallia & Italia vidit gravissimas legationes obeuntem. Tempore Clementis papæ V. cardinalis fuit Nicolaus Farinula, sed eum Anicien sem episcopum fuisse probari non potest. Certe de hac episcopali dignitate silet Odoricus Rainaldus qui suis in Annalibus de eo sæpe loquitur.

Digitized by Google

DECANI ECCLESIÆ ANICIENSIS.

ETSI præpoſitus primum olim poſt epiſcopum locum teneret in Anicienſi eccleſia, decanus tamen modo prima capituli dignitas cenſetur; quapropter hic decanorum ſeriem catalogo præpoſitorum præmittendam cenſemus: nonnullos ex prioribus exiſtimamus in necrologio repertos poſitos eſſe, non ſervato chronologico ordine.

I. TRUANNUS. Conſtruxit ædem S. Michaëlis de Acu, regnante Lothario rege, annuente Gotiſcalco Anicienſi epiſcopo. Vide chartam fundationis ubi de abbatia S. Michaëlis de Seguret. Idem nominatur decanus in charta fundationis monaſterii ſancti Petri Anicienſis 13. Aprilis 993. Ejus obitus notatur ad 2. idus Decembris in libro obituum eccleſiæ Anicienſis, in quo reperiuntur ſequentes decani, omiſſo anno in quo vixerunt.

II. Guiſluſſus, obiit 1. cal. Septembris.

III. Otho, idibus Octobris.

IV. Aldebertus, 3. non. Febr. Forte idem ac Ildebertus decanus qui confirmavit donationem a capitulo factam monaſterio Calmeliacenſi an. 1001. ex tabulis hujus monaſterii. Eodem anno in iis tabulis reperitur Berardus præpoſitus cum Eldeno decano.

V. Benjamin I. 4. calend. Martii.

VI. Benjamin II. obiit 6. cal Junii.

VII. Guigo I. 4. cal. Junii. Vivebat ſub Fredolo epiſcopo circa annum 1020. cujus quandam donationem factam cœnobio ſancti Petri ſua ſubſcriptione roboravit, ex tabul. ejuſdem loci.

VIII. Guillelmus I. 16. cal. Julii.

IX. Bertrandus I. 2. non. Julii.

X. Petrus I. 3. idus Julii. Forte idem qui tempore Stephani de Thiern epiſcopi probavit donationem Heldegerii præpoſiti factam cœnobio S. Petri; ex ejuſdem tabulis.

XI. Poncius I. *auctoriſat* donationem prioratus nunc dicti S. Roberti Anicienſis ad radices Rupis-Corneliæ, factam ab Iſnardo, domno Roberto abbati Caſæ-Dei.

XII. Balduinus I. memoratur in charta fundationis capituli S. Evodii an. 1082. tempore Adhemari de Monteil epiſcopi.

XIII. Willelmus de Godeto vicarius generalis Adhemari epiſc. cum hic præſul in Chriſtianorum exercitu adverſus infideles legatus eſſet; quo tempore confirmat fundationem hoſpitalis domus de Acu. Videtur eſſe Guillelmus decanus qui cum Pontio epiſcopo laudavit donationem factam a Pontio Podemniaci vicecomite, Bernardo I. de Chaſnac primo abbati Piperacenſi initio ſeculi XII. Notatur an. 1108. & 1132. in tabulis Calmeliacenſibus.

XIV. Bauduinus ſeu Balduinus II. 6. idus Septembris. Forte is eſt Balduinus decanus Anicienſis qui cum Stephano præpoſito, Armando abbate de Segureto & capitulo Anicienſi, donavit monaſterio S. Roberti eccleſias de Ucionio * & de Rivo-torto *. Pro anniverſario ſuo dimiſit clericis ſuperpellicium portantibus in eccleſia, potationem vini per ſex dies Paſchæ faciendam, & in prima die *aloxinium*, &c. Notatur in charta Segureti an. 1162.

* Uſſon.

* Rioutort.

XV. Hugo I. de Podempniaco obiit 2. idus Auguſti, & jacet in eccleſia de Viaya ord. Grandimontenſis.

XVI. Petrus II. de Balazu, obiit idibus Auguſti. Forte eſt Petrus decanus qui approbat ſua ſubſcriptione chartam qua Petrus epiſcopus dedit Pontio abbati Caſæ-Dei unam canonicam & dignitatem in ſua eccleſia an. 1167.

XVII. Guigo III. de Godeto obiit nonis Decembris. An. 1208. nominatur in compoſitione facta cum clericis Anicienſis eccleſiæ ſuperpellicium geſtantibus.

XVIII. Hugo II. in charta Stephani epiſcopi anno 1221. menſe Octob. & 1227. ex charta data ſub eodem Stephano epiſc. Hugonis anniverſarium notatur in necrologio monaſterii S. Petri Anicienſis 9. cal. Septembris.

XIX. Guido I. de Caſtro-novo anno 1232. ex charta Altobracenſi obiit 15. cal. Octobr.

XX. Guillelmus IV. de Chalancon an. 1237.* clauſtrum canonicorum mœnibus circumcingit, concedente Bernardo de Monte-Acuto Anicii epiſcopo & domino. Alicubi legitur Bernardus de Apcherio dec. circa an. 1240.

* G. decanus & capitulum an. 1237. in craſtino feſti B. M. Magdal. fidem faciunt ſe feciſſe quandam clauſuram; nec tamen velle ut locus intra illam contentus libertate veteris clauſtri fruatur in detrimentum epiſcopalis poteſtatis; ex regiſt. curiæ Franciæ Carcaſſon.

XXI. Guillelmus V. *al.* Guarinus de Caſtro-novo; ejus conſilio Guarinus de Caſtro-novo ejus nepos facit homagium Stephano Mimatenſi epiſcopo anno 1245. Vide Addenda inſtrum. t. 1. noſtræ Galliæ Chriſtianæ pag. 202. col. 2.

XXII. Guido I. anno 1254. menſe Auguſti cum Bernardo de Ventadoro dat litteras quibus recognoſcit regem Francorum eſſe in poſſeſſione regalium.

XXIII. Guido II. de Monte-Lauro 1258. Nomine capituli tranſigit an. 1273. cum Petro de Veyraſſac priore ſancti Michaëlis de Charaſio diœceſis Vivarienſis. In charta Cantogilenſi data die Jovis poſt feſtum S. Martini an. 1271. ſimul appellatur decanus & electus Valentinenſis. Negotium faceſſit quod lego in bulla Clementis IV. pro univerſitate S. Majoli mentionem fieri Hugonis decani; quo ſane tempore Guido hanc gerebat dignitatem. At forte legendum *Guigo*, quod nomen idem eſt ac Guido. Scripſit cum capitulo litteras ad S. Ludovicum regem anno 1259. Guidone epiſcopo.

XXIV. Guillelmus VI. de Monte-Revello adeſt Bertrando de Turre & Beatrici d'Oliergues

pacta matrimonii

Digitized by Google

pacta matrimonii ineuntibus die Merc. poſt octabas Epiphaniæ an. 1275.

* de Cayres. XXV. Raimundus I. de Cadris *, teſtis pactorum matrimonii Pontii & Loyſiæ de Turre an. 1387. ex Baluz. in prob. hiſt. Arv. pag. 612.

XXVI. Raimundus II. Algeri, *Algier*, degebat jam ſub Fredolo de S. Bonet epiſcopo. Unus fuit ex quatuor quibus per viam compromiſſi capitulum Mimatenſe dedit facultatem eligendi epiſcopum; qui elegerunt Guillelmum Duranti an. 1286. Mittitur cum Raimundo de la Garde canonico Anicienſi a Guidone de Nova-villa epiſcopo ad Nicolaum IV. ſummum pontificem, pallium poſtulaturus nomine dicti præſulis an. 1291. B Nominatur Atgenis in compoſitione facta inter Guidonem epiſcopum, & Bigorræ comitiſſam die Martis poſt octavas feſti omnium ſanctorum, quam vide inter probat. hiſt. Turenæ.

* Cancellarius Caroli II. regis Siciliæ, *ex Baluzio in notis ad vitas pap. Avenion. pag. 690.* XXVII. Petrus III. de Ferrariis, * vicecancellarius regni Siciliæ 1296. quo anno teſtis fuit pactorum matrimonii inter Johannem primogenitum Humberti delphini, & Beatricem filiam Caroli Martelli regis Hungariæ die 25. Maii.

XXVIII. Pontius II. de Monte-Lauro florebat tempore Philippi V. Francorum regis. *Memoires de Dauphiné page 225.*

XXIX. Guitardus le Bret 1313.

XXX. Pontius III. de Polignac, cui Petrus de C Monte-acuto duas domos de Cornelia nuncupatas donat an. 1315.

XXXI. Helias I. de Ventadour, filius nobilis & potentis viri Eblonis de Ventadoro, nominatur in inſtrumento venditionis factæ Bernardo domino de Turre ipſius conſanguineo, anno 1320. Fuit poſtea epiſc. Tornacenſis, ex Baluz. prob. hiſt. Arv. pag. 573.

XXXII. Helias II. de Ventadoro, filius Ebuli VIII. & Margaritæ de Bello-joco. Vide hiſt. Arv. Baluz. pag. 287.

XXXIII. Bernardus Bruni an. 1326. ex juramento quod coram eo præſtitit Petrus epiſcopus D die Dominica in feſto S. Clementis 23. Novemb. hujus anni, ind. X. Johannis papæ XXII. pontificatus anno XI. ex archiv. Capituli. Neſcio unde Sammarthani habeant quod fuerit decanus Lemovicenſis. Certe fuit decanus Anicienſis ex iis quæ diximus ſupra, poſtea epiſcopus Anicienſis anno 1327.

XXXIV. Lyautaudus I. de Solignac, ſeu Lanctaudus de Sollempniaco, ex baronibus de Solignac in Vellavia; quæ baronia nunc ad vicecomites Podomniacenſes attinet; ex præpoſito Anicienſis eccleſiæ fit decanus an. 1328. Ipſe & magnifici ac E venerabiles viri canonici eccleſiæ Anicienſis tranſigunt cum canonicis B. Mariæ civitatis S. Flori pro XII. ſextariis ſiliginis anno 1333. regnante Philippo rege; ex inſtrumento in dicta collegiata adſervato, cui ſubſcribunt canonici Anicienſes ex primaria nobilitate, quos inter nominandi Garinus de Fay ſordecanus, Pontius de Podempniaco, Hugo de Monte-Buxerio, Hugo de Turre, Ymbertus Maleti, Pontius de Rupe-baronis, Garinus de Canilhaco, &c. canonici Anicienſes.

XXXV. Petrus IV. Bertrand ſalutavit diem Annonæi in diœceſi Vivarienſi, filius Matthæi A Bertrand ex Agnete Emperiere, frater autem Guillelmi Æduorum ſeneſcalli, alterius Guillelmi ex præpoſito Anicienſi epiſcopi Anicienſis, Petri epiſc. Noviomenſis, & Bertrandi Bertrand abbatis Bonæ-cumbæ in Ruthenis. Decanatum per diſpenſationem papæ obtinuit 18. Junii an. 1340. quo tempore germanus frater Guillelmus præpoſituram obtinebat. Creatur epiſcopus Nivernenſis an. 1319. Æduenſis an. 1326. inde cardinalis presbyter tit. S. Clementis, & cancellarius Johannæ Francorum reginæ. Fundavit Pariſiis collegium Auguſtodunenſe, & juxta Annonæum * monaſterium Columbarienſe ord. S. Benedicti B congreg. Cœleſtinorum. An. 1343. hic decanus & capitulum fecerunt tranſactionem cum Johan. Chandorat epiſcopo. Cardinalis & decanus in pluribus homagiis an. 1345. reperitur. Petrus Bertrand de Colombiers, ſenator Pariſienſis & canonicus Anicienſis, poſtmodum epiſcopus Nivernenſis per reſignationem Petri decani noſtri, inde præſul Atrebatenſis, cardinalis tit. S. Suſannæ, ac demum epiſcopus Oſtienſis ac Veliternenſis, filius erat ſororis decani noſtri; ideoque avunculi reſignatoris & benefactoris gratia cognomen & inſignia Bertrandi accepit. Num æmulum habuit Petrus in hac dignitate? nam in tab. S. Evodii anno C 1340. reperitur Stephanus de Broco decanus Anicienſis.

* Annonay en Vivarez.

XXXVI. Henricus de Poitiers 1348.

XXXVII. Guillelmus VII. Tardieu, legum egregius profeſſor 1356. Ad eum ſcripſit Innocentius papa VI. 12. cal. Aug. an. ſui pontificatus X. hoc eſt anno 1361. aut 1362. de reſervatis apoſtolicæ ſedi bonis Johannis epiſcopi Anicienſis.

XXXVIII. Guillelmus VIII. Seguin 1368. egregius profeſſor nuncupatur.

XXXIX. Bertrandus II. de Thierno, 1369.

XL. Hugo III. Villate 1371.

* de Cayres XLI. Raimundus III. de * Cadris, dictus D d'Agrain 1376. Coram eo juramentum præſtat Petrus Girardi epiſc. Anicienſis 1388.

XLII. Guillelmus IX. de Chalancon, ex præpoſito fit decanus 1393.

XLIII. Ludovicus de Monte-Lauro, 1394.

XLIV. Petrus V. de Saluciis 1398. Obtinuit duo arreſta in parlamento Pariſienſi contra Heliam de l'Eſtrange epiſcopum Anicienſem, in quibus vir potens & egregius nominatur 1407. & 1408.

XLV. Amedeus de Saluciis, Frederici marchionis Saluciarum ex Beatrice Gebennenſi filius, frater vero Petri comitis Lugdunenſis ac Mimatenſis epiſcopi, cardinalis diaconus S. Mariæ-novæ, patruo Petro ſucceſſit in decanatu an. 1410. Huic Mathurinus des Rois prior S. Deſiderii nuncupavit hiſtoriam B. Mariæ Anicienſis partim proſa partim metrice Gallice exaratam 1419. Lugduni excuſam typis Claudii Nourry.

XLVI. Georgius de Saluciis decanatus poſſeſſionem adipiſcitur 7. Octob. die an. 1419. Superpellicium & almutiam obtulit Carolo VII. Francor. regi eccleſiam Angelicam adeunti 1420. Eodem an. Georgio de Saluciis potenti & magnæ proſapiæ viro, decano Anicienſi, Aimericus Roſtagnus dominus de Laurac homagium exhibet.

Digitized by Google

XLVII. Urbanus Gervais 1440.

XLVIII. Jacobus I. de Ceyſſac 1470. Deputatus fuit cum aliis duobus canonicis ut regi Ludovico XI. Anicium ſacræ peregrinationis cauſa pergenti obviam iret 1475. a quo principe, per Gilibertum de la Fayette Regis armigerum præſentati, benigne ſunt excepti in pago de Fis trium leucarum intercapedine ab urbe Anicii diſſito. Ipſe vero decanus habitu canonicali regem Chriſtianiſſimum in ſacram baſilicam intrantem induit.

XLIX. Petrus VI. de Villa-nova occurrit nobis eodem anno nonnullis in ſchedis.

L. Guillelmus X. d'Eſtotaville cardinalis epiſcopus Oſtienſis, archiepiſc. Rothomagenſis 25. Novembris.

LI. Jacobus II. de Ceyſſac protonotarius & legum doctor an. 1483. ex inſtrumento receptionis Johannis de Burriana abbatis Doenſis, in eccleſiam Anicienſem.

LII. Bertrandus III. de Polignac 1497. Ludovici Armandi vicecomitis de Polignac baronis de Chalancon ex Elizabetha de Turre de Bolonia filius. Succeſſit avunculo ſuo Bertrando de Chalancon in ſede epiſcopali Ruthenenſi.

LIII. Gaufridus de Turribus 7. Sept. 1501. Laudatur in tranſactione facta anno 1519. cum Antonio epiſcopo. Renovavit terraria an. 1526.

LIV. Chriſtophorus d'Alzon 1527.

LV. Matthæus Servajan reperitur decanus eodem anno 1527.

LVI. Franciſcus I. de Tours 1528. In quadam tranſactione anni 1519. appellatur Franciſcus de Turribus.

LVII. Jacobus III. de Joyeuſe 1540.

LVIII. Guichardus de Roveria, dictus de Beaudeduit, protonotarius apoſtolicus, ex abbate ſancti Petri de Turre.

LIX. Antonius Verdier 1542.

LX. Petrus VII. de Copulatorio, e nobili prope Anicium familia 1543.

LXI. Jacobus IV. Cordoan 1550.

LXII. Gilibertus de Beaufort, abb. S. Sequani 1556.

LXIII. Hilarius de Grolhac 1585. Fundavit miſſam celebrandam ſingulis diebus Sabbathi in honorem B. Mariæ.

LXIV. Johannes Laurens e loco de Paulhaguet in Arvernia oriundus, officialis & decanus, vir eruditus ac timens Deum, duas conſtruxit capellas ex utroque latere chori eccleſiæ cathedralis, alteram in honorem S. Laurentii, alteram in honorem S. Johannis, utriuſque patroni ſui; tertiam ædificavit in collegii Anicienſis eccleſia, in qua tumulari voluit. Eccleſiam cathedralem, necnon eccleſiam collegiatam S. Georgii in urbe ſancti Pauliani pluribus tabellis & picturis decoravit. Domum decanorum magnis ſumtibus refecit, variiſque picturis & carminibus exornavit. Decanatum obtinebat annis 1608. & 1633. Anno 1612. 1. Aprilis diſpenſavit Antonium de Giorand pro contrahendo matrimonio cum Johanna Maria de Polignac conſanguinea ſua.

LXV. Nicolaus des François 1635.

LXVI. Marcellinus I. de Beget, e nobili apud Velaunos ſtirpe, vir integerrimus & optimus, 1654. Obiit 1679. in domo paterna juxta Monaſtrolium, & ſepultus eſt in ejuſdem ſacello in tumulo majorum.

LXVII. Hippolytus de Bethune, frater Armandi epiſcopi, poſtea ipſemet epiſcopus Virdunenſis, decanatum obtinet 1670. & reſignat ſequenti 1680. ad commendationem Regis & P. Franc. de la Chaiſe, magnum ſui deſiderium in urbe relinquens, & præſertim in capitulo, cujus ornamentum erat & deliciæ.

LXVIII. Franciſcus II. de Laſcaris d'Urfé decanus renuntiatur 1680. ſed animarum zelo æſtuans, reſignato decanatu fratri ſuo Emmanueli, Kanadam repetiit, ubi apoſtolicis laboribus exantlatis, ad abbatiam S. Petri de Uzerchia evocatur. Tandem annis & meritis plenus, occumbit in caſtro gentilitio de Baugé apud Sebuſianos.

LXIX. Emmanuel de Laſcaris d'Urfé anno 1686. ſucceſſit meritiſſimo fratri, præter quem alios habuit fratres: Ludovicum epiſcopum Lemovicenſem, Claudium Yvonem Oratorii ſacerdotem, Joſephum provinciæ Lemovicenſis præfectum & Carolum Mauritium Bonaventuram comitem de Somerive. Filius erat Ludovici Emmanuelis marchionis d'Urfé, & Margaritæ d'Alegre. Vir morum candore & innocentia ſpectabilis, regularem vitam in ſeminario Anicienſi degebat. Obiit in ſeminario Claromontenſi die 13. Julii 1689.

LXX. Melchior de Chabanes e nobili genere in Vallavia natus, virtute & doctrina nobilior, e theologo eccleſiæ cathedralis, decanus nominatur ab illuſtriſſ. præſule Armando de Bethune 1689. Fundavit proceſſionem in die feſto Præſentationis beatæ Mariæ, quo die & ipſe fuerat natus; denatus eodem die.

LXXI. Gaſpardus Renatus de Montlaur de Murles nobiles cunas habuit apud Montem-Peſſulanum, nominatur ad decanatum an. 1690. per D. Arm. de Bethune, cujus erat vicarius generalis, ſicuti & prædeceſſor. Vir optimus in ipſo ætatis flore interceptus, ſepultus eſt in capitulo Anicienſi ubi ſequens legitur epitaphium: *Hîc jacet vir nobilis Gaſpardus Renatus de Monlaur de Murles, doctor theologus, hujus eccleſiæ decanus, necnon vicarius generalis illuſtriſſimi ac reverendiſſimi domini D. Armandi de Bethune epiſcopi Anicii. Obiit die 23. menſis Novembris an. 1703.*

LXXII. Renatus II. Boizard, Cenomanenſis, prior S. Juliani de Captolio, abb. B. Mariæ de Vernuſſia per ceſſionem Armandi de Bethune, ejuſdemque vicarius generalis, ex abbate ſancti Evodii nominatur decanus ab eodem illuſtriſſimo præſule in lecto mortis decumbente anno 1703. & reſignavit ſequenti.

LXXIII. Marcellinus II. de Beget, filius Marcellini majoris urbis Anicii, & Ludoviæ de Saignard de Queriere, prior S. Marcellini d'Araules, ex canonico & forisdecano majore, decanus recipitur die 20. Martii 1708. Per interpontificium electus fuerat officialis a capitulo, quod nunc prudentia, pietate, humanitate, eruditione, aliiſque dotibus egregiis decorat. Utinam ad multos annos. Alium fratrem habet in capitulo, canonicum,

Digitized by Google

verbi Divini præconem eximium, & alium Dominicanum provinciæ Toloſanæ, theologiæ profeſſorem eruditiſſimum.

Omiſſus eſt Johannes Laurent decanus qui obiit 5. die Julii; pro eo fit ſolemne anniverſarium in eccl. cathedrali in ſacello S. Andreæ; pro quo peragendo reliquit capitulo 4000. libras ſibi debitas ex adminiſtratione theſaurariæ ſecundum definitionem computi. Idem fundavit miſſam quotidianam in cathedrali, videlicet ſingulis Sabbatis de B. Maria, diebus Lunæ de defunctis, aliis diebus de officio diei.

PRÆPOSITI ANICIENSES.

PRÆPOSITI dignitas ſimul cum capitulo canonicorum videtur inſtituta. Poſt epiſcopum olim primas tenebat præpoſitus, ut patet ex veteri notitia inſtrumentis adjecta; nunc locum habet poſt decanum. Confert quinque canonicatus *pauperta-tis*, & munus baptiſtæ, ſeu vicariam S. Johannis, in cujus ſacello domui præpoſitorum contiguo exſtat baptiſterium in quo ſolo omnes Anicii cives ſacris undis regenerantur; urbis namque parochi non baptizant. Præpoſito ſubjacet eccleſia S. Symphoriani de Sanſeco, in cujus cœmeterio nuperrime repertus eſt lapis pervetuſtus in modum columnæ ovalis cum inſcriptione Philippis imperatoribus, patri ſcilicet ac filio poſita; nam utriuſque fit mentio, proindeque an. 144. vel ſaltem paulopoſt. Ceterum præpoſitorum ſeriem hîc damus, qualem e veteribus inſtrumentis eccleſiæ Anicienſis licuit eruere, adjuvante urbaniſſimo viro Vitali *Marie* presbytero, chorario Anicienſi, & cuſtode archivi venerabilis univerſitatis S. Mayoli. Priorum ſeptem nomina eruimus ex pervetuſto obituum libro, in quo non adnotantur anni.

C. XXXIV. col. 240.

PRÆPOSITORUM SERIES.

I. HELDOGERIUS I.

II. Mauritius I. obiit XIV. cal. Oct.

III. Pontius, calend. Auguſti.

IV. Guillelmus I. quarto nonas Julii.

V. Matthæus Guillelmi quarto idus Novemb.

VI. Bernardus XII. calend. Januarii.

VII. Mauritius II. XII. calend. Martii.

VIII. Roſtagnus præpoſitus ſubſcribit chartæ fundationis S. Michaëlis de Segureto, an. 962.

IX. Guido, Guigo, ſeu Wido I. epiſcopus Valentinenſis, ſimul & præpoſitus Anicienſis obfirmat chartam fundationis monaſterii S. Petri Anicienſis, an. 993.

X. Beraldus * de Mercorio, frater S. Odilonis abbatis Cluniacenſis, & patruus Stephani epiſcopi Anicienſis, quibuſcum monaſterium Benedictinum S. Crucis de Volta * in ſolo paterno fundare conſtituerat ad ripam Elaveris; quod ab ipſius nepotibus, præſertim a Stephano ejus in præpoſitura ſucceſſore abſolutum eſt anno circiter 1025. Vide Mabill. ad hunc an. n. 72. Anno 1004. ipſe & Robertus abbas S. Petri ſubſcribunt permutationi quarumdam domorum Gauſlino dimiſſarum ab Odilone Cluniacenſi abbate III. non. Febr. Luna 8. indict. 2. Memoratur in tabulis Calmeliacenſibus an. 1001. cum Eldeno decano.

* Geraldus, *apud Mab. tom. 4. Analect. pag. 312. Vide Baluz. l. 1. hiſt. dom. Arv. pag. 28. & tom. IV. Annal. Mabill. ad an. 1025. n. 72.*

* la Voulte de Chillac.

XI. Stephanus I. de Mercorio, Beraldi, *al.* Geraldi, * nepos ex fratre Guillelmo, ſuccedit in præpoſitura, e qua evocatur ad infulas Claromontenſis eccleſiæ 1051. Videtur non alius a Stephano qui tempore Stephani abbatis Caſæ-Dei cum Balduino decano, Armando abb. de Segureto, &c. dedit Caſæ-Dei eccleſias de Ucionio, & Rivo-torto, *Uſſon* & *Rioutort*. Vide Baluz. ibid.

* Ex Mabill. ibidem nepos non fuerat.

XII. Heldogerius II. præpoſitus Anicienſis tempore Stephani epiſc. medio circiter ſeculo XI. benefactor monaſterii S. Petri Pod. forte hoc reponendus loco.

XIII. Petrus I. de Mercorio vulgo cognominatus, præpoſitus & archidiaconus, vir nobilis natu, nobilius educatus, communi conſilio ac voto cleri, nobilium, & populi, creatur Anicienſis præſul an 1053. reclamante ac contradicente Toloſatum comite, qui Bertrandum Mimatenſis eccleſiæ archidiaconum ad hanc ſedem evehere ſatagebat.

XIV. Guillelmus II. an. circiter 1096. tempore Adhemari epiſc.

XV. Stephanus II. approbat donationem factam ab Humberto epiſcopo, monaſterio Piperacenſi de eccleſia S. Martini de Podemniaco circa an. 1130.

XVI. Willelmus III. anno 1167. ſubſcribit litteris Petri epiſcopi quibus dat *unam canonicam* Pontio abb. Caſæ-Dei.

XVII. Guillelmus IV. qui obiiſſe dicitur 4. non. Jan. 1202. Forte eſt Willelmus de Baffia nepos & heres Willelmi de Baffia Clarom. epiſcopi qui veniens apud * Calcidos-montes cum fratre ſuo nomine Silvio, dereliquit & *Werpivit* malas conſuetudines, quas habere videbatur in terra S. Petri Celſinienſis, per *laudamentum* domni Arberti, & domni Petri de Montrevel; *quam Werpitionem manu ſua per miſſalem ſuper altare poſuit, oſculans ipſum altare & ipſum miſſalem coram teſtibus domno Euſtachio priore de Celſinaniis, & aliis pluribus, tempore domni Hugonis abbatis.* Ceterum ipſum putamus non obiiſſe ante annum 1208. quo videlicet legimus compoſitionem factam eſſe inter B. epiſcopum, Hugonem decanum, V. præpoſitum, &c. ac clericos Anicienſes ſuperpellicium portantes.

* Chaumont, *prioratus Celſiniis ſubjacens.*

XVIII. Mauritius III. de S. Bonito obiit XII. cal. Aprilis anno 1223. ejus tamen anniverſariæ preces notantur in necrologio S. Petri Anicienſis.

XIX. A. anno 1227. ex charta quam damus in Stephano epiſcopo. Fortaſſe eſt Armandus I. de Petra exemtus rebus humanis 8. cal. Decembris, ex necrologio fratrum Minorum. Hic anno 1236. ſubſcribit tranſactioni factæ inter Petrum de Laſtic abb. Piperacenſem, & Mauricium de S. Bonito canonicum Podienſem.

Digitized by Google

XX. Armandus II. de Podemniaco, ex abbate S. Petri de Turre præpoſitus. Fortaſſe eſt hic A. præpoſitus Anicienſis ſubſcriptus in inſtrumento de Mercorio, dato in clauſtro Mimatenſi anno Incarn. 1240. indict. 13. Tranſigit an. 1246. cum capitulo Anicienſi pro unione eccleſiæ de S. Habundo * ad officium theſaurarii eccleſiæ Anicienſis. Creatur ejuſdem eccleſiæ epiſcopus ſummo omnium bono an. 1255.

* S. Abond.

XXI. Rando I. de Tornello an. 1257. excipit juramentum Guidonis Fulcodi epiſcopi.

XXII. Guillelmus IV. de Monte-Revello an. 1267. tranſigit cum A. de Maſtra *hoſtalario* Caſæ-Dei, hoc eſt hoſpitalario; & an. 1277. cum ipſo *devoto* Caſæ-Dei monaſterio. Sede vacante, excepit Philippum III. regem Francorum die 20. Octob. 1282. cui adventanti diſertiſſima oratione gratulatus eſt, obtulitque claves urbis, quas princeps Guillelmo du Pont-chabron Bellicadri ſeneſcallo cuſtodiendas tradidit. An. 1295. occurrit in tabulis Univerſitatis S. Majoli. Anno 1296. excepit juramentum Johannis epiſcopi Anicienſis. In vivis degebat anno 1298. Circa annum 1270. legitur quidam Mauricius præpoſitus Anicienſis, dominus caſtrorum S. Boniti & Novæ-cellæ, qui teſtamentum ſuum condidit hoc anno die Veneris poſt feſtum omnium Sanctorum, cui Pontius ejus frater abbas Aquæ-bellæ ſubſcripſit. Eſt idem forte ac Mauricius de Rupe-Savina, ſive de Roca-Savina, Anicienſis præpoſitus qui monaſterio Caſæ-Dei villas ſeu manſos de Chaſſonairetas, de Maſplas, del Terrail, & del Mas-Augeil, quæ ſunt prope Doram & prope Arlencum, legavit in *ſua ultima voluntate*, propter duo anniverſaria ſingulis annis facienda, unum videlicet in die obitus ſui, aliud vero pro anima bonæ memoriæ domini P. Mauritii quondam patrui teſtatoris prædicti. Id habemus compertum ex inſtrumento confirmationis ejuſdem inſtrumenti dato Caſæ-Dei XII. cal. Martii anno Dom. M. CC. LXXIII. per Petrum dominum Rupis-Savinæ & caſtri S. Boniti de Burgo, Mauritii præpoſiti ex fratre filium. At putamus hunc præpoſitum fuiſſe laïcum; aut hic Mauritius, poſt abdicatum præpoſituræ officium, adhuc titulum retinebat. Guillelmus adhuc præpoſitus erat annis 1285. & 86. Vide ch. 21. col. 237. A. item anno 1290. ex ch. 22. col. 237. E.

XXIII. Rando II. de Tornel, vicarius generalis Johannis epiſcopi, confert eccleſiam S. Symphoriani, ad præſentationem prioris S. Marcellini de Cantogilo, Petro Juliani presbytero idibus Decembris 1301. Tranſigit cum *pauperibus* canonicis menſe Septembri 1307.

XXIV. Lancaudus, ſive Lyautaudus de Solignac præpoſitus an. 1320. fit decanus ejuſdem eccleſiæ an. 1328.

XXV. Guigo de ſancto Germano an. 1337. Ipſi & Nicolao præpoſito S. Audomari Benedictus papa XII. commiſit adminiſtrationem & reformationem eccleſiæ Moguntinæ, anno 111. ſui pontificatus; ex rubricis anni ejus tertii, in notis ad Vitas paparum Avenionenſium c. 898. Factus epiſcopus Carcaſſonenſis, ſepulturam elegit in capitulo cathedralis Anicienſis an. 1348.

XXVI. Guillelmus V. Bertrand de Colombiers, ſimul canonicus eccleſiarum Noviomenſis & Laudunenſis anno 1344. 26. Julii, ex archivis Univerſitatis S. Majoli. Creatur epiſcopus Sueſſionenſis die 19. Novembris 1347. Parentes habuit Matthæum Bertrand & Agnetem Emperiere, fratres autem Petrum epiſc. Noviomenſem, Guillelmum de S. Romain Æduorum ſeneſcallum, Bertrandum abbatem Bonæ-Cumbæ, ut quidam aiunt, apud Ruthenos, & Petrum decanum Anicienſem. Quidam monachus Cœleſtinus, ex eodem genere inducit alium præpoſitum, ſcilicet Guillelmum de Colombiers filium Bartholomæi ex Hugueta de Laliguacy; ſed vix invenitur ipſi locus & tempus quo præfuerit.

XXVII. Guillelmus VI. de Colbert 1348.

XXVIII. Guillelmus VII. d'Apcher, e nobiliſſima apud Velaunos familia an. 1355.

XXIX. Guido II. d'Apcher 1358.

XXX. Guillelmus VIII. de Chalanconio 1365.

XXXI. Johannes I. de ſancto Severino 1370.

XXXII. Guillelmus IX. de Chalanconio ab anno 1376. Intereſt pactis matrimonii inter Agnonem de Turre & Beatricem filiam nobilis viri Guillelmi domini de Chalanconio an. 1372. ex Baluz. prob. hiſt. dom. Arv. pag. 717. item an. 1387. aliis pactis matrimonii ibid. pag. 609. In charta caſtri de Podemniaco memoratur anno 1385. ſit decanus 1393. & reſignat ſequenti.

XXXIII. Ludovicus I. de Chalanconio 1393.

XXXIV. Cardinalis de ſancto Angelo 1408. contendit cum Guillelmo de Chalanconio pro præpoſitura obtinenda, quam, lite pendente, regendam ſuſcepit a ſummo pontifice abbas ſancti Theofredi.

XXXV. Guillelmus X. de Chalanconio, filius Guillelmi baronis de Chalancon ex ſponſa Johanna de la Mothe-Saint-Jean. Eligitur in epiſcopum Anicienſem 1418.

XXXVI. Johannes II. de ſancto Severino dat ſuperpellicium Carolo VII. Francorum regi eccleſiam B. Mariæ adeunti in vigilia Aſcenſionis Domini 1420.

XXXVII. Guarinus I. de Caſtro-novo * de Randone 1441.

* Chateauneuf de Randon en Gevaudan.

XXXVIII. Guarinus II. de ſancto Remigio obiit 1460. Petrus de Chalanconio ab anno 1460. ad annum 1479. litem habuit cum Petro de Agiis pro obtinenda præpoſitura, quæ tandem ceſſit arreſto diffinitivo, ſequenti præpoſito anno 1479.

XXXIX. Carolus I. de Agis protonotarius S. ſedis apoſtolicæ; diem obiit 1487. pacificus poſſeſſor; ideoque expungendus videtur ex albo præpoſitorum præfatus Petrus.

XL. Benedictus Adam, doctor in utroque jure, protonotarius, auditor ſacri palatii, canonicus Claromontenſis, ſenator in majori conſilio Pariſiis, necnon in ſupremo ſenatu Burdigalenſi, proviſus fuit de præpoſitura per ſanctam ſedem apoſtolicam anno 1487. Anno 1506. obtinuit quoque prioratum S. Porciani; quo anno reddit homa-

Digitized by Google

gium epiſcopo Claromontano pro prioratu de Carmeliis, die Jovis 17. Decembris. Domum præpoſitorum maxime reſtauravit. Obiit die 18. menſis Octobris 1512. Fuit etiam orator Caroli regis ad ſedem apoſtolicam, ut legitur in bulla qua obtinuit indulgentias pro capella S. Crucis eccleſiæ Carmelitarum Anicienſium, in qua fundavit miſſam die Veneris cujuſlibet hebdomadæ celebrandam. Bulla data eſt an. 1492. idibus Aprilis.

XLI. N. de Trabalhac 1515.

XLII. Jacobus I. de la Barde ſenator Pariſienſis, præpoſitus Anicienſis nominatur in charta epiſcopi Claromontenſis die 7. Aprilis 1517. ante Paſcha.

XLIII. Johannes III. de Rota 1518. In quadam collectione inſtrumentorum pag. 21. legitur tempore compoſitionis factæ anno 1519. inter Antonium epiſcopum & decanum capitulumque, Jacobum de Roſtaing fuiſſe præpoſitum: ſed tardius vixit.

XLIV. Carolus II. de la Garde 1525.

XLV. Jacobus II. de la Garde. In ſuprema curia Pariſienſi præſes 1534.

XLVI. Firminus Girard obiit 10. die Martii 1541.

XLVII. Ludovicus II. Eyraud de Serviſſac, 1542. Obiit an. 1555. die tertia Julii, quo die celebratur pro ipſo miſſa cum officio defunctorum in eccleſia cathedrali.

XLVIII. Jacobus III. de Roſtaing, abbas Piperaci & Boni-fontis an. 1555. Obiit 5. Octobris 1585. Celebratur in eccleſia cathedrali miſſa ſolemnis die 5. Oct. pro Jacobo de Roſtaing præpoſito, abbate Piperaci & Boni-fontis, ab eodem fundata an. 1585.

XLIX. Antonius I. Valentin, Anicienſis, an. 1584.

L. Chriſtophorus de Bertrand 1610. 1619. 1624. ex archiv. Univerſitatis S. Majoli.

LI. Jacobus IV. de Roqueplan, ex nobili familia in Velaunia, an. 1644. & 1647. 29. Januarii, ex arch. Univerſ. S. Majoli; obiit 1682. Reſtauravit ſacellum B. Mariæ in eccleſia de Sanſaco præpoſitis ſubdita.

LII. Melchior I. de Polignac 1681. per deceſſoris reſignationem, Reginæ ab eleemoſynis, filius Gaſpardi Armandi de Polignac vicecomitis equitis torquati ex N. de Tournon, abbas Montis-Burgi, vir pietate & humanitate præcipuus, præpoſitura reſignata ſequenti ob infirmitates continuas, moritur & ſepelitur in tumulo majorum apud Voltam Podemniacenſem.

LIII. Melchior II. de Polignac filius Ludovici Armandi vicecomitis de Polignac, ex Jacquelina du Roure, doctor Sorbonicus, vir omnigena eruditione, & ingenii præſtantia Orbi univerſo ſpectabilis, poſſeſſionem adiit die ſacra S. Gregorio magno eccleſiæ doctori 1689. Sed & præpoſituram reſignat ſequenti erudito præceptori ſuo.

LIV. Jacobus V. Rouſſel 1690. principalis collegii Plæſſei-Sorbonici.

LV. Johannes IV. Geneſtet per reſignationem præcedentis recipitur præpoſitus 1692. Obiit 19. ejuſdem anni.

LVI. Claudius Geneſtet Anicienſis, patruo reſignante, præpoſituram obtinet 12. Novembris 1692. Supremam in Sorbona lauream adeptus, omnium laudem tum eruditione pietati conjuncta, tum urbanis & egregiis moribus in dies adipiſcitur. Poſt mortem Armandi epiſcopi electus eſt a capitulo vicarius generalis per interpontificium. Reſtauravit domos præpoſituræ tam in urbe Anicio, quam in villa de Sanſaco. Terraria præpoſituræ redintegravit.

DE ABBATIIS ET VETERIBUS MONASTERIIS diœceſis Anicienſis.

DE abbatiis locuturi, ſolemus exordium ducere ab illis quæ nunc aut non exſtant, aut ſtatum mutaverunt. Nulla autem nobis occurrit præter vetus monaſterium S. Petri apud Podium ordinis ſancti Benedicti, quod fundatum dicitur a Guidone epiſcopo an. 993. de quo vide in eodem Guidone. Statim vero ab ipſa fundatione vel paulo poſt ſubjicitur Calmeliacenſi cœnobio, cujus nunc cella eſt ſeu prioratus. Ibi ſepulturæ mandatus eſt Beraldus frater S. Odilonis abbatis Cluniacenſis. Ceterum etſi Guido epiſcopus legatur auctor hujus monaſterii, veriſimile eſt ipſi tantum deberi ejus reſtaurationem, in veteribus enim tabulis fit mentio fundationis S. Petri apud Anicium anno 908. cui jam diximus tomo primo adfuiſſe Guillelmum Mimatenſem epiſcopum.

Ex abbatiis exſtantibus tres ſunt quæ titulo tenus videntur abbatiæ, pertinentque ad capitulum, cujus ſunt dignitates; ſcilicet, S. Petri de Turre, S. Michaëlis de Segureto, & S. Evodii.

ABBATIA S. PETRI DE TURRE.

ABBATIA ſecularis S. Petri de Turre * intra urbem Anicium ſita, dignitas eſt in eccleſia cathedrali, primaſque obtinet abbas poſt præpoſitum. Eccleſia parochialis eſt, quam confert dominus abbas cum pluribus capellaniis. Præterea hoc jure inter alia gaudet quod quando ſacra B. Mariæ Anicienſis per urbem defertur effigies, ephippiorum opifices tenentur ipſum deducere ex abbatia S. Petri ad eccleſiam cathedralem, eundem ſtipare toto proceſſionis tempore, ac demum in abbatiam reducere, ſinguli portantes ſcuta gentilitia abbatis, quæ eidem relinquunt, ut conſtat ex variis inſtrumentis & ex duabus inſcriptionibus quæ in aula abbatiali cum pluribus ſcutis adfixæ ſunt.

* S. Pierre la Tour.

Digitized by Google

XX. Armandus II. de Podemniaco, ex abbate S. Petri de Turre præpoſitus. Fortaſſe eſt hic A. præpoſitus Anicienſis ſubſcriptus in inſtrumento de Mercorio, dato in clauſtro Mimatenſi anno Incarn. 1240. indict. 13. Tranſigit an. 1246. cum capitulo Anicienſi pro unione eccleſiæ de S. Habundo * ad officium theſaurarii eccleſiæ Anicienſis. Creatur ejuſdem eccleſiæ epiſcopus ſummo omnium bono an. 1255.

* S. Ahond.

XXI. Rando I. de Tornello an. 1257. excipit juramentum Guidonis Fulcodi epiſcopi.

XXII. Guillelmus IV. de Monte-Revello an. 1267. tranſigit cum A. de Maſtra *hoſtalario* Caſæ-Dei, hoc eſt hoſpitalario; & an. 1277. cum ipſo *devoto* Caſæ-Dei monaſterio. Sede vacante, excepit Philippum III. regem Francorum die 20. Octob. 1282. cui adventanti diſertiſſima oratione gratulatus eſt, obtulitque claves urbis, quas princeps Guillelmo du Pont-chabron Bellicadri ſeneſcallo cuſtodiendas tradidit. An. 1295. occurrit in tabulis Univerſitatis S. Majoli. Anno 1296. excepit juramentum Johannis epiſcopi Anicienſis. In vivis degebat anno 1298. Circa annum 1270. legitur quidam Mauricius præpoſitus Anicienſis, dominus caſtrorum S. Boniti & Novæ-cellæ, qui teſtamentum ſuum condidit hoc anno die Veneris poſt feſtum omnium Sanctorum, cui Pontius ejus frater abbas Aquæ-bellæ ſubſcripſit. Eſt idem forte ac Mauricius de Rupe-Savina, ſive de Roca-Savina, Anicienſis præpoſitus qui monaſterio Caſæ-Dei villas ſeu manſos de Chaſſonairetas, de Maſplas, del Terrail, & del Mas-Augeil, quæ ſunt prope Doram & prope Arlencum, legavit in *ſua ultima voluntate*, propter duo anniverſaria ſingulis annis facienda, unum videlicet in die obitus ſui, aliud vero pro anima bonæ memoriæ domini P. Mauritii quondam patrui teſtatoris prædicti. Id habemus compertum ex inſtrumento confirmationis ejuſdem inſtrumenti dato Caſæ-Dei XII. cal. Martii anno Dom. M. CC. LXXIII. per Petrum dominum Rupis-Savinæ & caſtri S. Boniti de Burgo, Mauritii præpoſiti ex fratre filium. At putamus hunc præpoſitum fuiſſe laïcum; aut hic Mauritius, poſt abdicatum præpoſituræ officium, adhuc titulum retinebat. Guillelmus adhuc præpoſitus erat annis 1285. & 86. Vide ch. 21. col. 237. A. item anno 1290. ex ch. 22. col. 237. E.

XXIII. Rando II. de Tornel, vicarius generalis Johannis epiſcopi, confert eccleſiam S. Symphoriani, ad præſentationem prioris S. Marcellini de Cantogilo, Petro Juliani presbytero idibus Decembris 1301. Tranſigit cum *pauperibus* canonicis menſe Septembri 1307.

XXIV. Lancaudus, ſive Lyautaudus de Soſignac præpoſitus an. 1320. fit decanus ejuſdem eccleſiæ an. 1328.

XXV. Guigo de ſancto Germano an. 1337. Ipſi & Nicolao præpoſito S. Audomari Benedictus papa XII. commiſit adminiſtrationem & reformationem eccleſiæ Moguntinæ, anno 111. ſui pontificatus; ex rubricis anni ejus tertii, in notis ad Vitas paparum Avenionenſium c. 898. Factus epiſcopus Carcaſſonenſis, ſepulturam elegit in capitulo cathedralis Anicienſis an. 1348.

XXVI. Guillelmus V. Bertrand de Colombiers, ſimul canonicus eccleſiarum Noviomenſis & Laudunenſis anno 1344. 26. Julii, ex archivis Univerſitatis S. Majoli. Creatur epiſcopus Sueſſionenſis die 19. Novembris 1347. Parentes habuit Matthæum Bertrand & Agnetem Emperiere, fratres autem Petrum epiſc. Noviomenſem, Guillelmum de S. Romain Æduorum ſeneſcallum, Bertrandum abbatem Bonæ-Cumbæ, ut quidam aiunt, apud Ruthenos, & Petrum decanum Anicienſem. Quidam monachus Cœleſtinus, ex eodem genere inducit alium præpoſitum, ſcilicet Guillelmum de Colombiers filium Bartholomæi ex Hugueta de Laliguacy; ſed vix invenitur ipſi locus & tempus quo præfuerit.

XXVII. Guillelmus VI. de Colbert 1348.

XXVIII. Guillelmus VII. d'Apcher, e nobiliſſima apud Velaunos familia an. 1355.

XXIX. Guido II. d'Apcher 1358.

XXX. Guillelmus VIII. de Chalanconio 1365.

XXXI. Johannes I. de ſancto Severino 1370.

XXXII. Guillelmus IX. de Chalanconio ab anno 1376. Intereſt pactis matrimonii inter Agnonem de Turre & Beatricem filiam nobilis viri Guillelmi domini de Chalanconio an. 1372. ex Baluz. prob. hiſt. dom. Arv. pag. 717. item an. 1387. aliis pactis matrimonii ibid. pag. 609. In charta caſtri de Podemniaco memoratur anno 1385. fit decanus 1393. & reſignat ſequenti.

XXXIII. Ludovicus I. de Chalanconio 1393.

XXXIV. Cardinalis de ſancto Angelo 1408. contendit cum Guillelmo de Chalanconio pro præpoſitura obtinenda, quam, lite pendente, regendam ſuſcepit a ſummo pontifice abbas ſancti Theofredi.

XXXV. Guillelmus X. de Chalanconio, filius Guillelmi baronis de Chalancon ex ſponſa Johanna de la Mothe-Saint-Jean. Eligitur in epiſcopum Anicienſem 1418.

XXXVI. Johannes II. de ſancto Severino dat ſuperpellicium Carolo VII. Francorum regi eccleſiam B. Mariæ adeunti in vigilia Aſcenſionis Domini 1420.

XXXVII. Guarinus I. de Caſtro-novo * de Randone 1441.

* Chateauneuf de Randon en Gevaudan.

XXXVIII. Guarinus II. de ſancto Remigio obiit 1460. Petrus de Chalanconio ab anno 1460. ad annum 1479. item habuit cum Petro de Agiis pro obtinenda præpoſitura, quæ tandem ceſſit arreſto diffinitivo, ſequenti præpoſito anno 1479.

XXXIX. Carolus I. de Agis protonotarius S. ſedis apoſtolicæ; diem obiit 1487. pacificus poſſeſſor; ideoque expungendus videtur ex albo præpoſitorum præfatus Petrus.

XL. Benedictus Adam, doctor in utroque jure, protonotarius, auditor ſacri palatii, canonicus Claromontenſis, ſenator in majori conſilio Pariſiis, necnon in ſupremo ſenatu Burdigalenſi, proviſus fuit de præpoſitura per ſanctam ſedem apoſtolicam anno 1487. Anno 1506. obtinuit quoque prioratum S. Porciani; quo anno reddit homa-

Digitized by Google

gium epiſcopo Claromontano pro prioratu de Carmeliis, die Jovis 17. Decembris. Domum præpoſitorum maxime reſtauravit. Obiit die 18. menſis Octobris 1512. Fuit etiam orator Caroli regis ad ſedem apoſtolicam, ut legitur in bulla qua obtinuit indulgentias pro capella S. Crucis eccleſiæ Carmelitarum Anicienſium, in qua fundavit miſſam die Veneris cujuſlibet hebdomadæ celebrandam. Bulla data eſt an. 1492. idibus Aprilis.

XLI. N. de Trabalhac 1515.

XLII. Jacobus I. de la Barde ſenator Pariſienſis, præpoſitus Anicienſis nominatur in charta epiſcopi Claromontenſis die 7. Aprilis 1517. ante Paſcha.

XLIII. Johannes III. de Rota 1518. In quadam collectione inſtrumentorum pag. 21. legitur tempore compoſitionis factæ anno 1519. inter Antonium epiſcopum & decanum capitulumque, Jacobum de Roſtaing fuiſſe præpoſitum: ſed tardius vixit.

XLIV. Carolus II. de la Garde 1525.

XLV. Jacobus II. de la Garde. In ſuprema curia Pariſienſi præſes 1534.

XLVI. Firminus Girard obiit 10. die Martii 1541.

XLVII. Ludovicus II. Eyraud de Serviſſac, 1542. Obiit an. 1555. die tertia Julii, quo die celebratur pro ipſo miſſa cum officio defunctorum in eccleſia cathedrali.

XLVIII. Jacobus III. de Roſtaing, abbas Piperaci & Boni-fontis an. 1555. Obiit 5. Octobris 1585. Celebratur in eccleſia cathedrali miſſa ſolemnis die 5. Oct. pro Jacobo de Roſtaing præpoſito, abbate Piperaci & Boni-fontis, ab eodem fundata an. 1585.

XLIX. Antonius I. Valentin, Anicienſis, an. 1584.

L. Chriſtophorus de Bertrand 1610. 1619. 1624. ex archiv. Univerſitatis S. Majoli.

LI. Jacobus IV. de Roqueplan, ex nobili familia in Velaunia, an. 1644. & 1647. 29. Januarii, ex arch. Univerſ. S. Majoli; obiit 1682. Reſtauravit ſacellum B. Mariæ in eccleſia de Sanſaco præpoſitis ſubdita.

LII. Melchior I. de Polignac 1681. per deceſſoris reſignationem, Reginæ ab eleemoſynis, filius Gaſpardi Armandi de Polignac vicecomitis equitis torquati ex N. de Tournon, abbas Montis-Burgi, vir pietate & humanitate præcipuus, præpoſitura reſignata ſequenti ob infirmitates continuas, moritur & ſepelitur in tumulo majorum apud Voltam Podemniacenſem.

LIII. Melchior II. de Polignac filius Ludovici Armandi vicecomitis de Polignac, ex Jacquelina du Roure, doctor Sorbonicus, vir omnigena eruditione, & ingenii præſtantia Orbi univerſo ſpectabilis, poſſeſſionem adiit die ſacra S. Gregorio magno eccleſiæ doctori 1689. Sed & præpoſituram reſignat ſequenti erudito præceptori ſuo.

LIV. Jacobus V. Rouſſel 1690. principalis collegii Plæſſei-Sorbonici.

LV. Johannes IV. Geneſtet per reſignationem præcedentis recipitur præpoſitus 1692. Obiit 19. ejuſdem anni.

LVI. Claudius Geneſtet Anicienſis, patruo reſignante, præpoſituram obtinet 12. Novembris 1692. Supremam in Sorbona lauream adeptus, omnium laudem tum eruditione pietati conjuncta, tum urbanis & egregiis moribus in dies adipiſcitur. Poſt mortem Armandi epiſcopi electus eſt a capitulo vicarius generalis per interpontificium. Reſtauravit domos præpoſituræ tam in urbe Anicio, quam in villa de Sanſaco. Terraria præpoſituræ redintegravit.

DE ABBATIIS ET VETERIBUS MONASTERIIS diœceſis Anicienſis.

DE abbatiis locuturi, ſolemus exordium ducere ab illis quæ nunc aut non exſtant, aut ſtatum mutaverunt. Nulla autem nobis occurrit præter vetus monaſterium S. Petri apud Podium ordinis ſancti Benedicti, quod fundatum dicitur a Guidone epiſcopo an. 993. de quo vide in eodem Guidone. Statim vero ab ipſa fundatione vel paulo poſt ſubjicitur Calmeliacenſi cœnobio, cujus nunc cella eſt ſeu prioratus. Ibi ſepulturæ mandatus eſt Beraldus frater S. Odilonis abbatis Cluniacenſis. Ceterum etſi Guido epiſcopus legatur auctor hujus monaſterii, veriſimile eſt ipſi tantum deberi ejus reſtaurationem, in veteribus enim tabulis fit mentio fundationis S. Petri apud Anicium anno 908. cui jam diximus tomo primo adfuiſſe Guillelmum Mimatenſem epiſcopum.

Ex abbatiis exſtantibus tres ſunt quæ titulo tenus videntur abbatiæ, pertinentque ad capitulum, cujus ſunt dignitates; ſcilicet, S. Petri de Turre, S. Michaëlis de Segureto, & S. Evodii.

ABBATIA S. PETRI DE TURRE.

ABBATIA ſecularis S. Petri de Turre * intra urbem Anicium ſita, dignitas eſt in eccleſia cathedrali, primaſque obtinet abbas poſt præpoſitum. Eccleſia parochialis eſt, quam confert dominus abbas cum pluribus capellaniis. Præterea hoc jure inter alia gaudet quod quando ſacra B. Mariæ Anicienſis per urbem defertur effigies, ephippiorum opifices tenentur ipſum deducere ex abbatia S. Petri ad eccleſiam cathedralem, eundem ſtipare toto proceſſionis tempore, ac demum in abbatiam reducere, ſinguli portantes ſcuta gentilitia abbatis, quæ eidem relinquunt, ut conſtat ex variis inſtrumentis & ex duabus inſcriptionibus quæ in aula abbatiali cum pluribus ſcutis adfixæ ſunt.

* S. Pierre la Tour.

Digitized by Google

ABBATUM SERIES.

I. VITALIS I. DE POLIGNAC 890. frater vicecomitis Podemniacenſis, quem cum Norbertus Anicienſis epiſcopus æmulum haberet, ut pote a nonnullis epiſcopum electum, multaque ob id incommoda ab eodem vicecomite ſuſtineret, hanc tandem cum eo iniit concordiam, ut pro reformatione pacis Vetulam civitatem, quæ *S. Paulien modo dicitur S. Paulianus*, vicecomiti largiretur. Placuit utrique parti, ea tamen conditione ut primitus SS. Georgii & Marcellini corpora, de civitate Vetula deferrentur Anicium; ex inſtrumento de apertione tumuli S. Georgii 1428. Vide apud Mabill. ſecul. IV. Bened. 1. parte.

II. Milo abbas ſubſcribit fundationi S. Michaëlis de Segureto 962.

III. Arcadus 990.

IV. Petrus I. epiſcopus Vivarienſis, & abbas S. Petri, ſubſcribit fundationi cœnobii S. Petri Anicienſis 993.

V. Arbertus abbas, & poſtea monachus Caſæ-Dei ſub diſciplina S. Roberti, cui fundum Caſæ-Dei ceſſerat. Vide act. SS. ord. S. Bened. & vitam S. Roberti a noſtro D. Ant. Beaugendre editam.

VI. Stephanus I. abbas S. Petri anno circiter 1096. quod noſter D. Claud. Eſtiennot interpretatur de monaſterio S. Petri de Turre.

VII. Vitalis II. de Rocha abbas ſancti Petri de Turre 1127.

VIII. Petrus II. ſubſcribit litteris epiſcopi Anicienſis dantis canonicam unam abbati Caſæ-Dei an. 1167.

IX. Bertrandus I. de Chalancon, forſan idem qui fuit epiſcopus.

X. Brocardus de Rochebaron anno 1206. Pontii de Serviſſac hominium excipit vice capituli Anicienſis, pro terra de Mazengon, Innocentio papa, Philippo regnante, & B. de Chalancon Anicienſi epiſcopo exiſtente. Is eſt forſitan B. qui an. 1208. 14. Sept. approbavit compoſitionem factam inter ſe, abb. Secureti, & abb. S. Evodii, &c. & clericos Anicienſes ſuperpellicium portantes. An. 1211. B. abbas S. Petri de Turre nominatur in charta concordiæ R. epiſcopi Claromontani.

XI. Willelmus I. abbas 1234. Forte idem qui de Rupe cognominatus fundavit vicariam ſancti Thomæ 1239. ac Guillelmus de Rocha, cujus obitus XIV. cal. Nov. conſignatur in necrologio fratrum Minorum Anicii; anniverſarium autem ejus notatur IV. Decembris in necrologio monaſterii S. Petri Anicienſis, *& dominus de Rupe debet ſolvere monachis, &c.*

XII. Armandus I. de Polignac ex abbate S. Petri fit præpoſitus 1246. tandemque epiſcopus 1255.

XIII. Guillelmus II. de Chalancon abbas ſancti Petri de Turre vices agebat Armandi de Polignac Anicienſis epiſcopi an. 1256. ex charta Bellæcumbæ. In necrologio fratrum Minorum Anicii *al. XV. notatur ejus obitus XVI.* cal. Martii.

XIV. Gaucerandus Maleti abbas 1257.

XV. Jordanus I. de Seyſſac canonicus Anicienſis, abbas S. Petri de Turre, Podienſi epiſcopo homagium reddit pro fortalitio du Charroüil, anno M. CC. LXVI. die Lunæ poſt feſtum ſancti Nicolai.

XVI. Pontius de Glavenas abbas S. Petri de Turre M. CC. LXVIII. Clemente papa IV. Ludovico regnante, Guillelmo Anic. epiſcopo.

XVII. Bertrandus II. de Turre 1269.

XVIII. Armandus II. de Bouzols ex illuſtri apud Velaunos ſtemmate, 1285. & 1288. Eo præſente Fredolus epiſcopus quædam excepit homagia an. 1286. Vide C. 22. col. 237.

XIX. Jordanus II. de Seyſſac 1295. Vide in Ampheleſia Bellæ-cumbæ abbatiſſa.

XX. Bertrandus III. Clauſtrerii 1304.

XXI. Jaucerandus I. Maleti abbas S. Petri de Turre & canonicus Anicienſis an. 1309. ſubſcribit chartæ fundationis capituli apud Moniſtrolium, quam vide num. 25. col. 239. Anno 1310. adhuc occurrit.

XXII. Johannes I. de Seyſſac 1316.

XXIII. Jaucerandus II. Maleti 1321.

XXIV. Johannes II. de Pratis 1326.

XXV. Galiardus ſeu Galhardus Ebrardi vivebat annis 1346. 1367. 1368. 69. & 84.

XXVI. Antonius I. de Chalam 1386.

XXVII. Antonius II. de Chadrat 1390.

XXVIII. Stephanus II. de Mary 1394.

XXIX. Johannes III. de Verbois 1407.

XXX. B. Ludovicus Alerman cui plurima reddita ſunt hominia. Anno 1417. die 1. Martii, Karolo Francorum rege, Helia epiſcopo Anicienſi, Petrus de Crotis canonicus eccleſiæ cathedralis B. Mariæ, vicarius venerabilis & magnæ circumſpectionis vir D. Ludovici Alemandi decretorum excellentiſſimi profeſſoris, abbatis ſecularis S. Petri de Turre in eccleſia B. Mariæ Anicienſis, confert Petro Juvenis presbytero vicariam SS. Cyrici & Julittæ in eccleſia S. Petri de Turre, & dat eidem licentiam portandi ſuperpellicium in eadem eccleſia. Deinde Ludovicus fuit epiſc. Magalon. archiep. Arelatenſis & cardinalis tit. S. Cæciliæ.

XXXI. Johannes IV. Maſſe 1426.

XXXII. Guillelmus III. Charrier 1437.

XXXIII. Jacobus de Monte 1439.

XXXIV. Petrus III. Maſſe 1448.

XXXV. Gaudefridus de Saint-Ahond 1449. Idem eſt ac Gutifredus de ſancto Habundo canonicus Anicienſis & abbas S. Petri de Turre, in legibus licentiatus & in decretis baccalaureus, anno 1457. 58. 59. & 60.

XXXVI. Petrus IV. de Rupe 1462.

XXXVII. Guillelmus IV. de Clermont 1467.

XXXVIII. Johannes V. Perrin doctor in utroque jure, canonicus Anicienſis & Monsbriſonenſis, abbas erat S. Petri de Turre 1473. 1481. 1483. & 1501.

XXXIX. Gabriël I. d'Alegre ex illuſtriſſima prope Anicium familia natus, præerat 1503.

XL. Guichardus de Roveria, *alias* de Beaudeduit, ſedit ab anno ſaltem 1525. ad 1540. Erat inſuper prior S. Petri de monaſterio Anicienſi & S. Leonardi de Nobiliaco Lemovicenſis diœceſis, Franciſci de Sarcus Anicienſis epiſcopi vicarius

Digitized by Google

generalis, ex inſtrumento D. Georgii Chabron prætoris S. Pauliani, 12. Octob. 1540. Evaſit poſtea decanus Anicienſis.

XLI. Hugo de Copulatorio, *de Coubladour*, e nobili apud Velaunos genere, poſſeſſionem obtinuit anno 1543. Dicitur abbas ſecularis abbatiæ S. Petri de Turre, in inſtrumento Montis-acuti, 3. Julii 1545. Ex alia vero ejuſdem loci charta diſcimus eum præterea fuiſſe priorem S. Blaſii de Jauzac, & vicarium generalem Anicienſis epiſcopi Antonii de Seneterre 1561. die 24. Septemb. qua Johanni Motier de Champetieres contulit canonicatum S. Marcellini Moniſtrolienſis. Idem fundavit miſſas ad altare majus B. Mariæ Anicienſis qualibet hebdomada dicendas.

XLII. Johannes VI. Spert, prior S. Juliani de Chatpinaco 1575. iniit poſſeſſionem abbatiæ an. ſeq. quam obtinebat 1578. Obiit 8. die Septemb. ſitque ejus anniverſarium die ſequenti in eccleſia cathedrali.

XLIII. Claudius Spert patrui ſucceſſor in abbatia & in prioratu 1622. poſtea reſignavit. Obdormivit in Domino in ſua eccleſia S. Petri ſepultus, ubi hoc epitaphium legitur in capella B. M.

D O M.
Ac æternæ memoriæ nob. viri domini
D. Claudii Spert abbatis iſtius eccleſiæ,
Et canonici eccleſiæ Anicienſis,
Pauperum ac eccleſiarum hujuſce urbis
Benefactoris eximii,
Necnon iſtius ſacelli fundatoris.
Ob. XXI. April. M. DC. LXXVI.
Poſ. D. Gabriel Peyret in abbatia S. Petri a Turre
Ejuſdem immediatus ſucceſſor.

XLIV. Gabriel II. Peyret Anicienſis ab anno 1676. abbatiam obtinet, quam multis ſumtibus reſtauravit & ampliavit. Poſt mortem D. Armandi de Bethune electus fuit a capitulo vicarius generalis per interpontificium.

ABB. S. MICHAELIS DE SEGURETO.

ABBATIA S. MICHAELIS DE SEGURETO juxta Anicium, vulgo S. Michaëlis de Acu, ſeu Aculea, *S. Michel de l'Aiguille*, initium debet Truanno Anicienſis eccleſiæ decano, circa an. 962. ex ejuſdem charta quam præmittendam putamus:

PRæſentium, futurorumque ſanctæ Dei Eccleſiæ fidelium noverit religio; quoniam ego Truannus Anicienſis eccleſiæ decanus, in quadam prælta ſilice quæ uſitata locutione vulgi Acus vocatur, prope Anicienſem urbem ſita, ubi quondam vix agilium hominum erat adſcenſus, eccleſiam collocare geſtiens, Gotiſcalci præſulis adii præſentiam; & ut me tale opus adgredi permitteret, ipſius deprecatus ſum probitatem: qui non ſolum mihi inde licentiam tribuere eſt gaviſus, ſed etiam ejus confortationis merui habere ſolacium; ſic enim viam ampli itineris in prædicta ſilice conſtituens in honore ſancti Michaëlis archangeli, eccleſiam intuitui cernentium gratam, Chriſti favente auxilio, in Acu fundare ſtudui, quæ prædicti accepit, Deo diſponente, conſecrationem antiſtitis. Quibus jure peractis, bis præfixi pontificis voto ratiocinationi conjuncto obtinere merui, ut fas mihi eſſet cuicumque heredum vellem, ipſam eccleſiam poſt funus proprium relinquere. Nunc itaque melioris ingenii accepto conſilio, ſanctæ Mariæ in communia fratrum eam concedo, eo tenore, ut quandiu vixero, aptum uſum percipiam, & poſtquam ab hac male-fida vita fuero ſegregatus, genitricis Domini aulæ in communia canonicorum remaneat: ita ut quandiu ſecla volverint, tres denarii a jam dictis canonicis præſentibus atque futuris ad totidem miſſarum officia peragenda pro animæ meæ, & Gotiſcalci præſulis, cujus ſupra mentionem habuimus, ſalute quotidie reddantur. Si quis autem ferventi amore habendi percuſſus, contra hanc chartam calumniam inferre tentaverit, aut ſi quis reddere prænominatos nummos debuerit, & illos, ſicut dictum eſt, altaribus non obtulerit, uterque maledictionibus, quæ in veteri novoque teſtamento continentur, ſubjaceat, & anathematis vinculo nexus, miniſtris tartareis per infinita ſecula jungatur cruciandus. Ut enim cui ille commiſſa cura ipſius eccleſiæ fuerit, omnia quæ illic oblata fuerint integra canonicis reddat, & prædictos nummos quotidie offerat: duos manſos illi eccleſiæ datos ſine ulla contradicente perſona poſſideat. Sunt enim ſiti in villa quæ Maſſellus vocatur, eſt enim peracta præſens charta die Jovis XV. calend. Auguſt. anno octavo regnante Lothario rege. L. ſignum Truanni, qui chartam iſtam ſcribere & firmare rogavit, manu ſua firmavit. † Ego Wido epiſcopus. Signum Stephani ſubdiaconi. Sign. Roſtagni præpoſiti, Bernardi archidiaconi, Miloni abbatis, Roſtagni, Dalmatii, Girardi, Waningi, Ricardi, Airardi, Pocei. Item Petri Bertranni, Walberti, Stephani, Juſti, Hectoris, Wigonis; iterum Wigonis, Dalmatii, Auſtorgii, Trutherti, Widonis, L. Simbardi, Hicterii, Stephanus Geilinus. Item Stephanus Giraldus. Ego Wigo levita ſcripſi.

Hæc eccleſia ſucceſſu temporis erecta fuit in abbatiam, & titularis abbas de Segureto ſedem occupabat in choro cathedralis eccleſiæ poſt præpoſitum; nunc vero uniti ſunt redditus, ſuppreſſo titulo, menſæ capitulari; unuſque e canonicis, cui committitur, curam habet hujus eccleſiæ de qua loquitur auctor de Mirabilibus mundi.

Paucos tantum abbates de Segureto reperire potuimus.

ABBATUM INDICULUS.

I. CAROLUS anno circiter 1096. ex chronico S. Petri Podienſis, inquit noſter D. Claud. Eſtiennot.

II. Arimandus ſeu Armandus Tondut nonnulla cedit cœnobio S. Petri Pod. anno 1158. *al.* 1159. eodem teſte. In chartario Piperacenſi Armandus abbas de Segureto cum Odilone abbate S. Evodii, & Willelmo de Rafaël abbate Brivatenſi, teſtis eſt donationis eccleſiæ S. Martini quam Pontius vicecomes de Podemniaco dedit medio circiter XII. ſeculo abbatiæ Piperacenſi. Idem adfuit apertioni capſarum SS. Georgii & Hilarii, factæ a Petro Anicienſi epiſcopo, feria IV. majoris

Digitized by Google

hebdomadæ 1162. Hic autem epiſcopus una cum Balduino decano & Armando abbate Secureti dedit Bellæ-cumbæ alodium de Coreolas.

III. Bertrandum epiſcopum qui ſedebat anno 1198. fuiſſe abbatem Segureti Sammarthani docuerunt; ſed unde id ſumtum neſcimus.

IV. Hugo anno 1213. ex ſchedis D. Jacobi Boyer.

V. Pontius Mauritii, & Mauritius ſancti Boniti, nepos ejuſdem, donant & cedunt jus præſentandi quod habebant in eccleſia de Maſeiras, ejuſdem eccleſiæ ſodalitio B. Mariæ. Actum anno Verbi Incarnati M. CC. XX. menſe Martio, ex autographo Caſæ-Dei, cui ſubeſt eccleſia S. Petri de Maſeiras.

VI. Petrus de Monte-acuto 1229.

VII. Benedictus, præſens hominio per Guillelmum de Baffia exhibito Armando vicecomiti de Polignac fer. 4. poſt octab. Pentecoſt. M. CC. LII.

VIII. Beraldus ſimul abbas & canonicus Claromont. an. 1255. condit teſtamentum menſe Martio, tempore Guidonis ep. Claromontenſis. Is eſt fortaſſe Beraudus de Contaniot nominatus in charta eccleſiæ Anicienſis anno 1247. menſe Nov. in craſtinum octavarum S. Martini. Inſcribitur necrologio fratrum Minorum Anic. VIII. cal. April.

IX. Bertrandus de Chalanconio ex abbate Segureti Anicienſis epiſcopus.

X. Euſtorgius de Monte-acuto abbas Segureti 1266. Idem eſt profecto ac Aſtorgius de Monte-acuto abbas Segureti qui nominatur executor teſtamenti Roberti II. comitis Claromont. confecti menſe Novembri anni 1281. Idem cum capitulo ſancti Agripani Anicienſis tranſigit M. CC. LXXXII. Teſtis eſt homagiorum Fredolo epiſcopo exhibitorum anno 1286. Exſecutorem teſtamenti fecit Pontium de Puy-Martel, *al.* de Podemniaco, decanum Brivatenſem. A capitulo Anic. acquiſivit domum dictam de Cornelia ſub annuo cenſu 15. lib. 1284. Aliam emit domum apud Brivatem in vico du Pontel 1286. Quaſdam fecit permutationes cum nepote ſuo Petro domino Montis-acuti 1284. 1285. 1287. tranſegit cum Bernardo de S. Privat 1263. plura emit a diverſis 1287. 89. 92. 94. 98.

Probat. hiſt. domus Arv. pag. 279.

S. Vofi.

ABBATIA S. EVODII ANICIENSIS.

HUJUS abbatiæ, quæ ſecularis eſt, ad collationem Anic. epiſc. primordia penitus ignoramus. Erectionem capituli canonicorum in ea factam nos docet charta infra referenda, quam D. Franciſco Arcis nunc abbati debemus. Quod vero præſentem hujus eccleſiæ ſtatum attinet, primas habet inter collegiatas urbis eccleſias, in eaque olim plures vitam communem agebant in clauſtro, ut teſtantur Evodiani chartularii documenta. In ea nunc ſunt tantummodo tredecim canonici, quorum abbas dignitatem obtinet in eccleſia cathedrali, abſque tamen annexo canonicatu. Conditorium epiſcoporum eſt S. Evodii eccleſia, quæ ſane patroni ſui S. Evodii plurimorumque ejuſdem in epiſcopatu ſucceſſorum ſacras religioſe aſſervat exuvias. Adde præterea diœceſanam ibi ſynodum celebrari.

ANno ab Incarnatione Domini milleſimo octuageſimo ſecundo, cum Adhemarus S. eccleſiæ Anicienſi præeſſet epiſcopus, Guillelmus ejuſdem eccleſiæ abbas & canonicus, humanæ fragilitatis conſiderans eventum, deſideranſque ſalutem animæ ſuæ, votum pietatis fluduit adimplere. Conſtituit enim in eccleſia ſua, quæ in honore S. Evodii ædificata eſt, clericos qui ibi divinis cultibus inceſſanter adhærerent, Dominumque Deum cum ſervis ſuis & in vita & poſt mortem pro eo poſtularent; conſtitutis vero clericis, honoris ſui partem conceſſit, & hoc ad laudem & voluntatem domini Adhemari epiſcopi & univerſæ congregationis canonicorum B. Mariæ, ut eorum authoritate firmata inviolabilis ſit illa clericorum conſtitutio, neque habeat abbas poteſtatem mittendi clericos quos voluerit, ſed ſit in electione clericorum eligere eum quem ſibi ſociare voluerint, & in hoc habeant adjutores & defenſores canonicos S. Mariæ, & in aliis neceſſitatibus ſuis. Si quis autem epiſcopus aut abbas, aut alia perſona eam violare præſumſerit, non habeat poſſe ſuam implere malitiam, & cum ſatana & angelis ejus, ſi non deſierit, comdemnetur. Hujus conſtitutionis teſtes & confirmatores ſunt ſubſcripti: Adhemarus epiſcopus, S. Guillelmus abbas, S. Balduinus decanus, S. Carolus ſacriſta, S. Gerente ſacriſta, S. Brodæus theſaurarius, S. Guillelmus grammaticus, S. Petrus de Rupe, S. Hugo, S. Odo, S. Adhemarus. Facta eſt hæc charta regnante Philippo rege Franciæ, feria ſeptima, Luna decima quinta. Juſte ac veraciter credendum eſt opus eſſe pietatis chriſtianiſſimæ ut cum malæ actionis quenquam pœnituerit, ad animæ ſuæ ſe referat ſalutis ..... ideo Guillelmus abbas S. Evodii de ſalute ſua ſibi pro eadem, in ipſius S. Evodii eccleſia conſtituit canonicos viros qui Dominum inibi ſerviunt conſilio & auxilio clericorum qui tempore ſuo res ipſius eccleſiæ, re impetrante, tenuerant, ſcilicet presbyterale totum, & honorem talem ipſis contingentibus; ipſe autem cum voluntate & prece illorum miſit in communionem, id eſt in communitatem canonicorum, quidquid ipſi proprium intereſſe in eccleſia habebant; de ſuo quoque honore partem canonicis conceſſit, ſcilicet altare S. Cæſaris, & omnes oblationes, & in territorio S. Evodii unas domos in quibus duæ ſunt de emptione ſuæ fabricæ, & in territorio quod vulgo dicitur Fermis, ipſam decimam de allodio ipſius, & allodio ſancti Evodii, etiam vineam cum hortis ſua emptione, &c.

ABBATUM SERIES.

I. SANCTUS ODILO I. de Mercorio circa annum 988. factus poſtea monachus Cluniacenſis ſub diſciplina S. Majoli, cui ſucceſſit. Erat etiam clericus S. Juliani Brivatenſis.

II. Ademarus ſubſcripſit chartæ fundationis S. Petri Anicienſis anno 993. quam videre non licuit.

III. Guillelmus de Baffia, forte is qui in charta erectionis capituli an. 1082. laudatur, ſimul fuit ep. Arvernenſis.

IV. Odilo II.

Digitized by Google

IV. Odilo II. tempore Humberti epiſcopi medio fere ſeculo 12. ex chartario Piperacenſi fol. 13. ubi agitur de donatione eccleſiæ S. Martini facta Piperaco.

V. O. abbas S. Evodii inveſtit A. abbatem Doæ de quadam domo VIII. cal. Febr. an. 1215. Forte legi debet Odilo, nam in pluribus catalogis vidimus quemdam Odilonem fuiſſe S. Evodii abbatem circa hoc tempus.

VI. Benedictus Aſpare legitur in quodam inſtrumento Cartuſiæ de Bona-fide an. 1223. Forte idem ac B. abbas S. Evodii 1227. 1234.

VII. Lau. in charta eccleſiæ Anicienſis anno 1247. menſe Novembri, in craſtino octavarum S. Martini. In necrol. S. Petri Anic. notatur anniverſarium Lautardi abbatis S. Evodii IX. cal. April. pro quo debet dom. de Rota, e cujus ſtirpe forſitan ortus erat hic abbas, quædam præſtare.

VIII. Armandus de Podemniaco anno 1255. poſtea epiſcopus Anicienſis.

IX. Caſto de S. Nectario abbas S. Evodii Anicienſis, teſtis eſt menſe Aprili an. 1256. compoſitionis factæ inter Bernardum & Bertrandum de Turre fratres, cui etiam ſigillum appoſuit. Reperitur etiam annis 1260. 69. & 74.

Probat. hiſt. domus Arv. Baluz. pag. 509.

X. Bertrandus Aſpays 1290. Forte is eſt qui duas eccleſiæ cathedrali campanas dedit, etiamnum dictas, *les deux Aſpays*.

XI. Guido, *al.* Hugo & Guigo, de Bouzols, ex illuſtri apud Velaunos familia, jam an. 1290. ind. IV. teſtis eſt hominii de quo vide chartam 23. Compromiſit cum Johanne Anicienſi epiſcopo pro juriſdictione villarum de Verſilhac & de Charboneyras. Actum apud caſtrum Spaleti in camera domini epiſcopi die Lunæ poſt feſtum S. Barnabæ idibus Junii an. 1306. regnante Philippo. Anno 1309. ſubſcripſit chartæ fundationis capituli Moniſtrolienſis, quam vide inter inſtrumenta c. 25. An. 1310. iniit concordiam pro ſuo capitulo cum canonicis collegiatæ S. Flori de quibuſdam reditibus in burgo S. Flori, ex inſtrumento in hac eccleſia collegiata aſſervato. Præfuit Hugo de Bouzols ad an. 1320. Ex ſchedis D. Jacobi Boyer, fuit decanus Lugdunenſis, ubi fundavit conventum Carmelitarum an. 1291.

col. 238.

col. 239.

XII. Hugo II. de Montboiſſier 1321. & 1322.

XIII. Guillelmus II. de Favolis 1330.

XIV. Eudo Chauleti 1330. & 1333.

XV. Stephanus de Broco 1340. & 1343.

XVI. Petrus I. de Mirmande 1348. 1350. 55. & 68.

XVII. Johannes I. de Rupe 1388. 1394. 97. 1400. 1415. Recenſetur in necrologio fratrum Minorum Anicienſium ad X. cal. Octob.

XVIII. Matheleon de Chaziis 1429.

XIX. Hugo III. de Crotis 1445.

XX. Audibertus de Alzonio, *d'Alſon*, 1450. 55. 60. Eundem invenimus die 2. Martii 1464. & 1468. die 14. Martii in 15. volumine inſtr. originalium bibl. regiæ a D. de Ganieres collectorum.

XXI. Jacobus de Meyrac, *al.* Mayroſi 1476. 1477. & 1479.

XXII. Petrus II. Oudin, *al.* Odin, Divione in Burgundia natus, an. 1475. cum eſſet canonicus Anicienſis, regem Ludovicum Anſcium accedentem voti cauſa, ſalutavit nomine capituli, die Veneris 8. Martii, a quo poſtea Rege miſſus eſt orator ad ſummum pontificem. Abbas erat ann. 1483, & 1496. ex terrario abbatum S. Evodii, & uſque ad annum 1502. quo defunctus ſepelitur in clauſtro cathedralis eccleſiæ juxta Domini Salvatoris ſepulcrum. Fuit etiam officialis Johannis de Borbonio & Godefridi de Pompadorio epiſcoporum Anicienſium. Magnam vero ſui apud omnes exiſtimationem reliquit. Bibliothecam Anicienſem pluribus voluminibus locupletavit vir eruditus. Eccleſiam cathedralem exquiſitis ornavit picturis, & pretioſis ad ſacras reliquias conſervandas ſcriniolis. Ut foveret pauperes, pauper ipſe ad Deum migravit. Ejus vitam edidit Jacobus Branche prior Piperaci, ad calcem vit. SS. Arverniæ. Dicitur autem obiiſſe an. 1502. Eum multis ornavit encomiis ſuperius laudatus Guyonius Jeſuita in oratione de veteri Anicienſium pietate.

XXIII. Petrus III. Helie 1503. & 1507.

XXIV. Necterius a ſancto Necterio 1513.

XXV. Franciſcus I. Valentin Anicienſis 1519.

XXVI. Necterius a ſancto Necterio archidiaconus Narbonenſis, prior Evanhonii & S. Salvatoris in Rua 1523. & 1526. fundavit an. 1532. die XI. Januarii miſſam quotidianam in eccleſia B. Mariæ de Columbario.

XXVII. Robertus la Cour 1535. 1538. & 1539.

XXVIII. Johannes II. de Roveria dominus de Lora, *al.* de Long, poſſeſſionem obtinuit 28. Oct. 1540. defunctus eſt ineunte Februario anno 1568.

XXIX. Franciſcus II. de Seneterre, cujus deceſſor Johannes de Long reſignavit abbatiam Martino Malet canonico eccleſiæ cathedralis die Martis 3. Februarii 1568. ſed poſt indeptam poſſeſſionem Claudius Bertrand epiſcopi Anicienſis vicarius generalis, dictam contulit abbatiam cum canonicatu Antonio Sabadel, 7. Febr. ejuſdem anni 1568. epiſcopus autem in remotis agens, audita Johannis abbatis & canonici morte, ejus ſacerdotia contulit Franciſco de Seneterre priori de *Mont-ſelgue*, 16. Februarii 1568. qui Franciſcus iniit poſſeſſionem per procuratorem Claudium la Farge 12. Martii ejuſd. anni. Ipſe vero exceptus eſt a capitulo 13. Junii dicti anni 1568. Quo defuncto

XXX. Franciſcus III. Valentin a dicto epiſcopo nominatus, poſſeſſionem aſſequitur 31. Octobr. 1571.

XXXI. Chriſtophorus du Verdier, Franciſci ex ſorore nepos, abbatiam obtinuit per avunculi reſignationem, & iniit poſſeſſionem 16. Januar. 1576. attamen eandem impetravit Johannes Malet, ſed Chriſtophoro cedere adactus eſt. An. 1581. Chriſtophorus legitur ſimul abbas Piperacenſis, & S. Evodii; poſt cujus obitum, epiſcopus contulit abbatiam Petro de Serres 1622. quam nihilominus Claudius la Combe impetravit, ſed poſſeſſionem haud iniit.

XXXII. Alexander Bertrand 4. Febr. 1623. iniit poſſeſſionem, cedente Claudio la Combe, cui ſucceſſit.

Digitized by Google

XXXIII. Marcellinus de Beget poſſeſſionem adeptus die 5. Novemb. 1638. Habuit competitorem Petrum de Montayaud, qui tandem ceſſit. Marcellinus vero decanus evaſit circa 1642.

XXXIV. Johannes III. de Fay de la Tour Maubourg ex illuſtri apud Vellavos ſtirpe, prior S. Ægidii Camalarienſis ſecus Ligerim, iniit poſſeſſionem S. Evodii 13. Novembr. 1660. Prior erat S. Mauricii de Rocha in Raynerio an. 1673.

XXXV. Renatus Boiſard Cenomanenſis, poſſeſſionem aſſecutus eſt 5. Nov. 1672. abbas etiam B. Mariæ de Vernucia, vicarius generalis & officialis D. Armandi de Bethune, a quo præſule ad decanatum evehitur.

XXXVI. Antonius Arcis Anicienſis, filius Franciſci & Mariæ Bonnet, ex ceſſione præcedentis nominatur a Rege jure regaliæ, & confirmatur a ſummo pontifice 5. Januarii 1694. poſſeſſionem adeptus 7. Maii ejuſdem anni. Abbas etiam erat S. Stephani de Baſſaco, & vicarius generalis D. Armandi de Bethune epiſc. Anicienſis. An. 1704. ædes abbatiales eccleſiæ S. Evodii contiguas magnis ſumtibus a fundamentis erexit.

XXXVII. Franciſcus IV. Arcis, Claudii-Franciſci ex Margarita Creſpe filius, prior S. Juliani de Pineto, & canonicus Anicienſis, reſignante patruo iniit poſſeſſionem 7. Martii 1715. & an. 1718. fit ſacriſta, canonicus, & caput eccleſiæ S. Nicetii Lugdunenſis. Ipſe plurima nobis ſuppeditavit ad concinnandam hanc abbatum ſeriem vir humaniſſimus & doctiſſimus. Multa quoque e tabulis eruit vir optimus D. Gabriel Bergonhon B. Mariæ Anicienſis canonicus & ſyndicus. His abbatibus duo addendi, reperti in libro obituum, quorum ætatem ignoramus; ii porro ſunt Imbertus Maleti, & Guillelmus Guarini qui requieſcit in cœmeterio fratrum Minorum, quorum in necrologio notatur ad XIII. cal. Septemb. iiſdemque legavit tres procurationes quolibet anno faciendas.

De aliis abbatiis Regularibus nunc exſtantibus.

HÆ abbatiæ in Anicienſi diœceſi continentur:
Calmeliacum, ord. S. Bened.
Doa, ord. Præmonſtrat.
Bella-Cumba, femin. ord. Ciſterc.
Silva-benedicta, femin. ord. Ciſterc.
Clavaſſium, femin. ord. Ciſterc.
Abbatia S. Claræ.

S. Chaffre, *vulgo* le Monaſtier.

MONASTERIUM CALMELIACENSE.

CALMELIACUM ſeu S. Theofredi inſigne ac vetus ordin. ſancti Benedicti monaſterium, ad Colanſam amnem, qui in Ligerim influit, in pago vulgo nuncupato *Colanſe* una leuca diſſito a celebri hac abbatia; ſitum eſt ad radices montis Meſentii, ex quo Ligeris fluvius oritur, diſtatque tribus leucis ab urbe Anicio. Fundatur in honorem principis apoſtolorum a Calminio Arvernorum duce, unde diverſimode denominatur: nempe Calminium appellant auctor utriuſque Calminii vitæ, Bernardus Guidonis, & Savaro: alii Calmelium vocant; ſuti fragmentum vitæ B. Theofredi in vita ſancti Eudonis: alii denique Calminiacum & Calmeliacenſe monaſterium, de cujus fundatione hæc leguntur cap. 7. vitæ S. Calminii ex veteri codice Mauſacenſi: *Cum in ducatus officio vir inſignis Calminius honeſte ſe ageret, & pauperibus erogans quod ſuum erat, miſericorditer ſe haberet, ſubiit divina cogitatio mentem ejus, ut theſauri ſuum reſiduum liberaliter expenderet in opere Dei: diſpoſuit ſecum in animo, ut eccleſias dedicandas ſuo ſumtu conſtrueret, ubi Deo ſervientibus quotidiani victus ſtipendia ex propriis redditibus miniſtraret. Animatus divino ſpiritu beatus Calminius, in epiſcopatu Anicienſi locum qui dicitur S. Theofredi ædificavit a fundo, & effectu operis mirabiliter conſummans, quem locum rebus & redditibus vir Domino devotus adornans, eccleſiam illam, & habitationem ejus ſufficientibus eorum victui ſtipendiis cumulavit, inſtauravit locum, redditus ampliavit, & ornamenta monaſterio congrua vera liberalitate dilargiens, ſupradictum locum conſummatum reddidit, & perfectum. Ut autem hic locus operis ſui memoriam, & vocabuli quoque conſortium obtineret, monaſterium illud Calminiacum vocavit, ut quod fundaverat ſua induſtria, ſuo labore perfecerat, ſui nominis memoriale poſteritati ſequentium offerret.* S. Theofredus colitur die 18. Novembris, non modo apud Calmiliacum, ſed etiam in tota diœceſi Anicienſi. Hæc autem fundatio legitur facta ſub Juſtino Cæſare, Theodeberto ſeu etiam Theoderico cum avia ſua Brunechilde in Francia regnantibus. Vide ſeculum III. Bened. 1. p. pag. 476. ubi habes S. Theofredi vitam. Cum vero direptum a Saracenis fuiſſet an. 732. S Theofredi monaſterium, illud inſtauravit Ludovicus Pius; unde accenſetur ab Aſtronomo geſtorum hujus principis ſcriptore, iis cœnobiis quæ aut reſtauravit, aut etiam ex integro ædificavit. Lege Carolum Cointium ad an. 812. n. 41. Meminit Mabillonius ad calcem tomi 4. Annal. pag. 852. veteris inſcriptionis, quæ legitur in theca reliquiarum ſancti Calmilii, in qua dicitur trium monaſteriorum conditor, Mauzacenſis videlicet, Calmeliacenſis, & Tutelenſis.

Ceterum huic nobili aſceterio hactenus ſubſunt abbatique parent vetus abbatia, nunc ſolum prioratus S. Petri Podienſis, vulgo *le Moneſtier du Puy*, de qua jam diximus: Monaſterium S. Mariæ & S. Petri de Camaleriis in diœceſi Podienſi: Monaſt. S. Enimiæ diœc. Mimat. S. Petri de Longonia, *Langogue*, diœc. Mimat. S. Petri de Fraxineto ſeminarum prope Calmeliacum: S. Salvatoris, & S. Mariæ de Severaco in pago Ruthenenſi, olim monialium, & poſtea monachorum, &c.

Abbatum series.

I. PRIMUS abbas fuit Eudo, prius monachus Lirinenſis ſub Maximo abbate tum epiſcopo Regenſi, qui inde accerſitus ad monaſterii regimen, monachorum coloniam ſecum adduxit. Erat vero Eudo ex nobili Arauſicæ civitatis genere ortus, & S. Theotfredi patruus, qui ſub ejus diſciplina tantum profecit, ut poſtea magna floreret ſanctitate. Ex ejuſdem ſchola prodiit Menelcus Andegavenſis cum duobus ſodalibus, qui Mena-

Digitized by Google

tenſe monaſterium apud Arvernos condiderunt, aut potius reſtaurarunt. S. Eudonis feſtus dies agitur XII. cal. Decemb.

II. S. Theotfredus Eudoni mortuo ſuffectus, mulieres aditu baſilicæ interdixit: interfuit monaſterii Menatenſis dedicationi, rogante Meneleo abbate, factæ, ut aiunt, ab Euſebio ſeu S. Bonito Arvernenſi epiſcopo. Ab hoc ſancto abbate monaſterium ſancti Theotfredi nomen accepit. A Saracenis martyrium paſſus creditur anno circiter 732. 19. Octobris. Mabillonius in vita S. Theotfredi ſec. 3. Bened. aſſignat mortem ejus an. 728. ſed in Annalibus, qui poſteriores ſunt, an. 732. Eadem eſt Cointii ſententia tom. 8. Annal. ad an. 840. n. 90. Colitur 14. cal. Novembris non ſolum in ſuo, ſed etiam in vicino Caſæ-Dei monaſterio. Ejuſdem tranſlatio celebranda 15. cal. Decemb. in calendario monaſterii indicitur.

III. S. Savinianus ſucceſſor S. Theotfredi, & in Calmeliacenſi monaſterio feſtum habet diem VI. idus Junii. Alii tamen, inter quos D. Claud. Eſtiennot, hunc ſancti Menelei in Menatenſi cœnobio abbatis ſucceſſorem tradunt, nulla ipſius Calmeliacenſis præfecturæ mentione facta.

IV. Bodo præerat anno 26. Ludovici regis, a quo nimirum libertatem monaſterii conſecutus eſt hoc anno. Vide Cointium ad annum 840. n. 90. & ſeq.

V. Galterius ſeu Gualterius Bodonis ſucceſſor, a Pipino juniore, qui regnabat in Aquitania, obtinuit diploma, quo privilegia a Ludovico Pio & a Carolo collata monaſterio confirmantur, anno regni Pipini poſt patris mortem 8. indict. VIII. an. 845. Vide c. 36. inter inſtr. Anicienſia. col. 257.

VI. Dructerannus & Dructannus, ſi Mabillonio credimus, is eſt cui Claudius presbyter, poſteaque epiſcopus Taurinenſis, commentarium ſuum in epiſtolam ad Galatas nuncupavit, circa an. 815. ad quem vide Mabill. n. 35. nec ſane culpandus eſt, cui certiora defuerunt monumenta, unde hujus abbatis ætatem decerneret. Duæ vero præſertim chartæ nobis eam differre ſuadent. Occurrit videlicet Dructannus abbas Calmeliacenſis regnante Lodoico imperatore, Francorum rege atque Longobardorum an. 28. Hic enim Ludovicus * videtur eſſe Lotharii filius, qui an. 844. a patre creatus eſt rex Italiæ ſeu Longobardorum, poſtea factus imperator; & hoc confirmatur ex alia charta Dructanni abbatis mentionem faciente. Scilicet is ab Odilone comite donum accepiſſe memoratur menſe Martio feria V. ind. XII. * anno VII. regnante Boſone rege, hoc eſt 886. Ceterum vel abdicaſſe dicendus eſt, vel duo admittendi ſunt Dructanni, uti mox patebit.

* *melius* indict. IV.

VII. Roſtagnus anno circiter 877. confugit ad Carolum Calvum, eique litteras immunitatis tum a Ludovico patre, tum ab ipſo, monaſterio conceſſas exhibuit confirmandas, ut contra Guidonem * Anicienſem præſulem cœnobii jura tutaretur. Annuit ſupplicanti Carolus anno 38. regni ſui, an. 2. ſui imperii, indict. XI. * Vide Mabill. ad an. 877. n. 98. Roſtagnus inſuper in veteri

* *Eſtiennot habet*: ſedente in cathedra Anicienſi Nortberto.

* *al.* decima.

a Hunc Ludovicum interpretatur Pium noſter D. Claud. Eſtiennot, cujus anno 24. ſediſſe Dructannum docet, ſed perperam.

A chartulario S. Theofredi, a Davide quodam & filia ejus Pontia partem de rebus ipſorum accepiſſe memoratur VII. cal. Aprilis die Sabb. regnante Carolo * rege anno tertio. Vivebat adhuc an. 2. Odonis regis Franc. ſeu Aquitan. Vide Ch. 37. inter inſtrum. col. 257.

* Quidam id interpretantur de Carolo Lotharii imperatoris filio, cui pater Provinciæ ſive Burgundiæ ex parte regnum tradidit anno 855. C. XXXVIII col. 259.

VIII. Goteſcalcus antequam foret epiſcopus Anicienſis, videtur abbas exſtitiſſe monaſterii Calminiacenſis; cui denique regendo ſimul & epiſcopatui cum imparem ſe putaret, Dalmatium ex Aureliacenſi cœnobio accerſivit. Monaſterium certe inſtauravit, uti charta ipſius inter inſtrumenta probat.

B IX. Dalmatius quem Mabillonius ſeculi III. Bened. 1. p. pag. 476. inſtauratorem monaſterii exhibet, e nobili gente de Camalariis, *de Chamalieres ſur Loire*, trahebat originem, inquit noſter D. Claud. Eſtiennot, qui cognomen ei *de Beaumont* attribuit, fratremque Roracium de Bello-monte, qui monaſterium de Camalariis a ſe fundatum Calmeliaco ſubjecit. Verum ut ut ſit, Dalmatius deprecante Goteſcalco epiſcopo, ac jubente Arnulfo abbate Auriliaci, Calmeliaco tunc maxime deſolato præficitur abbas. Sedebat autem anno 2. regnante Ludovico * II. quinto cal. Novembris; anno V. & anno * VII. regis Ludovici, quo vir C nobilis & inluſtris dicitur. Idem an. 946. ſanctum clavum quo redemtor noſter cruci affixus eſt, e monaſterio S. Ægidii in Camalarienſe traditur intuliſſe. Certe an. 950. vel ſequenti Stephanus epiſc. Mimatenſis reſtitutam ei cellam S. Enimiæ ſubjugavit. Vide Diplom. Mabill. lib. 6. num. 137. pag. 569.

* *lege* IV. *ſed* Transmarino.

* Quidam eruditi interpretatur de Ludovico cognomine Orbo, filio Boſonis, cujus annum ſeptimum ad annum Chriſti circiter 896. revocant.

X. Vulfaldus & Golfaldus, aliquando Waldus, ex priore Camalarienſi, Dalmatio ſubrogatur; cujus tempore Achidius Dienſis epiſcopus eccleſiam S. Johannis de Carrevolis ſancto Theotfredo conceſſit an. XX. Conradi regis, Chriſti circiter 956. Idem rex Conradus prædia confirmavit, quæ S. D Theotfredus martyr in pagis Valentinenſi & Dienſi poſſidebat, qua de re vide inſtrumenta. Memoratur etiam Vulfaldus an. 2. Lotharii regis, id eſt hoc ipſo anno 956. vel præcedenti; item anno Incarnationis 960. regni Lotharii ejuſdem anno IV. *lege* VI. vel etiam VII. & 961. indict. IV. ac denique anno 24. Conrado regnante. Laudatur ob exſtructum operis eximii templum, in quod corpora SS. Theotfredi & Eudonis abbatum tranſtulit. Vide Mabill. Annal. ad annum 956. n. 103. & ad annum 981. num. 4. Attigit vero annum ſaltem XXX. Conradi regis, poſteaque factus eſt E epiſcopus Dienſis circa annum * 23. Lotharii regis, ex dicendis. Certe iſta dignitate præeminebat ſub Lothario & Ludovico regibus Arimannus ſeu Armannus prius decanus, cui Vulfaldus factus epiſcopus, retento abbatis nomine, regimen abbatiæ commiſit, quod obtinuit annis Lotharii regis 23. 27. 28. & 29. & anno 37. regnante Conrado rege.

C. XXXIX. col. 260.

* *Eſtiennot habet*, anno 961

XI. Wigo I. qui & Guigo, ex chartulario monaſterii, duos manſos accepit ab Arnaldo presbytero die Sabb. 17. Maii, regnante Conrado rege anno 36. id eſt anno Chriſti 975. Fortaſſe Arimannus de quo ſupra, ut proabbas ſeu ſecundus

Digitized by Google

abbas monasterium regebat. Ceterum Guigo dicitur abbas & præsul, quia scilicet episcopus erat Glandevensis. Innotescit vero ex pluribus chartis, maxime ex quadam dicta *congadiaria*, *an. ab Inc. Dom. 991. regnante D. N. J. C. Francis autem contra jus regnum usurpante Ugone rege.* Vide Mabill. ad hunc annum n. 64. Item in alia charta *rege terreno deficiente* legitur abbas, & anno regni Hugonis qui fuit pater Roberti regis, tertio, quo mansiones quasdam in oppido Aniciensi acquisivit mense Januario feria III. Eidem an. 993. Guido
a ep. Aniciensis * S. Petri extra urbem cœnobium a se constructum ei regendum commisit. Præsul & abbas dicitur anno III. regni Hugonis, & iterum regnante Rodulfo rege (Provinciæ) anno saltem 994. ac denique in pacto inito cum Agno vicecomite, regnante Roberto rege.

b Widlo [b], fortasse alius quam qui superius memoratus est, nominatur abbas in charta Stephani vicecomitis Gabalitanensium, qua cedit partem possessionum ad construendum monasterium, quod subjectum sit juri cœnobii Calmiliacensis: *Hoc ergo negotium committimus in manu & providentia domni Widonis Calmiliacensis cœnobii abbatis & successorum ejus*, inquit vicecomes in laudato diplomate an. 998. quod exstat lib. 6. Diplom. Mabil. n. 148. pag. 579. Eundem esse putamus qui dicitur Guigo in dono clericorum sedis Anicien sis pro salute animæ Theodardi episcopi senioris sui, laudantibus Beraldo præposito, Eldeno decano, Gaucerando abbate, Roberto ædituo, Roberto abbate, &c. an. 1001. indict. XIV. Luna 23. XVI. cal. Septemb. regnante Hugone; legendum quidam putant *Rodulfo*, cujus regni an. VIII. feria IV. mense Octobri vir nobilis Leotardus quatuor mansos in vicaria Soyonensi in villa Cornatis eidem Wigoni concessit. Et certe Wigo appellatur in charta Umberti Gratianopol. episcopi, qua cellam S. Laurentii a se restitutam subjecit cœnobio almi Theofredi an. 1012. Vide Diplom. p. 581.

Idem esse videtur ac Hugo, qui abbas legitur Roberti regis anno quarto. Guigo nominatur in charta Lamberti Valentinensis episcopi tempore Rodulfi regis (Provinciæ) qua, de consensu clericorum ejusdem sedis, Andreæ decani, Guigonis abbatis, Isarni archidiaconi & Ademari comitis, locum ei quemdam fundatum in honorem B. martyris Victoris reparandum tradidit, ut ibi fratres regulariter viventes induceret. Actum est II. idus Martii feria IV. Luna VI. anno 1011.

XII. Willelmus I. *de Capdenaco*, parum utilis fuit monasterio, ex quo recessit ante obitum sub an. 1036.

XIII. Willelmus II. ex castro Solemniaco, S. Odilonis abb. Cluniacensis ex sorore nepos, vir placidus moribus, cujus temporibus Umbertus comes dedit monasterio Calmelien si & cellæ S. Laurentii, ecclesiam S. Mariæ de Scalas, *les Echelles*, in diœcesi Gratianopolitano anno 1042. Hic autem cum diu monasterio præfuisset, langore & senio confectus relaxandæ disciplinæ occasionem præbuit.

XIV. Guigo II. seu Wigo & Guido, donum accepit a Geilino comite, approbantibus filiis Odone episcopo, &c. XV. cal. Aprilis Henrico rege regnante. Cum vero propter senium oneri pastorali humeros impares experiretur, illud deposuit circa an. 1074. *ad curam pristini loci reversus*, inquit chronicon.

XV. Willelmus III. decanus, *al.* prior S. Enimiæ, invite Guigoni subrogatus, abbas ordinatur ab Hugone Diensi episcopo an. 1074. ex Mabillonio; statim vero monasticæ disciplinæ restaurandæ, resarciendisque ædificiorum ruinis incubuit; nec multo post Adhemarus episc. Anicien sis dedit ei ecclesiam S. Vincentii de Solemniaco, Gregorio papa. Tandem vita excessit an. 1086. idibus Decemb. qui tamen pridie idus Decembris memoratur in necrologio Divionensi.

XVI. Willelmus IV. benedictionem percepit ab Hugone Gratianopolitano episcopo in absentia Ademari ep. Anicien sis ante altare B. Mariæ Anicien sis anno 1087. vel potius ab Ademaro Anicien si præsule, adstante S. Hugone Gratianopol. episcopo. Monasterium de Fraxineto construxit hic abbas, de quo plura leguntur in chronographo monacho Calmilien si, qui sub eo abbate vivebat; in vita vero S. Hugonis Gratianopol. auctore B. Guigone sic habetur: *Hoc a viro ætate & sanctitate reverendo S. Theofredi nunc abbate, tunc monacho, nos audivimus, qui beati viri per annos plusquam viginti comes exstitit individuus.*

Idem anno 1090. tertio suæ præfecturæ, Romam profectus est ut novum ab Urbano II. privilegium, novamque bonorum confirmationem monasterio suo consequeretur. Assensit pontifex calendis Aprilis anno prædicto * ind. XIII. pontificatus anno tertio. [c] Reversus ad suos Willelmus quasdam ecclesias ab Ademaro Anicien si & Leotgerio Vivarien si episcopis impetravit; ab Ademaro autem episc. Rutenensi, Salvatoris monasterium feminarum, situm in castro Severiaco; qua de re privilegium a Paschali II. obtinuit, datum VIII. cal. Aprilis an. Christi 1105. hujus papæ anno VI. indict. XIII. superstes ad annum 1108. mense Aprili.

* vel 1091.

c

XVII. Franco abbas Calmeliacensis appellatur in chartulario Camalarien si. S. Bernardus epist. 232. agit de abbate Calmeliacensi infamato; forte is est Franco, cujus idcirco nulla in tabulario monasterii mentio reperitur.

XVIII. Willelmus V. cui Gaucerandus episc. Vivarien sis, & nepotes ejus Guigo de Monte-acuto, &c. firmaverunt donum Stephani de Gloiraco an. 1124. regnante Henrico, *lege* Ludovico, nisi sit Henricus imperator, quod vero absimile est. An. 1132. indict. X. acquisivit a Willelmo decano

* Perperam igitur hic abbas confunditur cum Guidone episcopo Anicien si a Guillelmo Bairin archiclavo Cluniacensi in hist. MS. majorum priorum Cluniacensium.

[b] Censet quidem noster Mabillonius Widonem de quo in charta Stephani vicecomitis anno 998. eumdem esse cum Guigone, Wigone, Guidone aut Widone (sunt enim eadem nomina) qui erat episcopus Glandavensis. At si fuisset hic episcopus, non video quomodo diceretur tantum abbas in illa charta.

[c] Hoc privilegio monasterium eximitur ab omni alia potestate & jurisdictione, quam ecclesiæ Romanæ, cui tenetur annuum aliquot solidorum censum persolvere.

Digitized by Google

Anicienſi domino de Goudeto procurationem quam habebat in monaſterio Calmiliacenſi.

XIX. Geraldus, *al.* Beraldus obtinuit a Lucio II. confirmationem omnium donationum cœnobio ſuo factarum, 1144.

XX. Bertrandus, cui Adrianus papa IV. dedit bullam pro confirmatione poſſeſſionum, decimoquinto calend. Maii anno ſui pontificatus primo. Hac in bulla recenſentur pluſquam 230. eccleſiæ ſancti Theofredi monaſterio ſubjectæ.

XXI. Petrus I. de Belmont an. 1166. ſcriptor chronici Camalariarum.

XXII. Pontius de Chalancon, ex priore Camalariarum, abbas erat S. Theofredi 1172. & 1186.

XXIII. Willelmus VI. de Vareia.

XXIV. Petrus II. de Serviſſac prior Camalariarum, tum abbas Camaliaci 1203.

XXV. An. in charta Manſiadæ reperitur an. 1205.

XXVI. Willelmus VII. de Monte-claro nobili gente procreatus, annis 1206. & 1208. de cœnobio bene meritus.

XXVII. Soffredus ex abbate ſancti Theofredi factus epiſc. Gratianopol. ante an. 1223. dedit cœnobio mille ſolidos Viennenſes tempore abbatis Raimundi de Barjac.

XXVIII. Petrus III. Gaudini, obierat an. 1232. vel ceſſerat.

XXIX. Raimundus I. de Barjac ſedebat anno 1242. quo memoratur in litteris Soffredi epiſc. Gratianop. olim abbatis Calmeliac.

XXX. Antelmus I. regebat an. 1258.

XXXI. Jordanus de Chateauneuf 1272. & 1273. quo anno permutavit cum priore magno Arverniæ & præceptore domus hoſpitalis S. Johannis Jeruſalem Anicienſis, prioratum S. Mariæ de Scala diœceſis Gratianopolitanæ, pro domo & & oratorio de Fraxino, probante Anic. epiſcopo, præſentibus Guillelmo de Monte-Revello præpoſito, Johanne cardinali foriſdecano, Jordano de Ceyſſac & Armando de Bouzols canonicis, &c. Actum Anicii M. CC. LXXIII. XVI. calend. Auguſti. *Ex inſtrum. arch. Anic. epiſcopi.*

XXXII. Antelmus II. 1284.

XXXIII. Guillelmus VIII. inter quem & priorem ac monachos S. Theofredi fiunt quædam pacta an. 1288. ſexto idus Martii, confirmata per Stephanum de Audacia priorem S. Petri Anicienſis, & Bertrandum Rocgue priorem de Vino, electos a partibus compoſitores & definitores.

XXXIV. Petrus IV. anteceſſor alterius Petri qui ſequitur, ex dicendis.

XXXV. Petrus V. de Montlaur, de qua gente nobiliſſima apud Juſtellum in hiſtoria de Turre, poſt obitum Petri abbatis, electus confirmatur ab epiſcopo Anicienſi anno 1293. ex archiv. epiſc. Anicienſis.

XXXVI. N. de Villars, natalibus clarus, ſedit annis 1297. & 1303.

XXXVII. Raimundus II. Ayralti e gente d'Ayrault, ut conjicimus, apud Anicium, ex qua eodem ſeculo Andreas Airaud, optimus Caſæ-Dei abbas, præerat 1318. Anno ſequenti ejus auctoritate & capituli generalis hoc anno habiti Dominica in octavis Pentecoſtes, ut moris erat, factæ ſunt *ordinationes* ſuper re veſtiaria monachorum ſancti Theofredi, & prioratuum ab hoc monaſterio pendentium, pro quarum exſecutione inſtituti ſunt definitores & commiſſarii.

XXXVIII. Bernardus abbas S. Theofredi datur a Johanne papa XXII. comes Bartholomæo primo Electenſi epiſcopo, pro legatione * ad Gedeminnum regem Lithuaniæ, qui cum plurimis ſubditorum ſuorum poſtularat ſibi mitti Rigenſem archiepiſcopum a quo fidem Chriſtianam ſuſciperent, ex tabulario Montis-Olivi & ex chronico Pruſſiæ. * Circa an. 1324.

Idem fortaſſe Bernardus eſt qui legitur abbas annis 1355. & 1356. quo pepigit cum fratribus pro pitancia, ut in pacto habetur.

XXXIX. Amblardus de Rollands ſedit ab anno ſaltem 1358. ad 1368.

XL. Jacobus recenſetur in chartis annorum 1368. & 1369. uſque ad 1374. quo anno electus eſt abbas Cluniacenſis, mortuus an. 1383. 2. nonas Julii apud Avenionem, ubi ſepultus in eccleſia S. Martialis, ex chronico Cluniac.

XLI. Gilbertus promotus eſt bulla Gregorii papæ XI. data Avenioni IV. idus Januarii anno quinto ejus pontificatus, Chriſti 1374. aut 1375. Attigit annum 1386.

XLII. Drogo de S. Vidal eligitur anno ſaltem 1390. qui biennio poſt, anno videlicet 1392. die 2. Maii receptus eſt in capitulo Anicienſis eccleſiæ, jure fraternitatis, præſtito prius de more fidelitatis ſacramento.

XLIII. Bomparius Ayraldi præerat an. 1419.

XLIV. Vitalis Erail ſive Erailh, annis 1451. & 1459. in charta Montis-Olivi. Reſignavit abbatiam Franciſco de Stanno, d'*Eſtaing*, presbytero canonico & comiti S. Johannis Lugdun. ex bulla 20. Maii 1493.

XLV. Franciſcus d'Eſtaing ex illuſtri genere, Gaſpardi toparchæ de Stagno & Johannæ Murolii filius, fratrem habuit Antonium ep. Engoliſmenſem, ipſe vero fuit abbas Calmeliacenſis ab anno 1492. Refecit fornices eccleſiæ, conſtruxit magnam turrim campanariam, gradus ante fores eccleſiæ, Pontem dictum *le Pont d'Eſtaing*; fecit & odæum miræ elegantiæ, & dedit chori ſtromata; refecit quoque muros urbis Lingonienſis.

XLVI. Gaſpardus de Turnone ab anno ſaltem 1500. quo fidelitatis & ſocietatis juramentum præſtitit in capitulo Anicienſi.

XLVII. Carolus I. de S. Nectaire, Antonii filius ex Maria d'Alegre, abbas Auriliaci & Calmeliaci, an. 1520. die penultima Febr. bullam Leonis X. promulgavit datam VI. idus Martii, ejus pontific. anno ſeptimo ſeu anno 1519. ad confirmandam compoſitionem inter Antonium de Chabanes epiſc. Anicienſem, ejuſque capitulum, pro collatione præbendarum. Obiit poſt ceſſionem anno 1560. In bibliotheca S. Roberti Caſæ-Dei adſervatur MS. liber, auctore Petro Bringerio priore Caſæ-Dei, cujus titulus talis eſt: *Viridarium de cœlibatu Eccleſiaſticorum ad meritiſſimum antiſtitem dominum D. Carolum Nectarianum Benedictinis Theofredinis & Orliacinis hierarchiſantem.*

Digitized by Google

XLVIII. Antonius de S. Nectaire, Nectarii ex Margarita d'Eſtampes filius, pedum cedente ſibi Carolo patruo conſecutus eſt an. 1560. geſſitque uſque ad an. 1592. cum vero ſimul eſſet abbas Auriliaci, hanc permutavit abbatiam cum epiſcopatu Anicienſi an. 1570. vel ſequenti, Calmeliacenſi retenta, ubi ſepultus eſt anno 1592. a quo anno ad 1621. ipſius nepotes Doënſi & Calmeliacenſi abbatiis ſub variis nominibus potiti ſunt; in aliis tamen ſchedis unus Martinus Barry, nepos Antonii, toto hoc tempore has duas abbatias poſſediſſe dicitur.

XLIX. Carolus II. de S. Nectaire abbas regularis ab an. 1621. ad 1645. quo mortuus, juxta Carolum & Antonium patruos ſuos jacet.

L. Henricus de S. Nectaire abbas regularis an. 1645. cujus benevolentia an. 1676. D. Claud. Eſtiennot Calmeliacenſis tabularii evolvendi & inveſtigandi copiam habuit. Obiit anno ſequenti apud Anicium; ſimul erat Doæ abbas.

LI. Armandus Petrus de la Croix, filius Renati-Gaſpardi ex Elizabetha de Bonzy, abbas fuit Calmeliacenſis & Vallis-Magnæ.

LII. Petrus de Bonzy Biterrenſis epiſcopus, deinde Toloſanus, demumque Narbonenſis archiepiſcopus & cardinalis; obiit an. 1703.

LIII. Armandus Petrus de la Croix de Caſtries, cardinalis Bonzy ex ſorore nepos, archidiaconus Narbonenſis, deſignatus archiepiſc. Turon. & ſereniſſimæ duciſſæ Bituricenſis primus eleemoſynarius, abbatiam hanc nunc obtinet. Sub hoc abbate conſtruitur clauſtrum, & monachorum liberalitate fundatur noſocomium ſub titulo S. Franciſci Saleſii. Præter hos abbates occurrit quidam Heracleus ætatis incertæ, pro cujus animæ ſalute Stephanus Hugoneti prior Calmariarum, legavit nonnulla, ex necrolog. Calmarienſi ad 7. cal. Feb.

S. Jacques de Doë.

ABBATIA S. JACOBI DE DOA.

ABBATIA de Doa, ord. Præmonſtrat. diſtat tribus circiter milliaribus Anicio, ad cujus urbis proſpectum poſita in monte nemoribus conſito, fluvio Ligeri imminet. Ejus origo refertur ad annum 1138. & domini *de Saint-Quentin*, pagi vicini hujuſce nominis toparchæ, abbatiæ fundatores adſeruntur; quæ toparchia Cartuſianis ceſſit. Ante abbatiæ fundationem erat ibidem ſacellum ſub titulo S. Mariæ, quod in majorem formam redactum, titulo S. Jacobi inſignitum eſt. Vero ſimile eſt hanc ſolitudinem primum incoluiſſe canonicos Præmonſtratenſes, tum quia Doa creditur eſſe ſecundum monaſterium ordinis Præmonſt. qui florere cœpit circa annum 1119. tum quia circa an. 1165. Petrus Anic. ep. domum Doæ, concedit Stephano Tornacenſi, *ut in ea regularis ordo ferventius obſervetur*: quod ſupponit in ea domo canon. Regulares a fervore primævæ obſervantiæ aliquatenus deſciviſſe. Lege epiſtolas Stephani ex abbate S. Genovefæ epiſc. Tornacenſis. 1. quæ incipit *Benedictus Deus qui poſt tempeſtatem, &c.* 2. *Memor antiquæ liberalitatis*, &c. Utramque epiſtolam ſcripſiſſe Stephanum circa annum 1165. inferre licet ex priori epiſtola ad epiſcopum Anic. nimirum *reddita tranquillitate, & pace* ſancita inter dictum Petrum IV. necnon Willelmum Arverniæ comitem, Armandum vicecomitem Podomniacenſem, & Pontium de Monte-lauro, qui bona ſedis epiſcopalis & abbatiarum invaſerant; quod ſane in cauſa fuit cur a primævo inſtituto Regulares Doënſes deflecterent. Videtur inſuper mendum irrepſiſſe in inſcriptione epiſtolæ ad epiſcopum Anicienſem *pro eccleſia ſancti Evurtii*. Hæc namque eccleſia ſita eſt in urbe Aurelianenſi, & pertinet ad congregationis Gallicanæ canonicos Regulares. Neque Stephanus hancce S. Evurtii eccleſiam ab Anicienſi præſule potuit poſtulare, cum ipſemet Stephanus fuiſſet abbas S. Evurtii priuſquam fieret abbas S. Genovefæ. Dicendum ergo ex poſteriori epiſtola ad B. canonicum Anicienſem, Stephanum Petro ſcripſiſſe pro domo Doæ, non vero pro eccleſia S. Evurtii, quæ ſuæ jam erat ditionis, & de qua dicere non poterat: *locum videre deſidero*. Niſi forte velis dicere S. Evurtium fuiſſe primum titularem domus Doæ, quod vero abſimillimum eſt; aut amanuenſem poſuiſſe *S. Evurtii* pro *S. Evodii*, quod non apparet minus vero diſſimile. Ut ut ſit, Tornacenſis antiſtitis litteras nullum habuiſſe effectum ſcimus, cauſam neſcimus. Certe Petrus epiſcopus Anic. Præmonſtratenſibus domum Doæ ceſſit, aut potius confirmavit; ut patet ex bulla Alexandri III. qua conſtat Petrum epiſcopum, decanum & capitulum Anicienſe partem nonnullam proventuum ſedis epiſcopalis, dignitatum, perſonatuum, canonicatuumque vacantium conceſſiſſe, quod ipſius ſucceſſor Bertrandus adprobavit, confirmavitque Alexander papa bulla data Viterbii IV. idus Januarii, pontificatus ſui an. IV. Plurimis gaudet privilegiis abbas Doæ: ſedem habet in eccleſia cathedrali poſt quatuor dignitates, eſt conſervator privilegiorum ejuſdem eccleſiæ, & ſummus arbiter canonicos inter & epiſcopos diſſidentes, ex apoſtolica commiſſione conſtitutus, ex archivis capituli Anicienſ. & ex receptione Johannis de Buriana 1483. quæ habetur in archivis abbatiæ Doæ.

Abbati ſubjacent priores S. Germani Pratenſis, vulgo *S. Germain la Prade*, S. Martini de Fugeriis, S. Mariæ Magdalenæ de Pontempeyrat, B. Mariæ de Borna, S. Juliani de Anſa; hi quinque in diœceſi Anicienſi, & prior ſancti Stephani de Cruſſol, in Valentinenſi. Capellaniam S. Johannis in dicta eccleſia S. Germani Pratenſis pleno jure confert.

Deſerta fuit hæc abbatia S. Jacobi per varia temporum intervalla, multaque damna pertulit; unde non mirum, ſi ſeriem abbatum mutilam damus, etſi nihil omiſſum curæ ſit a noſtro D. Jacobo Boyer indagatore ſagaciſſimo.

ABBATUM SYLLABUS.

I. GAUDEFRIDUS 1184. cui toparcha de Caſtro-novo cedit eccleſiam S. Juliani d'Anſe in diœceſi Anicienſi, an. 1200.

II. A. abbas Doæ 1215. ex inſtrumento ſancti Evodii Anicienſis; forte Armandus qui reperitur 1227. & 1239. Eo ſedente in eccleſia Doæ ſepultus eſt Robertus de Magduno Anicienſis epiſcopus

Digitized by Google

1219. die 21. Novemb. Ibidem ſepulturæ jus habent domini de Canillac ſacelli S. Catharinæ fundatores.

III. Hymbertus 1240. An. 1245. Laurentius ex canonico Anic. S. Pauli Tricaſtinenſis epiſc. multa prædia teſtamento legat monaſterio Doæ.

IV. Jarento 1246. Armandus de Podemniaco ep. Anicienſis plura confert beneficia ejus monaſterio.

V. Giraldus abbas 1268.

VI. Guillelmus de Plauzaco 1295.

VII. Petrus I. Peytanim, ex archivis S. Majoli Anic. 1307.

VIII. Petrus II. de Garda 1312. Tranſigit cum vicecomite Podomniacenſi pro juſtitia pagi *de Fayt la Triouleyre*, an. 1318.

IX. Petrus III. Percamny 1319.

X. Petrus IV. Pictavini de Garda 1322. ex arch. Anicienſ. eccleſiæ.

XI. Stephanus I. de Bodafel juramentum præſtat Lyautaudo de Solignac decano Anicienſi 20. die Junii 1332.

XII. Stephanus II. de Benoiſt 1334.

XIII. Johannes I. de Saint-Paul renovat tranſactiones a prædeceſſoribus factas cum vicecomitibus Podemniacenſibus 1340. Armando exiſtente tunc vicecomite, ex charta caſtri Podemniacenſis.

XIV. Petrus V. de la Roche 1351.

XV. Johannes II. de Lobeyrac anno 1351. die 24. Novembris tranſegit cum decano & capitulo Anicienſi, *quod dominus abbas Doë librari debet ſicut unus ex canonicis*, &c.

XVI. Johannes III. Francon 1363.

XVII. Johannes IV. Planchemine 1382. D. de la Blanche fundat capellam S. Margaritæ in eccleſia Doæ 1385.

XVIII. Dalmatius Thouzet 1402. Tranſigit cum vicecomite Podomniacenſi 1420. Eodem anno die 15. Sept. Dalmatio abbati hominium reddit ſyndicus univerſitatis S. Majoli, aperto capite, compoſas manus immittens inter manus abbatis, quas deoſculatur, pro penſionibus clientelaribus *de Fayt la Triouleyre*. Idem hominium Dalmatii ſucceſſorib. præſtiterunt alii ſyndici S. Majoli 17. Martii 1456. 7. Dec. 1579. &c.

XIX. Johannes V. Chambon 1423. quo, die 28. Aprilis, obtinuit ſententiam adverſus ſyndicum univerſitatis S. Majoli. Eidem abbati hominium flexis genibus reddit D. de Montanhac 1436.

XX. Petrus VI. Roderii ex abbate Doæ in abbatem generalem ordinis Præmonſtratenſis eligitur 1443. Præfuit annos ſex & menſ. 7. in oculis aliorum magnus, ſibi vero vileſcens; moritur 8. Martii 1449. Ita Pagius biblioth. Præmonſtrat. p. 946. Sed contrarium habet Caſimirus Oudin ejuſdem Ordinis. dum objicit Johannem de Fara abbatem Præmonſtrat. Petri Roderii deceſſorem immediatum, litteras dediſſe 26. Aug. 1448. ad Johannem Baudoin abbatem Averbodienſem, de quo Æneas Sylvius.

XXI. Jobertus de Montanhac 1445. accipit hominium ab univerſitatis S. Majoli ſyndico.

XXII. Matthæus de Burriana e nobili in urbe Anicio familia, commiſſarius deputatur ab Hilario cardinali tit. S. Praxedis legato apoſtolico pro uniendis novem vicariatibus ad menſam capitularem S. Evodii Anic. 25. Febr. 1458. quo etiam anno tanquam judex ſubdelegatus ab abbate ſancti Theotfredi privilegiorum Caſæ-Dei conſervatore, privilegium huic monaſterio nominandi ad vicariam S. Privati conſervat adverſus epiſcopum Mimatenſem, die 21. Martii, ex archiv. ſancti Illidii Clarom. Tranſegit vero an. 1461. cum Bellunda de Turnone abbatiſſa Silvæ-Benedictæ; qui rurſus memoratur 1471. & 1483. quo anno, die 18. Martii domum in urbe Anicio pro ſuo monaſterio Doæ comparavit. Denique ſenio prægravatus, abbatiam, cui per annos 45. præfuerat, reſignavit in manibus Sixti papæ IV. in favorem Johannis de Burriana ſui nepotis, retenta ſibi adminiſtratione perpetua monaſterii quandiu viveret.

XXIII. Johannes VI. de Burriana, ex priore S. Germani Pratenſis * abbas Doæ per reſignationem patrui, excipitur magna pompa more ſolito in eccleſia cathedrali Anicienſi 18. Nov. 1483. cum pedo paſtorali, a decano, præpoſito, præcentore, foriſdecano Petro Boyer, &c. totoque capitulo, cui per ſacramentum fidem obſtrinxit; deinde collocatus eſt in ſtallo chori ſedi pontificali proximo.

* S. Germain de la Prade.

XXIV. Thomas Duron ex priore S. Juliani de Anſa litteris apoſtolicis Romæ apud S. Petrum datis abbas inſtituitur an. 1488. XVI. cal. Aprilis. Anno ſequenti die Martis 26. Aug. eodem ritu ac prædeceſſor ſuſceptus eſt a capitulo Anicienſi.

XXV. Claudius de Burriane litteris patentibus Caroli Franc. regis, Lugduni datis. 19. Aprilis 1497. confirmatur in jure ſedendi poſt dignitates capituli Anicienſis contra Petrum Boyer foriſdecanum minorem; ſedit vero ad annum 1539. quo toparchæ de Montanhac hominium excepit.

XXVI. Johannes VII. de Burriane paciſcitur cum incolis d'Orzilhac pro decimis 1. Junii 1545. Antonius de Seneterre Anic. epiſcopus; & baro de S. Vidal Occitaniæ prorex lites componunt inter dictum abbatem, & Dom. de Montanhac 1582.

XXVII. Chriſtophorus Allard 1589. & die 4. Septemb. 1596.

XXVIII. Henricus Beraldus nepos baronis de Saint-Vidal uſurpat abbatiam 1590.

XXIX. Johannes VIII. Dulac tranſigit cum incolis ſancti Martini de Fugeriis pro decimis 10. Julii 1605.

XXX. Martinus Barry præerat ab an. 1613. 28. Nov. ad annum 1676. quo per domnum Petrum Barry monachum Benedictinum nepotem ſuum & abbatiæ procuratorem, pacta cum incolis Brivæ ſupra Ligerim pro decimis ſibi debitis die 24. Martii confirmavit.

XXXI. Henricus II. de Seneterre, monachus & abbas ſancti Theofredi, abbatiam Doæ obtinuit 1676. Obiit Anicii anno ſequenti 1677.

XXXII. Silveſter de Morgues de S. Germain, filius Claudii baronis de S. Germain ex Urſula Leonard Bruxellenſi, abbas regularis nominatus a

Digitized by Google

Rege die 20. Junii 1679. inauguratur ab epiſcopo Betlehem in eccleſia S. Maglorii Pariſienſis 30. Octob. 1683. Nepos eſt N. de S. Germain Regi a conſiliis, Reginæ ab eleemoſynis, oratoris eximii, nominati ad ſedem epiſcopalem Tolonenſem; frater vero Henricæ de S. Germain abbatiſſæ perpetuæ S. Claræ Anicienſis; & patruus Johannis Hugonis de S. Germain ſecretarii & familiaris Melchioris de Polignac Rotæ auditoris. Silveſter erat decanus ſeu antiquior abbatum ordinis Præmonſtratenſis. Obiit Doæ in feſto S. Bernardi die 20. Aug. 1714. ſepultus in presbyterio.

XXXIII. Robertus de Villers de la Berchere, profeſſus abbatiæ Præmonſtratenſis, nominatur a Rege ad abbatiam S. Jacobi Doæ ultima Octobris die 1714. benedicitur in abbatia S. Antonii Pariſienſis a D. Luca abbate Præmonſtratenſi die x. Febr. 1715. & die 2. Junii ejuſdem anni abbatiæ poſſeſſionem iniit.

Belle-cumbe.

BELLA-CUMBA.

BELLA-CUMBA monialium ordinis Ciſtercienſis abbatia, filia Manſiadæ, fundata creditur a dominis de Chalanconio, præſertim a Bertrando de Chalanconio epiſcopo Anicienſi, qui eam e ſilva de Mega ad vallem media leuca diſtantem in qua modo viſitur, tranſtuliſſe fertur, ubi & ſepultus eſt. Diſtat Anicio quatuor leucis, ſemileuca Yſſingeaco, *Iſſingeaux*, duabus Tenſa. Eccleſia conſecrata eſt B Mariæ & ſancto Claro, cujus in ea ſacræ oſtenduntur reliquiæ; hanc vero primum rexerunt prioriſſæ, tum abbatiſſæ, quarum nunc ſeries ex ordine proferenda & texenda, quantum nobis licebit in magna chartarum penuria.

SERIES PRIORISSARUM ET ABBATISSARUM.

I. ELIZABETH prioriſſa bullam ab Eugenio papa III. qua monaſterii poſſeſſiones confirmantur, obtinuit, datam Remis per manum Guidonis S. R. E. cancellarii, nonis Aprilis indict. XI. Incarn. Dom. anno 1148. pontificatus vero D. Eugenii papæ III. anno quarto.

II. Jauceranda prioriſſa, cui Geraldus Montilii dominus & vicecomes Maſſiliæ exemtionis ab omni pedagio, &c. per totam terram ſuam & aquam privilegium conceſſit anno 1224. menſe Maio. Quo etiam anno menſe Decembri donationem accepit a Petro Monetarii & Hugone filio ejus, confirmante Stephano Anicienſi epiſcopo, præſentibus Jordano de Seyſſac & Bertrando de Chalancon canonicis. Hugo de Salſac miles concedit *inter vivos* Deo & B. Mariæ & domui Bellæ-cumbæ & Jaucerandæ prioriſſæ quoſdam manſos & alia in charta donationis enumerata; petens ut unus de ſacerdotibus donatis monaſterii ſingulis diebus in celebratione miſſæ fundat ſpeciales preces pro anima fundatoris, ejuſque uxoris dominæ Vacheriæ, &c. *Acta ſunt hæc omnia coram me Petro Ademari canonico majoris eccleſiæ & bajulo curiæ Anicienſis, VII. cal. Junii anno M. CC. XXIX.* Sigilla apponunt Stephanus Anic. epiſcopus, & fr. Petrus prior conventus ſancti Laurentii, in præſentia Leotaudi theſaurarii, Pontii Augerii ſeneſchalci, Bertrandi de Rochebaron, Petri Jaucerant, Willelmi d'Urſairolas, fratris Hugonis ord. Prædicatorum, Pontii Matthæi, &c.

III. Maria de Anduzia prioriſſa manſum de Beleſtar & alia prædia emit a Petro Moneterii. *Actum Bellæcumbæ in domo Deusconvers anno 1234. pridie nonas Julii, præſentibus Jordana de Fay ſubprioriſſa, Pontia dei ſuc, Eſmenarda de Valamblaves, Cecilia de Lapte ſacriſtana, Cecilia de Podio*, &c. *monialibus, ſeptem ſacerdotibus & ſex converſis.*

IV. Hermenna prioriſſa Bellæ-cumbæ tranſigit pro grangia de Adiaco cum Seguino priore de Bello-loco diœceſis Anicienſis, menſe Julio 1238. præſentibus Alaiza & Vacheria de Bouzols monialibus. Compoſitionem hanc firmavit G. abbas Manſiadæ.

V. Beatriſſa prioriſſa manſos de la Beſſa & de Boſcheto emit a Pontio de Lapte milite anno 1250. in craſtinum S. Johannis Baptiſtæ.

VI. Aiglina Aſpazia de Podomniaco, prima monaſterii Bellæ-cumbæ abbatiſſa anno M. CC. LVI. ſedente Armando de Polignac Anicienſi epiſcopo, fecit compoſitionem cum Poncio & Guigone Monederii fratribus domicellis. Eodem anno, menſe Octobri Pontius de Romegeiras domicellus vendit domui Bellæ-cumbæ & Aiglinæ Aſpaſiæ abbatiſſæ villam de Vazeillas, &c.

VII. Alazatia, ſive Alaſaſſia, ſeu Alaiz de Bouzols ſtipulatur cum Bertrando Dalmatii milite pro terra de *Montagut*, arbitris ac compromiſſoribus Johanne Cardinali canonico Anicienſi, & Guigone de Lardairol domicello, de conſenſu Guillelmi Anicienſis epiſcopi. *Actum in platea ſubtus montem de Chazals x. calendarii Octobri M. CC. LXIX.* Emit quoque manſum de Salelas ab Hugone & Pontio de la Baſtida fratribus 1272. menſe Febr.

VIII. Beatrix abbatiſſa pactum fecit cum Armando vicecomite Podomniaci pro feodis de Verolz, de Roſieres, & d'Adiac, die Lunæ poſt feſtum Aſſumtionis B. Mariæ 1282. An. 1284. fidem juravit ep. Anicienſi, ubi cognominatur de S. Præjecto.

IX. Blancha de Bas M. CC. LXXXVII.

X. Amphelisa ſeu Amphelisa de Caſalibus, filia Bertrandi de Chazals, abbatiam rexit tempore Guidonis de Nova-villa Anicienſis epiſcopi, qui cum emortui mancipii jure manſum de Coreolas, villam de Monteilhet d'Auza ac territorium de Beliſtar occupaſſet, eadem poſtmodum loca propter Bellæ-cumbæ paupertatem monialibus reſtituenda curavit. *Actum Anicii die Veneris ante feſtum dedicationis eccleſiæ Anicienſis, anno Dom. M. CC. XCI.* Recognovit anno ſequenti Pontio de Podomniaco canonico Anicienſi, domino Vallis Amblaventis, terras de Adiaco, de Roſeriis, &c. die Jovis poſt feſtum Nativitatis B. Mariæ, Philippo Francorum rege, & Guidone Anicienſi epiſcopo cui fidelitatem juravit an. 1293. Obortis vero quibuſdam diſſidiis inter præfatum Guidonem epiſcopum & comitem Vallaviæ, ac ipſam Amphelisam pro juſtitia loci Bellæ-cumbæ, abbatiſſa compromiſſores

Digitized by Google

compromiſſores elegit pro componendis rebus cum epiſcopo, die Jovis poſt feſtum S. Bartholomæi 1294. Tum anno ſequenti die Veneris poſt feſtum dedicationis S. Michaëlis, prima die intrante menſe Octobri, nomine ſuo & conventus Bellæcumbæ, compoſitionem fecit cum Johanne Cardinali canonico & foriſdecano Anicienſi, vicario generali domini epiſcopi, ejuſque in hac parte procuratore, præſentibus teſtibus Jordano de Ceyſſac abbate ſancti Petri de Turre, &c. ex archivo epiſcopali.

XI. Yſent I. de Tornello Johanni de Cumenis Anicienſi epiſcopo fecit hominium pro feudis de Bonas, menſe Octobri 1303. Reperitur adhuc anno 1308.

XII. Iſabellis I. de Tornello.

XIII. Hyzellis de Tornello, e parthenone de Aleſto, ordinis S. Claræ diœceſis Nemauſenſis, ad Bellam-cumbam tranſlata, eidem poſtea præficitur abbatiſſa per obitum Iſabellis de Tornello, bulla Johannis papæ XXII. Avenione data XIII. cal. Febr. anno pontificatus XI. ad prioriſſæ preces & totius conventus. Nec multo poſt ſcilicet III. cal. Febr. ejuſdem anni altera bulla idem ſummus pontifex conceſſit ei facultatem a quocumque vellet epiſcopo benedictionis accipiendæ. Nominatur in chartis annorum 1328. 1330. 1334. 1349. 1354. & 1358.

XIV. Johanna d'Anduſe 1360. ex ſchedis domni Eſtiennot.

XV. Suſanna de Montibus, Bertrando de Turre Anicienſi epiſcopo, Vallaviæ comiti, *ſeu Anicienſi eccleſiæ*, fidelitatis hominium præſtitit pro ſuo monaſterio die 27. Aprilis 1367. teſtibus Galhardo Ebrardi abbate S. Petri de Turre, &c. Anno ſeq. menſe Novembri cum eodem epiſcopo compoſitionem fecit per procuratores ſuos fr. Hugonem Tronche monachum Manſiadæ, & Stephanum de Pratlong curionem S. Evodii Anicienſis; ex tabulis ſedis epiſcopalis Anicienſis: quod pactum ipſamet abbatiſſa renovavit & confirmavit cum eodem præſule 23. Maii 1372. Nominatur adhuc in charta anni 1375.

XVI. Iſabellis II. ſeu Elizabeth de Pradela magnifico & potenti viro D. Armando vicecomiti Podomniaci, domino baroniarum de Sollemniaco & de Randone, reddit homagium pro terris de *Verotz* & d'*Adiac*, *junctis manibus inter manus vicecomitis, oſculo pacis interveniente*, in capitulo veteri B. Mariæ Anicienſis, præſentibus D. Hugone abbate Manſiades, & Petro de Vergeſiaco milite, ballivo vicecomitis Podomniaci die Jovis 9. Julii 1383.

XVII. Yſent * II. de Tornello 1386. & 1395. * *al.* Iſabellis.

XVIII. Catharina I. de Rupe-forti, cui *nobilis Johannes baſtardus de Podomniaco, filius naturalis magnifici & potentis viri D. Armandi vicecomitis de Podomniaco, homagium-ligium reddidit pro terra Adiaci, genibus flexis, manibus junctis, pollicibus abbatiſſæ oſculatis, apud Bellam-cumbam in aula abbatiſſæ*, præſentibus nobilibus viris Girardo de Pieriis, Johanne Ruelli domicellis, &c. 19. die Nov. 1404. Carolo Francorum rege, Helia Anicienſi epiſcopo, & Armando vicecomite Podomniaci, 16. Febr. 1406. Eadem abbatiſſa memoratur in tabulis 29. Martii 1417. Helia epiſcopo Anicienſi, & 12. Aprilis 1423. regnante Carolo, & Guillelmo de Chalanconio Anicienſi epiſcopo.

XIX. Marquezia de Sancto-Vitale abbatiſſa 1429.

XX. Anna de Curſſolles * 1430. ex ſchedis noſtri D. Claud. Eſtiennot. * *f.* Cruſſol.

XXI. Margarita de S. Projecto, *de S. Prieſt* 1435. & 1442. 12. Novemb. Guillelmo Anicienſi epiſcopo, in charta caſtri de Monte-acuto in Arvernia. Hæc vero alicubi legitur exauctorata ob incompoſitos mores, eidemque ſuffecta

XXII. Catharina II. de Cruſſol, filia Geraldi Baſſet quarti hujuſce nominis domini de Cruſſol & de Beaudiner, ex Aleide de Laſtic ſecunda conjuge, ſoror vero Geraldi de Cruſſol Turonenſis archiep. an. 1460. *Aymario de Pictavia domino S. Valerii & baroniæ Chalanconis ac Durifortis, & ſuorum reſſortorum recognovit francum & nobile caſtrum ac fortalitium de Bellacumba a dicta baronia de Chalancon dependere, & eſſe reddibile in qualibet mutatione domini, vel abbatiſſæ, & poſſe baronem levare ſuam baneriam in dicto caſtro per tres dies naturales in ſignum reddibilitatis & ſuperioritatis, ipſiſque 3. diebus tranſactis ipſa abbatiſſa poterit dictam baneriam levare & illam implicare in ſervitio eccleſiæ ſuæ. Actum XVIII. Octob. M. CCCC. LXVIII. ſereniſſ. principe Ludovico rege Francorum.*

XXIII. Brianſona de Laniaco abbatiæ poſſeſſionem iniit 8. Decemb. 1474. Johanne de Borbonio Anicienſi epiſcopo. Sedebat adhuc 1479.

XXIV. Maria, ad cujus preces Julius papa II. abbati Doæ ordinis Præmonſtr. & priori de Viaya ord. Grandim. præcepit ut prædones monaſterii Bellæ-cumbæ coërcerent. Datum Oſtiæ an. 1505. pontificatus anno III.

XXV. Catharina III. de Monaſterio *, e nobili juxta Clavaſſium ſtirpe, regimen capeſſivit die 4. Junii 1513. ſuperſtes ad annum ſaltem 1519. quo ſcilicet Franciſca de la Tour quæ ſequitur, ſolemnem emiſit profeſſionem. * du Monaſtier.

XXVI. Franciſca I. de la Tour S. Vidal per ceſſionem Catharinæ du Monaſtier, cujus erat neptis, inſtituitur abbatiſſa Bellæ-cumbæ, nondum profeſſa, & in duodecimo duntaxat ætatis anno conſtituta, bulla Leonis papæ X. data Romæ apud S. Petrum, Incarn. Dom. anno 1514. cal. Nov. pontificatus anno ſecundo. Interceſſit quidem Margarita de Rota monialis profeſſa Silvæ-Benedictæ, nihilo tamen minus bulla præfata monaſterium commendat Franciſcæ, quando vigeſimum ætatis annum attingeret. Sedebat annis 1530. & 1557.

XXVII. Franciſca II. de la Tour S. Vidal, Antonii baronis de Turre filia, a teneris annis enutrita fuit in conventu Polliaci in Roancſio diœceſis Lugdunenſis, ord. S. Benedicti; tum vero in eodem parthenone ſuſcepit habitum ordinis Ciſterc. annuentibus Franciſca de Turre abbatiſſa, & toto conventu Bellæ-cumbæ, ut patet ex inſtrumento capitulari die Dominica 9. Maii 1557. Profeſſionem emiſit Bellæ-cumbæ in manibus dictæ Fran-

Digitized by Google

cilcæ abbatiſſæ, cujus erat neptis. Tandemque abbatiſſa ſucceſſit amitæ reſignanti, a Rege nominata 28. Julii 1561. necnon confirmata Pii papæ IV. bulla ejuſdem anni, quo etiam adiit poſſeſſionem die Dominica 21. Decembris. Recenſetur in chartis ann. 1568. & 1603. quo Franciſcus de Poligniac dominus d'Adiac hominium ei præſtitit.

XXVIII. Clara de la Foreſt-Bulhon decedente Franciſca, cujus erat neptis, ſchedulam regiam obtinuit, & bullas Romæ apud S. Marcum datas an. 1609. IV. nonas Julii, pontificatus Pauli papæ V. anno quinto. In poſſeſſionem inducitur eodem anno 3. Septemb. a Johanne Laurent decano, officiali & vicario generali Anicienſi. Munus autem benedictionis accepit die Dominica 18. Octobris ſequentis a Jacobo de Serres epiſcopo Anicienſi infra miſſarum ſolemnia, in eccleſia cathedrali. Anno 1634. accepit homagium a Marco de Poligniac domino d'Andiac. Vixit ad annum ſaltem 1675, 8. Octobris; ſed longe antea ceſſerat.

XXIX. Johanna de la Foreſt-Bulhon neptis Claræ, ea reſignante bullas accepit ab Alexandro papa VII. an. 1658. XVIII. cal. Febr. pontificatus an. 4. Obiit 10. Auguſti 1694.

XXX. Ludovica de Molette Morangiez, ex vetuſta apud Gabalitanos gente, Caroli filia & Feliciæ de Montmorency, Mercorii profeſſa ſub Margarita de Morangiez, nominatur abbatiſſa Bellæ-cumbæ die 1. Novemb. 1694. confirmaturque ab Innocentio papa XII. die VIII. cal. Febr. 1695. quo anno poſſeſſionem obtinuit exeunte menſe Martio. Majorem eccleſiæ januam, loca regularia ac domum abbatialem reſtauravit, obſervantiamque in ſuo monaſterio mirifice reſtituit.

Sanvebenite.

SILVA-BENEDICTA.

HIc parthenon beatæ Mariæ in cœlos aſſumtæ ſacer, ordinis Ciſtercienſis ſub abbate Manſiadæ, ſitus eſt ad fines Vallaviæ, Forenſis pagi, & Arverniæ, in ima valle, ad ripam fluvii *la Semene* nuncupati, qui una abhinc leuca cum Ligeri permiſcetur. Præcipuos agnoſcit benefactores Forenſes comites, pertinetque ad diœceſim Anicienſem, a cujus urbe primaria diſtat octo leucis Lugdunum verſus. In eccleſia vero, quæ ampla eſt ac decora, viſitur B. Margaritæ tumulus, hujuſce quondam cœnobii alumnæ, ad quem patrantur crebra in dies miracula. Eccleſiæ dedicatio celebratur ſeptimo calendas Maii. Has ſolummodo quæ ſequuntur reperire licuit abbatiſſas, quibus præmittendæ ſunt duæ prioriſſæ, per quas primum regebatur monaſterium.

PRIORISSARUM ET ABBATISSAR. CATALOGUS.

I. AGATHA prioriſſa domus Silvæ (in antiquis enim documentis non additur *Benedictæ* cognomen, quod forſan a miraculis B. Margaritæ promeruit) emit ab Arnaldo Rollandi jus omne quod habebat in monte Voluſiano, in loco de Chaſteletz, fidejuſſoribus pro tenenda pace Ademaro domino de Annoniaco, & Willelmo de Laniaco. *Hæc diffinitio facta eſt in clauſtro Annonayenſi, anno Incarnat. Dom. M. CC. XXVIII.* A *octavo idus Junii feria VII. Luna II.* & hanc confirmavit J. Viennenſis archiepiſc. & ſigillo ſuo communivit.

II. B. prioriſſa Silvæ 1233.

III. Ayglina abbatiſſa an. 1255. num eadem quæ prima fuit abbatiſſa Bellæ-cumbæ?

IV. Sibilla I. de Bedagiis 1278.

V. Beatrix I. de S. Præjecto, *de S. Prieſt*, apud Seguſianos, an. 1284. pro ſuo monaſterio fidelitatem ſpopondit epiſcopo Anicienſi.

VI. Sibilla II. 1287. menſe Novembri, ex inſtrumento ſedis epiſcopalis Anicienſis. Tranſegit an. ſequenti VII. cal. Maii cum Fredolo Anicienſi epiſcopo pro juſtitia & juriſdictione loci de Silva. Actum apud Spaletum in capella epiſcopali.

VII. Ampheliza de Bouzols, filia Bertrandi de Chazals, inquit MS. codex ſedis epiſcopalis Anicienſis, anno 1293. & 1294. recognovit ſe ab epiſcopo tenere ſuum monaſterium. Num eadem eſt quæ fuit etiam abbatiſſa Bellæ-cumbæ?

VIII. Sibilla III. 1295. 1301. & 1306.

IX. Margarita I. de Chalanconio 1311. 1313. & 1314. die Maii 12. Sed forte jam ceſſerat.

X. Artauda ſeu Artalda de Laniaco ex gente apud Seguſianos nobili, præerat jam an. 1313. & adhuc 1323. die 9. Decemb. & 1324.

XI. Adelais I. ſive Alix, Aliſia de Roca-baronis, Briandi militis de Roca ſeu de Rupe-baronis & de Monte-archerio filia, rexit ab an. 1326. ad 1345. quo Stephanus de Lacu abbas Manſiadæ, acquiſitiones ab hac abbatiſſa factas confirmavit.

XII. Adelais II. de S. Germain Laval, nobiliſſimi inter Seguſianos generis, ſedit ab an. 1350. ad 1355.

XIII. Beatrix II. de Turre-alba 1358. 1361. 63. & 74.

XIV. Aliſia de Monte-acuto 1378. & 1382.

XV. Blanca I. de Marcilly Chalmazel, Johannis ex delphina de S. Nectaire filia, pedum geſſit ab anno 1387. ad 1399.

XVI. Adelais III. de Roche-baron, Guigonis militis filia, ſedebat 1402.

XVII. Beatrix III. de Torreta ſeu de Turreta in abbatiſſam electa, confirmatur ab Hugone abbate Manſiadæ calendis Nov. 1403. Reperitur in chartis ab anno 1406. ad 1411.

XVIII. Alix de Cheſa ſive de Cheyſa & de Cheſia 1412. 1415. & 1425. ſed adſcita, ut videtur, longe antea coadjutrice, quæ ſequitur.

XIX. Blanca II. de Talaru Chalmazel, Johannis ex Catharina de la Tour d'Oliergues filia, præerat 1417.

XX. Bellunda de Turnone 1461. & 1463.

XXI. Franciſca I. de la Roüe, Claudii de la Roüe d'Uſſon d'Uniere, & Brilletæ de Tournon filia, legitur abbatiſſa 1491. 1496. & 1517.

XXII. Margarita II. de la Roüe, Willelmi domini d'Uſſon la Roüe d'Uniere filia, ex Gabriela de Chouvigni de Blot, cedente amita fit abbatiſſa, id eſt regimen capeſſit 1531. At nomen abbatiſſæ obtinebat jam an. 1519. & 1529. Ipſa deinde contendit pro abbatia Bellæ-cumbæ.

XXIII. Johanna Bertrandi Anicienſis, ſoror *judicis* majoris, 1535. obiit 22. Aprilis 1563.

Digitized by Google

Ea vero ſedente Jacobus vicecomes de Joyeuſe baro S. Deſiderii, ſuam in eccleſia Silvæ-Benedictæ ſepulturam elegit datis codicillis 21. Julii 1540.

XXIV. Margarita *de S. Præjecto, Antonii de S. Prieſt abbatis Vallis-Benedictæ ſoror, & Margaritæ de la Roüe abbatiſſæ neptis, eligitur in abbatiſſam die Veneris 23. Aprilis 1563. Præerat adhuc 1580. 89. & 94. de qua hoc anno in veteris libri coopertura ſchedula ſequens affixa legitur: *L'an 1594. le 21. Juillet a 6. heures du matin, le ſieur de Champetieres accompagné de 500. ſoldats poſa le petard devant le chaſteau de l'abbaïe de la Seauve; mais Anthoine Gontaud ſieur de la Vallée, avec ſept ſoldats ſeulement, les obligea de ſe retirer & de laiſſer leurs echelles & leur petard qu'il offrit le lendemain à l'offertoire de la meſſe de ſainte Magdelaine. Pendant le ſiege la dame Marguerite de ſaint Prieſt abbeſſe, eſtoit en prieres avec ſes religieuſes devant le tombeau de la B. Marguerite.*

* *al.* Magdalena.

XXV. Franciſca II. de S. Prieſt, Ademari & Catharinæ de Polignac filia, S. Petri Lugdunenſis alumna, per reſignationem Margaritæ inſtituitur abbatiſſa bulla Clementis papæ VIII. data apud S. Marcum Incarn. Dom. an. 1595. nonis Auguſti pontificatus anno quinto. Tranſigit cum Juſto Anicienſi præſule pro pago de Prunieres an. 1625.

XXVI. Johanna I. de S. Prieſt, Franciſcæ ſoror, in ejus demortuæ locum ſufficitur anno 1628. rexitque ad annum 1656. quo obiit poſt ceſſionem factam nepti ſuæ.

XXVII. Maria I. de Chaluſſet de Cordet, *al.* de Cordé de Chaſſus, ex parthenone S. Scholaſticæ Billomenſi aſſumta in abbatiſſam confirmatur Alexandri VII. bulla data VII. idus Octob. an. 1656. pontificatus an. 2. poſſeſſionem accepit anno ſeq. die Aprilis decima.

XXVIII. Catharina du Prat des Cornets ex eodem cœnobio Billomenſi educta per nominationem regiam 19. Auguſti 1661. bullas accepit eodem anno XVII. cal. Octob. Regebat an. 1677. quo noſter D. Claud. Eſtiennot monaſterii tabulas evolvit. Sedit vero annis 45. & amplius de omnibus bene merita, maxime de eccleſia ſua, quam in melius reſtituit ac decoravit. Defuncta eſt die 9. Aug. 1707. in navi eccleſiæ ſepulta [a].

a

XXIX. Johanna II. de Greſolles, Andreæ domini de Greſolles & de Lurey apud Seguſianos filia ex Anna de la Prée Burgunda, profeſſionem emiſerat in abbatia Boni-loci, quando a Rege nominata fuit abbatiſſa Silvæ-Benedictæ 15. Aug. 1707. procurante R. P. de la Chaiſe ejuſdem conſanguineo. Poſſeſſionem accepit 24. anni ſeq. obiit vero ultima die Maii 1713.

XXX. Maria II. de Molette Morangiez, ſoror Ludovicæ abbatiſſæ Bellæ-cumbæ, profeſſa Mercorii, nominatur die Aſſumtionis B. Mariæ 1713. in caſtro de Marly. Confirmatur bulla Clementis XI. dat. Romæ apud S. Mariam-Majorem anno Incarn. 1713. XI. cal. Januar. pontificat. XIV. Inducitur in poſſeſſionem 25. Maii 1614. a Petro-

[a] Ergo nullus locus invenitur D. de Rochefort de la Voirette quæ deſignata legitur an. 1694. die 1. Nov. Fortaſſe audito falſo de morte Catharinæ nuntio, Rex hanc monialem deſignarat.

A Nicolao Girardin canonico & cellerario Anicienſi, vicario generali & officiali ejuſdem diœceſis.

CLAVASSIUM.

CLAVASSIUM aut Clavaſium, B.M. parthenon, filia Manſiadæ e linea Ciſtercii, in diœceſum Anicienſis & Viennenſis finibus poſitus eſt in anguſta valle, ſilvis ac præruptis montibus circumſepta, in parochia S. Philiberti de Rivo-torto, *Rioutor*, leucis decem ab urbe epiſcopali, tribus ab Annoniaco, totidemque ab oppido S. Deſiderii Vallavenſis. Variis afflictus eſt cladibus quæ ſacras ſæpiſſime virgines loco cedere compulerunt; nunc ad priſtinas ædes reverſæ ſunt, quas, præſertim eccleſiam, decorat in dies hodierna abbatiſſa, nuſquam ſatis laudanda Anna de Montmorin S. Herem, qua favente, ſequentem abbatiſſarum ſeriem ex pauciſſimis quæ ſuperſunt inſtrumentis contexuit noſter D. Jacobus Boyer.

SERIES ABBATISSARUM.

I. JAUCERANDA abbatiſſa 1259.

II. Aymona 1273.

III. Paula 1282. Guillelmo de Rota Anicienſi epiſcopo.

IV. Raynauda d'Argental 1284. Falcone abbate Manſiadæ.

V. Alaſia d'Argental 1306. ſub cujus regimine abbatia in caſtrum mutata eſt.

VI. Clara Boyer 1325.

VII. Martha Boyer 1330.

VIII. Beatrix de Cruſſol 1341. Stephano de Lacu abbate Manſiadæ. Anno 1348. Petrus Bertrandi cardinalis Æduenſis ducentos auri florennos Clavaſſio dedit.

IX. Franciſca de Cambefort 1390.

X. Margarita de Conis 15. Oct. 1401. ſedente Helia Anicienſi epiſcopo. Anno 1428. Petrus de Monaſterio, Petri Bertrandi cardinalis Æduenſis nepos, cujus uxor Claudia de Chaſte vocabatur, apud Clavaſſium ſepultus eſt.

XI. Iſabellis I. Gaſtona, e ſtirpe de Lupeis 1455.

XII. Iſabellis II. de S. Germano, e nobili de Monte-rotundo progenie 1477. 1480. & 1500. fundavit ſacellum ad collationem abbatiſſæ Clavaſſii, in campo Marlharum, in honorem ſanctæ Mariæ, S. Benedicti & S. Catharinæ, regnante Francorum rege Carolo, & probante Godefrido de Pompadour Anicii præſule.

XIII. Gaya de S. Germano 1503. Reſignavit ſequenti.

XIV. Iſabellis III. de Clermont de Chaſte, ſuperioris neptis, confirmatur a Julio papa II. nono cal. Aug. 1507. anno pontificatus quarto, cujus bullam exſecutioni mandavit Theodorus de ſaint Chamond S. Antonii Viennenſis abbas.

XV. Franciſca de Clermont de Chaſte 1546.

XVI. Pheliſia Allemandi, cui defunctæ ſucceſſit

XVII. Agnes ſive Agneta de Girin 1562. a ſororibus electa. Hæc monaſterium flammis non ita pridem abſumtum in integrum reſtituit anno 1573.

Digitized by Google

XVIII. Gabriëlis de S. Chamond prius abbatiſſa S. Juſti in Delphinatu, quam lego æmulam fuiſſe præcedentis pro Clavaſſio; cujus tandem abbatiæ obtentæ dilapidavit bona, & poſtea nupſit.

XIX. Johanna de Clermont de Chaſte.

XX. Magdalena de Clermont de Chaſte 1607. quam Claudius Maſſon abbas Morimundi die 16. Auguſti 1609. in monaſterio Bellæ-cumbæ benedixit.

XXI. Margarita de la Borye fiduciaria abbatiſſa, reſignavit ſequenti.

XXII. Anna de Clermont de Chaſte, filia Caroli ex Anna de Latier-Charpey, vi bullæ Urbani papæ VIII. datæ apud S. Petrum 1642. VIII. idus Novemb. pontificatus anno vigeſimo, inducitur in abbatiæ poſſeſſionem per Claudium Jourdan officialem & vicarium generalem capituli Aniciensis, ſede vacante.

XXIII. N. de Rochefort 1. Nov. 1692. nominata, moritur menſe Julio 1698.

XXIV. Anna de Montmorin S. Herem, filia Eduardi ducis equitum expeditorum & Mariæ de Chamfeu, ſoror epiſcopi Adurenſis, profeſſa Eſclaſſiæ, deinde ſubprioriſſa, nominatur an. 1698. prioriſſa & commiſſaria Clavaſſii ab abbate Ciſtercienſi: tum vero cedente Anna de Chaſte, eodem anno renuntiatur abbatiſſa in feſto Aſſumtionis B. Mariæ, confirmaturque bulla Innocentii papæ XII. data apud S. Mariam majorem XIV. cal. Januarii 1698. pontificatus anno VII. Inducitur in poſſeſſionem ab Armando de Bethune Anicienſi epiſcopo 22. Febr. 1699. Benedicitur in feſto SS. omnium in eccleſia metropolitana Viennenſi ab Armando de Montmorin archiepiſcopo, adſiſtentibus D. de Villars S. Andreæ Viennenſis, & D. de Gordes S. Claræ Annoniacenſis abbatiſſis. Hactenus feliciter præeſt & prodeſt.

S. CLARÆ ANICIENSIS ABBATIA.

AGNOSCIT fundatricem Claudiam de Roſſillon viduam Armandi vicecomitis Podomniacenſis, quæ ibidem ſanctiſſime vitam clauſit. Sancta Coleta locum acceptavit poſt bullam Martini papæ V. 8. Sept. 1425. directam ad Anicienſem epiſc. ſed variis ſuborientibus per quinquennium obicibus, Claudia de Roſſillon aliam obtinuit bullam ab Eugenio papa IV. 3. Februarii 1431. directam ad abbatem ſancti Theofredi & officiales Lugdunenſem ac S. Flori commiſſarios apoſtolicos in hac parte; qui abbas benedixit primarium lapidem comitantibus præfatis officialibus eodem anno. Ædificium perfectum eſt largitionibus Bernardi d'Armagnac, & curis Guillelmi Villarit canonici S. Flori, auctumque privilegiis Caroli VII. Franc. regis, ut patet ex ejus litteris datis apud Lochias 27. Auguſti 1430. & 26. Martii 1434. Eccleſia ſolemni ritu conſecrata eſt a G. de Chalanconio Anicienſi præſule. Tandem B. virgo Coleta Anicium repetiit, litteris munita R. P. Antonii de Maſſa ord. Minorum generalis miniſtri, datis 25. Maii 1432. comitantibus ſexdecim fororibus, ab epiſcopo & canonicis ac primariis civibus proceſſionaliter deducta eſt in novum monaſterium die 2. Julii in feſto Viſitationis B. M. an. 1432. at poſtquam per biennium rexiſſet ſacras virgines, præfecturæ, ut alia conderet monaſteria, ſubſtituit abbatiſſam.

In cellula S. Coletæ adſervantur plura ejuſdem ſanctæ ſuppellectilia, & in eccleſia duæ lypſanothecæ eidem virgini a ſummo pontifice conceſſæ. At quod ſummum eſt, viget ejuſdem ſpiritus in pauperibus ſororibus quæ vivunt in arctiſſima paupertate, & mira corporis auſteritate. Ex earum numero ſoror Lucia de Bochieri Anicienſis, & ſoror Margarita de Pierre-fite Gratianopolim accerſitæ, ibidem fundaverunt monaſterium ſui ordinis an. 1478.

SERIES ABBATISSARUM.

I. JOHANNA I. DE PORTS, huc a S. Coleta deducta.

II. Ludovica I. de Pompignac e nobili apud Arvernos familia.

III. Agnez I. Ardiere ex urbe Brivatenſi. Erat abbatiſſa anno 1487. ex inſtrumento hujus anni dato 17. Decembris, quod habetur in bibl. Regia inter collectanea D. de Ganieres. *Vol. 4. des Orig.*

IV. Catharina I. de Chaudon, ex eadem urbe.

V. Ludovica II. Farge.

VI. Johanna II. de Vichy, an. 1499. ex iiſdem collect. volum. 4.

VII. Agnez II. Perpeſſage, Brivatenſis.

VIII. Magdalena de la Villete ibidem reperitur an. 1503. 16. Decembris.

IX. Clara Ardiere itidem Brivatenſis, anno 1509. die 4. Dec. ex iiſdem collectionibus.

X. Claudia de Montchenu, ex illuſtri apud Delphinates ſtirpe.

XI. Roſa Duplan, ex Aquis-Sparſis in Arvernia.

XII. Catharina II. Irail Anicienſis.

XIII. Catharina III. de Chaudon Brivatenſis.

XIV. Franciſca de Chamblas ex antiqua gente apud Vellavos.

XV. Ludovica III. Ferriol, ex illuſtri apud Seguſianos familia, juxta S. Anemundi urbem, vulgo *ſaint Chamond*.

XVI. Suzanna Blachie Turnonenſis.

XVII. Ludovica IV. d'Alzon de la Coſte e nobiliſſima gente d'Eſtaing, diu & ſanctiſſime rexit. Hiſce noſtris temporibus D. Armandus de Bethune invenit ejus corpus adhuc integrum & incorruptum, quod ex medicorum judicio præter naturam erat, quod inaquoſo loco ſepulta foret.

XVIII. Gabriëlis du Prat, filia Claudii & N. d'Ecornetz, obiit cum fama ſanctitatis ætatis ſuæ 95. profeſſionis 77. regiminis 32.

XIX. Maria Martin Anicienſis per ſeptennium rexit abbatiam, & regularis obſervantiæ ſtudioſiſſima fuit.

XX. Gabriëlis * Coleta de Morgues, filia nobilis viri Claudii de Morgues baronis de S. Germain la Prade, & Urſulæ Leonard Bruxellenſis, hodie ſumma cum laude regit.

* Henrica dicitur in Silveſtro de Morgues abbate Doenſi, cujus erat ſoror.

Digitized by Google

ADDENDA QUÆDAM ET EMENDANDA.

COL. 125. in catalogo abbatiarum adde *Virzionem.*

Antiquitez de S. Denys. Col. 139. adde in Theobaldo abbate : adhuc præerat an. 1226.

Col. 140. inter Heliam abb. & Guillelmum III. reſtituendus eſt Stephanus abbas circa 1326.

Col. 159. Radulfus II. jam ſedebat an. 1235. ex laudato reg. XXXI. fol. 53.

Diplom. Mabil. t. iv. ch. 208. Col. 160. Fr. Combaret, leg. *Comberel.*

Col. 186. Stephanus I. adhuc ſuperſtes notatur an. 1200. in regiſt. XXXI. archivi Reg. Pariſ.

Col. 212. in abbatibus Varennarum ponendus Arnaldus d'Oſſat an. 1587.

Col. 213. in ſerie abbatum Loci-Regii reſtitui debet Laurentius ad an. 1221. menſe Decembri, ex reg. eodem fol. 61.

Col. 214. quæ hic diximus de G. abbate, an. 1230. confirmantur ex chartul. Campaniæ MS. in bibliotheca Reg. fol. 383.

Col. 279. de Guidone ep. Claromont. ejuſque ſepultura non ita pridem ad nos ſcripſit D. le Bœuf ſuccentor eccleſiæ Altiſſiodorenſis, in eccleſia parochiali d'*Ouzoir* * Latine de Oratorio, diœceſis hujus, videri lapidem ſepulcralem, cum effigie epiſcopi mitra & aliis pontificalibus inſigniis ornati, in quo legitur : *Hic jacet D. D. Guido de Turre quondam epiſcopus Claromontenſis.* Idem vir doctus conjicit Guidonem, hoc in loco qui non longe diſtat a via publica qua ex Arvernia Pariſios itur, occubuiſſe ac ſepulcro donatum ſtatim fuiſſe ; poſteaque relatum ad eccleſiam Claromontenſem ibidem jacere.

* Sur Trezée.

Col. 362. Arnaldo abbati Magni-loci Baluzius præponit Guillelmum anno 1279. in ſuis Animadverſionibus, tacetque quo ex loco eum eruerit.

Col. 407. catalogo abbatiſſarum Baluzius addit Delphinam ad an. 1291. menſe Septemb. & Annetam 1435. menſe Julio ; laudatque Notitiam Vaſconiæ p. 522. quæ tamen minime lego in Notitia Vaſconiæ Oihernati loco indicato.

Col. 424. Petrus ep. S. Flori, anno 1365. diebus 3. Aug. 17. Septembris & 24. Februarii dicitur conſiliarius Regis & locumtenens in montibus Arverniæ pro duce Biturigum & Arverniæ.

Col. 444. Baluzius facit W. fratrem Richardi comitis abbatem Auriliaci, an. 1195. quo tamen anno proculdubio Petrus abbas erat. Sed potuit ei ſuccedere W. hoc anno.

Col. 447. ad Franciſcum de Joyeuſe abbatem Aureliacenſem, adde quod invenimus in chartis authenticis collectionis domini de Ganiere, quæ aſſervantur in bibliotheca regia, Petrum de Reveilles, per ceſſionem cardinalis de Joyeuſe creatum fuiſſe abbatem bulla data III. idus Febr. ſed alia bulla data iiſdem die & anno nominationem ad beneficia, & fructus omnes ad cardinalem pertinere cavetur, exceptis 600. nummis aureis. Hic ceſſit die 6. Maii an. 1606. Carolo de Noailles clerico Lemovic.

Col. 448. Marqueſius fit abbas Maurcii (non ſancti Mauricii) an. 1410. inquit Baluz. ſed quo auctore id aſſerat, minime nos docet.

Col. 619. ad ſeriem abbatum Beneventi adde ante Fulcaudum de Bonneval :

Petrus Lourion Beneventi alumnus abbas fit per capitulum Lemovic. poſt obitum Petri Fulcaudi 1510.

Marcus de Rourgues filius Simonis de Rourgues in magno conſilio ſenatoris, abbas commemoratur an. 1513.

Digitized by Google

GALLIA CHRISTIANA
IN PROVINCIAS
DISTRIBUTA.

PROVINCIA AQUITANICA II. CUJUS metropolis Burdigala.

BURDIGALA ad Garumnam Aquitaniæ ſecundæ metropolis [a], urbs eſt Galliæ celeberrima propter antiquitatem, amplitudinem, opulentiam. Olim fuit caput Biturigum Viviſcorum ad Garumnam, qui minime confundi debent cum Biturigibus Cubis ad Ligerim, quorum Avaricum eſt metropolis, de qua jam locuti ſumus. De Viviſcis vel Ubiſcis aut Vibiſcis occurrit mentio apud Plinium, Ptolomæum, Strabonem, & Auſonium; qui, quod eſſet Burdigalæ ortus, de ſe dicit in Moſella verſ. 438. *Hæc ego, Viviſca ducens ab origine gentem.* Corrupte autem apud Strabonem *Joſci* leguntur aliquando, pro *Viviſci.*

Biturigum Viviſcorum emporium Burdigala dicitur a Strabone, *adjacens ſtagno maritimo, quod oſtia Garumnæ fluminis efficiunt.* Porro hæc civitas, quæ Aquitaniæ tribuitur, ſcilicet, *provinciæ amplitudine civitatum admodum cultæ*, excellere inter ceteras dicitur, & ante Arvernos, Santones & Pictavos ab Ammiano Marcellino recenſetur.

Antiquitatem & magnitudinem Burdigalæ teſtantur adhuc rudera inſignis amphitheatri, quod Gallieno imperante conditum dicunt, & veteris palatii *Tutelæ* appellati. Sedem fuiſſe præſidis Aquitaniæ hanc urbem ſuadere videtur, quod Tetricus ſenator hujus provinciæ præſes, ea in urbe purpuram ſumſerit, Eutropio teſte.

Burdigalam non parum commendant viri perilluſtres qui ex ejus gremio prodierunt; imprimis S. Severinus Colonienſis epiſcopus, B. Paulinus doctrina & ſanctitate ubique notus, & qui ejus præceptor fuerat in poëticis & rhetoricis ſtudiis Decius Auſonius, cui Valentinianus imperator Gratianum filium ſuum inſtituendum tradiderat, & conſulatus honorem contulit an. 379.

Hi ambo patriæ ſuæ laudes celebrarunt: Paulinus in epiſt. ad Auſonium: hic vero cap. 14. de illuſtribus urbibus. Agri Burdigalenſis fertilitatem, & cœli temperiem maxime commendat nobilis hic poëta ſic canens:

Et alibi:

Burdigala eſt natale ſolum, clementia cœli
Mitis, ubi & riguæ larga indulgentia terræ.
Burdigalam inſignem Baccho, fluviiſque viriſque
Moribus ingeniiſque hominum, procerumque ſenatu.

Claris Burdigalæ civibus annumerandus quoque eſt Lampridius rhetor & eximius poëta, ad quem Apollinaris Sidonius ſcribens epiſtolam IX. lib. VIII. ait: *Cum primum Burdigalam veni, litteras mihi tabellarius tuus obtulit plenas nectaris, florum, margaritarum.* Ejuſdem Lampridii mortem violentam & cædem deflet Apollinaris Sidonius ad Lupum: *Pareo quidem*, inquit, *licet intempeſtiva videatur*

[a] Provincia I. Aquitanica diviſa eſt in duas partes; unius metropolis eſt civitas Biturigum, alterius Albia.

Digitized by Google

Digitized by Google

lib. 8. ep. 11. *recordatio jocorum, tempore dolendi. Lampridius orator modo primum mihi occiſus agnoſcitur, cujus interitus amorem meum ſummis conficeret angoribus; etiamſi non eum rebus humanis vis impacta rapuiſſet.*

Burdigala olim quadratæ figuræ erat, Auſonio teſte; nunc arcus exhibet ſpeciem cujus Garumna fluvius velut funis eſt. Olim quoque ſita erat ad dextram fluvii hujus ripam, ut ex Gregorio Turonico liquet; ubi ſcribit lib. VII. c. 31. & 34. Gundobaldum qui erat in urbe Burdigalenſi, cum audiſſet exercitum Guntramni regis propinquare, Garumnam tranſiviſſe, ut Convenas peteret. Nunc autem urbs eſt in ſiniſtro & ulteriore fluminis littore, ex quo volens Convenas pergere, Garumnam tranſmittere neceſſe non habet.

Nec mirum eſt mutaſſe ſitum hanc urbem, quæ tot vices eſt experta. Quinto enim ſeculo Gothi eam expugnarunt & incendio vaſtaverunt; quibus diu non paruit; nam Francorum jugo, pulſis Gothis, quos Clodovæus rex domuit, eſt ſubdita. An. 732. Saraceni ea potiti ſunt. In frequentibus Normannorum incurſionibus, plurima paſſa eſt excidia, ut infra videbimus: ita ut archiepiſcopus Burdigalenſis ad ſummam egeſtatem redactus foret. Varias fortunæ viciſſitudines hujus urbis ſub Aquitaniæ ducibus, & propriis, quos habuit, comitibus (quos inter memoratur Garacharius ſub Chlotario II. a Gregor. Turon. lib. VIII. c. 6.) narrare non aggrediar. Porro eorum ſeriem exhibet Oihenartus, in Notitia Vaſconiæ lib. III. c. 7. Nunc autem ſub regum Francorum imperio floret Burdigala, cujus hodiernus ſtatus breviter eſt deſcribendus.

Gaudet nobilis hæc urbs ſede archiepiſcopali, academia ſeu ſtudiorum Univerſitate, Parlamento, Curia Franciæ quæſtorum, officina monetæ, præſertim vero celeberrimo emporio, ad quod ex omnibus regionibus maxime Septentrionalibus appellunt frequentes naves, imo claſſes, occurruntque negotiatores & inſtitores. Majorum navium appulſum juvat Oceani vicini æſtus. Ad oſtium vero Garumnæ in Oceanum influentis, in vicina rupe, turris dicta Cordoan labore Ludovici Fuxii inter ſyrtes exſtructa eſt, ex qua faces accenſæ noctu viam navigantibus monſtrant.

Academia Burdigalenſis olim floruit; a quo vero fuerit inſtituta, non ſatis liquet. Auſonius recenſet plurimos viros doctos, qui hac in urbe, ſua ætate eloquentiam & alias optimas artes docuerant; imprimis Æmilium Magnum, Arborium, & Tiberium Minervum, quibus magiſtris litteras Græcas & Latinas ibi didicerat. Ipſe Burdigalæ grammaticam & rhetoricam profeſſus eſt. Carolus VII. hanc academiam reſtauravit, quam Eugenius papa IV. plurimis ornavit privilegiis. Idem rex qui Burdigalam & totam Aquitaniam, ab Anglorum jugo liberatam Franciæ regno reſtituit, hac in urbe ſenatum erexit, ſeu parlamentum.

Burdegala quæ Vaſconiæ vulgo caput habetur, præeſt præterea pago ſingulari Burdigalenſi dicto, *le Bourdelois*, qui ad Garumnam & Duranii * fluvii partem, ubi in Garumnam influit, extenditur, inter Santones ad Septentrionem, pagum Medulicum, *le Medoc*, ad Occidentem, Vaſates ad Meridiem, & partem pagi Vaſatenſis, Petracorioſque ad Orientem. Præcipua vero pagi Burdigalenſis loca ſunt Blavia, *Blaye*, quam Auſonius militarem appellat, quod ibi militum præſidium eſſet, ut etiamnum. Eſt autem caſtrum monti qui imminet Garumnæ, infra confluentes ipſius & Duranii, impoſitum, ad fluminis ripam dextram Santones ſpectantem: Riontium, *Rions*, cujus meminit Greg. Turon. lib. de Gloria Conf. c. 48. caſtrum eſt ad Garumnam ſupra Burdigalam: Frontiacus, *Fronſac*, quod caſtrum conſtruxit Carolus magnus ſuper flumen Dordoniam, ut Vaſcones, quos Hunoldus ad rebellandum impellebat, coërceret, uti legitur in veteribus Annalibus rerum Francicarum: Liburnia ad Dordoniam, ubi Ellam amnem recipit: Cardillacum ad Garumnam, caſtro elegantis & magnifici operis ibi conſtructo inſigne: Fanum S. Macharii: Burgus denique, antiquitus prædium nobile S. Paulini, eleganti carmine Apollinaris Sidonii deſcriptum, quod ſit clauſit: * Dordogne

Confirmat vocem jamjam prope ſobrius iſtam
Silenus, pariterque chori cecinere faventes.
Nyſa vale Bromio, Phœbo Parnaſſe bivertex.
Non illum Naxus, non iſtum Cirrha requirat:
Sed mage perpetuo Burgus placitura petatur. Carm. 22.

Ut jam de eccleſiaſtico Burdigalæ ſtatu inquiramus, hæc urbs, ut fere omnes Aquitanicæ, a S. Martiali, quem totius gentis apoſtolum fuiſſe gratulantur, fidem gloriatur accepiſſe. Porro eccleſia hæc non ſolum epiſcopalis eſt, ſed inſuper metropolitana; & ſi fides habeatur Hieronymo Lopezio, etiam primatus olim jure gaudebat, quod probare conatur ex quibuſdam epiſcoporum ordinationibus, in prima provincia Aquitanica olim factis a Burdigalenſibus antiſtitibus. In veteri notitia, quam nonnulli credunt factam Honorii Auguſti temporibus, nos autem putamus antiquiorem, in provincia Aquitanica II. ſub metropoli civitate Burdigalenſium ſunt Aginnenſium, Ecoliſmenſium, Santonum, Pictavorum, & Petrocoriorum civitates: quibus additæ poſtea Condomienſis, Malleacenſis, nunc Rupellenſis, Lucionenſis & Sarlatenſis.

Olim controverſia fuit inter archipræſules Bituricenſem & Burdigalenſem de jure primatus, quod Bituricenſis vindicabat ſibi in Burdigalenſem. Et ſane jam oſtendimus agendo de Bituricenſibus primatibus, qui ſe patriarchas dicunt, ipſos jure primatiali Burdigalenſem provinciam viſitaſſe. At vero Clemens papa V. qui Burdigalæ federat, hanc eccleſiam, totamque provinciam Burdigalenſem a juriſdictione archiepiſcopi Bituricenſis exemit & ſubjectione bullis quas deſcriptas ex chartario eccleſiæ Pictavienſis inter inſtrumenta dedimus. C. 1. col. 261. 262.

Digitized by Google

Eccleſia hæc metropolitana S. Andreæ apoſtolo nuncupata eſt, quæ a Francorum regibus ſecundæ ſtirpis dotata dicitur, & multis privilegiis exornata; plurimas quoque prærogativas a Romanis conſecuta eſt pontificibus; eamque dedicavit Urbanus II. die 1. Maii an. 1096. quæ omnia fuſius proſecutus eſt Hieronymus Lopes canonicus & theologus ejuſdem eccleſiæ in opere Gallico [a]. Capitulum autem conſtat decano, archidiaconis Medullenſi, Ceruenſi, & Blavienſi; cantore, theſaurario, ſacriſta, ſcholaſtico, ſubdecano, ſuccentore, & XXIII. canonicis. Diœceſis habet parochias circiter 400. ſub decem archipresbyteratibus. Eſt in ejuſdem urbis ſuburbio eccleſia collegialis S. Severino dicata, in urbe parochiæ XII. plura monaſteria virorum & mulierum, inter quæ eſt abbatia S. Crucis, de qua & de ceteris diœceſis dicemus ſeorſim. At primum archiepiſcoporum hiſtoriæ conſcribendæ danda eſt opera.

Burdigalenſium archipræſulum catalogum edidit Gabriel Lurbæus, in chronico hujus urbis; cui ſupplementum adjecit Johannes d'Arnal in ſenatu patronus. Arnaldus Oihenartus in Notitia utriuſque Vaſconiæ eorumdem præſulum ſeriem concinnavit. Chenutus in chronologica archiepiſcoporum & epiſcoporum Galliæ hiſtoria. De his præſulibus breviter admodum ſcripſit Claudius Robertus. Sammarthani fratres, qui Roberti Galliam Chriſtianam longe auctiorem fecerunt, plurima ex veteribus inſtrumentis addiderunt iis quos commemoravimus catalogis. Prodiit Burdigalæ anno 1668. hiſtoria eccleſiæ Burdigalenſis, auctore Hieronymo Lopes, cujus jam meminimus; ubi etiam præſulum qui eam rexerunt res geſtæ ordine referuntur. Nos longe plura in antiquis eccleſiarum monumentis invenimus, ex quibus archiepiſcoporum illorum hiſtoria & locupletior nunc prodit & emendatior.

Primus epiſcopus Burdigalenſis a Lurbæo notatus ad annum Chriſti 71. eſt Gilbertus; quem in fide Lurbæi recipiunt alii catalogorum auctores. Verum Lopeſius ex ſerie quam texuit, expungit hunc Gilbertum, de quo Sammarthani dubitabundi loquuntur. Et quidem ſuppoſititius eſt hic epiſcopus; idque probat tum nomen Gilbertus, iis proculdubio temporibus incognitum; tum falſitas epiſtolæ S. Martialis ad Burdigalenſes, ex qua hic epiſcopus eruitur: nam ille S. Gilbertus catalogis inſcriptus, ipſe eſt Sigebertus, qui ex ſacerdote idolorum apud Burdigalam factus Chriſtianus prædicatione S. Martialis, & presbyter ab eo ordinatus, præpoſitus eſt adminiſtrationi novæ hujus urbis eccleſiæ. Falſitatis illarum epiſtolarum argumentum eſt, quod in ipſis laudetur ſacra Scriptura ſecundum verſionem ſancti Hieronymi, tot ſeculis junioris, ſi S. Martialis, uti volunt, fuerit S. Petri apoſtoli coævus. Præterea qui de ſcriptoribus eccleſiaſticis catalogos ediderunt Hieronymus, Gennadius, &c. nuſquam S. Martialis meminerunt. Amandatis ergo falſis, vel etiam dubiis, quæ certiora ſunt proferamus.

[a] Hujus libri titulus eſt: *L'égliſe metropolitaine & primatiale de S. André de Bourdeaux.*

ARCHIEPISCOPI BURDIGALENSES.

I. Orientalis.

ANNI CHRISTI

PRIOR epiſcopus de quo dubitare non liceat fuit Orientalis, notus ex concilio 1. Arelatenſi, cui interfuit, & cum Flavio ſuo diacono ſubſcripſit
314. anno 314. Hoc in cœtu plenario epiſcoporum damnati ſunt Donaſtitæ, qui Cæcilianum Carthaginenſem epiſcopum calumniabantur tanquam ſacrorum librorum traditorem.

II. S. Delphinus.

S. Delphinus eccleſiæ Gallicanæ ſingulare ornamentum, cum ſanctis Phœbadio Aginnenſi epiſcopo, & Paulino Nolano amicitia conjunctiſſimus, concilio Cæſarauguſtæ in Hiſpania Tarra-
380. conenſi celebrato anno 380. aut anno ſequenti, cum aliis Aquitaniæ præſulibus interfuit; ubi damnati ſunt Priſcillianus & Delphidius rhetor Aquitanus, aliive nefandorum dogmatum ſectatores; qui cum a decreto ſynodi ad Damaſum papam provocaſſent, ex Hiſpania Romam profecti per Aquitaniam, hæreſis labe eam fœdarunt; tentataque Burdigala, a Delphino epiſcopo repulſi ſunt. Res in eorum cauſa geſtæ, a Sulpitio Severo lib. 2. hiſt. Sacræ narrantur, qui ait Priſcillianum ab epiſcopis ad Principem provocaſſe; idque permiſſum noſtrorum inconſtantia; ubi loquitur de alio concilio contra Priſcillianiſtas coacto, ſcilicet Burdigalenſi an. 385. a quo depoſiti & damnati Priſcillianus, ejuſque aſſeclæ; Priſcillianus vero ad Maximum imperatorem provocavit. De iis legendus Proſper in chronico. Teſtatur autem Paulinus epiſcopus Nolanus, ab eodem Delphino Burdegalæ ſe fuiſſe baptizatum, in epiſtola ad Alipium; & eam ob cauſam illum patrem appellat, & alterum Petrum cujus hamo ſe captum dicit. Id factum an. 388. contendunt, alii vero 391.

ANNI CHRISTI

385.

388.

Porro hic Pontius Paulinus Aquitanus, ex ſplendida Aniciorum familia Burdigalæ natus, uti jam a nobis dictum, cum ingenii laude floreret, ad conſulatum promotus eſt. Sed poſt baptiſmum, ſeculi honoribus valedicens, vitæ chriſtianæ ſtudio ſeceſſit in Hiſpaniam, ubi a Lampadio Barcinonenſi epiſcopo presbyter ordinatur. Cetera quæ ad illum ſpectant proſequi non eſt hujus loci. Scripſit ad S. Delphinum quinque epiſtolas, a decimaquinta ad decimamnonam; cujus etiam facit honorificam mentionem in epiſtolis vigeſima prima & vigeſima quarta ad Amandum. Delphinus pervenit ad an. 398. nam S. Paulinus ad eum ſcribens ep. 11. meminit papæ tunc ſedentis ſcilicet Anaſtaſii qui anno præfato præeſſe cœpit.

S. Delphinum ad dominum migraſſe an. 404. exiſtimamus. In ſacris diptychis habet locum, & in martyrologio Romano ubi legitur: *Burdigalæ S. Delphini epiſcopi, qui Theodoſii tempore claruit ſanctitate.*

404.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

claruit ſanctitate. Sub hoc epiſcopo florebant Burdigalæ celeberrimi bonarum litterarum & artium profeſſores ab Auſonio laudati : Minervius, Delphidius, Herculanus, Arborius, & ipſe Auſonius. Sed nullus magis Burdigalam illuſtravit S. Delphini temporibus, quam ipſius filius ſpiritualis Paulinus, ab Hieronymo, Ambroſio, Auguſtino, Gregorio magno laudatus.

III. S. Amandus.

S. Amandus ſapientia & ſanctitate inſignis epiſcopus, ſucceſſor Delphini, B. Martini epiſcopi Turonenſis ætate floruit ; coævus quoque fuit S. Paulini Nolani, qui eum ſuis in epiſtolis commendat ; ait namque ſe hoc magiſtro uſum ad fidem chriſtianam ediſcendam ante baptiſmum, ad quem ejus veluti manibus adductus & oblatus fuit anno circiter 391. Priuſquam vero ad epiſcopatum accederet, a S. Delphino presbyter ordinatur, & inſtituitur eccleſiaſtes ; merito quidem, in ſacris enim litteris a puero fuerat apprime inſtitutus. Poſt mortem vero Delphini, communibus cleri populique ſuffragiis ſucceſſor ei datus eſt. At cum corruptos populi mores fruſtra emendare tentaſſet, de abdicando pontificatu cogitavit. Opportune vero *de partibus Orientis* Burdigalam advenit S. Severinus ; quem ex revelatione divina cognovit Amandus, eique obviam venit ; & poſt aliquod tempus ſanctum virum in ſui locum ſubſtituit : at Severinus poſt aliquot annos ad æternam mercedem vocatus eſt. Idcirco S. Amandus priſtinam recepit ſedem nutu divino, poſtquam S. Severinum ſepeliiſſet ; cui ſanctitate non fuit impar. Quo tempore animam egerit Amandus ignoratur. Porro apud Gregorium Turon. hæc a Paulino dicta de eo, & de illuſtribus tunc temporis Aquitaniæ epiſcopis referuntur : *Si enim hos videas dignos Domino ſacerdotes, vel Exuperium Toloſæ, vel Simplicium Viennæ, vel Amandum Burdegalæ, vel Diogenianum Albigæ, vel Dynamium Engoliſmæ, vel Venerandum Arvernis, vel Alithium Cadurcis, vel nunc Pegaſium Petrogoriis, utcunque ſe habent ſeculi mala, videbis profecto digniſſimos totius fidei religioniſque cuſtodes.* Mortuus eſt poſt S. Paulinum anno 431. exſtinctum, cujus ſcripta poſteritati conſervavit. Aliquot ad noſtrum Amandum epiſtolas ſcripſit laudatus Paulinus Nolanus ; & in ſecunda hæc de ipſo teſtatur : *Scimus quod a pueritia ipſi* (Deo) *militans, & ſacris litteris enutritus, nulla converſationis terrenæ & carnis labe pollutus, inveniſti gratiam in conſpectu Altiſſimi.* Sancti Amandi reliquiæ in eccleſia ſancti Severini aſſervantur.

Greg. Tur. l. de Glor. Conf. c. 45.

IV. S. Severinus.

S. Severinus, qui prorſus alius eſt a Severino Colonienſi epiſcopo, *de partibus Orientis, ad urbem Burdigalam a ſupremo numine deſtinatur. Dum autem iter ageret, & eccleſiam Burdigalenſem Amandus epiſcopus regeret, apparuit ei Dominus in viſu noctis dicens :* Surge & egredere in occurſum ſervo meo Severino ..... melior eſt enim te, meritiſque ſublimior. *Exſurgens autem Amandus epiſcopus, accepto bacillo in manu ſua, perrexit in occurſum ejus, nihil de viro ſancto ſciens, niſi quæ Dominus revelaſſet. Et ecce S. Severinus veniebat quaſi obviam ei. Tunc adpropinquantes ſibi, ac propriis ſe nominibus ſalutantes, ruunt pariter in amplexus ; deoſculatique fuſa oratione, eccleſiam cum magno pſallentio ſunt ingreſſi. Quem deinceps in tantum dilexit ac veneratus eſt Amandus epiſcopus, ut eum in locum ſuum ſubſtitueret ; ac ipſe quaſi junior habebatur. Denique poſt paucos annos obiit beatiſſimus Severinus ; quo ſepulto, Amandus epiſcopus recepit locum ſuum.*

Sepultus eſt S. Severinus in loco extra urbem, ubi nunc adhuc exſtat celeberrima baſilica S. Severini nomine inſignita, titulo abbatiæ decorata, quam olim canonici Regulares obtinuerunt, nunc ſeculares. Paulo poſt ſancti viri obitum, incolæ eum patronum ſibi elegerunt, ut nos docet idem Gregorius : & *ſi quandoque urbem aut morbus obrepat, aut hoſtilitas obſideat, aut aliqua querela percellat, protinus concurrentes populi ad baſilicam ſancti, indictis jejuniis vigilias celebrant, devotiſſime orationem fundentes ; & mox ab imminenti calamitate ſalvantur.* Vitam S. Severini a Fortunato ſcriptam fuiſſe docet ibidem Greg. Turonicus ; ſed inter ejus ſcripta non amplius reperitur. Apud Surium legitur ad diem 23. Octobris ſermo antiqui auctoris de S. Severino, quem dicit ex epiſcopo Colonienſi factum eſſe Burdigalenſem ; quæ opinio vix propugnari poteſt, ſi rationem temporum habeamus. S. Severinus factus eſt Colonienſis epiſcopus anno 346. ſecundum communem ſententiam. Et quidem in concilio Sardicenſi anni 347. inter epiſcopos Galliarum recenſetur unus nomine Severinus. Idem Colonienſis præſul obitum S. Martini Turon. divina revelatione cognovit abſens, ex lib. 1. de miraculis S. Martini c. IV. Amandus non pervenit ad epiſcopatum niſi poſt Delphinum, qui animam Deo reddidit anno 404. S. Severinum S. Amando ſuffectum fuiſſe poſt aliquot annos ex dictis conſtat. Unde ſequeretur Severinum poſt annos ſaltem 60. in epiſcopatu Colonienſi exactos longo itineri ſe commiſiſſe nonagenario, ut veriſimile videtur, majorem, ſolo baculo contentum.

V. S. Amandus.

S. Amandus, mortuo S. Severino, iterum ad eccleſiæ Burdigalenſis clavum ſedit, uti jam ex Gregorio Turonico retulimus. Ipſe eſt fortaſſe, qui ſubſcripſit epiſtolæ ſynodicæ præſulum Galliæ, quam an. 451. ad S. Leonem primum miſerunt. 451.

VI. S. Gallicinus.

S. Gallicinus præfuit circiter annum Domini CCCC. LXXIV. Apollinaris Sidonius in carmine ad Lampridium, quod ad Lupum in epiſtola XI. libri VIII. direxit, in qua loquitur de ſua epiſtola ad eundem Lampridium, quam metatoriam paginam appellat, quaſi adventus ſui nuntiam & diverſorium deſignaturam, noſtri epiſcopi meminit his carminibus :

Perge ad limina mox epiſcoporum,
Sancti & Gallicini manu oſculata,
Tecti poſce brevis vacationem.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

Luget autem idem Sidonius l. VII. epiſt. 6. ad Baſilium epiſcopum, ſævam ſtragem a Gothis Arianis in Aquitania factam, qui epiſcopum Burdigalenſem, cum Petrocoricæ, Rutenæ, Lemovicæ, Gabalitanæ, Eluſanæ civitatum ſanctis præſulibus, neci dederant, alios exſilio aut vinculis multaverant. Ex iis autem non temere conjicimus S. Gallicinum in hac Evarici Gothorum regis perſecutione, quæ ad an. circiter 475. pertinet, martyrio vitam finiiſſe.

VII. Cyprianus.

Poſt Gallicini mortem Burdigalenſis eccleſia diu paſtore caruit, ob illatum orthodoxis bellum ab Ariano rege. Sed eo mortuo circa annum 484. ex omnibus pene catalogis, tandem electus eſt Amelius, *al.* Æmilius, cujus meminit Fortunatus tanquam anteceſſoris Leontii lib. I. Carm. c. 11.

Qui cupis egregii ſtructorem noſcere templi,
Tam pia non patiar vota latere tibi.
Longius hinc olim ſacra cum delubra fuiſſent,
Et plebs ob ſpatium ſæpe timeret iter;
Exiguam dederat hic præſul Amelius arcem,
Chriſticolam populum nec capiente loco.
Quo vitæ claudente diem, pro lege graduque
Venit ad heredem hoc opus hicque locus.
Fundavitque piam dehinc papa Leontius aulam,
Obtulit & Domino ſplendida dona ſuo.
Quam venerandus habet propriam Dionyſius ædem,
Nomine ſub cujus ſanctificata nitet!

Ex his carminibus conſtat ſolummodo Amelium in epiſcopatu anteceſſorem fuiſſe Leontii. Quod vero Cypriano, cujus ætas nobis ignota, ſit præmittendus, inde minime liquet.

Obſervandum eſt in loco qui Amelio, Cypriano, duobuſque Leontiis epiſcopis debetur, aſſignando, varias eſſe ſententias. Carolus Cointius ad annum 541. num. 58. & ſeq. contendit Leontium non fuiſſe proximum Amelii ſucceſſorem; negatque id probari verſibus his Fortunati:

Quo (Amelio) *vitæ claudente diem, pro lege graduque*
Venit ad heredem (Leontium) *hoc opus, hicque locus.*

At quidquid dicat vir doctus, ſenſus obvius ſignificat Leontium, poſtquam Amelius diem extremum clauſiſſet, epiſcopum creatum fuiſſe, & tanquam Amelii heredem, ipſiuſque in ſede Burdegalenſi ſucceſſorem, curam habuiſſe perficiendæ ac amplificandæ eccleſiæ quam inchoaverat Amelius. Itaque exiſtimo immediate poſt Amelium ſubrogari debere Leontium primum, & Cyprianum præmittendum Amelio.

Certe ſi Amelius immediatum ſucceſſorem habuerit Leontium primum; ipſeque poſt Gallicinum ante Cyprianum ſederit, Cyprianus poſt Leontium erit rejiciendus, qui tamen multis annis anteceſſit, ut ex conciliis quibus uterque interfuit, luce clariùs liquet.

Cyprianus concilio Agathenſi cum licentia Alarici Wiſigothorum regis habito anno 506. adfuit & ſubſcripſit ut Burdigalæ metropolis epiſcopus; de qua ſynodo locuti ſumus in S. Cæſario Arelatenſi, qui huic ſynodo præfuit. Cyprianum non ſolum adfuiſſe concilio Aurelianenſi primo legimus, ſed etiam priorem in eo locum obtinuiſſe, quia nomen ejus primum occurrit in ſubſcriptionibus; hoc tamen non eſt certum præſeſſionis argumentum. Synodum hanc poſt devictos Gothos & Alaricum regem, cogi juſſerat Clodoveus rex anno 511. non ita pridem chriſtianus factus.

VIII. Amelius.

Laudatur Amelius, *al.* Æmilius a Fortunato, quod eccleſiam conſtrui curaverit, in quam Chriſtiani facilius & commodius convenire poſſent: prius enim templum tanto ſpatio diſtabat a civitate, ut plebs chriſtiana itineri ſe committere formidaret. Hæc de eo docent carmina Fortunati, pro Leontio ipſius ſucceſſore condita.

IX. Leontius I.

Leontius, dictus anterior ſeu ſenior, vir claris natalibus & eximia vitæ integritate notiſſimus, magnæ quoque apud populares & apud principes auctoritatis fuit. Ordinatus epiſcopus, omnia quæ poſſidebat Chriſto conſecravit, eccleſiæque dedit ſuæ ac pauperibus. Cum videret baſilicam quam Amelius ædificaverat, non poſſe capere Chriſtianos, ampliorem conſtruxit. Anno 541. adfuit concilio IV. Aurelianenſi, ſecundum opinionem veriſimiliorem; & ex quorumdam ſententia præfuit. Sed omnia quæ ad eum ſpectant complexus eſt Fortunatus in ipſius epitaphio, quod hic ſubjiciendum putamus:

Hoc recubant tumulo venerandi membra Leonti,
Quo flevit eximium pontificale caput.
Quem plebs cuncta gemens confuſa voce requirit;
Hinc puer, hinc juvenis deflet, & inde ſenes.
Egregius nulli de nobilitate ſecundus,
Moribus excellens, culmine primus erat.
Hic pietate nova cunctis minor eſſe volebat,
Sed magis hic meritis & ſibi major erat.
Quo præſente viro meruit diſcordia pacem,
Expulſa rabie corda ligabat amor.
*Defenſoris opem hic * omnis perdidit ætas,* * *forte* fit.
Et quantum coluit, nunc lacrymando docet.
Nemo valet ſiccis oculis memorare ſepultum,
Qui tamen in populo vivit amore pio.
Eccleſiæ totum conceſſit in ordine cenſum,
Et tribuit Chriſto, quod fuit ante ſuum.
Ad quem pauper opem, pretium captivus habebat,
Hoc proprium reputans, quod cupiebat egens.
Cujus de terris migravit ad aſtra facultas,
Et plus iſte Deo quam ſibi vixit homo, &c.
Cordis in amplexu retinens & pectore plebem,
Diceret ut populum ſe generaſſe patrem.
Namque ſua cives placida ſic voce monebat,
Teſtareris ut hunc ad ſua membra loqui.
Ingenio vigilans, dives quoque dogmate Chriſti,
Et meruit ſtudio multiplicare gradum.
Largior in donis abſens ſibi vinxit amantes,
Et quo non fuerat, munere notus erat.
*Principibus carus hujus * amor unicus urbis* * cujuſque.
Feſtinans animis omnibus eſſe parens.
Luſtra decem pollens, ſeptem quoque vixit in annos,
Mox urgente die raptus ab Orbe fuit.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

X. Leontius II.

Leontius junior dictus, genere nobiliſſimus, ortu Aquitanus, quem Mediolani Santonum natum dicunt, anno circiter 510. patrem habuit ſenatorem Romanum. Adoleſcens in Hiſpania ſub ſignis Childeberti regis meruit. Uxorem duxerat Placidinam ex imperatorio genere ortam; a filia enim erat Arcadii [a], cujus avus Apollinaris Sidonius ex Papianilla conjuge, Aviti imperatoris filia, Apollinarem genuit, qui pater fuit Arcadii patris Placidinæ, uti eruitur ex Gregorio Turonico multis in locis, maxime lib. 3. hiſtoriæ c. 2. ubi conſulendæ ſunt noſtri Ruinarti notæ. De illuſtri hoc Leontii conjugio Fortunatus agit lib. 1. Carmine 14.

In conjugio tam ſancte vixit, ut mortuo priori Leontio, Burdigalenſes eum in epiſcopum elegerint. Ipſum ſecutum fuiſſe Leontium ſeniorem innuit Fortunatus, & dum eum appellat decimumtertium pontificem, qui Burdigalenſem rexerit eccleſiam, nos docet excidiſſe ex noſtris catalogis ſaltem duos epiſcopos, qui ab exordio ſederunt; quod contigiſſe inter tot procellas Gothorum, Saracenorum, & Normannorum mirum non eſt.

Leontius ordinatus epiſcopus, uxorem adhuc viventem habuit pro ſorore, ejus tantum uſus conſortio in bonis operibus exſequendis. Eluxit præſertim hujus præſulis pietas & ſtudium in templis aut reparandis, aut conſtruendis. In patria ſua, ſcilicet Mediolani Santonum, baſilicam Dei-paræ virginis ædificavit, ac eccleſiam ſanctorum Martini, Bibiani & Eutropii collapſam reſtituit.

Subſcripſiſſe concilio IV. Aurelianenſi an. 541. legitur in Gallia Chriſtiana Sammarthanorum; quod pernegat Cointius, hac fultus ratione, quod anno 541. quo habita fuit ſynodus Aurelianenſis IV. Leontio huic non licuerit per ætatem epiſcopali officio fungi, & ſedere inter epiſcopos in concilio. Sed non video tunc omnino immaturam epiſcopatui fuiſſe Leontii dicti junioris ætatem. In primo juventutis flore, ut ipſius Cointii verbis utar, militavit in caſtris Childeberti anno 531. Primum juventutis florem appellare poſſumus ætatem viginti duorum annorum. Quid vetat igitur eum qui anno 531. annos 22. natus erat, anno 541. epiſcopum fuiſſe, ſcilicet anno ætatis ſuæ triceſimo ſecundo? Attamen per nos liceat Leontio ſeniori tribuere ſubſcriptionem quæ legitur in concilio IV. Aurelianenſi an. 541. & quidem ei convenire magis videtur quam juniori.

Hic autem miſit ad ſynodum Aurelianenſem V. Vincentium presbyterum, qui vice ſua intereſſet anno 549. Ipſe vero adfuit ſynodis Pariſienſibus ſecundæ & tertiæ, annis 555. & 557. [b] Præterea auctor fuit cum epiſcopis comprovincialibus in ſynodo Santonenſi ſub an. 563. ut Emerius quem Chlotarius rex apud Santonas epiſcopum eligendum curaverat regia auctoritate, contra canones ordinatus, non adhibita cleri & populi electione, ac ſine metropolitani conſenſu, ſede pelleretur, & Heraclius presbyter Burdigalenſis ſubſtitueretur. At Charibertus rex Chlotarii patris decretum ſpretum fuiſſe moleſte tulit, & convocato alio conventu, Emerium reſtitui juſſit, Leontio mille aureis multato, ut docet Greg. Turon. l. 4. hiſt. Franc. c. 26. Ejus prædia in agro Burdegalenſi ad Garumnam: Biſſonum, Voreginem, Præmiacum & alias villas quas excoluit Leontius, carmine celebrat Fortunatus, qui eidem vita functo, eleganti hoc carmine parentavit l. IV. c. IX.

Hoc recubant tumulo venerandi membra Leonti
Quem ſua pontificem fama ſub aſtra levat.
Nobilitas altum ducens ab origine nomen,
Quale genus Romæ forte ſenatus habet.
Et quamvis celſo flueret de ſanguine patrum,
Hic propriis meritis creſcere fecit avos.
Regum ſummus amor, patriæ caput, arma parentum,
Tutor amicorum, plebis & urbis honor.
Templorum cultor, tacitus largitor egentum,
Suſceptor peregrum diſtribuendo cibum.
Longius extremo ſi quis properaſſet ab Orbe
Advena, mox vidit, hunc ait eſſe patrem.
Ingenio vivax, animo probus, ore ſerenus,
Et mihi qualis erat! pectore flente loquor.
Hunc habuit clarum, qualem modo Gallia nullum,
Nunc humili tumulo culmina celſa jacent.
Placabat reges, recreans moderamine cives,
Gaudia tot populis, heu, tulit una dies!
Luſtra decem felix, & quatuor inſuper annos
Vixit, & auroræ lumine raptus obit.
Funeris officium magni ſolamen amoris,
Dulcis adhuc cineri dat Placidina tibi.

XI. Bertecrannus.

Bertechramnus, quem Berteramnum, Bertramnum, Bertchamnum quandoque legimus, filius fuit Ingeltrudis, quam Valeſius putat ſororem fuiſſe Ingundis & Aregundis reginarum, & Chlotarii ſenioris conjugum, atque Bertegundis frater, cujus frequens mentio apud Greg. Turonicum occurrit l. VII. c. 31. l. VIII. capp. 2. & 20. l. IX. c. 33. & Aymoinum l. 3. cap. 26.

In ſynodo epiſcoporum apud S. Petrum Pariſiis, Chilpericus rex accuſans Prætextatum Rotomagenſem epiſcopum, & reſpondens Gregorio Turonico, qui Prætextatum defendebat, dextræ Bertramni Burdigalenſis, cum loqueretur, inhærebat incumbebatque, ac Ragnemodi Pariſienſis epiſcopi ſiniſtræ.

Concilio Brennacenſi an. 580. adfuit Bertramnus, habito ad judicium ferendum in cauſa Gregorii Turon. quem Leudaſtes comes majeſtatis reum contendebat, quod urbem Turonum tradere voluiſſet filio Sigeberti regis, & ſtupri accuſaſſet Bertramnum cum Fredegunde regina; ut ipſe teſtis eſt Gregorius l. V. hiſt. Francorum cap. 49. & l. VII. c. 31. ubi legitur Gundobaldum fictum regem, in locum Nicetii Aquenſis epiſcopi Fauſtinianum presbyterum ordinari feciſſe per Palladium Santonenſem epiſcopum; quod Bertramnus qui tunc ut epiſcopus Burdigalenſis, erat Aquenſis eccleſiæ metropolitanus, præ oculorum

549. 555. 557. 563. 580.

[a] Lopeſius dicit Placidinam fuiſſe ex genere Auguſtali Aviti & *Arcadii*; quaſi originem traheret ab Arcadio imperatore. At hic Arcadius pater Placidinæ, erat nepos Apollinaris Sidonii, inter quem & Arcadium Auguſtum magnum diſcrimen.

[b] De alia ſynodo quam Leontius celebravit cum Euſebio Santonenſi epiſcopo & aliis, vide in præfato Euſebio Santonenſi.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI 585.

lippitudine, eum conſecrare non potuiſſet. Adfuit concilio Matiſconenſi II. an. 585. ubi ipſe cum Palladio Santonenſi & Oreſte Vaſatenſi epiſcopis propter Fauſtinianum ordinatum epiſcopum apud Aquas Tarbellicas, *Acqs*, multatus eſt, & condemnatus ad illum paſcendum, & mille aureos eidem perſolvendos; qua de re conſulendus Gregorius l. VIII. c. 20.

Bertramnus regreſſus a ſynodo Matiſconenſi incidit in febrim, deſignatoque ſucceſſore Waldone diacono, ut mox dicemus, animam efflavit. Fortunatus eum laudavit l. III. Carm. 20. & 21. ob ingenii præſtantiam, aitque eum poëtices non fuiſſe ignarum.

XII. Gundegisilus.

Quæ geſta ſint in eccleſia Burdigalenſi, Bertramno moriente, ita narrat Greg. l. VIII. hiſt. c. 22. *Bertchramnus regreſſus ex ſynodo, a febre corripitur. Arceſſitoque Waldone diacono, qui & ipſe in baptiſmo Bertchramnus vocitatus eſt, ſummam ei ſacerdotii deputat: omneſque conditiones tam teſtamenti, quam benemeritorum ſuorum, ipſi committit. Quo diſcedente hic ſpiritum exhalavit. Regreſſus diaconus, cum muneribus & conſenſu civium ad Regem properat, ſed nihil obtinuit. Tunc Rex data præceptione, juſſit Gundegiſilum Sanctonicum comitem, cognomento Dodonem, epiſcopum ordinari, geſtumque eſt ita.* Ejus meminit idem Greg. lib. IX. c. 41. in cauſa excommunicationis latæ in Chrodieldem Chariberti regis filiam, ac reliquas moniales, quæ a S. Radegundis monaſterio Pictavenſi receſſerant, ejecta Leubovera abbatiſſa ſua, cujus locum adfectabat Chrodieldis, & in divi Hilarii baſilicam, collecta perditorum hominum manu, ſe communierant. Cum ergo Gundegiſilus Burdigalenſis metropolitanus, ad monaſterium eas reducere cupiens adveniſſet, ac reluctantibus excommunicationem indiceret, in eum & ſuffraganeos epiſcopos turba ſicariorum ſic graſſata eſt, ut clericis ſanguine reſperſis epiſcopi vix evaſerint. Eas igitur a communione ſubmovit, & epiſtolam ſuo, fratrumque nomine conſcripſit ad præſules, qui circa annum 589. a Guntramno rege Pictavis erant convocati, ut hoc diſſidium diſcuterent; quod legere eſt t. I. concil. Galliæ. Reſcriptum autem epiſcoporum recitatur a Greg. l. IX. c. 41. Plura non habemus de Gundegiſilo; poſt quem multi deſunt antiſtites uſque ad Sicarium, qui Ludovici Pii tempore vivebat: nam rejiciendus eſt ille Sutellius, qui ſubſcriptus legitur in privilegio Gregorii magni pro Sanmedardenſi cœnobio; hoc enim inſtrumentum ſuppoſititium habetur apud doctos pleroſque.

Johannes Columbi in noctibus Blancalandanis vult Antonium quemdam ſediſſe ſub Childeberto Francorum rege, cui ſucceſſit Frontonius ex archipresbytero; idque ſe eruiſſe profitetur, ex c. 6. vitæ S. Eparchii. Aliunde Mabillonius ad annum 581. num. 12. ſuſpicatur Nicaſium prius epiſcopum Encoliſmenſem, ad ſedem Burdigalenſem tranſiiſſe poſt Gundegiſilum. Quod ſpectat ad Antonium vel Aptonium & Aphtonium commemoratum in vita S. Eparchii die 1. Julii apud Surium, ubi dicitur Eparchium Burdigalæ mortuum ſuſcitaſſe, & ab epiſcopo hujus urbis Antonio fuiſſe ordinatum, aſſerit Lopeſius mendum irrepſiſſe, & pro Antonio legendum eſſe Leontium. Sed potius dicendum eſt iſtum Antonium fuiſſe epiſcopum Encoliſmenſem, ut oſtendemus agendo de hujus urbis epiſcopis, cujus poſtea ſucceſſor fuit Frontonius ipſius archipresbyter. Conſule vitam S. Eparchii tom. 2. Bibliothecæ novæ Labb. c. 519.

ANNI CHRISTI

Ad conjecturam noſtri Mabillonii reſpondemus hæc verba: *Nicaſius tunc temporis Ecoliſmenſis epiſcopus in civitate Burdigala eccleſiam ſacri ordinis in honorem S. Eparchii devote conſtituit*, minime ſignificare Nicaſium ſedem mutaſſe, & ex epiſcopo Ecoliſmenſi factum fuiſſe metropolitanum Burdigalenſem; neque id conſequi ex particula *tunc*. Ceterum veriſimile eſt in variis cladibus quas Burdigala paſſa eſt, præſertim a Saracenis Hiſpaniæ dominis, periiſſe omnia vetera monumenta eccleſiarum. Vide continuatorem Fredegarii c. 128.

XIII. Sicharius.

Sicharius anno 816. a Ludovico Pio imperatore accepit exemplum decretorum concilii Aquisgranenſis per Adalelmum, ut ea in provincia ſua diligenter deſcribi & obſervari curaret; quod nos docet epiſtola ejuſdem imperatoris tom. 7. concil. Labb. pag. 1437. Ex qua etiam epiſtola intelligimus Sicharium etſi invitatum ad ſynodum Aquiſgranenſem, intereſſe non potuiſſe. Præcipit autem imperator Sichario, quem metropolitanum appellat, ut diœceſis epiſcopis legat ſuæ auctoritatis ſanctionem. Ad Sicharii preces Ludovicus imperator ſubjecit eccleſiæ Burdegal. cœnobia S. Romani Blavienſis, & S. Severini prope Burdegalam; quod Cointius in Annal. tom. VII. revocat ad an. 814.

XIV. Adalelmus.

Adalelmus, idem forte per quem Ludovicus imperator miſerat decreta concilii Aquiſgranenſis Sichario Burdigalenſi metropolitano, cum excepit hac in ſede. Certe nominatur in epiſtola ejuſdem Auguſti, & filii ejus Lotharii, qua jubent celebrari quatuor concilia diverſis in locis eodem tempore, Moguntiæ, Pariſiis, Lugduni, & Toloſæ, quo debebant convenire metropolitani, Notho Arelatenſis, Bartholomæus Narbonenſis, Aiulfus Bituricenſis, & Adelelmus Burdigalæ.

Sub an. 848. laboravit Aquitania incurſionibus Normannorum [a]; urbes igne ferroque vaſtatæ, Burdegala ipſa Judæorum Aquitanorum proditione expugnata; qui etiam vicum Metullenſem [b] depopulantes incendio tradunt, ut legitur in Chron. de geſtis Normannorum, & Lemovic. S. Martialis.

[a] Anno DCCC. XLVII. *Dani Aquitaniam maritimam impetunt & prædantur, urbemque Burdegalam diu oppugnant.* Ann. Bertin.
Anno DCCC. XLVIII. *Carolus Normannorum Burdigalam oppugnantium partem aggreſſus, viriliter ſuperat . . . . . Dani Burdegalam Aquitaniæ Judæis proditoribus captam occupulatamque incendunt.* (inquit Annaliſta Bertinianus.)
Anno DCCC. LV. *Nordmanni Burdegalam Aquitaniæ civitatem invadunt, & hac illacque pro libitu pervagantur*, idem.

[b] Vir Clar. D. Fleury tom. X. hiſt. pag. 501. interpretatur *Melle* in Pictonibus. Ita etiam Ruinartus in notis ad Gregorium Turon. pag. 159. Alii *le Médoc*.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

XV. Frotarius.

Frotarius, quem Carolus rex dictus Calvus donavit abbatia S. Hilarii Pictavienſis anno 868. cum eam abſtuliſſet filio Roberti comitis recens
860. exſtincti, prius erat Burdigalenſis archiepiſcopus, an. 860. quo ſubſcripſit concilio Tullenſi II. apud Tuſiacum; juſſuque patrum ſynodi Hincmarus Remenſis epiſtolam ſcripſit ad eum & Rodulfum Bituricenſem Aquitaniæ metropolitanos, de nuptiis Stephani & Regimundi comitis. An. 862. ſedit in concilio Aquiſgranenſi III. & in Sueſſionenſi eodem anno in quo ſubſcripſit hoc modo cuidam privilegio: *Frotarius ſanctæ metropolis eccleſiæ Burdigalenſis epiſcopus.* Adfuit plurimis aliis conciliis, Piſtenſi II. anno 864. ubi approbavit conſtitutionem factam pro cœnobio S. Germani Autiſſiodorenſis: [a] Tuſiacenſi an. 866. Sueſſionenſi III. ejuſdem anni; quo etiam ſubſcripſit epiſtolæ ſynodicæ ad Nicolaum papam, & privilegio
867. abbatiæ Solemniacenſis. An. 867. venit ad concilium Tricaſſinum in cauſa Ebonis Remenſis celebratum; & an. 869. ad ſynodum Vermerienſem, ubi præcepta regia conceſſa Caroffenſi cœnobio cum ceteris præſulibus laudavit. Adfuit an. 870. concilio III. Attiniacenſi decem provinciarum, in quo primum agitata cauſa Hincmari Laudunenſis, ex cap. 33. ſynodi Duziacenſis. Secundus dixit ſententiam adverſus Hincmarum Laudunenſem epiſcopum, in ſynodo Duziacenſi an. 871. ex octo provinciarum epiſcopis, in pago Remenſi menſe Auguſto celebrata; approbavit etiam ſua ſubſcriptione privilegium Tornutio ſeu Trenorchienſi monaſterio conceſſum, in conventu Cabilonenſi,
875. anno 875.

876. Anno circiter 876. cum exorta eſſet diſcordia in Pictavenſi S. Crucis parthenone, occaſione eligendæ abbatiſſæ, ad Frotharium ſcripſerunt tum Carolus imperator, tum Hincmarus Remorum archiep. ut Pictavum accedens, turbas motas componeret, ac de electione ſeu ordinatione regulari curaret, ex Frodoardo lib. 3. cap. 21. & 27.

Quod vero hæc provincia Frotario demandata ſit, in cauſa fuit non ſolum metropolitani auctoritas quam habebat in diœceſim Pictavienſem; ſed acceſſit præterea hujus eccleſiæ adminiſtratio, quæ ipſi fuerat credita, ut diximus in Bituricenſibus archiepiſcopis.

Eodem anno 876. cum Burdigalenſis eccleſia & diœceſis, ob crebras barbarorum incurſiones, eſſet devaſtata, Caroli Calvi imperatoris precibus motus Johannes papa VIII. Frotarium eccleſiæ Bituricenſi viduæ præfecit, ut ſuo loco ſupra dictum. Legendæ hac de re epiſtolæ ſummi pontificis: decima-tertia ad Bituricenſes, ut obediant Frotario, cui tandiu Bituricenſem eccleſiam committit, quandiu pagani Burdigalenſem eccleſiam obtinebunt: decima-quarta ad epiſcopos provinciæ Bituricenſis, ut Frotario tanquam ſuo metropolitano obſequantur: triceſima-ſeptima, qua eum a Burdigalenſi eccleſia devaſtata transfert ad Bituricenſem. Nihilominus tamen hanc tranſlationem tot rationibus ſuadentibus, imo cogentibus factam, minime probavit ſynodus Pontigonenſis an. 876. celebrata, quam ſubſcriptione ſua probarat idem Frotarius; ſcripſitque Stephanus papa ad archiepiſcopos & epiſcopos Galliæ, ut ipſum cogerent ad primam quam deſeruerat redire ſedem. Reliqua quæ ad hunc antiſtitem ſpectant, requirenda in Bituricenſibus archiepiſcopis.

ANNI CHRISTI

XVI. Aldebertus.

Aldebertus ſubſcripſit auctographo inſtaurationis monaſterii S. Crucis Burdegal. factæ a comite cognomento Bono, Raimundi filio, regnante in Burdigala; quod inſtrum. aſſervatum in tabul. hujus civitatis, & monaſterii S. Crucis, damus inter inſtrumenta. Porro cum nullam præ ſe ferat temporis notam, de ipſius ætate varii varia ſentiunt. Vir illuſtris P. de Marca, & Sammarthani fratres, hoc diploma referendum cenſent ad an. 902. Lopeſius vero illud convenire potius an. 940. contendit; felicius autem propugnat hoc inſtrum. adverſus eos qui illud eſſe ſuppoſititium aſſerunt, maxime ob corruptam latinitatem, quæ potius eſt antiquitatis & ſinceritatis argumentum. Quod arguit Beſlius Willelmum ibi dictum Burdigalenſem comitem, cum tunc urbs iſta comitem ſuum non haberet, utrumque negari poteſt; primo enim hæc verba: *Regnante Willelmo comite quod vocatur bonus, in civitate Burdigalenſi convocavit majores domus*, ſignificare poſſunt hunc comitem apud Burdigalam congregaſſe majores domus ſuæ. Secundo nihil vetat dicere Willelmum fuiſſe proprium Burdigalæ comitem. Certe ante annos quadraginta Carolus Calvus conſtituerat regere Aquitaniam per comites, uti legitur in MS. codice de geſtis conſulum & præſulum Engoliſmenſium, quem ipſe Beſlius laudat inter prob. hiſtoriæ com. Pict. Hæc fuſius legere licet apud Lopeſium, qui probat quoque diploma de quo diſputatur, undecimo & duodecimo ſeculo pro genuino habitum. Eadem eſt ſententia Mabillonii. Notum illud fuiſſe undecimo ſeculo probat Gregorii VII. epiſtola 24. lib. VI. ad Bertrandum abbatem S. Crucis, in qua ipſius meminit; confirmat enim id *quod Willelmus Bonus, quondam Burdigal. comes, fundator ejuſdem monaſterii, rationabiliter eidem monaſterio conceſſit.*

XVII. Gaufridus I.

Gaufridus ante Adonem Auſcitanum archiepiſcopum, fundationem abbatiæ ſancti Severi in Aquitania, Willelmi Sancii Vaſconiæ ducis auctoritate & munificentia conditæ anno 982. nominis ſui chirographo firmavit, ut patet ex originali quod ex archivo hujus monaſterii relatum eſt in l. III. cap. 8. & nono hiſt. Benearnii, cui hujus archiepiſc. & Aldeberti notitia debetur. Non abs re erit obſervare Guillelmum Sancium, qui dux erat Waſconum, & ſub ſua ditione habebat comitatus *Waſconorum, Begorrenſium, Burdigalenſium, Aginnenſium, Fezacenſium ſeu Lacloratenſium*, &c. in charta fundationis hujus monaſterii S. Severi, appellatum tantum comitem; ſic enim præfatur: *Ego Guillelmus Sancius*, &c. unde probatur Guillelmum cognomento bonum in charta reſtaurationis S. Crucis potuiſſe ſolius tituli comitis contentum eſſe.

Vide Mabil. ad annum 864. n. 13.

C. II. col. 297.

[a] Perperam legitur *Lotarius*, in ſubſcriptionibus hujus privilegii.

ANNI CHRISTI

XVIII. Gumbaldus.

Gumbaldus, Sancii Garſiæ comitis majoris Vaſconiæ filius, frater Guillelmi Sancii totius Vaſconiæ ducis, ejuſdem quoque Vaſconiæ dux fuerat, ſi Beſſio credimus & Sammarthanis. Sed Gumbaldum hunc, qui fuit appellatus epiſcopus Vaſconum, de quo locuti ſumus in Vaſatenſibus epiſcopis, numquam fuiſſe Burdigalæ archiepiſcopum cenſemus. Corte Hugo filius hujus Gumbaldi, poſt quem fuit epiſcopus Vaſatenſis & Aginnenſis, in litteris cujuſdam doni facti an. 1101. Condomienſi monaſterio cujus abbas fuit, commemorans patrem ſuum, eum tantum appellat epiſcopum. Has litteras ex chartario Condomienſi deſcriptas refert P. de Marca lib. 3. hiſt. Benearn. cap. 12.

Quiſquis fuerit Gumbaldus hic, Burdigalæ ſe-
989. debat anno circiter 989. quo præfuit ſynodo Caroffenſi in Pictonibus, calendis Junii, cujus acta
992. vide tomo IX. concil. Labb. pag. 733. An. 992. conſecravit Aldovinum Lemovicenſem epiſco-
994. pum; & poſt biennium interfuit ſolemnitati tranſlationis corporis S. Martialis.

Meminit quoque archiepiſcopi nomine Gumbaldi Chronicon Petri monachi de antiquitate Malleacenſis inſulæ l. 1. cap. 4. his verbis: *Paucis diebus evolutis, plerique epiſcoporum ad curiam ducis* (Guillelmi III. Aquitaniæ) *adveniunt, ac de communibus eccleſiæ ſanctæ utilitatibus, præſente principe, differentes, nonnulla idonea decreta ſtatuunt. Inter quos Burdegalenſis archiepiſcopus, vocabulo Gumbaldus, cum aliquibus ſuffraganeis ſuis aderat, quem Princeps conſilio conjugis, quoniam religionis amicus ferebatur, ad dedicandum Malleacenſe cœnobium invitat. Conſentit ipſe, & una cum reliquis ejuſdem ordinis ſolemniter celebrat conſecrationem baſilicæ. Qua expleta, aliquos epiſcoporum Princeps ſecum aſſumens, cauſa conſecrationis eccleſiæ B. Hilarii, quam coram ipſius aula Principis conſtitutam prædiximus, ad eam eos duxit: Pictavienſem vero ſolum pontificem ſecum comitiſſa retinuit*, &c. vide tom. X. concil. Labb. pag. 604.

Ejuſdem quoque archipræſulis mentio fit in charta S. Severini Burdigalenſis; quam, etſi nullas temporis notas gerat, edendam inter inſtrumenta judicavimus. Porro Lurbæum in chronico Burdeg. erraſſe, cum pontificatum Gumbaldi producit uſque ad an. 1041. quæ infra dicturi ſumus facile demonſtrabunt.

C. III. col. 268.

XIX. Siguinus.

Siguinus ex monacho ignoti nobis monaſterii
1010. electus in archiepiſcopum anno 1010. Arnaldum epiſcopum Petracoricenſem ordinavit apud S. Benedictum de Nantolio, auctore Ademaro Cabanenſi in chronico. An. 1011. præfuit concilio Pictavenſi a Guillelmo Pictavenſi comite con-
1016. vocato, & anno 1016. menſe Novembri conſecravit Geraldum in epiſcopum Lemovicenſem Pictavis apud S. Hilarium; cujus urbis epiſcopus Gillebertus Geraldo jam omnes alios eccleſiaſticos gradus contulerat.

Bibl. Labb. tom. 2. pag. 765. Chron. Hiſt. du Roy Robert liv. 3.

XX. Arnaldus I.

ANNI CHRISTI

Jam ſedebat an. 1022. ſi fides habenda ſit [a] chartæ Uſercenſis cœnobii in qua legitur: *Notum ſit omnibus ..... quod ego Arnaldus archiep. Burdegal. dedi Deo & S. Petro Uſercæ, eccleſiam S. Vincentii de Barciaco*, Barchiac, *in manu domni Ildeberti abbatis ... Actum an. Dom. M. XXII. indict. XV. epacta XI.* legi debet indict. v. 1022.

Arnaldum hunc alio nomine dictum fuiſſe Acium legimus; qui cum *ſtatim mortuus* dicatur apud Ademarum laudatum a fratribus Sammarth. ſedere non potuit uſque ad an. 1026. uti docent iidem Sammarthani, quod aliunde probatur ex Iſelonis pontificatu.

XXI. Iselo.

Hic archiepiſcopus prius ignotus, anno 1024. ſubſcripſit litteris Hugonis de Liziniaco, pro fundatione cellæ in honorem B. Mariæ, quæ ſubjecta fuit cœnobio Nobiliacenſi. Litteræ datæ ſunt pridie nonas Martias, indictione VII. quæ convenit anno quem præferunt: videndus Mabill. ad eundem an. num. 54. Breve fuiſſe tempus epiſcopatus Iſelonis exiſtimamus; unde minus notus eſt Ademaro, qui Arnaldo ſeu Acio ſucceſſorem dat Gaudefridum: *Siguino*, inquit, *Burdegalenſi archiepiſcopo mortuo, ſuccedit Acius, qui ſtatim moritur, & in ejus locum a Sanctio duce Aquitaniæ & Vaſconiæ, qui conventum apud Blaviam congregaverat, Gaudefridus ordinatur.* Hoc teſtimonium paulo aliter apud Labbeum profertur tom. 2. bibl. novæ pag. 174. in fine; ſed eodem ſenſu. Sæpe obſervavimus Sammarthanos fratres in his quæ laudant ex Ademaro, Gaufrido Voſienſi &c. diſcrepare a Labbeo; quia haud dubie uſi ſunt codicibus manu exaratis, ab his quos edidit Labbeus poſt Galliam Chriſtianam publici juris factam, paulo diverſis.

XXII. Godefridus II.

Godefridus natione Francus, moribus honeſtus, Blaviæ * ungitur in archiepiſcopum, ab compro- * Blaye.
vincialibus epiſcopis, teſte Ademaro; quod factum fuiſſe ſaltem anno 1027. probat charta S. Crucis 1027.
Burdegal. de villa S. Macharii huic monaſterio C. IV. col. 268.
conceſſa hoc ipſo anno; quod diploma recenſuimus ad *vidimus* datum ab Henrico Angliæ rege, in hæc verba: *Henricus Dei gratia rex Angliæ, dominus Hiberniæ, dux Normanniæ & Aquitaniæ, & comes Andegaviæ, archiepiſcopis, epiſcopis, abbatibus, comitibus, vicecomitibus, baronibus, ſeneſcallis, juſtitiariis, ballivis, & omnibus aliis fidelibus ſuis ſalutem, in eo qui eſt omnium vera ſalus. Noveritis nos vidiſſe, & diligenter inſpexiſſe privilegium inclitæ memoriæ Willelmi quondam ducis Aquitaniæ, ſecundum quod privilegiavit & dotavit eccleſiam S. Crucis Burd. ſub hac forma:* Ego enim in Dei nomine Willelmus, &c. Reliqua lege in integro inſtrumento quod reperitur inter inſtrum. C. IV. col. 268.
Ex ea vero charta quam Henricus rex a ſe viſam

[a] Ratio dubitandi de ſinceritate inſtrumenti hujus eſt, quod Uſercenſis abbas an. 1022. non eſſet Ildebertus. Sed potuit fieri donum hoc in manu abbatis alius, quam Uſercenſis.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

teſtatur, plurimas varias lectiones, & additamenta non pauca deprehendimus, quæ omnia duximus adjicienda.

Memoratur præterea Godefridus in dedicatione S. Salvatoris, ſeu S. Martialis Lemovicenſis
1028. an. 1028. decimoquinto cal. Decembris; quo
1029. tempore levatum ſepulcro eſt corpus S. Martialis, ſedente tunc Odolrico abbate.

Anno ſequenti operam impendit dedicationi eccleſiæ S. Pauli, ſitæ in pago Santonico, in vicaria Chriſtolienſi, apud Botavellam, quam Gaufridus filius Willelmi Encoliſmenſis comitis, cum uxore Petronilla, B. Martino monaſterii Saviniacenſis patrono tradiderat, necnon B. Iterio tunc ibidem abbati. In hoc ſacro opere adjutores Godefridus habuit provinciæ ſuæ epiſcopos Iſlonem Santonenſem, Arnaldum Petracoricenſem, Rohonem Encoliſmenſem; qui prius eccleſiæ dotem aſſignari ſategerunt.

Godefredo venerabili Burdegalenſi archiepiſcopo præſente, & comite ejuſdem civitatis Guilhelmo annuente, quidam Arnaldus liber & ingenuus ex utroque parente Erlando & Jarſinde, vendidit
Chart. S. Crucis. fol. 33. Gumbaldo abbati & congregationi S. Crucis omnia quæ ſui juris erant, ſeu in alodio, ſeu in beneficio, in villa Lodoris de Arcubus uſque ad
1030. mare, circa an. 1030.

Ejuſdem archiepiſcopi ſuaſu & favore Alduinus Barbezelli dominus cum Girberga uxore fundavit Barbezillenſe monaſterium, quod B. Hugoni abbati Cluniacenſi dedit. *Primas fundamento apoſuit petras* Gotefridus, ut legitur in charta fun-
C. VI. col. 270. dationis, quæ caret notis chronicis.

Ejuſdem archiepiſcopi mentio exſtat in archivi Angeriacenſis tabula, de villa Carantinia ab Antilde nobili femina collata eccleſiæ S. Johannis, & in alio inſtrumento cujuſdam Raimundi, pro eccleſia villæ de Romanonelo, menſe Martio, anno
1037. 10. regnante Henrico rege; necnon in litteris Fulcaudi an. Chriſti 1037. menſe Martio. (conſulendus Mabill. ad an. 1038. n. 109.) Denique in tabula qua Adalſius conceſſit S. Severini eccleſiæ molendinum juxta Turrim-fractam.

Godefridi vitam & epiſcopatum perveniſſe ad annum 1043. probat charta Amæ comitiſſæ *Burdigalenſis ſeu Petragoricæ patriæ;* in qua etiam ſingulari elogio nobis commendantur hujus antiſtitis virtutes his verbis: *Hæc datio facta eſt an. M. XLIII. Incarn. Dom. noſtri Jeſu Chriſti..... præſidente Godefredo archiepiſcopo, & incomparabili luce ſapientiæ, ac morum honeſtate refulgente ſedi ſanctæ eccleſiæ Burdegalenſis.* Chartam iſtam pro monaſterio S. Mariæ in finibus terræ
C. V. col. 269. (de Soulac) damus inter probat. ex tab. S. Crucis. Obiit Godefridus VI. idus Julii, ſepultuſque eſt ad S. Severini.

XXIII. Archembaldus.

Archembaldus ita ſtrenue ſe geſſit in abbatis S. Maxentii munere, ut ad Burdegalenſis metropolis infulas fuerit aſſumtus. Neque tamen ideo dimiſit abbatiæ curam & adminiſtrationem; & maximo quidem loci hujus emolumento; nam cum gratia polleret plurimum apud Willelmum comitem, multas nobilium pravas conſuetudines monaſterio moleſtas ſuſtulit; & plurimas conſecutus eſt poſſeſſiones, comitis & Ermenſendis ejus uxoris beneficio; quod probat charta quædam archivi S. Maxentii a Beſlio in hiſtoria comitum Pictonum edita; quam quoque Galliæ Chriſtianæ inſeruerunt *Tom. 1. pag. 203.* Sammarthani.

ANNI CHRISTI

Ut ea quæ ad Archembaldum archiepiſcopum ſpectant referamus, adfuit dedicationi parthenonis S. Mariæ apud Santonas, cum multis præſulibus, anno 1047. Anno 1054. idibus Maii ind. 1047.
VII. diplomati Guillelmi Aquitaniæ ducis pro S. 1054.
Florentio Salmurienſi ſubſcripſit. Ad annum 1059. Chronicon Malleacenſe meminit ejuſdem tanquam archiepiſcopi & abbatis, ubi agit de revelato & oſtenſo ſancti Maxentii ſacro corpore VI. nonas Octobris, ac de novo ejus ſepulcro dedicato.

Ante mortem Archembaldum pedum Burdigalenſe dimiſiſſe probat charta quædam cœnobii Vindocinenſis data an. 1068. menſe Octobri. Id ſponte factum ab Archembaldo, ut abbatiæ ſancti Maxentii regendæ facilius incumberet, autumamus: nam etſi depoſitus appelletur in præfata charta, ex eadem tamen conſtat ipſum ſemper gratia valuiſſe apud Aquitaniæ ducem, ut ex hoc inſtrumento intelliges cui Archembaldus ſubſcripſit his verbis: *Archembaldus archiepiſcopus de S. Maxentio.*

XXIV. Andro *.

Sammarthani fratres mentionem haberi hujus archiepiſcopi in S. Severini tabulis teſtantur. Lopeſius vero qui ad manum habebat omnes hujus eccleſiæ chartas explorandas, nullas laudat, ut probet Andronis pontificatum; ſed ſatis habet dicere obitum ejus in necrologio metropolitanæ eccleſiæ notari calendis Novembris. Conſtat brevi admodum tempore Andronem fuiſſe archiepiſcopum, cum Archembaldus adhuc præeſſet anno 1059. & Goſcelinus Andronis ſucceſſor eodem quoque 1059.
anno. Ea haud dubie de cauſa chronicon Malleacenſe Goſcelinum, omiſſo Androne, Archembaldo dat ſucceſſorem.

XXV. Goscelinus, *al.* Joscelinus. De Parthenay.

Goſcelinus de Partheniaco nobilitate generis clarus, Guillelmi caſtri de Partheniaco in Pictonibus domini ex Arengarda conjuge primogenitus; frater Eblonis & Gelduini de Partheniaco, dictus major Goſſelinus in chronico Malleacenſi, cum clericali militiæ nomen dediſſet, excepit Archembaldum in eccleſiæ Burdigalenſis regimine, ſi Malleacenſe chronicon audiamus.

Sane an. 1059. jam ut archiepiſcopus interfuit 1059.
conventui procerum Aquitaniæ. Anno ſequenti 1060.
ſalvitatem Silvæ-majoris in ſynodo conceſſam confirmavit, uti legimus l. VI. de re Diplom. n. 159.

* Legitur etiam Andronicus in charta qua confirmat cum epiſcopis Willelmo Aginnenſi, Arnulfo Santonenſi, Hiſterio Lemovicenſi, & Willelmo Petragoricenſi, inſtrumentum quoddam Willelmi Engoliſmenſis epiſcopi: *Datum anno 11. regni Philippi regis, ab Incarnat. vero Domini an. M. LXIV. menſe tertio, die 21. menſis.* Ex tabul. eccl. Engoliſm. pag. 4. At hæc nota temporis falſa videtur; nam an. 1064. Joſcelinus ſedebat.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI C. VII. col. 271.

Eodem anno memoratur in charta cujuſdam cenſus ſolvendi S. Severino, ab eccleſia Berbezillenſis principatus, in cujus calce legitur: *Hæc autem chartula compoſita fuit anno ab Incarnatione Dom. M. LX. Philippo rege regnante, & Guillelmo Aquitaniæ duce rebelles triumphante, & Goſcelino populum ſibi commiſſum catholice docente.*

1068. Anno 1068. ad preces Raimundi abbatis Burgolienſis, huic monaſterio ſubjecit S. Porcharii Pictavienſis eccleſiam. Litteris ea de re datis ſubſcripſere Goſcelinus, dux Aquitanorum Gofridus, qui ſimul erat abbas S. Hilarii, Matildis comitiſſa, Odo de Marchia, Savaricus Thoarcenſis, &c. Mabillonius noſter meminit tom. v. Annalium pag. 12. concilii celebrati a Stephano ſedis apoſtolicæ legato, apud Burdigalam calendis Aprilis anni ejuſdem 1068. cui adfuerunt Goſcelinus archiep. Burdigalenſis, Goderannus Santonenſis epiſcopus, Guillelmus Engoliſmenſis, Iſembertus Pictavienſis, Ragemundus Vaſatenſis, Quiriacus, *al.* Warechus Nannetenſis, Mangiſus Venetenſis, Iterius Lemovicenſis, & Guillelmus Agennenſis, qui omnes adjudicarunt cellam S. Clementis de Credonio, *Craon*, Vindocinenſibus eorumque abbati Oderico, contra S. Albini monachos eorumque abbatem Orbrannum cellam hanc ſibi vendicantes.

Cum Guillelmus VII. Aquitaniæ dux & Pictavienſis comes, aliter Guido Gofridus dictus, uxorem duxiſſet Aldeardem Burgundam propinquam ſuam, pro divortio inter ipſos faciendo Gregorius papa VII. uſus eſt Amato Elloreníi ſuo legato, & noſtro Goſcelino; qui cum ea de cauſa Pictavos convenìſſent, ab Iſemberto Pictav. epiſcopo indigne ſunt habiti, uti teſtatur idem Gregorius ad Iſembertum ita ſcribens epiſt. 2. libri 11. *Poſtea vero & eodem legato noſtro Amato epiſcopo Elloreníi, & magiſtro tuo videlicet Gozelino archiepiſcopo Burdigalenſi, una cum ceteris religioſis viris, pro faciendo divortio Guillelmi Pictavenſis comitis & propinquæ ſuæ, quam pro uxore tenebat, his, inquam, ſub apoſtolica obedientia pro negotio tam gravi, tam chriſtianæ religioni neceſſario congregatis, conventum illorum per milites tuos nefarie perturbaſti; quippe qui perruptis monaſterii clauſtris & foribus in conſeſſum irruentes, archiepiſcopum & legatum noſtrum multa turpitudine dehoneſtaverunt: reliquos vero minis, conviciis ac verberibus multiſque contumeliis afflixerunt*, &c. *Dat. IV. idus Sept. indict. incipiente XIII.*

Ea de re Goſcelinus ad ſummum ſcripſerat pontificem, ab eoque reſponſionem accepit ut Romam veniret, aut aliquem ſua vice mitteret, qui Iſembertum epiſcopum ibi præſentem accuſaret; vel ſi Romam evocatus obedire nollet, ut ipſum excommunicatum una cum ſui criminis conſortibus denuntiaret. Romam jam antea perrexerat archiepiſcopus anno 1074. ubi in ſynodo Romana cauſam eccleſiæ S. Hilarii adverſus canonicos Pictavenſes defendit, ut legitur in epiſtola Gregorii papæ, quæ eſt libri 1. quinquageſima-quarta, data octavo cal. Aprilis ind. XII. Aliæ autem epiſtolæ hujus papæ in cauſa Iſemberti aut ad eum, aut ad Goſcelinum ſcriptæ, datæ ſunt menſe Septembri, præſeruntque ind. XIII. Goſcelinum iterum Romam contendiſſe putat Lopeſius; de quo itinere interpretatur hæc Gregorii papæ verba epiſt. 24. libri ſexti ad Amatum Elloreníem data VIII. id. Martii indict. 2. *Goſcelinus archiepiſcopus Burdegalenſis confrater noſter, veniens ad limina apoſtolorum, duxit nobis ad memoriam, qualiter olim actum ſit de diſcordia monaſterii S. Crucis, & S. Severi*, &c. quam papa eidem Amato & Hugoni Dienſi epiſcopo ſuis legatis dirimendam mandat. Quod ſpectat ad Iſembertum, cum interdictus a Giraldo epiſcopo Oſtienſi ſedis apoſtolicæ legato obedire contemniſſet, eum a communione corporis & ſanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti ſeparavit Gregorius uſque ad ſynodum prima Quadrageſimæ hebdomada celebrandam. Epiſtola data eſt XVI. cal. Dec. ind. XIII. eſtque lib. II. vigeſima tertia.

Anno 1075. [a] noſter archiepiſcopus habuit ſynodum in S. Maxentii cœnobio, ex chronico Malleacenſi, ut legimus tom. 2. Bibl. nov. Labb. pag. 212. Hoc in cœtu cui præfuit Goſcelinus, Berengarius hæreſim contra realem Chriſti corporis præſentiam in Euchariſtia retractavit, orthodoxamque de hoc ſacroſancto fidei myſterio confeſſionem dedit. 1075. [a]

An. 1077. Goſcelinus ſubſcripſit litteris doni facti eccleſiæ S. Martini Burdigal. olim monachorum Malleacenſium, nunc Fulienſium.

Anno 1078. Hugonem Dienſem epiſcopum Gregorii papæ VII. legatum huic archiepiſcopo negotia faceſſiſſe, uti & multis aliis metropolitanis, conjicimus ex hujus legati epiſtola ad ſummum pontificem ſcripta hoc anno exeunte: 1078. *Tom. 10. concil. pag. 365.*

Burdegalenſis quoque (archiepiſcopus) *quoniam vocatus præterito anno ad Arvernenſe concilium, neque venit neque canonice ſe excuſavit, in eodem concilio ab epiſcopali officio ſuſpenſus eſt; quod ille vilipendens, interdictum ſibi uſurpavit officium. Rurſus vocatus ad Auguſtodunenſe concilium, quoniam nullam cauſationem nobis miſit, etiam a ſacerdotio ſuſpendimus eum.*

Iſembertum Pictavorum epiſcopum cum Goſcelino, quem tam indigne habitum ab eo ſupra vidimus, in gratiam rediiſſe nobis perſuademus; nam eodem anno 1078. cum ipſo, & præſente Guidone Gaufrido Aquitanorum duce, hic archiepiſcopus præfuit placito inter Ebrardum abbatem S. Crucis de Talomonte, & monachos Vindocinenſes ſuper eccleſia de Olerone.

Anno 1079. adfuit concilio habito Burdigalæ a præfatis Gregorio papæ legatis Amato Elloreníi & Hugone Dienſi epiſcopis, ex litteris Amati pro compoſitione litis inter abbates S. Crucis & S. Severi pro eccleſia B. Mariæ de Solaco a longo tempore diſceptantes. 1079. C. X. col. 273.

Anno eodem cum Willelmus dux Aquitaniæ ac plurimi alii multa beneficia contuliſſent B. Geraldo Silvæ-majoris conditori, omnia hæc confirmavit Goſcelinus auctoritate metropolitani. Nam in fine inſtrumenti de iis donis legitur: *Iſti ſunt nodatores* [b] *ac præfatæ donationis firmatores*, C. XI. col. 274. [b]

[a] Quidam cum Sammarthanis hanc ſynodum notant ad an. 1073. ſed ſequendum putamus Malleac. chronicon.

[b] In ſignum paſtorum & confirmationem aſſumebatur corrigia, in qua ſinguli qui pacta rata habebant & approbabant, ſingulos ſtringebant nodos.

Goſcelinus

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

Goſcelinus venerabilis Burdegalenſium archiepiſcopus, Achelmus archidiaconus, totiuſque S. Andreæ clerus, &c. Anno ſequenti eadem in concilio Burdigalenſi rurſus confirmavit, cum archiepiſcopis Rodulfo Turonenſi, Willelmo Auxienſi, & plurimis aliis præſulibus. Eodem anno venit ad ſynodum Santonenſem, ubi Floriacenſibus adjudicatum eſt monaſterium S. Petri de Regula, quod Raimundus epiſcopus Vaſatenſis ſibi vendicabat. Quo rurſus anno Goſcelinus memoratur in litteris Goffridi Aquitanorum comitis, multa reſtituentis monaſterio S. Maxentii, ut dicemus agendo de epiſcopis Pictavienſibus.

Anno vero 1081. adfuit Exoldunenſi cœtui, cujus acta legeſis Spicilegii tomo 6. Hoc anno quoque compoſuit controverſiam inter S. Andreæ & S. Severini canonicos, qui ſuæ eccleſiæ tantum jus habendi cœmeterii competere contendebant; quod violaverant S. Andreæ canonici, Otonem de Montal nobilem Vaſconem ſepeliendo. Chartam ea de re factam habes in Gallia Chriſtiana fr. Sammarthanorum. Denique hoc anno ſubſcripſit donationi factæ Majori-monaſterio, eccleſiæ videlicet S. Martini de Campis, *al.* de Briva. Vide t. x. concil. Labb. pag. 380.

1085. Anno 1085. litteras dedit pro reſtituenda capitulo S. Severini eccleſia S. Petri de Compriants ſub laïcali manu poſita. Anno vero 1086. die 19. Junii ex hac vita migravit, ſepultuſque eſt in eccleſia S. Mariæ Lucionenſis, ex chronico Malleacenſi.

Hic archiepiſcopus fuit ſimul theſaurarius ſancti Hilarii Pictav. quo nomine ceſſit parthenoni B. Mariæ Santonenſis quandam inſulam *Vicum* dictam, *Vic en bas Poitou*, quam ſibi dux Aquitaniæ reſtituerat. Prætermittendum vero non eſt decretum, quod eo præſertim petente fecit Gofridus Aquitaniæ dux & S. Hilarii abbas, ut nulli presbyterorum aut aliorum clericorum filii cano-
C. VIII. col. 271. nici reciperentur hac in eccleſia.

Cum legamus Goſcelinum auctorem fuiſſe Aquitaniæ duci, hujus decreti condendi, pro fabula putamus habendum quod vulgo dicitur hunc archiepiſcopum uxorem duxiſſe, papamque ſanxiſſe ut maſculi hujus nobilis gentis, qui Partheniacæ urbis in Pictonibus fuere domini, archiepiſcopi cognomen ſumerent; quod ad ætatem noſtram perſeveravit. Sane incredibile prorſus eſt Goſcelinum qui vivebat tempore Gregorii papæ VII. uxoratorum presbyterorum & clericorum hoſtis infenſiſſimi, uxorem habuiſſe, nec in tot conciliis in Aquitania, ipſaque urbe Burdigalenſi habitis fuiſſe diris devotum, & e gradu ſacerdotii dejectum ab Amato, & Hugone pontificiis legatis, qui tanto ſtudio conjugia hæc ſacrilegia impugnarunt.

Quod autem Partheniacenſis dynaſtæ cognomen archiepiſcopi ſumſerint, potuit inde fieri quod Goſcelinus archiepiſcopus, ut ſuæ domus primogenitus, Partheniaci dominium retinuerit. Hinc Simon ejus frater qui cum uxore Milleſindi
* Secondigny. eccleſiam Secundiniaci * dedit Raimundo Burgolienſi abbati, dicitur Partheniacenſis caſtri vice-
Gall. Chr. Sam. t. 1. pag. 207. dominus ſub fratre archiepiſcopo. Porro ad conſervandam tanti præſulis qui ſuam gentem illuſtra-

ANNI CHRISTI

A vit, memoriam, placuit ut nobilis hæc toparchia titulum *archiepiſcopi* retineret, quemadmodum fere videmus aliis locis contigiſſe, uti Inſulæ-Burchardi, Inſulæ-Jordani, Monti-forti-Amalrici, Monaſteriolo-Berlæi, &c.

Poſt Goſcelini mortem vacavit diu ſedes archiepiſcopalis, cujus adminiſtrationem obtinebat Simon Aginnenſis archiepiſc. an. 1088. uti probat charta S. Severini facta hoc anno *III. nonas Decembris Luna x. Simone Agennenſium epiſcopo locum Burdigalenſis archiepiſcopi tenente.*

XXVI. AMATUS.

B Amatus antequam ſedem hanc metropolitanam conſcenderet, magnam famam comparaverat in exigua licet ſede Ellorenſi; nam Gregorius papa VII. eum dignum judicaverat cui vices ſuas in Gallia & Hiſpania committeret, quamque conſiliorum ſane maximorum participem & adjutorem ſibi adſciſceret. Utque pontifex cujus miniſter erat, magna moliebatur, & ad ea exſequenda magnos aſſumſerat animos: ita legatus ejus Amatus magnanimitate & audacia præſtabat; fulminibus Eccleſiæ, quorum arbiter erat, uſus, ad reverentiam quam ſibi debitam exiſtimabat, exigendam. Id
C maxime patuit in concilio Exoldunenſi, in quo a communione abſcidit S. Martini Turonenſis canonicos, quod recuſaſſent eum ſolemni pompa excipere, freti nonnullis privilegiis quibus *præter Apoſtolicum, & Regem, & Turonenſem archiepiſcopum ſemel in vita ſua, neminem ad proceſſionis ſuſceptionem admittebant.* Rem geſtam narrat Urbanus II. *apud Baronium*, an. 1096. *Et quia filius noſter Amatus Burdegalenſis archiepiſcopus, unus erat de legatis Romanæ eccleſiæ, a Gregorio VII. prædeceſſore noſtro in Galliam deſtinatus, non ab hac eccleſia proceſſionis ſolemnitate ſuſceptus; unde etiam graviter contra eoſdem clericos commotus, in*
D *Exuldunenſi concilio eos excommunicatione perfoderat: eum in concordiam & pacem eorum reformavimus. Neque eos ad ullam ſatisfactionem, quia auctoritate pollente ſe munierant, compulimus, neque qualibet pro tali exceſſu abſolutione purgandos cenſuimus.* Hic legimus Amatum fuiſſe *deſtinatum* in Galliam a Gregorio VII. & quidem miſſus eſt ab urbe Roma; conjicitque vir doctiſſimus Stephanus Baluzius in præfatione ad ſecundum tomum Miſcellaneorum, eum eſſe *Amatum* illum monachum Caſinenſem cujus meminit Petrus diaconus in lib. de viris illuſtribus Caſinenſibus cap. XX. quemque dicit ſub Greg. VII. fuiſſe epiſcopum, diſſimulato tamen ejus ſedis epiſcopalis nomine. Aliunde idem vir doctus probat
E eum fuiſſe monachum. Amatus creatus eſt archiepiſcopus in concilio Burdigalenſi cui præerat, an. 1088. die 4. Novembris, uti legitur in chronico Malleacenſi. Concilium hoc Burdigalenſe dictum, quod eſſet provinciæ Burdigalenſis, videtur celebratum apud Santonas; id enim forte ſignificant verba hæc Ademari Engoliſmenſis epiſcopi, in litteris quibus quædam largitur monaſterio ſancti Maxentii, ex ejuſdem loci tabula: *Ego Ademarus Dei gratia Engoliſmæ ſedis epiſcopus, fui Santonas ad ſynodum, in quo* (qua) *ab omnibus*

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

nobis Amatus Burdigalæ civitatis archiepiſcopus electus eſt, ubi nobis ſatis convenienter abbas Adam S. Adjutoris Maxentii ſervivit & honoravit.

Amatus factus archiepiſcopus, majori auctoritate, minorique invidia perrexit legatione ſedis apoſtolicæ fungi. Quæ vero geſſerit ut legatus extra ſuam provinciam, litteris mandare noſtri non eſt inſtituti; ſed quæ fecit ut archiepiſc. breviter ſunt referenda.

Anno 1090. confirmavit monaſterio Silvæ-majoris, omnes eccleſias quas Goſcelinus ejus anteceſſor huic dederat cœnobio, ſanctitate tum celeberrimo; cujus confirmationis teſtis & particeps fuit Petrus decanus & archidiaconus S. Andreæ. Eidem ſacro loco dedit eccleſiolam S. Lupi Inter-duo-maria, & ſanctuaria quæ ad illam pertinebant.

C. XIII. col. 275.

1093. Anno 1093. Burdigalæ concilium habuit, ex chronico Malleacenſi. Nomina præſulum qui adfuerunt, nobis ſuppeditat chartarium S. Petri de Regula, quidve geſtum ſit in hoc cœtu, docet: nempe Otgerium de Landerone Regulæ priorem, Bernardum Aquenſem epiſcopum *proclamaſſe* & compellaſſe pro reſtitutione cellæ S. Caprafii de Pontonis in pago Auſcienſi ſuper Adurcium, quam ſibi vindicarat epiſcopus; ſed eam reſtituendam eſſe concilii patres judicarunt. Huic judicio ſubſcripſere poſt Amatum Willelmus Bernardus Auſcienſis archiepiſcopus, Simon Aginnenſis epiſcopus, Rainaldus Petragoricenſis, Ademarus Engoliſmenſis, Hodo Bigorræ, Bertrandus Convennarum, Petrus Adurenſis, Stephanus Vaſatenſis, & Bernardus ipſe Aquenſis.

1095. Anno 1095. ſedit in concilio Claromontano ſub Urbano II. in quo pro recuperanda terra ſancta bellum ſacrum decretum eſt. Eodem anno adfuit Lemovicis conſecrationi eccleſiarum S. Martialis & S. Stephani, Turoniſque Majoris-monaſterii,

1096. ubi an. 1096. interfuit concilio habito ab Urbano papa II. ſubſcripſitque decreto pro S. Martino.

Ejuſdem fere eſt temporis concilium Santonenſe quod celebravit Amatus. Concilium hoc in tabulis S. Johannis Angeriacenſis, & S. Hilarii conſignari docent Sammarthani. Sed tempus ejuſdem indicat tabula Silvæ-majoris in qua legitur: *Terram de Doëria, &c. quam eccleſiæ Silvæ-majoris Helias princeps de Dielonia cum uxore ſua Avicia & filiis ..... pro ſalute animarum ſuarum donavit, poſtea pignoravit abbas Malliacenſis, nobis neſcientibus; ſed poſtquam reſcivimus, facta proclamatione ab abbate noſtro Achelmo in concilio Santonenſi, recuperavimus ..... judicio epiſcoporum & abbatum ..... confirmato in manu D. Amati S. Rom. Eccleſiæ legati, Burdigalenſis quoque Dei gratia archiepiſcopi ..... Actum eſt hoc an. Dom. Incarnationis M. XCVII.* Eodem anno Urbanus papa magna pompa dedicavit eccleſiam Burdigalenſem die 1. Maii, quamvis hujus dedicationis anniverſaria ſolemnitas non eodem die, ſed 21. Aprilis celebretur, forte ob concurſum feſti SS. apoſtolorum Philippi & Jacobi. Miſſas facimus dedicationem S. Saturnini Toloſæ & conſecrationem majoris altaris Caroffenſis, quibus præſens legitur his fere temporibus; uti & revelationi ſanguinis Domini in eodem S. Salvatoris Caroffenſis monaſterio; & fundationi abbatiæ S. Mariæ de Rota cujus charta ſubſcriptum ejus nomen præfert.

ANNI CHRISTI

Anno 1097. pergens in Hiſpaniam, Oſcæ majus templum, poſt deditionem urbis a Mauris factam Petro Navarræ & Arragonum regi, conſecravit, aut profanis Mahumetanorum ritibus pollutam luſtravit, & reconciliavit VI. cal. Januarii, adſiſtentibus Petro Oſcenſi, Fulcone Barcinonenſi, Petro Pampelonenſi, & Sancio Laſcurrenſi epiſcopis, ut memorat poſt chronicon Malleacenſe Johannes Mariana de rebus Hiſpaniæ lib. X. c. 2. Non tacendum eſt eum ſuffragium tuliſſe in concilio Nemauſenſi habito IV. idus Julii, in quo Philippus I. rex abſtentus & excommunicatus ob Bertradam de Monte-forti Fulconis Andium comitis conjugem raptam & ductam, vivente Berta legitima uxore, poſt debitam ſatisfactionem, ad eccleſiæ gremium revocatus eſt, ex eod. chron. Mall. 1097.

Anno 1098. concilium celebravit Burdigalæ III. nonas Octobris ind. VI. cui ſubſcripſere Rolandus Dolenſis archiepiſcopus, Petrus Aginnenſis, &c. Charta edita inter inſtrumenta col. 276. num. XIV. plurima alia de illo nos docet. Finem dedit controverſiæ inter decanum & canonicos S. Andreæ, ac Fulconem abbatem monachoſque S. Crucis, pro eccleſia S. Michaëlis extra urbem ſuper Garumnam; quam monachis adjudicavit, poſt datum ab abbate ſacramentum de poſſeſſione. Chartam ea de re conſcriptam damus, ad cujus calcem notatur annus Chr. M.XCIX. Urbani papæ II. XII. 1098. *Tom. X. concil. col. 614.* C. XV. col. 276.

Mortem oppetiiſſe Amatum anno 1101. docent Sammarthani, Lopeſius, qui laudat chronicon Malleacenſe, & alii. Lego tamen an. 1112. eum Uzercenſi monaſterio dediſſe eccleſiam ſancti Vincentii de Barriaco. At pro 1112. legendum puto 1102. Certe anno hoc eccleſia Burdigalenſis vidua erat, obeunte Amato archiepiſcopo, ex charta quam edidit Beſſius in hiſtoria comitum Pict. pag. 410. In charta S. Stephani de Vallibus donatio quædam legitur facta huic monaſterio, per manus Amati archiepiſcopi Burd. an. 1104. qua de re videndum in Reginaldo hujus loci abbate. Attamen Beſſius exhibet in probatione hiſt. comit. Pictav. c. 28. tabulam Angeriacenſis monaſterii, in qua legitur: *An. 1102. Paſchali PP. Philippo rege Francorum, Willelmo duce Aquitaniæ, Ramnulfo epiſc. Santonenſi, Burdigala viduata paſtore Amato archiepiſcopo obeunte.* Et paulo poſt oſtendemus anno 1103. Arnaldum Amati ſucceſſorem electum appellari. Itaque cenſemus Amatum aut animam efflaſſe anno 1101. die 22. Maii, aut an. 1102. quod videtur ſignificari in Angeriacenſi charta iis verbis: *Anno M. C. II. ..... Burdigala viduata paſtore Amato archiep. obeunte.* 1099.

Sub hoc archiepiſcopo Willelmus VIII. totius Aquitaniæ dux, multa dedit, ſeu potius jam ab aliis data confirmavit eccleſiæ Burdigalenſi olim a Carolo magno, Ludovico Pio ejus filio, &c. ditatæ, tunc vero temporis miſerabiliter dilapſæ; ſcilicet tertiam partem cameræ ſive monetæ, ſeu etiam omnium teloneorum, & curtem-legiam ..... & navim liberam ab omnibus teloneis. Cetera

Digitized by Google

legi poſſunt in diplomate quod edidit Lopeſius A Vincentii de Barriaco, anno 1122. Quo anno Arnaldus ex hac vita migraverit nondum novimus. Ejus obitus inſcribitur in necrologio III. cal. Maii. Ejus tempore & cum ipſius conſenſu fundatur an. 1108. prioratus S. Fidis *de Manſirot*, pro Conchenſibus monachis tempore Begonis abbatis, de quo vide C. XVI. col. 277.

ANNI CHRISTI

tertia parte hiſt. c. VIII. pag. 365.

XXVII. Arnaldus-Geraldi.

De Cabenac.

Arnaldus-Geraldi de Cabenaco nobili genere natus, patrem habuit Geraldum Cabenaci dominum; qui locus comitatus titulo inſignis, ſeſquileuca a Garumna diſtat, quatuor vero circiter leucis a Burdigala. Gentilitium hoc Arnaldi cognomen ex hoc inſtrumento chartarii Silvæ-majoris eruitur: *Notum ſit omnibus quod Arſius de Cabanaco, cum fieret Silvæ-majoris monachus, dedit ejuſdem loci fratribus totam terram de Crana, concedentibus fratribus ſuis Arnaldo-Geraldo, qui poſ-* B *tea fuit Burdigalenſis archiepiſcopus, & Arufatus & Forto.* Patre Geraldo de Cabanaco genitos eſſe hos fratres docent eædem tabulæ: *Teſtes ſunt Amanevus de Mota, Geraldus de Cabanaco, Arſius ejus filius.*

Arnaldus legitur Amati ſucceſſor in chronico
1103. Malleacenſi, & an. 1103. appellatur electus Burdegalenſis in charta S. Johannis Angeriacenſis, de electione Aenrici ſeu Henrici abbatis, ad quam convenerunt & in capitulo coadunati ſunt Ramnulfus Santonum epiſcopus, *venerabilis Arnaldus nondum archiepiſcopus, ſed in archiepiſcopatum electus*, atque nobiliſſimus Willelmus dux Aquitaniæ, cum Hugone Liziniacenſi. Integram chartam dant Beſſius in probat. hiſt. comitum Pict. & Sammarthani in ſua Gallia Chriſtiana. In fine le-
Tom. 1. concil. pag. 209. gitur: *Actum eſt autem anno ab Incarnatione Dom. M. C. III. papa præſidente Paſchali, rege regnante Philippo cum Ludovico filio.*

* ind. 15. Anno 1107. ind. 12. * Gofrido VI. abbati Silvæ-majoris confirmavit eccleſias S. Martini de Narijano & de Caminiaco, aſſentientibus decano nomine Raimundo & ceteris canonicis, ex pag. 13. chartul. in quo ſæpius occurrit mentio hujus archiepiſcopi.

Anno 1109. judex ſedit in concilio Loſdu- D nenſi inter abbatem Majoris-monaſterii & canonicos de Camiliaco, cum Gerardo Engoliſmenſi, Petro Santonenſi epiſc. &c. ex Spicileg. tom. V. pag. 24.

Arnaldum anno 1110. auctoritate ſedis apoſtolicæ, eccleſiam S. Æmiliani ſeu Emelionis, quæ ſeptem leucis diſtat a Burdegala, mutaſſe in monaſterium ord. S. Benedicti, ejuſque primum abbatem fuiſſe Aimonem docent Sammarthani poſt chronic. Burdigalenſe; quibus Lopeſius conſentit. Hæc abbatia ſecularis facta, nunc habet capitulum decem canonicorum cum decano. Anno 1111. E litteras dedit de quodam dono facto a Raimundo de Leinario, eccleſiæ S. Martini de Sadiraco, & Fulconi abbati S. Crucis ad quem pertinebat
1120. hæc eccleſia; ex S. Crucis chartul. An. 1120. coëgit priorem & monachos S. Macharii, ad obedientiam præſtandam Androni abbati S. Crucis, ut docent ejuſdem antiſtitis litteræ, quas ex laudato chartario deſcripſimus, & inter inſtrumenta lo-
C. XVII. col. 278. cum habere voluimus. Sæpe occurrit in tabulis ejuſdem cœnobii & Silvæ-majoris nomen hujus archiepiſcopi, ſed annus non annotatur. Confirmavit Ildeberto abbati Uſercienſi eccleſiam ſancti

ANNI CHRISTI

XXVIII. Girardus.

Quocunque anno mortem oppetierit Arnaldus, ipſo hercle de medio ſublato, Giraldus Engoliſmenſis epiſcopus Burdegalenſes inſulas arripuit, is ipſe qui tam diu Romanæ ſedis obiverat legationem, fautoremque ſe Petri Leonis pertinaciſſimum exhibuit anno 1130. Uſurpationem illam ipſi Sagienſis archidiaconus Arnulphus exprobrat hoc modo: *Diſtuli circa extremitates orationis hujus de uſurpatione Burdegalenſis archiepiſcopatus apponere, ut ex hoc illa effrænis ambitio tua irrefragabili liqueat argumento. Engoliſmenſi eccleſiæ copulatus, ſpirituali connubio tenebaris: impudens tamen dominandi libido, contemplatione prænominatæ dignitatis incanduit; & dum deſcendentium jam rerum tuarum detrimenta non ſuſtines, ad compenſationem fruſtratæ legationis, in amplexum quaſi ditioris adulteræ prorupiſti; filiæ ſponſus in-* C *ceſtu matrem nefario polluere non abhorres, & monſtrum biceps infauſtum ſeculo prodigium non renuis apparere. Non expetitio populi, non cleri præceſſit electio: ſed etiam nunc excommunicatum reputans univerſitas tibi, vel pars ſaltem maxima refragatur, in partem catholicam multo deſiderio ſuſpirantes.* Vide tom. 2. Spicileg. Petitæ legationis repulſam ab Innocentio ſecundo paſſus eſt Girardus ipſo an. 1130. quo Innocentius electus eſt. Obiit anno 1136. illa vero ſcribebat Arnulfus ſub annum 1134.

Itaque Giraldus cum foret Engoliſmenſis epiſcopus & S. Sedis legatus, Villelmi comitis Pictavienſis, & Aquitaniæ ducis aſſenſu, cathedram archiepiſc. Burdigalenſem occupavit [a]. Utrumque a titulum archiepiſcopi & legati præfert in litteris, quibus conceſſit Androni S. Crucis abbati & monachis, *eccleſiam de Benciaco, perſonis ad ejus ſervitium olim deputatis deſtitutam*, cum conſenſu archidiaconorum Gombaldi & Willelmi, atque C. XVIII. col. 279. capituli; cui ad menſam canonicorum, decem ſolidos annui cenſus, abbas & monachi perſolvere tenerentur: alia onera ipſis impoſita legi poſſunt ſuo loco. Aliis litteris, quas prioribus duximus col. 280. ſubjiciendas, notum fecit, quod eundem abbatem cum monachis inveſtiviſſet de eccleſia S. Nicolai de Grava. Sed his litteris & prioribus notæ temporis deſunt.

Idem Gerardus cum Gaufrido Carnotenſi epiſcopo, & apoſtolicæ ſedis legato, atque L. Engoliſmenſi epiſcopo, interfuit conventioni factæ inter Fulcherium Orbiſterii abbatem, & Petronillam Fontis-ebraldi abbatiſſam. Ubi vides Girardum ita ex Engoliſmenſi ſede fuiſſe tranſlatum, ut ei datus ſit ſucceſſor in Engoliſmenſi eccleſia. De hoc Gerardo propter ſchiſma Petri

[a] Vide vitam S. Bernardi in edit. dom. Johan. Mabill. lib. 2. c. VI. n. XXXVI.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

Leonis antipapæ, dicti Anacleti, cui adhæsit, famosissimo, plura dicemus in Engolismensibus episcopis.

De Loroux.

XXIX. Gaufredus III.

* Goffredus de Loratorio * cognomen hoc accepit a loco sic dicto in dioecesi Turonensi Pictonum vicino, qui Majori-monasterio subjectus est; debetque distingui ab Oratorio, *le Loroux*, ordinis Cistercienſis monasterio dioecesis Andegavensis. In plurimis instrumentis abbatiæ Fontis-comitis legitur *de Laureolo*, quod interpretantur de Loriole. Porro Gaufridus vir fuit doctrina præstantissimus, ad quem scripsit S. Bernardus epistolam 125. antequam ad pontificatum provectus fuisset, hortans eum ut operam impenderet in asserenda Innocentii papæ II. electione adversus Petrum Leonis. Pro ipso quoque scripsit idem Bernardus ep. 342. ad Josselinum Suessionensem episcopum, qua rogat excusari apud Regem hunc archiepiscopum, in hoc solo reum, quod electum communi consensu Grimoardum abbatem B. M. de Allodiis consecrasset, hoc est benedixisset. Qui florebat ætate S. Bernardi Petrus Venerabilis abbas Cluniacensis, hunc archiepiscopum celebrat l. IV. epist. 12. his verbis: *Venerabili & præcordiali nostro domno Gaufrido Burdegalensi archiepiscopo. Inter varias pectoris mei curas, ingessit se aliquando cogitatio de amicitia: invenit nulli supponendum, pene omnibus præferendum quantum ad se, illum, illum certe meum Burdegalensem archiepiscopum; quem non dignitas pontificalis, non sublimitas temporalis, mihi in spirituali & vero amico associavit; sed animus terrena spernens, cœlestibus inhians, mores comti, prudentia singularis, amicitia constans, & vere Christus ipse ad universa mutui amoris primordia se medium exhibens, indivisibiliter conjunxit. Hoc semper, ex quo Carthusiense iter sanctitatem vestram mihi notam fecit, firmissime cordi meo inhæsit.*

Exordium pontificatus Gaufredi III. satis indicat tabularium S. Crucis Burdigalensis, his verbis: *Guillelmus Helias primo anno quo Ludovicus rex Francorum duxit in matrimonium filiam ducis * Vasconum & comitis Pictavorum, secundo autem Gaufridi Burdigalensis archiepiscopi, dedit ecclesiæ S. Crucis Burdigal. medietatem decimæ ab illo loco qui dicitur Esterius-Lini, usque ad illum locum qui dicitur feudum de Benaujas. Et fecit primum nodum ipse Willelmus Helias, secundum fecit Willelelmus Seguini de la Breza *... præsentibus*, &c. *Anno ab Incarn. D. M. C. XXXVIII. epacta VII. ind. I. concurrente V.*

* comitis.

* Breda.

Idem intelligimus ex litteris ejusdem Gaufredi erutis ex tabulario S. Mariæ Santonensis, datis an. 1137. quibus sopit litem aut motam, aut movendam inter abbatissam conventumque S. Mariæ Santonensis, & Ursonem Porcarium: ibi autem annus 1137. dicitur an. I. promotionis ejusdem Gaufridi, nimirum completus. Sic enim ea verba interpretari cogit alia ejusdem tabularii charta nostri Gaufridi, in qua ejusdem pontificatus annus secundus componitur cum anno Christi 1137. Idem denique confirmat ejusdem charta edita a Besslio hist. comitum Pict. pag. 309. in qua annus 16. ejus episcopatus, concurrit cum anno Christi 1151. Unde manifestum fit eum federe cœpisse anno 1136. Ambagem omnem tollit diploma Ludovici regis VII. quo, cum assumta in conjugem Alienorde filia & herede Guillelmi Aquitaniæ ducis Pictavorumque comitis, tota potitus esset Aquitania, Gaufredo archiepiscopo, & ceteris episcopis & abbatibus ejus provinciæ petentibus concessit, ut in posterum electiones libere fierent sive archiepiscopi, sive episcoporum, sive abbatum, *absque hominii, juramenti seu fidei per manum data obligatione.* In fine legitur *actum Burdegalæ an. M. C. XXXVI.* Chartam integram edimus in appendice seu inter instrumenta. An. sequenti secundum Sammarthanos, solemni apparatu nuptiæ ejusdem regis cum Alienorde, *al.* Ænorde celebrantur, præsentibus cum Gaufredo archiepiscopo provinciæ omnibus episcopis, uti probat chron. Mauriniacense. Secundum hanc doctorum fratrum sententiam dicendum foret anno quidem superiori Regem Alienoram duxisse, (neque enim ante conjugium dicere potuisset quod legitur in laudato supra diplomate, sibi jure matrimonii cum Alienorde seu Alienora cessisse Aquitaniam) sed majori pompa idem conjugium, easdem nuptias Burdigalæ tanquam in primaria Aquitaniæ urbe celebrare voluisse. At nunc pene constat eodem tempore quo Ludovicus rex magno apparatu Burdigalæ celebrari voluit nuptias, jus regaliæ indulsisse, præsentibus & petentibus Gaufrido archiepiscopo, & provinciæ episcopis. Hoc ad an. 1136. refert diploma Regis; fortasse errore amanuensis: nam historici, & qui ea de re scripserunt, imprimis Mabillonius lib. 2. de re diplom. n. 13. id an. 1137. tribuunt. Certe in tabulario S. Crucis exstat tabula quædam Guillelmi Heliæ vicarii Burdigalensis, in qua annus 1138. vocatur annus primus, *videlicet completus*, quo Ludovicus rex Francorum duxit in matrimonium filiam comitis Pictavorum ac Vasconum, & secundus Gaufredi archiepiscopi; quod adhuc demonstrat exordium episcopatus ejus ducendum esse ab an. 1136. idque iterum probat charta qua hoc an. confirmavit monachis de Mornac ecclesiam S. Nicolai.

Anno 1138. litteras dedit de procuratione archiepiscopi Burdigal. ab abbate S. Crucis debita.

An. 1140. adstitit Theobaldo comiti Blesensi donanti Burgo-medio * decimam molendinorum Blesensium, ex tabul. ejusdem cœnobii, & eodem anno subscripsit diplomati regis Ludovici, quo confirmavit parthenoni S. Mariæ Santonensis factas donationes. Anno sequenti adfuit adhuc eidem principi confirmanti Agneti ejusdem loci abbatissæ *cambitum monetæ.*

* Bourgmoyen.

Tab. S. Mar. Santon.

Gaufredus monasteriis benefacere solitus, inter canonicos S. Martini, & S. Cypriani Pictavensis monachos pacem restituit an. 1142. An. 1144. signum appossuit litteris Ludovici regis pro S. Petri puellaris ecclesia, quæ de jure S. Martini fuerat, ex S. Martini tabul. An. 1148. convenit ad concilium Remense sub Eugenio papa III. celebratum

1136.

C. XIX. col. 280.

1442.

1448.

* Lopesius qui legit de Oratorio, interpretatur *de Loriolo*; debuisset legere de Laureolo, ut supra monuimus.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

in cauſa Gilberti Porretani Pictavorum epiſcopi, cui faviſſe noſtrum Gaufridum docet epiſtola alterius Gaufredi ſcilicet Clarevallenſis. Attamen in lite quam habuit hic epiſcopus cum S. Cypriani abbate & monachis, cauſa cecidit Gaufredo archiepiſcopo judice, ex ipſius litteris datis IV. cal. Septembris anno 1149. ejus epiſcopatus anno decimo-quarto; quæ notæ confirmant an. 1136. inchoatum fuiſſe Gaufridi pontificatum. Has damus litteras, præſertim quod ex ipſis eruamus notitiam cujuſdam ſynodi Burdigalenſis aliunde incognitæ.

C. XVI. vol. 281.

1150. Anno 1150. ratam habuit concordiam inter Mathildem Fontis-ebraldi abbatiſſam, & Julium abbatem de Corona, ejuſque litteras hac in cauſa datas exhibent hic Sammarthani. Anno ſequenti, unus fuit ex judicibus controverſiæ quam movit * Vouvant. Sebrannus Chabot dominus Vulventi * adverſus abbatem Malleacenſem, pro cuſtodia hujus cœnobii; uti nos docet diploma Ludovici regis editum a Beſlio in hiſtoria comitum Pictav. & in archiepiſcopis Burdigal. Galliæ Chriſtianæ fr. Samm. Decretum in diplomate relatum, ſuis litteris confirmavit & publicavit Gaufredus eodem anno 1151. ind. XV. epiſcopatus ſui anno 16.

Adfuit ſynodo Balgentiacenſi ad Ligerim, die Martis, *al.* Veneris ante Dominicam *Paſchæ floridi*, an. circiter 1154. quo in conventu decretum eſt divortium propter cognationem inter Ludovicum regem, & Alienordem, quæ poſtea nupſit Henrico Normanniæ duci, Andegavorum comiti, poſtea regi Angliæ. In actis autem concilii appellatur Laufredus, pro Gaufredus. Eodem anno curavit funus Giſleberti Pictavorum epiſcopi, cum provinciæ epiſcopis. Ipſe obiit die 18. Julii an. 1158. ſepultuſque eſt in eccleſiæ metropolitanæ ſacello Dei-paræ virgini dicato. Notatur in necrologio Fontebraldenſi ad 15. cal. Auguſti.

Hujus antiſtitis meminit cum laude vetus chronicum Normanniæ, ut viri religioſi, & verbi Divini præconis egregii; de quo etiam apud Robertum de Monte in ſupplemento Sigeberti. Fuit amicus Sugerii celeberrimi S. Dionyſii abbatis, ad quem ſcripſit quinque epiſtolas quæ adhuc exſtant. Laudes a Petro Venerabili abbate Cluniacenſi Gaufredo datas jam præmiſimus; ambitus tamen ipſum alicubi inſimulat, quaſi vellet ita ſibi ſubjicere ſuæ provinciæ eccleſias, ut in eis poneret *non epiſcopos ſed miniſtros.* Vide epiſt. quintam l. v. ad Innocentium papam II. in qua queritur de dilata conſecratione electi Engoliſmenſis. Andreas Quercetanus vir doctiſſimus in notis ad Bibliothecam Cluniacenſem, docet quidem Petri Venerabilis tempore fuiſſe Burdigalæ duos archiepiſcopos nomine Gaufridos, unum qui a Ludovico VII. impetravit immunitatem a regaliæ jure; alterum qui fuit concilii Balgentiaci præſes. At duplicem Gaufridum admittere nihil cogit, nullaque indicant vetera monumenta. Imo contrarium luculenter patet ex duabus chartis, una Novi-Monaſterii, *Mouſtierneuf*, ubi legitur *Gaufridus Burdigal. eccleſiæ dictus epiſcopus, S. Sedis apoſt. legatus VII. calend. Novembris an. ab Incarn. M. C. LVII. ind..... epiſcopatus an. XXII.* Altera quæ eſt Fontis-co-

ANNI CHRISTI

mitis in qua cognominatur de Lauteolo, data eſt anno Chriſti M. C. LIII. quem Gaufridus appellat decimum octavum ſui epiſcopatus.

Cum Gaufredum præfuiſſe Balgentiacenſi cœtui, in quo de diſſolvendo conjugio Ludovici regis cum Alienora eſt actum, conſentiant Sammarthani & Lopeſius, quæritur quo jure id factum? Balgentiacum enim ad Burdigalenſem provinciam minime pertinebat. Reſpondet autem Lopeſius Gaufridum id feciſſe jure legationis apoſtolicæ. Certe necrologium eccleſiæ Burdig. in libro viloſo, ad diem XV. cal. Auguſti, ubi ejus meminit, eum ſimul appellat archiepiſcopum & legatum, exſtatque in tabulario S. Crucis Burdeg. ejuſdem charta, Arnaldo hujus monaſterii abbati inſcripta, in qua ſe præfatur archiepiſcopum & ſedis apoſtolicæ legatum, dataque eſt an. 1153. quo circiter tempore habita eſt ſynodus Balgentiacenſis. Idem legitur titulus in tabula Novi-Monaſterii, de qua infra. Sedente Gaufredo, ipſoque auctore, canonici Burdigalenſis eccleſiæ, qui prius erant ſeculares, facti ſunt regulares, ut nos docet charta hæc tabularii eccleſiæ:

Ego Petrus Dei gratia humilis abbas S. Romani de Blavia, univerſis Eccleſiæ Chriſti fidelibus tam præſentibus quam futuris. Notum fieri volumus quoniam cum ex mandato Romani pontificis domini Eugenii, venerabilis pater D. Auberteus Oſtienſis epiſcopus Sedis apoſt. legatus, & dominus Bernardus abbas Clarævallis, multæque aliæ religioſæ & honeſtæ perſonæ verſus Toloſanas partes ad expugnandos hæreticos hæreſimque exſtirpandam terræ illius proficiſcerentur, per Aquitaniam tranſeuntes, pro pace inter dom. Gaufridum venerabilem Burdegal. archiepiſcopum & clericos ſuos Burdeg. ſedis canonicos reformandam, rogatu ejuſdem dom. archiepiſcopi, Burdigalam uſque deſcenderunt, ubi & nos conveneramus. Erat autem diſcordia gravis & maxima, quæ etiam per multum temporis duraverat inter eundem dom. archiepiſcopum & clericos ſuos, pro eo quia idem D. archiepiſcopus, in eadem ſede Burd. canonicos regulares, qui in communi vita, & ſecundum S. Auguſtini regulam ibi Domino inſervirent, inſtituere volebat, juxta voluntatem & mandatum Rom. pontificum D. Innocentii, D. Lucii; conceſſione vero & aſſenſu D. Ludovici illuſtris regis Francorum & ducis Aquitanorum, qui auctoritate privilegiorum ſuorum hoc confirmaverant.

Quod cum quidam de ejuſdem eccleſiæ canonicis conceſſiſſent, ceteri qui contradicebant, pro inobedientia & contumacia ſua, ab eodem D. archiepiſcopo & a prædictis Rom. pontificibus excommunicati, & a ſuſceptis ordinibus & eccleſiaſticis beneficiis privati diu ſub ſententia manſerant, reſipiſcere nolentes. Atque ob hanc eandem diſſenſionem idem D. archiepiſcopus extra urbem & eccleſiam ſuam, per quinquennium & eo amplius fuerat, eccleſia laborante & per tantum temporis a divino vacante officio. Cum ergo ad Burdig. eccleſiam in tanta deſolatione poſitam præfatus D. legatus & D. Clarævallis, & aliæ religioſæ & authenticæ perſonæ deſcendiſſent, ibique nobis cum ipſis aſſiſtentibus, ut ſupra dictum eſt, cum in manu D. Clarævallis præfati Burdegalenſes clerici poſuiſſent ſe exſecuturos

ANNI CHRISTI

quidquid ſuper hoc illi ſtatuerent ; & hoc idem D. archiepiſcopus conceſſiſſet , cooperante divina gratia in hunc modum pacis & concordiæ hinc inde convenerunt :

*Quod clerici qui rebelles exſtiterant , canonicatum regularem in eccleſia B. Andreæ , in ſede videlicet Burdig. deinceps in perpetuum habendum & conſervandum communiter conceſſerunt , hoc modo quod ſingulis , qui ejuſdem eccleſiæ canonici ſuperſtites erant decedentibus , vel ſi mutatione vitæ , ſeu quolibet alio modo , præbendam quam in eccleſia illa habebant omitterent * , loco eorum regulares ſubſtituerentur per manum Burdegal. D. archiepiſcopi , &c. Sed & cum de viginti quatuor , qui numerus ſolet eſſe canonicorum Burd. eccleſiæ , nunc ad præſens poſitis ibi quinque regularibus cum novem ſecularibus qui ſuperſtites erant , quatuordecim & non plures omnes eſſent ejuſdem eccleſiæ canonici , donec vel poſt deceſſum ſecularium , ut dictum eſt , vel vita eorumdem , ſi cum pace & aſſenſu ipſorum fieri poſſet , numerus ille adimpleatur. Nihilominus ab iiſdem clericis conceſſum fuit ut illi quinque regulares , ſi D. archiepiſcopo & iiſdem regularibus videtur, ad commune refectorium cum ſecularibus venirent communiter viventes, communiter ſervientes , &c. Actum hoc atque firmatum in præſentia & in manu D. legati, & D. Claræ-vallis, videntibus & audientibus D. Raimundo Aginnenſi , D. Bernardo Santonenſi, D. Raimundo Vaſatenſi ep. fratribus quoque noſtris Audoino Caſtellionenſi , Guidone Cariloci , Aimone S. Æmiliani abbatibus , &c. Ad memoriam & munimentum rei precibus utriuſque partis hanc præſentem paginam exinde fieri , & ſigilli noſtri munimine firmari præcepimus. Fuit vero facta hæc concordia Burdigalæ in domo D. archiepiſcopi , anno ab Inc. Dom. M.C.XLV. VI. non. Julii , ep. XXV. Rom. pontif. D. Eugenio papa III. Ludovico rege Francorum & duce Aquitanorum , prædicto D. Auberico legationem in regno Franciæ obtinente.*

* f. omittebant.

Ex iis diſcimus ante inſtitutum canonicorum Regularium in eccleſia Burdig. receptum, canonicos tamen commune refectorium habuiſſe.

XXX. Raimundus I.

Raimundum quem cognominant , *de Majolio* , Claudius Robertus [a] & Sammarthani fratres , ex epiſcopatu Petracoricenſi aſſumtum legimus ad metropolitanam ſedem , vita functo Gaufrido an. 1158. hunc autem notum fecit, inquiunt, codex de geſtis pontificum Engoliſmenſium : *magna [b] inter canonicos Burdegalenſis eccleſiæ de novi archiepiſcopi electione contentio excitata eſt , ac totum negotium dirimendum , Engoliſmenſis , Pictavenſis , Petracoricenſis , & Agennenſis epiſcoporum arbitrio reliquerunt ; qui cum de homine doctrina & moribus inſigni in Gaufridi demortui locum ſufficiendo conſilium haberent , ſupervenit Henricus II. Angliæ rex , dux Aquitaniæ , eoſque obnixe rogavit ut Johannem de Secli , al. Sechium , gymnaſii Pictavienſis magiſtrum , antiſtitem crearent. Verum nullius fuit momenti regia auctoritas , quod ſacrarum litterarum inſcius eſſet : ſicque ad epiſcopatus apicem Raimundus evehitur.* Sed brevis ævi pontificatum tenuit ; defunctus enim an. M. C. LIX. 10. cal. Jan. 1159. vel 11. calend. ex necrologio libri villoſi tabularii eccl. Burdig. tumulatur in baſilica metropolitana Burdegalenſi. Lopeſius laudat bullam quandam Hadriani papæ IV. ad eum datam IV. cal. Junii. Oihenartus, qui ejus meminit in ſua notitia Vaſconiæ , docetque ipſum ex Petracoricenſi epiſcopo factum eſſe Burdigalenſem metropolitanum , teſtem appellat Johannem Puteanum de Petracoric. epiſcopis.

[a] Claudius Robertus loquitur de Raimundo tantum in epiſcopis Petracor. ubi eum de Majolio cognominatum ait , ſepultumque fuiſſe in eccleſia Burdegal. at nullibi dicit eum poſt ſedem Petracoricenſem , Burdigalenſem obtinuiſſe.

[b] Ignoramus quo ex codice Sammarthani fratres quæ ſequuntur deſumſerint. Exſtat tomo II. bibliothecæ Labbeanæ p. 249. hiſtoria pontificum & comitum Engoliſmenſium in cujus cap. 38. de Hugone epiſcopo quædam leguntur de electione ſucceſſoris Gaufridi & contentione inter epiſcopos ad hanc electionem congregatos , & Henricum II. Angliæ regem qui Johannem Secli magiſtrum ſcholarum Pictavienſium in archiepiſcopum conſecrari cupiebat : ſed ibi non dicitur quinam fuerit electus

XXXI. Harduinus.

Harduinus in eccleſia Cenomanenſi decanus fuerat , antequam eligeretur in ſucceſſorem Raimundi , anno 1160. ejuſque meminit Robertus de Monte in appendice ad Sigebertum. Poſt annos tres ex hac vita migravit , apud Montem-Peſſullanum in comitatu Alexandri papæ III. an. 1163. ex Roberto de Monte in ſupplemento ad Sigebertum , vel 1162. uti contendit Lopeſius non contemnendis fultus rationibus , ductis ex tempore quo Papa moratus eſt apud Montem-Peſſulanum. De eo legitur in necrologio eccleſiæ : *IV. nonas Julii obiit Ardouinus archiepiſcopus.*

Corrupte in chronico Normanniæ appellatur Balduinus ; ſic enim ibi legitur : *mortuo Balduino arch. Burdegal. apud Montem-Peſſullanum , dum ibi in curia Papæ moraretur , epiſcopus Lactorenſis ei ſucceſſit.*

XXXII. Bertrandus I.

Bertrandus ab eccleſia Lactorenſi aſcendit ad Burdigalenſem an. 1162. aut 1163. quod probatur ex charta compoſitionis factæ inter ipſum , & Bertrandum S. Crucis Burdigal. abbatem anno M. C. LXVI. quem annum Bertrandus archiepiſcopus appellat ſui epiſcopatus quartum. In ea ſe legatum ſanctæ ſedis apoſt. præfatur. Anno 1164. memoratur in charta pro cœnobio B. Mariæ de Prato-Fornelli, & anno 1165. dedit chartam pro parthenone S. Laurentii de Eſcures ſeu de Obſcuris. Lopeſius indicat chartam quandam tabularii S. Crucis , qua Bertrandus ſubjicit huic monaſterio S. Michaëlis eccleſiam ; quam ſubjectionem confirmavit Alexander III. ſui pontificatus an. VI. At vero aſcetæ hujus abbatiæ contendunt eccleſiam hanc fuiſſe ſubditam S. Cruci a Goſcelino archiepiſcopo ; unionemque jamdiu antea factam Alexandrum ſua bulla roboraſſe ob rebellionem monachorum S. Macharii adverſus ſuam matrem , ſcilicet S. Crucis abbatiam. De hac inobedientia queſtus erat Bertrandus in ſua epiſtola ad ſummum pontificem :

1163. 1165.

Beatiſſimo patri & domino Alexandro per Dei gratiam ſummo & univerſali pontifici , Bertrandus Burdegalenſis eccleſiæ miniſter licet indignus ſalutem

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

& omnimodam cum debita ſubjectione reverentiam. Placuit vobis, reverende pater, ut ſententiam quam dilectus filius noſter Bertrandus abbas S. Crucis in monachos ſancti Macharii ob inobedientiam & rebellionem promulgavit, ratam haberetis & firmam. Verum quidam de prædictis fratribus in ſolita adhuc contumacia & rebellione perſiſtentes, mandatis veſtris obedire, & abbati ſuo eccleſiæque S. Crucis obedientiam & reverentiam, quam debent, exhibere contempnunt, & ſententiam ipſius abbatis, noſtram, ſed veſtra auctoritate confirmatam adhuc ſuſtinere non formidant. Hoc itaque ſanctæ diſcretioni veſtræ duximus ſignificandum, ut ſi forte ipſi ad pedes ſanctitatis veſtræ acceſſerint, eos noveritis in jamdicta ſententia permanere. Sit autem, pater, beneplaciti veſtri eccleſiam S. Crucis pro qua vobis attentius ſupplicamus, in juſtitia ſua, ſicut cœpiſtis, fovere & manutenere.

Reſcripſit pontifex archiepiſcopo noſtro in hæc verba : *Alexander epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri Bertrando Burdigalenſi archiepiſcopo, apoſtolicæ ſedis legato ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Sicut ex tuarum litterarum continentia nuper accepimus, tu mandati noſtri tenorem efficaciter proſecutus, ſententiam quam dilectus filius noſter Bertrandus abbas S. Crucis in monachos ſancti Macharii ob inobedientiam & rebellionem ſuam promulgavit, ratam & firmam habuiſti, & eam auctoritate noſtra & tua pariter confirmaſti : ſuper quo utique ſollicitudinem tuam, ſicut dignum eſt, commendamus, & ut ſententiam ipſam ratam habeas, & per parochiam tuam inviolabiliter uſque ad dignam ſatisfactionem facias obſervari, & præſentium ſignificatione injungimus : nos enim juxta ſollicitationem tuam ita honeſtati noſtræ providebimus, quod ſi dicti monachi ad nos venerint, nihil auctore Domino reportabunt quod debeat dedecere. Datum Laterani II. cal. Februarii.*

Anno 1170. Bertrandus archiepiſcopus cum multis Aquitaniæ proceribus Eleonoram Henrici II. Angliæ regis filiam comitatus eſt, cum in Hiſpaniam deducta Alphonſo IX. Caſtellæ regi nupſit, ut referunt Hieronymus Zurita in Annalibus Aragon. & Johannes Mariana, ubi eum Bernardum contra veterum monumentorum fidem nominat. Sed affinitas illorum nominum ſæpe in errorem induxit amanuenſes, & ipſos ſcriptores. Hoc anno quoque dedicavit eccleſiam S. Amantii Buxienſis [a] cum Petro epiſcopo Pictavienſi, &c. ex tab. ejuſdem loci. Ibidem legitur celebraſſe concilium Engoliſmæ, cum dom. Rotgerio S. Rom. eccleſiæ ſubdiacono & legato S. Sedis; cui adfuerunt Petrus Engoliſmenſis, Johannes Pictavienſis, & alii comprovinciales epiſcopi ; verum quo anno minime notatur. In necrologio hæc de ejus obitu ſcripta : *XV. cal. Januar. obiit Bertrandus archiepiſcopus atque legatus.*

In epiſcopis Lactorenſibus diximus Bertrandum cognominatum de Monte-alto in tabulis Madirani, ſediſſe tempore Geraldi de Bartha Auſcienſis arch. circa annum 1170. nec monuimus eum tranſlatum fuiſſe ad eccleſiam Burdigalenſem. Certe ſi ſedit anno aſſignato in cathedra Lactorenſi, non eſt is qui factus eſt Burdigalenſis archiepiſcopus 1162. vel 1163. Claudius Robertus, Oihenartus, & Sammarthani, in catalogis archiepiſcoporum Burdigalæ, docent Bertrandum ex ſede Lactoratenſi vocatum fuiſſe ad metropolim Burdigalenſem ; qui tamen in recenſione epiſcoporum Lactor. de epiſcopo Bertrando prorſus ſilent. His omnibus perpenſis conjicimus Bertrandum quidem cognominatum de Monte-alto a nobis collocatum inter præſules Lactorenſes, eundem eſſe qui poſtea rexit Burdigalenſem metropolim ; at brevi tempore vixiſſe in epiſcopatu Lactorenſi, nec attigiſſe an. 1170.

ANNI CHRISTI

a *Vide tom. x. concil. Lab. col. 1451. & epiſtolas Hildeberti Cenom. epiſcopi novæ editionis.*

[a] Attamen in charta dedicationis hujus eccleſiæ legitur *Bernardus* : at non mirum amanuenſes in ſcribendo nomine hoc hallucinatos eſſe.

XXXIII. GUILLELMUS I. LE TEMPLIER

Guillelmus cognomento Templarius, ex abbate Radinginſi in Anglia, eligitur Burdigalæ archiepiſcopus an. 1173. coram Henrico rege Angliæ & duce Aquitaniæ, ex chronico Gaufredi prioris Voſienſis. Anno ſequenti eccleſiam parochialem dedicavit, quam poſtea capitulo contulit. Eodem anno cum diu controverſia fuiſſet inter S. Andreæ canonicos, & S. Crucis abbatem Giraldum, ac monachos pro juribus & limitatione eccleſiæ S. Michaëlis ; tandem auditis ex utraque parte rationibus, Guillelmus archiepiſcopus confirmavit huic eccleſiæ capellaniam, baptiſma, & alia parochialia jura ; prætereaque terminos hujus parochiæ conſtituit. Hanc ſententiam Alexander papa III. ipſo archiepiſcopo petente, confirmavit, diplomate miſſo Giraldo abbati & capitulo S. Crucis dato Laterani VIII. cal. Junii.

1173. 1174. *Chartul. 34.*

Anno 1175. cum idem papa præfatis abbati & monachis poteſtatem dediſſet eligendi ſacerdotes in parochialibus eccleſiis, & electos epiſcopo loci repræſentandi, Guillelmus hoc ratum habuit. Eodem anno circiter litteras dedit de judicio lato inter Geraldum abbatem monachoſque S. Crucis, & Amalvinum de Blancafort, mandato accepto a ſummo pontifice. Auditis teſtibus ſententiam tulit adverſus præfatum militem, qui injuſte exigebat a monaſterio avenam & panem ad canes, gallinam ad accipitrem, &c. Has Guillelmi chartas edidimus inter inſtrumenta.

1175. *Chartul. fol. 37.* *Ex chartul. fol. 38.* C. XXIV. col. 284.

An. 1177. menſe Decembri apud Grandemmontem in ipſius manu juravit Audebertus comes Marchiæ, qui vendiderat *totam terram ſuam*, & quidquid hereditario jure ſibi contingebat, Henrico Anglorum regi, pro quindecim millibus librarum Andegavenſis monetæ, & pro 20. mulis, & pro 20. palefridis. Litteras venditionis exhibet Gallia Chriſtiana Sammarthanorum fratrum in hoc archiepiſcopo.

1177.

Anno 1179. concilio interfuit Lateranenſi. 1179.

Anno 1182. 7. cal. Julii ſolemni decreto conceſſit & confirmavit Theobaldo Cluniacenſi abbati, quidquid a ſuis prædeceſſoribus & ab epiſcopis provinciæ ſuæ, Aginnenſibus, Petragoricenſibus, Engoliſmenſibus, Santonenſibus & Pictavenſibus olim huic monaſterio datum fuerat. 1182.

Anno 1184. Raimundus Silvæ-majoris abbas in ejus præſentia querelam depoſuit contra W. de 1184.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

Curton, & Richardum de Rioncio milites, ſuper damnis quæ inferebant in terra de Corbelace, juſtitiam hujus loci vi rapientes. Archiepiſcopus vero in eos ſententiam excommunicationis vibravit. Integram chartam legere non pigebit inter noſtra inſtrum. Eodem circiter anno conſecravit Henricum de Soliaco Bituric. archiepiſcopum.

C. XXV. col. 284.

1186. Anno 1186. Richardus dux Aquitaniæ regis Angliæ filius, dedit, hoc eſt confirmavit eccleſiæ Burdigalenſi jura omnia ipſi olim ab Aquitaniæ ducibus conceſſa, teſtibus Stephano decano & aliis.

An. 1187. Guillelmus dedit R. abbati Faëziæ, eccleſiam ſancti Petri de Luciaco. Annus mortis Guillelmi nobis non eſt certus. Inſcribitur XVII. cal. Octobris, in necrologio Burdigal. eccleſiæ, cujus capitulo dedit quartam partem decimæ apud Barſac.

De Malmort

XXXIV. Helias I.

Heliæ natalium ſplendorem teſtatur cognomen quod eſt antiquæ nobiliſque familiæ de Malamorte in Lemovicibus; cujus ſtirpis fuit toparcha de Mala-morte, primus regis Francorum ſeneſcallus Lemovicenſis. Heliæ pontificatum inchoatum anno circiter 1182. docent Sammarthani fratres, quos ſequitur Lopeſius, ſed perperam, cum ex dictis anno 1187. adhuc præfuerit Guillelmus. Itaque Helias, ſi adſtiterit Henrico juniori regi deſignato, morienti apud Martellum, Turenæ vicecomitatus oppidum, an. 1183. quod aiunt Sammarthani Willelmum Neubrigenſem laudantes, nondum tunc erat archiepiſcopus, ſed ſolum cantor Lemovicenſis; nam hac potitus eſt dignitate ante ſuum pontificatum, ex patriarchio Bituricenſi, in Henrico de Soliaco archiep. Bituric.

1188. An. 1188. cum regularis obſervantiæ vigor intepuiſſet in eccleſia S. Severini, ab annis 40. Clementi III. papæ placuit illam a tali jugo eximere; cujus pontificis bullas ea de re exſecutioni mandavit Helias archiepiſcopus, etſi ſemper tenerentur ad vitam communem, quam per plures annos obſervarunt. Anno 1189. cum aliis præſulibus extulit religioſo cultu S. Stephani de Mureto Grandimontenſis abbatis reliquias, ex veteri hujus monaſterii inſtrumento. An. 1190. accuſatus fuit a capitulo, coram ſummo pontifice; nec abſolutionem obtinuit, niſi ſoluta multa pecunia; uti Richardus rex Angliæ exprobraſſe Octaviano cardinali Oſtienſi epiſcopo legitur apud Rogerium de Hoveden. pag. 668.

1192. Anno 1192. compoſuit quandam controverſiam inter abbatiam S. Crucis & filiam Stephani

1195. de Turre. An. 1195. cum inter ipſum & capitulum diſcordia exarſiſſet, arbitrio Bertrandi Aginnenſis epiſcopi ſe ſubjecerunt ipſe & Stephanus decanus capitulumque S. Andreæ, ut de mutuis querelis ſententiam proferret. Itaque judicante epiſcopo, Helias canonicos recepit ad oſculandam manum ſuam, conſenſitque ut ſtatus eccleſiæ idem eſſet ac tempore archiep. Bertrandi & Guillelmi. Inhibuit vero epiſcopus Aginnenſis ne archiepiſcopus aliquem canonicorum ſancti Andreæ abſque manifeſta rationabili cauſa, & ſine ordine judiciario, vel poſt legitimam appellationem, vel extra capitulum aut eccleſias eorum, interdicti vel excommunicationis ſententia præſumeret innodare: *Factum hoc an. ab Incarnat. Dom. M. C. XCV. in feſto B. Radegundis reginæ, præſentibus dominis O. abbate S. Johan. Angeliac.* &c. chartam refert Lopeſius, ex tabul. eccleſiæ Burdig. Eodem anno Helias fecit amicabilem concordiam inter Arnaldum de Vitrinis abb. S. Crucis ejuſque monachos, ac Aiquelmum Willelmi de Leſparra & Senebrunum fratrem ejus, &c. C. XXIX. col. 286.

An. 1196. ſuis conſiliis & monitis, monachos Silvæ-majoris ac milites Templi ad pacem revocavit, eorumque diſſidiis finem impoſuit; compoſitionis chartam ea de re factam edidimus. C. XXX. col. 287.

Anno 1199. Alienor Angliæ regina, ducifſa Normanniæ & Aquitaniæ, & comitiſſa Andegaviæ, Burdigalam venit, & die 4. Julii litteris datis apud Solacum confirmavit monaſterio S. Crucis omnia jura & privilegia.

Anno 1200. Helias die 23. Maii, benedixit 1200. conjugium Ludovici filii Philippi Auguſti cum Blanca nepti regis Angliæ, quod celebratum eſt in ditione ejuſdem Angliæ regis non longe ab Andeliaco, quia tunc Franciæ regnum ſubjacebat interdicto. Eodem an. Aimericus vicecomes Toarcenſis, hoc archiepiſcopo teſte, recognovit ſe eſſe hominem-ligium Johannis Angliæ regis; & an. 1201. facta eſt confoederatio inter Sancium Navarræ regem & Johannem Angliæ, ex collect. Rimerii tom. 1. pag. 117. & 128. An. 1202. 1202. profeſſus eſt capitulum jus habere decanum eligendi, inquiunt Sammarthani poſt Oihenartum in Notitia Vaſconiæ pag. 436. quod anno 1181. Lucius III. confirmavit, ut docet Lopeſius tertia parte hiſt. archiep. Burdigal. Fato functus eſt an. *Sammarth.* 1206. ut indicat chronicon S. Stephani Lemov. Ejus obitus inſcribitur necrolog. Burdeg. eccleſiæ ad XIV. cal. Aprilis.

Heliam pauperum ſtudioſum fuiſſe his litteris ex Silvæ-majoris tabulario erutis probatur: *Helias Dei gratia archiepiſcopus Burdigal. dilectis*, &c. *per ſignificationem præſentium ad notitiam veſtram duximus tranſmittendum, quod Petrus Iterii Buca de bove*, Bouche de bœuf, *miles de Caleſio Santonenſis diœceſis, in auxilium eleemoſynæ generalis, quam annuatim Burdigalæ, juvante Domino ſtatuimus faciendam, decimas S. Mariæ de Caleſio Santonenſis diœceſis, & S. Petri de Belunda Petragoricenſis diœceſis nobis donavit.* In monaſterio Silvæ-majoris tumulatus, ibidem habet anniverſarium.

XXXV. Guillelmus II.

Guillelmus, quem Sammarthani cognominant de Gebennis, vetus autem codex tabularii Burdigalenſis appellat Guillelmum Amanevi (Amanevus quoque dicebatur) anno 1207. auſpicatus 1207. eſt pontificatum, ut communis docet ſententia; quo anno dedit capitulo eccleſiam S. Eulaliæ de Embares. Anno 1208. apud Silvam-majorem confirmavit donum Guillelmi Arnaudi militis, de dominio quod habebat in decima de Solinac. Eodem anno ſedavit controverſiam inter Amalvinum abbatem, & Bernardum Deſcozam militem, ſuper hereditate Raimundi Bernardi de Lazaus, & Petri de Ceſſac

ANNI CHRISTI

& Petri de Ceſſac militum, eamque dictus Deſcozam ceſſit, præſentibus Helia Vigerii Cave Burdegalenſi judice a partibus electo, quam ceſſionem idem Deſcozam firmavit apud Burdegalam.

In ejuſdem archiepiſcopi præſentia conſtitutus Sancius Adil miles, pro ſalute animæ ſuæ & parentum ſuorum, qui apud Silvam ſepulti ſunt, contulit quartam partem molendini de Lazaus. Hoc donum confirmavit & ſigillo ſuo munivit
1210. Guillelmus an. 1209. Anno 1210. compoſuit inter capitulum & præpoſitum dynaſtiæ de Legia, *Leige*. His temporibus Bituricenſis archiepiſcopus & primas cœpit conqueri quod archiepiſcopus Burdegalenſis obſequium ſibi jure primatus debitum præſtare denegaret; qua de re Philippus rex, dictus Auguſtus, ad Innocentium papam III. ſcripſit menſe Maio anni 1211. *Cum Burdegalenſis epiſcopus prædeceſſorum non ſequens veſtigia, ſe adeo obedientem & devotum eccleſiæ Bituricenſi exhibere non velit, ſicut iidem prædeceſſores ſui feciſſe noſcuntur; paternitatem veſtram cum quanta poſſumus devotione rogamus, quatenus jus Bituricenſis eccleſiæ, intuitu Dei, & precum noſtrarum obtentu conſervare velitis*, &c. Innocentius papa cauſæ Bituricenſis primatis favere viſus eſt; & cum Guillelmus archiepiſcopus, ac Pictavienſis præſul obſtitiſſent archiepiſcopo Bituricenſi, juriſdictionem exercere intra fines provinciæ Burdigalenſis cupienti, utrumque ſummus pontifex citavit ad concilium Lateranenſe IV. anno 1215. celebratum.

An. 1212. profectus eſt in Hiſpaniam ad ſuppetias ferendas Alfonſo regi cognomento *Parvi*, adverſus Saracenos, cum multis viris bello præſtantibus. At cum ipſis inſciis & inconſultis, Rex pacem feciſſet, noſtri Galli, archiepiſcopuſque ipſe cum epiſcopo Nannetenſi, in patriam reverſi ſunt, uti narrat Albericus in chronico. Idem legitur de reditu Guillelmi archiepiſcopi, aliorumque Francorum, in epiſtola ipſius Alphonſi regis ad Innocentium papam, quæ eſt libri XV. epiſtolarum Innocentii papæ 182. *al.* 179. Hic eſt Alfonſus XI. Caſtellæ rex qui inſignem victoriam reportavit de Saracenis, quorum centum octoginta quinque millia equitum, peditum innumera pene multitudo vel capta, vel cæſa [a].

[a] *Tabular. Carcaſſ.*

1217. Guillelmus an. 1217. teſtis fuit tranſactionis inter Arnaldum epiſcopum Aginnenſem & Simonem Montis-fortis dominum ducem Narbonenſem & comitem Toloſanum ſuper juſtitia, fiſco & moneta civitatis Aginnenſis, 14. calend. Maii, præſentibus archiepiſcopo Auxitano & multis aliis præſulibus. Erat apud Acconem anno 1221. menſe Octobri, ex litteris Hugonis comitis Ruthenenſis, de villa Caneto data domui hoſpitalis Jeroſol.

1222. An. 1222. cum graves lites inter capitula S. Andreæ ac S. Severini, eorumque decanos poſt multas impenſas non potuiſſent ſopiri, electi ſunt a partibus epiſcopi Bigorritanus & Convenenſis, quorum judicio ſtare promiſerunt ſub jurejurando & pœna quingentarum marcarum argenti. Quid definitum fuerit legitur in veteri inſtrumento quod edidit Lopeſius lib. I. c. XI. pag. 119.

[a] In loco dicto vulgari lingua: Las Navas de Toloſa.

Anno 1225. fecit quandam permutationem cum abbate & monachis S. Crucis, in feſto ſancti Dionyſii martyris. Eodem anno litem compoſuit inter Willelmum Gumbaudi abbatem S. Crucis, & Geraldum nepotem ſuum ſancti Michaëlis capellanum.

Anno 1226. Romæ degebat, ex Matthæo Paris ad hunc an. ubi lego: *Hoc eodem tempore venit magiſter Romanus ad partes Gallicanas a dom. papa miſſus, ut ibi legationis officio fungeretur. Quo cum perveniſſet, fecit convocare regem Francorum cum archiepiſcopis, epiſcopis & clero Gallicano ad concilium ..... Burdegalenſis vero Romæ fuit.* 1226.

Anno 1227. Engoliſmæ erat ſexta feria poſt *octabas ſanctorum apoſtolorum Petri & Pauli*; quo die, publico documento agnovit ſibi redditos quingentos ſolidos, quos priori de Villanulfo monacho S. Amantii Engoliſmenſis, abbate ad reddendam hanc pecuniam ſeſe obligante, mutuo dederat, ex tabulario S. Amantii. 1227.

Eodem anno Guillelmus archiepiſcopus e vita migravit idibus Sept. ſecundum necrologium Silvæ-majoris. Exſtat in hoc monaſterio ejus effigies lapidea, ubi pro eo annuæ preces fiunt. Ejus ævo fratres Minores primi mendicantum [b] acceſſiti & recepti ſunt Burdigalæ, in parochia S. Michaëlis, opera & beneficio optimi *burgenſis*, & nobilis viri Petri de Burdigala vulgo *Bordeu*, domini de Inſula S. Georgii. Matthæus Paris monachus S. Albani in hiſtoria auctor eſt Henrici regis fratrem Ricardum Pictavenſem comitem, velis proſperis ex Anglia Burdigalam appuliſſe, cum trecentis navibus armatorum; & a Guillelmo noſtro honorifice exceptum fuiſſe, datis prius litteris in quibus Rex humiliter poſtulabat, ut eum amice excipiens auxilium præſtaret; cui poſtea Principi fidam operam navavit, inquiunt Sammarthani fratres. Idem ſignificatur in libro de Geſtis Ludovici VIII. Francorum regis, tom V. collectionis Quercetani pag. 287. *Rex collecto exercitu armatorum navigium parat, & fratrem ſuum Richardum cum trecentis navibus armatorum, apud urbem Burdigalam delegavit. Qui mari tranquillo protinus illuc applicatus, caſtrum quod S. Macharium dicunt obſidet.* In collectione Rimerii tom. I. pag. 216. legitur charta Henrici Angliæ regis *de cuſtodia Waſconiæ & Pictaviæ W.* (id eſt Willelmo) *Burdigalenſi archiepiſcopo commiſſa die 28. Martii, regni noſtri anno I. Chriſti 1227.* [b]

XXXVI. GERALDUS.

DE MALEMORT.

Geraldus de Mala-morte Heliæ archiepiſcopi conſanguineus, ex decano Burdegalenſi electus eſt archiepiſcopus an. 1227. paulo ante diem natalem Domini, uti liquet ex charta eccleſiæ Burdigalenſis ubi legitur in fine: *Actum eſt hoc anno Domini M. CC. XXVII. paulo ante nativitatem Dom. quando dominus decanus electus eſt in archiepiſcopum.*

An. 1228. ad petitionem fratrum Minorum cœmeterium conſecravit apud Malum-calculum. 1228.

[b] Forte excipi debent fratres Prædicatores, ex infra dicendis.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

Maucaillon, intra terminos parochiæ S. Michaëlis, A v. calend. Junii, ut nos docent hujus archipræſulis litteræ ex chartulario S. Crucis deſcriptæ. Tunc temporis vix quinque hebdomadæ anni 1228. effluxerant. Unde elicitur ab an. 1227. ſaltem inchoatum fuiſſe Franciſcanorum conventum; idem pene demonſtrat alia charta S. Crucis, ejuſdem anni & menſis Octobris; utrumque vero damus inter inſtrumenta.

C. XXXII. & XXXIII. col. 288.

1228. Anno 1228 Geraldum fuiſſe miſſum in Angliam a S. Ludovico, ut ipſius oratorem dicunt Sammarthani, quos Lopeſius ſequitur; eodem tamen anno die Martis ante feſtum S. Johannis B. ſedavit controverſiam inter capitulum & Olivarium de Bençac, apud Burdegalam.

1229. Anno 1229. celebratum eſt concilium apud Toloſam menſe Septembri, cui adfuit Geraldus.

1231. An. 1231. conſecravit eccleſiam Silvæ-majoris menſe Auguſto; cujus occaſione rex Angliæ per ſium ſeneſcallum Waſconiæ, Raimundus comes Toloſæ, Hugo de Lezia marchio & Engoliſmenſis comes, A. comes Petragoricenſis, Amanevus de Lebreto, & alii milites nobiliores dederunt *ſalvum-conductum* volentibus ad hanc ſolemnitatem

C. XXXIV. col. 288. accedere; archiepiſcopus vero cum ſuæ provinciæ præſulibus conceſſit de injunctis pœnitentiis indulgentiam 40. dierum. Anno 1232. ſummus C pontifex quoddam judicium protulit pro tuendo

1238. Bituricenſis archipræſulis primatu. Anno 1238. Geraldus concilium celebravit apud Campiniacum, *Cognac*, ibique poſtea conſtitutiones quaſ-

pag. 746. dam edidit quæ tom. XI. conciliorum referuntur.

1242. Anno 1242. rex Angliæ fugiens exercitum regis Francorum, caſtrum Blaviam, deinde Burdigalam ſe recepit; ac poſtea inducias a rege Franciæ obtinuit.

1245. Anno 1245. concilio generali apud Lugdu-

1252. num ſub Innocentio IV. adfuit. Anno 1252. legatus fuit cum aliquot Waſconiæ magnatibus ad Henricum III. Angliæ regem ut omnis provinciæ D querelas adverſus Simonem de Monte-forti comitem Leiceſtriæ deferrent; quas fuſius exponit Matthæus Paris in ſua hiſtoria. Longe antea ipſe cum omni clero diœceſis Burdigalenſis, ſcripſerat ad eundem regem, ut ei notas faceret injuſtitias, contumelias, injurias, preſſuras, afflictiones & anguſtias, quas regii ballivi aut faciebant, aut fieri permittebant. Rex miſit Johannem abbatem quondam de Gratia-Dei, & Hubertum Hoſe militem ut de iis querelis inquirerent. Omnia acta quæ ad hoc negotium pertinent, ex chartario Silvæ-

C. XXXV. col. 289. majoris deſcripta edi curavimus inter inſtrumenta.

1255. Anno 1255. Geraldus concilium celebravit E Burdigalæ idibus Aprilis, ad reſarciendam eccleſiaſticam diſciplinam. In concilio quoque Roffiacenſi, *Ruffec*, multas edidit conſtitutiones XII.

1258. cal. Septembris an. 1258. ex qua nota chronica eruitur hunc archiepiſcopum minime mortuum anno 1256. aut paulo poſt, quod noſtri Sammarthani & Lopeſius videntur intellexiſſe ex his Matthæi Pariſii verbis:

*Anno M. CC. LVI. cœpit ægrotare lethaliter archiepiſcopus Burdegalenſis jam ſenex & decrepitus, & cum penitus crederetur qui ſemivivus exſtitit, mortuus, epiſcopus Hereforden*ſis* [a] (qui ſummo deſiderio ad illum archiepiſcopatum ambiens anhelabat) impetratis litteris domini Regis, quem habuit favorabilem, utpote teloneartius ejus, cum veritas pateret quod viveret, iter, laborem, operam perdidit & expenſas, multis ſannis appetitus, ſicut de quodam magiſtro Lambino dicitur contigiſſe, de quo duo verſiculi componebantur:*

Ære dato multo, nondum paſtore ſepulto
Lambit ad optatum Lambinus pontificatum.

ANNI CHRISTI

Ex iis verbis, *cœpit ægrotare lethaliter*, quidam voluerunt Geraldum tunc mortuum eſſe. At contrarium probant quæ ſequuntur, ſcilicet, *cum veritas pateret quod viveret*, B hoc eſt convaluiſſet. Conſtat autem eum vixiſſe uſque ad an. 1259. ex iis notis temporum quas leges in inſtrumentis deſcriptas col. 290. ex actis pro inquiſitione facienda contra regis Angliæ ballivos. Adhuc præerat die VIII. exitus Novembris, & die III. introitus Januarii hujus anni. At I. die introitus Martii ſedes vacabat, & die XIV. exitus ejuſdem menſis, & anni. Obiit ergo Geraldus vel menſe Januario, vel Februario an. 1259. De ejus captivitate ac morte legendum eſt epitaphium Amanevi Auſcienſis archiepiſcopi. De noſtro Geraldo ſæpius meminerunt tabulæ Silvæ-majoris, uſque ad annum C M. CC. LIX. die X. Maii, quo Gerauda mutuo accipiens a Guillelmo d'Anglade præfati monaſterii monacho refecturario ſexaginta ſolidos, octo ſolidorum cenſum ei impignorat, Geraldo archiepiſcopo Burdegalenſi.

XXXVII. PETRUS I.

In libro recognitionum S. Crucis legitur ſedem archiep. vacaſſe annis 1260. 62. & 63. Ad eligendum tamen ſucceſſorem Geraldi canonici convenerant, ſed in electione ſciſſum eſt capitulum nonnullis Fortonem Santon. eccleſiæ archidiaconum & papæ capellanum petentibus, aliis pro Hugone D Dominicanorum Burdigalenſium priore ſuffragia ferentibus. Quod ut audivit Urbanus papa IV. accepta occaſione archiepiſcopatum vacantem dedit Petro camerario & capellano ſuo, viro ad tantam dignitatem capeſſendam plane idoneo. Bulla qua inſtituitur data eſt Viterbii die 23. Martii, anno I. pontificatus Urbani, Chriſti vero anno 1261. *Archiv. eccl. Burdigal.* At ſorte non ſtatim tranquillam & pacificam poſ- 1261. ſeſſionem obtinuit, ſed poſt aliquot ſolum annos, quibus videlicet adhuc ſedem vacuam fuiſſe legimus. Sane in regiſtris notariorum Burdigalenſium illorum temporum legitur: *Actum fuit VII. die introitus Februarii M. CC. LXIII. regnante Eduardo rege Angliæ, Burdigalenſi ſede vacante, P. Gondaumer majore. Teſtes ſunt*, &c. Et: *Actum fuit III. exitus Decembris M. CC. LXIV. Henrico rege* 1264. *Angliæ, Petro archiepiſcopo Burdigalenſi.* Attamen anno 1262. die feſto S. Georgii ſcripſit ad Urbanum IV. cum Johanne Bituricenſi archiepiſcopo, ut explicare dignaretur nonnullas conditiones ſententiæ a Gregorio IX. latæ de controverſia inter eos mota pro primatu; uti legimus in tabulis

[a] Petrus de Egenblanke, cujus memoria ſulphureum fœtorem exhalat ac deterrimum, inquit idem Matth. Paris ad an. 1255. ubi eum ait fuiſſe rapaciſſimum, & prædæ avidum.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

ſedis epiſcopalis Albienſis. Eodem anno apud Co-priniacum, *Cognac*, ſynodum habuit; & tom. XI. concil. col. 820. legitur: *Conſtitutiones provinciales factæ in ſynodo apud Cognac, præſidente D. Petro Burdig. archiep. anno Domini M. CC. LXII. in primo anno promotionis ſuæ.* Alias ejuſdem conſtitutiones ſynodales habebat penes ſe Baluzius.

1263. Anno 1263. invitatus ad concilium a Johanne Bituricenſi, reſpondit ſe minime poſſe adeſſe, quod teneretur Pariſios ſe conferre in octavis S. Martini hyemalis, ubi Ægidius Tyrenſis epiſcopus apoſtolicæ ſedis legatus concilium celebraturus erat, cui intereſſe juſſus fuerat. Ex iis acta notariorum Burdigal. ſuperius laudata dubiæ mihi videntur fidei.

Hunc Petrum noſtri Sammarthani cognominant *de Roſcida valle*, quod unde habuerint penitus nos fugit. Eum fuiſſe regis Navarræ vicecancellarium & eleemoſynarium aſſerunt, necnon Campaniæ majorem ſcribam & commentarienſem, poſt obitum Johannis Garſiæ Trecenſis eccleſiæ archidiaconum.

1264. An. 1264. die 26. Junii facta eſt compoſitio inter capitulum & fratres de Monte-Carmelo, qui invito archiepiſcopo Burdigalæ capellam, domos, officinaſque neceſſarias ſibi conſtruxerant; qua de re archiepiſcopus conqueſtus eſt apud Urbanum papam IV. qui mandatum dedit Auſcienſi archiepiſcopo, & dilectis filiis ** de Pardalhano, & ** de Caſa archidiaconis in eccleſia Auxitana, ut ſententiam excommunicationis ab archiepiſcopo Burdigalenſi latam in fratres B. Mariæ de Monte-Carmelo confirmarent, niſi probarent ſeſe jus habuiſſe præmiſſa faciendi. *Datum apud Urbem-veterem VI. idus Sept. pontificatus noſtri anno tertio.*

In bulla non legitur quotus ſit Urbanus papa qui eam dedit, ſed ab annis quibus ſederunt Urbanus III. & Urbanus IV. (de duobus enim illis tantum ambigitur) facile deprehendimus quotus ſit. Certe Urbanus III. qui electus eſt die 25. Novembris non potuit die VI. idus Septembris tertium ſui pontificatus annum numerare, cum nondum tunc ſecundum expleſſet. Itaque bulla hæc debetur Urbano IV. cujus annus tertius reſpondet an. 1263. Anno ſequenti compoſuerunt capitulum & Carmelitæ, quos ante hoc tempus Burdigalæ receptos fuiſſe, & alio in loco conſediſſe docet Lopeſius; negant alii. Sane in epiſtola Giraldi archiepiſcopi & totius cleri Burdegalenſis ad regem Angliæ de exceſſibus ejus ballivorum, recenſentur prior FF. Prædicatorum, & miniſter fratrum Minorum, non vero prior fratrum B. M. de Monte-Carmelo, qui prætermitti non debuerant, ſi jam conventum Burdigalæ habuiſſent. In tabulis de Lebreto, *Albret*, legitur quemdam abbatem de Bartholio contendiſſe cum Guitardo du Bourg milite, domino caſtri de Bartholio; & anno 1264. tertio calend. Septembris compoſitam fuiſſe litem a P. de Burdi & tribus aliis; quorum ſententiam confirmavit Petrus Burdig. archiepiſcopus.

Petrum tertio idus Januarii an. Dom. 1269. mortuum, ſepultumque fuiſſe in ſacello B. M. ſive ante ipſum, refert necrologium antiquum eccl. Burdigalenſis, in archivis capituli aſſervatum. Attamen in chartulario ſecundo S. Crucis pag. 54. aiunt legi X. cal. Julii an. 1268. quemdam Petrum Columbi fuiſſe abſolutum ab excommunicatione per officialem capituli, ſede vacante.

ANNI CHRISTI DE ROCHECHOUART

XXXVIII. Simon.

Simon de Rupe-cavardi, Aimerici vicecomitis Rupis-cavardi filius ex Adelaïde domina d'Availles Limouſine, frater alterius Aimerici, a quo propagati ſunt vicecomites de Rochechoüart, & domini de Mortemar; electus eſt archiepiſcopus poſt longum interpontificium, quod ex libris cenſuum & hominiorum deprehenditur, an. 1275. De hac electione ita loquitur manu exaratum chronicon S. Stephani ad annum Chriſti M.CC.LXXII. 1272. menſe Septembri: *Duo fuerunt electi ad epiſcopatum Lemovicenſem, Simon de Rupe-cavardi decanus Bituricenſis ex una parte, & Clemens de ſancto Hilario canonicus ex alia. Iſte obiit M. CC. LXXIV. dum cauſam perſequebatur. 1275. menſe Sept. fuit proviſum de Simone Burdigalæ, pendente adhuc cauſa Lemovicenſi.* 1275.

Id porro factum legimus a Gregorio papa X. electione ad apoſtolicam ſedem devoluta poſt tam diuturnam vacantiam, ut ipſe ſummus pontifex ait in ſuis litteris datis Belliquadri II. nonas Sept. pontificatus an. IV. quarum hæc ſumma ex regiſtro Vaticani 46. *Gregorius epiſcopus*, &c. *Simoni de Rupe-cavardi electo Burdigalenſi*, &c. Poſtea narrat electionem factam fuiſſe *in duabus perſonis*; ſubjungitque quod devoluto negotio ad apoſtolicam ſedem, alter ex electis apud eandem ſedem obiit, & alter juri ſuæ electionis ſponte ceſſit; additque: *Nos igitur te tunc decanum Bituricenſis eccleſiæ ipſi Burdigalenſi eccleſiæ præfecimus in archiepiſcopum*, &c. His autem in litteris nulla fit mentio electionis ad ſedem Lemovicenſem. Igitur confirmatus in archiepiſcopum conſecratur menſe Septembri 1275. ſolemnique pompa Burdegalam cum amplo comitatu baronum & militum ingreditur, ut legitur in veteri chronico beati Martialis.

Anno 1277. ad regem Philippum Audacem cognominatum appellavit cum S. Severini capitulo, adverſus regis Angliæ ſeneſcallum in Vaſconia, & majorem Burdigalenſem, juratoſque in ſalvitate burgi ſancti Severini. Ad faciendum ſatis pro damnis illatis, reis indicta eſt mulcta 200. librarum Turonenſium pro S. Severino, & 9000. librarum Burdigalenſium ſolvendarum archiepiſcopo, ob fructus ſedis archiepiſcop. a Rege vel ejus miniſtris uſurpatos tempore quo ſedes vacabat: qui nimirum futuro archiepiſcopo erant reſervandi, quia hæc eccleſia eſt immunis a regaliæ jure. Tranſactioni hac de re factæ interfuit Boſo de Boynac decanus. 1277.

Eleonoram Angliæ reginam uxorem Eduardi I. Simon in urbem excepit die 5. Oct. anno 1279. quo mortuus eſt IV. calend. Novemb.[a] Corpus 1279.

[a] Hic dies & annus mortis Simonis annotantur in veteri necrologio ubi legitur: *Simon de Rupecavardi archiepiſcopus Burd. obiit an. M. CC. LXXX. & IV. cal. Novembris, & eſt ſepultus in medio capellæ B. Mariæ, ubi eſt imago ſua operata.* Eodem anno die quarto introitus Decembris vacabat ſedes ex 2. chart. S. Crucis. Contra notas illas chronologicas pugnat charta quædam eccleſiæ Cadurcenſis, ubi occurrit: *Guido archiepiſcopus Burdegal. primas Aquitaniæ, qui querelam inter Capitulum & conſules Cadurc. ſuper reparatione turris pontium unius, arbitrali judicio dirimit feria 4. ante feſtum S. Michaëlis 1279.* ex tabul. baſilicæ Cadurc. Inter illas anguſtias hæreo dubius utrum Guidonem hunc Burdigalenſibus annumerem archiepiſcopis.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

conditum eſt tumulo elato, in eccleſiæ metropolitanæ magna capella beatæ Mariæ, collatis capitulo ad celebrationem anniverſarii ducentis libris Burdegalenſibus, quemadmodum fidem faciunt tabulæ antiquæ domus Rupis-cavardi, quæ docent eum ex matris legato fuiſſe dominum terræ d'Availles in tractu Lemovicenſi. Poſt Simonis mortem diu vacavit ſedes. Porro Burdegalam
1283. inviſit anno 1283. Philippus III. rex Franciæ; ac vacante ſede, eam in urbem undique convenere populi calendis Julii, quæ erant indictæ ad ſpectaculum certaminis & duelli, inter duos clariſſimos reges Carolum Andegavenſem S. Ludovici fratrem, & Petrum Arragonium, pro poſſeſſione regni Siciliæ: certum eſt enim Carolum cum ſuis centum ſelectiſſimis equitibus, die & loco conſtitutis, ab ortu ſolis uſque ad occaſum adverſarium ſuum, qui nuſquam comparuit, exſpectaſſe, quod ignaviæ plurimi tribuunt, nonnulli excuſare tentant, ut ſcriptores Hiſpani, quaſi admonitus fuiſſet ut inſidias caveret regis Francorum; rem geſtam fuſius deſcriptam legeſis apud Spondanum tomo primo Annal.

Eodem anno 1283. menſe Julio Philippus rex III. dictus Audax, confirmavit apud Moiſſiacum privilegium Ludovici junioris anni 1137. pro immunitate a regaliæ jure, & libertate electionum, in provincia Burdigalenſi, relatum a Lopeſio pag. 145.

XXXIX. Guillelmus III.

Etſi fortaſſe Guillelmus electus eſſet archiepi-
1285. ſcopus nona die introitus Decembris anni 1285. nondum tamen poſſeſſionem inierat, cum legamus in cautione pro 30. libris data cantori ſanctæ Crucis Burdigalenſis, tunc ſedem vacaſſe. Quin etiam legitur in charta Bellæ-perticæ, nono die exitus Februarii anni 1286. ſedem adhuc fuiſſe vacuam. Itaque pactum quod Sammarthani, & poſt ipſos Lopeſius, dicunt ab eo factum cum capitulo pro juriſdictione tam in urbe quam in ſuburbiis anno 1285. probat tantum ipſum tunc fuiſſe electum. Ut vero mentem meam de hoc Guillelmo aperiam, anceps valde ſum utrum fuerit archiepiſcopus: ſane nullus de eo locutus videtur ante Sammarthanos, niſi fortaſſe Oihenartus, deſignans eum per G.

1287. Anno 1287. vacabat cathedra, uti probant litteræ Henrici de Lobanheyo prioris fratrum Eremitarum S. Auguſtini Burdigalæ, quibus confitetur ſe ſuoſque fratres teneri ad 30. libras annuæ penſionis perſolvendas capitulo Burdigal. ob licentiam ab illo ſibi datam, ſede vacante, conſtruendi eccleſiam ſeu oratorium, & cimeterium in parochiis eccleſiarum ſuarum S. Eulaliæ & S. Eligii Burdig. apud Mirallum; ad calcem legitur: *Datum XII. cal. Jan. an. Dom. M. CC. LXXXVII.*

His litteris ſuum ſigillum apponere rogatus eſt Robertus Bathonenſis & Vellenſis epiſcopus, Anglorum regis cancellarius, ad cujus preces capitulum licentiam iis dederat Eremitis ædificandi ſibi eccleſiam, &c. Ex hoc autem Roberto Johannes Chenu & Claud. Robertus incaute fecerunt incognitum prorſus antiquis archiepiſcopum. Et ſane in præfatis litteris, quas integras exhibuit Lopeſius, nihil legitur quod huic opinioni occaſionem dare potuerit.

ANNI CHRISTI

XL. Henricus I.

De Geneve.

Henricus cui cognomen de Gebennis inditum apud Sammarthanos, archiepiſcopus erat anno 1289. 7. cal. Februarii, quo Margarita de Tu-
1289. rena, Brageraci & Genciaci domina, condens teſtamentum, ipſius protectores inſtituit excellentiſſimum dominum Franciæ regem, ſeneſcallum Vaſconiæ pro rege Angliæ duce Aquitaniæ, & reverendos patres in Chriſto dominos Henricum archiepiſcopum Burdegal. & Raimundum epiſcopum Petragoricenſem. Hoc inſtrumentum edidit C. XXXVII. col. 293. Juſtellus in genealogica hiſtoria domus Turenæ, ex qua illud excerpſimus. Anno 1293. die feſto S. Martini hyemalis, in chorum abbatiæ Fontebraldenſis receptus eſt in fratrem & amicum ſine cruce quæ archiepiſcopis præferri ſolet. Legitur habuiſſe graviſſimas controverſias cum Gualtero Pictavienſi epiſcopo. An. 1294. mota eſt quæſtio
1294. inter Henricum archiep. & abbatem S. Crucis, qui ei denegabat procurationem; jureque denegatam fuiſſe tandem confeſſus eſt archiepiſcopus ſuis litteris, quas ex autographo in archivo S. Crucis aſſervato accepimus. C. XXXVIII col. 294. Memoratur in charta Faëſiæ anno 1295. Denique Henrici mentio habetur in tabulario Silvæ-majoris, ubi Petrus de Cabanaco domicellus parochiæ de Nauïau Baſatenſis diœceſis filius Raimundi de Cabanaco militis, ejuſque filii, clientelarem Raimundo de la Cave Silvæ-majoris aſcetæ refecturario, fidem pro omnibus, quæ in parochia de Poſteaco habet, profitetur, ultimo Martii die, an. M. CC. XCVII. Henrico Burdegalenſi archiepiſcopo.

XLI. Boso.

De Salignac

Boſo ex vetuſta & nobili gente baronum de Sa-
1296. lignaco in Petrocoriis oriundus, an. 1296. electus eſt in archiepiſcopum ex Lopeſio, qui dicit a ſe viſam in archivis Burdigalenſibus electionis ejus chartam. At poſſeſſionem hoc anno minime eſt adeptus; nam in charta S. Crucis qua abbas dedit quædam in emphytheoſim apud Linhanum anno 1297. die 6. introitus Decembris legitur ſedem tum vacaſſe; & anno ſequenti die 6. Julii Reginaldus archidiaconus Blavienſis vicarius generalis dom. Boſonis electi archiepiſcopi, contulit vicariam perpetuam de Solaco, magiſtro Arnaldo de Boſco. Eodem anno Arragonius de Preniano dimiſit quartam partem decimæ de Baſſens, in manu domini Raynaudi de Salagnaco archidiaconi Blavienſis & vicarii generalis domini Boſonis electi archiepiſcopi, de conſenſu Guillelmi Columbi, qui de ea inveſtivit Arnaudum de Cron ſub cenſu 3. ſolidorum domino archiepiſcopo, ſede vacante, præſentibus fr. Bernardo de Salagnac monacho Silvæ-majoris, & priore ſancti Silveſtri de Pena Aginnenſis. At erat, & appellatur archiepiſcopus an. 1299. in diplomate Philippi C. XXXIX. col. 295. Francorum regis quod damus inter inſtrumenta.

In epiſcopis Convenenſibus recenſuimus Boſo-
1299. nem de Salignac qui prius fuerat Medullenſis * * de Medoc

ANNI CHRISTI

archidiaconus. At non eſt idem cum noſtro Boſone, niſi dicamus illum ab archiepiſcopatu Burdigalenſi tranſiiſſe ad ſedem Convenenſem : nam Boſo de Salignac non acceſſit ad eccleſiam Convenenſem gubernandam, niſi an. 1300. Utrum vero ex archiepiſcopo Burdigalenſi factus ſit Convenenſis præſul, videamus. Non ſolent epiſcopi a majori cathedra deſcendere ad minorem & inferiorem. Id tamen aliquando factum ſcimus & vidimus noſtro ævo. Tempore Boſonis miſerabilis erat Burdigalenſis eccleſiæ ſtatus ; ejuſque *redditus quaſi ad nihilum erant redacti*, uti legitur in charta abbatis & conventus S. Crucis, mox laudanda. Quid mirum ergo ſi Boſo eam deſeruerit eccleſiam ut ad Convenenſem migraret ? Id vero factum fuiſſe probat quod Boſo in ſede Convenenſi ſit ſucceſſor Bertrandi de Gout ; hic vero in ſede Burdigalenſi Boſonem fuerit ſecutus ; idque clare demonſtrat permutationem inter ipſos eſſe factam.

De Gout.

XLII. Bertrandus II.

Quæ ſpectant ad genus Bertrandi jam attigimus in epiſcopis Convenenſibus. Patrem habuit Beraldum, *al.* Bertrandum de Gutto militem dominum de Villandrado in diœceſi Burdigalenſi, ubi natus eſt, fratrem vero Arnaldum Garſiam de Gutto Leomaniæ * comitem, ex Bernardo Guidonis in chronico. Cum erga Philippum regem cognomento Pulcrum noſter Bertrandus infenſo eſſet animo, quia in bello adverſus Anglos, gentiles ejus Carolus Valeſius Regis frater moleſtius tractarat, quod Anglis faverint, Bonifacius VIII. Regis hoſtis, eum ad eccleſiaſticas dignitates promovere ſtuduit, & ex epiſcopo Convenenſi archiepiſcopum creavit Burdegalenſem an. 1300. vel etiam 1299. ut habet Bernardus Guidonis epiſcopus Lodovenſis, in ipſius vita ſecunda, *al.* quarta. Et quidem ex tabulis Silvæ-majoris Helias Gombaldus declarat ſe a Bertrando de Junqueriis Silvæ-majoris eleemoſynario medietatem cujuſdam Silvæ .... *ad præſtariam* tenere, datis codicillis anno Domini M. CC. XCIX. Bertrando Burdigalenſi archiepiſc. Anno 1300. die Mercurii poſt feſtum S. Michaëlis, hominium excepit ab Hugone de Baynac priore S. Cypriani, diœceſis nunc Sarlatenſis. An. 1301. die prima Auguſti Philippus rex Pariſiis ſcribens mandat ſeneſcallo Vaſconiæ *ut faciat ſolvere archiepiſcopo Burdegalenſi per conſtabularium centum libras, per præpoſitum de Inter-duo-maria quadraginta, & per theſaurarium Xantonenſem alias quadraginta ei aſſignatas per compoſitionem anni 1277. pro eleemoſynis ſub Simone archiep. non ſolutas tempore belli.* Eodem anno die Veneris poſt feſtum Pentecoſtes abbas & conventus S. Crucis conceſſerunt archiepiſcopo Burdegalenſi per quinquennium primum annum redditus cujuſlibet prioratus, officii clauſtralis, &c. ad ſubveniendum ſummæ inopiæ hujus eccleſiæ. Quod paulo poſt die Lunæ poſt feſtum S. Barnabæ ratum habuerunt, & ad omnes adminiſtrationes, & obedientias infra ſepta monaſterii extenderetur, conſtituerunt. Anno 1302. accerſitus Pariſios a Rege, coram duce Burgundiæ, comitibus Atrebatenſi, Drocenſi, & Bononienſi, & Dom. Petro Floto domini regis milite & vicecancellario, proteſtatus eſt pro ſe & eccleſia, quod cum non teneretur ad homagium vel ſacramentum fidei domino regi Franciæ, nec illud prædeceſſores ſui feciſſent, minime veniſſet ad hujuſmodi homagium vel ſacramentum præſtandum, quando vocatus a Rege Pariſios ſeſe contulerat. Ad hæc reſpondit Petrus Flotte vicecancellarius pro domino rege : *Quod intentio non eſt, nec fuit domini regis propter prædicta .... eidem domino archiepiſcopo, eccleſiæ vel ſucceſſoribus ſuis imponere vel imponi jubere aliquam ſervitutem. Unde cum præfatus D. archiepiſc. de Burdegala litteras noſtras ſibi diceret ſuper iis opus eſſe, nos pro illius & eccleſiæ ſuæ cautelis, in præmiſſorum teſtimonium ſigilla noſtra præſentibus litteris duximus apponenda. Actum & datum Pariſiis die Mercurii ante feſtum Paſchæ an. Dom. M. CCC. II.* C. XLII. col. 300.

1302. Anno 1303. D. Petrus Arnaldi Valetus dominus de Zanzalhaco, fecit homagium-ligium D. Bertrando de Gots archiepiſcopo Burdigal. pro caſtro de Gayhons ; & anno ſequenti die Veneris poſt Aſcenſionem Raimundus de Bordal pro decima in parochia de Superchal.

1304. Anno M. CCC. IV. indict. II. die S. Pentecoſtes 16. cal. Junii D. Bertrandus archiepiſc. cœpit viſitare provinciam ſuam, ut legimus in archivis archiep. Et 1°. diœceſim Agennenſem, prioratum Baſtidæ S. Fidis, prioratum monialium de Ligors, abbatiam de Clairaco, prioratum S. Liberatæ, monialium Fontis-gravæ, abbatiam Exienſem, eccleſiam cathedralem Agennenſem receptus ab epiſcopo & capitulo ubi celebravit majus ſacrum 24. Junii, abbatiam S. Maurini, moniales de Reynaut, &c. abbatiam Condomii die Martis nonis Julii, prioratum de Layraco, de Neraco nona Julii, &c.

7°. Idus Octobris ind. 3. Romana ſede vacante per mortem D. Benedicti XI. acceſſit ad abbatiam de Caſtris, 3. Octob. ad eccleſiam cathedralem, ubi celebravit & confirmavit & tonſuravit, 16. abbatiam de Cancellata, 18. abbatiam de Turturiaco, 27. abbatiam de Brantolmio, abbatias Fontis-gayſe, & de Albugia monialium, de Sarlato, &c.

IX. Decemb. viſitare cœpit diœceſim Pictavenſem, & 1°. abbatiam de Nantolio, 24. Decemb. monaſterium S. Cypriani, 26. eccleſiam beatæ Mariæ-majoris, 27. die Dominica eccleſiam cathedralem, &c.

Die V. Junii anni 1305. Bertrandus fuerat electus in ſummum pontificem in vigilia[a] Pentecoſtes, regis præſertim Chriſtianiſſimi opera, cui jurejurando pollicitus fuerat ſe aliquot capita ſibi propoſita exſecuturum. Mox purpurati patres ejus electionis decretum[b] ad ipſum miſerunt, quod Leziniaci recepit ; paulo poſt Burdigalam regreſſus illud die 22. Julii publicavit in æde metropolitana, aſſumpto nomine Clementis V. Inde Lugdunum accedens, cardinales illico ex Italia convocavit, coronatuſque eſt in eccleſia S. Juſti die Dominica poſt feſtum S. Martini hyemalis, XIV. Nov. a Matthæo Rubeo Urſino cardinale S. Mariæ in Porticu ; cui

[a] Quædam objecta circa hæc ſolvit Baluzius in notis ad vitas paparum Avenion. c. 614.

[b] Hoc decretum editum eſt in chronico Burdigal. & apud Lopeſium, &c.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

inaugurationi aderant Philippus rex, frater ejus Carolus comes Valeſius, ac filii regii, duces Burgundiæ, Britanniæ ac Lotharingiæ, & alii permulti principes, proceresque. Sed funeſta fuit hæc pompa; nam concurrentibus populis ad celebritatem conſpiciendam, ruina muri contingente, dum ſolemnitas fieret, pene oppreſſus eſt Pontifex, ac Carolus princeps: ſed Britanniæ dux Johannes, cum Gaillardo [a] de Gutto, Clementis fratre, ac quidam alii nobiles perierunt. Quæ utique clades pro triſti omine accepta fuit, etenim paulo poſt traducta eſt in gratiam Regis pontificia ſedes in Galliam, indignante Italia; unde longiſſimo ſchiſmati data eſt occaſio. Porro Papa ſtans promiſſis, 1306. Lugduni an. 1306. revocavit conſtitutiones Bonifacii VIII. contra Philippum, ipſique [b] conceſſit decimas pro regni defenſione. Hæc, pluraque alia apud Spondanum deſcribuntur, quæ referunt etiam Onuphrius, Ciacconius, Quercetanus & alii auctores vitarum Romanorum pontificum. Non immemor vero eccleſiæ Burdigalenſis, eam exemit a primatu Bituricenſi, multaque conſtituit in gratiam archiepiſcopi & capituli, bullis quas edidit Lopeſius. Favit quoque abbatiæ S. Crucis Burdigalenſis, cui univit S. Michaëlis eccleſiam. C. XLIV. col. 301.

Variis ægritudinibus conflictatus, natale ſolum quærens, cum Avenione Burdegalam verſus iter ſuſcepiſſet, mortuus eſt apud Rupem-Mauram, *al.* Rocham-Mauram, ad Rhodanum, XII. cal. Maias, poſtquam tenuiſſet pontificatum annos circiter novem. Corpus ejus Carpentoratum refertur, ubi erat tunc Papæ curia, & poſt diuturnam de eo altercationem inter canonicos Rupis-Mauræ, ubi obierat, & Uzeſtæ, ubi vivens ſepulturam ſibi delegerat, eo tandem delatum eſt, ac tumulo conditum, qui magnificentiſſime conſtructus, poſtea ab hæreticis dirutus eſt anno M. D. LXVIII. Epitaphium ſequens olim hic legebatur marmori inciſum:

HIC JACET

Fælicis recordationis dominus Clemens papa V. fundator eccleſiarum collegiatarum de Uzeſta [c] *& de Vilhendraudo, qui obiit apud Rupem-Mauram Nemauſenſis diœceſis die XX. Aprilis, pontificatus ſui IX. portatus vero ad iſtam eccleſiam B. Mariæ de Uzeſta anno Dom. M. CCC. XIV. Aug. XVII. & ſepultus an. Dom. M. CCC. LIX.*

Sex vitas hujus pontificis a totidem variis ſcriptoribus collectas edidit Stephanus Baluzius, in vitis paparum Aven. p. 1. & ſeq. eximiiſque illuſtravit notis.

XLIII. ARNALDUS III.

DE CANTELOUP.

Arnaldus de Cantalupo patria Aquitanus diœceſis Burdegalenſis, Clementis V. propinquus, vocatur electus Burdigalenſis an. 1305. in bulla ejuſdem Clementis papæ ad eundem directa, qua archiepiſcopalem ſedem eximit a primate Bitur. quæ etſi ab aliis jam edita ſit, ab hoc opere abeſſe non debuit, eſtque inter inſtrumenta. col. 262.

Eodem anno 1305. Arnaldus creatur cardinalis tituli S. Marcelli ſabbato IV. temporum Adventus, ut refert Bernardus Guidonis Lodovenſis epiſcopus in vita Clementis V. Fuit etiam Papæ camerarius. Quamvis vero conſecratus non ſit, munificum tamen ſeſe oſtendit erga Burdigalenſem eccleſiam, ſi Lurbeo creditur & Sammarthanis. Contendit tamen Lopeſius toparchias de Montravel, & de Belver menſæ archiepiſcopali ab ipſo minime fuiſſe datas. 1305.

XLIV. ARNALDUS IV.

DE CANTELOUP.

Arnaldus, quem ſuperioris nepotem fuiſſe legimus, eundem in archiepiſcopatu excepit, & quidem anno adhuc 1305. Anno ſequenti die Jovis ante feſtum S. Matthæi, D. Petrus Gaucelmi de Caſtellione, P. Ramnulphus, Galhardus Arnaldi, Guillelmus Raigaſſa, & alii plures milites fecerunt homagium domino Arnaldo archiepiſcopo, pro terris & feudis quæ poſſidebant in juriſdictione caſtri Montis ravelli; die Veneris ſequenti apud Caretum, ante majorem portam eccleſiæ D. Arnaldus-Guillelmi de Luganhaco eidem archiepiſc. fecit homagium, Audoyno epiſcopo Petragoricenſi, in cujus diœceſi eſt idem caſtrum. Anno 1307. indict. 5. pontificatus SS. Clementis V. 2. XVI. Julii D. Arnaldus archiepiſcopus celebrando divina in eccleſia B. M. de Bono-loco, D. Petro Dei gratia abbati monaſterii S. Romani de Blavia electo & confirmato munus benedictionis impendit, poſt promiſſam ſibi & ſucceſſoribus ſuis obedientiam & ſubjectionem, præſentibus fratre Arnaudo electo in abbatem ejuſdem monaſterii Boniloci, & magiſtro Ramnulpho de Bria doctore. 1307.

Eodem anno 23. Julii idem D. archiepiſcopus celebrando divina in ſua capella apud Laureummontem, eidem domno Arnaudo abbati Boniloci benedictionem impertivit, promiſſa prius obedientia & ſubjectione a patribus inſtituta ſecundum regulam beati Benedicti, præſente religioſo viro D. abbate Fontis-Guillelmi Vaſatenſis diœceſis, & aliis.

Item 2. Novembris D. Guillelmus de Griſſaco miles fecit homagium dicto archiepiſcopo pro decima quam habet in parochiis S. Andreæ de nomine domini & de Payreſſaco.

Indict. 7. pontificatus D. Clementis V. papæ anno 3. Rollandus Vigerii domicellus fecit homagium-ligium ſine cucuſa, zona & gladio pro his quæ poſſidebat Novo-vico, &c. eidem archiepiſc.

Arnaldus noſter archiepiſcopus miſit magiſtrum Rampnulphum de Boya doctorem Salamantinum, canonicum, procuratorem ſuum, ad convocationem per D. Regem factam verſus Turones ad tres ſeptimanas Paſchatis, ad comparendum coram eo in cauſa, quam adverſus Templarios movere intendebat coram ſummo pontifice, cum clauſula: quod licet non ſit adſtrictus fidelitatis vin- 1308.

[a] Id refert Amalricus Augerii qui ſextam vitam Clementis V. conſcripſit; alii vero de hac morte ſilent.

[b] Sed ipſe *innumerabilem pecuniam extorſit ..... apud Bituricas & Nivernum fecit expenſas immoderatas*, inquit Johannes S. Victoris Pariſ. canonicus in ejus vita, & forte id in cauſa fuit, ut Burdigalenſem urbem adiens non ſit benigne ſuſceptus, eodem teſte.

[c] Uzeſta Vaſatenſis diœceſis vicus eſt, nobilis miraculis B. Virginis, in cujus honorem eccleſiam ibi cum caſtro conſtruxit Clemens V. & confinis eſt loco avito de Villandraudo, ubi etiam aliam baſilicam ædificavit, & in utraque canonicos ſecularis conſtituit. Chartam fundationis utriuſque vide inter inſtrumenta col. 302.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

culo, affectans tamen illi & aliis complacere propter honorem & reverentiam regiam, dedit in mandatis huic procuratori ut se Regi, suo nomine, sisteret.

An. 1309. XII. cal. Dec. Clemens papa V. ei confirmavit privilegium & potestatem visitandi omnes provinciæ suæ ecclesias; & cal. Dec. alia bulla facultatem uniendi aut dividendi, præter consensum capituli, ecclesias, dignitates & personatus ecclesiæ & diœcesis Burdigalensis. An. 1311. adfuit concilio Viennensi generali.

1312. An. 1312. major & jurati urbis, habito burgensium concilio, decreverunt suburbia S. Eulaliæ, S. Michaëlis & S. Crucis circumdare muro, archiepiscopi nostri consilio, cujus avita domus exstat adhuc ante cœmeterium S. Michaëlis versus Meridiem. An. 1313. Sabbato ante Dominicam, *Oculi mei*, D. Arnaldus archiep. procuratorem instituit D. Guillelmum Congo archipresbyterum Sarnensem, ad recipienda homagia vassallorum; & ut *accaptaret* terras vacantes. His verbis clauditur charta quædam Yolendis dominæ de Belino, qua dat potestatem ad *concordandum cum procuratore Regis*, ex collect. Rimerii, t. 3. p. 509. *Actum fuit tertia die introitus Martii anno Domini 1314. regnante Ludovico rege Franciæ, Edwardo rege Angliæ, duce Aquitaniæ, Arnaldo archiepiscopo Burdigalæ, Geraldo præposito majore Liborniæ.*

1319. Anno 1319. indict. II. pontificatus Johannis papæ XXII. anno tertio, frater Guido prior S. Christophori in Medulco procurator dom. Petri episcopi Lucionensis, insinuavit Arnaldo archiepiscopo litteras pontificias suæ creationis, quas daturi sumus suo loco [a].

1324. An. 1324. secunda die introitus mensis Julii indict. VII. cum Edmundus frater Eduardi regis Angliæ, missus pro reformatione *terræ*, ad eum scripsisset ut die Lunæ post festum SS. apostolorum Petri & Pauli, secunda introitus Julii, apud Lingonum coram se interesset; respondit, etsi obedire non teneretur, ob reverentiam tamen & honorem Regis adfuturum. Cum vero Lingones venisset, audacter dixit se non esse aut fuisse hominem domini regis & ducis, præsentibus D. Raimundo de Armaniaco, & D. Amanevo de Lebreto. Eodem anno ejus procurator ante festum S. Laurentii apud Caturcum, coram Carolo Valesii comite a rege Franciæ delegato, declaravit archiepiscopum Burdigalensem ejusque decessores, in pacifica fuisse libertate non præstandi hominium pro castris quæ possidebant in Aquitania.

1326. Anno 1326. nunc 1327. die Mercurii post festum S. Hilarii hyemalis, apud Roffiacum diœcesis Pictavensis, provincialem synodum habuit.

1328. Anno 1328. die 29. Aprilis magister Arnaldus d'Aigue-belle, archipresbyter de *Inter-duo-maria*, procurator D. Arnaldi archiepiscopi, & fr. Johannes Gervasii prior de Caudrot, componunt cum accolis ejusdem castri pro decimis, &c.

1332. Fato concessit an. M. CCC. XXXII. VII. cal. Apr. ex monumentis ecclesiæ Burdigal. sed fortasse legendum est 1333. nam in inventario chartarum quæ asservantur in archivo castri Palensis, in capsa *de Albreto*, occurrit homagium præstitum huic Arnaldo, pro decimis de Logoiran, a Bernardo d'Escossan, an. M. CCC. XXXIII. Verum idem annus numerari potuit 1332. & 1333. secundum varias rationes anni computandi. Sic solvi potest nodus, qui stringitur ex hominio quod Hugo la Roqua prior S. Cypriani diœc. Sarlat. die 12. Decembris an. 1333. præstitit.

Johannes papa XXII. ad eum scribens, conquestus est quod non permitteret fratribus Prædicatoribus, & Minoribus, *proponere verbum Dei. Dat.* Aven. 4. cal. Julii an. ejus pontific. XII. *Ex regist.* hujus papæ num. 2208.

In necrologio antiquo de ipso legitur: *Sedit in archiepiscopatu XXVII. annis & obiit an. Domini M. CCC. XXXII. VII. cal. Aprilis. Iste instituit unam capellaniam in ecclesia Burdigal. & fecit heredem fabricam ecclesiæ; & est sepultus juxta magnum altare, in dextro cornu, inter duo pilaria ecclesiæ, in sepultura operata, ubi est imago sua de letone.* An. 1332. sedem vacasse legitur in charta Faëssiæ.

XLV. PETRUS II. DE LUK.

Cognomen hujus archiepiscopi nos docet charta quædam quam reperimus in collectione instrumentorum Rimerii tom. 4. pag. 551. de licentia fortificandi quoddam manile in castellania de Blanca-forti, data Petro de Luk archiepiscopo Burdigalæ, die 25. Maii an. M. CCC. XXXIII. Jam præerat anno 1332. quo visitare parthenonem S. Mariæ Santonensis frustra tentasse dicitur. Alibi legitur archiepiscopus hoc anno die 5. introitus Februarii; quo etiam anno die Mercurii ante festum S. Gregorii, Helias Gardradi de Chalesio ei præstitit hominium. Anno 1333. litem habuit cum decano & capitulo S. Martini de Villandraud, postea tamen consensit ut omnibus privilegiis quibus donati fuerant a summo pontifice, gauderent. 1333.

An. 1336. pontificatus Benedicti XII. an. III. diœcesim Engolismensem visitavit; & Johannes abbas Cellæ-Fraini, *al.* Fraisini ejusdem diœcesis, promisit se sub pœna centum marcarum argenti, quod subiret arbitrium boni viri ab ipso archiepiscopo eligendi, pro criminibus de quibus insimulabatur. 1336.

An. 1337. prodiit constitutio synodi, ut pro benedictionibus nuptiarum capellani seu rectores quinque tantum solidos reciperent. Anno 1344. Petrum Præpositi rectorem ecclesiæ de Molano instituit visitatorem Condomiensis diœcesis, qua paulo post provincia defunctus est Petrus. 1344.

Multa alia nobis suppeditant tabulæ archivorum Burdegalensium, quorum nonnulla reperies in instrumentis ad calcem editis, C. 47. col. 306. Obitus Petri contigit anno 1345. Vacabat sedes die nono introitus mensis Januarii an. 1345. & die tertia post festum S. Lucæ an. 1346. ex *vidimus* testamenti D. Berardi de Lebreto dato ab officiali Burdigalensi, ex tab. castri Palensis. 1345.

XLVI. AMANEVUS I. DES CASES.

Amanevus de Casis quatuor ecclesiarum redditus decani & canonicorum censui adjecit, videlicet

[a] Vide ch. 1. inter instrum. Lucion. eccl. col. 389.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

ecclesias S. Juliani de Borno, de Molinis, sanctæ Helenæ & de Lustraco, ut ex tabulis hac de re factis an. 1347. patet. Ex concessione sibi facta vi bullæ Clementis papæ V. obtentæ ab Arnaldo antecessore suo calendis Julii, ejus pontific. an. 3. primum beneficium diœcesis Burdig. vacaturum confert Arnaldo de Audirano clerico diœcesis Condomiensis an. 1348. ut nos docent tabulæ episcopi Albiensis. Decessit in loco *Bello-videre* dicto, ubi corpus ejus sepultura donatum est ex Notitia Vasconiæ auctore Oihenarto. Tempus ejus mortis ignotum est; attamen elici utcumque potest ex tabulis S. Crucis Burdigalensis, ex quibus liquet ejus obitum contigisse inter diem 17. Augusti & 17. Novembris. Legimus enim Petrum S. Crucis abbatem nominasse ad vicariam perpetuam S. Martini de Cambis, Guillelmum Fortonis presbyterum, die 17. Augusti anni 1348. quo tempore sedebat adhuc Amanevus: die vero 17. Novembris capitulum huic presbytero dedit litteras institutionis, vacante sede.

Ex tabul. S. Andr.

1348.

A

B

XLVII. Bernardus

Des Cases.

Bernardus de Casis, Amanevi frater, dicitur electus an. 1348. die 7. Decembris. Memoratur anno 1349. die Sabbati post festum Epiphaniæ decima Januarii indict. 2. pontificatus Clementis papæ VI. anno octavo, in compositione facta a Petro de Camiada abbate & conventu S. Crucis, cum Helia de Labatuto vicario perpetuo S. Michaëlis, ratione proventuum ejusdem ecclesiæ. In nescio quo negotio contra Petrum de Ecclesia decanum & canonicos S. Severini litigantes coram D. auditore papæ, procuratorem habuit Heliam S. Salvatoris de Blavia. Non pervenit ad an. 1357. ut nonnulli dicunt, id enim falsi mox revincetur.

Sammarth. hoc.

1349.

C

XLVIII. Amanevus II.

De la Mothe.

Cum Amanevus a Clemente VI. creatus fuerit archiepiscopus, litteris apud Villam-novam prope Avenionem datis 4. cal. Octobris, non potest differri ejus episcopatus ultra an. 1352. quo hic papa obierat.

1352.

D

Inter liberos Amanevi de Mota, qui duxerat uxorem Ælipidem filiam Arnaldi Garsiæ de Gutto fratris Clementis papæ V. numeratur Amanevus, quem Baluzius in notis ad vitas paparum Avenionensium p. 621. conjicit esse hunc archiep. Burd.

Amanevus anno 1354. die Veneris ante exaltationem S. Crucis 12. Septembris, pontificatus Innocentii VI. anno 2. indict. VII. Avenione in domo archiepiscopi, convenit cum Dominico de Podio canonico S. Severini procuratore decani & capituli, quod canonicatus conferrentur alternatim per archiepiscopum, & decanum ac capitulum.

E

In inventario chartarum castri Palensis, pro Petracoricensi & Lemovicensi pagis, asservato in bibliotheca Colbertina, exstant litteræ Archembaldi episcopi Vaurensis prohibentis sub excommunicationis comminatione Aquilino Engolismensi episcopo, ne executioni mandet quandam Innocentii VI. bullam datam an. 3. ejus pontificatus, decimo cal. Octobris, an. 1355. ad petitionem Amanevi Burdig. archiep. quod foret quoad certum caput, subreptitia, & fuerit revocata per aliam, cujus executionem sibi mandatam fuisse scribit Archembaldus Vaurensis episcopus

1355.

ANNI CHRISTI

Ex publicis instrumentis adhuc vivebat anno 1359. die 2. introitus Decembris. Et quidem legimus eum ex hac vita migrasse v. cal. Julii an. 1360. Corpus ejus sepulturæ mandatum est prope majus altare in ea parte quæ Meridiem spectat. In veteri codice legitur collatio quam habuit pro canonizatione S. Yvonis, ex Baluzio in vitis pap. Aven. col. 1131.

1359.

XLIX. Philippus

Philippus metropolim Burdigalensem regebat an. 1360 die XII. introitus Novembris, ex charta S. Crucis. Eodem anno die 25. Octobris, festo S. Frontonis nominatur curator & executor testamenti Talairandi cardinalis & episcopi Albanensis, cum episcopis Aquensi & Sarlatensi, ex authentico a Sammarthanis viso. Die 13. Aprilis an. 1361. Helias Ortiti canonicus S. Frontonis Petragoricensis, vicarius generalis Philippi archiepiscopi in remotis agentis, confert vicariam perpetuam S Martini de Cambis magistro Petro de Boycheda, ad præsentationem abbatis S. Crucis.

1360.

Tabul. S. Crucis.

Innocentius VI. sibi reservavit omnia bona hujus archiep. sive mobilia sive immobilia, & quæ ad ipsum post ejus obitum possent spectare, vacantisque sedis fructus; qua de re scripsit Petro Domandi archidiacono, Guillelmo Gilberti canonico Narbonensi & Petro ep. Petracoricensi, 3. cal. Julii 1361. seu anno 9. sui pontificatus. Obiit extra curiam Rom. an. 1361. mense Maio aut Junio, ex registro anni noni pontificatus Innocentii VI.

Inter notas & observationes quas ad novam editionem Galliæ Christianæ congesserant Sammarthani fratres, legimus in Sarlatensibus episcopis post Heliam capitulum Sarlatense Gaillardum elegisse, qui Avenione confirmatus est. Interim vero dum bullæ sigillo pontificali proxime forent roborandæ, a capitulo S. Andreæ Burdigalensis, idem Gaillardus eligitur archiepiscopus, quam electionem gratam & ratam habuit Innocentius VI. dato diplomate VIII. cal. Octobris anno sui pontificatus IX. hoc est die 24. Septembris 1361. ejus autem loco ad sedem Sarlatensem promovit fratrem Aostentium. Hæc Sammarthani fratres. At nobis videtur hic Gaillardus idem cum Helia de quo infra. Sane eodem die, mense & anno Gaillardus dicitur creatus archiepiscopus bulla Innocentii papæ VI. quo Helias cathedram conscendit metropolitanam.

De Salignac

L. Helias II.

Helias vacanti cathedræ Burdigalensi per obitum Philippi præficitur bulla [a] Innocentii papæ VI. data apud Avenionem die 24. Septembris an. 9.

[a] Bulla Innocentii VI. hæc habet: *Innocentius*, &c. *postmodum vero præfata ecclesia*, Burdigalensi, *per obitum ejusdem Philippi*, archiepiscopi, *qui extra Romanam curiam debitum naturæ persolvit, pastoris solatio destituta: nos vacationi hujusmodi fida dignis relatibus intellecta*, &c. *demum ad venerabilem fratrem nostrum Heliam episcopum olim Sarlatensem, in archiepiscop. Burdig. electum . . . . . direximus oculos nostræ mentis . . . . . ipsum ad dictam Burdigal. ecclesiam transtulimus*, &c. *Datum Avenione VIII. cal. Octobris, pontificatus nostri anno IX.*

pontificatus

ANNI CHRISTI

pontificatus ejus, Chriſti vero an. 1361. & quidem hoc anno memoratur in charta Faëſiæ. Ipſum cognominatum fuiſſe *de Bremont*, docet Lopeſius. At cum ipſe dicat Heliam ex ſede Sarlatenſi tranſlatum fuiſſe ad Burdigalenſem, hic archiepiſcopus cognominabatur de Salignac [a], quæ gens in pago Petragoricenſi eſt antiquiſſima & nobiliſſima.

Porro unum eundemque eſſe Heliam qui Sarlati & Burdigalæ ſederit, ex iis liquet: Helias de Salignac nominatur exſecutor ultimæ voluntatis cardinalis de Talairand, in teſtamento ſcripto anno 1360. ubi legitur epiſcopus Sarlatenſis; in codicillis vero anno 1364. dicitur archiepiſc. Burdig.

Idem conſtat adhuc ex procuratione, ut aiunt, ſeu, ex perſcripta agendi auctoritate, data anno 1367. ab hoc archiepiſcopo, pro percipiendis ſibi debitis in diœceſi Sarlatenſi, quæ, cum eſſet epiſcopus, recipere non potuerat.

Helias archiepiſcopus in archivo Burdigalenſi inter inſtrumenta recognitionum memoratur annis
1363. 1363. 64. 65. 66. 67. ac 68. Eodem anno in charta S. Crucis, & annis 1365. ac 1366. in tabulis monaſterii Boni-loci.

An. 1365. die Veneris ante feſtum S. Cæciliæ
1365. virg. concilium provinciale celebravit in eccleſia Petragoricenſi, in quo comparuit dom. Regnaldus Eſclau pro dom. decano & capitulo eccleſiæ S. Andreæ.

Lib. Var. inſtrum. capituli.

An. 1367. Richardum Eduardi principis Walliæ filium Burdigalæ natum, aquis luſtralibus tinxit
1367. in majori S. Andreæ eccleſia. Anno ſequenti paciſcitur die 7. Aprilis cum capitulo de oblationibus, & ſacerdotiorum a capitulo pendentium permutationibus.

Anno 1367. *in remotis agebat*, ut diſcimus ex quadam ſententia D. officialis & D. Fulquerii la Comba vicariorum ejus in ſpiritualibus, data die 2. Aprilis. Anno quoque 1371. abſens legitur.

1374. A Gregorio XI. miſſus eſt anno 1374. ut regum Franciæ & Angliæ exercitus ad certamen
1376. prorumpere paratos dirimeret. Anno 1376. ind. 14. die 3. Decembris, compoſuit cum Raimundo S. Vincentii de Burgo abbate, pro decima S. Michaëlis de Terrafort prope Burgum, quam emerat ab Alaïde de Terrafort, & tenebat ab archiepiſcopo; pro qua abbas *portare facit annis ſingulis unum tonellum vini boni ad cellarium archiepiſcopi.*

1378. Anno 1378. vacabat ſedes ex tabulis S. Crucis.

LI. Guillelmus IV.

Sammarthani admittunt hunc archiepiſcopum
1379. menſe Febr. ad annum 1379. ſed cum adhæſiſſe Clementi VII. ſeu Roberto Genevenſi non facile mihi perſuadeo; nam e contrario Urbani VI. cujus æmulus erat Clemens VII. partes eſt ſecutus. Sane in tabulario fr. Prædicatorum Toloſæ occurrit Guillelmus Burdegal. archiepiſcopus privilegiorum ordinis fr. Prædicatorum conſervator, bulla Gregorii XI. cal. Apr. pontificatus an. 1. delegatus, qui officialem Toloſ. committit judicem, ſuper quadam querela quam dicti fratres Prædicat. Toloſani habebant adverſus Heliam Bajuli præpoſitum S. Juſtini in diœceſi Auſcienſi, & Petrum Bajuli fratrem Heliæ, 11. Julii 1379. Forte is eſt Guillelmus, de quo infra dicturi ſumus in Franciſco I. archiepiſcopo, & quem inter abbates S. Auguſt. Lem. annumeramus.

ANNI CHRISTI

LII. Raimundus II.

De Roqueia.

Raimundus de Roqueis, *al.* de Roqueriis, ex illuſtri & nobili familia Burdigalenſi originem ducebat. An. 1376. nobilis vir Petrus de Roqueriis teſtis adhibetur tranſactioni initæ inter Raimundum Bernardum * de Roqueriis S. Crucis Burdigalenſis abbatem, & Bertrandum de Albiniaco S. Michaëlis vicarium perpetuum. Ex inſtrumento venditionis bonorum Heliæ archiepiſcopi, factæ juſſu Urbani VI. ab Auguſtino epiſcopo Pinnenſi *, pontificii ærarii præfecto, liquido conſtat Raimundum immediate ſubrogatum fuiſſe Heliæ, inquit Lopezius. [b] Ab exordio pontificatus Raimundi, inter ipſum & capitulum fuit controverſia, quia *voluit primo ſuo adventu intrare domos archiepiſcopales, omiſſis ſolemnitatibus in talibus fieri aſſuetis, & dare benedictiones abſque eo quod eſſet conſecratus*, ut intelligimus ex inſtrumento appellationis per ſyndicum capituli interjectæ die 27. Novembris 1380.

* *al.* Bernardi.

* Civita di Penna.

b

Ex inſtr. eccl. Burd.

LIII. Franciscus I.

Franciſcus ex archiepiſcopo Beneventano tranſlatus eſt ab Urbano VI. ad eccleſiam Burdegalenſem, bulla data Luceriæ, Salernitanæ diœceſis, x. cal. Septembris, anno VII. ejus pontificatus, Chriſti
1384. 1384. vel 1385. quo anno memoratur Franciſcus Burdigal. electus, cameræ apoſt. in provinciis Burdigalenſi & Auxitana fructuum collector. Refert Lurbæus Franciſcum miſſum fuiſſe legatum in Arragoniam a duce Lancaſtriæ, ductumque captivum Barcinonam anno 1385. In collectione inſtrumentorum Rimerii Angli tom. 7. pag. 642. titulus eſt: *De appellationibus in Aquitania audiendis*; & conſequenter legitur: *Rex venerabilibus in Chriſto patribus Franciſco archiepiſcopo Burdigaliæ, Roberto epiſcopo Adurenſi cancellario Aquitaniæ*, &c. *XXII. Auguſti M. CCC. LXXXIX.*

Ex inſtrumento Vaſconica lingua ſcripto, quo Arnaldus Amanevus de Lebreto, Raimundo de Montaud domino de Mucidan mandat cuſtodiam loci de Vayres, die 5. Nov. an. 1386. regnante Carolo rege in Francia, & *Guillelmo archiepiſcopo Burdegalenſi*, liquet eodem tempore duos anno 1386. fuiſſe archiepiſcopos ſaltem titulares apud Burdegalam. Nam plurima demonſtrant Franciſcum de quo ſupra, attigiſſe an. 1387. & quidem anno 1386. die 25. Julii memoratur hic Franciſcus archiep. in charta, quæ ita explicit: *Act. die Mercurii, regnante ſereniſſimo principe, ac domino noſtro Richardo, Dei gratia Franciæ &*

[a] Noſter D. Jacobus Boyer qui accurate inveſtigavit inſtrumenta eccleſiæ Sarlatenſis, & domeſtica gentis de Salignac, aſſerit Heliam ex nobili illa gente ortum. Lopezius tamen teſtatur in tumulo Heliæ videri alia prorſus inſignia, quam Salignacorum. Ibi enim cernuntur hæc: de ..... a la bande de ſable fuſelée, accompagnée de deux herces de gueules l'une en chef & l'autre pointe,

[b] *Reditus . . . . qui a dicta die obitus præfati quondam Dom. Heliæ archiep. uſque ad diem proviſionis dicti quondam reverendi patris D. Raimundi immediati ſucceſſoris ſui & immediati prædeceſſoris Franciſci moderni archiep. Burd. an. M. CCC. LXXXIV. indict. VII. XVI. Septembris, pontificatus Urbani VI. anno VII.* Chartophyl. Burdegal.

ANNI CHRISTI

Angliæ rege, domino Aquitaniæ & Hiberniæ, & R. in Chriſto patre D. Franciſco eadem gratia Burdegalæ electo præſidente, præſentibus, &c. Ex ſchedis Colbertinis.

Duorum illorum epiſcoporum unus, ſcilicet Guillelmus, regi Carolo favebat, alter nimirum Franciſcus parebat Richardo Angliæ regi, qui ſe quoque Franciæ regem dicebat.

HUGOTION.

LIV. FRANCISCUS II.

Franciſcus Hugotionius, *al.* de Agguzonis, Urbinas, juris maxime canonici peritiſſimus, ex canonico eccleſiæ majoris apud Burdigalam, creatur archiepiſcopus anno 1389. deſinente, auctoritate Bonifacii papæ IX. qui olim fuerat canonicus & ſacriſta hujus eccleſiæ, Petrus Tomacellus vocatus. Anno ſequenti * Bonifacius idem Franciſco noſtro, & Johanni Aquenſi, quos vocat ſedis apoſtolicæ nuntios in regnis Caſtellæ, Legionis, Arragoniæ, & Navarræ, necnon in partibus Vaſconiæ, dedit poteſtatem abſolvendi ab excommunicatione Henricum regem & Catharinam reginam Caſtellæ ac Legionis, qui non ignorantes ſe tertio conſanguinitatis gradu fuiſſe conjunctos, matrimonium inierant, ad obviandum cædibus & aliis diſcriminibus *guerrarum*; necnon cum ipſis auctoritate apoſtolica diſpenſandi, ut poſſint de novo invicem conjugium contrahere. Bulla data eſt VIII. cal. Octobris, anno ſecundo pontificatus Bonifacii; aſſervaturque in chartophylacio eccleſiæ Burdigalenſis. Eodem anno, Vitalis Carolus cantor & canonicus Burdigalenſis, fundavit magnum urbis xenodochium quod appellatur S. Andreæ.

1389. 1390. 1394. 1405.

Anno quoque 1390. eo uſus eſt Angliæ rex ad tractandum de pace in Anglia. Idem Franciſcus an. 1394. novo diplomate Bonifacii IX. nuntius apoſtolicus mittitur pro Hiſpanis a ſchiſmate abducendis.

Anno 1405. cum eſſet gregi ſuo paſcendo intentus, ab Innocentio papa VII. ad purpuræ honorem provectus eſt ſub titulo SS. quatuor Coronatorum; & deinceps non rexit eccleſiam Burdigalenſem, niſi ut adminiſtrator perpetuus.

Refert Ciaconius Gregorio XII. ad S. Petri cathedram aſſumto, pacis eccleſiæ Franciſcum valde ſtudioſum, comitante theologorum & juriſperitorum delecta manu, ut erat his ſtudiis apprime excultus, Savonam in Liguribus acceſſiſſe, urbem tollendo ſchiſmati deſtinatam, ubi jam Benedictus aderat; a quo & ab ejuſdem Benedicti cardinalibus Hugotionius perhonorifice excipitur, ratus Gregorium eo, quemadmodum pollicitus fuerat, venturum; ſed de illius mente certior factus, eum Senis tunc morantem difficili itinere inviſit. Cumque nullis precibus, aut rationibus ei perſuadere potuiſſet, ut pro diuturniori procraſtinatione tollenda, Savonam ad congreſſum pergeret, quo graviſſimum illud opus unitatis ſtabiliret: illico Gregorium deſeruit, ait idem auctor; quocirca ab eo citatus, purpuræ honore privatur, & collectores proventuum cameræ apoſtolicæ in Aquitania ejuſdem Gregorii juſſu, univerſos cardinalis reditus in Burdigalenſi provincia interverterunt. Exinde in Galliam pro unione Eccleſiæ ſe contulit, ad an. 1408. * Hoc eodem tempore, Dominica, 17. Martii, cum cardinalib. Barrenſi & Hiſpano, Burdegalenſis noſter, (ita enim vocatur ab Enguerrano Monſtreleto chron. lib. 1. cap. 46. ubi & Anglum eum facit,) ſolemni invectionis pompæ Caroli VI. regis in urbem Pariſienſem adfuit, quam deſcribit clariſſ. hiſtoricus Johan. Juvenalis Urſinus; necnon Piſano concilio 1409. ubi pontifex creatur Alexander V. & comitiis Bononiæ Johannis XXIII. Demum Florentiæ occubuit anno M. CCCC. XII. cal. Sept. XIX. * Corpus Romæ depoſitum in diaconia S. Mariæ-novæ, tumulatur ſub lapide qui hoc epitaphio illuſtratur:

1408. 1409. 1412.

* Hoc eſt die 14. Auguſti.

Cardinei, qui ſummus honor, qui gloria cœtus
Alta fuit, parvo ſub marmore clauditur iſto,
Hicque Coronatos vir ſanctus quatuor annos
Hinc titulum tenuit nulli virtute ſecundus,
Spiritus egregiis meritis præclarus in aſtris,
Franciſci reſidet, cælique locatur in aula.

Obiit anno Domini M. CCCC. XII. menſe Aug.

DE MONTFERRAND.

LV. DAVID.

Poſt Franciſci mortem eccleſia Burdigalenſis paſtore orbata fuit ſaltem uſque ad diem 17. Maii anni 1413. Jam vero præerat David Montisferrandi die 16. Novembris ejuſdem anni, ex charta S. Crucis Burdigalenſis.

1413.

David e nobili familia pagi Burdigalenſis ortus erat, ex Lopeſio, qui docet eum fuiſſe ſancti Andreæ canonicum, vocatumque ad epiſcopatum Aquenſem die 19. Octobris an. 1408. laudatque actorum capituli codicem. Sane in indicibus epiſcoporum Aquenſium vacat locus qui huic præſuli tribuatur; unde auctum vellem catalogum noſtrum Aquenſium antiſtitum Davidis hujus nomine.

Anno 1416. apoſtolica ſede vacante, die 22. Sept. reverend. in Chriſto pater Dom. David archiep. Burdig. exiſtens in capitulo.... convocatis & præſentibus dominis decano & canonicis, confirmavit electionem factam *per capitulum eccleſiæ Sarlatenſis de Dom. Bertrando la Cropta.* Anno 1417. die 19. Aprilis procuratorem inſtituit D. Bernardum de Planeau monachum & ſacriſtam S. Crucis, ut ſuo nomine concilio intereſſet Conſtantienſi.

1416.

David aliquam litem habuit cum D. Petro Andreæ [b] abbate S. Crucis, qui erat collector apoſtolicus, appellavitque a proceſſibus & gravaminibus ſibi illatis ad ſedem apoſtolicam die 1. Januarii anno 1424. pontificatus Martini papæ V. octavo, ind. 3. Summus pontifex provinciam inquirendi de hac controverſia dedit epiſcopo Aduenſi, abbati S. Severi in capite Vaſconiæ, & S. Severini

b

1424.

* Quod hiſce verbis apud Walſinghamum legitur: *Circa feſtum omnium ſanctorum venit in Anglium cardinalis Burdegal. vir potens in opere & ſermone, miſſus a collegio cardinalium, ad informandum Regem regnique clerum de inconſtantia papæ Gregorii; prout prius edocuerat regem Franciæ .... quatenus hi duo reges, qui cenſebantur in Orbe præſtantiſſimi, manus apponerent adjutrices ad inducendum dictum Gregorium, ad ſervandum juramentum præſtitum; ut ipſorum duorum regum auctoritate magnifica unio fieri poſſet in eccleſia.* Eapropter a Greg. XII. eſt citatus bulla Arimini data XIX. cal. Jan. cujus exemplar habes tom. 17. Annal. eccl. Odorici Raynaldi.

b Nuntius erat apoſtolicus, & collector fructuum, proventuum, cenſuum, & aliorum jurium cameræ apoſtol. in Burdigalenſi, Baionenſi, Aquenſi, & certis aliis civitatibus & diœceſibus.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI C. XLVIII. col. 308.

Burdigal. decano, an. 1425. Acta hujus litis damus inter inſtrumenta, ex quibus liquet Martinum papam exemiſſe a juriſdictione Davidis archiepiſcopi Petrum abbatem, & monachos, monaſteriumque S. Crucis die 22. menſis Julii anni 1425.

1426. An. 1426. die 10. Aprilis Petrus abbas S. Crucis juramentum fidelitatis præſtitit tanquam nuntius apoſtolicus & collector, in manibus Theobaldi Dages decani eccleſiæ Burdigalenſis commiſſarii.

1427. Anno 1427. pars fornicis navis eccleſiæ terræ motu conquaſſata corruit die 2. Februarii, tempore Davidis. Anno 1429. memoratur in duabus monaſterii Boni-loci chartis. Die tertio Aprilis

1429. 1430. anni quem nunc dicimus 1430. adhuc ſedem tenebat Burdigalenſem, quæ vacabat die 16. Decembris ejuſdem anni [a]. Hinc expungendus Petrus de Fuxo, quem Sammarthani inducunt adminiſtratorem anno 1428.

a

LVI. B. PETRUS.

BERLAND vulgo S. PEYBERLAND.

Petrus in tractu Medulcorum * ignobilibus ortus parentibus, patre nimirum agricola, ab ineunte ætate magno ſtudio virtutes & litteras coluit. Relictis quas prius paſcebat ovibus, Burdigalæ grammaticæ litteriſque humanioribus operam dedit. Poſtea Toloſam ſe contulit, ubi factus eſt in pontificio & canonico jure baccalaureus. Burdigalam reverſus, Franciſco II. archiepiſcopo fuit a ſecretis; quem ad Piſanum concilium venientem comitatus eſt an. 1409. Paulo poſt an. 1410. die 2. Octobris canonicatu potitur in eccleſia Burdigalenſi. Jeroſolymam profectus religionis ergo, poſt loca ſacra ſumma pietate perluſtrata, domum rediens parochiali eccleſiæ de Boliac præficitur; quam tam ſapienter ac pie rexit, ut canonici S. Andreæ, de deligendo Davidis ſucceſſore diſceptantes, in hoc uno convenerint. Bulla Martini V. electum hunc confirmans, data eſt 17. cal. Nov. ejus pontificatus anno tertio-decimo ſeu Chriſti 1430. In ea vero dicitur canonicus, nulla facta mentione eccleſiæ parochialis quam regeret.

* Pays de Medoc.

Authenticum autem ſacramenti quod poſtea præſtitit papæ, in archivo eccleſiæ Burd. aſſervatur.

In epiſcopali munere gerendo, ſtrenue ſe geſſit Petrus. Aſſidua bella inter Anglos & Gallos, quibus tota regio conflagrabat, multorum malorum origo fuerant. Iis remedium quæſivit pius & prudens paſtor, totam diœceſim perluſtrando. Cum vero obiret ſingula loca, eccleſias dirutas reſtaurabat, ſpoliatas ornabat, pauperes recreabat, ignorantia laborantes docebat, corruptos plebis mores emendabat, apud clericos eccleſiaſticam reſtituebat diſciplinam. Omnibus & ſingulis exemplo prælucebat; jejuniis, vigiliis, aſpero continuoque cilicio etiam in morbis corpus conterebat.

Singuli pene anni epiſcopatus Petri publicis in

1441. actis conſignantur. Anno 1441. die 12. Martii nobilibus viris Raimundo de Secura, loci de Ranſan, & Amanevo de Marrabat, loci de ſancta Fide committit cuſtodiam, & præfecturam caſtri de Mota ſancti Paxentii prope Montem-Revellum diœceſis Petracoricenſis. In veteri charta lego: *Anno*

[a] Obiit Londini an. 1430. ex cod. MS. Burdeg. quem viderat Baluz.

ANNI CHRISTI 1451.

M. CCCC. XLVIII. XXVIII. Octobris, pontificatus Nicolai V. anno II. D. Petrus archiep. fecit apponi in ſuis caſtris & terris ſalvam gardiam regiam. Die 7. Julii, ind. 14. an. 1451. pontificatus Nicolai V. anno quinto, Carolus Taleyrandi miles dom. de Graulhetio Petragoricenſis, & Chauleſio Xantonenſis diœceſis, recognoſcit ſe vaſallum dom. archiepiſcopi, pro omnibus quæ tenet in Chaleſio & Monte-Revello. Eodem anno die VII. Februar. lego in veteri ſcheda: *Ad ejus*, (Petri archiepiſcopi) *requiſitionem DD. Vitalis de Palatio, & Johannes de Viveriis conſiliarii in curia parlamenti noviter erecti, viderunt autographa archiepiſcopatus anteriora, & auctoritate ſua copias eorumdem, ac nominis ſubſcriptione firmarunt.* An. 1456. die Veneris 16. indict. 4. pontificatus Callixti III. an. 1. Johannes de la Faye domicellus fecit homagium Petro archiepiſcopo.

Anno 1451. die 12. Junii, in cœtu trium ordinum urbis & pagi Burdigalenſis fuit electus, ut de hujus urbis & pagi deditione tractaret cum Pothone de Saintrailles regii ſtabuli magiſtro, Carolo-Johanne Bureau Franciæ quæſtore, &c. Pacta deditionis rata habuit Carolus VII. rex die 20. Junii ejuſdem anni, in monaſterio S. Johannis Angeriac. An. 1453. Angli deſcenſionem fecerunt 1453.
Talboto duce, ſaventibus nonnullis pagi dynaſtis, & Burdigalam recuperarunt. At occiſo ante Caſtellionem Talboto, Burdigalaque iterum ſubacta, in qua ſolemni pompa rex Carolus exceptus eſt die 18. Octobris, tota provincia in ditionem Francorum redacta eſt. Porro archiepiſcopus, etſi rebellantibus minime faviſſet, in ſuſpicionem tamen incurrit violatæ fidei; quapropter ab Olivario de Coitivy Aquitaniæ minoris ſeneſcallo, Burdigalæque præfecto, dure admodum eſt habitus.

Ingraveſcente ætate Petrus abdicavit archiepiſcopatum, dimiſitque Alano cardinali ſedis apoſt. legato, anno 1456. & an. ſequenti die 17. Ja- 1456.
nuarii migravit ad Dominum, ante & poſt mortem miraculis clarus, ut fama eſt. Corpus ejus magna pompa elatum conditum eſt retro majus altare eccleſiæ S. Andreæ, prope S. Macharii tumulum. De eo cum laude Reginaldus agit in Annalibus eccleſ. ad an. 1463. Ludovico XI. rege petente an. M.CCCC.XXCI. Sixtus IV. pont. max. Raimundum Vaſatenſem & Radulphum Petracoricenſem epiſcopos delegat, ad inquiſitionem faciendam vitæ Berlandi, quæ decima octava Dec. coram propoſita & ſignata, tamen canoniſatio effectu caruit, ob mortem Regis ſubſecutam anno 1483. ut refert chronicon Burdigalenſe, in quo exſtat hoc elogium Petri Berlandi, plane non contemnendum aut omittendum: *Petrus Berlandus agricolæ in Medullis filius, cum jam abecedarius eſſet, totum ſe literis ſacris devovit; quas cum humanitatis ſtudiis, ut ei per facultates licebat, ita conjunxit, ut propter ejus pietatem & bonam indolem ex paupere clerico canonicus eccleſiæ Burdigalenſis electus fuerit. In quo munere ita pie per multos annos verſatus eſt, ut vacante ſede metropolitana, poſt multas contentiones, & inter plurimos tanti ſacerdotii competitores, ab eccleſiæ collegio archiepiſcopus Burdigalenſis deſignatus ſit. Quam provinciam*

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

cum invitus ſuſcepiſſet, nihil tamen ſui officii & A *tanti muneris prætermiſit, mores eccleſiæ in tantis bellorum motibus collapſos reſtituit, literas & literatos fovit, auctorque fuit juratis & decurionibus Burdig. inſtituendæ academiæ & univerſitatis Burdigalenſis, cujus inſtitutionis diploma jurati poſtea ab Eugenio ſummo pontifice impetrarunt. Inde Berlandus collegium ſancti Raphaëlis Burdigalæ erexit, pluribuſque reditibus pro inſtitutione prioris & duodecim pauperum ditavit. Et ut nominis ſui ac memoriæ aliquod monimentum relinqueret, majorem turrim campanariam D. Andreæ a fundamentis erexit. Poſtremo cum nomine ordinum Aquitaniæ in Britanniam profectus, regem Anglum de componendis Aquitaniæ rebus interpellaſſet, nec poſtulatis Anglus ſatisfeciſſet, factum eſt ut Burdigalenſibus ſub imperium Francorum redactis, Berlandus cum toto clero in verba Caroli VII. juraverit; quod ſancte præſtitit. Tandem cum per vigintiquinque annos eccleſiam rexiſſet, pius, beneficus, & eleemoſynarius deceſſit.* Quantæ autem fuerit liberalitatis dum viveret, teſtatur pinnaculum cathedralis quod conſtruxit propriis expenſis, ut refert marmorea inſcriptio quæ viſitur in eadem eccleſia:

Bis quadram quicumque oculis turrim aſpicis æquis,
Mille quadringentis quadraginta labentibus annis,
Fœlicibus cœptam auſpiciis, nonaſque ſecundo
Octobris, tantum certo ſcito eſſe profundam,
Fons prope proſiliens, quantum tenet, huic quoque primus
Subjecit lapidem Petrus archipræſul in urbem
Burdigalæ, cujus plebs collætetur in ævum.

De Greelle.

LVII. Blasius.

Blaſius de Greelle, alias *Regnier*, diœceſis Claromontenſis ſubdiaconus, vivente Petro electus eſt in archiepiſcopum; quem confirmavit Callixtus III. die Septembris an. 1456. ſacram autem & epiſcopalem unctionem accepit in regali S. Dionyſii prope Pariſios baſilica, manibus Juvenalis des Urſins Remenſis archiepiſcopi, juvantibus Johanne de Mailly Noviomenſi, & Guillelmo Chartier Pariſienſi epiſcopis. An. ſequenti die 23. April. Alanus cardinalis legatus apoſtolicæ ſedis in Gallia, Blaſium archiepiſcopum delegavit ad *taxationes* & alia jura cameræ apoſtolicæ percipienda.

Chron. Franc. Joh. Chart.

1461. An. 1461. die 10. Januarii canonici S. Severini Guillelmum de Orinhaco ſubdecanum, electum in decanum, ipſi obtulerunt; quem die Lunæ 19. ejuſdem menſis confirmavit. Paulo poſt Johannes Imberti prior clauſtralis & vicarius generalis capituli ſancti Petri Condomienſis, & Dom. Helias de Furno monachus ejuſdem monaſterii, compromiſſarii capituli, petierunt ut electum a ſe in epiſcopum die 19. Jan. Amanevum de Lomania, presbyterum & canonicum Regul. metropolis Auxitanæ, dignaretur confirmare; quod conceſſit.

1467. An. 1467. die 4. Decembris archiepiſcopus ut dominus caſtellaniæ Bigarrupiæ, compoſuit cum accolis pro cenſu bovino, vulgo *bouage*. Eodem anno Blaſius obiit, aut alteri pedum ceſſit.

Ipſo ſedente Ludovicus rex XI. ſororis ſuæ Magdalenæ nuptias cum Gaſtone comite Fuxenſi celebravit apud Burdigalam an. 1462. quo anno die 12. Novembris habita eſt ibidem prima ſeſſio parlamenti, cujus inſtitutio prius decreta fuerat a Carolo VII. rege. Hoc in conſeſſu Blaſius ut conſiliarius admiſſus eſt. ANNI CHRISTI

Sub hoc etiam archiepiſcopo capitulum liberatur ab ipſius juriſdictione bulla Pii II.

De Montauban.

LVIII. Arturus.

Arturius ex nobiliſſima in Armorica Rohanorum gente, patrem habuit Guillelmum Montis-Albani, &c. baronem, Iſabellis Bavaræ Franciæ reginæ cancellarium, matrem Bonam Mediolanenſem, filiam Caroli principis vicecomitis, qui B Beatricem de Armaniaco duxerat. Arturus militiam primum ſecutus eſt & aulam; ac Franciſci I. Britanniæ ducis gratiam aucupatus fuerat; ſed aſſentatione peſſima præcipuus auctor fuit occidendi Ægidium fratrem ducis, dominum de Chantocé. Hic princeps toto quadriennio in vinculis detentus, cum venena quæcumque cibis immixta, divinitus, ut credere par & pium eſt, ſuperaſſet; nec inedia potuiſſet exſtingui, tandem mappa ſtrangulatus, vel inter duas culcitras ſuffocatus miſere periit.

Hiſt. Brit. Alexii Lob. in fine lib. 17.

Arturus ſive pœnitentia ductus, ſive ut pœnam ſibi debitam effugeret, monachum inſtituti S. Petri Cæleſtini induit, ac in Meduntenſi & Marcociacenſi C monaſteriis per aliquot annos religioſe vixit. Inde vero illum eduxit Ludovicus XI. rex, qui eum diligebat, ejuſque fratrem Johannem Britanniæ mareſcallum, mariſque in Gallia ſummum præfectum. Itaque Regis gratia electus eſt in Burdigalenſem archiepiſcopum, aſſumiturque a Rege in ſanctius conſilium. Anno 1467. die 18. Novembris urbem ſolemni apparatu eſt invectus. 1467.

An. 1471. die 8. Auguſti tranſigit cum Petro de Gain abbate Cadunienſi, & ſtatuit ut imago S. Andreæ, eccleſiæ ſuæ metropolitanæ patroni, depingatur in vitro majoris portæ Cadunienſis eccleſiæ, in ſignum juriſdictionis de Bigaroca, quæ D pertinet ad archipræſules Burdigalæ, cui ſubjacet Cadunium, ex chron. Cadunii. 1471.

An. 1472. die 12. Maii ſepelitur in eccleſia S. Andreæ Carolus filius Caroli VII. regis, dux Aquitaniæ & Normanniæ. An. 1473. bulla Sixti papæ IV. data 12. cal. Febr. delegatus eſt ad inquirendum de vita & moribus Jordani Fabri abbatis S. Johan. Angeliacenſis; eoque depoſito, quod recuſaſſet ipſi ſe ſiſtere, contulit hanc abbatiam Ludovico d'Amboiſe, quem papa jam deſignaverat. An. 1477. die Dom. 20. Julii, Petro Berardi epiſcopo Aginnenſi mortuo & ſepulto, Johannes Maſſy archidiaconus major, & Guillelmus E de Bogia canonicus compromiſſarii, electum a ſe in Aginnenſem epiſcopum Petrum de Boſco canonicum & cantorem S. Andreæ Burdigalenſis Arturo archiepiſc. ſignificarunt, rogantes ut ipſum confirmaret. 1472. 1473. 1477.

Arturus eccleſiam ſuam multis ante mortem decoravit ornamentis. Obiit an. 1478. Pariſiis, ubi ſepulcro illatus eſt apud fratres ſuos Cœleſtinos, deſinente menſe Martio. In Cœleſtinorum Pariſienſium necrologio celebratur ut inſignis ordinis benefactor; legiturque mille libras teſtamento monaſterio Pariſ. legaſſe.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI D'ESPINAY

LIX. ANDREAS.

Andreas d'Eſpinay, nobilis Brito, filius erat Beatricis ſororis Arturi archiepiſcopi, quæ Richardo nupſerat, domino d'Eſpinay, Britanniæ magno ſeu primo cubiculario. Ex hac gente multi per totam Galliam, in Armorica maxime, prodierunt epiſcopi. Quod ſpectat ad Andream, cum 1478. canonici die 10. Aprilis an. 1478. certiores facti fuiſſent de Arturi morte, Rexque ſcripſiſſet capitulo in gratiam Andreæ ejuſdem nepotis ex ſorore, qui majoris eccleſiæ canonicus erat & licentiatus in legibus: hic unanimi conſenſu electus eſt, ex regiſtris capituli, bullaque pontificia Sixti IV. confirmatur, & die 1. Octobris an. 1479. poſſeſſionem iniit, uſus ad hoc vicaria opera Theobaldi fratris, qui S. Mariæ de Clery decanus erat. Anno 1482. 1482. ſolemni pompa urbem eſt ingreſſus[a], an. 1485. 1485. venit ad generalia regni comitia Turonis coacta. An 1488. conſenſit inſtitutioni quatuor canonicorum dimidia præbenda contentorum. An. 1489. 14. Maii renuntiatur cardinalis tituli S. Martini in Montibus.

An. 1490. aut ſequenti abbatia S. Crucis Bur- 1491. digalenſis donata eſt. Anno 1491. apud Amboſiam vicarium ſuum generalem in temporalibus & ſpiritualibus pro abbatia S. Crucis inſtituit D. Petrum Ferraictus priorem clauſtralem. Exinde vero in actis appellatur cardinalis & archiepiſcopus Burdigalenſis & Lugdunenſis. Ceſſerat abba- 1499. tiæ huic an. 1499. quando Carolus de Carreto Thebanus epiſcopus procuratorem ſuum inſtituit D. Gabrielem Gouffier protonotar. S. Sedis ad ipſius poſſeſſionem ſuo nomine capeſſendam.

1500. Obiit Andreas Pariſiis die 10. Nov. anni 1500. condituſque eſt apud Cœleſtinos prope ſacellum ducum Aurelianenſium; ejuſque ſepulcro inſcriptum eſt epitaphium Gallicum quod Latine ſic redditum eſt a fratribus Sammarthanis:

HIC JACET

Reverendus pater in domino, dominus Andreas d'Eſpinay, archiepiſcopus Lugdunenſis & Burdegalenſis, primas Franciæ & Aquitaniæ, zelator & benefactor ordinis Cœleſtinorum, qui obiit Lutetiæ ad Turriculas 10. die Novembris, anno Domini milleſimo quingenteſimo.

Andreas Carolo regi VIII. carus fuit, quem in expeditione Neapolitana ſecutus eſt; adfuitque celebratiſſimo apud Italos prælio ad Fornovium: in quo, cum ob ſummum periculum ipſi ſacerdotes arma ſumſiſſent, inter quos eminebat Guillelmus Briçonet cardinalis epiſcopus Maclovienſis; Eſpinaius aſſumta mitra ceteriſque pontificalibus ornamentis, crucem, ad latus Regis ſtans, prætulit inter armatas acies. Erat vero ſecretioris conſiſtorii comes, quo titulo inter ceteros conſiliarios ſubſcripſit A an. 1493. diplomati Regis, quo privilegia libertateſque Britanniæ ducatus continebantur.

[a] In die feſto Annuntiationis, inquit vetus ſcheda, populo ingenti, & præfulgentium hominum nobilitate, ac clero jubilante, honorifice per urbem equitans proceſſit (Andreas archiepiſcopus) cum comitantibus domino de Monte-ferrando frenum equi ex gentis privilegio tenente; de Landa & Angladiis, locum tenentibus capitalis Boiorum; quorum unus ad dextram, alter ad ſiniſtram archiepiſcopo adhærebat; cumque ad domum decani perveniſſet, inſignibus pontificalibus induitur, & eccleſiam cathedralem ingreſſus, miſſam celebravit.

ANNI CHRISTI DE FOIX.

LX. JOHANNES II.

Johannes de Fuxo parentibus Johanne comite Candalæ & Benaugiæ, capitali Boiorum *, vicecomite Caſtilionenſi; ac Catharina filia Gaſtonis IV. comitis Fuxenſis, vicecomitis Benearnii, ex Eleonora Arragoniæ, in lucem eſt editus. Fratres habuit Gaſtonem comitum Candalæ progenitorem & Johannem comitem de Meille, a quo Gurſonii comites; ſoror autem ejus Anna uxor fuit Ladiſlai Hungarorum regis. Annos natus tantum B 18. electus eſt ſucceſſor Andreæ Eſpinæi anno 1501. Ludovico rege XII. petente, & Alexandro 1501. papa VI. electionem confirmante.

* Captal de Buch.

Paulo poſt initam poſſeſſionem novus archiepiſcopus, pro jucundo ſuo adventu magnam pecuniæ ſummam exegit a clericis, abbatibus, & monachis; nec pepercit abbatiæ S. Crucis, *quamvis tam de jure ſingulari privilegio, quam ex laudabili, antiqua & approbata conſuetudine immunis foret & exemta a quibuſcunque ſubſidiis & exactionibus.*

His & multis aliis rationibus fulti religioſi viri Doinotus de Saillant ſubprior & vicarius generalis in ſpiritualibus & temporalibus Carbli de Carreto C abbatis, necnon Agnotus de Chaumont camerarius & ſyndicus monaſterii, appellarunt ab archiepiſcopo ejuſque *officialibus* ad apoſtolicam ſedem, ſeu *petierunt apoſtolos*; quam appellationem notam fecerunt Petro Andron de Lanſſac abbati de Burgo, vicario generali archiepiſcopi, an. 1503. 1503. die 30. Octobris. An. 1504. die 18. Februarii in loco *de Bello-videre* Sarlatenſis diœceſis dom. Johannes de Fuxo paciſcitur cum dom. Anna *de Tange-bovem*, Touche-bœuf, abbatiſſa, Johanna de Falga prioriſſa de Auriaco, Catharina de Mota *ſacriſtana*, & aliis monialibus monaſterii Fontis-gaufferii, *Font-gauffier; quod manu tenetur in exercitio baſſæ juſtitiæ dicti loci Fontis-galferii, quam* D *tenet ab eodem archiepiſcopo ſub homagio.*

Anno 1512. deſinente, Odetus de Fuxo Lau- 1512. treci dominus & vicecomes, Burdigalam ingreſſus eſt magno cum apparatu. Anno 1521. die 18. 1521. Julii monialibus ſub patrocinio beatiſſimæ virginis Annuntiatæ inſtitutis a B. Johanna Ludovici XI. filia, conceſſæ ſunt ædes in urbe Burdigala, Jacoba de Lauſſac Alexandri a ſancto Gelaſio Regis oratoris in Hiſpania & apud Helvetios uxore, fundum & neceſſaria ad ſumtus faciendos præbente. Sub noſtro quoque archiepiſcopo religioſa familia patrum *de Mercede*, ſeu *de Redemtione captivorum*, E urbem ingreſſa eſt. Minimis qui S. Franciſcum de Paula patronum habent, datus eſt quoque an. 1527. locus ad habitandum, ubi olim conventum habuerant ſanctimoniales dictæ a S. Auguſtino, vel a S. Monica. Cum ab anno circiter 1515. aut 1516. Franciſco I. rege, & Lautreco Aquitaniæ præfecto faventibus, fratres Minores dicti de Obſervantia S. Franciſci, fratres Minores conventuales pluribus ex conventibus, reformationis inducendæ gratia, ejeciſſent, maxime ex Burdigalenſi, Johannes archiepiſcopus uſus eſt eccleſiaſticis cenſuris adverſus Obſervantinos; & ita Regis, qui

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

ipſis favebat, gravem offenſam incurrit. At facta & decreta contra eos retractavit & revocavit, litteris datis die 23. Julii an. 1523. Anno 1528. electionis factæ a capitulo Guidonis Deydie in epiſcopum Sarlatenſem examen, & pontificii diplomatis recognitionem fieri per vicarium ſuum generalem curavit.

Vivere deſinit Johannes adhuc juvenis apud
1529. Cadellacum die 25. Junii an. 1529. & in eccleſia patrum Carmelitarum Langonienſium eſt ſepultus. Sub hoc archipræſule fornices navis eccleſiæ S. Andreæ, quæ an. 1427. corruerant, reſtauratæ ſunt, uti probant ſculpta in fornicum concluſuris ipſius inſignia.

De Gram-mont.

LXI. Gabriel.

Paulo poſt Johannis mortem, convenerunt canonici numero 24. ut archiepiſcopum eligerent; ex quibus novem pro Bertrando de Goulart de Braſſac canonico & ſacriſta S. Andreæ, necnon præſide in inquiſitionum camera, ſuffragia tulerunt; at plura faverunt Gabrieli de Acromonte, qui die 14. Julii anni 1529. ſecundum priſtinum morem, qui in ipſo deſiit, eſt electus. De hac electione dubitare poſſemus, ut pote facta poſt concordata inter Leonem X. & Franciſcum I. quibus contraria videtur, niſi Hieronymus Lopeſius ejus acta legiſſet in capituli regiſtris. At eam a ſummo pontifice reſciſſam fuiſſe lego; & quidem paulo
1530. poſt, ſcilicet an. 1530. Carolus, Gabrielis frater, archiepiſcopus Burdigalenſis occurrit. Forſitan Clemens VII. conſentiente Rege, cui Gabriel ob felix ingenium & optimarum litterarum peritiam erat in deliciis, ipſum archiepiſcopatum libere abdicantem, eodem anno quo electus fuerat, ad ſacrum cardinalium ordinem aſſumſit, videlicet die 19. Dec. ut docent Sammarthani & Lopeſius, vel die Mercurii octava Junii anni 1530. ut legitur apud Friſonem; ſimulque Carolum fratrem ad archiepiſcopales infulas, quas ipſe reliquerat, provexit.

Porro Gabriel Acromontanus, cum puer a natura feliciſſime dotibus animi & ſingulari ingenii acumine eſſet inſtructus, inter liberos præcipue a parentibus delectus eſt, qui in optimis litteris educaretur.

Plurimas obivit legationes, & maxima quidem cum laude prudentiæ: Romæ apud Clementem VII. qui ei ſacram contulit purpuram: in Anglia ad Henricum regem VIII. pro fœdere inter Gallos & Anglos ineundo: in Hiſpania ad Carolum V. imperatorem, pro liberatione Franciſci regis I. ac filiorum, quam cum Margarita Navarræ regina Regis ſorore procuravit. Præcipuus quoque auctor fuit conjugii inter Henricum Aurelianenſem ducem, & Catharinam Medicæam papæ neptem contrahendi. Roma rediens, ubi rerum & negotiorum Franciæ procuratione ſumma cum laude perfunctus fuerat, reverſus, in caſtro de Balma prope Toloſam exceſſit e vita an. 1534. 26. Maii, apud ſuos Bearnenſes, in eccleſia caſtri de Bidache, diœceſis Bajonenſis, majorum conditorio, juxta Acrimontanorum procerum oſſa tumulatus.

ANNI CHRISTI

LXII. Carolus.

De Gram-mont.

Carolus de Acromonte Gabrielis frater natu major, nobiliſſima familia Acromontana in regno Navarræ genitus, patre videlicet Rogerio Acromontano dynaſta, ſeneſcallo Aquitaniæ, Ludovici regis XII. ad ſummum pontificem legato, matre Leonora Bencarna, paris nobilitatis femina, clericali militiæ ſe addixit; & poſt adminiſtratos epiſcopatus Conſoranenſem ac Aduренſem, uti jam diximus, ad Burdigalenſem pervenit metropolim an. 1530. qua in urbe & provincia utramque poteſtatem, ſpiritualem ac temporalem exercuit; ſimul enim geſſit Aquitaniæ hodiernæ præfecturam per annos 25. ſub proregibus Odeto Fuxio de Lautrec, & Henrico de Lebreto rege Navarræ.

Primo ejus epiſcopatus anno, excepta eſt Burdigalæ Eleonora Auſtriaca Caroli V. imperatoris ſoror Franciſco I. deſponſata. Anno vero 1539. 1539.
Carolus Auguſtus ipſe ex Hiſpania pergens in Belgium, per hanc urbem tranſiit.

Hujus archiepiſc. munificentiæ debetur odeum eccleſiæ majoris, mira arte conſtructum, ubi in ſuperiori parte valvarum chori viſuntur ipſius inſignia gentilitia. Eodem archiepiſcopo ſuadente, capitulum elegit in canonicum theologum Vincentium Cabart, qui primus in hac eccleſia fuit admiſſus. Obiit Carolus an. 1544. ejuſque corpus Bidachium delatum eſt in diœceſi Aquenſi, ubi nobilis gentis Acrimontanæ commune eſt conditorium.

Du Bellay.

LXIII. Johannes III.

De Johanne Bellayo jam ſatis diximus in Baionenſibus epiſcopis; in hac enim cathedra primum ſumſit infulas ſacrumque magiſtratum; auctuſque ſemper ut meritis, ita dignitatibus, tandem pervenit ad eam qua nulla major in eccleſia præter ſummum pontificatum; fuit enim ſacri collegii decanus & epiſcopus Oſtienſis. *Tom. 1. col. 1320.*

Quando quidem Johannes jam erat cardinalis, multiſque potiebatur epiſcopatibus, archiepiſcopatum Burdigalenſem obtinuit tantum ſub titulo adminiſtratoris. Poſſeſſionem adiit die 25. Januarii anni 1544. Ut autem ad eam ſedem provectus eſt, 1544.
Salmonius Macrinus Juliodunenſis, poëta celeberrimus, cum ſalutavit elegantibus verſibus, ode videlicet ipſi inſcripta. Anno 1553. ceſſit in gra- 1553.
tiam ſequentis.

Si fides fratri Paulo Sarpio ſit debita, Johannes Montlucius anno 1551. erat electus Burdigalenſis, quando legatus miſſus eſt a rege Chriſtianiſſimo ad Julium papam III. ut eum in Gallos ſubiratum placaret, uti legitur in hiſtoria concil. Trid. lib. IV. paulo poſt initium. Sed qui ſæpius errat in domeſticis actis referendis, facile potuit falli extranea referendo facta. Adminiſtrante adhuc Bellayo anno 1548. contigit Burdigalæ funeſta plebeculæ ſeditio, in qua trucidatus eſt dominus de Moneins prorex, pulſique ſunt magiſtratus.

De Mauny.

LXIV. Franciscus III.

Franciſcus de Mauny antea epiſcopus Briocenſis,

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

an. 1553. tranſlatus eſt ab hac ſede ad metropolim Burdigalenſem bulla pontificia data 4. Novembris, quæ tantum oblata eſt capitulo anno
1554. 1554. die 26. Aprilis: die vero XI. Novembris in urbem ſolemni pompa invectus eſt. In ingreſſu vir clariſſimus Michael de Montagne; ſcriptis ſuis ubique terrarum notus, cum civium præfectus * foret, eorum nomine ad eum luculentam orationem habuit.

* maire.

Eodem fere tempore regio placito dato die 20. Febr. archiepiſcopum Burdigal. eſſe conſiliarium, ut aiunt, *natum* in ſenatu definitum eſt, cum jure
1558. ſedis, & dicendæ ſententiæ. Anno 1558. morti ſuccubuit Franciſcus, ſed incertum quo die & B menſe. Sub hoc archipræſule claruit Burdigalæ Arnoldus Ferronus ſenator, qui libros IX. de rebus geſtis Gallorum eleganter edidit, ab eo loco ubi Paulus Æmilius alter nobiliſſimus rerum Gallicarum ſcriptor, finem fecit. Sed cum in medio curſu e vivis ſublatus filum hiſtoriæ ſuæ non perduxerit, haud utique tacendum eſt Jacobum Auguſtum Thuanum ſenatus Pariſienſis præſidem ampliſſimum, ſumma virum eruditione inſignem, ſcriptiſque toto Orbe notiſſimum, id quoque argumenti opus ſuſcepiſſe, univerſales ſcilicet ſui temporis hiſtorias componere aggreſſum, quas ab anno Dom. M. D. XLIII. uſque ad an. M. DC. VII. operoſa C diligentia juxta, & incomparabili ſtyli elegantia, magno Gallici nominis ornamento uberrime proſecutus eſt.

DU BELLAY.

LXV. JOHANNES III.

Johannes Bellayus cardinalis Oſtienſis, poſt Franciſci mortem, redditur ſedi ſuæ Burdigalenſi, via, ut aiunt, regreſſus. At brevi tempore præfuit; nam biennio vix elapſo Romæ obiit anno 1560.
1560. ſepultuſque eſt in eccleſia S. Trinitatis de Monte-Pincio. In epiſcopis Pariſienſibus iterum recurret tanti cardinalis mentio.

PREVOST.

LXVI. ANTONIUS.

a Antonius Prevoſt a de Sanſac equeſtri ortus familia, deſignatus a rege Chriſtianiſſimo, confirmatuſque bulla Papæ, archiepiſcopatus Burdigalenſis poſſeſſionem per procuratorem obtinuit die 18. Martii anni 1560. quo tempore nondum annus incipiebat a menſe Januario; menſe Junio
1561. ſequenti quo annus 1561. computabatur, Antonius conſecratur ab epiſcopis Sarlatenſi, Tutelenſi
Summarii. & Graſſenſi. Subſcripſit actis ſynodi ſeu colloquii Piſciacenſis eodem anno habiti menſe Auguſto.

1565. Anno 1565. Carolus nonus rex Burdegalam E veniens feſtiva in ea urbe pompa exceptus eſt; in qua id præ ceteris memoria dignum, quod equites trecenti ei occurrerint captivos ducentes ex duodecim barbaris gentibus; Turcis, Arabibus, Ægyptiis, Æthiopibus, Indis, &c. qui ſinguli patria ſua lingua Regem ſalutarunt.

1573. Anno 1573. collegium Societatis Jeſu inſtituitur; quo etiam anno Antonius adfuit conventui epiſcoporum juſſu Regis Lutetiæ coacto menſe

a In quodam mandato pro reformanda S. Crucis abbatia ſic præfatur: *Veu par nous Antoine Prevoſt archeveſque de Bourdeaux, primat d'Aquitaine;* ubi cognomen de Sanſac eſt omiſſum.

A Novembri; anno vero 1577. comitiis generalibus regni totius apud Bleſas habitis.

ANNI CHRISTI

Anno 1582. celebravit Burdigalæ concilium provinciale ad tutandam fidem orthodoxam adverſus hæreſes tunc graſſantes, potiſſimum in Aquitania, reſtituendamque eccleſiaſticam diſciplinam, & emendandos cleri & populi mores; canoneſque hoc in cœtu conditi, ab apoſtolica ſede approbati
1582. b ſunt. Anno ſequenti ſeminarium inſtituit in collegio S. Raphaelis, ut concilii Tridentini decretis morem gereret. Anno 1589. Fulienſibus conce-
1589. duntur eccleſia & ædes, quæ olim ad religioſos ordinis S. Antonii pertinebant. Hoc monaſterium auctum eſt unione nonnullorum ſacerdotiorum (beneficia vulgo appellant) facta auctoritate archiepiſcoporum Franciſci cardinalis de Sourdis & Henrici de Bethune.

Vitam clauſit Antonius die 17. Octobris an. 1591. Ejus tamen funus dilatum eſt uſque ad diem
1591. 30. ejuſdem menſis, quo magna pompa, & incredibili populi concurſu ſepultum eſt ejus corpus prope majus altare. Fuit hic præſul ſingulari morum ſuavitate præditus, miſericors in pauperes, omnium ſibi ſubditorum vere pater. Plurimum autem laboraverat ut urbem Burdigalam in Regis obſequio contineret adverſus Hugonotorum & Enoticorum * conatus & artes. Ejus heredes ipſius memoriæ monumentum erexerunt, quod ornarunt hac epigraphe:

* les ligueurs.

D. O. M. S.

Sic properas! at mane: huic te ſaxo adhibere faventiam fas eſt. Antonii Prevoti Sanſaci manes ad te orant; qui caſſabunda ætate annos 85. natus, cum Aquitanicam eccleſiam ſex luſtris & amplius princeps rexiſſet, in eo corpus depoſuit ſuum. Hic clariſſimæ ſtirpis adoream pontificatus Aquitanici faſtigio condecoravit, vir ad antiquæ probitatis ſpecimen expreſſus, ſupra omne ævum hujus ſæculi innocentiſſimus. Singulari vitæ caſtimonia ſanctiſſimus, carus idem & verecunda morum lenitate ſuaviſſimus, in videndis perduellium techuis oculiſſimus, adverſus hæreticorum apludas fortiſſimus, ſummatibus, infimatibus & medioxumis cariſſimus; ſuo tandem fato licet piorum gregi numero precox, qui interceptus ſempiternum cum cœlitibus ævum degit. Ludovica pia ſoror benemerenti mœrens

P. C.

Vitæ bene actæ mors beata.
Mortalis incola cœlitum colonus fio.
Non eſt vivere vita, ſed mori.
Vivere deſine vivere deſinam.

Eo ſedente rebus humanis exemti ſunt viri docti, Elias Vinetus Burdigalenſis ſcholæ præfectus, de litteris bene meritus an. 1587. Stephan. Boëtianus ſenator, & 1592. Michael Montanus ejus æqualis & collega, qui elegantes Miſcellaneorum libros quos appellavit conatus, conſcripſit; de quibus

b Hæc ad Antonium archiep. ſcripſit Gregorius XIII. *Incredibiliter lætati ſumus ſynodum provincialem a tua fraternitate ad nos miſſam perfectam eſſe tanta cum pietate, quantum & res ipſa flagitabat, & zelus tuus pollicebatur; quo nomine te plurimi facimus; tibi, provincialibuſque tuis omnia a nobis paternæ charitatis officia deberi agnoſcimus*, &c. Dat. Romæ . . . die 3. Decembris an. 1583.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

Scævola Sammarthanus Franciæ quæſtor, in libro elogiorum doctrina illuſtrium Gallorum qui noſtra patrumque memoria floruerunt.

D'Escoubleau.

LXVII. Franciscus IV.

Franciſcus d'Eſcoubleau de Sourdis, Franciſci marchionis d'Alluye domini de Sourdis, equitis torquati ſeu regiorum ordinum, regiique Carnutum præfecti, ex Iſabella de la Bourdaiſiere filius natu major, die 3. Martii anno 1598. adſcitus fuit in ſacrum cardinalium collegium, & anno ſequenti cum eſſet nominatus ad archiepiſcopatum Burdigalenſem ab Henrico IV. cui carus erat, bullas obtinuit a Clemente papa VIII. poſtquam ſedes hæc diu vacua fuiſſet. Poſſeſſionem adiit per procuratorem die 8. Januarii an. 1600. Burdigalam eccleſiamque ſuam ingredi voluit abſque pompa, cujus loco in proceſſione generali, cui ſenatus & omnes urbis ordines adfuerunt, geſtavit ſacrum Domini corpus die 12. Martii præfati anni. Sub hujus archiepiſcopi auſpiciis Minimi, Fulienſes, Carmelitæ diſcalceati, Minores dicti Capucini, moniales a ſancta Urſula, & aliæ a Deipara virgine Domina noſtra nuncupatæ, nec non Carmelitæ, aut introducuntur in urbem aut novas ſibi ædes commodiores ædificant. Conduntur imprimis duæ domus Jeſuitarum; una profeſſorum, novitiorum altera. Prætermittere non debemus ſtrictiorem regulæ S. Benedicti obſervantiam, ipſo annitente, receptam in celebri S. Crucis monaſterio, ſub regimine congregationis S. Mauri. Carthuſianorum aſceterium conſtruxit regali pene munificentia; quæ omnia Deiparæ virgini dicata eſſe voluit, ut probat inſcriptio hæc:

1598.

1600.

Templa, domus, latices, horti, Carthuſia, ſilvæ
Surrexere tuis Virgo ſub auſpiciis.

Porro noſtri archiepiſcopi eleemoſynis propter magnos illos ſumtus nihil detractum eſt. Anno 1622. cum audiſſet Romæ, Burdigalam urbem, diœceſim & provinciam omnem gravi fame laborare, ſcripſit ad ſuum vicarium generalem, ut omne frumentum, annonam omnem, ſive apud Liburniam, ſive apud S. Æmilianum, &c. in pauperes maxime meticuloſos, mendicare quos pudebat effunderet: magnum lucrum putans pauperem fieri ad ditandos aut ſublevandos egenos. Ut præcipua Franciſci acta breviter perſtringamus, an. 1605. Romæ adfuit electioni Leonis papæ XI. & Pauli V. An. 1607. die 17. Aprilis abluit ſacris undis ſecundum filium Henrici IV. regis, qui fuit Aurelianenſis dux. Anno ſequenti eccleſiam Fulienſium Pariſienſium in vico S. Honorati dedicavit die 8. Auguſti.

1605.

Anno 1610. Pariſiis aderat quando Henricus rex impia manu trucidatus fuit; aceurrenſque, cum corpus Regis adhuc calere, arteriaſque moveri exploraſſet; ipſi abſolutionem ſub conditione dedit; cujus mortis occaſione Paulus papa V. has litteras ad eum ſcripſit:

1610.

Dilecto filio noſtro Franciſco tituli S. Marcelli presbytero cardinali de Sourdis nuncupato, Paulus papa V. Dilecte fili noſter ſalutem & apoſt. benedictionem. Minime indigere te credimus ut dolorem quo affecti ſumus ex morte miſerabili chariſſimi in Chriſto filii noſtri Henrici regis Chriſtianiſſimi tibi ſignificemus, cum multis de cauſis perſpectus tibi eſſe poſſit, potiſſimum autem ex charitate noſtra in eum ſingulari tibi nota, & ex facinoris atrocitate, ſed ex perſona tua non mediocre ſolatium nobis polliceamur. Complexi ſumus toto noſtræ paternæ charitatis affectu chariſſimum in Chriſto filium noſtrum Ludovicum novum regem, quem ob ejus præclaram indolem, optimamque, ut accepimus, educationem in chriſtiana pietate & catholica religione, progreſſu ætatis, accedente divina gratia, ſperamus æmulum, imitatoremque fore paternarum virtutum. Interim cupimus pacem & tranquillitatem regni cum catholicæ religionis incremento tueri. Huic noſtro deſiderio valde opitulari te poſſe arbitramur, quia pax & tranquillitas regni ex obedientia & obſequio regni ordinum erga Regem & Reginam ejus matrem maxime dependent. Efficaciſſime igitur te requirimus, ſtudeas regni ordines fideles obedienteſque Regi ac Reginæ conſervare, & in hoc omnem diligentiam atque curam ponere, ſicuti uberius adhuc tibi noſtro nomine venerabilis frater Robertus epiſcopus Montispolitiani apoſtolicus nuntius ſignificabit. Cui eandem prorſus fidem adhibebis quam nobis haberes, ſi te alloqueremur. Augeat dominus in te ſuam ſanctam gratiam, & nos tibi peramanter benedicimus. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo piſcatoris IV. cal. Junii M. DC. X. pontificatus noſtri anno VI.

An. 1615. celebratæ ſunt Burdigalæ nuptiæ Elizabeth ſororis Regis cum Philippo regis Hiſpaniæ filio, quem *Infantem* appellant, qui poſtea fuit rex Hiſpaniæ Philippus IV. Principis vero procurator fuit dux Guiſius; miniſter autem erat cardinalis Surdiſius, cui in miſſa pontificali & ſolemni adſtiterunt epiſcopi Rivenſis, & Vaſatenſis, unus tanquam diaconus, alter ut ſubdiaconus.

1615.

An. 1617. Johannes-Ludovicus de la Vallete, dux Sparnonenſis, fundavit apud Cadillacum noſocomium, cujus procurationem & adminiſtrationem dedit fratribus vulgo a Caritate nuncupatis. Ad hæc vero pietatis opera viros nobiles & divites impellebant noſtri archiepiſcopi tum exempla, tum hortamenta.

Quam fuerit eccleſiaſticæ diſciplinæ ſtudioſus aſſertor Franciſcus, teſtatur concilium provinciale Burdegalæ convocatum 1624. menſe Septembri, cui interfuere octo epiſcopi ſuffraganei, Claudius Agennenſis, Antonius Engoliſmenſis, Michael Santonenſis, Henricus-Lud. Pictavienſis, Franciſcus Petrocoricenſis, Antonius Condomienſis, Henricus Malleacenſis, Emericus Lucionenſis; actumque in eo de diſciplina & morum reformatione ac juriſdictione eccleſiaſtica, cujus acta in publicum edita ſunt tom. 15. concil. Labb. Tum an. 1625. Maii 30. pro Clero orationem habuit coram Ludovico XIII. rege, adſtantibus epiſcopis in cœtu Pariſienſi congregatis, ad aſſerendam auctoritatem comitiorum Gallicanorum. Mortuus eſt hic cardinalis Burdigalæ M. DC. XXVIII. * Febr. die 8. ætatis anno ferme quinquageſimo tertio, ſepultuſque in eccleſia Carthuſianorum quam conſtruxerat, in crypta ad id ipſius pia ſollicitudine parata. Ejus elogium

1624.

1625.

* 28. Janu. *Du Fourny.*

elogium funebre, auctore G. Grimaud canonico theologo, editum est Burdigalæ, eodem an. 1628. Ab initio sui pontificatus multas lites contra capitulum habuit, de quibus cum ad summum pontificem querelas detulisset, accepit responsum in quo elucent Clementis octavi, pontificis sane maximi, prudentia, caritas, & spiritus lenitatis. Interceserunt quoque inter archiepiscopum & senatum Burdigalensem graves controversiæ: de quibus silendum existimamus.

ANNI CHRISTI

LXVIII. HENRICUS II.

D'ESCOUBLEAU.

Henricus d'Escoubleau, tertius Francisci card. frater, sanctioris consistorii consiliarius, abbas S. Crucis Burdigal. Silvæ-majoris, Regalis-montis, Pruliaci, B. Petri de Aurea-valle *, S. Crucis de Angla, & S. Jovini de Marna in Pictonibus, &c. ordinis S. Spiritus præceptor, Henrico patruo successor delectus in ecclesia Malleacensi, duodeviginti annos natus consecratur episcopus a fratre Dominica XIX. Martii 1623. apud Cartusianos Parisienses. Mortuo fratre cum collati archiepiscopatus diploma 16. Julii anni 1629. accepisset, 1630. possessionem adeptus est an. 1630. die 17. Augusti, usus procuratore; die vero 2. Decembris 1628. Burdigalam accessit sine pompa an. 1628. Hic, ut auctor est Spondanus in Annalibus, vir fuit acris ingenii & magnorum spirituum, qui in expeditionibus bellicis Rupellana & Italica Ludovicum regem XIII. comitatus est: Rupellaque ipsa in deditionem accepta, die festo omnium Sanctorum, ædem sacram S. Margaritæ antea ab hæreticis prophanatam reconciliavit, & sacra sacrificia coram pio Principe peregit, quem cum clero adventantem in urbem susceperat metropolitico jure. Mox & in regione Pedemontana eum secutus est 1629. an. 1629. quo tempore capta Susa, mandatum accepit a Christianissimo principe, ut religionem catholicam restitueret in valle Pragellana, exstirpata hæresi, & omnibus recte institutis, quæ ad ecclesiæ regimen, & pastorum in iis pagis degentium officium & ordinationem spectabant. Inde sacramentum fidelitatis pro temporalibus bonis 1630. præstitit XI. Maii 1630. An. 1633. Maii XIV. in 1633. festo Pentecostes militiæ S. Spiritus inter præceptores ecclesiasticos adscribitur apud Fontembellaquam, cum Armando Johanne Plessio cardinali Richelio, Lud. card. de Valetta, Claudio de Rebé archiepisc. Narbonensi, & Johan. Francisco Gondio Parisiensi archiepiscopo.

Sub finem ejusdem anni grave dissidium Burdigalæ inter hunc archiepiscopum & provinciæ præfectum levi ex causa ortum est, sed quod nihilominus ad minas, ad vim apertam & arma, denique ad censurarum Ecclesiæ inflictionem prosiliit: multa hinc inde consilia, accusationes, defensiones, variæque latæ sententiæ. Res ad Regem atque pontificem Urbanum VIII. delata, post multas altercationes, eum tandem exitum habuit, ut auctoritate pontificia Alexandro cardinali Bichio delegato, absoluti sint pœnitentes rei, ab ipsomet Henrico archipræsule, apud Curtracum in diœcesi Burdigalensi ante atrium parochialis ecclesiæ sancti 1634. Johannis, 20. Sept. 1634.

Præfuit hic archiepisc. comitiis cleri Gallicani Parisiens. an. 1535. Ejusdem antistitis prudentia, ac virtute bellica Henrici Lotharingi comitis Haricuriæ, in Francia maris præfecti, expugnatæ sunt insulæ S. Honorati & S. Margaritæ ad oram maritimam Provinciæ, ante biennium ab Hispanis occupatæ, & egregie munitæ. Quo etiam tempore sedulam operam impendit in Occitania, & aliis expeditionibus maritimis, quibus summo cum imperio præfuit. ANNI CHRISTI 1635.

Iis tamen curis distentus regimini suæ diœcesis providere non destitit; nam & mense Novembri 1633. fundationem monialium Benedictinarum Burdigalæ approbavit; instituitque 1638. Junii 16. in eadem urbe societatem sororum S. Josephi pro regimine juvencularum orphanarum. Cadillaci 7. Maii 1629. admisit patres Doctrinæ Christianæ a duce Espernonio fundatos, & Burdigalæ 1. Julii 1640. moniales Visitationis S. Virginis, & B. Magdalenæ 14. Aug. 1641. At vero ne ob absentiam suam aliquid paterentur detrimenti res ecclesiæ, accersivit Eustachium & Johan. Bapt. Gaut fratres, e congregatione Oratorii viros doctrina & pietate præstantissimos, qui vice sui in agro Domini laborarent. 1638. 1640.

Interim cum Lutetiam delegatus fuisset, ad comitia cleri Gallicani ubi unus ex præsidibus fuit, morbo correptus, obiit in vico d'Auteuil ad Sequanam 18. Junii anno 1645. ætatis 51. Corpus conditum est in ecclesia castri gentilitii de Jouy, non longe a Lutetia. Antistites vero hujus sacri conventus, illi solemnes exsequias Parisiis in Augustinianorum templo celebravere, ac paulo post oratione funebri commendatus est die 14. Julii a Dionysio de la Barde Briocensi episcopo. 1645.

DE BETHUNE.

LXIX. HENRICUS III.

Henricus de Bethune ex vetustissima nobilissimaque gente dominorum de Bethune in Atrebatibus, Philippi comitis Cellensis & de Charrots in Biturigibus, regiorum ordinum equitis, filius ex Catharina le Bouthillier de Senlis, natus est Romæ Augusto mense, dum parens legationem ibidem apud Clementem papam VIII. pro Henrico IV. rege Christianissimo summa prudentia & dexteritate obiret. Sacro fonte susceptus est a Cynthio Aldobrandino cardinali, & a Leonora Ursina Sfortiæ ducissa.

Cum a puero præclarissima ejus indoles jam efflorescceret, anno 1610. designatus est eleemosynarius major ducis Aurelianensis, secundi Henrici regis filii, pottea aliquot abbatiis decoratur Cum demum attigisset ætatem, quæ sufferendis episcopatus oneribus par esse videbatur, a Ludovico rege episcopatu Baionensi honestatus est die 1. Octobris an. 1626. sed antequam bullas impetrasset, aut fuisset consecratus, designatus est Malleacensis episcopus, pro qua ecclesia unctus est die 6. Januarii, qui Epiphaniæ Domini sacer est, an. 1630. a Johanne Francisco de Gondy archiepisc. Parisiensi, adsistentibus Philippo Colpean Nannetensi, & Emerico de Bragelone Lucionensi episcopis. Eodem anno adiit possessionem mense Februario. Ab hac sede translatus est ad

ANNI CHRISTI 1646. 1648.

Burdigalenſem metropolim ſchedula regis Ludovici XIV. data die 20. Novembris anno 1646. poſſeſſor factus eſt hujus eccleſiæ per procuratorem an. 1648. Paulo antea pallium acceperat, ſcilicet die 16. Aug. ab Innoc. X. per manus Franciſci-Pauli de Gondy Corinthi archiep. coadjutoriſque Pariſienſis; ſolemnem vero ingreſſum diſtulit, quod morbis laboraret urbs, ac inteſtinis tumultibus æſtuaret, quibus ſedandis operam ſtrenue navavit.

An. 1649. approbavit congregationem quandam ſeu ſeminarium ad clericorum inſtitutionem, & miſſiones faciendas, auctore Johanne Fonteneil magno archidiacono. Anno ſequenti excepit 1665. Regem Burdigalam adventantem. An. 1655. ſedit inter præſides cœtus totius cleri Gallicani.

Sacra celebravit ſolemniter an. 1666. in morte reginæ matris Annæ Auſtriacæ, cui parentaverunt totius cleri Gallicani comitia Pariſiis apud Auguſtinianos congregata, a quibus etiam delectus epiſcopus Mimatenſis, piæ reginæ laudes intra miſſarum ſolemnia e ſacro pulpito pronuntiavit. 1680. Obiit die undecima Maii an. 1680. an. ætatis ſuæ 76. ſepultus in eccleſia S. Andreæ, quam ſuo teſtamento heredem ſcripſit ex aſſe, Jeſuitis vero reliquit rem ſuam librariam, & cor ſuum in eorum eccleſia ſepeliendum.

D'ANGLURE.

LXIX. LUDOVICUS.

Ludovicus d'Anglure de Bourlemont, Rotæ auditor in curia Romana per annos 22. deſignatur archiepiſcopus die 6. Septembris an. 1680. cum prius recuſaſſet epiſcopatus Tornacenſem & Vaurenſem, deſignatuſque fuiſſet epiſcopus Forojulienſis, & Carcaſſonenſis, Romæ vero conſecratus fuerat anno 1679. pro eccleſia Forojulienſi. Obiit Burdigalæ an. 1697. die 9. Novembris 1697. ætatis ſuæ an. 70.

ANNI CHRISTI

BASIN DE BEZONS.

LXXI. ARMANDUS.

Armandus Baſin de Bezons frater præſtantiſſimi bellica virtute viri toparchæ de Bezons Franciæ polemarchi, prius epiſcopus Aduренſis, die 29. Martii an. 1698. ad hanc metropolitanam ſedem nominatur a rege Chriſtianiſſimo, qui antea deſignaverat Henricum de Thiard de Biſſy Tullenſem epiſcopum, nunc epiſcopum Meldenſem, S. Romanæ Eccleſiæ cardinalem, & abbatem ſancti Germani a pratis.

Adfuit ſæpe generalibus cleri Gallicani comitiis, in cujus negotiis, quæ diu feliciter procuravit, verſatiſſimus eſt. Quapropter in conſeſſu de rebus eccleſiaſticis, quem inſtituerat Philippus dux Aurelianenſis regni Franciæ rector, regius hic princeps noſtrum Armandum ſecundum locum poſt eminentiſſimum cardinalem Noallium obtinere voluit. Pergit optimus archipræſul totius Eccleſiæ paci conciliandæ ſtudioſiſſime collaborare.

DECANI ECCLESIÆ BURDIGALENSIS.

I. PETRUS cognomento Viroaldus decanus & archidiac. ſubſcribit concilio Burdigal. ab Amato Olorenſi & Hugone Dienſi epiſc. ſedis apoſt. legatis habito an. 1079. & Romano anno 1096. Munivit quoque ſubſcriptione ſua confirmationem donationis Willelmi Aquit. ducis pro altari S. Mariæ de Solaco eodem an. 1096. VIII. cal. Aprilis, ex tabul. S. Crucis. An. 1099. pepigit cum Fulcone abbate S. Crucis pro eccleſia S. Michaëlis. Commemoratur præterea in charta Silvæ-majoris anno 1097. ac in judicio lato pro monachis S. Cypriani, adverſus monachos S. Florentii, cum Amato archiepiſcopo Burdigal. & Simone Aginnenſi epiſcopo. Anno 1100. creatus eſt epiſcopus Lemovic. ex chronico Malleacenſi.

II. Raimundus an. 1107. tempore Arnaldi archiepiſcopi, ex charta Silvæ-majoris.

III. S. an. 1124. ex tab. S. Crucis.

IV. Geraldus I. an. 1174. idem ut conjicimus qui anno 1180. deſignatus per primam nominis ſui litteram S. aſſenſum præbuit donationi Guillelmi archiepiſcopi pro monaſterio Faëſiæ; & anno 1184. memoratur in charta Silvæ-majoris.

V. Stephanus annis 1187. & 1189. in charta eccleſiæ Vaſatenſis. Stephanus decanus Burdigalenſis domini archiepiſcopi vicarius, & P. abbas Aurevallenſis confirmant donationem cujuſdam prati apud Verruam * monaſterio S. Maxentii factam a P. Meingot milite domino de Chaucarota *, quam etiam ratam habuit Hugo Archiepiſcopus dominus Partiniaci. Actum apud Partiniacum in capitulo beati Laurentii, audientibus Johanne priore S. Laurentii, Gauterio ſacriſta S. Maxentii, Johanne priore de Verrua monachis, & aliis militibus ac clericis, anno Incarnati verbi M. C. XCVII. Philippo rege Franc. Ricardo rege Anglorum, Otone comite Pictavenſium & duce Aquitanorum. Jam præerat Stephanus an. 1186. ut videre eſt in Guillelmo le Templier archiepiſcopo, adhucque memoratur an. 1195. in compoſitione facta a Bertrando Aginnenſi præſule inter Heliam archiep. & capitulum.

VI. Geraldus II. de Mala-morte ſuccedit Heliæ archiepiſcopo an. 1227.

VII. Willelmus an. 1228. in charta Geraldi archiepiſcopi apud Lopeſium pag. 228.

VIII. Petrus II. ſigillum appoſuit donationi de Balagh factæ monaſterio S. Crucis, anno 1235. Erat quoque vicarius generalis archiepiſcopi, ex charta Silvæ-majoris ejuſdem anni.

IX. Boſo de Boinaco ſubſcribit compoſitioni capituli S. Severini, cum ſeneſcallo & juratis an. 1277. De eo vide in Simone de Rupe-cavardi.

X. Aimarus de Rupe-fucaldi dominus de Celle-froin, Guidonis VI. de Rupe-fucaldi dynaſtæ & Agnetis de Roche-chouart filius. decanus poſt annum 1300.

XI. Theobaldus d'Ages recipit juramentum

* Verruye en Gaſtine, nunc prioratus abbatiæ S. Maxentii ſubjectus.

* *f.* Chaucerayc.

Petri abbatis S. Crucis, cameræ apoſtolicæ collectoris. Præerat jam an. 1426. de quo in Davide archiepiſcopo. Rex Angliæ huic decano dedit licentiam ad concilium Baſileenſe pergendi 19. Feb. 1433. tom. x. collect. Rimerii pag. 538. Obiit nonis Auguſti 1445.

XII. Hugo de Hiſpania anno 1467. ex notis Baluz. ad Galliam Chriſtianam.

XIII. Johannes d'Avril 1472. Sammarthani ad an. 1479. notant quemdam Baldum d'Ages, de quo nihil alibi legimus. Forte eſt Theobaldus d'Ages de quo ſupra. In obſervationibus ad me miſſis notatur Bertrandus de Boria decanus Burdigalenſis, qui poſtea fuit Aquenſis epiſcopus. Si locus ipſi dandus ſit, tollendus eſt Johannes d'Avril, aut citius collocandus; nam conſtat Bertrandum de Boria fuiſſe Aquenſem epiſcop. an. 1471.

XIV. Franciſcus Ferron gentilis Arnoldi Ferroni ſenatoris Burdig. an. 1521.

XV. N. Macanan ſuffectus Franciſco an. 1525.

XVI. Antonius de Chateau-neuf 1538.

XVII. Jacobus de Pontac, ut procurator Franciſci de Mauny archiepiſcopi poſſeſſionem init ſedis metropolitanæ.

XVIII. Franciſcus de Guyonnie præſes cameræ inquiſitionum in ſenatu Burdigalenſi, obiit 1679.

XIX. Leo de la Guyonnie ſuperioris conſobrinus ſucceſſit an. 1579.

XX. Jacobus des Aigues, ſenator Burdegalenſis, electus an. 1601. an. 1629. abbas S. Crucis.

XXI. Henricus d'Arche, theologiæ doctor receptus an. 1633. comitiis Cleri Meduntæ interfuit 1641.

XXII. Stephanus de Mulet de Voluſan ſenator Burdigalenſis ab an. 1650. ad an. 1682.

XXIII. Johannes Lucas d'Arche ex nobili & ſenatoria gente, capituli electione ſucceſſor datus eſt Stephano, huc uſque præeſt, ſimul etiam abbas B. Mariæ de Rota.

DE VETERIBUS MONASTERIIS ET ABBATIIS in diœceſi Burdigalenſi.

ANTEQUAM de abbatiis in diœceſi Burdigalenſi nunc exſtantibus dicamus, quædam de monaſteriis, quæ a primo ſtatu lapſa ſunt, pro more noſtro videntur delibanda.

I. S. Severini. Fuit olim prope Burdigalam monaſterium S. Severini, cujus meminit Gregorius Turon. lib. de Gloria Confeſſ. c. 45. Ludovicus Pius præceptum dedit, quo ipſius poſſeſſiones confirmavit, idibus Junii; ipſumque poſtea, cum Blavienſi S. Romani cœnobio, eccleſiæ Burdigalenſi ſubjecit ad Sicharii archiepiſcopi preces. Vide Cointium ad annum 814. n. 64. & Mabillonium tomo II. Annal. pag. 409. Hic locus habuit poſtea canonicos Regulares S. Auguſtini, nunc habet ſeculares. In tabulario B. Mariæ de Cantale occurrit anno 1154. Garnerius abbas S. Severini, forte Burdig. Anno 1573. hujus capituli decanus erat N. de Noalliis.

II. S. Eulaliæ. S. Eulaliæ parthenon in urbe Burdigala, cui præfuit Childemarcha, ex vita S. Waningi confeſſ. ex act. SS. ordin. Benedict. ſec. II. pag. 973. Hæc poſtea condito a Waningo viro illuſtri apud Fiſcannum pro virginibus monaſterio in * Pays de Caux. Caletis * præficitur, tempore S. Audoëni Rotomagenſis archiepiſcopi, qui cum S. Wandregiſilo parthenonis hujus curam ſuſceperat. In pervetuſto Patriarcenſi calendario nomen legitur XII. calend. Julii *Childomargæ virginis*, fortaſſe Fiſcanenſis, & prius S. Eulaliæ Burdegalenſis abbatiſſæ.

ABBATIÆ MODO EXSTANTES SUNT:

Ordinis S. Benedicti: S. Crux, *S. Croix*,
Silva major *la Seauve-majeure*,
S. Salvator de Blavia, *S. Sauveur de Blaye*,
B. Maria de Aquiſtris, *Guiſtres*.

Ord. S. Auguſtini: S. Emilianus, *S. Emilon*,
S. Romanus de Blavia, *S. Romain de Blaye*,
Inſula, *l'Iſle de Medoc*,
Burgum, *S. Vincent de Bourg*.

Ord. Ciſterc. Faiſia, *la Faiſe*,
Bonus-locus, *Carbon blanc*.

Ord. Præm. Vertolium, *Verteüil*,
Plana-Silva, *Plaine-Selve*.

S. CRUCIS ABBATIA.

SANCTÆ CRUCIS ord. S. Bened. monaſterium olim extra, nunc intra muros Burdigalæ, conditum primum a rege Clodovæo II. traditur, qui anno 650. Gallis & Aquitanis imperabat; ſed eſt forſitan antiquius: ſiquidem tempore Gregorii Turonici erant Burdigalæ monachi, nam caput 34. lib. IV. hiſt. in MSS. codicibus, & in vet. ed. inſcribitur: *De monacho Burdigalenſi*; & ex contextu liquet fuiſſe tunc in hac urbe monachorum congregationem ſub abbate degentem. An. circiter 679. ut probat Mabillonius in Annal. ad hunc annum, obiit hoc in cœnobio Mummolus abbas Floriacenſis, qui fortaſſe huc advenerat ad curandas res monaſterii Regulæ, quod jam Floriacenſibus regendum traditum fuerat; proindeque jam exſtabat cœnobium S. Crucis. Vetus epitaphium Mummoli ibidem adhuc aſſervatum hæc docet, quod referemus dum loquemur de Mummolo abbate Floriac. Attamen nulla veterum abbatum ſupereſt memoria, etſi Mabillonius innuere videatur ad an. 902. n. 15. Mummolenum abbatem ſeptimo ſeculo præfuiſſe. Ceterum cum a Saracenis deſtructum fuiſſet hoc monaſterium, munificentia Caroli magni reſtauratum dicitur, poſt devictos in Hiſpania hoſtes, vide Mabill. ſec. 2. Bened.

Digitized by Google

p. 677 In Aquitaniam vero Burdigalam inter & Santones an. circiter 848. deſcenſionem fecerunt Normanni tempore Caroli Calvi, de qua Lupus Ferrarienſis ep. 31. Hi cæſo Siguino Waſconum duce Burdegalam expugnarunt, & ferro flammaque vaſtarunt; qua in tempeſtate iterum corruit ſanctæ Crucis monaſterium. Tandem ſeculo X. ineunte Guillelmus II. comes Burdigalenſis, cognomento Bonus, refecta urbe noluit monaſticum ordinem diutius exſulare. Quomodo autem monaſterium S. Crucis reſtauraverit, docet vetus inſtrumentum in analectis lib. 3. hiſt. Benearn. cap. 4. editum, quod & nobis recudere placuit. Beneficiis quoque monaſterium cumulavit Guillelmus IX. dictus Gaufridus cum Ama uxore, quæ ſe comitiſſam *Burdegalenſis ſeu Petragoricæ patriæ* præfatur in quadam donatione anni 1043. necnon Guillelmus X. Vide in Gofrido Burdegal. archiepiſcopo chartam Willelmi ducis datam an. 1027. Abbatum hujus cœnobii catalogum quem cum Sammarthanis communicaverat noſter Dom. Odo de la Mothe, damus, additis ſolummodo quibuſdam, vel mutatis, ex veterum inſtrumentorum teſtimonio.

C. II. col. 267. C. V. col. 269. C. IV. col. 268.

Vide Mabill. ad an. 1022. n. 6.

Abbatum series.

I. Helis primus abbas conſtituitur a comite Guillelmo, ut conſtat ex notitia de reſtauratione monaſterii S. Crucis, anno circiter 902. vide C. II. col. 267. quam modo laudavimus.

Vide hiſt. Aquit. Petri Louvet Bellovacenſis, pag. 102.

II. Gombaldus ſecundus abbas nobis notus præerat anno 1022. ind. V. menſe Oct. quo Benedictus VIII. papa cœnobium S. Crucis conſilio & præceptione Romanæ Eccleſiæ conditum, liberum eſſe declarat ab omni excommunicatione & vexatione cujuſcumque perſonæ. Innoteſcit præterea ex diplomate plurium donationum factarum a Guillelmo duce Aquitaniæ, an. 1027. quod legeſis in Godefrido archiep. Burdegalenſi. Memoratur inſuper in charta Amæ comitiſſæ Burdegal. & Petragoric. data an. 1043.

Ex charter. S. Crucis.

III. Arnaldus Trencardus ſeu Trencardi occurrit abbas jam anno 1066. & adhuc 1087. teſte noſtro D. Stephano du Laura. Certe Mabillonius ad annum 1022. n. 6. docet ipſum obſtitiſſe Arnaldo abbati S. Severi, volenti ſibi vendicare cellam B.M. de Solaco, eamque in concilio Burdegal. abbati S. Crucis adjudicatam fuiſſe an. 1080. *al.* 1079.[a] Adfuit eodem anno 1080. ſynodo Santonenſi, Amato Elloreníi epiſc. S. ſedis legato præſide, ubi Raimundus ep. Vaſat. monaſterium Regulæ, *la Reole*, ſibi volens arrogare, cauſa cecidit. Vide tom. X. concil. pag. 398.

C. X. col. 273. a

IV. Fulco ſedebat anno 1091. atque etiam 1097. * quo Willelmus Aquitaniæ & Vaſconiæ dux & comes ei dat altare B. Mariæ de Solaco, ſicut olim dederat pater ipſius venerandæ memoriæ Willelmus qui & Gaufridus, VIII. cal. Aprilis; chartam ea de re ex chart. S. Crucis deſumtam, in notis ad librum V. Goffridi Vindocinenſis legere eſt, quam recudimus inter inſtrumenta. Eidem Fulconi bullam inſcripſit Urbanus papa ad petitionem Amati archiep. Burdigalenſis, datam V. cal. Maii ind. VII. Incarn. Dom. 1099. Urbani papæ anno XII. qua cœnobio conceſſa firmantur. Hoc ipſo anno paciſcitur cum Petro decano S. Andreæ pro eccleſia S. Michaëlis, ex chart. fol. 26. verſo. Itemque Fortis Guleelmi donavit ei eccleſias de Carcauno, S. Vincentii de Canali, & S. Helenæ de Stagno. Eccleſia de Solaco, renitente Suavio S. Severi abbate, iterum ipſi adjudicatur a Paſchali II. an. 1104. ejus pontif. quinto ind. 12. Denique an. 1111. ab R. de Leinano quædam accepit apud Sadirac, ex eod. chartul. fol. 34. verſo.

* Sammart. 1096. C. I. col. 311.

V. Andro legitur abbas anno 1122. * quo ad ipſius preces Callixtus papa II. cœnobio S. Macharii titulum adimit abbatiæ, & illud ſubdit S. Cruci, vide inter inſtrumenta. Hæc autem controverſia ſæpius jam agitata fuerat; nimirum quondam inter Goſcelinum archiepiſc. & Widonem comitem Pictavienſem. De ea re ſententiam pronuntiavit Arnaldus Burdegalenſis pontifex, *per vocem Rainaldi* * abbatis Silvæ-majoris anno 1120. ut notat vetus exemplar tabularii S. Crucis: in quo etiam exſtat placitum de ſatisfactione monachorum S. Macharii Androni abbati, præſentibus A. Agennenſi & B. Vaſatenſi præſulibus, apud Engoliſmam 1121. dum ſynodus ibidem haberetur, in qua Gerardus epiſc. & ſedis apoſtolicæ legatus præfatum S. Macharii monaſterium ordinationi ac diſpoſitioni abbatum S. Crucis commiſit. Eundem abbatem Girardus Burdegal. archiep. ſententia ſua inveſtivit de eccleſia S. Nicolai de Grava. Hic eſt procul dubio Girardus epiſcop. Engol. de quo ſupra, S. R. E. legatus qui donum eccleſiæ S. Petri de Benciaco eidem Androni factum ſigillo Engoliſm. eccleſiæ muniri ſe præcepiſſe dicit, quia nondum in eccleſia Burdegalenſi ſigillum ſibi fecerat. His autem litteris apponuntur in margine anni 1131. & 1130. Porro hunc abbatem ad annum 1131. perducit noſter D. Stephanus du Laura, cui ſucceſſorem dat

al. 1123. indict. 1. pontificatus D. papæ anno 5. tertio cal. Aprilis. C. II. col. 312. * *al.* Raimundi.

VI. Petrum de Beiſſaco, *al.* de Buzaco ab anno 1132. ad 1138. quem aſſerit noſter D. Claud. Eſtiennot compoſuiſſe cum G. archiepiſc. Burdegalenſi, pro jure procurationis, ex chartulario. Pugnant tamen inter ſe viri eruditi, quod ille Arnaldum de Vayrines abbatem ſtatuat an. 1124. ejuſque tempore Honorium II. bulla ſubdidiſſe monachos S. Macharii cœnobio S. Crucis affirmet; cum iſte e contrario regimen hujus abbatis differat ad annum 1181.

VII. Willelmus I. Gombaldi eligitur abbas ſecundum D. Claud. Eſtiennot an. 1138. primo videlicet quo Ludovicus Francorum rex filiam comitis Pictavorum & Vaſconum duxit, an. ſecundo Gaufridi Burdegal. archiep. Hoc autem anno ind. I. Guillelmus Elias eidem conceſſit decimam in loco qui dicitur *Esberius-lini*, ex chartul. fol. 64. Noſter D. Johannes d'Arluc electum dicit hoc anno Petrum, qui præfuerit annis circiter 13. De hoc abbate nihil reperimus. Inter Willelmum & Arnaldum qui ſequitur, anni 13. ipſi aſſignati numerantur.

VIII. Arnaldus Gombaldi a Johanne d'Arluc mox laudato ſtatuitur abbas anno 1151. Compa-

[a] Eodem de negotio exſtant epiſtolæ Gregorii VII. quinquageſima prima libri primi, & vigeſima quarta libri ſexti. Vide etiam inſtrumenta noſtra præſertim col. 273.

Digitized by Google

ravit anno ſequenti a Bernardo de Sozano & Aſſalida ipſius conjuge quidquid juris habebant in terris & aqua de Petra-longa uſque ad mare, pro ducentis ſolidis Burdegal. monetæ. Eidem Arnaldo *Gaufridus G. * Burdegal. archiep. ac ſedis apoſtol. legatus confirmavit anno 1153. jus capellanos præſentandi ad eccleſias cœnobio ſubjectas, ex chartul. fol. 63.

IX. Bertrandus de Leyran, *al.* de Linham, vel de Leinan in catalogo Johannis d'Arluc recenſetur jam an. 1155. in cujus locum ſufficit Gerardum de Ramefort 1159. qui ſucceſſorem habuit alterum Bertrandum anno 1164. Alii catalogi, quos ſequimur, Bertrandi de Leyran mentionem faciunt ab anno 1160. ad 1170. Anno 1164. reſcriptum ab Alexandro papa III. Senonis datum pridie nonas Feb. accepit quo omnia cœnobii jura & prædia confirmantur. Exſtat & aliud ejuſdem papæ privilegium Bertrando inſcriptum, quo prioratus S. Macharii ſubjectio abbatiæ S. Crucis renovatur; datum eſt ibidem * XVI. cal. Januarii. Idem Bertrandus anno 1165. nonnulla acquiſivit. Paciſcitur an. ſeq. cum Bertrando archiepiſcopo & capitulo S. Andreæ Burdegal. pro quibuſdam litigioſis apud Solacum; quod ratum habuit Alexander papa III. dato reſcripto Beneventi XIV. cal. Decembris. Memoratur denique anno 1170. in chartulario Silvæ-majoris; in cujus monaſterii necrologio notatur pridie idus Martii.

* *Summarthani habent Senis pro Senonis. Vide in Bertrando archiep. Ex chartul. fol. 11.*

X. Geraldus de Ramefort ex priore S. Macharii abbas S. Crucis legitur 1169. vel 1170. [a] pro diverſo computandi modo. An. 1174. compoſuit cum Garſia Vaſatenſi epiſcopo pro quodam oratorio S. Remigii; quod Alexander papa III. Geraldo abbati confirmavit, reſcripto Anagniæ dato pridie cal. Septembris. Idem ſummus pontifex Petrum de Mejola capellanum S. Martini de Blancafort, & Geraldum S. Crucis abbatem conciliavit, ſequeſtris G. epiſcopo Vaſatenſi & R. Bernardi Clariacenſi abbate. Præfuit vero ad annum ſaltem 1178. mortuus VII. calend. Julii ex necrologio Silvæ-majoris.

[a]

XI. Arnaldus de Vitrinis, *de Vayrines*, ſi cuidam catalogo credere fas eſt, regebat an. 1172. at vero in amanuenſi ſuſpicamur errorem. Alibi ſiquidem electum anno duntaxat 1182. legimus. *al. 1182. Neque pugnat quod jam anno 1181. * eccleſiam de Solaco ſuo cœnobio vindicaſſe dicatur adverſus Bernardum abb. S. Severi, ex litteris Henrici Albanenſis epiſcopi quas anno ſequenti 1183. Lucius papa confirmaverit, bulla Velitri conceſſa VIII. cal. Aprilis; ſemper enim attendenda eſt diverſa chronologia eorum videlicet qui annum a Paſchate, ac illorum qui a menſe Januario anni exordium repetebant. Bullam a Cœleſtino papa III. accepit III. idus Januarii pontificatus anno 2. hoc eſt anno 1194. Pepigit anno ſequenti cum Willelmo de Leſparra pro multis apud Solacum controverſis, arbitris Helia Burdigalenſi archiep. &c. Anniverſarium habet in necrologio ad A VIII. cal. Julii, cujus tamen meminit necrologium Silvæ-majoris VIII. cal. Januarii.

XII. Seguinus ſuccedit anno 1210. ex uno catalogo Johannis d'Arluc. Idem forſitan eſt quem D. Claud. Eſtiennot vocat Guillelmum Seguini de Rions, quique in litteris Pontii abbas bonæ memoriæ appellatur.

XIII. Willelmus II. Gombaldi 1213. 1214. & 1215. quo anno in concilio Burdigalenſi paciſcitur cum Gaillardo de Autorna milite pro litigioſis apud Macau, ex chartul. fol. 30. Memoratur etiam annis 1217. 1222. & 1225. quo ultimo pactum fecit cum Geraldo capellano S. Michaëlis Burdegal. Guillelmi archiepiſcopi nepote, ſuper anniverſariis defunctorum, veſtibus, &c. ex chartul. fol. 27. Obiit anno 1227. XII. cal. Maii, ex necrologio Silvæ-majoris. In alio tamen catalogo protrahitur ejus adminiſtratio uſque ad annum 1229.

Vide tom. 1. theſauri anecdotorum Martenii, col. 964.

XIV. Pontius de Blanca-forti pepigit an. 1229. cum Bertrando de Monte, & Petro de la Ferreira militibus, pro decima quadam de Monte, ex chartul. fol. 13. & 14. atque anno 1232. cum Bernardo & Jordana d'Aëra, pro quadam decima de Iſlera. Anno 1230. ipſi adjudicantur a Roſtando de Solio Vaſconiæ ſeneſcallo, domus quædam & aliæ res apud S. Macharium, quas R. Willelmi de Taſtas poſſidebat, eo quod fratrem ſuum Amalvinum interfeciſſet. Interfuit an. 1241. capitulo generali Silvæ-majoris habito X. cal. Maii, in quo ſtatutum eſt ut deinceps in cœnobio Silvæ-majoris ejuſdemque pertinentiis feſtum S. Saturnini cum XII. lectionibus celebraretur. Diem ſupremum obiit V. cal. Febr. ex fragmento necrologii.

XV. Petrus I. de Linham reperitur abbas an. 1245. Obtinuit anno 1247. ab Innocentio papa IV. jus utendi ornamentis pontificalibus, bulla data Lugduni V. calend. Maii, pontificatus anno 5. Itaque is eſt abbas S. Crucis cui Willelmus abbas S. Michaëlis de Cluſa an. 1246. indict. IV. die 3. intrantis Martii cœnobium S. Macharii cum ipſius pertinentiis omnino liberum reliquit, ſub certis tamen oneribus.

XVI. Willelmus III. de Comps ex priore legitur abbas ab anno 1260. ad 1267. Hic autem Robertum de Curſan in multis beneficum expertus eſt an. 1264.

XVII. Bernardus de la Gardera pedum gerebat an. 1267. & 1270. Fato functus eſt IV. idus Maii.

XVIII. Gaillardus de Mota ſucceſſit an. 1279. qui anno ſequenti * ſocietatem precum iniit cum A. abbate Caſtrenſi, *in margine* Condomenſi, & quidem melius. Regebat adhuc an. 1283. cujus tempore vel ſequentis facta ſunt quædam ſtatuta; unum eſt de numero 20. monachorum, uno vicario perpetuo, & præbendatis quatuor. Credimus etiam eodem tempore erecta in titulos officia clauſtralia, quæ ſunt quindecim. Obiit Gaillardus 2. die Januarii.

*al. 1281. *Vide Spicil. tom. 13. pag. 499.*

XIX. Willelmus IV. de la Loubeyra ſeu de la Loubere, abbas creatur an. circit. 1283. Memoratur annis 1297. & 1301. quo liberalem ſe maxime exhibuit Bertrando Burdigal. archiepiſcopo, poſtea

[a] Bertrandus obiit pridie idus Martii, & paulo poſt electus eſt Geraldus. Inchoantibus autem annum a Januario, tunc computabatur an. 1170. aliis vero, qui anni ducebant initium a Paſchate, vel die 25. Martii, erat an. 1169.

Digitized by Google

ſummo pontifici ſub nomine Clementis papæ V. die VI. exitus Maii. Anno ſequenti multa jura civibus ceſſit ad tempus, eo pacto ut cœnobium S. Crucis in ſuburbio poſitum, intra muros urbis concluderetur. Idem occurrit abbas anno 1304. in tabulario Silvæ-majoris ; fatiſque conceſſit anno 1305.

XX. Petrus II. Arnaldi Benearnenſis, jam abbas S. Crucis, an. 1305. creatur cardinalis tit. S. Stephani in Cœlio-monte & S. Romanæ Eccleſiæ vicecancellarius a Clemente papa V. ut notat Lurbeus in chronico Burdegalenſi, & Arnaldus Vion lib. 2. Ligni vitæ. Deceſſit Avenione poſt aliquot menſes, hoc anno deſinente, aut incunte 1306. de quo anonymi chronicon MS. ex bibliotheca Fuxenſis collegii, Toloſæ deſcriptum ſic habet : *XVIII. cal. Jan. anni M. CCC. V. in Lugduno fecit decem novos cardinales ..... Petrus Arnaldi Benearnenſis, abbas S. Crucis Burdegalenſis, cui non fuerunt anni attributi in cardinalatu, quia ſcilicet obiit infra annum.* Ita etiam Bernardus Guidonis epiſc. Lodovenſis in vita Clementis V. Hinc anceps ſum circa ea quæ de ipſo dicunt Lurbeus & Arnoldus Wion. Baluzius qui fuſe de eo diſſerit in notis ad vitas pap. Aven. col. 650. & ſeq. dicit ejus obitum annotari in necrologio S. Severi 3. Septemb. an. 1306.

XXI. Imbertus d'Ante ab anno 1306. ad annum circiter 1313. cujus obitus in necrologio conſignatur XIV. cal. Julii.

* *al.* Urbanus.

XXII. Raimundus Guillelmus * de Faugueiras, occurrit abbas ab anno 1314. ad 1332. quo an. cum procurationem in ſuo S. Crucis cœnobio Petro Burdegal. archiepiſc. diœceſim perluſtranti negaſſet, arcetur a divinis, dictumque monaſterium interdicto ſupponitur. Appellat ſedem apoſtolicam abbas, a qua appellatione mox reſiliit, archiepiſcopo, virorum proborum conſilio, procurationem ſibi minime debitam fatente. Notatur in necrologio XVI. cal. Auguſti, qua die habet anniverſarium.

XXIII. Petrus III. de Fermat innoteſcit ex bulla Johannis XXII. data an. 1332. Præfuit autem optimus abbas ad annum ſaltem 1345. Vide in col. 1316. Petro Bajonenſi ep. unde cognomen ejus didicimus. Forte eſt Petrus cujus mentio fit ſupra in Amanevo archiep. Burdigal. ad an. 1338.

XXIV. Petrus IV. de Camiada 1349. ut refert tranſactio habita inter eum & vicarium perpetuum eccleſiæ parochialis S. Michaëlis ; & an. 1371. Moritur pridie cal. Nov. ex necrologio.

XXV. Raimundus Bernardi de Roqueiis, ſeu de Roqueriis, abbas reperitur ab an. 1376. ad 1381. Hunc autumat noſter D. Claud. Eſtiennot electum fuiſſe Burdegalenſis eccleſiæ archipræſulem an. 1380. quam rexiſſe ad annum 1384. ſcribit eruditus D. Hieronymus Lopes in hiſtoria præſulum Burdegal. pag. 254.

XXVI. Bernardus Salomon, *al.* de Salamon ampliavit redditus piſcariæ anno 1382. Dum abeſſe cogitur, vicarium generalem tam in temporalibus quam in ſpiritualibus inſtituit Arnaudum de Madirano abbatem S. Mariæ de Borneto, qui poſtea in hoc S. Crucis cœnobio diem clauſit extremum, ac ſepultus eſt. Ceſſiſſe vero Bernardus videtur anno ſaltem 1384. ex dicendis : quanquam in veteri Gallia Chriſtiana nominatur anno 1387. ſcilicet in tranſactione facta cum vicario S. Michaëlis a monaſterio S. Crucis dependentis.

XXVII. Amanevus de Mota, *de la Mothe*, quem noſter D. Claud. Eſtiennot ſubrogatum aſſerit ante annum 1384. codicillos pactionis initæ cum vicario S. Michaëlis confirmat an. 1387. Obiit 1412. ſepultus in ſuperiori parte chori, cum hac inſcriptione : *Hic jacet nobilis vir domnus Amanevus de Mota, qui fuit abbas hujus monaſterii S. Crucis per ſpatium XXVIII. annorum, & obiit. Requieſcat in pace, Amen. Orent pro eo habitantes in loco ſupra dicto, qui diligenter ſervivit beato Benedicto.*

XXVIII. Petrus V. Andriu, *al.* Andreæ, bulla Johannis papæ XXIII. data pontificatus anno 3. creatur abbas S. Crucis. Aliud diploma pontificium accepit a Martino V. Florentiæ datum VII. cal. Auguſt. pontificatus anno 2. quo ſummus hic pontifex cœnobium S. Crucis eximit a viſitatione & correctione Burdigal. præſulis ; ex quo etiam diſcimus hunc abbatem fuiſſe collectorem debitorum cameræ apoſtolicæ in urbe ac diœceſi Burdigalenſi per annos quinquaginta quinque. Iterum pro juriſdictione, quam David archiepiſcopus Burdigal. ſibi vindicabat in monaſterium S. Crucis, controverſia orta, Martinus papa V. judices delegavit epiſcopum Aduenſem, decanum S. Severini, & Johannem abbatem S. Severi in cap. Vaſconiæ ; & anno 1425. die 22. Julii ſententia lata eſt pro immunitate confirmanda. Jacet ſub tumulo marmoreo qui hactenus exſtat fere ad limen baſilicæ, ad lævam euntibus e ſacriſtia ad chorum, in quo legit hos verſus doctiſſimus D. Johannes Petrus d'Abadie, qui chronicon hujus cœnobii texuit :

Hic Andriu Petro ſecluſo marmore tetro
Gratia cui fratrum quavis dulcedine morum,
Ipſi ſumme Deus confer ſibi regna polorum.

XXIX. Paſchalis vel Paſchaſius Guillot ſive Guilbort patria Londinenſis, ſatagente Angliæ regis Henrici VI. prorege in ducatu Aquitaniæ, abbas S. Crucis a monachis renuntiatus fuerat, & ab ipſo Henrico rege confirmatus litteris annorum 1436. & 1439. nihilominus tamen poſt aliquot cum ſequenti altercationes, ei tandem cedere coactus eſt.

XXX. Henricus-Franciſcus de Cavier epiſc. Vaſatenſis primus abbas commendatarius, ad annum 1446. quo vivere deſiit. Vide in Vaſatenſibus epiſcopis.

XXXI. Petrus VI. de Bramo protonotarius apoſtolicus, commendam habet per qdinque circiter annos.

XXXII. Petrus VII. de Fuxo cardinalis *Junior* dictus, Johannis Fuxenſium comitis ex Leonora Arragoniæ filius, decimum ætatis annum necdum aſſecutus, abbatiam adeptus eſt an. 1455. cujus poſſeſſionem apprehendit per procuratorem fratrem Matthæum Pecolli infirmarium Montis-majoris ſuum vicarium generalem, 5. Nov. ejuſdem anni, ad 1490. quo Romæ deceſſit die 10. menſis Auguſti.

Digitized by Google

XXXIII. Andreas d'Eſpinay clariſſima ſobole inter Armoricos ortus, Richardi d'Eſpinay & Beatricis de Montauban filius, unonachus primum Benedict. tum prior S. Martini de Campis, deinde Burdegalenſis archiep. & S. R. E. cardinalis, abbatiam S. Crucis obtinuit ab an. 1490. ad 1500. quo Lutetiæ Pariſiorum mortuus, ſepelitur in eccleſia Cœleſtinorum.

XXXIV. Carolus Dominicus de Caretto archiepiſc. Thebarum, cardinalis de Final tit. SS. Viti & Modeſti in macello, ab anno 1500. ad annum 1513.

XXXV. Chriſtophorus de Brilhac archiep. Aquenſis, epiſc. Aurel. demum archiep. Turonenſis, fit abbas ſanctæ Crucis an. 1514.

XXXVI. Franciſcus d'Aux ab anno circiter 1517. ad an. 1533. quo rebus humanis exemtus, juxta ſacellum ſancti Sebaſtiani ſepultus eſt, cum hac inſcriptione:

Hoc ſub marmore d'Auxius ſepultus,
Ignotus populo jacet profano,
Caſtus moribus, integer pudore,
Velox ingenio, fideque felix.
Qui fles talia, nihil fleas viator.

Super ejuſdem ſepulcrum in plano leguntur hæc verba:

Vir nobilis Franciſcus d Aux hujus incliti monaſterii quondam abbas, ſub hoc tumulo jacet, qui in Domino obiit 16. Aug. 1533.

XXXVII. Augerius Hunaut de Lanta in magno conſilio ſenator, ſucceſſit an. 1533. vel ſequenti. Ad hujus preces anno 1550. Henricus Francorum rex conceſſa cœnobio S. Crucis cum privilegia tum prædia confirmavit, dato diplomate apud Bleſas menſe Febr. anno regni ſui 4. Ceſſit an. 1565. in gratiam ſequentis. Hoc epitaphium legitur in eccleſia S. Severini Burdigal.

Chr. ſerv. ſacr. Augerio Hunaldo Lantano V. C. & N. pridem S. Crucis apud Burdigalam, nuper S. Salvatoris apud Blaviam abbati digniſſimo, atque hujus eccleſiæ canonico & decano meritis egregiis, honoribus & muneribus diu ſancteque perfuncto, pio, probo, officioſo, perhumano, comprimis grato & liberali, omni virtutum genere alioqui incomparabiliter ornato, P. Hunal. Lant. patruo obſervantiſſ. & chariſſ. hoc monumentum gratus & mæſtus po. Vixit an. 73. men. 10. obiit Burdigal. 14. Decembr. 1570.

XXXVIII. Bernardus Salviati S. R. E. card. & ep. Claromont. per ceſſionem Augerii abbatia donatus 1565. ea paulo poſt ceſſit in favorem ſequentis * qui nothus erat ipſius fratris. Breviſſimo quo præfuit temporis ſpatio, turrim & lapideos gradus domus abbatialis exſtruxiſſe dicitur, in quibus inſignia ſua appoſuit.

* *Claud. Eſpinoi fratrem nothum.*

XXXIX. Julius Salviati præfuit ab an. 1566. quo poſſeſſionem iniit, uſque ad 1607. quo reſignavit, Burdegalæ paulo poſt defunctus & juxta majus altare monaſterii S. Crucis ſepultus. Vicarius generalis exſtitit D. Franciſci de Sourdis archiep. Burdegal. ex chronico Burdegal. Arnaldi pag. 69.

Sub hoc abbate penitus fere corruit monaſtica diſciplina, licet monaſterium tunc fuerit unitum congregationi primum Caſalis Benedicti anno 1580. tum Exemtorum anno 1582. ut liquet ex actis capituli generalis ejuſdem congregationis apud Floriacum habiti die 3. Septemb. an. 1583. Item ſub ejus regimine monaſterium jacturam patitur inſignis prioratus ſancti Macharii, qui collegio Societatis Jeſu apud Burdigalam unitus eſt.

XL. Petrus d'Ornano, vulgo Sampetro, Alfonſi Franciæ mareſcalli, Aquitaniæ progubernatoris, regii ordinis torquati equitis, ex Loiſa de Grace filius, frater Johannis Bapt. equitum tribuni, & Joſephi Caroli abbatis Montis-majoris apud Arelatem, præeſſe cœpit anno 1607. cujus tempore 1627. inſtante illuſtr. Franciſco cardinale de Sourdis archiepiſcopo Burdigalenſi, monaſterium reformatur die 1. Auguſti a patribus Benedictinis congregationis S. Mauri, domno Anſelmo Rolle, qui prius fuerat ſuperior generalis congregationis Exemtorum, deſigniato primo priore ſed paulo poſt pleuritide raptus eſt die 15. ejuſdem menſis & anni, relictis magno ſui deſiderio nec impari exiſtimatione. Abbas d'Ornano reſignavit in favorem ſequentis an. 1632. retenta quatuor millium librarum penſione.

XLI. Jacobus des Aigues canonicus Burdegalenſis ex ceſſione præcedentis fit abbas commendatarius S. Crucis, quam abbatiam rite adminiſtratam permutavit anno 1640. * pro Cadunienſi diœceſis Sarlatenſis.

* *al.* 1642.

XLII. Henricus d'Eſcoubleau de Sourdis, frater Franciſci Burdegalenſis archiepiſcopi, & ipſe poſtea ejuſdem ſedis archipræſul, filius Franciſci marchionis d'Alluye & Iſabellæ Babou de la Bourdaiſiere, ex permutatione facta cum præcedenti, hanc obtinet abbatiam an. 1642. ad 1645. quo moritur menſe Julio, ut ſcribit Hieronymus Lopes in ſerie archiepiſcoporum Burdegal.

XLIII. Franciſcus Molé * de Champlaſtreux, Matthæi integerrimi principis ſenatus Pariſienſis & procancellarii filius, deſignatur abbas an. 1646. Vita fungitur 5. Maii 1712. ſimul abbas Herivallis & S. Pauli Virdun. &c.

* In hiſtoria D. Du Fourny lego Eduardum Molé fratrem primogenitum Franciſci, qui obiit epiſc. Bajoc. anno 1652. fuiſſe etiam abbatem S. Crucis Burdigal.

XLIV. Franciſcus de Beringhen, Jacobi-Ludov. marchionis de Beringhen, primi regiorum ſtabul. magiſtri, equitis torquati, &c. & Mariæ-Elizabeth d'Aumont filius, nominatur a rege Chriſtianiſſimo in vigilia Pentecoſtes die 14. Maii anno 1712.

SILVA-MAJOR.

La Seuve-Majeure.

HÆc abbatia ord. S. Benedicti, ſita eſt in colle pingui ac peramæno, Dordoniam inter & Garumnam fluvios, æquali fere diſtantia, unde fortaſſe nominatur cœnobium S. Mariæ Silvæmajoris *Inter-duo-maria*. Media quoque ſtat inter duas urbes Burdigalam & Regulam, *la Reole*. Conſtruitur a B. Geraldo, de quo apud Liſiardum cap. 18. vitæ S. Arnulfi Sueſſionum epiſcopi, an. 1077. inquit chron. Malleacenſe, melius 1080. Ceterum quomodo locum hunc S. Geraldus con-

Digitized by Google

ſecutus ſit, ipſemet explicat, ut videre eſt C. LIII. col. 314. Lege etiam quæ ex chartario Silvenſi Mabillonius inſeruit in obſervationibus prævіis ad vitam ſancti Geraldi, ſeculo VI. Benedict. parte 2. pag. 867.

ABBATUM SERIES.

I. SANCTUS GERALDUS Corbeiæ ortus parentibus non ignotis, ibidem puer factus eſt monachus, tempore Richardi abbatis, cujus ſucceſſor Fulco Geraldum ſibi carum curæ rerum exteriorum præfecit; quo tempore cum abbate iter Romanum aggreſſus eſt, atque Caſinum uſque pervenit. Ex hac peregrinatione redux, in qua preſbyter ordinatus eſt, ſacriſta inſtituitur, ſeu cuſtos eccleſiæ, quam ſollicite ornavit; quod ut ſibi gratum eſſe demonſtraret S. Adhalardus, cum ab inveterato capitis morbo precibus ſuis liberavit. Memor vero beneficii Geraldus, ſancti abbatis celebravit laudes. Jeroſolymam religionis ergo profectus eſt, unde reverſus eligitur abbas S. Vincentii Laudunenſis, an. circiter 1074. in locum Ragineri fratris ſui nuper defuncti: ſed poſt brevem adminiſtrationem, cum fratres ad proprii perfectam abdicationem adducere non potuiſſet, Helinardum epiſcopum, *a quo abbatiæ onus habebat*, adiit, & ceſſit loco. Non multo poſt tamen S. Arnulfo conſenſit, abbatiam S. Medardi offerenti; ſed obſtitit Berthæ reginæ auctoritas, quominus ibi paſtorale officium exerceret. Itaque liber factus, perrexit cum electis ſociis in Aquitaniam, ubi ſedem ſibi delegit, Widone Gofrido comite annuente, in loco qui *Silva-major Inter-duo-maria* nuncupatur, ubi jam eccleſiola erat ſed ſentibus obſita. Ad hunc locum pervenit Geraldus an. 1079. in feſtivitate SS. apoſt. Simonis & Judæ. Anno ſeq. v. idus Maii inceptum eſt monaſterium in honore Domini, & B. M. virginis, ac SS. apoſt. Simonis & Judæ, cujus libertatem obtinuit ab Goſcelino Burdegal. archiep. & a legatis pontificiis. Chartam habes in appendice col. 315.

Hic vir ſanctus multis miraculis claruit, inter quæ non infimum quod efferos populorum circumpoſitorum mores mitigaverit, & peccatores ad pœnitentiam *confeſſionemque* provocarit. Philippus rex an. 1083. eccleſiam S. Leodegarii in ſaltu Leſgua, *la foreſt de Legue*, diœceſis Sueſſion. ei donavit. Quo tempore circiter Sancius rex Arragonum Geraldi permotus fama, eccleſiam villæ quæ *Toſta* nuncupatur ipſi conceſſit, ut ibi cella ædificaretur. Idem Geraldus an. 1085. cellam de Trajecto ad ripam Garumnæ, fundum præbente Raimundo Willelmi, conſtruxit; Petrus etiam Gavardenſis vicecomes monaſterium in ſuo territorio conditum a ſe ſub patrocinio S. Sepulcri, Gavarretum nomine, Geraldo conceſſit, ita ut ſemper abbas Silvæ-maj. ſit abbas S. Sepulcri; vide inſtrum. col. 319. Ad huc memoratur S. Geraldus in charta pro cœnobio S. Nicolai de Inſula Royana.

Demum vir ſanctus migravit ad Dominum *nonas* Aprilis anno 1095. In album ſanctorum relatus eſt anno 1197. a Cœleſtino papa, V. calend. Maii, pontificatus anno VII. Ipſius vero dies feſtus agitur 21. Junii. Officium S. Geraldi

Vide Mabillonium loco citato pag. 874.

A compoſuit Stephanus epiſcopus Tornacenſis, rogatus ab abbate & monachis Silvæ-majoris, ut probat ejuſdem epiſtola 277. illudque publici juris fecit R. P. Claudius du Moulinet canonicus Regularis congr. Gallicanæ, Pariſiis an. 1679. ad calcem epiſtolarum ejus. S. Geraldi vitam vulgavere ſocii Bollandiani, quam notis illuſtravit & commentariis auxit noſter D. Stephanus du Laura; ſed ejus lucubratio manu tantum exarata eſt. Geraldum denique metris celebravit Baldricus Burdigalenſis apud Quercetanum tom. IV. collect. ſcriptor. hiſt. Franc.

II. Achelmus Sancius ex canonico & archidiacono eccleſiæ Burdigalenſis in monachum Silvæ-majoris a S. Geraldo circa an. 1082. ſuſceptus, eidem e vivis erepto ſufficitur in regimine hujus monaſterii an. 1095. Interfuit an. 1097. Saintonenſi concilio, in quo Rugiano * cœnobio Silvæ-majoris ſubjecto terram de Doëria & de Toſca, quam abbas Malleacenſis pigneratus fuerat, vindicavit. Item hoc anno Amatus Burdegal. archiep. conceſſa cœnobio Silvæ-maj. confirmavit. Obiit Achelmus XI. cal. Decemb. conditus in capella epiſcoporum, quæ nunc eſt ſacriſtia.

* Royans.

III. Alerannus ſeu Halarandus S. Geraldi nepos, in cœnobio Laudunenſi monachus, eum hinc demigrantem ſecutus, anno 1102. abbas Silvæ-majoris eligitur. Huic epiſcopus Petragoricenſis Guillelmus eccleſiam parœcialem B. Mariæ de Creiſſe prope Bergeracum an. 1107. conceſſit; quando ſcilicet cum Radulfo præpoſito, Roberto Brolet & Seguino de Laderac eccleſiæ ſuæ canonicis Silvam-majorem inviſit. Hoc ipſo anno deceſſit Alerannus XIV. cal. Aprilis, quo die necrologium ſic habet: *Obiit D. Alerannus vir vitæ venerabilis, nepos B. Geraldi, hujus eccleſiæ III. abbas, jacet in capitulo ubi veſtes accipiunt abbates.*

IV. Gaufridus I. cognomento *Laudunenſis*, oriundus quippe e nobili vicecomitum hujuſce urbis gente, prior erat Silvæ-majoris quando abbas ejuſdem monaſterii delectus eſt deſinente Martio anni 1107.[a] aut ineunte Aprili inſequentis anni. Is vero magna in exiſtimatione erat apud omnes, maxime apud Arnaldum * de Cabanac Burdegal. archiep. & Guillelmum Petragoricenſem præſulem, necnon Bertrandum epiſcopum Vaſatenſem; plures ab iiſdem accepit eccleſias. Eidem quoque Lupus-Anerius vicecomes monaſterium B. M. de Percherio diœceſis Adurenſis ordinandum commiſit an. 1108. Paciſcitur anno ſequenti cum Geraldo Aquiſtrenſi abbate pro capella S. Nicolai de Fevo. Componit etiam cum Suavio abbate S. Severi, de quibuſdam jurgiis, & inter utrumque cœnobium ſocietas maxime precum decernitur. Sic autem de ipſo præfatur Liſiardus Sueſſion. epiſcopus in litteris anni 1115. *Gaufridus abbas Silvæ-maj. religioſus pater, noſtras, & generoſitate notiſſimus, ideoque cariſſimus omnibus nobis, præſentiam noſtram adiit*, &c. Vivere deſiit XIV. cal. Febr. an. 1118. dum prioratus ſuo monaſterio ſubditos viſitaret. Et certe ex necrologio jacet apud S. Paulum de

* Geraldi.

Ex chartul. Silvæ-maj.

[a] Suavius abb. S. Severi in capite Vaſc. dicitur cum hoc abbate lites compoſuiſſe, qui tamen an. 1106. pridie nonas Maii obiiſſe refertur; ergo menſis Martius anni 1107. referendus eſt ad an. 1106. ſecundum novum computandi morem.

Boſco,

Digitized by Google

Boſco, prioratum in diœceſi Sueſſionenſi Silvæ-majori ſubjacentem.

V. Rumaldus, *al.* Rainaldus & Raimundus, ex priore factus abbas, ſynodo adfuit Burdegalenſi, ubi monachi S. Macharii contra S. Crucis aſcetas litigantes cauſa ceciderunt. Obitus ejus in necrologio conſignatur ad diem v. idus Junii, locus vero ſepulturæ in capella epiſcoporum, quæ nunc ſacriſtia eſt. Vide in S. Cruce Burdegal. ad annum 1120.

VI. Gaufridus II. jam an. 1122. abbas reperitur in chartis S. Severi, imo 1121. Vix autem, inquit altera charta, creatus eſt abbas, cum ſui monaſterii cogente neceſſitate Romam perrexit. Quod tamen iter haud ita proſperum fuiſſe dicendum eſt, ſi ſtatim ac inde reverſus, uti alicubi lego, ad ſedem evectus eſt Vaſatenſem an. 1126. Ceterum præcipuam hujus itineris cauſam fuiſſe corporis B. Geraldi elevationem, ſchedæ nonnullæ teſtantur. Huic Aldebertus Aginnenſis epiſcopus eccleſias de Prignaco & de ſancto Avito conceſſit an. 1126. Alfonſus quoque imperator Hiſpaniæ, eccleſiam de Molina cum duobus Turcarum ſeu Saracenorum fanis, ut ex his ſacella conſtitueret, ei donavit. Sodalem ſuum Arnaldus Burdegalenſis archiep. ipſum appellat in conventione habita cum Raimundo abbate S. Severi in capite Vaſconiæ; quod non obſcure indicat eum tunc pontificalibus infulis decoratum fuiſſe. Anno 1127. cum jam eſſet epiſcopus Vaſatenſis, ſolemniter in capitulo Silvæ-maj. reſidens, præcepit abbati & monachis ut eccleſiam Lingonis * in honorem S. Mariæ ædificarent. Teſtis etiam habetur an. 1129. die Paſchæ privilegiorum monaſterii a S. Guillelmo Aquitaniæ duce confirmatorum. Cetera vide in epiſcopis Vaſat.

* Langon oppidum nobile. *Ex chartul. majori fol. 86.*

VII. Petrus I. de Ambaſia habitum monaſticum ſuſcepit a B. Geraldo, cujus deinde capellanus exſtitit; eligitur abbas anno 1126. quem tradunt ſepulcrum B. Geraldi reſeraſſe die 21. Junii, ſacrumque ipſius corpus in locum decentiorem tranſtuliſſe. Anno 1132. Bonus-homo Adurenſis epiſc. eccleſiam de Malo-vicino ei conceſſit, ac triennio poſt eccleſiam de Boga. Raimundus etiam Aginn. præſul eccleſiam de Berdegas an. 1142. eidem Petro contulit. Ipſe vero ſcripſit epiſtolam ad Ludovicum VII. regem in gratiam ſuorum monachorum de Suneio * in ſuburbio Aurelianenſi. Vide tom. IV. collect. ſcript. hiſt. Franc. Quercetani pag. 688. n. 344. Geraldus Engoliſmenſis epiſc. & S. Romanæ Eccleſiæ legatus, Willelmum Aquenſem epiſcopum cenſuris etiam eccleſiaſticis coëgit ad reſtituendam eidem Petro abbati eccleſiam S. Vincentii de Aquis. Vide chartam ea de re inter inſtrumenta editam, col. 320. Denique fatis conceſſit XIV. * calend. Maii, jacetque in capitulo ad dextram; annus quidem certus ipſius obitus ignoratur, at certe vivebat adhuc anno 1147.

Ex vita B. Geraldi apud Mabill.

* Sunois; *Mabillonius habet:* Sedis meri, *Gallice,* Semoy. *al.* Seruvil.

* *al.* XIII.

VIII. Petrus II. de Didonia, gente Aquitanica nobili ortus, de qua plura apud Beſſium, ex monacho factus eſt abbas anno ſaltem 1155. quo Henricum II. Angliæ regem Aquitaniæque ducem, cum ipſius conjuge Eleonora ſeu Alienorde, excepit in ſuo monaſterio: hi vero, precibus abbatis, tam bona quam privilegia eidem cœnobio ab anteceſſoribus aliiſve proceribus conceſſa firmaverunt litteris ſuis 13. & 21. Decembris ejuſdem anni; quibus S. Thomas Cantuarienſis eorumdem tum cancellarius ſignum appoſuit. Eodem anno Guillelmus Vaſat. epiſc. eccleſiam de Niaco ipſi donavit. Bullas item accepit ab Alexandro papa III. annis 1164. 1165. & 1169. quibus prædia monaſterii ſimul ac privilegia enumerantur & confirmantur. Porro una ex bullis illis ad S. Macarii monachos delata eſt, quam audire aut accipere noluerunt, ut ipſemet abbas Petrus in epiſtola ad ſummum pont. narrat. Anno 1165. eccleſiam Belli-podii jam olim a Guillelmo Petragoricenſi epiſcopo Silvæ-majori conceſſam, Johannes ſedis ejuſdem antiſtes ei confirmavit. Inter opera vero Petri Cellenſis exſtant litteræ ad Petrum abbatem Silvæ-majoris, de prioribus Franciæ qui ad capitulum generale in monaſterio Silvæ-majori haberi conſuetum debebant convenire. Moritur denique de ſuo benemeritus cœnobio die 24. * Oct. an. 1183. ſepultus in capella epiſcoporum.

* *al.* 23. *aut* 25. *Sept.*

IX. Raimundus de Laubeſc nobili ſtirpe pagi Vaſatici natus, ex monacho Silvæ-majoris abbas, an. 1184. ad Guillelmum Burdegal. archiepiſcopum conqueſtus eſt de W. de Curton & Richardo de Rioncio militibus graviſſima inferentibus damna terræ de Corbelac. Anno ſeq. die 21. Julii Lucius III. papa ei pontificium diploma ſeu privilegium indulſit. Abdicavit an. 1192. ſeſeque ad ſolitudinem de Campania recepit, ubi & cellam an. 1200. conſtruxit, locum ipſi præbente Bernardo Willelmi de Laubeſc ipſius fratre. Vivebat adhuc an. 1221. de quo ſic habet necrol. ad IV. nonas Julii: *Obiit D. Raimundus piæ recordationis hujus eccleſiæ nonus abbas*, jacet ad portam monaſterii.

X. Petrus III. de Laubeſc Raimundo patruo cedente fit abbas. An. 1194. Ademarus Petragor. & alter Ademarus Santon. epiſc. quaſdam ipſi donaverunt eccleſias. Pepigit an. 1196. cum fratribus militiæ Templi, Helia Burdegalenſi archipræſule ſoqueſtro. An. ſequenti bonorum monaſterii confirmationem accepit a Cœleſtino papa III. bulla data VI. idus Maii. Idem vero ſummus pontifex paulo ante, die videlicet 27. Aprilis ejuſdem anni, B. Geraldum catalogo ſanctorum adſcripſerat. Hoc etiam anno Bernardus Auſcienſis archiep. eccleſias de Loſa ei conceſſit, adſtantibus Gerardo Caduroenſi, B. Lactorenſi & Bertrando Aginnenſi epiſcopis. Alienordis quoque Angliæ regina, ſimul & Aquitaniæ duciſſa, cœnobio Silvæ-majoris conceſſa, pro remedio animarum Henrici mariti atque Richardi filii defunctorum, die 1. Julii an. 1199. confirmavit. Idem eſt haud dubie P. abbas Silvæ-majoris qui collega fuit epiſcopi Lemovic. in inquiſitione facienda juſſu papæ de electione Raimundi de Rabaſtens in epiſcopum Toloſanum. Porro idem abbas pro bono ſui monaſterii regimine circa id tempus ſtatuta condidit, quæ etiamnum exſtant in tabulario Silvæ-maj. Interfuit anno 1201. IV. nonas Maii concordiæ factæ inter abbates Pontiniacenſem & Cadunienſem a præſulibus Burdegal.

Vide in appendice col. 326.

Digitized by Google

& Petrocorenſi. Ceſſit non multo poſt, diu tamen poſtea ſuperſtes; ipſius obitus notatur in necrologio idibus * Januarii.

* al. vi. idus.

XI. Gombaldus ex priore an. 1184. abdicanti Petro ſubrogatur. Judex ab Innocentio papa III. delegatus eſt cum B. abbate S. Emilionis, in cauſa inter abbatem & parochianos S. Crucis Burdegal. pro decima laterum, 13. Oct. 1204. Animam reddidit VII. * idus Januarii, ſepultus in capitulo ex parte chori Prioris juxta locum puerorum.

* al. vi.

XII. Amalvinus antea cellerarius, abbas erat an. 1206. 22. Maii ex litteris Alfonſi VIII. Caſtiliæ regis & Toletæ, die & anno præfatis ei conceſſis. Anno ſeq. menſe Sept. *aſſociavit Blancam comitiſſam ad nemus ſuum Delarriz* * dictum, juxta Bellam-vallem, ad novam villam ibi condendam, Bellæ-vallis alturi libero & decima quieta retentis, ex chartul. Campaniæ apud bibl. Colbert. & apud regiam fol. 363. Leges hujus ſocietatis & pariagii vide tom. 1. Anecdot. Marten. col. 828. Memoratur quoque Amalvinus 1215. & 1218. quo anno Willelmus Burdegal. archiep. querelam inter ipſum & Bernardum d'Eſcoran pro hereditate Guillelmi Bernardi de la Sans, & Petri de Ceſſac militum definivit. Mortuus eſt an. 1221. v. idus Martii, in clauſtro ſubtus imaginem B. V. Mariæ tumulatus.

* al. de Larvis.

XIII. Grimoardus ex camerario Silvæ-majoris electus Convenarum epiſcopus ante annum 1216. Amalvino defuncto, inſtituitur abbas an. 1221. Statim vero baſilicam ampliorem a ſe jam electo Convenarum epiſcopo tentatam an. 1219. pene a fundamentis erexit, abſolutamque feliciter, ſolemni ritu conſecrandam curavit a Geraldo de Malemort Burdegal. archiepiſcopo 24. Auguſti 1231. adſiſtentibus Amanevo Auxitano præſule, Elia Santonenſi, & aliis quam pluribus epiſcopis; qua de re vide inſtrumenta, col. 320. & ſeq. Sub pignore quaſdam accepit decimas apud Silvam-maj. a Bernardo domino d'Ecouſſans an. 1223. Suo item monaſterio quædam vindicavit anno 1227. adverſus Bernardum de Rions; duobuſque ſequentibus annis nonnulla comparavit apud Jugaſan & *S. Loubes*. Archiepiſcopatum Burdegalenſem adminiſtravit Grimoardus, dum aberat archiepiſcopus, annis 1230. & 1232. Adfuit an. 1235 die 26. Febr. cœtui abbatum, ſuperiorum Regularium, & nobilium diœceſis, coacto ad commonendum regem de Rainaldi du Pont, novi Aquitaniæ ſeneſcalli, exactionibus Inter-duo-maria. Carnis ſarcinam IV. idus Septembris * depoſuiſſe legitur. Jacet apud Convenas.

* al. IX. cal. Julii.

XIV. Ramnulfus occurrit abbas annis 1240. & 1241. quo feſtum S. Saturnini in cœnobio ipſique ſubditis prioratibus, cum 12. lectionibus in perpetuum celebrandum decrevit. Obiit 1245. 26. Maii, ſepultuſque eſt in capitulo ad pedes Crucifixi.

XV. Bertrandus de S. Lupo, vulgo de *S. Loubes*, nobili toparcharum S. Lupi genere ſatus, cellerarii munus obibat an. 1227. tum vero prior effectus S. Pauli de Nemore, diœceſis Sueſſionenſis, abbas tandem evaſit Silvæ-maj. anno 1245. pro novo computandi more. Secum autem attulit brachium S. Lupi epiſc. Trecenſis aliaſque plures ſacras reliquias, quibus toparchiæ gentis ſuæ parochialem ditavit eccleſiam, quam cum cœnobio eidem contiguo a fundamentis erexerat. Bullam ampliſſimam eodem anno die 1. Februarii ab Innocentio IV. accepit. Anno ſequenti cum profectus eſſet viſitandi cauſa omnes abbatiæ ſuæ prioratus, incolæ Silvenſes inſurrexerunt in monachos, præpoſitum urbis Garmundum nomine occiderunt, cellamque hoſpitum ſpreta Gerardi Burdegalenſis archiepiſcopi, aliorumque nobilium præſentia incenderunt. At redux abbas Aginnenſem & Vaſatenſem epiſcopos cum religioſis ſancti Dominici & S. Franciſci adhibuit, qui rebelles ad pœnitentiam revocarunt anno 1249. eoſque a pœnis, quibus illigati fuerant, abſolverunt die 5. Decembris. Regimen abdicavit anno VI. pontificatus Innocentii IV. 3. nonas Maii ex ſchedis Baluzii; rebus humanis exemtus eſt 28. Maii, ſepultus ad oſtium capituli ex parte chori abbatis, ubi habet cenotaphium lapideum cum hac inſcriptione ſemieſa.

. . . . . *Silvæ-majoris abbas XV.*
Providus atque dator alacris, bonus ædificator,
Utilis hortator, ſapiens fuit & moderator,
Huic pater æterne . . . . . diadema . . . . .
. . . . . *confer. non habeat tormenta gehennæ.*

XVI. Guillelmus I. de Agonaco *, gente apud Santones clariſſima natus, ex monacho fit abbas per ceſſionem præcedentis. Anno 1251. menſe Maio, refragante conventu, Silvæ-majoris incolas a gravioribus abſolvit oneribus, ipſis ob inobedientiam ab anteceſſore impoſitis, pro viginti duntaxat ſolidorum millibus, quibus ad emendam capellani papæ dignitatem uſus eſt. Die 12. ejuſdem menſis & anni bullam obtinuit ab Innocentio IV. qua monachi Silvæ-maj. ſtatuta Gregorii IX. ad reformationem Cluniacenſis ordinis edita an. 1233. ſervare compellerentur, ſed fruſtra; quippe cum abbas domino papæ tamquam ipſius capellanus aſſideret, monachi præcedentium abbatum ſtatuta remiſſius obſervarunt. Obiit vel ceſſit ineunte anno 1261. de quo penitus ſilet necrologium. Cauſam afferre videtur ejus anteceſſor Bertrandus de S. Lupo poſt ceſſionem diu ſuperſtes, in litteris conquerens, quod ipſe abbas Willelmus d'Agonac ductus cupiditate, plenus malitia & voto peſſimo, & infrænata & immodica audacia, malignoque ſpiritu, dilapidator, proditor, totiuſque inimicus boni operis & cultus Dei, jura cœnobii ſui nonnulla vendiderit.

* al. de Gonaco.

XVII. Bernardus de la Haye * eligitur abbas ex pitanciario an. 1261. Hoc an. 1261. die 1. Octobris ipſe & conventus ceſſerunt Eduardo Anglorum regi domum ſuam de Bella-valle ad 25. annos certis conditionibus. Anecd. Marten. t. 1. col. 1113. & chartul. Campaniæ in biblioth. regia fol. 363. Deſiit eſſe abbas 1271. vivere 1274. vel 1275. die 5. Decemb. jacet ante capitulum ex parte chori abbatis.

* Faye.

XVIII. Geraldus II. de Condom ex cellerario creatur abbas 1271. Emit an. 1273. a Gaillardo de Segur, decimam quandam apud S. Petrum de Bas, quo etiam in loco Raimundus Fleurey de

S. Macaire quidquid poſſidebat ei conceſſit 8. Junii 1275. Obiit 9. Octob. 1277. ante capitulum inhumatus ; poſt quem diu vacavit ſedes. Anno 1284. vigebat ibi obſervantia regularis, maxime quoad abſtinentiam a carnibus, ut nos docet qui ſcripſit itinerarium Simonis archiep. Bituric. viſitantis hoc anno provinciam Burdegal. *Inde*, inquit, *venit dominus apud S. Geraldum abbatiam Silvæ-majoris, & fuit ibi multum honorifice . . . . . receptus . . . . . Et quia non comeduntur in corpore abbatiæ carnes, dominus cum ſuis ſociis comedit ſupra portam, & comedit ibi carnes.* Imo & monachi inhibuerunt abbati S. Sulpicii qui erat in comitatu archiepiſcopi fratris ſui, ne carnes comederet.

XIX. Florentius eligitur abbas die 13. Febr. 1286. qui anno 1288. concordiam iniit cum militibus templi *de Montherouch*, de Monte-rubeo, pro limitibus territorii S. Leonis, &c. Ad meliorem vivendi normam ſuos reducere monachos ſategit, etiam adhibitis in rebelles atque inobedientes cenſuris. Quare Burdegal. archiepiſc. ad monaſterium ſe contulit, effecitque tam apud abbatem quam apud monachos, ut omnia ſuo judicio amice definirentur 29. Maii 1292. ind. v. ſede Romana vacante ; quibus ita peractis, die quinta ab hoc compromiſſo, nonnulla pro bono pacis ac cœnobii decrevit. Moritur Florentius die 24. Novemb. 1294. vel. 95.

XX. Barravus de Curton ſtirpe nobili cœnobio vicina progenitus, ex priore S. Lupi factus eſt abbas. Hanc vero dignitatem obtinebat die 30. Januarii 1295. ſecundum veterem computandi morem. Clauſtrum ac refectorium, qualia nunc ſunt, ædificavit. Morte præreptus 17. Julii 1297. jacet in clauſtro ante ſacellum epiſcoporum.

XXI. Balduinus prior erat Neronis-villæ diœceſis Senonenſis, quando ad abbatiam Silvæ-maj. accitus eſt an. 1297. Officia clauſtralia ſuppreſſit ſuæ addita menſæ ; obiitque 3. Nov. 1307.

XXII. Petrus Hugonis prior de Souſſac in pago Vaſatico, abbas erat Silvæ-maj. die 31. Januar. 1307. ſecundum veterem calculum. Deceſſit anno 1311. 22. Octob. ſepultus ante capitulum.

XXIII. Gaillardus de la Chaſſaigne nobilis Burdegalenſis regebat die 23. Feb. 1311. Primus eſt abbas a ſummo pontifice inſtitutus, indeque ſe Dei & apoſtolicæ ſedis gratia abbatem dicebat. Fato functus eſt 21. Nov. 1314. in ingreſſu capituli ſepultus. De ipſius ſucceſſore quoddam videtur obortum eſſe diſſidium.

XXIV. Aicardus abbatem agit in actis exſtantibus die 14. Aprilis, 23. Aug. quo incolas ad hominium ſibi craſtina die præſtandum commoneri publice fecit, & 11. Januarii anni 1316. 14. Septemb. & 20. Martii 1319. Geraudus vero de Tilhede Dei ac ſedis apoſtolicæ gratia ſe abbatem vocitat 30. Martii 1317. annis 1323. & 1328. quo Romanum iter aggreſſus eſt.

XXV. Ozilius quoque de Molthon præfuiſſe legitur 20. Aprilis 1320. quo Petrus de Grelin vicecomes de Benauges & Caſtilionis, præſente Ozilio abbate fundavit obitum in capitulo. Quinimo bulla pontificia legitur inſtitutus an. 1319. Memoratur abbas anno ſeptimo pontificatus Johannis XXII. ex ejus regeſto in archivo vicelegati Avenion. hoc eſt anno 1322. quo ſæpius occurrit, diebus videlicet 14. Aprilis, 21. Sept. & 17. Novemb. Porro veriſimile omnino videtur Aicardo a fratribus electo, ſubrogatum ab iiſdem Ozilium, etſi papa Geraudum prædictum inſtituiſſet. Horumce vero trium nomina tacentur in necrologio.

XXVI. Guillelmus I. de Landorra adfuit Arnaldo de Landorra militi, domino caſtri de Solomedio & villæ de Artovino, vicecomiti Cadarcii teſtamentum ſinum condenti an. 1328.

XXVII. Guillelmus II. de la Tilhode ex abbate S. Salvatoris de Blavia, mortuo, ut videtur, Geraudo conſanguineo, inſtituitur abbas Silvæ-maj. a Johanne XXII. an. 1331. pontificatus anno XV. ex act. pontif. Avenion. Litteras protectionis obtinuit a rege Philippo Valeſio 13. Aug. 1335. ſpiritum vero reddidit die 14. Julii 1339. jacetque in ſacello S. Johannis.

XXVIII. Guido de Ferrieres vicarius generalis erat præcedentis, cui datus ſucceſſor a fratribus ante diem 1. Decemb. ejuſdem anni 1339. Vicarium ſuum generalem inſtituit fratrem Petrum de S. Aſterio 1358. 22. Maii, cum Pariſiis tunc moraretur. Obiit 27. Maii 1362. *al.* 1361.

XXIX. Hugo de Marcenhac abbas erat ante 1. Junii 1363. quo anno 2. Nov. obtinuit ab Urbano V. Auſcienſem archiepiſcopum, Pariſienſem & Baionenſem epiſcopos, necnon decanum S. Saturnini Burdegalenſis delegari judices ad inquiſitionem faciendam de bonis & juribus monaſterio ſuo ablatis. Item ab Eduardo principe, regis Anglorum primogenito, diploma tuitionis accepit die 29. Decemb. ſequentis. Muris ac turribus abbatiam cinxit, quorum præſidio Francis militibus Angliſque aditus præcluderetur, ſi forte pax nuper inita ſcinderetur. Deceſſit 12. * Maii 1378. ſed longe antea ceſſerat ex dicendis. * *al.* VII nonas.

XXX. Raimundus Bernardi de Roquies ſeu de Roqueys abbatis nomen aſſumit in procuratione data Guillelmo Bordes priori de Bellefons 15. Junii 1371. quam Avenione 21. Maii anni ſeq. ratam habuit. Eodem anno die 30. Martii, annis 1373. 1375. die 2. Maii, & 1386. memoraratur in chartis S. Martialis Avenion. Æmulum autem habuiſſe videtur ſequentem, niſi Raimundus ille ſit abbas S. Crucis Burdegal. uti autumat noſter D. Claud. Eſtiennot, qui anno 1380. ad ſedem Burdegalenſem ſublimatus eſt, dictus nihilominus abbas Silvæ-majoris.

XXXI. Guillelmus III. Guiſcardi ſola munitus nominatione papæ Gregorii XI. abbatiæ regimen capeſſivit, pro cujus adminiſtrando temporali procurationem tribus monachis & aliquot laïcis dedit Avinione. Prioratum quemdam contulit die 23. Aprilis 1378. Sequenti an. 13. Aprilis litteras protectionis obtinuit a Johanne de Neuville Regis locum tenente in provincia, ipſaſque Burdigalæ publicandas curavit. Obiit in prioratu Noveii diœceſis Remenſis XII. cal. Aprilis 1380. * *al.* 1382.

Digitized by Google

XXXII Arnaldus de Cava-rupe calculis fratrum electus abbas vicarios generales ſeu œconomos inſtituit, cum Regulæ degeret, 21. Junii 1381. Cum vero paulo poſt Clementi VII. adhæſiſſet Gallos ſecutus, monachi autem Urbani VI. cum Anglis partes ſectarentur, ab ipſis expulſus eſt & ab Urbano depoſitus, addita excommunicatione; tunc itaque monachi vicarium generalem cum in ſpiritualibus tum in temporalibus elegerunt dominum Georgium de Meneſerre 15. Dec. 1383. quod munus exercuit ad finem anni 1389. Interim Arnaldus incolebat prioratum S. Antonii Aginnenſis, ubi adhuc ſuperſtes erat anno 1394. 24. Januarii.

XXXIII. Edmundus an. 1389. 17. Decemb. dicitur nuper abbas monaſterii Silvæ-majoris ord. S. Benedicti, Burdegal. diœceſis, ſcholarum palatii apoſtolici in ſacra theologia magiſter, quem hoc anno electum Laudavenſem in epiſcopum, dictæ eccleſiæ præficit ſummus pontifex, Willelmo hujus eccleſiæ nuper epiſcopo ad Roſſenſem traducto, Rimerii Angli tom. VII. pag. 650.

XXXIV. Gerardus III. Borgonh occurrit abbas 28. Maii 1390. quo anno fratrem Guillelmum de Senon procuratorem ad abbatiæ reditus colligendos nominavit. Obiit 7. Maii 1412. in epiſcoporum ſacello ſepultus.

XXXV. Guillelmus IV. in locum Gerardi ſubrogatus, ad monaſterium acceſſit die 2. Nov. ſeq. cujus poſſeſſionem apprehendit præmiſſo de juribus monachorum ſervandis ſacramento. Idem incolis pollicitus eſt anno 1428. Avenione defunctus eſt an. 1430. 12. Julii.

XXXVI. Philippus de l'Eſpinaſſe ex priore S. Petri de Caſtets & vicario generali præcedentis abbatis, ei ſucceſſerat 17. Sept. 1430. Deceſſit cal. Julii 1433. jacet ante capitulum.

XXXVII. Gerardus IV. de Podens adiit poſſeſſionem ineunte an. 1435. cum ab anteceſſoris obitu Bertrandus de la Meſſe prior clauſtralis, electus an. 1433. 17. Decemb. vicarius generalis, abbatiam hactenus gubernaſſet. Sacellum erexit in abbatia & fundavit ære proprio, uni monacho ad rem ſacram ibi faciendam commendandum, die 26. Martii 1461. Obtinuit an. ſeq. a Ludovico XI. privilegiorum monaſterii confirmationem, datis litteris apud S. Macharium menſe Aprili. Pedum dimiſit an. 1463. ſervata collatione beneficiorum; nec multo poſt Tiberienſis * in Campania creatur epiſcopus; Burdigalæ tamen adhuc morabatur die 9. Auguſti 1470. uti præ ſe fert præfati ſacelli collatio, *in domo R. Geraldi de Podenciis ſita in parochia S. Michaëlis Burdigalenſis.* Sepulcrum ſibimet paraverat pretio expenſo 12. Martii 1456. cum ſua effigie, quam in clauſtrum adſportandam curarat. Supremum diem obiit 1474. XI. cal. Maii.

* vel Tiburienſis.

XXXVIII. Benedictus de Guiton Burdegalenſis, decretorum doctor *& actu regens in univerſitate Burdigalenſi, in facultate juris canonici*, vota emiſerat in hoſpitali S. Jacobi fundato a S. Guillelmo Aquitaniæ duce an. 1119. hujuſque prior electus a fratribus fuerat, quando Geraldus de Podens abbatia in ejus favorem ceſſit. Ut vero bullæ Pii papæ II. datæ 28. Febr. 1463. obſequeretur, habitum Silvæ-maj. monachorum aſſumſit, necnon regulæ & ſtatutorum obſervantiam profeſſus eſt. An. 1467. ducem de Lebreto, oblato ſupplici libello exoravit pro ſuo monaſterio, ubi cum antea, inquit, ſexaginta monachi facile viverent, vix tunc queant novem victitare. Carolus frater Regis, dux Aquitaniæ factus, ipſi locum in ſuo conſilio conceſſit, datis apud Angeriacum litteris 10. Decemb. 1469. cujus craſtina die ſacramentum excepit Andegavenſis epiſcopus conſilii præſes. Idem abbas anno ſequenti bona monaſterii partitus, ipſa commiſit idoneis monachis, quos voluit ſingulis annis capitulo generali intereſſe die SS. Simonis & Judæ, allata ſecum certa pecuniæ ſumma. Quoſdam patronatus obtinuit ſeu recuperavit a Gaufrido Petragoric. Raimundo Vaſatenſi & aliis epiſcopis. Obiit denique optimus abbas 22. Feb. 1485. ante principem aram paululum a latere epiſtolæ ſepultus.

XXXIX. Aimericus de Caſtro prior S. Antonii Aginnenſis, occurrit abbas Silvæ-majoris annis 1485. & 1487. qui permutaſſe dicitur anſeq. pro quibuſdam prioratibus, tandemque obiiſſe in dicto S. Antonii prioratu, die 19. Nov. Videtur autem nuſquam ſediſſe pacifice; jam enim an. 1485. die 13. Novemb. Audoinus d'Abſac, qui ſequitur, legitur ad profeſſionem admiſiſſe Johannem de l'Armandie.

XL. Audoinus d'Abſac e Craſſenſi monacho fit abbas Silvæ-maj. conſentiente papa. Verum & ipſe poſtea cedere coactus fuit ſub annua penſione ter centum librarum de conſenſu ejuſdem ſummi pontificis Innocentii VIII. an. 1488. qui deinde prior exſtitit Camonis in diœceſi Mirapicenſi, ut palam fit ex procuratione data 25. Maii 1493. ad præfatam penſionem percipiendam; tum demum abbas Craſſenſis.

XLI. Johannes I. de Chaſſaignes de Breſſac filius Johannis domini de Geviſſac ſecundi in parlamento Burdigalenſi præſidis, protonotarius apoſtolicus, Caroli regis VIII. beneficio abbatiam obtinuit ante diem ultimam Januarii anni 1488. Priores ſibi ſubditos edicto parlamenti 18. Junii 1498. ad reſarcienda ædificia coegit. Defunctus eſt an. 1501, die 28. * Januarii. * al. 25.

XLII. Johannes II. de l'Armandie gente nobili loci de Miramont in Petrocoriis natus, Silvæ-majoris profeſſus an. 1485. 13. Novembris, baccalaurei in jure canonico lauream Burdigalæ promeruit 20. Martii 1488. tum prior factus S. Macarii a S. Cruce pendentis; demum eligitur abbas die Veneris 5. Febr. 1501. confirmatus ab archiepiſcopo Burdegalenſi 20. Aprilis ſeq. Anno 1521. generalibus Aquitaniæ comitiis Burdigalæ coactis interfuit die 23. Julii *, quorum acta primus inter abbates ſubſignavit. Moritur an. 1523. pridie nonas Maii, ſepultus in ſacello S. Andreæ, uti mandaverat. Initio quidem æmulum paſſus eſt Amanevum cardinalem de Lebreto a ſummo pontifice proviſum; at proviſionem hanc Toloſana curia irritam declaravit. * al. 7. Febr. 1520.

XLIII. Jacobus de l'Armandie alumnus monaſterii, fratri mortuo craſtina die 7. Maii, abſens,

Digitized by Google

unanimi monachorum conſenſu datus eſt ſucceſſor. Rexit ad annum 1530. vel 31. quo factus Sarlatenſis epiſcopus, abbatia ceſſit in gratiam ſequentis, quam tamen interim gubernari voluit per Amanevum de Leyra & Petrum Jaubert vicarios generales. Obiit 18. Novemb. an. 1533.

XLIV. Matthæus de Longuejouë libellorum ſupplicum magiſter titulum abbatis ſibi vindicat 20. Febr. 1530. tum renuntiatur epiſcopus Sueſſionenſis. Anno 1540. 26. Julii paciſcitur cum monachis, quatenus prior monaſterium quoad ſpiritualia regeret, & ſyndicus temporalium curam haberet. Fato functus eſt 6. Septemb. 1557.

XLV. Helias de Gontaud de S. Geniés die ſequenti 7. Septembris a Rege deſignatur abbas, defunctus 6. Martii 1574. Tum vero curia ſuprema Burdegalenſis abbatiæ bonorum adminiſtrationem credidit nobili viro de Caſtanhede.

XLVI. Stephanus de Gontaud de S. Geniés Heliæ ex fratre nepos, cum eſſet protonotarius apoſtolicus, abbatiæ ſibi a papa collatæ 26. Januarii 1575. poſſeſſionem accepit per officialem Burdegalenſem 15. Junii ſeq.

XLVII. Franciſcus de Fayoles in locum Stephani ſuffectus 12. Decemb. 1576. adiit poſſeſſionem 2. Junii 1577. mortuus 28. Junii 1608. & in prioratu de Sadillac ſepultus. Sub hoc autem abbate an. 1593. 20. Novemb. ad congregationem Exemtorum monachi acceſſerunt.

XLVIII. Ludovicus I. de Nogaret, dictus poſtea cardin. de la Valette & archiep. Toloſanus, a Rege deſignatus abbas 7. Julii 1608. inſtituitur a Paulo V. die 12. Aug. ſeq. atque in poſſeſſionem immittitur 5. Decemb. ejuſdem anni. Obiit die 28. Septemb. 1639.

XLIX. Henricus I. d'Eſcoubleau de Sourdis archiep. Burdegalenſis, nominatur abbas inſequenti menſe Novembri; mortem oppetiit Antolii ſuper Ararim 18. Junii 1645.

L. Ludovicus II. Barbier de la Riviere regia ſchedula 16. Septemb. ejuſdem anni, ac pontificia 19. Junii 1646. abbatiam conſecutus eſt, quam uniri conſenſit congregationi S. Mauri, jam epiſc. Lingonenſis, an. 1660. Obiit Lutetiæ Pariſiorum die 30. * Januarii 1670. ſepultus in eccleſia patrum Minimorum. Abbas ſimul erat Floriaci, S. Petri Carnotenſis & Craſſæ.

* al. 3. Jan. *Du Fourny.*

LI. Carolus de Caſtellan nobilis Occitanus bullas accepit 28. Julii an. 1670. Ad monaſterium ſe conferens, ubi per annum cum menſibus ſex demoratus eſt, anteceſſorum abbatum cenotaphia ex epiſcoporum ſacello, quod nunc eſt ſacriſtia, in clauſtrum transferenda curavit. Sacram ſupellectilem auxit, pulpito lapideo chorum, quem muro circumdederat, ornavit; atque in aliis bene multis commendatario melior, obiit Lutetiæ Pariſiorum 28. Novemb. 1676. in abbatia S. Germani a Pratis honorifice conditus. Is autem moriens abbatiis S. Crucis Burdigalenſis, S. Apri Tullenſis, & Silvæ-majoris ſuam partitus eſt bibliothecam.

LII. Ludovicus III. d'Aquin archiatri regii filius, bullas obtinuit 10. Febr. 1678. per ceſſionem fratris natu majoris, qui a Rege deſignatus fuerat. Obiit 17. Maii 1710. Sagienſis epiſcopus.

LIII. Henricus II. de Charpin des Halles presbyter Lugdunenſis, & archiepiſcopi Viennenſis vicarius generalis, necnon decanus S. Petri Viennenſis, nominatur abbas a rege Chriſtianiſſimo 25. Julii 1710.

S. MARIA DE AQUISTRIIS. Guiſtres.

AQUISTRIENSIS B. Mariæ abbatia ordinis S. Benedicti e congregatione Cluniacenſi, ſita eſt prope Liburnam, *Livourne*, in diœceſi Burdegalenſi.

ABBATUM SERIES.

I. GUILLELMUS I. anno 1108. tranſegit cum Gaufrido Silvæ-maj. abbate.

II. Geraldus I. eodem anno & 1109. quo, cum eodem Silvæ-majoris abbate pepigit pro capella S. Nicolai de Fevo ex chartular. Silvæ-majoris.

III. Mainardus prædia quædam contulit Geraldo abbati Cadunienſi, Faëziæ monaſterium ædificare meditanti. Item fuit munificus erga Rammulfum abbatem Faëziæ. Bullam autem accepit ab Alexandro III. anno 1171. quam vide inter inſtrumenta. C. XLIX. col. 310.

IV. F. abbas de Aquiſtriis recenſetur in donatione facta Radulfo abbati Faëziæ, a Guillelmo Amanevo vice comite de Fronſiaco *. Is eſt fortaſſe Fulco notatus in necrologio Moiſſiac. die XIII. cal. Julii. * Fronſac.

V. Geraldus II. 1208.

VI. Guillelmus II. 1224. in veteri charta S. Martialis Lemovic. & 1235. in tabulario Silvæ-majoris.

VII. Hugo deceſſit anno 2. Gregorii papæ XI. hoc eſt 1372. cui eodem anno ſucceſſit,

VIII. Raimundus I. ex actis pontif. Avenion.

IX. Guillelmus III. Seguin 1421.

X. Raimundus II. d'Iſarn ſequentis deceſſor.

XI. Petrus I. Alby 1425.

XII. Petrus II. Brun, quem ferunt epiſcopum Mimatenſem, 1456. ſed perperam.

XIII. Seguinus Giraud 1475.

XIV. Jacobus de Chaſtenilly 1487. 88. & 1490.

XV. Johannes de la Marthonie licentiatus in legibus, ſedis apoſt. protonotarius, S. Andreæ Burdegal. theſaurarius & poſtea epiſc. Aquenſis, 1507. 1508. 1509. & 1516.

XVI. Gaſto de la Marthonie epiſc. Aquenſis 1531. abbas ſimul Madionis prope Liburnam, *Livourne*, & prior commendatarius S. Johannis de Cola diœceſis Petragor.

XVII. Ludovicus de Lorraine cardinalis a Guiſia & epiſcopus Albienſis 1557. & 1561.

XVIII. Petrus III. Franciſcus Comte Taurel 1576. & 1591.

XIX. Henricus de Taleran de Grignols, Danielis domini de Grignols principis de Chalais, & Franciſcæ de Monluc Blaſii equitum tribuni

Digitized by Google

militari gloria illuſtriſſimi natæ filius, 1602. & 1614.

XX. Nicolaus-Claudius de Fabri de Peyreſc, baro de Riant, in ſupremo ſenatu Aquenſi conſiliarius 1624. & 1634. Regularem diſciplinam in abbatia ſtudioſe reſtituit, ut liquet ex hoc brevi apoſtolico Urbani VIII. pontif. max. ad Franciſcum cardinalem Surdiſium archiepiſc. Burdegal.

Urbanus VIII. dilecte fili noſter ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Honorificis ſapientium teſtimoniis jam diu in hac patria nationum, ornatur nomen dilecti filii Nicolai Fabricii domini de Pereſch. Illi enim litterarum ſtudium, & litteratorum patrocinium eos famæ plauſus conciliavit, qui alimenta gloriæ & præmia ſolent eſſe virtutis. Quod autem caput eſt, accepimus eum iis artibus pollere, quibus non modo evanidæ corhagium laudis, ſed beata etiam ſpes cæleſtis principatus comparatur. Cum enim præſit abbatiæ Benedictinæ de Aquiſtria, fertur diligentiſſime curare, ut monachi inibi excubantes intelligant ſe merere in caſtris chriſtianæ pœnitentiæ, & in gymnaſio ſapientiæ orthodoxæ. Pios tam boni commendatarii conatus cum apoſtolica ſollicitudo probaverit, par eſt authoritatis etiam tuæ patrocinio juvari. Id autem a te non ſolum flagitat ipſius Fabritii virtus, ſed pontificia etiam voluntas propemodum exigit. Cumulabimur certe ſolatio maxime optato, ſi ille teſtari poterit, ſibi Dei cauſam curanti, non parum profuiſſe favorem dignitatis tuæ. Id autem a te omnino ſperamus, cujus conſiliis legem dicere ſolet pietas & juſtitia. Quam enim ditionem ei in monaſterium illud pontificia authoritas detulit, eam, ut vides, non decet illius potentia violari, &c. tibique apoſtolicam benedictionem amantiſſime impertimur. Datum Romæ apud S. Petrum die V. Aprilis M. DC. XXV. pontificatus noſtri anno ſecundo.

Hic vir illuſtris, inquiunt Sammarth. *nobili ſtirpe Fabriciorum in Provincia ortus erat, parente Reginaldo Fabricio rationum magiſtro, matre Margareta Bomparia an. 1580 in caſtro Belgenſerii, quod æquo Tolone & Areis diſtat intervallo. Humanioribus ſtudiis Brinoniæ inſtitutus, tum in San-Maximitano & Avenionenſi collegio, Aquis-Sextiis & Turnonii philoſophiæ operam dedit; deinde matheſeos, coſmographiæ, chronologiæ, hiſtoriæ, poëſeos, linguarum, ceterarumque exercitationum addiſcendis ſcientiis incubuit. Deſtinatus in ordinem ſenatorium, ſub Franciſco Fortio Andinio docendi peritiſſimo interprete, juriſprudentiam edoctus eſt; ac deſiderio Romam inviſendi flagrans, peregrinationem in Italiam ſuſcepit, quo quidem in ſolo ipſius virtus non modo inclaruit, ſed & eruditiſſimos viros facile conveniens, omnes in ſui admirationem pertraxit, nullaque obmiſit rei litterariæ & antiquariæ monumenta perveſtigare, cum Romæ, Patavii, Venetiis, Neapoli, Florentiæ, cæteriſque magni nominis urbibus commoratus eſt. Ex profeſſo autem & copioſe de ipſo plura notatu digna memorat eruditiſſimus Petrus Gaſſendus præpoſitus eccleſiæ Dinienſis, in opere de vita Peresxii, quam egregie litteris exaravit, ubi refert ſpiritum Deo reddidiſſe an. 1637. die 24. Junii, cum viviſſet an. 56. menſes 6. dies 12. Innumeris epitaphiis, epicediis, elogiis, proſa & carmine lingua Latina potiſſimum evulgatis celebratus eſt a clariſſimis viris. Eos inter Nicolaus Rigaltius epitaphium contexuit, quod in majorum monumento, intra ſacellum videlicet eccleſiæ Dominicanorum Aquenſium, ad cornu lævum majoris altaris cænotaphio inciſum eſt:*

HIC SITUS

Nicolaus Fabri Peireſcius, ampliſſimi ordinis in Aquar. Sext. curia ſenator, Chriſtianam Reſurrectionem expectat. Reconditiſſimos antiquariæ ſupellectilis theſauros ſagacitate, conſilio, liberalitate, cunctis Orbe toto diſciplinarum ſtudioſis aperuit, doctiſſimis unde proficerent ſæpe monſtravit. Mira beatitate felix, ſeculo ſatis rixoſo notiſſimus, ſine querela vixit, VIII. cal. Jul. an. Ch. CIↃ. IↃC. XXXVII. ætatis ſuæ LVII. optimo viro bonos omnes bene adprecari decet.

XXI. Antonius de Seguiran protopræſes in camera computorum Provinciæ poſt patrem Henricum, matrem habuit Suſannam Fabriciam ſuperioris abbatis ſororem. Is autem abbatiæ poſſeſſionem adeptus eſt 22. Nov. 1642. ſuperſtes ad annum ſaltem 1709.

XXII. N. de la Goguée renuntiatur abbas an. 1712. die feſto omnium SS.

Præter hos abbates unus occurrit abſque certa temporis nota, videlicet Helias in necrologio Silvæ-maj. commemoratus IV. idus Aprilis.

ABBATIA S. SALVATORIS.

MONASTERII S. Salvatoris de Blavia originem ignoramus. Blavia autem urbs eſt aut caſtrum antiquum, monti impoſitum, qui Garumnæ imminet infra locum ubi Duranium fluvium excipit. Quapropter viſum eſt olim opportunum præſidio militari; & ea de cauſa Auſonius Blaviam appellat militarem.

ABBATUM INDICULUS.

I. FULCRADIUS an. 1080. intereſt concilio Burdegalenſi, ubi conceſſum eſt inſigne privilegium Silvæ-majori, cui Fulcradus ſubſcripſit. Vide ſeculum VI. Bened. p. 2. pag. 869.

II. Petrus anno 1230. in litteris Roſtandi de Solio.

III. Guillelmus I. de Tilheda innoteſcit ex actis pontific. Avenion. ubi legitur ex abbate S. Salvatoris de Blavia factus abbas Silvæ-maj. an. 1331. bulla Johannis papæ XXII. Avenione data pontificatus anno XV. Præerat autem Guillelmus monaſterio S. Salvatoris jam an. 1318. ex charta B. Mariæ de Faëzia.

IV. Helias prior de Tulliaco, bulla ejuſdem papæ eodem anno data, fit abbas ex ſchedis doctiſſimi viri domini Suarez. Fuit procurator Bernardi de Caſis archiep. Burdigal. uti diximus in hoc archipræſule. Nuntius erat apoſtolicæ ſedis in Auxitaniæ * provinciis, ut liquet ex inſcriptione epiſtolæ Innocentii VI. ad eum ſcriptæ XII. cal. Aug. anno 9. pontificatus hujus papæ, ſive an. 1361. aut 1362. Moritur an. ſecundo Urbani papæ V.

* Occitaniæ.

Digitized by Google

hoc eſt anno 1364. ex act. pontific. Avenion.

V. Geraldus ex priore Tulliaci fit abbas S. Salvatoris de Blavia, bulla Urbani papæ V. data pontificatus anno 2. ex ſchedis Henrici Suarez nobilis Avenionenſis.

VI. Ægidius an. 1406. ex inſtrumento S. Romani de Blavia.

VII. Guillelmus II. interfuit an. 1439. concilio Florentino.

VIII. Aimericus Conſtantin 1463. ex charta S. Romani de Blavia.

IX. Johannes de Rodoles deſinente ſeculo XV.

X. Antonius I. de la Chaſſaigne ineunte ſeculo XVI.

XI. Franciſcus I. de la Chaſſaigne Antonii nepos.

XII. Raimundus de Curte, *de Cours*, Franciſco ſubrogatus baſilicam majori ex parte inſtauravit.

XIII. Augerius Hunaldus de Lanta abbas S. Crucis Burdegal. dicitur etiam abbas S. Salvatoris de Blavia in epitaphio ipſi appoſito in eccleſia S. Severini Burdegal. Vide in abbatibus S. Crucis Burdegal. ad an. 1570.

XIV. Gaſpardus Cordier commendatarius abbas longo tempore præfuit. Abſidem eccleſiæ ſuperadjecit, quam & dedicandam curavit. Obiit an. 1650. 6. Jan. ac in medio eccleſiæ S. Salvatoris ſepultus eſt.

XV. Ludovicus de S. Simon eques Melitenſis, frater Claudii ducis de S. Simon paris Franciæ & lupariorum venatorum præfecti. Obiit Lutetiæ 2. Junii 1679. ex D. du Fourny.

XVI. Carolus Bonaventura de Roſſignol an. 1671. affini ſuo ceſſiſſe dicitur.

XVII. Antonius II. Armandus de Padiez Albienſis pedum accipit anno 1672. quod gerebat adhuc an. 1680.

XVIII. Franciſcus II. Ludov. de Polaſtron epiſc. Lactorenſis abbatiam obtinuit 8. Sept. 1687. Moritur anno 1717. menſe Octobri.

XIX. N. du Mouſtier deſignatur abbas a rege Chriſtianiſſimo, menſ. Novemb. die 6. an. 1717.

S. EMILIANI ABBATIA.

[a] SANCTI EMILIANI [a] monaſterium, dictum olim, ut creditur, S. Mariæ de Fuſſiniaco, diœceſis Burdegal. in archipresbyteratu Dordoniæ, vulgo *d'Entre-Dordogne*, quindecim paulo plus Burdegala, ſex a Silva-majore diſſitum milliaribus, primum fuit ordinis S. Benedicti, tum S. Auguſtini, quod quidem a Saracenis & aliis varia variis temporibus damna perpeſſum, Nantolienſibus poſtmodum ordinis S. Benedicti monachis in diœceſi Pictav. ceſſit: ſed cum deinde temporum injuria in manus laïcorum deveniſſet, Goſcelinus archiepiſcopus ab iniquis poſſeſſoribus ereptum canonicis Regularibus ſub priore viventibus tradere cogitavit, at nullo vel certe modico effectu; Arnaldus enim qui Goſcelino poſt Amatum in ſede Burdigalenſi ſucceſſit, cum in eccleſia S. Emiliani clericos ſeculariter viventes reperiſſet, A canonicos Regulares iiſdem ſubrogavit, advocato e Stirpenſi monaſterio Aimone, quem in abbatem benedixit circa annum 1110. Hæc conſtant ex litteris tum Goſcelini, tum Arnaldi Burdegalenſium antiſtitum, quas ex chartario S. Emiliani deſcriptas legere eſt in appendice. Præter has autem Arnaldi litteras, exſtant in eodem chartario aliæ ejuſdem archipræſulis datæ 1120. & iiſdem fere verbis expreſſæ, in quibus teſtatur Goſcelinum canonicos Regulares in eccleſia S. Emiliani inſtituiſſe, ſed jam ſuo tempore iis deficientibus, ac ſecularibus factis, eos aut ipſorum partem in canonicos Regulares ſub regula S. Benedicti convertiſſe. Tandem vero Clemens papa V. qui Burdegalenſis fuerat archiepiſcopus, hanc abbatiam fecit ſecularem, nepote ſuo inſtituto decano.

C. LXII. col. 324.

SERIES ABBATUM ET DECANORUM.

I. AIMO I. Stirpenſis congregationis alumnus inauguratur abbas S. Emiliani ab Arnaldo Burdegalenſi archiep. circa 1110. Vide inſtrumenta, C. 62. col. 324.

II. Petrus I. abbas ſecundus dicitur in veteri inſtrumento anni 1121. ſub Arnaldo archiepiſc.

III. Aimo II. memoratur 1145. in charta pro inſtituendis canonicis Regularibus in eccleſia Burdegalenſi. Anno ſequenti eccleſiam S. Mariæ de Fontenac accepit a Raimundo Vaſatenſi præſule. Hunc epiſcopum minime notatum a nobis in præſulum Vaſatenſis eccleſiæ ſerie reſtitueremus, niſi ſuſpicarer pro Vaſatenſi epiſcopo legendum Laſcurenſem: nam anno 1146. hanc ſedem obtinebat Raimundus.

IV. Petrus II. Rannulfi, tempore Gaufredi archiep. bullam protectionis ab Adriano papa IV. impetravit an. 1155. Eidem Guillelmus Auxitanus archiepiſc. quaſdam eccleſias confirmavit 1161. qui denique recenſetur die 20. Martii in necrologio Silvæ-maj.

V. Guillelmus Arnaldi pepigit cum Otgerio abbate Nantolienſi 1165. anno 3. epiſcopatus Bertrandi Burdegal. archiepiſcopi, qui factam compoſitionem approbavit. Idem Guillelmus bullam protectionis accepit ab Alexandro III. 1168. ſuperſtes ad annum ſaltem 1176. quo Petrus epiſc. Petragoricenſis eccleſiam S. Petri de Curvo ei conceſſit.

VI. Clarius paciſcitur cum Rannulfo abbate Faëziæ circa an. 1186. arbitris Ademaro Santonenſi, P. Petragoric. Ademaro Baionenſi epiſcopis & Willelmo abbate Albæ-terræ.

VII. Gumbaldus præfuit tempore Heliæ vicecomitis Caſtellionis.

VIII. Petrus III. Heliam proconſulem Caſtellionis beneficum expertus eſt, qui Helias vivebat adhuc an. 1201.

IX. B. 1204. forte Bernardus Aiz in veteri charta memoratus, cujus character annos 500. videtur exhibere.

X. R. ſucceſſor Bernardi legitur in veteri documento.

XI. Arnaldus I. an. 1232. teſtis eſt in charta Eliæ de Bagnols pro Faëzia; præfuit autem ſaltem an. 1225. ad 1235.

Vide Hieronymum Lopez in chron. archiepiſc. Burdegal. pag. 210.

[a] Hic ſanctus non eſt ille abbas tota Hiſpania celeberrimus, ſed in Armorica ſanctitate fulſit, Emilio etiam dictus.

XII. S. an. 1254. donum accepit a Raimundo Willelmi de Samoniaco milite.

XIII. Raimundus ultimus abbas, cujus meminit Clemens papa V. in bulla ſecularisationis quæ typis edita fertur apud Chopinum; poſt hunc ſequuntur decani.

XIV. Gaillardus cardinalis de la Motte nepos Clementis V. qui eum primum inſtituit decanum.

XV. Johannes I. d'Eſpinay obiit 1509. poſt cujus mortem electus a minori parte Johannes Ferrandi, a majori vero parte Alanus de Fuxo, qui jure ſuo ceſſit in manu ſummi pontificis, a quo inſtitutus eſt Ferrandus.

XVI. Johannes II. Ferrandus 1509.

XVII. Arnaldus II. de Pontac epiſcopus Vaſatenſis 1580. obiit 1605. poſt cujus deceſſum electus fuit primum dominus Boubat, deinde dominus de Lurbe; ſed neuter iniit poſſeſſionem.

XVIII. Franciſcus d'Eſcoubleau de Sourdis archiepiſcopus Burdegalenſis, decanus erat 1610. & 1624.

XIX. Henricus d'Eſcoubleau de Sourdis archiep. Burdegal. 1630.

XX. Ludovicus de Baſſompierre epiſcopus Santonenſis.

XXI. Andreas de Marillac doctor Sorbonicus.

XXII. Carolus I. Bernada obiit 1702.

XXIII. Carolus du Sault nepos Johannis Jacobi & Philiberti epiſcoporum Aquenſium, & conſanguineus Bernardi du Sault epiſcopi Santonenſis.

S. Romain de Blaye.

S. ROMANI ABBATIA.

SANCTUS ROMANUS DE BLAVIA, cœnobium eſt ordinis S. Auguſtini, cujus abbas aliquando ſedit primus poſt archiepiſcopum in ſynodo quam archiepiſcopus annis alternis celebrare tenebatur, uno ſcilicet anno, in baſilica S. Andreæ Burdegal. altero in eccleſia S. Romani de Blavia; vide inter inſtrumenta. Meminit Gregorius Turon. S. Romani, *& ſcripta vitæ ejus* laudat lib. de Gl. Confeſſ. c. 47. In officio quod ad diem 24. Nov. eccleſia S. Dionyſii in Francia ſolemniter celebrat de S. Romano Blavienſi, cujus reliquias poſſidere ſe gloriatur, legitur Romanum monachum & presbyterum prope Blaviam cellulam ſibi conſtruxiſſe, & S. Martino Turonenſi epiſcopo cum obviam occurreret, inter mutuos amplexus animam efflaſſe, at ſepulturæ mandatum a S. Martino fuiſſe, quod refert quoque Gregorius Turon. Monaſterium S. Romani ſubjectum fuiſſe Burdigalenſi eccleſiæ tempore Ludovici Pii ſuperius diximus. Conjicimus hoc monachorum cœnobium poſtea datum eſſe canonicis Regularibus.

C. LXIII. col. 326.

An. 1341. hæc abbatia omnino deſtructa fuit, oſſaque Rollandi & Bellaudæ, quorum occaſione a Carolo fundatum erat monaſterium, diſſipata ſunt. Verum dubitatur utrum ſit hæc abbatia S. Romani, quæ S. Cypriano circa anno 1080. conceſſa eſt. Hos duntaxat reperimus abbates.

SERIES ABBATUM.

I. PETRUS I. primum innoteſcit ex charta Petri Santonenſis epiſcopi, qua ſuæ dioeceſis eccleſias ad monaſterium pertinentes ipſi confirmat. Anno 1135. eidem abbati conceditur facultas utendi baculo paſtorali ab Innocentio II. intuitu maximæ ipſius erga B. Petrum obedientiæ, tempore ſchiſmatis. Memoratur & anno 1145. in charta pro inſtituendis canonicis Regularibus in eccleſia Burdegal. Adhuc ſuperſtes erat an. 1153. ſub Gaufredo Burdegalenſi archiepiſcopo.

II. Willelmus bullam protectionis obtinuit a Clemente papa III. pontificatus anno 3. hoc eſt 1190.

III. Raimundus de Montibus favente Bonifacio VIII. unionem prioratus S. Petri de Camilias cum abbatiali menſa procuravit.

IV. Petrus III. an. 1307. benedicitur in abbatem die 16. Julii, vide in Arnaldo II. archiepiſc. Burdegal.

V. Guillelmus 1349. Num idem quem teſtantur acta pontific. Avenion. ab Innocentio papa VI. inſtitutum an. 2. ſui pontificatus? Memoratur adhuc anno 1358. & 1362. quo *Berſeti* cognominatur.

VI. Bertrandus I. de Caſtre 1406.

VII. Petrus III. de Ulmis 1426.

VIII. Petrus IV. de Vallato 1450. quo anno Petrus archiep. Burdegalenſis, ipſi domus hoſpitalis de Laudo reſtaurandæ facultatem & in ea jus patronatus conceſſit. Idem Petrus de Vallade præfuiſſe reperitur 1436. & 1448.

IX. Johannes I. Baraillon 1478. 1482. & 1489.

X. Petrus V. Auſſel abbas fiduciarius.

XI. Aimardus I. Chati 1498. 1503. & 1511.

XII. Bertrandus II. Chati 1511.

XIII. Aimardus II. Chati 1533.

XIV. Petrus VI. Bournel, filius Guichardi Bournel ex Johanna de Wiſſo domina de Mamez, &c. canonicus & comes Lugdunenſis admiſſus an. 1523. fuit abbas S. Romani, ex D. du Fourny.

Grands Maiſtres de l'artillerie.

XV. Petrus VII. de Plaignes 1548.

XVI. Ludovicus de Genouillac de Vaillac protonotarius apoſtolicus, Regique a conſiliis, 1558. obiit 1583. epiſcopus Tutelenſis.

XVII. Johannes II. de Genoüillac epiſc. Tutelenſis, frater Galioti primi regii ſtabuli magiſtri, &c.

XVIII. Johannes III. Paulus de Gourdon de Genoüillac de Vaillac abbatiam obtinuiſſe dicitur per annos circiter 80. frater erat Johannis de Gourdon de Genoüillac præpoſiti de Roquemadour in Cadurcis & epiſcopi Tutelenſis an. 1597. Fatis conceſſit an. 1669.

XIX. Johannes Baptiſta de Gourdon de Genoüillac de Vaillac filius Johannis-Pauli de Gourdon de Genoüillac comitis de Vaillac, equitis torquati, nominatur abbas die 10. Julii anno 1669. Præerat adhuc anno ſaltem 1708.

XX. N. de la Rochefoucaut de Roye deſignatus eſt abbas die 6. Novembris an. 1717.

Digitized by Google

l'Isle de Medoc.

INSULA.

INSULA, ordinis S. Augustini in Medulco pago quem claudunt Oceanus & flumen Garumna, abbatia ſub titulo S. Petri, exſtabat jam an. 1079. quo Gregorius VII. ad Fulcardum Inſulanæ congregationis præpoſitum, alioſque ejuſdem congregationis canonicos tam majores quam minores ſcripſit, ut Lambertum concanonicum ſuum, quem præter ipſius mandatum male tractaverant, ſuſciperent, eique ablata reſtituerent. Perpaucos reperimus abbates quos hic ſubjicimus.

epiſt. 26. l. 6.

Abbates.

I. Fulcardus Inſulanæ congregationis præpoſitus 1079. de quo ſupra.

II. N. de Noalliis erat abbas Inſulæ & decanus S. Severini Burdegal. annis 1573. & 1580. die 5. Febr. qua renovavit ſacramentum fidelitatis in manibus cancellarii pro dignitate comitis conſiſtoriani, ex chartis authenticis regiæ biblioth. Cum eo fortaſſe contendit Pontius de Salignac pro hac abbatia; legimus enim in archivis eccleſiæ Sarlatenſis, Pontium ejuſdem eccleſiæ canonicum & archidiaconum, necnon abbatem Inſulæ, interfectum ſub finem Februarii an. 1574. una cum fratre ſuo Petro de Salignac canonico & cantore ejuſdem eccleſiæ, a quodam milite dicto *la Bertrandie*. Et hic quidem miles ob ſcelera Burdegalæ poſtea decollatus eſt.

III. Ægidius de Noailles frater Franciſci epiſcopi Aquenſis ejuſdemque hac in ſede ſucceſſor, abbas Inſulæ & S. Amandi in Petrocoriis, vocatur abbas Inſulæ in litteris Henrici IV. regis, quibus illi confirmat nominationem Henrici III. regis, qua deſignatus fuerat epiſcopus Aquenſis. Henrici quarti litteræ datæ ſunt die 25. Januarii, an. 1591. ex ſchedis dom. de Ganieres. Memoratur etiam annis 1594. & 1597.

IV. Ludovicus I. de Nogaret de la Valette epiſc. Mirapic. tum Carcaſſonenſis, abbas erat Inſulæ an. 1655. Obiit 10. Sept. 1679.

V. N. de Caſemajou deſignatur abbas Inſulæ 1684. in feſto Paſchæ.

VI. Ludovicus II. de Bourlemont d'Anglure archiep. Burdegal. abbas Inſulæ & B. Mariæ Craſſenſis, deceſſit die 9. Nov. 1697.

Du Fourny, hiſt. des Maiſtres des eaux & forets.

VII. Johannes de Clermont, filius Gabriëlis baronis de Courceilles, domini de Maupertuis, ex Gabriëlide de Runes, abbas S. Petri de Medoc an. 1697. adhuc præeſt.

BURGUM.

BURGUM urbs antiqua diœceſis Burdigal. de qua præclare Sidonius Apollinaris loquitur in carmine quod inſcripſit Leontio Burdigalenſi archiepiſcopo, abbatiam habet ordinis S. Auguſtini ſub patrocinio S. Vincentii, cujus inter ruderа an. 1658. detectum eſt ſepulcrum lapideum cum integro corpore, phiala aqua plena, & lamina plumbea in qua ſcriptum erat: *Hic requieſcit domnus Guyraudus hujus eccleſiæ abbas primus, qui eam rexit annis triginta ſeptem, minus duobus diebus, anima cujus requieſcat in cœleſtibus. Obiit vero hic ſanctus anno Incarnationis Domini milleſimo centeſimo ſexageſimo primo.* Itaque hujus monaſterii fundatio alliganda eſt anno Chriſti 1124.

Series abbatum.

I. Guiraudus, mortuus an. 1161. de quo ſupra.

II. Guillelmus Amalvinus obiit v. idus Sept. ex necrologio Silvæ-maj.

III. Petrus I. ad diem v. idus Martii.

IV. Raimundus abbas de Burgo, cujus meminit necrologium S. Benigni Divionenſis XI. cal. Januarii; forte is eſt Raimundus qui legitur abbas anno 1376. Vide in Helia II. archipræſule Burdigalenſi.

V. Petrus II. Andron de Lanſſac anno 1503. Vide in Johanne de Fuxo archiepiſcopo Burdegal. cujus erat vicarius generalis.

VI. Franciſcus de S. Gelais abbas Burgi ſupra mare, & decanus Engoliſmenſis, adfuit nomine eccleſiæ Engoliſm. comitiis regni generalibus, ſeu cœtui notabilium habito 1557. feria IV. die 5. Januar. in aula S. Ludovici curiæ parlamenti Pariſienſis.

VII. Robertus de la Chaſſaigne mortuus ante annum 1565. ſepelitur in ædicula eccleſiæ cathedralis Burdigal. vicina, ex epitaphio ipſius patris quod in ſacello eccleſiæ cathedr. legitur his verbis:

Goffrido de la Chaſſaigne ſenatus Burdigalenſis præſide 2. qui muneribus regiis annos LIV. honorifice defunctus, obiit XIII. cal. Junii anno ſalutis M. D. LXV. ætatis LXXIV. menſibus VII. diebus X. Et ſecundum hoc altaris latus ſepultus eſt, ſuperſtitibus ex Catharina Leſcours uxorum priore, Joſepho, Nicolao & Guillelmo liberis, mortuo prius Roberto fratre natu minore abbate de Bourg, cujus in vicina ædicula monumentum, &c.

VIII. Urbanus Luſignanus Sangelaſius epiſc. Convenarum 1602. Vide in abbatia S. Auſonii.

IX. Paulus Philippus de Chaumont epiſc. Aquenſis, filius Johannis domini de Bois-garnier, Regi ab ſanctioribus conſiliis, ex Maria de Bailleul, obiit 24. Martii 1697.

X. N. Bloüin regis capellanus & canonicus Meldenſis deſignatur abbas die 7. *al.* 20. Apr. an. 1697.

XI. N.... d'Elizagaray renuntiatur abbas ineunte anno 1716.

VERTOLIUM. Vertoill.

VERTOLIUM, *al.* Vertulhum ord. S. Auguſtini ſub titulo S. Petri, cujus monaſterii hos duntaxat deprehendimus abbates.

Series abbatum.

I. Odo, e Silvæ-majoris monacho Vertolienſis abb. ob. v. nonas Maii ex necrol. Silvæ-maj.

II. Willelmus de Pers canonicus de Bertolio, deinde abbas 1187. in charta pro Faëſia.

III. Vitalis Rolandi cui Amanevus Burdegal.

Digitized by Google

archiep. permittit dicti monaſterii canonicis inſti- A tuere rectores vel capellanos authoritate propria, & curam animarum eiſdem committere in parochiis abbatiæ ſubditis, eo pacto ut in mutatione archiepiſcoporum vel abbatum & cujuſlibet eorum, in ſignum præmiſſorum, unum marbotinum auri vel florenum de Floren. abbates qui erunt pro tempore præſtent archiepiſcopis. *Datum in caſtro noſtro Laurei-montis prope Burdigalam die XIX. menſis Aprilis anno Domini M. CCC. LVIII.* ex inſtrumento S. Cypriani Sarlatenſis.

IV. Petrus I. d'Arinhac an. 1407.

V. D. A. Capucii abbas B. Petri de Bertullio in Medulco an. 1455. die 5. Nov. fratrem Mat- B thæum Pecolli infirmarium Montis-majoris, procuratorem & vicarium generalem Petri epiſcopi Albanenſis & cardinalis de Fuxo, in commendam proviſi de abbatia S. Crucis Burdegal. a Callixto papa III. anno pontificatus 1. ind. III. in poſſeſſionem dictæ abbatiæ induxit.

VI. Jacobus de S. Martino 1483.

VII. Nicolaus de la Chaſſaigne cantor & canonicus eccleſiæ Burdigal. obiit pridie nonas Sept. anno 1573. ut patet ex epitaphio quod ſequitur, ipſi a fratre & in abbatia ſucceſſore appoſito:

Nicolao de la Chaſſaigne abbati de Vertuhil apud Medulcos, hujus eccleſiæ cantori & canonico, C qui obiit pridie nonas Septembris anno 1573. ætatis LI. menſe IX. die X. cujus corpus in hoc ſacello ad decimum quartum a janua & tertium a dextro pariete pedem conditum eſt; quando Joſephus fratrum natu maximus, in eodem ſenatu præſes tertius, in æde ſancti Maxentii cum matre ſepultus eſt.

VIII. Guillelmus I. de la Chaſſaigne frater præcedentis, in ſenatu Burdegal. conſiliarius, necnon ſacriſta & canonicus eccleſiæ cathedralis, ut diſcimus ex inſcriptione ſequenti affixa ejus tumulo, in ſacello eccleſiæ Burdegalenſis:

Guillelmus de la Chaſſaigne in eodem ſenatu conſiliarius, abbas de Vertuheil, ſacriſta & D canonicus hujus eccleſiæ, annos natus LX. patri pientiſſimo patrique cariſſimo ponendum curavit, & mortuo ſibi ipſe vivens, juxta patrem ſepulturæ locum deſtinavit anno Chriſti 1583.

IX. Petrus II. Sabatier epiſc. Ambianenſis.

X. Johannes de Clermont Thoury 1686. ex permutatione cum præcedente.

FAISIA.

la Faiſe.

FAISIA vel Faëzia B. Mariæ ſacra, ordinis Ciſtercienſis, filia Caduini, de linea Pontiniaci, conditur 1137. in valle pingui & ſatis amœna, inter duo maria, a Petro vicecomite Caſtel- E lionis, qui G. abbati Caduinenſi locum in foreſta ſua de Faëzia tribus diſſitum milliaribus ab oppidis Liburnæ & S. Emilionis, ab Aquiſtriis octo vel novem, conceſſit ad cœnobium ædificandum, datis litteris in clauſtro ſancti Andreæ, præſentibus Gaufrido archiepiſcopo Burdigalenſi, ad cujus diœceſim locus hic pertinebat, & ſuffraganeis ejus, ut nos amplius edocet charta fundationis, quam cum ejuſdem confirmatione ad appendicem pro more noſtro amandavimus. Nunc abbatum juvat catalogum texere.

C. LIX. LX. col. 332.

ABBATUM CATALOGUS.

I. RAIMUNDUS Caduini monachus, novellæ apud Faëziam plantationi præficitur abbas an. 1137. a G. abbate ſuo Caduinenſi. Is porro videtur eſſe R. abbas Faëziæ cui Agno de Monte-Paonio, & Willelmus nepos ejus, aliqua conceſſerunt an. 1152. quique anno ſequenti nominatur in veteri documento.

II. Petrus, cui Amanevus dominus de Ponciaco *laudavit* quæ ab anteceſſoribus donata fuerant monaſterio. Bullam ab Alexandro papa III. conſecutus eſt 1171. Is eſt procul dubio P. abbas qui monaſtico induit habitu Ramnulfum, qui ei poſtea ſucceſſit.

III. Stephanus excepiſſe Petrum videtur. Huic Guillelmus Aimo querelam dimiſit, veniamque pro illatis injuriis ab eo petiit, mox futurus benefactor.

IV. Ramnulfus I. qui & Radulfus, frater Guillelmi & Oliverii de Mauriaco, qui nonnulla monaſterio dederunt, cum ibi veſte monachali donatus eſt, ſecundum Martennium noſtrum; cognominatur de Taleyrand * diciturque frater Heliæ comitis Petragoricenſis. Abbas vero memoratur an. 1178. in charta Petri vicecomitis Caſtellionis pro cœnobio S. Liberatæ, *ſainte Livrade*, & 1180. in charta Willelmi archiepiſc. qui intuitu religionis, honeſtatis atque hoſpitalitatis R. abbati ac domui Faëziæ conceſſit eccleſiam ſancti Petri de Luciaco. Mainardum abbatem de Aquiſtriis beneficum expertus eſt, & Guillelmum Aimonem an. 1181. Bullam protectionis obtinuit a Lucio papa III. Idem abbas Genioſam Caſtellionis vicecomitiſſam ad habitum religionis admiſit, ſepulturaque donavit 1187. Teſtis legitur anno ſequenti in charta Ademari Petragoricenſis epiſcopi pro Silva-majori. Denique an. 1189. * tranſegit cum Clario abbate S. Emilionis. Obiit ex necrologio Silvæ-maj. XIII. cal. Novembris.

** D. Claud. Eſtiennot.*

** al. 1188.*

V. Helias 1201. in litteris P. vicecomitis Caſtellionis. Anno 1207. Iterius de Faëzia miles ei jura pro quibus olim litigaverat, dimiſit.

VI. Grimoardus de Faëzia gente nobili natus, dicitur quondam abbas in charta anni 1232.

VII. Gerardus, cui Viana uxor Iterii Douzel jus in decimam de Luciaco relaxavit 1217. Præerat adhuc 1222. imo 1224. ſi quidem is eſt G. cui Guillelmus de Somonac miles donavit terram *de las Artigas*, ad ſtagnum faciendum.

VIII. Ramnulfus II. anno 1232. quo R. de Bagnols impignoravit ei partem foreſtæ de Faëzia; teſtes fuerunt Arnaldus S. Emiliani abbas, & Grimoardus quondam abbas Faëziæ.

IX. Arnaldus Maſſmh, cui Elias de Bagnols nemus quoddam & prata conceſſit eodem anno 1232. iiſdemque teſtibus. Hoc ipſo anno pepigit cum Petro Gaudon pro molendino de Talajat. Præerat adhuc 1234. & 1235. quo Aimericus de Simaco miles de Ribairaco, & uxor ejus Beatrix multa cœnobio contulerunt.

X. Willelmus 1256.

XI. Bertrandus 1274. & 1276. quo anno Helias vicecomes Caſtellionis terram mobilem de

Digitized by Google

Gommeria ipſi donavit. Occurrit etiam annis 1281. 1286. 1290. & 1292. quo Raimundum abbatem Caduini, & Heliam Roberti rectorem de Mouliens litigantes ad concordiam revocavit.

XII. Bernardus de la Motte 1295. & 1298.

XIII. Guillelmus I. 1298. & 1300. Procul itaque ſit Raimundus Aimerici, quem D. Claud. Eſtiennot a regimine Boni-loci huc traductum præfuiſſe docet annis 1295. & 1300. Et certe alibi nulla ipſius mentio habetur, ſive in chartis pro Bono-loco, ſive pro Faëzia.

XIV. Aimericus 1300. menſe Dec. 1306. & 1307.

XV. Raimundus I. 1311. 1320. & 1335. quo anno tranſigit cum rege Angliæ.

XVI. Stephanus d'Oleric 1340.

XVII. Raimundus II. Audebert 1343. & 1346.

XVIII. Guillelmus II. 1358. & 1365.

XIX. Seguinus d'Arozet 1373.

XX. Guillelmus III. Panare 1380.

XXI. Petrus de la Coſte 1394. & 1395.

XXII. Arnaldus Teſſan abbas & adminiſtrator de Faëzia 1401.

XXIII. Nicolaus I. Charpentrault ſeu Charpentreau 1460. 61. & 73.

XXIV. Johannes I. Bayle.

XXV. Guillelmus IV. du Verger in parlamento Burdigalenſi ſenator, 1463. 67. 71. & 74. Tres iſti ultimi abbatiam ſimul tenuerunt, primus Ciſtercienſis, ſecundus ordinis S. Benedicti, tertius ſecularis, cui Carolus de Arbreto comes Drocarum & Gauriæ dominuſque caſtellaniæ Podii-Normandi, totum jus exercendæ juriſdictionis in omnes vaſſallos monaſterii in prædicta caſtellania dedit; ipſoſque vaſſallos fecit immunes a præſtatione *gallinægii & glandagii 1467.*

XXVI. Guillelmus V. du Riglet doctor theologus, canonicus Narbonenſis, abbas de Faiſia, obiit Narbonæ XI. Januar. 1472. ex charta Caduini. In altera charta ejuſdem monaſterii, manu recentiori ſcripta, dicitur epiſcopus Ebroicenſis, quod non ſatis concordat cum Gallia Chriſtiana. At vero is etiam pugnavit pro abbatia cum tribus præcedentibus, aut eos præceſſit.

XXVII. Guillelmus VI. Porchier 1474. 1480. 1488. 1490.

XXVIII. Johannes II. du Bourg 1492. 1502. reſignavit penſione ſibi reſervata, ſuperſtes adhuc 1512.

XXIX. Johannes III. Geneſt 1502. 1504. in capitulo generali, 1512. 1542. permutavit cum ſequenti.

XXX. Philibertus de Branjeu epiſcopus Bethlehemitanus 1542.

XXXI. Franciſcus de Gontaud de S. Geniez ab anno 1572. ad 1578.

XXXII. Johannes IV. de la Bermondie, ab an. 1578. ad 1582.

XXXIII. Nicolaus II. de Neyrat vel Neyrac baccalaureus, ab an. 1582. ad 1606.

XXXIV. Raimundus II. de Martin Regi ab eleemoſynis 1606. 1662.

XXXV. Joſephus Secundat de Monteſquiou A 1662. adhuc ſuperſtes erat an. 1710. quo diœceſim Burdigalenſem laborum noſtrorum ſocii luſtrarunt.

BONUS-LOCUS.

Bon-lieu ou Carbon blanc.

BONUS-LOCUS, *al.* Riſus-agni, filia Joyaci ſub Pontiniaco, fundatur VIII. cal. Novembris 1141. a B. Sicario Joyaci alumno, toparchis de Monte-ferrando opem ferentibus, in fundo pingui & ſatis amœno, juxta Laurei-montis nobile caſtrum & Garumnam, tribus a civitate Burdigala milliaribus. Ibi jacet corpus B. Sicarii B quod in magna veneratione habetur, crebriſque fulget miraculis.

SERIES ABBATUM.

I. B. SICARDUS ſeu Sicarius primus loci fundator & abbas, pervenit ad annum 1162.

II. David abbas de Ridagnello teſtis legitur in charta Willelmi archiepiſcopi pro Faëzia anno 1180.

III. B. 1213. ab Helia Rudelli ſeniore domino de Bergerac & de Gentiaco, atque Geralda uxore ejus dono accepit quidquid habebant in terra Gaufreiæ.

C IV. Letericus 1228. in chartis Joyaci.

V. W. 1231. memoratur in veteri Silvæmaj. inſtrumento; forte idem ac Guillelmus ſeu Willelmus qui reperitur 1256. Ceterum Innocentius IV. papa Boni-locenſi tradita cœnobio confirmavit pontificatus anno 3.

VI. Gilebertus 1270. 72. & 86. At vel ante obitum ceſſerat, vel duo cognomines admittendi videntur.

VII. Arnaudus I. ſeu Arnaldus reperitur anno 1274. menſe Septembri in chartulario S. Maglorii Pariſ. teſtibus tum Steph. Baluzio, tum D Martennio noſtro.

VIII. Noblius 1297.

IX. Arnaudus II. Gombaut electus an. 1307. occurrit 1308. 1312. & 1318. Vide in Arnaldo archiepiſcopo.

X. Albericus 1320. & 1321.

XI. Petrus Marſen 1325. & 1329.

XII. Guillelmus I. 1336. & 1338.

XIII. Arnaudus III. 1345.

XIV. Guillelmus II. de Banas 1351. 54. & 61. imo 1366. ex noſtro D. Claud. Eſtiennot.

XV. Giraudus d'Aguillon reperitur jam anno 1364. forte aſſumtus a Guillelmo in ſocietatem E regiminis. Occurrit adhuc annis 1371. 82. 91. 95. & 1400. ad cujus preces Raimundus archiep. eccleſiam S. Petri de Baſſens univit monaſterio, ita tunc temporis bellis attrito, ut ibi ſeptem duntaxat monachi degerent.

XVI. Johannes I. de Comba ſeu de Coma 1409. 1414. 1416. 1419. & 1425.

XVII. Raimundus Falqueyron 1427. 1428. 1429. & 1432.

XVIII. Johannes II. de Lernach 1433. & 1439.

XIX. Johannes III. Fengin 1439.

XX. Stephanus I. du Mas 1445. & 1446.

Digitized by Google

XXI. Matelinus Amelin, *al.* Eſmelin 1461. A

XXII. Godifer de Montferrand 1465. 1491. & 1504.

XXIII. Sebaſtianus I. Biret ultimus abbatum Regularium 1516. confirmatur a Johanne abbate Joyaci. Memoratur annis 1519. & 1522.

XXIV. Bertrandus de Belcier 1530. & 1540.

XXV. Antonius du Prat, alterius cognominis Franciæ cancellarii nepos 1560. & 1571.

XXVI. Sebaſtianus II. de Foreſtie jacet in eccleſia cum hoc epitaphio:

Hic jacet Sebaſtianus de la Foreſtie conſil. & eleemoſynarius olim reginæ matris regum, hujuſce monaſterii abbas. Obiit Burdigalæ in caſtro Podii-Paulini 30. Jan. 1597. Anima ejus requieſcat in pace.

XXVII. Jacobus Martin epiſcop. Venetenſis 1610. & 1622.

XXVIII. N. Maurice 1630.

XXIX. Bernardus de Pichon 1634. & 1660.

XXX. N. de Fiot biennio præeſt.

XXXI. Willelmus de Malartic 1666. monaſterium ſtrictiori obſervantiæ addixit, cui & ipſe collum ſubdidit, factus abbas Regularis per annos octo, ex commendatario per quatuor. Obiit 1673.

XXXII. N. du Jac poſt biennium cedit.

XXXIII. Joſephus Ælian 1675. & 1679.

XXXIV. Mathias Charlan 1680. obiit Romæ 5. Maii 1695.

XXXV. Bernardus Belot 1695. 8. Sept. etiam abbas Planæ-Silvæ.

PLANA-SILVA.

Plaine-Selve,

PLANA-SILVA filia Præmonſtrati, nunc ſine ullo canon. Præmonſtr. conditur a Gaufredo ejuſdem ſedis archipræſule, ut fidem faciunt annales MSS. ordinis Præmonſtrat. in bibliotheca ſancti Johannis Ambianenſis aſſervati; ex quibus etiam nuda hæc abbatum nomina eruimus.

ABBATES.

B I. FULCHERIUS.

II. Conſtantius.

III. Ayguelius. In archiv. apoſtolicis Avenion. legitur: *Ayquelinus Ayraudi abbas Planæ-Silvæ malus, canonici ejus autem peſſimi.*

IV. Zonaldus.

V. Seguinus.

VI. Willelmus, idem fortaſſe qui notatur in necrol. S. Juſti Bellovac. die 29. Aprilis.

VII. Giraudus.

C VIII. Bernardus Belot abbas ſimul Boni-loci circa 1695.

IX. Paulus de Cur-de-Cheſne ſimul abbas Caſæ-Dei ord. Præmonſtr. Præfuit autem Planæ-Silvæ a die 3. Junii 1702. ad annum 1718. quo obiit 3. Sept.

X. N. Croizet, deſignatus a Rege doctor theologus ſui oratoris ad curiam Romanam, hac abbatia donatus eſt in menſe Septembri anno 1718.

ECCLESIA AGINNENSIS.

AGINNUM ſeu Agennum caput Nitiobrigum eſt, & Aquitaniæ II. ſecunda poſt metrop. Burdigal. civitas recenſetur in veteri Galliarum Notitia. Porro Nitiobriges populi Toloſ. Petrocoriis & Cadurcis contermini ſunt, de quibus meminere Cæſar l. 7. c. 75. Strabo l. 7. Plinius l. 4. c. 19. Sidonius l. 8. epiſt. XI. ad Lupum, Ptolemæus lib. 2. cap. 7. & Auſonius; Hieronymus, Gregorius Turon. Fredegarius, & alii. Inter claras Aquitaniæ urbes merito laudatur, maxime quod ſita ſit in regione pulcra, amœna, pingui ac fertili; cujus terra, ut in deſcriptione Franciæ per flumina tradit Papyrius Maſſonus, felicibus glebis locupletatur, & quod tribus amnibus, Olto, Duranio & Garumna irrigetur. De ea porro hæc habet Petrus Vallis-cernaii monachus hiſtoriæ Albigenſium cap. 63. *Erat Aginnum civitas nobilis inter Toloſam & Burdegalam, in amœniſſimo loco ſita. A diebus antiquis fuerat regis Angliæ; ſed rex Richardus, quando dedit ſororem ſuam Johannam Raimundo comiti Toloſano in uxorem, civitatem ſæpe dictam cum territorio ſuo dedit pro matrimonio ſororis, comiti Toloſano.* Hujus etiam urbis deſcriptionem in hunc modum exhibet Julius Cæſar Scaliger, oratione contra Ciceronianum Eraſmi: *Agennum oppidum eſt Aquitaniæ, ut incolæ jactant, princeps ..... Ager ubertate ſoli incertum eſt proſit ne magis incolis, an officiat: ita annonæ ſpe ſuſpenſi, omnia munia, non civilia ſolum, ſed ruſtica quoque negligunt.*

Pagus Aginnenſis duas nunc urbes epiſcopales continet; alteram cis Garumnam, Aginnum videlicet, alteram trans hoc flumen in Vaſconia, Condomum dictam. Aginnum ſub archiepiſcopatu & parlamento Burdigalenſi, ſeneſcalliæ & ſedis præſidialis perantiquæ titulo decorata eſt; pontem olim habuit ad ripam Garumnæ magnifici operis, cujus nihil ſupereſt præter veſtigia. Porro de illius antiquitatibus ſcripſit Johannes d'Arnalt in curia præſidiali procurator regius.

Aginnum antiquiſſimus eſt epiſcopatus. Templi cathedralis S. Stephanus protomartyr patronus agnoſcitur. Alia eſt in urbe paris fere antiquitatis eccleſia collegiata S. Capraſii. In cathedrali duodecim ſunt canonici, duæ præcipuæ dignitates: major archidiaconus & primicerius cantor, ſeu præcentor; ſecundariæ ſunt: archidiaconi duo minores, Montaldenſis, & Bezalmenſis; ſacriſta, portarius, qui ſtallum habent in choro, in confeſſibus & comitiis canonicorum, nec gaudent jure dignitatis, ſed tantum antiquitatis. Bis ſuppreſſa fuit dignitas cantoria, primum ſub Leonardo Groſſo & ſub Ruvereo dein reſtituta.

Iterum exſtincta eſt per deceſſum Antonii Goulard canonici & cantoris, in ſuprema curia Burdegalenſi præſidis, ex nobili familia de Braſſac oriundi, ac fundatoris duorum hebdomadariorum : ſed tandem redivıva ſub Nicolao de Villars anno 1607. cura & induſtria Jacobi du Cros Aginnatis.

Inſigne S. Capraſii capitulum pluribus privilegiis decoratur. Decem canonicis, & priore, prima dignitate, conſtat, ac duodecim inſuper præbendariis, & duobus hebdomadariis. Exſtat & tertium capitulum Pugeoli, verum obſcurius, in quo ſex tantum canonici numerantur.

Plurimas religioſorum domos in ſuo ambitu continet Aginnenſis civitas, Prædicatorum ſcilicet, Minorum, Carmelitarum laxioris obſervantiæ & Diſcalceatorum, Eremitarum S. Auguſtini, Capucinorum, Minimorum S. Franciſci de Paula, Tertii ordinis S. Franciſci, & Jeſuitarum; præter ſeminarium a D. Bartholomæo d'Elbene inceptum, & ab illuſtriſſimo Julio Maſcaron perfectum. Nec pauciores habet ſanctimonialium, nempe Viſitationis B.M. Carmelitarum, Annuntiatarum inſtitutionis B. Johannæ, ordinis S. Dominici, & Tertii ordinis S. Franciſci; quibus Filiarum orphanarum, ac earum, quas vocant de Caritate, domus adjungendæ. Addenda inſuper noſocomium infirmorum, & generale pauperum hoſpitium, in quo variæ artes exercentur.

Diœceſis in 12. archipresbyteratus dividitur, Agenni videlicet, Marmandæ, Villæ-novæ, Tonnerini, Montiſpeſati, Turnoni, Fumeæ, Villæ-regalis, Montis-clari, Lauzuni, & S. Fidis, in quibus ſunt parochiæ circiter 385. cum annexis 135. De abbatiis diœceſis ſeorſum agemus.

Antiſtitum ſeriem damus ex tabulario epiſcopatus, aliiſque monumentis & ſcriptoribus recens a nobis detectis, ſchedis ac monitis clariſſimi D. de la Benazie S. Capraſii prioris digniſſimi plurimum adjuti.

EPISCOPI AGINNENSES.

I. S. Caprasius.

ANNI CHRISTI

S. CAPRASIUS nobilis Aginnenſis lucem Evangelicam, quam prius hauſerat, in ſuam civitatem invexit, plurimos ad Chriſti fidem prædicatione & miraculis adduxit, iiſdemque ſalutis ſubſidia, cooperante ſibi Vincentio diacono, ſedulo miniſtravit. Tanti progreſſus dæmonis invidiam furoremque concitarunt, chriſtianam religionem ab ipſis incunabulis Agenni exſtinguere aggreditur, uſus opera Daciani Hiſpaniæ præfecti, cujus procuratio, ut tunc deſcriptæ provinciæ erant, ad Aquitaniam uſque pertingebat, & ſuis finibus Nitiobriges includebat. Aginnum igitur an. 303. adveniens Dacianus, *ſpirans minarum & cædis* in Chriſtianos inquiſivit, ac immanem perſecutionem adorſus eſt. Turbatus puſillus fidelium grex, clam ab urbe ſeceſſit, ac per abrupta eremi, & fragoſas convallium cautes divagatus in ſpeluncis delituit. Gregem ſecutus paſtor, omnia circumquaque ſcopulorum diverſoria peragravit. Hos divinis colloquiis recreabat, illos emendicatis ſubſidiis fovebat, omnes erigebat exemplo, ac pœnis & præmiis æternis propoſitis ad martyrium præparabat. Demum pridie nonas Octobris, cum, ut fert traditio, excelſo e monte cui hodie a S. Vincentio nomen, pateret aſpectus in urbem, & ipſe in ejus platea perſpiceret oculis illuſtre ſpectaculum, nempe Fidem virginem, eo nomine, pro cujus defenſione viriliter decertabat, digniſſimam, cum ſuppliciis tortoribuſque committi, & poſt longa craticulæ ardentis ſupplicia excarnificatam ac toſtam ab angelo columbæ ſpecie donari corona, ipſamque interim ſponſo Chriſto vitæ ſuæ reliquias, holocauſto jam fere peracto, conſecrare, ſenſit in ſe caritatem accendi eo igne qui virginem abſumebat, atque præiviſſe puellam attendens, erubuit non ſaltem ſequi. Extemplo martyrii deſiderio æſtuans, Aginnum revertens, prius Deum precatus, ut omnia in melius convertens ſibi in illo articulo quid rei faciendum eſſet, non obſcuro ſignificaret indicio, & ſi quidem in arenam deſcendendum eſſe ſtatuiſſet, ex proximo pumice emicare faceret protinus aquam : nec mora, eodem loci temporiſque veſtigio, fons vivus emanat mirabiliter eductus, aquam jugem abunde ſuppeditans. Ad aquæ aſpectum cor deſignati martyris magis magiſque exarſit, & ad certamen quo dein glorioſe perfunctus eſt, ſe protulit. Illico enim ductus ante præſidis tribunal chriſtianam fidem profitetur, judicis ac tortorum minas contemnit, tandem invictus in confeſſione Chriſti abſciſſo capite martyr occubuit, ut prolixius recitant geſta ejuſdem ſancti apud Surium & martyrologium Romanum. Feſtus ejus dies celebratur XX. Octobris in tota diœceſi, ac præcipue in collegiata ipſius æde celebri dedicata 4. Decembris, in qua ſacrum ejus caput ſervatur, ſub cujus etiam nomine Pitardus Leodii epiſcopus templum exſtruxit circa an. 840. Ceterum dotata fuit a Carolo magno hæc baſilica. Sunt & varia divi Capraſii tam intra, quam extra diœceſim religioſe conſecrata templa.

ANNI CHRISTI

De epiſcopali S. Capraſii dignitate inter doctos ambigitur. Non defuere qui monachum tantum Lirinenſem fuiſſe aſſeverent, quos Antonius Leſcaſes canonicus cathedralis & ipſe Aginnas, opuſculo in eam rem ſcripto, vulgatoque anno 1622. perpetua hujus eccleſiæ, ut ait, traditione refellit. Sane ejus geſta cum martyrem duntaxat appellant, in quibus Dulcidius epiſcopus ſanctorum Capraſii & Fidei corpora levaſſe, & ſub eorum nomine templum dedicaſſe memoratur; ubi epiſcopatus mentionem non fecit Dulcidius. Quin etiam eccleſiæ S. Capraſii martyris meminere Gregorius Turon. hiſt. lib. 6. cap. 12. & Aimoinus lib. 3. cap. 69. & 70. qui omnes de epiſcopatu Capraſii ſilent, quando itaque primum inter epiſcopos locum S.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

Capraſio tribuimus, morem geſſimus traditioni hodiernæ, quam contendunt eſſe perpetuam inter populares.

In nonnullis catalogis Capraſio ſucceſſor datur S. Vincentius, quem ab eo diaconum ordinatum eſſe narrant; ſed celebratur tantum ut diaconus & martyr a Gregor. Tur. lib. de Glor. Mart. cap. 105. & in veteri martyrol. tom. IV. Spicilegii legitur: *V. idus Junii in Gallia Pompeiaco paſſio S. Vincentii martyris.*

Laudati catalogi locum dant poſt S. Vincentium cuidam Auxilio, ut teſtatur V. Clar. D. de la Benazie; ſed hi indices non tantæ ſunt antiquitatis, ut fidem extorqueant & mereantur.

II. S. Phoebadius.

Phœbadius, qui & Fegadius, & Sebadius, & Phitadius *, ortu non Hiſpanus ſed Gallus, atque provincia, ut videtur, Aquitanus, quia *noſtrum* eum vocat Sulpicius lib. 2. pag. 161. Agenni epiſcopus. Quo anno ad hanc dignitatem evectus fuerit incertum; poſt annum 347. aſſerit vir doctiſſimus, quia, inquit, inter præſules qui Sardicenſi concilio interfuere non recenſetur. Vir fuit pietate ac doctrina clariſſimus, hæreticorum omnium, Arianorum maxime, flagellum. Miſſam in Gallias a Conſtantio ſecundam fidei formulam Sirmienſem, quam ipſe Arianam Potamii perfidiam vocat, una cum aliis Gallicanis præſulibus reſpuit ac damnavit, ſed & præ ceteris, conſcripto hanc in rem libro ad examen revocavit, & κῦ πόδας confutavit. Hic liber primum a Petro Pithœo Pariſiis anno 1586. editus, inde in Patrum bibliothecis inſertus, demum a Gaſp. Barthio recenſitus, & animadverſionibus illuſtratus eſt.

* Agenni *vulgo* S. Fiari.

Adfuit ſynodo Ariminenſi in Italia an. Chriſti 359. a Conſtantio coactæ, una cum plurimis ex Gallia & Aquitania præſulibus, quibus cum ex fiſco publico ordinatæ eſſent annonæ, notatu dignum obſervat Severus, ſuis ſumtibus eos vivere maluiſſe, ut ſic libertas fidei ſervaretur. Eorum quæ pro fide catholica contra perfidiam Arianam, nondum captivatis patribus, acta ſunt, pars magna fuit Phœbadius. Sublata libertate ac vi retentis epiſcopis ut novam fidei formulam chirographo ſuo firmarent, omnes Arianorum impetus, etiam poſtquam ceteri fere omnes ceſſerant, invicto animo ſuſtinuit, profeſſus malle ſe exſilium, imo & mortem pati, quam errore fœdari. At tandem Tauri præfecti fraudibus ac fictis lacrymis & prætenſæ unitatis amore deceptus, formulam a ſe, prout libuit, immutatam, ac nihil niſi catholicum, ut ipſi videbatur, complectentem, admiſit, & ſubſcripto nomine confirmavit. Rem geſtam narrat Severus præfato lib. 2. his verbis: *Compertis quæ decreta erant, major rerum & conſiliorum perturbatio: dein paulatim plerique noſtrorum, partim imbecillitate ingenii, partim tædio peregrinationis evicti, dedere ſe adverſariis, donec ad viginti uſque noſtrorum numerus imminutus eſt. Sed hi quanto pauciores, tanto validiores erant, conſtantiſſimuſque inter eos habebatur noſter Fægadius & Servatio Tungrorum epiſcopus: hos, quia minis & terriculis non ceſſerant, Taurus precibus aggreditur, & lacrymans obteſtatur, meliora uti conſulerent, clauſos intra unam urbem epiſcopos jam ſeptimum menſem agere: injuria hyemis & inopia confectis, nullam ſpem reverſionis dari, quis tandem eſſet finis? ſequerentur plurium exemplum, auctoritatem ſaltem ex numero ſumerent. Etenim vero Fægadius paratum ſe exſilio, atque ad omne ſupplicium, in quod depoſceretur, profiteri ſe ab Arianis conceptam fidem non recepturum. Ita in hoc certamine aliquot dies tracti, ubi parum ad pacem proficiebant, paulatim & ipſe infractior, ad extremum propoſita conditione evincitur.* Hactenus de ipſo Severus. Ad perfidiam tamen Arianam uſque cave ne putes evictum. In fide conſtans, nihil niſi catholicam fidem in formula contineri ſentiebat, deceptus videlicet fraude Valentis Murſorum epiſcopi, qui confeſſioni fidei Chriſtum non eſſe creaturam aſſerenti, hanc clauſulam addiderat, *ut ſunt aliæ creaturæ*, quibus errorem obvolvebat. Fraude detecta acriter reclamavit, tantaque vi fraudem & errorem inſectatus eſt Phœbadius, ut ejus innocentiam ac fidei integritatem nemo non agnoverit. Quam ob cauſam de ejus fama nihil inde detractum, ejuſque auctoritas nequicquam imminuta. Eo quippe non obſtante, concilio Valentino anno 374. præfuit ex ætatis privilegio ac perſonæ merito, ut Oſius in Sardicenſi. Præfuit & Cæſarauguſtano ſub annum 380. cum Aginnum ad Hiſpanienſem provinciam pertineret, in quo & *Fatidius* nuncupatur. Præter librum adverſus Arianos, alia conſcripſit opera, de quibus Hieronymus de ſcriptoribus eccleſiaſticis cap. 108. *dicuntur & ejus alia eſſe opuſcula, quæ necdum legi.* Nonnulli quibuſdam ducti conjecturis orationem contra Arianos, quæ Gregorio Nazianzeno & Ambroſio aſſignatæ ſunt, Phœbadio tribuerunt; at leves ſunt ejuſmodi conjecturæ. Exſtat Ambroſii ad illum & ad Delphinum Burdegalenſem epiſtola. Ad decrepitam uſque ætatem eum vixiſſe teſtatur Hieronymus his verbis: *Vivit uſque hodie decrepita ſenectute.* Atque adeo per 40. fere annos Aginnenſem rexit eccleſiam, ab anno ſcilicet 347. aut 348. quo librum adverſus Arianos conſcripſit, ad 392. quo de illo Hieronymus in præfato tractatu.

374.

380.

396.

De eo in proprio Aginnenſis eccleſiæ plura referuntur. Feſtus ejus dies cum anniverſaria ſolemnitate S. Marci concurrit. Ipſius corpus jacuit multo tempore apud Petrocorios, cum reliquiis S. Alvertæ virginis Aginnenſis ac martyris, quæ germana fuit S. Fidis: ac tandem tranſlatum eſt ad locum de Benerkis Toloſanæ diœceſeos ad fluvium Aurigeram *, in eccleſia ubi nunc ſervatur. Bernardus Andegavenſis libro manuſcripto, quem Fulberto Carnutenſium pontifici nuncupavit circa annum 1012: *Urbs Aginnum*, inquit, *ſuper omnes urbes Aquitaniæ multis olim ſanctorum patrociniis illuſtris emicuit, quibus pene omnibus temporum proceſſu, ignoto quo neſcio ſuo peccato, viduata remanſit, partim vi, partim furto ſublatis. Invenies, Aquitaniæ viator, quod ipſe experimento comperi, diverſis in locis, qui tibi dicant, hoc eſt corpus illius martyris ab Aginno tranſlatum; hic illius virginis vel confeſſoris, vel tanta portio illius ſancti, quorum unus Phœbadius habetur Petrogoras allatus.* Stetit

* la Riege.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

olim ad muros Aginni intra urbem & prope basilicam S. Caprasii, templum B. Phœbadio consecratum, quod jam dirutum est.

Gavidium successisse Phœbadio asseverat Bollandus in notis ad vitam S. Hilarii Act. Jan. 13. pag. 790. *Successit ei Gavidius, quem hic citat Severus.* Severum appellat, at in cassum profecto. Gavidium enim episcopum dicit Severus, at non Aginnensem; quippe Histor. lib. 2. edit. Amstel. 1636. in 12. pag. 109. de Ariminensi synodo sermonem habens, ait tres duntaxat Britannos episcopos annonas & sumtus necessarios ex fisco sumsisse, *sanctius putantes fiscum gravare, quam singulas*, idque unum ad præsens institutum habet: *Hoc ego Gavidium episcopum nostrum, quasi obtrectantem, referre solitum audivi.* Quid id est? Gavidium Agenni sedisse? neutiquam. Imo eodem cum Phœbadio tempore vixisse constat, ac ipsi superstitem fuisse Phœbadium probabilissimum. Admissi ergo hac in re erroris *falso insimulantur* Sammarthani fratres.

III. S. Dulcidius.

Dulcidius, quem alii Dulcium vocant, Phœbadii discipulus. Ab ipso senescente, cum diaconi duntaxat munus obiret, successor designatus; eo defuncto, *Deo volente*, inquit Aginnensis ecclesiæ proprium, *omnique populo acclamante, in episcopali* 405. *cathedra constitutus est.* Illam tenebat anno 405. De eo in antiquis monumentis nihil reperitur, nisi quod sub SS. Caprasii & Fidei nomine constructam ecclesiam dedicavit, sacrosque eorum cineres magna pompa transtulit, ut in eorum vita apud Surium, & in veteri breviario Aginnensi manu exarato conscriptum est. Post obitum in sanctorum numerum relatus est, ejusque festivus dies agitur 16. Octobris. Sacrum ejus corpus ad Cambaretum vicum delatum, ac ejus intercessione ægros quamplurimos in pristinum statum restitui testatur Gallicanum martyrologium, cui suffragantur Bernardus Guidonis episcopus Lodovensis, ac prior Vosiensis, ubi eum Dulcissimum vocat. Est porro Cambaretum prioratus in diœcesi Lemovic. ab Usercensi monasterio dependens.

Quinam post Dulcidium episcopalem cathedram Aginnensem tenuerint usque ad annum 540. non invenitur in fastis ecclesiasticis. Causam existimamus quod his temporibus in manus Gothorum principum Aquitaniæ & Occitaniæ incidissent; qui cum essent Ariani & infesti Orthodoxis, mirum non est nullum fere reperiri in albo episcoporum Aginnensium a seculo IV. usque ad medium circiter æræ Christianæ seculum quintum.

De iis audiendus Apollinaris Sidonius l. 7. ep. 6. ubi de Eurico Gothorum rege sermonem faciens, ait: *Burdegala, Petrocorii, Ruteni, Lemovices, Gabalitani, Elusani, Vasates, Convenæ, Auscences, multoque jam major numerus civitatum summis sacerdotibus ipsorum morte truncatis, nec ullis deinceps episcopis in defunctorum officia suffectis (per quos utique minorum ordinum ministeria subrogabantur) latum spiritualis ruinæ limitem traxit . . . . . Ita populos excessu pontificum orbatos tristis interciſæ fidei desperatio premit . . . . . nec per rusticas solum solitudo parochias: ipsa insuper urbanarum ecclesiarum conventicula rarescunt. Quid enim fidelibus solatii supereſt, quando clericalis non modo disciplina, verum etiam memoria perit.* Hinc cum illis temporibus Bituricensis eligendus esset metropolitanus, *Provincialibus ab Eurico sublatis, vicinarum provinciarum evocandi fuerunt episcopi*, ait Sirmondus in ejusdem Sidonii epist. 9. libri 7. 1.

Nonnulli circa hæc tempora Lupum Aginnensem episcopum constituunt, Sidonii Apollinaris auctoritate, ut autumant, freti. Hic enim, inquiunt, undecimam libri 8. epistolam dedit *Lupo papæ*, & quidem Nitiobrigum, ut ex contextu patet. Optandum sane nobis foret rem ita se habere, sic enim vacua episcopis tempora aliqua ex parte compleremus. Verum quidquid utilitatis inde nobis accedat, vincit apud nos veritas. Nihil nobis habere videtur Sidonius, quo Lupum Agenni sedisse probetur; 1°. enim papam illum nequaquam exhibet præfatæ epistolæ inscriptio in accuratissima Jacobi Sirmondi editione, sic enim habet: *Sidonius Lupo suo salutem.* 2°. sed papam dixerit, certe Nitiobrigum præsulem fuisse nullibi significat. Id quippe unum asserit de Lupo: *Quid agunt Nitiobriges, quid Vesunnici tui, quibus de te sibi altrinsecus vindicando nascitur semper sancta contentio.* Optime sane, si illum ut suum episcopum sibi vindicassent, verum nihil minus. Quid ergo? subdit: *Unus te patrimonio populus, alter etiam matrimonio tenet. Cumque hic origine, iste conjugio; melius illud, quod uterque judicio. Te tamen, munere Dei, inter ista felicem: de quo diutius occupando, possidendoque, operæ pretium est votiva populorum studia confligere.* Hic de episcopatu nihil omnino; nempe sibi illum vindicabant Nitiobriges ob cognationem, minime vero tanquam pastorem.

IV. Bebianus.

De Bebiano nihil in ecclesiasticis monumentis reperimus, nisi quod concilii Aurelianensis V. canonibus cum aliis quinquaginta episcopis statim post Maximum Cadurcensis ecclesiæ antistitem subscripsit anno 549. Paulo ante, circiter anno 549. 540. Maurinus B. Eutichii martyris filius a S. Germano Capuano episcopo baptisatus, ac levita ordinatus, Agennum repetens, martyrium complevit 7. cal. Decemb. De eo pluribus agit breviarium Aginnense.

V. Polemius.

Polemius reperitur subscriptus synodo Parisiensi 573. quartæ, anno 573. de eo nihil præterea.

VI. Sugillarius.

Episcopatum tenuit anno Christi 580. 580.

VII. Antidius.

Antidius, qui & Antistius, sub finem VI. seculi Aginnensem rexit ecclesiam. Illius meminit Greg. Turon. histor. lib. 8. edit. Ruinartii nostri n. 2. col. 378. refertque quod cum a rege Guntchramno ad convivium admissus fuisset una cum aliis episcopis, cum de nonnullis expostulasset Guntchramnus, ipsi & Nicasio Ingolismensium

ANNI CHRISTI

antiſtiti dixit : *Quid vos , o ſanctiſſimi Patres , pro religionis utilitate, vel regni noſtri ſoſpitate tractaſtis, edicite* , additque illos tacuiſſe. Subſcripſit Antidius concilio Matiſconenſi II. anno 585.

585.

VIII. Salustius.

Saluſtium omiſere clariſſimi fratres Sammarthani. Aginnenſem tamen epiſcopum affirmat doctiſſimus Cointius Annal. eccleſ. Francorum tom. 2. ad anno 629. num. 4. & tom. 3. ad an. 649. n. 37. licet nullo rem argumento confirmet. Certe epiſcopum fuiſſe Saluſtium , & quidem ante annum 629 , demonſtrat epiſtola Deſiderii nondum Cadurcenſis epiſcopi , ad ipſum data , quæ ſingularem inter utrumque amicitiam interceſſiſſe ſignificat. Aginni vero ſedem habuiſſe palam eſt ex vita jam laudati S. Deſiderii quæ exſtat in Gallia Chriſtiana edit. anni 1656. tom. 2. pag. 464. col. 2. num. 15. in ea enim ſic habetur : *Habebat eo tempore plures D. Jeſus in Galliis nobiles ſervos : Arverno Gallum : Bituricis Sulpitium : Ruthena Verum : Agenno Saluſtium : Engoliſmo Eparchium : Petrogorico Auſterium : Noviomo Eligium : Meti Arnulphum : Luxo Auſtraſium : Meſtarone Deodorum : Caturca Deſiderium.*

Saluſtii ſucceſſores ad decimum uſque ſeculum ignorantur. Quid vero cauſæ fuerit ut vel nulli ſederint apud Aginnum epiſcopi, aut ſaltem nulla eorum acta ad nos uſque pervenerint, facile eſt conjicere. Nam Aginnum in Saracenorum procella multas clades paſſum eſt, in quibus non mirum periiſſe vetera monumenta , aut etiam diutiſſime ſedem vacaſſe. Unum tamen ſuppeditat vir clariſſimus D. de la Benazie S. Capraſii Aginnenſis prior, Siboaldum videlicet , quem concilio in caſtro Garnomo ſuper Garonam habito interfuiſſe aſſerit an. 643. 643. cujus acta , inquit , in archivis Albienſibus dicuntur. Idem habet Steph. Baluzius in notis MSS. ad Gall. Chriſtian. fratrum Sanmarth. Verum de iis nihil quicquam certi potuimus adipiſci.

643.

DE GASCOGNE.

IX. Gumbaldus.

Gumbaldus cognominatus eſt a Vaſconia, quod genus duceret a Sancio-Mitarra , quem ex Caſtella accerſitum, in ſuum, ut tunc temporis aiebant, conſulem , ſeu comitem Vaſcones elegere. Hic porro avum habebat Lupum Centullum Vaſconiæ ducem, qui decreto Ludovici imperatoris circa annum 819. a regno pulſus, ad Alphonſum cognomento Caſtum Galliciæ & Aſturiarum regem perfugerat, a quo benigne exceptus, atque comitatu in Caſtella donatus fuerat. Gumbaldus patrem habuit Sancium Garciam Vaſconiæ comitem ; fratres Sancium Sancii patris in dignitate ſucceſſorem , ſine liberis defunctum ; & Guillelmum poſt natu majoris obitum Vaſconiæ hereditario jure comitem , qui ſub finem vitæ Gumbaldum in principatus ſocietatem adſcivit. Hic primum Agenni comes uxorem duxit , ex qua Hugonem filium habuit. Ea defuncta cleri ordinem amplexus eſt , deinde epiſcopatus Aginnenſem & Vaſatenſem obtinuit, ex charta Condomienſi Spicileg. tom. 13. p. 416. ac tandem in comitatus Vaſconiæ ſocietatem adſcitus eſt; ſub hoc duplici titulo , monaſterium *Squirs*, ſeu de Regula, quod ſui juris eſſe aſſerit *(monaſterium noſtri juris)* monachis Floriacenſibus attribuit anno 977. Sic enim fert charta donationis : *Ego Gumbaldus epiſcopus Vaſconiæ.* Et infra : *Signum Gumbaldi epiſcopi & totius provinciæ ducis , qui hanc donationem devoti cordis inſtantia Deo Redemptori conceſſit.* Anno ſequenti *medietatem eccleſiæ, quæ in honorem B. Mariæ dicata, fundata conſiſtit in Villa-nova , eidem monaſterio conceſſit* , ut videre eſt in tabulario , ubi ſe Gumbaldus epiſcopum , & totius circum poſitæ regionis ducem aſſerit. Anno 982. cum diem ſupremum obiiſſe aſſerit vir clariſſimus Petrus de Marca hiſt. Bearn. lib. 3. c. 8. probatque ex charta fundationis monaſterii S. Severi in capite Vaſconiæ poſt hunc annum factæ ; tum quia in ea nulla illius ut ducis aut comitis mentio fit , ut par erat , ob communem ipſius cum fratre in ea dignitate ſocietatem ; tum quia donanti aderant , & fundationem ſua authoritate confirmarunt epiſcopi Aginnenſis , Vaſconenſis & Vaſatenſis alii a Gumbaldo ; ergo Gumbaldus qui tres illos epiſcopatus ſolus dum viveret , obtinebat , obierat. 977.

Ex tabular. Laſcurrenſi, Auſcienſi, & Alaonenſi apud Marca hiſt. Bearn. lib. 3. c. 3. 4. &c.

De illo duo referunt Sammarthani , primum quod fuerit Burdigalenſis archiepiſcopus ; alterum quod Aginnenſem comitatum, qui illi paterno jure contigerat , epiſcopatui annexuiſſe credatur , quodque ab ipſo antiſtites Aginnenſes jus habeant cudendi monetam, quæ adhuc videtur in epiſcopio & domo civica Aginni. Verum alterum falſum , incertum alterum. Primum quidem, quod nuſquam hunc titulum aſſumſit , nec a quoquam illis temporibus accepit , epiſcopus ubique nominatus, non archiepiſcopus , quod illius ætatis moribus aperte repugnaret ; adde quod nullum tempus aſſignari poſſit quo ſedem illam occupavit. Ad alterum quod ſpectat, Agenni comitem ſimul & præſulem fuiſſe Gumbaldum , ac ibidem monetam cudiſſe lubens fateor : verum utrum ſua jura ſucceſſoribus tranſmiſerit, dubium videtur ; illi ad vitæ duntaxat tempus Agennenſe ſolum a fratre conceſſum fuerat; quod ſignificat abbatiæ Condomenſis hiſt. Spicil. tom. 13. pag. 436. cum ait : *Guillelmus conſortem honoris & dignitatis comitem Gimbaldum voluit habere , concedens illi ad ſupplementum vitæ Agennenſe ſolum & Baſatenſe , cum omnibus appendiciis ſuis.* Adde quod in hiſtoria Bearnenſi refertur Garciam Gumbaldi nepotem Aginnenſem comitem fuiſſe. Idque probatur ex Oihenarto lib. 3. Notit. Vaſc. cap. 6. aſſerente in antiquo lapide ædis S. Quiteriæ , exſtare hanc inſcriptionem : *III. idus Novemb. obiit Guillelmus comes .... dux Guaſconorum , & obitus Garſiæ fratris ejus comitis Agennenſium.* In gratiam *tamen Aginnenſium præſulum dici poteſt* , id illis a Gumbaldo conceſſum , at poſt ejus obitum a Guillelmo uſurpatum ſeu potius vi ablatum, ut Garſiæ fratri cederet in patrimonii partem ; verum ſucceſſu temporis Aginnenſibus epiſcopis reſtitutum.

X. Arnaldus I.

Arnaldus Gumbaldo ſucceſſit. Quod quomodo effectum ſit inſinuat hiſt. Condomienſis abbatiæ, hæc

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

hæc de Hugone Gumbaldi filio referens: *Ob cujus tunc temporis imbecillitatem Aginnenſis eccleſia, necnon Baſatenſis, ſingulos præſules acceperunt, cæteras, quicumque prævaluit uſurpavit.*

DE VASCONIA

Tom. 1. col. 1193.

XI. Hugo.

De Hugonis epiſcopi primordiis jam diximus in epiſcopis Vaſatenſibus, quæ hiſtoria Condomienſis abbatiæ nos docet. Filius erat Gumbaldi, de quo ſuperius. *Perpendens pater*, inquit hujus hiſtoriæ ſcriptor, *filium recto tramite gradientem, noluit illum honoris & dignitatis remanere expertem. Erat illi ſubdita Leumania*, id eſt Leomania, *quæ ad diœceſim Agennenſis epiſcopatus pertinebat.* Erat & cœnobii Condomi erecti, & poſt ruinam a Nortmannis inductam a piiſſima comitiſſa reparati, abbas. Utrumque Hugoni contulit, & ſic *abbatem clericorum eſſe præcepit, nihil ſibi reſervans ex omnibus.* Defuncto parente, nondum *in virum perfectum* Hugo *venerat, nec tantæ potentiæ arcem attigerat*, ut patris hereditatem poſſet vindicare, ſed *tantummodo* præfato *cœnobio, cui prælatus a genitore fuerat, dominabatur.* Præterea *cum adhuc abbatis fungeretur officio, ad augmentum doloris & tribulationis, cœnobium .. igne ſuccenſum eſt*, ac plene dirutum. Nec ideo tamen concidit animo piiſſimus abbas, imo adverſus fortunam animum obfirmans, *totum ſe ad hoc contulit, ut domus Dei in melius reædificaretur. Quod ubi cæpit, Dominus de pulvere egenum ſuſcitavit, & de ſtercore humilem erexit, ut cum principibus ſederet, & ſolium patris obtineret. Tunc quippe prudentia fultus, fortitudine auctus, potentia glorificatus, viriliter ſe agere cæpit, & de adverſariis triumphare. Nulli tamen ex his qui genitori in epiſcopatu ſucceſſerant, moleſtus fuit; verum illis obeuntibus, more utrarumque ſedium patrio, accepit pontificatum.* Agennenſis ergo & Vaſatenſis epiſcopus effectus eſt contra præſcripta canonum. Verum ille quod in provincia diuturno uſu invaluerat, & paterno confirmatum videbat exemplo, ſibi licitum putabat. Hinc nihilominus *pontifex ordinatus*, ait Condomenſis eccleſiæ hiſtoria, *religioſæ vitæ continentiam ſectabatur, & quanto amplius ſublimabatur gradus honore, tanto humiliabatur cordis contritione, & ædificium, quod adhuc abbas devote cœperat, præſul factus implevit devotius.*

Interea pietatis cauſa Romam profectus, conſcientiæ ſinu ſummo pontifici aperto, cum hic audiſſet *duabus* illum *præeſſe ſedibus*, præcepit ut una earum contentus, alteram dimitteret, ac in peccatorum remiſſionem, *in propria diœceſi monaſterium conſtrueret & officioſiſſime adornaret.* Juſſis ſe obtemperaturum promiſit, ac in patriam reverſus ſtetit promiſſis, *Baſatenſem* enim *epiſcopatum* ſtatim dimiſit, ac cuidam viro fideli conceſſit. Monaſterii Condomenſis fabricam conſummavit, eccleſiamque, *facto generali conventu pontificum, abbatum, tribunorum & centurionum, nobiliumque virorum* dedicavit *in honore S. Salvatoris, & in nomine B. Petri apoſtolorum principis, ſicut quondam fuerat.* Inde vero *clericos ſeculariter & abſque regulari diſciplina degentes penitus amovit, & monachos Deo jugiter ſervientes, & ſub regulari jugo militantes in illorum loco ſecundum inſtituta vel* monita *S. Benedicti ordinavit*, illiſque patrem nomine Petrum, *virum omni virtute probatum* præfecit. Monaſterio vero omnia bona ſua donavit. Donationis ſcriptum, annum M.XI. præfert. *Nec multo poſt*, inquit hiſtoria ſæpe jam laudata, *dominus Hugo vita deceſſit, & in eodem loco ſepulturam accepit, in introitu videlicet eccleſiæ ad lævam partem infra maceriam, diem judicii præſtolans, corpus ejus requieſcit.*

ANNI CHRISTI

XII. Sanctius I.

Sanctium, ſeu Sancium an. 1012. ad Agennenſis eccleſiæ pontificatum evectum fuiſſe aſſerunt Sammarth. fratres: verum ex dictis in Hugone, & ex dicendis in Condomienſi hiſtoria palam eſt paulo ſerius, ac circa annum M. XV. hanc dignitatem obtinuiſſe. Vir clariſſimus Petrus de Marca hiſt. Bearn. l. 3. c. 12. aſſerit Raimundum Aginnenſem epiſcopum, S. Severi in capite Vaſconiæ abbatem, & Hugonis ſucceſſorem, defunctum an. M.XXIII. idque in præfati monaſterii martyrologio conſignari. Verum, pace tanti viri dixerim, hallucinatus eſt. Qua ratione neſcio. Id unum ſcio me in hagiologio & necrologio Sanſeveriano legere: *VII. idus Aprilis depoſitio domni Raimundi epiſcopi Aginnenſis, monachi & abbatis iſtius loci, M.C.XLVIII.* Bene ergo Sammarthani Sanctium Hugoni, & Simonem Sanctio ſuffecerunt. 1015.

XIII. Simon I.

Simon I. circiter an. 1026. cal. Maii adfuit dedicationi eccleſiæ Burdigalenſis. Obſervare hic operæ pretium eſt, in quibuſdam codicibus MSS. eccleſiæ cathedralis Aginnenſis poni ordinatim & ſucceſſive Simonem, Gausbertum, Aldebertum, Arnaldum & Bernardum; imo & in nonnullis, atteſtante D. de la Benazie, Arenatum Simoni ſubrogari; quamvis autem commemorentur ſine die & anni epocha, eos tamen Arnaltus in hiſtoria epiſcoporum cum Benazio referendos cenſet ad tempora belli ſacri, id eſt expeditionis Hieroſolymitanæ; in quo falluntur, ut iis qui belli illius ſacri epocham norunt, apertum eſt. Illorum nomina duntaxat, nulla annotatione facta, retulere Sammarthani; ſi Arenatum excipias; ea quoque recenſebimus, nonnulla de ſingulis notando. 1026.

Arenatus, de quo nihil omnino ſuppetit in tabulariis, inſcribitur, inquiunt, in veteribus epiſcoporum indicibus; verum gratum nobis feciſſent, ſi horum indicum antiquitatem ætatemque probare voluiſſent. Certe novimus multos quibus ducentorum annorum inſtrumenta antiquitatem ſapiunt.

Gausbertus fuit quidem Aginnenſis præſul; ſed alio prorſus tempore, ut infra probabimus.

De Aldeberto idem prorſus ac de Arenato cenſemus; eos ſcilicet, nullo fundamento admiſſos, expungi debere.

DE BOVILLA.

XIV. Arnaldus II.

Arnaldus de Bona-villa, de Bonvilla, de Bovevilla & melius, ut videtur, de Bovilla dictus eſt, quod oppidum eſt Aginnenſis agri, leucis 5. ab Agenno diſtans, ad Septentrionem. Quo porro

ANNI CHRISTI

anno præciſe pontificatum inierit, incertum. Eo ſe abdicaſſe videtur, id enim innuit notitia fundationis ſeu exordii Moiriacenſis cœnobii, in qua dicitur: *Petrus Moiriacenſis dominus, quorumdam infeſtationes, conſilio Arnaldi de Bovilla, qui quondam Agennenſis epiſcopus fuerat, ſapienter mitigaſſe*, &c.

XV. Bernardus I.

Bernardum fuiſſe de familia baronum de Bovevilla conjicio ex charta qua dat Deo & S. Maurino, una cum Arnaldo de Bonvilla, medietatem curtis, quam idem inſtrumentum vocat inferius *honorem*, ſeu prædium nobile, quod proinde pendebat a familia de Bonvilla, cui loco eccleſia S. Juliani de Serra & curtis ad plagam ejus meridionalem ſita, vicinæ ſunt. Aginnenſi eccleſiæ an. 1048. præfuit, ut patet ex charta Cluniacenſi, in qua memoratur. An. M. LII. præſens fuit donationi eccleſiæ S. Dionyſii de Vico Aginnenſis civitatis, factæ abbati & fratribus monaſterii Moyſſiacenſis, per quemdam Bernardum & fratres ejus. Sic enim clauditur charta donationis: *Facta eſt autem hæc charta donationis in dedicatione ipſius eccleſiæ, aſſtantibus & conſentientibus Bernardo epiſcopo Aginnenſi, Arnaldo epiſcopo Lactorenſi, & aliis pluribus viris bonis, qui hoc donum viderunt & audierunt, & manu ſua firmaverunt. Actum anno Incarnat. Dom. M. LII.* Denique unus fuit ex patribus concilii Toloſani, quod ex codice manuſcripto Moiſſacenſis monaſterii edidit Baronius in Annalibus, habitumque eſt anno Incarn. Dom. 1056. M. LVI. idibus Sept. eique cum decem & octo præſulibus ſubſcripſit, & chartæ donationis factæ cœnobio S. Michaëlis de Peciano, una cum Petro Rogerii Toloſano epiſcopo, ſed ſine temporis inſcriptione, quæ tamen eſt horum temporum.

Vita ſancti Phaletri quam edidit Labbeus tom. 2. bibliothecæ novæ, quemdam Oſium facit epiſcopum Aginnenſem circa hæc tempora. Sed fictitium eſſe hunc epiſcopum jam diximus in Arvernenſibus epiſcopis col. 261. Certe nullum habet teſtimonium, niſi ab hac S. Phaletri vita, quæ fabulis ſcatet.

In nonnullis præterea indicibus *Regino* Aginnenſis epiſcopus ſuperinducitur. Verum ipſius nulla omnino veſtigia invenimus.

XVI. Willelmus I.

1061. Iniit pontificium Willelmus an. 1061. ſi quidem an. 1064. ordinationis ſuæ quarto, ſubſcribit chartæ Hugonis vicecomitis Brulienſis pro Cluniaco, quam, quia hanc epocham certam reddit, hic referre operæ pretium duximus: *Noverint omnes... ego Hugo vicecomes Brulienſis, & mater mea domina Adalais.... donamus Deo & S. Petro Clunienſi, ubi domnus Hugo abbas magis prodeſſe quam præeſſe videtur, unam eccleſiam in villa Alairacus, duas in villa caſales*, &c. *Actum anno Dom. Incarn. M. LXIV. ordinationis domni Willelmi Agennenſis epiſcopi anno quarto, XVI. cal. Dec. indictione II. præſentibus domno Hugone abbate Cluniacenſi, domno Duranno Toloſanæ ſedis epiſcopo, & aliis.*

1063. Anno 1063. III. idus Septemb. celebri cuidam congregationi pro dedicatione Moiſſacenſis eccleſiæ habitæ interfuit, ut liquet ex verſibus tabulæ lapideæ in baſilica inciſis:

Idibus octonis domus iſta dicata Decembris,
Gaudet pontifices hos conveniſſe celebres.
Auxius Oſtendum, Lactora dedit Raimundum,
Convena Guillelmum direxit, Aginna Willelmum, &c.

Adhuc ſedebat anno 1067. ex charta Moiſſacenſi de monaſterio de Exis, & 1068. quo, cal. April. adfuit ſynodo Burdigalenſi a Stephano ſedis apoſtolicæ legato celebratæ, in qua lis de cella Credonenſi pro abbate Vindocinenſi definita fuit. 1067.

XVII. Arnaldus III.

Non ſine formidine Aginnenſibus epiſcopis Arnaldum hunc annumeraremus, cum fratribus Sammarthanis, ſi nihil nobis aliud ſuppeteret quam inſtrumentum fundationis prioratus Rimbodii ord. S. Benedicti in Vaſconia, laudatum a doctiſſimis illis ſcriptoribus, quod datum autumant an. 1060. Nimirum hoc anno, & diu poſtea Willelmum Aginni ſediſſe, non Arnaldum, ſuperius demonſtravimus. At aliunde eruitur Arnaldi hujus epiſcopatus, ſcilicet ex tabulis Regulæ; & aliunde conſtat Sammarthanos minime voluiſſe decernere ad amuſſim tempus ejus pontificatus, dum dicunt eum ſediſſe *tempore Guidonis-Gofridi comitis Pictav. circa an. 1060.* loquuntur enim ex mera conjectura, neſcientes Willelmum Arnaldi anteceſſorem in epiſcopatu annum 1068. attigiſſe.

XVIII. Donaldus.

Donaldum Arnaldi ſucceſſorem fuiſſe aſſerit D. de la Benazie, nec immerito ſane, ſiquidem an. 1080. ſubſcripſiſſe legitur confirmationi territorii Geraldo abbati Silvæ-majoris dati in concilio Burdigalenſi, ut conſtat ex chartulario monaſterii hujus. Vide Hieron. Lopes in hiſtoria eccleſiæ Burdigalenſis cap. 4. in Goſcelino, & Mabillonium ſec. v. Benedict. parte 2. pag. 868. Sic porro habetur ad calcem prædictæ confirmationis: *Acta eſt ſupra dicta confirmatio in Burdigalenſi civitate in concilio, anno ab Incarnat. Dom. M. LXXX. ind. III. epacta XXVI. II. non. Octobr. VIII. an. Gregorii VII. papæ, Philippo in Francia regnante. S. Guillelmi Aquitanienſis ducis. Ego Amatus S. ſedis apoſtolicæ legatus, confirmo. Ego Hugo S. ſedis apoſtol. legatus confirmo. Ego Gocelinus Burdigal. archiepiſcopus, præſente concilio, concedo & confirmo. S. Rodulphi Turon. archiep. S. Guillelmi Auſcienſis archiepiſcopi.... S. Donaldi Agennenſis epiſcopi*, &c. 1080.

XIX. Helias I.

Unicum duntaxat Heliam Aginnenſes inter epiſcopos recenſent noſtri Sammarthani, videlicet Heliam de Caſtellione, de quo infra: ſed duplicem Heliam admittendum probat necrologium Silvæ-majoris, alterum 11. nonas Januarias notatum, alterum nonis Junii. Præterea in tabulario Regulæ ad Garumnam exſtat charta Heliæ Agin. epiſcopi, concedentis Augerio priori & conventui eccleſiam *de las Lobias*. Caret quidem notis chronicis hoc inſtrumentum; ſed tribui non poteſt Heliæ de Caſtellione infra commemorando, qui

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

nonniſi diu poſtea ſedit ; itaque poni debet hic epiſcopus inter Donaldum & Simonem, qui ſequitur, ſi attendamus ad tempus quo Augerius Regulenſe rexit monaſterium : prior autem fuit ab anno circiter 1083. ad an. 1097. Plura non habemus de hoc epiſcopo.

XX. Simon II.

Simon II. in provincia Bituricenſi natus, Dolenſis monachus fuit, aſſerente Silvæ-majoris tabulario ; canonicus S. Hilarii Pictavienſis, ut docet chronicon S. Maxentii, Malleacenſe dictum ; & ex canonico Aginnenſis epiſcopus, ordinatus in concilio Santonenſi anno 1083. Sic porro habet præfatum chronicon : *Anno M. LXXXIII. Santonas exſtitit concilium in quo . . . ordinatus eſt epiſcopus . . . . . Simon canonicus S. Hilarii Agenno.*

Vide C. XIV. inter Inſtrum. Pictav.

1083.

1086. Anno 1086. Goſcelino Burdig. archiepiſcopo, ut docet Malleacenſe chronicon, denato, metropolitanam rexit eccleſiam ; quod etiam palam fit ex tabulario eccleſiæ S. Severini Burdigalenſis, in cujus charta quadam legitur apud Lopez hiſt.

1088. archiep. Burdig. in Amato : *Anno M. XXCVIII. regnante Philippo Gallorum rege*, &c. *factum eſt hoc III. non. Decemb. Simone Agennenſium epiſcopo locum Burdegalenſis epiſcopi tenente.* Circa hoc tempus, conſilio canonicorum ſuorum, eccleſiam S. Antonii in civitate Aginn. dedit Silvæ-maj. monaſterio, & domno Geraldo abbati ; cujus doni conditiones lege inter inſtrum. Anno 1090. II. idus Martias, confirmavit ſua ſubſcriptione teſtamentum Geraldi Cadurcenſis epiſcopi, editum tom. VIII. Spicil. pag. 161.

C. I. col. 427.

1090.

His temporibus exorta gravi controverſia pro cœnobio S. Capraſii de Pontonis, quod Bernardus Aquenſis præſul juſſus fuerat a concilio Santon. reſtituere Regulæ monaſterio, & Floriacenſibus monachis, ſemperque reluctatus eſſet : tandem in pleniſſimo concilio Burdegal. habito, illud dimiſit Augerio Regulæ priori ; huic autem judicio interfuit Simon Aginnenſis epiſcopus ac ſubſcripſit cum ſeptem aliis præſulibus, ut videre eſt tomo V. Annal. Mabill. pag. 652. in appendice. Eodem anno memoratur in charta monaſterii S. Rufinæ olim monachorum, nunc canonicorum S. Capraſii ; & ſuis conſiliis Iſarnum Toloſanum epiſc. adduxit ad concordiam cum S. Saturnini canonicis faciendam.

Ex chartul. Silvæ-maj.

1095. An. 1095. accepit breve apoſtolicum ab Urbano papa II. An. ſequenti confirmavit cum plurimis archiepiſcopis & epiſcopis in concilio Santonenſi privilegia monaſterii Vindocinenſis. Eodem an. interfuit dedicationi eccleſiæ Burdigalenſis ; & ipſe an. 1097. novam S. Maurini eccleſiam conſecravit 3. non. Januarii, adſiſtente Petro Lactorenſi epiſcopo. Hoc etiam anno, nonis Maii Urbanus papa II. ei ſcripſit, ut curaret eccleſias ſuæ dicec. ad Moiſſiacenſe monaſterium pertinentes a laïcis detentas, reſtitui. De his pontificiis litteris, quæ in tabul. Moiſſiacenſi aſſervantur, alia recurret mentio, quoniam ad plurimos epiſcopos ſcriptæ ſunt ; eas autem edidimus tom. I. pag. 40. in appendice.

Tom. X. concil. col. 604.

Tab. S. Maurini.

1097.

1098. Anno 1098. adfuit concilio Burdigal. cum

ANNI CHRISTI

ſuffraganeis & abbatibus, ex chart. Angeriacenſi ; & conſecrationi eccleſiæ S. Andreæ Burdigalenſis an. 1100. quo anno obiit ex chronico Malleac. Sed potius debemus ſequi chron. monaſterii Dolenſis ubi ſepultus eſt, quodque mortem ejus conſignat an. 1101. conſignatur in necrol. Silvæ-maj. XIV. cal. Mail. Hoc epitaphio ipſi parentavit Baldricus abbas Burgolienſis :

1101.

Præſul Agennenſis, vir canus nomine Simon
In cauſis Cicero, moribus ipſe Cato.
Ad natale ſolum rediens ad Biturigenſes
Occidit, inque ſua ſubtumulatur humo
Præſulis oſſa fovet modo ſancta Maria Dolenſis ;
Foverat & puerum terra Dolenſis eum.

Quis Simoni ſucceſſor datus ſit nunc inquirendum. Petrum quemdam poſt ipſum ſediſſe probare videtur quod refert Labbeus tom. X. concil. col. 614. & 615. *An. D. M. XCVIII. Burdegalæ concilium habuit Amatus, illius urbis archiepiſcopus, ſedis apoſtolicæ legatus, cum aliis diverſarum provinciarum epiſcopis. Quo in concilio quid actum ſit ignoramus : celebratum autem fuiſſe diſcimus ex diplomate tabul. Angeriacenſis, cui Amatus archiep. Burdeg. Rolandus Doleuſis archiepiſcopus, Petrus epiſcopus Aginnenſis, aliique in hoc concilio ſubſcribunt an. D. M. XCVIII. ind. VI. III. nonas Octob.*

Id vero quo pacto ſtare poteſt, cum iis quæ de Simone diximus ? forte coadjutor ejus fuit, & ob ſenectutem muniis epiſcopalibus vacare cum non poſſet, vices ſuas Petro commiſit Simon ; ſed ipſe Labbeus ex chronico Malleacenſi profert locum tom. X. concil. col. 402. ex quo liquet Petrum hunc expungendum eſſe : *Simon canonicus S. Hilarii Agenno . . .* datus eſt epiſcopus ; *cui ſucceſſerunt Girardus nepos, Iſardus, Audebertus.*

XXI. Giraldus I.

Giraldus, qui & Geraldus & Giraudus & Girardus, Simonis nepos, in cathedra Aginnenſi ſucceſſor anno 1100. ex chronico Malleacenſi ſuperius laudato, memoratur an. 1103. in tabulis monaſterii Regulenſis ad Garumnam. Eum comitiis parium Vaſconiæ apud Regulam congregatis adverſus vicecomitem de Benauge adfuiſſe aſſerit D. de la Benazie, auctore Petro de Marca hiſtor. Bearn. l. 3. c. 13. verum de comitiis illis nihil eo loci habet vir ille doctiſſimus. Duo hujus nominis epiſcopi Aginnenſes inſcribuntur necrologio Silvæmajoris, unus III. cal. Maii, alter XV. cal. Sept. Quis ex duobus his locis diem obitus noſtri Giraldi indicet, merito ambigitur.

1103.

V. Beſ. comit. Pict. p. 526.

XXII. Isaardus.

Ad Iſaardum Giraldo ſubjiciendum in epiſcoporum Aginnenſium ſerie ſolum habemus chronici Malleacenſis teſtimonium modo prolatum. Porro de ipſius ſucceſſore varie variis in locis loquitur ; nam in laudato contextu Iſaardo ſubjicit Audebertum. At ad annum 1100. de Simone loquens, ejuſque ſucceſſoribus in Agin. cathedra, ait : *Succeſſit ei*, Simoni, *unus poſt alium Giraudus nepos ejus, Iſaardus, Raimundus* ; ubi omittitur Gausbertus, cujus epiſcopatus multis argumentis demonſtratur. Et ſane a tempore quo vixit &

Digitized by Google

sedit Simon parum distat ; unde videtur nobis Isaardo subjiciendum. ANNI CHRISTI

XXIII. Gausbertus vel Gosbertus.

Gausbertum Aginnensem episcopum fuisse an. 1105. 1105. probat charta, quam edidimus inter instrum. num. secunda, col. 427. Hoc in instrumento primum laudat prædecessores suos, qui quasdam ecclesias in jus Silvæ-majoris *transfuderant ;* hocque ratum habet postea ipse de consilio Hugonis archidiaconi, Arsivi de Montiniaco, Petri de Nemore, &c. Insuper concedit totam ecclesiam S. Caprasii de Bedissan juxta Lavarzac. Factum porro dicitur hoc instrumentum : *Anno ab Incarnat. Domini M. C. V. Luna XXI. regnante Ludovico rege in Gallia, Guillelmo duce Aquitaniæ, Arnoldo-Giraldi Burdegalensi in cathedra præsidente.*

Nos diu perplexos tenuit hujus anni inscriptio necdum enim obierat Philippus I. Qua ergo ratione Ludovicus regnare dicitur, & quasi solus regnans exhibetur. Verum cum a patre sub vitæ finem in societatem imperii adscitus, rex renuntiatus fuerit, ac regni negotiis vix non solus incubuerit, mirum profecto videri nequit, si illius regni inscriptionem, etiam dum pater viveret, præ se ferant nonnulla illorum temporum monumenta. Certe alia patris solius, alia patris & filii nomen habent ; quidni ergo & hoc nostrum solius filii titulum exhibeat ? sic in tabulario Angeriacensi apud Besslium in probat. c. 28. histor. Pictav. legimus : *Anno M. C. II. Paschali PP. Philippo rege Francorum*, &c. sic in diplomate Hugonis Campaniæ comitis pro Molismensi cœnobio : *Acta sunt hæc apud Trecas... anno ab Incarnat. Domini M. C. IV.... Francorum regnum Philippo, & filio ejus Ludov. regente,* &c. & in charta qua Willelmus Pictavorum comes & Aquitaniæ dux coëgit Bernardum vicecomitem, insolitum a Regulæ oppido teloneum auferre : *Anno ab Incarn. M.C.III.* seu ut habet Bessius *1104. Philippo rege Francorum superstite, Ludovico tamen filio suo, indolis & probitatis memorando juvene, Franciæ timonem obtinente.* Mirum ergo non est si duobus post annis, nihil agente patre, filii duntaxat omnia per sese gubernantis mentio fiat in diplomatibus. Observandum porro videtur chartam hanc Gausberti legisse D. Johannem Thiroux charactere 1115. notatam ; quæ si vitio careat, ruit omnino difficultas.

Tom. V. Annal. Bened. ad an. 1104. n. 75.

Ibid. n. 65.

Ut ad Gausbertum revertatur oratio, cum Simon episcopus dedisset Silvæ-majori, & abbati Geraldo ecclesiam S. Vincentii de Caladuno, hoc donum pacifice possederunt ascetæ Silvenses, usque ad tempus Gausberti, cujus tempore monachi S. Severi, qui habitabant apud S. Martinum, armata manu abstulerunt Ainarum virum Silvæ-maj. Re ad Gausbertum delata, jussit abbati S. Severi & monachis injuriæ tantæ auctoribus, ut venirent ad curiam : *Die statuta venerunt, ac rationibus utrinque dictis fecit episcopus facere judicium clericis de fede, & Gombaldo Burdegalensi archidiacono, qui forte aderat, & abbati S. Maurini, & abbati Clariacensi.* Causa cecidisse videntur Sanseverani monachi ; verum nihilo pacatiores effecti, litem paulo post iterum intenderunt, ut infra dicetur in Raimundo.

Concessit præterea Silvæ-majori de suorum clericorum consilio, ecclesiam S. Mariæ, ut probat charta quam eruimus ex tabulario Silvæ-majoris ; sed caret ullo temporis charactere. Gausberti mentio fit anno 1115. in veteri instrumento Moiracensi. In Silvæ-majoris necrologio legitur mortuus *V. idus Martii.* ANNI CHRISTI C. III. col. 428.

XXIV. Sanctius II.

Sanctium II. qui & Raimundus Sancius dicitur, inter Aginnenses episcopos numerat chronicon S. Maxentii, ut in Isaardo vidimus. Ipsumque memorari in monumentis Agennensis ecclesiæ ad an. 1112. docent Sammarthani fratres : at de illo plura non habemus.

XXV. Aldebertus II.

Aldebertus, qui & Audebertus & Hildebertus & Adalbertus, circa annum 1118. Aginnensis episcopus electus est, ejusque electio hoc ipso anno in concilio Engolismensi confirmata est, ut testatur chronicon S. Maxentii, vulgo *Malleacense* dictum, his verbis : *Anno millesimo centesimo decimo octavo Engolismæ fuit aliud concilium*, sub Geraldo episcopo S. sedis legato, *ubi archiepiscopus Turonensis, & alii duo episcopi confirmati sunt. Unus eorum Audebertus Agenno.* Monasterium S. Liberatæ ad Oltum fluvium in pago Aginnensi situm tunc temporis possidebant canonici, & quidem 26. numero cum abbate ; qui illud anno 1117. amore Dei, cum omnibus pertinentiis suis B. Roberto, & abbati Stephano ac monachis Casæ-Dei cessere & donavere. Donationi consensit Hildebertus, ut patet ex bulla Calixti II. data Tolosæ idibus Julii, indict. XII. Dominicæ Incarnationis anno M. C. XX. pontificatus ipsius 1. quam inter instrumenta damus, ut consulatur ; legesis quoque chartam 40. inter instrumenta Clarom. Donationem hanc confirmavit Eugenius papa III. anno 1149. IV. idus Martii ; & Lucius III. bulla hac : *Lucius*, &c. *Lantelmo abbati Casæ-Dei..... monasterium S. Liberatæ virginis.... quod Casæ-Dei a prædecessoribus nostris... Callixto & Eugenio.... & bonæ memoriæ Hildeberto & Raimundo Aginni episcopis, & Guillelmo duce Aquitanorum concessum est, sub nostra protectione suscepimus.* Quod spectat ad Guillelmum ducem, ejus diploma edidimus in app. col. 429. 1118. 1120. C. IV. col. 428.

Primo suæ ordinationis anno Aldebertus beneficum se ostendit monachis Silvæ-majoris ; etenim anno M. C. XVIII. in claustro Mansi Agennesii edicit ut Silvæ-majoris monachi jus patronatus, & medietatem decimæ parochiæ S. Martianæ d'Escassefort sibi ab Arnaldo-Guillelmo d'Escassefort collatæ, possideant. Item ecclesias S. Aviti & S. Stephani de Prignac præfato monasterio donat anno M. C. XXV. Anno M. C. XXVIII. cum Arnaldo Burdigalensi metropolita, & Gaufredo Vasatensi episcopo, totaque baronum curia adstat Guillelmo Aquitaniæ duci anno 2. post mortem patris sui, confirmanti quæ contulerat Silvæ-maj. monasterio. In Paradisi ad Garumnam monialium ordinis 1118. 1125. 1128.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

Fontis-Ebraldi monaſterio exſtat charta, in qua ſine temporis nota memoratur Aldebertus, his verbis: *Gaudericus del Foſſad dedit Fortoni de Vico inſulam de Vico, cum terris cultis & incultis, pratis, paſcuis, aquis, aquarumve ductibus, & aliis adjacentiis. Forto vero de Vico dedit eamdem ſanctimonialibus Fontis-Ebraldi in manu Aldeberti epiſcopi Agennenſis.* Eidem Guillelmus Aquitaniæ comes confirmavit donum comitatus Agennenſis quem S. epiſcopo ipſius pater conceſſerat.

C. VI. col. 429.

Ad eum, ut puto, ſpectat quod in diſtinct. 2. vitæ B. Roberti abb. Caſæ-Dei, c. 13. refertur apud Mabillon. Act. ſec. 6. parte 2. pag. 216. his verbis: *Aldebertus Agennenſis epiſcopus, cum a quodam monacho Caſæ-Dei viro ſcientia & religione non mediocriter ornato, in ſua ſynodo conveniretur, quia eccleſiæ S. Liberatæ, & cæteræ eccleſiæ B. Roberti, quæ in epiſcopatu ſuo habentur, injuſte a raptoribus tractarentur; contumelioſa verba, ut in S. Rotbertum evomuit, mox inviſibiliter percuſſus retro cecidit, & pene exanimis effectus a circumſtantibus elevatus eſt. Quo facto omnis ſynodus dedit laudem Deo, & nomen B. Roberti ad ſydera tollens, unuſquiſque ad ſua rediit... ipſe denique epiſcopus, quoniam vir prudens rationiſque capax erat, Caſam-Dei veniens, S. Robertum quem prius deſpectui habuerat, me aſtante, geniculando ante ejus ſepulchrum, eximium confeſſorem pronuntiavit.* In martyrologio Lemovic. habetur: *IV. cal. Maii obiit Audebertus epiſc. Aginn.*

XXVI. Raimundus-Bernardi.

De Raimundo vix quidquam habent primi Galliæ Chriſtianæ auctores. Nos longe feliciores plurima reperimus, pleraque ſuppeditarunt Silvæ-majoris chartæ; ac primum quidem: *Raimundus Arnaldus de Foſſato ex Silvæ-majoris monacho epiſcopus, Adalberto* (de quo jamjam egimus) *ſubrogatur.* Quo tempore cathedram epiſcopalem conſcenderit in promtu non eſt definire. Aſſumtus fuit ex monaſterio S. Severi in cap. Vaſconiæ, ubi abbas erat. Anno M. C. XXX. fundator exſtitit cœnobii S. Mariæ de Paradiſo ad Garumnam, monialium Fontis-Ebraldi; quippe qui auctor fuit Amalvino Paradiſi, & Onorti illius uxori, eorumque filiis, ut Deo ejuſque genitrici ad opus ancillarum Dei Fontis-Ebraldi concederent quidquid habebant in loco Paradiſi; conceſſum ſua auctoritate confirmavit, ut patet ex charta donationis, quæ hæc habet: *Hæc autem dona concedentes affirmaverunt in manu Raimundi-Bernardi venerabilis atque laudabilis, divina diſponente gratia, Aginnenſis eccleſiæ epiſcopi.* Denique monaſterium ibi conſtruxit, in quo XX. moniales conſtituit, ut liquet ex ejuſdem pii antiſtitis litteris ad Petronillam Fontis-Ebraldi abbatiſſam, in quibus hæc leguntur: *Raimundus-Bernardi Dei gratia Agennenſis epiſcopus, P. abbatiſſæ Fontis-Euvraudi, necnon & ancillis Dei ſibi commiſſis, ſalutem & benedictionem, & amicitiam junctam in Domino. Amalvinus Paradiſi & uxor ejus Onors, &c... Hæc autem facta ſunt an. M. C. XXX. epacta IX. ind. VIII. concurrente II. cyclo decennovali IX. & illo die fuit II. non. Octob. & Luna XIX.* Eas vero litteras integras refert dominus Pavillon in probat. pro vita Roberti Arbruſcelli. Nec hic ſtetit antiſtitis in virgines benevolentia, bona enim illis undique conquiſivit & procuravit; hinc toties in chartis cœnobii repetitum Raimundi nomen, ut patet ex charta Iſarni de Valegs plura apud Balegs concedentis, in qua legitur: *laudavit autem hoc donum Raimundus Bernardi Aginnenſis epiſcopus;* ex litteris Arnaldi de Volpillon, ſe, uxorem, filiam & bona ſua ſororibus Fontis-Ebraldi in loco Paradiſi Deo ſervientibus concedentis, *quod donum factum eſt* in manu *Bernardi-Raimundi Aginnenſis epiſcopi qui & illud laudavit & confirmavit.* Hinc in ejuſdem loci tabulario reperitur: *Raimundus-Bernardi, bonæ memoriæ epiſcopus Agennenſis, fuit amator hujus loci de Paradiſo, & ei multa bona fecit & laudavit, quæ data fuerant eidem loco & ancillis Dei in ipſo permanentibus.*

Caſæ-Dei, de conſilio R. archidiaconi & aliorum eccleſiæ ſuæ clericorum donat eccleſiam d'Elmat, facta charta in monaſterio S. Sacerdotis XVI. cal. Januar. Innocentio II. Romano papa, Ludovico VII. Francorum rege regnante. Ea porro eccleſia d'Elmat nunc pendet a priore S. Liberatæ, quod cœnobium Caſæ-Dei conceſſit poſt Hildebertum Raimundus noſter, ut patet ex bulla Lucii papæ, de qua in Hildeberto. Nominatur anno 1137. in diplomate quo Ludovicus VII. Aquitaniæ præſules a regalibus immunes eſſe jubet. An. 1139. ſubſcripſit compoſitioni factæ a Guidone diacono S. ſedis legato, inter Stephanum abbatem Caſæ-Dei & Ademarum abbatem S. Tiberii, pro nonnullis eccleſiis. Donum eccleſiæ S. Johannis de Flarano monaſterio Condomienſi factum a Garſia de Flarano approbavit & confirmavit. *Factum eſt hoc donum in manu Raimundi-Bernardi Aginnenſis epiſcopi, qui & approbavit illud*, & infra, *S. Raimundi-Bernardi Aginnenſis epiſcopi.* In ejuſdem monaſterii tabulario, in titulo de terra de Neriaco, iterum memoratur tempore Ludovici VI. dicti Craſſi regis, Innoc. II. papæ, Guillel. comitis Pictaviæ. In tabulario Regulenſi hæc ejus charta reperitur ſine temporis nota: *Ego Raymundus Dei gratia Aginnenſis epiſcopus, dono Deo & S. Petro de Regula & fratribus ejuſdem loci ſub norma monaſtica militantibus, eccleſiam S. Martini de Arconſis, cantariam, oblationem & omnia eccleſiaſtica ad eam pertinentia, ſicut jam dudum a prædeceſſore noſtro Gausberto pontifice prædictis fratribus conceſſum eſt.* *Hiſt. eccl. Burdig. pag. 144.*

Eum benevolum ac beneficum experta eſt Silvæ-majoris abbatia, ipſi enim omnium quæ in Agennenſi diœceſi obtinuerat poſſeſſionem in perpetuum confirmat de conſilio canonicorum: *Anno Incarnat. Dom. M. C. XLII. Innocentio papa II. Romanæ ſedi præſidente, Ludovico filio Ludovici regis rege Francorum & Aquitanorum duce.* Eodem anno Petro abbati eccleſiam de Berdegas ceſſit, aliaſque jam cœnobio dimiſſas confirmavit, ex hujus loci tabulario. Poſtea denique acceptam decimam eccleſiæ de Runalt ab A. de Turri Agennenſis civitatis vicario, eidem cœnobio concedit, anno, ut dicitur in charta, *ab Incarnat. Domini M. C. XLIV. epacta VI. Luna XII. III. nonas Sept.* C. VIII. col. 430. 1142.

ANNI CHRISTI

Romanorum P. P. Eugenio præſidente III. Ludov. rege Francorum regnante, R. Bernardo Aginnenſi epiſcopo. Litem inter Silvæ-majoris & S. Severi monachos pro eccleſia S. Vincentii de Caladuno, tanto tempore, tantaque animorum contentione motam celeberrimo judicio finiit, ac Silvæ-majori præfatam eccleſiam adjudicavit: *Exſtat prolatum hoc judicium a Raimundo Aginnenſi, Augerio abbate Clariacenſi, & aliis prolatum in clauſtro S. Stephani Aginnenſis ſedis, in Dominica qua cantatur* populus Sion. E vivis exceſſit VI. cal. Aprilis ex necrologio Silvæ-maj. In necrologio vero S. Severi in cap. Vaſconiæ legitur: *VII. idus Aprilis, depoſitio D. Raimundi ep. Aginnenſis monachi & abbatis iſtius loci.* Dicitur cum S. Bernardo canonicorum Regularium in eccleſia Burdigal. inſtitutioni faviſſe.

DE CHASTILLON.

XXVII. HELIAS II.

1149. Elias de Caſtellione anno 1149. cal. Septemb. ex canonico eccleſiæ Burdigalenſis, a Gaufrido ejuſdem urbis epiſcopo conſecratus eſt Agennenſis antiſtes, ut patet ex concilio Burdegalenſi ſub Gaufrido, quod ex chartul. Pictavienſis eccleſiæ editum eſt jam, in quo ſic legitur: *Gaufridus Dei gratia Burdigal. archiep. &c. die II. a conſecratione fratris noſtri Eliæ Agennenſis epiſcopi, apud Burdegalam celebrata eſt ſynodus, &c. actum eſt hoc IV. cal. Septemb. juxta locum Sabluncelli, Dom. Incarn. M. C. XLIX. ind. XIII. epacta IX. Rom. pont. dom. Eugenio papa III. Ludovico rege Francorum & duce Aquitanorum,* &c. Patet hoc inſuper ex charta controverſiæ inter Gilbertum Porretanum Pictavienſem epiſcopum, & Maſcelinum abbatem S. Cypriani. An. 1150. cum Gaufrido & aliis delegatur ab Eugenio III. ſuper diſſolutione matrimonii inter Ludov. VII. regem,
1154. & Eleonoram Aquitanicam. An. M. C. LIV. interfuit conſecrationi eccleſiæ Cadunienſis, ut refer-
1160. tur in archivo Sarlatenſi. Anno M. C. LX. auctor fuit condendi monaſterii de Nogared, diœceſis Aginnenſis. Cupiens enim *ut ad fidei veritatem & divinam reverentiam informarentur homines de Gontald*, nihil opportunius eſſe duxit, quam ut monachorum Silvæ-majoris exemplo erudirentur; huncque in finem Petro illius monaſterii abbati eccleſiam S. Petri de Nogared Gontaldo vicinam
C. IX. col. 430. conceſſit, ac terram ad habitandum illis obtinuit a Vitali Gontaldi domino, idque *prece & aſſenſu archidiaconorum & canonicorum ſedis* Aginnenſis, ſicque effectum eſt ut ibi ſeptem & amplius monachi ſub priore, Deo per multa ſecula ſint famulati. Conventui Silvæ-majoris de conſenſu capituli ſui tribuit eccleſiam S. Mariæ de Culturis prope Caſtel-jelous ſitam, *cum decimis & oblationibus, & his quæ ad eandem eccleſiam pertinere*
1164. *noſcuntur. Actum anno M. C. LXIV. epacta XXV. ind. XII. concurrente III. cyclo decennovali VI.* In ejuſdem cœnobii tabulario exſtant litteræ Eliæ epiſcopi Aginnenſis, quibus adjungit prioratui S. Mariæ de Manu-ſorti eccleſiam B. Mariæ de Culturis cum ſuis decimis & pertinentiis, anno
1165. M. C. LXIV. An. M. C. LXV. interfuit donationi ab archiepiſcopo Burdegalenſi factæ Petro abbati totique conventui S. Mariæ de Sylva, qua illis concedit eccleſiam S. Laurentii de Eſcuris in ſuburbio civitatis Burdegalenſis; & alteri donationi factæ monaſterio de Portaglonio, ſeu Bulliavo, *Boüillas*, qua *Bernardus de Aſta-forti anno M. C. LXV.* præfato monaſterio, *& Galuino ejus abbati dedit libera paſcua in terra ſua de Marmont aſtante & confirmante dom. Elia epiſcopo Agennenſi.* Ipſe anno M. C. LXVIII. dedit præfato loco Portaglonii 1168.
in manu D. Galuini * abbatis eccleſiam S. Johan- * al. Galinſi.
nis de Marmont cum ſuis omnibus pertinentiis. Teſtes fuere hujus ceſſionis domnus Garſias abbas Scalæ-Dei & alii plures, ut habetur in tabulario ejuſdem monaſterii. Anno M. C. LXVII. memoratur in chartulario Condonienſi. Præſens fuit tranſactioni factæ inter abbatem Bellæ-perticæ & prioriſſam de Bragairaco, anno M. C. LXX. ex ta- 1170.
bulario Bellæ-perticæ. Memoratur & anno M. C. LXXV. in charta ejuſdem monaſterii, & apud Hie- 1175.
ronymum Suritam in indice rerum Arragoniæ M. C. LXX. & M. C. LXXVI. In tabulario Portaglonii hæc legimus: *An. M. C. LXXXI. domnus Elias* 1181.
*epiſcopus Aginnenſis dedit dom. Bernardo abbati Portaglonii & fratribus ibidem Deo ſervientibus tam præſentibus quam futuris decimas omnes laborum ſuorum. Facta fuit charta X. cal. Maii, adſtantibus Albino * epiſcopo Convenarum, & aliis pluribus.* In chartulario parthenonis Vallis-Pilonis * Arbo.
memoratur ut teſtis documenti, quo dom. de Volpillon præfatis ſanctimonialibus *donat totam terram ubi conventus eſt ædificatus. Teſtes fuere Elias epiſcopus Aginnenſis, & alii.* Ejus obitus in Silvæmajoris necrologio aſſignatur *III. nonas Junii.*

XXVIII. PETRUS I.

Petrus in Moiſſiacenſi tabulario aſſeritur anno M. C. LXXX. IV. id. Nov. adfuiſſe cuidam dedicationi apud Moiſſiacum. Verum quo pacto id cum iis quæ de Elia retulimus conciliari poteſt? Forte Petrus Heliæ etiam ſuperſtitis locum occupavit; qui nihilominus Agennenſis epiſcopi nomen & titulum conſervavit. Potuit quoque error irrepere in annorum annotatione, & omitti aliquis numericus character.

DE BECEIRAS.

XXIX. BERTRANDUS I.

Bertrando de Beceiras, ſeu, ut alia ferunt inſtrumenta, de Veceras, ex canonico Burdegalenſis eccleſiæ facto Aginnenſium epiſcopo comitatum Aginnenſem confirmavit Richardus Anglorum rex & dux Aquitanorum, præſentibus Auxitano & Baionenſi præſulibus qui cum ipſo in peregrinatione erant. In chronico Gaufridi prioris Voſienſis cap. 19. hæc habentur: *Obiit rex apud Martellum ... præſente Bertranno epiſcopo de Agenno ... an. 1183.* An. M. C. LXXXVII. jus paſ- 1187.
cuorum in terris, quæ ipſi a patre Galterio de Veceras obtigerant, Guillelmo Grandis-Silvæ abbati concedit menſe Martio. Eodem anno teſtis fuit in charta archiepiſcopi Auxitani pro Silva-majori, & in charta qua Narranfredis de Monte-pezato dat Deo & S. Mariæ de Fontevraud, & loco de Volpillon id quod habet aut habere debet in loco de Malvat; ſic enim clauditur hæc charta:

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

Factum eſt hoc donum anno M. C. LXXXVII. *Bertrando Agennenſi epiſcopo, Arnaldo Dabina abbate Clariacenſi, Peregrino de Forſez abbate Condomienſi aſtantibus*, &c. Recenſetur an. M. C. 1188. LXXXVIII. in charta Bertrandi abbatis Moiſſiacenſis, Unaldo clerico eccleſiam S. Martini de Criſtinag 1189. concedentis, & M. C. LXXXIX. in tranſlatione S. Stephani Grandimontenſis. Non me latet in ejus relatione legi Bernardum, non Bertrandum; verum non nemo neſcit non raro accidere veteres inſtrumenta legentibus & exſcribentibus, ut Bernardum in Bertrandum, ac vice verſa commutarint.

Inter Eliam de Malmort Burdegalenſem antiſtitem, & Stephanum decanum capitulumque exorta ſimultate & controverſia, diſſidii arbiter una cum Henrico Santonenſi præſule electus eſt Bertrandus; quorum ope pax reſtituta eſt, ut fidem faciunt Bertrandi litteræ, quæ leguntur in libro villoſo tabularii eccleſiæ Burdigal. clauduntur-que his verbis: *Factum eſt hoc anno ab Incarnat.* 1195. *Dom. M. C. XCV. in feſto B. Radegundis reginæ*, &c. In archivo Silvæ-Latæ Odo de Terrida ei nonnulla cedit, *aſtantibus Gaſtone vicecomite Bearnenſi, Bernardo de Beceiras epiſcopo Aginnenſi & aliis an. M. C. XCVII.* 1197. Bernardus archiepiſcopus Auſcienſis concedit Silvæ-maj. eccleſiam de Loſa, *litteris datis apud Aginnum id. Nov. fer. V. ind. I. aſtantibus Gerardo Caturcenſi, B. Lactorenſi, & Bertrando Agennenſi epiſcopis.* Sedebat adhuc 1203. anno 1203. ex charta donationis medietatis ſalvitatis de Saveriis, factæ Raimundo comiti Toloſano a capitulo S. Capraſii. In Burdegalenſi necrologio ejus obitus his verbis refertur: *II. nonas Auguſti obiit Bertrandus Aginnenſis epiſcopus, canonicus hujus eccleſiæ.* At in obituario Silvæ-majoris: *IV. nonas Maii.*

In ſequentibus præſulibus confuſio maxima, ſummaque difficultas, ex qua quo tandem pacto nos extricare valeamus vix ſpes affulget; eorum enim perturbatus eſt ordo, nomina permixta, confuſa ſecum invicem tempora: maxime quia Arnaldus toto eo tempore quo alios Agenni ſediſſe notant monumenta nonnulla, in aliis & quidem pluribus, epiſcopus adſeritur. Tentandum tamen quid in eo valeamus, atque ut tota hæc noſtra clarius procedat oratio, 1°. eos omnes referemus qui cum Arnaldo ſediſſe memorantur, ſcilicet Guillelmum, Petrum, Johannem. 2°. de ipſo Arnaldo agemus. Denique conciliationis modum inquiremus.

XXX. Guillelmus II.

Numeratur in quibuſdam elenchis epiſcoporum Aginnenſium 1202. inquiunt Sammarthani fratres; adduntque forte eum eſſe de quo fit mentio in hiſtoria Albigenſium; potuiſſeque eſſe fratrem Hugonis de Rovinian domini de Caſſinoglio in pago Aginnenſi, qui contra illos certavit. Subdunt nonnullos ſcripſiſſe ipſius mentionem inveniri in chartophylaciis MSS. an. 1202. Verum hæ conjecturæ non potuerunt ſuadere viris doctiſſimis, ut hunc Guillelmum ſuo Aginnenſium præſulum catalogo inſererent; & merito quidem, quippe certum eſt Bertrandum epiſcopum adhuc A fuiſſe anno 1203. ut ſuperius diximus. At vir doctiſſimus, qui in elucidanda epiſcoporum Aginnenſium hiſtoria multum inſudavit, docet Guillelmum ſediſſe anno 1205. quo confirmavit ſtatuta ſalvitatis de Saveriis a Raimundo Toloſano comite facta. Quæ ſi vera ſint, de Guillelmi epiſcopatu dubitare non ſinunt.

Petrus nonniſi ex incertis teſtimoniis epiſcopus aſſeritur. Autumat vir diligentiſſimus & ſagaciſſimus, eum Arnaldo de quo infra, quem Toloſanus comes ejecerat, ſuffectum eſſe ab eodem comite. Sed infra oſtendemus veriſimillimum eſſe Arnaldum a comite Toloſano ejectum, paulo poſt B ſedem ſuam recuperaſſe.

Johannes citra controverſiam reſpuendus; quippe eo tempore quo ſediſſe dicitur, Arnaldum Aginnenſem eccleſiam rexiſſe modo oſtendemus.

XXXI. Arnaldus IV.

Arnaldum hunc ex illuſtri familia de Rovinian, ac Hugonis de Rovinian domini Caſtinolii fratrem fuiſſe a nonnullis aſſeritur. Aginnenſem pontificatum adeptus eſt circa annum 1200. inquiunt Galliæ Chriſtianæ quadripartitæ auctores, *ut patet ex archivo publico Agennenſi, quod ſervatur in domo publica: ibi enim in diplomate de diremta* C *controverſia, & gratia reconciliata inter Aginnenſes & Moiſſacenſes anno 1200. & iterum 1212. fit mentio Arnaldi tunc epiſcopi.* Sed tardius auſpicatus eſt epiſcopatum, ut jam probavimus. Eum eſſe putamus, quem ejectum ab Agennenſi eccleſia boniſque omnibus ſpoliatum fuiſſe a Raimundo comite Toloſano conqueruntur archiepiſc. Narbonenſis & alii concilii Vaurenſis patres an. 1213. 1213. in epiſtola ad Innocentium papam tertium; quia eodem anno ipſius mentio fit in tabulis. Ceterum nullus tunc in cathedram Agennenſem involavit epiſcopus auctoritate comitis Toloſ. fretus, ut quidam opinantur; de hoc enim Raimundi ſcelere D non ſiluiſſent Vaurenſes patres.

An. 1213. *A.* (id eſt Arnaldus) *abbati Silvæ-majoris, & fratribus, amicis cariſſimis dat medietatem decimæ S. Petri de Lano.* In MS. codice ejuſdem aſceterii memoratur ann. 1215. & 1216. 1215. quibus eccleſiæ S. Petri de Nogared & Silvæ-majori nonnulla concedit; in charta enim ſic lego: *Arnaldus Agennenſis epiſcopus dat medietatem totius decimæ bladi, vini & lini & omnium jure decimandorum parochiæ S. Petri de Nogareto domui Silvæ-majoris & ejus miniſtris, & eccleſiæ S. Petri de Nogareto quæ eſt apud Gontaldum, præſentibus magiſtro Amanevo decano Engoliſmenſi, Amalvino* E *abbate Silvæ-majoris, Willelmo infirmario*, &c. *Actum apud Manſum anno M. CC. XV.* In altera idem Arnaldus adjudicat jus patronatus eccleſiæ B. Mariæ de Gontaldo canonicis de Manſo Agennenſi, contra monachos Silvæ-majoris; ipſis vero monachis conſervat tres partes omnium decimarum de Nogareto, in quibus iidem canonici ſe aliquid juris habere aſſerebant; teſtibus Willelmo priore Nogareti & aliis. *Actum apud Gontaldum anno gratiæ M. CC. XVI. menſe Novemb. XVI.* 1216. *die ejuſdem menſis, regn. Philippo rege Francorum.* In tertia denique charta, *idem Arnaldus Agennenſis*

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

episcopus concedit pro anniversario faciendo, domui Silvæ-majoris quartam partem bladi & vini totius decimæ S. Petri de Nogareto jure decimandorum, præsentibus Willelmo de Biron priore Silvæ-majoris, Willelmo de Royanno priore de Nogareto & aliis. *Actum apud Mansum anno M. CC. XVI.* Anno 1217. XIV. cal. Maii, cum 1217. C. x. col. 431. Simone Montis-fortis duce Narbon. &c. transigit de justitia, fisco & moneta civitatis Agennensis. Eodem anno VII. idus, & idibus Julii, memoratur in chartis Grandis-Silvæ. Arnaldo etiam episcopo Raimundus Pagani domicellus, Arnaldi Pagani militis filius, dimittit decimas in parochia de Aurida an. 1220. In Silvæ-majoris tabulis Elias prior & canonici S. Caprasii de Agenno, partem decimæ parochiarum sancti Sulpitii & S. Rufinæ, quam sibi vendicabant, ad S. Antonii apud Agennum priorem, Silvæ-majoris monachum, pertinere 1224. fatentur, *anno ab Incarnat. M. CC. XXIV. regnante Raimundo Tolosano comite, A.* (id est Arnaldo) *episcopo Agennensi.* Eodem anno Raimundus comes medietatem Agennensis justitiæ ipsi restituit, &c. vide chartam XV. col. 432.

Ab hoc anno 1224. usque ad annum 1233. nulla Arnaldi episcopi occurrit mentio, locusque nobis datur pro Giraudo, quem credimus Arnaldi IV successorem.

XXXII. Giraudus.

Hunc episcopum in tabulis Aginnensibus ignotum invenerunt Sammarthani fratres in magni pastoralis ecclesiæ Parisiensis scheda, in qua legitur:

Universis præsentes litteras inspecturis G. Dei permissione Agennensis episcopus salutem in Domino. Noverit universitas vestra, quod nos legavimus ecclesiæ B. Mariæ Parisiensis pro anniversario nostro faciendo 40. sol. Parisienses super vineis nostris quas habemus apud Laïacum in die anniversarii nostri distribuendos, ita quod singuli canonici & majori altari servientes, qui vigiliis intererunt, sex denarios habebunt, & qui in missa intererunt similiter sex denarios habebunt, matricularii vero clerici 12. denarios habebunt & matricularii laïci similiter duodecim. Datum anno M. CC. XXXII. 1232. *in festo sancti Martini æstivalis.* Alia ejusdem argumenti continetur in memorato carthophylacio, cujus hæc sunt verba: *G. Aginnensis episcopus, omnibus præsentes litteras inspecturis salutem in Domino. Noverit universitas vestra, quod nos donamus & concedimus nepotibus nostris Haimerico & Johanni omnem acquisitionem vinearum nostrarum, quas nos acquisivimus in terra B. Mariæ Parisiensis apud Laïacum. Ita tamen quod si alter eorum prior decesserit, tota acquisitio ad superstitem revertetur: utroque vero decedente, dicta acquisitio ad ecclesiam B. Mariæ revertetur. Quicumque vero post decessum nostrum dictam acquisitionem tenuerint, quadraginta solidos Parisienses tenebuntur reddere quolibet anno, mandato capituli ad faciendam distributionem in anniversario nostro. Ita quod quicumque de canonicis, vigiliis intererunt, sex denarios habebunt, & qui in missa intererunt similiter sex denarios habebunt. Fiet autem anniversarium istud pro pluribus, scilicet pro nobis, & pro patre & matre nostra, & pro avunculo & Johanne serviente nostro, & pro aliis amicis & benefactoribus nostris. Si quid vero residuum fuerit, cedet in suppletionem illorum anniversariorum quæ non habent redditus sufficientes ad faciendas debitas distributiones. Datum apud Agennum anno Domini M. CC. XXXII. in die Ascensionis mense Maio.* Nomen hujus episcopi prima littera designatum produnt ecclesiæ Parisiensis chartæ, ex quibus intelligitur Giraudum decanatus officio functum esse an. 1228. Hoc anno sedem Aginnensem vacasse mense Aprili testantur tabulæ donationis factæ monasterio Grandis-Silvæ; ex quibus conjicimus Arnaldum obiisse an. circiter 1228. eodemque anno in ipsius locum electum fuisse Giraudum.

XXXIII. Rodulfus.

Rodulfus de Pinis, seu de Peyrinis, vir genere illustris, inquiunt Annales Cistercienses, doctrina & pietate percelebris, primum Igniacensis, tum Clarævallensis abbas, Aginnensis postmodum episcopus, ac brevissimo temporis intervallo Lugdunensis archiepiscopus fuit. Anno 1233. notatur 1233. in urbici consilii chartis apud Aginnum, ob promissa facta baronibus, ceterisque nobilibus, ac civibus, non suppressurum se nummos ab Arnaldo cusos, nec monetæ illius nomine signatæ quidquam derogaturum. Eundem reperio memoratum in charta donationis factæ Grandis-Silvæ monasterio. D. Claud. Estiennot asserit anno 1235. Cassano abbati S. Maurini concessam ab eo mediam partem decimæ de Toirac. Verum suspicamur errorem in annorum designatione. Paulo post assumtum Aginnensem episcopatum, provectus est ad cathedram Lugdunensem.

XXXIV. Arnaldus V.

Chartæ S. Petri de Regula hunc Arnaldum episcopum nobis suppeditant, in quibus videlicet legitur: *Guillelmus de Bovevilla dominus de Duraſſio..... venerabili cœnobio Regulensi totum jus & omnes consuetudines, quas habebat antiquitus in mercato de S. Airardo urbis de Duraſſio, confirmat. Actum apud Duras, præsentibus, & sigilla sua apponere facientibus, Geraldo archiepiscopo Burdigal. Arnaldo Aginnensi, & Raimundo Vasatensi, an. M. CC. XXXIII. XIII.* * *cal. Dec.* 1233. * al. calend. Decemb. Vide tom. 1. col. 1199. Hinc dubitandi ratio de sinceritate notarum chronicarum chartæ quæ Rodulfum testatur ep. Aginnensem an. 1235. Anno 1235. eodem memoratur noster Arnaldus in charta doni facti Grandi-Silvæ; & an. 1236. in charta sancti Caprasii. An. 1238. interest emtioni plurium 1238. prædiorum factæ ab abbate & monachis S. Maurini, ex ejusdem loci tabulario. Sub hoc episcopo fratres Prædicatores Agenni recipiuntur an. 1240. 1240.

XXXV. Petrus II.

Adest nobis celeberrimus Aginnensium antistes, hucusque tamen historicis qui scripsere de rebus ad Aginnensem ecclesiam, & eos qui eam rexerunt, spectant incognitus. At vir summæ eruditionis Echardus, qui sui ordinis, & Dominicanæ familiæ historiam illustrandam suscepit, ipsum nobis

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

nobis protulit in lucem, nomine Petrum, ex multis argumentis.

1°. enim Steph. de Borbone ſeu de Bella-villa, auctor coævus, in opere *de ſeptem donis Spiritus ſancti*, quod etiamnum exſtat in Pariſienſibus bibliothecis, Sorbonica præcipue, ſic loquitur p. 1. de dono timoris, titulo v. de Purgatorio, cap. 7. cod. Sorbon. fol. 162. col. 3. *Narrabat frater Petrus dictus Remenſis, epiſcopus poſtea Agennenſis, quod quidam*, &c.

2°. Bernardus Guidonis ſuppar, in indiculo Prædicatorum ad epiſcopalem dignitatem evectorum, ab ipſius Ordinis exordio ad annum 1310. aut circiter, hæc habet: *F. Petrus Remenſis Gallus, epiſcopus Agennenſis anno 1242. tempore F. Johannis Teutonici IV. magiſtri ordinis.* Idem in libro *de ſcriptoribus Ordinis: Frater Petrus Remenſis, epiſcopus poſtmodum Agennenſis, qui de gloſſis maxime ſuper Bibliam totam compendioſum opus & bonum, & alia bene utilia ſcripſit. Hic fuit prior provincialis Franciæ, & inde factus eſt epiſcopus Agennenſis.*

3°. Laurentius Pignon, vel Pinon, Altiſſiodor. epiſcopus, qui ordinis Dominicani chronicon ſcripſit ante annum M. CCCC. in indice provincialium Franciæ hæc habet: *Frater Petrus Remenſis. Hic de provincialatu fuit aſſumtus in epiſcopum Agennenſem.*

At quo præciſe tempore ſedit Agenni? Initium ejus alligat anno 1242. Bernardus Guidonis in primo teſtimonio ſupra relato, & in indiculo provincialium Franciæ, ubi ſic loquitur: *Frater Petrus Remenſis. Hic de provincialatu Franciæ aſſumtus eſt ad epiſcopatum Agennenſem anno 1242.* Cujus ſententiam ſecutus eſt, & verba exſcripſit Laurentius Pignon. At id ſtare nequit, ſi verum eſt quod habet in ſecundo loco, Petrum de provincialatu in epiſcopum Agennenſem aſſumtum fuiſſe; conſtat enim Petrum provincialatum exuiſſe jam an. 1237. & forte antea, ut demonſtrat R. P. Echard. Forte a provincialatu ad epiſcopatum non immediate tranſiit. Ut ut ſit, brevi omnino tempore ſedit, ut mox demonſtrabimus.

XXXVI. ARNALDUS VI.

Hic Arnaldus, alius omnino a duobus præmiſſis, fuerat ex religioſo quodam ordine aſſumtus, quod probat titulus *Fratris* ipſi datus. Ex tabulis Silvæmajoris: *Frater Arnaldus Dei patientia vocatus epiſcopus Agennenſis*, vicarius provinciæ Burdigalenſis, fideles omnes certiores facit Bebianum de Ladaux aliquot decimarum & dominiorum Silvæ-majori jam a ſe conceſſorum donationem in præſentia ſua revocaſſe anno M. CC. XLII. Eodem anno calendis Maii, ſe a Raimundo comite Toloſæ & marchione Provinciæ rogatum declarat, ut inquiſitionem in ſua inſtitueret diœceſi. In chartis S. Liberatæ * Blancus illius monaſterii prior, an. 1243. paciſcitur cum Arnaldo ep. & capitulo Aginnenſi ſuper dominio & ſubjectione prioratus S. Liberatæ. Denique an. 1244. confert eccleſiam parochialem de Ladiniac.

* Sic. Livrade.

XXXVII. GUILLELMUS III.

ANNI CHRISTI

Guillelmus de Pontoiſe religioſus ordinis S. Benedicti Congregationis Cluniacenſis, Caritatis ad Ligerim prior, inde abbas Cluniaci, &c. inquiunt Sammarthani. Verum doctiſſimos viros fefellit homonymia, ut Cluniacenſem hiſtoriam legenti patebit. Sic enim fert illius archimonaſterii chronicon juſſu abbatis Jacobi de Ambaſia conſcriptum: *Guillelmus III. de Pontoiſe... regere cœpit an. 1244. Rexit annis fere 14. & poſtea in epiſcopatum Olenenſem aſſumtus eſt.* In chronologia etiam abbatum Cluniacenſium legitur: *Anno 1244. Hugo abbas in Lingonenſem epiſcopum aſſumtus eſt, & Guillelmus prior de Caritate electus eſt. Anno 1250. D. Guillel. reſignavit, & in epiſcopum Olivenſem aſſumtus eſt.* Licet in annis regiminis Guillelmi non conveniant, ſaltem nonniſi anno 1250. electus eſt epiſcopus, & quidem non Agennenſis, ſed Olenenſis. Noſter autem Guillelmus, ipſis Sammarth. aſſerentibus, Agenni ſedebat ab an. 1247. a Cluniacenſi ergo noſter diverſus eſt. Hinc porro inferas falli Sammarthanos in anno mortis noſtri Guillelmi. Quæ enim de eo referunt, Cluniacenſi conveniunt; ſic enim habet præfatum chronicon: *Is obiit 15. calend. Januar. 1263. jacet apud S. Martinum Pariſius.* Hinc infer ſecundo male nuncupari Guillelmum de Pontoiſe. Sic enim vocatur duntaxat, quia putabatur idem eſſe cum abbate Cluniacenſi. His præmiſſis, ad noſtrum Guillelmum veniamus.

Epiſcopus erat jam ab anno 1247. ut conſtat ex tabulario Aginnenſi antè memorato, & litteris reformationis ſeu emendationis quarumdam rerum pro hac regione, & civibus Aginnenſibus, Raimundo Toloſano comite. Ex archivo item abbatiæ Cleracenſis, Guillelmus epiſcopali officio Aginni fungebatur annis 1248. & 1249. Interfuit concilio Valentino pro fide, pace, & libertate eccleſiæ congregato, tempore Innocentii papæ IV. præſentibus Narbonenſi, Viennenſi, Arelatenſi, & Aquenſi archiepiſcopis, &c. anno 1248. Controverſiam inter abbatem Moiſſiacenſem, & Bernardum regularem Exii præſulem, ratione ſubjectionis hujuſce monaſterii cœnobio Moiſſiaci, arbitrali ſententia componit poſtridie feſti S. Jacobi apoſtoli, an. 1249. ex tab. Moiſſiac. Bulla Innocentii papæ IV. 17. cal. Maii, pontificatus anno ſexto delegatus judex inter Geraldum Cadurcenſem antiſtitem & conſules dictæ civitatis, utrique parti diem aſſignat, fer. 6. ante feſtum S. Andreæ 1249. ex tabulis Cadurcenſibus, ejuſque placito controverſia finitur. Anno eodem 8. cal. Octobr. inſtituitur una cum aliis præſulibus exſecutor teſtamenti Raimundi comitis Toloſani morientis an. 1251. Sabbato ante Dominicam palmarum, litem abbatem Montalbanenſem inter & fratres Minores exortam componit, ex tabulario eccleſ. Montalb. Memoratur in antiquo documento regis Angliæ anni 1254. de interceptionibus in treugis cum comite Toloſano emendandis, &c. apud Rimer tom. 1. p. 521. Eodem anno monaſterio S. Maurini, rogante Willelmo abbate, ſuæ diœceſis eccleſias & decimas ad illud pertinentes confirmat, ex

1247. 1249. 1251. 1254.

ANNI CHRISTI *Tab. Bellæ-Perticæ.*

tabulario præfati cœnobii. Anno 1255. datis litteris declarat ſe, *attentis numero fratrum Bellæ-Perticæ, eorum oneribus*, &c. *religione cedere omnino eidem cœnobio & Ægidio abbati ac ſucceſſoribus ejus, quatuor eccleſias quæ ſunt apud Graiſſonas, cum oblationibus, decimis, pertinentiis*, &c. Exſtat eodem anno charta clientelæ quam coram illo profeſſus eſt Gaſto vicecomes Bearnenſis, quæ quia nondum edita eſt, hic referenda videtur: *Nobilis vir D. Gaſto vicecomes Bearnenſis & Brulheſii, recognovit pro ſe & ſucceſſoribus ſuis, venerabili patri D. Guillelmo & canonicis ſuis ... ſe tenere totum territorium Brulhienſe de prædicto domino epiſcopo & eccleſia S. Stephani Agennenſis, & ſe debere facere homagium eidem domino epiſcopo, unam lanceam de acapto. Quod homagium prædictus D. Gaſto requiſitus a Dom. epiſcopo fecit*, &c. *Acta ſunt hæc publice octavo die ab exitu menſis Octobris anno 1255. regnantibus Alphonſo Toloſano comite, Guillelmo prædicto Agennenſi epiſcopo.* An. 1256.

1257. tranſigit cum Hugone abbate Conchenſi; & 1257. cum Stephano de Vals abbate Gondonii. Dicitur

1259. *Guillelmus comes epiſcopus Aginnenſis*, an. 1259.

1261. 3. Jan. in tabular. Grandis-Silvæ. An. 1261. fer. 4. poſt Dominicam *Invocavit me*, vicarium inſtituit, & cum Bertrando abbate Moiſſiac. compromiſſum facit de ſubjectione monaſterii Exienſis, ex tabular. Moiſſiac. Eodem anno memoratur in charta

1262. Grandis-Silvæ. Item an. 1262. Sabbato poſt Cineres, ex tabular. Jeſuitarum Toloſ. Anno inſuper

1263. 1263. quinta die in exitu Febr. in charta Bellæ-Perticæ, & in membranis tabularii Regii. Legimus eum fuiſſe patriarcham Hieroſolymitanum poſt Jacobum Pantaleonem electum pontificem maximum anno 1261. ut patet ex regeſto anni 2. Urbani IV. capp. 9. 36. 37. inquit Baluz. in notis ad Galliam Chriſt. Sammarthanorum.

XXXVIII. Guillelmus IV.

Guillelmus, quondam Liddenſis epiſc. ad Aginnenſem eccleſiam, per tranſlationem Guillelmi prædeceſſoris facti patriarchæ Hieroſolymitani, vacantem evocatur, ex regeſto anni 2. Urbani IV. cap. 36. Solemnem in hanc urbem ingreſſum facit die Dominica in feſto S. Magdalenæ anno 1263. deportatus a baronibus de Claromonte, de Foſſato, de Bovevilla, de Madilhano, & de Fumello.

JORLANDI

XXXIX. Petrus III.

Petrum hunc reperio cognominatum Jorlandi, ſedebatque jam an. 1264. quo nominatur in inſtrumento donationis terræ de Gaiac factæ in monaſterio Exienſi ejuſdem diœceſis, in favorem Alfonſi comitis Pictavienſis & Toloſæ, pro fundatione Villæ-novæ ad Oldum fluvium, Bernardo, Jordano abbate Exii, ſic enim clauditur: anno Domini M. CC. LXIV. *regnante prædicto inclito & illuſtriſſimo D. N. Alphonſo comite Pictaviæ & Toloſæ, & venerabili patre domino Petro Aginnenſi epiſcopo.* Anno 1266. pepigit cum Bertrando abbate Moiſſiac. ſuper dominio & correctione abbatis & monachorum Exienſium. Memoratur an. 1267. in charta Grandis-Silvæ. Nomen ejus ſub-

1269. *Ex tab. Exienſi.*

1266.

ſcriptum legitur in tabulis annorum 1268. & 1269. quæ in regio chartophylacio Pariſiis aſſervantur. Hoc ultimo anno notatur in charta Grandis-Silvæ. Eodem anno idibus Junii Alphonſo comiti, & Johannæ ejus uxori, in gratiam beneficiorum ſibi ab illis exhibitorum, quæcumque vel ipſi, vel eorum deceſſores uſurpaverant e bonis ſedis epiſcopalis, remittit, & 500. libras Arnaldenſes quas ſuæ eccleſiæ debebat idem Alphonſus. Refert Rimer tom. 1. pag. 855. litteras Petri epiſcopi Agennenſis *de homagio recepto ab Henrico regis Alemanniæ primogenito, dat. die Veneris poſt feſtum S. Barnabæ M. CC. LXIX.* Denique ſubſcribit conceſſioni factæ Eduardo regi Angliæ caſtri de Roquepino ex veteri ſcheda 1270. Quo anno, vel ſequenti obierat: anno quippe 1271. die 4. Auguſti ſedes Agennenſis vacabat ex chartario regio Ruthenenſi.

ANNI CHRISTI 1268. 1269. C. XII. col. 433. 1270.

XL. Arnaldus VII.

Arnaldus in veteri quodam inſtrumento anni 1271. electus dicitur. Epiſcopus erat 1273. & 1274. ex archivo Sarlatenſi. In Aginnenſis tabularii quibuſdam ſchedulis annorum 1275. & 1278. Arnaldum tunc Aginnenſibus præfuiſſe pontificem invenitur. An. 1278. dedit eccleſiam S. Vincentii (vulgo de Eſpinaſſa) prope Altumvillare, *Haut-villar*, cum juribus, primitiis & decimis ſuis, Gausberto abbati S. Maurini; & ab eo accepit medietatem trium partium decimæ eccleſiæ S. Amantii de Rupe-cornu, *Roque-corn*, quinto cal. Julii anno Dom. 1278. Conſtat etiam eundem vixiſſe 1279. ex litteris Guillelmi de Novavilla Bleſenſis archidiaconi, a rege Philippo miſſi, ut exciperet ſacramentum quo ſe Arnaldus iſte epiſcopus, conſules Aginnenſes, & regionis proceres obligaturi erant regi Angliæ, quod effecerunt in æde Dominicanorum, ipſo archidiacono prædicto admittente. Eodem anno quarta die introitus menſis Julii Jordanus de Inſula, & ejus uxor Guillelma, jus ſuum in decimis eccleſiarum S. M. Magdalenæ caſtri, &c. dimiſere Arnaldo Aginnenſium epiſc. Reperitur quoque ejus nomen an. 1280. & 1281. in monumentis tabularii Lebretenſis & Lactorenſis. Ipſius tempore fratres Minores, Carmelitæ & Eremitæ S. Auguſtini, apud Agennum admittuntur. Vide Prynn tom. 1. Libert. eccleſ. Anglic. pag. 250. 251.

1271. 1273. 1274. 1278. 1279. 1280. 1281.

XLI. Johannes I.

Johannes, dictus Geraldi, ut patet ex codice 884. S. Victoris Pariſ. fol. 36. in miraculis S. Martialis, ſedit annis 1281. 1282. & 1283. ex chartis eccleſiæ S. Andreæ Burdigalenſis, & ex archiv. Sarlat. Ab initio pontificatus pontem ad Garumnam fluvium conſtruere meditabatur, (muros urbis tunc alluebat, in alium nunc curſum aliquantulum deflexus;) decem denariorum aureorum millibus ad hoc opus deſtinatis. Anno Dom. 1285. die 12. exitus menſis Nov. homagium pro vicecomitatu Brulheſii fecit Conſtantia de Bearnio, filia primogenita nobilis viri dom. Gaſtonis de Bearnezio vicecomitis Bearnezii, &c. *R. patri in Chriſto Johanni divina gratia epiſcopo Agennenſi,*

1281. 1283. 1285.

ANNI CHRISTI

in præſentia domni Hugonis epiſcopi Bazatenſis.... in choro cathedralis eccleſiæ Baſatenſis...& ſupplicavit quod ibi reciperet ab ipſa homagium. Quam gratiam... epiſcopus conceſſit.... & tunc ibidem dicta domina flexis genibus, junctiſque manibus poſitis inter manus ipſius D. epiſcopi, homagium fecit & juramentum fidelitatis eidem D. epiſcopo tactis ſacroſanctis Dei Evangeliis, &c. . . . . *Actum fuit hoc Bazati die, anno & loco prædictis.* Exſtant in Aginnenſi chartophylacio ejus litteræ anni 1286. 1286. quibus omnes ſuæ dioeceſeos fideles hortatur, ut pecuniam pro ſua quiſque parte conferat ad pontis ſtructuram continuandam; quod etiam 1288. legitur in Cleracenſi archivo. Anno 1288. Bertrandus de Caumont domicellus quibuſdam decimis in ejus gratiam renuntiat. Illius quoque fit mentio eod. an. 1288. in Sarlat. tab. Apud Rimer tom. 2. pag. 425. exſtat diploma regium de juriſdictione epiſcopi Agennenſis: *Rex univerſis præſentes*, &c. *noveritis quod cum venerabilis pater J. Dei gratia Agennenſis epiſcopus*, &c. *24. Julii* 1290. *1289.* Sedebat adhuc 1290. imo & 1291. ut videre eſt in codice Sanvictorino ſuperius laudato.

de Got.

XLII. Bertrandus II.

Bertrandus de Got, quem Clementis papæ V. avunculum, id eſt, patruum appellat Bernardus Guidonis in hiſtoria monaſterii Pruliaci, fuit frater alterius Bertrandi, filius Marqueſiæ de Ilhaco, quæ in dotem accepit Blanquafortem in parochia ſancti Severini de Ramafort, in dioeceſi Burdegal. ut patet ex codice 47. bibliothecæ Colbert. fol. 29. mater porro illius pro more illorum temporum fol. 32. ejuſdem codicis vocatur *Marqueſa deu* 1290. *Guot.* Pontifex legitur in multis monumentis chartul. Condomienſis, Lebretenſis & Sarlat. ubi 1292. ejus familiæ documenta exſtant plurima 1292. a Hoc anno Raimundus Bernardi de Gelas a miles, & domina Seguina de Jentano ejus uxor, & Raimundus Bernardi de Gelas domicellus, dictorum conjugum filius, ceſſerunt Bertrando epiſcopo medietatem totius decimæ parochiæ S. Chriſtophori d'Alhon. Actum VI. die ab introitu Octobris an. M. CC. XCII. ab Arnaldo de Nugo communi notario de Lavardaco, ex authentico ſcripto vernacula lingua in archiv. epiſc. Condomienſis. Eodem etiam anno illum antiſtitem ponunt chartæ Cleracenſes & tabular. Sarlat. quo iterum anno 3. nonas Martii, Nicolaus papa IV. ei facultatem conceſſit condendi teſtamenti, ut refert Baluzius collect. ad vitas paparum Avenion. col. 13. Memoratur apud Rimer tom. 2. pag. 612. in diplomate *de juramentis & deveriis a Rege & Bertrando Agennenſi epiſcopo præſtandis, 18. Jul. 1293.* Hanc eccleſiam anno 1298. Bertrandum adminiſtraſſe conſtat ex quibuſdam litteris tabularii Aginnenſis,

a Ex eadem nobiliſſima familia Guillelmus-Arnaldus de Gelas dominus de Bonas, ceſſit eccleſiæ Auſcienſi decimas eccleſiarum S. Caprafii, de Toſens, &c. anno 1173. die 1. exitus Martii, ex chartulario hujus eccleſiæ fol. 6. & 7. In magno ejuſdem eccleſiæ chartulario fol. 68. exſtat charta qua Vitalis de Merens miles impignorat medietatem eccleſiæ de Blaſois, Fortoni d'Angles canonico & archidiacono ſedis Auxitanæ pro 50. ſolidis Morlanenſis monetæ. Fidejuſſores ſunt Guillermus-Arnaldus de Gelas, Raimundus Bernardus frater ejus, & Petrus de Bonas anno 1208.

ANNI CHRISTI

datis in vite Grandis-caſtri, ſive de Podio-miralio, prope Agennum; & ex quibuſdam pactionibus ſuper Arenario Aginnenſi, inter ipſum & conventum S. Franciſci juxta portam B. Michaëlis, nunc pontis ad Garumnam. Eundem epiſcopum anno 1304. memoratum reperio in litteris Raimundi 1304. Lectoratenſis epiſcopi, quibus arbitrariam inter Petrum prædeceſſorem ſuum & Guillelmum Moiſſiaci abbatem ſuper capellam de Moteto, ſententiam confirmat. Mentionem illius facit an. 1305. Bernardus Guidonis in hiſtoria monaſterii Pruliani: *Anno Domini 1305. dominus Clemens papa V.... verſus Lugdunum dirigens greſſus ſuos, tranſivit per monaſterium Pruliani..... die* tertia Octobris, eaque, *Dominica mane intravit clauſtrum & capitulum ſororum.... cum domino Bertrando epiſcopo Agennenſi avunculo ipſius papæ.* Fuit inde tranſlatus ad Lingonenſem ſedem a fratris ſui filio Clemente, ut teſtatur ſummi illius pontificis epiſtola ad regem Philippum data anno 1306. 11. cal. Febr. pon- 1306. tificatus ipſius anno 1. *Clemens*... inquit, *cariſſimo in Chriſto filio regi Franciæ ſalutem.... Lingonenſis eccleſia per obitum bonæ memoriæ Johannis Lingonenſis epiſcopi ſolatio deſtituta paſtoris, nos ad eccleſiam ipſam.... gerentes paternæ dilectionis affectum.....ordinationem ipſius... diſpoſitioni ſedis apoſtolicæ duximus reſervandam; & tandem conſiderantes attentius magnæ devotionis affectum, & ſolidæ fidei puritatem, quas venerabilis frater noſter Bertrandus epiſcopus Lingonenſis erga præfatam Romanam eccleſiam...inconcuſſe hactenus obſervavit... attendentes etiam grandia probitatis merita, honeſtatem morum, converſationis & vitæ munditiam, & aliarum virtutum dotes multiplices quibus ipſe epiſcopus noſcitur inſignitus.... deliberatione cum fratribus noſtris ſuper hoc habita diligenti, præfatum Bertrandum tunc Agennenſem epiſcopum, a vinculo quo Agennenſi eccleſiæ tenebatur adſtrictus, abſolvimus, & ad Lingonenſem eccleſiam tranſtulimus... Celſitudinem itaque regiam rogandam duximus....: quatenus eumdem epiſcopum & eccleſiam ſibi commiſſam habens...propenſius commendatos, te ſibi exhibeas in favore munificum*, &c. Philippus rex in epiſtola ad Clementem papam de tranſlatione capitis S. Ludovici regis in ſanctam capellam Pariſienſem, data eodem anno 1306. inter epiſcopos qui ſolemnitatem ſua præſentia decorarunt, recenſet *Bertrandum Lingonenſem.* Poſtea rediit ad priorem ſponſam, ut patet ex ejuſdem Clementis V. epiſtola ad Philippum regem ſcripta 17. cal. Dec. apud Baluz. collect. actor. vet. ad hiſtoriam paparum Avenion. in qua ſic loquitur: *Vacante nuper apud ſedem apoſtolicam eccleſia Lingonenſi paſtore, per tranſlationem venerab. fratris noſtri Bertrandi epiſcopi Agennenſis, olim epiſcopi Lingonenſis, per nos factam de ipſo ad Agennenſem eccleſiam tunc paſtore carentem*, &c....*datum Burdegalis 17. cal. Dec. pontificatus noſtri anno 2.* Agennenſem itaque nonnullis adhuc annis rexit eccleſiam, eum quippe memoratum video anno 1310. in Silvæmajoris tabulario, & 1309. 1311. 1312. in titulis familiæ de Albreto; quod confirmat Baluzius in notis MSS. ad Gall. Chriſt. Sammarthanorum, laudatque codicem 47. Colbert. bibl. Atque

ANNI CHRISTI

ex his infer recte monuisse Sammarth. fratres, corrigendam videri chronologiam quorumdam episcoporum Aginnensium, quæ statuit Bertrandum alium sedentem anno 1307. In charta Silvæ-maj. legitur: *Bertrandus Agennensis episcopus compositionem a fratre Arnaldo de Praissaco Silvæ-majoris monacho, & S. Martianæ d'Escassefort priore, cum Aiquelmo Laurentio ejusdem ecclesiæ capellano, de utriusque juribus initam cum voluntate & expresso consensu Petri Silvæ-majoris abbati, inviolabiliter conservari præcepit. Idibus Jun. anno Domini M. CCC. X.*

De Fargis.

XLIII. Bernardus II.

Bernardus de Fargis, Clementis V. ex sorore nepos, filius Raimundi-Guillelmi de Fargis domini de Budos, & Guillelmi de Fargis cardinalis frater, fuit primum Belvacensis archidiaconus. Ad eum 25. annos natum scripsit Clemens avunculus hanc epistolam an. 1306. *Clemens*, &c. *Bernardo de Fargis archidiacono Belvacensi salutem*, &c. *Virum expertæ probitatis claritate conspicuum te laudabilia tuæ probitatis indicia repræsentant, sic enim studiis virtutum insistis, sic laudabiliter dirigis actus tuos ad merita probitatum, quod nos ad tui honoris promotionem invitas.... Tuis itaque supplicationibus inclinati tecum, ut defectu quem pateris in ætate, cum, sicut asseris, in vicesimo quinto ætatis tuæ anno vel circa illum constitutus esse noscaris, & quibusvis constitutionibus contrariis non obstantibus, quascumque dignitates episcopales vel archiepiscopales seu patriarchales aut alias, cum ad illas te successive contigerit canonice evocari, licite recipere ac libere retinere valeas autoritate apostolica de speciali gratia dispensamus, proviso quod te facias, prout ipsarum dignitatum cura exegerit, statutis temporibus ad omnes superiores ordines promoveri..... Datum Lugduni 4. cal. Febr. pontific. nostri anno primo.*

Nec moram fecit papa in exsequendo Bernardum ad sacras infulas promovendi consilio; eum quippe hoc ipso anno episcopum Agennensem creavit, ut testatur in epistola ad vassallos præfatæ ecclesiæ data apud S. Ciricum prope Lugdunum 5. cal. Martii: *Clemens*, &c. *dilectis filiis universis vassallis ecclesiæ Agennensis salutem*, &c.... *nuper venerabili fratre nostro Bertrando, nunc Lingonensi, tunc Agennensi episcopo, de Agennensi ecclesia... per nos ad Lingonensem tunc vacantem apostolica auctoritate translato, nos gerentes circa præfatam Agennensem ecclesiam sinceræ dilectionis affectum.... in dilectum filium Bernardum electum Agennensem, archidiaconum Belvacensem, virum utique litterarum scientia præditum, morum honestate conspicuum, consilii circumspectione maturum, & aliis virtutum donis a Deo multipliciter edotatum, quorum nos reddit longa experientia non ignaros, mentis nostræ aciem duximus convertendam. Propterea.... eundem Bernardum electum ipsi ecclesiæ Agennensi præfecimus in episcopum & pastorem*, &c. *Datum 5. cal. Mart. pontific. nostri anno primo.* Nec diu passus est eum in Aginnensi cathedra residere, eodem quippe iterum anno ad sublimiorem dignitatem evexit. Data quippe bulla, ab ecclesia Agennensi transtulit ad Rotomagensem. Cetera in Rotomagensibus præsulibus quærat lector.

Bertrandus de Got tunc ad pristinam sedem rediit, Lingonensi relicta, ut superius dictum est. Sedes vacabat anno 1313.

De Fargis.

XLIV. Amanevus.

Amanevus de Fargis, ejusdem cum prædecessore familiæ, imo ut asserit Baluzius in notis, frater superioris episcopi, ut patet ex testamento Bernardi Narbonensis archiepiscopi, a quo constituitur testamenti ipsius exsecutor 23. Aprilis anno 1341. ex tabulario capituli Narbon. electus est an. 1313. & præfuit ad 1356. Tabulæ S. Maurini illius meminere anno 1314. cum referunt Jordanum ejusdem cœnobii abbatem a Bernardo de Castanea, quem rex Angliæ, Aquitaniæ dux, majorem judicem Agenni constituerat, ad dominum Franciæ regem provocasse, *die 25. Februar. anno 1314. Amanevo episcopo Agennensi.* In charta venditionis factæ G. cardinali, domus quæ vilium mulierculorum lupanar existebat, legitur in fine: *Actum apud Marmandam, in capitulo domus fratrum Minorum, die 12. mensis Julii, anno Domini M. CCC. XV. regnantibus dominis Ludovico rege Franciæ, Eduardo rege Angliæ & duce Aquitaniæ, Agennensi episcopo A...* Johannes XXII. primo sui pontificatus anno, hoc est an. 1316. aut 1317. scribit ad episcopum Agennensem ut pacem procuret inter viros nobiles Amanevum de Lebreto & San-Severinum de Pinibus, *datum Aven. 7. idus Jul. an. 1.* ex registro hujus papæ. In instructione pro scribendis litteris nomine regis Angliæ anno 1316. legitur apud Rimer collect. tom. 3. pag. 559. *Ad A... episcopum Aginnensem super negotiis in ducatu Aquitaniæ, 15. Maii.* Fit illius mentio an. 1317. in charta Fontis-Guillelmi, & in tabulario Agennensi. Anno 1316. statuta condit de fabricatione monetæ. Ejus memoria invenitur in quibusdam actis publicis ubi appositus est annus sedis 1346. & 1349. in chartophylacio Lactorensi. Anno 1348. consulibus facultatem dedit ædiculam construendi intra publicam domum urbani consilii. Notant porro nonnulli in charta Cleracensis abbatiæ, duos recenseri Amanevos, quorum unus alteri proxime successit, sed a quo tempore secundus sederit, ignoramus.

1313. 1314. 1316. 1348.

XLV. Petrus IV.

Hic Petrum inserunt Sammarthani, sub cujus pontificatu, vel circa, floruit Gerardus de Cussaco Gallus Agennensis, ordinis Carmelitarum. auctor sexaginta sermonum ad clerum, & sexaginta quatuor ad populum, quos dicat Bernardo divi Cyriaci cardinali, ex Possevini Apparatu. Potuit sedere ab an. 1348. aut 1349. ad 1357. quo sedem vacasse docent tabulæ Virazelli; asserunt enim Eliam de Serinet monachum Benedictinum & priorem de Viraello, Raimundo de Nornaco clerico decimam seu decimariam parochiæ S. Mariæ de Lavalars confirmasse 16. Junii, an. Dom. 1357. Agennensi sede vacante.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

XLVI. Deodatus.

Deodatus Rodbaldi, an. 1349. decanus erat eccleſiæ collegiatæ Inſulæ-Jordanis. Ex eadem gente haud dubie erat Guillelmus Rodbaldi religioſus S. domus hoſpitalis ſancti Johannis Jeroſolym. præceptor Frontonii anno 1319. ex regiſtr. 66. archiv. reg. Pariſ. Factus eſt epiſcopus anno
1357. 1357. quo ſolemnem in urbem ingreſſum fecit. Sedebat adhuc 1363. Si ita eſt, ad eum ſcripſit Innocentius VI. nonis Sept. anno 9. pontificatus ſui, ſeu anno Chriſti 1361. de diſcordia inter Gaſtonem comitem Fuxenſem & Arnaldum dominum de Lebreto ſopienda.

DE SALG.

XLVII. Raimundus.

Raimundus de Salquis, patriarcha Antiochenus, Agennenſis adminiſtrator perpetuus a S. pontifice renuntiatus, Avenione venit Agennum, tranſienſque per monaſterium de Moiſſiaco, Eduardum regis Angliæ primogenitum Aquitaniæ principem reperit, ipſique fidelitatis ſacramentum dixit *pro medietate ſæcularis juſtitiæ & dominii villæ Agenni & ſuburbiorum ejus, ac pro moneta Agen. & aliis juribus eccleſiæ*, cui & viciſſim juravit princeps *defenſionem & tutelam.* Actum anno
C. XIII. col. 433.
1364. 1364. die 14. menſis Septembris. Exhinc 26. ejuſdem menſis ſolemni pompa urbem ingreſſus eſt, magna procerum & nobilium Aquitaniæ & Angliæ, ac epiſcoporum, abbatum, clericorum & civium comitante caterva, per barones deportatus; obviante inſuper & comitante Eduardo principe, necnon & P. Florentino epiſcopo ſedis apoſtolicæ legato, ut fuſius continetur in inſtrumento ad calcem referendo. De illo nihil fere aliud in antiquis monumentis. Quamdiu ſedem illam occuparit incertum. Dicitur in tabularii Aginnenſis publicis quibuſdam documentis, hoc patriarcha eccleſiæ Aginnenſis adminiſtratore, compoſitam fuiſſe controverſiam de juriſdictionis limitibus inter conſules Aginnenſes & dominum de Bajamont anno 1369. Quatuor annos in adminiſtratione Raimundo tribuunt Sammarthani. Notat Baluz. in notis, ex regeſto Urbani V. liquere Raimundum antea fuiſſe Helenenſem epiſcopum; aſſerit inſuper Ughellus Italiæ ſacræ pag. 618. Bertrandum Tarentinum archiep. ad Ebredunenſ. eccleſiam tranſlatum in locum Raimundi ad Agennenſem evocati, quod ſuo loco examinandum.
C. XIV. col. 434.

XLVIII. Richardus.

1367. Richardum ſediſſe an. 1367. aſſerunt Sammarthani, quod minime cum iis quæ de Raimundo dicunt, ſtare poteſt, ſcilicet illum ad an. 1369. perveniſſe. Et quidem ex duobus inſtrumentis, quæ in lucem protulimus, liquet illum poſſeſſionem adeptum eſſe menſe Septembri an. 1364. quibus annis ſi addas quatuor, & temporis intervallum, quod fluxit ab ipſius inſtitutione uſque ad primum in urbem & eccleſiam Agennenſem ingreſſum, quî poterit fieri ut Richardus Raymundi ſucceſſor, anno 1367. ſedere cœperit. Iidem Sammarthani docent Richardum epiſcopum, cum Jacobo rege ex charta Cleracenſi, *patrinum* fuiſſe Richardi filii A principis Valliæ, Burdigalæ ab archiepiſcopo baptiſati, ut memorat Johannes Froiſſartus in chronico. Arnaldus, quem Sammarthani Richardo in ordine præſulum Aginnenſium ſubjiciunt, cum de eo omnino non conſtare fateantur, nobis cenſetur expungendus. Fatemur Arnaldum quemdam epiſcopum die 10. Febr. mortuum in choro fratrum Prædicatorum jacere; ſed quid vetat id referre ad Arnaldum V. aut VI.

ANNI CHRISTI

XLIX. Johannes II.

BELVETY.

Johannes Belvety memoratur electus an. 1374. 1374.
in libro obligationum; Rubeus hiſtor. Ravennat.
B pag. 585. notat eum anno 1385. fuiſſe pontificium Flaminiæ rectorem, & cum Polentano fœdus junxiſſe contra exules provinciæ. Fidem ſuam Regi ſacramento ſolemni conſtrinxiſſe dicitur inter manus conſulum Aginnenſium anno 1375. Ex chartophylacio cathedralis, & ex actis publicis de faciendo ſuper Garummam ponte, eum præfuiſſe anno 1381. convincitur. In veteri inſtrumento 1381.
eccleſiæ Toloſanæ reperimus Johan. Agennenſem epiſcopum anno 1378. Refert Bzovius ad annum 1376. §. 3. Johannem Agenn. epiſcopum cum Roberto Gebennenſi card. a Greg. XI. miſſum, ut Venceſlai Romanorum regis electi ſacramenta
C reciperet. In probationibus hiſtoriæ domus de Caſtellione pag. 135. refertur Johannem Agennenſem epiſcopum, unum fuiſſe ex iis qui nomine Ludovici Andium ducis donum regni Siciliæ, comitatus Provinciæ, &c. a Johanna Siciliæ regina factum acceptarunt, anno 1380. Fuit exſecutor teſtamenti Petri de Chalais Montalban. epiſcopi.

DE CRAMAUD

L. Simon II.

Simon de Cramaud cardinalis S. Laurentii in Lucina, patriarcha Alexandrinus, epiſc. Pictavienſis, Aginnenſis, Biterrenſis, Carcaſſonenſis, Avenionenſis, & Remenſis archiepiſcopus, cancellarius Johannis Pictonum comitis, memoratur tanquam electus Aginnenſis 16. Junii 1382. in eo- 1382.
dem libro obligationum, & in regiſtro theſauri chartarum regii Pariſienſis. Refert Baluz. in not. ad vitas papar. Aven. pag. 1089. Agenn. epiſcopum legatum fuiſſe Ludovici Andegavenſis ducis ad Clem. VII. papam, qui non alius videtur quam Simon noſter. Sic porro loquitur: *An. 1382. die Martis 4. Februarii, exiſtente eo* (Johanne Fabri Carnut. epiſcopo) *cum cardinale Minatenſi, epiſcopo Agennenſi*, &c..... *qui ab eo* (duce Andegavenſi) *miſſi fuerant Avenionem.... epiſcopus*
E *Agennenſis cœnavit apud papam, & jacuit in palatio.... die Mercurii.... excitatum grave jurgium inter epiſcopum Agennenſem & Carnotenſem, quod uſque ad contumelias verborum exarſit, quamobrem uterque fuit valde conturbatus*, &c. Deceſſit 1429. Pictavii humatus. At per illud omne tempus nequaquam tenuit eccleſiam Aginnenſem, ut in jamjam dicendis patebit. De eo in Remenſibus archiepiſcopis plura.

LI. Johannes III.

Johannem III. anno 1383. 14. Octobris ad 1383.
hunc epiſcopatum aſſumtum fuiſſe produnt tabu-

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

laria Vaticani. In instrumento tabularii Silvæ-maj. sic lego : *Arnaldus Silvæ-majoris abbas Guillelmum de Uleno ecclesiæ de Monqueau rectorem, & Guillelmum de Perrier procuratores suos constituit die 24. Januar. M. CCC. XCIV. Johanne episcopo Agennensi.* Sedem tenuit ad 1395. sedes vacabat 1396. 23. Mart.

LII. Bernardus III.

1397. Bernardus Johanni successit 1397. 27. Martii, ex citato codice obligationum Benedicti XIII. Brevi admodum tempore sedit, siquidem in indiculis reperio Imbertum sedisse 1398. 6. Febr.

LIII. Imbertus.

Imbertus, uti præmisimus, notatur quibusdam
1398. in indiculis an. 1398. mense Februario. Sane in tabulis Silvæ-majoris legitur Peregrinam de Gassiis tertiam cujusdam domus Agenni partem Arnaldo-Guillelmo, sub annuo censu concessisse die
1400. 15. Decembr. anno 1400. Imberto Agennensi episcopo. Interfuit concilio Pisano, anno 1409.
1425. ex ipsius concilii actis. Eundem sedisse an. 1425. planum fit ex tabularii Aginnensis pacto quod hic episcopus iniit cum consulibus circa aliquod jus in glareosam Garumnæ ripam, regnante Carolo Francorum rege. Franciscus d'Albret a S. Basilia, sui testamenti 3. Januarii anno 1427. conditi executores instituit Aginnensem & Condomiensem episcopos, ex tabulario Albretensi. Idem ex chartis sancti Maurini, ratam habuit electionem Petri de la Coste abbatis ejusdem loci, eique munus benedictionis impendit in ecclesia B. Bartholomæi de Turnone intra missarum solemnia, adsistentibus venerabilibus Geraldo abbatiæ novæ B. Mariæ de Gondonio ordinis Cisterc. & Guillelmo Exiensi ordinis S. Benedicti præsulibus, Dominica tertia Adventus, quæ fuit dies 17. mensis Decembris
1430. anni 1430. Eodem anno præsentibus iisdem abbatibus, Henrici episcopi Vasatensis consecrationi interfuit. Unde discimus exordium episcopatus Henrici Vasatensis, quod suo loco assignare omisimus.
1437. Sedebat adhuc an. 1437. 23. Augusti.

De Borgia.

LIV. Johannes IV.

Johannes de Borgia creatus est Aginnensis urbis, ex qua oriundus erat, episcopus, uti patet ex Eu-
1438. genii papæ bulla an. 1438. pontificatus 8. data, quæ habetur in tabulario Aginnensi. Illius men-
1439. tio fit an. 1439. in archivo Sarlat. Interfuit synodo Florentinæ, in qua fuit confirmatus. Episcopatum transcripsit Petro qui sequitur, anno saltem 1461. sed post abdicationem creatus est ab hoc episcopo vicarius generalis, cum omnimoda potestate chrisma conficiendi, ordines & sacerdotia seu beneficia conferendi; ut liquet ex ipsius Petri litteris in-
C. xv. col. 435. ter instrumenta excusis. Hinc Johannes adhuc nominatur episcopus annis 1460. & 1464. in tabulis Silvæ-maj. Sane contulit vicariam perpetuam S. Silvestri prope portum, Johanni de Bedechio presbytero, postulante Silvæ-maj. abbate die 20. Maii an. 1460. ex Silvæ-maj. tabulario. In tabulario Exiensis monasterii, reperiuntur duo instrumenta confecta per Petrum Bruneri Villæ-novæ Agennensis tabellionem, alterum die 7. Aprilis anno 1464. alterum die 23. Julii ejusdem *anni, Johanne Aginuensi episcopo.*

ANNI CHRISTI

LV. Petrus V.

Berard.

Petrus Berardus per Johannis de Borgia resignationem factus episcopus Aginnensis, seu administrator, ut ipse loquitur in litteris jam laudatis, cum variis, & quidem arduis negotiis præpediretur, & litterarum studiis insisteret, nec posset suam ecclesiam *personaliter* administrare, creavit duos vicarios generales in spiritualibus & tempo-
B ralibus, Johannem de Borgia suum antecessorem, & Philippum Berardi consanguineum suum, ut habent præfatæ de eorum institutione litteræ, datæ calendis Augusti anno 1461. Petri fit mentio in 1461.
publicis actis an. 1467. quo interfuit legatus co- 1467.
mitiis regni generalibus, apud Turones habitis, Ludovico undecimo rege, & anno 1477. ex ar- 1477.
chivo Aginnensi, ac monumentis S. Andreæ Burdegalensis. Sed hoc ipso anno fato functus est.

De Monchenus.

LVI. Johannes V.

Johannes de Monchenus per Petri obitum promovetur a Sixto papa; interim vero capitulum A-
C ginnense Petrum de Bosco eligit. Hic electionis suæ confirmationem Romæ prosequitur. Verum causa cadit, & capituli electionem, ut pote contra reservationem sibi factam, irritam declarat S. Pontifex pridie calend. Novemb. an. 1477. Sequenti anno Johannes ad sedem Vivariensem translatus est: unde sedes vacasse dicitur an. 1478. in archiv. Sarlat.

De la Rovere.

LVII. Carolus.

Carolus Galeatius de la Rovere, filius Mariolæ Sixti IV. neptis, per Johannis translationem, a Rege nominatur. Verum Petrus de Bosco, cujus electionem ratam habuerat Burdigalensis archiepi-
D scopus, provocat ad sedem apostolicam 20. Jan. 1478. sed irrito conatu; nam an. 1480. decreto 1480.
magni Consilii, excluso Petro, Carolus Galeatius in sua sede confirmatur. Juramentum fidelitatis præstitit ipso an. 1478. Eum gubernasse an. 1482. die 9. Sept. constat ex charta qua admisit in vicarium perpetuum Villæ-novæ presbyterum, sibi 1482.
ab abbate Exiensi Guidone de Montebruno episcopo Condomiensi, præsentatum. Item an. 1485. 1485.
ex authentico Aginnensi.

De la Rovere

LVIII. Leonardus.

Leonardus Grossus de la Rovere, cardinalis A-
E ginnensis nuncupatus, tituli S. Susannæ, postea S. Petri ad vincula, frater Clementis & Franciſci episcoporum Mimatensium, erat Sixti papæ IV. ex sorore nepos, major pœnitentiarius ecclesiæ Romanæ per obitum Ludovici cardinalis Borgiæ, urbisque legatus. Hic patria Savonensis, ante adeptam purpuram, referendarius apostolicus & episc. Agennensis dicitur an. 1491. in diplomate 1491.
chartularii Cabilonensis, ubi ejus præsulis licentia, datur os brachii S. Caprasii martyris Andreæ Popeto episcopo Cabilonensi, legato Caroli regis

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

per Aquitaniæ partes pro utilitate rei publicæ. Anno præcedenti nominatur in tabulario Virazelli, in quo legitur judices a S. Pandulphi Agennenſis diœceſis eccleſiæ rectore, ejuſque parochianis electos, rectoris jura definiiſſe an. 1390. *Leonardo Agennenſi epiſcopo.* Solemni ritu recipitur in urbe an. 1492. Johannis Durfort prioris S. Capraſii electionem confirmat 1493. In litteris tonſuræ datis Mimate, & in archivo S. Illidii conſervatis, ſic ſeſe inſcribit: *Leonardus miſeratione divina epiſcopus & comes Agennenſis, vicarius generalis in ſpiritualibus & temporalibus R. in Chriſto patris & D.D.Clementis, eadem miſeratione Mimatenſis epiſcopi & comitis Gaballorum 15. Sept. 1498.* Idem ſeſe ſolemni ſacramento obligavit, illud admittentibus urbis conſulibus anno 1499. 27. Octobr. ut conſtat ex Aginnenſi tabulario. An. 1500. fundatur eo ſedente conventus monialium, non Clariſſarum, ut nonnulli volunt, ſed virginum ab Annuntiata Dei-para dictarum. Eas inſtituit Vincentius Bilhonis canonicus & officialis, ex Græcia oriundus, cujus memoria in benedictione eſt propter pretioſa donaria, & multas fundationes factas in eccleſiis cathedrali & collegiali. In Leonardi favorem epiſcopatu Lucenſi anno 1517. Sixtus Roboreus ſeſe abdicaverat; ſed ipſe poſtea illum iterum ceſſit eodem anno 13. Novembr. Raphaëli cardinali Riario. Demum purpuratos inter patres aſcitus eſt a Julio II. pontifice, cujus nepos erat, inquit Rainaldus in Annalibus, in ſecunda creatione 1505. menſe Febr. Romæ fato ſuo fungitur 27. Sept. 1520. traditus ſepulturæ in baſilica S. Mariæ Majoris, quem eo præconio celebravit Ubertus Folieta in elogiis: *Eximia huic viro fuit pontificii & canonici juris ſcientia, ſanctiſſimi mores, perpetuſque integerrimæ vitæ actæ curſus, duæque in illo ingentes virtutes inprimis conſpectæ ſunt, eximium juſtitiæ ſtudium, ac ſingularis miſericordia, excellenſque in egentium inopia ſublevanda liberalitas, quarum virtutum multa in omni vita clariſſima edita ſunt documenta; mortuum Leonardum miſerorum & egenorum parentem, pauperes diu multumque luxerunt.* Hactenus Folieta.

Ceſſerat jam in gratiam ſequentis an. 1518.

1492. 1498. 1499. 1505. 1520.

DE LA ROVERE.

LIX. ANTONIUS.

Antonius de la Rovere, Taurinenſis, ex dominis Vici-novi, Johannis-Franciſci primi archiepiſcopi Taurinorum frater, protonotarius apoſtolicus, præpoſitus cathedralis Taurinenſis, ac ſanctorum Antonii & Dalmatii ejuſdem civitatis, epiſcopatus Aginnenſis per reſignationem præcedentis bullas accepit 10. cal. April. anno 1518. & 15. Junii 1519. dat procurationem ad ineundam poſſeſſionem, ac 13. Aprilis 1521. ſolemnem facit ingreſſum. Eccleſiæ ſuæ breviarium ſtudio & opera Vincentii Bilhonis edidit an. 1526.*

Eo ſedente floruit Aginni raræ & incomparabilis eruditionis Julius Cæſar Scaliger, qui hujus Antonii Roborei epiſcopi liberalitate adductus, ea in urbe domicilium, ſedemque ſtudiorum fixit, ac parens fuit Joſephi Scaligeri, viri longe doctiſſimi, quibus æterna memoria dignißimis elogio parentavit Scævola Sammarthanus.

1518. 1519. 1521. 1626.

* Excuſum eſt Lemovicis a Claudio Guarnier.

ANNI CHRISTI

Ceterum capitulum, ſede vacante, rexit aliquandiu diœceſim, ex tabulario Aginnenſi, ubi dicitur Leonardum fuiſſe adminiſtratorem epiſcopatus a papa conſtitutum, donec is qui nominatus erat epiſcopus, annum vigeſimum quartum attigiſſet. Videtur tam capituli ſede vacante gubernatio, quam hujus Leonardi adminiſtratio protracta ad an. circiter 1541. Ex eadem gente Roborea Hieronymus cardinalis Tolonenſis præſul.

l. 1. Elog. 1541.

DE LORRAINE

LX. JOHANNES VI.

Johannes a Lotharingia cardinalis, archiepiſcopus & primas Narbonenſis, adminiſtrator Metenſis & Aginnenſis annis 1541. 1545. & 1549. epiſcopatum rexit, non per Antonium de Valleſiis, ut aiunt Sammarthani, ſed per Johannem Valerii Carlocenſem epiſcopum, ſuffraganeum & vicarium ſuum generalem, poſtea epiſcopum Graſſenſem. Exſtat celebris hujus cardinalis Lotharingi facta cum Aginnenſi capitulo concordia, qua facultatem conferendi pleno jure ordinarii, canonicatus & præbendas majores, declarat pertinere ab antiquo ad canonicum hebdomadarium quemlibet per turnum, anno 1542. die 20. Julii.

1541. 1542.

BANDELLI

LXI. MATTHÆUS.

Matthæus Bandel ordinis Prædicatorum, qui fabellas liberiori ſtylo conſcriptas vernacula, hoc eſt Italica lingua exaravit, Ligur erat, uti & Vincentius Bandelli ejus patruus, ordinis S. Dominici præpoſitus generalis, cujus res geſtas elucubravit: illuſtrium quoque virorum vitas auctore Plutarcho in epitomen redegit: inſuper Hegeſippum eſt interpretatus: ejus oratio qua Firmanam urbem celebrat, laudatur a pleriſque. Aginn. epiſc. erat an. 1550. Diœceſim & ipſe, ut prædeceſſor, rexit per Johannem Valerii, tunc epiſcopum Graſſenſem, vicarium ſuum generalem & canonicum Agennenſem, ut patet ex charta Virazelli, in qua hæc reperio: *Frater Franciſcus de Nort, abbatiæ Exiensis monachus graduatus & nominatus, reverendum in Chriſto patrem dominum Johannem Valerii, epiſcopum Graſſenſem, eleemoſynarium Reginæ, canonicum eccleſiæ cathedralis Agenni, ſuffraganeumque & vicarium generalem ac officialem reverendi in Chriſto patris & domini Matthæi Bandelli, epiſcopi & comitis Aginnenſis, requirit ut ſibi vacantem S. Vincentii de Virazello prioratum, a ſancti Geraldi de Auriliaco abbate ſibi denegatum conferat, anno 1554. 2. Auguſti.* Eodem anno nominatur in chartophylacio Cleracenſis abbatiæ.

1550. 1554.

FREGOSE.

LXII. JANUS.

Janus Fregoſe nobilis Genuenſis, Cæſaris Fregoſi equitis torquati, militiæ apud Venetos ducis generalis, filius; abbas B. Mariæ Fontis-frigidi diœceſis Narbonenſis anno 1582. Aginnenſibus præerat circiter 1570. Interfuit concilio Burdigalenſi an. 1583. & proprium feſtorum eccleſiæ ſuæ typis mandari curavit Burdigalæ anno 1584. mortuus 16 Oct. 1586. tumulatur in ſua eccleſia, retro majus altare in ſacello ſanctiſſimi Sacramenti ſub

1570. 1584. 1586.

Digitized by Google

marmore nigri coloris, ubi ſpectabilis eſt Jani imago ad vivum expreſſa, cum hoc epitaphio in ære inciſo, & parieti affixo: ANNI CHRISTI

DEO OPT. MAX. S.

Reſiſte hoſpes & perlege, en oſſa & cineres Jani Fregoſi maximi pontificis. Quantum eſt e familia apud Ligures olim principe ortum, & patre fortiſſimo, qui dum rem Francicam ſedulo juvat, imperio avito, & vita deturbatur, natum, excelſa ejus & flagrans virtus altum illud clariſſimæ ſtirpis, & honorum omnium ſupergreſſa eſt faſtigium. Egregia artifex natura in eo res diſpares, mirificam animi & corporis ſpeciem venuſtiſſime colligaverat. Nemo unquam adeo commode dignitati comitatem miſcuit. Regum amicitias tenuit, procerum & inferiorum ſtudia ſibi devinxit, omnium vero ordinum gratiam ſingulari integritatis, innocentiæ, & humanitatis gloria ſibi conciliavit. Neminem læſit, ſine labe vixit vir, omni quæ in mortalem naturam cedere poteſt ſanctitatis & religionis laude eminentiſſimus. Huic patri patriæ, & fratri bene merenti, dum properantia nimium fata accuſat, Cæſar Fregoſius æterno dolore afflictus, pietatis, & luctus ſui teſtimonium F.C. Vixit annis LV. M.IX.D. XXVI.

Jani Fregoſii Nitiobrigum epiſcopi manes.
Gente Ligur, Ligurumque ducum celeberrimus ortu,
Æque animi æque oris gratia mira mei.
Regibus & populis carus, ne hæc cernere poſſim
Bella diu, antiſtes pacis in aſtra feror.
Obiit die XVI. Octob. M. D. LXXXVI.

LXIII. PETRUS VI.

De Donauld

Petrus de Donauld ex religioſo Benedictino abbatiæ S. Petri Lezatenſis, & theologo Pariſienſi domus Navarræ, a rege Henrico III. in epiſcopum Aginnenſem nominatur: ſed poſſeſſionem non adiit, factus epiſcopus Mirapicenſis an. 1587. ubi de eo plura.

LXIV. NICOLAUS.

De Villars.

Nicolaus de Villars diœceſis Lugdunenſis, prius ſenator Pariſienſis, ſimulque S. Capeliæ theſaurarius, epiſcopus autem Agennenſis ab anno 1589. quo in conſecratione Chriſtophori de Valle * epiſcopi Tullenſis adſtitit Ademaro Hennequin Redonenſi præſuli Pariſiis die 19. Febr. Uſque ad 1608. pervenit, quo ad meliorem vitam tranſiit 10. Dec. Jacet in eccleſia cathedrali ad ſublimium chori, ſub lamina ærea.

1589.

* de la Vallée.

1608.

Hoc præſule ſedente collegium Jeſuitarum fundatum eſt Aginni, partim reginæ Margaritæ, partim ipſius epiſcopi, & urbis liberalitate; patres Capucinos invexit in urbem; ſodalitates quas vocant Pœnitentium alborum, cæruleorum & cinereorum inſtituit, quæ poſtea in omnes diœceſis urbes propagatæ ſunt.

LXV. CLAUDIUS.

De Gelas.

Claudius de Gelas Lugdunenſis, Nicolai ex ſorore nepos, antea Aginnenſis archidiaconus, ſenator Pariſienſis, Capellarum ſanctarum Pariſienſis & Vincennarum theſaurarius, ſacrique conſiſtorii comes, poſſeſſionem apprehendit 11. Octobr. 1609. conſecratur die 25. Oct. ejuſdem anni in eccleſia monialium Carmelitarum B. Mariæ de Campis apud Pariſios, ab illuſtriſſimo Pauli V. pontificis nuntio Maphæo Barberino, poſtea Urbano papa VIII. Urbem ingreſſus 7. Junii 1612. poſtridie in publici conſilii domo ſe ſacramento ſolemni obligavit, admittentibus jusjurandum urbis conſulibus. Interfuit anno 1614. comitiis generalibus cleri, & 1624. concilio provinciali Burdigalenſi convocato a Franciſco cardinali Surdiſio. Reliquias S. Dulcidii epiſcopi & archidiaconi ſuæ eccleſiæ ut hic olim fuerat, capſa donavit argentea.

ANNI CHRISTI 1609.

1614.

Eodem antiſtite Capucini Marmandani, Villamnovam, & Portum S. Mariæ tres diœceſis urbes inducti. Tonino ob hæreticorum rebellionem exciſo, monaſterium quod ibi fuerat Carmelitarum in proximam urbem Marmandam tranſlatum eſt; monialium quas ab Annuntiata Virgine nominant, Marmandæ & Villæ-novæ fundata cœnobia; in urbem S. Fidis Majoris, & Lauſuni recepti Minores Recollecti ordinis S. Franciſci; virgines ſacræ quas a noſtra Domina vocant, Burdegala evocatæ Aginnum advenerunt. Obiit vero Claudius ex apoplexia die feſto S. Stephani tutelaris ſuæ eccleſiæ 26. Dec. an. 1630. & in eadem tumulo conditur.

1630.

LXVI. GASPARDUS.

De Daillon.

Gaſpardus de Daillon abbas de Caſtellariis, Franciſci comitis du Lude & Franciſcæ de Schomberg filius, nominatur epiſcopus a Ludovico XIII. die 5. Januarii 1631. bullas impetrat ab Urbano VIII. papa, IV. idus Maii ejuſdem anni; conſecratus Lutetiæ 24. Aug. anno 1631. a Johanne-Franciſco Gondio Pariſienſium archiepiſcopo, adſiſtentibus Ægidio de Souvré Altiſſiod. & Stephano Puget Dardaniæ epiſcopis, in eccleſia Jeſuitarum. Fidem clientelæ Regi profeſſus 20. Aug. poſſeſſionem adeptus eſt procuratorio nomine die 9. Nov. ſequentis, & an. 1632. 8. Aug. civitatem ſuam invectus eſt ſolemniter. Hic præſul Aginni Carmelitanas moniales recepit, & patres Miſſionarios ad ſanctæ Liberatæ urbem, in oratorio votivo B. Mariæ de Roſa. Ab hac eccleſia ad Albienſem tranſlatus eſt an. 1634. ut dictum eſt in Albienſibus epiſcopis.

1631.

1632.

1634.

LXVII. BARTHOLOMÆUS.

Delbene.

Bartholomæus Delbene abbas ſancti Petri Altivillarenſis, diœceſis Remenſis, prior collegialis eccleſiæ divi Caprafii Aginnenſis, frater Alfonſi Aurelianenſis epiſcopi, grata nominatione regis Ludovici XIII. nec quæſita promotus eſt ad hanc cathedram ab Urbano VIII. ſummo pontifice, a quo obtentæ bullæ, publicatæ fuerunt 2. Nov. 1636. Inauguratur Pariſiis in æde monialium S. Mariæ, ab Octavio de Bellegarde Senonenſi archiepiſcopo; tum in urbem non ſolemni pompa, ſed omnium ordinum & populorum applauſu exceptus 10. Junii 1638. in ipſo introitu januæ, cui nomen a S. Antonio, ſacramento ſolemni coram conſulibus pro more ſe obſtrinxit. Comitiis cleri Gallicani Lutetiæ interfuit anno 1650. Sub ejus moderamine reſtauratum eſt puerorum ſeminarium, & patribus Miſſionariis commiſſum. Ad omnes miniſtrorum

1636.

1638.

1650.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

miniſtrorum hæreticorum ſolemnes conventus Aquitaniæ in ſua diœceſi, miſſi ſunt idonei operarii, qui duce domino Soldadie vicario generali, Calvinianorum conatus compreſſerunt, atque ſemel iterumque ac tertio quædam perniciosius a miniſtris prolata, quam ut tolerari deberent, & quæ in populorum cadebant offenſionem, retractari fecerunt, coram ipſo etiam magiſtratu. Triumphale tunc crucis vexillum longo temporis intervallo ab heterodoxis contemtum & dejectum, maxima Orthodoxorum gratulatione his in locis reſtitutum & denuo erectum eſt. Cum autem a provinciæ præfecto conſules prohiberentur ne epiſcopum ſuum qua ſolitum erat pompa, & nominatim ſub umbella intra muros inveherent, id antiquum epiſcopalis dignitatis jus ſibi ſuiſque ſucceſſoribus aſſeruit Bartholomæus, graviſſimo in eam rem Regis, ſanctioriſque conſilii pronunciato judicio.

Sub hoc epiſcopo ſanctimonialium varia ſunt inſtituta monaſteria: Agenni quidem earum quas a Viſitatione S. Mariæ nominant, & aliarum dictarum a S. Elizabetha ex tertio ſancti Franciſci ordine: Marmandæ Benedictinarum unum, S. Urſulæ aliud, in urbe Portus B. Mariæ ſecundum S. Urſulæ, & tertium in urbe S. Liberatæ: unum denique Virginum Noſtræ Dominæ dictarum, Villæ-novæ. Plura ad eccleſiaſticam in diœceſi diſciplinam ſtatuit egregia, quale illud eſt, ne ad ordines ſacros quis admittatur, niſi poſt aliquot menſes in ſeminariis, ubi clerici inſtituuntur, tranſactos. Obiit die 4. Martii an. 1663.

JOLY.

LXVIII. CLAUDIUS.

Claudius Joly diœceſis Virdunenſis presbyter, Bellovacenſis eccleſiæ theſaurarius, poſtea Pariſiis eccleſiæ parochialis S. Nicolai a Campis rector, nominatur epiſcopus Leonenſis 30. Junii 1661. ac tandem fit Aginnenſis epiſcopus die 25. Aprilis anno 1664. Conſecratur 15. Mart. 1665. in eccleſia S. Martini a Campis, ab archiepiſcopo Pariſienſi, adſiſtentibus Engoliſmenſi & Santonenſi præſulibus. Sacramento erga Regem fidem obſtrinxit 14. April. & ad ſedem acceſſit 17. Maii ejuſdem anni. Vir morum integritate conſpicuus, Dei caritate fervens, in pauperes amore & liberalitate inſignis, concionibus ſuis clariſſimus. Deceſſit 21. Octob. 1678.

MASCARON.

LXIX. JULIUS.

Julius Maſcaron, patria Maſſilienſis, primum Oratorii Domini Jeſu presbyter, vir eloquentiſſimus, Regi a concionibus, dehinc Tutelenſis epiſcopus, ab ea ſede tranſlatus ad Aginnenſem anno 1679. ad hanc acceſſit 1680. obiit 20. Nov. 1703. Sorores quas vocant de Caritate in S. Jacobi noſocomio inſtituit, ac clericorum ſeminarium erexit.

HEBERT.

LXX. FRANCISCUS.

Franciſcus Hebert, patria Turonenſis, ex Miſſionis presbytero, factus primum animarum paſtor Verſalliis, deinde anno 1703. epiſcopus Agenni, ad cujus laudem non minimum confert, quod nullum huc uſque beneficium poſtulanti conceſſit. Filias de caritate, ut aiunt, Marmandæ & Villænovæ inſtituit; filias etiam, ut vulgo dicitur, de Fide, in generali pauperum hoſpitio conſtituit.

In Simone II. Aginnenſi epiſcopo ſubodoramur mendum, cui occaſionem dedit chronicon Malleacenſe, ordinationem hujus epiſcopi notans anno 1083. certe Simon erat tantum canonicus S. Hilarii Pictav. aliquot annis ante annum 1083. ſub Petro Pictavienſi epiſcopo.

ARCHIDIACONI MAJORES.

PRIMUS in hac eccleſia diaconus, ſeu archidiaconus eſt S. Vincentius martyr de quo jam nonnulla delibavimus. Legendus de eo Gregor. Tur. l. 7. hiſt. c. 35. & lib. 1. de Gl. martyrum cap. 105.

II. S. Dulcidius de quo in epiſcopis.

III. Sancius Guillelmus archidiaconus nominatur circa annum 1092. in charta Heliæ Agin. epiſcopi pro Regulæ monaſterio.

IV. Hugo I. in charta Gosberti epiſcopi pro Silva-majore citatur anno 1105. aut 1115.

V. Guillelmus archidiaconus, & Manſi-Agennenſis prior in tabulis Silvæ-majoris ſubſcribit confirmationi cujuſdam donationis, quam ratam habuit Aldebertus epiſcopus Aginnenſis an. 1118.

VI. Arnaldus de ſancta-Marciana recenſetur in charta Aldeberti epiſcopi pro Silva-majore 1125.

VII. Raimundus I. de la Rivol 1142. in charta Raimundi epiſcopi pro Silva-majore. Vide inſtr. C. VIII. col. 430.

VIII. Hugo II. 1160. in charta Eliæ epiſcopi pro Silva-majore.

IX. Raimundus II. de Rabaſtens electus in epiſcopum Toloſan. an. 1201. ex chron. Laurentii de Podio, qui refert eum poſt ab epiſcopatu depoſitum.

X. Odo de Luſor 1235. 1242.

XI. Raimundus III. de Amiliano, Gallice *de Milhau*, bulla Innocentii papæ IV. 11. cal. Dec. pontificatus anno 7. delegatur ad barones & milites terrarum diœceſis Ruthenenſis excitandos ad terræ ſanctæ iter ſuſcipiendum, vel ad eoſdem abſolvendos a dicti itineris voto. Anno 1247. teſtis eſt cum Raimundo Toloſano, & Viviano Ruthenenſi epiſcopis, Hugonem Ruthenenſem comitem votum emiſiſſe de aſſumenda cruce in ſubſidium terræ ſanctæ, in vigilia Epiphaniæ; quem anno ſequenti 1248. 17. cal. Novemb. a voto exemit, cum aliunde ſatisfeciſſet dictus comes. Quam abſolutionem ratam habuit 14. cal. Jun. 1250. Obſervandum porro Raimundum hunc bis vocari priorem de Amiliano. Ex ſchedis eccleſiaſticis in bibliotheca Colbert. ſubſcribit cum aliis juris peritis conſultationi codicillorum comitis Toloſani, pro Alphonſo Pictavenſi ejus genere: *Toloſæ 1251. Dominica poſt Aſcenſionem Domini:* ſic porro ſubſcribit: *Raimundus de Amiliano archidiaconus Agennenſis.* Cujus inſtrumenti apographum habes apud Catel. lib. 2. comitum Toloſ. pag. 383.

XII. P... I. archidiaconus Agennenſis, conſer-

vator privilegiorum Grandis-Silvæ, præſens memoratur tranſactioni factæ nobilem inter baronem Guillelmum Ferriol, & monachos Grandis-Silvæ 9. Maii 1262. ex ejuſdem cœnobii tabul. Eſt procul dubio Petrus Gerlan, qui pactum firmat inter Raimundum-Bernardum de Durefort dominum de Clairmont Sobiran, & procuratorem Grandis-Silvæ an. 1261. ex tabul. Grandis-Silvæ.

XIII. Johannes I. de Forgetis archidiaconus Rovilenſis in eccleſia Agenni, ſubſcribit ut teſtis hominio a Gaſtone de Armaniaco pro vicecomitatu Brulhenſi, Bertrando Agennenſi epiſcopo præſtito an. 1292. 3. die exitus menſis Aprilis. At exiſtimamus hunc non fuiſſe majorem archidiaconum, ſed minorem; & his temporibus, præter duos minores archidiaconatus a nobis recenſitos, fuiſſe tertium, Rovilenſem ſcilicet.

XIV. Arnaldus II. de Mota 1301.

XV. Bernardus I. de Caſtaneis 1479. 1505.

XVI. Johannes II. de Rocheta, ſedis apoſtolicæ protonotarius, anno 1519.

XVII. Stephanus Cunolio ex Taurinenſi diœceſi oriundus.

XVIII. Bernardus II. de la Combe ex nobili familia Cadurcenſi Blaſi-montis & prior S. Capraſii Agin. 1587.

XIX. Claudius I. de Gelas Lugdunenſis, poſtea electus in epiſcopum Agennenſem, de quo ſuperius.

XX. Petrus II. de Villars Lugdunenſis, qui in Viennenſem archiepiſcopum aſſumtus eſt.

XXI. Balthazar de Gelas Lugdunenſis, frater Claudii, & per annos multos vicarius ejus generalis, ſubſcripſit ſynodo Burdegal. an. 1624. ut procurator eccleſ. Aginn.

XXII. Claudius II. Hopil Pariſienſis, nepos memorati Claudii, an. 1654. De cujus ſucceſſoribus conſuluimus illuſtriſſimum epiſcopum, ſed nullum reſponſum retulimus.

ABBATIÆ DIOECESIS AGINNENSIS.

HÆ ABBATIÆ SUNT:

EXIENSIS, *Eyſſe*, ord. S. Benedicti.
Clariacum, *Clairac*, ord. B.
S. Maurini, ord. B.
Gondonium, ord. Ciſterc.
Payriniacum, ord. Ciſt.

Eyſſe. ## ABBATIA SS. GERVASII ET PROTASII DE AXIIS AD OLDUM.

EXIENSE cœnobium ord. Benedictini, fere ad ripam Oldi fluvii in pinguiſſima & amœniſſima planitie ſitum eſt, monticulis in orbem ad duas & tres leucas diſſitis concluſum, fundatum in ruderibus veteris coloniæ Romanæ, *Exciſa* ſeu *Exciſum* dictæ, cujus meminere Antoninus in itinerario & alii. Ab Caſſinogilo caſtro, in quo Ludovicum Pium Hildegardis imperatrix, Caroli magni uxor, cum alio gemello uno partu edidit, tribus milliaribus; a Nitiobrigum civitate Agenno 9. diſtans. Ejus eccleſia ſub SS. martyrum Gervaſii & Protaſii patrocinio dicata eſt.

Quo ſeculo, quove auctore primum exſtiterit, haud ſatis compertum eſt. Alii enim ſeculo IV. a Seguino quodam comite, juſſu Silveſtri papæ, ob interfectum ibidem proprium filium inter venandum conditum volunt: alii ſeculo nono a Carolo magno. Verum utriſque nulla ſuppetunt antiqua monumenta, quibus ſuam ſententiam evincant. Non fuiſſe a Carolo magno fundatum hocce monaſterium, vel inde concludi poteſt, quod nec inter cœnobia, quæ donaria, preces, aut militiam debebant in Aquiſgranenſi ſynodo an. 817. numeretur, nec inter Septimaniæ, Vaſconiæ aut pagi Toloſani, quæ ibidem recenſentur, locum habeat. Sed nec a Seguino, ſaltem tempore Silveſtri papæ ut aiunt, ortum habuiſſe, clarius eſt quam ut probatione indigeat. Dixi *ſaltem Silveſtri tempore*, fieri quippe potuit ut circa X. ſeculum a quodam Seguino conſtructum fuerit, cui poſtea fundationi imperitus aliquis S. Silveſtri tempus aſſuerit. Ut ut eſt, conſtat illud Cluniacenſi congregationi adjunctum, & illius abbati ſubditum, ac poſtea Moiſſiacenſi aſceterio immediate ſubjectum, in charta donationis Fulconis, & in epiſtola Urbani II. data Iſarno Toloſano, Simoni Agennenſi, &c. *indict. IV. an. 1097.* quæ exſtat in Moiſſiacenſi tabulario, in qua ſic habet: *Abbatias vel monaſteria, quas & quæ nunc uſque tenuerunt vel tenent confirmamus eccleſiæ Moiſſiacenſi apoſtolica auctoritate, ut poſſideant & teneant ſub dominio Cluniacenſis abbatis, ſcilicet in epiſcopatu. . . . . Aginnenſi abbatiam S. Gervaſii Exienſis*, &c. Jam porro ab anno 1088. ſancto Hugoni Cluniacenſi data fuerat ordinanda, ex biblioth. Clun. Olim in ea 30. monachi Deo famulabantur. In crypta ſubtus majus altare exſtat marmoreus ſarcophagus, ad cujus latera labari figura viſitur impreſſa; S. Aduini cœnotaphium eſſe putant. In lapide vero altaris ſupra ipſam cryptam poſiti, hæc leguntur: HIC REQUIESCIT BEATISSIMUS ADUINUS EPISCOPUS URBIS ROMÆ... (hic nonnulla deeſſe videntur.) Hujus porro ſancti nihil, quod ſciam, in legendariis & hagiologiis occurrit. Feſtum ibi habet 4. Febr. verum nihil ſpeciale in ejus officio refertur. Illum peregrinantem, & in præfato cœnobio hoſpitantem obiiſſe tradunt. Plurima ſeculo duodecimo ineunte ab Albigenſibus haud dubie pertulit hæc abbatia; quippe caſtra Penæ, Podii-alti, Caſſanogelli, & alia quædam illi vicina occupabant, ideoque totam quam alluit Oltus vallem.

Ante duodecimum ſeculum abbates habuiſſe non videtur. Saltem nulli ante illa tempora occurrunt. Hos ſuppeditant antiquæ chartæ.

ABBATUM SERIES.

I. ARNALDUS I. legitur abbas Exienſis in chartulario Silvæ-majoris anno 1105. & in fragmento chartularii Moiſſiacenſis. Hoc eodem

Digitized by Google

anno, aiunt Sammarthani, 2. Auguſti præſens fuit in redditione terræ de Scatalingiis in parochia S. Juliani, regnante Philippo Francorum rege, ut habet manuſcriptus codex pergamenus.

II. Arnaldus II. occurrit abbas an. 1176. in chartulario Silvæ-majoris.

III. Petrus I. Exienſis abbas 1185. de quo necrologium Moiſſiac. 18. calend. Sept. teſtis eſt in charta Bertrandi abbatis Moiſſiac. Geraldo abbati Cancellatæ eccleſiam de Cutza concedentis.

IV. Geraldus de Rilhaco electus abbas an. 1229. obedientiam promittit Raimundo de Monte-Penſato abbati Moiſſiacenſi, præſentibus Bernardo de Saranta Lezatenſi, Arnaldo Berengarii Arulenſi, & Berengario de Macaneto Campi-rotundi abbatibus, ex tabulario Moiſſiacenſi.

An. 1237. defuncto G. abbate, Exienſes monachi ad Moiſſiacenſem abbatem deputant pro novi abbatis electione, & eligitur, ut credere par eſt

V. Guillelmus I. quem abſque cognomine in chartis memoratum video. Sic enim de eo habetur in Moiſſiac. tabul. *Guillelmus abbas Exienſis obedientiam promiſit D. abbati Moiſſiacenſi, anno 1240.*

VI. Bernardus I. Jordani memoratur abbas an. 1249. quo controverſiam inter ipſum & Moiſſiac. abbatem ratione ſubjectionis hujuſce monaſterii cœnobio Moiſſiaci arbitrali ſententia componit Guillelmus præſul Aginnenſis, ut in ipſo vidimus. Anno 1250. a papa delegatus judex pro componenda lite diutina inter Eliam de Vallibus & W.... ejus uxorem, id præſtat. *Dat. apud Cannas die Martis poſt feſtum B. Bartholomæi apoſt. an. Dom. M. CC. L.* Anno 1263. ad concordiam revocat Eliam decanum Yſſigiaci, & Bertrandum de Montibus, ex charta Sarlatenſi. An. 1264. habito monachorum conſenſu, dedit locum de Gaiaco, Alphonſo Toloſano & Pictavienſi comiti, ad ædificandam Villam-novam ad Oltum fluvium, ex charta authentica edita col. 435. appendicis. C. XVI. Anno 1268. nonnulla acquiſivit apud Motam; & an. ſaltem 1272. aut vivere deſierat, aut pedum ceſſerat.

VII. Gailhardus de Montrabey ſedebat an 1272. quo Gremaudiam ei ceſſerunt domini de Montefaveti. Memoratur & anno 1278. Vocatur *de Saint Ribier* in fragment. necrolog. Moiſſiac. his verbis: *In menſe Auguſto fiunt anniverſ..... D. D. Gallardi de S. Ribier abbatis Exienſis.* Niſi forte alius ſit a Gallardo de Montrabey.

VIII. Bertrandus I. de la Roca occurrit 1286. Sabbato ante feſtum S. Martini in hyeme, quo, nomine Bertrandi de Inſula epiſcopi Toloſani, Bertrando abbati Moiſſiacenſi dat apocham 50. librarum Turonenſium pro anniverſario quod in dicto monaſterio celebrabatur pro anima dominæ Indæ matris dicti Bertrandi epiſcopi, ex tabul. Moiſſiac. Difficultates plurimas pro ſua ordinatione paſſus eſt; excommunicatus enim fuit ab abbate Moiſſiacenſi, eo quod electionem ſuam ab Agennenſi epiſcopo confirmari feciſſet. Qua de re ad Appamienſem epiſcopum ſcripſit Innocentius IV. primo ſui pontificatus anno. Ejus electio irrita declarata fuit & nulla a Bernardo S. Saturnini abbate, & epiſcopo Avenionenſi ſedis apoſtolicæ legato deputato judice. Abbatiam nihilominus retinuit; etenim anno 1288. Bonafuſus de Palavols miles fidem ei præſtitit, & fecit hominium pro nonnullis quæ a cœnobio cui præerat, tenebat.

IX. Arnaldus III. Raimundus de Coiſchels aut Coyſſels ſedebat jam anno 1300. Exſtat ejus epiſtola ad Arnaldum de Palaſoliis decanum, anno 1313. 2. Auguſt. Anno 1310. 12. Sept. tranſigit cum urbe ſua pro decimis. Adhuc præerat an. 1327.

X. Raimundus a Baratat memoratur abbas an. 1327. Paucis menſibus aut annis rexiſſe videtur.

XI. Geraldus de Lauda, aut ut alii legunt de Landa, ex familia de Lauda, hoc ſeculo Anglorum regibus addictiſſima, primum Exienſis monachus, poſtea *operariæ* præpoſitus, tandem abbas electus anno 1329. inconſulto, imo & renitente abbate Moiſſiacenſi. Hic, ut a Moiſſiac. cœnobii dominatione cœnobium ſuum eximeret, ceſſit prioratus de Amet, & de Dozenches. Nec tamen plenam exemtionem, ſed id unum obtinuit, ut abbatis electio Exienſibus monachis permitteretur, confirmanda ſolum ab abbate Moiſſiacenſi, charta 17. Jul. 1330. qua ſe nihilominus Moiſſiacenſi monaſterio ſubditos confitentur. De ea conventione loquitur Johan. papa XXII. bulla Avenione data 14. cal. Jun. pontificatus XIV.

XII. Bernardus II. Gausbertus de Peſtilhac, jam anno Dom. 1340. 23. Decemb. cœnobium tenuit ultra 1366.

XIII. Bernardus III. abbas Exienſis electus an. 1377. quo anno, 28. Jan. ut in tabular. Moiſſiac. videre eſt, *promiſit reverentiam & obedientiam debitam domno Aimerico abbati Moiſſiacenſi.*

XIV. Bernardus IV. de Roca-Amatoris de *Roquemadour*, præeſt annis 1381. &c. ad annum 1408. ædificia pleraque ſarta tecta fecit, ut innuit charta anni 1402. qua eximitur a penſionis cujuſdam ſolutione, quia reparationes multas facere neceſſitate compellebatur. Verum nihilominus hoc eodem anno ab Aimeyrico de Peyraco Moiſſiacenſi abbate palam objurgatur & corripitur in capitulo Exienſi, ut ſubſtantiæ monaſterii decoctor. Hujus abbatis & ſuperioris tempore, diu multumque in curia Romana litigavit Exienſe cœnobium contra fratres ordinis Prædicatorum, qui inconſultis, imo reluctantibus monachis ædes & eccleſiam conſtruxerant, adverſus quos definitivas ſententias obtinuit. Ad has porro lites proſequendas ornamenta plurima vendere coacti ſunt Exienſes monachi.

XV. Bernardus V. Raimundi deſinente anno 1408. abbas Exienſis eligitur. Hoſpitium ſancti Martialis in Villa-nova, ad quod bellis ingruentibus confugerent monachi, refarciendum & ampliandum curavit. Rexit ad annum circiter 1419. nominatur an. 1410. & 1412.

XVI. Arnaldus IV. Willelmi de Landa, e monacho Exienſi, & priore Montis-Flanguini, abbas inſtituitur anno 1419. ſed non omnium fratrum ſuffragiis. Æmulum enim habuit Willelmum de la Huga, cum quo multo tempore de hac dignitate contendit, ac tandem vicit, & abbatia

Digitized by Google

tranquille potitus eſt. Sedit ad annum fere 1446. A Die 18. Auguſti 1436. ſuſcepit hominium domini de Villabeau in capitulo. Memoratum ejus æmulum abbatem Exii nominatum anno 1430. vide in Imberto Aginn. epiſcopo.

XVII. Petrus II. de Brinhol an. 1446. renuntiatur abbas Exienſis & præeſt ac prodeſt ad annum 1461. Clientelæ fidem baronis de Pujolibus 4. Maii 1457. accepit.

XVIII. Petrus III. Girardus del Boſcat, ab aliis vocatur d'Alboſquos, e monacho Exienſi & priore Montis-Flanquini ad regimen cœnobii Exienſis vocatur 1461. verum, ut puto, non pacifice; æmulos quippe habet eos qui ſequuntur: B

XIX. Guido de Monte-bruno e nobili Lemovicum gente natus, ac Condomenſis antiſtes, regimen habet Exienſis cœnobii anno 1461. An jure electus fuerit, neſcio, ſed alios vicit, & in pace præfuit ad annum 1488. (alii habent 1486.) & in clauſtro Exienſi, ut conjicio, ſepultus eſt.

XX. Arnaldus V. Eberardi, haud ignobili Villæ-novæ gente ortus, a quibuſdam fratribus electus, ſed & ipſe abbatis titulo cum aliis duobus gaudet an. 1461. & ipſe cauſa cadit, & pedum deponit. Video & hic inſeri Bernardum de Plaignes 1486. & 1487. a noſtro D. Edmundo Martenne.

XXI. Antonius I. de Luſecho ex protonotario C apoſtolico Caturcenſium antiſtes & abbas Exienſis quaſi commendatarius, licet a fratribus electus aut poſtulatus fuerit in abbatem. Sedet ab an. 1488. ad 1501.

XXII. Benedictus Johannis de ſancto Mauritio e Johannea familia in Occitania natus, regit Exienſe cœnobium ab an. 1501. ad 1506. vir, inquiunt Sammarthani, multis onuſtus beneficiis, qui iſtud vi & potentia obtinuit ſeculari, & nec diu, nec pacifice tenuit.

* Balaguier XXIII. Guillelmus de Balaguiere * e camerario Exienſi abbas eligitur an. 1506. ac ad annum 1526. cœnobium regit. Poſtea Peyriniaci, juxta D Montem-Penſatum ordinis Ciſtercienſis abbas factus eſt. Ceſſiſſe videtur pedum ſequenti, nepoti ſuo, anno circiter 1527.

XXIV. Franciſcus de Balaguiere, abbas efficitur circa 1528. deinde electus eſt Vaſatenſium epiſcopus, ibique deceſſit. Fratrem habuit Johannem de Balaguier antiſtitem Cadurcenſem. An. 1562. & ſeq. plurima cœnobio noſtro damna intulere hæterodoxi, tuncque

XXV. N. de Mourebert favore Henrici III. commendam hujuſce monaſterii obtinet.

XXVI. N... du Nom commendam Exienſem E ambit.

XXVII. Helias de Foiſſy commendam habet 1572. ad 1580. An. 1577. ſegreges Calviniſtæ cœnobium peſſumdedere, ſacras reliquias combuſſere, chartas diſſipavere, ædificia ſolo æquavere, &c.

XXVIII. Jacobus du Nom bulla pontificia & regio brevi, monaſterii Exienſis fit abbas commendatarius anno 1580. per ſexennium circiter.

XXIX. Dionyſius Bourdier Melodunenſis occurrit abbas an. 1588. & quidem regularis. Præeſt ad annum 1594.

XXX. Bertrandus II. de Laborie ſtirpe Villænovæ Aginnenſis haud ignobili natus, in Moiſſiacenſi cœnobio monachum induit. Ejuſdem poſtea camerarius efficitur, & tandem abbas Exienſis regularis nominatur & inſtituitur an. 1594. volente Henrico magno, ſed per quinquennium tranquille non rexit, inquiunt Sammarth. fratres, quoaduſque ſenatusconſulto magni conſilii eidem pacifica & integra poſſeſſio adjudicata eſt contra epiſcopum Agennenſem Nicolaum de Villars. An. 1597. die 7. Decembris, quæ erat Dominica 2. Adventus, a Franciſco cardinale de Joyeuſe benedictionis munus recepit Toloſæ, in monaſterio B. Mariæ Deauratæ. Abſtinentia fuit admirabili, ab eo enim tempore quo in monachum receptus eſt, tanta inedia corpus domuit, ut etiam podagram, qua in viridi torquebatur ætate, hoc ex integro in ſe curaverit antidoto; lectionibus ſacris aſſidue vacabat, ſanctorum patrum, maxime Chryſoſtomi, Gregorii Nazianzeni & Bernardi opera aſſidue pervolvebat. Fuit in dicenda ſententia liber, in corrigendis exceſſibus tenax, in fovendis pauperibus, & viduis ſublevandis valde miſericors, & perpetuo munificus. Sæpiſſime rogatus, ac quovis modo tentatus ut jacentis & deſolati monaſterii ſecularisationem, ad inſtar aliorum vicinorum & maxime Moiſſiacenſis, ſcripto permitteret, conſtanti ac invicto animo palam ſemper teſtatus eſt tale ſe nunquam facinus commiſſurum, contra fundatorum aut benefactorum mentem. Hinc data occaſione cœnobium ſuum ſumma cum animi lætitia congregationi noſtræ S. Mauri adjunxit an. 1626. Quid plura? anno 1636. prædictæ congregationis monacho pedum ceſſit, accedentibus brevibus apoſtolico & regio, regularia loca reſtituit, ac tandem anno 1639. meritiſſimus ac piiſſimus abbas morte juſtorum mortuus eſt & ad majoris altaris ſuppedaneum cum hac inſcriptione ſepultus:

Hic jacet reverendus in Chriſto pater
Domnus Bertrandus Laborie
Olim abbas Regularis hujus monaſterii
Ordinis ſancti Benedicti,
Diſciplinæ regularis reſtaurator.
Obiit die 12. Maii anno 1639.
Ætatis 85.

XXXI. Antonius II. Roques primum Lezati monachus, deinde congregationi S. Mauri adſcriptus, & Exienſis prior nominatus, tandem cedente domno Laborie pedum accipit, geritque ab anno 1636. ad annum 1646. quo & ipſe reſignavit; vivebat adhuc anno 1679. cœnobii ſui eccleſiam inſigni veſtium ſacrarum apparatu decoravit.

XXXII. Apollo de Groſſoles ex marchionibus de Flamari, *al.* Flamarin, dimittente domno Antonio Roques, commendam Exienſis abbatiæ obtinet an. 1646. habetque ad annum 1685. quo obiit.

XXXIII. Johannes-Jacobus Regnaut de Barres fit commendatarius poſt Apollinem; fuit etiam deſignatus abbas Albæ-Coronæ an. 1681.

XXXIV. Petr. Jac. Touchans de la Luſtiere nobili genere natus, & propinquus præcedentis, 1. Maj. 1716.

Digitized by Google

ABBATIA S. PETRI DE CLARIACO.

ABBATIA S. PETRI DE CLARIACO, in ſolo pinguiſſimo & amœniſſima valle ad Occidentalem Olti ripam ſita eſt. Quo ſeculo, & quo auctore primum exſtiterit prorſus ignotum. Nonnulli tradunt a Caroli magni patre Pipino initium habuiſſe; verum id prorſus incertum. Sane qui ſumma diligentia illius tabularium evolvere, nulla de ipſius origine, imo & de incremento monumenta reperere. Nec mirum ſane, cum tot clades perpeſſa ſit, ac ab Albigenſibus primum peſſumdata ſeculo XIII. & a ſegregibus noſtris ſeculo XVI. ſolo æquata fuerit, combuſta tabularia, dirutis omnibus antiquis monumentis. Exhinc obſcura quaſi elanguit, donec ejus redditibus Lateranenſi eccleſiæ ab Henrico IV. Francorum rege attributis, penitus conciderit, nullis deinceps exiſtentibus monachis, ac nonnullis clericis pacta modica mercede divina officia quoquo modo obeuntibus.

Unum ſolum abbatem, ultimum videlicet indicarunt auctores qui nos præceſſerunt; nos feliciores plures reperimus, nonnullos in chartis quæ noſtræ fidei hoſtium furori evaſerunt; pleroſque ex aliarum eccleſiarum tabulariis. Eos hic ordine referemus. Verum prius de S. Avito presbytero qui fertur in eo cœnobio ſanctiſſime vixiſſe, & ipſi initium aut ſaltem incrementum dediſſe. In veteri Silvæ-majoris hagiologio legitur: *15. cal. Jul. Clariaco monaſterio depoſitio S. Aviti presbyteri, cujus vitæ deſcriptio inter cætera virtutum ſuarum merita, adſtipulatur mortuum ſuſcitaſſe.* Verum quis hic eſt? certe eodem die meminit martyrol. Romanum, *Aurelianis Aviti præsbyteri & confeſſoris*, de quo Gregor. Turon. lib. 3. hiſt. cap. 6. exſtatque ejus vita apud Surium tom. 3. Alterius quoque Aviti abbatis in Carnutenſi pago memoriam facit idem Gregorius lib. de Gloria Confeſſorum cap. 99. ſi tamen hic alius eſt a prius memorato, capitis enim titulus fert: *De Avito confeſſore Aurelianenſi.* Certe hunc eumdem eſſe cum Miciacenſi qui Clodomeris interitum prædixit, affirmat Cointius. Eos diſtinguendos eſſe cenſet Baronius, idque pluſquam probabile videtur Mabillonio in Actis ſec. 1. pag. 613. diſtinguntur in Adonis martyrol. ubi Miciacenſis 14. cal. Januar. alter 15. cal. Jul. memoratur. Ut ut eſt, alius ab his videtur noſter Avitus, cujus tamen, quod ſciam, nullibi acta reperiuntur in hagiologiis, legendariis & breviariis MSS. quæ videre licuit. Ad abbates ergo veniamus.

ABBATUM SERIES.

I. CONSTANTIUS primus eſt de quo ſcimus aliquid certi. Hic ſedebat an. 1068. quo interfuit concilio Toloſano, ut videre eſt in comment. Occitaniæ Catelli, & in Raimundo I. epiſcopo Lactor. t. 1. novæ Gall. Chriſt. col. 1075.

II. Augerius reperitur abbas circa 1144.

III. Raimundus I Bernardi occurrit Clariaci abbas circa annum 1180. in chartulario S. Crucis Burdegal. in quo legitur Alexandrum papam III. item inter Geraldum abbatem ſanctæ Crucis, & Petrum de Meiola capellanum ſancti Martini de Blanca-fort, agitatam ſopiiſſe, mediantibus arbitris G. epiſcopo Vaſatenſi & R. Bernardi Clariacenſi abbate. Notandum porro præter hunc R. ſeu Raimundum, ſub eodem Alexandri III. pontificatu reperiri & P. Bernardi abbatem. Num duo ſint ejuſdem familiæ abbates? An error in initiali littera P. pro R. aut viciſſim? certe Petrus memoratur in necrologio Silvæ-majoris, cal. Mart. *al.* IV. cal. Mart.

IV. Arnaldus præeſt 1190. ex chartul. Silvæ-maj. Ipſe eſt, ut puto, Arnaldus de Abino vel Dabinus abbas jam an. 1187. qui an. 1188. teſtis legitur in donatione Narraufredi de Montpeſat factæ domui Vallis-Pilonis. An. quoque 1190. ſubſcribit ut teſtis diplomati Richardi Anglorum regis in gratiam monaſterii S. Severi, ſic: *Arnaldus Clariacenſis abbas. Actum... anno ab Inc. D. M. CXC. ind. VIII. concurrente VII. anno quo reges profecti ſunt Jeroſolymam.* Vide in Geraldo Auſc. archiep. t. 1. novæ Gall. Chriſt. col. 988.

V. Petrus memoratur abbas annis 1214. 1218. 1223. & aliis. Adhuc præerat anno 1228. ex chartulario Silvæ-majoris. Una cum Odone Generenſi abbate & Arnaudo S. Savini Levitan. abb. anno 1216. interfuit Tarbæ ſponſalibus Petronillæ comitiſſæ Bigorritanæ cum Guidone Simonis comitis de Monte-forti filio, hiſt. Bearn. l. 9. c. 10. Vide in Garſia II. Auſc. archiep. tom. 1. Gall. Chriſt. col. 990. & in Arn. Guil. Tarb. epiſc. ibid. col. 1232.

VI. Pontius de Peſtilhac 1253. & 1254. quo anno teſtis eſt ſententiæ latæ a Willelmo Aginnenſi epiſcopo die V. ab exitu Octobr.

VII. Gallardus de la Roca legitur abbas ab an. 1281. ad 1296. *Galhardus Dei gratia humilis abbas & dominus Claracenſis diœceſis Aginnenſis* reperitur in inſtrumento cathedralis Sarlatenſis, *die Martis poſt octavas apoſtolorum Petri & Pauli anno Dom. 1286.*

VIII. Raimundus II. Clariacum moderatur ad annum 1317. quo, bulla pontificia Johannis papæ XXII. Aven. 8. id. Jul. pontificatus an. 2. data, fit abbas Manſi-Garnerii. E gente Montis-Acuti inter Auxitanas nobili ac præpotenti originem duxit. De illo amplius in cœnobio de Manſo-Garnerio.

IX. Ainardus de Faudoas præeſt 1321. 1330. & aliis. Anno 1326. nominatur in teſtamento dominæ de Saubolia, hoc tenore: *Comtoria de Saubolia, domina de Cauſio, per ſui codicillum teſtamenti legavit Eynardo de Faudoas nepoti ſuo, abbati de Clairaco ſex taceas argenteas, quas habet in hoſpitio ſuo, & omnia bona ſua mobilia, pannos, lectos, animalia quæcumque ſint & ubicumque; executores ſuos conſtituit & ordinavit Eynardum nepotem ſuum abbatem de Clairaco ordinis S. Benedicti, fratrem Arnaldum de Pomareda, ordinis Prædicatorum, volens quod dicti executores conſtruere faciant unam capellaniam in loco de Cauzio pro anima ſua & parentum ſuorum. Factum fuit hoc apud Cauzium in hoſpitio dictæ dominæ Comtoriæ de Saubolia 15. die menſis Novembris anni Dom. 1326. D. Carolo rege Franciæ & Navarræ regnante, Guillelmo Montis-Albani epiſcopo, in cujus diœceſi dictum caſtrum dicitur eſſe*

Digitized by Google

ſitum, exiſtente civitate Toloſana, diu eſt, in metropolitanam erecta, Johanne archiepiſcopo dictæ civitatis, & Arnaldo Rogerii epiſcopo Lomberienſi exiſtentibus. Ainardi noſtri ſoror erat neptis præfatæ dominæ, prioriſſa monaſterii S. Aniani ord. Fontis-Ebraldi, cui in eodem codicillo legat *unum bonum lectum.* Idem Ainardus de Faudoas abbas Clariaci reconciliat nobilem virum Beraudum de Faudoanis cum nobili Obria de Leomania matre dicti Beraud. *Actum apud Fodoas ſeptima die introitus menſis Febr. anno Dom. 1332. regnante Philippo Franciæ rege, Guillelmo epiſcopo Montis-Albani.*

X. Raimundus III. Morel ſedet an. 1353. memoratur etiam in chartis authenticis regiæ bibliothecæ, 1355. die 1. Maii & 1365. eodem die.

XI. Johannes II. occurrit abbas an. 1373.

XII. Pontius de Salignac e decano ſancti Aredii dioeceſis Lemov. bulla Pii papæ II. anno 1462. data, ſit abbas Clariac. Reperitur memoratus anno 1485.

XIII. Antonius de Chabannes commendatarius cœnobii Clariac. an. 1513. Bullam obtinet a concilio Piſano contra invaſores bonorum ſui monaſterii.

XIV. Gerardus Rouſſel, licet novis ac alienis a catholica fide opinionibus imbutus, primum Clariaci abbas, deinde epiſcopus Oleronenſis, ubi vide ad annos 1542. & 1559. t. 1. novæ Gall. Chr. p. 1277. & in hoc II. t. col. 592.

XV. Gauffridus de Caumont abbas Cleyraci. Uxorem duxit Margaritam de Luſtrac dominam de Fronſac, relictam ſeu viduam domini de S. André Franciæ mareſcalli an. 1568. Vide in Uſercia.

XVI. Frater Henricus d'Angouleſme eques ordinis S. Johannis Hieroſolymitani, abbas commendatarius, ſeu perpetuus adminiſtrator monaſterii S. Petri a Cleraco dioeceſis Aginnenſis ord. S. Benedicti. Nobilem & venerabilem virum fratrem Jacobum de la Roche juris pontificii doctorem, religioſum prædicti ordinis, ſuum in dicta abbatia Clairacenſi vicarium generalem nominat Manoſcæ 8. Martii 1580.

XVII. Johannes II. de Teillac ultimus abbas fuit, ac penes Henricum IV. abdicavit an. 1604. ſub annua penſione bis mille librarum, menſe Sept. Quo tempore Rex injunxit cardinali de Joyoſa epiſcopo Sabinenſi Galliarum protectori, & Philippo de Bethune ſuo apud ſummum pont. oratori, ut cum capitulo & canonicis eccleſiæ S. Johannis Lateran. qui nonnullas pecuniarum ſummas ſeu redditus annuos eccleſiæ ſuæ ab aliquot Francorum regibus Henrici anteceſſoribus relictas & conſignatas deberi ſibi non ſatis probare potuerant; de hujuſce abbatiæ, unione, annexione, & incorporatione dictæ eccleſiæ Lateranenſi tranſigerent atque paciſcerentur, hac lege ut media pars fructuum divideretur inter canonicos, beneficiatos & clericos dictæ eccleſiæ, præter annua ſcuta 150. duobus ſolemnibus officiis ad majus altare chori quotannis pro Henrico & regibus Francorum celebrandis, inter canonicos & clericos aut beneficiatos, qui aderunt, diſtribuenda: media pars altera canonicis novis octo, ab Henrico & ſucceſſoribus ejus Francorum regibus nominandis, cederet.

Inter clauſulas unionis hæc etiam addita, *quod per hujuſmodi unionem, annexionem & incorporationem nullum jus cenſeretur acquiſitum eidem eccleſiæ Lateranenſi, ſive ejus archipresbytero aut capitulo, ſuper collatione & proviſione prioratuum aut aliorum beneficiorum ſeu officiorum tam perpetuorum quam ad nutum amobilium & a dicto monaſterio dependentium, ſeu ad illud ſpectantium, ſed nominatio perſonarum idonearum ad prioratus conventuales & vere electivos, ab ipſo monaſterio dependentes, ad prædictum Henricum regem ejuſque ſucceſſores Francorum reges, prout antea, competeret*[a], &c.

Omnia quæ hanc unionem ſpectant, leguntur in tomo 2. regaliæ Pinſſonii pag. 1283. & ſeq. illam vero plurimum promovit unionem Johannes Theobaldus Helicon Lateranenſis canonicus, in Lateranenſi eccleſia ſepultus ſub hac epigraphe:

D. O. M.

Johanni Baptiſtæ Theobaldo Lateranenſi canonico
Pietate, comitate, gratia principum illuſtri;
Ita poëticæ ſtudiis exculto ut litteratorum ſuffragio
helicone ſit nomen adeptus.
Qui ſemel atque iterum allegatus ad Henricum IV.
Galliæ regem,
Clerac. abbatiam eccleſiæ reportavit.
Capitulum & canonici Lateranenſes ſui de eo judicii
& grati animi
Monumentum poſuerunt.
Obiit
Anno ſalutis 1607. ætatis 73. dum poëma dignum
Immortalitate perpoliret.

ABBATIA S. MAURINI.

ABbatia SS. Trinitatis, S. Crucis, S. Mariæ, & nunc ſimpliciter, S. Maurini, monachorum ordinis S. Benedicti, olim Cluniacenſi congregationi addicta, ſitum habet in anguſta, ſed amœna & fertili valle, ad fines dioeceſum Agenni cui ſubeſt, & Cadurcorum, ad Orientem fere & Septentrionem civitatis Nitiobrigum.

Quo ſeculo, quibuſve auctoribus exſtiterit incertum. Illius chartæ nihil exhibent ante annum 1056. quamvis ex iis conſtet longe antea exſtitiſſe. Cluniacenſi ordini & Moiſſiacenſi monaſterio ſubjectum eſt, ut mox dicturi ſumus. Duodecimo ineunte ſeculo, ac mediante decimoquarto ab Albigenſibus & Anglis, noſtro denique a Calviniſtis dura pertulit, ac vix non plene diruta fuit. Sed a Petro de Villamont, ineunte decimo ſeptimo ſeculo reparata eſt; tandemque S. Mauri congregationi unita an. 1651. reſloruit. Abbatum ſeriem ex variis monumentis collegimus.

SERIES ABBATUM.

I. OTGERIUS S. Maurini cœnobio præerat, cum illud Bernardus Raimundi, cum conſilio & voluntate Hugonis vicecomitis, illud Hunaldo abbati Moiſſiacenſi ejuſque ſucceſſoribus

[a] Etiam eccleſiarum parochialium Rex habet nominationem. Et quidem Ludovicus XIV. rex Chriſtianiſſimus, anno 1679. litteris ſuis inſtituit Julium Maſcaron epiſc. Aginnenſem ſuum procuratorem ad eccleſias iſtas conferendas.

tradidit ordinandum ſecundum Regulam S. Benedicti, & ordinem ac devotam fidelitatem loci & abbatis Clunienſis; atque exhinc diu Clunienſi congregationi ſimul cum Moiſſiacenſi abbatia adhæſit.

II. Raimundus abbas noſtro D. Claud. Eſtiennot hic reponendus videtur, de quo necrologium Moiſſiac. *17. cal. Jun. depoſitio D. Raimundi abbatis S. Maurini.*

III. Atto, cui Guillelmus de Oſma dedit in Boſco d'Aviol omnia neceſſaria ad ædificandam eccleſiam, &c. & manſum, quod vulgo vocatur Caſſinias. Videtur hoc factum circa an. 1086. Certe eccleſia dedicata eſt an. 1079. ex hac veteri inſcriptione parieti inſculpta: *Anno milleſimo nonageſimo ſeptimo ab Incarnat. Domini*, 3. nonas Januar. *hanc aulam Simon ſacravit præſul Agenni, cum Petro Lectorenſi epiſcopo in nomine ſanctæ Trinitatis & honorem S. Crucis & S. Mariæ & ſancti Maurini & omnium ſanctorum Dei.*

IV. Matfredus, cui Bernardus de Durfort & Guillelmus Saxet polliciti ſunt ſe nihil deinceps S. Maurino rapturos per mercatum Clarimontis. Arnaldus & Elias de Tarnad dederunt ſe ipſos Domino Deo & S. Maurino ac D. abbati ejuſdem loci, necnon tres partes eccleſiæ de Saichas, vulgo Saiſſas, & bordariam in loco de Leſcaler an. 1091.

V. Petrus I. circa hoc tempus præfuiſſe dicitur S. Maurini cœnobio. Memoratur in necrologio Moiſſiac. his verbis: *14. cal. Octobr. obiit Petrus abbas S. Maurini.*

VI. Guillelmus I. de Planellis pedum hujus abbatiæ tenebat circa annum 1160.

VII. Guillelmus II. Bertrandi jam præerat an. 1205. quippe qui in teſtem adducitur in inſtrumento quo Raimundus Toloſæ comes, & Guillelmus prior eccleſiæ ſancti Capraſii Agennenſis, conceſſerunt in villa ſalvitatis de Saberis, illas conſuetudines quæ civitatis Agenni eſſe noſcebantur, *anno ab Incarnat. Dom. M. CC. V. pridie non. Aug.* Guillelma de Brugueres cum Guillelmo Bertrandi abbate S. Maurini paciſcitur ſuper terris quas Willelmus Orſſetz maritus ejus tenebat in feudum a præfato cœnobio, *menſe Aug. anno ab Incarn. Dom. M. CC. XII.*

VIII. Calſanus e gente de Favols haud mediocri oriundus, cui Willelmus Artz d'Onorpugh, & Artz ejus frater, reliquerunt *demandam* quam faciebant ſuper honore Begonis & Brigegh, quem B. Artz eorum frater dederat monaſterio S. Maurini, 13. cal. Feb. an. Dom. 1231. Gausbertus de Teſac, & Raimundus de Planels *quitaverunt Deo, & S. Maurino, & venerabili viro Calſano abbati poſſeſſiones de la Roqueta, la Bobia, la Orta Vivers, & univerſa alia a parentibus ſuis monaſterio S. Maurini erogata*, anno Dom. 1233. menſe Januar. Illi Radulphus Agennenſis epiſcopus anno 1235. dedit medietatem decimæ de Tairac. Aliam acquiſivit abbas a D. Bertrando de Pena an. 1237.

IX. Guillelmus III. de Bello-podio jam præerat anno Domini *1238*, quo *ſeptima die exitus Februar. a Willelmo Duichſma emit centum quinquaginta ſolidis Arnaldenſibus totum capmaſum de la Joliana, & duas partes honorum Arnaldi de S. Maurino, & duas partes tenementi de la Tapia, parœciæ de Tairaco.* An. 1239. menſe Octob. Bertrandus de Prada de Caſtelculher, cum filiis ſuis, confirmat donationem eccleſiæ S. Tyrſi, vulgo S. Xiſt, cum tota decima & primitiis, & eccleſiaſtico, factam monaſterio S. Maurini ab avis ipſorum ab annis 100. & ultra. An. 1243. die 13. in exitu Novembris Grimoardus de Podio-barzaco vendidit D. Willelmo de Bello-podio abbati, & monaſterio S. Maurini omnia jura quæ habebat in dextmario S. Mariæ de Gondalha pro 300. ſolidis Arnaldenſibus. *M. CC. XXI. 15. die Dec. Willelmus de Bello-podio abbas, & B. prior ſancti Maurini, & Willelmo Bertrandi, & Bertrandus de Pena, convenerunt, quod cenſus & alia deveria terrarum ſitarum inter vias quibus tenditur ſancto Maurino Moiſſiacum, & Lauzerto Grande-Caſtrum, alias Peymirol, & metam lapideam fixam ſubtus ultimam hanc viam, & orificium Fontis-Aiquilinæ ad utramque partem pro indiviſo deinceps pertinerent.* 14. die introitus Mart. anno ab Incarnat. 1252. Francus de Monte-Albano judex in Agennenſi & Caturcenſi diœceſibus, adjudicavit Willelmo abbati S. Maurini poſſeſſionem, juriſdictionem, & juſtitiam de Tayrac, contra procuratorem regium in ſeneſcallia Agennenſi & bajulum Grandis-Caſtri. An. 1254. quinta die ab exitu Octobris Willelmus epiſcopus Agennenſis, rogante Willelmo abbate S. Maurini confirmavit eidem monaſterio ſuæ diœceſis eccleſias & decimas ad illud pertinentes. Eodem anno decimas quaſdam, quas ſuas eſſe aſſerebant canonici S. Stephani Agennenſis, cœnobio ſuo vindicavit. Emit nonnulla latifundia parochiæ de Tairac die tertia introitus Nov. anno Dom. 1257. & tertia die Maii anno Dom. 1258. quo vel ſequenti ineunte, fato functus eſt.

X. Gausbertus Girval Guillelmo ſufficitur anno ſaltem 1259. quo Guill. Folquacet confeſſus eſt ſe *tenere in feudum* peciam terræ parochiæ de Tairac die tertia exitus Febr. An. 1260. pepigit cum toparchis de Claromonte pro limitibus parochiarum de Graiſſas, Pervil, Tairac, &c. die 5. exitus Jul. An. 1261. vigeſima die Jul. electi arbitri inter abbatem Gausbertum & conventum S. Maurini, ac Bertrandum de Pena militem de Monte-gaudio, pronuntiant ea omnia quæ in parochia de Capella ſita, inter ipſos controvertebantur, ad præfatos abbatem & conventum pertinere, &c. Eodem anno Arnaldus de Corts dedit ei caſtrum de Nazareth cum ſuis pertinentiis. Anno 1275. *honorabilis dominus Gausbertus abbas S. Maurini Willelmo de Villa-nova dedit in feudum unam domum ſitam in villa S. Maurini... VIII. die exitus Novembris.* Anno Dom. 1278. 5. cal. Jul. Arnaldus Agenn. epiſcopus eccleſiam ſancti Vincentii prope Altumvillare cum juribus & decimis ſuis Gausberto conceſſit; ipſe vero rependit epiſcopo *medietatem trium partium* decimæ eccleſiæ ſancti Amantii de Rupecornu. Huic, an. 1281. ſexta die introitus menſis Jun. eccleſias ab anteceſſoribus ſuis S. Maurino conceſſas confirmavit Raimundus Caturcenſis epiſcopus. Carus erat abbas noſter Eduardo Anglorum regi, cujus auctoritate ac nomine venit in

Digitized by Google

poſſeſſionem quorumdam caſtrorum, &c. anno 15. præfati regis. Eidem *dilecto & fideli ſuo*, biennio poſt Eduardus licentiam dat venandi in nemoribus terræ de Gaura. Denique anno 1303. nona die introitus Aprilis *inveſtivit P. Folquier de duabus denayradis terræ & prati, ſitis in parochia Montis-gaudii.* Hoc ipſo denatus eſt anno.

XI. Jordanus an. 1303. pedum S. Maurini tenuit, ut patet ex fidelitatis ſacramento ipſi ab incolis villæ ſuæ præſtito 29. die Septembris. An. 1305. ſecundo die Martii fratres Guillelmus R. prior S. Maurini, Guillel. de Rozet ſacriſta, Guillel. Tornier camerarius, G. de S. Geneſio operarius, & alii monachi approbant *aſſerſamentum* a Jordano abbate factum Stephano de Panſavayra. Quinto idus Maii an. 1309. Gasbertus Vitelli rector eccleſiarum S. Petri de Griſſano & ſancti Martini *de Avillaneta*, declarat *coram R. in Chriſto patre domino Jordano S. Maurini abbate, dominum Raimundum quondam Caturcenſem epiſcopum ſibi contuliſſe eaſdem eccleſias ad præſentationem D. Gausberti quondam abbatis S. Maurini.* Die 12. exitus Jan. an. 1312. emit abbas noſter a *G. Gaſc tres denairadas terræ pro VII. libris Arnaldenſibus.* An. 1314. furcas pœnales in loco Brilhols erigi juſſit. Quo eodem anno memoratur in Amanevo Aginn. epiſcopo 20. die menſis Jul. An. ab Incarn. Dom. 1318. unam *peciam* terræ & prati parochiæ de Singonhaco partitur cum conſulibus Caſtri-Sacrati, *Caſtel-Sagrat.* Die tertia exitus Decemb. 1322. approbat & confirmat *venditionem duarum peciarum terræ ſitarum in parochia de Cambole factam a Thoma Guitone, P. Quintoni*, &c.

XII. Gerardus Ychier de quo in charta ſancti Maurini lego: *Honorabilis & religioſus dominus Gerardus Ychier abbas monaſterii S. Maurini, inveſtivit R. & P. d'Orlhas de terra & prato ab ipſis emptis VIII. die introitus Novemb. anno Domini M. CCC. XXVIII.* In altera charta *Johannes dominus Blavis-villæ, ſeneſcallus & gubernator Vaſconiæ & Agenneſii pro domino Franciæ rege, ſuſcepit ſub ſalvagardia religioſum virum ac patrem dominum Geraldum humilem abbatem... S. Maurini, cum ſuis monaſterio, monachis, famulis, rebus, & bonis, die Mercurii ante feſtum Aſſumptionis beatæ Mariæ virginis, anno Domini M. CCC. XXX.* In parochia de Capella-Britonum nonnulla emit latifundia die 1. Mart. anno 1336. Duriſſima perpeſſus eſt ab Anglis, in locis quæ tenebant, Bovevilla ſcilicet, Rupecornu, aliiſque circumpoſitis; bona enim monaſterii devaſtarunt, monaſterium occuparunt, nec niſi ſumma pecuniæ perſoluta reſtituerunt. Unde abbati ad ſummam inopiam redacto, Carolus Navarræ rex, comes Ebroicenſis, regis Franciæ in Occitanis partibus vices gerens, *dimiſit 226. libras, duos ſolidos, 10. denarios & obolum quibus tenebatur ratione decimæ Regi per apoſtolicam ſedem conceſſæ & pro arrairagiis aliarum decimarum; datum Agenni die XVII. Sept. M. CCC. LI.*

XIII. Guillelmum IV. de Pozalibus Gerardo Ychier ſuffecit Innocentius papa VI. pontificatus anno 2. Chriſti 1354. Prius fuerat prior de Cauzaco. Monaſterium rexit ad annum 1375 Die 22. Dec. an. 1358. ipſe totuſque conventus, *ad meliorationem loci S. Maurini* ab Anglis devaſtati, *novas libertates & franchefias* incolis ejuſdem loci alio migrare volentibus concedunt. Die 14. Maii an. Dom. 1364. Guill. Morgue miles, ſeneſcallus Agennenſis pro Eduardo regis Angliæ primogenito, principe Aquitaniæ, ſuſcepit *in ſua protectione & ſalvagarda ſpeciali dicti principis* D. Willelmum abbatem S. Maurini, cum monaſterio & bonis ſuis omnibus. *Dominus Willelmus de Pozalibus abbas S. Maurini dedit ad novum feudum, Bern. de Noguez & Petro del Puch, medietatem unius paxeriæ in flumine Garumnæ, ſub onere ferendi in dictum monaſterium piſces valoris ſex ſolidorum Guianenſium in pervigilio feſtorum S. Maurini, Nativitatis Domini, & Paſchæ, ac prima die Quadrageſimæ. Actum apud S. Maurinum XVI. die menſis Jul. an. D. M. CCC. LXVI.*

XIV. Arnaldus de Ortalibus e ſyndico cœnobii S. Maurini fit abbas bulla pontificia Greg. papæ XI. an. 1375. 6. cal. Dec. pontificatus anno 5. Anno 1389. cum ſuis monachis *conſtituit 4. procuratores, ad capiendam cœnobii nomine poſſeſſionem parochialis eccleſiæ villæ Grandis-caſtri, & capellæ B. M. virginis infra dictam villam conſiſtentis, virtute litterarum apoſtolicarum, & proceſſus unionis inde factæ.* 10. die menſe Jan. fato functus eſt anno 1402.

XV. Guillelmus V. de Burſone electus eſt per viam compromiſſi eodem anno. Electionem confirmavit Helias de la Serra vicarius generalis epiſcopi Aginnenſis, die Sabbati 14. Octob. Anno 1424. Auguſti 30. emit a Johanne de Mota *locum & molendinum de Ferruſaco, cum omnibus terris, cenſibus & aliis pertinentiis ſuis, pro pretio 120. ſcutorum auri, & 80. librarum*, &c. Diem clauſit extremum menſe Aug. 1430.

XVI. Petrus II. de Coſta, *de la Coſte*, camerarius, Guillelmo ſufficitur a fratribus, & ſolemnem benedictionem accipit in eccleſia S. Bartholomæi de Turnone ab Imberto Aginnenſi epiſcopo, adſtantibus Willelmo Exiæ, & Gerardo Gondonii abbatibus, Dominica tertia Adv. Dom. quæ fuit dies 17. menſis Dec. anni 1430. An. 1440. 21. Jun. fratri Guillel. de Valdorel presbytero licentiam impertitur ad aliud cœnobium, præſertim vero Majus-monaſterium prope Turones, ſe transferendi, ſolvens illum a juramento ſibi & monaſterio ſuo præſtito. Anno 1447. *de novo accenſavit Johanni Cayronis molendinum, pedagium, paxeriam, & omnes alios reditus quos habebat in tenemento de Laſpeires.*

XVII. Hermandus de Luſtrac, protonotarius apoſtolicus monaſterii commendam obtinet. An. 1474. ab omnibus prædiorum beneficiariorum detentoribus ſcripta exegit, quibus profiterentur ſe ea clientelari jure a monaſterio poſſidere. 22. Dec. 1479. magiſtrum Guillelmum Tueti *ad vicariam perpetuam S. Petri de Greiſſaco* obtulit Caturcenſium antiſtiti. Abbatiam dimiſit anno 1481.

XVIII. Bertrando de Luſtrac nepoti in ætatis ſuæ anno conſtituto. Abbatiam per alium, donec 25. annum attigiſſet, regendam commendavit Sixtus

Digitized by Google

Sixtus papa IV. anno Incarnationis Dom. 1481. 10. cal. Febr. pontificatus anno 10. Abbatis domum, eamque elegantiſſimam conſtruxit Bertrandus circa an. 1500. In ea ſacramentis omnibus munitus, diem clauſit ultimum 27. April. 1511. die ſequenti ſepultus ad dextrum principalis aræ latus. Fuit etiam Lactorenſis epiſcopus.

XIX. Antonius de Bretoneſcas, nobilis Lemovix, monachus, presbyter, ſexagenarius electus eſt in abbatem 1. Martii 1511. ejus electionem confirmavit Dominicus de Caſabona vicarius generalis Agenn.

XX. Johanni de Luſtrac 22. vel circiter annos nato, & S. Johannis de Ladinhaco jam rectori, commendavit hanc abbatiam Leo papa X. 4. cal. April. an. 1512. pontif. 1. Clientelam pro bonis monaſterii apud Franciſcum I. regem profeſſus eſt 8. Mart. 1514. Prædia ſua cenſuit coram commiſſariis ab eodem rege deputatis an. 1521. Sancti Sixti & B. Mariæ de Gandalha prioratum a monaſterio dependentem menſæ ſuæ a papa uniri curavit 15. cal. Nov. 1528. Cœnobii clauſtro ultimam manum appoſuit 1533. Monachorum dormitorium, jubente Burdegalenſi ſenatu incœpit 1538. & una cum turri ad Orientem poſita abſolvit 1546. In ſui monaſterii choro Petrocoricenſis epiſcopus conſecratus eſt a Franciſco de S. Nectario præſule Sarlatenſi, adſiſtentibus Johanne Valeri Carlocenſi, & Petro de Viſqueriis Nicopolenſi epiſcopis 27. Jan. 1548.

XXI. Godefridus de Pompadorio Johanni de Luſtrac ſucceſſit, ſimul epiſcopus Petracoricenſis & S. Maurini abbas effectus. Abbatiam nepoti ceſſit, ipſe vero poſtea Franciæ magnus eleemoſynarius effectus eſt. Parœciarum S. Petri de Podio, ſancti Juliani de Serra, B. Mariæ de Pervilla, & ſancti Johannis de Gardateuletis decimas locavit 10. Junii 1551. Obiit an. 1552. & in baſilica ſancti Petri de Arnaco, Pompadorio caſtro vicina, ſepultus eſt.

XXII. Jacobus de Pompadorio abdicanti patruo ſuccedit, jam Petrocoricenſis archidiaconus, & Regi a conſiliis & ordinariis eleemoſynis, commendam accipit a Julio III. papa pridie idus Sept. an. 1552. pontificatus III. Poſſeſſionem iniit 12. Jul. 1553. S. Maurini judicem creavit Bertrandum Nargoſſier, in juribus baccalaureum, 1. Oct. 1559. Die 20. Maii 1564. ſenatus Burdegalenſis decreto juſſus eſt monaſterii eccleſiam in priſtinum ſtatum reſtituere, (etenim 6. Decemb. 1561. a Calviniſtis fuerat exuſta,) ac 17. monachos habere. Regni neceſſitatibus ſubvenire juſſus, ſolitos abbatiæ cenſus in tribus parœciis abalienavit ac magni ponderis campanam vendidit 12. Jan. 1564. Obierat 1. Jul. 1591.*

Poſt ejus obitum abbate caruit monaſterium, ſed non deprædatoribus, qui quaſi lupi in ſtabulum immiſſi omnia peſſumdedere, pro perditiſſimi illius temporis moribus.

XXIII. Petrus de Villamont, Aginnas ſacerdos, Regi a conſiliis & eleemoſynis, commendam obtinet a Clemente papa VIII. litteris datis anno 1604. Anno 1606. juſtitiæ civilis & capitalis exercitium loci hujus conſulibus conceſſit die 14. Aug. *Fornatgii jus abbatibus ab incolis debiti revocavit ad unam gallinam, vel tres ſolidos annuatim ſolvendos 12. Dec. 1612.* Cenſus ditionis de Feruſſaco vendidit 26. Jan. 1619. & officium ſcribæ publici S. Maurini 22. Maii 1623. Cenſus parœciæ de Tairac redemit 15. Januar. 1624. Obiit 19. Sept. 1632. poſt reſtauratum magna ex parte monaſterium.

XXIV. Mathurinus Mangot libellorum ſupplicum magiſter, filius procancellarii Franciæ, locum Petri de Villamont bulla ejuſdem pontificis obtinuit. Jurium & redituum ſuorum recenſionem Regi exhibuit 6. Nov. 1640. Congregationis S. Mauri reformationem in ſuum monaſterium induxit 1645. Petrum Salles loci de Cantauzel ſacerdotem Agennenſi epiſcopo obtulit ad perpetuam eccleſiæ S. Martini de Anglaribus & B. Mariæ de Ferrus ipſi annexæ vicariam 28. Oct. 1650. Erat etiam abbas S. Columbæ & Morigniaci diœceſis Senonenſis. Aquis præfocatus eſt anno 1658.

XXV. Eduardus Valot, Regis primi medici filius, Nivernenſium epiſcopus, abbas commendatarius S. Maurini inſtituitur. In illius poſſeſſione contra quemdam Britonem uſurpatorem, magni conſilii decreto aſſeritur an. 1660. Pacta a noſtris cum anteceſſore inita confirmat 1666. Hominium recipit a nobili viro Daniele de Goulardo pro nonnullis quæ a monaſterio acceperat 1667. Bonorum abbatiæ recenſionem Regi exhibuit 1673. obiit 1705.

XXVI. Andreas Hebert, Aginnenſis antiſtitis frater, nominatus abbas S. Maurini 31. Oct. 1705.

BEATA MARIA DE GONDONIO.

Gondon lez Montaſtrue

FUit hæc abbatia primum ordinis Benedictini, deinde congregationis Ciſtercienſis, juxta Lupiniacum & Montem-auſtrudis ſita, in anguſta, amœna tamen valle, 3. aut 4. milliaribus ab Olto fluvio, totidem a Caſſanogilo caſtro, 7. ab oppidis Villæ-novæ ad Oltum & S. Liberatæ diſtans. Conditur a pio archimandrita Giraldo de Sala, prædia miniſtrantibus patriæ proceribus, incunte ſeculo 12. qui eidem primum præfecit abbatem Bernardum, ut videre eſt in chronico Malleacenſi, quod ſic habet: *Circa annum 1120. inchoata ſunt plurima cœnobia de inſtitutione S. Geraldi de Sala... In pago Aginnenſi eſt aliud vocatum Gundon in honore S. Mariæ, ubi primus fuit abbas Bernardus.* Paulo poſt initium dedit cœnobio Fontis-Guillelmi in diœceſi Vaſatenſi, & ſimul cum Caduino, cui ſuberat, Ciſtercienſi congregationi adjungitur. Hujus porro cœnobii auctores putantur toparchæ de Lauſun. Certe prope majus altare viſitur elatum & cultum cœnotaphium, in quo dominum de Lauduno * fundatorem jacere tradunt Gondonienſes. In bellis Anglos inter & Francos, ſeculis 13. & 14. ortis dura pertulit hæc domus, quæ tandem fere propriis in ruderibus ſeculo 16. ſepulta eſt a Calvinianis. Hactenus tamen illam incolunt tres,

* de Lauſuno.

* In hiſtoria patris Anſelmi Auguſtiniani diſcalceati, a Dom. du Fourny recognita & aucta, abbas recenſetur Hubertus de Pompadour, filius Franciſci vice-comitis de Comborn ex Iſabella Picart ſecunda conjuge, quam duxit an. 1528. quem aliunde ignoramus.

Digitized by Google

quatuorve monachi ſub abbate regulari. De abbatibus pauca ſuperſunt, cum omnia illius monumenta perierint.

Abbatum series.

PRimus fuit Bernardus, a S. Geraldo de Sala circa annum 1115. inſtitutus. Memoratur an. 1124. in litteris Petri vicecomitis de Caſtillo pro fundatione Fontis-Guillelmi, & 1135. in charta ejuſdem loci. Denique 1148. in tabulario Paradiſi ad Garumnam (vulgo *le Paravis*) monialium Fontis-Ebraldi; ſubſcribit enim ut teſtis donationi ab Iſarno Valegs factæ monialibus, una cum Raimundo Bernardi Agennenſi epiſcopo.

II. W. Gondonii abbas, prædia cedentibus Arduino & Abrino de Bullano, aliiſque proceribus, fundamenta poſuit cœnobii de Portu-Aquilonis, ſeu Portoglano & Bullano, (vulgo *Bouillas.*) Sic porro legitur in charta donationis: *Ego Ardoinus Bolianenſis*, &c. dedi quamdam *partem mei honoris W. abbati Gondonii... ad opus conſtruendi monaſterii S. Dei-genitricis Mariæ, in nemore Portaglonii*, &c. Tum relatis pluribus donis, ſic pergit charta: *Hæc.. dona fecerunt omnes in manu Guillelmi Lectorenſis epiſcopi, qui inſequente anno, Deo volente & eligente, Auxitanæ eccleſiæ archiepiſcopus factus eſt, & in manu cujuſdam monachi Gondonii, nomine Grani Stephani, qui poſtea prior exſtitit hujus loci.* Porro nullum habet inſcriptum tempus hæc charta. In nonnullis loco W. legitur Granus, ſed ex citata charta hic Granus ſolummodo monachus eo tempore fuiſſe videtur, non abbas.

III. Stephanus I. monaſterium regebat anno 1271. ex tabulis Fontis-Guillelmi. An idem cum Stephano de Vals quem reperimus jam ab anno 1257. abbatem, vide in Guillelmo II. Aginn. epiſcopo.

IV. Giraldus ſeu Gerardus Gondonii abbas an. 1430. adfuit ſolemni benedictioni Petri de Coſta abb. S. Maurini, factæ ab Imberto Aginn. epiſcopo in eccleſia S. Bartholomæi de Turnone.

V. Hugo Barda æterna memoria dignus, qui abbatiam bellis conſumtam reparavit, redditus, bona, inſtrumenta, vigilanti cura collegit, ut conſtat ex tranſactione cum D. Johanne de Caumont facta anno 1477. die 17. Decembris, quam habemus. Præerat jam an. 1474. ac in diverſis inſtrumentis memoratus reperitur ad annum 1483. Porro ex illa tranſactione, quam typis mandare noluimus ob prolixitatem, liquet progenitores nobilis hujus viri Johan. de Caumont baronis de Lauſuno, de Tombabus & de Pueguillem, vicecomitis de Montebahuſo, domini locorum B. Bartholomæi de Puechmiclam & Vertuels, & condomini de Virazel, fundatores fuiſſe Gondonii; abbatiamque hanc ditaſſe multis cenſibus, reditibus, terris, nemoribus, &c. ſed poſtea pene deſtructam per annos multos jacuiſſe.

VI. Jacobus I. de Beauvoir, ſeu de Bello-videre, alias de Montilio, abbas Gondonienſis ann. 1495. 1497.

VII. Johannes I. de Caumont, ſedis apoſtolicæ protonotarius, Gondonii abbas an. 1521. jacet in eccleſia a latere Evangelii majoris altaris, ſub elato A tumulo, ſed nulla ornato inſcriptione.

VIII. Manaldus de Morterie, præerat 1533.

IX. Stephanus II. Paparin, in decretis baccalaureus, Reginæ ab eleemoſynis, an. 1558. abbas a Rege deſignatus, præerat adhuc an. 1561.

X. Johannes II. de Loyac, Regi a conſiliis, eleemoſynis & concionibus, in diverſis inſtrumentis memoratus reperitur ab anno 1641. ad 1645.

XI. Johannes-Baptiſta de Baraillon, Regi etiam a conſiliis & eleemoſynis, primum commendatarius, ſed ſtatim monachus & regularis abbas effectus, præerat an. 1671. Obiit menſe Febr. 1681.

XII. Jacobus II. de la Mariouſe, dominus de Clavigny, Nannetenſis canonicus & Regis capellanus, deſignatur abbas menſe Aprili anni 1681. moritur 1703.

XIII...Broſſard *rector parochiæ de Montraſtuco diœceſis Agennenſis, an. 1703. renuntiatus eſt abbas a Rege chriſtianiſſimo, die 14. Aug.

* *al.* Broiſſad.

ABB. S. MARIA DE PAYRINIACO. Peyrignac.

Abbatia B. Mariæ de Payriniaco, monachorum Ciſtercienſium, ſita eſt in valle Montiſpenſati, *Montpeſat*, vicina, anguſtiori, ab Auſtro & Meridie montibus circumſepta, unde & a torrente profluente ſæpius obruitur. Solum habet fertile, quamvis aſperum. Ædificia regularia olim ſatis culta, modo vix non diruta, partim ab ingruentibus Albigenſium maxime & Anglorum bellis, partim ab inundante rivulo quo alluitur. Condita eſt medio fere ſeculo 12. ab monachis & abbate *Boni-fontis*, cujus monaſterii filia eſt, de linea Morimondi. Fundum & prædia dedit Flandrina, ut tradunt, domina de Montepenſato, ſoror alterius Flandrinæ dominæ caſtri Montiſpenſati juxta S. Martorium in Convennenſi comitatu, quæ annuentibus liberis cœnobio Bonifontenſi initium dederat. Bene multa deinceps prædia illi contulere, ut credere par eſt, Montispenſati toparchæ, olim in pago Nitiobrigum potentiſſimi. Decimas quoque & eccleſias quaſdam ab Aginnenſibus accepit epiſcopis. In Albigenſium bellis dura pertulit, quippe comiti Toloſano, & novatoribus aliquandiu favere Montispenſati dynaſtæ, & in aſſiduis pene Francos inter & Anglos certaminibus; ac tandem ſeculo XV. ſuſdeque everſa eſt ab heterodoxis noſtris, qui ſacram ſupellectilem, chartas & alia venerandæ antiquitatis monumenta diripuere. In variis autem tabulariis hi Payriniaci abbates occurrere.

Series abbatum.

I. Arnaldus I. Milaſus præerat circa finem 12. ſeculi. In ejus manu Ainardus * de la Yla vir nobilis obtulit ſemetipſum, Deo, B. M. & domui de Payriniaco, & filium ſuum Arnaldum-Willelmum; dederuntque ..... terras omnes quas habebant inter Gimonem & Geſſam, ad cœnobium ibidem ædificandum, ex Payriniaci tabulario. Ibi fundatum eſt poſtea Niſortium ſeu Benedictio-Dei, circa annum 1190. Arnaldus abbas memoratur anno 1187. in charta Ademari de Genſac pro abbatia Boni-fontis, & in charta Bene-

* Bertrandus.

Digitized by Google

dictionis-Dei an. 1184. Quidam ei dant cognomen de Teiſſac, dicuntque fratrem fuiſſe Raimundi-Arnaldi, archidiaconi S. Stephani Toloſani.

II. Guillelmus I. Payriniaco præerat an. 1224. quo arbiter eligitur pro ſopienda lite mota inter Amanevum, Pontium Amanevi, & Bertrandum abbatem Caſæ Dei, ac priorem & conventum S. Liberatæ ad Oſtum, ſuper dominio hujus oppidi, ex tabulario S. Liberatæ.

III. B... W.... circa annum 1244. cum aliis abbatibus occurrit in chartis Boni-fontis.

IV. Bernardus 1303. in charta Boni-fontis.

V. Arnaldus II. Willelmus d'Iſſaut 1327. in chartis Boni-fontis.

VI. Johannes I. de Valentia abbas Payriniaci & ſyndicus Boni-fontis, fidelitatis obſequium exigit a conſulibus Placentiæ an. 1327.

VII. Guillelmus II. de ſancto Nectario, *de Semneterre*, pro quo alii legunt Guillelmum de ſancto Noano, præeſt an. 1435. ex charta Bellæ-Perticæ hoc anno & die 7. Jan. inſcripta.

VIII. Johannes II. Violeti pedum tenebat annis 1455. 1456. ut patet ex chartis eccleſiæ Agennenſis illos annos præferentibus.

IX. Guillelmus III. de Balaguer ex monacho Exienſi factus abbas Perigniaci, deinde an. 1506. abbas Exienſis.

X. Johannes III. de Balaguer clauſtrum conſtrui curavit 1536.

XI. Galardus de Cornac commendam habuit Payriniaci ab an. 1606. ad 1641.

XII.....Willeloin.....

XIII.... Cornu.....

XIV. Petrus de Graves Occitanus, primum parochus eccleſiæ S. Ludovici in Inſula B. Mariæ apud Pariſios, tum canonicus Pariſienſis, filius erat Timoleonis domini de Graves, ex Antoinetta de Toiras. Commendam accepit an. 1641. & mortuus eſt menſe Martio anni 1683.

XV. Nicolaus de Graves præcedentis nepos, Pariſinus, & eccleſiæ Pariſienſis canonicus, tertius filius Henrici marchionis de Graves caſtrorum præfecti, ſecundi moderatoris * Philippi ducis Aurel. fratris unici Regis, ac rei veſtiariæ ejuſdem principis præpoſiti, ex Maria de Graves Henrici nepte quam uxorem duxerat ex diſpenſatione, abbatiam Payriniaci obtinuit an. 1683. & S. Euvertii Aurelianenſis anno ſeq. die 1. Septemb.

* *Son-gen-veveur.*

ECCLESIA CONDOMIENSIS.

CONDOMIUM urbs ad Baliſam fluvium, *Baiſe*, cum toto ſuo pago ad Vaſconiam pertinet, ob ſuum ſitum trans Garumnam; quo flumine Vaſconia dividitur ab Aquitania & provincia Burdegalenſi; & ita Condomienſis pagus Garumna ſeparatur ab Aginnenſi tractu cis hoc flumen poſito, licet pars olim fuerit diœceſis Aginnenſis. Condomium ſedes eſt ſeneſcalli qui ſe vocat seneſcallum Vaſconiæ, licet ſub ſua juriſdictione tantum habeat Condomeſium, *le Condomois*: pendet autem a Burdigalenſi parlamento. Hic eſſe *generalitatem financiarum* ſcribunt Sammarthani fratres.

Hac in urbe ſedem epiſcopalem ſub Burdigalenſi metropoli conſtituit Johannes papa XXII. antiquam S. Petri eccleſiam abbatialem erigens in cathedralem, abbatem in epiſcopum mutans, & monachos in canonicos, minime tamen abjecto monaſtico inſtituto. Pro diœceſi vero aſſignavit Condomienſem pagum, qui prius cum urbe Condomio erat ſub epiſcopatu Aginnenſi. Sed antequam de Condomio ut epiſcopatus eſt, diſſeramus, præmittenda eſt antiquæ abbatiæ Condomienſis hiſtoria. Ejus exordia adeo incerta, tot fabulis referta, tot infulſis narrationibus conſpurcata ſunt, ut qui cœnobii illius hiſtoriam a monacho conſcriptam evulgavit noſter Lucas Dacherius Spicil. tom. XIII. ea expungere neceſſarium duxerit, ne lector eruditus infulſis ejuſmodi initiis offenſus, cetera ejuſdem hiſtoriæ, quæ profutura exiſtimavit, reſpueret. Ne tamen inferas, fidem ergo ceteris eſſe denegandam; certe vix ulla ſive familiarum, ſive etiam imperiorum hiſtoria ſuppetit, quæ in ejuſmodi principiis commentis vacet. Quid ergo? in hiſtoriis ea admittenda quæ ſuis temporibus acta referunt auctores probati; quæ ex aliis ſuggerunt, ad examen revocanda, ac niſi certis fundamentis nitantur, reſpuenda.

Hanc ob cauſam de Theodoro diacono cum reliquiis ſanctorum ab Areſto patriarcha Jeroſolymitano divinitus in Franciam miſſo, & ſacro inſtinctu Condomi ſubſiſtente, ſilebimus. In Aquiſgranenſi ſynodo an. 817. inter Septimaniæ aut Vaſconiæ cœnobia non recenſetur Condomienſe, unde necdum conditum fuiſſe merito conjicitur. Nefas tamen foret id omittere quod refert hiſtoricus Algaſii, ſeu Agalſii ducis Aquitaniæ epitaphium tabulæ cupreæ inciſum retro altare in eminenti loco:

Templum Chriſte tuis famulator Agalſius offert,
In quo ſe ſocias mater & uxor agunt.
Tu cœli e ſolio terrenum illabere myſten,
Et puram puro trade fidem populo.
Hic mera perpetuo recinunt altaria Chriſto,
Et calet arcanis nox vigilanda ſacris.
Hic & juſtorum gaudent componier urnæ,
E tranſalpinis quæ veniunt tumulis.
Ambitus hic templo eſt, atque ambitus iſte ſepulcro
Quiſquis ſanctus adi, quiſque profanus abi.

Digitized by Google

Hæc deinde ſubjiciuntur : *Ego Agalſius Aquitanorum dux, & mater mea Iſamburgis, & uxor mea Agnes, hunc locum dedimus Domino noſtro J. C. Salvatori, ob peccatorum noſtrorum indulgentiam, parentumque noſtrorum ſalutem.*

Verum, ut optime notat hiſtoricus, *hæc & his ſimilia quo tempore fuerint geſta, nobis eſt ignotum, quoniam barbarorum infeſtatione oblivioni ſunt data. Poſt mortem enim Lud. Pii, ejus inter ſe diſſidentibus filiis & inteſtina clade certantibus, gentes perfidæ & cultibus adhuc dæmonum irretitæ, Sclavorum videlicet, Normannorum, atque Hunnorum, occaſione accepta, ſuæ clauſtra habitationis irruperunt, & per intervalla temporum ſibimet ſuccedentes nonnullas Galliæ provincias invaſerunt. Porro Normannorum perfidiam tanto amplius experti ſunt Aquitani & Guaſcones, quanto ſemper Deum ad iracundiam provocaverunt peccantes. Nam urbes eorum potentiſſimæ tunc deſolatæ ſunt, oppida ſubverſa, loca populoſa ad eremum redacta, & hal itacula Deo ſacrata, juxta illud Pſalmiſtæ* : in pomorum cuſtodiam *poſita ſunt.* Eo tempore cœnobium *iſtud igne ſuccenſum, magnaque ex parte eſt dirutum : ſi quid fuit in ornamentis & bibliothecis, traditum eſt combuſtioni.* At cum diu manſiſſet incultum, ſuiſque propriis ruinis oppreſſum, ac veluti ſepultum, tandem pietate ac munificentia *Honoretæ*, inquit charta Condomienſis apud Petrum de Marca lib. 3. hiſt. Bearn. c. 4. uxoris Garſiæ cognomento Curvi, Vaſconiæ comitis, reſtauratum eſt : *Hæc magnis ſumtibus baſilicam ædificari præcepit, congrua quoque habitacula & xenodochia per circuitum diſpoſuit, quibus rite peractis conventum epiſcoporum & illuſtrium virorum convocavit, & in honore noſtri Salvatoris, & in honore B. Petri dedicari præcepit, & cœnobium clericorum Deo ſervientium eſſe voluit..... quibus plurima terrarum prædia largita eſt.* Verum hi cum abſque regulari diſciplina ibidem viverent, amoti ſunt ab Hugone Aginnenſium antiſtite, qui Condomienſem eccleſiam Romanæ ſedi ceſſit, ac monachos Deo jugiter ſervientes, & ſub regulari jugo militantes, in illorum locum, ſecundum inſtituta S. Benedicti, ibi ordinavit undecimo Chriſti ſeculo. Deinceps in opulentam abbatiam excrevit, de qua benemeriti fuere Vaſconiæ duces, Aſtaraci comites, aliique provinciæ proceres, ut videre eſt in hiſtoria Condomii 13. Spicil. tom. relata. Ex hoc porro tempore abbatum ſeriem texemus.

Pſ. 78. 1.

ABBATUM CATALOGUS.

I. GUMBALDUS, Honoretæ Condomienſis cœnobii reparatricis nepos, Aginnenſis & Baſatenſis ſimul epiſcopus, Condomii abbas quoque fuit, ut docet illius eccleſiæ vetus hiſtoria his verbis : *Hoc etiam cœnobium, ſicut fuerat a venerabili comitiſſa ordinatum, promeruerat, felicique ſorte gubernabat.* Addit eum *pro redemtione animæ ſuæ multos B. Petro dediſſe honores, inter quos etiam dedit quandam eccleſiam S. Johannis* Cabliſſa *vulgo vocatam, ſilvamque & terras quæ circumſtant.... & hoc jure perpetuo tali B. Petro tradidit tenore, ne unquam aliquis de ejus conſanguinitate jam dictum repeteret honorem.* Hugo filius ejus & ſucceſſor aſſerit dediſſe & *alaudem Aurelianum infra Vaſconiam conſtitutum*, & nomine S. Cyriaci decoratum : *Hunc locum*, addit, *meus genitor Gumbaldus Deo & S. Petro devote obtulit cum terris & vineis, atque caſalibus, aquis, aquarumve decurſibus, intrandi & exeundi aditibus, & cunctis ad eum pertinentibus.* Ac tandem abbatiam reliquit Hugoni filio.

Spicil. tom. XIII. pag. 436. 449.

II. Hugo Gumbaldi filius, de quo plura in Agenni antiſtitibus, a patre cœnobium Condomienſe accepit, ac clericorum abbas effectus eſt. Cum eo fungeretur officio, *cui dominabatur cœnobium igne eſt ſuccenſum*, eccleſiæ parietes diruti, ſacra ſupellex, vaſa, monumenta flammis conſumta ſunt. Verum piiſſimus præſul ſtatim cuncta *reſtaurare feſtinat, totumque ſe ad hoc contulit ut domus Dei in melius reædificaretur.* Nec ab incœpto, ubi præſul effectus eſt, deſtitit, imo quo plus crevit opibus, ampliori in Dei domum zelo accenſus, omnia conſummavit, ac tandem expleta monaſterii fabrica, *advocato comite, facloque generali conventu pontificum, abbatum, tribunorum, centurionum, nobiliumque virorum acta eſt eccleſiæ dedicatio, ſicut quondam fuerat in honore S. Salvatoris & in nomine B. Petri apoſtolorum principis.* Porro ab apoſtolica ſede privilegium obtinuerat, ut nullus ex principibus, vel pontificibus, ſive comitibus dominationem præfati cœnobii præſumat ſibi vendicare, nec prædia ſeu eccleſias & cetera quæ ad eundem pertinent locum, in ſuos uſus transferre, diripere, aut alienare; ſed liceat abbati locum ipſum juſte, & ut melius viſum fuerit diſponere, & abſque moleſtia gubernare. De abbate vero ordinando liceat monachis quemcunque dignum invenerint, ſibi paſtorem & rectorem eligere. Omnibus qui ad hanc ſolemnitatem convenerant, pontificium diploma oſtendit, quod recitatum omnibus placuit, & ab omnibus acceptum eſt. His rite peractis, inquit hiſtoria, clericos ſeculares in monachos commutavit, monachis Petrum præfecit abbatem, nec multo poſt vita deceſſit, in eodem Condomi loco ſepultus, in introitu videlicet eccleſiæ ad lævam partem infra maceriam. Quæ cœnobio largitus eſt referuntur in charta donationis, quæ inſcriptum habet an. 1011.

C. I. col. 437. C. II. col. 440. & C. III. col. 451. Tom. 13. Spicil. pag. 440. & 444.

III. Petrus, quem Condomienſis hiſtoria cognominat *de Sentas puellas*, Hugonis Aginnenſium antiſtitis luſtrali adoptione filius, a patrino primus monachorum abbas inſtituitur, de quo præfatus Hugo in charta anni 1011 : *Quendam noſtrum filiolum nomine Petrum divinitus nobis collatum, virum omni virtute probatum, apoſtolica auctoritate, ut præeſſet ceteris, in loco patris conſtituimus, ab-*

Digitized by Google

batemque ſecundum inſtituta patrum benediximus ; quem etiam ut Chriſti jugum ſuave & onus ejus leve aliis regulariter imponeret, paterna ammonitione ſubmonuimus , monachos vero ut ſibi quaſi patri & ſeniori in omnibus obedirent devote poſtulavimus ; inſuper anathematis lege indiximus. Hic, inquit chronicon, *quamdiu hominem geſſit , morum honeſtate ſatis enituit , locumque cui prælatus eſt , honeſtiſſime rexit. Hugonem epiſcopum ſepelivit , ac non multo poſt ſubſecutus ibidem obiit.*

IV. Verecundus in loco Petri ſucceſſit cognominatus *de Lana*, inquit hiſtoria Condomienſis, de quo nihil aliud ſuppetit. *Spicil. tom. XIII. pag. 440.*

V. Guillelmus de Podiolano-Johannis, vulgo *Puy le Jean*, tertius occurrit monachorum Condomii abbas. Corruptum noſtro Claud. Eſtiennot videtur hoc cognomen,& eum e gente de Poylovant in Vaſconia olim nobili,originem duxiſſe opinatur. Quid cenſendum ignoro ; in hiſtoria enim Condomienſi legitur de Puel-le-Jan Spicil. t. XIII. pag. 511. In brevi vero chronico quod refert noſter Eſtiennot habetur de Poylouvant.

VI. Seguinus,ſeu Siguinus,& aliquando Siginus de Calſada cognominatus in hiſtoria Condomienſi, medio ſeculo XI. Condomienſis abbas electus eſt, ſæpe citatus in tabulario cœnobii , ſed abſque temporis nota : *Quædam nobilis matrona nomine Briſchita de Forces , S. Petri eccleſiam de Diolo huic cœnobio legaliter contulit cum omnibus rebus ad eam pertinentibus. Qua defuncta, filius ejus Amalbinus a Seguino abbate & habitatoribus loci duos equos accipiens , iterato eandem eccleſiam & cetera prædia quæ in eodem loco habere videbatur , cum omnibus appendiciis ſuis , S. Petro libere & abſolute largitus eſt*..... iterum *Ramundus Lupus & uxor ſua dederunt unum boſcum cum terra ad S. Petrum Condomienſis admoliaris , in ripa fluminis Baniſia , & Seguinus abbas dedit unum cavallum XL. ſolidorum , & X. ſolidos* ..... 3°. *Garſias de Sediliac quoddam podium virgultis ad plene conſitum , S. Petro Condomi obtulit.* Inſuper *comparavimus de ipſo Garſia primam culturam XXX. ſolidorum ... & morti proximus , aliam nobis culturam in eleemoſynam dedit , quæ ſuperiori conjuncta eſt. Poſtea Seguinus abbas dedit XL. ſolidos Oci ∴ comitello ejuſdem territorii , pro libertate , ut nunquam amplius nec ipſe , nec aliquis ſucceſſor ejus prædicto podio , & quidquid ad eum pertinet,dominationem requireret , nec calumniam ingereret , legem comitalem, excepta homicidii cauſa , non acciperet.* 4°. exſtat inſignis charta qua patet illum plurima bona aut ex procerum liberalitate acquiſiviſſe , aut deperdita , ſuis curis & pecunia recuperaſſe. 5°. in alia ſic habetur : *Ego Armeſende , Deo & S. Petro & abbati Siguino & monachis* ..... *habitantibus in Condomienſi monaſterio , do vineam quæ eſt in villa , quæ vocatur Sarrazan* , &c. 6°. in altera : *Comes Guillelmus Aſtanova dedit donationem de eccleſia S. Mariæ Caſſania S. Petro Condomenſi ; & abbas Siguinus , & monachi S. Petri dederunt ad eum duos equos ex magno pretio. 7°. Durols de Gages dedit S. Petro de omni ſua libera poſſeſſione liberum donum , & dedit ſuo arbitrio cenſum VI. denarios omnibus annis , præſente abbate Siguino ,* &c. 8°. *Boſcus de Molinari dictus , olim ab iſto , cui debetur , cœnobio fuerat alienatus : hunc Siguinus dato non ignobili equo & XX. ſolidis redemit.* 9°. *Vir potens & magni honoris Bernardus-Arnaldi de Lanſinaco nuncupatus , fratrem nomine Pontium abbati Siguino ad nutriendum & litteris imbuendum commendavit, dans illi S. Martini,quæ Ticiana dicitur , eccleſiam cum ſylva circumquaque poſita , & omnibus quæ ad eam pertinent.* 10. *Clericus loci qui Lemes dicitur , Garſias nomine , quandam libertatem S. Petro moriens donaverat. Hanc Arduinus de Monte dictus , violenter invadens , tamdiu tenuit , quoadusque a Suiguino abbate, XV. ſolidos accepit , & ita dimiſit.* Siguinum noſtrum nonnulli cenſent eum ipſum eſſe qui poſtea Burdegal. eccleſiæ præfuit. Certe eo ævo Siguinus e monacho Benedictino Burdigal. antiſtes effectus eſt. At ne noſtrum eſſe aſſeramus vetat temporum ſeries, Siguinus quippe Burdigalenſis , jam ab an. 1010. infulas induerat, quo ſcilicet, ut teſtatur Ademarus de Chabanais in chronico,Arnaldum Petracoricenſem epiſcopum conſecravit ; quod noſtro convenire nequaquam poteſt.

VII. Raimundus ſeu Ramundus d'Albuhon ſeu de Albione aut Olbione , jam præerat anno 1062. ex ſchedis D. Edm. Martenne. Hic a patre ſuo Garſia de Olbion , inquit hiſt. Condom. oblatus eſt S. Petro, & cum eo data eccleſia S. Martialis de Birarel , cum omni dominio & poteſtate quam habebat in ea. Succeſſu temporis abbas factus Raimundus , Arſino fratri ſuo toparchæ de Neraco , & cœnobii Neracenſis auctori dedit equum pretii 500. ſolidorum , pro dimidia parte S. Vincentii Lauſmanenſis, & pro confirmatione eccleſiæ & alaudii S. Martialis de Birarel, & præfatus ejus frater Neracenſem cellam Condomienſi aſceterio ordinandam ac diſponendam tradidit. An. circiter 1066. teſtis eſt donationis factæ monaſterio S. Johannis de Sancto-monte ex D. Claud. Eſtiennot. An. 1076. pontificale diploma obtinuit a Gregorio VII. quo confirmatur donatio facta ab Hugone Aginnenſi epiſcopo. Datum Laterani VIII. idus Martii an. 111. pontific. dom. Gregorii papæ VII. quod indicato loco legeſis. Eidem abbati Arnaldus de la Serra miles dedit medietatem eccleſiæ de la Serra ſive de Marmont, teſte Elia Aginnenſi epiſcopo. Bernardus de Taurinac,præcipuæ nobilitatis & potentiæ miles, dedit locum ſupra littus Garumnæ olim regalibus ædificiis, ſicut apparet, conſtructum , nunc vero dirutum,& in honore S. Chriſtophori & S. Eparchii de Cauſerat dictum , annuente & atteſtante Arnaldo Garſia comite. Huic quoque Bernardus de Aſſamvilla,& Bernardus Odo nepos ejus, & Bernardus Forto dederunt eccleſiam S. Mariæ de Eſſamavilla cum omnibus clericis. Pontius de Olbion & frater ejus Bertrandus dederunt eccleſiam ſancti Johannis de Majan,pro quo dono dedit abbas Raimundus & fratres mulam 100. ſolidorum,& 20. ſolidos, & Bertrando 50. ſolidos. Plurimas alias donationes tempore abbatis hujus factas vide ibidem , pag. 486. Inter abbates qui convenerant ad concilium Toloſanum an. 1068. recenſetur Raimundus Condomenſis t. IX. concil. col. 1147. *Spicil. tom. XIII. pag. 462.* *& pag. 444.*

Digitized by Google

VIII. Durandus de ſancto Hilario, ut habetur in parvo chronico, vulgo de S. Alier, ſeu ut legitur ad calcem hiſtor. Condom. Spicil. tom. 13. p. 511. Durandus de Santaler, Condomienſe cœnobium rexit poſt Raimundum. De illo porro nihil niſi nomen ſolum ſuppetit.

IX. Odo de Caſa-nova poſt Durandum ponitur in brevi chronico & in hiſtoria Condom. cœnobii.

X. Bergonum de Lana, præfata tum chronicon, tum hiſtoria, ut abbatem referunt. Verum de illo, ut de duobus aliis prioribus, ſilent omnino chartæ cœnobii.

XI. Ainerius abbas in nonnullis chartis vocatur *Amerius S.* & Aimericus: in aliis *A. Sanctio:* in quibuſdam *Amerius Sanctius*: in calce hiſtoriæ Condomienſis *Ainerius de Caninont*: alibi denique *Aneſſantius*. Ut ut eſt, de gente *de Calmonte*, ſeu *Caumont*, olim in pago Aginnenſi nobili, ortum duxit. Unde in edita hiſtoria, quæ in multis ab archetypis diſtat, male legitur *de Caninont* pro *Caumont*. Tempus quo pedum tenuit indicant varia monumenta. Ac 1°. quidem charta qua domina quædam uxor Arſini de Matharis filium ſuum offert in monachum in manu Amerii S. abbatis, cum quadam terra de Nerag, *tempore Innoc. papæ & Raimundi Bernard Agennenſium epiſcopi.* Hic Innocentius eſt II. nomine, qui iniit pontificatum an. 1130. & obiit 1143. Intra hoc ergo tempus pedum tenebat Amerius. 2°. Ugo de Pardeliano donum fecerat cœnobio ſub Aldeberto Agenn. epiſcopo, quod frater ejus Hugo multipliciter auxit *in præſentia R. Bernardi Agenn. epiſcopi & A. Sanctionis abbatis Condomienſis ..... hoc autem factum eſt regnante Ludovico rege Galliæ, Guillelmo Aquitanorum duce, Raimundo Bernardo Agenn. epiſcopo, A. Sanctione Condomenſi abbate.* 3°. hoc abbate annuente & opem ferente, Arnaldus de Volpillon dedit initium parthenoni monialium Fontis-Ebraldi in loco de Volpillon, ſeu Vallis-piſonis, vulgo Vaupillon; ſic enim fert charta illius parthenonis tabularii: *Factum eſt hoc donum annuente, imo ſuadente juvanteque Willelmo d'Andozille, ſeu de Monte-alto, primum quidem monacho, deinde Lectorenſi epiſcopo, tandem archiepiſcopo Auxitano, viro piiſſimo; aſſenſum quoque præbuit & auxilium Aneſſantius abbas Condomienſis, qui & in prædicto loco nonnulla jure abbatiæ ſuæ poſſidebat.*

Spicil. tom. xiii. pag. 468.

Alias chartas vide ibid. 484.

XII. Garſias præcrat Condomio anno 1163. quo breve apoſtolicum obtinuit ab Alexandro papa III. in quo conceſſa cœnobio Condomienſi prædia & privilegia recenſentur & confirmantur. Dicitur Garſias Eiz an. 1162. in charta Gimondi. Huic Roſtagnus Dalmian filium ſuum Bernardum offerens in monachum anno 1167. dedit tertiam partem eccleſiæ de Dalmian. Hoc *donum Garſias frater ejus firmavit in præſentia domni Garſiæ abbatis..... an. M. C. LXVII. 3. non. Madii Luna XIII. in Romana eccleſia præſidente Alexandro papa, Henrico rege Anglicorum, & duce Aquitanorum principe noſtro, Guillelmo Auſcitano archiepiſcopo, qui præſens erat, Helia de Caſtellione Agenn. epiſcopo.* Suſcepit in monachum Guillelmum de Gordon, qui ſe & ſua omnia ceſſit, ex citata hiſtoria. Item Raimundus de Berrenes factus monachus dedit quartam partem eccleſiæ de Groſiſmo *in præſentia Garſiæ abbatis.*

Spicil. tom. xiii. pag. 474.

Ibid. p. 475.

XIII. Peregrinus de Forſez, e nobili gente quæ olim floruit in pago Nitiobrigum, ortus, præerat an. 1187. quo teſtis legitur donationis de Malevath factæ cœnobio Vallis-pillonis a Narraufredi de Monte-peſato; ſic enim clauditur charta-tabular. Vallis-pillonis: *Factum eſt hoc donum anno M. C. LXXXVII. Bertrando Aginnenſi epiſcopo, Arnaldo Dabino abbate Clariacenſi, Peregrino de Forſez abbate Condomienſi.* Huic quoque abbati prædia perplura dimiſit Bernardus de Boſco, *Delbois*, adſtante Arnaldo Convenarum epiſcopo. Vitalis quoque de Beralt laborans in extremis, & in Condomenſi eccleſia monaſticum ſumens habitum, in manu Peregrini abbatis conceſſit octavam *partem eccleſiæ de Gardera & 11. concadas de terra liberas.* Et Petrus R. de Gothes filium ſuum in monachum obtulit, ſimulque *medietatem decimationis prædictæ eccleſiæ de Guardera, quæ eſt inter Condomum & locum qui dicitur Analag..... in manu Peregrini abbatis.*

Spicil. tom. xiii. pag. 497.

Ibid. p. 496.

XIV. Montaſinus de Goalard e gente toparcharum de Goalard Condomienſi cœnobio vicina & ſæpius infenſa, natus, Peregrino ſucceſſit, quo regente conditur præceptoria d'Abrin a nobili viro de Leomania domino Feodi-marchionis, *Fioumarchon.* Diu præfuiſſe ac profuiſſe videtur abbas noſter, de quo Condom. hiſt. pag. 502. hæc refert: *Fecit fieri muros caſtri de Caſſanea, item aulam & cameram domini abbatis hujus monaſterii; item aulam prioratus Calcidroti, & multa alia bona. Poſt ejus obitum de ſuis vaſis argenteis fuerunt factæ tabulæ & capſa de argento, cum imaginibus quæ ſunt in altari majori B. Petri*, &c. Anno 1247. VI. cal. Jun. Johannes epiſcopus & magiſter ordinis Prædicatorum, ipſi, totique cœnobio ſuo dat in perpetuum precum & meritorum cum Dominicano ordine conſortium. Exſtant litteræ tom. XIII. Spicil. pag. 498. datæ in Montepeſſulano in capitulo generali. Obiit Montaſinus in vigilia B. Matthæi apoſtoli eodem an. 1247. & eſt ſepultus in prato B. Catharinæ, retro capellam B. virginis Mariæ, ibid. pag. 502.

XV. Augerius de Andirano germanus Geraldi de Andirano Convenarum epiſcopi, tunc prior Neiraci, eodem anno fuit electus concorditer in abbatem hujus monaſterii, inquit hiſt. Condom. qui fuit valde religioſus & vitæ laudabilis. In hoc monaſterio inſtituit feſtum B. Johannis Evangeliſtæ ante Portam-Latinam, in albis; pro quo feſto emit certos redditus, & eoſdem conventui aſſignavit; & in capella ejuſdem ſancti, infra monaſterium eſt ſepultus. Fundavit 3. anniverſaria, unum pro ſe, & aliud pro domno Montaſino de Gualardo.....tertium vero pro animabus parentum ſuorum: laudaturque in Condom. hiſt. cujus meminimus, ob plurima ædificia quæ fieri curavit. Memoratur in charta eccleſiæ Auxitanæ anno 1258. Eo annuente & opem ferente an. 1277. conditur nobile cœnobium de Ponte-viridi, ſeu de Prulliano, monialium ordinis Dominicani a Vienna

Spicil. tom. xiii. pag. 502.

Digitized by Google

de Gontaldo. Eo quoque, ut tradunt, juvante, fratres Minores & Prædicatores Condomi ſuſcipiuntur, & monaſteria mirum in modum culta conſtruunt. Huic, anno 1270. Gerardus comes Armaniaci & Fidenciaci ceſſit omne dominium de la Guardera.

An. 1281. Augerius totuſque conventus particeps declarantur omnium precum & bonorum operum cœnobii S. Crucis Burdigalenſis. Obiiſſe dicitur die tertia poſt feſtum Aſſumtionis B. Mariæ an. 1285. Willelmus quidam occurrit abbas an. 1273. cui nonnulla conceſſit P. de Gontaldo dominus de Biron. Verum aut error irrepſit in annorum numero, aut hic Willelmus de abbatia cum Augerio contendebat. *Spicil. tom. XIII. pag. 499.*

XVI. Arnaldus Odo, ſeu Otto de Leomania, e gente vicecomitum de Leomania ortus, prior Neiriaci, electus eſt concorditer in abbatem an. 1285. 5. die poſt obitum Augerii ex hiſt. monaſterii, ubi additur: *Fuit valde famoſus, religioſus & utilis huic monaſterio verbo pariter & exemplo, in quo inſtituit 5. feſta in albis.* Capellaniam fundavit & duo anniverſaria; alterum pro ſe, alterum pro anima dominæ Deauratæ matris ſuæ. Plurima dedit vaſa argentea ad divinum cultum, eccleſiamque ſacra ſupellectile ditavit. Sanctorum flores & expoſitionem regulæ S. Benedicti conſcripſit. An. 1304. precum ſocietatem iniit cum Bertrando abbate & conventu Grandis-ſylvæ, ut videre eſt tom. XIII. Spicil. p. 500. Migravit ad Dominum an. 1305. in feſto Conceptionis B. Mariæ; quo die natus fuerat & monachum induerat. Sepultus eſt ante altare B. Benedicti.

XVII. Raimundus de Goalard ex nobili gente prope Condomum, Montaſini nepos, tunc prior Agrandleti Toloſanæ diœceſis, eodem an. 1305. 11. die poſt prædeceſſoris obitum in abbatem concordi fratrum ſuffragio electus eſt: vir religioſus, miſericors, & prudentiſſimus, qui in controverſia inter ſuos prædeceſſores & oppidum mota, ratione *incurrimenti*, pacem benigniſſime reformavit, ut monaſterii docet hiſtoria.

An. 1306. pepigit cum Amanevo de Lebreto, ſuper dominio villæ Neiraci. In Condomii dominio Eduardum Angliæ regem, & ducem Aquitaniæ ſibi ſociavit, ac cum eo Condomienſibus leges & privilegia dedit. Anno 1313. interfuit comitiis *patriæ* Occitanæ, menſe Auguſto apud Toloſam habitis; de quibus agens Guillelmus Bardini in hiſtoria parlamentorum linguæ Occitanæ ait: *In camera eccleſiaſtica ſuſpecti erant Regi archiepiſcopus Auxitanenſis ..... epiſcopus Magalonenſis, &c. ..... Raimundus Galardi abbas Condomi, & Raimundus de Verdala abbas S. Saturnini. Hi erant præcipui factores rebellionis.* Primus Condomienſis epiſcopus effectus eſt anno 1317. Nunc ergo de Condomienſibus agendum præſulibus.

CONDOMIENSIS EPISCOPATUS.

JOHANNES XXII. (de quo Papyrius Maſſon in lib. 6. de epiſcopis Urbis pag. 280.) *Gallia adhuc queritur epiſcopatus plures ab eo diviſos, locatoſque parum idoneis locis, cum ante in longe optimis opulentiſſimiſque urbibus epiſcopos tantum haberet:* epiſcopatum Agennenſem diviſit in duos; villamque Condomienſem in novam erigens civitatem, epiſcopalem ſedem poſuit in abbatia S. Petri de Condomio an. 1317. ut habetur in ejus vita authore Bernardo Guidonis, epiſcopo Lodovenſi [a]. Nihil tamen primis illis temporibus de ordine fuit immutatum; monachi habitum, vitamque regularem conſervantes, canonicorum munia obibant. Verum ſucceſſu temporis omnia commutata, cucullæ in almutias, monachi in ſeculares canonicos, epiſcopi aliunde aſſumti, ut ſuo loco dicemus. 1317.

[a] Bullam erectionis hujus epiſcopatus præ manibus habemus, ſed nihil in ea fere legi poteſt quam quod habetur in bullis erectionis epiſcopatuum Malleacenſis & Lucionenſis, additis inter inſtrumenta col. 382. & 389. quapropter eam edendam non duximus. Data eſt id. Aug. pontificatus Johannis XXII. anno 1.

EPISCOPI CONDOMIENSES.

GOALARD

I. RAIMUNDUS.

ANNI CHRISTI

PRIMUS epiſcopus Condomienſi eccleſiæ præficitur, qui antea erat abbas, Raimundus de Goalard ſeu de Galardo, & 1317. 13. Octobr. inſtituitur, ex libro obligationum Vaticani; rexitque ad annum fere 1340. Hujus meminit fragmentum martyrologii, his verbis: *X. cal. April. obiit R. P. D. Raimundus de Galardo primus epiſcopus Condomienſis, qui eſt ſepultus ante altare S. Benedicti a parte ſiniſtra, & fuit ſepultus III. idus Aprilis.* Obiit autem Lutetiæ Pariſiorum anno 1340. ut notant Sammarthani. Menſam epiſcopalem a monachali ſejunxit. Angliæ regi & abbas & epiſcopus odio fuit. De exceſſibus quippe epiſcopi Condomi, Papæ ſcripſit præfatus rex expoſtulatoriam epiſtolam anno 1321. 30. Maii, in Collect. Rimer tom. 3. pag. 877. & pag. 412. Exſtat & altera ejuſdem Regis epiſtola de hoc Raimundo ad alium locum transferendo, data Weſtmonaſt. 21. Maii 1324. apud Rimer tom. 4. pag. 51. A Franciſco d'Albret, S. Baſiliæ toparcha, 1340. ANNI CHRISTI

ANNI CHRISTI

teſtamenti ſui 3. Jan. an. 1327. inſtituitur exſecutor, quo eodem anno urbis conſuetudines ab Eduardo Anglorum rege conditas confirmavit. Obſervandum Auguſtinum Oldoinum aſſerere Guillelmum Teſta primum Condomii epiſcopum nominatum fuiſſe a Johanne XXII. Quod ubi invenerit ille, neſcire ſe merito teſtatur eruditiſſimus Baluzius, atque falſiſſimum putat, & merito quidem, cum omnia illius eccleſiæ monumenta Raimundum primum antiſtitem exhibeant.

GOALARD

II. PETRUS I.

Petrus Galardi, ſeu de Goalard præcedentis epiſcopi nepos, primum S. Petri Condomienſis monachus, deinde Neyraci prior effectus, tandem poſt patrui obitum a fratribus in epiſcopum electus eſt die 13. Novembr. an. 1340. ut patet ex publico electionis inſtrumento, in quo pius, nobilis, doctus in lege divina, prudens, &c. dicitur; 1370. præeſt ad annum 1370. Memoratur Petrus Condom. epiſc. in charta hominii Johanni comiti de Armaniaco præſtiti a Raimundo Bellæ-perticæ abbate. Ipſe comes clientelam profeſſus eſt Petro epiſcopo, pro vicecomitatu Brulheſienſi, cujus exemplar invenimus in bibl. Colbertina; in fine legitur: *Acta fuerunt hæc apud Pluviam in eccleſia S. Bartholomei de Pluvia XVI. die menſis Aprilis an. Dom. M. CCC. LIII. regnante dom. Johanne rege Franciæ... dicto D. Petro epiſcopo Condom.* Illius mentio habetur in necrologio his verbis: *IX. cal. Novembr. obiit D. Petrus Goalard epiſcopus Condomienſis, & ſepultus eſt ante altare S. Benedicti ad ſiniſtram partem.*

ALEMANNI, ſeu ALAMANDI.

III. BERNARDUS.

Bernardus *Alemanni*, ſeu ut habet hiſtoria Cond. Alamandi; ſeu denique ut legunt Sammarthani, Alamayni, primum monachus, deinde a fratribus 1371. Condom. antiſtes electus an. 1371.[a] In electionis inſtrumento laudatur *ut pius, doctus, diſcretus, & in rebus temporalibus agendis prudens*, &c. Ex tabulis S. Petri de Regula, Johannes de Mauruſſon ejuſdem cœnobii prior, *Fortium de Rupe procuratorem ſuum creat apud Condomium anno Domini M. CCC. LXXVI. Bernardo Condomenſi epiſcopo.* Hominium recepit a Johanne de Armaniaco pro vicecomitatu Brulheſii, per magiſtrum Petrum de Rupe, dicti domini procuratorem: *An.* 1372. *Domini M. CCC. LXXII. die penultima menſis Decembris, in choro eccleſiæ cathedralis dominorum monachorum S. Petri de Condomio... regnante D. noſtro Karolo Dei gratia Francorum rege, & eodem D. Bernardo Condomii epiſcopo, præſentibus teſtibus* (XVI.) *monachis prædictæ eccleſiæ Con-* 1387. *domii*, &c. An. 1387. inſtituit feſtum ſanctarum reliquiarum. An. M. CCC. LXXX. 29. Maii teſtis fuit teſtamenti Willelmi Anglici cardinalis Albanenſis, ex collect. Baluzii ad vit. pap. Avenion. pag. 916. In Univerſitatis Pariſ. ſeculo VI. tom. IV. pag. 680. & 681. hæc de Bernardo referuntur

Eodem anno 1392. Bernardus Alamandi doctor in decretis, & epiſcopus Condom. Regis capellanus, acceptis a Rege litteris de adverſa ſua valetudine, quibus rogabatur ut ad Deum, cum toto clero ſuo, preces funderet; ad Regem reſcripſit ægritudinem illam corporalem forte, ita Deo permittente, ei contigiſſe, quia unitatem Eccleſiæ procurare neglexerat; eique dedicavit tractatum de ſchiſmate XV. conſtantem partibus, cum epiſtola nuncupatoria data Comdomi 18. menſis Nov. quo tempore Rex ab ægritudine paululum invaluerat. Quia vero rem ab exordio deduxerat in illo tractatu, & electionem Clementis improbare videbatur, ei ſubiratus fuit Clemens; quamobrem ad eum dedit litteras die 26. Martii, in quibus tamen nihil habet epiſcopo indignum, ubique enim teſtatur ſe nihil niſi amore Eccleſiæ ductum ſcripſiſſe, in ſua ſententia ſe perſeverare palam profitetur, pluribus papam hortatur ut pie & celeriter eccleſiæ malis proſpiciat & compatiatur. Exſtat porro tractatus ille in ampliſſima bibliotheca Colbert. in codice 819. Sed ſedulo obſervandum in librorum catalogo recens exarato dici tractatum Petri Teſta, licet in codice evidens ſit eſſe Bernardi, qui in prima illius parte ſe ipſum nominat. Quod hic annotatum volumus, ne prædicto catalogo quis deinceps in errorem inducatur. Obiit Bernardus VII. idus Martii ex necrol. Chartuſ. Pariſ. an. M. CCCC. I. 1401. inquit unus e noſtris ad perluſtranda vetera monumenta in provincias a nobis miſſus, qui & addit Bernardum reperiri in variis inſtrumentis ad hunc uſque annum; ſi quæ retuliſſet, gratiſſimam nobis navaſſet operam. *Bernardus Alemandi Condom. epiſcopus fundavit in* cathedrali eccl. Anicienſi ſolemnem miſſam, & officium S. Michaëlis, quod cantores infulati celebrant ritu feſtorum ann. die 29. Sept.

Petrus cognomento Teſta, ex eadem, uti videtur, familia Condomienſi, ac Guillelmus Teſta cardinalis, & Gerardus Teſta decretorum doctor & Anglici cardinalis Albanenſis auditor, in Condomenſium epiſcoporum numero computatur ab Oihenarto, Sammarthanis, Baluzio, aliiſque. Verum tria ſuppetunt momenta, quibus eo numero expungendum eſſe demonſtrari nobis videtur. Primum eſt quod in Bernardo retulimus ipſum anno 1398. cœtui Pariſienſi interfuiſſe, & non niſi anno 1401. diem ſuum obiiſſe. Secundum quod Hugo ejus ſucceſſor in necrologio quartus Condomienſis eccleſiæ antiſtes nuncupatur. Tertium quod in necrologio omittitur: certe qui inter recentiores, Condomienſibus epiſcopis eum adjungunt, hallucinati videntur ex catalogo bibliothecæ Colbertinæ, in quo tractatus de ſchiſmate ei falſo adſcribitur; cum enim conſtaret tractatum hunc cujuſdam epiſcopi Condomienſis lucubrationem eſſe, legendo præfixum codici Teſtæ nomen, ipſum fuiſſe Condomienſem epiſcopum non dubitarunt.

RAIMBALDI.

IV. HUGO.

Hugo Raimbaldi ex vicario generali & decano eccleſiæ collegiatæ de Romea epiſcopalem ſedem obtinuit fratrum ſuffragiis provectus, an. M. CCCC. I. 1401. adverſarium paſſus Guillelmum Montelli. Paucis annis

[a] Baluzius, teſtatur ſe legiſſe in regiſtris Urbani P. V. anno 1371. vacante per Petri mortem epiſcopatu Condom. papam adhanc ſedem promoviſſe litteris datis 3. Decembr. ejuſdem an. Richardum Mimatenſis eccleſiæ præcentorem. At fatetur vir doctiſſimus ipſum numquam Condomi ſediſſe, ſive morte præventus ſit, ſive quod onus ſibi impoſitum detrectaverit, ſive quod capitulum epiſcopum ſibi datum a papa recipere noluerit.

Digitized by Google

annis hanc dignitatem obtinuit, ex veteri quippe codice MS. biblioth. Colbert. D. Hugo Raimbaldi epiſcopus Condom. *obiit in civitate Graſſæ die XI. Octobr. M. CCCC. V.* In tabulis funerariis memoratur his verbis: *IV. idus Octobr. obiit D. Hugo Raimbaldus IV. epiſcopus hujus eccleſiæ.* ANNI CHRISTI

V. AIMERICUS.

Aimericus, ut in Caſtrenſibus diximus epiſcopis, ab aliis *Natalis*, ab aliis Nadal cognominatur. Fuit decretorum doctor, papæ referendarius, abbaſque S. Saturnini Toloſ. & Condomienſis epiſcopus; qua ex ſede dejectum eum lego, quod Petri de Luna partibus pertinacius adhæreret. Hinc in nova concilii Conſtantienſis hiſtoria pag. 110. & 111. notatur cœtum cleri Gallicani anni 1408. 20. Octobr. inter fautores Petri de Luna, quos ſuis beneficiis privaverat, recenſuiſſe S. Saturnini abbatem, qui ſe Condomienſem epiſcopum aſſerebat. Poſtea tamen regiis litteris reſtitutus eſt anno ſequenti, quæ forte cauſa fuit mutatæ ſedis. Fit illius mentio ut electi Caſtrenſis ab anno 1418. & deinde ut epiſcopi in aliis chartis. Cetera de illo vide in Caſtrenſibus antiſtitibus.

VI. PETRUS II.

De Petro hic aliqua difficultas. Conſtat illi locum non ſuppetere eo temporis intervallo, quod illi aſſignant Sammarthani, aliique: verum probabiliſſimum eſt in locum Aimerici dejecti ſucceſſiſſe, nec enim ſine epiſcopo a cœtu Gallicano relictam ſedem veriſimile eſt.

CORSIER.

VII. JOHANNES I.

Johannem epiſcopum Condomienſem hic interſerunt Sammarthani, quem primum appellant; ei ſupponunt Amanevum de Lomania, & Amanevo Johannem II. Corſerium cognomine. Verum eos falli inde probamus, tum quod in necrologio unus Johannes, iſque Corſerius, referatur. Tum quod Amanevus de Lomania quem interſerunt, in nullis actis memoratus reperiatur hiſce temporibus, ejuſque nomen in necrologio prætermittatur. Illius mentio quidem habetur, ſed in Guidone de Monte-bruno, cujus fuit in epiſcopatu æmulus: potuit ergo ſibi titulum epiſcopi arrogare, unde effectum eſt ut a variis auctoribus, pertubatis temporibus, ſeptimus inter Condomienſes præſules annumeratus fuerit. Johannes Corſerius præfuit poſt
1418. Aimericum, reperiturque in variis actis ann. 1418.
1444. 1421. & 1423. Anno 1444. die 12. Junii hominium excepit a comite de Armaniaco pro vicecomitatu Brulhienſi, quod nobis ſuppeditavit Colbert. bibliotheca. Teſtamentum condidit 1452.
1454. Mortis annum indicat necrologium his verbis: *An. M. CCCC. LIV.* + *obiit R. in Chriſto pater Johannes Corſerii epiſc. hujus eccleſiæ, qui reliquit hæredem ſuum, capitulum noſtrum immediate bonorum ſuorum, & ultra hoc pro quatuor obitibus quatuor francos.* vel. 1453.

DESTAMPES.

VIII. GUILLELMUS.

Guillelmus de Stampis, Roberti toparchæ de Salbris, & Firmitatis-Imbaldi, *la Ferté-Imbaut**, filius, Johannis Carcaſſonenſis epiſcopi frater, archidiaconus de Monte-Lauro, & Carcaſſonenſis canonicus; primum Montalbanenſis antiſtes, dehinc a fratribus Condomienſibus electus, priori ſede relicta, Condomienſem occupat an. 1454. tametſi jam reperiatur epiſcopus Condomienſis 1452. habens vicarium generalem Raimundum Torcular epiſcopum Vaſatenſem. Anno 1456. interceſſit electioni Gaufredi de Baſilhac ad ſedem Carcaſſonenſem, de quo vide in Johanne d'Eſtampes Carcaſſonenſi præſule. Pedum tenuit ad annum 1458. ANNI CHRISTI 1454. 1458.

* al. Leyraud.

IX. GUIDO.

DE MONTBRUN.

Guido de Monte-bruno, nobili apud Lemovices gente ſatus, Exienſis abbas, in epiſcopatu Condomienſi Guillelmo ſufficitur an. 1458. æmulum paſſus Amanevum de Lomaigne, cui relicta penſione, pacificus epiſcopatus poſſeſſor remanſit. Illius meminit fragmentum necrologii his verbis.... *Martii, obitus domni Guidonis de Montebruno epiſcopi hujus eccleſiæ.* Quatuor obitus fundavit an. 1469. 1458.

X. ANTONIUS I.

DE POMPADOUR.

Antonius de Pompadour, Godefredi de Pompadour Carcaſſonenſis epiſcopi pronepos, Eliæ Vivarienſis, qui eum ſui teſtamenti exſecutorem inſtituit an. 1477. nepos, frater Godefridi Vivarienſis, patrem habuit Golferium de Pompadour, matrem Iſabellam de Combornio. Primum fuit Pariſienſis canonicus, Lemovicenſis decanus, major archidiaconus Pictavienſis, protonotarius apoſtolicus; tandem promotus eſt ad Condomienſem epiſcopatum 15. Maii 1486. A fratre ſuo Podienſi antiſtite teſtamenti curator eligitur 1493. ſed ante ipſum moritur v. idus Octobr. an. 1496. ex fragmento necrologii Condom. Quo eodem anno ſedem vacaſſe reperio. 1496.

XI. JOHANNES II.

MARRE.

Johannes de Marre Aquitanus, Simorræ in agro Auxitano, ſeu, ut aliis placet, Eluzæ in pago Armaniacenſi, humili loco, patre Dominico natus anno 1436. liberaliter inſtitutus eſt, magnumque in litteris progreſſum fecit. Mox religioſam vitam in Simorenſi cœnobio ſecundum D. Benedicti inſtituta profeſſus eſt; exhinc juris utriuſque licentiatus, ac prior S. Luperci de Eliſona efficitur, cujus cœnobii baſilicam cultum elegantemque a fundamentis erexit. Poſtea ſanctitatis & ſapientiæ fama ubique clarus, a Johanne Borbonio Anicienſi epiſcopo, & abbate Cluniacenſi, vicarius generalis per univerſam Aquitaniam inſtituitur ad inſtauranda & reformanda monaſteria: quo in munere verbo & exemplo pro Dei gloria plurimum laboravit; imo & in componendis procerum ac regum diſſidiis ſpeciali prudentiæ dono valuit. A principe Alano de Albreto Neiracum vocatus, Johannis Auſcienſis archiepiſcopi negotia compoſuit, totique familiæ Alani, invitus licet præficitur. Ac tandem epiſcopus Condomienſis, poſt obitum Pompadorii a monachis acclamatur anno 1496. Poſſeſſionem adeptus eſt 23. Jan. 1497. quod ſacerdotium ſumma laude & munificentia ſuſtinuit, nam 1496.

ANNI CHRISTI

& epiſcopatui complura bona largitus eſt: regularia ædificia ſarta tecta fecit: baſilicæ majoris, cum anguſtior eſſet, amplioris & ornatiſſimæ ſtructuræ 1505. fundamenta jecit an. 1505. Eodem tempore ædem de Franceſcas in diœceſi, Minorumque oppidi Neyracenſis conventum exſtruxit: veſtibula eccleſiarum Carmelitarum & Franciſcanorum Condomienſium item erexit: cathedralem eccleſiam exquiſito ac divite ornamentorum apparatu, aliaſque diœceſis, necnon cathedrales Auxitanam, Aginnenſem, & Lactorenſem, ditavit: denique ſuis beneficiis omnium, ac pauperum præcipue, pater meruit nuncupari. His vero nequicquam obſtantibus, dum commiſſi ſibi gregis curam ſedulo gerere ſatagit, a plebe Condomienſi diu multumque exagitatur, donec Regis placito, ſub graviſſimarum pœnarum mulcta, præſuli plebs obedire coacta eſt, quam vir manſuetus, injuriarum immemor ſummo deinceps 1518. affectu proſecutus eſt. Anno 1518. Rogero de Barta Simorræ abbati defuncto vel abdicante, Herardum de Groſſoles ſubſtitui curavit. Eodem an. 8. Jul. providit rectoriæ eccleſiæ de Saintrailles Achillem d'Albret S. ſedis protonotarium, ex Albreti tabulario. Carolo VIII. rege defuncto, cum Anna ejus vidua tantam jacturam ferre non poſſet, Guillelmus Briçonetus cardinalis, ſumma rerum ſub defuncto Rege potitus, Marram advocavit, ut tanto vulneri remedium afferret. Ab eo habitam hac de re orationem retulit Arnoldus Ferronus Burdigalenſis, Regis conſiliarius, in opere de rebus geſtis Francorum ſub Carolo VIII. ubi & præſulis noſtri inſeruit elogium, quod hîc adjicere non pigebit: *Johannes Mara Condomienſium pontifex, homo & ſapiens, & ſanctus, & eruditus, Briſſoneti opera, adnitente etiam Alano Albreto, pontificatum Condomienſium adeptus fuerat. Is Briſſonetum veluti cliens obſervabat, neque ab ejus latere eo ſane tempore diſcedebat. Sed in Johanne Mara elucebant præclara virtutis, eruditionis, religionis, liberalitatis in egenos, in Deum ſingularis pietatis ornamenta, ex quibus totum ſe expendebat, mortalia cetera & caduca cenſens. Ille veluti cœleſtem civitatem incoleret, in omnibus ſuis factis, dictis, cogitationibus, nihil præter præcepta divina intuebatur. Perfectus in litteris, ſacrarumque rerum jam ab adoleſcentia traditam tenuit diſciplinam; ſumma orationis & elegantia & acrimonia. Atque hæc omnia vitæ decorabat modeſtia & integritas.* Tractatus de Trinitate & de Pœnitentia ſcriptis mandavit Marra noſter, ac inſigne enchiridium ſacerdotale, Pariſiis an. 1519. typis excuſum. Tandem vir pius ad cœleſtem patriam migravit an. 1521. ſepultuſque eſt 1521. in æde primaria in ſacello S. Johannis-Baptiſtæ. An. trigeſimo ab ejus obitu, tumulo ejus aperto, ſanum & integrum corpus, ac ſi recens expiraſſet, repertum eſt, ut memorant documenta Simorrenſis monaſterii. Ejus vitam contexuit anonymus Condomienſis monachus, inquit noſter Claud. Eſtiennot, *ut ex ſchedis D. Joſephi de la Gutelle Condomienſis medici didici: at eam in tabulario tum D. epiſcopi Condomienſis, tum capituli diu, ſed fruſtra quæſivi.*

Obſervandum [a] porro litem habuiſſe Marram cum A Amanevo d'Albret cardinali, qui ab Alexandro papa VI. Condom. eccleſiæ adminiſtrator deſignatus fuerat; judicioque viciſſe Marram, ac epiſcopatu potitum fuiſſe; quod indigne ferens Julius II. bullam dedit qua vetat ne Condomienſe capitulum, cedente vel decedente Marra, alium in epiſcopum eligat. C. v. col. 443.

ANNI CHRISTI

XII. Erardus. Groſſoles.

Erardus de Groſſoles nobilis Aquitanus, a toparchis de Flamarens, primum Simorræ abbas electus eſt, ſatagente Marra Condomienſium epiſcopo, *qui* hunc, *ut pote virum pium & doctum a Simorrenſibus ſuſcipi rogavit* an. 1519. *Quem & vicarium ſuum generalem conſtituit*, ut habet MS. Condom. Denique ipſius commendatione in epiſcopum Condomienſem electus eſt a monachis an. 1521. Præfuit ad an. circiter 1543. Statuta officialitatis evulgavit an. 1527. Baſilicam a deceſſore inchoatam abſolvi curavit, plumbo tectam pretioſis decoravit ornamentis, & ſolemni ritu ac pompa dedicari fecit die 15. Octobr. an. 1531. Interea ad hanc cathedram per Franciſcum I. regem virtute concordati cum Leone X. recenter initi nominatur Franciſcus du Moulin dictus de Rochefort, major eleemoſynarius, & Regis quondam præceptor. Hinc rixæ & lites; ſed tandem pactis anni 1523. epiſcopatus procuratio Erardo manſit. An. 1528. frater Franciſcus Bellamater dedicavit ei defenſorium ſedis apoſt. adverſus Lutherum. Huic epiſcopo deſignato Eraſmus dicat exomologeſim anno 1524. Vide Guichenon in probat. hiſt. Sabaud. pag. 459. 463. & epiſtolas Eraſmi pag. 728. 800. 806. 807. 1521. 1543.

XIII. Carolus. De Piſſeleu

Carolus de Piſſeleu, Guillelmi D. de Heilly ex Iſabella de Contai filius, abbas S. Albini Andegavenſis, Mimatenſis primum epiſcopus fuit, deinde Condomienſis. Non me latet primos Galliæ Chriſtianæ auctores, duos admiſiſſe Carolos de Piſſeleu, alterum Mimatenſem epiſcopum, Condomienſem alterum. At unicum fuiſſe qui utramque hanc ſedem ſucceſſive occupavit, ex chartis S. Albini palam eſt. In his enim aliquando Mimatenſis, at ſæpius Condomienſis antiſtes dicitur, quia ſcilicet quatuor tantum annis Mimatenſe, 20. vero Condomienſe pedum tenuit. Erardo in Condom. cathedra ſufficitur Carolus anno circiter 1544. Illius tempore, ipſoque procurante, canonici Condomienſes hucuſque monachi Benedictini, ſeculares effecti ſunt an. 1549. obtenta hanc in rem bulla pontificia, quam officialis Lactorenſis promulgavit, ſenatus Toloſanus & Burdigalenſis probavere, Rex Chriſtianiſſimus diplomat. an. 1554. corroboravit. Obiit Carolus 1564. quem Petrus Ronſardus celeberrimus poëta verſibus exornavit. 1544. 1549. 1554. 1564.

XIV. Robertus. De Gontaut

Robertus e ſtirpe baronum de Bironio, prior S. Liberatæ, Condomienſis nominatur epiſcopus, an. 1564. Quo pontifice, an. 1569. oppidum

[a] Tempore pontificatus piiſſimi hujuſce præſulis, ſuſpicor adminiſtrationem epiſcopatus Condom. Amanevo d'Albret cardinali conceſſam fuiſſe. In indice quippe chartarum Albreti in biblioth. Colbert. aſſervato, quo uſus ſum, reperitur bulla Julii papæ II. data pridie Oct. an. 1510. qua reſtituitur huic cardinali epiſcopatus Condom. adminiſtratio, a qua fuerat amotus per Alexandrum VI.

Digitized by Google

ac eccleſiam armati Heterodoxi ſub comitis Mon-
ANNI CHRISTI gomerii ſignis invaſere, horrendaque ſtrage vaſta-
vere, reliquiis, MSS. codicibus, chartis ceteriſque pretioſis aut ablatis, aut igne conſumtis. Obiit Robertus hoc ipſo anno die 25. Auguſti, ſepultus in Cadurcenſi eccleſia ad ſiniſtrum majoris altaris cornu, fundato prius ibidem anniverſario.

DE MONLUC.

XV. JOHANNES III.

Johannes de Monluc, Blaſii Franciæ mareſcalli, Aquitaniæ proregis, & Antoniæ Yſalguier filius, ex equite Melitenſi, ac militiæ Jeroſolymitanæ præceptore, defuncto Gontaldo, nominatur epiſcopus anno 1571. At propter invaletudinem nunquam fuit conſecratus, & tandem epiſcopatu ceſſit, ſub onere penſionis annuæ 9000. librarum, in gratiam Johannis du Chemin, qui anno 1581. reſignatione Monlucii, jure reſervationis hujuſcemodi penſitationis proviſus eſt.

1571.

DU CHEMIN.

XVI. JOHANNES IV.

Johannes du Chemin, oppido Treiniaco apud Lemovices oriundus baronia illuſtrium vicecomitum de Combornio, quæ nunc juris eſt familiæ de Pompadorio, patrem habuit Guidonem toparcham du Chemin ſecus Treiniacum, matrem Johannam de Combor. Condomienſis fuit canonicus an. 1567. reſignatione avunculi vicarii generalis, e familia Vaſconum de l'Eſpinaſio; tum a clero diœceſeos, cui ejus ingenii ſolertia perſpecta erat, ſyndicus creatus, delegatur anno 1570. ad Regem; & cardinales Borbonium, Lotharingiæ, & Pelleveum a pontifice commiſſos ut clerum nimiis oneribus gravatum, ſublevarent a pecuniæ ſummis, quæ ab eo repetebantur ob temporalis diſtractionem; quam rem gnaviter ſuſcepit & perfecit. Iterum a clero nominatur ut Bleſenſibus comitiis intereſſet. Interim promotus ad Condom. ſedem Monlucius, vir bellis aſſuetus, ut ad meliorem militiam ſeſe accingeret, Italiam petere ſtatuit, tum ut ibidem ſtudiis incumberet, tum ut ſacram politiam addiſceret. Huic porro peregrinationi comitem aſcivit Johannem du Chemin, cui & ſe & domum regendam commiſit. Paduam ergo profecti, Cheminius doctor utriuſque juris effectus eſt. Inde Romam, Melitam, Venetias, Taurinum inviſunt; & Condomium reverſi, a Monlucio creatur præpoſitus, & vicarius generalis, cum eadem poteſtate, qua tunc pollebat Bernardus du Puy, a quibus dignitatibus paulo poſt abſtinuit, cum hæreticis circa Neiracum tumultuantibus, Monlucius Regis imperio contra perduelles armatus proceſſit, & Cheminium ſibi adjunxit, cui poſtea epiſcopatum quoque conſignavit an. 1581. penſione retenta. Biraga tamen cancellarius a Rege nominatur, quaſi Monlucius obiiſſet, ratus idcirco ſedem vacaſſe; ſed compoſitione inita, Cheminius epiſcopatum adeptus eſt, non tamen ſine alia controverſia in aula Romana; nam Gondrinus dynaſta, qui a multis annis hanc cathedram ambiebat, apud pontificem conqueſtus eſt, quod Cheminius inſulis epiſcopalibus minime dignus cenſendus eſſet, ut qui tribuni militum potius quam ſacerdotis munia hactenus obiviſſet; quam repreA henſionem ipſe oratione, vel ſupplicatione potius, ad papam diluit, & totius vitæ ſuæ inſtitutum apud ANNI CHRISTI ipſum exponit & purgat. Diplomate ergo pontificio munitus tranquillam obtinuit poſſeſſionem: donec hæreticis Neiraci contra Regem arma moventibus, Cheminius bello aſſuetus, ſtatim convocatis nobilibus & comitiis, juncto unionis fœdere, ſplendide exceptis omnibus in epiſcopali palatio, perduelles repreſſit, patriam urbemque ſervavit; qua de re a Rege laudatus eſt. Deinde anno 1603. coadjutorem ſibi Antonium de Cous ex 1603.
ſorore nepotem adlegit, nominatione Regis & B Margaritæ reginæ, quæ Aginnenſi & Condomienſi civitatibus fruebatur: ſervatis nihilominus decem millibus librarum annuæ penſionis comiti de Carmanio, ex conſenſu ſummi pontificis. Cum autem an. 1569. Mongomerius Condomienſem baſilicam expoliaſſet, & vitra penitus confregiſſet, Cheminii reſtituta ſunt impenſis 36. millium librarum; addidit & 8000. ut ornaret eccleſiam: ſed nihilominus poſtea capitulo ſuo infenſus, tumulum erigi curavit apud Caſſaniæ eccleſiam parochialem, quæ caſtro ſuburbano epiſcopali ejuſdem nominis includitur, ibique ſuam & Monlucii benefactoris imaginem ſculptam appoſuit, C & duabus miſſis defunctorum ſingulis hebdomadibus ibidem fundatis, anniverſarii die 13. pauperibus cibum dari conſtituit, 4000. libris urbi conceſſis ea lege, ut ſacerdos bis in hebdomada catechiſmum doceret in parochia S. Nicolai Condomienſis. Obiit Caſſaniæ an. 1616. Hanc autem in ære tumulo ſculpendam inſcrip- 1616.
tionem condidit: *Johannis Monlucii, magni illius Monlucii filii, & quondam epiſcopi Condomienſis, necnon ſacræ militiæ S. Johannis Jeroſolymitani equitis commendatarii, viri pacis & belli temporibus clari, & quod gentilitium eſt Monluciis, ad omnes virtutes nati, facti & educati; hic* D *prope, cor & viſcera terræ mandata ſunt, juxta quæ tanquam cariſſima pignora prædeceſſoris & benefactoris ſui meritiſſimi, & quod illis, dum ſimul vixerunt cor unum & anima una fuit, Johannes du Chemin ſuus in epiſcopatu ſucceſſor, oſſa ſua poſt mortem quodammodo conſecrari in ſuo tumulo ſtatuit, illius cum inſignibus Monlucianis honoris & gratitudinis ergo, inferi voluit; ut quod uni ſepulchrum, alteri monimentum foret. Abi viator, & utrique bene precare.* Ibidem aureis litteris inſculptum cernitur: *Johannes du Chemin epiſcopus Condomienſis vivus hanc ſibi domum paravit; in qua tandem aliquando, ſi ita Deo viſum fuerit, quieſceret mortuus.*

DE COUS.

XVII. ANTONIUS.

Antonius de Cous Treignaci natales habuit, patre Philippo toparcha de Cous & du Tronchet, matre Maria Johannis du Chemin germana ſorore. A teneris annis ea indole præditus quæ litteris apta videbatur, ab avunculo futurus ſucceſſor deſignatus Burdigalam mittitur: ibi muſis humaniſoribus inſtitutus, præceptore Balſumo in Aquitanico collegio, cum publice de theologia reſpondiſſet, doctor creatus eſt 1592. die 14. Maii, cum interim canonicatu tantum Condomienſi potiretur; tum an. 1595. ab avunculo ſacerdos conſecratus,

1581.

Digitized by Google

& poſtea ejus vicarius generalis & archidiaconus nominatur. Deinde anno 1603. ejus coadjutor ſub titulo epiſcopi Aurienſis in Mauritania; mox Romam profectus, ibi cardinalis Perronii ſocietate uſus, eum toto vitæ decurſu amicum perſenſit; nam eo favente bullas a pontifice accepit, tum an. 1604. 1604. Martii 25. die Annuntiationis Virginis inaugurationem ſuſcepit in eccleſia D. Ludovici nationis Gallicanæ, ab Antonio Perroto epiſcopo Venafrenſi apud Neapolitanos, adſiſtentibus Paduano & Concordiæ epiſcopis; biduo poſt exhibuit ſolitum pontifici jusjurandum coram Alexandro Perretti de Monte-alto cardinalium decano. In Gallias reverſus coadjutoris ſungebatur officio, vicarii generalis, archidiaconi, canonici, & ſenatoris clerici in prætura Condomienſi, quibus in muneribus omnium ſibi benevolentiam conciliavit. 1614. Contigit autem an. 1614. Dominicanum nomine Jornam, die Aſcenſionis cum ex ſuggeſtu ſermonem haberet coram præſule & coadjutore Condom. aſſeruiſſe cum Chriſtus hæc Evangelii verba proferret, *nemo aſcendit in cœlum, niſi qui de cœlo deſcendit, filius hominis qui in cœlo eſt*, eadem penitus ratione tunc in cœlo & terris ſimul exſtitiſſe; quem errorem cum pertinaciter ſcripto defendere tentaſſet, Antonius libro edito confutavit, coëgitque concionatorem hunc, pravum dogma ex eadem cathedra damnare. Bis autem comitiis regni generalibus interfuit, in quibus præclare ſe geſſit. Cum hæretici pluries Condomium debellare tentaſſent, Antonii vigili ſollicitudine ſervatum eſt, maxime anno 1635. qua de re Chriſtianiſſimus rex ipſi bis litteris ſuis gratulatus eſt. Cum bellorum civilium injuria omnia fere dioeceſis templa deſolata jacerent, partim ſua liberalitate, partim vigilantia cuncta reſtaurari curavit, præſertim eccleſiæ primariæ chorum, geminaſque domos epiſcopales reſtituit, ornavit, & emtis agris auxit; nec minus pauperum neceſſitatibus providit. Diſſidentes inter ſe nobiles ad concordiam revocabat; cum omnibus ipſe pacem, quantum poterat fieri, habebat & fovebat. Concilio provinciali Burdigalenſi interfuit an. 1624. 1624. & cœtui cleri Pariſiis 1625. In urbem accerſivit Oratorii ſacerdotes anno 1628. quibus præter domum quam condidit, annuos redditus procuravit ut juventutis inſtitutioni vacarent. Capucinos quoque Condomii, & Neiraci habitare voluit, necnon Urſulinas ibidem & apud Altum-villare, ac Dominicanas in Manſo-Aginnenſi. Gravis ergo meritis & annis cum ceſſiſſet epiſcopatum an. 1647. Johanni d'Eſtrades, ſub annua decem millium librarum penſione, retenta quoque domo & toparchia Caſſaniæ, poſt 4. menſes ſpiritum reddidit Creatori in eodem caſtro epiſcopali 15. Febr. 1648. 1648. Corpus in ſacello undecim martyrum, quod exornarat, Condomii ſepelitur, fundato anniverſario.

ANNI CHRISTI

D'ESTRADES.

XVIII. JOHANNES V.

Johannes d'Eſtrades claro ex genere in pago Burdigalenſi ortus, patre Franciſco d'Eſtrades nobili Regis cubiculario, matre Suzanna de Roques priori ejus uxore, frater Godefridi Franciæ mareſcalli. Primum abbas Boni-fontis in pago Convenenſi, deinde an. 1646. menſe Julio Petrogoricenſis præſul deſignatur; tandem Condomienſis epiſcopus ac dominus nominatur an. 1647. menſe Sept. Admiſſus in conſiſtorio Innocentii X. papæ, bullis datis die 25. Februarii 1648. eodem anno menſe Maio, Dominica in albis unctionem excipit in æde patrum Jeſuitarum Aginn. a Bartholomæo d'Elbene urbis epiſcopo & comite, cooperantibus Alano de Solminihac Cadurcenſi, & Gilberto de Choiſeul Convenenſi præſulibus; die 17. Septemb. ſequentis exhibuit Regi, more ſolito, ſacramentum clientelæ, ac ſolemni pompa civitatem ſuam invectus eſt 1649. die Martis ſancto. Hoc eodem anno epiſcopatum ſua ſponte & voluntate depoſuit in gratiam ſequentis. Obiit anno 1685. in ſua S. Melanii Redonenſis abbatia, pro qua Carilocenſem, *Chalis*, dimiſerat longe pinguiorem; magnum lucrum reputans vivere inter S. Benedicti alumnos ſtrictioris obſervantiæ, quibus exemplo prælucebat, ſicque ad mortem ſe comparare. Jacet in eccleſia S. Melanii cum hoc epitaphio:

ANNI CHRISTI

1648.

D. O. M.

HIC JACET
Reverendiſſimus & illuſtriſſimus
Johannes d'Eſtrades,
Condomienſis epiſcopus;
Qui pontificales infulas
Ampliſſimamque diœceſim;
Quam per decem annos pie, ſapienterque rexerat,
Miro chriſtianæ humilitatis exemplo
Sponte abdicavit.
Uni Deo, ſibique victurus
Seceſſit in Rhedonenſe S. Melanii cœnobium,
Cui abbas præfuit,
Cujus ædes inſtauravit,
Quod amore præcipuo coluit,
Comitate, liberalitate, caritate
Omnes ſibi devinciens,
Suis ſe paſtorem, egentibus patrem, afflictis ſolamen
Exhibuit.
His laboribus probatus ſenex
Meritis quam annis gravior
Occubuit.
Die XII. menſis Junii anno ætatis LXXV. R. S. H.
M. DC. LXXXV.
Fratri cariſſimo
Godefridus d'Eſtrades Franciæ mareſcallus
Amoris hoc pignus & doloris monimentum
Poſuit.

DE LORRAINE

XIX. LUDOVICUS-CAROLUS.

Carolus-Ludovicus de Lorraine abbas Caroliloci * ordin. Ciſterc. dioeceſis Silvanect. prior Aleyrac. ac tandem voluntaria prædeceſſoris ceſſione Condomienſis epiſcopus anno 1659. ſolemni pompa ad eccleſiam ſuam acceſſit 17. Jul. 1660. Anno 1664. miſſionem in cathedrali eccleſia procuravit. Obiit 1668. 1. Junii Pariſiis.

* Chalis.

1659.

BOSSUET.

XX. JACOBUS.

Jacobus Benignus Boſſuet Divioni natus 27.

ANNI CHRISTI

Sept. 1627. patre Benigno Boſſuet in ſuprema curia Metenſi ſenatore: vir morum lenitate, ſcientia præcipue Divina, & victoriis de fidei hoſtibus reportatis celeberrimus, ſacræ facultatis doctoratum in regio Navarræ collegio conſecutus eſt 16. Maii 1652. cathedralis eccleſiæ Metenſis canonicus, archidiaconus, ac tandem decanus. Exinde Pariſios evocatus in celebrioribus eccleſiis conciones habuit, tanto omnium applauſu, ut annis 1661. 1665. 1666. & 1669. coram Rege dicere e ſacro pulpito tempore Adventus & Quadrageſimæ meruerit. Anno 1668. 13. Septemb. deſignatus eſt Condomienſis epiſcopus. Pontificæ coram generalibus cleri Gallicani comitiis inauguratus 1670. 21. Sept. die ſequenti Regi ſacramentum præſtitit. Sereniſſimo Delphino datus eſt ſtudiorum moderator eodem anno 11. Sept. Ut ſeſe tanto muneri totum daret, epiſcopatum abdicavit anno ſequenti. Quadraginta viris Academiæ annumeratus eſt an. 1672. Cetera quæ ad tantum præſulem ſpectant proſequemur in Meldenſibus epiſcopis.

1668.

A

De Matignon.

XXI. Jacobus II.

Jacobus Gojon de Matignon ex illuſtri comitum de Thorigni familia natus, decanus Lexovienſis, abdicatione D. Boſſuet Condomienſis epiſcopus nominatur 31. Octobr. 1671. conſecratus anno 1673. apud Cartuſianos Pariſienſes, ſacra faciente prædeceſſore, adſiſtentibus Guidone de Seve de Rochechoüart Atrebatenſium, & Ludovico-Maria Armando de Simiane-de-Gordes Lingonenſium præſulibus. Epiſcopatum & ipſe dimiſit 1693. menſe Septembr. accepta a rege Chriſtianiſſimo Fuſniacenſi abbatia; qua dimiſſa, ab eodem accepit Sanvictorienſem apud Maſſiliam 7. Sept. 1703. Sibi admodum parcus, fere omnia ſua eccleſiis & pauperibus tribuere pergit piiſſimus præſul. Miſſam in eccleſia cathedrali quotidie celebrandam fundavit. Amplam pro ſex clericis Condomi natis in ſuo ſeminario inſtituendis fundationem fecit.

1671.

C

ANNI CHRISTI

XXII. Matthæus.

Ilorè.

Matthæus Iſoré d'Ervaut Georgii marchionis d'Ervaut domini de Pleumartin ex antiquiſſimo apud Turones genere filius, & Mariæ de Roncherolles paris nobilitatis feminæ, lauream doctoris theologi conſecutus eſt in regia Navarra die 13. Febr. 1681. Paulo ante fuerat deſignatus a Rege rotæ auditor in Romana curia, quo munere diu magna cum laude eſt perfunctus. Condomienſis epiſcopus regia ſchedula nominatur 8. Septemb. 1693. verum ſtatim Turonenſis archiepiſcopus fit, antequam bullas hujus epiſcopatus accepiſſet. Cetera quæ ad ipſum ſpectant proſequemur in Turon. archiepiſcopis.

1693.

B

XXIII. Ludovicus.

Milon.

Ludovicus Milon Turonibus natus ex familia togæ honoribus ornatiſſima; Regi ab eleemoſynis, S. Martini Turonenſis canonicus, facultatis Pariſienſis doctor anno 1685. 4. Jul. S. Marcelli & duorum Geminorum prior, Condom. epiſcopus nominatur 1. Novembr. 1693. inauguratur Pariſiis in eccleſia Jeſuitarum vici S. Antonii 14. Febr. anno 1694. fidem juravit Regi die 16. Febr. ejuſdem anni. Publicam hoſpitalem domum, in qua variæ a pauperibus artes exercentur fundavit, illamque ſororibus *fidei* adminiſtrandam commiſit. Eaſdem ſorores ad puellarum heterodoxarum inſtitutionem & catecheſim Neiraci conſtituit. Eccleſias de Monchenit & de Puge ab hæreticis ſolo æquatas ædificavit; palatiumque epiſcopale multis jam ſumtibus inceptum perficit.

1693.

ECCLESIA ENGOLISMENSIS.

ENGOLISMA, ſicet antiqua civitas, a veteribus tamen geographis, non ſolum Græcis, ſed etiam Latinis nuſquam memoratur. Primus ejus meminit ſub nomine Iculiſmæ Auſonius celeberrimus orator & poëta, qui ſeculo IV. inclinato floruit, eamque *devium* & *ſolum locum* appellat in epiſt. XVIII. quod probat urbem tunc infrequentem fuiſſe, & extra ſtratam viamque militarem. Sane in antiquis itinerariis nullibi occurrit. In Notitia Galliarum, quam factam volunt quarto ſeculo deſinente, aut quinto inchoato, legitur civitas *Ecoliſmenſium*, quæ provinciæ Aquitanicæ ſecundæ eſt tertia.

Hujus urbis frequens eſt mentio apud Gregorium Turon. ſcilicet lib. II. hiſt. c. 37. lib. IV. c. 51. ubi narrat Theodebertum Childeberti regis filium, in prælio cæſum, *ad Ecoliſmenſem civitatem ſepultum;* libro de Gloria Confeſſorum c. 101. loquitur de Eparchio *Ecoleſinenſis urbis* recluſo. Idem ſcriptor celebrat quinque civitatis hujus epiſcopos. Corrupte dicta reperitur, *Aquelina*, *Aqueliſma*, *Aqualeſina*, *Equoleſina*, &c. Urbs eſt Aquitaniæ ad Charantonum * fluvium, ſitu munita, fœcunda ſolo; gaudet titulo ducatus, habet ſeneſcallum, curiam præſidialem, & eorum qui tributa deſcribunt tribunal; ſubeſtque quoad temporalem ſtatum parlamento Pariſienſi; ſed ut eſt epiſcopatus, Burdigalenſi ſubjacet metropoli. Sub ditione ſua continet oppida plurima, Coniacum, Caſtrum-novum, Rupemfucaldi, Montiniacum, Vertolium, Ruffecum, Martonium, Confolantum, Cabaneſium, Albamterram, aliaſque minores arces, inter quas Varnum epiſcopale dominium eſt ſecundo ab urbe lapide.

* la Charante.

Cathedralis eccleſia quæ S. Petrum ut patronum veneratur, in Gallicis pro religione tumultibus, a ſegregibus direpta & diruta, nobile tamen habet capitulum 24. ſive dignitatibus ſive canonicatibus conſtans. Dignitates ſunt decanus, archidiaconus, cantor, ſcholaſticus & theſaurarius. Dignitatibus & canonicis adde quatuor ſemipræbendatos. Cantor & ſcholaſticus non ferunt ſuffragium in capitulo, niſi aliunde fuerint canonici.

Dioeceſis 13. archipresbyteratus, & 200. curionatus continet. Sunt in urbe plures tum religioſorum tum monialium familiæ, fratrum Prædicatorum, Minorum, Carmelitarum diſcalceatorum, Capucinorum, &c. Inter monialium urbis, imo dioeceſis, monaſteria eminet abbatia S. Auſonii; at de ea & de ceteris abbatiis ſeorſim agemus.

Epiſcopus Regis archicapellanus in Aquitania dicitur a Valafrido Strabone. Engoliſmenſium pontificum & comitum hiſtoriam edidit Philippus Labbe novæ biblioth. MSS. tom. 2. pag. 249. ex incerto auctore, quem canonicum Engoliſmenſem fuiſſe & circa 1159. vixiſſe affirmat. Brevem eorum catalogum texuere Corlæus & Gabriel Carlonius. Multa de illis in Ademaro, ex quibus, ac præcipue ex majoris eccleſiæ, aliarumque chartophylaciis ad novam hanc ſeriem præſulum a primæva eccleſiæ fundatione deducendam uſi ſumus.

ENGOLISMENSES EPISCOPI.

I. S. AUSONIUS.

ANNI CHRISTI 260.

BAUSONIUS Engoliſmenſium apoſtolus ac primus pontifex, anno circiter ducenteſimo ſexageſimo ipſis Chriſtum annuntiavit. De illo in hagiologiis & legendariis plurima referuntur, ſed incerta pleraque, & fabellis referta. Exſtat in nobili S. Auſonii parthenone vitæ illius præſulis pervetus hiſtoria, in qua illius auctor primo tradit Auſonium Mauritaniæ Santonum nobili ex ſtirpe, parentibus claris at gentilibus prognatum, patre Albino, matre vero Eugenia, quæ ſeptuagenaria, angelo præmonente, filium genuerit. 2°. Martialem Auſonii magiſtrum Petro apoſtolo æqualem fuiſſe affirmat; ſtatimque addit hunc ſancti Petri diſcipulum Valeriano imperatori coætaneum. 3°. eumdem Martialem ut Chriſti auditorem venditat, moxque Auſonium a Martiali epiſcopatu donatum, a Vandalis neci traditum aſſeverat. 4°. Martialem & Auſonium Lemovicæ degentes, maritimo itinere Mauritaniam Santonum oppidulum inviſiſſe tradit. Quod quam veritati parum conveniat, nemo non videt. Denique fabulas & commenta congerit, quæ chriſtianam religionem dedecorant, ne dum promovent, quæque hic referre ſupervacaneum foret. Ex illis ſane monſtroſis narrationibus effectum eſt ut qui de rebus Engoliſmenſibus ſcripſere, in varias ſententias abierint. Alii quippe difficultates omnes vorantes, imo nec intelligentes, hæc omnia nullo facto examine, nullo criterio adhibito admittunt. Ita auctor hiſtoriæ pontificum & comitum Engoliſmenſium, qui ſic orditur: *Primus epiſcopus Engoliſmenſis Auſonius fuit natione Xantonicus, patre Albino, matre vero Eugenia, oppido Mauritania natus, a B. Martiale epiſcopus ordinatus Engoliſmenſis: qui perſecutione Vandalica, capitis obtruncatione, martyrium conſummavit.* Alii Martialem primo ſeculo floruiſſe rati, ad illud Auſonium revocant: quæ de Vandalica perſecutione in illius actis referuntur ut ſuppoſititia & adulterina repudiant. Alii denique Sulpitii Severi & Gregorii Turonenſis ſententiæ album calculum adjicientes, Martialem & Auſonium tertio duntaxat ſeculo

ANNI CHRISTI

A

B

Labb. bibl. MS. t. 2. pag. 249.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

floruiſſe propugnant, ut Corlæus. Noſtrum non eſt tantas lites definire, dicere ſufficiat tertio ſeculo, aut etiam tardius, vixiſſe Auſonium, Engoliſmenſibus ad fidem nondum converſis Evangelium annuntiaſſe, plurimos ad illud adduxiſſe, ſedem ſuam apud illos fixiſſe, denique fidem quam prædicaverat ſanguine ſuo confirmaſſe, capite truncatum, aut a loci magiſtratibus in infidelitate obduratis, aut, quod probabilius videtur, a barbaris qui ſub Chroco Alemannorum rege irruerant. Paſſus porro eſt die XI. Junii. Exſtat S. Auſonii parochia extra muros ad Occidentem urbis partem, abbatiæ ejuſdem nominis ſubdita, in qua S. martyris corpus tumulatum fuit, quod an. D. M. C. XVIII. e majori oſtio baſilicæ præfatæ parochiæ, in qua olim erat abbatia prædicta, ſubtus altare majus tranſlatum eſt. Calviniſtæ cum an. 1568. Engoliſmam occupaſſent, eccleſiam & monaſterium ſolo æquarunt, & ſancti martyris corpus ſacrilego conſumſerunt incendio.

II. Dynamius.

Ab Auſonio ad Dynamium uſque, nullus occurrit Engoliſmenſis epiſcopus; ſive nulli ſucceſſerint Auſonio, ut indicat hiſtoria comitum & epiſcoporum Engol. cap. 1. cum ait: *Ceſſavit epiſcopatus per tempora multa:* ſive ſucceſſorum ejus nomina temporum injuria ad annum uſque circiter 400. interciderint: ſive tardius, quam vulgo putatur, floruerit Auſonius, eique ſine medio ſucceſſerit Dynamius. De Dynamio vero nihil ſuppetit, niſi quod ex Paulino refert Gregorius Turonenſis hiſtor. Francorum lib. 2. cap. 13. *Si hos videas dignos Domino ſacerdotes, vel Exſuperium Toloſæ, vel Simplicium Viennæ, vel Amandum Burdigalæ, vel Diogenianum Albigæ, vel Dynamium Ecoliſmæ,* Damianum legunt tres codices MS. *ac . . . . . utcumque ſe habent ſeculi mala, videbis profecto digniſſimos totius ſanctitatis ac fidei, religioniſque cuſtodes.* Epiſtolæ ſynodicæ præſulum Galliæ ad S. Leonem papam I. anno 451. miſſæ ſubſcripſit quidam Dynamius, quem nonnulli noſtrum fuiſſe conjiciunt. Hic rurſum ſequutum eſt interpontificium uſque ad annum circiter 500.

III. Aptonius I.

Aptonius primum Clodovei capellanus, poſtmodum, procurante principe, Engoliſmenſium epiſc. fuit. Novam hic viam terimus, at non immerito. Ante Lupicinum enim admittendum eſſe Aptonium ab eo diſtinctum qui Lupicini ſucceſſor exſtitit, ſuadet tum Ademari Cabannenſis, tum hiſtoriæ comitum & pontificum Engoliſmenſium auctoritas. Ademarus chronici cap. 17. de Clodoveo magno loquens, ubi retulit reportatam ab illo de Alarico rege Gothorum victoriam an. 507. hyemationem in civitate Burdigalenſi, Engoliſmæ obſidionem an. 508. addit: *Tantam ei gratiam Deus contulit, ut in ejus adventum muri ejus funditus corruerint* [a]. *Interfectis quoque Gothis qui ibidem erant, ipſam urbem adprehendit, omnemque terram illam ſubjugavit. In ipſa civitate conſecrare fecit in epiſcopatu venerabilem virum Aptonium capellanum ſuum, expulſo primo epiſcopo Ariano Gothorum de eadem civitate.* Auctor vero hiſtoriæ pontificum & comitum Engoliſm. cap. 2. idem habet: *Aptonius epiſcopus, qui capellanus Clodovei fuerat, aſſenſu quoque ipſius Regis epiſcopus Engoliſmenſis conſecratur. Prædictus ſiquidem Rex Engoliſmam obſidens, quam nefandiſſima gens Gothorum occupaverat, etiam pontificatum ipſius urbis ſibi uſurpaverat a tempore B. Auſonii, conſilio prædicti capellani ſacroſanctas reliquias ſanguinis & aquæ contra muros extollere fecit, & ſtatim muri corruerunt, captaque civitate, interfectiſque Gothis, & expulſo Ariano Gothorum epiſcopo, venerabilem capellanum ſuum Aptonium conſecrare fecit, & in prædicta civitate conſtituit epiſcopum; & ſacerdos ſacras reliquias ſanguinis & aquæ cathedrali eccleſiæ obtulit, in qua uſque in præſens continentur, & maximo honore venerantur.* Et certe catholici Regis pietas, & prudentis principis providentia videbantur exigere, ut Gothum & Arianum epiſcopum in recens ſubjugata civitate reſidere non ſineret, & in illius locum virum catholicum, ſibique omnino devinctum ſubrogaret. Paucis annis pedum tenuit, obiitque anno circiter 510. 510.

IV. Lupicinus.

Lupicinus Aptonio, ſi vera ſunt quæ jamjam protulimus, ſucceſſit circa anno 510. Primæ Aurelianenſi ſynodo interfuit an. 511. interfuit & ſecundæ an. 533. tertiæ denique anno 541. ſubſcripſit, non per ſe ipſum quidem, ſed per Egerium presbyterum a ſe directum. Quo eodem anno vel ſequenti ineunte fato functus eſt, ut ex mox referendis patebit. 511. 541.

V. Aptonius II.

Aptonii ſeu Abthonii, vel Antonii initia ex hiſtoria S. Eparchii pendent. In confeſſo eſt apud omnes eruditos obiiſſe Eparchium an. 581. anno vero ſuæ reclusionis 39. e vivis exceſſiſſe ab æquali illius vitæ auctore aſſeritur: *Et ut ad extremum veniamus, cum annos 39. in recluſione expleviſſet, nullo tædio fatigatus, die cal. Jul. emiſit ſpiritum.* Recluſum porro ab Abthonio Engoliſmenſium antiſtite Eparchium aſſerit idem illius vitæ auctor. Iniit ergo epiſcopatum Abthonius anno circiter 542. Silentio nequaquam prætereundum aliter habere Gregorium Turonenſem, ac conceptis terminis aſſerere lib. 6. cap. 8. Eparchium anno ſuæ recluſionis 44. obiiſſe. Unde ſequeretur non ſub Apthonio, ſed ſub Lupicino Engoliſmæ recluſum fuiſſe Eparchium. Ut hunc nodum diſſolvant auctores, alii erraſſe Gregorium aſſerunt, majoremque auctori vitæ illius, ut pote coëtaneo, fidem adhibendam eſſe; alii, inter quos doctiſſimus pater le Cointe, interpolatum fuiſſe Gregorii textum inferunt. Alii denique ad hæc extrema confugere nequaquam neceſſe rati, cum noſtro D. Ruinart conjiciunt Gregorium totum tempus deſignare voluiſſe, ex quo Eparchius monaſticum habitum ſuſceperat a Martino Sedaciani monaſterii abbate, quod & aſſerere connaturale videtur, & ſuppoſitum, omnem difficultatem tollit. Interfuit concilio Au- 542.

[a] Hæc deſumta ſunt ex Gregor. Turonico, lib. 11. hiſt. cap. 37.

ANNI CHRISTI 549.

relianenſi quinto an. Chriſti 549. Sub ejus pontificatu nihil Eparchio fuit illuſtrius, cujus vitam omittere nefas. Nobili genere apud Petrocorios ortus, patre Felice, ſive Oriolo, matre Principia natus, ævum habuit Feliciſſimum tunc temporis comitem, apud quem diverſatus, cancellarius ejus effectus eſt; at ſeculi morum pertæſus, ab aula diſceſſit anno ætatis 15. & in Sidaciano cœnobio monaſticum inſtitutum amplexus eſt, ubi patratis miraculis, cum ſuum nomen jam celebre factum ferre non poſſet, venit Ecoliſmam. Hic ab Apthonio epiſcopo detectus, longius ire nequaquam permiſſus eſt. Obtenta ergo abbatis ſui & Petrocoricenſis epiſcopi licentia, in loco, & ſi non longe ab urbe, ſecreto tamen, recluſus, manſit per 39. annos. Interea ſacerdotii honore ornatus ab Abthonio, tanta virtute enituit, ut ad eum innumeri undique confluerent, ejus diſciplinis erudiendi. Hinc ad ejus cellam conſtructum cœnobium, perfectum vitæ monaſticæ exemplar. Tandem virtutibus plenus, miraculis, præſertim in liberandis reis morti addictis celeberrimus; vitam temporalem cum æterna commutavit an. 581. Abthonius porro noſter, aut ejus deceſſor ſupra relatus, is eſt qui ut ſanctus colitur 7. cal. Novembr. de quo in hagiologiis: *Civitate Engoliſma B. Aptonii epiſcopi & confeſſoris.*

VI. Mererius.

Clareſcentium S. Eparchii miraculorum fama commotus Charibertus, Germanum Pariſiorum & Gregorium [a] Turonenſium præſules miſit Engoliſmam, ibique, defuncto Aptonio, S. Eparchii eccleſiam, ut refert Ademarus, & poſt eum hiſtoriæ pontificum auctor, dedicarunt, *& in ipſa baſilica multa pignora reliquiarum B. Martini epiſcopi collocarunt.* Item in honore S. Petri cathedralem eccleſiam conſecrarunt, *quam Clodoveus a novo inchoari juſſerat, deſtructa priori ſede, quam Gothi Ariana maculatione fœdaverant, quæ fuerat ante in honorem S. Saturnini; ordinaveruntque in ipſa civitate, aſſenſu Regis, epiſcopum Engoliſmenſem Mererium,* ſic ab illis nuncupatur; a Greg. vero Turon. lib. 5. cap. 37. *Macharius, Magnacarius* & *Marharius*, quæ varia unius ejuſdemque viri ſunt, non diverſorum antiſtitum nomina, ut vulgo ſcribitur in elenchis. Hic porro a Gregorio dicitur Nancini comitis Engoliſmenſis avunculus, imo & ipſe *diu in ipſa urbe uſus* fuiſſe *comitatu*, eoque *officio expleto Eccleſiæ ſociatus, clericuſque factus*, ac *ordinatus epiſcopus, qui capellanus ipſius Regis erat*, ut habet auctor hiſtoriæ pontificum Engoliſm. *Multum vigilanter vel eccleſias, vel eccleſiæ domos & erexit & compoſuit*, inquit Gregorius. *Facundiſſimus fuit*, inquit Pontif. Engoliſm., *doctorque mirandus, cujus ſcripta, ut audivimus, Cluniacenſis eccleſia habet.* Tantus tamen vir, quo non mortalia pectora cogit ambitionis ſacra fames! *ſeptimo ſacerdotii anno, injecto ab inimicis in caput piſcis veneno, ſimpliciter accipiens, crudeliter enecatur*, ait Greg. *Sepultus eſt ſub altare B. Petri de ſubtus muro*, ut *antiquorum narrabat opinio*, inquit auctor hiſtoriæ, quæ & *aſſerebat*, quod innocentis corpus ſub eodem altari cum corpore *prædicti viri continebatur.* Maracharius interfuit dedicationi eccleſiæ Namneticæ per Felicem epiſcopum, ut refert Fortunatus lib. 3. Carm. 1. Multas *villas, teſtamento ſcripto*, eccleſiæ ſuæ reliquit. Obiiſſe videtur anno circiter 576. 576.

[a] Eruditi pro Gregorio legendum putant Euphronium, neque enim, inquiunt, Greg. Turon. hoc tempore ſedebat, anno ſcilicet 656. quo ordinatum putant Maracharium.

VII. Frontonius.

Frontonius eccleſiæ Engoliſmenſis canonicus & archipresbyter jam ſub Abthonio, a quo cum aliis ad Sabaudem Eparchii epiſcopum miſſus eſt, ut ab eo licentiam obtineret, ut ſanctus ille monachus Engoliſmæ ſedem figere, & in illius civitatis epiſcopi poteſtatem tranſmitti poſſet. Vir quidem primum optimæ famæ, ſed quam ſua ambitione dehoneſtavit, epiſcopalis enim dignitatis impotenti ardore ſuccenſus, ad eam ſui præſulis morte gradum ſibi ſtravit. *Sed non diu inultam* piiſſimi præſulis *mortem pertulit divina clementia:* Hic enim ipſe Frontonius, *cujus conſilio hoc ſcelus eſt perpetratum, adſumto confeſtim epiſcopatu, uno in eo degens anno, præcurrente judicio Dei, interiit.* Factus dicitur epiſcopus an. 576. & obiiſſe 577. *Greg. Tur. l. v. c. 37.* 576. 577.

VIII. Heraclius.

Poſt Frontonii obitum *Heraclius* qui & Eradius, *Burdegalenſis presbyter, qui quondam legatus Childeberti ſenioris fuerat, epiſcopus ordinatur,* circa annum 577. ut videtur Cointio. A Nancino Maracharii nepote plurimum divexatus eſt. Ille enim accepto Engoliſm. comitatu, *multas epiſcopo injurias inrogavit. Aiebat enim epiſcopo:* Homicidas illos, qui avunculum meum interfecerunt, tecum retines; ſed & presbyteros huic noxæ admixtos, ad convivium recipis. *Deinde inimicitia increſcente paulatim cepit villas eccleſiæ, quas Maracharius teſtamento ſcripto reliquerat, violenter invadere, adferens non debere eccleſiam ejus facultatem adipiſci, a cujus clericis teſtator fuerat interfectus. Poſt iſta vero, jam aliquibus ex laïcis interfectis, addidit ut adprehenſum presbyterum adligaret, ac conto perfoderet; cui adhuc viventi, retortis poſt tergum manibus, adpenſo ad ſtipitem, elicere quærebat, ſi in hac cauſa fuiſſet admixtus: quod cum ille negaret, profluente cruore de vulnere, reddidit ſpiritum. Qua de cauſa commotus epiſcopus, juſſit eum ab eccleſiæ foribus prohiberi.* Illi pœnitentiam ſimulanti, intercedentibus Santonicæ ſynodi epiſcopis, veniam conceſſit Heraclius; ſed ad vomitum ſtatim reverſus, iterum a communione ſuſpenditur, *quæ dum aguntur, impleto beatus pontifex vitæ curſu, migravit ad Dominum.* Nec ſic tamen inulta manſit comitis perfidia, ad communionem enim, *intercedentibus præmiis atque adulationibus* admiſſus, vindictæ ſubductus humanæ, divinam expertus eſt; ſtatim enim dyſenterico morbo correptus eſt, *qui nimia exuſtus febre, clamavit dicens: heu, heu! ab Heraclio antiſtite exuror, ab illo crucior, ab illo ad judicium vocor. Cognoſco facinus, reminiſcor me injuſte injurias intuliſſe pontifici:* hocque dum clamitaret, *deficiente robore corporis, infelicem animam fudit.* Obiit Heraclius circa annum 580. *Greg. Tur. ibid.* 577. 580.

IX. Nicasius

ANNI CHRISTI

IX. Nicasius.

Heraclio ſucceſſit Nicaſius circa annum 580. Synodo Matiſconenſi ſecundæ ſubſcripſit ut epiſc. Inculiſmenſis an. 585. Gundoaldo * favit, illumque in ſuam urbem gratanter excepit hoc eodem anno, teſte Aimoino lib. 3. c. 67. *Gundoaldus* [a] *iter ad Engoliſmam deflexit ubi ab antiſtite & proceribus gratanter exceptus, eorum remunerata ſedulitate, Petragoricas tendit. Unde ad illum & Antidium Agiunenſem epiſcopum objurgando dixit Guntchrammus: quid vos, ô ſanctiſſimi Patres, pro regionis utilitate, vel regni noſtri ſoſpitate tractaſtis ediſcite.* Ad quod tacuit uterque. In infando illo Pictavienſium monialium tumultu, in hiſtoria celeberrimo, cum ad has puellas redarguendas & in ordinem revocandas una cum Gundegeſilo Burdegalenſi metropolitano ſuo, & Saffario Petragoricenſi veniſſet, ac inemendabiles a communione ſuſpendiſſet, a nebulonibus quorum illæ utebantur auxilio, male exceptus eſt, & poſtmodum ſubſcripſit epiſtolæ ad epiſcopos de illarum excommunicatione commonendos, ſcriptæ an. 589. In libro de vita & virtutibus S. Eparchii apud Labbeum bibl. novæ pag. 523. dicitur: *Nicaſius quoque tunc temporis Engoliſmenſis epiſcopus, in civitate Burdegala eccleſiam ſacri ordinis in honorem S. Eparchii devote conſtituit, ubi etiam reliquiarum ejus pignora cum magna gloria, Deo auxiliante, collocavit.* Quidam ex his verbis conjiciunt Nicaſium ex epiſcopo Engoliſmenſi evaſiſſe Burdigalenſem; ſed hanc conjecturam in archiep. Burdig. exploſimus.

585. * Larvato illi regis Clotarii filio.

[a] Hæc deſumta ſunt ex Gregorio Turon. lib. VIII. hiſt. cap 2.

589.

X. Giboaldus.

Giboaldum epiſcopum nobis ſuppeditavit teſtamentum Bertchramni, inter epiſcopos Cenomanenſes ſanctitate conſpicui, conditum an. 616.

616.

XI. Namatius.

Miramur hunc epiſcopum in catalogis noſtrorum præſulum deſiderari, quippe ipſius meminit Frodoardus hiſtoriæ Remenſis eccleſiæ ſcriptor accuratus in Sonnatio archipræſule, dum recenſet epiſcopos qui ad ſynodum Remenſem convenerunt an. circiter 625. legitur enim ordine triceſimus primus *Namatius Egoliſmenſis.* Hæc ſynodus in conciliorum collectione locum habet. Nominatur etiam Namatius in fragmento privilegii quod S. Faro Meldenſis antiſtes conceſſit monaſterio S. Crucis, nunc S. Faronis, curavitque plurimorum epiſcoporum ſubſcriptionibus muniri. Hoc inſigne monumentum nunc in ampliſſima S. Genovefæ apud Pariſios bibliotheca aſſervatur. Catalogi, nulla autoritate fulti, nobis exhibent multos epiſcopos, quorum ſatis erit nuda nomina deſcribere. Sunt autem Matthæus, Sigiſmundus, Gotsmundus, Anſelmus, *al.* Anſelmundus, Berthoalis, Ardoinus, Gerbardus, Theomandus a Cointio inſertus cum Erogio, Adelardus ſeu Adebalardus, Madalbertus, Guillermus qui Cointio ad Pipini regis tempora videtur perveniſſe.

625.

ANNI CHRISTI

XII. Fredebertus.

De Fredeberto nihil nobis ſuppetit niſi quod habet pontificum Engoliſm. hiſtoria cap. 6. ſcilicet ad ejus petitionem Pipinum regem diploma conceſſiſſe an. 750.

750.

XIII. Launus I.

Launus primum Pipini regis capellanus, dehinc, ipſo procurante, Engoliſmenſis factus eſt epiſcopus an. 769. Carolus rex, & poſtmodum imperator, Unaldum inſequens, venit Engoliſmam, plurimos Francos ibi degentes aſſumſit, ad fluvium Dordoniam abiit, ubi Fronciacum caſtrum exſtruxit, indeque ſibi dedito Unaldo rediit Engoliſmam ubi *Launo epiſcopo poſtulante, fecit in monaſterio S. Eparchii autoritatem præcepti de terris quæ ibi ſine contentione erant . . . . . quod præceptum Bartholomæus ejus cancellarius ſcripſit, & ipſe dominus manu ſua firmavit, & de annulo ſuo ſigillavit. Erat eo tempore in ipſo monaſterio S. Eparchii canonicalis habitus.* Memoratur quoque in chartulario S. Eparchii Engoliſm. *Launus epiſcopus an. XIII. Caroli regis, ind. XV.* Verum non convenit indictio.

Tom. 2. coll. Quercet. vita Caroli magni. pag. 70.

769.

XIV. Landebertus.

Landeberti mentio fit in concilio Narbonenſi an. 788. adverſus hæreſim Urgelitani epiſcopi; ejus enim diaconus ipſius vice miſſus ſic decretis ſubſcripſit: *Ego Anſebrandus diaconus ad vicem Landeberti Eglinenſium epiſcopi S.* Hîc enim, ut nobis aliiſque videtur, Eglinenſes ſunt Engoliſmenſes, per ſyncopen enim ab Egoleſinenſes factum eſt Eglinenſes.

788.

XV. Salvius.

De S. Salvio ita loquitur Uſuardus ad VI. cal. Jul. *In portu Valentianas S. Salvii Engoliſmæ civitatis epiſcopi.* De quo vide notas ad hunc locum in Benedictina Uſuardi editione. Sigebertus ad an. 801. *S. Salvius epiſcopus veniens ab Aquitania ad fiſcum Valentianas, a Winigarad filio Gerardi procuratoris ipſius fiſci, martyriſatur, & ſuper ejus corpore requirendo Carolus M. imperator divinitus tertio admonitus, corpus quidem inventum honorifice ſepelivit, interfectores autem ejus gravi pœna multavit, nec tamen per hoc in eos ultio Dei ceſſavit.* Martyrologium Romanum: *6. cal. Jul. id eſt Jun. 26. apud Valencenas paſſio ſanctorum Salvii epiſcopi Engoliſmenſis & Superii martyrum.* Gallicanum quoque meminit illius profectionis ex Aquitania ad Hannoniam, & martyrii prope Valencenas. Molanus in natalibus ſanctorum Belgii: *In portu Valencianis S. Salvii epiſcopi Angoliſinæ civitatis & martyris*, &c. Bucelinus quoque lib. 3. Annal. Gallo-Flandr. ait: *Epiſcopus Engoliſmenſis Salvius*, &c. Ita etiam Outremanus lib. 1. cap. 7. & Vinchantus lib. 3. cap. 17. Scimus quidem Salvii nomen in Engoliſmenſium præſulum indiculis hactenus editis deſiderari. Verum cum & Sigebertus & perpetua Valencenarum traditio illum conſtanter agnoverint, cumque ei locus commode ſuppetere poſſit poſt Landebertum,

801.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

non videtur ei denegandus. Sic porro ejus gesta ex jam laudatis auctoribus describere possumus. Salvius in Arvernia natus, Engolismensis postmodum episcopus effectus est; tandem fidei zelo incensus, Valencianas profectus est ut ethnicæ superstitionis reliquias in ea regione deleret. Cum aliquando e Valentianis ad proximum vicum cui tunc nomen Brena, se contulisset, concionem ad populum habuisset, ac missarum solemnia celebrasset, vocatus ad epulas a Gerardo fisci procuratore, una cum socio discubuit. Supervenit Gerardi filius Winegardus, homo levis, lubricus ac superbus. Hic calicem aureum & pretiosa indumenta sacerdotalia episcopi cum vidisset, concupivit, compertoque quod Salvius Condatum ad ecclesiam B. virginis Mariæ profecturus esset, præivit, insidias in opportuno loco positurus. Hic transeuntem episcopum spoliat omnibus, catenis constringit, & in custodiam cum discipulo conjicit, utrique sequenti nocte caput amputatur. Martyrum corpora in armentorum stabulo defossa, ubi plurima visa sunt prodigia. Tandem Carolus-magnus per hanc regionem transiens, divinitus tertio admonitus ut sanctorum corpora quæreret, cœlesti voci paruit piissimus princeps, per incolas admonitus locum resodi jussit, inventæ sacræ martyrum exuviæ, & ad ecclesiam S. Martini translatæ, ubi signis & miraculis claruere. Gravi pœna mulctati sacrilegi martyrum interfectores. Tria porro eorum festa celebrantur, passio 6. cal. Julii, elevatio idibus Octobris, translatio septimo idus Septemb.

XVI. Sidranius.

Sidranius in episcopatu Engolismensi S. Salvio
801. successisse videtur. In episcoporum indiculis illius nomen servatum est.

XVII. Autbertus.

Autbertus Engolismensis episcopus claruit an.
844. 844. Hæc quippe habet chronicon S. Maxentii, seu Malleacense: *Anno 844. claruerunt Sergius papa, Amalricus Turonus, Amardus Petragoricus, Autbertus Engolismensis*, &c.

XVIII. Launus II.

Launum unicum recipiunt inter episcopos vulgati catalogi; at duplicem admittere cogimur: alterum de quo supra, qui Caroli magni coævus fuit, ejusque patris Pipini; alterum qui centum fere annis tardius floruit; interfuit enim concilio Suessionensi an. 853. & subscripsit ut *episcopus civitatis*
853. *Æquolesinæ.*

In chronico Engolismensi hæc habentur: *Anno D. CCC. LXIV. X. calend. Januarii D. Gerbaldi episcopi Engolismensis anima sublimatur ad æthera.* Sed hoc anno Elias qui sequitur, sedebat Engolismæ. Idcirco Gerbaldus vel est fictitius episc. vel abdicarat ante mortem, vel error irrepsit in notando ejus mortis anno.

XIX. Elias I.

Elias, Scotus, Theodulphi Aurelianensis episcopi discipulus, [a] vir doctissimus qui in Gallia mirifice scholas rexit, Engolismensium episcopus erat jam anno 862. quo subscripsit synodo Pistensi hoc modo: *Helias gratuita Dei dispositione Equalismorum episcopus.* An. 866. ejus nomen additum legitur tum epistolæ patrum concilii III. Suessionensis ad Nicolaum papam I. tum privilegio concesso monasterio Solemniacensi ab eadem synodo; alteri quoque privilegio quod a synodo Vermerien si obtinuerunt Vedastini apud Atrebatum monachi circa hoc tempus. An. 868. ind. I. 12. cal. Februarii Eliam adiit quidam Teutbertus, & coram eo restituit mansum quemdam situm in villa Ulciaco, ex chartulario ecclesiæ. Adfuit an. 869. synodo Vermerien si, ubi primum accusatus est Hincmarus Laudunensis episcopus, & confirmata sunt quædam præcepta regia pro Caroffensi monasterio. Obiit an. 875. ex chronico Ademari: *Non multo post tempore Ludovicus* (imperator) *obiit, & Carolus* (Calvus) *in imperatorem elevatus est. Quo tempore gravissime Normanni Aquitaniam afflictabant, & Helias Scotigena Engolismensis episcopus defunctus est.* Addit quod omittere nequaquam possumus: *Monasterium quoque B. Eparchii a Normannis desolatum est, ita ut nullus monachorum inibi degeret, & hac de re canonicalis ordo ibidem regrederetur, qui nuper exierat.* Hæc omnia exscripsit Malleacense chronicon, sed male refert ad annum 868. Pejus adhuc chron. Engolismense quod ad annum 860. ait: *Obiit Elias Scotus episcopus X. cal. Octobr.*

ANNI CHRISTI a 862. *Diplomat. lib. V. pag. 454.* 866. 868. 869. 875.

XX. Ooliba.

Oolibæ seu Olibæ episcopatus initium refert his verbis Ademarus in chronico: *Carolus hoc comperto* (Enemonis Engolismæ comitis interitu) *Vulgrinum propinquum suum, fratrem Alduini abbatis, ex monasterio S. Dionysii direxit in Aquitaniam, & præfecit eum comitem Engolismæ simul & Petragoricæ, & Oolibam statuit in episcopatu Engolismensi;* cujus verba exscripsit chronic. Malleac. ad annum 875. ubi vocat eum Olibam. Exscripsit & auctor chron. episc. Engolism. c. 11. qui Hoolibam nuncupat. Finem quoque sic narrat idem Ademarus: *Vulgrinus tenuit* (Engolismæ, Petragoricæ, & Aginni) *principatum per 17. annos.... quo tempore defuncto eodem Vulgrino quinto nonas Maii, & sepulto juxta basilicam sancti Eparchii, quinto anno post eum Oliba episcopus diem clausit.* Sibi tamen non constat, ut pote qui paulo post eadem fere repetens, ait: *Vulgrinus Aginnum sibi vindicans propter sororem Willelmi Tolosani..... Egolismam & Petragoricam rexit perstrenue, Aginnum per 26. annos, Egolismam & Petragoricam per 15. annos, & 16. anno post mortem Lotharii defunctus est.* Sic vero chronicon pontif. Engol. cap. 13. *Defuncto Ludovico* (Balbo) *regnavit filius*

[a] Referunt Summarthani hanc doctorum virorum seriem, a quibus veluti propagatus fuerat Elias, ex codice quodam descriptam: *Beda docuit Simplicium, & Simplicius Rabanum, qui a transmarinis oris ab imperatore Carolo vocatus, in pontificali in Francia promovetur, qui Alcuinum docuit, Alcuinus Maragdum, Maragdus Theodulphum Aurelianensem episcopum, Theodulphus Eliam Scotigenam Engolism. episcopum.* Ibidem dicitur Heliam Henricum discipulum habuisse, Henricum vero reliquisse Remigium & Hugbaudum philosophiæ auctores.

ANNI CHRISTI

ejus Carolus inſipiens. Quo tempore Vulgrinus Engoliſmenſis migravit a ſeculo, decimo (imo 5°. inquit Labbeus) *nonas Martii..... Poſt cujus mortem quinto anno Hooliba epiſcopus diem clauſit.* Porro regnare cœpit Carolus an. 983. Ergo Oliba dicendus foret obiiſſe ſaltem anno 898. Denique chronicon Engoliſmenſe apud Labb. t. 1. bibl. novæ p. 324. ait: *892. tertio nonas Septembr. Oliba epiſcopus obiit.* Hoc & conceptis terminis aſſerit breve chronicon comitum & epiſcoporum Engoliſm. quod habetur in MS. codice biblioth. S. Martialis Lemovic. quodque exſcripſit noſter D. Claud. Eſtiennot in Antiquit. Bened. Engol. in præf. poſita diſſert. pag. 5. Sic porro habet chronicon illud: *An. 886. Vulgrinus comes obiit.* an. 892. *Ooliba epiſcopus Engoliſm. obiit 3. nonas Septemb.* De ipſo in tabulario cathedralis eccleſiæ Engoliſmenſis hæc habet charta quædam: *Frofadus, licet indigne, diaconus ex canonica ipſius almi Cæphe* plura cedit in vicaria S. Geneſii in villa quæ vocatur Domero-fonte, *Equaliſinorum matri eccleſiæ, ubi vir exhimius Oliba rector dominium tenet anno Incarnationis Dominicæ 879. S. Frofadus levita ceſſione a me facta. S. Ramnulpho vicecomiti*, &c. *data vel facta ceſſione iſta in menſe Jun. anno 1. poſt obitum Ludovici.* Reperitur & iſta: *Anatholis, licet indigne ſacerdotii fungens, nec ne Iſimbardus diaconus ex canonica almi Cæphe, donant plura in vicaria S. Geneſii in villa Aſenarias ſuper rivolum Rodanum prope fluvium Nodra, eccleſiæ ſancti Petri Equaliſinorum matri, ubi Oliba præſul rector dominium tenet. S. Anatholis ſacerdos, Iſimbardus diaconus, ceſſione a nobis facta. Oliba epiſcopus precaria a me facta. Bertrannus, Frofaudus levita*, &c. *data vel facta ceſſione atque precaria in menſe Maio in anno primo poſt obitum Ludovici regis filio Caroli imperatoris.* De illo tandem loquitur Ademarus in chronico, cum refert poſt Vulgrini mortem filium ejus Alduinum 30. annos vixiſſe, muros Engoliſmæ a patre inchoatos conſummaſſe, eoque tempore, Oliba pontificatum adhuc tenente, Normannos crebras irruptiones per Aquitaniam exercuiſſe. Hincque factum ut monachi S. Carrofi, adhuc vivente Vulgrino comite, in civitatem illam confugerint, illucque ſua quæque pretioſa, præcipueque partem aliquam crucis Chriſti tranſportarint. Ceſſante vero barbarorum infeſtatione, Alduinum ſacrum illud pignus apud ſe retinere voluiſſe, vocatiſque e Francia architectis juſſiſſe ædificari eccleſiam in honorem Salvatoris extra muros in capite baſilicæ S. Eparchii, ut in illa lignum Crucis & S. Eparchii corpus poneret, vocaſſeque a Francia epiſcopum Frodebertum conſanguineum ſuum, ut utrumque præſtaret, illum reipſa prius exſecutum fuiſſe, non vero poſterius, imo ipſomet conſecrationis die, poſt peractum ſolemne ſacrificium, placida morte ante altare Salvatoris in Domino obdormiſſe, ibidemque ſepultum ab Oliba, qui & ipſe poſt modicum obiit. Quod & refert hiſtoria pontificum Engoliſmenſium cap. 12.

892.

XXI. ANATOLUS.

ANNI CHRISTI

Anatolus, qui & Anatalus * ex Ademaro, hiſtoria pontif. Engol. & veteri codice Vertolii, Olibæ ſucceſſit; ſic enim Ademarus: *v. anno poſt Vulgrinum, Oliba epiſcopus diem clauſit, & Anatolus in loco ejus pontifex ordinatus, III. anno vitam finivit.* Quæ ejus verba repetit hiſt. pontif. Engoliſm. auctor vero chronici Engoliſm. ejus mortem conſignat ad annum D. CCC. XCV. XII. cal. Maii; alii an. 896.

* *f.* Anatolis in charta Frodoardi ſubſcripta.

XXII. GODALBERTUS.

Godalberti ſolum nomen cognitum eſt; eum Olibæ ſucceſſorem immediatum aſſerit Corlæus. Verum Fulienſis qui Ademari epitomen notis illuſtravit, contra affirmat eum non niſi poſt Anatolium ſedem Engoliſmenſem tenuiſſe, quod & auctoritate veteris codicis Vertolii confirmat. Certe conceptis adeo terminis Anatolium Olibæ fine medio ſucceſſiſſe aſſerunt Ademarus, hiſtoria comit. & pontif. Engoliſm. ac Sanmartialenſe chronicon, ut id negari non poſſe videatur. Unde hunc ipſi locum tribuere non dubitamus.

XXIII. GUMBALDUS.

Gumbaldus, qui & Guibaudus, & Guabaldus in antiquis monumentis ſæpe memoratur. *Eo tempore*, inquit Ademarus de Willelmo Sectore-ferri loquens, *Gumbaldus epiſcopus decedens ſucceſſorem habuit Fulcaldum.* Hiſtoria pontif. & comit. Engoliſm. cap. 16. de Aldoino comite ſermonem habens, ait: *quo tempore Guibaudo pontificatum Engoliſm. gerente.* Et cap. 19. de Guillelmo Sectore-ferri ſermonem faciens ait: *Quo tempore Guibaudus epiſcopus Engoliſm. decedens ſucceſſorem habuit Focaudum.* Clarius & diſertius chronicon Engoliſm. Labbeanum: *Calend. Aprilis obiit Gumbaldus epiſcopus, qui ſedit annos 43. dies 21.* Quod totidem verbis exprimit Sanmartial. chronicon comitum & epiſc. Engoliſm. niſi quod Guabaldum vocat quem Labbeanum chronicon Gumbaldum appellat. Ex quibus inferendum illum epiſcopatum circa 897. iniiſſe, abſolviſſe an. 941. In chart. cathed. eccl. Engol. exſtat illius diploma quo conſentientibus canonicis & nobilibus viris, 4. denarios annuatim ſolvendos iis omnibus imponit qui junctum terræ in eccleſiæ S. Petri Engol. territorio haberent. Datum porro eſt *in menſe Novembri anno XXV. regnante Carolo filio Ludovico regi.* Ludovicus ille eſt qui Balbus cognominatus eſt; Carolus vero ille quem Simplicem nuncupamus. Datum ergo eſt prædictum inſtrumentum anno circiter 916.

897. 941. C. 1. col. 443.

XXIV. FULCALDUS.

Fulcaldus qui & Fulcaudus, & Focaudus dicitur, acceptiſſimus fuit Guillelmo comiti qui cognominabatur Sector-ferri, & inſtauravit S. Eparchii abbatiam. In charta majoris eccleſiæ legitur Odolricum, & Lambertum, & Tedricum, & Aladelmum fratres ejus, eccleſiæ S. Petri in Equalina civitate *ubi venerabilis vir domnus Fulcaldus, divino nutu epiſcopus rector eſſe dinoſcitur*, pro re-

ANNI CHRISTI

medio animarum ſuarum, & Ingualbertanæ matris eorum, plura ceſſiſſe in villa Valentia, in vicaria S. Geneſii, *facta donatione iſta menſe Martio anno VIII. regnante Ludovico rege* Ultramarino; 943. hoc eſt an. 943. De mortis ejus tempore variant antiqua monumenta. Chronicon Engoliſm. Lab- 951. beanum hæc habet: *An. D. CCCC. LI. ind. IX. IV. idus Febr. domnus Fulcaldus epiſcopus migravit a ſeculo, qui ſedit annis XII. menſibus XI. diebus XI.* Sanmartial. pariter: *Fulcaldus epiſcopus obiit IV. idus Febr. ſedit annis XII.* Hiſtoria pontif. & comit. Engoliſm. cap. 21: *Focardus epiſcopus migravit a ſæculo an. 951. ab Incarn. Dom. qui ſedit annis XII. menſibus XII. diebus XIII.* Paulo aliter Ademarus: *Francorum rege Ludovico vita exeunte, regnavit pro eo Lotharius filius ejus ex Girberga regina progenitus. Quo tempore Fulcaldus epiſcopus Engoliſmenſis, poſtquam præfuit XII. annis, defunctus eſt, & ſepultus juxta baſilicam S. Eparchii.* Certe obiit Ludovicus Ultramarinus dictus, anno 954. Ubinam error? incertum. Male computant auctores illi primo recenſiti, nec enim a 940. ad 951. numerantur anni 13. ſed 12. Ut ut eſt, non magni momenti mendum eſt. Sepultus eſt juxta baſilicam S. Eparchii.

XXV. EBULUS.

Ebulus, qui & Eblo & Ebbo, Fulcaldo ſucceſſit. De eo ſic Ademarus: *Defunctus eſt* (Fulcaldus) *& ſucceſſit in epiſcopatu Ebulus, qui & ipſe XII. annis præfuit & tumulatus eſt ſecus eum in B. Eparchii baſilica.* Chronicon Engoliſm. Labbeanum: *Anno D. CCCC. LXIV. XV. cal. Febr. Eblo epiſcopus glorioſam vitam finivit, ſed glorioſiorem in Chriſto percepit. Sedit annos XII. menſes IX. dies XVI.* Chronicon aliud S. Martialis: *An. D. CCCC. LXIV. Ebulus epiſcopus obiit Engoliſmenſis XV. cal. Febr. Sedit annos XII. menſes IX. dies XVI.* Hiſt. pontif. & com. Engol. c. 19. paulo generalius: Focaudo *ſucceſſit Ebulus, qui & ipſe præfuit eccleſiæ XII. annis.* Ejus tempore plura conceſſit cathedrali eccleſiæ Guillelmus Sector-ferri, ut patet c. 11. col. 444. ex charta ſuo loco referenda. Iterius quoque & conjux ejus Aladaix eccleſiæ S. Petri *in Equaliſina civitate, ubi venerabilis vir domnus Ebulo epiſcopus eſſe dinoſcitur*, donat nonnulla ſita in villa quæ vocatur Vaſnaco. *Facta donatio iſta an. XIX. regnante Ludovico rege. Radulphus rogitus ſcripſit.* Hæc tamen temporis inſcriptio ſtare nequit.

XXVI. RANULPHUS.

Ademarus qui Fulcaldo Ebulum in epiſcopatu ſucceſſiſſe jam jam aſſeruit, tribus poſtea paginis idem de Ranulpho pronuntiat. Unde inferendum erraturos qui ex iis verbis eum fuiſſe immediatum ſucceſſorem concluderent. Sic porro loquitur Ademarus: *Fulcaldus epiſcopus per XII. annos vivens Ranulphum ſucceſſorem ſuum accepit*, qui *per 9. annos epiſcopus exſtitit.* Hunc quoque ordinem a nobis inſtitutum ſignificat Malleac. chronicon his verbis: *Engoliſmæ Gundaberto ſubrogati ſunt Fulcaudus, Ebbo, atque Ramnulphus.* Hiſtor. pontif. & comit. Engol. c. 21. *Focaudus reliquit ſibi ſucceſſorem Ranulphum, qui regens epiſcopatum Engoliſmenſem annis 9. menſibus 11. diebus 14. obiit 10. cal. Febr.* Chron. Engol. Labbeanum: *973. 19. cal. Febr. Rannulphus epiſcopus obiit, qui ſedit annis 9. menſibus 9. diebus 13.* Quæ totidem verbis habet Engoliſm. chron. S. Martialis. Ex variis iſtis contextibus colligitur Ebulum & Ranulphum fuiſſe Fulcaldi ſucceſſores; qui forte de epiſcopatu contenderunt, & præfuerunt unus poſt alterum, ſcilicet Rannulphus poſt Ebulum, ex chronico Malleacenſi laudato.

ANNI CHRISTI 973.

XXVII. HUGO I.

Hugo patria Santonicus, genere nobilis, natus e ſenioribus, id eſt, dominis de Jarnaco-caſtro, quos vulgariter Comptarios vocant, inquit hiſtor. pontif. & comit. Engoliſm. c. 22. vir aſtutus & eloquens, ac litteratus, qui fertur beati Eparchii vitam conſcripſiſſe, ordinatus eſt Engoliſmenſis epiſcopus 12. cal. Aprilis 973. ex hiſtor. pontif. & comit. Engol. Chronicon vero Engoliſmenſe Labbeanum ſic illius conſecrationem conſignat: *D. CCCC. LXXIV. III. cal. Aprilis Hugo pontificali ordine ſacerdot. eſt functus.* 974. Mererii deceſſoris ſui corpus *ſub altare B. Petri de ſubtus muro ſepultum, cum prædictum altare pro reædificatione eccleſiæ dirueretur*, invenit, ac cum eo corpus unius ex ſanctis Innocentibus. *Sed quia ſine litteris & titulo corpora illa inventa ſunt, publice noluit revelari; ſed tale conſilium omnibus placuit, quod ſicuti ſub priori altari fuerant, ita ſub reædificato reponerentur, ſub quo uſque in præſens requieſcunt.* Ut illuſtris generis erat Hugo, ita animum faſtu ſuperbientem, poſt prima epiſcopatus initia, magis ad armorum quam ad pietatis ſtudium applicuit. Concepto enim deſiderio ſibi ſuæque eccleſiæ comitatum Engoliſmenſem acquirendi, congregatis armatorum hominum copiis, Arnaldo comiti bellum indixit: *Qua de cauſa bona Engoliſmenſis eccleſiæ detrahens, maxima caſamenta in Lemovicenſi, Petragoricenſi, Engoliſmenſi, Xantonenſi epiſcopatibus, baronibus, qui in prædicta ſeditione ei auxilium præbebant, impendit.* Hinc epiſcopali cenſu vix non exhauſto, ad tantam deſolationem verſa eſt cathedralis eccleſia, quod pauci monachi * ibi Deo ſervientes, de bonis eccleſiæ vix ſuſtentari poterant. Tot calamitatibus motus Hugo, ac divina tandem ultione perterritus, ad ſe ſe rediit, ab ambitioſis inceptis abſtitit, pacem iniit cum Arnaldo, ac deinceps quietam & epiſcopo dignam vitam egit. Illius mentio fit in charta qua Willelmus Ecoliſmenſis comes, monaſterium ſancti Amantii de Buxia, quod a majoribus ſuis ab eccleſia cathedrali fraude ſubtractum fuerat, eidem cui tunc Hugo præerat, reſtituit *anno Incarnationis Dominicæ 988. indict. 1.* cui chartæ ſubſcripſit Hugo. 988.

Hiſt. pontif. & comit. Engoliſm. cap. 4.

Hiſt. pontif. & comit. Engoliſm. cap. 22.

* Notat auctor hiſt. pontificum & comitum Engoliſm. his temporibus in eccleſia Engol. monachos munia canonicorum obiiſſe. Addit anonymus ille, cum hæc ſcriberet, cymbalum in clauſtro eccleſiæ, & alias monaſticas conſuetudines in illa eccleſia adhuc ſervatas fuiſſe. Quæ omnia pariter notant MSS. cod. S. Eparchii & biblioth. Davidianæ ſeu domini de Boiſmorant. Sane MS. codex S. Eparchii ab annis fere trecentis exaratus, in quo hæc quæ refert auctor ex archivis quæ nondum perierant, deſumta eſſe teſtatur, ſummam inter utrumque S. Petri, ſeu cathedralis eccleſiæ, & S. Eparchii cœnobium ſocietatem fuiſſe obſervat, *ita ut ad libitum vel juſſionem epiſcopi aut abbatis ſedem mutarent*, Deoque vel in cœnobio S. Petri, vel in aſceterio S. Eparchii famularentur.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

Fuit unus ex epiſcopis, qui Gumbaldo Burdegalenſi archipræſuli Alduinum Lemovicenſem epiſc. conſecranti cooperati ſunt; quem etiam, ut habet Ademarus, *Lemovicæ inthronizavit, primo in cath. vectatoria apud eccleſiam S. Geraldi, deinde in ſede S. Martialis.* De tempore quo pedum tenuit, & anno quo fato functus eſt, variæ ſunt auctorum ſententiæ. Utrumque ſic notat hiſtoria pontif. & comit. Engol. c. 22. *Deceſſit D. CCCC. XXI. an. ab Incarnat. Domini 8. cal. Decemb. ſedit annis 12.* ubi in notis annorum Chriſti error eſt manifeſtus, quo pacto enim aſſerere potuit mortuum an. 921. quem 973. epiſcopatum iniiſſe aſſerit? Carlonius ejus obitum conſignat anno 986. eique 14. regiminis annos attribuit. Chronicon Engoliſmenſe Labbeanum, initium ejus refert ad annum 974. mortem conjungit cum anno 990. Hunc, quod ad obitus annum ſpectat, ſequuntur Labbeus, & noſter Mabillonius. Nos paulo ſerius, anno ſcilicet 993. aut ad ſummum 992. ex ſuperius dictis de Alduini Lemovic. conſecratione. Accedit quod iniiſſe epiſcopatum videatur 974. & pedum per 20. annos tenuiſſe. Sic enim Ademarus in chronico: *Ugo epiſcopatum per XX. annos obtinuit.* Unde ſequitur obiiſſe anno 993. hocque duplici auctoritate confirmamus. Prima eſt chronici Engoliſmenſis ſancti Martialis, in quo ſic legitur: *Anno D. CCCC. XCIII. Ugo epiſcopus Engoliſmenſis obiit VIII. cal. Decemb.* Altera eſt Petri presbyteri Engoliſmenſis, qui ſynodo Lemovicinæ ſecundæ anno 1031. interfuit, in qua ſic loquitur: *Hugo Engoliſmenſis epiſcopus, vir undequaque doctiſſimus, qui ante hos 40. annos migravit*, id eſt anno 992. Ut ut eſt, *obiit in monaſtico habitu*, inquit hiſtor. pontif. & com. Engol. c. 22. *&, ut credimus, in vita depoſuit ſe, maxime cum corpus illius ſine virga & annulo in ſepulcro ſuo inventum fuerit, cum vetus eccleſia B. Eparchii dirueretur.* Eo *urgente*, eccleſiæ nonnulla tribuit Willelmus comes. Hilduinus filius Ademari & Hetholanæ, cedit manſum indominicatum in villa de Cavaniaco, eccleſiæ S. Petri Engoliſm. & dono ſubſcribit Hugo epiſcopus menſe Sept. anno 19. regnante Leotario rege.

Labb. bibl. nov. tom. i. pag. 325.

Ibid. tom. ii. pag. 333.

Ad an. 990. pag. 64.

DE MUCIDAN

XXVIII. GRIMOARDUS.

Grimoardus patria Petragoricus, Aimerici vicecomitis Mucidanenſis, & Iſſonis Xantonenſis epiſcopi germanus frater, poſt Hugonem ad Engoliſmenſem provectus eſt cathedram, datis muneribus, inquit Ademarus. A Willelmo comite monaſterium S. Eparchii expetiit, ſibi vendicavit, & per multos annos ſine abbate manere fecit; pluresque ejuſdem monaſterii poſſeſſiones parentibus ſuis, & aliis ſecularibus erogavit, & a loco alienavit.... Aimerico germano ſuo, duci Moxedanenſi, donavit in poſſeſſionem monaſterium Tomolatenſe, quod hactenus ſemper fuerat in dominio aſceterii Eparchiani: & quod pejus, non poſt multos annos dux Moxedanenſis, ducibus ſuis, quos *infernales* dicunt, illud jure beneficii conceſſit; & ita penitus ipſa poſſeſſio ab antiquo S. Eparchii abalienata eſt. Lapſo aliquo tempore (neſcio an divina premente vindicta) a Guidone Lemovicum vicecomite, quod ei Brantoſmenſe monaſterium tranſcribere recuſaret, captus eſt, & in carcerem conjectus. Poſtea ſub certis conditionibus relaxatus, Romam adiit, & apud Gerbertum ſeu Silveſtrum II. papam, de Guidonis impietate conqueſtus eſt. Vocatus in jus vicecomes ſtitit ſe judicio. Agitata cauſa utrinque ipſo Paſchatis die, papæ ſacrique ſenatus decreto ſtatutum eſt, ut qui violentas epiſcopo manus intulerat, equis indomitis in oppoſitas partes actis alligatus, membratim diſrumperetur, & a feris dilaceraretur. Grimoardo mox ad cuſtodiendum traditus eſt, poſt tertium diem tradendus ad pœnam. Verum miſericordia motus epiſcopus, cum Guidone in amicum recepto, Roma clam aufugit, & in Galliam ſe recepit.

Bibliothk. Labb. t. ii. pag. 171.

Anno 1003. præſentibus Grimoardo epiſcopo & Guillelmo comite, Amelia Gammonis uxor Hugoni II. abbati Moiſſiacenſi alodem Calonicas dictum in pago Santonico injuſte poſſeſſum dimiſit. 1003.

Anno 1010. Arnaldum Petracoricenſem epiſcopum una cum Siguino Burdeg. archiepiſcopo, Iſſoneque fratre epiſcopo, conſecravit apud S. Benedictum de Nantolio, in Quadrageſima. Adfuit etiam cum Giraldus in Lemovicenſem epiſcop. Pictavis ordinatus eſt a *Siguino* metropolitano; eumque *poſt benedictionem* Lemovicam uſque cum Arnaldo Petracor. comitatus eſt. Exinde majorem eccleſiam apud Engoliſmam cum Siguino & Iſſone dedicavit. Conſtructo Baſſiacenſi * monaſterio a Wardrado e principibus Engoliſmenſium, ipſo petente, Grimoardus Engoliſmenſis, & Iſſo Santonenſis epiſcopi novam eccleſiam conſecrarunt. 1010. *Ademarus in Chron.* * *Baſſac.*

Labb. bibl. tom. ii. pag. 765.

Adfuit concilio Pictavienſi, quod idibus Januarii coëgit Guillelmus Pictavorum comes, pro eccleſiæ reſtauratione. Sub vitæ finem reddidit eccleſiæ ſuæ nonnulla, quæ ſuis uſibus retinuerat; *non tamen* juſte. Vide chartam 1v. inter inſtr. col. 445. Dedit inſuper manſum de Tournac, & alia quædam, ad canonicorum preces ſibi promerendas.

De mortis illius anno non convenit inter auctores. Fulienſis qui epitomen Ademari notis illuſtravit, illam conſignat an. 1015. noſter Mabillonius an. 1016. Corlæus an. 1018. Ex his quæ clericus Engoliſmenſis, huic epiſcopo ætate ſuppar, dixit in concilio Lemovic. II. an. 1031. ſequitur Grimoardum an. 1018. obiiſſe; ſic enim loquitur: *Hugo Engoliſm. epiſcopus..... qui ante hos 40. annos migravit* (id eſt 992.) *cujus ſucceſſor ante annos 14. eſt defunctus* (id eſt 1018.) Fateor tamen non ita ſtricte accipienda hæc, ut unum aut alterum annum, vel addere vel detrahere poſſimus. Sepultus eſt in matre eccleſia, juxta altare capituli, quo ex loco tranſlatum eſt ejus corpus, & ſubter quemdam arcum capituli depoſitum, cum nova ædificaretur eccleſia. 1018. *Hiſt. pontif. Engoliſm. cap. 24.*

XXIX. GUILLELMUS I.

Vir clar. Honoratus Caille dominus du Fourny; in nova & emendatiori editione hiſtoriæ patris Anſelmi, Auguſtiniani diſcalceati; ubi agit de majoribus Franciæ venatoribus, meminit cujuſdam Guillelmi Engoliſm. epiſcopi, qui dedit eccleſiam S. Bibiani de Niœuil abbati Uſerchienſi an. 1019. Guillelmus iſte ſedit brevi admodum tempore, ſi

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

tamen ſedit; de ipſo enim in faſtis eccleſiæ, in aliiſque veteribus monumentis altum eſt ſilentium.

XXX. Roho

Roho, qui & Raho & Roo ſcribitur, natus eſt Montacuti, quod oppidum eſt in Pictonibus. Vir fuit ob ſummam tum eruditionem tum virtutem clariſſimus; unde concurrentibus omnium votis, in Engoliſmenſem electus eſt antiſtitem. De eo Ademarus: *Poſt Hugonem fuit Grimoardus, deinde Roho epiſcopus glorioſus Engoliſmæ refulſit.* Vix cathedram conſcenderat, cum Willelmus comes S. Amantii cœnobium, in caſtrum Montiniacum transferre decrevit. Verum quia locus iſte Ecoliſmenſi eccleſiæ ſubjectum erat, locum condendo monaſterio aptum a præſule, compenſatione oblata poſtulavit. Aſſenſit Roho cum conſilio Arnaldi archidiaconi, omniumque clericorum *matris eccleſiæ S. Petri.*

Adeo acceptus fuit Roberto Francorum regi, ut in ejus gratiam Engoliſmenſem ſedem epiſc. & eccleſiam variis reditibus ampliaverit, & privilegiis exornarit piiſſimus princeps. Exſtat charta Otgerii canonici, qua clericis eccleſiæ dat altare Crucifixi fundatum *in monaſterio S. Petri* Engoliſmenſis; in cujus inſtrumenti ſubſcriptionibus hæc primo loco occurrit: *S. ſancti patris noſtri domni epiſcopi Engoliſm. Rohonis. IV. cal. Februarii anno*
1021. *M. XXI. ab Incarnat. Dom. indict. IV.*

1024. Anno 1024. pridie nonas Martias indict. 7. ſubſcripſit litteris fundationis cellæ de Liſiniaco, auctore Hugone illius loci toparcha. Dedicationi percelebri baſilicæ S. Salvatoris, ſive S. Martialis apud Lemovicas interfuit hoc eodem anno, 15. cal. Decembr. cum decem aliis præſulibus, Aquitaniæ & Vaſconiæ ducibus, aliis principibus, & magna Aquitanorum frequentia.

Chron. Gauſr. Vo-ſiens. c. 10.

Hoc ipſo anno ex urbe Jeroſolyma reverſus eſt Willelmus Engoliſmenſis comes; ſtatimque Amalfredum monachum viæ ſocium, S. Eparchii abbatem conſtituit, quem *ordinavit Roho epiſcopus.* In lethalem morbum lapſus comes, ubi finem ſuum inſtare ſenſit, *ab epiſcopis & abbatibus pœnitentiam ſuſcepit*, rebuſque ſuis diſpoſitis, *reconciliatus* eſt. Tandem hebdomada Paſſionis unctus oleo ſancto, *ſpiritum in manu Rohonis epiſcopi & ſacerdotum Deo reddidit*, & ipſa Dominica Palmarum in baſilica S. Eparchii, ante altare S. Dionyſii, a Rohone Engoliſmenſi, & Arnaldo Petracoricenſi epiſcopis eſt ſepultus, cum hoc epitaphio: *Hic jacet domnus amabilis Guillelmus comes Engoliſmenſis, qui ipſo anno quo venit de Jeruſalem obiit in pace, ſexto * idus Aprilis vigilia Oſannæ M. XXVIII. ab Incarn. Dom.* Annus hic 1028. ſecundum veterem calculum eſt 1029. Hoc ipſo anno ſua ſubſcriptione confirmaverat litteras quibus Kadalonus ſeu Cadelo vicecomes de Oniaco, ut Beſlius habet, villam unam pagi Pictavienſis, quæ Trionenſis vocatur, ſitam in vicaria caſtri Metulenſis *, S. Petro Cluniac. *in poteſtate & magiſterio domni Odelini*, id eſt Odilonis, conceſſit, ut illic cellam monachorum inſtitueret. Adfuit quoque conſecrationi eccleſiæ cellæ de Bota-villa, quam conſtruxerat Gaufredus II. Willelmi Engoliſmenſis comitis filius.

Labb. bibl. tom. II. pag. 183. & 255.

* octavo.

1029.

* Melle.

Bibl. Sebaſt. pag. 132.

Convenit anno 1031. ad ſynodum II. Lemovicenſem, in qua iterato de B. Martialis apoſtolatu actum eſt; qua de re laudatur Hugonis epiſcopi Engoliſm. ſuperius commemorati teſtimonium. Ibidem refertur quemdam ex parochianis noſtri Rohonis, ab eo excommunicatum, & ſatisfacere recuſantem, Romam petiiſſe, & litteras ad eum retuliſſe ex *apoſtolici* nomine ſcriptas, quibus rogabat hunc epiſcopum, ut quæ Romæ facta fuerant pro rei pœnitentia, confirmaret; ſed Rohonem, fraude detecta, minime annuiſſe.

ANNI CHRISTI 1031.

Quædam *dimiſit* clericis ſuæ eccleſiæ canonice viventibus; in his *duos molendinos*, charta quæ ſic incipit: *Hæc eſt dimiſſoria qua dimitto atque reddo ego athleta Domini Roho*, &c. Subſcripſit alteri chartæ Willelmi comitis, & Hilduini comitis ejus filii, qua dant ad baſilicam S. Petri Equaliſinorum ſedem, ad ſtipendia fratrum ibidem Domino militantium, omnia quæ ad ſe pertinent in villa *Algonno*, inter fluvium Carentonæ & Tolveræ. Utraque charta temporis notam non præfert.

Ignoratur quo anno & tempore obierit Roho. *Sepultus eſt in capite cathedr. eccleſiæ a parte auſtrali.* Ejus ætate floruit Ademarus Cabanenſis, vir primæ nobilitatis, nec minus pietate ac doctrina inſignis, profeſſione monachus in Eparchiano cœnobio, cui plurimum debet hiſtoria. Rohoni acroſtichicis verſibus nuncupavit hiſtoriam Romanorum pontificum Damaſo adſcriptam, quam habes inter Mabillonii analecta, t. 1. p. 418.

XXXI. E. I.

In libro homagiorum Engoliſmenſis eccleſiæ ſub Guillelmi Fulconis pontificatu ſcripto, in homagio Petri Maczana de Dinthaco fol. 133. legitur quod *venerabilis pater E. I. Engoliſmenſis epiſcop. ſignum ſuum apponi fecit in teſtimonium veritatis. Datum an. Domini M. XXXIII. in menſe Octob.* 1033.

XXXII. Gerardus I.

Malart.

Gerardus qui & Girardus & Geraldus, Artemaleus, ſeu, ut habet hiſtoria pontific. & comit. Engol. c. 28. Arte-mala, vulgo Malart; vir magnus *a ſtudiis, magnæque conſtantiæ*, Rohonem in epiſcopatu excepit, chartæque Fulcaudi an. 1038. exaratæ ſubſcripſit. Anno 1040. interfuit Vindocinenſis eccleſiæ dedicationi, privilegioque exemtionis, quo monaſterium hoc munivit Theodoricus Carnotenſis præſul, ſubſcripſit cum aliis plurimis epiſcopis & abbatibus. Denique approbavit donum a Gaufrido Engol. comite factum. Ipſi omnibuſque ipſius ſucceſſoribus, ac Engoliſmenſibus clericis idem Gaufridus ceſſit monaſterium ſanctæ Mariæ Belli-loci [a] intra mœnia civitatis fundatum. Aſcelina quoque comitiſſa donat eccleſiæ Engol. *unum carterium vineæ*, videntibus Gaufrido comite, & Gerardo epiſcopo.

1038. 1040.

Chartul. eccl. Engol. ſine chron. notis.

a

Magna ſub finem regiminis procella jactatus occubuit. Oppreſſus enim ſubditorum, ac præſertim dapiferorum ſuorum tyrannide, ad regem Franciæ divertere coactus eſt, & velut exul vitam agere. *In extremis poſitus, erigere ſe contra epiſcopatum Engoliſmæ fecit*, omnibus pepercit; *vivos ſimul ac mor-*

Hiſt. com. & pontif. Engoliſm. c. 25.

[a] Prioratus eſt a Burgolienſi pendens monaſterio.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

tuos illius epiſcopatus abſolvit, exceptis tamen dapiferis ſuis, *quos excommunicavit, & futuram progeniem maledixit.* Vita functus ſepultus eſt apud Francos in æde S. Dionyſii a parte Septemtrionali cum hoc epitaphio, cujus non ſuperſunt veſtigia: *Hic requieſcit Gerard. Aquiliſmæ civitatis epiſcopus.*

D'ANGOULESME.

XXXIII. GUILLELMUS II.

Guillelmus nobili Engoliſmenſium comitum genere ortus, Gaufridum comitem & Petronillam parentes habuit; fratres Fulconem comitem, Gaufridum Rudelli, Arnoldum de Montoſario, & Ademarum, qui ei ſucceſſit in epiſcopatu. Ipſe vero Gerardo in cathedra ſuffectus eſt, utrum ipſo adhuc ſuperſtite ac exſulante, aut jam mortuo, ignoramus. Ceterum laudatur propter ſapientiam, ſermonis elegantiam, & morum facilitatem. Godofredo VIII. Aquitanorum duci præſertim acceptiſſimus fuit, a quo S. Hilarii *theſaurariam*, & altaris Angeliacenſis oblationes accepit; ſed eas præfato cœnobio morti proximus reſtituit, ea lege ut anniverſariæ quædam ſupplicationes pro ſuorum delictorum expiatione celebrarentur, & duo monachi pro ipſius anima ſemper in eccleſia ſubſtituerentur; quod uſque in præſens perſeverat, inquit auctor hiſtoriæ pontif. & comit. Engol.

Labb. t. II. pag. 253.

Simultates ac diſſidia cum Fulcone comite habuit, quæ etiam in apertum bellum eruperunt. Militari prælio cum hoſte ſæpe conflixit, ſæpius illum ad pugnam provocavit. Caſtellum Tolverām in præſidium exſtruxit, & Burzacum ædificavit; ſed ad alia quæ magis epiſcopum decent veniamus.

1047. Anno 1047. adfuit dedicationi eccleſiæ S. M. Santonenſis, & conſecrationi *capitis*, id eſt ſuperioris partis baſilicæ S. Johannis Angeriacenſis an.

1048. 1048. Item inaugurationi Philippi I. Francorum

1059. regis an. 1059. concilio quoque Burdegalenſi, ſub Alexandro II. qui ſedit ab an. 1061. ad 1073. cum plurimis aliis præſulibus ex variis provinciis. Memoratur in diplomate Willelmi Pictavorum comitis pro Talemonte, quod inter inſtrumenta eccleſiæ Lucionenſis edidimus.

C. XIII. col. 419.

1063. Anno 1063. canonicis bona ad hoſpitalitatem

C. VI. col. 445. exercendam conceſſa, ſed anteceſſorum incuria diſſipata, reſtituit, eo pacto ut ſingulis diebus tres ſaltem reficiant pauperes, & tredecim in Quadrageſima. An. 1064. Magenciaco in Arvernis monaſterio prædia quædam in villa de Bozeto aliiſque locis contulit Willelmus Guido dux Aquitanorum; cujus doni teſtis legitur Willelmus epiſc. Engoliſm.

1068. Adfuit concilio Burdigal. cal. Aprilis an. 1068. Recenſetur in tabulis Angeriacenſibus an. ſequenti.

1075. An 1075. in ſynodo provinciali confirmavit fundationem S. Stephani de Vallibus. Obiit an. 1076. 12. cal. Octobris, ex hiſt. pontif. & com. Engol. ſepultuſque eſt in ſuæ eccleſiæ latere Septemtrionali. Sediſſe ann. 33. legitur; unde initium ejus epiſcopatus ad an. 1043. referendum foret. A Baldrico Burgulienſi abbate hoc epitaphio cohoneſtatus eſt:

Nobile nobilium ſpecimen, Guillelme, decuſque,
Proh dolor! hic propera cineratus morte quieſcis.
Ordine præſul eras, atavorum ſanguine conſul,
Providus in factis, nulli ſermone ſecundus.
Engoliſma dole, tanto viduata patrono,
Langues ecce tui moderamine præſulis orba.
Interitum timeas, demto moderamine langues.
Huic ſiquidem nullum non neſcis æquiparandum.
Urbs tamen infelix, artus venerare paternos;
Dic quoque, tranſcendat Guillelmi ſpiritus aſtra.

ANNI CHRISTI

D'ANGOULESME.

XXXIV. ADEMARUS.

Ademarus, *al.* Aimarus, Guillelmo fratri ſucceſſit anno 1076. ut ex tribus Engoliſm. eccleſiæ chartis intelligitur. In prima enim annus decimusquartus hujus epiſcopi concurrit cum an. Chriſti 1089. In altera ubi annus decimus Urbani papæ II. ſignatur, eſtque Chriſti 1096. numeratur annus epiſcopatus Ademari vigeſimus primus. In tertia idem annus Dominicæ Incarnat. M. XCVI. dicitur vigeſimus noſtri epiſcopi, ſcilicet completus.

Vir fuit miræ ſimplicitatis, laboris & inediæ patientiſſimus, pacis & religionis amantiſſimus. Godefrido Aquitaniæ duci adhæſit, & cum eo contra Saracenos in Hiſpaniam profectus eſt. Stirpenſis monaſterii in Lemovicibus ab hoc principe, abbas ſeu præpoſitus inſtituitur, uti jam diximus ſuperius col. 621. Monaſticum ordinem magno ſemper in honore habuit, *monachoſque, quantum potuit*, in ſua diœceſi *dilatavit*; dicere ſolitus nihil ardentiori zelo exoptare, quam ut *unaquæque epiſcopatus Engol. eccleſia prioratus evaderet.* Unde indignatus aliquando Hugbertus ſacriſta reſpondit. *Et nos in ſingulis epiſcopatus Engol. eccleſiis ſingulos vellemus eſſe epiſcopos.*

Labb. t. II. pag. 258.

Labb. ibid.

Neque tamen cœco amore monachos proſequebatur; cum enim in S. Eparchii cœnobio regularis obſervantiæ vigor intepuiſſet, approbante Urbano ſummo pont. applaudente comite Engol. conſentientibus canonicis, hoc monaſterium Odoni abbati Angeriacenſi reformandum & diſponendum tradidit circa an. 1080. quo ipſo an. ſynodo adfuit Santonenſi, in qua præſide Amato Ellorenſi ep. apoſt. ſedis legato & judicantibus Hugone Dienſi legato, quatuor archiepiſcopis, & tribus epiſcopis, monaſterium Regulæ quod Squira dicebatur in diœceſi Vaſatenſi ad Garumnam, Floriacenſi monaſterio aſſertum eſt adverſus Raimundum Vaſatenſem epiſcopum. Subſcripſit & chartæ libertatis conceſſæ B. Geraldo abbati, pro recens fundato Silvæ-majoris monaſterio. Ex chartulario S. Maxentii quoddam inſtrumentum edidimus, quo Ademarus teſtatur ſe ad ſynodum conveniſſe Santonis habitum, ubi Amatus ſuperius commemoratus, Burdegalæ archiepiſc. electus eſt, an. 1088. Sedit & in alio concilio Burdigal. ſub Amato archiepiſc. an. 1093. ad quod accedens Otgerus de Landorone Regulæ prior, petiit ſibi reſtitui prioratum de Pontanis, quem iterum invaſerat Bernardus Aquenſis epiſcopus; nam judicio epiſcopali jam coactus fuerat ad cellam hanc reſtituendam. Priorem ſententiam confirmavit hæc ſynodus, & reſtitutionis decreto ſubſcripſit Ademarus inter alios patres. Donationem factam S. Maxentii monaſterio, a Jordane Froterio *libenti animo confirmavit, commendans Jordano de Caſtro-conſolant nepoti videlicet ſuo & deprecans eum, ut in omnibus neceſſitatibus eſſet monachis S. Maxentii adjutor.*

1080. *Tabul. Angeriac.*

C. VII. col. 446.

1088. 1093.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

Anno 1097. ecclesias Graciaci & B. Mariæ de Bello-loco, Burgulensi dedit monasterio, a monachis exigens ut *die ordinationis suæ quæ est idibus Maii*, annuum quinque solidorum Engolismensis monetæ censum persolverent, dum ipse viveret; & post obitum, in anniversario sui transitus die: *Actum Engolismæ..... an. ab Incarn. D. J. C. M. XCVII. ind. V. eodem videlicet an. quo pene universa christianitas in Turcos commota, pars ejus innumera ad expugnandum paganismum Jerusalem cucurrit*, &c.

1097.

1099. Anno 1099. cum quidam miles Galterius, in Silva Buxiensi cellulam cum oratorio, de licentia abbatis, & monachorum Buxiensium construxisset, ac postea Carrosensibus monachis tradidisset; Carrosensem monachum hujus loci rectorem in jus vocavit Ramnulfus Buxiensis abbas; qui abbatis rationibus victus, loco cessit; deinde Ademarus Ramnulfi precibus ibidem ecclesiam consecravit, eamque in illius manu, *per chirothecam avellanis plenam confirmavit*. In chartul. Carrosensi extant *litteræ Fredelaudi, quibus de licentia Ademari Engol. ep. in manu Petri abbatis.....de Carroso, dedit.....,. fratribus de Voërta omne jus quod habere poterat... apud Voërtam, anno uno postquam Goffridus factus fuit rex in Jerusalem*, 1100. *an. ab Incarn D. M. C.*

B

C

Cum capitulo contendit pro institutione custodis sacrorum seu sacristæ; sed hac in lite causa cecidit; quod minime molestе tulit: immo ut canonicis gratum faceret, præposituram Juliacensem, quæ multorum scandalorum occasio fuerat, suppressit, eamque capitulo exercendam assignavit, quod ipso rogante approbavit Urbanus papa II. Insuper plurima canonicis dedit, inquit scriptor hist. pontif. & com. Engol. cap. 33. in his mansum de Hagunt.

C. VIII. col. 447.

C. IX. col. 447.

Ademarus migravit a seculo an. 1101. ex eodem scriptore, qui errat cum ipsi duntaxat tribuit 20. annos & menses 2. episcopatus. Obiit longævus, etenim anno 1096. Vocatus ad concil. Clarom. ab Urbano II. respondit gravem ætatem sibi abstulisse equitandi facultatem, rogans se excusatum haberi. Corlæus tribuit ipsi 27. annos in episcopatu. Carlonius refert hoc epitaphium in ecclesia cathedrali positum:

D

Hic requiescit Ademarus episcopus Engolism. qui vixit in episcopatu annos XXVI. menses 3. dies XXI.
1101. *Obiit autem an. ab Incarn. M. C. I.*

XXXIV. GERARDUS II.

DE BLAYE.

Gerardus de Blavia vir fuit suo tempore percelebris, ultra modum utrinque vel laudatus, vel infamatus. Nihil turpius his quæ de illo referunt Arnulphus primum Sagiensis archidiaconus, deinde Lexoviensis episcopus, & Ernaldus Bonævallis in diœcesi Carnotensi abbas; nihil e contra sublimius, nihil glorioſius his quæ in ejus laudem scripsit auctor historiæ pontificum & comitum Engolism. cap. 32. Extrema sincero, ut decet, historico ex æquo devitanda. Hinc medium tenebimus. Quidquid de illo assertum est critico perpendemus examine, omnibusque præjudiciis sepositis, quidquid verius, aut saltem vero similius videbitur, asseremus. Natione fuit Neustrius diœc. Bajocensis, patre Giraudo, viro fortunæ mediocris, imo pene nullius. Hinc in adolescentia, solum mutare, ac in omnium fere rerum inopia vivere coactus est. Verum id omne industria, labore, ingenio reparavit. Primum ad humanitatis studia animum appulit; ætate vero provectior vitæ clericalis institutum amplexus, se totum sacris litteris, theologiæ ac juri canonico dedit; tantosque in omni studiorum genere progressus fecit, ut ad id quod hauserat, aliis propinandum paratissimus fuerit. *Hinc-que* effectum est, ut *in civitate Engolisma & Petragorico, & in quibusdam castellis circum adjacentibus regimina scholarum habuerit*, & quidem tanta sapientia, ingenio tanto, tamque felici eventu, ut & ad illius magisterium undique confluerent discipuli, & ex ejus schola exeuntes, ad sublimiores ecclesiæ dignitates visi sint idonei. Ipsum vero canonici Petracoricenses in socium honoris cooptarunt, ut discimus [a] ex instrumento donationis factæ Uscrchiæ a Guillelmo episcopo Petracoricensi; demumque episcopus Engolism. in defuncti Ademari locum suffectus est an. 1101. 1101.

Labb. t. ii. pag. 258.

a

De hac electione ita scripsit Arnulphus: *Dum adversum se eligentium multitudo divisa consurgeret, diversasque personas alternus postularet assensus, in eum voces omnium fortunam convertisse; non quod in eo satis commode provisum ecclesiæ crederetur, sed ut exitum qualemcumque tumultus offenderet, maluisse eum scienter indignum partem utramque excipere, quam prævaluisse partem alteram videri.* Procacius id dictum, & a veritate alienum judicamus. Initio quidem rem factionibus & prensationibus, ut solet, actam fuisse non negaverimus, sed tandem ad meliorem mentem conversos electores, postulante populo, Gerardum unanimi consensu designasse credimus, ut diserte testatur histor. pontif. Engolism. *Ob insignem ipsius scientiam, & honestam vitam in Engolismensem episcopum promotus est, petitione populi, electione cleri, honoratorum assensu*, & certe electione dignus erat, cum teste Arnulpho, inesset ei *circa gerendas res nota discretio, quam plurima sane litterarum scientia confirmaret, & utriusque facundia sermonis ornaret.* Qui vir erat *in responsione discretus, in prædicatione eximius, in allocutione blandus, in proverbiis facetus*, inquit histor. pontif. Engolismensium.

Spicil. tom. II. pag. 339.

Labb. t. ii. pag. 259. Spicil. ibid. pag. 343.

Non multo post legationem obtinuit. Verum, si fides Arnulpho, emendicatam & subreptam. Demus quæsitam, at subreptam quis sibi persuadeat? Sic enim Engol. pontif. hist. *cum domino S. Paschali papæ adhæsisset, qui ad partes Galliarum venerat, cognita honestate & præclara sapientia, ei vices suas, prius in Britannia & deinde Turonensi, Burdegalensi, Bituricensi, Auscitania provinciis commisit.* Sic etiam Ordericus Vitalis lib. 13. ad an. 1136. pag. 908. *Vir eruditissimus, qui magni nominis & potestatis in Romano senatu tempore Paschalis papæ, & Gelasii, & Calixti, & Honorii fuit.* Denique quis sibi persuadeat

[a] Vide hist. Tutel. Baluzii in appendice col. 877. *In præsentia D. Geraldi Engolismensis episcopi & ecclesiæ nostræ canonici*, inquit Guillelmus Petrag. episcopus in charta an. 1104.

quatuor

ANNI CHRISTI

quatuor illos ſummos pontifices, tantæ aut ſocordiæ, aut improbitatis fuiſſe, ut aut Gerardum palam indignum non noverint, aut notum tanta nihilominus dignitate ornarint. Mirum quot ab eo & in epiſcopatu & in legatione patrata fuiſſe crimina dicat Arnulphus. *Ea die*, inquit, *ab Engoliſmenſi eccleſia veritas & miſericordia receſſit, dolus, impietasque ſucceſſit, rerum ſtatus in deteriora mutatus eſt, imminutus eſt decor & cultus eccleſiæ. Inſolentia, quam ante paupertas repreſſerat, efferri cæpiſti: petulantia, quam privatus exercere non poteras, bonos quos libuit infectari, rapinis & exactionibus exinanire provinciam*, &c. *Ab obtenta vero legatione, tua diffuſioribus ſpatiis effuſa cupiditas, copioſam rapacitati tuæ materiam non defuiſſe gaviſa eſt. Quid manifeſtas exactiones exaggerem*, &c. Quædam ambitus & lucri cauſa feciſſe Gerardum, qua ratione negari poſſit non videmus, cum hanc in rem nonnulla referat Gofridus Vindocinenſis ad Gerardum ipſum ſcribens; *Epiſt. l. 1. p. 21.* ſic porro orditur: *Quoniam S. Romana Eccleſia, non quidem veſtris meritis, ſed gratia ſola humilitatem veſtram adeo ſublimavit, quod minimus digitus veſter dorſo patris veſtri groſſior videtur; ſicut ſublimia verba quæ ſæpius multum glorioſe profertis, teſtificantur, tanto fidelius ei debetis obedire.... ſi aliter agitis, ſublimitas veſtra, quam... papa ſua bonitate ſatis de exili loco creavit, mala pro bonis illi retribuit.* Deinde ad rem veniens, *quod audivimus*, inquit, *unde etiam quod pejus eſt, cantilenam compoſuit vulgus, quoniam publicum eſt, vobis occultare nec poſſumus nec debemus. 1°. Audivimus & dolemus Andream de Vitrejo filiæ ſuæ vobis conjugium vendidiſſe, illud etiam a vobis filium vicecomitis de Malo-leone comparaſſe. Quorum alter quingentos ſolidos vobis pretium dedit conjugii, alter vero quindecim marcas argenti. Hoc epiſcopus Pictavienſis, hoc Guillelmus archidiaconus ejus, & quidam alii qui affuerunt, ſi veritatem ſepelire noluerint, non negabunt. 2°. Carrofenſem abbatem, non regulariter electum, ſed violenter, ut dicitur, intruſum pro mille ſolidis barbarinorum, barbara nimis auctoritate conſecrari.. feciſtis, nolente ſuo conſecratore, ejus clero, modis quibus poterat, reclamante; & qui vidit & partem habuit abbas quidam veſter vicinus, teſtimonium perhibuit, & multi dicunt ejus teſtimonium verum eſſe. 3°. Fulco Biennenſis abbas litteras veſtras pro facienda ſibi juſtitia quæſivit, quas illi prudentia veſtra tandiu negavit, donec illas centum ſolidis comparavit. Sed perdidit pecuniam, nec per vos potuit habere juſtitiam. Hoc ipſemet profitetur, qui ſimul utrumque perdidiſſe conqueritur*, &c. Et poſt multa: *aſſerunt quidam vos quaſi Balaam alterum regis Anglici pecunia fuiſſe corruptum, & idcirco injuſtam in comitem Andegavenſem excommunicationis protuliſſe ſententiam; & licet excommunicatio veſtra vires etiam unius diei habere non potuerit, amicis tamen Romanæ Eccleſiæ peperit verecundiam, & ejus inimicis detrahendi dedit materiam.... abbati Angeriacenſi, ut dicitur, promiſiſtis, quod ſi 300. ſolidos Pictavienſium maſculorum vobis daret, Rainardum Cheſnelli deponeretis: unde capitula quibus illum accuſaret, ei tranſcripta miſiſtis. Hoc abbas ipſe fatetur, & teſtem in animam ſuam Deum invocat, quod verum loquitur. Hæc pauca de multis, modica de magnis teſtificavimus, dilectionis videlicet cauſa, ut ſi vera ſunt quæ contra veſtram aſtutiam ventilantur, præteritorum tranſgreſſio fiat vobis futurorum cautela.* Addit Girardum, ſe præſente, etiam coram laïcis prædicaſſe, epiſcopos deponendi ſe habere poteſtatem, quod vocat novum præſumtionis genus.

Hæc in alienos exercuerit; nihil profecto ſimile in ſuam Engoliſmenſem eccleſiam commiſiſſe legitur. Illam e contra, imo & provinciam quibus potuit beneficiis cumulavit. Principum reconciliationi, aut oppreſſorum protectioni ſtuduit, ſedem ſuam ornavit, nulli intulit injuriam, bene fecit omnibus. Vulgrinum Engoliſmenſem comitem *conſiliis juvit & auxiliis*, ut terras vi ac fraude ſibi ablatas recuperaret. Diſcordias inter eumdem & Ademarum Rupis-fulcaudi excitatas *interventu ſuo ſedavit. Eccleſiam Engoliſmenſem a primo lapide ædificavit..... de proprio ſuo ædificavit dormitorium, refectorium, cellarium, præsbyterium, januas ferreas, & contulit prædictæ eccleſiæ* (terras ſeu eccleſias) *de Julhac, de Renenhorvilla & de Touzac. Contulit etiam de proprio, ut pauperes 24. ſemper alerentur in prædicta eccleſia Engoliſmenſi in una quaque Quadrageſima, & acquiſivit 12. ſolidos in eccleſia de Touzaco ad tunicas pauperum. Dedit etiam Engoliſmenſi eccleſiæ pontificalia ornamenta quæ emit a Bozone Santonenſi epiſcopo mille ſolidos. Aulam pontificibus conſtruxit, eccleſiæ contulit textus aureos..... thuribula deaurata, & crucem de argento*, &c. Poſt multa ſubdit: *centum volumina vel eo amplius, omnia fere operum SS. Patrum..... & innumera bona eccleſiæ noſtræ & menſæ epiſcopali contulit. Conſtituit etiam de proprio ſuo, ut 13. pauperes in menſa pontificis Engoliſmenſis ſemper alerentur.... Aulam pontificibus & capellam, & cameram Pictavi ædificarit, & annulum aurei operis cum lapidibus pretioſis eccleſiæ Engoliſmenſi dedit.* Addit: *Ejus auxilio eccleſia de Corona, & eccleſia de Groſſo-boſco & de Aula-villa & Bornetenſis ædificari cæperunt... Eccleſiam & domos conſtruxit leproſarias.*

Labb. t. 11. pag. 259.

Labb. ibid. pag. 260.

1109.

Jam refenda quæ legatus geſſit. An. 1107. una cum Richardo Albanenſi, Alberto Avenionenſi epiſc. judex delegatus a Paſchali II. in cauſa monachorum Caſæ-Dei & Anianæ pro Gordanica-cella, lata ſententia Anianæ cellam adjudicavit. Concordiam fecit cum Aimerico de Mota Rupis-fulcaudi pro excluſa molendinorum de Caſtelar anno ab Incarnatione 1109. indict. 2. regnante rege Francorum Ludovico Philippi regis filio. Octo concilia celebravit quorum pauca ad notitiam noſtram pervenerunt. Exſtat in conciliis edit. Labbei Lauſdunenſe, de ſtatu Eccleſiæ ab eo celebratum: *An. ab Incarn. Dom. M. C. IX. epact. 28. indict. 2. præſidente D. Paſchali papa Romæ, in Francia Ludovico regnante.* In eo eccleſia S. Petri Trenorcienſibus vindicatur adverſus epiſcopum & canonicos Nannetenſes. Aderant Burdegal. archiepiſcopus, epiſcopi Pictav. Santon. Agenn. Petragor. Andegav. Cenoman. Redon. Nannetenſ. Dolenſis, & Venetenſis, item plures abbates. Nihil illuſtrius quam quod egit in concilio Lateran. an.

1107.

1107.

ANNI CHRISTI

1112. 1112. Privilegium de concedendis ſacerdotiorum inveſtituris a Paſchali II. captivo extorſerat Henricus V. imperator, addito a papa ſacramento quod *nec de inveſtituris deinceps eum inquietaret, nec in perſonam regem anathema poneret.* Hæc omnia quo tandem pacto revocari poſſent, in toto concilio nemo videbat. *Tunc Gerardus epiſcopus requiſitus tandem, tale conſilium dedit, quod inveſtituræ revocari poterant ſalvo ſacramento; ita tamen quod Imperator dans inveſtituras non excommunicaretur. Quod conſilium omnis ſynodus laudans, dixit: non tu locutus es, ſed Spiritus ſanctus in ore tuo.* Juſſit Paſchalis ut inveſtiturarum damnationem ſcripto redigeret, quod cum quibuſdam aliis a concilio deputatis præſtitit. Lecta deinde ab eodem Gerardo condemnationis charta, acclamatum eſt ab omnibus patribus: Amen, amen: Fiat, fiat. Inſuper *placuit papæ & toti concilio, quatenus Gerardus epiſcopus, per quem Deus Eccleſiæ ſuæ tale conſilium reſeraverat, cum quodam cardinale ad Imperatorem dirigeretur, qui voluntatem Imperatoris conſuleret, quatenus Eccleſiæ Romanæ inveſtituras reponeret*, alioquin habitum *concilium revelaretur.* Viri ſapientiam vidimus, nunc invictum animi robur admiremur. Periculoſa ſane provincia: ſuperbo & ad iram prono principi denuntiandum, quod ingratiſſimum fore nemo dubitabat. Rem tamen aggreditur intrepidus antiſtes, *cumque in præſentia Imperatoris mirabiliter peroraſſet, & a cancellario Imperatoris, qui illius interpres erat, ſingula exponerentur, vehemens tumultus ortus eſt in curia; ita quod Colonienſis archiepiſc. qui eum ſolemniter in hoſpitio ſuo ſuſceperat, (in Galliis namque diſcipulus Gerardi fuerat,) de vita illius dubitans dixit: magiſter, maximum ſcandalum generaſti in curia noſtra. Indignans autem Gerardus reſpondit: tibi ſit ſcandalum, mihi eſt Evangelium.* At Deus omnipotens qui cor Regis tenet in manibus, & quo voluerit illud inclinat, alio mentem Imperatoris divertit. Viri conſtantiam ſimul & ſapientiam demiratus, non tantum ei vim nullam intulit, imo

1117. plurima dedit munera. Anno 1117. menſe Oct. adfuit concilio Romano, Paſchali II. præſidente, ubi *dux verbi*, cum Attone Vivarienſi, Goffredo Carnot. & Guillelmo Catalaunenſi appellatur ab

1118. Orderico Vitali lib. 12. hiſt. Anno 1118. Engoliſmæ concilium celebravit, de quo nihil ſupereſt, niſi quod habet Malleacenſe chronicon: *Ibi archiepiſcopus Turonenſis, & alii duo epiſcopi confirmati ſunt. Unus eorum Audebertus Agennenſis.*

1122. Anno 1122. obtinuit a Petro Santonum epiſcopo reſtitutionem villæ de Lede-villa, quæ antiquitus juris erat matricis eccleſiæ Engol. & theſaurarii, qui tunc erat Gerardi nepos. Eodem anno monachi ſancti Macharii, per ſubreptionem ab eo impetrarunt virgam paſtoralem, qua eorum monaſterium abbatia fieret, & a ſanctæ Crucis Burdigal. ſubjectione eximeretur. Anno 1128. cal. Martii adfuit tranſlationi S. Albini epiſcopi Andegavenſis. Eodem anno, ut legatus in monaſterio S. Gildæ Dolenſi concilium rexit, inquit chronicon Kemperlegienſe tom. 1. Miſcellan. Baluz. Circa idem tempus Burdigalæ concilium habuit, in quo Guillelmus Aquenſis epiſcop. dimiſit Silvæ-

Labb. t. ii. pag. 759.

Labb. ibid.

Chartul. Engoliſm. eccleſ.

1128.

A majori eccleſiam S. Vincentii de Aquis.

ANNI CHRISTI

Nunc veniendum ad illud ſchiſma cui occaſionem dedit electio duorum Romanorum pontificum Innocentii & Anacleti. Si Gerardus ab initio Anacleti partes adverſus Innocent. II. fuiſſet amplexus, locum aliquem excuſationi habuiſſet, nonnullus enim primo ambigendi locus ſuppetebat. Eodem uterque die electus fuerat; &, ſi Innocentio favebat prioritas temporis, Anacletum juvabat ſuffragiorum multitudo. Hic quippe a 27. ut Onuphrio, aut ſaltem a 22. ut aliis placet; ille a 17. tantum cardinalibus electus fuerat. Anacletum quoque juvabat, quod, qui Innocentium deſignaverant, contra pactum, extra conductum locum, ceteris non tantum non vocatis, ſed nec monitis egerant. Res ergo primis illis temporibus ambigua & difficilis. Hinc ad Stampenſem cœtum, ubi definienda lis erat, *non mediocriter pavidus & tremebundus advenit* S. Bernardus. Hinc toto ſibi negotio impoſito, jejunium & continuas preces adhibuit, ut neceſſarium lumen a ſupremo numine mereretur. Hinc Henricum Angliæ regem piiſſimus abbas *vix perſuaſit Innocentium recipere, ab epiſcopis Angliæ penitus diſſuaſum.* Nec adduci potuit niſi his Bernardi verbis: *Times peccatum incurrere, ſi obedias Innocentio. Cogita de aliis peccatis reſpondeas Deo, iſtud mihi relinque, in me ſit hoc peccatum.* In his circumſtantiis ſi fluctuaſſet Gerardus, ſi pro Anacleto ſtetiſſet, aliquid excuſationis habuiſſet ob facti ignorantiam. Verum non ita ſe res habet, ſed ſi Arnulpho habenda fides, cum Stampenſi concilio intereſſe non poſſet, litteras ſuo ſigillo munitas per nuntium ſcripſit, quibus teſtabatur, *utramque ſe noviſſe perſonam & electionis ordinem plenius exquiſiſſe, procul dubio cum Innocentio papa ſtare juſtitiam, eo quod plane vir eſſet honeſtatis egregiæ, & ipſius electio prima tempore, & a præcipuis Romanæ Eccleſiæ fuerat celebrata perſonis. Porro Petrum per opulentam manum cathedram potius uſurpaſſe, virum adeo vita reprobatum & nomine, ut ſi ipſum etiam quælibet electionis forma defenderet, promoveri tamen vitæ qualitas & infamia minime ſuſtineret.* Cum vero in papam Innocentium omnes conveniſſent, ſtatim ipſi *primus aut inter primos* ſcripſit Gerardus, poſtulavit ipſius *honorari reſcripto, & munus legationis habitæ confirmari.* Quin & ad cancellarium quoque reſcripſit *legationis ſeſe & onere gravari & nomine honorari tanto indignius ſupplicans quanto humilius.* Repulſam paſſus indignatur, reſilit ab Innocentio, tranſit ad Anacletum. Illum papam agnoſcit, ab illo legatus deſignatur, & tota, ut gloriatur, Francia atque Burgundia legationi ejus antiquæ ſuperadditur. Exinde vero Gerardus in apertum ſchiſma delabitur, altare contra altare tentat erigere. Innocentium maledico dente carpit, ac ſuis obtrectationibus lacerat, populos ab illo, ſuis oblocutionibus ad ſe ſe & ad antipapam trahere nititur, tanta vi, tanto ſtudio, tanta calliditate agit, ut plurimos ſuo ſchiſmate inficiat, Hildebertum Turon. archiepiſcopum concutiat, licet non dejiciat; Guillelmum Aquitaniæ ducem ſibi ſuæque ſententiæ ita devinciat, ut totus ab ipſo princeps ille penderet; ſicque ejus auctoritate fretus, *faſque*

Super. in vita Ludov. Groſſ. Will. Malmeſb. hiſt. nov. t. i. ad an. 30. Henrici regis Angl. Arnald. Bonæ-vall. lib. 2. vitæ S. Bern. Idem ibid.

Sug. idem ibid.

Spicil. t. ii. pag. 355.

Bern. ep. 126.

Spicil. t. ii. pag. 356.

Bern. ep. 24.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

nefasque confundit, abbates abbatibus, episcopos episcopis superintendere nititur, amovere catholicos, schismaticos promovere. Pictavienſem & Lemovicenſem præſules e ſuis ſedibus ejecit, & alios intruſit; & quia comprovinciales epiſcopi indignos illos ab ipſo deſignatos conſecrare renuebant, in eos Principis iram in tantum accendit, ut Willelmus Santonenſis epiſcopus ejuſque canonici a ſede ſua, & ab urbe & eccleſia, *derelictis domibus & poſſeſſionibus ſuis*, egredi coacti ſint.

Epiſtola Willel. Santon. epiſc. ad Vulgrinum Bitur. archiepiſcopum Labb. t. ii. pag. 85.

Verum alios ſi vexavit, multa & ipſe paſſus eſt. In Remenſi concilio præſidente Innocentio, pro ſchiſmate damnatus eſt & excommunicatus, & ab omni eccleſiaſtico honore depoſitus. Dum novæ ſuæ legationis munus in Santonenſi dioceſi vellet exercere, ab Aimaro de Archiaco milite ſtrenuo captus eſt, & menſibus aliquot recluſus in carcere, nec niſi magno pretio perſoluto liber evaſit. Denuo fuit a Vulgrino Bituricenſium archiepiſcopo anathemate percuſſus, vetitum Aquitaniæ populis & præſulibus ne in aliquo ei obedirent, aut ullum ei honorem exhiberent. Hinc violentia comitis in Burdegalenſem archiepiſcopum a canonicis electus ſine comprovincialium epiſcoporum aſſenſu, quin potius contradicente Agennenſi præſule, univerſitas vel pars ſaltem maxima refragata eſt, nec ut cum eo communicaret adduci potuit, imo in Engoliſmenſi eccleſia ab eo plurimi diviſi ſunt. Denique ad unitatem catholicam revocato per Bernardum comite Guillelmo, ſicque *pace omni Aquitaniæ Eccleſiæ reddita, ſolus Gerardus perſeverat in malis: ſed non multo poſt ..... impœnitens & ſubito mortuus ſine confeſſione & Viatico, de corpore egredientem ſpiritum ei reddidit cujus miniſter uſque in finem exſtiterat. Corpus ejus a nepotibus ſuis ..... inventum in lectulo ſuo exanime, & enormiter tumidum, in baſilica quadam humatum eſt, ſed poſtea a Gaufrido Carnotenſi epiſcopo ſedis apoſtolicæ legato inde extractum, alioque projectum eſt.* Longe aliter tamen de ipſius morte loquitur hiſt. pontif. Engoliſm. c. 35. *Die autem*, inquit, *proxima mortis ſuæ accepimus quod in confeſſione ſua ſacerdotibus dixerit: Si partem Petri Leonis contra voluntatem Dei ignorans manu tenuerit, ſe confiteri & pœnitere ..... Sabbato autem miſſam celebrans maxima devotione & effuſione lacrymarum, ſequenti* 1136. *die Dominica migravit a ſeculo 1136. anno ab Incarnat. Domini. Sedit in epiſcopatu annis 33. menſibus ..... diebus ..... unicuique capellanorum ſui epiſcopatus in fine ſuo unam minam obolum dedit; & illud magnificum ſidus quod claritate ſui partes occiduas illuſtraverat, proh dolor! extra eccleſiam quam ædificavit ſub vili latet lapide. Ceſſavit epiſcopatus uſque 14. cal. Julii.*

Will. Santon. ibid.

Arnulph. pag. 363.

Ernald. lib. 2. vitæ S. Bern. c. 39.

XXXV. LAMBERTUS.

Hiſt. pontif. Engoliſm. Labb. t. ii. pag. 261.

Lambertus patria Engoliſmenſis e vico Palude, patre Fulcherio, matre Leggardi natus, ab Ademaro epiſcopo ſacerdos ordinatus, eccleſiæ ſancti Johannis de Palude capellanus fuit, in qua conventum fratrum ibi religioſe viventium congregavit. Inde Coronam migravit Dominica Paſſionis 1122. Abbas illius loci deſignatus, eccleſiam a fundamentis ædificavit, illucque de eccleſia ſancti Johannis de Palude religioſum conventum tranſtulit, piis moribus & inſtitutis informavit. Multa prædictæ eccleſiæ acquiſivit, quam molendinis, ſilvis, pratis ac prædiis ditavit; reliquiis, libris ac ceteris ornamentis munifice decoravit. Tandem poſt Geraldum, Vulgrino comite, ſuſcepit regimen eccleſiæ Engoliſmenſis, & onus abbatiale dimiſit, ſubrogato ſibi Fulcherio. Vir ſapiens & diſcretus, ſummæ eloquentiæ & religionis, juſtitiæ, liberalitatis, caſtitatis exemplar. Unde omnium urbis & provinciæ procerum favorem, populorumque admirationem ac ſummam venerationem ſibi conciliavit. Mira ejus in Engoliſmenſem eccleſiam beneficentia celebratur. Quatuor enim illi prædia dedit, & eccleſiam de Magnaco acquiſivit. Nominatur in diplomate Ludovici VII. regis an. 1137. dato Burdigalæ pro immunitate præſulum 1137. Aquitaniæ a regalibus, & in ejuſdem regis litteris eodem anno datis pro Silva-majore. Refert hiſtoria pontif. Engol. cap. 37. eum Ludovico VII. cum in Aquitaniæ provinciam adveniret, dixiſſe Engoliſmenſes epiſcopos natos eſſe regum Franciæ capellanos, ubi primum tranſacto Ligeri ad Aquitanicas partes tranſirent, nec Regem contradixiſſe. Addit Corleus ex cathedralis eccleſiæ tabulario didiciſſe ſe, Lambertum interfuiſſe comitiis Aquitaniæ pro Alienordis conjugio coactis, exortaque inter epiſcopos pro honoratiori loco contentione, propugnaſſe Engoliſmenſem epiſcopum, ut pote primum & decanum metropoleos Burdigalenſis antiſtitem, aliis omnibus præire debere, ac jus illud ipſi aſſertum fuiſſe. Ad feſtum S. Martialis in urbe Lemovicum hoc eodem anno occurrerat, quo Ludovicus poſtridie advenit, ibique morienti Euſtorgio epiſcopo adfuit, & mortuum tumulo commendavit. Eodem anno adſtitit P. viccomiti de Caſtellione monaſterium B. M. de Faëlia fundanti. Illius denique mentio fit hoc ipſo anno in tabulario S. Maxentii. Circa annum 1139. pacis 1139. Vulgrini comitis cum Aquitaniæ duce mediator fuit. Eumdem Vulgrinum morientem piis cohortationibus adjuvit an. 1140. ejuſque teſtamentum 1140. excepit, qui ſepultus eſt in ſancti Eparchii capitulo. Illius filius & ſucceſſor Guillelmus Tailleſer patri longe diſſimilis, crebris & diutinis graſſationibus Engoliſmenſem cathedram oppreſſit, non ſine magno totius ordinis eccleſiaſtici diſpendio. Reclamavit Lambertus, nihilque non tentavit ut ad ſaniorem mentem Guillelmum revocaret. Denique videns ſuos omnes conatus penitus irritos, de ejus impietate ac violentia conqueſtus eſt apud Ludovicum Francorum regem. Unde commotus princeps piiſſimus, has comiti litteras direxit: *Ludovicus rex Francorum & dux Aquitanorum, Guillelmo Engoliſm. comiti fideli noſtro ſalutem & dilectionem. Pervenit ad aures regiæ dignitatis noſtræ, quod in bonis Engoliſmenſis eccleſiæ manus extendis, quæ prædeceſſores noſtri Francorum reges eidem eccleſiæ contulerunt, quam & fundaverunt. Hæc oppreſſio in noſtram redundat injuriam, qui & eccleſiam Chriſti debemus defendere & prædeceſſorum noſtrorum eleemoſynas conſervare: eapropter fidelitati tuæ per regia ſcripta mandamus, quatenus Engoliſm. eccleſiam & bona illius, & amore & honore noſtro in omni*

Vide l. 2 Diplom. c. 12. n. 13

Chron. Gaul. Voſſens. c. 48.

ANNI CHRISTI

pace & quiete dimittas, nec amplius vim inferre præſumas. Nos autem cum ad partes veniemus, ſi quid inter vos & epiſcopum querelarum emerſerit, ad modum & concordiam ſtudioſe revocare curabimus. His litteris acceptis ſtatim a præfatis graſſationibus comes abſtinuit. In Engoliſm. eccleſiæ cathe-

1142. dralis tabulario memoratur Lambertus ann. 1142.
1144. 1144. 1146. 1147. compoſitionem feciſſe in-
1147. ter Willelmum S. Eparchii abbatem & Odonem Aimerici de Martunnio an. Incarn. Dom. 1142.

Ex tabul. S. Eparchii. Litteris minacibus præcepit filiis Rainaldi Sicherii, ut reſtituerent Willelmo ſancti Eparchii abbati, & capellano ſancti Eparchii de Ilicibus jus in eamdem eccleſiam *& cimiterium, terram*, inquit religioſus pontifex, *ſacratam ad ſepeliendum & reſurgendum deſtinatam*, quam uſurparant. His autem in litteris ſe præfatur Engoliſmenſis eccleſiæ miniſtrum

1148. indignum & inutilem. Tandem an. 1148. in graviſſimum morbum incidit, qui adeo invaluit ut per multos dies nullo ſumto cibo vixerit. Interea a comprovincialibus epiſcopis & aliis religioſis perſonis in infirmitate ſua viſitatus, plenus dierum, in ſenectute ſancta poſt munitionem (inunctionem) & ſuſceptam Euchariſtiam, in præſentia fratrum ſuorum ſpiritum Deo reddidit, inquit hiſt. pontif. & comit. Engoliſm. *idus Junias*. Sedit in epiſco-

1140. patu annos 13. Sepeliri voluit in templo monaſterii Coronenſis, ubi quotannis 13. Junii, qua die obiit piiſſimus antiſtes, fit officium duplex majus de B. M. ut in ejus feſto ad nives, præter ſecundi nocturni lectiones in quibus Lamberti vita legitur. Privata miſſa dicitur de defunctis, majus ſacrum de B. V. M. Vacavit ſedes uſque ad 14. cal. Julii ſubſequentis anni.

DE LA ROCHEFOUCAULT

XXXVI. HUGO II.

Hugo hujus nominis II. Rupis-fucaldi, quod eſt Engoliſmenſis agri oppidum, natus Petro patre, matre Edoarda, Gilberto præceptore humanioribus & præcipue philoſophicis & theologicis diſciplinis inſtructus, plurimos in illis progreſſus fecit, & tantum magiſtrum maxime in theologia ſecutus eſt. *A prima ætate caſtitatem & munditiam ſervavit, etiam verba illa quæ bonos mores corrumpunt verecunde vitabat. Fuit humilis in omni actu, in locutione gratioſus, nihil habens ruſticitatis admixtum, qui cum bleſus prius eſſet, tamen facundiſſimus erat in prædicatione.* Primum eccleſiæ Engoliſm. præcentor, mox auctis honoribus, omnium ſuffragiis deſignatus eſt epiſcopus. Verum non ſtatim, nec niſi anno ſequenti conſecratus eſt, ut diſcimus ex Petro Cluniac. l. 5. epiſt. 5. ad Eugenium; in ea quippe huic pontifici ſignificat quoſdam probatos viros canonicos Engoliſmenſis eccleſiæ ad ſe veniſſe, *rogantes ut apud majeſtatem veſtram*, inquit papæ, *intercederem; & aſſerentes, defuncto epiſcopo ſuo* (Lamberto), *ſe elegiſſe, nullo de clero prorſus excepto, ac unanimi electione, aſſenſu . . . honoratorum & totius populi, idoneam omnino ad officium epiſcopale perſonam, præcentorem ipſius eccleſiæ. Electionem tam communem, tam concordem Burdegalenſi metropolitano ſe canonice obtuliſſe, ab eo canonice confirmatam eſſe; diem conſecrandi ab ipſo datam, ſe ad diem conſtitutam cum electo ſuo, ut metropolitanus promiſerat, conſecrando veniſſe, ſed conſecratorem non inveniſſe. Quibus de cauſis præſentiam ſuam ſubtraxerit, cur promiſſa non impleverit, nec ab eo acceperunt, & mihi ſe adhuc ignorare dixerunt.* Cauſam tamen ipſe aperit, cum ſubdit, non videri ſibi Burdigalenſis metropolitani in hac Engoliſmenſi electione greſſus rectos, oculum ſimplicem, ſed magis in ea quærere quæ ſunt mercenarii quam paſtoris, quæ ſunt ſua quam quæ J. C. & ut filiali præſumtione loquar, inquit, & quæ ab univerſis pene partium illarum & noſtrarum dicuntur, vult, aiunt, Burdegalenſis, ita ſibi ſubdere Engoliſmam, ſicut ſubdidit Xantonas, ut in eccleſiis illis non tam habeat epiſcopos, quam miniſtros, non tam præſules, quam ſibi in omnibus obſequentes. Hoc eſt, aiunt, propoſitum, hæc intentio, hæc in iſtis religio, ut expenſis propriis parcat, & ſuffraganeis epiſcopis, ut capellanis utens, non ſuorum, ſed eorum penu exhauriat. Vicit tamen æquitas; conſecratus eſt Hugo, & in epiſcopatu ſanctiſſime vixit. Quantæ quippe caritatis fuerit, quam aſſiduus in lectione, quam benignus erga proximos, ſe verbis eloqui non poſſe teſtatur præcitatus pontif. Engoliſm. hiſtoricus, qui & addit: urbem ingreſſum, omnibus horis, maxime matutinis cum canonicis adfuiſſe, ac una cum illis Dei laudes decantaſſe; palatio epiſcopali ſpreto, in clauſtro cum cathedralibus continuo diverſatum, niſi ab eo eccleſiaſticis cauſis avelleretur, plurima menſæ epiſcopali contuliſſe, *judiciariam de Julac* ab Engol. eccleſia, ipſius conſilio acquiſitam.

Hiſt. pontif. & comit. Engoliſm. cap. 38. Labb. t. II. pag. 263.

In cathedralis eccleſiæ tabulario memoratur an. 1150. 1150. ſecundo ſui epiſcopatus, Eugenio papa III. Ludovico Francorum rege, & duce Aquitanorum Guill. & in S. Eparchii chartulario anno ſequenti. 1151. An. 1152. item inter moniales S. Auſonii & 1152. Aimonem de Peveriz, ſuper manſo de Ononaco in parochia S. Stephani de Georgiaco * motam componit, ut fidem faciunt S. præſulis litteræ in tabular. S. Auſonii. In S. Eparchii chartular. recenſetur an. 1153. *Anaſtaſio papa in urbe Roma præſidente.* Eodem anno nominatur cum Godofredo Lingonenſi epiſcopo in diplomate S. Bernardi de monaſterio Buxienſi. Cum ipſe litigaret adverſus monachos Caſæ-Dei pro eccleſia de Minſiaco, Gaufredus Burdeg. archiepiſcopus, S. ſedis apoſtolicæ legatus, *ſub teſtimonio Bernardi Santonenſis epiſcopi, & magiſtri Laurentii Pictav. decani* &c. item hanc compoſuit *IV. non. Septembr. an. M. C. LIV. epact. XV. indict. II.* Eodem anno 1154. adfuit dedicationi eccleſiæ B. M. de Cadunio. An. 1155. ſequenti dat Guillelmo abbati Fontis-vivi ejuſque fratribus eccleſiam S. Petri de Sofriniaco. Invenitur eodem anno in chartophyl. matris eccleſiæ, ut & an. 1157. Anno 1158. defuncto Gaufrido Burdegalenſi, cum illius eccleſiæ canonici de ſubrogando illi ſucceſſore non convenirent, totum negotium dirimendum Engoliſmenſis, Agennenſis, Pictavenſis, Santonenſis & Petragoricenſis epiſcoporum arbitrio commiſerunt. Qui cum de electione ſecreto tractarent, ſupervenit Henricus II. Aquitaniæ dux, & rex Angliæ, eoſque obnixe rogavit ut Johannem Sechium gymnaſii Pictavenſis ludimagiſtrum in ea dignitate conſtituerent. Cum-

* de Courgeat.

C. XVII. col. 454. *Ex archetypis inſtrum. abb. B. M. de Groſſo-boſco.*

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

que ſediſſet, & electioni intereſſe decreviſſet, ne quis eorum aliquid contra ipſius voluntatem aut diceret aut ageret, ceteris timido ſilentio ſtupentibus, ſolus Hugo ſic Regem allocutus eſt: *Nobis, quibus juſto commiſſa eſt electio, de ea in præſentia veſtra tractare nequaquam licet. Diſcedat ergo veſtra majeſtas, ut impoſito oneri tranquilli & liberi vacare poſſimus. Honores eccleſiaſtici non precibus, non largitionibus dandi, ſed doctrina & virtute comparandi ſunt.* His auditis Henricus, cum maximo rancore triſtis abſceſſit. Ac tunc non Sechium, qui ob ſacrarum litterarum inſcitiam, tanto oneri impar videbatur, ſed Raimundum jam Petragoricenſem epiſcopum nominarunt. Non multo poſt graviſſima infirmitate correptus eſt Hugo, *cujus modum cum aſtantes medici judicare non poſſent, multa ignoranter dixerunt.* Sicque vir piiſſimus, *vix ſexagenarius, planctu clericorum maximo, lamentatione nobilium, luctuoſo utriuſque ſexus & ætatis gemitu, & poſt munitionem* (unctionem) *& acceptam Euchariſtiam* obdormivit in Domino pridie idus Aug.

1159. *1159. an. ab Incarnat. Domini. Sedit annis X. menſibus II. die uno, ſepultus intra eccleſiam cathedralem a Septemtrionali parte. Vacavit ſedes uſque ad idus Octob. ſequentis.*

DE LAUMONT

XXXVII. PETRUS I.

Petrus Litimundi aut Titimundi, dictus de Sonavilla ſeu Sanavilla, e nobili gente dominorum de Laumont natus, monachum induit in abbatia S. Amantii de Buxia, cujus cœnobii poſtea abbas

1159. effectus eſt, ac tandem an. 1159. denato Hugoni Engoliſmenſi in epiſcopatu ſucceſſit. S. Eparchii monaſterium liberum fecit ab abbatum Angeriacenſium juriſdictione an.

1161. 1161. ut patet ex ipſius litteris hoc anno 2. cal. April. datis, quas ex chartular. Eparchiano & Angeriacenſi in appendice referimus. At vero in quandam damni illati compenſationem abbati & conventui Angeriacenſi eccleſiam de Aent attribuit. Donationem *judiciariæ curtis* de Julac confirmat ex tabulario cathedralis

1162. ecc. an. ſecundo ſui epiſcopatus 1162. Quod quo pacto cum ejus initiis a nobis præfixis ſtare poſſit, non videmus, niſi error ſit in notis, aut ab amanuenſi male lectum ſit autographum. Ex tab. S. Eparchii G. S. Eparchii abbatis, cum Iterio capellano diſſidia componit, præſentibus Junio de Corona & Joſſelino S. Amantii abbatibus, Calone archidia-

1166. cono &c. anno Incarnationis 1166. indict. XIV. *Alexandri papæ III. an. VII. epiſcopatus dicti Petri an. VII. Ludovico rege Fr. W. Talafer comite Engol.* Sub eo res infanda contigit erga presbyteros de Manlia, qui a ſicariis maximo cum dedecore trucidati ſunt. Unus porro eorum pœnitentia ductus, hanc chartam dedit: *Notum ſit.... quod Petrus Chauvet, qui deſtructioni ſacerdotum de Manlia interfuit, cum de linguis eorum abſciſſis, de oculis erutis, de genitalium alterius abſciſſione, nec ipſis nec eccleſiæ ſatisfacere poſſet, pro ſatisfactione, inquam, dedit Deo & eccleſiæ ſancti Petri Engol. quidquid poſſidebat in parochia de Manlia &c. hoc autem donum factum eſt an. Incarn. Dom.*

1168. *M. C. LXVIII.*

Interfuit Petrus cum Godofredo metropolitano, Johanne Pictavienſi, Petro Petracor. & Ademaro Santonenſi epiſcopis, conſecrationi eccleſiæ S. Amantii Buxienſis factæ an. 1170. & an. ſeq. fundationi eccleſiæ monaſterii de Corona.

ANNI CHRISTI

Teb. S. Am. Labb. t. x. conc. col. 1451.

Eodem præſente cum Joſcelino abbate ſancti Amantii Titmundus miles de Mota, donum fecit eidem cœnobio aliquot ſolidorum cenſualium, & molendinorum S. Eulaliæ. Compoſuit litem inter eccleſiæ ſuæ canonicos, & eundem abbatem, teſtibus P. S. Martialis, & Junio Coronæ abbatibus. Controverſiam quoque inter S. Amantii monachos, & Templarios exortam ſopivit an. 1171. ea lege, ut Templarii cederent decimas de quibus diſceptabatur, & a monachis duos ſolidos in Dominica Palmarum reciperent.

Wlgrinus filius Willelmi Talafer comitis Eng. cum innumera mala perpetraſſet, & manus ad epiſcopales redditus extendiſſet cum *cotharellis*, [a] tandem reſipiſcens, Petro epiſcopo in compenſationem dedit terram de Buxia, de conſenſu Willelmi & Margaritæ parentum, Willelmi quoque & Ademari fratrum, ac ſororis Almodis. *Factum apud Rupem Chandorici, an. Inc. M. LXXIII.* videntibus & audientibus Ramnulfo abbate ſancti Eparchii, Calone archidiacono, Johanne theſaurario &c.

Anno 1175. Petrus *in virtute obedientiæ* unicuique canonicorum *præcipit mandando, quatenus decimam tam panis quam vini & denariorum & aliorum quæ pro cibariis in clauſtro dantur, a bonæ memoriæ epiſcopis & canonicis ſtatutum tempore debito, hoc eſt in unoquoque die, vel ſaltem ad finem uniuscujuſque menſis, in quo fiet procuratio eleemoſynaria, integre perſolvant;* cui conſtitutioni ſubſcribunt archidiaconus, theſaur. ſacriſta & duo canonici. Anno 1177. Bernardo abbati de Groſſo-boſco & monachis, eccleſiam de Sofriniaco, quam ab ejus deceſſore acceperant, confirmat. Ut erat pacis ſtudioſiſſimus, ſedavit diſſidia inter Eliam Rainaldi nepotem ſuum, & Willelmum Talafer comitem Engoliſm. ejuſque filium Wlgrinum, an. 1178. Ejus mortem ad an. 1182. conſignat Gaufredus Voſienſis in chronico.

1175. 1177. 1182.

DE St. VAL.

XXXVIII. JOHANNES I.

Johannes de S. Vallio primum abbas B. M. de Corona, vir egregiis moribus & virtutibus conſpicuus, Petro in Engoliſm. cathedra ſuffectus eſt, anno, ſi fides Gaufredo Voſienſi debeatur, 1182. At in chartulario eccleſiæ memoratur ut epiſcopus ab anno tantum 1181. uſque ad 1192. Sedit tamen ultra hoc tempus.

Hoc tempore Ademarus comes Engoliſmenſis remittit conſuetudinem, quæ dicitur *Oſt*, R. S. Eparchii abbati, ante S. Eparchii ſepulturam: *Hoc donum*, inquit, *feci.... an. M. C. XCI. tempore J. id eſt Johannis Engoliſm. epiſcopi.*

An. 1197. idem Ademarus comes dedit privilegium pro villa S. Thomæ de Buxia, quæ eſt propria Engoliſm. epiſcopi *Johanne Engol. epiſc.* ſub teſtimonio Ramnulfi S. Eparchii, P. S. Aman-

[a] Cotharelli ſeu coterelli prædones militares, qui & ruptarii dicebantur, vulgo olim appellati: *cotereaux, routiers.* De his agit concilium Lateranenſe an. 1179. cap. 27.

Digitized by Google

tii, P. de Cella-fruini abbatum. Anno 1203. ecclesiam de Corona, cujus fabricam incœperat, solemniter dedicavit, quo anno die 7. Martii decessisse dicitur in fastis ejusdem monasterii. ANNI CHRISTI

XXXIX. Guillelmus III.

Guillelmum, morum integritate, pietate, doctrinaque præstantissimum, electum fuisse conjicimus circa an. 1206. & non antea; discimus enim ex epistola Innocentii papæ III. 191. lib. x. ad episcopum Pictav. scripta xv. cal. Februarii, Heliam Burdeg. archiepiscopum mortuum an. 1206. sententiam suspensionis tuliſse in hunc episcopum, quod neglexisset episcopi Engolism. consecrationi adesse. Rescriptum accepit ab Honorio III. Rom. pontifice, de Thoma monacho ad sacros ordines promovendo, ut videre est cap. 3. *de corpore vitiatis non ordinandis*, lib. 1. Decretal. An. 1212. memoratur cum G. archidiacono in tabul. ecclesiæ; & anno 1215. in charta Grossi-bosci. Ejusdem monasterii privilegium confirmat apud Rocham-fulcaudi, in claustro monachorum, testibus Willelmo abbate Nantolienſi, P. abbate Cellæfruini, Iterio priore de Rupe-focaudi. Eodem anno composuit litem inter Amanevum decanum, & abbatem S. Amantii, motam pro ecclesia de Balazare, &c. ex S. Amantii tabulis, in quibus adhuc fit Guillelmi mentio annis 1222. 1223. & 1226. Quo ultimo anno quædam cedit Hugoni Marchiæ & Engolismæ comiti, & Isabellæ uxori. In archivis B. Mariæ de Corona ejus obitus consignatur IV. nonas Novembris, anno 1227. Annos 20. pontificatus Carlonius ipsi tribuit. Ejus tempore postulantibus canonicis, decanatus in primam capituli dignitatem erectus est; cui assignati redditus, onera imposita, præfixa jura; primusque ea donatus est Amanevus; quæ omnia patent ex instrumento in appendice relato.

1206. 1012. 1215. 1222. 1226. 1227. C. XIV. col. 451.

GUILLOTI.

XL. Johannes II.

Johannes fuit primum S. Maxentii monachus, ut liquet ex ipsius litteris ad S. Ludovicum Franc. regem in gratiam hujusce monasterii conscriptis, *in quo*, inquit, *a teneris annis nutritus fui.* Anno 1230. judex fuit in controversia inter priorem de Villanielfoy & archipresbyterum de Ambenaco. An. 1237. recensetur mense Maio in charta Bassacensis monast. per alphabetum divisa, qua pacem restituit inter abbatem, & dominos de Johac. Nec plura de eo reperiuntur, quamvis verisimile sit eum diutius insulas gessisse.

Tab. S. Max. 1230. *Tab. S. Amant.* 1237.

XLI. Radulphus. I.

De Radulfo hucusque penitus ignoto nisi nomine tenus, quædam invenimus instrumenta, quæ nos cogunt eum Johanni II. non præponere, sed subjicere. Secundum prius instrum. *Radulfus Dei patientia Engolism. episcopus*, confirmat donationem 20. solidorum, super molendino & exclusa de Jouhac factam Guillelmo abbati & conventui S. Stephani Bassacensis, a Landrico Tertaudi de Jociaco Valeto in puram & perpetuam eleemosynam, an. 1247. in synodo Paschali, videntibus & audientibus Petro Maurelli canonico Engolism. Johanne Berengarii presbytero, Elia de Mala-vetula monacho Bassiacensi, &c. Alterum eruimus documentum ex libro feodorum sedis episcopalis, ubi legitur: *Hugo de Leziniaco comes Marchiæ & Engolism. & Elizabeth uxor ejus regina Angliæ & prædictorum locorum comitissa; Hugo; Guido, & Gofridus milites filii eorum ablata bona restituunt R. Engolism. episcopo, eique Hugo comes reddit homagium. Huic instrumento apponunt signum P. ep. Xantonensis, & Willelmus abbas de Corona. Act..... an. Dom. M. CC. XLII. in crastinum S. Matthæi apost.* Hoc testimonium primo loco præmisissemus, si hujus episcopi nomen integrum exhibuisset, & non sola initiali nominis littera designasset. 1247.

ANNI CHRISTI

XLII. Petrus II.

Petrus hic Engolism. episcopus reperitur in chartul. S. Eparchii die Martis post festum omnium Sanctorum anno 1247. die Martis post festum sancti Martini 1248. & v. cal. Februarii an. 1249. Hoc anno Gaufridus de Leziniaco, filius comitis Marchiæ, dominus de Montiniaco, pacis causa, cum Hugone S. Amantii abbate & capitulo componit, super quibusdam essartis & terris, mense Junio, ex charta hujus monasterii, cui Petrus, a Gaufrido rogatus, sigillum appposuit. 1248. 1249.

XLIII. Gerardus III.

Hunc episcopum eruimus ex litteris Ludovici Francorum regis & ducis Aquitanorum, quibus dat Deo & B. Mariæ semper virgini & militiæ Templi, castrum & castellaniam suam de Bazeis: *Acta fuerunt hæc & concessa in die S. Pentecostes in ecclesia cathedrali civitatis nostræ Angolismensis, in manu Hugonis magistri militum Templi, hoc donum suscipientis, in præsentia Geraldi Angolismensis episcopi & S. sedis apostolicæ legati ∴ an. ab Incarnatione Domini M. CC. LII. præsentibus testibus Gerardo Burdegalensi archiepiscopo, J. Pictavensi & B. Xantonensi episcopis, Hugone de Lezignaco comite Marchiæ & Angolism.* Porro has litteras, *visas* & confirmatas an. 1489. invenimus in reg. 220. thesauri Regii chart. n. 306.

XLIV. Robertus I.

DE MONBERON.

Robertus de Monberon ex vetusta nobilique toparcharum de Monte-berulpho familia, non e gente Blesensi, ut perperam a quibusdam asseritur, oriundus, episcopatum auspicatus est anno circiter 1255. Ille vero insensissimum expertus est Hugonem Bruni, e gente Lusiniaca, Engolismensium comitem, qui eo furoris & amentiæ prorupit, ut episcopatus bona invaserit & diripuerit, ac præsulem cum universo clero a provinciæ & comitatus finibus, per suum senescallum ejecerit, ita ut illis igni & aqua interdiceretur. Robertus Lutetiam profectus, regem Ludovicum & senatum adit, apud illos de acceptis injuriis conqueritur, & impietatis Hugonem accusat. Quo ad dicendam causam evocato, Regis decreto compromissum initur per arbitros, causæ judices nominantur Lemovicensis & Cadurcensis episcopi, reque longo examine perpensa, arbitrorum judi- 1255.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

cio comes juſſus eſt celebri ſupplicationi, quæ reducendis in urbem epiſcopo ac clero univerſo, die feſto indiceretur, adſtare in ſago, nudus caput & pedes. Eadem ſententia decretum fuit, ut portæ urbis, quibus ingreſſurus erat Robertus, in platea ante cathedralem eccleſiam concremarentur. Demum crimen publice comes fateretur & veniam a Roberto ſupplex peteret. Quingentas etiam libras actoribus mulctæ loco penſitaret, & inſuper Engoliſmenſi baſilicæ eos redditus aſſignaret, qui cereis tribus ante majus altare dum ſacra fierent perpetuo accendendis ſufficerent. Quod & exſecutioni mandatum intelligitur ex regiſtris eccleſ. cathedralis. Unde & Francorum reges, ad quos hereditario jure comitatus Engoliſmenſis delatus eſt, tres iſtos cereos Engoliſmenſibus canonicis hodieque perſolvunt. Sententiam ſe vidiſſe teſtatur Corlæus,
1259. die feſto S. Clementis an. 1259. inſcriptam. Recenſetur annis 1252. & 1253. in tabulario S. Eparchii. In archiv. B. Mariæ de Corona legitur: *Rob. epiſcopus Engol. die Lunæ ante feſtum B.*
1254. *Vincentii anno Domini M. CC. LIV. præſentibus Willelmo de Blavia clerico domini epiſcopi, Gerardo de Inſula clerico, Odone de Biraco milite &c.* Denique memoratur Robertus in chartul. cœnobii de Groſſo-boſco, *die Veneris ante feſtum S. Thomæ*
1260. *apoſtoli.* Anno 1260. in feodorum libro legitur quod *Guido vicecomes Lemovicenſis reddit homagium Roberto epiſcopo Engol. pro terris Aenti, Aſſandonii &c. Actum in capella Montis-berulphi* abſque temporis inſcriptione.

XLV. Petrus III.

Petrus ab anno 1260. quo defunctus fuerat ejus deceſſor, cathedram conſcendit. Hujus tempore ferunt Dominicanos & Franciſcanos in urbem inductos, conſtructaque illis cœnobia cura & liberalitate civium Engoliſmenſium; fundatas quoque eccleſias Rupis-fucaldi & Albæ-terræ in territorio Engoliſmenſi.

XLVI. Raimundus.

De Raimundo nihil apud Sammarthanos & Carlon. niſi quod Engoliſmenſem cathedram an. 1265. tenuerit. Inter hominia epiſcopis Engoliſmenſibus præſtita, iſtud reperitur in tabular. eccleſiæ cathedralis: *R. epiſcopus Engoliſmenſis pro bono pacis amicabiliter concordat cum Helia Tiſonis de Diraco milite. Cui concordiæ ſigillum apponit P. Raimundi decanus Engoliſmenſis.* Datum in
1264. feſto SS. Simonis & Judæ anno Dom. 1264.

XLVII. Guillelmus IV.

Guillelmum IV. hic interſerere cogunt inſtrumenta in tabulario B. Mariæ de Groſſo-boſco contenta. In illis enim memoratur Guillelmus epiſc. Engol. die Veneris in feſto B. Vincentii M. CC.
1266. LXVI. M. CC. LXVII. M. CC. LXVIII.

XLVIII. Rotbertus II.

Rotbertum II. exhibet archivum B. Mariæ de Corona; in eo enim legitur charta cui inſcribitur: Rotbertus Engoliſm. epiſcopus XVI. cal. Auguſti
1268. M. CC. LXVIII. Ei fecit hominium Esblo de Rupe-forti pro fortalitio & reparia de Torcio cujus leges & adjuncta deſcripſimus in noſtris inſtrumentis.

ANNI CHRISTI C. XV. col. 452.

XLIX. Petrus IV.

Petrum hic interſerunt Sammarthani, eumque ex canonico Engoliſmenſi electum epiſcopum an. 1272. 22. Novembr. a Gregorio X. pontifice 1272. affirmant ex regeſto Vaticano. Verum ipſis fatentibus, de illo nihil omnino apud Corleum, Carlonium & chartophylacia cathedralis eccleſiæ. Attamen in charta hominiorum infra referenda in Guillelmo, Petrus epiſcopus ut Guillelmi deceſſor nominatur; nec mirum quod cum brevi admodum tempore cathedram tenuerit, nulla pene de eo ſuperſint.

L. Guillelmus V. De Blaye.

Guillelmus de Blaye nobili Blaviorum gente ortus *an. 1273.* ut habetur in libro feodorum ſedis epiſcopalis, nobis ab illuſtriſſimo viro Gabriele Benard de Rezé præſule perhumaniter communicato, *die Veneris ante feſtum B. Luchæ evang.* 1273. *fuit electus in epiſcopum Engoliſmenſem concorditer..... & confirmatus Burdegalæ, ſede Burdegalenſi vacante, die Mercurii poſt feſtum S. Severini; & Dominica in craſtinum S. Hilarii conſecratus apud Condomium Agennenſis diœceſis, auctoritate eccleſiæ Burdegalenſis vacantis, per dominum Arnaldum Agenn. epiſcopum, adſiſtentibus ſibi dominis P. Adurenſi, & P. Conſeranenſi epiſcopis ſuffraganeis eccleſiæ Auxitanæ ad hoc rogatis; cum tam Burdegal. eccleſia, quam omnes aliæ cathedrales eccleſiæ ipſius provinciæ tunc vacarent, præter Petracoric. cujus epiſcopus, ſcilicet Dom. Helias Peleti, tunc erat in curia Romana. Denique fuit inthroniſatus & celebravit miſſam ſuam ſolemnem apud Engol. Dominica in craſtinum S. Scholaſticæ.* In eodem libro hominia ipſi præſtita contexte reperiuntur ſub hoc titulo: *Homagia facta Dom. Guill. de Blavia epiſcopo Engol. ab iis qui morantur in civitate Engol. & infra metas caſtellaniæ. Dominus Aimericus decanus Engol. promiſit obedientiam & reverentiam, & fecit homagium-ligium D. Guill. epiſc. Engol. pro iis quæ habet ratione decanatus in ultimo receſſu ſuo ad curiam..... Actum apud Aſnerias in craſtinum ſancti Martini hyemalis an. M. CC. LXXIII. In craſtinum ſequentis feſti ſanctæ Eulaliæ, Aimericus de Malamorte cantor Engol. fecit homagium-ligium apud Champinum in aula nova, dicto D. Guill. epiſcopo. D. Seguinus de Julhaco ſcholaſticus Engol. cui idem epiſcopus ſcholaſtriam contulerat, promiſit obedientiam & fecit homagium-ligium, præſtito ſuper hiis juramento, pro hiis quæ pertinent ad ſcholaſtriam in octabis Purif. B. M. anno eodem apud Moledam in camera inferiori. Anno Dom. 1274. in prima ſeptimana Febr. magiſter Thomas archidiac. Engoliſm. promiſit obedientiam & fecit homagium-ligium D. Guill. epiſc. apud Moledam in clauſtro juxta eccleſiam, &c. Anno Dom. 1275. menſe Septemb. mag. Geraldus de Javarlhac fuit confirmatus in decanum Engol. auctoritate dicti epiſcopi, in palatio epiſcopi apud Engol. & poſtmodum fecit homagium-ligium*

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

& promiſit obedientiam, &c. Apud Varnum in prato capellaniæ flexis genibus, &c. mag. Helias de Malomonte proviſus in decanum Engol. auctoritate D. Johannis, S. Ceciliæ presbyteri cardinalis, quondam apoſtolicæ ſedis legati in Franc. præſente capitulo Engol. fecit homagium-ligium cum juramento fidelitatis D. Guill. epiſcopo Engol pro temporalitate dicti decanatus ac juribus & pertinentiis ipſius, VI. cal. Jan. anno Dom. 1293. Poſt amotionem dicti Heliæ de Malomonte a decanatu per ſedem apoſtolicam, & mag. Henrico Maſcaudi facto decano Engol. auctoritate ejuſdem ſedis, idem Henricus abſens in curia Romana, fecit dictum homagium & fidelitatem per dominum Stephanum fratrem ſuum capellanum de Fromentallo habentem ad hoc ſpeciale mandatum. Poſt mortem dicti magiſt. Henrici, Johannes de Layo factus decanus Engol. auctoritate ſedis apoſtolicæ, fecit dictum homagium eidem D. Guill. & fidelitatem. D. Johanna comitiſſa Engoliſm. vidua fecit homagium-ligium dicto dom. epiſcopo nomine tutorio Hugonis filii ſui comitis Engoliſm. pro feudo dicto vicecomitali, quod eſt apud Rupem-fulcaudi, & in quampluribus parochiis circumvicinis cum alto & baſſo dominio dicti feudi. Actum apud Varnum in novitate creationis dicti epiſc. anno Dom. 1273. Poſtmodum, poſt multos annos D. Hugo filius ſuus comes Engoliſm. factus pubes, fecit homagium dicto D. Guill. epiſc. pro dicto feudo vicecomitali, &c. & pro hiis quæ habet ab eo in caſtellania de Montiniaco. Actum apud Caſtrum-novum, die Veneris ante Iſti ſunt dies. *Poſtmodum poſt multos annos Guiardus de Marchia frater dicti comitis, cui idem comes aſſignavit dictum feudum vicecomitale cum pertinentiis in apanamentum freyreſchiæ ſuæ, fecit homagium-ligium eidem dominio epiſcopi,* &c. Denique in eod. lib. plura continentur ejuſmodi hominia Guillelmo noſtro præſtita ab anno 1273. ad 1305. Sic ei præſtitit abbas S. Amandi anno 1297. ſic quoque Guido de Rupe dominus Rupis-fulcaudi, qui *& tenetur ut confeſſus fuit in præſtatione dictorum homagiorum præſtare epiſcopis Engoliſm. in inthroniſatione ſua ſolemni, de monaſterio S. Auſonii ad ſuam eccl. cathedralem, ut eſt conſuetum in talibus, per primum ſiniſtrum pedem cathedræ. Sic tertio Arnaldus de Minzaco Valetus fecit homagium Engol. epiſc. & hoc homagium fuit factum Guillelmo epiſcopo poſt epiſcopum Petrum. Sic quarto D. Robertus de Monte-Berulphi ſenior, maritus dominæ Margaritæ de Viey-villa, dum viveret, & poſt mortem ſuam D. Robertus de Monte-Berulphi filius ſuus; item & poſt iſtum ſecundum D. Robertum, D. Rotbertus de Monte-Berulfi filius iſtius ſecundi, cui pater ſuus vivens ceſſit dominium caſtri & caſtellaniæ de Monte-Berulphi, fecerunt homagium ſucceſſive de prædicto dominio Montis-Berulphi D. G. de Blavia epiſcopo. Sic quinto, D. Guillelmus de Rocha, miles, dominus de Rupe-Chanderici fecit homagium-ligium D. G. de Blavia epiſc. pro caſtro & caſtellania de Rupe-Chanderii. Et debet portare epiſcopum de novo creatum per primum pedem dextrum cathedræ qua portatur, & debet, quandocumque & quotieſcumque volet & petet, eidem epiſcopo reddere dictum caſtrum, & ipſum caſtrum non vetabit neque iratus neque pacatus. Epiſcopus vero tenebit illud & ſervabit ad expenſas ſuas proprias, non ad expenſas dicti dom. Verumtamen idem epiſcopus debet & poteſt, ſi voluerit, tenere dictum caſtrum annis ſingulis, duobus menſibus, Aug. videlicet & Septembri cum moderata familia ſecundum quod tempus vel pacis, vel guerræ requiret in rationalibus expenſis domini.... Item captos dicti epiſcopi, ad ipſorum expenſas debet dictus dominus cuſtodire; & ſi forſan ob culpam ſuam dicti dom. vel defectum ſuum, aut cuſtodum ipſius evaſerint; debet idem dom. dampna & expenſas, ſi eos qui evaſerint non poteſt reddere, dicto epiſcopo reſſarcire. Odo Bernardi Valetus fecit homagium G. de Blavia epiſcopo, & pro feodo de Martonio debet eſſe vexilliſer epiſcopi ſi contingat eum ire in exercitum.* Nominatur noſter Guillelmus an. 1280. cum Guillelmo de Valentia domino de Pembroc, & die Martis ante feſtum B. Dionyſii in charta Arnaldi de Monte-Chauzio militis, domini de Vibraco; & 1291. in charta Baſſiacenſis monaſterii pro nemore de Curreto, & 1299. cum Ademaro de Valentia domino Montigniaci. Fecit etiam hominium Hindia vidua Eblonis de Rupe-forti, domina de Torcio, ad quem locum venit Guillelmus, & omnes ſupremi dominii actus exercuit ut patet ex inſtrum. ſupra indicato. Attigit an. 1309. ut mox videbimus. Guillelmus fuit vir doctus, quo magiſtro S. Yvo presbyter Trecorenſis decretalibus operam dederat, ut legimus in proceſſu & inquiſitione de ipſius vita. Vide tom. IV. Maii Bolland. pag. 544.

col. 1010.

DE LA ROCHE.

LI. FULCO.

Fulco, non Fucaldus, ut ex inſtrumentis patet, de Rupe, ex clariſſima eaque vetuſtiſſima in Engoliſm. pago familia de la Rochefoucaut genitus eſt, patre Guidone VI. Rupis-fucaldi, Vertolii & Cellæ-fruini dynaſta; matre Agnete de Rochechoüard. Germanos habuit Aimericum de Rupefulcaudi dominum, & Gaufridum canonicum Engoliſmenſem. Ipſe primum alumnus ordinis Minorum, teſte Andrea Ducheſne, & omnibus qui poſt illum de genealogico hujuſce gentis ſtemmate ſcripſerunt; deinde archidiaconus, ac tandem epiſcopus Engol. Ex libro feodorum ſedis epiſcop. *Fulconi epiſcopo homagium fecit Guillelmus Caroli apud S. Laurentium de Becegolio, die Lunæ ante feſtum SS. Philippi & Jacobi M. CCC. IX.* quod probat eum paulo poſt mortem Guillelmi epiſcopatum inchoaſſe. *Bollandus de Concio miles, dominus de Rupe-Eyraudi, fecit homagium-ligium D. Guillel. epiſcopo, & poſt mortem Guillelmi idem homagium reddidit Fulconi de Rupe epiſcopo Engoliſ. apud Bellum-montem, die Mercurii ante feſtum beati Matthæi apoſtoli M. CCC. X. Guillelmus de ſancto Laurentio miles fecit homagium Guillelmo epiſcopo cum achaptamento quarumdam chirothecarum epiſcopalium; & poſt mortem dicti domini Guillelmi reddidit D. Fulconi epiſc. die Veneris poſt Epiph. Dom. anno ejuſdem M. CCC. X. Jordanus de Colganto fecit homagium Guillelmo epiſcopo M. CCC. IX. fecit & Fulconi de Rupe M. CCC. XII.* Eod. anno jura & ſtatuta ſodalitii ſacroſanctæ Euchariſtiæ,

1309. 1310. 1312.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

riſtiæ, in baſilica S. Johannis-Baptiſtæ inſtituti, litteris manu propria ſubſcriptis & epiſcopali ſigillo munitis approbavit & confirmavit. Quinquagenarius obiit in prioratu Monacenſi, inquit Carlonius; qui hallucinatur cum fato functum eum aſſerit anno epiſcopatus tertio. Circa an. 1313. denatus eſt ex hiſt. genealog. patris Anſelmi a viro clar. dom. du Fourny recognita & aucta.

LII. Oliverius.

Oliverius, a Corleo, Carlonio, aliiſque fere omnibus prætermiſſus eſt inter hujuſce eccleſiæ antiſtites, quem eis tamen & quidem hoc loco adſcribendum evincunt monumenta. Sane in libro feodorum hæc leguntur de Ayquelino: *Poſt mortem dominorum Oliverii, Johannis & Galhardi epiſcoporum quondam Engol. Fulchardus Blancheti valetus fecit homagium D. Ayquelino ep. Eng. apud Bellum-montem, die Martis poſt Aſſumtionem B. M. anno 1328. Et Thomas Ferrandi fecit hom. Oliverio epiſcopo Engol. die Lunæ in feſto beati Eparchii apud Bellum-montem M. CCC. XV.* Prætereaque teſtantur Sammarthani mentionem illius
1313. fieri in charta an. 1313. data die Lunæ ante feſtum omnium Sanctorum & in alia 1314. ſcripta die Lunæ in feſto nativitatis beati Johannis-
1315. Baptiſtæ. Obiit aut abdicavit an. 1315. quo ejus ſucceſſorem ad hanc ſedem provectum eſſe conſtat.

LIII. Johannes III.

Johannes Oliverio ſucceſſit, ut ex hominio ſuperius commemorato patet. Ad eum ſcripſit Gui-
1315. do de Rupe-fucaldi an. 1315. apud Andream du Cheſne; unde habemus annum primum ejus epiſcopatus. Eodem an. Johannes abbas S. Amantii præſentavit Johanni epiſcopo Ravardum presbyterum ad eccleſiam parochialem de Luſſiaco. In tabular. D. epiſcopi Engoliſm. reperitur Johannem epiſcopum cum Helia Eparchiano abbate compoſuiſſe interventu Arnaldi decani, & Meſnardi eccleſiæ Engol. canonici, *die Martis ante*
1316. *Pentecoſten M. CCC. XVI.*

De Fougères

LIV. Galhardus ſeu Gaillardus I.

Galhardus de Falqueriis, de quo jam egimus in Arelatenſibus archiepiſcopis, ab hac metropolitana ſede ad Engoliſmenſem tranſlatus eſt, retento uſu pallii, exemtuſque a juriſdictione archiepiſcopi Burdigalenſis bulla Johannis papæ XXII. data
C. XVI. col. 454. an. 1317. quam legeſis inter inſtrumenta.
1317. Memoratur anno 1318. in libro obligationum Vaticani, inquiunt fr. Sammarthani. An. 1319. Helias Goini de vico S. Auſonii, ipſi homagium-ligium præſtitit, ex libro feodorum ſedis epiſcopalis. Idem fecerunt Petrus de Cluſello die Lunæ poſt
1320. feſtum S. Gregorii apud Sophrinhacum 1320. & Thomas Ferrandi apud Bellum-montem die Jo-
1321. vis ante feſtum S. Auguſtini 1321. An. 1323.
1323. *ex autographo archiv. epiſcop. 6. ex l. feod.* pactum fecit cum Helia S. Eparchii abbate. Hominium ab Helia Bochardi valeto de Campo-Milonis accepit
1324. an. 1324. & an. 1326. a Petro de S. Amantio valeto, die Sabbati in feſto B. Valentini. Ubique porro Galhardus nuncupatur. In notis Baluzii ad Galliam Chriſt. fratrum Sammart. lego eum obiiſſe an. 1328. ineunte Junio.

ANNI CHRISTI

De Blaye.

LV. Ayquelinus.

Ayquelinus, qui Aquilinus dicitur a Carlonio & Sammarthanis, fuit filius fratris Guillelmi de Blavia epiſcopi, diciturque ejus nepos in proceſſu de vita, miraculis &c. Yvonis presbyteri Trecorenſis, ſcilicet nepos ex fratre, ejus enim cognomentum de Blavia produnt varia inſtrumenta. Fuerat archidiaconus; & in libro feodorum legitur: *Anno Dom. M. CCC. XXVII. die Lunæ ante feſtum B. Michaelis, poſt mortem Fulconis de Rupe archidiac. quondam Engoliſm. Ayquelinus archidiac. Engoliſm. obedientiam promiſit epiſcopo Engol. & fecit ei homagium*, &c. *Actum in Bellomonte.* Itaque ex archidiacono ſtatim effectus eſt epiſcopus. Vir fuit animo perſpicaci & verſatili, inquit Carlon. qui epiſcopale dominium, & redditus deceſſorum incuria plurimum diſſipatos ad priſtinum ſtatum & ordinem revocavit. Anno *Ex libr. feod.* 1328. excepit homagium Bertrandi de ſaint Genis decani, menſe Junio, Johannis præpoſiti valeti de Rupe-fucaldi, die Martis poſt Aſſumtionem B. M. & Petri Andreæ de Blanziaco clerici, in feſto Natalis Domini; quo in homagio-ligio cognominatur de Blavia, uti in altero quod ei præſtitit Helias de Conciſis valetus de Rupe-Eyraudi, die Sabbati ante feſtum Aſſumtionis ejuſdem anni: prætermittimus alia homagia, Guillelmi de Villaribus an. 1329. & an. 1330. die Sabbato in feſto S. 1330. Ægidii; Iterii Jordani militis, nec non Gaſtonis de Levis archidiaconi, die Lunæ ante feſtum S. Thomæ apoſt. Hoc anno Ayquelinus mandato Johannis papæ XXII. dato IV. cal..... pontificatus ejus an. XIV. cum Rogerio Lemovic. epiſcopo, & Aimerico abbate S. Martini Troarnenſis ipſi provincia data eſt inquirendi de vita, miraculis, &c. Yvonis Trecorenſis presbyteri, de quibus proceſſus inceptus eſt die 23 Junii an. 1330. qui erat decimus quartus Johannis XXII. vide 4. tom. Maii Bollandiani pag. 544. ubi Ayquelinus dicitur nepos Guillelmi de Blavia. Singulis annis ſequentibus uſque ad an. 1363. incluſive, nomen Ayquelini variis in inſtrumentis, hominiorum maxime, reperitur, quæ notare ſigillatim, brevitatis cauſa prætermittimus. In ſigillo ipſius aſſervato apud Baſſacum hæc inſignia obſervavimus: *Burelé de.... de dix pieces, parti de..... au lion rempant de....* Innocentius papa VI. Amanevo de Mota Burdigalenſi archiepiſcopo flagitante, huic epiſcopo mandatum dederat inquirendi de rapinis & aliis ſceleribus in perſonas & bona eccleſiaſtica: ſed obſtitit Archembaldus Vaurenſis antiſtes, comminatus etiam nomine pontificis excommunicationem litteris datis die 21 Novembris an. 1355.

Solvendi nunc ſunt quidam nodi de Ayquelini epiſcopatu. Sammarthani fr. dant ipſi ſucceſſorem Guillelmum quemdam, cujus dicunt fieri mentionem in regiſt. Vaticano die 2. Julii an. 1328. Ceterum fatentur in catalogis Engoliſm. epiſcoporum Ayquelinum menſe Junio anno 1328. jam epiſcopum fuiſſe. Ex dictis conſtat eum ab hoc

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

tempore usque ad 1363. sedem Engolism. obtinuisse. Hinc nullus locus relinquitur huic Guillelmo. Fieri tamen potuit in Ayquelini electione, ut aliqua suffragia faverint Guillelmo, cujus electio effectu caruerit. Utrum episcopatus Ayquelini ultra an. 1363. protractus non fuerit, mox inquiremus.

De Pons.

LVI. Helias II.

Helias de Pons, filius Reginaldi Pontii reguli in prælio Pictavensi cæsi, & Johannæ d'Albret, episcopus reperitur anno 1363. 2. Julii ex libro provisionum prælatorum Vaticani, inquiunt docti fratres Sammarthani; & in charta quadam sedis episcopalis, aiunt nonnulli. Aliunde in transsumto instrumenti sedis ejusd. legitur Ayquelinus episcopus an. 1368. & in autographo ejusdem tabularii. Sæpe fallit liber provisionum a Sammarthanis laudatus, quod contineat etiam provisiones caducas. Chartæ prolatum testimonium dubium est, quod sileatur quo die, mense, immo anno data sit. Hinc vero propius credimus Ayquelinum produxisse suum episcopatum usque ad an. 1368.

De Helia, sedis episcopalis chartæ autographæ
1370. agunt 9. Aug. an. 1370. & 28. Oct. an. 1371. In libro quoque feodorum hæc legimus: *Die Jovis ante festum B. Mariæ Magdalenes, anno*
1376. *D. M. CCC. LXXVI. D. Guido de Rupe-fulcaudi fecit homagia-ligia D. Heliæ Engol. episc. pro feodo vicecomitali, pro castellania Cellæ-fruini, &c. & die Veneris II. die Maii M. CCC. LXXVI. Raimundus de Marneys, dominus de Villaboë & de Monte-maurelli fecit homagium D. Heliæ episcopo Engol. apud Varnum.*

LVII. Johannes IV.

Johannes Engolismensis episcopus recensetur in actis consistorialibus provisionum prælatorum
1380. an. 1380. quorum excerpta ex archivo Vaticano sibi communicata ab Ughello abbate, docto *Italicæ sacræ* scriptore, asserunt Sammarthani. Memoratur
1381. & an. 1381. in chartis ecclesiæ Engolismensis.

LVIII. Galhardus II.

1386. Ex libro feodorum: *An. M. CCC. LXXXVI. die Jovis post festum Epiphaniæ, D. Petrus de Arboribus archidiaconus Engol. obedientiam promisit D. G. Engolism. episcopo; & dictus D. episcopus de archidiaconatu eum investivit per traditionem breviarii. Actum apud Varnum in camera*, &c. Episcopum per litteram G. hic designatum credimus esse Galhardum nobis notum ex duabus chartis haud dubiæ fidei. Nam in libro feodorum legitur: *Jacobus de Monte-berulphi dominus dicti loci, fecit homagium-ligium D. Galhardo Engolism. episc. in camera episc. apud Varnum anno Domini*
1389. *M. CCC. LXXXIX. die Jovis in festo Ascensionis Domini.* In instrumento vero S. Amantii legitur Guidonem S. Amantii abbatem libellum supplicem Galhardo obtulisse quo postulabat ut ad subdiaconatus ordinem admitteret fratrem Aimericum de S. Amantio suum monachum & priorem de Vernanto. Dat. die Jovis post festum S. Luciæ
1390. an. M. CCC. XC.

LIX. Guillelmus VI.

ANNI CHRISTI

Quo anno Guillelmus hic ad sacras infulas vocatus sit, nondum detegere potuimus. Sammarthani docent nomen ejus inscriptum actis Vaticanis legi ad an. 1391. 16. Augusti. Occurrit in tabulis S. Ausonii ann. 1395. & 1402. Nulla de ipso mentio fit in instrumentis publicis sedis episcopalis ante annum 1398. quo ipsi tanquam Engol. episcopo obedientiam jurat Petrus abbas S. Amandi. Recensetur in tab. arch. episc. an. 1400. & 1403. De illo id refertur in feodorum libro: *Anno M. CCCC. VIII. die XXVII. mensis Aprilis nos Guillelmus episcopus Engolism. recepimus ad fidem & homagium Clementem monachum S. Johannis Angeliacensis, procuratorem venerab. & circumspecti viri D. Archambaudi de Valle decani Engol. ratione ipsius decanatus*, &c. Idem Archambaldus de Valle decanus, & capitulum sancti Petri, paciscuntur cum Guillelmo Engol. episcopo pro jurisdictione eodem anno 1408. Guillelmus Engolism. episcopus 12. Sept. 1409. accipit quædam homagia pro castellania de Martonio. Anno 1415. ipsi & Arnaldo archidiacono Johannes S. Amantii abbas præsentat domnum Ravardum ad parochialem ecclesiam de Lussiaco, quæ ad abbatis præsentationem spectabat jure patronatus ex instrumento membraneo tabularii S. Amantii. Iidem Sammarthani dicunt in actis Johannis papæ XXIII. Floridum monachum & abbatem de Barbello, Cisterciensis ordinis, electum nominari an. 1411. pridie cal. Septemb. Anno 1410. Johannes hic electus est in papam, Romæque sedit, quo tempore apud Avenionem sedem habebat Benedictus decimus tertius. Auguramur Johannem hunc Guillelmo episcopo Engolism. qui sequebatur partes Benedicti, opposuisse Floridum, qui tamen nunquam pacifice
1391. 1395. 1400. 1403. 1408. 1415.
federit.

LX. Johannes V.

Johannes iste a Sammarthanis omissus, hic necessario reponendus ex duabus chartis authenticis episcopi Engolismensis; in quarum prima hæc leguntur: *Johannes episcopus Engol. III. Mart. M. CCCC. XVIII.* Altera vero scripta 7. die Sept.
1418. 1419. agit de contentione mota inter eum & canonicos pro jurisdictione spirituali.

De Montberon.

LXI. Robertus III.

Robertus de Montberon ex Roberti episcopi, qui ante duo fere secula rexit ecclesiam Engolism. familia, & dominis de Monte-Berulpho, Johanni Engolismensium comiti morum integritate conspicuo, ac litteratis hominibus familiariter utenti carissimus fuit ob singularem ipsius urbanitatem & multiplicem doctrinam, hominium excepit pro baronia Montis-Berulphi anno 1440. ex veteri
1440. registro chartarum Engolismensium. An. 1443.
1443. adfuit translationi corporis S. Martini factæ in illius ecclesia apud Turones, mense Februar. cum Ludovico de Hari-curia Narbonensi archiepiscopo, & aliis multis præsulibus.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

LXII. Godefridus.

De Pompadour.

Godefridus de Pompadour, patria Lemovicenſis, nobiliſſima & vetuſtiſſima Pompaduriorum ſtirpe ortus, a teneris ſub optimis profeſſoribus litteras didicit, tantumque progreſſum fecit, ut inter doctiſſimos illius ætatis eminuerit. Fuit prior S. Cypriani in diœceſi Sarlatenſi, & præpoſitus eccleſiæ Lugdunenſis 1463. 1465. & 1468. ex variis inſtrumentis S. Cypriani; deinde Engoliſmenſis capituli ſuffragiis & omnium civium applauſu, in Roberti locum provectus eſt. Morum vero lenitate, & ſermonis urbanitate ad ſe omnium animos convertit. Intimos habuit illuſtriſſimos viros Johannem Engol. comitem, & Fulcaldum dominum *de la Rochefoucaut* & de Marthon Guidonis filium, perpetuos dignitatis epiſcopalis aſſertores. Sub vitæ finem quorumdam impiorum hominum in cleri Engoliſmenſis libertatem irrumpentium furorem & inſaniam generis ſplendore ac vitæ ſanctitate repreſſit. Munificus ac liberalis in eccleſiam ſuam, aquilam æneam in choro, pulpiti loco, poſuit; columnas operis elegantia inſignes ante majus altare erexit; ſacrariumque pretioſo ornamentorum apparatu inſtruxit. Comitiis Turonenſibus interfuit anno 1467. 1467.

du Fou.

LXIII. Rodulphus.

Rodulphus du Fou, Yvonis du Fou, Engoliſmenſium proregis, Caroli comitis tutoris frater, abbas S. Juniani Nobiliacenſis, de Nuceriis & S. Taurini Ebroicenſis, ſedit an. 1470. inquiunt docti fratres, & exinde tranſlatus eſt ad cathedram Ebroicenſem anno 1479. Præter fratrem quem ipſi dant laudati ſcriptores, alium habuit Regis *cambellanum* & primum pincernam. 1470.

De Luxembourg.

LXIV. Robertus IV.

Robertus de Luxembourg, Ludovici comitis S. Pauli magiſtri equitum Franciæ filius naturalis, Rodulpho ſucceſſit, & fidelitatis ſacramentum præſtitit Regi die 19. Januarii an. 1479. ex archivis epiſcopalibus. Eccleſiæ cathedr. aream quadratis lapidibus conſtravit. Cum Hugone S. Eparchii abbate compoſuit 1482. Reſtaurandam curavit *capellam* S. Auguſtini juxta muros Engoliſmæ, in qua reliquiæ S. Macuti *frequentibus celebrantur miraculis*, 12. Febr. 1489. 1479. 1482. 1489.

De S. Gelais

LXV. Octavianus.

Octavianus de S. Gelais ex antiquiſſimo ac nobiliſſimo dominorum de S. Gelaſio, imo Liſiniacenſium dynaſtarum *Luzignan* ſanguine ortus, Petri toparchæ *de Monlieu* & *de ſaint Aulaye*, Philibertæque de Fontenay filius, magna præditus fuit ingenii felicitate, ut pote qui ab infantia variis ſcientiis & præcipue poeticis & philoſophicis animum excoluit. Antequam ad epiſcopatum promoveretur, dum adhuc per ætatem licebat amœnioribus muſis indulgere, Ovidianas Heroïdas, Virgilianam Æneïdem, & Odiſſæam Homericam e Græco Latinoque idiomate Gallice vertit; hiſtoriam præterea eadem lingua ſcripſit, cui nomen dedit *Viridarium honoris*. Filium habuit Merlinum Sangelaſium, qui patris veſtigia ſecutus, præclara ingenii ſui monumenta poſteritati conſecravit. De Octaviani promotione ad epiſcopatum ſic habent chartæ Engoliſm. epiſcopi: *Anno Dom. 1494. D. Octavianus de ſancto Gelaſio ad requeſtam ſereniſſimi principis D. Caroli Francorum regis VIII. fuit promotus in epiſcopum eccleſiæ Engoliſmenſis per D. Alexandrum papam VI. & hoc in vim remiſſionis totius capituli dictæ eccleſiæ Engoliſm. Et fuit conſecratus in civitate Lugdunenſi per R. P. D. Carolum epiſcopum Elnenſem, aſſiſtentibus Andegavenſi & Cornubienſi epiſcopis, coram præfato dom. Franc. rege, ducibus Aurelianenſi & Borbonii, comitibus Engoliſmenſi, de Fuxo, Nivernenſi, de Montepenſerio; & aliis quam pluribus magnatibus & prælatis, in eccleſia B. Pauli Lugdun. Item dom. Octavianus epiſcopus Engoliſm. fecit ſuam ſolemnem inthroniſationem in dicta eccleſia Engoliſm. die Dominica poſt feſtum Aſſumtionis B. Mariæ 17. Aug. eodem anno; & fuit receptus per decanum & capitulum ejuſdem eccleſiæ, per D. comitem Engoliſ. & per barones & nobiles totius patriæ cum magno decore & ſtrepitu, & cum gaudio & exſultatione totius gentis. Et eadem die celebravit miſſam ſuam ſolemnem in laudem Dei & ejuſdem glorioſæ matris Mariæ.* Factus epiſcopus ad ſacrarum litterarum ſtudium animum appulit, & religioni ac pietati ſedulo incubuit. Epiſcopales ædes præ vetuſtate fatiſcentes novis ſtructuris reparavit, eccleſiam vero pretioſis admodum donariis ditavit. Interfuerat exſequiis Caroli VIII. anno 1498. & ipſe fatis conceſſit 1502. cum paulo antea die 23. Nov. tranſegiſſet cum Guillelmo de Monberon S. Eparchii abbate. Corpus ejus humatum eſt in eo ſacello quod Jacobus Sangelaſius ejus frater, Uceteniſis epiſcopus & decanus Engoliſm. in baſilica Engoliſmenſi ſummo apparatu & magnis ſumtibus exſtruxerat, & Virgini Deiparæ dedicaverat. Hocque epitaphio ſub iſto titulo a germano ſuo donatus eſt Octavianus: 1502.

Octavianus ego, qui ſummi culmen honoris
Attigeram, modico ſubtegor ecce ſolo.
Engoliſma ſacræ dederat mihi jura cathedræ,
Tempore ſed periit gloria tanta brevi.
Non medios vitæ natura reliquerat annos,
Debita quando feræ ſolvo tributa neci.
Diſcite mortales celeri quam vita volatu
Præterit, atque levi tranſit, ut aura, pede.
Spiritus aſtra petens, miſerum me! corpus humatum
Liquit, ad extremum ſpero redire diem.

De Bausa.

LXVI. Hugo III.

Hugo de Bauſa electus eſt a capitulo die penultima Aprilis 1502. & confirmatus a Johanne Burdegalenſi archiepiſcopo 6. Aprilis 1503. Hoc eodem anno litteris Pictavis Julii 20. datis, ac per apparitorem miſſis, Engoliſmenſem comitiſſam, ut Montis-Berulphi dominam, Franciſcum de la Rochefoucaut, dominos de Montmorelle, de la Rochechaudri, Carolum Tiſon dominum d'Argence monuit, ut ſecundum conſuetum morem omnes in die ſolemnis ingreſſus in urbem, ad S. Auſonium convenirent, ipſumque ſuſtentatis cathedræ pedibus geſtarent. Omnes porro per ſe aut per 1502. 1503.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

procuratores illuc convenerunt, hominium præſtitere & ad geſtationem ſe teneri profeſſi ſunt; ut videre eſt in authentico inſtrumento ea de re confecto, cujus exſcriptum recognitum habetur in biblioth. MSS. Coiſliniana, olim Segueriana in vol. cui titulus: *Fondations d'egliſes*, p. 151. &c. An. 1505. 1505. die Sabbati 12. Aprilis Alanus dominus d'Albret, comes Dorocenſis, Petriconcenſis &c. & vicecomes Lemovicenſis ei præbet hominium pro nonnullis toparchiis quas in pagis Lemovicenſi & Engoliſmenſi poſſidebat; ex tabular. d'Albret. Hominium quoque recipit a domino de Sainte-Hermine 24. Dec. 1504. pro terra de Fana. *

* du Fa.

D'ESTAING

LXVII. ANTONIUS.

Antonius de Stagno, ut in omnibus antiquis monumentis exprimitur, vulgari idiomate, non de l'Eſtang, ut nonnulli recentiores reddidere, ſed d'Eſtaing aut d'Eſteing, ex nobili & antiqua dominorum de Stagno familia ortus, patre Gaſpardo d'Eſtaing, Ruthenenſis provinciæ ſeneſcallo ac gubernatore &c. fratrem habuit Franciſcum Ruthenorum antiſtitem. Utrique dicavit Nicol. Boherius commentarium in Mandagotum *de electione*. Uterque a Ludovico XII. adlectus eſt conſeſſui viginti virorum juriſperitorum, ex quibus conſtabat magnum conſilium in prima ſua erectione huic regi debita. Antonius ex canonico Ruthenenſi 1479. admittitur canonicus & comes Lugdun. 1489. cujus capituli fuit quoque decanus & abbas, ſeu domnus Aubracenſis, ut patet ex litteris Franciſci I. datis apud Compendium menſe Septembri 1527. quæ exſtant in veteri regiſtro archivi regii Pariſ. Ad Engoliſmenſem cathedram, procurante Aloiſia Sabauda, Franciſci Francorum regis matre, anno 1506. evectus eſt. [a] Vir ob urbanitatem & facilitatem morum, ſcientiam non mediocrem, haud vulgarem in tractandis negotiis ſolertiam, magno apud omnes, ac regni primores præcipue in pretio habitus. Cultus divini religioſus fuit aſſertor, eccleſiaſticæ libertatis acerrimus propugnator. Epiſcopatus ſui patrimonia ab injuſta laicorum poſſeſſione variis ſupremæ curiæ Pariſienſis decretis vindicavit. Inchoata ab Octaviano ædium epiſcopalium ædificia perfecit. An. 1509. Georgii ab Ambaſia cardinalis teſtamentum ſua ſubſcriptione munivit. Piſanæ ſynodo Mediolanum tranſlatæ adverſus Julium II. pontificem interfuit 1511. Recenſetur & 1514. in chartis epiſcopalibus. An. 1516. 1516. unus fuit ex judicibus a ſummo pontifice delegatis ad diſſolvendum Lud. XII. matrimonium cum Johanna Lud. XI. regis filia. Aloiſia Sabauda ſatagente ut Johannes comes Engol. ſocer ſuus, cum ſanctitatis fama mortuus, beatorum numero adſcriberetur, S. pontifex Antonium noſtrum delegavit ut de ejus moribus & geſtis altius inquireret; at demandatam provinciam adimplere non potuit præmatura & inopina morte ſublatus: ferunt enim eum in epiſcopalibus Varni domibus degentem

1506. a

1509.

1511.

1514.

1516.

[a] Tempus ejus promotionis invenimus in ſchedis domini de Gaieres nunc biblioth. regiæ: nam in volumine inſtrumentorum authenticorum vitiuntur regiæ litteræ quibus Johannes du Buiſſon donatur officio conſiliarii clerici in parlamento Tolotano, vacante per promotionem Antonii d'Eſtaing ad epiſcopatum Engoliſmenſem, litteræ autem datæ ſunt die 10. Decembris an. 1506.

A veneno necatum fuiſſe. Verum quo anno? 1520. inquiunt Sammarthani. Quod ſtare nequit; anno quippe 1521. Junii 24. Carolus dux Alenconius litteras dedit de hominio ſibi præſtito ab Antonio d'Eſtaing Engoliſmenſi epiſcopo, ſimulque Aubracenſi domno. Præterea vicarius generalis Franciſci d'Eſtaing Ruthenenſis epiſcopi confirmavit electionem Antonii Andreæ in domnum Aubracenſem pro Antonio noſtro defuncto, quod actum eſt 7. Maii 1523. ex archiv. Aubrac. Sepeliri voluit apud Arvernos in natali ſolo.

ANNI CHRISTI 1521.

1523.

DE LA BARRE.

LXVIII. ANTONIUS II.

B Antonius de la Barre Turonenſis, ſancti Martini apud Turones decanus, defuncto Antonio d'Eſtaing in Engoliſmenſi ſede ſuffectus eſt. In tranſſumto inſtrum. ſedis epiſcopalis dicitur Rothomagi inauguratus an. 1514. ſed ſcribæ error eſt, ut ex dictis patet, ac pro 1514. legendum 1524.

1524.

BABOU.

LXIX. JACOBUS.

Jacobus Babou, Turonicus, ex familia dominorum de la Bourdaiſiere, Philiberti *generalis* ærarii Franciæ filius, & Philiberti cardinalis frater ac deceſſor, eccleſiæ S. Martini Turonenſis decanus, & libellorum ſupplicum magiſter; dehinc ad Engo-
C liſmenſem epiſcopatum aſſumtus eſt, quem paucis annis tenuit; anno quippe 1532. die 26. Nov. in vico nominato *Eſtrechi le larron* prope Stampas extinctus eſt cum iter faceret in patriam ad Bordaiſeriam, caſtrum gentilitium in Turonibus. Jacet ex aliqua ſui parte in templo S. Martini Turonenſis, cum hoc epitaphio;

1532.

Exta ſepulta jacent Jacobi præſulis olim
Engoliſmenſis, de Babou genere.
Qui templo Martine tuo, Regiſque libellis
Præfuit, hunc juvenem mors inopina rapit.

BABOU.

LXX. PHILIBERTUS.

D Philibertus Babou, Jacobi frater, ſub præſtantiſſimis litterarum magiſtris Pariſiis primum ſtuduit. Erat decanus S. Martini Turonenſis jam an. 1538. & S. Capellæ Pariſienſis theſaurarius. Fuit quoque libellorum ſupplicum magiſter. Fratri ſucceſſit in Engoliſmenſium epiſcopatu 20. duntaxat annos natus. Ab Henrico II. Francorum rege Romam miſſus eſt legatus ad pontifices, quo etiam munere ſub Franciſco II. & Carolo IX. functus eſt. A Pio IV. ſollicitante Carolo rege, cardinalitia purpura decoratus eſt an. 1561. Ad Al-
E tiſſiodorenſem epiſcopatum tranſlatus eſt 1563. Romæ denatus 25. Januar. 1570. anno ætatis 57. ubi jacet in celebri S. Ludovici Francorum regis templo. Vir fuit excellenti ingenio & eloquentia, Græcæ & Latinæ linguæ peritus, moribus & natura comis, faciliſque ad concilianda ſibi hominum ſtudia.

1561.

BONY.

LXXI. CAROLUS.

Carolus Bony natione Florentinus, ex epiſcopo Oſtunenſi in regno Neapolitano factus Engoliſm. inauguratur anno 1574. in abbatia Victorina Pariſienſi. Sancti Clementis Romani conſtitutiones latinitate donavit. Anno 1583. ſubſcripſit ſynodo

Digitized by Google

provinciali Burdegalenſi. Engoliſmenſ. epiſcoporum catalogum a ſe contextum ipſi dicavit Carlonius an. 1597. *Obiit Engoliſmæ apoplectico morbo correptus 19. cal. Januar. an. 1603.* Cernere eſt ejus epitaphium ad ingreſſum chori eccleſiæ cathedralis encauſto inſcriptum ad parietem odei: *Carolo Bonio, patria Florentino, natalium ſplendore nobili, epiſcopalibus apud Engoliſmenſes honoribus illuſtri, ſacra & politiori litteratura conſpicabili, religioſiſſ. & pientiſſ. domino exiguum monumentum Olivarius Poterius, hujus quondam a ſecretis, fleníque mœreníque P.*

ANNI CHRISTI 1603.

LXXII. Antonius III.

De la Rochefoucaud.

Antonius de la Rochefoucauld, Antonii domini de Calvo-monte (*de Chaumont*) ſuper Ligerim, equitis aurati, & Regis cambellani, Cæciliæque de Montmirail filius, fratres habuit Jacobum a quo editi marchiones de Langeac in Arvernis, & Franciſcum abbatem B. M. Regalis, ſororem Mariam abbatiſſam Paracliti. Prioratum S. Portiani obtinuit ab anno 1607. ad 1612. Conſecratur Engoliſmenſis epiſcopus an. 1608. nonis Junii in æde parochiali S. Nicolai de Cardueto (in qua eccleſia ſacro latice tinctus fuerat an. 1574.) a Franciſco de Rupe-fucaldi epiſcopo Claromontano, poſtea cardinali, adſiſtentibus Franciſco de la Valette Cornuſſon Vabrincenſi, & Johanne Bertier Rivenſi epiſcopis. Interfuit comitiis Pariſienſibus 1615. Anno 1624. ſubſcripſit ſynodo Burdigalenſi. Edidit proprium ſanctorum ſuæ dioeceſis Engoliſmæ apud Claudium Rezé typographum 1633. Obiit Engoliſmæ in palatio epiſcopali die Dominica 24. Decemb. 1634. & ſepultus eſt in ſua eccleſia ante majus altare. Eo pontifice Engoliſmæ conventus Capucinorum conſtruitur an. 1611. + a Johanne de Neſmond equite, toparcha de Verac. Anno 1619. PP. Minimi ſtabiliuntur favore & liberalitate reginæ Mariæ de Medicis tunc exiſtentis apud Engoliſmam, & an. 1627. 18. April. Dominica ſecunda poſt Paſcha, ab Antonio de la Rochefoucauld ſolemniter conſecratur eorum eccleſia. Recipiuntur etiam Jeſuitæ 1622. & moniales Urſulinæ 1628.

1608. 1624. *ad.* 1614.

LXXIII. Jacobus II.

Du Perron.

Jacobus du Perron, Normannus Conſtantienſis, nepos Jacobi cardinalis du Perron, S. Taurini Ebroïcenſis & B. M. de Lyra abbas, Engoliſmenſi donatus eſt epiſcopatu an. 1636. incunte, dum apud ſereniſſimam Angliæ reginam Henrietam Mariam uxorem Caroli magnæ Britanniæ regis, majoris eleemoſynarii officio fungeretur. Pariſiis apud patres tertii ordinis ſancti Franciſci vulgo *de Piquepuce*, inauguratus eſt die Dominica 14. Junii 1637. a Carolo de Monchal Toloſano archiepiſcopo, adſiſtentibus Ægidio Boutault Adurenſi, & Franciſco Mallier Trecenſi epiſcopis. Urbem ingreſſus eſt an. 1638. menſe Maio. Clerum Gallicanum Lutetiæ congregatum an. 1645. eleganti ſalutavit oratione nomine ejuſdem reginæ magnæ Britanniæ. Ad ſedem Ebroïcenſem tranſlatus eſt an. 1646. obiit 1649.

1636. 1637. 1638. 1645.

LXXIV. Franciscus.

ANNI CHRISTI De Pericard

Franciſcus de Pericard, Franciſci Ebroïcenſis epiſcopi nepos, erat filius Caroli equitis, baronis des Botereaux, & Eſtheris de Coſtentin de Tourville; quæ familia jam epiſcopos dederat, præter Franciſcum ejus patruum Guillelmum Ebroïcæ, Georgium & Franciſcum Abrincæ. Porro Franciſcus noſter ad cathedram Engoliſm. evectus eſt nominatione Ludovici XIV. menſe Aug. an. 1646. Bullis ab Innocentio X. acceptis, Lutetiæ conſecratur in æde ſacra monialium Carmelitarum per Johannem Franciſcum de Gondy Corinthi archiepiſcopum, adſiſtentibus Renato de Rieux Leonenſi & Alphonſo d'Elbene Aurelianenſi præſulibus an. 1647. Inde ſolemni pompa urbem primum invectus eſt 1649. 26. Novemb. Quo eodem anno Ludovici de la Rochefoucauld Lectorenſis epiſcopi conſecrationi adfuit die 8. Novemb. in æde S. Mariæ Santonenſis. Ejus tempore ac cura generale pauperum hoſpitium in urbe fundatum & conſtructum fuit, in eoque omnes urbis & ſuburbiorum mendici concluſi, quibus non mediocrem ſummam quotannis in eleemoſynam conferebat. Erecta quoque pauperum infirmorum domus. Idem etiam beneficium contulit pauperibus Rupis-fucaldi infirmis. Inito conſtituendi ſeminarii conſilio, locum ad illud aptum ſua pecunia comparavit; at pium illud opus exſequi non potuit, morte præventus; ſuo tamen teſtamento prædictum locum, ſuam bibliothecam, ac rerum ſuarum tum mobilium tum partarum dimidiam partem legavit pro futuro ſeminario, altera parte duobus Engoliſmæ pauperum hoſpitiis relicta; collatis vero eccleſiæ ſuæ omni ſacra ſupellectili argentea, omnibuſque epiſcopalibus ornamentis. Caſtrum epiſcopale apud Varnum ædificavit. Fato functus eſt 29. Septemb. 1689. ſepultus in presbyterio. Ad generalia cleri comitia delegatus fuerat an. 1655. una cum Burdegalenſi archiepiſcopo.

1646. 1647. 1649. 1689.

LXXV. Cyprianus Gabriel.

Benard de Rezay.

Cyprianus Gabriël Benard de Rezay, filius Cypriani comitis conſiſtoriani & Franciſcæ Melian, doctor ſorbonicus, nominatus ad epiſcopatum Engoliſm. 1. Novemb. 1689. inauguratus eſt in æde ſacra Minimorum Pariſienſium 1692. die feſto S. Bartholomæi 24. Auguſti a D. Carolo le Goux de la Berchere Albienſ. archipræſule, adſiſtentibus epiſcopis Tolonenſi & Maſſilienſi. Poſſeſſionem adeptus eſt die 7. menſis Novemb. ejuſdem anni. Seminarium quod animo conceperat pius prædeceſſor, & cujus locum comparaverat, propriis ſuis ſumtibus ædificavit, ejuſque curam miſſionis presbyteris a S. Lazaro nuncupatis commiſit 1704. Eo curante filiarum unionis chriſtianæ oratorium ſub titulo Præſentationis B. Mariæ conſtruitur, ut & generalis xenodochii ſacellum 1712. Palatium epiſcopale reparavit; ad generalia cleri comitia deputatus eſt anno 1695. Laudes ipſi debitas ſilentio premere cogimur; at tacere non debemus ab ipſo nobis perhumaniter conceſſa fuiſſe plurima ex epiſcopali tabulario, quæ ad illuſtrandam ſuperiorum antiſtitum hiſtoriam non parum contulere.

1692. 1704. 1712.

Digitized by Google

ARCHIDIACONI ENGOLISMENSES.

PRIMA olim Engoliſmenſis eccleſiæ dignitas fuit archidiaconus; verum ab anno 1213. primum locum obtinet decanus. Archidiaconorum ſeriem prius dabimus, poſtea decanorum.

I. S. Cæſarius archidiaconus tempore S. Auſonii, aut ejus ſucceſſoris. Ejus corpus habere ſe gloriabantur olim ſanctimoniales Auſonianæ, & in MS. codice exſtat miſſa ſanctorum quorum corpora in hac eccleſia requieſcunt, *ſcilicet SS. Auſonii, Aptonii, Cæſarii, Eparchii.* Ejus mentio fit in vita S. Auſonii.

II. Arthemius in vita S. Eparchii quam exhibet primus Act. SS. Bened. tomus, ediditque Bollandus, archidiaconi titulo inſignitur; ubi dicitur miſſus ab Abtonio Engoliſmenſium præſule, ad Petragoricenſem epiſcopum, ut ab eo impetraret S. Eparchio licentiam figendi ſedem in Engoliſm. dioeceſi. Nonnulli ex eadem vita Frontonium archidiaconum fuiſſe probare conantur; verum ibi dicitur archipresbyter, non archidiaconus.

III. Eroigius, qui & Eroiginus, ac Eroiſius, archidiaconus ſub Gumbaldo epiſcopo, ejus chartæ ſubſcribit *an. XXV. regnante Carolo *filio Ludovico regi*, hoc eſt anno 918. De eo chronicon Engoliſm. apud Labb. *Anno D. CCCC. XXIX. VII. idus Januarii obiit Eroigius archidiaconus.*

* Simplice.

IV. Elias de quo præfatum chronic. *D. CCCC. LXXX. ind. VIII. V. idus Aprilis Elias archidiac. migravit ad Dominum.*

V. Iſimbardus an. 988. ſubſcribit litteris Willelmi Engoliſm. comitis, quibus S. Amantii monaſterium a majoribus ſuis Engoliſmenſi eccleſiæ ſubtractum, eidem reſtituit, illudque reſtauratum monachis reddit S. Benedicti regulam ſervantibus. Vide Mabill. tom. IV. Annal. pag. 53.

VI. Arnaldus I. cujus conſilio & aſſenſu Roho Engol. epiſcopus locum S. Amantii cedit Willelmo duci ad conſtruendum cœnobium de Buxia an. 1018. vide Mab. Annal. t. IV. pag. 259. Idem Arnaldus *donat alodem ſuum ſive hereditatem ſalicam quæ eſt in pago Sanctonico, nuncupata Paſtore-villa, manſos V. indominicatos qui oblias ſolvant ſol. IV. & denarios X. & borderias III.* &c. *Deo & S. Petro, in communia canonicorum ibidem Domino inſervientium*, &c. ſed deſunt temporis notæ. Idem denique Arnaldus ſubſcriptus reperitur cum Rohone Engol. epiſcopo, Ramnulfo clavigero, Helia præpoſito, Willelmo comite, & uxore ſua Girberta, & Hilduino comitis filio, in donatione Arnaldi & uxoris ejus Rixendis: *Datum in menſe Maio XIII. calend. Junii, M. XX. ab Incarn. D. regnante Rotberto rege.*

VII. Petrus I. ſubſcripſit donationi quartæ partis eccleſiæ Juliaci, quam Urſo de Juliaco dedit S. Petro Engol. & omni clero, abſque temporis charactere.

VIII. Arnaldus II. ſuperius commemoratam donationem quartæ partis eccleſiæ Juliaci confirmat, an. 1031.

IX. Petrus II. anno circiter 1047. tempore Willelmi epiſc. & Fulconis comitis.

X. Willelmus I. tempore ejuſdem Willelmi ep. recenſetur in donatione eccleſiæ & burgi S. Gratulfi facta canonicis Engoliſm. a Roberto Montisberulfi domino Caſtelli-Reinaldi. In tabulario epiſcopali reperimus: *Willelmus archidiaconus teſtis in donatione terræ Dauterii factæ eccleſiæ Engoliſmenſi, a Bernardo Juliaci.* Item: *Guillelmus archidiac. dat mediam partem alodii Senebriis, & Hugo frater ejus dat totum ſuum alodium de Roures S. Petro Engol.* Sed cum tempus non notetur, ignoramus ad quem Willelmum ex archidiaconis id referendum ſit.

XI. Achardus tempore Ademari ep. memoratur cum hoc præſule, in dono eccleſiæ, quæ vocatur *ad S. Eparchium ſenem*, facto S. Johanni Angeriacenſi ab Alone de Monte-morello; & in alio inſtrumento cujus chronici characteres ſunt Urbani papæ II. an. undecimus, Ademari ep. an. 21. hoc eſt Chriſti 1097. Ejuſdem fit mentio in chartis monaſteriorum Baſſiacenſis & Angeriacenſis, necnon S. Eparchii & B. M. de Corona. Idem archidiaconus erat ſub Geraldo ep. Ademari ſucceſſore, an. 1120.

XII. Richardus, Geraldi epiſcopi & Romanæ ſedis legati nepos, cui prædictus præſul dedit eccleſiam S. Eparchii, Nantolium, Vogaziacum, medietatem redditiuum curtis de Marciaco, eccleſiam de Magniaco, eccleſiam S. Johannis Baptiſtæ, X. ſolidos in eccleſia ſancti Martialis, medietatem maſſi de Luneſſa, pratum & vineas quas tenebat Fulcaudus de Riperiis; idque communi canonicorum conſilio. Sed tempus non notatur.

XIII. Amalvinus an. 1122. ex tabul. Engol. eccleſiæ.

XIV. Willelmus II. archidiac. & abbas Albæterræ, teſtis ſubſcribit in charta qua Ugbertus de Logotges dat S. Petro & canonicis matris eccleſiæ Engoliſm. Ugonem filium ſuum, & cum eo eccleſiam S. Mariæ de Carmento, & burgum & cimiterium, &c. abſque temporis notis. Interfuit donationi eccleſiæ Belli-loci ut teſtis archidiaconus Willelmus de Alba-terra cognominatus, forte idem.

XV. Chalo ſeu Calo ſubſcribit anno 1161. chartæ qua S. Eparchii monaſterium, ab Angeliacenſis ſubjectione eximitur. Nomen ejus inſcribitur tabul. eccleſiæ ann. 1162. & 1175. Anno 1166. adfuit ut teſtis concordiæ auctore Petro epiſcopo factæ inter G. S. Eparchii abbatem & Iterium capellanum de Dinac. Eodem Calone teſte Wigrinus Engol. comes dedit majori eccleſiæ terram de Buxia.

XVI. Gardradus in libro feodorum an. 1212. cum Willelmo epiſcopo recenſetur.

XVII. Elias de Brie anno 1226. litigat cum Guillelmo decano.

Digitized by Google

XVIII. Stephanus fuit archidiaconus an. 1246. ind. 4. ex charta S. Stephani de Baſſaco.

XIX. Magiſter Thomas Guillelmo epiſc. promittit obedientiam, & hominium præſtat anno 1274. in prima Februarii ſeptimana.

XX. Fulco ex variis Baſſaci inſtrumentis, die Veneris ante Pentecoſten, *præſulante Guillelmo* 1292. die Mercurii poſt feſtum S. Petri ad vincula 1296. die Veneris ante feſtum S. Ægidii 1303. die Lunæ ante feſtum S. Clementis 1305. Fuit poſtea epiſcopus.

XXI. Arnaldus, cui Johannes abbas S. Amantii præſentat an. 1315. Ravardum pro eccleſia parochiali de Luſſiaco.

XXII. Ayquelinus die Sabbati poſt feſtum Purificationis B. M. V. an. 1317. in inſtrumento abbatiæ S. Stephani Baſſacenſis. In libro feodorum dicitur Engoliſmenſi epiſcopo obedientiam promiſiſſe, & ei hominium præſtitiſſe. Actum in Bello-monte. Et recentiori manu tempus ſic conſignatur: *Anno 1327. die Lunæ ante feſtum B. Michaëlis poſt mortem Fulconis de Rupe archidiaconi quondam Engoliſmenſis.* Quod falſum eſſe ſuſpicamur, tum quia chartæ Baſſacenſi, quæ archetypa eſt, repugnat, tum quia Fulco ille de Rupe, ipſe eſt qui poſtea fuit epiſcopus Engoliſmenſis; ei ergo non e vivis ſublato, ſed ad infulas epiſcopales elato ſucceſſit Ayquelinus.

XXIII. Gaſto de Levis, qui die Lunæ ante feſtum B. Thomæ apoſtoli anno Domini 1330. A fecit homagium-ligium domno Ayquelino epiſcopo Engoliſm. ex libro feodorum ſedis epiſcopalis Engoliſm. Sed & iſtud recentiori manu conſcriptum eſt.

XXIII. Petrus III. archidiaconus Engoliſm. calend. Maii 1369. ex charta ſancti Stephani de Baſſaco.

XXIV. Petrus IV. de Arboribus an. 1386. die Jovis poſt feſtum Epiphan. archidiac. Engol. factus, obedientiam promiſit domino G. Engoliſmenſi epiſcopo, & dictus D. epiſcopus de archidiaconatu eum inveſtivit per traditionem breviarii. Actum apud Varnum in camera D. epiſcopi. B

XXV. Ludovicus du Tillet archidiaconus Engoliſmenſis eccleſiæ anno 1551.

XXVI. Johannes I. Calveau 1579. & abbas B. Mariæ de Corona.

XXVII. Johannes II. de Lemeric an. 1584.

XXVIII. Johannes III. de Lemeric archidiaconus an. 1591. alter a ſuperiori.

XXIX. Claudius de Girard archidiaconus an. 1652. C

XXX. Andreas de Neſmond archidiaconatus poſſeſſionem iniit 2. Sept. 1663.

XXXI. Franciſcus Oſmond, filius Guillelmi & Carolæ de Laval de la Faigne ex antiqua & perillustri familia apud Neuſtriam, bachalaureus in ſacra theologia, nominatur a Rege theſaurarius Engoliſmenſis anno 1692. & ab epiſcopo archidiaconus 1700.

DECANI ENGOLISMENSES.

DEcani in primam capituli dignitatem erectio, prærogativæ, redditus, jura & privilegia omnia fuſe recenſentur in charta Willelmi Burdigalenſis archiepiſcopi, qua, poteſtate a Romano pontifice accepta, dignitas hæc an. 1213. creatur. C. XIV. al. 451.

I. Amanevus de Grishinaco ſubſcripſit præfatæ chartæ erectionis decanatus anno 1213. poſtmodum fuit Tarbenſis epiſcopus, demumque archiepiſcopus Auſcienſis.

II. Guillelmus I. Arnaud nominatur in ſententia data an. 1226. per Guillelmum archiepiſcopum Burdeg. & capitulum Engoliſmenſe, judices datos ad componendam litem ortam inter præfatum Guillelmum Arnaud & Heliam de Brie archidiaconum, pro cuſtodia domorum epiſcopalium ſede vacante; qua ſententia decano adjudicatur cuſtodia domorum in urbe ſitarum, & quorumdam aliorum locorum: archidiacono vero caſtrorum de Vars, de Marſac &c.

III. Willelmus II. Bruneti * reperitur decanus die Veneris ante feſtum Purificationis B. M. anno 1252. R. * exiſtente Engoliſm. epiſcopo. Per ipſum anno 1253. menſe Januario, Paſcaudus de Dignac civis Engoliſm. inducitur in fiduciariam poſſeſſionem manſi de Vallelta ad dominium capituli pertinente. Idem capellaniam B. M. Magdalenæ in eccleſia cathedrali fundavit, eique decernit aſſignandas poſt ſuum obitum 12. libras Engoliſm. monetæ. D

* al. Bruneterii.

2 Roberto.

IV. Petrus I. Raimundi an. 1264. ſigillum impreſſit chartæ concordiæ initæ inter R. * epiſcop. Engoliſmenſem, & Eliam Tiſonis de Diraco militem, in feſto SS. Simonis & Judæ. Reperitur & in charta Groſſi-boſci 1267. denique in inſtrumento abbatiæ de Corona, ubi dicitur dom. papæ capellanus. Occurrit adhuc in charta epiſc. Claromontenſis, die Martis ante feſtum B. Matthæi apoſt. anno 1269.

* Raimundum.

V. Aimericus, ut habetur in libro feodorum ſedis epiſcopalis, tanquam decanus promiſit obedientiam & reverentiam, fecitque homagium-ligium Guillelmo epiſcopo pro iis quæ habebat ratione decanatus, in ultimo receſſu ſuo ad curiam ..... Actum apud Aſnerias in craſtinum ſancti Martini hyemalis an. Dom. M. CC. LXXIII. E

VI. Gerardus de Javarlhac, ut fert laudatus codex hominiorum, confirmatus fuit in decanum auctoritate Guillelmi epiſcopi an. 1275. in ejus palatio, & poſtmodum fecit homagium-ligium, & promiſit obedientiam &c. apud Varnum in prato capellaniæ, flexis genibus.

VII. Pontius de Inſula decanus, ex tabulis Silvæ-majoris, cum Petro Aduренſi epiſcopo, longa diſſidia Vaſatenſem eccleſiam inter & regios Eduardi miniſtros componit Burdigalæ 1283. Verum

Digitized by Google

alibi Pontius hic Santonenſis decanus nuncupatur; vide tom. 1. Gall. Chriſt. col. 1157.

VIII. Helias de Malo-monte, qui, ut habet citatus feodorum liber, in decanum Engol. electus auctoritate D. Johannis S. Cæciliæ presbyteri cardinalis, quondam apoſtolicæ ſedis legati in Francia, præſente capitulo, fecit homagium-ligium cum juramento fidelitatis Guillelmo epiſcopo, 6. *al.* 1194. cal. Januar. anno 1293. * deinde per ſedem apoſtolicam amotus eſt a decanatu.

IX. Amoto Helia per ſedem apoſtolicam, in decanatu ejuſdem ſedis auctoritate ſuffectus eſt Henricus Maſchaudi. Hominium, abſens & in curia Romana poſitus, præſtitit per Stephanum fratrem ſuum capellanum de Fromentallo, habentem ad hoc ſpeciale mandatum. Reperimus & Henricum de Marſac decanum 1293. in charta cœnobii de Corona. Verum idem eſſe videtur cum Henrico Maſchaudi propter eamdem temporis circumſtantiam. Aut ſi duo ſint diſtincti, (minima eſt enim nominum analogia,) Henricum de Marſac putamus a capitulo electum, decani titulum aſſumſiſſe, at poſtea Henrico Maſchaudi ab apoſtolica ſede nominato, cedere coactum fuiſſe.

X. Johannes I. de Layo, al. de Buia, poſt mortem dicti magiſtri Henrici factus eſt decanus Eng. auctoritate ſedis apoſtolicæ, & hominium fecit D. Guillelmo epiſcopo.

XI. Arnaldus Leotardi decanus, una cum Meſnardo Engoliſm. canonico, mediator fuit concordiæ inter Johannem epiſcopum Engoliſmenſem, & Heliam abbatem S. Eparchii, die Martis ante Pentecoſten 1316. Recenſetur in libro feodorum ſedis epiſcopalis 1319. menſe Junio, & in charta S. Eparchii; ac 1317. in inſtrumento S. Stephani de Baſſaco. Ipſius frater aut ſaltem conſanguineus erat Helias Leotardi Bituricenſis archidiaconus, qui, ut ait Corlæus in hiſtor. urbis & comitum Engoliſm. pag. 94. domum & familiam Hugonis le Brun comitis regebat, & *Leotardiæ locum ædificavit, & locum de Bello-gaudio in civitate, qui de Bello-loco nuncupatur, & a monialibus Benedictinis S. Auſonii occupatur.*

XII. Bertrandus de S. Geneſio, capellanus Johannis XXII. & auditor cauſarum ſacri palatii, erat decanus Engoliſmenſis an. 1319. & 1326. ex codice 685. biblioth. Colbertinæ. Homagium præſtitit Ayquelino ep. an. 1328. Poſtea patriarcha Aquileienſis. Vide notas ad vitas paparum Avenion. p. 697. 1420.

XIII. Thomas du Lion decanus, fundator capellaniæ junctæ eccleſiæ cathedrali, cujus exeſi & ſemiruti parietes ſervant etiamnum nomen capellaniæ *du Lion*. Fundavit etiam obitum, qui quolibet anno celebratur 4. Decemb.

XIV. Archambaldus de Valle, qui præſtitit hominium Guillelmo ep. an. 1408. per Clementem monachum S. Johannis Angeliacenſis. Eodem anno Archambaldus de Valle & capitulum S. Petri, paciſcuntur cum Guillelmo, pro juriſdictione.

XV. Johannes Gervaſii, ab an. 1428. ex tabulis eccleſiæ. An. 1438. 23. April. Johannes Daimani ei *reſtituit, ceſſit & donavit* omne jus quarumdam decimarum in tota parochia de Molidario, ut patet ex inſtrumento confecto per Guillelmum de Rupe-forti presbyterum Engoliſmenſem, publicum auctoritate imperiali notarium. Anno 1459. Johannes decanus a Petronilla Foraſſe accipit hominium.

XVI. Antonius de Pompadour epiſcop. Condomienſis, erat ſimul Engoliſmenſis decanus. Die 18. Januarii an. 1493. inter Octavianum de S. Gelaſio, & Ant. de Pompadour Engoliſm. decanum & epiſcopum Condomienſem ſic convenit, ut epiſcopus Engoliſmenſis ſingulis annis 200. libras dicto Antonio ſolveret pro quarta parte proventuum decano debitorum, & pro jure ſigilli, ratione juriſdictionis, epiſcopo ſimul & decano communis.

XVII. Robertus de Pompadour decanus obierat anno 1502.

XVIII. Jacobus de ſaint Gelais, cum Uceſienſi epiſcopatu decanatum poſſidebat. Anno 1525. codicem agrorum vectigalium decanatus confici curavit. Decano domum cum præcelſa turri egregio opere conſtruxit. Decanatus proventus monaſterio S. Auſonii reſtaurando, in gratiam Barbaræ de ſaint Gelais abbatiſſæ conceſſit. Obiit an. 1539. al. 1538.

XIX. Urbanus de ſaint Gelais Jacobi ſucceſſor fuit, an immediatus, ambigitur; ignoratur enim quo tempore præfuerit.

XX. Franciſcus de ſaint Gelais an. 1550. 21. Septembris capitulo conceſſit 120. libras & 15. aſſes annui proventus pro ſumma 2250. librar. Legitur decanus & abbas Burgi an. 1557. Tandem cum ad Proteſtantium partes defeciſſet, in ejus locum electus eſt a capitulo

XXI. Martinus Caveau anno 1562. ejuſque electio a vicario generali Engoliſm. epiſcopi confirmata eſt.

XXII. Franciſcus de Rochechouart decani dignitatem jam obtinebat an. 1584. ut patet ex litteris Univerſitatis Pariſienſis, quas exhibuit capitulo, ut ipſarum vi tanquam juratus ſcholaſticus, omnes decanatus fructus, exceptis quotidianis diſtributionibus, perciperet. Dignitatem hanc ſequenti tranſcripſit, eccleſiæque plurima contulit, in cujus choro ſepultus eſt a latere epiſtolæ.

XXIII. Johannes Meſnaud hac abdicatione factus decanus, ſua dignitate frui non potuit; etenim Ludovicus de Nogaret, poſtea cardinalis de la Vallette, ducis d'Eſpernon patris ſui favore ac potentia electus eſt a capitulo, decanatumque etiam factus cardinalis ſervavit, poſtea reſignavit.

XXIV. N. de ſaint Civier, per Ludovici reſignationem decanus, permutavit cum Johanne Meſnaud, qui ei dedit Montis-berulfi prioratum.

XXV. Johannes III. Meſnaud, abbas Blanziaci, & in præſidiali curia Engoliſmenſi ſenator, pacificam decanatus poſſeſſionem tandem obtinuit anno 1628. Ejuſdem eccleſiæ theſaurarius antea fuerat. Repertoria inſtrumentorum ſedis epiſcopalis & eccleſiæ cathedralis deſcripſit. Chorum ab hæreticis furentibus anno 1569. deſtructum, ſuis ſumtibus reparavit. Burdigalenſi concilio an. 1624. ut ſuæ eccleſiæ procurator interfuit, ejuſque promotor

Digitized by Google

motor effectus eſt. Ejus epitaphium æri inciſum legitur a latere epiſtolæ chori columnæ affixum, quod hic referre juvat :

Johannes Meſnaud hujus eccleſiæ decanus obiit VIII. idus Febr. an. Dom. 1669. ætatis ſuæ 85.
Clamant hi lapides, erecta altaria, muri :
Non opus eſt tumulo, titulis, nec imagine nuda ;
Hæc ſunt Menelli præconia ſancta decani.
Altis verticibus ſubjectos undique muros,
Surgentes aras, laquearia, lumina, tecta
Reſpice, Menelli ſunt hæc monumenta decani.
Cum Templum hoc inſtauraſſet jam rite Menellus,
Talia fertur ovans verba dediſſe ſuis :
Quælibet inſtaurent alii, do lampada terræ,
Inſtauranda domus nunc mihi certa polo eſt

XXVI. Johannes IV. Caſtain de Guerin, filius neptis Meſnaldi, ex libera avunculi abdicatione decanatum obtinuit, quem uno poſt anno tranſcripſit ſequenti.

XXVII. Renatus le Meuſnier, Clementis, in ſuprema Pariſienſi curia ſenatoris filius, decanatum uno etiam poſt anno cum ſequenti permutavit, acceptis prioratibus de Magnac in dioceſi Lemovicenſi, & de Vernant in Engoliſmenſi.

XXVIII. Petrus II. du Verdier, Lemovix, frater Petri abbatis S. Martialis, filius Johannis domini d'Arfeüille & Margaritæ de Redon, prædictos prioratus cum decanatu permutavit die 23. Septembris 1662. illius poſſeſſionem adeptus eſt 22. Januarii 1663. Obiit 1665. die 30. Januarii cum in gratiam ſequentis abdicaſſet.

XXIX. Petrus III. du Verdier ſuperioris ex fratre nepos, Franciſci & Leonardæ d Auvergne filius, decanatus poſſeſſionem iniit 25. Jan. 1665. permutavit cum ſequenti anno 1669. accepto S. Martialis Lemovicenſis canonicatu.

XXX. Joſephus du Verdier, ſuperioris frater germanus, doctor Sorbonicus, canonicus S. Martialis, vir eximia pietate præditus, decanatus poſſeſſionem iniit die 30. Martii 1669. Ipſi hancce decanorum ſeriem debemus. Adhuc ſuperſtes hoc an. 1718.

Sequentes reperimus decanos ante decanatus erectionem in primam dignitatem.

Conſtantinus an. 15. Caroli regis, filii Ludovi regis, tempore Gumbaldi epiſcopi ex S. Eparchii chartulario, circa an. 903.

Eroigius dec. ſedente Fulcaudo ep. ex eod. chart.

Iſambardus decanus regnante Carolo rege, ut patet ex hac charta tabularii Engoliſmenſis, qua Salomon & uxor ejus donant *unam peciam de vinea Soilis ad fratres in clauſtro S. Petri, Iſambardo decano*, &c. *Facta eſt charta iſta menſe Febr. anno 15. regnante Carolo rege.*

Septem ſequentium decanorum ſolum cognomen & ſtemmata in ædibus decani depicta habemus. Cognomina hic notabimus tantum, nulla ratione habita ordinis & temporis, quibus præfuerunt, quod nobis ea ignota ſint. De Beaumont. De Fontenay, d'Aubeterre. Chabot de Jarnac. De Lanzac. Du Pury du Fou. De la Rochefoucaud.

DE ABBATIIS DIOECESIS ENGOLISMENSIS.

In dioecesi Engol. abbatiæ sunt :

Sancti Eparchii, *S. Cybar*, ordinis S. Benedicti.
S. Amantii de Buxia, *S. Amant de Boiſſe*, ord. S. B.
S. Auſonii feminarum, *S. Auſony*, ord. S. B.
Coronæ, *la Courone*, ord. S. Aug.
Cellæ-Fruini, *Celle-Froüin*, ord. S. Aug.
Groſſi-Boſci, *Gros-bos*, vel *Gros-bois*. ord. Ciſt.
Borneti, *Bournet*, ord. Ciſterc.

Exſtat præterea Blanziacum, nunc abbatia ſecularis. Robertus in dioceſi Engoliſmenſi ponit aliam abbatiam *Fontis-dulcis*, quam dicit eſſe ord. Ciſterc. femin. Sammarthani eum ſecuti hanc abbatiam commemorant t. 4. de qua tamen ſilent in recenſione abbatiarum dioceſis Engoliſm. & merito quidem.

S. Cybar.

S. EPARCHII.

Sancti Eparchii monaſterium antiquum & celebre in ſuburbio Engoliſmenſi *, ord. S. Benedicti, conditum eſt in honore B. Eparchii urbis patroni, qui, ut aſſerit monachus Engoliſmenſis, oriundus erat ex civitate Petrocoria, patre Felice Aureolo, vel Oriolo comite ejuſdem civitatis ; hic ad Chriſtum migravit 1. Julii, regnantibus Childeberto & Clotario fratribus, apud Ademarum. De eo Greg. Turon. lib. de Gloria Conf. c. 101. ſed præcipue lib. 6. hiſt. cap. 8. vitam ejus, virtutes ac tranſitum enarrat : Mabillonius quoque vitam ejuſdem ſancti ſeculo 1. Bened. pag. 267. proſecutus eſt, ac Annalium tom. 1. ad an. 581. num IX. & ſeq.

Inſequenti tempore conſtituta fuit in eo monaſterio congregatio canonicorum, ut habet monachus Engoliſm. verum poſtea reverſum eſt ad monachos Benedictinos [a], iterumque ad canonicos, quando videlicet deſtructum fuit a Normannis an. 868. ex chronico Malleac. ac tertio tandem ad monachos ſub regula Benedictina, quæ ibidem adhuc perſeverat. Tradit auctor chronici Malleac. Emenonem Engoliſmæ comitem hoc in monaſterio ſepultum fuiſſe, quod poſterioribus ſeculis comitum ſepultura nobilitatum fuit, ſcilicet Arnaldi, Willelmi, Alduini & Wlgrini. Vetus quoque de geſtis comitum & pontificum hiſtoria refert, Wlgrino comite Fridebertum epiſcopum Franciæ, ad S. Eparchium conſtruxiſſe baſilicam in honore S. Salvatoris, ſed corpus beati viri de loco, in quo erat, transferre non valuiſſe, ipſumque poſt celebratam conſecrationem eccleſiæ & ſacrificium miſſæ conſummatum, ante altare Salva-

* Fuit etiam S. Eparchii monaſterium Santonis de quo vide Mabill. t. 1. Annal. ad an. 581. num. XI.

[a] Mabillonius aſſerit monaſticum ordinem hoc in cœnobio reſtitutum fuiſſe a Pipino rege an. 828. ejectis canonicis qui vetus illud monaſterium a principatu Caroli Martelli occupaverant.

Digitized by Google

toris placida morte obdormiviſſe in Domino, & ab Oliba epiſcopo terræ mandatum fuiſſe. Claruit in hoc monaſterio Ademarus Cabanenſis * filius Raimundi abnepotis Turpionis epiſcopi, ut ipſe aſſerit in chronico, quo res præcipuæ Aquitanicas, a Carolo Martello Pipini regis patre ad Henrici I. tempora complectitur. Hoc chronicon adſervatur in bibliotheca Thuana.

* De Chabenais.

SERIES ABBATUM.

I. LAUNUS epiſc. Engoliſmenſis & cœnobiarcha Eparchianus circa an. 769. ex quibuſdam chartis. Hic a Carolo-magno confirmari fecit poſſeſſiones clericorum in eccleſia S. Eparchii deſervientium, anno regni ejus decimo tertio, VIII. idus Sept. ind. XV. * Hujus diplomatis exemplar habes ad calcem Ademari. Eidem quoque Pipinus rex præceptum indulſit de terris Magnaco, Juvenaco, Vaſnaco, Monterione & aliis.

* *melius* III. *vel* IV.

II. Martinus I. de quo chronicon Ademari, & Malleacenſe : *Poſtquam Pipinus Aquitaniæ rex fecit monaſteria Angeriaci, Brantoſmenſe & ſancti Cypriani Pictavis, tranſtulit canonicalem habitum in monaſterium S. Eparchii Engoliſmæ; & his quatuor monaſteriis præfecit abbatem Martinum.*

Labb. t. ii. biblioth.

III. Ruſticus monaſterii S. Eparchii pater memoratur in libro de miraculis hujus ſancti circa an. 800. ſcripto.

Ibid. pag. 165.

IV. Mainardus, ſub quo reſtauratur S. Eparchii cœnobium, ut commemoratur in veteri chronico de geſtis pontificum & comitum Engoliſm. & expreſſius in chartulario Eparchiano his verbis : *In geſtis Francorum ita legitur : Guillelmus* a *Sectorferri* * *& conſanguineus ejus Bernardus, adgregato conventu nobilium, iterum reſtituerunt monaſticum habitum in baſilica B. Eparchii, præficientes eidem monaſterio Mainardum abbatem ; qui in fronte baſilicæ B. Eparchii conſtruxit elegans oratorium in nomine ſanctæ Reſurrectionis. Tunc domnus Willelmus per teſtamentum conceſſit ad eundem locum B. Eparchii hoc donum, eccleſiam S. Hilarii in Petragorico ſitam in vicaria Piliacenſe, eccleſiam ſanctæ Eugeniæ in Sanctonico, in vicaria Pedriacenſe*, &c. *Quod teſtamentum confirmare juſſit, & firmaverunt manibus propriis ad hunc modum : S. † domni Guillelmi comitis & monachi. S. † Bernardi comitis. S. † Arnaldi filii ſui comitis. S. † Odolrici vicecomitis. S. † Ademari vicecomitis. S. † Seguini. S. † Mainardi. S. † Ramnulfi. S. † Aladoni. S. † Ademari comitis filii Guillelmi.*

a * Taillefer.

V. Martinus II. abbas occurrit in donatione Falburgis nobilis feminæ facta calend. Julii anno ſexto Ludovici regis ; forte idem qui ſuperius.

VI. Gumbaldus ep. Engol. & abbas S. Eparchii in donatione Willelmi comitis filii Wlgrini, facta menſe Januario regnante Carolo rege anno nono ; quo tempore ibi erant canonici, quibus ejectis an. 947. monachi reſtituti ſunt.

VII. Illo abbas ſive clavlger S. Eparchii ſubſcriptus reperitur in charta Gumbaldi ep. Engol. menſe Julio anno XXV. regnante Carolo rege filio Ludovici. Occurrit etiam eodem anno in chartul. eccleſiæ cathedr. Engoliſm.

VIII. Iterius memoratur in pacto cum Willelmo Bermundo, pro eccleſia & molendinis de Paluel, ex chartul. Eparchiano. Dicitur abbas bonæ memoriæ in litteris tempore Roberti abbatis datis.

IX. Guigo tempore Arnaldi Engoliſmenſium comitis, qui ſcilicet exhortante *nobiliſſima & dulciſſima* conjuge Hildegarde, abbati Guigoni offert omnem decimam tributi ex venditione telonei, *quæ omnibus*, inquit, *comitibus iſtius urbis retro & michi nunc uſque reddita eſt.* Fuit etiam abbas S. Martialis ; ſepultus eſt ad S. Eparchium, inquit Mabill. tom. 4. Ann. pag. 88.

X. Grimoardus frater Aimerici domini de Mucidan circa an. 982. poſtea epiſc. Engoliſm. qui monaſterii deſtructor fuit. Vide in epiſcopis Engoliſmenſibus.

XI. Bernardus abbas S. Eparchii, a quo Guillelmus II. comes Engoliſm. cognomento *Taillefer* recuperavit *un corſelet*, quem Giraudus primus toparcha de Vouvant, pater Gaufridi, eccleſiæ S. Eparchii legaverat. Is eſt profecto Bernardus abbas, cujus meminit Ademarus Cabanenſis ſancti Eparchii monachus, aſſignata nulla ſede, qui præerat an. 1010. quo tempore S. Martialis reliquias ad ſynodum Pictavis habitam die 2. Martii, delatas fuiſſe narrat.

Beſly pag. 57. hiſt. comit. Pict.

XII. Rainaldus, ſub quo & duobus ſequentib. abbatibus vixit Ademarus Cabanenſis. Vide Mabill. tom. IV. Annal. p. 259.

XIII. Ricardus cum Willelmo comite Jeroſolymam profectus, in Selymbria Græciæ civitate deceſſit, ibique ſepultus eſt in vigilia Epiphaniæ, teſte Ademaro.

XIV. Amalfredus in eadem peregrinatione Jeroſolymitana comitem ſecutus, ab eo deligitur abbas, tumque benedicitur a Rohone Engoliſmenſi præſule an. 1028. Reperitur etiam in charta Joffredi urbis Engoliſm. comitis, notis chronicis deſtituta. Sub illo vivebat in monaſterio Ademarus Cabanenſis, ut patet ex ejuſdem epiſtola de ſancti Martialis apoſtolatu, apud Mabill. tom. 4. Annal. p. 726.

XV. Joffredus abbas S. Eparchii tempore mox laudati comitis, in cujus donatione quadam reperitur. Videtur autem ad hunc abbatem referendum ſequens diploma anni 1029. *Willelmus comes qui gurpivit S. Eparchio Vaſnacum boſcum ad mortem ſuam, & laxavit S. Eparchio duo candelabra argentea penſata trecentos ſolidos ; laxavit unam crucem auream cum gemmis. Jacet ante altare S. Dionyſii, ubi S. Eparchius ſtetit in recluſione. Habet ad caput ſuum intus in lapide plumbeam tabulam ſcriptam ita : Hic jacet domnus & amabilis Willelmus comes Engoliſmenſium, qui ipſo anno, quo venit de Jeruſalem, obiit in pace VIII. idus Aprilis vigilia Oſannæ.* Vide Mabill. tom. IV. Annal. Bened. p. 355. ad an. 1029.

XVI. Siguinus * abbas ſubſcripſit fundationi S. Stephani de Vallibus an. 1075. ex chartario Vallenſi. Reperitur etiam in charta Alonis de Monte-

* Frovinum vocat Mabillonius hunc abbatem tom. V. Annal. pag. 97.

* Quæ ſequuntur iiſdem verbis leguntur in chronico Ademari tom. 2. biblioth. Labb. pag. 165. & 166. exceptis ſubſcriptionibus. Noſter Claudius Eſtiennot hæc refert ad an. 976. & Mabill. ad an. 947. & quidem melius, ut nobis videtur. Ludovicus rex commemoratus, eſt Lud. Tranſmarinus.

Digitized by Google

Maurello, menſe Febr. regnante Philippo rege in Francia; item in charta Iterii de Peudix militis, cum Calone archidiacono Engoliſm. & Willelmo abbate Brantoſmii. Geraldus de Ranchono fundavit monaſterium de Marcillac in honorem S. Michaelis archangeli, illudque tradidit in manu Siguini abbatis S. Eparchii. Actum regnante Philippo, Willelmo epiſcopo Engoliſm. Vide quæ diximus ſuperius in Guillelmo II. Engoliſmenſi epiſcopo.

XVII. Hugo I. Angeriacenſis monachus, ab Anſculfo abbate Angeriaci, Eparchienſi monaſterio præfectus fuiſſe dicitur in præſentia Ademari epiſc. Engol. circa an. 1080. ad quem vide Mabill. tom. v. Annal. p. 162. Reperitur ann. 1106. 1108. & 1117. quo anno ſubſcripſit concordiæ initæ inter abbatem S. Martialis & Petrum abbatem S. Stephani de Vallibus, arbitro Gerardo Engoliſmenſi præſule, ex chartul. S. Stephani de Vallibus.

Eodem anno 1117. eccleſiam ſancti Eparchii de Verziles accepit a Petro Santonenſi epiſcopo, præſente Ainrico abbate Angeriacenſi. Ei quoque Willelmus epiſc. Petragoricenſis dedit eccleſiam S. Martini de Salis, laudante Arnaldo Burdegal. metropolitano an. 1119. Statimque Hugo hanc pleno jure poſſedit eccleſiam, cedentibus Odone decano & ceteris de clero S. Martini; moxque inita eſt ſocietas precum pro defunctis utriuſque eccleſiæ. Rexit Hugo ad annum ſaltem 1128. quo Willelmus epiſc. Santon. eccleſiam S. Eparchii ſupra Carantonum fluvium ipſi conceſſit.

XVIII. Helias ſedebat annis 1137. 1138. & 1139. Ipſi Willelmus Santonenſis epiſcopus confirmavit eccleſiam de Verziles anno 1138. Wlgrinus quoque Engoliſmenſis comes, filius Wlgrini Tailleſer, plurima dedit Heliæ abbati & fratribus S. Eparchii.

Ex chartul. eccl. Engol.

XIX. Willelmus I. 1139. & 1142. quo anno Gaufridus epiſc. Petragoric. in manu ejus donum eccleſiæ de Temoleto confirmavit. Eodem anno paciſcitur cum Odone Aimerici de Martunnio. Pepigit etiam cum prioriſſa de Guaſconeria nomine *Cominal*, & Petro Arnaldi priore ordinis Fontis-ebraldi, pro molendinis de Braciol, approbante Petronilla abbatiſſa Fontis-ebraldi. *Actum regnante Ludovico juniore Francor. rege, Xantonenſi præſidente Bernardo antiſtite, in tempore Ramnulfi de Ajarnac.* An. 1147. Geraldus de Ranchone plurima contulit Willelmo abbati *ad opus obedientiarii S. Mariæ de Gervilla* *, Lamberto eccleſiæ Engoliſm. præſidente. Memoratur adhuc annis 1151. & 1153.

* Prioratus eſt aliter dictus de Godorvilla.

XX. Gaufredus cœnobii curam agebat anno 1153.

XXI. Geraldus memoratur abbas S. Eparchii in litteris W. tit. S. Petri ad vincula presbyteri card. & ſedis apoſtol. legati, an. 1161. pontificatus Alex. papæ III. an. 2. pridie calend. Apr. ind. VIII. datis, quibus ipſe legatus eximit cœnobium S. Eparchii ab omni jure & dominio, quod in eo habebat vel habere poterat abbas Angeliac. Ipſe vero Geraldus abbas & conventus pro hac libertate in compenſationem cedunt abbati & conventui S. Johannis Angeriac. eccleſiam de Aent. Exſtant ibidem aliæ ad eumdem effectum Petri Engoliſm. epiſc. litteræ eodem anno datæ. Anno 1164. ſtatuit de communi totius capituli conſilio, ut feſtivitas B. Dionyſii *in duplum* & cum proceſſione celebraretur. Idem anno 1166. concordiam fecit cum Iterio capellano de Dinac. Denique anno 1169. Johannes epiſcopus Petragor. ei conceſſit eccleſiam S. Mariæ *de Maiſos*.

C. XIII. col. 450

XXII. Ranulfus tempore Petri Engol. epiſcopi, qui ſedebat anno 1171. Scilicet eo præſente cum Junio de Corona & Joſcelino S. Amantii abbatibus, *Baudus de Gorvilla miles reddit hominium Ranulfo abbati S. Eparchii.* Is eſt profecto R. abbas S. Eparchii qui reperitur an. 1181. in chartul. Dalonenſi pag. 39. Invenitur quoque Ranulfus annis 1173. 1191. & 1192. tempore J. Engoliſm. epiſcopi. Adfuit anno 1194. benedictioni altaris beatorum apoſtolorum in eccleſia de Corona. Subſcripſit etiam anno 1205. chartæ Ademari comitis Engoliſm. quædam eccleſiæ de Corona concedentis. Obiit Ranulfus an. 1218. ex chronico Bernardi Itherii, inquit noſter dom. Eſtiennot in fragmentis mſſ. Aquitaniæ.

XXIII. Ademarus teſtis eſt in donatione Willelmi de Monte-Maurelli, facta eccleſiæ S. Petri de Jarnac, & monachis ibidem Deo ſervientibus, *de calefagio furni perpetuo habendo in nemore ſuo prope Jarnac*, an. 1224. qui quidem Willelmus *homagium-ligium* reddidit abbati Ademaro.

XXIV. Hugo II. anno 1228.

XXV. Willelmus II. annis 1232. & 1234.

XXVI. Robertus e Carroſenſi monaſterio aſſumtus, abbas erat Eparchienſis 1240. 1246. 47. & 49. quo anno Iterius de Barbezillo, Willelmus dominus de Rupe-chanderici, Reginaldus de Moneta, Ademarus de S. Andrea, & alii bene multi milites *homagium-ligium* ei præſtitere. Idem Rotbertus fecit concordiam cum Agnete abbatiſſa S. Auſonii an. 1250. & cum Helia de Gorville milite 1259. Quo etiam anno Alo dominus de Monte-Morelli ipſi hominium præſtitit pro caſtro & caſtellania de Jarnaco ad Carantonum. Anno 1265. Gaufridus de Leziniaco, dominus de Jarnaco & de Caſtro-novo fecit *homagium-ligium* Rotberto abbati, die Jovis poſt feſtum Aſſumtionis B. Mariæ, ſub ſigillo Rotberti Engol. epiſcopi qui poſt tres annos ſedit.

XXVII. Helias *Corel* vel Carel 1271. 1279. 1298. & 1310. in charta ſub ſigillo Fulconis præſulis. Anno 1316. die Martis ante Pentecoſten compoſitionem iniit cum Johanne epiſcopo Engoliſm. arbitro Arnaldo decano, & Meſnardo canonico ejuſdem eccleſiæ; & anno 1323. cum Galhardo ejuſdem ſedis epiſcopo.

XXVIII. Aimericus Chalonis 1324. 32. 37. & 1340. quo anno die Sabbati ante feſtum SS. Philippi & Jacobi interfuit ſynodo Engoliſmenſi.

XXIX. Bertrandus cum eſſet tantum præpoſitus S. Eparchii, donum accepit a Willelmo de Fiſſac. Præerat autem abbas an. 1362. quo toparchiam Jarnaci, ob non præſtitam fidem, judiciaria lege apprehendit.

XXX. Bonifacius an. 1413.

Digitized by Google

XXXI. Fulcherius 1416. & 1421.

XXXII. Raimundus Pellerau electus anno 1447. Memoratur 1451. die 17. Novemb. in tabulis hominii Reginaldi Chabot domini de Jarnac, & 1471.

XXXIII. Hugo III. Gaſtreuil paciſcitur cum Roberto de Luxembourg Engoliſm. epiſcopo, die 24. Junii 1482.

XXXIV. Guillelmus III. de Montberon, aliter Montbrun, pepigit cum Octaviano de ſaint Gelais Engoliſm. præſule, die 23. Nov. 1502. de quo mſ. codex hæc habet: *Guillaume de Montbrun abbé commendataire du Mouſtier de monſieur S. Cybar, mourat le XI. jour de S. Martin, & fut abbé viron 12. années, & ne fit nulles reparations dignes de memoire, ne autres biens.* Ibidem vero dicitur *Guidonis epiſcopi Condom. & abbatis S. Amantii de Buxia germanus.*

XXXV. Carolus de Livenes camerarius, tum abbas S. Eparchii, & prior S. Vincentii de Fonteneto *, 1510. 1514. & adhuc 1539. quo anno die Lunæ prima Quadrageſimæ 16. Febr. præfuit capitulo generali apud Angeriacum habito, in abſentia Heliæ de Chaumont abbatis Angeriacenſis. Æmulos autem habuit Reginaldum de ſaint Gelais, & Chriſtophorum Chabot.

* Prioratus eſt Angeriacenſis monaſterii.

XXXVI. Franciſcus de Livenes etiam abbas S. Crucis de Angla 1559.

XXXVII. Gabriel de Livenes 1578. ſub quo monaſterium ab hæreticis peſſumdatum.

XXXVIII. Chriſtophorus de Reffuge, ex vetuſta & nobili gente natus, patre Euſtachio domino de Precy, legationibus regum juſſu apud fœderatos Bataviæ ordines & Helvetios magna laude ſuſceptis, claro, matre Helena Bellevrea Pomponii cancellarii filia.

XXXIX. Henricus de Reffuge ſenator Pariſienſis, ſuperioris frater, 1670. & 1680. Obiit 1688. menſe Maio; abbas etiam Morigniaci in diœceſi Senonenſi.

XL. N. Dreux de Nancré, filius Claudii gubernatoris Atrebat. ex Maria-Anna Bertrand de la Baziniere, nominatur abbas die 14. Aug. 1688.

S. Amand de Boiſſe.

S. AMANTIUS DE BUXIA.

BUxienſe vel Buxiacenſe S. Amantii monaſterium nomen habet ab hoc ſancto, patria Burdigalenſi, qui Engoliſmenſem tractum petens, in B. Eparchium incidit, eoque auctore eremum Buxiam petiit, vitam ſolitariam acturus, ubi dies abſolvit an. circiter 600. cum e vivis abiiſſet Eparchius cal. Julii 587. Sub regula vero Benedictina ſumſit exordium a comitibus Engoliſm. præſertim ab Arnaldo comite, qui voto facto reſtaurationis ejus fundamenta jecit, & Guillelmo, qui poſt obitum patris opus incœptum feliciter conſummavit an. 988. Sic autem in charta de reædificatione S. Amantii loquitur Willelmus comes Engoliſmenſ. *Monaſterium ſancti Amantii, quod a patribus meis fraude ſubtractum a B. Petri apoſtolorum principis ſede cognovi, Inc. Dom. an. D. CCCC. LXXXVIII. indict. I. reædificatum ac bene compoſitum, per hanc notitiam, apoſtolorum principi Petro, Engoliſmæ ſedis matris eccleſiæ ..... humiliter reddo, ut mihi, animæque genitoris mei Arnaldi .... idem B. Petrus apoſt. pariterque Chriſti confeſſor Amantius ..... in magni judicii die nobis ſubveniant. .... Tum deinde in hujus ſancti confeſſoris monaſterio, ſub monaſtico habitu domnus Franco abbas ordinatus eſt.*

SERIES ABBATUM.

I. FRANCO monachus Eparchianus, primus abbas S. Amantii conſtituitur an. 988. de quo Ademarus Cabanenſis in chronico p. 253.

II. Algerus & Adalgerius ab anno 1018. ad annum ſaltem 1040. gubernaculum tenuit; pro cujus amore Roho epiſc. Engoliſm. villam *Quinſalas* vendidit ac donavit monaſterio, ex chartulario. Adfuit autem Algerus an. 1040. 31. Maii dedicationi eccleſiæ SS. Trinitatis Vindocin.

III. Gaufredus, quo ſedente Engoliſmenſis comes monaſterio dedit vicum, cui nomen Villoignon, *al.* Villa-agnoſa, ubi Gaufredus abbas templum ſancto Nicolao excitavit.

IV. Frotmundus tempore Boſonis epiſc. Santonenſis, a quo videlicet eccleſias Sonnevillæ & Barbeſiaci accepit. Reperitur ann. 1066. & 1067. quo ſubſcripſit litteris Fulconis Richini cellam intra caſtrum Salmurienſe conſtructam Sigoni abbati S. Florentii reſtituentis.

V. Ramnulfus abbas erat an. 1074. Ipſo rogante Ademarus Engoliſmenſis antiſtes ædiculam B. V. Mariæ, S. Saturnino ac S. Amantio ſacram in ſilva Buxienſi conſecravit. Idem abbas teſtis eſt in charta Grimoardi Engoliſmenſis epiſcopi.

VI. Raimundus an. 1100. &c.

VII. Guillelmus I. ann. 1112. 1116. & 17. quo ſancti Amantii corpus e veteri templo ad novum tranſlatum fuit. Accepit a Geraldo Engoliſm. epiſcopo Amberacenſem eccleſiam; ſub quo rurſus pontifice ac ſedis apoſtolicæ legato reperitur an. 1124. *Ex chartul. Angeriac.*

VIII. Petrus tempore Lamberti epiſc. Engol. an. 1136.

IX. Grimoardus circa an. 1137. concordiam iniit cum Gaufrido de Ranconio milite. Ipſo etiam ſedente circa an. 1140. bona plurima S. Amantii monaſterio collata ſunt. Sedebat adhuc an. 1143.

X. Petrus II. Litimundi * *al.* de Sanavilla, cui cum diſcipliceret datum fuiſſe Claræ-vallenſibus ab Engoliſmenſi comite latifundium in villa Buxia, ſanctus Bernardus pacis amore libenter ceſſit, tabula ſcripta apud Claram-vallem an. 1153. Idem Petrus cum Rigaudo capellano S. Andreæ Engoliſm. litem exortam ſuper oblationibus, obliis, purificationibus mulierum, ſeptennariis, triennariis, nuptiis, baptiſmis, &c. ita compoſuit, ut media pars omnium monachis Buxienſibus cederet. Simile quoque pactum fecit cum eccleſia de Ablevilla, ſuper eccleſia de Amberiaco, an. 1146. præſentibus Lamberto Engoliſmenſi epiſcopo, Willelmo Borneti abbate, &c. Eodem anno Petrus Petragoricenſis antiſtes abbati Petro conceſſit locum qui *Fons-Jeannada* dicitur, ex chartulario S. Amantii. Ipſe vero Petrus abbas obedientiam Caſſanolii contulit Petro Blanchardi Pictav. eccleſiæ ſuccentori; tandemque factus eſt epiſcopus Engoliſmenſis.

* Laumont.

Digitized by Google

XI. Goſſelinus ſeu Joſſelinus germanus frater Petri ſuperioris abbatis, ab eodem, creato jam epiſcopo, donum accepit capellæ Machatii an. 1162. & eccleſiæ de Balazac eodem anno. Sic autem præfatur epiſcopus: *Petrus..... cariſſimo fratri ſuo Goſſelino*, &c. Jam anno præcedenti concordiæ inter Angeriacenſes & Eparchianos monachos, ſuper horum liberatione a dominio illorum ſubſcripſerat. Sub hoc abbate dedicatur eccleſia Buxienſis anno 1170. non autem 1177. ut habet chronic. Engoliſmenſe. Anno 1171. Goſſelinus teſtis fuit una cum Petro epiſcopo Engoliſm. & aliis viris illuſtribus, hominii quod Baudus de Gorvilla exhibuit Ramulfo abbati S. Eparchii.

XII. Petrus III. Litimundi de Sonavilla, nepos Goſſelini, ex cellerario monaſterii renuntiatur abbas anno 1197. quo quidem anno teſtis eſt cum Ramnulfo abbate S. Eparchii privilegii Ademari comitis Engol. pro villa S. Thomæ de Buxia.

XIII. Arnaldus 1215. & 1226. quo anno facta commutatione prædium de Caſſanolio ceſſit pro eccleſia de Chaſtain apud Anſigné, Philippo Pictavenſi præſuli. Eodem anno Hugo de Leziniaco Marchiæ & Engoliſmenſium comes, ejuſque uxor Iſabella Anglorum regina ceſſerunt monaſterio uſuagium in Silva de Buxia, retentis duobus denariis, bove, & vacca ibidem paſcentibus, ex conſilio vel ſententia Guillelm. ep. Engoliſm. & abbatis Nantolienſis.

XIV. Hugo I. anno 1249. compoſuit cum Gaufrido de Leziniaco filio comitis Marchiæ, domino de Montiniaco, de qua compoſitione vide in Petro II. ep. Engol. Reperitur & an. 1251.

XV. Guillelmus II. quoſdam fundos nobilibus conceſſit, eo pacto ut ipſi cœnobio præſto eſſent. Sedebat an. 1260.

XVI. Helias pedum paſtorale accepit ab Aureliacenſi abbate, & benedictionem ab epiſcopo Engoliſm. an. 1274. Unde vero iſta ſubjectio abbatis Buxienſis erga Aureliacenſem, quandove cœperit, nobis hactenus incompertum. Ceterum in chartario D. epiſcopi Engoliſmenſis ita legitur: *Abbas S. Amandi baculum paſtoralem accipere debet de manu abbatis Aureliacenſis, & deinde ſiſtere ſe coram epiſcopo Engoliſm. ad benedictionem accipiendam.*

XVII. Guido I. 1291.

XVIII. Petrus IV. Seguier promiſit obedientiam Guillelmo epiſcopo Engoliſmenſi an. 1297. ex inſtrumento autographo archivi epiſcopalis.

XIX. Hugo II. præerat anno 1301. & adhuc 1331.

XX. Hugo III. ſedente Aquilino epiſcopo Engoliſmenſi, & 1343.

XXI. Hugo IV. regebat monaſterium anno 1361. & Helia II. Engoliſmenſi eccleſiæ præſidente.

XXII. Raimundus de Capona-villa 1370.

XXIII. Guido II. an. 1390. die Jovis poſt feſtum S. Luciæ Gualhardo epiſcopo Engoliſm. præſentat fratrem Aimericum ſuum monachum ac priorem de Vernanto ad ſubdiaconatus ordinem.

XXIV. Petrus V. Tizon ex dominis d'Argencé, a Benedicto papa ſeu Petro de Luna inſtitutus abbas, obedientiam pollicitus eſt Guillelmo epiſcopo Engoliſmenſi menſe Aprili anni 1398. memoratur anno ſeq.

XXV. Johannes I. an. 1415. præſentavit Engoliſmenſi epiſcopo & Arnaldo archidiacono domnum Raverdum ad parochialem eccleſiam de Luſſiaco, ex documento membraneo tabularii S. Amantii.

XXVI. Bernardus Bonnal homagium facit Johanni de Bretagne vicecomiti Lemovic. die 27. Febr. an. 1449. ex tabul. caſtri Palenſis. Memoratur adhuc an. 1450.

XXVII. Johannes II. Rainauld obiit anno 1472. ultimus abbas regularis.

XXVIII. Guido III. de Montbrun epiſc. Condom. 1476. deceſſit an. 1488.

XXIX. Godefridus de Pompadour primum Petragoricenſis, ac deinde Anicienſis epiſcopus, fuit abbas ſancti Amantii ann. 1488. 1495. & 1505. obiit 1514. Vide in epiſcopis Anicienſibus.

XXX. Johannes III. de la Rochefoucaud Mimatenſis epiſcopus, erat abbas 1522. Sedit vero ab an. 1515. ad 1538. quo mortuus eſt die 24. Sept. & Mimati ſepultus.

XXXI. Johannes IV. de la Rochefoucaud ſuperioris nepos.

XXXII. Bonus de Broé abbas S. Amantii & Montis-burgi, ſanctæ Capellæ Pariſienſis canonicus; Pariſiis jacet apud Auguſtinianos ad Sequanam prope majus altare a dextra parte ubi in tabella hoc epitaphium:

D. M.

Qui ſculptos magni vultus advertis virt,
Adſta, dum ſaxo quis ſciet, intelligas.

Bonus Broëus Turnonius ad Rhodanum, inter conſultos juris conſultiſſimus, in ſuprema curia Pariſ. caſtiſſ. integerrimeque ſedit; præſedit annos duodetriginta ſenator, dein præſes primæ inquiſitionum claſſis, Regum Chriſtianiſſ. & Catharinæ matris Auguſtæ, magnis de rebus legationes in Italia obivit feliciter. Pietatem inprimis coluit, clerique jura de mandato pontif. maximor. ſæpius tutatus eſt. De exceſſu longe cogitans, ut vivus & mortuus vivis prodeſſet, templis, ſcholis, ptochotrophiis, conlocandis virginibus grandem pecuniam ſupremis tabulis reliquit; quin & Turnoni ſeptem ſtudioſorum collegium inſtituit, iiſque muſæum, alimentaque perpetuo legavit: tandem inter labores ſenſim & ſine ſenſu obrepſit ſomnus, qui dum putatur lætus & mollis, in lethæum verſus eſt calend. Martii 1588.

XXXIII. Johannes V. de Montchal Boni nepos ex ſorore, doctor Pariſienſis, erat abbas 1589. & adhuc 1599.

XXXVI. Carolus I. de Montchal ſuperioris nepos ex fratre, ei ſucceſſit; factus eſt archiepiſc. Toloſanus.

XXXVII. Carolus II. Mayol Annoniacenſis, nominatur abbas 8. Sept. an. 1651. Occurrit adhuc 1680. Lugduni moritur 1701.

Digitized by Google

S. Auſony.

S. AUSONII PARTHENON.

SANCTI AUSONII vetuſtiſſima & nobilis abbatia, ſi Annalibus hujus loci credere fas eſt, tertio jam ſeculo condita, S. Auſonio primo epiſcopo Engoliſm. debet ſua primordia, & Caliagæ virgini, Garruli præfecti ſorori, quæ cum Calefagia, & plurimis aliis virginibus a ſancto præſule ſacrum velamen accepit. Poſtquam vero ad Chriſtum migravit vir apoſtolicus, ipſius corpus piæ illæ puellæ ſepelierunt in eccleſia, quam Caliaga condiderat ope fratris ſui, in tota illa regione præfecti ſub Romanorum imperio, viri potentiſſimi. Inde vero titulum S. Auſonii ſumſit hic parthenon. Ipſi Carolus magnus Engoliſmæ degens, contulit eccleſiam S. Sonnæ cum ampliſſimo territorio, inquiunt Sammarthani fratres, ex præfatorum forte Annalium teſtimonio; quem piiſſimum principem multi Franciæ reges æmulati, plurima eidem cœnobio dederunt. Verum iis omiſſis quæ parum certa viris eruditis videntur, ad certiora convertamur.

Cum iſtud monaſterium a barbaris deſtructum diu jacuiſſet, Willelmus Ecoliſmenſis comes illud a fundamentis ædificavit, in ſuburbanis Ecoliſmæ, in loco ubi ab antiquis temporibus exſtiterat eccleſia, in qua SS. Auſonii & Aptonii epiſcoporum corpora adſervabantur. In tabulario monaſterii habetur inſtrumentum quo Willelmus comes, cum uxore ſua Girberia, & filiis Aldoino, Gaufredo, & Willelmo, manſum ſuum dominicatum, in villa quæ dicitur *Alamaus*, confert ad baſilicam ſanctorum Auſonii, Attonii & Cæſarii, ubi eorum corpora requieſcere dicuntur, ſitam *ſub ipſius urbis Aquiliſma civitate, ſuper flumen Enguina* * ſeu Inguinæ, *actum menſe Septembri XI. cal. Octobris regnante Rotberto rege.* Hæc autem facta ſunt ſaltem an. 1028. quo Willelmus comes deceſſit; vide Mabill. tom. 4. Annal. ad an. 1024. n. 56.

* l'Enguine.

In bellis Anglorum, qui urbe potiti ſunt, collapſum eſt iterum hoc monaſterium, quod reſtituit Johanna Borbonia Caroli V. regis uxor velut altera fundatrix. Collabentia quoque vetuſtate ædificia rurſum reſtauravit Lodoica Sabauda Engoliſmæ comitiſſa, Franciſci I. regis mater. Sed in Calviniſtarum procellis an. 1568. ſolo æquata eſt abbatia; quam e ſuburbano loco in urbem tranſlatam, Ludovicus rex XIII. regia munificentia ædificari curavit. Plurimis gaudet privilegiis, & a ſola ſede apoſtolica imprimis pendere gloriatur; cui cenſum quemdam quotannis ea de cauſa ſolvit. Hæc autem privilegia Urbanus VIII. confirmavit.

SERIES ABBATISSARUM.

I. SCALEFAGIA veteri traditione prima moderatrix virginum S. Auſonii creditur: poſt quam multarum nomina deſiderantur. S. Calefagiæ dies feſtus agitur in cœnobio pridie id. Aug.

II. Aleidis I. tranſigit an. 1152. cum Aimone de Peudrix, pontificante Hugone Engol. epiſcopo. Huic Ademarus comes Engoliſmenſis omnimodam in ſuo comitatu libertatem conceſſit. Memoratur autem annis 1153. & 1191.

III. Agnes I. de Pons 1222. & 1223.

IV. Agnes II. de Chambos, *al.* Chambon 1225. & 1231. quo anno Hugo de Leziniaco Marchiæ & Engoliſmæ comes, dono dedit abbatiæ jus quod ipſi hereditaria lege competebat in burgo de Beſſé. Agnes an. 1250. concordiam iniit cum Roberto abbate S. Eparchii, ex tabul. Eparchiano, ubi ſiletur cognomen abbatiſſæ.

V. Margarita I. de Luxo 1260.

VI. Guillelmeta de Villars 1261. 1264. & 1284.

VII. Iſabellis I. ab anno 1285. ad 1306.

VIII. Egidia deligitur abbatiſſa 1307. congregationem rexit ad annum uſque 1311.

IX. Bartholomæa I. 1311.

X. Aëlicia ſeu Aleidis II. de la Marche-Luzignen, Fontis-Ebraldi alumna, in abbatiſſam eligitur per diſcretos viros D. Maynardum de Monte-cauſio & magiſtrum Arnaldum Leutardi canonicos Engoliſmenſes, a prioriſſa & conventu S. Auſonii deputatos cum plenaria poteſtate, die Mercurii poſt octabas Paſchæ 5. Aprilis an. Dom. 1312. ind. X. Clementis V. papæ anno ſeptimo. Vocatur conſanguinea regis Philippi in inſtrumento tutelæ anni 1317. menſe Octobri, ab eodem Rege conceſſo. Præfuit uſque ad annum 1323.

XI. Petronilla Caille ſeu de la Caille regimen ſuſcepit an. 1324. e vivis exemta 1332.

XII. Iſabellis II. Tiſon ex toparchis d'Argence, creatur abbatiſſa an. 1333.

XIII. Bartholomæa II. Gaufrida de S. Amand memoratur abbatiſſa die Sabb. 13. Junii 1338. 1339. & 1367.

XIV. Auda ſeu Oda præfecturam egit annis 1370. & 1383.

XV. Agnes III. ſubrogatur 1384. ſedebat etiam 1392. quam quidam cognomen habuiſſe de Podio putant.

XVI. Johanna 1393. ceſſit an. 1395. die Sabb. poſt feſtum Nativitatis B. M. in manibus Guillelmi Engoliſm. epiſcopi, in favorem Agnetis quæ ſequitur.

XVII. Agnes IV. de Montferran, *al.* de Maufezas, præfuit uſque ad annum 1448.

XVIII. Margarita II. de Ragos monaſterio præpoſita fuit an. 1449.

XIX. Margarita III. de Agiis monialis Fontisebraldi, eligitur abbatiſſa die 21. Julii an. 1453.

XX. Margarita IV. de Gaing reperitur abbatiſſa die 6. Januarii 1461. Vitam clauſit 1490. de qua ſic habet necrologium ad diem XXVII. Apr. *Obiit D. Margarita de Gaingh abbatiſſa ante reformationem.*

XXI. Petronilla de Gaing neptis ſuperioris, ei ſubrogatur eodem anno 1490. at videtur ceſſiſſe ſive ſponte, ſive coacta.

XXII. Magdalena d'Orleans Franciſci I. regis ſoror naturalis, Caroli comitis Engoliſmenſis filia ex Antonia de Polignac, in monaſterio primum S. Mariæ Santonenſis inſtituta, vocatur ad regimen S. Auſonii anno 1490. * a quo transfertur circa 1515. ad gubernandum Faræ-monaſterium, tandemque ad Jotrenſem abbatiam, cujus reformandæ cauſa apud Fontem-ebraldi per quinquennium ſub

* *al.* 1505. *auctore R. P. Anſelmo.*

Renata Borbonia abbatiſſa commoratur, unde poſtmodum cum ſelecta religioſarum turma rediit ad ſuum monaſterium, ubi morte ſublata eſt 1543. ſepelitur in baſilica Jotrenſi cum tali inſcriptione gallica : *Cy giſt tres noble & reverende dame, Madame Magdelene d'Orleans, en ſon vivant prieure du Pont-l'abbé, abbeſſe de S. Auſony, Faremoutier, & vingt-neuf ans de ce lieu, qui trepaſſa en l'age de 67. ans le 26. jour d'Octobre 1543.*

XXIII. Renata Guibert monialis profeſſa parthenonis Filiarum-Dei Pariſienſis, ordinis Fontis-Ebraldi, deinde prioriſſa S. Auſonii; cedente Magdalena d'Orleans, inſtituitur abbatiſſa per Jacob. Merlinum eccleſiæ Lemovicenſis canonicum, & vicarium generalem D. Adriani de Boiſy [a] cardinalis & legati in Francia ad effectum reformationis, anno Dom. 1519. * 4. Aprilis. Acceſſit autem bulla confirmationis Leonis X. papæ, data Romæ apud S. Petrum anno 1520. pridie non. Octobris, pontific. anno octavo. Occurrit abbatiſſa Renata die 16. Octob. an. 1528. in charta authentica regiæ bibliothecæ.

* *Sammart.* 1515.

XXIV. Maria Paulmier & ipſa monaſterii Filiarum-Dei Pariſienſ. alumna, in demortuæ locum aſſumitur anno 1533. quo anno Johannes Papin presbyter Engoliſm. dioeceſis, & Johannes Seyes diaconus dioeceſis Pictavenſis, proponentes ancillis Chriſti uſque ad mortem cum debita ſubjectionis reverentia ſervire, promittunt ſtabilitatem, converſionem morum ſuorum, & obedientiam ſecundum regulam S. P. Bened. in præſentia reverendæ matris Mariæ Paulmier abbatiſſæ S. Auſonii Eng. Ceſſit autem die 3. Junii 1556. cujus ita meminit necrol. *Die XVI. Martii obiit domina Maria Paulmier abbatiſſa ſecunda hujus monaſterii poſt reformationem, quæ præfuit ann. XLI.*

XXV. Barbara de ſaint Gelais de Lezignen, Alexandri domini de Cornefou regii in Hiſpaniam & ad Helvetios oratoris, ex Jaqueta de Lanſac filia, neptis Octaviani epiſc. Engoliſm. ac ſoror Ludovici dynaſtæ de Lanſaco Tridentina legatione clari, per ceſſionem Mariæ regimen obtinuit S. Auſonii. [b] Anno 1584. ipſi caſtrum Belli-loci conceſſum eſt litteris Caroli IX. regis, datis eod. anno 12. Maii. Nunc ibi monaſterium ad Occidentem urbis Engoliſmæ intra muros poſitum eſt. Hæc abbatiſſa vivere deſiit eodem anno 1584. 19. Septemb.

b

XXVI. Anna Arnaud eligitur canonice & confirmatur bullis pontificiis an. 1585. pridie idus Martii, quibus non obſtantibus cedere coacta fuit poſt tres circiter annos.

XXVII. Lucia de Luxe, Barbaræ proneptis, filia Caroli comitis de Luxe in inferiori Navarra, ex Claudia de ſaint Gelais, anno ætatis ſuæ vigeſimo, e gremio S. Auſonii aſſumitur in abbatiſſam. Confirmatur bulla Sixti V. papæ data Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dom. 1587. v. cal. Maii, pontificatus ejuſdem anno ſecundo, hoc ipſo videlicet quo vota ſua emiſerat apud S. Auſonium calendis Januarii, præſente Franciſca de la Rochefoucaud B. M. Santonenſis abbatiſſa. Poſſeſſionem accepit eodem anno 20. Julii, cui interceſſit Anna Arnaud tribus abhinc circiter annis abbatiſſa. Qua fortaſſe de cauſa nonniſi an. 1602. Dominica SS. Trinitatis, 2. Junii ei benedictionem impendit Urbanus de Lezignen de S. Gelais Convenarum epiſc. & abbas S. Vincentii de Burgo maritimo. Dum vero intenta eſſet regimini, eccleſiam B. Mariæ de Bello-loco obtinuit ab ejuſdem priore, ut in ea moniales divinum peragerent officium; tandemque poſt adminiſtratam laudabiliter annis 67. cœnobii præfecturam, abdicavit libere in gratiam ſequentis conſobrinæ ſuæ, * e vivis poſtremo exemta 7. Aprilis 1659. & in choro ſepulta, ubi epitaphium vernacula lingua legitur æri inciſum, ex quo diſcimus eam an. 1587. die 1. Januarii divino cultui ſe conſecraſſe; anno eodem, die Maii prima abbatiſſam factam fuiſſe; benedictionem tamen ab epiſcopo accepiſſe tantum die 2. Junii an. 1602. poſt ſuſceptum regimen nihil antiquius habuiſſe, quam diſciplinæ regularis nodos adſtringere. Rem familiarem ejus curis auctam, de ſartis tectis ſollicitam fuiſſe; in oratione dies noctesque conſumſiſſe; cujus delicias ut uberius & tranquillius deguſtaret, onus præfecturæ abjeciſſe, poſt 67. annos in ea tranſactos. Poſt abdicationem, per annos novem obedientiæ jugum alacriter geſſiſſe. Obiit die 7. Aprilis anno 1659.

* *al.* heptis.

XXVIII. Carlotta Catharina de Grammont, Antonio duce Acrimontano, comite Lupanerii & Guiſſuni, regni Navarræ & Benearnii prorege, ex Claudia Montmorancia de Bouteville ſecunda uxore, naſcitur. Ordini monaſtico ſeſe addixit in parthenone S. Bernardi ord. Ciſterc. dioeceſis Aquenſis, cujus poſtea fuit abbatiſſa, ac poſtea ſancti Auſonii, cedente Lucia de Luxe, cujus nominata fuerat coadjutrix bulla data Romæ apud ſanctam Mariam majorem, anno Incarnat. 1648. XIX. cal. Septemb. Innocentii X. anno quarto. Adiit poſſeſſionem 3. * Julii anni ſeq. Optima ſane abbatiſſa, quæ eccleſiam integrumque monaſterium magnis ſumtibus perfecit. Quapropter cum an. 1682. ad abbatiam de Roncerayo tranſlata fuit, ubi præerat adhuc anno 1712. magnum ſui omnibus S. Auſonii monialibus deſiderium reliquit.

* *al.* 2. an. 1650.

XXIX. Angelica d'Eſpinay de Lignery abbatiſſa nominatur anno 1683. Permutavit cum ſequenti anno 1686.

XXX. Johanna II. de Villelume du Baſtiment, ex moniali Regulæ dioec. Lemovic. abbatiſſa Belli-montis deſignata fuerat 15. Aug. 1685. tum bullis confirmata pontificiis die 4. Octob. ejuſdem anni, poſſeſſionem acceperat 3. Martii 1686. Verum ex permutatione cum præcedenti, quam ſummus pontifex bulla data XVI. cal. Junii ejuſdem anni comprobavit, S. Auſonii poſſeſſionem accepit 21. Novemb. 1686. Denique obiit 3. Oct. 1711.

XXXI. Franciſca Gabrielis * d'Orleans de Rotelin, filia Henrici & Gabrielis Eleonoræ de Mon-

* *al.* Maria Catharina.

[a] In archivo exſtat liber tempore hujus prælati ſcriptus ſub hoc titulo *regula fratrum S. Auſonii*, plura complectens capitula; hi nimirum fratres ſubduntur abbatiſſæ ut in ordine Fontis-ebraldi.

[b] Fortaſſe longe antea deſignata erat abbatiſſa. Nam anno 1539. Jacobus de S. Gelais epiſc. Uceteniſis & decanus Engoliſm. hujus decanatus proventus attribuiſſe legitur monaſterio ſancti Auſonii reſarciendo, in favorem Barbaræ de S. Gelais abbatiſſæ.

Digitized by Google

taut de Benac de Navailles, monialis profeſſa S. Crucis Pictav. die 6. Maii 1692. ac deinde ibidem major prioriſſa, tum B. Mariæ Valonienſis * abbatiſſa 3. Aprilis 1706. nominata, demum transfertur ad abbatiam S. Auſonii, ſchedula ſereniſſimi Biturigum ducis data 31. Oct. 1711. ad quam accedente bulla VII. cal. Nov. ejuſdem anni, cum Regis conſenſu poſſeſſionem adepta eſt 7. Aug. 1712. Plura jam reſarcivit in ſuo monaſterio, multoque majora ſpondet, genere & virtutibus clara.

* Nostre-Dame de protection, in diœcesi Constant.

La Couronne.

CORONA.

CORONA originem traxit a vetuſta clericorum eccleſia, quam ferunt a liberis Childeberti regis fundatam & magnifice dotatam ſub titulo ſancti Johannis de Paludę. At cum in ea vitio temporum diſciplina clericalis collapſa eſſet, Lambertus unus ex collegii hujus clericis, quem Aimarus epiſcopus presbyterum ordinaverat, eo in loco congregavit ſodalitium fratrum vitam communem ſectantium, poſtea, Deipara virgine monente, conſtruxit cœnobium in vicino loco paludibus & rupibus in modum coronæ cincto (unde illi Coronæ nomen datum) ſub ejuſdem SS. virginis & omnium ſanctorum patrocinio. Fratribus autem ibi religioſe viventibus S. Auguſtini regulam præſcripſit, cui nonnullas addidit conſtitutiones. Hanc domum divino cultui conſecravit Gerardus epiſcopus Engoliſm. apoſtolicæ ſedis legatus, & Lambertum in abbatem benedixit. Celebritati adfuerunt Guillelmus epiſc. Petracoricenſis, Wlgrinus Engoliſm. comes, totiuſque provinciæ proceres. Plurimis immunitatibus ac privilegiis hoc cœnobium donarunt pont. max. Honorius II. 1124. Innoc. II. 1141. Lucius II. 1144. Eugenius III. 1148. Adrianus IV. 1155. & Martinus V. quorum aliqui non modo conſtitutiones Lamberti comprobarunt, ſed etiam monaſterium ſub ſedis apoſtolicæ patrocinio ſuſceperunt, omnimoda libertate a diœceſani epiſcopi juriſdictione conceſſa; comites vero Engoliſmenſes Wlgrinus, Guillelmus, & Aimarus dicti vulgo Sectores-ferri, Eliſabeth regina Angliæ, & Hugo de Leziniaco ejus maritus comes Engoliſmenſis, cœnobium donis cumularunt, dominiumque altæ, ut vocant, juſtitiæ conceſſerunt. Johannes comes Engoliſmenſis vicum d'Hydeſſac, tabula ſcripta 10. Auguſti an. 1447. donavit. Hugo de Leziniaco Marchiæ comes & Engoliſmæ, dominus Fulgeriarum, ejuſdem cœnobii privilegia a deceſſoribus collata confirmavit, amplamque tribuit immunitatem a pedagiis aliiſque vectigalibus. Dicendum nunc de abbatibus.

ABBATUM CATALOGUS.

I. LAMBERTUS primus abbas, ab eccleſia S. Johannis de Palude, Coronam migravit Dominica Paſſionis 1122. quo anno benedicitur abbas. Paulo poſt donum accepit a Fulcaudo de Brolio, qui & ſeipſum tradidit *in pauperem Chriſti*, ut liquet ex brevi charta quam legimus. *Monachos* injuria bellorum a monaſterio extorres habitu religioſo donat, quos bonis moribus & piis inſtitutis informat. Eccleſiam vero multis poſſeſſionibus auxit, quam & reliquiis, libris, ceteriſque ornamentis munifice decoravit. Concordiam iniit cum Petronilla abbatiſſa Fontis-Ebraldi, pro eccleſia B. Mariæ de Agudella, conſilio Willelmi Pictav. Willelmi Santon. & Johannis Sagienſis epiſcoporum, chirographo dato in capitulo Fontis-Ebraldi 1129. Factus præſul Engoliſmenſis, onus abbatiale dimiſit, & in eodem monaſterio magna ſanctitatis opinione migravit ad Dominum 13. Junii 1149. ætatis 63. tumulatus juxta aram Deiparæ Virginis.

II. Fulcherius Arradi in locum Lamberti ab ipſo ſubrogatur, qui ut erat ſumma humilitate præditus, non abbatis, ſed adminiſtratoris titulo tantum appellari voluit.

III. Helias I. Grataudi, benedictus a Lamberto epiſcopo, impetrat bullam Lucii II. papæ Laterani datam 1144. qua ſuſcipitur cœnobium in protectionem cathedræ S. Petri. Poſtremo ſe abdicat regimine, Benedicto priore monaſterii gubernacula moderante, ut conſtat ex diplomate Eugenii III. ad ipſum dato 1148.

IV. Junius qui & Julius & Julianus curante Lamberto eligitur. Laudabiliter præfuit triginta annis, eruditione ac morum honeſtate clarus, ſummæque apud reges ac principes auctoritatis. Hic ſacrarium reliquiarum adornavit, loca regularia ampliavit, dominia acquiſivit, & privilegiorum obtinuit confirmationem. Dicitur Julius in Fontebraldenſi charta an. 1150. Junius in concordia G. abb. S. Eparchii cum Iterio capellano de Dinac an. 1166. & Julianus in dedicatione S. Amantii de Buxia, cui adfuit 1170. Excipit a Wlgrino & Willelmo Engoliſmæ comitibus donum ſilvæ de Maranges cum pluribus poſſeſſionibus, anno 1163. Tanta autem hujus abbatis ipſiuſque alumnorum fuit fama, ut plurimæ eccleſiæ cathedrales, abbates, inter quos Stephanus Cluniacenſis, & Reynardus Ciſtercienſis, eorumque congregationes, cum ipſis precum & bonorum operum ſocietatem habere ambirent. *Sanctorum fratrum de Corona* meminit ſanctus Bernardus epiſt. 218. ad Eugenium papam III. & *ſanctæ memoriæ* Lamberti epiſcopi, olim Coronæ abbatis, qui etiam laudatur l. 4. vitæ S. Bernardi n. 29.

Junius, poſt renovatam eccleſiam quam dedicari curavit anno 1171. ſancto fine quievit anno 1178. die 28. Maii.

V. Johannes I. de S. Val an. 1172. indict. v. emit duas culturas apud Agudellam * in cœmeterium fratrum, a Willelmo de Rupe. Cum eſſet egregiis moribus & virtutibus ornatus, electus eſt in epiſcopum Engoliſmenſem. Conſecravit altaria eccleſiæ monaſterii, cum adfuiſſet ejus dedicationi anno 1201. Fato functus eſt die 7. Martii anno 1203.

* Est prioratus Coronæ.

VI. Geraldus fecit concordiam cum Airaudo Ruſo de Brolio & filiis ejus an. 1175. præſidente in Romana ſede D. Lucio * papa III. Philippo rege Francor. Henrico rege Angl. ſimul cum Ricardo filio ſuo ducatum Aquitaniæ tenente, Tailleſer Engoliſmenſi comite, domino Ademaro Santonenſi pontifice. Cum autem paulo poſt præfatus Airaudus Ruſus in morbum incidiſſet,

* Melius Alexandro.

Digitized by Google

ſet, *reddidit ſe in pauperem & fratrem eccleſiæ de Corona*, in manibus Geraldi abbatis, cui plurima dedit, cum aſſenſu trium filiorum ſuorum. Denique Geraldus decennio regiminis abſoluto, poſtremum diem obiit x. cal. Junii an. 1182.

VII. Petrus I. Gaufridus vel Gaufridi reperitur abbas an. 1184. Eo ſedente, an. 1194. Dominica in Ramis palmarum benedicitur altare beatorum apoſtolorum, adſiſtentibus Johanne Engoliſmenſi pontifice, antea abbate de Corona, Ranulfo S. Eparchii & Petro Cellæ-fruini abbatibus. Hoc anno deceſſit Gaufridus 14. Auguſti.

VIII. Rotbertus 1199. & 1200. Hic juſſu ſummi pontificis inquiſivit de electione Raimundi de Rabaſteins in epiſcopum Toloſanum. Ejus obitus notatur in necrol. Silvæ-maj. XIV. cal. Octobr.

IX. Ademarus an. 1210. fundavit parthenonem Vallis-paradiſi *, uti videre eſt inter inſtrumenta. Obiit 1223. in villa S. Johannis Angeriacenſis.

* *al* de Eſpanhac. C. XIX. col. 456.

X. Vitalis vir probatiſſimæ vitæ, ex abbate S. Antonini Appamienſis in Occitania, factus eſt abbas Coronæ an. 1223. Reperitur & annis 1224. & 1225. quo ultimo bullam accepit ab Honorio III. papa ejus pontificatus anno decimo. Vivere deſiit an. 1227. XVI. cal. Aprilis.

XI. Helias II. Seguini moritur 1232.

XII. Aymardus, forſan idem ac Ademarus cujus nomen reperitur in charta hominii pro terra de Jarnac an. 1237. penultima Junii, ex veteribus monumentis parthenonis d'Eſpagnac ſeu Vallis-Paradiſi de Eſpagnaco.

XIII. Willelmus Singulier an. 1242. teſtis eſt hominii Hugonis de Leziniaco, Marchiæ comitis, exhibiti R. epiſcopo Engoliſmenſi in craſtinum S. Matthæi apoſt. An. 1244. memoratur in tabula fidei clientelaris præſtitæ Hugoni de Leziniaco Engoliſmenſi comiti, ex veteri regeſto. Litteras accepit ab Innocentio IV. pontificatus ejuſdem anno octavo. Mortuus eſt an. 1254.

XIV. Gumbaldus I. & Guirbaldus Gilemundi, Aliſiæ prioriſſæ Eſpanaci ejuſque ſodalibus formam vivendi præſcripſit, ſecundum regulam S. Auguſtini, cum poteſtate eligendi prioriſſam. Datum in feſto S. Hilarii anno 1256. Confirmavit etiam eidem Aliſiæ donum ſui prædeceſſoris; ipſa vero tactis ſacroſanctis Evangeliis promiſit obedientiam & fidelitatem abbati prædicto, quod etiamnum ſolent prioriſſæ poſt ſuam electionem præſtare prioribus Coronæ.

XV. Guillelmus I. de Chanderico de la Rocheandry 1268. morte correptus eſt an. 1275.

XVI. Fulcaudus Guillelmo ſucceſſit an. 1275. ac biennio poſt contulit prioratum S. Eulaliæ Aimerico de Godorio, die Dominica poſt feſtum S. Lucæ, ex tabul. prioratus d'Eſpanhac. Vivere deſiit an. 1280.

XVII. Johannes II. præerat annis 1283. & 1287. ex chartul. Luminis-Dei.

XVIII. Fulco I. 1306. quo anno bullas ad ſe directas pro unione trium eccleſiarum S. Mariæ, S. Petri & S. Reverentii in urbe Angeriaco, abbatiæ S. Johannis ejuſdem urbis publicavit.

XIX. Guillelmus II. 1308.

XX. Emericus 1311.

XXI. Fulco II. 1314. ex chartul. Gratiæ-Dei.

XXII. Gumbaldus II. 1319. & 1323. quo anno pactum iniit cum Petro abbate & toto conventu Baſſaci.

XXIII. Helias III. ſedis apoſt. commiſſarius cum abbate Stirpenſi in Lemovicibus delegatur bulla Benedicti papæ XII. pro convocando generali capitulo ord. S. Aug. Item reperitur in aliis reſcriptis annorum 1329. 1339. & 1343. ex archivis de Corona.

XXIV. Petrus II. 1344.

Petrus ex priore Agudellæ abbas Coronæ an. 1354. forte idem.

Petrus Anſerat 1361. ex charta Baſſaci. forte non alius.

XXV. Petrus III. 1389.

Petrus ſenex 1400. idem fortaſſe.

XXVI. Petrus IV. Pontet 1415. Regimen dimiſit in gratiam ſequentis an. 1424.

XXVII. Petrus V. Bouchard 1437. Reperitur Petrus abbas de Corona in duabus chartis eccl. S. Flori ann. 1434. & 1460. ind. VIII. Interiiſſe dicitur 1462.

XXVIII. Petrus VI. Achard 1466. 1474. 1475. Occubuit cal. Febr. 1495.

XXIX. Raimundus Achard 1504. fatis conceſſit 1511.

XXX. Johannes III. Petit reſignavit an. 1514.

XXXI. Johannes IV. Calveau vel Calluaut epiſc. Silvanect. primus abbas commend. regebat an. 1514. Lugduni deceſſit.

XXXII. Annetus de Planis, *de Plas*, epiſcop. Vaſat. 1553.

XXXIII. Franciſcus Taurel abbas ſimul Lezatenſis, permutat cum ſequenti an. 1572. pro abbatia Aquiſtrenſi.

XXXIV. Johannes V. Calveau Burdigalæ deceſſit pridie cal. Julii an. 1584. ſepultus in eccleſia S. Johannis de Paludibus, quem ut ſuum patrem luxerunt pauperes.

XXXV. Johannes VI. de Volvire de Ruffec filius Philippi marchionis de Ruffec & Annæ de Daillon, pedum tenebat annis 1608. & 1609. Obiit autem an. 1619. abbas ſimul Manſi-Azili.

XXXVI. Henricus de Gondy, cardinalis de Rez, Pariſienſis antiſtes, & abbas Coronæ an. 1620. Biterris defunctus eſt 22. Aug. an. 1622. Deinde abbatia Coronæ unitur diplomate regis Ludovici XIII. collegio Claromontano Pariſienſi Societatis Jeſu; illam vero reformavit venerabilis Alanus de Solminihac abbas Cancellatæ an. 1631. quæ tandem ceſſit canonicis Regularibus Gallicanæ congregationis anno 1644. Denique anno 1675. 28. Aprilis epiſcopus Mirapicenſis ſimulque abbas S. Martini Ruricurtenſis a Rege nominatus eſt ad abbatiam Coronæ, tuncque abbatiam S. Martini ceſſit patribus Soc. Jeſu, qui tamen uſque ad obitum epiſcopi Coronæ proventibus potiti ſunt. Verum & ipſo defuncto utramque abbatiam hi Rev. patres retinere volebant, at rex Chriſtianiſſimus abbatem Coronæ deſignavit.

XXXVII. Carolum Calonne de Courtebourne 3. Martii an. 1679. poſſeſſionem adiit 6. Nov.

Digitized by Google

ejuſdem anni. Vivebat adhuc an. 1713. ſimul abbas de Calamis ſeu de Calmis in Bria diœceſis Senonenſis.

Placet quædam attexere de monaſterio Vallisparadiſi Coronæ ſubjecto.

Parthenon B. M. Vallis-Paradiſi vulgo d'Eſpagnac diœceſis Cadurcenſis.

FUndatorem agnoſcit Ademarum abbatem Coronæ an. 1210. uti jam diximus. Nunc ibi degunt canonicæ Regulares ſub regimine prioris de Corona, earumdem viſitatoris ac ſuperioris; geſtantque rochetum, almutiam & crucem auream pectoralem. Pro duobus aureis quos pro annuo cenſu olim perſolvebant Coronæ, ex charta fundationis, nunc ſolvunt 15. ſolidos noſtræ monetæ. An. 1293. Aimericus epiſcopus Colymbricenſis perfecit novum monaſterium d'Eſpagnac a decem annis incœptum, eique omnia ſua donavit; unde ejus conſanguinei domini d'Hebrard de S. Supplice prioriſſam a monialibus electam priori Coronæ confirmandam præſentant & in poſſeſſionem admittunt. Sequuntur quædam prioriſſæ ex inventario chartarum hujus parthenonis aſſervato ex biblioth. Colbertina deſumtæ.

PRIORISSÆ ALIQUOT.

ELIZABETH nominatur in charta fundationis an. 1210. attamen abſque titulo prioriſſæ.

Ubſaba ſub Aimerico abbate Coronæ circa 1237.

Aleſia an. 1256. promiſit obedientiam Gumbaldo abbati de Corona, qui donationem ab Ademaro abbate factam confirmavit, hac prioriſſa requirente. Poſt Aleſiam præfuit

Dolcia, *Doulce*, 1262.

Alaſia II. ſedebat 1272. 75. 76. 77. 80. 81. 95. & 1297.

Aimara de S. Geniés 1307.

Dolcia, *Doulce*, de S. Geniés 1338.

Alaſia III. 1442.

Johanna Ebrarda an. 1476. ex permutatione facta hoc an. 25. Junii a Raimundo Ebrardi de S. Sulpice.

N. de Bauza, an. 1531.

CELLA-FRUINI.

Celle-fruin.

CELLA-FRUINI ord. S. Aug. poſita eſt ad fluvium *Sone* ſeptem leucis ab Engol. Tempore vero Geraldi & Lamberti epiſcoporum ædificatam fuiſſe hanc abbatiam aſſerit Corlæus in hiſtoria comitum Engoliſmenſium.

ABBATUM INDICULUS.

I. FULCAUDUS abbas Cellæ-fruini an. 1109. indict. 2. regnante rege Francorum Ludovico Philippi regis filio, ex chartul. eccl. cathedr. Engoliſm.

II. Fulcherius patria Engoliſmenſis fit abbas Cellæ; quo fungebatur munere an. 1130. quando ſchiſma ortum eſt inter Innocentium II. & Anacletum ſeu Petrum Leonis: cui cum faveret Gerardus tunc Engoliſm. epiſcopus, & Fulcherium vexaret pro Innocentio ſtantem; ipſe valedicens fratribus Jeroſolymam orationis gratia profectus eſt; tandemque in clauſtro eccleſiæ Dominici ſepulcri regularem vitam profeſſus, ad eccleſiam Tyrenſem vocatus eſt, inquit Guillelmus Tyrenſis archiepiſcopus hiſt. lib. 14. cap. XI. *Rexit autem eandem eccleſiam ſtrenue & feliciter annis 12. quartus ante nos*, inquit Guill. Tyrius. Poſtea fuit patriarcha Jeroſolymitanus. Vide eundem Tyr. lib. 16. cap. 16. & lib. 18. cap. 6.

III. Petrus I. adfuit benedictioni altaris beatorum apoſtolorum de Corona, an. 1194. P. 1197. teſtis fuit in privilegio Ademari comitis Engoliſm. pro villa S. Thomæ de Buxia. Idem etiam fortaſſe eſt Petrus qui memoratur annis 1215. & 1235. in chartis B. M. de Groſſo-boſco.

IV. Johannes I. 1258. in charta B. Mariæ de Groſſo-boſco.

V. Johannes II. an. 1336. Petro de Luk Burdegalenſi archiepiſcopo viſitanti Engoliſmenſem diœceſim promittit ſub pœna centum marcharum argenti, quod ſubiret arbitrium boni viri, ab ipſo archiepiſcopo eligendi, pro criminibus de quibus infamabatur.

VI. Petrus II. Ayquelino Engoliſmenſi epiſcopo promiſit obedientiam die Sabb. poſt ſynodum Paſchæ 1361. ex tabul. epiſc. Engoliſm.

VII. Stephanus an. 1400. Guillelmo epiſcopo fidelitatis obſequium pollicitus eſt, ex autographo archivi epiſcopalis.

VIII. N. de la Rochefoucaud 1525.

IX. N. Vigier 1680.

X. Guillelmus Croizal capellanus Regis, in theologia bachalaureus, Genliaci quoque abbas nominatus 15. Aprilis 1702. obiit 1710.

XI. N. de la Vieuville major vicarius epiſcopi Aginnenſis, deſignatur abbas die 25. Julii 1710.

XII. Petrus-Franciſcus de Chauvigny de Blot, filius Jacobi ex Maria de la Roche-Aimon, ac nepos epiſcopi Anicienſis, cum ad comitia cleri Gallicani deputatus eſſet an. 1715. regia ſchedula nominatus eſt ad abbatiam B. M. de Cella-fruini ineunte anno ſeq. & paulo poſt ad prioratum de Long-jumeaux prope Pariſios. Eſt etiam canonicus S. Petri Matiſconenſis.

BEATA MARIA DE GROSSO-BOSCO.

Gros-bos *vel* Gros-bois.

GROSSUM-BOSCUM aliquando dictum Fons-vivus, ut liquet ex charta quam videſis inter inſtrumenta; ordinis quondam canonicorum Regularium, nunc vero Ciſtercienſis ſub Obazina matre, fundatum fertur a dominis de la Rochefoucaud de Marthon: & quidem poſitum eſt monaſterium in juriſdictione Marthonii, quatuor leucis ab urbe epiſcopali Engol. Certe in ſacello S. Quiteriæ virginis, quæ ibi ſpeciali cultu honoratur, cernere eſt tumulum feminæ monachali habitu indutæ, cum ſtemmatibus gentilitiis inclitæ domus Rupis-fucaldi, hoc tantum demto quod canterius ſuperior eſt acuminatus. Sammarthani fratres fundationem hanc referunt ad annum 1166. menſe Novembri; ſed citius id factum interpretor ex verbis ſcriptoris vitæ B. Stephani abbatis

C. XVII. col. 454.

Digitized by Google

Obaſinæ ejuſdem diſcipuli, qui de Groſſo-boſco loquens lib. 2. hujus vitæ c. 24. ait: *Tale quid in monaſterio de Groſſo-boſco, quod noſtro juri ex multo tempore traditum eſt*, &c. Obiit S. Stephanus abb. Obaſin. an. 1159. ex præfatæ vitæ lib. 3. cap. 5. Si ergo Groſſum-boſcum tantum conditum fuiſſet an. 1166. hoc eſt 7. annis poſt ſancti viri tranſitum, quomodo *ex multo tempore* acceſſiſſet ad familiam & filiationem Obaſinæ, quando ſcribebat ejuſdem diſcipulus? ubi adverte hoc cœnobium non videri fundatum ab Obaſinenſibus, ſed cum jam exſtaret, traditum ipſis fuiſſe. Carolus VIII. Francorum rex ſcripſit ad abbatem Groſſi-boſci 7. Julii an. 1494. ei commendans Benedictum Johannis, quem volebat ad Cadurcenſem cathedram evehi, quamvis irrito conatu; nam prævaluit Antonius de Luzech a capitulo electus. Ad abbates, quos deprehendimus, veniamus.

Abbatum series.

I. Pmonachus Obaſinenſis Groſſo-boſco præficitur an. circiter 1150. a S. Stephano Obaſinenſi abbate, ex lib. 2. vitæ ejuſdem ſancti.

II. Guillelmus I. abbas Fontis-vivi recenſetur anno 1155. in charta Hugonis Engoliſm. epiſc. a quo accepit eccleſiam S. Petri de Sofriniaco, vide inſtrum.

C. xvii. col. 434.

III. Bernardus abbas Fontis-vivi 1169. in charta Obaſinæ, abbas de Groſſo-boſco memoratur iv. nonas Novemb. 1172. & 1177. in charta Petri epiſc. Engol. quam vide inter inſtr. Idem fortaſſe ac B. abbas de Grosbos qui reperitur in chartulario Bonæ-aquæ, una cum R. Obaſinæ, B. Bonæ-aquæ & R. *de la Frainada* abbatibus.

C. xviii. col. 455.

IV. Willelmus II. cui an. 1191. Ademarus comes Engoliſm. & Alaïs uxor ejus, pro ſalute ſua, & fratrum ſuorum Wlgrini, & Talafer, & Griſet dederunt octoginta ſexteiradas terræ. Reperitur & an. 1197. in donatione Johannis Chabrols de Foliada militis. An. 1215. ipſo ſedente Willelmus Engoliſmenſis epiſcopus confirmavit privilegium huic monaſterio conceſſum. Præerat adhuc an. 1220. ex hiſt. Carrofi.

V. Geraldus I. 1220.

VI. Petrus I. 1234. 35. 38. 1242. & 1246.

VII. Rotbertus menſe Aprili 1261. in donatione Petri de Lobeſtorn.

VIII. Arnaldus paciſcitur an. 1280. die Sabb. ante feſtum B. Catharinæ virginis, cum Petro præpoſito de Rupe-boviſcurti apud Engoliſmam. Fortaſſe is eſt Arnaldus, cujus tumulus in clauſtro cernitur infra parietem elevatus & concameratus, cum hoc epitaphio: *Hic jacet magiſter Arnaldus de Minſac, cujus anima requieſcat in pace.* Certe ſepultus eſt juxta capitulum, ubi tumulari ſolebant abbates, & inſuper epitaphii character ſeculo XIII. maxime convenit.

IX. Geraldus II. 1292. 93. 94. die ultima Junii ind. VII. ſede Romana vacante.

X. Petrus II. 1310. & 1313. die Jovis in feſto inventionis S. Crucis, in charta ſcilicet Fulconis epiſc. Engol. Occurrit etiam in tabulis ann. 1316. 17. 19. 1324. 25. & 1328.

XI. Rampnulfus 1330. in donatione Raimundi de Marolio militis, & adhuc annis 1332. & 1339.

XII. Petrus III. an. 1346.

XIII. Bernardus I. 1358.

XIV. Johannes I. 1403.

XV. Helias I. de Tiſon 1407.

XVI. Petrus IV. de Troys vel Troye pepigit an. 1434. cum abbate B. Mariæ de Nantolio & priore de Salis ſuper eſſartis ibidem in vico de Sala ſitis, ex chartul. Nantol. fol. 216.

XVII. Helias II. 1435. 39. 43. 50. 57.

XVIII. Petrus V. de Roſerio 1461. 1470. 1473. & 1480. quo anno abſolvitur a Juliano epiſcopo Sabinenſi card. S. Petri ad vincula, majore pœnitentiario in Francia, ab excommunicatione quam Johannes abbas de Moroliis in ipſum vibrarat. Ceſſit anno ſequenti ſub annua penſione, ſuperſtes adhuc an. 1484.

XIX. Helias III. Eſnard 1481.

XX. Johannes II. 1506. die 21. Martii.

XXI. Claudius de la Rochebeaucourt ſedis apoſtolicæ pronotarius, e nobili apud Engoliſmenſes genere, primus abbatiam tenuit in commendam 1547.

XXII. Franciſcus de Montalambert abbas commend. an. 1553. die 4. Julii in charta authent. regiæ bibliothecæ, & 1560.

XXIII. Petrus VI. de la Louë *al.* d'Alouche abbas regularis, obiit an. 1575.

XXIV. Philippus de Nambu filius primi oſtiarii cubiculi regii, vulgo *premier huiſſier de la chambre*, abbas commend.

XXV. Henricus de Lambert Regi ab eleemoſynis, abbas erat commend. an. 1614. Permutavit cum ſequenti pro prioratu de Cirey.

XXVI. Guillelmus III. de la Font monachus ord. Ciſterc. doctor facultatis Pariſ. & prior ſancti Petri de Cirey ord. S. Bened. diœceſis Lingon. ex permutatione hujus prioratus, probante Rege die ultima Febr. 1636. & confirmante Urbano papa VIII. ſeptimo idus April. ejuſdem anni. Hoc etiam anno 4. Septemb. poſſeſſionem adeptus eſt per D. Leonardum Aujordain priorem de Groſſo-boſco.

XXVII. Johannes III. de la Font monachus profeſſus Grandis-ſilvæ, poſt obitum fratris ſui Guillelmi nominatur abbas die 18. Maii 1641. eodemque anno confirmatur bulla pontificia data apud S. Mariam majorem III. idus Julii, pontificatus domini papæ anno XVIII. Altare majus ſuis ſumtibus ædificavit.

XXVIII. N. de Seguetan.

XXIX. Tuſſanus Roſe Viennenſis, doctor Sorbonicus & abbas S. Petri Viennenſis, 1674. abbatiam de Groſſo-boſco obtinuit, at bullas nunquam impetrare potuit. An. 1713. obiiſſe dicitur.

XXX. N..... Queſnet ſereniſſimo duci Biturigum ab eleemoſynis, abbatia de Groſſo-boſco donatur a Rege anno 1713. die feſto Pentecoſtes 4. Junii.

BORNETUM.

Bournet

BOrnetum B. Mariæ ordinis primum Benedictini, poſtea Ciſtercienſis, conditur a Giraudo de Sala vel de Salis an. 1113. ex chronico Eng.

Digitized by Google

ſecundum alios a domino de Montmoreau, temporibus fundationum Coronæ, Frenadæ & Cellæfruini, ſedentibus Gerardo & Lamberto epiſcopis, quorum ultimus vivere deſiit an. 1149. Diſſimulare non debemus Geraldum ipſum Borneti fundatorem dici in charta ſequenti:

Anno Domini M. CCCC. ſecundo in menſe Decembris, nos Guillelmus epiſcop. Engoliſm. vidimus, tenuimus, palpavimus & perlegimus fundationem monaſterii de Borneto, quod fundavit anno Dom. M. C. XXV. Honorio ſecundo in urbe præſidente, dominus Geraldus epiſc. Engoliſm. ſanctæ Romanæ Eccleſiæ legatus; & in quodam chartario fundationis ſupradicti monaſterii habebatur: Et ut diligentiori cura monaſterium ipſum ab Engoliſm. epiſc. foveatur & tueatur, dilectus filius noſter Helias primus ejuſdem monaſterii abbas, cum conſilio fratrum ſuorum, mihi Gerardo Engoliſm. epiſcopo meiſque ſucceſſoribus epiſcopis ceſſit quartam partem libræ incenſi ſingulis annis reddendam. Ex folio adglutinato operturæ chartularii Engoliſmenſis optimæ notæ.

Hæc autem omnia quæ prima fronte ſecum pugnare videntur, facile conciliari poſſunt, dicendo Giraudum de Salis initia dediſſe monaſterio, quod alii conſummarunt.

Abbatum series.

I. Willelmus I. in chronico Malleac. dicitur primus abbas Borneti.

II. Helias in charta anni 1125. quam ſupra retulimus, primus abbas nuncupatur.

III. Willelmus II. a ſuperiori fortaſſe non diſtinguendus, teſtis eſt concordiæ initæ inter eccleſiam S. Amantii & eccleſiam de Ablevilla an. 1146. Item an. 1154. in charta Guillelmi Taillefer comitis Engoliſm. pro monachis S. Amantii.

IV. A. memoratur abbas Borneti an. 1192. in chartulario S. Auſonii.

V. Raimundus I. an. 1201. ex codice 2670. biblioth. Colbert. fol. 169. c. 2. teſte Baluzio.

VI. Raimundus II. an. 1293. die 23. Junii viduam Simonis de Vallibus beneficam expertus eſt.

VII. Guillelmus III. tranſigit cum domino de Blanſac 25. Januarii 1325. & 1329. die Mercurii poſt feſtum S. Eutropii.

VIII. Arnaldus I. 1381.

IX. Bernardus Solari occurrit abbas die 7. Maii 1389. & 24. Aug. 1398.

X. Arnaldus II. de Magderano *al.* de Madirano, jacet ſub tumulo marmoreo in monaſterio S. Crucis Burdegal. ante altare S. Mummoli abbatis Floriacenſis, obiitque anno 1420. 12. cal. Oct. ut docet ejus epitaphium.

XI. Helias II. de Boſco *al.* de la Faurie, 1424. & 1425. menſe Nov. Bullam accepit an. 1460. 5. Aprilis a Pio II. papa, qua monaſterii poſſeſſiones & privilegia confirmantur. Vivebat adhuc Helias anno 1471.

XII. Guido de Luſignac 1473. die 20. Dec. & 1478. die 9. Septemb.

XIII. Johannes I. Guyot menſe Martio 1480. 1482. & 1490.

XIV. Petrus d'Ars die 6. Octob. 1508. & 3. Junii 1509. Tranſegit anno 1539. die 1. Junii cum ſuis monachis; qua in tranſactione monaſterium de Borneto ad ſedem Romanam nullo medio pertinere dicitur; & hoc certe convenit cum inſtrumento quodam dicto vulgariter *Vidimus*, a notariis apoſtolicis Michelot & Cognet die 9. Aug. 1630. Divione ſigillato.

XV. Johannes II. de Mauvoyſin protonotarius apoſtolicus, memoratur abbas commendatarius ann. 1538. 16. Maii, 1547. 20. Nov. & 1549. 13. Junii; abbas ſimul S. Sigiranni.

XVI. Carolus Tournemine Regi ab eleemoſynis & abbas Borneti, cui Paulus Mazinus Arvernus dicavit librum cujus titulus: *de elementorum natura & eorum ſitu paradoxa*, ex typographia Matthæi Davidis, Pariſiis via Amygdalina ad inſigne veritatis 1549.

XVII. Bertrandus de la Touche, cui ſucceſſit

XVIII. Franciſcus I. Joumard de Soufferte, e nobili gente de Monſençay in Petrocoriis, regia nominatione munitus poſſeſſionem adiit menſe Octobri 1617. Vivere deſiit 21. Martii 1650.

XIX. Franciſcus II. Joumard de Soufferte ſuperioris ex fratre nepos, præfuit aliquot annis laudabiliter, ac deinde ceſſit ut matrimonium contraheret.

XX. Jacobus de Rochechouart dom. de Montmoreau ſedebat ante annum 1659. qui poſtmodum deſignatus eſt a Rege abbas Magni-loci diœceſis Claromont. circa an. 1681. at morte correptus ante bullas acceptas, poſſeſſionem haud apprehendit.

XXI. N. Joumart 1670. & 1680. in libro Gallico cujus titulus eſt, *Etat de France*.

XXII. Guillelmus IV. de la Roche nobilis Lugdunenſis, nominatur a Rege 26. Maii 1682. Eccleſiam ædeſque abbatiales utcumque reparavit, ſemperque ad jura monaſterii defendenda paratus fuit. Verſaliis obiit die 25. * Aprilis anni 1700. * *al.* 24.

XXIII. Jacobus Poiſſon Regis capellanus, renuntiatus eſt abbas Borneti 29. Maii 1700. Sedebat adhuc 1712.

BLANZIACUM. Blanzac.

Blanziacum diœceſis Engoliſmenſis, abbatia olim, ut volunt, Benedictina, nunc ſecularis eſt, ſub S. Arthemii patrocinio.

Abbatum indiculus.

I. Willelmus de Narciaco abbas Blanziacenſis, teſtis in concordia Ameliæ de Cabaniaco cum Arnaldo Pontadi ſacriſta eccleſiæ Engoliſm. abſque notis chronicis, ex chartular. dom. epiſcopi Engoliſmenſis.

II. Willelmus, forte idem ac ſuperior, teſtis eſt in concordia canonicorum Engoliſm. cum Guillelmo Audoini & fratre ipſius Alduino pro inſula *d'Eſpanhac*, anno Incarn. 1120. regnante Ludovico rege Francorum, Geraldo Engoliſm. epiſcopo ſedente, ex chartular. eccl. cathedr. Engol.

III. A. Blanziacenſis abbas an. 1162. in charta Engoliſm. epiſcopi, ex chartular. Dom. epiſcopi Engoliſm.

IV. Johannes Meſnaud abbas Blanziaci 1628.

Digitized by Google

ECCLESIA SANTONENSIS.

* La Charente.

MEDIOLANUM Santonum ad flumen Carantonum * civitas epiſcopalis Aquitaniæ ſecundæ ſub metropoli Burdigala, cujus etiam parlamento ſubeſt, caput eſt provinciæ ſeu pagi Santonum, vulgo *la Saintonge*. Porro hæc urbs & omnis gens Santonum celebrantur a veteribus geographis Strabone, Ptolemæo, Stephano, Æthico, &c. & a Cæſare commentariorum lib. 1. qui collocando Santones inter Æduos & Toloſates, videtur eorum fines amplificaſſe; ſcribit enim *Helvetiis fuiſſe in animo per agrum Sequanorum & Æduorum iter in Santonum fines facere, qui non longe a Toloſatium finibus abſunt*; quaſi Santones non longe a Sequanis, Æduiſque, una ex parte abeſſent, & a Toloſatibus ex altera; quod hîc dici non poteſt niſi Bituriges & Pictones, aut etiam Lemovices & Ecoliſmenſes, qui inter Æduos & Santones poſiti ſunt, Santonibus tribuendo. Idem dicendum de Petrocoris & Nitiobrigibus, qui ſeparant Santones a Toloſatibus. Verum ubi Cæſar dicit Santones non longe abeſſe a Toloſatibus, non excludit ſpatium ſaltem 120. millium paſſuum, ſeu triginta circiter leucarum Franciæ. Forte etiam Cæſar jungit Pictones cum Santonibus, non ſolum quod vicini ſint, ſed etiam quod hæ nationes pacatæ forent, & pari conſenſu Romanis obedirent. Certe a Strabone Pictones junguntur Santonis ad Oceanum inter gentes Aquitanicas quæ a Ligeri ad Garumnam extenduntur. Ceterum Cæſar optime noverat ſitum ſtatumque Santonum, quorum agros & fines appellat, *loca patentia, maximeque frumentaria*, & quidem hodie adhuc Santonum pagus frumento abundat; ferax quoque vini eſt, & incolarum induſtria ſalis habet copiam. Laudatur præterea a Dioſcoride *Abſinthium Santonium*, Plinio *Abſinthium Santonicum*, Columellæ lib. 6. herba Santonica, vulgo *Sindeenique*, quam Elias Vinetus doctus Santo, qui de regione Santonica libro ſingulari ſcripſit, frequentem naſci apud maritimos Santonas affirmat. Hoc potiſſimum Santones ad littus maris poſitos ſpectat *cucullus Santonicus*, cujus meminit Juvenalis, vel Bardo cucullus Santonicus, ut loquitur Martialis libro 14. hujuſmodi enim tegumento uti conſueverunt, qui maritima incolunt loca. Mediolanum Santonum more plerarumque civitatum nomen totius gentis jam aſſumſerat tempore Cornelii Taciti, qui lib. VI. hiſtoriæ memorat *Julium Africanum e Santonis Gallica civitate*. Ammianus Marcellinus lib. XV. Santones eam appellat, ubi de Aquitanica loquens provincia, amplitudine civitatum admodum culta, addit: *Omiſſis aliis multis Burdigala & Arverni excellunt, & Santones & Pictavi*. Multa magnitudinis urbis antiquæ Santonum argumenta ſuperſunt, ſcilicet amphitheatri, aquæductuum, & formarum, arcuum, parietinæ, pons lapideus Carantono impoſitus, a Romanis quoque conditus tempore Julii Cæſaris creditur. Nunc ampla quidem eſt urbs, ſed parum populo frequens; quamvis ſit ſedes curiæ præſidialis. De hujus urbis antiquitatibus ſcripſit Samuel Veyrel Santo, cujus opus Burdigalæ eſt excuſum anno 1635. De Santon. Pictavis, &c. habemus opus Armandi Maichin editum an. 1671. apud Angeriacum. Præter hanc urbem oppida inſigniora ſunt Angeriacum, *S. Jean d'Angeli*, Solbiſia, *Soubize*, Broagium, *Brouage*, Tauniacum ad Carantonum, *Taunay-Charente*, Regianum, *Royan*, Uliarus inſula, *Oleron*, quam Sidonius lib. VIII. ep. 6. Olarionem vocat, lepuſculis abundat, ex laudato auctore, eſtque in conſpectu Santonicæ urbis. Quod ſpectat ad ſtatum eccleſiaſticum Santonum, vetus eſt ſedes epiſcopalis parochias circiter 500. continens, quæ in antiquis notitiis Aquitanicæ ſecundæ quartum locum obtinet. Eccleſia major, quæ legitur fundata a Pipino & Carolomagno, S. Petrum patronum habet; verum an. 1568. pene deſtructa heterodoxorum furore diu jacuit, ita ut ſolum ſupereſſet campanile mirandæ prorſus ſtructuræ tuendæ urbi opportunum, cum pilis eccleſiæ exterioribus, elegantis omnino operis, & nonnullis ſacellorum arcubus. In capitulo, quod juriſdictionem pene epiſcopalem habet in 29. eccleſiis parochialibus, ſunt quinque dignitates: decanatus, duo archidiaconatus, ſcholaſtica & præcentoria, quibus non eſt annexa præbenda; quas præter decanatum, confert epiſcopus, non vero præbendas, quæ ſunt viginti quatuor.

Santonenſes tamen epiſcopos præbendarum eccleſiæ ſuæ cathedralis conferendarum participes aliquando fuiſſe, ſcilicet Innocentii III. & Gregorii IX. ſummorum pontificatum ætate, Talæus regius advocatus in ſenatu Pariſienſi contendit an. 1680. ex quibuſdam iſtorum pontificum decretis & epiſtolis. Nempe Innocentius III. epiſtola 82. regiſt. 14. teſtatur magiſtrum R. Bovi ſuper quodam canonicatu Xantonenſi obtinendo, *ſub venerabilis fratris noſtri N. epiſcopi & quorumdam canonicorum Xantonenſium nomine litteras apoſtolicas impetraviſſe*; ac infra ſubjungit: *Sane quia ipſius præbendæ medietatem reliquam ad interventum prædicti Xanton. epiſcopi eidem magiſtro prædicti canonici contulerunt.* Itemque iſta: *Præſertim cum nec etiam poſtulet, ſed petatur potius ab univerſis canonicis antedictis, ſicut per viginti trium ipſorum epiſcop. archidiaconorum & cantoris litteras evidentiſſime oſtendebat.* Necnon etiam iſta: *Verum cum idem magiſter ad canoniam ipſam vocetur per capitulum ſæpe fatum, ſicut ipſorum litteræ clarius manifeſtant, nulluſque per nos canonicatus fuerit in eccleſia ſupradicta de novem clericis, pro quibus noſtras litteras jam recepit, niſi magiſter C. Natalis, qui per epiſcopum & archidiaconum ſpecialiter obtinuit canoniam.* Sed iſta aliaque ſuis adducta locis, minime prohibuere quo minus die ſeptima Maii anni 1681. ſenatus Pariſienſis pronuntiaret duas præbendas quas magiſtri Petrus Soulier die 16. Martii,

Digitized by Google

Johannes-Jacobus Garrot 3. Septemb. anni 1678. ſibi vindicare cœperant, ut de his regaliæ jure proviſi, non vacaſſe jure illo regaliæ; ſed eas recte poſſideri a magiſtris Guillelmo Doublet & Johanne de Campgrand, quibus reſignatæ fuerant, ac pro quibus intervenerant in cauſam decanus & capitulum ejuſdem eccleſiæ, erga quos omnes iidem Soulier & Garrot damnati ſunt expenſarum. Cujus decreti vis in eo fuit quod præbendas conferre non epiſcopi ſit, ſed capituli foret, ac vacante ſede Rex in jura tantummodo ſuccederet epiſcoporum. Atque hoc ipſum declaravit Ludovicus XIV. edicto anni 1682.

Olim canonicorum numerus erat quadraginta; & quidem cum Innocentius III. contuliſſet unam præbendam hac in eccleſia cuidam clerico, ſcripſiſſetque decano & capitulo, ut illum haberent pro fratre ac ſodali, obtemperare minime voluerunt, contendentes ſe indultum habere quo cavebatur ne numerus canonicorum ultra quadraginta extenderetur. At ſummus pontifex hoc indulto ſe teneri & ligari negavit, maxime cum canonici eo contemto plures recepiſſent. Gregorius nonus tamen videtur agnoviſſe legem hanc quadragenarii numeri, ſcribens decano & ſacriſtæ Engol. cap. ult. *de verborum ſignificatione*, ut hunc numerum relinquerent illæſum, nec prætergrederentur, etiamſi ob redituum augmentum plures quam quadraginta poſſent eſſe canonici.

In urbe & ſuburbiis ſunt ſeptem parochiæ, plurimæque domus quas incolunt religioſæ familiæ, Dominicani, fratres Minores, alii Minores qui dicuntur Recollecti, fratres Hoſpitalarii, vulgo *de la Charité*. Jeſuitæ qui collegium moderantur; presbyteri miſſionarii, auctore Vincentio de Paule, ſeminario clericorum præſunt. Sunt etiam apud Santonas plurima monialium cœnobia, Carmelitarum, ſororum S. Claræ, Hoſpitalariarum, virginum vulgo dictarum *de Noſtre-Dame*. Infra loquemur de nobili prioratu ordinis Cluniacenſis, qui ſancti Eutropii nomen præfert. In tota diœceſi plures ſunt abbatiæ, de quibus more noſtro ſeorſim erit agendum, poſt datam ſedulam operam hiſtoriæ epiſcoporum. Porro in ea veteris breviarii rationem parum habebimus, quod ſit tantum editum an. 1552. At multa nos debere profitemur conſiliis præſtantium virorum Frontonis de la Roche de Guimp Santonenſis, & Joſephi de la Jaunie Burdegalenſis canonicorum S. Petri, qui nobis plurima communicarunt.

SANTONENSES EPISCOPI.

I. EUTROPIUS.

ANNI CHRISTI

EUTROPIUS martyr, inquit Gregor. Tur. l. 1. de gloria Mart. c. 36. *Santonicæ urbis, a* A *B. Clemente epiſcopo* (Romano) *fertur directus in Gallias; ab eodem etiam pontificalis ordinis gratia conſecratus eſt, impletoque hujus officii ordine, peracta incredulis prædicatione, inſurgentibus paganis, quos auctor invidiæ credere non permiſit, inliſo capite victor occubuit.* Ob perſecutionis æſtum corpus ſancti martyris caruit decenti ſepultura, & cultu debito, uſque ad ſeculum VI. quo Palladius Santonum epiſcopus, convocatis abbatibus, corpus hoc ſacrum, in cujus capite adhuc cicatrix infixæ ſecuris apparebat, in baſilicam ejus memoriæ dicatam tranſtulit. Forte baſilica hæc, eſt illa eccleſia ſancti Eutropii, quam vetuſtate fatiſcentem Leontius II. Burdigalenſis epiſcopus circa medium ſeculum VI. reſtauravit, ut canit Fortunatus lib. 1. c. 3. Ibi lapſu temporis conditum eſt celebre monaſterium, quod adhuc exſtat in ſuburbio, eſtque ordinis Cluniacenſis, ubi S. Eutropii corpus adſervabatur. Hoc corpus Vindocinum tranſlatum fuiſſe contendunt Vindocinenſes monachi: at in procellis Calvinianæ hæreſis cauſa excitatis, ab ejus ſectatoribus flammis traditum eſt.

Breviarium Santonenſe dat S. Eutropio diſcipulum Palladium ſanctitate præditum, quem ordinaſſe presbyterum habuiſſeque ſucceſſorem fertur; at ex leviſſimis, ne dicam nullis argumentis. Nullum S. Palladium Santonenſem epiſcopum invenio in martyrologio ampliſſimo domini Claudii Chatellain. Bailletus autem unicum admittit S. Palladium Santon. epiſcopum, qui VI. ſec. floruit.

II. S. BIBIANUS, ſeu VIVIANUS.

ANNI CHRISTI

In vulgatis catalogis S. Bibianus ſequitur S. Eutropium. Eum aiunt ex comite Santonenſi factum A eſſe monachum, & monaſterium condidiſſe juxta urbem, ſub titulo S. Petri: nunc eſt prioratus conventualis canonicorum Regular. S. Auguſtini, qui nunc unitus eſt ſeminario clericorum. Olim non longe ab hoc monaſterio erat eccleſia & adjunctum cœnobium S. Seronio (S. Saloine) martyri Santonenſi dicatum, temporibus Caroli magni, quem illuc orationis cauſa veniſſe, dum Santonis moraretur, legimus. Gregorius Tur. lib. de gloria conf. c. 58. docet S. Vivianum quieſcere in eccleſia ſui nominis, quam, cum inchoata eſſet ab Euſebio & Emerio ejuſdem ſedis epiſcopis, Leontius II. Burdegalæ epiſcopus abſolvit; quamobrem a Fortunato magnas laudes conſecutus eſt. Hoc in templo erat ſepulcrum S. Bibiani; quod argento *Lib. 2. Carm. 12.* & auro tectum fuiſſe Leontii & Placidinæ ejus B conjugis ſumtibus narrat idem Fortunatus. Exſtat adhuc S. Viviani eccleſia Santonis in ſuburbio cui nomen dedit, ejuſque feſtum ibi celebratur die 28. Auguſti; alibi quoque colitur, & in diœceſi patronus eſt eccleſiarum de Pontibus, de Cheſia, de Ruffiaco, de Brevilleto, de Valle, de Angiaco, *de Cherveſi, de Baigneſſeaux, de Bois, Deſcoyeux, des Egliſes, de Coyverts, de Marſaye*, &c. Rotomagi habet inſignem eccleſiam plebanam ſeu parochialem ſub ejus titulo. Meminit Gregorius Turon. libri de S. Bibiano ſcripti, qui ejus *virtutum moles* continebat, hoc eſt miraculorum, maxime erga contractos & aridos: in veteri mſ. S. Petri Carnotenſis legitur epiſtola ſub nomine S. Auguſtini ad Bibianum epiſc. Santonenſem, qua reſpondet

Digitized by Google

litteris quas Bibianus ei per Trojanum diaconum ſuum tranſmiſerat. Hanc epiſtolam edidit Mabill. in appendice ad liturgiam Gallicanam.

ANNI CHRISTI

Baluz. in hiſtoria Figiacenſis monaſterii, quam edidit tom. 2. Miſcellan. monet in nota margin. S. Bibiani corpus in hoc cœnobio aſſervari. Hujus ſancti vita & miracula habentur in codice 1297. biblioth. Colbert. ex eodem Baluzio.

III. S. Ambrosius.

Solum S. Ambroſii Santonum pontificis nomen nobis notum. In breviario Santonenſi legitur S. Bibianum S. Ambroſio ſucceſſiſſe ; ſed hoc breviarium non eſt majoris auctoritatis quam vulgati catalogi.

IV. Gregorius.

Hic epiſcopus eruitur ex actis S. Germerii Toloſani epiſcopi, quæ in lucem protulit Bernardus Guidonis Lodovenſis epiſcopus. Hæc acta ſcripta dicuntur a Pretioſo S. Germerii commilitone & convictore. Ex iis vero diſcimus S. Germerium, qui anno circiter 510. ordinatus eſt epiſcopus Toloſanus, antea fuiſſe factum ſubdiaconum & diaconum a Gregorio Santonenſi epiſcopo. Acta quidem S. Germerii fuiſſe interpolata vix dubitamus ; at id non vetat quominus pro veris habeantur quæ de Gregorio Santonenſi epiſcopo continent. Certe Carolus Cointius in Annalibus Francorum ipſi nullo ſcrupulo dat locum inter Santonenſes epiſcopos.

510.

V. Petrus I.

Hic epiſcopus convenit ad ſynodum Aurelian. 1. habitam an. 511. menſe Julio, coactam a Clodoveo magno tunc totius Franciæ monarcha, ad leges eccleſiaſticas conſtituendas pro reſarcienda diſciplina, quæ inter bella etiam pro religione adverſus principes Arianos geſta, labefactata fuerat, aut intepuerat.

511.

VI. S. Trojanus.

Trojanus alius procul dubio a diacono cognomine, qui, ut ſupra diximus, legitur epiſtolam S. Bibiani detuliſſe ad S. Auguſtinum ; a Gregorio Turon. meruit inſcribi ſanctorum confeſſorum catalogo, quorum gloriam Deus multis illuſtravit ſignis & miraculis : ejus enim meminit l. de gloria confeſſ. c. 59. In nonnullis vero codicibus manu exaratis legitur Trofianus, & Trophianus, ut notat Theod. Ruinartus in noviſſima operum ſancti Gregorii Turon. editione. Tanta vero erat de ſanctitate Trojani præconcepta opinio, ut fimbrias ejus amphibali plebs certatim avelleret ac diriperet ; ſalubre putans quidquid ab eo poſſet habere ; nec immerito, cum ejus virtus in ſanandis energumenis, *frigoriticis*, aliiſque infirmis quotidie innoteſceret. Ipſi tribuitur a Jacobo Sirmondo epiſtola Trojani epiſcopi ad Eumerium epiſcopum Namnetenſem, etſi ſedis epiſcopalis ejus nomen in veteribus codicibus diſſimuletur. Eumerius Trojanum conſuluerat de puero, qui an baptizatus eſſet neſciebat. Reſpondit autem Trojanus, & quidem ſecundum S. Leonis ad Ruſticum Narbonen. ſcribentis ſententiam : *Statutum noveris, ut quicumque ſe baptizatum fuiſſe non recolit, nec ab alia perſona id factum fuiſſe probatur, baptiſmum abſque ulla dilatione percipiat ; ne a nobis illius anima, ſi a baptizatis ſeparata fuerit, requiratur.*

S. Trojanus fuit ſepultus juxta S. Bibianum, ut qui *huic conjunctus cælo, vicinus* eſſet *tumulo*, inquit Greg. Turon. Feſtus ipſius dies celebratur 1. Decembris. Ejus ſacræ reliquiæ olim in capſa honorifice adſervabantur ; ſed Calviniſtæ anno 1568. deſtructa majori eccleſia, theſaurum reliquiarum expilarunt.

VII. Eusebius.

Adfuit hic epiſcopus concilio Aurelianenſi II. an. 533. & v. an. 549. quorum canones & acta ſtudioſus lector ex ipſo fonte repetat. Aliud concilium a Leontio Burdigalenſi epiſcopo, & ab Euſebio Santonenſi viris apoſtolicis celebratum memorat Baudonivia monialis in vita S. Radegundis reginæ, quæ horum epiſcoporum æqualis fuit ; difficile vero eſt locum annumque hujus concilii decernere & conſignare. De Euſebio epiſcopo ita canit Fortunatus l. 1. carm. 12.

533. 549.

Vit. S. Rad. pag. 330.

Digna ſacerdotis Bibiani templa coruſcant,
Quo, ſi juſta petis, dat pia vota fides.
Quæ præſul fundavit ovans Euſebius olim,
Ne tamen expleret, raptus ab orbe fuit.
Cui mox Emerius ſucceſſit in arce ſacerdos,
Sed cœptum ut ſtrueret, ferre recuſat onus.
Qui precibus commiſit opus tibi, papa, Leonti,
Cujus ad hoc votum jugiter inſtat amor, &c.
Sacra ſepulcra tegunt Bibiani argentea tecta,
Unanimis tecum quæ Placidina dedit.
Quæ ſuper effuſum rutilans intermicat aurum,
Et ſpargunt radios pura metalla ſuos.
Ingenio perfecta novo tabulata coruſcant,
Artificemque putes hic animaſſe feras.

VIII. Emerius.

Emerium Euſebio ſucceſſorem fuiſſe datum nos docuit ſuperius Fortunatus : ſed quia canonice electus non fuerat, & citra metropolitani conſenſum conſecrationem acceperat, ſolo Chlotarii regis decreto munitus ; in ſynodo provinciali a Leontio Burdigalenſi metropolitano, & a comprovincialibus epiſcopis ſede pontificia eſt dejectus, tanquam ambitionis reus ; aliuſque in ejus locum ſubrogatur, ſed a Chariberto rege reſtituitur, ut narrat Gregor. Turon.

IX. Heraclius.

Heraclius eccleſiæ Burdigalenſis presbyter, a Leontio, poſt depoſitum Emerium, ad cathedram Santonenſem eſt provectus, calculum addentibus ceteris provinciæ epiſcopis. Audiendus ea de re Gregorius Turon. lib. IV. hiſtoriæ c. 26. *Apud urbem Santonicam, Leontius congregatis provinciæ ſuæ epiſcopis, Emerium ab epiſcopatu depulit, adſerens non canonice eum fuiſſe hoc honore donatum. Decretum enim regis Chlotarii habuerat, ut abſque metropolitani conſilio benediceretur, qui non erat præſens. Quo ejecto, conſenſum fecere in Hera-*

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

clium[a] *tunc Burdegal. urbis presbyterum : quod regi Chariberto ſubſcriptum propriis manibus per Nuncupatum presbyterum tranſmiſerunt. Qui veniens Turonis, rem geſtam beato Eufronio pandit, deprecans ut hoc conſenſum ſubſcribere dignaretur ; quod vir Dei manifeſte reſpuit. Igitur poſtquam presbyter Pariſiacæ urbis portas ingreſſus, Regis præſentiam adiit, hæc effatus eſt : Salve Rex glorioſe, ſedes enim Apoſtolica eminentiæ tuæ ſalutem mittit uberrimam. Cui ille : Numquid, ait, Turonicam*[b] *adiſti urbem, ut Papæ illius nobis ſalutem deferas ! Pater, inquit presbyter, tuus Leontius cum provincialibus ſuis ſalutem tibi mittit, indicans æmulum, ſic enim vocitare conſueverant Emerium in infantia ſua, ejectum ab epiſcopatu, pro eo quod prætermiſſa canonum ſanctione, urbis Santonicæ epiſcopatum ambivit. Ideoque conſenſum ad te direxerunt, ut alius in loco ejus ſubſtituatur : quo fiat, ut dum tranſgreſſores canonum regulariter arguuntur, regni veſtri potentia ævis prolixioribus propagetur. Hæc eo dicente, frendens Rex eum a ſuis conſpectibus extrahi juſſit, & plauſtro ſpinis oppleto imponi deſuper, & in exſilium protrudi præcepit, dicens : Putaſne quod non eſt ſuper quiſquam de filiis Chlotarii regis, qui patris facta cuſtodiat, quod hi epiſcopum, quem ejus voluntas elegit, abſque noſtro judicio projecerunt ! & ſtatim directis viris religioſis, epiſcopum in loco reſtituit, dirigens etiam quoſdam de camerariis ſuis, qui exactis a Leontio epiſcopo mille aureis, reliquos juxta poſſibilitatem condemnarent epiſcopos. Et ſic Principis eſt ultus injuriam.* Hæc ad annum circiter 566. ſunt referenda.

[a] Forte is eſt Heraclius Burdegalenſis, quondam Childeberti regis ſenioris legatus, quem Item Gregorius dicit lib. v. hiſt. cap. 37. fuiſſe creatum epiſcopum Ecoliſmenſem.

[b] Ita omnes MSS. cum editis, præter Bell. in quo legit noſter Ruinartus *Romanam*, quemque ſequitur in ſua editione. Videſis ejus notam in hunc locum.

X. S. Concordius.

Colitur in tota diœceſi die 25. Februarii, ſub ritu ſemiduplici. Vide martyrol. Gallicanum pag. 951. & breviarium Santon.

XI. Didymus.

De duobus his epiſcopis, qui catalogo Santonenſi inſcribuntur, cogimur filere, quod eorum acta minime ſunt nota.

Pallade *vel* Palais.

XII. S. Palladius.

Palladius[c] ex genere quondam divitis Palladii deſcenderat, inquit Greg. Tur. de gloria confeſſ. c. 60. Factus epiſcopus in locum Didymi, conſtruxit ſepulcrum S. Martini abbatis Santonenſis, diſcipuli alterius Martini Turonum epiſcopi in monaſterio cui præfuerat Saliginenſi, ut docet Cointius ad an. 752. n. 161. Convenit ad concilium 573. Pariſienſe IV. an. 573. Anno 580. habita eſt San- 580. tonis ſynodus, in qua Nantinus Ecoliſmenſis comes, ob varia ſcelera olim excommunicatus, ad pacem admittitur & reconciliatur, ut refert Greg. Turon. l. v. hiſt. c. 37. Recenſetur etiam Palladius inter patres qui anno 585. concilium Matiſconenſe II. celebrarunt. De S. Palladii pietate erga

[c] Eum gente Arvernum fuiſſe dicit Bailletus in vita S. Palladii.

A S. Eutropium ſuum anteceſſorem, ipſius cineres in baſilicam ejuſdem cultui præparatam magna pompa transferendo, jam diximus. Gregorius Turon. lib. VII. hiſtor. c. 31. & alibi, teſtatur Palladium durius habitum a Guntramno rege, quod Gundobaldum regnum affectantem, urbe ſua palam, & Fredegundis reginæ nuntios clam tecto recepiſſet : præterea Fauſtianum, Gundobaldo ſuadente, ordinaverat Aquenſem in Novempopulania epiſcopum, de qua ordinatione diſceptatum eſt in præfata ſynodo Matiſconenſi, ubi ea de re acrius exarſit Rex in hunc epiſcopum, ei exprobrans quod ter ſibi pejeraſſet, & doloſe ſecum ſemper egiſſet.

B Quantum ad Fauſtiani ordinationem, reſpondit Palladius ſe ad eam coactum fuiſſe ab eo qui omnem principatum Galliarum ſe teſtabatur accepiſſe, hoc eſt a Gundobaldo mentito rege, & a Bertramno ſuo metropolitano. Attamen Fauſtianus decreto concilii amotus eſt a ſede epiſcopali Aquenſium, Palladius vero mulctatus eſt una cum Bertramno & Oreſte Vaſatenſi epiſcopo, qui eum ordinaverant, ut vicibus alternis eundem paſcerent, ac centenos aureos annis ſingulis miniſtrarent.

Quod vero Palladius occulte nuntios a Fredegunde in Hiſpaniam miſſos intra ſuam urbem ſuſcepiſſet ac tranſmiſiſſet, mera erat calumnia. Tunc C enim aberat ab urbe, & orationis cauſa in inſulam maris tempore ſanctæ Quadrageſimæ ſeceſſerat pius epiſcopus. Cum vero ad Dominicæ cœnæ feſta rediret in urbem, ab Anteſtio in via vallatur, nec potuit obtinere ut liber dimitteretur ad celebranda feſta Paſchalia, populo exſpectante, niſi prius traditis domo & agro quem in pago Biturico poſſidebat. Tranſactis diebus ſanctis ad Regem perrexit ; adfuit etiam Anteſtius, ſed nihil de his quæ opponebat epiſcopo, potuit probare ; quapropter ad urbem redire juſſus eſt, judiciumque differtur ad ſynodum futuram.

Hæc acta ſunt anno circiter 597. quo fere tem- 597. D pore cum miſiſſet ad S. Gregorium papam Leuperculum eccleſiæ ſuæ presbyterum, ut ab eo peteret reliquias, voti compos factus eſt, uti diſcimus ex epiſtola 49. Gregorii papæ lib. VI. indict. XIV. ad noſtrum Palladium : ex hac epiſtola diſcimus pium hunc epiſcopum conſtruxiſſe eccleſiam in honorem ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli ; & in ea tredecim altaria collocaſſe, ad quorum conſecrationem ſacras poſtulaverat reliquias. Gregorius annuens, ad eum miſit reliquias SS. Apoſtolorum Petri & Pauli, necnon SS. martyrum Laurentii & Pancratii.

In vetuſtis hagiologiis Lemovicenſibus & San- E tonenſibus legitur : *Nonis Octobris apud Santones S. Palladii epiſcopi & confeſſoris.* Colitur tamen die 6. Septembris, eumque agnoſcunt patronum plurimæ diœceſis eccleſiæ parochiales. S. Palladius duabus circiter leucis a civitate epiſcopali condidit monaſterium ad Carantonum fluvium, in honorem S. Vaſis martyris (*ſaint Vaiſe*) cujus feſtum agitur in diœceſi die 16. Aprilis. Nunc eſt prioratus abbatiæ de Cellis diœceſis Pictav. haud procul a Talleburgo, quem ſeculo 12. obtinebant canonici, ex tabul. Fontis-dulcis.

Olim capſa reliquiarum S. Palladii geſtabatur in

ANNI CHRISTI *Lib. 8. cap. 2. 7. & 43.*

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

in publicis ſupplicationibus ad impetrandam pluviam, ut docent veteres rituum codices.

XIII. S. Leontius.

Memoratur S. Leontius in concilio Remenſi an. 625. apud Flodoardum, & in vita S. Maclovii [a] apud Surium die 17. Novembris cap. 21. S. Leontii feſtum olim celebrabatur die 19. Martii, nunc die 22. Poſt hunc epiſcopum ſequuntur in indicibus nomina plurimorum epiſcoporum, quorum ætas ſubticetur, hoc ordine: Adelbertus, Anianus, Leodegarius Ulricus, Dizantius, Mainardus, Alo, quem tradunt eccleſiam ſuam impie deprædatum eſſe: Grimoardus, Juſtus, Iſlo, qui ſeculo decimo ineunte ſedit, numeraturque vigeſimus primus epiſcopus. Iis forſan epiſcopis annumerari deberet S. Mathan, de quo ita ſupplementum martyrologii Gallic. *Pridie idus Novembris S. Mathani epiſcopi Santon. qui in Scotia regnum Chriſti amplificavit. Animam maturam præmio glorioſæ æternitatis ad ſanctorum felix emiſit contubernium.* De eo prorſus ſilet dominus Chaſtelain in ſuo martyrologio. Pro ignotis illis epiſcopis ponamus alios quorum certum habemus tempus.

625. a

XIV. Bertarius.

Bertarius epiſcopus Santonicæ eccleſiæ ſubſcripſit privilegio Emmonis Senonenſis metropolitani pro cœnobio S. Columbæ an. 111. regnante Chlothario, quem Mabillonius revocat ad annum 658. vide ad hunc an. n. 63.

XV. Benjamin.

Benjamin ſedebat circa finem ſeculi octavi, nam in teſtamento Rogerii comitis quo multa prædia Carrofenſi legat monaſterio, tempore Caroli-magni, regnante in Aquitania filio ejus Ludovico, an. circiter 785. nomen hujus præſulis legitur ſubſcriptum hoc modo: *Signum Benjamin Santonicæ ſedis epiſcopi.*

XVI. Ato.

Ato ex diacono & abbate S. Hilarii Pictavienſis creatus eſt epiſcopus, ut liquet ex diplomate Ludovici Aquitaniæ regis, in quo Rex eum ſuum *parentem*, hoc eſt cognatum vel affinem vocat. Anno 31. regnante Carolo rege menſe Martio, hoc eſt an. Chriſti 799. Nobiliacenſem S. Juniani apud Pictones cellam in abbatiam erexit, Hermenbertum abbatem præficiendo, diplomate, quod legeſis inter inſtrumenta eccleſ. Pict. chart. 27. ac ſec. IV. Bened. parte I. pag. 431. De eo Cointius an. 830. nn. 63. 69. 70.

799.

col. 345.

XVII. Freculphus.

Freculphus Sanctonicenſis eccleſiæ epiſcopus, an. 862. in ſynodo Sueſſionenſi ſubſcriptus legitur duobus privilegiis * necnon an. 864. indict. XII. Caroli XXIV. in Piſtenſi concilio ſubſcripſit alteri privilegio, hoc modo: *Freculphus ſanctæ Santonicenſis eccleſiæ indignus epiſcopus.*

* *Vide I. v. de re Dipl. pag. 454. & 455.*

[a] Honorifica ipſius mentio fit in vita S. Maclovii, vel Machuti Aletenſis epiſcopi primi, quaſi Leontius ipſum a Britonibus ejectum omnibus humanitatis atque pietatis officiis proſecutus ſit in agro Santonico; ſed cum abſurdum videatur ad hæc uſque tempora Maclovii vitam producere, rectius docti in Leontium Burdigalenſem illa rejiciunt ſub annum 560. 562. & 565.

ANNI CHRISTI

XVIII. Abbo.

Abbo Santonum epiſcopus convenit ad ſynodum Karroſenſem cum Gumbaldo metropolitano & omnibus epiſcopis comprovincialibus, cal. Junii anni Chriſti circiter 989. Hugonis regis tertio, Willelmo tertio Aquitanorum duce. Vide tom. 9. concil. Labb. pag. 733. Idem eſt ac Ebbo qui adfuit conſecrationi S. Alduini epiſcopi Lemovicenſis, circa an. 990. Nuperus ſcriptor hiſtoriæ eccleſiæ Anicienſis, cujuſdam chartæ Willelmi V. Aquitaniæ ducis datæ anno 1000. teſtes recenſet Iſambertum Pictavenſem, Arciolum Santonenſem, & Gerardum Petracoricenſem epiſcopos. Quæ ſi conſtarent, dandus eſſet locus huic Arciolo inter Abbonem & Iſlonem. Sed de iis dubitandi rationem habemus, quod certiſſime Iſambertus non fuerit Pictav. epiſcopus niſi diu poſt an. 1000. duorum vero aliorum nomina prorſus ignota ſint.

XIX. Islo.

Hic epiſcopus ineunte ſec. XI. ſedebat, ſcilicet aliquandiu ante an. 1002. quo tempore deſignavit fundamenta eccleſiæ Baſſacenſis, ex litteris Waldradi fundatoris hujus monaſterii datis anno præfato 1002. ind. XV. Nomen ejus ſubſcriptum legitur in charta Willelmi Aquitanorum ducis, & comitis Pictavienſis pro cœnobio Burgolienſi, data anno 13. regis Roberti, anno 1003. apud Beſlium de comitibus Pictav. pag. 354.

1002.

An. 1011. adfuit concilio Pictavienſi: anno ſequenti teſtis fuit ordinationis Geraldi Lemovicenſis epiſcopi: an. 1016. ſubſcripſit donationi a Willelmo Pictavorum comite factæ cœnobio Ebrolienſi, de qua vide Mabillonium ad hunc annum n. 24. Anno 1021. ordinatus eſt Jordanus in epiſcopum Lemovicenſem, cujus conſecrationi intereſſe voluit Iſlo; eodem anno notatur in tabula eccleſiæ Engoliſm.

1011. *Bibl. Labb. tom. II. pag. 765.* 1016.

1021.

An. 1028. dedicata eſt Lemov. baſilica S. Salvatoris, cui interfuit Iſlo. An. ſequenti collaboravit Godefrido II. Burdegal. archiep. conſecranti eccleſ. S. Pauli de Botavilla ſuæ diœceſis; de qua vide biblioth. Seb. Noſtri quoque epiſcopi meminit chron. Malleac. an. 1040. ubi legitur: *His diebus ſupradictis Iſlo præerat Santonenſibus, cui ſucceſſit Arnulfus, Boſo.* Cave tamen credas Iſlonem hoc anno ſedem obtinuiſſe; cum ab anno 1038. Arnulfus jam ſederit, ut infra probaturi ſumus. Laudatur autem Iſlo quod canonicos & clericos in cauſtro congregaverit, hoc eſt, regulares fecerit. In quodam catalogo Iſloni ſufficitur Alo quidam, diciturque præfuiſſe an. 1. & diebus 30. ſed iſte Alo fortaſſe idem eſt ac Iſlo; nec alteri datur locus, cum eod. an. quo adhuc ſedit Iſlo, Arnulfus legatur epiſcop.

1028.

Centur. 5. cap. 50. & ibid. pag. 133.

1040.

XX. Arnulfus, *al.* Arnaldus. [b]

Arnulfus poſt Iſlonem epiſcopus jam jura dabat an. 1038. ut probat charta Fulcaudi nonnulla conferentis ſancto Johanni, & dulciſſimo patrono

[b] Etiam Arnoldus qui idem eſt, ſubſcripſit donationi Rainaldi viri illuſtr. an. M. XXXVII. Henrici regis an. X. ex chartul. Angeriacenſi fol. 16. & fol. 104. Idem Arnaldus ſubſcriptus legitur chartæ Fulcaudi & Raingardis matris ejus an. M. XXXVII. Heinrici regis X. Vide Mabill. ad annum 1038. n. 109.

b

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

domno Reverentio, apud Angeriacum, præfato an. ſubſcribentibus Godefrido Burdigal. archiep. Arnaldo Santonenſi epiſcopo, &c. *Datum menſe Martio an. M. XXXVIII.* Recenſetur inter epiſcopos qui adfuerunt dedicationi eccleſiæ SS. Trinitatis apud Vindocinum an. 1040. menſe Junio.

1038.

1047. Anno 1047. ind. XV. Agnes comitiſſa, mater Willelmi Aquitanorum ducis, dedit parthenoni S. Mariæ Santonenſis quem fundaverat, nonnullam inſulam in pago Pictav. in maritimis Aquæ-Sevriæ ſitam. Diplomati vero comitiſſæ, quo cavet hoc donum cœnobio, ſubſcripſit Arnulfus Santonum epiſcopus. Convenit quoque ad dedicationem hujus eccleſiæ, cum Archembaldo Burdegal. Hugone Biſonticenſi, Aimone Bituricenſi archipræſulibus; & poſt hos metropolitanos, primus ex epiſcopis ſubſcripſit Arnulfus ſanctæ Santonicæ eccleſiæ epiſcopus.

1048. An. 1048. idem accerſitus ab Agnete comitiſſa Pictavienſi, præſens fuit conſecrationi eccleſiæ S. Johannis Angeliacenſis, cum Brunone Andegavenſi, Guillelmo Engoliſmenſi, & Iſemberto Pictavenſi epiſcopis. Qua in ſacra ſolemnitate Arnulfus benedixit caput, id eſt ſuperiorem partem baſilicæ.

1050. Anno 1050. vel 1049. Romam perrexit ad ſynodum ſub Leone IX. habitam, in qua Berengarii pravum dogma condemnatur, & S. Gerardus Tullenſis epiſcopus ſanctorum albo inſcribitur. Inaugurationi & coronationi Philippi Francorum regis adfuit an. 1059.

Porro cum ſimoniæ fuiſſet accuſatus ob eccleſiaſticos ordines accepta pecunia collatos, & alia ſacra vendita, convictus ſynodali judicio, epiſcopali gradu dejectus eſt, ex appendice epiſtolarum Alexandri II. [a] Anno tamen 1063. reperitur

a

1063. in charta Willelmi Engoliſm. epiſcopi ex hujus eccleſiæ tabula. At quo anno ſit depoſitus non legitur. Forte ipſe eſt A. Santonenſis ep. qui notatur in chartulario ſancti Stephani de Vallibus anno 1070. quamvis hoc anno eſſet depoſitus, & Goderannus ejus ſucceſſor jam ſederet.

XXI. GODERANNUS, *al.* GODEMARUS.

Goderannus monachus, relicto B. Remigii monaſterio, cum arctioris diſciplinæ gratia Cluniacum demigraſſet, meritorum titulis & prærogativa Malleacenſis abbas effectus, poſtea Santonenſis eccleſiæ adeptus eſt dignitatem, videlicet epiſcopalem, ex vita S. Hugonis auctore Ildeberto.

1068. An. 1068. habitum eſt concilium Toloſanum ab Hugone Candido cardinale, ſedis apoſt. legato, ubi de reſtaurando epiſcopatu Lectorenſi præſertim actum eſt. Adfuit autem huic cœtui Goderannus, qui forſan corrupte legitur Godemarus. Circa idem tempus convenit quoque ad ſynodum Burdigal. Legi in nonnullis ſchedis D. Edm. Martenne Goderannum recenſeri in veteri charta B. Mariæ Santon. data an. 1080. Idem obſervavit D. Jacobus Boyer in charta facta Herſendis abbatiſſæ

[a] Ernolfus Santonenſis in Francia & Laudus Nucerinus in Italia epiſcopi multis certiſque criminibus accuſati; alter quod eccleſiarum eccleſiaſticorumque ordinum conſecrationem ſimoniace interveniente pecunia fecerit, &c. ſunt judicio ſynodali depoſiti, tom. 9. concil. Labb. col. 1152.

tempore. Ejus tamen mors ad an. 1074. refertur a monacho S. Maxentii ſcriptore chronici Malleacenſis his verbis: *Anno* M. LXXIV. *obiit Alexander papa*, &c. *defunctus eſt & Goderannus epiſcopus VIII. idus Auguſti, cui ſucceſſerunt in epiſcopatu Boſo & Drogo in abbatia*, videlicet Malleacenſi, quam Goderannus factus epiſcopus retinuerat.

Hic diſſimulare nequeo quas patior anguſtias ob multos qui videntur titulum epiſcopi Santonenſis eodem tempore geſſiſſe. I. Arnulfum perveniſſe uſque ad an. 1070. retento epiſcopi titulo fere probant tabulæ S. Stephani de Vallibus, uti ſuperius monuimus. II. Goderannus jam ſedebat an. 1068. ex concilio Toloſano. III. Boſo qui ei ſucceſſor datur, in vulgatis catalogis, occurrit ut epiſcopus an. 1066. quod mox demonſtraturi ſumus. Unde tot eodem tempore ſedis ejuſdem præſules!

Ad hæc reſpondemus noſtra etiam ætate haud inſolens eſſe, ut duo vel tres, aut etiam plures ornentur titulo epiſcopali ejuſdem eccleſiæ. Id autem ita fieri potuit undecimo ſeculo inclinato, in eccleſia Santonenſi. Nimirum Arnulfus ob ſimoniam epiſcopali dignitate ſpoliatus judicio ſynodali, cui haud dubie præfuit quiſpiam papæ legatus, contra ſententiam in ſe latam proculdubio provocationem, interceſſionem, alioſque juris anfractus oppoſuit; interimque retinuit epiſcopalem titulum; nec defuerunt in ejus diœceſi qui tutarentur ejus partes. In eadem ſynodo a qua condemnatus eſt Arnulfus, Godemarum vel Goderannum creatum epiſcopum, ſubrogatumque fuiſſe Arnulfo veriſimile eſt; cujus forſan promotio minime a capitulo fuit approbata; conjicimuſque Boſonem, de quo nunc dicendum, a canonicis, quibus inconſultis Goderannus factus fuerat epiſcopus, electum fuiſſe antiſtitem.

XXII. BOSO.

Conceſſit hic epiſcopus Buxienſi S. Amantii monaſterio ejuſque abbati Frotmundo, eccleſiam de Senovilla, alias Sonavilla, an. ab Incarn. Dom. M. LXVI. ind. IV. idus Novembris, regnante Philippo, Gaufrido Aquitanorum comitatum gubernante. Memoratur in tabulario S. M. Santonenſis anno 1071. & anno ſequenti. In veteri charta tranſactionis inter Goſcelinum abbatem Baſſacenſem, & monachos Vindocinenſes; necnon in charta Angeriacenſi an. 1073. indict. 10. Gregorio papa, Philippo Francorum rege. Ipſo præſente lis quædam inter abbates Ebrolienſem & Vindocinenſem mota, finita eſt an. 1074. ex quadam veteri notitia Ebrolienſi. Eodem anno recenſetur in inſtrumento donationis Vilareti factæ [b] apud Gorvillam Angeriacenſi monaſterio, indict. 12. epacta 20. concurrente 2. ex chartulario ejuſdem cœnobii. Beſlius profert chartam Bertrandi de Varezia, donantis eccleſiam de Varezia, tempore Boſonis epiſcopi Santon. an. ab Incarn. M. LXXVII. indict. XV. Anno 1079. adfuit concilio Burdegalenſi, in

1066. 1071. 1074. b *Comtes de Poit. pag. 470.* 1077. 1079.

[b] Hoc inſtrumentum contracte exhibet Beſlius in hiſt. comitum Pictav. Sed hallucinatur cum illi inſcribit an. 1077. cui ſatis convenit indictio 12. Poſt Beſlium noſter D. Jacobus Boyer tabularii Angeriacenſis chartas recenſuit, legitque M. LXXIV. In aliis adhuc inſtrumentis Angeriacenſibus anni 1074. nominatur.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

quo datur ſalvitas Silvæ-majori. Vide Mabill. lib. VI. de re Diplom. titulo 159. Anno ſequenti ſubſcripſit chartæ Goſcelini Burdigal. archiep. pro Silva-majori [a]. In charta Angeriac. quam profert laudatus Beſlius, legitur dejectus ab epiſcopatu, quod factum legimus an. 1081. *al.* 1082. in concilio Santon. Subſcripſerat fundationi abbatiæ de Vallibus, tempore ſynodi generalis Santon. an. 1075. cum Joſcelino Burdig. metropolitano, Guillelmo Engoliſm. epiſcopo, Gaufrido duce Aquitaniæ, Goffrido Mauritaniæ, Helia Didoniæ dominis, Odone abbate S. Johannis, Seguino Engoliſmæ, Goſcelino S. Stephani Baſſacenſis, &c. Eidem cœnobio de Vallibus multas dedit eccleſias Boſo. Ex tabulario abbatiæ ejuſdem compoſuit controverſiam Benedicti de Mauritania, qui cœmeterium hujus monaſterii violenter invaſerat, necnon res monachorum de eccleſia & domibus cum armata manu rapuerat, propter quod ipſe cum tota terra ſua excommunicatus fuerat; tandem vero cum monachis concordiam fecit in manu prædicti epiſcopi, & juſtitiam eccleſiaſticam qua tenebatur, ſolvi præcepit, nihil amplius exigendo de cetero; Boſoque ſigillo & chirographo pactum munivit apud Murciacum, in domo monachorum, per Clementem notarium ſuum.

pag. 471. & 486.

1081.

Anno 1081. menſe Januario III. idus indict. IV. idem Gaufridus Willelmus comes Pictavienſis dedit Cluniacenſibus & eorum abbati Hugoni eccleſiam S. Eutropii, quam de manu laïcali acquiſierat, cum conſenſu legatorum apoſtolicæ ſedis, Amati videlicet Olorenſis, & Hugonis Dienſis epiſcopi, necnon epiſcopi Santon. & canonicorum, ex chartario Cluniac. Hic autem epiſcopus Santon. non eſt alius quam Boſo, nam ſucceſſor ei datus non eſt ante an. 1083.

FACAUDI.

XXIII. RAMNULFUS vel ARNULFUS.

Ex chronico quod vulgo Malleacenſe dicitur,

1083.

anno 1083. Santonis exſtitit concilium in quo Ramnulfus ordinatus eſt Santonum epiſcopus in locum Boſonis, qui anno ſuperiori depoſitus fuerat in Carrofenſi cœtu. Eum ex illuſtri proſapia dominorum de Barbizello in Santonibus ortum fuiſſe volunt Sammarthani fratres; at unde id eruerint ignoramus. Anno 1084. ſubſcripſit litteris Roberti de Ponto & Elizabeth ejus uxoris, quibus dant Caſæ-Dei eccleſiam de Triſaco, *Trizay*, in honore S. Mariæ & S. Macuti. Dedit Barbizelli monachis eccleſias S. Pauli, S. Boniti & S. Sulpicii de Salinac, litteris in quibus deſunt temporis notæ, ex hujus loci chartario, ubi cognominatur Facaudi.

1086.

An. 1086. ejus meminit quædam charta S. Mariæ Santonenſis ſcripta Philippo rege regnante in Francia, Willelmo puero duce in Aquitania. An. 1089. celebrata eſt ſynodus Santonis ab Amato ſedis apoſt. legato. Anno 1090. memoratur in charta Odonis abbatis Angeriacenſis.

1090.

1094.

An. 1094. interfuit concilio Pictav. ex charta ejuſdem loci in qua dicitur *egregius epiſcopus, & eccleſiam Santonenſem viriliter gubernare perhibetur.* Inter inſtrumenta damus multa excerpta ex tabulario Angeriac. quæ nos docent quantum beneficus fuerit erga hoc cœnobium. Excepit Urbanum papam II. Santonas venientem tempore Paſchali, quo ſummus pontifex in eccleſia S. Eutropii conſecravit majus altare, & Ramnulfus aliud, uti notatur in relatione ſcriptoris cujuſdam qui huic dedicationi aderat, & in ea miniſtrarat. Idem pontifex poſt celebratum concilium Claromontanum, ad quod Ramnulfus legitur conveniſſe, acceſſit Lemovicas ad dedicandam S. Salvatoris baſilicam an. 1095. habens adhuc in comitatu Ramnulfum epiſcopum. Anno ſequenti indict. IV. diſſidentes pro eccleſia S. Mariæ de Carentiniaco * Auſculfum abbatem Angeriacenſem, & Gaufridum Ebrolienſem ad concordiam revocavit. Eodem anno confirmat donum eccleſiæ *S. Gaudentii de Folloraſo*, Fouras, *quod ſeculares homines uſualiter turpi nomine vocant, ſitæ juxta mare prope caſtellum quod vulgari nomine nucupatur Curraſium, factum ab Arnulfo Santon. epiſcopo cum conceſſione Ugonis domini Roca-fortis ..... an. Incarnat. M. XCVI. præſentibus Gaufrido Malliacenſi, & Garnerio S. Maxentii abbatibus.* Hoc etiam an. Ramnulfo favente Gaufridus Tauniaci ad Carantonum dominus, Angeriacenſibus dedit cellam S. Mariæ virginis. Chartam edidit Mabill. in append. tomi V. Annal. pag. 650. ſed illam in nonnullis emendavimus in charta II. col. 459. An. 1097. ſecundum hodiernum calculum, VI. nonas Martii habitum eſt concilium apud Santonas ab Amato Burdigal. archiepiſcopo S. ſedis legato, ab archiep. & epiſcopis numero XLIII. in quo confirmatum eſt quoddam privilegium Vindocinenſium monachorum in Oleronenſi S. Georgii prioratu, quem Willelmus Aquitaniæ dux puer Ebloni de Caſtro-Allionis dederat, ut eum ſibi devinciret contra barones ſuos qui ab ipſo defecerant: at monitus ab Urbano papa II. reſtitui curavit. Vide appendicem lib. V. Annal. Mabill. pag. 657. col. 2. D. Eodem anno Saviniacenſi abbatiæ & Iterio abbati contulit eccleſiam S. Martini prope caſtrum Mirebelli, in vico qui vocatur Niortus.

1095.

* Charentenay.

1098.

An. 1098. hic epiſcopus cum ſuis archidiaconis, communique conſenſu canonicorum donavit S. Johanni Angeriacenſi eccleſiam de Maſtacio, ſeu ſancti Petri de Marraſtaſio prope Maſtacium. Multis quoque beneficiis affecit abbatiam S. Cypriani Pictav. datis eccleſiis S. Leodegarii, & S. Mariæ de Iſla, & decima de S. Severo; ex charta hujus monaſterii, quæ notas temporis præ ſe non fert.

Vide tom. V. Annal. col. 399. in fine.

1103.

Anno 1103. mortuo Auſculfo abbate Angeriacenſi, cum orta eſſet contentio inter Cluniacenſes & Angeriacenſes de eligendo ſucceſſore, compoſuerunt eam Ramnulfus noſter, Arnaldus Burdigalenſis electus, & Willelmus comes Pictav. cum Hugone Liziniacenſi, electuſque eſt ex parte Cluniacenſium Henricus ea lege, ut ipſo mortuo liberum foret Angeriacenſibus eligendi quem vellent ſive ex Cluniacenſibus, ſive ex Angeriacenſibus.

1104.

An. 1104. idem epiſcopus in concilio Pictav. cum Ivone Carnotenſi & aliis præſulibus compoſuit controverſiam inter eoſdem Angeriacenſes & Maxentianos pro Mareſtaſio, de quo non ita pri-

[a] Id factum eſt in ſynodo Burdegal. ubi confirmata eſt ſalvitas Silvæ-maj. Vide Mabill. de re Diplomat. lib. VI. n 7.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

dem fuerat in concilio Burdigalenſi diſceptatum.

Idem dedit eccleſiam S. Georgii de Oirée ſancto Adjutori Maxentio, in manu Garnerii abbatis, conſenſu & conſilio Petri archidiaconi & aliorum clericorum. *Hoc donum*, ut legitur in autographo inſtrumento, *primum factum eſt ad portam de Runza in navibus in quibus eramus, poſtea dominus abba Goffredus ſucceſſor ipſius Garnerii, requiſivit hoc donum in ſynodo Santonenſi, ab ipſo domno Petro epiſcopo, qui Ramnulfo ſucceſſerat, & ipſe cum crocha ſua, videntibus omnibus ad præſens, qui in ipſa ſynodo erant, veſtitivit eum, & dedit hoc donum*, &c. *Anno Incarn. M. CXIX. ind. II.* B lege M. C. IX. cui anno convenit indict. II. non vero 1119.

Cum Goderannus, qui ſimul erat epiſcopus Santonenſis & Malleacenſis abbas, in abbatiam erexiſſet eccleſiam S. Stephani de Vallibus in diœceſi Santon. Ramnulfus egit ut Malleacenſi cœnobio ſubjiceretur, hujuſque novi monaſterii ordinatio ad Malleacenſes, maxime in conſtituendo abbate pertineret, ut probat charta ea de re facta quæ legitur in appendice tom. V. Ann. Mabill. pag. 646. In hujus Vallenſis monaſterii tabulis frequens eſt noſtri Ramnulfi mentio, & in multis aliis de quibus tacere cogimur. Multæ ſunt Goffridi Vindocinenſis abbatis epiſtolæ, in quibus de Ramnulfo noſtro loquitur, ſcilicet prima libri 1. ad Urbanum papam II. qua eum rogat ne Eblonem de Caſtro-Allionis ſuperius commemoratum abſolvat. Aliæ ſunt libri tertii 31. & ſex quæ ſequuntur ad ipſum Ramnulfum; in priori ipſum quod Ivetam Eblonis uxorem totius mali cauſam abſolverit, ut fama erat, redarguit, commonetque ut priſtinæ conſtantiæ memor ſit. In reliquis non nihil queritur quod privilegia Vindocinenſibus a ſummis pontificibus conceſſa non ſatis curet. Ad eumdem quoque ſcripſit Ermengaudus Cluſenſis * Orlac. abbas pro Aurea-valle * diœceſis Santonenſis cella, D quam uſurpatam ab Angeriacenſibus querebatur, jamque in concilio Claromontenſi expoſtulaverat. Occaſione hujus loci notat Mabillonius tom. V. Annal. pag. 367. quatuor minimum eſſe locos in Gallia olim nomine Aureæ-vallis præditos. Potuiſſet addere quintum in Pictonibus, ubi eſt canonicorum Regularium abbatia, dictum vulgo *Airvaux*. Quo tempore obierit Ramnulfus, nos fugit.

XXIV. Petrus II.

Ex tabulis S. Mariæ Santonenſis. 1107. a

In litteris quibus confertur Silva quædam parthenoni B. Mariæ Santonenſis datis anno 1107. Petrus cognominatur de Sulbiſia a, forte quod foret prior Sulbiſienſis quando electus eſt in epiſcopum, ut in quodam legitur catalogo. Attamen docent Sammarthani fratres eum non ex priore proindeque ex monacho, ſed ex archidiacono factum eſſe antiſtitem. Et quidem in inſtrumento donationis S. Georgii de Oirée ſuperius memorato legitur quidam Petrus archidiaconus. Eum confirmaſſe quoddam donum eccleſiæ S. Gaudentii de Folloraſo ſuperius meminimus; quod contigit

a Idem cognomen legitur quoque in chartario S. Eparchii Engoliſmenſis: præterea que legimus Petrum de Sulbiſia canonicis S. Romani de Blavia dediſſe eccleſiam S. Laurentii de Roaco & alias.

A anno 1109. Eodem anno confirmavit donum quoddam ſalinarum apud Eſnempdam factum Goffredo abbati S. Maxentii, teſtibus abbatibus Marguerio novi-Monaſterii, & Tibaudo S. Leodegarii martyris, Goſcelino archidiacono Santon. &c. An. M. C. IX. apud Boëtum cellam novi-Monaſterii in camera monachorum. Eodem anno Geraldus Engoliſmenſis epiſcopus & ſedis apoſt. legatus concilium celebravit Loſduni, cui Petrus ſubſcripſit. Ad hunc Petrum epiſcopum Paſchalis papa II. ſcribit, ut juſtitiam faciat G. abbati ſancti Maxentii adverſus Iſembertum de Caſtello-Allione, & Johannem de Rogamcho milites monaſterio infenſos.

ANNI CHRISTI 1109. *Tab. S. Max.*

Plurimas ad hunc epiſcopum litteras ſcripſit Godefridus Vindocinenſis abbas, quæ exſtant lib. 3. modo gratias agens, at ſæpius expoſtulans de violatis Vindocinenſium privilegiis; maxime vero ep. 40. queritur quod oblationes confeſſionum ſuis monachis in eccleſia Surgeriarum abſtuliſſet una cum Goſcelino Santonenſi archidiacono; & ep. 41. quod epiſcopus recuſaret ſolvere decimas ſuarum ſalinarum. Ut autem eum auctoritate pontificia contineret, miſit ei tranſſumta Urbani & Callixti privilegia, additque: *Novit enim prudentia veſtra, quod ſine periculo non diſſolvitur ſive* C *contemnitur, quod apoſtolica auctoritate firmatum eſſe noſcitur vel præceptum.*

Epp. 38. 39. 40. 41. lib. 3.

Ex tabulis S. Leodegarii de Cogniaco habemus Willelmum comitem Pictaviæ & ducem Aquitaniæ, gravi infectatum eſſe odio hunc epiſcopum; ſed cum ambo conveniſſent Ebrolium, precibus Gaufridi abbatis Ebrol. ad genua comitis provoluti, *pax inter epiſcopum & comitem reformata eſt.* Mortuus legitur Petrus de Sulbiſia an. 1110. poſt confirmatam eodem anno Cluniacenſibus abbatiam de Braunia, ex Guichenone bibl. Seguſ. p. 448. laudato a J. Columbi in noctibus Blancalandanis; melius de Beania. Chronic. Malleacenſe tamen refert hujus epiſcopi mortem ad an. 1111.

1110.

XXV. Rainaldus.

Hunc epiſcopum conſignat ſcriptor chronici Malleacenſis, ubi anno milleſimo centeſimo undecimo dicit: *Obiit Petrus Santon. epiſcop. & ſucceſſit Rainaldus.* Eum Carſalium cognominatum docent Sammarthani fratres. De ipſo mentio fiet infra in Guillelma Gadradi ex S. Eparchii charta.

XXVI. Petrus III.

DE CONFOLENT.

Hunc præſulem, quem cognominatum de E Confolent invenio, ordinatum eſſe epiſcopum narrat chronic. Malleacenſe ad an. 1117. his verbis: *Willelmus & Petrus ordinantur epiſcopi, unus Pictavis, alter Santonas.* Attamen diu antea fuerat ſaltem electus epiſcopus; idque probat charta Richardi Forbanditi, qua dat novo-Monaſterio Pictavenſi decimam caſtanearum, & alia præcipiente & concedente Petro Pictavenſi epiſcopo anno Incarnat. Dom. M. C. XII. *Petro venerabili epiſcopo Santonæ præſidente.* Ceterum ſuſpicor hunc Petrum epiſcopum dictum de Confolent eſſe Petrum fratrem Gaufredi de Tifaugio, qui inter fundatores beatæ Mariæ de Triſagio, *Triſay*, recenſetur.

1112.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI 1117. Confirmavit donum quod domnus Petrus de Sulbiſia Santon. epiſc. fecerat de eccleſiis S. Romani de Chaffort & S. Romani de Triac prope Baſſacum an. Inc. D. M. C. VII. epacta XXVI. Luna X. ind. XI. regn. Ludovico rege Franc. Willelmo duce Aquitanorum, Paſchali papa præſidente, ex charta S. Eparchii Engoliſm. cui datæ ſunt iſtæ eccleſiæ; aliæ quoque ibidem datæ ſequuntur ſancti Eparchii monaſterio, a Petro epiſcopo, nimirum eccleſia S. Eparchii de Verzilles, ſed quo anno minime legitur.

1121. Anno 1121. bis occurrit in tabulis Cluniacenſibus, quarum prior eſt de eccleſia S. Dizentii. An. ſequenti memoratur in charta Guillelmi Pictav. epiſcopi, qua baſilicam SS. Gervaſii & Prothaſii de Prinſiaco cedit Guillelmo priori, & canonicis S. Radegundis Pictav. Eodemque anno notatur in charta S. Romani de Blavia.

Ordericus Vitalis lib. 12. hiſtoriæ p. 859. loquens de concilio Remenſi ſub Calliſto II. anno 1119. menſe Octobri, refert, papa interrogante utrum *conſul Pictavenſis ad concilium veniſſet*, Guillelmum eloquentiſſimum juvenem epiſcopum Santonenſem & plures epiſcopos comitem excuſaſſe, quod infirmitate detineretur. Num Ordericus erravit in aſſignando Santonenſis epiſcopi nomine; aut Guillelmus qui ſequitur Petrum, eum præcedere debuit!

Exiſtimamus Ordericum Vitalem, qui ſcribebat tempore Guillelmi epiſcopi Santonenſis, Petri ſucceſſoris, eum appellaſſe epiſcopum antequam foret, ſecundum modum loquendi ſæpe uſitatum: veluti cum dicimus eminentiſſimum cardinalem Noallium factum eſſe archiepiſcopum Pariſienſem tali anno, quamquam nondum eſſet cardinalis eo tempore quo deſignatus eſt archiepiſcopus. Porro nullibi mentio fit hoc anno 1119. vel plurimis conſequentibus, alterius apud Santonas epiſcopi quam Petri.

XXVII. Pontius I.

In catalogo epiſcoporum ſcripto an. 1535. hoc loco ponitur quidam Pontius cognominatus de Pontibus. Eum autem rejiciunt Sammarthani fratres, quod Guillelmus eo tempore cathedram occuparet, quo hic præfuiſſe dicitur, ſcilicet anno 1127. Certe Guillelmum cepiſſe epiſcopatum hoc anno conſtat, ut mox dicemus. At ſedere potuit unus initio anni, & alter in fine. Ceterum de hoc epiſcopo nihil nobis occurrit. Laudati ſcriptores differunt Pontium de Pontibus ad annum 1275. At admitti debet alius Pontius epiſcopus ante hoc tempus; nam in quadam veteri charta Santonenſis tabularii legitur an. 1232. archiepiſcopum Burdigalenſem damnaſſe Guidonem dominum de Pontibus ob convicia in Heliam Arnaldum canonicum, ad fundum aſſignandum pro lampade jugiter arſura juxta altare, prope quod Pontius epiſcopus jacet. Utrum vero hic Pontius cognominaretur de Pontibus incertum videtur.

GUADRADI. ## XXVIII. Guillelmus.

Guillelmus quem lego apud Sammarthanos fratres, filium fuiſſe baronis Jonſaci, cognominatumque fuiſſe Guadradi, auſpicatus eſt epiſcopatum an. 1127. Nam in charta Agnetis abbatiſſæ S. Mariæ Santonenſis annus decimus ejus ordinationis componitur cum an. 1137. & cum primo promotionis Gaufredi ad metropolim Burdigalenſem. Et quidem hoc anno 1127. conſecravit eccleſiam Fontis-dulcis. Hugoni abbati S. Eparchii conceſſit eccleſiam S. Eparchii, *quæ eſt ſuper Carantonem fluvium inter caſtrum Ajerniacum & eccleſiam ſancti Romani de Triac, (de antiquo enim jure S. Eparchii eſſe dinoſcitur, & in geſtis ejuſdem beati viri eccleſia de Monte-Teſtamentarii appellatur) anno Incarnat. Dom. M. C. XXVIII. indict. V. regnante Ludovico Francorum rege, Willelmo duce Aquitanorum, Honorio papa II.* uti legitur in chartulario S. Eparchii.

Guillelmi conſilio Petronilla Fontis-ebraldi abbatiſſa Lamberto abbati de Corona donavit locum qui dicitur Agudella, anno 1129. Anno 1131. Guillelmus Guadradi teſtis nominatur in diplomate quo Willelmus Aquitanorum dux dedit monaſterio Angeriacenſi cameras, domum, plateas, foſſatum, quæ omnia in aſpectu ipſius monaſterii habuerant & poſſederant ejus anteceſſores duces Aquitaniæ: conſuetudines quoque quas eccleſia S. Johannis antiqui ſolebat habere in burgo illo; *act. anno ab Incarn. Dom. M. C. XXXI. ſedente in ſede apoſt. Anacleto papa II. Giraldo Engoliſm. epiſcopo & S. Romanæ Eccleſiæ legato, Guillelmo Guadradi Santon. epiſc.* Ubi legis hic nomen noſtri epiſcopi notatum in charta quæ Anacletum antipapam pro vero ſummo pontifice agnoſcit, cave credas eum ſchiſmati Anacleti ſeu Petri Leonis conſenſiſſe; partes enim Innocentii II. amplexus eſt, invitis Guillelmo duce, & Gerardo Engoliſmenſi epiſcopo, qui poſtea Burdigalenſem ſedem invaſit, & legationem pro Anacleto ſeu Petro Leonis antipapa obibat in Aquitania; contra quem noſter Guillelmus ſcripſit ad Wlgrinum archiepiſcopum Bituric. ut notavimus in archiepiſcopis Bituricenſibus. Anno 1133. inſcribitur in diplomate Ludovici VII. qua libertatem electionum epiſcoporum, abbatum, &c. concedit abſque hominii &c. obligatione; apud Beſſium p. 481. necnon in pactis concordiæ inter Petronillam abbatiſſam Fontebraldenſem, & Matthæum abbatem Salmurienſem. An. 1137. Ludovicus VII. Francorum rex confirmavit quod eodem anno ipſius pater Ludovicus VI. decreverat, ſcil. ut forent immunes a regalibus prælati Aquitaniæ. Litterarum autem regiarum teſtes ſunt Gaufridus epiſcopus Carnutenſis apoſtolicæ ſedis legatus, Almericus archiepiſcopus Bituricenſis, Gaufridus Burdigal. Helias Aurelianenſis, Raimundus Aginnenſis, Lambertus Eng. Guillelmus Santonenſis, & Sugerius abbas ſancti Dionyſii. An. 1139. confirmavit Heliæ abbati S. Eparchii, eccleſiam S. Eparchii de Verziles, adverſus querelam Beraudi presbyteri, qui dicebat ſe illam accepiſſe a Rainaudo Santon. epiſcopo, quod probare non potuit: quapropter Willelmus convocatis canonicis ſuis, Boemundo archidiacono, Johanne præcentore, Beraudo capellano ſuo, Willelmo cancellario, abbatibus Angeriac. Talniacenſi, & Beaniæ, hanc eccleſiam aſſeruit S. Eparchio,

ANNI CHRISTI 1127. 1129. 1131. 1133. 1137. 1139.

Beſly com. Pict. pag. 461.

Lib. 11. de re Dipl. c. 12. n. 13.

ANNI CHRISTI

XXIX. Bernardus I.

Bernardus in cœnobio Sabluncellenſi prior erat, quando ad regendam Santonenſem eccleſiam eſt aſſumtus. Epiſcopatus ejus exordium ſumi debet ab
1141. anno 1141. ex ejuſdem charta qua S. Nicolai de Mornaco eccleſiam ſeu capellam dat Raimundo
C. IV. col. 460. abbati S. Rufi; hoc enim in inſtrumento annus ejus decimus octavus concurrit cum anno Chriſti 1159. Idem eruitur ex charta B. M. Santonenſis
a data an. 1162.[a] qui dicitur ejuſdem epiſcopi vi-
1146. geſimus primus. An. 1146. intercedit cum Gaufrido Burdigalenſi archiepiſcopo apud Ludovicum regem, pro remittendis malis conſuetudinibus in B
1148. eccleſia de Oleron. An. 1148. concordiam fecit cum Gaufrido metropolitano ſuo, & Giſleberto Pictavorum præſule apud Fontem-comitis. Eod. anno memoratur in litteris abbatis ſancti Martialis Lemovicenſis, quibus reſtituit B. M. Santonenſi eccleſiam S. Silvani. Anno ſequenti cum quibuſdam præſulibus pacem paciſcitur inter Ulgerium Andegavenſem epiſcopum, & Petronillam
1151. Fontis-ebraldi abbatiſſam. Anno 1151. unus fuit ex judicibus qui litem finierunt inter Gaudinum abbatem Malliacenſem, & Sebranum Chabot contendentem cuſtodiam hujus monaſterii ad ſe pertinere; ſed Gaufredus archiep. Burdigal. Bernardus C
Santon. epiſcopus, aliique epiſcopi & optimates, comes Engoliſmenſis, Gaufredus de Rancone, Hugo de Lezigniaco, ceterique judices, judicium tulerunt pro hujus eccleſiæ libertate. Eodem anno cum W. de Monte-Andronis, dominus caſtri Didoniæ, exigeret quaſdam conſuetudines in cœnobio S. Stephani de Vallibus, quas hujus loci aſcetæ contendebant inſolitas eſſe & illicitas, Bernardus epiſcopus abbatiam S. Stephani de Vallibus ab his immunem declaravit. Eodem anno præterea Eugenius papa III. ad ipſum ſcripſit, & petiit ut ſineret novam ædificari eccleſiam a Petro abbate Cluniacenſi apud *Rochellam*, quod prior eccleſia D
S. Mariæ, *hominum multitudinem, quæ inibi ad inhabitandum noviter venit, capere minime poſſet.*

Longum & tædio plenum foret omnia acta publica ſcrutari, in quibus legitur noſtri Bernardi nomen; frequens enim occurrit, maxime in tabulis S. Mariæ Santonenſis; unam tantum indicabimus
1154. anni 1154. in qua dicitur ſanctimonialium protector. Quo anno hic epiſcopus vivere aut præeſſe deſierit, inquirendum. Vidit noſter dom. Jacobus Boyer inſtrumentum donationis eccleſiæ B. Mariæ de Herpiaco (Herpes) in archipresbyteratu de Maſtaſio, quam monaſterio B. Mariæ Santonenſis de- E
derunt Fulco quidam & uxor Paula. Donum hoc probavit & laudavit Bernardus epiſcopus, quod legimus factum an. M. C. LXVII. IV. nonas Julii, Alexandro papa, Ludovico rege, Henrico in Aquitania ducatum tenente, & in Anglia regnante. Huic inſtrumento, ex quo ſequi videtur Bernardum adhuc præfuiſſe menſe Julio anno 1167. opponitur charta S. Mariæ Santonenſis data anno
1166. 1166. a D. Edmundo Martenne inſpecta, in qua

[a] Charta hæc litteras Bernardi continet quibus ſopit litem inter abbatiſſam conventumque S. Mariæ Santon. & Reginaudum de Doe, ſuper furno ſito apud S. Petrum de Sales.

A notatur tunc ſedem vacaſſe. Forſitan hic epiſc. an. 1166. conſenſum præbuerat huic donationi, cujus tamen inſtrumentum nonniſi anno 1167. eſt confectum, mortuo jam Bernardo; & idcirco Ademarus Bernardi ſucceſſor illud confirmaſſe legitur. Obſervandum eſt ipſum D. Jac. Boyer, qui vidit chartam donationis eccleſiæ de Herpiaco, litteris conſignaſſe viſam a ſe fuiſſe in chartulario S. Mariæ Santonenſis chartam an. 1166. ubi legitur tunc vacaſſe ſedem epiſcopalem. Præterea in tranſſumto quod habemus præ manibus, & edidimus inter inſtrumenta num. VI. deſunt notæ temporis. Opponitur præterea inſtrumentum anni B
1301. in quo memoratur quædam tranſactio inter prioriſſam & moniales de Marennes una ex parte, ac Reynaldum de Broda ex altera, Bernardo epiſc. in fine vero legitur: *Factum eſt hoc an. D. M. C. LXIX.* &c. at reſpondeo in hac nota chronica errorem irrepſiſſe. Conſtat enim anno 1169. non Bernardum ſediſſe, ſed Ademarum. Itaque vel qui confecit inſtrum. an. 1301. male legit tranſactionem, vel tranſſumtum tranſactionis quod legit, fuit vitioſum.

C. VI. col. 462.

Bernardi tempore ædificata eſt eccleſia S. Bartholomæi in pago Alnienſi *, renitente prius hoc epiſcopo, & poſtea ob auctoritatem Eugenii papæ III. conſentiente. C

* Pais d'Aunis. C. VII. col. 462.

XXX. Ademarus, *al.* Aimarus.

CARBONELLI.

Ademarus cui Carbonelli cognomen fuiſſe dicitur, eſt is Ademarus Carbonelli Santonenſis canonicus, qui ſubſcripſit chartæ Bernardi epiſcopi pro S. Rufo, in inſtrumentis editæ. Epiſcopus erat C. IV. col. 460.
& ſedebat jam an. 1167. quo Petrus Anicienſis 1167.
epiſcop. ejus conſilio quædam dedit Pontio abbati Caſæ-Dei, ejuſque ſucceſſoribus, præſertim unam canonicam dignitatem in ſua eccleſia, ſicuti abbates Cluniacenſes jam habebant, ex chart. Caſæ-
Dei in Pontio abbate. Anno 1168. occurrit in 1168. D
charta Agnetis de Barbizello abbatiſſæ B. M. Santonenſis. Anno 1170. intereſt dedicationi abbatiæ 1170.
B. Amantii Buxienſis. Anno 1171. ſopit litem 1171.
inter conventum & priorem S. Eutropii ex una parte, & Robertum Jordin de Cravantio ex altera, ſuper procuratione quadam quam petebat Robertus. Eodem anno pacis eſt ſequeſter inter Giſlibertum de Rocaforti & moniales S. M. Santonenſis. Notatur in chartulario Dalonenſi XI. cal. Junii, anno ab Incarn. Dom. 1172. *regnante Ludovico* 1172.
rege Francor. & Henrico rege Anglorum & duce Normanniæ & Aquitaniæ, & comite Andegavenſi, & Richardo filio ſuo comite Pictavenſi. Item anno E
1179. cum Johanne decano Santon. & 1181. 1179.
in eodem chartulario Dalonæ. An. 1179. adfuit concilio Lateranenſi. Eodem anno concedit Conſtantino priori & monachis S. Petri de Jarnac, ut in ſacello S. Eparchii prope caſtrum de Jarnac ſi- *Tabul. S. Eparch.*
to, ſacramenta adminiſtrarent. Anno 1182. XIII. 1182.
cal. Julii, quædam conceſſit aut confirmavit poſſidenda cœnobio Ayenſi ord. Cluniac. ex tabulario Ayenſi t. IV. Antiq. Pict. Benedictinarum Claud. Eſtiennot p. 468. An. 1184. mandato Lucii papæ 1184.
III. conſtituitur judex in cauſa Guillelmi dom. de Vivona cum canonicis S. Hilarii.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

Memoratur honorifice ab Urbano III. papa, cum agitur de lite inter monachos Cluniacenſes, & Petrum archipresbyterum de Rupella, circiter
1186. an. 1186. Anno 1188. arbiter & judex fuit inter Clarium S. Æmilionis abbatem, & R. abbatem Faeſiæ; quo anno D. Jacobus Boyer ejus nomen legit in Dalonenſi tab.

XXXI. Helias I.

Celebris facta eſt elevatio corporis S. Stephani de Mureto, Grandimontenſium monachorum inſtitutoris, anno 1188. per legatum apoſtolicum a Clemente papa miſſum: huic autem interfuit B Helias præſul Santonenſis, ex chronico Grandimontenſi, cujus locum ad ſolemnitatem hanc ſpectantem protulimus col. 19. appendicis chart. 30. Vide etiam col. 647. notam columnæ ſubjectam.

XXXII. Henricus.

Hic epiſcopus cujus meminimus in Lectorenſibus epiſcopis, jam ſedebat an. 1189. quo monachi S. Florentii Salmur. cum Santonenſibus canonicis paciſcuntur, & ab illis in ſocietatem admittuntur coram hoc epiſcopo, ex tabul. S. Florentii. Sammarthani fratres proferunt ex archivo S. Stephani de Vallibus chartulam quamdam an. 1198. C qua quidam miles multa dat huic monaſterio ad faciendum ſatis pro malis quæ ipſi intulerat. Teſtis nominatur in diplomate Alienordis reginæ pro
Rimer. t. 1. pag. 111. & 112. monaſterio S. Crucis Burdegal. & in altero per quod confirmat *communiæ de Oleron libertates ſuas.*
1199. Utrumque datum eſt an. 1199. Legi poteſt ſimile privilegium pro communia urbis Santonenſis eodem anno ab Alienorde datum, cui etiam ſubſcribunt Henricus epiſcopus, & decanus. Exſtat in tabul. S. Stephani de Vallibus inſtrumentum ceſ-
1201. ſionis cujuſdam factæ pro dicto monaſterio, 1201. a G. de Mauritania, Innocentio papa III. Philip- D po rege Franc. &c. Henrico epiſcopo Xantonum feliciter exiſtente. Inſcribitur nomen ejuſdem epi-
1206. ſcopi chartæ Frenadæ an. 1206. ac tabul. Gran-
1213. dimont. Henrico epiſcopo ſedente an. 1213. Petrus de Didonia dom. de Tauniaco & de Royano ceſſit monaſterio de Vallibus quidquid habebat in vicaria de Vallibus; in charta vero ceſſionis legitur Girbertum de Didonia ejus patrem bona monaſterii deprædatum eſſe, quam ob cauſam Bernardus epiſcopus eum excommunicarat, & ad ſaniorem revocarat mentem. Eodem anno, ſcilicet decimo quinto pontificatus Innocentii III. hic papa ſcripſit epiſtolam 38. regiſtr. 15. epiſcopo & ca- E pitulo Xantonenſi de decem præbendis vacantibus hoc in capitulo, de quibus diſponit ſummus pon-
col. 464. tifex; quam epiſtolam inſtrumentis inſeruimus n. IX. Teſtis eſt præterea Henricus epiſcopus in litteris Othonis II. ducis Aquitanorum, comitiſque Pictav. quibus ceſſit fratribus Templi molendina de Rupella. Notatu dignæ ſunt hæ Othonis ducis litteræ, plurimumque conferre poſſunt ad confirmanda quæ vir doctiſſimus Johannes Beſly in hiſtoria comitum Pictav. dixit de hoc principe & de ipſius genere, a pag. 73. ad 93.

Eiſdem fratribus Jeroſolymitani templi hoſpitalariis Richardus Angliæ rex, dux Normanniæ & A Aquitaniæ, &c. privilegium conceſſit, teſtibus S. Lemovicenſi, H. Santonenſi epiſcopis; Balduino de Bethune, Waleranno de Ferrariis, Roberto de Harrecourt, Gaufrido de Ses, Aimerico vicecomite de Thoüars, Hugone le Brun, Berlaio de Monſteriolo, Johanne præpoſito de Doüé. *Datum per manus Willelmi Elienſis epiſc. apoſtol. ſedis legati, cancellarii noſtri apud Spiram, die v. Januarii, an. v. regni noſtri.*

ANNI CHRISTI

Si mendi expers ſit quædam charta concordiæ inter B. abbatem S. Maxentii &c. & magiſtrum C. Natalem capellanum de Taire, anni 1210. auctore P. Santonenſi epiſc. duo fuerunt epiſcopi Henrici appellati, inter quos ille P. epiſcopus ſedit; ſed vereor errorem in annorum notatione.

XXXIII. Pontius II.

D. Edm. Martenne in charta S. M. Santonenſis obſervavit quemdam epiſcopum Santonenſem P. ad annum 1219. In Helia abbate Angeliacenſi, obſervavimus P. Santon. epiſcopum ſubſcripſiſſe chartæ hic commemoratæ, an. 1217. Hic appellatur Pontius in charta Grandimontenſi an. 1219. Inter Henricum & Michaelem vacat locus, nam de Henrico nihil habemus poſt an. 1213. nec de C Michaele qui ſequitur ante 1221. In veteri Sammarthanorum Gallia Chriſtiana Raimundus epiſcopus Petragoricenſis legitur habuiſſe fratrem nomine Pontium de Pontibus, epiſc. Santonenſem. Adhuc deſignatur in charta Grandim. an. 1221. prima nominis littera.

XXXIV. Michael I.

Hic epiſcopus concordiam fecit inter Hulricum abbatem Monaſterii-novi, & priorem de Brolio de Ariencon ſuper decima de la Jarrie, dat. apud S. Johan. Angeriac. anno M. CC. XXI. ex charta 1221.
D Monaſterii-novi.

XXXV. Helias II.

Helias confirmavit Willelmum Fortem abbatem Malliacenſem an. 1225. inquiunt Sammar- 1225.
thani fratres. Eodem anno menſe Martio probat inſtitutionem fratrum Minorum in allodio & parochia S. Johan. Anger. de conſenſu Gaufridi abbatis & conventus factam. Chartæ ſubſcribunt cum epiſcopo & abbate, Johannes Florentinus miniſter provincialis, & B. miniſter fratrum Minor. in provincia Burdigalenſi. An. 1226. confirmat 1226.
donationem *calſagii* factam priori de Trizaco a E nobili viro Hugone de Talniaco, in boſco ſuo vocato le Chafer, & ceſſionem nominationis & præſentationis prioris de Triſiaco factam ab eodem, abbati Caſæ-Dei. Actum Santon. Dominica poſt feſtum B. Bartholomæi, an. gratiæ 1226. præſentibus A. priore de Romagot, Landrico monacho, & Helia de Montardit laïco. Notatur in charta S. Leonardi de Calmis, ejuſdem anni 1226. ex qua eruimus ipſum fuiſſe patruum Guillelmi domini de Domno-Petro in pago Alniſienſi prope Rupellam. Anno 1227. ſopivit litem inter Cluniacenſes & 1227.
Angeriacenſes. Num vocabatur quoque Johannes? nam in excerptis D. Jac. Boyer occurrit Johannes epiſcopus Santon. qui ad concordiam revocavit

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

abbates Cluniacenſem & Angeriacenſem IV. cal. Maii 1227. An. 1229. reperitur in tab. abbatiæ Frenadæ.

1229. Adfuit Helias Geraldo de Mala-morte Burdigalenſi archipræſuli Silvæ-majoris eccleſiam dedicanti, conceſſitque hanc eccleſiam die ipſius conſecrationis vel infra octavam viſitantibus, quadra-

1231. ginta dierum indulgentiam an. 1231.

XXXVI. Petrus IV.

Petrum hunc debemus tabulis duorum mona-

1234. ſteriorum; nam an. 1234. in ſynodo Paſchali approbavit donationem factam a Raimundo de S. Sulpitio, cœnobio S. Stephani de Vallibus, in

1236. manu Stephani hujus loci abbatis. An. vero 1235. menſe Maio teſtis eſt in charta Roberti Maſtaci & Mornaci toparchæ, qua prioratum B. M. de Arverto Sylvæ-majori ſubditum, non contemnendis auget reditibus. Idem theſaurariæ Santonenſi nonnulla contulit an. 1234. ex tab. capituli.

Sammarthani notarunt anno 1237. Boamundum quemdam epiſcopum Santonenſem, cujus in antiquis chartis nulla deprehendimus veſtigia. Hinc conjicimus eum eſſe omittendum, & referendum eſſe ad Petrum IV. quæ legimus in apographo an. 1240. in quo legimus: *Petrus Dei gratia Xantonenſis epiſcopus ad inſtantiam domini* (Roberti de Ponts) *militis, has noſtras præſentes litteras decano & capitulo Xantonenſi dedimus, in veritatis teſtimonium ſigilli noſtri munimine roboratas*

1240. *anno Domini M. CC. XL.* Vix dubitamus quoque P. epiſcopum qui occurrit in charta monaſterii

1246. B. M. de Frenada an. 1246. eſſe eundem Petrum IV. Liberum tamen relinquimus catalogum noſtrum augere duobus iis epiſcopis, Boamundo & Petro.

FELETI.

XXXVII. Hugo.

Hic epiſcopus nominatur in charta S. Leonardi de Calmis an. 1250. menſe Novemb. Gombal-

1250. do-Arnaldo militi mandat, ut pactis inter ipſius patrem & B. Mariæ de Arverto monachos Silvæmajoris alumnos, de parte decimæ in eadem parochiali eccleſia initis pareat. Actum menſe Maio

1255. an. M. CC. LIII. ex tab. Silvæ-majoris. An. 1255. dedit capitulo 30. libras & quoſdam annuos reditus in parochia de Chernigniac, ea lege ut celebrarent ſolemniter feſtum S. M. Magdalenæ. Mortuus erat an. 1270. quo anno ex charta authentica capituli, ii quos inſtituerat ad curandum ſuum teſtamentum, emerunt ſolidos viginti annui reditus. Sedente hoc epiſcopo an. 1253. die 2. Oct. obiit Itherius dominus de Barbizello, *Barbezieux*, qui ædificaverat & fundaverat fratrum Minorum conventum in oppido de Barbizello, ubi ſepultus eſt in eorum choro. In veteri charta an. 1350. ſcripta a quodam rectore eccleſiæ de Plaſſayo diœceſis Santon. legitur: *Anno M. CC. LVI. in craſtinum Paſchæ obiit dominus Hugo Feleti quondam rector hujus eccleſiæ de Plaſſayo, tandem venerabilis epiſcopus Santonenſis, qui legavit capellano de Plaſſayo vineas ſuas, ſcilicet de Podio-betaut, & centum ſolidos de quibus empta eſt domus capellani, quæ ob ejus reminiſcentiam nominatur domus epiſcopi, pro commemoratione & ſervitio ſolvendo in craſtino octavæ Paſchæ.* De hoc epiſcopo, & annis quibus ſederit, negotium facere poſſunt litteræ Ludovici regis datæ an. 1252. præſente Bdo. (forſan Bernardo) quas edidimus in Gerardo Engoliſm. epiſcopo. Fortaſſe error eſt amanuenſium.

ANNI CHRISTI

XXXVIII. Pontius III.

An. 1258. in chartis B. M. Santonenſis Pon- 1258.
tius hujus urbis præſul ſignatur, quem putamus eſſe P. epiſcopum Santon. notatum in chart. Grandimont. anni 1257. An. 1263. ineunte Quadra- 1263.
geſima, datæ ſunt ad Pontium eundem epiſcopum litteræ Petri de S. Aſterio Petracoricenſis epiſcopi, quibus commendat abbatiſſam de Ligurio, *Ligueil*, pergentem cum S. Simeonis brachio, ad colligendas eleemoſynas. Ipſum notant Sammarthani fratres ad an. 1260. addito cognomine de Pontibus. Anno 1265. recenſetur hic Pontius 1265.
epiſc. in chartul. S. Eparchii, die Sabbati ante ramos Palmarum, annoque ſequenti in feſto ſancti Eutropii commemoratur in inſtrumento B. M. de Frenada.

Antiquit. Petracor. D. Claud. Eſtiennot.

Sammarthani fratres poſt Pontium locum dant cuidam Eliæ de Fors, quem dicunt præfuiſſe an. 1265. At hoc anno & ſequenti Pontium epiſcopum fuiſſe probavimus. Itaque ſi admittendus eſt hic epiſcopus, differendus eſt ad an. ſaltem 1267. quod coget dicere eodem anno 1267. tres fuiſſe epiſcopos in cathedra Santon. Pontium; Heliam & Petrum Laudis, quem iidem Sammarthani poſt Heliam collocant hoc anno. Neque tamen audemus hos epiſcopos ex catalogo expungere; ſed ſola eorum notabimus nomina. Edidimus in Guillelmo Engoliſmenſi epiſc. chartam ex qua conſtat anno 1273. vacaſſe omnes epiſcopales ſedes præter Aginnenſem & Petragor. die Dominica in craſtino S. Hilarii.

XXXIX. Helias III. de Fors. De Fors.

XL. Petrus V. cognomento Laudis. Laudis.

XLI. Pontius IV. De Pons.

Pontius alter, prioris nepos ex fratre Reginaldo Pontium domino, matrem habuit Agatham Engoliſmenſem, Hugonis Bruni ex Leziniaci toparchis filiam, epiſcopatu potiebatur an. 1275. quo 1275.
fere tempore frater ejus cognominis eccleſiæ Santonenſis decanus erat.

XLII. Gaufridus I. De S. Briçon.

Hunc epiſcopum Sammarthani cognominant de S. Briant; verum legendum eſſe de S. Briçon probant veteres chartæ, ut mihi indicavit, qui eas præ manibus habuit V. C. Dom. de Clairambault. Nempe an. 1284. arbiter fuit litis inter Perettam (vel Philippam) de S. Briçon, & Gaufridum de S. Briçon, qui eodem an. fuerunt ejus heredes. Præterea eadem erant ipſius inſignia gentilitia ac Johannis de S. Briçon, qui vivebat anno 1234. Uterque enim in parma cærulea geſtabat lilii flores argenteos diſſeminatos. His adde in rationibus accepti pro anniverſariis, legi ad annos 1510. 1544. 1545. pro legato Goffredi de S. Briſone ep. Santon.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

ep. Santon. 25. ſolid. Sedebat jam Gaufridus an. 1281.

XLIII. Petrus VI.

* Gallica Latine reddidimus.

In veteri repertorio tabularum legitur Gallice*: *Duæ chartæ domini Petri ep. Santon. quibus aſſignat redditus ſufficientes pro cereo uno & duabus lampadibus quæ ſemper ardeant nocturno & diurno tempore coram corpore Domini. Datum anno* 1284. *M. CC. LXXXIV.* Ex tabul. Bituric. eccleſiæ ſcripſerat an. 1284. ad Simonem de Bello-loco archiep. Bituric. Ei demandata eſt exſecutio teſtamenti Guidonis de Leſiniaco, cum Galtero Pict. ex actis parlamenti Pariſienſis. Quædam donavit capitulo præfato an. 1284.

D'ARCHIAC.

XLIV. Gaufredus II.

Gaufredus ex antiqua & pernobili familia in 1287. pago Santon. jam ſedebat an. 1287. & adhuc an. 1293. Anno ſequenti concilium habitum fuiſſe apud Pontes in diœceſi Santon. pro decima regi Philippo Pulcro conceſſa docent Samm. fratres. Fundavit in eccleſ. Santon. anniverſarium, cujus aliquot redditus adhuc percipiuntur. Ejus teſtamenti exſecutioni mandandi provincia data eſt Petro de Chaulx Santonenſis eccleſiæ canonico. Adhuc occurrit in charta Grandimontenſi anno 1291. 1292. & 1292. quo anno admittuntur Santonis fratres Prædicatores.

CARELLI.

XLV. Ranulfus.

An. 1280. abbas erat ſancti Eparchii quidam Helias Carel, cujus gentilitium ſcutum duos lanceæ cuſpides argenteos in area cærulea exhibebat. Ex eodem ſorte genere fuit Ranulfus Carelli, de quo nulla nobis nota.

DE NEUFVILLE.

XLVI. Guido I.

Guido, qui aliquando Guigo vel Hugo ſed corrupte legitur, cognomento de Novavilla, & in nonnullis codicibus forte vitio amanuenſis, *Cornavilla*, priuſquam fieret Santonenſis epiſcopus Anicienſem rexerat eccleſiam, in qua ſedebat adhuc 1298. an. 1294. An. 1298. ſynodum celebravit Santonis; habenturque tom. XI. concil. Labbei parte 2. col. 1425. *Conſtitutiones domini Guidonis ep. Santon. promulgatæ in ſynodo hyemali anno Dom. M. CC. XCVIII.* Inſcribitur in variis Frenadæ tabulis annis 1303. 1306. 1308. & 1311. die 1303. Martis ante feſtum SS. Philippi & Jacobi. Eod. anno 1311. die Mercurii poſt feſtum S. Luciæ, 1311. teſtatus eſt ſe recepiſſe litteras ſigillo magno regis Franciæ munitas, ſuper negotio Italicorum. Litteris ejus appenſum eſt ſigillum, in quo apparet effigies epiſcopi cum mitra & pedo, aliiſque pontificalibus ornamentis. In necrologio S. Germani a Pratis ejus obitus notatur VII. idus Aprilis anno 1312. In ea autem eccleſia ſepultus eſt ante majus altare; ſed ob varias in hac eccleſia factas mutationes non amplius videtur ejus ſepulcrum. Dedit vero 50. libras ad anniverſarium.

Ceterum Guido Santonenſis epiſc. delegatus ad inquirendum de damnis quæ intulerant in Longobardia fratres Minores hæreſis inquiſitores, cum eos revera pecunias a plurimis civitatum incolis extorſiſſe Bonifacium VIII. commonuiſſet, hic papa inquiſitionem commiſit fratribus Prædicatoribus II. cal. Febr. pontificatus an. VIII. ex tabul. Inquiſitionis.

ANNI CHRISTI

XLVII. Guillemus.

DE LA MOTHE.

Hunc Guillelmum cognominatum fuiſſe de Roca, *de la Roche*, legimus; at vero ex tabulis Vaſatenſis eccleſiæ verotimilius eſt eum eſſe Guillelmum de Mota qui ex Vaſatenſi epiſcopo an. circiter 1313. creatus eſt epiſcopus Santon. a Cle- 1313. mente V. Verum Johannes XXII. factus papa an. 1316. coëgit eum redire ad priorem ſponſam; & quidem an. 1316. Guillelmus Vaſatenſem cathedram obtinebat, ut oſtendimus agendo de Vaſat. epiſcopis. Eodem tamen anno cum adhuc ſederet Santonis, juſſit Angliæ rex ut ad eum ſuo nomine ſcriberetur, uti diſcimus ex collectione Rimeri. [a]

[a]

XLVIII. Theobaldus.

DE CHASTILLON.

Theobaldus de Caſtilione, filius ſororis Guillelmi de Mota, Vaſatenſi cathedra donatus eſt an. circiter 1313. quando ejus avunculus migravit ad Santonenſem; at Guillelmo coacto redire ad priorem ſponſam, Theobaldus tranſlatus eſt ad Santon. eccl. anno circiter 1316. Pauca de hoc epiſcopo 1316. novimus. Inter ipſum & capitulum facta ſunt pacta quædam die Sabbati ante feſtum B. Vincentii an. Dom. M. CCC. XXXIV. Anno 1341. Ivam 1341. S. Mariæ abbatiſſam benedixit, ejuſque privilegia agnovit.

XLIX. Stephanus.

DE GARD.

Stephanus cui cognomen de Gardo datur, creatus epiſcopus an. 1342. legitur. Anno 1349. 1349. menſæ abbatiali S. Romani de Blavia, *Blaye*, univit prioratum S. Palladii.

L. Gaillardus.

DE PODIO.

Gaillardum, quem Sammarthani cognominant de Podio, electum fuiſſe in epiſcopum Santonenſem menſe Februario anno 1351. legimus. Jam 1351. electus appellatur menſe Julio hujus anni, quo tempore adfuit Ayglinæ Luminis-Dei abbatiſſæ hominium præſtanti Guillelmo Rogerio de Bellofortivicecomiti Turenæ. An. 1353. die 17. Julii 1353. teſtis fuit pactorum matrimonii inter Guyotum filium Bertrandi de Turre, & Matham filiam Guillelmi Rogerii comitis Belli-fortis. Sibi, ſuiſque *Prob. hiſt. Arvern.* ſucceſſoribus aulam epiſcopalem Rupellæ anno *pag. 609.* 1360. conſtruxiſſe dicitur. Innocentius papa VI. 1360. in epiſtola ſcripta Petro Eraudi priori monaſterii S. Eutropii Xanton. an. IX. ſui pontificatus, Gaillardi meminit tanquam nuper defuncti his verbis: *Qui nuper in partibus naturæ debitum ſolvit.* Annus vero nonus Innocentii papæ VI. concurrit cum anno Chriſti 1361. Porro quid cauſæ fuerit ut hic papa ſibi bona omnia Gaillardi mortui reſervaret (hoc enim eſt epiſtolæ Innocentii argumentum) non ſatis ſcio.

[a] In inſtructione pro ſcribendis litteris nomine regis Angliæ anni 1316. legitur: *Item ſcribatur D. G. epiſc. Xantonenſi.* Rimer collect. tom. 3. pag. 558.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI DU SAULT.

LI. Bernardus II.

Suppeditavit nobis hunc epiſcopum imprimis collectio a Rimero facta veterum chartarum; nam tom. VI. pag. 403. exſtat epiſtola regis Angliæ, ad Bernardum epiſcopum Xantonenſem ſcripta
1363. an. 1363. An. 1367. aſſignavit annuos redditus pro celebranda miſſa quotidiana in aurora; & in inſtrumento fundationis cognominatur *de Saltu*. Eodem anno notatur in charta Baſſacenſi die 30.
1371. Octobris. Denique an. 1371. in receptione rationum Guillelmi Groſſil *burgenſis* Rupellæ, coram ipſo Bernardo epiſcopo, legitur ad calcem, *in cujus rei teſtimonium hoc præſens memoriale ſigilli noſtri* (Bernardi) *ad preces & inſtantiam dicti Guillelmi fecimus appenſione muniri. Dictum & actum teſtibus præſentibus Arnaldo Bernart burgenſi Rupellæ*, &c. *die XIX. menſis Septembris an. Dom. M. CCC. LXXI.* Ex regiſtro 122. archivi regii Pariſ. charta 327. conſtat eum longo tempore epiſcopum fuiſſe, adhucque ſediſſe menſe
1380. Junio 1380.

D'ANGOULESME.

LII. Raimundus I.

Hic Raimundus vocatus ad regendam eccleſiam
1380. Santon. obiit an. 1380. ante adeptam poſſeſſio- & electionis ſuæ confirmationem. Videtur contendiſſe de epiſcopatu cum Bernardo, nominatur enim an. 1370. in bulla Gregorii XI. data capitulo.

Ignoramus quo tempore locandus ſit Petrus Mignot Caroli VI. eleemoſynarius & canonicus Ambianenſis, Pariſienſis, & S. Capellæ hujus regiæ urbis, qui in ſuo epitaphio quod legitur in inferiori S. Capella Pariſienſi, dicitur poſtulatus Xantonenſis. Obiit XI. Maii 1397.

DE L'ESTRANGES.

LIII. Helias IV.

Helias cognominatus de Leſtrangiis * memo-
1381. ratur an. 1381. inquiunt Sammarthani, qui laudant acta conſiſtorialia 28. Januarii. Cum ipſius conſenſu capitulum dedit urbi 20. nummos au-
1390. reos die 6. Januarii an. 1390. ind. 14. ex tabulis capituli. Plura vide de illo in Podienſ. epiſc. 1398.

* Male cognominatur apud Sammarthanos de Bevanglis.

LIV. Bernardus III.

Bernardus inſcribitur tabulis Vaticani die 24. Julii an. 1398. Hoc anno die 26. Febr. fundavit capellam in eccleſia S. M. de Helino prope *Caſtel-Sarrazin*, vel potius Caſtel-ſur-Azin, qui eſt fluviolus influens in Garumnam, in Occitania, quod Latine ſolemus dicere Caſtrum-Saracenum, pro quo ſacello dedit fratribus Carmelitis dicti loci 60. nummos inſumendos in reparandis eorum conventus ædibus, ea lege ut qualibet feria V. miſſam in hoc celebrarent ſacello, ex tabulis
1399. oppidi *Caſtel-Sarrazin*. Anno 1399. Lutetiam detulit ſacrum Chriſti ſudarium ex Cadunienſi monaſterio.

LV. Bernardus IV.

Bernardus Santonenſis epiſcopus vice Ludovici filii regis Franciæ, ducis Aquitaniæ hodiernæ, ac Delphini Viennenſis, homagium a conſulibus Montis-albani recipit 9. Julii 1410. ex tabulario urbis * Mont-alban. Cognomen de Chevenon datum ei legimus; quod utrum gefſerit parum curamus. Vix etiam audemus aſſerere illum alium eſſe a præcedenti, Bernardo III.

ANNI CHRISTI 1410.

* *Maiſon de Ville.*

LVI. Gaufridus III.

DE PERUSE.

Gaufredus vocatur electus Santonenſis in bulla Johannis XXIII. data 2. non. Aprilis, ejus pontificatus an. 1. proindeque fuit *cooptatus* epiſcopus ante diem 17. Julii anno 1411. nam Johannes 1411.
XXIII. fuit renuntiatus papa die 17. Maii anno 1410. Hac bulla jubebat papa ut omnes prælati & beneficio aliquo eccleſiaſtico donati, decimam ſuorum redituum in Gallia & Delphinatu perſolverent, ad ſumtus pro expellendis duobus antipapis, ex tabulario Albienſis epiſcopi. Gaufredus autem legatus erat ſedis apoſtolicæ ad collectam hujus ſubſidii faciendam; & hoc nomine provinciam dedit hujus collectæ faciendæ in metropolibus Bituricenſi, Burdegalenſi, Toloſanæ, Auſcienſi, & in illarum provinciarum eccleſiis, P. epiſcopo Albienſi. In litteris Gaufredi ad Petrum Neveu *Tab. epiſcop. Alb.* epiſc. Albienſem datis 14. Dec. an. 1411. hic dicitur adhuc electus Albienſis, & in charta Moliſmenſi ejuſdem anni, ipſe legitur *electus Santon. & apoſtolicæ ſedis nuntius*. Hic præſul erat Carolo VII. regi ab intimis conſiliis; & in camera computorum Pariſ. fit mentio pecuniæ eidem erogatæ ob varia magni momenti negotia, Regem regnumque ſpectantia.

LVII. Johannes.

BOURSIER.

Hunc epiſcopum eruerunt e ſui capituli archivo viri clariſſ. Petrus de la Jaunie (cujus meminerunt Sammarthani nomine tenus) & Fronto de la Roche de Guimp, eccleſiæ Santonenſis canonici & ſyndici, quibus multa alia debemus. Jam ſedebat an. 1421. ex charta B. M. Santonenſis, 1421.
proindeque vivente adhuc Gaufredo, qui procul dubio abdicaverat: mortuus eſt vero Johannes an. 1426. uti mox dicturi ſumus.

LVIII. Guido.

DE ROCHECHOUART.

Guido de Rupe-cavardi, dominus de Vaſſilene, Aimerici II. Mortuimaris toparchæ ex Johanna d'Angle filius, archidiaconus Alnienſis, in epiſcopum electus fuit die 1. menſis Maii, ſede vacante per mortem Johannis Bourſier an. 1426. ut le- 1426.
gitur in actis publicis Santonenſis eccleſiæ. Iiſdem inſcribitur an. 1441. præfuitque uſque ad annum 1441.
1460. quo videtur abdicaſſe, quamvis adhuc aliquot annis vixerit & uſque ad annum 1466. Heredem reliquit nepotem ſuum ex fratre, Johannem de Rupe-cavardi, ſuo teſtamento ſcripto an. 1459. *Hiſt. geneal. Du Fourny Generaux des Galeres.*
Sub hoc pontifice Nicolaus papa V. anno 1451. præmia indulgentiarum conceſſit ſtipem conferentibus, ad inſtaurandam perficiendamque Santonenſem baſilicam. In ſuis ea de re litteris multum commendat Santonenſem eccleſiam Nicolaus; quam dicit eminentiſſimis ſtructuris & ædificiis mirifico opere conſtructam, aſſeritque facultatibus opulentiſſimis a Carolo-magno fuiſſe dotatam. Vide Odor. Rainald. ad an. 1451. §. 9.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

LIX. Ludovicus I.

De Rochechouart.

Ludovicus de Rochechouart ex archidiacono Santonenſi, vel potius Alniſienſi in eccleſia Santonenſi, Guidonis nepos, Johanne I. Mortuimaris domino, & Johanna de Torſay conjuge ſecunda natus, a capitulo electus eſt in epiſcopum, unanimi pene conſenſu, uno ex canonicis dumtaxat excepto, Johanne Pourpoint, qui poſtulavit Alanum de Coëtivy cardinalem. Electionis ſuæ confirmationem obtinuit Ludovicus a primate Bituricenſi, ſeu ab ejus vicariis generalibus, & officialibus Johanne Pinoti & Petro Cadoet, an. 1460. poſt repulſam quam a Burdigalenſi metropolitano paſſus fuerat. Alanus vero ſummum appellavit pontificem per procuratorem Johannem Pinſon civem Bituricenſem. Vicit autem Ludovicus Alanum, qui ſe adminiſtratorem perpetuum eccleſiæ Santonenſis dicebat. Ludovico de Rochechouart ſcribit Robertus Gaguinus epp. 23. 26. & 39. Non ſolum præerat adhuc an. 1471. ut obſervavit dom. du Fourny in recentiore hiſt. geneal. patris Anſelmi, aut 1472. ut notarunt Sammarthani, ſed etiam anno 1492. quo epiſcopatum reſignationis jure tranſcripſit nepoti ſuo qui ſequitur, per chirographum datum die 10. Aug. hujus anni coram notariis apoſtolicis, prout in acta parlamenti eſt relatum.

1460. 1471. Generaux des Galeres. 1492.

Ludovicus vivebat adhuc die 19. Februar. an. 1504. ex litteris tonſuræ adſervatis in archivis S. Illidii Claromont. Bonorum autem ſuorum eccleſiam ſuam reliquit heredem. Obiit Pariſiis anno 1505.

LX. Petrus VII.

De Rochechouart.

Poſt Ludovicum de Rochechouart, Guido de Toureſtes decanus a nonnullis e capitulo fuit electus. Vicit autem Petrus de Rochechouart dominus de Vouillé, decanus S. Hilarii majoris Pictav. & prior commendatarius S. Nicolai Pictavienſis, filius fratris Ludovici, videlicet Johannis II. baronis de Mortuomari dynaſtæ de Vivona, ex Margarita de Ambaſia ſorore Georgii cardinalis. Cum Ludovicus bona ſua legaſſet eccleſiæ ſuæ, Petrus nomine matris ſuæ ac fratrum paciſcitur cum decano & capitulo, qui procuratores ſuos inſtituerant Jacobum de Ponvilla cantorem & canonicum, ac Olivarium Merle; & ex tranſactione facta die 6. Julii anno 1509. (quæ inter documenta familiæ Rupiſcavardi reperitur,) Margarita de Ambaſia ſolvit quandam pecuniæ ſummam. * Ceterum Petrus jam præerat an. 1493. obiit autem an. 1503.

* 1503.

Perauld.

LXI. Raimundus II.

Raimundus Perauld cardinalis Gurcenſis, ita dictus ab epiſcopatu Gurcenſi ſub metropol. Salisburgenſi, quem ipſi procuraverat Maximilianus imperator, natus Surgeriis in diœceſi Santonenſi, ibidem primum fuerat prior S. Ægidii. Nuntius fuit apoſtolicus ad colligendas in Germania eleemoſynas pro bello adverſus Turcas, quod officium non ea qua par erat integritate geſſiſſe viſus eſt, ex Ciaconio, qui ignoravit hanc collectam pecuniam furto ablatam partim a ruſtici cujuſdam filio, partim a presbytero, qui poſtea miſſi in carcerem, ultimoque addicti ſupplicio, furtum confeſſi ſunt, Linturio teſte horum temporum ſcriptore. Vide celeberrimum virum Ludovicum Dupin de ſcriptoribus eccleſ. ſec. 16. p. 306. Præter epiſcopatum Santonenſem, quem poſſedit, ut in confeſſo eſt apud omnes, & Novarienſem, Viterbienſemque in Italia, necnon Gurcenſem in Germania, favore Maximiliani imperatoris, ornatus eſt ab Alexandro VI. cardinalis purpura ſub titulo S. M. in Coſmedin, poſtea S. Vitalis, demumque anno 1499. S. Mariæ novæ. Cum legatione Viterbienſi fungeretur, obiit Viterbii an. 1505. ubi jacet in æde ſacra SS. Trinitatis Auguſtinianorum cum hoc epitaphio: *Raimundus Perauldi patriæ ſuæ Santonenſis epiſcopus, ac S. Rom. eccl. presbiter cardinalis Gurcenſis, proque ea legatus, adeo opulentiæ contemptor, ut elargiendo nihil ſibi relinqueret, ab Julio tamen II. pontifice maximo ditatus. Dum patrimonii legatione fungitur, Viterbii obiit nonis Septemb. an. ſalutis M. D. V. utque ab Julio tradita ſolum retinere occæperat, ſic monumentum hoc haud quæſitum reverentia ejuſdem approbare credendum eſt. Vixit annos ſeptuaginta.*

Part. 3. 1505.

Forte poſt hunc epiſcopum collocandus eſt Euſtachius Santonum epiſcopus, qui an. 1508. die 9. Apr. benedixit ſolemniter Delphinam de Rocafolio, alias de Rupe-folio, abbatiſſam Elnonenſæ diœc. Vabrenſis, *Nonenque*, ut diximus in abbatiſſis Vabrenſis diœceſis, tom. 1. col. 294.

LXII. Franciscus.

Soderin.

Franciſcus Soderin Florentinus, e ſtirpe nobili Soderina, cardinalis Volaterranus vulgo dictus, & ejuſdem ſedis in Etruria epiſcopus, tandemque Oſtienſis, & ſacri collegii cardinalium decanus, naſcitur 1453. 10. Junii, parentibus Thoma Soderino, & Dianora Tornabona. Qui a puero ad omnes diſciplinas nobiles Piſis inſtitutus, leges publice etiam profeſſus ſingulari exiſtimatione, creatur antiſtes Volaterræ 1478. a ſenatu Florentino ad Sixtum IV. miſſus, ut poſtularet nomine reipublicæ a cenſuris eccleſiæ abſolvi. Innocentio VIII. pontifici ad apoſtolicum thronum aſſumto pariter gratulatus eſt, & obſequium publicum patriæ ſpopondit anno 1484. quin & reipublicæ Florentinæ juſſu comes datur Carolo VIII. dum regno Neapolitano recuperando exercitum bellica virtute per Italiam deduceret. In Galliam vero eodem munere legati perfunctus apud Ludovicum regem 1498. tum Mediolani, Neapolitano regno armis parto, gratulatus eſt. Petro autem ipſius germano, perpetuo Florentiæ dictatore deſignato, Alexander VI. eum purpura dignum cenſuit, honeſtatus titulo S. Suſannæ 1503. pridie cal. Julii, & Romam reverſus, a ſuis Florentinis fauſta ubique gratulatione excipitur. Exinde ſumma pollens

* In tabulario eccleſiæ Santonenſis exſtat hæc tranſactio, in qua filii Margaritæ, fratreſque Petri appellantur Aimericus & Carolus, qui Ludovici epiſcopi teſtamentum falſi arguebant. Pro bono tamen pacis dederunt capitulo mille libras, ceſſeruntque epiſcopales redditus quatuor annorum, quos capitulum perceperat, lite pendente, & emolumenta juriſdictionis ſpiritualis ſedis epiſcopalis, tempore quo Ludovicus fuerat excommunicatus. Ex hoc documento docemur diu inter partes fuiſſe litigatum, ſive in curia parlamenti, ſive in ſenatu Burdigalenſi.

ANNI CHRISTI

rei aulicæ prudentia, gratiam apud regem Francorum Ludovicum XII. promeruit, a quo episcopatum hunc Santonensem consecutus est : inde Cortonensem & Vincentinum, abdicata Volaterrensi ecclesia. Sed postea, ut se habent rerum vices, in Leonem X. traditur conspirasse; at crimen confessus, a pontifice veniam postulavit, & in arce S. Angeli Romæ ergastulo mancipatus est. Leone exstincto, cum in Adriani VI. gratiam rediisset, ab ea excidit, ac tanquam publicæ pacis perturbator in Adriani mole iterum conjectus, teterrimum squallorem carceris expertus est; eodem defuncto, gratiæ suffragandi restitutus in comitiis, Romæ tandem decessit decanus sacri collegii, an. 1524. die 17. mensis Julii, tumulatus ad S. Mariam de Populo, cum hoc brevi titulo : *Francisci Soderini episcopi Ostiensis & Volaterrani depositum.* Hactenus Ughellus, qui consulendus in episcopis Volaterranis, ut Ciaconius, Victorellus & alii, a quibus vir celebris, omnique litterarum ac scientiarum genere peritissimus dilaudatur.

Quod spectat ad ejus episcopatum Santonensem, de quo ne unum quidem verbum apud Ughellum & Sammarthanos fratres, nihil supereſt unde probari possit, præter litteras regias (*lettres royaux*) quas obtinuit anno 1507. & chartam quandam (visa appellamus) datam ab ejus vicario generali Johanne de Emporio, die 16. Aug. an. 1512. In ea vero dicitur basilicæ duodecim apostolorum S. Rom. eccles. presbyter. Abdicans hunc episcopatum, retinuit pensionem mille ducatorum, ut probant libri decimarum diœcesis, anni 1516.

1507.

1512.

SODERIN.

LXIII. JULIANUS.

Julianus Soderin Florentinus, Pauli Antonii fratris cardinalis Francisci filius, cessione patrui Volaterranus præsul creatur 1509. sub Julio II. Adfuit concilio Lateranensi, translatus inde ad ecclesiam Vicentinam, permutatione facta cum Francisco de Ruvero 1514. 12. mensis Junii, quem pontificatum rexit ad an. 1522. Santonensem insuper episcopatum in Gallia regendum suscepit : vir excelsi animi, & Galliarum regi ita addictus, inquit Ughellus tom. 5. ut eum non semel ad regnum Italicum invadendum incitarit. Verum detecto hoc arcano, Adrianum VI. papam compulit ad iram in patruum cardinalem rei tantæ molis conscium, quem pontifex, Juliani interceptis litteris, in Adriana mole conjecit, tanquam Italiæ tranquillitatis perturbatorem : Julianus vero, longe tutoque in loco in Gallia positus, pontificis iram evasit : defunctus an. 1544. 30. Julii, sepultus est in sua ecclesia Santonensi. Habuit vero vicarios generales an. 1516. Johannem de Emporio, de quo supra, & Carolum Gommart canonicum & archidiaconum de Alnisio, priorem Sulbisiensem an. 1520.

1544.

DE BRETAGNE

LXIV. ODETUS.

In actis cameræ rationum regiarum reperitur episcopus Santonum Odetus de Bretagne, Francisci II. comitis de Vertus, domini d'Avaugour, & Magdalenæ d'Astarac filius, qui anno 1548. Novemb. 14. hominium exhibuit comitatus Virtutum in Campania, procuratorio nomine Francisci comitis : at cum designatus fuerit tantum, nec consecratus, imo uxorem duxerit, ut videre est tom. 2. hist. genealog. regiæ domus Franciæ Sammarthanorum, inter episcopos vix locum habet in tabulis ecclesiæ Santonensis.

ANNI CHRISTI

LXV. CAROLUS.

DE BOURBON.

Carolus de Bourbon cardinalis Vindocinensis, ex Nivernensi antistite factus Santonensis 1544. inde translatus est ad archiepiscopatum Rotomagensem regia nominatione 1550.

LXVI. TRISTANDUS.

DE BIZET.

Tristandus de Bizet, origine Trecensis, & Claravallensis monasterii alumnus, abbas S. Nicolai in Bosco diœcesis Laudun. & Signiaci diœc. Rem. episcopus hujus sedis factus post Carolum Borbonium an. 1550. sacramentum præstitit, & solemni pompa ingressus est mense Aug. an. 1550. ex cl. viro Petro la Jaunye; attamen in aliis schedis lego possessionem adiisse Tristandum die 29. Jun. 1551. Varios habuit vicarios generales, Gaufridum d'Angliers cantorem & canonicum anno 1551. Jacobum de Bizet suum nepotem, qui occisus est an. 1559. sepultus in majori ecclesia die 27. Januar. Vivianum de Polignac 1563. Johannem Thibaud canonicum 1569. & Petrum Joly 1570. Interfuit concilio Tridentino, & an. 1577. legavit [a] collegio Cistercienſium seu Bernardinorum Parisiensi mille libras Turonicas annui census, apud quos jacet, exstinctus 1579. Cor sepultum in Claravalle ante altare omnium sanctorum; illius autem epitaphium hujusmodi est Lutetiæ : *Tristando de Bizet Trecensi, Clarevallis religioso, Santonensi episcopo, S. Bernardo, cujus reliquias argentea capsa includi curavit, devotissimo, ac de Bernardinis, quorum studia fundatione juvit, meritissimo : frater Nicolaus Boucherat Cistercii cœnobiarcha, postremæ voluntatis executor posuit. Vixit annos 80. obiit 6. idus Novemb. M. D. LXXIX.*

1550.

1577. a

1579.

Tempore hujus episcopi ecclesia major, ceteræque urbis a Calviniſtis, qui ea potiti erant, destructæ sunt, mense Julio an. 1568. qua in clade reliquiæ sacræ, ecclesiastica supellectilis, & omnia pene vetera perierunt instrumenta. Canonicis pulsis, divinum officium cessavit usque ad diem 22. Octobris, quo cœperunt convenire in ecclesiam Prædicatorum desertam, Rege annuente.

LE CORNU

LXVII. NICOLAUS.

Nicolaus le Cornu de la Courbe, sacri consistorii comes, Ambrosii domini de la Courbe de Brée torquati equitis, & Magdalenæ de la Jaille filius, creatur episcopus bulla Gregorii papæ XIII. data Romæ 8. idus April. 1576. [b] quam exhibuit capitulo die 5. Octobris ejusdem anni per Johannem Aigron suum procuratorem; ipse vero die 8.

b

[a] Ea de causa singularis fit ejus memoria in capitulis generalibus, ut observavi in capitulis ann. 1605. 1618. 1623. quæ ad manus nostras venerunt, in quibus post commendatos Papam, cardinales, principes, eædem missæ pro Tristando, ac pro illis decernuntur.

[b] Ex hac bulla Gregorii XIII. data an. 4. ejus pontificatus, liquet Nicolaum obtinuisse hunc episcopatum per resignationem Tristandi.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

Junii an. 1578. poſſeſſionem adiit, & ſolemni pompa invectus eſt, præſtititque ſacramentum capitulo. An. 1582. die 26. Januarii jacta ſunt fundamenta eccleſiæ reſtaurandæ. An. ſequenti adfuit concilio provinciæ Burdigalenſis; & an. 1614. comitiis regni generalibus. Anno vero 1616. die 25. Nov. celebravit Burdigalæ in eccleſia S. Andreæ nuptias Ludovici XIII. regis Franciæ, & Annæ Auſtriacæ. Obiit die 13.* Julii an. 1617. ſepultuſque eſt in choro ſuæ eccleſiæ, qui tunc erat; ſed hodie locus hic eſt in navi. Eo ſedente recipiuntur in urbe Jeſuitæ, fratres Minores Recollecti, & moniales B. Mariæ de Monte-Carmelo, quæ poſtea in arcem extra urbem tranſlatæ ſunt. Item datus eſt patribus Minimis ad habitandum prioratus S. Ægidii Surgeriarum.

1578. 1582. 1614. 1616. * al. 10. 1617.

RAOUL.

LXVIII. MICHAEL.

Michael ante epiſcopatum decanus eccleſiæ Santonenſis, procuratoris cleri Gallicani officio functus fuerat in comitiis Lutetiæ habitis an. 1606. fueratque delectus a clero Santonenſi cum Nicolao ſuo deceſſore ut comitiis generalibus regni apud Lutetiam habitis an. 1614. intereſſet. Deſignatus epiſcopus more ſolito bullas pontificias obtinuit datas 15. cal. Januarii an. 1618. Pariſiis eſt inauguratus in æde ſacra fratrum Prædicatorum die 18. Martii ejuſdem anni, a nuntio papæ ibidem commorante; nec mora Santonas rediit & die 10. menſis Aprilis minima pompa urbem eſt ingreſſus, & poſt præſtitum ſolitum ſacramentum, a decano & capitulo exceptus eſt, poſſeſſionemque adiit eccleſiæ & cathedræ ſuæ. Anno 1622. conſecravit Rolandum Hebert in archiep. Bituricenſem, uti diximus agendo de hoc antiſtite. Die 14. Julii an. 1630. Raimundum de Montagne conſecravit in epiſcopum Baionenſem, adjuvantibus epiſcopis Malleac. & Mirapicenſi. An. ſequenti ceſſit epiſcopatu. Fratrem ſuum Joachimum Raoul habuit vicarium generalem, qui obiit die 9. Aug. 1621.

1618. 1622. 1630.

Sub Michaelis pontificatu fundantur conventus Clariſſarum Recollectarum ſtrictioris obſervantiæ in ſuburbio abbatiæ Santon. necnon filiarum noſtræ-Dominæ in altero ſuburbio. Capucini autem in Radum inſulam, *Ré*, commigrant an. 1626.

RAOUL.

LXIX. JACOBUS.

Jacobus nepos Michaelis ex ejus fratre Guillelmo cameræ computorum Britanniæ in urbe Nannetenſi præſide, renuntiatur epiſcopus regia ſchedula anno 1631. ineunte, cum fuiſſet ſenator in parlamento Redonenſi, & Nannetenſis ſeneſcallus. Poſſeſſionem adiit per procuratorem die 4. Nov. an. ejuſdem. Conſecratur die XI. Jan. 1632. Nannetis a Philippo Coſpean Nannetenſi præſule, adſiſtentibus Sebaſtiano de Roſmadec Venetenſi, & Claudio de Rueil Andegavenſi epiſcopis. Die XI. Julii ſequentis, quo urbem eccleſiamque ſine pompa eſt ingreſſus, ſacramentum præſtitit de more capitulo. Initio ſui pontificatus vicarium generalem habuit Carolum de Ceriſay canonicum & archidiaconum majorem. Adfuit comitiis cleri Gallicani, annis 1635. & 1645. An. 1646. tranſlatus eſt ad ſedem Malleacenſem ſeu Rupellenſem; etenim hoc tempore Rupella urbs quæ prius erat diœceſis Santon. cum pago Alniſienſi, Calviniſtarum excuſſo jugo, facta eſt epiſcopalis, cathedra Malleacenſi hanc in urbem tranſlata. Rupellæ vero primus antiſtes fuit noſter Jacobus, ut ſuo dicemus loco. Anno 1635. ſub hoc epiſcopo Urſulanæ apud Angeriacum ſtabiliuntur, & Santonis inſtituitur ſeminarium clericorum juxta eccleſiam S. Viviani.

1632. 1635. 1645. 1646.

ANNI CHRISTI

DE BASSOMPIERRE.

LXX. LUDOVICUS II.

Ludovicus filius Franciſci domini de Baſſompierre, genere nobili apud Lotharingos, qui fuit Helveticæ militiæ præfectus generalis, eques torquatus Franciæque mareſcallus, matrem habuit Mariam de Balzac d'Entragues, dignam quam conjugem duceret Baſſompetræus. Tranſlato ad alium epiſcopatum Jacobo, Ludovicus nuper nominatione regia datus epiſcopus eccleſiæ Olorenſi, ab eodem Rege deſignatur Jacobi ſucceſſor, bullaſque pontificias obtinuit datas Romæ 6. idus Decemb. an. 1648. pontificatus Innocentii X. an. v. Anno 1649. Pariſiis conſecratur in templo virginum Viſitationis B. Mariæ vici S. Antonii, ab Henrico de Bethune Burdigal. archiep. & a Bartholomæo d'Elbene Aginnenſi, Philibertoque Brandon Petracoricenſi epiſcopis. Poſtea Santonas venit, & die 15. Apr. præſtito prius ſacramento, receptus eſt in urbe & eccleſia. Die 15. Maii ipſe & capituli procurator paciſcuntur cum novo epiſcopo Rupellenſi pro juribus utilibus vel honorificis eccleſiæ ſuæ, & ſacerdotiis diſtrahendis ad augmentum epiſcopatus nuper apud Rupellam conſtituti. Ædium epiſcopalium ſarta tecta curavit, ſeminarioque clericorum, cujus curam dedit Miſſionariis S. Lazari, multa contulit, necnon eccleſiæ ſuæ, ad cujus chorum conſtruendum mediam ſumtuum partem ſuppeditavit. Adjutores vicarioſq; generales ſibi aſſumſit Franciſcum Joſium de la Tour canonicum & archidiaconum, poſteaque doctorem Sorbonicum dom. le Ferron Alniſienſem archidiaconum. An. 1653. die 8. Februarii, ſacris undis tinxit in ſacello monialium Viſitationis vici de Chaliot prope Pariſios, Benedictam Henriettam Philippam a Bavaria, cujus in baptiſmo ſuſceptores fuere Philippus Andium dux frater unicus Regis, & Angliæ regina. An. 1655. cœpit viſitare omnes eccleſias parochiales diœceſis ſuæ, quo in officio paſtorali biennium inſumſit. Ut autem liberior eſſet in epiſcopalibus muniis obeundis, aulæ prorſus valedixit, & cum foret primus ab eleemoſynis Philippo Regis fratri unico, hac dignitate ſe ſe exuit. Anno 1660. miſſus fuit a provincia Burdigal. ad generalia cleri Gallicani comitia Pontiſaræ coacta. An. 1675. propter varia negotia ad ſuam eccleſiam ſpectantia Lutetiam profectus eſt die 21. Octob. ibique obiit die 1. Julii anni ſequentis. Corpus ejus ſepultura donatum eſt in eccleſia S. Lazari, cor vero Santonas delatum jacet tabula marmorea tectum extra cancellos altaris, ubi legitur: *Hic jacet cor Ludovici de Baſſompierre epiſcopi Santonenſis. Obiit die 1. Julii an. Dom. M.DC.LXXVI.*

1648. 1653. 1660. 1675.

Suo teſtamento heredes inſtituit presbyteros Miſſionarios S. Lazari, eorumque domum Santonis

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

conſtructam. Hic epiſcopus multis tum naturæ, tum gratiæ dotibus inſtructus, aliis prælatis in aſſidua ſui gregis cuſtodia, in caritate erga pauperes, pietate, munificentia, morum ſanctimonia ſuo ævo præfulſit. Cum initio ejus epiſcopatus multi bellici motus Franciam turbarent, ad continendos in officio populos pagorum Santonenſis & Broagienſis, inſularumque adjacentium, aut eoſdem ad obſequium Regi debitum revocandos multum laboravit.

Sedente Ludovico de Baſſompierre reædificatur extra urbem conventus fratrum Minorum, cujus ignoratur fundatio. Certe hic exſcribenda inſcriptio ad portam eorum eccleſiæ inſculpta lapidi; vix enim legi poterit intra decennium:

D. O. M.

Virginique Lauretanæ Verbum hominem divinitus concipienti has ſacras ædes domumque Franciſcanam Calviniſtarum olim effrenato furore funditus everſas, chriſtianiſſima Regina mater Anna Auſtriaca ſemper pia, ſemper auguſta lautius inſtauravit, ſuadente ſuo confeſſario fratre Philippo Roy Minore Santonenſi, doctore Sorbonico, ac totius Seraphicæ religionis diffinitore generali.

M. DC. LXVI.

Sub eodem epiſcopo domus publica infirmorum prope epiſcopium committitur fratribus dictis *a caritate*.

Duas cum epiſcopatu poſſedit abbatias, nimirum S. Georgii de Boſcharvilla diœceſis Rothomag. & S. Voluſiani Fuxenſis, quibus multa bona procuravit, maxime quod in iis diſciplina regularis reflloreret; priorem enim reformandam dedit congregationis S. Mauri monachis, alteram aſcetis S. Genovefæ.

DE LA BRUNETIERE.

LXXI. GUILLELMUS.

Guillelmus apud Andes nobili ortus genere, patre Antonio domino du Pleſſis de Geſté, matre Elizabetha Lanier optimis parentibus, poſt operam navatam humanioribus litteris in collegio Flexienſi, philoſophiæ ac theologiæ ſtudiis totum ſe ſe addixit Pariſiis in regia Navarra; doctorque theologus eſt renuntiatus in academia Pariſienſi. Ob doctrinæ virtutiſque famam factus eſt vicarius generalis eccleſiæ Pariſ. quo officio per annos 16. defunctus, ut dignus epiſcopatu deſignatus eſt a Rege ſucceſſor Ludovici de Baſſompierre in Santonenſi ſede. Bullæ pontificiæ quibus epiſcopus creatur, datæ ſunt Romæ apud S. Mariam majorem anno Incarnat. Dom. 1677. III. calend. 1677. Septemb. pontificatus Innocentii XI. anno 1. Inauguratur Pariſiis in eccleſia S. Ludovici Jeſuitarum in vico S. Antonii, die S. Andreæ ſacro ejuſdem anni, ab archiepiſcopo Pariſienſi, ac epiſcopis Engoliſmenſi & Audomaripolitano. Paulo antea, ſcilicet die 9. Novemb. poſſeſſionem acceperat per procuratorem eodem anno, & per ſe die Martis hebdomadæ majoris 1. Aprilis anno 1678. quo ingreſſus urbem, ab ejus præfecto dicto Majore * & ſcabinis ſeu ædilibus exceptus eſt, juravitque privilegia urbis ſe ſervaturum. Mox accedens ad eccleſiam ſalutatur a capitulo, antiquiore canonico loco decani qui aberat, ei ob felicem adventum gratulante, & duas claves argenteas in argumentum hominii offerente; in cujus manibus ſacramentum præſtitit epiſcopus de privilegiis capituli ſervandis illæſis. Ab hoc tempore uſque ad mortem impigre exſecutus eſt munia omnia boni paſtoris, viſitando eccleſias, ſynodos cogendo, errantes oves ad ovile revocando; multos enim qui hæreſi Calviniana polluti erant, convertit; & præſertim an. 1685. Durandus falſius paſtor hæreticorum Calvinianæ ſectæ apud Angeriacum, coram ipſo publice ſuos errores ejuravit; quem ſecuti ſunt plurimi ejuſd. urbis heterodoxi. Acutiſſima febre correptus cum ſtationes jubilæi percurreret, obiit die 2. Maii an. 1702. ſepultuſque eſt in eccleſia fratrum Prædicatorum juxta majus altare a latere epiſtolæ, in tumulo patrui quondam Santonenſis canonici. 1685. 1702.

An. 1685. die 17. Novemb. fundatur conventus Minorum Recollectorum apud Jarnacum ad oram fluvii Carantoni per Guidonem Henricum Chabot comitem Jarnaci, regium provinciarum Santonenſis & Engoliſmenſis præfectum, necnon Mariam Claram de Crequi ejus uxorem. Conſtruitur etiam domus publica pauperum, ſeu hoſpitalis generalis, curis Guillelmi de la Brunetiere epiſcopi; ipſorum curam gerunt ſorores hoſpitalariæ.

DE SENAUT.

LXXII. BERTRANDUS.

Deſignatus eſt regia ſchedula ad Santonenſem cathedram Bertrandus de Senaut die 3. Junii an. 1702. ſed mortuo conſanguineo ſuo epiſcopo Auguſtodunenſi, datur ſucceſſor die 10. Auguſti ejuſdem anni, nondum bulla pontificia confirmatus, aut conſecratus.

DE CHEVRIERES.

LXXIII. ALEXANDER.

Alexander de Chevrieres de S. Mauris archidiaconus Matiſconenſis, poſt patrui ſui obitum a Rege nominatus die 15. Auguſti an. 1702. cum eſſet canonicus, decanus & præpoſitus S. Petri Matiſconenſis, & doctor theologus facultatis Pariſienſis, laurea donatus die 22. Martii anno 1692. conſecratus eſt epiſcopus ab archiep. Senonenſi in eccleſia novitiatus Jeſuitarum die 25. Martii anno 1703. & paulo poſt die 7. Aprilis Regi fidem juravit. Filius erat Honorati de Chevrieres comitis de S. Mauris, ex nobili & antiquo genere apud Sequanos, & Claudinæ de Damas Thianges non inferioris nobilitatis. Obiit die 25. Decemb. an. 1710. quem luxerunt boni omnes. 1703.

LE PILEUR.

LXXIV. HENRICUS-AUGUSTINUS.

Henricus-Auguſtinus le Pileur, Pariſinus, filius Johannis domini de Granbonne auditoris * computorum in camera Pariſienſi, & Catharinæ Heudebert du Buiſſon ſororis domini du Buiſſon comitis conſiſtoriani & regii ærarii præfecti *, deſtinatur epiſcopus a Rege chriſtianiſſimo die 4. Apr. an. 1711. cum eſſet abbas Sparnacenſis & Bonævallis ord. Ciſterc. in diœceſi Pictav. Diplomate pontificio dato XIII. cal. Novembr. accepto, ungitur in epiſcopum ab Emin. Card. de Noailles, 1711.

* le maire.

* *al.* correctoris.

* *Intendant des finances.*

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

adſiſtentibus Renato Franciſco de Beauveau epiſcopo Tornacenſi, & Dominico Barnaba Turgot Sagienſi die 21. Dec. ejuſd. anni. Regi fidem obſtrinxit in die Natali Domini. Die 7. Junii ſolemni ritu ingreſſus eſt urbem. Sacrum magiſtratum ejuravit deſinente anno 1715. vel 1716. ineunte.

DE BEAUMONT.

LXXV. LEO.

Leo de Beaumont decanus commendatarius monaſterii de Carennaco congregationis Cluniacenſis, deſignatus epiſcopus a Rege an. 1716. menſe Februario ineunte, ſacram accepit unctionem in æde novitiatus patrum Societatis Jeſu die 3. Julii 1716. 1718. ab Armando Bazin de Bezons archiepiſc. Burdigalenſi. Regi fidem juravit die 10. ejuſdem menſis. Ipſo favente Cluniacenſes monachi ſtrictioris obſervantiæ in Carennacenſe cœnobium inducti ſunt an. 1717.

Quidam conjiciunt inter Santonenſes epiſcopos aliquem exſtitiſſe nomine Leodegarium, titulo ſancti & martyris honorandum, occaſione teſtamenti Johannis Millerii canonici Santonenſis, conditi an. 1438. cujus hæc ſunt verba: *Item do & lego dictæ eccleſiæ Santonenſi octo marchas argenti pro faciendo reponi bene, decenter & honorifice caput B. Leodegarii martyris olim epiſcopi Santonenſis, qui diu ſtetit in quodam .... argenteo, diſrupto propter ſenectutem .... & operatum more antiquo.... cum mitra, ſicuti eſt in monaſterio S. Johan. Angeliacenſis caput B. Machuti.* Hic vides memorari quemdam Leodegarium Santonum epiſcopum; ſed facile crederem ſcriptorem ex craſſa ignorantia putaſſe Leodegarium fuiſſe Santonum epiſcopum, non vero Auguſtodunenſem.

ANNI CHRISTI

DECANI SANTONENSES.

I. JOHANNES I. decanus an. 1179. memoratur cum Ademaro epiſcopo.

II. Gaufridus I. decanus ſubſcribit cum Henrico epiſcopo Santonenſi diplomati Alienordis reginæ Angliæ, ducisſæ Normanniæ & Aquitanorum &c. quo privilegia urbis Santonicæ aſſerit, dato an. 1199. Integrum inſtrumentum edidit Johannes Beſſius in hiſt. comitum Pictav. p. 597. idem eſt ac G. qui teſtis fuit pactorum quæ fecit Henricus epiſc. inter rectores eccleſiarum S. Aniani & S. Fredulfi. Notatur in chartis Grandimontenſibus an. 1207. Eodem anno ibidem Pontius decanus legitur.

III. Petrus I. in charta Willelmi Engoliſm. epiſcopi, an. 1213.

IV. Audactus vel Odatus teſtis anno 1221. in litteris quibus Hugo de Tauniaco cedit capitulo Santonenſi quamdam eleemoſynariam in pago Alniſienſi. Legavit hic decanus eidem capitulo domum in urbe Santonenſi, quam capitulum anno 1237. dedit in feodum. Forte eſt Odardus, qui an. 1234. dicitur bonæ memoriæ in chart. Grandimont.

V. Willelmus I. an. 1234. excepit donationem factam xenodochio S. Jacobi, *S. James*, prope Talleburgum a Willelmo Vigier vel Viguier milite.

VI. Arnaldus I. an. 1236. confirmavit aliud donum factum eidem xenodochio a Guillelmo Gombauld & Conſtantina ejus uxore: memoratur adhuc an. 1241.

VII. Bernardus an. 1241. menſe Aprili adfuit Guillelmo de Culens, quædam præfato xenodochio tribuenti.

VIII. Petrus II. eodem anno menſe Julio donavit huic loco multa bona, ea lege ut celebraretur anniverſarium pro ſe & pro ſuis parentibus. Anno 1257. die Veneris in octava apoſt. Petri & Pauli confirmavit donationes plurimas factas ab Hugone *humili* D. de Talniaco ſuper Carantonum prioratui de Triſiaco, *videntibus & audientibus hæc W. de ſancto Aſterio, tunc temporis priore de Triſai, R. Alexandri & W. Aimerici monachis, & Johanne de Braſſac præpoſito de Talniaco: & Ar. Jole valeto. Actum & datum in eccleſia S. Ypoliti citra Taln. an. Domini M. CC. XXXII.* An. 1268. Petrus decanus emit duos avenæ modios annuos a Beatrice vidua Heliæ domini de Jauzac.

IX. Pontius I. de Ponte an. 1275. frater epiſcopi Santonenſis cognominis.

X. Pontius II. de Inſula decanus Santon. cum P. epiſc. Aduren. electus arbiter a partibus, componit diuturnam controverſiam inter epiſcopos Vaſatenſes & regios miniſtros, an. 1283. Compoſitionis inſtrumentum continetur in codice viri cl. Vioni Herouvallii. Obſervavimus tamen in epiſcopis Adurenſibus, nimirum in Petro, pro *Santonenſi*, legi in charta Silvæ-majoris, *Engoliſmenſi*.

XI. Hugo Vigerius memoratur in charta Petri epiſcopi, quædam capitulo cedentis anno 1284. Ipſe an. 1287. dedit capitulo decem libras annui redditus, ut celebraretur feſtum Conceptionis B. Mariæ & Decollationis S. Johannis. Memoratur adhuc an. 1292. poſt ſynodum temporis Paſchalis. An. 1300. teſtamento ſuo dedit decem libras annuas pro fundatione *capellaniæ* quam appellat vicariam presbyteralem.

XII. Bengarius, forte Berengarius, præerat capitulo an. 1307. quando quædam acquiſivit. Jam obierat an. 1314. ut liquet ex inſtrumento Petri Conſalis, qui erat curator & exſecutor ejus teſtamenti.

XIII. Simon de Archiaco cardinalis, decanus erat an. 1320. ut probat bulla Gregorii XI. pro capitulo Santonenſi, in qua diſerte dicitur Simonem hoc anno decani locum tenuiſſe. Teſtamenti ſui tabulas ſcripſit die 5. Maii anno 1323. quibus jubet corpus ſuum ſepulturæ mandari in ſacello S. Johannis eccleſiæ Santonenſis; in qua ſuperſunt adhuc veſtigia magnifici ejus tumuli.

XIV. Gaufridus II. an. 1342. præeſt deliberationi cuidam capitulari, in qua dantur litteræ in

Digitized by Google

gratiam incolarum cujuſdam parochiæ dictæ *de S. Sauvan*, quæ juriſdictioni capituli ſubeſt.

XV. Guillelmus II. an. 1346. emit quoſdam annuos redditus.

XVI. Gaufridus III. an. 1347. dat pratum Johanni Conſtantino in parochia S. Severini de Palernes, diœceſis Santon. ob præſtita ſibi ab eo grata officia & obſequia.

XVII. Arnaldus II. Goüin an. 1390. condit teſtamentum, quo legat choriſtis eccleſiæ S. Petri Santonenſis vineam apud *Senouche* ſitam, cum onere celebrandi qualibet hebdomada duas miſſas; choriſtæ qui modo non fruuntur hac vinea, miſſas non dicunt.

XVIII. Arnaldus III. de Auriola decanus Lemovic. ſimul legitur decanus Santon. anno 1398. Vide in decanis Lemovic.

XIX. Petrus III. de Priſac papæ capellanus, & in ſacro palatio cauſarum auditor, memoratur an. 1399. in inſtrumento capituli, & anno ſequenti, in placito ſenatus Pariſienſis menſis Auguſti; item in actis capituli anni 1401. quibus procuratores in omnibus capituli negotiis inſtituuntur Helias Gaufridus, & Petrus Arnoul. Quidam Petrus decanus Santonenſis teſtatur viſam a ſe bullam quandam Gregorii papæ, datam Peruſii an. 8. pontific. in gratiam Cluniacenſium, ſed ignoratur cujus Gregorii ſit bulla.

XX. Stephanus Labouna legum doctor, anno 1421. die 15. Aprilis nominatur in charta qua locatur quædam domus. Item an. 1431. dat *viſa* pro capella quæ ad ejus collationem pertinebat.

XXI. Johannes II. de Martrolio, *Martreuil*, an. 1432. recenſetur in comitiis univerſitatis Pictavienſis. An. 1433. hominium excepit Johannis de Touteſſan. *Annal. du Bouchet.*

XXII. Dionyſius licentiatus in legibus, anno 1453. exhibuit pro capitulo hominium, ob feodum de la Valliere, die 24. Maii. Anno 1457. ejus teſtamenti exſecutores emerunt tres libras annuas pro ipſius anniverſario, ex charta quæ recenſetur in recognitione inſtrumentorum igne abſumtorum an. 1568. in procella Calviniſtarum. Hunc Dionyſium alii cognominant le Mire; alii aliter.

XXIII. Petrus IV. Gaillon, *al.* Gailloti, licentiatus in legibus, memoratur in quodam *viſa* an. 1455. & die 12. Junii 1456. in locatione cujuſdam agri in parochia d'Ecurat. Præfuit capitulo generali an. 1463.

XXIV. Thomas du Clion notus ex bulla Sixti papæ IV. data in gratiam capituli. Antequam eſſet decanus, fuerat archidiaconus Santonenſis. Inſtituerat duas miſſas unaquaque hebdomada dicendas, in gratiam inferioris chori, aſſignatis ſufficientibus redditibus, quibus amiſſis, non amplius miſſæ celebrantur.

XXV. Johannes III. Milonis, profeſſor ſacræ paginæ notatur in actis capituli die 7. Januarii an. 1476.

XXVI. Savaricus de Vivone in charta capituli an. 1480. ratam habentis die 12. Maii *capellaniam* fundatam ab Aimerico Ythier presbytero.

XXVII. Guido I. de Toureſtes, nominatur in bulla Innocentii VIII. data in gratiam capituli an. 1488. adverſus nonnullos rectores parochiarum, qui ipſi volenti parochias illas viſitare obſtiterant. Poſt mortem Ludovici de Rochechouart fuit electus epiſcopus a nonnullis canonicorum; at Petro de Rochechouart nepoti Ludovici, quem alii elegerant, cedere coactus eſt, retenta nihilominus penſione. An. 1512. fundum aſſignavit pro celebratione anniverſarii ſui, & an. 1515. pro cantanda miſſa *de Beata* qualibet hebdomada, eo die quo incidebat feſtum Conceptionis ejuſdem ſanctiſſimæ Virginis. Feudum 200. vel 300. librarum annui redditus dedit ſcholæ cantorum. Conſtruxit elegans ſacellum in eccleſia majori, & tria fundavit ſacerdotia ſub capellaniarum titulo. Anno 1515. die 17. Aprilis dimiſit decanatum capitulo. Adhuc erat in vivis 1518. tuncque apud S. Johannis Angeriacenſis fanum ſedebat, ex actis publicis. Ejus obitus ignorantur locus & tempus.

XXVIII. Johannes IV. de Toureſtes fuit electus a capitulo & inſtitutus die 17. Aprilis 1515. cum jam eſſet canonicus & cantor eccleſiæ Santon. hanc dignitatem obtinebat adhuc an. 1518.

XXIX. Johannes V. de Refuge decanus erat an. 1520. ex litteris datis hoc an. die 21. Octob. quibus capitulum donat quemdam clericum capellania fundata in eccleſia S. Mauricii prope Santonas. Inſcribitur actis capituli adhuc anno 1524. Sepulcrum ejus eſt pone altare majus. Fuit prior S. Eutropii.

XXX. Carolus I. Gomard, an. 1529. memoratur in bulla Clementis papæ VII. qua ex una præbenda fiunt duæ ſemipræbendæ: ſumtibus ſuis fundavit duas in eccleſia cathedrali capellanias. Tranſcripſit decanatum ſequenti an. 1531. Obierat an. 1533. die 6. Junii, ex quodam inſtrumento acto inter exſecutores ejus teſtamenti & capitulum.

XXXI. Abel du Chatenet canonicus eccleſiæ Santonenſis, poſſeſſionem iniit decanatus die 5. Octobris 1531. Tentavit ſe ſubducere juriſdictioni capituli; ſed cauſa cecidit in parlamento Burdigalenſi. Ejus tempore an. 1538. capitulum generale canonicorum abrogavit conſuetudinem comeſſationum, quæ fiebant ob antiphonas O. cantari ſolitas a *dignitatibus* ſeptem diebus ante diem Natalem Domini. Abel decanatum reſignavit capitulo in favorem Ludovici qui ſequitur.

XXXII. Ludovicus Guittard, recipitur die 5. Decembris an. 1553. ex numero canonicorum aſſumtus. Ejus tempore heterodoxi eccleſiam deſtruxerunt, vixque eorum furorem evaſit decanus, qui bis a clero eccleſ. Santon. miſſus eſt ad Regem pro religionis orthodoxæ negotiis. Obiit 24. Apr. 1584. ſepultuſque eſt in facello S. Thomæ maj. eccleſiæ. Ejus non ſine laude fit mentio in capituli regiſtris.

XXXIII. Antonius Baudoin licentiatus in legibus, canonicus eccleſiæ Santon. & cleri ſyndicus, eligitur in decanum die 26. Aprilis 1584. recipiturque die 5. Maii. Obiit 19. Januar. an. 1586. ſepultus in facello S. Sepulcri majoris eccleſiæ.

XXXIV. Carolus II. Guittard, Ludov. Guittard frater, licentiatus in legibus, priuſquam militiæ clericali fuiſſet adſcriptus, erat legatus ſeneſcalli Santonenſis,

Digitized by Google

Santonenſis, & tempore procellarum pro religione, ſua prudentia utilem provinciæ navarat operam. Quapropter capitulum conſenſit an. 1593. ut ſacellum S. Thomæ ipſius familiæ pro loco ſepulturæ concederetur. Ibidem jacet mortuus die 10. Novembris an. 1598. cujus epitaphium in marmorea tabula parieti affixa hæc de eo docet:

DEO OPT. MAX.

Karolus Guitard nobilit. actib. q. ad exempl. præcipuus, per an. XLII. Santon. provinc. feneſcal. difficilim. temporib. ſingulari prudentia vigilantiaq. ſtatum optim. provinc. reddidit. de ea omnib. exempl. bené merit. operamq. fort. ac ſtren. in ea cura & adminiſtratione navatam VI. regib. Xianiſſ. Franciſco I°. Henrico II. Fran. II. Kar. IX. Henri. III. Henri. IIII. approbavit. Sapientia, honoribus, opibus, amicis circumfluens, poſt annum ætatis LXVIII. mundi curis quibus feſſus erat valere juſſis, totum ſe Deo dicavit. honoriſq. ergo decan. inſignis ecle. cathedr. factus ſumma ſantit. Ann. XI. quos vitæ reliq. habuit. ei. mun. præfuit. donec An. M. D. XCVIII. X. Novembr. feliciter obdor. in Dn. Vixit Ann. LXXIX.

Requieſcat in pace.

XXXV. Michael Raoul ſuffectus eſt Carolo an. 1598. quem ex diœceſi Andegav. oriundum, & licentiatum in legibus fuiſſe lego. An. 1605. fuit deputatus ad comitia generalia cleri pro provincia Burdigalenſi. Decanus fuit uſque ad an. 1617. quo creatus eſt epiſcopus. Tunc ſuo nepoti tranſcripſit decanatum.

XXXVI. Joachimus I. Carolus de Ceriſay, receptus eſt decanus die 13. Febr. 1618. in locum avunculi ſui; prius erat canonicus & archidiaconus Santonenſis. Præfuit autem capitulo uſque ad an. 1628. quo menſe Junio dimiſit ſuam dignitatem in manibus capituli.

XXXVII. Joachimus II. de Ceriſay, ſuperioris decani frater, Reginæ matri ab eleemoſynis, quam ſecutus eſt quando ex Francia ſeceſſit, decanatus poſſeſſionem iniit die XI. Junii an. 1628. Cum abiiſſet e regno, capitulum alium decanum creavit die 12. Sept. an. 1631. ſed irrita fuit hæc electio. Obiit die 8. Septembris 1649. ſepultuſque eſt die 9. hujus menſis in navi eccleſiæ prope portam chori juxta fratrem ſuum.

XXXVIII. Joachimus III. Gaignon, doctor theologus diœceſis Cenomanenſis, nominatur decanus die 9. Septembris 1649. poſſeſſionemque iniit die 1. Octobris. Obiit an. 1652. die 4. Jul. jacetque prope fratres Ceriſayos ſuos anteceſſores.

XXXIX. Nicolaus Gombaud, canonicus & cantor eccleſiæ Santonenſis, fit decanus die 5. Julii an. 1652. pius erga pauperes, favit fratribus * qui pauperum ægrotorum curam habent nuper apud Santonas admiſſis. Obiit die 29. Octobris 1665. jacetque in choro ad latus dextrum.

* *Freres de la Charité.*

XL. Guido II. Carolus Chabot, electione capituli fit decanus die 31. Octobris 1665. ad cujus dignitatis poſſeſſionem acceſſit die 1. Novembris ſequenti, ſed non pacificam, quippe nonnulli canonici alium elegerant, contra quem tamen aſſertus eſt Guido ſenatuſconſulto parlamenti Pariſienſis in ea dignitate, quam an. 1677. libere dimiſit.

XLI. Guido III. Carolus Chabot de Jarnac, alterius ex fratre nepos, electus die XI. Auguſti 1677. cœpit præeſſe die 4. Octobris. Menſe Junio an. 1685. abdicavit.

XLII. Jacobus du Pleſſis Geſté de la Brunetiere, Guillelmi epiſcopi frater, doctor theologus, canonicus & major archidiaconus eccleſiæ Santon. die 13. Junii 1685. adiit poſſeſſionem decanatus.

XLIII. Henricus du Pleſſis Geſté de la Brunetiere, ceſſione patrui ſui Jacobi factus decanus ex canonico & majore archidiacono, menſe Aprili an. 1709. * adhuc vivit.

* *al.* 1702.

Hunc decanorum catalogum præſertim debemus diligentiæ viri cl. Petri de la Jaunie presbyteri & Santonenſis eccleſiæ canonici.

VETERA MONASTERIA ET ABBATIÆ
diœceſis Santonenſis.

HISTORIÆ abbatiarum quæ etiamnum exſtant, præmittere ſolemus compendiariam commemorationem de veteribus monaſteriis, ſi qua ſint, quæ aut non ſtant amplius, aut a priſtino defecerunt ſtatu.

I. Sedaciacum.

Sedaciacum, quo nullum antiquius nobis notum in pago Santonico, jam conditum erat cum S. Eparchius annos natus quindecim, eo confugit, & Martinum abbatem rogavit ut ſe in monachum reciperet. Martinum hunc Mabillonius ſuſpicatur eſſe Santonicum illum abbatem, de quo Gregorius Turon. loquitur lib. de Gloria Confeſſ. cap. 101. Sedaciacumque eſſe vicum qui modo vocatur, *S. Martin de Sarſey*. Porro hujus ſancti abbatis corpus Palladius epiſc. Santonenſis in decentiorem tranſtulit locum, teſte Gregorio Tur. eodem lib. cap. 57.

II. S. Eparchii.

S. Eparchii monaſterium apud Santonas conſtruitur in honorem hujus ſancti a Waldrico Santonicæ urbis cive haud ignobili, ſimulque domus ad pauperum neceſſitatem, in ipſius prædio ſuper Carantoni fluvium, cujus cum agrum Gratherius quidam occupare tentaſſet, Ruſticus abbas reſtitit. Vide Mabill. ad an. 581. n. XI.

III. S. Eutropii.

Sanctorum Stephani & Eutropii monaſterium, ſuam Palladio Santonum epiſcopo debet originem; hic enim baſilicam in honorem S. Stephani, in illius urbis ſuburbio conſtruxit, tumque S. Eutropii primi illius civitatis epiſcopi & martyris corpus, in locum abs ſe in illa baſilica præparatum tranſvexit, unde poſtea nomen S. Eutropii obtinuit, in monaſterium ordinis S. Benedicti poſtmodum converſa. An. 1056. regnante Henrico Pontius erat prior eccleſiæ S. Eutropii, quam Willelmus

Greg. Tur. lib. de Glor. Conf. c. 56.

Digitized by Google

comes Pictavenſis Hugoni abbati Cluniacenſi an. 1081. conceſſit, ut patet ex his ejuſdem litteris:

Ex chartario Clun.

Charta Willelmi comitis Pictavenſis de S. Eutropio Santonenſi.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Ego Willelmus Pictavenſis comes ac totius dux Aquitaniæ, peccatorum meorum memor, ut Deus fieri dignetur immemor, conſilium accipiens a legatis apoſtolicis venerandæ ſanctitatis viris Amato *epiſcopo Olorenſium*, Hugone *Dienſium, licentia & auctoritate ipſorum, eccleſiam B. martyris Eutropii corpore inſignem, poſtquam de manu laïcali eripui, & ei libertatem, Deo donante, adquiſivi, conſenſum etiam conſtituendi in ea ordinis monaſtici non ſolum a prædictis vicariis, ſed etiam ab epiſcopo Sanctonenſi & canonicis obtinui. Tranſcribo & transfundo legitima tranſcriptione de manu mea in manum B. Petri Cluniacenſis monaſterii, cujus abbatem dominum videlicet* Hugonem *præſentem video, ut locus iſte ad ſervitium Dei ordinandus per eum ejuſque ſucceſſores omnibus deinceps temporibus diſponatur, & præter cenſum V. ſolidorum cum reverentia matrici eccleſiæ debita, nulli hominum quicquam debeat. Rogo vos, patres reverendi, qui vineæ eccleſiaſticæ cultores vice B. Petri adveniſtis, ut donum hoc confirmetis & corroboretis ſicut oportere ſcitis, ſigillo veſtræ, id eſt apoſtolicæ auctoritatis, & perpetualiter ratum cenſeatis. Confirmo ego A. Olorenſis epiſcopus ſanctæ Romanæ ſedis vicarius & omni auctoritate corroboro. Ego quoque H. Dienſis præſul ejuſdem legationis ſocius, id conlaudandum cenſeo. Quæcumque autem perſona hanc tanta auctoritate ſubnixam præſumſerit quocumque diabolico auſu infringere, noverit anathematis ſe gladio transfigendam. Abbas Lemovicenſis interfuit* Ademarus, *abbas Angeriacenſis* Odo *præſens fuit, fuerunt & præſentes abbas Caſæ-Dei* Seguinus, *abbas S. Cypriani* Rainaldus. *Perſonæ laïcales iſtæ ſunt quæ viderunt & laudaverunt: domnus* Calo *vicecomes, Robertus Burgundus, Willelmus Baſtardus, Dominellus vel Senioretus præpoſitus. Non defuerunt fratres conſcriptione digni de ordine monaſtico, domnus Teuzo de palatio domni papæ, domnus Wido monachus de Caſa-Dei frater comitis Nivernenſis, Cluniacenſes domnus Falco de Galliniaco olim dictus, domnus quoque Gerente, & domnus Pontius, & multi alii. Quæ ordinatio conſummata ſive completa eſt in camera quadam ſancti Eutropii a manu comitis, in manum domni abb. Clunienſis* Hugonis, *anno Incarnationis Dominicæ M. LXXXI. ind. IV. menſe Januario, III. idus, regnante Philippo apud Francos, apud Teutonicos & Italos Heinrico, apud Romanos præſidente matri Eccleſiæ ſeptimo Gregor. ſub Aquitanorum comite Gaufredo Willelmo, anno & hebdomada qua ſynodus Santonenſis eſt celebrata; ſuper omnes reges imperante indeficienti vigore Domino noſtro Jeſu Chriſto cum Patre & Spiritu ſancto æquali & conſubſtantiali potentia per infinita ſæcula ſæculorum. Amen.*

Ab hoc ſaltem tempore S. Eutropii monaſterium eſt prioratus tantum ord. Cluniacenſis, cujus priores hos recenſet D. Claud. Eſtiennot in Antiquitatibus Benedictinis Santonum.

Pontius I. anno 1056. ex charta Julianæ de Tezaco relictæ Hugonis de Pontac.

Gerardus an. 1086. ex charta Gaufredi nonnulla dantis S. Eutropio apud Gaſſerat.

Pontius II. an. 1113. & 1128. quo Guillelmus dux Aquitaniæ dimittit omnem conſuetudinem quam habebat in podio S. Eutropii.

Guardradus anno 1171. ex litteris Ademari epiſcopi.

Seguinus anno 1221. paciſcitur pro litigioſis apud molendinum de Lucerat.

Guillelmus an. 1270. ex litteris Fulconis domini de Maſtaco & de Morniaco.

Petrus I. an. 1292. in concordatis alliſque pactis in prioratu de Allodiis.

Johannes I. anno 1301. paciſcitur cum abbatiſſa B. M. Santonenſis.

Renaudus 1317. ratas habet quaſdam commutationes factas a priore de Joviniaco.

Ludovicus I. de Villiers 1396. & 1398.

Serangius de Alleria 1422.

Petrus II. Thomas 1439. in tabulis domus de S. Palladio, *S. Palais*, & chartulario parthenonis B. Mariæ.

Odo de la Beaume 1444. & 1476.

Johannes II. Grany 1490. hic prior majus campanile abſolvit.

Ludovicus II. de Rochechoüart, vi ceſſionis Johannis prior erat an. 1506. fuit epiſcopus Santonenſis. Ceſſit ſequenti.

Franciſcus I. du Mas per ceſſionem Ludovici prior erat jam an. 1506.

Jacobus I. de Verule annis 1514. & 1516.

Johannes III. de Refuge prior commendatarius an. 1543. &c. Fuit decanus eccleſiæ Santonenſis.

Philippus de Coſſé an. 1539. prior commendatarius, optimus fuit monachorum pater.

Jacobus II. Olivier cancellarii Franciæ frater an. 1552.

Franciſcus II. Nouet, cujus tempore Calviniſtæ monaſterium peſſumdederunt.

Potentianus de la Place Caritatis ad Ligerim monachus, erat prior ante an. 1576.

Michaël Navy Belga an. 1587.

Petrus III. de la Place in monaſterio Caritatis monachum profeſſus, præfuit ann. 1596. 98. &c.

Claudius Renou Caritatis monachus, fit prior an. 1611.

Franciſcus III. Chemu ejuſdem monaſterii monachus, ſedente Claudio ſodali ſuo, fit prior anno 1618.

Petrus IV. le Villain monachus S. Ebrulfi reſignavit an. 1633.

Benedicto Bugnié, congregationis S. Mauri monacho.

Thomas Dreux per ceſſionem D. Benedicti factus prior an. 1650. permutat cum Amando du Cauroy.

Amandus du Couroy de monaſterio bene meritus, præerat an. 1675. item an. 1685. quo viſitatoris ordinis in provinciis Pictav. & Santon. officio fungebatur.

Carolus du Couroy prior an. 1693.

Digitized by Google

ABBATIÆ QUÆ MODO EXSTANT:

ANgeriacum, *S. Jean d'Angely*, ordinis S. Benedicti.
Baſſacum, *Baſſac*, ord. S. B.
Valles S. Stephani, *S. Eſtienne de Vaux*, ord. S. B.
Talniacum, *Tonnay-Charantes*, ord. S. B.
Beania, *Baigne*, ord. S. B.
Fons-dulcis, *Font-douce*, ord. S. B.
Tenalia, *la Tenaille*, ord. S. B.
S. Leodegarii, *S. Liguaire*, ord. S. B.
Maſdio, *Maſdion*, ord. S. B.
B. Maria fem. *Noſtre-Dame de Saintes*, ord. S. B.
Sabloncellæ, *Sablonceaux*, ord. S. Aug.
B. Maria de Caſtris, *Chaſtres*, ord. S. Aug.
Freſnada, *la Frenade*, ord. Ciſt.

S. Jean d'Angely.

ANGERIACUM ſeu ANGELIACUM.

I. ANgeriacum ſeu Engeriacum & Ingiriacum, quod Angeliacum vulgus appellat, & quidam recentiores Angeriam, oppidum eſt pagi Santonenſis ad Vultumnam fluvium, *la Boutonne*, quinque circiter leucis a Mediolano Santonum diſtans, quod monaſterio cognomini celebritatem ſuam acceptam refert. Ibi regium olim palatium, quod Pipinus Aquitaniæ rex in cœnobium ordinis Benedictini, ſuadente Ludovico patre, convertit. Sic enim habent chronica tum Ademari Cabanenſis, tum S. Maxentii, vulgo Malleacenſe dictum: *Anno D. CCC. XXXVIII. * obiit Pictavis Pipinus Aquitaniæ rex, ſepultus Pictavis apud S. Radegundem. Hic juſſu patris fecerat monaſterium de Engeriaco, Brantoſmenſe, & S. Cyprianum Pictavis.* Virgini Dei-paræ ſacra erat vetus loci baſilica, quam ſancto Johanni-Baptiſtæ Pipinus nuncupatam voluit, ob tranſlatum in eam caput (ſic tum jam creditum eſt) ſanctiſſimi præcurſoris. Vix autem a conſtructione monaſterii anni circiter triginta effluxerant, cum a Normannis funditus everſum eſt, videlicet anno 867. quo, ut ait auctor chronici Malleacenſis, *caſtrum S. Savini, & cœnobium quod in eo eſt, remanſit in Aquitania ſolum, aliis deſtructis.* At e ſuis tandem ruinis, ante medium ſeculum decimum, excitatum eſt a Ratgario comite, & Ebbone, aſſenſu Ludovici Tranſmarini, cujus diploma uti etiam aliud Willelmi *Caput-ſtupæ* Aquitanorum ducis retulimus inter inſtrumenta. Subſiſtit hactenus, poſt varias clades, ſub congregatione S. Mauri Angeriacenſe monaſterium, cui aliquando Eparchienſe, Baſſacenſe, &c. ſubdita fuiſſe legimus. Qui plura de Angeriaco ſcire voluerit, adeat Armandum Maichin Angeriacenſem, dominum de la Maiſon-Neuve, lib. 1. cap. 4. hiſtoriæ provinciarum Santonenſis, Pictavenſis, Alniſienſis & Engoliſmenſis, quam anno 1671. edidit Gallice Angeriaci.

* al. DCCC. XL.

C. X. col. 464. & C. XI. col. 465.

ABBATUM CATALOGUS.

I. MArtinus jam abbas ſancti Cypriani, ubi vide, conſecutus eſt clavum monaſticæ gubernationis in Angeriaco an. 941. quo Ludovicus Tranſmarinus, cauſa reſtituendi monaſterii, præceptum regale ei conceſſit, quod vide inter inſtrumenta. De Martino mentio habetur in necrologio, die 12. Aprilis, *al.* XII. calend. Aprilis.

C. X. col. 464.

II. Aymo abbas item ſancti Cypriani, regimen etiam Angeriacenſe retinuiſſe cenſetur, ex chronic. Malleacenſi, in quo legitur venerandum abbatem Aymonem S. Johannis-Bapt. ſanctique Cypriani, cum Rainaldo monacho familiari ſuo, corpus S. Reverentii a Noiaſtro *Nouaſtres* Pictavos in monaſterium S. Radegundis tranſtuliſſe, quod poſtea Rainaldus ejus ſucceſſor, conſilio Guillelmi ducis Aquitaniæ, in monaſterium Angeriacenſe tranſportari curavit. De eo necrologium, XIII. calend. Januarii.

B III. Gaufridus I. an. 965.

IV. Rainaldus I. quem ſupra vidimus familiarem fuiſſe Aymonis abbatis, ſedebat jam anno XII. Lotharii regis, & adhuc anno XV. menſe Januar. * *

V. Girbertus an. 980. quo fere tempore Boſo clericus & levita ſalinam ſuam indominicatam, quæ eſt ſita in pago Alnienſe, in mariſco, qui vocatur Aitriacus, dedit ad monaſterium S. Johann. Bapt. Ingiriacenſis. *S. Willelmi comitis; S. Airaldi vicecomitis; S. Joffredi comitis; S. Arberti; S. Kadeloni vicecomitis; S. Girberti abbatis, qui hanc chartam dictavit*, datam menſe Aprili anno XXVII. * regnante Lothario rege.

* al. XVII.

C VI. Walterius, idem fortaſſe qui decanus ſub Rainaldo abbate anno XV. regni Lotharii, Girberto immediate ſucceſſit, ex chartulario Angeriacenſi, ubi legitur quod Alibertus vendiderit Walterio abbati S. Johannis, & monachis ibi degentibus, quandam ſalinam, quæ eſt ſita in pago Alnienſe, in mariſco qui vocatur Aitriacus, &c. *Data menſe Junio an. XXVII. regnante Lothario rege.*

VII. Robertus abbatiam rexit an. 988. ex fide Sammarthanorum.

VIII. Aimericus I. emit ab Ademaro & uxore ejus Giralda, ſalinam ſitam in pago Alnienſe, in mariſco qui vocatur Girus, in terra S. Germani,

D &c. *Data menſe Octobri, regnante Hugone rege.*

IX. Alduinus ſeu Hilduinus, petente Willelmo Aquitanorum duce, regimini admovetur, privilegio Hugonis regis Francorum; ſub cujus abbatis præfectura, anno ſcilicet 1010. menſe Octobri, non 1025. ut vult Baronius, caput Johan. Bapt. revelatur. Qua de re ſic loquitur Ademarus Cabanenſis: *Poſt hos dies dignatus eſt Dominus clariſicare tempora ſereniſſimi ducis Willelmi; in diebus ſuis namque caput S. Johannis in baſilica Angeriacenſi, in theca ſaxea turrita inſtar pyramidis, inventum eſt ab Alduino clariſſimo abbate; quod ſanctum caput dicunt eſſe proprium Baptiſtæ Johannis.*

E *Tunc Guillelmus dux poſt Paſchales dies Roma regreſſus, hoc audito, repletus eſt gaudio, & ſanctum caput populis oſtendendum decrevit, & reconditum ipſum caput in thuribulo argenteo, ubi litteræ leguntur: Hic quieſcit caput præcurſoris Domini.* Exſtat etiam tempore Alduini abbatis donatio facta monaſterio de alodo, qui Carbonerius * dicitur, a Gelia quadam *famula Chriſti*. In necrologio notatur XVI. cal. Aprilis *depoſitio domni Alduini abba-*

Lab. tom. II. biblioth. pag. 178.

* Charbonieres.

* D. Claud. Eſtiennot Rainaldo ſubrogat Fulcherium, ex chartul. inquit, fol. 104. at hic fortaſſe, cum jam eſſet abbas S. Cypriani, Girberto Angeriaci curam commiſit.

Digitized by Google

tis : quo mortuo, & quidem non multo poſt illam inventionem, de qua ſupra, Willelmus dux Odilonem Cluniacenſem abbatem accerſivit, qui in monaſterio S. Johannis *regularem renovavit diſtrictionem*, ibique Rainaldum abbatem inſtituit. *Ibid. pag. 279.*

X. Rainaldus II. S. Odilonis diſcipulus, brevi tempore præfuit, cui Landulfus epiſc. Taurinenſis, ob conceſſam ſibi partem capitis S. Johannis Bapt. cum conſenſu Willelmi comitis & Iſlonis Santon. epiſcopi, dedit eccleſiam S. Secundi, in territorio urbis Taurini. Vide Baluzium tom. IV. Miſcell. p. 445. & Beſlium hiſt. comit. Pictav. p. 325. Rainaldo ſubrogatus eſt

XI. Aimericus II. Hic an. 1018. * quaſdam commutavit poſſeſſiones cum monachis S. Benedicti Quinciacenſis, charta Pictav. data menſe Aug. regnante Roberto. Reperitur an. 1027. in donatione Willelmi comitis, necnon in fragmento hiſtoriæ Aquitanicæ; itemque in reſcripto Johannis XX. ſummi pontificis, dato ad tutelam Angeriacenſis cœnobii, quod videſis inter inſtrumenta. *al. 1021.* C. XIII. col. 466.

XII. Arnaldus an. 1038. id. Sept. nonnulla acquiſivit a Raimundo ſacerdote S. Petri-puellaris apud Pictavos, cum conſenſu Ermengardæ abbatiſſæ SS. Trinit. Pictav. &c. quo circiter tempore, ſcilicet Willelmi comitis ſponſi Agnetis, cum Attelidis nobilis & illuſtris fem. monaſt. Carantiniacum conſtruxiſſet, Willelmus ſupradicti comitis filius ab Arnaldo * abbate Ingeriacenſi interpellatus, acceptis ab eo ducentis ſolidis, ipſam vicariam prædicto abbati & monachis vendidit, præſentibus primatibus atque principibus, quorum ſigna ſic exhibentur : S. Willelmi comitis. S. Alonis * epiſcopi. S. Godefredi archiepiſcopi. * S. Iſemberti epiſcopi. * S. Girardi epiſcopi ; * qui omnes unanimiter ſupradictam excommunicationem fecerunt. S. Ebbonis. S. Conſtantini de Metulo, *de Meſle*. S. Aimerici divitis. S. Rannulfi. S. Aleardi præpoſiti. S. Bernardi comitis. S. Audeberti. S. Girberti. S. Airoardi fratris ejus. S. Willelmi vicecomitis. Anno 1039. menſe Aprili Aldeardus cognomento Senioretus, dedit Arnaldo abbati quoddam monaſteriolum ſuper fluvium, qui Caranta dicitur, ſitum in honore S. Saviniani martyris dedicatum, ubi idem glorioſus martyr per coronam martyrii migravit ad cœlum, cum omni loci adjacentia, &c. Nunc cella eſt Baſſacenſi monaſterio ſubjecta. Subſcripſit anno 1040. privilegio Theodorici Carnotenſis epiſcopi pro Vindocinenſi monaſterio, in ejus dedicatione. Occurrit etiam anno 1043. in chartulario Angeriac.

XIII. Gaufridus & Goffridus II. anno 1047. interfuit dedicationi eccleſiæ S. Mariæ Santonenſ. cujus etiam diebus *Oſtendus filius Conſtantini Amici, natus ex matre Emelina, donat monaſterio S. Johannis fratribuſque ſervientibus in eo, eccleſiam ſanctæ Mariæ, quæ ſita eſt in campo Dolenſi, * & plurima alia. Hoc donum fuit factum in manu Gaufredi abbatis, ſuperſtite Alduino monacho atque Rocone monacho*, &c. Item dum Angeriacenſe monaſterium adminiſtraret Gaufredus abbas, Senegundis domina caſtri Marevallis, *Merval*, quædam eidem loco donavit, ibidemque religionis habitum ſuſcepit, & *mutata veſte* diu permanens, de ſtipendiis monachorum aſſidue vixit, atque poſt deceſſum ſuum inter illos ſepulta fuit. Inſuper etiam Gaufrido ſedente & curante facta eſt dedicatio capitis, id eſt ſuperioris partis, eccleſiæ S. Johannis Angeriac. ſub an. 1050. ex chronico Malleac. ab Arnulfo Santon. Willelmo Engoliſm. & Brunone Andegaven. epiſcopis, Agnete comitiſſa præſente cum filiis ſuis, ſcilicet Willelmo Pictav. comite & Guidone fratre ejus : qui omnes violentias & injuſtas exactiones, quas in oppido S. Johannis aliiſque locis extorſerant, liberaliter relaxarunt, facto inſtrumento cujus titulus eſt in chartul. Angeriac. *Charta Agnetis comitiſſæ de conſuetudinibus hujus villæ S. Johannis Angeliacenſis ;* exſtat in appendice. Notatur Gaufridus in necrol. Silvæ-maj. v. cal. Decembris. C. XIV. col. 467.

XIV. Odo electus abbas anno 1060. interfuit concilio Tolaſano 1068. Nominatur anno 1073. in charta Willelmi comitis, & 1075. in tabulis fundationis S. Stephani de Vallibus, necnon in litteris dotationis Monaſterii-novi anno 1077. quas omnes vide inter inſtrumenta. An. 1079. diſſidium habuit cum Fulcraudo abbate Carrofenſi, ſuper eccleſia de Varezia, quæ hoc ipſo anno attributa fuit Odoni abbati, in concilio Burdigal. judicibus Amato Oloronenſi & Hugone epiſcopo Dienſi S. R. E. legatis, cum Joſcelino Burdegal. atque Guillelmo de Auſcis archiepiſc. Eodem an. 1079. Guidone epiſcopo Belvacenſi approbante, data eſt Angeriacenſi monaſterio eccleſia de Buriaco, ſubſcribentibus Petro abbate S. Luciani, Garnerio S. Geremari, Radulfo S. Symphoriani & Yvone S. Quintini abbatibus. Nunc prioratus eſt abbatiæ S. Juſti ord. Præm. ubi unus tantum monachus ex eadem familia degit. Idem abbas Santonenſi conventui epiſcoporum adſtitit, præſide Amato Ellorenſi epiſcopo, ubi controverſia Raimundi præſulis Valat. cum Floriacenſibus monachis, de monaſterio Regulæ, *la Reole*, agitata fuit an. 1080. quo etiam anno in concilio Burdigal. II. nonas Octob. ſubſcripſit privilegio Silvæ-majori conceſſo. An. 1081. III. idus Jan. indict. IV. litteris Willelmi comitis Pict. & Aquitaniæ ducis, eccleſiam S. Eutropii Santonenſis Cluniaco largientis, ſigillum appoſuit. An. 1084. eccleſia S. Luciani apud Bellovacos Odoni abbati ſubjicitur ab Alberto Bellovacenſis eccleſiæ canonico. Hæc ſunt verba chartæ : *Albertus qui S. Johanni eccleſiam de Buriaco dimiſerat, cum conſilio canonicorum, fratrum videlicet ſuorum, diſpoſuit ut in eccleſia B. Luciani Bellovac. diſtrictiorem ord. providerent. Petitione ergo ipſius Alberti & canonicorum, abbas B. Johannis Angeriac. multoties pulſatus .... priorem ſuum Anſculfum ..... ad nos tranſmiſit Bellovacum. Guido vero Bellovac. epiſc. per eos B. Johanni, deprecatione canonicorum, prædictam eccleſiam, ſicut canonici tenuerant, conceſſit, & ut ibi monachalem regulam tenerent, approbavit* ..... &c. De quo S. Luciani monaſterio agatur, nos latet ; fortaſſe erat ipſa eccleſia de Buriaco quam Albertus ceſſerat ſancto Johanni Angeriacenſi ; etenim ad portam hujuſce eccleſiæ videtur etiamnum icon S. Luciani omnium anti- C. XII. col. 466. C. XIX. col. 473. C. XXXIV. col. 354. *Baluz. Miſcell. l. 6. p. 413.*

* *al.* Rainaldo, *inquit Beſlius in margine pag. 300. qui ſane Rainaldus donum acceptiſſe legitur a quadam Beltrude menſe Junio, die ſancto Pentecoſtes an. XXXIII. Roberti regis.*
* *f.* Iſlonis Santon.
* Burdegal.
* Pictavenſis.
* Engoliſm.
C. XXVIII. col. 483.
* N. Dame de Champdolant.

Digitized by Google

quiſſima. Ceterum exſtat in tabulario Angeriacenſi diploma Philippi regis ejuſdem anni 1084. quo inſtitutio monachorum in præfata S. Luciani eccleſia confirmatur. Neque vero hæc unica fuit eccleſia Angeriacenſi monaſterio propter abbatem ſuum Odonem ſubjecta ; nam & Tauniacenſis quæ canonicorum erat, eidem ſubdita fuit anno 1090. & Fulco Engoliſm. comes cognomento Sector-ferri, monaſterium S. Eparchii Odoni abbati gubernandum tradidit ; quibus adde Baſſacum, Valles S. Stephani, & Blaſii-montis cœnobium. Cum autem Guillemo VII. Aquitaniæ duci foret cariſſimus, ei poſito in extremis adfuit, ac ſacramenta miniſtravit. Denique poſt multos in favorem monaſtici ordinis ſuſceptos labores, plenus dierum Odo noſter ad æternam requiem tranſiit XI. cal. Septemb. an. 1091. ex tabul. Angeriac. & ex chronico Maxentiano. Videſis ejus epitaphium auctore Baldrico, apud Mabillonium tom. V. Annal. Bened. pag. 283.

C. XVII. col. 470.

XV. Anſculfus ſeu Auſculfus vel Anſcocius, quo nomine appellatur in concordia quam fecit an. 1096. cum Gaufrido abbate S. Leodegarii de Ebrolio pro eccleſia Carentiniaci, ex priore monaſterii ſub Odone abbate, eidem ſucceſſit ex chronico Malleacenſi. Hoc ipſo anno Anſculfus paciſcitur cum Petro abbate Carroſenſi, ſuper eccleſia de Varezia. Idem anno 1099. eccleſiam beati Petri de Maſtacio accepit a Ramnulfo epiſc. Santonenſi. Circa id temporis Urbanus II. papa Anſculfo Angeliacenſi abbati confirmat eccleſiæ Buriacenſis donationem a Widone Belvacenſi epiſcopo factam monaſterio Angeriacenſi, *quod per noſmetipſos*, inquit ſummus pontifex, *viſitare meruimus.* Ad Odonem vero ſimul & ad Anſculfum ſpectat quod in Angeriacenſi chartulario legitur : *Aimericus Bechet eccleſiam S. Mariæ de Genualico* *, *S. Petro Cluniacenſis cœnobii largitus eſt ; quo defuncto, filius ejus Aimericus hanc eleemoſynam abſtulit ; verum pro ablatione iſta, ſalinam quandam cœnobii ſupra dicti monachis reſtituit. Poſtea vero idem Aimericus ſupra dictam eccleſiam S. Johanni & dom. Odoni abbati, ceteriſque monachis, dom. Ramnulfi Santonenſis epiſcopi conceſſione donavit, Raimundo de Cumbis & Gaufredo de Murone teſtibus. Quod factum ſubinde Cluniacenſes calumniati ſunt : ſed poſtremo CC. ſolidorum acceptione, quos illis domnus Anſculfus abbas donavit, calumnia cuncta ſopita eſt. S. Aimerici Bechet.* Legitur etiam ibidem, quod Ademarus epiſcopus Engoliſmenſis reſignaverit abbatiam ſancti Eparchii in manu Anſculfi, qui præſentibus epiſcopo & canonicis Hugonem Angeriacenſem monachum in monaſterio S. Eparchii abbatem ordinavit. Denique Anſculfus concordiam iniit cum Gofrido abbate S. Leodegarii de Ebrolio, pro quodam molendino apud Eſnendam. *Actum anno ab Incarnat. Dom. 1102. tempore D. Paſchaſii apoſtolici, regnante Philippo rege Franciæ, Willelmo duce Aquitaniæ, Ramnulfo epiſcopo urbis Santonicæ, Burdegala viduata paſtore, Amato archiepiſcopo obeunte.* Mortuus eſt abbas noſter anno ſeq ut patet ex charta de ſucceſſoris electione, apud Beſlium pag. 425.

C. II. col. 438.

* N. Dame de Genouillé.

XVI. Ainricus ſeu Henricus, ſecundus poſt Odonem, ex chronico Malleac. *religione inſignitus*, ex charta mox laudata, ubi dicitur *comitis ſupplicatione & ſpontanea monachorum S. Johannis electione ſublimatus in paterna ſede anno 1103.* in chartulario Angeriacenſi anno tantum 1104. memoratur electus, pro vario ſcilicet computandi modo. Subſcripſit anno 1105. chartæ Hugonis de Leziniaco pro cœnobio S. Maxentii. Laudatur & in chronico Beſuenſi inter epiſcopos & abbates, qui Paſchalem papam, cum inviſit monaſterium Beſuenſe, comitabantur anno 1107. Teſtis etiam eſt an. 1117. in charta Geraldi Engoliſm. epiſc. pro Cluniaco. Gaufridus autem abbas Vindocinenſis epiſt. 1. l. 4. ad Hugonem Cluniacenſem, graviter invehitur in abbatem Hainricum, cujus etiam meminit epiſt. 3. 4. & 5. Yvonis quoque Carnotenſis epiſtola 233. de inveſtitura eccleſiarum a laïcis ad eundem dirigitur. Vixit ad annum 1131. ejuſque obitus notatur in necrologio Angeriac. VI. idus Jan. qua die in libro anniverſariorum Salvinlaci, ſcripto an. 1453. legitur : *VI. idus Januarii officium fiat plenum pro D. Heinrico quondam abb. S. Johan. Angeliacenſis, qui operatoria adquiſivit, quæ ſunt ante portam eccleſiæ & ſeptuaginta ſepia ad refectionem fratrum de conventu.*

Vide inſtr. Piſtav. C. XXIV. col. 343.

XVII. Hugo de Pontibus ad abbatiæ gubernaculum admotus eſt an. 1131. ut indicat Angeriacenſis tabula, quam inter inſtrumenta edidimus. Eo ſedente Ludovicus VII. rex Franc. ad petitionem Alienoris *collateralis ſuæ*, prædia quæcumque a majoribus ſuis regibus, & ducibus Aquitaniæ conceſſa monaſterio, libere poſſidenda dimiſit, litteris datis Burdigalæ an. 1136. ex Beſlio fol. 481. Mortuus eſt hoc anno vel ſequenti.

C. XV. col. 469.

XVIII. Gaufridus III. chartæ Angeriacenſi anni 1137. inſcribitur ; vide inſtrumenta noſtra, & Beſlium pag. 472. Hic tamen ſemel *Gregorius* nominatur ; necnon in charta ſequenti eundem annum præferente, ubi prior antea dicitur exſtitiſſe ; at vitioſæ ſunt notæ chronicæ, neque enim tunc Honorius II. papa vivebat. Duplici autem vocabulo potuit appellari hic abbas, ſcilicet Gofridus & Gregorius ; & certe Gregorius notatur in necrol. Silvæ-maj. XVI. cal. Aprilis.

Vide R. Choppin l. 1. pag. 186. C. XVI. col. 470.

XIX. Petrus I. cognomento *venerabilis* anno 1150. concordiam fecit cum magiſtro Templariorum, in capitulo Angeriac. ubi erant circiter centum monachi. Anno ſequenti IV. nonas Febr. ſigillum ſuum appoſuit litteris Gofredi Burdigal. archiep. in favorem Gaudini abb. Malleac. denique bullam accepit ab Anaſtaſio papa IV. anno 1154. In Angeriacenſi necrol. notatur VIII. cal. Jan. & IV. idus Apr. depoſitio domni Petri abbatis ; in necrol. vero Silvæ-maj. IV. idus Sept. Verum cum plurimi fuerint abbates Angeriacenſes hujus nominis, de quo hic agatur nos fugit.

Vide tom. 1. vet. Gall. Chriſt. pag. 413.

XX. Johannes I. 1170. ex fide Sammarthanorum. Fortaſſe is eſt Johannes abbas de S. Johanne qui memoratur in necrol. S. Leonardi Nobiliac. dioec. Lemov. VI. cal. Febr.

XXI. Petrus II. eodem anno 1170. interfuit dedicationi baſilicæ S. Amantii de Buxia. Memo-

ratur & in charta Iſemberti de Caſtello-Allionis, *Chaſtellaillon*, anno Dom. 1190. Philippo rege Franc. Anglorum vero rege Ricardo Pictavorum comite. Anno 1204. Philippus Francorum rex majori & ſcabinis Angeriaci concedit, ut iiſdem gaudeant privilegiis, gratiis & immunitatibus, quibus Rotomagus Neuſtriæ caput potiebatur. Poſt hunc abbatem ſequitur in veteri Gallia Chr. R. de Pontibus, *mediator*, inquiunt ejus auctores, *delegatus induciarum & treugæ*, aſſumto H. de Burgo ſeneſcallo Pictaviæ, pro parte Johannis regis Angliæ 1214. miſſis a Philippo Franc. rege P. Savari, Guidone Turpin abbate Majoris-monaſterii & G. archid. Turonenſi, ut obſervat Matthæus Paris in hiſtor. Angl. Verum ſuſpicamur errorem in hoc auctore, ſeu potius in typographo, utique facilem & communem, videlicet de non appoſitis commatis, ubi opus erat. Sic ergo legendum putamus apud Pariſium pag. 175. col. 2. E. *R. de Pontibus, abbas Angeliacenſis, decanus*, &c. Et hæc noſtra firmatur conjectatio, ex eo quod nulla in chartis Angeriacenſibus fiat mentio de R. de Pontibus, quæ familia celebris & illuſtris eſt in provincia Santonenſi. Maxime vero quod præfatus Pariſius hiſt. Angl. pag. 402. col. 1. D. aſſerat Reginaldum de Pontibus toparcham exſtitiſſe civitatis de Pontibus; & ſuperius pag. 395. ſic habet idem Pariſius: *Inde venit ad Pontes nobilem civitatem, occurrente domino civitatis ejuſdem, ſcilicet Reginaldo de Pontibus, cum aliis magnatibus Xantungiæ.*

Vide epiſt. 92. & 93. Innoc. papæ III. tom. 2. edit. Baluz. pag. 456. In editione Boſqueti pag. 85.

XXII. Helias I. cui Willelmus Mengotus, Surgeriarum dominus, cedit quidquid juris habebat in villis de Murone, Charentonia & Perieris, eo pacto, ut quotannis ſuum celebretur anniverſarium, & Deus exoretur pro anima Alienoris Anglorum reginæ, & pro anima Johannis regis, an. 1215. Hoc vero donum Willelmus præfati Willelmi filius confirmavit, centumque inſuper ſolidos *renduales* ſibi a patre reſervatos monaſterio reliquit anno 1221. Nominatur Helias an. 1217. in pactis Cluniacenſium cum Angeliacenſibus, pro prioratu de Buriaco, ſub hac forma: *Frater Helias humilis abbas, & conventus S. Johannis Angeliacenſ. cedunt domino G. abbati & conventui Cluniac. prioratum de Buriaco, diœceſis Belvacenſis. Actum eſt hoc publice in capitulo S. Petri Xantonenſis in craſtinum feſtivitatis omnium SS. anno ab Inc. Dom. M. CC. XVII. Honorii papæ an. II.* Huic chartæ ſubſcribunt *P. epiſc. Santonenſis, P. Alniſienſis archiep.* * *Bernardus* * *abbas S. Maxentii, A. abbas S. Leodegarii, Jordanus abbas Karrofenſis, R. Blavimontenſis abbas*; ex chart. Cluniac. apud Silviniacum. Notatur Helias in necrol. Silvæ-maj. VI. nonas Januarii, & in necrolog. domeſtico IV. nonas Januarias.

Biblioth. Cluniac. p. 1497.

*archipresbyter vel archidiaconus.

* Benedictus.

XXIII. Gaufridus IV. de S. Haſtino, 1220. * quo anno, ipſius aſſenſu necnon & conventus, fratres Minores inſtituuntur in allodio monaſterii Angeliac. prope villam S. Johannis, juxta fluvium Vultumnam; eo pacto, *quod fratres Minores, poſſeſſiones, decimas, vel primitias, vel alia immobilia quibuſcumque piis largitionibus non recipient, & ſi forte receperint, utilitati & dominio eccleſiæ Angeliacenſis applicabuntur; oblationes quaſcumque, ſive in pane, ſive in vino, ſive in nummis, ſive in thure, vel aliis quibuſcumque rebus non recipient, cum pertineant ad camerarium vel capitulum, vel ad capellam martyrum. Item ibidem altare lapideum & cimiterium non habebunt, & quando deceſſerint, in cimiterio monachorum Angeliac. ſepelientur. Item fratribus ſui ordinis tantum ibi eccleſiaſtica ſacramenta miniſtrabunt, nec aliquibus, niſi fratribus ſui ordinis divina celebrare permittent. Quod ſi fratres Minores contra prædicta fecerint, & ſuper hoc moniti noluerint emendare, abbas & conventus dictam conceſſionem auctoritate propria poterunt revocare..... Inſuper dicti fratres Dominicis diebus & præcipuis feſtivitatibus in ſuo oratorio non celebrabunt, donec a capitulo B. Johannis Angeliac. miſſa fuerit populo celebrata. Et hæc fuerunt facta de conſenſu abbatis & conventus & B. miniſtri fratrum Minorum in Burdegalenſi provincia, anno Dom. M. CC. XXV. menſe Martii.*

*al. 1225. ut infra, quod intelligas de confirmatione.

Iiſdem fere conditionibus & pactis fratres Prædicatores admiſſi fuerunt in urbem paulo ante fratrum Minorum inſtitutionem.

Ceterum an. 1225. Gaufridus abbas, de ballia villæ ſuæ Angeliacenſis vacante per obitum Petri de Feria clerici, condonati ſui, qui ſe videlicet & ſua monaſterio Angeliacenſi dederat menſe Apr. 1222. præſentibus fr. Willelmo abbate S. Mariæ Fontis-dulcis, &c. inveſtivit Faiditum Arnaldi. Anno 1227. idem abbas ceſſit abbati Cluniacenſi prioratum S. Luciani de Buriaco in diœceſi Bellov. pro viginti marcarum argenti pretio, quas annuatim debebat Cluniaco; & exinde Angeriacenſe monaſterium a Cluniacenſium juriſdictione fuit omnino liberum. Anno 1234. urbs Angeriacum hoſtium incurſionibus devaſtata fuit.

XXIV. Giraldus præerat an. 1239.

XXV. Helias II. 1254. Inſcribitur necrologio domeſtico, IV. id. Sept. Memoratur autem in obituario Silvæ-maj. III. idus Aprilis.

XXVI. Petrus III. 1257. quo anno Angeriacum Anglis parebat.

XXVII. Thomas regebat 1269. quo anno, menſe Martio Alphonſus Aquitaniæ dux & comes Toloſæ dedit viginti libras monetæ currentis annui redditus, ut cereus diu noctuque arderet ante altare S. Johannis.

XXVIII. Guillelmus I. Huraldi, electus anno 1270. ſedebat adhuc 1276. die 6. Septemb. ex homagiis abbatum.

XXIX. Odo II. circa 1280.

XXX. Olivarius ſeu Oliverius, 1285. & 1297. quo anno albergam ſeu domicilium de la Raimondiere in caſtellania de Talleburgo acquiſivit pretio 610. librarum currentis monetæ. An. 1298. concordiam fecit cum præceptore domus militiæ Templi de Rupella. Eo ſedente Clemens papa V. bulla data Lugduni 8. Febr. 1305. Angeriacenſi monaſterio univit eccleſias S. Mariæ, S. Petri & S. Reverentii, ſitas in villa Angeriac. Reperitur adhuc Olivarius an. 1314.

XXXI. Guillelmus II.

XXXII. Rollandus abbas an. 1327. Fortio epiſcopo Pictav. obtulit eccleſiam de Villaribus * * Villiers.

Digitized by Google

* N. Dame de Romazieres.

aut de Rubis-maceriis * in diœceſi Pictav. in compenſationem eccleſiæ S. Petri, cujus nimirum collator erat.

XXXIII. Hugo I. 1327. & 1331. quo anno Philippus VI. Francorum rex urbis Angeriaci privilegia confirmavit. Recenſetur adhuc in pluribus homagiis annorum 1332. & 1334.

XXXIV. Guillelmus III. de Agrifolio, prior S. Johannis de Eſnenda, Angeriacenſis abbas innoteſcit ex quodam hominio ipſi reddito, menſe Maio an. 1337. Fuit poſtea cardinalis, de quo vide Arnoldum Vion & Galliam purpuratam.

XXXV. Hugo II. Rogerii, frater Clementis VI. papæ, memoratur abbas Angeriac. an. 1341. quem anno ſeq. idem ſummus pontifex evexit ad epiſcopatum Tutelenſem, * xv. cal. Aug. pontificatus ſui anno 1. ac deinde creavit cardinalem tit. S. Laurentii in Damaſo. Dum autem abbatiam regeret, exortum eſt grave ſcandalum, ob exſequias Guidonis de Martellis, inter Angeriaci benefactores nominatiſſimi, quem fratres Minores in eccleſia ſua per vim ſepelire volebant.

a Vide Gall. Chriſt. vet. tom. 3.

XXXVI. Petrus IV. ex priore S. Liberatæ inſtituitur abbas Angeriac. a Clemente VI. in Hugonis locum creati epiſcopi Tutelenſis; nec ita multo poſt ab eodem ſummo pontifice transfertur ad regimen abbatiæ Craſſenſis, II. nonas Februar. pontificatus anno 1. Porro is eſt haud dubie Petrus de Judicia monachus ord. S. Bened. quem legimus ex abbate Angeriac. factum abbatem Craſſenſem an. 1343. creatum vero Cæſarauguſtanum archiepiſcopum an. 1345. ac denique cardinalitia purpura decoratum.

XXXVII. Raimundus de Agrifolio, S. Martialis Lemovic. monachus, ex abbate Angeriacenſi fit Craſſenſis an. 1345. tandemque anno 1349. datus eſt paſtor eccleſiæ Ruthenenſi, ubi vide. Sub hoc autem abbate an. 1343. indict. XI. penultima die Jan. factum eſt pactum inter ipſum, & Hugonem card. necnon Fortannerium Vaſſalli vicarium generalem ordinis Minorum, ſuper exceſſibus, *violentiis*, &c. de quibus ſupra.

XXXVIII. Petrus V. de Agrifolio fuit abbas Angeriac. ex Baluzio in notis mſſ. ad Gall. Chr. necnon epiſcopus Vœtienſis; quo ſedente, ut videtur, anno 1346. in clade urbis Angeriacenſis ab Anglis illata, everſum eſt monaſterium ſancti Johannis.

XXXIX. Petrus VI. Tizon, e gente nobili d'Argencé apud Engoliſmenſes, præerat Angeriaco annis 1357. 66. & 76. An. 1372. Angeriacenſes, excuſſo Anglorum jugo, Carolo Francor. regi adhæſerunt; quamobrem Rex privilegia urbis ampliavit, & cives jure nobilium donavit, quæ deinceps confirmarunt Carolus VII. anno 1422. Ludovicus XI. 1461. Franciſcus I. 1514. & Henricus IV. 1600.

XL. Geraldus d'Orfeuille rexit ab anno 1376. ad annum 1408. An. 1380. 19. Aprilis Ludovicus dominus de Talleburgo *fecit homagium G. abbati, in plenari capitulo, ſine capucio & ſine zona, flexis genibus & compoſitis manibus, ut moris eſt.* An. 1387. capellanus B. Mariæ Angeriacenſis veniam rogans fecit ſatis abbati Geraldo in capitulo. Item an. 1400. die decima Febr. Guillelmus Roilhe dominus de Fontorbe hominium reddit abbati Geraldo, profiteturque ſe abbatum Angeriacenſium ſepulturæ intereſſe debere cum tunica alba & chirotecis ejuſdem coloris, necnon corpus defuncti abbatis a parte capitis ad locum ſepulturæ deferre, ideoque ſibi abbatis præbendam deberi.

XLI. Johannes II. d'Orfeuille, Geraldi frater, ſedebat jam an. 1408. menſe Januario. Miſit anno ſeq. ad concilium Piſanum, procuratorem cum plena poteſtate. Anno 1411. Ludovicus Aquitanorum dux ac delphinus Viennenſis, abbati Angeriacenſi fidem obſtrinxit pro dominio de Cluzeau, per procuratorem ſuum Talleburgi gubernatorem.

XLII. Ludovicus I. de Villars, frater Johannæ abbatiſſæ S. Mariæ Santonenſis, vere paſtor exſtitit; quippe obſervantiam regularem temporum injuria labefactatam reſtituit, fratrum neceſſitatibus ut piiſſimus parens providit, cultus divini zelantiſſimus, raro aberat ab officio, etiam nocturnis horis, niſi infirmitatis cauſa. Sedit vero ab anno ſaltem 1416. ad 1454. de quo legitur, quod mitra & baculo diebus ſolemnibus uteretur. Anno 1419. Ludovicus abbas univit de conſenſu ſui capituli officium cambellani officio pitanciarii, approbante ſummo pontifice, cui etiam ob modicos redditus adjunxit baroniam Fayolæ, non modo ad victum monachorum, ſed & omnium ad capitulum generale convenientium; ac inſuper 45. libras ſibi annuatim a pitanciario reddendas, an. 1443. relaxavit. Huic Carolus VII. Francorum rex diploma tuitionis indulſit, datum Pictavis an. 1424. Bullas etiam obtinuit a Martino papa, pro unione trium eccleſiarum urbis Angeriaci. Idem abbas an. 1440. concordiam iniit cum majore & civibus Angeriaci; quo etiam anno dux Aurelianenſis capellaniam in eccleſia S. Johannis Angeriac. a latere majoris altaris ex parte Evangelii fundavit. Denique providus abbas plures univit prioratus officiis clauſtralibus, ad onera ſupportanda.

XLIII. Robertus de Villequier e nobili ſtirpe Roberti de Villequier militis in ballivia Calleti *, qui citatus eſt ad exercitum pro Rege an. 1272. abbas regularis electus eſt an. 1454. Reperitur in chartis annorum 1455. & 1456. quo anno ceſſit epiſcopo Santonenſi collationem eccleſiæ parochialis S. Viviani de Baigneſeau, & viciſſim epiſcopus præſentationem ad eccleſiam S. Nicolai de Courcelles prope Angeriacum. Anno ſeq. Pius II. papa permittit monachis ægrotantibus, ut miſſam in ſuis privatis ædibus celebrare faciant. Occurrit etiam Robertus abbas ann. 1458. 1459. & 1461. quo permutavit abbatiam pro infulis eccleſiæ Nemauſenſis, cum Johanne Alano cardinali Avenionenſi. Roberti vero temporibus florebant in Angeriacenſi monaſterio Thomas Luſſaudi prior S. Hilarii de Metulo, *Meſle*, & Petrus de Abezaco camerarius, doctores in decretis & actu profeſſores in academia Pictavienſi, anno videlicet 1459. & ipſemet Robertus doctor erat in theologia, ſacræ facultati aggregatus an. 1430.

* *al.* Calidibecci.

XLIV. Johannes III. Alanus cardinalis Avenion.

* Hugonem huic epiſcopatui nuntium remiſiſſe innuit Spondanus ad an. 1362. pag. 554. n. 6.

Digitized by Google

ex permutatione prædicta factus eſt primus Angeriaci commendatarius abbas an. 1461. quo plura excepit hominia. In charta vero hujus anni 27. Novembris nominatur *Johannes* cardinalis Avenion. In aliis autem anni 1462. die 3. & 23. Septemb. nuncupatur *Alanus* card. Avenion.

Vide Arn. Vion l. 2. de lignovitæ pag. 213.

XLV. Johannes II. Baluc abbas commend. S. Johann. Angeriac. Latiniaci, &c. dicitur epiſc. Ebroicenſis electus, & confirmatus in chartis Angeriaci ann. 1465. & 1466. & cardinalis Andegav. 1468. die 20. Junii; qui quidem an. 1465. die 26. Julii ratione temporalium bonorum Angeriacenſis abbatiæ Ludovico regi fidelitatis juramentum præſtitit, ex charta authentica regiæ biblioth. Romæ denaſcitur an. 1491. menſe Octobri, & in templo S. Praxedis ſepelitur.

XLVI. Jordanus Fabri, *Faure*, dictus *Verſois* & alicubi *frater Jordanus de Bervois*, quod indicat monachum exſtitiſſe, patria Delphinas, Caroli a Francia ducis Aquitaniæ, fratris Ludovici XI. eleemoſynarius, Angeriaco præerat an. 1471. ex charta de Neyriaco. Is autem plurium criminum inſimulatus *, ab Arturo de Montauban Burdigal. archipræſule bulla Sixti papæ IV. data XII. cal. Febr. pontificatus an. 2. in cognitionem vitæ & morum dicti abbatis delegato, deponitur ob contumaciam, qua venire in conſpectum ejus denegaverat; tuncque Ludovicus d'Amboiſe epiſc. Albienſis ex deſignatione præfati ſummi pontif. ſubrogatur ab eodem archiepiſcopo 1473.

Eſtabul. epiſc. Alb.

XLVII. Ludovicus II. d'Amboiſe epiſc. Albienſis & abbas commend. Angeriaci 1473. & 1474. die 19. Aug.

XLVIII. Johannes III. d'Amboiſe Ludovici germanus, nominatur abbas die 1. Octob. & ultima Decembris anni 1474. Fuit etiam epiſc. Lingonenſis & abbas Bonæ-cumbæ diœc. Ruthenenſis; mortuus an. 1498.

Du Fourny.

XLIX. Martialis Fournier de la Villate legitur abbas & protonotarius papæ jam anno 1479. in regeſto archivi regii Pariſ. 205. charta 442. teſte Stephano Baluzio in notis MSS. ad Gall. Chriſt. Item memoratur die 4. Maii an. 1484. in regeſto ſenatus Pariſ. Anno ſeq. paciſcitur cum monachis Angeriacenſibus; quo etiam anno 27. Januarii ratam habuit compoſitionem ſuum inter procuratorem & Ludovicum Albienſem epiſcopum factam, ratione penſionis 400. aureorum ducatuum, quam exſtinctam, cum liberatus eſt cardinalis Andegavenſis, nihilominus repetebat hic epiſcopus. Id vero probavit Innocentius papa VIII. diplomate ſuo anni 1490. XVI. cal. Maii. Occurrit inſuper Martialis abbas 17. Febr. 1495. 20. Aug. 1496. & 1500.

L. Johannes IV. Horry, e monacho Angeriacenſi abbas erat 10. Julii 1502.

LI. Johannes V. de Rilhac, *al.* Reilhac protonotarius apoſtolicus, filius Petri vicecomitis de Merinville & Margaritæ Chabot, Angeriacum regebat 1505. & adhuc 1530. ſimul abbas S. Petri Sürpenſis in Lemov. dehinc epiſcopus Sarlatenſis.

LII. Helias de Chaumont, cellerarius, monaſterii regimen obtinuit adverſus alios quinque contendentes, nempe Abelem de Rillac camerarium Angeriac. cui patruus deceſſor reſignaverat an. 1530. Johannem Horry, Jacobum & Franciſcum du Pleſſis, & Iterium de Livenes; qui omnes certis pactionibus Heliæ ceſſerunt, præter Iterium, cui duo millia librarum annui proventus Helias promiſit, modo ſummus pontifex id pacti approbaret. *Actum die 5. Julii 1530.* ſecluſo penitus Abele, qui paſſim tamen in chartis Angeriacenſibus vocatur *frater Abelus abbas regularis*. Et certe noſter D. Claud. Eſtiennot Heliæ quem etiam paſſim in chartis Angeriac. vocatum abbatem regularem dicit, Abelem præponit ab anno 1532. quo tandem fortaſſe vicit, ad 1539. quo Heliam aſſerit ſucceſſiſſe. Sane vero an. 1539. die Lunæ 16. Febr. celebratum eſt capitulum generale, ſecundum antiquam & laudabilem conſuetudinem, cui præfuit R. P. domnus Carolus de Livenes abbas S. Eparchii, prior S. Vincentii de Fontenaco, ac vicarius generalis D. Heliæ de Chaumont abbatis. Adfuit & Joachimus de la Roche-andry abbas Talniacenſis & præpoſitus Angeriac. Vacabat abbatia S. Johannis menſe Junio 1541.

LIII. Hieronymus de Arſiego * epiſc. Nicienſis & abbas commend. Angeriaci 1541. Obiit anno ſeq. quo ſua omnia teſtamento reliquit nepoti ſuo Raimundo de Arſiego.

* *al.* de Arſigo.

LIV. Johannes VI. Chabot filius Jacobi domini de Jarnac præfuit a die 10. Junii 1542. ad an. 1572. abbas ſimul Baſſaci & prior ſancti Stephani de Maran. An. 1548. ignis e cœlo delapſus majus campanile combuſſit. Anno 1553. monachi Angeriacenſes, favente abbate ſuo Johanne, ad ſtatum ſecularem reſilire variis tentavere modis, ſed incaſſum, futiles enim eorum rationes ſimoniam redolere vitæ ſunt. An. 1562. menſe Junio ante feſtum S. Johan. Bapt. Arnaldus Roland prætor urbanus * cum aliis furentibus hæreticis eccleſiam devaſtavit. Anno 1569. abbas carceri mancipatur apud Engoliſmam; & anno 1572. 8. Febr. condit teſtamentum in favorem domini de Jarnac. Hic Angeriacenſis abbas ſimul & Baſſac. aliquando habitus eſt, licet Calviniſta. Obiit Johannes eodem menſe Febr.

* Maire.

LV. Petrus VII. Briand parochus B. Mariæ des Touches de Perignac, duci Alençonii fratri Henrici III. Franc. regis ab eleemoſynis, abbatiam Angeriacenſem obtinuit an. 1575. vel 76. quo ſedente, an. 1582. Angeriacenſes monachi apud Talleburgum adunati divina peragebant officia. Uniuntur an. 1584. congregationi Exemtorum. Degebant apud Eſcoyacum *Eſcoyeux*, Santonas inter & Angeriacum an. 1594. menſe Januario; quo anno exeunte ad baroniam de la Fayolle ſecedentes, ibi manſerunt uſque ad an. 1600. abbate interim Chriſti pauperibus illuc confluentibus quadraginta frumenti modios quotannis erogante. Hoc autem anno 1600. monachi Angeriacum reverſi eccleſiolam ædificarunt. Moritur biennio poſt Petrus Briand optimus abbas.

LVI. Franciſcus Guillebaud Henrico IV. Francorum regi a conſiliis & eleemoſynis, abbatiam impetravit

* Legitur hic abbas propinaſſe venenum dicto principi Carolo, ex quo interiit Burdegalæ 12. Maii anni 1472. ſepultus in eccleſia S. Andreæ. *Du Fourny.*

Digitized by Google

impetravit, poſtquam vacaſſet duobus annis. Eo regente an. 1608. jaciuntur fundamenta eccleſiæ, in qua primum die 1. Nov. miſſa celebrata eſt. Aſſenſit Franciſcus unioni prioratus S. Sixti de Murone ad menſam conventualem ; ac denique apud Bleſas obiit menſe Octobri 1613.

* al. Johannes.

LVII. Petrus VIII. * Chapin presbyter, nominatus a Rege 1613. poſſeſſionem nuſquam apprehendit. Interim vero baro de la Chaſteneraye, vi regiæ nominationis, abſque bullis, per tres aut quatuor annos abbatiæ proventibus gaudet, qui per œconomos uſque ad 1623. adminiſtrati ſunt. Rex autem ſolemni pompa excipitur in eccleſia Angeriacenſi, 12. Septembr. 1620. a monachis, qui eidem monachalem præbendam obtulerunt, ſecundum comitiſſæ Agnetis decretum. An. 1621. 25. Junii Angeriacum Francorum regi victori ceſſit; & anno 1623. die 30. Octob. congregationi S. Mauri unitum eſt monaſterium.

LVIII. Claudius de Vivonne abbas Angeriacenſis an. 1624.

LIX. Ludovicus III. de la Rochefoucauld epiſc. Lactorenſis & abbas Angeriaci, obiit 1654. menſe Decembri.

LX. Ludovicus IV. Henricus de Gondrin archiep. Senonenſis, deſignatus abbas, poſſeſſionem noluit adipiſci.

LXI. Petrus IX. de Marca archiep. Toloſanus, & poſtea Pariſienſis, adiit poſſeſſionem an. 1657.

LXII. Valentinus du Reynier de Droué de Boiſſeleau, nominatus anno 1658. poſſeſſionem nactus eſt 1662. ſedebat adhuc 1675. Obiit vero 1681. ſimul abbas beatæ Mariæ Magdalenæ de Caſtro-duno.

LXIII. Yvo de Senneterre filius ducis de la Ferté Franciæ mareſcalli, abbas erat S. Johannis Angeliac. an. 1678.

LXIV. Annibal Julianus, *al.* Julius de la Ferté Senneterre, *al.* de S. Nectaire eques Melitenſis, tertius filius ducis de la Ferté Franciæ mareſcalli ex Magdalena d'Angennes ſecunda conjuge, regia ſchedula data VIII. cal. Sept. an. 1679. tum pontificia munitus bulla, poſſeſſionem accepit per procuratorem 23. Nov. ejuſdem anni. Præfuit autem uſque ad an. 1688. quo clericatum dimiſit; mortuuſque eſt an. 1702. Sub eo proinde an. 1683. templum Calviniſtarum, e ruinis eccleſiæ S. Johannis erectum, funditus everſum eſt.

LXV. Matthæus Iſoré d'Hervault auditor rotæ, archiep. Turon. & abbas S. Maxentii, nominatur ad abbatiam Angeriacenſem 14. Aug. 1688. cujus poſſeſſionem apprehendit die 9. Febr. 1691. Morte correptus eſt an. 1716. die 8. Julii.

LXVI. Andreas de Druillet epiſc. Baionenſis doctrina inter Gallicanos præſules conſpicuus, deſignatur abbas menſe Octobri an. 1717. reſciſſis a ſupremo procurationis regni conſilio omnibus actis pro unione menſæ abbatialis cum presbyterorum Miſſion. ſodalitio in urbe Rupefortenſi.

BASSACUM.

Baſſac.

BASSACENSE S. Stephani monaſterium, ſeu Baziacenſe, ordinis Benedictini, ad ripam Carantæ fluvii, loco amœno poſitum, ſeptem milliaribus ab Ecoliſma, duodecim a Santonis, totidemque ab Angeriaco diſtat. Auctores habuit ineunte ſeculo XI. Guadardum de Lorichis *de principibus Engoliſmenſibus*, inquiunt geſta Grimoardi Engoliſm. epiſcopi, ſeu Wardradum Jarnaci toparcham, & Rixendem uxorem ejus, uti refertur in hiſtoria Engoliſmenſi. Wardradi cognomen reticetur in charta, ſeu potius notitia fundationis, quam etſi vitioſam in chronicis notis, dedimus inter inſtrumenta. Ex Ademaro Cabanenſi eccleſia fuit dedicata a Grimoardo Engoliſmenſi epiſcopo & Iſlone Santonenſi ejus fratre. Aliquandiu vero Baſſacum Eparchienſi monaſterio ſubditum fuiſſe invicte probant chartularia tum S. Eparchii, tum eccleſiæ cathedralis Engoliſm. Imo in actis authenticis annorum 1473. & 1518. S. Stephani Baſſacenſis abbatia dicitur *membrum dependens* etiamnum ab abbatia S. Eparchii; cujus profecto ſubjectionis haud alia fuiſſe cauſa videtur, quam quod e cœnobio S. Eparchii educti fuerint monachi, qui primum Baſſaci monaſterium incoluerunt. Aliunde autem conſtat jam ſub finem XI. ſeculi Angeriaco ſubjecta fuiſſe tum Eparchienſe, tum Baſſacenſe monaſteria. Ac de Baſſacenſi quidem ſic habet præceptum apoſtolicum Urbani II. papæ ad Anſculfum abbatem Angeriac. *Baciacenſe quoque monaſterium, quod juris ſanctæ Romanæ Eccleſiæ eſſe dinoſcitur, quia monaſtici ordinis religio in eodem loco deperiit, ſub tua tuorumque legitimorum ſucceſſorum providentia & obedientia regendum perpetuo diſponendumque concedimus, ſicut tibi a legato noſtro Amato Burdegal. epiſcopo commiſſum fuit, ſalvis nimirum Romanæ Eccleſiæ authenticis privilegiis, quæ pro ipſius loci quiete ac tuitione facta ſunt; ſalvo etiam quinque ſolidorum cenſu annuo, Lateranenſi palatio perſolvendo*, &c. Jugum nihilominus Angeriacenſium excuſſerunt Baſſacenſes monachi an. 1246. vi decreti Petri de Barro cardinalis legati, ſedente in pontificatu Innocentio IV. Nunc autem Baſſacum, ubi funis ſeu faſcia qua Chriſtus in paſſione ligatus fuit, vulgo *le ſaint lien*, religioſiſſime adſervatur, congregationi S. Mauri unitum eſt a die 6. Octobris anni 1664.

C. XVIII col. 472.

Ex chartul. Angeriac. fol. 8.

ABBATUM SERIES.

I. AINARDUS ex Ademaro Cabanenſi & ex chronico Baſſac. ab ipſo fundatore Gualdrado Baſſacenſis abbas inſtitutus fuiſſe dicitur. Nihil autem de Hilduino reperimus, quem Sammarthani fratres ex milite primum inducunt abbatem.

Labb. t. ii. biblioth. pag. 181.

II. Goſcelinus 1071. & 1072. quo anno tranſigit cum monachis Vindocinenſibus pro capella S. Mariæ caſtri Oleronis. Subſcribit etiam an. 1075. chartæ fundationis S. Stephani de Vallibus, ubi Joſcelinus appellatur.

III. Gaufridus 1091. ex charta domeſtica; teſtis 1104. in compoſitione Maxentianos inter & Angeriacenſes monachos; ac denique 1117. in charta eccleſiæ Engoliſm.

C. XXV. col. 344.

Digitized by Google

IV. P. abbas 1189. ex ceſſione Ademari comitis Engoliſm. hoc anno facta, regnante Philippo II. rege Francorum, Ademaro epiſcopo Santonenſi ſuperſtite, ſedente Clemente papa III.

V. Guillelmus I. 1219. In necrologio Silvæmaj. notatur obitus Guillelmi abb. Baſſac. XIII. cal. Maii. Verum dubitandi locus eſt utrum ſit iſte Guillelmus.

VI. Willelmus II. de Vibrac, e nobili juxta Baſſacum familia ortus, dicitur *electus* an. 1247. in inſtrumento, quo capellanus S. Nicolai de Baſſaco, ſacriſtæ tenetur reddere decem ſolidos ad opus cerei Paſchalis. Hic autem abbas indultam olim monaſterio per Benedictum papam, a cenſura & excommunicatione tam primatum quam epiſcoporum exemtionem, curavit ab Innocentio IV. confirmari. Memoratur etiam Guillelmus annis 1249. 1273. & 1277. die Mercurii in vigilia Aſcenſionis, & in inſtrumento hominii redditi epiſcopo Engoliſm. a domino de Torcio circa annum 1285. In charta vero Hugonis de Lezignaco, Marchiæ comitis &c. quædam largientis, hæc verba notatu digna ſunt ..... *Attenta primitus contemplatione nobilis ac dilecti conſanguinei noſtri domini Wardradi, fundatoris dicti loci Baciacenſis, olim fratris illuſtris domini comitis Marchiæ, tuncque domini temporalis Jarnaci, ex cujus genealogia ſeu proſapia ordine ſucceſſivo fuimus propagati*, &c.

VII. Petrus I. inſcribitur chartis annor. 1285. in feſto B. M. Magdal. 1286. menſe Decembr. 1300. 1316. 1318. Sabb. poſt Epiphaniam, & 1323. menſe Januario, quo itidem anno concordiam fecit, toto ſuo aſſentiente conventu, cum Gumbaudo & conventu B. Mariæ de Corona, & fratre Helia priore ac rectore de Eſchalato, ſuper decimis in dicta parochia ſitis, & in parochiis S. Eparchii de Ylico, S. Amantii de Noyraco & de Martiniaco, pro octo ſextariis & hemina hordei, *rendualiter* præpoſito Baſſaci a priore de Eſchalato annuatim reddendis in Decollatione S. Johan. Bapt. quam compoſitionem ſuo ſigillo munivit Gualhardus Engoliſm. epiſc. die Jovis poſt *octabas* Paſchæ, an. Dom. 1323.

VIII. Willelmus III. 1329. die Lunæ poſt Annuntiationem B. M.

IX. Petrus II. hominium excepit Raimundi de Montboyer die Dominica poſt Aſſumt. 1340.

X. Johannes I. an. 1348. inſtituitur exſecutor teſtamenti Heliæ de Montboyer. Raimundus autem & Helias de Montboyer ſepulturam apud Baſſiacum obtinuerunt, ut pote hujuſce monaſterii benefactores munificentiſſimi. Reperitur adhuc Johannes abbas annis 1357. 64. 66. & 1371.

XI. Petrus III. 1382. 1385. & 1394.

XII. Raimundus Arnault die tertia Januarii 1402.

XIII. Fulcaudus, vel Fulco, ab Iſabella de Bellodiis uxore Arnaldi du Breuil hominium excepit, ratione parochiæ S. Martini de Ponte dioec. Sant. in præſentia Petri Santon. archidiaconi 26. Oct. 1408. Hic anno 1415. 18. Jan. prioratum de Caſtro-novo univit præpoſituræ ſui monaſterii. Sedebat adhuc an. 1430.

XIV. Petrus IV. Bernardi, *al.* Petrus Girault d'Anqueville, præerat jam an. 1434. cujus temporibus monaſterium pene dirutum fuit ob ingruentia bella; qua fortaſſe de cauſa, anno 1451. reginen abdicavit.

XV. Henricus de Courbon prior ſancti Petri de Jarnaco, ex illuſtri apud Santones gente, quæ D. marchionem de S. Salvatore, comitem de Blenac, ſeneſcallum pagi Santonenſis, & D. de la Roche-Bourbon procreavit, abſens a capitulo omnibus monachorum ſuffragiis electus eſt, ſede vacante, 17. Martii 1451. indict. XV. Nicolai papæ V. an. quinto. Nominatur primus inter abbates qui conventui a Johanne Engoliſm. comite D. d'Epernay & de Remorantin, poſt ſuam e carcere Anglorum liberationem, convocato interfuerunt. Jura monaſterii acerrime defendit; domum abbatialem ædificavit, clauſtrum & eccleſiam reparavit, lampademque in dormitorio fratrum nocte jugiter accendendam fundavit; ac uno verbo, optimi paſtoris ad annum uſque 1476. implere munia nunquam deſtitit.

XVI. Seguinus Girault d'Anqueville in decretis licentiatus, & prior S. Catharinæ de Couz dioeceſis Santon. pedum gerebat an. 1486. adhuc ſuperſtes 1497. & 1500. quo ſcilicet in manibus Alexandri papæ VI. Carolo nepoti abbatiam reſignavit 3. Octob. Vere de monaſterio benemeritus propter adaucta ædificia, maxime autem ob ampliatam baſilicam ſacramque ſupellectilem.

XVII. Carolus Girault d'Anqueville, ex ceſſione patrui, cui viciſſim prioratum ſancti Georgii de Dorione cal. Novemb. anno 1500. tranſcripſit, abbatiam conſecutus eſt. Regebat an. 1518. ex eo maxime commendandus, quod ſua tunc gente aliiſque permultis nobilibus Calviniano errore infectis, illæſum ſe atque immunem, licet ab ipſo Calvino ſæpe tentatus, ſervaverit. Æmulum habuiſſe videtur Guillelmum quemdam memoratum a noſtro D. Claud. Eſtiennot, an. 1510. & 1513.

XVIII. Johannes II. de Podio-Guidonis *de Puy-Guion*, filius Marqueſii & Johannæ de Dreux, clericus *graduatus* in legibus, primus fuit abbas commendatarius ab anno ſaltem 1538. ad 1557. quo Ludovicus du Cheſne dominus d'Anſeny & de Forgeſtes illi hominium exhibuit. Poſt obitum vero Johannis abbatis, toparcha de Ruſſec provinciæ Santonenſis prorex invaſit monaſterium & occupavit.

XIX. Johannes III. Chabot archidiaconus Conſtantienſis & prior S. Johannis de Montours, Baſſacenſis cœnobii regimen obtinuit an. 1562. etſi bullas non acceperit niſi an. 1564. non. Oct. Moritur an. 1572.

XX. N. de Jarnac, licet Calviniſta, abbas tamen Angeriacenſis & Baſſacenſis habetur, ſaltem quoad fructuum perceptionem.

XXI. Ludovicus Barbotin presbyter dioeceſis Pictav. ſched. regia Caroli IX. regis, ac pontificia Gregorii XIII. data Romæ apud S. Petrum anno Incarn. Dom. 1573. XV. cal. Julii, pontificatus anno ſecundo, commendam obtinuit, ſed fiduciariam, ut dominis de Jarnac faveret.

XXII. Johannes IV. Gory presbyter, fuit & ipſe

Digitized by Google

abbas fiduciarius DD. de Jarnac Calviniſtarum, annis 1582. & 1596.

XXIII. Stephanus Hillaret S. Stephani de Beania monachus, eorumdem DD. de Jarnac fiduciarius, an. 1616. abbas tandem regia nominatione ſimul ac pontificia factus eſt an. 1620. At æmulum paſſus Nicolaum, qui ſequitur, ei poſt multas lites cum monachis, cedere coactus fuit an. 1629. Fratrem habuit Raimundum Hillaret Baſſiaci præpoſitum ad annum ſaltem 1675. qui quidem opem ferente fratre quondam abbate, & volente viro clariſſ. dom. Victore de Meliand tum Baſſaci abbate, ſuum congregationi S. Mauri uniri cœnobium curavit an. 1666. In eadem vero Baſſacenſi domo, de ipſa benemeritus, diem clauſit extremum Stephanus abbas nonis Apr. an. 1667. ac ſepultus eſt in ſacello majori ad cornu Evangelii ſito, cum hac inſcriptione: *Icy repoſe le corps de R. P. en Dieu Dom Eſtienne Hylaret profez de l'abbaye de S. Eſtienne de Baigne. Il fut nommé par le Roy abbé regulier de celle-cy en l'an M. D. C. XX. où il eſt mort l'an M. D. C. LXVII. le VI. jour d'Avril âgé de LXXII. ans. Priez Dieu pour luy.*

XXIV. Nicolaus de Conty de Grandmont, Franciſci de Bourbon principis de Conty filius naturalis, edicto ſupremi conſilii dato 28. Septemb. 1629. obtinet abbatiam adverſus Stephanum Hillaret. Sedit ad annum 1648. quo Lutetiæ Pariſiorum defunctus, in abbatia Sangermanenſi ſepultus eſt.

XXV. Victor Auguſtinus de Meliand, Reginæ matri ab eleemoſynis, abbatiam conſecutus eſt an. 1648. quam anno 1666. die 4. Oct. univit congregat. S. Mauri. Præerat adhuc an. 1675. optimus abbas; qui deinde factus eſt epiſcopus & comes Vapincenſis, unde ad Alectenſem eccleſ. tranſlatus eſt.

XXVI. Antonius I. de Cellieres præpoſitus B. M. de Chardanon, ortus eſt in urbe S. Deſiderii, *S. Didier*, diœceſis Anicienſis. Bullas pro Baſſaco impetravit VI. cal. Jan. 1683. cujus poſſeſſionem apprehendit anno ſeq. Permutavit an. 1693. cum ſequenti.

XXVII. Antonius II. Arcis, Anicienſis, abbas S. Evodii Anicienſis & canonicus eccleſiæ cathedralis, necnon vicarius generalis D. Armandi de Bethune epiſcopi Anicienſis, ex ceſſione ſuperioris, cui paræcialem eccleſiam S. Deſiderii reſignavit, abbatiam Baſſacenſem, cum aliis quibus jam inſignitus erat dignitatibus conjunxit. Hanc vero & ipſe poſtea permutavit cum Regis beneplacito, pro ſacriſtia eccleſiæ collegiatæ S. Nicetii Lugdunenſis.

XXVIII. Carolus-Joſephus Mayol presbyter ex loco dicto *Bourg-argental* diœceſis Viennenſis, baccalaureus in theologia, data eccleſiæ collegiatæ S. Nicetii Lugdunenſis ſacriſtia, obtinet abbatiam Baſſacenſem, pro qua bullas accepit III. non. Maii anno Incarn. Dom. 1717.

S. Eſtienne de Vaux.

VALLES S. STEPHANI.

VALLIUM S. STEPHANI, ſeu S. Stephani de Vallibus abbatia ord. S. Benedicti, fundatur circa an. 1075. a Petro & Arnaldo de Maurita-

nia fratribus, nobilibus in Santonia dynaſtis, ut patet ex originali tabula chartophylacii de Vallibus n. 53. quam vide inter inſtr. Hoc autem ipſo anno 1075. petenti Arnaldo conceſſum eſt, ut hæc abbatia ſynodali auctoritate confirmaretur, & nemini ex ſua progenie, nullive alteri eccleſiæ ſubjiceretur. Nec tamen multo poſt monachi S. Stephani de Vallibus ſe ſe ultro Malleacenſi monaſterio ſubdiderunt; quod quidem Mabillonius alligat an. 1093. Vide chartam ea de re conſcriptam in appendice tomi V. Annalium Bened. pag. 646. C. XIX. & XX. col. 473.

ORDO ABBATUM.

I. MARTINUS e Malleacenſi monaſterio ſumtus, Vallenſi præficitur a Goderanno Malleacenſi abbate & epiſcopo Santonenſi, anno 1075. Hæc de Martino leguntur in tabularii charta num. XI. *Quidam miles Oſtenſius Arnaudus prænomine cum Centullone de Bois, paterna hæreditate eccleſiæ S. Stephani de Valle primo abbati Martino atque monachis, pro patris & matris redemtione atque ſuæ animæ, eccleſiam S. Petri Graiani dedit, cum vinea & terra quæ circum eſt vallata. Item alia donatio Arnaldi Graiani fratris Saxonis monachi, de vinea quæ eſt inter paludem & eccleſiam, regnante Francorum rege Philippo, atque G. Burdigalenſium comite; ſupradictus Oſtenſius hanc ſchedulam juſſit ſcribere, &c. annuente Centullo & uxore ejus, atque archiepiſcopo Goſcelino, & archidiacono Boſone, necnon archipresbytero Achelino Roberto; teſtes Willelmus, Rainaldus de Puteo, Raimundus, Auſtendus nepos ejus, Aichelinus, Bernardus, Bonushomo presbyter, Gombaldus, Helias.* Urſus ſacerdos dedit eidem Martino abbati eccleſiam S. Sulpitii de Mandulpho aſſenſu Boſonis epiſcopi Santon. Heliæ & Aleardi de Morniaco: accipit quoque a Roberto Berengerii & D. Boſone eccleſiam S. Aug. Emit & quandam terram ad fontem Americi, ab Helia principe Didoniæ, ut docent tabulæ de Vallibus.

II. Bonus, qui Donus apud Mabillonium, eccleſiam S. Palladii de Bren comparaſſe dicitur, aſſenſu epiſcoporum Santonicæ ſedis, videlicet domni Goderanni atque Boſonis, qui tertiam partem totius decimæ ejuſdem eccleſiæ dederunt, &c. Eidem abbati Bono Guillelmus de Monte-Sorello dedit eccleſiam S. Petri de Sulleio *, quæ dehinc in abbatiam evaſit, Malleacenſi poſtea monaſterio ſubditam. Denique Bonus abbas S. Stephani de Vallibus in generali ſynodo coram Ramnulfo epiſcopo Santon. conſtitutus, paciſcitur cum Odone abbate S. Johan. ſuper eccl. & decimis S. Martini de Arcis, quas *Arnaldus Gammo Mauritaniæ, miles*, fundator & ædificator abbatiæ S. Stephani de Valle, eidem abbati Bono conceſſerat, & Paganot miles Odoni abbati dederat; tandemque ceſſit monachis de Vallibus. C. XXI. col 475. * al. Sullico C. II. col. 381.

III. Rainaudus ſeu Reginaldus, poſtquam Vallenſes monachi ſe ſe Malleacenſibus ſubjecerunt, ex hoc monaſterio, concedente Gaufredo abbate, & Ramnulfo epiſcopo Santonenſi confirmante, datus eſt abbas, ut liquet ex charta in appendice tomi V. Annalium Bened. relata. Memoratur & annis 1098. & 1104. ex tabulis quas inter in-

Digitized by Google

C. XXIII. 476. ſtrum. edidimus; hunc Mabill. t. v. Annal. p. 226. aſſerit Sulleio abbatem inſtituiſſe.

IV. Petrus I. præerat an. 1117. ex chartulario, ubi ſic legitur: *Geraldus Engoliſm. epiſc. S. R. E. legatus, concordat Petrum abbatem de Vallibus cum abbate Lemovicenſi & priore de Salionio, & monachis, qui cum abbate erant, eo pacto ut eccleſiam S. Sulpitii, monachi de Vallibus quiete poſſideant, & ſingulis annis in feſtivitate S. Martini, monachis de Salionio duos ſolidos cenſuales reddant . . . . . interfuerunt autem huic concordiæ Baldricus archiep. Dolenſis, Ildebertus epiſc. Cenomanenſis, Rainaldus epiſc. Andegavenſis, Petrus abbas Malleacenſis, Guillelmus abbas Talamonenſis, Radulfus abbas Nobiliacenſis, Hugo abbas ſancti Eparchii. Ego Girardus Engoliſmenſis epiſc. & S. R. E. legatus*, &c. *Facta eſt autem hæc concordia Engoliſme in capitulo matricis eccleſiæ anno ab Incarnat. Dom. M. C. XVII. ind. X.* Eidem abbati venditio fit feudi præpoſitalis a Benedicto Girardi, teſte Theobaudo Malleacenſi abbate. Item num. 23. ejuſdem tabularii, cum Guibertus de Didonia cimiterium de Vallibus violenter deprædaſſet & cremaſſet, Santonenſis epiſcopus Bernardus, ſententia excommunicationis eum adſtrinxit; qui abbati poſtea quidquid poſſidebat in vicaria de Vallibus ex integro dedit; ſed hæc pertinent potius ad abbatem qui ſequitur.

C. V. col. 451. V. Seguinus abbas 1135. & 1151. quo anno fecit concordiam cum Willelmo de Monte-Anderonis domino caſtri de Didonia. Ipſo etiam ſedente, cœnobium S. Petri de Sulleio, ex jure abbatiæ de Vallibus transfertur in jus Malleacenſis monaſterii, ut videre eſt inter inſtrumenta Malleacenſia.

C. II. col. 381. VI. Petrus II. Willelmi 1167. & 1170. quo anno bullam ei direxit Alexander papa III. quam habes inter inſtrumenta. Interfuit etiam placito ſuper querela Ramnulfi Gumbaudi pro decima S. Aug. conſilio Willelmi de Monte-Andronis apud Didoniam compoſita, Goſcerando priore.

C. XXIII. 476.

VII. Gumbaudus, in cujus manu Iterius de Tauniaco miles dedit S. Stephano, quidquid juris habebat in cultura S. Eparchii, & ipſe abbas donavit ei beneficium, ſicut uni de fratribus eccleſiæ, aſſenſu Benedicti de Mauritania, de cujus feodo erat, an. 1174. regnante Ricardo rege Anglorum, Giſardo domino de Didonia.

VIII. Petrus III. Rufus præfuit eodem an. 1174. ex donatione Arnaudi militis monaſterio ſuo facta in capitulo, coram Ademaro epiſcopo Santon. Iniit vero concordiam anno 1176. idibus Aug. cum Benedicto de Mauritania.

IX. Ar. de Vallibus componit cum Arnaudo Gammonis. Omittitur a D. Claud. Eſtiennot.

X. Willelmus I. Funelli, *Funeu*, alias *Fumel*, cui Arnaudus Gammo miles, ab eo in monachum ſuſceptus, dedit terram *deu Defens*, &c. anno 1198. Innoc. III. papa, Ricardo rege Angliæ, Ottone ducatum Aquitaniæ feliciter gubernante, Henrico epiſcopo Santonenſe. Inſcribitur etiam plurimis eleemoſynarum diplomatibus, Willelmi de Rabaina, Arnaudi de Seurvilla, necnon G. de Mauritania, quorum eleemoſynam ratam habuit apud Valles anno 1201. Cum autem Helias dominus de Didonia in judicium vocaſſet Willelmum abbatem, petens ab eo vigeriam villæ & hominum S. Stephani de Vallibus, quam ſibi competere obtendebat ex jure, abbas vero aſſereret incolas villæ de Vallibus, a vicaria & omni conſuetudine, ex ceſſione patris ejus liberos eſſe, ſuper ea confectum eſt inſtrum. an. 1212. quod exſtat num. 29. chartophylacii de Vallibus. Porro in præfato inſtrumento num. 35. coram Henrico Santonum præſule, Petrus de Didonia dominus Talniaci, ceſſit quidquid juris habebat in vicaria de Vallibus, huic abbati & monachis, coram ipſo ante altare eccleſiæ 1213. Demum teſtis recenſetur in charta Eliæ presbyteri de Arverto, in controverſia Petri militis, de jure cenſuali in loco S. Saturnini, an. 1221. XI. cal. Maii.

XI. Stephanus 1227. Enuntiatur in charta G. abbatis de Maſdione, teſtis ceſſionis Petri militis factæ Petro de Bria priori S. Palladii, ſcripto inſtrumento apud locum d'Ars, an. 1231. ultima die Aug. Num. 62. chartophylacii exſtat diploma abbatum S. Martini & S. Auguſtini Lemovic. ex quo patet, coram iis dictum fuiſſe ab eodem abbate, monaſterium ſuum ob culpam nobilis viri Hugonis de Talniaco domini Didoniæ non debere interdici, eo quod in ipſo vel burgo de Vallibus nil juris obtinet dominus præfatus, vel alius quicumque dynaſta Didoniæ; interdicti autem cognitio demandata eſt priori de Salionio *, litteris datis apud Lemovicas die Sabbato ante feſtum S. Andreæ 1232. Eidem Hugo de Talniaco dominus Didoniæ donationem confirmat apud Royanum feria II. octavæ Paſchalis 1234. Raimundus de S. Sulpitio miles, in ægritudine poſitus teſtamentum edidit in manu Heliæ archipresbyteri de Arverto, quo legat cœnobio Vallium decimam parochiæ S. Sulpitii, in manu ejuſdem Stephani abbatis, ſubſcribente Emma uxore & Pegina ſorore, apud Foiſſac in domo militis an. 1234. Robertus de Sablolio dominus Morniaci, quia hæc decima erat ſui dominii, illud ratum habuit XII. cal. Martii 1234. Id poſtea probat Petrus Santonum epiſc. litteris datis in ſynodo Paſchali. Tranſegit præterea Stephanus abbas cum Helia priore S. Petri de Roiano 1237. ac Robertus de Sablolio ei ac ſucceſſoribus confirmavit calefagium & omnia neceſſaria ad ædificia abbatiæ, apud Roianum 1237. *

* Saujon.

XII. Robertus an. 1263. pactionem fecit de multis, cum hominibus de Vallibus, manſionariis abbatis & conventus, *die Jovis poſt octabas beati Severini*. Eidem Roberto Maynardus de Autirac omnia bona a progenitoribus ſuis dictæ abbatiæ fundatoribus ac dotatoribus conceſſa firmavit, die Mercurii ante Pentecoſten menſe Junio an. 1267. Coram eo Helias Gardradi in judicium vocavit Petrum incolam de Arverto, ex pancharta de Vallibus anni 1270. Poſt hunc vero plurimi deſiderantur abbates.

XIII. Guillelmus II. Dauleigne anno 1419. vicum de Chaſtreſac ad cenſum oppignoravit.

XIV. Johannes I. Lortelier & Lortclot me-

* Fulcaudus tamen quidam jam an. 1236. ex aſceta Malleaci, Vallium abbas dicitur effectus, ſed nulla adducta ratione.

Digitized by Google

moratur in chartis authent. regiæ biblioth. annis 1455. die 1. Maii, 1458. 13. Julii, 1460. 15. Julii, 1462. 9. Julii & 1464. 6. Febr.

XV. Guillelmus III. d'Aleigne & Dauleigne 1466. 17. Julii, 1468. 24. Junii, & 1473. 9. Julii, ex iiſdem chartis authenticis.

XVI. Johannes II. Maillot doctor theologus an. 1474.

XVII. Aimericus Moreau 1477. die ultima Aug. & 1494. 12. Julii, ex chartis authent. reg. biblioth.

XVIII. Antonius Goyet 1501. 15. Nov. 1524. 12. Jan. & 1528. Julii, ibid.

XIX. Martinus Dyeſſe 1546.

XX. Johannes III. Maçon, canonicus S. Capellæ Pariſ. fuit abbas Vallium ſancti Stephani an. 1566. ex hiſt. MS. S. Capellæ.

XXI. Guillelmus IV. de Bahun obiit 1584. poſt quem abbatia, inquiunt Sammarthani, a ſectariis per 40. circiter annos poſſidetur, Catharina de Navarra duciſſa Barri, Henrici IV. ſorore, proventibus potiente, per œconomum Johannem Belſagioy Benearnenſem.

XXII. N. de Lallion Burdegalenſis deceſſit 1618. 4. Januarii.

XXIII. Nicolaus Ceretani Italus an. 1618.

XXIV. Guido Lanier ex nobili in Andibus familia dominorum de Leffretiere ortus, primum canonicus Santonenſis, inde Andegavenſis, archidiaconus Tranſmeduanæ, & in eccleſia Pariſienſi Brigenſis item archidiaconus, adfuit cœtui cleri Gallicani an. 1635. Obiit an. 1681. 20. Apr.

XXV. Jacobus de la Brunetiere dominus de la Marſelaye, nepos præcedentis, frater vero epiſcopi Santonenſis, decanus eccleſiæ Santon. & abbas Vallium 1681.

Tonnay-Charente.

TAUNIACUM ſeu TALNIACUM vel THALNAYUM.

TAUNIACUM urbs eſt antiqua ſuper Carantonum fluvium, ut diſtinguatur a Tauniaco ſupra Wltumnam, *Tonnay-Boutonne*, ab Angeriaco diſſita ſex leucis, totidem a Santonibus, & una Rupe-forti. Caſtrum habet titulo principatus a Rege donatum an. 1400. cujus princeps agnoſcitur dux de Mortemar; portumque navibus exterorum recipiendis commodum. Gaudet vero & abbatia ſuo nomine appellata, ordinis S. Benedicti, ſub patrocinio S. Mariæ & S. Hippolyti, quam Maſcelinus Tauniaci toparcha pro canonicis fundavit, quibus minus recte viventibus, nec vitam emendare volentibus, Gaufridus & ipſe Tauniaci dominus, Maſcelini pronepos, monachos Angeriacenſes ſubrogavit, anno 1090. indict. XIV. Ea de re chartam edidimus inter inſtrumenta. Inde abbatis Talniacenſis inſtitutio pertinebat olim ad abbatem Angeriacenſem, cujus erat ſuffraganeus, ex libro conſuetudinum Angeriaci circa an. 1430. deſcripto; tenebaturque adeſſe divino officio in die Natalis S. Johannis-Bapt. alba indutus & almutiam gerens, qualem deferunt canonici Santonenſes; inſtructuſque mozeta leucophea pelle adornata, uno ex monachis Talniacenſibus ante ſuum abbatem pedum geſtante, incenſabat altaria una cum Angeriacenſi abbate, adſiſtente ſibi *cherchia* Angeriacenſis cœnobii vel ſacriſta. Plura qui ſcire voluerit de hoc monaſterio, adeat ſi lubet Armandum Maichin, cap. 8. lib. 1. de hiſtoria Santon. provinciæ.

C. XVII. col. 470.

ABBATUM ORDO.

I. FULCHERIUS ex charta ſuperius memorata, ab Odone Angeriacenſi abbate Talniacenſibus datus eſt abbas an. 1090. Subſcripſit an. 1096. pactis inter Petrum Carroſenſem & Anſculfum Angeriacenſem abbates. Præſens quoque memoratur in quadam permutatione facta Maxentianos inter & Angeriacenſes monachos an. 1104. ſed Mabillonius ad annum LXXXII. in charta ſuſpicatur errorem, qui quidem clarius innoteſcet ex dicendis. *Ibid.* C. XXV. col. 344.

II. Gaufridus reperitur abbas an. 1100. 1102. & 1105. Vide Goffridi Vindocinenſis epiſtolas, a numero 32. uſque ad 37.

III. Geraldus tempore Petri epiſcopi Santon. & Henrici abbatis Angeriacenſ. circa 1117. teſtis in charta Iſemberti de Caſtro-Allionis, *Chaſtellallion*, in qua fit mentio de curia & juſtitia Angeriacenſis abbatis.

IV. Ainricus an. 1132. Huic Benedictus & Ilgerius fratres cum uxoribus, filiis & filiabus ſuis plura concedunt *ad locum S. Mariæ matris D. N. Jeſu Chriſti, & ſunt res iſtæ ſitæ in pago Santonico extra mœnia Talniaci.*

V. Fulcherius II. an. 1151. IV. nonas Februar. adfuit judicio lato per Ludov. VII. regem dictum Juniorem, pro Gaudino abbate Malleacenſi, contra Sebrannum Chabot, qui abbatiæ advocatiam ſibi arrogabat. Interfuere cum illo Geofridus II. Burdigal. archiep. Gilbertus II. ep. Pictav. Bernardus ep. Santon. & alii epiſcopi, Petrus abbas S. Maxentii, Aimericus Burgulienſis, &c.

VI. Willelmus an. 1273. ſubſcripſit litteris pro parthenone S. Mariæ Santonenſis; cumque hujus loci abbatiſſa nomine Yva pactionem fecit.

VII. Laurentius I. recenſetur in capitulo generali apud Angeriacum, die 25. Junii anni 1319.

VIII. Petrus I. du Marché abbas 1339. die Lunæ poſt feſtum S. Dionyſii, ex charta authentica regiæ biblioth.

IX. Petrus II. de Surgeriis, e nobili gente apud Santones, præerat an. 1389. quo eccleſia S. Stephani Tauniacenſis unita fuit a ſummo pontifice, eccleſiæ S. Mariæ, ob ſummam abbatiæ paupertatem.

X. Aimericus Girebert ſucceſſit Petro de Surgeriis 1409.

XI. Laurentius II. Morin 1420.

XII. Petrus III. Augier vel Ogier, 1444. & 1449. quo ſedente redditus abbatiæ Talniacenſis fiſco regio addicuntur, ex vetuſto curiæ regalis Angeriac. regeſto. Reperitur & annis 1456. 17. Julii, 1462. 15. Decemb. & 1465. die ult. Nov. in chartis authenticis regiæ biblioth. Unde nullus ſupereſſe locus videtur Iterio Robin, in quadam ſerie ad nos tranſmiſſa memorato 1460. Fortaſſe Petrus ei abbatiam tranſcripſerat, abbatis nomine retento.

Digitized by Google

XIII. David Julien 1470.

XIV. Johannes I. Naquet, Angeriacenſis patria, ejuſdemque loci monachus, creatur abbas Tauniaci anno 1480.

XV. Clemens de la Porte abbas Tauniacenſis intereſt capitulo generali apud Angeriacum celebrato 9. Martii 1488. Memoratur eodem anno die penult. Aug. & 1493. 8. Januarii, in chartis authenticis regiæ biblioth.

XVI. Petrus IV. David, ex infirmario Angeriacenſi abbas Tauniacenſis 1505. & 1518.

XVII. Joachim de la Roche-Andry, ex illuſtriſſima apud Engoliſmenſes gente, ultimus abbas regularis Talniaci, ex præpoſito cœnobii Angeriacenſis. Reperitur in chartis authent. regiæ biblioth. ann. 1537. & 1538. & alibi 1539. 43. 47. & 1550.

XVIII. Franciſcus I. de la Roche-Andry, primus abbas commendatarius 1555.

XIX. Renatus Raoul 1560.

XX. Franciſcus II. Petit 1580. quo circiter tempore in hac abbatia deſiere monachi, adeo in locum ſanctum debacchati ſunt Calviniſtæ. Tantaque fuit abominatio deſolationis, ut abhinc vix ſemel per ſingulos dies juge ſacrificium offeratur abbatum impenſis.

XXI. Franciſcus III. Bureau nominatus fuit abbas Talniaci per priorem clauſtralem S. Johannis Angeriac. ſede abbatiali vacante, vicarium generalem natum, an. 1598.

XXII. Johannes II. de Rochechouart 1607.

XXIII. Petrus V. Ferrand 1630. & 1640.

XXIV. Ludovicus de la Roche-Guyon 1665.

XXV. Petrus VI. Pezard 1675. Obiit 1701. menſe Octobri.

XXVI. Thomas Maupoint clericus capellæ & oratorii Regis, canonicus S. Quintini in agro Viromanduenſi, nominatur abbas cal. Nov. 1701. Præerat 1712.

XXVII. Antonius de Solier du Maine deſignatus a Rege 1712. die 1. Nov. poſſeſſionem accepit 24. Febr. 1713.

Baigne.

BEANIA.

BEANIENSE S. Stephani, ord. Benedictini monaſterium in pago Engoliſmenſi & diœceſi Santonica, non longe ab oppido Barbezillenſi*, fundatum a Carolo-magno ſcribit Corlæus in hiſt. lib. 1. cap. 5. Exinde vero Ramnulfus epiſc. Santonenſis illud commiſit ſancto Hugoni Cluniacenſi abbati, quod & Petrus ejuſdem ſedis antiſtes abbati Pontio confirmavit, chartula ſequenti in tabulario Cluniacenſi aſſervata:

* Barbezieux.

In nomine Patris & Filii & Spiritus-ſancti. Ego Petrus Sanctonenſis humilis epiſcopus, præſentium litterarum apicibus notificare curavi meis ſucceſſoribus anteceſſorem meum domnum Rannulfum ſcilicet epiſcopum dediſſe, conceſſiſſe, per canonicam chartam firmaſſe abbatiam S. Stephani de Beania domno abbati Hugoni & cœnobio Cluniacenſi, meque conceſſiſſe & confirmaſſe eamdem donationem & donationis chartam, ſalvo tamen in omnibus jure Sanctonicæ ſedis & Sanctonenſium epiſcoporum. Facta eſt hæc charta anno Dominicæ Incarnationis M. C. X. apud S. Eutropium, in præſentia domni Pontii abbatis anno 1. ordinationis ejus. S. Petri epiſcopi, S. Amalvini archidiaconi, S. Gauſcelini archidiaconi, S. Ramnulfi archipresbyteri.

SERIES ABBATUM.

I. FULCO memoratur abbas Beaniæ apud Goſfridum Vindocinenſem, lib. 1. epiſt. 20.

II. Raimundus adfuit anno 1170. dedicationi eccleſiæ S. Amantii de Buxia.

III. Guillelmus I. 1188. Is eſt procul dubio W. qui tempore Ademari epiſc. Santon. pepigiſſe legitur cum Benedicto Tenaliæ abbate.

IV. P. abbas in charta B. M. de Fremada 1219. Is eſt fortaſſe, qui cum abbate de Terraſſon obiiſſe dicitur anno 1223. in chronico Bernardi Itherii. Anno autem præcedenti vocatus a Willelmo de Jaunac ſancti Martialis Lemovicenſis abbate, inter præpoſitos & priores huic abbatiæ ſubjectos, cum quidam a ſtatutis D. abbatis ad archiepiſcopum appellarent, ipſe abbas ad papam, tandem Guido de Clauſens archidiaconus, adjunctis ſibi abbatibus *de Beana* & de Voſias, litem finivit.

V. Petrus Baſton abbas de *Bahaigne*, cui aſſignantur quinquaginta libræ ad collectionem tributorum in ſtatibus agri Pictavenſis, 8. Julii 1402. ex charta authentica regiæ bibliothecæ.

VI. Antonius de Coſnac filius Petri ex Ludovica de Noailles quam duxerat uxorem anno 1452. cum eſſet monachus Majoris-monaſterii, factus eſt abbas Beaniæ, ut liquet ex teſtamento Ludovicæ matris ejus, condito 1486. Vide notas Baluzii ad vitas pap. Avenion. col. 1446.

VII. N. de Jarnac filius Rainaudi Chabot domini de Jarnac ex Iſabella de Rochechouard filia & herede Johannis dom. d'Apremont & de Brion, abbas de Caſtris & de Beania; cui ſucceſſit in hac utraque abbatia,

VIII. Franciſcus dominus de Jarnac, ipſius frater natu minor, mortuus anno 1493. *du Fourny Amiraux de France.*

IX. Guillelmus II. abbas de Beania & prior S. Philiberti de Nigro-monaſterio diœc. Lucion. 27. Aug. 1499. ex charta S. Crucis Talemundenſis.

X. Jacobus abbas inſtituitur bulla Pii V. papæ data Romæ apud S. Petrum anno Incarnat. Dom. 1573. ſecundum novum calculum, X. cal. Febr. pontificatus anno VII. ex archivis de Corona.

XI. Ludovicus Courreau abbas erat an. 1611. ex tabulario Carroſi.

XII. Henricus de ſainte Maure, *al.* de More, presbyter Oratorii, filius Guidonis domini de Fougeray & Ludovicæ de Juſſac; præerat ann. 1670. & 1680. Obiit an. 1684.

XIII. Spiritus Flechier, ſereniſſimæ delphinæ ab eleemoſynis, prior S. Stephani de Peyrat diœc. Petragoric. & epiſc. Nemauſenſis, nominatur abbas die 1. Novembris 1684. Nemauſi extinctus eſt die 22. Febr. 1710. anno ætatis 78.

XIV. Johannes-Ludovicus de Berton de Crillon, nepos ex fratre Franciſci de Berton de Crillon Viennenſis archiepiſcopi, deſignatur abbas a rege Chriſtianiſſimo anno 1710. die 25. Julii,

Digitized by Google

quo anno deputatus fuit ad comitia cleri Gallicani generalia Pariſiis habita ; nunc autem eſt S. Pontii epiſcopus.

Sunt & alii nonnulli abbates quorum ætas ignoratur, noti videlicet ex uno Silvæ-maj. necrologio.

Bertrandus, VIII. idus Junii.

Guillelmus Grimoaldi, VIII. idus Aprilis.

Helias, XVII. cal. Decemb.

Raimundus, V. idus Septembris.

Font-douce

FONS-DULCIS.

DE hac abbatia, quæ eſt ordinis S. Benedicti, ſic habet chronicon Malleacenſe : *Circa an. 1115. inchoata ſunt plurima cœnobia de inſtitutione S. Geraudi de Sala .... In territorio Santonenſi Fons-dulcis & aliud, quod vocatur Tenale... Ambo abbates Willelmi vocati.* Domeſtica vero loci monumenta Willelmo de Concampo hujus monaſterii tribuunt originem, Stephano abbate Caſæ-Dei an. 1117. locum cedente apud Santones, medio fere itinere inter Mediolanum Santonum & Angeriacum, ad ſcaturiginem fontis, qui loco nomen indidit. Vide Mabill. ad an. M. C. XI. tom. 5. Annal. pag. 566. & in appendice pag. 687. Ceterum in necrologio Fontis-ebraldi notatur pridie idus Nov. memoria defunctorum fratrum congregationis de Cadunio, de Abſia, *de Fonte-dulci*, de Borneto, &c.

SERIES ABBATUM.

I. WILLELMUS I. DE CONCAMPO primus abbas Fontis-dulcis, natus Talleburgi, patre Conſtantino, vir in humanis diviniſque litteris apprime exercitatus, rexit ab an. 1117. ad annum 1137. quo mortuus eſt XIV. cal. Junii. Ipſo autem ſedente Gerardus Engoliſmenſis epiſcopus S. R. E. legatus, necnon Guillelmus Santonenſis præſul eccleſiam in honorem B. Mariæ an. 1127. conſecrarunt.

II. Gaufredus fuit ſecundus abbas Fontis-dulcis. Hic de conſenſu totius capituli locum S. Viviani * dedit abbatiſſæ Fontis-ebraldi ad cultum & ſervitium divinum inibi inſtituendum, anno Incarnationis M. C. XL. Lucius II. papa eidem abbati, precibus Gaufridi Burdigal. archiep. bullam pontificiam direxit, qua confirmat abbatiæ bona, videlicet locum ipſum de Fonte-dulci, abbatias de Tenalia & de Granateria, &c. Porro ſubdit ſummus pontifex : *Conſuetudines ad religionis atque humilitatis obſervantiam ab eo qui præeſt, & fratribus ſimiliter ſecundum beati Benedicti regulam & Ciſtercienſium fratrum ordinem in monaſterio veſtro vel in aliis ſubjectis eccleſiis inſtitutas, nullus archiepiſcopus aut epiſcopus ſua auctoritate infringere, aut mutare præſumat.* In hoc etiam diplomate quod exſtat in archivo Granateriæ, Guillelmus Pictavenſis & Vulgrinus Engoliſmenſis comites laudantur tanquam Fontis-dulcis benefactores. Gaufridus autem abbas fundavit abbatiam in loco de Granataria, ut ibidem videre eſt.

* Iſte prioratus inter Surgeris & abbatiam Gratiæ-Dei, a ſegregibus everſus, modo abbatiæ Fontis-ebraldi unitus eſt.

III. Geraldus erat abbas Fontis-dulcis annis 1150. & 1170. Hoc autem an. Alienor Aquitaniæ ducissa plurima impertivit monaſterio. Reperitur etiam 1177. in hiſtoria monaſterii de Abſia, ubi vide ; ſed jam fortaſſe regimen abdicaverat.

IV. Arnaudus præerat Fonti-dulci annis 1174. & 1175.

V. Fulcherius.

VI. Guillelmus II. Calonis.

VII. Willelmus III. 1222. menſe Aprili ex charta Angeriaci. Is eſt fortaſſe Willelmus qui controverſiæ inter abbatem Gratiæ-Dei & L. dominam de Lolay judex a domino papa delegatus eſt ; quique donum abbatiæ de Vajal a Tenalia dependentis, factum monaſterio Bolbonenſi confirmavit, ex tabul. Bolbonenſi.

VIII. Ar. abbas Fontis-dulcis 1255. menſe Aug. ex charta B. M. de Frenada.

IX. P. abbas memoratur cum Guillelmo abbate Baſſacenſi, in charta hominii redditi epiſc. Engol. a dom. de Torcio circa 1285. Vide inſtr. eccl. Engol. C. XV. col. 452.

X. Hugo abbas 1390.

XI. Jobertus, Josbertus & Imbertus 1424. 10. Decemb. ex charta authentica regiæ biblioth. 1428. & 1439. quo anno Johannam de Villaribus abbatiſſam S. Mariæ Santonenſis miſit in poſſeſſionem. Sedebat adhuc an. 1449. 20. Nov. ex charta authent. regiæ biblioth. quo an. ab Anglis caſtrum Cogniacum captum eſt, & monaſterium beatæ Mariæ de Fonte-dulci ab iiſdem ſpoliatum fuit.

XII. Johannes I. 1451. 12. Nov. 1458. 12. Nov. 1461. die ultima Nov. & 1466. 10. Nov. ex chartis authenticis regiæ biblioth.

XIII. Henricus 1467. 16. Dec. & 1480. 3. Martii, ibidem.

XIV. Johannes II. Aubin vel Aulbin 1507. 2. Dec. ibidem.

XV. Carolus Guerin 1517. & 1519. ibidem. Occurrit etiam an. 1525, apud Mabillonium, in appendice tomi V. Annal. pag. 688.

XVI. Jacobus de Lyvene 1541. & 1547. 2. Julii, ex chartis authenticis regiæ biblioth.

XVII. Johannes III. du Vache abbas commendatarius 1687. ex charta Frenadæ.

TENALIA.

la Tenaille.

IDem occurrit dicendum de iſta abbatia quod de Fonte-dulci ipſius matre ; videlicet ejus originem refundi a chronographo Malleacenſi in S. Geraldum de Salis, quam potiori jure attribuas Guillelmo de Concampo primo abbati Fontis-dulcis, ut patet ex inſtrumento inter probationes excuſo. Ordinis eſt S. Benedicti, ſub invocatione B. Mariæ Virginis, in agro Santonenſi poſita, media fere via Santonas inter & Burdigalam, ſex ab illa civitate leucis, non longe ab oppidis, *de Pons* & *de Barbezieux*, juxta rivulum qui poſtea influit in fluvium *de la Seuille*. Reperitur autem aliquando paruiſſe Dalonenſi monaſterio Tenalia, quæ & ipſa abbatiam de Vajal ſibi ſubditam eſſe gloriata eſt. Suos inter præcipuos benefactores numerat toparchas de Pontibus, de Barbezillo, & de Archiaco ; inter abbates vero, hos qui ſequuntur, erutos maxime e parvo ſed antiquo chartulario viginti duabus pagellis comprehenſo, necnon e C. XXX. col. 484.

Digitized by Google

quibuſdam documentis, quæ nobiſcum perhumaniter communicavit R. pater Jacobus de Meſplez, rector collegii Societatis Jeſu Santonenſis, cui domui jam ab anno 1619. hæc abbatia ceſſit.

Index abbatum.

I. Guillelmus I. nominatur primus abbas tum in chronico Malleacenſi, tum in pluribus locis chartularii, quod acquiſitiones abbatum vel donationes ipſis factas complectitur.

II. Arnaudus in charta Aimerici *Juſtas-manus.*

III. Petrus I. 1160. cui & pauperibus monachis de Tenalia, qui nuper Bretis domum ædificaverant, Guillelmus de Surgeriis nonnulla conceſſit.

IV. Benedictus contulit eccleſiæ ſancti Stephani Beanienſis, in manu Ademari Santonenſis epiſcopi, quidquid habebat in decima de Grandi-valle, & pratum quod eſt prope vicum S. Germani, W. vero abbas Beanienſis dedit in compenſationem illius decimæ eccleſiam S. Sigiſmundi, monachis Tenalliæ, ſub annua penſione duodecim denariorum.

V. Guillelmus II. 1189. in charta W. de Garda. Paciſcitur an. ſeq. cum Aldeburgi abbatiſſa ſanctæ Mariæ Santon. pro ſalinis de Arableto, præſentibus S. Eparchii, Silvæ-maj. & de Blanziaco abbatibus a ſummo pontifice judicibus delegatis.

VI. Amelius vel Amelinus 1266.

VII. Guillelmus III. Blanc 1301.

VIII. Conſtantinus 1316.

IX. Petrus II. Barraudi 1346.

X. Johannes I. Reginaldi 1354. 60. & 79.

XI. Ranulfus Coralli 1400. & 1401.

XII. Johannes II. Fouquet 1417. Reperitur 1424. 13. Febr. & 1426. 20. Maii, in chartis authenticis regiæ bibliothecæ.

XIII. Hugo I. Brugere ſeu Bregieres 1446. 23. Julii, ex charta authentica regiæ bibliothecæ, 1448. & 1451. quo anno reperitur abſque cognomine, in charta authent. regiæ biblioth.

XIV. Hugo II. Daniel 1452. 10. Jun. 1454. & 1476. 8. Junii, in chartis authent. regiæ bibl. Reperitur alibi annis 1458. 62. 71. & 73.

XV. Ludovicus I. Chauvinet 1477. menſe Aug. & 1493. 18. Jan. in chartis authent. regiæ biblioth. Alibi vero 1478. 91. 97. & 99.

XVI. Philippus Chauvinet 1504. & 1507.

XVII. Antonius de Vallée 1514.

XVIII. Petrus III. de Blois 1515.

XIX. Ludovicus II. de Blois 1516. menſe Decembri, ex charta authentica regiæ biblioth.

XX. Johannes III. Dugua 1518. & 1523.

XXI. Jacobus I. de Pons clericus, notarius apoſtolicus & abbas commendatar. 1528. & 1532. Nominatur in charta authentica regiæ bibliothecæ an. 1529. 14. Martii.

XXII. Johannes IV. Catrix, monachus Tenalienſis & prior B. Mariæ Caſtri-Achardi ordin. S. Benedicti in diœceſi Pictav. ex permutatione hujuſce prioratus cum Jacobo de Pons abbatiam poſſedit, aſſenſu Clementis papæ VII. dato Maceratæ per bullam an. 1533. VII. cal. Aprilis, pontificatus an. x. Sedebat adhuc 1537. die 6. Novemb. ex charta authentica regiæ biblioth.

XXIII. Jacobus II. Catrix monachus de Tenalia, ſuperioris ex fratre nepos, decimum duntaxat ætatis annum agebat, quando per ceſſionem patrui abbatiam obtinuit vi bullæ Pauli papæ III. datæ apud ſanctum Petrum 1538. IV. cal. Aug. pontific. anno IV. qua ſummus hic pontifex abbates S. Eparchii Engoliſm. & de Plena-ſilva diœc. Sant. nunc Burdigal. committit, ut dictum Jacobum in realem poſſeſſionem admittant, eidemque Jacobo licentiam indulget accipiendæ benedictionis cum ad annum ætatis 27. pervenerit. Ipſo regente an. 1582. monaſterium a furentibus hæreticis funditus everſum eſt, octo monachi fugati, unus pro fide Catholica interemtus, & abbas coactus ſecedere in paternam domum de Bergueville apud Caſtrum-novum, diœceſis Engoliſm. ubi confectus ærumnis diem clauſit extremum. Extunc toparchæ de Plaſſac abbatiæ proventibus ſub nomine Geraldi de la Roche confidentiarii potiti ſunt, donec agente Johanne-Ludovico de la Valette duce d'Epernon, unita eſt abbatia collegio Santonenſi Societatis Jeſu bulla Pauli papæ V. data Romæ apud S. Mariam Majorem an. 1619. IX. cal. Septemb. pontificatus anno XV.

S. LEODEGARIUS.

S. Ligaire.

Hæc abbatia ordinis Benedictini, ad Separim * amnem prope Niortum ſita, fundatur an. 961. ex chronico Malleacenſi. Statim vero ab exordio ſuo S. Maxentii monaſterio ſubjicitur, ut palam fit ex chartula ſequenti: *Sæpius accidit, quod ſubreptionem oblivio ingerat. Idcirco poſterorum multitudini intimare ſtudemus, quod in eccleſia S. Leodegarii non debet eſſe inſtitutus abbas, niſi cum conſilio abbatis & monachorum S. Maxentii; & ſi aliquem forte inter ſe e fratribus ſuis idoneum invenerint, cum conſilio ſupradictorum monachorum & abbatis eligere debent; ſin autem, debent venire in capitulo B. Maxentii, & eligere unum quemcumque voluerint, voluntate abbatis. Sic fuit ibi abbas Tembaudus Franceis monachus S. Maxentii, & alii multi qui fuerunt electi, videlicet Petrus de Cougnac & Petrus Abrocit; & priores clauſtrales plures, videlicet Reginaudus Cozone & Humbertus Bozeas*, &c. Hinc abbas ſancti Leodegarii debet in vigilia S. Maxentii celebrare miſſam, & in craſtino matutinalem, & ad Dominicalem debet eſſe cantor. Et ſedere in loco prioris in choro debet; ex veteri chartulario pag. 25. Porro hanc abbatiam uſurparunt vicecomites Niortenſes uſque ad obitum Arberti vicecomitis, poſt quem Aldeardis vicecomitiſſa ipſius vidua eam reſtituit Bernardo abbati S. Maxentii, cujus juris antiqui erat, inquit chronicon Malleac. Sic autem ſe habet charta reſtitutionis: *In nomine Dei & Salvatoris noſtri J. C. Ego Audeardis & filii mei, notum fieri volumus ſolertiæ omnium fidelium ſanctæ Dei Eccleſiæ, tam præſentium quam futurorum, quod ad deprecationem domni Bernardi abbatis placuit nobis reddi eccleſiam S. Mariæ & S. Vincentii martyris, quæ nunc modo monaſterium ſancti Leodegarii martyris vocatur, quam anteceſſores noſtri ob remedium animarum ſuarum contulerunt piiſſimo Adjutori Maxentio*

* la Serre.

Digitized by Google

ri Maxentio & martyri Leodegario. Nos vero rem diligenter examinantes, prius tumulavimus Arbertum ſeniorem meum, orantes ut pius Adjutor Maxentius a tartareis ignibus, ſui interceſſione eum dignetur eripere. Expleto ergo ſepulturæ obſequio, conceſſimus congregationi ibidem Deo militanti, ut quidquid ab hodierno die ob utilitatem ejuſdem monaſterii facere & ordinare voluerint, liberum in Dei nomine per hanc noſtram auctoritatem arbitrio habeant faciendi quidquid elegerint, nemine contradicente, &c. *S. Audeardis. S. Aimerici filii ſui. S. Tetbaudi. S. Goffredi. S. Guillelmi ducis. S. Bernardi abbatis. S. Samuelis.* &c. *Data III. idus Maii, regnante Rotberto rege Francorum.* Hoc monaſterium S. Leodegarii hactenus exſtitit, eſtque ſui juris, de cujus abbatibus nunc dicendum.

Series abbatum.

I. ODo abbas S. Maxentii & S. Leodegarii moritur anno 963.

II. Ramnulfus.

III. Conſtantinus. De his duobus utrum pacifice apud S. Leodegarium ſederint, dubitat noſter D. Claud. Eſtiennot, nullo dubitationis ſuæ allato fundamento.

IV. Guibertus.

V. Bernardus, cui, ut ſupra diximus, abbatia S. Leodegarii reſtituta eſt circa an. 993.

VI. Rainaldus.

VII. Gulferius.

VIII. Amblardus.

IX. Aimo ſeu Emmo.

X. Archimbaldus; quos omnes inter Sammaxentianos abbates require.

XI. Goſſenus ab Archimbaldo facto Burdigalenſi archiepiſcopo, videtur S. Leodegarii monaſterio præfectus, qui ſane legitur abbas S. Leodegarii in conſecratione eccleſiæ S. Mariæ Santonenſis, an. 1047. Vide inſtrumenta. c. xxviii. col. 483.

XII. Aimericus, de quo pariter conſule Sammaxentianos abbates. Hic aliquandiu S. Leodegarii monaſterium rexit, cui poſtea Hugonem nepotem præfecit abbatem; exindeque cœpit monaſterium a propriis abbatibus gubernari.

XIII. Hugo, Aimerici nepos, regimen obtinebat an. 1068. ex chronico Malleacenſi, ubi & depoſitus legitur an. 1080. Idemque porro habetur apud Labb. tom. x. concil. p. 381. his verbis: *Fuit concilium Burdegalæ, in quo Berengarius reddidit fidei ſuæ rationem, & Hugo abbas S. Leodegarii fuit depoſitus.*

XIV. Philippus, Hugoni ſubrogatus, ex chronico Malleacenſi, teſtis reperitur in promotione Rainaudi monachi Malleac. in abbatem Vallium S. Stephani, facta a Gaufrido abbate Malleac. circa an. 1085.

XV. Arnaudus I. Philippi ſucceſſor, ex eodem chronico & Beſlio, p. 363. Alphab. 2.

XVI. Autbertus, ex eodem chronico.

XVII. Thetbaudus Franceis, ex monacho S. Maxentii factus eſt abbas S. Leodegarii. Hic anno 1108. *al.* 1109. Ludovici regis primo, præſens memoratur donationi de Salina in Trunca, factæ monaſterio S. Maxentii a Petro Helia de Nobiliaco, & Guidone Barabino & fratribus ejus. Occurrit etiam in chartulario ejuſdem monaſterii, anno 1119.

XVIII. Petrus I. de Cogniaco, ex priore ſancti Maxentii, abbas S. Leodegarii circa an. 1130.

XIX. Petrus II. Abrocit, ex gente in Pictonibus haud ignobili, erat & ipſe prior S. Maxentii, quando in abbatem S. Leodegarii cooptatus eſt circa an. 1150. ex cod. MS. S. Maxentii.

XX. Arnaldus II. adfuit tranſactioni factæ inter abbatiſſam SS. Trinitatis Pictav. & Jacobum miniſtrum fratrum S. Johannis Jeroſolymitani in Pictonibus, an. 1187. Recenſetur an. 1217. in bibliotheca Cluniacenſi, fol. 1499. & an. 1218. in teſtamento Savarici de Malleone * domini Talemundi; item 1224. in litteris Hugonis de Lezay militis; qui rurſum præſens memoratur an. 1227. quando Hugo d'Avallie miles, monachus apud S. Maxentium effectus eſt, ubi tamen ſola prima ſui nominis littera connotatur. Eo ſedente an. 1236. extrema fere paſſum eſt S. Leodegarii monaſterium, ut narrat fragm. hiſt. editum tom. 2. bibliothecæ Labb. p. 247. Arnaldus abbas legitur adhuc anno 1244. in bibliotheca Cluniac. Ipſius exſtat in ſacello S. Ferreoli hoc epitaphium:

* *ſeu de Malo-leone*

Sub pede dum ſacras jacet Arnaudus bonus abbas
Annis ter denis cum primo mille ducentis
Ter binis ſenis moritur. . . . . .

XXI. Guido circa 1270. ex litteris Hugonis & Savarici Jedoin, quibus aliqua cedunt Caſtellariis, apud Podium-Galanti, *Peglant*.

XXII. N. de Nucheze ſepelitur in ſacello juxta majus altare, ad latus Evangelii. *Vide t. iii. vet. Gall. Chriſt. pag. 455.*

XXIII. Nicolaus nominatur inter eos, qui ad concilium Piſanum miſerunt procuratores, data eis plena poteſtate, an. 1409.

XXIV. Egidius de la Combe anno 1469. ex chartulario S. Mariæ Sant.

XXV. Bertrandus d'Aix, *al.* d'Aux, prior de Azayo prope S. Maxentium, & abbas commendatarius S. Leodegarii, 1540. 1555. & 1560. ſub cujus pravo regimine, ut pote Calvinianæ addicti ſectæ, monaſterium a neotericis evertitur anno 1559.

XXVI. Guillelmus de Maſſacré, e nobili gente oriundus, vir frugi & pacis amator, monaſterium regebat 1571. 75. & 84. cujus ædes abbatiales, ceteraque ædificia reſarcivit; Nioni defunctus 2. Octob. 1586. proindeque is eſt abbas, qui cum nonnullis monachis ab hæreticis captus 12. Julii 1575. Rupellamque deductus, ibi carceri mancipatus fuit.

XXVII. Carolus de Beaumanoir, filius Johannis domini de Lavardin Franciæ mareſcalli, abbas erat anno 1625. Obiit 1637. Interfuerat autem comitiis cleri Gallicani Pariſienſibus anno 1614. de quo plura in epiſcopis Cenoman.

XXVIII. Emmanuel de Beaumanoir ſuperioris frater natu minor, fuit etiam abbas S. Leodegarii; ſed utrum ante aut poſt fratrem, nobis incertum. Mortuus eſt juvenis, unde ſuſpicamur eum præceſſiſſe fratrem.

XXIX. Philibertus-Emmanuel de Beaumanoir de Lavardin, filius Henrici marchionis de Lavar-

Digitized by Google

din & Margaritæ de la Baume de Suze, ceſſit abbatia S. Leodegarii, retenta Bellilocenſi apud Cenomanos, quando factus eſt epiſcopus Cenoman. videlicet an. 1648. Moritur 27. Julii 1671.

XXX. Dionyſius Anthimius Cohon, vel, ut alibi legimus, Anthimius Dionyſius, epiſcop. Nemauſenſ. anteaque Dolenſis, abbas etiam de Troncheto & de Bello loco prope Cenomanos, abbatia S. Leodegarii potitus eſt uſque ad annum ſaltem 1650. Vivis exceſſit die 7. Nov. 1670.

XXXI. Ludovicus de la Vergne de Montenar de Treſſan Dionyſio in abbatia ſucceſſit, quam dimiſit cum ad epiſcopatum Cenomanenſem evectus eſt.

XXXII. Joſephus Magdalene de Fourbin Meſnier d'Oppedo, abbas erat anno ſaltem 1672. & adhuc 1674. imo præfuit ad annum 1701. quo valedicens mundo ſeceſſit in abbatiam B. Mariæ de Septem-fontibus, ubi prioris munere laudabiliter perfunctus, morte juſtorum obiit.

XXXIII. Franciſcus de Berthon de Crillon, Avenionenſis, a Rege deſignatus eſt abbas die 1. Nov. 1701. Hactenus feliciter præeſt, a Vencienſi epiſcopatu ad ſedem archiepiſcopalem Viennenſem tranſlatus.

Duo præfuere e nobili gente d'Eſcoubleau, ſed qui & quo tempore, ignoramus.

In veteri reg. archivi Pariſienſis reperimus Johannem Bongars S. Leodegarii abbatem, cujus filius Hilarius ex Thieneta Bailly, vindicatur a natalium infamia, litteris Franciſci I. regis, datis apud Molinum menſe Februario an. 1529. quæ exſtant in præfato regiſtro. Sed neſcimus cui abbatiæ S. Leodegarii præfuerit Johannes Bongars, aut quo tempore.

Madion.

MASDIO.

MASDIO ſeu Maſum-Dionyſii & Mas-Dionum, ſecundum noſtrum D. Claudium Eſtiennot, cœnobium eſt monachorum ordinis S. Benedicti ſub B. Mariæ patrocinio, diſtans 12. circiter milliaribus a Santonis, ſitumque prope Archiacum in parochia S. Germani *du Seudre*, qui fluviolus alluit rupem in qua conditum fuit monaſterium. Quis vero ei dederit initium, quove tempore, prorſus nobis ignotum. In bellis Calviniſtarum deſtructum, nunc nullos habet monachos incolas.

ABBATES.

I. Huic loco præfuiſſe an. 1231. probat noſter D. Claud. Eſtiennot, ex ejuſdem litteris, quibus teſtatur Petrum militem ceſſiſſe Petro de Bria priori S. Palladii, nonnulla apud Ars. Memoratur eodem an. die ultima Auguſti in chartulario S. Stephani de Vallibus.

II. Johannes Coqui abbas B. Mariæ de Madion in Santonibus 1446. 12. Apr. 1453. & 1455. 18. Junii, ubi dicitur hoc monaſterium veteris ordinis ſancti Benedicti, & 1456. 22. Junii, in chartis authenticis regiæ biblioth.

III. Carolus de S. Gelais 1460. 28. Novembris, ibidem.

IV. Guillelmus le Normant 1463. 2. Julii, 1464. 12. Januar. 1466. & 1477. XI. Julii, ibidem.

V. Ludovicus de Rochechouard epiſc. Santon. & prior S. Eutropii Santonenſis, erat quoque abbas Maſdionis, ex noſtro D. Claud. Eſtiennot in Antiquitatibus Santonicis MSS.

VI. Itherius de la Marthonie 1515.

VII. Stephanus de la Martonniere * XI. Julii 1526. ex charta authentica regiæ biblioth. * *f.* Marthonie.

VIII. Gaſto de la Marthonie circa 1531. vide in Aquiſtris diœceſis Burdigalenſis.

IX. Petrus de Mauriſſe canonicus eccleſiæ Santonenſis & archidiaconus Alnienſis, necnon abbas Madionenſis, obiit calendis Auguſti 1643. ſepultus in eccleſia S. Petri Santonenſis & in ſacello S. Euſtollæ.

X. N. Marchais 1677.

XI. N. Belot 29. Martii 1687.

S. MARIA SANTONENSIS. N. Dame de Saintes.

SMARIÆ Santonenſis nobile monaſterium extra urbis Santonenſis mœnia, ordinis Benedictini feminarum, conſtructum eſt ac fundatum an. 1047. a Gaufrido Martelli Andecavorum comite, & Agnete uxore, Aquitaniæ comitiſſa, eo in loco ubi erat abbatia S. Palladio ſacra[a], qui & canonicos ibidem conſtituerunt ad miniſterium ſanctimonialium, ut docet brevis charta ex tabulis eruta domeſticis, quam inter inſtrumenta reperies, cum ipſo fundationis inſtrumento, ejuſdemque confirmatione a Leone papa IX. necnon privilegio prælatorum, qui eccleſiam ſolemni prorſus modo conſecrarunt. [a] C. I. col. 457. C. XXV. XXVI. XXVII. & XXVIII. col. 478. & ſeq.

SERIES ABBATISSARUM.

I. CONSTANTIA reperitur anno 1047. in charta fundationis, & in bulla Nicolai II. papæ eandem confirmantis, menſe Apr. 1061. *Ibid.* col. 480.

II. Lethburgis jam ſucceſſerat an. 1066. quo Dagbertus quidam, conſentiente uxore, ſe dedit in ſervum perpetuum parthenoni, litteris datis ind. IV. concurrente V. epacta XI. tempore Willelmi comitis, qui Barbaſtam civitatem abſtulit Saracenis.

III. Herſendis Bruna, ſeu Arſendis in veteri charta de molendino ſito in burgo S. Mariæ juxta cimiterium S. Palladii, *tertia* nuncupatur *abbatiſſa*. Memoratur autem an. 1079. in charta Guidonis Aquitaniæ ducis nonnulla monaſterio conferentis. Et vero cum ipſa præeſſet, S. Silvani monaſterium huic parthenoni conceſſum eſt, Gregorio VII. ſummo pontifice, Philippo regnante, Willelmo * comite, Boſone Santonenſi, Willelmo Petragoricenſi epiſcopis, & Goſcelino archiepiſcopo Burdigal. Vix autem ultra præfatum annum 1079. iſta donatio differri poteſt, poſt quem ſcilicet Boſo Santon. & Willelmus Petragor. epiſcopi vix biennio ſua dignitate potiti ſunt, alter ſede pulſus, alter morte exſtinctus. Ceterum an. 1086. Harduino *Francigenæ* canonico S. Petri ſedis Santonicæ dediſſe legitur domum in terra S. Palladii infra mu- C. VII. col. 489. in inſtr. pro eccleſ. Petragoric. * Guido etiam & Goſiredus vocabatur.

* Nunc eſt parochialis eccleſia ſuburbii Santonenſis, B. M. parthenoni hactenus ſubjecta.

Digitized by Google

ros urbis Santon. Ranulfo ſedem obtinente. Occurrit adhuc Herſendis an. 1091. & 1096. quo bullam accepit ab Urbano II. papa. Diem clauſit extremum an. 1099. aut 1100.

IV. Florentia inſtituitur abbatiſſa anno 1100. quo ceſſit Aicardus de Borno miles, quidquid monaſterio contulerat ipſius pater in villa S. Juliani de l'Eſtap. Ejus rei litteræ datæ ſunt an. M. C. ordinationis domnæ Florentiæ abbatiſſæ primo. Idem Aicardus eidem loco ſilvam quandam donavit an. 1107. *Willelmo comite, filio Guidonis comitis, ducatum Aquitaniæ regente, Petro de Sulbizia epiſcopante, abbatiſſa Florentia conventum ſanctimonialium adminiſtrante.* Eadem Florentia in ſuam congregationem ſuſcepit Sibyllam, Agnetis Santonenſis comitiſſæ materteram, futuram ejuſdem loci abbatiſſam poſt eandem Florentiam; tumque Willelmus comes Pictav. hoc ipſo die terram reſtituit quam injuſte poſſederat Bernardus Bardras, *al.* Baudeli & Bardeche.

V. Sibylla comitiſſæ Pict. *al.* Santonenſis matertera an. 1119. bullam protectionis accepit a Calliſto II. papa. Inſcribitur etiam chartis annorum 1122. 1130. & 1131. * quo ultimo ſententiam obtinuit a Willelmo Petragoricenſi epiſcopo adverſus abbatem & monachos S. Martialis Lemovic. ſuper eccleſia & cœnobio S. Sylvani. Eidem inſuper Willelmus Aquitanorum dux quaſdam eccleſias donavit; vide inſtrumenta. Denique an. 1134. duellum pro foreſta S. Juliani ſibi ab Oſtenſio, oppidi Talleburgenſis domino, jam diu conceſſa fieri curavit.

* *Vide inter inſtr. eccl. Petrag.* C. IV. col. 487.

C. XXIX. col. 484.

VI. Agnes I. de Barbezillo, *Barbezieux*, e nobiliſſima gente in pagis Engol. & Santon. amita reginæ Alienordis, uxoris Ludovici VII. dicti Junioris, ex celleraria facta eſt abbatiſſa an. ſaltem 1137. *primo quo Dom. Ludovicus* cepit populum Aquitanicum regendum & 2. anno epiſcopatus D. Gaufredi *. Nominatur eodem an. in pacto cum Urſone Porcario, *primo anno promotionis Goffredi Burdigal. archiep. & decimo ordinationis Willelmi Santon. epiſcopi.* Agnes præterea celebris eſt ex variis ſummorum pontificum diplomatibus, ſcilicet Innoc. II. an. 1141. Eugenii III. 1146. Anaſtaſii IV. 1153. & Alexandri III. an. 1167. Exſtant inſuper ad eandem abbatiſſam litteræ Ludovici VII. an. 1140. quibus monaſterii poſſeſſiones confirmantur, & Alienordis reginæ anno ſeq. Præerat adhuc an. 1171. imo perveniſſe creditur ad annum uſque 1174.

* Burdigal.

VII. Aldeburgis paciſcitur an. 1181. cum Geraldo abbate Dalonis pro decimis de Toſchis, quæ percipiuntur in prioratu S. Saturnini abbatiæ Santonenſi ſubdito, ex chartul. Dalon. Dum autem ipſa regeret monaſterium, Lucius III. papa monaſterii privilegia confirmando, declaravit idem monaſterium & ejus capellanos a nemine poſſe excommunicari, præterquam a legato ſummi pontificis. Exceſſit e vivis an. 1220.

VIII. Theophania I. occurrit abbatiſſa eodem anno, tempore Henrici epiſc. Santon. Sed fortaſſe irrepſit mendum in annorum indicatione. Lege quæ ſuperius diximus in Henrico epiſc. Santon.

IX. Hilaria I. memoratur in litteris Hugonis comitis Marchiæ & Engoliſm. item in aliis documentis annorum 1235. 1240. & 1244.

X. Yva, ſacrarum veſtium cuſtos, eligitur abbatiſſa 1244. ſedebat 1258. attigitque annum 1280.

XI. Hilaria II. de Borno reperitur abbatiſſa annis 1283. & 1291. quo debita ſervitia cameræ ſolvit apoſtolicæ; & adhuc 1292.

XII. Theophania II. an. 1300. ex fr. Sammarthanis.

XIII. Orabilis Vigeria, & Vigerii, jam ſedebat an. 1301. mortem oppetiit 1311.

XIV. Agnes II. de Rupe-cavardi abbatiſſa creatur anno ſaltem 1313. quæ ut magis prodeſſet, quam præeſſet, ſtatuta quædam pro ſui reformatione monaſterii condidit an. 1319. quod paulo poſt ob tumultus bellicos deſtructum eſt, ſcilicet die 28. Junii an. 1327. Laudatur Agnes in bullis duabus Johannis XXII. annorum 3. & 7. ipſius pontificatus, & in quibuſdam inſtrumentis ann. 1325. & 1331. Anno ſeq. Petro archiepiſcopo Burdigalenſi cœnobium viſitare volenti reſtitit. Initio anni 1333. vacante monaſterio B. Mariæ Santonenſis per obitum Agnetis de Rupe-cavardi, inquit Baluzius in notis MSS. ad Gall. Chriſt. electæ ſunt in diſcordia, die 15. Febr. vel paulo ante, Yva Vigerie de Lonzaco & Agnes Garnerii moniales ejuſdem monaſterii. Cauſa devoluta eſt ad ſedem apoſtolicam, quæ ipſis judicem dedit Raimundum presbyterum cardinalem tit. S. Euſebii.

XV. Agnes III. Garnerii, quam idem Baluzius aſſerit electam fuiſſe a 28. monialibus, etſi paucioribus quam par erat, ſi verum eſt quod legimus 120. moniales Deo miniſtraſſe tempore Agnetis abbatiſſæ, viciſſe tamen æmulam videtur.

XVI. Yva Vigerie de Lonzaco * per obitum Agnetis electa dicitur 17. Febr. 1341. atque a Benedicto XII. papa, ejus pontificatus an. 7. confirmata. Hoc etiam anno Theobaldus epiſc. Santonenſis ei munus impendit benedictionis die 29. Junii, agnovitque ipſius monaſterii privilegia. Subſidia vero debita cameræ apoſtolicæ ſolvit an. 1344.

* *f.* de Lonzaco.

XVII. Hilaria III. inſcribitur tabulis authenticis annorum 1350. & 1352.

XVIII. Adelais ſeu Helidis & Alix de Rupe-cavardi ſedit ab anno 1352. ad annum 1366. cui interim Innocentius papa VI. anno ſui pontificatus ſexto, Incarn. Dom. M. CCC. LVIII. prioratum de Olebon ad triennium commiſit.

XIX. Margarita I. ab an. 1366. ad 1368.

XX. Agnes IV. de Rupe-cavardi vacanti per obitum Margaritæ ſedi admota, confirmatur ab Anglico cardinale idibus Octob. 1375. auctoritate Gregorii XI. papæ. Præfuit ad an. 1421. quo deceſſit die 12. Septemb. ſecundum noſtrum D. Edm. Martenne. Duas Agnetes Sammarthani diſtinguunt, alteram ab an. 1368. ad 1386. & alteram ab hoc anno ad 1427.

XXI. Margarita II. de Penevre poſtridie obitus Agnetis eligitur & confirmatur ab abbate Fontisdulcis, auctoritate Martini papæ V. Memoratur annis 1427. 29. & 38. quo anno ſeptuagenaria ceſſit in gratiam ſequentis, retenta ſibi penſione.

XXII. Johanna I. de Villaribus, *de Villars*, e

Digitized by Google

nobili apud Santones genere orta, ſanctimonialis apud Cuſſiacum diœceſis Claromont. ex ceſſione præcedentis, primum a concilio Baſileenſi, III. cal. Maii 1438. tum ab Eugenio IV. VIII. idus Junii ejuſdem anni admiſſa, in poſſeſſionem mittitur a Jauberto abbate Fontis-dulcis 1439. An. 1469. die 17. Aug. fidem obſtrinxit Carolo, filio & fratri regis Francorum, Aquitaniæ duci & comiti Santonenſis pagi, ex charta authentica regiæ biblioth. Sedit ad annum 1484.

XXIII. Anna de Rohan parentibus utrinque nobiliſſimis orta, anno ætatis ſuæ 25. bullas accepit ab Innoc. VIII. datas Romæ IV. nonas Martii 1484. Ipſa tamen non niſi die 15. Maii anni ſequentis poſſeſſionem adepta eſt. Obiit 15. Oct. 1523. tumque diſcordantibus in electione monialibus, aliis videlicet in Mariam de Savoiſy, aliis majori numero in Mariam d'Auriſe vota conferentibus, cum iſta jure ſuo ceſſiſſet,

XXIV. Blanca de la Roche-andry eligitur 6. Aprilis 1524. confirmaturque a Clemente papa VII. ejuſdem anni VII. cal. Julii. Recenſetur an. 1525. menſe Decembri & 1537. 27. Sept. in chartis authenticis regiæ biblioth. Interim vero memoratur Peretta Guillarme die 6. Feb. 1526. An & ipſa contenderat de abbatia, & a quibuſdam electa ſe ſe jactitabat abbatiſſam? ceterum Blancha dicitur obiiſſe an. 1544.

* Ludovica in *D. du Fourny.*

XXV. Johanna * II. de Rupe-fucaldi, Franciſci II. comitis de la Rochefoucauld principis de Marcillac & Annæ de Polignac filia, neptis Johannis epiſc. Mimatenſis, bullis obtentis poſt obitum Blanchæ, IV. nonas Nov. 1544. regimen capeſſivit. Reperitur eodem anno 26. Junii, & 1557. die 7. Jan. in chartis authenticis regiæ biblioth. Præfuit ad annum 1559.

* Poiſſy.

XXVI. Franciſca I. de Rupe-fucaldi monialis Piſciacenſis * ord. S. Dominici, Johannæ ſorori ſucceſſit ad annum uſque 1606. ut patet ex iis quæ ſepulcro ejus in ſuperiori parte chori poſito inſcripta ſunt: *Hîc ſita eſt D. F. de Rupefucal..... ſolo obiit & cælo abiit XXVII. Aprilis, ætatis ſuæ anno LXXIX. cum hanc domum XLVII. annis, pietate, exemplo, ſapientia & feliciter rexiſſet, anno Dom. M. DCVI.* In necrologio SS. Trinitatis Pictav. tale habet elogium: *Obiit venerabilis domina D. Franciſca de la Rochefoucaud abbatiſſa B. Mariæ juxta Xantonas, cujus & illuſtriſſimæ D. Franciſcæ de Foix ejuſdem domus abbatiſſæ, eximia liberalitate, ſexcentorum aureorum nobis eleemoſyna donata eſt ad reſtaurandum clibanum noſtrum piſtorium, & piæ D. Fr. de Foix illius neptis hujuſque ſororis, in precibus publicis ac privatis perpetuis recordemur IV. cal. Maii.* Nullus ergo ſupereſt locus Johannæ de Clermont, quam SS. Trinitatis Pictav. monialem aſſerunt quidam nominatam fuiſſe ad abbatiam S. Mariæ Santonenſis a Carolo rege litteris datis Burgulii die 7. Dec. an. 1571. Fortaſſe data eſt coadjutrix Franciſcæ, & ante ipſam defuncta eſt.

XXVII. Franciſca II. de Foix, Ludovico Fuxenſi, comite Gurſonii ex Diana de Fuxo-candala naſcitur die 1. Julii 1582. Profeſſioni monaſticæ votis emiſſis ſeſe addixit 2. Julii anno 1600. in manibus Franciſcæ abbatiſſæ, cui demum ſuceſſit 2. Aprilis 1606. Monaſterium pene collapſum inſtauravit, in quo & novam virtutum omnium ſcholam inſtituit, forma ipſa facta gregis, adeo ut ex hoc parthenone plures per diverſa Galliarum cœnobia tum abbatiſſæ tum prioriſſæ fuerint evocatæ. Poſtquam vero triginta quinque ſupra centum ad habitum religionis virgines, pleraſque nobiles ſuſcepiſſet, abundeque ſacram ſupellectilem ſuppeditaſſet, ac in ſinus pauperum theſauros effudiſſet, obdormivit in Domino die 19. Aprilis 1666. ætatis ſuæ anno 84.

XXVIII. Franciſca III. de Foix, Frederico comite de Flaix & de Gurſon, magno Aquitaniæ ſeneſcallo, & Carlotta de Caumont parentibus orta, neptis vero & coadjutrix abbatiſſæ ſuperioris ab anno 1633. ei ſucceſſit anno 1666. Benedictionem percepit ab epiſcopo Petragoric. anno 1674. adſiſtentibus Carlotta de Grammont S. Auſonii, & Suſanna de ſaint Aulaire S. Mariæ de Ligurio abbatiſſis. Pie ut vixerat, obiit 17. Octob. 1686. ætatis anno 72. *Sammarth.*

XXIX. Carlotta de Caumont-Lauzun, filia Gabrielis comitis de Lauzun, ex Carlotta filia Henrici de Caumont la Force marchionis de Caſtelnau, hujuſce monaſterii alumna, ſchedulam regiam accepit 31. Decemb. 1686. pontificiam vero II. cal. Martii anni ſequ. quibus munita poſſeſſionem adepta eſt 22. Junii 1687. ac tandem benedictione ſolemni donata 12. Octob. 1692. Coadjutricem habet a tribus annis Margar. Bathildem de Gontault de Biron, monialem cœnobii Calenſis in diœceſi Pariſ. natam ex Carolo-Armando marchione de Biron Regis in caſtris legato & Maria-Antonia de Bautru filia Amandi de Bautru Novigenti-regii comitis, ſummi veſtimentorum regiorum præfecti.

Nullus videtur locus relictus pro Margarita des Prez nepte Jacobi des Prez epiſcopi Montalban. mortui anno 1589. quam D. du Fourny in hiſt. mareſcallorum Franciæ p. 631. dicit abbatiſſam fuiſſe S. Mariæ Santonenſis, ac poſtea Nonnantici.

SABLONCELLÆ.

Sablonceaux.

B Maria de Sabloncellis, ord. S. Auguſtini e congregatione Cancellatæ, fundatorem habere gloriatur Guillelmum Aquitaniæ ducem, uti videre eſt in inſtrumento fundationis Fontis-comitis; præcipuum vero benefactorem Othonem Aquitaniæ pariter ducem, cujus chartam vide inter inſtrumenta. Sita eſt hæc abbatia haud procul a fluvio *la Seudre*, qui non longe abhinc influit in mare, in loco arenoſo ſeu *fabuloſo*, a quo forſitan inditum ipſi nomen de Sabloncellis, juxta ſilviculam, abſque pago, quatuor leucis a civitate Santonenſi, totidemque Rupe-forti, Marennia, & Salionio; una denique tantummodo ab inſigni prioratu conventuali S. Gemmæ, qui Caſæ-Dei ſubjacet. Eccleſia Virgini aſſumtæ in cœlos nuncupatur, cujus dedicatio annua feſtivitate recurrit 22. Octobris. Habet autem intra ſuos fines parochiam ſub nomine S. Andreæ. Opulentum ſane fuit olim hoc monaſterium, quod in *grangiis* octoginta, totidem fratres converſos numerabat. Nunc vero eccleſia pene deſtructa, ædeſque ſolo

C. LIII. col. 370.

C. XXIV. col. 477.

Digitized by Google

proſtratæ, uti etiam domus hoſpitalis, cujus exſtantis ad primam monaſterii portam ſola ſuperſunt rudera. Ceterum notatu dignum videtur in horto fontem aquæ mineralis ſcaturire. Habetur memoria defunctorum fratrum S. Mariæ de Sabloncellis VII. cal. Octob. in necrologio Fontis-ebraldi.

Abbatum nomenclatura.

I. Gaufridus de Laureolo primus rexiſſe videtur monaſterium de Sabloncellis, uti & Fontis-comitis.

II. P. abbas de *Sablonicus* memoratur in tabulis Grandimont. ann. 1221. & 1236.

III. Stephanus I. 1260. menſe Junio, ex regeſto 34. archivi regii Pariſ. teſte Baluzio in notis MSS. ad Gall. Chriſt.

IV. Helias 1317. ex charta Fontis-comitis.

V. Galhardus anno 1365. menſe Auguſto, in charta epiſcopi Santonenſis.

VI. Petrus 1400. quo anno, die 12. Maii Reginaldus de Pons miſſam in eccleſia de Sabloncellis fundavit.

VII. Stephanus II. 1424. die ultima Nov. & 1425. 18. Decembris, ex chartis authenticis regiæ bibliothecæ.

VIII. Nicolaus 1445. 10. Jan. & 1467. die 4. Decemb. ex chartis authenticis regiæ biblioth. Reperitur alibi 1459.

IX. Hugo 1472. 25. Jan. 18. Aug. & 15. Sept. qua die Regi Ludovico, ratione ipſius ducatus Aquitaniæ, ſacramento ſe ſe obſtrinxit, ex chartis authenticis regiæ biblioth. ubi etiam reperitur 12. Aug. 1486.

X. Franciſcus 1488. 15. Sept. & 1493. ultima die menſis Aprilis, ibidem.

XI. Johan. I. de Tourettes 1515. 24. Nov. ib.

XII. Johannes II. Dugua 1525. die 28. Dec. & 1543. 15. Decemb. ibid.

XIII. Arnaldus Dugua 1547.

XIV. Reginaldus Dugua 1556. 26. Julii, ib. An. 1568. monaſterium flammis abſumtum eſt.

XV. Gabriel Martel ultimus abbas regularis, 1612. & 1621.

XVI. Raimundus de Montagne eques, Regi a ſanctioribus conſiliis, præſes ſeneſcalliæ Santon. toparcha de S. Genez, &c. a canonicis poſtulatur in abbatem an. 1624. Memoratur 1627. & 1629.

XVII. Henricus d'Eſcoubleau de Sourdis archiepiſcopus Burdigal. aram principem ædeſque abbatiales magnis ſumtibus ædificavit. Id vero maxime illum commendat, quod pro reformatione ſui monaſterii pactum inierit cum Alano de Solminihac abbate B. Mariæ de Cancellata, 25. Octob. 1633. Regebat adhuc an. 1645.

XVIII. Harduinus I. de Perefixe de Beaumont, abbas de Sabloncellis & prior commendatarius S. Gemmæ 1648. poſtea epiſcopus Ruthenenſis, ubi vide, ac tandem Pariſienſis antiſtes 1670. mortuus anno ſequenti die 1. Januarii.

XIX. Harduinus II. Fortin de la Hoguette ſocius Sorbonicus, cleri Gallicani procurator generalis 1672. deinde archiepiſcopus Senonenſis, abbas de Sabloncellis & prior S. Gemmæ per obitum avunculi, 3. Jan. 1671. Sub eo prioratus B. M. de la Salle de Nancra unitur monaſterio, litteris tum regiis, tum pontificiis, eo pacto, ut canonici fidem catholicam recens converſos edocerent.

XX. N. de Chalons nominatur abbas 22. Apr. 1713.

B. MARIA DE CASTRIS. Chaſtre.

Hæc abbatia ordinis S. Auguſtini, ſita in diœceſi Santon. una leuca Cogniaco prope fluvium Carantonum, fundata legitur a toparcha de Bourg-Charente, tempore Arnardi Taillefer IV. comitis Engoliſmenſis.

Abbatum series.

I. Guillelmus I. 1237. ſocietatem iniit cum Viviano abbate & conventu Mali-leonis.

II. Robertus fuit unus e præſidibus electis a capitulo provinciali canonicorum Regularium provinciarum Burdigalenſis, Bituricenſis, & epiſcopatus Anicienſis, celebrato Lemovicis die Jovis poſt feſtum B. Gregorii an. 1343. ex inſtrumento B. Mariæ de Corona.

III. Johannes I. de Cor, die 9. Octobr. 1455. ex charta S. Stephani de Baſſaco.

IV. Guillelmus II. 1457. ex tabula SS. Trinitatis de Malo-leone.

V. N. de Jarnac, filius Renaudi Chabot dom. de Jarnac & Iſabellæ de Rochechouard filiæ & heredis Johannis domini d'Apremont & de Brion, cui ſucceſſit

VI. Franciſcus dominus de Jarnac ipſius frater, mortuus an. 1493. ex D. du Fourny in hiſtoria genealogica maris præfectorum.

VII. Johannes II. Gomard canonicus & archidiaconus Santon. abbas erat Caſtrenſis an. 1575.

VIII. Johannes III. de Lamont, presbyter diœc. Engoliſm. filius Roberti de Lamont Scoti ſigniferi prætoriæ cohortis ſub Henrico IV. Obiit 27. Febr. 1697.

IX. N. de Maniban abbas nominatus an. 1697. e vivis ſublatus eſt menſe Martio anno 1700.

X. N. de Pont, *al.* du Pont, natus apud Pontes, *Ponts*, in diœceſi Santonenſi, deſignatus eſt abbas in feſto Paſchæ anni 1700. Obiit 1703.

XI. N. de Remond de Pomerol nominatur abbas die 14. Aug. 1703. ſimul abbas Loci-Dei ord. Ciſt. *Loc-Dieu.*

XII. N. de Polaſtron renuntiatur abbas die 6. Novembris 1717.

FRENADA. la Frenade,

Hic locus B. Mariæ ſacer, ord. Ciſterc. ex Obaſinæ filiatione & linea Ciſtercii, conditur anno 1148. in opima planitie diœceſis Santonenſis ad rivum *du Nez* paululum abhinc defluentem in Carantonum fluvium, quatuor vel circiter leucis ab urbe epiſcopali, una Cogniaco, in parochia S. Remigii de Merpiſio, *de Merpin*, ubi prioratus olim conventualis, abbatiæ Saviniac. diœc. Lugdunenſis ſubditus. Hoc autem monaſterium, cum infinitis prope aliis, hæreticorum furori æqualiter obnoxium deſtructum eſt, cujus ſoli duntaxat remanſerunt refectorii muri, qui reædificandæ eccleſiæ inſervierunt. Cetera ædificia inſtauraverunt

Digitized by Google

D. Johannes du Burg & D. Johannes Vittier priores meritiſſimi, cujus poſtremi urbanitati debemus, quod ultro nobis archivum reſerarit, unde hanc abbatum hiſtoriam depromere datum eſt.

Series abbatum.

I. Robertus S. Stephani Obaſinæ abbatis diſcipulus, bullam accepit ab Alexandro III. qua monaſterii bona & privilegia confirmantur. Data eſt apud Clarum-montem II. idus Junii, Incarnat. Dom. 1164. pontificatus anno II. * Memoratur etiam Robertus abbas anno 1176. in tabulario Dalonæ.

II. Geraldus.

III. Stephanus 1188. & 1190. quo anno Clemens papa III. pontificatus anno III. ſeptimo idus Junii indict. VIII. bona cœnobii confirmavit. Recenſetur etiam annis 1191. 1200. & 1206.

IV. P. abbas 1217. & 1219.

V. Willelmus 1219. & 1223.

VI. Andreas 1230. Poſtea ceſſit.

VII. Petrus I. 1233.

VIII. Bernardus I. cui Audoynus de Barbezillo, *Barbezieux*, filius quondam domini Audoyni de Barbezillo nobilis & bonæ memoriæ viri, apud Damietam in exercitu Chriſtiano jam defuncti, cum conſilio & voluntate Iterii domini de Barbezillo multa prædia dedit in eleemoſynam. Hujus rei teſtes ſunt domnus Andreas ejuſdem eccleſiæ quondam abbas, frater Johannes de Marcillac, Robertus Chantareus, Ar. de Sales, &c. monachi de Frenada, anno Incarn. Dom. 1237. Dominica ante feſtum B. Ambroſii, prima die Aprilis luna XXI. Occurrit adhuc Bernardus abbas annis 1254. & 1258.

IX. Ramnulfus abbas *de Frayneta*, die Mercurii ante feſtum B. Urbani 1280. quo anno monachi degebant in domo de Brolio-ſervandi.

X. Matthæus 1282. & 1283.

XI. Willelmus II. cui Seguinus prior S. Eutropii Santonenſis, de conſilio fratrum G. de Barbezillo, Oliverii de Runſenac & Joſſelini de Graſac priorum, donat quidquid habebat in molendino *de Chantemerle*, an. 1293. die 26. Martii.

XII. Petrus II. 1303. & 1311. menſe Julio.

XIII. Jordanus 1313. die Jovis poſt feſtum Omnium SS. 1316. 1322. 1326. 27. 28. & 30. die Sabb. poſt feſtum S. Gregorii, & 1340. die Veneris ante Aſſumtionem B. M. Virginis, ex charta authentica regiæ biblioth.

XIV. Seguinus I. de Chaſlerio 1347. die 3. Octobris.

XV. Bernardus II. 1349.

XVI. Seguinus II. 1355. 57. & 58.

XVII. Willelmus III. ſeu Guillelmus 1376.

XVIII. Stephanus II. 1403.

XIX. Petrus III. Herault inſcribitur chartis authenticis regiæ biblioth. ann. 1425. 15. Junii, & 1471. die 30. Aug. Reperitur in aliis tabulis 1424. 25. 45. 51. 59. 60. 65. & 66.

XX. Carolus de ſaint Gelais epiſcopus Helenenſis, primus abbas commendatarius 9. Auguſti 1473. Memoratur in chartis authent. regiæ bibl. ann. 1474. 25. Aug. & 1475. 21. Aug.

XXI. Jacobus de ſaint Gelais epiſc. Uticenſis, 1492. 1511. & 1528.

XXII. Merlinus de ſaint Gelais 1554.

XXIII. Johannes I. Martin 1593.

XXIV. Carolus II. de Raymond, Regi ab eleemoſynis & conſiliis, abbas Frenadæ & prior ſancti Remigii de Merpiſio, annis 1609. 1612. & 1624.

XXV. Johannes II. Leo de Raymond de la Vere, abbas Frenadæ & prior Merpiſii 1668.

XXVI. Robertus II. Deſprez 1673. & 1682.

XXVII. Petrus IV. Hieronymus Hoſdier, frater protopræſidis in curia monetarum Pariſienſi, canonicus B. M. Pariſ. & abbas Frenadæ 1683. 85. 91. & 1694. quo anno, die 27. Julii Pariſiis mortem oppetiit.

XXVIII. N. Moreau deſignatur abbas Frenadæ 24. Decemb. 1694. qua deinde abbatia ultro dimiſſa, obtinuit Abſiam 8. Sept. 1695.

XXIX. Johannes * Antonius Maroulle de Jeanpaul Meſſanenſis, nominatur a Rege die 8. Sept. 1695. Sedebat adhuc an. 1714.

* *Jean-Paul Merode*, ex ſchedis nonnullis.

Digitized by Google

ECCLESIA PICTAVIENSIS.

PICTAVIUM ſeu Auguſtoritum Pictonum ad Clanum fluvium, vulgo *le Clain*, civitas eſt antiquiſſima, caput totius Pictonum gentis ſub archiepiſcopatu Burdigalenſi, & parlamento Pariſienſi. Ptolomæus tamen duas præcipuas urbes Pictonum recenſet, Auguſtoritum & Lemonum: at Auguſtorito primus ubique locus attribuitur. Ceterum quid ſit Limonum nunc ignoratur, cujus loco Lemovicum ſcriptum eſſe in commentariis Cæſaris, & quidem corrupte, obſervat Hadrianus Valeſius in Galliarum notitia. Locus eſt commentariorum lib. VIII. ubi Hirtius ſcribit C. Caninium legatum *in fines Pictonum ad oppidum Lemovicum contendiſſe; quo cum adventaret, ex captivis cognoviſſe Dumnaco duce Andium, Duracium clauſum Lemovicum oppugnari.* Ubi Valeſius pro *Lemovicum*, legendum eſſe *Limonum* cenſet, cui conjecturæ favent, inquit, veteres codices, & Æthicus, quando aſſignat iter a Burdigala Auguſtodunum. Per Limonum Samſon intelligit Pictavium caput gentis, ſecutus Magnonem qui notas Tironis & Senecæ, &c. ſcripſit, regique *Carlo* dedicavit; ſed præſtat ſequi Ptolomæum qui optime indicat ſitum Pictonum, dum ait eos Septentrionalia Aquitaniæ tenere ad flumen Ligerim, & ad Oceanum. Porro Auguſtoritum, quod aliquando contracte legitur *Augritum*, ut in tabula Peutingeriana, ſic dictum ab Auguſto Cæſare creditur.

Populorum quibus hanc civitatem caput damus mentio frequens occurrit in veteribus ſcriptoribus. In Cæſaris commentariis legimus Vercingetorigem Arvernum, cui parebant, præter gentes Aquitaniæ, Senones, Pariſii, Turoni, Andi, Aulerci, ad liberandam ab obſidione Romana Aliſiam ſingulis populis certum militum numerum imperaſſe, & Pictonibus quidem octo hominum millia.

Strabo Pictones numerat inter gentes quatuordecim Aquitaniæ, quæ habent ſedes inter Garumnam & Ligerim, quem fluvium dicit fluere inter Pictones & Namnetes. Plinius quoque Pictones recenſet inter Aquitaniæ populos. Ammianus Marcellinus docet in provincia Aquitanica excellere Burdigalam & Arvernos, & Santones & Pictavos.

Ceterum hic Pictavorum nomine urbs potius intelligi debet, quam Pictonum gens. Ita etiam apud Hieronymum & Sulpicium Severum interpretandum eſt quod dicunt de Pictavis. Eodem ſenſu Socrates & Sozomenus Græci ſcriptores, S. Hilarium appellant *Pictavorum urbis Aquitaniæ* epiſcopum. Apud Gregorium urbs Pictonum caput appellatur Pictavi, Pictavum, Pictavenſis civitas. A Pictavis nomen olim ſumſit quædam monetæ ſpecies dicta *pictavina*, *poitevine*, & contracte picta, Gallice *pite*, minutus nummus; quo tamen minor erat alius, vocabaturque ſemipicta, *demiepite*.

Cum Pictavorum ſeu Pictonum gens fuerit ſemper potentior ceteris ſub Aquitaniæ II. metropoli contentis, multoque latius eorum fines pateant, mirum videbitur Pictavum civitatem in antiquis imperii notitiis eſſe penultimam, poſtponique Aginnenſi, Ecoliſmenſi, Santonenſi.

In laudes Pictavorum excurrit Fulbertus autor vitæ [a] S. Aicadri Gemmeticenſis abbatis his verbis: *Inter nobiliſſimas Aquitaniæ urbes Pictavis civitas caput attollit, quæ hinc murali ambitu circumſepta, hinc copiis militaribus ſuffulta, & ſuos fovet cives interius, & hoſtiles procul pellit incurſus. Nam præter ceterorum gratiam elementorum, etiam ſoli ubertas & publicam famem repellit, & annuis ſucceſſibus affluentis vindemiæ germina grata refundit. Felix hac rerum opulentia freta civitas, ſed longe felicior patrociniis ſanctorum præmunita*, id eſt reliquiis, inter quas Alcuinus in vita S. Willibrordi Trajectenſis epiſcopi, S. Hilarii ſacras exuvias commemorat. Gloriatur quoque hæc urbs natalibus hujus ſancti epiſcopi, ſanctorumque Emeramni martyris, Maximini Trevirenſis, S. Leobini Carnotenſis epiſcoporum, ac B. Troëciæ.

Eginhardus in Annalibus Francorum meminit veteris Pictavii, quo loco Karlomannus & Pipinus fratres regnum inter ſe partiti ſunt, hujuſque veteris oppidi quædam adhuc ſupereſſe rudera dicuntur. Non conſtat tamen Pictavam urbem olim hic ſitam fuiſſe.

Pictavenſis civitas & regio ſuos olim habuit nobiliſſimos comites, quorum hiſtoriam ſcripſit Beſſius, fueruntque eorum plurimi Aquitaniæ totius duces. Priſtinam dignitatem adhuc retinet urbs; cujus deſcriptionem, autore Jodoco Sincero in itinerario placet hoc loco referre: *Colli*, inquit, *qui hinc Clani fluentis, inde paludibus, ſtagniſque circumdatur, incumbit. Perexigua pars, Trancheam vocant, nullis alluitur undis, atque inde etiam in campos planities eſt. Forma ad quam ædificata mira eſt, & incerta pro loci ingenio. Situs ejus facit, ut nec facile obſidenda nec expugnanda credatur. Accedit amplitudo ejus, quæ par fere eſt Pariſienſi: magna tamen parte vineis, hortis, pratis relicta. Urbs epiſcopatu & academia claret; regitur a conſule ſuo, ſive majore urbis: majoratus dignitas nobilitatem tribuit, & durante officio major vocabulo primi baronis Pictaviæ inſignitur. Templum hic eſt ſtructuræ magnificentiſſimæ ex lapide quadrato duriſſimo D. Petro ſacrum; uti hodie exſtat, opus eſt Henrici II. ducis Normanniæ, poſtea Anglorum regis & Aquitaniæ ducis, ad inſtinctum conjugis cœptum, ſed vix ducentis annis poſt perfectum. Aliud eſt B. Virgini dicatum in foro magno: Conſtantini imperatoris equitis &*

[a] Autumat Mabillonius ſec. 2. Bened. pag. 953. in præfatione ad aliam vitam S. Aicadri, hunc Fulbertum fuiſſe quemdam monachum S. Audoëni tempore Nicolai I. hujus loci abbatis, XI. ſeculo inclinato.

Digitized by Google

gladium manu tenentis ſtatua, exterius, in ea parte muri quæ foro obverſa, conſpicitur. Aliud inſuper eſt in ſuperiore urbis parte D. Hilario ſacrum, ubi ex pergula turris quadratæ jucundiſſimus in ſubjecta proſpectus. Præter has pluresque ædes ſacras, ædificia & opera publica alia ſunt viſu digna : arx in imo urbis prope portam D. Lazari ; palatium curiæ, rudera amphitheatri operis Romanorum.

In hac urbe ſedit parlamentum Pariſienſe tempore Caroli regis VII. Curia præſidialis Pictavenſis eſt ampliſſima, præter quam ſunt ibidem curia monetaria, & conſeſſus quæſtorum Franciæ.

Quod ſpectat ad ſtatum eccleſiaſticum, epiſcopatus Pictavenſis nobiliſſimus eſt, habetque epiſcopus barones ſuos a quibus portatur in ſua inauguratione, ſeu in ſolemni introitu. Inter eos vero recenſentur domini de Leziniaco, de Partheniaco, de Caſtro-Ayraudi, uti legitur in deſcriptione veteri introitus hujus epiſcopi, quem Beſſius edidit inter inſtrumenta hiſt. comitum Pict. pag. 316.

Hic epiſcopatus erat olim ampliſſimus, antequam duæ celebres abbatiæ diœceſis fuiſſent erectæ in
a ſedes epiſcopales, Malleacenſis videlicet & Lucionenſis [a]. Adhuc tamen in diœceſi 722. circiter eccleſiæ parochiales numerantur, ſub 24. archipresbyteratibus, quarum 23. ſunt in urbe ; quæ intra ſua mœnia continet abbatias ſex tam virorum quam mulierum, inter quas eminet ea quæ dicitur S. Hilarii majoris, quæ nunc eſt canonicorum, quorum rex Franciæ primus eſt canonicus. Præterea tres ſunt aliæ eccleſiæ collegiatæ inſignes, & plurima monaſteria ſeu conventus ordinum Mendicantium aliorumque recentiorum.

Eccleſia cathedralis S. Petro apoſtolo nuncupata capitulum celebre habet, in quo hæ ſunt dignitates : decanus, cantor, præpoſitus, ſubdecanus, ſuccentor, major archidiaconus, ſcilicet Pictavenſis, &
b duo alii, de Brianceyo & Thoarcii [b], ac 24. canonici [c] numerato epiſcopo qui primus eſt. Poſt digni-
c tates & ante canonicos in eccleſia cathedrali ſedem obtinent abbates S. Mariæ-majoris, S. Cypriani, S. Benedicti de Quinciaco, & S. Johannis in urbe.

Clemens papa V. exemit eccleſiam cathedralem a juriſdictione epiſcopi, bulla data Pictavis III. idus Auguſti, pontificatus an. 3. Reperiuntur & in favorem capituli diplomata regia Caroli VII. 1428. Ludovici XI. 1470. & Ludovici XIII. 1626. Sane exemtio a juriſdictione epiſcopali aſſerta eſt capitulo, decreto ſenatus Pariſienſis 1. Junii 1498.

Præter hoc inſigne capitulum, recenſentur 15. alia in diœceſi & pluſquam 30. abbatiæ, de quibus more noſtro ſeorſim agemus, poſt adornatum epiſcoporum indicem hiſtoricum.

De his præſulibus erudite ſcripſit Johannes Beſſius Picto, in prætura Fontiniaci-comitis advocatus regius, vir in explorandis veteribus monumentis, & legendis antiquis codicibus MSS. peritiſſimus ; qui etiam, ut jam diximus, hiſtoriam comitum Pictavenſium magna fide & eruditione elucubravit. Quapropter non puduit noſtros Sammarth. profiteri ſuum Pictavenſium præſulum catalogum, ex Beſſiano magna ex parte fuiſſe deſcriptum. Nos adjecimus plurima ex aliis inſtrumentis Beſſio minime notis.

Primus in vulgatis elenchis epiſcopus eſt Victorinus, ex oratore, ſecundum Caſſiodorum, factus epiſcopus, qui legitur martyrium paſſus ſub Diocletiano imp. ineunte ſec. 4. an. 303. De eo Hieronymus, & qui poſt ipſum egerunt de ſcriptoribus eccleſiaſticis, maxime Guillelmus Cave Anglus qui ejuſdem Victorini tractatum de fabrica mundi hactenus ineditum typis mandari in ſua hiſtoria litteraria curavit.

At hunc Victorinum epiſcopum fuiſſe Pettabionenſem ſeu Patavionenſem ad Dravum fluvium in Pannonia ſuperiori, non Pictavenſem probavit Johan. Launoius, cui ſubſcripſerunt ceteri fere docti. Locum errandi dedit affinitas nominum, ſive Græce, ſive Latine ſcribantur : nam Socrates in hiſt. eccleſiaſtica de S. Hilario Pictavenſi loquens, eum appellat epiſcopum Πικταβίων, quod nomen quam ſimile
d ſit cum Pettabonio nemo non videt. Idem in nominibus Latinis occurrit, Petavionenſis, Pictavienſis [d].

In veteribus catalogis hi leguntur epiſcopi : 1. Liberius. 2. Tupianus ; in codicibus Thuaneo & S. Cypriani, Tripidianus ; 3. Agon, cujus nomine inſignitur in ipſa urbe Pictavenſi quædam eccleſia, coliturque in baſilica S. Hilarii die 18. Auguſti ; 4. Hilpidianus ; 5. S. Juſtinus cujus dies natalis calend. Septemb. celebratur ; 6. Bellator ; 7. Aliphius.

Ex iis nullus potiori jure videtur admittendus, quam S. Agon ; non ſolum quod ejus memoria cola-
e tur [e] Auguſtoriti-Pictonum, ſed maxime quia eccleſiam ibidem habet ſibi dicatam ; at in martyrologio univerſali auctore Claudio Chaſtellain Pariſienſis eccleſiæ canonico emerito, ad diem 18. Auguſt. lego S. Agonem epiſcopum quidem fuiſſe, ſed alterius ſedis quam Pictavenſis, & quidem ignotæ.

His epiſcopis addendus eſſet S. Maxentius S. Maximini frater, ſi Lupo Ferrarienſi abbati celeberrimo fides denegari non poſſet S. Maximini vitam ſcribenti, in qua nimirum diſerte docet S. Hilarium in epiſcopatu Pictavenſi Maxentium excepiſſe & ſecutum eſſe ; ſed hiſtorico qui 9. ſeculo ſcribebat de rebus ſeculo 4. geſtis, nec ullum teſtimonium ſuppeditanti vix credere licet. Itaque catalogum epiſcoporum Pictavenſium ordimur a S. Hilario ; quamvis enim conſtet eum hac in ſede habuiſſe deceſſorem, minime nobis eſt notus.

[a] Diviſio diœceſis Pictavienſis facta per horum epiſcopatuum erectionem habetur inter probationes hiſt. comitum Pictav. Joh. Beſly pag. 172. ex tabulario ſedis epiſcop. Pictav.

[b] Ex tabulario S. Cypriani olim hac in eccleſia fuiſſe primicerium, clavigerum, ædituum, præfectum, cellerarium, & legis doctorem me monuit D. Jacobus Boyer, qui aliunde dicit archidiaconatus, etiam majorem, non eſſe dignitates ſed perſonatus.

[c] Anno a Nativitate Chriſti M. CC. LXXXXI. ind. IV. Nicolai papæ an. III. frater Galterus epiſcopus & capitulum Pictavienſe in generali capitulo die Sabbati in feſto B. Thomæ martyris, numerum canonicorum ad XXIV. reduxerunt, epiſcopo pro canonico computato, & multa alia ſtatuta fecerunt ; quæ confirmavit Nicolaus papa, diplomate dato apud Urbem-veterem idibus Maii, pontificatus anno quarto.

[d] Attamen Henricus Ludovicus Caſtanæus Pictav. epiſcopus, in notis ad litanias Pictonicas, hunc ſanctum epiſcopum eccleſiæ Pictavienſi vindicat ; & quidem in tota diœceſi die 3. Novemb. celebratur ejus feſtum & recitatur officium pro martyre & pontifice.

[e] Fit ejus memoria in diœceſi die 18. Auguſti.

Digitized by Google

EPISCOPI PICTAVIENSES.

I. S. Hilarius.

ANNI CHRISTI

Hilarius eccleſiæ ſidus ſplendidiſſimum, in Aquitania Galliarum provincia, quæ ceteras urbanitate ſuperat, Ammiano Marcellino teſte, ortus eſt, & quidem Pictavis, ut docet Hieronymus præfat. in lib. 2. comm. in epiſt. ad Galatas, conſentitque Venantius Fortunatus, qui etiam aſſerit inter Gallicanas familias Hilarii genus nobilitatis gloria conſpicuum fuiſſe; utrum vero ex chriſtianis parentibus ortum duxerit diſputatur; & quidem in exordio librorum de Trinitate docere videtur ſe in ætate provecta per ſacrarum Scripturarum lectionem ad chriſtianæ religionis cognitionem perveniſſe. Aliter quidem ſentit noſter D. Petrus Couſtant, qui vitam & ſcripta ſancti doctoris egregie illuſtravit. Sed Hilarium ex philoſopho, doctoque gentili factum eſſe chriſtianum credimus, eaque ſententia melius convenit cum iis quæ de ſe ipſe ſcripſit, aut alii, Hieronymus videlicet, Auguſtinus, ipſeque Fortunatus.

Lib. 8. Carm. 1. & lib. 2. Carm. 16.

A

B

Hilarium ante epiſcopatum uxorem duxiſſe, ex eaque filiam ſuſcepiſſe in confeſſo eſt apud omnes; viventeque adhuc uxore, *concordante populi voce, aut potius Dei Spiritu proclamante, vir olim myſteriis deputatus, aliquando ſacris altaribus ſacerdos electus eſt*, inquit Fortunatus. Quo anno ſumſerit epiſcopatum, incertum eſt. Id factum an. 355. volunt plurimi, quod tamen citius contigiſſe probari poteſt ex fama & auctoritate quam jam in epiſcopatu comparaverat S. Hilarius an. 356. quo habitum eſt concilium Biterrenſe.

L. 1. n. 4.

355.

356.

C

Hilarium epiſcopali dignitate ornatum, ab uxore non abſtinuiſſe contendunt heterodoxi, ſed unde probant? Certe Siricius papa, Ambroſius, Hieronymus, Epiphanius, &c. diſerte docent, non ſolum epiſcopos, ſed etiam alios clericos, aut virgines fuiſſe aut continentes; quod maxime de Gallicanis eccleſiis intelligendum paſſim probatur ex Gregorio Turonico. Sed huic opinioni commentitiæ expugnandæ non immorandum, maxime cum ſanctus Hilarius quanti faceret continentiam & virginitatem ſatis oſtenderit, quando Abræ filiæ diſſuaſit nuptias. Itaque ad reliqua ſancti Hilarii geſta proſequenda redeamus.

D

Ad conciliabulum Biterrenſe tractus magnus doctor, in exſilium ejicitur artibus Saturnini Arelat. epiſcopi, necnon Urſacii & Valentis, deportatuſque eſt in Phrygiam cum Rodanio Toloſatum epiſcopo. In hoc autem exſilio ſcripſit libros de Trinitate, maxime pro ſuis Gallis, ne veritas cum veritatis præconibus exſularet. Item librum de ſynodis, ut Gallicanis epiſcopis, qui ad eum ſcripſerant, reſponderet. Ad exſilii ſui ſolatium quoque librum Job expoſuit & enarravit, ut ex ipſius meditatione conſtantiam hauriret ac patientiam. Et quidem hac virtute indiguit, cum non ſolum ab Arianis, ſed etiam ab orthodoxis multa ſit perpeſſus; nempe cum libro ſuo de ſynodis Orientales & Occidentales ad pacem compellaſſet, depulſis mutuis ſuſpicionibus, quæ ineundæ concordiæ obſtabant, nonnullorum epiſcoporum catholicorum, imprimis Luciferi Calaritani offenſam incurrit, quaſi Orientales qui homoeuſion, diſſimulato vel etiam rejecto homouſio, defendebant, pro catholicis haberet, ut eorum gratiam aucuparetur. Quapropter libri hujus apologiam ſcripſit.

ANNI CHRISTI

Interea indicto apud Seleuciam concilio, Hilarius, qui jam quartum exſilii annum agebat in Phrygia, inter ceteros epiſcopos, per vicarium & præſidem data evectionis copia, ſynodo intereſſe cogitur an. 359. ut habet Sulpicius. Attamen cum alii Occidentales epiſcopi qui cum Hilario exſulabant, inter quos erat S. Euſebius Vercellenſis, ad eandem ſynodum minime acceſſerint, non abs re eſt credere Baſilium Ancyranum epiſcopum, & alios homoeuſii defenſores, qui S. Hilarium a ſua ſententia parum alienum exiſtimabant, (nam Hilarius Baſilium nuperrime laudarat in ſuo libro de ſynodis,) egiſſe apud Imperatorem, ut Hilarius Seleuciæ adeſſet. Forte etiam S. Euſebius Vercellenſis & Lucifer Calaritanus Hilarii in exſilio ſocii, adeſſe recuſarant, ne heterodoxorum ſocietate polluerentur. Porro quamvis Seleucianum concilium conſtaret maxime ex Arianis & Anomæis, aut Semi-Arianis, in eo tamen nihil rectæ fidei contrarium definitum eſt; quod Hilarii præſentiæ tribuendum maxime videtur. Certe S. Athanaſius lib. de ſynodis cum Seleucianis patribus velut cum fratribus agendum cenſuit; & Sulpicius Seleucianum concilium catholicum appellat.

359.

Seleucia Conſtantinopolim venit Hilarius, ubi vidit Ariminenſis concilii legatos, Urſacium, Valentem & alios Anomæis ſe ſe adjungere; quod indigne ferentes Orientales Hilarium adierunt, ac per eum Gallos ſibi conciliare conati ſunt, ad Galliæ epiſcopos ſcribentes, ut eos ab Urſacii & aliorum Anomæorum ſocietate deterrerent. His & aliis Hilarii litteris moniti Galliæ antiſtites, Pariſiis concilium celebrarunt an. 360. in quo ſecundum Hilarii, quem ſuum fratrem appellant, profeſſionem, abrogarunt Ariminenſis concilii decreta; legatoſque ab eo miſſos, Urſacium, Valentem, &c. tanquam fraudis totius architectos damnant, & communionis ſuæ exſortes denuntiant. Quamquam autem Orientales laudent, quod homoeuſion tueantur, monent tamen eos ut homouſion quoque defendant.

360.

Eodem fere tempore quo Pariſiis habita eſt ſynodus, Orientales epiſcopi Conſtantinopolim convenerunt; qua in ſynodo Anomæi Ariminenſium legatorum ſocietate roborati, eos oppreſſerunt, & ad confeſſionem concilii Ariminenſis recipiendam coegerunt; qui nihilominus depoſitione mox mulctati, in exſilium miſſi ſunt. In hoc ſummo fidei periculo, Hilarius dato libello petiit ab Imperato-

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

re, ut de ea coram adversariis disceptare sibi liceret : quod ipsi metuentes, Constantio Augusto persuaserunt, ut *quasi discordiæ seminarium & perturbator Orientis, redire ad Gallias juberetur*, absque exsilii indulgentia ; quem de prælio revertentem Galliarum Ecclesia complexa est. Ultimo
361. Constantii anno, seu anno 361. & paulo post eo mortuo, Julianus Augustus ceteros præsules pro fide exsulantes, in iis Paulinum & Rodanium Gallos, ad suas ecclesias redire permisit. Tunc audito Hilarii reditu S. Martinus ad ipsum venire festinavit, qui ei locum ad habitandum prope Pictavos concessit, ubi condidit monasterium Locogeiacum *, quo nullum in Galliis antiquius.

* Ligugé.

Hilarius eodem tempore miraculis coruscare cœpit, nam teste Fortunato, infantem mortuum ad vitam revocavit, & Abræ filiæ, suæque uxori petentibus mortem transitumque ad Christum suis precibus impetravit ; sed ejus gesta reliqua pro tuenda catholica fide prosequamur.

Post Saturnini Arelatensis episcopi Arianorum antesignani depositionem, & Gallias nostras unius Hilarii beneficio *piaculo hæresis liberatas*, inquit Sulpicius, ad pacandam, & ab hæresi liberandam Italiam, ad sanctum Eusebium Vercellensem episcopum se se contulit ; ubi maxime ad compescendum Luciferi schisma plurimum laboravit ; omnem quoque lapidem movit, ut Mediolanensem urbem, cujus in catholicam fidem studium pridem noverat, ab Arianorum jugo liberaret : quapropter adversus Auxentium Mediolanensem episcopum Arianum strenue decertavit ; quem, etsi victum, non potuit tamen ab urbe ejicere, Valentiniano imperatore quamvis catholico, impii episcopi partes tuente, quia catholice sentire se fingebat.

Hilarius an. 364. exeunte ex Italia rediens, Pictavos se se recepit, & in ecclesiæ suæ sinu reliquos vitæ annos tranquille egit ; demumque feliciter
367. quievit an. 367. idibus Januarii, ut communis fert opinio, vel potius calendis Novembris ; quod significare videtur Hieronymi chronicon : præfato enim anno Gratianus ad imperium evectus memoratur, priusquam Hilarii mors referatur hoc in chronico, unde credere par est Hilarium obiisse, Gratiano jam imperante. At cum Gratianus imperator factus sit, Idacio teste, IX. cal. Septembris an. 367. si S. Hilarius vita functus fuisset idibus Januarii eodem anno, assumtio Gratiani ad regendum imperium minime præcessisset Hilarii obitum. De his consulendus est noster D. Coustant in vita S. doctoris, quam ex ipsius scriptis collectam, scriptis ejusdem præmisit. Ex eodem D. Custantio genuina S. Hilarii opera sunt commentarii in Psalmos : commentarii in Matthæum : libri duodecim de Trinitate : liber de synodis, seu de fide Orientalium : responsa apologetica ad reprehensores hujus libri : duo libri ad Constantium : liber contra eundem : liber contra Auxentium : fragmenta libri seu historiæ Ariminensis & Seleuciensis synodorum : fragmenta ex aliis operibus : epistola ad Abram filiam, & hymnus matutinus ad eandem. Quæ scripta inoffenso pede decurri posse asserit Hieronymus ad Lætam scribens. Sunt tamen aliqui loci difficiles, pro quibus intelligendis & explicandis consulenda est nova editio in præfatione & in notis. Non abs re erit observare S. Hilarium inter tot tantosque labores pro Ecclesia exantlatos, sacris libris propria manu describendis religiose operam dedisse, quod probatur ex S. Perpetui Turonensis episcopi testamento anno 474. condito, quo Euphronio episcopo Augustodunensi legat Evangeliorum librum, *quem*, inquit, *scripsit Hilarius Pictavensis quondam sacerdos*. Vidimus quoque in S. Gatiani Turon. bibliotheca veterem Evangeliorum codicem quem putant a S. Hilario exaratum, & huic ecclesiæ relictum a S. Perpetuo.

Corpus S. Hilarii Pictavis sepultum ; postea tempore Dagoberti regis in regalem S. Dionysii prope Parisios basilicam translatum fuisse antiqua est traditio, * eamque adstruit vetus membrana Augiensis monasterii, nono sæculo ineunte scripta, in eaque recensentur societates quas habebat hoc cœnobium cum aliis monasteriis ; ubi videlicet legitur : *Ex cella sancti Dionysii, ubi confessor Christi Hilarus quieſcit humatus ; Hilduinus abba*. Aniciensis quoque ecclesia sancti Hilarii reliquiis & sacris ossibus gloriatur, maxime ab anno 1162. quo inventa est in ecclesia sancti Georgii hæc inscriptio : *Hic requiescunt membra sancti ac glorioſiſſimi Hilarii Pictavensis epiſcopi ;* ut nos docet charta Petri Aniciensis episcopi hoc anno data, quam edi curavimus inter instrumenta. Vide etiam quæ hac de re diximus in S. Georgio Aniciensi episcopo. Anno 1655. die 17. Julii Henricus de Maupas du Tour Aniciensis episcopus, capsam seu vas ligneum in lapideo inclusum, quo continentur ossa S. Hilarii aperuit coram plurimis testibus fide dignis ; die vero 30. Julii sequenti accersiti Bartholomæus Courhailhe doctor medicus, & Petrus Oudonnet chirurgus, ac tunc temporis consul Anicii, prædicta ossa inspexerunt, exploraveruntque, de quibus testimonium tulerunt, præstito prius sacramento ; quod litteris consignandum inter probat. operæ pretium duximus.

* *Mabill. Annal. t. IV. pag. 644.*

C. I. col. 325.

C. II. col. 325.

Porro tres ecclesias in urbe Pictav. S. Hilarius habet : primam dictam S. Hilarii-majoris, quæ nobilissimum quondam fuit cœnobium, nunc clericorum seu canonicorum illustre collegium, cujus rex christianissimus est abbas : alteram nuncupatam S. Hilarii de Cella, quæ abbatialis est ac parochialis sub S. Augustini regula ; tertiam prope matrem ecclesiam, quæ simul abbatia est ac parochia, appellaturque S. Hilarii Inter-ecclesias, *S. Hilaire d'Entre-égliſes*. In diœcesi vero Pictavensi patronum ipsum habent plurimæ plebanæ ecclesiæ.

II. Pascentius I.

Nihil de hoc episcopo nobis occurrit. Et quidem miraculo simile videtur quod episcopus qui

* Legimus hanc translationem in cod. MS. S. Dionysii pag. 990. ex hujus opusculi scriptore, cum Pictavensis comes imperium Dagoberti detrectasset, iratus Rex Pictavos expugnavit, & subvertit funditus : *cujus*, inquit, *subversionem hodieque testatur ejusdem translatio civitatis*. Quæ verba antiquitatem hujus scriptoris probant. Igitur Dagobertus præclara potitus victoria, eversaque urbe, corpus S. Hilarii asportavit & transtulit in cœnobium S. Dionysii, simulque portas cuprinas quæ sunt in sinistro latere monasterii S. Dionysii versus publicum cimiterium, abstulit.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

S. Hilario ſucceſſor datus eſt, fama ubique notiſſimo, ita obſcurus fuerit, ut ex iis quæ ad ipſum ſpectant nulla prorſus ad poſteros pervenerint. Paſcentio ſufficiunt catalogi quendam Quintianum æque ignotum.

III. S. Gelasius.

Haud minus nos latet quiſnam fuerit S. Gelaſius, niſi quod legitur jacere in baſilica S. Hilarii Pictavienſi. Ejus nomini dicatus eſt inſignis prioratus prope Niortium in diœceſi Pictav. quem ſubjectum eſſe Cluniaco legimus in catalogo monaſteriorum ab hoc archicœnobio pendentium, quem exhibet biblioth. Cluniacenſis. Porro hunc prioratum tradunt a Radulpho de Luſignan fundatum an. M. C. IX. qui cognomen, *S. Gelaſii*, dedit Hugoni primogenito ſuo, a quo poſtea tranſiit ad totam nobiliſſimam gentem. Gelaſium epiſcopum ſubſcripſiſſe concilio 1. Aurelian. perperam ſcribit Beſlius.

IV. S. Anthemius.

De S. Anthemio præter nomen in diptychis nulla memoria: ferunt litaniæ Pictonicæ ab Henrico Ludovico Caſtaneo Rupipoſæo Pictavienſi antiſtite digeſtæ, ipſum in pago Santonenſi obiiſſe dum verbum Domini prædicaret, & apud Jonſacum quieſcere. Solemni officio colitur in breviario Santonenſi, & in proprio Pictavienſi die 3. Decemb.

In vulgatis catalogis poſt S. Anthemium ponitur S. Maxentius, quem volunt fuiſſe fratrem S. Maximini Trevirorum epiſcopi, teſtante id Lupo Ferrarienſi vitæ S. Maximini, quæ apud Surium, Bollandum, &c. legitur, ſcriptore: *Maximinus*, inquit, *urbis Aquitanicæ Pictavorum indigena, clariſſimis eſt ortus parentibus: ſiquidem antiquam proſapiam a majoribus ſenatorii ordinis deductam ejus parentes ſortiti, Maxentium atque hunc Maximinum felici auſpicio procrearunt. Qui nobiliter educati, ſacris pariter litteris inſtruebantur, futuri quandoque chriſtiani dogmatis egregii defenſores. Sed proceſſu temporis Pictavorum eccleſia Maxentium ſibi vindicavit pontificem, eamque idem poſtea florentiſſime gubernavit.* Ex Lupi verbis elicitur Maxentium ad epiſcopatum perveniſſe, antequam S. Maximinus ejus frater ad Treverorum ſedem fuiſſet aſſumtus. Porro Maximinus anno 336. jam hanc regebat eccleſiam, quo tempore S. Athanaſius exſul ad eum acceſſit: ex quibus conſequens eſt S. Maxentium, ſi fuerit Pictavorum epiſcopus, in epiſcopatu anteceſſiſſe S. Hilarium, non vero excepiſſe. Proindeque nulla hic habenda eſt ratio catalogorum vulgatorum qui ponunt S. Maxentium poſt S. Anthemium; & inter S. Hilarium ipſumque, dant locum tribus aliis præſulibus.

Sed vero propius eſt nullum S. Hilario in Pictavienſi cathedra vel præmittendum, vel poſtponendum epiſcopum nomine Maxentium; cum nullus unquam, ſi Lupum excipiamus, talis epiſcopi meminerit.

Celebris quidem eſt in pago Pictonico S. Maxentius abbas, maxime ob nobile monaſterium quod condidit, nomine ipſius ad noſtra uſque tempora inſignitum: at hic Maxentius abbas tantum fuit, ut liquet ex ipſius vita antiquiſſima; quippe quam laudat Gregorius Turonenſis lib. 2. hiſt. Francorum cap. 37. edita tom. 1. Act. SS. ordin. Bened. Aliunde vero hic Maxentius abbas, qui vivebat & miraculis coruſcabat tempore Clodovæi I. hoc eſt quinto ſeculo deſinente, aut ſexto inchoato, non potuit eſſe is qui dicitur creatus epiſcop. Pictavienſis poſt Anthemium epiſcopum, qui præeſſe debuit aut in fine quarti ſeculi, aut in quinti exordio.

ANNI CHRISTI *pag. 57 f*

V. Perennis.

Poſt S. Maxentium epiſcopis Pictavienſibus annumeratum, in vulgatis indicibus datur locus Perenni & octo aliis præſulibus, de quibus nihil affirmare audeo nec negare. Itaque ſatis ſit eorum nomina referre eadem ſerie qua ea legimus:

VI. Migetius.
VII. Lupicinus I.
VIII. Pelagius.
IX. Lupicinus II.
X. Lupicinus III.
XI. Esichus I.
XII. Esichus II.
XIII. Antonius I.
XIV. Adelphius.

Adelphium ab anno ſaltem 507. Pictavorum cathedram obtinuiſſe ſententia eſt Caroli Cointii viri doctiſſimi, qui adhuc ejuſdem meminit ad annum 508. Tandem non obſcura ejuſdem inſeritur mentio in concilio Aurelianenſi primo, an. Chr. 511. habito, cui ſubſcripſit Adelphius. Attamen eum Pictavorum epiſcopum fuiſſe forſitan anceps videbitur, quod in antiquis conciliorum codicibus manu exaratis Corbeienſi, Remenſi, Belvacenſi & aliis, Adelphius legatur epiſcopus *de Ratiate*. Pro Ratiatenſi epiſcopo legendum eſſe *Rauracenſem*, hoc eſt Baſilienſem autumavit Severinus Binius, nullo, vel leviſſimo fundamento; at doctiſſimus Sirmondus legendum Ratiatenſem contendit in notis ad laudatum concilium, quo nomine ſignificatum vult epiſcopum Pictavienſem. 507. 511.

Vici ſeu pagi Ratiatenſis meminit Gregorius Turon. lib. de Gloria Confeſſorum cap. 54. *qui*, inquit, *adjacet civitati Nannetica*, ſituſque eſt *infra ipſum Pictavorum terminum*; nunc vero ducatus titulo inſignitus vulgo dicitur *Pays de Raiz*, vel *Retz*. Hunc pagum antiquitus pertinuiſſe ad Pictonum diœceſim probat, quod ibi S. Hilarius baptiſaverit S. Lupianum confeſſorem, uti legitur apud Gregorium loco indicato. Et quidem Ligeris olim dividebat Pictones a Britonibus. Sed Carolus Calvus Heriſpoio ſeu Reſpogio Nomenoi ſeu Nomenogii filio, quando confirmavit ei patris regnum, addidit inter cetera pagum Ratenſem, hoc eſt Ratiatenſem, ut narrant Annales Bertiniani ad an. 851. & ab hoc tempore pagus hic Britanniæ attribuitur, cum prius ad Pictavorum limitem pertineret.

Adhuc vivebat Adelphius an. 533. quo Aſclepium presbyterum miſit ad concilium Aurelianenſe ſecundum. In ſubſcriptionibus quidem legitur Adelphius epiſcopus Rauracenſis, at mendoſe, ut 533.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

obſervarunt Sirmondus, Cointius, aliique viri docti. Error autem ex ignorantia librariorum profectus eſt: cum enim *Ratiatenſem* legerent, nec divinare poſſent qualis eſſet epiſcopatus Ratiatenſis, *Rauracenſem* ſcribendum eſſe cenſuerunt.

XV. ELAPIUS, quem Cointius Elaphium appellat.

XVI. DANIEL.

541. Anno 541. qui idcirco notatu dignus eſt quod ultimus ſit conſulum [a] in Occidente, habita eſt ſynodus IV. Aurelianenſis, in qua conditi ſunt canones 38. ad eccleſiaſticam diſciplinam muniendam, & ad ſtatuendam in ſacris ritibus obſervandis unam eandemque rationem. His vero decretis Daniel Pictavorum epiſcopus ſubſcripſit.

S. PIEN. XVII. PIENTIUS.

De S. Pientio Pictavenſi epiſcopo hæc leguntur apud Gregor. Turon. lib. IV. hiſtor. cap. 18. *Tempore vero ejus* (Auſtrapius dux) *ad clericatum accedens apud Cellenſe* * *caſtrum quod in Pictava habetur diœceſi, ordinatur: futurum ut decedente Pientio antiſtite, qui tunc Pictavam regebat eccleſiam, ipſe ſuccederet. Sed rex Charibertus in aliud vertit ſententiam. Denique cum Pientius epiſcopus ab hac luce migraſſet, apud Pariſius civitatem Paſcentius, qui tunc abbas erat baſilicæ ſancti Hilarii, ei ſuccedit, ex juſſu Chariberti, clamante Auſtrapio ſibi hunc redhiberi locum; ſed parum ei jactati profuere ſermones, ipſe quoque regreſſus ad caſtrum ſuum, mota ſuper ſe Theiſalorum* * *ſeditione, quos ſæpe gravaverat, lancea ſauciatus, crudeliter vitam finivit. Diœceſes vero ſuas eccleſia Pictava recepit.* Ex his verbis liquet diſtractas fuiſſe aliquas parochias (diœceſes appellat Gregorius) ad conſtituendum novi epiſcopatus Cellenſis territorium, Clotarii regis juſſu erecti.

Auctor chronici Malleacenſis hæc de Pientio ſcribit: [b] *Hujus Pientii tempore perdidit eccleſia Pictavenſis epiſcopatum caſtri Celſi tali modo: Auſtrapius dux inibi ordinatus epiſcopus juſſu & voluntate Clotharii, futurum ut decedente Pientio ipſo ſuccederet. Sed rex Charibertus Clotharii f. in aliud vertit ſententiam. Denique Pientius iſte cum ab hac luce migraſſet, Paſcentius juſſu Chariberti R. ei ſucceſſit.* Lib. I. de antiquitate Malleacenſis inſulæ c. 6. ſequentia de ejus origine annotantur: *Præterea in eadem inſula alia cernitur eccleſia in honore beati Pientii, ut dicitur, epiſcopi fundata, quæ ipſa vetuſtate admodum probatur antiqua. Cum autem perſona ejuſdem fundatoris eccleſiæ, quiſve B. fuerit Pientius quæritur, quantum adverto utriuſque rei certitudo ab hominibus neſcitur. Totius nempe vulgi ore prædicatur, quod colliberti, de quibus ſuperius dicebamus, eam eccleſiam ædificaverint, atque in ea quoties piſcandi gratia illuc adveniſſent, myſteria miſſæ audiverint. Sed & de B. Pientio refertur, quod cujuſdam cuſtodis eccleſiæ B. Petri Pictavis fuerit filius, atque in eadem, creſcente religione, vitæque merito, poſtea officium ſuſceperit epiſcopatus. Verum hæc utrum ſint vera, ut diximus dubitatur.*

Hujus antiſtitis tempore B. Radegundis regina parthenonem S. Crucis in urbe Pictavienſi conſtruxit, ut videre eſt in libro de vita S. Radegundis cap. 4. ubi videlicet legitur: *Pictavis ſibi monaſterium conſtruxit S. Radegundis, Clothario R. jubente ut id fieret, qua in re acceleranda diligentem ei navarunt operam juſſu Regis, apoſtolicus epiſcopus Pientius, & Auſtrapius dux.*

Pientius e vivis exceſſit in oppido Metulo * pagi Pictonici, cum diœceſim luſtraret, ac ibidem humatus eſt. Itaque quod legitur l. 2. S. Greg. Turon. *Cum Pientius epiſcopus ab hac luce migraſſet, apud Pariſius civitatem Paſcentius ..... ei ſuccedit*, non ſic intelligi debet ut credamus Pientium Pariſiis animam efflaviſſe: ſed potius Paſcentium, cum Lutetiæ tum ageret, Pientio ſucceſſorem datum fuiſſe. S. Pientii feſtum ad diem 13. Martii notat H. L. Caſtanæus in notis ad litan. Pict. at de eo nulla habetur mentio in proprio SS. Pictavens.

* Melle,

XVIII. PASCENTIUS II.

Paſcentius ex abbate S. Hilarii Pictavienſis, jubente Chariberto rege ſuffectus eſt Pientio anno 564. uti habetur apud Gregorium loco citato. S. Hilarii vitam ei dicavit Fortunatus ejus coetaneus, quem ſic alloquitur in præfat. lib. I. *Domino ſancto & meritis beatiſſimo patri Paſcentio papæ, Fortunatus. Religioſi pectoris ſtudio ſollicitante commonitus, papa beatiſſime, divinis in actibus cum ſacri converſatione propoſiti jugiter exercitatis intentus, & intentis exercitandus: ut facile ſit perſpicuum ad culturam eccleſiaſticæ diſciplinæ, & fuiſſe te genitum, & eſſe provectum; cum irrefragabiliter veteris diſpoſitionis catholici dogmatis fundamenta cuſtos obſervas, & ad ædificationem plebis amantiſſimæ, veluti bonus inſtructor, adjiciendo aliquid, culmen fabricæ continuare feſtinas, non ſine timore divino. Cujus operis amore præventus, me dignatus es perurgere, quo de actibus ſanctiſſimi viri Hilarii confeſſoris, qui te ab ipſis cunabulis ante ſua veſtigia, quaſi peculiarem vernulam familiariter enutrivit, ut impenſi muneris vel verba rependerem, & ſi non plene, vel quadam ex parte complexa perſtringerem. Quatenus dum gregis auribus vox quodammodo, & vita paſtoris antiquiſſimi reſonaret, & ille probaret miniſterium, & ipſe tuum non celares affectum.* Paſcentii epiſcopi meminit quoque chronicon Malleacenſe, ex Beſſio.

564.

XIX. MAROVEUS.

Hujus epiſcopi frequens fit mentio apud Greg. hiſtoricum. Vituperio ſane dignum foret quod refer de effracto ab eo ex ſacris miniſteriis calice aureo; niſi id factum fuiſſet, ut inde conflata pecunia populus ſibi commiſſus redimeretur. Rem ita narrat Gregorius lib. VII. hiſt. cap. 24. *An. 10. Childe-*

* *Selle* aut *Cetle*, ubi exſtat abbatia canonicorum Reg. In conſequentibus quædam videntur deeſſe.

* Tiſauge.

[a] Poſt Baſilium qui hoc anno ſolus fuit conſul in Occidente, nullus annis ſequentibus creatus eſt.

[b] Hæc deſcripſit Johannes Beſſius ex manuſcripto codice chronici Malleacenſis, quæ non leguntur in hoc chronico edito a Labbeo tom. 2. biblioth. novæ. Ea procul dubio reſecuit Labbeus tanquam inutilia; ingenue enim fatetur in præfatione quædam a ſe omiſſa. Eadem ratione conjicimus eum etiam ea tranſcribere & edere neglexiſſe, quæ citantur infra ex lib. 1. de antiquitate Malleac. inſulæ cap. 6. nam non leguntur apud Labbeum, quæ tamen legit Johannes Beſſius in cod. manu exarato, uti & ſuperiora adducta ex chronico Malleacenſi: nulli enim unquam ſuſpecta fuit J. Beſſii viri integerrimi fides.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

berti regis, rex Guntchramnus commotis * gentibus regni ſui magnum junxit exercitum; ſed pars major cum Aurelianenſibus atque Bituricis Pictavum petiit. Exceſſerant enim de fide quam Regi promiſerant. Miſeruntque prius legationem, ut ſcirent utrum ſuſciperentur ab his, an non. Sed epiſcopus loci Maroueus dure ſuſcepit hos nuntios. At illi infra terminum ingreſſi, prædas, incendia, atque homicidia faciebant. Hi vero qui cum præda revertebantur, per Turonicum tranſeuntes, ſimiliter illis, qui jam ſacramenta dederant faciebant; ita ut ipſæ quoque eccleſiæ incenderentur, & quæcumque invenire potuiſſent, diriperentur. Quod ſæpius actum eſt, dum illi ad Regem ægre converterentur. Sed cum exercitus propius ad urbem accederet, & jam pars maxima regionis devaſtata cerneretur, tunc miſerunt nuntios, fideles ſe regi Guntchramno fatentes. At illi infra muros urbis recepti, ſuper epiſcopum irruerunt, dicentes eum infidelem eſſe. Ille vero cum ſe ab his cerneret coarctatum, effracto uno de ſacris miniſteriis calice aureo, & in numiſmata redacto, ſe populumque redemit. Id factum eſt anno 584. qui reſpondet an. x. Childeberti *. Quam vero dives tunc eſſet eccleſia Pictavenſis in ſacra ſupellectile, maxime in vaſis ſacris, inde palam fit quod ad altaris miniſterium haberentur calices aurei, unuſque ex ipſis ſatis fuerit ad urbem redimendam.

584.

* ſilii Sigiberti.

Pictavum tunc ad regnum Guntramni pertinuiſſe, ex verbis Gregorii colligitur, & urbis cives fidem Regi debitam violaſſe; at violatæ fidei pœnas dediſſe. Anno vero 14. Childeberti regis, Chriſti 589. idem Childebertus Pictavis imperabat, ut ſignificat Gregorius lib. IX. cap. 30. his verbis: *Childebertus rex deſcriptores in Pictavos, invitante Maroveo epiſcopo, juſſit abire, id eſt Florentianum majorem domus regiæ, & Romulfum palatii ſui comitem: ut ſcilicet populus cenſum, quem tempore patris reddiderat, facta ratione innovaturæ, reddere deberet. Multi enim ex his defuncti fuerant, & ob hoc viduis, orphaniſque ac debilibus tributi pondus inſederat. Quod hi diſcutientes per ordinem, relaxantes pauperes ac infirmos, illos quos juſtitiæ conditio tributarios dabat, cenſu publico ſubdiderunt, & ſic Turonis ſunt delati.*

Sigibertus rex Childeberti pater Pictavis olim cenſum & tributum imperaverat. Poſt mortem Chariberti regis, Chilpericus Turones & Pictavos pervaſerat, *quæ Sigiberto regi per pactum in partem venerant*, inquit Gregor. Sigibertus, opem ferente Guntramno fratre, has urbes recuperaverat, Mommolo duce uſus, qui fugato Clodoveo Chilperici filio, devictiſque Baſilio & Sighario Pictavis civibus, qui collecta multitudine, reſiſtere volebant, Pictavos accedens, populum ad ſacramenta, quibus Sigiberto ſe ſe obſtringebant, coegit. Tunc cenſum, cujus meminit Gregorius lib. 9. cap. 30. a civibus exactum fuiſſe putamus.

lib. 4. hiſt. cap. 46.

Ceterum vitio vertere non debemus, quod Maroveus faverit Childeberto, & eum invitaverit ad deſcriptionem faciendam, cenſumque exigendum in Pictavenſi pago. Quippe ad Childebertum pertinebat regio hæc, quod fuiſſet de jure Sigiberti ejus patris.

De Maroveo adhuc plurima refert Gregorius in Francorum hiſtoria, ſed nobis ſatis erit ea notare quæ inter ipſum & S. Radegundem geſta ſunt; ac in S. Crucis Pictav. parthenone ſub ejus epiſcopatu contigerunt: *Tempore Clotharii regis*, inquit Gregor. Turon. *cum B. Radegundis hoc monaſterium inſtituiſſet, ſemper ſubjecta & obediens cum omni congregatione ſua anterioribus fuit epiſcopis. Tempore vero Sigiberti, poſtquam Maroveus epiſcopatum urbis adeptus eſt, acceptis epiſtolis Sigiberti regis pro fide ac devotione Radegundis beatæ, in partes Orientis clericos deſtinat pro Dominicæ crucis ligno, ac ſanctorum apoſtolorum, ceterorumque martyrum reliquiis. Qui euntes detulerunt hæc pignera.* [a] *Quibus delatis, petiit Regina epiſcopum, ut cum honore debito, grandique pſallentio, in monaſterio locarentur. Sed ille deſpiciens ſuggeſtionem ejus, aſcenſis equitibus, villæ ſe contulit. Tunc Regina iterato ad regem Sigibertum direxit, deprecans ut injunctione ſua quicumque ex epiſcopis hæc pignera cum illo quo decebat honore, votumque ejus expoſcebat, in monaſterio conlocaret. Ad hoc enim opus beatus Eufronius urbis Turonicæ epiſcopus injungitur. Qui cum clericis ſuis Pictavum accedens, cum grandi pſallentio, & cereorum micantium, ac thymiamatis adparatu, ſancta pignera, abſente loci epiſcopo, in monaſterium detulit. Poſt hæc cum pontificis ſui ſæpius gratiam quæreret, nec poſſet adipiſci, neceſſitate commota cum abbatiſſa ſua, quam inſtituerat, Arelatenſem urbem expetunt: de qua regula S. Cæſarii atque Cæſariæ beatæ ſuſcepta, Regis ſe tuitione munierunt, ſcilicet quia in illum, qui paſtor eſſe debuerat, nullam curam defenſionis ſuæ poterant reperire. Ex hoc ſcandalo de die in diem propagato, tempus migrationis B. Radegundis advenit. Qua migrante, iterum petiit abbatiſſa, ſe ſub ſacerdotis ſui poteſtate degere. Quod ille cum primum reſpuere voluiſſet, conſilio ſuorum promiſit ſe patrem earum, ſicut dignum erat, fieri; & ubi neceſſitas fuiſſet, ſuam præbere defenſionem. Unde factum eſt, ut abiens ad Childebertum regem, præceptionem eliceret, ut ei hoc monaſterium, ſicut reliquas parochias regulariter liceat gubernare. Sed neſcio quid, credo, adhuc in ejus animis reſidebat, ut hæ puellæ adſerunt, quod moveret ſcandalum.*

a

Quod ſpectat ad monaſterium S. Radegundis titulo S. Crucis inſignitum, in eo, ſedente Pictavi Maroveo, turbas moverunt Chrodieldis monialis quæ ſe Chariberti quondam regis filiam aſſerebat, & quadraginta ejuſdem cœnobii puellæ, præſertim Baſina Chilperici regis filia, conſobrina Chrodieldis. Hæ omnes e monaſterio egreſſæ, multis in Leuboveram abbatiſſam injectis criminibus, ut ex præfectura dejiceretur, eique Chrodieldis ſubrogeretur; *detrahebant* etiam *de epiſcopo dicentes, quia illius dolo & hæ turbatæ* fuerant, & *monaſterium erat derelictum.*

Greg. l. IX. cap. 39.

Ibid c. 40 & 41.

Ad ſedandum ſcandalum *Gundegiſilus Burdegalenſis, adjunctis ſecum Nicaſio Egoliſmenſi, & Safflario Petragorico ac ipſo Maroveo Pictavenſi, epiſcopis ..... ad baſilicam S. Hilarii advenit,*

a Imprimis ligni S. Crucis partem, quapropter hoc monaſterium nomen S. Crucis accepit, quod adhuc hodie retinet.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

arguens has puellas, & in monaſterium reducere cupiens. Sed cum illæ obſtinatius reluctarentur; & eis epiſcopi excommunicationem intentaſſent, flagitioſi homines ab illis immiſſi, in ipſa S. Hilarii baſilica congregatos antiſtites, diaconos, alioſque clericos verberibus ceciderunt, effractiſque capitibus, & ſanguine perfuſos fugere compulerunt.

Ibid. c. 43. *Poſt hæc Maroveus epiſcopus*, inquit Gregorius, *cum diverſa improperia ab his* (monialibus) *audiret, Porcarium abbatem baſilicæ S. Hilarii ad Gundegiſilum epiſcopum* (Burdegalenſem) *& reliquos comprovinciales deſtinat, ut data communione puellis, ad audientiam veniendi licentiam indulgere dignarentur; ſed nequaquam potuit obtinere.* Childebertus quoque rex diverſas querelas tum abbatiſſæ & monialium quæ ipſi obtemperabant, tum puellarum quæ egreſſæ fuerant ex monaſterio moleſte ferens, voluit hæc diſſidia componere per Theutarium presbyterum. Vocatæ vero ad audientiam Chrodieldis & quæ ipſi adhærebant, reſponderunt: *Non venimus, quia a communione ſuſpenſæ ſumus. Si reconciliari meremur, tunc ad audientiam venire non differimus.* Recuſantibus vero epiſcopis communionem illis dare, fatuæ illæ virgines *ſeparatæ ab invicem, aliæ ad parentes, aliæ ad domos proprias, nonnullæ in hæc monaſteria in quibus prius fuerant, ſunt regreſſæ, quia hyemem validam ſimul poſitæ propter penuriam ligni tolerare non poterant. Paucæ tamen cum Chrodielde & Baſina remanſerunt..... pro eo quod altera alteri ſe præponere cupiebat.*[a] Hæc Gregorius de inſipientibus illis virginibus quæ infatuato ſali ſimiles, ad nihilum valuerunt ultra, niſi ut mitterentur foras & conculcarentur ab hominibus.

Lib. de Gl. Confeſſ. cap. 106. Maroveum viſitandi ſuæ diœceſis eccleſias valde ſollicitum fuiſſe notat idem Gregorius, ubi refert eum ad funus B. Radegundis reginæ curandum non potuiſſe accedere, *eo quod illum cauſa viſendarum paræciarum elongaſſet.* Idem ſcriptor Marovei elogium abſolvit lib. 2. de miraculis S. Martini cap. 44. ubi ait eum *non immerito Hilarii beatiſſimi diſcipulum prædicandum.* *

* al. præconandum.

XX. Plato.

Plato ex gremio Turonenſis eccleſiæ, in qua archidiaconi fungebatur officio, aſſumtus ad cathedram Pictavienſem legitur apud Gregorium Turon. lib. v. cap. 50. & lib. iv. de miraculis S. Martini cap. 32. Cum eſſet archidiaconus ſub ipſo Gregorio, ejuſdem cauſa opprobria & vincula paſſus eſt dolis Leudaſtis Turonum comitis, qui ſuum archiepiſcopum læſæ majeſtatis reum dicebat, quod Fredegundem reginam adulterii cum Bertramno Burdigalenſi epiſcopo infamaſſet. Nec minori furore Gregorii amicos, præſertim Platonem archidiaconum inſectatus eſt, adjutoribus Riculfo presbytero, & altero Riculfo clerico. Cauſa ad epiſcoporum apud Brennacum congregatorum judicium delata, Gregorius abſolvitur, Leudaſteſque totius doli artifex cum ſuarum partium ſtudioſis damnatur: nempe Riculfus clericus vi tormentorum victus, Leudaſtis ejuſque amicorum occultas artes & conſilia patefecit. Pro mercede criminis Riculfo presbytero epiſcopatus Turonenſis promittebatur, alteri Riculfo clerico archidiaconatus, quem tunc, uti diximus, obtinebat Plato.

Hic factus eſt epiſcopus Pictavenſis anno D. XCII. cui hanc eccleſiam ingredienti adfuit ſupra laudatus Gregorius, ut deſcribit Fortunatus lib. X. cap. 20. 592.

Provida diſponunt reges ſolatia plebi,
Pontificem dantes quem probat alma fides.
Ut colat Hilarium, quem dat Martinus alumnum
Et confeſſoris protegat ala potens.
Dirigat hic populum ſucceſſor honore beato,
Et clerum eccleſiæ qui moderetur ope.
Floreat arce decens rex Childebertus in orbe
Cum genitis, populo, matre, ſorore, jugo.
Gaudia læta paret præſentia ſancta Gregori,
Et geminas urbes adjuvet una fides.
Qui modo diſcipulo Platone antiſtite ſummo
Sollemnem eccleſiæ hic dedit eſſe diem.

Eo tempore quo epiſcopatum adeptus eſt Plato, quædam domus adjuncta ædibus epiſcopalibus conflagravit maximo incendio, ac ſcintillæ cum carbonibus ſuper domum eccleſiæ, impellente vento, cadebant, inquit Gregor. Turon. qui tunc aderat. Plato vero epiſcopus, qui ex S. Martini Turon. epiſcopi ſepulcro pulverem ſecum tulerat, vas in quo eum condiderat, chriſmarium dictum, contra ignem levavit, exortuſque ſubito ventus vento priori contrarius, flammas a tecto eccleſiaſtico defendens, aliam repulit in partem; ſicque domus eccleſiæ liberata eſt, ut non aliis quam Gregorii verbis utar. Obitum Platonis refert Cointius ad an. 599. 599.

Lib. iv. de mirac. S. Mart. cap. 32.

XXI. S. Venantius Fortunatus.

Venantius Honorius Clementianus Fortunatus gente Italus, patria Tarviſinus, & ſi forſitan non in urbe, ſed in vico urbi vicino eſſet ortus, Ravennæ bonarum artium ſtudiis operam dedit; at cum gravi oculorum dolore & morbo S. Martini ope liberatus eſſet, relicta Italia Turonos venit, acceſſitque ad S. Epiſcopi tumulum, gratias benefactori acturus. Sententia fratrum Sammarthanorum eſt, Fortunatum, morbo oculorum quo laborabat, ſanatum fuiſſe in ipſa S. Martini baſilica Turonenſi; at vero propius eſt eum ſanitatem conſecutum eſſe in eccleſia ſub nomine S. Martini apud Italos conſecrata, virtute olei lampadis coram imagine ſancti epiſcopi accenſæ, prout ſcribit ſuis in verſibus; poſtea vero grati animi cauſa in Galliam profectum eſſe, & Turones veniſſe ad S. Martini ſepulcrum. Inde vero Pictavum petiit ubi ſedem elegit, & laude tam rhetoricæ quam poëtices floruit. Anno quidem D. LV. nuptias Sigiberti regis celebravit elegiaco carmine; cumque non minus pietate, ceteriſque virtutibus, quam ingenii dotibus præſtaret, in eccleſia Pictavenſi presbyteratus honorem promeruit, poſteaque ipſius epiſcopatus. Id contigiſſe poſt an. Chriſti LXCIV. contendit Labbeus, hac fretus ratione,

a Gregor. Turonenſis cap. 40. lib. IX. ait multas ex his circumventas matrimonio copulatas fuiſſe.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

quod Gregor. Turon. qui obiit prædato anno D. XCIV. Fortunatum nunquam episcopum appellet. Ceterum de Fortunati episcopatu immerito nonnulli ambigunt, cum de eo clare loquatur Paulus diaconus infra a nobis laudandus; & Baudonivia monialis, quæ hujus episcopi tempore vitam S. Radegundis scripsit, ita de eo loquatur: *Non ea quæ vir apostolicus Fortunatus episcopus de beatæ * vita composuit, iteramus, sed ea quæ prolixitate sui prætermisit.*

Radegundis.

Qui dicunt eum a vita migrasse an. D. XC. non audiendi videntur; nam episcopus nondum erat * hoc anno. Accedimus libentius ad eorum sententiam qui volunt eum non ante Gregorii Turon. mortem assumtum ad episcopatum, quod Gregorius nunquam episcopi titulo eum ornaverit. Obiit autem Gregorius Turon. an. D. XCV. Hoc epitaphio donatus est post mortem Fortunatus:

a

Ingenio clarus, sensu celer, ore suavis,
Cujus dulce melos pagina multa canit.
Fortunatus apex vatum, venerabilis actu,
Ausonia genitus, hac tumulatur humo.
Cujus ab ore sacro Sanctorum gesta priorum
Discimus, hæc monstrant carpere lucis iter.
Felix quæ tantis decoraris Gallia gemmis,
Lumine de quarum nox tibi tetra fugit.
Hos modico promsit plebeio carmine versus,
Ne tuus in populis, sancte, lateret honor.
Redde vicem misero, ne judice spernar ab æquo,
Et nimiis [b] meritis posce, beate, precor.

b

Christophorus Brouverus e Societate Jesu presbyter vitam Venantii Fortunati edidit, & ejus opera sive prosa sive metro scripta, quorum, saltem præstantiorum, hunc accipe catalogum:

Poëmatum libri XI.
De vita S. Martini libri IV.
Hodoepericon ad Justinum junior. imperatorem.
De excidio Turingiæ.
Carmen ad Artachin.

Præter opera poëtica scripsit *expositiones breves orationis Dominicæ.*

Symboli ap. & epistolas.

Vitas S. Hilarii episc. Pictav. S. Albini Andegav. S. Germani Parisiensis, S. Radegundis reginæ, S. Marcelli Parisiens. episcopi, S. Amantii Ruthen. ep. S. Remigii Remens. ep. S. Maurilii Andegavensis ep. S. Medardi ep. Noviomensis, S. Paterni Abrincensis ep. De vitis S. Maurilii & S. Medardi, an autorem habeant Venantium ambigitur.

In titulis operum Fortunati, presbyter dicitur, non episcopus, quod omnia elucubraverit ante episcopatum. Et quidem ad extremam pene senectutem pervenerat, quando sedem Pictavorum est adeptus. Quod vero fuerit episcopus dubitare non licet post hoc Pauli Diaconi testimonium lib. 2. cap. 9. quod aliis jam prolatis addendum censemus: *Postquam Turones juxta vo-*

a Cointius annum 599. fuisse initium episcopatus Venantii docet.

b Aut *eximiis meritis.* Hæc carmina scripsit Paulus Warnefridi rogatus ab A. proabbate S. Hilarii cujus in basilica sepultus fuit Venantius. Lege Paul. Diac. lib 2 de gestis Longob. cap. 13. Colitur Fortunatus die 14. Decemb. officio duplici.

A *tum proprium pervenit, Pictavos transiens, illic habitavit, & multorum ibidem sanctorum gesta partim prosa, partim metrica oratione conscripsit; novissimeque in eadem civitate primum presbyter, deinde episcopus ordinatus est, atque in eodem loco digno tumulatus honore quiescit.* Refert Sanctayus eum invocari in litaniis monasterii S. Cypriani, extra muros Pictavenses.

Platoni quidam successorem tribuunt Placidum, & quidem in Gallia Christiana fratrum Sammarthanorum legitur, sed eos fefellerunt libri editi Gregorii Turon. ubi pro Platone legitur Placidus. Et sane ad probandum Placidi episcopatum nullum aliud adhibetur argumentum, quam locus ejusdem Gregorii lib. IV. de miraculis S. Martini cap. 32. de incendio urbis Pictavæ, quem attulimus pro Platone; quod videlicet in codicibus manu exaratis non Placidus legatur, sed Plato.

B

XXII. Caregisilus.

Fortunato Caregisilum dant successorem veteres catalogi, quibus consentiunt Sammarthani fratres & Carolus Cointius post Bessium. At de hoc episcopo nihil habetur præter nomen.

C

XXIII. Ennoaldus seu Chaimoaldus

Ennoaldum viri docti conjiciunt esse Chaimoaldum Bertichramni Cenomanensis episcopi consanguineum, cujus meminit in suo testamento adjurans illum, quando eum divina pietas ad sacerdotale culmen perduxit, ut semper sit memor *nutrituræ*, id est educationis suæ quam in monasterio S. Petri dicto de Cultura, fundato a Bertichramno, acceperat, & patrocinii S. Petri, *unde ad ipsum, Christo præsule ambulavit.* Quæ verba significare videntur Chaimoaldum fuisse præfati monasterii alumnum. Ipsum rogat S. Bertchramnus ut suum corpusculum idonea sepultura suis manibus cum reliquis domnis & fratribus suis coepiscopis sepeliat. Hæc decerpsimus ex sancti Bertichramni testamento quod integrum edidit Mabill. tom. 3. Analect. pag. 112. Sedebat Chaimoaldus anno circiter 615. quo Mabill. censet conditum fuisse illud testamentum.

D

XXIV. Johannes I.

Johannis hujus nomen consignatum legitur in actis Remensis synodi an. 625. celebratæ a Sonnatio hujus metropolis antistite, uti legitur apud Flodoardum. 625.

E

XXV. S. Emmeramnus.

Emmeramnus seu Heimeramnus in Aquitaniæ partibus, & Pictavis urbe antiqua ortus erat, inquit Cirinus, qui fuit Fritingensis episcopus ante Carolum magnum, scripsitque S. Emmeramni vitam. *Hic puerili ætate cœpit mundum despicere..... & ad sacrum liberalium litterarum studium informare, ita duntaxat, ut superno judice inspirante ad summum promereretur ascendere pontificatus honorem.* His Cirini verbis quidem non designatur cujus civitatis pontificatum adeptus sit Emmeramnus; sed ex orationis

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

ſerie facile colligitur, ubi legitur: *Relicta igitur domo & immenſis ſubſtantiis, tot parentum nobilium turbas deſerens, in ſede civitatis jam dictæ alium conſtituens epiſcopum*, &c. Nullius civitatis mentionem prius fecerat hic ſcriptor, niſi Pictavorum; proindeque ſignificat non obſcure Pictavis Emmeramnum ſediſſe epiſcopum; aliundeque, quando dicit eum deſerendo ſuum epiſcopatum, domum, parenteſque reliquiſſe, & imitatum eſſe Abrahamum patriarcham, cum ad Dei juſſum exivit de terra ſua, de domo patris ſui, & de cognatione ſua, non reliquit divinandum quo in loco epiſcopale munus geſſerit. Aventinus in Annalibus Boiorum lib. 3. Pictaviam ſedem Emmeramni, dicit fuiſſe urbem Noricorum; quam ſententiam refellit Cointius ad an. 649. n. 25. Wiguleius Hundius ſupremi Boiorum ſenatus, *Monach* *, præſes, dicit S. Emmeramnum Pictavenſem cathedram deſeruiſſe circa an. 642. advocatque teſtimonium epitaphii ejus in quo legitur Pictavenſis epiſcopus.

* Munich.

642.

Sanctum hunc verbi divini præconem profectum eſſe ad prædicandum Evangelium apud Noricos, & ſediſſe Ratisbonæ, al. *Regensburg*, ubi martyrium paſſus eſt & ſepultus, narrat Baillet. Ibidem ſub ejus patronio conditum eſt celeberrimum ordinis S. Benedicti monaſterium a Theodone Bavariæ principe, cujus filius Lambertus nomine, Emmeramno mortem intulerat an. 652.

XXVI. Dido.

Dido fuit avunculus S. Leodegarii Auguſtodunenſis epiſcopi & Majoris-domus Franciæ; necnon Gerini comitis Pictavenſis. Jam factus epiſcopus autor fuit Grimoaldo majori palatii Francorum, ut Dagobertum filium Sigeberti tonderet, uti legitur in vita antiqua Sigeberti apud Quercetanum tom. 1. & in geſtis regum Francorum ubi hæc habes: *Mortuo Sigeberto rege Grimoaldus major domus, Dagobertum filium ejus ſuæ fidei commendatum, ut Auſtraſiorum potiretur regno, tonſuravit in clericum, conſilio Didonis Pictavenſis epiſcopi, qui fuit avunculus S. martyris Leodegarii, & per manum ipſius Didonis inſontem parvulum in Scotiam* [a] *direxit exilio irrevocabili.* Similia leguntur in chronico Centulenſi; *Sigibertus quoque mortuus reliquit filium heredem nomine Dagobertum, quem Grimoaldus totondit, & per Didonem Pictavorum prophanatorem, non dico epiſcopum, in exſilium miſit, filiumque ſuum regem ſubſtituit.*

Spicil. t. IV. pag. 448.

Ex his liquet quantum odii & invidiæ ſibi conflaverit Dido, Grimoaldi perfidiæ favens. At Grimoaldo majore domus & ejus filio Childeberto pſeudo-rege dejectis, Dido regiæ familiæ gratiam recuperavit. Anonymus qui S. Leodegarii vitam ſcripſit, narrat Leodegarium melioribus ſtudiis imbutum fuiſſe cura Didonis avunculi ſui, *qui*, inquit, *ultra affines ſuos prudentia divitiarumque opibus inſigni copia erat repletus.* Omnibus vero diſciplinis perpolitum Leodegarium archidiaconatu in ſua eccleſia donavit Dido [b].

[a] Hoc refert ad an. 655. breve chron. Leod. t. 3. Anecdot. ab Edm. Marten. editum col. 1412.

[b] Idem habet vita S. Leodegarii, autore Urſino, ubi legitur de eo: *Infra viginti annos ad officium electus eſt diaconatus, atque ab ipſo pontifice conſecratus; deinde non multo elapſo tempore, archidiaconus effectus*, &c.

Anno circiter 663. ſubſcripſit privilegio quod Bernefridus Ambianorum epiſcopus conceſſit Corbeienſi monaſterio, petente Chlotario rege.

ANNI CHRISTI

Quandiu præfuerit Dido difficile eſt ſtatuere. Pervenit ad an. 673. vel circiter, ſi conſtet eum vixiſſe uſque ad tempora Theoderici regis qui poſt Childerici fratris ſui necem regnavit. Audiendus ea de re antiquus ſcriptor apud Urſtitium parte II. rerum Alaman. *Rex Hildericus cum per aliquot annos regnaſſet, a peſtiferis conſpiratoribus in aula cum uxore ſua prægnante peremtus eſt. Leudeſius vero & Leuthericus cum Franciæ & Germaniæ principibus fratrem ejus Theodericum regem conſtituunt*, ſuffragantibus ſibi Didone Pictavenſi epiſcopo, Leodegario Auguſtodunenſi epiſcopo, & Gerino Pictavenſi comite fratre ejus. Ab Ebroino Didonem ejectum in exſilium cum S. Leodegario quidam dicunt; nec mirum Ebroini furorem contra Leodegarium, in ipſius avunculum exarſiſſe.

663.

XXVII. Ansoaldus.

Anſoaldus vir nobilis, ut habetur in vita ſancti Philiberti, jam erat Pictavorum epiſcopus, quando ad eum confugit ſanctus hic abbas liberatus e cuſtodia cui traditus fuerat dolis Ebroini, a S. Audoëno Rotomagenſi præſule. Id autem contigiſſe an. 674. vult Carolus Cointius. Sic itaque loquitur vitæ laudatæ ſcriptor cap. 19. *Per litteras B. Audoëni pontificis adiit*, Philibertus, *Anſoaldum virum nobilem Pictavorum pontificem, ob monaſterii gratiam conſtruendi. Illis itaque diebus in ſeculi potentia nimium fulgebat Anſoaldus, qui cognoſcens virum Dei culmine ſanctitatis erectum, in ejus ſe conſiliis commendavit ex integro, & ſub religionis norma epiſcopalem cæpit inclinare potentiam. Cumque eum vellet ſecum retinere in urbe, & S. Philibertus ſemper deſideraret eremi vaſtitatem, largiente Domino, Hero maris inſula locavit cœnobium Anſoaldus opere & eleemoſynæ largitate; Philibertus religione, doctrina, opere, & monachorum congerie. In quem locum de gemmato favo Gemmetici divina mella perrexerunt cum animarum examine. Quem apoſtolicus vir Anſoaldus de rebus propriis ditavit muneribus magnis, acta commutatione villarum cum eccleſia Pictavenſi.* Interfuit concilio Rotomagenſi an. 682. al. 693. Ejus mandato Urſinus vitam B. Leodegarii texuit inſcriptam *ſancto Pictavorum pontifici Anſoaldo.* Eum legationem in partes Siciliæ ſuſcepiſſe ferunt geſta Dagoberti I. ubi illuſtris defenſor Pictavienſis eccleſiæ nuncupatur, & in vita S. Leodegarii, ſanctiſſimæ vitæ antiſtes legitur. Referendus hic præcipue locus ubi de S. Leodeg. ſepultura agitur, ob frequentem & quidem perhonorificam Anſoaldi mentionem ibi factam. Sed & hoc non eſt ſilendum, *quia vir Dei Anſoaldus pontifex audiens ſanctum appropinquaſſe jam corpus, velocem direxit nuntium qui ex Interamnis villa ſua daret abundantiam vini, unde pauperes & reliquum vulgus qui comitabantur ſanctum corpus, habere potuiſſent ad refocillationem refectionis: deinde recto itinere pergentes, perventum eſt ad quandam villam Gelnacum, ad quam vir Dei Anſoaldus antiſtes acceſſit cum ſuis, ſcilicet cum multitudine clericorum, populorumque promiſcui ſexus, & ætatis, & pauperum,*

682.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

perum, cum thuribulis ac incenſi fragrantia, cum crucibus & cereis accenſis, agminibuſque multis canentium, hoc ſanctum corpus ſuſcipiens, pergere cœpit ad urbem. Tunc ibi quædam aderat femina multis jam annis in tantum curva, ut etiam caput inflexum pene adhæreret genibus, cum paululum oculos erexiſſet ad ſanctum martyrem & ad feretrum, reverſum eſt ad priſtinum vigorem ejus corpuſculum. Mirans hoc pontifex, & omnes illic adſtantes, virtutem Dei ac beatiſſimi martyris, tunc cum canticis & magnis laudibus perventum eſt ad urbem. In ſuburbana baſilica in qua B. Radegundis requieſcit, introivit beatus pontifex cum ſancto corpore martyris. Igitur cum amotum fuiſſet ab urbe, & ab ipſius civitatis præſule cum ſuis ſacerdotibus & miniſtris humeris propriis fuiſſet quibuſdam ſpatiis deportatum, & uſque Zezinoyalo quodam viculo cum magno triumpho fuiſſet delatum, ubi cum magna turba monachorum de ſancti Maxentii cœnobio in quo prius fuerat abbas conſtitutus, gaudentes obviam proceſſerunt, ſuum paſtorem cum magno favore ſuſcepturi. Tum c. 20. *In ipſius beatiſſimi martyris honore*, inquit, *juſſu pontificis domni Anſoaldi, opere hujus Audulphi patris monaſterii miræ magnitudinis fabricata eſt domus. Quo cariſmate ſupradictus pontifex votum quod vovit perficere volens, huic loco acceſſit cum omnibus ſuæ eccleſiæ ſacerdotibus, ac turba magnificorum, catervaque populi & plebe magna, & quidem cum magnis laudibus ſanctum ſepelierunt corpus beati martyris.* Acta cujuſdam conventus habiti in palatio Theoderici Fran-
688. corum regis an. 688. tom. 6. concil. Labb. pag. 1878. narrant Anſoaldum contendiſſe de poſſeſſione corporis S. Leodegarii cum Ermenerio ejus ſucceſſore in ſede Auguſtodunenſi, & cum Vindiciano Atrebat. præſule, at viciſſe, ac pretioſi corporis potitum eſſe.

693. Anno 693. adfuit placito Clodovæi regis pridie cal. Martias, apud Valencianas, cum multis præſulibus & optimatibus, ut legitur tum lib. VI. Diplomaticæ Mabill. tum in ejus Annalibus ad annum 693. num. 25.

696. Sedebat adhuc Anſoaldus an. 696. quo videlicet ſua ſubſcriptione munivit cum plurimis præſulibus privilegium ab Agerardo Carnotenſi epiſcopo conceſſum ignoto nunc B. Mariæ monaſterio; quod exhibet Mabill. lib. 6. Diplom. n. 23. pag. 478. in vita ſancti Philiberti edita ſec. II. Bened. pag. 824. Legimus quendam energumenum, ipſius & Philiberti precibus liberatum. Eum tandem factum eſſe monachum ſignificare videtur ſcriptor vitæ S. Philiberti, ubi ait eum ſub religionis norma epiſcopalem cœpiſſe inclinare potentiam.

XXVIII. Eparchius.

Eparchius ſeu Ebarcius inter primos Nobiliacenſis monaſterii benefactores recenſetur in diplomate Ludovici regis Aquitaniæ, quod ex authentico edidit Mabillonius tom. 2. Annal. pag. 715. Datum eſt diploma menſe Decembri anno decimo-tertio regnante Carolo rege. Ex illo quidem inſtrumento deprehendi non poteſt ætas Eparchii; at ſaltem inde habemus ipſum fuiſſe Anſoaldi ſucceſſorem; hoc enim ordine Pictavienſes epiſcopi qui bona Nobiliaco contulerunt recenſentur, Anſoaldus, Ebarcius & Guosbertus.

XXIX. Maximinus.

Hic epiſcopus nudo notus nomine, non ideo rejiciendus eſt quod in diplomate Pipini ſuperius laudato ſit omiſſus. Ibi enim ſcopus non eſt recenſendi Pictavienſes epiſcopos, ſed eos tantum, qui benefactores Nobiliacenſis monaſterii fuerunt: certe ante Annales Mabillonii editos Eparchium, Marcellinum & Gausbertum ſolo ex nomine cognoſcebamus. Sed Pipini diploma in lucem prolatum hos præſules ex tenebris eduxit, & forte aliquando ſimile inſtrumentum ex archivorum pulvere eruetur, cujus ope noſter Maximinus reviviſcet, & cum eo præſules alii. Forſan is eſt de quo in chron. Turon. 1226. Philippus epiſc. Pictavienſis apud monaſterium Sille corpus S. Maximini epiſcopi Pictavienſis, quinto idus Octobris, a terra levavit; nam alium Maximinum non novimus inter Pictavienſes epiſcopos.

XXX. Gausbertus.

Gausbertus, in laudato Pipini regis diplomate Guozbertus, ibidem recenſetur inter illos qui Nobiliacenſi cœnobio beneficia contulerunt.

XXXI. Godo.

Godo cui cognomen de Rupe-cavardi tribuitur, in codice *Galterii* [a] inſcriptus, an. 757. conſenſit privilegio Gorzienſibus conceſſo monachis, ut probat ejus nomen huic inſtrumento additum. In ſubſcriptione tamen hujus epiſcopi diſſimulatur ejus ſedes: unde ſola ex conjectura Cointius vult eam Godoni Pictavorum epiſcopo tribuendam. Notandum inſuper legi in ſubſcriptionibus Audonem, non Godonem. Circa hoc fere tempus Godo quidam fuit epiſcopus Tullenſis; præeratque jam an. 764. Attamen non eſt is Godo ſubſcriptus privilegio Gorzienſi; nam tunc, an. videlicet 757. Tulli Leucorum epiſcopus erat Jacob, qui chartæ præfati privilegii nomen ſuum addidit & calculum. Sequuntur quatuor epiſcopi ſolo noti nomine.

[a] 757.

XXXII. Magnibertus.

XXXIII. Bertaldus, in magno Galt. *Bertalidus*

XXXIV. Benedictus.

XXXV. Johannes II.

Hujus epiſcopi, & Apri S. Hilarii abbatis epitaphium ſcripſit Alcuinus epigrammate 150. Amborum tumulos Ato Apri ſucceſſor in abbatia S. Hilarii muro cinxit, ne pedibus tranſeuntium tererentur, condito prope illos altari ad offerendum pro ipſis ſacrificium.

XXXVI. Bertrandus I.

Bertrandi epiſcopi fit mentio in tabulis Carro-

[a] Liber eſt veterum chartarum quem magnum Galterium vocant. In eo eſt catalogus epiſcoporum, qui deſinit in Claudio de Tonnerre, proindeque ſcriptus eſt poſt an. 1500. Hoc in libro cognomentum de Rochechouart datum Godoni, recentiſſima manu eſt additum. Godonis Pictavorum epiſcopi meminit chron. Malleacenſe laudatum a Beſſio.

ANNI CHRISTI

fensibus; nam in testamento Rogerii comitis, fundatoris hujus monasterii, legitur ipsum a comite commendatum Bertrando amico suo. Vide in appendice tom. 2. Annal. Bened. p. 711. Scriptum est testamentum *sub die* 14. cal. Junii, regni Caroli anno 5. filio ejus Lodoico rege Aquitanorum anno circiter 785. ex Mabillonio.

XXXVII. Sigibrandus.

Sigibrandus *al.* Sigebrannus jam præerat diu ante tempus ipsi assignatum: nam in vetustissimo codice Evangeliorum ejus jussu scripto ad usum ecclesiæ Pictavensis, ad calcem legitur: *Anno D. CCC.*
818. *XVIII. ab Incarnatione Domini nostri Jesu-Christi V. calend. Aprilis, Pascha. Sigibrandus donum Dei episcopus fieri jussit.* Elapsis annis 12. interfuit translationi sancti Juniani, Mariaco Nobiliacum, & dedicationi Nobiliacensis monasterii, ut habetur in chronico Malleacensi: *Anno ab Incarnat. Dom.*
830. *830. basilica S. Hilarii Nobiliaco dedicatur,* & corpus S. Juniani illuc transfertur a Mariaco villa. Quam translationem fecerunt abbas Godolenus adjuvante Sigibranno episcopo, & Fulcone abbate S. Hilarii.

XXXVIII. Fridebertus, *al.* Fridebestus.

Fridebertus archicapellanus Pipini regis, & abbas S. Hilarii Pictavensis, necnon episcopus fuit, ut liquet ex diplomate in tabulario ejusdem basilicæ asservato, quod continet mundiburdum, seu immunitatis patrocinium pro rebus ad eandem ecclesiam pertinentibus. Privilegium vero illud datum est Novembr. 28. Ludov. imper. XXVIII.
a * Actum in Nevisio.

XXXIX. Ebroinus.

Ebroinus Caroli Calvi regis in sacro palatio archicapellanus, abbas S. Hilarii-majoris Pict. S. Mauri ad Ligerim, de quo in historia translatio-
Part. 2. pag. 173. nis S. Mauri auctore Odone abbate sec. IV. Bened. & S. Germani Parisiensis, vir genere illustris, Rorigonis comitis consanguineus, pontificatum Pictavensis ecclesiæ obtinebat anno 839.
839. Ludovico Pio imperatori grata exhibuit obsequia in rebus Aquitanicis: de hoc enim vita Ludovici ad annum prædictum sequentia tradit: *Imperator in redeundo, Rhenum in loco qui confluens dicitur, transmeavit, in Arduenna venationem solitam peracturus. In qua cum exerceretur, nuntii ad eum certissimi venerunt, affirmantes quod verum erat aliquos Aquitanorum suam sententiam exspectare, qualiter res Aquitanici regni ordinaretur, aliquos item indigne ferre, quod audierint Carolo a patre idem regnum traditum. Nam Imperatore de talibus sollicito, Ebroinus nobilissimus Pictavensis episcopus Flateram advenit nuntians tam se, quam ceteros primores ejusdem regni exspectare Imperatoris voluntatem, & imperantis exsequi velle jussionem. Erant enim in hac voluntate conspi-*
f. quique. *rantes maximi quippe * procerum: quorum eminentes erant, scilicet ipse Ebroinus venerabilis epi-*

A *scopus, Reginardus comes, Gerardus itidem comes & gener quondam Pipini, necnon Hiratarius similiter comes, Pipini gener, sed & alii quamplures horum sequentes voluntatem, nullo poterant pacto sejungi. At vero altera pars populi, quorum vel maximus fuit Emenus quidam, assumentes filium quondam Pipini regis, Pipinum itidem nomine, quaquaversum poterant, vagabantur, sicut moris talibus est, prædationibus atque tyrannidi operam dantes. Precabatur ergo præfatus antistes Ebroinus Imperatorem, ne in longum differret hunc morbum serpere, sed mature mederetur per suum adventum tali incommodo, antequam tanta lues plurimos in-*
B *ficere posset. Imperator porro præfatum episcopum in Aquitaniam cum multis gratiarum actionibus remisit, & quæ visa sunt, suis fidelibus mandavit.* Præfuit Ebroinus concilio II. apud Vernum palatium habito anno 844. in quo præcessit Wenilonem Senonum archiepiscopum, quod palatii archicapellanus foret, ut opinatur Sirmondus in notis ad concilia Galliæ tom. III. de qua conjectura judicent viri eruditi. Porro de situ palatii Vernensis non levis est difficultas; inclinamus in sententiam lib. IV. de re diplomatica cap. 152. assertam, scilicet esse Vernolium castrum *Verneüil,*
C non quidem hodiernum, quod nunc ducatus titulo gaudet, sed antiquum, quod inferius in convalle positum erat, ubi ad hoc usque tempus supersunt ædificia, quæ veteris castri nomen retinent, non longe a Piriga fluviolo *la Breche,* qui contra Vernum influit in Isaram.

Eodem anno Ebroinus properans ad auxilium Carolo regi ferendum Tolosam obsidenti, captus legitur in Annalibus Bertinianis his verbis: *Pippinus Pippini quondam regis filius, exercitu ex Francia ad Carolum Tolosam civitatem obsidione vallantem properanti, in pago Egolesimo occurrens, brevi, & absque suorum casu profligavit. Qua inopinata congressione Hugo presbyter & abbas, filius*
D *Caroli Magni quondam imperatoris, necnon Richboto abbas, & ipse consobrinus regum, Ecxardus & Ravanus comites cum aliis pluribus interfecti. Capti vero Ebroinus Pictavorum episcopus, Ragenarius Samarobricæ Ambianorum episcopus, & Lupus abbas, aliique non pauci nobilium.* Dure tractatum a Pippino episcopum hunc fuisse vix dubitamus, quippe ipse fuit, qui Ludovicum Augustum adiit, ut rebellionis hujus Aquitaniæ regis eum certiorem faceret.

Ebroinus multa dona contulit monasterio S. Mauri ad Ligerim, ut liquet ex multis instrumentis. In uno, dato an. VI. regnante glorioſissimo
E rege (Carolo) legitur cessisse Glaanæ (sic vocabatur S. Mauri cœnobium) villam Bidiscaco, & alia dominia quæ poposcit confirmari regia indulgentia. Altero significatur Ebroinum a Ludovico Pio Caroli Calvi patre accepisse *in jus proprietarium* quoddam monasteriolum, ubi B. Mauri corpus venerabiliter habetur humatum; quod in statum & religionem monastici ordinis funditus revocarat. Vocatur hîc *monasteriolum,* quondam celeberrimum S. Mauri asceterium, quia, cum laïcis misere traditum fuisset, a priori statu prorsus defecerat, & in pauperem cellam re-

* Apud Bessium legitur: Datum VIII. cal. Decembris ind. XII. an. XXI. regnante Ludov. imperatore qui est annus Christi 834.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

dactum fuerat. Conſtituerat autem Ebroinus hunc locum ſacrum conſanguineo ſuo Gauſleno viro religioſo tranſcribere, ut poſt ſuam mortem idem Gauſlenus, ſecundum patris Benedicti inſtitutionem religioſam vitam deducens, ejus loci cohabitatores regulari decreto gubernare non negligeret. Gauſleno mortuo monachis ibidem Deo famulantibus ſecundum regulam S. Benedicti facultas dabatur abbatem eligendi: quæ omnia Ebroinus curavit confirmari diplomate Caroli regis dato pridie idus Julii anno VIII. regnante Carolo rege. Hæc diplomata exhibet Beſlius in epiſcopis Pictavienſibus.

C. III. col. 317.

Ex continuatore Aimoini donatus fuit abbatia S. Germani Pratenſis apud Pariſios, poſt Hilduini mortem, quæ contigit anno 840. Exhibet J. Beſlius diploma Caroli Calvi pro hac abbatia, in quo memoratur Ebroinus epiſcopus & rector monaſterii S. Germani. Ebroini obitus notatur anno 858. die 18. Aprilis; condituſque fuit ex noſtro Claudio Eſtiennot, in baſilica S. Cypriani. Ejus tumba tempore Bucheti, qui Annales Aquitaniæ contexuit, reperta eſt cum hoc epitaphio, ex quo datur intelligendum, ipſum non a Norman. ſed a civibus Pict. fuiſſe interemtum.

Triſte vix unquam poterit deponere crimen
Pictavis magni præſulis interitu.
Maii ſeptenis Ebroinus biſque calendis,
Pontificalis apex aſtra ſuperna petit.
Hilarius, S. Germanus quem habuere
Abbatem, anguſto hic jacet in tumulo.

Amicum habuit Lupum abbatem Ferrarienſem qui ad eum ſcripſit mittens pectinem eburneum.

Ex lib. 8. de geſtis Francorum & Norm. cap. 25. *An. 855. Normanni Ligerim ingreſſi, relictis navibus pedeſtri itinere urbem Pictavorum adire moliuntur, ſed occurrentibus Aquitanis adeo afflicti ſunt ut ultra 300. pauci evaſerint....* At anno 865. hanc civitatem incenderunt, & ad naves ſuas redierunt, inquit idem ſcriptor, ex Beſlio; quæ etiam lego in annalib. Bertinianis. Iiſdem in annalibus ad annum 857. legitur Pippinum cum Danorum piratis iniiſſe ſocietatem, Pictavorum civitatem devaſtaſſe & multa alia Aquitaniæ loca.

XL. ENGENOLDUS.

Engenoldus, *al.* Ingenaldus, ſubſcripſit concilio Tuſiacenſi anno 860. In ſubſcriptionibus autem epiſcoporum, qui hac in ſynodo privilegium S. Martini confirmarunt, legitur Ingenardus. Synodus Sueſſion. anno 862. habita exhibet ejus ſubſcriptionem, quam lege lib. v. de re diplom. pag. 454. Anno 864. ſua ſubſcriptione conſenſit privilegio quod in conventu Piſtenſi conceſſum eſt monaſterio S. Germani Autiſſiod. legiturque tom. 2. Spicil. p. 588. In concilio Duziacenſi anno 871. menſe Aug. judicavit Hincmarum Laud. epiſc. depoſitione dignum, ob denegatam ſuo metropolitano ſubjectionem, ſalvo tamen per omnia apoſt. ſedis judicio.

860. 862. 871.

Ingenaldus dotavit ſacellum ſub titulo S. Maxentii, quod ſubjacet monaſterio S. Cypriani, conditum ad fluvium Saleronis, ex S. Cypriani chartul.

XLI. FROTARIUS I.

Poſt Engenoldum Frotarius Burdegal. archiep. a ſua ſede pulſus & exſulare coactus, cathedræ Pictav. adminiſtrationem nactus eſt, ut ſuo dixlmus loco.

XLII. HECFRIDUS.

Hecfridus præfuit tempore Caroli Calvi. Johannes papa VIII. epiſt. CXI. privilegium illi impertitur, ne quiſquam Pictavienſis eccleſiæ bona invadere vel diripere præſumat, & ut ablata reſtituantur Hecfrido, ac ſucceſſoribus, *cujus eccleſiam*, inquit, *diutinus paganorum hoſtis perſequitur, multa Chriſtianorum iniquorum incommoda patitur, quibus preſſuris nos convenit perdolere, eandemque nihilominus tanto faſce levare: data 3. calend. Septemb. indict. 11. Trecis*; exſtat in concilio II. Tricaſſ. Abbatiam S. Hilarii Pictavenſis ab Odone rege obtinuit, poſtulante marchione Roberto, & Ademaro comite Pictavienſi. Odonis diploma exhibet Beſlius ex tab. S. Hilarii Pictav. Johannis papæ VIII. epiſt. 121. inſcribitur Frotario Biturienſi, Anſelmo Lemov. Acfrido Pictav. &c. Fit ejus mentio in charta an. 833. * quo Frotarius Bituric. monaſterio Belliloci in Lemovicibus donat pro anima Raimundi comitis Lemovicum quandam villam, & anno 887. in privilegio ceſſionis villæ Orbaciaci Garulfo abbati Belliloci, ex tabulario hujus abbatiæ. Adalmannus ſacerdos, ex congregatione S. Petri Pictav. quædam vendit Haegfredo ipſius eccleſiæ antiſtiti *anno 1. regnante Carolo rege*, ſcilicet Carolo III. cui *Simplicis* cognomen datum. Obiit anno 900. ex chronic. Malleacenſi.

* Mabill.

887. 900.

XLIII. FROTERIUS II.

Froterius Bertaidis [a] filius eodem anno ordinatur pontifex Pictavienſis ex chronico Malleacenſi, tertio anno regis Rodulfi. Sententiam Savarici Thoarcenſium vicecomitis probat pro canonicis S. Martini Turonenſis, tempore Hugonis abbatis. Monachis S. Cypriani dedit etiam alodum ſuum in vicaria Thoarcenſi, & in pagi Pictavienſis villa Milliacenſi eccleſiam B. Severini, ut eſt in archivis Thoarcenſibus & in chartulario S. Cypriani fol. 30. In eodem chartul. poſt donum quoddam Iſemberti & uxoris ejus Odæ hæc lego in fine inſtrumenti:

Ipſo die acta ſunt hæc, quo reddidit Guillelmus comes poteſtatem S. Petri Frotherio epiſcopo poſt mortem Eboli patris ſui, anno Domini D. CCCC. XXXII. regnante Radulfo rege. 932.

An. 934. quædam Nobiliacenſi reſtituit mo- 934.

a *al.* Bertraidis. Legitur apud Beſlium charta hæc e tabul. Angeriac. ſumta: *Ego in Dei nomine Bertraidis femina, conſtat me vendere & vendidi, tradere & tradidi ad quemdam filium meum Froterium nomine, Pictavæ ſedis antiſtitem, hoc eſt alodum meum ſitum in pago Pictavo in villa quæ dicitur ſanctus Maxentius in vicaria Rauciacenſi, id eſt una cum eccleſia in honorem dicti S. Maxentii, &c.*

Digitized by Google

nasterio ex veteri * charta. [a] Restauravit abbatiam S. Cypriani Pictav. olim a Pippino rege Aquitaniæ fundatam, locupletavitque ac multis nobilibus prædiis auxit, assensu regis Rodulfi, comitisque Willelmi anno 936. Froterus in eodem monasterio sepultus quiescit. Ejus hortatu Abbo S. Germani Pratensis monachus, scripsit quasdam expositiones Evangelicas, ut ipse testatur in sua ad eas præfatione.

ANNI CHRISTI 936.

* Vide inter instrumenta C. IV. col. 328.

Spicil. t. IX. pag. 79.

XLIV. Alboinus.

Alboinus abbas S. Cypriani, Nobiliacensis monasterii, & B. Salvatoris de Carroso, in cathedra Pictavensi collocatur anno 937. ex præfato chronico Malleacensi, & ex ejus charta de fundatione cellæ Resurrectionis data hoc anno. Vetus documentum in historia episcoporum Johannis Besslii continet notitiam eorum quæ gessit in generali synodo Maii, ubi mentio fit plurimorum quæ S. Cypriani monasterio contulerat. Chartam inter instrumenta edidimus.

C. V. col. 329.

Froterium suum antecessorem & cœnobii S. Cypriani in prospectu Pictavis civitatis super alveum Clinni mirifico opere constructorem vocat, in tabula ejusdem monasterii, ubi religiosorum agmina instituit, deque rebus S. Petri ad ipsam abbatiam pertinentibus, suaque propria ditavit hereditate : continet autem donum ecclesiæ Resurrectionis per Froterium canonicum S. Petri dotatæ, ut belli tempore salutis causa in urbem secederent, instrumento [b] dato mense Aprili regnante Ludovico rege, & Hugone comite Pictavorum, cujus exemplar habes apud Besslium, necnon cessionem villæ Bonolii factam abbatiæ S. Cypriani, & religiosis sub Froterio abbate militantibus. Decessit anno 962. ex chronico Malleacensi : Calend. Martii in necrologio SS. Trinitatis Pictavensis.

b

Alboinus dederat ipse monasterio B. Mariæ & B. Cypriani alaudem quem emerat *de Roberto & uxore sua Eblena* in pago Pictavo in vicaria Siculensi in villa quæ vocatur Bonolio, cum domibus &c. & servo suo Berlando nomine, cum sua uxore & infantibus suis, sive mancipiis utriusque sexus, an. X. regnante Lothario rege, qui designat annum Christi 963. aut 62.

XLV. Petrus I.

Petrus genere nobilis, Isemberti & Odæ filius, Roberti frater, ex archidiacono & præposito S. Petri, quam obtinuit dignitatem Froterio episcopo 932. ex tabulis S. Cypriani, defuncto Albuino ejus locum sortitur circa an. 963. obitus incidit ad annum 975. cum esset provectæ admodum ætatis ex chronico Malleacensi. Utramque dignitatem Petri, scilicet præpositi & episcopi in ecclesia Pictav. probant duæ chartæ quas edidit Besslius. Prior est Isemberti & uxoris ejus Odæ parentum Petri, qua dant cuidam Joseph locum ad exstruendum molendinum consentiente Petro eorum filio præposito S. Petri. Acta sunt hæc ipso die quando reddidit Guillelmus comes potestatem S. Petri Froterio episcopo, post mortem Eboli patris sui an. Dom. D. CCCC. XXXII. regnante Radulfo rege. Altera charta est Odæ matris Petri, qua concedit S. Cypriani monachis in vicaria Salviense, in vicaria quæ vocatur Gregorius &c. subscribunt post Odam Petrus filius ejus, & Robertus frater ejus. Petrus autem filius Odæ in ipsa charta dicitur Pictavensium episcopus. Robertum fuisse patruum Petri, fratremque ejus patris Isemberti censet Besslius.

ANNI CHRISTI 963. 975.

Quidam Benedictus episcopus *concessit & vendidit monasterio S. Cypriani alodem suum qui est situs in pago Pictavo, in condita Thoarchinse, videlicet in ipsa vicaria, una cum domibus, curtiferis, virdegariis, vineis, terris, cultum & incultum, & est in villa quæ vocatur Monte-paladii scilicet cum his mancipiis, Adalberto cum infantibus, Wicardo cum infantibus suis, Duranno cum infantibus suis, Christiano, Isemburgi, & quidquid in prædicta villa vel circa villam visus fuit unquam habere. Pretium fuit CC. sol.*

S. Arberti vicecomitis, Cadelonis vicecomitis, Rainaldi vicecomitis. Item Rainaldi, Aimerici, Simonis, Adraldi, Tetbaudi, Savarici, Bosonis, Willelmi, Odoni, Ulgerii, anno XXII. regnante Lothario, hoc est, Christi 976. *ex chartul. S. Cypriani.* Si Benedictus hic fuisset Pictavorum episcopus, foret collocandus post Petrum I. unde esset emendandus chronographus Malleacensis, qui anno 975. ponit initium episcopatus Gisleberti qui sequitur. At forte episcopus hic alterius fuit sedis quam Pictavensis. Vir doctus, qui chartam hanc eruit ex S. Cypriani chartulario, suspicatur *episcopum* hic esse Benedicti cognomen, minimeque significare dignitatis ecclesiasticæ titulum.

XLVI. Gislebertus I.

Gislebertus I. [c] regnante Lothario, archidiacono Pictavensis dignitate functus est sub episcopatu decessoris, cujus sedem conscendit anno 975. si fidem chronicon Malleacense mereatur; ad hunc enim annum legitur ibi : *Obiit Petrus Pictavinus, cui successit Gislebertus.* Anno 989. adfuit syno-

c

975.

989.

[a] *Ab Incarnatione Domini nostri J. C. anno nongentesimo trigesimo quarto venit quidam sacerdos nomine Gondoinus proclamans ad suum proprium abbatem nomine Rothardum, pro eo quod volebat dominus pontifex Frotherius Pictavensium inquirere paratum & passum de ecclesia beatæ Mariæ Virginis sita in loco qui dicitur Monsvinarius ex potestate Nobiliacensis monasterii ubi jacet domnus Junianus confessor egregius. Dominus vero abbas prædictus adiit ad pontificem præfatum, indicavit ei quod injuste requirebat paratum & passum de præscripta ecclesia. Pontifex autem, ut pius pastor, recognovit rei veritatem, regnans sieri hanc notitiam, ut amplius in sempiternum de præscripta ecclesia paratum non fieret inquisitum. Stipulatione adnixa manu propria firmavit.*

Frotherius. Præsentibus his actum est.

*Petrus archidiaconus. *.*. Segoinus me formavit. Launo abbas. Aldouinus, Rainardus clavigr., Engelelmus, Tutguelus sacerdos, &c. Data mense Decembr. regnante Radulpho rege.*

[b] Instrumentum hoc editum a Besslio, laudatumque a Sammarthanis fratribus inseruit Martennius t. I. Thesauri col. 69.

[c] Exstat charta Willelmi pridie cal. Octob. peractis M. XXVIII. annis ab Incarnat. Domini, regnante rege Roberto in Francia V. anno, residente episcopo Isemberto in cathedra S. Petri post discessum sui prædecessoris Gisleberti. Hæc nota chronica *quinto anno*, minime potest convenire Roberto regi, cum regnaret ab anno 997. Annus quoque 1028. non erat annus quintus Isemberti I. si sederit an. 1021. sed additur, *post discessum sui prædecessoris Gisleberti*. Ex quo forte colligendum, Gislebertum cessisse episcopatu in gratiam Isemberti, ac post abdicationem vixisse adhuc duobus annis ; & in notis chronicis laudatæ chartæ, non numerari annos hujus episcopi, nisi a morte sui decessoris.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

do Carrofenſi calendis Junii, cum Gumbaldo archiepiſcopo Burdegal. Hildegario Lemovic. Frotario Petragoricenſi, Abbone Santonenſi, Hugone Engol. Anno 1000. ſubſcripſit cum Bernono decano chartæ Willelmi Aquitan. ducis pro S. Cypriano. Pacta iniit cum eodem Willelmo pro oppido de Vivona, ex hiſtoria MS. hujus temporis. Quo circiter tempore, Heldeardis Thoarcii vicecomitiſſa collegium canonicorum Regularium inſtituit in eccleſia Aureæ-vallis *, quam bonis dotaverat. Apud Beſlium leguntur plurimæ chartæ in quibus memoratur hic epiſcopus; ſed chronicis carent notis, excepta prima, in qua legitur *Regn. Roberto rege*. Ipſo ſedente celebrata eſt Pictavis ſynodus VI. idus Martii, de qua Labbeus bibliothecæ-novæ tomo II. De eadem jam diximus in Siguino Burdigalenſi metropolitano, ubi habitam eam fuiſſe an. 1011. notavimus. An. 1012. conſecravit Geraldum epiſcopum Lemovicenſem in eccleſia Pictavienſi. Anno 1016. ſigno ſuo confirmavit donationem factam a Willelmo Pictavorum comite totiuſque Aquitaniæ principatum tenente, Ebroilenſi apud Arvernos monaſterio. Vide Mabill. ad hunc annum n. 24. Subſcripſit diplomati ejuſdem ducis dato menſe Martio an. M. XVIII. ut videre eſt inter inſtrumenta. Humatus eſt in Malleacenſi monaſterio. In priori charta quam de ipſo edidit Beſlius legitur ædificaſſe eccleſiam in honore ſancti ſepulcri Domini, in convalle ſui caſtri Calviniaci, *Chauvigni*, unde habetur ipſum fuiſſe de genere dynaſtarum de Calviniaco.

1000. *Beſly com. Pictav. pag. 361.*

* Airvau.

1011.

C. V. col. 330.

XLVII. ISEMBERTUS I.

Iſembertus Giſleberti nepos, Petrique epiſcopi hujus nominis I. conſanguineus, ante epiſcopatum in eccleſia Pictavenſi officio archidiaconi functus fuerat. An. 1021. adfuit conſecrationi Jordani in epiſcopum Lemovicenſem ex Ademaro Cabanenſi in chronico. Aderat dedicationi ſancti Florentii Salmurienſis idibus Octob. an. 1025. cum Arnulfo Turon. archiep. Tempore Iſemberti, & cum ejus conſenſu, Hugo de Leziniaco appellatus vir clariſſimus, qui Aldeardem conjugem habebat, condidit cellam in honorem beatæ Mariæ, in proſpectu caſtri Liziniaci an. 1024. quam ſubjecit abbatiæ Nobiliacenſi. Anno ſequenti aliud oratorium fundavit cum conjuge in villa Brueria. Exſtat in tabular. Nobiliacenſi diploma a rege Rotberto conceſſum rogatu Willelmi Pictav. comitis, quo confirmat Rex prioratus S. Martini ante caſtrum de Cohiaco * ſiti fundationem factam de conſenſu Hyſemberti epiſc. Act. Turonis anno Incarn. M. XXV. An. 1026. benedixit Amblardum S. Maxentii abbatem ex chronico Malleacenſi, ubi Iſembertus Giſleberto ſucceſſor datus legitur. Chronicon Lemovicenſe notat dedicationem eccleſiæ S. Salvatoris celebratam ab epiſcopis undecim, ex quibus erat Iſembertus, anno 1028. quo etiam anno memoratur in charta cujuſdam Samuelis calendis Martii, ubi appellatur S. Petri epiſcopus. Sub eodem epiſcopo habita eſt Pictavis ſynodus ad occurrendum multis malis imminentibus, per quæ ſanctæ Dei Eccleſiæ ſtatus dilabi videbatur. Hujus vero cœtus notitiam damus ex

1021. *Labb. bibl. novæ t. II. pag. 180.*

Mabil. Ann. tom. IV. pag. 305.

* Couhé.

1026.

1028.

Beſly com. Pictav.

C. VIII. col. 331.

A chartul. ſancti Maxentii. In editione conciliorum Labbeana tom. IX. brevis ſit mentio hujus concilii, quod legitur celebratum anno 1032. ſecundum chronicon Malleacenſe; ubi quidem legitur, poſt nonnulla ad hunc annum notata: *Eo tempore fuit concilium factum Pict.* An. 1031. adfuit ſynodo Lemovicenſi, ubi actum de S. Martialis apoſtolatu. An. 1036. ex chron. Malleacenſi Pictavis fecit ſynodum, ubi *magnam pacem firmavit*; quæ de privatis bellis compeſcendis intelligenda. Addit tamen chronicon eum cum Euſtachia uxore Guillelmi comitis, aliquantum exſpoliaſſe monaſteria auro & argento, unde redimerent comitem, qui poſt paucos dies mortuus eſt. Hujus epiſcopi, quem ex toparchis Caſtri-Allionis *, ſeu Caſtri-Julii ortum quidam aſſerunt ex fide continuatoris ad calcem Ademari hiſtorici, frequens mentio fit in tabulis S. Cypriani, ubi dicitur exſtruxiſſe eccleſiam S. ſepulcri Domini noſtri in convalle caſtri ſui epiſcopalis Calviniaci, regnante Roberto. Item in donatione de alodo Pictavenſis pagi eccleſiæ Alliaci, ubi appellat Theotbergam matrem, ac fratres Manaſſem vicecomitem, & Sendebaldum. Præterea donat eccleſiam S. Vincentii monaſterio D. Cypriani. Vetus notitia panchartæ nigræ S. Martini Turonenſis refert Iſemberto & ſucceſſoribus epiſcopis perpetuo collatam unam præbendam B. Martini, unamque manſionem in clauſtro, ea lege, ut altaria quæ ſunt in terris ejuſdem ſancti per totam diœceſim Pictavienſem, nullam amplius comparationem reddant tam Iſemberto, quam ſucceſſoribus, præter ſynodum & circadam, conſentiente & ſubſcribente Willelmo comite Pictavienſi. Exſtant in chartario Cluniacenſi ejus litteræ de eccleſia ſanctorum Johannis & Pauli de Melgon * data Cluniacenſibus, in quibus Aquitanorum epiſcopum ſe appellat. Iis ſubſcribunt Roho Engoliſmenſis & Jordanus Lemovicenſis epiſcopus. Cum his præſulibus approbavit donationem factam S. Johanni Angeriacenſi a quodam Fulcaudo menſe Martio, an. 1037. ut obſervat Mabilſonius in Annalibus, ad an. 1038. Recenſetur inter epiſcopos qui adfuerunt dedicationi eccleſiæ ſanctiſſimæ Trinitatis Vindocinenſis menſe Junio anno 1040. Erunt fortaſſe qui hæc ad Iſembertum ſeu Iſembardum II. referent, quia ex chronico Malleacenſi prior anno 1036. obierat. Sane legitur hoc in chronico, paulo poſt annotatam ad præfatum annum Imonis abbatis Nobiliacenſis mortem: *Iſembertus quoque epiſcopus, poſtea pergens Romam, obiit in via apud Pavecam civitatem peregrinus. An. M. XXXVI. cal. Oct. civitas Andegava horribili conflagrat incendio.* Reſpondemus minime legi Malleacenſi in chronico Iſembertum I. Romam an. 1036. profectum eſſe. At ſi hæc fuit mens ſcriptoris chronici, plane hallucinatur; quod etſi jam liquido conſtare videatur ex ſuperius dictis, pluribus tamen argumentis confirmare operæ pretium eſt.

Primo: certum eſt Iſembertum priorem, fratrem habuiſſe nomine Manaſſem. At in tabulario ſancti Maxentii, aſſervatur charta donationis ſeu

* Sammarth.

* al. *Melgon* vide C. VII. col. 330.

1037.

1040.

a Alii Giſlebertum Iſemberti deceſſorem ex hoc genere prognatum docent.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI 1041.

ceſſionis factæ a Galterio, S. Maxentio, ac eccleſiæ B. Arediæ virginis, vulgo *la Mothe-ſainte Airaye*, an. 1041. qua in charta nominatur & ſubſcriptus legitur Iſembertus epiſcopus Pictavenſis; eidem quoque ſubſcribit *Manaſſes frater epiſcopi.* Ergo anno 1041. ſuperſtes erat Iſembertus primus, frater Manaſſis, qui pater fuit Iſemberti II.

Secundo, Iſembertus II. in charta authentica dedicationis S. Mariæ Santonenſis, quam omnes conſentiunt factam an. 1047. hoc modo ſubſcripſit poſt epiſcopos & ipſos abbates: *Signum Iſemberti clerici de Pictavis, deſignati epiſcopi.* In alia charta Agnetis comitiſſæ uxoris Gaufredi data eodem anno, poſt ipſam comitiſſam ſubſcribit Iſembertus Pictavienſis epiſcopus; quod probat chartam illam poſt dedicationem S. Mariæ Santonenſis datam fuiſſe, tuncque Iſembertum II. fuiſſe ordinatum. Ad calcem hujus inſtrumenti recenſentur præſules qui adfuerant dedicationi hujus parthenonis, inter quos Iſembertus minime legitur; quod iterum confirmat quod diximus, tunc Iſembertum fuiſſe tantum clericum, deſignatum tamen epiſcopum Pictavienſem. Itaque veriſimile eſt Iſembertum I. annum 1047. attigiſſe.

XLVIII. Isembertus II.

Iſembertus, *al.* Iſembardus dictus *Senebaut* in conſuetudinario S. Cypriani, Manaſſe qui frater erat Iſemberti I. & Amelia nobilibus parentibus genitus, * ex archidiacono Pictavienſis eccleſiæ electus eſt in patrui ſui ſucceſſorem anno circiter 1047. 1047. Anno 1048. vel 1050. convenit ad dedicationem S. Johannis Angeriacenſis ex chron. Malleac. Eodem anno adfuit concilio Romano, ſub Leone IX. ſubſcripſitque bullæ canonizationis S. Gerardi Tullenſis epiſcopi, ubi legitur Iſembaldus. Vocatur Iſambardus in vita S. Gildæ abbatis Rhuyenſis, ubi legitur Vitalem hujus monaſterii abbatem, qui ſucceſſit S. Felici mortuo an. 1037. ad hunc epiſcopum abiiſſe, clamoremque tuliſſe de injuria ablati ſibi corporis monachi ſui, (S. Guſtani,) quem defunctum v. *Kalendarum Dec. apud Bellum-videre caſtrum, ubi pro utilitate ſui monaſterii venerat, in domo monachorum S. Petri Maliacenſium*, abbas & monachi S. Philiberti rapuerant atque apud ſe tumulaverant, avidi donariorum, quæ in mortuum conferebantur. *Epiſcopus quia inobedientes præceptis ſuis ipſi monachi fuerant, præcepit eos cum ſuo abbate ad ſynodum ſuam venire, abbatem etiam Vitalem præcepit adeſſe. Cum ergo veniſſent, & in ſynodo utrique eorum cauſam dixiſſent; epiſcopus præcepit abbatibus atque canonicis nobilibus qui aderant, &c.....* reliqua deſunt. Porro quamvis hæc ad Iſembertum II. pertinere putemus, quia Vitalis abbas Rhuyenſis vixit annos ſaltem 17. hoc epiſcopo ſedente, & ad ſummum decem tempore Iſemberti I. fieri tamen poteſt, ut ea contigerint hujus Iſemberti tempore. Sub Iſemberto II. fundata eſt eccleſia collegiata S. Crucis Lodunenſis, a Gaufrido Andegav. comite in Pictavienſi diœceſi anno 1062. cujus fundationis chartam ex chartulario hujus eccleſiæ Sammarthani fratres depromſerunt, edendamque cenſuimus inter inſtrumenta. Adfuit Willelmo comiti Pictavienſi, Monaſterii-novi abbatiam in ipſa urbe fundanti anno 1066. quo tempore prioratum S. Pauli fundat ipſe in eadem urbe, & eccleſiam S. Jacobi apud Caſtrum-Heraldi *. An. 1067. ſubſcribit chartæ collegialis eccleſiæ Fayæ cum Gaufrido comite & Brunone epiſcopo Andegavenſi. Anno 1068. calendis Aprilis convenit ad ſynodum Burdigalenſem celebratam a Stephano ſedis apoſt. legato; conſentitque diplomati Gotſcelini archiepiſcopi Burdigalenſis ac theſaurarii S. Hilarii Pictavienſis, pro ſubjiciendo Burgolienſibus monachis S. Porcharii monaſterio.

ANNI CHRISTI 1062. C. VI. col. 333. *Sammarth.* 1066. * Chaſtelraud. 1068. *Vide t. x. concil. Labb. p. 69. 86.*

An. 1073. idibus Januarii Pictavis concilium habitum eſt adverſus Berengarium. An. ſequenti ad eum ſcripſit Gregorius papa VII. ob querelas canonicorum S. Hilarii, qui Nobiliacenſe monaſterium, quod ſui juris eſſe aſſerebant, ab eo detineri expoſtulabant, nulla ratione habita litterarum quas ea de re Alexander papa II. ad ipſum ſcripſerat: *Clerici congregationis ſancti Hilarii* (inquit Gregorius papa) *venere ad nos, conquerentes ſuper ſe de Nobiliacenſi monaſterio. Dicunt enim id juris ſancti Hilarii eſſe, & a te nulla ratione juſtitiæ detineri: unde etiam prudentiam tuam apoſtolicas prædeceſſoris noſtri litteras ſuſcepiſſe teſtantur; ſed inde juſtitiam recipere ſe non potuiſſe iterata reclamatione manifeſtant. Aſſerunt quoque prædium Campaniacum nomine, te conſentiente a prædonibus tuis injuſte devaſtari. Addunt inſuper ſe ex antiqua conſuetudine cum ſanctis reliquiis & plebe ſua matricem eccleſiam in Rogationibus adiiſſe, & a canonicis tuis ad contumeliam ſibi clauſas portas eccleſiæ, & introitum negatum fuiſſe. Quæ ſi ita facta ſunt, apoſtolica auctoritate tibi præcipimus, ut te repræſentes in concilio epiſcoporum provinciæ veſtræ metropolitano tuo, & reddita ſuper his omnibus ratione, ac pura veritate diſcuſſa, juſtitiam inde conſequenter exhibere non prætermittas. Verum ſi hæc aliqua occaſione renueris, aut te injuſte prægravari cognoveris, in feſtivitate omnium ſanctorum cum aliquot clericis ſancti Hilarii, ad nos venias, ut in præſentia noſtra controverſia veſtra diligenter perquiſita & cognita, legitimum finem, Deo adjuvante ſuſcipiat; & tam ſollicitudo noſtra, quæ multis invigilat, quam veſtra lis deinceps ſuper his cauſis ſopita quieſcat. Data Romæ ſecundo idus Aprilis, indictione duodecima.* Eodem anno pontifex ad illum graviori de negotio ſcripſit hoc modo: *Cum de te & factis tuis cogitare incipimus, de tam immoderata præſumtionis tuæ audacia nequaquam ſatis admirari poſſumus..... interdictus enim a legatis apoſtolicæ ſedis, officium epiſcopale uſurpare præſumſiſti, inobedientiæ crimen & contemtum apoſtolicæ auctoritatis incurrere non erubuiſti. Poſtea vero & eodem legato noſtro Amato Ellorenſi, & magiſtro tuo videlicet Gozelino archiepiſcopo Burdigalenſi, una cum ceteris religioſis viris, pro faciendo divortio Guillelmi Pictavenſis comitis & propinquæ ſuæ *, quam pro uxore tenebat, his, inquam, ſub apoſtolica obedien-* 1073. * Aldeardis Burgundæ.

Tom. iv. Anal. Mabill. in append. pag. 739.

* Horum parentum meminit, & inſuper avunculi ſui Sendebaldi, in charta qua cedit S. Cypriano Ludriacum, *Lury*, cum eccleſia S. Fercianæ, *S. Fercioſe.*

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

tia, pro negotio tam gravi, tam christianæ religioni necessario congregatis, conventum illorum per milites tuos nefarie perturbasti; quippe qui perruptis monasterii claustris & foribus in confessum irruentes, archiepiscopum & legatum nostrum multa turpitudine dehonestaverunt: reliquos vero minis, conviciis ac verberibus multisque contumeliis afflixerunt: unde Apostolica tibi auctoritate præcipimus, ut ante festum sancti Andreæ præsentiam tuam super his responsurus nostro conspectui exhibere nullatenus prætermittas. Quod si aliqua, nisi forte necessaria & inevitabili, occasione te subtraxeris, ab omni etiam sacerdotali officio te privatum & sacræ communionis participatione sequestratum esse noveris. Eos vero per quos tantum facinus effecisti, tam laicos, quam clericos, a corpore & sanguine Domini, & omni divino officio, usque dum tu ad satisfactionem venias, Apostolica auctoritate repellimus, & tibi sub periculo ordinis tui, ut omnibus hoc sine mora notifices, præcipiendo mandamus. Data Tiburi, quarto idus Septembr. indictione incipiente decima tertia. Guillelmus tamen illam propinquam suam jam dimiserat, ut ex pontificis ejusdem ad eum epistola gratulatoria, eodem die data liquet. *Ceterum* (inquit ad ipsum pontifex) *quod domi illam in vestra potestate usque ad futuram synodum morari cupitis; licet soror vestra, quam ut matrem diligimus, inde nos interpellaverit, consentire non audemus; scientes diabolicam fraudem hominibus maxime vetita, repertis occasionibus, præcipua calliditate suggerere; proinde ita eam a vestra vicinitate penitus removeri & elongari facite, ut vestra correctio, & oblata Deo reverentia, omnibus sit in exemplum.* Eidem significat se Romam Isembertum evocasse, aliisque ad Gozelinum archiepiscopum litteris monet ut Romam veniat, vel alium mittat qui Isembertum præsentem accuset; ac interea illum si venire nolit, excommunicatum una cum criminis consortibus denuntiet. De iis legendæ epistolæ præsertim 2. 3. & 4. lib. II. epistolarum Gregorii VII. Malleacense chronicon multa concilia in Pictavensi diœcesi habita tempore nostri Isemberti refert: Pictavis a Giraudo vel Girardo legato sedis apostolicæ anno 1075. de corpore & sanguine Domini, in quo Berengarius.... ferme interemtus est. *Fuerat*, (inquit chronicon) *aliud concilium apud S. Maxentium septimo calendas Julii, in quo erat major Goscelinus archiepiscopus Burdigalensis.* Anno 1079. ex laudato chronico concilium Pictavis celebravit Hugo Diensis episcopus, Gregorii VII. legatus; tametsi rex Philippus ad comitem, ne id pateretur, litteras dedisset, atque etiam ad episcopos, ne interessent. Quo de concilio scribens ad Gregorium Hugo, ait: *Si quid vero minus scripsimus sanctitati vestræ, Teuzo filius vester fidelissimus cooperator noster in Domino, de Tarvanensi episcopo cum Pictavensi quid statuerimus, plenius intimabit.* Celebratum est autem illud concilium primo die apud sanctum Petrum, & alio die ad sanctum Hilarium. Anno 1080. Isembertus memoratur in diplom. Goffridi Aquitaniæ comitis, quo plurima cœnobio S. Maxentii restituit, ut videre est in append. Beneficus fuit Isembertus monasterio S. Cypriani, cui inter cetera cessit locum alodi sui Ludriacum, ubi ecclesia S. Fercinctæ, pro anima Manassis & Ameliæ parentum suorum, & avunculi sui *Senebaldi*, quorum corpora hoc in monasterio jacebant. Ex hoc Senebaldo forsitan sortitus erat cognomen, quod jam diximus ipsi datum in S. Cypriani consuetudinario. Cessit eidem monasterio de casamentis suis quidquid datum fuerit; *excepto ne ita detur, ut ex toto perderet hominatum suum; & hoc promisit osculando Crucifixum in ecclesia B. Justi, in manu Rainaldi abbatis*, quem Besslius putat fuisse simul abbatem S. Cypriani & S. Justi Montmorlioni. Adhuc an. 1085. ut episcopus memoratur in tabula S. [a] Maxentii & in charta authent. Absiæ pro Vulliaco *, Gaufredo duce in Aquitania, qui & Guido est appellatus, pauloque postea mortuus est anno 1086. Post hujus ducis mortem chronicon Malleacense notat obitum Isemberti nostri, qui sepultus est ad S. Cypriani. Sæpe inscribitur chartis Nobiliacensibus [b], ut benefactor.

[a] * Voullié.

[b]

XLIX. Petrus II.

Petrus ex archidiacono [c] Pictavensi, cum esset vitæ sanctimonia conspicuus, ordinatus est episcopus Pictavensis octavo calendas Martii an. 1087. ex laudato Malleac. chronico. Circa an. 1091. ecclesiam S. Felicis de Silare B. Roberto Casæ-Dei abbati & fratribus ejusdem cœnobii contulit &c. hæc donatio facta dicitur in dedicatione ecclesiæ Salgiacensis. Ejus tempore canonici S. Hilarii Pictav. & monachi Majoris-monasterii societatem ineunt, monachisque data est canonica apud sanctum Hilarium an. 1092. uti lego tom. IV. antiquitatum Pictav. a domno Claudio Estiennot collectarum. Vocatur Petronus in quadam charta anni 1093. a D. Edmundo Martenne inspecta. Interfuit concilio Claromontano [d] anno 1095. post quod convenit ad dedicationem ecclesiæ S. Martialis apud Lemovicas pridie cal. Januarii. Eodem an. comitatus est Urbanum II. majus altare basilicæ Carrofensis dedicantem 4. idus Jan. Subscripsit anno sequenti chartæ Vindocinensis monasterii;

[c]

1087.

pag. 759.

[d]

1095. *Ex MS. Carrof.*

C. IX. col. 332.

[a] *Anno ab Incarn. Dom. M. LXXXV. Isembertus Dei gratia Pictavensis sedis episcopus apud* * *Marriacum episcopalem, rogatus a Radulfo archidiacono & Aldeberto monacho, dedit ecclesiam S. Martini Deo & S. Maxentio, quæ sita est in pago Briacense in villa Lorniaco.*

* Mairré l'Evescaut.

Sive potius confirmavit hujus ecclesiæ donum factum a duobus fratribus, Petro *apud castrum Sivriacum* *, & Gosceranno *apud Voaciacum* *.

* Sivray. * Voullié.

Post paucum tempus Petrus defunctus est apud Campaniam, exinde deportatus & sepultus honorifice in cimiterio S. Maxentii. Quo audito germanus ejus Gosceranus libenter ampliavit donum & confirmavit in manu domini Adæ abbatis in ecclesia cum libro missali apud Lorniacum. Quod notandum contra parochos, qui nostros San-Maxentianos curatos primitivos agnoscere recusant.

[b] Isembertus episcopus per consilium Uncberti decani, Seguini de Mortuo-mare, Radulfi archidiaconi, Gaufredi Bernant, Odonis Maingaudi, & aliorum canonicorum donat ad monasterium Nobiliacum ecclesiam de Bruse, rogatu Geldoini ac Viviani fratrum, istius prioratus fundatorum.

Idem Isembertus nominatur in charta Nobiliacensi M. LXXX.

[c] Ex charta Isemberti II. qua dat S. Cypriano ecclesiam S. Laurentii in archidiaconatu Thoarcensi, cui subscripsit Petrus archidiaconus.

[d] Videtur episcopum Pictavensem qui Claromontano adfuit concilio, fuisse Guillelmum; etenim in instrumentis pro causa Dolensis archiepiscopatus a nostro Edmundo Martenne editis tom. I. Collect. habetur pag. 72. testimonium Willelmi Pictav. episcopi asseverantis Urbanum II. in concilio Claromontano, Dolensem ecclesiam subjecisse Turonensi. *Hujus rei*, inquit, *nos testes sumus.* Ergo interfuit Guillelmus huic concilio. Verum interesse potuit ante adeptum episcopatum. Et aliunde liquido constat Petrum de quo agimus anno 1095. sedisse.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

quo etiam anno adfuit ſynodo Santonenſi, VI. nonas Martii.

Herbertus Thoarcenſis vicecomes cum Petri epiſcopi conſilio fundavit prioratum S. Nicolai de Caſa pro S. Florentii monachis, vel potius huic ſacro loco iterum donavit & confirmavit quidquid Aimericus vicecomes ejus pater prius donaverat; & quod hic inchoaverat, perfecit. Diploma ea de re datum eſt VII. idus Decembris an. ab Inc. Dom. 1098. indict. XI. Petro Pictavienſium epiſcopo an. XIV. quod edidimus inter inſtrumenta. Sed obſervandum eſt notas temporis eſſe vitioſas in multis; neque enim indictio undecima convenit anno 1098. ſed potius anno 1102. ſeptimo idus Decembris, quo nova indictio jam computabatur a menſe Septembri. Hoc vero tempore dedicata eſt prædicta eccleſia S. Nicolai de Caſa. Unde pene perſuaſum habeo notas cnronicas commemoratas pertinere ad dedicationis non ad fundationis chartam. Anno 1100. XIV. cal. Decembris, magna ſynodus 140. patrum acta eſt Pictavis in cauſa Philippi regis, qui ad priſtinam adulteram Bertradam redierat, teſte Gaufredo in vita S. Bernardi Pontivenſis. Anno 1106. die 26. Maii celebratur Pictavis a Brunone legato apoſtolico alia ſynodus, in qua bellum ſacrum conclamatum eſt præſente Bohemondo Antioch. principe, ex chron. Malleacenſi & Kemperlegienſi.[a] Eodem anno ejuſdem epiſcopi nutu & auctoritate conditur nobile ſanctimonialium cœnobium Fontebraldenſe in diœceſi Pictav. inſtitutore venerabili presbytero & canonico Roberto de Arbreſellis. Verum quæ ſpectant ad celeberrimum hunc parthenonem, ad alium locum pertinent. Edidimus tamen inter vetera monumenta litteras noſtri Petri, quibus confirmat omnia præfato collata monaſterio. Annuente ſynodo diœceſana anno 1108. dono dedit matri eccleſiæ Pictavienſi, eccleſiam de Roffiaco *, inter Laucidunum ſeu Lauſdunum & Montem-Sorelli. Anno 1109. ſedit in ſynodo Loſdunenſi cum archiepiſcopo Burdigal. ac plurimis epiſcopis, præſide Girardo Engoliſmenſi Eccleſiæ Rom. legato. Præterea conceſſit Aymerico abbati Caſæ-Dei & monachis tres eccleſias, in villa quæ Gazenolium vel Jazenolium dicitur, ſitas; ſcilicet S. Mariæ, S. Machuti, & S. Genovefæ virginis, quas Gaufridus S. Maxentii abbas ſibi vindicabat, Aymerico decano & canonicis donum hoc laudantibus. Illud vero factum fuiſſe an. 1111. potius quam 1109. probat indictio IV. quæ reſpondet an. 1111. Poſtea eodem anno facta eſt compoſitio inter abbates diſſidentes, a Girardo Engoliſm. epiſcopo S. ſedis legato, & Petro Pictav. de quo agimus, præſente Leodegario archiepiſc. Bituric. Pictavis in camera epiſcopi an. M. C. X. indict. IV. Munificum ſe præbuit non ſolum erga ſuæ diœceſis monaſteria, S. Cyprianum, ſanctum Maxentium[b], Fontem-ebraldi, &c. uti probant varia inſtrum. quæ Beſſius hiſtoriæ epiſcoporum Pictav. inſeruit: ſed etiam ad exteros monachos manus liberales extendit, præſertimque monaſterio ſancti Amantii Buxienſis in manu abbatis Ramnulfi, donans eccleſiam S. Clementis villæ Caſſenolii. Hunc Ramnulfum in abbatum Buxienſium olim ſerie omiſſum, addendum judicavimus.

Hoc Petri epiſcopi ſtudium erga monachos, movit Ivonem Carnotenſem epiſcopum, ad ſcribendum ipſi epiſtolam expoſtulatoriam, quod clericorum ordini injuriam inferret, eoſque monachis ſubjugare ſtuderet. Ita vero loquitur, quia eum abbati S. Cypriani favere putabat in lite quadam de prioratu, pro quo altercabantur cum S. Cypriani monachis, clerici ſeu canonici Regulares. Attamen hujus inſtituti canonicos induxit in abbatiam Aureæ-vallis * cum conſenſu Aimerici vicecomitis Thoarcenſis, ejuſque filii Arberti; quibus canonicis abbatem dedit Petrum ex cœnobio Stirpenſi aſſumtum, vide Beſſium pag. 82. Ante mortem iram Guillelmi VIII. Aquitaniæ ducis, & Pictavorum comitis incurrit, quod eum a ſacris arceriſſet ob adulterium cum Caſtri-Heraldi vicecomitiſſa. Ea de cauſa epiſcopus in exſilium ejicitur, in quo vitam beato fine clauſit, perſecutionem pro juſtitia patiens. Et ſane magnis miraculis eum claruiſſe poſt mortem legimus. Guillelmus Malmesburienſis lib. v. de geſtis Henrici I. Anglorum regis, ita de hoc ſancto epiſcopo loquitur: *Erat tunc Willielmus comes Pictavorum fatuus & lubricus, qui priuſquam de Hieroſolyma rediit, ita omne vitiorum volutabrum premebat, quaſi crederet omnia fortuito agi, non providentia regi. Nugas porro ſuas, falſa quadam venuſtate condiens, ad facetias revocabat, audientium rictus cachinno diſtendens. Denique apud caſtellum quoddam Niort habitacula quædam, quaſi monaſteriola conſtruens, abbatiam pellicum ibi ſe poſiturum delirabat, nuncupatim illam & illam, quæcunque famoſioris proſtibuli eſſet, abbatiſſam, vel priorem, ceteras vero officiales inſtituturum cantitans: legitima quoque uxore depulſa, vicecomitis cujuſdam * conjugem ſurripuit, quam adeo ardebat, ut clypeo ſuo ſimulachrum mulierculæ inſereret, perinde dictitans, ſe illam velle ferre in prælio, ſicut illa portabat eum in triclinio. Unde increpitus & excommunicatus a Girardo Engoliſmorum epiſcopo, juſſuſque illicitam venerem abjicere: antea, inquit, criſpabis pectine refugum a fronte capillum, quam ego vicecomitiſſæ indicam repudium, cavillatus in virum cujus pertenuis cæſaries pectinem non deſideraret. Nec minus, cum Petrus præclaræ ſanctitatis Pictavorum epiſcopus eum liberius argueret, & detrectantem palam excommunicare inciperet, ille præcipiti furore percitus crinem antiſtitis involat, ſtrictumque mucronem vibrans: jam, inquit, morieris, niſi me abſolveris. Tum vero præſul timore ſimulato inducias petens loquendi, quod reliquum erat excommunicationis, fidenter peroravit, ita comitem a chriſtianitate ſuſpendens, ut nec cum aliquo convivari, nec etiam loqui auderet, niſi mature reſipiſceret. Ita officio ſuo, ut ſibi videbatur, peracto, martyrii-*

C. XI. col. 334.

t. x. concil. col. 720.

t. x. concil. pag. 146.

a

C. XII. col. 335.

C. XIII. col. 336.

* Ruffé.

1111.

* Airvaux.

* Caſtri-Heraldi.

a Bruno Signienſis epiſcopus ſedis apoſtol. legatus, una cum Boamondo, ex terra ſancta directus fuerat in Gallias implorandi auxilii gratia. Boamondus Antiochiæ dux, captus a Saracenis atque in vincula conjectus, voverat ſi e vinculis evaderet, ſe ad S. Leonardi ſepulcrum quod Nobiliaci in Lemovicibus eſt, religionis cauſa profecturum. Voti reus acceſſit, aſſumto comite Brunone epiſcopo; qui cum Pictavum veniſſet, habito concilio principes viros, omneſque ad iter Jeroſolymitanum cohortatus eſt.

b Vide inter inſtrumenta multa excerpta ex chartulario ſancti Maxentii, C. XIV. col. 336.

que

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

que tropheum ſitiens collum protendit, feri, inquiens, feri. At Willelmus refractior conſuetum leporem intulit, ut diceret: tantum certe te odi, ut nec meo te digner odio, nec cælum unquam intrabis meæ manus miniſterio. Verumtamen poſt modicum viperio meretriculæ infectus ſibilo, inceſti diſſuaſorem detruſit exſilio. Ubi beato fine concluſus, frequentibus & magnis miraculis innuit mundo, quam glorioſe vivat in cælo. Quibus auditis comes dicacitate inſolenti non abſtinuit, profeſſus palam pœnitere ſe, quod non ei jamdudum mortem acceleraſſet, ut ipſi anima ſancta grates haberet potiſſimum, cujus furore cæleſte mercatus eſſet commodum. Petrus migravit ad Dominum anno 1115. [a] apud caſtrum Calviniacum in ſua diœceſi, pridie nonas Aprilis, ut habet liber obituum S. Hilarii de cella Pictavenſi: in baſilica S. Cypriani juxta portam clauſtro contiguam ſub tumba humatus; refertur autem illius epitaphium in chronico Malleacenſi:

1115.

Captio, vincla, minæ, cenſus, domuumve ruinæ,
Nunquam paſtorem flexere, ſuumve rigorem.
Imo magis fortis inſtanti tempore mortis,
Nulla relaxavit quæ jure liganda ligavit.
Qui ſedit in epiſcopatu 29. annis & unum menſem.

De hujus fortiſſimi epiſcopi miraculis Gaufredus Groſſus monachus in vita S. Bernardi abbatis de Tironio ſcribens, hæc ait: *Quæ dum agerentur, Pictavenſis urbis epiſcopatum regebat venerabilis Petrus epiſcopus, qui poſtea exſilium pro juſtitia uſque ad mortem ſuſtinuit; cujus vitæ ſanctitas mirabilis exſtitit, ut poſt ipſius obitum miraculorum atteſtatione patuit.* Docet id quoque chronicon Richardi Pictavenſis: *In illo tempore, illud famoſiſſimum cœnobium feminarum quod dicitur Fons-Ebraldi, conſtituitur in pago Pictavenſi a Roberto de Bruxello, juvante Pictavorum Petro epiſcopo, cujus ſanctitatem crebra miracula tumuli ejus loquuntur & prædicant.*

Ceterum quamvis chronicon Malleacenſe diſerte dicat Petrum ſepultum fuiſſe Pictavis apud S. Cyprianum, clamat nihilominus monumentum ejus memoriæ conſecratum in cœnobio Fontebraldenſi, a Leonora Borbonia ex Levitanenſibus vice-comitibus orta, hîc jacere corporis ejus reliquias; legitur enim hæc inſcriptio tumulo addita: *Sciant poſteri hic jamdudum quieſcere oſſa pioſque cineres admodum reverendi præſulis Petri Pictavorum antiſtitis, qui venerabili Roberto iſtius ordinis parenti contemporaneus fuit, eique apprime carus. Hujus enim auſpiciis & munificentia exædificatum eſt hoc templum, in quo deinceps alii quidam præſules, reges, dynaſtæ, ac illuſtres viri ſepulturæ locum ſibi deligendum curarunt, quorum nomina mortalibus excidiſſe mirum non eſt, quia immortalitate digna. L. B. H. M. P. C. Anno M. DC. XXIII.* Quo tamen tempore venerabilis præſulis exuviæ Fontebraldum fuerint aſportatæ non legimus. Notatur inter ſingulares benefactores B. M. de Cella.

[a] De tempore mortis Petri ita Robertus de Arbriſſello, in donatione facta Gerardo de Saliis, quæ habetur tom. XI. Spicil. pag. 318. *Eſt prædictorum conceſſio facta locorum apud Fontem-Ebraldi, B. Benedicti die feſtiva, v. id. Julii, an. ab Incarnatione Dom. M. CXV..... in tempore viduatæ Pictavienſis eccleſiæ, viam ingreſſo univerſæ carnis Petro antiſtite.*

L. GUILLELMUS I.

ANNI CHRISTI GILBERT.

Guillelmus ordinatus eſt epiſcopus Pictav. an. 1117. juxta chronicon Malleacenſe; utrum vero hæc de ipſius electione ſint intelligenda, vel de conſecratione non facile eſt definire. Giſleberti agnomen datum huic præſuli videmus in chronico Malleacenſi ejus mortem notante; omittitur tamen in pleriſque chartis. Certe in codice *Galteri* additum cognomen *de Ragioles* obſervatur, at ſcriptum recentiſſima manu. Tempus inchoati epiſcopatus Guillelmi deſignatum in chronico Malleacenſi, confirmant litteræ authenticæ donationis factæ fr. Roberto priori S. Petri-veteris apud Partheniacum, & monaſterio Caſæ-Dei, a Guillelmo cognomento *Archiepiſcopo*, Partheniaci domino; nam legitur ad calcem: *Dat. in feſto S. Petri Auguſti, anno ab Incarnatione Domini M. C. XIX. indict. XII. epacta VII. a morte Gelaſii papæ die XXIII. pontificatus Dom. Guillelmi Pictavenſis epiſcopi anno II.* (completo.) 1119.

Eodem anno 1119. quandam fraternitatem inſtituit in eccleſia Fontis-Ebraldi, quam approbavit Callixtus II. in majori monaſterio Turonenſi. Hoc anno, Guillelmo ſuadente, hic pontifex Fontebraldum acceſſit, ubi oratorium & altaria dedicavit, epiſcopus vero Pictavenſis monialibus indulſit decimas agrorum quos colebant, & pecorum quæ habebant. Annis 1221. & 1222. multas dat eccleſias S. Maxentio, [b] & Goffrido abbati. An. 1122. Savaricus de Malo-leone quandam chartam dedit pro Fontebraldo, in qua Guillelmi noſtri nomen occurrit. Memoratur in charta Giſleberti de Loſduno pro Abſia monaſterio Vaſtinenſis pagi, data an. 1123. quam inter inſtrumenta reperies. Eodem anno præſentia ſua confirmavit & ratum habuit donum factum a Willelmo Thoarcenſi, Arveo de Marolio, & Giſleberto de Volvira militibus, abbatiæ B. Mariæ de Brolio-Grollandi. Exſtat in chartulario Majoris-monaſterii concordia quam fecit inter abbatem hujus loci, & abbatem B. Mariæ Lucionenſis, pro molendino apud Rocham. *

[b]

C. XV. col. 337.

* la Roche-ſur-Yon. *Chronic. Malleac.*

Teſtes concordiæ ſunt Gosbertus decanus, Tetbaudus abbas Malleacenſis, ac Guillelmus ab. Tallemundenſis. Sublatus e vivis anno 1123. apud Fontem-Ebraldi ſepelitur; ibique viſitur adhuc ejus tumulus ad ſiniſtram altaris majoris ſub arcula, cum effigie pontificio induta habitu.

1119.

1123.

LI. GUILLELMUS II.

ADHELEIME.

Guillelmus cognomento Adelelmi, quod legitur in chronico Malleac. non ſine controverſia

* S. George de Noyné in archipresbyteratu S. Maxentii.

* In archipresbyteratu Caſtri-Eraldi duplex eſt eccleſia Leziniaci nomine, una vulgo *de Leygny*, altera *de Lengny* ſur Creule.

[b] *Willelmus D. G. Pictavorum epiſcopus* dedit *conſilio venerabilium eccleſiæ ſuæ canonicorum monaſterio S. Maxentii, precibus venerabilis fratris domni Goffredi ejuſdem loci abbatis eccleſiam ſancti Georgii* * *de Naiviaco*, &c. *data Pictavi per manum magiſtri Hilarii, anno ab Incarnatione Domini M. C. XXI. indict. XIV. epacta XI. VI. cal. Novembris, Luna VIII.* Ex carthulario S. Maxentii idem Willelmus *dilecto fratri Goffrido ſancti Maxentii abbati, & ſucceſſoribus* donat eccleſiam S. Hilarii * de Leziniaco; cui chartæ donationis ſubſcribunt Goubertus decanus, Gaufredus cantor, Arveus archidiaconus, Petrus Santon. epiſc. Stephanus archidiac. Hilarius capicerius, Hemenon cellerarius, Petrus canonicus, Iſembertus canonicus, Iſembertus archipresbyter, Guillelmus de Mortemare, Guillelmus de Cocco, Iſembertus ebdomadarius, Guillelmus prior de S. Radegunde, Rainaldus abbas S. Mariæ, Petrus de S. Saturnino, & alii plures canonici. *Data Pictavis per manum magiſtri Hilarii anno ab Incarn. Dom. M. C. XXII. epacta XI. ind. XV. idus Martii, Luna IV. Calixto papa*, &c.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI 1124. *Sammarth.*

electus, consecratur calendis Junii anni 1124. unde mendum suspicamur esse in Gallia Chr. Sammarth. fratrum, ubi legitur id factum calendis Januarii. Eum praeterea dicunt archidiaconum ante episcopatum fuisse, silente ea de re laudato chronico. Sub annum 1128. delegatur ab Honorio papa II. pro dissidii canonicorum S. Hilarii compositione cum Helia domino de Vivona. Ei scribit Innocentius II. pontifex maximus in favorem Fontebraldensis monasterii: judex etiam nominatus pro dirimenda controversia Ulgerii episcopi Andegavensis cum Fulcherio abbate Orbisterii, de quibusdam feudis contra Petronillam abbatissam Fontebraldensem; quae composita est in claustro B. Hilarii; necnon altera dictae abbatissae cum S. Cypriani coenobiarcha. Hanc vero querimoniam in capitulo S. Gildasii, Guillelmus coram Cenomanensi & Andegavensi episcopis, in gratiam Fontebraldensis monasterii diremit. Hujus parthenonis coemeterium solemni ritu benedixit anno 1135. 1135. ex chartis ejusdem ecclesiae. Fundavit abbatiam Bellae-vallis prope Fontenaium, quae nunc est tantum prioratus, cujus loci acquisita confirmat G. monacho & successoribus, chirographo dato apud Losdunum anno praefato. Orto schismate inter Innocentium papam II. & Petrum Leonis dictum Anacletum II. anno 1130. Guillelmus comes qui antipapae partes tuebatur, agente Girardo episcopo Engolismensi, olim sedis apostolicae legato, nostrum episcopum in exsilium ejicit, & in ejus locum Petrus de Castro-Heraldi ordinatur, uti narrat Arnaldus Bonae-vallis abbas lib. II. cap. VI. vitae S. Bernardi abbatis, his verbis: *Imprimis ab urbe Pictavensi Guillelmus episcopus vir honestus, homo catholicus, in societate & defensione universalis Ecclesiae stabilis, violenter expellitur, & a Girardo cardinale & adjutore suo, quia Petrum abdicabat, damnatur. Erant & aliae familiares causae pro quibus ei comes infensus, data occasione libentissime eum persequitur, & abjurat. Visum est autem tam Girardo quam comiti, ut ad confirmationem partis suae sine mora Pictavi crearent episcopum.* Postea vero anno 1135. [a] restitutus fuit, quando videlicet S. Bernardus Claravallis abbas comitis cor induratum emollivit ac domuit, ostenso ei cum verbis minacibus corpore Christi Eucharistico, ut narrat laudatus Arnaldus Bonaevallensis. Sic ecclesiae suae redditus Guillelmus recensetur in litteris Ludovici regis, tunc Aquitaniae ducis, pro Silva-Majori, 1137. anno 1137. Quo etiam anno nomen ejus legitur scriptum in litteris Ludovici regis ecclesiarum Aquitaniae privilegia confirmantis. Biennio elapso nominatur in charta Guillelmi Thoarcensis vicecomitis, pro Henrionensi S. Jovini monasterio, anno 1139. *Ludovico rege Francorum, simul & duce Aquitanorum, Guillelmo II. praesule Pictavorum.* Fatis cessit anno 1140. pridie nonas Octobris, ex chronico Malleac. In necrologio Fontis-Ebraldi consignatur 3. idus Aprilis *dominus Guillelmus vir praeclarissimus Pictavensis episcopus*, quo fortasse die annuae pro ipso fiunt preces. Ecclesiam B. Mariae de Cella erexit in abbatiam, eique varias subjecit ecclesias. Exhibet Besslius duas chartas Guillelmi episcopi pro Absia anno 1135. & 1136. datas, quarum posterior est compositio inter Willelmum Absiae abbatem & Petronillam Fontebraldi abbatissam, pro terra & domibus d'Escoray dissidentes, cujus compositionis testis est Robertus abbas *de Turpenay*.

ANNI CHRISTI

LII. PETRUS III.

DE CHASTELERAULT.

Post initum consilium de ejiciendo Guillelmo, inquit Arnaldus de Bona-valle superius laudatus, *invenerunt hominem ambitiosum, nobilem quidem genere, sed degenerem fide: quem, ut genus suum cum eo in causa ponerent, quibusdam ex clericis consentientibus elegerunt, & prophanas ei imponentes manus, execrabile ejus caput non tam unxerunt, quam contaminaverunt.* Pseudoepiscopi nomen nos docet Gaufredus prior Vosiensis in chronico his verbis: *Guillelmus quoque, cognomento Adelelmus, tunc Pictavensem recuperaverat sedem, quam Petrus de Chasteleraut occupaverat propter dissidium ducis & praesulis.* Ad eumdem vero Petrum de Chastelleraut referri debent ista quibus in Girardum Engolismensem invehitur Arnulphus Sagiensis archidiaconus, tom. 2. Spicil. Dacherii: *Pictavensis ac Lemovicensis ecclesiae, comitis viribus abutendo, catholicos ejecisti pontifices, alios extraordinarie superponens; quorum alterum minus vita probabilem, & nullarum hominem litterarum, & in vulgari etiam sermone fere prorsus elinguem, Romana Ecclesia ab ejusdem Pictavensis ecclesiae reginiine reprobatum, olim canonica decisione removerat. Ille tamen nunc auctoritate sua jura patris superstitis usurpare non renuit, quamvis ipsi obligatus filialis obedientiae vinculo teneretur, & licet sese totum manibus ejus, fide etiam corporaliter praestita, dedicasset.* Haec docere videntur jam olim ipsum jure disceptasse adversus Guillelmum de Pictavensi episcopatu; causaque victum in Romana curia, manus ac fidem dedisse. Iterum vero sic ait: *Tertia pars Pictavensis episcopatus, quem posuisti, non agnoscit episcopum, eique totus fere nobilium numerus respuit obedire. Adeoque omni conscientia reprobatus adjicitur, ut & frater ejus naturalis excommunicatum ex hoc ipso judicet, nec ulla ei communione jungatur. Catholicus vero usque ad portas civitatis plena potestate dominatur episcopus, & eum majores personae pontificalis ecclesiae comitantur, ad formam beati Petri relictis omnibus exsulem prosecuti. Alii fornices civitatis inhabitant, qui super ollas carnium recumbentes, gentis & loci potius quam animae perditione terrentur.* Porro Pictavensis comes Guillelmi depositionem ab Innocentio II. ni fallor, postulaverat, repulsamque passus, ad partes transierat Petri Leonis antipapae, impulsore Girardo, sic enim ibidem: *Pictavensem comitem nactus erroris socium & schismatis adjutorem: quem etiam Pictavensis episcopi catholici senis negata depositio, & contra sacratissimos canones non exaudita petitio indignatum pariter a catholica repulit unitate.*

LIII. GRIMOARDUS.

Grimoardus prius abbas B. Mariae de Allodiis

[a] Quod tamen nondum erat factum hoc anno, quando Aubericus de Monte-leonis scripsit chartam pro Fontebraldo. *Dat. Willelmo episcopo Pictavensi exsulante.*

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

in diœceſi Pictavienſi, frater erat S. Giraudi de Sala, poſt cujus mortem, cum antea eſſet prior Caſtellarienſis, factus eſt Allodienſis abbas. *Inde compulſus aſſumtus eſt ad Pictavienſe pontificium; ſed non vixit in ea cathedra per annum, & ſæpius proteſtatus eſt ſe malle fore leproſum, quam abbatem; exſulem vel martyrem, quam præſulem. Tranſiit VI. cal. Aug. ſepultus apud moniales Fontis-Ebraldi. Cui ſepulturæ adfuerunt 3. archiepiſcopi, Burdigal. Remenſis & Turon. 3. epiſcopi, Sueſſion.* &c. Hæc leguntur in vita S. Giraudi de Sala, ex MS. codice Caſtellarienſi. De eodem, chronicon Malleacenſe: *Mortuus eſt*, inquit, *Pictav. epiſcopus Willelmus Adelelmi an. 1140. in menſe Oct. pridie nonas ipſius menſis, cui ſucceſſit domnus Grimoardus abbas Allodiorum, vir bene religioſus, eodem anno: qui Paſcha apud S. Maxentium celebravit primo ordinationis ſuæ anno; ſacravitque chriſma feria quinta Cœnæ Domini, uti decebat cum honore & reverentia. Hunc ergo locum elegit famulus Dei Grimoardus eſſe dignum tantæ conſecrationis, ob honorem & reverentiam almi confeſſoris Maxentii, & fratrum loci; hic itaque a Rege ſupradicto (Ludovico VII.) poſt conſecrationem ſuam non conceſſus: a die autem conſecrationis ſuæ, qui fuit 26. dies menſis Januarii, uſque Pentecoſten propriam ſedem non tenuit, neque ſeſſum habuit donec Rex præciperet, & apud S. Maxentium clementiam ſuæ conceſſionis in litteris oſtenderet, ac præcipiendo propriæ ſedi redditum daret. Eodem itaque die meruit ſacrari apud Engoliſmam, quo die fuit Septuageſimæ initium.* Eum conſecratum fuiſſe a Gaufrido de Loratorio * archiepiſc. Burdigal. nos docet S. Bern. ep. 342. unde adverſus archipræſulem Rex indignatus eſt. Porro hujus epiſcopi rogatu Vuillelmus Thoarcenſium vicecomes reddidit matri ſuæ Auream-vallem, quæ erat de ejus dote; quippe eum ejuſque fratres abſolvendo ab anathemate quo alligati fuerant a Guillelmo Adelelmi, nobiles illos viros ſibi obſtrinxerat, ut ferunt tabulæ Thoarcenſes. Arnaldum archidiaconum Pictavienſem nominavit, qui poſtea Gilbertum Porretanum coram Romano pontifice accuſavit, ex epiſtola Gaufredi monachi Claræ-vallenſis, inſerta actis concilii Remenſis. Audita Grimoaldi electione Innocentius II. ſcripſit canonicis, abbatibus, principibus, clero & populo Pictav. congratulatus pro tam digno infulis epiſcopo ipſis dato, cui ut obtemperent præcipit. Scripſit inſuper ad Grimoardum epiſcopum, ut opus faceret Evangeliſtæ, miniſteriumque ſuum impleret: utramque epiſtolam, erutam ex codice MS. ſanctæ Capellæ Biturienſis, hoc loco damus:

* de Loroux.

Innocentius epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis canonicis, abbatibus, principibus, clero & populo Pictavienſi ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Vera obedientia humilitatis ſocia ceteras virtutes menti inſerit, inſertaſque cuſtodit. Sola namque eſt quæ fidei meritum poſſidet, ſine qua infidelis quis eſſe convincitur, etiamſi fidelis eſſe videatur; ideoque quiſquis prælatus inobediens eſſe præſumſerit in unitate ſanctæ Eccleſiæ, cum Deo partem habere non poterit. Gaudendum ſiquidem vobis eſt, quoniam, ſicut accepimus, venerabili fratre noſtro W. epiſcopo veſtro viam univerſæ carnis ingreſſo, idonea & religioſa perſona vobis eſt in epiſcopum collocata, & quoniam is aliis jure præponitur, cujus vita & converſatio apud Deum acceptabiliter æſtimatur, univerſitati veſtræ pie apoſtolica ſcripta mandamus atque præcipimus, quatenus ſibi de cetero humilitate & debita obedientia pareatis, ejuſque ſalubribus præceptionibus obtemperare curetis. Datum Lateranis XIII. cal. Junii.

Innocentius epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri G. Pictavienſi epiſcopo ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Accepimus perſonam tuam ad regimen Pictavienſis eccleſiæ aſſumtam eſſe; & quoniam longe debet vitam ſuam converſatione probare qui aliis vult præeſſe, per apoſtolica tibi ſcripta mandamus atque præcipimus, quatenus in his quæ ad epiſcopale officium pertinent, temetipſum fatagas laudabiliter exercere, opus fac Evangeliſtæ, miniſterium tuum imple. Subditos vero tuos paternis affectibus dilige, & ut commiſſa tibi a Deo eccleſia ſub tua providentia tam ſpiritualiter quam temporaliter augeatur, intenta animi vigilantia ſtudeas providere. Poſſeſſiones quoque & bona ipſius epiſcopatus, quæ diſtracta, vel illicite alienata eſſe noſcuntur, cum omni diligentia recuperare labores.

LIV. GISLEBERTUS II. DE LA PORRÉE.

Giſlebertus Porretanus patria Pictavienſis, legitur in *Galteri* codice Ruffiaci [a] toparcha, ſed ſcriptum recenti admodum manu. Ex canonico ſancti Hilarii-majoris, & ſubtiliſſimo philoſopho & theologo creatus eſt epiſcopus; nam tempore ſuæ electionis, ſcilicet anno 1141. vel potius 1142. [b] theologiam Pictavis docebat. Vagiebat tunc illa theologia quam ſcholaſticam appellant; quæ ad tradendam fidei doctrinam explicandaque divina myſteria Trinitatis, Incarnationis, &c. voces huc uſque ignotas cœpit adhibere, abſtractiones mentis, diſtinctiones reales, virtuales, ſecundas intentiones, & ſimilia. Giſlebertus Porretanus, & Petrus Abailardus, quos S. Bernardus acriter impugnavit, hanc theologiam amplexati ſuis in ſcholis, viſi ſunt aberrare a fide, novamque ac peregrinam doctrinam inferre. Imprimis S. Bernardus, qui theologiam hauſerat in ſacra Scriptura, ſanctiſque patribus, erroris & novitatis, in rebus ad religionem ſpectantibus periculoſiſſimæ, arguebat hos theologos. Sed audiendus Otho Friſingenſis de Giſleberto loquens: *Fuit illis in diebus in Aquitania, Galliæ civitate Pictavis epiſcopus Gilibertus nomine: hic ex eadem civitate oriundus, ab adoleſcentia uſque ad ultimam ſenectutem in diverſis Galliæ locis philoſophiæ ſtudium colens, re & nomine magiſtri officium adminiſtrarat: noviterque ante hos dies ad culmen pontificale in præfata civitate ſublimatus fuerat, conſuetus ex ingenii ſubtilis magnitudine, ac rationum acumine, multa præter communem hominum morem*

[a] Id perperam ſcriptum aſſerunt noſtri Sammarthani, cum hæc, inquiunt, dynaſtia vivente Porretano, ab antiquo tempore dominos cognomines habuerit, quorum heres Leonora, caſtrum illud dotis nomine tranſtulit in nobilem familiam Pictonicam de Volviro.

[b] Nam occurrit ejus deceſſor Grimoardus epiſcopus, an. ab *Incarnat. Dom. M. C. XLII. Luna II. regnante Ludovico rege*, in charta Renaldi Claret, coram D. P. abbate S. Maxentii.

ANNI CHRISTI

dicere. Is igitur cum quadam vice conventum de ſua diœceſi clericorum magnum celebraret, ſermoni, quem forte gratia exhortandi habebat, quædam de fide ſanctæ Trinitatis interſereret, a duobus archidiaconis ſuis, Arnaldo & Calone, tanquam contra catholicæ normam Eccleſiæ, doctrinam inſtitueus, ad ſummi pontificis, Romanæque ſedis examen, interpoſita appellatione vocatur. Sic utrique viam carpunt, Romanoque pontifici Eugenio ab urbe in Gallias tendenti, Senis civitate Tuſciæ occurrunt. Quibus Romanus antiſtes auditis, cauſaque viæ cognita, breviter reſpondit ſe Gallias introire, ibique de hoc verbo, eo quod propter litteratorum virorum copiam ibidem manentium, opportuniorem examinandi facultatem haberet, plenius velle cognoſcere. Archidiaconi in Gallias redeunt, ac conſulto Bernardo ſupra memorato abbate Clarevallenſi, eum in commodum cauſæ ſuæ adverſus epiſcopum inclinant. Erat autem prædictus abbas, tam ex Chriſtianæ religionis fervore zelotypus, quam ex habitudinali manſuetudine quodammodo credulus, ut & magiſtros qui humanis rationibus, ſeculari ſapientia confiſi, nimium inhærebant, abhorreret, & ſi quidquam ei Chriſtianæ fidei abſonum de talibus diceretur, facile aurem præberet. Cum S. Bernardus id per archidiaconos præfatos de Giſleberto reſciiſſet, confeſtim cum eis ſedulo laboravit, ut quæ a Gilberto hæreſes doceri ferebantur, judicio apoſtolico damnarentur : & quidem Autiſſiodori primum, poſtea Pariſiis cauſa ejus fuerat agitata ; ſed ut ſolemnius foret judicium, in generali ſynodo Remis Gilibertus, ut ſe ſiſteret, compellitur, reſponſurus ad ea quæ de ipſo diſſeminabantur. Quæ autem contra illum objecta fuerint, ſubdit memoratus Otto, præſulis noſtri vitæ inſtitutionem ab adoleſcentia ſic exponens lib. 1. cap. 50. *Prætaxati archidiaconi, adſcito ſibi tantæ auctoritatis & æſtimationis viro abbate Bernardo, epiſcopum Gilibertum, eadem, qua prædictum Petrum* (Abailardum) *via damnare attentabant ; ſed nec eadem cauſa, nec ſimilis erat materia. Iſte enim ab adoleſcentia magnorum virorum diſciplinæ ſe ſubjiciens, magiſque illorum ponderi quam ſuo credens ingenio, qualis primo fuit Hilarius Pictavienſis, poſt Bernardus Carnotenſis, ad ultimum Anſelmus & Radulphus Laudunenſes germani fratres : non levem ab eis, ſed gravem doctrinam hauſerat : manu non ſubito ferulæ ſubducta, a ſcientia haud cenſura morum, vitæque gravitate diſcordante, non jocis, non ludicris, ſed ſeriis rebus mentem applicarat. Hinc erat, ut tam geſtu, quam voce pondus ſervans, ſicut in factis, ſic in dictis ſe oſtenderet difficilem, ut nunquam puerilibus, vix autem eruditis, & exercitatis quæ ab eo dicebantur, paterent animis.* Hactenus Otto. Hi Giſleberti magiſtri Hilarius & Bernardus minime nobis noti ; neque enim putamus per Hilarium intelligendum eſſe ſanctum illum Eccleſiæ doctorem, qui Pictavenſis cathedræ totiuſque Eccleſiæ Gallicanæ decus fuit ; quamvis ita ſentiat Mabillonius ; hæcque videatur fuiſſe Laurentii decani ſententia ; de quo infra. Hæc vero Porretano fuiſſe objecta legimus apud Othonem : nempe quod aſſereret divinam eſſentiam non eſſe Deum ; quod proprietates perſonarum non eſſent ipſæ perſonæ ; quod theologicæ perſonæ in nulla prædicarentur propoſitione ; quod divina natura non eſſet incarnata : & præter hæc, alia minora, id eſt quod meritum humanum attenuando, nullum mereri diceret præter Chriſtum ; quod Eccleſiæ ſacramenta evacuando diceret nullum baptizari niſi ſalvandum &c. Ita pergit Otho capite* LI. *Itaque præſidente cum cardinalibus, epiſcopis, aliiſque viris venerabilibus & eruditis, in jam dicta civitate Pariſiis ſummo pontifice Eugenio : prædictus epiſcopus Gilibertus conſiſtorio præſentatur, de his capitulis reſponſurus. Producuntur contra eum duo magiſtri Adam de Parvo-ponte vir ſubtilis, & Pariſienſis eccleſiæ canonicus recenter factus, Hugo de Campo-florido cancellarius Regis, aſſerentibus eis & quaſi ſub ſacramento pollicentibus, ſe aliqua ex his proprio ejus ore audiſſe, non ſine multorum qui aderant admiratione : viros magnos, & in ratione diſſerendi exercitatos pro argumento juramentum aſſerre.* Ibidem : *dum hinc inde multa ſibi objicerentur, pluriumque impulſationibus ad reſponſionem de re tam ineffabili cogeretur, inter cetera dixiſſe traditur : Audacter confiteor Patrem alio eſſe Patrem, alio eſſe Deum, nec tamen eſſe hoc & hoc. Cujus dicti obſcuritatem, tamquam verborum profanam novitatem, tam impatienter magiſter Joſſenus Sueſſionenſium epiſcopus excepit, ut juxta proverbium, medium vitando incurreret ripam.* Hunc tamen loquendi modum a Giſleberto uſurpatum auctoritate Auguſtini adprobat dicentis : *ſic aliud eſt Deo eſſe, aliud ſubſiſtere ; ſicut aliud Deo eſſe, aliud Patrem eſſe, vel Dominum eſſe. Quod enim eſt ad ſe dicitur, Pater autem ad Filium, & Dominus ad ſervientem creaturam.*

C. LII. col. 370.

Eugenius papa, inſpecta cauſæ difficultate, uſque ad generale concilium anno ſequenti tempore Quadrageſimæ Remis celebrandum Giſleberto inducias dedit. In hoc porro celeberrimo cœtu victus pondere rationum S. Bernardi, priora dogmata retractavit ejuravitque. De his legendi præter Othonem Friſingenſem, Gaufridus in vita S. Bernardi, ipſe Bernardus tom. 1. ſermone LXXX. & Mabillonius in præfatione ad novam operum S. Bernardi editionem. Reliqua hujus epiſcopi geſta obiter notemus.

Annis 1148. & 1153. memoratur in tabulis Fontis-comitis. Anno 1149. convenit ad quandam ſynodum Burdigalenſem de qua in charta XXI. inter inſtrumenta eccleſiæ Burdigalenſis, ubi abbati S. Cypriani nonnulla ceſſit. Anno 1150. obortam controverſiam inter Mathildem Fontis-Ebraldi abbatiſſam, & Julium abbatem de Corona, ſuper quibuſdam feudis, compoſuit cum Burdigalenſi archiepiſcopo. Rebus humanis exemtus eſt anno 1154. ad quem hæc habet appendix Roberti de Monte ad Sigebertum : *VI. Kal. Decembris..... moritur Gillebertus epiſcopus Pictavienſis, vir religioſus & multiplicis doctrinæ, qui Pſalmos & Epiſtolas Pauli luculenter expoſuit.* De ejus obitu Laurentius decanus Pictavienſis planctum cecinit, quem edidit Beſlius ex MS. codice, in cujus fine hæc verba leguntur : *Dormivit in ſenectute bona ſenex & plenus dierum, anno ab Incarnatione Domini 1154. epiſcopatus ſui tertio deci-*

1150.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

mo, Anaſtaſio Romano pontifice, Ludovico Francorum rege, Henrico Aquitanorum duce, menſe Septembri, pridie Nonas Septembris. & ſepultus eſt ab epiſcopo Burdegalenſi Goſſredo, & epiſcopis aliis, B. Santonenſi, Ugone Angoliſmenſi, Helia Petragoricenſi, in eccleſia B. Hilarii patris & patroni ſui. Dignum quippe maxime viſum, & opportunum, ut cujus fuerat doctrinam ſequutus, cujuſque tenuerat vicem, ſortiretur hereditatem. Anima ejus requieſcat in pace. Amen. Porro ſequens epitaphium inſcriptum eſt codici MS. bibliothecæ Pariſienſium Carmelitarum Diſcalceatorum, quod ſubjicitur operi ejuſdem de Trinitate :

Temporibus noſtris celeberrimus ille magiſter
Hoc opus excepit, ſtrenuus ſapienſque miniſter
Floruit, & cunctis præcelluit ipſe magiſtris.
Logicus, ethicus, hic theologus, atque ſophiſta,
Solaque de ſeptem cui defuit aſtronomia.
Artibus ac diva præcelſus philoſophia.
Qui quam facundus verbis fuit atque profundus
Senſu, teſtantur bene qui legiſſe probantur.
Illius in libris magni commenta Boëti.
Hic alter recte dictuſque Boëtius ipſe,
Cum Giſlebertus proprio ſit nomine dictus.
Pictavis hunc genuit, quem pontificem ſibi legit,
* *f.* ditata. *Nobilior tanto vere dictata * patrono.*
Hic requie æterna potiatur pace ſuperna.

Alia inſcriptio in necrologio eccleſiæ Cenomanenſis hæc exhibet :

Hic Giſlebertus antiſtes Pictavienſis,
Egregius doctor vitæ finivit agonem.
Senſu fama minor, cujus modo vivit in Orbe,
Vivat in æternum gaudenter ſpiritus ejus.

Pridie Nonas Septemb. in eccleſia cathedrali fit anniverſarium Giſleberti epiſcopi *ſepulti ad S. Hilarium;* ſic enim habet vetus necrologium, & adhuc oſtenditur in eccleſia S. Hilarii-majoris prope ſacriſtiam ſepulcrum hujus antiſtitis ex marmore affabre elaboratum, ſed magna ex parte fractum a Calviniſtis, qui ejus oſſa cremaverunt. Eodem die pro eo faciendæ anniverſariæ preces notantur in calendariis SS. Trinitatis Pict. S. Mauricii Andegavenſis, & S. Mariæ Carnotenſis, in qua eccleſia canonicus primo, poſt cancellarius, denique Pictavorum antiſtes fuiſſe notatur ; & fortaſſe eo tempore quo Carnotenſis erat canonicus, audierat illum magiſtrum Bernardum Carnotenſem quem diximus memorari apud Othonem Friſingenſem. Exſtat in appendice ad Guibertum de Novigento pag. 564. epiſtola Giſleberti de Euchariſtia.

LV. Calo.

Calo archidiaconus Thoarcenſis in eccleſia Pictavienſi, pro tuenda fide ſollicitus, epiſcopum ſuum tanquam ab ea exorbitantem apud ſummum pontificem accuſarat. Sed ſtatim ac eum catholice ſentire agnovit, debitam ipſi obedientiam ac reverentiam, ut prius exhibuit. Certe reconciliationis inter utrumque argumentum eſt, quod Calo diſſidium inter Giſlebertum epiſcopum & Maſcelinum S. Cypriani abbatem, de jure eccleſiarum S. Saturnini & Bonolii Burdigalæ amice compoſuerit.

1155. Ad ſedem epiſcopalem evectus eſt anno 1155.

A Præfuit tantum duobus annis & menſibus decem, ex *Galteri* codice, unde pauca de ipſo nobis nota. Memoratur in tabulis Fontebraldenſibus, & in pactis concordiæ capituli S. Hilarii Pict. cum Petro Burgolii abbate, an. 1155. necnon in charta Petri archidiaconi an. 1157. quo etiam anno occurrit in chartario B. M. Cellenſis diœceſis Pictav. Obiit die 4. Nov. anni 1157. vel ſequenti. Quædam S. Maxentii charta his verbis clauditur : *An. ab incarn. Dom. M. C. LVIII. reſidente Adriano papa in Romana ſede, & Ludovico in Francia regnante, necnon Ainrico regnum Anglorum gubernante, & epiſcopatu Pictavienſi ceſſante.* Ex ejus

B rotulo, qui adhuc ſervatur in eccleſia Pictavienſi, multa de ipſo didicimus aliunde minime nota : quod nobilis genere eſſet ac nobilior fide ; quod ſororem habuerit Belotam ſanctimonialem & prioriſſam in monaſterio S. Mariæ de Rivis, quæ ipſi ſuperſtes ejus obitum amariſſimis flevit lacrymis. Ex duobus ipſius nepotibus, unus, Hugo nomine, fuit monachus Uſerchienſis, alter Guillelmus dictus, clericus, ut videtur, eccleſiæ Nannetenſis. Calonem clericali militiæ addictum in eccleſia Burdigalenſi putamus ; quæ videlicet ipſum ſuum filium ſpecialem vocat. In citato rotulo fratris elee-

C moſynariæ domus Loſdunenſis, inter alia hæc habentur in ejus commendationem non ſpernenda : *Ipſo die ſui obitus triginta pauperes pavimus, necnon unum pauperem aſſidue paſcemus, quod ipſe adhuc vivens a nobis inter plura popoſcit.* In vetuſto Claromontenſis eccleſiæ calendario ejus anniverſarium notatur nonis Novembris.

LVI. Laurentius.

Laurentius Pictavienſis eccleſiæ decanus ſub pontificatu Giſleberti Porretani anno 1154. in ejus funere planctum fecit nomine canonicorum B. Petri. Epiſcopatum iniit die 26. Martii 1159. 1159.
Eodem an. ſexto nonas Maii, cum Joſcio Turon.

D archiep. Matthæo Andegavenſi, Stephano Redonenſi, Guillelmo Cenomanenſi, Bernardo Nannetenſi epiſcopis, tranſtulit corpus S. Florentii in decentiorem capſam, ex tabulis authenticis abbatiæ S. Florentii. Confirmat donationem factam monaſterio Granateriæ a Gauterio de Reorta & filiis ejus. *Factum eſt hoc donum apud Mollem-campum in eccleſia in choro ipſius eccleſiæ ante altare, VI. Idus Decemb. anno Incarn. M. C. LIX. epacta XI. indict. VIII. anno epiſcopatus noſtri primo.* Ejus meminere inſtrumentum tabularii Monaſterii-novi 1160. S. Hilarii Pictavienſis 1161. & abbatiæ 1161.

E Brolii-Grollandi in Pictonibus, ubi legitur teſtis litterarum Guillelmi S. Petri ad vincula presbyteri card. apoſtolicæ ſedis legati ; quarum etiam teſtes ſunt ſimul D. abbas Moroliæ, H. abb. Monaſterii-novi, & R. abb. Nobiliac. Præfuit duobus annis & totidem diebus, ut notat *Galteri* codex : obiiſſe autem memoratur in martyrologio SS. Trinitatis Pictav. 5. cal. Apr. [a] 1161. Certe ex tabulariis Fontebraldenſibus, ſeu charta abbatis de Nobiliaco, ſedes Pictavienſis epiſcopo carebat anno 1162.

a In necrologio Fontebr. legitur VI. cal. Aprilis.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI DE BELLES-MAINS.

LVII. JOHANNES III.

Johannes, cognomento *ad Albas-manus*, natione Anglus [a] & thesaurarius ecclesiæ Eboracensis, vir *jocundus*, largus & apprime litteratus, in episcopum designatur anno 1162. teste Roberto de Monte in appendice ad Sigibertum. Anno 1166. memoratur in tabulis Monasterii-novi, tempore Heliæ abbatis. Querelam prioris S. Radegundis adversus canonicos ejusdem ecclesiæ & abbatissam B. Crucis pro assignatione sedis, sopivit litteris datis idibus Aprilis 1167. Mentio fit ejus in chartis monasterii de Stella, cujus abbatem Isaacum cum Hugone Calviniaci domino ad concordiam revocavit. Nominatur præsens consecrationi ecclesiæ monasterii S. Amantii in agro Engolismensi anno 1170. quo in opere adjutor fuit Bertrandi archiepisc. Burdigalensis metropolitani sui. An. 1171. fuit pacis sequester inter Agnetem abbatissam Santonensem, & Willelmum abbatem Malleacensem. Anno 1173. item Johannis Stellæ abbatis pro decima Vastinensi composuit. Interest concilio Albiensi 1176. & Lateranensi 1179. nominatur & in instrumento venditionis comitatus Marchiæ per Adelbertum comitem factæ regi Angliæ. Anno 1178. a regibus Ludovico VII. Franciæ, & Henrico II. Angliæ, pro conversione Albigensium missus est una cum Petro cardinali S. Chrysogoni, & archiepiscopis Bituricensi & Narbonensi, quemadmodum legere est apud Rogerium Hovedenum in Annal. Anglor. Legatione item sedis apostolicæ per Gallias functus est, ex his verbis codicis *Galteri*: *Anno gratiæ 1181. in archiepiscopum Narbonensem electus est: qui cum Romam pergeret ut a summo pontifice Lucio confirmaretur, ab eodem factus est archiepiscopus & primas Lugdunensis, & ob ejus eximiam eruditionem ab eodem in regno Franciæ creatus est apostolicæ sedis legatus.* Cetera quod hic dicitur de ipsius translatione ad sedem Lugdunensem, non anno 1181. sed sequenti factum probatur ex charta authentica S. Maxentii. [b] Robertus de Monte in chronico eum appellat magnæ litteraturæ & eloquentiæ virum. In ejus manu quædam dominia sui feodi cessit Hugo d'Ozai ante altare ecclesiæ hujus loci, contulitque Absiensibus monachis. Ad eum scripsere Johannes Sarisberiensis Carnutum episcopus, & Stephanus Tornacensis magna Gallicanæ Ecclesiæ lumina. Sed plura de Johanne nostro dicere supersedemus, de quo iterum atque iterum agendum erit in Narbonensibus & Lugdunensibus archiepiscopis. Observandum vero est in epistolis quas ad eum scripsit Stephanus abbas S. Genovefæ, postea Tornacensis episcopus, Johannem appellari in inscriptione S. sedis legatum, quamvis tunc esset Pictav. episc. At inscriptio forsan non est auctoris sed editoris.

1162. 1166. 1167. 1170. 1171. 1173. 1176. 1179. 1178. 1182. Tabul. Absiense.

ANNI CHRISTI DE TEMPIER.

LVIII. GUILLELMUS III.

Guillelmus Temperii ex canonico Regulari in abbatia sancti Hilarii de Cella Pictaviensi, ut habetur in calendario, episcopatu donatus est anno 1184. quod constat ex donatione facta a Willelmo viceconite Castri-Eraldi ecclesiæ S. Germani a Pratis, in qua nimirum scribitur Pictaviensis sedis tunc electus pontifex. Testis autem nominatur in donatione facta monachis Absiæ anno 1185. in qua dicitur pro jure ecclesiæ Pictavensis persecutionem laudabiliter passus, & in altera scheda pro monialibus SS. Trinitatis. Interfuit religiosæ elevationi corporis sancti Stephani de Mureto sub an. 1189.

1184. 1185.

Iste in tuendis ecclesiæ immunitatibus ac dominiis sedulo laborans, anno Christi 1191. Otonem filium ducis Saxoniæ, feudatarium ecclesiæ suæ pro dynastiis de Sivraio, insula Jordanis, & Dorato ad hominium clientelare adegit. Lucius papa III. epistolam decretalem Veronæ datam 3. idus Martii ei inscribit pro correctione abbatis S. Cypriani. Adhuc memoratur an. 1197. in charta S. Hilarii-majoris. De morte Guillelmi episcopi hæc habet Rogerius Hovedenus in Annal. ad annum 1197. *Eodem anno obiit Willelmus episcopus, & quamvis vita illius videretur hominibus valde reprehensibilis, tamen ipse post obitum ejus claruit in miraculis:* aiunt enim quædam documenta, sanguinis profluvio vexatos, susceptа ad monumentum ipsius peregrinatione, medelam accepisse; unde S. Hilarii-majoris Pictavensis tabulæ datæ annis 1197. & 1198. ita desinunt: *pontificali cathedra vacante post felicem obitum domini Guillelmi Temperii, cujus memoria in benedictione est.* Dies transitus Guillelmi assignatur 4. calendas Aprilis in martyrologio S. Hilarii de Cella; jacet in basilica S. Cypriani Pictavensis ad latus Isemberti II. episcopi, in sacello B. Mariæ secus majus altare, uti notat *Galteri* codex. Et quidem ejus corpus in hoc S. Cypriani monasterio repertum est 22. Februarii an. 1690. cum hac inscriptione: *Hic jacet W. episcopus Pictavensis III.* Particulam ejus corporis monachi S. Cypriani dederunt anno 1707. Cellensi monasterio, ubi canonicus Regularis vixerat. In quadam charta SS. Trinitatis Pictav. anni 1191. cognominatur Fortis.

1197. 1191.

DE PEIRAT.

LIX. ADEMARUS.

Post Guillelmi obitum vacavit sedes per sex menses, ob varia inter electores dissidia; qui sex compromissoribus eligendi potestatem contulerunt. Illi vero in electione Ademari de Peirato unanimiter consensere; sed huic electioni intercesserunt G. decanus, & ex capitulo plurimi, ipseque rex Angliæ, ut nos docet Innocentius papa III. l. 1. epist. 75. qui eam confirmavit. In codice MS. Coronæ hæc leguntur: *In Adventu Domini 1197.* * *convenerunt ad ecclesiam de Corona, causa consecrationis suæ. Ademarus de Peirato electus Pictavensis, vir magnæ mansuetudinis, & Raymundus de Castronovo electus Petragoricensis. Sed iste quidem per*

* melius 1198.

[a] Refellunt Sammarthani fratres eorum sententiam, qui dicunt eum ex gente Bellismensi procreatum, Guillelmi scilicet, Talvatii dicti, comitis Alençonii & Pontivii, ac B. comitissæ de Varena filium. Profert Bellius hoc excerptum ex martyrologio S. matris ecclesiæ Pict. quod putat scriptum ante annum 1200. Feodus quem dedit domnus episcopus *Johannes de Villers Alet apud Samardum*; ex quo intelligitur Johannem sic fuisse cognominatum.

[b] Ita legitur in fine chartæ pro prioratu de Verinis: *Hoc autem factum est an. ab Incarn. Domini M. C. LXXXII. anno videlicet quo Johannes episc. Pictavensis, creatus est. archiep. Lugd. & in eodem facta est diffinitio inter Richardum comitem Pictaviæ, & A. regem Angliæ de dominio Pictaviæ habendo.* Idem confirmat alia charta de qua loquimur in Willelmo abb. Lucion.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

manum Heliæ Burdigalenſis archiepiſcopi, domini- A *Martii migravit a ſeculo dulcis memoriæ dominus*
que Johannis Engoliſmenſis, Santonenſis, & Ca- *Mauricius Pictavienſis eccleſiæ paſtor egregius, re-*
turcenſis epiſcoporum ibi conſecrationem accepit; al- *gali proſapia ortus, omnium bonorum honeſtate præ-*
ter vero propter inhibitionem & metum Othonis co- *clarus, ſed & ſanctæ Eccleſiæ catholicæ exſtitit de-*
mitis Pictavienſis conſecrari non potuit. Sed Romam *fenſor fortiſſimus, nobis quoque pater devotiſſimus.*
profectus, atque a ſummo pontifice conſecratus, cum
ad urbem propriam repedaret, veneno vitam finivit.
Obiit an. 1198. quippe tantum ſedit ſeptem hebdomadibus & tribus diebus, in codice *Galteri* præfato.

LXI. Guillelmus IV.

Prevost.

Exordium epiſcopatus Guillelmi cognomento Præpoſiti differri non debet ultra annum 1217.[b] quo Loſduni in templo S. Crucis, die octavo poſt Dei-paræ virginis Aſſumtionem, lis inter ipſum & Amelinum Vindocinenſium abbatem, de procuratione quam epiſcopus debitam a prioratu Olonenſi contendebat, compoſita eſt conſilio Michaelis abbatis Salmurienſis, & Philippi decani Pictavienſis, poſtea epiſcopi. Hoc anno quoque datæ ſunt litteræ Beatricis filiæ Bernardi de Machecolio * dominæ de Luciono, pro Brolio-Grollandi, *magiſtro Willelmo Præpoſito epiſcopo Pictavienſi.* Item in alia dom. de Thoarcio &c. pro eodem monaſterio. Nominatur an. 1219. in charta B. M. de Cella. Gaufridi monachi militis de S. Savino donationem factam prioratui de Villeſalem, probavit anno ſequenti ex chartis Fontebraldenſibus. Nominatur anno 1223. in tabulario S. Hilarii-majoris, & in Morolienſi, ubi mentio fit Hervei de Volvira militis, qui cum graviſſima damna Morolienſi cœnobio intuliſſet, ad faciendum ſatis coram ipſo pontifice quædam reſtituit, ex litteris ejuſdem epiſcopi anno 1224. Eodem fere tempore 10. cal. Novemb. abbatiam Miſericordiæ-Dei ſolemniter dedicavit. An. 1225. quando Gaufridus de Leziniaco Malleacenſe monaſterium devaſtavit tempore abbatum Willelmi Fortis & Rainaldi, adhuc præerat hic epiſcopus, ex auctore anonymo, qui devaſtationem hanc deſcripſit. In *Galteri* codice legitur ſediſſe annis 10. & duobus menſibus. Fundavit domum fratrum Prædicatorum, ex eorum necrologio.[c]

* Machecoul in pago Nannetenſi.

1223.

Bibl. Labb. tom. 1. pag. 238.

1225.

c

LXII. Philippus.

Philippus ex decano ad pontificiam dignitatem aſſumtus eſt an. 1226.[d] ex chronico Turonenſi, in quo memoratur apud Silliacum corpus S. Maximini epiſcopi Pictavienſis 5. idus Octobr. a terra levaſſe. Exſtant quoque illius litteræ in chartulario S. Amantii de Buxia, ubi agitur de commutatione eccleſiæ Caſſanolii cum altera de Chaſtain, eodem anno 1226. Probat & pactum pro caſtellania Ulmi de Auriaco * juxta Caſtrum-Eraldi anno præfato, ex chartulario epiſcopali. Sacramentum fidei Radulfi Exoldunenſis pro terra de Si-

d

1226.

Bofl. epiſc.

* l'Orme d'Oiré.

LX. Mauricius.

De Blason.

Mauricius de Blaſon ex nobili proſapia dominorum Mirabelli in Pictonibus ortus, quam linea B materna prognatam e regali ſanguine aſſerit tabularium Fontebraldenſe, ex Nannetenſi epiſcopo traductus eſt ad ſedem Pictavienſem; enimvero poſtulationem de ipſo factam a capitulo probavit 1198. Innocentius III. bulla anni 1198. lib. 1. epiſtol. ubi de minore civitate ad majorem, de populoſa dioeceſi in populoſiorem, de nobili ad nobiliorem eccleſiam transfertur. Subſcribit cum epiſcopo Aginnenſi litteris an. 1199. quibus Alienordis Angliæ regina firmat donationes Johannis filii pro anima Richardi regis factas monaſterio B. Virginis * *al.* Turniaco. de Turpenaio *; quæ litteræ aſſervantur in regio C tabulario. Eodem anno memoratur in charta præfatæ reginæ pro Fonte-ebraldi. Circa juriſdictionis jura tranſegit cum Guillelmo decano, & Clemente Malleacenſi abbate apud ſanctum Cyprianum 1200. anno 1200. Fundavit eccleſiam collegiatam de Mirabello in Pictonibus, rogatu Theobaldi de Blaſon domini hujus loci, qui Mauricium appellat avunculum ſuum, & ad inſtantiam & ſupplicationem cleri & populi ejuſdem loci; ut ex charta originali probatur, quam refert Beſſius, & inſtrumentis quoque adjiciendam putavimus, cum bulla Innocentii papæ III. fundationem hanc confirmantis.

C. XVI. col. 337.

a

[a] Quo anno e vita exceſſerit Mauricius nobis D incompertum. Anno 1201. recenſetur in veteri S. Dionyſii inſtrumento. An. 1208. memoratur in tabular. S. Florentii, pro prioratu de Deogilo, *Deuil.* Anno 1209. nominatur in charta Chalonis de Rupeforti, laudatur adhuc anno 1210. in 1213. quadam S. Maxentii charta, & 1213. indict. 1. in tabula B. Mariæ de Fontanellis. Vidit D. Edm. Martenne chartam Philippi decani datam anno 1214. *vacante ſede Pictav. defuncto domno Mauricio piæ recordationis epiſcopo:* attamen in inſtrumento S. Crucis Talemondenſis quidam J. epiſc. Pictav. conſecravit ſacellum & cœmeterium xenodochii de Olona an. 1203. nonis Julii; quod ſi E conſtaret, duo eſſent admittendi Mauricii, quorum medius ſederit hic J. epiſcopus. Ceterum notæ chronicæ in chartulariis aliquando emendari debent ex inſtrumentis authenticis. Sepultus creditur in eccleſia Mirabelli quam fundaverat, ubi Theobaldus de Blaſone miſſam ſingulis diebus pro cariſſimi patrui ſui anima inſtituit. His verbis commendatur in Fontebraldenſi necrologio: *Pridie nonas*

[a] In libro *Galteri* legitur epiſcopatum obtinuiſſe per annos 25. ſed hujus libri auctoritas minima eſt. Et quidem cum cœperit epiſcopatum anno tantum 1198. jamque epiſcopus eſſet Guillelmus Præpoſiti anno 1217. non potuit præeſſe amplius quam annos 20.

[b] Quin etiam D. Edmundus Martenne dicit eum nominari epiſcopum in nonnulla charta an. 1216. Sed non indicat inſtrumentum, aut etiam tabularium in quo reperiatur.

[c] In necrologio fratrum Prædicatorum Pictavienſium notatur in vigilia S. Dominici die 3. Auguſti: *Anniverſarium Guillelmi Præpoſiti fundatoris noſtri.*

[d] Noſter D. Edmundus Martenne nos admonuit inventas a ſe fuiſſe multas chartas annorum 1220. 1226. 1228. 1229. & 1233. in quibus memoratur Philippus ut epiſcopus. De anno 1226. & ſequentibus, nulla eſt controverſia, ſed de anno 1220. quo tempore Willelmus procul dubio ſedebat. An tum erat ſchiſma in eccleſia Pictavenſi? non indicavit Martenus quibus in chartis anni 1220. Philippum epiſcopum legerit. Ceterum id non poteſt intelligi de Philippo qui ex decano factus eſt epiſcopus, quia erat adhuc decanus an. 1223. In charta S. Crucis Talemondenſis quam vidit D. J. Boyer, annus 1224. dicitur primus ejus epiſcopatus.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

vraio, Pictavii in domo episcopi excepit die 5. cal. Aprilis anni 1228. In quadam charta S. Cypriani anno 1229. memoratur Philippus episcopus & Andreas decanus. Idem episcopus sigillo suo munivit chartam concordiæ abbatis & conventus S. Benedicti de Quinciaco, cum monasterio Fontebraldensi circiter anno 1230. ex archivis hujus loci. Codex *Galteri* huic episcopo dat duos episcopatus annos, sed plures ei debentur; sedebat enim adhuc anno 1232. quo inter abbatem & conventum Monasterii-novi, ex una parte, ac coriarios ex altera concordiam fecit [a]. Quinetiam debet protrahi ejus episcopatus ad annum 1234. ex charta qua concedit monachis Nobiliacensibus *decimam novalium, & cæterarum terrarum incultarum, quæ sunt infra decimationes suas antiquas, si quando devenerint ad culturam. Actum anno Dom. M. CC. XXXIII. in festo S. Johannis-Baptistæ. Obiit 6. idus Febr. ex martyrologio S. Hilarii de Cella, ubi cognominatur Balleos*; sic enim legitur: *VI. idus Februarias obiit Philippus Balleos Pictav. episcopus.* Ejus tempore anno 1230. Fr. Prædicatores apud Fonteniacum conventum obtinuerunt.

1229. 1232.

DE MELUN.

LXIII. JOHANNES IV.

Johannes de Meloduno nobili juxta ac perantiqua stirpe vicecomitum Melodunensium ortus, Ludovicum vicecomitem patrem habuit, fratrem vero Adamum II. eadem ornatum dignitate. Johannes autem ex archidiac. Senon. creatus est episcopus Pictav. an. 1236. secundum Albericum in chronico, sed jam erat episcopus anno 1235. nam ex charta Malleacense monasterii hoc anno, donum factum Reginaldo abbati a Radulfo comite Augensi confirmavit; quod iterum anno 1254. litteris suis approbavit. Anno 1239. die Mercurii in vigilia synodi Pentecostes, ratam habuit aliam donationem quam vir nobilis Theobaldus Chabot miles, dominus de Rocha-cerveria fecerat S. Maxentii monasterio. Coram Johanne Pictav. episcopo Haimericus vicecomes Castri-Heraldi *Chastelraux*, Agatha ejus uxor & Johannes eorum filius an. 1240. rata habent quædam pacta cum abbate & monachis S. Dionysii facta anno 1239. ex authentico in tabul. S. Dionysii.

1236. 1239.

Tab. S. Max.

Fecit stalla chori, & candelabra circa majus altare, cui multa alia addidit ornamenta. Memoratur in tabulis testamenti Margaritæ Montis-Acuti & Ganapiæ dominæ, quod, petente ipsius marito Petro de Brana, apud Ganapiam episcopus hic suo chirographo & sigillo munivit in festo S. Albini anno 1244. Anno 1245. Innocentius papa IV. Juhellum Remensem archiepiscopum delegavit, qui cum episcopo Johanne, & abbatissa conventuque Fontebraldensi amice tractaret, in negotiis exemtionum & visitationum diœcesanarum; de quibus confectum instrumentum reperitur in chartophylacio matris ecclesiæ Pictav'ensis.

1244.

Fol. 37. & 70.

Anno 1246. Alfonsum Regis fratrem Pictavorum comitem exemit ab hominio episcopis Pictavensibus debito pro castro de Sivraio. Transegit

1146.

[a] Abbas præfatus quoddam jus exigebat quandiu pararent coriaria in aqua vel terra ejusdem abbatis, convenerunt autem ut annuatim ei coriarii solverent unam pellem.

A quoque de feudis quæ ab episcopatu tenebat nobilis miles Aymericus de Vivona. An. 1248. electus & designatus est cum episcopo Lemovicensi, qui curaret testamentum Hugonis de Lesiniaco Marchiæ comite exsecutioni mandari. An. 1253. ipse & Radulphus decanus approbarunt suis sigillis canonizationem S. Dominici factam die 28. mensis Octobris, ex arch. fratrum Prædicatorum Pict. In tabul. S. Cypriani an. 1257. recensetur cum Radulfo decano, qui annus vitæ nostri Johannis fuit ultimus. Mortuus vero est post Assumtionem B. Mariæ: nam hoc anno 1252. post hoc festum die Jovis dedit adhuc litteras quibus testatur a se lectas litteras Philippi episcopi prædecessoris sui an. 1239. pro S. Cypriano. Mortem ejus contigisse XI. Decemb. legimus. Sepultus vero est in abbatia de Jardo prope Melodunum, sepulcro quondam gentilitio vicecomitum, coram altari, ad latus Johannæ comitissæ Drocensis, cum hoc epitaphio cupreæ tumbæ insculpto: *Anno Domini M. CC. LVII. III. die post Nativitatem B. M. virginis, obiit Johannes filius Ludovici vicecomitis de Meleduno, quondam archidiaconus Senonensis, & postea episcopus Pictavensis, cujus anima requiescat, Amen.*

1253. 1257. 1252.

Hist. geneal. &c. edit. 2. a D. du Fourny.

Præsul Pictaviæ præsenti subjacet æri,
Justus, clarus avis, lux recti, gloria cleri;
Ecclesiæ murus dum vixit non ruiturus.
Constans, securus fuit, exemplo valiturus,
Justitiæ, legisque fuit defensor & æquus,
Quem pro jure gregis non flexit jussio Regis.

In necrologio Fontebraldensi celebratur isto titulo: *Migravit a sæculo dominus Johannes Pictavensis episcopus, minister strenuus; qui utroque parente nobilis, ætatis maturitate, morum gravitate, litterarum scientia Pictavensem ecclesiam decoravit; quique gemma præsulum, Ecclesiæ defensor, fidei catholicæ columna firmissima exstitit, & fidelis verbi divini prædicator & custos, nobis pater benignus. Cum juxta Apostoli verba, dissolvi cuperet & esse cum Christo, specialis dilectionis favore prosequens personaliter nos visitavit, in nostro capitulo ita dixit: Desiderio desideravi manducare vobiscum antequam patiar.*

Adhuc vacabat sedes Sabbato ante Ramos palmarum an. 1257. ex charta quam legit D. Edm. Martenne; idemque probatur aliunde, ut videre est in Radulfo II. decano.

DE CHATEAUROUX.

LXIV. HUGO I.

Hugo de Castro-Radulfi in pago Bituricensi, excambium inter Agatham vicecomitissam Castri-Eraudi & Radegundem de Conflantio probavit litteris anno 1259. cui hominium præstat Echivardus de Pruliaco, dominus castri de Rupepoisea * ex tabul. Pictavensis ecclesiæ, aliudque sacramentum admittit an. 1260. Eodem anno post festum omnium sanctorum, rogatus fuit ab Eblone de Ventadorio milite, uti admitteret ad clientelam tenementi de Ulmo-Auriaci Guillelmum de Rivallo militem, qui postea Hugoni vendidit quidquid juris possidebat in eodem Ulmo ac pertinentiis anno 1261. ex archivis majoris ecclesiæ. Ipso sedente, exemtio basilicæ D. Hilarii-magni sententia Urbani IV. confirmatur an. 1264. necnon fundantur Franciscani

1259.

* la Rochepoisay.

Digitized by Google

Franciſcani in urbe ab Alfonſo comite Pictavienſi. ANNI CHRISTI In hujus præſulis manu Aimericus miles cum omnibus bonis ſeſe mancipavit abbatiæ de Stella in Pictonibus; ac monialibus de Podia ordinis Fontebraldenſis, feudorum ſuorum poſſeſſionem confirmavit Hugo 1268. Idem Gaufridi de Leziniaco dynaſtæ Jarnaci juramentum recepit pro domicilio Haricuriæ, defuncta Agatha vicecomitiſſa Caſtri-Eraudi. Eodem anno 1268. pacem renovavit inter abbatiſſam conventumque SS. Trinitatis, & canonicos S. Petri Puellaris. In chartis S. Jovini memoratur an. 1269. & 1271. Mortuus eſt anno eodem 1271. poſt ſedem annorum 12. & 7. hebdomadum. Cum interdictum pronuntiaſſet in civitatem Pictavienſem, (quid cauſæ fuerit neſcimus,) S. Ludovicus Franc. rex ad eum ſcripſit ut interdictum relaxaret ſine emenda. Sancti regis brevem epiſtolam ea de re legere non pigebit: *Ludovicus Francorum rex dilecto ſuo epiſcopo Pictavienſi, ſalutem & dilectionem. Cum alias vos rogaverimus per noſtras litteras, ut vos interdictum latum ſeu nuntiatum a vobis in civitate Pictav. amovere ſeu relaxare velletis, nec vos iſtud facere velitis, ſicut intelleximus, niſi fiat emenda eccleſiis Pictav. de damnis & de perditis quæ ſuſtinuiſſe dicuntur occaſione ejuſdem interdicti: iterum vos rogamus quatinus ipſum interdictum amovere, vel ſaltem relaxare velitis abſque emenda ejuſmodi. Non enim intelleximus quod pro amotione ſeu relaxatione interdicti lati in civitate aliqua, ſive villa, facta fuerit emenda aliquibus eccleſiis de damnis & de perditis occaſione ejuſdem. Tantum autem unde facietis, ut nos vobis debeamus ſuper hoc ſcire grates. Datum Ambian. in octav. Epiphan.*

1268. 1271.

Emendam librarum triginta ſolvi poſtulabat epiſcopus, obſtabat Alfonſus comes Pictavienſis & Tololanus, hoc eſſe præter conſuetudinem affirmans; contendebatque immerito latum interdictum ſe non admonito, nullaque ratione habita quiſnam urbis illius dominus eſſet. Ejus itaque rogatu litteras illas ad epiſcopum dedit S. Ludovicus, quibus has ſuas adjecit. *Univerſis præſentes litteras inſpecturis ſalutem in Domino Alfonſus &c. Notum facimus quod nos dilectum & fidelem clericum noſtrum Guichardum canonicum B. Radegundis Pictavienſis, latorem præſentium, procuratorem noſtrum conſtituimus ad proteſtandum pro nobis & nomine noſtro, quod pax illa quæ dicitur fuiſſe reformata inter venerabilem epiſcopum Pictavienſem, & Theobaldum de Rociaco ſeneſchallum noſtrum Pictavi ſuper ſententia interdicti civitatis, pecunia mediante, non proceſſit de noſtra voluntate, conſcientia vel aſſenſu noſtro: unde in ea minime conſentimus, ſed eam expreſſe reprobamus, nec volumus per pacem & compoſitionem hujuſmodi nobis præjudicium generari, nec præd.cto epiſcopo aut eccleſiæ Pictav. aliquod jus acquiri. In cujus rei teſtimonium præſentibus litteris ſigillum noſtrum duximus apponendum. Datum apud Longum-pontem anno Domini M. CC. LXIII. menſe Februario.*

A B C D E

LXV. GALTERUS.

De Bruges.

Poſt Hugonis mortem duo electi ſunt a capitulo, Radulfus decanus, & Johannes capicerius; quæ dignitas olim erat in capitulo. Negotio itaque electionum per appellationem ad ſedem apoſtolicam devoluto, electiſque omne jus quod habebant ſponte & libere in manibus papæ reſignantibus, Nicolaus III. qui tum Romanam obtinebat cathedram, volens cavere prolixioris vacationis incommoda & damna, promovit ad ſedem Pictavienſem Gualterum fratrum Minorum miniſtrum * in Francia, virum vitæ laudabilis, litterarum ſcientia præditum, diſcretionis maturitate conſpicuum, præclarum meritis, & alias in ſpiritualibus & temporalibus circumſpectum. Eum quoque pontifex propriis manibus conſecravit. Hæc nos docet ipſe ſummus pontifex in litteris ad Francorum regem, qui tunc erat Philippus Audax S. Ludovici filius, datis Romæ an. 11. pontificatus Nicolai, Chriſti M. CC. LXXVIII.* Integras eas damus erutas ex tabulario Pictav. eccleſiæ. Wadingus tom. 2. Annal. fr. Minorum aliam bullam exhibet, quæ ſic incipit: *Militanti eccleſiæ &c. Sane dudum Pictavienſis eccleſiæ &c.* Pauca tamen diſcrepant.

ANNI CHRISTI

* Provincialem Turon.

* 1278. Fol. 49. Vide C. xx. col. 339.

Galterus cognominatus Brugenſis a patria, (erat enim ortus Brugis in Flandria,) an. 1280. conſtitutiones edidit pro optimo eccleſiæ ſuæ regimine. annoque 1284. alias addidit non minus utiles; quo etiam anno archiepiſcopus Bituricenſis cum primatis & *patriarchæ* auctoritate, ipſum viſitavit, & luſtravit diœceſim. An. 1304. habita eſt ſynodus in diœceſi Pictavienſi. 1280. 1284. 1304.

Fuit Galterus ingenio acer, juriumque ſuæ eccleſiæ vindex infractus. Veriſimile autem eſt ex ejus ingenio acri effectum, ut Regi diſpliceret, nam bona temporalia epiſcopatus in manu Regis erant an. 1299. 1300. & 1301. de quibus Petrus de Villa-Boana ſeneſcallus Pictav. *computavit* in camera. Altercatus eſt quoque adverſus Henricum de Gebennis Burdigalenſem archiepiſcopum metropolitanum ſuum ob fracta ab archiepiſcopo cujuſdam eccleſiæ limina. Verum graviores exarſerunt diſcordiæ inter ipſum & Bertrandum de Gutto, qui paulo poſt Henricum, Burdigalenſem rexit metropolim, indeque ad S. Petri cathedram eſt evectus, ſub nomine Clementis V. Odiorum hæc cauſa fuit:

Du Fouray

Vetus intercеſſerat diſſidium inter Bituricenſem & Burdigalenſem archiepiſcopos de Aquitaniæ primatu, qui decreto S. Sedis Bituricenſi fuerat adjudicatus. Itaque Ægidius Bituricenſis cum ægre ferret Bertrandum Burdigalenſem ſeſe primatem Aquitaniæ appellare, dedit in mandatis Galtero Brugenſi epiſcopo Pictavienſi, ut nomine ſuo Bertrando ejuſmodi titulo interdiceret, & obtemperare renuentem anathemate percuteret. Primatis ſui juſſis confeſtim paruit Galterus, quanquam archiepiſcopatus Burdigalenſis ſuffraganeus, a cujus juriſdictione & ſuperioritate exemtum ſe prædicabat. At Bertrandus ſtatim ac ſummus pontifex eſt creatus, ſumto Clementis V. nomine, clementiam adverſus contumacem, ut aiebat, ſuffraganeum ſuum minime ſervavit; eumque epiſcopali dignitate privavit, & ad clauſtrum ſuum remiſit. Quam

* Hinc liquet diu ſedem vacaſſe; & quidem adhuc ſine paſtore erat eccleſia Pictav. an. 1278. Sabbato poſt feſtum ſancti Dionyſii, ut videre eſt in Radulfo II. decano.

ANNI CHRISTI

injuriam cum impatienter ferret Galterus, & paulo poſt lethali ægritudine infirmatus ad extrema deveniſſet, appellavit a præfata ſententia Clementis papæ, ſeu ad judicium Dei, ſeu ad futurum concilium; ac membranam appellationis animam exhalando[a] 1306. die 21. Januarii in vigilia ſancti 1306. Vincentii, in manum ſuam inferi juſſit, cumque ea tumulari in æde Minorum Pictavenſium. Cum ergo Clemens huc veniſſet, & Galteri mandatum reſciſſet, ſepulcrum coram ſe ſecreto juſſit aperiri ad videndam ſchedulam: ſed cum archidiaconus urbis chartulam fruſtra extrahere e manu Galteri conaretur, rem miratus pontifex, virtute obedientiæ, ut e manu ſua ſchedulam detrahi ſineret, Galtero mortuo imperavit, poſtquam ſub religione ſacramenti pollicitus eſt eam ſe reſtituturum; quam cum aperta manu legiſſet pontifex, eam reſtituit. Rem totam presbyter Lodunenſis, & S. Crucis collegii ſodalis, teſtatus eſt publico chirographo quod damus in inſtrum. C. XXI. col. 340.

Poſtea ſummus pontifex Galteri epiſcopi memoriam colens, ejus ſepulcrum in fr. Minorum eccleſia ornari juſſit; quod cum per bella civilia dirutum fuiſſet, ipſius loco poſitus eſt ante majus altare lapis cum hac inſcriptione quæ adhuc hodie legitur: *Heic jacet S. Gualterus.*

Ceterum cum Franciſcus Soſa ordinis Minorum generalis miniſter in Hiſpaniam tendens, Pictavos divertiſſet, & apud fratres ſuos degeret, auditis quæ de Galtero jactabantur, ejus ſepulcrum inconſulto Godofredo de S. Belin urbis epiſcopo, aperiri juſſit, in quo reperta ſunt oſſa in tunica ex aureo filo intexta, cum digitorum articulis intra chirotheças incluſis, & annulo epiſcopali, quem Franciſcus Soſa ſumſit, pollicitus ſe illum laturum ad ſummum pontificem, & ea de re chirographum dedit die 30. Maii an. 1604. De querelis a Godofredo præſule Pictavienſi, ob ſpretam hoc in negotio epiſcopalem dignitatem, ad papam delatis, tacuimus: at cetera quæ tanti momenti viſa ſunt Thuano, ut ea inſeruerit tom. v. hiſtor. c. 131. quod etiam fecit Spondanus in Annal. ad annum 1308. ſilentio prætereunda non exiſtimavimus.

De Galtero plura S. Antoninus Florentiæ archiepiſcopus chronic parte 3. Trithemius libro de ſcriptoribus eccleſiaſticis, qui opera ejus enumerat, uti & Suveertius in Athenis Belgicis, ceterique alii hiſtorici quos recenſere omittimus. Præſulum ſedis ſuæ catalogum texuit, qui continetur in veteri codice ſedis epiſcopalis, qui inſcribitur, *Galteri* codex.

D'AUX.

LXVI. ARNALDUS.

Arnaldus de Auxio, Vaſco ex pago Condomienſi oriundus, vulgo cardinalis de Auxio nuncupatus, prius admiſſus eſt in familiam Bertrandi de Gutto, tunc archiepiſcopi Burdig. poſtea papæ ſub nomine Clementis V. cui fuit a ſecretis & commentariis, cujuſque legitur camerarius in litteris datis Viennæ cal. Martii an. 1312. deinde in locum Galteri Pictav. epiſcopi ſubrogatus eſt.

ANNI CHRISTI

Anno 1307. urbem ſolemniter invectus eſt, ſolita inaugurationis pompa a baronibus feudatariis ſedis epiſcopalis in ſolium pontificale ſublimatus, quod intelligitur ex ſcheda matris eccleſiæ Pictavienſis: *In nomine Domini. Pateat univerſis quod anno a Nativitate ejuſdem 1307. indict. quinta tertia die introitus menſis Maii, videlicet die Dominica poſt Aſcenſionem Domini, pontificatus ſanctiſſimi patris in Chriſto, & domini Clementis divina providente clementia papæ V. anno ſecundo, reverendus in Chriſto pater dominus Arnaldus Pictavenſis epiſcopus anno & die prædictis, hora primæ, vel circa, ſedens ſuper quandam cathedram ante majores fores ipſius eccleſiæ Pictavienſis, aſportatus per nobiles viros dominos Guidonem comitem Marchiæ, Johannam vicecomitiſſam Caſtri-Ayraudi, Guillelmum Archiepiſcopum dominum de Parteniaco, & Mauricium dominum de Bella-villa, ab eccleſia S. Mariæ-majoris Pictavienſis, ac multis aliis religioſis ac ſecularibus ibidem adſtantibus in modum qui ſequitur, eccleſiæ Pictavienſi præſtitit tantummodo juramentum: Ego Arnaldus Dei gratia Pictavienſis,* (epiſcopus) *jura eccleſiæ Pictav. ſervare, & male alienata revocare pro poſſe, ſtatuta, privilegia, libertates & conſuetudines eccleſiæ Pictavienſis rationabiles & adprobatas, quæ & quas ſervare teneor, juro obſervaturum, excludendo leves obſervantias a prædictis. Acta ſunt hæc Pictavis ſub anno, indict. & die, pontificatu & hora prædictis.* 1307.

Novus tamen epiſcopus non ſtatim poſſeſſionem aſſecutus eſt bonorum temporalium; ſuperius enim obſervavimus regaliam non ceſſaſſe niſi die Jovis ante feſtum S. Barnabæ an. 1307. Legitur autem promiſiſſe obedientiam Arnaldo archiepiſcopo Burdigalenſi ejuſque ſucceſſoribus. Eodem anno, ſeu tertio Clementis papæ, miſſus eſt in Angliam, ut ejuſdem papæ probant litteræ, datæ ad Philippum Francorum regem, 13. cal. Sept. & 3. nonas Octob. hujus anni. Anno 1311. interfuit ſynodo generali Viennenſi ex litteris Clementis V. ad eum ſcriptis, in quibus eum appellat ſuum camerarium. Et quidem 14. cal. Junii bullam dedit qua eum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ camerarium declarat ſibi rationem reddidiſſe ſuæ adminiſtrationis. 1311. *Baluz. coll. ad vit. pap. Avenion. col. 283.*

Inter cardinales allectus eſt ab eodem Clemente V. Sabbato quatuor temporum Adventus Domini die 24. Decembr. an. 1312. ex libro obligationum, teſte Ughello; quæ etiam leguntur in quarta vita Clementis V. auctore Bernardo Guidonis Lodovenſi epiſcopo. 1312.

In Angliam cum Arnaldo Novelli cardinali S. Priſcæ tranſmiſit eod. anno cum titulo legati pontificii, ut inter Eduardum regem & nobiles Anglos pacem conciliaret, teſte Thoma Walſinghamo.

Operæ vero pretium nobis videtur de tempore mortis ejus inquirere. Baluzius in notis ad vitas paparum Aven. autumat ipſum exſtinctum fuiſſe anno 1320. die 24. Auguſti, condito pridie ſuo teſtamento; idque probat ex bulla quadam Johannis XXII. data v. idus Julii an. v. ejus pontificatus, in qua fit mentio Vitalis epiſcopi Albanenſis, qui *col. 670.*

[a] Inchoata regalia legitur die 10. Novemb. 1306. & perſeveravit uſque ad diem Jovis ante S. Barnabam 1307. ex reg. Roberti Mignon. Unde ſequi videtur Galterum mortuum fuiſſe menſe Novemb. non vero Januario ſequenti: at vero regalia fortaſſe incœpit a tempore depoſitionis & exauctorationis hujus epiſcopi.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

Arnaldo ſucceſſerat ; erat enim ſimul epiſcopus Pictavienſis & Albanus. Porro annus hic quintus pontificatus Johan. reſpondet anno Chriſti 1320. vel 1321. Præterea in litteris quibuſdam officialis Lactorenſis die Sabbati poſt feſtum S. Mariæ Magdalenæ anno 1322. fit ejuſdem mentio tanquam mortui.

Poſt ipſius obitum apud Avenionem, ejus corpus delatum eſt in eccleſiam S. Petri de Romevo pagi Condomienſis, uti ſuo caverat teſtamento. Hanc eccleſiam fundaverat pro collegio canonicorum, & in ea jacet ad dexteram majoris aræ, ſine ulla inſcriptione. Singulis autem annis illic ſolemne pro eo anniverſarium fit Auguſti die 23. Bochellus in codice decretorum Eccleſiæ Gallicanæ refert plurimas ex conſtitutionibus ſynodalibus ab hoc epiſcopo editis, maxime ex ſynodo anni 1310.

Baluz. in notis ad vit. pap. Aven. col. 669.

In fronte odæi eccleſiæ ſancti Petri Pictavienſis, Henrici-Ludovici Caſtanæi de la Rochepoſay epiſcopi munificentia renovati, legitur hæc inſcriptio :

Arnaldus meruit Pictavis pontificari,
Et tandem voluit Deus ipſum cardinalari.
Qui rerum compos, prudens multum perhibetur.
Fortius inde nepos Pictavis præſul habetur.
Anno milleno ter C. terque noveno
Obvia venit ei mors, feſto Bartholomæi.

In collectione inſtrumentorum, quam debemus Rimero Anglo, ſæpius fit mentio noſtri Arnaldi tomo III. [a]

[a] D'Aux.

LXVII. Fortius.

Fortius de Auxio, Arnaldi cardinalis nepos ex fratre Guillelmo milite, plurimos habuit fratres, quos enumerat Baluzius in notis ad vitas paparum Aven. Jam erat epiſcopus an. 1320. ſcilicet tempore quo Arnaldus ejus patruus teſtamentum condidit ; nam Arnaldus ibidem appellatur tantum Albanenſis epiſcopus, & Pictavienſem epiſcopum diſerte appellat Fortium his verbis : *Secundum ordinationem & diſpoſitionem reverendi in Chriſto patris domini Fortii epiſcopi Pictavienſis.* Forſan itaque Arnaldus, quando collegio cardinalium allectus eſt, maxime cum factus eſt epiſcopus Albanenſis, abdicavit & papæ reſignavit Pictavienſem epiſcopatum, ut moris erat.

pag. 670. 1320. *Baluz. coll. ad vitas pap. Aven. col. 381.*

Sane legimus Sybillam SS. Trinitatis abbatiſſam ab Odone epiſcopo Helenenſi munus benedictionis accepiſſe an. 1315. Sabbato poſt *Invocavit me*, ex licentia Fortii electi Pictavienſis epiſcopi in remotis tunc agentis.

Sub ipſius pontificatu an. 1317. abbatiæ diœceſis Pictavienſis Malleacum & Lucio fiunt novi epiſcopatus, auctoritate Johannis papæ XXII.

1326. Anno 1326. pacta quædam iniit cum Gervaſio
1327. Burgulienſi abbate. Anno ſequenti memoratur in tabulis [b] S. Johannis Angeriacenſis. Anno 1334. Mahaudis abbatiſſa & conventus SS. Trinitatis Pictav. compoſuit cum canonicis, habito prius Fortii epiſcopi & P. Raymundi decani conſenſu. Acquiſivit dato pretio ſilvæ cujuſdam portionem a Guidone de Gozon anno 1356. Excepit hominium a Johanne de Haricuria Caſtri-Eraldi vicecomite, & ab Andrea de Calviniaco, ex vicecomitibus de Brocia. Tempore Fortii an. 1330. fratres Minores fundati ſunt apud Thoarcium a Ludovico vicecomite & Johanna Droci comitiſſa ejus conjuge. Ante Franciſcanos, Prædicatores jam admiſſi erant hac in urbe ; ſed ignoratur quo anno. In codice *Galteri* legitur ſediſſe per annos 45. quod confirmat conjecturam noſtram de ſuſcepto epiſcopatu a Fortio an. 1312. quibus ſi addantur quadraginta quinque, habemus 1357. Animam exhalavit Auguſto menſe die 8. 1357. Inſcriptio de eo in eccleſia ſancti Petri Pictavienſis poſita ita habet :

ANNI CHRISTI

1356.

1357.

Ecce figuratus eſt Fortius iſte vocatus
Præſul Pictavis, ſanctæ fidei bona clavis,
Et fulgens ſtella, per quem fuit iſta capella
Hic bene fundata, cum redditibus ſituata.
Anno milleno, ter centum, ter duodeno,
Pingitur, efficitur præſens opus atque politur.

Ceterum hic notæ temporis omnino fallunt.

LXVIII. Johannes V.

In codice *Galteri* ſæpiſſime laudato, poſt Fortium de Auxio epiſcopum mortuum anno 1357. legitur : *Johannes ep. Fict. v. qui ſedit per v. annos, & deceſſit an. D. M. CCC. LXII. menſe Aug.* Hujus præſulis mentionem invenimus in Stephano I. Fontis-comitis abbate an. 1358.

LXIX. Aimericus.

De Mons.

Aimericus de Mons diœceſis Pictavienſis, ex nobilibus toparchis de Montibus, Philippi & Willelmi equitum germanus, Pictavium ingreditur die Dominica IV. Junii 1363. elatus pro more ſolemni pompa per Guillelmum de Angla dominum Pleumartini, Maingotum de Metullo regis Angliæ in Pictonibus proregem, ac Rainaldum de Malo-leone Caroli V. cambellanum, ex chartophylacio matris eccleſiæ Pictavienſis [c]. Synodum

1363.

[c]

[a] Littera de epiſcopo Glaſcuenſi conſpectui papæ præſentando, jam liberato Arnaldo Pictavienſi epiſcopo, ſummi pontificis nuntio pag. 118. 1. Decembr. 1308. Item pag. 122. an. 1309. Item pag. 245. Item 1312. pag. 349. Item 1312. pag. 358. tom. 3.

[b] Fortius Pictavorum epiſcopus an Dom. M. CCC. XXVII. indict. X. Johannis papæ XXII. anno XI. menſe Julii die Martis poſt octabas feſti apoſtolorum Petri & Pauli. Huic Rollandus abbas Angeriacenſis memor unionis eccleſiæ S. Petri in villa Angeriacenſi, quæ pertinebat ad collationem epiſcopi Pictavienſis, factæ monaſterio Angeriacenſi per Clementem papam V. memor, inquam, *munificentiæ & liberalis gratiæ* ab epiſcopo Pictavenſi ſuo *monaſterio impenſæ*, offert in compenſationem *de duabus* ſuis *eccleſiis, unam quam præfatus dominus epiſcopus duxerit eligendam, videlicet eccleſiam de Villaribus, vel eccleſiam de Rupe-Maxeriis Pictavienſis diœceſis.* Credimus neutram Fortium elegiſſe, cum utraque hodie pertineat ad collationem abbatis Angeriacenſis. Utraque autem ſita eſt in archipresbyteratu Metulenſi, *de Melle.* Apud J. Beſly pag. 179. legitur : *Au temps de Fort d'Aux evêque de Poitiers quart predeceſſeur de Guy evêque, y avoit procez en parlement, entre ledit evêque & le ſeigneur de Pruilhe & le procureur du Roy, a cauſe de l'homage de la Roche-poſt, qui ſouloit être tenu de l'evêque de Poitiers ; de laquelle Roche le ſieur de S. Marthe avoit fait foi aveu au Roy, a cauſe du chatel de Tours ; ſur quoy y eut enqueſte.*

[c] Addendus eſt Guillelmus *Archiepiſcopi* dom. Partheniael, qui contendit pro officio deportationis epiſcopi ſibi competere mappas omnes convivii epiſcopo exhibiti. Vide Beſlium pag. 183

Digitized by Google

ANNI CHRISTI
* S. Denys en Vaux. * la Vienne.
1367.

convocavit an. 1367. Circa hunc annum litigavit cum abbate S. Dionysii prope Parisios, ob prioratum S. Dionysii de Vallibus * situm non longe a Vigenna * fluvio, in pago Castri-Eraldi, cujus loci vicecomites erant hujus monasterii defensores. Cum abesset prior, Aimericus accessit ad visitandam auctoritate episcopali ecclesiam parochialem de Vallibus, quam ab ipsius jurisdictione immunem contendebant Sandionysiani monachi. Quare abbas ad summum pontificem appellavit anno 1367. Is erat tum Urbanus V. qui auditis monachorum querelis, commisit controversiam hanc dirimendam electis judicibus. Quid ii decreverint ignoramus; attamen episcopum causa cecidisse conjicimus: & quidem anno 1455. priorem S. Dionysii de Vallibus, dictum Johannem Huot, aliquam potestatem spiritualem hac in ecclesia exercuisse quædam acta probant. An. 1370. mense Martio, paucis ante suum obitum diebus, in castro episcopali Calviniaci * testamentum condidit, quo elegit sepulturam in ecclesia cathedrali ante altare B. Mariæ de Donis, ad caput fratris sui Philippi militis ibidem humati. Iisdem testamenti tabulis plurima legat ecclesiis & monasteriis urbis, suique fratris filiis Johanni de Montibus, & Guillelmo Pictavienſis ecclesiæ canonico. Hoc testamentum ex autographo asservato in ecclesia S. Georgii de Rexia probationibus historiæ genealogicæ Castaneorum inseruit Andreas Quercetanus doctissimus historiæ Franciæ scriptor. Hac epigraphe cohonestatus est ejus tumulus in ecclesia majori: *Hic jacet reverendus in Christo pater & dominus, dominus Aymericus de Montibus episcopus Pictavienſis, nobiliter natus, utriusque juris doctor egregius, qui fuit dicti episcopatus per octo annos & menses tres, vel quatuor.... episcopus, fundatorque hujus capituli, & obiit XVII. die mensis Martii, anno Domini* M. CCC. LXX. *Oremus Deum pro eo. Amen.*

* Chauvigny.

A men) in Angliam legatus missus est ad Richardum regem, ut ipsum ad obedientiam papæ, quem legitimum putabat, pertraheret. An. 1383. die 1. Octobris in synodo Cameracensi gravem orationem habuit pro schismatis exstinctione, quæ in bibliotheca Colbert. cod. 814. asservatur. Eodem anno creatus est episcopus cardinalis Prænestinus. Interim morte sublato Clemente VII. an. 1394. electioni Petri de Luna, qui fuit appellatus Benedictus XIII. operam dedit, ejusque adhæsit partibus. At postea ipso relicto, ad synodum Pisanam venit, ubi ab aliis cardinalibus admissus ad exstinguendum schisma, duos de papatu contendentes, B cum ceteris patribus ob contumaciam exauctorandos censuit. Postea electus est in papam die 26. Junii Petrus de Candia cardinalis Mediolanensis, qui nomen Alexandri V. assumsit, & nostro Guidoni confirmavit titulum episcopi cardinalis Prænestini. Eodem fere tempore habuit administrationem ecclesiæ Agathensis *; & paulo post Parisiis animam exhalavit. Mortem prospiciens an. 1407. die 12. Septembris testamentum scripserat, cujus copiam nostri Sammarthani, beneficio viri Cl. D. d'Herouval habuerunt. Hoc instrumento eligit sepulturam in sacello S. Spiritus majoris templi Avenionensis; multa dat canonicis aliisque hujus eccle- C siæ clericis; imperat duo missarum millia; & ex pretio suæ domus in urbe Avenionensi, duas in majori ecclesia Avenionensi fundat *capellanias*. Donat Benedicto papæ XIII. quatuor florenorum millia, nonnullis conditionibus. Multa quoque legat variis ecclesiis, maxime Tutelensi S. Privati, in qua baptizatus fuerat. Ex hujus testamenti tabulis discimus eum varia possedisse sacerdotia, archidiaconatum de Lantario in ecclesia Tolosana, prioratus de Monte-alto, & S. Orientii Auxitani, ac præpositurum de Lesinhano. De sua in Anglia legatione ita loquitur: *Cum olim felicis recordationis dominus Clemens papa VII. me miserit ad partes* D *Angliæ, & alibi pro negotiis S. matris Ecclesiæ, cujus occasione quamplures pecuniarum summæ mihi per ecclesias infra metas terrarum, & provinciarum ad quas pro tunc missus eram, consistentes, deberentur & adhuc debeantur, pecunias hujusmodi ipsis ecclesiis lego & remitto penitus.* Donavit quædam Beraudæ & Agneti germanis suis, Helietæ & Florentiæ neptibus in monasterio Pruliano virginibus religiosis, constituitque heredem suum Guillelmum de Male-sicco filium natu secundum domini Reginaldi de Rophinaco militis. Exsecutores & curatores testamenti sui nominat Nicolaum Albanensem, E Johannem Ostiensem episcopos, alioſve cardinales, Johannem Rotomagensem, Amelium Turonensem archiepiscopos, Andream Casæ-Dei abbatem, & Guidonem Grassensem. Prædictum testamentum novis auxit & explicavit codicillis, quorum deligitur curator abbas S. Maxentii, Parisiis 8. Martii 1411. & paulo post e vivis excessit an. 1411. vel 1412. desinente; ejusque obitus Jo-

ANNI CHRISTI
1383.

a

LXX. Guido.

DE MALSEC.

Guido de Malo sicco, ex diœcesi Tutelensi oriundus, ut lego in priori vita Gregorii papæ XI. quem alii ex dominis Castri-lucii * in Marchia ortum volunt, Gregorii papæ jam laudati fuit ex sorore nepos vel consanguineus, qui eum creavit cardinalem presbyterum titulo S. Crucis in Jerusalem die 20. Decembris an. 1375. Quod vero spectat ad ejus episcopatum, cum esset doctor decretorum, archidiaconus in ecclesia Narbonensi & capellanus Urbani V. an. 1370. ab eo factus est episcopus Lodovensis; a qua sede migravit ad Pi-
1371. ctavienſem anno sequenti. Anno circiter 1375.
1375. testis fuit instrumenti sponsalitii inter Raimundum filium vicecomitis Turenæ, & Mariam filiam comitis Boloniæ & Arverniæ, editi a Baluzio in prob. hist. domus Arv. p. 202. Hoc autem an. statim ac fuit creatus cardinalis, vacavit Pictavienſis cathedra. Post Gregorii XI. mortem anno 1378. Robertum Genevenſem ad summum pontificatum promovere summo studio curavit, cum de ipso Guidone ad hanc supremam dignitatem evehendo alii cardinales Lemovicenses, qui plurimi erant in sacro collegio, cogitarent. A Clemente VII. (hoc fuit Roberti ad sedem pontificiam assumti no-

* Chalus.

a Ex Baluzio in notis ad vit. pap. Avenion. c. 1154. exstat in archivo archiep. Narbon. bulla Johannis XXIII. data Romæ apud S. Petrum 6. idus Junii an. 2. ex qua liquet Alexandrum V. ecclesiam Agathensem vacantem per obitum Hugonis episcopi commendasse Guidoni episcopo *Præneſtinenſi* usque ad triennium.

Digitized by Google

hanni papæ XXIII. renuntiatur die 4. Aprilis. In æde ſacra Dominicanorum ſepultura donatus eſt. Inſcriptio hæc ſepulcro eſt addita.

ANNI CHRISTI

In Aquitania parte Galliæ, nobiliſſima familia Maleſiccorum, vetuſtate ac ſingulari virtute præclara, a Maleſicco nomen habet. Ea in gente multa clariſſima orta ſunt Aquitaniæ quondam lumina, viri rerum geſtarum magnitudine florentes, alii equites aurati, alii ſancti pontifices, alii præfecti. Ex ea generis claritate prodiit Guido a Maleſicco dicti loci & Caſtri-Lucii dominus, in doctrinarum, virtutumque genere prope abſolutus. cujus acta permulta annalibus conſcripta, his brevibus non capiuntur angu-
B *ſtiis. Is vir ſumma prudentia, ampliſſimiſque meritis creatus fuerat Lodovenſis pontifex, deinde Pictav. poſtmodum & coaptatus T. Præneſtini cardinalis, in qua dignitate cum octavo & trigeſimo anno floruiſſet, tandem legatum agens apud regem Gallorum nomine pontificis maximi avunculi ſui, Lutetiæ honeſto mortis genere quievit octavo idus Martii 1411. Cujus corpus hac cella & hoc ſaxo ſepultum eſt, magno cum omnium luctu, ac deſiderio, donec propinquorum ſententia ad majorum ſepulcra transferatur:*

Dives opum Guido, formæ, bonitatis, & artis,
C *Ditior hocque magis dives honoris erat.*
Plura darent ſuperi, niſi fatum plura negaret,
Quo majora darent, evolat ad ſuperos.

Baluzius in notis ad vitas pap. Aven. c. 1154. falſi arguit quæ hic dicuntur de legatione Guidonis in Galliam, & contendit epitaphium in quo id legitur, eſſe partum hominis imperiti, qui non vivebat ante ducentos annos, ut characteres quibus deſcribitur probant; qua in re viro doctiſſimo conſentiendum.

DE MAUMONT

LXXI. BERTRANDUS.

D Bertrandus de Malo-monte vir non ſolum nobilitate, ſed probitate ac ſcientia præſtans, ad epiſcopatus faſtigium aſcendit die 17. Januarii anni 1375. ex regeſto Vaticani. Ingreſſus urbem, conſueto more elatus & deportatus eſt a Johanne duce Bituricenſi & comite Pictavienſi domino Leziniaci, & a nobilibus domino de Valle-Guidonis in Britannia, Johanne *Larcheveque* barone Partheniaci, & Petro de Romenolio milite vices agente Ludovici de Haricuria vicecomitis Caſtri-Airaudi,
1377. ex confecto diplomate anno 1377. die 24. Maii. Conſecravit eccleſiam cathedralem die 17. Octob.
E 1385. anni 1379. Deceſſit die 12. Auguſti an. 1385. humatus in ſacello S. Andreæ in cathedrali, ubi ad ſepulcrum quod eminet, leguntur hæc verba: *Hic jacet reverendiſſimus in Chriſto pater & dominus, dominus Bertrandus de Maumont epiſcopus Pictavienſis, qui obiit an. 1385. Orate Deum pro eo.*

DE CRAMAUD

LXXII. SIMON.

Simon de Cramaud, Picto ex nobili & equeſtri familia dominorum de Cramaud prope Rupem-Cavardi ortus, primum monachus S. Luciani Bellovacenſis, ubi viſuntur ejus inſignia: ex cancellario[a] vero Johannis ducis Biturigum, Pictonum comitis, poſt Bertrandi mortem patriæ ſuæ renuntiatus eſt epiſcopus. An. 1386. ſubſcripſit pactis matrimonii Ludovici Aurelianenſis ducis, ex actis regii theſauri. Anno 1388. *die Jovis poſt Miſericordias Domini*, ut epiſcopus Pictavienſis *receptus fuit ad canonicatum* inſignis eccleſiæ ſancti Martini Turon. *& præſtitit ſolitum juramentum, prout prædeceſſores ſui ſoliti ſunt facere; & deinde fuerunt ſibi aſſignati ſtallus in choro & locus in capitulo; poſtmodum miſſam in pontificalibus celebravit*, ut legitur in regiſtris S. Martini. An. 1389. 1393.
tabulis ſponſalium ducis Biturigum & Arvernorum, necnon Pictavienſis comitis, cum Johanna filia comitis Boloniæ & Arverniæ ſubſcripſit Simon die Sabbati quinta Junii; quibus pactis in dotem pater Johannæ ceſſit Arverniæ comitatum. Hoc autem in inſtrumento Simon appellatur epiſcopus Pictavienſis; ſed paulo poſt amotus eſt ab hac ſede; & ſucceſſorem habuit Ludovicum d'Orleans. Quid vero cauſæ fuerit ut ſedem hanc reliquerit, vix excogitare poſſumus; niſi credamus Clementem VII. Avenioni ſedentem cum papæ titulo, qui epiſcopatum Avenion. tenebat die 2. Julii an. 1390. ad ſe accerſiviſſe Simonem, ut tam prudentis præſulis conſiliis uteretur; cui hanc eccleſiam ipſa dedit eodem anno. At illam brevi admodum tempore tenuit. An. 1392. 28. Nov. erat patriarcha Alexandrinus & adminiſtrator eccl. Carcaſſ. ex cam. comput. Pariſ. *feneſc. Carcaſſ.* An. 1395. menſe Feb. præfuit cœtui epiſcop. & optimatum Pariſ. congregatorum ad tractandum de via unionis, & exſtinctione ſchiſmatis. Cur fuerit præſes his in comitiis nos latet. Forte quia tunc erat patriarcha Alexandrinus, & ad eam dignitatem provectus fuerat quando epiſcopatum ceſſit Ludovico Aurel. nondum vero purpura cardinalitia ornatus erat, hoc enim honore donatus eſt a Johanne XXIII. qui non eſt creatus papa ante annum 1410. quo etiam anno donatus eſt archiepiſcopatu Remenſi. Hunc Simonem Johannes Juvenalis dictus de Urſinis, ævi ſui ſcriptor præſtantiſſimus, & Remorum archiepiſcopus, appellat præcipuum conſiſtorii Regis, & nominatiſſimum clericum. Et quidem variis legationibus pro eccleſia Gallicana & Rege defunctus eſt. Anno 1421. die 11. Martii ſcripſit teſtamentum. Poſt Petrum Trouſſelli ex epiſcopo Pictavienſi factum Remenſem metropolitanum in codice *Galteri* ponitur iterum Simon de Cramaud. Sammarthani fratres in archiepiſcopis Remenſibus, docent Simonem de Cramaud purpura donatum & cardinalem factum an. 1413. a Johan. XXIII. archiepiſcopatum Remenſem abdicaſſe, ad quem tranſlatus eſt Petrus Trouſſelli Pictavienſis epiſcopus. Veriſimile autem eſt hujus epiſcopatus adminiſtrationem perpetuam tunc datam fuiſſe Simoni; quam putamus eum retinuiſſe uſque ad annum 1424. Obiit an. 1429. ſepultuſque eſt Pictavis 1424.
in majori eccleſia, ubi legitur hoc epitaphium:

Baluz. prob. hiſt. Arvern. pag. 243.

[a] Factus epiſcopus videtur officium hoc cancellarii retinuiſſe; nam in inſtrumento venditionis caſtellaniæ cujuſdam (de S. Nemoye, forte ſanctæ Neomadiæ, *Neomaic*, in Pictonibus,) quam emit Carolus VI. rex, fit mentio Simonis de Cramaud epiſcopi Pictav. & cancellarii ducis Bitur. anno 1387. *Threſor Lay. Poitou, n. 98.*

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

Simon ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, & S. Laurentii in Lucina presbyter cardinalis, & epiſcopus Pictavienſis, jacet in hoc ſepulcro, cujus imago de albaſtro eſt ſuper tumulum marmoreum. Poſita eſt ſtatua cardinalis in proximo pilari, prædicto ſepulcro contiguo, erecta: qui dum fuit Romæ promotus ad cardinalatum, erat archiepiſcopus Remenſis, & pro ſubſtentatione ſui ſtatus, fuit etiam ſibi datus epiſcopatus Pictavienſis, cujus etiam ante per multos annos fuerat epiſcopus, & fundavit in iſta eccleſia unam præbendam [a] *cum groſſo quadraginta librarum pro nutrimento unius magiſtri & ſex puerorum in muſica inſtruendorum, ad faciendum divinum ſervitium.* Reliqua legi nequeunt. Anniverſarium Simonis de Cramaud cardinalis quondam Pictavienſis epiſcopi inſcribitur vetuſto fratrum Prædicatorum necrologio die 27. Octobris, in vigilia SS. apoſtolorum Simonis & Judæ. Lego etiam ipſum fundaſſe ſex canonicatus pro hebdomadariis, quorum duo poſſidentur a decano & ſubdecano, ceteri a presbyteris non canonicis, neque in dignitate aut perſonatu conſtitutis.

[a] Pro fundo aſſignavit terram ſuam de Ponento juxta Berriam in caſtellania de Loduno, & decimas pertinentes ad villam Nuceriolum dictam, in pago Loſdunenſi, vulgo *Noiſilliey*, quam acquiſivit præſentibus Guillelmo de Feudelle decano, Iterio de Martrolio cantore, &c. Emit quoque in gratiam fratris ſui Petri Cramaudi caſtrum Capellæ-Belloini, in eodem agro Loſdunenſi, a Catharina de Maillé. Inſtrumentum fundationis ſcriptum fuit an. 1402. die Martis poſt feſtum S. Dionyſii, legiturque apud J. Beſlium pag. 200. in eo ſic præfatur Simon: *Univerſis*, &c. *Simon de Cramaudo, olim Dei gratia Pict. ep. nunc vero patriarcha Alex. ac eccleſiæ Carcaſſ. adminiſtr. perpetuus.* Aliam fundationem fecit Simon, ut patet ex regeſto 158. theſ. reg. ubi habetur; *Amortiſatio c. librarum per Regem facta menſe Decemb. anno 1402. pro dilecto & fideli conſiliario ſuo Simone de Cramaudo olim epiſcopo Pictav. nunc patriarcha Alexandrino & adminiſtratore perpetuo eccleſiæ Carcaſſonenſis ad ſuſtentationem & alimentationem unius magiſtri muſicæ & ſex puerorum continue in eccleſia Pictavienſi officio divino inſiſtentium ſecundum fundationem dicti Simonis.*

Ex regeſto theſ. regii 145. n. 292.

[b] Carolus VI. Francorum rex, litteras legitimationis impertitur Ludovico de Aurelianis Pictav. epiſcopo, *qui de damnato coitu de patre conjugato & matre ſoluta genitus erat.* Datum Pariſiis XXII. die menſis Novemb. an. Dom. M. CCC. XCII.

[c] In camera computorum Pariſ. aſſervatur diploma, quo *dominus Ludovicus de Aurelianis* epiſc. Pictav. legitimatus per litteras Regis datas Pariſius 22. Novemb. 1392. ſic ſignatum *per Regem in ſuo conſilio, in quo erant domini duces Bitur. & Burgund. Vos epiſcopi Lingonenſis, Nevionenſis*, &c.

ipſi laudant. [d] Attamen errant quantum ad tempus epiſcopatus hujus principis; anno enim 1391. die 6. Aprilis, quod ſolum tempus huic adſcribunt epiſcopatui, adhuc Ludovicus d'Orleans epiſcopus erat Pictavienſis: & quidem an. 1392. die 12. Novembris, quo per litteras Regis *legitimatus* dicitur, appellatur epiſcopus Pictavienſis, nec videtur inde migraſſe ante annum 1394. quo electus eſt epiſc. Belvacenſis. Præter illam cathedram tres aliæ dicuntur Ludovico conceſſæ, Lingonenſis, Catalaunenſis & Virdunenſis. His addo cardinalis dignitatem illi collatam a Benedicto XIII. dato titulo S. Agathæ, quam ipſi Martinus V. concilium-que Piſanum, cui adfuit ut legatus Caroli VI. regis Franc. an. 1409. confirmarunt, mutato titulo S. Agathæ, in alium duodecim apoſtolorum. Demum Johannes papa XXIII. eum titulo epiſcopi Portuenſis inſignivit.

ANNI CHRISTI [d]

DE MARTREUIL, *al.* MAREUIL.

LXXV. YTHERIUS.

De Ytherio jam actum eſt hoc tomo, in Anicienſibus epiſcopis. Ejus vero epiſcopatus Pictavienſis exordium non minus dubium mihi videtur, quam Ludovici Barrenſis. Certe quod docent Sammarthani noſtri, Ytherium tranſlatum eſſe a ſede Podienſi ad Pictavienſem anno 1393. eſt aperte falſum; nam an. 1394. die VI. Auguſti eum adhuc ſediſſe Anicii probat inſtrumentum compoſitionis factæ inter priorem de Podemniaco, & incolas de Chambairaco pro decimis, quod nobis ſuppeditavit Piperacenſe tabularium. Ut Caroli VI. regis legatus cum epiſcopis Atrebatenſi & Silvanectenſi adivit Benedictum XIII. alias Petrum de Luna, ad procurandam Eccleſiæ unionem, anno 1394. Anno ſequenti admittit quædam hominia, ratione epiſcopatus & dominii *de Celles Leveſcaut.* Synodum habuit an. 1396. & biennio poſt deligitur una cum Simone Cramaudo patriarcha Alexandriæ, exſecutor codicillorum Petri de Giaco Galliæ cancellarii. Mortuus eſt an. 1405. Erat ducis Bituricenſis cancellarius, ex regiſtris cameræ computorum Divionenſis. [e]

[d] Codex *Galteri* hunc agnoſcit perpetuum adminiſtratorem, ſed perperam non diſtinguit a Ludovico d'Orleans.

[e] In rationibus redditis incipiendo a die 1. Febr. an. 1399. uſque ad diem ultimum Januarii 1400. fol. 124. legitur: *Reverend pere en Dieu Ythier de Martreul evêque de Poitiers chancellier de Mr. le Duc de Berry.*

DE ORLEANS. [b]

LXXIII. LUDOVICUS I.

Ludovicus d'Orleans erat filius [b] nothus Philippi ducis Aurelianenſis & Turonenſis, comitis Valeſii, qui erat quintus liberorum Philippi VI. Francorum regis. Ludovicus fuit primum in parlamento Pariſienſi ſenator, deinde promotus eſt ad officium magiſtri libellorum ſupplicum clerici, litteris Regis datis VIII. Aprilis anno 1388. ex camera computorum Pariſienſi, in rationibus a Guillelmo Perdrier redditis. Factus eſt epiſcopus Pictavienſis an. 1391. Anno 1392. jure paternæ hereditatis donatus eſt regiis litteris die 12. Novemb. datis [c]. Electus eſt epiſcopus Bellovacenſis anno 1394. Peregrinationem Jeroſolymitanam aggreſſus, in ſacris locis exſtinctus eſt die 27. Martii an. 1396. ibique jacet.

Hiſt. geneal. a D. du Fourny recognita.

1391. [c]

1394.

DE BAR.

LXXIV. LUDOVICUS II.

Ludovicus, Roberti Barri ducis filius & Mariæ Johannis Francorum regis natæ, multis potitus eſt epiſcopatibus; adminiſtrationemque perpetuam Pictavienſis eccleſiæ nactus eſt, ſi fratribus Sammarthanis fidem debeamus, imo regiſtro Vatic. quod

DE MONTAIGU. [e]

LXXVI. GERARDUS.

Gerardus de Monte-acuto, ex dominis de Monte-acuto & Marcuciaci, frater Johannis archiepiſcopi Senonenſis, Johannis Biturigum ducis cancellarius, anno 1405. vocatur ad Pictavorum eccleſiam; quo anno in exſecutione litterarum pro fundatione S. Capellæ Bituricenſis nominatur; item ab Enguerrano Monſtreleto vol. 1. c. 52. ubi S. Maxentii abbas ei ſcribit de concilio Piſano 1409. Reperitur item apud Tilium interfuiſſe ſolemni proclamationi in ſenatu facta, cum videlicet rex Carolus VI. procurationem regni detulit principibus, equitum tribuno, & cancellario. Traductus eſt inde ad epiſcopatum Pariſienſem anno 1409. Acceſſiſſe per legatos ad concilium Piſanum legitur in hujus concilii actis tom. VI. Spicil. p. 364.

1405.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

Migravit e vivis 1420. die 25. Septemb. tumulatus in templo Cæleſtinorum Marcuciaci. Fuerat præſes cameræ computorum Pariſ. ſed non ante ſuum epiſcopatum Pictavienſem ; nam probaturi ſumus in archiepiſcopis Remenſibus eum creatum fuiſſe præſidem an. tantum 1413. per reſignationem fratris ſui Johannis Senonum archiepiſcopi.

TROUSSELLI, *al.* TROUSSEAU.

LXXVII. PETRUS IV.

Petrus Truſſelli, quod cognomen ipſe ſibi tribuit, archidiaconus Pariſienſis, & magiſter clericus libellorum ſupplicum, renuntiatus eſt epiſcopus Pictavorum an. 1409. quo anno in charta cameræ computorum Pariſ. ſignata G. Johannes de Marle licentiatus in utroque jure, ſuffectus legitur in magiſterio cleri requeſtarum hoſpitii Regis, loco hujus Petri epiſc. litteris ejuſdem anni die 6. Decembris datis. Anno 1410. cum Blancha de Haricuria abbatiſſa Fontebraldenſi paciſcitur die 4. Januarii pro juriſdictione. Ex ſede Pictavienſi migravit ad metropolim Remenſem anno 1413. & paulo poſt Pariſiis diem clauſit extremum die 16. Decembris hujus anni.

1409.

DE CRAMAUD

LXXVIII. SIMON.

Jam monuimus Simonem de Cramaud Pictavienſem epiſcopatum, quem prius tanquam epiſcopus poſſederat, iterum obtinuiſſe ſub titulo adminiſtratoris perpetui, poſtquam Petrus Trouſſelli ad Remenſem thronum fuiſſet provectus. Anno 1422. Martini papæ V. anno ſexto confirmavit electionem Roberti Frotherii in abbatem S. Jovini de Marnis, ſicque præfatur in litteris ſuis ea de re datis : *Simon S. Laurentii in Lucina S. R. E. presbyter cardinalis epiſcopus Pictavienſis.*

DE COMBAREL.

LXXIX. HUGO II.

Hugo de Combarel nobilis Lemovix, Johanne de Combarel equite domino de Noailles parente natus, ex qua gente fuit Franciſcus abbas Virzionenſis & Exoldunenſis, male a Boucheto in Annalibus Aquitanicis vocatur Guillelmus ; conſtat enim eum in inſtrumentis nobilis gentis d'Iſoré & aliis, Hugonem appellari ; quamvis in codice *Galteri* Guillelmus appelletur. Hic ex epiſcopatu Biterrenſi tranſlatus eſt ad Pictavenſem bulla Martini papæ V. 16. cal. Martii an. 1424. Sane hoc jam factum fuerat die 18. Aprilis an. 1424. quo Franciſcus abbas Jurenſis ſeu S. Claudii, ex mandato Martini papæ, dedit facultatem juſſionis faciendæ Hugoni epiſcopo Pictavienſi antea Biterrenſi, ſolvendæ penſionis annuæ mille librarum, quam Ludovicus de Bar epiſcopus Portuenſis cum licentia papæ retinuerat ſuper alterutrum illorum epiſcopatuum. Id autem habemus ex litteris authenticis iſtius abbatis quas nobis ſuppeditavit tabularium Lotharingiæ. Legatus fuit pro paciſcendis inter Francos & Anglos induciis apud Cenomanum. Conjicimus eum cœtui apud Biturigas coacto an. 1438. die 1. Maii juſſu Caroli VII. adfuiſſe, ubi condita eſt Pragmatica Sanctio; nam Johannes S. Tiberii abbas cum non poſſet eo pergere, ſuos procuratores in his comitiis inſtituit Dionyſium Toloſanum archiepiſcopum, A Hugonem Pictavenſem & Guillelmum Biterrenſem epiſcopos.

Hæredes habuit Petrum & Franciſcum de Combarel milites, ex actis curiæ Pariſienſis. Tutelenſis quoque fuit epiſcopus ex Baluzio, uti diximus in Tutelenſibus epiſcopis. Ipſi fidem clientelarem & obſequium polliciti ſunt Johannes Rupis-Cavardi dominus de Vivona, an. 1433. & Johannes de Lezay toparcha des Marets an. 1434. Ex his liquet Hugonem epiſcopum fuiſſe Pictav. ſaltem ab an. 1424. ad 1434. Attamen Gualterus Pictavenſis epiſcopus nominatur in charta monaſterii S. Petri de Mauritania, *Mortagne*, una cum Johanne epiſc. Malleacenſi 1430. Quapropter confugiendum eſt ad rationem jam ſæpius allatam, quæ videlicet repetitur a ſchiſmate ; nimirum cum tunc eſſent multi qui ſe Romanos dicerent pontifices, ſinguli epiſcopos nominabant ; ſicque, ut in Romana Eccleſia, ita in aliis ipſi ſubjectis plures erant qui ſe pro pontificibus haberi vellent.

GOUGE DE CHARPAIGNES.

LXXX. GUILLELMUS V.

Guillelmus Gouge dictus de Charpagnes, *al.* Charpaignes, cancellarius Johannis ducis Biturigum, Martini Claromontenſis nepos, ex ſupplicum libellorum præfecto & comite conſiſtoriano eligitur a decano & capitulo 1441. confirmatus eodem anno die 17. Maii ab Henrico d'Avaugour archiepiſcopo Bituricenſi & primate [a], ad quem acceſſerat omiſſo Petro archiep. Burdegalenſi. Campanam majorem ſuis impenſis fecit, ac dynaſtiam de Harcourt, aliave feoda epiſcopatui acquiſivit a Carolo Andegavenſi Cenomanorum comite, conceſſis compenſationis loco dominiis de Turejo, & S. Chriſtophori de Faia.

1441.

a

JOUVENEL

LXXXI. JACOBUS.

Jacobus Juvenalis de Urſinis, [b] Johannis baronis de Trainel in Campania tertius [c] filius & Michaëlidis de Vitry, ex archidiacono Pariſienſi & præſide in camera computorum Pariſ. pro quo ſuſcepto officio ſacramentum præſtitit die 12. Novembris an. 1444. eodem anno promotus eſt ad archiepiſcopatum Remenſem, quo abdicato in gratiam fratris ſui Johannis, factus eſt adminiſtrator Pictavienſis epiſcopatus die 5. Nov. & ſecundum Joſephum Anthelmum, Forojulienſis anno 1449.

1449.

b

c

[a] Idcirco Guillelmus electus ad Bituricenſem primatum confugit pro confirmatione ſuæ electionis, non ad Burdigalenſem archiepiſcopum, quod *attentis viarum periculis, inimicorum incurſibus, maris inundationibus & guerrarum infeſtibus patriam Burdigalenſem . . . . . affligentibus*, tutum non eſſet archiepiſcopalem hanc ſedem adire. Ex archiv. Bituric.

[b] Notatur in hiſt. cancellariorum Franciæ, auctore patre Anſelmo Auguſtiniano diſcalceato, edita a V. clariſ. D. du Fourny, cognomen des Urſins a Johanne Jouvenel patre noſtri epiſcopi aſſumtum cum ſtemmate gentis de Urſinis, ob hoſpitium de Urſinis, *l'hôtel des Urſins*, ei datum in urbe Pariſienſi ob præfecturam urbanam ab eo geſtam fortiter adverſus optimates qui cives opprimebant. Fuerat enim præfectus urbis, *Prevôt des marchands* an. 1338.

[c] In tranſactione facta die 8. Februar. anno 1445. inter Michaëlidem de Vitry matrem & quatuor ejus filios ex una parte, ac Carolum d'Albret comitem Drocenſem ex altera, hi filii ſic enumerantur : Johannes epiſcopus & dux Laudunenſis, Guillelmus Franciæ cancellarius, Jacobus archiep. & dux Remenſis, & Michaël. Ex tabulario Patenſi, litt. O. *vieux Albret.* Sexdecim fuerunt Johannis Jouvenel liberi, quorum aliqui in infantia mortui ſunt, unde non mirum irrepſiſſe aliquam diverſitatem in illis numerandis.

Digitized by Google

ornatus præterea titulo patriarchæ Antiocheni, pro quo accepit pallium die 27. Aprilis.

ANNI CHRISTI

Admiſit vero hominium Johannis Rupis-cavardi domini Mortui-maris & Vivonæ 17. Septemb. 1456. ex archivis hujus domus; deceſſit 12. Martii anni prædicti, ſepultus Auguſtoriti Pictonum in cathedrali juxta majus altare. De eo hæc verba in tabulis Cartuſianorum Pariſienſium, apud quos conſecravit capellam SS. Virginis & S. Blaſii: *Pridie idus Octobris reverendiſſimus in Chriſto pater & dominus D. Jacobus miſeratione divina patriarcha Antiochenus, epiſcopus Pictavienſis, dedit in puram eleemoſynam nobis pro fundatione unius anniverſarii perpetui in vita, & in morte, ſummam c. ſcutorum novorum auri, de cugno domini noſtri Regis, & multa alia bona fecit nobis & fieri procuravit.* Habet anniverſarium 13. Octobris in eccleſia Bituricenſi. Fuit etiam prior S. Martini a Campis Pariſienſis, cui, ut in eo prioratu, ſic in hoc epiſcopatu ex nonnullorum ſententia perperam ſucceſſor datur Johannes de Montalambert nobilis Picto, poſtea Montalbanenſis epiſcopus. Pro exſtinguendo ſchiſmate multum laboravit, ut liquet ex ipſius litteris quæ exſtant tom. IV. Spicil. p. 345. & 346. in quibus ſe ſe epiſcopum Pictavienſem dicit & patriarcham Antiochenum.

Sammarth.

GUERINET

LXXXII. LEO, ſeu LEONETUS.

Leo Guerinet Pictavienſis, Johannis & Perettæ Graſſeteau filius, ſororem habuit Perettam uxorem Johannis Pagani domini de la Fougereuſe, unde male a quibuſdam noſter hic præſul appellatur Leo Pagani. Is ex canonico & decano Pictavienſi, necnon conſiliario parlamenti Pariſienſis, a capitulo patriæ declaratur antiſtes [a] 1457. quo anno die 27. Novemb. feſtiva pompa urbem invectus eſt. An. 1458. Leo epiſcopus Pictav. notatur in charta fratrum Prædicat. Pictav. data die 30. Decembris. At Johannes Bellaius a Carolo VII. rege hujus eccleſiæ deſignatus præſul, cathedræ regimen aſſumſit, ſub onere tamen annuæ penſionis Leoni ſolvendæ, cum interim iſte apud caſtrum de Rupepoſca in Pictonibus ſe recepiſſet, ubi domicilium fixit, inde ad epiſcopatum Forojulienſem in Provincia traductus circa an. 1461. Legendus Quercetanus lib. 4. hiſt. Caſtaneorum cap. 9. In codice *Galterii* Guillelmus Querinelli dicitur, at Leonem vocatum fuiſſe hunc præſulem probant quædam chartæ, quas vidit noſter D. Edmundus Martenne. Una exſtat in monaſterio Nantolii, eſtque anni 1461. quo proinde anno adhuc erat Pictavienſis epiſcopus, aut pro epiſcopo habebatur. De eo locuti ſumus in Forojulienſibus epiſcopis.

[a] 1457.

[a] Ex inſtrumento publico prolato in gratiam primatus Bituricenſis, datoque die antepenultima menſis Julii anno 1457. intelligimus archiepiſcopum Burdigalenſem rogatum fuiſſe a Leoneto Guerinet electo, & a procuratore capituli Pictav. ut electionem factam confirmaret, quod recuſavit archiepiſcopus, quia *in ſuis ſcripturis iidem electus & Tripaudi*, procurator, *non dicebant aut declarabant ipſum dom. archiepiſcopum Burdigalenſem fuiſſe Aquitaniæ primatem.* Conſenſit vero Leonetus archiepiſcopo titulum primatis dare: ea tamen ratione ut ſemper liceat ab archiepiſcopo Burdig. appellare ad Bituricenſem. Ex eodem inſtrumento patet quemdam Johannem de Vaux tunc cum Leoneto de epiſcopatu decertaſſe.

LXXXIII. JOHANNES VI.

ANNI CHRISTI DU BELLAY.

Johannes du Bellay monachus & abbas S. Florentii Salmurienſis, vetuſta æque ac nobili Bellayorum ſtirpe in Andibus, Hugone hujus nominis IX. Bellaii toparcha, & Elizabetha de Montigny parentibus ſatus, cum ſub magiſterio Johannis Bellaii ſenioris in Salmurienſi monaſterio regulam Benedictinam profeſſus fuiſſet, ei ſucceſſit in abbatiæ regimine an. 1434. dein effectus epiſcopus Forojulienſis 1455. defuncto an. 1461. epiſcopatum Pictavienſem conſequitur. Urbem ingreſſus eſt menſe Julio 1462. Eam autem eccleſiam adminiſtravit uſque ad an. 1479. quo demum deceſſit 3. Septembris, in abbatia S. Florentii ſepultus juxta altare dominicum a latere epiſtolæ. Gentilis fuit clariſſimi cardinalis Johannis Bellaii, de quo conſule Pariſienſes epiſcopos & indicem abbatum Salmurienſium. Porro hujus epiſcopi vicarii generales in ſpiritualibus ac temporalibus, viſitationem facientes in monaſterio B. Mariæ de Cella, decreverunt ut plures ibi ſollemnitates agerentur, quarum quædam peculiares hic nominandæ videntur: Die 18. Martii, S. Gabrielis archangeli: menſe Julio, S. Joſephi juſti: in craſtino, B. M. Magdalenæ: & B. Marthæ: menſe Septemb. Præſentatio B. Mariæ in templo, duplex quartum magnum cum octava: menſe Octob. S. Demetrii, & S. Waldræ: item SS. Mariæ Jacobi & Salome ſororum B. Mariæ cum octava: menſe Novemb. Purificatio B. Annæ: menſe Decemb. Conceptio B. Mariæ cum octava..... Datum 25. Julii 1477.

1461.

DE CLUGNY.

LXXXIV. GUILLELMUS VI.

Guillelmus de Clugny [a] vel de Dugny, ut legit vir clariſ. D. du Fourny, in recenſione chartarum tabularii Lotharingiæ, ubi quædam de noſtro leguntur Guillelmo, gente nobilis Burgundus erat, e pago Æduenſi, Henrico dynaſta de Conforgien & Perreneta de Chalonge domina de Raigni matre oriundus, & frater Ferrici cardinalis. Ex libellorum magiſtro Caroli ducis Burgundiæ, canonicus, officialis & archidiaconus Avalonenſis in eccleſia Æduenſi, ſedis apoſtolicæ protonotarius evaſit: item præpoſitus Bethunæ & S. Leonardi Leodienſis; tandemque Tarvanenſis epiſcopus, ut diſerte docet Philippus de Comines ſcriptor coævus commentariorum l. v. c. 17. quo tempore flagrante bello inter Ludovicum regem XI. & ducem Burgundiæ alioſque principes, pro principibus fœderatis tranſmiſit in Angliam ad Eduardum regem miſſus orator. Defuncto duce prædicto, per Ludovicum XI. ingeniorum ſolertiſſimum indagatorem allectus in Franciam, opimis donatur ſacerdotiis, Regiſque patrocinio Pictavienſem epiſcopatum obtinuit, eoque nomine 1479. die 3. Januarii miſſus eſt cum Jacobo de Bello-monte domino de Bercorio, Regis cambellano, ac Pictavienſium, Andium, Santonumque prorege, ut paciſcerentur cum Johanne de Brocia Pentevriæ comite, & Nicolea Britannica uxore, de cedendo jure, ipſis com-

[a]

[a] Apud Philippum de Comines l. 5. c. 17. legitur *de Clugny*. In veteri editione an. 1529. quæ non dividitur in libros & capitula, *de Cluny*.

petente

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

petente in ducatu Aremoricæ, contra Franciſcum II. ducem. Inſequenti anno cum Petro de Auriola Franciæ cancellario, & Johanne epiſcopo Maſſilienſi, legato Renati Siciliæ regis, Ludovici XI. nomine tractavit de hominio exhibendo Regi per Renatum, pro ducatu Barrenſi, cujus acta habentur in archivis theſauri regii. Fuit legatus regis Chriſtianiſſimi, cum Guillelmo Picart baillivo Rotomag. ad occupandum hunc Barrenſem ducatum. At cum ob alia negotia non poſſent diutius hac defungi provincia, litteris ſuis datis Barri 14. Aug. 1480. eam reliquerunt Ludovico du Pont centum virorum lancea armatorum duci, ac toparchis de Boſredon & de Livron, uti docent authenticæ litteræ aſſervatæ in tabul. Lotharingiæ. Legimus parvi ſigilli cuſtodiam, Ludovico XI. regnante, fuiſſe demandatam huic antiſtiti; qui dicitur ex hac vita migraſſe in Turonibus circa ann. 1480. quod contingere non potuit ante diem 14. menſis Auguſti, quando habentur, ut jam diximus, ejus litteræ hoc ipſo die datæ.

Vide hiſt. cancellar. Franciæ, p. 519.

Leyette-Bar. feſt & desenb. 2

D'AMBOISE.

LXXXV. PETRUS V.

Petrus de Ambaſia, Petri domini de Chaumont ſuper Ligerim, & Annæ de Bueil filius, celeberrimi Georgii cardinalis frater, prius monachus & abbas S. Jovini de Marnis, electus Pictav. dicitur an. 1481. 1481. die 21. Novembris, in regiſtro Vaticani. Hic præſul annis 1489. & 1493. legitur in chartis S. Jovini de Marnis. An. 1502. decano & canonicis collegiatæ eccleſiæ de Champigny ſuper Veudam, quam pontif. Alexander VI. rogante Ludov. Borbonio regii ſanguinis principe, domino Rupis ad Oyonam, privilegiis ornarat, conceſſum eſt quod eidem decano uti epiſcopalibus inſigniis liceret, quemadmodum liquet ex actis ſenatus Pariſienſis. Anno eodem die 20. Januarii nominatur exſecutor & curator teſtamenti Johannis a Podio equitis, domini du Coudray. Vitam finivit Bleſis an. 1505. die 1. Septemb. jacet in capella caſtri epiſcopalis de Diſſay, quod conſtruxerat, ubi hoc epitaphium viſitur:

Exiguo clauſtro vitæ dilector honeſtæ,
Hujus ſarcophagi pulvere, Petre, jaces.
Cui generoſa dedit ortus Ambaſia claros
Stirps, pater abbatem teque Jovinus ait.
Urbis Pictavicæ moderamina præſul agebas;
Dormis cum patribus pulvis & oſſa, Petre.
Annis millenis quingentis quinque locatur,
Prima Septembris mors tibi vita fuit.

Reliquit duos liberos, ex quibus Renatus fuit abbas ſancti Cypriani, ex hiſtoria mareſcallorum Franciæ patris Anſelmi Auguſtiniani diſcalceati, novis curis edita & emendata a viro doctiſſimo domino du Fourny.

DE LA TREMOILLE

LXXXVI. JOHANNES VII.

Cum jam egerimus de Johanne Tremolio cardinali Auſcienſes inter archiepiſcopos, pauca de ipſo ſuperſunt dicenda. Poſt obitum Petri de Ambaſia conſobrini ſui (matrem enim habuit Margaritam de Ambaſia) ipſi ſuffectus eſt an. 1505. ſub 1505. 1507. titulo adminiſtrationis perpetuæ, & poſt biennium obiit Mediolani. Inde vero corpus ejus delatum eſt ad eccleſiam collegiatam caſtri Thoarcenſis, ubi ſpectatur ejus tumulus, legiturque epitaphium quod in Auſcienſibus dedimus archiepiſcopis.

ANNI CHRISTI

DE HUSSON.

LXXXVII. CLAUDIUS I.

Claudius de Huſſon ex comitibus Tornodori, unde aliquando legitur Claudius de Tonnerre, parentes habuit Carolum comitem Tornodorenſem, Huſſonii & S. Aniani dominum, & Antonietam Tremoliam. Cum jam potiretur epiſcopatu Sagienſi, poſtulatus eſt pro epiſcopatu Pictavienſi in locum avunculi demortui. At quorumdam canonicorum ſuffragiis Florentius d'Allemagne electus eſt, cum quo Claudius aliquot annis decertavit; ſed ipſo exſtincto an. 1510. pacificam ſedis ſuæ obti- 1510. nuit poſſeſſionem, quam uſque ad mortem, quæ 1511. an. 1521. contigit, retinuit.

D'ALLEMAGNE.

LXXXVIII. FLORENTIUS.

Florentius d'Allemagne abbas commendatarius S. Sabini ſeu Savini apud Pictones, præpoſitus & canonicus Pictavienſis eccleſiæ, a parte non ſpernenda capituli electus eſt in epiſcopum poſt Johannis Tremolii mortem, aliis canonicis Claudium de Huſſonio poſtulantibus. Buchetus qui ipſius meminit parte 4. Annalium Aquitaniæ, vocat eum virum probum. Mortuus eſt anno 1510. dum litem proſequeretur pro epiſcopatu, coram ſenatu illo percelebri, quem magnum vocamus conſilium.

DE HUSSON.

LXXXIX. LUDOVICUS III.

Ludovicus de Huſſon comes Tornodorenſis, patrui in epiſcopatu ſucceſſor deſignatus eſt 1521. 1521. vix annos octodecim natus, patre Ludovico Tornodori comite, & Franciſca de Rohano matre, Franciſci archiepiſcopi & primatis Lugdunenſis nepte. Qui cum bullis rite expeditis hunc epiſcopatum obtinuiſſet uſque ad annum ætatis circiter 30. ei renuntiavit in favorem Gabriëlis cardinalis de Acro-monte, priuſquam munus unctionis ſuſcepiſſet. Interfuerat autem anno 1522. ſolemni 1522. pompæ ingreſſus Johannis Aurelianenſis Toloſani præſulis. Cum vero foret tantum ſubdiaconus diſpenſatur ut matrimonium contrahat ad dignitatem domus tuendam, Claudio ejus fratre natu majore in Ticinenſi prælio interemto an. 1525. quippe 1525. rex Franciſcus I. Autiſſiodorenſi epiſcopo oratori ſuo dedit in mandatis, ut hanc diſpenſationem impetraret a ſummo pontifice, litteris datis 21. Junii 1532. At quinquennio elapſo in caſtris regiis Avenione interiit 1537. cujus meminit cum laude Buchetus in Annalibus Aquitaniæ. Tempore Ludovici Johannes Latomus epiſcopus Ebronenſis fuit Pictavienſis ſuffraganeus, hoc eſt vice titularis epiſcopi pontificalia obivit munia; de quo in epiſcopis Lucionenſibus.

DE GRAMONT

XC. GABRIEL.

Jam non ſemel de nobiliſſima Acromontanorum gente locuti ſumus, aut etiam de Gabriele noſtro cardinale dicto S. Cæciliæ, quippe qui fuerit Conſoranenſis, Tarbeienſiſque poſtea epiſcopus, demumque Burdigalenſis metropolita. Quod ad

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

Pictavienſem ſpectat ſedem, lego eum ipſius iniiſſe poſſeſſionem die 26. Martii an. 1532. Denique tranſlatus eſt ad archiepiſcopatum Toloſan. quem non diu obtinuit, morte præventus an. 1534.

De Longuy.

XCI. Claudius II.

Claudius de Longuy cardinalis dictus de Givry, Philippi domini de Givry & Johannæ de Baufremont natus, deſignatur epiſcopus Pictavienſis a Franciſco I. rege Chriſtianiſſimo; ingreſſuſque eſt urbem ſolemniter an. 1541. Fuit etiam epiſcopus Lingonenſis, priuſque adminiſtraverat eccleſiam Petracoricenſem. In codice *Galteri* de hoc epiſcopo legitur: *Claudius de Longui cardinalis, Pictav. epiſcopus ac Lingonenſis & par Franciæ, cujus fuit ſuffraganeus epiſcopus & vicarius generalis R.P.D. Bartholomæus Bodin* * *ex oppido de Thenezayo*, * *ejuſdem diœceſis Pictav. oriundus, utriuſque juris doctor, ejuſdem Pictavienſis eccleſiæ ac S. Hilarii majoris ac S. Martini Turon. canonicus, qui obiit an. 1551.*

* Urdin. apud J. Besly
* ibidem de Chenezaio.

In hiſtoria genealogica & chronologica regiæ domus & majorum Franciæ miniſtrorum, auctore patre Anſelmo Auguſtiniano diſcalceato, quam auxit, emendavit & illuſtravit D. du Fourny, ediditque anno 1712. tomo 2. cap. 16. de magnis Franciæ pincernis pag. 1345. inter liberos Caroli de Luxembourg comitis de Brienne, orti ex Walerano de Luxemburgo, comite de S. Pol, magno Regis pincerna, recenſetur Claudius Pictavienſis epiſcopus frater Johannis epiſcopi Appamiarum, poſtea Laudunenſis. Utriuſque mater fuit Carola d'Eſtouteville. Verum doctus ſcriptor nulla profert documenta, quibus probetur Claudium hunc eccleſiæ Pictavienſi præfuiſſe. Certe in catalogis nulla ipſius exſtant veſtigia; nec tempus ipſius epiſcopatus ab auctore deſignatur; poteſt tamen ipſi inveniri locus poſt Claudium de Longuy.

D'Amoncourt.

XCII. Johannes VII.

Johannes d'Amoncourt nobilis Burgundus, filius toparchæ Montiniaci ſuper Albam, legum doctor appellatur in litteris Regis ad papam, datis die 22. Decembris anni 1532. quibus pro abbatia Longivadi Johanni conferenda ſupplicabat. Idem Johannes major erat archidiaconus Lingonenſis, vicarius generalis Claudii de Longuy epiſcopi, cujus modo meminimus, affinis ſui; priorque ſanctorum Geminorum, quando aſſumtus eſt ad regendam eccleſiam Pictavienſem, deſignatus per Henrici regis II. ſchedulam. Urbem ſolita pompa ingreſſus eſt die 25. Auguſti an. 1555.

Sammarth. 1555.

Sub hoc pontifice ſatis conceſſit anno 1558. Salmonius Macrinus, qui Juliodunum olim Lauſdunum Pictonum urbem non ſpernendam patriam ſuam illuſtravit; fuit enim poëta celebris, in Lyricis ſecundum Horatium princeps, Franciſco I. regi acceptus; cujus elogium ſcripſit Scævola Sammarthanus.

De Peirusse d'Escars.

XCIII. Carolus.

Carolus de Peiruſſe d'Eſcars, Jacobo de Peruſſio domino d'Eſcars & Anna a Jordano de Inſula parentibus ortus eſt, fraterque primogenitus fuit Annæ cardinalis epiſcopi Lexovienſis. Sedebat in Pictavienſi cathedra an. 1564. Multa acquiſivit a Navarræ regina pro quinquaginta librarum pretio, ex inſtrumento dato die 3. Junii an. 1566. quod in tabulario Palenſi aſſervatur. Poſtea fuit epiſcopus & dux Lingonenſis. De eo jam locuti ſumus in abbatibus Galliaci; quam abbatiam diu habuit.

ANNI CHRISTI 1564.

Litt. F. a. 155.

De Fay

XCIV. Johannes IX.

Floruit in Vivarienſi pago nobilis gens de Fay, ex qua Antonius Dominus de Peraut, & Franciſca de Suze ejus conjux in lucem ſuſceperunt Johannem de Fay Pictav. epiſc. anno 1568. qui mortuus notatur anno 1578. Patruus fuit Antonii de Fay Ucetienſis epiſcopi. In cœnobio Beſuenſi legitur hoc epitaphium: *Cy giſſent nobles Jehan de Fay évéſque de Poitiers & Jehan de Chapteul, dit de Bonneville, grand vicaire de ceans & prieur de Trechatel, lequel de Fay mourut le 5. Novembre..... le 2. Juillet 1595. Requieſcant in pace. Amen.* Forte ibidem ſepultus eſt ob Johannem de Fay abb. Beſuenſem, de quo in abbatibus Beſuenſibus.

1568. 1578.

De Peirusse d'Escars.

XCV. Carolus.

Carolus d'Eſcars poſt obitum Johannis iterum eandem ſedem obtinuit, ac paulopoſt Godefrido ceſſit.

De S. Belin.

XCVI. Godefridus.

Godefridus de S. Belin abbas S. Savini, patria Campanus, nobilibus parentibus natus eſt, Johanne ſcilicet de S. Belin Domino de Tivet, & Carlota de la Riviere Chanleni, germanus vero Gabrielis abbatis Morimondi. Interfuit concilio provinciali Burdegalenſi 1582. & prout ſtatutum fuerat anno 1607. indixit omnibus ſuæ diœceſis eccleſiaſticis viris, ut divinum officium celebrarent ſecundum ritum Romanum. Obtinuit cum capitulo a monachis S. Dionyſii prope Pariſios partem ſyncipitis S. Hilarii. Eodem pontifice anno 1594. Pictavienſes qui ab Henrico legitimo rege defeceſſerant ad fœderatos, ad debitum obſequium redire decreverunt ſagacitate & prudentia Scævolæ Sammarthani, ut notat præſes Thuanus hiſt. lib. 109. *Eodem menſe*, inquit, *Pictavienſes cum Rege reconciliati ſunt ampliſſimis conditionibus, quæ & civitatem & privatos reſpiciebant, interventu præcipue Scævolæ Sammarthani Franciæ quæſtoris, viri optimi, & præter inſignem eruditionem, & in pangendis verſibus felicitatem, rerum agendarum expertiſſimi, qui quam ab Henoticorum * partibus alienus, tam eis addictum initio Ludovicum fratrem habuerat, Regis beneficio tunc ob egregiam in ea recepta navatam operam prætorem urbis creatum. Ii a Pictavienſibus delegati Laodunum, quod Rex obſidione cingebat, venerunt, ut concivium nomine fidei ſacramentum præſtarent, magna Regis gratulatione excepti, qui tam longe tunc a ſe diſſitam urbem primariam ad obſequium rediiſſe admodum lætabatur.* Eadem fere habet de Scævola Sammarthano Henricus Cather. d'Avila bellorum civilium in Francia ſcriptor accuratus.

1582. 1594.

* les Ligueurs.

Ceterum Godefridus de S. Belin patres Capu-

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

cinos in urbe Pictavienſi admiſit, quibus conceſſit parochialem eccleſiam S. Gregorii, tranſlatis parochianis ad eccleſiam S. Porcharii, ut nos docent litteræ ejus autographæ, quæ aſſervantur in tabulario monialium SS. Trinitatis ubi eas legimus. Denique iidem Franciſcani habent conventus in variis diœceſis urbibus: apud Caſtrum Airaldi, Juliodunum, Niortum, Fanum S. Maxentii, Partheniacum, Thoarcium, Ruffecum, Metulum,
1611. *Meſle*, Cyvrayum. Vita functus eſt anno 1611. die 21. Novembris poſt ſedem annorum 35.

CHASTEIGNER DE LA ROCHE-POZAY.

XCVII. HENRICUS-LUDOVICUS.

Henricus Ludovicus Chaſteigner de la Roche-Poſay, abbas S. Petri de Cultura Cenomanenſi, B. Cypriani Pictavienſis, S. Sigiranni in Brena, & Nantolii in Valle; patria Italus, ac Tybure prope Romam natus, ſed Gallus origine vetuſta nobilitate Caſtaneorum in Pictonibus, patre Ludovico dynaſta Abennii & Rochæ-pozaii, barone de Pruliaco & de Malval, torquato S. Spiritus equite, & in utraque Marchia Lemovicina prorege, matre Claudia Puteana ex baronibus Bellæ-fayæ, editus eſt in lucem 6. die Septembris anno 1577. dum parens ejus vir illuſtris, ac ſuæ gentis decus ſingulare, pro Chriſtianiſſimo rege Henrico III. legationem obiret apud Gregorium papam XIII. C & Gallici imperii dignitatem adverſus Iberos in aula Romana laudatiſſime ſuſtineret. Atque hic Henricus Ludovicus noſter Aloyſium cardinalem Eſtenſem, & Eleonoram ſororem ſuſceptores habuit e luſtralibus undis baptiſmi; quibus propenſo erga potentiſſimum Regem prædictum animi documento, placuit Henrici nomen ante Ludovicum imponere. Adoleſcens humaniores & optimas litteras edoctus a ſummo præceptore Joſepho Scaligero, ſui ſeculi ſine controverſia doctiſſimo, non modo eas excoluit, ſed & philoſophiam ac ſacræ theologiæ haud mediocrem cognitionem adjecit. D Ille autem cum eſſet inter germanos felici partu ſeptimus natu, eccleſiaſticæ militiæ nomen dedit; ac primum quidem Romæ 1596. tonſura clericali, & quatuor minoribus ordinibus a Claudio Sozomeno epiſcopo Polenſi in Iſtria, dein Lutetiæ ab Henrico Gondio antiſtite, poſtea cardinali Radeſio, charactere ſacerdotali conſecratur. Italia reverſus, non vulgarem de ſe opinionem excitarat, cum a magnanimo rege Henrico IV. deſtinatur ſucceſſor Godefridi, coadjutoris titulo; eodemque ſublato e vivis, Ludovici XIII. regia ſchedula nominatus eſt anno 1611. ac demum munus unctionis epiſcopalis excepit apud Fulienſes Pari- E
1612. ſiis die 13. Maii 1612. miniſterio Johannis Bonſii cardinalis, Biterrenſis epiſcopi, adſiſtentibus Gabriele de Albaſpina Aurelianenſi, & Armando Johanne Pleſſeio epiſcopo Lucionenſi, poſtea cardinali Richelio: urbem ſuam feſtiva inaugurationis pompa ingreſſus menſe Junio ſequenti. Poſthæc vero adfuit conventui Notabilium Rotomagenſi 1617. & ſynodo provinciali Burdegalenſi præſide Franciſco cardinali Surdiſio metro-
1628. polita, denique comitiis cleri Gallicani 1628. Eo interim ſedente Fulienſes admittuntur in urbem regio diplomate dato anno 1616. Cum Antonie-

A ta Aurelianenſis præmatura morte fatis concedens anno 1618. Fulientinas apud Auguſtoritum inſtituere meditaretur, re infecta, earum loco moniales de Calvario ſtabilitæ ſunt, quarum examen Juliodunum acceſſit anno 1624. (anno vero 1652. die 4. Aug. earum eccleſiam dedicavit Vaſatenſis epiſcop.) item virgines Viſitationis 1633. fundatrice Gabrieli Caſtanea epiſcopi ſorore: Urſulanæ, filiæ noſtræ Dominæ, S. Catharinæ Senenſis ſorores, virgines Carmelitæ, & fratres Caritatis. Apud Niortum fundantur Benedictinæ ſitteris noſtri epiſcopi anno 1625. & anno 1629. inducuntur in poſſeſſionem monaſterii dicti SS. B Trinitatis, quod hæ moniales ex abbatia SS. Trinitatis Pictav. prodierint. Eodem anno apud Fanum S. Maxentii moniales Fontebraldenſes prioratus Giraudenſis, vulgo *Lencloiſtre*, cœnobium condiderunt cum licentia tum illuſtriſſimi epiſcopi, tum ſereniſſimæ principiſſæ Ludovicæ de Bourbon abbatiſſæ Fontebraldi, ex utriuſque litteris, epiſcopi videlicet datis 10. Julii an. 1629. abbatiſſæ autem die 8. Auguſti ejuſdem anni. Thoarcii habitare cœperunt Capucini an. 1621. Urſulanæ 1632. moniales S. Claræ anno 1652. Anno 1624. ſtabiliuntur Urſulanæ apud Partiniacum juxta eccleſiam parochialem B. Mariæ de la *Couldre*, quam eis conceſſit epiſcopus Pictavienſis, favente domino de Longueville Partiniaci gubernatore. Hæc autem eccleſia antiquiſſima eſt, & in ea S. Bernardus abbas Claræ vallis convertit Guillelmum comitem, ut refert in ejus vita Alanus epiſcopus Altiſſiodor. cap. 21. quod notatu dignum videtur. Sedente eodem epiſcopo venerabilis ſoror Johanna du Moulin Divionenſis, ordinis S. Dominici, ſine fundo inſtituit conventum monialium ſui ordinis ſtrictioris obſervantiæ die 5. Aug. 1628. quibus deinde conceſſa fuit S. Magdalenæ capella, abbatiæ S. Hilarii ſubjacens. Huic naſcenti parthenoni favebant imprimis abbatiſſæ S. Crucis, & SS. Trinitatis.

Præterea Henrici cura & opera, multi ſectariorum quibus Pictonum regio ſcatebat, catholicam fidem profeſſi ſunt. Multa conſcripſit ingenii ſui monumenta: diſtinctionum ſcilicet theologicarum & philoſophicarum ſynopſim: Exercitationes in varios ſacræ Scripturæ libros: Diſſertationes ethicopoliticas: Nomenclaturam illuſtrium cardinalium qui ab anno Chriſti milleſimo quidpiam commentati ſunt: ac libellum de litaniis Pictonicis, ſeu ſanctorum, qui vel ortu, vel incolatu Pictonum oram nobilitarunt. Cum autem ſtudio quietioris vitæ in Diſſæo epiſcopalis ditionis amæno caſtro demoraretur jam factus ſenex, apoplexia interiit die 30. Julii anno 1651. Ejus cineres non 1651.
obtinuit cathedralis B. Petri, ubi olim ſepulcro apud facellum B. Andreæ juſſerat apponi hoc epitaphium: *Henricus-Ludovicus Caſtaneus de la Rochepozay, epiſcopus Pictavienſis, ad impetrandam Dei miſericordiam, quotidie miſſam in hoc B. Andreæ ſacello perenni religione celebrandam inſtituit, ſibique vivens hoc monumentum præſtruxit, anno Chriſti 1635. ætatis ſuæ 58.* Itaque ſepultura donatur in eccleſia caſtri gentilitii de Rocha-pozaii.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI BARBERIN

XCVIII. Antonius.

Antonius Barberin S. Romanæ Eccleſiæ cardin. & camerarius, archipresbyter B. Mariæ-Majoris, major Franciæ eleemoſynarius, regiorum ordinum præceptor, abbas Trium-fontium prope Romam, Sublaci, Nonantulæ, & Uticenſis monaſterii, alias S. Ebrulfi in Normannia, Romanus erat, ſed nobili proſapia Florentina oriundus, quam Ughellus ait, *vetuſtam per plura ſecula in ea Republica ſapientum fortiumque virorum ubique & ſemper fœtam enituiſſe.* Hic filius fuit ſecundo genitus Caroli Barberini ducis de Monte-rotundo, fratris Urbani papæ VIII. Conſtantiæque Magalotti; germanos habuit Franciſcum cardinalem Barberinum tit. S. Laurentii in Damaſo, Romanæ Eccleſiæ vicecancellarium ac bibliothecarium, epiſcopum Portuenſem, ſacrique collegii decanum; & Thadæum principem Prænestinum *, Urbis præfectum, ac Romanæ Eccleſiæ gubernatorem generalem. A patruo autem Urbano VIII. Jeroſolymitanæ militiæ deſtinatus, prior & major crucifer Melitenſis creatur: ſed cum ſummi pontificis gratiam ſibi conciliaſſet, ab eo ad Romanæ purpuræ faſtigium evehitur anno 1627. * Idem aliis Eccleſiæ ſummis muneribus inſignitus, nempe legatione Avenion. an. 1633. camerarii S. Eccleſiæ dignitate 1638. dein generalis Romanæ Eccleſiæ præfectus renuntiatus an. 1641. in Romaniæ, Bononiæ & Ferrariæ provinciis, eccleſiaſticas ditiones ſtudiis militaribus ac bellicis conſiliis cum ſumma prudentiæ ac vigilantiæ laude propugnavit, & apud populos magnam conſecutus eſt gratiam ſub patruo ſuo Urbano papa. Negotiorum molem in aula Romana ſuſtinuit, & per plures annos rerum Gallicarum patronus & protector fuit. Demum Ludovicus XIV. eum in Galliis (quo confugerat, ut ſe ſubtraheret Innocentii papæ X. iræ, qui gentem Barberinam exagitabat) degentem renuntiavit epiſcopum Pictavienſem, demortuo Henrico-Ludovico Caſtaneo, regia ſcheda anni 1652. die 16. Aug. bullas tamen a ſummo pontifice obtinere non potuit. Paulo poſt ſuprema magni Franciæ eleemoſynarii, & regiorum ordinum commendatoris dignitate cohoneſtatus per obitum cardinalis Lugdunenſis, de ea ſacramentum præſtat Lutetiæ 28. Aprilis 1653. Interfuit Romæ eccleſiaſticis comitiis quibus creati pontifices Innocentius X. 1644. & Alexander VII. an. 1655. An. 1657. fuit deſignatus archiepiſcopus Remenſis. An. 1648. moniales Carmelitæ inſtituti S. Tereſiæ, congregationis Gallicanæ, Niorti recipiuntur, profectæ ex primario conventu Pariſienſi via Jacobæa an. 1651. Benedictinæ aſſumtæ ex parthenone S. Auſonii Engoliſmenſis Auguſtoriti ſtabiliuntur litteris regiis.

* de Paleſtrina.

*1628.

1652.

DE CLERAMBAUT

XCIX. Gilbertus III.

Tranſlato ad metropolim Remenſem Antonio, deſignatus eſt Pictavorum epiſcopus an. 1657. regia ſchedula Gilbertus de Clerambaut de Palluau, Jacobi filius, & Ludovicæ Rigaud; qui Philippum fratrem habuit Franciæ mareſcallum. Cum foret presbyter diœceſis Lucionenſis, & in jure canonico doctor, bullas pro epiſcopatu Pictavienſi obtinuit ab Alexandro VII. datas calend. Aprilis an. 1658. in quibus notatur ſedem tunc vacaſſe per obitum Henrici Ludovici. Neque enim ſummus pontifex Antonium Barberinum qui abſque litteris pontificiis hoc potitus erat nuper epiſcopatu, pro legitimo habebat epiſcopo. Unctus & conſecratus eſt in epiſcopum die 21. Julii ejuſdem anni in eccleſia Jeſuitarum vici S. Antonii, ab epiſcopo Carnotenſi, aſſiſtentibus & collaborantibus epiſcopis S. Pauli Tricaſtinenſis, & S. Pontii Tomeriarum. Ex more ſacramentum Regi præſtitit die 13. Septemb. Poſſeſſionem adiit per procuratorem die 4. Nov. & præſens die 15. Martii 1659. Vixit uſque ad diem 3. Januarii an. 1680. Multis ditatus fuerat abbatiis: Maurimonte diœceſis Catalaunenſis ordinis S. Benedicti: Loco-Dei in Jardo diœceſis Lucionenſis, ord. Præmonſtr. Brolio-Erbaudi ejuſdem diœceſis, ord. S. Benedicti: Caladia, ord. Ciſtercienſis in diœceſi Virdunenſi: & Liquenſi, ord. Præmonſtr. diœceſis Bolonienſis.

ANNI CHRISTI 1658.

1659.

FORTIN DE LA HOGUETTE

C. Harduinus.

Harduinus Fortin de la Hoguette, filius Philippi, & Ludovicæ de Perefixe ſororis Harduini de Perefixe, a patre ſuo liberalem educationem accepit, cui ducis Longavillani inſtitutio, propter ſingularem prudentiam credita fuerat. Ipſe in libro Gallice ſcripto cui titulus eſt: *Teſtamentum ſeu conſilia optimi patris ad liberos ſuos*, omnes parentes docuit artem recte educandi nobiles pueros. Harduinus fuerat admiſſus in illuſtre collegium canonicorum eccleſiæ Pariſienſis die 29. Octobr. 1665. Poſtea factus eſt archidiaconus * in eadem eccleſia; tum procurator generalis totius cleri Gallicani. Lauream doctoris & ſocii Sorbonici conſecutus eſt die 24. Martii an. 1670. Fuit unctus in epiſcopum Briocenſem die 3. Maii an. 1676. Pariſiis in Sorbonæ oratorio, a Franciſco de Harlay Pariſienſi archiepiſcopo, collaborantibus epiſcopis Cenomanenſi & Maclovienſi; a qua ſede migravit ad Pictavenſem an. 1680. acceptis bullis ab Innocentio papa XI. datis idibus Julii, poſſeſſionemque adiit die 7. Septembr. ejuſdem anni. Anno 1682. die 3. Auguſti ſolemni ritu conſecravit eccleſiam celebris monaſterii S. Maxentii quam jam pridem a Calviniſtis deſtructam aſcetæ Benedictini e congregatione S. Mauri auguſtius reædificaverant. Inde tranſlatus eſt ad archiepiſcopatum Senon. ubi non ita pridem mortuus eſt.

* de Joſa.

1680.

DE QUINÇAY.

CI. Armandus.

Armandus de Quinçay fuit deſignatus regio chirographo epiſcopus Pictavenſis die 13. Nov. an. 1685. ſed anno ſequenti menſe Aprili ſchedulam Regis reddidit, & privatus vivere maluit, quam in epiſcopali faſtigio. Erat abbas S. Leonardi de Ferrariis ordinis S. Benedicti in diœceſi Pictav. de quo in abbatiis hujus diœceſis.

1685.

DE BAGLION DE SAILLANT

CII. Franciscus-Ignatius.

Franciſco-Ignatio de Baglion ortum dedit Aginnenſis urbs, cujus parentes fuere Leonor de

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

Baglion baro de Jons, ordinarius Regis cubicularius, & Franciſca Henry Arturi Henry domini de la Salle menſæ regiæ miniſtri filia, & Dionyſiæ de Bellievre Pomponii Bellevræi Franciæ cancellarii natæ. Cum aliquandiu militiæ operam dediſſet, non ſine laude, in centurionis officio, ingreſſus eſt Oratorii Domini Jeſu congregationem, ubi adeo profecit in ſcientiæ ac pietatis ſtudio, ut provehi meruerit ad præcipuas percelebris hujuſce ſodalitii præfecturas, parumque abfuerit quominus electus ſit præpoſitus generalis. An. 1679. menſe Martio fuerat renuntiatus epiſcopus Trecorenſis, acceperatque unctionem & conſecrationem epiſcopalem Pariſiis die 23. Julii eodem anno, in eccleſia presbyterorum Oratorii vici S. Honorati a
1686. Franciſco Harlæo archiepiſcopo. An. vero 1686. menſe Aprili ad ſedem Pictavenſem vocatus eſt; ſed bullas non obtinuit, niſi poſt aliquot annos; & idcirco tardius Regi ſacramentum præſtitit, ſcilicet die 8. Januarii an. 1694. Animam efflavit
1698. in ſua eccleſia die 26. Januarii an. 1698. annos natus 64. ſepultus eſt in eccleſia cathedrali cum hoc epitaphio:

Hic ſitus eſt DD. Franciſcus-Ignatius
De Baglion de Saillant,
Peruſiæ principum proſapia & regio ſtemmate clarus,
Ex militari præfectura in Oratorii Dom. Jeſu
Familiam adlectus,
A ſuis ſodalibus ſuperior generalis expetitus,
Ludovici magni nuncupatione
Ad Trecorenſem primum, deinde ad Pictavenſem
Epiſcopatum aſſumtus.
In quocumque gradu ſtatuque ſummus
Virtutibus omnibus
Paſtorali imprimis caritate abſolutus
Deo hominibuſque valde dilectus
Obiit Pictavii die Jan. 26.
Anno Domini M. DC. XCVIII.

LENI.

CIII. MATHURINUS.

Mathurinus Leni de Koetlez nobilis Brito, qui fuerat archidiaconus Venetenſis, ſub Carolo de Roſmadec, quem conſanguinitate attingebat, fuit nominatus a Rege Pictavorum epiſcopus poſt Franciſci mortem; ad quam tamen dignitatem non pervenit.

GIRARD.

CIV. ANTONIUS III.

Antonius Girard natione Arvernus, patriam habuit Claromontium, urbem virorum ingenio & eruditione præſtantium feracem. Ex gente togata ortus, avoque prætore generali in ſeneſcallia & curia præſidiali Claromontenſi; cui a Rege Lugduni commorante litteræ comitis conſiſtoriani conceſſæ ſunt, poſtquam ipſum eximia oratione ſalutaſſet. Has litteras inſpeximus; & ideo commemoramus, ut obſtruamus os iis qui commenti ſunt Antonii avum fuiſſe chirurgum.

Is cum in litteris profeciſſet maxime ſacris, an. 1680. menſe Auguſto doctor & ſocius Sorbonicus renuntiatus fuit. Eum elegit Ludovicus rex XIV. in præceptorem liberorum ſuorum, ſcilicet ſereniſſ. principis Ludovici Cæſaris Velocaſſium comitis, &c. Idem Rex chriſtianiſſimus eum nuncupavit Pictavorum epiſcopum menſe Martio an. 1698. Prius deſignatus fuerat ſchedula regia Tullenſis epiſcopus die 24. Decembris an. 1697. & antequam bullis pontificiis munitus eſſet, Pictavienſis. Pro Pictavienſi vero epiſcopatu bullas obtinuit datas Romæ 17. cal. Octobr. eodem anno, & paulo poſt die 19. Octob. conſecratur, moxque Pontelevienſem dimiſit abbatiam. Die 18. Decemb. poſſeſſionem iniit, officium epiſcopale ſuſcepit & exſecutus eſt pietate & zelo incredibili. Cumque eſſet parum firmæ valetudinis, conſummatus eſt in brevi, ſed multa explens tempora. Obiit die 2. Martii an. 1702. ſummo ſui 1702.
gregis luctu. Sepultus eſt in majori eccleſia cum hoc epitaphio quod ipſe ſibi adhuc vivens paraverat ſumma modeſtia:

Antonius Girard epiſcopus Pictavienſis obiit die 8. Martii an. Dom. 1702. ætatis ſuæ 46. pontificatus ſui 4.

DE LA POYPE.

CV. JOHANNES-CLAUDIUS.

Gens nobilis ex qua prodiit Johannes Claudius de la Poype de Vertrieu, multos dedit eccleſiæ Lugdunenſi comites. Ex hujuſce illuſtris eccleſiæ gremio, in qua canonicus & comes erat Johannes Claudius, aſſumtus eſt ad Pictavienſem eccleſiam regendam, Joachimo Trotti de la Chetardie rectore S. Sulpicii Pariſienſis hunc epiſcopatum deprecante. Deſignatus autem fuit a Rege die 15. Apr. 1702. licet renitens; at jubenti Chriſtianiſſimo regi obtemperans, obtinuit bullas datas Romæ 7. cal. Octob. 1702. poſſeſſionemque eſt 1703.
adeptus die 12. Dec. ſequentis, poſt acceptam ſacram unctionem & manuum impoſitionem epiſcopalem in majori ſacello ædium archiepiſcopalium Pariſienſium, ab eminentiſſimo cardinali Noallio, cui collaboraverunt duo fratres epiſcopi, ſcilicet Rejenſis & Maclovienſis, die 12. Novemb.

DECANI PICTAVIENSES.

DECANI dignitas prima eſt capituli Pictavienſis. Eligitur a ſolis canonicis. Confert pleno jure ſubdecanatum, necnon eccleſias beatæ Mariæ-minoris, ſeu *ante Aulam*, S. Simpliciani in urbe, & alias ſex rectorias ſeu parochiales. Per ſe ſine epiſcopo & capitulo ad patronorum præſentationem inſtituit omnes parochiarum urbis ac ſuburbiorum rectores, qui ſunt 26. tribus demtis qui pendent a S. Hilarii-majoris capitulo. Quinetiam abbatiſſæ S. Crucis & SS. Trinitatis, priorque S. Hilarii de Cella Pictavienſi, ab ipſo accipiunt ſuam inſtitutionem. Rectores omnes præfati convenire debent in feſto S. Johannis Evangeliſtæ ad nocturnum officium, & diei horas quæ celebrantur in eccleſia majori; negligentes vero adeſſe, poteſt punire multa libræ unius piperis. Singulis annis duas cogit ſynodos, ad quas etiam venire tenentur hi rectores & paſtores. Confert præterea quinque capellanias, ad quas præſentat S. Crucis abbatiſſa.

DECANORUM INDICULUS.

I. FROFADUS *ſacerdos decanus ſive archidiaconus, ex cœnobio almi Petri Pictavienſis ſenioris eccleſiæ*, reperitur in chartulario S. Cypriani cum Waltario, Viviano, & aliis quatuor, qui ſex nuncupantur *eleemoſynarii jam dicti Frofadi anno XXVII. regnante Karolo rege*. Huic decano primus locus debetur, ſi Carolus rex, cujus anni regni numerantur, fuerit Carolus-Magnus, aut ejus nepos Carolus-Calvus.

II. Maynardus *totius civitatis doctor veridicus, ac mente devotus*, ex charta S. Salvatoris Rotonenſis monaſterii in Armorica, quæ commemorat tranſlationem corporis S. Maxentii e Britannia ad Pictavienſem urbem an. 924. in tabulario Rotonenſi.

III. Walterius ſeu Galterius an. 937. ex chronico Malleacenſi, præſens fuit ſynodo Alboini pontificis menſe Maio, regnante Ludovico, ubi acta eſt proclamatio Aymonis abbatis S. Cypriani de villa Cuſiaco. In alio diplomate ejuſdem Alboini, continente donationem Froterii ſancto Cypriano, menſe Aprili, regnante Ludovico, & Hugone comite Pictavorum, ſubſcriptus reperitur Walterius, quem minime dubitamus eundem eſſe cum Galterio memorato.

IV. Emeno decanus ſubſcriptus habetur in charta Alboini epiſcopi & abbatis Nobiliacenſis, ſine chronicis notis, aſſervata in archivo Nobiliacenſi. Sedebat autem Alboinus an. 937.

V. Adelmarus decanus an. XX. regnante Lothario, in chart. S. Cypriani.

VI. Bernonus tempore Giſleberti I. epiſcopi, ex tabulario S. Cypriani, de donatione Willelmi Aquitanorum ducis facta eccleſiæ de Vouneüil; & in alia pro eodem cœnobio facta a Roberto & Aldeardi, regnante Hugone rege. Vide Beſl. comit. Pictav. pag. 292.

VII. Raginaldus ſubſignat donum Willelmi ducis abbatiæ S. Hilarii-majoris de terra Reſſiæ in pago Alniſienſi * poſt an. Chriſti 975. de quo alia charta S. Hilarii an. 990. * d'Aulnis.

VIII. Aimericus I. regnante Roberto & Giſleberto epiſcopo Pictav. ſubſcribit chartæ Gauzleni alodem ſuum in pago Pictav. in vicaria Sievat, *Sivaux*, donantis cœnobio S. Cypriani; chart. fol. 92. Item alteri donationi de villa quæ vocatur Exoletia, *Auſoulette*, chart. 77.

IX. Savaricus decanus S. Petri Pictavienſis ſubſcribit chartæ Adraldi fratris ſui, qui dimittit terram ſancti Johannis quæ dicitur Bundiliacus, ante domnum Willelmum comitem, & ante omnes fideles ſuos. Subſcribunt & Adraldus cum omni familia ſua, Willelmus comes, Willelmus & Odo filii ejus, Agnes comitiſſa, Iſembertus epiſc. Pictav. Aimericus abbas Angeriacenſis, Goffredus vicecomes, Willelmus de Talamo, Hugo de Leziniaco, Ademarus & Petronus vicarii, Adraldus filius præfati Adraldi, & Petronus frater ejus. Data in menſe Februario, regnante Rotberto rege. Ebroinus monachus fecit.

Dubium tamen occurrit an Savaricus fuerit frater vel filius Adraldi; ambiguæ enim ſubſcriptiones videntur, quæ ſic habentur in chartular. Angeriac. fol. IIII. XX. 1. *S. Adraldi filii ſupra nominati Adraldi. S. Petroni fratris ſui. S. Savarici fratris ſui decani S. Petri.*

X. Gaufridus ſub eodem Iſemberto epiſcopo ſua ſubſcriptione firmat multas donationes ab ipſo factas Anſegiſo abbati & monachis S. Cypriani, ejuſdem chart. fol. 49.

XI. Rainaldus decanus commemoratur in quodam placito coram Iſemberto epiſcopo, Odone Biturigenſium, & Alfredo vicecomite, Manaſſe fratre ejuſdem pontificis, &c. in quo judicata eſt juſtitia abbatis Anſciſi (Anſegiſi) & monachorum S. Cypriani adverſus Maingodum auferre volentem alodum de Valadoni; chartul. fol. 107. Iſembertum epiſcopum hic memoratum fuiſſe primum hujus nominis, probatur ex ejus fratre Manaſſe ibidem notato.

XII. Lamo decanus in charta qua domnus Iſembertus epiſcopus regens abbatiam S. Mariæ, necnon & S. Andreæ, atque almi Chriſti Benedicti Quinciacenſis, commutat quædam cum Angeriacenſibus, uti videre eſt Annal. Bened. Mabil. tom. 4. pag. 336. Notandæ ſunt inter plures quæ ſequuntur ſubſcriptiones ex chartul. Angeriac. fol. IIII. XX. *S. Iſemberti epiſcopi. S. Willelmi ducis. S. filii ſui equivocum. S. Aimerici abbatis. S. Lamonis decani. S. Frotgerii qui hanc chartulam ſcripſit. S. Fulconis archidiaconi. S. Emenonis præpoſiti. S. Petroni abbatis. S. Willelmi paraphoniſtæ. S. Rainaldi manſionarii. S. Rotgoni archidiaconi. S. Alonis archidiaconi. S. Archimbaldi ſacrum dans.* (Omittuntur ſigna virorum ſine dignitate adjun-

Digitized by Google

cta.) *Acta ſunt autem Pictavis civitate, menſe Auguſto, regnante rege Rotberto, anno XL. & primo anno filii ſui Ainricho in rege unctо, anno Incarnat. Dom. M. XXVII.*

XIII. Bernardus ex pancharta nigra S. Martini Turonenſis tempore Iſemberti I. epiſcopi Pictav. ſubſcriptus exſtat in notitia cum canonicis B. Martini de compluribus altaribus, cujus documentum apud Beſſium legere eſt in hiſtoria pontificum.

XIV. Arnaldus in documento conventionis Adalgiſi abbatis S. Cypriani cum Theotbaldo, ſubſignat poſt Iſembertum I. epiſcopum Pictav. Iſlonem Santonenſem, Arnaldum Petracoricenſem, & Rohonem Engoliſmenſem; ex tabular. S. Cypriani fol. 39. An idem ac Arnulfus decanus, qui adfuit dedicationi eccleſ. Vindocinenſis an. 1040. Vide tomo IX. concil. Labb. p. 939. Eidem chartæ ſubſcribit Emmeno præpoſitus.

XV. Albuinus ſua manu & ſigillo ſuo probavit chartam Goſcelini B. Hilarii theſaurarii, pro monaſterio S. Porcharii Burgolienſi ſubjiciendo, cum Iſemberto II. præſule 1068. ex chartulario Burgulienſi.

XVI. Bono item reperitur in chartis Burgolienſibus.

XVII. Umbertus ſubſcribit diplomati Iſemberti II. præſulis Pictavienſis, pro eccleſiis de Argentono caſtro apud Mirabellum, quas ceſſit Raimundo abbati Burgolienſi an. 1068. & alteri de eccleſia ſancti Vincentii apud Chinipiacum *, quam ceſſit S. Cypriano; ſimulque ſignum appoſuerunt Samuel cantor, Petrus ſubdecanus, ejuſdemque eccleſiæ clerus. Umberti pariter notitia eruitur ex charta anni 1076. de diſſidio Ebrardi abbatis Talemundenſis cum Oderico Vindocinenſi; & ex aliis annorum 1083. & 1086.

* Chenuché.

XVIII. Aimericus II. tempore Iſemberti II. & Petri II. præerat capitulo. Nominatur in inſtrumento an. 1088. quo Adam abbas S. Maxentii eccleſiam S. Leodegarii, pulſis clericis qui ibidem miniſtrabant, recuperavit, & monaſterio reſtituit ſuo, juſſu Petri epiſcopi jam laudati. Nomen ejus, ex Sammarthanis fratribus, in multis aliis inſtrumentis reperitur: ſcilicet Petri II. epiſcopi pro eccleſia S. Laurentii, Thoarcenſis archidiaconatus, ex manibus laïcorum eripienda; Aldeardis Thoarcii dominæ de Aurea-valle an. 1095. in privilegio abbatiæ S. Amantii Engoliſmenſis an. 1098. Denique eum reperimus in placito Hugonis de Leziniaco cum abbate S. Maxentii an. 1105. & in charta Fontebraldenſis tabularii 1106. Aimericus II. eodem anno memoratur in tabular. Fontis-ebraldi. Anno M. C. XI. indict. IV. teſtis eſt in charta qua Petrus epiſcopus Pictav. adjudicat Aimerico abbati Caſæ-Dei eccleſias de Jazelonio, quas Gaufredus abbas S. Maxentii ſibi vindicabat, conſentiente Leodegario Bituric. archiepiſcopo. Anno 1119. ſubſcripſit cuidam dono facto a Willelmo epiſcopo Pictav. pridie idus Julii, ex chartul. S. Florentii-veteris. Adprobavit quoque dona omnia quæ Guillelmus cognomento Archiepiſcopus, Parteniaci * dominus, Deo & B. Petro & monachis Partiniaci-veteris fecit, in clauſtro ejuſdem monaſterii, in feſto S. Petri, anno ab Incarnatione

* Partenay.

A M. C. XIX. indict. XII. epacta VII. a morte Gelaſii papæ die XXIII. pontificatus domni Guillelmi Pictavorum epiſcopi an. II. Ludovico rege Fr. Guillelmo duce Aquitanorum.

Feſtum S. Petri de quo hic, non eſt ſolemnitas vinculorum principis Apoſtolorum, quæ cal. Aug. celebratur, ſed cathedræ S. Petri, quæ die 22. Februarii recolitur; id enim demonſtratur ex ſequentibus notis chronicis; nam Gelaſius papa ibidem commemoratus obiit die 29. Januarii, a quo viginti tribus diebus computatis, qui ſequitur dies erat vigeſimus ſecundus Februarii cathedræ ſancti B Petri commemorandæ conſecratus. Denique hic Aimericus decanus, & Odo ſubdecanus ſubſcribunt donationi curtis de Caprioul factæ S. Cypriano per Petrum epiſcopum, de conſilio canonicorum... regnante Philippo rege.

XIX. Aldebertus an. 1121. in charta S. Launi Thoarcenſis.

XX. Gosbertus decanus an. 1122. ſubſcribit donationi eccleſiæ S. Hilarii de Lunziniaco, quam Maxentiano monaſterio dedit Guillelmus epiſcopus Pictavienſis. Anno ſequenti manus ſuæ ſignum addidit chartæ Giſleberti de Loſduno, pro Abſiæ monaſterio. Item Gautbertus S. Petri decanus legitur teſtis in charta Willelmi & Heluini C filiorum Aimerici Fulcherii, & Petronillæ matris eorum, pro molendinis quæ ſunt ſuper eccleſiam S. Mauritii de Gentiaco: ex eodem chartul. ſine nota temporis.

XXI. Laurentius memoratur in charta S. Mariæ Santonenſis an. 1148. vel etiam anno 1147. ex D. Jacobo Boyer. Eodem an. 1148. ſubſcribit litteris Giſleberti epiſcopi, pro monaſterio B. Mariæ de Cella. Poſt mortem ejuſdem Giſleberti cognomento Porretani, totius capituli Pictavienſis nomine ſcripſit planctum ſeu elogium funebre D an. 1154 quo etiam anno IV. non. Septemb. teſtis fuit compoſitionis factæ inter Hugonem Eng. epiſcopum, & Caſæ-Dei monachos a Gaufredo archiepiſcopo Burdigal. Vide in Hugone Engol. epiſcopo. Poſtea epiſcopus Pictavienſis fuit.

XXII. Radulfus de Mirabello memoratur in bulla Alexandri papæ III. pro Fonte-ebraldo, pontificatus ſui anno 5. ſeu Chriſti 1163.

XXIII. S. Dei permiſſione decan. Pictav. acquirit domum de Drajo cum omnibus pertinentiis ſuis a W. priore & camerario Caſæ-Dei, juſſu & vice abbatis & conventus Caſæ-Dei, an. ab Inc. Domini 1171. Alexandro pontifice præſidente, Lodovico rege Francorum regnante, Johanne Pi- E ctav. epiſcopo exiſtente, his, quorum nomina ſubſcripta ſunt, videntibus & audientibus: Odone priore Parteniaci, W. Grenger, Bernardo Xanton. Johanne ſacriſta, Reginaldo presbyt. cognomento Guinos, Petro Rollandi clerico. Præter hos affuerunt Willelmus de Rocha, Johannes Vitembaldi canonici B. Petri, Aimericus de S. Remigio diaconus.

XXIV. Gaufridus I. an. 1186. ex pancharta nigra S. Martini Turon. & regeſto Andegaviæ. Item an. 1191. ex charta qua Nevelo de Mellay dominus Fractarum-vallium dimittit monachis S. Petri de Saviniaco quaſdam conſuetudines. Fac-

Digitized by Google

tum in capella Willelmi Pictav. epiſcopi, anno ab Incarn. Domini M. C. XCII. Philippo regnante in Gallia, Ricardo in Anglia, præſentibus Gaufrido decano, R. ſubdecano, P. abbate Monaſterii-novi, & aliis. Gregorius papa IX. hanc compoſitionem probavit pontificio diplomate dato Reate v. idus April. pontif. anno 6.

XXV. Guillelmus I. an. 1200. Procul dubio eſt G. memoratus hoc anno in charta Hugonis Bruni pro Nobiliaco. Anno 1198. G. decanus turbavit electionem Ademari de Peirato epiſcopi, uti jam diximus; utrum vero fuerit Gaufridus aut Guillelmus, ambigitur.

XXVI. Philippus decanus reperitur variis in chartis monaſterii Nobiliacenſis, quas exploraverunt D. Edmund. Martenne & D. Jacob. Boyer, annis 1211. 1214. 1221. 1223. De anno tamen 1223. dubitamus, nam erat jam epiſcopus an. 1222. menſe Auguſto, ex ipſius litteris in appendice datis. Charta XVIII. dedit fr. Prædicatoribus eccleſiam S. Chriſtophori Pictav. de qua inveſtivit fratrem Guillelmum eorum priorem.

C. XIX. col. 339.

XXVII. Andreas an. 1225. in chartario Nobiliacenſi legitur. An. 1226. nominatur in charta S. Amantii Engoliſmenſis pro eccleſia Caſſanolii. Item in litteris Philippi epiſcopi pro S. Cypriano, datis die Jovis ante Dominicam, *Lætare Jeruſalem.* Duo inſtrumenta Quinciacenſis abbatiæ, unum anni 1226. alterum anni 1228. nomen ejus exhibent. Memoratur ut decanus in chartis Nobiliacenſibus, quas Martennus inſpexit, non ſolum annis 1226. 27. 29. & 30. ſed etiam anno 1220. quo aliæ tabularii ejuſdem monaſterii teſtantur Philippum adhuc fuiſſe decanum, & anno ſequenti. Quid cauſæ ſit, ut hæ chartæ Nobiliacenſes ita invicem pugnent, ignoramus.

XXVIII. G. in charta Quinciac. an. 1231. ſub Philippo epiſc. & in tabulis Nobiliac. ann. 1232. 1233. & 1236. Forſan eſt Gaufridus II. qui occurrit in chartario Pictav. epiſcopi, anno 1246.

XXIX. Radulfus II. quem Sammarthani fratres cognominant de Mirabello, decanus Pictav. & canonicus S. Martini Turon. delegatur a ſede apoſtolica judex inter abbatiſſam conventumque Fontebraldenſem, & Gaufredum dominum de Ancenis pro immunitate a teloneo. Anno 1253. cum Johanne epiſcopo ſigillo ſuo roboravit canonizationem S. Dominici factam die 28. Octobris, cujus inſtrumentum aſſervatur in archivis fratrum Prædicatorum Pictavienſium. Anno 1257. ſede vacante, decanus erat R. haud dubie Radulfus noſter, qui nominatur in variis chartis Fontis-comitis annis 1257. 59. 73. 74. 75. 76. die Sabb. poſt feſtum S. Dionyſii, ſede vacante 1278. Frequens eſt mentio decani hujus in tabulario Pictav. 1261. ſcilicet in pactis inter Hugonem epiſcop. & Willelmum de Rivallo militem; in chartis S. Jovini de Marnis ann. 1269. & 1271. & ſancti Benedicti Quinciacenſis ann. 1259. 60. 62. 63. 76. Cum electus fuiſſet in epiſcopum mortuo Hugone, æmulumque haberet, jure ſuo ceſſit in manibus Nicolai papæ, uti probatur ex litteris proviſionis Galteri de Brugis epiſcopi.

XXX. Johannes I. cognomento de Pontiſara, A notus ex reg. cameræ computorum apud Pariſios anno 1310.

XXXI. Johannes II. de Cherchemont nobilis Pictavienſis, toparcha de Venours, erat jam decanus anno 1317. Fuit ſimul canonicus Pariſ. theſaurariuſque Laudunenſis. A Philippo V. dicto Longo fit cancellarius die Martis ante Purificationem 1320. Rege mortuo 2. Januarii 1321. hanc amiſit dignitatem, quam tamen recuperavit die 19. Novembr. 1323. ex veteri regiſtro cameræ computorum. Adhuc Johannem hunc fuiſſe Franciæ cancellarium circa an. 1327. probatur ex documentis controverſiarum comitum & epiſcoporum B Rutenenſium, aſſervatis in tabulario urbis Rutenenſis; nam in illis occurrit dica ſcripta epiſcopo Rutenenſi a comite Armaniaci & Rutenorum, ante N. Cherchemont decanum Pictavienſem & cancellarium Franciæ, ex inventario tabul. Ruten. in Colbert. bibliotheca aſſervato. Repentina morte oppreſſus eſt die 25. Octob. 1328. De ejus legatione Romana anni 1318. loquuntur Sammarthani fratres.

XXXII. Petrus Raimundi d'Aux nepos Arnaldi d'Aux cardinalis, & frater Fortii Pictavienſium epiſcoporum, alterum habuit fratrem in eccleſia C Pictavienſi ſuccentorem, cujus ipſe erat decanus anno 1334. quo teſtis fuit concordiæ initæ inter moniales SS. Trinitatis, & canonicos ſancti Petri puellaris, & anno 1336. De eo hi verſus leguntur in eccleſia majori:

Petrus Raimundi fugiens a limite mundi,
Mente ſua ſanus, Pictavis quippe decanus,
Hic in honore pie fecit hoc altare Mariæ,
Sit tibi recta via Paradiſi Virgo Maria,
Anno milleno, ter centum, ter duodeno,
Mauricii feſto ſancti, lector, memor eſto,
Sic illuſtratum fuit hoc altare ſacratum.

D XXXIII. Aimericus, cujus mentio in tranſactione Fortii epiſcopi cum capitulo 1350. In necrologio SS. Trinitatis Pictavienſis parthenonis ſic legitur: *XII. Kal. Februarii obiit Aimericus Aircii confeſſarius noſter, Pictavienſis decanus*, quod videtur ad hunc Aimericum pertinere.

XXXIV. Johannes de Revellone, quem vir clar. Stephanus Baluzius eruit ex codice epiſtolarum, quas Innocentius papa VI. anno VI. ſui pontificatus ſcripſit, hoc eſt circiter an. 1357. Conſule viri doctiſſimi notas ad vitas paparum Aven. col. 1122.

XXXV. Anianus Viole ex nobili gente Violæa Pariſiis, & per totam Galliam illuſtri. E

XXXVI. Guillelmus II. Fedeau ſimul canonicus Pariſienſis, curam habuit exſequendi teſtamentum Ludovici de Tremolia epiſcopi Tornacenſis. Decanatum gerebat adhuc 1421. ex inſtrumento acquiſitionis terræ de Noſilleyo per Simonem Cramaudum epiſcopum.

XXXVII. Johannes IV. d'Eſtampes decanus & cancellarius Univerſitatis Pictavienſis 1431. poſtea Carcaſſonenſis epiſcopus. Pro eo annuæ preces fiunt in eccleſia Pictavienſi feria 6. poſt feſtum SS. martyrum Fabiani & Sebaſtiani.

XXXVIII. Johanni V. Cœur poſt Johannem d'Eſtampes locus videtur debitus; nam in ipſius elogio

Digitized by Google

elogio dicitur decanus Pictav. ante ſuam ad Bituricenſem metropolim aſſumtionem an. 1446.

XXXIX. Leo Guerinet anno circiter 1456. ex decano electus eſt præſul Pictavienſis, indeque transfertur ad cathedram Forojulienſem.

XL. Olivarius de Pont-brian, qui factus eſt theſaurarius S. Capellæ Pariſ. anno 1476. mortuus anno 1505. Dicitur decanus Pictav. in hiſt. MS. S. Capellæ.

XLI. Aimarus Gouffier ex dominis de Boiſy & de Bonnivet, abbas S. Crucis de Angla, decanus an. 1507.

XLII. Johannes VI. d'Allemagne ex dominis de Nalliers in Pictonibus, deceſſit anno ætatis 57. menſe Septembri 1529. cui epitaphium Gallice ſcripſit Johannes Buchetus libro Inſcriptionum ſepulcralium. Anniverſarium ejus in eccleſia majori celebratur feria 6. poſt feſtum SS. Fabiani & Sebaſtiani, & die 28. Novembris.

XLIII. Jacobus Meſnager obiit menſe Apr. an. 1534. Fundavit *feſtagium* in feſto Purificationis B. M. Habet anniverſarium die XI. Februarii.

XLIV. Bertrandus de Keneringhen natione Germanus, abbaſque S. Satyri in Biturigibus & Flavigniaci, decanus eligitur a capitulo die Veneris prima menſis Maii an. 1534. poſt obitum Jacobi Meſnager. In tabella prope chorum majoris eccleſiæ legitur:

Bertrand de Kneringuen eſcuyer, ambaſſadeur en Allemagne pour le Roy François premier, abbé de S. Satur, doyen de ceans, prieur de Partenay le vieux, deceda a Paris le dernier Fevrier 1548. eſt inhumé aux Cordeliers audit lieu..

XLV. Renatus le Febvre decanus poſt Bertrandum, ſimul fuit in ſenatu Pariſienſi tertiæ inquiſitionum claſſis præſes, ac ſucceſſor præſtantis juriſconſulti Aimari Ranconeti 1559. Isortu Juliodunenſis ex nobili Fabriciorum gente, Guillelmi domini de Bizay & Deſtrepied cognitoris regii, & Mathurinæ Berthelot primogenitus; frater erat vero Guillelmi Fabricii canonici Pictavienſis, viri Hebraice, Græce & Latine eruditi, Roberti Stephani celebris & docti typographi familiaris, qui in epiſtola præliminari ad editionem Bibliorum, per eundem Fabricium in ea emendanda & annotanda, candide ſeſe adjutum fuiſſe teſtatur. Renatus autem a Franciſco I. propter eruditionem ſenatoria dignitate in parlamento Pariſienſi honeſtatus fuit una cum Andrea Tiraquello Pictone, omni diſciplinarum genere pariter exculto, de quibus meminit Guillelmus Paradinus lib. 3. cum ait: *Ejus claſſis eſſe audio Fabricium Juliodunenſem, cujus nunquam falli judicium, aut remitti ſtudium ferunt.* Magna probitatis opinione humanis rebus exemtus ætatis anno 67. ſepelitur in cathedrali Pictavienſi cum ea inſcriptione: *Hic jacet nobilis vir dominus Renatus le Febvre, doctor regens in hac univerſitate, præſeſque in ſenatu Pariſienſi, qui obiit 20. Martii 1569.* Ludovicus Sammarthanus dominus de Neuilly, ex Nicolea Fabricia uxore, hujus Renati ſorore, ſuſcepit Scævolam quæſtorem Franciæ, Ludovicum prætorem Pictavienſem, ac Renatum cathedralis majorem archidiaconum & ſubdecanum.

XLVI. Antonius de la Sayette interfuit comitiis Bleſenſibus nomine ſacri ordinis pro Pictavienſi diœceſi 1588.

XLVII. Franciſcus de la Beraudiere poſtea epiſcopus Petragoricenſis.

XLVIII. Mathurinus Cheſnau ſepultus eſt ad altare S. Petri a latere Evangelii. Ejus anniverſarium agitur die 29. Oct. quo obiit an. 1600.

XLIX. Guillelmus Aubert decanus S. Petri annis 1600. 1603. 1604. 1608. 1610. ex chartis præſertim prioratus ſancti Nicolai in urbe Pictav. quo potiebatur. Bartholomæus Aubert prior ejuſdem loci annis 1553. 81. 95. 98. relatus inter decanos, nunquam hac potitus eſt dignitate.

L. Ægidius Tillier decanus anno 1620. ſepultus eſt apud Dominicanos. Fundavit miſſam die feſto S. Bartholomæi dicendam in eccleſia cathedrali; item miſſam de S. Ægidio die 1. menſis Septembris.

LI. Ludovicus Rogier decanus fundavit miſſam ſolemnem ſingulis annis dicendam die 30. Junii ante celebrationem capituli generalis canonicorum Pictav. Quo potiſſimum tempore præfuerit ignoramus. Alteram miſſam de Spiritu ſancto fundavit ante capitulum generale, quod incipit die 28. Novembris.

LII. Matthæus Thoreau, Renati domini de la Grimaudiere quæſtoris Franciæ apud Pictones filius, in decanatum ſuffectus Johannis reſignatione; qui cum interfuiſſet cœtui cleri Gallicani Lutetiæ 1650. agentis ſeu procuratoris generalis ejuſdem cleri functus eſt dignitate in comitiis an. 1655. Demum anno 1660. factus epiſcopus Dolenſis ceſſit in ſequentis gratiam.

LIII. Franciſcus Thoreau, Matthæi frater, bullis Romæ datis, at nondum acceptis, vita functus eſt an. 1661. menſe Auguſto.

LIV. Magiſter N. Milon clericus a capitulo in decanum eligitur, poſſeſſioneque donatur anno 1661. menſe Aug. Sed cum non eſſet in ſacris, eccleſiam nunquam ſolemniter eſt ingreſſus; ac paulo poſt in manus capituli ſuam dignitatem reſignavit.

LV. Matthæus Thoreau Dolenſis epiſcopus iterum electus decanus, primum per procuratorem, deinde per ſe ipſum iniit poſſeſſionem anno 1662. menſe Septembri. Anno vero ſequenti permutavit.

LVI. Jacobus Rabereul doctor theologus, abbas Valentiæ, ex canonico & cantore collegiatæ eccleſiæ S. Radegundis, permutatione facta cum Matthæo Thoreau fit decanus, in poſſeſſionem inductus die 28. Junii 1663.

LVII. Renatus Rabereul in legibus licentiatus, ex ſubdecano fit decanus an. 1696. hactenuſque vivit.

Sammarthani fratres decanorum catalogo ſubdecanorum elenchum attexuerunt. Quibus morem gerentes eorumdem ſeriem auctam ſubjicimus.

I. MAIRINUS in charta Alboini Pictavienſis epiſc. Galterio decano anno circiter 937.

II. Ramonus ſubſcriptus duabus chartis Guillelmi Aquitanorum ducis cum Giſleberto epiſcopo

Digitized by Google

& Raginaldo decano an. circiter 975. vide Beſlium com. Pict. pagg. 267. & 293.

III. Reginaldus in pancharta nigra S. Martini Turonenſis, Bernardo decano, ſubſcripſit nomine *hypodecani* in notitia Iſemberti præſulis Pictavienſis de ceſſione ab ipſo facta eccleſiæ S. Vincentii apud Chinipiacum, *Cheneché*, in gratiam cœnobii S. Cypriani.

IV. Petrus cum Umberto decano in charta Talemundi, regnante Philippo, Gaufrido comite Pictav. Iſemberto epiſcopo. Vide infra in Petro præpoſito.

V. Odo ſignum appoſuit tabulæ pro Caſſanolii eccleſia, an. circiter 1098. & anno ſequenti ceſſioni trium eccleſiarum factæ a Petro epiſcopo, monaſterio S. Maxentii. Item chartæ Hervæi Pict. archidiaconi donantis S. Cypriano eccleſiam ſancti Georgii Vico-vioniæ, *Vivone* & alias, probante Petro epiſcopo; ex tabul. S. Cypriani fol. 106.

VI. Durandus ſubſcripſit chartæ Giſleberti ep. pro abbatia beatæ Mariæ Cellenſis an. 1148.

VII. R..... an. 1192. vide in Gaufrido decano.

VIII. Hugo cum Willelmo ſancti Cypriani & Gaufrido ſancti Benedicti abbatibus, qui vivebant circa an. 1214. & 1219. ſubſcribit chartæ Willelmi de Furneriis pro Nobiliacenſi monaſterio.

IX. Philippus annis 1216. & 1221. ex chartis Nobiliacenſibus.

X. Petrus de Borreto 1304. miſſus *ad partes Burdigal.* pro collecta proventuum beneficiorum a feſto Nativitatis vacantium, virtute bullæ Benedicti pontificis, Biterrenſi & Meldenſi epiſcopis directæ, ex actis tabularii regii.

XI. Stephanus de Bourret ſubdecanus Pictav. anno 1311. comes datur Petro de Latilly in Angliam proficiſcenti pro regni negotiis. *Hiſt. P. Anſelmi recognita a D. du Fourny.*

XII. Johannes Regnaud obiit 1427. Ejus anniverſarium celebratur die 22. Dec. Forte eſt Johannes Raynelli theologiæ doctor & licentiatus in decretis, ann. 1431. 32. 38. ex tabul. S. Maxentii. Rector fuit academiæ an. 1439. Verumtamen tempore quo ſubdecanus legitur, occurrit

XIII. Geofredus, vel Gaudefridus Vaſſal, *al.* Vaſſaud & Vaſſaldi, filius Geofredi conſiliarii in ſenatu Pariſienſi tunc Pictavii conſtituto, doctor in academia Pictav. an. 1432..... ennenſis epiſcopus ſimulque ſubdecanus & canonicus Pict. cujus anniverſarium celebratur 26. Novembris.

XIV. Guillelmus d Eſtampes epiſcopus Condomienſis 1455. frater Johannis epiſcopi Carcaſſonenſis, theſaurarii S. Hilarii-majoris, & Johannis præſulis Nivernenſis.

XV. Ludovicus de Chambon abbas S. Launi de Thoarcio 1510.

XVI. Johannes Bellandelli, *al.* Belandeau ann. 1520. & 1534.

XVII. Abelius de la Fontaine Juliodunenſis, vicarius generalis Claudii de Longo-vico epiſcopi, & cardinalis de Givriaco, præerat an. 1555. ad quem exſtat hymnus Salmonii Macrini lib. 1. ſepultus in cathedrali Pictavienſi prope Renatum Fabricium decanum hoc titulo: *Hic jacet Abelius de la Fontaine canonicus & ſubdecanus hujus eccleſiæ, antea paſtor S. Mellani in Normannia, qui deceſſit 16. Julii 1570. Deus miſereatur ejus animæ.*

XVIII. Olivarius de la Fontaine, Abelii nepos, ſucceſſit 1570. abdicat die 7. Februarii 1609.

XIX. Sebaſtianus du Chaſtelier receptus a capitulo die Sabbati 14. Martii 1609. cum Renatus Aguillon canonicus Pictavienſis eccleſ. dignitatem hanc recuſaſſet.

XX. Johannes Filleau 1621.

XXI. Renatus de Sainte-Marthe, dominus de Marigny, canonicus & archidiaconus major Pictavienſis, ac demum ſubdecanus an. 1625. obiit 20. Junii 1633. anno ætatis 83. ſepultus in æde D. Johanni ſacra.

XXII. Henricus de Sainte-Marthe, Renati nepos ex fratre Scævola Sammarthano quæſtorum Franciæ præſide in Pictonibus, & Renatæ de la Haye ſeptimus natu filius, reſignatione patrui ſubdecanus ab anno 1629.

XXIII. Renatus Sochet reperitur ſubdecanus in capitulo generali anni 1657.

XXIV. Jacobus Dupuis ſubdiaconus diœceſis Turonenſis, ſubdecanus inſtitutus 15. Septembris anno 1659.

XXV. Renatus Rabereul poſtea decanus.

XXVI. Franciſcus Tuau, ex parocho Quinciacenſi 1686. obiit 24. Auguſti 1708.

XXVII. Petrus Mayaud filius Guidonis, & Margaritæ Rabereul, canonicus ac ſubdecanus 1708. 1714. ex parocho S. Annarii, vulgo *S. Eanne* in archipresbyteratu S. Maxentii.

Natalis Neſleau cujus anniverſarium fit die 5. Decembris, quo tempore vixerit ignoratur.

Variis in chartis quorumdam præpoſitorum nomina nobis occurrerunt, quæ hîc dare alicujus operæ pretium erit.

Petrus præpoſitus cum Brocardo archidiacono memoratur in charta Froterii epiſcopi. Vide ch. iv. inter inſtrum. col. 328.

Hugo in charta Aimerici a Beſlio edita ſubſcribit cum Giſleberto I. epiſcopo, Hugone rege.

Aimericus ſubſcriptus litteris Iſemberti I. epiſc. regnante Roberto rege.

Emmeno ſub eodem epiſcopo. Vide in Arnaldo decano.

Petrus de quo charta quædam Burgolienſis anni 1068. qua monaſterium S. Porcharii ſubjicitur Burgolienſi, conſentientibus Iſemberto epiſc. Albuino decano & Petro ſubdecano.

Digitized by Google

DE ABBATIIS DIOECESIS PICTAVIENSIS.

EXORDIUM ducimus ab iis quæ floruerunt olim, ſed a priſtino ſtatu jam dudum exciderunt.

I. Locociacum. * *Ligugé.*

Olim floruit prope Pictavos Locociacum, ſeu Locociagenſe * monaſterium a S. Martino ædificatum, cui ut abbas præfuit. Ibidem perſeverabat monaſticus ordo ſub abbate, tempore Gregorii Turon. ut ipſe refert lib. IV. de miraculis S. Martini c. 30. Nunc eſt prioratus qui patribus Societatis Jeſu ceſſit. Vide Mabill. t. 1. Annal. pag. 10.

II. S. Paulus. * *al.* in ipſa civitate Pictava. * Poſt mortem Odonis.

Vetus abbatia S. Pauli in pago Pictavo * in villa quæ dicitur Forzillus, Eblonem vaſſallum comitis Eboli habuit abbatem an. XXVI. * regnante Carolo rege (Simplice), hoc eſt anno Chriſti 923. aut 24. quo videlicet concambium aliquod fecit de conſenſu dicti comitis cum Rothardo abbate Nobiliacenſi, menſe Martio. Vide prob. hiſt. comitum Pictav. pag. 221. ubi etiam legere eſt * litteras Willelmi ducis & abbatis S. Hilarii datas an. 990. in quibus fit mentio hujus abbatiæ. Ipſam denique cum aliis eccleſiis ad eandem pertinentibus dederunt Monaſterio-novo, precibus Marci abbatis, Iſembertus Pictavorum epiſcopus & Guillelmus Gaufredus Aquitanorum dux, an. 1116. Vide ibidem p. 387. & ſeq.

*pag. 285.

III. S. Petrus Puellaris. * *S. Pierre le Puellier.* * Teſte d'Etoupe.

S. Petri Puellare monaſterium *, de quo ita Johannes Beſly in prob. hiſt. comit. Pictav. p. 251. Adela Eduardi ſenioris Anglorum regis filia, Eblonis ducis conjux, mater vero Guillelmi cui Caput-ſtupæ * cognomen erat, a Rege impetravit *ut quandam abbatiam quæ olim monaſterium-Puellare S. Petri vocatum ob puellas ibi deſervientes, tunc vero canonicis inſtauratum, eidem cœnobio* (SS. Trinitatis Pictav.) *ab ipſa exſtructo attribueret; ita ut amodo tam ipſa abbatia quam canonici, eorumque præbendæ abbatiſſis ſæpedicti cœnobii cum omni integritate ſubjacerent*, &c. Hactenus eſt eccleſia collegiata, quæ ſexdecim canonicos alit ſeculares.

IV. S. Maria.

Baſilica S. Mariæ, dicta poſtmodum S. Radegundis, extra muros urbis Pictav. fuit olim virorum monaſterium, quod S. Radegundis pro conditorio virginum S. Crucis exſtruxerat. Inter illa recenſetur monaſteria quæ Ludovicus Pius inſtauravit; & in ipſius quidem baſilica Pipinus rex Aquitaniæ, Ludovici Pii filius, ſepultus eſt, ut tradunt chronica Ademari & Malleacenſe an. 840.

Arnegiſilus abbas baſilicæ B. Reginæ, hoc eſt B. Radegundis, laudatur apud Baudoniviam monacham S. Crucis, de qua in hoc cœnobio vide.

Jam autem nono ſeculo tranſiit hæc baſilica ad canonicos ſeculares, ut colligitur ex capitulari Ludovici Pii, pro parthenone S. Crucis.

V. S. Romanus.

Abbatia S. Romani olim *formata in clericali ordine*, ut tradunt litteræ Boſonis vicecomitis in chartulario S. Cypriani fol. 121. conſilio poſtmodum & conceſſione Iſemberti Pictav. epiſcopi, deinde Petri, ejuſd. Iſemberti ſucceſſoris, de conſenſu canonicorum & Stephani Sicci San-Romanenſis abbatis, ſed & auctoritate procerum tradita fuit Rainaldo abbati S. Cypriani an. 1088. rege Philippo, duce Willelmo, Petro epiſcopo. Nunc prioratus eſt, ad quem nominat abbas S. Cypriani.

Cum inter vetera monaſteria S. Hilarii cœnobium emineat, in ejus hiſtoria paulo diutius eſt immorandum.

S. HILARIUS-MAGNUS.

S. Hilaire le Grand.

HÆC vetuſtiſſima nobiliſſimaque eccleſia in urbe Pictav. memoratur a Gregorio Turon. qui duos etiam abbates recenſet. Clodovæo antequam adverſus Alaricum dimicaret, lucem ex illa baſilica affulſiſſe certam de rege Ariano victoriam portendentem teſtis eſt Venantius Fortunatus, qui de S. Hilarii vita & miraculis duos ſcripſit libros. Cum autem anno 863. a paganis everſa *, novo dehinc opere inſtaurata fuiſſet, dicata eſt an. 1049. coram archiepiſcopis & epiſcopis tredecim, curante potiſſimum Agnete comitiſſa Pictavienſi, quæ monaſterii magnam partem exædificavit, quemadmodum aſſerit chronicon Malleacenſe. Porro hujus inſignis canonicorum collegii ad Romanam Eccleſiam nullo medio pertinentis abbas eſſe non dedignatur chriſtianiſſimus Francorum rex; qua de re vide probat. Libertatum Eccleſiæ Gall. c. 1. num. 7. Et quidem quando Rex S. Hilarii baſilicam ingreditur, theſaurarius ipſi miniſtrat ac offert ſuperpellicium, almutiam, cappamque. Sane rex Ludovicus XI. qui confirmavit jura omnia hujus eccleſiæ, cavit decreto ſuo dato menſe Septembri an. 1481. ne quis reus poſſit ad ultimum ſupplicium duci per majorem vicum burgi S. Hilarii, *pro ſingulari*, inquit Rex, *devotione & ſtudio quod habemus erga prædictam eccleſiam, cujus ſumus caput & abbas.* Ibid. p. 14.

* *Ex hiſt. comit. Pict. Johannis Beſly.*

Prima vero poſt ipſum Regem abbatem dignitas, eſt theſaurarius, ſimul academiæ Pictav. cancellarius, & judex metropolitanus archiepiſcopi Burdigalenſis; utiturque mitra & chirothecis ſine baculo. Ceterum qui hiſtoriam hujus eccleſiæ conſcripſit vir clariſſimus dominus Rapaillon, conſiliarius Pictavienſis & ejuſdem canonicus, huic operi conficiendo annis triginta inſumtis, ſeriem abbatum, theſaurariorum, ac decanorum nobis promiſerat, ſed poſtea denegavit, unde non niſi quoſdam ex variis monumentis erutos dare in lucem poſſumus.

ABBATUM INDEX.

I. JUSTUS, ex ſocio ſtudiorum D. Rapaillon in hiſtoria S. Hilarii ſcribenda, primus [a] abbas exſtitit.

[a] Noſter D. Eſtiennot primum abbatem ſimul & fundatorem adducit ipſum S. Hilarium, quem aſſerit mortuum Pictavis anno Chriſti 368. (poſt obitum) Conſtantini Junioris 19. Valentiniani & Valentis imperatoris 4. & ſepultum in baſilica S. Hilarii de Cella.

Digitized by Google

II. Paſcentius, S. Hilarii alumnus, a præfectura congregationis S. Hilarii aſcendit ad Pictavienſem cathedram. Conſule quæ de eo diximus in ſedis hujus epiſcopis.

III. S. Porcarius abbas S. Hilarii ex Greg. Tur. lib. IX. c. 43. mittitur a Meroveo epiſc. Pict. ad Gundegiſilum Burdigal. & comprovinciales epiſcopos an. 589. pro cauſa Chrodieldis. Fundator creditur monaſterii quod ſub ejus nomine apud Pictavos adhuc eſt ſuperſtes, eſtque prioratus Burgolio ſubditus. Ejus meminere martyrologia pridie cal. Junii.

Quidam volunt Arnegiſilum abbatem commemoratum in vita S. Radegundis, fuiſſe abbatem S. Hilarii. At erat abbas monaſterii S. Mariæ, quod S. Radegundis condiderat, ubi ſeorſim a ſanctimonialibus degebant religioſi viri, quibus hic abbas præerat.

IV. S. Fredolinus *al.* Fredoldus Scotto-Hibernus in Galliam migrans, diu in monaſterio ſancti Hilarii Pict. habitaſſe, ac poſtea præfuiſſe dicitur. Poſtea juxta Moſellæ littus monaſterium in honorem S. Hilarii condidit *Heleram* dictum, de quo legendus Mabill. ad an. 590. n. 27.

V. Bertinus cum ſuis monachis a Pipino rege an. 768. Pictavis commorante, obtinuit confirmationem omnium immunitatum ſuo monaſterio conceſſarum, quas exhibuit, & omnium bonorum, ut *proficere deberent perpetualiter in ſtipendia monachorum*, unde probatur tunc ibi fuiſſe monachos. Vide Mabill. ad hunc annum n. 17.

VI. Abbo S. Hilarii abbas, ex charta concambii facta inter ipſum & Hermenbertum abb. Nobiliaci in menſe Julio an. 7. regnante Carolo rege, apud Johan. Beſly pag. 30. & in margine paginæ 149. hiſt. comit. Pictav.

VII. Aper, ad cujus preces Paulus Warnefridi, cum ad S. Hilarii corpus orationis cauſa veniſſet, compoſuit epitaphium Venantii Fortunati ibidem ſepulti. Vide Paulum lib. 2. de geſtis Langob. c. 13. Vivebat autem Aper anno Caroli regis duodecimo, quo ſcilicet commutationem fecit cum Hermenberto Nobiliacenſi rectore, hoc eſt abbate. At e vivis exceſſerat anno ejuſdem regis 25. id eſt 793. ex diplomate Ludovici regis, in quo fit mentio Atonis. Vide Mabill. ad an. 777. n. 74. Idem porro videtur eſſe ac Æpro ſeu Ipro vel Jepro abbas, qui cum Abbone comite placita quædam apud Pictavos tenuit anno Caroli regis tertio-decimo. Certe in uno ex his placitis Arembertus clericus S. Hilarii, Æpronem *ſeniorem* ſeu dominum ſuum vocat. Vide Mabill. Annal. Benedict. tom. 2. pag. 239.

VIII. Ato, quem Apri ſucceſſorem docet Alcuini epigramma 150. præerat jam an. 793. Ludovici Aquitanorum regis 25. a quo privilegium obtinuit pro Nobiliacenſi monaſterio. Hoc autem in privilegio Ludovicus eum vocat virum magnificum, parentem ſuum, diaconum & abbatem S. Hilarii. Jam erat epiſcopus Santonenſis anno Caroli-magni regis XXXI. hoc eſt an. Chriſti 799. ut patet ex ipſius charta pro fundatione ſeu reſtauratione monaſterii Nobiliacenſis; cui male præfixus eſt an. 871. Vide Mabill. tom. 2. Annal. pag. 307.

IX. Fulco Ludovici imperatoris archicapellanus, & abbas S. Hilarii, interfuit an. 830. dedicationi eccleſiæ Nobiliacenſis, ex chronico Malleacenſi.

X. Fridebertus * anno 834. privilegium obtinuit a Pipino Aquitanorum rege, ubi dicitur Fridebertus *epiſcopus archicapellanus noſter & abbas ex monaſterio S. Hilarii quod eſt ſitum in ſuburbano Pictavienſi*. Datum eſt illud præceptum VIII. cal. Decemb. indict. XIV. anno XXI. regnante Ludovico imperatore &c. vide Beſlium Aquit. reg. pag. 24. * *al.* Fridebeſtus.

XI. Ebroinus abbas S. Hilarii anno 839. Caroli Aquitanorum regis partes ſuſcepit adverſus rebelles. Vide Annal. Bened. tom. 2. ad hunc annum. Idem quoque deficientibus multis a Ludovico Auguſto optimatibus, in fide perſtitit, cujus miniſterio uſus eſt Imperator ad ceteros in obſequio retinendos. Poſtmodum factus eſt epiſcopus Pictav. & cum epiſcopatu habuit abbatias S. Hilarii, S. Germani Pariſienſis & S. Mauri ſuper Ligerim. Defunctus eſt anno 858.

XII. Ranulfus I. Aquitanorum dux mortuus anno 867. *al.* 869. abbatis S. Hilarii nomen aſſumebat, ex Beſlio pag. 3. & 179.

XIII. Acfridus de quo Mabillonius ad annum 867. [a] hæc habet: *Bituricenſis comitatus hoc anno ablatus eſt Gerardo comiti, datuſque non ſine xeniis Acfrido, qui Pictavienſem S. Hilarii abbatiam aliaque beneficia jam habebat.* Hic autem videtur eſſe Acfridus cui Mabillonius idem cervices abſciſſas a Gerardo Biturigum comite dicit, cujuſque necem quaſi ulturus Carolus rex in pagum Bituricenſem ineunte anno 868. profectus eſt; verum eo intacto, S. Hilarii abbatiam quam Roberti comitis nuper exſtincti filio abſtulit, Frotario Burdegalenſi archiepiſcopo dedit. *Annal. tom. pag. 145.* a

XIV.... Roberti comitis filius a Carolo Calvo privatus eſt abbatia. Vide Mabill. ad an. 868. *Ibid. pag 147.*

XV. Frotarius Burdegalenſis archiepiſc. beneficio ejuſdem regis abbatiam obtinuit. Poſtea tranſlatus eſt ad ſedem Bituricenſem, quo tempore Garinus abbas Nobiliacenſis de conſenſu & voluntate domni Frotharii archiepiſcopi Bituric. & abbatis S. Hilarii, commutationem fecit de aliquibus terris cum nobili viro Berengario & Theodelinde ejus uxore, anno 2. regnante Carolo imperatore poſt obitum Carlomanni.

XVI. Ramnulfus II. dux Aquitaniæ, abbas erat S. Hilarii, ex Beſlio, quem conſule cap. X. hiſt. comitum Pictav. pag. 19.

XVII. Ebolus frater Ramnulfi II. comitis Pictav. & Aquitanorum ducis, abbas S. Hilarii, S. Germani Pariſienſis & S. Dionyſii, * privilegium ab Odone rege pro eccleſia S. Hilarii obtinuit, quod recognovit Troarnus notarius ad vicem Eboli III. cal. Jan. anno Incarnationis Dominicæ D. CCC. LXXXIX. indict. VIII. anno 2. Odonis glorioſiſſimi regis. Vide Beſlium p. 200. Obiit anno 893. * Abbas etiam S. Mariæ Pariſienſis, ſeu majoris eccleſiæ; *Fauchet.*

XVIII. Ecfridus ab Odone rege Francorum,

a Ablatum Gerardo Bituricenſem comitatum an. 871. traditumque Boſoni fratri Richendis imperatricis a Carolo Calvo aſſerit Johannes Beſly hiſt. comit. Pictav. pag. 21.

Digitized by Google

petentibus Roberto & Ademaro marchionibus, abbatiam S. Hilarii accepit anno 894. ex Beſlio pag. 208. & ſeq. Fuit etiam epiſc. Pictav. & obiit anno 900. vide Beſlium pag. 208. & 209. Etſi vero hæc ſibi ſatis cohæreant, habent nihilominus contradictorem, noſtrum D. Claud. Eſtiennot, qui ſcilicet Ebroino jampridem memorato ſubjicit Ramnulfum I. recenſitum, inquit, in annal. Aquitanicis, & in hiſt. comitum Pictav. cap. 6. (hunc quoque admiſimus,) deinde Goſſenum; laudatque Beſlium cap. x. tum Abbonem ibidem commemoratum; poſtea Ecfridum epiſc. Pictav. ac denique Ebolum circa an. 915. ex chronico, inquit, Malleacenſi. Sed nec Goſſenus, nec Abbo dicuntur S. Hilarii abbates, loco laudato, ſed ſolus Ebolus.

XIX. Launo abbas & Rainaldus claviger S. Hilarii memorantur anno 934.

XX. Guillelmus II. Caput-ſtupæ dictus, Aquitanorum dux, fuit abbas S. Hilarii, ex hiſtoria hujus principis apud Johan. Beſly pag. 42. & 253.

XXI. Ebulus Lemovic. præſul, frater Guillelmi II. Aquitanorum ducis, de quo ſic habet chronicon Malleac. *Hic Ebulo germano ſuo abbatiam S. Hilarii præbuit, qui canonicos ibidem diſpoſuit, quia infeſtatione Normannorum idem locus a priſtina monachorum habitatione deſciverat.* Attamen Johannes Beſly pag. 47. non abbatiam ſed theſaurariam ei collatam dicit. Vide infra in theſaurariis.

XXII. Guillelmus III. comes Pictav. & dux Aquitanorum ab eodem Johanne Beſly pag. 283. dicitur abbas S. Hilarii anno 969. Occurrit etiam anno XII. regnante Lothario rege, id eſt 965. item anno 990. regnante Hugone.

XXIII. Guillelmus IV. anno 1028. donationem factam a Gaufrido canonico S. Hilarii confirmavit.

XXIV. Goffridus dux Aquit. & abbas ſancti Hilarii anno 1068. vide Beſlium pag. 349. & 364. Hic ad petitionem canonicorum & præcipue Goſſeni archiep. Burdegal. theſaurarii S. Hilarii, decrevit tempore Gregorii papæ VII. nullum filium presbyteri, diaconi, ſubdiaconi vel alterius clerici, nullum quoque ſpurium, hoc eſt natum extra legitimum matrimonium, recipiendum inter canonicos hujus eccleſiæ.

Deinceps autem omnes Aquitanorum duces, & qui ipſis ſucceſſerunt Francorum reges, abbatis S. Hilarii nomen obtinuerunt.

THESAURARIORUM ELENCHUS.

POſtquam eliminatis monachis abbatia S. Hilarii canonicis attributa fuit, ipſi præfuerunt theſaurarii dicti ſæpius clavigeri ac decani, e quibus hi pauci ad noſtram notitiam pervenerunt.

I. Rainaldus claviger an. 934.

II. Ebulus de quo ſupra in abbatibus, tanquam archiclavis S. Hilarii ſubſcripſit chartæ Willelmi Aquitaniæ ducis anno XII. regni Lotharii, hoc eſt anno 965. Idem appellatus claviger chartæ ejuſdem principis chirographum ſuum appoſuit an. 969. abbas etiam S. Michaëlis in Eremo, ubi jacet, & S. Maxentii; pervenit ad annum circiter 975. vide Johannem Beſly pag. 265. 283. & 285.

III. Savaricus & Savarus archiclavis vel archiclavus ſeu clavicularius ſancti Hilarii, reperitur in charta Nobiliacenſis monaſterii an. 988. & in altera anni 990. Idem eſt haud dubie ac Savarus qui clavicularius D. Hilarii nominatur in charta Willelmi comitis Pictav. pro Nobiliacenſi monaſterio, anno 2. regis Roberti.

IV. Geraudus epiſc. Lemovic. & theſaurarius S. Hilarii moritur an. 1019. apud Carroſum, ex hiſt. Johannis Beſly pag. 65.

V. Fulbertus epiſc. Carnotenſis, fit S. Hilarii claviger nominatione ducis Aquit. Guillelmi IV. anno 1019. vel ſequenti. Memoratur an. 1028. in donatione facta a Gaufrido canonico S. Hilarii, & confirmata a Willelmo comite & abbate ejuſdem loci. Vide Johannem Beſly p. 344. & 269. ubi Fulbertus epiſtola 103. excuſat ſe de theſauraria, rogans Guillelmum comitem ut alium in vicinia ſua theſaurarium ſibi conſtituat. Qua de re exſtant ibidem epiſtolæ 16. & 18. Obiit Fulbertus an. 1028. menſe Aprili, quarto idus.

VI. Guillelmus epiſc. Engoliſm. frater Fulconis comitis, obtinuit theſaurariam S. Hilarii a Guillelmo VII. Aquitanorum duce. Obiit 1074. ex hiſtoria Johannis Beſly pag. 107. ſeditque annis 33. ex eodem auctore pag. 391. ſed utrum in epiſcopatu, an in theſauraria, liquido non conſtat. Facta eſt dedicatio monaſterii an. 1049. calend. Novemb. *Beſly pag. 382. & 391.*

VII. Goſcelinus archiep. Burdegal. jam anno 1068.[a] theſaurarius erat S. Hilarii, vide Johan. Beſly pag. 346. 350. & 351. Eo ſedente anno 1079. facta eſt ſocietas inter canonicos S. Hilarii & S. Urſini Bituric. Vide inſtrumenta noſtra; & Johan. Beſly pag. 349. Is autem eſt profecto Goſcelinus de Parteniaco theſaurarius S. Hilarii, frater Gildoëni de Tauniaco, Bonelli & Simonis, ſub Iſemberto Pictav. Arnulfo Santon. & Bartholomæo Turon. epiſcopis, in charta ſanctæ Mariæ Santon. Obiit Goſcelinus an. 1086. [a] *C. LII. col. 368.*

VIII. Radulfus de Gomeſſa theſaurarius 1262. in charta S. Johan. Toarcenſis.

IX. Johannes d'Eſtampes filius Roberti, Johanni duci Biturigum a conſiliis intimis, mortui ſaltem an. 1442. decanus & theſaurarius fuit S. Hilarii Pictav. conſiliarius in ſenatu Pariſ. magiſter libellorum ſupplicum, tandemque epiſc. Carcaſſon. mortuus an. 1455. Vide in ſubdecanis Pictav.

X. Adrianus Gouffier factus eſt theſaurarius S. Hilarii anno 1519. cum jam eſſet abbas Angliæ, ubi vide.

XI. Jacobus I. de Bethun moritur 1603. abbas etiam Abſiæ, ubi vide.

XII. Jacobus II. Garnier, obiit anno 1657. Erat etiam abbas Bonæ-vallis in diœceſi Pictav. ubi vide.

XIII. Jacobus III. Garnier abbas B. Mariæ de Bonis vallibus ord. C. diœc. Pict. obiit 1694.

[a] Idem Beſlius pag. 107. Goſcelinum non niſi poſt mortem Guillelmi theſaurarium evaſiſſe dicit.

Digitized by Google

Du Fresne hiſt. regii ſtatuti maſc.

XIV. Ludovicus Frotier de Meſſeliere, filius Ludov. ex Anna Irland, & nepos Johannis decani Pict. prior S. Lupi des Chateigniers in Pertico, decanus S. Hilarii Pictav. & theſaurarius S. Hilarii-magni ab anno ſaltem 1694. ad an. 1708.

Series decanorum.

I. Reginaldus decanus S. Hilarii circa an. 975. idem forte cum Rainaldo qui decanus reperitur in charta anni 990. & R. decanus ad quem exſtat charta Hildegarii familiaris Fulberti Carnot. epiſc. quam vide apud Beſlium pag. 271.

II. Guillelmus I. decanus an. 1079. in charta ſocietatis inter canonicos S. Hilarii & S. Urſini. Vide inſtrumenta.

C. III. col. 368.

III. Stephanus I. circa annum 1082. in charta Majoris-monaſterii. Subſcripſit cum cognomento Sicci, chartæ Petri epiſc. Pictav. pro S. Cypriani monaſterio, ubi tunc abbas Rainaldus, ex S. Cypriani tabul. fol. 100.

IV. Willelmus II. ſubſcribit concordiæ inter Maſcelinum abb. S. Cypriani ejuſque monachos, & Petronillam de Chemillé abbatiſſam Fontebrald. in manibus Gaufredi Carnot. epiſc. & legati apoſtolici anno M. C. XXXVI. ex magno chartulario Fontebrald. & ex tabul. S. Cypriani.

V. Bruno decanus S. Hilarii 1148. in charta Fontis-comitis.

VI. Stephanus II. ad quem exſtat epiſtola Innocentii III. papæ, numero 228. lib. XV. editionis Baluz. pag. 718.

VII. A. decanus in charta Nobiliacenſis monaſterii 1223.

VIII. P. decanus ſequeſter concordiæ inter Nicolaum abb. S. Cypriani & Aimericum Quinciaci abbatem.

IX. Oliverius de Cerſeto auditor cameræ apoſtolicæ, decanus S. Hilarii Pictav. 1347.

X. Guillelmus III. Bar decanus S. Hilarii-majoris 1391.

XI. Johannes d'Eſtampes decanus & theſaurarius S. Hilarii, obiit 1455.

XII. Petrus de Rochechouart decanus S. Hilarii-majoris Pictav. 1503. vide in epiſc. Santon. ad hunc annum.

XIII. Ludovicus Frotier de la Meſſeliere decanus & theſaurarius, ut ſupra.

XIV. Carolus Frotier de la Meſſeliere decanus erat anno ſaltem 1708.

Hiſtoriæ S. Hilarii magni quædam adtexere placet de collegiatis eccleſiis, quæ abbatiæ titulo inſigniuntur.

Duæ ſunt eccleſiæ collegiatæ in urbe Pictav. altera B. Mariæ-majoris * quæ ſita eſt in foro veteri juxta comitum palatium; B. Johannis Bapt. altera, eccleſiæ cathedrali adjacens, quibus qui præſunt abbates appellantur. Abbas B. Mariæ-majoris ſedet inter canonicos eccleſiæ cathedralis, poſt dignitates. Abbas S. Johannis nominatur ab epiſcopo & eſt perſonatus *. Rector autem ſeu parochus hujus eccleſiæ, ſolus olim baptizabat omnes infantes qui Pictavii naſcebantur; & etiamnum canonici eccleſiæ cathedralis Sabbato ante Paſcha & Pentecoſten luſtrales fontes hujus eccleſiæ benedicunt, in eaque divinum officium peragunt in Nativitate S. Johannis Baptiſtæ.

* Noſtre-Dame la Grande.

* Sedere etiam dicitur poſt dignitates eccl. cathedr.

Reperimus aliquot abbates S. Mariæ-majoris in chartis S. Cypriani, quos hîc ſubjicimus.

Abbates S. Mariæ-majoris Pictav.

I. Launus ſeu Launo abbas S. Mariæ-maj. Pictavienſis circa 950. dicitur etiam archidiaconus eccleſiæ S. Petri. *Eſtiennot.*

II. Gaufredus ſubſcribit chartæ Iſamberti epiſcopi dantis S. Cypriano eccleſiam S. Vincentii apud Chinipiacum, *Chenechê*.

III. Iſembertus teſtis eſt in donatione Otgerii ſacerdotis facta S. Cypriano regnante Philippo rege. Subſcribunt pariter Iſambertus epiſc. Pictav. & Arnulfus Santonenſis.

IV. Garnerius I. clericorum S. Mariæ abbas nominatur in tabul. S. Maxentii ad annum M. LXXXIX. & ad an. M. XCVII. in charta S. Crucis de Talemundo: forte idem eſt qui in præfato S. Maxentii tabulario legitur. Vide in appendice

C. XXIV. col. 343.

V. Garnerius II. ad annum, M. C. V.

VI. Rainaldus in eodem chartario nominatur an. M. C. XXII. conſule Beſlium pag. 463.

VII. Johannes I. de Lyons abbas ſecularis B. Mariæ-majoris & officialis Pariſienſis, memoratur in charta Andoini Alberti epiſc. Pariſienſis anno 1350. indict. IV.

VIII. Guillelmus de Fayole licentiatus in legibus, canonicus Pictavienſis abbaſque S. Mariæ-majoris 1431. cujus anniverſarium celebratur die 17. Julii.

IX. Petrus I. de Sacierges epiſc. Lucion. & abbas S. Mariæ-majoris an. 1487. obiit 1514. In necrologio S. Petri ſeu eccleſiæ cathedralis Pictav. ejus anniverſarium notatur 15. Nov. & in regeſtis capituli B. Mariæ-majoris ab an. 1530. habetur: *Decima die Septembris anniverſarium defuncti reverendi domini Petri de Sacierges epiſcopi Lucionenſis & hujus eccleſiæ abbatis, inſtar aliorum anniverſariorum ejuſdem ordinis; & dicuntur collectæ, Deus qui inter apoſtoliquos*, &c.

X. Johannes II. Chambon ſediſſe dicitur poſt Petrum de Sacierges.

XI. Philippus Chambon abbas B. Mariæ & canonicus Pictav. eccleſiæ S. Petri, obiit an. 1556. Ipſius autem anniverſarium agitur die 17. Febr. ex præfato. necrol.

XII. Guido I. Cheſſe an. 1601.

XIII. Johannes III. Eſchinard abbas B. Mariæ & prior ſancti Leodegarii de Palirus & de Celliers, obiit 22. Aug. 1652. ætatis ſuæ 74. Ejus anniverſarium recolitur 21. Aug. ex necrol. eccleſiæ cathedralis.

XIV. Guido II. Chevalier, cujus fit anniverſarium die 18. Julii ex necrol. eccl. cathedr.

XV. Petrus II. de Targe canonicus & abbas beatæ Mariæ-majoris, obiit IV. cal. Maii ex necrol. SS. Trinit. Pictav. ubi decem ſolidos pro ſuo anniverſario dediſſe huic parthenoni memoratur.

Digitized by Google

Abbatiæ quæ in priſtino ſtatu perſeverant, vel etiam florent in diœceſi Pictavienſi, ſunt plurimæ.

Ordinis S. Benedicti.

S. Cyprianus, *S. Cyprien.*
Nobiliacum, *Nouaillé.*
S. Maxentius, *S. Maixent.*
Monaſterium-novum, *Mouſtier-neuf.*
S. Jovinus de Marnis, *S. Jouin de Marnes.*
Carrofus, *Charroux.*
S. Savinus, *S. Savin.*
Quinciacum, *Quinçay.*
Nantolium, *Nanteuil en vallée.*
B. M. de Allodiis, *les Alleurs.*
S. Leonardus de Ferraria, *Ferrieres.*
Campus-bonus, *Chambon.*
B. M. de Sede-Brignoni, *la Sie en Brignon.*
B. M. de Morellis, *Morreaux.*

Feminarum.

S. Crux, *ſainte Croix.*
SS. Trinitas, *la ſainte Trinité.*
Fons-ebraldi, *Fontevrauld.*
Bona-vallis, *Bonneval de Thouars.*

Ordinis S. Auguſtini.

Cella S. Hilarii, *la Celle S. Hilaire.*
Cella B. Mariæ, *la Celle.*
S. Launi Thoarc. *S. Laon de Thouars.*
Fons-comitis, *Fontaine le comte.*
S. Maria Regalis, *la Reau.*
Angla, *ſainte Croix d'Angle.*
S. Severinus, *S. Severin.*

Ordinis Ciſtercienſis.

B. Maria de Caſtellariis, *les Chaſtelliers.*
B. Maria de Pinu, *le Pin.*
B. M. de Stella, *l'Eſtoile.*
Miſericordia Dei, *la Mercy-Dieu.*
Valencia, *Valence.*
B. M. Bonæ-vallis, *Bonnes-vaux.*

S.Cyprien.

S. CYPRIANUS.

S. Cypriani vetus ac nobilis abbatia, in ſuburbio Pictav. conſtruitur an. 828. a Pipino rege Aquitaniæ (filio Ludovici Pii,) uti affirmant Aymarus Cabanenſis & chronicon Malleacenſe. At cum paulo poſt a Normannis penitus diruta fuiſſet, reſtauratorem habuit Frotharium II. Pictav. antiſtitem, qui, omiſſo S. Cypriani nomine, dicari voluit monaſterium in honore B. M. & S. Martini, ut palam fit ex ipſius charta noſtris adjecta inſtrumentis, ex privilegio Johannis XI. & multis aliis documentis. Aliquando etiam additur S. Petri nomen aut S. Severiani vel Severini. Poſtea tamen revixit nomen S. Cypriani, & ſolum obtinuit. Porro Cyprianus hic, non eſt celeberrimus martyr Carthaginenſis, ſed alius martyr qui cum fratre Savino paſſus eſt apud Pictones. Vide Labb. tom. 2. biblioth. novæ pag. 665. Corpus ſancti martyris ad Pictavienſem urbem delatum eſt, & in loco ejus ſepulturæ conditum eſt monaſterium juxta urbem, cui Froterius caſtellum ſuum Ludriacum, *Luray*, dedit. Sic igitur inſtauratum cœnobium Theotolo Turonenſis archiep. dedicavit an. 936. III. cal. Octob. multiſque donis cumulavit, quæ legi poſſunt in Theotolone. Jam vero quam illuſtre olim fuerit iſtud monaſterium, hinc patet quod plures in eo ſanctiſſimi præſules ſepulturam elegerint, in quibus Ebroinus Pictav. epiſcop. & abbas monaſteriorum S. Germani a Pratis, & S. Hilarii Pictav. Frotarius II. Petrus I. Iſembertus dictus *Senebault*, & Guillelmus Temperii Pictav. epiſcopi, quorum quatuor ultimorum adhuc fiunt anniverſaria in Quadrageſima, ſicque annuntiantur: I. Bonæ memoriæ D. Froterii, primi fundatoris opificiſque hujus ſacri cœnobii. Hic ſepultus jacet in veteri eccleſia juxta januam quæ reſpicit cimiterium. Fuerat olim ibi ſepulcrum pulcro opere fabricatum, ſed hujus, poſt ruinam templi, nullum nunc apparet veſtigium. II. B. Petri qui fertur miraculis inclaruiſſe & ſancti titulo fuiſſe inſignitus. Adhuc manet ejus ſepulcrum in veteri eccleſia, juxta portam quæ tangit clauſtrum ex latere adverſo. III. Anniverſarium D. Iſemberti dicti *Senebault* Pictav. epiſcopi, cujus tumulus tangit ſepulcrum memorati Petri epiſcopi. Poſtremum fit anniverſarium bonæ memoriæ D. Guillelmi quondam Pictavienſis epiſcopi glorioſi, ſcilicet in vigilia Dominicæ in Ramis Palmarum, niſi fuerit feſtum XII. lectionum ipſo die; vel feria ſexta anniverſarium debet anticipari, quia reverendus epiſcopus ab hoc ſeculo migravit in dicta vigilia. Obſervatur ejus inſignis tumulus ſummo cum honore in capella B. Mariæ, multiſque in dies decoratur miraculis. Adde etiam quod in eodem monaſterio Guillelmus II. Aquitaniæ dux, abjectis ſeculi pompis vitam monaſticam profeſſus ſit, ipſique aliquando paruerit Malleacenſe monaſterium. Acceſſit hoc monaſterium ad congregationem S. Mauri an. 1642. die 7. Sept. curante potiſſimum Henrico Ludovico Chateigner de la Roche-pozay Pictav. epiſcopo & abbate S. Cypriani. Porro hujus loci abbas erat olim perſonatus natus in eccleſia cathedrali Pictav. ſedem obtinebat poſt dignitates ante canonicos, habebatque, ut vocant, ſuam hebdomadam, ut ceteri canonici pro collatione beneficiorum vacantium, ſed ex quo deſierunt abbates regulares, capitulum nominat per hebdomadam abbatis S. Cypriani.

C. tv. col. 328.

Abbatum elenchus.

I. Alduinus ex abbate ſancti Cypriani ac deinde Carrofenſi factus eſt epiſc. Pictav. anno 937. ex chronico.

II. Martinus reſtauratum a Frotario monaſterium ſumma cum laude gubernavit ab anno ſaltem Rodulfi regis undecimo. Neque vero ad id ſolum ſuam ſollicitudinem extendit, nam & S. Auguſtini apud Lemovicas, Angeriacenſe in Santonibus, & Gemeticenſe in Normannia inſtauravit; & hoc quidem rogatu Willelmi Normannorum ducis, collocatis ibi duodecim ex ſuis monachis. Qua in re notatu id maxime dignum videtur quod refert Willelmus Gemeticenſis, Martinum ſcilicet voto ducis ibi monachum profiteri cupientis obſtitiſſe, eo quod filius ejus Ricardus adhuc puerulus eſſet,

Digitized by Google

ob cujus imbecillitatem iniqui potuiſſent turbas excitare. Ejus tempore Alboinus * Reſurrectionis monaſterium S. Cypriano conceſſit. Nominatur etiam in charta donationis factæ a quodam Simone ejuſque uxore Plectrude, alodii apud Pollicias villam pagi Pictav. in vicaria Brainſi. Conſule Mabill. ad an. 934. n. 56. & ad an. 943. n. 61. quo notatur Martini obitus. In chronicis Ademari & Malleacenſi mentio fit Martini abbatis; ſed hallucinantur cum ejus præfecturam referunt ad tempora Pipini regis, circa an. 836. ſeculo enim integro eſt junior.

* ep. Pict.

Vide t. II. Bibl. Labb. pagg. 160 & 197.

III. Aymo nominatur in generali ſynodo Pict. menſe Maio, præſide Alboino epiſcopo, una cum optimatibus, canonicis & abbatibus in congregatione S. Petri majoris eccleſiæ, ubi proclamationem detulit adverſus Dodonem & Iſraelem presbyteros poteſtatis S. Petri, qui invaſerant decimas villæ Cuſiaci pertinentes ad capellam S. Maxentii, ex alodo Frotherii epiſcopi, quondam S. Cypriano traditas, ut docent chartæ hujus abbatiæ. Tranſtulit anno 944. * corpus ſancti Reverentii a Noiaſtro * caſtro, Pictavis in monaſterium S. Radegundis. Multa probant eum abbatis officio functum, vivente adhuc Martino, qui forte multorum aliorum monaſteriorum curis occupatus, ei locum ſuum in Cyprianeo ceſſerat. Vide Mabill. ad an. 943. n. 61

* *vel* 943. In chronico Maxentiano vel Malleacenſi dicitur abbas S. Johannis Bapt. & S. Cypriani, fortaſſe quia in monaſterii Angeriacenſis regimine Martino quoque ſubrogatus fuerat.

* Noüatre.

IV. Raynaldus ex chronico Malleacenſi ſubſcribit tabulæ Guillelmi Aquitanorum ducis, donantis S. Cypriano quædam in obedientia Exoletia; & in altera membrana, precatu *cariſſimi*, inquit, *domini ſui Raynaudi abbatis* conceſſit ad neceſſitatem fratrum, quoſdam homines ſervientes. Idem abbas tranſtulit corpus S. Reverentii in monaſterium Angeriacenſe, cujus forte abbas quoque fuit, ut Martinus & Aimo ejus anteceſſores. Vide Mabill. ad an. 943. n. 61.

V. Frotherius recenſetur in charta cujuſdam Bernardi largientis alodum ſuum S. Cypriano, anno ſexto regni Lotharii, & anno decimo regni ejuſdem in tabula Alboini præſulis dantis aliquot allodia eidem monaſterio. Sub hoc abbate, anno circiter 963. Willelmus dux Aquitaniæ, cognomento Caput-ſtupæ, monachum induit in Cyprianeo collegio, unde paulo poſt ſecedens apud S. Maxentium, ibidem obiit in pace, uti poſt Beſſium e veteri codice refert Mabillonius ad an. 963. n. 72. fortaſſe is eſt Frotherius qui fuit abbas Nobiliaci circa hunc annum.

VI. Geraudus I. nominatur abbas S. Cypriani in quibuſdam chartis annorum XX. & XXII. regni Lotharii, hoc eſt 973. & 975.

VII. Mainardus in pervetuſto abbatum catalogo poſt Geraudum collocatur.

VIII. Wandelbertus immediate poſt Mainardum reperitur in eodem catalogo. Et ſane teſtis eſt in tabula Achardi cedentis Begoni quædam dominia in villa Doallii, Hugone Capetio & Carolo de regno tunc contendentibus, videlicet circa an. 987.

IX. Geraudus II. in tabulis abbatiæ memoratur an. 989. & iterum an. 2. regnante Roberto rege, hoc eſt 997. vel 998.

X. Giſlebertus Abbonis Floriacenſis abbatis conſanguineus, pro quo idem S. abbas ad S. Odilonem, cum in Waſconiam pergeret an. 1004. vitæ ſuæ ultimo, ſcripſit litteras a noſtro Mabillonio relatas ad hunc annum n. 48. Exſtat ejuſdem abbatis memoria in duabus chartis tempore Roberti regis. Et hic quidem Giſlebertus non alius eſſe videtur ac Gaubertus quem Sammarthani commemorant ad annum 1003.

XI. Frotgarius enuntiatur in charta S. Cypriani cum Giſleberto epiſcopo, Guillelmo comite, & Acfredo vicecomite Caſtri Eraldi poſt annum circiter 1005. inquiunt Sammarthani.

XII. Henricus in veteri abbatum elencho reponitur ante Adalgiſum qui ſequitur.

XIII. Adalgiſus monaſterium regebat tempore Iſemberti Pictav. epiſc. Iſlonis Santonenſis, Arnaldi Petragoric. & Ral onis Engol. hoc eſt circa an. 1016. Idem porro videtur eſſe ac Anſegiſus, cui eccleſiam S. Sepulcri in caſtro Calviniaco exſtructam, Iſembertus I. Pictavienſis præſul tradidit, regnante Roberto. Idem quoque Anſegiſus dono Ramnulfi militis accepit eccleſiam S. Hilarii ædificatam in inſula Riedia, ut patet ex variis chartis S. Cypriani. Præerat adhuc an. 1025.

Beſſy. pag. 402.

XIV. Fulcaudus in vetuſto abbatum indice Anſegiſum ſubſequitur, ſub quo prioris officium exercuit, ex charta apud Beſſium pag. 402.

XV. Conſtantinus ab ultimis annis regni Roberti ad Philippi regis annum 2. hoc eſt 1061. ſediſſe legitur, quod maxime dubium eſt, quando in actis inaugurationis ejuſdem Philippi regis anno 1059. Arnoldus abbas Pictavienſis recenſetur, qui forte abbas erat S. Cypriani. Certe Ramnulfus Rabiolus Conſtantino ceſſit eccleſiam S. Petri apud caſtrum Dampetræ, coram Iſemberto epiſcopo, & Hugone Leziniaci, regnante Ainrico rege; eodemque tempore ſedebat Conſtantinus, quo Pictav. comes cepit Barbaſtam, hoc eſt circa an. 1063. vide Beſſium pag. 373.

XVI. Fulcherius Conſtantinum ſequitur in veteri abbatum catalogo.

XVII. Rainaldus ſeu Rainaudus II. S. Roberti fundatoris Caſæ-Dei diſcipulus, ſuo ævo magni nominis abbas exſtitit. Is anno 1069. aliquid ad dotem Monaſterii-novi contulit, ut ex ejus charta. An. 1072. Lanfrancus Cantuarienſis archiepiſcopus vindicias S. Hilarii a calumniis Berengarii, ad noſtrum abbatem, uti petierat, direxit; quo etiam anno Anſelmus tunc Becci prior, necrologium ſuum eidem tranſmiſit. Adfuit autem Rainaldus anno 1080. II. nonas Octobris, concilio Burdigalenſi, ubi conceſſo Sylvæ-majori privilegio ſubſcripſit. Idem anno ſeq. chirographum ſuum appoſuit concilio Santon. & litteris Willelmi comitis Pictav. ac totius Aquitaniæ ducis, quibus eccleſiam ſancti Eutropii Santonenſis Cluniaco & abbati Hugoni contulit, ex chartulario Cluniacenſi. Circa vero id temporis Cluniacenſibus monachis qui ſibi monaſterium S. Cypriani ſubjicere volebant, viriliter obſtitit, tribuſque in conciliis fratres Majoris-monaſterii devicit, faventibus ſibi Amato legato & Iſemberto Pict. præſule, cujus nihilominus haud multo poſt nepoti cognomini, uxorato & archidiac.

poſt

Digitized by Google

poſt Iſemberti patrui deceſſum onus epiſcopale ambienti ſe ſe oppoſuit. Laudatur Rainaldus ab Urbano II. quod opem tulerit Eccleſiæ Romanæ laboranti, ejuſque pontificibus, epiſtola quam edidit Dacherius noſter in notis ad epiſt. Lanfranci pag. 373. Et revera Victori III. Urbano II. & Paſchali II. contra Guibertum ſemper & modis omnibus favit. Hinc pro ſua in ſedem apoſtolicam reverentia plura meruit ab ejus pontificibus obtinere diplomata ; unum ſcilicet a Gregorio VII. datum Lateranis VI. cal. Apr. pontificatus anno VII. ind. III. Ab Urbano II. unum & alterum ; in primo IV. nonas Novembris dato anno 1091. laudavit ei quidquid juris & canonicæ poteſtatis habebat in eccleſia S. Crucis de Angla ; altero ipſi Romæ tunc degenti in mandatis dedit, ut adjuncto ſibi Gervaſio S. Savini abbate, collectas in Gallia, maxime vero in Aquitania, faceret ad inopiam Eccleſiæ Romanæ ſublevandam. Porro hi duo abbates an. 1091. teſtes fuerunt donationis eccleſiæ S. Felicis de Silare factæ B. Roberto Caſæ-Dei a Petro Pictavienſi epiſcopo. Rainaldus autem hujus antiſtitis familiaris, excepit donum Boſonis vicecomitis Caſtri-eraldi & uxoris Ænors de abbatia S. Romani *, factum B. Cypriano. De hoc abbate audiendus auctor vitæ Bernardi ſucceſſoris ejus & abbatis Tironienſis : *Eſt*, inquit, *ab hac civitate* (Pictavio) *non longe poſitum S. Cypriani monaſterium, quod eo tempore regebat abbas Raynaudus, vir apprime litteris eruditus, tanta ſapientia præditus, ut in conciliis publicis cauſarum perorator eſſet elegantiſſimus. Cujus rei gratia in Romana etiam curia bene notus & acceptus erat, & in Aquitania famoſus habebatur. Prædictum vero monaſterium tunc temporis habebat quamplures monachos genere nobiles, ſed ſanctitate vitæ ac morum honeſtate multo nobiliores, quorum unus fuit Hildebertus Dolenſis abbas, deinde Bituricenſis archiepiſcopus.* Idem ſcriptor vitæ Bernardi ſucceſſoris cap. 21. eum *prædicat virum ornatum privilegiis ſummæ ſanctitatis & innocentiæ & ſapientiæ*, de quo Baldricus Burgulienſis abbas in carminibus hiſtoricis ita cecinit :

In ſibi dilecto requievit philoſophia
Rainaldo, quem vas fecerat eſſe ſuum.
Hic igitur ſancti Cypriani floruit abbas,
Eccleſiam ditans ordine, rebus, agris.
Pene loci quæcumque fuit poſſeſſio primum ;
Hanc duplicem peperit ſollicitudo patris.
Tandem Rainaldi pars promtior aſtra petivit ;
Hic quæ terra fuit portio, terra fuit.

Obiit quarto ægritudinis menſe, deſignato ſibi ſucceſſore, anno 1100. ex chronico Malleacenſi ; quem ſane putamus eum eſſe Rainardum qui notatur in necrologio Divionenſi 2. cal. Julii.

XVIII. B. Bernardus de Abbatis-villa, Pontivenſis, ſub Rainaudo religionis tyrocinium poſuit, inde monaſterii S. Savini præpoſitus, renuntiatur abbas D. Cypriani, ſed a Cluniacenſibus poſtea laceſſitus abbatiam ſuam deſerit, ad quam poſtea revocatus, pro ejus libertate aſſerenda Romam bis profectus eſt. Rebus monaſterii in tuto poſitis adverſus Cluniacenſes, iterum abdicavit Bernardus, cum ſummi pontificis licentia, & prædicando verbo Dei, excipiendiſque confeſſionibus, liber ab aliis curis, totus incubuit. Demum anno circiter 1113. Tironium monaſterium fundat ſibi a Rotroco Perticenſi comite datum. Mortuus eſt die 25. Aprilis an. 1116. priſcis patriarchis & apoſtolis comparatus. De illius geſtis plura in ejus vita cum notis hiſtoricis edita.

XIX. Petrus I. ex monacho Burgidolenſi aſſumtus abbas brevi tempore præfuit.

XX. Petrus II. cognomine vel natione *Gaſconus*, alteri Petro ſucceſſit ex chronico Malleacenſi. Is an. 1110. eccleſiam S. Chriſtophori Mortemaris accepit a Petro Pictav. epiſcopo, quem non ita multo poſt, anno videlicet 1115. apud S. Cyprianum ſepelivit. Anno M. C. XI. idem abbas Podiæ * ordinis Font-ebraldenſis dedit eccleſiam S. Bonifacii. Præerat adhuc 1119. quo anno bullam accepit a Calixto papa II. Vide Johan. Beſly pag. 437. & append. hiſt. Tutellenſis pag. 478.

* la Puye.

XXI. Aimericus reperitur abbas in pervetuſto inſtrumento notis temporis deſtituto ; fortaſſe is eſt Aimericus qui ſubprior memoratur ſedente Petro II. anteceſſore.

XXII. Maſcelinus concordiam fecit cum Petronilla abbatiſſa Fontis-ebraldi, in manu Gaufredi Carnot. epiſcopi & legati apoſtolici anno 1136. ex magno chartulario Font-ebraldenſi. Vivebat adhuc an. 1150.

* S. Romain de Chatelerault. Cujus tunc abbatem fuiſſe quemdam Stephanum alicubi legimus.

Preuves de la vie de Robert d'Arbriſſel pag. 613.

XXIII. Mainardus.

XXIV. Airaudus.

XXV. Hugo I. tranſigit an. 1183. cum abbatiſſa Fontis-ebraldi. Nominatur etiam 1186. in pancharta S. Martini Turonenſis.

XXVI. Thetbaudus.

XXVII. Willelmus I.

XXVIII. Petrus de Veonolio, *al.* de Bonolio reperitur abbas S. Cypriani an. 1199. in litteris Alienordis reginæ Angliæ ac ducissæ Aquitaniæ pro Monaſterio-novo. Præerat adhuc an. 1211.

XXIX. Guillelmus II. 1214. ex fragm. hiſt. eccleſ. Aquitan. viri clariſſ. Nicolai de Sainte-Marthe, 1219. ex charta Nobiliacenſis monaſterii, & 1221. quo anno terram de Vignaus in parochia de Liniers dedit ad cenſum annuum.

XXX. Johannes I. de la Jabrouille ſequeſter fuit compoſitionis inter fratrem ſuum Petrum de Jabrolia militem & Raërium abbatem Nobiliacenſem, ſuper litigioſis apud Ferraboeuf an. 1226. Controverſiam habuit Johannes cum militibus Templi an. 1229. Quo an. mortuus ſit ambigitur. Sepultus eſt in capitulo & habet anniverſarium.

XXXI. W. an. 1235. ex ſchedis D. Claud. Eſtiennot.

XXXII. Rainaldus III. 1239. ex veteri Gall. Chriſtiana.

XXXIII. Hugonis II. ſola mors innoteſcit ex fragmento rotuli, quod noſter D. Edmundus Martenne reperit in operculo MS. codicis monaſterii Miſericordiæ-Dei, hoc modo : *Fratrum Minorum de Martello, animæ domni Hugonis abbatis S. Cypriani & omnium fidelium defunctorum per miſericordiam Dei requieſcant in pace. Oravimus pro veſtris, orate pro noſtris. Rotulus iſte fuit apud nos die Mercurii poſt Paſcha anno D. M. CC. XLVIII.*

XXXIV. Nicolaus I. 1258. & 1264. quo an.

Digitized by Google

domum de Grevis diœceſis Turonenſis cœpit ad cenſum a Gaufredo abbate & conventu Prulliac. Memoratur etiam annis 1273. 1274. & 1275.

XXXV. Simon 1288. Exſtat ejus tumba in clauſtro, cum hoc epitaphio: *Simonis abbatis hic oſſa..... beatis jungat, dicatis Pater noſter, vos qui viſitatis pro veſtro fratre Simone tamquam patre.*

XXXVI. Hugo III. de Maulaio, *al.* de Montayo, ex eleemoſynario factus abbas S. Cypriani, obiit anno 1315. ut docet ejus epitaphium his conceptum verbis: *Hic jacet frater Hugo de Maulaio quondam abbas iſtius monaſterii, qui obiit nonas Maii, anno Dom. M. CCC. XV. Anima ejus*, &c.

XXXVII. Guido de Clauſtris regebat anno 1320.

XXXVIII. Aimericus II. de Billeyo reperitur abbas S. Cypriani 1333. 1338. 1350. 18. Aprilis,& 1351. quo anno quædam commutavit apud Caſtrum-Aichardi cum Guillelmo abbate Nobiliacenſi. Is eſt proinde qui conſervator & judex ordinis Fontebraldenſis bulla Clementis papæ VI. an. 1344. conſtitutus eſt. Vivebat adhuc an. 1361. ſub quo pene deſtructum eſt monaſterium ab Anglis & Francis inter ſe dimicantibus.

XXXIX. Guillelmus III. de Rivallo.

XL. Tetbaudus II. de Clauſtris ſedebat anno 1365. Hujus meminit vetus codex MS. monaſterii his verbis: *Anniverſarium domni Theobaldi de Clauſtris abbatis iſtius monaſterii; jacet ipſe ſub quadam tumba in pavimento eccleſiæ ſita intra capellam B. Mariæ & S. Johannis Baptiſtæ.*

XLI. Alexander de Chaunay an. 1375.

XLII. Johannes II. Drieſt *vel* Dieſt memoratur in inſtrumentis annorum 1378. & 1390.

XLIII. Johannes III. de Chaunay, ex qua gente olim toparchæ de Chandenier in Pictonibus prodierunt, obiit an. 1400.

XLIV. Johannes IV. Bertrand an. 1409. miſit procuratorem ad concilium Piſanum, ex ipſius actis tom. VI. Spicil. pag. 365. Sedebat an. 1419. quem poſtea nepoti ſuo Yvoni pedum dimiſiſſe notat Nicolaus de Sainte-Marthe in fragm. MSS. hiſt. Aquitan.

XLV. Yvo Maillard ex ceſſione Johannis pedum obtinuit circa an. 1420. ſed non pacifice, ut videtur, niſi quando Jacobus qui ſequitur ad abbatiam S. Martini Lemovicenſis tranſlatus eſt. Memoratur an. 1447. & in tabulario monaſterii an. 1450. inquit noſter D. Claud. Eſtiennot.

XLVI. Jacobus Joviondi de Drouilles nobilis Lemovix, nepos Petri de Drouilles abbatis S. Martialis, ſedebat an. 1431. quo præſens fuit in capitulo S. Hilarii de Cella pro inſtitutione Univerſitatis Pictav. Reperitur adhuc an. 1432. Poſtea vero factus eſt abbas S. Martialis Lemovicenſis, ac S. Martini. Quæ dicuntur de ejus epiſcopatu parum certa nobis videntur. In abbatibus S. Martini Lemov. poni debet ante Albertum de Jovion.

XLVII. Guillelmus IV. Maillard, Yvonis nepos, anno 1450. prioratum S. Andreæ Monſterolii confert.

XLVIII. Petrus III. de Chaumont decretorum doctor & profeſſor in facultate Pictavienſi, judex etiam & conſervator privilegiorum Univerſitatis, abbas legitur an. 1466. Hic an. 1470. juſſu Pauli II. de vita & moribus Ludovicæ de Blanchefort futuræ abbatiſſæ SS. Trinitatis Pictav. inquirit. Idem a ſummo pontifice delegatur conſervator privilegiorum eccleſiæ & ordinis Font-ebraldenſis an. 1473. ſedebat adhuc 1476.

XLIX. Antonius de Villars obiit an. 1479.

L. Johannes V. de Champropin ex nobili gente dominorum de la Roche-Beluſſon ad Anglinum, præerat anno 1507. die 5. Octobris ex charta authentica regiæ biblioth. Diem clauſit extremum an. 1508.

LI. Antonius de Champropin monachus S. Cypriani, ex patrui ceſſione fit abbas ejuſdem monaſterii, cum jam eſſet eleemoſynarius Carrofenſis, ac cœnobiarcha Fontis-Gombaudi & Mille-becci. Mortalitatis debitum explevit an. 1539.

LII. Gabriel Bouvery Andinus ex nobili familia hujuſce nominis, Guillelmi Poyeti Franciæ cancellarii ex ſorore nepos, abbatiam S. Cypriani obtinuit in commendam a Franciſco I. rege Francorum, cui jam præerat an. 1541. Habuit etiam abbatiam S. Nicolai Andegavenſis, & epiſcopatum ejuſdem urbis.

LIII. Nicolaus II. Bouvery, theſaurarius & canonicus Andegavenſis, abbatiam obtinuit ex fratris ceſſione, qua jam anno 1551. potiebatur. Ejus tempore deſtructum fuit monaſterium a factioſis hominibus. Vivebat adhuc an. 1575.

LIV. Antonius II. Iſoré ortus ex illuſtri genere dominorum de Pleumartin baronum d'Hervault, fuit abbas S. Cypriani ab anno ſaltem 1580. ad 1587.

LV. Bartholomæus Aubert canonicus S. Hilarii & conſiliarius regius Pictavii, fit abbas anno 1587. ex ceſſione præcedentis cujus erat major vicarius. Obiit an. 1596. ſepultus in eccleſia S. Hilarii, cum hoc epitaphio: *Hoc tumulo generoſa pietate condita ſunt oſſa Bartholomæi Aubert abbatis S. Cypriani.... doctoris, & in ſenatu Pictonum conſiliarii regii, quintili menſe M. D. XCVI.*

LVI. Henricus-Ludovicus de la Roche-pozay poſtea epiſcopus Pictavienſis, inter inſigniores monaſterii benefactores merito numerandus, quo procurante an. 1642. reformatæ congregationi ſancti Mauri unitum eſt S. Cypriani monaſterium. De hoc abbate plura in epiſcopis Pictav.

LVII. Benignus Bruneau bibliothecæ ducis Aurelianenſis ac deinde regiæ præfectus, abbatiam obtinuit a die 15. Aug. 1651. ad an. 1666. quo vivere deſiit menſe Julio.

LVIII. Carolus-Franciſcus de Lomenie de Brienne doctor Sorbonicus, epiſcopus Conſtantienſis *, abbas erat an. 1670. præeſtque adhuc feliciter, abbas ſimul S. Germani Autiſſiodorenſis & ſancti Eligii Noviomenſis.

* Coutances.

Non reperimus in catalogis Renatum de quo locuti ſumus in Petro de Ambaſia Pictav. epicopo.

NOBILIACUM.

Noaillé.

NOBILIACENSE S. Juniani in pago Pict. monaſterium ord. S. Ben. prius fundatum eſt apud Mariacum, *Mairé*, a S. Juniano, & a rege Chlotario amplificatum circa annum 559. deinde apud

Digitized by Google

Nobiliacum a fundamentis excitatum fuit jubente Carolo-magno, & curante potiſſimum Atone Santonenſi præſule, cujus vide chartam inter inſtrumenta, necnon Annales Cointii ad an. 812. n. 40. Inaugurationem templi deſignat chronic. Malleacenſe his verbis: *An. ab Inc. Dom. D. CCC. XXX. baſilica S. Hilarii Nobiliaco dedicatur & corpus S. Juniani illuc transfertur a Mariaco villa, quam tranſlationem fecerunt abbas Godolenus, adjuvante Sigibranno epiſcopo.* Num autem aliquando Nobiliacum abbatiæ S. Hilarii paruit? Hoc ſane innuit charta Guillelmi ducis Nobiliacum S. Hilario reſtituentis, quæ ſic incipit: *Legibus humanæ conditionis*, &c. apud Beſlium p. 269. Abbatum vero nomina ex authenticis chartis Nobiliacenſibus & aliis excerpta damus.

C. XXVII. col. 345.

A

B

SERIES ABBATUM.

I. S. JUNIANUS primus abbas Mariacenſis fuit. Hic apud Pictones anachoreticam vitam recluſus aliquandiu duxit, ſcilicet apud Coloniacum, *Chaunay*, unde in S. Radegundis notitiam & familiaritatem venit. Poſtea confluentibus ad illum diſcipulis, anguſtum condidit monaſterium, cui rex Chlotarius Mariacum locum aptiorem conceſſit, ubi conditæ ædes commodiores. Migravit ad Dominum eodem anno eodemque die quo S. Radegundis, quæ ipſum magnopere coluit, nempe idibus Auguſti anni 587. Corpus ejus in cœnobio Mariacenſi ſepultum, in Nobiliacenſe tranſlatum eſt ſec. IX. Vitam ipſius conſcripſit Wlfinus Boëtius rogatu Godoleni abbatis Nobiliac. eodem ſeculo. Vide t. 1. Act. SS. ord. S. Bened. p. 307.

C

II. Auremundus S. Juniani diſcipulus ab ipſo deſignatur ſucceſſor. Ibid.

III. Chrocelmus Mariacenſis abbas ſive Nobiliacenſis occurrit in fragmento cujuſdam inſtrumenti anno circiter 664. ut admonet Mabillonius ad annum prædictum n. 36.

IV. Abbomierus vocatur deceſſor Abolomieri in charta concambii, de qua mox in ipſo Abolomiero.

D

V. Abolomierus videtur pro abbate haberi in placito Abbonis * & Jepronis abbatis * pro prædio Jaciaco, uti legere eſt tom. 2. Annal. Mabill. in appendice pag. 716. & apud Beſlium hiſtor. comit. pag. 149. ſic incipit: *Notitia ubi veniens Abolomierus ſexta feria ..... anno XII. regnante Carolo rege*, &c. In hac vero charta duo ſimul abbates recenſentur, Abolomierus & Hermenbertus, qui ſane reperitur ibidem anno 7. regnante Carolo rege.

* comitis. * S. Hilarii.

VI. Hermenbertus * loco citato Mabillonii nominatur, cujus tempore Ato * abbas (S. Hilarii Pictav.) cellam priſtinum in ſtatum reſtituere aggreſſus eſt, ex mandato Caroli-magni, uti nos docet diploma Ludovici Aquitaniæ regis, *actum Jogundiaco palatio III. nonas Aug. anno 25. regnante Carolo glorioſiſſimo rege & Ludovici regis an. XIV.* ex authentico vero editum eſt tom. 2. Annal. Mabill. in appendice, quod & nos recudimus in

E

* *al.* Hermentarius.

C. XXVII. col. 345. & C. XXVIII. col. 346.

* Hic abbas jam factus epiſc. Santon. Nobiliacenſem S. Juniani cellam erexiſſe in abbatiam dicitur, ipſique Hermenbertum abbatem præfeciſſe circa 810. *Vide in epiſc. Santon.*

noſtra. Idem Hermenbertus cum fratribus, beneficiorum memor promiſit Atoni, qui Sanctonum tunc erat epiſcopus, miſſam pro ipſo quotidie celebrandam, & pſalmum cum oratione ad ſingulas officii horas decantandum, ex inſtrumento dato menſe Martio an. 31. Caroli regis, hoc eſt 799. qui annus aſſignari debet chartæ. Videndus Mabill. ad an. 793. n. 25.

VII. Nemaldus Hermenbertum excepit, ex Mabill. ad an. Chr. 830. n. 46.

VIII. Daderius ante Godolenum qui ſequitur Mariacenſi præfuiſſe monaſterio videtur Mabillonio, ad annum 830. n. 46. ſedebat autem anno 2. Ludovici regis, hoc eſt 816. quo Ramnulfus advocatus S. Juniani, repetiit ab Alafredo Leofredum quemdam ſervum ſancti Juniani ex villa Teiciaco.

IX. Godolenus poſtremus abbas Mariacenſis, corpus S. Juniani Nobiliacum transferre decrevit, ibidemque novam conſtruxit baſilicam, & eam VIII. idus Novemb. *al.* nonis an. 830. dedicari curavit in honorem S. Hilarii. Eidem abbati nuncupavit Wlfinus Boëtius vitam ſancti Juniani. Vivebat an. 834. quo Gratianus advocatus ex monaſterio Nobiliaco, *ubi Godolenus rector eſſe videtur*, conqueritur de violentia illata ſuis hominibus anno vigeſimo regnante Ludovico imperatore, apud Beſlium hiſt. regum Aquitaniæ pag. 23. Item an. 849. donatio facta reperitur Godoleno abbati, an. IX. poſt obitum Ludovici imperatoris menſe Dec. Vide tom. 2. Labb. pag. 578.

X. Autulfus donum accepit anno 26. regnante Carolo rege menſe Januario. Sedebat jam anno 25. ejuſdem regis. Circa vero hæc tempora, anno videlicet 863. monaſterium a Normannis devaſtatum eſt.

XI. Guarinus quædam permutat cum nobili viro Berengario & Theodelinde ejus uxore, de conſenſu & voluntate Frotarii Bituric. archiep. & abbatis S. Hilarii, anno 2. regnante Carolo imperatore, & an. 2. Carlomanni regis *. Exſtant etiam donationes factæ Warino abbati annis 3. & 5. regnante Carolo rege. Memoratur & an. 1. Odonis regis poſt obitum Carlomanni, in tabulario S. Cypriani, inquiunt Sammarthani.

* Apud Beſlium hiſt. regum Aquitaniæ pag. 43.

XII. Rainaldus cœnobium rexit ſub Carolo rege cognomento Simplice. Et certe reperitur in quibuſdam chartis ann. 8. 14. & 19. regnante Carolo rege. Obiiſſe dicitur anno 915. *al.* 917. ex chronico Malleac.

XIII. Rothardus ordinatus poſt Rainaldum, ex præfato chron. Nobiliaco præerat annis 929. & 934. quo circiter tempore propugnavit libertatem eccleſiæ B.M. de Monte-vinardo, a qua Frotarius epiſcopus requirebat injuſte paratum & paſtum. Quædam ad cenſum accepiſſe legitur regnante Carolo anno 25. Ebolo Pictavienſium comite exiſtente. Hic autem Ebolus comes, & Eblo ejus vaſſallus nonnullas terras commutarunt *de dominicatione abbatiæ S. Pauli* cum Rothardo abbate de Nobiliaco monaſterio, menſe Martio an. XXVI. regnante Carolo rege. Recenſetur idem abbas an. IV. Radulfi regis, *Carolo in cuſtodia tenente*; anno VII. ejuſdem regis; anno 1. regis Ludovici Tranſ-

Digitized by Google

marini, & an. VI. ejuſdem regis, quo Guillelmus comes & Adela comitiſſa uxor ejus nonnulla dederunt ad monaſterium Nobiliac. & ad Rothardum abbatem, menſe Februar. Quædam inſuper accepit anno VII. ejuſdem Ludovici. Tandemque ipſius Rothardi charta reperitur anno IX. ejuſdem regis, hoc eſt 944. vel 945.

XIV. Alboinus epiſc. Pictav. erat abbas Nobiliacenſis ann. 949. 950. ſive anno XV. Ludovici regis, & 955. ſic autem legitur in chartulario: *Interveniente Dei gratia, Alboinus epiſcopus atque abbas cœnobii Nobiliacenſis, cum omni congregatione ipſius monaſterii, Bernerio ſacerdoti B. Petri canonico concedunt quaſdam terras in villa Vitziaco, quantum viſum eſt habere S. Mariæ & S. Lucæ Evangeliſtæ & S. Juniano & Nobiliaco monaſterio.* Obiit Alboinus an. 962. Erat etiam abbas S. Cypriani & Carroſi.

XV. Froterius immediate ſucceſſit Alboino; contra quod dicit chronicon Malleacenſe, Fulconem ſcilicet fuiſſe ordinatum an. 961. Froterius enim occurrit in chartis domeſticis an. VIII. Lotharii regis, hoc eſt 961. aut 962. Hunc tamen omittit noſter D. Claud. Eſtiennot.

*Imo an. 2. id eſt 956. *Eſtiennot.*

XVI. Fulco legitur abbas anno XII. * regnante Lothario rege, anno VII. regni Ludovici filii Lotharii, annis 2. & 5. Hugonis regis; & an. 2. rege Roberto; intellige, quo regni particeps factus eſt, hoc eſt 989. vivente patre. Vide inſtrumenta.

C. XXX. col. 348.

XVII. Conſtantinus Nobiliacum regebat annis VIII. & X. regnante Hugone, an. 1007. & anno XVII. [a] regni Roberti regis. Porro ſub ejus regimine circa an. 1011. procurante imprimis Odilone abbate Cluniac. monaſterium Nobiliacenſe renovatum fuit & ad meliorem ſtrictioremque diſciplinam informatum. Deceſſit anno 1014. ex chronico Malleac.

a

XVIII. Petronus an. 1015. vel 1016. ac ſub Iſemberto præſule Pict. memoratur. Hoc tamen omiſſo chronicon Malleac. Imonem qui ſequitur dat Conſtantino ſucceſſorem anno Chriſti 1014.

XIX. Imo ſub Roberto rege monaſterium adminiſtravit. Certe præerat an. 1024. quo pridie nonas Martias indict. VII. cella B. Mariæ de Leziniaco fundata ab Hugone de Leziniaco viro nobiliſſimo, ſubjecta eſt cœnobio Nobiliac. Vide Mabill. ad hunc annum num. 54. Obiit Imo an. 1036. ex chronico Malleac.

XX. Richardus eodem anno 1036. abbas ordinatus, rexit quatuor annis, ex catalogo Nobiliac. & chronico Malleac.

XXI. Petrus ſedebat an. 1040. cujus temporibus cum Nobiliacenſe monaſterium ſibi ſubjicere tentaſſet Iſembertus epiſc. Pictav. obſtitit Gregorius papa VII. ſcriptis ad eum epiſtolis ann. 1073. & 1074. quæ habentur inter hujus papæ epiſtolas lib. 1. epiſt. 73. & lib. 2. epiſt. 23. Reperitur adhuc Petrus an. 1077. in inſtrumento, de manumiſſione cujuſdam ſervi. Vide hiſt. comitum Pict. Johannis Beſly pag. 371.

XXII. Uebertus, ſive Humbertus vel Imbertus omittitur a Mabillonio, & certe nihil de eo dicendum nobis occurrit, niſi quod in hoc ordine ponatur in catalogo Nobiliac. & chronico Malleac.

XXIII. Bertrannus ſeu Bertrandus jam anno 1078. teſtis reperitur in placito inter Ebrardum abbatem S. Crucis Talamontis & monachos Vindocinenſes; quo etiam circiter anno chirographum ſuum appoſuit concilio Pictav. in quo clericorum filii a præbendis eccleſiæ S. Hilarii in poſterum arcentur. An. 1080. Vivianus & Aldeardis ejus uxor Deo offerunt filium ſuum Boſonem & cum eo partem hereditatis, in manu Bertranni abbatis Nobiliac. Gofrido duce Aquitaniæ, Iſemberto epiſcopo Pict. Francorum rege Philippo regnante. Interfuit eodem anno indict. III. 2. nonas Octob. concilio Burdegal. ubi a legatis S. ſedis aliiſque patribus conceſſum eſt inſigne privilegium Silvæmajori, rogante S. Geraldo monaſterii fundatore. Vide ſecul. VI. Bened. p. 2. pag. 869. Hujus tempore an. 1082. delatæ ſunt reliquiæ S. Juniani ad concilium Carroſenſe. Memoratur inſuper annis 1083. 84. 88. 90. & 92. regnante Philippo rege; qui tamen obiiſſe legitur an. 1091. in chronico Malleac.

XXIV. Gaufredus ſeu Goffredus ex chronico Malleac. Bertrando ſufficitur. An. 1095. quædam ei donationes factæ ſunt. Petrus Pictavorum epiſc. ſancto Juniano loci patrono eccleſiam S. Mariæ de Capella ſitam apud Mortuum-mare extra caſtrum, tradidit in manu Gaufredi abbatis Nobiliac. præſentibus ac teſtibus Gaufredo abbate Malleac. & Gumbaudo abbate ſancti Benedicti de Quinciaco. Actum in camera D. epiſcopi in feſto S. Praxedis virg. Philippo rege Francorum, Willelmo Aquitanorum duce. An. 1104. Gaufredus abbas molendinum de Caſſanis ſuo monaſterio vendicari duello curavit. Ipſius quoque tempore Jordanus dominus de Caſtro-Achardi, maritus Ameliæ de Mortuo-mari, obtulit filium ſuum Job ſancto Juniano, ut ſub *monachili* habitu deſerviret. Obiit an. 1115. XIII. cal. Aug. ex necrol. Silvæ-maj.

XXV. Radulfus ſeu Rodulfus ſubſcripſit concordiæ abbatum Lemovicenſis & Vallenſis anno 1117. ex Vallenſi chartulario. Idem abbas privilegium obtinuit an. 1119. a Gelaſio papa II. adverſus clericos S. Hilarii, qui in feſtivitate S. Juniani non ſine tumultu chorum, clauſtrum & refectorium monaſterii occupare ſolebant. Hoc ipſum noſtris adjicimus inſtrumentis. Porro hujus abbatis temporibus Amelia de Mortuo-mari, uxor Jordani domini de Caſtro-Achardi, ante portam eccleſ. S. Juniani Nobiliac. ſepulta fuit, in cujus funere filii ejus omnes, *tam monachi quam laici, ſolemni devotione convenientes pari voluntate & conſilio, Hugo Fulcaudi videlicet cum filio ſuo Petro, necnon Petrus cognomento Talleſer, Boſo & Jordanus filii jam dictæ dominæ Ameliæ, poſtulantibus fratribus monachis, ſcilicet Samuhele, Job, Oliverio, donaverunt Deo & B. Mariæ ſanctoque Juniano &* monachis Nobiliacenſibus, quidquid mater eorum pro remedio animæ ſuæ dederat; totam ſcilicet ex integro terram de Faya-Raboti; & ſigno crucis ſuper altare S. Juniani propriis manibus confirmaverunt, & nonnulla addiderunt an. 1116. epacta

C. XXIX. col. 347.

[a] Legitur tamen Gausbertus abbas S. Juniani an. 13. Roberto regnante, apud Johan. Beſly pag. 280. probat. hiſt. comit. Pictav. ſed forte abbas erat S. Juniani Comodoliacenſis in diœceſi Lemovic.

Digitized by Google

IV. indict. IX. Occurrit adhuc Radulfus an. 1120. regnante Ludovico, & 1122. in charta W. Aquitaniæ ducis pro Stephano abbate Caſæ-Dei. Tandem obiit an. 1133.

XXVI. Willelmus I. ſedebat temporibus Willelmi II. Adelelmi Pictav. epiſcopi, hoc eſt circa annum 1135. In veteri charta reperitur 1147. Fortaſſe is eſt qui notatur in necrol. SS. Trinitatis V. nonas Martii.

XXVII. Robertus 1150. ſub quo monachum induerunt Odo de Mairé miles, & unus e filiis ejus. Item Iſembertus de Cella miles obtulit Deo, S. Hilario & S. Juniano filium ſuum primogenitum Willelmum nomine, & cum eo donavit ecclefiæ Nobiliacenſi terram de Baitrec, aſſentiente Hugone Leziniacenſi an. 1162. quo etiam anno ipſe Robertus dedit eccleſiæ Fontis-ebraldi & ſpecialiter domui & monialibus Fontis-ſancti-Martini terram de Loya, &c. Paciſcitur Robertus abbas & conventus Nobiliac. cum Ademaro & conventu Allodiorum ſuper litigioſis apud Chenetum. Idem abbas Hugonem Chabot militem an. 1164. munificum expertus eſt; ac denique an. 1167. arbiter electus, litem ſopivit inter abbatiſſam & conventum S. Crucis Pict. ac priorem canonicoſque S. Radegundis ſuper debitis obſequiis.

XXVIII. Joſcelinus de Mortuo-mari, ex ampliſſima dynaſtarum hujus nominis familia natus, monachum induit ſub Bertrando abbate, prioris officium exercuit ſub Rodulfo & Roberto abbatibus: cumque jam ætate grandævus eſſet, Nobiliacenſis abbas electus eſt, inter quem & Morinellum latum eſt judicium an. 1182. Nominatur etiam in quadam charta anni 1187. cum Willelmo abbate Cellenſi.

XXIX. Guillelmus II. de Moulins ex priore de Condato, *Comblé*. Vide Bouchetum Annal. Aquit. pag. 33. Factus abbas Nobiliacenſis, molendini quod exſtruxerat in aqua Vintriaci, reſtitutionem accepit ab Helia de Vivona, ſuadente & probante Willelmo Pictav. epiſcopo. Hugonem Leziniacenſem Marchiæ comitem pro damnis cœnobio illatis in litem vocavit an. 1198. *al.* 1199. & ad ſatisfaciendum judicum ſententia coëgit. Idem anno 1200. Gaufredi de Cella militis donum accepit.

XXX. Raërius memoratur in chartis annorum 1205. 1211. 1225. 1226. & 1234.

XXXI. Guillelmus III. 1238. 1250. & 1262. menſe Aprili, die Veneris poſt * feſtum B. Georgii martyris.

* *al.* ante.

XXXII. Helias Guidonis, vir venerabilis, ſumma cum laude multos per annos monaſterium gubernavit, cui jam præerat an. 1265. Ei quædam conceſſit Guido de Luzignan anno 1271. Cum Alfonſo comite Augi * paciſcitur anno 1273. Subſcriptus reperitur in charta data Romæ in domibus eccleſiæ B. Potentianæ 1288. in favorem Johannis Aycelini, ex archivis fr. Prædic. Claromont. Gaſtonem comitem Fuxenſem excommunicavit, quod non obtemperaſſet pontifici, prohibenti ne bellum gereret adverſus Bernardum Armaniaci comitem, ex tabulario caſtri Fuxenſis. Tandem vero ob eximiam eloquentiam, & inſignem juris canonici peritiam eligitur epiſcopus Æduenſis an. 1311. * Carus admodum fuit Clementi papæ V. a quo per Cabilonenſem & Matiſconenſem epiſcopos pallium anno ſequenti accepit. Diem clauſit extremum an. 1323. in eccleſia * cathedrali ſepultus.

* d'Eu.

* *al.* 1310.

XXXIII. Audebertus Porreti unit domum de Boſſayo prioratui de Frontenayo, Dominica ante feſtum S. Laurentii an. 1310. Eodem anno ex quadam charta: *Iſte abbas de fratrum conſenſu, conſiderata utilitate ſui monaſterii, necnon attentis expenſis & oneribus ac ſumptuoſa hoſpitalitate quas priores de Mairiaco neceſſe habent facere & ſuſtinere, dilecto fratri Imberto de Confluento priori de Mairiaco, maxime interventu precum & contemplatione rever. patris domini Helyæ Dei gratia epiſcopi Æduenſis prædeceſſoris ſui, avunculique dicti prioris, qui multas acqueſtas monaſterio Nobiliacenſi acquiſivit & fecit tempore quo idem epiſcopus ipſi monaſterio præſidebat, plurima concedit in donatione enumerata eidem priori vita comite*, &c. *Datum die Dominica poſt feſtum S. Dionyſii anno Domini M. CCC. X.*

Huic abbati jus patronatus & præſentationis ad eccleſiam de Conayo aſſeritur, ſententia lata ab officiali Burdegal. an. 1319. Jacet ad portam clauſtri, ſub campanili, ubi hanc habet epigraphen:

Eſt Audebertus Porret abbas ſub ea coopertus,
Petra . . . . . mitis, pius atque pudicus.
Hunc præcelſa manus benedicque ſacer Junianus,
Cui puer & canus ſervivit cotidianus.

XXXIV. Guillelmus IV. ſedebat annis 1331. 36. 58. & 59. cujus proinde temporibus anno 1356. commiſſum eſt prælium in extrema parte ſaltus Nobiliacenſis, ubi etiamnum Anglorum caſtra foſſis munita cernere eſt. Idcirco Nobiliacenſe potius quam Pictavienſe nuncupandum foret hoc prælium.

XXXV. Andreas de Monte-Joartnis de *Montjean* vel *de Montjoan* 1370. 83. & 87. Hactenus tumba ejus conſanguinei Guillelmi de Monte-Johannis, Nobiliaci prioris, eccleſiæ contigua cernitur, cum inſcriptione, in qua laudatur ob hoc maxime quod pro egenis domum ædificavit.

XXXVI. Pontius Tavelli reperitur abbas ann. 1393. & 1396. Is eſt profecto Pontius memoratus inter abbates qui ad ſynodum Piſanam procuratores cum plena poteſtate miſerunt an. 1409. ex ejuſdem actis tom. VI. Spicil.

XXXVII. Johannes I. ad quem exſtat bulla Martini papæ V. anno 2. ejus pontificatus, 11. idus Julii, ad reformanda monaſteria.

XXXVIII. Gaufridus II. 1447. 1451. 52. & 1456. quo anno querela ejus adverſus ſacriſtam ſopita eſt per arbitrariam ſententiam.

XXXIX. Radulfus du Fou epiſc. Engoliſm. poſtea Ebroicenſis, Nucarienſis abbas & S. Taurini, fuit etiam abbas Nobiliacenſis, ad cujus monaſterii uſum edi curavit breviarium an. 1473. Clauſtrum quoque, capitulum & ſacriſtiam conſtruxit; atque ſacellum B. Mariæ media parte am-

* Noſter D. Jacobus Boyer ſepulturæ locum minime determinat, idque ſolum aſſerit, jacere infra capellam B. Mariæ ſub tumulo elevato, prope murum, qui ingredientibus eſt a parte ſiniſtra.

Digitized by Google

pliavit, &c. Vide Bouchetum Annal. Aquitan. A p. 1. cap. 5. pag. 16. in fine. Obiit 1510. die 2. Februar.

XL. Claudius Huſſon de Tonnerre epiſcopus Pictav.

XLI. Johannes de Mareuil nobili ex proſapia oriundus, cum eſſet monachus Nobiliacenſis, hanc abbatiam ſimul & Quinciacenſem obtinuit, in quibus collapſam reſtituere conatus eſt diſciplinam regularem. Anno 1540. ſaluberrima in capitulo generali ſtatuta promulgavit, die 13. Auguſti B. Juniano ſacra. Teſtamentum ſuum condidit an. 1568. eoque multa pie conſtituit. Vivere deſiit an. 1574. ſepultus in ſacello B. Mariæ, e quo tranſ- B latus eſt ad portam capituli, ubi hoc habet epitaphium: *Reverendi D. Johannis de Mareuil hujus ac divi Benedicti cœnobiorum abbatis meritiſſimi, non minus pietate quam munificentia (magnificentia) generiſque claritate ac morum probitate inſignis, incredibili bonorum omnium mœrore corpus hic terra ſuſcepit, anima Chriſto reddita eſt calendis Octobris anno Domini 1574. cui propitius ſit Dominus, Amen.*

XLII. Jacobus des Prez de Montpezat, epiſc. Montalban. abbas S. Bened. Quinciac. & Monaſterii-novi, proventibus Nobiliaci gaudebat ſub confidentia Bernardi Benedicti, inanem abbatis ti- C tulum obtinentis. Is autem Jacobus a proprio famulo dicitur occiſus an. 1589.

XLIII. N. des Prez de Montpezat, ſuperioris nepos ex fratre, inducitur abbas a Sammarthanis.

XLIV. Bernardus Benedictus vel Benedicti abbas regularis, ſimoniæ aut ſaltem confidentiæ reus, totum cœnobii reditum marſupio Jacobi de Montpezat, cui præmittitur a noſtro D. Jacobo Boyer, inferebat, ſuperſtes adhuc an. 1597.

XLV. Franciſcus de Sigon de la Beraudiere ſenator Pariſienſis, ex præcedentis reſignatione fit abbas, ac deinde an. 1612. epiſc. Petrocoricenſis. An. 1614. ſtrictiorem in monaſterium obſervan- D tiam induxit, aſcitis e cœnobio S. Auguſt. Lemov. congregationis olim S. Vitoni monachis reformatis. Obiit an. 1646.

XLVI. Emmanuel-Bernardus de la Beraudiere, ſuperioris ex fratre nepos, doctor Sorbonicus, in ipſo flore juventutis exſtinctus eſt in ſuo prioratu de Saugerio die 30. Julii 1651. & majorum ſuorum ſepulcro illatus.

XLVII. Baſilius Fouquet, theſaurarius S. Martini Turonenſis, eodem anno factus abbas, ceſſit an. 1656. & obiit 31. Januarii 1689.

XLVIII. Franciſcus de Rebé archidiaconus & E comes Lugdunenſis; obiit Matiſcone die 9. Febr. 1665.

XLIX. Claudius de Thiard de Biſſy filius Claudii comitis de Biſſy & Eleonoræ Angelicæ de Nucheze, an. 1666. *al.* 1665. abbas nominatus, ceſſit in gratiam ſequentis an. 1669.

L. Henricus de Thiard de Biſſy, frater præcedentis, cardinalis & epiſcopus Meldenſis, necnon abbas S. Germani a Pratis, hactenus vivit.

S. MAXENTIUS.

S. Maixent.

ANtiqua S. Maxentii (olim S. Saturnini Toloſatum epiſcopi & martyris) abbatia ad Separim amnem, *la Sevre*, memoratur a Gregorio Turonico lib. 2. cap. 37. de cujus primordiis hæc legimus in pervetuſto ejuſdem cœnobii chartario: *Igitur Clodovei tempore abbadia noſtra proprie ſumſit exordium, quia ipſe ex ſua parte tribuendo hunc locum Adjutori Maxentio, eam maxime dotavit. Ante tempus ipſius, ſicut dinoſcitur, erat monaſterium dicti S. Maxentii, ſub regimine venerabilis Agapii presbyteri vel abbatis, cujus almus Adjutor, meritorum gratia exigente, ad paſtoralem curam ſucceſſit in monaſterio, quod tunc temporis dicebatur S. Saturnini martyris. Sed eodem Adjutore ibidem honorifice, ſicut decuit, defuncto, nomen monaſterii propter pretioſi corporis præſentiam in honore confeſſoris almi ab omni populo diu habitum eſt uſque ad tempus domni Ebulonis comitis vel epiſcopi Lemov. ſedis, qui inde ipſum corpus honorifice tranſtulit in baſilicam in qua uſque hodie requieſcit, necnon & corpus beatiſſimi martyris Leodegarii in eodem die de ſua eccleſia in eandem baſilicam ſimul collocavit, quam ipſe etiam ſuis opibus fieri juſſit atque dedicavit.*

Hoc ipſum monaſterium a Ludovico Pio inſtauratum fuiſſe legitur in vita ejuſdem imperatoris auctore Aſtronomo; atque in conſtituto ejuſdem principis an. 817. annumeratur inter Aquitan. monaſteria, quæ nec dona nec militiam dare debent, ſed ſolas orationes. Hoc cœnobium poſtea tot ac tantis regum ac principum privilegiis nobilitatum, opibuſque ac redditibus auctum eſt, ut ibi oppidum celebre S. Maxentii nomine inſignitum accreverit. Cum autem a Calviniſtis pene dirutum fuiſſet monaſterium, ope congregationis S. Mauri, cui annexum eſt, priſtinum ſplendorem recuperavit.

Vide Annal. Cointii t. 7. ad annum 812. n. 34.

Abbatum brevis historia.

I. BAgapitus ſeu Agapius e cœnobio S. Hilarii, ut aiunt, ab Attila Hunnorum rege deſtructo, abſceſſit cum ſociis ad locum ubi nunc poſitum eſt S. Maxentii monaſterium, ibique oratorium poſuit in honorem S. Saturnini ep. & martyris circa an. 459. Se ſe poſtmodum abdicavit regimine, abbatemque ſibi cum conſenſu diſcipulorum ſuffecit Adjutorem Maxentium. Adhuc in vivis erat erat an. 507. poſt Vogladenſem pugnam quando Clodoveus Maxentium adiit.

II. S. Maxentius Agathenſis, ita dictus ab alio cognomine e Syria oriundo, qui in urbe Agathenſi monaſterium condiderat, ubi trecenti ſub eo monachi Deo ſerviebant; monaſticis imbutus diſciplinis, inde ad pagum Pictavienſem digreſſus, in monaſterio Agapiti presbyteri abbas eligitur circa annum 500. Quibus miraculis Clodoveo magno conſpicuus fuerit narrat Greg. Turon. loco ſupra notato. Migravit in cœlum an. ætatis 77. 6. cal. Julii, ſepultuſque eſt in monaſterio * quod ab ipſo nomen accepit. Vide tom. 1. Act. SS. ord. Bened. p. 578. & tom. 2. biblioth. Labb.

* In eccleſia S. Saturnini quæ nunc eſt parochialis hujus urbis.

Digitized by Google

III. Dido legitur abbas in duobus elenchis, deindeque Pictav. epiſcopus; ſed Mabillonius qui paſſim agit de ipſo, Annalium tom. 1. nullibi dicit eum abbatem exſtitiſſe.

IV. S. Leodegarius rexit monaſterium ſex annis, ab anno ſcilicet 653. [a] ad an. 659. Clotarii regis quartum, quo aſſumtus eſt ad epiſcopatum Auguſtodunenſem, ubi de illo plura. Vide ſecul. 2. Bened.

V. Audulfus ſeu Andulfus beati Leodegarii corpus ex Atrebatenſi pago ad ſuum monaſterium advexit, accepta Regis facultate, juſſuque Anſoaldi Pictavorum epiſcopi; de qua tranſlatione vide in Anſoaldo. De miraculis a ſancto martyre patratis libellum ſcripſit Audulfus, tranſmiſitque ad Ermanaram abbatiſſam in pago Cadurcino. Ejuſdem Audulfi hortatu Urſinus vitam ſancti Leodegarii conſcribendam ſuſcepit. Suadente Anſoaldo epiſcopo auguſtiorem baſilicam in honorem ſancti Leodegarii [b] conſtruxit Audulfus, qui quidem floruit circa finem ſeculi VII.

VI. Tetbertus Caſino a Carolo-magno evocatus dicitur ad reſtituendam in monaſterio regularem diſciplinam. Huic Ludovicus Pius an. 815. aut 816. imperii ſui ſecundo, ind. VIII. præceptum immunitatis conceſſit. Unde in cenſu monaſteriorum habito an. 817. in conventu Aquiſgranenſi, S. Maxentii monaſterium nominatur inter ea quæ nec dona nec militiam, ſed ſolas debent preces.

VII. Reinardus ſeu Rainaldus cœnobium regebat an. 825. Impetravit a Pipino rege Aquitanorum, Ticiacum villam pagi Pictav. ad deprecationem Bernardi comitis, datis litteris XI. cal. Jan. anno XII. imperii Ludovici, & regni Pipini, hoc eſt 826. Anno ſeq. ſui regni 13. itemque 13. imperii domni Ludovici, idem rex præceptum edidit pro monaſterio.

VIII. Abbo tamquam abbas, & Gundacer prior an. 833. [c] præfuiſſe dicuntur in chronico Malleac. Verum Abbo prius abbas laïcus fuit, at poſtea, jubente Pipino rege, monachus factus, regulariter gubernavit. Ejus temporibus Pipini beneficio monaſterium pene collapſum reſtaurari cœpit. Vixit Abbo uſque ad an. 846. de quo vide Mabillonium ad an. 833. n. 16. & ad an. 846. n. 39.

IX. Arnulfus *vir venerabilis* abbas S. Maxentii concedit Jausberto *uſufructuario* quandiu vixerit *duas cartas in villa Bannogilo, eo pacto ut annis ſingulis ad feſtivitatem S. Maxentii, quæ VI. cal. Julias celebratur, argenti ſolidum unum* perſolvat *& decimas omnes. Datum cal. Aprilis regnante Carolo rege* (Craſſo an Simplice, vel etiam Calvo, prorſus incompertum.)

X. Auduinus, cui Aiteldis ſalinam in mariſco, qui vocatur Yvia, donavit, &c. ſubſcribunt cum Auduino abbate Tetbaudus monachus, Giſlebertus clericus, &c. Iſta vero charta ſeculo decimo viſa eſt antiquior Martennio noſtro.

XI. Aubertus ſeu Autbertus in duobus catalogis hoc ordine collocatur, & quidem ad annum 900. in ſerie noſtri D. Claud. Eſtiennot.

XII. Ademarus, frater Haimerici comitis de Thouars, qui cœnobii S. Maxentii advocatiam tenebat an. 924. ex priore clauſtrali abbas erat an. 902. ex chronico Malleac. Anno 924. XII. cal. Julii ſubſcripſit cuidam notitiæ de tranſlatione S. Maxentii, apud Beſſium hiſt. comitum Pictav. pag. 217. & ſeq. Occurrit etiam Ademarus abbas anno tertio regnante Rodulfo rege, hoc eſt 925. aut 26. quo Rautramnus cognomento Gicherius, cedit ad monaſterium S. Maxentii, *ubi Ademarus abbas præeſſe videtur*, alodum ſuum qui eſt ſitus in pago Pictavo, in vicaria Nantolinenſe, in villa Montiniaco, &c. ſubſcribit Atto vicecomes cum aliis menſe Octobri, &c. Denique Ademarus cœnobii poſſeſſiones in pago Metulo, in villa Tiziolo aſſeruiſſe dicitur contra invaſores an. 928.

XIII. Ermenfridus Ademaro ſucceſſit, ſed perperam ejus præfecturæ annus ſeptimus in chronico Malleacenſi alligatur anno Chriſti D. CCCC. XXI. Commutavit quaſdam terras cum Cadelone vicecomite & uxore ejus Geila, menſe Decembri an. VI. regnante Rodulfo, hoc eſt 928. aut 29. de quo etiam hæc legimus in chartulario, ad eundem circiter annum: *Cum reſideret vir venerabilis domnus Ebulus comes Pictava civitate cum ſuis obtimatibus die Jovis, quod evenit IV. cal. Maii, ad multorum cauſas audiendas, reſlaque judicia terminanda, inter quos exſtitit Aimericus vicecomes* (Toarcii) *& advocatus S. Maxentii proclamavit ſe in præſentia domni Ebuli comitis de res S. Maxentii quod Gondobaudus & Ermenbertus injuſte & contra legem tenuiſſent*, &c. Comes omnia reddi juſſit Aimerico præfato & Ademaro abbati. Huic inſtrumento ſubſcribunt poſt Ebulum Aimericus, Ildegarius & Savaricus vicecomites, Bego auditor, & permulti alii. *Dat. menſe Aprili anno XXX. quando fuit Carolus detentus cum ſuis infidelibus.* Ermenfridus ſedebat adhuc an. nongenteſimo trigeſimo nono. Interea tamen Guillelmus II. dux Aquitaniæ *Caput-ſtupæ* vulgo nuncupatus, pro abbate S. Maxentii ſe gerebat, qui tandem tum iſtam, tum abbatias S. Hilarii Pictav. & S. Michaëlis in Eremo regendas commiſit Ebuloni germano epiſcopo Lemovicenſi. Ipſe vero Guillelmus extremis vitæ annis in cœnobio S. Cypriani factus monachus, in Maxentianum poſtea ſe recepit, ubi dies abſolvit an. 963. in ſiniſtro latere eccleſiæ S. Maxentii tumulatus.

XIV. Ebulo ſeu Ebulus vel Eblo & Eblus Lemovicenſis epiſc. filius Ebuli Arvernorum & Pictavienſium comitis & Adelæ filiæ Eduardi ſenioris regis Angliæ, frater vero Willelmi II. Aquitanorum ducis, erat abbas S. Maxentii anno ſaltem 936. ex chronico Malleac. Bonus paſtor abbatiam S. Maxentii reſtauravit, novam eccleſiam ædificavit, in eamque corpus S. Maxentii ex eccleſia S. Saturnini tranſtulit, inquit auctor chartularii, qui videtur idem ac chronographus Sanmaxentianus. Vide Labbeum biblioth. novæ tom. 2. pag. 166. & in appendice noſtra chartam ea de re ſcriptam. Et hoc quidem factum fuiſſe autumamus

C. X. col. 171.

[a] Alter elenchus prælaturæ abbatialis ſumit exordium ab anno 650.

[b] Hæc eccleſia una eſt ex parochialibus oppidi Sammaxentiani.

[c] Laudatum Malleacenſe chronicon habet anno 823. Sed errore proculdubio typographi, tradunt enim antiqua monaſterii documenta Abbonem non niſi anno 828. abbatem fuiſſe electum.

Digitized by Google

circa annum 940. Ebulus autem memoratur ad- A
luc abbas & epiſc. anno quinto regnante Lotha-
rio, hoc eſt 958. vel 59. in charta Guillelmi to-
tius Aquitaniæ comitis, notum facientis *qualiter frater ſuus, Ebolus ſcilicet venerabilis Lemovicenſis ſedis epiſcopus, & monaſterii confeſſoris Chriſti Maxentii abbas egregius, acquirit a Begone ſilvulam & eccleſiam adjacentem, conſtructam in honore ſancti Hermerii, vepribus & ſpinis adhuc circumſeptam, & pene inhabitabilem*, &c. Subſcribunt poſt Begonem Willelmus comes, Adraldus, Arbertus, & Cadelo vicecomites, Iſembertus, domnus Ebulus epiſcopus & abbas, & alii multi: *Data menſe Julii anno v. regnante Lotario rege.* Item anno ejuſ- B
dem regis octavo, menſe Martio, Ebulo epiſcopus & abbas S. Maxentii permutationem fecit pro villa quæ vocatur *Maiſonis* cum Iſembardo cuſtode eccleſiæ S. Mariæ quæ vocatur *Porta Domini*. Porro, uti diximus, præter Maxentianam, acceperat quoque a Willelmo fratre abbatias S. Hilarii Pictav. & S. Michaëlis in Eremo, quas cum non eſſet monachus, per abbates regulares ſub ſe conſtitutos regebat. Attamen ſub finem vitæ habitum induit monaſticum in monaſterio S. Michaëlis de Eremo, ibidemque deceſſit ac ſepultus eſt, ſed poſt annum 963. ut pote qui plura donavit Ramnulfo abbati C
S. Maxentii, qui non niſi poſt hunc annum præeſſe cœpit.

XV. Garbertus ſeu Gerbertus, Gisbertus & Giſlebertus, ſub Ebulone abbas regularis occurrit in charta cujuſdam matronæ nomine *Aleam*, qua plurima concedit monaſterio *& ad monachos qui in ipſo loco cum Dei timore & obſervatione ſanctæ regulæ, ſub regimine domni Eblonis Lemovicenſis epiſcopi, vel Giſleberti abbatis die noctuque deſerviunt.* Idem Gerbertus levita vel abbas S. Maxentii, dedit ad baſilicam, & ad omnem congregationem ſancti Maxentii, ſalinam unam in pago Alniſio, menſe Febr. an. 6. regnante Ludovico rege, id eſt D
942. Huic etiam abbati Guillelmus Pictavienſium, Lemovicenſium & Arvernorum comes, dedit eccleſiam S. Petri prope Metulum, eccleſiam S. M. prope Pampro, cum pluribus aliis tum prædiis tum molendinis. Præfuiſſe dicitur uſque ad annum 945.

XVI. Albertus in uno catalogo omiſſus, in duobus aliis recenſetur hoc ordine; & alter quidem unicum ei regiminis annum incertum aſſignat, alter ipſum commemorat ad annum 962. quod ultimum ſtare non poteſt, ſi vere Odo præerat 947. uti legimus in quodam elencho.

XVII. Odo memoratur an. 963. in chronico E
Malleac. quo anno, inquit, Willelmus Caput-ſtupæ dux Aquitaniæ moritur monachus in monaſterio S. Maxentii. Eodem anno menſe Maio regnante ſcilicet Lothario rege anno x. Katalo ſeu Kadelo vicecomes & uxor ejus Senegundis, alodum ſuum in pago Brioſenſi, qui vocatur *Vindolemia*, Odoni abbati dederunt: cujus tempore facta eſt ſolemnis SS. Maxentii & Leodegarii tranſlatio, rege Ludovico * præſente. Erat autem ſimul abbas ſancti Leodegarii in Santonibus, uti ceteri uſque ad Aimericum incluſive.

* Tranſmarino.

XVIII. Ramnulfus erat abbas anno x. Lotharii regis, hoc eſt anno 963. vel 64. quo circiter nominatur in chronico Malleac. Idem abbas, regnante eodem rege anno XII. menſe Junio, molendinum apud Vetrinas * ad cenſum annuum dedit. Denique obiit an. 968. [a] poſtquam in multis beneficum expertus eſſet Ebulum epiſc. Lemovic. Vide ch. IX. col. 170.

* S. Maixent de Verines, *inſignis prioratus ad fluviolum Belanam poſitus.*

a

XIX. Conſtantinus ex priore poſt Ramnulfum factus abbas legitur in chronico Malleacenſi ad annum 968. qui ſane convenit cum anno XV. Lotharii regis, quo Marcardus quidam, & uxor ejus Aldeardis, cedunt ad baſilicam quæ conſtructa eſt in honore S. Maxentii, & ad omnem congregationem fratrum ibi conſiſtentium ſub domno Conſtantino abbate, ſalinam in pago Auniſio, in mariſco qui dicitur *Cortina*, menſe Auguſto. In chartario monaſterii exſtat aliud inſtrumentum, quod ſic incipit: *Abba Conſtantinus regens monaſterium ſancti ac beatiſſimi Maxentii ſub clericali inſtitutione*, &c. (non quod monaſterium inhabitarent clerici, nam ibi monachos tum fuiſſe multa nos docent, ſed quia clericorum nomine monachi ſæpe deſignantur) *Actum IV. nonas Januarii regnante Hlotario rege.*

XX. Girbertus vel Guibertus dicitur abbas *clericus* in dono vineæ in villa Folcardis ſitæ, C
unde fortaſſe inferas non abbatem regularem exſtitiſſe, vel certe de abbatia contendiſſe cum ſuperiori, ante quem ſcilicet & poſt reperitur in chartis. 1°. Guntardus presbyter vineam in vicaria Baſiacenſi prope eccleſiam S. Florentii Girberto dedit menſe Aprili anno XIII. regnante Lothario rege. 2°. Willelmus comes Pictav. donum quoddam ei confirmat menſe Decembri anno XV. regnante Lothario rege. Memoratur inſuper anno 973. in chronico Malleacenſi. Tandemque recenſetur anno XX. regni Lotharii menſe Martio, & XXIV. menſe Julio, quo anno presbyter Guntardus vinctum unum ei conceſſit in villa S. Capraſii.

XXI. Brixius, de quo vide in abbatia S. Michaëlis in Eremo.

XXII. Bernardus erat præpoſitus ſub Conſtantino abbate, ſedebat autem regnante Lothario rege, ut conſtat ex pluribus donationibus ei factis, proindeque anno ſaltem 987. quo hic rex vivere deſiit. Lambertus quidam pridie idus Martii, regnante Ugone rege anno v. alodum ſuum ſitum in pago Alniſio, in vicaria S. Johannis, in loco qui vocatur *Bounais*, dedit ad cœnobium ſancti ac beatiſſimi Maxentii, *ubi domnus Bernardus abba præeſſe videtur.* Anno ſeq. menſe Decembri Willel- E
mus Aquitanorum comes, & uxor ejus Emma Bernardo abbati terram concedunt quam tenuerat Fulco frater Hugonis comitis Cenomanenſis; huic inſtrumento ſubſcribunt Willelmus comes, Hildebertus comes, Giſlebertus epiſc. (Pictav.) Audoinus epiſc. Lemovic. &c. Eidem Bernardo reſtituit Aldeardis vicecomitiſſa abbatiam S. Leodegarii prope Niortum, *S. Liguaire*, ut notat chron. Malleac. quod Mabillon. refert ad annum

Vide Labb. tom. II. novæ biblioth. pag. 205

[a] Melius fortaſſe 966. quippe auctor qui hoc aſſerit, annum x. Lotharii regis perperam aſſignat anno 966. pro anno 963. vel 64. unde forſitan concludit obiiſſe anno 968. uti chronicon Malleac. quod quidem præferre annum 966. & 968. aſſerit D. Claud. Eſtiennot.

circiter 993.

Digitized by Google

circiter 993. Item renovaſſe dicitur monaſterium Sammaxentianum, in cujus chartulario hæc legere
a eſt: *Anſelmus nobilis vir Amblardum* [a] *filium ſuum ſacris litteris inſtruere fecit, canonicumque in eccleſia B. Leodegarii martyris ſub manu domni abbatis Bernardi conſtituit, atque ex ſuo alodo qui dicitur Toriniacus, ad locum S. Maxentii Adjutoris condonavit.* Denique tempore Bernardi abbatis, Pictavis celebratum eſt concilium, ad quod delatum eſt S. Maxentii corpus, quod quidem Malleacenſe chronicon refert ad annum 1010. atque in hoc concilio Willelmus Aquitanorum dux, dedit S. Maxentio villam de Celeſio cum eccleſia in honore S. Viti conſtructa. Ceterum ſi vere, uti ſolus aſſerit noſter D. Claud. Eſtiennot, Bernardus abbas, S. Leodegarii * monaſterium reſtauravit an. 1018. Sammaxentiani regimen & curam abdicaſſe dicendus eſt, ut ſoli S. Leodegarii monaſterio præeſſet. Nam

* S. Liguaire.

XXIII. Rainaldus cognominatus Plato ob inſignem ſapientiam, a Willelmo duce Aquitanorum, qui *maximo affectu monachos regulares & abbates proſequebatur, coramque conſiliis uti ſolebat*, monaſterio S. Maxentii præfectus legitur in chronico Ademari Cabanenſis, & quidem anno ſaltem 1014. quo idem dux Willelmus ei *aribanum* in villam S. Maxentii, & jus quoddam in vineas tam C præſentes quam futuras conceſſit. Eodem circiter anno Adraldus quidam ei dedit eccleſiam S. Germani de Iſernaco, probantibus Willelmo comite, Iſemberto epiſcopo, Willelmo Juvene, Agnete comitiſſa, Catalone vicecomite & Guillelmo filio
b ejus, &c. menſe Aug. regnante Roberto [b]. Rainaldum aiunt perveniſſe ad finem anni 1025. aut initium ſequentis.

XXIV. Gulferius poſtquam Rainaldus præfuit annis 12. ordinatur abbas an. 1026. & uno tantum ſedit anno, inquit chronicon Malleacenſe; ejus depoſitio notatur in necrol. die XXV. Martii, ubi dicitur non jacere apud S. Max.

XXV. Amblardus, de quo ſupra, Gulferio ſucceſſit an. 1027. ordinatus ab Iſemberto epiſcopo ſucceſſore Giſleberti, ut docet chronicon Malleac. Hujus ita meminit chartular. monaſterii: *Sacro-ſanctæ Eccleſiæ Dei ſceptrum regente Johanne, Rotberto rege & Willelmo duce, placuit ipſi Guillelmo, & Goffredo vicecomiti Toarcenſis caſtri & uxori ſuæ nomine Aynors, rogante Rainaldo quondam milite Leziniacenſi, dari quoſdam ſervos & ancillas filios Aymari Karonati*, &c. *ſed ego Rainaldus pro remedio animæ*, &c. *dono iſtos ſervos & ancillas ad locum in honore S. Salvatoris, Adjutoriſque Maxentii, & B. Leodegarii martyris conſecratum, & abbati Amblardo & omnibus monachis*, &c. ſubſcribunt Rainaldus, Rainaldus filius ejus, Willelmus comes cum filiis Willelmo & Odone, Agnez comitiſſa, Josfredus vicecomes, Aynor vicecomitiſſa, Amblardus abbas, &c. Nota temporis deſideratur; at profecto id actum eſt ante annum 1030. quo Willelmus comes hîc commemoratus deceſſit. Præfuit autem Amblardus uſque ad annum 1040. ex chronico Malleac. Necrologium notat ejus depoſitionem ad diem V. Aprilis, non jacet in monaſterio.

XXVI. Emmo brevi tempore monaſterium rexit. Exſtat in tabulario S. Maxentii charta quæ ſic incipit: *Ego Emmo abbas quando poſt mortem abbatis Amblardi cœnobium ſuſcepi regendum*, &c. Hac autem charta bonorum ſui monaſterii uſurpatores excommunicat.

XXVII. Archimbaldus e nobili proſapia de Parteniaco Archiepiſcopo ſatus, cujus pater in ve-
B teri documento dicitur Rainaldus, & frater Bernardus. Tirolius, adfuit anno 1040. die 31. Maii dedicationi eccleſiæ Vindocinenſis, tumque privilegio Theoderici Carnotenſis epiſcopi pro hoc monaſterio ſubſcripſit, nondum archiep. Burdigalenſis; verum anno 1047. tanquam metropolitanus interfuit dedicationi S. Mariæ Santonenſis, primuſque ante omnes alios præſules inſtrumento ea de re confecto ſigillum appoſuit. Memoratur an. 1041. in charta Galterii pro prioratu S. Arediæ de Mota, *ſainte Heraye de la Mothe*; quo etiam anno datur S. Maxentio Sentiacus, litteris C. XXIV. col. 341, quæ ſic incipiunt: *Anno M. XLI. regnante in*
C *Francia domno Hainrico, in pago quoque Pictavienſi domno Willelmo comite cum ſuo germano Goffrido perſiſtante, venerabili quoque Agnete comitiſſa illorum genitrice pagum Galliarum obtime diſponente, atque in epiſcopatu domno Iſemberto ſtrenue perſiſtente, in cœnobio vero almi confeſſoris Maxentii Adjutoris domno Archimbaudo*, &c. An. Chriſti M. XLIV. tertio cal. Sept. Henrico Francorum rege, Emeltrudis cognomento Bona dedit alodum ſuum Toriniacum Archimbaldo *bonæ indolis* abbati S. Maxentii, ſigillo ſuo probantibus Willelmo comite & Widone * fratre ejus, Agnete comitiſſa eorum genitrice, &c. Factus poſtea Burdi-
D galenſis archiep. abbatis nomen minime dedignatus eſt, imo ſemper retinuit, etſi alium ſub ſe haberet abbatem qui monachos gubernaret. Denique Archimbaldus archiepiſcopus qui *regimen monaſterii S. Maxentii tenebat*, ædificavit eccleſiam in honore S. Maxentii in ſilva Volvenſi, annuente Widone comite, menſe Aprilis anno Incarnationis 1059. regnante Henrico Francorum rege; ſubſcribunt Fulco Engoliſmenſis comes, Iſembertus epiſcopus & alii. Cetera vide in archiep. Burdigal.

* Binominis fuiſſe videtur, ſupra enim vidimus Goffridum appellari, imo trinominis, Guillelmus, Wido, Goffridus.

XXVIII. Aimericus antea monachus Ebrolii in Arvernia, deinde novi cœnobii Ebrolienſis *
E in pago Santonenſi, anno circiter 1041. fundati rector, tum abbas S. Leodegarii prope Niortum, tandem evaſit abbas ſancti Maxentii anno ſaltem 1059. nonis Decembris. Aliquandiu vero ſancti Leodegarii Santonenſis regimen conſervavit, cui poſtea monaſterio Hugonem nepotem ſuum præfecit; atque ex eo tempore hoc monaſterium cœpit habere proprios abbates, cum antea regeretur ab Sammaxentianis. Willelmus dux Aquitanorum & Euſtachia conjux, quandam terram Aimerico ceſſerunt, aſſentiente Iſemberto præſule. Item hic abbas memoratur in charta anni 1061. cui ſubſcribunt Wido dux & Agnes comitiſſa, & in alia

* Ebrolienſe pagi Santon. monaſterium idem eſt ac S. Leodegarii de Cogniaco.

[a] Is eſt Amblardus qui poſtea rexit abbatiam.

[b] In quodam catalogo Ramnulfus quidam abbas occurrit, cui Airaldus de Aifre alodum ſuum de Aifre dedit ſitum in pago Niortenſi, ſubſcribentibus Willelmo comite, Catalone vicecomite, regnante Roberto. An amanuenſis ſcripſit Ranulfum pro Rainaldo?

Digitized by Google

Stephani Lamonis alodum ſuum ei cedentis anno
al. 1080. 1064. Obiit anno 1068. * cui ſucceſſit parvo tempore Archimbaudus, inquit chronicon Malleacenſe. Verum hic Archimbaudus non alius eſſe videtur a ſuperiori, quem factum Burdigalenſem archiepiſcopum nomen abbatis retinuiſſe ſupra diximus; quod ſi fortaſſe aliquando dimiſit, illud reſumſiſſe vero ſimile eſt, ex quo ceſſit archiepiſcopatu. Vocatur autem *depoſitus* ultima Dominica menſis Octob. anni 1068. in charta quam
col. 802. laudavimus in Burdigal. archiep.

Vide Boſium hiſt. comitum Pictav. pag. 460.

XXIX. Benedictus quem ordinatum abbatem apud S. Maxentium v. nonas Octobris (1070.) legimus in chronico Maxentiano, ſedebat jam an. 1068. ſi tamen error non eſt in hac nota chronica chartæ Guidonis comitis Pictav. (qui & alio nomine Goffredus) eccleſiam SS. Philippi & Jacobi de Talant domno Benedicto abbati S. Max. cedentis; iſta enim ceſſio legitur alibi facta anno 1078. Ceterum poſtea contigit ipſum ducem & comitem comedere in domo Acfredi monachi juxta prædictam eccleſiam, ubi ipſe comes cum cultro de officio monachi quod in manu tenebat, confirmavit hoc donum B. Maxentio, audientibus Simone tunc canonico S. Hilarii, poſteaque Aginnenſi epiſcopo, & Rainaldo abbate S. Cypriani,
a &c. *Anno ab Incarn. Domini 1069.* a *præſidente Romæ papa Alexandro, Francis rege Philippo, Aquitanis duce Guidone, Pictavienſibus Iſemberto*
* lege VII. *præſule, Santonenſibus Goderanno, ind. III.* * *ſexto idus Martii, die Inventionis S. Maxentii, fecit convenientiam Hugo Leziniacenſis cum domno abbate Benedicto & monachis S. Max.* qui ei ſpoponderunt *quandiu vixerit, unam pro eo cantare miſſam per unam quamque hebdomadam, poſt mortem vero ejus anniverſarium plenum tam de vigiliis quam de miſſis.* Paciſcitur an. 1071. cum Johanne de Alberada, pro villa de Celeſio, quo etiam anno Aquitanis Widone duce, Pictavienſibus Iſemberto præſule,
* d'Aulnay. Cadelo Oënacenſis * vicecomes Benedicto abbati Vindolemiam remiſit. An. 1075. * vel 1074. ſecundum varios calculos, duo celebrata ſunt concilia in monaſterio S. Maxentii, alterum VII. cal. Julii, idibus Jan. alterum; quibus abbatem Benedictum interfuiſſe vix dubitamus. Certe an. 1076. teſtis legitur in charta Angeriac. apud Johan. Beſly pag. 363. hiſt. comit. Pict. 2. alphab. Idem ad concilium Pictav. anni 1079. oſſa B. Maxentii detuliſſe memoratur in chron. Malleac. quo etiam anno Hugonis de Leſigniaco hominium excepit pro caſamento quod habebat de ſancto Maxentio. Tandem obiiſſe dicitur anno 1080. ſeu potius 1079. ut innuere videtur donum cujuſdam Stephani, qui *biennio corporali infirmitate detentus, pro remedio animæ ſuæ, maximeque pro habitu monachi, plena fidei devotione, de proprio jure terram de Campanola & de Aſneriis dedit S. Adjutori Maxentio. Hanc donationem fecit Stephanus apud Severiacum caſtrum in manu Rainaldi prioris, cum ramulo ſarmenti, videntibus Petro ipſius caſtri poſſeſſore, &c. ſecunda vice ipſe Stephanus jam portatus ad S. Maxentium, jacens in domo infirmorum, confirmavit hoc donum, tradens iſtam chartam in manu Rainaldi abbatis S. Cypriani, qui eum benedixit ibidem ad monachum, atque in manibus Rainaldi prioris, Benedicti ſubprioris, &c. Hoc fuit datum S. Maxentio anno ab Incarn. Domini M. LXXIX.* Quorſum enim hæc donatio fieret primum in manu Rainaldi prioris, ac deinde in manu Rainaldi abbatis S. Cypriani, ſi viveret adhuc Benedictus abbas! At fortaſſe tantum ceſſerat, non obierat, cui videlicet & Anſegiſo qui ſequitur, terram de Trelia, pratum de Nuceriis & inſulam Wulliaci, *Vouillé*, dediſſe Rainaldum filium Laufredi an. 1085. legimus apud noſtrum D. Claud. Eſtiennot. Valeant ergo hi duo abbates inducti a Mabillonio, Goderannus Santon. epiſc. mortuus an. 1074. & Drogo ei ſuffectus in abbatia eodem anno; neque enim Maxentiani fuerunt abbates ſed Malleacenſes. In necrol. notatur depoſitio Benedicti abb. die 14. Februarii.

XXX. Anſegiſus e monacho Majoris-monaſterii ordinatur abbas S. Maxentii an. 1080. III. cal. Octobris. Hoc autem anno VI. cal. Martii, Iſemberto Pictav. epiſcopo, nominatur in fundatione eccleſiæ S. Gaudentii in Alnienſe pago, cum ſeptem monachis & uno priore ſub regimine abbatiæ S. Maxentii, facta per Goffridum comitem Hugonis filium; qui quidem poſtea Goffridus *convictus ab abbate Anſegiſo ante* Gofredum *comitem*, quod *injuſte* raperet conſuetudines *villæ S. Maxentii, reliquit* dicto abbati *quadrigas boves, & aſinos, ramam, fornilam & geneſtum; caſeos quoque, ova, fructum, & ſepum, anno M. LXXXI.* Teſtes ſunt Goffridus comes, Mangotus de Metulo, Ugo de Surgeriis, Rainaldus comes, &c. Eodem an. 1081. compoſuit cum Ademaro Eſperun, Goffrido duce in Aquitania & Iſemberto Pictavis pontifice. Recenſetur adhuc in variis chartis annorum 1082. & 1084. quo circiter tempore, ſcilicet an. 1082. villa S. Maxentii conflagravit. Denique Anſegiſus nimio quietis amore flagrans, ad majus monaſterium regreſſus eſt ubi obiit an. 1091.

XXXI. Adam ordinatur abbas pridie cal. Martii an. 1087. qui certe hoc anno quædam ſuo monaſterio acquiſivit. Idem anno ſeq. eccleſiam ſancti Leodegarii ſecularibus olim clericis traditam recuperavit cum conſilio Petri Pict. epiſcopi, & Garnerii clericorum S. Mariæ abbatis, cujus rei vide notitiam inter inſtrumenta. Interfuit eodem anno C. XXIV.
1088. concilio Santonenſi in quo Amatus electus col. 343.
fuit archiepiſcopus Burdigalenſis. Abbas erat adhuc an. 1091. incipiente.

** Ad hunc annum vide inter inſtrumenta col. 343.*

XXXII. Robertus in omnibus quos evolvimus catalogis poſt Adam reperitur ad annum 1092. Ceſſit anno ſequenti ex chronico Malleacenſi; & Garnerius ei ſucceſſit, qui tamen abbas reperitur jam an. 1092. Fortaſſe contentio fuit inter utrumque de abbatia, & Robertus cedere coactus eſt, unde omittitur in charta Goſcelini cujuſdam, Goffredo abbati eccleſiam de Prahec concedentis anno 1110. vidente Petro abbate Malleacenſi, in qua recenſet abbates ab Anſegiſo ad Gaufredum prædictum.

XXXIII. Garnerius ſeu Warnerius in præfata Goſcelini charta dicitur Adæ ſucceſſor. Ejus fit

a *al.* 1079. cui quidem anno melius convenit indictio III, ſed minime Alexandri pontificatus.

Digitized by Google

mentio in variis chartis annorum 1091. & 1093. quo ultimo anno XV. * cal. Julii. de novo coeptum eſt a fundamentis monaſterium S. Adjutoris Maxentii; 1094. & 1096. quo Santon. concilio interfuit; 1097. 98. * & 99. quo inventum fuiſſe corpus S. Agapiti primi ejuſdem monaſterii abbatis teſtatur chronicon Malleacenſe. An. 1105. die Aſcenſionis Dominicæ Radulfus de Garda omnem ſuam terram S. Maxentio dedit in manu Garnerii abbatis, quando *ejus fideles monachi* habitum S. Benedicti ei dederunt. Conſule appendicem. Guillelmus junior comes Pictavorum & advocatus B. Maxentii, eidem abbati ceſſit omnem conſuetudinem quam habebat apud Romancium; idemque reverſus de Jeruſalem Warnerio dedit vicariam de Romancio, exceptis homicidio, furto, incendio & rapina. An. 1106. Hugo de Leſiniaco & Borgo filius ejus, firmarunt in manu ejuſdem abbatis placitum quoddam anni ſuperioris, videntibus Petro Pictav. præſule, Marco abbate Monaſterii-novi, & ducentis aliis. Hoc autem anno, ipſo die Natalis Domini Warnerius obiiſſe legitur in chronico Maxentiano ſeu Malleac. ſed perperam, quando in chartulario monaſterii, ejuſdem concordia reperitur cum filiis Martini Eſperun anno ab Incarn. Domini 1107. Paſchali papa, Petro epiſcopo, Philippo Francorum rege, & Guillelmo duce Aquitanorum præſidentibus. Imo ſedebat adhuc an. M. CXI. quo nobilem virum Ingelelmum de Ternant ad habitum monaſticum admiſit, indict. IV. regnante Ludovico, Guillelmo comite, Petro epiſcopo Pictav. Et hoc quidem pluribus aliis ejuſdem anni documentis ab ipſomet Garnerio factis confirmatur, quanquam ſibi jam ante annos aliquot ſucceſſorem ſeu coabbatem adlegiſſe videatur.

* al. XVI.

* C. VII. eccl. Engol. col. 446.

C. XXV. col. 344.

XXXIV. Geoffredus ſeu Gaufredus ordinatur abbas calendis Julii anno 1107. Subſcripſit anno ſeq. litteris Garini de Niorto, cognomento *Chenet*, ante Natale Domini in Adventu ejus. Eodem anno 1108. Petro Pictavienſi præſule, molendinum quod fecerat Petrus Brunet monachus cellerarius tempore Roberti abbatis S. Maxentii, ſuo monaſterio vindicavit. Sæpius autem hoc anno ipſius recurrit memoria, uti etiam annis 1109. & 1110. Hoc anno, die V. cal. Maii, Paſchalis papa II. ſcripta ad eum epiſtola 63. monaſterium ſancti Maxentii Adjutoris in tutelam ſedis apoſtolicæ recepit. In charta vero Petri Pictav. epiſcopi anno M. C. XI. Gaufredus abbas dixiſſe legitur Hugonem Leziniacenſem in feudo habuiſſe tres eccleſias Gazenolis * a Benedicto prædeceſſore ſuo, quas tamen Geraldus ep. Engoliſm. adjudicavit abbati Caſæ Dei, an. M. C. XI. Vide in Aimerico abbate Caſæ-Dei. Eodem anno Ratherius de Tizun eccleſiam ſitam in parochia de Silvinec, *Souvigny*, quam ædificaverat in caſtellulo ſuo, abbati Goffredo reſtituit; in charta ea de re data, capellarum domeſticarum antiquæ cernuntur conſuetudines: *Non habebit aliam parochiam. Capellanus de Silvinec cantabit ibi ſicut & in ſua, cum voluerit, vel alius ab eo miſſus. Nullus ibi ſepelietur, niſi in cimiterio de Silvinec. Quatuor feſtis ibunt ad parochiam ſuam, Natali, Paſcha, Pentecoſten, & omnium SS..... ſimiliter baptiſterium, nuptiæ, feminæ levantes ibunt ad miſſam Silvinec. Acta ſunt hoc anno M. CXI. indict. IV.* Idem abbas an. 1114. indict. VII. menſe Febr. *conventionem* fecit cum Conſtantino Enforce, pro monaſterio quod recens fuerat incenſum, reſtaurando. Quo etiam anno prædia ab Iſemberto de Chatelaillon ablata evicit. Hugo Brunus de Lezigniaco anno 1118. ei pro feodo ſuo hominium exhibens, promiſit ſe terras de Pampro, de Regaudam, & S. Germerii protecturum. Anno 1121. eccleſiam S. Georgii de Nainiaco & 1122. eccleſiam S. Hilarii de Luzigniaco accepit a Guillelmo Pictav. præſule, cui donationi ſubſcribunt Gosbertus decanus & Rainaldus abbas S. Mariæ. Plura denique in monaſterio præclare geſſit pius abbas & munificus erga pauperes, præter enim tres qui quotidie in refectorio alebantur, quinquaginta in quinque præcipuis feſtis, totidemque in die obitus monachorum paſcendos decrevit. Obiit Gaufredus an. 1134. V. idus * Jan. ex chronico Malleac. Poſt hunc abbatem Odo quidam reponitur ad biennium, in uno catalogo; ſed omittitur in aliis, maximeque in chronico Malleacenſi.

C. XXVI. col. 344.

* al. nonas Eſtiennot.

XXXV. Petrus Raimundi, quem alii S. Michaëlis de Cluſa in Pedemontio, alii verofimilius S. Michaëlis in Eremo cœnobitam dicunt, Gaufredo ſucceſſit (an. 1134.) ex chronico Malleac. quod ipſi quidam tribuunt. An. 1137. ipſi hominium exhibetur ab Hugone de Leſigniaco. Nominatur in chartis annorum 1142. & 1145. Giſleberto Pictav. epiſcopo. An. 1146. Ludovicus Francorum rex & dux Aquitan. aſſentiente Alienordi regina *collaterali ſua*, abbati Petro qui ejus conſanguineus dicitur t. 2. Spicil. pag. 452. & 453. conceſſit nemus quod Saura dicitur, anno regni ſui X. apud Stampas. Occurrit etiam annis 1148. 1149. ind. VIII. * & 1151. in compoſitione litis inter abbatem Malleac. & Sebrandum Chabot a Ludovico rege Francorum facta IV. nonas Febr. & a Gaufredo Burdigal. præſule confirmata VIII. cal. Martii ejuſdem anni. Reperitur adhuc 1158. & 1163. Johanne Pictav. epiſcopo, quo anno dedit hortum *hoſpitalibus ad burgenſes hoſpitalandos* ſine eccleſia & altari. Ejus tempore Grimoaldus Pictavienſis electus antequam in epiſcopum ungeretur, integrum annum in monaſterio S. Maxentii commoratus eſt. Denique Petrus Raimundus jus antiquum eccleſiæ quo prohibetur *magiſter ſcholarum in villa legere, abſque licentia abbatis & voluntate capituli S. Maxentii, acerrime tuitus eſt adverſus magiſtrum Ripaudum, qui dono clericorum & capituli S. Leodegarii legere præſumebat.*

* melius XII.

XXXVI. Petrus de Turre ſufficitur Petro Raimundi an. circiter 1175. Certe abbas erat Alexandro papa, Ludovico rege Franc. & Henrico rege Anglor. anno quo pax inter iſtos reges firmiſſima facta fuit. Mortuus an. circiter 1180. menſe Martio, ex necrologio jacet in capitulo.

XXXVII. Oliverius quem noſter D. Claud. Eſtiennot, omiſſo Petro præcedenti, reponit ab an. 1175. ad 1180. reperitur hoc anno in alia ſerie, & in altera locum habet poſt Ademarum qui ſequitur.

Vide tom. X. concil. col. 679.

* Gazenobii.

Digitized by Google

XXXVIII. Ademarus 1181. vi. cal. Jan. ſedebat. Hic prima ſui nominis littera connotatus occurrit an. 1182. quo videlicet J. epiſc. Pictav. creatus eſt archiep. Lugdunenſis, & hoc ipſo facta * Ainricum eſt diſſenſio inter R. comitem Pictaviæ & A. * regem Angliæ de dominio Pictaviæ habendo. Ademarus idem ſubſcripſit 1199. in craſtino inventionis S. Crucis litteris Alienordis reginæ Anglor. ac ducissæ Aquitan. pro Monaſterio-novo.

XXXIX. Aimericus Mayreſtrolle uno tantum anno ſediſſe legitur, pro cujus anniverſario Johan. Meubre de Pumprolio 50. ſolidos ſolvebat.

XL. Martinus ab Innocentio III. privilegium obtinuiſſe dicitur, & obiiſſe an. 1203. Certe ad ejus petitionem Alienor regina Angliæ privilegium indulſit, ut omnes qui vellent habitare in burgo S. Max. immunes ab omni talliagio, exercitu, equitatione, & ab omni alia mala conſuetudine eſſent. Sub hæc vero tempora Pictavienſis præſul regularem hoc in cœnobio diſciplinam excitare tentaverat, ſed fruſtra, abbate ſcilicet reſiſtente; hinc ad ſummum pontificem Innoc. III. recurritur, qui præfato mandavit epiſcopo, ut quæ corrigenda vel ſtatuenda judicaret, ſecundum Deum diſponeret.

XLI. Stephanus ex priore S. Maxentii abbas eligitur, ſtatimque, an. videlicet 1204. eccleſiam S. Saturnini reparavit, in qua S. Agapiti primi abbatis corpus reperiſſe dicitur. Præfuit ad annum 1209.

XLII. Benedictus II. reperitur abbas 1209. & 1210. Philippo regnante in Francia, J. in Anglia, Mauricio epiſcopo Pictav. quo anno Willelmus de Gordon ei hominium exhibuit. Plura vero ejuſdem generis excepit hominia Benedictus, ab Halone de Rupe-forti, ab Hugone Liberto domino Leziniaci, & a Petro de Rupe-forti an. 1218. calendis Decembris in ſuo capitulo generali. Vocatur autem Bernardus in Angeriaco ad an. 1217. oſcitantia forſitan amanuenſis; vide bibliothecam Cluniac. fol. 1498. & ſeq.

XLIII. Gaufridus Benedicto ſucceſſit, ut colligimus ex variis hominiis ipſi redditis, quibus hic titulus præfigitur: *Hæc ſunt hominia domni Gaufridi ſucceſſoris venerabilis Benedicti.* Inter alia vero hoc præcipue memorandum venit, quod *nobilis vir Willelmus Archiepiſcopi* dominus Partiniaci in capitulo fecit, præſentibus & audientibus R. ſanctæ Crucis de Talemundo, A. S. Leodegarii, P. de Niolio, G. de Abſia, P. de Caſtellariis abbatibus, &c. Is eſt proculdubio G. abbas cui Hugo Bruni comes Marchiæ & Engoliſmæ fecit hominium eodem modo quo parentes ſui abbatibus prædeceſſoribus facere conſueverant an. 1222. ubi notandum eſt quod *dictus comes unam marcham argenti reddidit in mantello ſuo, qui debet eſſe chambellario abbatis, nam ſic quicumque ſit chambellarius abbatis S. Maxentii, a parentibus dicti comitis facientibus hominium, mantellum percipere conſuevit.* Sedebat adhuc an. 1233.

XLIV. Petrus an. 1235. Hugonis de Leſigniaco Marchiæ comitis & Engoliſmæ pro feodo de Couhé, *al.* de Coëc hominium excepit, qui quidem comes recognovit ſe etiam debere annuatim monaſterio unam pellem de cervo ad cooperiendos libros chorales. Item Ademarus de Leſigniaco Hugonis filius die Dominica in Ramis Palmarum an. 1249. idem hominium præſtitit. Giſlebertus de Lobillec miles die Martis ante feſtum B. Lucæ an. 1248. eidem Petro abbati recognovit ſe debere de placito feodi de Villene, unam unciam auri, quingentos ſolidos currentis monetæ, unum auſtozium, unum palefredum & unum leporarium. Ceterum hic abbas cognominatus fuiſſe videtur Alduinus, qui quidem in duobus catalogis memoratur annis 1237. & 1240.

XLV. Arnaldus in duobus elenchis reperitur, quem dicunt ſediſſe annis 1260. & 1263. omittitur in alio, ut etiam Alduinus.

XLVI. Stephanus S. Maxentii abbas totuſque ejuſdem loci conventus, cum Sebrando Chabot milite domino de Roca-cerveria & de Eſſartis, compoſitionem ineunt an. 1269. H. * epiſcopo * Hugone. Pictav. Varia eidem Stephano reddita ſunt hominia annis 1274. & 1275. quo ultimo anno, die Lunæ poſt Dominicam qua cantatur *Invocavit me*, Johanna de Caſtro-Ayraudi relicta Gaufridi de Leſignem, in capitulo generali fecit hominium-ligium Stephano abbati, & juravit ad ſancta Dei Evangelia, &c. An. 1277. Gaufridus Aimers vendidit eidem abbati, pretio quatuor librarum, quidquid habebat in feodo de la Chaptie.

XLVII. Guillelmus cum Johanne abbate Fontis-comitis querelas circa prioratum de Exirolio motas componit, die Veneris ante feſtum Annuntiationis B. Mariæ anno 1278. ex inſtrumento Fontis-comitis. Idem abbas occurrit anno 1282. in charta B. Mariæ de Caſtellariis.

XLVIII. Conſtantinus 1284. & 1289. quo anno die Sabb. poſt *Cineres* Hugo de Vivonia miles & Savaricus de Vivonia valeti fratres, ei tria modia vini rendualia vendunt pretio 27. librarum Turon. *renunciantes in hoc ſub virtute fidei præſtitæ, exceptioni non numerati pretii, non ſoluti, non traditi, & epiſtolæ divi Adriani, & conſtitutioni de duobus reis, & ſingulis aliis rationibus & exceptionibus*, &c. Datum die & anno quibus ſupra. Forſitan hic eſt abbas pro quo recenter electo prior & monachi S. Maxentii a Rege poſtularunt an. 1283. ut ad juramentum fidelitatis admitteretur. Verum ut ut ſit, Conſtantinus adhuc recenſetur an. 1292. de quo necrologium ſic habet: *le..... de Fevrier l'anniverſaire de l'abbé Conſtantin. Giſt devant l'autel de Noſtre-Dame.*

XLIX. Guillelmus Touſſelin inſcribitur tabulis annorum 1293. 96. & 1301. die Dominica in feſto S. Barnabæ. Obierat 1302. die 23. Jan. In alio tamen indice, imo in duobus, optima Benedicti abbatis commendatur adminiſtratio ad an. 1294. ex authenticis, inquit noſter D. Claud. Eſtiennot, eodemque anno dicitur obiiſſe. Fortaſſe contentio fuit inter utrumque.

L. Guillelmus II. abbas & Aimericus de Marolio eleemoſynarius monaſterii S. Max. pactum inierunt cum Johanne Præpoſiti an. 1305. ex inſtrumento Fontis-comitis. Hiccine eſt Guillelmus quem obſervantiæ regularis parum ſollicitum obiiſſe legimus in uno catalogo, an. 1328.

Digitized by Google

affirmare vetat ſilentium aliorum indicum ; imo nec ſine timore conjicimus ob cognomen *de Chauray* ipſi attributum, quod alteri poſt aliquantum temporis ſucceſſori convenire, certiori cum fundamento dicemus.

LI. Arnaldus Buart vel Bernard ſedebat anno 1310. prima die Martii, *al.* die Dominica poſt feſtum B. Vincentii ; item annis 1312. 13. 17. 18. 25. die S. Cypriano ſacra, & 1326. Fortaſſe is eſt Arnaldus Bernardus de Preſſac ex monacho Silvæ-maj. abbas S. Maxentii de quo ſic habetur in necrol. Silvæ-maj. Obiit XIII. cal. Apr. *al.* III. cal. &c.

D. Stepk. du Laura.

LII. Helias de S. Yre ſedis apoſtolicæ gratia ſucceſſit immediate Arnaldo, ſedebatque ann. 1332. 25. Junii, & 1333.

LIII. Petrus III. Pichler prior de Vetrinis an. 1315. erat abbas S. Max. an. 1337.

LIV. Guillelmus III. 1344. ex hiſt. MS. ſancti Florentii pag. 352. idem eſt profecto ac Guillel. de la Porcherie qui die 21. Febr. an. 1346. in remotis agens propter guerras in regno Franciæ imminentes, vicarios ſuos generales tam in temporalibus quam in ſpiritualibus conſtituit archipresbyterum de Genſaio, Petrum de Pingué priorem clauſtralem, Guillelmum de Chauray eleemoſynarium, Johannem de Chille priorem de Nantolio, Johannem de Montibus priorem de Pamprolio & Guidonem Audoya infirmarium. Alios item nominavit an. 1351. eadem de cauſa. Memoratur etiam an. 1348. ind. 1. die 23. Junii in litteris Stephani epiſcopi ..... D. papæ camerarii datis Avenione pro ſolutione *annatarum*. Reperitur & annis 1350. 59. & 61. quo an. die 5. Jan. hominium recepit pro feodo de Bonolio.

LV. Johannes brevi tempore præfuit, obiit enim die 22. Sept. anno 1362. ut palam fit ex charta ſequenti : *Noverint univerſi quod nos fr. Nicolaus prior clauſtralis monaſterii S. M. ord. S. Bened. Pictav. diœceſis*, &c. *totuſque conventus, die Jovis poſt feſtum B. Mathæi apoſtoli an. Domini M. CCC. LXII. corpore bonæ memoriæ defuncti domni Johannis immediate electi & confirmati in abbatem hujus monaſterii prius tradito eccleſiaſticæ ſepulturæ, in loco capituli congregati pro tractando de negotiis & de proviſione abbatis & paſtoris nobis debite facienda, fecimus & conſtituimus in procuratores ſpeciales fr. Johannem de Gaſcanolle, Petrum Fromundi, & Arnaldum Iterii, ad præſtandum hominium illuſtriſſimo principi D. D. noſtro regi Angliæ, ratione temporalis hujuſce cœnobii.*

LVI. Guillelmus IV. de Vezençay alicubi dictus regii ſigilli cuſtos [a] & Regi a conſiliis, erat abbas die 21. Julii an. 1363. quo anno 15. Dec. Eduardo Anglorum regi fidem juravit pro temporalitate ſui monaſterii. An. 1365. in remotis agens, Philippum de la Faye ſuum vicarium generalem conſtituit. Idem an. 1367. capitulo generali monachorum ord. S. Bened. in cœnobio S. Aug. Lemov. celebrato præfuit cum abbatibus S. Jovini, Nantolii, & S. Auguſtini. Reperitur & anno 1368. in charta B. M. de Caſtellariis, imo & annis 1379. die XI. Jan. & 1380. 10. Julii, ex eo maxime laudandus, quod pro refarcienda in ſuo monaſterio regulari obſervantia ſtatuta quædam ediderit. De eo necrologium ſic habet : *Le XIX. du mois de Mars la depoſition de meſſire Guilleaume de Vezençay abbé de ceaus qui giſt devant l'autel de Noſtre-Dame, entre les deux pilliers.*

LVII. Petrus IV. de la Tour, cardinalis tit. SS. Marcellini & Petri & epiſc. Æduenſis, rege Carolo V. volente, abbatiam obtinuit in commendam ; unde in quadam charta anni 1380. 15. Martii dicitur *adminiſtrator abbatiæ S. Max. uſque ad beneplacitum ſedis apoſtolicæ*. An. 1381. die 5. Aug. hominium de la Briaudiere accepit. Hugonem vero Touſſelin priorem de Souviniaco vicarium ſuum generalem conſtituit.

LVIII. Hugo Touſſelin prior de Souviniaco & vicarius generalis Petri de la Tour præcedentis abbatis, nominatur abbas in quadam charta anni 1382. 21. Maii, qua ſtatuit cum Nicolao Chenelli priore clauſtrali, Guillelmo de la Mago eleemoſynario, & Petro Granil cantore, ut ſigillum abbatis ad evitandam omnem ſuſpicionem ſub triplici clave ſervetur.

LIX. Guillelmus V. de Chauray, qui ſub Guillelmo de la Porcherie abbate erat eleemoſynarius & vicarius generalis, abbatiam obtinebat die 20. Aprilis 1383. & 21. *al.* 22. Junii 1384. vide paulo ſuperius notam ad Guillelmum de Vezençay.

LX. Rogerius de S. Avit 1385. die 14. Jan. & 31. Octobris, 1386. ind. IX. 1388. 1392. die 1. Dec. & 1401. quo anno, die 30. Junii ſeptem libras, quindecim ſolidos & quatuor denarios a Petro Freinard accepit, ea lege ut ſingulis diebus miſſa in aurora diceretur ad altare S Johannis fundatum a Guillelmo de Vezencay abbate. Rogerius obiiſſe dicitur anno 1402. die 16. Septemb. melius fortaſſe Decembris, hac enim die monachi ſancti Max. convocantur ad futuram electionem faciendam.

LXI. Petrus V. Baſton memoratur abbas anno 1403. 12. Aug. in charta authentica regiæ bibl. Is cum eſſet in litteris tum divinis, tum humanis apprime verſatus, conventibus cleri Gallicani generalibus Lutetiæ congregatis pro exſtinctione ſchiſmatis Gregorii XII. & Benedicti XIII. interfuit, ac denique concilio Piſano an. 1409. ubi Gregorio & Benedicto exauctoratis, ſuprema eccleſiæ dignitas Alexandro V. delata eſt. Vide apud Monſtreletum egregiam quam ſcripſit epiſtolam ad epiſcopum Pictav. An. 1420. generale ſui monaſterii capitulum celebravit, ubi ad refarciendam diſciplinam regularem Nobiliacenſis abbas ex delegatione ſedis apoſtolicæ plurima condidit ſtatuta. Hoc etiam anno Petrus noſter unionem prioratus de Souviniaco menſæ abbatiali faciendam procuravit. Idem anno ſeq. depoſuit apud Stephanum Guffard diaconum & paſtorem de Augerio *250. ſoutos aureos, 50. francos auri, quinque annulos auri, ſex taſſias argenti, undecim cochearia argenti, unam crucem argenti deauratam, unum calicem cum patena, duo candelabra, duas aygueriæ, unam*

Spicil. t. vi. pag. 355.

Chron. t. v. c. 52. & du Bouſchet in ſuis Annal.

[a] In alio indice hæc tribuitur prærogativa Guillelmo de Chauray, ex charta, inquiunt, fratrum Minorum Pictav. quæ ſic incipit : *Guilleaume abbé de S. Maixent tenant le ſeel établi a S. Maixent pour notre ſeigneur le prince d'Aquitaine & de Galles*, &c. fortaſſe hæc utraque potius eſt dignitas.

Digitized by Google

boëtam pro ponendo hoſtias, omnia argenti deaurati, & unum parvum lapidem pro altari ſacratum. Anno 1431. die 1. Febr. præſuit cœtui habito Pictavii pro erectione Pictav. Univerſitatis. In ea primus omnium jus canonicum docuit; ejuſdemque privilegiorum conſervator[a] & magnus prior monachorum ord. S. Bened. & S. Bernardi in Univerſitate ſtudientium. cum poteſtate coercendi delinquentes meruit nominari. Litteras Eugenii papæ IV. datas Florentiæ an. pontif. IV. Incarn. Dom. 1434. id. Decemb. pro ſuo monaſterio accepit. Hominium ipſi redditum eſt de Bonolio anno 1436. 20. Aprilis. Vide Belle-foreſt hiſt. Franc. ad an 1439.

LXII. Petrus VI. de Claris-vallibus vel de Claravalle, *de Clervaux*, ex alumno cœnobii Sanmaxentiani pater & abbas electus eſt anno ſaltem 1437. die 3 Jan. eodemq; an. die 5. ejuſdem menſis quaſdam terras apud S. Martinum de Fontibus *accenſuavit*. Interim Eugenius papa IV. ipſum abnuit confirmare, deditq; abbatiam in commendam Franciſco tit. S. Clementis presbyt. cardin. qui tamen poſtea jure ſuo ceſſit ſub annua penſitatione. Cum vero tunc ſacroſancta generalis ſynodus Baſileenſis haberetur, ab ea Petrus de Claris-vallibus petiit electionis ſuæ confirmationem, & obtinuit IV. cal. Decemb. 1437. * vi cujus poſſeſſionem nactus eſt die Martis 10. Febr. 1438. indict. ſecunda. Huic Arturus ducis Britanniæ filius, dominus Partiniaci, & Franciæ conſtabularius, hominium-ligium reddidit pro omnibus feodis a monaſterio dependentibus anno 1439. die 12. Martii. Idem abbas Regi a conſiliis nominatur anno 1440. die 29. Sept. & 1441. 9. Decembris in chartis authenticis regiæ biblioth. Denique is eſt Petrus, non ipſius deceſſor, qui Carolum VII. regem adverſus Anglos ſtrenue defendit, ab eo viciſſim plura conſecutus privilegia, ex quibus hoc unum liceat exhibere: *Carolus Dei gratia Franc. rex univerſis*, &c. *conceſſimus quod abbas S. Maxentii & ſui ſucceſſores in perpetuum portent in armis abbatiæ unum ſcutum cujus campus ſit de gulis ad unum florem lilii aurei, & unam coronam deſuper etiam de auro, una cum hoc quod ipſe abbas & ſui ſucceſſores abbates ejuſdem abbatiæ ſint in futurum in perpetuum noſtri conſiliarii de noſtro magno conſilio ad jura, honores, franchiſias, & libertates & prærogativas ad ſtatum conſiliarii de dicto noſtro magno conſilio ſpectantes*, &c. *Datum Pariſiis in parlamento noſtro 15. die Sept. anno Domini M. CCCC. XLII. regni noſtri vigeſimo.*

LXIII. Johannes Chevalier e nobili proſapia ortus, abbas erat die XI. Jan. an. 1442. Idem an. 1445. tres pilas & fornicem eccleſiæ antea collapſas reſarcivit, uti hactenus appenſa ipſius gentis inſignia probant. Sedebat adhuc die 1. Septemb an. 1460. Jacet in eccleſia S. Maxentii ſub fornice a parte meridionali, cum inſcriptione pene eraſa.

LXIV. Jacobus Chevalier nepos præcedentis die 12. Nov. 1461. hominium pro feodo de la Bidoüillere excepit. Anno ſequenti de lite contra urbis magiſtratus de juriſdictione mota compromiſſum fecit. Adhuc præerat annis 1472 & 75. die 26. Octobris.

LXV. Philibertus * cardinalis, epiſc. Matiſconenſis annis 1482. & 83. plura excepit hominia. Hoc autem anno die ultima Decemb. litteras pro ſuo monaſterio a Carolo Francorum rege dicitur obtinuiſſe.

LXVI. Johannes II. Rouſſeau e gremio monachorum S. Maxentii electus eſt abbas ſub finem anni 1483. Æmulos habuit cardinales de Baluë & de Savelli a ſummo pontifice nominatos, verum iſti edicto parlamenti cauſa ceciderunt. Itaque Johannes Rouſſeau fidem clientelarem Lutetiæ juravit pro temporalibus abbatiæ bonis an. 1487. die 29. Decembris. Obiiſſe dicitur anno 1498. alias tamen præfuiſſe adhuc initio anni 1499. intelligè pro veteri more computandi, quod & de ipſius electione dicendum.

LXVII. Petrus VII. Chaunis reperitur abbas die 9. Martii 1499. Hic aliquando protonotarius ſummi pontificis nuncupatus, Petrum de Partiniaco priorem de Nantolio ſuum vicarium generalem conſtituit.

LXVIII. Ludovicus Gouffier * filius Guillelmi equitis domini de Boiſſy, &c. ex Philippa de Montmorency relicta Caroli de Melun regii palatii in Gallia magiſtri, canonicus ſacræ Capellæ Pariſ. & ſenator in ſuprema ejuſdem urbis curia, abbas erat anno 1501. Defunctus eſt 1503.

LXIX. Petrus VIII. Gouffier ſuperioris germanus abbatiam obtinebat an. 1505. poſt quem, indultarium reperimus Petrum Bouchard a fratre ſuo Amalrico libellorum ſupplicum magiſtro nominatum. Verum hic omittitur in omnibus ad nos tranſmiſſis catalogis.

LXX. Ludovicus de Paris abbas an. 1509.

LXXI. Arnaldus de S. Gelais ultimus abbas regularis, an. 1512. die 21. Aug. hominium reddit dom. de Albiniaco pro feodo de Gourdon.

LXXII. Jacobus II. de S. Gelais epiſc. Uticenſis & abbas commendatarius, ſedebat anno 1515. die 28. Maii, dormitorium & cellas monachorum pretio 275. librarum inſtauravit. Domum quoque abbatialem nuncupatam hortum Pictavienſem *l'Hort de Poitiers* refecit, & codicem agrorum vectigalium condidit. Obiit an. 1538.* *al.* 39. ætatis ſuæ 85. quo quidem anno die 15. Sept. ejus corpus terræ mandatum fuiſſe legimus in diario D. Guillemi le Riche contemporanei.

LXXIII. Johannes III. de S. Gelais & ipſe epiſc. Uticenſis abbatiam obtinuit ex ceſſione patrui an. 1628. poſſeſſionem tamen non niſi an. 1538. adeptus eſt. Sub hoc abb. qui ad Calviniſtas defecerat, altaria deſtructa, imagines proſtratæ, & reliquiæ crematæ ſunt die 27. Maii an. 1562. Jam autem anno 1543. die 9. Martii impia dogmata propalare cœperat. Abjuraſſe tamen hæreſim dicitur, tandemque obiiſſe die 13. Martii an. 1574. in domo abbatiali de l'Hort de Poitiers, annos natus 73. ſepultuſque eſt in Sanmaxentiano monaſterio. Ceterum fuit vir bonus, litteris ſacris & profanis inſtructus, in legibus canonicis & civilibus doctus, inquit dominus le Riche, qui res hac in urbe geſtas teſtis oculatus conſcripſit. An-

[a] Iſta prærogativa abbatibus S. Max. in perpetuum offeritur an. 1432. 6. Junii.

* *al.* 1438.

* *al.* Johannes.

* Edm. Marteane, & Jacobus Boyer eum appellant *Griffier*, dicuntque ejus inſignia fuiſſe tres falcatos ungues aureos, 3. *griffes*.

* 30. *Marteane.*

Digitized by Google

tequam vero diem obiret extremum, Franciſcus Caſtillon litteras a rege Carolo IX. acceperat pro adminiſtratione bonorum abbatiæ anno 1573. 22. Oct. aliaſque ipſo jam mortuo die 15. Martii an. ſeq. accepit; nihilominus tamen D. de Baptreſſe, regii ordinis eques, vi ceſſionis abbatiæ ſibi a Johanne de S. Gelais factæ & approbatæ a Carolo rege die ultima Febr. an. 1572. pactum fecit hoc anno menſe Aprili cum vicecomite de la Guierche, Georgio de Villequier, regii ordinis equite, & apud Pictones, necnon in utraque Marchia præfecto, pro partiendis ex æquo abbatiæ proventibus. Hic ſe a Rege impetraſſe jactabat litteras die 10. Decembris an. 1573. quibus facultas concedebatur ſibi, aut uxori, nominandi ad nutum abbatis. Alii dicunt vicecomitem de la Guierche calviniſtam, a Ludovico de Paris abbatiam emiſſe; cujus poſſeſſionem apprehendit an. 1576. menſe Januario. Et quidem de fructibus ejus perceptis apocham dedit an. 1591. Ejus vidua Ludovica Jay filia & heres Johannis Jay, equitis torquati, Pictavienſis urbis præfecti, abbatia potiebatur an. 1592. die 21. Octobris; imo adhuc an. 1594. cum nupſiſſet Jacobo d'Eſcars equiti torquato, comiti de Beaufort, ut liquet ex Jacobi litteris, die 13. Junii ejuſdem anni datis, quibus procurationem pro fructibus percipiendis dedit. At eodem anno pactum fiduciarium fecerunt cum Catherino Chreſtien, de quo infra, & an. 1597. cum domino de Parabere pepigit. Is jam obtinuerat domum abbatialem & prioratum de Maiſon; imo ſtatim ac obiit vicecomes de la Guierche, abbatiam obtinuerat a Rege pro Johanne de Cabaret domino de Luché, ſchedula die 14. Februarii 1592. ſcripta, & anno ſequenti die 21. Octobris alias litteras regias accepit pro Johanne de Hautefaye monacho, & ex quibuſdam ſchedis priore ſancti Maxentii.

Ex his intelligimus duos ſimul fuiſſe S. Maxentii perſonatos & fiduciarios abbates, Catherinum Chreſtien, & Johannem de Hautefaye, abbatiamque diu prædæ patuiſſe, cujus minimam partem ſimulati abbates capiebant. Catherinus bullas obtinuerat datas VI. calend. Junii 1575. attamen Johannes de Hautefaye, favente domino de Parabere, cum poſt 20. annorum poſſeſſionem cedere coëgit vi decreti ſanctioris conſilii, eique conceſſus eſt prioratus d'Azay cum cellerarii & ſacriſtæ officiis. Eum tamen poſtea titulum abbatis recuperaſſe legimus; quo ſe abdicavit in manibus Henrici IV. regis an. 1608. 25. Jan. pro abbate ſequenti, ſub pacto 200. aureorum annuæ penſionis.

LXXIV. Guillelmus VI. Fouquet de la Varenne ſenator in parlamento Pariſienſi, ex ceſſione Catherini fit abbas ineunte anno 1608. Cum hoc titulo memoratur in chartis an. 1609. die 4. Maii, 1610. 2. Jan. quo Regi a conſiliis libellorumque ſupplicum in regia magiſter ordinarius dicitur, 1614. die 24. Novembris, & 1615. Eodem anno Catherinum ſæpius prænominatum ſuum vicarium generalem conſtituit. Neque tamen pacificam obtinuiſſe poſſeſſionem videtur; nam

LXXV. Jacobus II. le Ber presbyter Aureliaſenſis diœceſis, confirmatur abbas a Paulo V. ſummo pontifice, bullis datis anno 1615. pridie idus Aprilis, deinde poſſeſſionem adeptus eſt per procuratorem ſuum Franciſcum Thoreau presbyterum priorem S. Radegundis Pictav. & canonicum S. Hilarii-majoris 18. Octob. 1616. Videtur nomen ſuum commodaſſe domino de Sully, poſteaque D. de Rohan, qui emta pretio 70000. librarum abbatia, potitus eſt, uſquedum a Rege ad Calviniſtas deficiens ea privatur, daturque perceptio fructuum N. de Gros-bois gubernatori urbis S. Maxentii, 29. Decemb. 1621.

LXXVI. Ludovicus * de Rucellay *Italus*, clericus apoſtolicæ cameræ, titularis abbas S. Maxentii deſignatur a Ludovico XIII. die 4. Martii anno 1622. Eodemque anno 18. Julii litteris datis in caſtro Biterrenſi revocatur adminiſtratio domini de Gros-bois. Obiit Ludovicus de Rucellay menſe Oct. ejuſdem anni in obſidione Montiſpeſſulani. * *al.* Johannes.

LXXVII. Bertrandus d'Eſchaux Turonenſis archiepiſcopus, regii ordinis præceptor, primuſque Ludovici XIII. eleemoſynarius, renuntiatur abbas S. Maxentii an. 1623. Hic patres congregationis S. Mauri in monaſterii poſſeſſionem induxit die 2. Julii 1634. Exſtinctus eſt 21. Maii 1641. ætatis ſuæ 85.

LXXVIII. Armandus du Pleſſis de Richelieu cardinalis obiit an. 1642. die 4. Decembris.

LXXIX. Jacobus, *al.* Jacob de Crevant d'Humieres, frater Ludovici Franciæ mareſcalli, bullas obtinuit ab Innocentio X. anno 1644. 10. Dec. Obiiſſe dicitur 2. Sept. 1661. poſt annos 17. regiminis, alias vero ſediſſe uſque ad annum 1662.

LXXX. Balthazar de Crevant d'Humieres germanus præcedentis, eques militiæ Jeroſolymitanæ * & abbas S. Petri de Prulliaco, abbatiæ S. Maxentii poſſeſſionem accepit die 21. Aug. 1663. Ejus tempore anno 1682. menſe Aug. eccleſia monaſterii præterito ſeculo deſtructa, elegantiori opere abſoluta conſecratur a D. de la Hoguette epiſcopo Pictau. E vivis exceſſit an. 1684. menſe Sept. * Melitenſis.

LXXXI. Henricus-Carolus Arnaud de Pompone nominatur eodem anno 8. Sept. ſed poſtea deſignatus abbas S. Medardi Sueſſion. 1. Novemb. 1693. ceſſit.

LXXXII. Matthæus Iſoré d'Hervault Turonenſis archiep. & abbas S. Johannis Angeriac. nominatione regia fit abbas S. Maxentii die 1. Nov. 1693. Pariſiis obiit an. 1716. ſepultuſque fuit die XI. Julii in clauſtro Eremitarum S. Auguſtini ſuburbii S. Germani.

LXXXIII. N. de Grimaldi ex principibus Monæcii, *Monacho* *, deſignatus eſt abbas S. Maxentii a Rege die 6. Nov. an. 1717. * vel Monegus.

MONASTERIUM-NOVUM. Moutier-neuf.

HOc cœnobium Auguſtoriti Pictonum ad ripam Clani, ord. S. Bened. ſub titulo S. Johannis Evangeliſtæ, atque etiam aliquando S. Andreæ, fundatum legitur circiter 1066. vel 1069. in chron. Malleac. a Guillelmo VII. dicto etiam Guidone Goſſrido, Guillelmi IV. & Agnetis Aquitaniæ du- tom. iii. Anecd. Mart. col. 1111.

Digitized by Google

cum filio & herede. Verum aliquot annis tardius fundatum fuiſſe hoc monaſterium dicere cogit ipſiuſmet fundatoris charta, ubi diſerte aſſerit, antequam eccleſ. S. Johannis ſeu Monaſterium-novum ædificaret, ſe Audebrannum papam adiiſſe, qui ſumm. pontificatum non obtinuit ante annum 1073. Sed necdum anno 1076. abſolutum erat monaſterium, ut palam fit ex ipſis Guillelmi litteris ad calcem appoſitis, ubi & inſtrumentum dotationis reperies datum anno ſequenti. Vide Annales Bucheti pag. 124. Statim vero commiſſum eſt ſancto Hugoni Cluniac. cujus potiſſimum ſuaſu conditum erat, ex vita ipſius ſancti, qui quidem miſit illuc abbatem cum decem & octo monachis, ex præcepto Gregorii VII. an. 1076. quo vult ut abbas Monaſterii-novi conſtituatur ab abbate Cluniacenſi. Vide Mabill. Annal. tom. 5. pag. 102. Denique an. 1096. Urbanus papa II. Monaſterium-novum benedixit IV. cal. Febr. ex chronico Malleacenſi. Nunc dicendum de abbatibus.

Beſly pag. 366.

C. XXXIV. col. 351. C. XXXV. col. 354.

Biblioth. Cluniac. fol. 455.

Ibid pag. 1377.

ABBATUM CATALOGUS.

I. GUIDO ſeu Wido ex priore Cluniaci primus abbas Monaſterii-novi a S. Hugone conſtituitur circa anno 1077. Is anno ſeq. ſubſcripſit litteris Goffredi ducis, uti habetur Annal. Bened. tom. V. pag. 227. & hiſt. comit. Pictav. pag. 449. Attamen non niſi an. 1081. vel ſeq. ordinatus eſt abbas; ſic enim fert inſcriptio veteri inſculpta lapidi uncialibus characteribus XI. ſeculi, qui nunc aſſervatur in ſacriſtia: *Anno Dominicæ Incarnationis M. LXXXVI. Gauffridus dux Aquitanorum, hujus loci fundator, moritur quinto anno ordinationis Guidonis primi abbatis.* Anno 1083. Widone abbate, Iſembertus ep. Pictavienſis dedit Monaſterio-novo abbatiam ſeu eccleſiam S. Pauli in urbe Pictav. Vide Beſlium hiſt. comit. Pictav. pag. 387. & ſeq. Obiit Guido 28. Aprilis, ſecundum Buchetum anno 1088. ſecundum vero Beſlium hiſt. comit. Pictav. pag. 443. & chron. Malleac. an. 1091. atque in capitulo Cluniacenſi ſepultus eſt. D. Edmundus Martenne tom. III. Anecdot. edidit fragmentum hiſtoriæ Monaſterii-novi auctore Martino ejuſdem loci monacho, qui eam nuncupavit ſuo abbati Roberto. Hic de tempore mortis abbatis Guidonis diſſentit a præfatis auctoribus. Docet enim Guillelmum Gaufridum Aquitaniæ ducem obiiſſe apud Chiſeſgium * caſtrum, poſt perceptum ab Odone abbate S. Johannis Angeriacenſis Dominici corporis & ſanguinis ſacramentum, VIII. cal. Octob. Dominicæ Inc. an. M. LXXXVI. ind. VII. * epacta III. concurrente II. feria V. *cujus corpus*, inquit, *Pictavis eſt delatum, & IV. cal. in ipſius monaſterii capitulo, quod ipſe fecit, eſt ſepultum, ſed poſt annum eſt inde levatum, ac in eccl. ante altare Crucifixi honorifice poſitum.* Hæc laudatus ſcriptor, qui addit ibidem ſatis decenter mauſoleum fuiſſe decoratum, *& a meis litteris*, inquit, *hoc titulo decoratum:*

Annal. Ben. t. V. pag. 363.

* *f.* Chizay ad Wltonam fluvium *la Bourouſe* non longe a monaſterio Angeriacenſi.

* melius IX.

Ad Domini cultum veniens memorare ſepultum
Et memorando capis quem tegat iſte lapis.
Gaufridi quondam, &c. quæ vide loco indicato.

Idem ſcriptor hæc habet de Guidone abbate: *Anno poſt obitum ducis, & ipſe obiit ab ordinatione ſua poſt annos decem; menſes tres, & dies octo, ab incarnat. vero Domini anno M. XCII. indict. XV..... Obiit enim Cluniaci ibique ſepultus eſt, ubi legitur hoc epitaphium:*

Clauditur hoc tumulo vir magnus nomine Guido.

In hac narratione conjicimus quædam deeſſe poſt verba hæc: *Anno poſt obitum ducis;* quæ ſane non referuntur ad tempus mortis Guidonis, qui e vita non migravit *anno poſt obitum ducis*, ſcilicet an. 1087. ſed anno 1092. idcirco videtur legendum: *Anno poſt obitum ducis Guido regimen monaſterii dimiſit & Cluniacum rediit.*

Porro de auctoritate ſcriptoris hujus ſpondere non audemus, fatetur editor depravatas eſſe notas chronicas. Aliunde neſcimus quo tempore vixerit ipſe & Robertus abbas, qui locum non habet in abbatum nomenclatura.

II. Geraldus [a] aſceta quoque Cluniacenſis & camerarius Monaſterii-novi, ordinatur abbas in eccleſia Carroſenſi a Petro Pictavienſi epiſcopo, ex Bucheti Annal. pag. 125. Urbanus papa II. anno ſui pontificatus ſexto, Incarnationis Dom. 1093. XVI. cal. Nov. ind. I. ei bullam inſcripſit quam inter inſtrumenta reperies, cum alia Hugoni abbati Cluniacenſi directa 1096. Aliam inſuper ejuſdem ſummi pontificis bullam laudat noſter Claud. Eſticnnot datam Geraldo abbati an. 1096. XVIII. cal. Maii, in qua recenſentur Hugo Bituricenſis, & Amatus Burdigalenſis archiepiſcopi, Aimarus abbas Lemovicenſis (S. Martialis), & Rainaldus abbas S. Cypriani. Certe in libro capitulari dedicata fuiſſe legitur eccleſia Monaſterii-novi, tempore hujus abbatis, quod quidem hoc an. 1096. VI. cal. Febr. contigiſſe docet chronicon Malleac. Vide Annal. Bened. tom. 5. pag. 363. Obiit Geraldus 17. Januarii, *poſt dedicationem monaſterii factam an. 1096.* qua die ſic habetur in necrologio: *XVI. cal. Febr. depoſitio domni Girardi hujus monaſterii abbatis, hic jacet infra muros capellæ.* Perperam vero dicitur in chron. Malleac. Giraudo ſucceſſiſſe Tetbaudum, Giraudum & Marquerium, ut mox patebit.

C. XXXVIII. col. 356.

tom. IV. mſ. Antiq. Ben. Pictav. pag. 482.

III. Letaldus S. Hugonis nepos ac diſcipulus, vir magnæ capacitatis & religioſitatis, ſeu magnæ caritatis & *eleemoſitatis* in libro capitulari nuncupatus, dicitur Monaſterium-novum rexiſſe annis quinque, ab anno ſcilicet 1096. quo prioratus S. Nicolai unionem cum ſuo monaſterio ab Urbano II. impetravit. Vix autem annum 1101. attigiſſe videtur, quippe in charta hujus anni ſoli prior & monachi, nulla mentione abbatis facta, commemorantur. Obitus ejus notatur in necrol. VIII. idus Martii, jacet infra muros.

IV. Marcus qui & Marcherius [b] aſſumitur etiam e Cluniacenſi monaſterio a S. Hugone, de quo ſic habet laudatus liber capitularis: *Quartus dominus Marcus vir ſanctæ vitæ & magnæ religionis, qui multum accrevit redditus eccleſiæ noſtræ. Tempore*

[a] Beſlius dat Guidoni ſucceſſores Guibrandum, *al.* Giraudum, Letaldum, *al.* Letbaudum; Geraldum II. & Marquerium, ſeu Marcum; hiſt. comit. Pictav. pag. 104.

[b] Vocatur hoc nomine in chartis annorum 1105. 1106. & 1109. quo anno interfuit confirmationi ſalinarum de Trunca, factæ Goffrido abbati S. Maxentii apud Boetum cellam Monaſterii-novi in camera monachorum an. 1109. primo Ludovici Francorum regis.

ſuo

Digitized by Google

ſuo quidam epiſcopus Pictav. dedit monaſterio noſtro eccleſiam de Podio B. Mariæ. Idem dominus Marcus ſepelitur prope portam ſacriſtiæ. Anno 1101. Marcus abbas emit a priore & canonicis S. Radegundis terram quandam infra ſtagnum. Subſcripſit an. 1105. placito Hugonis de Leziniaco, cum Henrico abbate Angeriacenſi, Baudrico Burgulienſi, &c. ex charta ſancti Maxentii
C. XXIV. col. 343. n. 189. Reperitur adhuc in alia charta S. Maxentii an. 1108. qua Helias de Nobiliaco cedit tres campos ſalinarum; item 1109. in tabula Nobiliacenſi; an. 1111. in litteris Petri abbatis S. Cypriani eccleſiam S. Bonifacii monaſterio Fontisebraldi largienti; & 1112. in charta Richardi B Forbauditi plurima Monaſterio-novo concedentis, maximeque caſtanearum decimam, Petro venerabili Santonum epiſcopo. Exſtat fundatio prioratus ſeu obedientiæ de Bennaco per Joſcelinum de
* f. Leziniaco. Leziaco *, qui vendidit Marco abbati Monaſterii-novi quæcunque habebat in terra de Bennaco, pro pretio centum librarum Pictavienſis monetæ, cum facultate reſumendi dictam terram intra quatuor annos, reſtituendo dictam ſummam: *Facta eſt præſens charta anno 1106. in manu D. Marci M. N. abbatis, Duranni prioris S. Nicolai*, &c. *concedente Hugone de Doëto domino Bennaci*, & *donum quod facio* (addit Joſcelinus) *in manu do-* C *mini mei Guillelmi Pictavorum comitis, jam olim in manu patris ejus felicis memoriæ Gaufredi promiſeram & feceram, Philippo rege Francorum, & Petro Pictav. epiſcopo.* Guillelmus vicecomes de Oënaio donum abbatiæ S. Pauli factum Monaſterio-novo confirmat ſub Marco abbate an. 1116. vide Beſlium hiſt. comit. Pictav. pag. 388. Anno 1119. eidem abbati quædam in parochia de Jart
Hiſt. comit. Pictav. pag. 436. conceſſit Guillelmus comes; quo etiam anno Arveus Fortis quoddam ei molendinum largitus eſt. In quodam inſtrumento Girardi Engoliſm. epiſc. & legati apoſtolici, legitur Marcherium abbatem D Monaſterii-novi, & abbatem Cluniacenſem, cum abbate Burgulienſi iniiſſe concordiam ſuper eccleſia de Magniaco, *Migné*, poſt abſolutum Remenſe concilium an. 1120. Idem abbas adhuc in vivis erat an. 1126. quo Stephanus de Migniaco dedit ei omnem terram quam habebat apud Migniacum ad fluvium Auſanciam. Sic autem memoratur in necrologio: *XV. calend. Martii depoſitio domni Marci hujus monaſterii abbatis. Hic jacet ad altare apoſtolorum Simonis & Judæ*, quod fortaſſe erat prope ſacriſtiam, ubi hunc liber capitularis ſepultum narrat. De cetero conſule Beſlium hiſt. comit. Pict. pag. 436. & ſeq. E

V. Girardus II. occurrit abbas Monaſterii-novi
Tab. S. Maxentii. an. 1129. Ludovico rege Francorum anno XX. Guillelmo Adelelmi Pictavenſi ſedi præſidente, in charta Willelmi Aquitaniæ ducis. Forte is eſt quem chronicon Malleac. ante Marcum abbatem perperam collocavit, quique in necrologio notatur XV. cal. Julii: *Tumulatur in tumulo elevato, ſcilicet in*
* f. in arcu. *arce * murali, in capella B. Mariæ verſus Aquilonem, vir magnæ religionis.*

VI. Hugo reperitur in charta donationis Philippæ Pictav. comitiſſæ viduæ Guillelmi ducis, qui obiit 1126. & *tumulatus jacet* apud Novum-
Tomus II.

A Monaſterium. Hæc comitiſſa *veniens ad Monaſterium-novum, flexis genibus ante Hugonem abbatem & monachos, pro commiſſorum indulgentia gurpivit mareſia* de Jard *quæ invaſerat, quod eadem mareſia dicebantur eſſe de oſculo ſuo.* Obiit Hugo die 7. Januarii ac ſepultus eſt *in ſancto Benedicto.*

VII. Petrus I. conſtanter collocandus eſt ſeptimus Monaſterii-novi abbas ex inſtrumento ſeu no- C. XXXVI. col. 355. titia fundationis prioratus SS. Simonis & Judæ de Faya - Monachali prope Rupellam; ibi enim fit mentio Petri abbatis Monaſterii-novi, Pictavienſis comitis cognati, *defunctis jam ſex abbatibus*, ex tab. S. Max.

VIII. Imerius ſeu Imarus & Yſmarus, monachus S. Martini a Campis *, prior ſancti Arnulfi * al. Cluniaci alumnus. Criſpeienſis, deinde Caritatis, tum decanus Cluniacenſis cœnobii, poſtea abbas Monaſterii-novi, demum cardinalis & epiſcopus Tuſculanus creatur ab Innocentio papa II. variiſque pro ſede apoſtolica legationibus decoratur. Obiit Cluniaci & ibidem ſepultus eſt. Vide præfationem ad biblioth. Cluniacenſem, item chronicon Cluniacenſe col. 1644. & ſeq. necnon Galliam purpuratam, quibus adde Mabillonium qui in notis ad epiſtolam 219. S. Bernardi, Imarum hunc dicit tanquam abbatem hujus monaſterii interfuiſſe pactioni inter Ludovicum Juniorem & Argrimum archidiaconum Aurelian. initæ. Vide Quercetanum tom. IV. collect. pag. 764.

IX. Simon quinto loco reponitur in libro capitulari quem in omnibus ſequi minime profitemur. Obiit calendis Aprilis ex necrologio, & ſepultus eſt ante altare S. Simonis prope ſepulcrum D. Martini.

X. Helias, cujus precibus Alienor Aquitanorum & Normannorum duciſſa pro remedio animæ ſuæ, patris & avi ſui, omnia quæ eccleſiæ S. Johannis Evangeliſtæ Novi-monaſterii atavus, avus, paterque ipſius conceſſerant, laudavit, privilegio Pictavis per manum Bernardi cancellarii tranſcripto anno 1152. * VII. cal. Junii, teſtibus * al. 1153. Eblone de Malo-leone, Radulfo fratre ejus, Ugone vicecomite Caſtri-Airaudi & Radulfo fratre ejus, Segebrando Chabot & Saldebroilo conſtabulario. Idem abbas obtinuit ab Adriano IV. privilegium an. 1157. Ipſe quoque ac totum capitulum concordiam ſolemniter faciunt cum Johanne B. Hilarii præcentore, & ejuſdem eccleſiæ capitulo, anno Inc. M. C. LXVI. epacta XVII. ind. XIV. Johanne epiſcopo Pict. ex quo inſtrumento liquet magnam inter illos canonicos & monachos ſocietatem interceſſiſſe. Hoc autem circiter tempore Joſcius Turonenſis archiep. coram Guillelmo Cenomanenſi & Matthæo Andegavenſi epiſcopis de eccleſia Migniaci concordiam facit inter Aimericum Burgulienſem abbatem & Eliam Monaſterii-novi. Vivebat adhuc Elias an. 1187. quo interfuit pactioni inter Petronillam SS. Trinitatis abbatiſſam & Jacobum miniſtrum fratrum hoſpitalis Jeroſolymitani in Pictavia. Ejus obitus dies notatur in necrologio, VII. idus Maii, ubi jacere dicitur ad altare S. Johannis ad ſiniſtram; in codice vero capitulari legitur, *ſepultus in tumulo elevato contra muros eccl. verſus Septentrionem eundo ad parochiam.*

Digitized by Google

XI. Stephanus I. Heliam ſequitur in codice *Galteri*, qui de eo hæc habet: *Sepelitur D. abbas Stephanus ante portam per quam intratur in cimiterium ſacriſtæ ad proceſſiones Quadrageſimæ.*

XII. Odo Leval in eodem codice ſubjicitur Stephano. Ejus obitus notatur die 22. Aug. ſepelitur ante altare S. Clodoaldi ad latus ſiniſtrum.

XIII. Petrus II. abbas erat 1195. quo anno, ipſius conſilio Bernardus Ballon abbas Caſæ-Dei quædam ceſſit monaſterio Bonæ-vallis ord. Ciſterc. & ejus abbati Gaufredo. Is eſt profecto P. abbas memoratus in charta Nevelonis de Mellai domini Fractarum-vallium & Fayæ, pro monaſterio ſancti Benedicti de Quinciaco, anno 1192. Philippo Francorum rege, Willelmo Pictav. epiſcopo.

XIV. Hulricus & Hurricus vel etiam Orricus, memoratur an. 1199. in charta Alienordis reginæ pro monaſterio Fontis-ebraldi, & 1211. in tabula Cluniacenſi. Compoſuit anno 1221. cum priore de Brolio de Arjençon ſuper decima de la Jarreïa, ſequeſtro Michaële Santonenſi præſule apud S. Johannem Angeriacenſem. Exſtat definitio prioris S. Hilarii de Cella auctoritate apoſtolica delegati, in gratiam Hulrici abbatis, feria 2. poſt Epiphaniam 1223. habetur & altera ſententia ejuſdem prioris, & cantoris ſanctæ Radegundis cum ipſo pariter commiſſi, data anno ſequenti pro Hulrico abbate; quo etiam anno idem Hulricus pretio 20. ſolidorum ſemel ſoluto acquirit a canonicis S. Petri Puellaris inſulas de Charreria. Idem an. 1232. terram de la Chapelloniere apud Chireyum comparavit. Ceſſit autem anno ſeq. ex Baluzio in notis ad Galliam Chriſt. cujus obitus in necrologio aſſignatur nonis Aprilis. Jacet infra capitulum.

XV. Fulco præpoſitus, eligitur abbas an. 1233. menſe Febr. uti conſtat ex charta Guidonis ſubprioris, qua ipſius confirmationem poſtulat ab abbate Cluniacenſi. Anno ſeq. menſe Julio nonnulla permutavit cum Stephano priore domus eleemoſynariæ de Surgeriis. *Actum apud Surgerias.* Idem reperitur annis 1243. & 1244. quo ultimo excuſat ſe quod non venerit ad capitulum generale. Anno 1245. ſcribit ad abbatem Cluniacenſem de vexationibus quas epiſcopus Pictav. monaſterio ſuo inferebat. Paciſcitur an. 1250. menſe Martio cum Hugone Groſſo pro trelliis abbatiæ, procurante Johanne Pictav. epiſcopo. Obiit ex necrologio, VII. idus Aprilis, *prope oſtium cimiterii ſepultus.* Is autem eſt profecto qui uſum mitræ & annuli obtinuit ab Innoc. IV. bulla data Lugd. calendis Junii, pontificatus anno 7.

C. xxxix. col. 357.

XVI. Guerinus *magni regiminis & dilector fraternitatis*, inquit *Galteri* codex, *acquiſivit domum de Chardonchamp cum decimis, per hoc providens de pane frumenti, & ſepelitur in capella S. Clodoaldi in tumulo elevato in arce * murali, & die illo tenetur conventus facere pitanciam honorifice, tam D. abbati, quam conventui.*

* *f.* arcu.

XVII. Guillelmus I. iniit compoſitionem cum Philippo priore S. Hilarii de Cella anno 1280. Emit prata ſita juxta fluvium Auxantiæ infra domum de Puteto 1286. Exceſſit e vivis die 22. Januarii, tumulatus *in medio pavimenti capellæ B. Mariæ, qui dedit conventui centum ſolidos reditus ſituatos..... & juxta ipſum ſepelitur D. abbas ..... qui ordinavit die obitus ſui dari pauperibus & pueris clauſtralibus* placentas *, *per eleemoſynarium*, ſicut hactenus dantur.

* des fouaſſes.

XVIII. Guillelmus II. Garini ſeu Guarini memoratur abbas in charta domeſtica anni 1289. Hujus depoſitionis dies notatur cal. Septembris. Fortaſſe is eſt Guerinus de quo paulo ſupra.

XIX. Petrus III. de Tremollia electus an. 1297. die Lunæ ante feſtum decollationis S. Johan. Bapt. ex Baluzio in notis ad Gal. Chriſt. anno ſeq. die Lunæ ante feſtum B. Mariæ Magdalenes concordiam fecit cum Galtero epiſc. Pictav. ſuper quibuſdam terris ſeu feudis in parochia de Chiré controverſis. Ipſius meminit necrologium v. idus Martii, ſepultus eſt ante oſtium capellæ B. Mariæ in magna eccleſia.

XX. Aymo * ſepelitur pridie cal. Aprilis die Mercurii ante Ramos palmarum, ex inſtrumento Henrici abbatis Cluniac. an. 1311.

* *al.* Simon.

XXI. Martinus Laufredus ex priore S. Saturnini electus eſt abbas eodem anno die Martis poſt feſtum SS. Philippi & Jacobi, & confirmatus ab Henrico abbate Cluniacenſi VII. idus Junii 1311. Migravit ex hac vita anno ſeq. die Martii 27. *Sepultus in capella S. Clodoaldi ad latus ſiniſtrum, vir magnæ ſcientiæ.*

XXII. Marcus II. paciſcitur cum abbatiſſa SS. Trinitatis ſuper prioratu de Villefollet, die Lunæ poſt Aſcenſionem Domini an. 1312.

XXIII. Guillelmus III. annatas ſolvit cameræ apoſtolicæ die 3. Maii an. 1315.

XXIV. Rainaldus ſeu Reginaldus de Flers notatur in necrologio 17. Aprilis. Et certe in ejus ſepulcrali lapide poſito ante majus altare noſter D. Jacobus Boyer legit hunc abbatem obiiſſe die Martis poſt Paſcha 1324. in quem ſane diem incidebat 17. Aprilis. De eo *Galteri* codex hæc habet: *Fundavit D. abbas Rainaldus capellam S. Catharinæ in domo eleemoſynarii cum tribus miſſis celebrandis qualibet ſeptimana per ſubeleemoſynarium, pro quibus miſſis dictam capellaniam dotavit & fundavit de XV. lib. redditus; dignus eſt operarius mercede ſua: quæ capellania eſt in præſentatione eleemoſynarii & in collatione D. abbatis; & ſepelitur ante majus altare in medio pavimenti.*

XXV. Guillelmus IV. jam an. 1321. ordinandus abbas Odoni epiſcopo Carpentoratenſi oblatus fuiſſe dicitur ab Arnaldo cardinali. Reperitur an. 1326. in charta domeſtica.

Tom. I. novæ Gall. Chriſt. pag. 906.

XXVI. Geroardus, *al.* Geirardus aut Giraldus obiit ex necrol. 26. Martii, & ex codice *Galteri*, ſepultus eſt in parva camera, ſive *domo oleorum.*

XXVII. Raimundus notatur in necrologio pridie nonas Junii, quem codex *Galteri* ſepultum docet in tumulo prope locum aquæ benedictæ ubi novitii accendunt ignem ad incenſum.

XXVIII. Henricus jacet in capitulo. Hic dedit Nobiliacenſi monaſterio calicem argenteum.

XXIX. Guillelmus V. de Monte-Lauduno Pariſiis primum, deinde Toloſæ, tandemque

Digitized by Google

Pictavis docuit. Eligitur abbas Monaſterii-novi an. 1334. cum jam eſſet prior S. Pauli. Vide Annales Bucheti pag. 193. Obiit die 2. Januarii ante annum 1343. ex inſtrumento Aimerici de Faugeret prioris de Faya, qui recognoſcit ſe quoſdam libros a conventu Monaſterii-novi mutuo accepiſſe; quos quidem libros dicto conventui dederat Guillelmus de Monte-Lauduno bonæ memoriæ abbas, & domum ſeu librariam conſtruxerat in dormitorio. De hoc abbate ita codex *Gualteri: Gloſſavit Clementinas & compoſuit unum tractatum ſuper Sacramenta Eccleſiæ, & fuit notabilis doctor in decretis, qui ſepelitur ante magnum altare a latere dextro.* Vide Trithemium lib. 2. de viris illuſtribus ord. S. Bened. cap. 126. Fundavit quoque unam capellaniam in altari de Corpore Chriſti, in quo qualibet hebdomada dicendæ tres miſſæ in aurora diei, & nuncupatur miſſa diluculi, *la meſſe du point du jour.* Plura de illo vide apud Oudinum in ſupplemento de Scriptoribus eccleſiaſticis.

XXX. Stephanus II. cui ſucceſſit abſque medio.

XXXI. Fredolus de Cumbis, ex apocha data per D. Jacobum baſilicæ XII. apoſtolorum preſbyterum cardinalem, pro ſolutione 175. florenorum auri, quos debebat collegio cardinalium pro parte communis ſervitii, & VII. florenorum auri pro parte ſervitii famulorum DD. cardinalium. Hæc ſolutio facta eſt per manum Johannis de Cumbis patris abbatis Fredoli, Avenione die 19. Novembris 1343. indict. XI. Clementis papæ VI. anno ſecundo.

XXXII. Petrus IV. de Saint-Martial ex magno priore Cluniaci factus abbas Monaſterii-novi, obiit die 3. Julii 1350.

XXXIII. Guillelmus VI. cui Burchardus de l'Iſle quædam dimiſit, litteris datis die Jovis ante *Oſanna* an. 1368.

XXXIV. Imbertus vel Humbertus reperitur in pluribus chartis ab anno 1370. ad 1389. Ex necrologio moritur 23. Martii, ac *ſepelitur*, inquit *Gualteri* codex, *in capella B. Mariæ ante altare a latere Aquilonis verſus infirmariam bonus clericus & magnus prædicator.*

XXXV. Aimericus de Coucy 1390. celebravit capitulum generale, in quo varia officialium onera & munia recenſentur die XI. Nov. 1404. Regebat adhuc 1409. Obitus ejus notatur 3. Auguſti, ſepelitur in choro ſubtus campanas.

XXXVI. Johannes de Torſai memoratur an. 1413. in charta eccleſiæ S. Hilarii. Reperitur & annis 1416. & 1424. obiitque 10. * Aug. *al.* calendis Aug. 1439. ſepultus die ſequenti *ante magnum altare a latere ſiniſtro, qui fecit ædificari aulam novam prope virgultum vinearum abbatiæ.* *f. 1.

XXXVII. Stephanus III. Bureti vel Buret Burgundus, in ſacra pagina profeſſor, ex priore S. Nicolai cooptatur in abbatem die 24. Auguſti 1439. & confirmatur 21. Septembris ejuſdem anni ab Odone Cluniacenſi abbate. Exſtat quoque bulla concilii Baſileenſis ad abbatem S. Cypriani pro ejuſdem electionis confirmatione, data eodem anno. Celebravit capitulum generale in feſto S. Martini haberi ſolitum, die XI. Novembris 1446. In fata ceſſit III. idus Aug. 1461.

XXXVIII. Carolus I. de Saint-Gelais, Cluniacenſis monachus, eodem anno delectus abbas confirmatur a Johanne de Bourbon Cluniacenſi abbate & epiſcopo Anicienſi, die 27. Novembris ejuſdem anni 1461. a quo etiam triduo poſt benedictionem accepit Turonis in eccleſia S. Johannis. Eodem anno vel potius ſequenti Carolus celebravit capitulum generale die XI. Novembris. Ab Angeriacenſibus monachis accepit partem brachii S. Macuti an 1463. 26. Martii, & an. 1469. quorumdam monachorum profeſſiones admiſit.

XXXIX. Johannes II. de Caſtro-novo, *al.* de Stampis, epiſcopus Carcaſſon. ac primus Monaſterii-novi abbas commendatarius reperitur in pluribus chartis ab an. 1471. ad 1475. quo diem ſupremum obiiſſe dicitur.

XL. Carolus II. de Saint-Gelais, prior de Faya-monachali & epiſcopus Margaritenſis, quo nomine reperitur in quodam inſtrumento Monaſterii-novi an. 1486. idem fortaſſe qui ſupra Monaſterii-novi commendam obtinebat 1476. & 1494. Sepelitur in atrio eccleſiæ juxta crucem lapideam in cujus baſi hæc leguntur: *Hic eſt ſepultura D. Caroli de S. Gelaſio epiſcopi & abbatis hujus monaſterii, anima ejus & animæ omnium fidelium defunctorum requieſcant in pace. Amen.* Locum habet in necrologio VI. nonas Julii, melius fortaſſe IV. alias enim dicitur obiiſſe 3. Julii 1500.

XLI. Ludovicus de Rochechoüart alumnus monaſterii, frater Petri epiſcopi Santonenſis & Ludovici nepos ex fratre Johanne, electus eſt a fratribus multis in abbatem die 30. Julii 1500. Verum in eadem capituli ſeſſione electus eſt a pluribus Aimericus Bruſſonis, paulo poſt Lutetiæ defunctus, dum uterque ſuam cauſam proſequeretur. Denuo itaque Ludovicus die 30. Aug. 1501. electus fuit & confirmatus a Jacobo d'Amboiſe abbate Cluniacenſi 3. Septembris ejuſdem anni. Porro in decreto hujus electionis dicitur, *Venerabilis & ſcientificus vir frater Ludovicus de Rupe-cavardi, preſbyter, vir providus, ordinem expreſſe profeſſus, decretorum profeſſor eximius, de legitimo matrimonio & antiqua baronum proſapia & militari genere procreatus, eminentis ſcientiæ, honeſtæ vitæ, claræ famæ, regularibus diſciplinis ab adoleſcentia eruditus.* Dicitur obiiſſe 28. Junii 1505.

XLII. Renatus I. Caillet licentiatus in decretis, prior de Faya-monachali & S. Nicolai Pictav. necnon eleemoſynarius ſub Ludovico de Rupecavardi, eligitur abbas 18. Aug. 1505. Confirmavit electionem Ludovici de Huſſon Pictav. epiſcopi ut vicarius archiepiſcopi Burdigalenſis. Jacet in ſacello S. Benedicti cum hac inſcriptione: *Hic jacet defunctus revereudus pater D. Renatus Caillet, in decretis licentiatus, dum viveret hujus monaſterii abbas, qui obiit X. Junii 1529.* Sedes abbatialis adhuc vacabat 10. Aug. 1530. ex chartis vicariorum generalium Monaſterii-novi.

Digitized by Google

XLIII. Johannes III. de la Rochefoucaud abbas S. Amantii de Buxia 1522. tum Monaſterii-novi 1530. tandemque Mimatenſis epiſcopus, abbatia ceſſit paulopoſt, ſed non ante diem 5. Julii an. 1532. qua Franciſcus Meſchatin, Monaſterii-novi infirmarius, molendinum de Magniaco hujus abbatis nomine locavit. Obiit 24. Septembris 1538. cujus tamen anniverſarium notatur in necrol. 28. Junii.

XLIV. Johannes IV. de Vichy abbas regularis jam an. 1533. Circa an. 1537. inquiſivit de electione Johannæ de Clermont in abbatiſſam SS. Trinitatis Pictav. Permutavit cum ſequenti pro prioratu S. Crucis de Volta an. 1541. ubi cum fama ſanctitatis defunctus, honorifice tumulatus eſt ante majus altare.

XLV. Philippus de Coſſé monachus Benedictinus, prior S. Eutropii & S. Crucis de Volta ord. Cluniac. abbas S. Jovini de Marnis, epiſcopus Conſtantienſis & magnus Franciæ eleemoſynarius, nominatur ad abbatiam Monaſterii-novi a rege Franciſco I. confirmaturque bulla pontificia VII. calend. Febr. 1542. Obiit 24. Novembris 1548.

XLVI. Carolus III. de Lorraine cardinalis, epiſcopus Mettenſis, archiepiſc. & dux Remenſis, abbas Cluniacenſis, pluribus aliis abbatiis junxit abbatiam Monaſterii-novi poſt obitum Philippi Coſſei, eamque obtinuit ad annum 1552. quo ceſſit.

XLVII. Joachimus d'Availloles, ſedis apoſtolicæ protonotarius, abbatia potiebatur 1552. 1554. 10. Junii & 1570.

XLVIII. Philibertus d'Harce vel d'Hiarce 1573. & 1579.

XLIX. Jacobus Deſprez de Montpezat epiſc. Montalban. abbas 1582. & 1583. Interemtus eſt 1589.

L. Valentinus de Courgeac e nobili gente apud Marchiam-Lemovicinam, prior clauſtralis S. Cypriani Pictav. necnon vicarius generalis ejuſdem abbatiæ, reperitur abbas Monaſteri-novi in chartis annorum 1591. & 1595. Nominatur abbas regularis, conſiliarius & eleemoſynarius Regis ordinarius, ejuſque oratorii primus clericus in inſtrumento anni 1599.

LI. Renatus II. Rouſſeau abbas regularis, bullas obtinuit calendis Auguſti 1599. Deceſſit anno 1605. * in ſuperiori parte chori ſepultus.

* al. 1607. vel 1617.

LII. Petrus V. Rouſſeau ſuperioris frater, annos natus undecim deſignatur abbas 1606. & inſtituitur bulla Pauli papæ V. tertio cal. Septembris 1610. Rexit ad annum 1654. quo diem clauſit extremum. Jacet in ſacello B. Mariæ quod marmore & picturis decoravit.

LIII. Renatus III. Rouſſeau ſuperioris nepos ex fratre, & coadjutor creatus 16. Nov. an. 1653. poſſeſſionem adeptus eſt 16. Junii 1654. Obiit 2. Decembris 1708. ſepultuſque eſt in presbyterio.

LIV. Franciſcus du Poirier de Valois ſola chriſtianiſſimi Regis nominatione munitus abſque bullis, abbatiæ fructus percepit uſque quo ceſſit 10. Aug. 1711.

LV. Petrus VI. d'Hauteville Burgundus, e Cluniaco ſcilicet oriundus, ibidemque monachus, doctor theologiæ facultatis Pariſienſis, regia nominatione abbas deſignatur die feſto Aſſumt. B. Mariæ 1711. Tum vero dimiſit prioratum de Faya-monachali quem regebat, in gratiam præfati Franciſci du Poirier monachi, ſtatimque Pictavum ſe contulit, ubi a conventu Monaſterii-novi honorifice exceptus, adminiſtrationem tam in ſpiritualibus quam in temporalibus ſibi concorditer oblatam ſuſcepit menſe Octobri ejuſdem anni. Poſtea vero bulla Clementis papæ XI. confirmatus, canonicam abbatiæ poſſeſſionem adeptus eſt die ſacra S. Hugoni abbati Cluniacenſi primoque Monaſterii-novi parenti, ſcilicet 29. Aprilis 1712. ac demum ſolemni pompa inauguratus eſt die 7. Aug. ejuſdem anni a Johanne Claudio de la Poype epiſcopo Pictav. aſſiſtentibus abbatibus regularibus de Aſineriis & de Pinu. Hic ab exordio ſui regiminis ædes abbatiales & prædia ruralia inſtauravit, domeſticam abbatum capellam reconciliavit, ac decentius ornatam ſancto Hugoni abbati nuncupavit. In academia Pictavienſi more deceſſorum ſuorum conſervator privilegiorum apoſtolicorum receptus eſt. Die 24. Junii 1713. vitam communem in ſuo monaſterio ab introductione commendarum obſoletam feliciter reſtituit. Denique concordatum, ut vocant, nuperrime fecit cum Cluniacenſibus reformatis pro inducenda in ſuum monaſterium ſtrictiori obſervantia.

Præter iſtos abbates reperitur quidam incerti temporis nomine *Benedictus Ullac* ex priore Monaſterii-novi electus per ceſſionem P. quem P. cuſtos monaſterii ſcripta epiſtola ad abbatem Cluniac. confirmari poſtulat. Noſtris hanc inſeruimus inſtrumentis; nullam vero ipſius alibi reperimus mentionem, & quidem fortaſſe non fuit confirmatus. C. XL. col. 358.

S. JOVINUS DE MARNIS.

S. Jouin de Marnes.

ENSIONENSE ſeu Marnenſe S. Jovini monaſterium, ordinis S. Benedicti, ſitum eſt prope Marnas, vicum pagi Mirabellenſis, prope Toarcium oppidum inter duos amnes, Thœdam * & Divam, qui in Ligerim devolvuntur. Jam ſtabat ante ſeculum ſextum, ſed quo auctore, quove tempore cœperit, nobis incompertum. Sunt qui ejus originem tribuunt ſancto Jovino, cujus nomine poſtea inſignitum fuit, uti & reliquiis ditatum. Hunc S. Maximini Trevirorum epiſcopi germanum fratrem dicunt recentiores, uti & S. Maxentium Pictavienſem; tametſi in actis B. Maximini a Lupo abbate editis, ſolus Maxentius Maximino frater adſcribitur. In eo monaſterio ſanctitate floruerunt S. Paternus * poſtea epiſcopus Abrincenſis, & S. Aicadrus ſeu Aichardus * qui deinde primus auctor & abbas exſtitit monaſterii Quinciacenſis apud Pictones, ac poſtremo Gemeticenſis abbas. Cum autem in Gothorum Saracenorumque procellis diſciplina ſeverior intepuiſſet, adeo ut monachi ad canonicorum mores prolapſi, monaſtica procul inſtituta abji-

* le Tollé & la Dive.

* *Vita ipſius exſtat ſeculi 2. Bened. p. 1100.*

* *Ibidem pag. 952.*

a cerent, tradunt Vertavenſes[a] monachos circa an. 844. regia auctoritate ſuſſultos priſtinum obſervantiæ vigorem in cœnobio Enſionenſi reſtituiſſe, canonicis aut ſuavi regulæ ſanctæ jugo ſubmittere colla, aut loco cedere juſſis. Denique an. 1655. die 28. Septembris addictum eſt hoc monaſterium reformatæ S. Mauri congregationi, ſub qua plurimum ei ſplendoris acceſſit. Nunc de abbatibus dicendum.

ABBATUM ELENCHUS.

I. LEUNEGESILUS vel Leonegiſilus, ante quem Mabillonius * nullum ſe abbatem inveniſſe fatetur, habitu monaſtico induit Generoſum, ejus poſtea ſucceſſorem. * ad annum 537.

II. S. Generoſus Paternum de quo ſupra, & Scubilionem, qui ambo faſtis ſacris adſcripti ſunt ad diem 16. Aprilis, in Enſionenſe monaſterium admiſit. Ibidem colitur die 16. Julii, itidemque in vicino prioratu, ab ejus nomine appellato *S. Generoux*, ubi corpus ejuſdem aſſervatur. Hac ipſa die vero in tota diœceſi Pictav. agitur officium S. Generoſi.

III. Martianus huic cœnobio præfuiſſe dicitur, eo quod Fortunatus epiſcopus S. Paterni vitam ei direxerit. Verum dubitandi locus eſt an non amanuenſis errore Martiani nomen pro Martino uſurpatum ſit; quippe tunc temporis

IV. S. Martinum Vertavi conditorem & patronum, Enſionenſe ſimul & Vertavenſe monaſteria rexiſſe creditur. Idque nonnulli ex eo inferunt quod Vertavenſes monachi cellam Enſionenſem quaſi juris aliquando S. Martini[b], a Pipino rege obtinuerint poſt multa temporum intervalla. Vide quæ ſupra diximus. b

V. Fulradus, unus canonicorum qui pulſis monachis locum invaſerant, præpoſitus recenſetur in libro miraculorum S. Martini abbatis. Vide ſecul. 1. Bened. pag. 688. & ſeq.

VI. Ramirandus ſeu Raimbaldus & Rainaldus abbas, S. Martini corpus Vertavo Enſionem tranſtulit. Eccleſiam S. Johannis Bapt. in refectorium mutavit, vicinaſque manſiones commodiores fecit. *V. ſec. 1. Bened. ad calcem.*

VII. Narbertus ſolo nomine, nec forte illæſo notus.

VIII. Berengarius abbatiam rexit Hugone rege Francorum, & Aimerico Thoarcenſium vicecomite.

IX. Robertus I. præerat Savarico Toarcenſium comite, qui Aimerico ſuccеſſit poſt an. 990.

X. Geraldus nominatur abbas in tabulis. Huic Fulco, Nera dictus, Andegavenſis comes, facultatem conceſſit in caſtro ſuo de Viheriis conſtruendi monaſterii, ubi duas Geraldus ædificavit eccleſias, unam in honorem S. Mariæ & ſancti Jovini, cui cellas monachorum adjunxit, alteram in honorem S. Hilarii; & hæc ſunt prioratus S. Jovini de Viheriis adhuc perſeverantis primordia.

a Vertavum vulgo, *S. Martin de Vertou*, duobus ab urbe Namnetum milliaribus diſtans, nunc redactum in prioratum (ut vocant) conventualem, abbatiæ S. Jovini de Marnis ſubjectum eſt.

b Nimirum volunt, Henſionenſes qui primum Orientalium monachorum inſtitutis parebant, a Vertavenſibus regulam S. Benedicti accepiſſe.

XI. Simon I. Geraldo ſucceſſit anno ſeptimo regn. Henrico Roberti regis filio, hoc eſt 1037. quo nimirum ex munificentia Dodelini nobilis Toarcenſis militis, monaſterium ſeu prioratum conventualem S. Jacobi de Monte-Albanio conſtruxit. Simon inſuper variis proventibus auxit prioratum de Viheriis; ac tandem multis aliis præclare geſtis obiit grandævus; arbiter enim delectus eſt pro componenda lite inter clericos Petri II. Pictav. epiſcopi, qui ex chron. Malleac. & Beſlio, non niſi an. 1086. vel etiam ſequenti ordinatus eſt. Fortaſſe tamen duo admittendi Simones; Buchetus enim in appendice Annal. Aquit. cap. 21. de origine Pict. pag. 30. chartam Guillelmi VII. ducis Aquitanorum profert, in qua ſubſcriptus reperitur Alaricus abbas Henſionenſis. Iſte vero dux præfuit ab anno 1058. ad 1086. *Annal. Bened. t. v. pag. 242.*

XII. Brixius abbas circa annum 1100. curavit funus vicecomitis Toarcenſis.

XIII. Radulfus pepigit anno 1113. cum Archembaldo abbate S. Albini, ex tabulis Albinenſibus. Idem an. 1120. monaſterium ſuum necnon incolas oppidi ab injuſtis Petri dom. Montiscontorii vexationibus liberavit, auxilio præſertim Fulconis junioris comitis Andegavenſis.

XIV. Simon II. Aimerico Toarcenſium vicecomiti ſepulturam aſſignat in clauſtro S. Jovini, ex authentica tabula, ipſumque mortuum ſepelit an. 1139. vide Johan. Beſly hiſt. comit. Pictav. pag. 474.

XV. Bernardus I. Goffridum vicecomitem Toarcenſem nimia ægritudine laborantem olei ſacri benedictione delinit. Vide Annal. Bened. tom. IV. pag. 468. & 735.

XVI. Nicolaus privilegium accepit ab Alexandro III. an. 1179.

XVII. Petrus I. legitur abbas an. 1186. quo Willelmus dominus Malli-leprarii * jura quædam uſurpata ei reſtituit, curante Willelmo Temperii Pictavenſi præſule. Idem præerat tempore quo facta eſt quædam compoſitio inter præpoſitum Vertani & Guillelmum de Golena ejuſque fratres, ſcilicet an. ab Incarn. 1189. epacta I. menſe Martio die 5. Luna XV. Henrico rege Anglorum, Mauricio præſule Namnetenſi, ex tabulis Vertani. * Maulevrier.

XVIII. R. 1207.

XIX. Hugo 1233.

XX. Andreas an. 1262. decimas de Marnis contra dominos loci acriter defendit.

XXI. Reginaldus 1277. ex charta Villæ-novæ, 1280. 81. & 86.

XXII. Guillelmus I. an. 1303. plura excepit hominia.

XXIII. Franciſcus 1312.

XXIV. Guillelmus II. Chabot ex illuſtriſſimo genere ortus ſedebat annis 1321. & 1340.

XXV. Petrus II. Bodin teſtamento Johannæ comitiſſæ Drocenſis & vicecomitiſſæ Toarcenſis ſubſcripſit an. 1350.

XXVI. Johannes Montis-majoris monachus, prior B. Mariæ de Caro-loco, bulla Urbani papæ V. data pontificatus anno 1. abbas inſtituitur, ex actis pontific. Avenion. Memoratur etiam ann. 1375 & 1383.

XXVII. Guillelmus III. 1389. & 1401.

XXVIII. Petrus III. Gadet 1402.

XXIX. Aimericus de Tuſſha 1409.

XXX. Petrus IV. 1420.

XXXI. Robertus II. Froterii, ex priore S. Romani Caſtri-Airaudi, qui locus a Pictavienſi ſancti Cypriani monaſterio pendet, electus eſt in abbatem S. Jovini an. 1422. tum confirmatus a Simone de Cramaud Pictav. epiſcopo. Diem ſuum obiit an. 1443.

XXXII. Petrus V. de Claro-monte, decretorum doctor & in ſacra pagina baccalaureus, ex priore de Eliſſenio eligitur abbas S. Jovini anno 1444. quo ex veteri charta ſedes abbatialis vacabat.

XXXIII. Bernardus II. de Pheller, *al.* de Selets, præerat an. 1450. An. 1456. ab Alano cardinali Avenionenſe in Galliis legato indumentorum pontificalium uſum impetravit. Florebat adhuc an. 1462.

XXXIV. Petrus VI. de Ambaſta, Petri domini de Caluo-monte * & Annæ de Bueil filius, frater Georgii cardinalis, e gremio cœnobii aſſumtus eſt in abbatem an. ſaltem 1467. Loca regularia de novo conſtruxit anno 1476. Poſtea vero Pictavenſem cathedram conſecutus, abbatiam ne dimitteret, commendatarii perpetui titulum uſurpavit; & qui prius in chartis *frater Petrus humilis abbas* dicebatur, epiſcopatu adepto *Petrus epiſc. Pictav. incliti monaſterii S. Jovini abbas commendatarius ſeu perpetuus adminiſtrator vocabatur.* Sic autem nominatus occurrit annis 1489. & 1493. Obiit Bleſis die 1. Sept. anni 1505. in ſacello caſtri de Diſſaio ſepultus, cum epitaphio, quod vide in præſulibus Pictav.

* de Chaumont.

XXXV. Stephanus de Meſnil, S. Jovini monachus, & prior S. Egidii de Argentonio, cum titulo S. Jovini abbatis reperitur die 15. Februarii anni 1505. ſecundum veterem computandi modum.

XXXVI. Aimardus, *al.* Ademarus Gouffier de Boiſſy monachus Benedictinus, abbas Sandionyſianus & Cluniacenſis, necnon epiſc. Albienſis, abbatiam S. Jovini præfatis adjunxit anno 1519. ubi die 9. Octob. anni 1528. diem ſupremum abſolvit.

XXXVII. Philippus Coſſæus, filius Theobaldi de Coſſé & Fælicæ de Charnon de S. Julien, aſceta Benedictinus, epiſc. Conſtantienſis & major Franciæ eleemoſynarius, nominatur abbas S. Jovini in tabulis prioratus S. Crucis de Volta, quo potiebatur an. 1532. & in charta authentica S. Jovini an. 1546. cujus proinde mors male conſignatur a Roberto an. 1540.

Effigiat.

XXXVIII. Stephanus II. Heſquetot epiſcopus Conſtant. abbas erat 1549. & duobus ſequentibus annis. Num idem qui Paganus d'Eſquetot Conſtant. epiſcopus & abbas S. Jovini ac S. Melanii Redonenſis, qui obiit in pago Ebronio, & in abbatiali eccleſia inter gradus majoris altaris & ſepulcrum Renaudi vicecomitis Bleſenſis ſepultus eſt an. 1550. die 24. Decemb. ex MS. codice abbatiæ de Ebronio dioec. Cenoman.

XXIX. Stephanus III. Martel, epiſcopus item Conſtant. præerat S. Jovini monaſterio an. 1559.

XL. Arturus Coſſæus, Conſtantienſis etiam epiſc. multa prædia diſtraxit, ſacramque ſuppellectilem abſtulit; qui tandem obiit die 19. Aprilis anno 1577.

XLI. Carolus Vindocinenſis, poſtea dictus cardinalis Borbonius, archiep. Rotomag. memoratur abbas S. Jovini annis 1592. & 1594. Dicitur in veteri Gall. Chriſt. permutaſſe cum ſeq. pro abbatia B. Trinitatis Rotomag.

XLII. Jacobus d'Eſcoubleau, filius Stephani dynaſtæ de Sourdis & Johannæ de Tuſſeau, epiſc. Malleac. præfuit abbatiæ S. Jovini ad an. 1614. quo deceſſit.

Effigiat.

XLIII. Franciſcus I. d'Eſcoubleau cardinalis de Sourdis, filius Franciſci ex Iſabella Babou de la Bourdaiſiere, Burdigal. archiep. ubi vide.

XLIV. Henricus d'Eſcoubleau epiſc. Malleac. ac deinde fratris Franciſci cardinalis in ſede Burdegal. ſucceſſor, obiit menſe Junio anno 1645. ætatis ſuæ anno quinquageſimo primo.

XLV. Franciſcus II. de Servien epiſc. Bajocenſis, ſucceſſit an. 1646. tum anno 1655. congregationi ſancti Mauri hoc univit monaſterium. Altare S. Benedicti conſtruxit, majorem aram cum tribus minoribus nova conſecratione donavit; ac denique multis nominibus de monaſterio bene meritus obiit an. 1659. 2. Febr.

XLVI. Auguſtinus de Servien nepos Franciſci, filius Abelis, prior S. Catharinæ de Valle apud Pariſios, ſucceſſit patruo, & poſt ipſum.

XLVII. N. Bazin de Bezons, clariſſimi toparchæ de Bezons Franciæ mareſcalli filius, nepos Armandi Bazin de Bezons olim archiep. Burdigalenſis, nunc primatis Rotomagenſis recens deſignati, regia ſchedula nominatus eſt abbas die 6. Novembris 1717.

CARROFUM. Charroux.

CARROFUM, ord. S. Benedicti, ad fluvium Carantonum, in pago Brioſenſi. *de Briou*, Carroficum monaſterium nuncupatur in epiſtola Willelmi ducis Aquitaniæ inter epiſtolas Fulberti Carnotenſis numero 117. Carrofinium in conſtitutione Aquiſgranenſi de abbatiis quæ militiam aut dona debent vel non debent, & corrupte S. Carroſi cœnobium appellatur a vetuſto ſcriptore hiſt. Aquitan. cum loci nomen ſit, non perſonæ. Ademarus autem in chronico docet hoc monaſterium dictum fuiſſe Sanctum-Carroſum pro reverentia Crucis (ligni Crucis) quam Carolus Magnus ad ſe miſſam a Jeroſolymitano patriarcha, in Carroſenſi baſilica depoſuit. In nonnulla notitia quam J. Beſſius & Sammarthani fratres ediderunt, legitur quemdam Rotgerium quem Carolus Magnus Lemovicenſibus præfecerat, accepiſſe a Fredelando nobili Britone a Jeroſolymitana peregrinatione regreſſo ſalutiferæ S. Crucis Domini portionem, quam multo emtam pretio jactitabat. Qua re ad Carolum Magnum delata, pius princeps de fundanda in honorem S. Crucis baſilica conſilium iniit cum Rotgerio, qui fundum præbuit Carrofum dictum, cum multis prædiis, cum Eufraſia ſua uxore pia matrona. Ca-

rolus Magnus vero multis reliquiis & munificentiſſimis donis ad ſe ab Oriente delatis, ac locupletiſſima bibliotheca novum ditavit monaſterium, & ejus fundationem ratam habuit regio diploma[a]te dato an. 799. Hoc autem aſceterium, propter ſalutiferam Crucem titulo Salvatoris inſignitum fuit, & ſub ejus, ſanctiſſimæque Virginis ipſius genitricis, ac omnium ſanctorum patrocinio dedicatum fuit 18. cal. Julii, uti refert laudata notitia.

[a] Primarias conditi cœnobii tabulas revocat Mabillonius ad an. 785. tom. 2. Annal. pag. 271.

Teſtamentum Rogerii ejuſque uxoris Eufraſiæ pro fundatione & dotatione monaſterii refert Mabillonius tom. 2. Annalium in appendice pag. 711. in quo nihil de Fredelando, nihil de miraculis in hac narratione relatis legitur. Rotharium appellat fundatorem Theodulfus Aurelianenſis præſul his verſibus: *lib. 3. Carmin. cap. 8.*

Eſt locus, hunc vocitant Carroph cognomine Galli,
Quo patet electis aulica porta poli.
Quo Salvatoris ſub nomine prænitet aula,
*Quove monaſterii clauſtra decora * manent.* * al. dicata.
Enitet hic rutilo ſanctorum pignore fretus,
Vivit & eximie turba fidelis ibi.
Denique Rotharius, comes ingens, inclytus heros,
Conjuge cum Eufraſia condidit iſtud opus:
Hoc fulvo, argento gemmiſque exornat & auro,
Affluit & libris, veſtibus atque ſacris.
Prædia, prata, domos, ſilvas, vineta, colonos,
Et pecora & pecudes, & bona quæque dedit, &c.

Ludovicus Auguſtus patris Caroli exemplum ſecutus, multa dediſſe huic monaſterio legitur ex rebus proprietatis ſuæ, ſcilicet Fraxinetum eccleſiam in pago Belvacenſi, in Remenſi villam Dominicam, & Montiniacum in Meldenſi; unde monaſterium Carrofenſe ab Aſtronomo his annumeratur quæ a pio principe vel reſtaurata ſunt, vel ex integro inſtaurata. Conſule Carolum Cointium Annal. tom. 7. ad an. 812. n. 32. Ceterum huic aſceterio ſuberant olim Iciodorenſe & Andrenſe, &c. Porro ex calendario S. Sergii Andegavenſis habemus quod XVI. * cal. Julii Carrofenſe monaſterium Dei & Domini Salvatoris mundi dedicatum ſit anno a Nativitate ejuſdem ex Virgine glorioſa 1048. * Nunc abbatum nomina & acta deſcribere juvat.

* al. XVIII. ex hagiologio S. Angeli & ex Mabillon. qui recte adnotat ſecundam hanc fuiſſe dedicationem. * 1047. *ex chronico Malleac. & Beſlio pag. 281.*

ABBATUM SERIES.

I. DOMINICUS in teſtamento Rogerii comitis & Eufraſiæ conjugis, de quo ſupra, dicitur ab iiſdem inſtitutus abbas ſuper duodecim monachos.

II. David, ad cujus petitionem Carolus Magnus ſcripto firmavit libertates monaſterii Carrofenſis, quod jam inſignibus reliquiis e ſacro Chriſti ſepulcro allatis, maximeque Dominicæ Crucis portione ditaverat, ut auctor eſt Ademarus. Hoc præceptum Caroli habes tom. VI. Annalium Caroli Cointii ad an. 789. n. 224. & apud Beſlium hiſt. comit. Pictav. p. 155. Id vero contigiſſe putat Mabillon. an. circiter 799.

III. Juſtus, ad quem exſtat diploma Ludovici Pii cœnobio Carrofenſi immunitates largientis anno 2. imperii ſui. Hoc ipſum inter inſtrumenta recudimus poſt Beſlium. In recenſione monaſteriorum Aquiſgrani facta an. 817. nominatur Carrofinium ſub Juſto abbate. Ad eundem direxit commentarium in Evangelium ſecundum Matthæum. Claudius presbyter & poſtea Taurinenſis epiſcopus. C. XXXI. col. 348.

IV. Gumbaldus I. [b] cujus tempore, anno circiter 830. Ludovicus Pius dedit monaſterio vel potius confirmavit villas Fraxinetum in pago Bellovacenſi, Dominicam in Remenſi & in Meldenſi Montiniacum. Vide Mabill. ad hunc annum. De confirmatione vero ſeu reſtitutione villarum id intelligendum eſſe probant ſynodi Vermerienſis litteræ, de quibus vide Mabill. ad an. 869. n. 99. & tom. VIII. concil. p. 1527. ubi regia pro Carrofenſibus præcepta confirmantur.

[b] In catalogo monaſteriorum, quibuſcum Augienſe ſocietatem habebat ſeculo IX. nominatur Carrofenſe & Guntbaldus ejus abbas. Hunc vero catalogum Mabillonius qui eum edidit tom. IV. Analect. ſcriptum fuiſſe aſſerit an. 815. Proindeque jam hoc anno abbas erat Gumbaldus, aut duo ejuſdem nominis ſunt admittendi.

V. Walafridus poſt Gumbaldum nominatur inter venerabiles patres monaſterii a Guillelmo ejuſdem loci abbate, cum ipſe adiit epiſcopos ſynodi Vermerienſis an. 869. in qua exhibitum eſt privilegium Caroli Calvi pro Walafrido abbate Carrofenſi. Vide Mabill. Annal. lib. 36. n. 99.

VI. Guillelmus I. mox laudatus chirographum ſuum appoſuit litteris Sueſſionenſis ſynodi pro Sandionyſiano monaſterio, ubi partitio bonorum ab Hilduino facta, comprobata eſt an. 862. Vide Diplomaticæ ſpecimen 55. pag. 454. & tom. VIII. concil. col. 758. Idem ex codice MS. Carrofenſi obtinuit a Carolo Calvo & epiſcopis apud Vermerias congregatis an. 869. confirmationem privilegiorum a Carolo Magno, Ludovico Pio, &c. conceſſorum; ſed perperam ibidem quartus abbas nuncupatur. Hæc ſunt verba ſynodi: *Cum ..... an. Inc. Dom. DCCCLXIX. ind. II. regni (Caroli) 29. conveniſſemus ..... apud palatium Vermeriam, prætaxatuſque rex pridie cal. Maii medio noſtrum ſancta reſideret in ſynodo, venerabilis Carrofenſis monaſterii abbas Guillelmus, noſtro conventui præcepta obtulit, qualiter ipſe rex ad deprecationem Gumbaldi & Walafridi abbatum tria monaſteria integra prædicto monaſterio conceſſerat ..... colonum in pago Alnienſe, l'Aunis, alterum in honore S. Saturnini conſtructum in pago Andegav. tertium in pago Sanctonico, in honore S. Florentii, &c.* Vide tom. VIII. concil. col. 1527.

VII. Frotarius privilegium accepit a Carolo Calvo. Nec multo poſt in procella Normannorum, Engoliſmam delatum eſt lignum S. Crucis tempore Ooliбæ epiſcopi; quod cum retinere voluiſſet Alduinus comes Engoliſmenſis, magna plaga ipſe percuſſus eſt, ejuſque populus tanta fame laboravit ut homines invicem ſeſe devorarent. Nec ceſſavit flagellum, donec remitteretur ſacrum lignum cum capſa aurea & dono villæ; paulo diſcrepant quæ in Ooliba retulimus, & videntur tardius facta.

VIII. Grinferius an. 879. privilegium obtinuit

Digitized by Google

a Johanne papa, menſe Dec. ind. XII. poſt quem plurimi deſunt abbates. An. autem 988. igne ſuccenſus eſt Karrofus, ex chronico Malleacenſi, & anno ſeq. habita eſt apud eundem locum ſynodus, itemque aliæ duæ annis 1028. & 1082. ex eodem chronico.

IX. Alboinus epiſc. Pictav. erat abbas Carrofenſis circa 937. ex chartario S. Cypriani. Fuerat etiam antea abbas S. Cypriani.

X. Adalbaldus in Solemniaco dicitur abbas Carroſi, Tutelæ, S. Martini Lemovic. S. Auguſtini item Lemovic. & S. Martialis. Hunc etiam Baluzius in notis ad Gall. Chriſt. inter abbates Carrofenſes reponit.

B

XI. Petrus I. ſimoniace præfecturam conſecutus, teſte Ademaro, ejicitur a Willelmo duce Aquitaniæ; qui quidem princeps ab Ariperto S. Savini abbate petiit monachos ad reformandum Carrofenſe monaſterium, epiſtola inter Fulbertinas 117. Idem habet Ademarus in chronico.

XII. Gumbaldus II. S. Savini monachus & abbas, novæ coloniæ regimen adeptus eſt circa an. 1014. In S. Savino id contigiſſe dicitur an. 1023. melius fortaſſe 1013.

XIII. Goffredus I. an. 1017. ind. XV. baſilicam majori amplitudine reædificare cœpit, inquit Ademarus. Moritur Goffredus anno ſeq.

C

XIV. Hugo I. ſucceſſor Goffredi, ſedit annis ſeptem, & obiit 1025. ex Ademaro.

XV. Rainaldus ſeu Reginaldus, filius fundatoris abbatiæ Stirpenſis, dicitur abbas Carrofenſis in ipſamet charta fundationis Stirpi.

XVI. Fulcherius, cujus tempore nova baſilica dedicatur an. 1028.[a] ab epiſcopis XI. Jordano Lemovic. Iſemberto Pictav. &c. qui tunc ibi-
pag. 172. dem concilium celebrabant, ex chronico Lemovicenſi hujus abbatis notitiam deſignante. Ex chronico Ademari cœlitus moniti ſunt Fulcherius & ejus monachi ut ſanctum lignum Crucis ad tumulum B. Eparchii deferrent, quod ſolemniter

D

peractum eſt. Idem abbas an. 1040.[b] interfuit dedicationi eccleſiæ Vindocinenſis, ex Mabill.

XVII. Hugo II. ad quem exſtat bulla Leonis IX. pontificatus anno 2. hoc eſt 1050. adfuit Philippi I. regis Francorum inunctioni Remis peractæ 1059. 29. Maii in feſto Pentecoſtes. Idem etiam privilegium obtinuit ab Alexandro papa II. an. 1061.

Vide lib. 6. Miſcell. Balux. pag. 414. Beſly pag. 164.

XVIII. Fulradus, frater Radulfi archiep. Turon. de quo excerptum membranæ Carrofenſis de Inventione S. Crucis a fratr. Sammarth. laudatum. Eum vero ſuſpicamur eſſe Fulcaudum qui cum

E

Guidone Lemov. epiſc. ſubſcripſit donationi eccleſiæ de Frontenaco, factæ Durando abbati Caſæ-Dei ab Hugone de Luſignan; ſubſcripſerunt etiam Goffridus Pictavienſis comes, Audebertus comes Marchiæ, & Aimericus vicecomes Toarcenſium, ex Atabul. Cantogil. Sub eodem Fulcaudo reperitur Philippi regis præceptum anno 1077. Vocatur Fulcradus in charta S. Johannis Angeriac. anni 1079. qua monachis Angeriacenſibus vi ſententiæ a concilio Burdigalenſi latæ, eccleſiam S. Germani de Varezia dimiſit. In fine autem hujus chartæ habetur: *Karrofenſis vero abbas habebat ſecum fratrem ſuum Turonorum archiepiſcopum, Oddonem fratrem Aldeberti comitis de Marchia, Petrum Frenicardum.* Idem Fulcaudus ſubſcripſit anno 1080. chartæ confirmationis monaſterii Silvæmajoris ex Mabillonio, qui hunc ipſum aſſerit abbatem ad annum ſaltem 1088. perveniſſe, quo Burdigalenſem pontificatum iniit Amatus. Ceterum an. 1083. * concilium habetur apud Carro-
al. 1082. Beſly pag. 381. 2. alphab. ſum ac demonſtrantur ſacræ reliquiæ, ex chronico Malleacenſi.

XIX. Petrus II. præſens memoratur in concordia Carrofenſis & Angeliacenſis monaſteriorum, 1096. quo etiam anno eccleſiam Carrofenſem ab Urbano II. dedicari curavit IV. idus Jan. feria V. *quæ ante B. Hilarii feſtum fuit*, pontificatus Dom. Urbani II. octavo, ex MS. codice Carrofenſi, ubi legitur Petrum qui tunc abbas erat, ſediſſe poſt Fulcraudum. Idem Petrus accepit a Balduino comite Ghiſnenſi capellam B. Mariæ apud Ghiſnas, ex hiſtoria Lamberti presbyteri Ardearum. In MS. codice olim Jacobi Thuani, nunc bibliothecæ Colbertinæ num. 1292. cujus titulus eſt: *Collectanea ex Lamberto eccleſiæ Ardenſis presbytero ſuper Ghiſnenſium hiſtoriam & Arnoldum de Ghiſnes*, legitur quod hic habes de capella B. Mariæ data Petro Carrofenſi abbati, in cujus aurem Balduinus comes profectus peregre ad S. Jacobum, peccata ſua confeſſus erat. Notatu vero dignius eſt Balduinum anno circiter 1084. qui hac in peregrinatione Carrofum inviſerat, ubi magna tunc vigebat diſciplina, ad uſus & conſuetudines Majoris-monaſterii, inde accerſiviſſe monachos, in primis Gilbertum quem præfecit condito a ſe nuper monaſterio Andernenſi, ea lege ut idem cœnobium Carrofenſi ſubderetur, & ſingulis annis cenſum perſolveret. Hæc autem ſubjectio diu perſeveravit, vide chron. Andrenſe tom. IX. Spicil. pag. 338. Adeſt quoque Petrus Manaſſæ comiti Ghiſnenſi filio Balduini in extremis poſito 1136. quo circiter anno cœnobium Carrofenſe combuſtum eſt atque reædificatum. Suſpicio proinde nobis eſt mendi in charta quadam Fulcaudi abbatis mentionem faciente an. M. C. XXV. pro qua nota numerica legendum fortaſſe M. C. XLV.

Vide lib. 6. Miſcell. pag. 413.

XX. Fulcaldus, Fulcaudus & Fulcardus ſubſcripſit litteris Gaufredi Burdigal. archiep. pro cœnobio S. Mariæ Santon. datis Carroſi an. 1147. Teſtis eſt anno ſeq. in tranſactione inter Albertum abbatem S. Martialis & moniales Santonenſes.

XXI. Jordanus I. excepit apud Carrofum Guffridum Andernenſem abbatem, qui medio ſeculo XII. vivebat, ex chronico Andrenſi, Spicil. tom. IX. pag. 437. Anno 1155. precum iniit ſocietatem cum Geraldo abbate Solemniacenſi. Adfuit etiam dedicationi eccleſiæ S. Amantii de Buxia an. 1170. XVII. cal. Decemb. In necrologio ſancti Angeli habetur: *VII. cal. Junii depoſitio Jordani abbatis*

[a] Sammarthani qui chron. Malleacenſe laudant anno 1047. referunt a tredecim præſulibus dedicatum cœnobium præcepto Leonis papæ qui altare ſacratum miſit. Verum hic papa nondum ſedebat. Calendarium S. Sergii Andegav. annum præfert 1048. XVI. cal. Julii. Num tam brevi tempore duplex dedicatio facta eſt!

[b] Id a Sammarthanis Hugoni ſucceſſori tribuitur; idemque habet noſter D. Claud. Eſtiennot, ex fragmentis MSS. hiſt. Aquitanicæ viri clariſſ. Nicolai de Sainte-marthe.

Digitized by Google

abbatis Karrofenſis ; ſed cum duo vel etiam tres A hujuſce nominis abbates exſtiterint, cui horum id conveniat non eſt in promtu dicere.

XXII. Willelmus II. 1187.

XXIII. Gaufridus II. anno 1195. ex chron. Andrenſi, cujus ſcriptor tunc vivebat, tulit ſententiam publicam in Itherium electum abbatem Andrenſem ; vide tom. 9. Spicil. pag. 507.

XXIV. Guillelmus III. 1203. ex ſchedis procuratoris fiſcalis Carrofenſis monaſterii.

XXV. Hugo III. 1208. & 1210. quo anno duæ ad ipſum exſtant epiſtolæ Innocentii III. lib. XIV. n. 18. & 19.

XXVI. Jordanus II. 1217. in charta conven- B tionis monachorum Cluniacenſium cum Helia abbate Angeliacenſi. Vide biblioth. Cluniacenſem fol. 1500.

XXVII. Aimericus eodem an. 1217. in tabulis paulo ſuperius memoratis, & 1220. apud Sammarthanos, quo anno dicitur præſens donationi P. abbatis Moroliæ Willelmo Brolii-Grollandi factæ, de ſalinis quas habebat a Geraudo de Lucionio, ex tabul. Brolii - Grollandi.

XXVIII. Jordanus III. ab an. 1234. ad 1269. Ejus litteræ inveniuntur in Hamenſibus prope Lillerium chartis, hoc tenore: *Univerſis præſentes litteras inſpecturis, Jordanus Dei miſeratione abbas Karrofenſis Pictav. diœceſis, & ejuſdem loci conventus ſalutem. Notum facimus quod nos ſuper jure ſive conſuetudine eligendi abbatem de gremio eccleſiæ noſtræ a conventu Hamenſi Morinenſis diœceſis, necnon ſubjectione, obedientia, reverentia, quadam ſumma pecuniæ & quibuſdam aliis, de quibus inter nos & dictos Hamenſes quæſtio fuerat diutius agitata, abſolvimus, quittavimus & omnino liberavimus abbatem & conventum Hamenſem & ipſorum eccleſiam; promittentes juramento interpoſito quod ſuper prædictis ipſos in poſterum non inquietabimus, immo ordinationem & compoſitionem factas inter nos & ipſos, & auctoritate apoſtolica confirmatas, fideliter & perpetuo promittimus obſervare. In cujus rei teſtimonium præſentibus litteris ſigilla noſtra duximus apponenda. Datum menſe Auguſto anno Domini M. CC. LII.* De qua compoſitione plura vide in monaſterio Hamenſi ſeu Lillerienſi.

XXIX. Petrus III. an. 1279. compoſitionem fecit inter Abbonem de Caſtra priorem S. Angeli & Hugonem de Mirabello dicti prioris feudatarium, ex authentico S. Michaëlis de Angelis. Memoratur etiam anno 1282. in ſchedis procuratoris fiſcalis Carrofenſis.

XXX. Guido de Bauſſay aliunde quam ex E Sammarthanis notus.

XXXI. Raimundus de Chateauneuf 1295. idem fortaſſe cum Raimundo, quem Sammarthani impetraſſe referunt a Philippo rege Francorum, rogatu Heliæ Iterii monachi Carrofenſ. libertatem conſtruendi propugnaculum in loco de Chambonio & de Cruce, prope fluvium Inſulæ, in Petracoricenſi diœceſi, die Martis ante feſtum beati Dionyſii 1308. ex membranis regii theſauri.

XXXII. Petrus IV. Bertaud in ſchedis commemoratis legitur ad an. 1340.

XXXIII. Matthæus, ex abbate Carrof. eligitur epiſc. Aquenſis in Novempopulania anno 1358. Idem habet Baluzius in notis ad Gall. Chriſt.

XXXIV. Petrus V. la Plotte, papæ cubicularius & regi Francorum ab intimis conſiliis, ex charta Caroli V. data menſis Aug. die 2. anno 1372. C. XXXII. col. 349. quam vide inter inſtrumenta. Hunc vero putamus eum eſſe Petrum qui ex abbate Carrofenſi, legitur abbas Anianæ factus an. 1373.

XXXV. Geraldus de Jovion, *al.* de Chonaco, legitur abbas Carrof. in S. Martiale & S. Martino Lemovic. quas abbatias obtinebat, ubi vide.

XXXVI. Bertrandus abbas 1398. die 18. Maii, B ex Baluzio in notis MSS. ad Gall. Chriſt.

XXXVII. Ademarus ann. 1399. & ſequentibus ad 1418. nominatur in ſchedis jam ſæpius laudatis. Certe innoteſcit ex actis concilii Piſani, an. 1409. congregati, ubi legitur inter illos abbates qui ad hanc ſynodum acceſſere per procuratores cum plena poteſtate. Inſuper Ademarus abbas Karrof. diœceſis Pictav. & Henricus de Bello-monte decanus Mauriacenſis, pro cellararia Mauriacenſi cum prioratibus de Plodio & de Colongis abbatiæ Carrofenſi ſubjacentibus permutanda, ſuum vicarium generalem conſtituunt fratrem Rotbertum de S. Amano, licentiatum in de- C cretis, præceptorem præceptoriæ generalis Arverniæ, vocatæ vulgariter Frugeriarum, diœceſis S. Flori ord. S. Aug. a monaſterio S. Antonii Viennenſis immediate pendentis, ex charta Mauriaci anno 1417.

XXXVIII. Guillelmus IV. Robert uſque ad an. 1444. in ſchedis ſupra memoratis.

XXXIX. Johannes I. Chaperon ibidem abbas dicitur ab anno 1444. ad 1477. quem ſane dicunt Sammarthani electum die 12. Nov. anno 1444. priorem etiam exſtitiſſe de S. Fraigne, d Auzé & de Rié in Pictonibus. Memoratur autem in chartis authenticis regiæ bibliothecæ ann. D 1454. die 24. Junii, 1464. 2. Julii, & 1470. 22. Novembris.

XL. Ludovicus I. Freſneau abbas commendatarius 1481. 19. Martii, ex tabulis domus de Brizay, inquiunt Sammarthani, & 1485. 15. Decemb. 1488. 20. Junii, 1496. 1503. 22. Aug. & 1518. 16. Decemb. ex chartis authenticis regiæ biblioth. Verum ex dicendis longe antea ceſſerat.

XLI. Godefridus III. de Cluys ex nobili familia de Briantes, abbas regularis, reperitur an. 1504. 2. Julii & 1516. 13. Febr. in chartis authenticis E regiæ biblioth. ubi etiam an. 1520. 7. Aug. vocatur *antiquus abbas & penſionarius dicti monaſterii.* Anno autem 1507. legitur excepiſſe fidem clientelarem Michaëlis de Rupe-forti domini caſtri S. Angeli pro hocce caſtro.

XLII. Petrus VI. Chateigner de la Roche-pozay, Guidonis & Magdalenæ Puteanæ filius, memoratur abbas Carrofenſis anno 1521. 2. Julii & a 1540. [a] XI. Julii, in chartis authenticis regiæ biblioth. In ſchedis vero jam ſæpius laudatis præ-

a Noſter D. Claud. Eſtiennot hoc anno 1540. abbatem Carrofenſem inducit Auguſtinum Trivulce cardin. & epiſc. Bajoc. Romæ defunctum an. 1548.

Digitized by Google

fuiſſe dicitur uſque ad an. 1555. qui ſane poſt annum 1543. permutatione facta cum Lazaro de Baif de abbatia Granatariæ, Carrofenſem dimiſit, ſepultus in domo de Ovartre ſupra Carentam.

XLIII. Lazarus de Baif, filius Johannis domini de Baif in Andibus, & Margaretæ Caſtaneæ Petri deceſſoris amitæ, Franciſci I. regis ad Rempublicam Venetam orator, floruit an. 1530. de quo ſic ſcribit Scævola Sammarthanus lib. 1. Elogiorum: *Lazarus Baifius ex antiqua ſtirpe apud Andes patre magni nominis equite genitus, majorum gloriam bellica virtute partam pacis togæque artibus felicter adæquavit. Nam ejus bono fato contigit, ut in tempora Franciſci regis incideret, principis muſarum amantiſſimi, qui ut erat ingeniorum æquus æſtimator, hanc generoſi hominis indolem in umbra & otio deliteſcere non ſuſtinuit. Immo & eum ad ſummas dignitates evexit, & in crebris ad Chriſtianos principes legationibus ejus fideli opera libentiſſime uſus eſt. Quo in bonorum curſu florentem, & editis de re veſtiaria navalique commentariis, apud litteratos illuſtrem intempeſtiva mors oppreſſit, relicto imberbi filio Jano Antonio in legatione Veneta ex liberali quadam puella nato; qui paternis veſtigiis inſiſtens, bonas quoque artes ac præcipue poëticen gnaviſſime ſectatus eſt.* Vide in abbatia Granatariæ diœceſis Lucion.

XLIV. Renatus de Daillon (in ſchedis ſæpiſſime laudatis *Ludovicus*) epiſc. Lucionenſis & abbas de Caſtellariis, abbatiam Carrofenſem obtinuit 1559. & 1561. uſque ad 1567.

XLV. Pantaleon de la Rochejaubert, Golferio domino de la Roche & Lieta de Cumont in Petrocoriis, parentibus natus, abdicans ſe titulo abbatiæ Regalis-montis, ad Carrofenſem transfertur, cui præfuit * uſque ad an. 1588.

* ab anno 1561. *Eſtiennot.*

XLVI. Franciſcus de la Rochejaubert, Roberti domini de Cumont & Franciſcæ de S. Jean filius, ex eleemoſynario S. Johannis Angeliacenſis, patrui ceſſione factus eſt abbas Carrofenſis, uſque ad annum 1614.

XLVII. Johannes II. de la Rochejaubert, parente natus Jacobo domino de Cumont & Eſthere de Petiereux, uſque ad annum 1635.

XLVIII. Johannes III. Armandus du Pleſſis de Richelieu cardinalis.

XLIX. Ricardus Smythius nobilis Anglus, epiſc. Chalcedonenſis, uſque ad 1648.

L. Julius cardinalis Mazarini uſque ad 1650.

LI. Ludovicus II. Mauricius de la Tremoille comes Lavallenſis, Henrici de Tremollia ducis Thoarcii, Franciæ paris, & Mariæ de la Tour filius, cum legione peditum militavit ſub duce de Longueville & principe de Carignan an. 1642. tum clericus factus, Julii abdicatione Carrofenſem abbatiam adeptus eſt an. 1650. ad 1681. abbas etiam S. Crucis de Talemundo.

LII. Fredericus-Guillelmus de la Tremoille, princeps de Talemont, filius Henrici-Caroli principis Tarenti ex Amelia de Heſſe filia Guillelmi Landgravii de Heſſecaſſel, abbatias patrui ſui defuncti Carrofenſem & Talemundenſem obtinuit anno 1681. quas dimiſit die 2. Aprili 1689. abjecto clericatu, caſtriſque mox præfectus eſt; ac tandem nuptias contraxit die 2. Decemb. an. 1707. cum Elizabetha Anthonia de Bullion juniore, Caroli Dionyſii marchionis de Gallardon filia, &c.

LIII. Carolus Frotier de la Meſſeliere decanus S. Hilarii Pictav. eodem die * ceſſionis Frederici, nominatur a Rege, tum bullis obtentis poſſeſſionem adipiſcitur 23. Aug. 1689. ſedebat 1708. * *al.* 9.

Præter hos abbates alter innoteſcit Itherius nomine, ex necrol. Silvæ-maj. ubi notatur mors Itherii abbatis Carrofenſis VI. idus Julii.

ABBATIA S. SAVINI AD WARTIMPAM.

S. Savin ſur la Guartampe

CERACENSE S. Savini ad Wartimpam monaſterium ord. S. Bened. ſitum eſt in declivi monticuli, novem leucis ab Auguſtorito Pictonum. Auctorem primum agnoſcit Carolum-magnum qui circa an. 800. in loco *Ceraſus* dicto caſtrum ſimul ac cœnobium conſtruxiſſe dicitur. Abſolvitur aut reſtauratur a Ludovico Pio, ut ait chronicon Malleac. & ſcribit auctor vitæ hujus principis. Patronum habet S. Savinum martyrem, cujus vita exſtat tom. 2. bibliothecæ Labbeanæ. Ejuſdem vero ad monaſterium Ceracenſe tranſlatio, necnon eccleſiæ dedicatio, memorantur in hagiologio MS. Solemniac. VII. idus Jan. Porro ſtatim ac Ludovicus Pius hoc monaſterium perfecit, ipſius curam ac regimen S. Benedicto Anianenſi demandavit, ut videre eſt ſecul. IV. Bened. p. 1. pag. 191. Enumeratur autem monaſterium S. Savini in Aquitania an. 817. inter abbatias quæ nec dona, nec militiam Imperatori dare debent, ſed ſolas orationes, pro ſalute ipſius & filiorum ejus & ſtabilitate Imperii. An. 878. cœnobium iſtud & caſtrum in quo eſt, inviolabile manſit ſolum, ceteris deſtructis, inquit Petrus Raimundi in chron. Malleac. dicto. Paulo poſt tamen a Normannis everſum eſt, ut habetur ex hiſtoria tranſlationis S. Savini. Hactenus perſtat ſub Benedictina S. Mauri congregatione, habuitque abbates qui ſequuntur.

Vide Annales Cointii tom. 7. ad an. 812. n. 35.

ABBATUM NOMENCLATURA.

I. S. BENEDICTUS ANIANENSIS primus abbas nobis innoteſcit. Diem ſuum obiit in monaſterio Indenſi ſeptuagenarius III. idus Febr. an. 821. indict. XIV. concurrente 1. epacta XIV. anno IX. Ludovici piiſſimi imperatoris, ut aiunt Indenſes monachi in epiſtola ſua ad Ardonem vitæ Ludovici Pii ſcriptorem.

II. Dodo, *al.* Odo, S. Benedicti diſcipulus, magiſtrum excepit in regimine S. Savini. Is anno circiter 830. monaſterii Stradenſis, recens a Wilfredo Bituricenſi comite fundati, ab eodem Wilfredo ſuſcepit adminiſtrationem, ut narrat auctor vitæ S. Genulfi lib. 2. cap. 8. Anno 846. metu Danorum in partes Aquitanicas irruentium aſportata fuere ad caſtrum Ceracenſe ſacra corpora SS. Maxentii, Florentii & Romardi. Ad hoc quoque S. Savini aſceterium & ad caſtrum Ceracenſe in quo ſitum erat, tanquam ad arcem munitiſſimam aufugere monachi Glannafolienſes cum ſacris ſancti Mauri exuviis. Idem egerunt Æduenſes S. Martini monachi, necnon & alii bene multi qui ad S. Savinum tanquam ad certiſſimum aſylum confuge-

Digitized by Google

runt. An. 848. inquit Ademarus Cabanenſis in chronico, canonici S. Martialis Lemovic. facti ſunt monachi, primuſque inſtitutus eſt abbas regularis Dodo abbas S. Savini, ſub quo perfecte regulares fuerunt. Præfuit autem ibi Dodo annis tribus, quibus elapſis ad ſuum S. Savini monaſterium rediit. Interfuit concilio Sueſſionenſi an. 853. in monaſterio S. Medardi habito, primuſque inter abbates nominatur, *Dodo abbas monaſterii ſancti Savini.* Et hic quidem circa id tempus una cum Abbone, quem ex priore S. Savini, monaſterio S. Martialis abbatem præfecerat, quando hinc receſſit, fundavit aut reſtauravit in Petragoricis monaſterium Belvacenſe ad quod tranſtulit oſſa S. Juſtiniani, cujus fit mentio in calendario MS. Caſalis-Benedicti, XVII. cal. Aug. Retenſe quoque monaſterium iidem abbates a fundamentis erexerunt, oſſibus S. Celſi ibidem collocatis; quorum item conſilio Raimundus comes Lemovicenſis cœnobium Ruffiacenſe ad Croſam, vulgo *Ruffec* inſtauravit, eoque Dodo abbas aſcetas Benedictinos e ſuo S. Savini monaſterio miſit, cum corpore S. Alpiniani, S. Martialis diſcipuli & comitis. Dodo vivebat adhuc quando Baydilo palatinus comes, (idem qui Ceraſi caſtrum Carolo-magno * ceſſerat,) Æduenſe S. Martini cœnobium reſtaurare cœpit, ad quod poſtea Hugo Pictavinus S. Savini abbas monachos miſit, Bernonem & alios.

Tom. 2. concil. Gall.

* *al.* Calvo; vide in S. Martino Æduenſi.

III. Arnulfus abbas S. Sabini ſeu Savini apud Pictones memoratur in ſynodo Piſtis evocata in urbem Sueſſionas, ubi partitio bonorum Dionyſianis monachis ab Hilduino abbate quondam facta, & a Ludovico Auguſto confirmata, iterum ſynodali auctoritate comprobata fuit. Vide Mabill. ad annum 862. num. 97. & l. 5. de re Diplom. pag. 455.

IV. Hugo, Pictavienſis, præerat cœnobio S. Savini ante annum 886. Hic Baydiloni comiti palatino, qui cœnobium S. Martini Æduenſis reſtauraverat, monachos dedit, qui & illud reſarcirent in moribus, inter quos Johannes, Odo, Berno & alii numero 17. quibus abbatem præfecit Arnoldum. Berno vero rebus in monaſterio S. Martini bene compoſitis, ad Balmenſe in Burgundia cœnobium mittitur, ac paulo poſt ad Gigniacum, qui denique circa an. 910. Cluniacenſis monaſterii, de conſilio Hugonis S. Savini abbatis, fundamenta jecit. Conſule vitam S. Hugonis Æduenſis, ſecul. v. Bened. pag. 90. ubi elogium habes Hugonis Pictavini.

V. Aimo Rodulfi Francorum regis anno XI. indict. III. melius v. vel VI. hoc eſt anno circiter 933. nonnullos e ſuis monachis ad Tutellenſe monaſterium juſſu ejuſdem regis deſtinavit, qui tam in ædificiis quam in moribus ad meliorem ſtatum illud revocarent.

VI. S. Odo I. Cluniacenſis abbas poſt obitum Aimonis, curam egit cœnobii S. Savini & aliorum in tota Gallia nobiliorum. Obiit anno 942. ex Frodoardi chronico, apud Beſlium pag. 230.

VII. Aribertus, ad quem exſtant litteræ Guillelmi IV. ducis Aquitaniæ & Pictavienſis comitis cognomento *Fier-a-bras* circa annum 1020. quibus eum hortatur ut mittat ad monaſterium Carrofenſe quoſdam e ſuis monachis ferventes in ſua regula ſervanda, quorum ſancta converſatio fratribus ipſius loci bonum præbeat exemplum. Editæ ſunt in probationibus hiſt. comitum Beſlii pag. 340. & alibi. Et quidem in his litteris Aribertus minime dicitur abbas S. Savini, at eum huic cœnobio præfuiſſe vir doctiſſimus Johannes Beſly recte opinatur.

Vide in Carrefo.

VIII. Gumbaldus qui & Gungaldus dicitur in inventione reliquiarum ſancti Marini, ſecul. III. Bened. p. 2. pag. 538. S. Savini monaſterio præerat an. 1023. quo dux Guillelmus *ſemper cogitans Dei voluntatem, regularem diſciplinam reſtauravit in S. Carrofo, ejecto Petro abbate potentiſſimo, qui per ſimoniacam hæreſim prælationem obtinuerat & ſeculariter locum adminiſtrabat, eique ſubrogato Gumbaldo regulari & Dei ſervo abbate S. Savini.* Hæc Ademarus Cabanenſis in chronico.

IX. Odo II. qui ſub Gumbaldi regimine officio præpoſiti fungebatur, eidem tranſlato, ut diximus, ad Carrofenſe monaſterium, ſubrogatur in cura cœnobii S. Savini. Interfuit an. 1040. dedicationi eccleſiæ Vindocinenſis.

Secul. iii. Bened. p. 2. pag. 538.

X. Gervaſius *monachum in aſceterio S. Cypriani profeſſus ſub Rainaldo abbate, vir ſummæ abſtinentiæ omniumque virtutum ornamento præclarus,* (inquit Gofredus in vita S. Bernardi de Tyronio) ad regimen eccleſiæ S. Savini ſuſcipiendum multis totius congregationis petitus precibus, ſanctum Bernardum adjutorem poſtulat. ..... & hæc duo luminaria mittuntur ad depellendas illius eccleſiæ tenebras, quia per præcedentis abbatis negligentiam, loci illius congregatio, regularis vitæ deſeruerat tramitem, & rigorem diſciplinæ in teporem vitæ ac diſſolutionem commutaverat. Is an. 1074. ſtatuta Gregorii VII. & Gaufredi Aquitaniæ ducis pro reformatione & concordia canonicorum S. Hilarii Pictav. ſubſignavit. Præfuit ad annum ſaltem 1078. ex Mabill. imo ad 1091. ut legere eſt in Rainaldo S. Cypriani abbate. Fortaſſe tamen jam tunc receſſerat a S. Savini monaſterio; narratur enim quod nato inter fratres diſſidio ſuper quadam eccleſia, præfecturam ſibi commiſſam abdicaverat, & de ſumtibus ſancti Savini apud S. Cyprianum habitationem ſibi conſtruxerit, in qua deinceps per plurimum temporis habitavit. Porro ad hoc tempus revocandum eſſe videtur quod legimus in tabulario ſancti Cypriani, Gervaſium cum Rainaldo abbate S. Cypriani fuiſſe deſignatum litteris Urbani II. ibidem aſſervatis ad colligendas fidelium eleemoſynas pro Romana Eccleſia. Vide hujus papæ epiſtolam in notis ad epiſtolas S. Lanfranci pag. 374. Interea vero S. Bernardus de Tironio fit monaſterii procurator, uti colligitur ex vitæ ipſius cap. 8. quod quidem factum eſt ante annum 1096. quo Gervaſius arrepto itinere Jeroſolymitano, in eo ſub finem ejuſdem anni a leone * devoratus fuit. Cum autem Bernardus ſe a ſuis fratribus abbatem eligendum cognoviſſet, ad Petrum de Stella transfugit; quem fruſtra inſecuti per triennium S. Savini monachi, alium tandem ſibi paſtorem conſtituerunt.

Johan. Beſly hiſt. comit. Pictav. pag. 107.

Vide Mabill. tom. v. Annal. pag. 313.

a

* Noſter D. Eſtiennot tacito genere mortis, obliſſe tradit in Judæa an. 1079.

Digitized by Google

XI. Rainaldus abbas S. Savini memoratur tempore Gaufridi abbatis Vindocinenſis, circa annum 1128.

XII. Bonetus 1145. in charta Geraldi epiſcopi Lemov. eccleſiam de Chamboret Uſercienſi monaſterio confirmantis; & 1147. in litteris Arnaudi archidiaconi Pictav. pro prioratu de Boëritia. Idem an. 1163. donum accepit ab Hugone de Englia, ut fidem facit charta in append. relata.

C. xxxiii. col. 350.

XIII. Rammulfus monachus Dolenſis apud Bituriges, filius Ramnulfi Eſcoblart nobilis viri de caſtello de Roſec, frater vero Iſemberti Eſcoblart abbatis S. Martialis, eligitur in abbatem S. Savini circa an. 1176. ex chronico Voſienſi.

XIV. Aimericus I. Leterii, reperitur abbas S. Savini an. 1219. in duabus chartis pro Stellenſi monaſterio, quas vide inter inſtrumenta.

col. 350.

XV. Willelmus I. 1236. & 1279. niſi ſit alter cognominis. Vide inter inſtrumenta.

col. 351.

XVI. Simon ante annum 1322. cœnobii S. Savini regimen obtinebat, ut patet ex litteris Guillelmi Peituarii prioris clauſtralis S. Savini, datis hoc anno, Johannis papæ XXII. ſexto, die 1. menſis Junii ind. VI. quibus de conſenſu Guillelmi de Marchia abbatis, & *Simonis bonæ memoriæ quondam quoque S. Savini abbatis*, fundat ſacellum S. Geraldi.

XVII. Guillelmus II. de Marchia 1322. ex litteris ſupra memoratis, & anno decimo quarto pontificatus Johannis XXII. hoc eſt 1329.

XVIII. Jauſſelinus, *al.* Joſcelinus Badereau 1363. recenſetur in inſtrumento hominii exhibiti apud S. Petrum Pictavenſem, Eduardo principi Aquitaniæ. Idem eſt fortaſſe hominium quod Nicolaus de Sainte-marthe in fragm. hiſt. Aquitanicæ MSS. eidem principi an. 1366. ab eodem abbate præſtitum fuiſſe aſſerit. Et vero Joſcelinus occurrit an. 1370. die 4. Junii in quodam libello ſupplici ad Regem, de ſuo monaſterio expilato.

XIX. Helias du Mouſtier 1383. in memoratis hiſtoriæ Aquitanicæ fragmentis, & 1388.

XX. Petrus 1396.

XXI. Johannes I. 1424. idem fortaſſe ac Johannes Giraud notus ex charta anni 1435.

XXII. Johannes II. d'Allemagne 1443. 52. 53. 59. 67. & 1470. quo anno die 24. Octob. Regi a conſiliis nuncupatus, eidem regi hominium exhibuit pro temporalitate abbatiæ. Reperitur adhuc an. 1471. & 1477. 16. Julii, qua die ad ipſius poſtulationem tanquam in Univerſitate Pictavienſi doctoris regentis, facta eſt inquiſitio per commiſſarios a conſervatore privilegiorum dictæ Univerſitatis delegatos, de limitibus terræ & feudi de Corcheron pendentis a monaſterio S. Savini.

XXIII. Florentius d'Allemagne ſeu de Magné, uti vocat eum Beſſius, præpoſitus & canonicus eccleſiæ S. Petri Pictav. abbas erat S. Savini an. 1489. Poſt obitum Johannis de la Trimoille cardinalis & diœceſis Pictav. adminiſtratoris perpetui, electus eſt a parte capituli in epiſcopum Pictav. ut diximus. Mortuus an. 1510. ſepultus eſt in ea parte clauſtri S. Savini quæ vicinior eſt eccleſiæ, cum hac inſcriptione:

Septeno decimoque die Septembris, & annis
Mille & quingentis, his quoque junge decem.
*Qui juſte fueras Florenti Alemannice * præſul,* * *Allemaniæ*
*Pictonicæ * electus nobilis eccleſiæ.* * *Pictavicæ.*
Præpoſitus ſimul & divini providus abbas
*Savini, duro clauderis * hoc tumulo.* * *conderis.*
*Tu clemens *, humilis; ſolers, litiſque peremtor* * *juſtus.*
Pacificus, ſpeculum religionis eras.

In tabulario cœnobii S. Savini & litteris conventualibus frequens vocatur *Dei & S. Sedis apoſtolicæ gratia humilis abbas S. Savini, doctor regens Pictavis.* Familia vero d'Allemagne e qua duo proximi abbates originem traxerant, ſatis antiqua & nobilis eſt in Pictonibus.

XXIV. Johannes III. Loubbes 1508.

XXV. Jacobus Loubbe, *al.* de Loubes, quem e nobili gente dominorum de Gaſtevive oriundum tradit vir clariſſ. Nicolaus de Sainte-marthe in fragm. MSS. hiſt. Aquitanicæ, reperitur abbas S. Savini ann. 1519. 21. 24. 29. 37. 38. 39. & 41. Habebat autem annis 1529. & 1539. vicarium generalem in ſpiritualibus & temporalibus Florentium de Landa. Fortaſſe idem eſt Jacobus qui ſimul præerat monaſterio B. Mariæ Dolenſis ad Angerim in Biturigibus.

XXVI. Aimericus II. de Rochechouart, abbas ſancti Savini memoratur ann. 1547. 54. 58. & 1564. De eo vide tom. I. novæ noſtræ editionis in Siſtaricenſibus epiſcopis col. 503.

XXVII. Mathurinus Vincent capellanus regiæ capellæ & oratorii ex veteri Gall. Chr. recenſetur abbas S. Savini in libro actuum capitularium die 12. Julii an. 1582.

XXVIII. Gofridus de S. Belin Pictav. epiſcopus & abbas commendatarius S. Savini anno ſaltem 1597. dimiſit abbatiam anno 1600. qui tamen adhuc anno 1608. cum abbatis titulo reperitur. Moritur 1611. die 21. Nov.

XXIX. Carolus d'Eſcars epiſcopus Pictavienſis & poſtea Lingonenſis, ex ceſſione Gofridi de S. Belin facta an. 1600. evaſit abbas, eratque adhuc an. 1609. die 6. Septembris.

XXX. Carolus de Nucheze abbas commendatarius S. Savini.

XXXI. Benignus de Nucheze, Henrici baronis des Francs & Leonoræ Turpin e comitibus de Criſſé ortæ filius, per ceſſionem præcedentis factus eſt abbas anno ſaltem 1655.

XXXII. Julius de Clerembault, filius mareſcalli de Clerembault & nepos Gilberti epiſcopi Pictav. pedum S. Savini accepit die 26. Apr. an. 1677. quod adhuc gerebat an. 1712. abbas ſimul ſancti Taurini & Loci-Dei in Jardo. Obiit menſe Aug. anni 1714.

XXXIII. N. de Cardaillac nominatur ad abbatiam S. Savini ultima die Octob. 1614.

QUINCIACUM.

Quinçay.

QUINCIACUM, vulgo *S. Benoiſt* * *de Quinçay*, ord. S. Benedicti, ſitum eſt in valle, ſemi-

* Colitur hic ſanctus tanquam epiſcopus & confeſſor die 13. Octob. quem quidem e Samaria aufugiſſe tradunt, hunc vero D. Claud. Eſtiennot ſuſpicatur eſſe epiſcopum Pictav. numero XLII. in catalogo epiſcoporum Beſſii & V. C. Nicolai de Sainte-marthe, qui forte ex oppido Samarviæ Quinciaco vicino ad idem cœnobium ſe recepit.

Digitized by Google

leuca ab urbe Pictavorum diſtante, haud procul a Locogiaco, amne intermedio. Vide Mabillonium Annal. tom. 1. Conditum fuit hoc monaſterium anno 654. uti refertur in vita S. Aicadri primi ejuſdem fundatoris & abbatis, edita ſeculo II. Bened. pag. 952. Illuc delatum eſt corpus S. Radegundis circa 930. ex Annal. Aquitan. pag. 110. auctore Bucheto. Deſtructam fuiſſe hanc abbatiam anno 878. teſtatur chronicon Malleacenſe, iterumque a ſegregibus ſeculo decimo ſexto devaſtatur. In eccleſia pone majus altare tumulus exſtat lapideus qui creditur eſſe S. Benedicti patroni monaſterii. Ceterum abbates olim ſedebant in eccleſia cathedrali poſt dignitates & ante canonicos; quod privilegium deſiit ex quo deſierunt eſſe regulares.

pag. 521. n. 42.

A B

ABBATUM CATALOGUS.

I. SAICADRUS fundator & rector Quinciacenſis, cujus conſule vitam ſec. 2. Bened. pag. 952.

II. Probus, de quo lege vitam S. Aicadri pag. 962. n. 19. & Annal. Bened. lib. XVI. n. 42. & lib. XVII. n. 28.

III. Iſembertus Pictav. epiſcopus regebat *abbatiam S. Mariæ, necnon & S. Andreæ atque almi chriſti Benedicti Quinciacenſis anno M. XXVII.* Vide Mabill. Annal. Bened. lib. 56. n. XVIII. & Johannem Beſly hiſt. comit. Pictav. pag. 345.

tom. IV. pag. 336.

C

IV. Petronus eodem an. 1027. quædam commutat cum Aimerico Angeriac. abbate apud Brolium & Pictav. ex chartul. Angeriac.

V. Thebaudus ſeu Tetbaudus vel Theobaldus hujus loci abbas, præſens fuit anno 1040. 31. Maii, dedicationi eccleſiæ SS. Trinitatis Vindocin. tumque privilegio quod eidem monaſterio indulſit Theodericus Carnotenſis epiſc. ſubſcripſit. Vide Mabill. Annal. Bened. lib. 58. n. 20. pag. 440.

VI. Gualterius
VII. Johannes
VIII. Garnerius
} Vide Mabill. Annal. Bened. lib. 69. n. 56.

D

IX. Gumbaudus anno 1104. Vide Annal. Bened. lib. 70. n. 81. & tom. V. pag. 282. ad annum 1091.

X. Thomas reperitur anno IV. in charta Petri abb. S. Cypriani pro cœnobio Fontebraldenſi.

XI. B. Bernardus de quo Robertus de Monte, auctor pene ſynchronus, tractatu de immutato ord. monach. cap. 4. ita loquitur: *Bernardus qui prius fuerat abbas Quinciaci in Pictavienſi ſolo*, poſtea Tironii fundator exſtitit. Ibidem docet Bernardum hoc monaſterium deſeruiſſe, quod nollet illud ſubdi Cluniacenſibus. Idem habet Ordericus lib. 8. hiſt. verſus finem. Expungendum tamen autumat noſter D. Claud. Eſtiennot, ex eo maxime quod Gofridus Groſſus qui accurate, & fere oculatus teſtis ejuſdem ſancti vitam conſcripſit, de hac prælatura ſileat, quam quidem auctores iſtos putat uſurpaſſe pro cœnobio S. Mariæ & S. Cypriani, quod revera gubernavit ac deſeruit.

E

XII. Willelmus I. *venerabilis abbas S. Benedicti* confirmat ſententiam datam in favorem Roberti abb. Nobiliacenſis pro ballia de Faya-Raboti. Paciſcitur idem abbas an. 1180. cum Aſſalia prioriſſa de Gerunda, vulgo l'*Encloiſtre*, ordinis Fontisebraldi.

XIII. Gaufridus abbas Quinciaci memoratur annis 1200. & 1219. itemque reperitur in charta Nobiliacenſis monaſterii tempore Willelmi ejuſdem loci abbatis.

XIV. Aimericus I. anno 1225. litem ſopivit inter abbatem Nobiliacenſem & Ademarum de Curçay pro litigioſis apud Mairé Anno 1229. pepigit cum Joſcelino de Briſayo præpoſito de Faya, pro juriſdictione Savigniaci *, prioratus olim conventualis S. Petro dicati qui nunc unitus eſt abbatiæ matri Quinciaco.

* *Savigny ſous Faye la Vineuſe.*

XV. Odo 1233.

XVI. Jodoinus.

XVII. Conſtantinus 1257

XVIII. G. abbas 1263.

XIX. Aimericus II. 1270. & 1274. quo anno compoſuit cum Nicolao S. Cypriani abbate, arbitris P. decano, Simone de Curſayo, & Michaële decano de Monte-acuto canonicis S. Hilarii. *Datum in vigilia apoſtolorum Petri & Pauli M. CC. LXXIV.*

XX. Johannes I. 1286.

XXI. Guido 1322. dicitur etiam domini papæ capellanus.

XXII. Henricus 1331.

XXIII. Dulcetus paciſcitur cum abbate Monaſterii-novi 1385.

XXIV. Aimericus III. 1396. 1408. & 1409. quo anno recenſetur inter abbates illos qui miſere procuratores ad concilium Piſanum cum plena poteſtate.

XXV. Clemens I. abbas Quinciaci jacet in inferiori parte navis baſilicæ Quinciac. cum hac inſcriptione: *Clemens clementia rexit in hac abbatia S. Benedicti Quinciaci, arens auſter rapuit annis octodecim Junia preſenta ſecundi menſis ..... Hic vixit anno Domini milleſimo quater centeſimo quoque deno.....* Ita noſter D. Claud. Eſtiennot.

XXVI. Guillelmus II. ex nobili Thebaldorum gente ſatus, memoratur abbas Quinciacenſis 1425. & 1431. quo anno præſens fuit cum aliis abbatibus inſtitutioni academiæ Pictavienſis, vide Bucheti Annal. Aquit. in appendice. Sedebat adhuc an. 1433. tandemque mortuus, ſepultus eſt in navi eccleſiæ S. Benedicti.

XXVII. Clemens II. quem ad annum 1501. noſter D. Jacobus Boyer commemorat, cognominatque Thebaud, ſuperioris, ut par eſt conjicere, affinis, erat abbas annis 1448. 51. 52. 56. & 57. 21. Martii, ex charta authentica regiæ biblioth.

XXVIII. Guarinus I. Boüeſſeau, *al.* de la Roche-Boiſſeau 1466. 73. 74. & 82. quo anno permutavit cum abb. Vernuciæ Stephano Taveau.

XXIX. Stephanus Taveau 1485. 86. 87. & 1491. Vide in Vernucia.

XXX. Guarinus II. Rabeüil vel Rabeil monachus & abbas regularis 1493. 97. & 1506.

XXXI. Franciſcus d'Agard electus 1507 memoratur ad annum 1520. plurimumque laboraſſe dicitur pro utilitate ſui cœnobii. Sepelitur juxta Clementem abbatem cum hoc epitaphio: *Hic jacet domnus Franciſcus d'Agart religioſus S. Benedicti, abbas monaſterii hujus, Lemovicenſis,*

Digitized by Google

*f. 1521. *licentiatus in jure canonico, qui obiit 1501. * menſis Octobr. die 9.*

XXXII. Johannes II. de Mareüil ultimus abbas regularis. Ipſius memoria ſæpius recurrit in variis inſtrumentis ab anno 1526. ad annum 1574. quo diem ultimum obiit in abbatia Nobiliacenſi, quam etiam poſſidebat, atque in ſacello B. Mariæ Nobiliac. ſepultus eſt; in lapide ſepulcrali legitur epitaphium in quo nihil notatu dignum.

XXXIII. Henricus de la Marthonie epiſcopus Lemovicenſis, primus fuit abbas commendatarius Quinciaci ab anno 1574. ad 1577. Omittitur a noſtro D. Jacobo Boyer.

XXXIV. Johannes III. Dupleix abbas commend. Regi ab eleemoſynis, canonicus Santon. & prior de Marſay 1577. & 1580. B

XXXV. Johannes IV. Eſmard, *al.* Eſnard 1588.

XXXVI. Jacobus des Prez de Montpezat, epiſcopus Montalban. obiit an. 1589.

XXXVII. Ludovicus Boynet de Fraiſſinet 1599.

XXXVIII. Paulus Durcot de la Greve ſedis apoſtolicæ protonotarius, Regi ab eleemoſynis & conſiliis, 1649.

XXXIX. Claudius Orontius Finé de Brianville, Regi ab eleemoſynis & conſiliis, memoratur abbas Quinciaci annis 1668. 70. 71. & 74. quo anno menſe Septembri defunctus eſt ac ſepultus in baſilica Quinciaci. C

XL. Carolus-Mauricius le Boiſtel, presbyter Oratorii Domini Jeſu, abbatiam obtinebat in commendam 1680. & 1714. Obiit anno 1716. menſe Septembri.

XLI. N. Bertet, ab eleemoſynis Eliſabetæ Carlothæ a Bavaria principis Palatini Rheni natæ, Philippi ducis Aurelianenſis unici fratris regis Ludovici XIV. quondam uxoris, Philippi ducis Aurelianenſis, qui feliciter Gallicanum imperium regit, parentis.

Nanteuil en Vallée. D

NANTOLIUM IN VALLE.

NANTOLIUM, Nantogilum & Nantoliacum; ord. S. Benedicti, patronos habet B. Mariam & S. Benedictum; auctorem Carolum magnum, uti vetera ejuſdem monaſterii documenta probant. Et certe ea pars eccleſiæ quæ ſanctuarium vulgo nuncupatur, ætatem hujus principis redolet. Primum quidem conditum fuiſſe in valle ubi ſancti Martialis eccleſiam olim ædificaverat, tradunt; ſane vero jam tum exſtabat cum S. Abbo Floriacenſis abbas iterum Regulam * ſeu monaſterium ſuum de Squirs profectus eſt (ante annum 1003.) *quippe per Carroſenſe monaſterium tranſiens, ad Nantoliacum devenit cœnobiolum in honore ſanctiſſimi patris Benedicti fundatum*, inquit Aymonius Floriac. in libro de vita & paſſione hujus ſancti, quem editum habes biblioth. Floriac. pag. 338. cap. 17. Ceterum Malleac. chron. teſtatur hoc cœnobium de novo conſtructum fuiſſe an. 1046. a domino caſtri Ruffiaci[a], quo circiter anno Clemens (haud

* la Reole. E

a

[a] Hiccine eſt Ademarus de Roca-fulcardi quem hujus cœnobioli reſtauratorem credi Mabillonius refert, illudque regendum commiſiſſe Salmurenſi abbatiæ, ac deinde Gumbaldum Burdegal. archiepiſcopum Pictavienſi S. Cypriani monaſterio ſubdidiſſe, ſummo pontifice Lucio II.

A dubie ſecundus) eximit monaſterium a ſubjectione epiſcopi Pictav. & ſubdit immediate archiepiſc. Burdegalenſi, diplomate quod legitur in MS. codice eccleſiæ Pictav. vulgo dicto, *le Gaultier*, fol. 46. Clemens ſecundus creatus eſt papa an. 1046. & obiit anno ſequenti.

SERIES ABBATUM.

I. HUGO I. an. 1000.
II. Aimericus I.
III. Petrus I. an. 1040. præſens dedicationi eccleſiæ Vindocin. die 31. Maii ſubſcripſit privilegio huic abbatiæ conceſſo a Theoderico epiſc. Carnotenſi.
IV. Arnaudus I. an. 1050.
V. Iterius I.
VI. Petrus II.
VII. Arnaudus II.
VIII. Audebertus, fortaſſe idem ac Hildebertus qui an. 1080. ſubſcripſit chartæ confirmationis monaſterii Silvæ-maj. Sane hi quinque ultimi abbates ante annum 1156. e vivis exceſſerunt, ut pote memorati in rotulo Calonis Pictav. epiſcopi.
IX. Gauterius 1112. notatur in necrol. Silvæ-maj. idibus Junii.
X. Ogerius tranſegit an. 1165. cum Willelmo abbate S. Emiliani.
XI. Bernardus I. recenſetur inter abbates qui dedicationi eccleſiæ S. Amantii Buxienſis interfuerunt XVII. cal. Dec. an. 1170. Idem biennio poſt conſilio fratrum ſuorum conceſſit Bernardo abbati de Groſſo-boſco quandam terram. B. abbas Nantolii adfuit 1178. tranſactioni factæ inter abbatiſſam SS. Trinitatis Pictav. & Jacobum miniſtrum fratrum ord. S. Johan. Jeroſol. in Pictavia. Idem Bernardus XIII. cal. Julii anno 1182. teſtis eſt in charta Ademari Santonenſis epiſc. pro monaſterio Ayenſi ord. Cluniac. ex tabul. ejuſdem loci. Memoratur etiam in litteris Richardi comitis Pictav. ac ducis Aquit. & Alberti abbatis de Pinu pro monaſterio Dalonenſi. Denique B. abbas Nantolii reperitur 1187. in chart. SS. Trinit. Pictav. C. LXV. col. 379.
XII. Willelmus 1215. in charta Willelmi Engoliſmenſis epiſcopi.
XIII. Iterius II. 1235.
XIV. Bernardus II. 1247.
XV. Petrus III. 1265.
XVI. Hugo II. 1279. & 1280.
XVII. Petrus IV. 1288. 93. & 95.
XVIII. Hugo III. 1299.
XIX. Johannes I. de Lincha 1303. & 1313. ex Baluzio qui laudat Hieron. Lopez in eccleſia Burdegal. pag. 370. & 379.
XX. Hugo IV. 1305.
XXI. Johannes II. 1334.
XXII. Petrus V. de Mariliaco, *al.* de Marthaco & de Marthaio 1342. & 1347.
XXIII. Hugo V. 1350. & 1355.
XXIV. Petrus V. de Marthaco iterum annis 1355. 68. 69. & 76.
XXV. Guido I. Palardini, *al.* Pallardii 1379. 83. & 86.
XXVI. Petrus VI. Reginaldi 1387. cui Petrum de Villaco Sammarthani ſubjiciunt.

Digitized by Google

XXVII. Johannes III. Botinardi vel Botinaldi 1390. 91. 96. 98. 99. 1400.

XXVIII. Guido II. 1401.

XXIX. Johannes IV. 1404. 1406. 1407. 1409. 1412. 1417.

XXX. Petrus VII. Tizon 1418. 1419. 20. & 21.

XXXI. Petrus VIII. Regnaud, *al.* de Prahet 1440. 47. & 48.

XXXII. Petrus IX. de Gratia 1451. 1454. & 1458.

XXXIII. Johannes V. de Prahet 1459. 60. 62. & 1467. quo anno dicitur abdicaſſe in manu ſummi pontificis in gratiam Aimerici Textoris, retenta ſibi penſione centum ſcutorum aureorum.

XXXIV. Aimericus II. Textoris, rector eccleſiæ parochialis S. Andreæ de Ruffiaco, abbatiam obtinuit ex ceſſione Johannis de Prahec probata Paulo II. papæ, qui tamen juſſit ut prius monachum profiteretur. Hincque forſitan Hugo ponitur a Sammarthanis ad annos 1470. 1477. tanquam rector monaſterii, donec Aimericus monaſticam voviſſet religionem. Ceterum Aimericus rem bene adminiſtravit, & inter optimos abbates computatur. Memoratur a Sammarthanis anno 1483. quem ſane legimus an. 1492. abbatiam tranſcripſiſſe Nicolao Imbault, approbante Innocentio papa VIII.

XXXV. Nicolaus Imbault monaſterium rexit ab anno 1492. uſque ad 1527.

XXXVI. Johannes VI. Chauderon quem vetus Gallia Chriſtiana reponit ad an. 1513. reperitur annis 1527. & 1530.

XXXVII. Benedictus de Taillecarne epiſcopus Graſſenſis & præceptor regiorum liberorum Franciæ, 1534. & 1535.

XXXVIII. Auguſtinus Trivultius cardinalis & epiſc. Tolonenſis & Bajoc. an. 1537. permutavit cum ſequenti.

XXXIX. Leo Chaſteigner, Guidonis Rupispoſæi domini ex Magdalena Puteana filius, abbas Fontis-Gombaudi, præpoſitus Carrofenſis, & vicarius generalis archiepiſcopatus Lugdunenſis, obiit an. 1537. Jacet Lugduni in æde B. Pauli.

XL. Renatus Chaſteigner, Leonis frater, abbas Miſericordiæ-Dei, deceſſit an. 1565. poſtquam, ut videtur, abdicaverat.

XLI. Antonius Chaſteigner, præcedentium nepos, naſcitur 1530. prioratum de Marigniaco & abbatiam de Nantolio dimiſit, & abdicato clericatu factus eſt toparcha de l'Iſlepaume. Occubuit in obſidione Teroanenſi an. 1553.

XLII. Ludovicus Chaſteigner 1564.

XLII. Gabriel Laurendo 1567. 71. 74. 79. & 1582.

XLIV. D. d'Abbin ſchedulam regiam obtinuit pro Granataria, Nantolio, &c. an. 1595.

XLV. Henricus-Ludovicus de la Rochepozai epiſc. Pictav. abbas Culturæ, S. Cypriani & Nantolii 1603. & 1625.

XLVI. Galterius de Montaigu nobilis Anglus 1654. 58. & 67. abbas etiam S. Martini Pontiſar. qua ceſſit abbatia in gratiam Theod. Emmanuelis card. de Bouillon an. 1671. Poſtea ſeceſſit ad hoſpitium inſanabilium Pariſiis, ubi piam & Chriſtianam vitam in bonis actibus abſolvit.

XLVII. Armandus de Quincay 1677. 1685.

XLVIII. Laurentius Gineſt nominatur abbas die 1. Nov. an. 1686. Sedebat adhuc 1708.

B. MARIÆ DE ALLODIIS.

les Alleux.

HÆc abbatia ord. S. Benedicti in territorio Pictavienſi inchoatur ſub annum 1120. a B. Giraudo de Sala multorum aliorum conditore monaſteriorum, ut patet ex chronico Malleacenſi.

ABBATES.

I. PETRUS I. in eodem chronico primus abbas dicitur.

II. Giraudus Petro ſucceſſit.

III. Grimoardus de Sala, Giraudi Allodiorum fundatoris frater, e priore Caſtellariorum abbas Allodienſis, vir bene religioſus ex chronico Malleacenſi, eligitur Pictavienſis antiſtes an. 1140. cujus (Grimoardi) electionem factam *pari Pictavienſium pace & voto & voce; canonicaque libertate conſecrationem peractam* docet S. Bern. epiſt. 342. De Grimoardo Allodiorum abbate, vide inter inſtrumenta.

Vide t. tom. nova Gall. Chr. pag. 262.

C. LX. col. 376.

IV. Aimarus ſeu Ademarus recenſetur in litteris Rotberti abb. Nobiliacenſis & Willelmi abbatis de Morellis, pro litigioſis apud Mazerolles circa an. 1162. & in tabula Abſiæ ſub Rainerio abbate, qui vixit ſub annum 1177. Airaudus nominatur hoc anno in hiſt. Abſiæ dioec. Malleac.

V. Johannes Timo an. 1232. ſubſignat concordata inter R. abb. Nobiliacenſem & Aleardum Aucher ſuper terragiis de Mairé.

VI. Aimericus 1422.

VII. Johannes Charlot 1457.

VIII. Petrus II. d'Abzac de la Douze monachus & camerarius Angeriacenſis, decretorum doctor & *actu regens* in academia Pictav. 1459. fit abbas Allodienſis anno 1463. ex hiſt. MS. abbatum Craſſenſium inter quos numeratur, & 1465. ex hiſtoria Brantoſmi, ac deinde archiep. Narbonenſis.

IX. Hugo d'Abzac de la Douze camerarius Angeriacenſis, compoſuit cum abbate Martiali Fournier pro oblationibus eccleſiæ 1491. erat abbas Allodienſis 1495. 12. Sept. & 1500. 23. Decemb. quo anno dicitur camerarius commendatarius abbatiæ S. Johannis Angeriac. & 1508. 15. Aug. ex chartis authenticis regiæ biblioth.

X. Bernardus Daits[a] 1510. 1. Julii & 1545. 10. Octob. ex chartis authenticis regiæ biblioth. & adhuc 1532. & 1547.

[a]

XI. Renatus l'Eveſque 1559. die 16. Octob.

XII. Henricus de Bethune epiſc. Baionenſis, deinde Malleacenſis, ac demum archiep. Burdegal. obiit anno 1680.

XIII. Iſaacius Habert canonicus theologus eccleſiæ Pariſienſis & epiſc. Vabrenſis, obiit 1668.

[a] Noſter D. Claud. Eſtiennot hunc vocat Bertrandum Daix vel d'Aux, quem redditibus monaſteriorum S. Leodegarii ad Separim & Allodiorum potitum fuiſſe dicit annis 1557. & aliis.

Digitized by Google

XIV. Michaël Amelot Turonenſis archiepiſc. & abbas S. Cariſefi, necnon de Vado-Alneti *Gué de Launay*, obiit 17. Febr. 1687.

XV. Jacobus Carolus, Amelot obiit 1672. protopræſes in curia ſubſidiorum Pariſienſi.

XVI. Carolus Amelot frater protopræſidis in curia ſubſidiorum, ſedebat anno 1680. ceſſit an. 1692. ut matrimonium contraheret.

XVII. Ludovicus Stephanus Joſeph de Brancas de Villars deſignatur abbas menſe Aug. an. 1692.

XVIII. N. de Fienne abbas renuntiatur die 6. Nov. 1717.

FERRARIÆ S. LEONARDI.

S. Leonardi Ferrarienſe monaſterium ordinis S. Bened. in agro Lodunenſi prope Thoarcium conditur ab incertis authoribus. Vide chartam fundationis ad calcem Annalium Aquitaniæ Bucheti.

Series abbatum.

I. Guillelmus an. 1184. ex hiſt. S. Flor. Salm. pag. 209.

II. Petrus adfuit cuidam compoſitioni Itherii de Inſula an. 1191. Vide in Daniele abb. Gratiæ-Dei dioec. Rupell.

III. Stephanus, abbas S. Leonardi Ferrarienſis, obiit anno 1426.

IV. Harduinus Botterel anno 1449.

V. Johannes I. du Chaſtel epiſcopus Carcaſſ. & abbas commendatarius Ferrariarum an. 1454.

VI. Carolus I. epiſc. Elnenſis & abbas commend. anno 1478.

VII. Johannes II. le Bigre ſedebat an. 1490.

VIII. Andreas d'Eſpinay cardin. archiep. Burdegal. & Lugdun. an. 1492.

IX. Antonius de Scurs in parlamento Pariſienſi ſenator & abbas commend. an. 1502.

X. Antonius I. de Cravant * decretorum doctor, abbas an. 1513. deinde S. Cariſefi electus 8. Octobris 1515.

* *al.* de Cœnault.

XI. Ludovicus de Bourbon appellatur abbas S. Leonardi a Sammarthanis, tomo 1. Gall. Chriſt. pag. 650.

XII. Carolus II. de Billy nominatur abbas annis 1521. & aliis.

XIII. Johannes III. de Billy 1534.

XIV. Claudius de Montdor præpoſitus Albienſis & abbas Ferrarienſis apud Pictavos 1547. omittitur a noſtro Claud. Eſtiennot, & valde dubius videtur ſive quoad dignitatem præpoſiti, ſive quantum ad abbatialem.

XV. Johannes IV. de Billy, Johannis & Caroli conſanguineus, erat abbas anno 1556.

XVI. Jacobus I. de Billy obiit anno 1581.

XVII. Antonius II. Chevreüil anno 1560.

XVIII. Benedictus Bonajuti, Italus e nobili familia Bonajutorum, annuos redditus Ferrariarum percepit ab anno circiter 1560. ad an. 1575.

XIX. Romulus Bonajuti monaſterium ab Heterodoxis devaſtatum, circa an. 1580. refarcivit.

XX. Johannes V. le Veneur 1616.

XXI. Jacobus II. le Veneur abbas etiam Fontis-comitis 1632.

XXII. Armandus de Quinçay 1670. & 1680. ceſſit anno 1688.

XXIII. N. Loiſtron Balon nominatus abbas die 1. Nov. 1688. ſedebat adhuc 1714.

CAMPUS-BONUS ſeu CAMBONIUM. Chambon.

Hæc abbatia Sedi-Brignoni vicina, inſtituta eſt ſub regula S. Benedicti & patrocinio B. M. virginis, quam donis locupletarunt viceconites Thoarcenſes. Paucos abbates reperimus.

I. Petrus abbas de Mauleon & Chambon memoratur in chartis authenticis regiæ biblioth. ann. 148..... 4. Dec. & 1482. 9. Dec.

II. Petrus de Vernon abbas de Chambon circa 1533. uti videre eſt in hiſtoria Malleonii diœceſis Rupell.

III. Carolus de la Tremouille abbas S. Launi Toarcenſis & de Campo-bono 1538.

IV. Georgius de la Tremouille erat abbas commendatarius cœnobiorum de Campo-bono & S. Launi Thoarcenſis an. 1559. Claud. Eſtiennot in antiq. Pictav.

V. Daniël Hay du Chaſtelet abbas an. 1670. obiit anno ſeq.

VI. N. Eſprit an. 1680. abbas Boni-campi.

VII. Franciſcus Amatus Pouget Oratorii presb.

ABBATIA B. M. DE SEDE BRIGNONI. La Sye en Brignon.

Situm eſt hoc cœnobium inter Thoarcium & Monſteriolum-Berlayi *Monſtreuil-Bellay*, in valle pingui & ſatis amœna, in finibus pagorum Andegavenſis & Pictav. auctoremque agnoſcit Berlayi dominum ex ſequentibus litteris: *Ego Giraudus Berlayi ob ſalutem animæ patris mei & aliorum parentum meorum, concedo fratribus de Abſia in præſentia domni Petri primi eorum abbatis, totum planum, vel ut vulgo dicitur, totum guaſtum quod modo eſt, vel in poſterum erit in boſco meo qui appellatur Brignum, in quocunque loco ipſius nunc eſt, vel, ut diximus, in futurum erit, ut habeant & poſſideant quiete & libere,* &c. *Hoc donum in præſentia domini Guillelmi Pictavienſis epiſcopi coram clericis ſuis qui cum eo erant, & coram priore ipſius loci, & monachis ſuis. Hæc ſunt nomina teſtium, dominus magiſter Laurentius qui rogatu meo hanc chartam dictavit, magiſter Arnaudus epiſcopi cancellarius, Guillelmus de Mortemer, Ugo prior de Morrone, Giraudus de Ardena, Gauſridus Gallons. Elapſo autem poſtea multo tempore ego Giraudus Berlayi addidi prælibato dono prata mea in vado de Sauſay, teſtibus Rainerio abbate Abſiæ, Guillelmo abbate Carpiniaci, Joanne primo abbate Brinii.* Deinde Berlaius Monſterioli dynaſta fundationem patris Giraudi confirmavit. Itaque Giraudus primum ceſſit ſilvam *de Brignon* abbati & monachis Abſiæ; tumque ipſo Giraudo promittente ſe huic dono de redditibus ſuis tantum additurum, quo inibi abbatia Deo ſinente conſtrui poſſet, conſenſit Petrus Abſiæ abbas, ut novum ibidem conſtrueretur monaſterium. In abſidis fornice hactenus viſuntur gentilitia

Digitized by Google

gentilitia ſtemmata dynaſtarum Thoarcii, Leſigniaci, Montis-beroni, Argentonenſium, Chabotiorum &c. quod nonnullis perſuaſit gentes illas nobiles hoc olim cœnobium affeciſſe beneficiis.

Abbates.

I. Johannes in litteris Giraudi commemoratus, primus abbas fuit, quem a Rainerio Abſiæ tertio abbate præfectum fuiſſe huic monaſterio regendo legimus.

II. Joſſenus, idem fortaſſe qui Rainerio ſucceſſit in Abſiæ regimine, habuit controverſiam cum Berlayo Monſterioli domino, Giraudi filio, quam Willelmus Pictavienſis & Radulfus Andegav. epiſcopi tanquam arbitri ſopierunt.

III. Antonius Hieronymus Boyvin du Vaurouy, doctor theologus, canonicus & cantor ſacræ capellæ Pariſ. hujus loci nunc eſt abbas commend. ab anno 1694. quo nominatus fuit a Rege in natali Domini.

Moreaux ou Moureaux.

B. MARIA DE MORELLIS.

Abbatia B. Mariæ de Morellis ord. S. Benedicti, non longe ab oppidis de Sommieres, de Couhé, & de Champagné S. Hilaire, Pictavio diſtat ſeptem circiter leucis; nunc ibi duo duntaxat monachi præbendati degunt, penes quos nullum eſt inſtrumentum.

Aliquot abbates.

I. Willelmus I. temporibus Roberti Nobiliacenſis & Ademari Allodiorum abbatum, id eſt circa an. 1170.

II. Guillelmus II. an. 1283. die Veneris poſt octavam Purificationis, acceptat fundationem feſti S. Franciſci in ſuo monaſterio celebrandi quotannis, a Galtero epiſcopo Pictav.

III. Petrus de Vaugiraud abbas B. M. de Moreaux, 27. Febr. 1462. 21. Aug. 1463. 28. Julii 1467. & 1496. 17. Septemb. ex chartis authenticis regiæ biblioth. ſepelitur coram majori altari cum hac inſcriptione, *Cy giſt venerable & reverend pere en Dieu fr. Pierre de Vaugiraud.*

IV. Renatus de Vaugiraud 1505. 21. Octob. & 1523. 12. Aug. ex chartis authenticis regiæ biblioth.

V. N. Caillet, fortaſſe Renatus, abbas ſimul Monaſterii-novi, denatus anno 1529.

VI. Johannes de Pardaillan 1557. & 1559.

VII. Ludovicus de Rechignevoiſin epiſcopus Convenarum, cui ſucceſſiſſe dicitur

VIII. Chriſtophorus Ludov. Turpin de Criſſé Sanzay epiſcopus Redonenſis, nominatus abbas 31. Maii 1693.

S.te Croix de Poitiers.

S. CRUCIS PICTAV. PARTHENON.

Hunc parthenonem condidit B. Radegundis * regina, Clotharii I. conjux, ac Bertharii Toringorum regis filia: quæ cum in partem prædæ Clotharii captiva devictis Toringis ceſſiſſet, ut erat virgo excellentis formæ, eam Rex in conjugem duxit, ac ſummo amore proſequutus eſt; ſed ea neglectis aulæ regiæ lenociniis, Deo famulari ac Chriſto, in orationibus aliiſque bonis operibus, ſumto monialis velamine cum Regis conſenſu, conſtituit; inde in Aquitaniam pergens, pro honore S. Hilarii Pictavienſis quondam epiſcopi, Auguſtoriti Pictonum ſedem fixit, ubi poſtea Clotharii regis placito, celebre monaſterium puellarum ædificavit, ac ſeipſam vitæ religioſæ ſub regula S. Cæſarii Arelatenſis antiſtitis ſubjecit, pro qua aſſumenda, ipſa cum Agnete quam elegerat abbatiſſam, perrexit Arelatem, ut narrat Boetius Wlfinus epiſcopus in libro de vita S. Juniani confeſſoris ad Godolenum abbatem. Tum vero clericos tranſmiſit, qui ab Oriente ſalutiferæ Crucis fragmentum ab Imperatore expoſcerent: cumque lignum illud ſolemni celebritate in baſilicam illatum fuiſſet, monaſterio nomen dedit, quod ab eo tempore S. Crucis cœpit nuncupari. Gregorius Tur. qui multis in locis de hac ſancta regina loquitur, lib. 1. de gloria martyrum, cap. 5. *de Cruce, & mirabilibus ejus apud Pictavum*, eam alteram Helenam, ob ſtudium in exquirenda S. Cruce adhibitum appellat. *Miſitque*, inquit, *pueros iterum Jeroſolymam ac per totam Orientis plagam, qui circumeuntes ſepulcra ſanctorum martyrum confeſſorumque, cunctorum reliquias detulerunt, quibus in arca argentea, cum ipſa cruce ſancta locatis, multa exinde miracula conſpicere meruit.* Pro recens fundato parthenone, S. Radegundis ad ſui temporis epiſcopos eorumque ſucceſſores egregiam epiſtolam [a] ſcripſit, cujus exemplar profert idem Gregorius lib. IX. cap. 42. Ad Dominum migravit Radegundis Pictavii, uti notat Gregorius anno XII. regni Childeberti junioris, idibus Auguſti anno 587. in æde S. Mariæ mandata ſepulturæ, uti petierat in epiſtola ita ſcribens: *Sanctos pontifices & præcellentiſſimos domnos reges, & univerſum populum Chriſtianum conjuro per fidem catholicam, & in baſilica quam in ſanctæ Mariæ Dominicæ genitricis honorem cœpimus ædificare, ubi etiam multæ ſorores noſtræ conditæ ſunt in requie, ſive perfecta, ſive imperfecta, cum me Deus de hac luce migrare præceperit, corpuſculum meum debeat ibi ſepeliri.* Porro S. Radegundis ſuo cœnobio poſſeſſiones quas a Clotario quondam marito habuerat, munifice contulit, ac præceptis regalibus monaſterio confirmandas curavit. De ejus laudibus plura Venantius Fortunatus in carminibus, qui hanc reginam maxima obſervantia coluit. Vitam autem ejus accurate ſcripſit Baudonivia monialis ejus cœnobii. Baſilica S. Mariæ ubi ſepulta eſt, poſtea dicta eſt *baſilica S. Reginæ*, ſeu *S. Radegundis*, ubi prius erant monachi cum abbate; uti ſignificat Baudonivia in ſupplemento vitæ S. Rad. *Poſtquam inde vir venerabilis Arnegiſilus abbas baſilicæ B. Reginæ cum ſuis monachis exivit.* Tempore Ludovici imperatoris pro monachis clericos ibi vixiſſe pene conſtat ex capitulari ejuſdem Auguſti, tom 1. Analect. pag. 299. §. VI. & VII. priori ſiquidem decer-

* *Vide inter inſtrumenta.* C. XLII. col. 359.

[a] Greg. Turon. lib. IX. hiſt. cap. 42. exhibet epiſtolam S. Radegundis ſcriptam ad epiſcopos. Eodem libro cap. 39. legitur epiſtola Gregorii, Prætextati & quinque aliorum epiſcoporum concilii 2. Turon. ad Radegundem, in qua mentio epiſtolæ ad ſe a pia regina ſcriptæ; quam epiſtolam aliam eſſe a ſuperius commemorata, ac periiſſe cenſent eruditi.

Digitized by Google

nitur, *ut omnino caveatur ne ultra centenarium numerum congregatio illa (S. Crucis) per cujuſcumque petitionem multiplicetur.* Altero autem: *ut omnino provideatur, ne clericorum numerus pluſquam XXX. augeatur, & ipſi per omnia ad dictum congregationem S. Crucis honeſte & perfecte obedientes ſint atque ſubjecti.*

Abbatissarum catalogus.

I. Agnes ſoror Radegundis ab ea præficitur abbatiſſa ſanctæ Crucis Pictavienſis, quod docet memorata epiſtola ubi Radegundis ait: *Quoniam olim vinclis laïcalibus abſoluta, divina providente & inſpirante clementia, ad religionis normam viſa ſum voluntarie duce Chriſto tranſlata, inſtituente atque remunerante præcellentiſſimo Domino rege Clotario, monaſterium puellarum Pictava urbe conſtitui: conditumque quantum mihi munificentia regalis eſt largita, facta donatione dotavi. Inſuper Congregationi per me Chriſto præſtante collectæ regulam, ſub qua S. Cæſaria degit, quam ſollicitudo B. Cæſarii antiſtitis Arelatenſis ex inſtitutione ſanctorum patrum convenienter collegit, adſcivi. Cui conſentientibus beatiſſimis & hujus civitatis, & reliquis pontificibus, electione etiam noſtræ congregationis, domnam & ſororem meam Agnetem quam ab ineunte ætate loco filiæ colui & eduxi, abbatiſſam inſtitui, ac me poſt Deum ejus ordinationi regulariter obedituram commiſi.* Infra dicit eam a beatiſſimo Germano Pariſienſi epiſcopo conſecratam fuiſſe; præcipitque poſt ejus exceſſum in locum illius abbatiſſam ex eadem congregatione deligi, & advocatos tutoreſque monaſterii ſui cognominat beatos confeſſores Hilarium & Martinum. Agnes abbatiſſa crebro celebratur in carminibus Fortunati, maxime lib. VIII. Carm. 4.* & lib. II. Carm. 2. Ipſius autem feſtum annotatur die 13. Maii in calend. MS. monaſterii. Quia vero non defuere qui crederent ipſam Radegundem abbatiſſam fuiſſe, refutandi ſunt ex ipſamet illius vita, ubi ſic loquitur Fortunatus: *Carpentarii cujuſdam uxor dum plurimis diebus energumeno torqueretur, venerabilis ejus abbatiſſa jocularitur dixit ad ſanctam: crede mater excommunico te, ſi intra hoc triduum mulier hæc ab hoſte purgata non redditur.* Sed & Baudonivia monialis in altera ejuſdem vitæ parte, de S. Radegunde ejuſque monaſterio ſic loquitur: *Quo electa abbatiſſa etiam conſtituta, tam ſe quam ſua omnia ejus tradidit ſubdita poteſtati, & ex proprio jure nihil ſibi reſervans, ut curreret expedita poſt Chriſti veſtigia.*

* *al.* 8.

II. Leubovera, ſuperſtite Radegunde, Agneti ſucceſſit ex Mabill. Annal. t. 1. pag. 199. An. 589. poſt tranſitum B. Radegundis orta eſt controverſia, cujus auctor fuit Chrodieldis Chariberti regis filia, quæ monaſticum regimen ambiens, & adverſus abbatiſſæ hujus imperium ſuperbia elata, cum Baſina conſobrina, Chilperici filia, & aliis puellis quadraginta, primum e cœnobio diſceſſit, collecta manu ſatellitum qui omnia diripuerunt, & Leuboveram inde per vim abſtraxerunt; quamobrem ſynodus Pictavis congregata, diſcuſſis abbatiſſæ hujus cum Chrodieldi diſſidiis, Leuboveram in priſtinum gradum reſtituit, de quibus plura in hiſtor. Gregorii legere eſt lib. 9. c. 39. & ſeq. ac præſertim lib. X. hiſt. cap. 19. terminata autem videtur hæc contentio ſub annum 590. Vide in Meroveo Pictav. epiſcopo.

III. Juſtina Leuboveram excepit ſecundum Mabillonium tom. 1. Annal. Bened. pag. 199. Et hanc quidem aſſerit temporibus rixarum officio præpoſitæ perfunctam fuiſſe.

IV. Didimia ſeu Didima circa hæc tempora præfuit: ſic enim Baudonivia, quæ alteram partem vitæ S. Radegundis exaravit, ipſam compellat in prologo: *Dominabus ſanctis meritorum gratia decoratis Dedimiæ abbatiſſæ vel omni congregationi glorioſæ dominæ Radegundis, Baudonivia humilis omnium. Injungitis mihi opus agere non minus impoſſibile, quam ſit digito cælum tangere*, &c. At vero Baudonivia in ipſo S. Radegundis ſinu fuerat innutrita; ſic enim loquitur: *Cum ſim igitur minima omnium minimarum, quam ab ipſis cunabulis ante ſua veſtigia peculiarem vernulam familiariter enutrivit.*

V. Gerberga[a] ſeu Gerberta legitur abbatiſſa in chartis annorum 814. 817. 826. & 840. quo anno Pipinus rex Aquitaniæ in hoc parthenone ſepultus eſt. Sub iſta vero tempora Ludovicus imperator de puellari S. Crucis monaſterio fieri præcepit capitulare, quod ab omnibus obſervandum filio ſuo Pipino commendavit. Vide Mabill. tom. 2. Annal. Bened. pag. 476. Hinc eſt fortaſſe quod monaſterium Pictav. S. Radegundis, *al.* S. Crucis referatur inter illa 26. quæ Aſtronomus dicit a Ludovico Pio vel reſtaurata, vel ex integro condita. Enumeratur autem anno 817. *abbatia S. Crucis puellarum in Aquitania inter* eas quæ nec dona, nec militiam dare debent, ſed ſolas orationes. Vide Beſlium in hiſt. regum Aquit. pag. 21.

VI. Rotrudis, filia Caroli Calvi imperatoris, parthenonis alumna, eligitur abbatiſſa circa an. 876. non tamen unanimi conſenſu, nonnullis ſororum aliam, forte Odilam, præferentibus. Cum vero hujus electionis occaſione turbæ exortæ eſſent, ſcripſit Carolus imperator, electæ pater, ad Frotharium Burdigal. archiep. ut ad monaſterium accederet; ac ſi Rotrudem electam a meliori parte congregationis, & ſi fortaſſe minori, intelligeret, hæc abbatiſſa inſtitueretur; ſi vero omnis congregatio eam abjiceret, alia eligeretur, ex Flodoardo lib. 3. cap. 27. Prævaluit tandem Rotrudis electio, ad quam ſcripſit Hincmarus Rem. Vide Flod. loco laudato, & cap. 21.

VII. Ava, cui confirmat libertates abbatiæ S. Crucis Ludovicus II. Balbus dictus, diplomate quod habes in appendice, dato Turonis anno regni ſui primo, vide Mabill. tom. 3. Annal. pag. 212. C. XLI. col. 358.

VIII. Adalgana, *al.* Adalgardis præerat anno VI. Carlomanni regis, hoc eſt 884. ut patet ex regio ipſius diplomate quo monaſterium S. Crucis in ſuam recipit protectionem, eique factas donationes confirmat. Vide Beſlium hiſt. regum Aquit. pag. 40.

[a] D. Rapaillon canonicus S. Hilarii, unam ſtatuit Gerbergam an. 750. regnante Pipino rege; unamque itidem Hermengardem anno 774. At vero quantum ad primam, eadem eſſe videtur ac noſtra Gerberga tempore Pipini Aquitanorum regis, non Pipini patris Caroli magni. Hermengardis vero non alia videtur ab Hermengana ſeu Hermengarde, de qua paulo poſt.

Digitized by Google

IX. Hermengana ſeu Hermengardis, uti Mabillonius eam vocat Annal. tom. 3. pag. 656. Gaufridum, cognominatum *Griſegonelle*, Andegavenſem comitem anno circiter 985. ſui monaſterii advocatum elegit, ipſi ad hoc quibuſdam dominiis conceſſis, quæ in litteris hujuſce electionis exprimuntur.

X. Petronilla tempore Agnetis a Burgundia comitiſſæ Pictav. hoc eſt anno circiter 1040. Vivebat etiam ſub Iſemberto epiſc. Pictav. *Boſſy 326. 2. Alphab.*

XI. Adelaïs ab Urbano II. bullam protectionis accepit, datam Beneventi per manum Johannis S. R. E. diaconi cardinalis, IV. cal. Apr. an. Dom. Incarn. 1091. pontific. Urbani anno quarto.

XII. Sibilla dedit an. 1104. monialibus Fontis-ebraldi, medietatem in Silva de Born, per manum Herſendis prioriſſæ, ex chartario Fontis-ebraldi, in cujus necrologio Sibilla conſignatur IV. idus Oct.

XIII. Beliardis 1108. ex veteri inſcriptione ſuper pilam eccleſiæ S. Radegundis, quam non referemus; quia ex ipſa nihil eruere licuit, niſi hujus abbatiſſæ nomen.

XIV. Ænordis I. quæ & Anna, memoratur abbatiſſa an. 1119.

XV. Sara I. ante annum 1157. mortua, ut pote cujus fit mentio in rotulo Calonis epiſc. Pictav. Hæc ipſa eſt quæ coram Aimerico ſedis apoſtolicæ legato conqueſta eſt de Giſleberto Porretano Pictav. epiſcopo, quod per eum ſibi non liceret priorem ſeu decanum S. Radegundis, ut ipſa loquitur, inthroniſare. Editæ ſunt ea de re ab Aimerico litteræ in concilio Pictav. aſſenſu Gaufridi Burdigal. Lamberti Engoliſm. & Bernardi Santonenſis præſulum; iiſque jam præiverant litteræ Bernardi Claræ-vall. & Macarii Floriac. abbatum.

XVI. Hermelinda 1164. Obiit 1167.

XVII. Sara II. 1167.

XVIII. Ænordis II. ſedebat annis 1194. & 1198.

XIX. Petronilla II. 1207. moritur 1216.

XX. Euphemia 1216. & 1230. Deceſſit an. 1237.

XXI. Agnes II. 1237. & 1240.

XXII. Hilaria, quam & prioriſſam de Jarcq Sammarthani dicunt, erat abbatiſſa annis 1251. & 1255. Memoratur his verbis in necrologio SS. Trinitatis: *Obiit venerabilis Hilaria Chriſto ſacrata cœnobii ſanctæ Trinitatis, & abbatiſſa S. Crucis, IX. cal. Maii.*

XXIII. Johanna I. de la Vergne ex nobili & antiqua in Pictonibus orta progenie, reperitur abbatiſſa annis 1263. 1267. 1270. 1273. & 1284.

XXIV. Iſabellis de Marmande eligitur hoc an. 1284. ſeditque ad annum 1329.

XXV. Margarita I. Guenette, *al.* Quenelle ab an. 1329. ad 1342.

XXVI. Margarita II. * alia a priori ut probat diverſum ejus cognomen, quod tamen varie torquetur 1354. 62. & 1370. * Fargnier, Fargenere, de Rivallo, du Rivot.

XXVII. Galliena de Pogeto, *du Pouget*, electa 1371. memoratur annis 1374. 76. 86. & 89. Erat etiam abbatiſſa Arelatenſis an. 1396. fortaſſe ex permutatione cum ſequenti.

XXVIII. Maria du Croux, *al.* du Cros, ex abbatiſſa S. Cæſarii Arelat. fit abbatiſſa S. Crucis ab anno 1391. ad 1415.

XXIX. Johanna II. d'Arfueille, *al.* d'Orfeille ab an. 1416. ad 1423.

XXX. Raimunda du Peyrat, *al.* de Perat 1424. 32. & 54.

XXXI. Iſabellis de Couhé 1456. 79. & 81.

XXXII. Anna III. d'Orleans *Ludovici XII. Francorum regis ſoror*, ex D. Claud. Eſtiennot qui eam vocat Annam; alii Agnetem; nominatur abbatiſſa S. Crucis ſimul & Font-ebraldi an. 1485. Reperitur autem ad annum uſque 1491.

XXXIII. Johanna III. de Couhé, filia Johannis equitis fratris Iſabellis, qui mortuus an. 1494. in eccleſia S. Crucis ſepelitur, electa fuit abbatiſſa an. 1491. Occurrit autem annis 1493. 99. 1507. & 1511. quo anno deceſſit.

XXXIV. Maria Berland ſedi abbatiali impoſita an. 1511. ab ea dejicitur eo quod ipſa mores, vivendi modum, imo & veſtem congregationis Font-ebraldenſis in ſuum S. Crucis parthenonem inducere detrectaret. Idem eademque de cauſa contigit Mariæ d'Amboiſe abbatiſſæ SS. Trinit. Pict. at ipſam paulo poſt reſtituere loco ſanctimoniales, excuſſis habitu & inſtituto Fontis-ebraldi. Quid autem egerint S. Crucis alumnæ nullibi legimus; idque unum ſcimus ex teſtimonio noſtri D. Claud. Eſtiennot, Iſabellam de Beauveau annis aliquot curam egiſſe monaſterii dum ab ipſo exularet Maria Berland apud Fontem-ebraldum, defuncta anno 1532.

XXXV. Ludovica de Bourbon per obitum Mariæ Berland XVII. cal. Maii 1533. providetur de abbatia S. Crucis Pictav. quæ facta Fontis-ebraldi abbatiſſa ceſſit Pictav. abbatiam Magdalenæ de Bourbon Fontis-ebraldi moniali, retenta ſibi penſione, charta data 3. Novembris 1534.

XXXVI. Magdalena de Bourbon, Caroli ducis Vindocinenſis regiæ proſapiæ principis, & Franciſcæ Alençoniæ filia, naſcitur 3. Febr. 1520. Religionem vovit apud Font-ebraldum ſub Renata Borbonia 17. Aprilis 1533. & ex prioriſſa de Prulliano ordinis S. Dominici in Occitania, nominatur S. Crucis abbatiſſa; quæ ſane reperitur in chartis authenticis regiæ bibliothecæ anno 1538. die 4. Septembris, 1544. 1546. & 1561. 18. Nov. Soror fuit Antonii Navarræ regis Henrici-magni parentis, Caroli cardinalis Borbonii, Ludovici principis Condæi, necnon Catharinæ Borboniæ abbatiſſæ Sueſſion. Renatæ Calenſis, & Eleonoræ Fontis-ebraldi.

XXXVII. Johanna IV. de Bourbon Ludovici Montis-penſerii * & Jaquelinæ de Longovico filia, ſedebat an. 1570. 20. Auguſti, qua die profeſſionem excepit alterius Johannæ de Bourbon, abbatiſſæ poſtmodum Regulæ, ac demum SS. Trinitatis Pictav. Inde Jotri abbatiſſa, ubi deceſſit 6. Martii 1624. ætatis 82. *Sammarth. * al.* Johannis vicecomitis de Lavedan & Johannæ de Silly, ſoror vero Ludovicæ Fontis-ebraldi abbatiſſæ. *Eſtiennot.*

XXXVIII. Carlota-Flandrina de Naſſau filia Guillelmi Naſſawii principis Arauſicani & Carlotæ Borboniæ, quartæ ejus uxoris ſororis Johannæ, cujus fuerat coadjutrix, ætatis ſuæ an. 26. ex prioriſſa de Prulliano, facta abbatiſſa. Fundavit parthenonem ſub titulo S. Crucis apud Olonenſe

oppidum, procuratione ad hoc data illuſtriſſimæ dominæ Catharinæ de la Trimouille ſuæ coadjutrici, die 19. Nov. an. 1631. Moritur Pictavii 10. Aprilis 1640. Claudius Allard presbyter & cantor canonicuſque Lavallenſis, laudes ejus celebravit, edito libro an. 1653. Pictavii, ſub hoc titulo: *Le miroir des Ames religieuſes, en la vie*, &c. ex quo hæc exſcripſimus: Carola Flandrina de Naſſau lucem vidit 18. Auguſti 1578. Nomine Flandriæ fœderatæ in baptiſmo ſuſcepta, Flandrinæ nomen accepit. In hæreſi nata, ad monaſterium Paracliti diœceſis Ambianenſis, a Magdalena de Longuy abbatiſſa, educanda deducitur an. 1580. Seceſſit in monaſterium Jotrenſe 15. Oct. 1586. ſub moderamine piæ abbatiſſæ Johannæ de Borbonio. Paullo poſt traducitur in cœnobium ſanctæ Crucis Pictav. ubi a piiſſimo S. Hilarii de Cella abbate catholicam fidem edocta, abjurat hæreſim, & ad ſacram ſynaxim accedit die 15. Aug. 1588. ſacrum velum accepit die Dominica 19. Septemb. 1590. profeſſionem emiſit 21. Nov. 1593. creatur prioriſſa major S. Crucis: majorem prioratum Jotrenſis abbatiæ recuſat. Abbatiſſa jam facta benedicitur 25. Julii 1605. ædificavit monaſterium Benedictinarum *des Sables d'Olonne*, maximis ſumtibus.

XXXIX. Catharina de la Tremoille, quæ Gilbertum marchionem de Royan majorem Pictonum ſeneſcallum, equitem torquatum & Annam Huraltam parentes habuit, ex ſuperioris coadjutrice anno 1622. ætatis ſuæ vigeſimo tertio, fit abbatiſſa 1640. Benedicitur Burgolii in æde monaſterii S. Petri a Leonorio d Eſtampes de Valançay archiepiſcopo & duce Remenſi 1649. 14. Septembris. Diem ſuum obiit menſis Aprilis ſeptima 1650.

XL. Diana Franciſca d'Albret, Henrici d'Albret comitis de Mioſſens, domini de Pontibus, ex Anna de Gondrin de Monteſpan * filia, prius monialis S. Mariæ Santonenſis, ad abbatiam S. Crucis nominatur a rege Ludovico XIV. an. 1650. die 3. Maii. Biennio poſt Carolæ Flandrinæ de Naſſau tumulum erexit. Ipſa vero e vivis exceſſit menſe Sept. vel Octobri an. 1680.

* *al.* de Pardaillan.

XLI. Carola-Franciſca Radegundis de Montaut Benac de Navailles, filia Philippi ducis de Navailles, a Rege deſignatur abbatiſſa menſe Nov. ejuſdem anni. Benedicitur an. 1683. 2. Julii ab archiepiſcopo Pariſienſi; dies abſolvit 12. Febr. 1696.

XLII. Franciſca de Laval ſoror duciſſæ de Roquelaure eodem anno menſe Aprili renuntiatur abbatiſſa.

SS. TRINITAS PICTAVIENSIS.

NObilis hæc abbatia feminarum ord. S. Bened. conditur an. circiter 936. ab Adela Anglica uxore Eblonis II. comitis Pictav. & Aquitanorum ducis, matre Guillelmi, *Caput-ſtupæ* cognominati, ex quo ceteri comites uſque ad Eleonoram prodiere. Calendarium vetus cœnobii SS. Trinitatis de ea ſic habet: *x. cal. Novemb. obiit Adela comitiſſa, uxor Eblonis comitis, & mater Guillelmi comitis qui cognominatur Caput-ſtupæ: etenim ipſa in Pictavis civitate, Deo auxiliante unam baſilicam in honore ſanctæ & individuæ Trinitatis ædificavit: norma virginum ſacrarum in Chriſti nomine claruit, cujus anima & omnium defunctorum requieſcat in pace.* Vivebat adhuc pia comitiſſa an. 962. quo ad ipſius preces Lotharius Francorum rex quandam abbatiam, quæ olim monaſterium puellare S. Petri vocatum, ob puellas ibi deſervientes, poſtea canonicis ceſſerat, inſtauratum, cœnobio SS. Trinitatis attribuit. Vide prob. hiſt. comitum Pictav. pag. 251. cujus auctor Johannes Beſſius in notis hujus chartæ numericis mendum ſuſpicatur. Quod vero ſpectat fundationis inſtrumentum, illud habes in appendice noſtra. C. XLIII. col. 360. & C. XLIV. col. 361.

SERIES ABBATISSARUM.

I. ADELA comitiſſa a quibuſdam prima dicitur abbatiſſa ſed parum certo fundamento. In ipſius anniverſario fit eleemoſyna unius vaccæ & viginti modiorum frumenti.

II. Amelia 950. Ejus obitus conſignatur in necrol. IV. nonas Aug.

III. Almordis vel Alynordis obiit ex necrol. die 26. Aug. *al.* VI. cal. Septemb.

IV. Adelma ſeu Adelina 970. obiit 28. Sept. *al.* 29. & 30.

V. Oda 978. obiit 29. Novemb.

VI. Viva circa annum 1000. Memoratur in necrologio die 14. Octob. *al.* die 15.

VII. Ermengardis 1038. ex chartul. S. Johan. Angeriac. vide Beſſium pag. 301.

VIII. Clementia an. 1102. commemoratur in necrologio V. idus Aug. & VII. cal. Decemb.

IX. Elizabeth 1119. quo anno privilegium obtinuit a Calixto II. datum Pictavii per manum Chyſogoni S. R. E. diaconi cardinalis ac bibliothecarii, V. cal. Septemb. ind. XII. pontificatus ejuſdem papæ anno 1. Ipſi quoque Guillelmus Aquitaniæ comes, precibus Ainordis conjugis ſuæ, prædia quædam conceſſit. Memoratur in rotulo Calonis Pict. epiſcopi; denique notatur in necrol. X. cal. Decemb. C. XLV. col. 362.

X. Almois I. pactum iniit anno 1121. cum Marco ſeu Marquerio abbate Monaſterii-novi ſuper litigioſis apud Villefolet, ex tabul. hujus monaſterii. Forte ipſa eſt Amoydis quæ notatur in necrol. XI. * cal. Nov. ubi legaſſe dicitur tria ſextaria frumenti pro ſuo anniverſario.

* *al.* 20. Octob.

XI. Petronilla I. occurrit 1144. & 1155. quo anno inveſtitur de Ballia in villa Samarviæ, per baculum aureum, ante majus altare eccleſiæ. Jam autem e vivis exceſſerat an. 1157. quo inter defunctas SS. Trinitatis abbatiſſas recenſetur in rotulo Calonis epiſcopi. Petronilla conſignatur in necrol. IV. nonas Martii & pridie idus Novembris; ſed cum duæ vel etiam tres hujus nominis abbatiſſæ fuerint, utra cuique dies conveniat, in dubio manet.

XII. Petronilla II. an. 1161. decimas de Novavilla a Gofrido de Arciaco, *d'Arci*, milite accepit. Tranſegit an. 1187. pro prioratu de Villefolet cum Jacobo miniſtro fratrum S. Johannis Jeroſolymitani in Pictavia, præſentibus Elia Burdiga-

Digitized by Google

lenſi præſule, Guillelmo Temperii epiſc. Pictav. Elia abbate Monaſterii-novi, B. de Nantolio, A. S. Maxentii, Guillelmo Cellæ ſeu de Cellis, Albo ſeu Blanco Pinus, Arnoldo S. Leodegarii & Giroio priore S. Hilarii de Cella.

XIII. Recta ſeu Reſta vel Recla 1188. Willelmo Pictav. antiſtite. Notatur in necrol. die 7. Auguſti.

XIV. Lucia pedum tenebat an. 1198. quippe hoc ipſo Innocentius papa III. ei bullam direxit datam Romæ III. cal. Junii indict. 1. pontificatus anno 1. qua monaſterii SS. Trinitatis privilegia confirmantur. Luciæ abbatiſſæ mentio habetur in necrologio VI. calend. Martii, *al.* 22. Februarii.

XV. Thomaſia vel Thomaſſia 1245. de qua necrologium ſic habet: *IV. nonas Aprilis obiit Thomaſſe humilis abbatiſſa SS. Trinitatis.*

XVI. Angeladis ſeu Engeladis 1252. 53. 54. & 55. cujus ita meminit necrologium: *XIII. cal. Maii obiit Engeladis abbatiſſa monacha in Chriſto.*

XVII. Theophania 1255. Notatur in necrologio die 25. Maii, *al.* V. cal. Junii.

XVIII. Petronilla III. 1257. & 1258.

XIX. Agnes I. de Gaillon 1269. & 1270. Obiit ex necrol. VI. nonas Martii.

XX. Johanna I. 1272.

XXI. Agnes II. de Bois-le-bon 1275. die Lunæ poſt Aſcenſionem Domini, & 1294. quo anno paciſcitur cum canonicis S. Petri puellarum. Obiit die Dominica poſt feſtum beati Dionyſii 1297. Notatur Agnes in necrol. die 14. Oct. quæ legavit 50. ſolidos pro ſuo anniverſario; & XI. cal. Aug. ſed alia videtur eſſe.

XXII. Franciſca I. *magnæ religionis, honeſtæ converſationis & vitæ*, e prioriſſa de Secondigny per compromiſſum eligitur abbatiſſa, Sabb. ante feſtum SS. Simonis & Judæ an. 1297. poſt obitum Agnetis de Boſco-le-bon defunctæ eodem anno die Dominica poſt feſtum S. Dionyſii & die ſequenti ſepulturæ traditæ. Conſignatur in necrol. die 10. cal. Maii, ubi dicitur *Franciſca le Blanc abbatiſſa SS. Trinitatis.*

XXIII. Johanna II. 1298.

XXIV. Maria I. Sauveigne 1299. de qua ſic habetur in necrol. *III. nonas Octobris obiit domina Maria Sauveigne abbatiſſa quæ dedit IX. francos & IX. albos.*

XXV. Almois II. 1312.

XXVI. Sibilla Sauveigne vel Sauvage anno 1315. Sabb. poſt *Invocavit me* benedictionis munus accepit ab Odone epiſcopo Helenenſi, ex licentia Fortii electi Pict. in remotis tunc agentis. Notatur in necrol. IV. cal. Sept.

XXVII. Matildis de Ste Maure eligitur abb. ex moniali Belli montis prope Turones, electioniſque decreto ſibi Turonis in camera Aliciæ Bellimontis abbatiſſæ ſignificato aſſenſum præbet die 27. Nov. 1332. An. ſeq. paciſcitur cum canonicis ſancti Petri puellarum, quo anno & inſequenti plura excepit hominia. Mahaudis nominatur anno 1345. die 15. Nov. in charta authentica regiæ biblioth.

XXVIII. Laurentia de Vezançay circa annum 1359. electa, præerat adhuc anno 1316.

XXIX. Marguarita Sauveigne 1364.

XXX. Maria II. Sauveigne eodem anno ac ſequenti reperitur abbatiſſa.

XXXI. Iſabella Trouſſelle, *Doucelle & Redoucelle*, alumna Fontis-ebraldi (inquit noſter Eſtiennot) cœnobii SS. Trinitatis Pictavienſis curam agebat 1368. & 1377. quo anno excepit hominium Guillelmi Iterii de Villa-Morini. Notatur in necrol. pridie cal. Junii.

XXXII. Soberana ſeu Superana de Chanac, de qua vide notas ad vitas paparum Avenion. pag. 1452. reperitur abbatiſſa die Lunæ poſt Aſcenſionem an. 1384. Conſcribi fecit & *compilari* volumen de cenſibus & redditibus monaſterii ſui an. 1385. ut notat præfatio, in qua nominatur *Religioſe & tres honeſte dame dame Sourayne de Chenac humble abbeſſe dudit Mouſtier.* Sedebat adhuc an. 1389. de qua necrologium ſic loquitur: *X. * cal. Decembris obiit domina Superana de Chanaco abbatiſſa, quæ legavit duo ſextaria frumenti pro faciendo feſtum XI. millium virginum.* Deceſſit autem an. 1391. 21. Novembris. * *al.* 23. Novemb.

XXXIII. Adelais Beſilla ſeu Alais Beyſle, *al.* de Vaſle vel Baſle, electa 1391. obiit VII. cal. Martii 1394. quo anno die 10. Martii facultatem eligendæ abbatiſſæ legimus datam a Nicolao vicario generali Ludovici epiſcopi Pictav.

XXXIV. Almodis III. *al.* Amata de Maillé præfuit ab an. 1394. ad annum 1407. quo defuncta eſt 17. Maii.

XXXV. Johanna III. de Cominges, filia Rogerii de Cominges militis, vicecomitis de Berniquello & Johannæ de Cominges, ex illuſtri Johannæ de Bolonia duciſſæ Bituricenſis ſanguine orta, annum agebat ætatis vigeſimum ſextum, eratque ſanctimonialis in Bituricenſi S. Laurentii parthenone, quando ei decretum poſtulationis ſeu electionis de ipſa factæ in abbatiſſam SS. Trinitatis Pictav. exhibitum eſt die 13. Junii 1407. At quia tunc erat ſchiſma in Eccleſia, nec ullum Gallia vicarium Chriſti agnoſcebat, ejus electio non a ſummo pontifice confirmata fuit, ſed a concilio Eccleſiæ Gallicanæ & Delphinatus Viennenſis Pariſiis congregato, juſſu Regis, ad procurandam Eccleſiæ pacem, die 6. Novembris an. 1408. Alibi tamen dicitur electa die 9. Maii an. 1409. indict. 2. fortaſſe pro altera vice. Ut ut eſt, munus benedictionis accepit hoc ipſo anno die 24. Junii a Guillelmo Thuinenſi epiſcopo, *al.* Elnenſi, de licentia Bituricenſis archiepiſcopi & Gerardi Pictavienſis præſulis. Contulit anno 1427. die 24. Decemb. canonicatum in eccleſia S. Petri puellarum. Litteras protectionis obtinuit pro ſuo monaſterio an. 1438. a Carolo filio Siciliæ regis, comite Cenomanenſi & Moritonii. Appellatur Johanna de Clermont an. 1445. die 18. Martii in charta authentica regiæ bibliothecæ. Rexit monaſterium uſque ad annum 1470. quo ceſſit in gratiam ſequentis. Obiit paulo poſt anno ætatis ſuæ 92. regiminis 60. Notatur in necrologio die 13. Febr. quo donavit pro anniverſario ſuo centum quinque libras, ex quibus capſa quædam (*f.* reliquiarum) fuit reparata.

Digitized by Google

XXXVI. Ludovica de Blanchefort Lemovic. A monaſterii de Regula ſanctimonialis, cedente Johanna de Cominges, præmiſſoque vitæ ipſius ac morum juridico examine per Petrum de Calvomonte doctorem in decretis & abbatem S. Cypriani, de mandato Pauli II. papæ, facto die 25. Octobris an. 1470. fit abbatiſſa uſque ad annum 1484. quo mortem oppetiit die Jovis 13. Jan. melius fortaſſe 14. Alibi tamen notatur 16. Febr. vel etiam 18.

XXXVII. Anna de Prie ex prioriſſa Firmitatis in agro Nivernenſi eligitur abbatiſſa SS. Trinitatis die 19. menſis Januarii 1484. quo anno a vicariis generalibus epiſcopi Pictav. confirmatur. Exſtat in hoc monaſterio breviarium ejus cura eleganter ſcriptum. Obiit die 26. Julii an. 1500. *al.* v. cal. Aug.

XXXVIII. Maria III. d'Amboiſe, filia Johannis domini de Buſſy & Johannæ *al.* Catharinæ de S. Belin. ſoror Georgii cardinalis archiep. Rotomag. ex moniali Piſciacenſis monaſterii, annos quindecim nata poſtulatur abbatiſſa SS. Trinitatis anno 1500. bullas accepit eodem anno XVII. cal. Septemb. pontificatus Alexandri VI. octavo, quibus tamen cautum erat ne regere poſſet, niſi cum annum ætatis vigeſimum attigiſſet. Interea vero Johanna de Rochedragon a quatuor aut quinque factioſis monialibus ipſius conſanguineis electa eſt in abbatiſſam, ſed electio Mariæ prævaluit auctoritate regis Ludovici XII. Ipſa igitur, ut erat diſciplinæ regularis ſtudioſiſſima, clauſuram inſtituit, omneſque prioratus a ſuo monaſterio pendentes uniri menſæ conventuali ſategit. Nominatur anno 1533. 8. Julii in charta authentica regiæ bibliothecæ. Cumque annos 49. in clauſtro exegiſſet, obiit die 8. Febr. an. 1537. ætatis 53. de qua ſic habet necrologium: *VI. idus Februarii obiit bonæ memoriæ domina Maria d'Amboiſe, ſpeculum totius religionis, abbatiſſa SS. Trinitatis, ſub qua reformatum eſt hoc venerabile monaſterium, & omnia loca adaptavit reformationi. Requieſcat in pace Amen.*

XXXIX. Johanna IV. de Clermont de Gallerande, neptis Mariæ ex Renata ſorore, conjuge Ludovici domini de Gallerande, annos 15. nata profeſſionem emiſit in monaſterio SS. Trinitatis die 20. Januarii anni 1537. ſtatimque Maria d'Amboiſe in ejus gratiam cedente, bullas accepit a Paulo III. datas apud Oſtiam XVII. cal. Aprilis ejuſdem anni. Interim Maria defuncta, & 9. Febr. tradita ſepulturæ, eligitur a conventu die 16. Februar. Delfina de Neuville; ſed prævalente Regis auctoritate Johanna de Clermont in ſua dignitate confirmatur, & Delfina in Trecenſe S. Mariæ virginis monaſterium die 27. Nov. 1539. transfertur. Jure tamen ſuo non ceſſit Delfina niſi anno 1548. & ſub penſione octoginta ſcutorum. Ceterum Johanna benedictionem accepit a fratre Johanne Maſſon Ebronenſi epiſcopo an. 1539. atque an. 1547. ob peſtem graſſantem cum ſuo conventu apud Niolium ſeceſſit. Denique poſtquam multa præclare geſſit, clauſtra & ædificia regularia inſtauravit, defuncta eſt die 15. Septembr. * an. 1586. in choro ſepulta cum hoc epitaphio: *Cy giſt reverende dame madame Jeanne de Clermont d'Amboiſe abbeſſe de ce monaſtere ..... trepaſſa le XV..... MC..... LXXXVI.....* Tum vero Catharina de Bourbon jam abbatiſſa B. M. Sueſſionenſis, eligitur a conventu SS. Trinitatis in abbatiſſam 19. Octob. ſed ipſa tranſtulit hanc dignitatem nepti ſuæ Franciſcæ de Rohan; ſcripſitque ad conventum, ut eam gratam haberet, die 6. Nov. an. 1586.

XL. Franciſca II. de Rohan, Franciſci domini de Gié & du Vergier Britanniæ (minoris) progubernatoris & Catharinæ de Silly filia, in Pictav. S. Crucis monaſterio vitam religioſam profeſſa, indeque tranſlata in Font-ebraldenſe, ubi prioriſſæ officium exercebat, aſſumitur in abbatiſſam SS. Trinitatis an. 1587. quam abbatiam poſt annos quinque permutavit cum Regula Lemovicenſi, de utraque non bene merita.

XLI. Johanna V. de Bourbon de Lavedan, nata Johannis Borbonii vicecomitis Levitanenſis, baronis de Malauſe ex Franciſca de Silly, ſoror Ludovicæ abbatiſſæ Font-ebraldenſis, ex moniali S. Crucis Pictav. cœnobii in Lemovicenſe Regulæ traducitur, cujus deinde abbatiſſa evaſit, ac poſtmodum SS. Trinitatis Pictav. ex permutatione facta cum præcedenti, quam Clemens VIII. anno 1594. IV. calend. Novembris approbavit. Anno ſeq. die Dominica 22. menſis Octobris Godefridus de S. Belin Pictav. epiſcopus ei munus benedictionis impendit, quæ deinceps ſumma cum laude præfuit uſque ad annum 1598. quo, die 18. Febr. ceſſit in gratiam ſequentis. Obiit anno 1610. idibus Martiis, qua die notatur in necrologio in hunc modum: *Hac ipſa die anno 1610. feliciter obdormivit in Domino domina Johanna de Borbonio monaſterii SS. Trinitatis abbatiſſa reverendiſſima, quæ collapſam in eo clauſuræ & diſciplinæ regularis obſervantiam ferventi zelo & exemplo ex integro reſtituit, illius æs alienum ſolvit, ruinas inſtauravit, & cum pietate cenſus auxit. Requieſcat in pace Amen.*

XLII. Johanna VI. Guiſchard de Bourbon, neptis Johannæ ex ſorore Maria, uxore Johannis Guichardi domini de Peré in Vindocinenſi pago, regulam S. Benedicti in cœnobio SS. Trinitatis die 19. Oct. anni 1597. profeſſa, ſequenti anno amita cedente, bulliſque obtentis VIII. idus Maii, *al.* Martii ejuſdem anni a Clemente papa VIII. abbatiæ poſſeſſionem adepta eſt die 4. menſis Junii 1599. *al.* 20. Octob. 1600. * Benedictionis vero munus accepit a Godefrido de S. Belin die Dominica 14. Jan. anni 1601. Ceterum quanto zelo ac pietate monaſterium adminiſtraverit, probant exacta regulæ S. Benedicti obſervantia quam reſtituit, numerus monialium duplicatus, & variorum fundatio cœnobiorum, puta Baugeenſis an. 1620. Niortenſis & Rotonenſis 1629. in quibus primariam regulæ diſciplinam inſtituit; Lavallenſis an. 1621. Doratenſis 1624. * & Vitreenſis an. 1625. cum mitigatione pro infirmis. Denique ut firma ſemper & inconcuſſa in illis monaſteriis regulæ obſervantia permaneret, obtinuit a rege * Chriſtianiſſimo ut abbatiſſa ſingulis trien-

* *al.* Octob.

* *Eſtimat.*

* Hujus inſtitutio litteris regiis approbatur an. 1648.

* a Diploma regis Ludovici XIII. datum eſt apud S. Germanum in Laya menſe Martio anni 1621. regni ejus undecimo, & commentariis ſupremi conſilii regii inſertum 7. Apr. ejuſdem anni.

Digitized by Google

niis eligeretur ; quam ut viam ſterneret, ipſamet A ante obitum ceſſit, atque in manibus recenter electæ profeſſionem ſuam renovavit. Obiit die 13. Febr. an. 1631. ſepultaque fuit in choro, cum amplo epitaphio.

An. 1618. electa fuerat in coadjutricem Franciſca de Matignon, ſed biennio poſt cedere coacta eſt ; quando videlicet Rex indulſit ut in poſterum triennales eſſent abbatiſſæ.

XLIII. Prima ex abbatiſſis triennalibus fuit electa Ambroſia de Buart du Teil ex prioriſſa anno 1631. quæ biennio poſt defuncta die 22. Apr. B jacet in choro.

XLIV. Catharina Erreau de S.te Fare in abbatiſſam triennalem electa bullas accepit die 28. Aug. 1633. Interea vero Ludovica de Cardaillac de la Capelle-Marival cui ſorores quatuordecim favebant, a Rege deſignatur abbatiſſa die 15. Aprilis ejuſdem anni. Hinc æmulationes ac diſſentiones, quæ non exſtinctæ ſunt niſi anno ſequenti, quo utraque cedente, unitoque monaſterio ſanctiſſimæ Calvarii congregationi, prioriſſam ſeu abbatiſſam inſtituit Henricus Ludovicus Chaſteigner de la Rochepozay epiſcopus Pictav. Mariam Michel a S. Spiritu dictam, e Pariſienſi conventu, cujus C erat prioriſſa, illuc tranſmiſſam.

XLV. Maria IV. Michel a ſancto Spiritu nuncupata poſſeſſionem domus accepit anno 1634. obiit ſuperior generalis.

XLVI. Helena le Large a Nativitate dicta, comes adjuncta Mariæ Michel, in ejus locum ſufficitur die 25. Martii an. 1635.

XLVII. Catharina Erreau de S.te Fare eligitur an. 1638. die 1. Junii.

XLVIII. Hilaria Dalogny a S. Cruce, *al.* a S. Bartholomæo, 1644. * Obiit abbatiſſa 1649.

* *al.* dicitur electa 1645. menſe Septemb.

D

XLIX. Maria V. le Moyne ab Angelis dicta 1649. *

* *al.* dicitur electa 27. Julii 1647.

L. Maria VI. Meſnard a S. Joſepho nominatur die 5. Novembris.

LI. Catharina Erreau a ſancta Fara tertio eligitur die 9. Septembr. 1659. Obiit in hoc monaſterio v. nonas Julii an. 1675. poſtquam variis monaſteriis ſumma cum laude, puta Quimperlegienſi per ſex annos, & Pariſienſi in ſuburbio S. Germani per totidem annos præfuiſſet.

LII. Franciſca III. de Perefixe a Paſſione dicta eligitur die 9. Septemb. 1662.

LIII. Gabrielis de Savonieres de la Troche ab E Annuntiatione nuncupata, die 30. Sept. 1668. Obiit ſuæ congregationis præpoſita generalis.

LIV. Renata-Maria du Bois a S. Anna die 23. Octob. 1674.

LV. Johanna-Maria de Kerſalion du Recho a S. Benedicto 1680.

LVI. Magdalena de Rieux a Paſſione dicta, 1686. Obiit Pariſiis non ſine fama ſanctitatis an. 1696.

LVII. Anna-Maria Charette de la Gacherie, a Præſentatione dicta 1692.

LVIII. Renata-Maria du Bois a S. Anna iterum 1695. obiit abbatiſſa 1697.

LIX. Antonia Herard de Braincſan a S. Scholaſtica 1697.

LX. Anna du Plantis du Landreau 1704. ad annum ſaltem 1708.

FONS-EBRALDI. Fontevraud

FONS-EBRALDI [a] nobile eſt virginum archi- a
cœnobium ſecundum regulam S. Benedicti militantium, Ordinis caput, celeberrimæ religionis titulo inclytum ; quod Sugerius *Ebraldi*, uti & Robertus de Monte, Hildebertus, & ſanctus Bernardus *Everardi*, & Johannes Pariſienſis *Euvrardi-Fontem* appellant. Ejus fundationem notat chronicum Turonenſe his verbis : *Anno Dom. M. C. Philippi regis 40. concilium Pictavis celebratur : nec multo poſt abbatia Fontis-ebraldi in Pictavienſi diœceſi fabricatur. Primus autem ejus conditor exſtitit Robertus de Arbriſello, qui & monialibus vitæ religioſæ leges in duos hodie diſtributas libros præſcripſit.* Unde & Guillelmus Neubrigenſis lib. 1. Rerum Anglicarum c. 15. *Robertus* (inquit) *de Arbruſculo cognominatus, famoſiſſimum illud monaſterium de Fonte-ebraudi conſtruxit, & regularibus diſciplinis informavit.* Conditur abbatia in diœceſi Pictavienſi, & confinio Turonenſi ac Andegavenſi, fundo collato ad conſtruendam eccleſiam ab Aremburgi & Adelaïde ejus filia, uti patet ex ſequenti charta majoris tabularii Font-ebraldenſis:

Ego Adelaïdis cognomento Rivaria, filia Widonis, Oſmundi filii, notum volo fieri omnibus, quod dono domino Roberto de Arbreſello, & conventui mulierum religioſarum, quas aggregavit ad vallem Fontis-euvraldi, ad ædificandam eccleſiam in honorem beatæ ſemper virginis Mariæ. Hæc vallis data ſic terminatur ; ex uno latere eſt terra Berlaii, & ex alio via publica uſque ad ſecundum molendinum ipſius vallis. Huic eccleſiæ damus terram quatuor bobus excolendam duobus temporibus, & duos junctas terræ ante domum hoſpitariam. Hoc fecimus conſilio & conceſſione dominorum terræ, ſcilicet Gaufridi Maumonii, & Giſleberti de Lauſduno, ſub audientia & teſtimonio proborum virorum, ſcilicet Gauterii de Monte-Sorelli, Aimerici de Bernezay, Ugonis filii Gregorii, Ivetus de Seſſiniaco. Dotata eſt etiam in primordio fundationis a Berlayo domino Monſterioli, a Gauterio toparcha de Monte-Sorello, ab Eremburgi comitiſſa, ab utroque Fulcone Andegavenſi, a comitibus Britanniæ, regibus Angliæ qui mauſoleo in baſilica conditi ſunt, Francorum quoque regibus donis ampliata, pontificum denique privilegiis ampliſſime condecorata fuit. Porro fundatio hæc facta eſt nutu & auctoritate Petri Pictavienſis epiſcopi, Roberto de Arbriſſello amicitia conjunctiſſimi, quod conſtat ſequenti reſcripto :

Ego Petrus Dei gratia Pictav. epiſcopus. Notum facio omnibus tam præſentibus quam futuris, quod in noſtro tempore, quidam vir apoſtolicus nomine Robertus de Herbreſſello, verbo divinæ prædicationis ſagaciter invigilans, & tonitruo ſanctæ exhortationis, plures tam viros, quam mulieres, a ſæculari luxu revocans, in noſtra diœceſi eccleſiam

a Cœnobium cognomine haud procul Damaſco commemorat Matthæus Paris an. 1204. pag. 211. editionis anni 1640.

quandam in honore S. Mariæ virginis fundavit, in loco qui Fons-ebraudi vocatur; quem locum Arenburgis, uxor Widonis filii Oſmundi, & Rivaria filia ejus, ad ædificandam prædictam eccleſiam ſibi dederunt, adjicientes terram quatuor bobus excolendam in duobus temporibus: ipſe vero in prædicta eccleſia plures congregavit mulieres, quas ſanctimoniales conſtituit ut ibi regulariter viverent: & mundanis voluptatibus abrenuntiantes, ſoli Deo deſervirent. Non multo vero poſt tempore, ego dominum Paſchalem apoſtolicum adiens, ab eo impetravi quod prædictam eccleſiam ſuo privilegio munivit *, *ut ibi ſemper ſanctimoniales eſſent, apoſtolica auctoritate firmavit. Ego quoque auctoritatem Paſchalis papæ ſequutus, vice a Deo mihi conceſſa idem confirmo, ut nulli perſonæ liceat regulam ſanctimonialium in illa eccleſia deſtruere, vel mutare, neque ipſas ſanctimoniales inquietare, vel perturbare, neque de rebus, quas juſte poſſident, aliquid auferre, vel minuere, ſed quidquid iis juſte datum, ſive debitum, in perpetuum quiete poſſideant, & ſi quis aliquomodo contra privilegium apoſtolicum, & noſtrum præceptum facere præſumpſerit, perpetuæ maledictionis gladio feriatur, & illius machinatio irrita deficiat. Hoc autem factum eſt ex conſenſu venerabilium fratrum noſtrorum Pictav. matris eccleſiæ canonicorum: quod ut firmum permaneret, manu propria ſignavimus, & aliis ſignandum tradidimus. Signum Petri epiſcopi: Sig. Aymerici decani: Sig. Willelmi archidiaconi: Sig. Arvei archidiac. Sig. Petri archidiac. Sig. Willelmi magiſtri ſcholarum: Sig. Raginaldi* * *ſubdec. Sig. Rainerii capicerii: S. canonicorum. Tradita Pictavi in capitulo, anno ab Incarnatione Domini M. C. VI. ind. XIV. epacta XIV. papa Paſchali, Philippo rege Francorum, Petro epiſcopo Pictavorum, Willelmo duce Aquitanorum.* Ceterum præfati cœnobii & ordinis Fontis-ebraldi exordium aſſignat chronicum Malleacenſe ad an. Chriſti 1100. cum ait: *Eodem anno Robertus magiſter cœpit dignoſci apud nos, & incœpit locum Fontis-evraldi ædificare, & fratres & monachos adunare in pluribus locis, qui ſub diſciplina ſua religioſe vivunt, & tenent ordinem eo vivente & mortuo apud Tucum, apud Podiam, Calfurnium, Raretum, Girundia, Logias, Landam, Aurelianis, Villamſalem, Urſinia, Brierias.* Aliter vita S. Bernardi abbatis de Tironio lib. 3. cap. 17. de hac fundatione loquitur: *Robertus de Arbrexello, de quo ſupra mentionem fecimus, vir aptus ad animas lucrandas, & ad verbum Dei prædicandum, cœnobium quod Fons-ebraudi dicitur in confinio ſoli Andegaviæ, Turoniæ & Pictaviæ, anno Domini M. C. VI. ædificare cœpit, & ſanctimoniales feminas ſub arctiſſima regula ibidem congregans, Petronillam abbatiſſam præfecit; qua defuncta, ei ſucceſſit in regimine ejuſdem monaſterii, Matildis ſoror Gaufridi Andegaviæ comitis,* &c. Conſulendi quoque Guillelmus Malmesburienſis lib. 4. de rebus Anglicis, Robertus de Monte in tractatu de abbatibus & abbatiis Normanniæ cap. 4. & Baldricus Dolenſis antiſtes in vita Roberti. Nobilitatur hæc domus baſilica inſigni opere conſtructa, & regularibus ædificiis ampliſſimis quæ aliquando trecentas puellas ſub Chriſti obſequio continuiſſe memorant membranæ. Antiquitus *confraternitates* habuit cum abbatiis Cluniacenſi, Vindocinenſi, & eccleſiis S. Laudi, & S. Maurilii Andeg. A pontificibus denique maximis viginti quinque, pluribus epiſcopis, regibus & principibus dotata eſt ac privilegiis & libertatibus decorata; quæ prolixitatis cauſa recenſere omittimus. Hiſtoriam vero totius ordinis & abbatiſſarum (quas inter memorantur quatuordecim principes feminæ, & in iis quinque ex regia ſtirpe Borbonia) contexuit Honoratus Nicquetus Soc. Jeſu presbyter, ex quo aliiſve auctoribus, & pluribus tabulis ac membranis magni chartarii & martyrologii Fontebraldenſis ſequentem ſeriem hoc ordine deſcripſimus, dehinc autem ſequetur prioriſſarum indiculus, quarum tamen omnium agmen ducet Herſendis prima prioriſſa antequam hic parthenon in abbatiam evaſiſſet.

* Ann. 1106. & 1113.

* omiſſus eſt in ſubdecanorum ſerie.

Prima cœnobii moderatrix, ſolo prioriſſæ titulo inſignita.

HERSENDIS DE CHAMPAGNE, Pagani de Campania militis filia, ſoror autem Huberti ex nobilibus Campaniæ: fatis functo Guillelmo ſeniore toparcha de Monte-Sorelli marito circa an. 1101. ſeculi pertæſa, & religionis amore ſuccenſa, Roberto prædicanti & ordinis Fontis-ebraldi fundamenta jacienti, lubens ejus regimini ſe ſubjecit; teſtis idem Baldricus, cum ait: *Spreta ſua, qua prælucebat nobilitate, choris feminarum adhæſerat, imo prior converſa fuerat, magnæ religionis, & magni pariter conſilii fuerat.* Regulis ac diſciplina novæ congregationis apprime inſtituta, in primam prioriſſam deligitur ab ipſo Roberto Arbrecellenſi anno Dom. 1104. quod munus eo vivente ſumma laude exercuit, ut palam eſt ex plurimis chartis, quibus cum Petronilla ſubſcribit, in primis placito cuidam cum Sybilla S. Crucis abbatiſſa, eodem anno, menſe Oct. pro ſylva de Borno. Sub ejus ſapienti moderamine ſanctimoniales apud Fontebraldum magna religionis devotione Deo famulabantur. Reperitur autem ejus nomen in tabulis Gauterii de Clichone, & Goffridi de Brioleto domini terræ Vitreariæ, tum etiam in alia Britannorum comitis, & Ermengardis uxoris, pro immunitate hominum Fontis-ebraldi, qui ex Britannico, & Nannetico conſulatu ad hoc monaſterium iter habebant. Magna porro contulit ad exædificationem monaſterii ſui inſignis hæc prioriſſa, quæ nullis pepercit laboribus in conſtruendis baſilica, clauſtro, ceteriſque cellulis: demum coadjutrix in ſancta religione inſtitutoris Roberti, ex hac vita ad meliorem tranſmigravit pridie calend. Dec. ut habent martyrologia an. 1109. ſepelitur in monaſterio, teſte Arbreſellenſi, uti innuit Baldricus in ejus vita, ſic loquens: *ibi jacet Herſendis monacha, bona coadjutrix mea, cujus conſilio & opere conſtruxi Fontis-ebraldi ædificia.*

ABBATISSARUM HISTORIA.

I. PETRONILLA DE CHEMILLE* Fontebraldenſis monaſterii, totiuſque ordinis caput, & prima abbatiſſa, Burcardo & Texcelinia

* Vir clar. D. Fleury appellat illam *Petronille de Craon de Chemillé*, tom. 14. hiſt. pag. 212.

parentibus

Digitized by Google

parentibus erat prognata, quam nonnulli oriundam ex proceribus de Camilliaco in Andegavenſi tractu dubitant; & utrum paternum genus, an vero conjugium inde tantum ſortita fuerit, non ita certo aſſeritur. Fuiſſe conjugatam priuſquam abbatialem curam adipiſceretur, oſtendunt verba hæc vitæ Roberti, auctore Baldrico, quam Petronillæ dedicavit: *Egreſſa es de penatibus tuis, lares paternos aufugiſti, ſeductorias carnis illecebras quæ tibi blandiebantur abhorruiſti, & ad Fontem-evraldi veniſti, ubi fontem uberem, fontem prædicationis, fontem religionis inveniſti, & hauſiſti, dominum videlicet Robertum noſtris temporibus ſingularem ſeminiverbium, doctorem illuſtrem & eximium, verbis & operibus admirandum, virum extollendum, & imitandum. Hic aliquando ſorores inter demorata, & in ſancta converſatione erudita, populum tuum & domum patris tui oblita, prævio Spiritu ſancto, domino cooperante Roberto, in abbatiſſam promota es, quamvis thalamorum inquietudini prius deſerviiſſes. Inaltavit igitur Deus in ſolium excelſum te, & genti ſuæ, Paſchali papa collaudante præfecit te: tali maxime gens illa, gens mendica, gens pupilla indigebat matre; tali, inquam, mulieres, accepta pro Deo dumtaxat paupertate, ſuſtentandæ erant procuratrice.* Conſeſtim in religionis operibus Herſendi comes individua adhæſit, monaſterii procuratrix deſignatur, inde prioriſſa, denique ad faſtigium præſulatus evehitur anno 1115. 28. Octobr. probante ipſomet Roberto paulo ante illius obitum, ut notat ejus vita. *Elegit itaque*, inquit, *ad tanti honoris dignitatem Petronillam de Camilliaco, quæ relictis paternis rebus, ejus diſcipula fuerat, a converſationis ſuæ pene initio, præcedente tamen nonnullorum ſapientum ſano conſilio, dicens: Dignum mihi videtur, ut quæ portavit mecum laborem peregrinationis & paupertatis, portet etiam pondus qualecumque conſolationis noſtræ, & proſperitatis; licet enim monogama fuerit, cogente tamen neceſſitate nulla mihi convenientior videtur huic prælationi.* Igitur in novam monaſterii inveſtituram gratulantibus monachis admiſſa, conventus ſibi ſubditos continuo luſtrare ſategit: ad varios etiam principes pro tutela & augmento ejus proficiſcitur, ad Fulconem comitem Andegavenſem, & Ludovicum Francorum regem, a quo benigne excepta eſt, quod & ſignificat charta data anno 1146. regni Ludovici regis decimo, quo ſignum S. Crucis accepit, redeunte Petronilla abbatiſſa a Pictavis, ubi colloquium cum Rege habuerat. Sed memorabilis eſt dedicatio eccleſiæ Font-ebraldenſis, quam a ſummo pontifice Calliſto II. viſitari, confirmari, & conſecrari conſpexit; ubi & ſtatuta Roberti, ordiniſque Font-ebraldenſis confirmari obtinuit; juvat autem proferre diploma integrum quod habetur in magno chartario, quia ſpeciatim omnes ferme prioratus ordinis tunc temporis exiſtentes recenſet:

Callixtus epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilectæ filiæ Petronillæ abbatiſſæ monaſterii S. Mariæ de Font-ebraudi, & iis quæ poſt eam regulariter in eodem regimine ſucceſſerint in perpetuum. Cum per Pictavenſem parochiam pro eccleſiæ ſervitio tranſitum haberemus, venerabilis fratris noſtri Guillelmi Pictavenſis epiſcopi ſuggeſtione ad B. Mariæ de Font-ebraudi monaſterium declinavimus; ubi monaſtici ordinis diſciplinam vigere per omnipotentis Dei miſericordiam cognoſcentes, locum ipſum cum omnibus ad eum pertinentibus, B. Petri decrevimus patrocinio confovere. Unde etiam noſtris, tanquam B. Petri manibus, in honore beatiſſimæ & glorioſiſſimæ Dei genitricis, ſemperque virginis Mariæ oratorium dedicavimus, altare ipſius reliquiis beatorum martyrum Felicis & Adaucti, Saturnini, & Siſinnii, & B. Cæciliæ virginis, quæ in noſtris habebantur ſcriniis, condientes. Omnibus autem, cooperante Deo, ſolemniter celebratis, ad populum, cujus undique illuc multitudo effluxerat, verbum ex more habuimus; & devotionem ejus diligentius attendentes, ex omnipotentis Dei, & B. Petri authoritate (cujus licet indigni vices in Eccleſia gerimus) univerſis qui ad dedicationem convenerant, a quatuor annis & ſupra, unum; a tribus vero & infra, dies quadraginta de ſuis pœnitentiis relaxavimus. Idipſum & de illis ſtatuimus, qui a jejuniorum capite, uſque ad octavas Paſchæ per ſequentes annos, quandiu in eodem loco religionis monaſticæ ordo viguerit, monaſterium debita devotione viſitare, ac de ſuis facultatibus curaverint adjuvare. Ea inſuper immunitate præfatum cœnobium ex apoſtolicæ ſedis benignitate donavimus; ut omne illud ſpatium quod cruces in circuitu, ex præcepto noſtro diſpoſitæ comprehendunt, exterius quietum deinceps inviolatumque permaneat: quatenus quicunque hominem in eo aut occiderit, aut læſerit, vel prædam fecerit, vel grave aliquod forisfactum commiſerit, donec ſatisfaciat, reus ſacrilegii habeatur. Sequenti ſane die in capitulum venientes, in pleniori tam fratrum, quam ſororum conventu, præcepta venerabilis memoriæ Roberti presbyteri de Arbreſello, & loci & religionis inſtitutoris, rata cenſuimus, & illibata ſervari; illud omnimodis ſancientes, ut fideles quique, qui pro animarum ſuarum remedio, in Dei & eccleſiæ veſtræ ſervitio, vel apud monaſterium veſtrum, vel in locis ad ipſum pertinentibus perſiſtere devoverint, vel in futurum devoverint, in eodem bono perſeverent propoſito; & juxta diſpoſitionem & obedientiam ipſius loci abbatiſſæ, aut prioriſſarum, quæ per loca ad monaſterium Fontis-ebraudi pertinentia diſponuntur, ad honorem Dei ſororibus fideliter & religioſe deſerviant: ſicut etiam a bonæ memoriæ prædicto Roberto presbytero de Arbreſello noſcitur inſtitutum. Ad hæc ut quietius ac devotius debita omnipotenti Deo ſervitia exſolvere valeatis, poſſeſſiones & loca monaſterii veſtri contra pravorum hominum nequitiam ſedis apoſtolicæ privilegio duximus munienda. Univerſa igitur quæ vel in præſenti XIII. indict. legitime poſſidetis, vel in futurum conceſſione pontificum, liberalitate principum, oblatione fidelium, vel aliis juſtis modis poteritis adipiſci, veſtro in perpetuum monaſterio confirmamus. Locum videlicet Agreria ex dono Berlaii de Monſterello, Rainaldi filii Ugonis, & Fulcheii-Fexardi: locum Raalai ex dono Raginaudi de Salmuntiachaico: locum Cavanaici ex dono Aimerici de Bernezaico, & Gironii filii Gaineri:

locum de Gaina, ex dono Radulphi de S. Johanne, Stephani * de Maixime *, ac filii ejus Parciendi *: locum Mongoguerii ex dono Aimerici Flocelli: locum Varentis ex dono Pagani de Nozilliaco: locum Cantalupi ex dono Fulconis junioris Andegavenſis comitis: locum Sovoliæ ex dono Petri de Briſiaco: locum Girundæ ex dono Raginaudi de Piollant, Salomonis hominis vicecomitiſſæ de Caſtello-Ayraldi, & Hugonis de Vivona: locum Bois-rotardi ex dono Fulconis comitis Andegavenſis, & Liſiardi de Sabrolio: locum Mauthaici ex dono Aubereti de Munta-Johannis: locum Lajariæ & Chevrerii ex dono Guillelmi de Mirembello: locum Aſtrici ex dono Reemffreiæ, ac filiorum ejus Petri Achardi, & Airaudi: locum Podiæ ex dono Petri Senebaudi: locum Villeſalem ex dono Gauffridi Gaſtinelli: locum Preth ex dono Cothardi & filii ejus: locum Flathaïci ex dono Gauffredi de Emglis: locum Landæ de Belloveerio ex dono Petri de Gaſnachia, Gothelini fratris ejus, & Petri de Thoueia nepotis eorum. Locum Lagrolæ, ex dono Brientii de Comiquers, & fratrum ejus: locum Landæ d'Apremonte ex dono Guillelmi, & fratris ejus de Asperomonte: locum Landæ de Machecol, ex dono Garſii de Raes: locum Jaſras, ex dono Radulphi Malidavi, & Iſdercii: locum Dentis, ex dono Giraudii de Soſtei, Arberti filii ejus, & Guillelmi de Roccaforti: locum Tucio, ex dono Fulcaudi Frenicardi, & Aimerici fratris ejus, Bernardi Cantagrel, & Aimerici fratris ejus Aimarivillani, Dalmatii de Monte-Borulpho, & Aimerici de Ranconi de cujus feodo erat, ita liberum & quietum ſicut in venerabilis fratris noſtri Geraldi Engoliſmenſis epiſcopi, tunc apoſtolicæ ſedis legati definitione, & domni prædeceſſoris noſtri ſanctæ memoriæ Paſchalis papæ II. privilegio continetur. Locum la Gaſconeria, ex dono Arberti de Burno, Guillelmi de Cella, & Guillelmi de Borno: locum Arblenth ex dono Guillelmi Aimerici: locum Montazeſum, ex dono Aimerici Bernardi: locum Auſoillos: locum Conoul: locum Lobilleii, ex dono Petri de Vars, & fratris ejus: locum Calumne, vel Nemoris-comitis, ex dono Simonis Aviſant, concedente Fulcone Andegavenſi comite: locum S. Bonifacii, ex dono Petri Pictavorum epiſcopi & capituli monachorum S. Cypriani; locum Ajars, vel Adarci, ad montem S. Johannis, ex dono Stephani de Magnac: locum Bobun, ex dono Petri de Montifreebo, Iterii Bernardi, & Aimerici Bruni: locum Argenteriam, ex dono Mileſendis de monaſterio novo. Hæc tria loca prædicta, ſunt in Lemovicenſi epiſcopatu. In epiſcopatu Bituricenſi locum Urſani, & locum Parthaici, & Villulæ, ex dono Aalardi Guillebaudi: locum Jarzaici, ex dono Huberti de Barſella, & Saturninæ matris ejus: locum Villebratæ, ex dono Rainaudi de Scurels, & Rogerii Seneſcau: locum Letardi, ex dono Erchembaudi de Borbum: locum Montaudun, ex dono Giraudi de Corb. & Giraudi Coraus: locum Villæ-oſmeri, ex dono Arvei presbyteri, & Achaudi fratris ejus: locum villæ Corb. ex dono Gaudefridi de Blanqueſſort, Guimonsbed, & Supplicii de Concartau:

locum Prunerii-Sicci, ex dono Supplicii de Conchartau, Agnetis comitiſſæ de Aſſis, & Guimunsbeth: locum Marthauges, ex dono Radulphi Becuns, & Eliſabeth uxoris ejus, & filiorum eorumdem: locum Funuernum, ex dono Agn tis comitiſſæ Doſaſſis: locum Funtarcherii, ex dono Patricii de Brulleio: locum Saugoſæ, ex dono Johannis de Lineriis, & Hugonis de monaſterio: locum Taes, ex dono Johannis de Lineriis: locum Molins, ex dono Odonis de Duis. In Turonenſi locum Raleii, ex dono Pagani de Mirambello, & uxoris ejus Belutiæ, & filiorum eorum: locum Calfurneii ex dono Leonii, uxoris, & filii: locum Laruncia, ex dono Ogerii Fabri, Guillelmi de Tiſthai & omnium fratrum eorum: locum Columberols, ex dono Raginaudi Ruſi, & Gautherii-Jeſu: locum Barbæ-novæ, ex dono Fulconis junioris Andegavenſis comitis: locum Beſſos, ex dono Bartholomæi filii Rahardi, & Gili de Mota: locum Vallisficardi, ex dono Audeburgis de Monſterello: locum Piſſabo, ex dono Guillelmi de Rullei: hæc duo prædicta loca ſunt in Cenomanica patria. Locum Choſeaci, ex dono Auberti de Ligeri, & multorum aliorum, concedente Fulcone comite Andegavenſi: molendina, excluſam de Chinone, prata de Verrom, terram de Doe, prata & cenſus ſuos, ex dono Fulconis junioris Andegav. comitis: portum de Challii, ex dono Alonis adoleſcentis, & fratris ejus in Andegavenſi: portum de Reſt, cenſum, decimam, & vinagium, ex dono Gauffredi Fulcrei: locum Logias, ex dono Sanitæ, & filii Roberti: locum Curleo, ex dono Herſendis, & Stephani de Monte-Sorelli filii ejus: locum Chanzellas ex dono Girorii de Chinziaco, Galeth, & Ugonis duorum fratrum, & matrum eorum, ac ſororum: locum Borennas, ex dono Fulconis junioris Andegav. comitis: locum Pignoneria, & terram Arcalors, & terram Petri de Monte-Seiberti: terram & cenſus Fulqueii quos emit eccleſia Fontisebraudi, concedente Fulcone comite: terram quam Adam habebat ad Pignoneriam ab Achaia, uſque ad Andegavum, ex dono ipſius Adæ, per manum epiſcopi Raginaudi, conceſſione comitis & comitiſſæ, cum caritate quam dedit Petronilla abbatiſſa conſanguinea ejus: locum S. Carileſſi ex dono Chalonis de Blazone: locum Perillera ex dono Philippi de Blazone & uxoris ejus: Nemus etiam & prata quæ habebat a nemore Roho uſque ad Alodia: locum Segnes, ex dono Griſciæ de Doë, & filii ejus: locum Eſcoblant, ex dono Oggerii, Martrerii, & filii ejus Deri: locum ſanctæ Mariæ de Hoſpitio juxta Aurelianum, ex dono epiſcopi Aurelian. & capituli canonicorum S. Crucis, ac Lodoici regis Franciæ: Cloſum-Auberi, ex dono Lodoici regis Franciæ: locum Alta-Bruieria ex dono prædicti regis, & Bertreæ novercæ ejus, de cujus dote erat, & ea quæ Philippus rex apud Turonem dederat ei in dote, concedente Lodoico rege & uxore ejus. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat idem cœnobium temere perturbare, aut ejus poſſeſſiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, vel temerariis vexationibus fatigare. Sed omnia integra conſerventur eorum pro quorum ſuſtentatione & gubernatione conceſſa ſunt, uſibus omnimodis profutura.

* Meſſemé. * Aimerici.

* Ex hoc Stephano trahunt originem nobiles domini de Meſſemé.

Digitized by Google

Si qua igitur in futurum eccleſiaſtica, ſeculariſve, &c. Datum Turoni apud Majus-monaſterium per manum Griſogoni ſanctæ Romanæ Eccleſiæ diaconi cardinalis ac bibliothecarii, XVII. cal. Octob. ind. XIII. Dom. Incarnat. anno M. C. XIX. pontificatus autem domini Calixti II. papæ anno primo.

Petroniſſæ regimini ſe mancipavit conventus B. Mariæ de Braieraco anno 1122. Pactum iniit cum Lamberto abbate de Corona pro loco de Agudella 1129. inveſtita eſt quoque a Gaufrido Andegavorum comite de pluribus conſuetudinibus ſuper fluvium Ligeris 1135. & ſequenti anno conventionem habet cum Maſcelino S. Cypriani abbate in manu Gaufredi legati apoſtolici; necnon cum abbate D. Florentii, adſtantibus Turonenſi & Burdigalenſi archiepiſcopis, ipſoque ſancto Bernardo Clarevallenſi.

Præſens quoque memoratur in charta Engelbaudi concordiam inter Ulgerium olim Andegavenſem epiſc. & abbatiſſam coram pluribus epiſcopis apud Fontem-ebraldum confirmantis an. 1149. quo ipſo anno defecit Petronilla, VIII. cal. Maii; ad quam diem ſic habet Font-ebraldenſe necrologium: *VIII. cal. Maii migravit a ſeculo piæ memoriæ domina Petronilla venerabilis monacha, incomparabilis & irrecuperabilis mater noſtra, a domino noſtro magiſtro Roberto prima conſtituta abbatiſſa.*

II. Mathildis I. d'Anjou, Fulconis V. comitis Andegavenſis, Hieroſolymorum poſtea regis, & Eremburgis comitiſſæ Cenomanenſis filia, deſponſata fuerat Guillelmo Henrici primi Anglorum regis nato, ut hiſtorici docent. Sed ſponſo pelagi fluctibus ante nuptias demerſo an. 1120. Mathildis intacta virginitatem in Fontis-ebraldi cœnobio vovit. Aliquot poſt annis Conanus Britanniæ comes Font-ebraldum accedens, Mathildis cognatæ ſuæ intuitu donavit monaſterio inſulam de Vern, cum appenditiis ad eam pertinentibus, & in perpetuum poſſidendam quiete ac pacifice, ſicut habebat, datis ea de re litteris quas ſui ſigilli munimine roborari præcepit: *Hoc*, inquit, *viderunt, & audierunt mater mea Ermengardis, Radulphus de Greco, cujus inſtinctu hæc fecimus, Robertus de Greco, frater Radulphi, Geſtin de Auray, Men ſerviens meus de Garranda. Acta apud Fontem-ebraldum in manu P. primæ abbatiſſæ anno ab Incarnat. Dom. M. C. XXIX. Honorio II. apicem Romanum gubernante, Ludovico in Francia regnante, Hildeberto Turonenſem epiſcopatum diſpenſante, avunculo meo Jeruſalem pergente.* Suffecta eſt Petronillæ Mathildis jam ætate matura, præfuitque ab an. 1150. quo iniit concordiam cum Julio abbate de Corona. Ceterum de ipſius electione exſtant in appendice noſtra litteræ Eugenii III. papæ. Ad eandem abbatiſſam ſcribit epiſtolam Petrus Cellenſis lib. 2. ep. 10. ubi impenſe laudat ejus humilitatem, etſi nobilitate nulli ſecunda foret, liberalitatem, & fervorem religionis: *Ad extremum*, inquit, *virguncula quædam Andegavenſis comitis filia ſurrexit, manum ad fortia miſit, & nova commutatione pro rege Anglorum regem commutavit angelorum. Hæc glorioſa dicta ſunt de te, cariſſima domina; indulge autem mihi quod ſermone diffuſiore*

C. XLVI. col. 362.

te plus juſto detinuerim, & credas ex abundantia amoris copiam protuliſſe ſermonis. Sub ejus vel ſuperioris abbatiſſæ præfectura, pro dirimenda veteri controverſia monialium cum epiſcopo Pict. ſcripſit Sugerius abbas ad Eugenium III. papam: rogans eum ut protectionem ſuam his ſororibus in ſancta & Deo acceptabili religione degentibus impenderet contra epiſcopum, qui abbatiſſam benedicere recuſabat, & ſubjectionem ab eis requirebat, earum privilegiis contrariam. *Placeat igitur*, inquit, *excellentiæ veſtræ ab his moleſtiis eas eripere, & ut in pace Deo deſerviant, eis in multitudine miſericordiæ veſtræ providere, ſub protectione Dei cæli, & veſtra apoſtolica auctoritate confovere, & protegere, ut pote tantum tantæ religionis locum, quem cum in partibus illis in ſcholis eſſemus, noviter inceptum eſſe vidimus, & pro Dei voluntate, fere ad quatuor aut quinque millia ſanctimonialium jam excreviſſe audivimus, & gaudemus.* Tandem Mathildis bullam protectionis accepit ab Anaſtaſio IV. an. 1153. De ejus obitu ita martyrologium Font-ebraldenſe: *Migravit a ſeculo Mathildis abbatiſſa, quæ ſecunda poſt Petronillam primam abbatiſſam Font. eandem eccleſiam, nolens & renitens, ſuſcepit gerendam; quæ tranſacto poſt electionem ſuam quinque annorum curriculo, in vera confeſſione ſedes adivit paradiſicas, dolorem nobis relinquens.*

III. Audeburgis de Haute-bruieres, cui confirmat domum Font-ebraldenſem, & ceteros Ordinis conventus Alexander III. ſummus pontif. bulla data Senonis 17. cal. Octob. 1164. necnon donum quinquaginta librarum redditus ſuper caſtrum Divionenſe ab Eudone duce Burgundiæ conceſſum, alio diplomate apoſtolico Beneventi 6. non. Decemb. Memoratur hæc abbatiſſa in charta venditionis factæ apud Acaicum pagium ſuum eidem Audeburgi 1175. Johanne Pict. pontifice. Hæc eſt haud dubie A. abbatiſſa Font-ebrald. quæ ſcripſit ad Ludovicum VII. regem pro eleemoſyna de Chaucé, & ad H. epiſc. Sueſſion. Vide tom. IV. ſcriptorum hiſtor. Francor. Quercetani pag. 724. Morte ſublata eſt circiter anno 1180. cujus depoſitio ita calend. Julii conſignatur in martyrologio Font-ebraldenſi: *Migravit a ſeculo bonæ memoriæ Audeburgis venerabilis abbatiſſa, cariſſima mater noſtra: quæ poſt mortem Mathildis in abbatiſſam promota, 26. annos in rigore noſtram eccleſiam fideliter rexit: cui etiam Dominus tantam gratiam contulit, ut a regibus & principibus, ſublimioribus & infimis, & a ſubjectis nimio affectu diligeretur, amore & reverentia veneraretur.*

IV. Gilia, Gillia & Gila pedum paſtorale apprehendit cum foret major cœnobii prioriſſa. Eam Lucius III. papa, bulla Anagniæ data 15. cal. Aprilis 1183. his verbis alloquitur: *Dilecta in Chriſto filia Gilia, tuis juſtis poſtulationibus clementer annuimus, & præfatum monaſterium ſanctæ Mariæ Fontis-ebraldi, quod utique ſpecialiter ſub B. Petri jure & protectione conſiſtit, cui etiam Deo auctore præeſſe dignoſceris, anteceſſorum noſtrorum veſtigiis inhærentes, ſub B. Petri, & noſtra protectione ſuſcipimus.* Hujus abbatiſſæ memoria exſtat in obituario ad diem 14. Junii his verbis: *Migravit a ſeculo domina Gila, eccleſiæ Font-ebraldenſis*

Digitized by Google

abbatiſſa, quæ in circulo viginti duorum annorum, tam in prioratum, quam in abbatiam prudenter & & ſagaciter eccleſiam rexit, docendo & monendo gregem ſibi commiſſum, verboque & exemplo ſuo benigniter informavit, deinde prædictam eccleſiam tam ſpiritualibus quam corporalibus bonis ampliavit.

V. Mathildis II. de Flandres, Theodorici Flandrorum comitis, ex Sybilla Andegavenſi, ſorore Mathildis I. abbatiſſæ, progenita fuit. Philippus comes Flandrenſis in donatione 30. lib. redditus annui monaſterio facta an. 1187. eam cariſſimam ſororem ſanctimonialem, non abbatiſſam appellat; attamen hoc ipſo anno memoratur abbatiſſa in veteri charta. Biennio poſt carnis ſarcinam depoſuit Cainone-caſtro Henricus II. rex Anglorum dotator Font-ebrald. cœnobii, celebri pompa in baſilica majori tumulatus. De Mathildis obitu martyrologium: *Migravit a ſeculo Mathildis abbatiſſa Fontis-ebraldi, comitis Flandriæ filia, quæ cum quatuordecim annorum eſſet ætate, volenti animo religionem venit, multoque tempore benigne ac humiliter nobiſcum degens, infra quartum abbat. ſuæ annum, curſum vitæ ſuæ Deo vocante conſummavit.*

VI. Mathildis III. prioriſſa Wari-villæ in pago Bello-vacenſi, majores habuit hujus cœnobii fundatores, orta fortaſſe ex proſapia Ælidis dominæ de Bullis, quæ inſignis fuit Wari-villæ benefactrix. Succeſſit Mathildi Flandricæ anno ſaltem 1194. ſubſcripſit donationi Mariæ de Mailleo factæ an. 1196. Innocentius III. bulla anni 1201. menſe Junio Ordinis privilegia munivit. Sub ea vel præcedenti abbatiſſa velamen ſacrum religionis ſumſit Alienor Aquitanica Franciæ & Angliæ regina, quæ ſpiritum ultimum exhalavit 31. Martii 1204. noſtræ vero Mathildis mors ad diem v. nonas Octobris commemoratur in necrologio domeſtico his verbis: *Migravit a ſeculo Mathildis abbatiſſa, ſecundum ſæculi dignitatem generoſis orta parentibus, nobilium ſpernens divitias, ſuam Domino vovit virginitatem, & ſub manu venerabili ſecundæ noſtræ abbatiſſæ, in præſenti cœnobio ſacræ religionis habitum ſuſcepit, ubi uſque ad tempus dominæ Audeburgis regulariter vixit, & honeſte, cujus ſanctam converſationem agnoſcens memorata, ad conventum Warvillæ quem parentes ejus fundaverant, illi tradidit ad regendum*, &c.

VII. Maria I. de Champagne Theobaldi IV. comitis Carnotenſis, Bleſenſis, Trecarum, & Campaniæ, ex Mathildi Carinthiaca, ſecunda natu filia, Henrici I. comitis Campaniæ palatini ſoror, Guillelmi cardinalis, & Aleidis conjugis Ludovici VII. regis Francorum erat. Quæ cum data fuiſſet uxor Odoni II. duci Burgundiæ, ceterorum ducum proſapiæ regiæ propagatori, eodem e vivis exemto 1162. apud Font-ebraldum Deo ſe conſecravit, ubi deinde propter virtutes eligitur abbatiſſa anno ſaltem 1207. eamque domum per aliquot annos rexit. Notatur in martyrologio, VII. idus Auguſti. Filiam vero habuit Aleidem Burgundam quæ poſt obitum viri Archembaldi domini de Borbonio per 36. annos religionem in eo cœnobio profeſſa eſt, quieſcitque ante limina eccleſiæ, ſicuti martyrologium obſervat. Verum in aliquibus elenchis interpolata eſt ſeries abbatiſſarum, qui Aleidem præfatam mendoſe pro ſanctimoniali ſolum Font-ebraldenſi, abbatiſſam ſuperinducunt,

VIII. Aleidis I. de Blois de Champagne, Mariæ neptis, ex germano Theobaldo cognomento Bono, comite Bleſenſi & Carnotenſi, Franciæ dapifero, matrem habuit Aleidem Ludovici VII. regis dicti junioris, & Alienoris Aquitanicæ filiam. Cum per aliquot annos archicœnobii prioratum obtinuiſſet, ad abbatiſſæ ſolium aſcendit anno ſaltem 1209. Hoc nomine recenſetur in tabulis hujus anni & 1211. In martyrologio his verbis celebratur: *Migravit a ſeculo cariſſima mater noſtra, domina Adilidis virgo Deo ſacrata, Theobaldi comitis Bleſenſium filia, ex utroque latere Francorum, Anglorumque regum, & ſpectabilium genere procreata: quæ dum in primo juventutis ſuæ flore, ſe Deo & B. virgini placentem dedit hoſtiam, noſtræ religionis aſſumens habitum: quæ quidem circiter 40. annos habens, abbatiæ noſtræ, & noſtri regiminis onus aſſumſit.*

IX. Berta ex monaſterii prioriſſa præerat anno 1217. quo querelam inter ipſam pro monialibus de Alta-brueria agentem, & monachos Fiſcannenſes degentes apud Meduntam in prioratu ſancti Georgii, compoſuere abbas & prior S. Faronis, & abbas de Cagia, ex chartul. Fiſcan. Hujus meminit chartula Font-ebraldenſis, qua Agnes domina de Monſteriolo, vicecomitiſſa Meloduni, in cauſa contentionis pro commenda una defuncti Albini Pelu, quæ fuit inter Guillelmum quondam maritum ſuum vicecomitem, & eandem Bertam, penitus dictæ abbatiſſæ ac conventui dimiſit litteris datis an. 1221. menſe Octobri. Exſtant in appendice noſtra litteræ Bertæ, datæ anno 1225. quo etiam anno B. abbatiſſa paciſcitur cum abbate S. Leonardi de Calmis, pro conventu S. Bibiani ordinis Fontis-ebraldi, juxta abbatiam Gratiæ-Dei. Hoc inſignitur elogio apud martyrologium cum aliis abbatiſſis, ſub die 6. cal. Jan. *Migravit felicis memoriæ domina Berta, Deo devota, cariſſima mater noſtra, Fontis-ebraldi venerabilis abbatiſſa, quæ gubernationem ſuam per longum temporis ſpatium exſtitit * prioriſſa, & in illo officio pro eccleſia ſua mirabiliter laboravit, atque fideliter decertavit, poſtea vero divina gratia providente, concorditer & in pace facta abbatiſſa, perſona fuit vitæ laudabilis, honeſtate morum perſpicua.*

C. XLVII. col. 363.

* *f.* extendit.

X. Adela de Bretagne, ex comitum Britanniæ familia, ſedebat jam an. 1228. In tabulario ſancti Dionyſii aſſeruatur inſtrumentum cujuſdam excambii inter abbatem conventumque S. Dionyſii & moniales de Alta-brueria ſub ſigillo abbatiſſæ Font-ebrald. menſe Nov. 1235. Recenſetur an. 1238. in reſcripto Juhelli Turonenſium archiepiſcopi, 1239. in veteri charta Latiniac. & in regeſto XXXI. archivi regii Pariſ. fol. 54. verſo, ac denique in tabula emtionis facta anno 1242. ejus conſenſu a Johanna de Brana religioſa. Obituarium præfatum de illa ad 4. diem cal. Nov. ſic habet: *Adilidis Deo ſacrata, eccleſiæ Fontis-ebraldi abbatiſſa; hæc quidem comitis Britanniæ filia, & a primo tempore juventutis ſuæ in aula*

Digitized by Google

regis Anglorum, & reginæ venerabiliter educata, dum 13. haberet annum, habitum noſtræ religionis ſuſcepit, quæ multis diebus, & annis plurimis tam in prioratu, quam in abbatia ſagaciter & bene rexit: tandem nocte Dominica felici conſummatione curſum vitæ complevit.

XI. Mabilia de la Ferté, Hugonis de Feritate Carnotenſis epiſcopi ſoror, ex majore prioriſſa, rexit anno 1244. tranſegit autem cum Johanne comite Retelenſi * pro prioratu de Longueau ſui ordinis, ac decimis debitis in caſtellania Retelenſi an. 1248. De ea ſic martyrologium Font-ebraldenſe: *Migravit a ſeculo Mabilia de Feritate, hujus eccleſiæ abbatiſſa, quæ nobiliſſimo genere orta, nobilior fuit moribus. Hæc itaque monaſterii noſtri major prioriſſa eſt effecta, deinde unanimi conſenſu capituli noſtri in abbatiſſam eſt electa.*

* Regetiflenſi.

XII. Johanna I. de Dreux quæ dicta eſt de Braine, filia Roberti II. comitis Drocarum & Branæ, ex Jolandi de Cuciaco, filia Radulfi I. & Agnetis de Hannonia, ſoror etiam Roberti III. Drocenſis, & Petri * Aremoricæ ſtirpis regiæ ducum, de cujus promotione idem ſcribit martyrologium: *Johanna de Braina Fontis-ebraldi humilis & venerab. abbatiſſa, nobiliſſima regum & reginarum ac perſonarum ſpectabilium ſanguine procreata, illuſtriſſimi Roberti comitis Branæ filia, quæ annis ætatis ſuæ 50. circiter jam elapſis, a conventu Fontis-ebraldi in matrem concorditer eſt electa. In Angliam pro noſtro & monaſterii incremento corpus proprium transfretavit.* Hic de ipſius mortis tempore ſiletur. Ejus memoria exſtat annis 1259. 1265. 1267. 70. & 1271. in chartis feodi S. Nicolai de Loſduno. Amitam habuit in eodem Font-ebraldenſi cœnobio Maſſiliam cognomento, Bertricem de Brana, prioriſſam Garevillæ, de quibus hiſt. genealogica domus Franciæ lib. 33.

* Drocenſis, ducis Britanniæ. *Du Fresny*

XIII. Iſabella I. d'Avoir ex antiqua familia de Averio in Andegavenſi pago, ſedit ad annum 1276.

XIV. Margareta I. de Pocey ex vetuſta familia de Poceio in Andibus, primam ætatem inter moniales & in ſpirituali tirocinio officiorum theſaurariæ & majoris prioriſſæ traduxit, tum ad faſtigium abbatiæ provecta eſt, ſolemnique ritu inaugurata 1284. a Nicolao Andegavenſi pontifice, ut confectæ etiamnum de ejus electione litteræ teſtantur, quibus proſtat adhuc in ſigillo ſtemma gentilitium aquilæ. An. 1289. Raimundus fratrum Minorum miniſter generalis hanc abbatiſſam ordinis ſui bonorum operum participem fecit. Margareta & conventus ceſſerunt Carolo Regis filio comiti Valeſii, Alençonii, Carnutum & Andium, & Margaritæ filiæ regis Jeruſalem & Siciliæ, omnia jura quæ habebant in fluvio Ligeri ad Pontem-Cæſaris, *le pont de Cé*, pro ſexcentis ſextariis frumenti & ſexaginta libris annui redditus; ſubſcribunt & conſentiunt pactis Giſla prioriſſa, & Stephanus prior. Hæc pacta Gallice ſcripta, facta ſunt an. 1293. menſe Jan. Vide Marten. Anecdot. tom. 1. col. 1243. Obiit Margareta de Poceio cal. Octobris an. 1304. poſtquam ſediſſet annis viginti.

XV. Eleonor I. de Bretagne, Johannis II. ducis Britanniæ ex Beatrice regis Angliæ Henrici III. filia, naſcitur in Anglia 1275. Septennis prioratum Embleberiæ ord. Font-ebrald. ingreſſa eſt, ac cum ibi probationis monaſticæ curſum exegiſſet, emiſſa profeſſione, anno ſexto ſupra decimum, ſeceſſit in Galliam ad Font-ebraldenſe monaſterium, ubi abbatiſſa renuntiatur, & Dominica ante feſtum B. Martini hyemalis benedicitur a Guillelmo Majore epiſcopo Andegavenſi 1304. Ut vero omnes fere reges ac principes cognationis vinculo attingebat, ſic ab iis ampliſſimas immunitates pro ordine & cœnobio ſuo impetravit. Debitum naturæ perſolvit 16. Maii an. 1343. ætatis 67. minus 38. de qua poteſt conſuli hiſt. genealogica domus Franciæ lib. 35. in ramo ducum Britanniæ, a Sammarthanis edita.

XVI. Elizabeth ſeu Iſabella II. de Valois, Philippi VI. Valeſii regis ſoror, parentes habuit Carolum a Francia comitem Valeſii, & Catharinam Cortenæam ex imperatorio ſtemmate. Cum generis nobilitate eluxit in ea integritas morum, qua omnibus ſeculi illecebris repudiatis, clauſtrum aulæ ſplendori prætulit. In Piſciacenſi Dominicanarum monaſterio rectæ gubernationis ſpecimina cum edidiſſet, ex prioriſſa ætatis anno ferme 40. Font-ebrald. præfecturam aſſequitur anno 1342. quo debita ſubſidia apoſtolicæ cameræ ſolvit, die 30. Julii; quæ poſtmodum ab epiſcopo Tornacenſi, in monaſterio de Moncello prope Pontem S. Maxentiæ munus benedictionis accepit. Die feſto S. Martini mortem oppetiit 1349. ac in abbatia ſepelitur.

XVII. Theophania du Chambon orta ex ſtirpe dynaſtarum de Cambonio, ad quam comites Arverniæ maternam originem referebant, per compromiſſum eligitur 1349. 18. Nov. atque anno ſequenti ſubſidia debita ſolvit cameræ apoſtolicæ. Viſuntur hodie in archivis ſubſcriptæ ab ea tabulæ an. 1351. Pie moritur 13. Aug. 1353. ut habet obituum codex.

XVIII. Johanna II. de Mangey ex dominis de Mangeio ſucceſſit Theophaniæ 1353. ac proviſa eſt ab Innocentio VI. pontifice bulla die 12. cal. Junii 1355. ſcripta ad epiſcopum Pictavienſem pro ejus inauguratione. De promotione ejus ſcribit his verbis necrologium: *Johanna de Maingeio ab adoleſcentiæ initio monialium diſciplinis regularibus erudita, ſacriſtina noſtri monaſterii fuit, protinus ab omnibus monialibus in capitulo canonice electa eſt, & confirmata per ſummum pontificem, non obſtantibus aliquibus objectionibus oppoſitis contra ipſam: tempore ſuæ prælationis quamplurima dona, & diverſas tribulationes tempore guerrarum ſuſtinuit infinitas.* Munus ſuum egregie obivit, & prudentia ac animi ſagacitate domum ſuam tutata eſt, quin & ſummo affectu divina tractabat inter quingentas moniales quæ choro Font-ebraldenſi ſub ejus regimine deſerviebant, uti fidem facit diploma ejuſdem Innocentii papæ VI. ad antiſtitem Tiberiadis.

XIX. Adelais III. de Ventadour ex nobilibus toparchis de Ventadorio genita erat, Archembaldi decani Turonenſis & Guillelmi de Ventadorio ſoror; cujus electionem narrat liber obituum his verbis:

Digitized by Google

Adelaïdis de Ventador abbatiſſa, quæ ab ipſo juventutis ſuæ flore ſeculo renuntians, & de bono in melius proficiſcens, effecta eſt prioriſſa, deinde cum per annos plurimos prioratum laudabiliter rexiſſet, regimen totius ordinis noſtri per unius anni ſpatium a Domino meruit obtinere. Sedebat autem anno 1372.

XX. Eleonor II. de Parthenay ex veteri proſapia dominorum de Parthenay in Pictonibus, abbatiſſa erat 1375. Ultimum diem clauſit 1390. vel ſequenti anno: quæ pro anniverſario legavit plurima vaſa argentea, aliave dona. Ceterum Iſabellis reperitur abbatiſſa annis 1381. & 1383. Num binominis erat Eleonor, aut abdicavit ante mortem!

XXI. Blanca de Harcourt illuſtriſſimis natalibus comitum Haricuriæ in Normannia naſcitur 1376. parentibus Johanne III. * comite, & Catharina Borbonia; quo nomine Caroli VI. regis conſanguinea, avunculos habuit Petrum Caſtellæ regem, Amedeum Sabaudiæ comitem, & Arnaldum Amaneum dominum de Lebreto; fratres vero Johannem Haricuriæ & Albemarlæ comitem, ac Ludovicum vicecomitem Caſtri-eraldi Rotomagenſem archiepiſcopum. Verum nobilis puella tot generis naturæque dotibus poſthabitis, religioni ſe addixit in S. Mariæ Sueſſionenſis monaſterio, unde evocatur ad Font-ebraldenſem abbatiam, de qua proviſa eſt Clementis VII. bulla Avenione data an. 1391. menſe Julio. Gregem ſuum peculiari cura, diligentia, ac exemplo per 39. & amplius annos gubernavit; obiit 1431. pridie nonas Apr. die Mercurii.

* ſexto hujus nominis, 3. comite.

XXII. Maria II. de Harcourt, Chriſtophori de Haricuria dom. de Hautreche & Johannis archiep. Narbon. ſoror, poſſeſſionem iniit Dominica 23. Decemb. 1431. cum, ſede vacante, adminiſtraſſet Blanca de Credonio decana & major prioriſſa: in monaſterii moderamine laudabiliter per annos 20. verſata, diem obiit 15. Decemb. 1451.

XXIII. Margarita II. de Montmorency ex clariſſimo genere, Johannis de Montmorenciaco domini de Beauſault & Iſabellis de Neelle filia, ex majore celleraria eligitur 1434. * cum nihilominus haberet in eadem abbatia æmulam Mariam de Haricuria: *Migravit a ſeculo die 4. menſis Apr. 1434.*

* 1433. *D. du Four.*

XXIV. Maria III. de Montmorency cognomento de Beauſault, Margaretæ neptis, Hugonis domini de Bello-ſaltu & Johannæ de Haricuria filia; a teneris apud Font-ebraldum conceſſit, ubi vota cum emiſiſſet, prioriſſa Tuçonii, tum celleraria, denique abbatiſſa creatur. Recenſetur autem in chartis authent. regiæ biblioth. ann. 1452. 3. Jan. & 1457. Mortua eſt anno 1461. * die Veneris 12. menſis Febr. De hac vero utraque abbatiſſa conſulendus Andreas Quercetanus lib. 7. hiſt. domus de Montmorency.

al. 1462.

XXV. Maria IV. de Bretagne, Richardo comite Stamparum Johannis V. Aremoricæ ducis filio, & Margareta Aurelianenſi parentibus naſcitur anno 1424. Fratrem habuit Franciſcum II. Annæ duciſſæ Britanniæ, Francorum bis reginæ parentem. Quæ cum eſſet naturæ dotibus affatim inſtructa, ſub diſciplina Margaretæ matris in viduæ habitu in Longi-campi Clariſſarum cœnobio juxta Lutetiam Pariſiorum commorantis, ad pietatem informata, Deo apud Font-ebraldum ſe conſecravit. Renuntiante in ipſam onus abbatiæ an. 1457. Maria Montmorencia, aſſenſu Calliſti III. pontificis ſub debito 240. lib. penſionis perſolvendarum, inquiunt bullæ. Hanc legimus apud D. du Fourny deſponſatam fuiſſe in teneris annis Franciſco dom. de Retz; quæ ſane in chartis authenticis regiæ biblioth. memoratur abbatiſſa 1462. 68. & 73. Cum vero conſilio virorum quorundam prudentium curaſſet Roberti inſtitutoris regulam, quæ parumper obſoleverat, diligentius ſervari, impetrata bulla Pii pontificis ad Guilleſmum Quadrigarium epiſcopum Pariſienſem, & Thomam de Corcellis decanum ejuſdem eccleſiæ, nonnullis ſanctimonialibus ſeveriorem clauſuram detrectantibus, eadem abbatiſſa abſcedere cogitur in prioratum S. Magdalenæ Aurelianenſis, ab ordine ſuo pendentem, quem exædificatum a fundamentis ad meliorem normam reduxerat: ibi reliquam exegit ætatem zelo reformandæ religionis perſtudioſa, tum ad cœleſtem patriam evocatur 19. Oct. 1477. ibique tumulo reconditur.

XXVI. Anna d'Orleans, ſoror Ludovici XII. Francorum regis, parentes habuit Carolum ducem Aurelianenſem, & Mariam ex ducibus Cliviæ: anno ætatis 14. Font-ebraldum ingreſſa eſt, tum Mariæ de Britannia conſobrinæ ſucceſſit ab univerſo conventu poſtulata, & electa 1478. Nec imparem ſeſe in præfectura virtutis exemplo exhibuit, namque privilegia ordinis nova impetravit, antiqua curavit renovanda, & ad meliorem normam ſeverioribus diſciplinis domum Filiarum-Dei Pariſiis, conventus de Girunda, de Foiſſiaco & Guarevilla in Normannia inſtituit. In chartis authent. regiæ bibliothecæ occurrit abbatiſſa annis 1488. & 1489. Singulari demum animi humilitate, & munificentiæ laude præſtans, pie in Domino conquievit ſub an. 1491. poſtquam baſilicam pluribus exquiſiti pretii ornamentis, ſacraque ſupellectili exornaſſet.

XXVII. Renata de Bourbon Johannis II. comitis Vindocinenſis ex Eliſabetha de Bella-valle nata circiter 1466. octavo ætatis anno religioni nomen dedit in monaſterio virginum B. Mariæ Santonenſis, inde Fontebraldi ab Anna Aurelianenſi conſobrina ad profeſſionis vota admittitur 1483. tum facta SS. Trinitatis Cadomenſis abbatiſſa, Font-ebraldenſe monaſterium ſimul regendum ſuſcepit 1491. 23. Septemb. * eodemque anno in poſſeſſionem inducta die 30. Octobris. Memoratur eodem anno, die ultima Decemb. in charta authent. regiæ biblioth. Ab exordio præfecturæ de reformatione ſollicita, votum clauſuræ an. 1500. menſe Junio, adſtante Anna regina aliiſve principibus feminis, in manu Ludovici Borbonii Abrincenſis epiſcopi fratris naturalis ſolemniter juravit, tum animum auctoritate & vitæ exemplo ad informandos nova inſtitutione conventus ſui ordinis intendit, & in eo egregio facinore nonnullorum conatus magna moderatione ſuperavit. Sub ejus regimine plures e regio ſanguine

* *al.* 30. Octobr.

Digitized by Google

prognatæ, habitum religionis exceperunt, quæ virgines poſtea fœcunda abbatiſſarum ſobole in variis regni parthenonibus claruerunt: inter eas memorantur Ludovica Borbonia neptis, Carlota Borbonia comitiſſa Nivernenſis ſoror, Magdalena & Renata Borboniæ ſanctæ Crucis Pictavienſis, & Calenſis, Catharina regis Navarræ ſoror Cadomenſis, & Renata Lotharinga S. Petri Remenſis abbatiſſæ. Ipſa occurrit an. 1505. in tabulis cameræ computorum Divionenſis. Cœnobium ſuum magnificentiſſimis ædificiis auxit & adornavit. Virtutū omnium denique ſingulare exemplar, indefeſſo ſtudio erga ordinem atque reformationem, cum magna laude congregationem ſuam adminiſtraſſet, ſupremum diem adeſſe ſentiens 23. Octob. anno 1533. abbatiam ceſſit nepti Ludovicæ Borboniæ, ſubſcriptis reſignationis codicillis originalibus a Ludovico ex principibus Cliviæ nepote, & Gaucherio de Sainte-marthe Ludov. filio, domino d'Eſnandes in pago Alniſienſi, (Scævolæ parentis noſtri viri clariſſ. avo, in choro regalis abbatiæ ſepulto [a]) inquiunt Sammarthani fr. quem conſeſtim poſt exceſſum Renatæ, 8. Novemb. eadem Aloyſia Borbonia major prioriſſa ad Franciſcum I. regem delegavit, ut ejus obitum illi renuntiaret: paulo-que mox ferali pompa, ſacris operante epiſcopo Vencienſi, Renata tumulo honorifice condita eſt. Tumulum Renatæ edidit Johannes Buchetus. Ejus mentio exſtat lib. 25. hiſt. geneal. familiæ regiæ, & lib. 4. hiſt. Font-ebraldenſis.

XXVIII. Ludovica I. de Bourbon, Franciſci comitis Vindocinenſis, & Mariæ Luxemburgenſis filia, ab ineunte ætate Font-ebraldi velamen ſumſit 1510. 19. Januarii, ſacræ ceremoniæ adſtantibus Maria matre, duce Vindocinenſi, & comite S. Pauli fratribus, principe Rupis ad Jonam, Antonia Borbonia ſorore, aliiſve principibus feminis; anno inſequenti abbatiſſa Origniaci, dioceſis Laudunenſis, expoſcitur, ac demum majore prioratu abbatiæ perfuncta, ex deſignata S. Crucis abbatiſſa, deligitur Font-ebraldenſis per abdicationem Renatæ amitæ ſub an. 1533. qua fatis erepta, die feſto S. Barnabæ apprehendit poſſeſſionem 11. Junii ejus procuratorio nomine officialis Pictav. tandemque benedicitur 9. Januarii 1535. a Ludovico cardinali Borbonio fratre, Senonenſium archiepiſcopo, adſiſtentibus Majoris-monaſterii, Burgi-medii, Sulleii, & Nucariorum archimandritis. Summa pietate monaſterium rexit, reformationem a præcedenti abbatiſſa ſtabilitam non modo tutata eſt, ſed non ſine eximia omnium approbatione & zelo inter procellas bellorum civilium provexit; reddítus ſummopere ampliavit; novis ſtructuris capitulum, dormitorium, clauſtra, ceteraque loca regularia perfecit; & eccleſiam præclaris donariis decoravit. Carolum IX. regem cœnobium ſuum inviſentem honorifice excepit, Font-ebraldenſem domum a ſectariorum deprædatione feliciter ſervavit, variiſque nomen ſuum egregiis facinoribus poſteritati commendavit. Ejus tempore plures principes feminæ in ſacrarium Font-ebraldenſe Deo ſe conſecrarunt, Renata, Johanna, & Ludovica Borboniæ, Carlota Tremolia, Franciſca de Rohano, necnon aliæ perilluſtres puellæ. Tandem quadrageſimo anno præfecturæ, ætatis 80. 21. Septemb. e vivis exemta eſt an. 1575.

XXIX. Eleonor III. de Bourbon, Caroli I. Vindocinenſium ducis, & Franciſcæ Alençoniæ ultima natu filia, fratres habuit Antonium Borbonium Navarræ regem Henrici-magni parentem, Franciſcum Anguiani comitem, Carolum cardinalem Borbonium, & Ludovicum principem Condeum; ſorores vero Magdalenam S. Crucis Pictavienſis, Catharinam B. Mariæ Sueſſionenſis, & Renatam Calenſem abbatiſſas. Lucem primum aſpexit Lutetiæ in caſtro Luparæ 18. Jan. 1532. e ſacro fonte levata a Franciſco delphino, Magdalena Borbonia, & Eleonora Auſtriaca regina; a teneris annis in B. Mariæ Sueſſionenſis monaſterium admiſſa, inde Font-ebraldi 1550. menſe Julio votis profeſſionis ſe obſtrinxit ſub moderamine Ludovicæ amitæ, cui ex coadjutrice ſucceſſit, benedicta abbatiſſa menſe Novemb. 1575. a Carolo cardinali Borbonio, adſtante regina Catharina Medicæa, & aliis principibus. Memoratur an. ſeq. die 2. Nov. in charta authentica regiæ biblioth. tum ad ſacra ſtudia animum applicuit, deditque operam ſartis tectis eccleſiæ, ac in monaſteriis ſui ordinis promovendæ religioſæ diſciplinæ. Animam longæva exhalavit an. 1611. 24. Martii.

XXX. Antonietta d'Orleans, Leonorio duce Longævillæ & Maria Borbonia parentibus orta, cum nubilis eſſet, Carolo Gondio marchioni Bellæinſulæ, Alberti ducis Radeſii filio in matrimonium collocata fuit, ſed in ipſo ætatis flore viro orbata, ad vitæ religioſæ profeſſionem animum convertit; Toloſæ igitur Fullientinarum virginum habitum induit. Quo in cœnobio cum incredibilis pietatis ac prudentiæ in gubernando ſpecimina exhibuiſſet, expoſcitur Font-ebraldenſis coadjutrix apud Henricum IV. regem a Leonora Borbonia, ſed modeſtia eam dignitatem recuſans, brevi apoſtolico Clementis VIII. juſſa eſt e monaſterio egredi, ut Leonoram in functionibus abbatiſſæ, vicariæ nomine tantum per annum adjuvaret, cum facultate utendi habitu Ciſtercienſium & regula. Acceſſit ergo Font-ebraldum 1604. ubi per ſeptennium ſola pene adminiſtrationem congregationis jubente Leonora geſſit. Curavit autem abbatiſſa bullas coadjutoriæ cum futura ſucceſſione pro ipſa obtineri 1606. quibus præcipiebat pontifex, ut regulam & habitum ordinis Font-ebraldenſis aſſumeret, quem ſolemniter e manu Leonoræ ſuſcepit: ſed prioris obſervantiæ tenax, agente Franciſco cardinali a Joyoſa, abdicationem ſuam a ſummo pont. 1610. paulo ante obitum Leonoræ obtinuit, eaque mox an. 1611. defuncta, poſt funeris exſequias congregato monialium univerſo cœtu, coram eis, propoſitum ceſſionis abbatiæ ſumma animi demiſſione expoſuit; continuo delegatus eſt a Rege Armandus-Johannes Pleſſæus epiſcopus Lucionenſis, ut eam vel a propoſito averteret, vel novæ electionis ſuffragia promoveret. Sed ea in abdicandi propoſito perſeverans, ele-

[a] Ejus & filii ipſius Jacobi ſepulcra olim vidimus non in choro ſed inter chorum & ſanctuarium poſita, & tabulis æneis in quibus eorum erant ſtemmata & effigies, contecta.

ctioni Ludovicæ Borboniæ, e linea toparcharum de Lavedan, majoris prioriſſæ in abbatiſſam favit. Tum Antonieta Font-ebraldo abſceſſit eodem anno, ac in ordinis domum Girundam dictam ſe recepit, quo in receſſu novæ congregationis B. Mariæ de Calvario fundamenta jecit, quæ feliciter in Francia propagata eſt. Mortua eſt 25. Aprilis 1618. Ejus elogium conſcripſit R. P. Hilarion de Coſte ord. Minimorum S. Franciſci de Paula, tomo 1. feminarum quæ noſtra patrumque memoria pietate & doctrina floruere.

XXXI. Ludovica II. de Bourbon Johannis Borbonii vicecomitis Levitanenſis, baronis de Mahuſe, ex Franciſca de Silly filia, prodiit in lucem Molinii Boiorum 1548. Octob. 21. & per omnes abbatiæ nobiliores præfecturas ad ſupremam ſibi gradum fecit; nam ſponte Antonietta Aurelianenſi cedente electa, diplomate regio nominatur 1. Junii 1611. tum acceptis bullis adiit poſſeſſionem die 23. Januarii anno 1612. & 29. Julii ſequentis benedicitur ab epiſcopo Lucionenſi, poſtea cardinali Richelio. Orationis mentalis uſum quotidianum inſtauravit, annuo ad vacandum Deo receſſui initium dedit, Romani officii uſum ex brevi apoſtolico in Ordinem induxit, mauſoleum venerabili patri Roberto exſtruxit, denique exemplo potius quam imperio nobiliſſimæ virginum congregationi toto vitæ decurſu præfuit, quem abſolvit anno ætatis ſuæ 89. a Chriſto nato 1637. die XI. Januarii. Maria Borbonia Sueſſionenſis, bullis deſignata fuerat coadjutrix, ſed an. 1625. Thomæ Sabaudo Cariniani principi nupſit.

XXXII. Johanna-Baptiſta de Bourbon, Henrici IV. regis ex Carlota des Eſſars de Romorantin naturalis filia, naſcitur 1608. codicillis ejuſdem regis pro filia agnita fuit, tum ex moniali Calenſis abbatiæ a Ludovica Borbonia & univerſo conventu poſtulatur in coadjutricem 13. Decemb. 1624. inde Ludovico XIII. nominationem confirmante, Johanna-Baptiſta Font-ebraldum acceſſit 1625. 23. Januarii, poſtmodum bullis proviſa, demortuæ Ludovicæ ſucceſſit 1637. inauguraturque abbatiſſa 20. Maii 1639. a Philippo Coſpeano epiſcopo & comite Lexovienſi. Erga Ordinem propugnandæ auctoritatis inſigne documentum exhibuit, cum ſenatuſconſulto magni ſanctioriſque conſiſtorii an. 1641. antiqua jura & privilegia ſanciri, ſupremumque dominium tum in monachos, tum in ſanctimoniales totius ordinis Font-ebrald. confirmari obtinuit. In chartis authenticis regiæ biblioth. memoratur annis 1649. 3. Junii, & 1651. 28. Junii. Cumque nobiliſſimæ toto orbe congregationi præfuiſſet uſque ad an. 1670. mortua eſt die 16. Jan. de qua vide inter inſtrumenta.

C. XLVIII. col. 363.

XXXIII. Maria Magd. Gabrielis de Rochechouard, ducis de Mortemar & Dianæ de Grand-Seigne filia, ex moniali Liberæ abbatiæ, vulgo *l'abbaye aux Bois*, ord. Ciſterc. facta eſt abbatiſſa Fontis-ebraldi, ſchedula regia data 18. Aug. 1670. bullaque pontificia VI. cal. Nov. ejuſdem anni, cujus etiam die 24. Decemb. poſſeſſionem accepit, Pariſiis benedicta 8. Febr. 1671. ab archiep. Pariſienſi. Præluxit autem ſororibus ſuis virtutum ac ſcientiæ ſplendore, quippe quæ præter linguam Latinam, Græcas etiam litteras apprime callebat, necnon intra theologiæ arcana faniorem doctrinam hauſerat; quas dotes, quos ſapientiæ ac ſcientiæ theſauros ſumma velabat modeſtia. Obiit 1704. 15. Aug. cujus elogium funebre inter inſtrumenta videre licet.

C. XLIX. col. 365.

XXXIV. Ludovica III. Franciſca de Rochechouard de Vivonne, filia ducis & mareſcalli de Vivonne ex Antonia-Ludovica de Meſmes, ſuperioris neptis, & major prioriſſa, magna totius capituli & ordinis gratulatione nominatur abbatiſſa, regiis litteris datis 23. Aug. 1704. bulliſque pontificiis VI. nonas Oct. ejuſdem anni confirmatur; quo etiam anno, die 3. Decemb. poſſeſſionem, & 6. Octobris anni 1707. benedictionem accepit ab archiep. Bituricenſi. Veſtem religioſam dedit 20. Maii 1706. ſereniſſimæ principiſſæ Mariæ Gabrieli Eleonoræ de Bourbon, quam & ad profeſſionem admiſit anno ſequenti. Hactenus feliciter præeſt.

Du Fourny généalogies des galeres des France.

MAJORUM PRIORISSARUM SERIES.

I. HERSENDIS 1104. cujus elogium vide col. 1313. obiit 1109. 30. Novemb.

II. Petronilla I. prioriſſa reperitur in charta Bernardi de Fonte, ſub Petro Pictavienſi epiſcopo, & an. 1115. Poſtea nomen ac dignitatem abbatiſſæ aſſumſit.

III. Augardis, ſive Algardis vel Audegardis a B. Roberto prioriſſa inſtituitur; ſicque denominata reperitur an. 1122. in charta Gauterii de Monte-Sorello, & 1129. in charta Willelmi Adelelmi epiſcopi Pict. Obiit 17. Apr.

IV. Rana in charta Savarici de Aurea-valle, ſub Honorio II. ſummo pontifice, Gaufredo Fulconis filio Andegavenſibus dominante.

V. Florentia ſub Petronilla abbatiſſa prioratum geſſit Gaufredo Carnotenſi epiſcopo exiſtente legato ſedis apoſtolicæ.

VI. Agnes comitiſſa, cui datum fuit molendinum Parteniaci; eadem forte ac Agnes *Angloiſe*, quæ obiit 25. Maii.

VII. Audeburgis tempore Mathildis abbatiſſæ & Iſembardi prioris, & 1156. ipſamet forſitan quæ poſt Mathildem fuit abbatiſſa.

VIII. Lucia 1162.

IX. Gilia 1165. 74. 75. & 1184. quo circiter facta eſt abbatiſſa; ubi vide; obiit 28. Apr. quæ rurſus memoratur in necrol. 17. Maii.

X. Juliana 1187. ſub Mathilde abbatiſſa. Obituum codex ejus meminit die 22. Decemb.

XI. Adela, vel Alix ſeu Aalizia filia Theobaldi comitis Bleſenſis, prioriſſa 1192. & 1196. deinde abbatiſſa circa 1208.

XII. Berta prioriſſa tempore Stephani prioris Font-ebrald. & 1206. poſtmodum abbatiſſa, nominatur in necrologio 17. Maii.

XIII. Juliana prioriſſa tempore Stephani prioris, & 1220. Obiit 17. Septemb.

XIV. Adela filia Eudonis Britanniæ comitis ex prioriſſa evaſit abbatiſſa.

XV. Mabillia tempore Stephani prioris 1240. deinde abbatiſſa. Obiit 6. Januarii.

XVI

XVI. Agatha de Caſtro-novo, regis Angliæ Henrici II. neptis, obiit anno ætatis ſexageſimo.

XVII. Matthæa de Colheron 1253.

XVIII. Ala 1254.

XIX. Sibilla filia Hugonis domini de Bellayo 1256.

XX. Martiridis prioriſſa.

XXI. Nicolaa Petite obiit die 6. Maii.

XXII. Johanna I. Beſſonne obiit 13. Maii.

XXIII. Margareta I. de Pocey prioriſſa tempore Johannis prioris, fit abbatiſſa 1284.

XXIV. Giſla tempore Margaritæ de Pocey abbatiſſæ anno 1293. menſe Januario.

XXV. Clementia de Pocey.

XXVI. Elizabeth de S. Caſſien neptis Margaretæ de Pocey abbatiſſæ.

XXVII. Mabilia II. de Montbazon.

XXVIII. Philippa I. de Maulevrier obiit 23. Julii.

XXIX. Petronilla II. de Pedentro, obiit 12. Auguſti.

XXX. Theophania Fourrier ex majori celleraria, obiit anno 1350. ætatis centeſimo.

XXXI. Alix de Ventadour prioriſſa, tum abbatiſſa circa 1370.

XXXII. Adelaïdis du Port obiit 17. Auguſti.

XXXIII. Johanna II. obiit 19. Auguſti.

XXXIV. Jacquelina obiit 24. Aug.

XXXV. Johanna III. du Gué obiit 29. Aug.

XXXVI. Dionyſia de Montfort obiit 2. Sept.

XXXVII. Johanna IV. de Bonafaire obiit 5. Septembris.

XXXVIII. Johanna V. de Meigne obiit 12. Septembris.

XXXIX. Mathildis de Cilly obiit 4. Octob.

XL. Johanna VI. obiit 11. Octob.

XLI. Blanca de Credonio major prioriſſa ſede vacante poſt obitum Blanchæ de Harcour, ſeu potius contentione inter Mariam de Harcour & Margaretam de Montmorency exiſtente, toti præfuit ordini per annos viginti; obiit 12. Aprilis.

XLII. Stephanetta de Periers obiit 29. Octob.

XLIII. Philippa III. obiit 16. Novemb.

XLIV. Richildis 18. Novemb.

XLV. Margareta II. Hodry obiit 22. Julii 1484. anno ætatis 80.

XLVI. Magdalena I. de Montejan major prioriſſa reperitur an. 1494. quæ biennio poſt non ſine ſcandalo monaſterium deſeruit. Hæc anno 1498. prioratum reſignavit in manibus Renatæ, accepta domo de la Maçonnerie. Poſtea tamen clauſuræ votum emiſit & obiit in domo Font-ebrald. anno 1523.

XLVII. Iſabellis de Borbonio ipſi ſucceſſit; deinde abbatiſſa SS. Trinitatis Cadomenſis electa, conſecratur apud Font-ebraldum die 22. Junii an. 1505. Deceſſit 13. Julii 1531.

XLVIII. Margareta III. du Coq 1507.

XLIX. Margareta IV. de Crets ſepulta in capitulo majoris monaſterii an. 1510. ætatis 60. 27. April.

L. Margareta V. d'Autruy prioriſſa declaratur 21. Aprilis 1510. obiit menſe Aprili 1512. in capitulo ſepulta.

LI. Perretta Levoix 22. Aprilis per obitum præcedentis, reformavit monaſterium S. Crucis Pictavienſis 1512.

LII. Catharina de Haubergeron inſtituitur menſe Febr. 1514.

LIII. Maria d'Avoiſe 18. Febr. 1518. profeſſionem emiſerat in monaſterio S. Magdalenæ Aurelian. an. 1491. Moritur in monaſterio Tuconienſi, cujus erat prioriſſa, an. 1556. 21. Aug.

LIV. Ludovica I. de Bourbon anno 1521. menſe Februario inſtituitur prioriſſa, tum abbatiſſa 7. Novembris 1534. obiit 21. Sept. 1575.

LV. Catharina d'Haubergeron iterum prioriſſa declaratur 10. Junii 1535. obiit 14. Nov. 1542.

LVI. Renata I. a Lotaringia, filia Claudii a Lotaringia & Antoniettæ Borboniæ, an. 1536. profeſſionem emiſit, prioriſſa declaratur 1543. deinde abbatiſſa Remenſis an. 1546.

LVII. Renata II. Borbonia, filia Caroli Borbonii ducis Vindoc. profeſſionem emiſit an. 1540.

LVIII. Eleonora Borbonia, præcedentis ſoror, ex prioriſſa fit abbatiſſa.

LIX. Franciſca de Rohan anno 1587. donatur abbatia SS. Trinitatis Pictav. deinde abbatia Regulæ in urbe Lemovicarum.

LX. Johanna VII. du Puy de Baché profeſſionem emiſit 17. Aprilis 1533. obiit an. 1602.

LXI. Avoya de la Chauſſée uno ſupra viginti anno prioriſſæ Font-ebraldenſis munus laudabiliter geſſit. Obiit XI. Febr. 1618.

LXII. Ludovica II. de Bourbon de Lavedan prioriſſa deſignatur menſe Aprili an. 1610. deinde abbatiſſa.

LXIII. Gabriëlis I. de Credonio magna prioriſſa declaratur 24. Jan. 1612. obiit menſe Maio 1632.

LXIV. Gabriëlis II. de la Chetardie ſucceſſit 9. Maii 1632.

LXV. Johanna-Baptiſta de Bourbon 7. annis prioriſſa fuit, tum coadjutrix per 12. annos, deinde abbatiſſa 32. annis.

LXVI. Johanna VIII. Calloüin velum ſumſit anno ætatis 7. profeſſionem emiſit decimo quarto, nec multo poſt abbatiſſæ fuit a ſecretis. Anno 1610. cum Antonietta d'Orleans in monaſterium de Lencloiſtre ſeceſſit, ibi per annum integrum demorata; tuncque reverſa, varia & præcipua Font-ebraldi munia prudenter obivit, tandemque anno ætatis ſexageſimo primo major prioriſſa deligitur, quæ, cum anno 1640. Johanna-Bapt. Borbonia multis & gravibus de cauſis e monaſterio receſſiſſet, generalis vicaria & adminiſtra collato magno ſigillo, in ejus abſentia inſtituiter.

LXVII. Magdalena III. Brizard 1654. obiit 10. Decemb. 1674.

LXVIII. Bona Binet de Montifroy 1666. & 1670. obiit 30. Martii 1681. ætatis anno 78. a ſuſcepto habitu 67. vere monialis & omnibus inſtructa virtutibus.

LXIX. Maria de Launay de la Mottaye 1671. obiit 19. Maii 1703. ætatis ſuæ anno 84.

LXX. Ludovica III. Franciſca de Rochechouart de Mortemar * 1695. poſtmodum abbatiſſa.

* de Vivonne.

Digitized by Google

LXXI. Margareta V. de Rochechouart de Mont-pipeau, ipſo die quo Ludovica abbatiæ poſſeſſionem adepta eſt, die videlicet 3. Decemb. anni 1704. major prioriſſa renuntiata eſt; quam dignitatem obtinuit uſque ad an. 1717. quo ad abbatiam Montis-martyrum, invita licet, aſſumta eſt. Plura de ea in abbatiſſis Montis-martyrum dicturi ſumus.

SERIES MAJORUM PRIORUM FONTIS-EBRALDI

I. ANDREAS 1107. 1110.
II. Rainaldus de Coſſé 1119.
III. Iſambardus primum ſacriſta, tum ſubprior, ac demum major prior 1120.
IV. Benedictus 1154. 1160.
V. Petrus I. de Raonnes 1166.
VI. Johannes I. de Verron 1174. 1187.
VII. Guillelmus I. venerabilis 1196. & 1206.
VIII. Stephanus I. 1216. 1240.
IX. Philippus I. 1252.
X. Guido d'Agriſé 1253.
XI. Johannes II. Petit 1265.
XII. Dionyſius I. de Verron 1297.
XIII. Johannes III. Martin 1415.
XIV. Philippus II. Trigallou 1438. ceſſit; jacet in capitulo.
XV. Remigius Engrin Philippo ſufficitur ad ſeptem annos, quibus elapſis reſignavit, anno ſcilicet 1445. 15. Junii.
XVI. Guillelmus II. le Bailleul eodem anno ſucceſſit, ad annum ſaltem 1489.
XVII. Guillelmus III. Chaumart 1491. depoſitus 1494.
XVIII. Guillelmus IV. Rouſſeau 1495. Reſignavit 7. Januarii 1504. nolens admittere reformationem.
XIX. Philippus III. Fontaine 1505. 7. Junii, ceſſit 28. Novemb. 1514. quo factus eſt prior Pontis-Raterii.
XX. Albinus Albert 1532.
XXI. Johannes III. Beraud 1535.
XXII. Johannes IV. Lamy ex ſubpriore prior inſtitutus 22. Octob. 1539. viſitator 1540.
XXIII. Paulus Lovau 1540. obiit ætatis ſuæ anno ſeptuageſimo.
XXIV. Hieronymus Paris 1545. 1548.
XXV. Franciſcus I. Rouhaud 1552.
XXVI. Martialis Eparnier 1556.
XXVII. Johannes V. Lamy 1559.
XXVIII. Petrus II. Beraud 1569. 10. Octobris prior inſtituitur.
XXIX. Richardus de Riancourt 1573.
XXX. Ludovicus Bouliot 1576.
XXXI. Claudius Coppin 1598.
XXXII. Andreas II. Morillon 1626.
XXXIII. Franciſcus II. Berthelot 1630. vir ſanctus, cujus corpus ſervari adhuc incorruptum teſtantur.
XXXIV. Dionyſius II. Moreau 1638.
XXXV. David I. Cordier 1641.
XXXVI. Sebaſtianus Ganot 1649.
XXXVII. David II. Cordier 1656.
XXXVIII. Johannes VI. Virdou 1670.
XXXIX..... Cyret 1674.
XL. Jacobus Anger 1677.
XLI. Henricus le Cointe 1684.
XLII. Ambroſius Bouvier 1687.
XLIII. Mathurinus I. Vory 1690.
XLIV. Florentius de la Ville 1693.
XLV. Franciſcus III. Rouſſelet 1696.
XLVI. Mathurinus II. Sory 1699.
XLVII. Stephanus III. Combaud 1702.
XLVIII. Johannes VII. Maſſe 1705.
XLIX. Franciſcus IV. de la Haye 1708.

BONA-VALLIS PROPE THOARCIUM.

Bonneval lez Thouars.

BONA-VALLIS prope Thoarcium, ſub invocatione B. Johannis, antiqua eſt abbatia vicecomitum Thoarcenſium donis locupletata, cui Lotharii regis munificentia collata eſt curtis de Faya, ut patet ex originali Bonæ-vallenſis chartophylacii inſtrumento in appendice deſcripto. C. I. col. 366.

SERIES ABBATISSARUM.

I. AREMBURGIS I. quam Sammarthani Rambigam vocant, præerat an. 973.
II. Aremburgis II. 1144. & 1146. ex veteri Gall. Chriſt. tom. IV. pag. 3. col. 1.
III. Alada ſeu Adelais abbatiſſa SS. Johannis & Andreæ de Thoarcio bullam obtinuit ab Alexandro III. datam Romæ an. 1169. quam vide inter inſtrumenta. C. II. col. 367.
IV. Clementia 1202.
V. A. cui Guido de Thoarcio frater Aimerici vicecomitis dat quinquaginta ſolidos pro anniverſario matris ſuæ Aumuz, & uxoris ſuæ comitiſſæ Britanniæ an. 1208.
VI. Catharina I. 1223.
VII. Johamnis ſeu Johanna I. ſedebat eodem an. menſe Novembri.
VIII. Agnes I. d'Operche, *al.* du Perche 1239.
IX. Matthæa 1295.
X. Margarita de Suillé 1297.
XI. Maſſea 1307.
XII. Percevallis, *Paraſſois*, de Chaopes vel de Choupes 1331. & 1332.
XIII. Iſabellis de Thouars cognata Ludovici vicecomitis Thoarcii 1340. 1346. & 1359.
XIV. Alienor I. de Parthenay 1362. 72. & 73.
XV. Joſen vel Joſepha 1376.
XVI. Pernella ſeu Petronilla I. Rouande, *al.* Ruarde 1379.
XVII. Renata-Pernella de Souzay 1396.
XVIII. Petronilla II. de Brezé 1410.
XIX. Yvona de Brezé 1418.
XX. Guillelmeta I. de Brezé poſt obitum Yvonæ eligitur abbatiſſa, quam confirmavit Simon ep. Pictav. menſe Febr. *al.* Nov. 1419.
XXI. Agnes II. de Rochechouard 1420.
XXII. Guillelmeta II. de Maillé 1421.
XXIII. Guillelmeta III. de Brezé 1424.
XXIV. Johanna II. de Maillé 1427. obiit 1439.
XXV. Alienor II. ſeu Helionor de Maillé ex prioriſſa de Moneſto (eſt prioratus a Bellimonte pendens) confirmatur abbatiſſa eodem an. 1439. Reperitur in variis chartis annorum 1447. 48.

60. 62. & 72. Item 1473. 16. Jan. & 1475. 12. Maii in chartis duabus authenticis regiæ bibl.

XXVI. Johanna III. de Maillé 1475. 21. Nov. & 1478. 8. Januarii, ex chartis authenticis regiæ biblioth. Hujus meminit necrologium SS. Trinitatis Pict. XI. cal. Junii his verbis : *Obiit domina Johanna de Maillé abbatiſſa S. Johannis Thoarcii an. 1488.*

XXVII. Johanna IV. de Maillé ceſſit anno 1493. quæ tamen adhuc memoratur annis 1499. & 1509.

XXVIII. Catharina II. de Chivré, cedente Johanna de Maillé, bullas obtinuit an. 1493. occurrit autem annis 1495. 1518. 1519. 1521. die 14. Decembris, 1523. 1527. & 1528. imo & poſt annum 1531. ut mox videbimus, niſi forte duæ vel etiam tres abbatiſſæ fuerint cognomines, nam interim duas reperimus abbatiſſas an. 1521. ſcilicet Mariam d'Amboiſe & Magdalenam de Bourbon.

XXIX. Johanna III. de Chivré, 1528. & 1530. Obiit 1531. die 15. Decembris, ſepulta in capitulo.

XXX. Catharina III. de Chivré, quam unanimi ſororum conſenſu electam, cedere tamen Ludovicæ Chaſteigner a rege Franciſco I. deſignatæ coactam fuiſſe dicunt Sammarthani, haud alia nobis videbitur eſſe quam Catharina jam a longo tempore abbatiſſa, quæ ſororum inclinata precibus pedum reſumſerit. Ea enim paulo poſt defuncta, dicuntur Johanna Coyſmes ſacriſtiæ præfecta & Franciſca Poiſlier de abbatia contendiſſe, quam neutra obtinuit.

XXXI. Ludovica I. Chaſteigner Guidonis domini de Rupe-poſæa & Magdalenæ du Puy du Couldray-Monin filia, a teneris annis vota religionis emiſit in cœnobio SS. Trinitatis Pictav. tum bullas obtinuit a Clemente papa VII. datas nonis Feb. 1532. pro abbatia Thoarcenſi vacante per obitum Catharinæ de Chivré. Confeſtim monaſterium ſuum in regularis diſciplinæ domicilium commutavit, exædificata baſilica, æde abbatiali & locis regularibus quæ præclare auxit. Jacet in choro eccleſiæ cum hoc epitaphio : *Cy giſt le corps de reverende dame Louiſe Chaſteigner en ſon vivant abbeſſe de ceans durant XII.* * *années, laquelle eſtoit vertueuſe & charitable . . . . . a introduit la reformation, & pour icelle obſerver fit commencer les lieux reguliers & reparer le monaſtere & deceda le* * *4. Novembre* *. Ejus tamen obitus notatur in necrol. SS. Trinit. Pictav. *III. nonas Novembris 1543.*

* Samm. habent ; dix ans, dix mois, quatre jours.

* al. 13.

* Samm. Decembre.

XXXII. Philippa Chaſteigner, filia Johannis Chaſteigner & Claudiæ de Montleon, Ludovicæ neptis, ei ſucceſſit an. 1543. memoraturque annis 1545. 1548. & 1556. Dicitur autem a Sammarthanis, regis Henrici II. reſcripto 1548. facultatem accepiſſe tranſcribendi abbatiam ſorori Franciſcæ tertii ord. S. Franciſci moniali. Sane abbatiæ bonum fuiſſet, ſi nunquam abbatiſſam habuiſſet Philippam ; quippe quæ a fide catholica defecit, & Genevam cum octo monialibus receſſit anno 1557. Dom. 2. Quadrageſimæ.

XXXIII. Gaſparda de Clermont, filia Bernardini ex Anna de Huſſon, ſoror vero Gabrielis Vapincenſis & Theodori Johannis Senecenſis epiſcoporum, alumna S. Crucis Pictav. erat quando abbatiam S. Johannis injuſte detentam a Philippa Chaſteigner quæ a fide defecerat, obtinuit a ſummo pontifice bulla data Romæ 1560. menſe Jun. Iniit poſſeſſionem die 7. Septemb. ejuſdem anni, & obiit 1590. in choro ſepulta, cui proinde falſo tribuuntur anni quinquaginta regiminis in inſcriptione ſepulcrali *.

* Effinxit.

XXXIV. Iſabella ſeu Iſabellis de Vivonne de la Chaſteigneraye, filia Caroli II. hujus nominis, regiorum ordinum equitis, & Renatæ de Vivonne, ex moniali SS. Trinit. Pictav. præerat abbatiſſa jam an. 1590. nonniſi tamen an. 1598. benedictionis munus accepit a Godefrido Pictav. epiſc. Coadjutricem aſſumſit Ludovicam de Chaſtillon 1625. & poſtquam ſediſſet annis 42. obiit 1632.

XXXV. Ludovica II. de Chaſtillon Ægidio barone d'Argenton & Maria de Vivone ſorore Iſabellis nata, amitæ ſucceſſit cum jam eſſet ipſius coadjutrix. Litigavit adverſus Henricum de la Tremoille Thoarcii vicecomitem, qui ſe fundatorem monaſterii nomine majorum ſuorum eſſe contendebat. Præfuit ad an. 1646. quo adlecta ſibi coadjutrice Elizabetha de Chaſtillon ſorore, antequam a Rege confirmaretur, e vivis exceſſit. Jacet in choro cum hoc epitaphio : *Cy giſt le corps de madame Louiſe de Chaſtillon tres-digne abbeſſe de cette maiſon qu'elle a miſe dans la parfaite reforme du R. P. S. Benoiſt, où elle a vécu abbeſſe 14. ans, 8. mois, 9. jours, eſtant decedée le 26. Sept. 1646. agée de 38. ans.*

XXXVI. Elizabetha de Chaſtillon per obitum ſororis obtinuit a Rege abbatiam die 3. Octob. 1646. bulliſque confirmata anno ſequ. poſſeſſionem adiit 9. Maii ejuſdem anni 1647. munus autem benedictionis accepit ab Henrico epiſcopo Andegav. 5. Octob. 1653. migravit a ſeculo die 4. Junii 1668. ætatis anno 57. multis ſuæ munificentiæ relictis monumentis. Sepulcrum habet in capitulo.

XXXVII. Maria Franciſca Yolandis de Chaſtillon nata parentibus Franciſco dom. de Boisrogues & Magdalena-Franciſca-Honoré, neptis vero duarum præcedentium abbatiſſarum, cum eſſet monialis in Pictavienſi S. Crucis parthenone, bullas accepit III. calend. Sept. 1668. Sedit vero ad annum 1676. quo defuncta die 27. Apr. ætatis an. 26. ſepelitur in capitulo, ubi habet epitaphium, nihil notatu dignum continens.

XXXVIII. Magdalena-Angelica-Maria de Chaſtillon ſoror præcedentis, regia ſchedula 7. Maii 1676. & pontificio diplomate IV. nonas Octob. ejuſdem anni, poſſeſſionem apprehendit 4. Maii 1677. Benedictione donatur ab archiepiſcopo Turonenſi in eccleſia S. Martini Candacenſis *de Candes* ad Ligerim, aſſiſtentibus abbatiſſa Fontis-ebraldi & domina de Belin prioriſſa, die Dominica 8. Aug. 1678. Curavit organa pneumatica in eccleſia conſtrui, & chori fornicem reparavit. Oblatam ſibi Montis-martyrum abbatiam recuſavit, ac tandem poſtquam ſumma cum laude rexiſſet monaſterium, pie deceſſit an. 1708.

die 5. Martii, ætatis an. 55. dignitatis abbatialis an. 32. In choro jacet, cum epitaphio in quo celebrantur ſplendor ejus generis, integritas fidei, morum candor, concentus virtutum, dignitatum contemtus, &c.

XXXIX. Franciſca Mariana de Chaſtillon duarum præcedentium ſoror, necnon Ludovicæ-Carolæ abbatiſſæ S. Lupi prope Aureliam, & amita Olympiæ de Chaſtillon ejuſdem loci abbatiſſæ, ex moniali & prioriſſa monaſterii novitiarumque magiſtra, abbatiam promeruit bullis acceptis VII. calend. Junii 1708. cujus poſſeſſionem adepta eſt 12. Aug. ejuſdem anni. Præeſt adhuc an. 1719.

CELLA S. HILARII.

CELLA S. HILARII in urbe Pictav. ord. S. Auguſtini, congregationis Gallicanæ, ex prioratu conventuali fit abbatia, quam quidem regalis eſſe fundationis tradunt, ubi & aliquando corpus S. Hilarii, cui dicata eſt, requievit, priuſquam in baſilicam S. Hilarii-majoris Pict. deferretur. Quod autem ex chronico MS. Lemovicenſis abbatiæ S. Martialis, ad hoc monaſterium Sammarthani referunt, de fato mirabili abbatis de Cella Pictav. diœceſis, rectius convenit Cellenſi S. Mariæ ejuſdem diœceſis, quando quidem Cella S. Hilarii nondum abbates obtinebat.

SERIES PRIORUM ET ABBATUM.

I. S. GUILLELMUS I. Temperii ex canonico regulari hujus eccleſiæ factus eſt prior, ac denique epiſcopus Pictav. circa annum 1180.

II. Giroius ſancto Guillelmo ſuperſtiti prior ſucceſſit, cujus nomen legitur in charta anni 1196.

III. Seguinus prior 1204.

IV. Philippus prior 1280.

V. Guillelmus II. prior 1317.

VI. Petrus I. Baudry prior, Augenſi comiti fidem exhibuit clientelarem an. 1343.

VII. Guillelmus III. Berloüin prior 1365. idem fortaſſe quem Sammarthani tanquam abbatem ad an. 1375. commemorant.

VIII. Reginaldus I. primus abbas inſcribitur anno 1403.

IX. Johannes I. Jourdain abbas an. 1408.

X. Reginaldus II. 1409.

XI. Guillelmus IV. 1414.

XII. Johannes II. Renaudeau 1425.

XIII. Johannes III. Briant 1449.

XIV. Hilarius Vallory abbas commendatarius 1467. 1476. 16. Aprilis, 1478. 2. Maii, & 1480. 12. Auguſti in chartis authenticis regiæ biblioth.

XV. Guillelmus V. Rogier 1487.

XVI. Petrus II. Rogier 1491.

XVII. Antonius des Barres abbas commend. 1494. 1496. 15. Julii, 1497. 19. Auguſti 1513. 1. Oct. & 1514. die 4 Nov. in chartis authenticis regiæ biblioth.

XVIII. Guillelmus VI. de Langeac 1529. quo circiter tempore ad ipſum & ad priorem S. Radegundis, necnon ad præpoſitum B. Petri-majoris Pictav. Clemens papa VII. litteras apoſtolicas direxit pro reformatione eccleſiæ B. Mariæ-majoris Pictav. In necrologio S. Petri de Caſis, talis eſt ipſius commemoratio: *30. Maii obiit noble Guilleaume de Langhac abbé de la Celle & Seigneur d'Eſpagniac par madame Francoiſe de Langhac ſa niéce.*

XIX. Claudius de l'Eſtrange 1549.

XX. Petrus III. des Prez 1565.

XXI. Franciſcus I. Paſtureau 1582.

XXII. Jacobus I. Sauvage 1587.

XXIII. Jacobus II. des Prez abbas Cellæ 1589. Vide in abbatibus de Stella.

XXIV. Guillelmus VII. de Requieu 1597. an. 1606. in charta Jotrenſis monaſterii.

XXV. Franciſcus II. Daulezy 1614.

XXVI. Franciſcus III. Fourré de Dampierre 1623.

XXVII. Paulus d'Urcot Regi a conſiliis & eleemoſynis, ſedis apoſtolicæ protonotarius & abbas Quinciaci, ſub quo abbate Cella S. Hilarii unita eſt an. 1652. canonicorum Regularium Gallicanæ congregationi.

XXVIII. Renatus I. Sochet de la Charouillere, prior S. Radegundis Pictav. & canonicus eccleſiæ S. Petri Pictav. gemellorum Sammarthanorum ex ſorore nepos 1663. 1670. & 1680.

XXIX. Renatus II. de Mornay filius Henrici de Mornay marchionis de Montchevreuil, abbas Cellæ in Pictonibus dicitur a D. du Fourny, & quidem alibi lego nominatum menſe Januar. anni 1684.

XXX. Julius Cæſar Contocheau de Gallardon deſignatur abbas an. 1680. menſe Maio. Sedebat adhuc an. 1708.

CELLA S. MARIÆ.

CELLA B. MARIÆ ordin. S. Auguſtini ad Belanam fluvium, *la Belle*, exſtabat jam anno 1100.* quo Petrus Pictavorum epiſcop. ei conceſſit eccleſias S. Hippolyti de Luchiaco *, S. Martini de Aſinariis * & S. Maxentii *de Payſai le Chapt*, necnon capellam de Poupon; at tunc erat ſolummodo cella abbatiæ Stirpenſi ſubjecta, & adhuc anno 1121. quo Guillelmus epiſc. de conſilio & aſſenſu clericorum matris eccleſiæ Pict. eidem largitus eſt eccleſias S. Sulpitii *de Teillou*, S. Hilarii de Laigniaco *, S. Silvani * & S. Martini de Perigniaco * Neque vero abbatiæ titulum conſecuta eſt cella hæc ante annum 1137. quo Willelmus alter Pictav. epiſc. ratam habet chartam Maengodi de Metulo * in favorem Johannis prioris (forte poſtea primi abbatis) & canonicorum B. M. de Cella, an. Incarn. 1137. epacta XXVI. regnante Lodoico. At certe hic honos ipſi attribuitur in charta Giſleberti Pictav. epiſcopi data 1148. qua Stirpenſes canonicos ad dimittendum coëgit quidquid juris habere videbantur in eccleſia Cellenſi. Hanc referimus in appendice ex authentico deſcriptam; ſed lacunarum non expertem. Ceterum Ludov. rex XI. eccleſiam B. M. de Cella reparavit, quæ quidem inter præſtantiores agri

* Luché.
* Aſnieres.
* Ligné.
* S. Sauvan
* Perigné.
* Meſle.
C. LV. col. 372.

* Imo 1095. quo anno, inquit chron. Malleacenſe, cœpit locus S. Mariæ ad Cellam florere miraculis.

Pictav. merito computatur; quare huic regi decretæ ſunt preces quotidianæ in exitu veſperarum & miſſæ. Anno 1651. unitur hoc monaſterium reformatæ congregationi Gallicanæ, ſub qua hodie floret regularis obſervantia.

Abbatum indiculus.

I. Johannes I. de Uzone ex canonico Cellenſi in primum abbatem eligitur, ut palam fit ex inſtrumento ſuperius memorato. Hic eſt profecto Johannes qui cum Iterio Stirpenſi abbate concordiam fecit. Vide in Stirpo.

II. Petrus I. S. Rufi canonicus 1148. de quo vide præfatum inſtrumentum. Aderat in capitulo S. Maxentii, cum Samſon veniam a Petro abbate & fratribus monaſterii S. Maxentii humiliter deprecatus eſt, pro injuriis eidem monaſterio illatis, an. 1149. indict. VIII. * concurrente V. epacta IX. III. nonas Junii, Luna XXIII. Memoratur adhuc annis 1159. 1167. & 1169.

* *lege* XII.

III. Guillelmus I. 1177. 1182. & 1187. quo anno interfuit tranſactioni factæ inter abbatiſſam SS. Trinitatis Pictav. & miniſtrum fratrum S. Johannis Jeroſolymitani in Pictavia. Hoc eodem anno memoratur in charta Nobiliacenſis monaſterii, & iterum 1192.

IV. Johannes II. ſine ulla temporis nota. Fortaſſe is eſt abbas quem legimus in codice MS. viri clar. N. Faure Lemovic. interemtum an. 1210. ab uno ex ſuis canonicis. Vide Fragm. hiſt. Aquit. pag. 211.

V. Theo 1244. 1250. & 1256.

VI. Guillelmus II. 1258. 60. 62. 63. 65. 71. 74. 76. & 1280. fortaſſe vero lubens vel invitus ceſſerat jam anno 1260. quo anno Petrus occurrit & 1264.

VII. Petrus II. 1277. 79. 81. 83. 85. & 1286.

VIII. Aimericus 1287.

IX. Petrus III. 1290. Hunc & Aimericum I. omittit D. Edm. Martenne.

X. Aimericus II. 1308. 1310. & 1313.

XI Joſcelinus 1321. 22. & 23.

XII. Guillelmus III. 1343.

XIII. Johannes III. 1347.

XIV. Petrus IV. 1352.

XV. Johannes IV. 1364.

XVI. Petrus V. 1383. 1396. & 1397.

XVII. Hugo Forcin ex priore monaſterii abbas 1398.

XVIII. Guido de Lezignac 1404. 1400. 1409. 1410. 16. 30. 31. 35. 38. 42. 44. 48. 49. 51. & 1452. Anno 1456. celebrat capitulum generale & ſtatuta condit.

XIX. Ludovicus I. de Lezignac 1460. 62. 65. 66. 72. & 77. quo anno preces decrevit pro ſalute regis Ludovici XI. ex autographo quod ſequitur: *Ludovicus de Leſigniaco abbas, & conventus B. Mariæ de Cella in capitulari tractatu matura deliberatione providentes, attente infra pectorum arcana revolventes privilegia & dona quibus chriſtianiſſimus & ſereniſſimus princeps Dom. noſter rex Francor. Ludovicus Dei gratia præſidens in regno Franciæ ditavit ipſum monaſterium devotione ſingulari quam ad Dei-genitricem gerit, quæ in capella ſub ejus vocabulo fundata ibidem veneratur, ne ingrati dicerentur, quod abſit, pro tantis bonis quæ ipſe dominus noſter rex & ſui progenitores contulerunt, ſpiritualia pro temporalibus reddere decreverunt, ordinantes ſingulis diebus genibus flexis in exitu veſperarum & miſſæ preces decantari pro ſalute Regis. Actum 27. die Julii M. CCCC. LXXVII.* Idem abbas erexit altare in honorem S. Gabriëlis & S. Egidii, in quo ſingulis diebus miſſa caneretur pro incolumitate & bona intentione domini regis, ac pro pace & tranquillitate regni. In chartis authent. regiæ biblioth. memoratur abbas B. Mariæ de Cella, & prior de Altavilla ord. S. Aug. diœceſis Engol. annis 1463. 16. Oct. & 1464. 2. Junii. Recenſetur adhuc Ludov. an. 1480. imo 1483. ex annotationibus Edmundi Martenne, qui duos ſequentes omittit.

XX. Mathurinus 1481.

XXI. Petrus 1484. & 1497. at fortaſſe cum Ludovicus ceſſiſſet, contentio fuit de ſucceſſore inter hos duos & Aymericum Gaillard qui ſequitur.

XXII. Aimericus Gaillard 1484. 85. 88. 90. 91. & 1492. quo anno interfuit benedictioni abbatis de Caſtellariis.

XXIII. Mathurinus II. Joubert de la Baſtide, idem fortaſſe qui ſupra, ultimus abbas regularis, memoratur 1496. 20. Aug. in charta authentica regiæ biblioth. 1498. 6. Aug. & 1507. 25. Decemb. his duobus annis abſque cognomine, ibid. Reperitur alibi annis 1494. 1498. 1505. 1508. & 1517.

XXIV. Goffridus I. d'Eſtiſſac epiſc. Malleacenſis primus abbas commendatarius ab an. 1516. inquit noſter D. Edm. Martenne ad annum 1537. Certe hoc anno, die 20. Aug. annis 1541. 5. Martii & 1542. 16. Octob. legitur abbas in chartis authent. regiæ biblioth.

XXV. Arnaldus d'Eſtiſſac juris utriuſque doctor 1547. Eo ſedente monaſterium a ſegregibus devaſtatur an. 1567. quamobrem optimus abbas receſſit in urbem Pictavenſem, ubi mœrore confectus obiit an. 1569. tunc erant in monaſterio viginti quinque canonici Regulares.

XXVI. Renatus Thenault abbas ſeu potius œconomus pro dominis de Barbezieres Franciſco & Emerico fratribus, qui regia Caroli IX. ſchedula freti, abbatiæ redditus invaſerunt.

XXVII. Matthæus Couldré presbyter, ab iiſdem abbas inductus ab an. 1574. ad an. 1589. quo deceſſit.

XXVIII. Johannes V. Millet œconomus ab iiſdem nominatus vi alterius ſchedulæ ab Henrico III. rege obtentæ, ad annum 1602.

XXIX. Goffridus II. de Barbezieres, Franciſci filius tertius ex Franciſca Coutance quæ marito mortuo an. 1606. ad mediam proventuum hujus abbatiæ partem ſucceſſit, abbatiam obtinuit anno 1602. cujus alteram reddituum partem circa 1609. pro Emerico patruo defuncto, cum Gabriele fratre partitus eſt. Is tandem matrimonio inhians reſignavit ſequenti, famulo ſuo, qui ſibi, matri ac fratribus abbatis fiduciarii partes ſuſciperet, an. 1614.

XXX. Hilarius Fillcau vel Fillaud abbas non dissimilis, ad an. 1623. quo heri sui Godefridi jussu abbatiam dimisit Francisco de la Rochefoucault.

XXXI. Franciscus de la Rochefoucault pro Cellensi abbatia schedulam obtinuit anno 1623. cujus tamen non nisi die 8. Maii 1625. possessionem accepit supremi consilii placito.

XXXII. Ludovicus II. de la Rochefoucault, Lectorensis episcopus, cedenti fratri successit tum in abbatia, tum in lite cum Francisco III. de Barbezieres Godefridi nepote, qua e majori consilio ad privatum evocata, hujus edicto sancitum est die XI. Augusti 1634. ut quidem dictus dominus episcopus abbatiam possideret, sed sub onere trium millium annui reditus librarum erga Carolum de Barbezieres fratrem dicti Franciſci, & triginta sex millium pro tempore præterito, etsi nunquam abbatia potitus esset. Hic an. 1651. canonicos Regulares Gallicanæ congregationis reformatæ in Cellense monasterium induxit die 27. Augusti in vigilia S. Augustini. Obiit anno 1654. mense Decembri, abbas etiam Angeliacensis.

XXXIV. Henricus de la Rochefoucault bullas obtinuit IV. nonas Julii 1661. possessionem vero 15. Martii anni sequentis. Ejus tempore R. P. Paulus Beurrier abbas S. Genovefæ de Monte, ecclesiam B. M. de Cellis ritu solemni benedixit an. 1676. a suis munifice restauratam ac de novo concameratam. Decessit Henricus mense Decembri anno 1708.

XXXV. Alexander de Johanne de Saumery nominatur abbas a Rege eodem anno 1708. in Natali Domini; sedet adhuc an. 1719.

Fontaine le Comte.

FONS-COMITIS.

HÆc abbatia B. V. Mariæ sacra, partim a fonte qui in ipso abbatiæ oritur loco, partimque ob dignitatem fundatoris sic nuncupata, scilicet Willelmi Pictavorum comitis, abest ab urbe Pictavienſi semileuca versus Occidentem, jacetque in valle silvis circumsepta, secus rivulum qui ex ipso Fontis-comitis loco trahens originem, abhinc non longe in amnem Clanum illabitur. Est ord. S. Augustini; quod tamen minime probari C. LIII. col. 370. potest ex fundationis instrumento in appendice excuso, ubi & nonnulla de fundatione B. M. de Sabluncellis ab eodem Willelmo Aquitanorum duce necnon comite Pictavorum facta reperies. Notis quidem chronicis destitutum est, sed ipsius ætatem utcumque discimus ex altero istud confir- C. LIV. col. 371. mante dato an. 1184. quod ibidem legesis. Abbatum seriem contexuit noster D. Jacobus Boyer ex variis monasterii chartis, quas diligenter evolvit; favente in primis R. patre Petro le Clerc Parisino, priore Fontis-comitis meritissimo.

ABBATUM SERIES.

I. GAUFRIDUS de Laureolo, de quo vide chartam fundationis, tanquam prior non abbas præfuit fratribus B. M. de Fonte-comitis, quos quidem fuisse jam canonicos Regulares nullum probat argumentum; imo potius eremitas dixerim, quales isto seculo B. Gerardus de Salis variis in locis vicinis instituerat. Ceterum querelam habuit cum Fulcone Bonæ-vallis abbate, pro ipso Fontis-comitis loco, quem hic abbas suum dicebat, ut pote sibi prius a Willelmo duce concessum quam Gaufrido; at contrarium judicavit Willelmus Pictav. episc. ut patet ex ejusdem litteris a Gaufrido Carnotensi episcopo sedis apost. legato confirmatis, quas in appendice referimus. Idem Gaufridus Carnotensium episcopus apostolicæ sedis legatus magistro Gaufrido de Laureolo, ejusque fratribus in loco qui dicitur de Fonte-comitis Domino famulantibus, decimas *nutrimenti* sui & laborum quos propriis sumtibus excolebant concessas a monachis S. Cypriani Pictavienſis, confirmat. Nec prætercundum quod isto in instrumento venerabilis vir Gaufridus dicitur *cum legato* prælaudato *in tribulatione sanctæ Romanæ Ecclesiæ plurimum laborasse*. Is creatus Burdigalensis archiepiscopus plura suo monasterio procuravit, ut palam fiet ex dicendis. C. LX. & LXI. col. 376. & 377.

II. Johannes I. prior & vicarius ecclesiæ Fontis-comitis nominatur in charta Gaufridi Burdegal. archiepiscopi, qua donum Stephani de Jarria, &c. præfato monasterio factum de terra & nemore suo sitis juxta Fontem-comitis confirmat, an. 1140. epacta nulla, indict. 2. regnante Lodoico rege Franc. W. Pictav. episcopo. Nimirum hic Johannes vicarius erat Gaufridi, qui regimen sui monasterii haud omnino deseruerat; ut clarius iterum demonstratur ex dono Hugonis Bruni domini Lezigniaci facto eidem monasterio, rogatu Gaufridi archiep. Burdigal. & *in manu ipsius*, tempore Willelmi Adelelmi Pictav. episcopi, testibus præsentibus Willelmo Gardrado Santonensi episcopo, Willelmo de Partiniaco qui cognominatur archiepiscopus, &c. Idem Hugo Brunus donavit eidem ecclesiæ in manu & in præsentia Gaufridi archiep. Burdegal. immunitatem in terra de Lejat. Factum apud Lezigniacum in domo monachorum, tempore Grimoardi in episcopum electi, nondum consecrati, testibus præsentibus *admirandæ sanctitatis viro* Gaufrido Carnotensi episcopo, apostolicæ sedis legato, magistro Laurentio Pictavienſis ecclesiæ archidiacono, Willelmo de Niorto, &c.

III. Ademarus occurrit primus titulo abbatis decoratus, in charta Fulconis abbatis Bonæ-vallis an. 1148. cujus habes excerptum inter instrumenta. col. 376. Eodem anno VII. idus Julii Gaufridus archiepisc. jam memoratus, Gislebertus Pictav. & Bernardus Santonensis episcopi concordiam faciunt inter ecclesiam de Fonte-comitis & Gilibertum Bordolii, super nemore Savarici Mauleonensis, præsentibus Laurentio matris ecclesiæ B. Petri Pictav. decano, Arnaldo, Calone, Petro ejusdem ecclesiæ archidiaconibus, Petro abbate S. Maxentii, Brunone decano B. Ylarii, Raginaudo priore ecclesiæ beatæ Radegundis, &c. Ademarus abbas Fontis-comitis memoratur in litteris ejusdem Gaufredi archiepisc. datis apud S. Romanum de Benais, juxta Sabluncellis locum, XVII. cal. Martii, ind. 1. an. Dominicæ Incarn. 1153. Anastasio papa; quo etiam anno idem summus pontifex bulla Ademaro abbati directa, monasterium in tutelam S. Sedis

Digitized by Google

ſuſcepit. Alexander papa III. eidem ſimile privilegium indulſit, datum Pariſiis II. idus Apr. Incarn. Dom. anno 1165. pontificatus ſexto; cui denique anno ſequenti pridie idus Novembris Hugo Brunus dona avi ſui cognominis confirmavit, Johanne Pictavienſi epiſcopo.

IV. Petrus I. abbas & conventus Fontis-comitis concordant cum W. de Spina ſuper clientela nemoris communis, ſequeſtro Willelmo Pictavienſi epiſcopo anno 1188. ſedente Dom. Clemente papa III.

V. Willelmus I. cui Clemens ſummus pontifex hoc nomine tertius, decimas a monachis S. Cypriani conceſſas laudavit, bulla data *Liſigniani* Pictav. diœceſis XIV. cal. Septemb. pontificatus anno 3. Reperitur adhuc Willelmus abbas in charta anni 1191. indict. IX. cal. Januarii. Anno ſequenti terram de la Trichonere accepit a Simone Rogue, teſtibus Willelmo Pictav. epiſcopo, P. de Verines Aureæ-vallis & G. Abliæ abbatibus, necnon R. ſubdecano Pictav. eccleſiæ. Alienordis Anglorum regina, duciſſa Nortmannorum & Aquitanorum, comitiſſa Andegavorum, concedit eccleſiæ B. Mariæ Fontis-comitis franchiſiam ſervitii quod vulgariter dicitur *canagium; ut panes*, inquit in donationis inſtrumento, *quo ſolebant abuti canes venantes & rapaces, habeant ſpiritu pauperes, & ſacerdotes panis vitæ myſterium in altari miniſtrantes. Anno M. C. XCIX. Innocentio ſummo pontifice,* *Mauricio. *Johanne regnum Anglorum gubernante, M.* epiſcopatu Pictav. fungente, VI. Februarii.*

VI. Joſcelino abbati Hymbertus Botus miles ceſſit domum ſitam ante eccleſiam S. Laurentii. Actum publice apud Parteniacum in clauſtro S. Laurentii 1219.

VII. Baldricus I. abbas Fontis-comitis & Aimericus prior B. Mariæ Lezigniacenſis, auctoritate D. Romani S. Angeli diaconi cardinalis apoſtolicæ ſedis legati, componunt quæſtionem inter Aimericum abbatem & conventum S. Benedicti de Quinciaco, ac Joſcelinum de Briſayo præpoſitum de Faya, pro juriſdictione Savigniaci. Actum apud Magniacum prope Pictavim, vigilia Epiphaniæ Domini, anno gratiæ 1229. præſentibus venera- *Johanne. bili J.* abbate Nucharienſi, &c. ex inſtrumento monaſterii Quinciacenſis.

VIII. Guillelmus II. abbas Fontis-comitis occurrit in charta Fontis-ebraldi an. 1266.

IX. Johannes II. concordiam facit cum Guillelmo abbate S. Maxentii pro prioratu S. Vincentii de Exirolio, die Veneris ante Annuntiationem beatæ Mariæ 1278. Reperitur & annis 1281. & 1286.

X. Baudricus II. abbas 1289.

XI. Philippus I. 1305.

XII. Johannes III. Portaudi 1316. 17. 18. 21. 26. & 30.

XIII. Philippus II. paciſcitur cum Aimerico abbate & conventu S. Cypriani 1333. Memoratur & annis 1343. 47. & 1353.

XIV. Guillelmus III. 1354. 1355. & 1356.

XV. Stephanus I. Bourgueil vel Bourgouil, ex priore S. Vincentii de Exirolio prope S. Maxentium, annis 1342. & 1348. reperitur abbas Fontis-comitis 1358. & 1359. ad cujus preces Johannes Pictav. epiſc. univit monaſterio *propter guerras* ad paupertatem redacto, prioratum de Aunayo, die 22. Febr. 1358. indict. XII. die Martis, in cathedra S. Petri Innocentii papæ VI. anno ſeptimo, apud Calviniacum.

XVI. Philippus III. de Salevert, prior B. M. de Mazellis * 1356. procurator Fontis-comitis *Meteaux 1357. electus fuit in abbatem poſt obitum Stephani, Gaufridо Turquois priore clauſtrali præſidente capitulo, Innocentii papæ anno octavo, Johanne epiſcopo Pictav. quo etiam anno bullas obtinuit ab eodem ſummo pontifice, Avinione datas XV. cal. Maii. Tum vero confirmatus ab epiſcopo diœceſano 1361. Reperitur in pluribus inſtrumentis ab anno 1359. ad 1377.

XVII. Johannes IV. Gaborea tranſegit cum fratre Aimerico priore S. Bartholomæi d'Aſay 1381. Memoratur & annis 1389. & 1390.

XVIII. Johannes IV. Guy vel Guidonis electus eſt a capitulo an. 1399. rexitque ad annum 1419. ut patet ex variis inſtrumentis.

XIX. Johannes VI. Fulcaudi ex priore clauſtrali in abbatem cooptatus eſt an. 1420. indict. XIII. occurrit etiam annis 1421. & 1422.

XX. Guido Doucet ſive Douſſet, procurator erat monaſterii 1421. & 1424. Nuncupatur Guichardus Doucet in quadam charta. Erat abbas 1435. & 1438. Hic eccleſiæ portam majorem ac frontem refecit.

XXI. Guillelmus IV. de Montgon abbas regularis paciſcitur cum Maria de la Tremoille comitiſſa de Tonnerre 1451. ſuperſtes ad annum ſaltem 1457.

XXII. Andreas Monachi decretorum doctor reperitur an. 1462. in veteri charta eccleſiæ Aquenſis, & 1463. die 1. Julii in charta authentica regiæ biblioth. An. 1465. privilegium accepit a Paulo papa II. Reperitur adhuc ann. 1468. & 1469.

XXIII. Franciſcus I. Ardillon an. 1477. contulit capellaniam S. Catharinæ in abbatiali eccleſia fundatam. Memoratur annis 1474. 79. 81. 83. & 1490.

XXIV. Fredericus Ardillon 1495.

XXV. Franciſcus II. Ardillon 1502.

XXVI. Johannes VII. Guy 1504. die 4. Oct. in charta authentica regiæ biblioth.

XXVII. Guillelmus V. Vernon ibidem reperitur an. 1508. die 25. Nov. & 1511. die 25. Aug.

XXVIII. Antonius I. Ardillon erat prior B. Mariæ de Boſco-Secundiniaci, diœceſis Malleac. an. 1503. Occurrit abbas regularis in chartis authenticis regiæ biblioth. 1513. 22. Julii, 1538. 3. Julii & 1540. die 28. Junii. Memoratur inſuper alibi an. 1515. & 1519. quo anno abbas B. Mariæ de Voto nuncupatur in inſtrumento appellationis ejuſdem a confirmatione fratris Leobini Fillaſtre in abbatem de Voto facta ab epiſc. Conſtantienſi, tanquam in cauſa uſurpatæ juriſdictionis.

XXIX. Antonius II. Prevoſt de Sanſac Burdegalenſis archiepiſcopus & abbas B. M. de Caſtellione ad Sequanam an. 1560. reperitur abbas commend. Fontis-comitis an. 1544. 15. Martii & 1545. 15. Aug. in chartis authenticis regiæ bi-

Digitized by Google

bliothecæ, & 1548. in ſchedis domeſticis. Obiit A 1591.

XXX. Johannes VIII. Prothaiſe alicubi reperitur an. 1597. Fortaſſe idem eſt qui ſequitur.

XXXI. Johannes IX. Bricet ſeu Briſſet, Regi a conſiliis & eleemoſynis, legitur abbas annis 1598. 1600. & 1612.

XXXII. Johannes X. le Veneur clericus Ebroicenſis, bullas accepit a Paulo V. papa idibus April. 1614. pontificatus ejuſdem anno IX.

XXXIII. Jacobus le Veneur fratri ſucceſſit. Hic appellatur comes Carougienſis, baro de Beſcon, dominus de Chauzeau, annis 1620. 23. 25. & 1632.

XXXIV. Franciſcus III. le Veneur, comes de Carouge, ſereniſſimo duci Aurelianenſium a conſiliis & eleemoſynis, canonicos Regulares congregationis Gallicanæ in ſuam induxit abbatiam die 16. Junii 1654. Ex quo tempore apud Fontem-comitis viget diſciplina regularis, & loca regularia in dies reſtaurantur atque decorantur.

XXXV. Petrus III. de Ferrare in ſupremo ſenatu Rotomagenſi conſiliarius, abbas 1655. [a] 1670. & 1680.

XXXVI. Stephanus II. Fauvelet, presbyter, doctor theologus, antea theſaurarius ſanctæ capellæ de Viviers in Bria, Fontis-comitis commendam obtinuit anno 1693. menſe Septembri.

XXXVIII. Franciſcus IV. Cottin, presbyter, ſacræ facultatis Pariſienſis doctor theologus, e regia ſocietate, deſignatur abbas a Rege die feſto omnium SS. anno 1697. Præerat adhuc anno 1714.

S. Laon de Thouars

S. LAUNUS.

S. Launi Toarcensis abbatia ord. S. Aug. in diœceſi Pictav. primam ſui originem debet Achardo cuidam & Roſciæ uxori ejus, qui primum in hac eccleſia quatuor canonicos poſuerunt. Eidem vero plures eccleſias largiti ſunt Iſembertus I. & II. Pictavienſes epiſcopi, adeo ut tempore Petri eorum ſucceſſoris, numerus canonicorum ad duodecim excreviſſet; qua de re vide inſtrumentum Petri epiſcopi in appendice noſtra, ubi & reperies Aimerici chartam vicecomitis Thoarcenſis, qua plurima huic monaſterio confert anno 1117. Benefactores etiam habuit Henricum Angliæ regem & Margaritam Scoticam Ludovici XI. regis Francorum conjugem, quæ in ejuſdem cœnobii baſilica ad latus chori quieſcit.

C. LVI. col. 173. & C. LVII. col. 374.

Series abbatum.

I. Gaufridus I. an. 1137. migravit ad meliorem vitam an. 1146.

II. Petrus I. 1142.

III. Petrus II. 1173.

IV. Gaufridus II. 1197.

V. Conſtantinus, idem forte cum C. abbate S. Launi qui 1223. nominatur in charta S. Johannis Bonæ-vallis.

VI. Hugo 1237.

VII. Philippus 1294. & 1298.

VIII. Petrus III. 1309.

IX. Radulfus 1321.

X. Bertrandus 1346.

XI. Guillelmus 1350.

XII. Johannes I. 1387.

XIII. Ludovicus I. 1405. & 1406. forte idem ac Ludovicus Parc qui reperitur an. 1417.

XIV. Petrus IV. 1424. Idem fortaſſe cum Petro Guilloteau abbate S. Launi 1429.

XV. Nicolaus I. Gadieu, *al.* Godier 1430. Nicolaus abſque cognomine 1436. & 1444.

XVI. Nicolaus II. le Cocq [b] erat abbas anno 1446. ex regeſto 178. archivi regii Pariſ. Memoratur inſuper Nicolaus 1448. 54. & 70. imo 73. & 81. die 14. Januarii in chartis authenticis regiæ biblioth. Jacet Nicolaus in eccleſia, ubi hoc habet epitaphium: *Hic jacet Nicolaus miſeratione divina abbas hujus regalis monaſterii, qui dum vixit, anno ſcilicet 1479. Margaritam [c] Jacobi regis filiam, Ludovici XI. dum eſſet delphinus Viennenſis, uxorem, ſepelivit in capella ſepulcri Domini noſtri Jeſu Chriſti a ſe ædificata, ultimus regularium abbatum. Ceſſit ex hac vita, meliore cum Deo fruiturus.* Hoc ſepulcrum reſtauravit an. 1658. Abrahamus Ribier ejuſdem monaſterii abbas.

XVII. Petrus V. de Ambaſia abbas commendatarius 1481. & epiſcopus Pictav.

XVIII. Ludovicus II. de Bello-monte epiſc. Pariſienſis 1490.

XIX. Nicolaus III. Grenollion 1491.

XX. Ludovicus III. Grenolion 1499. *Marteau.*

XXI. Johannes II. de la Tremouille cardinalis & archiep. Auſcienſis, abbas 1504. jacet in capella B. Mariæ de Thoarcio.

XXII. Ludovicus IV. Chambon ex dominis de la Tour, ſubdecanus eccleſiæ S. Petri Pictav. reperitur an. 1509. die 12. Nov. in charta authentica regiæ biblioth. & 1510. Idem an. 1513. ratione ſui ſubdecanatus capellaniam ſeu Leproſariam S. Lazari prope & extra muros Pictav. confert Philippo Chambon clerico & in jure civili licentiato, ex charta authentica regiæ biblioth. ubi etiam nominatur annis 1514. & 1516.

XXIII. Claudius de Tonnerre epiſc. Pictav. 1527.

XXIV. Johannes III. Chauvin [d] 1527.

XXV. Carolus de la Tremouille dominus de Mauleon & de Marans, filius Franciſci ex Anna de Laval 1538. abbas de Campo-bono, *Chambon.*

XXVI. Georgius de la Tremouille baro de Royan & d'Ollone, abbas ſancti Launi & Boni-Campi 1553. & 1561.

XXVII. Renatus Fouchereau 1565. & 1567.

XXVIII. Johannes, *al.* Euſebius de Coniac 1617.

[a] Hoc ipſo anno quibuſdam in ſchedis occurrit abbas Robertus le Blanc de Roolet, fortaſſe contentio fuit inter utrumque.

[b] In ſchedis nonnullis Nicolaus II. cognominatur *le Roy.*

[c] Margarita filia Jacobi Stuart Scotorum regis, prima conjux Ludovici XI. Francorum regis, tunc delphini tantum, mortua die 16. Auguſti Catalauni an. 1446. fuit ſepulta in eccleſia S. Launi Thoarcenſis, diœc. Pictav. die 14. Novembris ejuſdem anni.

[d] Hic & *Lalloüette* religioſi abbates nuncupati a Sammarthanis, reponuntur ab iiſdem poſt Renatum Foucherau qui vivebat 1567.

XXIX.

Digitized by Google

XXIX. Abrahamus Ribier de Villebroſſe doctor in decretis, ex permutatione cum ſuperiori 1652. inquiunt Sammarthani. Reformationem induxit in monaſterium, adſcitis e congregatione Gallicana canonicis Regularibus an. 1655. Obiit 1679.

XXX. Franciſcus Seraphinus Regnier des Marais unus e quadraginta viris academiæ Francicæ ejuſdemque perpetuus commentarienſis, præfuit ab an. 1679. ad 1713. quo, ætatis ſuæ 81. die 6. Septembris Lutetiæ Pariſiorum deceſſit.

XXXI. N. Goulde, *al.* le Gould, Hibernus, decanus eccleſiæ Corgagienſis *de Corke* in Hibernia, theſaurarius ſanctæ capellæ ſeu capituli B. M. in caſtro Thoarcenſi, nominatione regia deſignatur abbas S. Launi die 31. Octobris anno 1713. Præerat adhuc an. 1717.

La Reau ou la Real.

S. MARIA REGALIS.

S. Maria Regalis, uti habent veteres chartæ, vel B. Maria de Regali, ordinis S. Aug. ſub congregatione Gallicana, ſita eſt ad ripam Clani in parœcia S. Martini l'Ars, decem leucis ab urbe Pictavio, duabus a Carrofo, pertinetque ad diœceſim Pictavienſem.

ABBATES.

I. Jordanus S. Mariæ Regalis primus abbas, totuſque conventus ejuſdem eccleſiæ cedunt Andreæ Sorini quoddam pratum, quod eſt juxta, *la Soriniere*, pro duobus ſolidis annuatim perſolvendis fratribus de Buxeria * prope Malleonium. *Actum eſt hoc apud S. Mariam Regalem die feſto S. Auguſtini, in præſentia capituli generalis.*

* la Grande Boiſſiere Prioratus a S. M. Regali pendens.

II. Simon abbas B. M. Regalis 1281. in feſto decoll. S. Johan. Bapt. & 1305. Vide in Maloleone diœc. Rupell.

III. Guillelmus abbas B. M. Regalis 1434.

IV. Andreas de Herbiers, *al.* des Herbieres, ultimus abbas regularis, memoratur in chartis authenticis regiæ biblioth. an. 1493. 6. Julii, 1512. 14. Jan. & 1514. 14. Novemb.

V. Laurentius I. Vernon ibidem reperitur die 8. Octob. anni 1516. & 1. Junii 1519.

VI. Ambroſius de Herbiers ibidem 1525. die 6. Decemb.

VII. Chriſtophorus de la Haye ibidem 3. Aug. 1533.

VIII. Franciſcus I. Autort ibidem 1545. 10. Auguſti.

IX. Laurentius II. Millet perſonatus abbas 1608. & 1617.

X. Franciſcus II. de la Rochefoucaud filius Antonii domini de Chaumont ad Ligerim, &c. ex Cecilia de Montmirail filia Stephani domini de Chambourcy, qui nuptias contraxerant 7. Octob. 1552. fuit abbas B. M. de Regali circa an. 1623. Vide in Talmundo.

Du Fourny generaux des galeres de France.

XI. Ludovicus de la Rochefoucaud circa 1654. Vide in Angeriaco.

XII. N. Seguin.

XIII. N. d'Artagnan. 1680.

XIV. Johannes le Boyer, dictus des Alleurs, ſereniſſimæ delphinæ ab eleemoſynis, deſignatur abbas a rege Chriſtianiſſimo an. 1684. menſe Jan.

XV. N. de Montmorel ſereniſſimæ delphinæ quondam ab eleemoſynis, vacantem abbatiam per obitum D. des Alleurs obtinuit an. 1716.

ANGLA vel ANGLIA.

S.te Croix d'Angle.

Monaſterium ſanctæ Crucis de Angla ordinis ſancti Auguſtini ad Anglinum fluviolum conſtructum dicitur * ab Iſemberto quondam epiſc. Pict. matre Teburga, ejuſque fratribus Senebaldo & Manaſſe; ſic autem legimus in codice MS. abbatiæ Miſericordiæ-Dei * : *An. M. C. LXXV. poſita fuit prima petra in fundamento eccl. S. Crucis de Anglia, anno M. C. XCI. perfecta fuit, anno M. C. XCII. dedicata fuit a Guillelmo Temper epiſcopo Pictav.*

* lib. XIV. epiſt. Innoc. papæ III. epiſt. VI.

* la Mercy-Dieu.

In S. Cypriani hiſtoria legitur eccleſiam S. Crucis de Angla S. Cypriano traditam fuiſſe in manibus Rainaldi abbatis, ab Hugone de Leziniaco & Hugone Bruno filio ejus, tempore Petri Pictav. epiſc. Philippo regnante. Indicem abbatum eruimus ex chartis abbatiæ Miſericordiæ-Dei, ex chartario illuſtriſſimi Pictav. præſulis, quod *magnum Galterium* vocant, ac denique ex ſchedis clariſſimi viri domini Rapaillon canonici S. Hilarii Pictav. quas in monaſterio S. Savini reperimus.

C. LVIII. col. 374.

INDEX ABBATUM.

I. Joscelinus regebat monaſterium annis 1171. & 1172. ex charta Miſericordiæ-Dei.

II. Petrus I. ibidem occurrit an. 1199.

III. Thomas I. 1204. ibid.

IV. J. Angliæ abbas 1232. ibid.

V. Guillelmus I. innoteſcit ex duabus chartis Miſericordiæ-Dei, altera anni 1238. altera 1240. & ex chartario ep. Pictav. 1246.

VI. Helias 1251.

VII. Theobaldus 1272. ex ſchedis domus Pleſſiæ.

VIII. Thomas II. archipresbyter & abbas Angliæ 1274. 77. & 81. ex chartario ep. Pict.

IX. Guillelmus II. anno 1303. ex chartario Pictav. epiſc.

X. Johannes I. abbas & archipresbyter 1321.

XI. Petrus II. 1340.

XII. Renatus Iſoré eques S. Lazari 1366.

XIII. Petrus III. 1390. uſque ad annum ſaltem 1412. Hic anno 1409. per procuratorem cum plena poteſtate interfuit ſynodo Piſanæ, pro exſtinctione ſchiſmatis coactæ. Vide Spicil. tom. VI. pag. 365.

XIV. Johannes II. 1428. & 1437.

XV. Johannes III. de la Motte 1441. & 1450.

XVI. Guillelmus III. Compere per ceſſionem præcedentis, abbas 1452. & 1466.

XVII. Johannes IV. Compere 1480.

XVIII. Herveus Iſoré electus an. 1484.

XIX. Emericus Morin 1486.

XX. Stephanus 1505.

XXI. Adrianus Goufier fit abbas Angliæ anno 1505. theſaurarius S. Hilarii 1519. poſtea cardinalis & epiſc. Conſtantienſis & Albienſis.

XXII. Aimarus Gouffier decanus Pict. 1507.

XXIII. Johannes V. Dauton, Ludovici XII. Francorum regis hiſtoriographus, abbas Angliæ 1511. & 1523. Reperitur an. 1517. in charta Burgi-medii.

XXIV. Pregentius Iſoré filius Leonis domini de Pleumartin & Johannæ Chevin, a Rege nominatus eſt abbas anno 1524. Vivebat adhuc anno 1541.

XXV. Franciſcus de Livene 1559. abbas etiam S. Eparchii Engoliſm. poſt quem fiduciario nomine cœnobii adminiſtrator fuit

XXVI. Johannes VI. Moulineau vel Moriceau 1568. & 1578.

XXVII. Mathurinus Jourdeau, *al.* Sordeau 1592.

XXVIII. Ludovicus I. Ancelon 1603. & 1608.

XXIX. Henricus d'Eſcoubleau archiep. Burdigalenſis, ubi vide, & in epiſcopis Malleacenſibus.

XXX. Dionyſius le Duc Pariſienſis 1623.

XXXI. Rogerius de Buade de Frontenac 1628. Vivebat an. 1645. abbas etiam Obaſinæ.

XXXII. Gabriel Philippus de Frouſlay de Teſſé filius Renati comitis de Teſſé & Mariæ d'Eſcoubleau de Sourdis an. 1646. Obiit epiſc. Abrincenſis & abbas ſolummodo de Triſagio diœc. Lucion. menſe Maio 1689.

XXXIII. Ludovicus II. de la Chenaye ſimul abbas de Cornevilla, & antea de Gimundo.

XXXIV. N. de la Chenaye Ludovici nepos, filius ſecundus primi nobilis cubicularii * ſereniſſimi delphini, &c. vacantes abbatias de Corneville in Normannia & de Anglis in Pictonibus per ceſſionem patrui, obtinuit a Rege 1683.

* *al.* premier Gentilhomme de la manche.

XXXV. N. d Ornaiſon nominatur abbas menſe Junio anni 1689. Moritur 1704.

S. SEVERINI.

HOc unum ſcitur de iſta abbatia *, quod ſit ordinis S. Auguſtini, pertineat ad diœceſim Pictav. in cujus & Santonenſis finibus eſt ad fluvium Vultumnam *la Boutonne*, prope Dampetram tribus ab Angeriaco leucis; communem exciſionis ſortem experta eſt eccleſia tempore Calviniſtarum; unde nunc ibi ſolus eſt prior canonicus Regularis, qui ſimul eſt curio. Hos paucos deprehendimus abbates.

a

I. FULCHERIUS prior ſive abbas S. Severini dicitur in charta S. Maxentii an. 1110.

II. Aimarus, cui ſucceſſit

III. Arnaudus ſeu Arnaldus tempore Roberti de Arbriſſello in charta Fontis-ebraldi, Guillelmo Pictav. & Gerardo Engoliſmenſi epi copis. Idem, inquiunt, ſedente Reginaldo II. abbate S. Cypriani conceſſit B. monacho oratorium apud Vouin, ſub Guillelmo IV. epiſc. Pict. circa 1225. aut 1230. ex chart. S. Cypriani fol. 1115. ſed hæc minime ſtare poſſunt.

IV. Aimericus anno 1247. quædam vendit epiſc. Pict. ex tabul. ſedis epiſcopalis. Memoratur etiam in charta B. Mariæ Cellenſis an. 1256.

V. Laurentius Vernon abbas S. Severini & B. M. Regalis.

VI. Spiritus Flechier epiſcopus Nemauſenſis obiit an. 1710. die 22. Febr. ætatis 78.

VII. Armandus-Johan. de Coſte filius primi Regis architecti, canonicus Pariſienſis, doctor theologus facult. Pariſ. a Rege die 25. Julii ejuſdem anni deſignatus eſt abbas, & hactenus præeſt.

B. MARIA DE CASTELLARIIS.

Noſtre-Dame des Chaſtelliers

SIta eſt hæc abbatia in valle pingui non longe ab oppido S. Maxentii, eſtque ordinis Ciſtercienſis e filiatione Claræ-vallis. Auctores habuit quoſdam heremitas Giraudi de Salis diſcipulos, antequam hic e vita migraret, proindeque ante annum 1120. quo mortuus eſt hoc ipſo in monaſterio, ut notatur in tabulario Dalonenſi; imo ipſe Giraudus de Salis ad preces diſcipulorum condidiſſe hoc monaſterium dicitur in chronico Malleacenſi edito apud Beſlium hiſt. comitum Pict. pag. 448. & tom. 2. biblioth. novæ Labb. pag. 219. Hinc patet quod dicitur in veteri Gall. Chriſt. conditam fuiſſe hanc abbatiam an. 1162. XIII. cal. Febr. intelligendum eſſe non de prima ejus fundatione, ſed de ipſius aggregatione ad ordinem Ciſtercienſem. Et certe anno 1129. circa corpus ſancti viri Giraudi inchoata eſt eccleſia, adhibitis ad hoc opus lapidibus (cum prior ex ligno eſſet) quæ perfecta eſt annis 27. & anno 1156. a Pictav. epiſcopo dedicata, ait ejus vitæ ſcriptor.

SERIES ABBATUM.

I. AIMERICUS dicitur primus abbas ab an. 1121. ad annum ſaltem 1156. quo dedicatur eccleſia ipſo præſente.

II. Fulco abbas 1212.

III. P. abbas teſtis eſt hominii Gaufrido abbati S. Maxentii exhibiti a Willelmo Archiepiſcopo *l'Archeveſque* domino Parteniaci circa 1222.

IV. Godefridus 1224. ex charta S. Leonardi prope Rupellam.

V. Petrus 1248. ex charta ejuſdem loci.

VI. Thomas abbas de Caſtellariis cum R. abbate de Moroliis deputatur a capitulo generali ad inſpiciendum locum ubi conſtruendum erat monaſterium B. M. de Precibus, ex eorum litteris datis in octavis SS. apoſt. Petri & Pauli, anno 1252. Regimen vero ſuſceperat jam an. 1248. ex auctore vitæ B. Giraudi de Salis, & 1249. ejuſdem S. Giraudi caput poſuerat in vaſculo deaurato, corpus autem in marmoreo feretro ſex columnis lapideis impoſito. Baſilicam novam idem abbas molitus eſt & anno 1277. abſolvit.

VII. Guillelmus abbas B. M. de Caſtellariis ord. Ciſt. 1452. 28. Dec. 1453. 28. Decemb. ex chart. authent. regiæ biblioth.

VIII. Johannes I. 1462. 20. Oct. & 1471. 3. Martii, ex chart. authent. regiæ biblioth.

IX. Natalis Bouhier abbas de Caſtellariis eum Regi mutuo dediſſet 600. libras, eidem Rex frui-

* Hæc eſt fortaſſe abbatia S. Severini poſita in Silva d'Angers quam Beſlius ædificatam aſſerit circa 1008. a Guidone Gofrido Guillelmo VII. Aquitaniæ duce, hiſt. comit. Pict. pag. 99.

tionem molendini frumentarii dicti *Vauchiron* ſubtus ſcaſtrum *de Leſignen* tranſtulit an. 1513. præſente Petro Lucionenſi epiſcopo; ex charta authentica regiæ biblioth. In charta alia ejuſdem bibliot. inter ſchedas domini de Ganieres legitur: Johan. de Billy abbas B. M. de Caſtellariis, *en l'Iſle de Ré* 1556. 20. Decemb. ſed alia eſt abbatia.

X. Jacobus de Billy 1581. abbas etiam S. Michaëlis in Eremo, ubi vide.

XI. Johannes Bapt. Tiercelin de Broſſe, de quo in fragmentis hiſt. Aquitan. MSS. Nicolai de Sainte-marthe, permutavit abbatiam pro ſede epiſcopali Lucionenſi.

XII. Renatus de Daillon du Lude epiſc. Lucionenſis ex permutatione fit abbas de Caſtellariis, & poſtea Bajocenſis præſul.

XIII. Gaſpardus de Daillon du Lude epiſc. Albienſis, abbas erat de Caſtellariis anno 1640. & adhuc 1656. Obiit 24. Julii 1676.

XIV. Franciſcus Armandus de Lorraine Armagnac nominatus 14. Auguſti 1676. hactenus præeſt humaniſſimus princeps epiſc. Bajocenſis.

B. MARIA DE PINU.

le Pin.

PINUS S. MARIÆ ordinis Ciſterc. abbatia, filia Pontiniaci, jacet in valle peramœna & ad ripam fluvioli Biberis * quinque aut ſex milliaribus a civitate Pictonum in archipresbyteratu de Sanxay. Inchoatur an. 1120. ex chronico Malleacenſi ubi recenſetur inter cœnobia per S. Giraudum de Salis inſtituta, ſub nomine S. Benedicti de Pino, perficitur vero 1141. ſecundum exordium Ciſtercienſe. Ipſius autem ſi non fundator, ſaltem præcipuus dotator habendus eſt Titio de Bares qui plura Willelmo primo abbati conceſſit. Chartam ex authentico deſcriptam præ manibus habemus; ſed quia eſt mutila, aliundeque fundatum ſupponit monaſterium, hanc ſilentio prætermittimus.

* le Boeſvre.

ABBATUM ORDO.

I. GUILLELMUS I. DE FORGIIS ex canonico S. Hilarii-maj. Pict. primus abbas de Pinu, ut patet tum ex charta ſuperius memorata, tum ex alia Gilberti Pictav. epiſcopi, quam videſis inter inſtrumenta noſtra. In chronico Malleac. vocatur abbas primus S. Benedicti de Pino; idem dicitur a Sammarthanis habuiſſe controverſiam anno 1162. cum abbatia Font-ebraldenſi. Nuncupatur etiam abbas primus in veteri charta Fontisebraldi, ſub Ludovico rege, Fulcone Andegav. comite & Guillelmo Pict. epiſcopo.

C. LXIV. col. 378.

II. Elias memoratur abbas de Pinu in chartario S. Hilarii.

III. Jordanus e Pontiniacenſi monacho electus eſt abbas de Pinu, tuncque factum eſt ut hæc abbatia ord. Ciſt. aggregaretur.

IV. Albertus, *al.* Albus & Blancus circa annum 1172. ex chartul. Dalon. pag. 32. Recenſetur 1187. in charta SS. Trinitatis Pictav. Hic eſt profecto Aubertus ſepultus in capitulo Pontiniaci cum hoc epitaphio: *Hic jacet Aubertus abbas de Pinu.*

Baluze.

V. Milo ſedebat 1192. nominatur 1198. in charta S. Hilarii-majoris, 1199. in litteris Alienordis reginæ pro Font-ebraldo, & 1212. in tabul. Miſericordiæ-Dei. Vide Innoc. III. l. XI. ep. 30.

VI. Andreas I. 1227. ex tabulario Stellenſi. Jacet in capitulo.

VII. Johannes I. 1277.

VIII. Reticius an. 1336. habet hoc epitaphium in ſuperliminari capituli:

Anno milleno centeno ter duodeno
Terno vix pleno flatu ſuſpirat amœno
Abbas Reticius ſobrius, patienſque, pudicus,
Conſtans & fortis perſolvens debita mortis.

IX. Johannes II. 1385.

X. Guillelmus II. du Puy 1389. & 1407. Is eſt fortaſſe Guillelmus abbas cujus hæc prope aram legitur epigraphe: *Hic jacet frater Guillelmus divina providentia abbas hujus loci, migravit ab hoc ſeculo ſeptima decima Junii anno milleſimo..... decimo*

XI. Johannes III. du Puy 1416. 18. 24. 30. & 1446.

XII. Nicolaus Vigier ab an. 1453. ad annum, inquiunt, 1468. Certe Nicolaus memoratur an. 1467. Interim tamen occurrit Stephanus Bureau an. 1459. Fortaſſe Nicolaus ceſſerat.

XIII. Andreas II. 1470. juxta Reticium ſepultus.

XIV. Johannes IV. Potereau vocatur abbas de Pinu an. 1474.

XV. Petrus I. du Lyon archiep. Toloſanus & & abbas commend. de Pinu, recenſetur in charta anni 1476. *al.* 1496.

XVI. Johannes V. Merſerion, *al.* Marciron ab an. 1492. ad 1499.

XVII. Carolus de Montjournal ab an. 1501. ad 1518. Certe memoratur in chartis authenticis regiæ biblioth. 1505. die 23. Mali, 1506. 17. Martii, 1507. 18. Julii, & 1516. 30. Julii.

XVIII. Gilbertus I. de Mont-journal ibidem reperitur abbas annis 1523. 1535. 16. Maii, & 1544. 20. Julii.

XIX. Gilbertus II. de Mont-journal junior ab an. 1561. ad 1576.

XX. Jacobus de Ennezezatin monachus cœpit præeſſe an. 1577.

XXI. Guillelmus III. Venin 1585. & 1589.

XXII. Franciſcus Pelerin, *al.* Pelleger vel Pellegay 1596. 1597. 1599. 1606. 1610. quo anno deceſſit die 23. Martii. Jacet Pariſiis in æde ſacra collegii S. Bernardi.

XXIII. Leonardus I. de la Beraudiere de l'Iſle-Rouſſel, *al.* l'Iſle-Jourdain, ab an. inquiunt, 1620. ad 1649.

XXIV. Leonardus II. Gaultier monachus profeſſus in cœnobio de Precibus, doctor Sorbonicus, cedente Leonardo de la Beraudiere, abbas electus eſt. Ipſius epitaphium hoc legimus:

Hic jacet R. P. D. Leonardus Gaultier ſacræ facultatis Pariſienſis, & hujus monaſterii abbas, qui reſtaurationi ipſius tam in ſpiritualibus quam temporalibus feliciter initium dedit, & immatura ac ſubitanea morte ſuis quos tam ſuaviter foverat lugentibus alumnis correptus, opus perficiendum ſucceſſori reliquit anno ætatis ſuæ 49. Incarnati autem verbi 1660. 3. Octobris.

Hic expectat reſurrectionem & vitam.
Pro eo preces funde, lector.

Digitized by Google

XXV. Petrus II. Gaultier Ciſtercienſis monachus, hoc habet epitaphium :

Reverendo D. Petro Gaultier Tamno-burgenſi, de Pinu abbati ex monacho Ciſtercii epitaphium :

Subjacet altari Petrus Galterius abbas.
Condidit hic hortos, mœnia, clauſtra, domos.
Ordinis, & Chriſti ſponſæ, pro marte reduxit
Primævos mores actibus, ore, manu.
Pulſus amore gregis, de Pinu noxia quæque
Depulit, & partis auxit ovile bonis,
Moribus ac ætate ſenex in pace quievit.
Inclita quæ geſſit muneret ipſe Deus.
Obiit 10. Decemb. 1693. ætatis 78. profeſſionis 53. dignitatis abbatialis 33.

XXVI. Laurentius Julianus Gambert monachus, doctor Sorbonicus, renuntiatur abbas die 24. Decemb. 1693. diem clauſit extremum die 3. Junii 1704.

XXVII. Ambroſius le Maignan monachus, renuntiatur abbas 14. Auguſti 1704. obiit 25. Febr. 1708.

XXVIII. Dom. Quinquet nominatus eſt abbas an. 1708. in feſto Paſchæ, *al.* 8. Aprilis.

XXIX. Claudius Daret *al.* d'Arrets, monachus, doctor Sorbonicus & prior Villæ-novæ, deſignatur abbas a rege Chriſtianiſſimo, die 2. menſis Julii anni 1708.

l'Eſtoile.

B. MARIÆ DE STELLA.

STELLA ordinis Ciſtercienſis filia Pontiniaci, conditur ab Iſemberto dicto *Senebaut*, ex domo Leſigniaca orto ; quam fundationem confirmarunt Ranulfus, Guillelmus, & Fulco ejus filii; vide dotationis tabulas in manu Iſembaldi abbatis factæ, ex autographo inter inſtrumenta deſcriptas. Unitur hoc monaſterium congregationi Ciſtercienſi ab Eugenio III. bulla data cal. Febr. 1147. pontificatus anno ſecundo.

C. LXIII. col. 378.

SERIES ABBATUM.

I. ISEMBAUDUS relicto Pruliacenſis monaſterii regimine, quod in melius reformare fruſtra tentaverat, primum acceſſit ad abbatem Fontis gombaudi Petrum de Stellis fratrem ſuum, ſub cujus diſciplina aliquandiu converſatus eſt; deinde migravit ad vallem Fontis-calcis, vulgo *Fontachaux*, ubi monaſterium quod hactenus ſupereſt erexit, illudque ſuum Stellæ nomen in memoriam pii patris, fratriſque Petri de Stella aut de Stellis habere voluit. Sedebat autem an. 1124. ex charta ſuperius laudata ; quem ſane de Stella cognominatum fuiſſe & fratrem habuiſſe Petrum de Stella Fontis-gombaudi abbatem probant litteræ Airaudi abbatis Fontis-gombaudi, quibus ipſe nonnulla Iſembaudo concedit. Obiit Iſembaudus an. 1140. ſepultuſque eſt in baſilica ſui monaſterii.

II. Bernardus eligitur eodem an. 1140. Huic privilegium indulſit Eugenius III. quo monaſterii bona confirmat, illudque ſociat congregationi Ciſtercienſi. Datum eſt an. 1147. cal. Febr. pontificatus anno ſecundo.

III. B. Iſaac genere Anglus, ut ipſemet aſſerit in epiſtola ad Johannem epiſc. Pictav. (vide epiſt. Johannis ep. Pict. ad S. Thomam Cantuar. lib. 1. epiſt. 2. inter epiſtolas ejuſdem S. Thomæ) cum eſſet monachus Aſtercienſis factus eſt abbas Stellæ. Floruit autem ſub tempora S. Bernardi, quem hic ſe vidiſſe teſtatur ſermone 2. in Aſſumtione B. Mariæ virginis. Bullam obtinuit ab Eugenio III. datam Cabilone v. cal. Nov. qua quidem ſummus pontifex conceſſa monaſterio Stellenſi confirmat, ipſumque iterato congregationi Ciſtercienſi aſſociat. Multa ſcripſit Iſaac noſter quæ MSS. exſtant in biblioth. Miſericordiæ Dei, edita vero in bibliotheca Ciſtercienſi. Hæc inter opera habetur epiſtola prolixior ſeu tractatus in canonem miſſæ, quem ſub nomine Iſaac epiſc. Lingonenſis noſter Acherius publicum fecit Spicilegii tom. 1. Sed genuino parenti hunc fœtum reſtituit vetus codex Majoris-monaſterii, tempore Iſaaci ſcriptus ; quod quidem & ipſe agnovit Acherius emendata priori ſententia, tom. XIII. in indice auctorum & tractatuum pag. 33.

IV. Valiſius memoratur abbas ante annum 1169. in tabulis domeſticis.

V. Ulricus I. 1169.

VI. Johannes I. Roman decennio præfuit, ab anno ſcilicet 1171. ad 1181. cui privilegium conceſſit Alexander papa III. an. 1174. pontificatus anno XV. ind. VII. cal. Aprilis. Amandandus eſt igitur quidam Alanus a noſtro D. Claud. Eſtien. inductus ab an. 1177. ad 1179.

VII. Ulricus II. annum Chriſti 1184. numerabat quartum ſui regiminis. Sedebat adhuc anno 1188.

VIII. Johannes II. d'Angle nominatur abbas in authenticis ab an. 1188. ad an. 1191.

IX. Boſo ex priore Stellæ fit abbas an. 1191. præfuit ad an. 1203.

X. Burchardus de Rivo, *du Rivage*, ab an. 1203. ad annum circiter 1215. ſuperſtes tamen ad annum 1226. quo dicitur *olim abbas Stellæ*.

XI. Rogerius præerat jam an. 1215. ex tabul. Miſericordiæ Dei ; quo anno fuit ſequeſter pacis inter Hugonem abbatem Miſericordiæ-Dei & Goffridum dominum de Prulliaco. Anno 1219. munificum expertus eſt Guillelmum epiſcopum Pictav. Memoratur adhuc an. 1227. in authenticis Miſericordiæ-Dei, ſed tunc fortaſſe abdicatum regimen reſumſerat.

XII. Josbertus occurrit abbas Stellæ 1224. 25. & 26. quo anno ceſſit.

XIII. Philippus I. 1233.

XIV. Guillelmus I. ex priore factus eſt abbas an. ſaltem 1237. menſe Auguſto quo Willelmus d'Angle in perpetuam eleemoſynam ei donavit quadraginta ſolidos annuales, quos eidem confirmavit Rorgo vel Borgo Willelmi filius an. 1239.

XV. Radulfus 1254.

XVI. Leodegarius I. 1263. in authenticis chartis.

XVII. Philippus II. an. 1264.

XVIII. Leodegarius II. 1279. & 1281. quo anno bullam protectionis obtinuit a Martino IV. nonis Maii, pontificatus anno 2.

XIX. Aimericus I. 1286. & 1288.

Digitized by Google

XX. Nicolaus I. 1290.

XXI. Leodegarius III. 1291.

XXII. Aimericus II. an. 1294. ex authenticis.

XXIII. Nicolaus II. 1306.

XXIV. Petrus I. de Reconne, *al.* de Beronne ab an. 1314. ad 1356.

XXV. Petrus II. de Benafié, *al.* Bennefir 1363. & 1370.

XXVI. Philippus III. 1372. & 1398.

XXVII. Stephanus Bordelli abbas de Stella 1409. ex D. du Fourny.

XXVIII. Mathurinus ab an. 1410. ad 1420.

XXIX. Ryaldus Drouyn ab anno 1420. ad 1436.

XXX. Petrus III. 1437. & 1445.

XXXI. Martinus de la Roche 1447.

XXXII. Guillelmus II. Guerin ex priore abbas 1452. 8. Sept. & 1460. 8. Sept. in chartis authent. regiæ biblioth. & alibi 1456. & 1458.

XXXIII. Johannes III. Chopelin vel Chapelain, 1461. 63. 65. & 1490. Abbatiam multis ædificiis adornavit.

XXXIV. Johannes IV. de Ronay 1493. 20. Nov. & 1494. fuit ultimus abbas regularis.

XXXV. Antonius Crenel, *al.* de Crinel epiſc. Bethleemitanus & abbas Stellæ 1507. 24. Oct. & 1508. 23. Aug. ex chartis authenticis in bibliotheca regia aſſervatis.

XXXVI. Johannes V. de Couhé * memoratur abbas die ultima Julii an. 1516. in charta authentica regiæ biblioth. ſedebat adhuc an. 1532. imo pervenit ad annum 1556.

* *al.* de Couché.

XXXVII. Franciſcus I. l'Eveſque in abbatia de Nuceriis profeſſionem emiſit die 31. Julii anno 1531. ubi fuit cellerarius & poſtea paſtor eccleſiæ de Pulſigniaco *Puſſigny*, ac tandem abbas B. Mariæ de Stella ab an. 1558. ad an. 1567. ex necrolog. Nucerienſi & ejuſdem loci tabulario. Sub ejus regimine anno 1562. neoterici monaſterium incenderunt.

XXXVIII. Marius de la Croix 1574.

XXXIX. Johannes VI. de Lavardin Gallice reddidit epiſtolas S. Hieronymi & nuncupavit Carolo de Borbonio archiepiſcopo Rotomagenſi an. 1584.

XL. Jacobus des Prez epiſc. Montalbanenſis, item abbas de Nobiliaco, Cellæ, Quinciaci & Monaſterii-novi, occiſus eſt an. 1589.

XLI. Franciſcus II. Milon ab anno 1590. ad 1616.

XLII. Leonardus de la Beraudiere 1616. fortaſſe filius Franciſci de Sigon de la Beraudiere, quem abbatiæ fructus toto tempore Franciſci Milon percepiſſe dicit noſter D. Claud. Eſtiennot, & ſectariis vix meliorem, campanis aliiſque majoris pretii ablatis monachos fugaviſſe, jocando dicere ſolitum, ſe ſuorum animos & ſenſa ad unitatem perfectam revocaſſe, quippe qui eos ad unum pauperem egentemque monachum reduxiſſet.

XLIII. Hieronymus Petit ex magiſtro novitiorum Clarævallenſis cœnobii factus abbas Stellæ, non ſolum ædificia pene omnia reparavit, verum etiam diſciplinam regularem omnino collapſam reſtituit; quod quidem & in aliis ſui ordinis monaſteriis incredibili zelo præſtitit uſque ad obitum qui contigit an. 1635. Jacet in choro monaſterii, cum hoc epitaphio: *Frater Hieronymus tantum nomine Parvus, Deo cultu magnus, Ordini pietate lumen, plebi verbo potens, ſuis facto conſpicuus, huic clauſtro ſacris & ſaxis abbas, Catalauni natus XIV. cal. Jan. an. Dom. 1586. hic ſepultus eſt IX. cal. Nov. 1635.*

XLIV. Carolus Bourgeois monachum profeſſus apud Barbellum, regio diplomate fit abbas die 31. Octob. 1636. cum tunc eſſet facultatis Pariſienſis doctor theologus & collegii S. Bernardi apud Pariſios proviſor. Regebat adhuc an. 1641. Ceſſit autem anno circiter 1648. tumque regreſſus eſt ad locum profeſſionis Barbellum, ubi jacet in eccleſia ſepultus cum hoc epitaphio: *Hic jacet reverendus admodum P. ac DD. Carolus Bourgeois hujus cœnobii monachus, doctor theologus, quondam collegii S. Bernardi Pariſienſis proviſor, abbas de Stella & poſtea de Charmeia, ac ſtrictioris obſervantiæ ordinis Ciſtercienſis vicarius generalis, quibus dignitatibus etſi illuſtris, virtutibus tamen & vitæ integritate illuſtrior, in magna ſanctitatis opinione obiit die 2. Jan. M. DC. LXXII. ætatis LXXI. Requieſcat in pace.*

XLV. Placidus Petit Hieronymi frater, monachus profeſſus Caſtellionis, tum abbas Caladiæ, ac deinde ſyndicus generalis ordinis, ceſſione Caroli Bourgeois pedum Stellæ accepit an. 1648. tenuitque ad annum 1667. Jacet in choro prope fratrem ſuum, cum hoc epitaphio: *Hic jacet D. Placidus Petit Catalauni natus, Caſtellionis ordinis Ciſterc. ſub initio ſtrictioris obſervantiæ profeſſus, & hujus loci abbas. Vir auſteritate corporis & animi conſpicuus, ac in rebus temporalibus & ſpiritualibus expertus, pluribus annis in diverſis provinciis pro ordine viſitator fuit, & tam in virtute quam in dignitate germani fratris Hieronymi prædeceſſoris hæres, mortuus in ſenectute bona ſexageſimo tertio anno vitæ ſuæ ac decimo octavo regiminis, die 22. Martii & ab Incarn. 1667.*

XLVI. Claudius Petit obiit anno 1676. ſepultus in choro ubi hoc habet epitaphium: *Reverendus admodum pater dom. Claudius Petit, quem Catalaunum edidit, Stella monachum fecit, Fons-Morigniaci & S. Leonardus priorem ac ſtrictioris obſervantiæ defenſorem, Ordo virtutis ſpeculum, hoc cœnobium abbatem, habuerunt; cui tam inſignem pietate virum gementi ſurripuit præmatura mors anno 1676. die 25. Sept. 60. ætatis ſuæ anno, dignitatis vero abbatialis x.*

XLVII. Johannes VII. Bernardus de Ceriſay du Teille Sorbonæ doctor, viſitator ordinis in Inſula-Franciæ, ac Stellæ abbas per annos viginti ſex, obiit ac ſepultus eſt in monaſterio Miſericordiæ-Dei an. 1702. die decima ſeptima Septembris. Poſt hunc renuntiatur abbas N. Venois de Montjournal 8. Nov. 1702. qui ceſſit menſe inſequenti.

XLVIII. Franciſcus de Chereil, *al.* de Cheré cum laude præerat an. 1708.

XLIX. Johannes VIII. Benoiſt prior Caduienſis, antea nominatus ad abbatiam de Riveto, inauguratur abbas B. Mariæ de Stella ab Antonio de Charpin de Genetines epiſc. Lemov. Dominica I.

Quadrageſimæ an. 1714. in eccleſia collegii Lemovic. aſſiſtentibus S. Auguſtini & S. Martini abbatibus.

MISERICORDIA-DEI.

la Mercy-Dieu.

HÆc abbatia B. Mariæ ſacra ad Wartimpam * in parochia Poſæi-veteris, uno quadrante leucæ ab urbecula Rupis-poſæa, ordinis Ciſterc. filia Caroli-loci, primum dicta, eſt *Becheron* a fundo in quo ſita erat, ſervavitque hoc nomen ab anno 1151. quo cœpta eſt, ad annum 1175. Conditorem habuit Eſchivartum ſeu Eſquivardum Prulliaci dominum in Turonibus, qui jacet ibidem cum filio ſuo Petro de Monte-Rabei ſeu de Monte-Rabiul, & quibuſdam aliis Prulliacenſibus dominis, necnon Ludovica domina de Tout, & domino de la Gatiniere. Porro eccleſia dedicata eſt an. 1224. x. *. cal. Novemb. a venerabili Guillelmo Pictavienſi epiſcopo; abbates habuit qui ſequuntur.

* la Gartampe.

C. LXXII. col. 377.

* al. XIV.

ABBATUM INDICULUS.

I. GUILLELMUS I. ab Amalrico abbate Caroli-loci primus abbas inſtituitur, qui ſane occurrit in charta Petri de Monte-Rabiul fundatoris filii.

II. Daniel memoratur in charta Prulliacenſis monaſterii, qua Simon Brunus & Rorgo frater ejus domini Angliæ, cedunt eccleſiæ S. Martini de Pozai peagium omnium rerum ſuarum in manu Gocelini abbatis Prulliac. & in manu Danihelis abbatis Miſericordiæ-Dei an. 1172. Eidem quoque Daniheli dantur quædam decimæ an. 1175. a Petro de Monte-Rabei Prulliaci domino. Obiit hic abbas XIII. cal. Julii, *al.* Junii, ex necrologio.

III. Leodegarius 1189.

IV. Burchardus bullam protectionis accepit ab Innoc. III. Præfecturam dimiſiſſe videtur, nam in quibuſdam actis ann. 1217. & 1227. teſtis reperitur *Burchardus quondam abbas.*

V. Gaufridus de Rajacia * electus eſt abbas circa an. 1200. ut patet ex dono Bartholomæi domini de Inſula-Burchardi *an. 1202. regnante Philippo rege Francorum, & Johanne rege Anglorum, anno tertio regiminis ejuſdem Johannis, anno ſecundo quo frater Gaufredus de Rajacia fuit abbas prædictæ abbatiæ.* Idem abbas donum centum ſolidorum Andegavenſium accepit a Petro de Monte-Rabei, ut palam fit ex charta Eſchivardi Prulliaci domini confirmantis eleemoſynam centum ſolidorum Andegavenſium quam Petrus de Monte-Rabei fecit in manu domini Gaufredi de Laragia tunc abbatis Miſericordiæ-Dei, *anno ab Incarnatione Domini M. CC. III. pontificatus autem domini Innocentii papæ anno VI. regnante in Francia rege Philippo, in Anglia rege Johanne exiſtente, domino Bartholomæo Turonenſi archiepiſcopo, Pictavienſi vero epiſcopo domino Mauricio, in cujus manu & præſentia prædictus P. de Monte-Rabei ſupra dictam fecit eleemoſynam abbatiæ de Miſericordia-Dei, & in eadem abbatia ſe ſepeliendum conceſſit.* Vivebat adhuc an. 1205.

* al de Laregia.

VI. Henricus 1208. 1210. 1211. & 1213. quo anno ceſſiſſe dicitur, adhuc ſuperſtes anno 1222.

VII. Hugo 1214. & 1215. Hoc anno facta eſt concordia inter Gaufridum de Prulliaco & Prulliaci abbatem, *Hugone abbate Miſericordiæ-Dei exiſtente & Rogerio abbate de Stella*; ex charta Miſericordiæ-Dei. Hujus abbatis ita meminit necrologium: *VIII. idus Aug. anniverſarium piæ memoriæ Hugonis hujus cœnobii abbatis.*

VIII. Thomas, cujus ſigillum appenſum videtur inſtrumento monaſterii Baugeſe * anni 1219. Memoratur in chartis domeſticis ann. 1220. & 1223. & in charta Landeſii * monaſterii anno 1226. De eo ſic legitur in calend. veteris miſſalis Miſericordiæ-Dei, *XVI. cal. Januarii obitus D. Thomæ abbatis hujus cœnobii.*

* Baugeraye.

* Landais.

IX. Sigerius reperitur abbas in charta anni 1229.

X. Petrus I. eodem anno legitur abbas in charta Landeſii, & 1230. in tabulario Miſericordiæ-Dei; imo 1240. inquiunt, ſed jam ceſſerat ex dicendis.

XI. Willelmus II. curam egit cœnobii ab anno 1234. ad annum 1238.

XII. Odo ſucceſſit, de quo necrologium ſic habet: *V. cal. Febr. obiit bonæ memoriæ domnus Odo hujus cœnobii duodecimus abbas.*

XIII. Elias hoc pacto reperitur in necrologio: *VIII. idus Febr. obiit bonæ memoriæ D. Elias hujus cœnobii XIII. abbas.*

XIV. Willelmus III. abbas Prulliaci, tum vero Miſericordiæ-Dei.

XV. Anſelmus 1262. 69. & 71. imo 1284. & 88. ex ſchedis noſtri D. Claud. Eſtiennot, quibus admiſſis, longe antea dicendus eſt abdicaſſe. Ipſius meminit necrologium: *X. calend. Octob.* ibique dicitur *abbas decimus quintus.*

XVI. Johannes I. 1271.

XVII. Guillelmus IV. memoratur in authenticis chartis anno 1307. de quo ſic habet necrologium: *XII. cal. Aug. obiit bonæ memoriæ domnus Guillelmus hujus cœnobii abbas XVII.*

XVIII. Radulfus 1330. Locum habet in necrologio: *IX. calendas Octobris.*

XIX. Petrus II. 1340. obiit VII. cal. Junii, ex necrologio.

XX. Guillelmus V. de Duniaco, *de Dony* 1346.

XXI. Guillelmus VI. Giboreti 1369. 72. 74. & 1380. Obiit XI. nonas Octobris.

XXII. Petrus III. prior, abbas occurrit in authenticis inſtrumentis ann. 1387. & 1395. In necrologio memoratur 2. idus Aprilis.

XXIII. Petrus IV. Sanneru, *al.* Saulnier, conſignatur in necrologio his verbis: *V. calend. Maii anno M. CCCC. I. obiit dompnus Petrus Sanneru*, al. *Saunerii, hujus cœnobii abbas, cujus anima requieſcat in pace.*

XXIV. Jacobus II. Martin ab an. 1401. ad 1420.

XXV. Johannes II. Martin obiit ex necrolog. VII. idus Maii anno M. CCCC. L.

XXVI. Jacobus III. de Roches, *al.* de la Roche, ſedebat an. 1474. ut docet nos inſcriptio appo-

ſita ſancto Domini ſepulcro, quod in eccleſia conſtruxit: *Frere Jacques de la Roche bachelier en theologie, natif de Berry, de la paroiſſe de ſaint Denys de Julée, abbé de ceans, lequel fit faire ce ſepulcre en l'an 1474.* Ejuſdem meminit necrologium hoc tenore: *x. cal. Maii obiit dompnus Jacobus de la Roche abbas hujus cœnobii anno 1486.* al. *1487.*

XXVII. Johannes III. Touchard præerat monaſterio annis 1491. & 1497. ceſſit an. 1508. in cujus locum

XXVIII. Martinus Calleau ſubrogatus eſt, præſentibus Jacobo abbate Pontiniaci, & abbatibus de Pratea, de Landeſio & Barzella. Hæc tamen electio irrita fuiſſe videtur.

XXIX. Antonius Touchard vi ceſſionis a patruo factæ legitur abbas anno 1512. quo tempore vivebat adhuc Johannes Touchard abbas antiquus. Uterque vero deceſſit anno 1516. Antonius IV. idus Julii, & Johannes X. cal. Septembris.

XXX. Renatus Chaſteigner e gente Caſtanea, Guidonis Rupis-poſæi toparchæ, & Magdelenæ Puteanæ du Coudray natus, abbas commendatarius Miſericordiæ-Dei ab an. 1516. & Nantolii in Valle, protonotarius apoſtolicus, prior eccleſiæ collegiatæ S. Georgii de Rexe, typis mandavit Lutetiæ 1533. commentaria D. Anſelmi in epiſtolas S. Pauli, e ſcriniis bibliothecæ Miſericordiæ-Dei, quod opus dicavit Gabrieli cardinali Acrimontano epiſcopo Pictavienſi: jacet in æde abbatiali cum hoc epitaphio, quod recitat Quercetanus lib. 3. Hiſt. genealogicæ Caſtaneorum: *Renatus Chaſteigner hujus monaſterii olim abbas, cujus anima Dei miſericordia cum Beatis quieſcat in cœlis, amen ſi placeat; ab humanis Altiſſimo permittente migravit anno ſalutis noſtræ M. D. LXV. die 19. menſis Martii.*

* al. 30.

XXXI. Sebaſtianus Mauſeau abbas nomine tenus, uti etiam

XXXII. Ludovicus I. Belet, quorum temporibus domini de la Rochepozay fructus percipiunt.

XXXIII. D. d'Abbin de la *..... an. 1595. ſchedulam regiam obtinuit pro hac abbatia & aliis. Vide in Granataria.

* de la Rochepozay.

XXXIV. Ludovicus II. Chaſteigner vacantem abbatiam impetravit litteris a Rege datis Compendii 13. Julii 1624. ex archivo Granatariæ, cujus etiam monaſterii erat abbas; uti Belli-portus & Prulliaci. Obiit 1637.

XXXV. Carolus I. Chaſteigner ad annum 1643.

XXXVI. Annas Chaſteigner Henrici-Ludov. Pictavienſis epiſcopi nepos ex fratre Johanne Caſtaneo Rupiſpoſeo & Diana de Fonſeque, abbas quoque Belli-portus & Granatariæ, 1652. Obiit 1679. quo anno ſucceſſit

XXXVII. Johannes IV. Bourgeois. Jacet ſub Crucifixo navis eccleſiæ Miſericordiæ-Dei, cum hoc epitaphio quod ipſe vivens ſibi poſuerat: *Sub umbra illius quem deſideraveram ſedi. Sub imagine Crucifixi jacet venerabilis dominus magiſter Johannes Bourgeois Ambianus, in ſacra facultate Pariſienſi doctor theologus, hujus cœnobii abbas commendatarius, qui vivens ac moriens ſibi hunc titulum poſuit & tumulum elegit anno reſtauratæ ſalutis 1687. ætatis ſuæ 83. adminiſtrationis vero 23.*

XXXVIII. Carolus Bourgeois Pariſinus. *Baluz.*

XXXIX. N. de Montbet de l'Hopital ab anno ſaltem 1708. ad annum ſaltem 1717.

VALENTIA. la Valence

VALENTIA, B. Mariæ ordinis Ciſterc. e linea Claræ-vallis prope Coachum *Couhé* inſigne olim monaſterium, ut quæ ſuperſunt adhuc ædificia probant, condi cœpit VIII. idus Aug. 1230. ab Hugone de Lezigniaco Marchiæ & Engoliſmæ comite, qui novem poſt annos eidem cœnobio nundinas cum pedagio & *rendis* conceſſit, ut fidem facit charta quæ ſequitur ex autographo deſcripta: *Univerſis præſentem cartulam inſpecturis Hugo de Lezigniaco comes Marchiæ & Engoliſmæ pro ſalute animæ meæ, & parentum meorum, & liberorum meorum, dono & concedo abbatiæ B. Mariæ de Valentia, quam propriis meis ſumtibus ædificavi, ſingulis annis nundinas cum pedagio, & rendis, in feſto B. Dionyſii per tres dies continuos duraturas, circa abbatiam, ubi abbas ejuſdem loci & conventus conſtituerint in re ſua, liberas & immunes ab omni exactione, ut proventus illarum nundinarum in uſus oratorii, & non alios * refundantur. Actum anno Dom. M. CC. XXXIX. menſe Octobris.*

* integre.

ABBATUM SERIES.

I. JOHANNES I. ab an. 1230.

II. Gervaſius 1239. ex veteri chartario rerum Pictavienſium, quod eſt penes dominum Bohier præſidem infulatum Divionenſis ſenatus.

III. Guillelmus ſigillum apponit litteris Th. abbatis de Caſtellariis, &c. 1252. Præerat adhuc an. 1258.

IV. Petrus I. 1333. in charta Nobiliaci.

V. Johannes II. tranſegit an. 1376. cum domino de Couhé.

VI. Petrus II. 1399.

VII. Robertus le Mercier 1405. die 7. Octob. & 1406. 16. Octobris, ex chartis authenticis in biblioth. regia aſſervatis.

VIII. Petrus III. 1406. 8. Januarii & 1409. 25. Maii ex chartis authenticis regiæ biblioth. Memoratur etiam annis 1410. & 1414.

IX. Johannes III. Gouſt, *al.* de Goux 1424. die 24. Febr. ex charta authentica regiæ biblioth. Paciſcitur anno 1426. cum domino de Couhé. Memoratur an. 1448. in fragmentis hiſt. Aquit. MSS. Clar. viri Nicolai de Sainte-marthe, & adhuc præerat an. 1453.

X. Johannes IV. Pelletier 1454. & 1456.

XI. Johannes V. Gouſt idem fortaſſe cum ſuperiori cognomine qui grandævus coadjutorem adſciverit Johannem Pelletier, 1459. & 1475. imo 1477. 22. Aprilis, ex charta authentica regiæ biblioth. ubi tamen Johannes ſolummodo legitur.

XII. Rodulfus du Fou epiſc. Engoliſm. ac deinde Ebroicenſis, abbatiam Valentiæ obtinebat annis 1479. 12. Februarii 1484. 1485. 24. Dec. 1492. 24. Jan. & 1500. 14. Martii,

Digitized by Google

ex chartis authenticis regiæ bibliothecæ. Eccleſiæ navim reparavit & inter præcipuos monaſterii benefactores habetur. Reperitur adhuc an. 1499. 16. Novemb. in charta authentica regiæ biblioth. Illum dicunt obiiſſe anno 1510. ita benemeritum de monaſterio, ut ipſius gentile ſtemma veluti fundatoris in inſtrumentis capitularibus hucuſque uſurpetur.

XIII. Pontius I. de la Greze doctor in legibus ac protonotarius apoſtolicus, 1511. & 1520. die 20. Dec. ex charta authentica regiæ biblioth.

XIV. Ponthus ſeu Pontius II. de S. George filius Annæ de Mortemer dominæ de Couhé, cujus nomine 2. Julii 1527. pro caſtellania de Couhé hominium exhibuit abbati S. Maxentii, frater vero Guichardi domini de Couhé, ab anno 1526. ad 1571. abbatiam obtinuit ac dilapidavit. Nominatur in chartis authenticis regiæ bibliothecæ ann. 1529. 9. Julii, 1541. 21. Dec. & 1556. 18. Nov. Hic abjurata fide catholica, Calvino in eccleſiæ navi ſua perverſa dogmata prædicare permiſit, monialem virginem & prioriſſam parthenonis de Bonneuil ordinis Font-ebraldenſis ſibi matrimonio copulavit, arma in Regem arripuit, ac tandem an. 1573. occubuit.

XV. N.... de Nucheze dominus de Batreſſe magnus Regis cambellanus ab an. 1571. abbatiæ redditus percepit, qui tamen non niſi an. 1573. a Rege deſignatus eſt adminiſtrator.

XVI. Antonius Lizée abbas renuntiatus a Rege an. 1575. æmulum patitur Guillelmum Chauvet regia nominatione factum œconomum an. 1579. contra quem eodem anno ſententiam obtinuit. Poſtea ceſſit in gratiam ſequentis.

XVII. Johannes VI. Aymart presbyter & canonicus Santonenſis ex ceſſione Antonii Lizée bullas obtinuit menſe Januario anni 1580. Ceſſit in favorem ſequentis an. 1595.

XVIII. Renatus Pidouſt ſenator in Pariſienſi curia auctoritate regia tanquam œconomus abbatiam adminiſtravit ab an. 1595. ad 1597. quo bullas obtinuit. Multa præclare geſſit, ædificia monaſterii reparavit, eccleſiam ornamentis ſacriſque vaſis inſtruxit.

XIX. Claudius de la Corbiere Armoricus 1649.

XX. Carolus de Corbiere, *al.* de la Corbiere, eccleſiæ Pariſienſis canonicus hominium præſtitit an. 1685. abbati S. Maxentii. Deceſſit an. 1688. In quibuſdam catalogis idem eſt abbas Claudius & Carolus de la Corbiere.

XXI. Jacobus Rabereul eccleſiæ Pictav. decanus & epiſcopi major vicarius moritur an. 1695. *al.* menſe Octobri 1696.

XXII. Ludovicus d'Illiers d'Entragues, Regi ab eleemoſynis, deſignatus abbas die 1. Novemb. 1696. præerat adhuc anno 1711. abbas etiam Belli-fontis dicec. Lucion. nunc vero eſt epiſcopus Lactorenſis.

Bonnevaux

B. MARIA DE BONIS-VALLIBUS.

BONA-VALLIS prope Leziniacum ordinis Ciſterc. filia Cadunii, conditur ab Hugone Bruno Leziniaci domino & ab uxore ejus Saracena, ut palam fit ex charta fundationis. In chronico Malleacenſi accenſetur monaſteriis plurimis quæ an. 1120. inchoata ſunt a S. Geraudo de Salis; ſed an. 1124. unitur congregationi Ciſterc. ut legitur in exordio Ciſterc. C. LIX. col. 375.

ABBATES.

I. G abbas Bonæ-vallis ad quem Eugenius papa III. litteras ſcripſit de fratribus Vallis-magnæ, qui Ciſtercienſem ordinem amplecti cupiebant ſuſcipiendis, eos tam in ſpiritualibus quam in temporalibus fovendo; ex chart. Vallis-magnæ. *Eſtienneſ.*

II. Fulco ſubſcripſit 1147. litteris Gaufredi Burdegal. archiep. pro Santonenſi B. Mariæ parthenone. An. ſeq. concordiam initam cum Ademaro abbate Fontis-comitis ratam habet. Vide inſtrum. Teſtis occurrit eodem anno 1148. in tranſactione inter Albertum S. Martialis abbatem & moniales Santonenſes, & 1152. in compoſitione litis de quadam ſilva inter abbatem Stellæ & Petrum Eliam. C. LX. col. 376. & C. LXI. col. 377.

III. Guido reperitur 1155. quo an. R. Cadunienſis abbas monaſterium Vallis-magnæ ei commiſit ordinandum. *Eſtienneſ.*

IV. Ernaldus 1157. & 1158. in chart. Prulliaci.

V. Gaufredus an. 1195. accepit dono Bernardi de Ballon abbatis Caſæ-Dei terram de Andray abbatiæ contiguam ſub annuo cenſu 30. ſolidorum Andegav. monetæ, regnante rege Anglorum Ricardo, epiſcopo Pict. Willelmo Temperio. Forte is eſt Goffridus qui an. 1230. nonnulla permutavit cum Guidone abbate S. Leonardi.

VI. Arnaudus.

VII. Ademarus.

VIII. Aimericus in tabulario & chronico Malleacenſi.

IX. Johannes I. Cardinaut, *al.* Cardinalis 1423. & 1432. in appendice Annalium Aquitan. Bucheti, ubi de erectione Pictav. academiæ. Idem annis 1442. 12. Febr. & 1463. 15. Oct. recenſetur in chartis authenticis regiæ biblioth.

X. Nau * Voyer memoratur ibidem ann. 1465. 7. Julii & 1472. 17. Decemb. *cf.* Natalis.

XI. Johannes II. 1476. 8. Nov. 1479. 31. Julii, 1489. 20. Martii & 1497. 16. Aug. ex chartis authenticis regiæ biblioth.

XII. Johannes III. du Cozie 1505. 28. Junii, ibidem.

XIII. Carolus de Montjournal 1507. 16. Nov. & 1516. 8. Julii, ibidem.

XIV. Renatus de la Roche baccalaureus formatus in theologia, 1530. 9. Januar. & 1544. 6. Junii, ibidem.

XV. Guichardus de S. George commendatarius.

XVI. N. d'Alloüe.

XVII. Ludovicus Garnier dominus de la Servagere * Obiit 1613. * *al.* Sauvagere.

XVIII. Jacobus I. Garnier legum doctor, cancellarius academiæ Pictav. theſaurarius S. Hilarii-majoris, ſuperioris frater & ſucceſſor ab an. 1613. ad 1657. quo deceſſit, in eccleſia Bonæ-vallis conditus, cum hoc epitaphio:

Siſte viator

Digitized by Google

Siſte viator,
Et defuncto bene precare.
Hic jacet
Reverendus Jacobus Garnier, presbyter,
D. Hilarii magni apud Pictavos
Theſaurarius meritiſſimus,
Academiæ cancellarius illuſtris,
Burdegalenſis archiep. in Picton. Santon.
Et Engol. auditor,
Et Bonæ-vallis abbas vigilantiſſimus.
Obiit ætatis ſuæ 87. VIII. Idus Auguſti 1657.
Annis & virtutibus gravis.

XIX. Jacobus II. Garnier iiſdem ac primus dignitatibus clarus, memoratur abbas annis 1670. & 1680. *Erat de Franc.*

XX. Henricus-Auguſtinus le Pilleur renuntiatus abbas in Natali Domini 1694. dicitur abdicaſſe anno 1709. menſe Aprili. Poſtea fuit epiſc. Santonenſis.

XXI. N. Carpinel 14. Aug. 1711.

ECCLESIA MALLEACENSIS.

MALLEACENSE oppidum in parte inferiori comitatus Pictavienſis, opimo ſolo, ſitum eſt in eo loco ubi Altizia * fluvius amœnam facit inſulam, non longe a Separi * fluvio, cui jungitur, ubi quondam fuit opaciſſima ſilva omni ferarum & avium genere plena; quod forſitan impulit Pictavorum comites, ut eo in loco caſtrum & aulam ſibi ædificarent, ad venationis videlicet oblectamentum. Erat in eodem caſtro, non longe ab aulæ atrio, baſilica ſub patrocinio S. Hilarii conſtructa. * l'Autize. * la Sevre.

Cum autem Willelmus [a] Aquitaniæ dux & Pictavorum comes aprum in ſilva inter vepres & viburna inſequeretur & urgeret, inter rudera veteris eccleſiæ, tria reperit altaria in crypta ſubterranea, ad quam aper latrantibus canibus confugerat. Hæc erant forſan baſilicæ S. Hilarii rudera. Locum hunc condendo monaſterio aptum ab eo petit, facileque impetrat Emma ejus conjux, Theobaldi comitis Bleſenſis filia, Odonis itidem comitis ſoror; ſtatimque Gausbertum S. Juliani Turonenſis abbatem, conſanguinitate ſibi conjunctum, operi huic præficiendum advocat. Hæc fuſe commemorat Petrus monachus in priori libro de Antiquitate & commutatione Malleacenſis monaſterii, ubi ait Burgulienſe monaſterium ab eadem Emma poſt Malleacenſe conditum fuiſſe. Conditi Burgulienſis monaſterii tempus deprehenditur ex litteris Emmæ comitiſſæ, in quarum fine obteſtatur Johannem papam, ut privilegium (ſic appellat ſuum diploma) cujus exemplar Romam miſit, ſuo nomine ſuaque auctoritate corroboret, & violatoribus anathema decernat, quod in fine præſtat pontifex. Actum anno ab Incarnatione Dom. D. CCCC. XC. indictione tertia. a

Itaque Malliacenſis cœnobii exordium ponendum ante annum 990. Nam comitiſſa Emma de fundando & conſtruendo Burgolienſi cœnobio non cogitavit, niſi poſt interruptum opus conſtructionis & fundationis Malliaci, ob divortium inter comitiſſam & Guillelmum comitem Pictavienſem, &c. cujus divortii hæc occaſio. Willelmus e Britannia rediens, apud Thoarcium commoratus, vicecomitis Thoarcenſis conjugem ſtupraſſe ferebatur; quam injuriam ſibi illatam ulciſci volens Emma, vicecomitiſſam ſumma affecerat ignominia, eam videlicet ſuorum militum per totam noctem libidini permittens. Poſtea vero in caſtrum Cainonem * ſuæ propriæ ditionis ſe ſe recepit; ſicque inchoati monaſterii opus fuit intermiſſum; ſed viro tandem reconciliata, ad illud perficiendum neceſſaria ab eo impetravit; accitus autem Gumbaldus Burdigal. archiep. novam baſilicam conſecravit ſub titulo S. Petri. Non multo poſt Willelmus comes in Pictavienſi S. Cypriani monaſterio monachi habitum induit, ac Malliacenſe monaſterium ejectis Turonenſibus monachis, ob invidiam uxoris, a qua denuo diſceſſerat, S. Cypriano ſubjecit; poſtea vero hunc locum iratus deſeruit, & ad S. Maxentii cœnobium ſe recepit, ubi reliquos vitæ dies exegit, uxori ante obitum reconciliatus. Willelmus ejus filius eo nomine quartus, ſuaſu matris monachos Turonenſes revocavit, eiſque ordinavit ferventiſſimum in ſancto propoſito, & diſciplinæ cœleſtis fortiſſimam columnam, abbatem Theodelinum qui ex Judæis converſus fuerat. Viginti & amplius effluxerant anni ex quo monaſterium in inſula Malliacenſi vetus dictum, a Willelmo comite, & ab Emma ejus uxore conſtructum fuerat, cum Willelmus ejus filius, inſtinctu Emmæ parentis ſuæ, & Theodelini abbatis rogatu, illud tranſtulit in caſtrum ejuſdem inſulæ quod munierat, ibique novum monaſterium in honorem ſanctorum Petri & Pauli magnis ſumtibus ædificavit, anno circiter 1010. ſecundum chronicon dictum Malleacenſe, præpoſito eidem loco Theodelino venerabili & erudito abbate, qui vetus cœnobium antea rexerat. Novum monaſterium multis poſſeſſionibus dux Willelmus ditavit, ſanctorumque reliquiis, quas inter corpus ſancti Rigomeri confeſſoris, e pago Cenomanenſi ſolemniter tranſlatum eſt ad Malliacenſe monaſterium, agente apud Hugonem Cenomanenſem comitem Theodelino ejuſdem loci abbate. * Chinon. Vide C. 1. col. 379.

a Plurimi Willelmum hunc, Fera-brachia cognominatum eſſe volunt; ſed hoc cognomen ejus filio datum diſerte dicit Petrus Malleacenſis monachus primo libro de Antiquitate Malleacenſis inſulæ cap. 2. in ipſo titulo; *natus eſt Willermus cognomento Fera-brachia.* Nec multo poſt, inquit Petrus, filium concipit Emma, quem paterno nomine appellavit. Itaque fundator primus monaſterii Malleacenſis fuit Willelmus tertius Pictavorum comes, qui uxorem habebat Emmam. At poſt annos circiter 20. ab hac prima fundatione Willelmus IV. cognomento Fera-brachia, patre mortuo vel facto monacho, ſuaſu matris monaſterium Malleacenſe tranſtulit in ipſum caſtrum inſulæ, multiſque donis auxit, ut infra dicemus; cujus merito creditus eſt fundator. Primum monaſterium vocatum eſt vetus, alterum vero novum. Ceterum quæ hic dicuntur de Willelmo III. convenire non poſſunt huic Willelmo qui an. 963. monachus obiit. Vide col. 1231. 1232. 1248.

Digitized by Google

Hæc deſumſimus ex Petro monacho Malliacenſi lib. de Antiq. & commut. Malleac. cujus opus manu exaratum in bibliotheca Puteana, edidit Labb. tom. 2. biblioth. pag. 222. Pauca ex eadem commentatione noſtri Sammarthani ſuæ Galliæ Chriſtianæ inſeruerunt tom. IV. pag. 594. quæ quantum ad ſenſum eadem fere ſunt cum iis quæ apud Labbeum legimus; at in verbis tantiſper diſcrepant. An Labbeus aliqua ſua ſponte immutavit in edenda Petri narratione, quemadmodum fecit in editione chronici S. Maxentii, quod vulgo Malleacenſe appellatur, de quo ita Labbeus in ſua præfatione: *Deſcripſimus reſectis inutilibus ex decumano codice membraneo MS.*

Hanc celeberrimam abbatiam epiſcopalem fecit ſedem Johannes papa XXII. Sed antequam de hac mutatione dicamus, præmitti debet Malleacenſium abbatum catalogus.

Abbatum series.

PRimus abbas videtur ſtatuendus Gausbertus ſimul abbas S. Juliani Turonenſis, & Burgolienſis; quippe qui jubente Emma comitiſſa, ſua conſanguinea, curam habuit recens conſtructi monaſterii, & ad illud incolendum tredecim e ſuis monachos adduxit, unumque ex iis priorem conſtituit, titulum abbatis haud dubie ſibi retinens. Sane Petrus Malliacenſis eum appellat Burgulienſem abbatem; cui monaſterio nuper conſtructo, uti Malleacenſi, ab Emma præfectus fuerat.

II. Theodeſinus qui prior ſeu præpoſitus fuerat ſub Gausberto, expulſus fuit a Guillelmo comite cum ceteris monachis Turonenſibus, propter odium Emmæ uxoris, quæ eos accerſiverat; ſed Guillelmo quarto imperante, hi monachi revocati ſunt, imprimis vero Theodelinus. Hic erat genere Hebræus, natione Gallus, inquit Petrus jam laudatus a nobis, qui ejus prudentiam aliaſque virtutes commendat. Iram Gausberti abbatis ſui mira eliſit retuditque patientia, nempe accuſabatur ab æmulis, quod ambitionis cauſa liberalem ſe præberet, ac optimatum, imprimis Guillelmi ducis Aquitaniæ & Pictonum comitis gratiam aucuparetur, quaſi præpoſitura non contentus, abbatis dignitatem ambiret. Mortuo Gausberto, Duci placuit ut Theodelinus abbas fieret. Itaque accepto prius monachorum S. Juliani conſenſu, abbas præficitur, & ab epiſcopo benedicitur.

Quomodo ſuſceptum officium geſſerit, remque familiarem auxerit, narrat Petrus monachus toto libro ſecundo de cœnobio Malleacenſi. Primus erat a conſiliis Ducis, qui ei dedit ſuum caſtrum & omnem inſulam Malleacenſem. Itaque prudens abbas in ipſum caſtrum transferendum eſſe monaſterium cenſuit, relicto priori loco; quod intra 4. annorum ſpatium perfecit. Sacrum locum Romanus pontifex privilegio donavit, quo monaſterii poſſeſſiones recenſentur & aſſeruntur. An. 1030. * Guillelmus dux ætatis ſuæ 61. * vita defunctus eſt; quem Theodelinus abbas in clauſtro ſepelivit honorifice. Duci ſuperfuit per annos quindecim, obiitque calendis Januarii an. 1045. apud Burgulienſe monaſterium ſanctis myſteriis *initiatus*.

* *al.* 1029. pridie cal. Febr.
* *al.* 71.

III. Theodelino ſucceſſit vir manſuetiſſimus & humilis nomine Humbertus, qui Malliacenſe cœnobium quindecim annis rexiſſe dicitur, atque patientiæ & longanimitatis ſuæ clariſſimum filiis ſuis ſpecimen reliquiſſe, ac demum an. M. LX. vivendi finem feciſſe.

Petrus mon.

IV. In ejus locum aſſumtus eſt Goderannus, qui inter monachos Herimari abbatis S. Remigii apud Remos recenſitus, relicto S. Remigii monaſterio, arctioris diſciplinæ gratia Cluniacum demigravit; ubi dum eſſet capellanus S. Hugonis, teſtis fuit miraculi relati in bibl. Cluniac. fol. 1642. De *meritorum titulis & prærogativa ſcientiæ Malliacenſis abbas, demum Santonenſis eccleſiæ adeptus eſt dignitatem*, ſcilicet epiſcopalem, ut tradit Hildebertus in libello de vita S. Hugonis abbatis Cluniacenſis. Hunc neceſſario, ut multis viſum eſt, Malliacenſi monaſterio ſubrogatum fuiſſe aſſerit Petrus Malliacenſis monachus, qui duos libros de conſtructione & mutatione ejuſdem cœnobii compoſuit, Goderanni juſſu, eique nuncupavit; cum ille necdum Santonenſis epiſcopus eſſet. Ejus tamen facta ſilentio preſſit Petrus ad vitandam adulationem: *Sed quoniam dum hæc ſcribimus*, inquit, *adhuc humanis intereſt rebus, ejus ex actibus ſilentium nobis indicimus, ne adulatoris notam incurramus; utrum autem amore Domini an odio dignus ſit, poſteris judicandum ſervemus.* Anno 1064. Goderannus ob cuſtodiam mutuæ caritatis, Vindocinenſibus, id eſt domno abbati Oderico ejuſque monachis, locum in ſuo portu conceſſit ad domum conſtruendam, eo pacto ut quatuor denarios annui cenſus perſolverent. Id factum eſt in capitulo coram omnibus monachis; annuente etiam domno Hugone præcellentiſſimo abbate Cluniacenſis monaſterii. De eodem mentio fit in charta B. M. Santonenſis an. 1065.

Anno M. LXVIII. cal. Aug. Goderannus abbas S. Petri Malleacenſis & epiſcopus Santonenſis, conventionem olim factam a deceſſore ſuo Theodelino abbate cum Agnete comitiſſa uxore Guillelmi Aquitanorum ducis pro terra Agriciaci renovavit, cum canonicis S. Nicolai Pictavienſis, quibus prædicta comitiſſa eam ceſſerat, regnante Philippo rege Francorum, & in Aquitania principante ſereniſſimo duce Guidone ejuſdem Agnetis comitiſſæ filio, anno ſui principatus decimo, regente etiam Pictavienſem eccleſiam pontifice Iſemberto, indictione ſexta, anno Incarnationis 1068. Subſcribunt Geraudus cancellarius, Otgerius præpoſitus S. Martini, Rotbertus prior S. Martini, Gunemannus prior S. Radegundis, & alii plurimi, e tabulario S. Nicolai Pictav. Exſtat Goderanni vita ſecul. VI. Bened. p. 2. pag. 315. & ſeqq.

Santonenſes inſulas adeptus eſt Goderannus ſub initia pontificatus Alexandri II. videturque retinuiſſe Malliacenſem ablatiam uſque ad ſuum obitum, qui anno M. LXXIV. contigit, octavo idus Auguſti, cui ſucceſſerunt in ſede epiſcopali Boſo, & Drogo in abbatia.

V. Drogo, qui etiam Droco & Draco, interfuit ſynodo Santonenſi an. 1080. ſexto idus Januarii, & ſubſcripſit litteris Raymundi epiſcopi Vaſatenſis, quibus querimoniam quam eccleſiæ S.

Digitized by Google

Squirs. Benedicti Floriacenſis de monaſterio Regula dicto, ſive de Squirs, inferebat, judicante concilio depoſuit. Editæ ſunt hæ litteræ in probat. hiſt. comit. Pict. Beſlii pag. 483. vide quoque tom. 9. concil. pag. 398. Eodem anno Drogo in concilio Burdigal. ſubſcripſit privilegio conceſſo Silvæ-majori: ſed poſtea idem Drogo relinquens abbatiam, Cluniaco ſe recluſit, ubi & bona morte obiit, uti legitur in chronico Malleacenſi.

VI. Poſt diſceſſum Droconis, anno nempe M. LXXXII. monaſterium S. Petri Malleacenſis exuſtum eſt, inquit chronicon Malleacenſe, in quo monaſterio electus eſt abbas Gaufredus ſive Gosfredus I. monachus S. Michaëlis de Cluſa, qui memoratur in litteris Petri Pictavienſis epiſcopi, quibus cedit abbati Nobiliacenſi eccleſiam S. Mariæ de Capella de Mortemer. Itemque in chartulario S. Maxentii Pict. charta 107. & in litteris Gaufridi * abbatis Nobiliacenſis anno 1088. part. III. Antiq. fol. 652. Huic Gaufredo, Engilbertus de Leziniaco dedit medietatem terræ de Salvarée. An. circiter 1085. monaſterium S. Stephani de Vallibus diœceſis Santonenſis Malliacenſi ſubditur, cum Sulleïenſi tunc prioratu, qui a cœnobio S. Stephani pendebat; & cum poſtea erectus eſſet *in abbatiam, utriuſque loci abbates Malliaco ſubjecti fuere.*

* *f.* Bertrandi.

Eodem anno M. LXXXVIII. Philippus videtur Gaufrido ſucceſſiſſe & præfuiſſe Malliacenſi monaſterio, ex donatione Engilberti de Leziniaco edita in catalogo epiſc. Beſlii fol. 70. ubi legitur: *Engilbertus de Leziniaco dedit Deo & S. Petro Mall. medietatem totius terræ de Salvarée præſente Philippo abbate Malliac. in capitulo;* verum ad marginem legitur cum aſteriſco, *Gaufrido;* nempe vir doctus Johannes Beſlius recte conjiciebat legendum eſſe *Gaufredo*, pro Philippo. Sane idem Gaufridus adhuc præerat anno M. XCVI. * quo 6. nonas Martii indict. 4. interfuit concilio Santon. & ſubſcripſit litteris Guillelmi Aquitanorum ducis, monachis Vindocinenſibus reſtituentis eccleſiam S. Georgii in Olerionis * inſula. Editæ ſunt litteræ iſtæ in probat. hiſt. comitum Pict. fol. 512. Reperitur in chartulario S. Maxentii an. M. XCVI. Gaufridus, & in inſtrumento S. Crucis Talemundenſis an. 1097. ind. V. Luna 15. epacta 4. Urbano papa II. Philippo rege Francorum, Willelmo duce Aquitan. Petro Pictav. epiſcopo.

* *al.* 1097.

* Oleron.

VII. Petrus erat abbas Malleacenſis an. M.C. quo paciſcitur cum Garnerio abbate S. Maxentii. Item anno M. C. X. ut patet ex chartulario S. Maxentii charta 216. Vide partem II. Antiq. Bened. MS. in diœceſi Pictav. cap. I. Idem ſubſcriptus reperitur concordiæ factæ apud Engoliſmam a Girardo hujus urbis epiſcopo inter abbates S. Martialis, & S. Stephani de Vallibus an. M. C. XVII.

VIII. Thebaudus Malleaci abbas fuit circa annum M. C. XXX. quo anno reperitur in tabulis S. Florentii Salmurienſis. Huic Willelmus Pictavorum epiſcopus, & Willelmus Aquitanorum dux, die competenti apud Fontiniacum adjudicarunt Moſolium liberum & quietum in poſterum poſſidendum, cujus partem Petrus Tronelli miles ſibi vendicabat, ideoque excommunicatus fuerat. Litteræ editæ ſunt apud Beſlium probat. comit. Pict. fol. 464. abſque notis chronic. Teſtis ſubſcripſit Guillelmi Pictavienſis epiſcopi litteris, quibus litem motam ſuper molendino Rochæ ad Oyonem, inter abbates Lucionenſem & Majoris-monaſterii componit. Ille ipſe eſt Tetbaudus, ſive Teutbaudus Françeis monachus S. Maxentii, poſtea abbas S. Leodegarii, ac tandem Malleaci. Sub nomine Thetbaudi occurrit in charta prioratus Rochæ ad Oyonem, *la Roche-ſur-Yon*, a Majori-monaſterio pendentis, an. 1128.

Theobaudus Malleacenſis abbas & Reginaldus ejus bajulus, adfuerunt conventioni Petri abbatis Vallium cum Benedicto Girardi, ex chartulario S. Stephani de Vallibus.

IX. Gaudinus Malleaco præerat anno M. C. LI. quo cuſtodiam eccleſiæ ſuæ ſub oneribus quibuſdam denegat Sebranno Chabot[a]; nam celebris controverſia exorta eſt de jure hereditario advocatiæ ſeu cuſtodiæ Malleacenſis eccleſiæ, quam Sebrannus Chabot ſub oneribus ambibat, quæ ſublata eſt per judicium Ludovici regis Francorum & ducis Aquitanorum; actum publice Angeliaci 4. non. Febr. anno ab Incarnatione Domini 1151.[b] & iterum per judicium Gofridi Burdegalenſis archiepiſcopi. Datum Sabluncellis 8. cal. Martii an. 1151. quorum exemplaria edita ſunt apud Beſlium hiſt. comit. Pictav. fol. 309. ex tabulario Malleac. Eidem Seguinus abbas Vallium ceſſit cœnobium S. Petri de Sulleio, quod ipſi quoque confirmavit Engilbaldus archiepiſc. Turon. Vide in Seguino abb. Vallium, & in prædicto archiep. Sedebat adhuc 1157. & 1158. Sub ejus regimine abbates S. Stephani de Vallibus & de Sulleio, agnoverunt ſe abbati Malliacenſi ſubditos, uti liquet ex charta II. inter probationes edita. col. 381.

a

b

X. Willelmus I. abbas Malleacenſis reperitur in tabulario S. Mar. Santonenſis an. M. C. LXXI.

XI. Guillelmus ſeu Willelmus II. de Reyſſia ſeu de Rexia, Malliacenſis cœnobii curam agebat an. M. C. LXXXIV. quo Ricardus regis Angliæ filius, Pictavienſis comes, conceſſit abbatiæ Malliacenſi pro commutatione obedientiæ S. Remigii de Haya, quidquid habebat ex integro in feodo de Colongiis. Vide litteras in probationibus hiſtor. dom. de Chaſtegnier fol. 32. Forte idem eſt ac Willelmus de quo ſupra.

XII. Ç. an. 1185. forte idem eſt ac Clemens, qui memoratur abbas Malliacenſis in variis tabulariis an. M. CC. & ſequentibus ad M. CC. XVI.

XIII. Stephanus erat abbas Malliaci an. M. CC. XVII. quo Petrus de Volviria dominus de Chaillé, ob ſalutem animæ ſuæ, & parentum ſuorum, dedit abbatibus & conventibus S. Michaëlis in eremo, de S. Maxentio, de Abſia, Nyolii, & Malliaci liberam poteſtatem & licentiam faciendi &

[a] Hoc jus vindicabat ſibi Sebrannus ob caſtrum Volventi, *Vouvant*, ſed Gaudinus reſpondebat eccleſiam Malleacenſem eſſe caſtro Volventi antiquiorem, & liberam factam eſſe a ſuis fundatoribus.

[b] Judicio huic Gaufridus archiepiſcopus Burdigalenſis, Giſlebertus epiſcopus Pictavienſis, Bernardus epiſc. Xantonenſis, comes Engoliſmenſis, abbates Angeliacenſis, & S. Maxentii, Gofridus de Rancone, Hugo de Leſigniaco, vicecomes Caſtri-Airaudi, abbas Burgulienſis, &c. adfuerunt. Actum publice Angeliaci 4. non. Febr. an. ab Incarn. Dom. 1151. Data per manum Hugonis cancellarii. *Ex autographo in archivis ſedis epiſcopalis Lupell. aſſervato.*

Digitized by Google

habendi excurſum liberum ab omni exactione ad excurrendas aquas de omnibus mareſiis de H..... & de Voillée, & de medietate mareſiorum de Nyolio, &c. quæ leges in litteris Petri de Volviria in probat. hiſtor. dom. de Chaſteignier fol. 23. & 24. editis. Paucis annis hic Stephanus ſedit, Clemens quippe ejus deceſſor an. M. CC. XVI. Malleacenſi cœnobio adhuc præerat, & Stephano ſucceſſit.

XIV. Willelmus III. Fortis cognominatus, ex priore de Xantonio factus abbas, a diœceſano præſule confirmatur & benedicitur. Hic venerabilis pater, vir nobilis, miræ prudentiæ, Malliaci abbas erat, & ſtrenuus defenſor an. M. CC. XXV. quo cœnobium Malleacenſe a Gaufredo de Leſignem & Willelmo de Valentia manu potenti & violentia fuit *aggravatum*. Hanc cladem fuſe deſcribit anonymus Malleaci monachus in narratione inſerta tom. 2. bibl. Labbeanæ fol. 238. Sed raptores cenſuris eccleſiaſticis adſtricti, ablata reſtituere & ſatisfacere coacti ſunt, ut patet ex diplomate Gregorii IX. & Gaufredi de Leziniaco litteris datis an. 1232. tranſcriptis tomo 2. biblioth. Labb. pag. 245.

XV. Raynaldus ſeu Reginaldus ex priore de Hermenaldo, Malliacenſis abbas jam ſedebat anno 1232. cum Gaufredus de Leziniaco dominus Volventi & Maireventi, Malliaco reſtituit quæ vi abſtulerat, ut nos docent litteræ Gaufredi datæ Spoleti cal. Julii pontificatus Greg. IX. anno VI. His litteris remiſit conſuetudines & procurationes, quas contendebat Willelmus ſibi deberi, & ſuis præpoſitis, falconariis, venatoribus, ſervientibus, &c. Item quæ prius exigebat neceſſaria equis, mulis, canibus, avibus eorumque cuſtodibus, tam in monaſterio, quam in prioratibus, & aliis locis ad monaſterium pertinentibus: item talletam quæ exigebatur ſingulis annis; expeditionem, exercitum, bannum, boqueſtallum ..... ſalimas, avenagium, commenditias, paſſagium, quod ſibi vindicabat in Rotundæ & Pichovenæ, *la Ronde & Pichoüen*, portubus ſine naulo; denique quidquid petebat ratione procurationis, quæſtæ, conſuetudinis, &c. in prioratibus, villis, locis inſulæ Malleacenſis, Rotundæ *la Ronde*, Talgonis *Taüigon*, Sautonii *Sauton*, Adenterii *Ardentier*, Diçaii *Diſſay*, Podii-Letardi *Puy-letard*, Taiſſonii *Taiſſon*, S. Michaëlis-clauſi, *S. Michel-leclos*, Salvariaci *Sauveray*, Capellæ Beraudi *Chapelle-Beraud*, Mairventi *Mairvent*, Peruſiæ *Perou*, Griegum *Grey*, Volventi *Vouvant*, Montis-Nobleti *Mont-Nablet*, S. Macerii *de Nois* & pertinentium ejus, Caſtariæ *Chattiers*, Baſogiarum *Baſoges*, Molleronis *Molleron*, Verguciæ prope Molleronem, Hermenaldi l'*Hermenaud*, Peruſiarum *Peruſes*, Coſtigniaci *Cotigné*, Baſteriæ *Baſtieres*, Calveriæ *Chauvieres*, Boiſſelſi *Boiſſeaux*, Moſolii *Mouzeuil*. Hæc deſcribere ex litteris Gaufredi de Leziniaco non piguit, ut ex iis intelligatur quot quantæque eſſent hujus abbatiæ poſſeſſiones. Iterum an. 1236. fatui quidam cruce ſignati, Malleac. cœnobium vi impugnant, quos Reginaldus abbas ſtrenue repreſſit, ut narratur in fragmento hiſtoriæ e manuſcripto codice Malliacenſi edito tom. 2. biblioth. Labbeanæ fol. 247. Anno 1239. Raynaldo Malleacenſi abbate præſente, eligitur Fulcaudus abbas Vallenſis e priore de Hermenaldo, & electus abbas benedicitur a Guillelmo IV. Pictav. epiſcopo, ut patet ex litteris Guillelmi quæ exſtant in MS. codice *Gualteri*.

XVI. Willelmus III. Malleacenſis abbas anno M. CC. LX. Olivæ dominæ de Cereſeyo, Johannis Chaſteigner conjugis ſubſcribit litteris, quibus ipſi Johanni marito ſuo cedit Burgum novum; editæ ſunt in probat. pro familia de Chaſteigner fol. 29. Monaſterium adhuc regebat an. 1271. cum Maria de Reſſia teſtamentum condidit, quod tamen vix poteſt conciliari cum tabulis in archivo ſ.dis epiſcopalis Rupellenſis aſſervatis & ex aliis.

XVII. Radulfus abbas an. 1270. ex charta S. Leonardi & ex tabulis mox laudatis, ubi etiam legitur an. 1267. 72. 73. & 1275. in codice Baluziano 570. fol. ultimo.

XVIII. Gaufredus II. de Pommereuil, *al.* de Ponnerelle aut Pouverelle, præerat jam an. 1309. Ex abbate ultimo Malleacenſi primus epiſcopus creatur 1317. 29. Novembris a Johanne XXII. dato ad hunc effectum brevi * Avenioni idibus Auguſti an. 1317. Hactenus de abbatia & abbatibus Malleacenſibus; nunc vero de ſede epiſcopali & epiſcopis. Pouvrelle.

* Exſtat in catalogo epiſc. Pict. Beſſii fol. 154.

SEDES EPISCOPALIS MALLEAC. NUNC RUPELLENSIS.

CUM placuiſſet Johanni papæ XXII. eccleſias epiſcopales in Gallia multiplicare, majores diœceſes in duas aut plures ſcindendo, Pictavienſem in tres diviſit partes, quarum potior eſt Pictavienſis diœceſis, ut nunc eſt, ac cœpit eſſe poſt diviſionem factam: ex duabus reſiduis una compoſuit diœceſim Lucionenſem, altera Malliac. Inter inſtrumenta legi poteſt bulla Johannis papæ XXII. in qua de duabus ſedibus epiſcopalibus a ſe erectis in diœceſi olim Pictavienſi loquitur, & de limitibus utriuſque diœceſis. Noſtra vero ætate Malleacenſis cathedra tranſlata eſt ab urbe Malliacenſi, ad civitatem Rupellam, non ita pridem ab hæreticorum jugo liberatam, quæ prius ad diœceſim Santonenſem pertinebat. Hanc tranſlationem ab Innocentio papa X. factam, petente Chriſtianiſſimo rege Ludovico, docet ejuſdem pontificis bulla data Romæ IV. nonas Maii an. 1648. Innocentii papæ anno quarto. Ea bulla hæc ſedes multum aucta eſt, videlicet acceſſione pagi Avedonacenſis, ſeu Alniſienſis, *Aunis*, & inſulæ Radi, *l'iſle de Ré*.

C. III. col. 382.

Rupella Santonum, caput pagi Alniſienſis, olim Avedonacienſis, urbs celeberrima ad Oceani Aquitanici ſinum poſita, nomen habet a parva rupe cui inſidet; ſæpeque in veteribus chartis appellatur Rochella. Rupellæ meminit Willelmus Brito libro 9. Philippidos, ubi laudat agri Rupellani vinum,

Digitized by Google

videturque Vaſconico comparare : *Vaſconia quale vel Rupella parit.*

Rupellam præſertim commendat portus excipiendis & tutandis navibus commodus, & ad commercium opportunus. Urbs eſt munitiſſima, cujus turres & propugnacula memorat Nicolaus de Braja in geſtis Ludovici VIII. regis, patris S. Ludovici : *De facili potuit Rupellæ cernere turres.* Et quidem cum oras illas maritimas infeſtarent Normanni, aliique prædones maritimi, par eſt credere hoc in loco jam ſitu loci munito conditum eſſe caſtrum, ad eorum impetus retundendos. Eo convenerunt populi ſecuritatis quærendæ cauſa, & urbem ædificarunt, quæ populo frequentiſſima, potens opibus, & armis evaſit. Ejus dominio multis potiti ſunt ſeculis nobiles gentes de Maloleone ac de Rupe-forti, inquiunt noſtri Sammarthani ; tum Guillelmus IX. comes Pictavienſis & dux Aquitaniæ poſtremus, Rupellam ſibi vindicavit. Ejus vero filia Eleonora, cum Ludovico VII. dicto juniori fuiſſet collocata, hanc urbem cum integra hereditate Guillelmi patris ſui ad Francorum regem tranſtulit. Verum repudiata, poſt ſolutum matrimonium, Henrico Normanniæ duci Anglorum regis filio nupſit ; ſicque reges Anglorum, omnium quæ ad Aquitaniæ ducis ditionem pertinebant potiti ſunt. Quod ſpectat ad Rupellam, Radulphus de Malo-leone hanc urbem ſuæ genti injuſte ablatam cauſatus, ab Eleonora obtinuit jure commutationis caſtrum Benonis, nunc Tremoliæ familiæ toparchiam titulo comitatus inſignem.

Quamvis vero Rupella proprium haberet dominum, attamen ab urbano præfecto, quem majorem dicimus, vulgo *maire*, & a quodam civium ſenatulo, quem communiam vocabant, regebatur. Ab an. 1199. Ludovicus VIII. rex Rupellam tunc Anglis ſubditam bellica virtute recuperavit anno 1224. & privilegiis auxit. Iterum ad Anglos rediit, poſt pugnam Pictavienſem in qua Johannes rex Francorum ab ipſis captus fuit. Narrat Froiſſartus Carolum V. Johannis filium eam recuperaſſe, ac regni dominio univiſſe ; quam Ludovicus XI. Carolo duci Aquitaniæ in partem patrimonii cum aliis multis ceſſit. Hæc urbs numero civium, propugnaculis, pelagoque tuta, cum hæreſis rebellioniſque caput in Galliis dici ambiret, a Chriſtianiſſimo rege Ludovico XIII. terra marique obſeſſa, frenoque furentibus Oceani fluctibus impoſito domita, ad fidem avitam feliciter eſt revocata, cujus tuendæ gratia ſedes epiſcopalis Malleacenſis eo tranſlata, Rege poſtulante ab Innocentio papa X. cujus bullam ea de re datam appendix exhibet.

Porro multæ ſunt abbatiæ intra fines dioeceſis Rupellenſis, & quidem plures quam antea in dioeceſi Malleacenſi, de quibus ſuo loco dicendum erit, ſed prius de epiſc. qui eccleſias tum Malleac. tum Rupellenſem gubernarunt, eſt agendum.

C. IV. col. 384.

EPISCOPI MALLEACENSES.

I. GAUFRIDUS.

ANNI CHRISTI POUVRELLE.

GAUFRIDUS POUVRELLE ex abbate ultimo Malleacenſi primus epiſcopus creatur 1317. menſe Auguſto : conſecratur die Dominica ante feſtum S. Catharinæ Avenione eodem anno a Berengario de Biterris Oſtienſi pontifice, aſſiſtentibus Petro de la Voirie primo Lucionenſi præſule, & altero antiſtite, quemadmodum notat vetus charta Malleacenſis ; ad quem etiam hujus pontificis Max. bullæ proviſionis de his ſacris infulis exſtant in archivis eccleſiæ Pictavienſis : *Johannes epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilecto Gaufrido electo Malleacenſi ſalutem & apoſtolicam benedictionem*, &c. *Nuper ex certis, & rationabilibus cauſis, quæ ad hoc noſtrum animum induxerunt, olim villam Malleacenſem tunc infra limites Pictavenſis diœceſis conſtitutam, qui locus inſignis, & populoſus exiſtit, & multiplici rerum exuberat ubertate, de fratrum noſtrorum conſilio, & apoſtolicæ plenitudine poteſtatis, in civitatem ereximus, & civitatis vocabulo duximus decorandam, ſtatuentes & etiam decernentes, ut eccleſia monaſterii ipſius loci ordinis S. Benedicti ex tunc haberetur, & exiſteret eccleſia cathedralis, prout in apoſtolicis inde confectis litteris plenius continetur. Poſtmodum vero de celeri & ſalubri proviſione ipſius eccleſiæ Malleacenſis, ut ſponſi ſolatio lætaretur, & ſollicite cogitantes ac volentes illum eidem eccleſiæ præficere in paſtorem, de quo certam haberemus notitiam, quod eum clara ſuæ probitatis inſignia * redimerent, nec dubia eſſet ejus caritas erga plebem ſuo regimini committendam : in te olim abbatem ipſius monaſterii dicti loci, quem nobis & fratribus noſtris litterarum ſcientia, maturitate morum, prudentia, ſpiritualium & temporalium providentia, fide digna teſtimonia recommendant, direximus oculos mentis noſtræ, ac præmiſſis omnibus debita meditatione penſatis, de perſona tua ob præmiſſorum exigentiam meritorum, de ipſorum fratrum conſilio, & præfatæ plenitudine poteſtatis, eidem Malleacenſi eccleſiæ providemus, præficientes te prædictæ eccleſiæ in epiſcopum & paſtorem, curam, & adminiſtrationem ejuſdem eccleſiæ tibi in ſpiritualibus & temporalibus plenarie committendo, ſpe fiduciaque tenentes, quod eadem eccleſia, Deo authore, per tuæ circumſpectionis fructuoſum ſtudium præſervabitur a noxiis, & adverſis, ac ſpiritualibus, & temporalibus proficiet incrementis. Tolle igitur jugum Domini tam leve collis humilibus, quam ſuave, & in dilectione Domini paſcendum ſuſcipe gregem ejus, ſuper quem noctis vigilias diligens ſollicituſque cuſtodi, ut liber non pateat aditus invaſori, & Dominus in ſuſpicabili hora venturus, ſi te invenerit ſic agentem, te fidelem compertum in modico ſuper multos conſtituat, ac in dilecta gaudiorum ſuorum tabernacula introducat. Datum Avenioni idibus Auguſti, pontificatus anno primo.*

ANNI CHRISTI * f. redimerent.

Nulla ſuperſunt hujus epiſcopi acta, ex quibus

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

nobis innoteſcat utrum papæ votis & exſpectatione reſponderit, & quidem brevi tempore ſedit ut epiſcopus, uti mox patebit ex initio epiſcopatus ejus ſucceſſoris.

Sambuti.

II. Guillelmus I.

1319. Guillelmus cognomento Sambuti anno 1319. jam ſedem obtinebat epiſcopalem, quo videlicet tempore, judicio Johannis papæ coactus eſt reddere Pictavorum epiſcopo quædam loca quæ circa Niortum occuparat, ex libro *Galterii* quem toties in Pictavenſibus laudavimus epiſcopis. Anno ſequenti Philippus V. rex Francorum nundinas conceſſit villæ Malleacenſi.

Sammarth.

III. Robertus.

Hujus epiſcopi nomen ſolum nobis notum eſt, neque enim ſcimus quo vocaretur cognomine, aut quando vel quomodo eccleſiam rexerit Malleac.

De Pons.

IV. Gaufridus, *al.* Godefridus II.

Godefridus de Pons ex perantiqua & illuſtri Pontiorum in Santonibus progenie, Godefridi domini de Pontibus & Elizabethæ de Rhodes vicecomitiſſæ Carladenſis, Henrici II. Ruthenenſium comitis natæ filius erat: deſiit in vivis eſſe an. 1333.

V. Johannes I.

Hunc epiſcopum hactenus ignotum invenit in archivis epiſcopi Rupellenſis noſter D. Jacobus Boyer ea diligenter explorando; notatur autem ad
1343. annum 1343. quare ipſum duximus anteponendū duobus qui ſequuntur, quorum ætas ignoratur.

VI. Eustachius.

VII. Januarius.

Hos duos epiſcopos Malleacenſium catalogo inſertos a fratribus Sammarthanis, exhibemus, ſolis eorum nominibus duntaxat annotatis, cum plura de ipſis dicenda non habeamus.

VIII. Guido.

1360. Guido præerat anno 1360. die 3. Aprilis, ex actis conſiſtorialibus Vaticani, uti lego apud eoſdem doctos ſcriptores.

IX. Johannes II.

Sammarth. Ex laudatis Vaticani regiſtris epiſcopus Mal-
1380. leacenſis erat quidam Johannes anno 1380. die 10. Julii.

De Thurey.

X. Petrus I.

Petrus de Tureyo Burgundus, *al.* Lugdunenſis cujus eccleſiæ fuit cuſtos, erat Malleacenſis epiſco-
1382. pus an. 1382. die 26. Maii, ad hanc dignitatem evectus cum foret *magiſter requeſtarum* in curia regis Caroli VII. Legatus apoſtolicus creatus eſt pro regno Neapolitano a Clemente VII. quem Franci & multæ aliæ gentes pro legitimo papa tunc habebant. Idem etiam pontifex Petrum dedit Ludovico juniori regi Siciliæ, ut ipſum conſiliis ſuis adjuvaret, inquit ſcriptor vitæ primæ Clemen-
1385. tis VII. Ab ipſo purpura donatus eſt anno 1385. apud Avenionem 4. idus Julii, acceptique ütu-

A lum S. Suſannæ. Anno 1394. interfuit electioni Benedicti XIII. creati papæ in obedientia Clementis VII. At cum renuiſſet hic abdicare, ad ſchiſma comprimendum, ab ipſo defecit, convenitque ad concilium Piſanum an. 1409. in quo, eligendo Alexandro V. ſuffragia contulit. Hic cardinalem S. Suſannæ inſtituit vicarium generalem & legatum in civitate Avenionenſi, totoque comitatu Venaiſſino an. 1409. Fuit quoque legatus a latere in provincia Lugdunenſi & aliis Franciæ, ut ipſe teſtatur litteris ſuis de elevatione corporum ſanctorum Irenæi, Epipodii & Alexandri a ſe facta an. 1410. Incertum eſt quo tempore obierit, aliis an. 1412.
B aliis 1417. id factum fuiſſe aſſerentibus. De hoc præſule fuſe agit V. C. Stephanus Baluzius in notis ad vit. pap. Aven. col. 1348. & ſeq. ubi maxime differit de ipſius genere. Vix autem locus eſt dubitandi utrum fuerit ex genere Guillelmi de Thury, ac Philippi de Thury, Lugdunenſium archiepiſcoporum. Imo pene liquet eum habuiſſe patruum Guillelmum, qui eum, ut conjicimus, cuſtodem eccleſiæ ſuæ creaverat, fratremque fuiſſe Philippi de Thury, qui Guillelmi patrui fuit ſucceſſor. Utriuſque frater erat Raimundus de Thury eccleſiæ Lugdun. decanus; qui tres fratres parentibus Simone de Thury, & Serena de Rupe-forti
C geniti erant.

XI. Johannes III.

Le Masle

Ante Johannem le Maſle, *al.* de Maſle, in vulgato Malleacenſium epiſcoporum indice ponitur alius Johannes cognominis ignoti, qui dicitur ſediſſe an. 1387. ex Vaticani regiſtro. At citra dubium Johannes de Maſle jam erat epiſcopus anno 1384. quod probant quædam litteræ [a] in camera 1384.
computorum aſſervatæ, ex quibus etiam conſtat eum fuiſſe cancellarium ducis Bituricenſis. Memoratur in tabulis ſedis epiſcopalis annis 1406. & 1406.
D 1409. quo anno miſit legatum ſive procurato- 1409.
rem ad concilium Piſanum, ex ejuſdem actis Spicilegii tom. VI. Sedit uſque ad annum 1421. quo 1421.
ipſum obiiſſe credimus. Ejus anniverſarium celebratur die 17. Januarii.

XII. Guillelmus II.

De Lucé.

In regiſtris cameræ computorum apud Pariſios recenſetur magiſter Guillelmus de Lucé epiſcopus Malleacenſis, conſiliarius & primus magiſter clericus hujus cameræ; quapropter primus nominatur poſt præſidem die undecima Maii an. 1422. 1422.
Utrum ſit idem ac Theobaldus de Lucé difficile
E eſt decernere. Nihil tamen vetat duos epiſcopos ex nobili apud Cenomanos gente de Lucé, unum poſt alterum hanc rexiſſe eccleſiam.

XIII. Theobaldus.

De Lucé

Hic quemadmodum ſuperior ſimul erat epiſcopus & magiſter clericus in camera computorum Pariſienſi. Et quidem hujus officii [illegible] penſionem annuam centum librarum a Rege percipiebat, quam ſibi ſolutam fuiſſe teſtatur chirographo ſuo

[a] In litteris quibuſdam menſis Febr. an. 1384. ubi legitur: *Sic ſignatum eſt ad relationem domini ducis Bituriæ, domino epiſcopo Malleacenſi ejus cancellario præſente J. le Maſle* fol. 208. ſecundi regiſtri chartarum cameræ comput. Pariſ.

ANNI CHRISTI

dato 3. Junii an. 1449. a nobis lecto in ſchedis D. de Clerambaut. Idem epiſcopus ut Regis commiſſarius cum domino a ſancto Marco, pacta quædam facit cum domino Petracoricenſi, vicecomite Lemovicenſi, & vicecomite Turennæ, pro ſubjiciendo regiæ poteſtati quodam caſtro, die 24. Jan.

1438. an. 1438. ex tabul. caſtri de Montignac, quæ nunc ſunt in caſtro Palenſi, littera E. n. 42. Vix iſta conciliari queunt cum neſcio qua charta prioratus de Mauritania, in qua fit mentio an. 1430. Johannis epiſcopi Malleacenſis, cujus nulla occurrit memoria in catalogo noſtrorum epiſcoporum; at de ipſo idem ſentiendum, ac de Galterio Pictavienſi, qui eadem in charta legitur, de quo videndum in Hugone II. epiſc. Pictav. Certe ſi ratio haberetur chartarum hujus loci, poſt Guillelmum de Lucé admittendus ante Theobaldum foret Johannes, anno videlicet 1430. poſt quem Theobaldus, quem probant tabulæ an. 1438. Anno 1440. Jacobum epiſcopum Malleacenſem exhibent aliæ S. Petri de Mauritania chartæ. Deinceps vero Theobaldus comparet in tabulis an. 1448.

1452. 1449. & 1452. Quin etiam recenſetur inter præſules qui adfuerunt tranſlationi S. Martini in ipſius eccleſia Turonenſi factæ menſe Febr. anno 1453. de qua vide in hiſtoria Tutelenſi lib. 3. cap. 9. pag. 219.

ROUHAULT.

XIV. Ludovicus.

Ludovicus Rouhault abbas S. Petri de Burgolio, ex dominis de la Rouſſeliere in Pictonibus, e qua gente oriundus Joachimus Rouhault Franciæ equitum tribunus ſeu mareſcallus Ludovico XI. rege:

1461. nominatur 1461. in codicillis matrimonii Euſtachii domini du Bellay cum Catharina de Bellomonte, Ludovici epiſcopi Pariſienſis ſorore. Anno

1468. 1468. notatur in tabulis Burgulianis, & die 9.

1472. Nov. 1472. ſubſcribit pactis matrimonii Theobaldi Bellimontenſis, domini de Foreſta ſupra Separim, Andium gubernatoris, ex archivis hujus familiæ.

D'AMBOISE

XV. Johannes IV.

De nobilitate generis Johannis d'Amboiſe Petro domino de Chaumont & Anna de Buëil geniti jam locuti ſumus agendo primo tom. de Ludovico epiſcopo Albienſi ejus fratre; ſæpiuſque adhuc de præſulibus illuſtriſſimæ gentis Ambaſianæ, qui plurimi fuerunt in eccleſia Gallicana, erit dicendi locus. Noſter autem Johannes locum quidem habet in Malleacenſium epiſcoporum catalogo; at nihil de illo in tabulis publicis hujus eccleſiæ occurrit. Et ſane ejus epitaphium, quod dabimus in Lingonenſibus epiſcopis (ad hanc enim ſedem eſt tranſlatus an. 1481.) de hoc Malleacenſi epiſcopatu tilet. Fuit in Burgundia & pagis Altiſſiodorenſi & Matiſconenſi præfectus regius ſub regibus Ludovico XI. Carolo VIII. & Ludovico XII.

DE S. SEVERIN

XVI. Fredericus.

Accenſetur Malleacenſibus epiſcopis Fredericus Sanſeverinus nobiliſſima in regno Neapolitano familia natus, patre videlicet Roberto Sanſeverino comite Gajacenſi, & matre Johanna de Corregio, vel potius Iſabella filia Frederici ducis Urbini, prima Roberti conjuge, ex hiſt. magiſtrorum reg. ſtab. Innocentius VIII. cui in bello adverſus Ferdinandum regem Neapolitanum ſtrenuam & fidelem operam navarat Robertus dux præſtantiſſimus, ipſius filium Fredericum facto cardinalium collegio adſcripſit pridie idus Martii anno 1489. donavitque titulo S. Theodori: at poſt mortem Innocentii VIII. Alexandri VI. & Pii III. qui paucis ſedit diebus, Julii II. infenſiſſimum hoſtem ſe probavit, adhæſitque concilio Piſano cujus legatione functus eſt. Quapropter Julius cum purpura ſpoliavit, & anathemate percuſſit, ſed amiſſam communionem & dignitatem recuperavit beneficio Leonis X. Fuit creatus archiepiſcop. Viennenſis anno 1508. Ceterum de ejus pontificatu apud Malliacum nihil legimus.

ACCOLTI.

XVII. Petrus II.

Petrus Accolti, cardinalis tituli S. Euſebii, vulgo nuncupatus de Ancona, naſcitur Florentiæ 15. Mart. 1453. patre Benedicto Accolto nobili Aretino, in republica Florentina propter opes, animique dotes clariſſimo; mater ei fuit Laura Federighia nobilis item Florentina. A teneris egregie perpolitus bonis artibus, Piſis juriſprudentiam didicit, ubi laurea doctoratus donatur, ac publicus profeſſor a republica Florentina factus eſt, ſed Romam evocatus ſub Alexandro VI. & Julio II. apoſtolici palatii cauſarum auditor evaſit, ep. Anconitanus a Julio II. deſignatus 1505. 4. Apr. a quo poſtea purpuram obtinuit an. 1505. 1511. & diœceſim Anconitanam gubernavit uſque ad an. 1514. quo eum ceſſit Franciſco nepoti. 1514. Subinde vero aliis præficitur eccleſiis; nimirum Gaditanæ in Hiſpania, Malleac. in Gallia poſt Frederici Sanſeverini obitum; a Leone X. Atrebatenſi in Belgio, & Cremonenſi in Inſubria. Demum Clemens VII. ei demandavit archiepiſcopatum Ravennenſem an. 1524. 15. Junii, quam eccleſiam per duos tantum menſes rexit, & ad Benedictum nepotem tranſmiſit. Romanæ purpuræ adjunxit pontific. Albanenſem, Prænestinum, Sabinenſem ac deinceps Portuenſem. Cumque ætate provectus omniumque ferme eccleſiaſticarum dignitatum titulis inſignitus effulſiſſet, Romæ ultimum diem obiit 1532. ſepultus apud S. Mariam de Populo, 1532. ut notant acta conſiſtorialia; tametſi Hieronymus Rubeus in Ravennæ hiſtoria, dicat humatum fuiſſe menſe Decembri ad eccleſiam S. Euſebii tituli ſui. Perhonorifica mentio hujus eſt apud Petrum Bembum in epiſtolis quas Leonis X. nomine ad Franciſcum I. regem ſcripſit, in quibus *vir doctus, ac de ſe, deque Republica meritus* appellatur; de eo Ludovicus Cavitellus in Annalibus Cremon. Hiſtorici fere omnes civitatis Florentinæ, Ciaconius, & plura Ughellus ſcribit in catalogo epiſcoporum Anconæ lib. 1. Italiæ ſacræ.

DE LUXEMBOURG.

XVIII. Philippus.

Sammarthani fratres eodem anno ſcilicet 1518. & menſe Martio duos ex actis conſiſtorialibus eruunt epiſcopos, quorum unus creatus eſt die 10. Martii, alter die 24. Prior eſt Philippus de Luxemburgo cardinalis, nobilitate generis, & pluri-

Digitized by

ANNI CHRISTI

mis quas poſſedit dignitatibus notus, cui Petrus Accolti ceſſerat; poſterior eſt Godefridus d'Eſtiſſac. De priori qui forte nunquam poſſeſſionem iniit, nihil occurrit dicendum, itaque ad poſteriorem veniendum.

D'ESTISSAC.

XIX. GODEFRIDUS III.

Godefridus d'Eſtiſſac ex nobili familia Aquitaniæ prognatus, patre Johanne domino d'Eſtiſſac qui Carolo Aquitaniæ duci regis Ludovici XI. fratri acceptus erat; per reſignationem cardin. de Luxemburgo renuntiatur antiſtes Malleacenſis 24. Martii 1518. ex actis conſiſtorialibus. Ad. 1542. fundavit miſſam quotidie dicendam in eccleſia B. Mariæ de Cadunio, ex hujus abbatiæ tabulis. Goffridi autem ſedentis circiter
1544. an. 1544. lib. 4. Annal. Aquitaniæ mentio fit a Johanne Bucheto Pictone: adeo ut non ſit locus Dionyſio epiſcopo, qui dicitur in chronico generali ordinis Minimorum conſecraſſe eccleſiam patrum ordinis S. Franciſci de Paula Caſtri-eraldi an. 1522. cum per id tempus Godefridus ſederet Malleaci.

D'ESCOUBLEAU.

XX. JACOBUS I.

Jacobus d'Eſcoubleau abbas SS. Trinitatis de Malo-leone & S. Petri de Aurea-valle, filius Stephani domini de Sourdis & Mariæ de Tuſſeau, jam epi-
1545. ſcopus erat an. 1545. quo interfuit nuptiis Renatæ
ex authent. inſtrumento. d'Eſcoubleau cum Claudio le Goux domino de Lauri, quorum ſponſalia celebrata ſunt die 27. Februarii anni præfati. Et quidem obtinuit bullas a Paulo papa III. datas Buxeti Cremonenſis dioec. VII. cal. Junii an. 1543. pontific. an. IX. Poſſeſſionem accepit die 21. Novembris ejuſdem anni per procuratorem fr. Ægidium Ogier presbyterum in decretis licentiatum, priorem de magna Buxeria ordinis S. Auguſtini. Adhuc epiſcopus erat annis 1550. & 1559. Monachus erat, vocaturque frater Jacobus d'Eſcoubleau; qui cum jam foret abbas S. Martini Pontiſarenſis, nominatus eſt ſchedula Franciſci regis abbas monaſterii de Malo-leone die 14. Januarii 1534.

DE PONTLEVOY.

XXI. PETRUS III.

Petrus de Pontlevoy Blandinerius Renatæ ſororis Jacobi filius, epiſcopus erat anno 1564. ex charta monaſterii S. Jovini ſubtus Malleonium,
D'ESCOUBLEAU. adhucque regebat 1567.

XXII. HENRICUS I.

Henricus Jacobi nepos ex fratre Johanne toparcha de Sourdis, *& de la Chapelle-Bellouin* in agro Loſdunenſi, ſeu Juliodunenſi, Franciſci I. regis cubiculariorum præfecti, abbas SS. Trinitatis ſeu
1573. B. Catharinæ in Monte-Rotomagi, & prior ſancti Martini Carnotenſis, convenit ad cœtum gene-
1574. ralem cleri Gallicani an. 1573. & adfuit unctioni coronationique Henrici magni apud Carnutum menſe Februario an. 1594. Anno ſequenti inter præceptores ord. S. Spiritus ab eodem rege allectus eſt. Eo ſedente fundatur conventus Cuſtodiarum ord. S. Auguſtini ex communitate ſeu congregatione Bituricenſi an. 1604. Obiit Pariſiis menſe Aprili, an. 1615.

ANNI CHRISTI 1604. 1615.

D'ESCOUBLEAU.

XXIII. HENRICUS II.

Henricus alter cognomento d'Eſcoubleau erat quoque Jacobi epiſcopi nepos, ex ejus fratre Franciſco comite *de la Chapelle-Bellouin*, domino de Sourdis equite torquato, Carnutenſis urbis & provinciæ prorege, ac Elizabetha Babou de la Bourdaiſiere; abbas SS. Trinitatis de Malo-leone, Aureæ-vallis, S. Crucis de Angla & Regalis-montis, *Royaumont*, Henrico patrueli ſuo ſucceſſor datus, conſecratur a fratre ſuo cardin. de Sourdis archiep. Burdegal. die 19. Martii 1623. De eo vero con- 1623.
ſule quæ ſupra diximus in Burdigal. archiepiſcopis.

XXIV. HENRICUS III.

DE BETHUNE.

Henricus de Bethune, Philippi de Bethune, comitis de Selles & de Charrots filius, ex Catharina le Bouteiller de Senlis: deſignatus a Ludovico XIII. Bajonenſis antiſtes 1. Octobr. anno 1626. antequam in epiſcopum unctus eſſet, ad cathedram Malleacenſem aſcendit 22. Martii 1629. Inaugu- 1629.
ratur Pariſiis in æde Fulienſium vici S. Honorati die Epiphaniæ 6. Jan. 1630. a Johanne Franciſco Gondio archiepiſcopo Pariſienſi, aſſiſtentibus Philippo Coſpeano Nannetenſi, & Emerico de Bragelone epiſcopo Lucionenſi. Eccleſiæ poſſeſſionem adeptus per procuratorem eodem anno, ſolemni quoque pompa urbem invehitur menſe Februario. Sub ejus pontificatu in hac dioeceſi inſtituitur congregatio filiarum noſtræ Dominæ, collegium patrum Soc. Jeſu Fontiniaci-comitis, & Fulienſes in abbatia B. Mariæ Belli-fontis, loco monachorum ordinis Benedictini ſubſtituuntur; denique fratres Caritatis ſub ipſo quoque admittuntur apud Vezins. Comitiis Cleri Meduntæ 1641. adfuit, ac poſtquam laudabiliter ſuam dioeceſim circiter annis 18. adminiſtraſſet, transfertur ad archiep. Burdigal. a Ludovico XIV. 1646. 20. Novemb.

RAOUL.

XXV. JACOBUS II.

Jacobus Raoul toparcha de la Guibourgere in comitatu Nannetenſi, eo nomine potiſſimum nobis commendandus, quod ſollicitudine ſua effecerit, ut Rupella quæ multis ab annis hæreſeos propugnaculum facta fuerat, nunc in melius commutata, catholicæ Eccleſiæ ſedes epiſcopalis evaderet, & unde impietatis virus diſtillarat ad vicinas regiones inficiendas, inde ad amplæ dioeceſis populos ſanctioris veritatis fluenta dimanarent. Ad epiſcopalem vero dignitatem his gradibus Jacobus evectus eſt; primo fit ſenator in Armoricano parlamento an. 1616. tum Nannetenſis ſeneſcallus an. 1620. cujus etiam urbis præfecturam a civibus electus (Majoris * videlicet officium) exercuit. Ter etiam * Maire de la ville.
a provinciæ ſuæ comitiis fuit delegatus ad Regem, ut ſui ordinis præſes. His in muniis Regi regnoque utilem operam impendit; quapropter a Ludovico rege XIII. ſacri conſilii aſſeſſor aſſumitur; & cum Michaël Raoul ejus patruus epiſcopus Santonenſis abdicaſſet ſacrum magiſtratum, in ipſius locum deſignatur epiſcopus a rege Chriſtianiſſimo, ut diximus in Santonenſibus epiſcopis. Tranſlato autem Henrico

ANNI CHRISTI

Henrico de Bethune ad metropolim Burdigalenſem an. 1646. Jacobus Raoul a ſede Santonenſi migravit ad Malleacenſem; quo exſtincto, nova ſedes epiſcopalis apud Rupellam conſtituitur, uti jam diximus. Novæ eccleſiæ cathedralis patronus eſt S. Ludovicus, cujus capitulum conſtat epiſcopo, qui canonicis annumeratur capituloque præſidet, octo dignitatibus, & canonicis viginti. Hi omnes faciunt numerum 29. omnes enim dignitates habent annexum canonicatum. Porro dignitates poſt capituli ſeculariſationem ſunt decanus, theſaurarius, eleemoſynarius, archidiaconus major ſeu Rupellenſis, archidiaconus Fonteniacenſis, cantor, ſuccentor, & archidiaconus Bercorienſis, *Breſſuire*; in hac nova diœceſi ſunt parochiæ 425. abbatiæ novem quas infra enumerabimus. Duæ ſunt eccleſiæ collegiatæ, altera S. Johannis olim extra muros Rupellæ, nunc intra, quam obtinent presbyteri Oratorii Domini Jeſu, altera S. Petri Surgeriarum unita capitulo cathedrali anno 1702. Antequam eccleſia cathedralis conſtructa eſſet, officium celebrabatur in majori templo Calviniſtarum, ad Eccleſiæ uſus chriſtiano more conſecrato. Jacobus Raoul obiit anno ætatis ſuæ 72. Chriſti 1661. die 15. Maii, ſepultuſque eſt in æde ſacra Fr. Minorum Capucinorum apud Fonteniacum-comitis.

A

B

C

DE LAVAL.

XXVI. HENRICUS-MARIA.

* Henricus-Maria de Laval de Bois-daufin, Philippi-Emmanuelis de Laval marchionis Sabolii, *Sablé*, filius ex Magdalena de Souvré, decanus eccleſiæ S. Martini Turonenſis, ex epiſcopatu Leonenſi, ad quem deſignatus fuerat an. 1651. factus eſt Rupellæ præſul, nominatus die 1. Julii anno 1661. Hanc eccleſiam diu rexit magna cum ſollicitudine, pro tuenda & augenda in clero eccleſiæ diſciplina, & eliminandis in plebe morum corruptelis, ad quod doctas de Ethica Chriſtiana collationes publicavit. Obiit die 22. Nov. an. 1693. annum agens 74. An. 1679. litteris regiis conceſſum eſt piis feminis ab Unione chriſtiana cognominatis, ſedem figere apud Fonteniacum-comitis.

* D. Eſtiennot ſcribit in Antiq. hujus diœceſis, Henricum de Laval circa an. 1675. ſedi epiſcopali Malleac. Alnienſem pagum adjunxiſſe, & an. M. DC. XLVIII. ſedem hanc e Malleaco Rupellam tranſtuliſſe, & ut monachi cucullas almutio commutarent ſuaſiſſe.

ANNI CHRISTI

XXVII. CAROLUS-MAGDALENA. FREZEAU.

Carolus Frezeau de la Frezeliere, patre in regiis exercitibus legato generali, qui gradus ad Franciæ mareſcalli dignitatem propius accedit, tormentis bellicis ſubpræfecto, & Salmenſis caſtri gubernatore, natus, cum ipſe militiæ ſeculari nomen dediſſet, anno ætatis 24. aliam ſanctiorem eſt amplexus, licentiatus theologiæ in ſacra facultate Pariſienſi, ut vicarius generalis eccleſiam Argentoratenſem adminiſtravit. Die 24. Dec. an. 1693. ſchedula regia deſignatus eſt epiſcopus Rupellanus. Conſecratur Pariſiis die 27. Junii in eccleſia presbyterorum Miſſionum apud exteras gentes, an. 1694. urbem ingreditur die 6. Auguſti ejuſdem anni. Moritur die 4. Novembris anno 1702.

XXVIII. STEPHANUS. CHAMPFLOUR.

Stephanum Champflour edidit Clarus-mons apud Arvernos, ex familia inter primarias urbis ſpectabili. Cum eſſet canonicus & abbas eccleſiæ Claromontenſis, necnon vicarius generalis epiſcopi, die 31. Decemb. nominatus eſt epiſcopus Rupellæ an. 1702. conſecratur in epiſcopum die 10. Junii an. 1703. Rupellam eſt ingreſſus ut pontifex die 27. Julii eodem anno. 1702.

DECANI ECCLESIÆ RUPELLANÆ.

I. PHILIPPUS DE LA BROSSE, Normannus, doctor Sorbonicus, vir erat pietate, eruditione, rerum peritia & ingenii ſagacitate celebris. Vere capituli Rupellenſis pater, rituale & breviarium ad uſum eccleſiæ Rupell. compoſuit. Obiit 1695. ſepultus apud moniales Urſulanas. Ante mortem reſignavit ſequenti.

II. Johannes Lambert, Engoliſmenſis, doctor Sorbonicus, ſepultus in hoſpitalis domus S. Ludovici eccleſia cum hoc epitaphio: *Hic jacet corpus D. D. Johannis Lambert presbyteri, eccleſiæ cathedralis Rupellenſis decani. Obiit die 7. menſis Junii 1709. anno ætatis ſuæ 70. Requieſcat in pace.*

D

III. Scipio-Hieronymus Begon, doctor Sorbonicus, filius celeberrimi & clariſſimi viri Michaëlis Begon, a capitulo electus 1709. remiſit decanatum capitulo factus vicarius generalis D. epiſcopi Bellovacenſis, & abbas S. Geremari Flaviacenſis.

IV. Ludovicus Bouchet, Fonteniacenſis, electus a canonicis (eum enim ſolum eligit capitulum, non vero epiſcopus) die ultima Februarii 1714. licentiatus Sorbonicus.

DIOECESIS MALLEACENSIS ſeu RUPELLENSIS ABBATIÆ.

ABBATIÆ DIOECESIS HUJUS SUNT:

ABSIA, *l'Abſie en Gaſtine*, ord. S. Benedicti.
Bellus-fons, *Belle-fontaine*, ord. S. Bened.
Aurea-vallis, *Airvaux*, ord. S. Aug.
Maleolium, *Mauleon*, ord. S. Aug.
Niolium, *Nieuil*, ord. S. Aug.
Moroliæ, *Moureilles*, ord. Ciſterc.
Gratia-Dei, *la Grace-Dieu*, ord. Ciſterc.
Gratia S. M. de Caronte, *N. Dame de Charon*, ord. Ciſterc.
S. Leonardus de Calmis, *S. Leonard de Chaumes*, ord. Ciſterc.
B. Maria in inſula Rea, *N. Dame de l'Iſle de Ré*, ord. Ciſterc.

B. MARIA DE ABSIA.

ABSIA olim dioeceſis Pictavienſis, poſtea Malleacenſis, nunc Rupellenſis, in territorio Vaſtinenſi, intra fines ſuperioris Pictonum provinciæ, in valle feraci, non longe a Partheniaco fundatur a Giraudo de Sala pro anachoretis anno circiter 1120. ut docet ejuſdem Giraudi vita, qui his aſcetis regulam S. Benedicti obſervandam dedit. Benefactores monaſterii, ſub beatæ Virginis patrocinio fundati, fuerunt domini de Partheniaco, *(Partenay l'Archeveſque,)* de Chabot, de Chaſteignier, d'Appelvoiſin, de la Meilleray. De Abſiæ primordiis hæc legimus in chartario ejus, fol. IX. *Eccleſiam Pictavienſem Petro bonæ memoriæ epiſcopo regente, Petrus de Bunt heremita in territorio Gaſtinæ, in loco qui dicitur Abſia, materias dirutas veteris eccleſiæ reperit. Unde gavifus eſt comperto ab indigenis antiquis quod nulli de finitimis eccleſiis ſubjaceret; quam rem utpote bonus homo diligenter inquiſivit: quinimo reſponderunt ſibi veteres coloni, ſcilicet Arnalfus de Plaſeit, & Brunus Orbus, & Arbertus de Frenneis, quod quando parochiani eccleſiæ Abſiæ pergebant ad capellam Seguini, & ad Vernol miſſam audire, & pueros baptizare, Audoinus Abhorret cliens Jacquelini, qui fuerat dominus eccleſiæ Abſiæ, (in tempore illo erant eccleſiæ laïcorum,) referebat de capella Seguini, & de Vernol, offerturam ad dominum ſuum Jacquelinum, propter parochiatum eccleſiæ Abſiæ. Hanc eccleſiam deſtructam Petrus bonæ memoriæ epiſcopus, Petro de Bunt per obedientiam reædificare præcepit; epiſcopoque defuncto, juſſu & licentiæ archidiaconorum Willelmi & Arvei, & aliûs Willelmi, quorum arbitrio Pictavienſis eccleſia carens pontifice regebatur: & ad ultimum juſſu & obedientia Willelmi epiſcopi, ad hanc eccleſiolam ſupradictam reædificandam, vir ſupradictus, vigilando, orando, jejunando, laborando, utpote in ſolitudine degens, acceſſit.* Anno autem tertio ab ordinatione Willelmi Giſleberti antiſtitis fundatur abbatia, ſicuti declarat altera ſcheda, quæ in eodem chartulario aſſervatur his verbis: *Anno ab Incarnatione Domini M. C. XX. epacta XVIII. concurrente IV. ind. XIII. fundatum eſt cœnobium ſanctæ Mariæ Abſiæ in primam abbatiam pagi Pictavienſis, ſecundum regulam S. Benedicti, & inſtitutum patrum probatiſſimorum Ciſtercienſium monachorum, a magiſtro venerabili Giraudeo *, cooperante gratia Spiritus ſancti in magna gloria: & auctoritate virorum religioſorum ſcilicet epiſcopi venerabilis Guillelmi Giſleberti, & abbatis Cadunii, & abbatis Borneti, & aliorum multorum, tam religioſorum, quam clericorum, nobilium perſonarum. Et ſub una die, ſcilicet VIII. idus Aprilis feria tertia ante Palmas, primus abbas & clerici inſimul ſexdecim, in monaſtico habitu conſecrati ſunt: qui videlicet magiſter Giraud. poſtquam diſcipulum ſuum præfatum religioſum valde virum, & per omnia bonis moribus inſtructum, fratribus ſibi commiſſis abbatem ordinaſſet, ut ei mos erat libere abbatias inſtruere, locum hunc liberum illis tradens, domibus & neceſſariis rebus obtime ad ſerviendum Deo, magna jam ex parte exſtructum, ut verum regem Chriſtum ſuper ſe ſemper caput haberent, monuit; ut in virtute S. Spiritus ſecundum propoſitum ſupradictum viverent, præcipiendo rogavit.*

* *f.* Giraudo de Salis.

ABBATUM CATALOGUS.

I. PETRUS I. an. 1120. recenſetur abbas primus in chronico Malleacenſi, qui quidem an. 1123. donum accepit a Gilberto de Loſduno, cujus vide chartam inter inſtrumenta. Eum de familia *de Bant* ortum eſſe ac denominatum opinantur V. C. DD. Johannes Beſly & Andreas du Cheſne in hiſt. domus de Chaſteigner fol. 7. C. XV. col. 337.

II. Guillelmus I. anno 1135. obtinet a Guillelmo II. ep. Pict. confirmationem Pulcræ-vallis, quo in loco jam ædificata erat B. Mariæ eccleſia. Donum hoc Guillelmo & aliis monachis ibidem Deo ſervientibus fecerant Raterius de S. Maxentio, ejuſque uxor Maximilla, addita decima ſuæ terræ. Donum confirmavit Savaricus Malleonis filius Radulfi, de cujus feudo locus hic erat, conceſſitque facultatem acquirendi ſua in ditione ſive dono, ſive emtione quidquid liberet. Eidem Guillelmo eodem an. 1135. Sebrandus Chabot cum Agnete uxore & filio Theobaudo dederunt unam domum ad Coctam-braiam, &c. quæ leges in veteri Gallia Chriſt. An. 1132. opera Guillelmi epiſcopi initur concordia inter noſtrum Willelmum & Petronillam abbatiſſam Fontis-ebraldi, propter domos d'Eſcozay, mediatoribus Arnaudo archidiacono Briocenſi, Petro Letardi, & Goſleno Uberti militibus Lodunenſibus; teſtibus Roberto abbate de Turpiniaco, & Petro Guillelmi abbatis fratre: ex parte abbatiſſæ, Agnete prioriſſa de Cereſariis, an. 1136. epacta XV. ind. XIV. Poſtea 1139. recipit donum Clareti de Barges fratribus Abſiæ factum, pro quarta parte decimæ quam poſſidebat in domo de Maſcignec, adſtantibus Petro Pictavino, & Sebrando Chaboto. Memoratur & annis 1144. & 1146. in tranſactione cum Aremburgi

Digitized by Google

abbatiſſa Thoarcenſi; cui donationes contulit Wilelmus vicecomes Thoarcenſis.

III. Rainerius renovat tranſactionem cum eadem Aremburgi 1146. & Pictavis a Chalone ſeu Calone epiſcopo obtinet confirmationem eleemoſynarum Giraudi de Tellio eccleſiæ B. Mariæ, teſtibus Briocenſi archidiacono, Helia capicerio Pictavienſi, Raginaudo priore ſanctæ Radegundis, Petro abbate de Inſula-Calveti 1156. indict. III. Idem in eleemoſynam recipit domunculam de Nucaria ab Hugone d'Ozay 1158. Laurentio decano Pictavienſi delegato, teſte Pautonerio decano Fontaneti, necnon Eblone de Malo-leone. Hujus quoque mentio fit in variis tabulis donationum prædicti Ugonis, pro incolis Nucariorum, & jure terragii, ut vocant, apud monaſterium S. Medardi de Pratis prope Fontanetum. Eo ſedente multum amplificata eſt domus Abſienſis, toparcharum eleemoſynis; nam Willelmus Maingot ex dominis Surgeriarum, filiuſque cognominis, dederunt Rainerio ac fratribus, pro ſalute animæ Bertæ uxoris, ſolidos in feodis Vulventi & parochia capellæ Tiroil 1177. partem etiam ſtagni de Roſcherio, præſentibus Aimaro Aſſodiorum, & Giraudo Fontisdulcis abbatibus. Ceterum tranſegit cum Willelmo Talemundi principe 1166. teſtiſque habetur in concordia cum Geraldo S. Pauli priore 1182. & in inveſtitura Hugonis Archiepiſcopi domini Parteniaci an. 1183. necnon in donatione Willelmi II. Archiepiſcopi ad S. Jacobum ire diſponentis 1169. ac denique in charta Ugonis & Joſcelini filiorum Willelmi II. Archiepiſcopi an. 1185. donum ſui patris confirmantium. Raynerii abbatis nomen reperitur in aliis tabulis uſque ad annum 1187. & apud Andream Quercetanum diligentiſſimum ſcriptorem leguntur itidem plures chartæ in hiſtoria genealogica Caſtaneorum, quas brevitatis cauſa miſſas fecimus.

IV. Goſſenus ſive Goſcelinus ſeu Joſcelinus 1187. inveſtitus de decima Ulmellorum 1188. nominatur in chartis Abſienſibus cum Aimerico vicecomite Thoarcii, & in donatione Petri Maengot anno 1192.

V. Gaufridus, cujus notitia eruitur an. 1217. ex originali Abſienſi, quod ad probationem convenit apponere: *In nomine S. Trinitatis, ego Petrus de Volviro dominus de Challé univerſis*, &c. *Notum fieri volo, quod ego ob ſalutem animæ meæ, & patris & matris meæ, conceſſi pro me & heredibus in perpetuam eleemoſynam, S. Michaelis in Eremo, de Abſia, de S. Maxentio, Malleacenſi, Mauleonenſi abbatibus & conventibus liberam poteſtatem habendi in dominio meo & feodo de Challé, quendam excurſum liberum & immunem ab omni coſtuma & exactione, ad excurrendas aquas de omnibus mareſiis de Langui & de Voillec, & de medietate mareſiorum de Mauſolio & Angleæ, quæ ſunt de feodo Hugonis de Ozaio militis, & de mareſiis quæ ſunt in feodo Willelmi Chaſtener militis, ſive aux Guerrenz, tam de illis quæ ſunt mareſia de Voillec & mareſia de Laugun, quam de illis mareſiis quæ ſunt inter mareſia de Voillec, & ex una parte & mareſia de Maarante, & de altera. Hunc autem excurſum ſimiliter dedi & conceſſi participantibus & participaturis, cum prænominatis conceſſis mareſiis ad excurrendas aquas nominatas*, &c. *Porro ego firmiter & bona fide conceſſi .... facere manuteneri & obſervari, & horum omnium conſtitui me tutorem & defenſorem, & heredem & ſucceſſores meos ..... Et rogo venerabilem Willelmum Pictavienſem epiſcopum & ſucceſſores ejus, ut hæc tam pie facta & conceſſa faciant per cenſuram eccleſiaſticam obſervari. Hoc autem conceſſerunt Harveus miles, & Petrus de Volviro tunc temporis valetus filii mei. Actum publice apud Challec in domo mea; anno gratiæ 1217. Honorio S. P. Philippo rege Francorum, Willelmo Pictavienſi epiſcopo exiſtentibus. Teſtes interfuerunt, Stephanus Malleacenſis, Petrus Niolenſis, Gaufridus de Abſia, Gerardus de Voillec, Emericus de Podio-Engelermi, & Radulphus de Podio-alto priores, Oliverius de Boiſſa..... de Niſſum milites, & plures alii. Ut autem hæc omnia firma perpetuo maneant, chartam meam dedi unicuique dictorum monaſteriorum ſigilli mei munimine roboratam.*

VI. Guillelmus II. ſedebat jam an. 1240. Memoratur anno 1243. menſe Junio cum Petro archidiacono Thoarcenſi, in tabulis matrimonii Guillelmi de Bello-monte militis cum Margareta Chabot de Chantemerle; poſt quem abbatum multorum nomina vetuſtate exciderunt.

VII. Petrus 1300. & 1301. ex charta ſancti Maxentii.

VIII. Johannes I. Grimaud 1402. tranſegit cum Petro de Ambaſia Thoarcii vicecomite, pro frumentagiis Thoarcenſibus 1405. Februarii 20. ſedebat an. 1412. ex charta S. Maxentii.

IX. Ludovicus Rohault, *al.* Rouault, ex qua gente Joachimus Franciæ mareſcallus, annis 1430. & 1431. pro abbatia Abſiæ litigabat. Poſtea fuit abb. Burgol. & Malleacenſis epiſc. 1472. *De Fourny*

X. Johannes II. præfuit cœnobio Abſiæ 1453. & 1454.

XI. Bernardus d'Appelvoiſin ex nobili proſapia Pictonica an. 1456. XX. die Sept. emit ducentos florenos redditus quos legavit abbatiæ 20. Auguſti 1462.

XII. Franciſcus d'Appelvoiſin abbas Abſiæ 1472. 13. Dec. & 1482. ex chartis authenticis regiæ bibl. Memoratur 1475. in charta S. Johan. Thoarcenſis & 1480. in tabula S. Maxentii.

XIII. N. Hardy legitur abbas an. 1496. Maii 9. ex tabulis Abſiæ & jam 1493.

XIV. Philippus Hurault abbas Majoris-monaſterii, parentes habuit Jacobum Huraltum dominum de Chiverny, baronem d'Huriel, ad foederatos Helvetiorum ordines legatum, & ærarii Gallicani præfectum; matrem Mariam Garandeau; commendatarius Abſiæ anno 1535. & 1536. 18. Septembris.

XV. David Panter epiſcopus Roſſenſis, mortuus circa an. 1559. [a] quo defuncto, regia auctoritate præpoſitus eſt in regimine temporali œconomus Archembaldus de Bethonio, ut docet volumen conſuetudinum reformatarum Pictavienſium.

XVI. Jacobus de Bethun, *al.* Bethon, archi-

[a] D. Claud. Eſtiennot protrahit ejus vitam & regimen ad annum 1579.

epiſcopus Glaſconenſis, filius baronis de Balfour, A ac nepos Davidis archiepiſcopi S. Andreæ, cardinalis tituli B. Stephani in Monte-Cœlio, præſulis Mirapicenſis : humanioribus diſciplinis Lutetiæ operam navavit, tum a Margareta Lotharinga regina Scotiæ, vivis exemto cardinali Bethonio patruo, non modo in arcanum conſiſtorium allectus, ſed & archiepiſcopatu Glaſconenſi inſignitus eſt. Exinde in Franciam orator delegatur, pro matrimonio Mariæ Stuartæ Scotorum reginæ, cum Franciſco delphino Henrici II. filio, eoque munere laudabiliter perfunctus, celebratis nuptiis 1558. paulo poſt Abſienſi abbatia donatur ab B eodem Henrico, & apud Chriſtianiſſimos reges Franciſcum II. Carolum IX. Henricum III. & Henricum IV. nomine Mariæ reginæ, & Jacobi filii, Angliæ, Scotiæ, & Hiberniæ regis eamdem legationem obiit. Tandem longæuus exceſſit e vivis, jacetque Pariſiis in templo S. Johannis Lateranenſis cum hoc epitaphio :

Cy giſt reverend pere en Dieu meſſire Jacques de Bethun, archeveſque de Glaſco en Eſcoſſe, abbé de Noſtre-Dame de l'Abſie en Gaſtine, pays de Poitou, threſorier de S. Hilaire le Grand de Poitiers, prieur du prieuré de S. Pierre de Pontoiſe, conſeiller au Conſeil d'Eſtat & Privé du Roy d'Eſ- C *coſſe, & ſon ambaſſadeur ordinaire en France vers ſa Majeſté Tres-Chreſtienne, lequel eſtant natif du pays d'Ecoſſe, deceda a Paris en la commanderie de S. Jean de Latran le XXV. jour d'Avril l'an de grace M. DC. III. agé de quatre-vingts ſix ans, ou environ.*

Elogio funebri commendatus eſt in eadem æde Lateranenſi, ultima Aprilis ejuſdem anni, a Victore Cayer regio Hebraicæ & Orientalium linguarum profeſſore, aliiſve epitaphiis, quæ recenſentur in hiſtoria genealogica de Bethuna, ab Andrea Quercetano elucubrata, legique poſſunt in veteri Gallia D Chriſtiana quadripartita.

XVII. N. d'Appellevoiſin, qui omittitur a D. Claud. Eſtiennot.

XVIII. Jacobus Habert ſenator Pariſienſis.

XIX. Carolus l'Argentier de Chappelaines.

XX. Petrus Baltalar Phelippeaux, Ludovici domini de la Vrilliere Regis a ſecretioribus mandatis & epiſtolis ſcribendis quatuorviri filius 1649. abbas item Burgi-medii Bleſenſis, & Quinciaci ord. Ciſterc. in diœceſi Lingon. Abſiæ præerat adhuc an. 1675.

XXI. Michael Phelippeaux de la Vrilliere frater præcedentis, Bituric. archiepiſcopus 1669. Lu- E tetiæ mortem oppetiit 28. Aug. *al.* Aprilis 1694. etiam abbas ſancti Laudi diœceſis Conſtantienſis in Normannia.

XXII. Natalis le Boultz filius patris cognominis ſenatoris Pariſienſis, deſignatur abbas 24. Dec. 1694. Erat autem licentiatus in theologia facultatis Pariſienſis, & Regi ab eleemoſynis.

XXIII. N. Moreau nominatur 8. Sept. 1695. prius abbas Frenadæ ord. Ciſterc. diœceſis Santon.

BELLUS-FONS.

Belle-fontaine.

ABbatia B. M. de Bello-fonte ord. S. Bened. diœceſis Malleac. nunc Rupellenſis, ſita eſt in parochia S. Michaelis du May, quæ juris eſt S. Michaelis in Eremo, medio in nemore, quatuor leucis a Mauritania, *Mortagne*, totidem ab oppido & abbatia S. Florentii-veteris, & octo circiter Andegavo. Fundata creditur a dominis de la Roche-ſur-Yon ; præcipuoſque habuit benefactores toparchas de Viheriis & de Malo-leparario, *Maulevrier*. Eandem fuiſſe aliquando ſubjectam *Eſtiennot.* Majori-monaſterio Turonenſi, & circa an. 1100. prioratui S. Leonii de Rocha ſuper Oyonem adjunctam diſcimus ex litteris Beatricis dominæ de la Roche-ſur-Yon, datis anno 1225. menſe Junio. Ceſſit vero anno ſaltem 1642. patribus Fulienſibus, beneficio Henrici de Bethune epiſc. Malleac. & annuente D. Gregorio Tariſſe præpoſito generali congregationis S. Mauri.

SERIES ABBATUM.

I. BRUNO abbas de Bello-fonte anno 1167. in charta B. M. de Granataria.

II. Johannes Vaſlini teſtis in charta SS. Trinitatis de Malleonio an. 1174. *quando ſepulta fuit regum diſcordia.*

III. P. abbas & conventus de Bello-fonte admittunt factam in ſua eccleſia fundationem triginta ſolidorum annui redditus a Galtero epiſc. Pictavienſi, ut quotannis celebrent officium S. Franciſci fundatoris ordinis *cujus ipſe profeſſor exiſtit, die Veneris in vigilia apoſt. Simonis & Judæ 1284.* ex charta conventus fr. Minorum Pictav.

IV. Theobaldus abbas 1403. Is eſt fortaſſe qui adfuit concilio Conſtantienſi anno 1414. Anno *Eſtiennot.* 1596. D. de Goulaine obſidione cinxit monaſterium, cujus optima quæque abſtulit. Quo etiam circiter tempore abbas a fide deſcivit, & in odium religionis catholicæ, ornamenta eccleſiæ combuſſit.

V. Renatus Macquenon abbas B. M. de Bellofonte & prior omnium SS. de Buxeria 1608.

VI. Michael Sublet, abbas Vindocinenſis & Belli-fontis, hoc monaſterium patribus Fulienſibus reformandum tradidit die 7. Dec. 1642. poſtquam aſſenſum præbuit 12. Oct. ejuſdem anni D. Gregorius Tariſſe, congregationis S. Mauri præpoſitus generalis.

VII. Henricus de Brue Regi a conſiliis, memoratur abbas annis 1657. 70. & 80. quo ceſſit in gratiam ſui fratris.

VIII. Renatus de Brue die 2. Martii 1680. nominatur abbas Belli-fontis & de Lico, ord. Præm. diœceſis Bolon. Moritur 1704. menſe Febr. vel Martio.

IX. Carolus Marion de Druy, deſignatur abbas 22. Martii 1704. Diem ſuum obiit menſe Decembri 1709. abbas etiam S. Sequani.

X. N. le Roy de Chavigny deſignatur abbas in feſto Natalis Chriſti an. 1709. obiit anno ſeq.

XI. Ludovicus de Balzac d'Illiers d'Entragues, Regi ab eleemoſynis, regia nominatione fit abbas an. 1710. die 25. Julii. Abbas ſimul B. M. de Valentia an. 1712. nunc eſt epiſc. Lactorenſis.

Airvau.

AUREA-VALLIS.

AUREA-VALLIS ord. S. Auguſtini, in diœceſi Rupellenſi, antea Malleacenſi, ad fluvium Thoedam, *le Toué*, Pictavo decem leucis, Thoarcio tribus diſtans, B. Petro ſacra, conditur ab Hildegardi de Audenaco vicecomitiſſa Thoarcenſi in Pictonibus, vidua Herberti I. Thoarcii vicecomitis, qui deceſſit an. 973. Fundatum legitur hoc canonicorum ſecularium collegium conſilio Giſleberti Pictavorum pontif. qui Petro I. ſucceſſit an. 975. ut obſervat chronicon Malleacenſe; ſed cum ibi diſciplina introducta vitio excidiſſet, Aimericus III. vicecomes Hildegardis natus, ac filius Herbertus, apud Petrum epiſcopum Pictavienſem interceſſere, ut poſtliminio reformaretur hæc baſilica, mutatis ſecularibus canonicis in Regulares ſub inſtituto B. Auguſtini an. 1094. ſecundum ſequentis privilegii tenorem, quem ex ipſo originali pergameno chartophylacii Aureæ-vallis exſcripſimus:

Quia præcedentium ſanxit authoritas parentum, quæcumque legitime fierent, quæ digna eſſent, memoriæ ſcriptis commendarentur, ne oblivionis ſupprimerentur caligine, neceſſarium eſt ſequentia ſcripto inſerere profutura poſteritati ſucceſſuræ. Quapropter, ego Petrus Dei gratia Pictavorum epiſcopus, omnibus ſanctæ Dei Eccleſiæ filiis tam futuris quam præſentibus notum fieri volo, quod quædam vicecomitiſſa Hildeardis nomine, domina Thoarcenſium, fuerit eccleſiarum Dei inſtauratrix, egenorum mater & refocillatrix. Hæc itaque ob amorem Dei & ſuorum remiſſionem delictorum, parentumque ſuorum quandam ædificavit eccleſiam in honore beati Petri apoſtolorum principis, in loco qui vocatur Aureavallis, qua ædificata decenter, volens explere quod incœperat, & ad honorem Dei efficere, multis & magnis ditavit bonis. Ut autem in eadem eccleſia miniſterium poſſet honeſtius fieri, & digne tractarentur bona eccleſiæ collata, conſilio domini Giſleberti bonæ memoriæ viri Pictavorum epiſcopi, canonicos in ipſa conſtituit, qui jugiter divino miniſterio ibi inſiſterent, qui ob ſui meritum laboris bona ejuſdem loci in ſuis uſibus obtinerent, & eorum unicuique diviſionem præbendarum tradidit, & uni minus, alteri amplius diſtribuit. Quibus ita compoſitis, canonicis ibidem obeuntibus, quia ſine paſtoris regimine locus extiterat, cœpit eorum propago hæreditate ſanctuarium Domini Dei poſſidere, & bona Dei ſervitio debita uſurpare, & filii & filiæ a patribus, tanquam naturaliter ſibi accidentia, ea obtinere. Hæc tandem cauſa exſtitit per multa tempora illius eccleſiæ & bonorum ejus deſolatio, ut commoda ſibi attributa amitteret, & Dei miniſterium convenienter, uti deceret, illic non efficeretur. Cauſa itaque Dei in tantam perniciem & diſſipationem declinante, uſque ad noſtra ventum eſt tempora. Animadvertentes igitur tam lacrymabilem, & damnoſam hujus eccleſiæ deſolationem, & niſi ſubveniretur ei, eam intrinſecus & extrinſecus lapſum paſſuram, quia noſtri eſt officii diſperſa colligere, lapſa erigere, conſilio & precibus domini Aimerici vicecomitis Thoarcenſis, temporalis illius terræ domini, & Arberti filii ejus condolentium loci ejuſdem diſſipationi, & canonicis qui illic commorabantur obnixe poſtulantibus, conſideravimus quam maxime neceſſarium eſſe, ut illic paſtorem conſtitueremus, qui interiorum & exteriorum utilis proviſor & procurator exiſteret. Canonici vero deinceps religioſe & canonice ſine proprio, ſecundum regulam B. Auguſtini viverent, & eum ſicut filii patrem audirent, & obedirent. Quod tandem Dei gratia ad effectum ducentes, fratrem quendam Petrum nomine a Fonte-ſalubri ex diſciplina Stirpenſis eccleſiæ derivante, dignum prælationis officio, virum ſcilicet rectum & religioſum, prædictis canonicis in abbatem conſtituimus. Qui ſpiritualis doctrinæ fluentis corda eorum irrigaret, & ut bonus paſtor oves ſibi commiſſas quæ diſperſæ fuerant, adunaret. Hæc ergo diſpoſuimus Arberto vicecomite Thoarcenſium, filio Aimerici vicecomitis ſupradicti tunc temporis defuncto, & optimatibus ejus, atque multo populo præſentibus, & noſtræ diſpoſitioni cum capitulo eccleſiæ gratanter, unanimiterque faventibus. Illud quoque inſtituimus, ut præfato abbate defuncto, ſi aliquis per ambitionem, ſeu per quamlibet ſubreptionem officio abbatis ſe ingeſſerit, niſi quem capitulum, aut ſanior pars capituli elegerit canonice, ipſe & ei conſentientes, donec reſipiſcant, anathematizentur. Nos autem quicquid eccleſiaſticum nunc uſque ſæpefata acquiſiverat & obtinuerat eccleſia, conceſſimus & conceſſum confirmavimus. Conceſſimus ipſi eccleſiæ, eccleſiam de Hydriaco, capellam de Gemellis, eccleſiam de Borno, eccleſiam de Archai ſimiliter conceſſimus, eccleſiamque Amallo, & eccleſias de Solobria, eccleſiam Taxoneriis, eccleſiam de Loung, eccleſiam S. Lupi, & S. Pancratii, eccleſiam de Bochai, eccleſiam de Crom, eccleſiam S. Verani. Precamur autem ſucceſſores noſtros, & obteſtamur per Spiritus ſancti virtutem, ut hæc inſtituta, ſive dona, & conceſſa quæ fecimus, conſervent intemerata, & ut in alium ordinem eccleſiam mutare non liceat: quæ quicumque præſumpſerit, Spiritus ſancti gratia feriatur. Signum Petri epiſcopi, Aimerici decani, Gaufredi præcentoris, Leodegarii archidiaconi, Heruæi archid. Garnerii abbatis S. Max. abbatis Rainaldi S. Cypriani. Acta IV. idus Februarii anno ab Incarnatione Domini M. XCV. ind. IV. Urbano II. papa, Philippo Francorum rege, Petro Pictavorum pontifice. Eccleſia monaſterii pridie cal. Novemb. benedicitur anno 1100.[a] teſte eodem chronico Malleacenſi.

[a]

SERIES ABBATUM.

I. PETRUS I. a Fonte-Salubri ex cœnobio Stirpenſi aſſumtus ad regimen Aureæ-vallis, ut liquet ex præfata reſtaurationis tabula anni 1095. memoratur & 1098. in chartulario abbatiæ de Rota.

II. Giſlebertus, ad quem exſtat diploma Paſchalis II. ſummi pontificis quod huic loco inſerere convenit: *Paſchalis ſervus ſervorum Dei, dilecto filio Giſleberto abbati S. Petri Aureæ-vallis, & ejus fratribus in eadem eccleſia canonicam vitam profeſſis tam præſentibus quam futuris, in perpetuum.*

[a] Altera eccleſiæ conſecratio facta legitur an. 1063. [a] apud Beſlium pag. 99. ubi & an. 1068. aſſectas Regulares hujus monaſterii factos fuiſſe ſeculares docetur.

[a] *al.* 1064. apud eundem Beſlium pag. 344.

Deſiderium quod ad religioſum propoſitum & animarum ſalutem pertinere monſtratur, auctore Deo, ſine aliqua eſt dilatione complendum. Quia igitur vos, o filii in Chriſto cariſſimi, per divinam gratiam aſpirati, mores veſtros ſub regularis vitæ diſciplina coercere, & communiter ſecundum ſanctorum patrum inſtitutionem omnipotenti deſervire propoſuiſtis, nos votis veſtris paterno congratulamur affectu; unde etiam petitioni veſtræ benignitate debita impartimus aſſenſum, vitæ namque canonicæ ordinem quem profeſſi eſtis, præſentis privilegii auctoritate firmamus: ut ne cui poſt profeſſionem exhibitam proprium quid habere, neve ſine præpoſiti vel congregationis licentia de clauſtro diſcedere liceat interdicimus, & tam vos, quam veſtra omnia ſedis apoſtolicæ protectione munimus. Vobis itaque ſucceſſoribus veſtris in eadem religione permanſuris, ea omnia poſſidenda perpetuo ſanximus, quæ in præſentiarum legitime poſſidere videmini. In Pictavienſi videlicet pago eccleſiam S. Pauli de Hydriaco, S. Martini de Alhaico, S. Hilari de Borno, S. Martini de Gemellis, S. Petri de Solobria, S. Mariæ de Toxoneriis, S. Martini de Loono, S. Michaelis de Crum, S. Mariæ de Maſronia, S. Eparchi de Germundo, S. Mariæ Magdalenes de Priſtiniaco, S. Benedicti de Boxenia; eccleſiam S. Verani, S. Mariæ Magdalenes de Thouarno, S. Pauli de Boſco, S. Stephani de Amaillo; eccleſias S. Lupi & S. Pancratii, S. Martini de Salis, & eccleſiam de Bocaico, quas confrater noſter Petrus Pictavienſis epiſcopus veſtræ converſationis inſtitutor, pro communi victus ſuſtentatione vobis conceſſit, vel ab ejus anteceſſoribus eidem cœnobio datæ fuerant. Item in pago Andegavenſi eccleſiam S. Petri de Damno-Petro, & S. Albini de Torcamio, quas confrater noſter Rainaldus Andegavenſis epiſcopus & anteceſſor ipſius Gaufridus, veſtræ eccleſiæ conceſſerunt. Præterea prædia ſi quæ poſſeſſiones ab eccleſiæ fundatrice Aldearda vicecomitiſſa & ſucceſſoribus ejus, ſeu ab aliis ſucceſſoribus de ſuo jure cœnobio veſtro oblata ſunt, aut in futurum offerri, Domino largiente, contigerit, vel aliis juſtis modis acquiſita ſunt, vel acquiruntur inpoſterum, firma vobis, veſtriſque ſucceſſoribus & illibata permaneant. Scriptum per manum Griſogoni notarii ſacri Palatii, &c. XVII. calend. Decemb. ind. VI. Incarnationis Dominicæ anno M. C. XIII. pontificatus autem Domini Paſchalis II. papæ an. XIII. Ego Paſchalis catholicæ Eccleſiæ epiſcopus.

III. Gaufridus, cui pontifex max. Innocentius II. confirmat poſſeſſiones & eccleſias abbatiæ an. 1138. ut conſtat ex privilegio apoſtolico ejuſdem ferme tenoris cum ſuperiori ex archetypis tabulis depromto, quod brevitatis ſtudio prætermittimus; maxime quia legi poteſt in Gallia Chriſt. quadripartita.

IV. Guillelmus I. enuntiatur in chartis Fontebraldenſis cœnobii an. 1173.

V. Matthæus hominum eccleſiæ ſuæ obtinet libertatem certis conditionibus & pactis, ab Aimerico VII. Thoarcii vicecomite, cujus hoc diploma ea de re ex authentico deſcripſimus: *Omnibus ſanctæ Dei Eccleſiæ fidelibus tam futuris quam præſentibus. Notum fieri volumus, quod Aimericus vicecomes Thoarcii aſſenſu & voluntate omnium fratrum ſuorum, pro amore Dei & animæ ſuæ & parentum ſuorum redemptione, licet ab anteceſſoribus ſuis ſimiliter conceſſum fuiſſet, omnibus univerſaliter eccleſiæ Aureæ-vallis hominibus talem in perpetuum dedit, & firmiter conceſſit habere libertatem; Quod nullus prædictæ eccleſiæ hominum coram eo, vel coram juſtitia ſua pro aliquo forisfacto, modo aliquo reſpondere tenebitur, niſi forte in his ſolummodo tribus homo eccleſiæ deliquerit. In pedagio videlicet, & in cheminorum conſuetorum aratura, vel in vicecomitis debito Judæorum. De pedagio quidem ſic definitum eſt, quod ſi homo eccleſiæ mercator fuerit, & pedagium fraudulenter retinuerit, ſi in præſenti pedagii forisfacto fuerit deprehenſus, homo ille ſine requiſitione abbatis pro hoc forisfacto coram vicecomite, vel coram juſtitia ſua ad jus ſtare compelletur, ſi autem in præſenti forisfacto deprehenſus non fuerit, juſtitia vicecomitis ſi inde placitare voluerit, requiret abbatem, & ſic per manum abbatis homo ille ſuper hoc coram vicecomite reſponſurus apparebit. Si vero in cheminis conſuetudinariis arando homo eccleſiæ deliquerit, ſimili modo coram vicecomite per manum abbatis reſpondebit. Super debito ſiquidem Judæorum, ſic ſtatutum eſt, quod ſi homo eccleſiæ coram abbate cognoverit quod aliquam Judæo debeat pecuniam, ſi Judæus inde abbati conqueſtus fuerit, abbas debitorem, ut Judæo debitum ſuum reddat, compellet; quod ſi homo reddere debitum Judæi noluerit, abbas omnia quæ debitor tenebit de eccleſia, Judæo tradet, ſalvis quidem conſuetudinibus & jure, quæ eccleſia ſuper debitoris poſſeſſiones habere conſuevit. Si vero homo prædictæ eccleſiæ debitum Judæi negaverit, abbas per vicecomitis juſtitiam requiſitus, hominem illum coram vicecomite pro poſſe ſuo, juri parere compellet. Propter hæc igitur ſolummodo tria & non propter alia aliqua homines eccleſiæ Aureæ-vallis coram vicecomite Thoarcii taliter reſpondere tenebuntur: homines tamen eccleſiæ qui equitationem & exercitum vicecomiti debent, ſi in hoc deliquerint, coram eo vel juſtitia ſua, ſuper hoc ipſo reſpondebunt; omnes autem alias querelas, quæ de hominibus ſæpedictæ eccleſiæ inſurrexerint, vel ab aliis adverſus eoſdem ſuſcitatæ fuerint, abbas vel mandatum ejus coram ſe judicio vel concordia terminabit. Neque modo aliquo, quæſtio aliqua jam de dictis hominibus, niſi forte de aliquo ſupradictorum orta fuerit, coram vicecomite vel juſtitia ejus ventilabitur, quandiu abbas vel ejus mandatum exinde rectitudinem facere voluerit. Homines vero Burgi novi, omni penitus exercitus & expeditionis lege, & conſuetudine, ſicut ab anteceſſoribus conceſſum fuerat, liberos & immunes in perpetuum eſſe conceſſit. Poſſeſſiones autem eccleſiæ, quas tunc uſque eccleſia poſſidet & poſſidebat, omnem exinde quæ ad ipſum pertinere videbatur finiens querelam, ex integro conceſſit, ſeque omnia quæcumque eccleſiæ erant, & de feodis ejus, conſervare & defendere fideliter, firmiterque promiſit. Hanc ſiquidem conceſſionem jam prædictus Aimericus vicecomes Thoarcenſis fecit in manu Matthæi abbatis eccleſiæ Aureæ-vallis cum conſenſu & aſſenſu fratrum ſuorum Guidonis videlicet, Hugonis, Gaufridi, & Raimundi; baronibus ſuis, & militibus præſentibus & atteſtantibus jamdictam conceſſionem, Ra-*

dulfo videlicet de Malleoneo, Guillermo filio Affredi, Aimerico d'Argenton baronibus: militibus vero Leodegario ſeneſcallo, Johanne Atone, Gaufrido de Griſillia, Gaufrido Hubert, Fulcone parvo, Johanne Chabot Maillebois, Guillermo Suart, & pluribus aliis: ex parte vero eccleſiæ & abbatis fuerunt hi tam presbyteri, quam clerici, Gervaſius, Gosbertus, Reginaudus, Petrus de Soſteir, Gaufridus Sacerdos, presbyteri & canonici, Johannes Guichart canonicus & diaconus, clerici Gaufridus de Parigne, Simon d'Auboe, Guillelmus, Giratius, Petrus clericus vicecomitis & multi alii. Facta ſunt hæc anno ab Incarnatione Dom. M. C. XXCVIII. Philippo rege Francorum, Henrico rege Anglorum, & Richardo conſule Pictavorum, tunc temporis Crucem habentibus. Ut autem hæc quæ ſuperius deſcripta ſunt, inconcuſſa & illibata in perpetuum perſiſterent, ſæpe memoratus vicecomes, ſigilli ſui auctoritate præſentem paginam fecit conſignari.

VI. P. abbas 1197. ex chartul. S. Maxentii, & 1218. cal. Decembris. Hic eſt fortaſſe P. de Verinnes memoratus in Fonte-comitis an. 1192.

VII. Petrus II. tranſegit cum Maubruno de Liniers nobili milite, pro circuitu murorum oppidi Aureæ-vallis 12. Februarii an. 1443.

VIII. Petrus III. compromiſſum iniit de mutua juriſdictione apud Aueam-vallem cum Michaele de Liniers 3. Aprilis 1456. Idem cum Guillelmo Chartier Pariſienſi epiſcopo deligitur bulla Pii II. 1461. pro reformatione ordinis Fonte-braldenſis. Petrus reperitur adhuc anno 1473. quo una cum Johanne Galinelli capellano B. M. de Galeniis, *la Galenie*, in ipſo monaſterio fundatæ, concordiam fecit cum abbate & conventu S. Jovini, ex charta hujus monaſterii.

IX. Nicolaus I. Aſſe Pictavienſis, Johannis domini du Pleſſis & Suſannæ Eſchallard filius, Jacobi baillivi Divionenſis frater, abbas commendatarius an. 1490. obiit 1499. ut patet ex inſtrumento electionis ſequentis.

X. Simon Pidoux religioſus canonicus Aureæ-vallis deſignatur ſuffragiis capitularibus fratrum an. 1500. 4. Maii.

XI. Petrus IV. Rouillard abbas regularis præfuit 1533. 16. Januarii, ex quadam ſententia ſedis juridicæ Pictavienſis cum eodem Petro, & Margareta de Liniers domina Aureæ-vallis.

XII. Nicolaus II. l'Hermyger anno 1569. 1. Aprilis.

XIII. Jacobus d'Eſcoubleau, epiſcopus Malleacenſis, abbas SS. Trinitatis de Malo-leone.

XIV. Franciſcus d'Eſcoubleau, cardinalis de Sourdis archiepiſcopus Burdigalenſis.

XV. Carolus Myron, pontifex Andegavenſis, poſtea Lugdunenſis archiepiſcopus.

XVI. Ludovicus Gouffier Caravas an. 1628. deinde abdicavit.

XVII. Henricus I. d'Eſcoubleau, archiepiſcopus Burdigalenſis, Franciſci frater.

XVIII. Michael Poncet protonotarius apoſtolicus, doctor theologus e ſocietate domus Sorbonæ, nominatur abbas a rege Ludov. XIV. anno 1646. adhuc præerat an. 1670. fuit etiam epiſc. Siſtaricenſis & archiepiſcopus Bituricenſis.

XIX. Henricus II. Pichard des Farges Michaeli Poncet ſucceſſit.

XX. Guillelmus II. du Bois Brivenſis, præceptor ſereniſſimi ducis Aurelianenſis, Henricum excepit an. 1690. die 24. Decemb. eſtque nunc Regi ab intimis conſiliis, & a commentariis.

MALEOLIUM ſeu MALUS-LEO. Maulcon.

ABbatia SS. Trinitatis de Malo-leone ord. S. Aug. olim diœceſis Pictav. poſtea Malleac. nunc vero Rupellenſis, diſtat una circiter leuca a fluviolo nomine *l'Oint*, qui influit in Separin vulgo *la Sevre Nantoiſe*, novemdecim ab urbe Pictavia, octodecim Rupella, & Andegavo duodecim. Exſtabat jam an. 1079. quo David de Flocellaria ei dedit eccleſiam S. Mariæ de Flocellaria ad uſum canonicorum in manu Petri prioris, calend. Nov. Luna 24. concurrente VII. regnante Philippo rege Francorum. Urbs Maleolium cum caſtro dominorum de Malo-leone varias paſſa eſt obſidiones, quas inter, ea maxime luctuoſa fuit abbatiæ, quæ eam cinxit Henricus magnus Navarræ rex anno 1587. die 12. Junii; tunc enim dux de Tremollia omnia vaſa ſacra monaſterii & inſtrumenta diripuit, quorum pretium triginta millium lib. Turon. fuiſſe in actis publicis legitur. At vero priſtinas clades oblita videtur abbatia, ex quo præſul illuſtriſſimus Henricus de Bethune abbas hanc ordinem reformandam conceſſit canonicis Regularibus congregationis Gallicanæ an. 1660. Hi enim eccleſiæ caput & chorum a fundamentis renovarunt, & loca regularia in dies reſtaurant.

ELENCHUS ABBATUM.

I. PETRUS I. de quo in ſequenti inſtrumento, quo nullum antiquius in archivis abbatiæ: *Sciendum eſt quod in primordio baſilicæ SS. Trinitatis Malleonis fuit conſtitutum quod eccleſia de Albariis jam ſibi, id eſt, eccleſiæ SS. Trinitatis ſubdita, Regularibus canonicis principantis eccleſiæ unoquoque anno redderet cenſus, duas videlicet libras incenſi. Cumque pluries hoc tantummodo tributum ſolveretur, placuit Gaufrido ſacerdoti & aliis poſſeſſoribus S. Melanii tam clericis quam laïcis; (laïci enim tunc præſidebant eccleſiis,) poſſeſſionem canonicorum circa ſe amplificari; itaque ammonuerunt Petrum abbatem appetere totum eccleſiæ feodum. Quod videns Petrus non poſſe perfici ſine nutu Fulconis, ſub cujus dominio erat, Toarcium tetendit ad eum, quem invenit in cubiculo. A quo cum peteret impetrandi licitum, hujuſmodi accepit reſponſum: Faveo pro meorum meique memoria; quicquid poteritis tam de exterioribus quam de interioribus in hac adquirite eccleſia. Hoc audiit, aderat enim cum abbate Petro Albertus canonicus; habito igitur hujus favoris appetitu, abbas ad epiſcopum direxit greſſum. Cui cum indicaret itineris cauſam, & cauſa erat ab eo nanciſci eccleſiam, facili precatu quod petiit eſt conſequutus. His peractis regreſſus eſt prædictus abbas per Fulconem, & reſeravit quod egerat apud pontificem. Rurſus Fulco ut prius annuit, & accepit præbente Petro abbate rubeam mitram, quod pro interſigno rei habeatur.*

Digitized by Google

Hoc audiit & vidit, aderat cum abbate Petro Haudebertus canonicus ; cumque a Fulcone vellet abbas diſcedere, ecce Fulco conqueritur, & refert ſe contra domnum Radulfum guerram exercere, & multis egere, terram deprædari, adjutores ſpoliari, quæque ſua diſſipari : quamobrem ſupplicabat abbati Petro ſuo dilectiſſimo, & nichil fruſtra a ſe petituro, ut ſibi quandoque optime remuneraturo accommodaret equum. Ad hæc noſter abbas reſpondit ſe nondum inde conſilium accepiſſe, nec id fieri licere, niſi ex conventus conceſſione : quare fratrum prætentanda erat ſententia. Ieaque redeunte abbate, & habito inter fratres de quo ſermone decernitur uti accommodetur, & accommodatur. Memoratur etiam in charta notis chronicis carente, de decima Roheſterii, *Roetais*, data cœnobio ab Airaudo de Forgis infirmo tunc jacente in turre, *Dolerum ;* quod donum aſſeruit contra Fulconem de Malleone, quem vicit & in vincula conjecit.

II. Andreas I. teſtis reperitur in dono decimæ cujuſdam molendini a Geronio Baldino conceſſæ canonicis S. Mariæ de Celſis, *Ceaux*, qui a monaſterio SS. Trinit. de Malo-leone pendebant, an. 1106. Luna IV. epacta XXVIII. Philippo rege Francorum, Fulcone comite Andegavorum. Idem Andreas bullam accepit a Calixto papa, in qua recenſentur omnes eccleſiæ quæ juris ſunt abbatiæ Maleonenſis. Data eſt Laterani per manum Chryſogoni diaconi cardinalis bibliothecarii, III. nonas Maii indict. XV. Incarn. Dom. an. M. C. XXIII. pontificatus Calixti papæ anno quarto. Gerardus vero Engoliſm. epiſc. ſedis apoſt. legatus, ab eodem Calixto mandatum accepit ut diutinam contentionem ſuper eccleſiis de Cava-faya, *Cheffoy*, inter abbates & canonicos S. Rufi & Maleonis ſopiret.

III. Andreas II. a Guillelmo Pictav. epiſcopo eccleſiam S. Leodegarii de Cantelupo accepit, ſub onere dandi eccleſiæ S. Petri per ſingulos annos quinque ſolidos cenſualiter. Guillelmus item epiſc. conceſſit eidem abbati ac ſucceſſoribus deinceps virgam geſtare paſtoralem.

IV. Hugo *abbas quartus rexit eccleſiam*, ex documento in quo abbas Tironenſis monuiſſe dicitur Savaricum de Malo-leone, ne *male ageret*, contra eccleſiam SS. Trinit. de Malo-leone. Hugone etiam ſedente facta eſt diviſio limitum parochiarum SS. Trinitatis de Malo-leone & S. Jovini * ſubtus Maleonium, alias S. Baſilii an. 1149. Innoteſcit quoque ex charta prioratus *De-tredecim ventis* Majori-monaſterio ſubjecti.

* S. Jouin ſous Mauleon, prioratus eſt conventualis ſubditus abbatiæ S. Jovini de Marnis.

V. Aimericus habuit controverſiam cum Stephano capellano pro eccleſia de Montournois, quam diremit Giſlebertus epiſc. Pictav. Poſtquam vero deceſſit Stephanus prædictus, hanc eccleſiam Aimerico dedit idem epiſcopus de conſenſu fratrum ſuorum Laurentii decani, & Calonis Thoarcenſis archidiaconi, & magiſtri Arnaudi & Petri archidiaconorum, & Johannis magiſtri ſcholarum, & Durandi ſubdecani, &c. Data Pictavi per manum Johannis magiſtri ſcholarum, anno ab Incarnat. Dom. M. C. LII. Idem Aimericus bullam obtinuit ab Adriano IV. qua bullæ prædeceſſorum Calixti, Innocentii & Lucii Romanorum pontificum pro cœnobio Maleonenſi confirmantur, an. 1158. XVI. cal. Maii, indict. III. * pontificatus anno quarto. In hoc pontificio diplomate recenſentur eccleſiæ quamplurimæ in quibus licet abbati, aut de fratribus ſuis, aut de aliis ſacerdotes conſtituere, quibus epiſcopi, ſi fuerint idonei, *curam parochiæ committant :* & hi presbyteri de plebis cura epiſcopo rationem reddere debent, ac de rebus temporalibus, abbati. Eblo de Malo-leone paciſcitur cum Aimerico abbate pro eccleſia S. Petri ſita in caſtro de Malo-leone, cujus collatio ceſſit dicto abbati, an. 1174. Robertus Diabolus huic tranſactioni ſubſcripſit, quam etiam laudavit Johannes de Belle-mains Pictav. epiſc. ſedis apoſt. legatus. Gaufridus quoque de Niolio filius unicus Aimerici plura confirmat in manu Aimerici abbatis ſucceſſoris Andreæ & Hugonis an. 1172. epacta IV.

* VI.

VI. Guillar *Maleonenſis eccleſiæ humilis miniſter* 1186. fortaſſe is eſt Gallardus abbas Malleonenſis, in cujus manu Audeardis Soneria donum fecit S. Hilario de Roeſtais, abſque nota temporis.

VII. Stephanus Perereia an. 1203. Hic pepigit cum Radulfo domino Malleonis pro eccleſia B. Petri Malleonenſis. Idem vero S. Perereia abbatiam dimiſit ex inſtrumento Aimerici de Argentonio dantis eccleſiæ Malleonenſi taleiam decimæ d'Opeiron.

VIII. Guillelmus I. 1225. cui Philippus epiſcopus Pictavienſis licentiam dedit conſtruendi apud Boſcum-Bremaut in parochia S. Mariæ de Nigra-terra capellam in honorem S. Andreæ. Eodem anno Guillelmus abbas priores Caſtri-muri & Flocellariæ pro limitibus utriuſque parochiæ diſſidentes ad pacem & concordiam reduxit. Ipſe vero & Guillelmus prior de Cultura in pacem redierunt cum Guillelmo Salebo, beneficio Aimerici vicecomitis Thoarcenſis & Guillelmi epiſcopi Pictav. anno 1224. menſe Martio die Mercurii ante feſtum S. Benedicti.

IX. Vivianus abbas & canonici Maleonenſes ſocietatem ineunt cum Guillelmo abbate & conventu S. Mariæ de Caſtris dioec. Santonenſis an. 1237. Idem abbas cum Johanne decano S. Laurentii & capellano S. Jovini de Malo-leone ſubſcribit teſtamento dominæ Mariæ de Mareuil, quo dedit in perpetuam eleemoſynam quinque ſolidos annui redditus *ad faciendam charitatem defunctorum in craſtino feſti omnium SS.* &c. *Item domui leproſorum de Malleone tres ſolidos*, &c. *Datum die Sabbati poſt feſtum B. M. Magdalenæ anno Domini* M. CC. XLVI.

X. Johannes tranſegit cum Simone abbate & conventu B. Mariæ-Regalis pro prato clauſo de la Soriniere ſito in parochia de Niolio 1281. in feſto decollationis S. Johan. Bapt.

XI. Dionyſius David abbas & canonici de Maleonio confraternitatem fanciunt cum Simone abbate & conventu B. Mariæ-Regalis an. 1305. Idem an. 1319. capellam S. Jacobi officio prioris clauſtralis univit.

XII. Andreas III. fundationem miſſæ de B. Maria ſingulis diebus cum cantu & conventualiter celebrandæ

celebrandæ factam a fratre Guillelmo Roſtardi A priore de Alberiis & canonico Malleonii confirmat, pluraque bona ſuo monaſterio concedit in augmentum fundationis dictæ miſſæ, quæ vulgo nuncupatur, *la meſſe des chapes*, die Sabb. poſt feſtum omnium SS. anno Domini 1339. Guillelmus autem præfatus in inſtrumento fundationis dato die Veneris in craſtino B. Auguſtini, in capitulo generali Maleonenſi 1337. cuilibet canonicorum concedit *de biennio in biennium in feſto Exaltationis S. Crucis, pannum decentem pro una cappa ab ipſis canonicis annis ſingulis a feſto B. Michaelis uſque ad feſtum Paſchæ in poſterum deportanda, & ſeptem alnas panni linei decentis pro ſuperpelliceo*, &c.

XIII. Gaufridus de Roeſtais admittit fundationem capellaniæ S. Hilarii in ſua eccleſia factam ab Ultachia 1363. Idem abbas reperitur 1374. ſepultuſque fuit cum deceſſore ſuo Andrea in capella reliquiarum. Stemma utriuſque ſimile eſt.

XIV. Guillelmus II. 1379. 1398. die 27. Aug. in capitulo generali Maleonenſi.

XV. Germundus abbas die Jovis poſt feſtum Apparitionis Domini 1398. Item 1409. quo anno recenſetur inter abbates qui miſerunt ad concilium Piſanum procuratores cum plena poteſtate. Reperitur adhuc 1412. & 1416. C

XVI. Petrus II. Anchot celebravit capitulum generale in craſtino S. Auguſtini haberi ſolitum an. 1421.

XVII. Petrus III. Oliverant 1437. & 1438.

XVIII. Johannes I. Guendron 1457. Nominatur in quodam inſtrumento vigeſimus quintus abbas Maleonenſis, ideoque plures in præſenti catalogo deſunt. Johannes abbas & conventus de Malo-leone ſocietatem ineunt cum Petro abbate & conventu Aureæ-vallis, diœceſis Malleac. 22. Maii 1459. Regebat adhuc an. 1464. Obiit 20. Maii.

XIX. Petrus IV. de Vernon ultimus abbas regularis 1476. die 5. Decemb. & 1482. 9. Dec. D ex chartis authenticis regiæ biblioth. Memoratur etiam anno 1495. in charta S. Launi Thoarcenſis, & adhuc 1533. Erat ſimul abbas de Chambon diœc. Pictav. ubi ſepultus dicitur.

XX. Jacobus d'Eſcoubleau, abbas S. Martini Pontiſarenſis, commendam SS. Trinit. de Maloleone obtinuit a Franciſco I. rege Francorum die 14. Jan. 1534. poſtea epiſcopus Malleacenſis.

XXI. Symphorianus Bigot filius Johannis d'Eſcoubleau de Sourdis, domini de la Chapelle-Blouin, & de Joſas in vicecomitatu Pariſienſi, abbas commend. 1563. & 1572.

XXII. Johannes II. de Gaucourt, filius Ludovici & Franciſcæ d'Eſcoubleau, abbas Malleonenſis & Millebeccenſis 1587. & 1606. vide hiſt. Bitur. provinciæ D. de la Thaumaſſiere pag. 593.

XXIII. Franciſcus I. cardin. de Sourdis archiep. Burdigal. abbas de Malo-leone 1607.

XXIV. Henricus I. de Sourdis ei ſucceſſit in archiepiſcopatu & in abbatia 1627. obiit 1645.

XXV. Franciſcus II. de Neſmond 1646.

XXVI. Henricus II. de Bethune archiepiſc. Burdigal. 23. Octob. 1648. Obiit 1680. die 1. menſis Maii.

XXVII. Franciſcus III. du Cheſne, Campanus, filius medici regis Catholici, doctor Sorbonicus, 1681. & 1714.

XXVIII. N. de Valence deſignatus eſt abbas 5. Jan. 1715.

NIOLIUM AD ALTISIAM.

Nioill ſur l'Autize.

HOc ſancti Vincentii monaſterium juxta Fontiniacum-comitis, ordin. ſancti Auguſtini, diœceſis olim Malleac. nunc Rupellenſis, inchoatum legitur in chronico Malleac. MS. an. 1068. *al.* 1069. fundatore Airaldo * Gaſſedener, quem B tabulæ Niolii dynaſtam Vulventi * appellant. Cum autem primarium deſit fundationis inſtrumentum, dare cogimur ſecundarium quod anno 1076. datum eſt; itemque aliud anni 1141. vide inſtrumenta noſtra, & Johannem Beſly in prob. hiſt. comit. Pictav. pag. 373. & 374.

* *de Vouvant*

C. v. & vi. col. 385.

ABBATUM SERIES.

I. GIRALDUS qui & Giraudus, memoratur abbas Niolii an. 1161. * Johanne Pict. præſule; cujus etiam chartæ pro monialibus S. M. Santon. ſubſcripſit an. 1171.

* *al.* 1162.

II. Petrus I. anno 1217. vide in Abſia, & in S. C Maxentio ad Gaufridum abbatem circa hoc tempus.

III. Johannes circa 1280. vide in Granataria.

IV. Petrus II. de Verdala frater Arnaldi epiſc. Magalon. abbas erat 1320. Mortuus eſt ante an. 1337. ex Baluzio in notis ad Gall. Chriſt.

V. Alanus 1445. 15. Jan. & 1446. 25. Nov. in chartis authent. regiæ biblioth.

VI. Carolus abbas 1464. die 9. Novemb. ibidem.

VII. Petrus III. Guillon an. 1492. dedit recognitionem bonorum monaſterii; vide Johannem Beſly hiſt. comit. Pictav. pag. 375.

VIII. Ludovicus abbas Nevelli, *forte* Niolii D 1528. vide in Fontanellis.

IX. Tuſſanus Fichet deceſſor Renati qui ſequitur, ex charta authent. regiæ biblioth.

X. Renatus du Pleſſis filius Franciſci II. domini de Richelieu, & Annæ le Roy dominæ du Chilon, Caſæ-Dei monachus, & prior de Couſſay, erat abbas Niolii die 15. Sept. anni 1564. ex charta authentica regiæ biblioth.

XI. Jacobus du Pleſſis de Richelieu abbas Niolii circa 1580. vide in epiſcopis Lucion. ad hunc annum.

XII. Michael Phelyppeaux abbas Niolii, idem qui E tranſlatus eſt ab Uceteniſi epiſc. ad ſedem Bitur. obiit Pariſiis 26. *al.* 28. Apr. 1694. ætatis 52.

P. Anſelme.

XIII. N. Phelyppeaux de la Vrilliere nepos præcedentis, canonicus Regularis e congregatione Gallicana, filius Baltaſaris marchionis de Chateauneuf in ſanctiori conſilio commentarienſis, & Mariæ Margaretæ de Fourcy, deſignatur abbas ſancti Vincentii de Niolio 1695. menſe Januario.

* In recognitione data per Petrum Guillon abbatem, appellatur Arnaudus de Gueſſedenier. Vide prob. hiſt. comit. Pict. Johannis Beſly pag. 375. Sed & in eadem hiſtoria pag. 99 hanc abbatiam ædificaſſe dicitur Guido Goffridus Guillelmus VII. Aquitanorum dux.

Moureiller.

MOROLIÆ.

Evesques de Poitiers de Besly pag. 88.

ABbatia * B. Mariæ de Moroliis, primum ordinis S. Bened. tum Ciſterc. e linea Claræ-vallis, diœceſis olim Malleacenſis, nunc Rupellenſis, ſita eſt in parochia S. Radegundis, quinque leucis a Rupella, a Lucionio duabus. Fundatores audiunt domini de Triayze, at quo tempore fundatio facta ſit, nobis latet Sane hæc abbatia, cujus ampliſſima ſepta innuunt B. Bernardi prolem ibi numeroſam exſtitiſſe, jam exſtabat an. 1109. ſiquidem hoc ipſo anno initia dedit Brolio-Grollandi, fundum præbente Aimerico de Bullio. Unde videtur conſtare annum 1152. vulgo aſſignatum pro fundationis tempore, eſſe potius annum aggregationis ad ordinem Ciſtercienſem. Cum autem poſtea monaſterium ab heterodoxis everſum fuiſſet, D. Dionyſius Gedouin prior ejuſdem meritiſſimus, eccleſiam novis fornicibus inſtruxit, quam anno 1699. die 19. Novembris Carolus Magdalena Frezeau de la Frezeliere Rupellenſis epiſcopus ſolemni ritu dedicavit. Monaſterium vero in dies inſtauratur & adornatur curis D. Jacobi Godet prioris vigilantiſſimi, veſtigia prementis D. Nicolai Millet cellerarii e vivis ſublati, qui merito apud omnes tanquam reſtaurator abbatiæ Morolienſis habetur.

* Apud Mabill. t. v. Annal. pag. 510. vocatur S. Salvatoris de Marolio, dicitur que cella S. Michaelis in Eremo.

SERIES ABBATUM.

I. MIchael Meschinus abbas de Moroliis anno 1109. ex charta fundationis Brolii-Grollandi; vide inter inſtrumenta. Et hunc quidem fuiſſe primum abbatem, D. Maichin in ſua Santonenſi hiſtoria probat. C. XVI. col. 421.

II. Hermannus de Marolio, abbas Morolienſis dicitur fundaſſe monaſterium de Triſagio, in MS. codice Morolienſi; nulla tamen ejus fit mentio in litteris fundationis.

III. Willelmus interfuit pactis inter abbates & monachos Nobiliaci & Allodiorum ſuper dominio de Chenets.

IV. D. abbas de Moroliis, ſedente Laurentio Pictav. epiſcopo, in charta Brolii-Grollandi.

V. Oſtenſius confirmat donum de mareſiis prope Campaniacum, monaſterio Brolii-Grollandi factum a Radulfo domino Tauniaci, & Petronilla ejus uxore an. 1200. Idem an. 1206. mareſium quod eſt a Belone & a domo Granatariæ in antea, conceſſit monachis de Brolio-Grollandi, in manu Guidonis abbatis Claræ-vallis. Subſcripſit etiam an. 1208. compoſitioni factæ inter Petrum Brolii-Groll. & Andream Loci-Dei in Jardo abbates ſuper molendino de Monte-Gaufredi, &c. ex charta Brolii-Grollandi.

VI. Petrus I. 1210. & 1220. Anno 1212. Gaufridus de Froces dedit in manu ejus duo ſextaria bladi, &c. pro ſalute Theaubaudi fratris ſui, cujus corpus requieſcit apud Morol

VII. Rogerius 1224. memoratur in litteris Hervei & Petri de Volviria ac Guillelmi Pictav. præſulis. Sedebat adhuc an. 1228.

VIII. Johannes I. cui Hugo Lunelli miles dominus de Baſoges, conceſſit herbergamentum prope domum prioris S. Martini Lars, & alia plura, ut haberet ſepulturam in eccleſia S. Mariæ de Morolia, an. 1243. in Cathedra S. Petri, ex chart. Granatariæ, ubi & reperitur an. 1244.

IX. R. abbas de Moroliis an. 1252. ex notis Baluzii ad Gall. Chriſt.

X. Domitianus an. 1302. quædam permutat cum Guidone Chaſteignier.

XI. Petrus II. de Verdala 1320. tom. 2. vit. paparum Avenion. pag. 386. & 388. vide etiam in abbatia de Niolio.

XII. Lucas 1402.

XIII. Johannes II. an. 1473. ſubdelegatur a D. Guarino Quinciaci abbate, pro quadam lite ſopienda. Idem an. 1480. monaſterium de Groſſo-boſco viſitavit, ex charta hujus cœnobii.

XIV. Petrus III. Butault ex oppido de Thiré ortus, pie admodum præfuit circa an. 1500.

XV. Johannes III. Mareſchaud definitor fuit capituli generalis an. 1520. cui etiam interfuiſſe legitur anno 1521. Memoratur & in charta authentica regiæ bibliothecæ die 27. Junii 1525. ſuperſtes ad an. 1528.

XVI. N. Daillon du Lude abbas commendatarius circa an. 1548.

XVII. Renatus Pinchon decanus Lucionenſis & cleri ſyndicus, abbas erat commend. an. 1564. ex charta S. Jovini ſubtus Maleonium, & 1580. Ceſſiſſe dicitur in gratiam ſui nepotis qui ſequitur.

XVIII. Johannes IV. Ferret ſuccentor Lucionenſis, abbas 1586. & 1622.

XIX. Armandus Johannes du Pleſſis cardinalis Richelius reperitur abbas an. 1634.

XX. Aimericus de Bragelone epiſcopus Lucionenſis & abbas de Moroliis 1636. & 1642.

XXI. Martinus de Bragelone 1645.

XXII. Johannes V. Paulus de Semur eques Melitenſis.

XXIII. Ludovicus I. de Rechignevoiſin de Guron epiſc. & comes Tutellenſis & poſtea Convenenſis. Obiit Convenis die 20. Maii 1693.

XXIV. Ludovicus II. d'Aquin epiſc. Sagienſis 1683. Ceſſiſſe dicitur ſeu permutaſſe pro abbatia S. Dionyſii Remenſis an. 1687. menſe Januario; attamen

XXV. Ludovicus III. Franciſcus de Vaſſinhac d'Ymecour reperitur jam an. 1685. & adhuc 1689.

XXVI. Nicolaus de Malezieux vicarius generalis epiſcopi Sueſſion. abbas de Moroliis 1692. 5. Aprilis & 1693. quam abbatiam commutavit pro Caladia; nunc epiſcopus Vaurenſis.

GRATIA-DEI.

La Grace-Dieu.

ABbatia B. Mariæ de Gratia-Dei ord. Ciſterc. filia Claræ-vallis, diœceſis olim Santonenſis, nunc Rupellenſis, ſita eſt in Alniſio prope ſilvam dictam, *Bois-l'Abbé*, in parochia ſancti Petri de Benone, quinque leucis ab urbe Rupella, duodecim a Santonenſi. Notitiam fundationis factæ a Guillelmo [a] comite Pictavorum & Aquitanorum

a Exordium Ciſtercienſe conditum refert ab Eleonora ſeu Alienorde Ludovici VII. conjuge, & ultimi Aquitaniæ ducis Guillelmi IX. filia, VIII. cal. April. 1135.

C. VIII. col. 387. duce, tempore S. Bernardi, quam habes inter inſtrumenta, debemus urbanitati D. Johannis Bernardi Kealli abbatis non ita pridem S. Bernardi de Jeriponte ord. Ciſterc. diœceſis Oſſonienſis in Hibernia, in comitatu Kilkenienſi, nunc vero alumni & prioris digniſſimi Gratiæ-Dei, qui novum dormitorium ceteraſque regulares officinas nuperrime conſtruxit, & novæ eccleſiæ meditatur ædificium; funditus enim everſum fuit a ſegregibus Gratiæ-Dei monaſterium, ſi refectorium excipias, quo nunc eccleſiæ loco utuntur monachi.

SERIES ABBATUM.

I. ARNAUDUS abbas Gratiæ-Dei an. 1149. X. cal. Octob. ſubſcripſit litteris Bernardi ep. Santon. pro cœnobio Ayenſi; editæ ſunt in biblioth. Cluniac. fol. 1451.

II. Paganus an. 1182. nonnulla commutavit *ex tab. Nob.* apud Liguriacum ſita, cum abbate Nobiliac.

III. Daniel adfuit an. 1191. cum Petro abbate S. Leonardi, compoſitioni Itherii de Inſula militis de Jarnac cum Geraldo abbate Dalonenſi, pro pedagio de Caſtro-novo, ſequeſtro & judice abbate de Corona, ex tabul. Dalon.

IV. Lambertus abbas Gratiæ-Dei ceſſerat anno 1212. ex quodam chronico; eratque hoc ipſo anno cum tribus aliis abbatibus in clauſtro ſancti Martialis.

V. Evrardus an. 1220. vide in Guidone abb. S. Leonardi de Calmis.

VI. Johannes quondam abbas mittitur ab Henrico III. rege Anglorum ut inquirat de injuſtitiis quas regii ballivi faciebant aut fieri permittebant. Vide in Geraldo de Malemort Burdegalenſi archiepiſcopo.

VII. Guillelmus I. an. 1244. quædam permutavit cum Willelmo abbate Nobiliac. An. 1248. paciſcitur cum abbate & conventu S. Leonardi, necnon cum Petro Boſone præceptore militiæ Templi apud Rupellam pro canali regio.

VIII. A. Gratiæ-Dei abbas teſtimonium perhibet de miraculis quæ fiebant in eccleſia fr. Carmelitarum Toloſ. Sabbato poſt feſtum S. Michaelis an. 1264. ex tabul. fr. Carmel. Toloſ.

IX. Johannes I. an. 1273. pepigit cum abbate Nobiliacenſi pro litigioſis apud S. Salvatorem in Alniſio.

X. Sants 1294. ex noſtro D. du Laura.

XI. Willelmus II. an. 1300. Petro de la Court de S. Salvatore, concedit quidquid habere poterat a Girardo præpoſito de S. Salvatore, & Johanna uxore ejus. Sigillum duobus liliis ornatum exhibet abbatem ſacris indutum veſtibus.

XII. Helias I. 1336. die Sabb. poſt feſtum omnium SS. & 1339. die Lunæ poſt Conceptionem beatæ Mariæ; ex chartis authenticis regiæ biblioth.

XIII. Andreas 1408. 17. Novemb. reperitur ibidem.

XIV. Nicolaus 1424. 17. Nov. & 1440. 15. Nov. ibidem.

XV. Petrus I. 1449. die ultima Nov. 1457. 19. Decemb. ibid.

XVI. Nicolaus I. 1461. die 1. Dec. 1464. die ultima Julii. Cognominatur Merichon 1468. 15. Decembris, Nicolaus ſine addito 1474. 14. Novemb. 1488. 25. Oct. & 1489. 10. Decemb. ex totidem chartis authenticis regiæ biblioth.

XVII. Johannes II. du Bois licentiatus in decretis & ſedis apoſt. protonotarius, memoratur ibidem abbas commend. Gratiæ Dei 1504. 22. Sept. & 1519. 18. Martii. Fortaſſe binominis erat, reperitur enim alicubi Antonius du Bos an. 1505.

XVIII. Petrus II. 1529. die XI. Jan. 1531. 13. Nov. & 1538. 18. Nov. ibid.

XIX. Nicolaus II. 1546. 18. Nov. ex charta authentica regiæ biblioth. In ſcheda vero anni ſeq. vocatur frater Nicolaus Arrivé ex dominis du Sableau abbas regularis.

XX. Petrus III. Monteau doctor theologus & Regi ab eleemoſynis anno 1602. litem habuit cum Chaudio duce de la Trimouille comite de Benon. Qua in controverſia uſus eſt abbas inſtrumento fundationis, quod edidimus in appendice col. 387. & diplom. Ludovici VII. regis, quo *religioſis* Gratiæ-Dei concedit in foreſta quæ dicitur Arianzum, quidquid ex dono Guillermi ducis Aquitanorum patris reginæ lateralis ſuæ, eis donatum fuit in manu Bernardi Claræ-vallenſis abbatis. Actum Pariſiis an. Incarnationis Domini M. C. XLVI. regni ſui X.

XXI. Franciſcus de la Rochefoucaud abbas Trenorchii & Gratiæ-Dei, an. 1608. Vivebat adhuc an. 1629. quo, 18. Maii prioratus S. Petri de Jarnac adeptus eſt poſſeſſionem.

XXII. Helias II. Chevreau abbas commendatarius, cui ſucceſſit

XXIII. Hugo Mauricet canonicus theologus Engoliſmenſis eccleſiæ. Hic plurima bona diſtracta recuperavit, de ſuo monaſterio bene meritus.

XXIV. Gabriel Cyprianus de Benard de Rezé epiſc. Engoliſm. poſt Hugonem deſignatus eſt abbas die 23. Martii 1704. Hactenus præfect.

GRATIA S. M. SIVE DE CARONTE.

N. Dame de Charon.

SIta eſt hæc abbatia in Alniſio * ad littus maris Aquitanici, prope & intra parochiam S. Nicolai de Caronte, quatuor leucis a Rupella. Eſt ordinis Ciſterc. filia B. Mariæ de Gratia-Dei, e linea Claræ-vallis, diœceſis olim Santonenſis, modo Rupellenſis. Ipſius fundatio innoteſcit ex charta Richardi regis Anglorum, quam & ejus confirmationem ab Alienorde regina factam habes inter inſtrumenta. Hanc domum Lætitia de Ranconia, domina Eſnandæ, aſſentientibus filiis Gualterio, Aimerico & Roberto, *franchiſat* ab omnibus pedagiis & conſuetudinibus per totam terram ſuam de Eſnenda. Eccleſiæ dedicatio celebratur quotannis die 13. Oct. quam quidem eccleſiam D. Petrus Bagou prior meritiſſimus a fundamentis excitavit. Inſuper monaſterium refecit, vir nunquam ſatis laudandus, quod & cœnobia de Caſtellariis & de Boſco-cavo quorum etiam regimen obtinuit, egregie reſtaurarit. Hæc autem verba ad portam monaſterii inſculpta lapidi leguntur: *Anno 1120.*

* pays d'Aunis.

C. IX. & X. col. 388. & 389.

Digitized by Google

fundata, 1562. demolita & ſolo adæquata, 1614. plena maceria, & dumo, rubo, urtica reperta: abhinc inſtaurari inchoata. Auge nos & conſerva.

Abbates.

I. Pabbas S. Mariæ cum aliis deputatus a capitulo generali ordin. Ciſterc. ad componendum diſſidium inter abbates S. Leonardi & Gratiæ-Dei an. 1204. nobis videtur eſſe abbas Gratiæ S. Mariæ.

II. Nicolaus abbas 1441.

III. Johannes I. 1451. 20. Junii & 1453. 12. Jan. ex chartis authenticis regiæ biblioth. in quarum prima dicitur abbas *de Noſtre-Dame de Charon ou Cheron, membre dependant de l'abbaye de Feſcamp.*

IV. Johannes II. Aſſille 1464. & 1466. cognominatur Affille in chartis authent. regiæ biblioth. 1470. 21. Nov. & 1480. 16. Junii.

V. Hilarius Chapperon 1527. & 1528.

VI. Hubertus de Prie licentiatus in legibus, abbas commend. 1535. 44. & 1564.

VII. Franciſcus Bonnault presbyter, tempore bellorum civilium ſeceſſit Andegavum, 1590. 93. & 94.

VIII. Jacobus Jouſſelin Regi ab eleemoſynis & conſiliis, abbas commend. 1627. & 1646.

IX. Johannes III. Raimundus Ferrier, patris Ferrier regii confeſſarii nepos, canonicus Ruten. commendam obtinebat an. 1676. & adhuc 1714. ſub quo unus tantum ibi degebat monachus.

S. Leonard des Chaumes.

S. LEONARDI DE CALMIS.

Abbatia S. Leonardi de Calmis in Alniſio, ordinis Ciſterc. ſtrictioris obſervantiæ, filia Bulii ſub Pontiniaco, diœceſis olim Santon. modo Rupellenſis, poſita eſt intra fines parochiæ S. Mariæ Rupellenſis una leuca ab urbe Rupella, ad ejuſdem proſpectum. De tempore ipſius fundationis nihil ſtatuere poſſumus, cum non habeatur primarium inſtrumentum. Hoc unum certum eſt an. 1168. adhæſiſſe congregationi Ciſterc. Fundatores [a] autem aliquatenus innoteſcunt e pluribus chartis poſterioribus; ſcilicet toparchæ vicini caſtri de Domnopetro *, quibus abbates ſancti Leonardi calcaria deaurata pro hominio dare tenentur. Eidem monaſterio Richardus rex Angliæ privilegia & libertates conceſſit, quas Otho dux Aquitanorum, Richardi nepos, confirmavit anno comitatus ſui primo, litteris datis Benone 12. Martii; & apud Mauzé 13. Maii. Johannes item rex Angliæ, dominus Hyberniæ, dux Normanniæ & Aquitaniæ, eidem monaſterio conceſſit XXV. libras annuatim apud Rupellam. Datum menſe Martii anno VIII. regni ſui. Alii benefactores illuſtriores S. Leonardi recenſentur Savaricus de Malo-leone, & domini de Surgeriis, de Maran, de Mauzé, de Noaillé, &c. Monaſterium furore Calvinianorum fuit ſolo æquatum, exceptis duabus refectorii cameris quæ in eccleſiolam aptatæ ſunt. In horto adhuc exſtat eccleſiæ præceſſa columna in perenne tam veſani furoris monimentum Rupellenſium oculis ſemper objectum. Monachi maximam partem proventuum amiſere. Eſt & in urbe Rupellenſi vicus S. Leonardi nomine inſignis; in quo nullum jus habent Calmenſes monachi, licet quam pluribus inſtrumentis illud valeant aſſerere. Colitur S. Leonardus 6. Novembris.

[a] Odo ſeu Otho dux Aquitaniæ dicitur fundator circiter annum 1036. hiſt. comit. Pictav. Johannis Beſly pag. 91.

* Dompierre en Aulnis.

Abbatum catalogus.

I. Petrus I. præſens memoratur in compoſitione Itherii de Inſula militis de Jarnac pro pedagio de Caſtro-novo 1191. ex chartul. Dalon. pag. 37. teſte Baluzio in notis MSS. ad Gall. Chr.

II. Fulco 1192. & 1193.

III. Petrus II. 1195. 1199. & 1202.

IV. Guido 1210. 1220. 1230. & 1234. An. 1220. Guido abbas tranſegit cum Guillelmo de Noaillié equite, teſtibus Evrardo abbate Gratiæ-Dei, & Johanne priore de Aneſio. An. 1204. G. Buzei, M. de Pinu, J. de Triſayo & P. ſanctæ Mariæ abbates deputantur a capitulo generali ord. Ciſterc. ad componendum diſſidium de quibuſdam mareſiis ortum inter abbates S. Leonardi, & Gratiæ-Dei. An. 1212. abbates S. Leonardi & Gratiæ-Dei concordant pro mareſiis de Podio-novo * & de Bria, arbitris Fulcone de Caſtellariis, & J. Triſagii abbatibus a capitulo generali ad hoc ſpecialiter deputatis; teſtibus R. priore de Triſagio, A. ſubpriore S. Leonardi, P. Turpin cellerario Gratiæ-Dei, Gumbaldo cellerario ſancti Leonardi & J. Bagarrot converſo. Johannes Alemannus anno 1233. dedit decem ſol. ad lumen unius lampadis in eccleſia S. Leonardi ante altare B. Mariæ, & decem ſol. ad faciendam pitanciam conventui ejuſdem abbatiæ in dedicatione eccleſiæ.

* Poyneuf.

V. Ricardus erat cellerarius 1223. & abbas 1236. ac 1241.

VI. Petrus III. 1245. 1250. & 1256. quo anno emit domum apud Ayré, a conventu Dalonenſi. Anno 1249. Alfonſus filius regis Francorum, Pictavienſis & Toloſanus comes, dat quadraginta ſolidos renduales apud Rupellam percipiendos, pro anniverſario ſuo in eccleſia S. Leonardi celebrando. Idem Petrus an. 1258. paciſcitur cum abbate Bonæ-vallis, ſequeſtris Bernardo Frenadæ & Guillelmo Valentiæ abbatibus a capitulo generali deputatis. Reperitur adhuc annis 1260. 1269. & 1270. ad quem annum vide in S. Michaele de Eremo.

VII. Hugo 1271. & 1276.

VIII. Nicolaus I. 1299. 1305. 1312. & 1315.

IX. Petrus IV. 1323. in charta authentica regiæ biblioth. memoratur an. 1339. die 24. Sept. & adhuc an. 1347. in aliis chartis.

X. Johannes I. 1353. & 1359.

XI. Stephanus I. 1360.

XII. Johannes II. 1363. 1365. & 1370.

XIII. Petrus V. 1379.

XIV. Stephanus II. 1380.

XV. Johannes III. 1382. 1385. 89. 92. & 1393.

XVI. Petrus V. Reginaldi 1394. 1399. 1406. & 1409. 8. Junii in charta authentica

regiæ biblioth. ubi etiam reperitur 1425. die 28. Apr. Occurrit adhuc alibi 1415. 1420. 1429. & 1435.

XVII. Johannes IV. Quoquinet 1437. 1440. & 1442. 15. Junii in charta authent. regiæ bibl.

XVIII. Johannes V. Claquiart 1451. & 1457. quo anno quinquageſimum ætatis agebat. Johannes abbas, & frater Johannes Pivart prior ac procurator conventus S. Leonardi, concordant cum Ludovico Beneſteau procuratore prioris & capituli S. Johannis extra muros Rupellæ, 13. Aprilis 1456.

XIX. Petrus VII. Regnauld ſexagenarius erat an. 1458. poſtea fuit depoſitus.

XX. Johannes VI. regebat 1461. & 1464. 28. Octob. ex charta authentica regiæ biblioth. Is autem anno 1465. ſexageſimum ſextum ætatis agebat.

XXI. Andreas 1466. 17. Maii, & 1477. XI. Auguſt. ex chartis authenticis regiæ biblioth. Alibi cognominatur Vivier annis 1468. 70. & 72. Anno circiter 1479. depoſitus fuit ob pravam adminiſtrationem. Nominatur anno 1481. adminiſtrator perpetuus de Podio-novo, *Poyneuf prés Maran.* Obiit 1483. ætatis 44.

XXII. Antonius du Boſt 1479. 10. Julii, 1500. 22. Aug. & 1516. XI. Julii, ex chartis authent. regiæ bibl. ubi tamen reticetur cognomen.

a XXIII. Johannes VII. Vincendeau [a] profeſſus B. M. de Moroliis, commemoratur abbas in chartis authent. regiæ biblioth. an. 1518. 26. Febr. & 1540. 13. Maii, nulla mentione facta cognominis; alibi vero reperitur ann. 1519. 24. 27. & 39. Vacabat ſedes an. 1546. XI. Febr. & IX. Maii, ex litteris fratris Franciſci Cremoy prioris S. Leonardi.

XXIV. Petrus VIII. Perron Calmenſis alumnus, abbas erat 1556. 59. 62. 74. & 1578.

XXV. Benedictus Gay Caſæ-Dei monachus profeſſus, pro Gabriele de Lamet toparcha de Coudun & de Cheuſſe, urbis Rupellæ ſcabino, qui de hac abbatia poſſidenda reſcriptum obtinuerat a Rege 22. Febr. 1583. fiduciarius abbas fuit ab hoc anno ad 1609.

XXVI. Nicolaus II. Nicou Ciſtercienſis monachus, fuit alter fiduciarius G. de Lamet, alio reſcripto regio 20. Junii 1609. b Ceterum iſte ſcabinus hæreticus omnia uſurpatæ abbatiæ inſtrumenta conſervavit, ex quibus noſter D. Jacobus Boyer hanc ſeriem abbatum contexuit.

XXVII. Paulus Hurault de l'Hoſpital archipræſul Aquenſis, comes conſiſtorianus, Regique a ſanctioribus conſiliis, ex pacto cum Nicolao Nicou inito fit abbas. Obiit 1624. cum prius abbatia ceſſiſſet.

a Num idem qui cognominatur Bongars a Baluzio in notis MSS. ad Gall. Chriſt. ex regeſto, inquit, archivi regii Pariſ.

b Attamen in hiſtoria B. Mariæ de Alba diœceſis Lucionenſis, occurrit quidam abbas hujus loci & de Calmis prope Rupellam nomine Tonſelinus, qui utramque abbatiam abdicavit in gratiam Ludovici de Tremolia, circa an. 1609.

XXVIII. Vincentius de Paul doctor theologus, reginæ Margaritæ a conſiliis & eleemoſynis, abbas 1612. 1614. & 1615.

XXIX. Franciſcus de Lauzon Regi a conſiliis & eleemoſynis, decanus Autiſſiodor. 1617. 18. 19. & 1620. obiit an. 1627.

XXX. Jacobus I. Godard Regi a conſiliis & eleemoſynis, capellanus ſacræ capellæ Pariſ. prior de Ulmis, abbas S. Petri de Cella Trecenſi, & S. Leonardi 1629. 34. & 49.

XXXI. Johannes VIII. Malebranche ſenator Pariſienſis, 1663.

XXXII. Marinus de Gravel de Reverſeau, ſereniſſimæ delfinæ ab eleemoſynis, abbas etiam de Lico ordin. Præm. diœceſis Bolon. nominatur ad abbatiam S. Leonardi in Paſchate anni 1692.

XXXIII. Johannes IX. Guillepin presbyter, præceptor abbatis ſereniſſimi a Lotharingia.

XXXIV. Jacobus II. Mariette antea S. Aniani Aurelianenſis, nunc eccleſiæ Carnotenſis canonicus, abbas 1714.

B. MARIA IN INSULA-REA.

N. Dame de l'Iſle de Ré.

HOcce monaſterium Ciſterc. ordinis ad littus maris ſitum, fundatores ac præcipuos benefactores agnoſcit dominos de Caſtro-alionis, *de Chaſtellaion.* Cum autem a neotericis everſum fuiſſet, unitum fuit anno 1625. domui patrum Oratorii Pariſienſis, vici S. Honorati tam in conventuali menſa quam in abbatiali. Hos abbates reperimus. Eadem vocatur aliquando de Caſtellariis.

SERIES ABBATUM.

I. JOHANNES I. abbas de Ré ſubſcribit cum J. abbate S. Michaelis in Eremo, donationi Radulfi de Malo-leone factæ monaſterio Malleacenſi, anno quo Radulfus præfatus cum domino rege Anglorum Jeroſolymam profectus eſt, hoc eſt circa 1190.

II. Petrus abbas B. M. de l'Iſle de Ré occurrit in chartis authent. regiæ biblioth. 1440. 6. Nov. & 1448. 8. Novembris.

III. Oliverius reperitur ibid. 1449. 12. Nov. 1450. 14. Nov. 1452. 15. Nov. 1453. 15. Nov. & 1455. 15. Nov.

IV. Johannes II. ibidem recenſetur 1461. 24. Nov. 1465. 14. Nov. 1468. 24. Nov. & 1469. 24. Nov.

V. Jacobus I. memoratur ibidem 1470. 15. Nov. 1472. 25. Nov. & 1473. 24. Nov.

VI. Guillelmus 1499. die ultima Febr. & 1500. eadem die, ex chartis authent. regiæ bibl.

VII. In charta bibliothecæ regiæ inter ſchedas D. de Ganieres legitur: Johannes de Billy abbas B. Mariæ de Caſtellariis *dans l'iſle de Ré, 1556. 20. Decembre.*

VIII. Jacobus II. de Billy ceſſione fratris ſui Johannis abbas B. M. de Caſtellariis & S. Michaelis in Eremo 1566. de quo plura in dicta abbatia S. Michaelis.

ECCLESIA LUCIONENSIS.

NON longe ab Oceano Aquitanico, ſub parlamento Pariſienſi, & metropoli Burdigalenſi, eſt Lucionium vulgo *Luçon* inferioris provinciæ Pictonicæ civitas, quæ epiſcopali ſede ornata eſt per Johannem papam XXII. cum hujus loci eccleſiam abbatialem B. M. ſacram, ordinis Benedictini, in cathedralem evexit, eam a Pictavienſi diœceſi avellendo, bulla data idibus Aug. an. 1. ſui pontificatus, Chriſti 1317. quam edidimus inter inſtrum. Malleacenſia; eadem enim bulla Johannes papa XXII. erexit utramque ſedem epiſcopalem, Malleacenſem & Lucionenſem. Antequam vero de hac agamus ſede, quæ ſpectant ad abbatiam & ad abbates qui ipſi præfuerunt, ſunt præmittenda.

C. III. col. 382.

Ex chronico Malleacenſi *anno* DCCC. LXXVII. *cœnobium S. Mariæ Lucionenſis, quod Lucius quidam imperialis incœpit, & poſtea ſanctus rexit Philibertus* *, *deſtructum erat.* Nempe cum fere ad littus maris eſſet ſitum, patebat Danorum, ſeu Normannorum per totam Galliam graſſantium incurſibus. A quo poſtea reſtauratum ſit, prorſus ignoramus; forte tamen ab Ebulo Lemovicenſi præſule, a quo multa alia monaſteria refecta commemorantur.

* Idem qui Gemeticenſis abbas fuit celeberrimus.

An. 1068. Guido comes qui duxerat uxorem Aldeardim filiam Rotberti ducis Burgundiæ, cœpit caſtrum Lucionenſe, & monaſterium S. Mariæ virginis, quod erat in eodem caſtro, combuſſit, multoſque homines & feminas in eo exſtinxit, ex chron. Malleac. Anno 1091. reſtauratum fuerat, habebatque abbatem, ut infra videbimus.

An. 1121. baſilica ampla conſecrata eſt 13. cal. Maii. Porro hæc eccleſia præter beatam Virginem patronum habet S. Benedictum, eundem qui Quinciaci colitur; quem nonnulli putant epiſcopum fuiſſe Pictav. anno 865.

ABBATUM ORDO.

I. S. PHILIBERTUS an. 675. & 684. hoc monaſterium adminiſtrabat. Ejus feſtum celebratur in diœceſi ſub præcepto, coliturque ut patronus; cujus exſtat ſacellum adhuc in eccleſia Lucionenſi.

II. Johannes abbas de Lucione intereſt anno 1040. dedicationi eccleſiæ SS. Trinitatis Vindocinenſis cum multis aliis abbatibus, Hugone ſancti Salvatoris Carroſi, Friderico S. Florentii, Walterio S. Albini, Ebraldo S. Carilefi, Landrico ſancti Petri Carnutenſis, Durando S. Gildaſii, Salomone Bonæ-vallis, Hugone Longiledi, Fulcone de S. Johanne, Petro de Nantolio, Algerio de S. Amando, Arnaldo de Angeliaco, Odone de S. Sabino, Azone de S. Michaele Eremi, Archembaldo S. Maxentii, Thebaudo de Quinciaco, Ausberto de Pontelevio, Theudone de Burgolio, Odolrico de S. Martiale, Ermenteo de Tuſejo, Theobaldo S. Benedicti. Idem an. 1047. ſubſcribit litteris fundationis B. Mariæ Santonenſis, cum multis archiepiſcopis & aliis præſulibus. Vide Annal. Mabill. ad hunc annum n. 21. pag. 488. & inter inſtrum. CXXVIII. col. 483.

III. Goffridus qui obiit an. 1091. ex chron. Malleacenſi.

IV. Reginaldus, quo *imperante* fratres S. Mariæ Lucionenſis promiſerunt ſua ſuorumque ſuffragia pro Brunone (Carthuſianorum auctore) nuper mortuo, ſcilicet pridie nonas Octobris an. 1101. In chron. Malleac. primus recenſetur inter Goffridi ſucceſſores. Alii hoc ordine ibidem diſponuntur.

V. Daniel.

VI. Giraudus.

VII. Girbertus.

VIII. Aldebertus reperitur in tabulis S. Florentii Salmurienſis anno 1030. Subſcribit chartæ Willelmi Aquitanorum ducis pro S. Johanne Angeliacenſi, cui princeps dedit cameras ſuas, domum & plateas, & foſſatum; quæ omnia in conſpectu monaſterii ipſius habuerant & poſſederant ejus anteceſſores. Datum legitur diploma anno M. C. XXXI. *ſedente in ſede apoſtolica Anacleto papa II.* hoc eſt Petro Leonis, qui pro ſummo pontificatu contendebat cum Innocentio. Huic autem Anacleto adhærebat Aquitania. Forte idem eſt ac Audebertus qui tranſegit cum Gaufredo S. Launi abbate; ex ſchedis dom. Edmundi Martenne.

Beſly hiſt. comit. pag. 561.

IX. Guido abbas dedit monaſterio Nobiliacenſi calicem deauratum, ex veteri indiculo ſacræ ſupellectilis Nobiliaci, quod D. Claud. Eſtiennot refert ad an. 1140.

X. Willelmus anno 1182. ex charta doni facti eccleſiæ Lucionenſi a Petro de Exhardis, cedentis eccleſiam S. Thomæ martyris & alia plurima; cujus chartæ notas chronicas accipe: *Anno M. C. LXXXII. epacta XIV. ind. XV. cyclo decennovali IV. Philippo regnante in Francia, Henrico in Anglia, Richardo comite Aquitaniæ, Johanne præſule Pictav. Willelmo abbate Lucionenſi.* Forte is eſt Willelmus abbas Lucion. notatus in charta Brolii-Grollandi, ſine characteribus chronologicis.

XI. Evrardus abbas S. Mariæ de Lucionio ſedente Mauricio epiſcopo Pictav. qui ſedem hanc obtinuit ab anno circiter 1198. ad 1216. Illo ſedente Petrus de Volvirio miles dedit eccleſiæ Lucionenſi quinquaginta ſolidos annuatim, pro duobus cereis accendendis. An. M. CC. VI. epacta IX. concurrente ſexta, die Paſchæ, IV. nonas Aprilis, Luna ipſius diei viceſima, ind. IX. cyclo decennovali decimo, A dominicali littera currente, Philippo Franciæ, Johanne Angliæ regibus, Mauricio epiſcopo Pictavienſi.

XII. Hugo abbas occurrit anno 1220. quo Petrum de Volviria multa cedere abbatiæ Morolienſi teſtatur. Vide catalogum epiſcoporum Pict. Beſlii fol. 131.

XIII. Mauricius abbas Lucionenſis fecit concordiam cum abbate & conventu de Fontanellis

Digitized by Google

prope Rocham ſuper Oyum, die Veneris ante feſtum SS. Philippi & Jacobi M. CC. LXXXVI. ex inſtrumento Fontanellæ.

XIV. Petrus de Vereia de la Veyrie, *al.* de la Voyere, ex abbate Lucionenſi fit epiſcopus a Johanne XXII. ut mox dicemus.

Vauſridus memoratur abbas Lucionenſis in donatione Mauricii de Monte-falcono, ſine ullis temporis characteribus.

Theobaldus cum abbatis Lucionenſis titulo conſignatur in necrologio Fontis-ebraldi tertio idus Julii, diſſimulato anno.

SEDES EPISCOPALIS LUCIONENSIS.

CUM viſum eſſet Johanni XXII. Gallicanam eccleſiam plurimis ſedibus epiſcopalibus augere, & ex diœceſi Pictavienſi diſtrahere abbatias Malleacenſ. ac Lucionenſ. quas in ſedes epiſcopales erigeret; pro diœceſi Lucion. decanatus Marolii, Tallemondenſem, Azianenſem, & Montis-acuti, ac archipresbyteratum Alperienſem aſſignavit, cum eccleſiis, dignitatibus, perſonatibus, territoriis, juribus & pertinentiis, monaſteriis quoque & prioratibus ſecularibus ac regularibus, & juriſdictionibus omnibus temporalibus & ſpiritualibus, prout hactenus fuerant diœceſis Pictavienſis; uti legi poteſt in bulla Johannis papæ, quam damus inter inſtrumenta Malleacenſis eccleſiæ C. III. Capitulum, poſtquam a ſtatu regulari ad ſecularem tranſlatum fuit bulla Pauli papæ II. anno 1468. conſtabat decano, archidiacono-majore, archidiaconis Azianenſi, & Alperienſi, cantore, præpoſito, theſaurario, cancellario, ſubdecano, ſuccentore; qui duo ultimi ſub titulo perſonatus erant, ſi-

tuti præpoſiti de Parteniaco *, de Fonteniaco *, de Exartis *. Erant præterea 30. præbendæ integræ & ſeptem ſemipræbendæ. In tota diœceſi numerantur parochiæ circiter 250. ſub 3. archidiaconatibus jam ſupra nominatis, & 4. decanatibus ruralibus Lucionenſi, Morolienſi, Talemundenſi, & Azianenſi. In urbe ſunt fratres Minores, Capucini, virgineſque Urſulanæ. Jacobus de Maillé-Brezé dominus de la Flocelière, juxta caſtrum de Flocellaria fundavit conventum PP. Carmelitarum ſub titulo B. Virginis Lauretanæ, 19. Junii 1617. Eccleſiam & conventum egregie conſtruxit, & Carmelitis aſſignavit quatuor *præſtimonia* fundata anno 1420. per Jacobum de Surgeriis Flocellariæ dynaſtam. Ibi ſunt XII. Carmelitæ provinciæ Armoricæ. Jeſuitæ ſeminarium moderantur.

In diœceſi plurimæ ſunt abbatiæ, de quibus ſeorſim agemus poſt adornatum ex libris tum excuſis tum ſcriptis epiſcoporum catalogum.

* Parteney, * Fontenay * des Etarts.

EPISCOPI LUCIONENSES.

I. PETRUS.

ANNI CHRISTI DE LA VEYRIE.

PRIMUS qui titulo epiſcopi Lucionenſis ornatus eſt, fuit Petrus de Vereia ultimus abbas, ad hunc promotus gradum, quod dotibus ad officium paſtorale neceſſariis abunde foret præditus; id teſtatur qui eum epiſcopum conſtituit Johannes papa XXII. in bulla ad eundem [a]: *Johannes epiſcopus*, &c. *Olim villam de Lucionio infra limites Pict. diœc. conſtitutam, qui locus inſignis exſtitit & ubertate multiplici hominum & rerum exuberat, de fratrum noſtrorum conſilio, & apoſtolicæ plenitudine poteſtatis, in civitatem ereximus, & civitatis vocabulo duximus decorandam. Statuentes, & etiam decernentes, ut eccleſia monaſterii ipſius loci de Lucionio ordinis S. Benedicti, ex tunc haberetur & exiſteret eccleſia cathedralis. Poſtmodum vero de celeri & ſalubri proviſione ipſius eccleſiæ, ut ſponſi ſolatio lætaretur, ſollicite cogitantes, ac volentes illum eidem eccleſiæ præficere in paſtorem, de quo certam haberemus notitiam, quod eum clara morum inſignia redimirent, nec dubia eſſet ejus caritas circa plebem ſuo regimini committendam, & in cujus fida fiducia ſalubriter recumberet ſecuritas ſubditorum. Ad te tunc prædicti monaſterii abbatem, virum utique generis nobilitate decorum, litterarum ſcientia providum, vitæ, ac morum honeſtate præclarum, diſcretionis & conſilii maturitate conſpicuum, in temporalibus providum, in ſpiritualibus circumſpectum, direximus oculos noſtræ mentis, quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona tua nobis; & eiſdem fratribus, ob tuorum exigentiam meritorum, accepto de ipſorum fratrum conſilio, & præfatæ plenitudine poteſtatis, eidem eccleſiæ providemus præficientes te præfatæ eccleſiæ in epiſcopum & paſtorem, tibique curam & adminiſtrationem eccleſiæ ipſius in ſpiritualibus & temporalibus committendo, firma ſpe fiduciaque tenentes, quod eadem eccleſia, divina tibi aſſiſtente clementia, per tuæ circumſpectionis & induſtriæ ſtudium fructuoſum præſervabitur a noxiis & adverſis, & ſpiritualibus proficiet incrementis. Datum Avenioni idus Aug. pontificatus anno primo,* 1317. *Chriſti anno 1317.*

ANNI CHRISTI

De hoc primo epiſcopo nihil habemus in actis publicis. Obiit die 12. Novemb. anno 1334. alii dicunt 1333. Sed ſi epiſcopale munus geſſit annis 18. annus ejus dignitatis & vitæ ultimus fuit 1334. Aliunde vero ejus ſucceſſor fuit creatus epiſcopus menſe Maio 1334. ergo non erat ſuperſtes Petrus initio menſis Novembris anni ejuſdem, niſi forte aliquot ante mortem menſibus abdicaſſet. 1333.

[a] Scripſit quoque ad archiepiſcopum Burdigal. eadem fere verba uſurpans. Item *dilectis filiis popul. civitatis & diœceſis de Lucionio.* Item *dilectis filiis vaſſallis eccleſiæ de Lucionio.* Item *dilectis filiis & capitulo eccleſiæ de Lucionio.* Item: *clero civitatis & diœc. de Lucionio.* Denique: Philippo *Franciæ & Navarræ regi.* Diploma pontificium pro Petri promotione exſtat integrum apud Beſlium in Pictav epiſcopis pag. 145.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

II. Reginaldus.

De Thouars.

Hic epiſc. electus eſt 1334. 16. Maii ex libris proviſionum Vaticani, e proſapia inclyta vicecomitum de Thoarcio ortus; filius enim erat Hugonis, tertii vicecomitis domini de Pouzauges, & Elizabethæ de Noyers. Hic anno 1339. bona quæ ſorte hereditatis ei obtigerant, necnon fratri ſuo Aimerico de Thouars tranſlata erant per Johannam de Mathas viduam Johannis ejus germani, procuratorio nomine divendi mandat ex tabulis hujus familiæ. Moritur 12. * Martii 1353.

1339.

* al. 18.

Præſul hic monachus erat, & in actis publicis *frater*[a] *Reginaldus* legitur. Theſaurarii dignitatem inſtituit in ſua eccleſia de conſilio & aſſenſu capituli an. 1342. indict. IX. Clementis papæ VI. an. 1. die 9. Decembris; quod confirmatum eſt a dicto Clemente & ab Innoc. VI. ſummis pontificibus.

1342.

In chartulario legitur Reginaldus & Remundus, inquit noſter D. Jac. Boyer, qui eccleſiæ Lucionenſis veteres membranas ſcrutatus eſt. Forte non Remundus legi debet, ſed Reinaudus. In ſcripturis autem illorum temporum in utroque nomine ſcribendo ſimiles fere ſunt characteres.

III. Johannes I.

Johannes de quo in Anicienſibus egimus epiſcopis ubi ejuſdem diverſa protulimus cognomina, cum jam obtinuiſſet ſedes Regenſem & Valentinenſem, factus eſt Lucionenſis epiſcopus tertio non. Maii 1354, ſed paucis menſibus elapſis accepit proviſionem epiſcopatus Helenenſis ab Innocentio VI. litteris datis XI. cal. Decemb. an. 1354. indeque tranſiit ad eccleſiam Anicienſem. Dubium eſt utrum Galtero præponi debeat aut ſubjici. Veriſimile tamen eſt ipſum præceſſiſſe; quippe certum eſt ex ejus chirographo cujus meminimus in Anicienſibus epiſcopis col. 726. eum tranſlatum fuiſſe tertio nonas Maii ad eccleſiam Lucionenſem anno 1354. & ſi Reginaldus obierit die 18. Martii anno 1353. quem nunc dicimus 1354, vix efluxerunt ſeptem hebdomadæ inter unius obitum & alterius promotionem.

1254.

IV. Galterus.

Pauciſſima de hoc epiſcopo novimus, videlicet quod eſſet Bituricus, ſederitque anno 1354.

V. Guido I.

Hic præſul electus anno 1357. die 19. Junii, ex regiſtro Vaticani, omittitur in catalogo veteri Lucionenſi, & in eo qui editus eſt ad calcem ſtatutorum eccleſiæ Lucionenſis an. 1700.

1357.

VI. Elias I.

Eliæ ſolum nomen habemus in laudato catalogo novo. Sammarthani ejus meminerunt ad an. 1373.

1373.

De la Rochefoucaud.

VII. Guillelmus I.

Frater Guillelmus quem Sammarthani Guiotum, alias Guidonem appellant, ex nobiliſſimo Rupifucaldiorum forſan genere ortus erat, quod tamen aſſeverare non audemus; quippe tunc mos erat, & perſeverat etiamnum apud quoſd. religioſos, ut tunc maxime qui religioſam vitam profitebantur, cognomen a patria ſua ſumerent. Porro titulus fratris ejus nomini præmiſſus probat eum alicujus religioſæ familiæ fuiſſe alumnum. Secundum Sammarthanos, qui laudant ſtemma nobiliſſimæ gentis hujus ab Andrea Quercetano exaratum, fuit filius Guidonis VII. dom. Rupe-fucaldi & Blanzaci, ex Agnete de Culant nobili femina pagi Bituricenſis. Obiit die 27. Jan. an. 1387. Prius fundaverat in eccleſia Lucionenſi miſſam quotidianam cum *nota* (hoc eſt cum cantu) dicendam ad altare B. M. *Actum anno M. CCC. LXXXVII. die XVII. Januarii circa horam ortus ſolis, in loco habitationis epiſcopalis de monaſteriis ſuper Ledum * indict. XI. Clementis VII. an. X.* Antea compoſuerat cum capitulo, cui plurima indulſerat.

1387.

[a] les Moutiers ſur le Lay.

VIII. Stephanus.

Loypelli.

Stephanus Loypelli epiſcopatum adeptus eſt die 4. Martii an. 1388. ex regiſtro Vaticani. Vivere deſiit die 13. Septembris an. 1407. Eo annuente frater Nicolaus Fabri eleemoſynarius Lucionenſis fundavit & conſtruxit ſacellum *in honorem divæ Mariæ Magdalenæ, in domo in qua pauperes Chriſti inibi exiſtentes, præſertim debiles, & infirmi in lectis exiſtentes poſſint audire miſſam, & devote inſpicere Dominum Jeſum Chriſtum*, &c. *11. Febru. anno M. CCCC.* Legitur tenuiſſe epiſcopatum per annos 20. menſes 9. dies X. Quæ minime conveniunt cum annis inchoati epiſcopatus & ejus mortis ſuperius aſſignatis ſecundum vulgarem opinionem. Exiſtimamus eum cœpiſſe epiſcopatum initio menſis Martii anni 1387. qui nunc eſt 1388.

IX. Germanus.

Paillat vel Paillard

Germanum Paillat edidit in lucem diœceſis Autiſſiodorenſis. Quo anno cathedram Lucionenſem conſcenderit non notatur. Certe non diu poſt Stephani Loypelli mortem ipſi ſuffectus eſt; nam epiſcopus jam factus miſit legatos ad concilium Piſanum generale an. 1409. die 25. Martii celebratum. Erat Regi a conſiliis, nepoſque Philippi de Molendinis ex ſenatore Pariſienſi epiſcopi Noviomenſis. An. 1415. compoſuit cum abbate & conventu S. Michaëlis in Eremo. Sepultus eſt in choro Cœleſtinorum Pariſienſium cum hoc epitaphio: *Hic jacet Reverendus in Chriſto pater Germanus Paillardi de Autiſſiodoro, epiſcopus Lucionenſis, domini noſtri Regis conſiliarius, qui obiit Pariſiis 6. * die menſis Octobris, anno Domini 1418. anima ejus requieſcat in pace.* * al. die 18.

Ex rationibus redditis pro an. 1417. in camera computorum Divionenſi,[b] cujus tranſſumtum edituri ſumus in Lingonenſibus epiſcopis, Germanus Paillart epiſc. Lucionenſis mutuo dederat Regi 400. libras.

[b]

X. Elias II.

[a] In veteri charta: *Frater Reginaldus de Thoars epiſcopus Lucionenſis, fundavit capellaniam ad altare capellæ ſuæ Lucionenſis, deſerviendam per crocerium eccleſiæ, dicendo qualibet die unam miſſam pro ſalute defuncti patris & parentum.*

[b] Idem etiam legitur in regia camera computorum Pariſ. ſcilicet in rationibus pro anno inchoato 1417. ac finito 1418. ubi ita ſcriptum: *Monſeigneur Germain Paillart evêque de Luçon preſta au Roy 400. livres.*

Digitized by Google

ANNI CHRISTI MARTINELLI.

X. Elias II.

Quo anno ad regendam eccleſiam Lucionenſem acceſſerit Elias, ignoratur. Anno 1421. die
1421. 4. Maii litteras dedit de *capellania de Badiola*,
1422. & de jure patronatus ejus, &c. Anno 1422. die 25. Octobris compoſuit cum priore & capitulo in refectorio congregatis, quo tunc convenire capitulariter conſueverant. Efflavit animam anno
1424. 1424. die 27. Febr. alii dicunt die 22. ex veteri catalogo in quo huic epiſcopo dantur in ſacra præfectura ſex anni, quinque menſes & dies 17.

GOYON.

XI. Guillelmus II.

B

1429. Guillelmus Goyon jam ſedebat anno 1429. ex charta B. Mariæ de Fontenellis. Eum aiunt mortuum eſſe die 23. Aprilis an. 1430. Sed diutius præfuit, cum anniverſarium pro Elia ſuo deceſſore
1431. fundaverit an. 1431. die 25. Martii, Martini papæ V. an. 14. Ipſum humatum fuiſſe Andegavi legimus. Fuerat epiſcopus Cavallicenſis, & de eo in ſedis hujus epiſcopis locuti ſumus, at omiſſo ipſius cognomine.

FLEURY.

XII. Johannes II.

Non poſſumus ſatis mirari virorum eccleſiaſticorum qui ſeculis XIV. & XV. in eccleſia Lucion. C vixerunt, incuriam in colligendis epiſcoporum ſuorum geſtis. Nulla enim pene ad nos ex ipſis provenerunt, ut ex jam præmiſſis liquet. Fortaſſe tamen tabularia hujus eccleſiæ actis olim referta fuerunt, quæ procellis pro religione motis periere. De Johanne Fleury hoc unum ſcimus, quod videlicet teſtamentum condiderit, quo plurima eccleſiæ ſuæ contulit ad ædificandas ſacriſtiam & *libràriam* juxta dormitorium, anno Incarn. Dom. M.CCCC.XLI. ind. IV. die XVIII. Aug. in caſtro de Monaſteriis ſuper Ledum Lucionenſis diœceſis, *in camera paramenti ipſius caſtri, Eugenii papæ IV. an. XI.* Obiit 17. Octobris ejuſdem anni & ſepultus eſt juxta ſacriſtiam ut ipſe ſuo caverat teſtamento. D

COEUR.

XIII. Nicolaus I.

Nicolaus Cordis, uti legitur in veteribus chartis, Biturix, ex canonico ſanctæ capellæ Bituricenſis epiſcopus, frater erat Jacobi qui Carolo rege VII. ærarii regii præfectus erat, patruuſque Johannis Bituricenſis archiepiſcopi, quem bonorum ſuorum heredem inſtituit. Catalogus epiſcoporum Lucionenſium qui deſinit in Milone d'Illiers, docet eum obiiſſe calendis Octobris an. 1451. obtinuiſſeque epiſcopatum annis 10. & diebus 16. Attamen in inſcriptione ejus tumulo addita, in metropolitana Biturigum eccleſia legitur: *Sepultus eſt hic dominus Nicolaus Cordis epiſcopus Lucionenſis anno Domini*
1451. *M. CCCC. LI. menſe Septembri.*

DE LA ROCHE.

XIV. Andreas.

Andreas de Rupe, ut docet indicatus ſæpe catalogus, rexit Lucionenſem eccleſiam undecim annis 4. menſibus & 16. diebus, quam tranſcripſit Nicolao qui ſequitur. Mortuus legitur die 16. Febr.
1462. anno 1462.

A

XV. Nicolaus II.

Nicolaus ex diœceſi Malleacenſi oriundus, epiſcopatu potitus eſt per Andreæ ceſſionem. Eo petente Paulus papa II. eccleſiam Lucionenſem ex regulari ſecularem fecit bulla data pridie idus Jan. an. 1468. quam vide inter inſtrum. * Poſtea vero a Sixto papa IV. condita ſunt ſtatuta pro eccleſia & capitulo, quæ bullâ datâ an. 1472. tertio idus Martii ſummus pontifex roboravit; ea inter inſtrumenta * edidimus. Mortem hujus præſulis contigiſſe die 27. Decembris an. 1490. referunt.

ANNI CHRISTI BOUTAULT.

1468.

* col. 391.

* col. 402.

1490.

XVI. Mathurinus.

DE DERCÉ.

Mathurinus de Dercé epiſcopus Lucionenſis nominatur præſens pactis matrimonialibus neptis ſuæ Ludovicæ de S. Gelais cum Johanne Chevaleau dom. de Bois-Rogon in Pictonibus, factis 21. Apr. 1494. ex authentico communicato a D. d'Hozier.

1494.

XVII. Petrus II.

DE SACIERGES

Petrus decretorum doctor, Regi a conſiliis, anno 1498. apud Johannem Sangelaſium & Claudium de Sayſſello nobiles hiſtoricos celebris, cancellarius & præſes Mediolanenſis fuit Georgio cardinali de Ambaſia prorege, an. 1500. Nominatur in ſynodo Piſana anno 1512. An. 1514. die 26. Apr. ejus vicarii generales capellaniam de la Voute contulerunt. Exſtinctus eſt die 9. Septembr. an. 1514. jacetque Patavii in ſacello quod exſtruxerat, nunc a patribus Minimis poſſeſſo. Simul erat abbas S. Mariæ Pictav. Fit ejus anniverſarium die 15. Nov. ex necrologio, & die 10. Sept. in eccleſia S. Mariæ-Majoris, ex regiſtris capituli, ubi appellatur epiſc. Lucion. & abbas hujus eccleſiæ.

1498.

1514.

XVIII. Ladislaus.

DU FAU.

Ladiſlaus, Gallice appellatus *Ladcellot*, Ludovici domini du Fau in Turonibus filius, & Antoniæ de Menou, aviam maternam habebat Johannam de Borbonio Caroli I. ducis Borbonii notham. Cum eſſet canonicus, protonotarius ſanctæ ſedis & in claſſe inquiſitionum, parlamenti Burdigalenſis præſes, electus eſt epiſcopus mortuo Petro de Sacierges. Verum æmulum habuit fratrem Philibertum de la Guiſche monachum Benedictinum cui, volente Rege [a], Antonius Bituricenſis archiepiſcopus ſedem Lucionenſem vacantem contulit die XI. Auguſti anno 1515. valuit tamen Ladiſlai electio, quam fortaſſe canonicam fuiſſe cognoſcentes Rex & Primas, noluerunt turbare & infringere. Hic epiſcopus ſtatuta a Nicolao epiſcopo condita anno 1472. renovavit & ampliavit in capitulo *hiemali* an. 1517. die Sabbati 17. Octobris. Dedit capitulo centum libras Turon. ea conditione ut qualibet die presbytero majus ſacrum celebranti diaconus diceret alta voce, quandiu viveret: *Memento orare pro domino reverendo epiſcopo noſtro.* Et poſt

E

a

1515.

[a] Franciſcus I. Francorum rex ſcripſit in hanc verba: *Monſieur de Bourges pour aucunes cauſes qui me inclinent, je vous prie que incontinent me veilliez envoyer un devolu de l'eveſché de Luçon, ou nom de frere Philebert de la Guiſche mon conſeiller & chambellan & ad ce ne veilliez faire faulte ſur tous les plaiſirs & ſervices que me deſirez faire & a Dieu qui ſoit votre garde. Eſcript a Lyon le 28. jour de Juillet. Ainſi ſigné François, & plus bas Cotereau.* Chartul. Bitur. fol. 94. verſo.

ANNI CHRISTI

ejus mortem : *Memento orare pro defuncto domino reverendo bonæ memoriæ Ladislao du Fau quondam hujus ecclesiæ episcopo.* Capitulum donationem & conditionem annexam ratam habuit anno
1519. 1519. die Jovis nono Junii in generalibus comitiis æstivalibus ; adhucque perseverat hic ritus. Præterea dedit aquilam æneam chori & 5. columnas ex eodem metallo, quibus altare-majus cingebatur ; in ea autem quæ medium altaris occupabat, suspensum erat Corpus Domini. Scripsit Ladislaus testamentum in castro du Fau die 23.
1523. Aprilis an. 1523. quo fere tempore mortuus est, scilicet iisdem mense & anno. Sepultus est in medio chori. An. 1523. die 8. Octob. Ludovicus episcopus Termopilensis suffraganeus Santonensis consecravit ecclesiam Lucionensem, petente capitulo, sede vacante.

De Lorraine

XVIII. Johannes III.

Johannes a Lotharingia cardinalis postulatus a capitulo, acceptisque litteris pontificiis, antequam possessionem adipisceretur, cessit in gratiam sequentis, cum ambo essent in curia, retenta centum librarum pensione.

De Bourbon.

XIX. Ludovicus.

Ludovicus Borbonius episcopus Lucionensis statuta fecit pro celebratione festorum data in domo episcopali Lucionensi die 28. Julii an. Dom.
1526. M. D. XXVI. In lustrandis parochiis sedulam impendit operam. Construxit alam claustri. Postea factus est archiepiscopus Senonensis. Anno 1526. die penultima Julii Johannes Latomus episcopus Ebronensis suffraganeus Pictav. dedicavit in ecclesia Lucionensi duo altaria, unum sub titulo B. Mariæ de Bono-nuntio, alterum S. Nicolai, quo tempore adhuc Ludovicus erat episcopus ; sedit enim a die XI. Januarii 1524. ad diem 6. Julii
1527. 1527. quo cessit retenta pensione.

d'Illiers.

XX. Milo.

Ex bulla Julii data Romæ VI. cal. Febr. anno 1508. *super collatione decanatus* Carnotensis ecclesiæ *in favorem Milonis, vacantis per resignationem Caroli*, &c. liquet Milonem nostrum nobili genere ortum esse ex utroque parente. Quod spectat ad paternum genus constat toparchas de Illariis in pago Carnotensi sanguinis antiquitate & splendore plurimis a seculis claruisse. Electus episcopus Lucion. bulla Clementis papæ VII. data Romæ 10. cal. Januarii 1526. consecutus est licentiam retinendi Carnotensem decanatum cum episcopatu.
1527. Possessionem iniit an. 1527. die 6. Julii per procuratorem, scilicet Martinum Boucher abbatem inclyti monasterii S. Johannis in valle, Carnotensis diœcesis. An. 1541. memoratur ut episcopus
1541. Lucionensis in Instrumento authentico dato die 7. Apr. quod penes se habet vir Cl. Carolus d'Hosier.

De Daillon.

XXI. Renatus I.

Renatus de Daillon ex Ludi ad Ledum fluvium comitibus apud Andes ortus, episcopus designatus, episcopatum quem novem annis tenuerat abdicavit reservata pensione, antequam sacram accepisset unctionem, cujus episcopatus loco donatus est abbatia de Castellariis, ut nos docuit vir Clar. Dom. de Clerambaut certis argumentis. Fuit postea Bajocensis præsul. Erat autem præceptor ordinum regiorum.

ANNI CHRISTI

Tiercelin.

XXII. Johannes-Baptista.

Johannes-Baptista Tiercelin toparcha de la Roche du Maine, parentem habuit Carolum, (alias Jacobum), Andium proregem Cum esset abbas monasterii de Castellariis apud Pictones, permutatione facta cum Renato de Daillon, pro abbatia Castellariensi quam ipsi cessit, accepit episcopatum Lucionensem. An. 1573. adfuit cœtui cleri
1573. Gallicani ; postea cessit episcopatu.

De Salla.

XXIII. Renatus II.

Renatus de Salla, monachus abbatiæ Loci-Dei in Jardo, post cessionem Johannis-Baptistæ suffectus est an. 1578, accepitque bullas a Gregorio papa XIII. Male audiit quasi fiduciarium hunc episcopatum haberet.

Duplessis Richelieu

XXIV. Jacobus.

Jacobus * Duplessis ex dominis de Richelieu, Francisci & Annæ le Roy filius, primum regi Henrico II. ab eleemosynis, & abbas Capellæ ad Plancas, necnon Niolii ad Altisiam *, de cujus familia vide Andream Quercetanum in opere genealogico.

* Autise.

Yver.

XXV. Franciscus.

Franciscus erat rector cujusdam ecclesiæ parochialis in diœcesi Pictavienſi, quando episcopatus Lucionensis ei creditus est, fama enim est quod fiduciarium eum a toparchis de Richelieu accepisset ; at non fuit consecratus. Præesse visus est annis
1595. 1595. & 1600.
1600.

Duplessis Richelieu

XXVI. Alfonsus Ludovicus.

Erat frater natu major celeberrimi cardinalis Richelii regii administri. Factus autem episcopus sponte abdicavit an. circiter 1605. antequam sacro oleo fuisset unctus, ut Carthusianorum institutum amplecteretur. Sed iterum pastorale onus coactus est suscipere, nam creatus est archiepiscopus Aquæ-sextiensis & postea Lugdunensis, ac cardinalis.

Duplessis Richelieu

XXVII. Armandus Johannes.

Armandus Johannes Plessæus de Richelieu nobiles parentes habuit Franciscum Richelii toparcham, majorem regiæ curiæ præpositum & præfectum, equitem torquatum, ac Susannam de la Porte. Lutetiæ natus an. 1585. ibidem in celeberrima toto Orbe academia litteris humanioribus, tum philosophiæ ac theologiæ maxime operam dedit, incredibili pene fructu, quod probant eximii libri de religione ab ipso scripti, & concertationes cum heterodoxis de eodem argumento.

* Petrus Frison in elogio Armandi Johannis cardinalis Richelii, Galliæ purpuratæ pag. 694. docet duos Jacobos, unum Armandi propatruum, alterum patruum, Lucionenses fuisse episcopos. unicum exhibent catalogi.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI vel. 1607.

In Lucionenſem epiſcopum Romæ conſecratus eſt menſe Junio, anno 1606. * Paulo V. ſummo pontifice ipſum ſuper defectu ætatis diſpenſante; poſtea Lucionum ſe recepit, initaque poſſeſſione
1608. an. 1608. die 21. Decembris, cuſtodiendo gregi & a lupis tutando, ſcilicet Calvinianis hæreticis, aſſidue invigilavit, per annos 16. eccleſias ſibi ſubditas luſtrans. Erudite ſcripſit inſtitutionem chriſtianam ad parochos & reſponſionem ad novæ hæreſis præcones & miniſtros.

1614. Ad comitia generalia regni anno 1614. vocatus, egregie peroravit nomine totius cleri Gallicani. Biennio elapſo Rex ipſum voluit ſibi eſſe a B ſecretis & conſiliis; tum reginæ Mariæ Mediceæ ſuæ matri ab eleemoſynis. Fuit quoque major eleemoſynarius reginæ Annæ Auſtriacæ.

1622. An. 1622. menſe Septembri ornatus eſt Romana purpura, galeroque cardinalitio. Verum cum anno 1624. Rex cum totius regni adminiſtrum conſtituiſſet, epiſcopatu ceſſit, quia tot publica negotia non ſinebant ut cuſtodiendo & paſcendo gregi ſuo aſſiduus invigilaret.

Quæ in regni procuratione geſſerit enarrare noſtri non eſt inſtituti. Non omittendum quanto & Reipublicæ & Eccleſiæ bono ejus conſiliis Ru- C pella capta fuerit anno 1628. die 1. Novembris; ſicque fax rebellionis fuerit exſtincta, freno mari injecto, & obſtructo Oceano, aggere longiſſimo lapidum, quod nuſquam viſum hactenus. Hanc victoriam ſecuta eſt deditio pluſquam triginta urbium munitarum in Occitania, ipſiuſque Montalbanenſis.

Sorbonæ, quæ ipſum proviſorem elegerat, ædes a fundamentis ædificavit: baſilicamque S. Ludov. patrum Societatis Jeſu in vico S. Antonii fronte pulcherrima exornavit. Mortuus die Jovis quarta Decemb. an. 1642. conditus eſt in eccleſia Sorbonæ quam tanta magnificentia cum adjunctis ædibus, ut ſacrarum litterarum templum eſſent, con- D diderat, ibique in monumento ære perenniori jacet. Ejus præſtantiſſimo ingenio debemus quod Hugoniſticæ factionis, bellorumque civilium furor in Gallia repreſſus ſit. Quod ſpectat ad eccleſiam Lucionenſem, fornices navis majoris templi conſtruxit, erexitque parochiam in oppido Sabulonenſi vulgo *les ſables d'Olone*. Laudatus eſt poſt mortem ab illuſtriſſimis oratoribus Petro de Bertier epiſcopo Ucetienſi coadjutore Montalbanenſi, & Johanne de Lingendes Sarlatenſi epiſcopis.

DE BRAGELONE.

XXVIII. EMERICUS.

Emericus de Bragelogne Pariſinus, ex decano ſancti Martini Turonenſis an. 1624. fit epiſcopus, reſignato Richelio cardinali decanatu; die 24. Junii S. Johanni feſta conſecratus eſt a Franciſco Harlæo archiepiſcopo Rotomagenſi, collaborantibus Carolo de Noailles S. Flori & Petro Scarron Gratianopolitano epiſcopis in abbatia S. Victoris Pariſiis, ubi anno ſequenti comitiis cleri interfuit. Ceſſit in gratiam ſequentis & in abbatiam de Moroliis ſeceſſit, ubi efflavit animam.

NIVELLE.

XXIX. PETRUS III.

Petrus Nivelle Trecis in campania ortus, Ciſtercii A monachus lauream doctoratus in academia Pariſ. conſecutus eſt; tum abbas S. Sulpicii efficitur, tandem an. 1625. menſe Novemb. ad ſupremam ordinis ſui præfecturam pervenit, creatuſque eſt Ciſtercienſis abbas. Denique litteris tum regiis, tum pontificiis vocatus ad cathedram Lucionenſem, Pariſiis inauguratur in æde ſacra Ciſtercienſium monachorum, vulgo Bernardinorum, ab Octavio de Bellegarde archiepiſcopo Senonenſi, Ægidio Boutault Aduренſi & Franciſco Mallier Auguſtopolitano, poſtea Trecenſi epiſc. coadjutoribus, die Dominica 25. Jan. 1637. Obiit in ſua urbe die XI. Feb. an. 1660. ſepultuſque eſt in ſanctuario majoris eccleſiæ a latere Evangelii. Lego in quibuſdam ſchedis poſt obitum Petri de Nivelle Claudium de Voyer de Paulmy fuiſſe deſignatum Lucionenſem epiſcopum, quem honorem humilis hic presbyter reſpuit.

ANNI CHRISTI

COLBERT.

XXX. NICOLAUS III.

Nicolaus Colbert, Johannis-Baptiſtæ Colbert regii ærarii præfecti regnique adminiſtri frater, abbas S. Salvatoris de Virtutibus, doctor Sorbonicus olimque Sorbonæ prior, regiæ bibliot. præfectus, C deſignatur litteris regis Chriſtianiſſimi ad epiſcopalem Lucionii ſedem menſe Martio an. 1661, eodemque anno die Dominica 24. Julii conſecratur in templo Sorbonæ ab epiſcopo Carnotenſi, adjuvantibus Pictav. & Rupell. epiſc. An. ſequ. menſis Martii die 14. poſſeſſionem iniit. Poſtea ob inſalubrem aërem habito prius piorum & doctorum virorum conſilio, transfertur ad ſedem Altiſſiodorenſem chirographo regio dato die 16. Julii an. 1671. ubique pius, vigil & ſalutis ovium Chriſti ſollicitus paſtor.

DE BARILLON

XXXI. HENRICUS.

Henricus de Barillon patrem habuit Johannem D Jacobum in ſenatu Pariſienſi præſidem, cujus nobilis gens ex Arvernia prodiit, & a temporibus Franciſci I. ſolum mutarat, ſecuta Antonium du Prat regni cancellarium, cujus neptis Claudia du Prat collocata fuerat Johanni de Barillon oppidi Murati domino. Mater Henrici fuit Bonna Fayeta magnæ nobilitatis femina. In lucem ſuſceptus an. 1639. adhuc infans patre orbatus eſt, at mater vidua optimam ipſius indolem & ingenium litteris aptum, ipſum excolendum tradidit Oratorii presbyteris in academia Juliacenſi *, deinde D. Coqueret doctori Sorbonico in collegio vulgo dicto *des Graſſins*. E A litteris humanioribus in quibus multum profecerat, tranſiit ad theologiæ ſtudium in univerſitate Pariſienſi in qua magno plauſu doctoris laurea donatus eſt die 30. Junii an. 1666. Quamvis vero aſſiduam ſacris litteris operam navaret, ut etiam doctiores ipſum merito ſuſpicerent; de profectu tamen in virtutibus, maxime quæ virum eccleſiaſticum magis decent, præcipuam curam & ſollicitudinem gerebat Henricus. Quod movit Nicolaum Colbert epiſcopum Lucionenſem, quando hunc epiſcopatum, in quo multum laboraverat, deſerere coactus eſt ob infirmam valetudinem, ut peteret ſibi ſucceſſorem Henricum Barillon obtineretque favore fratris ſui Johannis-Baptiſtæ ærarii præ-

* Juilly.

fecti, nam regia ſchedula deſignatus eſt an. 1671. A
ANNI CHRISTI 1671. Interim audita fama de ſua deſignatione ad epiſcopatum, fugit in extremas Burgundiæ partes. Victus tamen precibus & rationibus piorum amicorum, qui cauſabantur minime licere ipſi detrectare onus epiſcopale, collum ſubdidit, & ſacram ſuſcepit unctionem Pariſiis in eccleſia inſtitutionis PP. Oratorii. Antequam autem epiſcopatum iniret, exuit ſe opimo prioratu, nec ullum unquam voluit epiſcopatui addere ſacerdotium. Simulque conſtituit ſuo veſci patrimonio tantum, ut omnes eccleſiæ proventus in eleemoſynis & aliis piis operibus impenderentur. Miniſtros ſuos, quibus ad B
conficienda inſtrumenta publica utebatur, juſſit gratuitam conferre operam, & ab omni lucro prorſus abſtinere. Talis acceſſit ad epiſcopatum noſter Henricus, talemque toto ſui pontificatus tempore ſe oſtendit, in aſſidua ſui gregis cuſtodia ſollicitus.

Præcipue tamen ei curæ fuit inſtitutio & eruditio clericorum, quos ab ipſa pene infantia eligebat, & in ſeminario bonis moribus & litteris imbui propriis ſæpe ſumtibus curabat. Interim in viſitatione ſuæ diœceſis impiger, in cogendis ſynodis ſedulus, pauperibus ſublevandis intentus, quibus xenodochia aut fundavit, aut dotavit & ordinavit; in converſione familiarum hæreticarum & C
nuper converſarum inſtructione indefeſſus; quibus duobus in locis diœceſis domus ſunt conditæ; nulli denique optimi paſtoris officio defuit per annos 27. quibus hanc rexit eccleſiam. Obiit Pari-
1699. ſiis an. 1699. die 7. Maii ex veſicæ calculo, quo diu laboraverat, ſepultuſque eſt in ſacra æde preſbyterorum Oratorii vici S. Michaëlis, epiſcopo Carnotenſi ſacris operante. Ejus * vitam compen-
* Edit. Delfii an. 1700. dioſe ſcripſit anonymus, qui in ejus comitatu annos undeviginti egerat. Vitæ ſubjecit pias quaſdam meditationes, maxime de patientia in morbis, de præparatione ad mortem, &c. quæ opuſcula D
in extremo quo occubuit morbo potiſſimum elucubraverat. Eo auctore prodierunt collationes diœceſis Lucionenſis in quibus purioris ethicæ Chriſtianæ conſulta ſuppeditantur.

D. Germanus du Puis canonicus & archidiaconus in eccleſia Lucionenſi, necnon theologalis & vicarius generalis, orationem funebrem tanti præſulis pronuntiauit die 29. Julii, in ipſius exſequiis celebratis in eccleſia Lucionenſi ab illuſtriſſimo Rupellenſi epiſcopo. Idem vir clariſſimus ſcripſit epitaphium hoc litteris aureis in tabula marmorea inſculptum & pilæ majoris templi prope ſanctuarium affixa:

D. O. M.
Illuſtriſſimi Eccleſiæ principis
D. D. Henrici de Barillon
Cor
Hoc incluſum lapide quieſcit.
Verbo, ſcriptis, exemplo, opibus oves pavit annos XXVII.
Paſtor bonus.
De clericali ſeminario taceant homines, a ſaxis ipſis clamabitur
Ædificator beneficus.
Collationibus ſacris ad ſcientiam parochos accendit
Veritatis doctor.
Tria in hac ſua diœceſi erexit noſocomia, Lucionenſe dotavit
Pauperum pater.
Puellarum fidem catholicam edocendarum collegium fundavit
Fidei propagator.
Templum hoc perficere conatus, donis ornavit ampliſſimis
Dignus eccleſiæ ſponſus.
Aſſiduis curis, itineribus, ſudoribus, periculis gregis ſui, imo
Dominici, vultum agnovit,
Charitatis Chriſti vicarius.
Lethali morbo abſtractus eſt invitus Lutetiam, mens hic
Remanſit tota.
Mortui cor nunquam moriturum huc ſponte revolavit.
Pridie non. Maii an. M. DC. XCIX. ætat. LXI. peregrinationis finem invenit
Sanctorum civis,
Præſuli ſuo æternum hoc grati animi monimentum
D. P. C.
Lucionenſe capitulum.

XXXII. JOHANNES-FRANCISCUS. De L'ESCURE.

Johannes-Franciſcus de Valderie de l'Eſcure, nominatur a Rege die 7. Junii an. 1699, cum eſſet canonicus pœnitentiarius & vicarius generalis eccleſiæ Albienſis. Conſecratur die 8. Novembris ejuſdem anni a cardinali Noallio Pariſienſi archiepiſcopo in ſacello majori palatii archiepiſcopalis. Miſſus eſt in poſſeſſionem die 7. Dec. Domum epiſcopalem de Caſtro-Rufo a fundamentis conſtruxit. Seminarii, cujus curam Jeſuitis credidit, & noſocomii ædificia auxit, multaque contulit ad majoris eccleſiæ ornatum & decus. Præeſt adhuc hoc anno 1719.

DECANI LUCIONENSES.

QUANDIU capitulum Lucionenſe regulæ A monaſticæ adſtrictum fuit, a priore regebatur; poſtea vero, excuſſo regulæ S. Benedicti jugo an. 1468. prior factus eſt decanus.

Primus decanus Lucionenſis eccleſiæ fuit Aimericus Goion, qui prior erat quando anno 1468. pridie idus Januarii data eſt bulla ſeculariſationis, ſub epiſcopatu Nicolai II.

II. Mathurinus de Dercè decanus, dedit eccleſiæ Lucionenſi vas argenteum pro ſacra Euchariſtia ſuper altare majus reponenda; die 20. Novemb. 1503. fundavit quatuor miſſas alta voce celebrandas, necnon *ſtipendiam*, ut vocant, perpetuam de duabus miſſis qualibet hebdomada ad altare S. Mariæ celebrandis. Sui teſtamenti exſecutorem elegit nepotem ſuum Antonium de Saint- B Gelais canonicum, die ultima Januarii 1512. ſepultus eſt ante effigiem Chriſti de cruce pendentis ad majorem chori portam. Ejus anniverſarium notatur VIII. idus Februarii.

III. Chriſtophorus Marchand abbas S. Johannis de Orbiſterio 1550.

IV. Milo d'Illiers, poſtea epiſcopus.

V. Renatus I. Pinchon abbas commendatarius B. Mariæ de Moroliis 1580.

VI. Johannes de Barro abbas B. Mariæ de Fontenellis 1592.

VII. Michael Papin 1609.

VIII. Sebaſtianus Bouthillier Lucionenſis decanus 1614. factus poſtea epiſcopus Aduренſis. An. 1618. reſignaverat ſequenti.

IX. Nicolaus I. Orceau receptus eſt in decanum die 4. Maii 1618. obiit Lutetiæ Pariſiorum 1621.

X. Jacobus de Flavigny decanus 1622.

XI. Renatus II. Favier ex ſuccentore fit decanus 1626.

XII. Petrus le Lorrain 1642.

XIII. Nicolaus II. Pignay doctor Sorbonicus.

XIV. Thomas Rucheau doctor Sorbonicus, ex ſubdecano decanus per ceſſionem ſuperioris.

XV. Antonius Froment doctor Sorbonicus, B pietate & eruditione præclarus, eligitur a capitulo ſecunda die anni 1665. fuit & vicarius generalis in dioeceſi. Obiit ſecunda die Maii 1701. ſepultus ante oſtium chori.

XVI. Carolus-Franciſcus du Bos, Arvernus, doctor Sorbonicus, cum archidiaconus major foret, electus eſt unanimi conſenſu die 3. Junii 1701. fuit vicarius generalis eximii paſtoris Henrici de Barillon, ab ipſo laborum conſors adſcitus. Tanto paſtori parentavit, ejus vitæ compendium in lucem emittendo. Hanc ejuſdem vitam ſuis moribus fidelius exprimit.

ABBATIÆ DIOECESIS LUCIONENSIS.

S. MICHAEL in Eremo, *S. Michel en l'Erm*, ord. S. Bened.
Talmundum, *Talmond*, ord. S. Bened.
Nigrum-monaſterium, *Noir-mouſtier*, ord. S. B.
Orbiſterium, *Orbeſtier*, ord. S. B.
Granataria, *la Grenetiere*, ord. S. B.
Inſula-Calveti, *l'iſle-Chauvet*, ord. S. B.
Brolium-Herbaldi, *Breuil-Herbaud*, ord. S. B.
B. M. de Fontenellis, *Fontenelles*, ord. S. Aug.
B. M. de Anglis, *Angles*, ord. S. Aug.
Brolium-Grollandi, *Bois-Grolland*, ord. Ciſterc.
B. M. de Alba, *la Blanche*, ord. Ciſt.
Triſagium, *Trizay*, ord. Ciſt.
Locus-Dei in Jardo, *Lieu-Dieu en Jard*, ord. D Præmonſtratenſis.

Fuit olim alia abbatia dicta Bellanoa S. Michaeli in Eremo ſubjecta, cujus abbas Helveicus jacet apud Barbellum, ubi legitur: *Hic jacet Helveicus quondam abbas de Bellanoa.* C. VI. col. 411.

S. Michel en l'Erm. ABBATIA S. MICHAELIS IN EREMO.

PErantiquum iſtud ordinis S. Benedicti monaſterium ad mare ſitum in Pictonibus, tribus circiter ab urbe Luciono milliaribus, fundatur ab Anſoaldo Pictavienſi epiſcopo, Herenſis * quoque monaſterii fundatore, circa an. 680. In chronico Malleacenſi everſum dicitur an. 877. quod exinde reſtauravit Eblius ſeu Ebulus Lemovicenſis epiſcopus, qui ibi ſepultus eſt. Multa quoque eidem C loco prædia contulit Ebuli frater Willelmus dux Aquitanorum ac Pictavorum comes, Caput-ſtupæ cognominatus, anno 961. ut videre eſt inter inſtrumenta. Tandem circa annum 990. Willelmus comes, eo nomine tertius vel quartus, cellam S. Michaelis ad Eremum Roberto S. Florentii abbati reſtaurandam tradit, ex tabula noſtris adjecta inſtrumentis. Eccleſiæ dedicatio facta eſt an. 1047. cujus annua recurrit ſolemnitas die 30. Auguſti. Abbas olim erat baro burgi S. Michaelis; nunc autem abbatiales proventus uniti ſunt collegio Mazarinæo apud Pariſios, bulla Clementis X. papæ data Romæ apud S. Mariam-majorem, III. nonas Aug. 1671. quam vide inter inſtrumenta. C. VII. col. 412.

* Noirmoutier.

Mabill. ad an. 958.

C. IV. col. 408.

C. V. col. 410.

ABBATUM SERIES.

HAnc ab inſtauratione monaſterii inchoamus, valde enim incertum eſt quod aſſerit noſter D. Claud. Eſtiennot, tres primos Herenſes abbates, S. Philibertum, Hilbodum & Ermentarium, iſti quoque monaſterio præfuiſſe.

I. Ebulo epiſcopus Lemov. abbas S. Maxentii, ac theſaurarius S. Hilarii-majoris, fuit etiam abbas S. Michaelis in Eremo, quod monaſterium reſtauravit, ibidem ſepultus. Vide Beſlium hiſt. comitum Pictav. pag. 47.

C. IV. col. 408.

II. Dio teſtis eſt an. 961. in charta Willelmi II. Hugonis, Aquitaniæ ducis, pro reſtauratione monaſterii S. Michaelis, in appendice relata. Is eſt forſitan D. qui concordiam fecit cum Radulfo de Malleone pro quibuſdam domibus apud S. Michaelem. Subſcriptus quoque Dio abbas cum Brixio S. Maxentii abbate reperitur in inſtrumento Guillelmi comitis Pictav. & ducis Aquitaniæ, pro eccleſia Malleacenſi, apud Johannem de la Haye de origine Pictavenſium cap. 19. pag. 26.

III. Azo vel Aſcho, qui & Aaron dicitur tom. IV. Annal. Benedict. pag. 488. ſubſcripſit privilegio Theoderici Carnotenſis epiſcopi pro cœnobio Vindocinenſi. Sub eodem Aſchone conſecratur monaſterium S. Michaelis ad Eremum an. 1047. quo etiam anno memoratur præſens dedicationi S. Mariæ Santonenſis. Denique Gaufredus vicecomes Toarcenſis ejuſque conjux, illum interpellarant ut ædificaret monaſterium in loco, qui dicitur *Bellanoa*; vide inſtrumenta, necnon Mabillonium ad an. 1047. n. 20.

C. VI. col. 411.

IV. Petrus I. de quo vide inſtrumenta & Mabillonium loco citato, ubi corrigendus, inquit, chronographus Malleacenſis, apud quem Aſchoni ſucceſſiſſe dicuntur Theudus ſeu Theadus, Audebertus, Willelmus, Johannes I. Garinus & Johannes II.

V. Garinus & Garnerius tempore Amati Burdegal. & Ramnulfi Santon. præſulum, Urbano papa, regnante Philippo, Willelmo Aquitaniæ duce glorioſo, ex tab. S. Mariæ Santon. Idem etiam precum iniit ſocietatem cum A. ſancti Martialis abbate.

VI. Michael, qui litigavit pro quadam eccleſia S. Laurentii cum monachis S. Cypriani Pictav. judicio Hugonis Lugdun. archiepiſcopi, Simonis ep. Aginn. & Rotgerii ſubdiaconi Eccleſiæ Romanæ; cauſa cecidit, ex chart. S. Cypr. fol. 34.

VII. Willelmus I. circa an. 1160. paciſcitur cum Thoma abbate de Granataria, ubi vide.

VIII. J. abbas S. Michaelis in Eremo cum Johanne abbate de Ré ſubſcribit donationi Radulphi de Malo-leone factæ eccleſiæ Malleacenſi, anno quo cum rege Angl. Richardo I. profectus eſt Jeroſolymam, ex archivo eccl. Rupell.

IX. Simon, cujus obitus notatur in necrologio Silvæ-maj. XV. cal. Aug. at quo tempore vixerit ignoratur.

X. Audebertus II. an. 1200.

XI. Petrus II. anno 1270. concordiam fecit cum Radulfo Malleacenſi & Petro S. Leonardi abbatibus, & fratre Petro dicto *le Franceis* magiſtro militiæ templi in Aquitania, pro canali faciendo a ponte Brunæ ad pontem piſcatorum, ex documento abbatiæ S. Leonardi de Calmis.

XII. Johannes I. 1283.

XIII. Hugo I. 1366. in feſto S. Scholaſticæ virginis, & 1377. in charta ſancti Petri de Mauritania*.

*Mortagne en Poitou.

XIV. Geraudus occurrit abbas ante an. 1400. in variis inſtrumentis.

XV. Hugo II. an. 1400. prioratum de Curſon officio clauſtrali aquarii uniri ſategit.

XVI. Jacobus I. 1409. ultima die Aprilis & 1425. die 25. Novembris ex chartis authenticis in regia bibl. aſſervatis. Memoratur etiam 1412. in charta S. Petri de Mauritania, prioratus abbatiæ S. Michaelis in Eremo ſubjacentis.

XVII. Guillelmus II. Tiſſonnier abbas S. Michaelis & prior S. Petri de Mauritania an. 1440.

XVIII. Richardus Paule 1445. 24. Decemb. 1446. 20. Nov. 1448. 12. Nov. 1449. ultima die Nov. 1450. 2. Decemb. & 1451. ultima Decemb. ex chartis authent. regiæ biblioth.

XIX. Guillelmus III. 1452. die ultima Dec. ex charta authentica regiæ biblioth. Hoc autem anno menſe Julio devaſtata fuit abbatia per vicecomitem Toarcenſem & Dom. de Chaſteaubriant. Anno ſeq. abbas ratum habuit quoddam excambium factum a fratre Michaele Savarici, priore S. Salvatoris de Marolio die 8. Maii in capitulo generali, in feſto S. Michaelis. Reperitur & annis 1455. 3. Decemb. 1474. 4. Jan. & 1475. die ultima Aprilis, in chartis authent. regiæ biblioth. quas Dom. de Ganieres debemus.

XX. Nicolaus abbas anno 1488. die ultima Nov. ex charta authentica regiæ biblioth.

XXI. Thomas 1492. die 12. Dec. & 1494. 12. Aprilis poſt Paſcha, ex eodem promtuario.

XXII. Johannes II. de la Tremoille 1496. de quo vide in Granataria.

XXIII. Bertrandus de Mouſſy abbas S. Michaelis & prior commendatarius S. Petri de Mauritania, reperitur in tabulis utriuſque cœnobii annis 1515. & 1519. quo item an. die 5. Dec. memoratur in charta authent. regiæ bibl. An. 1926. die 7. Maii edidit quædam ſtatuta quæ obſervata ſunt uſque ad tempus Jacobi de Billy, qui ea confirmavit an. 1566. die 5. Maii.

XXIV. Johannes III. Prunæus de Billy ex nobilitate Carnutenſi, Guiſiæ tamen natus, quod oppidum tum regebat Ludovicus ejus pater; abbas S. Michaelis, S. Leonardi de Ferreriis & B. Mariæ de Caſtellariis 1535. 1543. & 1547. In chartis authent. regiæ biblioth. recenſetur die 4. Aprilis 1540. & 20. Decemb. 1556. ubi ſolummodo dicitur abbas S. Michaelis in Eremo. Sedebat adhuc 1559. ex libro Gallico cui titulus eſt: *Couſtumes generales*, &c. auctore Carolo du Moulin, cum additamentis Gabrielis Michel Andini, tom. II. Pariſiis apud Jacobum d'Albin 1664. Dimiſſis ſuis ſacerdotiis Johannes fit Cartuſianus, ex Scævola Sammarthano, in elogio Jacobi de Billy, quem Johannis fuiſſe fratrem docet.

XXV. Jacobus de Billy inter muſas educatus, & Græce maxime doctus, Gregorium Nazianzenum, Johannem Damaſcenum, &c. eſt interpretatus. Favit autem ejus ſtudiis Johannes frater natu major, qui in ipſius gratiam abbatias quibus potiebatur abdicavit. Abbas erat S. Michaelis in Eremo & B. Mariæ de Caſtellariis in Rhea inſula anno 1566. quo, die 5. Maii innovavit ſtatuta Bertrandi de Mouſſy abbatis; vixitque uſque ad annum 1581. quo Pariſiis e vivis exceſſit die 25. Decemb. ſepultuſque eſt ad S. Severini fanum in choro, ubi viſitur ejus ſepulcrum cum epitaphio. Ejus elogium habemus lib. 3. elog. Scævolæ Sammarthani. Ipſo regente deſtructum eſt monaſterium

a Petro Villates domino de Champagne. Sedes autem abbatialis vacabat adhuc 22. Junii 1583. ex litteris fratris Nicolai le Comte prioris S. Salvatoris & S. Stephani d'Ars in insula Rhea, vicarii generalis sede vacante.

XXVI. Carolus de Bourbon abbas commendatarius 1584. sub quo nullus ibi monachus degebat, nullus qui rem divinam curaret aut sacra faceret. Se ipse nominat administratorem perpetuum in charta anni 1589. 23. Dec. qua locationem *de Richebonne* factam a Mariano Martinbault tanquam abbate commendatario, confirmat.

XXVII. Marianus de Martinbault, in senatu Rotomagensi consiliarius, tanquam abbas commendatarius S. Michaelis in Eremo locavit seu accensuavit *Richebonne*, approbante Carolo de Bourbon ejusdem abbatiæ administratore perpetuo 23. Dec. 1589. Reperitur idem Marianus in chartis annorum 1593. 1596. & 1604. Hic plurimas lites intendit monachis, qui apud S. Michaelem, invito abbate nimis avaro, iterum adunati, officium divinum exeunte seculo XVI. celebrare cœperunt. An. 1603. die 23. Julii abbas & conventus S. Michaelis prioratum S. Leonardi de Ironio Carthusiæ Namnetensi perpetuo uniendum concesserunt. Unde Carthusiani duo quotannis anniversaria celebrant, 9. Maii & 16. Oct. quæ quidem in eorum necrologio sic notantur diebus præfixis: *Anniversarium abbatum & religiosorum abbatiæ S. Michaelis de Eremo, fundatorum & benefactorum prioratus S. Leonardi de Ironio.*

XXVIII. Ludovicus de Bourbon comes Suessionensis, par Franciæ, regii palatii magister, & regius Delphinatus præfectus, redditus abbatiæ percepit, una cum Anna de Montafié comitissa Suessionensi, annis 1606. 1613. 1620. 1621. & 1625. ut palam fit ex multis utriusque apochis horumce annorum; in quarum nonnullis Ludovicus de Bourbon abbas nominatur. Hic autem hortatu piæ comitissæ plura bona distracta recuperavit, ecclesiam & monasterium restauravit.

XXIX. Johannes IV. le Gay, *al.* le Jay, Regi a consiliis, & libellorum supplicum magister, abbas erat commendatarius 1609. 10. 13. 14. & 1615.

XXX. Balthazar Poictevin Regi ab eleemosynis & consiliis sanctioribus, abbas 1621. 24. 27. & 1631.

XXXI. Johannes-Baptista de Croisilles Regi a sanctioribus consiliis, annis 1636. & 1637. Cessit invitus.

XXXII. Guillelmus de Montagne, Regi a consiliis, reperitur abbas 1641. (quo anno e vivis excessit Ludovicus de Bourbon) necnon 1651. Legimus tamen Martinum Bergeron, regium legatum in urbe *de Brouage*, œconomum a Rege nominatum per totum annum 1642.

XXXIII. Harduinus de Perefixe de Beaumont nominatus a Rege abbatiam recusavit, quam accepit

XXXIV. Julius cardinalis Mazarini, regni administer, sub quo monasterium S. Michaelis, reformatæ S. Mauri congregationi aggregatur 27. Oct. 1669. ac biennio post uniuntur abbatiales redditus collegio Mazarinæo Paris. Vide instrum.

C. VIII. col. 412.

TALMUNDUM.

Talmont.

TALEMONS, Talmundum vel Talemundum oppidum est clarissimæ Tremoliæ gentis, titulo principatus insigne, in promontorio Pictonum sinus Aquitanici, septem leucis ab urbe Lucionio, duabus ab Oceano, ubi abbatia sub invocatione S. Crucis, ord. S. Benedicti, exstruitur anno circiter 1040. fundatore Willelmo I. cognomine Calvo, Talemontensis castri domino; quemadmodum testatur diploma tabularii S. Crucis num. 3. quod ex historia comitum Pictavensium Johannis Besly pag. 320. erutum nostra inter instrumenta recudimus.

C. VIII. IX. &c. usque ad XIII. col. 415. & seq.

ABBATUM CATALOGUS.

I. VITALIS abbas S. Gildasii Ruyensis, cum ex hoc monasterio suorum importunitate monachorum ejectus fuisset, Guillelmum Calvum Talemontis castri dominum adiens, aliquem sibi dari locum, in quo Deo juxta propositum deservire posset, expostulavit. Vitalem gratanter excepit Willelmus, eique cœnobium, quod juxta suum castellum nuper exstruxerat, commisit, circa an. 1042. ut patet ex litteris ejusdem Willelmi hoc anno datis, quas vide apud Johannem Besly histor. comitum Pictav. pag. 324. Post obitum vero Willelmi prædicti, Willelmus minor ipsius filius, Vitali abbati quasdam ecclesias confirmavit, ex historia jam laudata pag. 322. Postea regressus est in Britanniam, uti mox videbimus.

II. Evrardus & Euvrardus seu Ebrardus 1076. & 1078. quo anno in plena curia conqueritur Vitalem suum prædecessorem iterum in Britanniam recessisse & chartas secum abstulisse; cujus rei falsitate cognita, calumniæ convictus est Ebrardus, ipsumq; quod monachis SS. Trinit. injuste abstulerat, hoc est medietatem ecclesiarum de Olona, reddidit, vide historiam citatam pag. 360. Exstat ibidem pag. 390. charta Isamberti Pictavensis episc. collata monasterio confirmantis rogatu Wuraldi abbatis, circa anno 1086. Denique memoratur Ebrardus anno 1090. regnante Philippo, Petro episcopo Pictav. Willelmo comite.

III. Alexander ab eodem Petro Pictav. episc. privilegium impetravit an. 1092. quo bona omnia monasterii confirmantur; illud habes apud Johannem Besly hist. comitum Pictav. pag. 429. Sedebat adhuc Alexander anno 1097. Urbano papa, Philippo rege, Willelmo duce Aquitaniæ. Petro episcopo Pictav. Luna 15. epacta IV. ind. V. pridie cal. Junii.

Vide Annal. Bened. t. IV. pag. 452 & tom. V. pag. 127. & 620.

IV. Willelmus I. an. 1117. subscribit concordiæ apud Engolismam factæ inter abbates S. Martialis & Vallium. Reperitur & annis 1118. 1126. ind. IV. & 1128. in charta prioratus de Rocha super Oyonem, *Roche-sur-Yon.*

V. Durandus.

VI. Guillelmus II. de Luco.

VII. Guillelmus III. Ricardi. Hi tres absque nota chronica reperiuntur in quodam instrumento chartularii.

VIII. Lucas 1195.

IX. Willelmus IV. 1204. in teſtamento Maxentiæ de Bulio; & 1208. in charta Brolii-Grollandi.

X. Radulfus de Peyrata, *al.* de Perata 1210. in charta fundationis Fontenellarum dioec. Lucion. 1211. & 1213. ex brevi membrana quæ ſequitur: *Radulfus de Peyrata miſeratione divina eccleſiæ S. Crucis de Talemundo miniſter humilis & inſufficiens gubernator, teſtatur nihil eſſe conſonum falſitati, Deo teſte, in prælaudato chartulario monaſterii ſui. Hoc autem actum eſt anno ab Incarn. Domini M. CC. XIII. adminiſtrationis noſtræ anno IV. Innocentio papa III. præſidente, pontificatus ejus anno XV. Philippo rege Francorum regnante, Mauricio Pictavenſem eccleſiam gubernante, domino Willelmo de Malo-leone terram iſtam pacifice & integre adminiſtrante & obtinente.* Occurrit etiam Radulfus an. 1216. in charta Brolii-Grollandi. Is autem eſt profecto R. de Perata qui an. 1218. reperitur in teſtamento Savarici de Malleone domini Talemundi, quique an. 1228. fecit concordiam cum Willelmo abbate & conventu Brolii-Grollandi, pro quadam decima in parochia S. Eutropii de Peruſio, aſſentiente R. abbate de Morolia. *Actum apud S. Hilarium prope Talemundum anno Dom. 1228. in conceptione beatæ Mariæ virginis.* Denique anno 1232. paciſcitur cum fratre Giraudo militiæ templi in Aquitania præceptore generali.

C. XIV. col. 419.

XI. Petrus I. 1242. & 1244. menſe Febr. ex chartis Brolii-Grollandi. Idem an. 1259. in craſtino B. Bartholomæi apoſt. pacem firmavit inter abbates & conventus Loci-Dei in Jardo & de Fontenellis; ex charta Fontenellenſi.

XII. Guillelmus V. 1261. ex charta ejuſdem loci.

XIII. Johannes I. pepigit cum Geraldo abbate Fontenellenſi an. 1295.

XIV. Johannes II. capitulum generale celebravit, die Lunæ ante Aſcenſionem Domini, anno ejuſdem 1346. ex charta S. Maxentii.

XV. Petrus II. 1429.

XVI. Johannes III. 1445. & 1447.

XVII. Franciſcus I. du Puy-du-Fou 1455. & 1467.

XVIII. Guillelmus VI. Meſchin 1474. & 1494.

XIX. Pregentus I. de Broſſe 1500. Obiit an. 1505.

XX. Petrus III. Gaudin electus a capitulo an. 1505. & confirmatus ab epiſcopo Lucionenſi die 8. Oct. ejuſdem anni, deceſſit 1518.

XXI. Renatus Bodin electus eſt die decima Octob. anni 1518.

XXII. Jacobus I. de la Broſſe electione capituli factus eſt abbas anno 1519. abdicavit poſtea in gratiam ſequentis.

XXIII. Jacobus II. de la Broſſe ſuperioris nepos ex fratre, memoratur abbas 1533. & 1550. quo anno die 21. Febr. tonſuram clericalem ex indulto apoſtolico contulit fratri Johanni de Poygues monacho ſuo.

XXIV. Pregentus II. des Granges e nobili Surgeriarum ſtirpe, filius Mathurini domini de la Gort & Mariæ Paſcaud dominæ de la Gaſconniere,

XXV. Franciſcus II. Boutaud plura intulit damna ſuo monaſterio ab anno 1555. ad annum 1572. ſub quo tandem exinanitum fuit penitus, adeo ut etiamnum, ubi fuerint eccleſia & alia loca, quæ regularia vocamus, prorſus ignoretur.

XXVI. Ludovicus I. de Mont-journal abbas *confidentiarius* domini des Granges annis 1576. & 1579.

XXVII. Oliverius de Cheilzin 1595. deinde ceſſit.

XXVIII. Petrus IV. de Vaudetard 1596. & 1597. cujus erat vicarius generalis prænominatus Oliverius.

XXIX. Gabriel Rouſſeau 1601. qui tamen anno tantum 1604. litteris regiis confirmatus fuit. Sedebat adhuc 1607. diſtractor bonorum monaſterii audiit.

XXX. Ludovicus II. de Mont-journal 1614. fortaſſe idem qui ſupra, certe haud melior anteceſſore.

XXXI. Franciſcus III. de la Rochefoucaud abbas B. M. de Regali dioec. Pictav. nominatur a Rege ad abbatiam S. Crucis de Talemundo, pro qua juramentum præſtitit coram epiſcopo Lucionenſi 1623.

XXXII. Johannes IV. Bertaud monachus regia ſchedula deſignatus eſt; verum

XXXIII. Sebaſtianus de Coniac principi Condæo ab eleemoſynis, regias quoque litteras obtinuit an. 1624. Hic bonis a monaſterio diſtractis recuperandis plurimum inſudavit; tandemque Pariſiis hanc vitam cum meliore commutavit 5. Aprilis 1655.

XXXIV. Ludovicus III. Mauricius de la Tremoille comes Lavallenſis, par Franciæ, & marchio d'Eſpinay, Talemundenſis abbas renuntiatus eſt an. 1655. vere monaſterii alter fundator. Reperitur autem annis 1670. 1680. & 1681. in charta prioratus de Rocha ſuper Oyonem. Obiit hoc anno; ſimul abbas Carrofenſis.

XXXV. Fredericus-Guillelmus de la Tremoille, princeps de Talmond, abbas S. Crucis de Talemundo, patruo ſuccedit 1681. Abdicat 1689. vide in abbatibus Carrofenſibus.

XXXVI. Petrus V. Courcier ſocius Sorbonicus & eccleſiæ Pariſienſis theologus, hanc abbatiam obtinuit a Rege 9. Aprilis 1689.

XXXVII. Franciſcus IV. du Drot Biturigum duci ab eleemoſynis, canonicus Guiſienſis & vicarius generalis D. epiſcopi Laudunenſis, nominatur abbas Talemundenſis die 22. Aprilis 1713.

NIGRUM-MONASTERIUM. Noir-Mouſtier.

SIc dictum eſt hoc monaſterium & ipſa inſula Hero, in qua ſitum eſt, vel a vocabulo *Hermoutier* mutato corrupte in *Nermoutier*, vel a veſte nigra monachorum ordinis S. Benedicti, qui illud ab exordio incoluerunt; quemadmodum abbatia B. M. in eadem inſula, cognominata eſt de Alba, ob albam veſtem qua induuntur Ciſtercienſes ibidem habitantes. Auctorem habuit circa an. 674. fundum ſuppeditante Anſoaldo Pictav. præſule, S. Philibertum,

Digitized by Google

S. Philibertum, qui quidem nunc cum S. Maria patronus eſt monaſterii, exhinc etiam nuncupati ſæpiſſime S. Philiberti. Poſtea vero inſtauratum fuiſſe ac ditatum a Carolo-magno, opinantur Johannes Beſly hiſt. comitum Pict. pag. 8. & Petrus-Franciſcus Chiffletius hiſtoriæ Trenorchienſis pag. 521. ſed eos quantum ad inſtaurationem invicte confutat Carolus Cointius t. 7. Annal. pag. 335. Sane recenſetur ab veteri Aſtronomo de geſtis Ludovici Pii, inter monaſteria quæ hic princeps aut reſtauravit, aut a fundamentis erexit; & in conſtituto ejuſdem imperatoris an. 817. commemoratur inter Aquitaniæ monaſteria, quæ nec dona, nec militiam dare debent, ſed ſolas orationes.

Floruit autem iſtud cœnobium ad annum uſque 834. ind. XII. imperii Ludovici Auguſti vigeſimum primum; ex quo tempore monachi Herenſes continuis Normannorum incurſionibus vexati, varias mutare ſedes coacti ſunt, ut amplius videbitur in texenda mox abbatum nomenclatura, donec ipſis tandem Trenorchienſe * monaſterium conceſſum eſt, diplomate Caroli Calvi anno regni 35. Chriſti 875. quod legeſis in hiſtoria Trenorchienſi Chiffletii pag. 214. Attamen circa 934. quidam potentiſſimus Brito, Gradilo nomine, relictis ſeculi pompis, ad monaſterium quod in inſula Heri poſitum erat, gratia converſionis ſe recepit; ex quo intelligitur Herenſe monaſterium tunc inhabitari denuo cœptum a monachis, poſt pacem cum Normannis factam. Nunc vero redactum eſt in prioratum a Threnorchio vice verſa pendentem.

* Tournus.

INDEX ABBATUM.

I. S. PHILIBERTUS, primus abbas Gemeticenſis, primus etiam auctor fuit & abbas Herenſis monaſterii, in quo uſque ad ſupremum ſpiritum perſeveravit. Ejus obitus dies notatur in vetuſtis martyrologiis, XIII. cal. Septembris, annus autem 690. * vide ſecul. II. Bened. De ſucceſſoribus autem ejus ad tempora uſque Ludovici Pii Auguſti nihil occurrit.

* Cointius t. IV. Annal. pag. 220.

II. Arnulfus erat abbas Herenſis monaſterii, cum Adhalardus abbas Corbeïenſis illuc in exſilium miſſus eſt anno 814. a Ludovico Pio, qui tandem inani ſuſpicione depoſita, hunc poſt ſeptem annos revocavit. Is autem eſt Arnulfus, qui monaſterium *Deas* * in pago Herbadilico * prope Grandem-lacum exſtruxit an. circiter 818. quique anno ſequenti aquam ex fluvio Bedonia * in ipſum monaſterium deducendi facultatem obtinuit a Ludovico Auguſto. Datum eſt præceptum Aquiſgrani palatio VII. cal. Aprilis an. VI. imperii D. Ludovici piiſſimi Auguſti, ind. XII. uti legere eſt apud Cointium tom. 7. Annal. pag. 506. Laudatur Arnulfus tanquam adjutor S. Benedicti Anianenſis in reformandis Galliarum cœnobiis; qui demum an. 825. regimen ſui monaſterii ſponte dimiſit, ſuperſtes ad annum 839. ex chronico Engoliſm. Ceterum ſub hoc abbate vivebat Ragnardus monachus Herenſis, qui teſte Paſchaſio factus eſt abbas; utrum Herenſis non conſtat; ſi tamen Herenſis, poſt Arnulfum locandus eſt, inquit Mabillonius.

* Deé ou Grandlieu, prioratus in diœc. Numetenſi, Trenorchio ſubjectus.
* d'Herbauge.
* la Bologne.

III. Hilbodus an. 825. abbas efficitur, ex chron. Engoliſm. apud Labbeum. Vide Cointium tom. 7. Annal. pag. 763. & ſeq. necnon Mabillonium ad an. 825. n. 73. Eo ſedente, anno 831. exſulavit in monaſterio Wala frater Adhalardi, qui & ipſe olim, ut diximus, ibidem ſeptem annis exſul egerat. Anno 834. Hilbodus Herenſem congregationem e ſua ſede pulſam tranſmigrare fecit ad monaſterium Deenſe, in quo permanſit uſque ad annum 847. quo & iſtud a Normannis incenſum eſt. Cum autem hic abbas, quaſi præſcius futuræ diſperſionis, Cunaldum * monaſterium in Andegavis an. 845. obtinuiſſet a Carolo Calvo rege, Viviani comitis rogatu, eo familiam omnem tranſtulit, relicto apud Deas S. Philiberti corpore, donec adſportandi daretur opportunitas. Verum neque hic tuto ſe diutius poſſe conſiſtere ſuſpicatus abbas, Meſſiacum, villam pagi Pict. cum ſacello & decimis ejuſdem loci acquiſivit a Carolo rege Aurel. tunc commorante, an. regni 14. ind. II. XIV. cal. Febr. Vide Mabill. ad an. 854. n. 76. & Beſlium hiſt. comit. Pict. pag. 170. Et hæc quidem tertia fuit poſt tranſmigrationem ſedes Herenſium monachorum. Quamdiu vero illic ſubſtiterint incertum. Poſt aliquot dies, idem Carolus, ad deprecationem Eriſpogii Britanniæ comitis, Buſſogilum [a], cellam pagi Cenomannici, in honore B. Petri apoſtolorum principis, a S. Trogeſio fundatam, monaſterio *Deas*, in quo S. Philiberti corpus hactenus requieſcebat, atque Hilbodo abbati, ejuſque loci monachis fugitivis contulit, ut in ea cella refugium habere poſſent. *Data IV. idus Febr. anno ſexto-decimo * regnante Carolo glorioſiſſimo rege. Actum in Veteri-domo;* qui locus eſt pagi Aurelianenſis. Haud diu poſtea ſuperſtes fuit Hilbodus, eique ſucceſſit

* Cunault.

[a]

* Annis regni computatis ab an. 837. quo Neuſtriæ rex appellatus eſt.

IV. Axenius, cujus anno ſexto, ut ait Falco in chronico Trenorchienſi, corpus S. Philiberti e Deis Cunaldum, velut furtim illatum eſt circiter annum Chriſti 860. * vide Chiffletium hiſtor. Trenorch. pag. 523.

* al. 857.

V. Ermentarius monachus Gemeticenſis, ac deinde Herenſis ſub Hilbodo abbate, lucubrationem anonymi cujuſdam Gemeticenſis monachi de tranſitu S. Philiberti, aliudque opus de tranſlatione ejus ad monaſterium Deas & de ipſius miraculis, a ſe factum, Hilbodo abbati ſuo nuncupaſſe dicitur; illud tamen dedicavit Hilduino abbati Sandionyſiano, ut antiquioris illius vitæ, uti & miraculorum lectione Hilduinus moveretur ad impetrandum a Carolo Calvo refugii locum Herenſibus monachis, qui tum palabundi per Gallias cum S. Philiberti corpore, ob tempeſtatem Normannorum vagabantur. Alterum quoque miraculorum librum adjecit ſeptem & viginti annis a prima S. Philiberti ex Hero evectione tranſactis, ut ipſe teſtatur libro illo ſecundo, cap. 8. ideſt circa annum 863. cum jam eſſet abbas vagæ Herenſis congregationis; & cum anno præcedente, inquit Chiffletius, ipſis Maii calendis eductum e Cunaldo S. Philiberti corpus, in ſui juris villam Meſſiacum intuliſſet.

VI. Berno ſucceſſit Ermentario poſt quinquen-

* Apud Cointium tom. IV. Annal. pag. 34. dicitur hoc monaſteriolum Caladunenſi parthenoni ſubjectum.

Digitized by Google

nale ipſius regimen, ac paulo poſt admiſſum ad profeſſionem monaſticam Geilonem Geilonis comitis filium, qui poſt eum abbas fuit, ex Falcone Trenorchienſi chronographo.

VII. Geilo haud multo poſt editam in monaſterio profeſſionem factus eſt abbas; qui cum & natalium privilegio, & ob præclaras animi dotes acceptus eſſet Carolo regi, ipſo ſui regiminis exordio monaſterium S. Portiani in Arvernis ad perfugium ab eodem obtinuit; ſtatimque familiam ſuam cum S. Philiberti corpore omnique ſupellectile eo transduxit. Donationis hujus præceptum habes t. XII. Spicil. pag. 551. uti & ipſius confirmationem Geiloni conceſſam an. 876. a Johanne VIII. papa. Mittimus alias donationes, loci videlicet *Godit* * in pago Villarenſi, dati Geiloni a Deſiderio viro illuſtri, de Caroli regis conſenſu, ind. 2. an. regni ejus 28. & in ſucceſſione regni Lotharii primo, qui erat Chr. 869. Denique idem Carolus rex Trenorchienſe * S. Valeriani monaſterium Geiloni petenti contribuit ſcripto diplomate XIV. cal. Apr. ind. VIII. an. regni 35. & in ſucceſſione regni Lotharii ſexto, Chriſti 875. Ita Trenorchienſium abbatum primus eſt Geilo, quorum ſeriem proſequemur, Deo juvante, quando de abbatiis diœceſis Cabilonenſis agemus.

* Prioratus eſt Trenorchio ſubjectus.

* Tournus.

ORBISTERIUM.

Orbeſtier.

ORBISTERIUM ſancto Johanni * ſacrum, a quibuſdam recentioribus Orbisterminus dictum, ordinis ſancti Benedicti, in parochia caſtri de Olona, ad oram Oceani, leucis duabus a Talemundo, octo ab urbe Luciono, & ſemileuca ab oppido Sabulonenſi, vulgo *les Sables d'Olone*, fundatum eſt a Guillelmo Aquitaniæ duce & Pictavii comite, ut patet ex fundationis diplomate, quod videſis in probationibus hiſt. comitum Pictav. Johannis Beſly pag. 351. Ea tamen charta videtur perperam attributa Guillelmo IV. & præferre annum 1007. Necdum enim Aquitaniæ duces titulum principum Talemundi gerebant, quem videlicet non niſi poſt obitum Willelmi & Pipini filiorum Willelmi I. cognomento Calvi principis Talemundi obtinuerunt, hoc eſt poſt annum circ. 1059. ex eodem Beſlio loco citato pag. 325. & ſeq. Ceterum ex monaſterio, quod funditus everſum eſt a Calviniſtis, ſola ſupereſt eccleſia. Paucos abbates quos e tenebris eruimus accipe.

* Baptiſtæ in cujus decollationis feſto magnus ibi fit plebis Chriſtianæ concurſus.

ABBATES.

Sammarth.

I. FULCHERIUS I. 1059. & in charta fundationis.

II. Michael I. 1061. ex fide Sammarth.

C. XVI. col. 421.

III. Fulcherius II. reperitur 1109. in charta fundationis Brolii-Grolandi. Anno 1130. *al.* 1136. (fortaſſe utroque anno) quædam commutavit cum Petronilla abbatiſſa Fontis-ebraldi.

IV. Johannes Vaſſinus tranſegit cum Giraudo abbate Brolii-Grolandi.

V. Michael II. an. 1206. componit cum Petro abbate & conventu Brolii-Grolandi. Teſtis eſt an. 1221. donationis, quam Petrus de Luciono Wilhelmo abbati Brolii-Grolandi fecit de mareſiis apud Campaniacum. Is eſt profecto M. qui jam anno 1206. compoſuit cum P. abbate Brolii-Grolandi, pro mareſio de Roſſe, *mediantibus viris* pacificis J. Triſagii & O. Moroliæ abbatibus. Idem inſuper prima tantum ſui nominis littera connotatus occurrit 1239. in charta Brolii-Grolandi.

VI. Hugo *vir religioſus* nuncupatur in quodam Brolii-Grolandi documento, an. 1251. menſe Maio.

VII. Claudius de Villars monachus & eleemoſynarius S. Cypriani Pictav. ac vicarius generalis Antonii de Champropin abbatis ſui, abbatiam S. Johannis de Orbiſterio poſſidebat an. 1538. die 15. Januarii.

VIII. Chriſtophorus Marchand decanus Lucionenſis, abbas Orbiſterii 1550. & 1559.

IX. N. Clement parochus caſtri de Ollona 1614.

X. Ludovicus I. Franciſcus de la Baume de Suze epiſcopus Vivarienſis, abbas erat an. 1655. Obiit die 5. Sept. 1690.

XI. Ludovicus II. Moreau abbas Orbiſterii & Brolii-Herbaldi, exſtinctus eſt an. 1670.

XII. Daniel de Coſnac primum Valentinenſis epiſcopus in Delphinatu, ac deinde Aquenſis metropolita, die 1. Nov. 1690. Ceſſit an. 1701. obiit vero 18. Januarii 1708. In archiepiſcopis Aquenſibus diem mortis ejus diximus fuiſſe 21. Januarii. Forte obiit die 18. & exſequiæ ejus die 21. ſunt celebratæ.

XIII. Gabriel de Coſnac epiſcopus Dienſis patruo ſucceſſit die 24. Dec. 1701. ſedebat adhuc 1711. & 1714.

GRANATERIA.

la Grenetiere.

HIc locus beatæ Mariæ ſacer primam debet originem Giſleberto de Caſa, qui hunc conceſſit Guillelmo de Concampo primo abbati Fontis-dulcis circa 1130. ſecundam Gaufredo * abbati ſecundo, qui in ipſo loco ordinis S. Benedicti fundavit abbatiam. Vide Mabillon. tom. v. Annal. pag. 567. & 688. Sita eſt in parochia S. Salvatoris d'Ardelay, monaſterio S. Michaelis in Eremo ſubjecta, una leuca ab oppido *des Herbiers*, a Flocellaria tribus, quatuor a Mauritania, & novem a Luciono; ſola ſine pago medias inter ſilvas, non longe a caſtro du Parc. Hanc porro Carolus Francorum rex diplomate anni 1420. inter inſtrumenta relato, & Artus Britanniæ dux, comes de Richemont an. 1428. in ſuam protectionem ſuſceperunt. Cernitur in eccleſia tumulus Archiepiſcopi domini de Partheniaco; unde conjicimus nobiliſſimam illam gentem, quæ plurimas eccleſias donis ſuis ditavit, magnis etiam beneficiis hoc monaſterium affeciſſe.

* *al.* Geraldo abbati ſecundo,

C. XX. col. 425.

SERIES ABBATUM.

I. GUILLELMUS I. memoratur abbas anno 1150. a V. C. Baluzio in notis MSS. ad Galliam Chriſt.

II. Thomas tempore Calonis Pictav. epiſcopi, quo ſcilicet arbitro concordiam fecit cum Airaudo

de Molli-campo. Pepigit etiam cum Willelmo abbate S. Michaelis in Eremo, pro quodam molendino. Reperitur autem & annis 1160. 1167. 1170. 1175. & 1177.

III. Guillelmus II. cui Gaudinus dominus de Cliſſon, dedit 26. ſolidos in *foro* quod eſt in medio Quadrageſimæ, &c. in manu Mauricii epiſc. Nannetenſis, præſentibus Maën abbate de Buſalo, Richardo priore de Cliſſon, & aliis.

IV. Johannes I. præerat 1201. quo plura ei dederunt Willelmus dominus de Mauleonio, & Katerina ejus uxor, filiæ Mauricii D. Montis-Acuti, ejuſque nepos Savaricus filius Radulfi de Mauleonio. Memoratur quoque 1225. in feſto S. Silveſtri & 1246. quo anno fecit *eſcambium* cum abbate & conventu Brolii-Grolandi, die Mercurii poſt Purificationem beatæ Mariæ; ex charta Brolii-Grolandi.

V. Guillelmus III. paciſcitur anno 1265. cum Benedicto abbate Brolii-Grolandi. Fortaſſe is eſt Guillelmus, cui nobilis femina Theophania de Albigniaco d'*Aubigné*, ſexaginta areas ſalinarum in mariſco de la Culace donavit, *apud Granateriam in eccleſia S. Mariæ, ante altare S. Katerinæ virginis aliarumque virginum, annuente Petro de Rameia Theophaniæ conjuge.* Quod quidem poſtea donum confirmavit Willelmus epiſc. Pictavienſis. Item Radulfus de Maleone & Willelmus ejus frater, dederunt monachis de Granateria, *in manu Willelmi abbatis* decem ſolidos, apud S. Michaelem de Heremo, ad piſces emendos. *Hoc donum factum aput monachos S. Ylarii de Fontiniaco, teſtibus Johanne de Niolio, & Willelmo de Triſaio abbatibus.*

VI. Petrus I. tranſigit an. 1287. cum Guillelmo abbate de Alba-Corota.

VII. Petrus II. Brunet 1323. menſe Novemb.

VIII. Petrus III. de Bou, *al.* du Bou 1324. 1328. & 1347.

IX. Helias 1354. & 1366. Attamen legitur

X. Johannes II. 1365. ex Baluzio, in notis MSS. ad Gall. Chriſt.

XI. Guillelmus IV. Coutigny 1373. quem abdicaſſe anno ſequenti aſſerit noſter D. Claud. Eſtiennot.

XII. Johannes III. idem fortaſſe qui ſupra, memoratur annis 1373. 74. & 75.

XIII. Guillelmus IV. Coutigny, idem rurſus fortaſſe, qui ſupra, 1380. & 1383.

XIV. Johannes IV. Cheſſé, *al.* Chelvé ex Baluzio, 1387.

XV. Egidius Coutigny 1400. 1401. & 1413.

XVI. Ambroſius de Prazay 1426. & 1433.

XVII. Johannes V. Coutigny 1450. 58. 62. & 63. Attamen Baluzius in notis MSS. ad Gall. Chr. indicat Johannem Chaſteigner anno 1460. Fortaſſe Johannes Coutigny ceſſerat Johanni Chaſteigner.

XVIII. Almaricus d'Acigné filius Johannis toparchæ d'Acigné, ex Catharina de Maleſtroit, epiſcopus Namnetenſis & primus abbas commendatarius annis 1472. & 1474. Obiiſſe dicitur 23. Febr. 1476. * vel 1477.

* *Sammart.* 1479.

XIX. Jacobus de Caulers, *al.* de Caulay, epiſc. Aduti tradunt, Nemauſenſis, 1485. & 1493. Morte correptus eſt an. 1496.

XX. Nicolaus Chauveau monachus, poſt obitum Jacobi de Caulers, unanimi fratrum conſenſu electus eſt abbas, & confirmatus a Petro Lucionenſi præſule, an. 1496. ſed æmulum habuiſſe videtur eum qui ſequitur.

XXI. Johannes VI. de la Tremoille cardinalis, archiep. Auxitanus & epiſcop. Pictav. abbas erat Granateriæ & S. Michaelis in Eremo, annis 1496. 1497. 1499. 1506. & 1507. quo an. deceſſit Mediolani, ſepultus in caſtri Thoarcii æde ſacra.

XXII. Petrus IV. de Sacierges epiſc. Lucionenſis, commendam obtinebat annis 1509. & 1514.

XXIII. Franciſcus I. epiſc. Namnetenſis, anno 1530. ex Baluzio in notis MSS. ad Gall. Chriſt.

XXIV. Lazarus de Baïf libellorum ſupplicum magiſter, abbas Granateriæ & Carrofenſis 1533. 36. 40. & 43.

XXV. Petrus V. Chaſteigner de la Rochepoſay monachus, abbas Carrofi ac deinde Granateriæ ex permutatione cum ſuperiori.

XXVI. Franciſcus II. Chaſteigner, Johannis ex Claudia de Mauleon filius, an. 1545. contulit capellaniam de la Gollanderie ad altare B. Mariæ in eccleſia de Granateria fundatam. Reperitur & annis 1547. 49. & 65. Poſtea fuit Rupiſpoſeæ dominus & eques torquatus regius, circa 1567. quo abdicaſſe legitur, obiitque v. idus Sept. 1579. ſepultus in abbatia Miſericordiæ-Dei.

XXVII. Johannes VII. Birotheau, *al.* Birocheau, in decretis baccalaureus, pro Renato Chaſteigner abbas fiduciarius 1571. 72. 73. 88. & 1590.

XXVIII. Franciſcus III. Fouquet clericus, nominatur a Rege 1590. Præerat adhuc 1614. Mortuus eſt an. 1620. ex Baluzio in notis MSS. ad Gall. Chriſt. Leginus tamen alicubi D. d'Abbin de la . . . . . * ſchedulam regiam obtinuiſſe die 1. Oct. an. 1595. pro abbatiis Granateriæ, Prulliaci, Miſericordiæ-Dei, S. Petri de Bello-loco, Ageduni, ac Nantolii.

* de la Rochepoſay.

XXIX. Aimericus Jamet presbyter diœceſis Pictav. Franciſco Fouquet ſucceſſit; & quidem jam an. 1612. ex Baluzio in notis MSS. ad Gall. Chr. Bullas tamen haud obtinuit niſi an. 1618. pontificatus Pauli V. decimo quarto.

XXX. Ludovicus I. Chaſteigner, nepos Henrici-Ludovici Chaſteigner de la Rochepozay Pictavienſis epiſcopi, Aimerico ſedente, abbatiam de Granateria obtinuit calendis Dec. 1624. Obiit 1637. ſimul etiam abbas Belli-portus, Prulliaci & Miſericordiæ-Dei, necnon Ageduni, ſecundum Sammarthanos in ſerie abbatum Belli-portus; in quarum abbatiarum regimine fratri ſucceſſiſſe dicitur Annas Chaſteigner.

XXXI. Carolus, *al.* Annas Chaſteigner Regi ab eleemoſynis, abbas Granateriæ, Belli-portus ac Miſericordiæ-Dei an. 1673. Obiiſſe dicitur an. 1679.

XXXII. Ludovicus II. de la Fayette natus in Pictonibus an. 1658. prior Godeti in diœc. Anic. abbas etiam Vadi-montis in diœc. Rotomag. & Dalonenſis, Granateriam obtinet a pluribus annis.

Digitized by Google

INSULA-CALVETI.

l'Iſle-Chauvet.

INSULA-CALVETI, Herenſi * vicina, Oceani quondam inſula, nunc mediis in paludibus ſita, intra fines parochiæ S. Stephani de Boſco-cœnato, vulgo *du Bois de Cené*, Luciono ſeptemdecim leucis, Namnetis novem, Bellum-viſum * inter & Machecolium, diœceſis Lucionenſis, olim Pictavienſis: ſub regula S. Benedicti, & patrocinio B. Virginis in cœlos aſſumtæ monaſterium eſt, cujus fundatores Abſiæ monachi dicuntur, præcipui vero benefactores domini de la Garnache; quodque Andreas Quercetanus, in hiſtoria domus de Chaſteigner fol. 2. erectum fuiſſe anno circiter 1130. opinatur.

* Noirmoutier.

* Beauvoir ſur mer & Machecou.

Funeſtum paſſa eſt incendium Inſula-Calveti an. 1588. ex quo regularis obſervantiæ funeſtius experta eſt diſpendium. Tandem vero monaſterium inſtaurarunt reverendi patres Camaldulenſes, illuc introducti ab Henrico de Maupas abbate, die 20. Januarii 1680. pium opus maxime promovente piiſſimo præſule Lucionenſi Henrico de Barillon, atque aſſentiente D. Vincentio Marſolle congregationis S. Mauri præpoſito generali.

ABBATUM SERIES.

I. PETRUS I. abbas Inſulæ-Calveti, teſtis eſt in confirmatione eleemoſynarum Giraudi de Tellio, facta Rainerio Abſiæ abbati a Calone epiſcopo Pictavienſi an. 1156. ind. III.

II. Conſtantinus Petro ſucceſſit.

III. Bruni 1187.

IV. Guillelmus 1427.

V. Alanus Loret archidiaconus Lucionenſis & abbas regularis Inſulæ-Calveti 1468.

VI. Petrus II. de Layre 1509. & 1524.

VII. Claudius du Puy-du-Fou abbas commendatarius 1561. & 1569.

VIII. Nicolaus Girard 1577. Erat etiam titularis domus eleemoſynariæ B. Mariæ de Mauritania an. 1588. ex charta S. Petri *de Mortagne*.

IX Philippus Audiger abbas regularis 1622.

X. Alfonſus Ludovicus du Pleſſis de Richelieu cardinalis Lugdunenſis anno 1633. campanam conflari juſſit cum hac inſcriptione: *Sancte Benedicte ora pro nobis*. Reperitur adhuc an. 1643.

XI. Henricus de Maupas du Tour epiſcopus Anicienſis & poſtea Ebroicenſis, necnon abbas S. Dionyſii Remenſis, poſt Alfonſum obtinuit abbatiam Inſulæ-Calveti, ad quam inhabitandam reverendos patres Camaldulenſes admiſit die 26. Junii an. 1679. Et hi quidem beneficii memores, ejus obitus diem anniverſarium recolunt. Deceſſit an. 1681. *

*al. 1680.

XII. Gaſpar Alexander de Coligny, Henrici nepos, *al.* pronepos, ejuſdem ceſſione facta in manibus Regis, utramque abbatiam Inſulæ-Calveti & S. Dionyſii Remenſis obtinuiſſe dicitur an. 1680.* menſe Octobri, ac Inſulæ-Calveti poſſeſſionem accepiſſe an. 1684. tandemque abjeciſſe clericatum ut genti ſuæ ſemen ſuſcitaret.

*al. 1681.

XIII. Leo d'Illiers d'Entrague nominatur abbas die 2. Januarii 1687. Ceſſit anno 1693.

XIV. Jacobus de Candeau presbyter diœceſis Latcurrenſis, deſignatus eſt abbas 31. Maii 1693. Obiit menſe Martio anni 1707. abbas etiam Bonifontis ord. Ciſterc. diœceſis Convenenſis.

XV. Carolus Amabilis d'Aynac de Turenne doctor Sorbonicus & vicarius generalis epiſcopi Lucionenſis, renuntiatur abbas die 23. * Aprilis an. 1707.

* *al.* 24 in feſto Paſchæ.

BROGLIUM-HERBALDI.

Breüil-Herbaud.

BROGLIUM-HERBALDI ſeu Brolium Arbaudi, quod idem eſt ac fundus ſeu alodus Herbaldi, ſub titulo Aſſumtionis B. M. Virginis, ordinis S. Benedicti, jacet in abſconſa ſolitudine inter ſilvas, una leuca ab oppido de Pulluau, Namnetis ſeptem, Luciono duodecim. Nunc ibi nullus degit monachus.

ABBATES.

I. GIRARDUS teſtis in commutatione facta inter Fulcherium Orbiſterii abbatem & Petronillam abbatiſſam Fontis-ebraldi, ſub Guillelmo Pictavienſi epiſcopo, & Gaufrido Carnotenſi ſedis apoſtolicæ legato, circa 1130.

II. Guillelmus an. 1271. ex charta B. Mariæ de Fontenellis.

III. Ludovicus Moreau ſimul abbas Orbiſterii, mortuus an. 1670.

IV. Gilbertus de Clerambaut epiſc. Pictavienſis Ludovico ſucceſſit anno 1670. mortem oppetiit 3. Januarii 1680. Erat etiam abbas Loci-Dei in Jardo.

V. Jacobus Nicolaus Beiſſier, filius Jacobi Regis chirurgi peritiſſimi, eques commendator S. Jacobi du Lys ordinis S. Lazari & montis Carmeli, nominatur ad abbatiam Brolii-Herbaldi an. 1680. menſe Maio; cujus eccleſiam, ædeſque abbatiales reſtauravit, diſtracta bona recuperavit, atque in dies ipſius utilitati non impigram operam impendit, ſimul abbas S. Clementis Mettenſis.

FONTENELLÆ.

Fontenelles

BMARIA DE FONTENELLIS, diœceſis olim Pictavienſis, modo Lucionenſis, conditur in ſilva Rochæ an. 1210. una leuca a Rocha ſuper Oyonem, *Roche-ſur-Yon*, Luciono ſeptem, quatuordecim Rupella, Namnetis duodecim, a Guillelmo de Malo-leone Talemundi toparcha & ejus conjuge Beatrice, domina Machecolii, Lucioni & Rochæ ſuper Oyonem, poſtea uxore Aimerici de Thoarcio; qui quidem Guillelmus, Beatrix, & Johanna de Thoarcio eorum filia, ſub inſigni monumento in baſilica humati ſunt. Vide tabulas fundationis inter inſtrumenta. Porro hanc abbatiam primum exſtitiſſe monachorum ord. S. Benedicti, docent præfatæ Beatricis litteræ an. 1225. quibus exortam ſuper ipſamet abbatia de Fontenellis controverſiam inter abbates Majoris-monaſterii Turon. & Fontenellarum componit. Paulo poſt tamen amplectitur inſtitutum canonicorum Regularium de Cancellata, qui tandem noſtris temporibus congregationi Gallicanæ ſe ſubmiſerunt.

C. XIV. & XV. col. 419. & 420. *Epiſtolar.*

Carolus autem comes Valeſii, Alenconienſis, Carnotenſis, Andegav. & dynaſta Rochæ ſuper Oyonem, privilegia a Beatrice conceſſa in territorio ſuo de Rocha ſuper Oyonem, confirmavit an. 1317. Idem fecere Johannes dux Norman. comes Andeg. & Cenoman. dominus de Rocha ſuper Oyonem, an. 1349. N. toparcha de Cliſſon comes ſtabuli Franciæ, dominus de Rocha 1384. regina Siciliæ & Jeruſalem die 16. Nov. 1388. comitiſſa de Penthievre, vicecomitiſſa Lemovic. domina de Cliſſon & Rochæ ſuper Oyonem anno 1410. denique Renatus rex Jeruſalem & Siciliæ, dux Andegav. & Lotharingiæ, &c. eadem privilegia comprobavit, eo pacto ut canonici de Fontenellis anniverſarias preces & oblationem pro ipſo celebrarent. *Datum in Aquenſi ſua civitate die VII. Junii an. M. CCCC. XLVIII.* Conſecratio eccleſiæ ſic commemoratur in brevi membrana: *In nomine S. Trinitatis & in honore B. Virginis & omnium ſanctorum, Johannes de Melun Dei gratia Pictavienſis epiſcopus conſecravit majus altare eccleſiæ B. M. de Fontenellis ordinis de Cancellata. & hoc factum fuit V. idus Martii, quod eſt in vigilia B. Gregorii papæ, an. Inc. Verbi M. CC. XLVIII. & antea M. CC. XL. in feſto omnium ſanctorum, circa tertiam intravimus primitus dictam eccleſiam & locum, & venimus de illo parvo loco, in quo fratres primitus permanſerunt.*

SERIES ABBATUM.

I. STEPHANUS I. abbas de Fontenellis 1213. 1215. & 1216. quo anno ſubſcribit litteris Aimerici de Thoarcio, B. Mariæ Fontenellenſi exartum * de Pelliconneria concedentis. Migravit a ſeculo XIV. cal. Decemb. ut diſcitur ex necrologio in quo legitur: *Obiit dompnus Stephanus primus abbas Fontenellenſis an. M. CC. XVII.*

* un eſſart, un lieu defriché.

II. Emenius præfuit 1217. ex charta Savarici domini de Malo-leone; 1218. v. idus Junii ex donatione Guillelmi Merula militis, facta cum aſſenſu Guillelmi Orri domini de Bello-loco; 1220. ex tabula Guillelmi de Vergana militis nonnulla dantis, audientibus Petro priore, Helia cellerario, &c. Denique annis 1227. ex conceſſione Aimerici de Albiniaco militis; & 1231. ex teſtamento Petri Girardi capellani de Olona & de ſancta Flavia. Ejus obitus notatur in necrologio V. idus Octobris, his verbis: *Obiit dompnus Emes abbas quondam de Fontenellis & de Cancellata.*

III. Petrus I. 1242. de quo ſic legitur in libro capituli: *IV. * nonas Maii obiit dompnus Petrus ſecundus abbas de Fontenellis.* Conſtat nihilominus ex inſtrumentis laudatis Emenium rexiſſe abbatiam Fontenellenſem; quia vero hinc tranſmigravit ad Cancellatam, ideo fortaſſe in ſerie abbatum Fontenell. non collocatur.

* al. 11.

IV. Petrus II. ex Sammarthanis.

V. Stephanus II. nominatur in charta Beatricis dominæ de Rocha, menſe Julio 1235. confirmata apud Rocham ſuper Oyonem; quo anno teſtamentum condidit menſe Aug. die Veneris poſt Aſſumtionem B. Mariæ, electa ſua apud Fontenellas ſepultura; en ipſius chartæ fragmentum: *Univerſis Chriſti fidelibus præſentem chartulam inſpecturis Beatrix domina de Rocha, ſalutem in Domino. Noveritis, quod cum olim in foreſta mea Rochæ quandam fundaverim abbatiam, videlicet abbatiam de Fontenellis, ordinis Cancellatæ, eiſdem abbatiæ & fratribus ibidem Deo ſervientibus partem ejuſdem foreſtæ meæ dedi, ſecundum metas crucium & foſſarum ibi poſitas & ſtatutas, & in parte reſidua foreſtæ ipſius eis conceſſi nemus ad domos proprias, ubicumque opus fuerit conſtruendas & reficiendas, & ad caleſagium, & ad omnes uſus ipſorum. Dedi etiam eiſdem paſturagium in eadem foreſta, ad opus omnium animalium & pecudum ſuarum, & paſnagium porcorum ſuorum. Præterea dedi eis minagium Rochæ & quidquid juris & dominii habebam, tam in nundinis quam mercatis, & in platea in qua plebs convenit ad mercatum,* &c. *Actum apud Rocham ſuper Oyum an. Dom. M. CC. XXXV. menſe Julio.* Vivebat adhuc idem Stephanus 1247. cujus obitus dies ita notatur in necrol. *V. idus Decembris obiit dominus Stephanus tertius abbas de Fontenellis.* Sub eo vel ſequenti, Mauricius de Bella-villa dominus de Rocha ſuper Oyonem & de Luciono, & Johanna uxor ejus, filia & heres Aimerici de Thoarcio & Beatricis prænominatæ, plura conceſſerunt eidem monaſterio de Fontenellis anno Domini 1252. menſe Julio. Eadem quoque Johanna in extremis poſita, fundavit duas capellanias in eccleſia de Fontenellis, die Lunæ ante feſtum S. Gervaſii, an. Dom. M. CC. LVIII.

VI. Aimericus, de quo ita necrologium: *VIII. cal. Decemb. obiit frater Aimericus quartus abbas de Fontenellis.*

VII. Helias I. ibidem ad V. cal. Dec. dicitur *quintus abbas de Fontenellis.*

VIII. Guillelmus abbas una cum fratre Giraldo de Nogareto priore de Fontenellis, obtinuit privilegium a Philippo Francorum rege, datum apud Perpignianum an. 1285. Fœdus iniit cum Durando abbate Loci-Dei in Jardo, an. 1290. Obitus ejus conſignatur in necrol. ad XIX. calend. Jan. anni 1294. diciturque ſextus abbas.

IX. Geraldus I. de Nogareto 1295. ex priore factus abbas, hoc ipſo anno tranſegit cum Johanne abbate Talemundi; & 1305. indict. III. die 6. Junii, ſede Romana vacante, cum abbate de Cancellata Bernardo, pro abbatia de Fontenellis ſubjicienda abbatiæ de Cancellata, de conſenſu fratrum utriuſque monaſterii. Fato conceſſit pridie nonas Januarii.

X. Helias II. de Suyrac pedum obtinebat 1310. 1312. 1313. & 1320. die Mercurii poſt Nativitatem B. Mariæ. Ejus obitus notatur in necrol. VI. * cal. Febr.

* al. 1.

XI. Geraldus II. Guerrea ſedebat annis 1328. 29. & 30. inſcribitur necrol. III. nonas Martii.

XII. Petrus III. Bontin 1354. 57. & 64.

XIII. Iterius 1365. & 1366. quo anno, de conſenſu abbatis Cancellatæ, multa præclare conſtituit pro victu fratrum & veſtiario, in capitulo apud Fontenellas celebrato 25. Maii die Lunæ poſt feſtum Pentecoſtes ind. IV. Urbani papæ V. anno quarto, ubi & numerus canonicorum ad tredecim determinatur. Præerat adhuc an. 1367.

XIV. Helias III. Foucher 1368. Ejus obitus A notatur in necrologio, VI. cal. Octob. at perperam dicitur decimus abbas de Fontenellis ; idque probat quantum aberret hoc necrologium in signando abbatum numero & ordine.

XV. Geraldus III. 1372. Obiit ex necrol. seu libro capituli, idibus Martii.

XVI. Jacobus Olivier creatur abbas an. 1374. ut patet ex apocha solutorum jurium apostolicæ cameræ. Reperitur in multis instrumentis ab anno 1375. ad 1391. In quibusdam autem Gallice exaratis nuncupatur, *frere Jasmes Olivier*. Obiit XV. cal. Decemb. 1391.

XVII. Johannes I. de Marennes erat canonicus B Fontenellensis an. 1370. abbas vero memoratur in pluribus documentis ab anno 1392. ad 1412. quo diem clausit extremum nonis Maii, *al.* Martii.

XVIII. Johannes II. Regnon ex procuratore factus abbas, vivere desiit VIII. cal. Junii 1440.

XIX. Johannes III. Pourtreau, *al.* Penetreau, ex procuratore, seu œconomo monasterii, munus abbatiale promeritus, decessit VII. cal. Julii 1443.

XX. Andreas de Saligné spiritum exhalavit XII. cal. Decemb. 1451.

XXI. Johannes IV. Achalle curam cœnobii suscepit anno 1452. Mortuus est pridie nonas Decemb. 1466. C

XXII. Petrus IV. Billé post unum annum regiminis, abdicavit pro prioratu de Bello-loco super Marolium.

XXIII. Michael Chesse exeunte anno 1466. abbatiam obtinuit ex permutatione. Abbati de Cancellata negavit obedientiam, appellaviteque ad Sixtum IV. papam die 9. Maii 1478. ind. XII. Fatis concessit III. nonas Junii 1487.

XXIV. Ludovicus Hudo, *al.* Tindo, licentiatus in decretis, primus abbas commendatarius per annos circiter 43. Postea cessit in manibus Papæ in gratiam sequentis sui consobrini.

XXV. Petrus V. de Barro possessionem adeptus est die 28. Decembris 1528. per procuratorem Petrum Marchant archidiaconum Lucionensem. Pronepoti suo abbatiam transcripsit anno 1561. D

XXVI. Ludovicus II. de Barro, Ludovici dynastæ de la Ferbendiere filius, eodem anno 1561. decessit 13. Jan. sepultus in ecclesia du Lingeau.

XXVII. Johannes V. de Barro superioris nepos, ex cujus cessione abbas constitutus est a summo pontifice ; at nusquam sedit pacifice ; hæretici enim occupatum monasterium flammis absumserunt, præter claustrum & colloquendi locum ; navim ecclesiæ solo æquarunt, canonicosque neci dederunt. Obiit Johannes die 22. August. 1593. simul decanus Lucionensis. E

XXVIII. N. de Machecoul dominus de S. Estienne eodem anno renuntiatur abbas a rege christianissimo Henrico magno.

XXIX. Johannes VI. Pidoux nominatus est abbas anno 1617. at minime possessionem adiit, obstante hæreticorum furore. Dormitorium nihilominus refecit ; quod cum iterum ab iisdem concrematum fuisset, hos ipsos ad illud resarciendum coegit an. 1626. Ejus effigies in presbyterio cernitur.

XXX. Petrus VI. de Broc de S. Mars de la Pile, cleri Gallicani procurator, ac deinde præsul Altissiodorensis, permutavit cum sequenti, pro abbatia omnium SS. urbis Andegavensis anno 1654. vel 1655. Obiit die 6. Julii 1671. abbas etiam de Ressonio ord. Præm.

XXXI. Ludovicus III. de la Cour ex permutatione cum præcedenti.

XXXII. N. de Bauge Andegavensis, postea uxorem duxit.

XXXIII. Gabriel des Nouhes de Beaumont, cantor ecclesiæ Lucionensis & vicarius generalis episcopi, abbatiam a puero consecutus est, quam an. 1675. canonicis Regularibus Gallicanæ congregationis reformandam commisit. Vivit adhuc grandævus hoc an. 1719.

B. MARIA DE ANGLA.

Angles, *al.* de Angelis.

ABbatia B. M. de Angla ordin. S. Augustini, sub titulo Nostræ Dom. Angelorum, distat Luciono leucis quatuor, Talemundo totidem. Nulli sunt ibi canonici Regulares, solus parochus regit ecclesiam ; imo nullum ibi monasterium, cujus omnia instrumenta sunt penes nobilem virum Johannem Pharamundum de S.te Hermine abbatem commendatarium, cujus stemma gentilitium in ecclesia visitur. Est etiam prior S. Stephani d'Ars.

Florebat autem hæc abbatia anno 1409. quo ipsius abbas Johannes recensetur inter abbates qui procuratores cum plena potestate miserunt ad concilium Pisanum hoc anno congregatum. Anno 1559. Franciscus de Livenes abbas B. Mariæ de Angla per procuratorem adfuit comitiis apud Augustoritum Pictonum habitis die 16. Octobris, pro redigendis consuetudinibus. Erat simul abbas S. Eparchii, ubi de eo loquens perperam dixi cum fuisse abbatem S. Crucis de Angla.

BROLIUM-GROLANDI.

Bois-Grolandi.

BRolium seu Boscum Grolandi B. M. filia Moroliarum e linea Claræ-vallis, ordinis Cisterc. cui addictum est sedente Mauricio Pictavorum antistite, hoc est circa 1200. antea erat regulæ subditum Benedictinæ. Situm vero est in parochia S. Eutropii de Perusio * in inferiori Pictonum provincia, medium inter silvas & sabulosa loca, aut myricis & dumetis obsita, sex leucis ab urbe Luciono, Namnetis sexdecim, undecim Rupella, una Talemundo & tribus ab oppido *des Sables*. Fundatorem agnoscit Aimericum de Bulio dominum de Perusio an. 1109. ut patet ex charta fundationis inter instrumenta. Unde etiam liquet, (clarius tamen ex bulla Lucii II. papæ anno 1143. cœnobio de Moroliis data), locum in quo primordia fuerunt monasterii, pertinuisse prius ad abbatiam de Moroliis, concessione dynastarum de Perusio. Benefactores præcipui commemorantur Petrus & Aimericus de Bulio liberi Aimerici, Guillelmus de Cantu-merula miles, & Maxentia de Bulio uxor præfati Petri, Odo Meschini, Raimundus de Verto, Simon Ricardi, Galterius Chabot & uxor ejus Valentia, Guillelmus de

* Poyroux.

C. XVI. col. 411.

Digitized by Google

Aſpero-monte toparcha de Peruſio, & uxor ejus Hermengardis, Euſtachia uxor Eblonis de Malo-Icone, Philippa Pictavienſis comitiſſa, & alii multi nobiles. Dedicatio eccleſiæ celebratur quotannis 16. Decembris. Porro eccleſiam uti & monaſterium novo & eleganti opere conſtruxerunt Ciſtercienſes ſtrictioris obſervantiæ monachi, quos illuc induxit Dominicus Robin ex priore S. Martini de Vertano congregationis S. Mauri, prior ac reſtaurator Brolii-Grolandi.

Series abbatum.

I. Petrus Pilati 1109. in charta fundationis. Memoratur præſens in litteris Willelmi vicecomitis Toarcenſis, Arvei de Marolio, & Giſleberti de Volvire, quibus ipſi concedunt monachis Brolii-Grolandi omne quod habebant in capite Peirati-Curſonii: *Hoc donum factum eſt apud Marol in clauſtro monachorum, in præſentia domp-*
* Guillel. Gilleiserti an. 1123. *ni Giſleberti * Pictav. epiſcopi, & magiſtri Arnaudi archidiaconi, & magiſtri Meſchini abbatis Moroliæ, & P. Pilati abbatis B. G. teſtibus Auberto decano de Marol, & Petro decano Talemundi, & Petro Audeberto presbytero de Leyras, & Tancredo de Antiochia, & Tancredo de Rocha presbyteris de Curſone, & Pagano Chapone & pluribus aliis.*

II. Giraudus vel Geraudus emit a Vitali de Calma locum in quo domicilium monachorum Brolii ædificatur. Is eſt procul dubio G. qui Guillelmo cardinali tituli S. Petri ad Vincula ſequeſtro, ſedis apoſtolicæ legato, concordiam iniit cum W. priore monaſterii de Manſeit, *al.* Maffrit, Nigro-monaſterio ſubjacentis, ſuper eccleſia & decima terræ de Landetem in parochia S. Martini de Givrio: cujus rei teſtes fuerunt L. epiſc. Pictav. A. Briocenſis archidiaconus, D. abbas Moroliæ, H. abbas Novi-monaſterii, R. abbas Nobiliacenſis, circa an. 1161. vide in Orbiſterio.

C. xvi. col. 422. III. Andreas in charta domeſtica, quam inter inſtrumenta retulimus.

IV. Aimericus excipit donum Guillelmi de Mota, ſcilicet unius domus apud Talemundum; ſedebat autem Johannis Pictav. epiſcopi tempore.

V. Benedictus I. 1180. & 1189. cui Aimericus de Bulio, pro animabus parentum conceſſit quaſdam poſſeſſiones, poſt cujus Aimerici tranſitum idem confirmatur a Willelmo de Cantumerula milite.

VI. Rotbertus ſedente Mauricio Pictavienſi præſule monaſterium adminiſtrabat. Recenſetur in charta Willelmi de Malo-Icone, abbatiæ Brolii, pro ſalute fratris Radulfi, Johannem Bigotum cum heredibus liberum ab omni ſervitio concedentis, anno mortis Radulfi 1199. adhuc vivente Benedicto anteceſſore. Sub ejuſdem regimine abbatia Brolii ad ordinem Ciſtercienſem converſa eſt, ut liquet ex fragmento documenti, eo tenore: ..... *fundaſſet ut ibi monachi albi in communi uſu aliorum ſub regula beati Benedicti viverent, quod ego W. de Cantamerle, & Maexens uxor mea filia Petri de Bolio, qui fuit filius dicti Aimerici, temporibus noſtris multum laboravimus ad hoc ut præfata abbatia ad ordinem Ciſtercienſem converteretur; unde factum fuit ut Deo inſpirante quod frater Robertus illius loci tunc temporis abbas cum monachis ibi degentibus in manu Mauricii Pict. epiſcopi ord. Ciſterc. ſe ſubdiderunt & tradiderunt: quorum voluntatem ego & Maexens uxor mea attendentes, & animabus noſtris in futurum providentes, dedimus pro redemptione animarum noſtrarum & parentum noſtrorum, ad ſuſtentationem degentium in prænominata abbatia, terram de Lamenborgeren*, &c. (hîc ſubjiciuntur alia prædia.) *Hujus rei teſtes ſunt Oſtenſius abbas Moroliæ, magiſter Landricus, & W. Barbotins ſacerdos, & magiſter Aimericus de Malo-leporario*, &c.

VII. Petrus II. an. 1206. componit cum M. abbate & conventu Orbiſterii pro mareſio de Roſſe, arbitris viris pacificis J. Triſagii & O. Moroliæ abbatibus. Idem paciſcitur cum Andrea abbate Loci-Dei in Jardo ſuper molendinis de Monte-Gaufridi an. 1208. epacta XII. concurrente 2. ind. XII. teſtibus Willelmo abbate S. Crucis Talemund. Josberto de Trizaio, Ramnulfo eleemoſynario S. Crucis, & Oſtenſio abbate Moroliæ.

VIII. Guillelmus I. 1210. 1215. & 1217. quo anno Willelmus de Aſpero-monte & Ermengardis uxor ejus donum faciunt eccleſiæ de Brolio-Grolandi, ut duo cerei ſemper ardeant ad miſſas, alter ad aram ubi cantatur miſſa de S. M. alter ad altare ubi cantatur miſſa pro defunctis. Idem abbas anno 1218. præſens memoratur in donatione Savarici de Malo-Icone domini Talemundi, cum eſſet apud Curſonium, in procinctu itineris ad terram ſanctam, audientibus Willelmo de Aſpero-monte dynaſta de Peruſio, Willelmo de S. Flavia & aliis militibus. An. 1221. Petrus de Luciono miles dedit Willelmo abbati quædam mareſia apud Campaniacum; quo etiam anno Aimericus vicecomes de Thoarcio ſuum in eccleſia B. M. de Brolio-Grolandi anniverſarium fundavit. Præfatus quoque W. de Aſpero-monte dominus de Peruſio conciliavit W. abbatem & conventum Brolii-Grolandi R. de Peirata abbati & conventui de Talemundo, qui litigabant pro decimatione vinearum S. Eutropii de Peirufio, præſente & aſſentiente Rogerio abbate Moroliæ. *Actum apud S. Hylarium prope Talemundum, an. M. CC. XXVIII. in feſto Conceptionis B. M. ſemper Virginis.* Reperitur adhuc Guillelmus abbas in charta S. Leonardi de Calmis anno 1224. & in tabulis B. M. de Fontenellis 1227. & 1231. imo præerat anno 1243. ex Sammarthanis.

IX. Mauricius 1249. ex chart. Fontenellenſi.

X. Benedictus II. pepigit anno 1265. cum Willelmo abbate Granateriæ.

XI. Guillelmus II. 1290. ex inſtrumento B. M. de Fontenellis.

XII. Petrus III. 1327. teſtis in donatione Aimerici de Albiniaco militis facta monaſterio B. M. de Fontenellis.

XIII. Ludovicus 1385.

XIV. Mauricius II. Bricet 1461.

XV. Martinus 1491.

XVI. Johannes Barbarin 1513.

XVII. Franciſcus Richellet 1539.

XVIII. Renatus Pidoux ſenator in ſuprema cu-

ria Pariſienſi, reperitur abbas B. M. de Brolio-Grolandi 1540. & de Valentia 1595. & 1597.

XIX. Petrus IV. de Bertrie abbas Brölii-Grol. & *de Belleval.* Hanc utramque abbatiam dimiſiſſe in manibus Regis 15. Aprilis 1657. legitur.

XX. Johannes II. de Lingendes epiſc. Matiſconenſis, regia nominatione ſit abbas Brolii-Grol. 9. Junii 1657. * ſedebat adhuc 1663.

* Falſa igitur ſcheda quæ jam an. 1650. abbatem Johannem de Lingende exhibet.

XXI. Jacobus de Gravelle, Regi a conſiliis & ipſius nomine reſidens apud electorem Moguntinum 1669. necnon in Germania legatus extraordinarius 1676.

XXII. N. le Gris, eccleſiæ Senonenſis theſaurarius & capellanus oratorii regii Verſalienſis, abbas erat Brolii-Grol. 1679. Obiit 1703.

XXIII. Franciſcus Boutart eques ord. Montis-Carmeli & S. Lazari, ſodalis emeritus in academia regia inſcriptionum ac numiſmatum, abbas Brolii-Grol. renuntiatur 26. Maii 1703. Præſt adhuc 1719.

N. Dame la Blanche.

INSULA-DEI, ſeu B. M. DE ALBA.

HÆc abbatia ſita in inſula Hero vulgo *Noirmouſtier*, variis nominibus nuncupata fuit. Vocatur enim B. Maria de Pilliario, Inſula-Dei, & B. Maria de Alba, quod nomen nunc maxime eſt in uſu, quia monachorum alborum, hoc eſt Ciſtercienſium cœnobium eſt, filia Buzæi ſub Clara-valle, fundatum inquiunt an. 1172. Excidit primariæ fundationis inſtrumentum, cujus loco hîc alterius fundationis & dotationis chartam viſum eſt ſubjicere:

*Ego Petrus de Gaſnapia hæres & dominus Gaſnapiæ, notum facio omnibus præſentem cartam inſpecturis, quod ego Deo & abbatiæ Inſulæ-Dei Ciſterc. ord. quam in inſula de Pilliers primo fundatam, propter difficultatem loci, in Hero inſula Divina inſpirante gratia tranſtuli, & ibidem in honore Domini noſtri Jeſu-Chriſti, & B. Mariæ ſemper virginis genitricis ejuſdem, & omnium ſanctorum, pro ſalute animæ meæ, & parentum meorum in perpetuum fundavi, dono & concedo tantum de nemore meo in quo ſita eſt, quantum durat a capella B. Mariæ Magdalenes dicto nemori praxia * uſque in finem dicti nemoris inferius, cum tota riparia maris ſibi contigua, & cum dicta inſula de Pilliers habendum in perpetuum & tenendum. Dono iterum & concedo dictæ abbatiæ in perpetuum totum uſuagium plenarium habendum & capiendum libere & expedite per totam foreſtam meam de Gaſnapia, ad ædificia ſua, & omnia alia ſibi neceſſaria faciendum, ſine dare vel vendere aliquid de ipſa foreſta. Dono iterum & concedo dictæ abbatiæ unam birotocam brandæ ſive brueriæ ad uſum furni ſui ſingulis ſeptimanis capiendam in perpetuum & habendam in deſertis ſive landis Hero inſulæ, in quibus branda ſeu brueria ad uſum furnorum caſtri Hero inſulæ capietur: dono iterum & concedo dictæ abbatiæ in perpetuum totum clodicium meum de Barbaſtre, & totum clodicium meum de Hero inſula, quod vocatur clodicium dominæ Geloſæ; & terras quæ dicuntur, les Iſlées, dicto clodicio proximas, necnon & totas retractas maris dictis clodiciis & terris contiguas, prout longe lateque durare videntur. In montibus vero dono & concedo dictæ abbatiæ in perpetuum totas retractas de la Beſſe, ſecus Oroeſt ſitas. Dono iterum & concedo dictæ abbatiæ in inſula de Oys viginti modios vini puri, quod primo trahetur de cuvis meis in tempore vindemiarum annis ſingulis capiendos, necnon & quindecim libras annui redditus ſuper terras de foreſta ejuſdem inſulæ ad culturam redactas in perpetuum aſſignatas, & molendinum ad ventum habendum in perpetuum in eadem inſula & tenendum. Dono iterum & concedo dictæ abbatiæ quadraginta libras annui redditus in terra mea acquirendas. Dono iterum & concedo dictæ abbatiæ in perpetuum de hominibus meis in Hero inſula Guill. Haymet, David Belcaine, Guill. Pinchon, & Aimericum Pinchon fratrem ejus, in Belvearia, Petrum Bechet & Oet, & Johannem de Macheco generum ejus, Gaufridum Lomieres, Petrum Lomieres & Laurentium Lomieres fratrem ejus. In Gaſnapia Margaritam & R. Mimet, in Oys Petrum Alay & hæredes omnium ſupradictorum cum omnibus tenenciis ſuis per totam terram meam ab omnibus conſtumiis & ſervitiis omnimodis mihi debitis liberos in perpetuum & immunes. Volo iterum & concedo dictæ abbatiæ in perpetuum, plenarium poſſe recipiendi in ſuos homines, quoſcumque alienigenas ad terram meam venturos, & ipſos ſub ſuo dominio & protectione habere ab omnibus conſtumiis & ſervitiis omnibus mihi debitis in tota terra mea omnino liberos & immunes. Dono iterum & concedo dictæ abbatiæ in perpetuum quidquid fratres dictæ abbatiæ aut homines ſui in toto mari ad dominium meum pertinente piſcari poterunt aut forſitan invenire. Dono iterum & concedo Deo & beatæ Mariæ & omnibus ſanctis & abbatiæ ſupradictæ habendum in perpetuum & tenendum quodcumque jus atque dominium habeo & habere poſſum & debeo in rebus prænominatis dictæ abbatiæ a me donatis, ut ſupra dictum eſt, & conceſſis. Præterea dono iterum & confirmo dictæ abbatiæ feodum quem nobilis domina Agnes mater mea cum una domo in Hero inſula & motonagio ſuo de Boing eidem abbatiæ in perpetuum donavit miſericorditer & conceſſit. Dono iterum & concedo dictæ abbatiæ in perpetuum & confirmo 40. ſolidos annui redditus ſuper burgeſiam Berengarii militis, & 3. ſolidos annui redditus ſuper burgeſiam Petri Gand & Hayrois uxoris ſuæ, & 10. ſolidos annui redditus ſuper burgeſiam Horoſæ quondam filiæ Pagani Oculi-Lupi, & 10. ſolidos annui redditus ſuper burgeſiam Moranti molendinarii quos nobilis vir Guill. de Cantamerula & nobilis domina Maxendis uxor ejus cum omni alio jure quod in dictis burgeſiis habebant, eidem abbatiæ donatione perpetua miſericorditer conceſſerunt. Dono iterum & concedo & confirmo in perpetuum dictæ abbatiæ quidquid juris & dominii domina Thoranda habebat in Campo-petroſo & maſura & teneura Heudonis Heureuxe, & rebus aliis in Hero inſula ſitis, quod dicta Thoranda donavit dictæ abbatiæ in perpetuam eleemoſynam & conceſſit. Dono iterum & concedo dictæ abbatiæ in perpetuum & confirmo burgeſiam Buchardi militis in belvearia ſitam quam Gaufridus Bertaut miles & Bucharda uxor ejus quondam filia dicti Buchardi dictæ abbatiæ in perpetuum*

* ſ. proxima.

perpetuum donaverunt miſericorditer & conceſſerunt. Dono iterum & concedo & confirmo in perpetuum Deo & beatæ Mariæ & omnibus ſanctis & abbatiæ ſupra dictæ habendum totaliter & tenendum quodcumque jus & dominium habeo & habere poſſum & debeo in rebus omnibus prænominatis dictæ abbatiæ a ſupra dictis donatis ut ſupra dictum eſt & conceſſis, necnon & omnimodas rationabiles eleemoſynas a quibuſcumque aliis dictæ abbatiæ factas in tota terra mea, & de cætero faciendas gratas habeo in perpetuum & quidquid juris in ipſis habeo, dictæ abbatiæ dono in perpetuum & confirmo, nullam mihi inde juriſdictionem retinens, nec meis hæredibus in futuro; quia vero geſta hominum longo proceſſu temporis ab humana memoria, quæ labilis eſt, labuntur de facili, niſi ſcriptis memoriæ commendentur, ideo donationes præmiſſas præſentis chartæ memoriæ commendo, ut perennis eorum memoria habeatur, & dictæ abbatiæ eamdem chartam ſigilli mei munimine roboratam exhibeo in perpetuum veritatis teſtimonium & munimen. Actum anno ab Incarnatione Domini M. CC. V.

Has donationes litteris ſuis probavit confirmavitque Petrus de Dreux dux Britanniæ, comes Richemundiæ, idemque dominus Gaſnapiæ cum Margarita uxore ſua, anno Domini 1236.

Plures quoque memorantur inſignes hujus abbatiæ benefactores, quos inter Guill. de Malo-leone & Burcharda uxor ejus centum areas ſalinarum in eadem Hero inſula huic abbatiæ contulerunt. Petrus Joberti de Talemundo miles, & Alienordis uxor ejus dederunt eidem abbatiæ quidquid habebant in clodicio Pornichet nuncupato, quin etiam triginta ſolidos cum ſex denariis annui redditus legatos a Catharina Alienordis ſorore & Oliverii de Cache quondam uxore, eidem abbatiæ confirmarunt anno 1241.

Hugo etiam vicecomes Thoarcii dominus Gaſnapiæ, & domina Margarita uxor ejus, Barſirius de Radeſiis, Oliverius Cache miles, Haymericus item vicecomes Thoarcii heres Hugonis patrui ſui, & alii bene multi plurima conceſſerunt beneficia; quas omnes conceſſiones Alphonſus Franciæ regis filius, Pictonum Toloſatumque comes, intra ditionis ſuæ terminos eidem abbatiæ ſancita rataque eſſe voluit anno 1267.

Omnia prædictæ abbatiæ donata authoritate ſua confirmavit Gregor. IX. bulla data 6. id. Aug. an. Inc. 1235. ind. VIII. pontif. ejuſd. Greg. an. 9. quam brevitatis cauſa omittimus. In ea autem recenſentur omnia ad monaſterium pertinentia.

Series abbatum.

I. Johannes I. abbas 1213.

II. Johannes II. 1252. & 1256. quo anno menſe Aprili paciſcitur cum abbate de Buzaio, de quibuſdam ſalinis.

III. Manetier 1358 menſe Maio.

IV. Johannes III. 1364.

V. Daniel 1384. & 1398. die 24. Aprilis.

VI. Stephanus 1406. 22. Maii.

VII. Guillelmus Emorraut 1417. menſe Novembri, & 1424. 20. Martii.

VIII. Johannes IV. Henri 1429. 30. Martii.

IX. Robertus Cholet, 1441. menſe Martio, & 1452. 5. Junii.

X. Ludovicus I. 1458. 6. Mail, & 1469.

XI. Johannes V. de la Tremoille necdum e ſcholis egreſſus abbatiam primus obtinet in commendam ab anno 1474. ad 1500. poſtea Pictavienſis epiſcopus.

XII. Ludovicus II. Vairé e gremio aſſumtus eſt abbas; per electionem.

XIII. Simon Micheau ab an. 1509. ad 1513.

XIV. Mathurinus Hillereau ex priore electus abbas; brevi tempore præfuit.

XV. Johannes VI. Tudault eligitur abbas an. 1514. memoratur anno ſequenti, die 6. Dec.

XVI. Nicolaus Bacconois ſedem abbatialem nactus an. 1516. quandam fecit commutationem cum fratre Carolo de Sarcelli priore de la Lande-Beaucheſne ord. Fontebrald. cui monaſterio præerat domina Johanna de Soubize.

XVII. Ludovicus III. Cahuau ab anno ſaltem 1524. ad 1531. quo ſponte ceſſit in gratiam Johannis Cahuau, cujus penſionarius ac vicarius generalis in ſpiritualibus & temporalibus nuncupatur 17. Febr. 1532.

XVIII. Johannes VII. Cahuau Ludovico adhuc vivente in abbatem cooptatur, lupus ſub ovina pelle, de quo melius eſt ſilere quam loqui.

XIX. Renatus du Puy-du-Fou nobilis Picto, abbatiam obtinuit in commendam ab anno ſaltem 1540. ad 1553.

XX. Simon II. de Maillé archiepiſc. Turonenſis ab anno 1561. ad an. ſaltem 1564.

XXI. Mathurinus II. de la Varene an. 1573. fidem clientelarem profeſſus eſt Franciſcæ de Rohan dominæ Gaſnapiæ.

XXII. Johannes VIII. de la Vallette dominus de Caumont, cambellanus regiæ cameræ.

XXIII. Dionyſius Gohorri hominium exhibuit dominæ de Rohan an. 1574. Præerat adhuc die 3. Septemb. 1581.

XXIV. Petrus cardinalis de Gondi ab anno 1587. ad 1593.

XXV. Silvius de Pierre-vive canonicus eccleſiæ Pariſienſis & vicarius epiſcopi Pariſ. ſedit ab an. 1603. ad 1609. quo circiter tempore Dionyſius l'Argentier ſtrictiorem regulæ obſervantiam in hoc monaſterio reſtituit, illuc monachis de Precibus introductis.

XXVI. Tuſſelinus, *Touſſelin*, Silvio ſucceſſiſſe dicitur curante dom. de Beaumarchay; quo hortante hanc abbatiam, & aliam de Calma dictam tranſcripſit ſequenti.

XXVII. Ludovicus IV. de la Tremoille marchio de Noirmouſtier.

XXVIII. Jacobus Pradier Arvernenſis canonicus & presbyter, Ludovici de la Tremoille primum, ac deinde liberorum domini de Vitri inſtitutor, præerat an. 1648. Moritur anno 1669. ſepultus in eccleſia S. Cyrenæi • Billomenſis, inter chorum & altare, ubi legitur hoc epitaphium: *Hic jacet D. D. Jacobus Pradier abbas B. M. Blancæ, prior S. Philiberti, & cantor hujus inſignis eccleſiæ, in qua novendialem de pretioſo ſanguine, & miſſas de virgine Dei-para ſollenniter*

• S. Cerneuf.

Digitized by Google

dicendas fundavit, vir vere bonus & ſine dolo prudens vitam quam piſſime duxerat, pari exitu clauſit XII. Januar. M. DC. LXIX. cum paulo ante iſtum corpori tumulum præparaſſet, animum cœlo annis LXXVI. Ora pro eo.

XXIX. Joſephus de la Tremoille Noirmouſtier S. R. E. cardinalis, archiepiſcopus Cameracenſis, nunc eſt abbas Inſulæ-Dei.

Trizay.

TRISAGIUM.

TRISAGIUM vel Trizaium B. Mariæ ord. Ciſterc. e linea Pontiniaci, monaſterium conditum fertur ante an. 1124. unitum vero congregationi Ciſtercienſi anno 1145. ſub Guiſchardo abbate Pontiniacenſi. Sane ad hunc annum fundatores habuiſſe nobiles Pictavienſes Arveum de Mareüil & Gaudefridum de Tifauges, compertum habetur ex originali tabula a Johanne Beſly in hiſt. Pictavienſium epiſcoporum typis edita, quam inter inſtrumenta noſtra recudi curavimus. C. XVII. col. 422. Sita eſt autem hæc abbatia in diœceſi Lucionenſi, tribus ab urbe Luciono leucis, in abſconſa valle, ſecus fluvium Ledium, *le Lay*, in parochia beatæ Mariæ de Podio-manfredi, *Puy-manfrey*. Eccleſia denique B. Mariæ virgini in cœlos aſſumtæ nuncupatur, cujus dedicatio annua celebritate recolitur die 15. Aug. Nunc ibi ſolus degit monachus abſque monaſterio, quem abbas commendatarius modica ſuſtentat annona.

ABBATUM SERIES.

I. JOHANNES I. circa 1165.

II. Josbertus abbas de Trizay teſtis eſt in charta compoſitionis inter abbates Arnulfum de Exolduno & Simonem de Pratea anno 1201. Reperitur etiam an. 1204. in charta S. Leonardi de Calmis, 1206. & 1208. in tab. Brolii-Grol. & 1212.

III. G. abbas de Triſayo 1224. in charta S. Leonardi.

IV. Willelmus circa 1280. vide in Granateria.

V. Gabriel I. de Chaſteau-briant ex dominis des Roches-Baritault annis 1652. 54. & 55.

VI. N. Garnier ſenator in majori conſilio.

VII. Gabriel II. Philippus de Frouſlay de Teſſé epiſc. Abrincenſis, obiit menſe Maio anni 1689. Vide in S. Cruce de Angla dioec. Pictav.

VIII. Johannes II. Noüet antea canonicus eccleſiæ Aurelianenſis, nominatur abbas menſe Junio 1689. Sedebat adhuc anno 1714.

Lieu-Dieu en Jard.

LOCUS-DEI IN JARDO.

LOCUS-DEI IN JARDO, beatæ Mariæ ſacer, ordinis Præmonſtrat., haud procul ab Oceano, diſtat ſex leucis ab urbe Luciono, tribus ab oppido Arenarum, *des Sables*, eſtque in parochia de Jardo. Hujuſce abbatiæ fundamenta jecit Richardus Anglorum rex, ſeu potius de novo inſtauravit, ut liquet ex originali tabula dotationis, quam habes inter inſtrumenta. Everſa eſt autem a ſegregibus, ex cujus ruinis eccleſiam fuiſſe amplam nemo non ſuſpicatur. C. XVIII. col. 423.

SERIES ABBATUM.

I. ANDREAS 1208. ex charta Brolii-Groſandi paciſcitur cum abbate hujus monaſterii Petro, & eodem circiter tempore, cum Beatrice vidua Guillelmi de Malo-leone. Vide chartam inter inſtrumenta. C. XIX. col. 424.

II. Guillelmus 1261. ex charta B. Mariæ de Fontenellis.

III. Durantus anno 1290. in feſto SS. Petri & Pauli, concordiam fecit cum Guillelmo de Fontenellis & Guillelmo de Brolio-Grolandi abbatibus, ſequeſtro abbate S. Michaelis in Eremo.

IV. Petrus anno 1409. miſit procuratorem ad concilium Piſanum, pro exſtinctione ſchiſmatis congregatum. Memoratur & anno 1424. die ultima Novemb. & 1448. 8. Novemb. in chartis authenticis regiæ bibliothecæ; at fortaſſe Petrus eſt alter.

V. Helias 1457. ultima die Martii & 1467. 12. Julii, ex chartis authent. regiæ biblioth.

VI. Renatus 1486. ultima die Sept. ex chartis authent. regiæ biblioth.

VII. Claudius de Beſſey abbas Jardi & Maceriarum obiit 1547.

VIII. Jacobus des prez de Montpezat epiſcopus Montalban. erat abbas Jardi anno 1555. Vivere deſiit 1589. Vide in Monaſterio novo.

IX. Philibertus Babou epiſc. Engoliſmenſis & abbas de Jardo 1560.

X. Henricus de Bethune abbas Loci-Dei in Jardo, obiit archiep. Burdegal. an. 1680.

XI. Franciſcus * de Clerambaut Palluau 1654. cui ſucceſſit * *al.* Johan. Franc.

XII. Gilbertus de Clerambault, qui obiit 3. Jan. 1680. epiſc. Pictav.

XIII. Julius de Clerambaut Palluau, Gilberti nepos ex fratre, licentiatus in theologia facultatis Pariſienſis, fuit allectus quadraginta viris academiæ Franciæ an. 1695. die 23. Junii. Obiit Pariſiis die 17. Aug. anni 1714. ſimul abbas S. Taurini Ebroic. S. Savini, &c.

XIV. Johannes Talbot Stonoor epiſcopus de Theſpie & vicarius apoſtolicus.

Subjungimus ſex abbates in Annalibus MSS. ord. Præmonſtrat. qui aſſervantur in bibl. S. Johannis Ambianenſis, abſque nota temporis repertos.

Andreas, idem fortaſſe quem primum laudavimus.

Everardus.

Johannes.

Petrus.

Stephanus.

Willelmus.

Notatur vero ibidem, Renatum de Sala hujus loci canonicum, fuiſſe epiſcopum Lucionenſem poſt Jacobum du Pleſſis Richelieu.

Digitized by Google

ECCLESIA PETROCORIENSIS.

PETROCORII antiquiſſimi in Aquitania populi, hoc nomine a Cæſare indigitati, Petrogorii a Ptolemæo, Veſunnici & Petrocorii Veſunici a Sidonio dicuntur. Illorum regio fines habet, ad Ortum Lemovicenſem pagum & Cadurcenſem; ad Aquilonem, Enculiſmenſem; Agennenſem, ad Auſtrum; ad Occaſum denique, Santonenſem. Solum habet montibus, petris, & lapidibus aſperum, non infertile tamen, & fluviis ac amnibus irriguum. Urbs præcipua olim *Veſuna*, *Veſunna* & *Veſuna Petrocoriorum*, clara civitas Auguſto cognomine digna, ex veteri inſcriptione apud Gruterum; nunc *Petrocorium*, *Petrigorium*, & *Petrocora*, ad Ellam fluvium, *Lille*, in peramœna valle. Antiquiſſima eſt, &, ſi popularibus fabellis creditur, ab uno ex Noë filiis condita. Sæpius ab hoſtibus oppugnata & everſa, primæ ſuæ amplitudinis & antiqui ſplendoris vix quidquam habet reſidui, niſi quaſdam inſcriptiones, amphitheatri aliorumque veterum monumentorum rudera & reliquias, ac turrem admirandi operis, quæ ſola Veſunnæ nomen retinet. Eſt tamen Petrocoricenſis provinciæ caput, ſedeſque præſidialis curiæ ſub Burdigal. parlamento.

Ad eccleſiaſtica quod ſpectat, antiquiſſima eſt Petrocorienſis ſedes epiſcopalis, ſub metropoli Burdigal. Verum utrum a primis religionis Chriſtianæ initiis fundata fuerit, in S. Frontone dicemus. Cathedralis eccleſia in bellis civilibus diruta, cum pluribus aliis an. 1575. & peramplo epiſcopio Stephano martyri dicata erat. In ea baſilica antiqui operis & architecturæ, in dextro latere altaris majoris, inſculptæ erant Dominicæ Paſchales litterâ meliore quam ut longe infra tempora Juſtiniani deſcriptæ videantur, inquit Joſephus Scaliger lib. 8. de emendatione temporum. Collegiata baſilica S. Frontonis in urbe ſedi epiſcopali eſt unita, in eaque celebratur officium eccleſiaſticum, cathedrali S. Stephani everſa. Capituli primas tenet decanus.

EPISCOPI PETROCORIENSES.

I. S. FRONTO.

ANNI CHRISTI

PRimum Petrocoriorum antiſtitem fuiſſe S. Frontonem in confeſſo eſt apud omnes. Reliqua omnia, ætas, patria, geſta, &c. incerta ſunt; de quibus dubitandi anſam præbent 1°. altum de illo apud veteres ſilentium, prolixa vero & minutatim expenſa illius actorum apud recentiores enarratio. 2°. oppoſita ac minime convenientia, commenta, fabulæ, falſa, menda quibus ſcatent quæ de illo exſtant conſcripta monumenta, quorum ut exempla nonnulla proponam: in Lemovicenſi ſecunda ſynodo an. 1034. in qua de S. Martialis apoſtolatu actum eſt, Petrus presbyter in anteacta Lemovicenſis diœceſis ſynodo quemdam Petrogoricæ urbis clericum cum patre monaſterii Solemniacenſis altercatum fuiſſe narratur, ac dixiſſe: *Eodem modo S. Frontum poſſumus dicere apoſtolum.* Statimque repoſuiſſe abbatem: *Tace, frater, melius eſt ut fileas... ſcripturam de S. Fronto novam, cujus tu auctoritate niteris, Gauzbertus noſter edidit lucri cauſa, qui ſub hujus Lemovicæ ſedis epiſcopo Hildegario chorepiſcopus nobis exſtitit.* Nec id ſolum, ſed & omnia fere, quæ de S. Frontone circumferuntur, coram omnibus inficiatum fuiſſe, his verbis: *Qua ratione ille poteſt eſſe apoſtolus, qui indigena Petracoricenſis fuit! Profecto ſi ibi a puero pſalterium didicit, ſicut in ejus geſtis legitur, & ibi clericus eſt factus, jam ibi ſacerdotium & chriſtianitas erat, ubi ſcholæ ſcripturarum, ubi clericatus ordo erat. Legitur eum potius eremitam vixiſſe quam epiſcopum. Dicere neſcis quæ ſigna ille operatus eſt, ut Petracoricenſes converteret....Neque Frontus, neque Saturninus, neque Dionyſius leguntur mortuos ſuſcitaſſe; & utique ſine ſuſcitatione mortuorum, ſine oſtenſione ſignorum primi gentiles non potuerunt credere.....ubi autem eſt locus ubi Frontus Georgium legitur ſuſcitaſſe!..... Hoc tantum breviter perſtringam, quia nunquam uſque ad hunc hodiernum diem..... factus eſt liber in toto Orbe terrarum, qui in ordine apoſtolorum per litanias habeat ſcripta nomina Fronti, Saturnini, Dionyſii, Juliani, Auſtremonii, Urſini, neque aliorum qui poſt Martialem in Galliam venerunt patrum*, &c. Hæc porro omnia coram Arnaldo Petracoricenſi antiſtite aſſeruit, nihil in contrarium vel ipſo, vel ejus clerico muſſitante. Ex ejus itaque geſtis, alia eum exhibent ut Petrocorio oriundum, ibidemque chriſtiana religione imbutum; alia ut Judæum e tribu Juda, nobili familia fatum, ab apoſtolo Petro baptizatum, a Chriſto in 70. diſcipulorum ordinem cooptatum; Petri aſſeclam, cum eo verbi divini Romæ præconem, ab eo miſſum in Gallias cum Georgio quem a mortuis ſuſcitavit, Petrocorienſium apoſtolum innumeris miraculis illuſtrem; alia, ut Herodis ſatellitem, a Johanne præcurſore Domini in Jordane intinctum, Carmeli incolam & monachum, exinde Chriſtianum, & ad Petrocorios, quorum popularis erat, miſſum; alia eum cum Frontone Nytrienſi abbate confundunt; alia utrumque diſtinguunt. Ut ut eſt, non videtur negari poſſe primum Petrocoriorum antiſtitem fuiſſe Frontonem, qui eos ad fidem Chriſti verbo traxerit & exemplo, quique apoſtolicis laboribus, & vitæ ſanctimonia percelebris in pace tandem quieverit. At quo ſeculo floruerit, an primo, an tertio duntaxat cum aliis pleriſque Gallicanarum eccleſiarum parentibus, noſtrum non eſt hîc definire. Res eſt magna animorum contentione noſtris temporibus agitata; plurima hinc & inde conſcripta opuſcula. Inſtructa lis eſt, ſententiam ferre cuique facillimum.

ANNI CHRISTI

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

II. Anianus.

Anianum Frontonis ſucceſſorem fuiſſe fert hodierna Petrocorii traditio, breviariorum, aliorumque ejuſmodi monumentorum auctoritate fulta. De eo nihil quicquam præterea.

III. Chronopius I.

Iiſdem argumentis fulti Chronopium Aniano ſufficiunt Petragoric. de quo hæc in antiquo hujus eccleſiæ breviario leguntur: *Chronopius etiam, Elpidii & Benedictæ filius, a morte ſuſcitatus, B. Frontonis diſcipulus, ac demum in epiſcopatu ſucceſſor, cum numeroſa familia ab eo baptizatus, multorum converſionis ad fidem cauſa exſtitit.*

IV. Paternus.

Paternus mediante 4. ſeculo Petrocorienſis epiſcopus Ariana hæreſi infamis fuit. Biterrenſi ſyno-
356. do an. 356. coactæ, una cum Saturnino Arelatenſi Arianæ factionis in Galliis anteſignano, interfuiſſe creditur. In ea contra fidem catholicam nihil non tentaverunt hæretici, & veritatem Hilarii Pictavienſis ore tonantem audire detrectarunt. Poſt Ariminenſe concilium ſuæ patriæ reſtituto Hilario, plerique illorum qui ſubreptione potius quam errore in eo lapſi fuerant, correcti, in ſedibus ſuis conſervati, Saturninus ſolum & Paternus in ſua hæreſi pertinaces, ab omnibus Galliarum præſulibus depoſiti. De eo ſic Sulpitius Severus ſacræ hiſtor. lib. 2. *Paternus etiam æque vecors* (ac Saturninus) *nec detrectans perfidiam profiteri, ſacerdotio pulſus; ceteris venia data.*

V. Gavidius.

Hîc prætermittere nequeo quod notavit vir doctiſſimus Gavidium epiſcopum fuiſſe, & quidem Petrocorienſem, eique ſucceſſiſſe Paternum. Certe epiſcopum fuiſſe conceptis terminis pronuntiat Sulpitius Severus lib. 2. hiſtor. ubi poſtquam aſſeruit convocatis ad concilium Ariminenſe epiſcopis, annonas & cellaria dari juſſum ab Imperatore, addit *id noſtris, id eſt, Aquitanis, Gallis ac Britannis indecens viſum fuiſſe, eoſque repudiatis fiſcalibus, propriis ſumtibus vivere maluiſſe, treſque tantum ex Britannia, inopia proprii, publico uſos... ſanctius putantes fiſcum gravare, quam ſingulos.* Ac tandem in eorum gratiam hæc ſcribit: *Hoc ego Gavidium epiſcopum noſtrum quaſi obtrectantem referre ſolitum audivi, ſed longe aliter ſenſerim: laudique attribuo epiſcopis, tam pauperes fuiſſe, ut nihil proprium haberent, neque ab aliis potiuſquam fiſco ſumerent, ubi neminem gravabant. Ita in utriſque egregium exemplum.* Verum quo pacto inde inferatur Petrocorienſem antiſtitem fuiſſe Gavidium, fateor, non video. *Noſtrum quidem epiſcopum*, dicit, at tribus antea lineis vocem hanc exponit, cum ait: *id noſtris, id eſt, Aquitanis, Gallis ac Britannis indecens viſum eſt.* Non ſolos ergo Petrocorienſes, ſed & omnes Aquitanos, imo & Gallos omnes, quodque amplius eſt, Britannos, hîc ſuos vocat. Quidni ergo Gavidium dicamus Britannum, aut Gallum, aut ad ſummum Aquitanum antiſtitem, quamvis Petrocorienſis non fuerit. Subdit: *Hoc ego Gavidium epiſcopum noſtrum, quaſi obtrectantem referre ſolitum audivi.* Unde non immerito inferatur Gavidium domicilii Severi epiſcopum fuiſſe, eos hac occaſione ſæpius ſecum invicem converſatos, ac in mutuis colloquiis id a Gavidio ſæpe audiviſſe Severum. Tunc duo domicilia habebat Severus, ut ex S. Paulino diſcimus, alterum Primuliaci apud Nitiobrigas, quorum epiſcopus erat Phœbadius; alterum Eluſoni in finibus Petrocoriorum, quorum antiſtes ipſe Gavidius cenſeri poſſit. At primo præfatis verbis hic ſenſus attribui poteſt: *Hoc ego audivi, ſeu didici Gavidium noſtrum id referre ſolitum fuiſſe.* 2.° Eſto id ipſe auribus ſuis Gavidium referentem audierit, inde deſtruitur viri docti conjectura, nedum ſtatuitur. Enimvero ſucceſſit Gavidio Paternus, qui anno 362. exauctoratus eſt, poſt aliquot ſane pontificatus annos: ergo Gavidius anno 359. fato functus erat. Quo ergo pacto id ſæpe ab eo ſe audiviſſe aſſerere potuit Severus, qui non niſi poſt annum 353. natus eſt, ut pote S. Paulino junior. 3.° Quod de Eluſone dicitur, nihil eſt; nec enim ſolum Primuliaci aut Eluſoni degit Severus, ſed circa Toloſam, ubi eum ad annum uſque 405. domicilium habuiſſe ſignificat D. de Tillemont. In ea porro urbe, & Gavidium alterius urbis quam Petrocoræ præſulem videre, & eum ſupra relata narrantem audire potuit.

Dici tamen utcumque poſſet Gavidium Paterno ob hæreſim depoſito & extra eccleſiam ejecto ſuffectum fuiſſe an. 364. aut circiter, ſicque probe noviſſe quæ geſſerant epiſcopi noſtri cum ad Ariminenſe concilium profecti ſunt, ac facile Severum ab eo audire potuiſſe quod refert, ſiquidem ſacram hiſtoriam ſcripſit circa annũ 400. Sic porro Petrocorienſem antiſtitem fuiſſe Gavidium ſuaderi poſſet, tum quod ſæpe eum audierit Severus, quæ ſupra retulimus referentem, hunc enim ſenſum, ut fatear quod res eſt, optime pati poſſunt Severi verba; tum quod alicujus ſedis epiſcopalis in Aquitania poſitæ præſul eſſe debuerit, in ea ſiquidem provincia domicilium habuit Severus, nullius autem alterius, ut mihi quidem videtur, cathedram tenere potuit, ut ex catalogis conſtare exiſtimo: hæc porro magis conjiciens quam affirmans, in medium adduco, peritiorum judicium exſpectans, quod libenter amplectar.

Pauci 5.° ſeculo occurrunt Petrocorienſes epiſcopi: nec mirum ſane. Nempe in Galliis tunc temporis ac in Aquitania præcipue, turbata omnia, a ferociſſimis nationibus occupatæ provinciæ, incenſæ urbes, diruta templa, divexata religio, exagitati populi, ſummique paſtores. Hinc illud Hieronymi epiſtola ad Ageruchiam: *Innumerabiles & ferociſſimæ nationes univerſas Gallias occuparant, quidquid inter Alpes & Pyreneum eſt, quod Oceano & Rheno includitur, Guadi, Vandali, Samartæ, Alani, Gipedes, Heruli, Saxones, Burgundiones, Alemanni, & , ô lugenda reſpublica! hoſtes Pannonii vaſtarunt.* Et de Aquitania ac Gothis ibidem: *Aquitaniæ, Novemque populorum, Lugdunenſis & Narbonenſis provinciæ, præter paucas urbes, populata ſunt cuncta, quas & ipſas foris gladius & intus vaſtat pavor.*

ANNI CHRISTI

Hinc de Aquitania & Gothis poſtea loquens Apollinaris Sidonius epiſtol. lib. 7. epiſt. ſexta ait: *Burdegala, Petrocorii, Ruteni, Lemovices, Gabalitani, Eluzani, Vaſates, Convenæ, Auſcenſes, multoque jam major numerus civitatum; ſummis ſacerdotibus ipſorum morte truncatis, nec ullis deinceps epiſcopis in defunctorum officia ſuffectis per quos utique minorum ordinum miniſteria ſubrogabantur, latum ſpiritualis ruinæ limitem traxit.... Ita populos exceſſu pontificum orbatos, triſtis interciſæ fidei deſperatio premit. Nulla in deſolatis cura diœceſibus parochiiſque. Videas in eccleſiis aut putres culminum lapſus, aut valvarum cardinibus avulſis, baſilicarum aditus hiſpidorum veprium fruticibus obſtructos.... ſed jam nec per ruſticas ſolum ſolitudo parochias, ipſa inſuper urbanarum eccleſiarum conventicula rareſcunt. Quid enim fidelibus ſolatii ſupereſt, quando clericalis non modo diſciplina, verum etiam memoria perit.* Quæ verba ex Sidonio exſcripſit Greg. Turon. lib. 2. cap. 25. *Sidonii tempore*, inquit, *Evarix rex Gotthorum...gravem in Galliis ſuper Chriſtianos intulit perſecutionem. Truncabat paſſim perverſitati ſuæ non conſentientes, clericos carceribus ſubigebat: ſacerdotes vero alios dabat exſilio, alios gladio trucidabat. Nam & ipſos ſacrorum templorum aditus ſpinis juſſerat obſerari, ſcilicet ut raritas ingrediendi oblivionem faceret fidei. Maxime tunc Novempopulanæ geminæque Germaniæ* * *urbes ab hac tempeſtate depopulatæ ſunt.* Duris hiſce temporibus neglecta litterarum ſtudia, nulla cura res conſuetas ſcriptis monumentis inferere, fides remiſſa, corrupti mores, imminuta in clero & in plebe ſanctitas, diſciplina nulla. Quid ergo mirum ſi in tanta procella pauci fuerint epiſcopi, aut nulla unde dignoſcantur monumenta ſuppetant. Nonnullos tamen deteximus de quibus agendum.

* lege *Aquitaniæ*, & vide notam Ruinarti, col. 77.

VI. Pegasius.

De eo Paulinus in epiſtola cujus fragmentum refert Gregor. Turon. lib. 2. hiſt. cap. 13. ſæpius jam commemoratum: *Si enim hos videas dignos Domino ſacerdotes, vel Exſuperium Toloſæ, &c. nunc Pegaſium Petrocoriis; utcunque ſe habent ſeculi mala, videbis profecto digniſſimos totius ſanctitatis ac fidei, religioniſque cuſtodes.* Ex hac præſulum enumeratione conſtat Pegaſium Petrocorienſem ſedem obtinuiſſe ineunte ſeculo quinto, quo ſcilicet tempore Toloſæ ſedebat Exſuperius.

Quinam ei ſucceſſerint incertum. Nihil enim de illis in antiquis eccleſiæ monumentis uſque ad Chronopium.

VII. Chronopius II.

500. Chronopii genus, varias dotes, pietatem, pontificatum, ætatem eleganti celebravit epitaphio Fortunatus, quod hîc ante omnia referendum ex lib. 4. Carm. 8.

Si terrena ſacer tibi quondam cura fuiſſet,
Carmine plus lachrymas quam modo verba darem;
Sed quia tu mundus, nec ſunt tibi crimina mundi,
Nec * *gaudere mones, qui ſine morte manes.*

* nunc.

A *Antiſtes pietate calens, venerande Chronopi,*
Membra ſepulta tegunt, ſpiritus aſtra tenet.
Ordo ſacerdotum cui fluxit utroque parente,
Venit ad heredem pontificalis apex.
Hunc tibi jure gradum ſucceſſio ſancta paravit.
Ut quaſi jam merito debitus eſſet honor.
Nobilis antiquo veniens de germine patrum,
Sed magis in Chriſto nobilior merito.
Sic vultu ſemper placidus, ceu mente ſerenus,
Pectore ſincero frons ſine nube fuit.
B *Cujus ab eloquio nectar per verba fluebat,*
Vinceret ut dulces ore rigante favos.
Nudorum tu veſtis eras, algentis amictus,
Qui ad tua tecta fugit, tectus & ipſe redit.
Divitias omnes inopum ſub ventre locaſti,
Unde tibi ſemper viva talenta manent.
Eſuriens epulum, ſitiens te fumere potum,
Cernere te meruit triſtis & exſul opem.
Impleſti propriis viduatam civibus urbem,
Viderunteque ſuos te redimente lares.
C *Quam lupus a ſtabulis tulerat frendente rapina,*
Te paſtore gregi reddita plaudit ovis.
Templa exuſta celer revocaſti in culmine priſco,
Hinc tua ſed cœlis ſtat ſine labe domus.
Ipſe bis octono vixiſti in corpore luſtro,
Nunc tibi pro meritis eſt ſine fine dies.

Ex his habetur 1.° genus illius nobiliſſimum. *Nobilis antiquo veniens de germine patrum*, id eſt *ſenatorum*, ex quorum ordine præſules aſſumere D mos erat, ut patet ex Apollinari Sidonio. 2.° Nec ex ſenatorio tantum, ſed ex epiſcopali ordine ortum ducebat. *Ordo ſacerdotum cui fluxit utroque parente.* Nec id illis temporibus inſolitum; ut de Simplicio Bituricenſium antiſtite Sidonium Apollinarem concionantem ſupra retulimus in Bituricenſibus archiepiſcopis. Habetur 3.° ſincerum fuiſſe Chronopium, modeſtum, facilem, facundia præditum, patrem pauperum, patriæ reſtauratorem, templorum reparatorem, civium redemtorem. Habetur denique poſt 80. annorum vitæ curriculum ad beatitudinem evectum fuiſſe.

Anno 506. Agathenſi ſynodo interfuit. An. 506.
E 511. primæ Aurelianenſi; ac tandem Aurelianenſi ſecundæ, an. 533. ſubſcripſit. S. Frontonis baſilicam erexit, ac ejus reliquias ex veteri ædicula in ornatiorem locum tranſtulit. Pridie nonas Oct. hæc tranſlatio celebratur, at quo præciſe anno facta fuerit, prorſus incertum. Ejus temporibus floruit *Avitus*, nobili genere in agro Petrocorienſi natus, qui primum humanioribus litteris & philoſophiæ operam dedit, dehinc a patre miſſus ad Clodoveum, magni illius principis vexilla adverſus Alaricum Viſigothorum regem ſecutus eſt. Tandem monitus ab angelo, nuntium remiſit ſeculo, & ab aula in patriam reverſus eſt, itinere

511. 533.

Apud Petavium Miſcellam in Chronopio.

ANNI CHRISTI

miraculis illuſtrato, Aureliæ præcipue. Ibi conſtructo in denſiſſima ſilva oratorio, vitam duxit angelicam, ac demum annis & meritis plenus, ad cœleſtem patriam evolavit. Quo anno fato functus fuerit Chronopius incertum, probabile tamen eſt vitam finiiſſe ad medium vergente ſec. quinto.

VIII. Sabaudes.

In vita S. Eparchii memoratum reperio Sabaudem epiſc. Cum enim Inculiſmam veniſſet Eparchius, *propenſiſſima animi benevolentia*, ab Aptonio præſule ſuſceptus eſt, rogatuſque ut in ſua diœceſi eremum eligeret. Verum ille noluit abſque nutu ſui pontificis vel abbatis in eo, optato licet, loco recludi. Quamobrem Aptonius legatos *ad*
540. *Sabaudem epiſcopum, & ad ſuum abbatem ad obtinendum quod voluerat, deſtinavit: qui regreſſi, etſi vix tandem, optime cuncta ei renuntiant, & benigne permiſſa.* Difficultas huc redit, utrum Petrocorienſis, an Santonenſis antiſtes fuerit Sabaudes, natus enim erat Petrocoræ Eparchius, monachum vero profeſſus in agro Santonenſi. Rem in ancipiti relinquit textus jamjam relatus. Petragoricenſem fuiſſe affirmat Cointius Annal. eccleſ. Franc. an. 542. n. 1. Unde ſic de ſuo hiſtoriæ textum exhibet: *In illo tamen loco noluit includi, niſi prius epiſcopus Petragoricenſis & abbas Sedacianus annuiſſent.* Ac tandem infert: *Hic notamus obiter in epiſcoporum Petragoricenſium indice poſt Chronopium... locum tribuendum Sabaudi, quem multi ſcriptores in ſuis catalogis omiſerunt.* Subtimidior Mabillonius nihil audet aſſerere in Annal. Benedict. an. 581. n. 9. Veriſimilius tamen videtur agi de Petrocorienſi epiſcopo, tum quia in ea urbe natus erat Eparchius; tum quia vix relinquitur locus Sabaudi medio ſeculo VI. inter Santonicos præſules locando.

Priuſquam ultra progrediar, duo ſunt obſervanda. Primum eſt Mabill. noſtrum Annal. Bened. tom. 1. ad an. 581. ubi de Eparchio loquitur, hæc de eo habere: *Facta quædam ab eo patrata leguntur... apud Senocellam, quo orationis cauſa cum Manderio monacho properabat* ad occurſum ſancti Aquilini *epiſcopi Petrocorienſis.* Quis inde non inferat Aquilinum Petrocorienſem antiſtitem fuiſſe. Quo pacto id aſſerere potuit vir ille doctiſſimus, niſi certa habuerit argumenta? utinam ea protuliſſet, nos hic plurimum impeditos expediviſſet. Hinc enim viri doctiſſimi trahit auctoritas, inde vero cohibet altum in monumentis quæ nobis ſuppetunt ſilentium. De Aquilini epiſcopatu nihil omnino reperitur in vita S. Eparchii a diverſis auctoribus modo paululum diverſo relata. In ea quam exhibet Labbeus Jeſuita tom. 2. Bibl. novæ pag. 519. & ſeq. ſic lego: *Alio tempore ad Senocellam cauſa orationis, vel ad occurſum S. Aquilini cum Ruderico properabat.* In ea quam edidit Laurent. Surius, die prima Julii, idem ſic refertur: *Properabat aliquando ad cellam S. Aquilini orationis cauſa, comite uſus Munderico monacho.* In ea quæ exſtat t. 1. Act. ord. S. Bened. pag. 267. hæc habentur: *Alio tempore ad Senocellam cauſa orationis, vel ad occurſum S. Aquilini cum Manderico monacho properabat*, &c. Quid quod in aliis veteribus monumentis de S. Aquilini epiſcopatu nihil huc uſque reperimus. Unde de illo nihil affirmare audemus.

Alterum quod a lectore obſervari deſidero, eſt in vetuſto Brantolmæ hagiologio ab annis 500. & forte citius exarato, reperiri: *VII. cal. Julii in pago Petragorico depoſitio S. Amandi epiſcopi & confeſſoris.* Haud novi quis ſit iſte Amandus, niſi ille qui nobili gente inter Lemovicas natus, factus eſt monachus in cœnobio Genoliacenſi ſub abbate Savalo, ſeu Canali, cum beatis Soro & Cypriano: quique cum ibidem aliquo tempore converſatus eſſet, & ad eum multi confluerent, ſolitariam vitam appetens, locum ad hoc idoneum ſibi elegit prope Terraſinum, ubi cellas conſtruxit & multos fratres aggregavit; nec enim alius in pago Petragorico occurrit S. Amandus. Porro ſi ille ipſe ſit, cum in hagiologio præfato epiſcopus appelletur, hunc & Petragoricenſem cathedram occupaſſe dicendum, & quidem verſus finem ſexti ſeculi, & Chronopio vel cuivis alteri ſucceſſiſſe. Nec mirum quod rerum Petragoricenſium ſcriptoribus ignotus ſit Amandus epiſcopus, cum accuratam Petracoricenſium præſulum ſeriem adhuc exſpectemus, deſunt enim præſules bene multi Putcano, Samnarthanis, imo & nobis ipſis. Hæc tamen nequicquam affirmans refero, ſed ut ſint legentibus majoris inquiſitionis occaſio.

IX. Charterius.

Anno 581. orta Guntchramnum inter & Childebertum diſcordia, regni ſui fines protendendi occaſionem arripuit Chilpericus, ac Deſiderio duce miſſo cum exercitu, Aquitaniam & imprimis Petragoras ſuo ſubdidit imperio: unde periculoſiſſimum Charterio negotium faceſſitum anno 582. 582.
quod ſic refert Gregor. Turon. hiſtor. lib. 6. cap. 22. *Rex Chilpericus, pervaſis civitatibus fratris ſui, novos comites ordinat..... quod ita impletum fuiſſe cognovimus. His diebus adprehenſi ſunt duo homines a Nonnichio Lemovicinæ urbis comite, deferentes ex nomine Charterii Petrogoricæ urbis epiſcopi litteras, quæ multa improperia loquebantur in regem Chilpericum, in quibus inter reliqua erat inſertum, quaſi quereretur ſacerdos, ſe a paradiſo ad inferos deſcendiſſe, ſcilicet quod a regno Guntchramni in Chilperici fuerit ditiones commutatus. Has litteras cum his hominibus jam dictus comes ſub ardua cuſtodia Regi direxit. Rex vero patienter propter epiſcopum mittit qui eum ſuo conſpectui præſentarent, diſcuſſurus utique ſi vera eſſent quæ ei opponebantur, an non. Adveniente vero epiſcopo, Rex homines illos cum litteris repræſentat: interrogat ſacerdotem ſi ab eo directæ fuerint. Negat ille a ſe directas. Interrogantur vero homines a quo eas acceperint. Frontonium diaconum proferunt. Interrogatur ſacerdos de diacono: reſpondit ſibi eum eſſe præcipuum inimicum, nec dubitari debere ipſius eſſe nequitias, qui contra eum ſæpius cauſas commoviſſet iniquas. Adducitur diaconus ſine mora, interrogatur a Rege, confitetur ſuper epiſcopum dicens: Ego hanc epiſtolam jubente epiſcopo dictavi: proclamante vero epiſcopo, & dicente quod ſæpius hic ingenia quereret, qualiter eum ab epiſco-*

ANNI CHRISTI

patu deficeret : Rex miſericordia motus , ceſſit utriſque , deprecans clementer epiſcopum pro diacono , & ſupplicans ut pro ſe ſacerdos oraret , & ſic cum honore urbi remiſſus eſt.

Scio totum hoc caput ut adjectitium ac ſpurium a doctiſſimo Cointio repudiari duabus præcipue ex rationibus ; tum quia deeſt in codicibus duobus, altero Corbeienſi, Colbertino altero, imo & in tertio Metenſi ; tum quia quæ in eo narrantur, videntur non ſatis convenire Chilperico regi, qui cum ſumendarum pœnarum avidus eſſet , aut Charterium epiſcopum ob crimen majeſtatis ; aut ſi is inſons erat, Frontonium diaconum ob calumniam condemnare debuit. Verum duo hæc momenta confutavit noſter Theodoricus Ruinart præfat. in Gregor. ſ. tertio : primum quidem, quia octo MSS. codices Galliæ & Italiæ illud caput exhibent, ut & omnes editiones Gregorii vulgatæ, quas ad codices ſanos accuratas nemo inficiari poteſt, cum Cointiani codices mutili ſint & imperfecti , ac noſtris numero pauciores. Alterum vero, quia non ita ſævus erat Chilpericus ut non niſi ab impoſtore dici potuiſſet, eum aliqua occaſione a ſæviendo abſtinuiſſe ; ſi ſæviit, uxoris genium magis quam ſuum hac in parte ſecutus eſt. Hinc Adrianus Valeſius lib. II. rerum Francicarum poſtquam Chilpericum arguit quod furenti uxori plus æquo indulſerit, ſubjungit : *Plane ſi quando ab ea non inſtigabatur , Chilpericum mutatum & ſui diſſimilem factum crederes , adeo communis , aditu facilis , lenis quoque & injuriæ patiens.* Lenitatem ejus pluribus laudavit Fortunatus, exhibet Gregor. eodem illo libro cap. 19. in fine.

585. Anno 585. Gondovaldus qui ſe Clotarii filium jactitabat, regnumque affectabat, Engoliſmam acceſſit, inquit Gregor. Turon. hiſt. lib. 7. cap. 26. *Suſceptiſque ſacramentis , Petrogoricum adgreditur , graviter epiſcopum* (Charterium) *injuriatum reliquit , pro eo quod ſuſceptus ab eodem non fuiſſet.* Hoc eodem anno Matiſconenſi ſecundæ ſynodo interfuit Charterius.

X. Saffarius.

Saffarii mentio fit in negotio monialium ſanctæ Crucis Pictavienſis, quod prolixe enarrat Gregor. Turon. hiſt. lib. 9. capp. 39. 40. 41. 42. & 43. & lib. 10. cap. 15. 16. 17. 50. Earum perverſa agendi ratione ad epiſcopos delata, *Gundegeſilus Burdegalenſis* (provinciæ metropolita) *adjunctis ſecum Nicaſio Ecoliſmenſi, & Saffario Petragorico , ac ipſo Meroveo Pictavienſi , epiſcopis..... ad baſilicam S. Hilarii advenit , arguens has puellas , & in monaſterio reducere cupiens ;* ſed fruſtra , unde communionem rebellibus interdixit, & de illata pœna ſuo fratrumque præſentium nomine conſcripſit ad illos ſacerdotes qui tunc cum rege Guntchramno fuerant adgregati , a quibus reſcripta , id omne quod geſſerant approbantia ſuſcepit. Reſcriptorum porro inſcriptio hæc erat : *Dominis ſemper ſuis , atque apoſtolica ſede digniſſimis , Gundegeſilo , Nicaſio & Saffario , Ætherius*, &c. An.

590. 590. adfuit iterum ſynodo eandem ob rem coactæ. De eo nihil amplius reperio.

XI. Austerius.

Ex vita S. Deſiderii quæ exſtat in Gall. Chriſt. edita an. 1656. tom. 2. pag. 464. col. 2. n. 15. eruitur hic epiſcopus Petrocor. de quo alium ſilentium in omnibus aliis catalogis. Sedebat circa an. 629. Vide quæ retulimus in Saluſtio Aginnenſi epiſcopo col. 899. In epiſcoporum catalogis , aliiſque antiquitatis monumentis nullus Petrocoricenſium antiſtes comparet ab anno circiter 600. ad 760. Nullos exhibet Puteanus , nullos detexere Sammarthani, nos illis nihilo feliciores, quantamlibet diligentiam adhibuerimus, ne unum quidem invenire potuimus : cauſa eſt, quod in regionis diviſionibus & bellis , direpta antiqua monumenta , urbes ferro & igne conſumtæ , loca omnia aut diruta aut ſpoliata ; quippe circa medium VII. ſec. qui Aquitaniæ , ſub ducum , aut comitum , aut alio titulo præerant , in Clotarium tertium nomine rebellarunt, ſibique quas regebant regiones vindicarunt. Ineunte VIII. ſeculo acerbius cum Aquitanis , imo & cum tota Gallia actum eſt ex majorum palatii ambitione ; ita ut de illis circiter temporibus loquens Hincmarus epiſt. 6. lib. 19. aſſerat : *In Germanicis & Belgicis & Gallicanis provinciis , religio Chriſtianitatis pene fuit abolita ; ita ut epiſcopis in paucis locis reſiduis , epiſcopia laicis donata , & per eos rebus diviſa extiterint.* Quid non paſſa eſt ſub Saracenis Aquitania ? Hi devictis ducibus Chriſtianis Burdigala potiuntur, Petrocorienſi agro occupato , Pictavum uſque pervadunt, cunctis locis vaſtatis & eccleſiis igne crematis.

XII. Bertrandus.

Ad calcem epitomes nonnullorum Petrocorienſium epiſcoporum , quæ a Froterio incipit, & explicit ad Petrum Minetum, illius exſcriptor ſic loquitur : *Hæc epitome a me deſcripta fuit anno 1570. ex libro quodam , qui a capellanis S. Antonii adſervabatur , cujus copiam mihi præbuit Seguinus capellanus illius ſacelli. Prædictorum imagines depictæ erant prope altare divæ Catharinæ , & præter eos , quatuor antiquiorum , quorum primus erat Bertrandus , ſecundus Raimundus , tertii & quarti nomina legi non poterant , quintus erat Frotarius depictus in prima columella ſtructili , quæ proxima eſt altari S. Catharinæ ad latus templi.* Quartus ergo ad minimum ante Frotarium epiſcopus fuit *Bertrandus.* Quo porro præciſe tempore vixerit, ex epiſcoporum indiculo nobis ab eccleſia Petrocorienſi ſuppeditato diſcimus; in illo enim ad latus ipſius nominis opponitur annus 767. quem ſequuntur Sammarthani fratres, & hos laudat Cointius, qui Bertrandum etiam an. 778. ſediſſe conjicit. His auctoritatibus abrepti , Bertrandum inter epiſcopos, non tamen ſine formidine , admittimus. 767.

XIII. Raimundus I.

Et Raimundi nomen ac effigies in præfatis picturis, poſt Bertrandum viſebatur, cujus nomen , at illud nudum, in diptychis etiam reperitur, quem ad annum 805. & 811. ſedem tenuiſſe notat Cointius. 805.

ANNI CHRISTI

XIV. Ainardus.

Ainardi, qui & Amardus nuncupatur, meminit chronicon Malleacenſe dictum, his verbis: *Anno 844. claruerunt Sergius papa.... Amalricus Turonus *, Dodo Andegavinus, Godo Pictavinus, Bernardus Lemovicus, Amardus Petragoricus, Aubertus Engoliſmenſis*, &c. 844.

* Corruptus eſt hic chronici Malleac. locus.

Obſervandum hic a Sammarthanis interſeri *Wlgrinum* ac quaſi antiſtitem Petrocorienſem, ab omnibus prætermiſſum, proponi, idque auctoritate chronici Malleacenſis. At Wlgrinus fuit comes Petragoricæ non epiſcopus, ex chronico Malleacenſi, cujus hæc ſunt verba apud Philippum Labbe Novæ biblioth. tom. 2. pag. 199. *Emeno frater* (Turpionis) *Engoliſmæ comes exſtitit, & ipſe poſt biennium cum Landrico comite Santonenſi confligens, interemto Landrico in caſtro Ranconia, reducitur ſaucius, & octavo die moritur.... Carolus hoc audito, Wlgrinum propinquum ſuum, fratrem Aldoïni abbatis ex monaſterio S. Dionyſii, direxit & præfecit eum Engoliſmæ, & Petragoricæ, & Olibam ſtatuit in epiſcopatu Engoliſmæ.* Idem refert hiſtoria pontificum & comitum Engoliſmenſium, ibidem pag. 251. c. x. & xi. *Emeno frater Turpionis Engoliſmæ comes efficitur. Poſt biennium cum Landrico Xantonenſi comite confligens propter caſtrum Botavillæ... Landrico interemto, caſtro Ranconia ſaucius reducitur, & octavo die moritur... Audita morte Emmonis, Carolus Calvus Wlgrinum propinquum ſuum, fratrem abbatis ex monaſterio S. Dionyſii direxit Engoliſmam, & præfecit Engoliſmæ & Petragoricæ, & aſſenſu Caroli regis Hooliba in pontificem Engoliſmæ conſecratur.* Ex quibus patet Engoliſmæ & Petrocoriæ præfectum fuiſſe Wlgrinum, non ut pontificem, ſed ut comitem. Unde cap. 3. *Wlgrinus Engoliſmenſis comes* nuncupatur. Et certe tam Engoliſmæ quam Petrogoricæ præfectus dicitur: at Engoliſmæ præfectus cenſeri nequit ut epiſcopus, ſiquidem eo ipſo tempore, quo Engoliſmæ præficitur, *Hooliba in pontificem Engoliſmæ conſecratur.* Ergo nec Petragoricæ ut præſul præfectus dici poteſt. Adde quod in depictis pontificum Petracorienſium imaginibus, quatuor tantum erant ante Froterium, & ſi Wlgrinus inſeritur, quintum fore neceſſe eſt.

XV. Sebaldus.

Sebaldus recenſetur in veteribus documentis circa annum 900. Opuſculum elucubravit de vita S. Frontonis, ut habet MS. ipſius codex: *Anno gratiæ nongenteſimo quarto indictione ſeptima, principatus Guillelmi comitis urbis Petragoricæ, & Agenni decimo quarto.* Verum in eo opuſculo, ut illorum temporum mos erat, plura commentitia, & abſona reperiuntur. 900.

XVI. Froterius.

De Froterio, qui & Frotarius, (imo & a nonnullis Fraternus dicitur) ſic legitur in epitome geſtorum quorumdam eccleſiæ Petragoricenſis præſulum ex duobus apographis calamo exaratis apud Labbe biblioth. novæ MSS. tom. 2. pag. 737.

*Anno Incarnat. * 976. Froterius epiſcopus ab Hugone Capetio Francorum rege Petragoras miſſus eſt, & rexit eccleſiam annos 14. menſes 6. dies 3. obiit autem anno Domini 991. 6. idus Decemb. & ſepultus eſt in baſilica S. Frontonis. Hic epiſcopus magnum monaſterium S. Frontonis ædificare cæpit, atque caſtrum Agoniacum, Craoniacum, Albam-Rocham, Rupem-S. Chriſtophori, Rupem-de Baſiliaco, ut eſſent munimen & refugium contra Normannos, tunc temporis paganis erroribus aberrantes. Tempore hujus, corpus S. Frontaſii martyris per viſionem revelatum eſt cuidam viro religioſo ejuſdem eccleſiæ canonico. Ad ultimum iſte epiſcopus a præpoſito ſuo jugulatus eſt in loco qui dicitur Morcinq, qui eſt in parochia de Courſiaco.* ANNI CHRISTI 976.

An. 988. aut certe 989. *Frotarius Petrocororum epiſcopus*, ſubſcripſit canonibus concilii Carroſenſis coacti per Gumbaldum archiepiſcopum ſecundæ Aquitaniæ, ut videre eſt apud Labb. loco cit. pag. 764. Palnatenſe cœnobium reparavit, boniſque auxit, adeo ut alter ejus fundator haberi poſſit. In chronico Ademari ibidem pag. 190. Aldegerio Lemovicenſium epiſcopo *ſucceſſit pontifex Alduinus frater ejus per manum Willelmi ducis, conſecratuſque eſt Egoliſmæ ab archiepiſcopo* Burdegalenſi Gumbaldo, & a Fronteno Petragoricenſi, &c. qui idem procul dubio eſt cum Froterio noſtro; id enim factum eſt anno circiter 991. 988. C. 1. col. 485. 991.

Froterius Petragoric. epiſcopus adeſt electioni Gausberti in epiſcopum Cadurcenſem anno 990. indict. III. &c. Spicil. tom. 8. pag. 155.

XVII. Martinus. De la Marche.

Martinus iſte, inquit præfata epitome, Boſonis vetuli Petragoricenſis & Marchiæ comitis filius exſtitit, natus ex ſorore Bernardi comitis Petragoricenſis, Eyna nomine, quæ ædificavit ſacellum S. Andreæ. Frotario ſucceſſit, & rexit eccleſiam annos novem. Obiit anno milleſimo, obitus vero ejus non eſt in calendario denotatus, ſepultus eſt in eccleſia S. Frontonis, de qua dum viveret, optime meritus fuerat. Gerardus hic inſerendus eſſe videtur ex charta Guillelmi V. Aquitaniæ ducis, Arvern. Vallav. Lemov. & Pictav. comitis anno M. exarata, de qua egimus in Anicienſibus epiſcopis, in Abbone; ibi enim recenſetur Gerardus Petracoricenſis epiſcopus: ſed hujus chartæ falſitatem ibidem demonſtravimus. 1000.

XVIII. Rodulphus. De Couhé.

Rodulphus, ſeu Radulphus de Cohalia, vel de Cohiaco, Martino ſucceſſit, ac Petrocorienſem eccleſiam rexit annos 12. menſes 6. Eccleſiam ſancti Aſterii, in qua quondam moniales habitaverant, ſed quæ a Normannis diruta, deſerta remanſerat, inſtauravit, regularia loca ædificavit, ac in iis loco monialium canonicos Regulares conſtituit; eccleſiæ dedicationi Toloſanus epiſcopus interfuit. Quo tempore canonici S. Saturnini Toloſæ, & S. Fron-

* Id ſi ad litteram ſumatur, falſum eſt; iniit enim regnum Hugo Capetus non anno 976. ſed 987. dumtaxat. Verum videtur auctor ea verba *ab Hugone Francorum rege* potuiſſe alludens ad tempus quo ſcribebat, non ad illud quo Froterius miſſus eſt. Porro ab Hugone miſſum Froterium inde fit probabile, quod ſub poſtremis ſecundæ ſtirpis regibus ſupremam haberet poteſtatem.

tonis

tonis Petrocorienſis fraternitatem ineunt. Memoratur in chartulario Uzerchienſi anno 1000. & 1001. in chron. Lemovicenſi S. Martialis præſens fuit ceſſioni Ademari abbatis Teraſſ. factæ cœnobio S. Martialis. Terræ ſanctæ iter, ut videtur, cum duce Aquitanorum Guillelmo ſuſcepit. Obiit an. 1013. nonis Jan. inquit hiſtoriæ Petrocoric. præſulum epitome, (cui in chronologia vix fides adhibenda eſt;) verum ubi & quo pacto, diſſentiunt auctores. *Eo anno 1010.* inquit chron. Ademari monachi S. Eparchii, *Radulphus Petragoricæ epiſcopus Hieroſolymis rediens, retulit quæ viderat ibi infanda, & obiit Petragoricæ.* E contra chronicon Gaufredi prioris Voſienſis cap. 32. ait: *Dux Aquitanorum Guillelmus cum multis aliis Hieroſolymam perrexit; verumtamen nomini Chriſtiano nihil contulit; erat nempe vehemens amator feminarum, idcirco in operibus ſuis inconſtans exſtitit. Tunc trucidatus eſt exercitus ejus a Saracenis, una cum Radulpho venerabili pontifice Petragoricenſi.* Ut ut eſt, *Sepultus eſt primum in monaſterio vetulo, ubi altare conſecratum eſt in honorem S. Thomæ martyris*, inquit epitome.

ANNI CHRISTI 1000. 1001. 1103. *Labb. t. 1. bibl. MSS. pag. 175.*

XIX. Arnaldus.

De Vitabre.

Arnaldus Vitabrenſis Rodulpho ſucceſſit, ut docent ſæpe nominata epitome, & chronicon Ademari; & quidem ut ex hoc poſtremo colligitur an. M. X. in quo additur eum apud S. Benedictum de Nantolio conſecratum fuiſſe diebus Quadrageſimæ, a Siguino Burdigalæ archiepiſcopo, & a Grimoardo & Iſlone epiſcopis. Sed emendandum chronicon putamus, cum hic epiſcopus interfuerit conſecrationi Geraldi Lemov. epiſcopi an. 1009. ut videre eſt in hoc epiſcopo col. 513. In eodem chronico ſubjicitur tunc temporis infinitam Normannorum multitudinem portum Aquitanicum appuliſſe: ducem Willelmum precum & hominum auxilium ab epiſcopis poſtulaſſe, hoſtes magna cum armatorum manu conveniſſe, naves conſcendere ac fugere coegiſſe. Notat epitome *huic bello Arnaldum* interfuiſſe, ſed cum non haberet pecuniam, unde ſuos remuneraret milites, pro eorum labore accepiſſe quandam pecuniæ ſummam a Lemovicenſi epiſcopo ſuper archipresbyteratu Exidolienſi, quod uſque hodie propter Petrogorienſis eccleſiæ negligentiam oblivioni traditum eſt & omiſſum. Nominatur in tabulario eccleſiæ Engoliſmenſis an. 1021. An. 1024. pridie nonas Martias ind. VII. ſubſcripſit litteris fundationis cellæ B. M. de Liziniaco, Nobiliacenſi cœnobio ſubjectæ, auctore Hugone de Liziniaco viro nobiliſſimo. An. 1025. teſtis fuit in charta qua Guido vicecomes tradit Turturiacum monaſterium Deo & S. Petro cœnobii Uzercenſis, & abbati Richardo. Morienti Willelmo Engoliſmenſi comiti adfuit, ac eum cum Rohone præfatæ urbis antiſtite ſepelivit, ex Ademaro anno 1028. Eodem anno adfuit dedicationi eccleſiæ Lemovicenſis, ut teſtatur Gaufredus prior Voſienſis in chronico cap. X. *Anno 1028. conſecrata eſt baſilica regalis Salvatoris Lemovicæ XV. cal. Decemb. ab epiſcopis XI. quorum nomina hæc continet pagina, Gothofredus archiepiſcopus Burdegalenſis .... Arnaldus Petragoricenſis*, &c. Anno 1029. Gothofredum metropolitanum ſuum comitatus eſt in dedicatione eccleſiæ de Botovilla pagi Santonenſis, de qua vide in Gothofredo Burdigalenſi archiepiſcopo, & in biblioth. Sebuſ. Centur. I. pag. 133. Lemovicenſi ſynodo anno 1031. celebratæ interfuit, in qua vocatur Arnardus Petracoricenſis, & de quodam canonico ſuo tantum clerico, qui uxorem duxerat, inquirendo propoſuit, dicens ut indicarent quid de eo judicarent. Interfuit & Pictavienſi ſynodo anno 1032. teſte chronico S. Maxentii. Refert epitome eum Petracoricenſem eccleſiam rexiſſe annos 22. & obiiſſe anno Dom. 1036.[a] 2. idus Julii, ſepultumque fuiſſe in eccleſia S. Frontonis. Verum adhuc anno 1041. ſuperſtes fuiſſe videtur ex charta I. fundationis cœnobii S. Leodegarii de Cogniaco, in tabulario loci hujus a Dom. Eſtiennot lecto, cujus fundator fuit una cum nepotibus ſuis..... & Arnaldo. Verum chronologicas notas hac in charta vitioſas eſſe monet vir ille eruditus, & pro 1041. legendum 1031. In veteri chronico epiſcoporum Petragor. legitur: *Arnaldus de Vitabre obiit anno 1037. & ſepultus fuit in monaſterio S. Frontonis.*

ANNI CHRISTI 1029. 1031. 1032. 1036.

XX. Geraldus.

De Gourdon

Geraldus ſeu Giraldus de Gordonio, *poſt milleſimum trigeſimum ſupra ſeptimum annum in eumdem epiſcopatum ſucceſſit, eccleſiamque annos 22. menſes 4. dies 21. rexit, & moderatus eſt*, inquit præfata epitome. Gravis inter eum & Aldebertum Petragoricenſium comitem orta diſſentio. Helias Aldeberti prædeceſſor, monetam de ſuo nomine Helianenſem dictam cudi juſſerat, idque contra antiqua abbatis S. Frontonis jura. Poſt ejus obitum per miniſtros ſuos illius uſum interdixit epiſcopus, unde in tantum ira efferbuit Aldebertus, ut tandem utrinque epiſcopus & comes bellaturi armatos viros conſcripſerint; Geraldus caſtra epiſcopalia militaribus munivit. Quis fuerit belli eventus incertum: Audeberti morte, qui paucis annis comitatum tenuit, finitum videtur. At plurimum vexavit epiſcopum, qui ut hoſtis impetus ſuſtineret; præcipua eccleſiæ ſuæ caſtra abalienavit, ut ſæpe citata teſtatur epitome; *videlicet caſtrum Agoniacum, & Albam-Rocham pro quadam guerra, quam adverſus Audebertum Cadenerarium comitem habuit: depoſuerat enim monetam Helianenſem, quam Helias comes pater ejuſdem Audeberti juſſerat fabricari.* Memoratur in libro de Miraculis ſanctæ Fidis cap. 19. Novæ bibl. Labb. t. 2. pag. 549. ubi de Raimundo a carcere & vinculis ſoluto auctor agens, refert viſum quod in ſomniis habuerat, additque: *Hujus viſionis gratia ille permotus, ſomnii tædia rupit, ac Geraldo Petragoricenſis eccleſiæ ſub primis tirocinii auſpiciis epiſcopo, qui Toloſanæ urbis mœnia forte aggrediebatur, ſimulque ejuſdem Caturcinæ urbis præſuli Bernardo, quæ ſibi ſomnitus imperata fuerant, territus intimavit.* An. 1047. 12. cal. Aprilis nova S. Frontonis eccleſia dedicatur ab Aimone de Borbonio Bituricenſi archiepiſcopo Burdigalenſem provinciam viſitante præ-

1047.

[a] Hallucinatur epitomes ſcriptor, nam ab anno 1009. ad 1036. ſunt anni qui tribui debuiſſent Arnaldi epiſcopatui.

ANNI CHRISTI

ſente Geraldo de Gordono Petrag. præſule. Geraldus ipſe hoc eodem anno adfuit dedicationi eccleſiæ S. Mariæ Santonenſis. Anno item ſequenti dedicationi cœnobii Uzerchienſis, ut patet ex charta Dalbergæ tunc facta, in qua teſtis nominatur Geraldus, cum Jordano Lemovicenſi & Guillelmo Engoliſmenſi. Sedit in ſynodo anni 1052. in qua Iſterius Lemovicenſis epiſcopus electus eſt, cujus electionis acta habentur t. 9. concil. Labb. pag. 1068. Obiit anno 1059. 12. cal. April. & in eccleſia S. Frontonis ſepultus eſt.

1052.

1059.

DE MONT-BERON.

XXI. GUILLELMUS I.

Guillelmus de Monte-Berulpho, ex nobili hujuſce nominis apud Engoliſmenſes ſtirpe natus, paulo poſt Geraldi obitum fit epiſcopus Petrocorienſis. De eo hæc habet epitome: *Rexit eccleſiam annos 20. menſes 11. dies 3. homo fuit ſanctiſſimus, & quidquid maledicebat, a Domino erat maledictum, inter quæ quædam molendina, quæ fuerant in Niſona flumine, in territorio Villaboenſi, quadam die maledixit, & deſolata ſunt.* Nominatur in tabulario eccleſiæ Engoliſmenſis anno 1063. Ibidem quoque, ſed ſine chronicis notis dicitur: *Guillelmus Petragoric. epiſcopus, & Alduinus & Hugo fratres ejus, dederunt B. Petro Engoliſmenſi totam terram & ſilvam Fontes-claras.* Memoratur anno 1071. in Uzerchienſi chartulario. De eo loquitur chronicon S. Maxentii, cum ait ad annum 1075. Fuerat aliud concilium apud S. Maxentium 7. cal. Julii, in quo erat major Goſcelinus archiepiſcopus Burdigalenſis..... Willermus Petragoricus, & alii multi. Eodem anno in ſynodo provinciæ, cui præerat idem Goſcelinus, fundationem S. Stephani de Vallibus confirmat Guillelmus noſter. Ejus tempore Guinamandus Caſæ-Dei monachus, ſepulcrum S. Frontonis mire exornavit, opere muſivo, anno 1077. impenſis Stephani Iterii ejuſdem eccleſiæ canonici. Memoratur anno 1079. in charta donationis factæ Moiſſiac. cœnobio. An. 1080. convenit ad ſynodum Burdigalenſem, in qua ratam habuit *ſalvitatem* Silvæmajori conceſſam. Vide Mabill. de re Diplom. lib. 6. n. 159. Anno eodem cum Brantolmienſe monaſterium traditas a B. Benedicto leges vix jam teneret, ac omnia in illo monachorum incuria & abuſione diſſiparentur, ſuaſit Heliæ comiti, ut illud Siguino abbati Caſæ-Dei & ejus ſucceſſoribus ordinandum traderet, quod anno ſequenti exſecutioni demandatum eſt, ut legere eſt in Caſæ-Dei chronico. W.^us^ de Monte-Berulpho monaſterio Sarlatenſi dedit eccleſiam de Podio-Gerolmi, ex charta ejuſdem cœnobii, at ſine nota temporis. An. 1681. donationem eccleſiæ S. Petri de Sorziaco S. Florentii Salmurienſis monaſterio factam confirmat ad preces donatoris Alquerii militis. Refert D. Eſtiennot monaſterium S. Medardi ab eo ſubjectum & commendatum regimini Petri abbatis Uzercenſis, ipſiuſque ſucceſſorum. Obiit piiſſimus præſul an. 1081. 8. idus Febr. & cum majoribus ſuis in eccleſia S. Mauricii apud Montem-Berulphum ſepultus eſt.

1080.

XXII. RAINALDUS.

ANNI CHRISTI DE TIVIER.

Rainaldus, qui & Reynaldus & Reginaldus de Tyberio ſeu Tiborio, natus ex nobili hujuſce nominis familia, quæ hodie de Valle-cucurri de *Vaucocour* nuncupatur, anno 1081. Petracorienſis epiſcopus effectus eſt. An. 1086. eccleſiam S. Johannis de Cola ædificavit, conventualem prioratum fundavit, ac canonicis Regularibus tradidit. Rainaldus Petragoric. epiſcopus teſtamentum Geraldi Cadurc. epiſcopi ſua auctoritate confirmavit anno M. XC. ind. 13. Spicil. tom. 8. pag. 163. Anno 1093. interfuit concilio Burdigalenſi ſub Amato archiepiſcopo & ſedis apoſtolicæ legato. Anno 1095. interfuit & Claromontano in quo adverſus infideles terram ſanctam occupantes, expeditionem vehementi oratione perſuaſit ſummus pontifex Urbanus II. Inde Lemovicas venit eodem anno Papa, eumque cum aliis præſulibus Rainaldus noſter comitatus eſt, ac interfuit dedicationi eccleſiarum, cathedralis in honorem S. Stephani protomartyris, & Regalis in monaſterio S. Martialis, in honorem Salvatoris mundi, ut refert chronicon Gaufredi prioris Voſienſis. Urbani porro monitione & exhortatione innumerabilis virorum omnis ordinis, ætatis & conditionis multitudo, ſe ſe cruce ſignavit, & in Terram ſanctam profecta eſt an. 1096. Horum imperator Godofredus, præcipui duces Euſtachius & Balduinus Godofredi fratres, Robertus Flandrenſis comes, quos comitati ſunt plures epiſcopi, inter quos Rainaldus noſter. Primo impetu fugati infideles, captæ urbes plurimæ, imo & Antiochia; ſed novo auxilio roborati hoſtes, hanc recens a Chriſtianis occupatam obſident, ac ex improviſo facta impreſſione expugnant, ferro flammaque omnia delent, & Rainaldum ſacra facientem truncato ſuper altari capite occidunt 8. idus Septembr. an. 1099. ex ſæpe laudata epitome, aliiſque manu exaratis monimentis; at de eo ſilet Willelmus Tyrius archiepiſcopus in hiſtoria. Et certe reperio in chartulario Angeriacenſi eum cum ſuæ diœc. abbatibus concilio Burdigalenſi adfuiſſe 3. non. Oct. 1098. & ex chartis Uzerchiæ, cœnobii illius eccleſiam ab eo conſecratam an. 1099. Quieſcit in eccleſia S. Georgii. In chartulario Angeriac. hanc ejus chartam reperimus: *Notum ſit omnibus hominibus quod eccleſiam S. Nazarii de Junnaco conceſſi Deo & S. Johanni Rainaldus Petragor. epiſcopus, in manu Arnaldi monachi cognomento de Tuda apud villam Boen ad benedictionem S. Stephani de Peirato per unam corrigiam, videntibus Lamberto archidiacono, & Willelmo archipresbytero cognomento Vigerio, & Geraldo presbytero de Borno,* &c. Reperimus inſuper quod iiſdem Angeriacenſibus donationem eccleſiæ de Belunto confirmavit.

1086.

1090.

1093.

1095.

1099.

XXIII. RAIMUNDUS II.

Omnes qui de Petrocorienſibus epiſcopis ſcripſerunt, Guillelmum de Alba-Rocha ut immediatum Rainaldi de Tyberio ſucceſſorem exhibent; ita Puteanus Minorita, Sammarthani, aliique; verum alium interſerendum, eumque nomine Raimundum vix dubito. Certe Rainaldum inter & Guillelmum de Alba-Rocha admittendum eſſe

cap. 26. & 27.

ANNI CHRISTI

præſulem aliquem evincit charta S. Mariæ Santonenſis, in qua Guillelmus epiſcopus Petracorienſis monialibus S. Mariæ reſtituit eccleſiam S. Silvani an. 1131. quam, inquit, ipſis dederat *Willelmus, qui quartus ante me urbis Petragor. epiſcopatum gerebat.* At profecto, niſi Raimundus admittatur, Guillel. de Monte-Berulpho, tertius dumtaxat, non quartus eſſet epiſc. ante Guillelmum qui ſedebat an. 1131. ſcilicet Guillelmus de Nanclars. Quidquod Guillelmi de Alba-Rocha initium videtur anno 1104. reponendum ex charta Heliæ Burdelienſis & Itherii de Turre, pro parthenone de Ligurio data *XV. cal. Maii Luna I. epacta IV. anno ab Inc. M. C. XV. in manu Guillelmi epiſcopi, epiſcopatus ſui anno XI.* proinde Guillelmus ſedere cœpit an. 1104. aut 1105. ut ſuadet charta Uzerchienſis, qua hoc anno idem Guillelmus confirmavit huic cœnobio & Gausberto ipſius abbati eccleſiam S. Medardi. Hæc porro ſunt verba chartularii : *Guillelmus Petragoricenſis epiſcopus dedit Deo & S. Petro & Audeberto* * *abbati ac monachis Uzercæ eccleſiam S. Medardi de Abbatia.* Idem vero *Guillelmus confirmavit præfatam eccleſiam Gauberto abbati Uzercæ anno Domini M. C. IV.* In alia ejuſdem tabularii charta : *Guillelmus Petragoricenſis epiſcopus dedit Deo & S. Petro Uzercæ monaſterium S. Medardi de Labadia..... Actum anno Domini 1104. indict. 12.* Eum vero, qui Rainaldum inter & Guillelmum de Alba-Rocha inſerendus eſt, eſſe Raimundum, ſuadet, quod in chartis Ligurienſis abbatiæ exſtet quædam donatio ab eodem Helia de Burdhelia facta *in manu Raimundi epiſcopi, infra ſcripto a Preyſſac, audiente Guillelmo archidiacono, qui poſtea epiſcopus fuit.* Hæc eruimus ex noſtro D. Claudio Eſtiennot in probationibus hiſtoriæ abbatiæ de Ligurio, in Antiquitatibus Benedict. Petrocor. Ibidem legimus anno 1101. Ademarum de S. Riberio abbatem cœnobii Terracini, *Terraſſon*, ſe & ordinationem ſui monaſterii Ademaro abbati S. Martialis dediſſe & ejus ſucceſſoribus, conſentientibus R. epiſcopo Petracor. & R. vicecomite Turennæ. Hic autem R. epiſcopus haud dubie noſter Raimundus eſt, cum Rainaldus biennio circiter antea obiiſſet.

* Gausberto.

D'AUBEROCHE.

XXIV. GUILLELMUS II.

Vulgo aſſeritur ſedem Petragoricenſem obtinuiſſe ab an. 1099. aut ſaltem 1100. Guillelmum de Alba-Rocha, ſeu de Alba-Rupe, ſed ex dictis

1104. ſequitur, non niſi anno 1104. hanc dignitatem eum aſſecutum fuiſſe. Vir clariſ. Stephanus Baluzius in appendice hiſt. Tutel. col. 877. edidit duas chartas, quarum una ſic deſinit : *Ego Guillelmus de Alba-rocha Petragor. eccleſ. epiſcopus ſubſcripſi. Facta eſt autem hæc donatio an. ab Incarn. Dom.* M. C. IV. indict. XII. Altera de eadem donatione in fine legitur data anno M. C. V. tempore

1107. Guillelmi epiſc. Petragor. An. 1107. Halarando abbati Silvæ-majoris dat eccleſiam de Croiſa in Willadenſi archipresbyteratu ſitam, ex illius monaſterii tabulario. Dat eodem anno præfato cœnobio & Gaufrido abbati eccleſiam S. Martini de

1108. Piſon ſitam juxta fluvium Hela. An. 1108. de conſenſu Heliæ decani, eccleſiam de Eſcaunarco A eidem cœnobio concedit. An. 1109. dat eidem eccleſiam S. Stephani de Cadelhat, & eccleſiam Paſtoris, quæ ſitæ ſunt in archipresbyteratu Bajanenſi. Ex charta Uzercienſi : *Guillelmus Petragorienſis epiſcopus dedit Deo & S. Petro Uzercæ, ac Petro abbati & monachis pro remedio animæ ſuæ & parentum ſuorum, monaſterium Exidolii..... Actum anno Dom. 1110. indict. III.* In Annalibus Petrocor. an. 1115. *Robertus de Arbrucellis* B *ſermonem habuit coram Guillelmo epiſcopo Petroc.... eique tam epiſcopus, quam canonici S. Frontonis dederunt terram ſuam quam habebant in loco Caduino, ut ibi monaſterium fratrum & ſororum ædificaret.* At ille ea omnia quæ tum ab epiſcopo, tum a canonicis, tum a viris nobilibus acceperat tribuit Geraldo de Salis *venerabili magiſtro, ſocio meo, inter neceſſarios amiciſſimo*, inquit, *ejuſque filiis, imo conſervis tam extemporaneis quam ſucceſſuris ;* ejuſque donum confirmarunt 1.° Petronilla Fontis-Ebraldi abbatiſſa, totuſque ejus conventus, 2.° proceres a quibus ea Robertus acceperat ; denique an. 1116. Guillelmus noſter dato hanc in rem diplomate. Obſervandum porro quod in utraque charta ſe S. Frontonis abbatem nominet. An. 1115. tranſigit cum Stephano de Mer-

C corio, cui cedit eccleſiam de Chalard prima die Junii indict. X.

An. 1117. dat Silvæ-majori eccleſiam S. Mariæ de Lopiaco ſitam in caſtellania de Gorſon, & eccleſiam S. Johannis *de Lunes.* Hoc eodem anno S. Aviti eccleſiam conſecrat, ut fert inſcriptio in muro exarata, his verbis: *Anno M. CXVII. Guillelmus epiſcopus Petrocoricenſis de Alba-rupe in honorem B. Johannis Baptiſtæ & S. Johan. Evang. ſexto calendas Januarii hoc altare conſecravit.*

Hoc ipſo anno Hugoni abbati, & monaſterio S. Eparchii donat eccleſiam S. Martini de Salas,

D quæ eſt in honore caſtelli Albæ-terræ in vicaria Piliacenſi juxta parochiam S. Eparchii de Paluel, favore & conſilio Eliæ de Petragorica archidiaconi. *Facta eſt autem hæc donatio an. ab Incarn. Dom. M. C. XVII. indict. XI. regnante Ludovico rege Francorum, Willelmo duce Aquitanorum, Rudello comite Petragoricorum, beatiſſimo papa Paſchali præſidente in urbe Roma,* ex chartulario S. Eparchii.

An. 1121. Pontio abbati & monachis Cluniacenſibus tribuit eccleſiam S. Theodori de Rocaboucort. Dat eodem anno Silvæ-majoris cœnobio eccleſiam S. Hilarii de Menzac. Eidem 1122. dat eccleſiam S. Oricii de Gorzon, quæ

E erat de jure Eccleſiæ Romanæ, ex mandato Boſonis cardinalis, & Geraldi Engoliſmenſis Eccleſiæ Romanæ legati. In chart. Uzercienſi ſic eodem anno legitur: *Guillelmus epiſcopus Petragor. dedit Deo & S. Petro Uzercæ pro remedio animæ ſuæ, & parentum ſuorum monaſterium S. Medardi Abbatiæ, eccleſiam S. Petri de Punchac, & eccleſiam S. Martini de Montazeux, quæ tres eccleſiæ ſitæ ſunt in pago Petragorico .... Actum anno Dom. M. C. XXII.* Cœmeterium pauperum ultra urbis pontem poſitum benedixit. Illius tempore *burgus S. Frontonis & monaſterium cum ſuis ornamentis repentino incendio peccatis id promerentibus, conflagravit, atque ſigna in clocario igne ſoluta ſunt. Erat tunc*

ANNI CHRISTI 1109. 1110. 1115. 1116. *Vide chartam Spicil. tom. II. pag. 321.* 1117. C. II. col. 486. C. III. col. 486.

ANNI CHRISTI

temporis monaſterium ligneis tabulis coopertum, ut fert antiquus Petragor. codex manuſcriptus. Lego inſuper quod Willelmus de *Auba-rocha* epiſcopus Petragoric. dedit S. Mariæ Santonis capellam de Gardona ; ſed nullum habet hæc charta tempus inſcriptum. Obiiſſe an. 1123. aſſerit fragmentum epitomes epiſcoporum a nobis ſæpe citatum. Quinque aut 6. annos inſuper illi aſſerit pater Puteanus hoc fundamento, quod in MS. abbatiæ Cancellatæ, ſeu Fontis-Cancellati dicatur : *Bonæ memoriæ Geraldus de Monte-Lauduno venerabilis & primus abbas de Cancellata, & frater Gerardus Bernardi ſacerdos, qui poſtea fuit ſecundus abbas*, &c. .... *monaſterium de Cancellata .. ædificare cœperunt, atque in feſtivitate ſanctorum apoſtolorum Petri & Pauli .... primos lapides in fundamento hujus ædificii ... poſuerunt, anno ab Inc. Dom. M.C.XXIX. indict. VII. & domino Guillelmo de Alba-rupe venerabili epiſcopo Petracorienſem epiſcopatum procurante.* Si ita eſt, non annos 24. ſed ad minimum 26. pedum illud tenuerit neceſſe eſt.

C. X. col. 491.

XXV. GUILLELMUS III.

DE NANCLARS.

Guillelmus de Nanclars, ſeu ut alibi legitur de Nauclard, pontificatum iniit circa 1130. *Valde laudabilis epiſcopus*, inquit chartul. Cancellatæ.

1131. Anno 1131. litem inter B. Mariæ Santonenſis moniales & S. Martialis Lemovicenſis cœnobitas, occaſione monaſterii S. Silvani ortam, dato diplomate finivit. Quod ut intelligat lector, obſervandum Boſonem Petrocoric. comitem, & Guillelmum qui quartus ante hunc noſtrum præſulem cathedram illam tenuerat, eccleſiam S. Silvani cum appendiciis ſuis, eccleſiæ B. Mariæ Xanton. & Arſendi * abbatiſſæ ejuſdem loci conceſſiſſe, & a prædictis monialibus tranquille poſſeſſam præfatam eccleſiam uſque ad tempus Guillelmi Petragor. comitis, qui illam *monachis S. Martialis* Lemovicenſis pro mille ſolidis vendidit, & illas ab ea armata manu expulit. Re ad noſtrum Guillelmum delata, diem juri dicendo indixit. Præſens adfuit Sibilla S. Mariæ Santon. abbatiſſa; at abbas nec per ſeſe, nec per alios ſtare dignatus eſt. Imo monachi qui S. Sylvani cœnobium occuparant, divenditis omnibus quæ ad illud pertinebant, noctu fugerunt. Unde præfatam eccleſiam monialibus adjudicavit, & poſſidendam tradidit, *anno Incarn. 1131. epacta 20. indict. 9. concurrente 3.* Rem paulo aliter referunt Sammarthani; at quod exhibent, non eſt charta Willelmi, ſed notitia rei factæ, atque adeo noſtra major adhibenda fides. Annales Aquitanici tradunt eum multa paſſum pro cauſa Innocentii II. adverſus Anacletum. In hujus quippe gratiam totis viribus decertabat Gerardus Engoliſmenſis præſul, & Guillelmi comitis potentia fretus, in eos qui Innocentium agnoſcebant, nihil non tentabat. Hunc Guillelmum noſtrum una cum aliis Aquitaniæ epiſcopis ad conſtantiam hortatur Bernardus epiſt. 126. anno 1135. conſcripta. *Dominis & patribus honorandis*, inquit, *Lemovicenſi, Pictavenſi, Petragoricenſi & Xantonenſi, Dei gratia epiſcopis ſanctis, frater Bernardus dictus de Claravalle, conſtantiam in adverſis.* Notat a Gerardo pulſos ſua ſede epiſcopos. *Jam novos apud vos ſuo papæ cudit legatus epiſcopos : ne ſoli ſis ſibi papa. Nec mortuis ſucceſſores, ſed vivis invaſores tyrannica fretus potentia ſuperintrudit.* Aiunt Aquitanici Annales Guillelmum de Nanclars, una cum Pictav. & Lemovic. præſulibus, ſede ſua pulſum, quod alibi non legi. Anno 1134. Piſano concilio interfuit cum pleriſque Occidentis præſulibus, in quo iterum damnatus Anacletus. At in reditu ab hoſtibus, cum innumeris aliis tum epiſcopis, tum abbatibus, captus eſt. Fortunam hanc deplorandam refert ad S. pontificem Innocentium Petrus venerabilis Cluniac. abbas epiſtolarum lib. 1. epiſt. 27. bibl. Cluniac. col. 656. *Horribile ſpectaculum tantas, tamque neceſſarias Eccleſiæ Dei perſonas videre diſtrahi, diſſipari, vulnerari, atque gladiis inſequentibus ubi ubi per diverſa fugari. Epiſcoporum atque abbatum plurimi ad proxima caſtra violenter abducti, & quidem poſt verbera & vulnera, barbarica immanitate incarcerati ſunt, inter quos dominus Remenſis, cui nec ætas nec dignitas adeſſe potuerunt, poſt multas injurias & vulnera turri concluſus tenetur. Dominus Petragoricenſis ſimilia expertus eſt.*

Suæ tandem ſedi redditus, novum tumultum expertus eſt : *Domus* enim *bladagii S. Frontonis*, inquit epitome, *quæ erat in clauſtro, ab Helia Rudello comite, & a burgenſibus confracta eſt*, aſportataque grana omnia fratrum uſibus deſtinata. Res adeo nefanda omnibus viſa, ut præfati comitis *mater comitiſſa*, Gaſconia nomine (alias Brunechilda de Foix,) omni pudore abjecto, coram eodem epiſcopo in conventum publice *abaſtavit*, (alia lectio) *abaſtardavit, dicens quod non erat filius Heliæ comitis.* Litteras cum ſuo metropolitano, aliiſque Burdegalenſis eccleſiæ ſuffraganeis accepit a Ludovico Juniore an. 1137. quibus tam ipſis quam provinciæ abbatibus electionis libertatem & jura regalia concedit. Vide inſtrum. col. 280. Eodem anno interfuit fundationi monaſterii S. Mariæ de Faëzia ord. Ciſterc. diœceſis Burdigal. factæ a P. * vicecomite de Caſtellione. Abbatiam Cancellatæ plurimum dilexit, ubi altaria novæ baſilicæ conſecravit, & vota Gerardi de Monte-lauduno ordinem canonicum ſub Auguſtiniana regula profitentis excepit an. 1133. & S. Sulpitii, ac S. Innocentiæ eccleſiam largitus eſt. Memoratur cum aliis epiſcopis in bulla Lucii papæ confirmantis donationes factas monaſterio Fontebraldenſi, ex chartular. loci. Interfuit ſynodo Burdegalenſi cum Vaſconiæ archiepiſcopis & præſulibus, in cauſa monaſterii Genevenſis. De eo denique hæc refert epitome : *Hic epiſcopus primus inſtituit fieri ſcrutinium in ſacris ordinibus. Item inſtituit ut omnes agricolæ darent convivium pro pace obſervanda.* Addit eadem epitome, obiiſſe anno Domini 1138. 4. calend. Januar. & in eccleſia S. Frontonis ſepultum fuiſſe. Verum quod ibidem habetur Guillelmum Petragoricenſem eccleſiam an. 24. rexiſſe, ſtare nequit cum iis, quæ ſupra diximus, & probavimus.

* Herſendi.

* Petro.

1137.

C. X. col. 491.

1138.

ANNI CHRISTI DE CAUZE.

XXIV. GAUFREDUS.

Gaufredus de Cauze nobili genere natus, poſt Guillelmum de Nanclars Petragoric. ſedem tenuit. Ejus tempore fratres Militiæ Templi in terram Petragor. primitus advenerunt, quibus data eſt eccleſia S. Mauricii de Andrivallo, *in qua quondam monachæ habitaverant*, inquit epitome, *ſed propter earumdem irreligioſitatem & incontinentiam eam reliquerant deſolatam*, idque anno 1139. Etiam ſecundum Cancellatæ abbatem benedixit; ejuſque cœnobio locum de Merlandia univit; eccleſiam de Delandia a prædicto abbate conſtructam conſecravit, primus in ea ſacrificium fecit, & cœmeterium benedixit, ut ex chartis MSS. ejuſdem cœnobii eruitur. Vitam cum morte com-
1142. mutavit anno Domini 1142. v. cal. Septembris, ſepultus in ſancto Frontone. Rexit eccleſiam annos 2. menſes 8. dies 11. Gaufridus epiſcopus Petragor. nominatur in chartulario S. Eparchii anno 1142. eo ipſo quo defunctus eſt; ſic porro habet charta: *Gaufridus epiſcopus Petragoræ Willelmo abbati S. Eparchii confirmat eccleſiam* B. Mariæ de Themoleto, cum aliis eccleſiis in diœceſi Petrag. ſitis. *Facta eſt autem hæc charta anno ab Incarn. Dom. M. CXLII. ind. V. epiſcopatus vero D. Innoc. papæ II. XIII. regnante Ludovico rege Francorum & duce Aquitanorum.* Quam ceſſionem roboravit Gaufridus Burdegal. archiepiſcopus anno ſequenti.

XXVII. PETRUS I.

Raimundum anno 1142. Gaufredo ſucceſſiſſe aſſerunt Sammarthani, affirmat & jam ſæpe citata epitome: verum id ſtare nequaquam poteſt cum charta S. Amantii, *de Fonte Joannada*, qua *Petrus epiſcopus Petragoric. an. ab Inc. Dom. M. C. XLVI. Jub papa Eugenio III. regnante in Francia Ludov. in Petragora urbe Boſone & Helia Rudello conſulibus*, confert abbati Petro Titimundi * & monachis S. Amantii locum, qui fons Joannada dicitur. Certe de Raimundo nihil habetur ante 1147. Dici ergo poteſt ab anno 1142. ad 1146. exeuntem, aut ineuntem 1147. pedum tenuiſſe Petrum. Nec eſt epitomæ, charta certiſſima repugnante, fides adhibenda, quæ in computandis Raimundi annis aperte aberrat; enimvero cum annos 17. Petragoræ ſediſſe affirmat, quod vel ex ipſius computo manifeſte falſum eſt. *Poſt hunc*, inquit, *ſucceſſit in epiſcopatum Raimundus de Marollio & rexit eccleſiam annos 17. & poſtea exſtitit Burdigal. archiepiſcopus annis duobus paulo plus. Obiit autem anno Domini 1158. X. cal. Januar.* Petragoricenſem ergo eccleſiam rexit annos 17. ſi quidem illis elapſis ad ſedem Burdegal. tranſlatus eſt, & an. 1158. nondum expleto defunctus eſt. Ejus ergo tranſlatio ad annum 1156. alliganda eſt. Porro ab an. 1142. ad 1156. non 17. ſed 15. ad ſummum anni intercedunt.

* Litimundi.

DE MARUIL.

XXVIII. RAIMUNDUS III.

Raimundus de Marollio, aut de Maiolo cœnobio Cancellatæ eccleſias de Artentia, & S. Severini de Blis, & S. Vincentii conceſſit, illiuſque eccleſiam *in nomine S. & individuæ Trinitatis, & in honore B. Johannis Bapt. & S. Frontonis patris noſtri anno Dom. 1147. IV. idus Oct. conſecravit.* An. 1148. nominatur cum Bernardo Xantonenſi in litteris Alberti abbatis S. Martialis Lemovicenſis, eccleſiam S. Silvani parthenoni B. Mariæ Santonenſis plene & æternum reſtituentis. Diploma Gaufredi Burdigal. epiſcopi, in concilio Carrofenſi v. cal. Aug. an. 1147. ind. X. epiſcopatus an. 12. hanc in rem datum ſubſignavit, & ſincerum teſtatus fuerat cum Bernardo Xantonenſi. An. 1149. Burdigalenſi concilio, una cum Gil- 1149.
berto Porretano Pictavienſi, quem pro viribus Vide initr. col. 281.
anno præcedenti in Remenſi ſynodo defenderat, Helia Agennenſi quem 3. ante diebus conſecrarat, & Bernardo Xantonenſi interfuit. Anno 1150. 1150.
cum Gaufredo Burdig. Gilberto Pict. & Hugone Engoliſm. factæ inter Coronæ abbatem & Fontebraldenſem abbatiſſam compoſitioni præſens fuit & ſubſcripſit. An. ſequenti interfuit ſynodo Belgentiacenſi cum ſuo metropolitano, in qua cognationis cauſa decretum eſt Alienordem Aquitaniæ duciſſam inter & Ludovicum juniorem Franciæ regem divortium. Eodem an. 1151. eccleſiam de Quinciaco confirmat Hugoni abbati Uzerciæ ex chart. hujuſce monaſterii. Memoratur & in charta, quæ hoc tempus habet adſcriptum M. C. LIII. ind. 1. epacta 23. Gilberti Porretani funera ſua præſentia cohoneſtavit an. 1154.[a] Eccleſiam B. M. de 1154.
Cadunio ord. Ciſterc. in ſua diœceſi conſecravit [a]
die Dom. 5. non. Octobr. ejuſdem anni 1154.
An. 1158. defuncto Gaufredo Burdigal. archiep. 1158.
cum de eligendo ſucceſſore illius eccleſiæ canonici inter ſe convenire non poſſent, jus electionis pro hac vice Raimundo noſtro & Engoliſm. Pictav. & Agennenſi præſulibus commiſerunt. Quibus de eligendo deliberantibus adfuit Henricus Angliæ rex, cum Alienorde matrimonio dux Aquitaniæ, qui Johannem Sechium Pictavienſem ludimagiſtrum propoſuit, ac ut eligeretur vehementer obteſtatus eſt; ſed vano irritoque conatu, præſules namque unanimi conſenſu Raimundum noſtrum elegerunt. Reliqua ejus acta ex Burdigalenſibus archiep. repetenda. Hic addendum primo quod an. 1158. P. abbati S. Æmiliani conceſſit eccleſiam S. Aviti de Tyraco. 2°. quod habet Petrocorienſium epiſcoporum epitome: *Hujus tempore Henricus Anglorum rex habuit de theſauro eccleſiæ S. Frontonis tabulam quamdam argenteam, in qua erant 12. apoſtoli figurati.* Sub hoc inſuper *Boſo comes Petragoricenſis ſupra locum arenarum Petragoræ magnam turrem & excelſam conſtruxit.*

D'ASSIDA.

XXIX. JOHANNES I.

Raimundo ad ſedem Burdigalenſem tranſlato, ſucceſſit Johannes de Aſſida de Surat ſcholarum Pictavienſis eccleſiæ magiſter; & quidem an. 1160. 1160.
ut conſtat ex charta ſequenti, qua confirmavit donationem factam G. abbati & fratribus de Cancellata ab Iterio de S. Aſterio & filiis ejus Gaufrido & W. *teſtibus Archembaudo de Saleniaco, & Petro*

[a] Col. 1154. legitur Heliam epiſcopum Petracoricenſem Gilberti Porretani funeri adfuiſſe ex quodam MS. codice, ſed aut Raimundus binominis erat, & vocabatur quoque Helias, aut mendum eſt in hoc codice, nam certiſſime conſtat Raimundum fuiſſe Petroc. epiſcopum an. 1154. prius & poſtea.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

Minetis archidiacono, Aimerico de Saleniaco canonico S. Stephani, Helia de Faja canonico ſancti Aſterii, Helia Deudrier priore de Merlandia, & aliis. Anno ab Incarn. Dom. M. C. LXII. ind. X. Rom. pontif. D. Alex. III. Ludovico rege Francor. Henrico rege Anglorum & duce Aquitanorum, epiſcopatus vero noſtri anno III. Anno 1163. dedit Deo & S. Petro Uzercæ eccleſiam S. Angeli, ex ejuſdem monaſterii chartis. Eodem anno idem Johannes conſilio fratris ſui Giraldi Caturcenſis epiſcopi confirmat Petro jus præſentandi capellanos ad eccleſias S. Medardi, S. Remigii, S. Martini de Montezens; quaſdam quoque parochias Eliæ Cancellatæ abbati donavit. An. 1165. Petro de Didonia Silvæ-majoris abbati, Belli-podii eccleſiam iterato ceſſit. Graudimontenſis eccleſiæ conſecrationi interfuit *anno 1166. pridie nonas Octobr. Dominica die*, ex chronico Gaufredi prioris Voſienſis cap. 66. at Labb. ſcribendum arbitratur *1168.* aut certe legendum *ſexto nonas.* Memoratur in charta Heliæ abbatis Cancellatæ eodem anno 1166. Helia conſule in Petragorica civitate. In tabulario S. Eparchii Engoliſmenſis Johannes Petragor. epiſcopus, Petri prioris de Circulo, & fratrum ejuſdem monaſterii petitionibus adquieſcens, donat Geraldo abbati S. Eparchii & fratribus de Circulo eccleſiam S. Mariæ de Maiſos, cum pertinentiis ſuis, de conſilio Iterii archidiaconi Petragor. an. Incarnat. Dom. 1169. Alexandro III. papa, Ludovico rege Francorum, Henrico rege Anglorum duce Aquitanorum. Cum jam hæretici ac pravi homines regiones illas infeſtarent, haberentque perfugium caſtrum aliquod ſuo ſitu munitiſſimum, *Gavaudum* nomine, ejuſmodi peſtibus diœceſim ſuam expurgare volens, collecta armatorum manu, caſtrum expugnavit, ac funditus ſubvertit. Factum memoria dignum, ac his verſibus in epitaphium conſcriptis, commendatum poſteris:

Perpetuis annis laus eſt celebranda Johannis,
. . . . . urbem decoravit & Orbem;
Quippe Gavaudunum, cui par, vix credo, vel unum,
Saxo disjecit, poſt non habitabile fecit.

Obiit anno Dom. 1169. 5. nonas Maii, & ſepultus eſt in civitate Petragorica per violentiam, inquit epitome. Orta quippe eſt pro ejus ſepultura grande jurgium inter cathedralis capitulum & S. Frontonis eccleſiam. Vicere majoris-eccleſiæ canonici. Litem movere Frontoniani, magnis quidem ſumtibus, ſed irrito conatu. Hoc epitaphio, in pila prope ipſius ſepulcrum inciſo decoratus eſt: *Anno ab Incarn. Dom. M. C. LXIX. 2. die Maii obiit Dom. Johannes hujus eccleſiæ epiſcopus: ſedit autem in epiſcopatu novem annis, ſeptem diebus minus.* A latere duo adhuc carmina leguntur:

Pictavia natus præſul hic pauſat humatus,
Filius ergo Dei propitietur ei.

XXX. PETRUS II.

Petrus Minetis, qui & Monetus, & Mimes, Petri Bleſenſis conſanguineus erat, ut ex hujus ad illum data epiſtola 34. conſtat: ſic enim ſert titulus: *Reverendiſſimo domino & patri Petro Petragoricenſi epiſcopo Petrus Bleſenſis, ſuorum conſanguineorum, ſimo & ſervorum minimus, ſalutem,* &c. & in epiſtolæ contextu ſic legitur: *Me in veſtræ magnificentiæ parentela minimum, & quaſi inter ceteros abortivum benigniore tandem oculo reſpexiſtis.* Ad ſedem porro Petragoricenſem ex archidiacono, ut probat relata Johannis charta, evectus eſt an. 1169. quo an. dat Petro abbati Silvæ-maj. eccleſiam ſancti Martini de Cumbis, teſte Iterio decano. An. ſequ. adfuit dedicationi eccleſiæ S. Amantii de Buxiis ex illius loci tabulario. Vide tom. x. concil. Labb. p. 1451. Delectus eſt ad deducendam Eleonoram Henrici II. Angliæ regis filiam Alphonſo Caſtellæ regi matrimonio junctam, una cum Burdigalenſi metropolitano, aliiſque Aquitaniæ proceribus; atque in Hiſpaniam profectus eſt hoc anno vel ſequenti. Eodem anno 1170. præſente Ademaro de la Tor, ſive de Turre, Petragoricenſi archidiacono, ut judex apoſtolicus, controverſiam inter Vazatenſem epiſcopum ex una parte, & priorem ac conventum S. Petri de Regula ex alia parte, pro eccleſiæ de Gironda patronatu definit, ex chartis Regulæ. Interfuit poſitioni primi lapidis eccleſiæ B. M. de Corona 1171. Alexandro III. pontifice. S. Alveræ martyris altare conſecravit anno 1172. ut fert inſcriptio lapidi in muro inciſa. *Ab Incarn. Dom. M. C. LXXII. . . . . Petrus Dei gratia Petracoreuſis epiſcopus in honorem B. Mariæ, & ſancti Jacobi apoſtoli, & S. Marii, & S. Blaſii, & S. Catharinæ virginis VI. nonas Julii hoc altare conſecravit.* Bernardo priori & fratribus univerſis eccleſiæ S. Johannis de Cola regularem vitam profeſſis, eandem eccleſiam cum omnibus pertinentiis ſuis auctoritate pontificali confirmavit: *Attendens quod eadem eccleſia, a ſui fundatione, eccleſiæ Petragoricenſi in omni evocatione ſubjecta hactenus exſtitit, ad exemplar prædeceſſoris ſui piæ recordationis Johannis. . . . . Actum hoc Petragorii anno ab Inc. Dom. M. C. LXXIII. epiſcopatus Dom. Alexandri papæ III. an. XV. noſtri vero anno V. Ludovico rege Franc. regnante, & Henrico rege Anglorum ducatum Aquitaniæ gubernante.* Ex hoc inſtrumento quod legimus in archivis S. Johannis de Cola, confirmatur tempus ordinationis Petri in epiſcopum: eccleſia hæc inſignis eſt prioratus canonicorum Regularium diœc. Petrag. qui ſedente Guillel. le Boux ep. fuit unitus congregationi Gallicanæ. In inſtrumento laudato, & in bulla quadam pontificia, hæc recenſentur tanquam pertinentia ad hanc S. Johannis præpoſituram: eccleſia S. Petri de Cola, capella S. Saturnini de Bruſac, eccleſiæ S. Martialis de Villars, S. Frontonis de Ribeiria, S. Saturnini de Tregonaut, S. Aniani de Chalez, S. Georgii, S. Martini de Fraiſenjas, & capella S. Leonardi de Jauvens. Petrus inter Geraldum abbatem de Cancellata & Bartholomæum priorem S. Mariæ Caſtalienſis componit ſuper locum qui Faïetum dicitur: *Facta ſunt hæc in civitate Petrag. in epiſcopii noſtri capella, an. ab Inc. M. C. LXXV. concurrente 2. epacta 26. ind. 8. videntibus & audientibus Petro Mimeth Petrag. eccleſiæ archidiac.* (forſan Petri conſanguineo) *& Archambaudo Petragoric. eccleſiæ archidiacono,* &c. Anno 1176. epiſcopatus ſui octavo, donat Willelmo Arnaldi abbati S. Æmiliani eccleſiam S. Geraldi de Curvo.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

Anno 1177. eccleſia S. Amandi de Buxia a Bernardo Burdegalenſi archiepiſcopo conſecratur, aſſiſtente Petro noſtro, inquiunt Sammarthani. In cœnobium Cancellatæ fuit munificus; ejus archimandritam Geraldum benedixit, eique locum Cantamerlæ de Fata, de Capefrico, de Girauno pro conſtructione eccleſiæ ceſſit. Denique an. 1178. in ea eccleſia altare benedixit, *in nomine Dei & honorem S. Crucis, & S. Marii, & S. Martini, & S. Catharinæ virginis, & S. Thomæ Cantuarienſis*: ex tabulario Cancellatæ. An. 1180. reperitur Petrus Petragor. epiſcopus in charta Plaſtufi de la Serenes. Deceſſorum ſuorum oſſa e capitulo baſilicæ ſancti Frontonis levavit, & in lapideum ſarcophagum eccleſiæ S. Stephani juxta ſacellum B. Catharinæ tranſtulit; ibi & altare S. Caſſani conſecravit. Eodem ſedente Henricus Anglorum rex, cum filiis Henrico juniore, Richardo duce Aquitanorum, Gofredo comite Britanniæ, Arragonum rege, & Ermengarda domina de Narbona, podium S. Frontonis obſedit, ex ſæpe citata epitome, quæ hic deſinit. Quanto tempore pedum tenuit incertum. Sic habet epitome. Rexit eccleſiam annos 12. menſes 5. & dies 22. obiitque anno Domini 1182. 3. idus Apr. & ſepultus eſt in eccleſia S. Stephani. Sic vero refert Gaufredus in altera parte chron. cap. 1. *Tumulato Petro, qui cognominabatur Milvet ſeu Minetus, pontifice Petragorico, Dominica qua cantatur*, miſericordia Domini, *quæ evenit 3. Aprilis, ipſa feria tertia, Richardus cum paucis ſuis podium S. Frontonis viriliter expugnavit, quia Elias Talayrandus inimicis illius favebat. Supra dictus pontifex Petrus conditus eſt in urbis cathedrali eccleſia, ubi primum Johannes, cui per 14. annos ipſe Petrus ſucceſſerat.* Hic 14. annos, epitome vero non omnino 13. pontificatus ejus aſſignat. Quid quod in charta veteri reperio Petrum epiſcopum Petragoric. arbitrum concordiæ inter Clarium abbatem S. Emilionis & R. * abbatem Faeſiæ anno 1188. niſi in temporis inſcriptione error irrepſerit.

1177. 1178. 1180. 1180. 1188.

* Ranulfum

XXXI. Ademarus.

Hic noſter Ademarus cenſeri poſſet idem eſſe cum eo Ademaro de la Torre, qui ſub Petro archidiaconus erat, & præſens fuit ſententiæ latæ in negotio Vaſatenſis epiſcopi & cœnobii de Regula. Is quoque eſſe videri poteſt, de quo in veteri necrologio metropolitanæ S. Andreæ Burdegalenſis eccleſiæ: *v. nonas Octobr. obiit Ademarus canonicus hujus eccleſiæ & epiſcopus Petragoricenſis.* Bullam confirmationis eccleſiæ Petrocorienſis privilegiorum ac jurium ab Urbano III. accepit, quam ex archetypis tabulis ſuo loco referemus. Tranſlationi reliquiarum S. Stephani de Mureto, ſeu de Grandimonte interfuit an. 1189. ut refert Guido apud Puteanum, his verbis: *Circa finem menſis Auguſti ſub annum Domini 1189. * celebravit digno cum honore revelationem corporis S. Stephani confeſſoris, cum proceſſione ſolemni, convocatis & præſentibus ibidem 3. archiepiſcopis, ſcilicet Henrico Bituricenſi, Helia Burdegalenſi & Raimundo Apamienſi, qui apud Grandimontem de partibus tranſmarinis exul advenerat; necnon ſex epiſcopis Silvando * Lemovic. Guillelmo Pictavienſi, Ademaro Petracoricenſi, Gerardo Cadurcenſi, Bernardo * Agennenſi, cum multis abbatibus & religioſis.* Nominatur Ademarus epiſcopus Petragoric. 1190. indict. VIII. concurrente 7. anno quo Reges profecti ſunt Jeroſolymam, in charta Richardi Angliæ regis, qua ſalvitas datur monaſterio S. Severi, ex ejuſdem cœnobii chartul. An. 1194. dat P. abbati Silvæ-majoris *eccleſiam S. Petri de Siorac*, cum capella *& omnibus pertinentiis ſuis*, ut ex illius monaſterii charta infra referenda patet. Eodem anno eccleſiam ſancti Martini de Limeüil dedicavit, ut patet ex inſcriptione lapidi inciſa, quam refert Puteanus in Ademaro. *Anno ab Inc. Dom. M. C. XCIV. ind. XII. concur. 5. epacta 26. III. cal. Febr. die Domin. Luna IV. dedicata eſt hæc eccleſia & altare a D. Ademaro Petracoricenſi epiſcopo, in honorem S. Trinitatis, & S. Mariæ virg. & S. Martini epiſcopi & confeſſoris, & B. Pauli apoſtoli, & B. Thomæ archiepiſcopi & martyris, & S. Catharinæ virg. & mart. & omnium ſanctorum Dei, Herbarbo de Villars hujus eccleſiæ diacono * exiſtente, Philippo rege Franc. imperante, Richardo rege Angliæ ducatum Aquitaniæ tenente, Elia Taleyrando Petracoriorum comite, in metropolica Burdigalenſi Elia reſidente.* An. 1201. cum Helia Burdigalenſi, diſſidii inter Pontiniaci & Cadunii abbates arbiter eligitur, ut legere eſt in charta IV. Sarlatenſi, col. 499. In nonnullis indicibus obitum ejus anno 1197. adſcriptum lego. Sed citius ex dictis. In Silvæ-majoris necrologio dies annotatur v. nonas Maii.

1194. C. VI. col. 488. * f. decano. 1201.

XXXII. Raimundus IV.

De Chasteauneuf

Raimundi nomen & conſecrationem nos docet charta Coronæ ſuperius laudata; tempus quoque conſecrationis ejus & locum tenemus, ipſiuſque conſecratores his verbis: *An. M. C. XCVII. convenerunt ad eccleſiam de Corona cauſa conſecrationis ſuæ Ademarus de Peirato electus Pictav..... & Raimundus electus Petragoric. Sed iſte quidem* (Raimundus) *per manum Heliæ Burdig. archiepiſcopi, dominique Johannis Engoliſmenſis, Santonenſis & Cadurcenſis epiſcoporum conſecrationem accepit*, &c. His opponitur quod modo dicebamus de Ademaro uſque ad an. 1201. in charta Sarlatenſi notato; ſed forte mendum irrepſit in anno chartæ inſcripto, vel Ademarus tunc abdicarat, retento epiſcopali titulo. Ceterum ſuſpicari non poſſumus corruptas eſſe chartæ monaſterii de Corona chronicas notas, tardiuſque conſectatum Raimundum, ſcilicet anno ad ſummum 1201. nam conſtat Ademarum electum Pictav. eodem tempore acceſſiſſe ad hoc monaſterium conſecrationis gratia; qui cum hic conſecrari non potuiſſet, Romæque inauguratus fuiſſet, mox repedans *ad urbem propriam* veneno eſt exſtinctus; cujus loco jam ſuffectus erat anno 1198. Mauricius.

1197.

Quæ diximus de Raimundi epiſcopatus exordio confirmant duæ chartæ pro Cancellata, quarum una, quæ eſt Heliæ de Bordela, & Ebbonis filii ejus militum, data legitur an. 1202. Chriſti, & quinto pontificatus Raimundi: altera qua ipſe Raimundus dat boſcum de Anemada, P. abbati Cancellatæ, &c. teſtibus G. decano Burdigalenſi,

1202.

* melius 1188. vide col. 647.

* Lege Salbrando.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

Lamberto archidiacono Petracoricenſi, S. de Auriac priore de Cancellata, &c. annum ab Incarn. 1203. præfert, quem noſter præſul ſextum ſui pontificatus appellat.

De hoc epiſcopo Innocentius III. ita ſcribit 1208. archiep. Turonenſi, anno 1208. *Gravis clamor ad aures noſtras perveuit de epiſcopo Petrag. quod præter multa gravia & enormia quæ de ipſo publice dicebantur, uſque adeo erat negligens & inutilis circa officium paſtorale, ut ..... ex ipſius defectu gregi ſibi commiſſo multiplex periculum immineret; quod ipſe fortaſſis intelligens, per nuntium ſuum a nobis petiit licentiam reſignandi: ſed cedendi facultate conceſſa, cedere non curavit. Cum autem eo noviſſima ſua pejora prioribus faciente, clamor gravius invaleſceret contra ipſum..... Bituric. archiepiſcopo, &.... priori Grandimontenſi dedimus in præceptis, ut eum inducerent ad cedendum, alioquin compellerent ut infra 3. menſes..... apoſtolico ſe conſpectui præſentaret. Cum poſt elapſum ſpatium 3. menſium monitioni non acquieviſſet, demum ipſum ſuſpenſionis ſententia perculerunt: qui illis intimavit quod iter arripuerat ad ſedem apoſtolicam, ſed ita eum in via quartana febris invaſit, quod ſine periculo mortis cæptum iter non poterat conſummare, & ſic illicentiatus ab eis ad Petrocor. eccleſiam reverſus eſt, ubi poſt latam ſententiam ſuſpenſionis in eum, beneficia multa dedit, & de bonis ipſius non pauca diſtraxit. Quæ omnia ſtudeas legitime revocare,* inquit Innoc. Turon. præſuli; *et ſi de inſufficientia & inutilitate ejus tibi poſſit plene liquere, ipſum ab adminiſtratione Petracoric. eccleſiæ, appellatione poſtpoſita, removere procures, & ei facias per electionem canonicam de perſona idonea in epiſcopum provideri.* Data eſt hæc epiſtola VII. idus Januar. anno decimo, hoc eſt, anno 1208. Quod S. Pontificis decretum exſecutioni demandatum fuiſſe videtur, ac Raimundum e ſede ſua dejectum, eique ſuffectum Ramnulphum de Las Tours, ut mox dicemus.

De Las Tours.

XXXIII. Ramnulphus.

Ramnulphus, qui & Radulphus de Las Tours ſeu de Turribus ex prænobili familia Lemovicenſi de Laron, in quam domus de Turribus prædia & inſignia cum unica herede, derivarunt, natus eſt, ut ex Gaufredo Voſienſi priore chron. parte prima cap. 3. & 6. patet. Ejus genealogiam legeſis in chron. Gaufredi Voſ. cap. VI. t. 2. bibl. Labbei, pag. 281. ubi tamen vir doctus hallucinatur in hac nota inſerta: *Hic Guido fuit epiſcopus Petragoricenſis*, pro *hic Radulphus.*

Hunc noſtrum Ramnulphum clericum fuiſſe conſtat, imo & in Minorum ordine profeſſum fuiſſe aſſerunt Sammarthani, Puteanus, aliique; negant viri alii periti. Certe anno tantum 1209. confirmatum fuiſſe S. Franciſci inſtitutum, illudque propagatum fuiſſe antea in Galliis vix credi poteſt, ut ex hoc ſodalitio anno 1210. Ramnulfus aſſumeretur ad Petragor. cathedram. Ut ut eſt, 1210. ad hunc pontificatum evectus eſt anno 1210. uti ex mox dicendis patebit; & quidem in locum Raimundi deceſſoris ob negligentiam, variorum criminum famam, & pertinaciam depoſiti. Suos tamen habuit fautores dejectus, qui nihil non tentarunt, ut Ramnulphi conſecrationem impedirent, uti patet ex Innoc. III. epiſtola 92. lib. 13. Anno 1211. in donatione Petri de S. Aſterio facta S. abbati & fratribus Cancellatæ, ſic tempus inſcribitur: *Anno M. CC. XI. epacta IV. ind. XIV. Innoc. III. papa, pontificatus vero noſtri anno 11.* Tertio ſui pontificatus anno confirmat donationem Archambaldi comitis Petragoricenſis in extremis laborantis, factam S. abbati Cancellatæ, *anno gratiæ M. CC. XII. Innocentio Eccleſiæ Romanæ præſidente, Philippo rege Francorum, J. rege Anglorum.* 1212.

Anno 1214. ſubjugata ſunt a comite Monsfortis quatuor caſtra, Doma videlicet, Monsfortis, Caſtrum-novum & Bœnacium in diœceſi Petragoricenſi, in quibus a centum annis & antea, ſedes fuerat Satanæ. Ab his egreſſa fuerat iniquitas ſuper faciem terræ. At his ſubjugatis.... reddita eſt pax Petragoricenſibus, nec illis ſolum, ſed etiam Caturcenſibus & Agennenſibus & Lemovicenſibus pro magna parte. Is eſt haud dubie R. Laſtor epiſcopus Petrogor. qui cum P. Roſſignol eccleſiæ Engoliſmenſis decano electus eſt an. 1216. unus e commiſſariis pro laudanda vel reprobanda Alelmi in abbatem S. Martialis electione. Ramnulphus epiſcopatus ſui anno 8. donationes a Bertrando & Arnaldo de Monte-inciſo militibus, S. abbati & fratribus de Cancellata factas confirmat: *Anno ab Incarn. M. CC. XVII. Honorio papa III. Eccleſiæ Romanæ præſidente, Philippo rege Francor. Henrico rege Anglorum.* Idem Ramnulphus confirmat donationem factam monaſterio Cancellatæ a D. Raimundo de Caſtro-novo quondam Petrag. epiſcopo in caſtellania de Monte-inciſo, & parochia de Relac. Quam donationem Fortanerius nepos Raimundi epiſcopi approbavit. *An. gratiæ M. CC. XX. in fornello laïcorum apud Cancellatam, præſentibus P. abbate de Cancellata, & abbate de Caſtris, Gauterio de la Rocha priore de Cancellata, P. d'Autafort cellerario*, &c. ex charta Cancellatæ. Fratres Minores in urbem advocat, & eorum conventûs primum lapidem imponit hoc eodem anno. Triennio poſt memoratur in chartulario Dalonenſi fol. 16. & anno gratiæ 1228. menſe Sept. anno XIX. pontific. denique 1231. in feſto S. Egidii *pontificatus noſtri*, inquit, *anno XXII.*

Petrus Vallium Cernaii hiſt. Albig. cap. 80.

1214. 1216. 1217. 1220. 1223. 1231.

XXXIV. Raimundus V.

De Pons.

Raimundus de Pons, Bertrandi domini de Pontibus, cognomento Fortis, & Eliſabethæ Toloſanæ filius, Pontii præſulis Santonenſis germanus, fuit Petrag. epiſcopus, ac deinde cardinalis. Quo vero anno pontificatum obtinuerit, tanta in auctoribus & monumentis eſt confuſio, ut vix definiri poſſit. Renuntiatum epiſcopum an. 1223. aſſerunt Sammarthani; imo & citius, anno ſcilicet 1220. ejus initium alligat charta hominii a Willelmo & Iterio, necnon Pontio de Rupe fratribus redditi, cujus tempus ſic inſcribitur: *Actum præſentibus venerabili H. abbate Sarlat. & J. decano Petragoricenſi. Datum Petragor. an. Dom. M. CC. XXXII. in octavis apoſtolorum Petri & Pauli, pontific. noſtri an. XIII.* Quæ ambo cum dictis in ejus deceſſore ſtare nequaquam poſſunt, niſi dicamus Ranulfum aut Radulfum

Sammarth.

1223. 1232.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

Radulphum abdicaſſe, & poſt ceſſionem, ut fit, titulum ſedis epiſcopalis retinuiſſe. Denique Raimundum a Greg. IX. creatum Romanæ Eccleſiæ cardinalem anno 1227. aſſerit Gallia Purpurata. Anno 1232. XV. cal. Novembr. capitulum ſancti Stephani Petragor. donum eccleſiæ S. Stephani de Senſant a noſtro R. factum confirmat.

DE S. ASTIER.

XXXV. PETRUS II.

Petrus de S. Aſtier ex nobili proſapia dominorum de S. Aſterio, Raimundo ſucceſſit, vir ob probitatem, integritatem ac pietatem magnæ apud B ſuos populares exiſtimationis. In charta B. Mariæ
1234. de Groſſo-boſco memoratur an. 1234. Anno ſequenti inſcribitur in chartis S. Florentii Salmurienſis cum Itherio decano. Erat apud Compen-
1240. dium an. 1240. menſe Julio, ut patet ex regeſto XXXI. archivi regii Pariſ. fol. 112. In charta abbatiæ Caſtrenſis Petrus epiſcopus Petrag. permittit Johanni priori Caſtrenſi recipere in ſuæ eccleſiæ canonicum Stephanum Laſcons. *Datum VIII. cal. Sept. an. M. CC. XLIII.* Illius quoque mentio fit in charta B. Mariæ de Groſſo-boſco *VI. idus Auguſti M. CC. XLVI.* Eodem anno ex charta S. Eparchii C conciliat R. Eparchianum abbatem cum Petro de Charnato donzello: *Actum apud Soletum in ca-*
1246. *mera præceptoris, nonis Oct. M. CC. XLVI.* Cum Iterio abbate Albæ-terræ concordiam facit V. cal. Febr. 1249. ex S. Eparchii chartulario. Ex eodem, inter Robertum abbatem S. Eparchii, & Eliam de Gorvilla militem componit *an. 1258.*
1257. XVI. cal. Aug. An. 1257. confirmat donationem Sancii de Malo-monte militis factam fratribus de Petroſa VIII. cal. Martii. Anno 1261. ut fert ipſius reſcriptum: *Cum de corpore B. Frontonis primi pontificis Petragoric. longis retro temporibus fuiſſet a pluribus dubitatum, utrum in eccleſia ſua* D *eſſet.... quibuſdam ex ignorantia, aliis ex malitia dicentibus ipſum a Normannis fuiſſe ablatum. Nos, & capitulum, & burgenſes podii S. Frontonis, volentes de hoc habere certitudinem pleniorem..... pridie cal. Maii, devote prædictum ſepulcrum intrantes..... aperuimus cum magno labore tumulum lapideum, in quo per famam publicam, & alias conjecturas ſacratiſſimum corpus requieſcere firmiter credebamus; & invenientes in prædicto tumulo magnam capſam ligneam fortem & bene ferratam, ipſam aperuimus. Reperientes in ea magnam aliam capſam plumbeam, in qua invenimus, ſicut ſperabamus, ſanctiſſima oſſa corporis integra, & per Dei gratiam incorrupta, & magna fruſta capitis ſolida atque* E *firma.... Quas reliquias repoſuimus in ſepulcro & tumulo de quibus extraxeramus, eaſdem ſervandas ibidem, quo uſque in capſa nobili reponantur, quod erit in brevi, Deo concedente.....Omnibus injungimus, ut feſtum hujus tranſlationis in vigilia Philippi & Jacobi....perpetuis temporibus ſolemniter celebretis: nos enim omnibus prædictum feſtum pie & cum devotione celebrantibus 40. dies de injunctis ſibi pœnitentiis miſericorditer relaxamus. Datum VI. nonas*
1261. *Maii an. Dom. M. CC. LXI.* Duplex inventa in tumulo lamina, plumbea altera, cuprea vel ærea altera. In prima legitur: *Hic jacet corpus B. Frontonis Jeſu-Chriſti diſcipuli, & B. Petri in baptiſ-*

ANNI CHRISTI

mate dilecti filii. In altera idem habetur, ſed & additur: *Ex Lycaonia regione orti, de tribu Juda, ex Simone & Frontonia. Obiit VIII. cal. Novem. an. 42. poſt paſſionem Domini J.* quæ recentiora & ſequiora tempora redolent. Nominatur Petrus epiſcopus in chartulario Bituricenſi anno 1262. 1262.
fol. 99. verſo. Anno ſequenti Almoidi abbatiſſæ S. Mariæ de Ligurio proficiſcenti ad eleemoſynas in diœceſi Santonenſi colligendas, delato ſecum S. Simeonis brachio, litteras teſtimoniales dedit ad Pontium epiſc. Xanton. die Lunæ poſt Domini- C. V. tom 388.
cam, *Invocavit me*, an. Dom. 1263. ex Petragor. 1263.
antiquitatibus noſtri D. Eſtiennot. Hoc eodem anno hic antiſtes excommunicat Bertrandum & Arnaldum de Montibus, milites, qui Eliam decanum Iſſigeacenſem vulnerarant. Tantæ apud ſuos auctoritatis erat, ut lites inter Petragoricenſem civitatem & S. Frontonis burgum, graviſſimas, imo & quædam belli genera, ſemper nullo reclamante, compoſuerit & exſtinxerit. Denique pius præſul mundi pertæſus, continuis ſollicitationibus ac precibus apud S. pontifices epiſcopatus ſui ceſſionem accipi poſtulat, annoque 1266. ſecedit ad 1266.
Lemovicenſem Prædicatorum conventum, ac tandem accepta a Clemente papa IV. licentia, abdicat, Dominicanique ordinis habitum induit, ac in eo annis 8. menſibus quatuor cum dimidio, ſummo cum fervore Deo militat, ac tandem vitam temporalem cum æterna commutat anno 1275. 1275.
8. Julii ſepultus in medio chori eccleſiæ Prædicatorum Lemovicis, ubi legentibus proſtat ſequens inſcriptio tabellæ appoſita: *Frater Petrus de S. Aſterio epiſcopus Petracoricenſis, ſumma ſcientia & eloquentia præditus, magnus ac ſolemnis vir, utique bonus ac devotus: filius domini de Inſula prope Petrocoras, venit ad hunc conventum Prædicatorum Lemovicenſium 1. die Martii 1266. & in habitu epiſcopali manſit ibidem per annum. Tandem magna cum difficultate precibus importunis ceſſionem ſui epiſcopatus obtinuit a Clemente IV. dignitate epiſcopali in omnibus & per omnia reſervata, quam ceſſionem non potuerat obtinere a tribus ſummis pontificibus præfatis, Clemente ſcilicet, Gregorio IX. Innoc. IV. & Alexandro IV. Poſt paucos dies a dicta ceſſione obtenta, habitum ordinis reverenter accepit, & honorabiliter in eo Deo & Ordini militavit annis 8. menſ. 4. cum dimidio. Fecit multa & infinita bona conventui, tam in ornamentis eccleſiæ, quam in libris & ædificiis, fecitque ædificare domum de Balaleu. Obiit autem pridie idus Julii anno Domini M. CC. LXXV. & eſt ſepultus* E *in eccleſia hujus conventus in medio chori. Anima ejus requieſcat in pace.*

Jam plurima Dominicanis epiſcopus contulerat beneficia: eos in urbe ſua receperat, ac de conſenſu prioris, canonicorumque S. Martini & S. Johannis de Cola, veterem S. Martini abbatiam illis dono conceſſerat, ubi ſedem fixere. Eorundem conventus Brageraci fundationem probavit anno 1260. ex donatione Margaritæ de Turena, Rainaldi domini de Pontibus & Brageraci uxoris, cujus primus ſuperior fuit Guillelmus de S. Aſterio epiſcopi conſobrinus.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

XXXVI. Helias I.

Pileti. Helias Pileti, qui & Paletiſis, & Pelti dicitur, poſt Petri de S. Aſterio abdicationem, Petragoric. præſul effectus eſt. In additis ad epitomen epiſcoporum id legitur: *Anno M. CC. LXIX. pridie cal. Octob. conſecratum fuit magnum altare conventus S. Franciſci Petragoricenſis per R. P. Heliam Pileti epiſcopum Petragor. in honorem D. Frontonis, D. Laurentii, D. Franciſci, B. Agnetis virginis.* In chartophylacio homagiorum ſedis epiſcopalis Petrac. habetur facta pro prioratu S. Leonis tranſactio inter Heliam noſtrum & abbatem ac monachos Sarlatenſes. Nominatur cum rege Angliæ Henrico in donatione ipſi facta caſtri de Podio-de-Pico, 7. die Martii 1273. ex veteri ipſius ceſſionis tabula.

1269. 1273.

D'Auberoche.

XXXVII. Raimundus VI.

Raimundus d'Auberoche ex nobili domo de Alba-roca, poſt Heliam Petragoricenſis epiſcopus memoratur anno 1283. & 1286. in inſtrumentis beatæ Mariæ de Petroſa. In vetuſtis Aquitaniæ regiſtris exſtat illius decretum anni 1285. vi cujus dominus de Bona-villa fidem præſtat Angliæ regi pro dynaſtia de Limolio, inquiunt Sammarthani fratres; cui appenſum eſt ſigillum cum Raimundi effigie & nomine ex una parte, ex altera vero cum imagine S. Steph. In chartul. Cancellatæ habetur charta qua dominus de Cugnac de Biron, prædium beneficiarium dat Gerardo de Fumel an. 1285. & ſic concluditur: *Regnante domino Edouardo illuſtri rege, & Bardo epiſcopo Petracoricenſi.* Unde inferunt Sammarthani, & Puteanus, Raimundum noſtrum Bardi cognomen habuiſſe. Hoc eodem anno 1285. reperitur in charta Caduini; & in alia qua concordiam reſtituit inter conſules Sarlati ac abbatem & conventum Sarlatenſes: *Datum apud S. Amandum die Mercurii poſt octavas Purificationis B. M. R. D. M. CC. LXXXV.* Antea ſcripto declaraverat ſe confirmaſſe electionem abbatis Sarlatenſis auctoritate ordinaria. In tabulario Ligurienſi exſtant litteræ Raimundi epiſc. Petrag. ad archiepiſcopum aut capitulum ſedis Burdigalenſis, quibus teſtatur quod abbatiſſa S. Mariæ de Ligurio brachium S. Simeonis, de Conſtantinopolitana civitate allatum, per diœceſim Burdigalenſem ferat eleemoſynas petitura. Datæ ſunt anno 1287. Alias ejuſdem tenoris ad Gaufredum Xantonenſem epiſcopum, a præfata deferendas abbatiſſa dedit eodem anno; quo etiam Raimundo de Vitraco presbytero confert capellaniam S. Donati, ad præſentationem abbatis Sarlatenſis, nono cal. Nov. Memoratur in feſto S. Michaëlis apud S. Amandum prope Montiniacum. Sub eo anno 1291. fundatur conventus S. Pardulphi a Margareta ducis Burgundiæ filia, pro monialibus inſtituti S. Dominici. Ejuſdem meminit charta B. M. de Groſſo-boſco die Sabbati ante feſtum omnium Sanctorum 1294. Eo ſedente podium S. Frontonis, jubente Philippo Pulcro rege, muris cingitur.

1283. 1286. 1287. 1291. 1294.

XXXVIII. Audoinus.

Audoini Petrag. epiſcopi mentio fit in chartul. Caduini, Fontis-Gauferii & aliis; & quidem legitur collector decimarum papalium die Dom. ante feſtum decollationis S. Johannis-Baptiſtæ 1297. Statuta pro eccleſiæ regimine condidit an. 1300. quæ aſſervantur in tabulariis Petrocorenſibus. Legitur & illius nomen an. 1304. in charta B. M. de Petroſa; iterumque in alia 11. calend. Jan. 1309. & an. 1308. in charta Fontis-Gauferii. Anno 1311. inſcribitur nomen ejus chartæ qua quidam profitetur ſe ad præſtariam tenere agri particulam, ſub onere cenſus perſolvendi prioratui de Minzaco a Silva-majore dependenti, ex Silvæ-majoris tab. Sub ejus pontificatu fundatur Carthuſia Vallis-claræ in Petrag. diœc. ab Archembaldo Petroc. comite. Dies obitus epiſc. noſtri ſic inſcribitur in calendario eccleſiæ Lemovicenſis: *XV. cal. Jan. obiit Audoinus epiſcopus Petragor. ad cujus anniverſarium in eccleſia Lemovic. faciendum anno quolibet debet dominus Aimericus de Trendalev miles centum ſol. anno quoque renduales.*

1297. 1300. 1309. 1308. 1311.

XXXIX. Raimundus VII.

Memoria illius exſtat ab anno 1314. ad an. 1328. ex codice hominiorum ſedis epiſcopalis. In inſtructione pro ſcribendis litteris nomine regis Angliæ an. 1316. legitur apud Rimerum: *Item ſcribatur domino R. epiſcopo Petragoricenſi, quod ſervitores Regis jura & terras ſuas commendata velit habere.* Memoratur in chartul. Caduini die ultimo Decembris 1317. Reginaldus Pontis & Brageriaci dominus, nobili mulieri Marthæ de Lebreto conſorti ſuæ, poteſtatem dat ſacramentum dicendi domino duci Aquitaniæ pro caſtris de Genſiaco, de Monte-miro, &c. *Actum die 1. Junii an. Domini 1326. regnante Carolo Dei gratia Franciæ & Navarræ rege, Eduardo rege Angliæ duce Aquitaniæ, Raimundo Dei gratia Petragoricenſi epiſcopo.* Ex archiv. Palenſ. in bibl. Colbert. Superſtes adhuc erat an. 1331. quo Elias Bataille parochiæ de Mont-peiroux Petragoricenſis diœceſis, clientelarem fidem Johanni de la Guarigue domicello exhibet pro quadam terræ portione, *Raimundo Petragoricenſi epiſcopo*, ut habent chartæ Silvæ-majoris.

1314. 1316. 1326.

XL. Guiraudus.

In epiſcopis Aptenſibus obſervavimus virum doctum domin. de Remerville, qui nunc hiſtoriæ Aptenſium epiſcoporum ſcribendæ operam dat, aſſerere hunc Guiraudum, Geraldo anno 1330. Aptenſium epiſcopo ſuffectum eſſe, & poſt paucos menſes ad Petracoricenſem ſedem fuiſſe tranſlatum. De eo nihil alibi.

XLI. Petrus III.

Petrus hic nobis, non niſi ex faceſſito ipſi apud Regem negotio, innoteſcit. Nempe cum ad bellum adverſus Anglos ſuſceptum ſubſidio egeret Philippus Valeſius rex, tributum ab omnibus & ſingulis ſolvendum indixit. Exactum illud Petragoræ a clericis ſimul & a laïcis, indigne ferens Petrus, regios civitatis magiſtratus exactores anathemate affecit. Re autem ad Regem delata, jubet ut præſulis bona per Petrocorii ſeneſcallum re-

Digitized by Google

giæ cuſtodiæ demandentur, an. 1333. ex tabulis publicis Petracoricenſibus.

ANNI CHRISTI 1333.

XLII. Raimundus VIII.

Raimundus Petri ſucceſſor, nominatur in chartulario Cancellatæ an. 1336. Sub eo an. 1339. fundatur Petrocorienſe xenodochium ſub patrocinio B. Marthæ. Obiit anno circiter 1340. ex infra dicendis.

1336. 1339. 1340.

XLIII. Guillelmus III.

Guillelmus Aſtiæ, ſeù Aſterius, primum ordinis Minorum aſceta, dehinc Aptenſis epiſcopus an. 1332. tandem Petrocorienſis præſul fit bulla Benedicti papæ XII. data cal. Octob. 7. ejus pontificatus anno, qui eſt Chriſti 1340. Refertur ea bulla in lib. commun. epiſt. 415. cujus compendium exhibet Wading. Annal. Minor. tom. 3. in regeſto Pontificio ad an. 1341. n. 32. ex qua hæc transferenda duximus: *Olim bonæ memoriæ Raimundo epiſcopo Petragor..... nos cupientes ipſi eccleſiæ, cum eam vacare contigerit, per apoſtolicæ ſedis providentiam, utilem & idoneam præeſſe perſonam, proviſionem ipſius eccleſiæ ea vice ordinationi & diſpoſitioni noſtræ duximus ſpecialiter reſervandam.....Poſtmodum vero præfata eccleſia per obitum dicti Raimundi epiſcopi paſtoris ſolatio deſtituta....Ad te tunc Aptenſem epiſcopum conſideratis grandium virtutum meritis, quibus perſonam tuam Altiſſimus inſignivit..... convertimus oculos noſtros..... Te a vinculo quo Aptenſi eccleſiæ, cui tunc præeras, tenebaris.... apoſtolicæ poteſtatis plenitudine abſolventes, te ad præfatam Petragoric. eccleſiam transferimus, teque ipſi præficimus, &c.... Datum Avenione calend. Octobr. anno VII.* In eundem modum: *Venerabili fratri archiepiſcopo Burdegalenſi, & clariſſimo in Chriſto filio Philippo regi Franciæ illuſtri* ſcripſit ſummus ille pontifex. Guillelmus legitur epiſcopus Petracor. an. 1346. in chartophylacio hominiorum ſedis epiſcopalis. In tractatu habito de matrimonio ineundo inter Humbertum delphinum & Blancam ſororem Amedei Sabaudiæ comitis, die 24. Jun. an. 1348. *G. electus Petracorienſis* nominatur cum *G.* Carpentoratenſi epiſcopo, inter primos hujus negotii actores & procuratores. Quod ſtare nequit, & mendum eſt in prima nominis littera, cujus loco legendum videtur A. ut ex dicendis patebit.

1332. 1340. 1346.

Memoire pour l'hiſtoire de Dauphiné pag. 619. & 628.

XLIV. Ademarus IV.

Ademarus vocatur electus an. 1347. 8. Jun. in inſtrumento fundationis 12. capellanorum in eccleſia S. Frontonis per cardinalem Talayrandum. Deceſſit an. 1349. ex regiſtris Vaticani.

XLV. Petrus IV.

Pin.

Petrus Pinus *nobilis Beneventanus*, inquit Hugghell. Ital. ſacr. tom. 1. in ſecundis notis pag. 324. *epiſcopus Forolivienſis* (de quo tamen in Forolivienſibus nullam mentionem facit, quia vix electus, cum præcedenti Johanni in ſede Viterbienſi ſubſtitutus fuiſſet, Forolivienſes ſibi deſtinatos nec litteris fortaſſe inviſerat.) *A Clemente VI. Viterbium tranſlatus an. 1348. 4. idus Decemb. ſuc-*

ceſſit Johanni ex regiſt. Vatic. epiſt. 24. fol. 115. pauciſque exactis menſibus, hoc eſt, V. cal. Jul. ea Veronenſem; indeque ſequenti anno, VI. cal. Aug. ad Petragoricenſem eccleſiam in Galliis, pauloque poſt tranſlatus ad Beneventanam eccleſiam VI. cal. Decemb. 1350. ex eodem reg. Multis tamen annis Petragoricenſem obtinuit cathedram; etenim memoratur an. 1364. 2. idus Sept. in tabulario Petragoric. In charta Silvæ-majoris nominatur an. 1368. 12. exitus Octobr. in qua ſcilicet Eliana de Gratadoné ſe Hugoni abbati Silvæ-maj. clientelarem fidem debere profitetur, pro quadam portione parochiæ de Loupehac, ſeu de Villa-franca, diœceſis Petragoric. Is ipſe videtur eſſe ad quem circa annum 1361. Innocentius papa VI. pontificatus ſui anno IX. 3. calend. Jul. ſcripſit epiſtolam. Epiſcopale palatium ſub eo a civibus dirutum fuit, quia, inquit Puteanus, a partibus Anglorum ſtabat, at cauſa omnino ignota. Ideo an. 1379. res ad Franciæ regem defertur, qui cauſæ arbiter delectus 3000. aureis cives mulctavit. His porro diſſidiis implicitus eſt Petrocorenſis ſeneſcallus Aimericus Rupis-cavardi uſque ad an. 1382. Duos ſimul epiſcopatus & diu quidem habuit, pro prava temporum illorum conſuetudine.

ANNI CHRISTI 1349. 1364 1368.

XLVI. Helias II.

Servient

Helias Servient, cujus electio in archivis Vaticani notatur an. 1384. & 1385. die 1. Novemb. poſſeſſionem iniit, ut ex confecto ea de re inſtrumento a Guillelmo de Rupe, & Guillelmo de Langlada conſtat. Habetur porro inſtrumentum illud in libro MS. cui titulus eſt *Pater*, fol. 10.

1384. 1385.

XLVII. Petrus V.

des Fontaines.

Petrus electus eſt anno 1387. ex Vaticani regiſtris; at poſſeſſionem iniit an. duntaxat 1390. ex eodem libro *Pater*, fol. 14. in quo habetur ea de re factum inſtrumentum a Guillelmo de Langlada & Eimerico Judicis. Ipſe eſt *Petrus* de Fontibus Petrogor. epiſcopus, qui teſtamenti dom. Heliæ Taleyrandi domini de Quignols & de Chalais, facti 19. Nov. an. 1400. fuit exſecutor.

1387. 1400.

XLVIII. Guillelmus IV.

Fabri.

Guillelmus Fabri (inquit Vadingus in Annal. Minor. ad an. 1401. n. 4.) Petragor. epiſcopus, per obitum Petri 3. nonas Januarii: *Hujus non meminit Claudius Roberti. Fortaſſis non adeo facile obtinuit* (ſedem) *proviſus a Bonifacio, ſedente in Gallia Benedicto; etſi Galli modis omnibus urgerent ut pontificatum deponeret. Difficultatem ipſe prævidit, obtinuitque VIII. cal. Febr. a Bonifacio litteras ad guardianum & fratres Burdigalenſes, ut in ſolita camera, quam antea inhabitabat, reſidere permitterent, cum ſocio quem ipſe vellet eligere, donec poſſeſſionem epiſcopatus aſſequeretur.* Bonifacii decretum refert in regeſto pag. 2.

XLIX. Gabriel I.

Gabrielis Petragoricenſis epiſcopi nomen exprimitur in veteribus eccleſiæ documentis anno 1405.

1405.

ANNI CHRISTI

L. Raimundus VIII.

DE CASTELNAU. Raimundus de Caſtelnau, illuſtris familiæ dominorum de Caſtro-novo, & de Bretenous, primo Podienſis canonicus, ſecundo Sarlatenſis epiſcopus bulla Petri de Luna ſeu Benedicti XIII. data Avenione cal. Octob. 1398. demum ad Petragoricenſem ſedem tranſlatus ab eodem Benedicto bulla data in Portu-Veneris diœceſis Genuenſis IV.
1407. cal. Martii, pontificatus 14. id eſt, 1407. Hominia epiſcopii ſolito more accepit ex libro ſacramentorum clientelarium.

LI. Johannes II.

1408. Johannes eligitur an. 1408. ex tabul. civitatis.

LII. Berengarius.

1431. Berengarius epiſcopus conſtituitur anno 1431. Sequenti adeſt concilio Baſileenſi, in quo ad omnes præterquam fidei cauſas examinandas eligitur Seſſ. v. n. 3. *Sancta ſynodus ..... conſtituit, ordinat & deputat judices ſeu commiſſarios ad audiendum omnes cauſas, ad dictam ſynodum devolutas, ſeu devolvendas, deductas ſeu deducendas, cauſis concernentibus fidem exceptis, venerabiles Berengarium Petrogoricenſem, Petrum Auguſtenſem provinciæ Maguntinæ, & Delphinum Parmenſem, epiſcopos.* Seſſ. 6. *a præſide de mandato concilii* juſſus eſt una cum Ratiſponenſi epiſcopo, ut alta & intelligibili voce Eugenium IV. qui diſſolutionem concilii ſignificarat, ter vocarent, aut aliquem pro eo poteſtatem & mandatum ſufficiens habentem, quod & fecerunt *ſuper gradus ante altare dictæ ſeſſionis.* Idem quoque ibidem erga cardinales Eugenio adhærentes præſtitere. Dicitur tamen Eugenio demum faviſſe.

LIII. Helias III.

Elias hic eundem obtinuit epiſcopatum circa an.
1437. 1437.

LIV. Petrus IV.

DE DURFORT. Petrus de Durfort, ex nobili familia de Duras in tractu Aginnenſi, ut ferunt, progenitus, ſedis poſſeſſionem adiit an. 1438. aſſumtus ex ordine Prædicatorum, cui, ut conjiciunt, tale epitaph. in latere ſiniſtro chori cathedralis baſilicæ inſculptum:

Præſul erat Petrus, jacet hic in pulvere pulvis.
Sit cœlum requies, ſit tibi vita Deus.
Obiit x. April.

LV. Raimundus IX.

1440. Raimundus Laubarienſis, vixit circa an. 1440.

LVI. Goffridus-Berengarius.

D'ARPAJON. Goffridus-Berengarius d'Arpajon, ex vetuſta in Ruthenis ſtirpe toparcharum de Arpajone, Guillelmi epiſcopi Cadurcenſis conſanguineus, ordina-
1441. tur a pontifice maximo an. 1441. Eodem anno bullam pro tranſlatione corporis S. Frontonis ejus eccleſiæ capitulo dirigit Eugenius papa. Fato func-
1447. tus eſt Goffridus anno 1447.

LVII. Helias IV.

DE BOURDEILLES. Elias de Bordeilla Petracoricenſis epiſcopus, dehinc Turonenſis archiepiſcopus, ac demum S. Romanæ Eccleſiæ cardinalis titulo S. Luciæ, Arnaldi Petrocorenſium ſeneſcalli & proregis, ex Johanna de Chambrillac, filius. Adoleſcens Minorum ordinem ingreſſus, maxima pietatis ac erga ſacras litteras ſtudii ſpecimina dedit, tantamque vitæ arctioris & perfectioris famam adeptus eſt, ut annos duntaxat 24. natus a capitulo Petrogoricenſi ad urbis epiſcopatum electus & poſtulatus fuerit an. 1447. Canonicorum votis, annuente Nicolao V. invitus licet ac omnimodo reluctans, huic eccleſiæ præficitur, ac jubente Papa a cardinali S. Crucis in pontificem conſecratur, & Petrocorium ingreſſus eſt ſolemni pompa die 3. Auguſti ejuſdem anni, ut patet ex inſtrumento quod exſtat in libro *Pater* fol. 24. Statim clerum ac populum bellorum confuſione diſſolutum ad meliorem vitæ morumque frugem verbo induxit & exemplo. Eminebant in eo fervor in ſui ſtatus obſervantia retinenda, imo & augenda, paupertas in victu & veſtitu eximia, ſumma in pauperibus ſublevandis liberalitas, continua in muniis epiſcopalibus obeundis aſſiduitas, in concionibus ad populum, in adminiſtrandis ſacramentis, & in vitiis extirpandis zelus cœleſtis. Cathedralis ſuæ majus altare magnificum erexit, ruinas SS. Aſterii & Georgii in ſuburbiis Petrocoricenſibus reparavit. Anno 1463. corpus S. Frontonis levavit & in 1463.
magnificentiſſima capſa ſacrum ejus caput recluſit. Comitiis trium Galliæ ordinum a Ludovico XI. apud Turones convocatis interfuit anno 1467. 1467.
Ab eodem rege in confeſſarium delectus eſt, ac tandem ad archiepiſcopatum Turonenſem traductus. Quæ poſt hæc de eo dicenda ſunt, ubi de Turonenſibus archiepiſcopis agemus, referentur.

LVIII. Radelphinus.

Tranſlato ad archiepiſcopatum Turonenſem 1468.
Elia de Bourdeille, Radelphinus, ſeu Radulphus illius ſedem occupat, bullis a Paulo II. pontifice max. acceptis. Inquiſitor una cum Vaſatenſi & Sarlatenſi præſulibus delegatur pro comprobanda vitæ ſanctimonia Petri Berlandi Burdegal. archiepiſcopi, idque efflagitante Ludovico XI. Francorum rege. Verum facta inquiſitio nihil profuit, defuncto enim poſtea Rege, negotii actore præcipuo, de eo nequaquam actum eſt deinceps. An.
1470. dat *Radulphus* monaſterio de Boſco-cavo 1470.
eccleſiam parochialem S. Petri de Fracto-Jove. Conjiciunt eum eſſe Radulfum du Fou, qui ex epiſcopo Engoliſm. factus eſt Ebroicenſis; quod tamen dici minime poteſt, ſi ſederit Petracoricis uſque ad an. 1481. quo legimus Sixtum papam IV. Radulphum Petracoricenſem epiſcopum cum Vaſatenſi delegaſſe, ad inquirendum de geſtis & ſanctitate Petri Berland Burdigalenſis archiepiſc. Vide ſuperius col. 842. Sed Rainaldus ad annum 1463. n. 5. ſcribit inquiſitionem de vita Petri Berlandi faciendam, decretam fuiſſe a Pio II. non a Sixto IV. petente Ludovico XI. Francorum rege anno 1463. nec epiſcopi Petracoricenſis ad hoc delegati nomen profert.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI DE POMPADOUR.

LIX. Godefridus I.

Godefridus de Pompadour de quo jam actum in Anicienſibus epiſcopis, ad hanc cathedram vocatur ante annum 1480. qui tamen computari ſolet primus ejus pontificatus. Certe confirmavit jus patronatus Silvæ-majoris in eccleſiis B. Martini de Piſon, B. Mariæ de Bello-Podio, &c. 18. Julii, anni 1473. ex tabulis hujus monaſterii. Fit præſes curiæ ſubſidiorum Pariſienſis an. 1484. & camerae rationum regiarum 1485. Anno ſequenti læſæ majeſtatis crimine inſimulatus fuit cum Georgio de Ambaſia Montalbanenſi præſule, ac Philippo Comminio Argentonii toparcha, quod cum Ludovico Aurelianenſi duce, & aliis fœderatis principibus in Britannia quædam molitus fuiſſet; idcirco cuſtodiæ mancipatus eſt, ut notatur in hiſtoria regis Caroli VIII. auctore Guillelmo de Jaligni. Eo ſedente Auguſtiniani in urbe fundantur an. 1483. quorum eccleſiam benedixit Goffridus. Inde transfertur ad epiſcopatum Podienſem, retenta prioris eccleſiæ adminiſtratione, ſaltem aliquandiu. In Anicienſibus epiſcopis, ubi de eo fuſius, diximus patrem ejus fuiſſe Golferium de Pompadour; alii eum appellant Godefridum, nomen ipſius Gallice fuit *Geoffroy*, quod alii Goffredum, & Godefridum, alii Gofferium vel Golferium Latine reddiderunt.

1480. 1484.

Ceterum in cuſtodia per duos annos detenti ſunt hi epiſcopi; at petente ſummo pontifice, libertatem recuperarunt; ea tamen lege, ut extra epiſcopatuum ſuorum fines non egrederentur, ex tractatu de formulis (*des procedures*) judiciorum contra epiſcopos majeſtatis reos, Gallice ſcripto, bibliothecæ Seguieranæ, nunc Coiſſlinianæ Pariſiis apud S. Germanum a Pratis aſſervatæ.

Du Mas.

LX. Gabriel II.

Gabriel du Mas ex epiſc. Mirapicenſi renuntiatur Petrocorienſis 15. Junii 1486. in chartularii Vaticani. In libro cui titulus *Pater*, habetur inſtrumentum fol. 37. quo aſſeritur poſſeſſionem iniiſſe 20. Januar. 1498. iſque annus non arithmeticis notis ſed litteris conſcribitur. Quod certe ſtare nequit, niſi de poſſeſſione per ſe ipſum ſumta id intelligatur, cum jam per alium ſumſiſſet. Tranſegit pro juriſdictione cum urbico magiſtratu an. 1490. Vivebat adhuc & ſedebat an. 1497. eratque tunc abbas B. Mariæ de Petris, & theſaurarius S. capellæ palatii Bituric. ex hominio ei facto ab Hugone de Savari domino de Lancome.

1486. 1490. 1497.

de Pompadour.

LXI. Godefridus II.

Godefridus de Pompadour, Godefridi deceſſoris gentilis, qui an. 1489. magni Franciæ eleemoſynarii ſibi titulum attribuit, ex camera computorum, proviſus ab Alexandro VI. ſummo pontifice an. 1500. eccleſiam ſuam urbemque ſolemniter ingreditur 12. Novemb. ejuſdem anni. Sedit uſque ad an. 1503. Poſtremum vitæ diem clauſit 1514. uti lego apud Sammarthanos fratres; ſed vereor ne idem ſit ac ſuperior, qui factus Anicienſis epiſcopus retinuit, ut diximus, Petragoricenſis eccleſiæ adminiſtrationem. Paulo poſt conjectus in carcerem tanquam perduellionis reus, forſan hac adminiſtratione ſpoliatus eſt; tuncque Gabriel du Mas factus eſt hujus ſedis epiſcopus; ipſoque mortuo Godefridus adminiſtrationem amiſſam recuperavit. Certe uterque Godefridus a Sammarthanis legitur mortuus an. 1514.

1500.

ANNI CHRISTI

LXII. Johannes III.

Auriens.

Johannes Auriens an. 1504. ex ſuperioris ceſſione ad epiſcopatum evehitur, quo anno, ex ſchedis capitularibus, levavit oſſa S. Leonis in capſa nova apud eccleſiam S. Stephani.

Sammarth. 1504.

de Castelnau.

LXIII. Guido I.

Guido de Caſtelnau, Johannis baronis de Caſtelnau dynaſtæ de Bretenoux, & Mariæ Mareſcalli de Culant natæ filius, electus Cadurcenſis epiſcopus, anno 1508. confirmatus fuit. Verum æmulum paſſus eſt Germanum de Ganay Johannis de Ganay Franciæ cancell. filium, a rege Ludov. XII. litteris Viennæ datis 14. Auguſti 1509. nominatum, cui cedere coactus eſt. Sed tandem Petrocorienſis epiſcopus effectus eſt. An. 1513. die Feb. ultima, urbem ſuam ſolemni ritu ingreſſus, poſſeſſionem iniit ex libro *Pater* inſcripto fol. 40.

1513.

de Castelnau.

LXIV. Jacobus.

Jacobus de Caſtelnau ſuperioris agnatus ei ſucceſſor datur, & an. 1523. 5. Octobr. civitatem ſolito apparatu invehitur. Deceſſit an. 1524. die S. Laurentii 10. Auguſti.

1523. *Sammarth.*

de Plas.

LXV. Johannes III.

Johannes de Planis ex diœceſi Tutelenſi oriundus, ubi gens de Plas ab antiquo nobilis eſt; aliis ex familia de Plas in Lemovicenſi; aliis denique ex Antonio domino de Plas in pago Cadurcenſi, & Maria de Miramont natus, doctor in utroque jure, & in academia Pictav. anteceſſor, deſignatur epiſcopus Petrogor. a rege Franciſco I. an. 1524. 10. Nov. Urbem ſolemni pompa ingreſſus eſt 23. April. 1525. comitantibus quatuor baronibus Petrocorenſibus, Burdeliæ, Mareoli, Bironii, & Benaci, ex inſtrumento cui ſubſcripſere Guido Peyrati, & G. de Beſco, in libro cui titulus *Pater* fol. 47. Anno 1526. reſcriptum dedit, quo jubebat inquiri de vitæ ſanctimonia deceſſoris ſui Eliæ cardinalis. Facta eſt inquiſitio ſatagente ac promovente imprimis Johanne de Burdelia protonotario apoſtolico. Caſtrum de Planis ædificavit ante an. 1532. quo tranſlatus eſt ad ſedem Vaſatenſem, facta cum Fulcaldo de Bonneval permutatione.

1525.

de Bonneval.

LXVI. Fulcaldus.

Fulcaldus ſeu Fulco de Bonneval protonotarius apoſtolicus, Caroli Sarlatenſis epiſcopi frater, necnon Germani Lemovicenſium proregis Antonii Bonæ-vallis dynaſtæ filius. Primum prior Aleiraci *, deinde Sueſſion. præſul, tum Vaſatenſis, tandem cum Johanne de Plas facta permutatione pro præfato prioratu & epiſcopatu, ad Petrocor. ſedem tranſlatus, die 1. Januar. conſueta inaugurationis pompa urbem ingreſſus eſt, ac novem fere annis epiſcopatum rexit; mortuus an. 1540. ſepelitur

* Leirac.

1540.

Digitized by Google

ante majus altare ſecundum Sammarthanos. In excerptis quibuſdam ex calendario eccleſiæ Lemovicenſis bibliothecæ novæ Labb. tom. 2. pag. 760. hæc referuntur: *XII. cal. Julii hic fiat anniverſarium R. in Chriſto P. & D. D. Fulcaudi de Bonavalle Petragoric. epiſcopi & prioris de Benevento, & diſtribuantur v. libræ ſupra ejus tumulum in capella S. Martialis.*

ANNI CHRISTI

LXVII. Claudius.

De Longui.

Claudius de Longui cardinalis de Givri, eccleſiæ Petrocorienſis perpetuus adminiſtrator vocatur in tabulis Vaticani 27. Auguſti 1540.

Sammarth.

LXVIII. Johannes IV.

De Luſtrac.

Johannes de Luſtrac e nobili gente Luſtracenſi natus, primum abbas S. Maurini ordinis S. Benedicti, diœceſis Aginn. an. 1513. dehinc prior & rector S. Vincentii de Eſpinoſſa, prior S. Xiſti & S. Martini de Bondaſſio, rector S. Johannis de Ladinhaco, & vicarius generalis Sarlatenſis, poſtmodum Petragoricenſis evaſit epiſcopus, ad quam dignitatem ſe *per dominum noſtrum regem chriſtianiſſimum ſanctiſſimo domino noſtro papæ nominatum* teſtatur 25. Junii 1548. in litteris quibus præbendam in collegiata S. Mariæ de Capdrot Sarlatenſis diœceſis, magiſtro Bartholomæo Guerin confert, tanquam vicarius generalis Franciſci de S. Nectario, *de Senneterre*, Sarlatenſis epiſcopi. Die 25. Octob. ejuſd. anni, electum ſe tantum epiſcopum dicit *divina providentia & S. Sedis apoſtolicæ gratia*, in litteris quibus Annericum de Chaſtaing donat capella B. Mariæ Fulcherii. Triduo poſt mag. Johannem de Grati Petragoricenſis eccleſiæ cantorem, generalem ſuum in ſpiritualibus & temporalibus vicarium conſtituit. Epiſcopus creatus, Johannem Baudin notarium in urbe epiſcopali deſignat cal. Decembr. ejuſdem anni 1548. In ſuæ abbatialis eccleſiæ choro a Franciſco de S. Nectario Sarlatenſi epiſcopo, aſſiſtentibus duobus aliis præſulibus conſecratur, die 27. Jan. ejuſdem anni. Præbendam canonialem S. Theodori Rupis-brevis-curtis (vulgo Rochebrecourt) ſuæ diœceſis, Petro du Port presbytero concedit 12. Julii an. 1550. Tandem: *Ad noſtram pervenit notitiam*, aiunt S. Maurini aſcetæ, nobiles Bertrandum de Cours dominum de Maurella, & Franciſcum Dulard dominum de Regalieres alloquentes, *vos in hanc S. Maurini domum abbatialem acceſſiſſe ad preces domini de Luſtraco, conſervandarum ergo rerum in ea exiſtentium, occaſione obitus domini abbatis noſtri ultimi, quem ferunt apud Petrocorium obiiſſe. Qui dominus abbas nuper, antequam hinc Petrocorium proficiſceretur*, &c. *Actum apud S. Maurinum die 26. menſis Julii an. 1550.* Obiit ergo Johannes de Luſtraco, & quidem ſexagenarius, aut ſexagenario paululum major, circa 18. Julii an. 1550. Sedit per decem & octo fere menſes, ſcilicet a die 27. Januarii 1549. quo inauguratus eſt, ad 18. circiter Julii 1550. Facto codicillo inſtituit, ut in die ſepulturæ ſuæ 13. pauperes nigro colore, 13. albo induerentur, & tria millia pro animæ ſuæ ſalute ſacrificia offerrentur.

Ex regiſto ejus collationum in archivo S. Mauriui.

1548.

1550.

LXIX. Godefridus III.

ANNI CHRISTI

Godefridus de Pompadour ex dominis de Chaſteaubouchet, Johanni de Luſtraco ſucceſſit. Epiſcopus Petragorienſis ſimul & abbas S. Maurini effectus, poſſeſſionem iniit 13. Dec. 1551. inſtrumentum ſubſignatur a Duperier in ſæpe citato libro fol. 61. Abbatiam nepoti Jacobo de Pompadour ceſſit. Obiit 1552. in baſilica S. Petri de Arnaco, quæ Pompadorio caſtro vicina eſt, ſepultus.

De Pompadour.

1551.

LXX. Guido II.

Bouchard d'Aubeterre.

Guido Bouchard d'Aubeterre, Ludovici Albæ-terræ domini ex Margareta de Mareuil de Villebois filius, epiſcopatus poſſeſſionem adipiſcitur 21. April. 1555. ex libro *Pater* fol. 66. in inſtrumento ſubſcriptione Duperier munito. Nominatur tamen an. 1554. in tranſactione capituli eccleſiæ collegiatæ S. Theodori Rupis-bovis-curtis (*de Rochebrecourt*) cum loci dynaſta & fundatore. Intereſt diœceſanæ ſynodo menſe Aprili an. 1556. ejuſque adhuc fit mentio in publicis anni 1557. inſtrumentis. Hujus tempore mores tum populi tum cleri corruptiſſimi fuere, ſumma ubique vigebat ignorantia, vacabant adulteriis laici, fornicationibus clerici, ac in tantum ſerpſerat virus ut e corpore ad caput ipſum conſcenderit. Hinc in omnes inundans ſupremi numinis ira. Hinc tot famis ac peſtis miſeriæ in regionem illatæ. Hinc denique facilius acceptata hæreſis; corde quippe corrupto, ipſa mens facilius ruit in errorem.

1555.

LXXI. Petrus VII.

Fournier

Petrus Fournier Arvernus, de epiſcopatu proviſus eſt an. 1561. Jam ſacræ capellæ Pariſienſis canonicus, hanc enim utramque ſibi denominationem adſcribit in quodam excambio quod fecit toparchiæ neſcio cujus in pago Rupellenſi, cum Johanne de Parthenay (ex D. d'Ozier.) Parochorum reſidentiæ promotor fuit acerrimus. Sub eo 1567. Burdigalenſis ſenatus conventus juridici apud Petrocorium indicti ſunt à Carolo IX. Francorum rege. Divinæ in populi & cleri crimina ultionis teſtis fuit oculatus. Vidit urbem ſuam & diœceſim hæreſi inquinatam, Calvinianos miniſtros oves ſibi creditas ab Eccleſia catholica divellere, ſacra profanata, regionem internecinis odiis ac bellis pluſquam civilibus deſolatam; captuſque ipſe ab hæreticorum copiis, grandi ære redemtionem paciſcitur. Tandem curæ epiſcopali non impigre incumbens, a domeſticis ſervis & ſceleratis quibuſdam gazis ipſius inhiantibus noctu occiditur in epiſcopali caſtro 1575. 14. Julii: oratione funebri laudatus a prædicatore Minorita; pauloque poſt Petrocorium a ſectariis oppugnatum eodem anno expilatur.

1561.

1567.

1575.

LXXII. Franciscus I.

de Bourdeilles.

Franciſcus de Bourdeille, Gabrielis de Bordelia domini de Bernardieres & Claræ de Pontbriand filius, Franciſci de Bourdeille ex fratre nepos (ut aſſerit D. d'Ozier) ex monacho S. Dionyſii prope

Pariſios epiſcopus renuntiatur an. 1575. Concilio provinciali Burdegal. in feſtivitate omnium ſanctorum interfuit 1582. quod confirmatur a Gregorio XIII. ſummo pontifice anno 1583. Obiit 1600. 24. Octobr. in vigilia feſtivitatis S. Frontonis, in cujus eccleſia quieſcit.

ANNI CHRISTI 1582.

MARTIN.

LXXIII. JOHANNES V.

Johannes Martin Lemovicenſis, ex Franciſci reſignatione factus epiſcopus an. 1600. poſſeſſionem aſſumſit an. 1601. 9. Febr. Sub eo monaſteria Ligurii, de Fontanis & de S. Pardulpho, per novatores diruta, reædificantur. Deceſſit 5. Jan. 1612. ſepultus in porticu eccleſiæ S. Frontonis.

1600. 1612.

DE LA BERAUDIERE.

LXXIV. FRANCISCUS II.

Franciſcus de la Beraudiere ex nobili apud Pictavos familia de Rouet, primum ſupremæ curiæ Pariſienſis ſenator per 18. annos, magnus eccleſiæ Pictavienſis decanus, Nobiliacenſis cœnobii abbas, in quod congregationis S. Mauri reformationem induxit, demum poſt 2. annorum interpontificium Petragor. epiſcopus fit an. 1614. Fundator Auguſtinianorum reformatorum, id enim palam declararunt anno 1615. Abbatiam de Cancellata reparavit, ſe ſe canonicorum abbatem regularem dixit, eoſque ad reformationem verbo & exemplo adhortatus eſt. An. 1617. die 15. Aug. poſuit primum lapidem conventus PP. Minimorum Albæterræ, ſub titulo virginis in cœlum aſſumtæ, eiſque parochiam S. Quintini conceſſit. Dedit & Minimis Planiaci parochialem eccleſiam S. Martini de Eremo 10. Novemb. 1618. An. 1623. Recollectorum eccleſiam conſecravit, an. 1625. plurimam opem tulit pro condendo monaſterio ſanctimonialium Benedictinarum de Falanco. Cathedralem eccleſiam, aliaſque per diœceſim dirutas baſilicas renovavit, ita ut de illo, quod de Chronopio ſcripſit Venantius Fortunatus, aſſerere poſſimus:

Templa exuſta celer revocaſti in culmine priſco;
Hinc tua, ſed cœlis, ſtat ſine labe domus.

Nihil non tentavit ut diœceſim ab hæreſi purgaret, loca ea peſte amplius infecta frequens viſitabat, per ſe & per ſuos miniſtros veritatem catholicam ubique propalabat; plurimos reduxit ad fidem, atque ut vineæ Domini operarii nuſquam in diœceſi deficerent, ſeminarium clericorum fundavit. An. 1624. ſubſcripſit decretis ſynodi Burdigalenſis.

1614. 1617. 1623. 1624.

D'ESTRADES.

LXXV. JOHANNES VI.

Johannes d'Eſtrades de quo locuti ſumus in Condomienſibus epiſcopis, deſignatus fuit epiſcopus Petracoricenſis menſe Julio an. 1646. Verum nondum conſecratus ad aliam tranſlatus eſt ſedem.

BRANDON

LXXVI. PHILIBERTUS.

Philibertus de Brandon, primum cancellarii Seguier nepti matrimonio conjunctus, dehinc clericus effectus, ad Petrocoric. epiſcopatum evectus eſt, & Pontiſaræ an. 1648. conſecratus. In ſua adminiſtratione Chriſti bonus odor fuit, ſeminarium fovit, & ſocietatem xenodochii S. Marthæ erexit. Pariſiis an. 1652. denatus, jacet in parochiali S. Euſtachii eccleſia.

1648. 1652.

ANNI CHRISTI

DE VILLERS.

LXXVII. CYRUS.

Cyrus de Villers ex nobili familia de Villers de Fagia in Burgundia natus, ad Petragoricenſem eccleſiam deſignatus an. 1653. Pariſiis inauguratus epiſcopus 31. Aug. ejuſdem anni, poſſeſſionem adeptus eſt menſe Junio 1654. Fuerat antea Pariſiis inſtitutæ congregationis de propaganda fide moderator ac ſupremus Regis capellæ magiſter. Ultimum diem clauſit Pariſiis 4. Octob. 1667.

1654. 1667.

LE BOUX.

LXXVIII. GUILLELMUS V.

Quid virtus & ingenium poſſint, enituit in Guillelmo le Boux; e vico enim Pernaio prope Salmurium in Andibus plebeia & paupere familia natus, ad primas Eccleſiæ dignitates propriis dotibus & meritis evectus eſt. Congregationi Oratorii D. J. adſcriptus, miros in tam celebri ſchola progreſſus fecit. Verum ingenio ſuo parens, eloquentiæ ſacræ ſe totum addixit, ac tandem celeberrimus ætate ſua concionator evaſit, tantumque ſibi nomen aſſecutus, ut eo permotus Ludovicus magnus ad Aquenſem epiſcopatum eum nominaverit anno 1658. Inde Matiſconenſis præſul deſignatus eſt 1665. Effectu caruit hæc ejus deſignatio. Verum anno ſequenti ad Petracoricenſem eccleſiam tranſlatus eſt, & 1667. poſſeſſionem iniit Maii die 24. Cathedralem baſilicam in civitate ſitam, tranſtulit in urbem, eamque collegiato capitulo adunavit. Seminarium congregationi Miſſionis addixit, canonicorum Regularium reformationem in prioratu S. Johannis de Colla conſtituit. Generale pannorum officinæ xenodochium erexit. Obiit die 6. Aug. anno 1693. ſepultus in choro S. Frontonis.

1667. 1693.

DE FRANCHEVILLE.

LXXIX. DANIEL.

Daniel de Francheville Nannetenſis, in ſuprema curia Redonenſi patronus regius, ac demum epiſcopus Petragoricenſis, in cujus dignitatis poſſeſſionem venit 30. Maii 1694. vir pietate conſpicuus fuit, tanta in pauperes beneficentia & liberalitate præditus, ut eorum pater merito fuerit nuncupatus. Defunctus 26. Maii 1702. ſine pompa, ut vivens juſſerat, ſepultus eſt in eccleſia monialium Viſitationis in ſacello Divinæ providentiæ ſacra, cum hoc ſimplici & modeſto epitaphio:

Hic jacet Daniel epiſcopus Petrocoricenſis in reſurrectionis expectatione.

1694. 1702.

CLEMENT.

LXXX. PETRUS VIII.

Petrus Clement Vezuntioni natus, ad Petracoricenſes inſulas deſignatur die Pentecoſtes 1702. cum vicarii generalis archiepiſc. Rotom. officio fungeretur. Inauguratur 29. Oct. ejuſdem anni. Poſſeſſione donatur 24. Febr. 1703. obiit die 8. Jan. anni 1719. poſt multorum menſium morbum.

1703. 1709.

ABBATIÆ DIOECESIS PETRAGORICENSIS,
quæ non amplius exſtant, vel ſtatum mutarunt.

I. Alba-terra, *Aube-terre.*

ISTud monaſterium a B. Mauro inſtitutum ferunt, nunc eſt eccleſia collegiata S. Salvatori dicata, habens pro capite ſuo abbatem a Rege nominandum, qui duas obtinet præbendas. Sequitur cantor, qui mediam præbendam ultra illam quæ ſibi ratione canonicatus debetur, percipit; inſuperque duodecim ſunt canonici. Hos abbates reperimus.

I. Petrus abbas S. Salvatoris de Alba-terra, ad quem & alios canonicos exſtat bulla Adriani IV. data an. 1154. pontificatus anno 1. ſexto nonas Martii.

II. Willelmus abbas Albæ-terræ occurrit 1188. Vide in S. Emiliano dioec. Burdeg. Fortaſſe is eſt W. archidiac. Engol. & abbas de Alba-terra, qui teſtis eſt in donatione Ugberti de Logototges facta S. Petro & canonicis S. matris eccl. Engoliſm.

III. Aimericus abbas, idem fortaſſe ac Aimericus de Longa canonicus Petragoricenſis, qui commemoratur an. 1229. in notitia de electione abbatis Voſienſis. Vide tom. IV. Miſcellan. Baluzii pag. 487.

IV. Iterius an. 1247. & 1249. Vide in Petro II. Petrocor. epiſcopo.

V. Robertus de Pompadour 1500.

II. S. Fronto. *S. Front de Perigueux.*

Monaſterium S. Frontis ſeu S. Frontonis Petragor. conditur a Chronopio Petragor. epiſcopo anno circiter 620. ut notat MS. codex Petrogor. magnumque monaſterium appellatur. Inſtauratur a Froterio antiſtite Petrogor. circa an. 984. qui quidem ibi cum aliis pluribus epiſcopis ſepultus eſt. Conſecratur eccleſia an. 1047. XII. cal. Aprilis, ab Aimone de Bourbon Bituricenſi archiep. præſente Geraldo de Gourdon Petrogor. præſule. Ceterum dominus epiſcopus eſt abbas, quem ſequitur cantor, tum 24. canonici, 24. ſervitores, tam laïci quam clerici, & 13. capellani.

Guillelmus de Alba-rocha epiſc. Petrogor. & abbas S. Frontonis, de conſenſu capituli S. Frontonis, fundum cedit cœnobio Caduini ædificando. Sepultus eſt in baſilica S. Frontonis circa 1130.

Circa an. 1175. Petrus epiſc. Petrag. tranſtulit oſſa prædeceſſorum ſuorum e capitulo S. Frontonis in eccleſiam S. Stephani, uti narrant Goffridus Voſienſis & chronicon epiſcoporum Petragor. Ex bulla autem Urbani III. data pontificatus an. 2. Chriſti 1187. X. cal. Octob. ind. VI. liquet jam tum in eccleſia S. Frontonis clericos fuiſſe inſtitutos ſub epiſcopi juriſdictione.

III. S. Afterii.

Eccleſia collegiata S. Afterii, regiæ, ut traditur, fundationis, abbatem pro capite ſuo agnoſcit, qui tamen nullo primatu gaudet. A Rege nominatur, & eſt prima dignitas, cui adjunctæ ſunt duæ præbendæ ex quindecim in hac eccleſia exſtantibus, quarum alias tredecim totidem canonici poſſident. Altera dignitas cantoris eſt abſque redditibus, niſi ſit canonicus. Sita eſt eccleſia duabus leucis ab urbe primaria dioeceſis, primaſque obtinet inter capitula. Abbatum indiculum, qualem nobiſcum vir clar. Carolus de la Beaume abbas communicavit, exhibemus.

SERIES ABBATUM.

I. HELIAS 1178.
II. Gaufridus 1278.
III. Aſterius frater Talairandi comitis Petragor. abbas erat tempore Bertrandi de Gout 1304.
IV. Archambaldus de Perigord 1319.
V. Taleyrandus cardinalis & epiſcopus Albanenſis, condito teſtamento die 16. Jan. an. 1364. legavit eccleſiæ S. Aſterii Petrag. dioeceſis, centum florenos auri, quos in emendis redditibus pro faciendo annuatim ſuo anniverſario vult impendi; fortaſſe fuit abbas.
VI. Ludovicus de Salignac 1487. & 1498. quo anno, menſe Julio ſui monaſterii privilegia confirmari a Ludovico XII. curavit, ex regeſto CC. XXX. archivi regii Pariſ. cap. 202.
VII. Johannes I. de Chaumont 1526.
VIII. Bertrandus de Chaumont de Barraud 1538.
IX. Annetus de S. Supery 1560. Ceſſit in gratiam ſequentis 19. Febr.
X. Johannes II. Saurye 1583.
XI. Johannes III. du Tillet 1588.
XII. Damaſus de Thureſne.
XIII. Arnaldus Raveau.
XIV. Gabriel de la Baume de Fourſat 1631.
XV. Carolus de la Baume de Fourſat 1655. ſuperſtes ad annum ſaltem 1713.
XVI. N. Plancher canonicus eccleſiæ collegiatæ Petrocor. deſignatus eſt a Rege abbas S. Aſterii circa finem 1719.

IV. Palnatum, *Palnat.*

Palnatum S. Salvatoris & S. Benedicti monaſterium, conditur Carolo-magno imperante an. IV. a Davide pagi Petragor. incola, & Benedictana ejus conjuge, prope Limelium, *Limeil*, ad Vizeram fluvium, *la Vezere*, tuncque monaſterio S. Martialis apud Lemovicas ſubjicitur; qua de re vide Mabill in append. t. 2. Annal. Bened. pag. 717. Proceſſu tamen temporis, proprio abbate gaudere viſum eſt, ex quibus alter fuit Abbo anno 1. regni Caroli Aquitanorum regis menſe Januario, alter fuit Adalgiſus ſeu Adalgaſius, quo ſedente monaſterium a Normannis deſtructum fuit anno 860. Hac de clade inſignis eſt epiſtola Agii abbatis Vabrenſis, apud Catellum, ut pote quæ Vabrenſi exſtruendo monaſterio dedit occaſionem. Poſtea vero inſtauratum eſt a Frotario epiſcopo Petrag. de quo monaſterio vide Catellum in hiſtoria comitum Toloſan. pag. 69. & ſeq. ubi pro Palmata legendum eſt Palnata, quæ hactenus cella eſt abbatiæ S. Martialis, ubi olim ſexdecim monachi ſub præpoſito eſſe debebant. C. 1. cal. 485.

V. Belvacenſe.

Belvacenſe apud Petrocorios monaſterium, de quo vide in S. Savino ad an. 830.

VI. Genollacenſe, *Genouillac.*

Genoliacenſe ubi S. Amandus abbatiæ ſui nominis in dioeceſi Sarlatenſi auctor & patronus, monachum induit ſeculo VI. Genoliacenſis abbas erat Savalus ſeu Canalis. Cujus diſcipulus fuit S. Sorus Terracinenſis monaſterii fundator.

Calabrenſe

Digitized by Google

VII. Calabrenſe. Calabrenſe haud longe a Dordonia fluvio, ubi 40. monachi degebant ſub Sacerdote abbate, qui poſtmodum fuit epiſcopus Lemovicenſis.

VIII. Temolacenſe. Temolacenſe, nunc prioratus Ecoliſmenſis S. Eparchii monaſterio ſubjectus, quem olim ab eodem avulſerat Grimoardus epiſc. Engol. & germano ſuo Aimerico Moxudunenſi duci tradiderat, ex Ademari chronico.

IX. Bonalenſe. Bonalenſe, ubi S. Avitus; poſtea eremita, ſub Licinio abbate vixiſſe dicitur.

X. B. Mariæ & S. Silvani. Cœnobium B. Mariæ & S. Silvano ſacrum; olim abbatia feminarum, cujus ordinis incertum, a Boſone Petragoricæ civitatis duce fundata ſub Gregorio VII. ſummo pontifice, hoc eſt circa an. 1074. ut liquet ex charta noſtris adjecta inſtrumentis. Ceſſit poſtea monialibus S. Mariæ Santonenſis, quæ hactenus iſta gaudent eccleſia.

C. VII. col. 489.

Parthenonis S. Aſterii meminimus in Rodulfo de Cohalia Petracor. epiſcopo, & abbatiæ veteris S. Martini in Petro de S. Aſterio.

Abbatiæ quæ in priſtino perſeverant ſtatu.

BRantoſmum, ord. S. Benedicti, *Brantoſme.*
Turturiacum, ord. S. B. *Tourtoyras.*
Ligurium, ord. S. B. fem. *Ligueux.*
Albugia, ord. S. B. fem. *la Bugue.*
Cancellata, ord. S. Aug. *Chancellade.*
B. M. de Caſtris, ord. S. Aug. *Chaſtres.*
Petroſa, ord. Ciſterc. *la Peyrouſe.*
Boſcum-cavum, ord. Ciſterc. *Boſchaud.*

Brantoſme.

BRANTOSMUM.

HAnc abbatiam ord. S. Benedicti, condidit Carolus-magnus imperator, ex Mabillonio ad annum 769. * laudante Cheſnium tom. 2. p. 28. his verbis: *Anno* DCCLXIX. *Carolus-magnus iterum procedens ad Petrochorium, conſtituit baſilicam juxta fluvium Dronam in honorem B. Petri apoſtolorum principis, in qua non multum poſt temporis unum* [a] *de Innocentibus collocavit, datum patri ſuo a papa Romano; locus autem in quo hæc baſilica fundata eſt* Brantoſma *dicitur.* Chronicon aliud Malleacenſe conſtructum dicit cœnobium Brantoſmenſe a Pipino rege Aquitaniæ Ludovici Pii filio: at Mabillonius non huic Pipino, ſed ejus proavo cognomini regi Francorum tribuendam eſſe Brantoſmi originem docet ad annum prædictum. Ceterum in vetuſta conſtitutione de monaſteriis regni Francorum a Ludovico Auguſto facta an. 817. inter Aquitanica monaſteria annumeratur Brantoſmenſe. Haud multo poſt a Normannis deſtructum fuit hoc cœnobium, unde nulla de prioribus abbatibus monumenta ſuperfuerunt.

* Regino chron. lib. 2. habet annum 779. ex Samm.

[a] S. Sicarium vocant, unde monaſterio nomen S. Sicarii inditum.

ABBATUM CATALOGUS.

I. SANTIVIUS vel Antibius ſeu Antimus, e primis abbatibus videtur exſtitiſſe. In calendario Brantoſmenſi notatur III. idus Januarii feſtus dies S. Antimi confeſſoris & abbatis; & calendis Decembris ejuſdem tranſlatio. Ipſius autem reliquiæ in theca laminis cupreis cooperta hactenus in ara principe aſſervantur.

II. Martinus tempore Bernardi * I. comitis Petrocorienſis, qui bona monaſterii ablata huic abbati reſtituit. *Datum menſe Junio regnante Ludovico* * *Francorum imperatore.* Hic autem eſt Martinus plurimorum pater monaſteriorum, de quo vide in abbatia S. Cypriani. Memoratur in necrol. domeſtico X. cal. Apr. in Angeriac. vero, die 12. Apr.

* Cognomento *Gradin* ex quadam ſcheda.

* Tranſmarino.

III. Alduinus ante epiſcopatum Lemovicenſem Brantoſmenſis abbas dicitur, & dura paſſus a Guidone vicecomite ſuo fratre, cui hanc abbatiam in prædam dare nolebat; circa 990.

IV. Grimoardus frater Iſlonis epiſcopi Santon. Brantoſmi abbas videtur exſtitiſſe, & poſtea epiſcopus Engoliſmenſis, ubi vide circa finem X. ſeculi & initium undecimi. Conſule etiam Johan. Beſly hiſt. comit. Pictav. pag. 58.

V. Bernardus I. reperitur in charta anni 1034. VIII. idus Julii.

VI. Amblardus cui an. 1062. *al.* 1060. Albodenus ſtirpis Anglicæ princeps, fundatum a ſe prioratum Claræ-vallis ſub titulo S. Petri in dicec. Rutenenſi conceſſit, de conſenſu Odolrici abbatis Conchenſis.

VII. Willelmus I. in chartulario S. Eparchii Engoliſmenſis memoratur circa an. 1076 cum Siguino abbate S. Eparchii, & Calone archidiacono Engoliſmenſi. Anno 1080. Seguinus Caſæ-Dei abbas, rogatu Guillelmi Petrocorenſis epiſcopi, & Heliæ comitis, monaſterium Brantoſmienſe reformavit, unde ab hoc tempore Caſæ-Dei ſubjectum eſt. Fragmentum chartæ hujus comitis ſubjicere viſum fuit: *Ego Helias comes Petrocoricenſium, gehennales pœnas abhorreſcens, electis Dei me optans ſociari, monaſterium S. Petri apoſtolorum principis, ſanctique Innocentis Sicharii, quod nuncupatur Brantoſma, quod modo mea ignavia minime regulariter degit, ſed abuſione habitantium monachorum fere ad nihilum redactum eſt, ſub meo jure retinere timui, ac vitiis eorum favere; ideoque conſilio domini Guillelmi de Monte-berulpho Petragor. ſedis epiſcopi ac cleri ipſius*, &c. Cetera deſunt. Willelmi obitus conſignatur in necrologio, V. cal. Maii, ſed utrum iſte ſit, quis aſſeveret?

VIII. Aumarus ab Hugone vicecomite Lemovicenſi, & Petro d'Iſſene ipſius fratre, prioratum d'Iſſene cum eccleſiis ſubjacentibus accepit, *ſcuno papa Honorio, regnante Ludovico*, hoc eſt, ut videtur, Honorio papa ſecundo, regnante Ludovico VI. circa an. 1124. Aumari mentio habetur in necrologio III. cal. Febr.

IX. Willelmus II. monachus Brantolm. ex charta Gaufredi Burdegal. archiep. an. 1149. in abbatem ordinatus dicitur a Rom. pontifice Dom. Eugenio; ea tamen lege ut Caſam-Dei adiret, & ibi tanquam monachus eccleſiæ Caſæ-Dei profiteretur: *Facta vero profeſſione, cum bona voluntate & aſſenſu abbatis & capituli ejuſdem eccleſiæ, ad regimen & adminiſtrationem Brantolmenſis abbatiæ rediret; hoc modo, ut de cetero ſubjectus eſſet abbati & eccleſiæ Caſæ-Dei: obeunte autem illo, nullus deinceps in abbatem niſi cum conſilio & aſſenſu abbatis Caſæ-Dei & de monachis profeſſis ejuſdem eccleſiæ eligeretur.... Statutum eſt etiam ut inconſulto abbate Caſæ-Dei, neque prior, neque ceteri cuſtodes ordinis*

ibi conſtituantur, & ut diſciplina monaſticæ ordinationis in corrigendis exceſſibus, & in aliis quæ ad regulam beati Benedicti pertinent, ſecundum conſuetudines Caſæ-Dei ibidem ex integro conſervetur. An. ab Inc. Dom. M. C. XLIX. ind. XII. epacta IX. 18. cal. Maii, Romano pontifice Eugenio III. Ludovico rege Franc. & duce Aquitanorum, epiſcopatus vero noſtri anno duodecimo.

Labb. t. 2. bibl. nova, in chronico Gaufredi Voſienſis.

X. Odo abbas Brantoſmenſis, de quo vide in Sebrando epiſc. Lemovic. circa an. 1180. Societatem precum iniit cum abbate Stirpenſi Boſone. Obiit v. idus Aug.

XI. Guillelmus III. abbas erat an. 1190. de quo vide in Geraldo de Barta Auſcienſi archipræſule.

XII. Bernardus II. annis 1217. & 1226. nonis Novembris. Ipſius nomen recentiori manu inſcribitur necrologio calendis Julii.

XIII. Nicolaus 1258. 1262. die 2. Februarii, 1267. 1269. & 1270. ſub quo abbate martyrologium & necrologium monaſterii digeſta ſunt. Patrem habuit cognominem, cujus memoria exſtat

* *al.* v. idus in necrol. VI. * id. Jan. matrem vero Mariam de

* *al.* XVII. calend. Ramefort ibidem commemoratam v. * cal. Jan.

XIV. Bernardus III. de Malo-monte, *de Maumont*, 1280. & 1281. cujus electionem abbas Caſæ-Dei confirmavit. Cum autem Raimundi epiſcopi Petrocorenſis dominium in abbatiam recuſaret agnoſcere, ab eo depoſitus eſt, haud reluctantibus monachis, qui quod ipſis inconſultis fratri ſuo Geraldo [a] de Malo-monte caſtellaniam de Bordeille dediſſet cum onere homagii & ſacramenti fidelitatis, ægre ferentes, Heliam de Fayolles in abbatem elegerunt. Re ad ſummum delata pontificem Nicolaum IV. Guillelmus epiſc. Engoliſm. ab ipſo delegatur judex, qui epiſcopum Petrocorenſem a propoſito abbatiæ ſibi ſubjiciendæ deturbavit, id unum abbati quem reſtituit, præcipiens ut ad ſynodum diœceſanam conveniret : *Actum feria III. ante feſtum Aſſumtionis IV. idus Auguſti 1294. ind. VII.* Superſtes erat Bernardus anno 1307. VII. cal. Maii; ipſiuſque fit mentio IV. idus Martii in necrol. Brantoſm.

XV. Hugo 1309. quo anno procurationem dedit ad componendam litem cum abbate Caſæ-Dei, 1310. & 1311. die Martis poſt Paſcha.

XVI. Petrus I. de Relhac 1316. die Martis poſt feſtum S. Hilarii, 1318. & 1322. Obiit

* *al.* Julii. 1324. 3. cal. Junii *, qua die habet anniverſarium.

XVII. Aimericus I. de Borne 1324. die Martis poſt octavas Nativitatis; ſuperſtes ad an. 1328. ex noſtro D. Claud. Eſtiennot, ſed profecto regimen dimiſerat.

XVIII. Seguinus 1326. quo anno, die 20. Oct. paciſcitur cum Helia de Bourdeille pro juriſdictione monaſterii. Sedebat adhuc an. 1333. die Sabb.

Eſtiennot. poſt feſtum S. Hilarii; imo perveniſſe dicitur ad annum 1335.

XIX. Aimericus II. de Murat 1336. & 1340. quo anno Romam petiit, ſed qua de cauſa, nobis incognitum. Regebat adhuc an. 1352. III. id. Maii.

A Defunctus eſt XVI. cal. Nov. ex necrologio.

XX. Helias de Campniaco, *al.* de Campuhac, præerat jam anno 1353. die 20. Aprilis. Anno 1368. domini de Culturis hominium excepit pro feodo de Maſſongue, ſub tributo quatuor boſſel. frumenti & totidem avenæ. Obiit die Dominica 10. Aug. an. 1371. in eccleſia tumulatus.

XXI. Petrus II. Foucault prior de Puychambaud, eligitur abbas eodem anno die 30. * Auguſti * *al.* 2 Sept. & confirmatur a ſummo pontifice die 1. Septemb. ind. IX. pontificatus Gregorii XI. an. 1. Pepigit an. 1396. cum Agnete de Plas domicella, pro litigioſis, in domo quadam ſita apud Brantoſmum. Urbem hanc vallo muniviſſe dicitur; nihilominus Angli eam occuparunt, fugatiſque monachis cœnobium in caſtrum commutarunt. Vivebat adhuc Petrus an. 1404. die XI. Januarii; at fortaſſe id de Petro ſucceſſore intelligendum eſt.

XXII. Petrus III. du Puy-Aſtier interemtus eſt an. 1405. in irruptione Francorum facta juſſu Caroli V. adverſus Anglos abbatiam occupantes. Sedes vacavit ad annum 1408.

XXIII. Guido de Broilhaco, *de Broilhac*, patria Petrocorenſis, profeſſione vero Carrofenſis monachus, eligitur in abbatem durante Petri de Luna ſchiſmate, confirmaturque ab archiepiſcopo Burdegalenſi die 20. Octobris, contra Petrum Calho, a Petro de Luna promotum. Sedebat autem pacifice an. 1409. die 12. Julii. An. 1419. die 20. Martii Arnaldum de Brolhac filium Guidonis de Broſhac defuncti, ad hominium-ligium de Burdellia excepit; & 1435. die 16. Junii Chriſtinam de Baſat pro feudo de capella Mont-moreau. Compoſuit an. 1427. cum nobili viro D. Arnaldo de Bordelia & Johanna de Chamberlac Arnaldi matre, pro nonnullis cenſibus apud Bordeliam. Anno 1444. die 8. Julii Guido condidit teſtamentum, jamque hoc anno deceſſerat die 20. Septembris, ad portam eccleſiæ monaſterii ſepultus.

XXIV. Arnaldus I. de Petit, & ipſe patria Petrocorenſis, frater Raimundi, ordinarii tribunalis poſt ſeneſcallum judicis, monachus S. Crucis Burdegalenſis [b], poſſeſſionem accepit die 15. * Nov. [b] * *al.* 5. anni 1444. Deinde permutavit, anno ſcilicet 1446. cum Johanne Bernage tertio priore S. Martialis Lemovic.

XXV. Johannes de Bernage ex permutatione, ut diximus, Brantolmii abbas reperitur an. 1447. die 3. Julii. Hic prædia plurima a monaſterio diſtracta recuperavit, cui etiam prioratum de Quantillac curavit uniendum. Vita functus eſt an. 1465.

XXVI. Petrus IV. de Piedieu ſeu de S. Symphoriano, abbas erat Brantoſm. die 31. Januarii anno 1465. præpoſitus quoque Arnaci & prior S. Valerici, 18. Aprilis 1467. Romæ benedictur in eccleſia S. Tryphonis a D. Michaële epiſc. Carpentoratenſi, adſiſtentibus Andrea de Fontanis, & Petro de Allodiis abbatibus anno 1465. Vir erat ſingulari doctrina præditus, unde illum epiſc. Petrocorenſis Helias de Bourdeille in vicarium

[a] Geraldus de Malo-monte Regis conſiliarius, & rector vicecomitatus Lemovic. abbas dicitur circa hoc tempus tum a Steph. Baluzio, tum a noſtro D. Claud. Eſtiennot; fortaſſe is eſt Geraldus, qui dum Bernardus frater ipſius de abbatia cum epiſcopo diſceptaret, redditus percepit.

[b] MS. codex Brantoſmenſis ſic habet : *Arnaldus de Petito die V. Nov. monachus, a monachis & religioſis monaſterii de Brantolmio abbas ejuſdem monaſterii electus, dedicatuſque ipſa die dictam abbatiam canonice intravit, & poſſeſſionem ejuſdem accepit.*

Digitized by Google

generalem assumsit. Ecclesiam aliqua ex parte reſarcivit, clauſtrum ædificavit, diutinasque lites inter abbates ac domum de Bourdeille ratione hominii pro caſtro de Bourdeille compeſcuit. Obiit VIII. idus, *al.* VII. idus Januarii an. 1499. ſepultus inter chorum & majus altare B. Sicarii.

XXVII. Antonius de S. Symphoriano frater ſuperioris, in monaſterio Brantoſmenſi monachum induit die 4. Maii an. 1471. cum antea canonicus eſſet eccleſiæ collegiatæ B. M. de capella Calleſer, *al.* Taillefer, diœceſis Lemovic. Fratri vero quem excepit tam in abbatia quam in prioratu S. Valerici, non diu ſupervixit; obiit enim die 5. Aug. an. 1501. in dicto prioratu.

XXVIII. Petrus V. de Sandaleſſes e priore de Puychambaud a ſeptem fratribus eligitur in abbatem Brantoſmi die 6. Sept. 1501. indict. IV. Alexandri papæ VI. anno nono, Ludovico XII. rege Francorum, confirmaturque a Godefrido de Chateau-Bouchet * epiſc. Petrocorenſi. Æmulum tamen paſſus eſt Hugonem d'Abezac de la Douze jam abbatem B. M. de Allodiis in pago Pictavenſi, quem elegerant ſex fratres. Diu ex utraque parte litigatum fuit; tandemque Petrus jure ſuo ceſſit in gratiam cardinalis de Lebreto, d'*Albret*.

al. Pompedour.

XXIX. Amanevus d'Albret cardinalis & epiſc. Vaſatenſis, Petro cedente factus eſt abbas an. 1504. vel 1505. Ædes abbatiales conſtruxit, eccleſiamque parochialem hucuſque in eccleſia abbatiali exſtantem alio tranſtulit, fundis ſuppeditatis. Obiit Vaſati * die 9. Aug. 1519. ſimul abbas ſancti Amandi, &c.

* *al.* in Caſtro-Geloſio, *Caſtel-jaloux*, die 10. Dec. 1520.

XXX. Petrus VI. Saunier de la Borie monachus Angeriacenſis, electus eſt die 12. *al.* 3. Jan. inſequentis, tum confirmatus ab ordinario, poſſeſſionem accepit per procuratorem 15. Jun. 1523. Competitorem habuit Antonium Pelegrin a rege Franciſco I. VI concordatorum nominatum, contra quem Petrus edictum magni conſilii die 5. ejuſdem anni obtinuerat.[a] Interim Claudius Raffin monachus Brantolmienſis ſe a quibuſdam fratribus eligi procuravit & confirmari. Item Gaſto de la Martonnie epiſc. Aquenſis, & Franciſcus de Montagrier monachus, de abbatia contenderunt cum Petro Saunier. Durante vero iſta controverſia, an. 1538. Petrus de Mareuil abbatiam impetravit tam a Rege quam a ſummo pontifice, quorum beneplacito acceſſit eodem anno edictum magni conſilii. Tumque hic Petrus Petro Saunier conceſſit prioratum de Fontenay l'Abbatu in dioec. Santon.

[a] An. 1528. die 3. menſis Maii celebratum fuit capitulum generale Brantolmienſis cœnobii per D. Antonium de Beaune priorem S. Juliani & vicarium generalem in ſpiritualibus ejuſdem abbatiæ de Brantolmio, ſede abbatiali vacante commiſſum & deputatum per curiam magni conſilii domini regis.

XXXI. Petrus VII. de Mareuil protonotarius apoſtolicus, abbas Brantolmienſis, necnon epiſc. Vaurenſis, nihil omiſit ut Brantolmienſe monaſterium Caſalinæ congregationi uniret, ſed hæc pia ipſius vota irrita permanſerunt uſque ad annum 1559. Obiit vero 1556. die 20. * Martii, atque in baſilica Brantolmienſi ante majus altare ſepultus eſt.

1551. * *al.* 2.

XXXII. Petrus VIII. de Bordeille ſuis commentariis notiſſimus, poſſeſſionem apprehendit die 15. Julii 1558. cui ſane abbatia debet quod permaneat. Hanc tenuit per ſemetipſum uſque ad annum 1583. ac deinde ſub fiduciariis Johanne * l'Eſpinaſſe, Petro Petit dicto la Coutancie, &c. ad an. 1614. quo migravit ex hoc ſeculo 5. Julii, in ſacello caſtri de Richemont quod ædificaverat, tumulatus. Porro an. 1564. erant in abbatia prior clauſtralis, ſacriſta, eleemoſynarius, quatuor præpoſiti clauſtrales & triginta monachi.

* *al.* Petro.

XXXIII. Petrus IX. Petit retinuit abbatiam pro D. de Bordeille ad an. 1622. quo nuptias contraxit.

XXXIV. Arnaldus II. Barbut presbyter, abbas & ipſe confidentiarius poſſeſſionem accepit 24. Septembris 1622. Ceſſit an. 1633.

XXXV. Henricus Faulcher decanus & canonicus eccleſiæ collegiatæ Montis-theſauri, &c. ſub quo unita eſt abbatia congregationi S. Mauri, menſe Junio 1636. Pacta cum antiquis monachis Caſalinæ congregationis tranſacta confirmavit anno ſeq. die XI. Nov. Præerat adhuc die 15. Jan. 1648. quo circiter tempore dimiſit abbatiam.

XXXVI. Claudius de Bourdeille comes Montis-theſauri 1654.

XXXVII. Antonius Armandus Guerin a Rege deſignatur abbas an. 1662. Reperitur an. 1681. menſe Maio; obiitque 1684.

XXXVIII. Franciſcus * Ludovicus le Preſtre, quo ex genere Sebaſtianus le Preſtre dominus de Vauban Franciæ mareſcallus, nominatur abbas menſe Aprili an. 1684. * bulliſque confirmatur datis IV. nonas Junii an. 1. pontificatus Alexandri VIII. Poſſeſſionem iniit 29. Septembris 1690. ſedebatque adhuc an. 1714.

* *al.* Simpliciter *Ludovicus*, du Fourny.

* *al.* 1688.

Sunt inſuper alii plures abbates quorum ætas ignoratur, niſi quod pro certo ante ſec. XIV. vixerint. Illos uti memorantur in necrologio hic ſubjungimus.

Arnulfus, obiit IV. idus Januarii.
Jodricus, XV. *al.* XIII. cal. Febr.
Adam, V. cal. Febr.
Ranulfus, VI. idus Febr.
Raimundus, VI. idus Febr.
Gaufridus, V. cal. Martii.
Geraldus, IV. cal. Martii.
Petrus, XIV. cal. Aprilis, *al.* Maii.
Rivardus, VIII. cal. Maii.
Abbo, III. nonas Maii.
Gaubertus, III. idus Maii.
Mainardus, VII. cal. Junii.
Ademarus, VII. idus Junii.
Ermenarius, VI. idus Junii.
Stephanus, XVIII. cal. Julii.
Benedictus, XV. cal. Aug.
Will. S. Laurentii, XII. cal. Septemb.
Abbo, VII. idus Sept.
Aimericus, idibus Septemb.
Guillelmus de S. Aſterio, VI. cal. Oct.
Bertrandus, XV. cal. Oct.
Mainardus, pridie idus Octob.
Petrus, V. idus Octob.
Raimundus d'Agonat, XIII. cal. Nov.
Adraldus, VIII. idus Nov.
Raimundus Sauſet, VIII. cal. Decemb.
Gaufridus, V. cal. Decemb.

Digitized by Google

Tourteyrac

TURTURIACUM.

TURTURIACUM ſeu TUSTURIACUM, ordinis Benedictini ſub invocatione S. Petri, ſitum eſt in profunda valle montibus undique ſepta, ſecus altam ſeu ſuperiorem Vizeram *l'Auvezere*, quinque leucis ab urbe Petrocorenſi. Fundatorem ſeu potius reſtauratorem agnoſcit Guidonem vicecomitem an. 1025. ut patet ex ipſius charta in appendice relata, qua & ipſum monaſterium Ricardo abbati Uſercenſi gubernandum committit. Alebantur an. 1564. in monaſterio prior clauſtralis, ſacriſta, camerarius & triginta quatuor monachi, modo vix ullus ibi commoratur, tanta fuit cœnobii deſtructio.

C. VIII. col. 489.

B

SERIES ABBATUM.

I. STEPHANUS ex decano Uſercenſi abbas Turturiacenſis inſtituitur a Ricardo abbate an. 1020. ex charta ſuperius laudata.

II. Willelmus I. cœnobii Ligurienſis fundationi interfuiſſe dicitur, ex chartulario Ligurii.

III. Guido teſtis fundationis primariæ domus Dalonenſis an. 1114. Ipſi Calixtus papa bullam protectionis conceſſit an. 1120. quam vide inter inſtrumenta.

C

C. IX. col. 491.

IV. Helias an. 1154. ex hac charta quæ legitur chartularii Dalonenſis fol. XXXIII. *Nos ſervi Chriſti inutiles, & qualeſcumque abbates, ego quidem Helias abbas Turturiacenſis & ego Rotgerius abbas Dalonenſis, fecimus hujuſmodi pacem & concordiam, de terra de Caſetas, quam notam fieri volumus fratribus noſtris. Ego Helias Turturiacenſis abbas & omnes fratres noſtri, damus & concedimus in perpetuum Deo & B. Mariæ & fratribus Dalonenſibus, quidquid habebamus vel requirebamus in omnibus terris de Chaſetas, retentis nobis quinque ſolidis de barbaris, vel monetæ ejuſdem pretii, ad feſtum S. Thomæ annuatim reddendis apud Turturiacum.... Hæc concordia facta eſt anno ab incarn. Dom. MCLIV. epacta XV. indict. III. concurrente IV.* An idem Helias cognomento de Comarcha, qui circa an. 1163. Petro Matthæi Uſercenſi abbati obedientiam promiſit, coram Johanne Petracoricenſi epiſcopo?

D

V. Gaufridus abbas Tuſturiacenſis dedit & conceſſit Deo & B. Mariæ & fratribus Dalonis, conſilio fratrum ſuorum, pratum de Cepeira in perpetuum poſſidendum, retentis eccleſiæ Tuſturiacenſi tribus ſolidis Engoliſmenſis monetæ annuatim reddendis in feſtivitate S. Bartholomæi apoſtoli. Hujus rei teſtes ſunt Geraldus abbas Terracinenſis, Rainaldus Malmiros &c. Factum eſt hoc anno M. C. LXXXVIII. apud Dalonium in manu Geraldi abbatis, ex chartul. Dalonenſi fol. XII.

E

VI. Fulcoldus, qui & Fulco, præerat an. 1190. ex compoſitione facta inter Dalonenſes & Turturiacenſes, pro iis quæ habebant in ſtagno de Feltz. Factum apud S. Raphaëlem, præſentibus & annuentibus Fulcone abbate Turturiacenſi, S. præpoſito S. Raphaëlis, Stephano de Cumbas præpoſito Podii, G. * abbate Dalonis anno M. C. XC.

* Geraldo.

VII. Willelmus II. abb. Turturiac. teſtis in charta Arnaldi de la Roca pro monaſt. Dalonenſi, anno ab incarn. M. CC. XIX. ex chartul. Dalon. fol. 15. Forte idem qui notatur in eodem chartul. annis 1223. 25. 48. & 1250. in charta Petroſæ. Abbas Turturiacenſis nomine Willelmus, anno 1240. judex delegatur a Papa, pro concordia facienda inter G. * abbatem Sarlatenſem & cives Sarlati, ex charta eccleſiæ Sarlatenſis. Memoratur adhuc 1245. menſe Martio.

* Geraldum de Vallibus.

VIII. Paſtor abbas an. circiter 1400.

IX. Johannes I. Helias de Colongis in legibus baccalaureus, & ſedis apoſt. protonotarius, abbas erat S. Petri Turturiacenſis & B. Mariæ Dalon. 1489. ex libro recognitionum, & 1494. imo 1530. Sub initium tamen ſeculi ſequentis, ſcilicet an. 1517. Orlat & Buche famuli dominorum de Sediere, fiduciario nomine abbatiam poſſediſſe dicuntur.

X. Bernardus I. de Jay 1639. cui ſucceſſit alter

XI. Bernardus II. de Jay ad annum ſaltem 1676.

XII. Petrus de Jay nobilis Petragoricenſis e vivis ſublatus eſt ſub finem anni 1708.

XIII. Johannes II. de Vincenot patria Petragoricenſis, filius Johannis ex Clara Albert, archidiaconus de Dupla & canonicus eccleſiæ cathedralis, necnon major vicarius, deſignatur abbas an. 1708. in Natali Domini. Adhuc ſedebat 1713.

Præter hos abbates exſtat memoria Bernardi, XIII. cal. Sept. in necrologio Solemniac.

B. M. DE LIGURIO.

Ligueux.

LIGURIUM ordinis Benedictini feminarum ab urbe Petracoricenſi ſex milliaribus diſtans, virorum primitus ac mulierum exſtitiſſe videtur monaſterium; cui fundando præbuit anſam pietas cujuſdam ſolitarii nomine Geraldi, * cum enim multi ejus exemplo fratres multæque ſorores ad eum convenirent, hi proceres *ad quorum dominatum locus idem pertinebat, qualiter ibidem Domino ſervientes ſuſtentare poſſent, providere ſtuduerunt.* In his *Elias de Viga & Guillelmus Delbos dederunt Deo & B. Mariæ de Ligurio in perpetuum decimas illius terræ quam acquiſivit Geraldus de Ligurio & Maximiria abbatiſſa, qui primitus ædificaverunt locum ad ſerviendum Deo.* Plures vero ſimiles reperiuntur donationes factæ *famulis & famulabus Dei qui ſecundum Deum ibi manere voluerunt.* Aliæ id unum habent: *Dederunt Deo & B. Mariæ & ſervitoribus ejuſdem loci:* Altera denique donatio exſtat facta *abbatiſſæ, fratribus & ſororibus de Ligurio.* Porro hujus cœnobii privilegia memorantur in bulla Clementis papæ III. anno 1188. Præfuerunt abbatiſſæ quæ ſequuntur.

* de Sala.

ABBATISSARUM INDEX.

I. MAXIMIRIA de qua ſuperius, forte eadem eſt ac Maxima anno 1015. a Sammarthanis memorata, ſed legi debet 1115.

II. Imberga I. 1226. feria 2. poſt Aſcenſionem Domini, & 1230. die Dominica poſt feſtum S. Gregorii.

III. Nadea de Bourdeille 1234. ſub qua

teſtis nominatur Guillelmus frater domus Ligurii.

IV. Margarita I. 1254.

V. Almois I. 1263. cui Petragoricenſis epiſcopus licentiam dedit in diœceſi Santonenſi eleemoſynas colligendi. Vide inter inſtrumenta. Ipſa eſt fortaſſe Alais de Turre quæ anno circiter 1272. ſedebat, baſilicamque, ut conjicit noſter D. Claud. Eſtiennot, ipſiuſque turrim lapideam conſtrui juſſit, in qua ipſius gentile ſtemma hactenus apparet. Memoratur Almois XVII. cal. Octob. in necrol. Solemniac. ſed cum plures hujus nominis fuerint abbatiſſæ, de qua id intelligendum neſcimus.

C. v. col. 488.

VI. Imberga II. 1273. & 1280.

VII. Eyna de Pons d'Agonac, *Sammarthanis* de Valle, a quibus laudatur anno 1281. & 1287. præerat anno 1286. hæc igitur ea eſt abbatiſſa quæ anno 1281. in ſuo monaſterio capitulum habuit, in eoque ſapientiſſima condidit ſtatuta, quæ maximum a regulari obſervantia defectum indicant, nec minorem pauperiem; qua de cauſa Petragoricenſis epiſc. facultatem ei conceſſit fidelium eleemoſynas colligendi.

VIII. Imberga III. de Goyas 1293. & 1296. Prioratum de Meſures a ſuo dependentem monaſterio viſitavit, cujus creavit præfectam ſeu prioriſſam, & ad ſingula miniſteria ſorores deſignavit. Præerat adhuc an. 1308. Dominica die qua cantatur *Lætare*. Fortaſſe tamen jam ceſſerat, legimus enim Johannam de Bordeille præfuiſſe annis 1305. 1306. & aliis, niſi potius legendum ſit 1505. &c. ut infra videbitur.

Eſtiennot.

IX. Maria 1311. feria II. poſt feſtum S. Marci eundem prioratum viſitavit, pace ibidem inter prioriſſam & moniales conſtituta.

X. Agnes I. de Neufville eodem anno Dominica poſt octavas Epiphaniæ pedum gerebat. An 1314. prioratum de Allodiis in Santonico pago viſitavit. Obiit vero 1317. Æmulam autem habuiſſe videtur Margaritam d'Agonac recenſitam an. 1313.

XI. Agnes II. de Chamberliac *al.* Chambrillac eligitur abbatiſſa an. 1317. ſecundo pontificatus Johannis XXII. prima die Apr. indict. IV. * Reperitur adhuc anno 1322.

* XV.

XII. Margarita II. de Chamberliac 1328.

XIII. Almois II. de Pons d'Agonac 1330. & 1332. die 31. Julii.

XIV. Margarita III. de Chamberliac 1335. 47. 58. & 1365.

XV. Nona de Chamberliac electa 1365. die 14. Julii, confirmatur ab epiſcopo Petragoricenſi, ſedebatque adhuc an. 1367.

XVI. Almois III. 1374.

XVII. Marqueſia de Jauvelle 1391.

XVIII. Beatrix Dupuy 1403. & 1423.

XIX. Margarita IV. de Cleus poſſeſſionem adepta eſt 3. Decemb. 1435. Eugenii IV. anno quinto, indict. XIII. reſignavit anno 1474.

XX. Ludovica I. de Cleus per ceſſionem Margaritæ providetur eodem anno a Sixto IV. ſummo pontifice. Benedictionem accepit eodem an. 1474. die 12. Martii ab epiſcopo Lemovicenſi in ſacello cimiterii de Guerel. Permutavit cum prioriſſa de Allodiis quæ ſequitur.

XXI. Johanna I. de Cleus ex permutatione quam Julius II. probavit VI. cal. Decemb. 1503. facta eſt abbatiſſa. Obiit autem 31. Jan. 1505. jacet in eccleſia.

XXII. Johanna II. de Bourdeille, ſeu de Bordeille, Fontis-Ebraldi ſanctimonialis & prioriſſa de Bono-oculo, unanimi conſenſu eligitur in abbatiſſam 22. Febr. 1505. anno ætatis ſuæ vigeſimo, confirmatur a Julio II. decimo cal. Aprilis, pontificatus anno tertio, ea tamen conditione ut nonniſi trigeſimum ætatis annum aſſecuta monaſterium gubernaret. Haſce bullas fulminavit ſeu promulgavit officialis Petragoric. die 4. Junii 1506. Johanna vero benedictionis munus accepit 20. die Octob. anni 1527. poſtea reſignavit.

XXIII. Suſanna I. Beaupoil de Saint Aulaire per reſignationem præcedentis, a Franciſco I. rege Chriſtianiſſimo 15. Aprilis 1533. apud Tornacum approbatam, deſignatur abbatiſſa, at e vivis egreſſa eſt antequam bullas obtineret. Unde Johanna de Bourdeille permanſit abbatiſſa ad annum 1545. quo Paulus III. ipſius abdicationem in gratiam neptis approbavit.

XXIV. Franciſca de Bourdeille neptis Johannæ annum agens decimum-octavum, ex moniali S. Crucis Pictav. facta eſt abbatiſſa; qua dignitate poſtea ceſſit.

XXV. Margarita V. d'Eſcars de Peyruſſe filia Franciſci legati pro rege Franciſco I. in Lugdunenſi pago, Delphinatu, Sabaudia, Pedemontio, &c. & Iſabellæ Borboniæ filiæ Caroli Borbonii Domini de Carency, ex ceſſione ſuperioris, quam Pius papa IV. probavit VIII. cal. Aprilis 1565. pontificatus ſui anno 5. fit abbatiſſa. Antea vero monialis erat Bulbonenſis, *de Boubou*, ordinis Fontebrald. in diœceſi Lemovic. Nacta eſt abbatiæ poſſeſſionem 20. Decemb. ejuſdem anni, ac denique obiit 1589.

XXVI. Ludovica II. d'Eſcars filia Johannis de Peyruſſe d'Eſcars principis de Carency domini de la Vauguion, torquati equitis, mareſcalli & ſeneſcalli in pago Borbonienſi, ex Anna de Clermont Tonnerre, nominatur a rege Henrico III. bulliſque donatur II. idus Junii 1576. Ceſſit in gratiam ſequentis.

XXVII. Claudia de Villate, Cuſſeti ſeu Cuſſiaci in Arvernia monialis, bullas accepit a Gregorio XIII. pontificatus ejuſdem anno 12. Incarnationis 1583. XVI. cal. Martii.

XXVIII. * Peyrona ſeu Petronilla de S. Marſaut de Periſſat vel du Verdier profeſſa Bonæ-ſaniæ ord. S. Bened. diœc. Lemov. bullas obtinuit calendis Maii 1585. poſſeſſionem vero die 22. Julii ejuſdem anni. Porro hiſce temporibus exſulare cogebantur a ſuo monaſterio penitus deſtructo, tam abbatiſſa quam duæ ſanctimoniales ſuperſtites, quibus in burgo degentibus decem libras ſuppeditatas fuiſſe quolibet menſe teſtantur acta authentica. Eccleſia autem pro caſtro habebatur, in quo Dominus de la Vauguion prælidium habebat. Ceterum Peyrona de S. Marſaut, anno 1597. permutavit abbatiam cum prioratu de Seilhac la Mongeas diœc. Lemovic.

* Johanna de las Cueille, cum junior eſſet nominata, Petronillæ ceſſit.

XXIX. Suſanna II. Beaupoil de S. Aulaire filia Franciſci ex Franciſca de Volvire de Ruffec, mo-

Digitized by Google

malis Ligurii, ex permutatione prædicta, facta eſt abbatiſſa. Bullis acceptis an. 1597. nonis Nov. poſſeſſionem obtinuit 17. Martii 1598. prius benedicta 28. Januarii a Franciſco de Bourdeille epiſcopo Petragoricenſi. Statim aliquot moniales adunavit in monaſterio, cujus ædificia aliquatenus reſarcivit; divinaque peragi officia diutius interrupta curavit. Abbatiam poſſedit ad annum 1606. quo permutavit, defuncta 1612.

XXX. Suſanna III. Beaupoil de S. Aulaire filia Germani fratris Suſannæ ſuperioris, baronis de S. Aulaire & Judithæ de Carbonieres, Ligurii profeſſionem emiſerat 15. Decemb. 1602. eratque prioriſſa minoris Ligurii dicec. Aginnenſis, quando cum amita permutavit. Cum autem duos tantum ſupra viginti annos haberet, Paulus V. in bullis datis 17. cal. Januarii 1606. conditionem hanc appoſuit, ut donec ætate provectior eſſet, prioriſſa clauſtralis eligeretur. Poſſeſſionem nihilominus apprehendit 30. Junii 1607. Abſolvit monaſterium, cujus & redditus plurimum adauxit; & ne bellorum procellis in poſterum foret obnoxium, hujus transferendi in ſuburbium, regiam ſimul ac pontificiam facultatem obtinuit, tumque eccleſiam cum locis regularibus exædificavit. Renitentibus tamen quibuſdam monialibus, propoſitum mutavit, ſatiſque habuit, ſi duodecim moniales illuc tranſmitteret, prioriſſa conſtituta 1632. Suſanna Franciſca Beaupoil de S. Aulaire; quem locum poſtea anno videlicet 1642. in prioratum triennalem ſub titulo S. Benedicti de Ligurio erigendum curavit, cum iiſdem erga Ligurii abbatiſſam privilegiis, quibus in ordinis ſui prioratus abbatiſſa Fontebraldenſis gaudet. Obiit tandem virtutibus plena 17. Maii 1655. ætatis ſuæ anno 69. atque ſepulta eſt in ſacello abbatiſſarum, adſcita ſibi jam pridem coadjutrice quæ ſequitur.

XXXI. Suſanna IV. Beaupoil de S. Aulaire, filia Henrici baronis de S. Aulaire & Leonoræ Taleran de Chalais, ſtrictiorem ab amita inſtitutam regulæ obſervantiam amplexa eſt 24. Julii 1633. tum ipſius facta coadjutrix 1646. bullis acceptis XV. cal. Novembris ejuſdem anni, poſſeſſionem adepta eſt 23. Febr. anni ſequentis, ac demum benedicta eſt ab epiſcopo Valentinenſi Daniele de Coſnac die 1. Januarii 1648. Digna ſane abbatiſſa, quæ ſuum monaſterium non minus in ſpiritualibus quam in temporalibus adauxit. Conſtitutiones ab amita digeſtas nonnihil immutavit, eaſque a Ludovico Vindocinenſi cardinali ſedis apoſtolicæ legato confirmari anno 1669. curavit. Deceſſit in ſua abbatia die 5. Martii 1677. ibidemque ſepulta eſt.

XXXII. Maria Beaupoil de S. Aulaire filia Marci-Antonii de S. Aulaire & Gabrielis d'Alegre, bullas obtinuit XIV. cal. Julii 1677. poſſeſſionem adiit 7. die Septemb. ejuſdem anni, poſtridie benedicta a Guillelmo le Boux epiſcopo. Obiit die 17. Decemb. 1707. * ætatis ſuæ 82. ſepultaque eſt in ſacello abbatiſſarum.

* *Du Fourny* menſe Jan. 1708.

XXXIII. Antonietta Beaupoil de S. Aulaire filia Boni-Franciſci de S. Aulaire & Annæ de la Roche-Aymon, monialis profeſſa Ligurii ab an. 1682. 22. Novemb. amita cedente, abbatiſſa nominatur a Rege 16. Aug. 1698. bulliſque munitur pontificiis XII. cal. Novemb. ejuſdem anni. Iniit poſſeſſionem 30. Aprilis anni 1699. ſextaque Maii ſequentis benedictionem percepit. Nulli vero præcedentium abbatiſſarum merito ſecunda adhuc feliciter præeſt.

ALBUGIA.

Le Bugue *vel* le Bugo.

Hic parthenon ordinis S. Benedicti poſitus eſt ad ripam Vizeræ [a] prope Limolium, in amœna & pingui valle, ſex leucis ab urbe epiſcopali, tribus a Fonte-Gauferio. Eccleſia opere novo conſtructa dedicatur S. Salvatori. Fundatores habuit toparchas Limolii, qui ſunt etiam domini Albugiæ, ſed & eoſdem agnoſcit direptores: enimvero an. 1575. domini de Floraco Limolii toparchæ, labe Calviniana infecti, monaſterium & burgum Albugiæ incendio conſumſerunt, omnia militibus diripienda tradiderunt, & chartas abbatiæ abſtulerunt. Ceterum in burgo Albugiæ duæ ſunt eccleſiæ parochiales, altera S. Sulpitii, capitulo cathedrali ſubjacens, & eſt archidiaconatus; altera S. Marcelli martyris & pontificis, quæ a parthenone hoc pendet.

Abbatissarum ordo.

I. Maria I. abbatiſſa, Helias cellerarius & univerſus conventus monaſterii de Albugia, componunt cum Raimundo de Bonis-villa * & ejus fratribus dominis de Limolio, ſuper juriſdictione villæ de Albugia; huicque inſtrumento Dalphinus officialis Petragoric. & Arnaldus de Bonis-villa archidiaconus Albugiæ ſigilla ſua apponunt II. nonas Maii an. 1264.

* *f.* Boviſ-villa.

II. Raimunda Radulfi abbatiſſa 1358.

III. Margarita Bertina componit cum Antonio de Turre vicecomite Turennæ domino Limolii 1479. Reperitur & an. 1505.

IV. Johanna I. Bertina ſucceſſit Margaritæ.

V. Gabrielis du Breuil 1550.

VI. Suſanna d'Aubuſſon ex moniali abbatiæ de Bona-ſania, an. 1603. monaſterium a pluribus annis deſertum reſtituit & moniales recepit.

VII. Franciſca d'Aubuſſon de la Feüillade ex coadjutrice fit abbatiſſa 1608.

VIII. Honorata d'Oyron Franciſcæ conſanguineæ ſucceſſit, defuncta 1671.

IX. Johanna II. d-Oyron obiit 1676.

X. Maria II. Catharina de Rocquart monialis profeſſa conventus S. Pardulfi ord. S. Dominici, ſchedula regia nominatur ad abbatiam 22. Sept. 1677. bullaque pontificia confirmatur an. 1681. pridie idus Auguſti. Hæc abbatiſſa jure dici poteſt altera fundatrix Albugienſis monaſterii. Haud procul enim a veteri monaſterio novum a fundamentis eleganti opere conſtruxit, eccleſiam pariter ædificavit & adornavit, plurimaque bona ex laïcorum manibus avulſit. Sepulta eſt in eccleſia nova, maximo omnium luctu, an. 1703.

XI. Ludovica de Vaſſal de la Barde e nobili fa-

[a] *La Vezere*, fluvius eſt, qui miſcetur aquis Dordoniæ juxta Limolium, *Limeuil*, alius a fluvio, *l'Auvezere*, qui vocari poteſt alta ſive ſuperior Vizera; & *la Vezere*, Vizera inferior ſeu ſimpliciter Vizera.

milia cujus caſtrum prope abbatiam Albugiæ in parochia S. Sulpitii ſitum eſt, a teneris annis in eadem abbatia enutrita, ibidem profeſſionem emiſit ſub Maria-Catharina de Rocquart, cujus præceptis & exemplis erudita, ejus veſtigiis feliciter inſiſtit. Nominata fuit a Rege cal. Nov. 1703. Benedicitur in ſua eccleſia a Petro Clement epiſc. Petrocoricenſi, die 22. Apr. 1704. Dormitorium egregia ſtructura perfecit, & monaſterium in dies adornat, ſuperſtes ad annum ſaltem 1713.

chancellade

CANCELLATA.

CANCELLATA B. Mariæ, ſub titulo Nativitatis, ordin. S. Auguſtini, conditur a piis viris, qui juxta Petracorium leuca vel circiter in inculto ſolo ſub regimine Fulcaudi abbatis Cellæ-fruini vitam eremiticam profitebantur, in oratorio B. Virgini dicato, prope fontem Cancellatum cratículis ferreis ſeptum, a quo abbatia Cancellatæ cognomentum tulit. Multis aucta eſt beneficiis a Guillelmo de Alba-rocha epiſcopo Petracoricenſi, qui benedicto oratorio ac cœmeterio, eccleſiam de Beurona, locumque de Bord conceſſit, deſignato abbate Geraldo, qui vota ſub regula D. Auguſtini emiſit anno 1133. tum exædificata baſilica quæ hodie ſpectatur, ac divinis myſteriis ritu ſolemni peractis, domos, ceteraque ædificia inſtituit, ut indicat chartularii Cancellatæ membrana, quam vide inter inſtrumenta.

C. x. col. 492.

INDEX ABBATUM.

I. GERALDUS de Monte-lauduno, *de Monlava*, primus abbas renuntiatur a Guillelmo de Alba-rocha epiſcopo Petragoricenſi, ut ſupra; ſedebat autem an. 1128. cui & fratribus de Cancellata Seguinus de Monlava miles de Alba-rocha, in ultima infirmitate ſua poſitus dedit unum ſextarium frumenti in parochia de Millac, &c. reddendum in unoquoque anno, in feſtivitate S. Mariæ, quæ eſt in Septembri. Hoc donum fecit ſupradictus Seguinus in manu D. Geraldi abbatis fratris ſui, videntibus & audientibus Aimerico de Monlava & Ugone de Monlava fratribus ſuis.

II. Elias de la Garde electus 1146. a diœceſano antiſtite plures accepit eccleſias. Petrus epiſc. Ruthenenſis Petrum Umberti cupientem ſub regula ſecundum Deum a SS. apoſtolis & B. Auguſtino conſtituta regulariter viveré, Eliæ abbati Cancellatæ tranſmittit, eique dona omnia præfati Umberti confirmat. *Facta ſunt hæc in eccleſia S. Saturnini de Mareſinac, quæ ſita eſt in Ruthenenſi epiſcopatu, menſe Julio, VIII. calend. Aug. Luna XXII. anno ab Incarnatione 1155. indict. III. epacta V. Adriano papa præſidente, Ludovico regnante, Ugone Ruthenenſi comite exiſtente feria II.* Idem epiſcopus conſilio & voluntate totius eccleſiæ Ruthenenſis conventus, donat Heliæ abbati & eccleſiæ de Cancellata in perpetuum, eccleſiam de Padillac cum decimis & pertinentiis ſuis, in cujus parochia locus qui Alſona dicitur, pertinet ad fratres de Cancellata. *Hæc donatio facta eſt in eccleſia S. Mariæ Ruthen. juxta altare B. Michaëlis, anno ab Incarn. M. C. LXIII. ind. XI. concurrente I. epacta XIV. menſe Martio, feria V. in Cœna Domini.* Adhuc præerat Elias an. 1165.

III. Geraldus II. inaugurationem accepit a Petro Mineto * epiſcopo, qui ibidem adfuit an. 1171. v. nonas Maii dedicavit eccleſiam infirmorum hoc abbate præſente, & an. 1178. conſecravit quartum altare, in honorem plurimorum ſanctorum, inter quos S. Thomas Cantuarienſis recenſetur. His conſecrationibus epiſcopus addidit multarum eccleſiarum dona Geraldo facta. Eidem Ademarus Santonenſis epiſc. dedit tertiam partem ſalinæ, quæ vocatur Marnai, quam de proprio ſuo emit. Hujus donationis teſtes ſunt Bertrandus Burdigalenſis archiep. S. ſedis apoſtolicæ legatus, &c. An. 1179. Helias Aginnenſis epiſc. in remiſſionem peccatorum ſuorum dat G. abbati & eccleſiæ de Cancellata, eccleſiam S. Felicis ſitam juxta rivulum de Seinal; quam poſtea donationem Bertrandus Aginn. epiſc. an. 1187. indict. V. confirmavit. Idem abbas an. 1185. accepit eccleſiam de Cutzac a Bertrando abbate Moiſſiacenſi. Obiiſſe dicitur an. 1199.

* al. Mimet C. x. col. 494.

IV. Petrus I. Raimundi hoc ipſo anno reperitur abbas, quo videlicet Helias comes Petracor. dedit ei nemus quod dicitur *Herboſa*, in manu R*. Petragoricenſis epiſcopi, præſente Helia Talairans filio comitis prædicti. Mortuus eſt anno 1218. ſeu potius abdicaverat; reperitur enim P. an. 1220. & S. 1212. & 1217. qui eſt haud dubie

* Rudulphi

V. Stephanus fato functus 1224.

VI. Emenius 1227. in charta beatæ Mariæ de Fontenellis.

VII. Petrus II. de Cluzello moritur 1232.

VIII. Petrus III. d'Autefort e vivis exceſſit an. 1255.

IX. Bernardus tranſigit an. 1305. cum Giraldo de Nogareto abbate Fontenellarum, ubi vide.

X. Arnaldus Raimundi electus 1339. exſtinctus eſt 1359.

XI. Aimericus I. de Boutella interiit an. 1367.

XII. Bernardus II. Iterius eodem anno ſucceſſit.

XIII. Guillelmus I.

XIV. Johannes I. Jausbertus eligitur an. 1416.

XV. Guillelmus II. Ademarus 1459.

XVI. Aimericus II. 1465.

XVII. Godefridus de Pompadour epiſc. Petragoric. deinde Anicienſis, abbas 1482.

XVIII. Poncetus de Montardit 1514. & 1524. in charta eccleſiæ Aginnenſis.

XIX. Antonius de Montardit inſtitutus eſt an. 1528.

XX. Franciſcus de Brianſon abbas regularis inſtituitur an. 1575.

XXI. Arnaldus II. de Solminihac abbas regularis 1581.

XXII. Alanus de Solminihac abbas regularis, totius fuit ordinis canonici, in Aquitania maxime, reſtaurator. Deinde factus eſt epiſc. Cadurcenſis, ubi vide. Porro hic abbas obtinuit a Ludovico XIII. rege Chriſtianiſſimo, menſe Nov. an. 1629. ut in gratiam & præſidium reformationis, electio abbatis fieret in poſterum a capitulo, quod quidem tres in eadem reformatione inſtitutos

Digitized by Google

canonicos eligeret, ex quibus oblatis Regi, ipſe quem vellet, ſummo pontifici præſentaret.

XXIII. Johannes II. Garatus Lemovicenſis, Alani diſcipulus & pietatis aſſecla, benedictionem accepit a Johanne d'Eſtrades epiſcopo Condomienſi anno 1658. Obiit in ſuo monaſterio 21. Aprilis 1674. in choro ſepultus, cum epitaphio æri inciſo. Exſtat ipſius vita a Leonardo Roche canonico Regulari Cancellatæ conſcripta, editaque Pariſiis an. 1691. typis Caroli Cabry. Ejus epitaphium quod brevitatis cauſa prætermittimus, ſingulares ejus virtutes commendat.

XXIV. Marcus Clary Uzercienſis, benedictionis munus accepit a Guillelmo le Boux Petragoricenſi epiſcopo 13. Nov. 1677. Hic zelo diſciplinæ regularis multum commendatus obiit in ſuo monaſterio 1689. Ejus epitaphium, præter virtutes quibus fulſit, notat ejus ſollicitudine liberatum fuiſſe a litibus & ære alieno monaſterium, plurimum auctas libris bibliothecam, & ſacra ſupellectile baſilicam.

XXV. Johannes III. Valbrune de Belair ab eodem epiſc. benedictus eſt 1690. Sub eo unitur Altobracum, *Aubrac*, congregationi canonicorum Regularium Cancellatæ, die 24. Junii 1699.

Chaſtres.

B. MARIA DE CASTRIS.

ALia eſt hæc abbatia a cognomine de qua egimus in eccleſiæ Santonenſis hiſtoria; eſtque ejuſdem ordinis, ſcilicet S. Auguſtini, ſub titulo Nativitatis B. Mariæ virginis, fundata inquit Johannes Puteanus in hiſtoria epiſc. Petrag. pag. 20. circiter an. 1077. Poſita eſt autem in colle ad rivulum dictum, *le Cerf*, qui miſcetur aquis Viſeræ, ſpatio duarum a Dalonenſi monaſterio leucarum, quinque a civitate Petrocorenſi. Sex ibi quondam canonicos Regulares exſtitiſſe, ætate provectiores incolæ atteſtantur; ne unus quidem modo ſupereſt, ſolaque monaſterii rudera cernuntur. Abbatem nihilominus etiamnum habet, cujus & aliquot anteceſſorum nomina ſubjicimus.

Abbatum nomina.

I. GUillelmus ex chronico Malleacenſi primus abbas exſtitit circa annum 1120.

II. Lambertus abbas de Caſtris teſtis eſt in donatione Almoidis de Bordelia & filiorum ejus Heliæ & Eblonis, facta fratribus Cancellatæ in manu Eliæ abbatis circa 1146.

III. Stephanus ſubſcribit chartæ Bertrandi de Born apud Autafort III. idus Junii 1179. ex tabul. Dalon.

IV. Petrus cum conſilio fratrum ſuorum dat monaſterio Dalonenſi terram de Ponte-Boirel ad cenſum octo denariorum, abſque temporis inſcriptione. Huic abbati tribui debet quod tom. 1. col. 64. diximus de Petro abbate Caſtrenſi diœceſis tunc Albienſis, ut me monuit D. Jacobus Boyer, qui ex chartulario Caſtrenſis abbatiæ in Petracoricenſi diœceſi, eruit inſtrumentum ſocietatis, quod edidimus tom. 1. in appendice pag. 13. col. 2. Sane ex hoc inſtrumento non obſcure intelligitur Petrum abbatem fuiſſe canonicorum.

V. R. abbas de Caſtris ſubſcriptus reperitur an. 1223. in charta Dalonis.

Poſterioribus ſeculis gens de Peyraux abbatiæ de Caſtris proventibus potita eſt ſub fiduciariis abbatibus.

VI. Johannes Georgius d'Aubuſſon filius Johannis domini de Villac baronis de S. Leger ex Anna de Loſſe, canonicus Petrogorienſis & archidiaconus Brageracenſis, hanc abbatiam poſſedit ab anno 1669. vel 1670.

VII. Franciſcus d'Aubuſſon filius Jacobi dom. de Villac & Dianæ de la Royere patruo ſucceſſit.

VIII. N. Berthet renuntiatur abbas ineunte anno 1716.

IX. N. de Segonſac canonicus eccleſiæ Carnotenſis, nominatur abbas die 6. Nov. an. 1717.

la Peyrouſe

PETROSA.

BMariæ de Petroſa ord. Ciſterc. filia Claræ-vallis, fundatur anno 1153. & quidem ſecundum Johannem du Puy Recollectum in hiſtoria Petragoric. eccleſiæ pag. 54. die 39. Martii; agitur vero ipſius eccleſiæ dedicatio die 15. Oct. Sita eſt in occulta valle, inter quatuor montes ad confluentem rivulorum nomine, *le Palin* & *Queüe d'Ane*, qui influunt in amnem Colam, in parochia S. Stephani de Sainſaud, ſeptem leucis ab urbe Petrocoriorum, una ab oppido S. Johannis de Cola. Domum a ſegregibus dirutam & a commendatariis abbatibus direptam inſtaurare cœpit D. Stephanus Barrillot prior hujus monaſterii, quod pium opus in dies perficit D. Nivardus Ramaſſon, qui nunc tam iſti, quam vicino monaſterio B. M. de Boſco-cavo laudabiliter præeſt.

Series abbatum.

I. ROgerius Claræ-vallenſis monachus, fuit primus abbas Petroſæ.

II. Petrus.

III. Stephanus I. 1235. & 1246. in charta abbatiæ de Groſſo-boſco.

IV. Guillelmus I. 1270. & 1275.

V. Johannes I. compoſitionem iniit cum Arturo vicecomite Lemovicenſi 1293.

VI. Raimundus I. 1303.

VII. Bernardus I. 1305. 1323. & 1328.

VIII. Stephanus II. 1366.

IX. Fortonarius I. 1387. 1390. 1392. & 1400.

X. Guillelmus II. 1400.

XI. Fortonarius II. 1404. fortaſſe idem qui ſupra.

XII. Guillelmus III. de la Sauzeda prior & rector B. Mariæ de Garda juxta Petracoram an. 1409. quæ eccleſia modo unita eſt abbatiæ Petroſæ, erat abbas 1416. & 1421.

XIII. Raimundus II. 1430. & 1436.

XIV. Bernardus II. de Mayaco 1442. 1443. 48. 55. 58. 61. 76. & 1478. qui plura monaſterio acquiſivit.

XV. Iterius de Podio Dominicanus, profeſſor in ſacra pagina, in legibus licentiatus, ac protonotarius ſedis apoſtolicæ, primus fuit abbas commendatarius, 31. Martii 1478.

XVI.

XVI. Johannes II. de Peyrucia, in decretis baccalaureus, abbas commend. 1490. & 1497.

XVII. Carolus de Cadis d'Eſcars ex illuſtri gente apud Lemovices, protonotarius apoſtolicus, abbas commend. 1502.

XVIII. Johannes III. de Pompadour, protonotarius apoſtolicus, frater Franciſci abbatis Uſerciæ, abbas erat an. 1555.

XIX. N. Veyſſiere perſonatus abbas pro dominis de Pompadour 1564.

XX. Johannes IV. Vigier de S. Matthieu, baro de S. Pardoux la Riviere, nominatur abbas a Rege, die 4. Jan. 1572. tumque bulla Gregorii XIII. papæ data VI. idus Apr. 1573. pontificatus anno I. confirmatus, poſſeſſionem accepit die 28. Junii ejuſdem anni. Sedebat adhuc an. 1602.

XXI. Nicolaus I. du Mazeau nobilis Petragoricenſis, canonicus & cantor eccleſiæ Petragoric. commendam obtinebat an. 1626.

XXII. Nicolaus II. de la Brouſſe ſuperioris nepos ac ſucceſſor tum in abbatia, tum in canonicatu & cantoris dignitate in eccleſia Petragoricenſi, obiit 1674. ſepultus in eccleſia cathedr. S. Stephani, ubi ejus epitaphium legitur.

XXIII. Theobaldus de la Brouſſe, filius Nicolai equeſtris turmæ ductoris, ac Bertrandæ de Cheſne, canonicus & ſuccentor eccleſiæ Petrocorienſis, abbatiam obtinuit an. 1663. ex ceſſione patrui, nactus poſſeſſionem an. 1665. Præerat an. 1713.

XXIV. N. de la Brouſſe de Verteillac nominatur abbas Petroſæ menſe Januario anni 1719.

Boſchaud.

BOSCUM-CAVUM.

* *al.* de Caſtellariis.

B. Maria de Bosco-cavo, ordin. Ciſterc. filia Petroſæ * ſub Clara-valle, conditur 1154. vel 1155. & abſolvitur 1159. XII. cal. Aprilis, in parochia S. Martialis de Villars a prioratu ſancti Johannis de Cola dependente. Jacet in valle ſilvis circumſepta, haud procul a Drona fluvio, una leuca a Brantholmio, duabus a Petroſæ monaſterio, & quinque ab urbe Petrocoriorum epiſcopali. Cœnobium ab hæreticis, commendatariis abbatibus, atque a toparchis de *Puyguillem*, omnino direptum fuit. Supereſt tantum chorus & caput eccleſiæ egregii ſane operis, ibique unus tantum monachus procurator degit ſub regimine prioris de Petroſa.

Abbatum catalogus.

I. Bertrandus componit an. 1330. cum Arnaldo de Bitho capellano ſeu vicario perpetuo eccleſiæ de Rivo-cavo * diœceſis Aginn.

* *Rieucan*, prioratus abbatiæ de Boſco cavo ſubjectus.

II. Johannes de Peytors 1465. 1466. & 1470. quo anno ad ipſius preces Rodulfus * epiſc. Petragoricenſis, *volens miſeriæ & ruinæ dicti monaſterii ſubveniri, & ut cultus divinus in eodem monaſterio augeatur, eccleſiam parochialem S. Petri de Fracto-jove*, Frugie, *dictæ diœceſis eidem monaſterio de Boſco-cavo donavit atque univit* ſub certis conditionibus, ante Paſcha 12. Aprilis. Hanc vero donationem confirmavit capitulum S. Stephani Petragor. 17. Aprilis ejuſdem anni; tandemque Sixtus pontifex maximus bulla ad abbatem Brantholmienſem directa 1481. VIII. idus Oct. pontificatus anno XI. Hac in bulla dicitur Rodulfum fuiſſe primo epiſcopum Petragoricenſem, tum Ebroicenſem, ac poſtremo Engoliſmenſem.

* *al.* Radulfus.

III. Gabriel Gentil abbas commendatarius 1490. & 1514.

IV. Franciſcus I. Audonus dictus de la Ferriere, abbas commendatarius, poſt cujus obitum

V. Jordanus Piſtoris, vulgo *Peytours*, ex priore clauſtrali eligitur abbas a capitulo, die 20. Nov. 1517. Hic anno 1490. erat prior de Martigne (qui prioratus immediate ſubjacet Boſco-cavo) ex litteris Petri abbatis Claræ-vallis. Multum laboravit pro utilitate monaſterii.

VI. Petrus Bonneau abbas regularis 1525. & 1530.

VII. Franciſcus II. de Belair 1534. & 1539.

VIII. Armandus de la Marthonie commendatarius 1624. & 1627.

IX. Carolus de la Marthonie dominus de Puyguillem 1633. & 1642.

X. N. d'Aydie de Bernardiere.

XI. N. de Flexelles abbas erat 1670.

XII. N. de Chabenas de Bonneuil an. 1680.

XIII. Imbertus Jaſchier, *al.* Jaſchiet capellanus Regis, deſignatur abbas 1680. menſe Maio vel Aprili. Sedebat adhuc an. 1694. poſtea ceſſit.

XIV. Joſephus de Medidier nominatur abbas menſe Maio anni 1713.

Appendicis loco duo ſubjicimus monaſteria, quæ abbatiis accenſeri poſſunt.

* S. Pardoux.

S. Pardulfus *, abbatia feminarum ord. S. Dominici cenſetur, quod ſit prioratus ad Regis nominationem. Hujus monaſterii abbatiſſa erat an. 1526. Johanna notha, dicta *Jehanne baſtarde de Guyenne*, quæ hoc anno die 8. Julii chirographo teſtata eſt ſibi ſolutas eſſe a Guillelmo Prudhomme quæſtore generali centum libras Turonenſes ſibi in penſionem annuam conceſſas a Rege, ex ſchedis D. de Clèrembaut.

Parthenon SS. Coſmæ & Damiani prope & extra muros civitatis Petragoric. ord. S. Claræ ſub cura fratrum Minorum. Anna de S. Aulaire monialis SS. Trinit. Pict. filia Franciſci de S. Aulaire, & Franciſcæ de Volvire, ſoror Suſannæ abbatiſſæ de Ligueux, annum ætatis agens quadrageſimum, inſtituitur abbatiſſa SS. Coſmæ & Damiani, &c. per ceſſionem Gaſparæ de Saillant, bulla Clementis papæ data Romæ apud S. Marcum an. Incarn. 1596. III. nonas Julii pontificatus anno quinto.

Digitized by Google

ECCLESIA SARLATENSIS.

* Sarlat. SARLATUM * olim villa in Aquitania & in Petrocoricenſi provincia, verſus Cadurcenſis agri confinia, juxta amnem Sarlatum ſita, una leuca a Duranio fluvio diſtat, novem a Petrocorio ad Eurum; totidem a Cadurco ad Boream, 17. ab Aginno, ad Cæciam. Per ſubſequentia temporum intervalla primum abbatia Benedictini ordinis inſignita eſt ac poſtmodum in civitatem crevit, & ſede epiſcopali fuit illuſtrata. Sarlatenſis hiſtoriæ ſumamus exordium a tempore conditi monaſterii.

Miram huic abbatiæ antiquitatem tribuunt Sarlatenſes. Initium habuiſſe aſſerunt a S. Sacerdote Lemovicenſium epiſcopo; finem vero & conſummationem aut a Pipino Brevi, aut a Carolo-magno imperatore. Imo fundatam nonnulli volunt a Clodoveo I. Francorum rege. Ut ut eſt, putabatur decimo ſeculo ineunte jam ab antiquis temporibus condita; illo quippe tempore Bernardus Petrocorienſis comes ſignificat regularem obſervantiam in ea penitus collapſam, unde illam Odoni Cluniaci abbati reſti-
C. 1. col. 495. tuendam & regendam committit. Ejus rei litteras ex Sammarthanis inter inſtrumenta referimus. In eis Bernardus comes, conſiderans monaſterium Salvatoris, quod vocatur *Sarlatus*, ubi nulla tunc regularis diſciplina erat, illudque ſub jure ſuo diutius retinere timens, in ordine monaſtico reſtituere dignum duxit. Quo circa conſentiente uxore ſua Garſinda, prædictum locum cum tota abbatia . . . a ſua dominatione tranſponit, traditque Deo & D. Odoni Cluniacenſi abbati, atque Adacio coabbati ejus & monachis quos illuc adduxerint, vel congregaverint; ut ipſi & ſucceſſores eorum tam cœnobium, quam totam abbatiam ſine ulla contradictione teneant & poſſideant; poſt illorum vero deceſſum monachi, cum conſilio & voluntate abbatis Cluniacenſis, qualem voluerint, ſecundum regulam S. Benedicti, abbatem ſibi conſtituant. Sint autem ipſi monachi in ſubjectione Regis ad locum ſalvum faciendum, ſed non ad aliquid perſolvendum, niſi tantummodo ſolas orationes. *Data in menſe Junio, regnante Deo, domno Ludovico rege imperante.* Abbatum ſeriem ab Odone Cluniacenſi deducemus.

Abbatum index.

I. SODO reſtaurati cœnobii primus abbas ſeculo X. A

II. Adacius in charta Bernardi comitis Petroc. quam habes inter inſtrumenta, dicitur abbas ſimul cum Odone; ſub quo jam antea Tutelenſe monaſterium regebat. Memoratur autem & in tabula anni 19. Ludovici Tranſmarini; idemque forſitan eſt, inquit Mabillonius, atque Adalaſius vir ille opinatiſſimus, multorum monachorum pater, cujus meminit Johannes in lib. 2. n. 12. de vita S. Odonis.
C. 1. col. 495.

III. Aſſenarius circa 955.

IV. Baſſenus anno circiter 960.

V. Hubertus 970. B

VI. Bernardus I. 975.

VII. Geraldus I. anno 994. In veteri Gallia Chriſt. 984.

VIII. Aimericus 1031.

IX. Stephanus I. 1060. & 1076.

X. Geraldus II. reperitur in charta Guillelmi Petrag. epiſcopi eccleſiam de Podio-Gerolmi monaſterio Sarlatenſi confirmantis, adverſus monachos Uſercenſes qui pro ipſa litigabant. Is eſt profecto G. Sarlatenſis abbas qui eccleſiam S. Agapiti de Pairiniaco ſanctæ matri eccleſiæ Cadurcenſi conceſſit, in manu Gausberti præpoſiti, tempore C
Geraldi epiſcopi.

XI. Arnaldus I. memoratur annis 1100. & 1122. quo calendis Octob. Arnaldus de Borrel, cum filiis ſuis Bernardo Alacri & Guillelmo Raimundi, ſub certa conditione dedit Arnaldo abbati alodem *Graſſunas* nomine, & eccleſias de Pleus, & S. Germani, ex tabul. Moiſſiac. Eidem Arnaldo Guillelmus epiſc. Cadurc. de conſilio & aſſenſu archidiaconorum ſuorum contulit eccleſiam de Calviaco an. 1125. vide chartam quandam Willelmi epiſc. an. circiter 1128. tom. 1. noſtræ Gall. Chriſt. col. 179. & 180.

XII. Gilbertus 1134. ad quem abbatem referendum videtur quod de tranſlatione corporis S. Sacerdotis, ex Calviaco cœnobio ad Sarlatenſe facta an. 1140. aſſerunt Sammarthani; unde, inquiunt, eccleſia S. Salvatoris & B. Sacerdotis nuncupata eſt, quotanniſque celebratur tranſlatio 3. Julii.

XIII. Raimundus de Fenelon ab Eugenio III. papa bullam accepit an. 1153. qua monaſterium Sarlatenſe ſub munimine ſedis apoſtolicæ recipitur, ejuſque privilegia confirmantur. Vide inſtru- C. II. col. 496.
menta. Sedebat adhuc an. 1159.

XIV. Garinus de Comarca 1169. & 1170. quo anno, VIII. idus Maii bullam obtinuit ab Alexandro III. Eodem inſuper anno interfuit dedicationi eccleſiæ S. Amantii de Buxia. An. 1181. Philippus II. Francorum rex privilegia monaſterii confirmavit. Denique obitus Garini conſignatur in necrol. Sarlat. eccleſiæ, III. cal. Maii.

XV. Radulfus de Cormiaco 1195. & 1196. quo anno Ricardus Anglorum rex, & dux Normanniæ & Aquitaniæ abbatiam Sarlatenſem in ſuam tutelam ſuſcepit.

XVI. R. de Siurac * adfuit concordiæ abbatum Pontiniacenſis & Cadunienſis anno 1201. Vide chartam IV. Sarlat. col. 499.

* *Siurac* eſt parochia dicec. Petragoric. juxta Dordoniam, quæ communius *Ciurac*, nuncupatur.

XVII. Arnaldus II. jam an. 1202. Paciſcitur an. 1204. menſe Maio cum incolis Sarlati.

XVIII. Bernardus II. de Limegeouls 1208.

XIX. Guido de Cornil reperitur in charta Johannis de Veirac epiſcopi Lemovic. an. 1212.

XX. Helias I. de Vinion an. 1214. pridie idus Sept. Simoni comiti Montis-fortis fidem & obſequium juravit pro equitibus & hominibus de Gaiac, ex tabul. Carcaſſon. Capellanus cardinalis presbyteri tit. S. Laurentii in Lucina nuncupatur

in charta Guillelmi abbatis Moiſſiac. querelam hunc inter Eliam & Alfonſum comitem Pictav. & Toloſ. componentis an. 1225.

XXI. Stephanus II. de Rignac 1229.

XXII. Helias II. Petri 1232.

XXIII. Bernardus III. del Condere, cui Margareta domina de Montignac uxor Raimundi de Pontibus, ceſſit anno 1236. jura ſua in prioratu S. Thomæ de Montiniaco, ubi ſepulturam delegit. Idem anno 1238. fidem clientelarem Ludovico regi pollicitus eſt, ex tabul. Carcaſſon.

XXIV. Geraldus III. de Vallibus eodem anno 1238. menſe Nov. Ludovico regi fidem obligavit, ex tabul. Carcaſſon. An. 1240. litigat cum incolis Sarlati, coram abbate Turturiaci a ſummo pontifice delegato, ſuper inſtitutione facta in bello Albigenſi, urbicorum magiſtratuum, titulo conſulum, cum prærogativa communitatis & aliarum conſuetudinum, quibus abbas contradicebat. Verum & hæc controverſia iterum ventilatur anno 1248. coram Geraldo de Mala-morte ſeneſcallo Petragoric. pro rege Angliæ; quo quidem anno tres Geraldi abbatis deceſſores adhuc ſuperſtites memorantur. Anno 1244. Aimericus de Salignac miles recognoſcit ſe tenere in feodum a G. abbate Sarlatenſi, quidquid poſſidet apud S. Quintinum. Vide regeſt. XXXI. arch. regii Pariſ. fol. 53. verſo.

XXV. Helias III. de Magnagnac ex cellerario monaſterii abbas memoratur an. 1249. Vocatur adhuc *electus* anno 1251. in prob. hiſt. domus Turenniæ pag. 52. Poſtea ceſſit ultro vel ægre; legitur enim in charta anni 1261. *Helias de Magnanaco nunc decanus Iſſigeaci, quondam abbas Sarlatenſis.*

XXVI. Bernardus IV. 1250. & 1253. ex actis domus conſularis. Eum conjicimus contendiſſe cum Helia ſuperiore. Videtur auctoritate legati apoſtolici e ſede dejectus, ut infra patebit.

XXVII. Geraldus IV. d'Aubuſſon electus eſt anno 1254. Petrus enim Petragoric. epiſcopus ipſi abbati Sarlatenſi electo & a ſe confirmato regalia dimitti poſtulat a Rege anno 1254. Idem quoque rogat conventus Sarlat. addens abbatem ſuum dejectum ab epiſcopo Petragor. *auctoritate Dom. legati* an. 1254. Memoratur & an. 1258.

XXVIII. Arnaldus III. de Stapone ſedebat an. 1260. quo ad ipſius preces Philippus rex promiſit, Sarlatum nuſquam ex dominio regali eſſe diſtrahendum. Eodem regente Gaillardus baro de Beinaco fratribus Minoribus S. Franciſci eccleſiam conſtruxit. Denique an. 1270. cives Sarlatenſes pro juſtitia cum abbate pepigerunt. Is autem eſt procul dubio Sarlat. abbas, qui an. M. CC. LXXIII. in dedicatione eccleſiæ ſuæ, dum legeret XII. lectionem in eccleſia, ſagitta fuit peremtus, quam emiſerunt monachi ejuſdem loci, vel de conſilio impiorum fuit emiſſa, ut dicebatur, & plures monachi fuerunt capti ex hoc. Ita chronicon monaſterii S. Martini Lemovic. teſte Baluzio, in notis ſuis ad Gall. Chriſt.

XXIX. Robertus de S. Michel 1274. 1277. & 1280. menſe Aug. quo anno Philippus Francorum rex cum Roberto abbate & conventu Sarlatenſi ordin. S. Benedicti permutationem ſeu excambium fecit caſtri & caſtellaniæ de Baynaco, *excepto facto armorum & fractione pacis*, pro dominio & omnimoda juſtitia podii, ſeu montis de Doma, ex archivo eccleſ. cathedralis.

XXX. Arnaldus IV. de Villa-muro in charta anni 1292. dicitur *olim abbas.*

XXXI. Bernardus V. de Vallibus ex toparchis de Palaveſi, abbas ab an. 1283. ad 1312. Tranſegit, accedente fratrum conſenſu, cum conſulibus ac civibus; ubi cavetur conſules a communia urbis creatos coram abbate ſe ſiſtere debere, ad fidem hominii profitendam, tabulis an. 1286. Rex autem litteras ſuas ſuper ea conſtitutione dedit 1289. quæ exſtant in armario domus conſularis. Anno 1296. die Lunæ poſt feſtum S. Gregorii, multis viciſſim inter abbatem & monaſterium Sarlatenſe ac conſules Sarlatenſes habitis altercationibus, pro conſulatu, univerſitate, ſigillo communi, cuſtodia villæ, & receptione juramenti, bannis & aliis juribus urbicis; tandem tranſigunt initis pactis, quæ fuſe continentur inſcripta codici Sarlatenſi, dicto *liber pacis*, in archivis domus publicæ. Idem abbas pepigit cum Ademaro de Baynaco, pro juriſdictione terræ de Baynaco. *Acta fuerunt hæc apud Sarlatum, in monaſterio, ſuper altare ſancti Petri, præſentibus D. Hugone priore S. Cypriani, D. Guillelmo de Doma milite, Helia de Albuſſone burgenſi, magiſtro Raimundo de Solminihaco juriſperito*, &c. *an. M. CCC. V. die Jovis ante feſtum Aſſumtæ B. Mariæ.* Compoſuit etiam die Lunæ in craſtinum apoſtolorum Philippi & Jacobi, cum Gaufrido de Ponte domino Ribeyriaci & vicecomite Turennæ, pro juſtitia parochiarum S. Mundanæ, S. Natalitiæ, S. Donati, &c. ex archivo eccleſ. cathedr. Denique ipſo requirente Clemens V. papa prioratus B. Mariæ de Tempniaco & de Calviaco univit monaſterio Sarlatenſi. *Datum Lugduni XIII. cal. Decemb. pontificatus anno 1.*

XXXII. Armandus de S. Leonardo ab anno 1312. ad 1317. quo Sarlatum ornatur epiſcopali ſede a Johanne XXII. papa, bulla data Avenioni idibus Januarii, pontificatus anno 2.

SARLATUM, SEDES EPISCOPALIS.

ANNI CHRISTI

HACTENUS villa duntaxat & abbatia fuit Sarlatum; ad ampliora vero evectum eſt, Johannis quippe XXII. ſummi pont. munificentia civitatis titulo ac recens erecto epiſcopatu an. 1317. decoratum eſt, ut ex variis illius vitis a Baluzio editis diſcimus. Sic enim habet ſecunda a Bernardo Guidone conſcripta: *In epiſcopatu Petragoricenſi, in villa de Sarlato, modo conſimili in novam erigens civitatem, in abbatia inſtituit novam ſedem.* Sic legitur in alia, auctore Amalrico Augerii priore B. Mariæ de Aſpirano: *Eccleſiam Petragoricenſem in duos epiſcopatus diviſit, & apud villam de Sarlato in ſua abbatia de novo eccleſiam cathedralem conſtituit, & cum auxilio reddituum diœceſis Petragoricenſis ipſum epiſcopatum dotavit, & jure metropolitano eccleſiæ Burdegalenſi tunc ſubjecit.* Exſtat bulla erectionis in Sarlat. tabulario data Avenioni idibus Januar. anno 11. pontificatus Johannis, qui eſt Chriſti 1317. In ea civitate ſunt præſidialis ac ſeneſcalli curiæ, eorum qui tributa deſcribunt forum, latrunculorum juriſdictio. Ad eccleſiaſtica quod ſpectat, diœceſis ſub ſeſe 124. curionatus habet. In eccleſia cathedrali ſub S. Sacerdotis nomine dicata, ſunt 18. canonici in capitulo ſuffragii jus habentes; ex illis vero ſex præcipuas eccleſiæ dignitates obtinent, decanus ſcilicet, præpoſitus, tres archidiaconi, quorum primus majoris nomine cohoneſtatur, & præcentor. Sunt & octo inferiores canonici quos vulgo ſemipræbendatos appellant; ab epiſcopo canonici, a canonicis qui ſemipræbendas occupant, deſignantur. In civitatis ambitu ſunt duo Franciſcanorum conventus; duo item monialium cœnobia, Clariſſarum ſcilicet & Congregationis B. Mariæ virginis, ſeminarium clericorum, & duo, pauperum ſcilicet & infirmorum hoſpitia. Tandem 4. ſunt in diœceſi abbatiæ, de quibus poſtea.

DE ROQUECORNE.

I. RAIMUNDUS I.

RAIMUNDUS de Roquecorne, e nobili familia de Roca-cornu apud Aginnenſes orundus, ex monacho Caſæ-Dei, & abbate Galliaci Albienſis diœceſis, primus Sarlatenſis epiſc. eligitur 1318. a Joanne XXII. 1318. qui anno ſuperiori Sarlatenſem abbatiam in epiſcopalem ſedem erexerat. Poſſeſſionem adeptus, perluſtratam diœceſim ſeptem in archipresbyteratus diſtinxit; duos quidem * S. André, Audrix. intra Dordoniam fluvium, nempe S. Andream *, & Audrixum; quinque vero extra conſtituit, ſcilicet Daglanenſem *, Palayracenſem, Capdrotenſem, * Daglan, Palayrac, Capdrot, Bouviaguenſem, & Flaugeacenſem. Eodem anno a præfato pontifice obtinuit decanatus Iſſigiacenſis unionem menſæ epiſcopali. Bullam refert Baluz. vit. PP. Aven. tom. 2. a. 52. pag. 339. ex qua hæc referre operæ pretium duximus: *Cum menſa epiſcopalis Sarlatenſis ſecundum ſui ſtatus honorem redditus ſufficientes non habeat, ex quibus ſupportari valeant onera quæ ſibi incumbunt, ſic petitio nobis exhibita patefecit... decanatum de Iſſigiaco... Sarlatenſis diœceſis, quem dilectus filius noſter Bertrandus* (de Poieto) .... *cardinalis ad vitam ſuam, ex conceſſione apoſtolica tenere dignoſcitur... cujus redditus & proventus 800. librarum Turon. parvorum ſummam annuam aſcendere poſſunt... cum omnibus juribus & pertinentiis ſuis univimus, incorporavimus & applicavimus perpetuo, de gratia ſpeciali, eidem epiſcopo & ſucceſſoribus ſuis Sarlat. epiſc. qui pro tempore fuerint, concedentes ut cedente, vel decedente cardinali præfato, vel decanatu ipſo alias quocumque modo vacante, poſſeſſionem ipſius ingredi & tenere libere valeant... Datum Avin. VII. idus Aug. pontif. noſtri an. III.* Eo porro decanatu, vi bullæ hujus etiamnum fruuntur Sarlatenſes epiſcopi. Anno 1319. cum a provinciæ nobilibus 1319. urgeretur, ut plurimos qui ad religionis habitum offerebantur, admitteret, cumque quibus alerentur commoda deficerent, non modo poſtulatis non ceſſit, quin & reclamantibus proceribus, ſtatuit, de conſenſu capituli, nullos excipiendos anteaquam monachorum numerus ad quinquagenarium reductus fuiſſet. De ejuſdem capituli conſilio decrevit 1321. ob inopiam eccleſiæ ſuæ, quæ 1321. ædificiis, ornamentis, & aliis ejuſmodi carebat, ut iis reparandis omnes vacantium beneficiorum proventus per quinquennium applicarentur, ſervata tamen interim penſione vicariis qui beneficiis inſervirent. Quo eodem anno cellerarii officio annexuit quoſdam prioratus; aulam epiſcopalem, quæ etiamnum viſitur, inſtauravit, cum ante nulla exſtaret ſynodis & aliis eccleſiaſticis conventibus celebrandis commoda. Epiſcopus adhuc erat anno 1324. Novembr. 29. Eodem anno fundatur 1324. Prædicatorum conventus de Bello-viſu a vicinis nobilibus. Quo item, Bertrando cardinali non mortuo, ſicque dilata Iſſigiacenſis decanatus unione, ob exiguos redditus epiſcopales, tranſlationem ſuam ad S. Pontii ſedem poſtulare coactus eſt Raimundus: eaque obtenta & facta die 24. Decemb. Sarlatenſis eccleſia ſub ſalvagardia Regis remanſit; qua non obſtante Peregrinus *Dante* domicellus, bona dictæ eccleſiæ ſic vacantis per tranſlationem epiſcopi cœpit & habuit, ſed ſupremi ſenatus decreto, die 26. Nov. 1328. dato, ad ea reſtituenda damnatus fuit, ex regiſt. parlam.

BERENGER

II. BERTRANDUS I.

Bertrandum Berenger in S. Tiberii abbatibus lego fuiſſe hujus monaſterii præſulem. Ut ut eſt, Sarlatenſi epiſcopatu a Johanne XXII. donatus eſt codicillis Avenione datis 1325. Ob redituum exiguitatem Avenioni in aula pontificia fere ſemper 1325. commoratus eſt, & diœceſis adminiſtrationem Bernardo Berenger vicario generali conſanguineo ſuo commiſit. Tum anno 1329. Nemauſi fato 1329. functus eſt. Reperio inter Stephani Baluzii notas Petrum le Bourguignon Sarlatenſem epiſcopum anno 1328. de quo tamen ſilent antiqua monumenta a nobis perluſtrata. Forte cum Bertrandus

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

a Papa nominatus est ipse a capitulo designatur, ficque episcopi nomen sibi arrogavit, quamquam episcopatu nusquam potitus fuerit.

III. Arnaldus.

Arnaldus, quem Sammarthani appellant *Ramiar*, Vadingus vero Annal. Minor. an. 1321. n. 39. *Rogardi*, & *Royardi* anno 1330. n. 12. quod ex infra dicendis verum illius esse cognomen patebit; patria Petrogorensis, professione Franciscanus, vir doctus erat qui præclarum scripsit ad Robertum Siciliæ regem opus theologicum moralium distinctionum, ordine alphabetico digestum, quod penes me habeo, inquit Vadingus. Anno 1321. B creatus est Salernitanus archiepiscopus a Johanne XXII. cujus epistolam refert Vadingus in regesto pontificio, epistola centesima, in qua hæc habet: *Salernitana ecclesia, pro eo quod dilectum filium nostrum Bertrandum tituli S. Vitalis presbyterum cardinalem, archiepiscopum Salernitanum, licet absentem, a vinculo quo tenebatur eidem ecclesiæ ..... absolventes, ipsum ad dignitatem cardinalatus ... duximus assumendum .... ne prolixæ vacationis sustineret incommoda.... Ad te ordinis fratrum Minorum professorem..in sacerdotio constitutum, & sacræ theologiæ magistrum, propter laudanda tuæ conversationis merita, vitæ munditiam, gravitatem morum, circumspectionis expertæ prudentiam, insigne donum scientiæ, aliasque virtutes multiplices... direximus aciem nostræ mentis.. teque .. eidem Salernitanæ ecclesiæ præficimus in archiepiscopum & pastorem... datum Avin. 2. cal. Maii an. 5.* An. 1330. cum 1330. pontificé exorasset ut per ipsum liceret sibi in patria sua vitam claudere, postulata obtinuit. Sic enim ait idem pontifex, ibidem epist. 234. *Sarlatensis ecclesia per obitum bonæ memoriæ Bertrandi episcopi Sarlat. qui in civitate Nemausensi diem clausit extremum, pastoris solatio destituta, nos.. provisionem ipsius.. ordinationi nostræ ea vice duximus specialiter reservandam.. Demum ad te, qui regimini Salernitanæ ecclesiæ præsidebas, convertimus oculos nostræ mentis... te volentem & consentientem, a vinculo quo tenebaris.. absolventes, ad præfatam ecclesiam Sarlatensem transferimus, & concedimus te ipsi Sarlatensi ecclesiæ in episcopum & pastorem, &c. Datum Avin. 5. cal. Jul. an. 14.* Anno sequenti, inita possessione, cum civibus composuit de frumento & vino, quæ episcopo tamquam primo civitatis curioni debentur. Exstat illius charta idib. Apr. 1331. an. 1331. in cujus fine legitur: *Actum in præsentia discreti viri D. Iterii Royardi germani nostri, & cantoris ecclesiæ Xantonensis, & D. Petri de Marcayschaco officialis nostri Sarlatensis, XIII. April.* Anno 1333. sacristæ officio, S. Martialis 1333. ecclesiam; & officio cantoris, ecclesiam de Mazeroles, univit *die Sabbati post festum Annuntiationis B. V. Mariæ. An. 1334. ind. III. pontific. Johannis papæ XXII. anno 18. præsente Helia Royardi clerico nepote episcopi.* Quod sedulo notandum, tum ad confirmationem agnominis *Royardi*, tum ad consignandum ejus obitum post annum 1333. Ad majorem cognominis episcopi nostri evidentiam omittere non possumus verba Michaelis de Cœsena apud Nicolaum Minoritam fol. 79. quibus notat Johannem XXII. in publico consistorio proposuisse: *Utrum asserere & pertinaciter affirmare.. Christum ejusque apostolos non habuisse aliqua in speciali nec in communi, foret hæreticum,* & cum affirmanti sententiæ plurimum faveret, eos omnes vehementius objurgasse qui negarunt, tum addit: *Hoc potuit in reverendis patribus Arnaldo Royardi archiepiscopo Salernitano, & Henrico episcopo Lucano.. de ordine fratrum Minorum.. quos ipse dominus Johannes acriter & enormiter redarguit, quia dicebant dictam assertionem non esse hæreticam.... Qui*, tamen, *semper in veritate quam dixerant, perstiterunt.* Vitæ secretioris amans, relicta urbe, in castello de Boucheyral in parochia d'Alas fere semper degit. Obiit an. 1331. Concedente pontifice idem pallium, quo usus fuerat in metropoli Salernitana, quoad vixit in Sarlatensi episcopatu, gessit.

ANNI CHRISTI

IV. Guillelmus. de Sandreux.

Guillelmus de Sandreux ex nobili familia de Pedeveges natus, (castellum est inter Lhmelium & S. Alverium,) primo S. Benedicti ordini consecratus, deinde prior Calviaci, tandem episcopus monachorum calculis electus an. 1334 a Johanne 1334. XXII. confirmatur; quo eodem anno die Lunæ C post Dominicam qua cantatur *Judica me*, pontificatus Benedicti XII. anno 1. beneficium de Proyssens univit præposituræ. Denatus est 1338. 1338. Ind. 6. Benedicti papæ XII. anno 4. in loco de Boisse, ex quo ad Sarlatensem ecclesiam ejus corpus delatum est.

V. Petrus I. Berenger

Petrus Berenger an. 1338. electus est. Petrus 1338. Paschalis ipsius generalis vicarius erat 28. Julii 1339. quo monachi cathedralis ad 50. numerum 1339. redacti, præbendam, seu panis & vini portionem quotidie accipiebant, ex tabulis Sarlatensibus. Ad- D huc in vivis erat in festo Pentecostes 1340. ex 1340. instrumento eccles. Sarlat. Hoc ipso tamen anno fato functus est, quandoquidem sub ejus finem Augerius de Ferreriis, Raimundus de Sandreux, & Gerardus la Guercha generales capituli, sede vacante, vicarii reperiuntur.

VI. Iterius. De Sandreux.

Petrus Iterii e nobili familia de Sandreux, reperitur in pluribus instrumentis, ubi minime *Petrus*, at solum *Iterius* Sarlatensis episcopus, nominatur. Electus est vero 1341. In archiv. eccl. Sarlat. 1341. hæc charta reperitur: *An. Nat. D. M.CCC.XLII.* 1342. E *ind. X. die 21. mensis Mart. Benedicti XII. an. 8. Frater Helias de Sandreux prior prioratus S. Stephani de Valduneſio, Mimatensis diœcesis, syndicus & procurator venerabilis capituli Sarlat. vendidit nomine capituli venerabili in Christo patri D. Iterio episc. Sarlat. unam crossam de argento superdeauratam, & unam mitram auri frisatam, munitam lapidibus pretiosis, pro pretio 200. librarum Turon. parvæ monetæ regis Franciæ, Sarlati solvend. in festo Ascensionis Domini proxim. Acta fuerunt hæc Avinione in libraria R. in Christo patr. D. Petragor. episc. cardin.* B. Virginis sacellum

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

juxta clauſtrum condidit, ut in eo capituli cathedralis conventus celebrarentur, quod opus abſolvit Auſtentius de S. Columba, ut ſuadent ejus ſtemmata in utriuſque ſacelli tum fornice, tum columnis eminentia. Sub ejus pontificatu muris cinctum fuit Sarlatum. Teſtamentum edidit 28. Apr. 1345. apud Rocham de Gaiaco, cujus Talayrandum cardinalem, & Petrogoricenſem comitem exſecutores nominavit, a quibus, defuncto Iterio Arnaldus Cancellatæ abbas eam ob rem Sarlatum delegatus eſt 1350. & 1351.

1346. Obiit porro Iterius 5. April. 1346. ſic enim habetur in veteri necrologio Sarlat. eccleſ. *non. Apr. ob. R. D. Hiterii epiſc. Sarlat. XLII. ſol.*

DE MAYROLES.

VII. PETRUS II.

Petrus de Mayrolis, ſeu Porquery, Franciſcanus, cum prima ſui ordinis munia digne obiiſſet, juriſque canonici & theologiæ ſcientia illuſtris evaſiſſet; quo nomine inter eos qui doctrina apud Minoritas Tholoſanos floruere commendatur a

fol. 52. col. 4. Nicolao Bertrandi lib. de geſtis Toloſan. Doctor actu regens in illius urbis academia, eligitur antiſtes 1350. & ſedem tenuit ad an. 1358.

DE SALIGNAC

VIII. HELIAS.

Helias de Salignac, filius Manfredi de Salignac & Alicis d'Eſtaing ſororis Raimundi Ruthenenſis provinciæ gubernatoris & ſeneſcalli, frater Johannis de Salignac, & Boſonis de S. Geniez, Petro ſucceſſit. Priuſquam Regi pro temporali ſacramentum exhibuiſſet, tentavit ſibi fidem a civibus jurari; illoſque renuentes jure reſcripti regii 12. Julii 1360. pœna excommunicationis mulctavit. An.

1361. 1361. in Burdigalenſem archiepiſcopum electus eſt a Burdegalenſi capitulo, confirmatus hac bulla Innoc papæ VI. data Aven. 24. Sept. ejuſdem anni: *Innocentius, &c..... Demum ad venerabilem fratrem noſtrum Heliam epiſcopum olim Sarlatenſem, in archiep. Burdigal. electum, conſideratis grandium virtutum meritis, quibus perſonam ſuam divina gratia inſignivit, & quod ipſe qui regimini Sarlat. eccleſiæ hactenus laudabiliter præfuit, dictam Burdigal. eccleſiam ſciet & poterit auctore Domino utiliter regere.... direximus oculos mentis noſtræ, &c. Ipſum ad dictam Burd. eccleſiam tranſtulimus, ipſumque ei præfecimus in archiepiſcopum & paſtorem, &c. Datum Aven. VIII. calend. Oct. pontificatus noſtri an. IX.* Idem Helias de Salignac nominatur exſecutor ultimæ voluntatis cardinalis Talayrandi; in teſtamento quidem an. 1360. tanquam Sarlat. in codicillis vero anni 1364. tanquam Burdigal. archiepiſc. Tandem an. 1370. in charta fundationis capellaniæ S. Nicolai nominatur archiepiſcopus Burdigalenſis, quondam epiſcopus Sarlatenſis. Id conſtat etiam ex procurationibus Heliæ archiepiſcopi datis 1367. *pro arreragiis Sarlati percipiendis.* Conſule quæ de ipſo diximus in Burdigalenſibus archiepiſc. col. 836. de Philippo & Helia.

DE S.TE COLOMBE.

IX. AUSTENTIUS.

Auſterius, ut habet alicubi Vadingus, ſeu potius Auſtentius & Oſtenſius de ſancta Columba, Minorum inſtitutum profeſſus, vir illis temporibus eruditus, qui Pariſiis libros ſententiarum publice legit, magiſterium in ſacra facultate Clementis VI. ſollicitationibus, ac propriis meritis accepit. Pontificis epiſtolam ea de re ad Pariſienſem cancellarium ſcriptam refert Vadingus in regeſto pontificio ad an. Chr. 1352. in qua ſic loquitur: *Sicut exhibita nobis pro parte dilecti filii Auſtentii de S. Columba ordinis fratr. Minorum, in ſacra theologia baccalaurii, petitio continebat, idem Auſtentius qui in ejuſdem theologiæ ſtudio longis temporibus inſudavit, adeo in ipſius theologiæ ſcientia jam profecerit, quod digne meretur honorem magiſterii recipere in eadem, ipſeque librum ſententiarum nunc Pariſiis actu legat. Nos de præmiſſis ac ſufficientia dicti Auſtentii notitiam non habentes, diſcretioni tuæ.. ejuſdem Auſtentii ſupplicationibus inclinati... mandamus, quatenus ſi eundem Auſtentium finito curſu lectionis dicti libri, per tuam & aliorum magiſtrorum... diligentem examinationem ad hoc ſufficientem & alias idoneum eſſe repereris... magiſtralem honorem conferas & docendi licentiam auctoritate noſtra concedas. Datum Avin. 2. cal. April. anno 10.* Anno 1361. Heliæ de Salignaco 1361. ſuccedit in Sarlatenſi epiſcopatu, ut patet ex bulla Innoc. VI. data *dilectis filiis capitulo eccleſiæ Sarlat.* in qua ſic Papa loquitur: *Nuper eccleſia veſtra tunc paſtore carente, quod nos venerab. fratrem noſtrum Galhardum* * *epiſcopum tunc Sarlatenſem in archiepiſcopum Burdegal. electum, licet abſentem, a vinculo, quo eidem eccleſiæ veſtræ tenebatur ..... abſolventes, ipſum ad eccleſiam Burdigal. tunc vacantem, duximus transferendum. Demum ad dilectum filium Auſtentium de S. Columba, electum Sarlatenſem, ordinis fratr. Minorum profeſſorem, in ſacra theologia magiſtrum, vitæ ac morum honeſtate decorum, in ſpiritualibus providum, in temporalibus circumſpectum... direximus oculos mentis noſtræ, &c. & dictæ Sarlatenſi eccleſiæ præficimus in epiſcopum & paſtorem, &c. Datum Avin. 8. cal. Oct. pontificatus noſtri anno IX.* An. 1362. frater Arnaldus Requi prior clauſtralis, vicarius generalis, fidelitatis ſacramentum præſtitit regi Anglorum pro Auſtentio, cujus erat hac in parte procurator. Illius tempore ruinam minabatur parochialis eccleſia Sarlat. Hinc cives habito conſilio 1365. duplices decimas colligi conſentiunt ut vetus templum funditus deletum reſtauraretur. Ab abbate Moiſſiacenſi vitæ Urbani V. ſcriptore *maximus & famoſus theologus* appellatur. Hinc forte delectus eſt ad concionem habendam in frequentiſſimo epiſcoporum cœtu Petroc. habito, cui Eduardus Walliæ dux aderat: contigit autem ut in laudibus Principis nimius eſſet (quod ſæpe fit) ita ut eum pene cum Dei filio conferret. Qua de re vapulavit, principe aſſerente ne maximos quidem principes in vita laudandos, propter repentinos caſus quibus e faſtigio poſſunt excidere. Eum ab Eduardo Walliæ & Aquitaniæ principe miſſum nuntium ad Urbanum pontificem primo ipſius pontificatus anno, & ab eo benigne exceptum comperitur in

* Galhardum hunc eundem eſſe cum Helia de Salignac probavimus loco ſuperius indicato in Burdigalenſibus archiepiſc. Forte etiam mendoſe legitur in bulla Galhardus pro Helia.

ANNI CHRISTI

ejuſdem Urbani regeſto. Hoc eodem anno ab ipſo Urbano V. condendi teſtamenti licentiam obtinet. *Nos*, inquit ſum. pontif. *ut de bonis mobilibus a te per eccleſiam Sarlat. licite acquiſitis.... pro decentibus & honeſtis expenſis funeris tui, & pro remuneratione illorum qui tibi viventi ſervierunt..... moderate tamen, diſponere & erogare poſſis & valeas..... &, in pios uſus & licitos convertere valeas. Non obſtantibus quod ordinis fratrum Minorum profeſſor exiſtas, fraternitati tuæ plenam & liberam tenore præſentium concedimus facultatem. Datum Aven. VI. cal. April. anno V....* Rexit eccleſiam ad annum uſque 1368.

X. Bertrandus II.

Bertrandum hunc, qui in vulgata ſerie deſideratur, reperimus in inſtrumento Fontis-Gauferii die 3. Maii 1369.

DE REVEILLON.

XI. Johannes I.

Johannes de Revelhone ſeu Revellone, e nobili Pictonum familia natus, non Franciſcanus ut ſcribunt Spondanus & Vadingus (nullum enim hujus in eo profeſſionis apud coætaneos auctores veſtigium) ſed eccleſiæ Pictav. decanus fuit, ut videre eſt in codice epiſtolarum quæ ab Innocentio VI. anno pontificatus ſexto ſcriptæ ſunt, & in charta Johannis locum tenentis Eduardi Angliæ regis an. 1362. Epiſcopus, non Salernitanus, ut perperam aſſerunt Fazellus in hiſtor. Sicula, & ex Fazello Bzovius an. 1373. §. 29. ſed Sarlatenſis fuit anno 1370. Paulo poſt cum a Gregorio XI. in Vaſconiam miſſus eſſet, ut Gaſtonem Fuxenſem inter & Johannem Armaniacenſem concordiam redintegraret [a], Raimundum de Capouavilla Brenaci rectorem, & S. Amantii abbatem, elegit ſibi vicarium generalem & officialem. Miſſus eſt ſecundo ab eodem pontifice an. 1371. ad dirimendas acies, cum Johannes Lancaſtriæ comes & Ludovicus Andium dux certamen eſſent conſerturi. Miſſus denique in Siciliam an. 1372. pacem firmavit inter Johannam reginam Siciliæ & Fredericum * Trinacriæ regem. Exſtat bulla Greg. XI. ipſi, ſedis apoſtolicæ nuntio data 1374. vi cujus recepto Frederici ſacramento, ipſum Meſſanæ, magno procerum conventu cum Antonia de Baucio ducis Andriæ filia matrimonio conjunxit, & coronavit. Romam exinde profectus eſt, ubi tunc degebat cum pro eligendo Gregorii ſucceſſore orta eſt gravis illa Romanorum tempeſtas, qui Romanum aut ſaltem Italum ſum. pontificem, ſub mortis interminatione nominari poſtulabant; ad quam vitandam in caſtrum S. Angeli receſſit, ubi ipſo præſente aliiſque ad hoc ſpecialiter vocatis, ſex cardinales requiſiti num Urbanus VI. in papam canonice fuiſſet electus, reſponderunt ita eſſe, ex Reginaldo an. 1378. Poſtea profectus eſt Anagniam, quo ſe contulere cardinales qui Urbanum VI. elegerant. In via, ut legitur in allegationibus eo tempore Avenione factis, multa in ſe, ſuiſque, paſſus eſt: *Adhuc durante Romanorum furore, eundo apud Anagniam, in via occiſi, mutilati, & bonis ſuis deprædati fuerunt, ſicut infiniti, qui tranſierunt ibi pericula; & inter cæteros domini Sarlatenſis & Pampilonenſis epiſcopi, qui multa damna & pericula & mortem ſervitorum ibidem pertulerunt.* Parochiam de Grives prioratui de Belvez univit 28. Jun. 1387. Guillelmus cardinalis de Agrifolio junior illum conſtituit anno 1394. unum ex ſui teſtamenti Avenioni conditi exſecutoribus, ut videre eſt apud Baluz. in vit. PP. Aven. tom. 2. pag. 1071. Apud Sarlatum, & in diœceſi plures fundavit capellanias, quæ etiamnum capellaniæ de la Reveille vocitantur. Obiit cal. Apr. 1396. Poſt ejus obitum vicarii generalis munere functus eſt, ſede vacante, Johannes de Manhanaco, ut docet charta data 24. Auguſti.

[a] Hæc docent Gregor. XI. epiſtolæ ad eundem Gaſtonem & ad Vignerium Lectorenſem epiſcopum.

DE PALAYRAC

XII. Galardus.

Galhardus ſeu Geraldus de Palayrac proſapia nobilis, Johanni ſucceſſit eodem anno & frater Guillelmus de Lobeſtorn ejus vicarius generalis & officialis commemoratur 5. Jun. 1397 Geraldus de Petrilia baccalaureus in decretis, canonicus Napolitenſis, rector eccleſiæ Montis-domæ diœceſis Sarlatenſis, erat quoque vicarius generalis, occurritque cum hoc titulo, eodem anno die 20. Julii. Duo fundavit anniverſaria diebus 1. & 28. Dec. celebranda in ſua eccleſia, ex inſtrumento Avenioni dato iiſdem anno & die. Hoc anno quoque denatus eſt nono calendas Martii ex necrologio.

DE BRETENOUX.

XIII. Raimundus.

De Raimundo de Bretenoux jam locuti ſumus in Petragoricenſibus epiſcopis. Hic duntaxat annotandum in diplomate Benedicti Raimundum Lumbarienſem nuncupari, quod negotium faceſſere poteſt; inde enim conjicere quis poſſet duos Raimundos in Sarlatenſi ſede epiſcopali intra paucos annos ſibi ſine medio ſucceſſiſſe, & quidem Raimundum de Bretenoux obiiſſe Sarlatenſem epiſcopum; quod & innuere videri poteſt vetus necrologium in quo dicitur: *v. idus Februar. obitus R. P. Raimundi de Bretenoux epiſcopi Sarlat.* ſicque dicendum foret ei ſucceſſiſſe Raimundum Lumbarienſem, ac inde tranſlatum ad Petrocoric. cathedram. Verum id mera conjectura, & eo magis incerta, quod in monitis ad nos tranſmiſſis legamus Raimundum de Bretenoux in quibuſdam inſtrumentis Raimundum Lumbarienſem nuncupari. Ut ut eſt, annotandum in codice 843. S. Victoris Pariſ. exſtare opuſculum hujus epiſcopi, quo probare nititur Matiſconenſem eccleſiam non debere contribuere *pro civili Republica;* & in fine legi: *Ita videtur mihi Raimundo de Britonos legum doctori & epiſcopo Sarlatenſi, ſalvo meliore judicio, cui me ſubmitto,* &c. Vide & codicem 9670. bibl. regiæ fol. 78. ac Bellameram conſilio 44.

AMICUS.

XIV. Johannes II.

Frater Johannes Amicus ordin. Minorum, conventus Burgi-novi alumnus, in theologia magiſter, ejuſdem poſtea conventus guardianus, dehinc provinciæ Turonenſis miniſter, demum epiſcopus Bethleemiticus & ſtatim Sarlatenſis anno 1407. Prioratum d'Ayneſſe diœc. Aginnenſis

ANNI CHRISTI

post obitum fr. Iterii de la Force univit præpositu- A
ræ Sarlatensi : *Datum Sarlati, &c. munivimus*
sigillo nostro pontificali, quo utebamur dum ecclesiæ
Bethleemitanæ primæ sponsæ antistes eramus, præ-
sente Johanne Lami diœcesis Nannetensis, (ejus
1409. forte consanguineo) *die XVIII. Feb. M. CCCC. IX.*
Ultimum diem clausit 15. Oct. 1410. sepultus
in conventu Burgi-novi, ait Vadingus ; in hujusce
conventus fratrum defunctorum elencho, hæc illius
habetur memoria : *Obiit bonæ memoriæ magister R.*
P. ac fr. Amicus, hujus conventus alumnus, quondam
hujus provinciæ minister, tandem episcopus Bethlee-
mitanus, postmodum vero Sarlat. an. M. CCCC. X.

ARNAUD.

XV. JOHANNES III.

Johannes Arnaldi, seu Arnaudi, ut habet Vadingus, & ipse Franciscanus, theologiæ doctor, Boloniæ a Johanne XXIII. pontificatus primo,
1410. & 4. cal. Jan. 1410. constituitur Sarlat. episc. Petrum Artusii S. Cypriani priorem habebat vicarium generalem. Parisiis vitam morte commutavit
1416. mense Apr. 1416. sepultus in capitulo Minorum Lutetiæ sub hoc epitaphio : *Hic jacet reverend. in*
Christo pater ac dominus frater Johannes Arnaldi
de provincia Turoniæ & conventus Niorti, quon-
dam episcopus Sarlatensis, sacræ theologiæ doctor
eximius, ac suis temporibus historicus primarius, C
confessorque illustrissimi principis Johannis ducis
Bituriæ, qui obiit anno Domini M. CCCC. XVI.
die 6. mensis Maii. Anima ejus requiescat in pace.

DE LA CROPTE.

XVI. BERTRANDUS III.

Bertrandus de la Cropte e nobili familia de Lenquais, frater Johannis de la Cropte, domini de Lenquais qui anno 1451. ab Anglis defecit, & ad obsequium Caroli VII. reversus est ; fuit primum Petragoricensis archidiaconus, dehinc electus Sarlatensis episcopus mense Septemb. anno
1416. 1416. ac ejusdem mensis 22. a David de Monte-Ferrando Burdig. archiepiscopo confirmatus, ecclesiæ suæ possessionem adeptus est 15. Oct. Toto fere sedis tempore Rupem-Gaiaci, aut S. Cypriani prioratum habitavit. Moritur 26. Oct. 1446.

BONALDI.

XVII. PETRUS III.

Petrus Bonaldi, canonici juris peritissimus & concionator eximius, die 2. Novemb. paulo post obitum Bertrandi electus est Sarlatensis antistes, ex canonico Aginnensi, & ab Eugenio IV. confirmatus Romæ, bulla 4. cal. Febr. Diu Tolosæ
1450. resedit, ut patet ex charta 14. Maii 1450. & aliis : *Nos Petrus Dei gratia Sarlatensis episcopus, actu*
regens in facultate canonica Tolosæ, ubi residemus, E
&c. habuitque vicarium generalem Bernardum Bonaldi, S. Amantii abbatem, & Guillelmum Bot camerarium, anno 1450. In quibusdam instrumentis nominatur Petrus de Ga, in aliis de Gia. Judex arbitrarius eligitur ut litem componeret quæ intercedebat inter abbatem Cadunensem, & capitulum S. Stephani Tolosæ, pro Sudarii sancti restitutione ; de qua loquimur in abbatibus Cadunensibus. Petrus post annos quindecim pontificatus, translatus est ad sedem Rivensem ; uti suo dicetur loco ; nam in serie episcoporum Rivensium non comparet.

XVIII. BERTRANDUS IV.

ANNI CHRISTI DE ROFINIAC

Bertrandus de Roffiniac, translato Petro Bonaldi, præsul eligitur. Memoratur in chartulario Fontis-Gauferii XXVIII. Jan. M. CCCC. LXXX. & 27. ejusdem mensis 1481. Tempore famis quæ per provinciam grassabatur circa annum 1482. 1482.
bis in die pauperibus omnibus eleemosynam conferebat ; quorum opera vetus episcopale palatium restauravit, auxit turre, gradu ac cameris. Ejus tempore Dommensis prioratus ædes, quas inhabitare solebat, igne crematæ sunt, cum publicis instrumentis & membranis, quæ huc deferri jusserat.
B Obiit Bertrandus die IV. Dec. M. CCCC. LXXXV. 1485.
in prioratu episcopali Dommensi, unde ad ecclesiam cathedralem translatum, ac in ea sepultum in sanctorum apostolorum sacello.

XIX. PONTIUS.

DE SALIGNAC.

Pontius de Salignac frater Antonii baronis de Salignaco, & Johannis de Motha-Fenelonis dynastæ, qui parentes habuere Raimundum Salignaci item baronem in Petrocoriis, & nobilem feminam e gente d'Escars. Ex senatore Burdigalensi & abbate Clairacensi apud Aginnates, ac decano S. Aredii in Lemovicino pago, postquam res magni momenti a pontificibus sibi commissas præclare gessisset, XIV. Dec. eligitur paulo post decessoris obitum, per Innocentium VIII. provisus IV. cal. Martii M. CCCC. LXXXV. die 20. Martii sequen- 1485.
tis sacramento fidelitatis Regi se se obstrinxit. Anno sequenti Maii 21. consecratus est episcopus, & solemni apparatu ecclesiæ suæ possessionem adeptus est. Porro monachi Sarlatensis ecclesiæ sub porticu S. Johannis post debitam salutationem a Pontio jusjurandum exhiberi petunt, quod coram mensa reliquiis ornata, manibus supra missale apertum positis, pronuntiavit. Eo procurante decanatus Issigiaci ordinis S. Benedicti monachi in
D secularem statum translati sunt M. CCCC. LXXX. VIII. per legatum Papæ in Galliis tunc versantem, septemque canonici sunt instituti, quorum primus est præpositus ad quem spectat animarum cura, secundus sacrista, cui divini officii onus incumbit. De ejus consensu capitulum Capdrotii transmigrat ad ecclesiam Montispazieri, vi bullæ Innocentii VIII. datæ 1490. quæ biennio 1490.
post effectum sortita est per Petrum de Gais Cadunii abbatem ad id delegatum. Proprium sanctorum suæ diœceseos edidit Pontius. Vivere desiit in castello Temniaci 14. Oct. 1492. Factis ejus exsequiis, capitulum in generales vicarios elegit fratres Johan. de Manhanaco claustri subpriorem, Bernardum Blenie cantorem, Johannem de Sedieres operarium & Guillelmum de Plano-monte.

XX. ARMANDUS.

DE GONTAULD.

Armandus de Gontauld nobilissimis ortus natalibus, patre Gastone barone de Bironio, & Catharina de Salignac : fratrem habuit Pontium baronem de Bironio & de Monte-ferrando proavum Caroli ducis de Bironio ac paris Franciæ ; defuncto Pontio de Salignaco statim a Rege nominatur, dum tres alii a capitulo eliguntur, scilicet Bernardus de Sedieres

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

Solieres in jure licentiatus, prior eccleſiæ collegialis S. Capraſii Agennenſis, novem ſuffragiis; Ægidius de Turre Agnonis filius, frater Franciſci I. & Antonii vicecomitum Turenæ, ſacerdos, baccalaureus, & ſedis apoſtolicæ protonotarius, qui etiam abbas fuit Voſienſis, & canonicus Ruthenenſis, ſed quinque duntaxat calculis; unico vero Guillelmus de la Douze presbyter, canonicus Petracoric. protonotarius apoſtolicus & Burdigalenſis curiæ ſenator. Hinc orta lis maxima. Cum enim Romæ confirmatus fuiſſet Armandus, ſedis epiſcopalis poſſeſſionem adiit 23. Februar. & 20. Martii ſequentis Regi fidem obſtrinxit, præſtito ſacramento: at Bernardus oppoſitione facta, eum in jus vocat ante metropolitanum, eique ante ſenatum Burdigal. diem dicit. Armandus ad privatum Regis conſilium cauſam transfert, & ſenatui Pariſienſi controverſiæ definitio demandatur. Interim Ægidius de Turre, reſcripto a pontifice obtento, citat Armandum coram officiali Claromontano delegato, qui propterea Sarlatum venit. Guillelmus autem de la Douze & ipſe papali diplomate munitus, ante Petragoricenſem officialem evocat Armandum. Anno autem 1495. menſe Septembri, Pariſiis defuncto Bernardo de Sedieres, capitulum ejus loco eligit Raimundum de Comaret rectorem de Serezac, e ſanguine de Langlade ortum, vicecomitis Turenæ cancellarium.

1498. Demum, poſt varias litium ambages, Pariſiis 1498. Armandus ſenatuſconſulto confirmatur, quo anno apud Lemovices conſecratur, tum 1. Februarii ejuſdem anni pacificam poſſeſſionem nanciſcitur, quam etſi nondum adeptus fuiſſet, tamen jam ab an. 1494. ſynodales conſtitutiones die Jovis poſt Dominicam *Quaſi modo* ediderat.

1500. Annis 1500. & 1514. ut ex monimentis publicis apparet, convenit cum Franciſco de Caumont toparcha de Caſtelnau de limitibus figendis

1504. juriſdictionis Sarlat. & Caſtri-novi. An. M. D. IV. veterem baſilicam Sarlat. diruit, & novam a fundamentis ædificare cœpit, excitatis circa chorum ſacellis. Primi autem lapides poſiti ſunt ex parte quidem ſacelli S. Petri, a fr. Johanne de Maignaco vicario generali; ex parte vero ſacelli S. Spiritus, a fr. Guillelmo de Plamont præpoſito. Illam etſi imperfectam, ut etiamnum eſt, ſub invoca-

1507. tione B. Mariæ, die Lunæ poſt Paſcha an. 1507. conſecravit Armandus. Sub eo per ſum. pontif. licuit unicuique canonicorum frumenti & vini modios integros accipere, non quotidianas portiones, ut prius moris erat; necnon & proprias

1519. domos habere. An. 1519. curam paſtoralem & dignitatem ſuam tranſmiſit Carolo de Bona-valle, ſervata ſibi beneficiorum collatione, de licentia Papæ: in variis namque collationum actis hanc clauſulam interjectam reperimus: *Cujus occurrente vacatione ad epiſcopum Sarlatenſem pro tempore exiſtentem, & ad præſens ad nos ex diſpenſatione & reſervatione apoſtolica, in reſignando noſtrum epiſcopatum, nobis factis & indultis, collatio & inſtitutio pertinet.* Archiepiſc. Nazareni titulum poſtmodum accepit Armandus, ut patet ex ipſius teſtamento die IV. Junii 1527. in quo ſic loquitur: *Armandus de Gonte-alto, dictus de Biron, ſuperna diſpoſitione nuper humilis miniſter eccleſiæ Sarlatenſis, nunc archiepiſcopus Nazarenus.* Porro plures miſſas fundat in eccleſia cathedrali, & in collegiatis S. Mariæ de Bironio, & S. Feliciani de Iſſigeaco: plura legat eccleſiæ parochiali S. Michaelis de Bironio, ſororibus B. Mariæ de Annuntiata Burdigalæ, conventui S. Franciſci de Obſervantia Villæ-novæ Agennenſis, Minoribus Sarlati, Prædicatoribus de Bello-videre, &c. Tandem fatis ceſſit 19. Sept. 1531. in eccleſia Bironiæ arcis tumulatus cum hoc epitaphio æreæ laminæ inſcripto: *Armando de Gontaud Sarlatenſi vigilantiſſimo pontifici, pio, frugi, caſto, religioſo, mentis magnitudine, animi virtute præſtanti, delubrum dom..... immortalium ædificatori, fanorum aut vetuſtate, aut injuria collapſorum reſtitutori, homini pietate cum in ſuos omnes egregia, tum vero maxime in familiam de Biron, ex qua erat, ſingulari. Qui LXXIX. ætatis ſuæ anno exacto, XIII. calend. Octob. anni M. D. XXXI. diem ſuum obivit. Hæres ex fratre nepos. virtutis ergo, aut referendæ gratiæ cauſa, bene merenti faciendum curavit.*

XXI. CAROLUS. DE BONEVAL.

Carolus de Bona-valle Antonii Bonæ-vallis dynaſtæ filius, fratres habuit Germanum Lemovicenſem proregem, majorem ſuum; minorem vero, comitis Tendæ in Provincia vicarium, cum Maſſiliam obſidione cinxit Carolus V. & Fulcaldum Petracoricenſem epiſcopum. Poſt Armandi abdicationem, Leone X. pontif. die IX. Sept. anni 1519. admittitur præſul in conſiſtorio; VI. Nov. 1519. inſequentis eccleſiam cœpit poſſidere. Eo ſedente 1520. pontif. auctoritate monachi cathed. eccleſiæ ad numerum XIV. reducti, præbendarios, hebdomadarios, cantores, & muſices magiſtrum conſtituere. E vita deceſſit menſe Nov. 1527. *Sammarth.*

XXII. GUIDO. D'AYDIE.

Guido d'Aydie, Odeti Aydiæ vicecomitis de Riberaco ex Anna de Pons filius, protonotarius apoſtolicus, in jure licentiatus, contra Regis voluntatem a capitulo electus, Romæ promovetur VI. Februar. 1527. cjuſque electio & promotio ratæ habentur Burdigalæ a vicario generali Johannis Fuxenſis-Candalæ archiepiſcopi, III. Aprilis 1528. Rex, contra cujus prohibitionem & comminationes electionem attentarant, alium deſignavit; verum Guido, eo qui a Rege nominatus fuerat deferente, cathedram obtinet, ac moritur cal. Aprilis 1529. Poſt ejus obitum a capitulo vicarii generales conſtituuntur Johan. de Maſſault, dictus de Clarens, & Pontius de Salignac. *Sammarth.* 1527.

XXIII. JOHANNES III. DE RILLAC.

Poſt obitum Guidonis, Sarlati graviſſimi motus excitati. Monachi diem VII. Aprilis electioni indicunt; conſules, ut tumultui nobilium hanc ſedem ambientium obſiſterent, januas urbis, excepta unica quam armati cuſtodiebant, claudunt; imo paulo ante electionem, accepta Regis epiſtola jubentis ut monachos ad nominationem Johannis de Rillaco invitarent, cum civibus armatis clauſtrum ac domum epiſcopalem invadunt, prohibent elec-

ANNI CHRISTI

tionem, ſedis epiſcopalis bona & reditus regiæ manui tradunt, doctoreſque duos Cadurcenſes, quos advocarant monachi, detinent & carceri mandant. Indignati electores, Franciſcum Bourgueil epiſcopum communibus pronuntiant votis, Rex Johannem de Rillac, qui ſub ejus nominatione Romæ promovetur; unde cedere coactus eſt Franciſcus. Paulo poſt an. 1529. moritur Johannes, cum per ſeptem tantum vel octo menſes ſedisſet, inquiunt Sammarth. fratres. Quod ſi conſtet, hic Johannes de Rillac alius eſt ab illo quem ſuperius diximus fuiſſe abbatem Angeriacenſem & Stirpenſem. Eo pontifice, Burdegalenſis ſenatus conſulto cautum eſt, ut proventus epiſcopales tribus ejus immediatis deceſſoribus debiti reſtaurandæ eccleſiæ impenderentur.

DE LARMANDIE.

XXIV. JACOBUS.

Jacobus de Larmandie ex illuſtri apud Petragoricenſes familia oriundus, filius nobilis viri Johannis-Pontii de Larmandie & Aloiſiæ de Vairines, frater Johannis de Larmandie, cui ſucceſſit in abbatiali dignitate Silvæ-majoris, ubi monachum induerat, ex hujuſce cœnobii tabulario; fuit etiam Sarlatenſis eccleſiæ præpoſitus, ac tandem ultimus eligitur a capitulo epiſcopus, ſtatim poſt obitum Johannis de Rillaco, & confirmatur Burdigalæ a generalibus vicariis ſede vacante, tum Romæ datis a ſummo pontifice bullis. Interim tamen Richardus le Rouillé, Herivallenſis abbas, & Palatinæ capellæ Pariſienſis canonicus, a Rege nominatur, ſed antequam a pontifice bullas accepiſſet, fato functus eſt, eique toparcha d'Iverny, e familia de Longue-jouë, in majore conſiſtorio ſenator & ſupplicum libellorum magiſter, a Rege ſuffectus eſt. Verum cum Jacobus de Larmandie conſecratus eccleſiæ ſuæ poſſeſſionem jam adiiſſet, ei liberam eam permiſit Ivernius. Vivere deſiit Jacobus menſe
1533. Octob. 1533.

DE GADDI

XXV. NICOLAUS I.

Nicolaus de Gaddis, natione Florentinus, Catharinæ Medicææ propinquus, cubiculi apoſtolici
Sammarth. clericus, cardinalis diaconus primum tituli S. Theodori creatus anno 1527. poſtea S. Mariæ in Vialata, denique ſub Paulo III. tit. ſanctorum Viti & Modeſti. Magni vir ingenii, ſummæ in pertractandis negotiis dexteritatis, Clem. VII. ſum. pontifici cariſſimus, cujus fortunam conſtantiſſime ſecutus eſt, Firmanum epiſcopatum obtinuit Leone X. Eccleſiæ clavum tenente, die 16. Oct. 1521. Eum ab omni juriſdictione legatorum Picentinæ provinciæ fecit immunem Adrianus VI. diplomate an. 1523. Maii 22. A Clemente VII. Cuſentini archiepiſcopatus adminiſtrator perpetuus electus eſt die Januar. ultima, 1528. ubi ſedit ad annum uſque 1535. quo nepoti ſuo Taddæo Gaddo ceſſit. Sarlatenſem quoque epiſcopatum obtinuit a Franciſco primo, ac poſtea per Paulum de Portis protonotarium apoſtolicum, procuratorem ſuum, poſſeſſionem adeptus eſt 8. Febr. 1533.
1533. 1541. denique ſolemnem & ipſe fecit ingreſſum 1541. April. 23. procedentibus obviam conſulibus & civibus uſque ad fines Sarlatenſis ditionis in campo de Rouſſia. Porta Lendrevillæ ingreſſus, ibi ſub arcu triumphali ſolitum jusjurandum exhibuit. Vicarium generalem creaverat Antonium de Noailles. Per Johannem vero Fabri epiſcopum Aurienſem ſuffraganeum, epiſcopatum adminiſtravit. Tandem Franciſco de Senneterre Sarlatenſes infulas ceſſit. Romam reverſus, creationi Julii III. interfuit 1550. Diem clauſit extremum Florentiæ 27. Febr. anni 1552. in ſacello Gadditanæ gentis apud S. Mariam-novellam ſepultus, cujus tumulo affixum ſequens epitaphium:

D. O. M.

Nicolao Gaddio, Thadæi filio, S. Romanæ Eccleſiæ cardinali, de republica Chriſtiana optime merito, ſepulchrum hoc tanto patruo deberi Nicolaus Gaddius cenſuit anno ſalutis M. D. LXXVII. vixit annos 61. menſes 7. dies 20. obiit an. M. D. LII. 17. calendas Februar.

CHRISTI ANNI

DE SENNETERRE.

XXVI. FRANCISCUS I.

Franciſcus de Senneterre illuſtri genere in Arvernis ortus, patrem habuit Johannem de S. Nectario, dominum de Clavelier, a quo domini de Clavelier & de Fontenilles propagati. Fuit primum Benedictinus monachus, & quidem Caſæ-Dei, ut cenſet noſter Claud. Eſtiennot *. Sarlatenſis epiſcopus effectus eſt abdicatione Nicolai de Gaddis an. 1546. quo die 15. Auguſti eccleſiam ſuam primum ingreſſus eſt, exhibita prius civibus & capitulo ſolita fide. Exſtat in bibliotheca Caſæ-Dei MS. liber cum hoc titulo: *Lucerna epiſcopalis ad religioſiſſimum dominum Franciſcum Necterianum Sarlati antiſtitem meritiſſimum*; cujus auctor eſt Petrus Bringerius major Caſæ-Dei prior. Ordines contulit in ejuſdem cœnobii baſilica anno 1547. die 15. Aug. Petrum Bertrandi Caturcenſem epiſcopum Montpazieri * conſecravit menſe Julii 1558. & 6. Dec. collegialis ejuſdem loci ſtatuta confirmavit. Cum canonicis convenit ut a menſe Octobri ad Martium incluſive vacantes canonicatus conferret Sarlatenſis epiſcopus, aliis 6. menſibus capitulum eligeret, in quo deciſiva voce nequaquam fruerentur ii qui nondum ſacris forent initiati. Sub eo præſule ſtatum immutavit eccleſia Sarlatenſis, ac monachi qui omnia divini cultus munia in ea obibant, in canonicos ſeculares immutati ſunt. Sub Paulo IV. acta res eſt, ſed quam morte præventus dare non potuit bullam, promulgavit Pius IV. ejus ſucceſſor VIII. idus Januar. pontificatus primo, Chriſti 1559. Regium Caroli IX. diploma pontificalis decreti exſecutionem jubens, datum eſt in palatio Fontis-bellaquei 16. Febr. 1560. quod & ſupremi ſenatus Burdegal. conſulto confirmatum eſt 7. Mart. 1560. Ac demum inſequenti anno 16. April. exſecutioni demandatum per Petrum de Baynaco officialem Sarlati a ſede apoſtolica delegatum. Has porro tantæ immutationis cauſas rationeſque protulerant: 1°. Quod ratione indulti Leonis X. quo ſoluti fuerant ab obligatione ſimul *comedendi in refectorio, commune dormitorium habendi, & jejunandi*, a regulari obſervantia viderentur abſtracti; ſicque

* *In hiſt. Caſæ-Dei pag. 89.*
1546.
1547. *

* In Petro Bertrandi tom. 1. col. 147. perperam inſcripſimus, apud Montem-panierium.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

adeo erga ipſos refriguiſſet fidelium caritas ut *eccleſia Sarlatenſis, niſi de oportuno remedio ei ſubveniretur, propter fructuum & proventuum tenuitatem & paupertatem, in ſuis ſtructuris & ædificiis ruinam minaretur, ornamentorumque & paramentorum eccleſiaſticorum, ac aliorum ad divinum cultum neceſſariorum defectum pateretur.* 2°. quod præfata eccleſia *a ſuis alumnis & miniſtris, ut decebat, deſerviri, coli & honorari non valeret, quoniam dicti monachi dormitorium, clauſtra, granaria, cellaria & hortos ſeu viridaria ac alia neceſſaria quæ recreationis & contemplationis cauſa monachis tribui conſueverant nec habebant, nec illa intra ſepta Sarlat. eccleſiæ præ anguſtia loci ædificari poterant; domos & cameras diſperſas ac ſeparatas habere, ac eorum nonnulli propter habitationis defectum in civitate... & ab aliis monachis ſeparatim degere... & dormire cogebantur.* 3°. quod ad recreationem, ad ineunda conſilia, & judicia quærenda *monachis vulgariter & paſſim cum laïcis verſandum eſſet. Unde non ſolum ſibi animarum periculum & aliis ſcandalum generabant, ſed ita a regulari obſervantia alieni & diſtracti præfatæ eccleſiæ Sarlatenſi totique monaſtico ordini contemptum pariebant, ac devotionem popularem imminuebant.* 4°. denique quod *facilius reperirentur viri generis nobilitate illuſtres atque aliis virtutibus pollentes, qui canonicatus & prebendas ac dignitates eccleſiæ Sarlatenſis obtinere procurarent, quorum doctrina, ope, & conſilio, ac conſanguineorum & aliorum amicorum favore & potentia eorumdem, eccleſiæ Sarlatenſis & capituli conſervationi, ac forſan plurimorum alienatorum & deperditorum recuperationi proviserent.* Quanti ponderis ſint ejuſmodi rationes facile eſt definire. At nihilominus monachi voti compotes, cucullis abjectis, ſuperpellicia induere, clauſtralia monachorum officia in conſuetas cathedralium eccleſiarum dignitates converſa, atque his illorum fructus attributi. Hinc qui major erat clauſtri prior, decanus, qui & præpoſitus; quique cantor regularis, ſecularis; qui camerarius, primus ſeu Sarlatenſis archidiaconus; qui cellerarius, archidiaconus de Marcaſio; qui hoſpitio præerat, archidiaconus de Bironio evaſere. Reliqui vero cœnobii proventus, reditus, prioratus, 14. canonicis, præbendariis aliiſque eccleſiæ miniſtrantibus attributi.

Franciſcus de S. Nectario conſtitutiones in diœceſana ſynodo promulgavit an. 1553. die Jovis poſt Dom. in Albis. Ordines contulit in monaſterio S. Illidii 10. Aprilis 1563. Tonſuram in eodem cœnobio dedit, die 23. Maii 1567. de licentia Bernardi cardin. Salviati Claromont. epiſcopi*. Denique vir ille liberalitate gratus omnibus, & moribus placidiſſimis, apud ſuos Arvernos in pace quievit hoc eodem anno 1567. menſe Septemb. cum paulo ante epiſcopatum in gratiam Franciſci de Salignaco reſignaſſet.

* ex chartul. S. Illidii.

1567.

XXVII. Franciscus II.

De Salignac

Franciſcus de Salignac, e ſtirpe dominorum de la Mothe-Fenelon, cathedralis eccleſiæ Burdigalenſis canonicus, & cardin. du Bellay & Franciſci de Mauni archiepiſcoporum vicarius generalis, facta in ejus gratiam a Franciſco de Senneterre ſpontanea abdicatione, bullas proviſionis ad Sarlatenſem epiſcopatum a papa Pio V. obtinet 1567. die 28. Aug. Poſſeſſionem deinde per procuratorem adipiſcitur die 25. Maii 1569. Anno inſequenti 29. Maii, feſtivo apparatu in urbem exceptus, civibus & capitulo jusjurandum præſtat ante primariam cathedralis eccleſiæ januam. Eo pontifice an. 1574. per militarem ſectariorum ducem Vivantium die 22. Februarii civitas Sarlatenſis expugnatur, expilatæ baſilicæ, combuſtæ & diſſipatæ reliquiæ, corpus S. Sacerdotis urbis patroni projectum, impie direpta eccleſiaſtica ornamenta, chartæ diſſipatæ, pugione confoſſi Pontius & Petrus de Salignac præſulis conſanguinei, quorum alter Sarlati archidiaconus, alter eccleſiæ cantor; vitam pretio redemere ceteri catholici. Interea Franciſcus degebat Iſſigiaci, nec ſic tamen novatorum manus evaſit; nam a militibus coactus fuit ad deditionem, domus ipſius direpta, diruta baſilica. An. 1571. Sarlat. eccleſiæ ſtatuta approbarat cum ſuis canonicis, quorum tres erant ipſius gentiles & cognomines. An. 1578. 11. Junii fundatur collegium Sarlatenſe per Petrum Blanchet Burdigal. ſenatorem, in paterno fundo. Eidem gymnaſio annexuit epiſcopus de conſenſu capituli fructus unius præbendæ in cathedrali. Hoc eodem anno ceſſit epiſcopatum Ludovico de Salignac nepoti ſuo, ac duobus poſt annis obiit in Fenelonenſi caſtro. Vir fuit piiſſimus, zelo catholicæ fidei ardentiſſimus, caritate in pauperes flagrantiſſimus, verbi divini præcones eximios miſit, ac ſorores quæ de fide nuncupantur, in parœcias hæreſi infectas induxit ad heterodoxorum converſionem, quibus omnia neceſſaria ſuppeditabat, necnon recens converſis; quod feliciter ceſſit.

1569. 1578.

XXVIII. Ludovicus I.

De Salignac

Ludovicus de Salignac Franciſci nepos, cui ſubrogatur bullis Romæ datis a papa Gregorio XIII. menſe Martio an. 1578. in poſſeſſionem miſſus eſt die 7. Septembris 1579. cum per annum & menſes aliquot ſedes vacaſſet. Deinde 20. Maii 1580. comitante frequenti nobilium corona, Sarlatum ingreſſus eſt. Urbem obſidente vicecomite de Turena qui pro ſectariis ſtabat 1587. die 25. Novembr. ad ſuorum defenſionem nihil non contulit. Ipſe ſacræ militiæ in eccleſia intentus, officiis divinis ſedulo incumbebat, dum interea Johannes de Salignac urbem ingreſſus virtute bellica, & civium armis, ducis heterodoxi conatus repreſſit, & civitatem obſidione liberavit. Ad ſynodum Burdigalenſem convenit anno 1582. in qua bis Latine peroravit, comitiis Bleſenſibus pro Petragoricenſi provincia interfuit 1588. necnon cœtui cleri Gallicani Pariſiis 1596. menſe Januar. Adſcitus eſt & a Rege in ſanctius conſiſtorium, quæ fortaſſe cauſa fuit ut præ ceteris præſulibus ab univerſa Aquitania delegaretur ad comitia generalia Rotomagi habita. Reverſus 1597. diœceſim vigili cura luſtrare ſtatim aggreditur; at vi morbi latentis abſolvere non valuit, mortalitatem enim explevit ætatis anno 40. in caſtro Temniaci die 6. Februar. 1598. vir ſane non indoctus, ac non vulgari morum comitate præditus. Sub illius ponti-

1579. 1582. 1588. 1596. 1598.

Sammarth.

ficatu Bertrandus de Salignac de la Mothe-Fenelon, S. Juliani vicecomes, regiorum ordinum eques, episcopi patruus, ecclesiæ Sarlat. sacerdotalia dat ornamenta, & in ea fundat missam de Spiritu S. singulis Mercurii diebus celebrandam, an. 1583.

ANNI CHRISTI

A

S. Benedicti juxta claustrum.

XXIX. Ludovicus II.

De Salignac

Ludovicus de Salignac, nepos superioris, Armando de Salignaco & Juditha de Baynac parentibus procreatus, Sarlatensis episcopus ab Henrico IV. Franc. rege designatus, Romæ in consistorio nominatus anno 1602. ibidem inauguratur 13. Januar. per Bonifacium Bevillaquam cardinalem Ferrariensem Serviæ episcopum, cooperantibus Athenarum archiepiscopo, & præsule Nucerino. In possessionem ecclesiæ admissus est 6. April. 1604. Sub eo introducti patres Recollecti 10. Jun. 1612. in conventum fr. Minorum; verum hi ad senatum Burdigal. provocantes, in conventus possessionem senatus consulto anni 1614. 9. Julii redintegrantur. Cives vero Recollectis faventes, ipsis domum emere, in qua ecclesiæ jacta sunt fundamenta per Ludovicum anno 1618. Admissæ item in urbem moniales S. Claræ 21. Apr. 1621. & Nostræ-Dominæ quæ 1632. 22. Julii sedem fixere, deinde 1636. migrarunt in monasterium constructum in suburbio de la Boucairie, ex consensu episcopi.

Sammarth. 1602. 1604.

B C

Cum ad Burdigalense concilium advocatus fuisset, ac venire neglexisset, in prima sess. habita die 1. Octobris accusatus est a synodi promotoribus, quod ei non adesset, nec ad se excusandum de justo impedimento nuntium misisset; in secunda sess. 9. Octobris, petunt iidem promotores, ut in episcopum Sarlat. procederetur *juxta formam juris in absentes latam*, quod & iis concessum. In sess. tertia die 18. Octobris, propter absentiam, contumaciam, & varia contra canones facta, neglectumque ecclesiæ regimen, quæ omnia legi possunt in prædicta sessione, Franciscus cardinalis de Sourdis, archiepiscopus tulit in eum sententiam, qua revocantur vicarii generales ab episcopo Sarlatensi instituti, & ad gubernandam hanc ecclesiam constituitur Johannes de Carboniere de Jayac Sarlatensis decanus; insuper tertia pars fructuum episcopatus unius anni episcopo subtrahitur, & fabricæ ecclesiæ attribuitur, nisi tamen episcopus concilio intra tres menses pareat & faciat satis.

D E

Episcopus Lanceloto de Mullet abbati Vertolienſi, quem in catalogo omisimus, episcopatum resignavit, admissa per breve regium resignatio, factaque Romæ fuit præconisatio. Verum revocata per Ludovicum resignatione, mota lis est, & adversus eum decretum a majori consilio obtinuit Vertolienſis abbas. At episcopus libello supplici Regi ejusque privato consilio, oblato 24. Julii 1626. in bonorum episcopatus possessionem dato decreto restitutus est 29. Januar. 1627. quia licet præconisatus, ut aiunt, fuisset episcopatus, nondum tamen Lanceloto collatus fuerat. Sub eo, anno 1607. instituti Pœnitentes albi apud Sarlatum sub titulo S. Johannis Baptistæ, an. 1636. societati Confalonis Romæ aggregantur. Obiit Ludovicus Maii 22. an. 1639. jacet in sacello S. Benedicti juxta claustrum.

XXX. Johannes IV.

ANNI CHRISTI DE LINGENDES.

Johannes de Lingendes comes consistorianus, Regi Ludovico XIII. a concionibus, cum magna eloquentiæ vi sacro ex suggestu verbum Dei prædicando inclaruisset, Sarlatensis episcopus regia nominatione designatus, Lutetiæ in ecclesia S. Ludovici Jesuitarum a Leonorio d'Estampes Remensium archiepiscopo & duce, adsistentibus Nicolao Denets Aurelianensi, & Petro de Broc Autissiodorensi præsulibus, consecratus est 14. Decemb. 1642. Ante adeptas infulas delectus fuerat, ut publicam orationem Lutetiæ haberet in templo S. Virginis an. 1637. 29. Oct. in funere sereniſſimi principis Victoris-Amedei Sabaudiæ ducis. In regali quoque templo S. Dionysii, Ludovico regi, jam episcopus, disertissime parentavit in ejus exsequiis die 22. Julii 1643. celebratis. Anno insequenti in sua diœcesi & abbatia Caduini sacrum Christi sudarium relevavit, quam celebritatem in acta publica conscribi curavit. Cum autem Sarlatensem cathedram abdicasset, factus est postea Matisconensis episcopus anno 1650. & ad generalem cleri cœtum Lutetiæ coactum, una cum Jacobo de Nucheze comite & episcopo Cabilonensi, pro Lugdunensi provincia delegatus est anno 1655.

1642.

XXXI. Nicolaus II.

Sevin.

Nicolaus Sevin S. Vulmari diœcesis Bolonienſis abbas, Johannis cessione, episcopus & dominus Sarlatensis designatur. Ludovico XIV. Francorum regi hominium pro temporalibus bonis exhibuit die 2. Augusti. Cessit episcopatum in gratiam Franciſci de Salignac de la Mothe-Fenelon, ac factus est Alani Cadurcensis episcopi coadjutor, & postea ejusdem urbis episcopus.

XXXII. Franciscus III.

De Salignac

Franciscus de Salignac ex dominis de la Mothe-Fenelon Carennaci decanus, cedente Nicolao Sevin Sarlati evasit episcopus, & Parisiis in templo Fulienſium vici S. Honorati consecratur ab antecessore suo Cadurcensium præsulis coadjutore, adsistentibus Ludovico de Bassompiere Santonensi, & Harduino de Perefixe Ruthenensi episcopis, anno 1659. die Dominica, 25. Maii. Diei celebritatem auxit Calvinianæ hæreseos ejuratio facta a marchione de Montsegur, primo apud Aginnenses barone. Fidelitatis sacramentum præstitit 27. Sept. 1661. Per annos 30. & amplius diœcesim sapientissime rexit, Calvinianorum templa omnia solo æquavit. Seminarium instituit, ac sacerdotibus congregationis S. Lazari regendum tradidit. Issigiacum castrum magnifice construxit, palatium episcopale reparavit, hortis amœnis ornavit, ut a residentia minus abhorrerent ipsius successores. Cathedralis ecclesiæ opera consummavit; navim absolvit & concameravit, & sex ædiculis sacris auxit. Tandem vitæ sanctimonia, & summa in pauperes liberalitate clarus, obiit 83. annos natus, prima Maii 1688. postridie humatus in cathedrali.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI DE BEAUVEAU.

XXXIII. PETRUS-FRANCISCUS.

Petrus-Franciſcus de Beauveau du Rivau doctor Sorbonicus, abbas B. Mariæ de Turpeniaco, Sarlatenſis epiſcopus nominatur 15. Aug. 1688. A Urbem ingreſſus 10. Jul. 1689. generalis dioec. vicarius a capitulo inſtituitur, ac ſub hoc, & epiſcopi deſignati titulo pluribus annis hanc eccleſiam ſedulo adminiſtravit, & plurimis abuſibus emendatis, inſtituit ſaluberrima. Generale pauperum hoſpitium, ex ſui officialis liberalitate conſtruxit, cujus curam dedit Sororibus de fide, quarum inſtitutionem litteris regiis confirmari procuravit. Collegiatum S. Aviti capitulum cum cathedrali conjunxit. Tandem ſedatis Romam inter & Galliam ſimultatibus, & bullis obtentis, inauguratur in eccleſia puellarum a S. Sacramento dictarum, in ſub- B urbio S. Germani Pratenſis ab archiepiſc. Aquenſi,
1693. adſiſtentibus Pict. & Tolon. præſulibus an. 1693. menſe Jan. Obiit in ſua diœceſi 23. Oct. 1701. magnum ſui deſiderium omnibus urbis, imo & provinciæ ordinibus relinquens.

XXXIV. PAULUS.

ANNI CHRISTI DE CHAULNES

Paulus de Chaulnes filius Claudii ſenatoris Gratianopolitani & Margaritæ de Chiſſai de la Marcouſſe, abbas S. Michaëlis de Peciano * per 15. annos vicarius generalis & officialis metropolitanæ provinciæ Auſcienſis. Anno 1701. ſereniſſimum Burgundiæ ducem ſalutavit, & excepit elegantiſſima oratione ad valvas Auſcienſis eccleſiæ, & eodem anno Sarlat. epiſc. deſignatur. Anno 1702. die Mart. 26. Pariſiis in eccleſia novitiatus Jeſuitarum inauguratur ab Anna-Triſtano de la Baume de Suze Auſcitano archiepiſcopo, adſiſtentibus Vivarienſi & Kebecenſi præſulibus. Magna ſollicitudine ſtatim diœceſim luſtravit, ubique prædicans regnum Dei, hæreticos ad ſinum matris Eccleſiæ revocavit, templa catholicorum ab heterodoxis aut diruta, aut expilata in priſtinum decorem reſtituit, in cathedrali plura ſacella decoravit, epiſcopii domum & hortos reparavit. Ad generalia cleri Gallicani comitia annis 1695. & 1700. ex Auſcitana provincia deputatus fuerat, & ut epiſcopus Sarlat. anno 1715.

* Peſſan ordin. S. Bened. in diœceſi Auſcienſi.
1701.

PRIORES ECCL. SARLAT. A SEDIS EPISCOPALIS ERECTIONE.

I. HELIAS de Rotis ab an. 1317. ad 1319.

II. Raimundus de Loyraco erat prior S. Mariæ Sarlat. an. 1306. prior major ſeu clauſtralis ab an. 1325. uſque ad 1334.

III. Arnaldus Requi prior & vicarius generalis C Auſtentii epiſcopi an. 1362. regi Anglorum fidelitatis ſacramentum præſtitit pro Auſtentio epiſcopo, cujus erat procurator in hac parte. Idem Arnaldus orationem habuit in concilio provinciali Petragoricis celebrato ab Helia Burdigal. archiep. 1365.

IV. Guillelmus I. de Lobeſtorn major prior & vicarius generalis Galhardi de Palayrac, & officialis 1397.

* f. de Agrifolio. V. Guillelmus II. de Griffolio * baccalaureus in decretis 1450.

VI. Hugo de Noailles major prior an. 1485. die 7. Septembris, hora ſexta de mane, ſede epiſcopali vacante per obitum Bertrandi de Roffinhaco, cum toto capitulo elegit in vicarios generales, fratres Bernardum Bleynie ſubpriorem, Johannem de Sedieres operarium, & Guillelmum de Plano-monte cantorem.

VII. N. de Maſſault dictus *de Clarens*, prior an. 1516. electus eſt vicarius generalis capituli, una cum Pontio de Salignac, ſede vacante, 6. Aprilis 1528.

VIII. Bertrandus de Salignac an. 1545. ultimus prior & primus decanus poſt tranſitum monachorum Sarlat. ad ſtatum ſecularem, annuente ſummo pontifice Pio IV. bulla data 1559. quam videſis inter inſtrumenta.

DECANI SARLATENSES.

ANtequam Sarlatenſe capitulum in ſtatum tranſiret ſecularem præcipua illius dignitas erat prioratus: at cucullis in almutias immutatis, D prioribus ſucceſſere decani, hunoque gradum huc uſque ſortiti ſunt.

I. Bertrandus de Salignac-Fenelon ex ultimo priore primus decanus, reſtitutioni proventuum decanatus non mediocriter inſudavit. E vivis ſublatus priuſquam beneficium cuiquam tranſcripſiſſet, ipſi ſucceſſorem, jure regaliorum deſignavit Franc. rex; quemnam vero neſcio; vulgo Bertrando de Salignac ſubſtituitur Johannes de Jayac, verum alios reperio hic, ut videtur, inſerendos.

II. In veteri necrol. eccleſiæ Sarlatenſis Raimundus Barriera decanus nuncupatur, his verbis: *VI. idus Martii obitus D. Raimundi Barriera decani.*

III. Petrus de Beynac ex illuſtri familia, decanus 1569. 22. Julii, reperitur & in Sarlat. monumentis.

IV. Johannes de Jayac de Carbonieres, cardinali de Bourbon ab eleemoſynis, vir nobilis, facie inſignis, ingenio pollens, a Rege deſignatus decanatum obtinuit. Ludovico de Salignac Sarlat. epiſcopo vicarius generalis datus eſt a Burdigalenſi concilio an. 1624. In ſua diœceſi ad provincialem cleri cœtum Burdegalenſem, atque ab iſto ad generalia comitia Pariſiis coacta 2. ordinis prælatus electus eſt. Decanatum nepoti tranſcripſit.

V. Ludovicus de Jayac de Carbonnieres, vir adeo blandus & humanus, ut omnium in ſe amorem concitarit, hac dignitate diutiſſime potitus, tandem ſub vitæ finem ſucceſſorem deſignavit eum qui ſequitur.

Digitized by Google

VI. Ludovicus II. de Jayac de Carbonnieres, præcedentis nepos & luſtrali adoptione filius, qui paucis ante obitum diebus ſua omnia patribus e congregatione S. Lazari ſeminarii rectoribus legavit. Poſt ipſius mortem, cum ſucceſſorem non deſignaſſet, a Rege decanatum accepit diplomate Verſalliis 3. Jun. 1702. dato

VII. Franciſcus Cumont de la Dieudye, eccleſiæ Sarlat. cantor, theologiæ doctor, & in jure licentiatus. Diu fuerat Beſuenſis abbatiæ vicarius generalis, plurimamque navaverat operam in ejus reditibus recuperandis, iis præcipue quibus in Burgundiæ comitatu potiebatur, quæque continuis bellis vix non perierant. Officialis ac vicarii generalis in dioeceſi Sarlatenſi munia ter obiit. Tandem grandævus effectus ſe ſe negotiis omnibus exuit, ut ſuam ſalutem curaret.

SECULARES SARLATENSIS ECCLESIÆ PRÆPOSITI.

I. JOHANNES I. DE VASSAL, ex illuſtri & perantiqua familia de la Tourette, primus eccleſiæ Sarlat. poſt ſeculariſationem præpoſitus 5. Jan. 1580. Ex diverſis inſtrumentis diſcimus illum in extricandis & augendis dignitatis ſuæ proventibus non mediocrem operam poſuiſſe.

II. Johannes II. de Salignac-Fenelon 23. Nov. 1613.

III. Arnaldus de la Crompe 28. Febr. 1630. Exinde cantor eccleſiæ S. Andreæ Burdigalenſis.

IV. Franciſcus de Vins 20. Febr. 1645. pluſquam 30. annis hanc dignitatem obtinuit, ac tandem tranſcripſit domino de la Forlie du Manegre nepoti circa annum 1680. Novo præpoſito ſuperſtes antiquus, obiit an. 1682. aut 1683.

V. N. de la Forlie præpoſitus.

VI. Gabriel de la Cropte ex antiqua & nobili gente de la Cropte de Lanquais, generalis Franciſci de Salignac vicarius defuncto D. de la Forlie præpoſitus deſignatur ab epiſcopo anno 1682. Domum ſuæ dignitati annexam omnino reparavit, omnia ad eam pertinentia inſtrumenta collegit. Poſtea Cameracenſem præſulem Franciſcum de Salignac convenit, a quo vicarius generalis deſignatus eſt ac Bruxenſis archidiaconus. Circa annum 1695. præpoſituram tranſcripſit ſequenti.

VII. Johannes III. de Vaſſal, tranſcribente Gabriele de la Cropte, Sarlat. decanus ab an. 1695.

SARLATENSIS DIOECESIS ABBATIÆ.

ABbatiæ dioeceſis Sarlatenſis quatuor duntaxat numerantur:

Terracinum, *Terraſſon*, ord. S. Benedicti.
Fons-Gaufferii, *Font-Gaufier*, ord. S. Ben. femin.
S. Amandus de Coli, *S. Amand*, ord. S. Aug.
Caduinum, *Cadouin*, ord. Ciſtercienſis.

Terraſſon. ### ABBATIA S. SORI TERRACINENSIS.

TERRACINENSE monaſterium ord. S. Benedicti in finibus dioeceſis Petroc. olim conditum, quatuor leucis a Sarlatenſi civitate, verſus Septentrionem, diſtans, initium S. Soro debet. Hic, referente ejus vita a Labbeo tom. 2. bibliot. publicata, cum Guntramnum regem ab elephantiaco morbo divinitus liberaſſet, ejus precibus victus omnia ad xenodochium ſeu cœnobium conſtruendum neceſſaria accepit. Sed fabuloſa eſt hæc narratio; nam Gunthramnum elephantiaco morbo aliquando laboraſſe nullibi legitur. Rem aliter refert noſter D. Eſtiennot, conditum ſcilicet a S. Soro cœnobium, opem ferentibus Gocundo Lemovicarum principe, Pelagia conjuge, & Aredio filio, ut referunt inquit, ipſius S. Sori acta, Goffridus Voſienſis, & Bernardus Guidonis, in chronicis. Ut ut eſt,

pag. 667. pag. 671. Vide Annal. franc. eccl. ad an. 542. pag. 607.

Deſtructum fuit in bellis ducum Aquitaniæ, & Danorum incurſibus hoc monaſterium, ſed poſtea ſeculo X. ineunte, aut IX. deſinente, reſtauratur a comitibus, ut tradunt, Petrogoricenſibus, ac anno M. C. I. ab Ademaro de S. Riberio abbate, monaſterio S. Martialis ſubjicitur, ac deinceps paret, ut refert MS. codex S. Martialis. Vide ſupra col. 559. in Ademaro S. Martialis abbate. Pauci admodum ſuppetunt abbates, quos hic ſubjiciemus.

ABBATUM CATALOGUS.

I. SORUS Arvernus patria, genere nobilis, pietate ab infantia celebris; cum adoleviſſet, una cum S. Amando, & S. Cypriano monaſticam diſciplinam apud Genoliacum in dioeceſi Petragoricenſi ſub abbate Savalo profeſſus eſt; ac tandem anachoreticam vitam amplexus eſt prope Terracinam. Succeſſu temporis properantibus ad ejus antrum populis, diſcipulos habuit, cœnobium conſtruxit, & baſilicam Deo, ſub S. Juliani nomine, dedicavit. Ab eo die quo eremiticam vitam duxerat annis pene XL. vixit. Mortuus videtur circa annum 580. ſepultus in eccleſia quam dudum ædificaverat, quæ lapſu temporis, mutato nomine, S. Sori dicta eſt.

II. Aredium Attanenſem abbatem S. Soro in Terracinenſis cœnobii regimine ſucceſſorem tribuit noſter D. Claud. Eſtiennot. Amicitia cum eo longe antea conjunctus fuerat, ſic enim legimus in vetuſto codice vitæ ejus a Labbeo editæ: *B. Soro magis ac magis virtutibus clareſcente, audiens B. Aredius... quod B. Sorus monaſterio conſtructo cum ſuis Deo omnipotenti vacaret, verbis conſolatoriis epiſtolam perſtringens S. Soro direxit, atque in adjutorium ædificii oſtium ei opere cornificio aptatum miſit, pullos... columbarum... & corniculas tranſmiſit... quæ B. Sorus cum gaudio excipit.* *t. 2. Bibl. MS. pag. 673.*

III. S. Aſtedius B. Aredii nepos, S. Sori abbas nominatur in Voſio.

IV. Ademarus 1001.

Digitized by Google

V. Ademarus de S. Riberio abbas Terracinæ memoratur an. 1101. in S. Martialis chartario. De eo ſuperius. Recenſetur & an. 1114. in electione Bernardi abbatis S. Martialis, ubi pro *abbate S. Flori*, legendum S. Sori.

VI. Raimundus abbas *Terracinenſis* aſſenſu totius ſui capituli, & pro utilitate ſui monaſterii, quod tunc temporis ære gravabatur alieno, fratribus Dalonis vendit tres manſos & duas bordarias, in præſentia Raimundi Turenenſis vicecomitis anno Domini 1178. regnante Ludovico rege Francorum pacifico.

VII. Geraldus abbas *Terracinenſis* teſtis memoratur in donatione Archambaldi de Valle, facta monaſterio Dalonenſi an. 1186. Reperitur adhuc anno 1188. in altera Dalonenſis monaſterii charta, & in alia pro cœnobio Voſienſi, regnante Philippo rege.

VIII. Elias de Ceirac ex monacho Solemniacenſi eligitur abbas S. Sori de Terraſſon in Petrocoriis. Sed quo tempore vixerit ignoratur.

IX. G. abbas an. 1306. ex chartul. epiſc. Pariſ. fol. 62.

X. Petrus e monacho Silvæ-majoris abbas S. Sori efficitur an. 2. Innocentii papæ VI. hoc eſt 1354. aut 53.

XI. Hugo de Broſſe præerat annis 1439. 1440. & 1445.

XII. N. de Roſiniaco baſilicam & alia ædificia, aut a novo erexit, aut reſtauravit.

XIII. Robertus de Pompadour abbas Terraſſon. jam obierat 1502. Erat ſimul decanus Engoliſm.

Du Fourny grands maiſtres de l'artillerie.

XIV. Euſtachius des Hayes filius Roberti des Hayes dicti d'Eſpinay, & Chriſtinæ de Sains, qui conjugium inierunt an. 1510. fuit abbas Terracin. ſub quo, ut videtur, an. 1564. monaſterium viginti tres monachos alebat, quod quidem eodem ſeculo ante vel poſt hunc annum a ſegregibus deſtructum, in manus laïcorum devenit, maxime dominorum de Rillac de Monmege, qui ſub variis cuſtodibus, inter quos Antonius le Sage, an. 1614. reditus ſibi vindicarunt.

XV. Johannes de Rillac de Monmege abbas erat commendatarius an. 1676.

Font-Gaufier ou Font-Gaufre.

FONS-GAUFERII.

ABbatia beatæ Mariæ, ſeu S. Geraldi Fontis-Gauſerii ord. S. Bened. feminarum, Auriliacenſi S. Geraldi etiamnum ſubjacens, fundata dicitur ab Enbolena, de aſſenſu filiorum ejus, Geraldi epiſcopi Cadurc. & Pontii de Gordone an. 1095. Sita eſt in valle ad radices montis, cui inſidet urbecula de Belvez, quam habet in proſpectu. Nomen accepit, ut credunt, a limpidiſſimo & & profundiſſimo fonte qui ſcaturit intra parthenonis ſepta, indeque exſiliens molctrinam agit, & converſus in rivulum nomine *la Nauze* cui imponuntur quædam trapeta chartaria, ſemi-leuca peracta Dordoniæ aquis commiſcetur prope Cioracum.

Elenchus abbatissarum.

I. PONTIA de Sagelac an. 1311. Sabb. ante Palmas, tempore Dragoneti abb. S. Geraldi Aureliac. Sagellacum vero vicus eſt juxta urbeculam Fontis-Gauſerii, cujus parochia dicata S. Victori, pertinet ad præſentationem abbatiſſæ, & intra hujus fines ſita eſt abbatia.

II. Agdemunda de Peſtilhac 23. Jan. 1318.

III. Helena de Caſtro-novo, *Caſtelnau de Mirande* confirmatur ab Archembaldo epiſcopo S. Flori adminiſtratore abbatiæ Auriliac. an. 1319.

IV. Macna de Alaco 1352. 57. & 63.

V. Bertranda de Sediaco 22. Sept. 1411. indict. v.

VI. Philippa de Lobbarteſio, *Loubartez* *, e nobili hujuſce nominis gente 1451. & 1467. Ejus meminit necrol. Bonæ-ſaniæ XIV. cal. Junii, ſanctimonialem enim induerat in Bonæ-ſaniæ parthenone.

* Lubertes & Lobertas

VII. Agnes de Lobbarteſio 1471. & 1485.

VIII. Antonia de Touchebeuf, *al.* de Tochabeuf, ex moniali *du Bugue* eligitur abbatiſſa Fontis-Gauſerii, præſidente in capitulo Margarita de Caſtra prioriſſa clauſtrali, die 7. Julii 1488. poſt obitum ſcilicet Agnetis de Loubartez. Huic Petrus abbas S. Michaëlis de Cuxano, decanus Soliacenſis & vicarius generalis D. Johannis d'Armagnac epiſc. & comitis Caſtrenſis, abbatis commendatarii Auriliac. permiſit a quocumque vellet benedictionem accipere, 26. Julii ejuſdem anni; unde & ab Andrea d'Eſpinay archiep. Burdegal. benedicitur 5. Aug. eodem anno 1488. Paciſcitur an. 1504. die 18. Febr. cum Johanne de Fuxo Burdegal. archiep.

IX. Johanna de Falga ſeu de Falgario, alumna Fontis-Gauſerii, tum prioriſſa de Auriaco prope Pardalhac in diœceſi Aginnenſi, electa eſt in abbatiſſam per obitum Antoniæ de Touche-beuf, vel de Toucha-biou, uti legitur in inſtrumento hujus electionis, & confirmata ab Antonio de Cardaillac abbate Auriliacenſi, agente tunc in monaſterio Bellæ-perticæ ord. Ciſterc. diœceſis Montis-albani die 3. Jan. 1505.

X. Catharina I. de Falga per amitæ ceſſionem annum agens vigeſimum tertium abbatiam conſecuta eſt, bulla data Romæ apud S. Petrum XVI. cal. Apr. anno Inc. M. D. XXX. Clementis papæ VII. anno octavo. Recenſetur adhuc in chartis annorum 1540. & 1566.

XI. Iſabella I. de Fages parthenonis alumna, defunctæ Catharinæ ſufficitur anno ætatis ſuæ 35. profeſſionis 15. cujus electio comprobatur a Guidone de Nozieris eleemoſynario, & Antonio de Pozzols ſacriſta in jure baccalaureis, canonicis & vicariis generalibus Aureliacenſis capituli, ſede vacante, die 19. Aug. 1573. Admiſſa eſt in poſſeſſionem 8. Septemb. ejuſd. anni per nobilem D. Gaſtonem de Verdon ſedis apoſtolicæ protonotarium, priorem Noſtræ-Dominæ de Belvez. Occurrit etiam Iſabella de Fages in charta anni 1581.

XII. Judith de Fages 1598. 1604. & 1607.

XIII. Florentia d'Irlan vel d'Irlane 1609.

XIV. Iſabellis II. de Cugnac 1619.

XV. Iſabellis III. de Giverſac, quam nonnulli confundunt cum Iſabelli de Cugnac, ceſſit in gratiam ſequentis, die 14. Decemb. 1621.

XVI. Catharina II. de Pichari filia Johannis dom. de Carnac, fit abbatiſſa bulla pontificia Romæ

data apud S. Petrum idibus Apr. an. 1622. Reperitur etiam annis 1623. 25. & 26.

XVII. Maria Gaſparda du Meſnil Simon de Beaujeu, annuente Rege 26. Julii 1667. & ſummo pontifice Clem. IX. XVII. cal. Oct. ejuſdem anni pontificatus anno 1. permutavit cum ſequenti.

XVIII. Magdalena de Goüé profeſſa B. Mariæ de Roſeto dicec. Senon. ſub Magd. Deſchamps-Morel abbatiſſa die 26. Aug. 1631. tum ejuſdem facta coadjutrix bulla Urbani VIII. data Romæ apud S. Petrum an. Inc. Dom. M. DC. XLI. v. id. Martii pontificatus an. XIX. demum transfertur ad abbatiam Fontis-Gauferii anno 1667. pontificatus Clementis IX. anno 1. in qua obiit 9. Octob. 1706.

XIX. Ludovica Guyonnet de Vertron, cum eſſet alumna Fontis-Gauferii, 21. Nov. 1669. ſecuta eſt Mariam Gaſpardam migrantem ad abbatiam de Roſeto ſeu de Ville-chaſſon; cujus beneficio prioratum titularem S. Catharinæ de Cloix & S. Val de Champellenie, a dicta pendentem abbatia, obtinuit. Deinde abbatiſſa Fontis-Gauferii deſignata die 24. Dec. 1706. bulla Clementis papæ XI. data apud S. Petrum anno ſeq. VI. idus Junii, pontificatus an. 7. confirmatur; ac denique abbatiæ poſſeſſionem adepta eſt 3. Sept. 1708.

S. AMANDUS DE COLI.

S. Amand de Coll.

HÆc abbatia ord. S. Auguſtini ſita eſt prope Terracinum ad ripam fere fluviorum Vezeræ & Curreziæ. S. Amandi nomen habet ab auctore ſuo & patrono, cujus feſtum agitur VII. cal. Julii, SS. Sori & Cypriani ſocio. Cognomen vero *de Coli* ſortita eſt a vicino caſtro, quod pertinet ad abbatem, vel a fluviolo *de Coli* qui ibi origine ſumta vallem irrigat in qua poſitum eſt monaſterium. Et hoc quidem munitiſſimum eſt, præcelſis ac denſis mœnibus turribuſque cinctum; ſed omnia loca regularia ab Anglis, ut creditur, deſtructa fuere, ſolaque ſupereſt eccleſia egregii operis, ubi quatuor canonici Regulares divinum officium perſolvunt. E paucis autem chartis quas dominus abbas in domo abbatiali *de Coli* adſervat, hos eruimus abbates.

Greg. Turon. de Gloria Conf. cap. 100.

SERIES ABBATUM.

I. WAbbas S. Amandi reperitur in charta eccleſiæ Sarlatenſis, tempore Honorii papæ II. Ejus epitaphium vel alterius Guillelmi, XII. ſeculi vel circiter characteribus inſculptum lapidi legere eſt in eccleſia abbatiali ad aram parochialem a latere Evangelii:

✝ *Diſcat qui neſcit ubi nobilis hic requieſcit*
Qui Rachel & Lia, qui Martha fuit atque Maria,
Pſalmos cantate, fratres, Chriſtumque rogate
Salvet ut abbatem W. per pietatem.

II. Helias I. de Teno abbas S. Amandi teſtis eſt in donatione Petri de Riberia filii Bonafos de Pompedors facta monaſterio Dalonenſi. *Actum in capitulo Dalonis in manu domni Geraldi abbatis* A *anno Incarn. M. C. LXXXV.* ex chartul. Dalon.

III. Helias II. de Marſilhaco 1358.

IV. Raimundus de Capouille rector Brenaci, officialis & vicarius gener. Johannis de Reveillon Sarlatenſis epiſc. erat abbas S. Amandi an. 1370.

V. Helias III. Girmundi oriundus e Villa-bovis Petragoric. dioeceſis, iniit poſſeſſionem abbatiæ anno 1398. tempore Benedicti papæ XIII. Huic abbati reddunt hominium Guillelmus de Ferreriis dominus de la Brunia, Catharina de Diofido de Salanhaco, Eſquina de Belhomme, Bernardus de Plano-monte & alii nobiles, ut patet ex terrario, quod ipſemet abbas propria manu ſcripſit B & perfecit an. 1419. Hujus tempore atra lues graſſabatur in territorio Petragor. an. 1412. ut idem notat in præfato libro, in quo & recenſentur plures eccleſiæ ſubjacentes abbatiæ S. Amandi, quarum abbas etiamnum eſt patronus.

VI. Bernardus Bonaldi annis 1447. & 1463. nominatur vicarius generalis Petri Bonaldi epiſc. Sarlatenſis.

VII. Helias IV. Bonaldi reperitur in pluribus chartis eccleſiæ Sarlat. & S. Amandi ab an. 1477. ad 1497. Nobilis Johan. de Ferrieres de la Brunia domicellus de Salva-beuf in parochia de Albacio, C amotis enſe & zona, capite diſcooperto, flexo genu & manibus complexis fecit *homagium-ligium & nobile* ante majus altare S. Amandi reverendo Heliæ Bonaldi abbati, more majorum, die 19. Aprilis 1479. Interfuit Helias die 21. Maii ſolemni pompæ ingreſſus Pontii de Salignac epiſcopi Sarlatenſis in urbem epiſcopalem, & in ejuſdem epiſcopi exſequiis miſſam ſolemnem celebravit 14. Octob. 1492.

VIII. Guillelmus Bonaldi 1504.

IX. Bertrandus Chatte 1514. die 4. Aprilis, ex chartis authenticis in biblioth. regia aſſervatis.

X. Amanevus d'Albret cardinalis, Johannis D regis Navarræ frater, præpoſitus generalis ordinis S. Ruft, de quo plura in tomo 1. novæ Gall. Chr. col. 1209. Obiit an. 1520.

XI. Arnaldus Fabri junior, abbas S. Amandi dicec. Sarlat. electus & confirmatus, abdicat ſe abbatiali præfectura in gratiam Alani de Ferrieres præpoſiti de Pannato, prioris de Bello-fonte & ſedis apoſt. protonotarii, retenta penſione annua 250. librarum Turon. an. 1524. die 9. Jan. ex charta authentica regiæ biblioth.

XII. Alanus I. de Ferrieres protonotarius apoſtolicus 1526. & 1531.

XIII. Alanus II. de Ferrieres junior 1554.

XIV. Ademarus de Ferrieres perpetuus commendatarius S. Amandi ord. S. Aug. dicec. Sarlat. E die 10. Aug. anni 1572. dat procuratori poteſtatem deponendi abbatialem dignitatem in manibus domini papæ ſub beneplacito Caroli regis in gratiam Johannis Arcanon presbyteri Petragoricenſis; qui tamen eam minime obtinuit, nam

XV. Ægidius de Noailles epiſcopus Aquenſis deſignatus, eam diu obtinuit, in qua anno 1564. erant prior, cantor, ſacriſta, operarius & viginti canonici Regulares. Memoratur anno 1594. in charta authentica bibliothecæ regiæ, ubi dicitur epiſc. Aquenſis, abbas S. Amandi in Petrocoriis, & Inſulæ

Digitized by Google

& Inſulæ in dioceſi Burdigal. Videtur autem quod nunquam epiſcopalem unctionem acceperit, ex ipſis verbis ejus teſtamenti; quæ hîc referre juvat: *Nous Gilles de Noailles nommé par le feu Roy, & confirmé par Sa Majeſté a preſent regnant, a l'eveſché d'Acqz, abbé de S. Amand & de l'Iſle, prieur de la Reole, archipreſtre de Gignac, conſeiller du Roy en ſes conſeils d'Eſtat & privé, honoré de pluſieurs ambaſſades & legations par les feux Rois*, &c. Hoc teſtamentum adſervatum in caſtro *de Coli*, condidit Ægidius in urbe Burdigala die 26. Aug. 1597. ibidemque obiit ſub finem ejuſdem menſis ejuſdemque anni, ut conſtat ex *proceſſu verbali* ad calcem teſtamenti ſubjecto; quare emendari debet quod ſcripſimus in Aquenſibus epiſcopis Sammarthanos fratres, & alios ſecuti, cum ſcilicet mortuum eſſe an. 1600.

XVI. Carolus I. d'Eſcars epiſcopus & dux Lingonenſis obiit an. 1614.

XVII. Carolus II. de Ferrieres de Sauve-bœuf ſuperioris nepos, abbas item Bezuenſis, ceſſit prioratum B. Mariæ de Challart ord. S. Auguſt. Carolo fratri ſuo 1625.

XVIII. Johannes de Ferrieres de Sauve-bœuf.

XIX. Henricus * de Longueval filius Leonardi & Margaritæ de Grenier, vicecomitatus Turenenſis, nominatur abbas ſancti Amandi die 15. Aug. 1706.

* de la Gaarde.

Caduïin.

CADUINUM.

CADUINUM ord. Ciſterc. filia Pontiniaci ſua primordia debet epiſcopo Petragoricenſi & capitulo S. Frontonis, qui an. 1114. territorium in burgo Caduini conceſſerunt, pro conſtruendo conventu monialium regulæ Fontebraldenſis; ſed Geraldus de Salis anno ſeq. a Roberto de Arbruſſello & Petronilla de Chemillé prima Fontebraldi abbatiſſa, locum præfatum dono habuit, qui tandem an. 1116. Henrici monachi Pontiniacenſis illuc ab Hugone ſuo abbate miſſi regimini ſe locumque tradidit. Ibi religioſe aſſervatur in area ferrea pendente e camera ſanctuarii, tribuſque catenis ferreis alligata, ſacrum Chriſti ſudarium a quodam ſacerdote Petragoricenſi illuc ex Oriente allatum, de quo venerabilis Beda lib. 3. de locis ſanctis, quod hodie fulget miraculis & a fidelibus undique confluentibus ibi mira devotione colitur. Porro ſacrum illud ſudarium ſuis approbant diplomatibus in archivo Caduini aſſervatis ſummi pontifices Clemens III. Innocentius VIII. Bonifacius VII. Julius II. Gregorius XI. Alexander IV. Clemens VII. &c. Ludov. XI. rex Franc. an. 1482. fundavit miſſam quotidianam in eccleſia Caduinenſi; dicitur & S. Ludovicus viſitaſſe S. Sudarium apud Caduinum an. 1269. Certe legimus autographa A. Anglorum reginæ, & Richardi filii regis Anglorum, ducis Aquitaniæ, comitis Pictavenſis, & Alphonſi regis Arragoniæ, ſed abſque nota temporis, in favorem monaſterii Caduinenſis ubi aſſervatur S. Chriſti ſudarium. Hiſtoriam S. Sudarii ſcripſit anonymus Caduinenſis, & proſtat Tutellæ edita a Johanne Dalvy 1682. Monſtratur & calix aureus in cujus pede hæc leguntur: *Calix civitatis Condomii oblatus ſancto Sudario, ut habitantes in ea præſerventur peſte.* Hæc ſufficiant de monaſterii dignitate; nunc juvat abbates recenſere.

ABBATUM INDEX.

I. HELIAS I. a B. Geraldo de Salis primus abbas, deſignatus legitur in charta Amelii epiſc. Toloſani anno 1127.

II. Geraldus reperitur abbas in charta Arnaldi Geraldi Burdegal. archiep. pro Faëzia, unde liquet hunc archipræſulem ſaltem annum 1127. attigiſſe. Anno 1135. a Boſone comite de Grancho jus obtinuit acquirendi quidquid poſſet in conſulatu Petragoricenſi. Idem anno 1137. in ſynodo Burdegal. locum impetravit a Petro vicecomite Caſtellionis, ad conſtruendum monaſterium in foreſta de Faëzia.

III. Willelmus I. cui Raimundus epiſc. Agathenſis an. 1139. permiſit ut cœnobium ædificaret in honorem B. M. in loco Vallis magnæ.

IV. Ramnulfus cujus tempore, anno ſcilicet 1154. ind. III. epacta XV. V. nonas Octob. die Dominica conſecratur eccleſia a tribus epiſcopis R*. Petragoric. Helia Aginn. Hug. Engoliſm. in honore D. noſtri Jeſu Chriſti, ejuſque ſanctæ genitricis ſemper virginis Mariæ, & omnium SS. Ramnulfo hujus eccleſiæ abbate exiſtente, Anaſtaſio IV. in apoſtolica ſede, in Bituricenſi P*. in Burdigal. G*. reſidente, L. Jeroſolymitano filio Ludovici filii Philippi in Francia regnante *, &c. Ramnulfus anno ſeq. 1155. Guidoni abbati Bonarum-Vallium monaſterium Vallis-magnæ ordinandum commiſit, ex quibus diſcimus primum abbatem Bonarum-Vallium priori littera ſui nominis G. deſignatum fuiſſe Guidonem.

* Ralmundo.

* Petro.

*Gaufrido.

* Ludov. VII.

V. Petrus I. 1179. ſub cujus regimine Grimoaldus de Limolio Caduinum venit, ſeculo abrenuntiandi cauſa, & dedit peciam terræ boariæ ſuæ, quæ vocatur campus Limolii, *in manus Petri abbatis.*

VI. Aimericus cui Henricus de Gontaut plura conceſſit in nemore Caduinenſi, an. 1190. teſtis legitur in charta Ricardi Angl. regis pro Silvamajore. Item memoratur 1191. & 1200. Præerat jam anno 1189. quo Ademarus de Bainac in manu ejus donavit quidquid juris vel dominii habere poterat in nemore Caduinenſi, indict. VII. concurrente VI. epacta I. VIII. cal. Martii, Luna III. Clemente papa S. R. E. præſidente, Philippo rege Franc. imperante, Ricardo filio regis Angliæ ducatum Aquitaniæ tenente, qui eodem anno in regno patris ſui ſucceſſit, & ducatum Normanniæ obtinuit, Henrico patre ſuo viam univerſæ carnis ingreſſo, Helia Talairandi Petragoricenſi conſule, in metropolitica Burdigalenſi Helia reſidente, Ademaro Petragorico præſule, anno a fundatione eccleſiæ Caduini ſeptuageſimo primo, a dedicatione ejuſdem eccleſiæ trigeſimo quinto. Cum vero inter abbates Pontiniacenſem & Caduinenſem vetus querela intercederet, Helias archiep. Burdeg. & Ademarus Petragoricenſis epiſc. ex delegatione ſummi pontificis, prece Arnaldi abbatis & venerabilis capituli generalis Ciſterc. & aſſenſu utri-

Digitized by Google

usque partis, abbatum scilicet Pontiniac. & Caduinensis, illam composuerunt, decernentes quod domus Caduinensis filia esset Pontiniacensis, tali tamen pacto quod ecclesia Caduinensis universas filias suas pacifice & libere possideret. Sunt autem hæ filiæ: abbatia Gondonii sita in diœcesi Agennensi, abbatia Fontis Guillelmi in diœcesi Vasatensi, abbatia Faisiæ in Burdegal. abbatia Bonævallis in Pictav. abbatia S. Marcellini Caturcensis, abbatia Ardorelli in Albigensi, & abbatia Clarianæ in diœcesi Elnensi, in lingua Occitana. Insuper statuerunt quod abbas Pontiniacensis tenetur facere per se & personaliter visitationem in domo Caduinensi. Acta sunt hæc in capitulo Caduinensi, Aimerico abbate & conventu ea approbantibus, & G. Pontiniacensi pro se & domo Pontiniacensi, IV. nonas Maii feria VI. anno M. CC. I. His autem solemniter gestis interfuerunt P. de Laubesc abbas de Silva-majori, R. de Siurac abbas de Sarlato, &c. De hoc abbate agit Innocentius papa III. in epistolis 146. & 147. libri 1. pag. 79. & 80. ac epistola 154. lib. 2. pag. 441. ad ipsum scripta est. Ex his autem discimus hunc abbatem pro reformatione sui monasterii sollicitum, multa passum esse a suis monachis proprium habere pertinaciter volentibus, aliisque vitiis laborantibus; qua de causa sedem apostolicam appellare & Papam adire coactus fuerat.

VII. Constantinus an. 1207. mansum de la Barda dono accepit a Martino Algais domino de Bigaroca & de Bicon, & ipsius conjuge filia nobilis viri Henrici de Gontaut. Eidem abbati Folio de Clarens canonicus S. Frontonis, Armandus & Leo de Clarens fratres, Willelmus Seguini de Clarens miles, &c. plura concedunt an. 1208. Iterius de Pestillac etiam munificum ei se præbuit, an. 1208. & ab eo habitum religionis suscepit. Item anno 1215. Petrus Joglars, seipsum, cum domo sua & omnibus terris in capitulo Caduini in manu Constantini abbatis tradidit. Vivebat adhuc Constantinus an. 1223. imo fortasse 1226. quo nimirum C. abbas reperitur in chartulario Dalonis.

VIII. Stephanus I. 1247.

IX. Helias II. 1257.

X. Guillelmus II. Bernardi 1264. 65. 71. quo anno 12. Julii transegit cum Guillelmo de Fayole priore S. Aviti senioris. Præerat etiam an. 1285.

XI. Raimundus ab an. 1285. ad 1292. Pepigit an. 1289. 12. Aug. cum Helia Fabri priore S. Aviti senioris.

XII. Galterius d'Estissac Caduinensis monachus abbatiam regebat an. 1299.

XIII. Guillelmus III. Roberti 1300.

XIV. Petrus II. de Bayonne 1305.

XV. Petrus III. de Conchis 1320.

XVI. Petrus IV. de la Cropte e nobili familia de Lanquais, 1332.

XVII. Hugo 1337. 48. & 59. Is est fortasse Hugo Tuebuef ita commemoratus in necrol. eccl. Æduensis: *v. cal. Decemb. obiit Hugo Tuebuef felicis memoriæ canonicus Eduensis & abbas Cuiduni.*

XVIII. Geraldus de Bonafon 1388.

XIX. Bertrandus de Molinis 1392. & 1399. Hic tempore belli Aquitanici & schismatis veritus ne S. Sudarium a suo monasterio auferretur, clausum illud Tolosam transtulit, & de consensu capituli S. Stephani apud ecclesiam de Tauro reposuit, juxta quam cum monachis suis habitavit pretiosi pignoris invigilaturus custodiæ. Nec tamen postea facile recuperavit. Vix enim post multas legationes ad Rom. pontificem & ad Regem, multasque querelas ex parte monachorum Caduinensium, jubente Ludovico XI. redditum est sacrum depositum; ex tabul. Sarlatensis eccl.

XX. Fortius Fabri 1404.

XXI. Jacobus I. de Lanis 1414. cessit anno 1431.

XXII. Johannes I. Boscherii, *al.* Boherii, Petrum Libaudi electum in abbatem Ardorelli confirmavit anno 1450.

XXIII. Jacobus II. de Lanis idem fortasse qui supra, de quo narratur quod propter senectutis incommoda, in manu legati apostolici retenta sibi pensione abdicarit; qui legatus Petrum de Grano, melius *de Gain*, abbatem monasterii de Bullio instituit abbatem Caduini; tumque hanc cessionem & institutionem ratam habuit capitulum generale ord. Cisterc. an. 1456. die 14. Sept.

XXIV. Petrus V. de Gain 1455. Resignavit nepoti cognomini, cujus erat vicarius generalis 10. Novemb. 1475. & 10. Febr. 1476. sepulcrum ejus elevatum cernitur in collaterali parte Evangelii, cum hoc epitaphio: *Hic jacet frater Petrus de Gain senior abbas hujus monasterii, in cujus tempore recuperatum fuit sanctissimum Sudarium videlicet die x. mensis Junii an. Dom. 1463. de manibus reverendi in Christo patris Dom. Petri de Combornio Ebroïcensis episcopi administratoris Obasinæ. Anima ejus requiescat in pace.* Ad hæc vero circiter tempora videtur referendum hoc instrumenti Caduinensis fragmentum..... *Et quoniam domus Caduinensis in medio pravæ nationis est posita, & propter terræ sterilitatem & pravorum hominum assiduitatem tam in operibus suis quam in aliis necessitatibus a Christi fidelibus subsidia petere consuevit, indulgemus pie & salubriter fratribus dictæ domus ut eisdem petere liceat eleemosynas pro necessitatibus & inopiis sibi instantibus relevandis*, &c.

XXV. Petrus VI. de Gain patruo cedente regimen obtinuit 1471. 1473. 75. & 76.

XXVI. Johannes II. * Bonneau professus Caduini, electus est abbas 8. Jan. 1504. Reperitur & anno 1506. * *al.* Petrus.

XXVII. Gaudefridus d'Estissac episc. Malleacensis, primus abbas commendat. 1516. abbas etiam Cellæ Pictavensis 1520.

XXVIII. Henricus I. d'Escoubleau, postea episcopus Malleacensis.

XXIX. Odetus de Bretagne 1544. & 1547.

XXX. Alanus de Bretagne 1556.

XXXI. Guillelmus IV. Farfal abbas Cadoëni 1557. ex charta Obasinæ.

XXXII. Jacobus III. Sa 1558.

XXXIII. Stephanus II. de Gontault 1566.

XXXIV. Petrus VII. Martin perſonatus abbas &, ut aiunt, confidentiarius 1578. Obiit 1590. poſt cujus deceſſum vacavit abbatia 12. annis.

XXXV. Hieronymus Philippe eodem modo & titulo abbas, uti tres qui ſequuntur, 1603.

XXXVI. Gabriel Martel 1604.

XXXVII. Claudius Ramade 1606. & 9. Febr. 1612.

XXXVIII. Petrus VIII. Noaillis 1612. Sub his quinque ultimis domus de Badafol abbatiæ bona uſurpabat.

XXXIX. Henricus II. de Bethune epiſc. Malleacenſis 1621. & poſtea Burdigal. archiep. abbatiam tanquam beneficium caducum conſequitur 1630. quam deinde permutavit.

XL. Jacobus IV. des Aigues decanus Burdigal. 1642.

XLI. Joſephus * de Secondat de Monteſquieu bullas accepit an. Dom. Incarn. 1652. calend. Octob. pontificatus domini papæ anno octavo. Poſſeſſionem vero adeptus eſt XI. Julii 1654. Permutavit cum ſequenti.

* Illum vocamus *Ignatium de Monteſquieu* t. 1. novæ Gall. Chr. pag. 1222. E.

XLII. Ludovicus d'Arodes vir pius & doctus, abbas regularis Fontis-Guillelmi, & vicarius generalis ordin. Ciſterc. ex permutatione Caduinum poſſidet 1660. Obiit Burdigalæ 2. Apr. 1666. ſepultus in parochia S. Petri, poſtquam multis pro ſuo monaſterio, quod reformavit, laboribus perfunctus eſt.

XLIII. Petrus IX. Mary profeſſus Ciſtercii, prior abbatiæ de Barbello, & viſitator monaſteriorum ſtrictioris obſervantiæ, a Rege nominatus eſt 16. Apr. 1666. Eccleſiam & monaſterium egregie reparavit, unde ſui magnum reliquit deſiderium anno 1696. quo univerſæ carnis viam ingreſſus eſt 5. Martii.

XLIV. Thomas de Lord de Serignan abbas commend. 24. Apr. 1696.

Hoc in catalogo locum non dedimus cuidam abbati e gente de Salignac apud Petragoricenſes nobiliſſima, quem præfuiſſe indicant ejus ſtemmata gentilitia ſpectabilia in ea parte clauſtri ubi fiebat ſacra lectio ante Completorium; at nullibi nomen hujus abbatis reperimus, aut quo tempore vixerit detegere potuimus.

ADDENDA HUIC TOMO.

COL. 435. Johannes Gouge de Charpagnes, pronepos Martini Gouges epiſcopi Claromontenſis, reponendus in ſerie archidiaconorum S. Flori ad an. 1440. Sepultus eſt apud Veteres Auguſtinianos Pariſienſes.

Col. 506. inter S. Ceſſatorem, & Ebbonem dandus eſt locus Roricio epiſc. hucuſque incognito, qui memoratur in charta Cariſſimæ, quam habes inter inſtrum. col. 177. his verbis: *Facta eſt ordinatio.... Septembri veſano Childerico de regali ſede ejecto, atque Pipino rege piiſſimo a Francis in eodem regno pro eo conſtituto; ac Lemovicam totamque Aquitanicam duce Gaifero imperante, necne Roricio præfatam Lemovicam præſidente unde epiſc. a Dom. præelectus erat. Signum Cariſſimæ... ſignum Roricii Lemovicenſis ſedis epiſcopi.*

Col. 545. G. Roberti decanus Lemovic. & P. de Veyrac præpoſitus & archid. anno 1198. teſtes in tranſactione inter canonicos S. Juniani & Fulconem de Goyette. Hunc decanum ordine XV. poſuimus.

Ibid. Helias Durets, XXII. decanus obiit anno 1268. ejuſque exſequiis adfuerunt S. Martialis monachi.

Col. 727. ad Johannem III. Anicienſem epiſc. adde: Obiit die feſto S. M. Magdalenæ an. 1361. ex cameræ comput. Pariſienſis commentariis, in quibus legitur officiales regios ſeneſcalliæ Bellicadri & Nemauſi manum regiam appoſuiſſe ſuper bona temporalia ſedis epiſcopalis Anicienſis propter mortem epiſcopi, qui obierat die & anno a nobis indicatis. Anno ſequenti manum regiam removent præfati officiales, quia ſucceſſor Johannis fidelitatis juramentum Regi præſtiterat die 22. Aprilis an. 1362. ex ejuſdem anni computis in prædicta camera comp.

Col. 730. in Itherio epiſc. Anic. tempus mutatæ ſedis aſſignandum inter 24. Martii, & 21. Apr. ſequentis, ex cameræ comput. commentariis.

Col. 733. in Johanne Borbonio notavimus ad calcem, quid opponat J. Columbi, ſententiæ de tempore mortis hujus præſulis. Eam autem confirmat manus regiæ appoſitio ad bona temporalia ſedis epiſcopalis, in qua legimus Johannem de Borbonio die 2. Dec. obiiſſe an. 1485.

Ex cam. comp. in computo 1486. de domanio regio ſeneſcalliæ Bellicadri.

1025. In decanis Engol. adde P. Roſſignol 1216. de quo vide in Ramnulfo de Las Tours ad an. 1216. & in abbatibus S. Martialis in Hugone II. col. 561.

1115. Poſt Stephanum abb. XI. ponendus Fulcaudus de quo col. 1369. in Rainaldo abbate Malleacenſi.

1492. Ex ſchedis D. Jac. Boyer, an. 1274. domnus Petrus abbas Brantoſmenſis, & miniſter monaſterii S. Marini Papienſis obiit.

Poſt obitum Bernardi de Malo-monte, electus eſt in abbatem Brantoſmenſem Fr. Guillelmus Gumbaudi an. 1309. menſe Auguſti; quo vel defuncto, vel abdicante, aut cedere coacto, menſe ſequenti electus legitur Fr. Petrus Rollandi, forte idem ac Petrus de Relhac.

INSTRUMENTA

Digitized by Google

INSTRUMENTA
AD TOMUM II.
GALLIÆ CHRISTIANÆ
IN PROVINCIAS ECCLESIASTICAS DISTRIBUTÆ
SPECTANTIA.

QUÆ PERTINENT AD PROVINCIAM BITURICENSEM.

Eccleſiæ metropolitanæ Bituricenſis inſtrumenta.

I.

Epiſtola Hadriani papæ I. ad Carolum-magnum, qua concedit Ermemberto Bituricenſi archiepiſcopo uſum pallii.

DOMINO excellentiſſimo filio, noſtroque ſpiritali compatri, CAROLO regi Francorum & Langobardorum, atque patricio Romanorum, Hadrianus papa. Directus a regali potentia veſtra reverentiſſimus & ſanctiſſimus vir, ſcilicet ERMEMBERTUS epiſcopus, noſtriſque adpræſentatus apoſtolicis adſpectibus, obtulit nobis præcelſæ excellentiæ veſtræ ſagaciſſimos, atque honorabiles regales affatus; quos cum nimio amplectentes amore, Regi regum, in cujus poteſtate ſunt omnia regna mundi, gratias egimus, qui nos de veſtra inclyta ſoſpitate lætos crebro efficit, eo quod vos per hujus mundi regna, cœleſtia magis ambire, atque hereditare concedit, per B. Petrum apoſtolorum principem de ſævitia adverſariorum triumphantes. Reperimus quippe in ipſis regalibus affatibus veſtris, ut prælibato ERMEMBERTO epiſcopo pallium ſacerdotalibus infulis decoratum ex apoſtolica auctoritate concederemus: quia civitas metropolis in Aquitania videtur eſſe patria, quæ Bituricas nuncupatur, ubi nunc præfatus venerabilis vir præeſſe dinoſcitur, curamque paſtoralem devotus exercere videtur. Quatenus ignorantes, ſi canonice in provinciæ partibus illis jam ordinatus tam a prædeceſſoribus noſtris, quamque a nobis fuiſſet, enucleatius eum indagari curavimus, ne uſurpationis locus aliquis ſacerdotibus in alterius jure concedatur. Qui præfatus ſanctiſſimus vir nobis confeſſus eſt, ut ſub nullius archiepiſcopi juriſdictione eſſe videretur. Quapropter pro nimio veſtro regali ex intimo cordis amore, prædicto Ermemberto, a noſtra apoſtolica ſacratiſſima ſede atque auctoritate archiepiſcopo conſtituto in metropolitanam civitatem, quæ Bituricas cognominatur, ſicut dudum mos exſtitit, ſub jure ſanctæ Romanæ eccleſiæ degenti, uſum pallii conceſſimus fruendi. Et ideo quæſumus, ut per veſtrum præcelſum regale adminiculum, miniſterium ſibi commiſſum digne ſibi valeat & canonice diſpenſare, ſacerdotali moderamine ſuſcipiente affectum: ut dum plebs ſibi conceſſa ab inſidiatoribus inconvulſa atque intacta permanſerit, ſimulque a veſtro regali culmine tuta fuerit, ab ipſo clavigero regni cælorum beato Petro apoſtolo dignam mereamini ſuſcipere retributionem: ut una cum excellentiſſima & ſpiritali filia domna regina, veſtraque præcelſa ſobole, redemptor omnium Deus, longo ac proſpero ſenio amplius exaltati regni gubernacula faciat perfrui, & vitam æternam pariter vobis tribuat poſſidendam. Incolumem excellentiam veſtram gratia ſuperna cuſtodiat.

II.

Litteræ formatæ Ebroini Bituricenſis archiepiſcopi ad Magnonem Senonenſem pro Dodoberto presbytero.

SAncto & Deo amabili Magnoni, dono Dei archiepiſcopo ex Senonica urbe, ego in Dei nomine Ebroinus dono Dei archiepiſcopus ex Biturige urbe, in Domino J. ſalutem vobis optamus in perpetuum. De cetero notum facimus ſanctitati veſtræ, quia iſte præſens preſbyter, nomen Dodobertus, parochianus noſter, in noſtra diœceſi natus, & ſacras litteras edoctus ſit, eumque ad ordinem ſacrum promoveri juſſimus. Poſtea vero petiit a nobis licentiam ut in veſtra parochia, apud hominem aliquem nomine Harchambaldum manere poſſit. Nos vero petitionem illius non denegavimus; niſi licentiam illi dedimus, quia ſcimus quod de bene liberis hominibus ortus ſit. Unde has litteras commendatitias more eccleſiaſtico factas ad ſanctitatem veſtram miſimus, ut ſcire valeat Deo digna caritas veſtra, eum nec fuga lapſum, nec ſua malitia a nobis ejectum, ſed noſtra voluntate deſtinatum. Et ut certius credatis, Græca elementa quæ octogenarium quadringinteſimum & primum numerum exprimunt in primis adnexuimus Π. Petri quoque nominis primam litteram ſumptam in medium adſcribere rogavimus. Nihilominus etiam parvitatis noſtræ nominis primam litteram Ε. magnitudinis veſtræ ſecundam litteram Α. iſtius fratris tertiam litteram Δ. civitatis noſtræ quartam Τ. & in quartam adjunximus. Adjunximus nonagenarium & nonum numerum, id eſt ϟ. & Θ. & inſequenter impreſſione ſigilli noſtri ſubter firmavimus, ex manu propria eam roboravimus, & a clericis noſtris roborari juſſimus. Actum in anno X. imperii Domini noſtri Caroli, & anno XLIII. regni ejus in Dei nomine feliciter. Amen.

III.

Johannis archiepiſcopi litteræ, de tranſlatione reliquiarum S. Aygulfi archiepiſcopi.

JOhannes permiſſione divina Bituricenſis archiepiſcopus, Aquitaniæ primas, univerſis præſentes litteras inſpecturis ſalutem in Domino. Noveritis quod nos anno Domini MCCLXIX. die Dominica qua cantatur *Miſericordia Domini* & eſt dies XVI. Aprilis, anno .... corpus B. Aygulphi martyris tranſtulimus in eadem eccleſia ſancti, de quodam ſarcophago lapideo retro majus altare dictæ eccleſiæ, in quo diu requieverat, in præſentem capſam ligneam, præſentibus nobis cum religioſis viris Millebeccenſis Caſalis-Benedicti & de Sellis S. Euſicii abbatibus, & no-

bili domina Agnete Caſtri-Radulfi & aliis bonis viris. In cujus rei teſtimonium ſigillum noſtrum una cum ſigillis dictorum abbatum & dominæ prædictæ præſentibus litteris duximus apponendum. Datum anno & die prædictis.

Hanc ſchedulam in capſa S. Aygulfi anno 1623. dum viſitationis officium exercebat, reperit dominus Rolandus Hebert archiepiſcopus Bituricenſis.

IV.

Charta fundationis abbatiæ Veterinenſis, auctore S. Rodulfo Bituricenſi archiepiſcopo.

EGo in Dei nomine Rodulphus primæ ſedis epiſcopus, per hoc teſtamentum, Dominum ſalvatorem omnium mihi hæredem de quibuſdam proprietatis meæ rebus eligo, quæ ſunt in pago Caturcino in vicaria Caſiliacenſe, Sarrazinicum ſcilicet, cum eccleſia S. Geneſii martyris. Necnon & in alio loco in orbe Lemovicino, in vicaria Aſnacenſe caſam noſtram dominicatiam ſuper fluvium * Sordoiram ſitam, cujus vocabulum eſt Veterinas, cum manſis ad ſe pertinentibus & utriuſque ſexus mancipiis ibidem commanentibus; quantumcumque in prædictis locis noſtris cernitur eſſe poſſeſſio; & omnia quæ mea genitrix Aygua, per teſtamenti cartulam mihi conceſſit, Domino offero, & Silvio abbati contrado; ita duntaxat ut idem Silvius, una mecum in Veterinas, monachorum ſub regula S. Benedicti degentium, in honorem Dei ſalvatoris noſtri, & beatorum apoſtolorum Petri & Pauli, & omnium apoſtolorum, S. Laurentii, Sebaſtiani, Dionyſii, Mauricii & cunctorum martyrum: Hilarii, Martini, Martialis, Eligii, Auſtrigiſili, Sulpicii, Benedicti & univerſorum confeſſorum; ut ibi ſub vera religione degentes, pro remiſſione meorum peccatorum, & perceptione vitæ æternæ præmio, & pro piæ recordationis nomine genitoris mei Rodulfi jugis oblatio fiat. Pro parentum etiam noſtrorum, tam pro præteritis quam præſentibus & futuris erratibus, necnon pro catholicæ & univerſalis eccleſiæ ſtatu, ſedulis precibus divinam miſericordiam implorare decerent. Quinetiam huic teſtamento inſeri placuit, ut quandiu ego & præfatus Silvius vixerimus, noſtrorum diſpoſitione communique regimine ibidem Deo famulantes conſiſtant &c. Rodulphus primæ ſedis epiſcopus huic teſtamenti chartulæ ſubſcripſit. S. Aiguæ. S. Landrici. Datum menſe Martio anno * 1. Caroli regis. Actum Condato villa.

* Sordoire.

* *Primo poſt mortem Ludovici paſſim.*

V.

Pipinus junior Aquitaniæ rex dat S. Rodulfo Biturigum archiepiſcopo Villas Cameriacum, Daniliolas &c.

PIPINUS Dei gratia rex Aquitanorum, &c. Notum ſit omnibus fidelibus ſanctæ Dei eccleſiæ, & noſtris præſentibus atque futuris, quia petiit manſuetudini noſtræ Rodulphus venerabilis Bituricenſis archiepiſcopus, ut ſibi de quibuſdam rebus noſtræ proprietatis concederemus, atque in ejus jus & dominationem, libertatis noſtræ gratiam conferre dignaremur. Concedimus itaque eidem venerabili epiſcopo ad proprium, quaſdam res juris noſtri, quæ ſunt ſitæ in comitatu Lemovicino, villas nuncupatas Cameriacum, ſive Daniliolas, in vicariis Nacenſium, ſive Uſcenſium, cum omnibus apendiciis. Unde & hoc authoritatis noſtræ præceptum eidem fideli noſtro Rodulpho venerabili epiſcopo fieri ac dari juſſimus, per quod prædictas villas, cum omni integritate, id eſt cum domibus, ædificiis, vineis, tertis cultis & incultis, ſilvis, pratis, aquis, aquarumque decurſibus, exitibus & regreſſibus, & cum mancipiis ibidem commanentibus vel pertinentibus condonamus atque transferimus. Et ut obtineat hæc noſtra largitio authoritatis firmitatem, annulo noſtro ſigillari juſſimus. S. Pipini præcellentiſſimi regis. Data III. Idus Januarii Indictione XI. anno decimo * regnante Pipino inclyto rege. Actum Bituricis in Dei nomine. *

VI.

Præceptum Caroli Calvi imperatoris pro abbatia Belli-locenſi datum petente Frothario Bituricenſi archiepiſcopo.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, Carolus gratia Dei imperator auguſtus &c. Notum ſit omnibus, quia complacuit clementiæ ſerenitatis noſtræ, ad deprecationem Frotarii Bituricenſis archiepiſcopi, & dilecti nobis Gayrulphi monaſterii Belliloci abbatis, quod eſt in honorem beati Petri conſtructum, ubi requieſcit corpus ſanctæ Felicitatis martyris Chriſti, quod eſt ſitum in pago Torinenſi, ſuper fluvium Dordoniæ, de quibuſdam noſtræ proprietatis rebus jam dicto abbati ſuiſque ſucceſſoribus, necnon & monachis ibidem Deo famulantibus, tam præſentibus quam futuris honorate ſtipendiis & uſibus eorum: quæ ſiquidem res ſunt ſitæ in comitatu Lemovicino, in villa Exandonenſe, ſecus fluvium Viſeræ &c. Ut autem noſtræ authoritatis largitio majorem obtineat firmitatem vigoris, manu noſtra eam ſubter firmantes, annulique noſtri impreſſione aſſignari juſſimus. Carolus. S. Caroli glorioſiſſimi imperatoris auguſti. Data III. Idus Julii Indict. VIII. anno XXXVI. regnante Carolo glorioſiſſimo imperatore, & in ſucceſſione regni Lotharii anno VI. imperii autem ejus anno I. Actum Pontioni palatio imperiali in Dei nomine feliciter. Amen.

VII.

Præceptum Carlomanni regis Francorum pro eodem cœnobio ad ejuſdem Frotharii archiepiſcopi petitionem.

KARLOMANUS gratia Dei rex. Noverint qualiter accedentes venerabiles viri ad noſtræ altitudinis clementiam, Frotarius archiepiſcopus Bituricenſis, necnon & Garulfus Belli-loci monaſterii abbas, innotuerunt quomodo quondam Rodulfus ejuſdem primæ ſedis archiepiſcopus, in ſuæ proprietatis rebus in pago Lemovicino ſitis, monaſterium in honorem B. Petri principis apoſtolorum quod dicitur Bellilocus conſtruxit, & inibi monachorum Deo famulantum pro ſua abſolutione peccatorum conſtituit. Denique ſubmiſſus noſtræ ſerenitatis clementiæ, humili poſtulaverit prece, ut idem monaſterium, ſub noſtræ tuitionis mandiburdo ac munimine defenſionis, cum rebus omnibus & mancipiis ad eundem locum pertinentibus, recipere dignaremur, &c. Quorum preces rationabiles eſſe intelligentes, hoc noſtræ altitudinis ſcriptum fieri juſſimus, per quod monaſterium cum abbate Garulfo & monachis, cum eccleſiis, & utriuſque ſexus mancipiis, terris cultis & incultis, omnibuſque ad monaſterium jure pertinentibus, ſub noſtræ defenſionis, ac tuitionis mandiburdo recepimus, &c. Statuimus præterea ut ex ſeſe poſt Garulfum ejuſdem loci abbatem eligendi habeant poteſtatem, &c. S. Karlomani glorioſ. reg. Norbertus notarius poſt obitum magiſtri ſui Wlfardi juſſione Reg. Datum XVIII. Ka-

* Pipinus I. rex Aquitaniæ mortuus eſt menſe Januario anni 838. a quo anni regni Pipini junioris ejus filii computantur. Itaque decimus annus regni Pipini ſecundi, eſt Chriſti 848. Hunc annum quoque deſignat indictio undecima.

Digitized by Google

lend. Julii, anno IV. regni Karlom. glorioſiſſ. reg. A Indict. XV. Actum apud Lipciacum villam Andegavenſem.

VIII.

Concambium factum inter congregationes ſancti Martini & S. Juliani cujus Frotharius archiepiſcopus abbas dicitur.

CUltum omnimodis tenetur, &c. Igitur placuit, atque omnimodis congruum & oportunum extitit, ut prædia diverſa, fundoſque per plurima conſiſtentes, congregationes præſtantiſſimi confeſſoris Chriſti S. Martini Turonum præſulis, & S. Juliani martyris, * Brundenſis quidem monaſterii, per con- B ſenſum & promptiſſimam etiam voluntatem Odonis inſignis prælibatæ S. Martini congregationis abbatis, necnon & Domini Frotharii clariſſimi archiepiſcopi Bituricæ civitatis, & venerabilis abbatis prænominatæ fraternitatis, ſcilicet S. Juliani martyris, inter ſe pro communi compendio commutare deberent, quod & fecerunt. Dedit igitur congregatio venerabilis martyris S. Juliani Brundenſis monaſterii, conſentiente & cooperante ſanctiſſimo archiepiſcopo præſcriptæ urbis, & præclariſſimo abbate ejuſdem congregationis domino Frothario, parti S. Martini ſuæque congregationi quaſdam villas ſitas in pago Bituſico in vicaria Cortininſe, nuncupatas Balneacum, & vineas cum omnibus rebus ad ipſas pertinentibus, ſcilicet cum terris cultis & incultis, inquiſitis & adinquirendis, curtiferis, ædificiis, mancipiis, vineis, ſilvis, C pratis, paſcuis, aquis, aquarumque decurſibus, mobilibus, & immobilibus, & omnibus appendentiis, totum & ad integrum, de ſua poteſtate & dominatione, in jus & poteſtatem ſuperius nominatæ congregationis S. Martini, & ejuſdem abbatis Odonis tradidit; ita ut ab hodierna die, & in reliquum, quidquid facere voluerint, & firmiſſimam in omnibus habeant poteſtatem. E contra dedit congregatio prælibati patris D. Martini, per conſilium Odonis abbatis partibus S. Juliani martyris, ſuæque congregationi Brundenſis monaſterii, villas ſitas in pago Arvernenſi, & Tolorinſe, quarum una Marciacus ſita in pago Arvernenſi, cum reliquis villis ſibi adjacentibus; altera vero, Dronius videlicet in pago Tolo- D rinſe, cum aliis ad ſe pertinentibus, quas per præcepta regalia ſibi delegatas habebant, ad eorum quidem calceamenta cum terris cultis & incultis, &c. ad integrum in poteſtatem prædictæ congregationis, & ejuſdem abbatis Frotharii tradidit, ut libero dominio omnes res prædictas perpetuo poſſideant. Hæc quidem ſibi invicem pars parti tradiderunt, ut faciat quæque congregatio ex rebus quas accepit, quidquid voluerit. Pars S. Martini eas res quas charta commutationis ſibi vindicavit, &c. pars S. Juliani rurſus res quas ſpontanea voluntate commutavit, perpetuo poſſideat, lege eadem qua alias res ſibi ſubditas regit & poſſidet. Si vero, quod nullatenus fieri credimus, fuerimus nos ipſi, aut aliqua intromiſſa perſona, quæ contra has permutationes uno tenore conſcriptas, venire aut aliquam calumniam generare præ- E ſumpſerit, ſolidos auri ad purum excocti D. coactus exſolvat. Sed hæ commutationes firmæ & ſtabiles omni tempore permaneant. Frotharius quamvis indignus epiſcopus, atque abbas S. Juliani martyris, hanc commutationem a me factam recognovi, & ſubſcripſi. Caſtellanus præpoſitus, Hildegarius decanus, Gerardus archiclavis. Data in menſe Maio anno VI. in Italia, & in Francia IV. & in Gallia II. regnante ſereniſſimo & piiſſimo imperatore Karolo.

* *Legendum forte* Brioudenſis, *vel potius* Brivatenſis. *Infra eadem correctio facienda dubii in loco.*

IX.

Frotharius archiepiſcopus Bituricenſis dat Belloloco villam Orbaciacum.

EGo in Dei nomine Frotarius Bituricenſis eccleſiæ archiepiſcopus, tactus divina inſpiratione pro amore Dei, & veneratione Petri apoſtoli Belliloci, necnon pro anima Regimundi, filiorumque ejus Bernardi, & Odonis, atque Arberti, ut in expiationem proveniant noſtrorum delictorum, cedo ſtipendiis fratrum ibidem Domino famulantium, res meas, quas de Odone comite comparavi, quæ ſunt ſitæ in comitatu Lemovicino in villa Exandonenſe, hoc eſt villa quæ vocatur Orbaciacus cum vineis, pratis, terris, paſcuis, aquis, aquarumque decurſibus, ſecus fluvium Viſeram, cultis & incultis, necnon & mancipiis utriuſque ſexus deſuper commanentibus, & omnibus de jure adſpicientibus, cum pleniſſima integritate volo ibi per cuncta eſſe indultum atque condonatum. Petimus namque ab abbatibus & prælatis hujus ſanctiſſimi loci, ut annis ſingulis fratribus inibi Domino famulantibus, ob noſtri memoriam refectionem exhibeant. Poſt funus quoque noſtrum, in die depoſitionis noſtræ idipſum depoſcimus adimplere. Iterum petimus annuatim ex ſupradictis rebus, cuſtodi eccleſiæ vini modii x. tribuantur, unde ſacrificium quotidie Domino offeratur. Licet namque in ceſſionibus pœna minime ſit inferri neceſſaria, nobis quoque pro firmitatis ſtudio placuit inſerere, quod ſi nos ipſi, aut ullus de noſtris hæredibus ceu quælibet ulla immiſſa perſona, quæ contra hanc meæ mentis donationem quam ſana mente integraque fide decrevi, vendere aut eam refragare præſumpſerit, primo ex virtute ſancti Spiritus, & noſtro miniſterio eum innodamus, & ſecundum ſæculi auri lib. V. argent. lib. XX. componere cogatur, ſuaque repetitio nullum obtineat effectum. Quod ſi in talibus perſeveraverint, iram Trinæ majeſtatis incurrat, & cum S. Petro in extrema judicii die ratiocinaturus veniat, niſi ante confeſſionem & emendationem venerit. Et ut ceſſio firmiorem obtineat ſtabilitatem, eam ſubter firmavimus. S. Frotarius ſanctæ Bituricenſis eccleſiæ epiſcopus ſignavit. S. Hecfridus Pictavenſis epiſcopus, Wilelmus Cadurcenſis epiſcopus. S. Adolenus abb. D. hanc ceſſio cartulæ in Auguſto, anno IV. imperante Carolo III. in Galliis. S. Adrabaldus levita. S. Rainulfus. S. Adraldus, Carolus, Joſeph, &c.

X.

Charta fundationis prioratus S. Vincentii de Cantella.

NOtum eſt in toto orbe terrarum &c. Idcirco ego Airaldus, conſentiente uxore mea Rothilde, in nos reverſi, cogitavimus de Dei timore & gehennis ignis: & ut pius Dominus nobis, omnibuſque parentibus noſtris tribuere dignetur veniam in die ultima, decernimus conſtruere monaſterium ad E quandam eccleſiam quæ in honore beati Vincentii martyris quondam fundata eſt in Chriſti amore, pro cujus nomine cuncta * jubentur facere, optantibus quoque conſanguineis noſtris, ſeu vicinis Cantellenſi pago degentibus. Eſt autem prætitulata eccleſia ſita in pago Biturigo jam dicto, in confinio Arvernenſi, ſuper fluvium qui dicitur Bubula, quam fundimus B. Petro principi apoſtolorum, necnon Vitrado præpoſito, ceteriſque canonicis Evahonenſis cœnobii ſub eo degentibus trado, ad conſtruendum cœnobium, quatenus illic ſanctus canonicalis ordo releveur, & indeſinenter ſit conſtitutus. Quocirca, ut ſupra diximus, eccleſiam cum omnibus rebus ad ipſam pertinentibus, prædicto præpoſito & canonicis tradimus,

* jubemur

&c. Peracta eſt charta vel editio iſta VII. Kalend. Aprilis, anno ab Incarnatione Domini DCCCXXXVI.

a Indictione VI. anno VIII. regnante Ludovico Francorum & Aquitanorum rege. S. Gerunti archiepiſcopi Bituligenſis. S. Turpionis epiſcopi Lemovicenſis. S. Arnoldi epiſcopi Arverni. S. Odonis abbatis. S. Emerici abbatis. S. Walonis abbatis. S. Guidonis comitis Borbon. S. Guillelmi comitis. S. Alberti. S. Hildegarii vicecomitis.

XI.

Letgardis cum filiis ſuis Hugone archiepiſcopo Bituricenſi, Odone comite Carnotenſi, Emma comitiſſa Pictavienſi, multa dat monaſterio S. Petri in Valle.

MIrabiliter laudabilis, & laudabiliter ſemper mirabilis provida diſpenſatio &c. Ego Ledgardis inſtinctu divino ammonita, propoſui in cordis mei ſecretario, quatinus de prædiorum meorum poſſeſſionibus, hæreditariam facerem ſanctam Dei eccleſiam. Ergo tam pro meis criminibus veniam impetrandis, quam pro nobiliſſimi ſenioris mei, atque glorioſi comitis Tetbaldi, ut utriſque Dominus indulgere dignetur omnium remiſſionem peccatorum, conſentientibus omni honore digniſſimis, archipreſule ſcilicet Hugone, & excellentiſſimo comite Odone filiis meis, cedo ad locum S. Petri Carnotenſis, eccleſiam in honore apoſtolorum principis clavigerique regni cælorum Petri conſecratam, in loco, qui dicitur vulgariter Gizet, cum villa eodem vocabulo dicta Gizei *, cum manſis XVI. cum terris cultis & incultis, hoſpitiis, pratis, vineis, aquis, aquarumque decurſibus. In alio quoque loco quamdam poteſtatem vocabulo Fontenedum, * cum eccleſia in eadem poteſtate poſita, & omni integritate &c. item in alio loco, in alia villa, quæ lingua ruſtica nominatur Limais, * quantumcumque ad me videtur pertinere. Sunt autem præfatæ res in pago Wilcaſino ſuper fluvium Sequanæ; hæc omnia, ut præſcriptum eſt, trado, & traditum eſſe volo in perpetuas æternitates. Si quis vero contra hanc donationem noſtram, quod abſit, venire, aut eam infringere tentaverit, aut aliquam inferre calumniam, Domini omnipotentis indignationem incurrat &c. Ut autem hæc donatio inviolabilem obtineat firmitatem, manibus propriis eam firmavimus, & fidelium noſtrorum manibus roborandam decrevimus. In calce quoque hujus ſcripturæ intimare voluí, quia ſicut pro anima mea, omnia præfata Chriſto & B. Petro apoſtolo, monachis famulantibus in eorum uſus conceſſi, ita pro anima patris mei Heirberti Trecaſſini comitis, qui mihi præfatas res in hæreditatem dedit atque conceſſit. Odo comes, Hugo ſanctæ Bituricenſis eccleſiæ archiepiſcopus, Odo Carnotenſis præſul, Ledgardis comitiſſa quæ hæc largita eſt, Emma comitiſſa Pictavæ urbis, Landricus, Hilgaudus, Suggerius, Rotrocus, Arduinus, Hucbertus, Fulcherius, Tendo, Witgerius, Erembertus, Hugo de Aloia, Gelduinus, Aveſgaudus, Iſaac. Huic maternæ donationi idcirco ego Hugo primorum primus archipreſul, & Odo comes ditiſſimus aſſenſum præbuimus, ut quotidie, exceptis feriatis diebus, Pſalmus nobis a fratribus prænominati loci, *Inclina Domine aurem tuam* decantetur; & memoria noſtri aſſidue fiat in officiis matutinalibus, quamdiu ſuperſtites vixerimus. Poſt exceſſum vero noſtrum, anniverſaria dies noſtrorum officioſiſſime cum antiphonis & reſponſoriis, interpoſitis lectionibus conſuetudinariis, & miſſarum, perſolemnis celebretur. Adſit etiam ita pro nobis laborantibus fratribus, copioſus in cibo & potu eadem die apparatus. Et hoc memoriale noſtrum nulla oblivione deleatur, dum duo fratres ſupervixerint in generatione generationum, ante Dominum & S. Petrum ejuſdem loci cuſtodem & protectorem continuum. Data Non. Februarii die, regnante Lothario rege anno * XXIV. propiciante Domino. * an. 978.

a *Gallice* Juiers.

b *Gall.* Fontenay S.t Pere.

c Limay lez Mantes.

* Hæ notæ chronicæ ſunt vitioſæ; anno 936. non convenit Indictio VI. Minus vero poſſunt conciliari anni VIII. regni Ludovici cum annis æræ Chriſtianæ. Hanc autem chartam non exhibuiſſemus, niſi jam a noſtris data fuiſſet Sammarthanis.

XII.

Letgardis comitiſſa cum filiis ſuis Hugone Bituricenſi archiepiſcopo & Odone comite Carnotenſi plurima S. Martino Turonenſi confert prædia.

MUltipliciter multiplex miſericordia Dei &c. Quocirca in nomine ſummi ſalvatoris Domini, ego Ledgardis comitiſſa, necnon Hugo epiſcopus & filius meus, & item filius meus Odo comes, omnipotentis Dei magnam conſiderantes devota mente clementiam, atque fragilitatis noſtræ modum intendentes, ac etiam proſpicientes ultimum diem tremendi judicii; offerimus Deo & S. confeſſori ejus Martino, quatenus ipſum pium antiſtitem propitium mereamur habere in noſtris neceſſitatibus ſuffragatorem; donamus, donatumque eſſe volumus eidem, ut dictum eſt, prælibato præſuli domino noſtro Martino, ſuæ ſcilicet congregationi, cui præeſſe videtur venerabilis Hugo abbas, tam pro anima Theobaldi comitis quondam ſenioris mei, ſimulque mercede noſtræ in futuro remunerationis; necnon & pro anima Richildis quondam ſanctimonialis, ejuſque filii Richardi epiſcopi, qui etiam eandem poteſtatem præfato S. Martino moriens devoverat, pro emendatione alterius nomine Gaudiaci, quam præfata mater ejus ſæpefato Martino per præceptum devota mente dederat, ſed idem prædictum mortua matre non valens a fratribus tantum in vita ſua ea impetrare, violenter per conſenſum jam dicti comitis, & fratris ſui Theobaldi in vita ſua tenuit. Quorum eleemoſynam, & S. Martini rectitudinem recognoſcentes offerimus, ut ſuperius dictum eſt, eidem domino Martino patrono noſtro, tam pro anima eorum quam pro noſtra ipſa ad ipſius poteſtatem, hoc eſt calixtam novam cum eccleſia in honore S. Georgii conſtructa, & in omnibus rebus ad ipſam poteſtatem aſpicientibus, hoc eſt cum villa Puteo-Flodulphi, & cum altera villa Cantegrello nomine; cum quadam mancile Ordono ſcilicet tribus manſis, & medio & in Pelgiaco villa, manſis VII. inter ſilvam & terram arabilem, & in Corbedino tria hoſpitia & terram arabilem, & in villa Tedora manſum unum cum pratis, & in curte Agoldi unde exeunt D. VI. & inſuper tertiam partem ſilvæ Ferrarias, cum villa Mergelli, unde exeunt D. XII. Hæc omnia prælibato S. Martino, ſuiſque canonicis ad eorum peculiare cedimus, tradimus atque transfudimus, ſita in comitatu Trecaſſino in pago ſcilicet Morinenſi, a die præſenti & deinceps, ita ut ab hodierna die quicquid ex ipſis rebus facere voluerint, liberam in omnibus habeant faciendi poteſtatem, & de noſtro jure, in ſui poteſtatemque S. Martini, ipſorumque canonicorum cedimus. Si quis autem hanc noſtram eleemoſynæ oblationem, aliquis ex hæredibus noſtris, vel etiam præfatæ Richildis & Richardi filii, ſeu aliqua aliunde intromiſſa perſona refringere tentaverit, imprimis S. confeſſorem Martinum contra ſe offenſum ſentiat, niſi citiſſime a ſua malevola cupiditate converſus fuerit, & niſi partibus ipſius eccleſiæ libras auri triginta coactus exolvat. Sed hæc noſtra donatio noſtris, aliorumque bonorum hominum manibus roborata, firma & ſtabilis omni tempore permaneat. Hugo Biturigenſis archiepiſcopus. Signum Odonis comitis.

Digitized by Google

A

XIII.

Audeberto Bituricenſi archiepiſcopo & abbate Dolenſi rogante & volente fit compoſitio inter canonicos Lemovicenſes & monachos Dolenſes.

1095. WILELMUS Lemovicenſis epiſcopus cum univerſo clericorum Lemovicæ ſedis conventu, rogatu & voluntate domini Audeberti Bituricenſium epiſcopi & Dolenſium abbatis, ad ſopiendam controverſiam diuturnam inter Dolenſes & canonicos Lemovicenſes, pro eccleſia de Turri, præſente priore R. conceſſerunt eccleſiæ Dolenſi monaſterium Turrenſe, & quod jus habebant in manſo capellæ B de Boiaco & aliis eccleſiis, quas Dolenſes in Lemovicenſi pago domini epiſcopi poſſidere videbantur, retentis quindecim ſolidis, ſcilicet monaſterio Turrenſi, in feſto inventionis S. Stephani reddendos; & quindecim ſolidos ſimiliter in eccleſia quam acquiſierunt in Lemovicino. Hæc conventio lecta & confirmata in ſynodo; & ut amicitia germanitatis in poſterum conſervaretur, placuit ut canonici clamores monachorum in conciliis & ſynodis ſuſtineant, & res eorum ac loca quaſi ſua tueantur, & monachi itidem canonicorum & mutuo ſe in omnibus locis ſuis honorifice hoſpitentur. VIII. Idib. Novembr. luna V. anno ab incarnatione M. XCV. temporibus Urbani II. papæ, qui tunc temporis in Galliis morabatur, Philippo Francorum rege, Audeberti primatis Bituricenſis, Wilelmi præſulis Lemovicenſis. C Componet calumniator cui litem intulit centum libras auri. Signum dom. V. antiſtitis, Goſberti decani & archidiaconi, Humberti magiſtri, Gaufridi Helia fratre epiſcopi & aliorum.

XIV.

A Fulcone juniore comite Andegavenſi, Leodegario Bituricenſi præſente, confirmantur Fontebraldenſi cœnobio dona facta.

1117. ANtiquorum patrum ſancivit auctoritas ut quidquid eccleſiis tribueretur, litterarum memoriæ trade etur, ne oblivionis caligine deleretur. Notum ſit omnibus tam futuris quam præſentibus, quod eo- D dem die quo magiſtri Roberti de Atbreſtello corpus Dei gratia de longinquo allatum, in loco Fontis-Ebraldi, quem Deo auxiliante fundavit, humatum fuerat, non minima multitudo religioſarum perſonarum ad tanti viri funeris obſequium illic congregata fuerat, quarum una fuit Leodegarius Bituricenſis eccleſiæ archiepiſcopus, altera Radulphus Turonorum archiepiſcopus, cum Raginaudo Andegavorum epiſcopo, multiſque aliis, tam abbatibus quam ſacerdotibus, quorum non erat numerus. Ibi fuit Fulco junior, Fulconis comitis Andegavorum filius, cum innumeris populis. Ipſo die petiit Gaufridus de Blaſone, utpote valde deſiderans animæ ſuæ ſalutem, ut Petronilla abbatiſſa Fontis-Ebraldi a ſupradicto Ful- E cone comite impetraret, quatenus omnia quæ antea eccleſiæ Fontis-Ebraldi ipſe Gaufridus pro ſalute animæ ſuæ dederat, ſcilicet domos ſuas, cenſus, vineas, necnon & filias ſuas, & omnia quæcumque in hoc ſæculo habere videbatur; ipſe comes iterum in pleno capitulo audientibus cunctis concederet: quam petitionem ſupradictus comes libenter exaudiens, & voluntati abbatiſſæ, & ſupradicti Gaufridi deſiderio illico in capitulo ſatisfecit. Huic conceſſioni interfuerunt Berlaius de Monſteriolo, & Laurerius de Monteſorello, Robertus de Blodo, & Ciſlebertus de Loſduno, multique alii, an. ab Incarnatione Domini M. C. XVII. regnante Ludovico Francorum rege, & Guilelmo Aquitanorum duce.

XV.

Litteræ Vulgrini Bituricenſis archiepiſcopi pro unione capituli Ajacenſis cum S. Stephani capitulo.

QUæ ad honorem & utilitatem eccleſiarum Dei conſtituuntur, memoriæ literarum tradere religioſa præcedentium patrum provide conſuevit authoritas, ne rebus geſtis in oblivionem labentibus, a memoria excidant, quæ debent memoriter conſervari, & ne contentiones oriantur inter ſervos Dei, quos litigare non oportet. Igitur Vulgrinus miſeratione divina Bituricenſis archiepiſcopus, memoriæ fidelium tam præſentium quam futurorum volo præſentis ſcripturæ teſtimonium commendari, quia canonici eccleſiæ Aiacenſis, ſocietatem canonicorum & matricis eccleſiæ B. Stephani expetierunt, poſtulantes ut deinceps eccleſia Aiacenſis, & res ipſius in diſpoſitione canonicorum B. Stephani ac protectione conſiſtant in perpetuum. Itaque inter eos communi aſſenſu utriuſque partis, ſocietas hoc modo conſtituta eſt, ut unus ex canonicis B. Stephani in priorem Aiacenſem accipiatur, & per capitulum B. Stephani eligatur, eoque decedente ſimiliter alius ſubſtituatur, & ſic in perpetuum. Hoc quoque ſtatutum eſt, ut in eccleſia Aiacenſi ſint tantummodo canonici ſex, ipſe prior & quinque alii, ita tamen ut illi qui modo ſunt canonici in eadem eccleſia, in vita ſua canonici permaneant, illis vero decedentibus numerus canonicorum C ad ſex, ſicut prædictum eſt, redigatur; illi autem qui inſtituentur, præſentabuntur capitulo B. Stephani, & nonniſi per aſſenſum capituli canonici fient. De omnibus redditibus Aiacenſis eccleſiæ tam de his quæ hodie poſſidet, quam de illis, quæ in futurum poſſidebit & Domino largiente conquiret, canonici S. Stephani tertiam partem habebunt, canonici Aiacenſes reliquas duas. In eccleſia S. Stephani in choro, in capitulo canonici Aiacenſes, & hi, qui modo ſunt, & illi qui ſubſtituentur, ſedem habebunt quaſi canonici: in cauſis & negotiis Aiacenſis eccleſiæ, canonici B. Stephani, utpote pro ſuis laborabunt, & de ſumptibus qui neceſſarii fuerint, ponent tertiam partem, & reliquas duas Aiacenſes canonici. Hæc in præſentia noſtra & ab utraque parte conceſſa, inſuper in manu noſtra firmaverunt, tam canonici B. Stephani quam Aiacenſes, ut hanc conſtitutionem & ſocietatem alii erga alios fideliter teneant & obſervent. Nos autem, ut memoriter teneantur & in perpetuum inviolabiliter obſerventur, præſenti ſcripto commendavimus, & ſigilli noſtri impreſſione roboravimus. Adfuerunt autem præſentes huic conſtitutioni comes Wilelmus dominus Aiacenſis caſtri, & Agnes uxor ejus, & Odo de Soliaco filius eorum, laudantes & aſſenſum præbentes, quantum in ipſis erat. Ipſe etiam Wilelmus chartam hanc ſigillo ſuo munivit. Fuerunt & alii multi, quorum nomina ſubſcripta habentur. Signum Wlgrini archiepiſcopi, Simonis decani, Gaufridi cantoris, Hugonis archidiaconi, Americi, Herberti, Badulfi archidiacon. &c. Iſti laïci adfuerunt ex parte canonicorum S. Stephani, Sarlo dives, Robertus Gaucherii, Mainerius Corbel, Ramnulfus. Aiacenſes canonici ſunt iſti, &c. S. comitis Guillermi, Agnetis comitiſſæ, Odonis de Soliaco, Ricardus de Capella, &c.

Digitized by Google

XVI.

Vulgrinus archiepiſcopus Bituricenſis confirmat monachis Silviniaci eccleſiam beatæ Mariæ de Capis &c.

1124. VUlgrinus Dei gratia Bituricenſis archiepiſcopus dilecto fratri Gerardo priori Silviniacenſis monaſterii cæteriſque fratribus omnipotenti domino ibidem famulantibus. Devotionem veſtram circa Dei famulatum attendens, & orationum veſtrarum quas die noctuque coram Deo effunditis particeps eſſe deſiderans, poſſeſſiones veſtras quibus in Dei ſervitio ſuſtentari debetis, nequaquam volo minuere ſed augere. Itaque eccleſiam S. Mariæ de Capis & eccleſiam S. Petri de Chirac quas vos a prædeceſſore meo bonæ memoriæ Leodegari vobis donatas fuiſſe aſſerebatis pro amore Domini noſtri Jeſu Chriſti & beati Petri apoſtolorum principis, in cujus ſervitio permanetis, vobis autoritate mea paſtorali dono atque concedo, ut eas in perpetuum poſſideatis & quietas obtineatis, ſalvo nimirum jure ſanctæ matris noſtræ Bituricenſis eccleſiæ, & miniſtrorum ejus, quod habent in ſynodis & paratis, & ſalva capellaniæ utriuſque loci integritate, tali ſcilicet tenore quod capellani prædictis eccleſiis deſerviturі, medietatem oblationum & beneficiorum accipient tantummodo parochialium, vos vero alteram; ſi vero contigerit quod ibi terras vel decimas acquiratis; vel ſi aliunde proventus & oblationes obvenerint, veſtræ erunt propriæ, nec habebunt partem in illis capellani niſi eas donare velitis; illis autem defunctis, licebit vobis eligere capellanos idoneos, quos præſentabitis nobis vel ſucceſſoribus noſtris, & miniſterialibus Bituricenſis eccleſiæ juxta conſuetudinem aliarum eccleſiarum parochialium, ut veſtra ſit eorum electio & præſentatio & noſtra confirmatio. Hæc ut rata ſint & inconvulſa permaneant, donationem noſtram præſentis ſcripti teſtimonio memoriæ fidelium commendavi & ſigilli mei impreſſione feci communiri. Hujus rei teſtes affuerunt fratres noſtri Gaufridus præcentor B. Stephani, Arbertus archidiaconus Borbonienſis, Hubertus archipresbyter Bituricarum, Stephanus archipresbyter de Chirac, Bernardus, Humbaudus, Villelmus de Duno..... Johannes, Robertus, Archembaudus, Aſterius, Aymericus, Jordanus, Guido..... Giraudus, Joa, & plures alii. Datum per manum Huberti cancellarii anno Dominicæ incarnationis MCXXIIII. regnante in Francia glorioſo rege Ludovico.

XVII.

Honorii papæ II. litteræ ad archiepiſcopum Bituricenſem, de obedientia exhibenda archiepiſcopo Bituricenſi tamquam primati ab archiepiſcopo Auxitano.

1126. *Ex chart. archiep. Bituricenſis.* HONORIUS epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri archiepiſcopo Bituricenſi ſalutem, & apoſt. bened. Quoniam longinquitate temporis res certa præteritis, interdum futuris venit in dubium; ad perpetuandam rei geſtæ notitiam humanæ conditionis defectui acceſſit utiliter authenticæ ſcripturæ ſuffragium, poſtquam dum prorogatur ad poſteros facti memoria, non ſolum præcedentibus ſed etiam ſubſequentibus providetur. Sane in regiſtro felicis recordationis Paſchalis papæ II. prædeceſſoris noſtri contineri perſpeximus in hunc modum: Bituricenſi archiepiſcopo adverſus fratrem noſtrum Auxitanum archiepiſcopum querelam te diutius egiſſe cognovimus, pro eo quod tibi tanquam primati debitam obedientiam nullatenus exhiberet. Unde etiam dum in Galliæ partibus moraremur, noſtro conventui diebus pluribus adhæſiſti; quo nimirum tempore nos eundem fratrem noſtrum ad hujus negotii cauſam tractandam noſtris litteris evocavimus. Porro ille nec venit, nec idoneis allegationibus partes ſuas tueri curavit. Nos ergo dilectionem tuam ex fratrum noſtrorum judicio per orarium quod tunc temporis gerebamus, obedientia metropolitana ejuſdem inveſtivimus, ſalvo nimirum jure Auxitanæ eccleſiæ, ut videlicet interim tibi tanquam primati ſubditus ſit, donec ſi libertatem eccleſiæ ſuæ vendicare voluerit, Romanæ eccleſiæ vel legatorum ejus judicio, finis huic cauſæ certior imponatur. Nos autem ejuſdem prædeceſſoris noſtri veſtigiis inhærendo, quod per eum provide factum eſt, in hac parte ratum habentes, auctoritate apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ confirmationis infringere, vel ei auſu temerario contraire; ſi quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Lateranis II. Nonas Aprilis, pontificatus noſtri anno II.

XVIII.

Diploma Ludovici regis de diſſentione ſedium inter eccleſiam noſtram & ſancti Ambroſii.

1138. *Ex chartario S. Auſtregiſili de Caſtro.* QUoniam regiæ noſtræ dignitatis eſt quantum nobis a Deo permittitur, populum noſtro regimini noſtræque ditioni ſubditum regendo corrigere, & præcipue diſcordantes ad pacis tranquillitatem revocare.

Ego Ludovicus Dei gratia rex Francorum, diſſentiones quæ inter eccleſiam ſancti Auſtregiſili & ſancti Ambroſii pro ſedibus in choro beati Stephani ortæ fuerant, moleſte ſuſtinens, venerabili Vulgrino Bituricæ ſedis metropolitano in præſentia ſua ſic terminari ſcribendo conſuluimus, quatenus convocatis religioſis & antiquioribus viris Bituricæ civitatis, præfatus illuſtris archiepiſcopus eos ſub excommunicatione adjuraret, & hujus rei veritatis teſtimonium perhiberent; quo audito conſilio noſtro operam dedit. Illi quidem in partes euntes & inter ſe conferentes, dixerunt decanum ſancti Auſtregeſili debere ſedere juxta decanum ſancti Stephani, & juxta ipſum ejuſdem eccleſiæ cantorem; priorem vero ſancti Ambroſii inter clericos ſancti Auſtregeſili ſedem nullatenus habere. Quia igitur hujus rei controverſia noſtro regali conſilio, diligentique Aquitaniæ primatis providentia tam rationabiliter tractata fuit & terminata, ſuaque patriarchali authoritate & ſigilli ſui impreſſione firmata, nos quoque ne in poſterum inter * aliqua diſſentio emergeret, præcipimus ut canonici ſancti Auſtregiſili juxta prædictorum virorum teſtimonium ſedes quiete obtinerent. Prior vero ſancti Ambroſii inter eos ſedem non haberet. Quod ut inviolabile permaneret, concedente Ludovico filio noſtro jam in regem coronato, ſigilli noſtri authoritate firmavimus. Actum Lorriaci anno incarnati Verbi milleſimo centeſimo trigeſimo ſecundo, regni noſtri vigeſimo tertio; data per manum Simonis Cancellarii.

* eos.

XIX.

Charta Petri Bituricenſis archiepiſcopi pro eccleſia de Buxeriis monachis Silviniacenſibus conceſſa.

1156. PETRUS Dei miſericordia Bituricenſis eccleſiæ archiepiſcopus. Commendari volo memoriæ fidelium tam præſentium quam futurorum, quod petitione & interceſſione Petri de Veſcia prioris Silviniacenſis, qui honeſtate & religione commendabilis habebatur, conceſſi conſilio fratrum noſtrorum eccleſiæ Silviniacenſi, eccleſiam de Buxeriis, cum om-

Digitized by Google

nibus pertinentiis ſuis cenſualiter habendam a nobis & a ſucceſſoribus noſtris in perpetuum, ſalvo jure epiſcopali & miniſtrorum Bituricenſis eccleſiæ, & ſalva integritate capellaniæ; tali ſcilicet tenore quod eccleſia Silviniacenſis pe ſolvet nobis & ſucceſſoribus noſtris, præter ſynodalia & paratas, annuatim triginta quinque ſolidos cenſuales Silviniacenſis monetæ, & reddet medietatem ad ſynodum Pentecoſtes, & medietatem ad ſynodum S. Lucæ; capellanus vero qui antea per manum noſtram in eccleſia illa conſtitutus fuerat, habebit capellaniam in pace quandiu vixerit, abſque ulla inquietatione vel diminutione, quæ ei a priore vel monachis inferatur. Illo autem defuncto licebit priori Silviniacenſi eligere capellanum idoneum quem præſentabit nobis vel ſucceſſoribus noſtris, & miniſterialibus Bituricenſis eccleſiæ juxta conſuetudinem aliarum eccleſiarum parochialium. Hæc ut rata ſint & inconvulſa permaneant, præſenti ſcripto confirmavimus, & ſigilli noſtri impreſſione munivimus. Hujus autem rei teſtes fuerunt quorum nomina ſubſcribuntur: Raginaudus abbas S. Sulpitii: Radulphus abbas S. Satiri: magiſter Humbertus archidiaconus Bituricenſis: Willelmus Borbonienſis archidiaconus: Gaufridus ſuccentor: Petrus capellanus archiepiſcopi: magiſter Radulfus S. Stephani canonicus: Aldebertus camerarius domni archiepiſcopi. Ex parte prioris Stephanus de Porta ſacriſta monachus: Nicolaus monachus: Nicolaus archipreſbyter Silviniacenſis: Archambaldus capellanus Silviniacenſis: Hugo Bruni capellanus..... Bernardus de Duno, Gaius Mareſcallus, Amicus de hoſpitio, Mainerius, Cochun, Radulphus de Villa-nova, Bonushomo cancellarius domini archiepiſcopi qui hoc ſcripſit memoriale actum Bituricis anno Domini MCLVI. indictione IV. anno pontificatus noſtri XIV.

XX.

Epiſtola Petri de Caſtra Bituricenſis archiepiſcopi ad Ludovicum Francorum regem VII. primum edita in Gallia Chriſt. Fratr. Samm.

EXcellentiſſimo domino Ludovico Dei gratia magnifico & pacifico Francorum regi Petrus Bituricenſis eccleſiæ humilis miniſter, ſalutem & veræ humilitatis obſequium. Quod de ore veſtro audivimus, & certis didicimus experimentis, quod etiam nulli fere de regno eſt incognitum, & ſonat in ore vulgi, hoc majorem facit nobis fidem, quia perſona veſtra perſonam noſtram admodum dilexit, quam & plurimum extulit & multis modis honoravit. Nuper etiam veſtra liberalitas, ad dominum papam & ad curiam Romanam pro nobis ſcripta propria manu proprio nuntio deſtinavit, & preces multum affectuoſas effudit; unde vobis obnoxii eſſe debemus, & debitas gratiarum actiones perſolvere debemus. Prudentia quoque veſtra non debet ignorare, quia & nos vice mutua vero ac puro amore vos dileximus, honorem veſtrum & regni & coronæ quibuſcumque potuimus modis optavimus, & quæſivimus, & nomen regium ſtuduimus exaltare, &c.

XXI.

Ludovici VII. regis diploma pro Biturigenſibus archiepiſcopis; ubi Petrus de Caſtra archiepiſcopus plurimis laudibus ornatur.

1159. IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Ego Ludovicus Dei præſtante clementia rex Franciæ, Petro archiepiſcopo Bituricenſi & ſucceſſoribus ſuis in perpetuum. Superni Regis cuncta moderantis non immemores, de retributione quidem bonæ voluntatis & devotæ actionis nihil dubitantes, ipſius eccleſiam fovere & ſanctum ſacerdotium honorare ſtuduimus, noſtroque tempore apud Deum & homines acceptus homo beatæ [a] memoriæ Petrus in prima ſede Aquitaniæ videlicet urbe noſtra Bituris ſedit; ante cujus tempora archiepiſcopales domus puſillæ erant & indignæ, & modicæ facultates in ſede paſtorem retinere diutius neque paſcere poterant. Dictus vero Petrus tanquam a Deo in id prædeſtinatus & gratiæ cæleſtis munere temporalis abundans fortunæ, inclitæ nobilitatis erexit palatium, & domos celebres ædificavit, conſtituit grangias, terras adquiſivit & vineas, & in grangiis copioſam poſuit nutrituram. Quæ omnia volens prodeſſe ſucceſſoribus ſuis, domorum & grangiarum petiit a nobis libertatem. Noverint itaque univerſi præſentes & futuri, nos amore Dei & pro reverentia, prece jamdicti amici noſtri archipræſulis Petri, eccleſiæ Bituricenſi domos archiepiſcopales quittaſſe, & in eiſdem domibus liberaſſe quicquid de ligno eſt & ferro, ære quoque & vitro, plumbo & ſtanno, pluma & corio, lana, canabo & lino, materinos & omnia domorum uteníilia, liberas eidem eccleſiæ conceſſimus grangias, & in eiſdem grangiis bergerias, boverias & porcarias, & quamcumque nutrituram, ubicumque eam habuerit, ſalvam eſſe quantum ad regiam ſpectat poteſtatem. De fructu vero omnium terrarum & vinearum ſuarum anno obitus ſui archiepiſcopo conceſſimus plenariam poteſtatem faciendi teſtamenti ſui, & legandi vinum & annonam & legumina ſecundum quod voluerit. Ut autem hoc præceptum noſtrum firmiſſimum ſit in poſterum & omnino inconcuſſum, regii ſigilli auctoritate roborari, nominis quoque noſtri caractere conſignari fecimus.

Actum publice Bituris anno ab Incarnatione Domini MCLIX. aſtantibus in palatio noſtro quorum ſubtitulata ſunt nomina & ſigna. S. comitis Theobaldi dapiferi noſtri, S. Guidonis buticularii, S. Mathæi cameratii, S. Mathæi conſtabularii. Data per manum Hugonis cancellarii.

[a] In Gallia Chriſt. Samm. legitur *B. Petrus.*

XXII.

Epiſtola Petri de Caſtra Biturigum archiep. ad Sugerium. De turre S. Palladii occupata per Rainaldum de Craciaco.

Ex cod. mſ. fratrum Puteanorum.

VEnerabili, & dilectiſſimo fratri Sugerio abbati S. Dionyſii P. Bituricenſis eccleſiæ humilis miniſter ſalutem in Domino. Quod mandavit prudentia veſtra, ut turris ſancti Palladii præpoſitis domini Regis redderetur, non fuit nobis grave; quia ſcimus vos pro utilitate noſtra hoc providiſſe. Rainaldus autem de Craciaco nolens ea reddere, dixit quod mitteret ad comitem Rad. & ſecundum præceptum illius inde ageret. Nos autem non ſuſtinuiſſemus, quin ſtatim convocata communia ſuper eum irrueremus, niſi quia vobis prius ſignificare voluimus. Provideat ergo dilectio veſtra, ne ex parte comitis R. ſuſtentationem habeat. Damnum enim poſſet eſſe non ſolum nobis, ſed etiam domino Regi majus, quam nobis. Si quid minus de hoc negotio ſcribimus, per magiſtrum Audebertum virum prudentem, & diſcretum, & quem ad vos mittimus, plenius vobis intimabitur.

XXIII.

Sugerii ad Radulfum Viromandenſem comitem epiſtola, de eodem argumento.

EGregio Dei gratia Viromandenſi comiti Radulfo, Sugerius beati Dionyſii abbas ſalutem, & dilectionem. Juvenis iſte Rainaldus de Craciaco feſtinat

Digitized by Google

ad vos, ut juſtitiam mutetis contra archiepiſcopum Bituricenſem, ipſum de firmitate ſancti Palladii exſpoliando, qua inveſtitus erat quando dominus rex Hieroſolymam profectus eſt. Nos autem dictante juſtitia, præfatum archiepiſcopum reinveſtiri præcepimus, quod nullomodo mutabimus, & vos hoc ipſum mandare voluimus. De Widone vero de Herembrachen, quem ad muniendam & cuſtodiendam turrim Bituricenſem miſeramus, dilectioni veſtræ ſignificamus, præpoſitos Bituricenſes & Cadurcum ei turrem negaſſe: licet poſtquam vobiſcum locuti fuimus, hoc idem eis iterum mandaverimus. Quod per præſentem nuntium vos ipſis præcipere ſcribendo volumus.

XXIV.

Petri archiepiſcopi ad Sugerium abbatem; redditam ſibi S. Palladii turrim.

CAriſſimo domino, & amico Sugerio venerabili abbati beati Dionyſii P. Bituricenſis eccleſiæ miniſter ſalutem. Scire volumus dilectionem veſtram, quod turris ſancti Palladii, ſicut præcepiſtis reddita ſit. Et quamvis nondum eam habeamus, inde multimodas vobis grates referimus: quia pro certo ſcimus, vos ita eam præcepiſſe reddi pro bono & utilitate noſtra. Veruntamen nos cum multitudine militum & peditum ſequenti die, ex quo litteras veſtras recepimus, ſuper Rainaldum ire volebamus, & quanto magis minas inferebat ex parte quorundam, quos modo nolumus nominare, tanto magis adverſus eos armabamur, & vires reſumebamus. Præterea mandavit nobis veſtra fraternitas per magiſtrum Audebertum nuntium noſtrum, ut vobis occurreremus, & ſimul domino Regi obviaremus. Quod libenter faciemus, tum quia adventus domini Regis nobis gratiſſimus eſt, tum quia perſonam veſtram plurimum dilectam honorare volumus & deſideramus. Præterea ſcire vos volumus, quia apud Lemovicas dominum Burdegalenſem, & epiſcopos de Aquitania, ſicut inter nos collocuti fueramus, ad fidelitatem domini Regis commonuimus: & ſicut nobis promiſerunt, in fidelitate ipſius, Domino auctore, permanebunt. Quod vobis placuerit, per præſentium latorem nobis reſcribite.

* *Forte alia eſt epiſtola ab antecedente.*

Gratias * immenſas referimus ſublimitati veſtræ, quia reditum domini Regis nobis notificaſtis, & ut ei occurreremus vobiſcum præmonuiſtis. Nos autem libentiſſime ei occurremus, & obnixe rogamus dilectionem veſtram, ut ſi per ſanctum Egidium venerit, per nos veniatis, & per provinciam noſtram tranſeatis. Deſideramus enim ſervire vobis, & honorem quem potuerimus exhibere. Si autem per Cluniacum venerit, & illuc vobiſcum libenter ibimus. Cum autem illum appropinquare noveritis, nobis ſignificetis, ut ſciamus quando itineri veſtro adhærere debeamus.

* *Forſan nova eſt epiſtola.*

Literas * veſtræ ſublimitatis accepimus, quibus monuiſtis ut die Jovis apud Vizeliacum, vel die Veneris apud Corbiniacum ſimus. Sed poſteaquam miſimus nuntium noſtrum ad vos, dictum fuit nobis, quod dominus Rex Bartholomæum archidiaconum noſtrum occurrentem ſibi ſuſcepit in gratiam ſuam, ac pro eo fudit preces ad dominum papam: & nos quoque pro ipſo interpellare diſpoſuit, & obnixe rogare, ut nos ab hoc, quod pro honeſtate & decore domus Dei inchoavimus, deſiſtamus. Fiduciam igitur habentes in vobis, non meritis noſtris, ſed quia Deum & honorem ejus diligitis, volumus præmunire prudentiam veſtram, ut efficiaris apud dominum Regem, ne diffamatum illum, de cujus honeſta converſatione multa audiſtis, manutenere velit, nec nos interpellet pro eo. Timemus enim ne eſſet cauſa offenſionis, ſi interpellaret nos de re, quæ non eſſet habitura effectum. Criminoſam quippe vitam illius ſuſtinere non poſſumus nec debemus, nec indulgere flagitiis ejus. Nam quod de ipſo facimus, conſilio multorum religioſorum incœpimus, qui graviter confunderentur, ſi deſiſteremus, & faciem eccleſiæ Dei quaſi dehoneſtatam judicarent, ſi hominem talem contra ſanctitatem conſilii eorum prævalere viderent. Placeat igitur dilectioni veſtræ, reſcribere nobis conſilium veſtrum. Nam ſi laudaveritis, proxima die Veneris erimus apud Corbiniacum, ſi aliquo modo poterimus.

Quoniam * de religione & amicitia veſtra plurimum confidimus, ſecurius vobis ſcribimus, maxime quæ ad honeſtatem pertinere cognoſcimus. Bartholomæus ſiquidem archidiac. noſter malæ vitæ, & peſſimæ famæ, precibus domini Regis apud dominum papam obtinuit, ut cauſa, quæ inter nos & ipſum, ex mandato domini papæ ante dominum Burdegalenſem agitabatur, in Octavis Pentecoſtes ad gravamen noſtrum Romæ tractaretur. Quapropter oportet nos illuc in proximo ire, vel mittere, niſi juſtitiæ & honeſtati volumus deeſſe. Ideoque dilectionem veſtram obnixius deprecamur, quatenus apud dominum Regem efficiatis, ut domino papæ pro nobis ſcribat, & vos ipſe ſcribatis ſicuti fidelis noſter Conſtantinus latius vobis exponet.

* *Forſan alia eſt epiſtola.*

XXV.

Petrus a Caſtra de monachis Dolenſibus conqueritur apud regem Ludovicum.

EXcellentiſſimo Domino Ludovico, Dei gratia magnifico & pacifico Francorum regi, Petrus Bituricenſis eccleſiæ humilis miniſter ſalutem & veræ humilitatis obſequium. De benignitate veſtræ Majeſtatis, non pro meritis noſtris, ſed pro ſola liberalitate veſtra præſumentes, ſtatum noſtrum, & incumbentia nobis negotia vobis neceſſarium duximus inſinuare, veſtrum in illis auxilium ſperantes & fiducialiter expectantes. Senonis in curia domini papæ conſtituti, cauſam pro eccleſia Bituricenſi contra Dolenſes monachos agitamus, qui nobis noſtra tollere conantur, & nos & eccleſiam Bituricenſem, quæ veſtra eſt, vexare & turbare non verentur, ejus omnimodam dignitatem minuere nitentes. Contra quos licet juſtitia noſtra nobis debeat ſuffragari, non dubitamus tamen quin ope veſtra in hoc negotio noſtro plurimum indigeamus. Unde quia & nos & eccleſia Bituricenſis veſtri ſumus, honor noſter veſter eſt, & noſtra utilitas, veſtra; noſtrum quoque detrimentum, & diminutio dignitatis eccleſiæ Bituricenſis, veſtræ coronæ decori nullatenus poteſt non imputari: veſtram cum omni humilitate manſuetudinem exoramus, ut domino papæ & cardinalibus pro nobis, & pro eccleſia veſtra cum tanta diligentia ſcribere dignemini, quatinus ipſi ſentiant vobis placere ſi nobis & eccleſiæ noſtræ jus illibatum conſervarint, & honorem exhibuerint competentem. Sentiant nihilominus, ſi aliter fecerint, non modicum veſtræ regiæ majeſtati diſplicere. Didicimus enim ab his qui curiam perfecte noverunt, quia niſi apertius veſtram ei voluntatem expreſſeritis, veſtrarum precum non ſentiemus effectum. Lator præſentium Wilelmus fidelis noſter & veſter, hæc & alia vobis latius explicabit. Petimus ergo, ut ei credatis. Conſervet vos Deus per tempora multa, & conterat inimicos veſtros ſub pedibus veſtris.

XXVI.

Ludovici VII. Francorum regis præceptum.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, Amen. Ludovicus Dei gratia Francorum rex. Ex injuncto nobis regiæ dignitatis officio tenemur eccleſiis non ſolum ſuam conſervare libertatem, verum etiam 1145

non

non collatam conferre, & ut deinceps illibata ſervetur confirmare. Noverint igitur univerſi præſentes & futuri, quod pietatis intuitu & pro remedio animarum anteceſſorum noſtrorum & noſtræ, & pro ſalute Philippi filii noſtri, eccleſiæ B. Stephani Bituricenſis conceſſimus, ut ejus clauſtrum, & totus clauſtri ambitus muro cingatur, muniatur, & infortietur, tam ſupra muros civitatis, quam ſupra & circa domos canonicorum B. Stephani pro voluntate eorumdem; ſalva noſtra & hæredum noſtrorum fidelitate, quam decanus & canonici qui præſentes erant juraverunt; & ſequaces jurabunt ſe in hunc modum ſervaturos, quod prædicti clauſtri munitionem, contra nos vel hæredes noſtros ad petitionem noſtram & hæredum noſtrorum nullatenus detinebunt. Hanc iterum prædictæ conceſſimus eccleſiæ libertatem, ut quicquid B infra ambitum clauſtri continebitur, ſalvum ſit & immune ab omni laïca poteſtate; & ſimiliter quiſquis ad clauſtrum confugerit, ut ſalvetur, ſalvus erit. Præterea omnes homines archiepiſcopi per archiepiſcopum juſtitiabuntur. Similiter omnes homines capituli per decanum & capitulum; & immunes erunt ab omni laïca poteſtate, nec umquam in communia recipientur niſi de voluntate & aſſenſu dominorum ſuorum, necnon ſervientes archiepiſcopi per archiepiſcopum, & ſervientes cujuſlibet canonici B. Stephani per ipſum canonicum juſtitiabuntur, & non per alium, niſi forte ad præſens forisfactum, multri

§ Meurtre. * vel raptus extra clauſtrum fuerint publice deprehenſi. Si vero de prædictis omnibus tam hominibus archiepiſcopi & capituli, quam ſervientibus archiepiſcopi & canonicorum duellum aut judicium ſive quælibet alia juſtitia evenerit, in curia ipſorum dominorum ſuorum deducetur, & per ipſos finietur. Nulli laïcæ poteſtati liceat pro aliquo forisfacto manum mittere in clericum vel religioſum, nec in res eorumdem, ſed ipſi juſtitiabuntur per capitulum ſuum, vel per archiepiſcopum, vel per miniſteriales ejus, niſi forte ad præſens forisfactum multri vel raptus, ita publice fuerint extra clauſtrum deprehenſi, quod eorum delictum publicum ſit & notorium. Res tamen ipſorum infra clauſtrum contentas ſemper ſalvas eſſe præcipimus & immunes. Præter hæc archiepiſcopus & capitulum libere habeant jura, conſuetudines, & juſtitias ubicumque ſolent eas habere. Pro hac autem libertate ſibi a nobis indulta liberaliter conceſſit prædictæ eccleſiæ capitulum, quod poſt obitum noſtrum D annuum ſolemniter pro nobis anniverſarium celebrabit, & pro anima STEPHANI bonæ memoriæ quondam Bituricenſis archiepiſcopi ſimiliter annuum celebrabit anniverſarium. Hanc itaque libertatem ſæpe dictæ eccleſiæ conceſſam perpetuo firmam & inconcuſſam permanere volentes, ipſam eccleſiam per annulum aureum ſuper altare B. Stephani a nobis oblatum ſuper dicta libertate inveſtivimus. Et ut eadem libertas deinceps inviolabiliter obſervetur, ſigilli noſtri auctoritate ſubterinſcripto nominis noſtri caractere fecimus confirmari. Actum publice Bituris anno ab Incarnatione Domini M.CLXXIV. aſtantibus in palatio noſtro quorum nomina ſuppoſita ſunt & ſigna. Signum comitis Theobaldi dapiferi noſtri, ſignum Mathei camerarii, S. Guidonis buticularii, S. Radulfi E conſtabularii, vacante cancellaria.

XXVII.

Charta Guarini archiepiſcopi de vita communi canonicorum S. Urſini.

1178. *Ex chartario S. Urſini.*

QUoniam ex proceſſu temporis & humanæ conditionis elapſu humanis actibus inſerpit oblivio, ideo de induſtria negotia notulis annotari decrevimus, quorum tenorem infirmari non expedit aut elabi. Inde eſt quod ego GUARINUS Dei gratia Bituricenſis archiepiſcopus ſcripto & cartula norum fieri volo tam præſentibus quam futuris, quod nos com-

monentes canonicos S. Urſini, præcipimus ut ad unam expenſam collectis ſuæ eccleſiæ facultatibus una & ſimul comederent, & bona eccleſiæ ſuæ, ſicut decet, pari participatione perciperent, ſicut hæc eàdem eccleſia & aliæ in Biturica conſtitutæ, in quibus clerici conſtituuntur canonici, feciſſe retro temporibus dignoſcuntur. Illi vero objecta nobis excuſatione prætendebant facultates eccleſiæ ad hoc nullatenus poſſe ſufficere, & quod eorum eccleſia domibus in quibus & pro comeſtione convenirent, per ignis flammam fuerat deſtituta. Dixerunt etiam ſe non minimum incurriſſe ſcandalum, & intolerabile ſibi fieri præjudicium, ſi lex eis indiceretur quam matrix eccleſia ab antiquo tenere * conſuevit. Quoniam vero ſuper ec- * *Forte non conſuevit.*
cleſia S. Urſini preces domini papæ ſuſcepimus, ut ejus negotia foveremus, cujus evacuare preces nec poſſumus nec debemus, eis ſatisfacientes, & ad evitandum ſcandalum indulſimus eis & conceſſimus, ut in hoc matrici eccleſiæ ſe conforment. Si enim canonici matricis eccleſiæ una comedunt, canonici S. Urſini una comedant. Si vero canonici matricis eccleſiæ non comedunt ſimul, canonici S. Urſini ſimul comedere non compellantur. Conceſſimus etiam priori & capitulo memoratæ eccleſiæ, ut in rebus & poſſeſſionibus eccleſiæ ſuæ ordinandis liberam habeant facultatem ſecundum Deum & ſuæ eccleſiæ utilitates, ita ut poſſeſſiones eccleſiæ ab ea non præſumantur alienari. Ut autem iſtud inconcuſſum & ſine læſione decurrat ad poſteros, illud ſigilli noſtri appoſitione fecimus communiri. Actum Bituricis anno Incarnati Verbi MCLXXVIII. epiſcopatus vero noſtri quarto.

XXVIII.

Urbani papæ III. litteræ quibus Henricum Bituricenſem archiepiſcopum ſuum creat legatum.

URBANUS epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabilibus fratribus epiſcopis & dilectis filiis abbatibus & aliis eccleſiarum prælatis, univerſo clero & populo per Bituricenſem provinciam conſtitutis S. & A. B.

Cum Bituricenſem eccleſiam inter alias eccleſias Galliarum, beneficiorum intuitu quæ jam pridem ab ea in minori officio conſtituti recepimus, ſpecialiter & præcipue diligere teneamur, eam prærogativa noſtræ dilectionis & gratiæ libenter volumus prout convenit honorare. Nihilominus etiam ad exhibendam ei uberius gratiam apoſtolicæ ſedis, venerabilis fratris noſtri HENRICI ejuſdem eccleſiæ archiepiſcopi experta devotio nos inducit, quem ſicut virum providum, diſcretum, & moribus & genere nobilem circa nos & Romanam eccleſiam tantam devotionem novimus exhibere, ut ejus meritis ſuffragantibus ab apoſtolica ſede propenſius diligi debeat, & attentius honorari. Inde eſt utique quod ipſius prudentia & honeſtate penſata, et de conſilio fratrum noſtrorum per totam provinciam veſtram, excepto monaſterio Dolenſi, apoſtolicæ commiſimus legationis officium exequendum, ut in ea vice noſtra corrigat corrigenda, plantet quæ noverit eſſe plantanda, & vitiis extirpatis germina ſtudeat propagare virtutum. Mandamus itaque univerſitati veſtræ atque præcipimus, quatenus eumdem archiepiſcopum, ſicut legatum apoſtolicæ ſedis, & virum tantæ dignitatis & nominis, reverenter curetis & devote recipere & ad vocationem ejus ſine contradictione qualibet accedentes, ſalubribus ſtatutis & mandatis ejus humiliter pareatis: ita quod ipſe per providentiam ſuam & humilitatem veſtram, injunctum legationis officium melius cum auxilio gratiæ cæleſtis valeat exequi, & nos devotionem & obedientiam veſtram non immerito debeamus cum audierimus commendare. Datum Veronæ Idus Aprilis.

Digitized by Google

XXIX.

Philippus rex Henrico de Sully archiepiſcopo Bituricenſi reſtitui jubet libras trecentas in reparatione caſtri Magduni ab eo datas.

1197. PHILIPPUS Dei gratia Francorum rex univerſis ad quos litteræ præſentes pervenerint ſalutem. Sciatis quod dilectus & fidelis conſanguineus noſter H. Bituricenſis archiepiſcopus, pro ſumtibus quos fecit pro caſtro Magduni, de theſauro Bituricenſis eccleſiæ de mandato noſtro trecentas libras Giemenſes accepit. Ideoque volumus atque præcipimus ut quicumque caſtrum Magduni tenuerit, ſive alius a proximo feſto B. Dionyſii in tres annos, ſingulis annis centum libras Giemenſis monetæ capitulo Bituricenſi ad theſaurum reparandum de redditibus & proventibus Magduni perſolvat. Actum apud Vicenum anno Domini MCXCVII. menſe Octobri.

XXX.

De elevatione ſolemni corporis S. Stephani de Mureto.

Ex chronico Grandimont.

APpropinquante, inquit, feſto S. Auguſtini, defuncto recenter Henrico II. Anglorum rege illuſtriſſimo, cum magna velocitate dominus legatus, ac veloci curſu ad Grandimontem accedit. Convocatis igitur & coadunatis ibidem archiepiſcopis & epiſcopis, videlicet Henrico Bituricenſi, Rainaudo Apamienſi (qui tunc temporis a tranſmarinis partibus exul huc venerat) nec non & Helia Burdegalenſi archiepiſcopo, & Saibrando Lemovicenſi, Vuillelmo Pictavenſi, Helia Xantonenſi, Ademaro Petragoricenſi, Geraldo Caturcenſi, & Bertrando Agennenſi epiſcopis, abbatibus etiam & viris religioſis cum plebe innumerabili. Tunc etiam clerici, qui uſque ad tempus illud diſcordes extiterant, Deo inſpirante ad pacem redeunt: & videntibus cunctis, quos ſupra nominavimus, in capitulo obedientiæ noſtræ jugo colla ſubmittunt. His itaque peractis ac lætantibus univerſis in Domino, venimus ad locum ubi corpus B. Stephani cum digno honore humatum jacebat. Tunc domino legato jubente atque præcipiente a terra elevatur, & per clauſtrum cum magna veneratione cereis ardentibus, ac thuribulis fumigantibus portatur, populo præcedente & ſubſequente, cum hymnis & laudibus in eccleſia deducitur, & ſuper altare B. Mariæ honorifice ponitur. Dominus autem Henricus Bituricenſis archiepiſcopus ac primas Aquitanicus, juſſu & præcepto domini legati præparat ſe ad officium miſſæ in honore S. Stephani.

XXXI.

Litteræ Bernardi Auſcienſis epiſcopi, quibus agnoſcit ſe ſubditum eſſe Bituricenſi primatui.

REverendo patri ac domino Willelmo, Dei gratia Bituricenſi archiepiſcopo Aquitaniæ primati, B. eadem gratia Auſcitanæ eccleſiæ miniſter humilis ſalutem & devotam ſubjectionis & obedientiæ reverentiam.

Cum propter guerras interjacentium terrarum & propter urgentia negotia eccleſiæ noſtræ non poſſimus ad præſens paternitatem veſtram & Bituricenſem eccleſiam matrem noſtram perſonaliter viſitare, noſtram abſentiam excuſamus, vobis jus plenariæ primatiæ ſuper Auſcitanam provinciam per patentes noſtras litteras recognoſcentes, & omnem tam obedientiam quam reverentiam primati debitam promittentes.

XXXII.

Epiſtola W. ad G.* Bituricenſem archiepiſcopum quem pro ſuo primate agnoſcit.*

* *Forte* Willelmi II. qui creatus eſt archiepiſcopus Burdegalenſis an. 1207.

* *Forte* Gerardo de Cros.

REverendo amico ſuo in Chriſto cariſſimo G. divina providentia Bituricenſi archiepiſcopo & primati, W. ejuſdem permiſſione Burdegalenſis archiepiſcopus ſalutem & ſinceræ vinculum caritatis.

Propoſitum noſtrum erat antequam ad nos veſtræ litteræ acceſſiſſent, quod oportunitate captata ad locum accederemus congruum, in quo poſſemus deſideratis veſtris aſpectibus recreari, & illud fœdus & amicitiam ſtabilem inter nos & vos, & eccleſiam Burdegalenſem & Bituricenſem juxta prudentiæ veſtræ conſilium ſtabilire, quæ nullis temporibus poſſet diſſolvi. Siquidem nolentes a prædeceſſorum noſtrorum veſtigiis declinare, qui cum veſtris prædeceſſoribus ſemper fuerunt ſincera caritate conjuncti, optamus ut noſtris temporibus, divina clementia faciente, eadem caritas & amica ſocietas augeantur. Sane hanc intentionem ſincera mente gerentes, acceſſimus ad locum quem magiſter P. Roſſinol & alii qui ſuper hoc pia nobiſcum intentione tractarunt, nobis aſſignaverant, parati facere quæcumque ſuſtineret æquitas, honore tamen eccleſiæ Burdegalenſis ſervato, & tunc non potuimus præſentiam veſtram habere. Nuper etiam ad id ipſum agendum veniebamus iterum apud Dauratum, ſecundum quod fuerat inter nos & archidiaconum veſtrum conditum; ſed idem archidiaconus contramandavit nobis, cum jam labor noſter eſſet ſuper hoc in magna parte completus, & mandavit vos non poſſe hiis aliquatenus intereſſe. Nunc quoque volebamus ad diem quam inſinuavit prudentia veſtra accedere, ſed propter guerras & alia negotia quæ vitare non poſſumus, ad eccleſiam Burdegalenſem coacti feſtinanter redire, & ad hæc in melius reformanda moram circa eam facturi, non poterimus illis tractatibus veſtris aliquatenus intereſſe. Verum quam cito poterimus, laborabimus ad oportunitatem conſequendam per quam poſſimus ſuper præmiſſis & aliis vobiſcum habere tractarum.

His ſubjiciendas puto litteras Jacobi Præneſtini ep. S. Sedis legati, quæ probant primatum Bituricenſem.

XXXIII.

Litteræ Jacobi Præneſtini epiſcopi, de diviſione procurationum quas archiepiſcopus Bituricenſis debet habere in provincia Burdigalenſi.

FRater Jacobus miſeratione divina Præneſtinus epiſcopus & apoſtolicæ ſedis legatus, licet indignus, dilectis filiis decano & archipreſbytero Turonenſi ſalutem in Domino. 1240.

Cum nos juxta mandatum apoſtolicum ad nos directum, quinquaginta procurationes quas venerabilis pater Bituricenſis archiepiſcopus in provincia Burdegalenſi ſecundum proviſionem domini papæ habere debet, taliter duxerimus dividendas, quod Burdegalenſis diœceſis ſex, Agennenſis tres, Engoliſmenſis tres, Petragoricenſis quatuor, Xantonenſis novem & Pictavienſis vigintiquinque decrevimus aſſignari; diſcretioni veſtræ qua fungimur auctoritate præcipiendo mandamus, quatenus diviſionem a nobis factam vice noſtra faciatis inviolabiliter obſervari. Contradictores per cenſuram eccleſiaſticam compeſcendo. Quod ſi non ambo his exequendis potueritis intereſſe, alter veſtrum nihilominus exequatur. Actum apud Rothomagum IV. Nonas Junii anno Domini MCCXL.

Digitized by Google

XXXIV.

Philippus Aug. rex tertiam partem caſtri Exolduneníis acquirit, conſentiente Simone de Soliaco Biturigum comite.

EGo Radulphus de Culent prior Vaſtinenſis, avunculus & tutor hæredum de Culent. Notum quod de conſilio amicorum & parentum hæredum de Culent, videlicet, archiepiſcopi Bituricenſis Archembaldi domini de Bourbon, Roberti de Bomez, Odonis Trouſſebois, Radulfi de Paçac, Petri de Crevent, militum; pro utilitate hæredum de Culent, quitavimus in perpetuum domino Philippo illuſtri Francorum regi & hæredibus, quidquid juris habebamus in caſtro Exolduni & pertinentiis, tam in feodis quam in domaniis. Et Rex propter hanc donationem, quitavit tertiam partem Caſtri-novi ſuper Carum fluvium, & tertiam partem Marolii ſuper Arvon fluvium, ſicut Radulphus quondam dominus Exolduni ea tenuit, poſſidenda a nobis & hæredibus in perpetuum, poſt deceſſum quondam uxoris defuncti Radulfi domini Exolduni, quæ fuit filia Petri comitis Nivernenſis ejuſdem regis conſanguinei. Inſuper dedit nobis M. L. Pariſ. de quibus reddendis, ſi forte hæredes de Culent, cum ad adultam ætatem pervenerint ab hac donatione reſilirent, ego Radulphus de Culent prior Vaſtinenſis conſtitui erga R. plegios Archembaldum de Borbonio pro CCC. Aymonem dominum Karrofii de C. L. Pariſ. Henricum dominum Soliaci de C. L. Stephanum de S. Palladio de C. Galcherium de Corcellis de C. Odonem Troſſebois de C. Guillelmum de Linieriis de C. Actum anno Domini MCCXXIII.

XXXV.

Compoſitio facta a Simone de Soliaco inter Henricum Soliaci dominum, & Guillelmum fratrem ejus nepotes ſuos.

SIMON Dei gratia Bituricenſis archiepiſcopus Aquitaniæ primas, ſalutem &c. Noverit univerſitas, quod cum contentio fuiſſet inter dilectos nepotes noſtros Henricum Soliaci dominum, & Guillelmum fratrem ſuum ex altera, ſuper eo, quod Guillelmus petebat terram de Argento & de Climon, ratione portionis hæreditatis paternæ; tandem de omnibus querelis in noſtra præſentia amicabiliter pacificatum in hunc modum: Videlicet quod Guilielmus fide data quictavit Henrico, quidquid de jure dicebat ſe habere in tota terra de Argento & de Climon; & Henricus debet ei reddere annuatim C. L. Pariſ. & tali portione Guilielm. promiſit ſe eſſe contentum. Ita quod quandiu dilectus frater noſter pater ejus Archembaudus de Soliaco viveret, in omni terra quæ movet de capite Archembaldi patris, ipſe Guilielmus nihil poſſet petere ratione hereditariæ portionis, ſalvis tamen quadraginta libris, quas dictus debet eidem Guilielmo reddere annuatim ſicut dixit, &c. Actum anno Domini MCCXXV. menſe Novembri.

XXXVI.

Gregorii papæ IX. gravis epiſtola de corrigendis exceſſibus ſubditorum.

1237. GREGORIUS epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri archiepiſcopo Bituricenſi, S. & A. B. Ecce venit Deus ſempiternus & Dominus qui fundavit terminos orbis terræ, citans nos in voce archangeli & in noviſſima tuba ad generale concilium, ut univerſis impendat ſuorum ſtipendia meritorum; labia ejus indignatione ſunt plena, & lingua ipſius quaſi ignis devorans. Quomodo dormientes ſomnia, jacentes in lectis eburneis, & laſcivientes in cubilibus ſuis diem adventus ejus cogitant, aut ſtare poterunt ad videndum ipſum, cum revelabuntur omnia abſcondita tenebrarum, & infelix impiorum nuditas apparebit? Non erit locus ubi lateant miſeri nudi ſtantes ante tribunal Chriſti, ut audiant vocem judicii, qui ad vocem obtravere conſilii aurem ſuam. Ad confuſionem igitur perpetuam evitandam, & declinandos ſempiternos ardores ac cruciatus æternos, oportet omnes qui aſſumti ſunt ad agrum Dominicum excolendum, granum a palea flagello debitæ correctionis excutere, & a fruge Dominica zizania ſeparare, ne electos contagium tantæ corruptionis inficiat, & filios Dei cum filiis mundi hujus hora repentinæ calamitatis involvat. Quocirca fraternitati tuæ per apoſtolica ſcripta diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus omni mora & occaſione poſtpoſitis, primo incipiens a te ipſo, torporem deſidiæ & negligentiæ teporem omni modo deponendo, ne bovis ſtercore lapidatum incipiat te Dominus evomere de ore ſuo, viriliter arma ſpiritualia, gladium & ignem aſſumens, incipias parietem fodere, & appareant genimina viperarum, & radius lucis vibretur interius, & ad vindictam exigat umbram mortis, monachos, moniales & canonicos regulares & ſæculares ac alios clericos tuæ diœceſeos efficaciter corrigens tam in capite quam in membris. Cum autem prælati eccleſiarum ſæpe propter occupationes multiplices & occaſiones alias non ſufficiant miniſtrare populo verbum Dei, & ſtatutum ob hoc fuerit in concilio generali, ut ad ſanctæ prædicationis officium ſalubriter exequendum viri aſſumantur idonei, potentes in opere & ſermone, qui plebes ſollicite viſitantes eas verbo ædificent & exemplo, aliquos de clericis tuæ diœceſis tibi aſſociare procures, qui tui cooperatores & coadjutores, ut expedit, exiſtentes, tam verbo prædicationis quam viſitationis officio tibi ſuffragium convenienter impendant, ut tua & ipſorum ſollicitudine muri Jeruſalem & templum Domini reparentur. Si vero quicquam difficultatis emerſerit quod videatur per te ac clericos ipſos expediri non poſſe, illud ad ſedem apoſtolicam referre procures. Nos enim in his prout oportunum fuerit, tibi efficaciter aſſiſtemus & neceſſarium impendemus auxilium & favorem. Quod ſi negligens fueris ſuper his quæ mandamus, cum ſecuris ad radicem infructuoſæ arboris ſit ponenda, poteris gravem pœnam tamquam qui ex hoc te reddis nimis culpabilem non immerito formidare. Quare volumus & mandamus, ut per te ac eoſdem clericos, ad nos quæcumque facta fuerint plenius referantur. Datum Anagniæ IV. Nonas Septembris, pontificatus noſtri anno primo.

XXXVII.

Gregorii papæ IX. ad Bituricenſem archiepiſcopum, de conſecratione epiſcopi Lemovicenſis.

GREGORIUS epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabili fratri Bituricenſi archiepiſcopo S. & A. B. 1240.
Cum nos electionem de dilecto filio magiſtro DURANDO præpoſito S. Juniani in Lemovicenſi eccleſia celebratam, de fratrum noſtrorum conſilio duximus confirmandam, fraternitati tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus eodem electo per te ad gradum ſacerdotii tempore conſtituto promoto, munus conſecrationis impendas eidem. Datum apud Criptamferratam Calendis Auguſti, pontificatus noſtri anno quarto decimo.

Digitized by Google

A

XXXVIII.

Simonis archiepiſcopi Bituricenſis litteræ quibus Burdigalenſem archiepiſcopum ad concilium invitat.

1218. *Ex chart. Bituric.*

SIMON Dei gratia Bituricenſis archiepiſcopus, Aquitaniæ primas, venerabili fratri & in Chriſto cariſſimo Burdegalenſi archiepiſcopo, &c.

Cum malitia temporum exigere viros eccleſiaſticos circa ſuum oporteat officium vigilare, & circa ea potiſſimum quæ fidem & pacem reſpiciunt, ſollicitudinem & diligentiam adhibere, maxime cum peccatis exigentibus, hinc hæreticis, inde perſecutoribus B graviſſime concutiatur eccleſia. Penſato ſtatu tam Bituricenſis quam Burdigalenſis provinciarum, in quibus evidenter antiqui hoſtis malitia debaccatur, fratres & coëpiſcopos noſtros ſuffraganeos Bituricenſis eccleſiæ pro adhibenda morbo tam peſtifero medicina, ad concilium decrevimus advocandos. Cum igitur inter cæteros Burdegalenſem archiepiſcopum nobilius membrum Bituricenſis eccleſiæ reputemus, & in quo plus conſilii & conſolationis nos inveniri ſperamus, auctoritate primatiæ citamus vos, & ſpecialiter ad concilium evocamus, mandantes & firmiter injungentes, quatinus in inſtantibus octavis B. Martini hiemalis ad civitatem Bituricenſem perſonaliter accedatis, ſuper negotio pacis & fidei & aliis tam veſtræ quam noſtræ provinciæ negotiis nobiſcum & cum aliis fratribus & coëpiſcopis noſtris & aliis eccleſiarum prælatis, qui præſentes ibidem fuerint, divina cooperante gratia tractaturi. Datum Bituricis anno C gratiæ MCCXXVIII. menſe Septembri.

XXXIX.

De juramento facto Philippo archiepiſcopo Bituricenſi ab Archembaldo de Borbonio.

UNiverſis præſentes litteras inſpecturis Gaufridus Majoris-monaſterii, de Burgodolenſi & de Villalupenſi abbates, Galeranus decanus, Raherius archidiaconus, Archembaldus cantor, Gaufredus cancellarius Turonenſis, Andreas archidiaconus Tranſvigennenſis, &c. in Domino ſalutem. Noveritis quod cum reverendus pater PHILIPPUS Dei gratia Bituricenſis archiepiſcopus Aquitaniæ primas, in nobilem virum ARCHEMD BALDUM dominum Borbonenſem pro eo videlicet quod idem nobilis eidem archiepiſcopo juramentum communiæ ſuæ facere denegabat, excommunicationis in eum & in terram ipſius interdicti ſententias promulgaſſet; pro quibus ſententiis dominus papa reverendo patri JUHELLO Dei gratia Turonenſi archiepiſcopo ſub certa forma direxerat ſcripta ſua; tandem idem nobilis bonorum virorum uſus conſilio, nobis præſentibus Turonis, dicto Bituricenſi archiepiſcopo ſuper communia ſua juramentum præſtitit ſub hac forma: Domine archiepiſcope, domine archiepiſcope, vos requiritis a me quod faciam vobis juramentum communiæ noſtræ, & dicitis quod habetis teſtes E qui interfuerunt quando pater meus eam juravit. Ego vero credo vos ita probum hominem quod credo iſta eſſe vera quæ dicitis, & ideo juro vobis communiam noſtram ſicut pater eam juravit. In cujus rei teſtimonium præſentibus litteris ſigilla noſtra duximus apponenda. Actum Turonis die Jovis poſt decollationem S. Johannis Baptiſtæ anno Domini MCCXXXIX.

XL.

Johannis archiepiſcopi litteræ ad epiſcopum Albienſem, de homagio ſibi præſtando.

JOHANNES divina permiſſione Bituricenſis archiepiſcopus, Aquitaniæ primas, venerabili fratri epiſcopo Albienſi ſalutem & ſinceram in Domino caritatem.

Cum nos intellexerimus quod ad inſtans feſtum Pentecoſtes venire debetis perſonaliter in Franciam, pro negotio eccleſiæ veſtræ, in curia domini regis expediendo: ne alias oporteat vos vexari pro homagio quod debetis nobis facere de civitate Albienſi B cum pertinentiis, & ut in hac parte veſtris parcamus laboribus & expenſis, vobis aſſignamus diem in octava dicti feſti Pentecoſtes proxime venturum Bituricis ad dictum homagium nobis faciendum. Nos enim quamvis plura & ardua & quaſi inevitabilia negotia alibi habeamus, omnibus tamen poſtpoſitis ad dictum diem Bituricis proponimus intereſſe pro dicto homagio recipiendo, & ut ibidem ſuper negotio eccleſiæ veſtræ vobiſcum deliberationem habeamus & tractatum. In ſignum receptionis præſentium ſigillum veſtrum præſentibus apponi faciatis. Datum anno Domini MCCLXII. III. Calendas Maii.

XLI.

Epiſtola Innocentii papæ V. qua Guidonem de Soliaco ad Bituricenſem cathedram promotum, Francorum regi commendat.

INNOCENTIUS epiſcopus ſervus ſervorum Dei, clariſſimo in Chriſto filio regi Francorum illuſtri, ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Gratiæ divinæ primum * & præconium humanæ laudis adquiritur, * *f.* primum. ſi perſonis pontificali dignitate præditis honor debitus impendatur. Sane circa præſentem ſtatum Bituricenſis eccleſiæ cum per plures annos jam permanſit deſtituta paſtore, & ſic vacando gravia diſpendia pertulit, paterna ſolicitudine vigilantes & intendentes, quod eccleſia ipſa, per circunſpectionis induſtriam dilecti filii Guidonis de Soliaco electi Bituricenſis releveretur a noxiis, & ſalubribus dante Domino proficiat incrementis; eundem Guidonem XV. Cal. Junii, D tunc priorem fratrum Prædicatorum Pariſienſium, de fratrum noſtrorum conſilio ipſi eccleſiæ præfecimus in archiepiſcopum & paſtorem. Cum itaque, fili cariſſime, ſi virtutes opum Eccleſiæ, & perſonas eccleſiaſticas, præſertim pontificali præditas dignitate, benigno favore proſequi, ac eas verbis & opibus pro Regis æterni gloria venerari, ſerenitatem tuam rogamus & hortamur attente, quatenus eidem electo quem ſuis claris exigentibus meritis, benevolentia proſequimur ſpeciali pro noſtra & apoſtolica reverentia, regalia ſine qualibet difficultate concedas, ac alias habens eum & eccleſiam prædictam ſibi commiſſam propenſius commendatos, te ipſis reddas in regio favore munificum, & in cunctis opportunitatibus gratioſum. Ita quod idem electus tuæ Celſitudinis fultus auxilio, in commiſſa ſibi cura paſtoralis officii, poſſit Domino propitio proſperari, ac tibi exinde a Deo perennis vitæ præmium, & a nobis condigna proveniat actio gratiarum. Datum Laterani VI. Cal. Junii, pontificatus noſtri anno primo.

Digitized by Google

XLII.

Guidonis archiepiſcopi Bituricenſis juramentum in receptione pallii.

1276. SAnctiſſimo patri & domino JOHANNI Dei gratia ſacroſanctæ Romanæ & univerſalis eccleſiæ ſummo pontifici frater Guido Bituricenſis archiepiſcopus, Aquitaniæ primas, devota pedum oſcula beatorum. Noverit ſanctitas veſtra, quia ego anno Domini MCCLXXVI. pridie Idus Januarii recepi in eccleſia B. Vincentii de Cantella, Bituricenſis diœceſis, ante majus altare ipſius eccleſiæ, ſacroſanctis Dei Evangeliis ſupra ipſum altare coram poſitis pallium de corpore B. Petri ſumptum, mihi auctoritate veſtra per venerabilem fratrem Guidonem Claromontenſem epiſcopum, & religioſum virum abbatem Dolenſem ordinis S. Benedicti dictæ diœceſis Bituricenſis ad honorem omnipotentis Dei, beatæ Mariæ virginis, & beatorum apoſtolorum Petri & Pauli & veſtrum, necnon & eccleſiæ Bituricenſi mihi commiſſæ traditum, ac eiſdem epiſcopo & abbati nomine veſtro & eccleſiæ Romanæ ſub hac forma fidelitatis præſtiti juramentum: Ego frater Guido Bituricenſis archiepiſcopus ab hac hora in antea fidelis & obediens ero B. Petro ſanctæque apoſtolicæ Romanæ eccleſiæ, & domino meo papæ Johanni ſuiſque ſucceſſoribus canonice intrantibus. Non ero in conſilio aut conſenſu vel facto, ut vitam perdant aut membrum, vel capiantur mala captione. Conſilium vero quod mihi crediturі ſunt per ſe aut per nuncios ſuos, ſive per litteras ad eorum damnum, me ſciente, nemini pandam. Papatum Romanum & regalia S. Petri adjutor eis ero ad retinendum & defendendum, ſalvo meo ordine, contra omnem hominem. Legatum apoſtolicæ ſedis in eundo & redeundo honorifice tractabo, & in ſuis neceſſitatibus adjuvabo. Vocatus ad ſynodum veniam, niſi præpeditus fuero canonica præpeditione. Apoſtolorum limina de biennio in biennium viſitabo aut per me vel per nuncium meum, niſi apoſtolica abſolvar licentia. Poſſeſſiones vero ad menſam mei archiepiſcopatus pertinentes non vendam, nec donabo neque impignorabo, neque de novo infeudabo vel aliquo modo alienabo, inconſulto Romano pontifice. Sic me Deus adjuvet, & hæc ſancta Dei Evangelia. In prædictarum vero traditionis & receptionis necnon juramenti fidelitatis a me ſub præmiſſa forma præſtiti teſtimonium, præſentes literas ſigillo meo ſignavi. Actum & datum anno die & loco prædictis.

XLIII.

Electio Simonis de Bello-loco archiepiſcopi Bituricenſis.

Ex chartario archiepiſcopi Bituricenſis.

MARTINUS epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectis filiis decano & capitulo eccleſiæ Bituricenſis ſalutem & apoſt. bened.

Inter ſollicitudines varias curaſque multiplices, quas oneroſa pontificalis officii executio ſecum trahit, & quas ipſi quaſi quadam naturali lege facti nos experientia docente didicimus cohærere, illa potiſſime noſtrum perurget animum, mentem excitat, ſenſus commovet, ſtimulat intellectum, ut univerſis eccleſiis quarum nobis divinæ diſpoſitionis arbitrio cura imminet generalis, viduatis præcipue, ne vacationis diutinæ incommoda defleant, paſtores præficiantur idonei, rectores providi deputentur per quorum circumſpectionem providam, & providentiam circumſpectam eædem eccleſiæ, illius cooperante gratia qui ſummus paſtor agnoſcitur, ſalubri directæ regimine, laudabilia in ſpiritualibus & temporalibus ſuſcipiant incrementa. Vacante ſiquidem Bituricenſi eccleſia per obitum bonæ memoriæ Guidonis archiepiſcopi Bituricenſis, vos certa die ad eligendum præfixa, vocatis omnibus qui voluerunt, debuerunt & potuerunt commode intereſſe, pro futuri inſtitutione paſtoris, prout eſt moris, convenientes in unum, & tandem per viam compromiſſi procedere eligentes, in dilectos filios Johannem de S. Verano, Johannem de Eculento, prædictæ eccleſiæ canonicos concorditer & unanimiter compromittere curavistis, promittentes quod illum in ſuum reciperent archiepiſcopum & paſtorem, quem dicti compromiſſarii de ipſius eccleſiæ gremio eligerent, vel etiam poſtularent. Qui ſecedentes in partem & ſollicite in hujuſmodi negotio procedentes, præfatus Johannes de S. Verano vice ſua ſuique collegæ ſpeciali mandato dilectum filium Johannem de Soliaco canonicum Bituricenſem elegit in ejuſdem eccleſiæ Bituricenſis archiepiſcopum & paſtorem, qui poſtmodum in noſtra præſentia conſtitutus, juri, ſi quod ſibi ex electione hujuſmodi competebat, ſponte ac libere in noſtris manibus reſignavit. Cujus reſignationem duximus admittendam, proviſionem ipſius eccleſiæ hac vice de fratrum noſtrorum conſilio diſpoſitioni ſedis apoſtolicæ reſervantes. Nos itaque volentes ipſius eccleſiæ obviare diſpendiis, quæ ſolet prolixa vacatio generare, ac diligentius attendentes, quod per ejus gratiam a quo eſt omne datum optimum & omne donum perfectum, perſona dilecti filii magiſtri SIMONIS de Belloloco electi Bituricenſis, magnis ſcientiarum dotibus prædita, converſationis laudabilis honeſtate, decora morum elegantia redimita, & aliis diverſis & variis gratiis ac virtutibus inſignita refulget, ipſum magiſtrum SIMONEM de fratrum prædictorum conſilio eidem Bituricenſi eccleſiæ apoſtolica auctoritate præfecimus in archiepiſcopum & paſtorem, plenam ſibi & liberam adminiſtrationem ipſius eccleſiæ in ſpiritualibus & temporalibus committentes, firma concepta fiducia, quod dirigente Domino actus ſuos, prædicta eccleſia per ſuæ diſcretionis induſtriam in ſpiritualibus & temporalibus proſpere dirigetur, & ſalubria, dante Domino, ſuſcipiet incrementa. Quocirca diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus eidem electo tamquam patri & paſtori animarum veſtrarum plene ac humiliter intendentes, obedientiam & reverentiam debitam ſibi exhibere curetis; alioquin ſententiam quam ipſe rite tulerit in rebelles, ratam habebimus & faciemus auctore Domino uſque ad ſatisfactionem condignam inviolabiliter obſervari. Datum apud Urbem-veterem x. Calendas Januarii, pontificatus noſtri anno primo.

Similes litteras idem Pontifex direxit populo civitatis Bituricenſis, clero civitatis & diœceſis Bituricenſis, denique vaſſallis eccleſiæ Bituricenſis, ut omnes Simoni electo obediant.

Simon tantum electus archiep. appellatur in charta Fontis-Morigniaci an. 1282.

XLIV.

Inſtrumentum electionis Martini papæ V. factæ in concilio Conſtantienſi die 11. Novembris anno 1417.

Ex regiſtro Cam. Comp. Pariſ. fol. 814

AD laudem omnipotentis Dei Patris & Filii & Spiritus ſancti; ad pacem univerſalis Eccleſiæ militantis. Nos Johannes * Oſtienſis, Angelus Prænestinus, Petrus Sabinenſis, Jordanus Albanenſis, Antonius Portuenſis epiſcopi, Franciſcus tituli S. Crucis in Jheruſalem, Johannes tituli S. Sixti, Antonius tit. S. Suſannæ, Gabriel tit. S. Clementis, Atamanus tit. S. Euſebii, Angelus tit. SS. Petri & Marcellini, Petrus * tit. S. Griſogoni, Thomas tit. SS. Petri & Pauli, Brauda tit. S. Clementis, G. (Guillelmi *) tit. S. Marci, Antonii (de Chalanco) tit. S. Cæciliæ, Simonis (de Cramaud arch. Remenſis) tit. S. Lau-

* Joh. de Broniaco.

* P. de Alliaco.

* G. Philaſtri Ce-

Digitized by Google

nemanenſis decani Remenſis.

rentii in Lucina, Petrus de Fuxo vulgariter nuncupatus, preſbyteri. Amedeus S. Mariæ-novæ, Regnaldus S. Viti in Macello, Ludovicus * S. Adriani, & Lucidus S. Mariæ in Coſmedin, diaconi S. Rom. eccleſiæ cardinales *.

* *Omittitur in editis.*

* Onuſtus ſive Otto de Columna diac. card. S. Georgii in Velabro.

Necnon nos Johannes Patriarcha Conſtantinopolitanus Gallicanæ, Joh. Rigenſis Germanicæ, G. (Guillelmus) Bituricenſis Gallicanæ, Nicolaus Gneſnenſis Germanicæ, Bartholomæus Mediolanenſis Italicæ, Jacobus Turonenſis Gallicanæ archiepiſcopi. Richardus Londonienſis Anglicanæ, Didacus Conchenſis Iſpanicæ, Nicolaus Barthonienſis & Willien Anglicanæ, Johannes Pacenſis Iſpanicæ, Joh. Gebennenſis Gallicanæ, Franciſcus Melfienſis, Henricus Feltrenſis Italicæ, Nicolaus * Aquenſis Hiſpanicæ, Simon Tragurienſis Germanicæ, Joh. Lichefeldenſis, Joh. Norvicenſis Anglicanæ epiſcopi, ac Jacobus Pennenſis electus Italicæ.

* *In editis* Antonius.

Robertus Cluniacenſis Gallicanæ, Thomas S. Mariæ Eboracenſis Anglicanæ, monaſteriorum abbates. Leonardus generalis ordinis Prædicatorum ſacræ paginæ Italicæ, Thomas decanus Eboracenſis ſedis apoſtolicæ notarius Anglicanæ, Pandulfus de Malateſtes archidiaconus Bononienſis Italicæ, Galterus Craſſi (Graſſi) prior Roddi decretorum, Gallicanæ, Philippus de Medallia archidiaconus pœnitentiarius in eccleſia Barcinonenſi ſacræ paginæ Hiſpanicæ, Lambertus de ſtipite prior prioratus conventualis de Bertreya Cluniac. ordinis Leodienſis diœceſis decretorum Germanicæ, Gundeſſalvus Garſiæ archidiaconus de Bruneſta Brugenſis decretorum, Valaſcus Petri de Elbis utriuſque juris Hiſpanicæ, Nicolaus de Dunckelſpucol, Conradus de Sulaco præpoſitus eccleſiæ S. Cyriaci in Nuhuſen extra muros Wormacienſes ſacræ paginæ doctores Germanicæ nationum.

Secundum formam ordinationis & decreti præſentis ſacri concilii Conſtantienſis ſuper electione Romani & ſummi pontificis tunc proxime celebranda edictorum, per ſingulas nationes in eodem concilio exiſtentes electi, & eiſdem dominis cardinalibus de eorum voluntate & conſenſu expreſſis ad electionem prædictam, hac vice duntaxat, auctoritate ejuſdem concilii adjuncti & deputati: notum facimus Chriſti fidelibus, & tenore præſentium atteſtamur nos omnes & ſingulos ſupra nominatos in conclavi in hac civitate Conſtantienſi tunc ordinato ad eligendum Romanum & ſummum pontificem congregatos & præſentes, omnibus rite obſervatis, hoc die feſto S. Martini epiſcopi, & XI. menſis Novembris, hora tertiarum anno a nativitate Domini MCCCCXVII. apoſtolica ſede vacante, Spiritus ſancti gratia invocata, nemine diſcrepante, canonice, pure, ſincere & libere, in Romanum & ſummum pontificem & B. Petri apoſtoli ſucceſſorem reverendum patrem dominum Oddonem de Columpna S. Georgii ad velum aureum diaconum cardinalem elegiſſe. Et ipſe ad id humiliter præbens conſenſum electum recepiſſe, noſque exinde eiſdem præſentibus litteras propriis manibus ſubſcripſimus in teſtimonium præmiſſorum.

Et ego Johannes Baſire litterarum apoſtolicarum corrector in omnium eligentium prædictorum ſubſcriptionibus præſens fui, & iis eidem electioni ſubſcripſi.

XLV.

Johannis archiepiſcopi Bituricenſis litteræ de apertione capſæ S. Urſini.

ANno gratiæ MCCCCLXXV. quinto Kalendas Martii, nos Johannes IV. permiſſione divina Bituricenſis archiepiſcopus, Aquitaniæ primas; & Joannes eadem permiſſione Abrincenſis epiſcopus, Regis confeſſor, notum facimus quod ad inſtantiam chriſtianiſſimi principis domini Ludovici undecimi Francorum regis, bonæ memoriæ Caroli ſeptimi filii, qui devotionis cauſa ad viſitandum eccleſiam beatiſſimi Urſini primi Bituricenſis archipræſulis venerat, capſam argenteam ſuper antiquum ſarcophagum ejuſdem beatiſſimi Urſini poſitam aperuimus, in qua ipſius ſacratum corpus olim ibi, anno ſcilicet Domini MCCXXXIX. & decimo Kalendas Novembris per ſanctum Philippum Bituricenſis eccleſiæ archiepiſcopum in ſæculo corii albi honorifice collocatum. Interfuerunt præſentes viri circonſpecti domini Martinus de Brolio prior, Joannes Godin, Guillelmus de Brolio, Mathurinus Noir, Alexander Chambelan dictæ eccleſiæ canonici. Et ut nullus deinceps præmiſſorum ignorantiam prætendere valeat, noſtræ & dictæ eccleſiæ ſigilla hic fecimus interponi cum publici notarii ſubſcriptione in teſtimonium præmiſſorum, ut plenius continetur in litteris in dicta capſa argentea poſitis.

Philibertus Gretingn.

Biſſandi. De mandato D D.

XLVI.

De Antonio Vialart archiepiſcopo Bituricenſi.

ANno Domini MDLXXIII. menſe Junio & initio menſis Julii bucellus frumenti venditus fuit in foro Bituricæ urbis 73. ſolidis Turonenſibus 74. 75. 76. 77. 78. Bucellus frumenti mixti ſiliginis conſtitit 70. ſolidis Turonenſibus, ordei ſive maruſchiæ 45. fuitque frumenti grandis admodum penuria apud Bituriges. Qua de cauſa fame per vicos & plateas civitatis plurimi defecerunt. Hic annus fuit ſecundus pontificatus SS. DD. Gregorii papæ XIII. ſecundus etiam pontificatus reverendiſſimi in Chriſto patris & domini domini Antonii Vialart Bituricenſis archiepiſcopi, patriarchæ, necnon & Aquitaniæ primatis, viri doctrina & vitæ integritate clariſſimi, qui pluribus ornamentis in adventu jucundo eccleſiam Bituricenſem opipare muneravit, qui & indeſinenter gregem ſibi creditum per dioceſes ſuas tum publicis prædicationibus tum privatis exhortationibus indefeſſis indefeſſo labore erudiens, plurimos a peſte Lutheranæ & Calvinianæ hæreſeos abſolvit, domumque archiepiſcopalem pene omnino dirutam ſumma diligentia reædificare curavit.

XLVII.

Charta fundationis ſacræ capellæ Bituricenſis.

JOHANNES regis quondam Francorum filius, dux Bituricenſis & Alverniæ, comes Pictavenſis, Stamparum, Boloniæ & Alverniæ, ac par Franciæ, locumtenensque domini mei Regis in noſtris Bituriæ, Alverniæ & Pictaviæ ſupradictis, & in ſuis Occitaniæ & ducatus Aquitaniæ patriis. Quoniam in hac peregrinatione ſolo corpore conſtituti, in illa ſuperna Jeruſalem quæ libera & ſurſum eſt matre noſtra, mente ſpirituque anhelantes converſari debemus, ad cujus gaudia triumphantis aſſidue militans filia pro ſuæ poſſibilitatis modulo falerando altiſſimo repræſentat. Ad quam etſi non vitæ præſentis merito attingentes, ſpe tamen & interno deſiderio & contemplationis armonia ſuſpiramus, ſummopere, ſummiſque ſtudiis nobis eſt viriliter inſudandum, ut non tantum in nobis, verumetiam in aliis divinum ſervicium amplietur, & locus habitationis gloriæ Domini decoratus, multis valeat honoribus inſigniri. Cum igitur præmiſſis in mentis noſtræ arcano revolutis, & inde cupientes terrena in cœleſtia, & tranſitoria in æterna commercio felici commutare, felicis recordationis domino Clementi papæ VII. exponi fecerimus quod nos de ſalute propria cogitantes, ad omnipotentis Dei & B. Mariæ Virginis ejus genitricis ac omnium ſanctorum laudem & gloriam, quandam

Digitized by Google

ſolemnem capellam ad inſtar capellæ regiæ Pariſienſis in palatio noſtro Bituricenſi conſtruere & ædificare cœperamus, & de bonis a Deo nobis collatis ipſam perficere, & in ea collegium tredecim canonicorum & totidem canonicatuum & præbendarum. Quorum quidem canonicorum unus theſaurarius & caput ipſius capellæ, & unus alius cantor, qui in eadem perſonalem reſidentiam facere & horis omnibus intereſſe teneretur, exiſterent; ac tredecim capellanorum, & tredecim vicariorum, & ſex clericorum chori; quorum quidem capellanorum unus eſſet dictorum ſex clericorum chori magiſter, inſtituere & ordinare; & eamdem capellam pro ſuſtentatione dictorum canonicorum, capellanorum, vicariorum & clericorum chori ac aliis oneribus eiſdem capellæ canonicis, capellanis, vicariis & clericis chori pro tempore incumbentibus ſupportandis ſufficienter dotare deſiderabamus; & propterea dictus dominus Clemens precibus noſtris inclinatus, dote ſufficienti pro ſuſtentatione & aliis ſupportandis oneribus hujuſmodi per nos primitus aſſignata, dictam capellam perficiendi, ac inſtituendi in ea collegium hujuſmodi, ut præferetur, licentiam auctoritate apoſtolica nobis conceſſerit, prout in litteris ipſius domini Clementis, ejus vera bulla plumbea cum filis de ſerico more Romanæ curiæ bullatis lacius continetur, quarum tenor ſequitur & eſt talis:

Clemens epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto filio nobili viro Johanni duci Bituricenſi ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Pia devotorum Deo & Eccleſiæ deſideria quæ divini cultus augmentum, & animarum ſalutem reſpicere dinoſcuntur, libenter apoſtolico favore proſequimur, eiſque benignum impertimur aſſenſum. Sane petitio tua nobis exhibita continebat quod tu de propria ſalute cogitans, ac cupiens terrena in cœleſtia, & tranſitoria in æterna felici commercio commutare, ad omnipotentis Dei & B. Mariæ Virginis ejus matris ac omnium ſanctorum laudem & gloriam quamdam ſolemnem, ad inſtar capellæ regiæ Pariſienſis, capellam in tuo palatio Bituricenſi conſtruere & ædificare cœpiſti, & de bonis a Deo tibi collatis ipſam perficere, & in ea collegium tredecim canonicorum, & totidem canonicatuum & præbendarum, quorum quidem canonicorum unus theſaurarius & caput dictæ capellæ, & unus alius cantor, qui in dicta capella perſonalem reſidentiam facere & horis omnibus intereſſe teneantur exiſtant; ac tredecim capellanorum, & tredecim vicariorum ac ſex clericorum chori, quorum quidem capellanorum unus ſit dictorum ſex clericorum chori magiſter, inſtituere & ordinare; & eamdem capellam pro ſuſtentatione dictorum canonicorum, capellanorum, vicariorum & clericorum chori, & aliis oneribus eiſdem capellæ canonicis, capellanis, vicariis & clericis chori pro tempore incumbentibus ſupportandis ſufficienter dotare proponis. Quare pro parte tua nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut tibi perficiendi capellam præfatam & in ea collegium hujuſmodi inſtituendi licentiam, necnonque collatio & proviſio ac omnimoda diſpoſitio canonicatuum & præbendarum ac capellaniarum & vicariarum dictæ capellæ, ac inſtitutio theſaurarii ac cantoris ac ſex clericorum chori hujuſmodi ad te & hæredes ac ſucceſſores tuos duces Bituricenſes in perpetuum pertineant pleno jure; & quod capella ipſa & perſonæ ipſius omnibus & ſingulis exemtionibus, libertatibus & immunitatibus ac privilegiis aliis quibuslibet uti & gaudere valeant, quibus capella regia ſupradicta & perſonæ ipſius utuntur & gaudent, concedere de benignitate apoſtolica dignaremur. Nos igitur hujuſmodi tuum laudabile propoſitum plurimum in Domino commendantes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, tibi dote ſufficienti pro ſuſtentatione canonicorum, capellanorum, vicariorum ac clericorum chori ipſorum, & aliis capellæ canonicis, capellanis, vicariis & clericis chori hujuſmodi incumbentibus ſupportandis oneribus per te primitus aſſignata, perficiendi capellam prædictam ac inſtituendi in ipſa collegium hujuſmodi, ut præferetur, auctoritate apoſtolicâ licentiam elargimur; & concedimus quod collatio & proviſio ac omnimoda diſpoſitio canonicatuum & præbendarum ac capellaniarum & vicariarum dictæ capellæ, ac inſtitutio theſaurarii & cantoris ac ſex clericorum chori hujuſmodi ad te & heredes ac ſucceſſores tuos duces Bituricenſes in perpetuum pertineant pleno jure: & quod capella ipſa ac perſonæ ipſius omnibus & ſingulis exemptionibus, libertatibus & immunitatibus ac privilegiis aliis quibuſlibet uti & gaudere valeant, quibus capella regia ſupradicta, & perſonæ ipſius uti & gaudere noſcuntur. Quæ omnia & ſingula præſentibus haberi volumus pro expreſſis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumſerit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Avenioni XVI. Calendas Septembris, pontificatus noſtri anno XIV.

Cumque poſt modum SS. in Chriſto pater & dominus noſter dominus Benedictus divina providentia papa XIII. & modernus, licet dotem ſufficientem pro ſuſtentatione & ſupportatione onerum hujuſmodi nondum tunc aſſignaſſemus, quamquam mille libras Pariſienſes vel circiter annui & perpetui reditus pro ipſa dote de bonis propriis jam acquiſiſſemus. Cum nos dictam capellam ſufficienter dotare & eam non ad inſtar capellæ regiæ prædictæ, ſed alias ſolemniter & honorifice in vita noſtra perficere, & in ea dictum collegium inſtituere, Deo concedente, proponeremus: ne propterea perfectio capellæ & inſtitutio collegii prædictorum valerent retardari providere volens, noſque favore ſpecialis gratiæ proſequi intendens, voluerit & apoſtolica auctoritate conceſſerit, quod nos dictam capellam in palatio noſtro alias ſolemniter perficere, & in ea dictum collegium inſtituere perinde valeremus, ac ſi per nos dos hujuſmodi ſufficienter tunc aſſignata fuiſſet. Volens inſuper idem noſter papa quod dictam capellam arbitrio reverendorum in Chriſto patrum archiepiſcopi Auxitani & epiſcopi Pictavenſis ac venerabilis viri archidiaconi Pariſienſis, vel duorum ipſorum ſufficienter dotare in poſterum teneremur, prout in litteris apoſtolicis dicti domini noſtri papæ Benedicti ejus vera bulla plumbea cum filis de ſerico more Romanæ curiæ bullatis ſuper hoc confectis plenius continetur, quarum tenor de verbo ad verbum ſequitur & eſt talis:

Benedictus epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto filio nobili viro Johanni duci Bituricenſi ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Sinceræ devotionis affectus quem ad nos & Romanam geris eccleſiam promeretur, ut petitionibus tuis, illis præſertim quæ divini cultus augmentum & tuæ animæ ſalutem reſpiciunt, quantum cum Deo poſſumus, favorabiliter annuamus. Dudum ſiquidem felicis recordationis Clementi papæ VII. prædeceſſori noſtro pro parte tua expoſito, quod tu de propria ſalute cogitans, ac cupiens terrena in cœleſtia, & tranſitoria in æterna felici commercio commutare, ad omnipotentis Dei & B. Mariæ Virginis ejus matris ac omnium ſanctorum laudem & gloriam, quandam ſolemnem ad inſtar capellæ regiæ Pariſienſis capellam in tuo palatio Bituricenſi conſtruere & ædificare cœperas, & de bonis a Deo tibi collatis ipſam perficere & in ea collegium tredecim canonicorum & totidem canonicatuum & præbendarum. Quorum quidem canonicorum unus theſaurarius & caput dictæ capellæ, & unus alius cantor, qui in eadem capella perſonalem reſidentiam facere ac horis omnibus intereſſe teneretur, exiſterent; ac tredecim capellanorum & tredecim vicariorum & ſex clericorum chori, & aliis oneribus eiſdem capellæ canonicis, capella-

bis, vicariis & clericis chori pro tempore incumbentibus ſupportandis ſufficienter dotare proponebas. Idem prædeceſſor dote ſufficienti pro ſuſtentatione & aliis ſupportandis oneribus hujuſmodi per te primitus aſſignata, perficiendi capellam prædictam, ac inſtituendi in ea collegium hujuſmodi, ut præfertur, licentiam auctoritate apoſtolica conceſſit, prout in ejuſdem prædeceſſoris ſuper hoc confectis litteris plenius continetur. Cum autem ſicut exhibita nobis nuper pro parte tua petitio continebat, tu dotem ſufficientem pro ſuſtentatione ac ſupportatione onerum hujuſmodi nondum aſſignaveris, licet jam mille libras Pariſienſes vel circiter annui & perpetui reditus pro dote hujuſmodi de bonis propriis acquiſieris, dictamque capellam ſufficienter dotare, & eam non ad inſtar dictæ capellæ regiæ, ſed alias ſolemniter & honorifice in vita tua perficere, & in ea dictum collegium inſtituere proponas; nos ne propterea perfectio capellæ & inſtitutio collegii prædictorum valeant retardari providere, teque favore ſpecialis gratiæ proſequi intendentes, tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, volumus & apoſtolica tibi auctoritate concedimus, quod dictam capellam in tuo palatio alias ſolemniter perficere, & in ea dictum collegium inſtituere proinde valeas, ac ſi per te dos hujuſmodi ſufficienter aſſignata fuiſſet, & in eiſdem litteris quod ad inſtar capellæ regiæ conſtituere volebas expreſſum minime extitiſſet. Volumus autem quod capellam ipſam arbitrio venerabilium fratrum noſtrorum archiepiſcopi Auxitani & epiſcopi Pictavienſis, ac dilecti filii archidiaconi Pariſienſis vel duorum ex eis dotare ſufficienter in poſterum tenearis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ voluntatis & conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumſerit, indignationem omnipotentis Dei & B. Petri & Pauli apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Maſſiliæ apud S. Victorem IX. Junii, pontificatus noſtri anno X.

Notum ſiquidem facimus præſentibus & futuris, quod nos attendentes dictum Apoſtoli conteſtantis, quoniam qui parce ſeminat, parce & metet, & qui ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet. Et idcirco cupientes diem extremum bonis operibus prævenire, ac in terris ſeminare quod cum multiplici fructu recolligere valeamus in cœlis: in deſiderio noſtro præmiſſo perſiſtentes, & attendentes quod non eſt ab incepto opere præſertim tam præcellenti tamque decoro quod inter cetera hujuſmodi nobis deſiderabilia, nec immerito nobis eſt præcipuum & corde fixum gerimus deſiſtendum, donec fructus proveniant operanti, in reverendorum in Chriſto patrum Dei gratia Johannis archiepiſcopi Auxitani, & Geraldi epiſcopi Pictavienſis, ac magiſtri Petri Trouſſelli archidiaconi Pariſienſis commiſſariorum & executorum de & ſuper arbitramento dotationis dictæ capellæ noſtræ auctoritate apoſtolica deputatorum præſentia vocatis, ad hoc etiam & præſentibus reverendis in Chriſto patribus Petro Toletano in Francia nuncio apoſtolico, Petro Bituricenſi & Vitale Toloſano archiepiſcopis, Helia Anicienſi & Petro Achaienſi epiſcopis, ac Bernardo S. Sulpicii in ſuburbiis Bituricenſibus, Aymerico S. Ambroſii Bituricenſis abbatibus, necnon nobilibus viris cariſſimis filiis noſtris Johanne Claramontenſi & Carolo Algi, ac conſanguineis noſtris Ludovico Vindocinenſi, & Beraudo dalphino Alverniæ & Claromontenſi in Alvernia comitibus, Johanne de Rupe-Cavardi, & Guidone domino Caſtri-Radulfi & Brociæ vicecomitibus. Inſuper & aliorum tam eccleſiaſticorum quam nobilium notariorum publicorum & perſonarum utriuſque ſexus multitudine copioſa, capellam noſtram prædictam ſecundum quod cenſura apoſtolica nos impellit, bonis, rebus, reditibus, cenſibus, proventibus, & aliis infra ſcriptis per nos ſpecialiter pro ipſius capellæ dotatione & collegii ejuſdem acquiſitis dotavimus & dotamus, eidemque capellæ ad opus & uſum ipſius & ad ſuſtentationem, & pro ſuſtentatione theſaurarii, cantoris, canonicorum, capellanorum, vicariorum, clericorum chori & perſonarum ejuſdem ac aliis oneribus eiſdem capellæ theſaurario, cantori, canonicis, capellanis, vicariis, clericis incumbentibus ſupportandis, ex noſtra certa ſcientia meraque liberalitate dedimus & donavimus, conceſſimus, tranſtulimus & dimiſimus, damuſque, donamus, concedimus, transferimus & dimittimus, & nos dediſſe & donaſſe, conceſſiſſe, tranſtuliſſe ac dimiſiſſe penitus in perpetuum recognoſcimus per præſentem dotem & pro dote, modo & forma infra ſcriptis villas, caſtra, caſtellanias, terras dominiaque de Vaſtino, de Buxolio & de Villa-nova ſubtus Carillon, cum baronia, villis, caſtris, terris de Graceyo, Luceyo in campania, de Giro, de Novento inter aquas, de Genoilliaco, Gaufreneyo, de capella monachi Martini in noſtra patria & dioceſi Bituricenſi conſiſtentes, ſalvo & retento nobis & ſucceſſoribus noſtris ducibus Bituricenſibus hoſpicio de Genoilliaco, & quod nos & eidem ſucceſſores noſtri poſſimus & nobis liceat in ſilvis & nemoribus dictarum baroniæ de Graciaco & terræ de Genoilliaco venari ad omnia animalia, & recipere nemus pro calefaciendo in dicta domo, ac etiam pro ædificiis dicti hoſpicii de Genoilliaco, & reparationibus ejuſdem faciendis in & de ipſis ſilvis & nemoribus dumtaxat. Necnon villam & terras de Salebris & de Ardeloa in patria Sigaloniæ ſituatas. Item, &c.

Præterea nos conſiderantes & attendentes quod theſaurarius capellæ noſtræ ſuique ſucceſſores pro ipſorum ſtatu capellæque & collegii prædictorum honeſtate, habebunt ſubire ſumptus præ ceteris grandiores, dignum, quinimmo debitum arbitramur ipſos theſaurarium & ſuos ſucceſſores exinde gaudere majori commodo & honore, ut ad id tanto ferventius animentur, quanto uberius propterea ſenſerint ſe præditos. Eapropter locum manerium ſive hoſpitium noſtrum de Horiaco ſupra ripariam Yeuræ in parrochia S. Dulchardi & patria noſtra Bituricenſi ſituatum, ut præfertur, cum omnibus & ſingulis ejus domibus, grangiis, molendinis, clibanis, columberiis & aliis ædificiis, dumis, nemoribus, uſibus, uſagiis, garenis, cenſibus, redditibus, revenutis, decimis, franchiſiis, libertatibus, prærogativis, proprietatibus, poſſeſſionibus, demandis, accionibus, juribus, deveriis, feudis, retrofeudis & aliis pertinentiis & appenditiis rebus & bonis immobilibus quibuſcumque, præfato theſaurario ſuiſque ſucceſſoribus pro augmentatione & ad augmentationem theſaurariæ dictæ noſtræ capellæ donavimus, conceſſimus, donamus & concedimus, noſque dediſſe & conceſſiſſe recognoſcimus, & ad eamdem theſaurariam ultra & ſupra groſſos fructus alios, panem, diſtributiones & alia jura, quos & quæ idem theſaurarius ſuique ſucceſſores percipient & percipere habebunt in capella noſtra antedicta ratione & ad cauſam theſaurariæ prælibatæ ſolum pertinere volumus, cenſemus, & ordinamus per præſentes, ac etiam ſtatuimus quod ipſe theſaurarius, qui fuerit pro tempore, ſumptibus memoratæ capellæ homagia de rebus ipſius capellæ ſub ſigillo ſuo præſtare, & a vaſſallis dictæ capellæ recipere habeant & teneantur, & quod emolumenta de prædictis & aliis omnibus quibuſcumque, tam ſub eodem ſuo ſigillo quam ſigillis capituli capellæ noſtræ prædictæ ſua faciant & habeant ſibi applicari, abſque eo quod cantor, canonici, & aliæ perſonæ dictæ noſtræ capellæ præſentes & poſteri in prædictis omnibus & ſingulis per nos eidem theſaurario ſuiſque ſucceſſoribus pro augmentatione & ad augmentationem dictæ theſauratiæ, ut præfertur, donatis conceſſis & ordinatis poſſint & valeant aliquid petere exigere prætendere ſeu reclamare quovis modo nunc & in futurum. Quæquidem villæ, caſtra, caſtellaniæ, baroniæ,

a. Cor. 9. 6.

Digitized by Google

ronia, loca, terræ, dominia, hoſpitia, feuda, retrofeuda ipſorum, uſagia, cenſus, reditus, proventus & aliæ res, ſic, ut præmittitur, per nos acquiſiti & acquiſita, dictæque capellæ noſtræ & theſaurario ac perſonis ejuſdem conceſſa & donata cum omnibus fundis, juribus, partibus & pertinentiis univerſis, ut præfertur, valent & valere poſſunt & debent, ipſaque valere & valere poſſe & debere annis ſingulis aſſerimus eſtimatione communi & legitima ſummam duarum millium librarum Turonenſium annui & perpetui reditus & ultra. Licet autem hæreditagia, poſſeſſiones, & res, cenſus, redditus & jura hujuſmodi ſic per nos donata, ceſſa, & tranſlata, plus valeant nunc & in poſterum quam ſit ſuperius expreſſum; volumus tamen, & accordamus quod ipſe & ipſa omnia & ſingula eiſdem capellæ, theſaurario, cantori, canonicis, & perſonis ipſius præſentibus & futuris perpetuo ſint, remaneant & pertineant in & ſub quibuscumque valore & æſtimatione perſiſtant; immo totum illud plus valens ipſis tenore præſentium damus, quittamus, remittimus & tranſportamus per præſentes. De quibus quidem per nos dictæ capellæ noſtræ & perſonis ejuſdem, theſaurarioque ipſius & ſuis ſucceſſoribus, ut præmittitur, conceſſis & donatis, & de omni jure, actione, poſſeſſione, proprietate & vero dominio eorumdem, nos deſſaiſivimus, & inveſtivimus, ſaiſimuſque & inveſtimus per præſentes, nomine & ad opus dictæ capellæ noſtræ & perſonarum ac theſaurarii ejuſdem; ipſoſque capellam, theſaurarium & perſonas ejuſdem ſuoſque ſucceſſores ſaiſivimus & inveſtivimus, ſaiſimuſque & inveſtimus præſentialiter de eiſdem per conceſſionem & traditionem præſentium litterarum animo & intentione fidelibus; jus, poſſeſſionem, actionem, proprietatem & verum dominium villarum, caſtrorum, caſtellaniarum, baroniæ, rerum, uſagiorum, terrarum, dominiorum, hoſpitiorum, cenſuum, reddituum, & proventuum jutiumque & pertinentiarum ſuarum quarumcumque in dictam capellam noſtram ac theſaurarium & perſonas ejuſdem pro tempore transferendi cedendique penitus & quittandi. Conſtituentes nos villas, caſtra, caſtellanias, baroniam, terras, res, uſagia, dominia, hoſpitia, cenſus, reditus & proventus prædictos tenere & poſſidere nomine dictæ capellæ, quousque dictus theſaurarius earum poſſeſſionem fuerit adeptus & aſſecutus. Volentes & conſtituentes quod theſaurarius qui pro tempore fuerit, ſuo nomine & ad opus dictæ capellæ poſſeſſionem realem actualem & corporalem villarum, caſtrorum, caſtellaniarum, baroniæ, rerum, uſagiorum, terrarum, dominiorum, hoſpitiorum, cenſuum, reddituum, proventuum, feudorum & retrofeudorum hujuſmodi capere, apprehendere & retinere libere & licite valeat, prout, quando & quociens ſibi placuerit, nobis irrequiſitis, & abſque cujuſcumque judicis vel juris offenſa. Conſtituentes dictos theſaurarium, cantorem, canonicos, capellanos, vicarios & clericos & eorum ſucceſſores, quoad hoc, dominos & proprietarios ac procuratores in rem ſuam. Dictaſque villas, caſtra, caſtellanias, baroniam, feuda, retrofeuda, res, uſagia, terras, dominia, hoſpitia, cenſus, reditus & proventus cum eorum juribus, partibus, pertinentiis univerſis penitus & in perpetuum admortizamus, & eas acquictare & acquictari, ac admortizari facere cum effectu, & eximere ab omni jugo & onere ſervitutis domini mei regis Franciæ, & aliorum quorumcumque dominorum temporalium & ſpiritualium, & eas admortizatas francaſque & in franco alodio dictæ capellæ facere habere, & habere licere penitus & in perpetuum pacifice & quiete, perpetuo poſſidere, ſalvas, quittas, & immunes ab omni evictione & quacumque petitione perſonæ collegii ſeu univerſitatis cujuſcumque noſtris propriis ſumptibus, miſſionibus & expenſis, promittimus bona fide. Et ſi & in caſu quo aliquos vel aliquas de ipſis admortizare ſeu admortizari & acquittare ſeu acquittari & eximi facere non poſſemus, ut præfertur; eo caſu dictis capellæ noſtræ & theſaurario, & capitulo ejuſdem dabimus & faciemus dare quod facere & tradere bona fide promittimus de terris, reditibus & poſſeſſionibus hujuſmodi non admortizatis, acquitatis nec exemptis, recompenſationem condignam noſtris propriis ſumptibus, miſſionibus & expenſis. Et inſuper promittimus bona fide in verbo filii Regis, res, terras, reditus, dominia & poſſeſſiones prædictas omnes & ſingulas dictis capellæ, theſaurario, canonicis, capellanis, vicariis & cleticis chori ejuſdem adverſus & contra omnes gentes & perſonas, in judicio & extra judicium penitus & in perpetuum defendere ac etiam garendire ab omni vi, violentia, moleſtatione, perturbatione & impedimento facti & juris, quitte & libere ab omnibus & ſingulis actionibus, debitis, petitionibus, obligationibus, donis, ceſſionibus conſtumis, redebentiis, ſervitiis, ſervitutibus, hypothecis, dotibus, dotalitiis, oſcleis, eleemoſynis, legatis, pignorationibus & aliis oneribus realibus & perſonalibus quibuſcumque; & calumniam, litem, vim, moleſtationem, perturbationem & impedimentum, ſi quas vel quod in eis vel eorum aliqua appoſita fuerint, vel in futurum apponi contigerit, exinde amovere, & amoveri facere & procurare penitus & cum effectu realiter & de facto, ac onus & defenſionem litis, ſi quam de & ſuper eis oriri contingat, de facto vel de jure in nos ſuſcipere & uſque ad finem debitum proſequi noſtris propriis ſumptibus, miſſionibus & expenſis. Dictiſque theſaurario, canonicis & aliis perſonis ipſius capellæ integre refundere, reſarcire, & reſtaurare omnes ſumptus, miſſiones, damna, intereſſe, & expenſas, ſi quas vel ſi quod ob defectum præmiſſorum fecerint vel ſuſtinuerint, vel facere aut ſuſtinere habuerint. Et de & ſuper hoc ſtare & credere ſimpliciter ſolo & ſimplici verbo theſaurarii memorati. Et quoad præmiſſa omnia & ſingula tenenda, facienda, complenda, & in perpetuum ac inviolabiliter obſervanda & ad non veniendum contra obligamus & hypothecamus nos & ſucceſſores noſtros, omniaque noſtra & eorum bona mobilia & immobilia, præſentia & futura dictis capellæ noſtræ theſaurario & collegio ejuſdem, juriſdictionibus, viribus & coercitionibus & compulſionibus curiarum cameræ apoſtolicæ, parlamentique dicti domini mei, & præpoſituræ ſuæ Pariſienſi, mareſcalli domini noſtri papæ, parvi ſigilli Montis-peſſulani ac archiepiſcopi Bituricenſis, omniumque & ſingularum aliarum eccleſiaſticarum & ſecularium & cujuſlibet earumdem tam conjunctim quam diviſim, ſub quibus res, terræ & poſſeſſiones prædictæ conſiſtunt & poterunt reperiri indeclinabiliter ſupponendo, exceptioni donationis, conceſſionis & aliorum præmiſſorum non factorum, non conceſſorum; omnique actioni doli, mali fori, conditioni ſine cauſa & ob cauſam cauſa non ſecuta, conventioni de loco & judice, fidei relaxationi omni juris ſcripti & non ſcripti, auxilio, omnique uſui, conſuetudini, & ſtatuto cujuſlibet patriæ ſive loci huic facto contrariis, omnibuſque libertatibus, immunitatibus, indulgentiis, privilegiis & gratiis, reſpectibus, oppoſitionibus, cautelis, cavillationibus, dilationibus, diſpenſationibus, abſolutionibus, ac litteris apoſtolicis, Regis, ac aliis quibuſcumque impetratis & impetrandis, & generaliter omnibus aliis & ſingulis exceptionibus, rationibus, allegationibus & defenſionibus juris & facti quibuſcumque, quæ contra præmiſſa, vel aliquod præmiſſorum proponi poſſent, objici, ſive dici ac omni juri dicenti generalem renunciationem non valere niſi præceſſerit ſpecialis. Verum etiam quia cantor hujuſmodi noſtræ capellæ ratione ſuæ cantoriæ ad continuam in dicta capella noſtra reſidentiam, ceteraque alia prout cantor capellæ regiæ prælibatæ facere tenebitur, volumus & ordinamus quod ipſe & ejus ſucceſſores ultra ſuam præbendam percipiant & habeant anno quolibet

ratione ſuæ cantoriæ quinquaginta libras Turonenſes, ſingulis diebus certo modo diſtribuendas, & ſub pœnis prout in ſtatutis prædictæ noſtræ capellæ per commiſſarios ante dictos fiendis videbitur latius contineri; villas vero, caſtra, caſtellanias, baroniam, domos, maneria, loca, feuda, retrofeuda ipſorum, res, uſagia, terras, reditus & poſſeſſiones per nos prædictis capellæ noſtræ theſaurario, cantori, canonicis, capellanis, vicariis & clericis chori ejuſdem donatas, conceſſas & dimiſſas, cum earum juribus & pertinentiis univerſis, ut ſuperius eſt expreſſum, nos tamquam locumtenens prædicti domini mei regis in noſtris Bituriæ, Alverniæ & Pictaviæ, & in ſuis linguæ Occitanæ & ducatus Aquitaniæ patriis virtute noſtri locumtenentiæ officii, & auctoritate regia virtute ipſius officii nobis commiſſa admortizavimus & tenore præſentium amortizamus; volentes, concedentes & ordinantes, quod dicti capellæ, theſaurarius, cantor, canonici, capellani, vicarii & clerici ipſius pro tempore illas & illa libere & licite perpetuo teneant, poſſideant & explectent tamquam res eccleſiaſticas & admortizatas, ſacris uſibus dedicatas, abſque hoc quod eas vel ea vendere, aut extra manus ſuas ponere, & eidem domino meo regi vel nobis aut aliis quibuſcumque indemnitates, financias ſeu rachatum, ac jus rachapti propterea dare, ſolvere vel tradere teneantur. Quas financias, indemnitates, & rachapcum ac jus rachapti, ſi quæ ſint vel fuerint aut competant in eiſdem ipſis capellæ, theſaurario & collegio ejuſdem donavimus, remiſimus & quittavimus, donamus, remittimus & quittamus penitus & in perpetuum per preſentes. Et pro majori ſecuritate præmiſſorum, nos de fidelitate, diligentia, probitateque & induſtria procuratorum fiſcalium curiarum prædictarum, & cujuſlibet earum, nec non dilectorum & fidelium noſtrorum magiſtrorum Petri Trouſſelli archidiaconi Pariſienſis, prædicti Johannis Juvenalis, Guillermi le Tur, Guillermi de Bleto licentiatorum in legibus, Nicolai Viant, Guillermi de Veauce conſiliariorum noſtrorum, Johannis Rabatelli, Johannis Guerini, Hugonis de Spina, & Guillermi Anuſſon, confidentes ipſos & eorum quemlibet in ſolidum: ita quod occupantis conditio melior non exiſtat; ſed quod per unum ipſorum inceptum fuerit, per alium proſequi valeat & finiri, facimus, conſtituimus, creamus & ordinamus per preſentes noſtros procuratores & nuncios ſpeciales & generales, dantes eiſdem & eorum cuilibet plenam & liberam poteſtatem, ſpecialeque & generale mandatum coram judicibus curiarum prædictarum & aliarum quarumcumque pro nobis & noſtro nomine comparendi, omniaque & ſingula in præſentibus expreſſa judicialiter & extrajudicialiter confitendi & recognoſcendi, auctoritateque & decreto ipſarum expediri & confirmari ac executione debite, quotiens opus fuerit demandari, petendi, requirendi & faciendi forum, cenſuras & ſententias quaſcumque in nos & ſucceſſores noſtros ſuſcipiendi & foro conſentiendi, poſſeſſiones reales & corporales rerum prædictarum ſic tranſlatarum eiſdem capellæ & theſaurario, ſi ſit opus, tradendi, liberandi, & expediendi pacifice & abſque contradictionis obſtaculo cujuſcumque unum vel plures procuratores ad præmiſſa omnia & ſingula loco ſui ſubſtituendi & revocandi. Et generaliter omnia & ſingula faciendi, dicendi, & exercendi quæ in præmiſſis & circa ea neceſſaria fuerint, aut alias quomodolibet oportuna, & quæ nos faceremus aut facere poſſemus ſi perſonaliter intereſſemus, etiamſi talia fuerint, quæ ſpecialiori mandato noſceremur egere. Promittentes ipſos procuratores noſtros, & ab eis ſubſtituendos nullatenus revocari: quinimmo ratum & gratum perpetuo habere quicquid per ipſos & eorum quemlibet actum geſtumve fuerit in præmiſſis aut alias quomodolibet procuratum.

Verum quia facta dotatione & donatione cum aliis præmiſſis, & facta diligenti & debita inquiſitione & informatione per dictos archiepiſcopum, & epiſcopum ac archidiaconum commiſſarios & executores prænominatos de & ſuper acquiſitione, dotatione, donatione, conceſſione & dimiſſione & aliis de quibus ſupra fit mentio, & valoribus villarum, caſtrorum, caſtellaniarum, baroniæ, domorum, molendinorum, locorum, terrarum, feudorum, retrofeudorum, uſagiorum, redituum, poſſeſſionum & rerum præmiſſarum ipſi commiſſarii repererunt, ſibique legitime conſtitit, nos ipſas prædictæ capellæ, theſaurariæque & aliarum perſonarum ipſius dotatione acquiſiviſſe, & eas in dotem & pro dote ipſarum dediſſe, conceſſiſſe, tranſtuliſſe, aſſignaſſe, & dimiſiſſe modo & forma ſupradictis: eapropter iidem commiſſarii & executores facta, recenſita, & diligenter inſpecta informatione prædicta, factaque etiam calculatione de rebus, terris, reditibus, poſſeſſionibus memoratis, & earum valoribus, videntes & attendentes quod dicti reditus valde congrue ſufficiebant & ſufficiunt, ſufficereque poſſunt, & debent ad ſuſtentationem & pro ſuſtentatione dictorum theſaurarii tredecimque canonicorum, tredecim capellanorum, tredecim vicariorum & ſex clericorum chori, & pro aliis oneribus eiſdem capellæ, theſaurario, canonicis, vicariis & clericis pro tempore incumbentibus, ſupportandis arbitrati fuerint, & declaraverint, matura deliberatione prahabita, capellani prædictam dictis reditibus ſic per nos traditis & aſſignatis fuiſſe & eſſe ſufficienter fundatam & competenter dotatam, ipſoſque reditus per nos pro dote ſufficienti ejuſdem capellæ aſſignatos ad ſuſtentationem perſonarum & ſupportationem onerum hujuſmodi ſufficere, & ſufficere poſſe & debere; & ad ulteriorem perfectionem dictæ capellæ ac inſtitutionem collegii prædicti & ordinationem ſtatutorum ejuſdem fore procedendum, ut in litteris ipſorum commiſſariorum eorum ſigillis ſigillatis, ſigniſque & ſubſcriptionibus notariorum in eiſdem ſubſcriptorum ſignatis, ſeu communitis continetur, quarum tenor ſequitur ſub hac forma: Johannes Dei gratia archiepiſcopus Auxitanus, & Geraldus eadem gratia epiſcopus Pictavienſis, ac Petrus Trouſſelli licentiatus in legibus archidiaconus Pariſienſis, executores & commiſſarii ad infra ſcripta a ſancta ſede apoſtolica ſpecialiter deputati, univerſis & ſingulis ad futuram rei memoriam notum facimus per preſentes, quod dudum felicis recordationis domino Clementi papæ VII. pro parte illuſtriſſimi & ſereniſſimi principis domini Johannis ducis Bituricenſis expoſito, quod ipſe dominus dux de propria ſalute cogitans ac cupiens terrena in cœleſtia & tranſitoria in æterna felici commercio commutare, ad omnipotentis Dei & B. Mariæ Virginis ejus matris, ac omnium Sanctorum laudem & gloriam, quamdam ſolemnem ad inſtar capellæ regiæ Pariſienſis capellam in ſuo palatio Bituricenſi conſtruere & ædificare cæperat, & de bonis ſibi a Deo collatis ipſam perficere, & in ea collegium tredecim canonicorum & totidem canonicatuum & præbendarum, quorum quidem canonicorum unus theſaurarius & caput dictæ capellæ, unus alius cantor, qui in eadem capella perſonalem reſidentiam facere & horis omnibus intereſſe teneretur, exiſterent, ac tredecim capellanorum & tredecim vicariorum & ſex clericorum chori: quorum quidem capellanorum unus eſſet dictorum ſex clericorum magiſter, inſtituere & ordinare; & eamdem capellam pro ſuſtentatione dictorum canonicorum, capellanorum, vicariorum & clericorum chori & aliis oneribus eiſdem capellæ canonicis, capellanis, vicariis, & clericis chori pro tempore incumbentibus ſupportandis ſufficienter dotare proponebat: idem dominus Clemens, dote ſufficienti pro ſuſtentatione & aliis ſupportandis oneribus hujuſmodi per eumdem dominum ducem primitus aſſignata, perficiendi capellam prædictam ac inſtituendi in ea collegium

hujuſmodi, ut præfertur, licentiam auctoritate apoſtolica conceſſit, & ſubſequenter SS. in Chriſto pater & dominus noſter, dominus Benedictus divina providentia papa XIII. modernus, non obſtante quod præfatus dominus dux dotem ſufficientem pro ſuſtentatione & ſupportatione onerum hujuſmodi nondum nunc aſſignaſſet, licet jam mille libras Pariſienſes vel circiter annui & perpetui reditus pro dote hujuſmodi de bonis propriis acquiſiviſſet, cum ipſe dominus dux dictam capellam ſufficienter dotare, & eam ad inſtar capellæ regiæ prædictæ, ſed alias ſolemniter & honorifice in vita ſua perficere, & in ea dictum collegium inſtituere proponeret, ne propterea perfectio capellæ & inſtitutio collegii prædictorum valerent retardari, providere volens, ipſumque dominum ducem favore ſpecialis gratiæ proſequi intendens, voluit & apoſtolica auctoritate conceſſit, quod ipſe dominus dux dictam capellam in ſuo palatio alias ſolemniter perficere, & in ea dictum collegium inſtituere perinde valeret, ac ſi per eumdem dominum ducem dos hujuſmodi ſufficienter tunc aſſignata fuiſſet. Et inſuper voluit idem dominus noſter papa Benedictus XIII. modernus ut capellam prædictam arbitrio noſtrorum executorum & commiſſariorum memoratorum, vel duorum noſtrorum præfatus dominus dominus dux ſufficienter dotare in poſterum teneretur, prout in litteris apoſtolicis dicti domini noſtri papæ Benedicti ſuper hoc confectis plenius continetur, quarum tenor ſequitur in hunc modum:

Benedictus epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto filio nobili viro Johanni duci Bituricenſi S. & A. B. Sinceræ devotionis affectus quem ad nos & Romanam geris eccleſiam promeretur ut petitionibus tuis, illis præſertim quæ divini cultus augmentum & tuæ animæ ſalutem reſpiciunt, quantum cum Deo poſſumus favorabiliter annuamus. Dudum ſiquidem felicis recordationis *& cetera ut ſupra de verbo ad verbum.*

Subſequenter vero nos executores & commiſſarii memorati in negotio hujuſmodi rite & legitime procedere volentes, noſtram cum teſtibus fide dignis juratis & diligenter examinatis, & alias legitime inquiſitionem ſeu informationem fecimus diligentem, per quam reperimus nobiſque conſtitit & conſtat præfatum dominum ducem acquiſiviſſe pro dotatione dictæ capellæ, & eidem capellæ in & pro dote realiter & de facto tradidiſſe & aſſignaſſe terras, hæreditagia, bona, res, redditus, & proventus qui ſequuntur. Primo videlicet villas, caſtra, caſtellanias, terras, dominia de Vaſtino, de Buxolio, &c. Præterea reperimus nobiſque conſtitit & conſtat fuiſſe & eſſe auctoritate apoſtolica unitos, unitas & unita dictæ capellæ pro ſuſtentatione omnium ſervitorum ejuſdem, eccleſias, vicarias, abbatias, prioratus, redditus & beneficia eccleſiaſtica quæ ſequuntur, videlicet eccleſiam collegiatam S. Auſtregeſili de caſtro Bituricenſi, cujus reditus valent communibus annis mille nongenti ſex libras & quatuordecim ſolidos Turonenſes. Item abbatiam de Rainpieds, cujus reditus valent communibus annis trecentas libras, decem & novem ſolidos Turonenſes. Item abbatiam S. Ypoliti cujus reditus valent annis ſingulis communiter trecentas viginti quinque libras quinque denarios Turonenſes. Item prioratum S. Johannis evangeliſtæ Bituricenſis, cujus reditus valent communibus annis ſingulis triginta duas libras octo ſolidos Turonenſes, domibus quæ ſunt infra ſepta ſeu in pertinentiis dicti prioratus ad eumdem prioratum pertinentibus minime computatis. Quæ quidem uniones tam per ceſſum quam per deceſſum pacifice & quiete ſuum debitum ſortitæ fuerunt & ſuum effectum, nonnullos vero alios prioratus, utpote prioratum S. Fulgentii Bituricenſis, & prioratum de Diou Bituricenſis diœceſis reperimus fore dictæ capellæ unitos, quorum uniones nondum ſortitæ ſunt effectum, prout præmiſſa omnia & ſingula latius & ſerioſius ſpecificata, deſignata & expreſſata in inquiſitione ſeu informatione prædicta in ſcriptis reducta & manu publica ſignata continetur.

Quocirca nos archiepiſcopus, epiſcopus & archidiaconus executores & commiſſarii memorati, volentes juxta voluntatem dicti domini noſtri papæ ad arbitramentum & declarationem dictæ dotationis rite procedere, facta, recenſita & diligenter inſpecta informatione prædicta & contentis in ipſa, factaque etiam calculatione de reditibus prædictis & eorum valoribus, videntes & attendentes quod dicti reditus ultra uniones prædictas valde congrue ſufficiunt & ſufficere poſſunt & debent ad ſuſtentationem & pro ſuſtentatione dictorum tredecim canonicorum, tredecim capellanorum, tredecim vicariorum & ſex clericorum chori, & pro aliis oneribus ejuſdem capellæ, canonicis, capellanis, vicariis & clericis pro tempore incumbentibus ſupportandis unanimiter & concorditer omnes tres ſimul arbitrati ſumus, & declaravimus, & tenore præſentium arbitramur & declaramus, matura deliberatione præhabita, hujuſmodi capellam de dictis reditibus & bonis ſic per præfatum dominum ducem traditis & aſſignatis, ut præfertur, fuiſſe & eſſe ſufficienter fundatam & competenter dotatam, & eoſdem reditus & bona per ipſum dominum ducem pro dote ſufficienti dictæ capellæ aſſignatos ad ſuſtentationem perſonarum, & ſupportationem onerum hujuſmodi ſufficere, & ſufficere poſſe & debere; ipſamque dotem fuiſſe & eſſe ſufficientem & ad alias uniones & ulteriorem perfectionem dictæ capellæ & ordinationem ſtatutorum ejuſdem fore procedendum. Hoc tamen ſalvo quod præfatus dominus dux ſuis propriis ſumptibus & expenſis debeat & teneatur omnes terras, reditus & poſſeſſiones ſuperius expreſſatas penitus adquietari, admortizari facere cum effectu, & eximere ab omni jure & jugo ſervitutis domini noſtri regis Franciæ & aliorum quorumcumque dominorum ſpiritualium & temporalium, & eas admortizatas, francas & in franco alodio dictæ capellæ facere habere, & habere licere penitus & in perpetuum, ac pacifice & quiete perpetuo poſſidere, ſalvas, quittas & immunes ab omni evictione & quacumque petitione perſonæ, collegii & univerſitatis cujuſcumque. Si vero dictus dominus dux aliquos vel aliquas de terris, reditibus & poſſeſſionibus hujuſmodi non admortizatis, acquittatis nec exemptis facere teneatur. In quorum omnium & ſingulorum fidem & teſtimonium præmiſſorum, præſentes litteras, præſentem noſtram declarationem in ſe continentem per notarios publicos infra ſcriptos ſubſcribi & ſignari mandavimus, noſtrorumque ſigillorum juſſimus appenſione muniri. Datum & actum Bituris in palatio ſupra dicto, anno Domini MCCCCV. indictione tertiadecima, menſis Aprilis die XIX. pontificatus dicti domini noſtri papæ Benedicti XIII. anno XI. præſentibus ad hæc reverendiſſimis in Chriſto patribus & dominis, dominis Petro Tholetano ſedis apoſtolicæ in Francia nuncio, Petro Bituricenſi, Vitale Toloſano archiepiſcopis; Helia Anicienſi & Petro Aquenſi epiſcopis, ac Aymerico S. Ambroſii & Bernardo S. Sulpicii Bituricenſis monaſteriorum abbatibus, nobilibuſque ac potentibus viris & dominis dominis Johanne Claromontenſi, Carolo Augi, Ludovico Vindocinenſi, & Beraudo dalphino Alverniæ comitibus, necnon Guidone de Brocia & Johanne de Rupe-cavardi vicecomitibus, cum pluribus aliis teſtibus ad præmiſſa vocatis ſpecialiter & rogatis. Et ego Johannes de Sauzaio publicus auctoritate apoſtolica notarius dotationi, &c. Nos præmiſſum noſtræ devotionis propoſitum continuantes, & in eo perſeverantes, ac ipſum continuare volentes, in ipſorum commiſſariorum & executorum & aliorum ſupra ſcriptorum præſentia collegium ſupradictum ex indulgentia & conceſſione apoſtolica antedicta, in præfata capella noſtra ad laudem & gloriam & honorem ſanctiſſimi Salvatoris

Domini noſtri Jeſu Chriſti & totius Trinitatis ſanctiſſimæ, & B. Mariæ Virginis Dei genitricis, omniumque ſanctorum inſtituendum duximus & inſtituimus per præſentes, pro animarum noſtri progenitorumque & conſortum ac liberorum noſtrorum remedio & ſalute, ad deſerviendum Deo omnipotenti & ejus genitrici, ac omnibus ſanctis laudabiliter in divinis horis canonicis diurnis & nocturnis in ipſa capella noſtra ſecundum ordinationes & ſtatuta dictorum commiſſariorum & executorum fienda & edenda perpetuo duraturum; & tredecim canonicatus & totidem præbendas, & tredecim capellanias, ac tredecim vicarias & ſex clericatus, videlicet unam theſaurariam, quæ dignitas & caput dictæ capellæ exiſtit cum canonicatu & duabus præbendis, & etiam unam cantoriam cum canonicatu & una præbenda ejuſdem capellæ ac emolumentis aliis infra deſignatis, & undecim alios canonicatus & undecim præbendas, cum dictis tredecim capellaniis, tredecim vicariis & ſex clericatibus chori fundavimus & creavimus, & tenore præſentium fundamus & creamus clericis ſæcularibus aſſignandos. Quas quidem capellanias, vicariatus & clericatus ſæpe dictos volumus & ordinamus officia ſimplicia & ad nutum theſaurarii qui pro tempore fuerit ad inſtar capellæ regiæ fore revocabilia, prout in ſtatutis per commiſſarios antedictos ſuper hoc edendis latius videbitur contineri. Et habito fideli & laudabili teſtimonio de perſona venerabilis & dilecti conſiliarii noſtri magiſtri Arnulphi Belini bacalarii in legibus, ipſum in canonicum & theſaurarium ac caput dictæ capellæ noſtræ ac collegii ejuſdem poſuimus, creavimus, nominavimus & inſtituimus; ponimus, creamus, nominamus & inſtituimus; qui & ejus ſucceſſores theſaurarii & caput dictæ capellæ exiſtant, & unam præbendam duplicem tam in groſſis fructibus, quam pane, diſtributionibus quotidianis & aliis juribus præſentibus & poſteris quibuſcumque etiam in eorum abſentia perpetuis temporibus volumus ſibi pertinere, medietate diſtributionum hujuſmodi quotidianarum dumtaxat excepta. Et ultra hæc conſideratione præmiſſa tenebunt, percipient & habebunt ad eorum commodum & ſingularem utilitatem locum, manerium, ſive hoſpitium de Oriaco cum omnibus & ſingulis eorum domibus, molendinis, clibanis, reditibus & aliis rebus ſuperius declaratis, homagiaque de rebus feodalibus dictæ capellæ præſtabunt & ſub ſigillo ſuo a vaſſallis dictæ capellæ ſumptibus quibus ſupra recipient & recipere habebunt ac emolumenta de prædictis & aliis omnibus quibuſcumque ſub ſuo & capituli prædicti ſigillis ſua facient & habebunt ſibi applicare, prout ſupra extitit per nos ordinatum, & unum canonicatum cum præbenda duplici & theſauraria prædictis, cum ſuis juribus & pertinentiis univerſis ſibi contulimus & conferimus per præſentes, & adimplendo numerum hujuſmodi dilectum noſtrum Petrum Morini alias de Rupe, in canonicum præbendatum & cantorem, qui & ejus ſucceſſores, ultra præbendam ſuam quolibet anno ratione ſuæ cantoriæ quinquaginta libras Turonenſes certo modo quolibet anno diſtribuendas, ut præmittitur, percipient & habebunt, magiſtrum Guillelmum Boiſraterii, &c. *Nominat omnes canonicos capellanos & vicarios quos inſtituit* poſuimus, nominavimus & creavimus inſtituimuſque, ponimus, nominamus & creamus per præſentes canonicatus, capellanias, vicarias, & clericatus dictæ capellæ, ſingulos eorum ſingulis conferendo, ubique providendo de eiſdem, habito prius per nos laudabili teſtimonio eorumdem, ipſis omnibus & ſingulis noſtris propriis manibus habitus condecentes & evidentes, canonicis videlicet ſuperlicia & almutia griſi de minutis variis, capellaniſque ac vicariis etiam ſuperlicia & almutia ſcuretiorum groſſo vario foderatas æſtivo tempore a vigilia feſti Reſurrectionis Domini ante inceptionem horæ Completorii uſque ad Veſperas defunctorum, quæ in die feſtivitatis omnium Sanctorum poſt Veſperas ipſius feſtivitatis & proceſſionem ad omnia altaria dictæ capellæ factam cantantur, & cappas nigras ad modum curiæ Romanæ foderatas, ſcilicet canonicis de minutis variis, capellanis vero & vicariis de agniculis albis, nitidis atque finis tempore hiemali a dicta Veſperarum defunctorum hora uſque ad dictam vigiliam Paſchæ Domini hora jam dicta; clericis quoque prædictis amictus & albas dumtaxat omni tempore per ipſos omnes & ſingulos & eorum ſucceſſores in præfata capella noſtra perpetuo deferendos; eos etiam in habitu prætacto per nos tradito induros; & eorum quemlibet, prout unumquemque concernebat, in realem & corporalem poſſeſſionem theſaurariæ, cantoriæ, canonicatuum, præbendarum, capellaniarum, vicariarum & clericatuum hujuſmodi, juriumque & pertinentiarum eorumdem noſtris etiam propriis induximus & poſuimus, inſtituimuſque & inducimus per præſentes theſaurario, canonicis, capellanis & vicariis ſtalla in choro, ac theſaurario & canonicis loca in capitulo dictæ noſtræ capellæ manualiter aſſignantes. Et quamvis collationes inſtitutioneſque & inveſtituræ hujuſmodi ad nos & ſucceſſores noſtros duces Bituricenſes ex indulto ſedis apoſtolicæ pleno jure dignoſcantur pertinere, volumus tamen, ſtatuimus & ordinamus quod theſaurariæ, cantoriæ, canonicatuum & præbendarum prædictorum ad nos & ſucceſſores noſtros duces Bituricenſes dumtaxat; capellaniarum vero, vicariarum, & clericatuum ceterorumque officiorum, collationes, proviſiones, inveſtituras & diſpoſitiones omnimodas in antedictum theſaurarium & ſucceſſores ſuos theſaurarios in perpetuum tranſtulimus & transferimus per præſentes, non obſtantibus collationibus, inſtitutionibus & inveſtituris de illis hac vice, ut præmittitur, per nos factis, per quas tranſlationi hujuſmodi nolumus nec intendimus aliqualiter derogari, nec dicto theſaurario pro tempore quo ad hoc præjudicium generari, omnibus & ſingulis vaſſallis, cenſariis, debitoribus, & firmariis villarum, caſtrorum, caſtellaniarum, rerum, terrarum, reddituum & proventuum ac poſſeſſionum prædictarum, ſerie præſentium litterarum præcipientes & mandantes quatinus fidem & homagium præfato theſaurario & ſuis ſucceſſoribus pro tempore nomine dictæ capellæ faciant & exhibeant; quos eo caſu a fide & juramento per ipſos nobis præſtitis quittamus & abſolvimus, & tam vaſſalli quam cenſarii, debitores, detentores, firmarii prædicti de fructibus, reditibus, proventibus, juribus & deveriis quibuſcumque, in quibus ratione dictarum villarum, caſtrorum, caſtellaniarum, rerum, terrarum, reddituum & proventuum & poſſeſſionum tenentur dictis theſaurario & capitulo & ſucceſſoribus ſuis nomine dictæ capellæ & ipſius theſaurariæ reſpondeant integre cum effectu. Quocirca dilectis fidelibus noſtris gentibus computorum noſtrorum, ac ſeneſcallo & procuratori generali noſtro Bituricenſi, ceteriſque juſtitiariis & officiariis noſtris & eorum loca tenentibus præſentibus & futuris & eorum cuilibet, prout ad ipſos & quemlibet eorum pertinuerit, damus tenore præſentium in mandatis, quatinus theſaurarium prædictum vice, nomine & ad opus dictæ capellæ & ipſius theſaurariæ, collegiique canonicorum & aliarum perſonarum ejuſdem in realem, corporalem, actualem poſſeſſionem villarum, caſtrorum, caſtellaniarum, baroniæ, domorum, locorum, maneriorum, feudorum, retrofeudorum, rerum, terrarum, uſagiorum; reddituum, & poſſeſſionum prædictarum ponant & inducant, ſeu poni & induci faciant; & ſi opus fuerit, dictam poſſeſſionem ſibi tradant & expediant & tueantur inductum dictos theſaurarium, cantorem, canonicos, capellanos, vicarios, clericos chori dictæ capellæ & eorum ſucceſſores de villis, caſtris, caſtellaniis, baronia, locis, feudis, retrofeudis, reditibus, rebus, uſagiis, domibus, & poſſeſſionibus prædictis, earumque poſſeſſione

Digitized by Google

uti & gaudere libere, pacifice & quiete faciant & permittant, non permittendo ipſos nunc vel in poſterum in & ſuper præmiſſis, vel eorum aliquo impediri, turbari aut alias quoviſmodo moleſtari. Mandantes inſuper dictis gentibus noſtris computorum & aliis quorum interierit, & ad quos pertinuerit, ut terras, villas, caſtra, caſtellanias, baroniam, loca, feuda, retrofeuda, res, uſagia, reditus, domos & poſſeſſiones hujuſmodi a libris, regiſtris & compotis ſuis & dictæ cameræ compotorum tollant & reddant, & receptoribus noſtris inhibeant, quibus etiam inhibemus, ne de ipſis villis, caſtris, caſtellaniis, baronia, locis, feudis, retrofeudis, terris, rebus, uſagiis, reditibus, domibus & poſſeſſionibus prædictis receptam aut mentionem aliquam de cetero in compotis ſuis faciant, nec facere habeant quoquo modo. In quarum dotationis, fundationis, inſtitutionis & aliorum præmiſſorum fidem & teſtimonium præſentibus litteris noſtrum juſſimus apponi ſigillum. Datum in palatio noſtro prædicto die Reſurrectionis Dominicæ menſis Aprilis anno Domini milleſimo quadringenteſimo quinto.

XLVIII.

Bulla Benedicti papæ XIII. pro inſtitutione collegii canonicorum S. Auſtregeſili de Caſtro Bituricenſi.

BEnedictus epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto filio nobili viro Johanni duci Bituricenſi ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Sinceræ devotionis affectus quem ad nos & Romanam geris eccleſiam, promeretur ut petitionibus tuis, illis præſertim quæ divini cultus augmentum & animæ tuæ ſalutem reſpiciunt, quantum cum Deo poſſumus, favorabiliter annuamus. Dudum ſiquidem pro parte tua felicis recordationis Clementi papæ VII. prædeceſſori noſtro expoſito quod tu ad omnipotentis Dei & B. Mariæ virginis matris ejus & omnium Sanctorum laudem & gloriam, quamdam ſolemnem capellam in tuo palatio Bituricenſi conſtruere & ædificare cæperas, & de bonis a Deo tibi collatis ipſam perficere & in ea collegium certum inſtituere & ordinare, & eamdem capellam ſufficienter dotare proponebas, idem prædeceſſor tibi perficiendi capellam prædictam & inſtituendi in ea hujuſmodi collegium auctoritate apoſtolica conceſſit, ac collegiatam eccleſiam S. Auſtregeſili de Caſtro Bituricenſi, quæ extra civitatem Bituricenſem eſt ſita, præfatæ capellæ auctoritate apoſtolica in perpetuum incorporavit, annexuit & univit, prout in ejuſdem prædeceſſoris ſuper hoc confectis litteris plenius continetur. Cum autem, ſicut exhibita nobis nuper pro parte tua petitio continebat, te non obſtante unione prædicta pro divini cultus augmento in præfata eccleſia unum collegium canonicorum ſæcularium & capellanorum & aliorum ſervitorum opportunorum, uſque ad numerum tredecim perſonarum, quarum una ſit prior ſæcularis & caput ipſius eccleſiæ inſtituere, ac eccleſiam ipſam tam de propriis tuis, quam hiis, quæ tempore unionis hujuſmodi eidem eccleſiæ competebant, bonis ſufficienter dotare proponebas, pro parte tua nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut tibi in præfata eccleſia collegium hujuſmodi inſtituendi licentiam concedere de benignitate apoſtolica dignaremur. Nos igitur hujuſmodi tuum laudabile propoſitum plurimum in Domino commendantes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, tibi dote ſufficienti pro collegio prædicto per te, ut prefertur, primitus aſſignata, inſtituendi in eccleſia ipſa collegium hujuſmodi, unione prædicta & aliis in contrarium editis nequaquam obſtantibus auctoritate apoſtolica tenore præſentium licentiam elargimur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumſerit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Maſſiliæ apud S. Victorem nonis Junii, pontificatus noſtri anno decimo.

Hujuſmodi litteris obtentis præfatus dux Johannes collegium tredecim canonicorum in eccleſia caſtelli inſtituit, quibus primum priorem dedit Johannem Heremitam alias de leproſo preſbyterum, cujus prioris inſtitutio perinde ac canonicorum ad theſaurarium ſanctæ capellæ pertinere in poſterum voluit. Litteræ hujuſmodi inſtitutionis datæ fuerunt in eccleſia de Caſtro quinta die Maii MCCCCV.

XLIX.

Charta reſtaurationis eccleſiæ S. Petri Puellarum.

IN nomine ſanctæ Trinitatis. Deber unuſquiſque dum verſatur in corpore futura tractare, & de caducis rebus mereri æterna, & de mundanis rebus comparet paradiſum, ut de terrenis transferatur in cæleſtia, ſicut dominus in ſancto Evangelio preclara intonat voce dicens: Theſauriſate vobis theſauros in cœlo, ubi nec fur fodit & nec tinea ſulcat. Penſemus ergo omnes Chriſtiani quanta ſit pietas & largitio redemptoris, ut pro eleemoſinis pauperum atque eccleſiarum, promittantur nobis theſauri regni cœlorum. Procuremus igitur ſicut Dominus & Salvator noſter præcepit, ut ſi non quantum habemus, ſaltem inquantum poſſumus eleemoſinam faciamus. Igitur in Dei nomine, duo germani fratres Ebrardus videlicet, & Ebrardus alter ſimiliter, filii Ebrardi nobiliſſimi cognomine Viridi Bituricenſis, inſpirante Domino Salvatore noſtro, qui omnes homines vult ſalvare, & neminem perire, pro remedio animarum noſtrarum, & pro requie ſpirituum patris noſtri, & matris noſtræ, omniumque fideliter in Chriſto credentium, ut eos pius Dominus a cunctis peccatorum vinculis abſoluros perducere dignetur ad regna cœlorum, deſtinamus ad monaſterium ſancti Petri Puellarum quod eſt infra muros Biturigæ urbis, * qui noſtræ ſubjectus eſt poteſtati ex rebus ſubſtantiæ ejuſdem monaſterii quas antiquitus tenebant ſanctæ virgines in eo manentes, reddimus ad ipſum locum ex rebus ſuis ad tenendum perpetuo, ut hoc tantummodo canonici illic victum & ſubſtantiam habentes ſerviant Domino manentes in perpetuo.

* *F.* Locum.

Poſtmodum vero tempore futuro hæredes vel ſucceſſores noſtri qui ipſum locum dominaverint, ſi pro Dei amore & remedio animarum ut ipſe ſanctus Petrus apoſtolorum Chriſti princeps digniſſimus pro eis Dominum deprecetur, aliquid ex honoribus loci ipſius in ſubſtantia canonicorum illic militantium reddiderint, liceat & numerum canonicorum illic majorari. Quod ſi ſubſtantia non melioraverit, nec numerum ſupra dictum mutentur nec creſcant, ut dum minus pauci numero fuerint & ſubſtantia melior eis fuerit, melius delectet eis aſſidue Chriſto Domino militari, ne parva ſubſtantia per pluribus diviſa ſervitio Domini generet faſtidium. Si quis vero hujus rei prævaricator eſſe voluerit, non conſequatur. * ſed maledictione . . . . . perpetua & ſicut Anania & Saphira ſancto Petro pretium agri mentientes mortem ſubitam in corpore perpeſſi ſunt, ita & ipſe æternaliter conſequatur, & S. Petrum apoſtolum in omnibus locis ſive in vita ſive in morte habeat ſibi contrarium. S. Dacbertus archiepiſcopus. S. Gauffredus vicecomes. S. Madalbertus. S. Unebaldus. S. Audelardus. S. Odo. S. Ebbon. S. Rodulphus. S. Odo. Acta eſt autem Biturica civitate XXX. Kalendas Julii, regnante Roberto rege. Engelbertus abba ſcripſit.

* *Supple.* Miſeri-cordiam.

L.

Litteræ fundationis Dolenſis apud Biturigas monaſterii.

EGo Ebbo nutu Dei commotus ſollicite perpendens, ac propriæ ſaluti dum licitum eſt, providere cupiens, &c. Notum ſit quod ob amorem Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, res juris mei beatæ Virgini Mariæ, & S. apoſt. Petro videlicet & Paulo, de propria trado donatione; hoc eſt in villa Dolis in territorio Bituricenſi, in vicaria Brinenſe, capellam in honore S. Germani, & quantum in ipſa villa viſus ſum habere. Item in ipſa villa capellam in honore S. Mariæ ſuper Andram fluvium, manſum indominicatum, cum molendinis duobus, &c. Trado eccleſiam S. Dionyſii ſuper fluvium Andram, prope villam Dolis, &c. Item do capellam S. Martini infra caſtrum Dolis, cum caſtro & omnibus adherentibus, Germiniacum etiam alodum in Albari villa, &c. Dono igitur hæc omnia & confirmo, ego Ebbo & uxor mea Hildegardis jam dictæ B. Mariæ, & pro anima ſenioris mei Willelmi principis, &c. eo ſiquidem tenore, ut in Dolis, in honore B. Mariæ virginis & ſanctorum apoſtolorum Petri & Pauli monaſterium regulare conſtruatur; ibique monachi, juxta regulam ſancti Benedicti viventes congregentur, qui iſtas res, perenni tempore poſſideant, &c. Sintque ipſi monachi cum omnibus rebus præſcriptis, ſub poteſtate Bernonis abbatis. Poſt deceſſum vero ejus, habeant iidem poteſtatem quemcumque ſui ordinis ſecundum ordinem & regulam S. Benedicti eligere maluerint abbatem, &c. Sed & hujus firmitas teſtamenti, omni authoritate ſuffulta, ut ſemper inconcuſſa ſubterfirmans, inclyto ſeniori Wilelmo, & cæteris viris corroborandam tradidi. Actum Bituricæ civitate publice. S. Ebbonis, S. Hildegardis, S. Odolrici, Otgarii, Berengarii, Geraldi, Lamionis, Adrardi, Oddonis, Gondonis, Valterii, &c. Wilelmus comes. Gerontius S. Biturigenſis eccleſiæ archiepiſcopus. Turpius epiſcopus Lemovicenſis. Arnoldus epiſcopus Arvernenſis. Hildebertus epiſcopus indignus. Data per manus Gerlamni diaconi, ad vicem cancellarii, juſſu Wilelmi principis IV. non. Sept. anno XX. regnante Karolo rege.

LI.

Ejuſdem fundationis confirmatio.

EGo Ebbo nomine, corde meditans & omnem hujus ſeculi fœlicitatem tranſitoriam, omniaque mundi commoda veloci fine tranſire, nihilque ab homine immortale teneri, variamque fortunam ſollicite conſiderans, & de retributione ſummi boni, quando Deus erit omnia in omnibus, confidens pro me, & uxore, meaque poſteritate, necnon etiam illis, qui in jam facto teſtamento continentur: huic eccleſiam in vico Dolenſi ædificavi in honore ſanctæ Mariæ perpetuæ virginis, ſanctorumque apoſtolorum Petri & Pauli: eamque ex rebus hæreditatis meæ in die dedicationis ejus dotavi, dans illi in eodem vico capellam S. Mariæ, & alodium integrum in Albari villa, quod ad eam reſpicit, & in eodem vico manſa 15. cum omnibus rebus. Alteram etiam capellam, ſancti Dionyſii videlicet, cum duobus molendinis ſibi adjacentibus, & alia duo in loco qui dicitur ad Roccam. Tertiam quoque capellam S. Martini infra caſtrum cum clauſtro & omnibus ſibi adhærentibus; & in villa Hivernali manſum unum cum omnibus ſibi adjacentibus, Duicciſſum quoque & Celeris, & caſtra, & villam Lobech, & villam quæ vocatur Barraque Solis, Germanicum etiam & Soleterſam, & Villarem, & Maginacum, cum omnibus quæ in his villis habere viſus ſum. Molendinum etiam unum quod eſt Dolo, cum capella S. Germani, cunctiſque rebus ad eam pertinentibus. Capellam nihilominus a Britonibus conſtructam in inſulam, poſt illorum diſceſſum eidem loco attribuo. Iridem adjungo ad hujus dedicationis honorem, ut omne beneficium quod ex me nunc vel deinceps noſtri fideles habent, aut habebunt, ſive ex quolibet hærede ſuccedente poſſederunt, quiſquis huic loco concedere voluerit quocumque pacto, noſtra conſentit licentia, & auctoritas. Simili ordine, quicumque confugerit ad hunc locum ſalvare volens animam ſuam & corpus, quocumque modo ſive liber, ſive inferiori lege ſervitutis conſtrictus, & etiam monachus eſſe, & ſuas res eiſdem monachis ſupradicti loci tribuere voluerit, noſtra ſimul concedit liberalitas. Ea vera ratione hæc & in priori teſtamento ſcripta dona, & confirmationes Deo & B. Mariæ, ſanctiſque apoſtolis Petro & Paulo in die dedicationis eorum concedimus eccleſiæ, ut ſub regimine domini papæ, ſicut in jam facto teſtamento ſcriptum eſt, permaneat. Et ſi quis horum aliquid abſtrahere conatus fecerit, maledictioni ſubjaceat, deleaturque de libro viventium, & cum juſtis non ſcribatur. Ut autem hujus dotis ſcriptum per ſuccedentia tempora firmum ſtabileque permaneat, manu propria firmavi illud, & cæteris firmare juſſi. Actum Dolenſi caſtro publice. Signum Ebonis qui hujus dotis ſcriptum fieri juſſit, S. Hildegardis uxoris ejus, S. Rodulfi filii ejus, S. Launonis archidiaconi, S. Wilelmi fratris ejus, S. Magnerii, Malvini, Girardi, Joannis. Scriptum per manus Gauſlini II. cal. Octob. anno V. Rodulfi regis.

LII.

Privilegium Johannis XIII. conceſſum Ramnulpho abbati Dolenſi.

Circa an. 968.

JOHANNES epiſcopus ſervus ſervorum Dei religioſo abbati Ramnulpho Dolenſis cenobii in honore ſanctæ Genitricis Mariæ & beatorum apoſtolorum Petri & Pauli conſtructi, ejuſque ſucceſſoribus in perpetuum. Apoſtolicæ moderationi totius Eccleſiæ cura commiſſa eſt; & idcirco quiſquis divina diſpenſatione in ſancta Romana ſede ſuccedit, neceſſe eſt ut ubicunque poſſibile fuerit, utilitatem ejuſdem Eccleſiæ procuret. Quapropter monaſterium prædictum quod Ebbo piæ memoriæ ædificavit, ita ut a prædeceſſore noſtro per auctoritatem privilegii ſancitum eſt, liberum ab omni dominatione cujuſcumque perſonæ, aut Regis videlicet aut epiſcopi, aut filiorum vel filiarum vel propinquorum ipſius Ebbonis eſſe decernimus, & res omnes quas vel nunc habere videntur monachi, vel deinceps ibidem collatæ fuerint, ſine ulla contradictione poſſideant. Vodillonem quoque villam cum ſuis appendiciis, a Gerardo nobili viro collatam, eidem loco ſimiliter attribuo vel confirmo. Capellam etiam S. Germani, eccleſiam quoque S. Mariæ, necnon ſancti Dionyſii; Maſuilium etiam in honore S. Salvatoris; prata quoque in honore S. Boniti, oleas denique in honore S. Sulpitii, capellam nihilominus juxta caſtrum Dolis a Britonibus conſtructam, poſt illorum diſceſſum attribuimus, capellam quoque S. Martini infra Caſtrum-fortem, etiam eccleſiam in pago Pictavenſi, ſalinas quoque in pago Alnenſe*; Alodum etiam Lavariacum cum Montefutario, cum omnibus rebus quas vel nunc habent, vel deinceps iidem monachi habituri ſunt, ut jam diximus ſibi pertinentibus, ita ſibi vindicent ut nullius omnino ditioni ſubjiciatur niſi Romanæ ſedi, ſicut in prædicto teſtamento præfati Ebbonis continetur. Hoc ergo nos intuentes, eaſdem res quæ legaliter conceduntur eidem cenobio per noſtram apoſtolicam autoritatem confirmamus. Abbatem vero communiter & regulariter viventem ſine ullius

Ex archivis epiſcopi Lemovicenſis.

* *Vel Alienſe.* L'Aunis.

Digitized by Google

contradictione quemcumque de ipſis ſaniori conſilio elegerint, ſibi præficiant. Quod ſi aliquis per munus aut per inanem gloriam, conſentientibus, quod abſit, monachis, irrepere tentaverit, hunc talem veluti furem & latronem per apoſtolicum interdictum prohibemus; ſed ab ipſis perſonis quibus beatus Benedictus in hac re poteſtatem tribuit, talem eligi præcipimus, qui domui Dei bene præeſſe ſtudeat, & ſicut dictum eſt communiter vivat, & fratribus prout potuerit prodeſſe magis quam præeſſe ſtudeat: conſtituimus etiam eidem cenobio eccleſiam S. Luſoris quam iidem monachi dato pretio a nobili viro Simone per cirographi teſtamentum comparaverunt, ut nihil illis amplius requiratur niſi decem ſolidorum cenſus. Quicumque vero prædicto monaſterio in augendis rebus vel religione adjutores extiterint, Chriſtum Dominum & ſanctam ejus genitricem atque beatos apoſtolorum principes habere mereantur adjutores. Econtra autem quicumque temerarii vel audaces monaſterium aut fratres ſive quaſlibet res ad eos pertinentes lædere aut uſurpare præſumpſerint, illos per apoſtolicam poteſtatem nobis per ipſos a Deo conceſſam ſub anathematis vinculo, niſi reſipuerint, uſque in diem judicii obligamus. Obſervantibus hæc gratia & pax Chriſti multiplicetur, &c. Scriptum per manum Theodori notarii S. Romanæ Eccleſiæ in menſe Januarii indictione undecima.

LIII.

Excerpta ex vita S. Sigiranni, quæ legitur in codice MS. S. Urſini Bituricenſis, de ſancti viri ſepultura & tranſlatione.

FEbre valida correptus (S. Sigirannus) plenus dierum inter cæleſtes choros angelorum, celeſtia glorioſus regna conſcendit pridie nonas Decembris. Clodoico, * tunc rege Francorum, ſucceſſibus proſperis regnante, necnon Aurelio * pontifice Biturica in civitate præſidente. Cujus corpus nunc jacet inhumatum, in eccleſia parrochiali ſancti Sigiranni de Oblinquo, ſic ab eo fundata & intitulata, prius quidem in capſa lapidea, poſtea vero in capſa lignea incluſa, in dicta capſa lapidea repoſitum eſt. Tandem vero tranſlatum eſt & reconditum in capſa cuprea deaurata, in eodem loco, per dominum bonæ memoriæ Johannem Bituricenſis archiepiſcopum, præſentibus viris religioſis & abbatibus, ſancti Sulpicii de Bituris, ſancti Gildaſii, Millebeccenſis, Fontis-Combaudi, S. Sigiranni, S. Euſicii de Cellis, & aliis pluribus fide dignis, ſicut clare patet, per authenticum inſtrumentum ſigillo curiæ Bituricenſis ſigillatum & munitum, ac etiam ſigillis prædictorum abbatum & S. Genulfi anno Domini M. CCLXXXIX. prout vidimus legimus & propriis oculis inſpeximus, præſtante Domino noſtro Jeſu Chriſto in cæleſtibus qui ſine fine vivit & regnat benedictus, Amen.

* *Sic* Clodoveo II.

* Nullus occurrit Aurelius inter Bituricenſes præſules, unde vix meretur fidem auctor hujus vitæ, in iis quæ a longo tempore facta narrat. Sed aliud ferendum judicium de his quæ refert ſuo geſta tempore.

Tenor litterarum ſequitur.

JOHANNES permiſſione divina Bituricenſis archiepiſcopus, Aquitaniæ primas, univerſis præſentes litteras inſpecturis ſalutem in Domino. Noveritis quod nos anno Domini M. CCLXIX. Dominica in octabis Reſurrectionis Dominicæ acceſſimus ad eccleſiam ſancti Sigiranni de Oblinquo, una cum religioſis viris abbatibus de Millebecco, ſancti Sigiranni in Drena, Fontis-Combaudi, & de ſancto Genulpho. Et ibidem invenimus corpus beati Sigiranni confeſſoris retro altare dictæ eccleſiæ in quadam capſa lapidea, & prædictum corpus repoſuimus in preſenti capſula lignea in prædicta capſa lapidea intercluſa, cooperta panno ſerico, depicto armis Arberti Turpini militis, preſentibus domina Mathea domina de Crelliaco uxore ejuſdem militis, archipreſbytero noſtro de Oblinquo, magiſtro Guillelmo de Saya, canonico Vaſtunenſis ſocio noſtro, & pluribus aliis, in cujus rei teſtimonium, ſigillum noſtrum preſentibus litteris duximus apponendum & ſigilla prædictorum abbatum, & dominæ, præſentibus apponi anno & die prædictis.

JOHANNES permiſſione divina Bituricenſis archiepiſcopus, Aquitaniæ primas, omnibus præſentes litteras inſpecturis æternam in Domino ſalutem. Noveritis quod nos anno Domini M. CCLXX. die Dominica poſt Aſſumptionem B. Mariæ virginis, acceſſimus ad eccleſiam ſancti Sigiranni de Oblinquo, & ibidem corpus ejuſdem ſancti quod prius inveneramus in eadem eccleſia die Dominica in Octabis Reſurrectionis Dominicæ, anno Domini M. CCLXIX. prout in noſtris litteris inde confectis plenius continetur relevavimus, & idem corpus glorioſum repoſuimus in præſenti capſula deaurata, præſentibus noſtris religioſis, S. Sulpicii Bituris, S. Gildaſii, Millebeccenſis, S. Sigiranni in Brena Fontis-Gombaudi, & de Cellis, S. Euſicii abbatibus, necnon Johanne de Bello-monte milite domino dictæ villæ, Arberto Turpini milite & pluribus aliis; in cujus rei teſtimonium, ſigillum noſtrum, una cum ſigillis abbatis de Cellis, S. Euſicii & domini Johannis de Bello-monte prædictorum præſentibus duximus apponendum litteris datis anno & diebus prædictis.

LIV.

Donum Emenonis & Fulconis filii ejus Exoldunenſium dominorum Iterio abbati Exoldunenſi factum.

IN nomine ſummi opificis Dei. Ego Emeno & Fulcho filius meus, miſericordia Dei principatum Auxelioduni caſtri tenentes, notificare volumus tam eccleſiaſticis quam ſæcularibus præſentibus & futuris, quia laude & conſilio Adhenauris uxoris meæ, necnon & rogatu domini Hiterii S. Mariæ Auxeliauduni monaſterii abbatis, & fratrum in Chriſto ſub ejus regimine degentium damus & concedimus omnes conſuetudines, hominium hominum in burgum ſancti Martini extra mœnia caſtri poſitum per ſucceſſuras generationes habitantium pro æterna retributione & remedio animæ noſtræ: ita ſcilicet ut nemo illorum pergat ad pugnam, quæ alio nomine vulgariter vocatur Erband, neque botagium vini alicui reddat, neque aliam quamlibet conſuetudinem juxta conſuetudines humanas alicui faciat, niſi abbati præſcripti monaſterii S. Mariæ Virginis Uxeloduni, & fratribus inibi manentibus. Dedimus autem iterum iis omnes emendationes & omnia vadimonia omnium ſatisfactionum omnium ibidem conſiſtentium, & conſuetudines macellariorum, & paletariorum in alodum illum habitantium. Conceſſimus igitur habere eis omnes conſuetudines omnium ſatisfactionum hominum omnium ibidem morantium, verbi gratia ſi quiſlibet eorum fecerit homicidium, adulterium, furtum, aut corruperit ſponte vel rapto corruptam mulierem, aut fecerit quamlibet torturam, ut ſupra retulimus, omnem emendationem foris facti & banliam habebunt monachi ibidem Deo & B. Martino ſervientes, atque omnia vadimonia legum. Si autem nos ipſi, aut ullus ex ſucceſſoribus noſtris, inſtigante diabolo, vel quælibet perſona hanc donationem aut cartam inquietare præſumſerit, ultione divina perimatur, non jocundetur in filiis, non de corporis ſoſpitate glorietur, & omnis contrarietas & maledictio quæ in divinis repetitur ſcripturis ſuper eum veniat, & inſuper humano judicio coactus perſolvat auri libras L. cum ſtipulatione ſubnixa. Signum Emenonis ſenioris qui hanc cartam fieri & firmari juſſit. S. Fulconis filii ejus, S. Bernardi fratris ejus, S. Ebroini vicarii, S. Engilberti,

An. circiter 984.

Digitized by Google

S. Aimonis, S. Marginardi, S. Viviani Hermengaudi, S. Herberti, S. Guitberti, S. Fulconis vicarii, S. Hugonis. Data menſe Maio, anno xxx. * regnante rege Hlotario. Actum publice Auxelidano. Gaurmaudus ſubſcripſit.

* Id eſt anno 984. nam Lotharius regnare cœpit anno 954.

LV.

Adrianus papa IV. bulla confirmavit omnes poſſeſſiones monaſt. Exoldun. an. 1154. qui dicitur quartus, ejus pontificatus nimirum.

Eccleſiam S. Paterni cum omnibus pertinentiis ſuis. Eccleſiam S. Stephani intra caſtrum Exoldunum. Eccleſiam S. Dionisii de Cerſiaco. Monaſterium S. Michaëlis de Carrofio, cum capella S. Salvatoris & pertinentiis ſuis. Eccl. S. M. de Lineriis cum ſuis pertinentiis. Eccleſiam S. Tauriciæ cum pertinentiis ſuis. Eccleſiam S. Georgii. Eccl. S. Mariæ de Læziniaco. Eccleſiam S. Martini de S. Sorbeio. Eccl. S. Martini de Giro. Eccl. S. Martini de Lizeriaco. Eccl. S. Præjecti de Monaſteriolo. Eccl. S. Auſtregiſili de Cloſis. Eccl. S. Valentini. Eccl. S. M. de Campanelia. Eccl. S. Gemmæ cum pertinentiis ſuis. Eccl. S. Leodegarii cum pertinentiis ſuis. Eccl. S. Sulpitii de Langrane. Eccl. S. Juliani de Juenolio, cum omnibus pertinentiis ſuis; Capellam S. Symphoriani de Chaloello cum omnibus pertinentiis ſuis. Cap. S. M. de Vereriis. Cap. S. Petri de Legolio cum pertinentiis ſuis. Manſum de Genevrel cum molendino & pertinentiis ſuis. Manſum de Maceriis. Manſum de Cruſiaco. M. de Belluaco. M. de Manzay cum duabus partibus molendini ejuſque magiſterio. M. de Arnodro. M. de Rhoincio. M. de Pelvis. Medietatem Manſi de Revel. M. de Jalis. M. de Canalibus. M. de Caſalibus cum ſuis pert. M. de Charbrers. Molendina de Balleton, de Torneto, de Majenet, de Moncel; Furnos de porta S. Mariæ & Nova-villa, & medietatem furni ante plateam S. Cirici. Et jus quod ab antiquo veſtra habet eccleſia in chartis dotalibus & univerſorum contractuum in caſtello Exoldunenſi, & in tota ejus caſtellania. Decimas quoque de veſtris laboribus quos propriis ſumptibus & bobus excolitis, abſque contradictione deinceps poſſideatis, qui veſtra peregrinis & pauperibus erogatis. Nulli etiam fas ſit preſbyterorum veſtrorum in veſtris eccleſiis conſiſtentium, res quas inibi acquiſierunt, vobis auferre, vel de eccleſiis ipſis abſtrahere.... præterea liceat vobis in eccleſiis veſtris preſbyteros eligere & epiſcopo præſentare, quibus ſi idonei fuerint, epiſcopus curam animarum committat, & de plebis quidem cura epiſcopo reſpondeant; prioribus autem temporalibus ad monaſterium pertinentibus vobis ſubjectionem exhibeant, &c. Poſt ſolitam formulam apponitur monogramma Adriani papæ IV. cum hoc pſalmi verticulo: *Cuſtodi me, Domine, ut pupillam oculi.* Et *bene valete.*

Notæ,

S. Paternus eſt vicus ita proximus Urbi, ut ſuburbium ejus eſſe videatur. Eccleſia S. Stephani non exſtat amplius. Eccleſia S. Dionyſii ad Theolium, la Thiole, *nunc collegiata & parochialis. Eccleſia S. Michaëlis de Charroſt ſur Arnon. Eccl. S. Mariæ de Linieres, ubi eſt prioratus S. Blaſii. Eccl. S. Tauriciæ*, ſainte Taurette, *nunc abbatiali menſæ unita. Eccl. S. M. de Laziniaco*, Lazinay ſur Arnon. *Eccl. S. Georgii*, S. George ſur Arnon proche Charroſt. *Eccl. S. Martini de Sorbeio* de Sorboy. *Eccl. S. Mart. de Giro*, Giron. *De Lizeriaco*, Lizeray. *S. Præjecti de Monaſteriolo*, Meneſtrol. *S. Auſtregiſili*, S. Autrille. *De Campanelia*, la Champenoiſe. *S. Gemmæ*, S. Gemme. *S. Leodegarii*, S. Leger pres Bommieres. *De Langrone*, Sur Cher pres Olivet. *S. Juliani* Sur Cher. *S. Symphoriani de Chaloello*, de Chaluant.

LVI.

Charta fundationis capituli ſancti Dionyſii Exoldunenſis a Geraldo Lafuille abbate Exoldunenſi.

NE proceſſu temporis a ſede memoriæ degradare præſumat oblivio circumſpecto conſilio pertractata, certis æternari litterarum indiciis approbatæ conſuetudinis uſus habet, nec derogat æquitati. Hujus autem proſpectu rationis, ſcripto dignum cenſuimus commendari quod ego Giraldus Lafuille, abbas B. Mariæ Exolduni, totuſque conventus, donamus clericis petitionis ejuſdem conſociis ad canonicam conſtituendam eccleſiam B. Dionyſii & ejuſdem eccleſiæ prioratui tempore donationis pertinentia, ſcilicet domum & vineam eccleſiæ adjacentes, parochiam, furnum, cenſum, jaalagium, modium, vineas, hortum Dei, medietatem vicariæ, nundinas S. Sepulcri integre. Reddent autem canonici xx. ſolidos cenſuales, in Nativitate Domini x. ſolidos, in nativitate Johannis Baptiſtæ x. ſolidos. Abbas vero decanus exiſtens duas præbendas accipiet. Et poſtquam canonici fuerint inſtituti, decano obedientiam promittent. Deinde venient in capitulum beatæ Mariæ, fidei & fidelitatis ſacramentum abbati & monachis præſtituri. Canonici vero cujuſcumque voluerint religionis liberam habebunt electionem. Habitum autem nigrorum monachorum niſi in monaſterio B. Mariæ eis ſuſcipere non licebit. Canonici in eccleſia B. Dionyſii, aut etiam in eccleſia B. Mariæ ſi perierint, ſepelientur. Sacerdos vero qui altari crucifixi deſervier v. vel vi. monachis comitatus, ad canonici veniet ſepulturam. Eccleſiæ canonicorum ebdomadarius totidem canonicis comitatus ſingulorum monachorum intererit ſepulturæ. Omnes vero ad ſepulturam ſui decani & prioris abbatiæ. Ad ſepulturam cantoris canonicorum conventus veniet monachorum. Si canonicum in eccleſia reſidentem a ſæculo migrare contigerit, vel in ægritudine religionis habitum ſuſcipere, illius præbenda quæ annualis dicitur, ad manus monachorum per annum integrum devolvetur: ita tamen quod pro illius anima cujus præbendam annualem acceperint, debitum obſequium ſingulis diebus teneantur per annum integrum celebrare. Canonici vero ad matricem eccleſiam in Annunciatione Dominica, & in Aſſumptione B. Mariæ cum proceſſione honorifice venient. Abbas & monachi ad feſtum S. Sepulcri cum proceſſione ibunt, ibique abbas vel prior, ſi abbas aberit, Miſſam celebrabit. Ad feſtum quoque S. Germani Pariſienſis & B. Dionyſii ibit abbas, vel prior ſi abbas aberit, ibique miſſam celebrabit. Abbates vero ſibi feriatim ſuccedentes, prima die, ut moris eſt, a monachis recipientur, ſecunda die a canonicis qui eis obedientiam ut decano promittent. Quicquid autem canonici infra metas parochiales B. Dionyſii infra tres primos annos acquirere potuerint, abſque requiſitione monachorum libere & integre poſſidebunt. Poſt tres vero annos omnium redituum quos adquiſierint canonici infra prædictæ parochiæ terminos, medietas erit abbatiæ; ſi dono, dono; ſi emtione, medietatem emtionis perſolvendo. Quicquid autem de feodo monachorum ubicumque ſui adquiſierint, ſupradicto modo medietatem monachi percipient, niſi pro canonico faciendo canonicis fuerit erogatum. Si quid autem quiſpiam canonicis antequam monachis obtulerit ad vendendum aut pignori obligandum, ſine ipſis illud monachi habere non poterunt. Præterea canonici iiii. arpenta veteris clauſi deſerti, quæ fere contigua ſunt eccleſiæ B. Dionyſii, ad ædificandum a nobis in donum recipiunt, pro uno quoque arpento 12. denarios cenſuales in cœna

1185.

Digitized by Google

in cœna Domini reddituri : ita quod poſt mortem ædificatoris in communi canonicorum ædificia redigantur. Canonici vero de proprio non de communi monachis decimas perſolvent. Monachorum & canonicorum talis eſt pactio, quod nec monachi contra canonicos, nec canonici contra monachos erunt in aliquo. Quod ſi forte canonici ad aliquam religionem ſe transferre voluerint, vel ſi eccleſia omnino a canonicis fuerit deſtituta, cum hiis quæ canonici ibi communiter adquiſierint vel ædificaverint, libera abſque contradictione ad eccleſiam B. Mariæ revertetur. Actum ſolemniter in capitulo noſtro feria 2. * qua cantatur : *Sicut oculi ſervorum*, v. Idus Martii fratribus noſtris præſentibus undique ut moris eſt congregatis, anno Dominicæ Incarnationis MCLXXXV. Henrico de Soliaco cathedram Bituricenſem inſidente.

* *Poſt Dom. 1. Quadrag.*

Hanc fundationem confirmaverunt duo ſummi pontifices Urbanus III. & Gregorius VIII. quorum bulla authentica hactenus ſervantur in capitulo ſancti Dionyſii.

LVII.

Charta reſtaurationis abbatiæ S. Ambroſii.

1012. ANni ſunt tranſacti ab inſtitutione Incarnationis Dominicæ uſquequo hæc charta acta fuit, mille duodecim &c. Idcirco Deo omnipotenti gratias refero ego Gaufridus * vicecomes Bituricæ civitatis, qui me proſpicere & videre facit ſalutem animæ meæ & honorem corporis mei, dum locum S. Petri & S. Ambroſii, qui in illius eccleſia requieſcit, in honore & ſtabilitate reducere volui ; ad ipſum enim locum B. Petri apoſtolorum principis ex bona voluntate reddo ego Gaufridus & uxor mea Eldeburgis, & filii mei Gaufredus & Madalbertus, & fratres meæ uxoris Odo & Ebbo, pro remedio animæ patris meæ mulieris Radulphi, & pro remedio animarum noſtrarum omniumque parentum noſtrorum, annuente rege Roberto, epiſcopo autem Dacberto firmante, terras quæ ad ipſum locum pertinent, videlicet has : totam eccleſiam Pardulfi Doumogilo, & omnia quæ ad ipſam eccleſiam pertinent ſcilicet ſervos & ancillas, decimas, & omnia debita illorum. Itemque aliam poteſtatem omnem de curte Furſiniaco, & omnia quæ ad ipſam pertinent, ſcilicet ſervos, ancillas, decimas, & omnia debita illorum, ut nullus mortalium amodo ſit auſus iſta ſupradicta accipere quod valeat ſolum ovum gallinæ, niſi clerici illi eccleſiæ præfatæ B. Petri apoſtoli ſanctique Ambroſii deſervientes. In ſuburbio vero præfatæ urbis, addo etiam duos molendinos, unum in loco qui dicitur Pratus, & alium molendinum qui dicitur Novus, & alium molendinum in alio loco qui dicitur Planchea, & in alio loco qui dicitur Briſiacus prope monaſterium B. Petri. Molendinum alium qui dicitur Talagranum. Qui vero ſuper præfatos molendinos, alios facere præſumpſerit, deleatur nomen ejus de libro viventium, & cum Datan & Abiron portionem accipiat, & cum Juda traditore pereat. Aquam denique ipſam ut nullus ibi ſit auſus piſcari ſine licentia canonicorum ; itemque addo pratum Odonis & terram in circuitu poſitam ad ipſum pratum pertinentem, & pratum Fiſcalenſe, & terram in circuitu poſitam, & omnes areas ad locum B. Petri pertinentes : reddo etiam poteſtatem de Romeniaco & omnia quæ ad ipſam pertinent, videlicet ſervos, ancillas, decimas, & omnia debita illorum, & villam de Nongentiaco cum ſervis & cum ancillis, & omnia quæ ad ipſam villam pertinent tam in terra quam in ſilva. Relinquo quoque omnes conſuetudines, videlicet villicationem, ſtabulationem ; & ita liberum reddo eundem burgum & totam terram S. apoſtoli Petri, & beatiſſimi pontificis Ambroſii, ubicunque ſit poſita, ut nullus deinceps auſus ſit accipere pretium unius gallinæ, nec pretium unius ovi. A molendino quoque qui vocatur Mirabello, reddo vigiles homines ibi manentes uſque ad eundem burgum, ex utraque parte aquæ ad monaſterium vel burgum cuſtodiendum, cum eiſdem quæ in eodem burgo morantur. Dono etiam ex mea proprietate duas nundinas, unam ſcilicet in feſtivitate S. Petri de menſe Junio, alteram in natale ſancti Ambroſii, & unamquamque per ſeptenos dies, totidemque noctes, itaut infra prædictum ſpatium nullus auſus ſit unquam aliquid accipere eorum quæ ad ipſas nundinas pertinent, niſi canonici, aut eorum ſervientes, aut ipſi qui ab ipſis tenuerunt. Præcepto quoque regis Roberti & Dagberti antiſtitis, concedo ut quicunque ex me, meiſque ſucceſſoribus aliquod feodum habuerit, ſicut alodum tribuat præfatæ eccleſiæ ſi dare voluerit. Ad quod bonum opus peragendum advocavi nobiles patriæ, Odonem videlicet Dolenſem, & Ebbonem fratrem ejus qui mecum hanc redditionem fecerunt, Gimonem quoque de caſtro Gordonico, Theodoricum de Monteſalconis, Tedonem Magdunenſem, Hubaldum Aienſem, Arnulfum Dunenſem, & alios omnes ; quod hoc factum confirmarent, qui unanimiter quod egeram laudaverunt, promittentes ſe cuſtodituros res hujus ſanctæ eccleſiæ, & vindicaturos ſi aliquis aliquam injuriam inferre tentaret. Cupientes igitur participare beneficiis eccleſiæ & aliis orationibus canonicorum illic Deo ſervientium, congratulanter conceſſerunt quod quicunque ab eis aliquod feodum tenerent, huic loco quaſi ſuum alodum attribuerent. In tali ſcilicet ratione de canonicis qui in eodem loco Deo & S. Petro apoſtolorum principi, & S. confeſſori Ambroſio ſervierint, omnia ſupradicta, ut ea teneant & poſſideant ſine calumnia, ad ſtipendia ſua, & ad receptionem peregrinorum & ad ſuſtentationes pauperum. Reddo autem & illis quicquid ad altare illius S. Petri & ad omnem illam eccleſiam venerit ſive in auro, ſive in argento, ſeu terras, ſeu luminaria, vel omnes res quæcumque venerint vel datæ fuerint ; concedimus illis canonicis quantum numerum illis placuerit addere, vel a cœtu tollere propriæ congregationis, in ipſorum maneat jure vel poteſtate ; præbendas quoque ipſius loci eiſdem canonicis ea lege concedimus, ut nullus epiſcopus, nullus abbas, nullus homo illas unquam vendere aut dare, aut tollere præſumat. Sed unuſquiſque canonicus poteſtatem habeat præbendam ſuam alteri canonico dare vel relinquere per conſilium aliorum canonicorum, qui in eodem loco re ipſa deſerviunt. Hanc igitur eleemoſynam, chartam & decretum noſtræ voluntatis volumus firmum & inconvulſum, quoniam pro amore Dei & veneratione S. Petri ſanctique Ambroſii & aliorum ſanctorum Dei fecimus, ut mihi meæque mulieri & Rodulfo patri meæ mulieris, filiis quoque meis, necnon & filiis Rodulfi, ſeu noſtris omnibus parentibus ſit Deus propitius. Si quis vero adjuverit eoſdem canonicos ad hoc bonum opus perficiendum, omni benedictione repleatur, & ſit particeps in omnibus beneficiis & eleemoſynis & in orationibus eorum : ſi quis vero homo ſeu femina hanc chartam falſare voluerit, componat centum libras auri, aut ſe eidem reddat eccleſiæ, ejuſdemque habitatoribus ad ſervile opus peragendum. Et ut hæc liberalitatis atque munificentiæ conceſſio firmiorem obtineat vigorem, eam confirmaverunt eorum nomina quæ ſubter ſcripta ſunt. Signum Roberti regis, Sig. Dagberti archipræſulis, S. Gaufredi vicecomitis, S. Eldeburgis uxoris ejus, S. Gaufredi & Madalberti filiorum eorum, S. Odonis atque Ebbonis filiorum Radulfi Dolenſis, Sig. Gimonis Gordonenſis, Sig. Theoderici Montisfalconis, S. Tedonis Maidunenſis, S. Hubaldi Aiacenſis, S. Hubaldi Virſionenſis, S. Arnulfi Dunenſis, S. Rodulfi archidiaconi & fratris ejus Giraldi, S. Giraldi de Gargileſſa,

* *Al.* Guifredus.

Digitized by Google

S. Giraldi de Argento, &c. Facta eſt hæc largitio A
III. non. Auguſti regnante Roberto rege anno decimo, præſidente in cathedra Bituricenſis eccleſiæ Dagberto præſule anno octavo. Signum Amalgarii cancellarii qui hanc chartam conſcripſit.

LVIII.

Charta fundationis S. Satyri.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Aimo Bituricenſium gratia Dei & nutu archiepiſcopus, quoniam, &c. Notum eſſe volumus cunctis fidelibus præcipue coepiſcopis noſtris & omni cœtui canonicorum ſedis S. Stephani protomartyris Bituricenſis eccleſiæ, quibuſcumque ordinibus honoribuſque promotis, quoniam quædam juvencula nomine * Matildis, filia cujuſdam noſtræ eccleſiæ militis nomine Gimonis, cujus erat caſtrum quod dicitur S. Satyri, necnon & Odo comes palatii, quem ſibi eadem juvencula ſola ſine fratribus inter cognatos & amicos emeritum elegit, quem ſibi ſubrogaret vivens & mortua in * ejus hæreditatis: ſanctorum neceſſitatibus communicantes, quendam locum in honore S. Petri principis apoſtolorum & S. Satyri, plurimorumque ſociorum ejus martyrum, quorum nomina in cœlis ſcripta ſunt, antiquis temporibus multo honore ditatum, ſed in beneficio multis jam diſtributum, & pene ad nihilum redactum reſtaurare cupientes, ſerenitatem noſtram adeundo petierunt, conſenſu & aſtipulatione noſtra fieri quidquid reſtaurationis & honoris pro remedio animæ ſuæ & parentum ſuorum eidem loco conferre voluerint. Imprimis prædictum locum honore præcipuo decorantes, officium clericorum inibi canonice viventium conſenſu & actu eorum devote conſtituimus, ea ſcilicet ratione, ut ipſi aut aliquis ſuorum, ſive præpoſitus, ſive judex, ſive vicarius, ſive miles, ſive ſervus, ſive liber, aut aliquis ſuorum hæredum viventium ſive ſuccedentium, nullam ulterius in eis exerceant poteſtatem, neque in eccleſia, neque in clauſtro, neque extra clauſtrum, neque in villa, neque extra villam, neque in omnibus quæcumque ſive ab illis, ſive ab aliis jam conlata, ſive conferenda ſunt, ſed habeant ipſi canonici poteſtatem libere faciendi, quidquid interius ſive exterius communis conſilii meliori cenſura deliberaverint. Quod ſi quis canonicorum ſive prælatus, ſive ſubditus debitum humanitatis exolverit, quemcunque communi conſilio elegerint, ſubſtituant: & quidquid inde acceperint, aut ſtipendiis fratrum, aut honeſtati, aut utilitati eccleſiæ conferatur ſuo, non alterius conſilio. Et quia prædictam puellam & Odonem comitem palatii ita viſitavit Oriens ex alto, ut non ſolum de his quæ ad eandem eccleſiam pertinere videntur, ſed etiam de ſuis propriis hæreditatibus atque theſauris ad reſtaurationem loci multa donaria tribuant, ipſam eccleſiam cum altari, cum nonis & decimis, & quidquid ad eccleſiam vel ad altare pertinere videtur, quæ omnia de jure matris eccleſiæ prothomartyris Stephani in beneficio ſe habere teſtantur, precibus puellæ & comitis palatii canonicis ejuſdem loci conferimus immunem & liberum ab hodierna die & deinceps. Statuimus præterea ut nullus ſucceſſorum noſtrorum contra hoc noſtræ deliberationis ſcriptum agere contra ipſos canonicos pertentet, excepto quod debitam ſubjectionem matris eccleſiæ canonice exſolvant, & in inventione beati protomartyris Stephani, quæ colitur 3. nonas Auguſti, proceſſionem & duas libras perſolvant incenſi. Ut ergo canonici S. Petri & S. Satyri noſtri beneficium perpes ſentiant, & noſtri temporis ſit conſolatio & noſtræ fragilitatis remiſſio, & firmum atque inviolabilem teneat hæc cautio tenorem, manu propria in præſenti ſynodo, & coepiſcoporum, & canonicorum ac militum noſtrorum aſſertioni ſtipulandum obtulimus, S. Aimonis archiepiſcopi, S. Odonis comitis palatii, S. Mathildis, cujus beneficium, S. Tetbaldi comitis, S. Ermengardis comitiſſæ, S. Gotzfredi vicecomitis, S. Archembaldi, S. Odonis, S. Ebbonis, S. Roggerii decani, S. Arnuſti cantoris, &c. S. Stephani Anicienſis epiſcopi, S. Ranconis Arvernenſis epiſcopi, S. Ragimundi Gaballitanenſis epiſcopi, S. Amelii Albienſis epiſcopi, S. Deuſdet Caturcenſis epiſcopi, S. Acmerii abbatis Maciacenſis, S. Viviani abbatis Navenſis monaſterii, S. Herberti abbatis Dolenſis monaſterii, S. Oldorici abbatis Lemovicenſis, S. Martini abbatis Virſonenſis, S. Ymoni abbatis Exildunenſis. Datum in menſe Auguſto anno IV. regnante Hainrico rege, & infra: S. Henrici comitis cognomine Stephani, S. Adelæ comitiſſæ uxoris Henrici comitis cognomine Stephani, S. Gofridi de Vabra cognomine Normanni, S. Gauterii de Luſarchiis.

* Jus hereditatis.

* In notis Horſtii & Picardi ad ep. 150. Bernardi hæc Mathildis dicitur nupſiſſe Gofredo de Bullonio, qui poſtea Jeroſolymæ recuperatæ rex fuit. Ibidem legimus hoc cœnobium ceſſiſſe canonicis S. Victoris Pariſ. in cujus necrologio legitur ad v. id. Febr. *Obiit Dominus Andreas abbas S. Satyri, & noſter canonicus*

LIX.

Bulla Innocentii II. pro cœnobio S. Satyri.

INNOCENTIUS epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectis filiis Petro abbati & fratribus in eccleſia 1131.
beati Satyri divino famulatui mancipatis tam præſentibus quam futuris in P. P. M. In apoſtolicæ ſedis ſpecula, diſponente Domino, conſtituti, ex injuncto nobis a Deo apoſtolatus officio religioſos viros debemus diligere & ad religionem propagandam libenter operam dare. Quocirca, dilecti in Domino filii, quieti & utilitati eccleſiæ beati Satiri in qua divino vacatis ſervitio ſalubriter providentes, eam ſanctæ Romanæ Eccleſiæ ſuffragio muniendam duximus. In primis ſi quidem ſtatuentes ut ordo canonicus ſecundum beati Auguſtini regulam ibidem perpetuis temporibus irrefragabiliter conſervetur. Sane decedentibus canonicis ſecularibus qui ibi ſunt, prebendis eorum in uſum Regularium fratrum redactis, nullus niſi canonicam vitam profeſſus eis ſubſtituatur. Quaſcumque preterea poſſeſſiones aut bona inpreſentiarum juſte & canonice poſſidere videmini, aut in futurum conceſſione pontificum, largitione regum vel principium, oblatione fidelium, ſeu aliis juſtis modis, preſtante Domino, poteritis adipiſci, firma vobis in perpetuum & illibata permaneant. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat prefatam eccleſiam temere pertubare, aut ejus poſſeſſiones aufferre vel ablatas retinere, minuere, aut aliquibus vexationibus fatigare; ſed omnia integra conſerventur, eorum pro quorum ſuſtentatione & gubernatione conceſſa ſunt uſibus profutura. Sane abeunte te, dilecte in Domino fili Petre, nunc ejuſdem loci abbate, nullus ibi per ſubreptionem aut violentiam preponatur, niſi quem fratres ipſius loci ſecundum Dei timorem & beati Auguſtini regulam ſibi previderint eligendum. Statuimus etiam ut ipſius eccleſiæ bona nullus ſibi audeat uſurpare, ſed in tua & eorum qui poſt te regulariter ſucceſſerint, libera diſpoſitione permaneant, ſalva nimirum diœceſani epiſcopi juſtitia & reverentia. Si quis igitur in futurum eccleſiaſtica ſæcularisve perſona hanc noſtræ conſtitutionis paginam ſciens, contra eam temere venire tentaverit; ſecundo tertiove commonita, ſi non ſatisfactione congrua emendaverit, poteſtatis honoriſque ſeu dignitate careat, reamque ſe divino judicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & a

Digitized by Google

ſacratiſſimo corpore & ſanguine Dei, ac Domini Redemptoris noſtri Jeſu Chriſti aliena fiat, atque in extremo examine diſtrictæ ultioni ſubjaceat. Cunctis autem eidem loco juſta ſervantibus ſit pax Domini noſtri Jeſu Chriſti, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant & apud diſtrictum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Amen. Amen.



Ego INNOCENTIUS Catholicæ Eccl. epiſ.



Datum Remis per manum AMBRICI S. Romanæ Eccleſiæ diaconi cardinalis & cancellarii nonis Novemb. indictione X. Incarn. Dom. ann. MCXXXI. pontif. vero Domini INNOC. II. PP. anno II.

In folio verſo privilegii legitur : Privilegium INNOCENTII papæ de confirmatione, & inſtitutione ordinis S. Auguſtini in eccleſia S. Satyri & de canonicis ſæcularibus ſubtrahendis.

LX.

Bulla Alexandri III. pro cœnobio S. Satyri.

1164. ALEXANDER epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectis filiis Johanni abbati eccleſiæ ſancti Satiri quæ juxta Sacrum-Cæſaris ſita eſt, cum fratribus tam præſentibus quam futuris regularem vitam profeſſis. In P. P. M. Deſiderium quod ad religionis propoſitum & animarum ſalutem pertinere monſtratur animo nos decet libenti concedere, & petentium deſideriis congruum ſuffragium impertiri. Eapropter, dilecti in Domino filii, veſtris juſtis poſtulationibus clementer annuimus, & præfatam eccleſiam ſancti C Satyri in qua divino mancipati eſtis obſequio, ad exemplar patris & prædeceſſoris noſtri ſanctæ recordationis Eugenii papæ ſub beati Petri & noſtra protectione ſuſcipimus & præſentis ſcripti privilegio communimus. Inprimis ſi quidem ſtatuentes ut ordo canonicus qui ſecundum domini & beati Auguſtini regulam in eadem eccleſia inſtitutus eſſe dignoſcitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter obſervetur. Præterea quaſcumque poſſeſſiones, quæcumque bona eadem eccleſia impreſentiarum juſte & canonice poſſidet, aut in futurum conceſſione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, ſeu aliis juſtis modis, procurante Domino, poterit adipiſci, firma vobis veſtriſque ſucceſſoribus & illibata permaneant, in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis in Caſtro-Cæſaris ſacro; eccleſiam videlicet ſancti Petri, eccleſiam ſancti Dionyſii, eccleſiam ſancti Iterii, capellam ſancti Hilarii quæ eſt in Turre Comitis, & omnia que in ipſo Caſtro ſive in cenſu, ſive in lerdis, & in cæteris conſuetudinibus ſeu in decimis parochiæ poſſidetis reddituſque jure conſuetudinario in Ligeris fluvio poſſidetis: eccleſiam de Talverinaco, & quidquid in ipſa parochia tam in cenſu, quam in decimis poſſidetis: manſionem de Frateio & quidquid inibi poſſideris : eccleſiam de ſancto Baudelio, & quidquid in ipſa parochia in decimis in cenſu, in conſuetudinibus in pratis & in terra arabili poſſidetis : eccleſiam de Dergicis, & quidquid in ipſa parochia poſſidetis : eccleſiam de Herriaco, B & quidquid in ipſa parochia in cenſu, in decimis, in terra arabili & in nemore poſſidetis : eccleſiam de Vinomo & quidquid in ipſa parochia, in decimis & in cenſu poſſidetis : eccleſiam de Jocis, & quidquid in ipſa parochia poſſidetis : eccleſiam de Lugniaco, & quidquid in ipſa parochia poſſidetis : eccleſiam de Grellia, & quidquid in ipſa parochia in decimis & in cenſu poſſidetis : eccleſiam de Jalonnia, & quidquid in ipſa parochia in decimis, in cenſu, in terra arabili, in pratis & in nemore poſſidetis : terram & prata de Bordis, & quidquid inibi poſſidetis : terram arabilem, cenſum & conſuedines apud Elumolium, homines, cenſum, prata, nemus, & terram arabilem apud villam Donati, terram & prata apud Genevreiam : cenſum & C terram apud Claumos : cenſum vinearum & conſuetudines quas ibi habetis : jus quod habetis in reddito eccleſiæ de Sancio : eccleſiam de Jars, & quidquid in ipſa parochia in decimis, in cenſu poſſidetis : alodium de Cocciaco cum omni poſſeſſione ejus, ſive in terris, ſive in pratis, nemoribus & omnibus conſuetudinibus Salnaium de alodio de villa Genonis : capellam ſanctæ Mariæ, quæ eſt in Concortallo Caſtro Bernardi fulminis : eccleſiam de Blanca forte & alodium de Monte-Morlonis, decimas, & quidquid in ipſa parochia poſſidetis : eccleſiam de Barloco, & quidquid in ipſa parochia poſſidetis : eccleſiam de Petrafitta, & quidquid in ipſa parochia poſſidetis : eccleſiam de Sariaco in Boſchis, & quidquid in ipſa parochia poſſidetis : alodium de curia D Johannis cum omni poſſeſſione ſua, ſive in terris, ſive in pratis, ſive in nemore, ſive in ruſticis, & in omnibus conſuetudinibus : alodium de Mavei : eccleſiam de Bella-villa cum tota decima ejus, ipſam villam cum omni poſſeſſione ejus, ſive in terris, ſive in pratis, ſive in nemoribus & ruſticis; ſive in proprio, ſive in caſamento, & in omnibus conſuetudinibus poſſidetis : eccleſiam de Saviniaco, & quidquid in ipſa parochia ſive in decimis ſive in hominibus, ſive in pratis, ſive in nemoribus, ſive in proprio, ſive in caſamento, & in omnibus conſuetudinibus poſſidetis : eccleſiam de Acigniaco, & quidquid in ipſa parochia poſſidetis : eccleſiam de ſancta Gemina, & quidquid in ipſa parochia habetis, ſive in decimis, ſive in terra : alodium de Cappis cum

Digitized by Google

omnibus pertinentiis ſuis : alodium de Lichiaco cum omni poſſeſſione ejus, ſive in terris, ſive in pratis, ſive in nemore & omnibus conſuetudinibus : eccleſiam ſancti Dionyſii de firmitate Humbaudii cum omnibus appenditiis ſuis : capellam de loco Dei cum omnibus poſſeſſiunculis ſuis : in pago Antiſſiodorenſi curiam que Meva dicitur & capellam ſancti Martini quæ in eadem ſita eſt, & quidquid ad ipſam pertinet, ſive in terris, ſive in aquis, ſive in vils, ſive in pratis, ſive in nemoribus, ſive in cenſu, ſive in conſuetudinibus : eccleſiam ſancti Johannis Evangeliſtæ Bituricenſis cum omnibus pertinentiis ſuis, videlicet cum terra Raimundi de Faia quæ dicitur de Faita & de Puzols, cum nemore quoque, & terra plana, & pratis que magiſter Hermannus ſubdiaconus noſter & notarius eidem eccleſiæ ſancti Johannis acquiſivit, & quidquid ad ipſum Raimundum hereditario jure pertinet tam ex parte patris, quam ex parte matris : terram etiam que dicitur Ferragalli, & quidquid ad ipſius Ferragalli poſſeſſionem pertinet : capellam de Montellis cum terra, pratis, molendinis & uſu nemorum, & omnibus ad ſe pertinentibus : eccleſiam ſancti Amatoris Antiſſiodorenſis cum omnibus pertinentiis ſuis, videlicet cum eccleſia de Brueria, & omnibus ad eam pertinentibus : eccleſiam de Lanſec cum terris & pratis ad eam pertinentibus : eccleſiam de Chavanna cum vineis, pratis & decimis ad eam pertinentibus : eccleſiam de Villa-feriol cum pertinentiis ſuis : capellam ſanctæ Mariæ de Cellis ; concordiam vero de ripa Ligeris a Rainaldo de Montefalconis ex parte mere vobis in pace dimiſſa & aque theloneo Decommum veſtro ſimiliter dimiſſo & excluſo nulli eccleſiæ veſtræ ulterius concedenda, quemadmodum inter vos & ipſum per venerabilem fratrem noſtrum Petrum Bituricenſem archiepiſcopum rationabiliter facta eſt & ſcripto firmata, auctoritate apoſtolica confirmamus. Nemus quod eſt juxta Ligerim fluvium, quod Vaurella dicitur, cum pratis, lacubus, cenſu & conſuetudinibus, & quidquid inibi habetis : prebendam in eccleſia ſancti Stephani Bituricenſis, ſicut a catholicis archiepiſcopis & capitulo ejuſdem eccleſiæ vobis commiſſa eſt : remiſſionem proceſſionis quam in Inventione ſancti Stephani Bituricenſis facere ſolebatis, ſicut a bone memorie Alberico quondam Bituricenſi archiepiſcopo facta eſt, & tam ab eo quam a venerabili fratre noſtro Petro, nunc Bituricenſi archiepiſcopo, & capitulo ejuſdem eccleſiæ ſcripto autentico eſt firmata. Inſuper etiam burgum ipſum in quo eadem eccleſia ſancti Satyri ſita eſt cum immunitate quam uſque ad hæc tempora noſcitur habuiſſe, & cum adjacenti ſibi territorio juxta terminos antiquitus conſtitutos, id eſt a Dogio Gerardi defuncti per viam que ducit citra Ulmum-Ricardi ſurſum tendens per vineas paululum ſupra Crucem uſque ad fontanellas inter duas domos, & inde circumiens ſupra domos Fontenaici uſque ad Crucem Uldrici progreditur via candida uſque ad vallem Johannis de Charnis, & exinde dirigitur inter duo nemora, & per ponticulum de vineis uſque in Ligerim deſcendit, ab omni jure vel exactione regum & principum, liberum infra quod territorium ex una parte oppidulum quod Fontiniacum dicitur. Ex altera vero capella ſancti Teobaudi cum edificiis ibidem conſtitutis, villam que dicitur Caronis Nemus quod foliolium dicitur, quod juxta nemus comitis Theobaldi quod Carnis dicitur ſitum eſt, inquo nemore comitis talem habetis conſuetudinem, ligna ſcilicet ad veſtros proprios uſus, medietatem paſnagii & proprio-
rum porcorum portionem. Preterea decimas ad jus eccleſiarum veſtrarum pertinentes, que contra SS. Patrum decreta a laicis detinentur, de manibus eorum redimendi, & quibuſcumque rationabilibus modis poteritis acquirendi licentiam vobis concedimus. Concordiam vero que inter vos & ſanctimoniales S. Laurentii de Bituricenſi ſuper decimis de manu laïcorum communiter acquiſitis vel acquirendis rationabiliter facta eſt, & ſcripto hinc inde firmata ratam permanere cenſemus. Nulli quoque fratrum poſt factam in prefata eccleſia poſſeſſionem abſque abbatis totiuſque congregationis permiſſione liceat e clauſtro diſcedere. Diſcedentem vero abſque communium litterarum cautione nullus audeat retinere. Liceat autem abbati qui pro tempore fuerit, in eum qui vobis ignorantibus aut invitis diſceſſerit, ſi ſecundo tertiove commonitus redire contempſerit, canoni am perferre ſententiam. Obeunte vero te nunc ejuſdem loci abbate, vel tuorum quolibet ſucceſſorum, nullus ibi qualibet ſubreptionis aſtutia ſeu violentia preponatur, niſi quem fratres communi conſenſu vel firma pars conſilii ſanioris ſecundum Dei timorem & beati Auguſtini regulam, de ſuo, ſeu de alio, ſi expedierit, ejuſdem ordinis collegio providerint eligendum. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat eamdem eccleſiam temere perturbare, aut ejus poſſeſſiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, ſeu quibuſlibet vexationibus fatigare, ſed omnia integra conſerventur eorum pro quorum gubernatione & ſuſtentatione conceſſa ſunt, uſibus omnimodis profutura. Salva ſedis Apoſtolicæ auctoritate atque archiepiſcopi & eccleſiæ Bituricenſis canonica juſtitia. Si qua igitur in futurum eccleſiaſtica, ſæcularisve perſona hanc noſtræ conſtitutionis paginam ſciens, contra eam temere venire tentaverit, ſecundo tertiove commonita, niſi reatum ſuum congrua ſatisfactione correxerit, poteſtatis honoriſque ſui dignitate careat, reamque ſe divino judicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & a ſacratiſſimo corpore ac ſanguine Dei & Domini Redemptoris noſtri Jeſu Chriſti aliena fiat, atque in extremo examine diſtricte ultioni ſubjaceat. Cunctis autem eidem loco ſua jura ſervantibus ſit pax Domini noſtri Jeſu Chriſti. Quatenus & hic fructum bone actionis percipiant & apud diſtrictum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Amen.





Ego ALEXANDER Catholicæ Eccleſiæ epiſc.
† Ego HIBALDUS Oſtienſis epiſcopus.
† Ego BERNARDUS Portuenſis & S. Rufinæ epiſ.
† Ego GUALTERIUS Albanenſis epiſc.

† Ego HIBALDUS preſbyter & cardinalis tit. S. Crucis in Jeruſalem.
† Ego HENRICUS preſbyter & cardinalis tit. SS. Nerei & Achill.
† Ego GUIL. preſbyter card. titulo S. Petri ad vincula.

† Ego JACINTUS diac. card. S. Mariæ in Colmydin.
† Ego ODDO diac. card. S. Nicolai in Carcere Tulliano.
† Ego BOSO diac. card. SS. Coſmæ & Damiani.
† Ego CINTHIUS diac. card. S. Adriani.
† Ego PETRUS diac. card. S. Euſtachii juxta templum Agrippæ.
† Ego MANFRIDUS diac. card. S. Georgii ad Velum aureum.

Datum Bituricis per manum HERMANNI S. Rom. Eccl. ſubdiaconi & notarii XVI. Kalendas Junii indictione XIII. incarnationis Dominicæ anno MCLXIIII. pontificatus vero domini ALEXANDRI pontif. III. anno VI.

LXI.

Charta fundationis abbatiæ de Miſerayo.

DIvina cooperante gratia ſemper Eccleſia Dei * dilatatur, ſemper proficit & amplificatur, ſonat per orbem terrarum in auribus fidelium veriſſima ſponſio Salvatoris in Evangelio dicentis : *Quod omnis qui reliquerit ſua propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit*, &, *qui recipit juſtum in nomine juſti, mercedem juſti accipiet.* Idcirco feſtinant qui audiunt pro caducis, ditari perpetuis, cœleſtia mercari de terrenis, hæreditant Eccleſiam Dei, de ſuis in præſenti ; ut cum ipſa poſtmodum hæreditatis ejus perpetuæ valeant fieri hæredes perpetui. Sed prædara talium geſta, ne unquam ſupprimat cæca hominum ignorantia, aut quorumlibet invidorum pervertat evitanda fallacia, perennibus litterarum monimentis diligenter commendantur, quibus nec temporum prævalent labentium volumina, nec perfidorum refellenda obviant commentitia. Igitur clareat & notum ſit omnibus ſanctis Dei Eccleſiæ filiis, tam præſentibus quam futuris, quod anno Incarnationis Dominicæ M. XXCIX. eccleſiam Bituricenſium regente feliciter archiepiſcopo domino Ricardo, erant apud caſtrum Buſenciacum quidam optimates viri illuſtriſſimi, & juxta ſuæ dignitatis excellentiam in equeſtri ordine ſtrenuiſſimi quatuor fratres, quorum nomina ſunt Girbertus, Hugo, Arbertus, Amalfredus. His itaque inter cætera gratiarum dona, quæ ſæpe fidelibus Deo largiente diſpenſantur, munere divino collatum eſt ut quidam duo bonæ indolis viri ex ordine clericali dudum in ſanctæ religionis propoſito conjuncti, ac in ſancta converſatione probati, tandem ad ſolitariam & theoricam vitam agendam ſuperno reſpectu accenſi, hos aditent viros, & ad id peragendum, locum aptum & remotum in quadam illorum ſilva repertum ſuppliciter ab iis expeterent ; quorum devotione præfati illuſtres viri admodum delectati, & ſe tantorum præſentia virorum viſitatos eſſe, divinæ gratiæ, cum gratiarum actione imputantes, petitioni eorum liberaliſſime hilares datores ſe præbuerunt, & in eadem ſilva expetitum & opportunum ſibi locum ad habitandum, & quantum ex ea vellent ad ædificandum, & quicquid neceſſe fuerit ex ea habendum, & ex eadem terra ad operandum & ſeminandum, ſine decima & terragio, & abſque totius exactionis conſuetudine, & cenſu, vel calumnia, nec in porcis, nec in beſtiis, liberum deinceps eorum ditioni perpetuo habendum & poſſidendum, libentiſſime pro timore & amore divino, & pro ſuarum ſalute animarum tradiderunt. Præterea vero Robertus Buſenſiaci dominus, diligenter eis conceſſit de venatione ſua, quam in eadem ſilva habebat, quantum capere poſſent, & quicquid a ſupradictis viris datum fuerat, libenter annuit. Hujus autem ſilvæ nomen eſt Ognenſis dictum, ab eccleſia ſcilicet quæ dicta eſt Ognia, in cujus parochia eſt, quæ etiam præfatorum virorum juris erat, ſita in territorio Biturico de Caſtallania jam dicti caſtri, ad plagam Septentrionis : in qua ſilva prædicti duo chriſticolæ, quorum prior Giraldus dictus eſt, alter Gaufridus, ſuis votis locum aptum & ab hominibus remotum ſagaciter perquirentes, invenerunt tandem in ea locum ſatis amoenum, qui dictus eſt Miſeraicum, ubi nihil aliud quam opaca ſilva, & fons inerat amoenus, ubi pro modulo ſuo parvum & anguſtum tugurium collocantes, nutu atque auctoritate Ricardi ſupradicti archiepiſcopi, ejuſdem moduli parviſſimum ædificantes oratorium, deinceps ibidem reliquum ſuæ vitæ tempus in laboribus quotidianis victus, in vigiliis, jejuniis & continuis orationibus, & in caritate continua ducentes, contemplativæ vitæ culibus libere & quiete fruiti ſunt, cujus prædii poſſeſſores quatuor ſcilicet germani, his religioſis viris hunc locum ita ad eorum vota perpetuo ad Dei ſervitium peragendum contulerunt, tam ipſis quam eorum ſucceſſoribus, ut omni deinceps tempore remota omni contrarietate tanquam ſuum & proprium poſſideant. Hoc donum nulla condixit calumnia ſenioris, aut hæredis, cum necdum ad id temporis aliquis horum fratrum conjugio ſortitus ſit, nec etiam preſbyter præfatæ eccleſiæ Ognæ, in cujus parochia eſt, & qui hoc donum fieri vidit, aliquid calumniari valuit, cum utique hoc donum a venerandis archiepiſc. ſanctæ ſedis Bituricenſis domino prius Ricardo, & bonæ memoriæ ejus ſucceſſore Aldeberto decretum, & confirmatum paſtorali autoritate conſtaret. Teſtes itaque hujus doni & aſſertores, qui præſentes fuerunt ſunt iſti de multis, Petrus Malacoſti, Giraldus Urſonis, Gerardus Hildricus, Sulpitius Rebutit, Robertus preſbyter capellanus eccleſiæ Ognenſis tunc temporis, qui hoc etiam fieri rogavit & conceſſit. Hoc donum factum eſt apud Buſenſiacum III. Idus Junii in die S. Barnabæ apoſtoli, Philippo Francorum rege regnante.

Ut hæc igitur donatio firma, & inconcuſſa permaneat, ego Leodegarius ſanctæ Bituricenſis eccleſiæ humilis miniſter, hoc idem quod a prædeceſſoribus noſtris Ricardo atque Aldeberto fideliter ac ſolemniter eorumdem præfatorum religioſorum virorum Giraldi ſcilicet & Gaufridi petitionibus annuentes, diligenter conceſſimus, ipſoſque & eorum poſſeſſiones omniaque ſua in defenſione matris eccleſiæ Bituricenſis, & noſtram tuitionem ſuſcipimus, ut amodo abſque omni calumnia & inquietatione, libere ac licenter Deo ſemper ſervire ſatagant ; quin etiam ad majus incrementum divini ſervitii ſcilicet in jam dicta ſilva XVII. Calend. Mail, cimeterium eis benediximus, conſequenter quoque VIII. Idus ejuſdem menſis inibi altare conſecravimus in honorem S. Dei genitricis ſemper Virginis Mariæ, & B. protomartiris Stephani, ſanctique Nicolai. Placuit igitur hujus donationis cartulam ſigilli noſtri autoritate muniri,

* *Al.* Chriſti.

Mat. 19. 29.

Mat. 10. 41.

Digitized by Google

& corroborari, multo hominum conventu adſtante, noſtriſque clericis præſentibus, ſcilicet domino Rodulpho ejuſdem regionis archidiacono, & domino Calcardo Bituricenſis ſedis archidiacono & domino Guillelmo nepote noſtro & archidiacono, & Johanne cancellario noſtro, & Herveo Caſtellionis canonico, & Amalfredo qui hoc donum ſupradictum fecit, & pluribus aliis teſtibus quorum nomina longum eſt enumerari. Actum Miſerayo in eadem cellula, anno ab Incarnatione Domini M. CXII. Luna VIII. Ludovico rege Francorum fœliciter regnante, indictione quinta.

LXII.

Bulla Innocentii II. pro Miſerayo.

INNOCENTIUS epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectis in Chriſto filiis Geraldo priori de Miſeraïco, ejuſque fratribus tam præſentibus quam futuris, in eodem loco religioſam vitam profeſſis in perpetuum. Qui religioſos fovet, & piis eorum deſideriis facilem præbet aſſenſum, gratum Domino immolat holocauſtum. Eapropter, dilecti in Domino filii, veſtris poſtulationibus paterna benignitate annuimus, & eccleſiam beati Nicolai de Miſeraico in qua divino vacatis ſervitio, ſub beati Petri & noſtra protectione ſuſcipimus, & præſentis ſcripti privilegio communivimus, ſtatuentes ut quaſcumque poſſeſſiones, quæcumque bona idem venerabilis locus in præſentiarum juſte & canonice poſſidet, ut in futurum conceſſione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium ſeu aliis juſtis modis Deo propitio poterit adipiſci, firma vobis veſtriſque ſucceſſoribus illibata permaneant. Sancimus etiam, ut in eodem loco perpetuis futuris temporibus eniteſcat religio; interdicimus etiam ut nulli omnino hominum fas ſit de veſtris laboribus quos propriis manibus aut ſumptibus colitis, vel de fructu veſtrorum animalium decimas exigere. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatam veſtram eccleſiam temere perturbare, aut ejus poſſeſſiones aufferre, vel oblatas retinere, minuere, ſeu quibuſlibet moleſtiis fatigare, ſed omnia integra conſerventur eorum pro quorum gubernatione & ſuſtentione conceſſa ſunt, uſibus omnimodis profutura. Si quis igitur in futurum huic noſtro decreto contraïre præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli apoſtolorum ejus incurrat & excommunicationi ſubjaceat. Conſervantes autem hæc, omnipotentis Dei & eorumdem apoſtolorum benedictionem & gratiam conſequantur. Amen. Amen. Amen.

Ego INNOCENTIUS Catholicæ Eccleſiæ epiſc.
Ego CONRADUS Sabin. epiſcopus.
Ego THEODUINUS ſanctæ Rufinæ epiſcopus.
Ego GERARDUS preſbyter cardinalis S. Crucis in Jeruſalem.
Ego ALBERTUS Albanenſis epiſcopus.
Ego ANSELMUS preſbyter cardin. titulo ſancti Laurentii in Lucina.
Ego ALBERICUS Hoſtienſis epiſcopus.
Ego CHRISOGONUS preſbyter cardin. titulo ſanctæ Praxedis.
Ego RAMERIUS preſbyter cardin. titulo S. Priſcæ.
Ego GRISO preſbyter cardin. titulo S. Cæciliæ.
Ego OCTAVIANUS diaconus cardin. titulo S. Nicolai in carcere.

Datum Laterani per manum AIMERICI S. Romanæ eccleſiæ diaconi cardinalis & cancellarii, tertio nonas Aprilis, indictione tertia, Incarnationis Dominicæ anno milleſimo centeſimo trigeſimo * ſexto, pontificatus domini INNOCENTII II. papæ anno undecimo.

LXIII.

Charta donationis Fontis-Juſti, ubi abbatia Callovienſis, (Chalivoy) habuit exordium.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Solet ſæpe pravorum hominum nequitia ſervorum Dei pacem quietemque turbare, eorumque ſanctum otium calumnioſis litibus infeſtare. Eapropter & legum ſanctio & ſanctorum patrum ſtatuit obſervanda traditio, ea quæ Dei ſervis fidelium devotio & pietas Chriſtiana contulerit, mandare litteris, earumque teſtimonio confirmare, quatenus & pravorum hominum calumnia impudens reprimatur, & ſervorum Dei pax & requies inoffenſa ſervetur. Hac igitur conſideratione & ratione commonitus ego Guifridus de Magniaco donationem, quam domno Juliano monacho pro ſalute animæ meæ facio, mando litteris & æterno, ut cum teſtium vita defecerit, in teſtimonium producatur charta vivacior. Do itaque illi totam terram Carigniaci planam atque arabilem, quæ eſt a fonte qui Torchaneſſa dicitur, uſque ad Fontem-juſti in longum latumque porrecta, ſolam illam veuram mihi retinens, quæ inter utrumque fontem media ſtatione ſuccrevit. Partem tamen ejuſdem veuræ quæ ad auſtrum reſpicit a parvula ſemita, quæ in tranſverſum ducitur, una cum pratulo quod eidem adjacet & adhæret, prædicto heremitæ condono. Iis caſalibus quoque ubi ruſtici habitaverant, capellam ſuam domoſque reliquas ædificabit; atque ut ad hoc locus pateat, de circumſtanti nemore quantum ei opus fuerit complanabit. Sed & in nemore meo & terra & aquis omnes uſus, quos caſantias vocant, prout ei libuerit & opus habuerit ſemper accipiat. Quod autem domino Juliano do & concedo, hoc omnibus qui cum eo vel poſt eum in eodem loco Domino ſervierint, pari tenore concedo. Hujus meæ donationis teſtes ſunt hi, Rainaudus archipreſbyter, Rainaudus de Baignol, Johannes Malaclicia, Petrus Malus-ſerviens, Guimerus monachus. Actum eſt hoc anno ab Incarnatione Domini M. C. XXXIII. Ludovico regnante, Wlgrino archipræſule Bituricenſi epiſcopante. Sciendum eſt & præſenti chartulæ annotandum quod prædictus Guifridus donationem prætaxatam Bituricis poſtea in manu domini Vulgrini archiepiſcopi & fecit & confirmavit, præſentibus & aſtantibus teſtibus ſubnotatis, Gaufrido cantore, Huberto archipreſbytero, Odone cancellario, Cadurco decano Monaſterii-mediani, Geraudo Pontio. Confirmavit quoque præfatam donationem idem Guifridus in manu prædicti archiepiſcopi die illa qua in capella Chavigniaci, qui nunc Fons-juſti dicitur, altare quod domnus Julianus erexerat ſolemniter conſecravit. Populi qui aderat numeroſa multitudo teſtis eſt. Hanc ſubſcriptam elemoſinam Arnulfus de Magniaco prædicti Guifridi filius, ſopita omni calumnia, Willelmo abbati & monachis de Callovio laudavit & conceſſit; quod ego Reginaudus Montis-falconis dominus vidi & audivi, & ne amodo pro prædicta elemoſina monachi inquietentur, nec placitentur, juſſu Arnulfi prædicti chartam ſigillo meo ſigillavi. Conceſſionem iſtam audivit Giraudus & Gimo monachi & eo tempore celleratii, & Stephanus capellanus de S. Bauderio, Gilo Meſchinus, Arnulfus Juvenis, Iterius de Bonelio, Ranulfus de Pinu, Arnulfus Godelino.

1133.

* Lege anno quadrageſimo, qui reſpondet anno undecimo Innocentii II. & indictioni tertiæ.

Digitized by Google

LXIV.

Donum Iterii de Bonoil factum Juliano Callovienſi monacho.

1138. IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Optimæ conſuetudinis eſt res geſtas litteris æternare, & notitiæ poſterorum ſcribendo tranſmittere, quatinus & rerum geſtarum memoria perſeveret, & deficientibus teſtibus teſtimonium perhibeat carta vivacior. Ego igitur Iterius de Bonoil donationem & conventionem, quam domno Juliano monacho feci & fratribus ejus tam præſentibus quam futuris uſque in ſæculi finem in loco qui Fons-juſtus dicitur; mando litteris, trado memoriæ, tam meæ quam ſervorum Dei paci providens & quieti. Dedi igitur domno Juliano & eccleſiæ Fontis-juſti totam terram meam quæ Undrea dicitur, quæque loco Undreæ adjacet & appendet, tam eis prata quam ultra, tali videlicet conventione & modo, ut ipſe aut fratres Fontis-juſti mihi aut heredibus meis per ſingulos annos modium annonæ perſolvent, & vecturis ſuis Baugiacum deferant, cujus medietas raſa erit, altera cumulata, pars quoque dimidia erit frumenti, altera ordei. Hunc mihi cenſum pro terra ſupradicta prædicti loci fratres annuatim perſolvet conditione prætaxata. Qui ſi etiam ſe locumque ſuum Ciſtercienſi ordini ſeu cuilibet alteri eccleſiæ ſimili tenore ac lege viventi ſubmiſerint, vel monaſterium ſuum ab eo loco qui nunc Fons-juſtus dicitur in alium tranſpoſuerint, nulla propter hoc adverſus eos calumnia movebitur quandiu cenſum ſupradictum reddere voluerint. Si autem Cluniacenſi ordini aut alicui monaſterio ſimili conſuetudine ordinato ſe locumque ſuum ſubmiſerint, ego aut hæredes mei terram noſtram, ſi voluerimus, accipiemus. Eſt in eadem terra locus & ſedes molendini, quem ſi ædificare voluerint, liberam habeant facultatem, quia & ipſum abſque ulla retentione dedi eis. Dedi inſuper domno Juliano & eccleſiæ Fontis-juſti cenſum quatuor denariorum, qui pro terra & pratis in circuitu caſalis Undreæ poſitis debentur. Quod ſi domnus Julianus aut fratres Fontis-juſti terram illam & prata a ruſticis, qui quatuor illos cenſuales denarios debent, emere voluerint & valuerint, poſſideant habeantque ea, id eſt terram & prata jure libero atque perpetuo; prata quoque mea quæ in vicinia Undreæ ſunt, quæque vendere ſolebam, dedi domno Juliano & eccleſiæ Fontis-juſti. Conceſſit hæc omnia quæ ſupra dicta ſunt & laudavit mater mea Bella de Eſſart, & fratres mei Giraudus Viridis & Gimo de Bonoil, nepotes quoque mei Bonoil & Bernardus de Bonoil. Teſtes quorum in præſentia hæc geſta ſunt, hi ſunt: Rainaudus Montis-falconis dominus, qui hanc cartam ne caſſabilis poſſet haberi, ſigilli ſui munimine roboravit, Baro preſbyter, Seunbaudus preſbyter, Radulfus prior Birri, Girardus Troſſebois, Ferregaudus præpoſitus, Robertus Quadriga, Aznulfus Capellus, Paganus Rex, Arnulfus Raimbaudus, Rainaudus Panerius. Factum eſt hoc anno ab Incarnatione Domini M. C. XXXVIII. Ludovico rege, Alberico Bituricenſi archipræſule.

LXV.

Donum Raginaudi Montis-falconis factum Callovienſi monaſterio ſub Richardo abbate.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis amen. Quicumque pauperibus Chriſti pro amore ipſius beneficium aliquod impertiri deſiderat, imprimis providere debet, ut ratum ſit quod largitur, ac poſtmodum præcavere ne quid calumniæ aut contrarii in poſterum ſubſequatur. Accidere etenim ſolet, quod & revera vidimus & experimento didicimus, quia dona & beneficia famulis Dei in elemoſina collata, niſi fuerint certa, vel privilegia eorum idoneis teſtibus authentice confirmata, & facillime tamquam caſſa judicantur, & frequenter velut irrita reprobantur. Qui ergo Deo quærit placere, Deumque ſuis oblationibus complacere, ad hoc ſummopere ſtudeat ut quantum in ipſo eſt, quicquid ſervis Dei pro mercede æterna contulerit, firmum ac ſtabile in perpetuum perſeveret. Idcirco ego Rainaudus Montis-falconis dominus quædam de rebus meis conſideravi & conſiderando excepi, quæ pauperibus, monachis ſcilicet Calloviæ * degentibus, in elemoſinam dare diſpoſui. Verumtamen ne ulla umquam quovis modo ex aliqua parte emergere poſſit contradictionis occaſio, ea quæ confero, & ſcribi volui, & privilegio confirmari. Hæc ſunt igitur quæ confero & dono, & collato privilegio iſto in perpetuum confirmo. In primis confero & dono eccleſiæ & fratribus de Callovio ibidem Deo ſervientibus in manu Richardi primi abbatis dicti loci, pro remedio animæ meæ & parentum meorum, totum jus & dominium, quod habeo apud Callovium, & in omnibus grangiis & appendiciis ſuis ſub meo jure exiſtentibus, videlicet infra clauſuras dictorum locorum tantummodo. Dono etiam eiſdem fratribus de pratis meis abbatiæ ſubjacentibus, quæ Paſca vocantur, quantum nemus eorum protenditur. Dono inſuper eiſdem fratribus omne nemus mortuum ex illa ſilva mea quæ Venera vocatur, ad uſus neceſſarios. Dono etiam eiſdem fratribus cenſualitatem de decem arpentis terræ meæ, quorum quator ſunt juxta domum Veneræ, ſex vero ſunt in Verveto. Dono inſuper eiſdem fratribus totius annonæ meæ decimam, quæ ex reditibus meis quoquo modo proveniet mihi in omni caſtellaria S. Cyrici de Semcergio, & inſuper de agriculturis meis ſi quas ibi habuero. Hoc ſiquidem omnibus tam præſentibus quam futuris notum fieri volo quod omnem terram quam apud Undream & apud Pontianum aut alicubi ſub meo jure prædicti fratres poſſident, totum laudo & concedo. Simili modo quicquid in omni terra mea; ita tamen ut inde caſatum non perdant prædicti fratres quod adepti ſunt aut in poſterum adquirere potuerint, aut pretio emptum ab eis, aut ipſis in elemoſinam datum fuerit. Hoc totum laudo, & hæc & cetera omnia hic prænotata jure perpetuo ſine ulla inquietudine fratribus Callovienſibus in perpetuum poſſidenda concedo. Hujus autem donationis noſtræ teſtes ſunt Gilo Meſchinus, Mathæus Vadeultra, Arnulfus de Luiron, Galterius Albus, Herveus de Villagenum, Odo Bituricenſis, Arnulfus Freſchenus, Gimo de Darlenda, & Paganus frater ejus. Actum eſt hoc & confirmatum anno ab Incarnatione Domini M. C. XLV. currente VI. epacte XIV. Romano papa Cœleſtino, regnante rege Ludovico, Petro Bituricenſi archiepiſcopo.

* Chalivoy

LXVI.

Petrus archiepiſcopus Bituricenſis an. 1156. ſub ſua & eccleſiæ S. Stephani tuitione ſuſcepit Callovienſum abbatiam.

PETRUS per Dei gratiam Bituricenſis eccl. archiepiſc. Wilelmo abbati & fratribus de Callivero canonice inſtituendis in perpetuum. Deſiderium quod ad religionis & animarum ſalutem pertinere monſtratur, animo libenti nos decet concedere, & petentium deſideriis congruum impertiri ſuffragium. Eapropter, dilecti in Domino filii, veſtris petitionibus clementer annuimus, & eccleſiam veſtram ſub 1156.

Digitized by Google

protectione eccleſiæ B. Stephani & noſtra ſuſcipimus, & conceſſiones ſive donationes quas Stephanus de Sancero, Reginaudus de Monte-falconis, Bernardus de Campania, Odo frater ejus, Iva de Magniaco & filii ejus pro remediis animarum ſuarum, ſicut ex chartulis eorum quas habetis, percepimus, vobis & eccleſiæ de Calliveto conceſſerunt & donaverunt, vel per emptionem de poſſeſſionibus iſtorum habetis, confirmamus. Hæ ſunt autem donationes, conceſſiones vel emptiones, quas propriis duximus exprimenda vocabulis : Stephanus de Sancero eccleſiæ de Calliveto, & fratribus ibidem Deo digne famulantibus conceſſit & donavit aquam habendam in perpetuum quiete & libere poſſidendam, quæ eſt a veteri abbatia de Calliveto, uſque ad lacum quem Caſella appellant, quem iidem fratres per multos annos in pace poſſediſſe per ſe vel per alios aſſerebant, quod nemo niſi eorum licentia piſcari præſumat; præcepit quoque hominibus ſuis, qui in eadem aqua piſcari per violentiam præſumebant, monachis contradicentibus, ne deinceps ipſi præſumerent vel alii in eadem aqua piſcari ſine eorum licentia & conceſſione. Reginaudus quoque de Monte-falconis donavit iiſdem fratribus de pratis ſuis eidem abbatiæ ſubjacentibus, quæ paſcua vocantur, quantum nemus eorum protenditur. Dedit inſuper iiſdem totius annonæ ſuæ decimam, quæ ex redditibus ſuis quoquo modo in omni caſtellania ſancti Cirici inſuper & de agriculturis ſuis, ſi eas ibi habuerit. Donavit etiam omne nemus mortuum ex ea ſilva quæ Venura dicitur, ad uſus neceſſarios. Terram quoque quam apud Andream, & apud Poeuciacum, & apud Fontem-juſti aut alicubi, ſub jure ſuo prædicti monachi poſſident. Donavit quoque & conceſſit jam dictis fratribus de Calliveto Bernardus de Campania & Odo frater ejus, præſente Raginaudo de Monte-falconis, qui ejuſdem donationis cum Odone filio ſuo reſponſor extitit, ut quidquid eiſdem monachis in territorio de Undreia in feodo prædictorum fratrum Bernardi & Odonis per donum vel per emptionem, ſive per elemoſinam aut per vadimonium adipiſci potuerint, quiete in perpetuum poſſideant. Hanc conceſſionem Bernardi & Odonis Reginaudus de Monte-falconis firmavit. Conceſſit præterea Iva de Magniaco, & filii ejus Arnulphus & Rainaldus monachis de Calliveto terram quandam, de qua inter eandem Ivam & monachos controverſia erat, quam maritus ſuus Guifredus prius eis conceſſerat; quæ terra a Fonte qui Torquaneſſe * dicitur uſque ad Fontem-juſtum in tranſverſo ſpaciatur, & in longum a nemore uſque ad locum, qui Pons Baiſa dictus eſt protenditur, excepta reuria quæ prato ſuperpoſita continuatur. Conceſſit quoque eis omnes uſus in terra Gorigniaci tam plana quam nemoroſa, &c. Oſchiam quoque unam conceſſit eiſdem fratribus jam dicta Iva apud Ponciacum, quam maritus ejus prius eis dederat. Butinas quoque in præſentia Raginaudi de Monte-falconis per manum ejus cum ſupra dictis fratribus pacem compoſuit, de ſtagno quodam cujus aqua quoddam illius paſcuum cooperuerat, & omnes querelas quas adverſus eos habebat, in pace dimiſit. Et ut iſtæ donationes vel pacis compoſitiones firmæ in poſterum permaneant, autoritate noſtra firmavimus & ſigilli noſtri impreſſione communivimus. Actum anno Domini M. C. LVI. indictione IV. anno epiſcopatus noſtri XV. Bonushomo ſcripſit.

* In Charta donationis Fontis-juſti vocatur Torchanella.

LXVII.

Philippus Francorum rex monaſterium Callovienſe ſub cuſtodia regum Francorum eſſe declarat.

PHILIPPUS Dei gratia Francorum rex. Notum facimus univerſis tam præſentibus quam futuris, quod cum cauſa verteretur in noſtra curia inter dilectum & fidelem noſtrum Stephanum comitem Sacri-Cæſaris * militem ex una parte, & religioſos viros abbatem & conventum monaſterii de Callovio Ciſtercienſis ordinis, Bituricenſis diœceſis, & nos ex altera, ſuper garda ipſius monaſterii, quam memoratus comes ad ſe, dicti vero religioſi ad nos pertinere dicebant; quæ quidem cauſa dudum inter ipſos religioſos & Johannem olim comitem Sacri-Cæſaris diutius tam ſuper ipſius gardæ poſſeſſione quam proprietate fuerat agitata, tandem memoratus Stephanus comes Sacri-Cæſaris in noſtra curia propter hoc ſpecialiter conſtitutus, gardam prædictam & quicquid juris, actionis & dominii, ipſius gardæ poſſeſſione aut proprietate habebat & habuerat per ſe vel anteceſſores ſuos, aut habere poterat, & debebat de jure & conſuetudine, vel alia cauſa quacumque, pro ſe ſuiſque hæredibus & ſucceſſoribus cauſamque habituris ab eo, quittat, cedit, & dimittit in perpetuum nobis & ſucceſſoribus noſtris remanſuram, abſolvens religioſos eoſdem ab ipſius garda prædicta, & renuncians omni juri, ſi quod habebat aut habuerat in eadem; promittendo per ſtipulationem ſolemnem & ex pacto quod contra prædicta vel aliquod ex eiſdem in futurum non veniet per ſe vel per alium. Nec in poſſeſſione vel proprietate gardæ ejuſdem reclamabit jus aliquod de cetero, nec etiam ipſos religioſos moleſtabit ſuper hoc deinceps in perſonis aut bonis. Ad quorum obſervationem idem comes & ſuos prædictos præcepit per nos, ſi neceſſe fuerit, coartari. In cujus rei teſtimonium ad requiſitionem præfati comitis præſentes litteras ſigillo noſtro juſſimus muniri. Datum Pariſius anno Domini M. CC XC V. menſ. Novembris. 1295.

* Sancerre.

Alia ſunt littera Philippi regis anno 1280. data quibus pronunciat monaſterium Callivi eſſe ſub ſua cuſtodia, non comitum Sacri-Cæſaris.

LXVIII.

Charta fundationis monaſterii B. Mariæ de Domo-Dei vulgo dicti Nerlac.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Ego Ebo de Charentonio pro redemtione animæ meæ, & etiam pro remedio animæ patris mei & matris meæ, nec non & uxoris meæ & filiorum, dedi Deo & monachis Claravallenſibus ad abbatiam faciendam in honore B. Mariæ Dei-genitricis, in territorio Brioriæ, in loco qui dicitur Domus-Dei, quidquid ibi mei juris eſſe cognoſcitur. Conceſſi etiam eis libertatem abbatiæ, ſicut conſuetudo ordinis eorum expoſcit, ſcilicet ut omni exactione libera ſit. Sed & groſſum boſcum conceſſi eis ad paſcendos ſeu boves, & quicquid neceſſarium fuerit ad opus aratri. Item a molendinis Humberti dedi præfatis monachis aquam uſque ad abbatiam. Præterea dedi eis locum qui dicitur Chaalat, & quicquid ibi mei juris erat. Inſuper etiam terram dedi eis quam a Petro de S. Lupo avunculo ejus emi, & totam terram ſicut extenditur in longum a Malo-paſſu Emenonis juxta boſcum qui dicitur Jarria uſque ad Pertuis de Vignoles, & ſicut ducitur per unum tramitem uſque ad Pirium curvam, & ſicut ducitur juxta boſcum & planum uſque ad Lareth de Unſaïco, & inde in latum uſque ad poculum Belli-montis, & inde uſque ad podium de Circulis, atque Boſcum quod Ulmeria nuncupatur, ſicut 1150.

Digitized by Google

ſicut extenditur juxta nemus Amelii de Charentone eis conceſſi. Et ſciendum eſt quod monachis de Cella dedi pro commutatione eorum quæ in Domo-Dei accipiebant, lacum de Luza & Rennulfum Fornerium de Noent, Rennulfum Baſcerot & ejus hæredes, Petrum Piſcatorem hujus loci. Præterea dedi eis locum de Floriaco, ſcilicet totam terram quæ eſt a Tumba-Durant uſque ad boſcum Radulfi Exoldunenſis, ſicut via quæ Biturigas tendit extenditur in longum & in latum uſque ad terram Bernardi Alement. Iterum a Tumba-Durandi uſque ad nemus dividit in longum uſque ad terram Donadeorum, & a terra Donadeorum uſque ad terram Bernardi Allement; & ab his terminis in latum uſque ad terram Radulphi Exoldunenſis. Conceſſi etiam eis terram de Moncepeth de meo feodo, quam ipſi acquiſierunt pro uno ſextario frumenti cenſuali a filiis Petri de Noent Ebrardo, Gerario, Gaufredo & Odino, qui ad laudem meam conceſſerant. Dedi vero eiſdem monachis in Bergeriis duas carretas fœni. De cetero conceſſi eis quicquid mei juris erat ad locum qui dicitur Foſſatum. Hujus rei teſtes ſunt ex parte domni Ebonis qui hoc donum fecit Guilletus de Niclent, Petrus Piſcis, Petrus Agnus de Unſiaco ſervientes ejus. Ex parte vero monachorum Agnes comitiſſa uxor domini Ebonis, magiſter Radulphus medicus, Petrus Renet de Silviniaco, Guillelmus Engenas, Baro ſcriptor qui hanc ſcripſit, Petrus Gaſpias, Morinus de Boſſono Blanchet ſerviens domini Ebonis, Hugo præpoſitus Brioriæ, Petrus frater ejus. Actum eſt autem hoc, anno ab Incarnatione Domini M. C. L.

LXIX.

1159. *Confirmatio fundationis monaſterii B. Mariæ de Domo-Dei, ſeu Nerlacenſis facta a Petro archiepiſcopo Bituricenſi.*

EGO PETRUS per Dei * majeſtatem Bituricenſis eccleſiæ archiepiſcopus: commendari volo memoriæ tam præſentium quam futurorum, quod Ebo de Carentonio pro ſalute animæ ſuæ & parentum ſuorum in præſentia & manu noſtra dedit & conceſſit Deo & monachis Clarævallis ad conſtruendam abbatiam in honore B. Mariæ Virginis locum qui dicitur Domus-Dei in territorio Brioriæ, & quicquid ibidem ſui juris eſſe dignoſcebatur. Conceſſit etiam eidem abbatiæ libertatem ſicut conſuetudo ordinis eorum expoſcebat, ſcilicet, ut ab omni exactione libera ſit. Sed & vicinum nemus quod vulgo Groſſum-boſcum vocant, eiſdem monachis conceſſit ad paſcendos ſex boves, nec minus, ad faciendum aratrum totum lignum quod in eo eſt neceſſarium, reortas videlicet & hujuſmodi quibus aratrum trahitur. Item dedit eis aquam a molendinis Humberti uſque ad abbatiam. Donavit quoque illis locum qui dicitur Chaalaz, & quicquid ibi ſui juris erat. Conceſſit etiam terram quam a Petro de S. Lupo & avunculo ejus emerat; & ita dedit eis ex integro totam terram ſicut extenditur in longum a Malopaſſu Emenonis juxta boſcum Jartiæ uſque ad pertuſum de Vincolis. Et ſicut ducitur per unam viam uſque ad Pirum-curvam, & ſicut ducitur juxta boſcum & planum uſque ad rogum de Fuſiaco, & inde in latum uſque ad podium Belli-montis, & inde ad podium de Circulis, necnon & boſcum qui Ululmeia appellatur ſicut extenditur juxta nemus Amelii de Carentonio. Et locum Fluriaci dedit eis, totam videlicet terram quæ & a Tumba-Durandi uſque ad nemus Radulfi Exoldunenſis, ſicut via, quæ Bituri tendit, extenditur in longum & in latum uſque ad terram Bernardi Alemanni, & ab his terminis in latum uſque ad terram Radulfi Exoldunenſis. Conceſſit etiam eis terram Montis-Cepei de ſuo feodo, quam ipſi acquiſierant cum laudatione ipſius Ebonis pro uno ſextario frumenti de cenſu a filiis Petri de Noent Ebrardo, Gerario, Gaufrido & Oldino. Dedit inſuper ſupradictus Ebo eiſdem fratribus duas carretras fœni in loco qui Bergeric dicitur, & in loco qui dicitur Foſſatum, dedit eis quicquid juris habebat. Et ſciendum eſt quod monachis de Cella dedit idem Ebo pro commutatione eorum quæ in Domo-Dei requirebant, ſcilicet pro decimis quas a monachis illius loci exigebant, lacum de Luzai, & Rannulfum Barcerot & ejus hæredes, Petrum quoque Piſcatorem ejuſdem loci. Hoc donum Ebonis conceſſit comitiſſa uxor ejus; & ut in poſterum quod factum eſt in præſentia noſtra ratum haberetur & inconcuſſum, rogatu eorum confirmavimus auctoritate noſtra & ſigilli noſtri impreſſione roboravimus. Teſtes fuerunt hujus rei Guillelmus cantor B. Stephani, Gaufridus ſuccentor, Bonushomo & Guillelmus clerici noſtri, Blancher archipreſbyter de Bloria, Guillelmus de Malem, Petrus Gaſpiels, Petrus Piſcis. Actum eſt hoc in præſentia noſtra apud Brioriam anno ab Incarnatione Domini M. C. LIX. pontificatus noſtri anno nono-decimo.

* F. Miſericordiam

LXX.

Confirmatio fundationis monaſterii B. Mariæ Domus-Dei ſeu Nerlaci facta ab Ebone filio Ebonis de Carentonio & Henrico archiepiſcopo Bituricenſi.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis Patris & Filii & Spiritus ſancti, ego Henricus per Dei miſericordiam Bituricenſis eccleſiæ archiepiſcopus, Aquitaniæ primas, notum fieri volo omnibus hominibus præſentibus & futuris quod dominus Ebbo de Charentonio filius Ebbonis & Agnetis uxoris ejus pro ſua ſuorumque ſalute, per manum noſtram conceſſit perpetua donatione & confirmavit perpetua ſtabilitate Willelmo abbati & monachis Domus-Dei præſentibus & futuris, omnia quæcumque memoratus pater ſuus donavit & conceſſit monachis Clarevallenſibus. Prædictus ſi quidem Ebbo filius memorati Ebbonis & Agnetis in præſentia noſtra veraci affectione perhibuit, & perhibendo veraciter aſſeruit, quod venerabilis pater ſuus dominus Ebbo maritus Agnetis donavit perpetua donatione, atque conceſſit perpetua ſtabilitate pro ſua ſuorumque ſalute monachis Clarevallenſibus univerſa quæ in hac pagina inferius per ordinem ſcripta ſunt, videlicet ad faciendam abbatiam in honore B. Mariæ Dei-genitricis in territorio Bituricenſi in loco qui dicitur Domus-Dei quidquid ibi ſui juris eſſe cognoſcitur. Conceſſit etiam eis libertatem abbatiæ ſicut conſuetudo ordinis eorum expoſcit, ſcilicet ut ab omni violentia & omni ſervitio corporali ab omni exactione libera ſit, ſed & Groſſum-boſcum *&c. ut in charta fundationis.* Præter hæc omnia pater ſupradicti Ebonis Ebbo de Carentonio maritus Agnetis, donavit & conceſſit in perpetuum pro ſua ſuorumque ſalute prædictis monachis Clarevallenſibus in abbatia quæ Domus-Dei vocatur Deo ſervientibus grangiam de Graciaco, & ea quæ monachi ibi prope poſſidebant, tam de dono proprio quam de dono alienorum. Dedit etiam idem præfatus Ebbo maritus Agnetis prædicto loco & monachis in foreſta quæ dicitur Druellons paſcua viginti quatuor bobus & viginti vaccis cum eorum vitulis. Item paſcua uno gregi ovium quæ canes ligatos in ſui cuſtodia habeant, niſi pro neceſſitate luporum diſſolvantur. Paſtum etiam porcis monachorum tam glandis quam faginæ & ceterarum hujuſmodi rerum quæ porcis conveniant in eadem foreſta dedit prænominatus Ebbo maritus Agnetis poſtquam * apta fuerit, nec minus & ligna ejuſdem foreſtæ

1189

* F. Aperta.

dedit ſervitoribus præſcripti loci tam ad ædificandum quam ad calefaciendum. Hæc autem omnia ut ſupraſcripta ſunt ſupranominata Agnes mater domini Ebbonis hoc idem in præſentia noſtra firmiter prædictis monachis perpetua ſtabilitate pro ſua ſuorumque ſalute donavit, atque in perpetuam poſſeſſionem eis conceſſit. Et ambo, videlicet Ebbo & Agnes ſupra memorati Ebbonis genitores, auctoritate & impreſſione ſigilli ſui omnia confirmaverunt, quæ omnia ſunt ſupra ſcripta & ſupra nominata ſunt, Willelmo abbati & monachis Domus-Dei in perpetuum libere poſſidenda conceſſit dictus dominus Ebbo filius Agnetis & domini Ebbonis mariti ejuſdem. Et præter illa omnia quæ ſupra ſcripta ſunt dominus Ebbo de Charentonio filius Ebbonis de Charentonio & Agnetis pro ſua ſuorumque ſalute donavit & conceſſit perpetua poſſeſſione Willelmo abbati & monachis Domus-Dei præſentibus & futuris omnia quæcumque de ſuis feodis vel de ſuis caſamentis uſque ad præſentem diem acquiſierunt vel in futurum quoquo modo acquirant. Item donavit & conceſſit eis in perpetuum plenum & integrum uſagium in toto nemore quod vocatur Druellons, ad abbatiam & ad grangiam Graciaci, videlicet paſcua & omnes paſturas per totum nemus de Druellons omnibus eorum animalibus cujuſcumque generis fuerint, & totum nemus ad ædificandum & calefaciendum, & ad omnia quæcumque fuerint neceſſaria ad grangiam Foſſati. Item donavit & conceſſit in perpetuum omnes paſturas herbarum in nemore quod vocatur Jarria. Item donavit & conceſſit in perpetuum omnibus eorum animalibus, cujuſcumque generis fuerint, per totam terram ſuam & hominum ſuorum, exceptis foreſtis quæ ſolent defendi, illa videlicet quæ vocatur Bornat, quæ ſita eſt juxta Druellons, & illa quæ vocatur Groſſus-boſcus, quæ ſita eſt ſuper abbatiam, exceptis ſex bobus quibus conceſſit pater ſuus paſturas in tota prædicta foreſta Groſſi-nemoris. Promiſit etiam eidem Willelmo abbati & monachis Domus-Dei quod hæc omnia & cetera univerſa eorum jura ſemper contra omnes homines eis defendet & quieta in bona pace habere faciet. Hæc inquam omnia ſuperius ſcripta continenter præfato Willelmo abbati & monachis Domus-Dei donavit, & in perpetuum libere poſſidenda conceſſit, & ita firmiter commendari & auctoritate & impreſſione ſigilli ſui communiri præcepit. Præter hæc omnia ſciendum eſt quod in ſupradicto nemore quod vocatur Jarria temporibus quibus homines de Vaſiaco animalia ſua a ſupradicto nemore defendet. * Cum vero animalia hominum de Uſiaco * in nemus intrabunt, animalia monachorum paſturas herbarum ſine omni contradictione per totum nemus quod Jarria vocatur habebunt. Iterum ſciendum eſt quod monachis Domus-Dei & ſuis hominibus de Uſiaco terras deinceps cum aſſenſu quem modo facit acquirent. Ut autem hæc omnia ſicut ſupra ſcripta ſunt, ratam ſemper & immobilem firmitatem obtineant, utriuſque partis poſtulatione nos præſenti paginæ mandari præcepimus, & ſigilli noſtri impreſſione & auctoritate roboravimus. Horum omnium teſtes ſunt Adam Brio archidiaconus Bituricenſis, magiſter Renulfus & Odo de Veura canonici beati Stephani Bituricenſis, Thomas capellanus meus canonicus S. Ambroſii. Acta ſunt hæc anno ab Incarnatione Domini M. C. LXXXIX.

* *Quædam deſunt.*

* *F.* De Vaſiaco.

LXXI.

Charta Reinaldi de Monte-falconis pro monaſterio B. Mariæ de Fonte-Morigniaco continens confirmationem fundationis.

SÆpe contingit ut majorum inſtituta eorumque ſervis Dei collata beneficia ſuccedentium hæredum perturbet iniquitas, dum ſuæ potius cupiditati quam parentum ſuorum conſulunt animabus. Hac de re maxime his diebus ſervi Dei inquietantur, turbantur eccleſiæ, dum in elemoſynas præceſſorum ſucceſſorum furit ambitio. Hoc attendens & prævens in futurum ego Rainaldus de Monte-falconio quod fideli & pia devotione a me hucuſque actum eſt, eadem nihilominus pietatis inſtantia proſequi decerno. Ad decorem igitur Domus-Dei & ſanctæ religionis augmentum, Ciſtercienſium ordinem auctoritate mea in ipſa Fontis-Morigniaci abbatia confirmo, & ut inibi idem ordo Ciſtercienſium perpetuis temporibus inviolabiliter teneatur & conſervetur omnimodis ratum fieri conſtituo. Poſſeſſiones vero quas hactenus eadem abbatia in tota mea caſtellania juſte & canonice poſſedit, vel poſtmodum Deo auctore acquiſierit, ego & Odo filius meus confirmamus; & ut omnia in poſterum firma & illibata permaneant, ipſi monaſterio ſigilli mei auctoritate roboramus. Nomina poſſeſſionum ſunt hæc: Locus ipſe Fontis-Morigniaci, manſum de Saligniaco, boſcus qui vocatur Bor, boſcus qui vocatur Cupeius, boſcus qui vocatur Baſan, boſcus qui vocatur Minuns, boſcus qui dicitur Campus S. Hilarii, boſcus qui dicitur Trembleiec, boſcus qui dicitur Bornez cum appenditiis ſuis, boſcus alodii, locus de villa Bupherii, boſcus Hugonis S. Ligerii, locus Aquillei cum ſuis appenditiis, grangia de Andres cum ſuis appendiciis, grangia de Sorgiis cum ſuis appenditiis, terra de Maignil in plano & in boſco. Si quis autem res monachorum violando contra decretum noſtrum fecerit, viderit juris mei ſucceſſor quid facto opus ſit. Ego animam meam liberavi, res ipſorum intuitu pietatis ab incurſione malignantium defenſitans, & inquantum licuit & juri meo pertinuit in pace conſervans. Hans cartam ſigillo meo munivi, ipſorum petitionibus ſatisfaciens, ut ipſorum orationibus mei meorumque miſereatur omnipotens & miſericors Dominus. Amen. Hæc charta facta eſt anno M. C. LXIX. regnante Ludovico rege Francorum, Petro Bituricenſi archiepiſcopo, Gilleberto ejuſdem loci abbate. Teſtes ſunt Agnes uxor ipſius Raynaldi, Giraldus Mincez, Radulfus de Pinu, Mauricius miles de Faia, Humbaldus clericus de Caritate.

1169.

LXXII.

Charta Rainaldi Nivernenſis pro Fonte-Morigniaco.

EGO RAINALDUS de Nivernis filius Guillelmi comitis Nivernenſis omnibus tam præſentibus quam futuris in perpetuum. Chriſtianæ fidei forma eſt & doctrina, quod elemoſynæ redimunt hominem a peccatis, & orationes Deo jugiter ſervientium, certa remedia ſunt animarum. Hujus rei gratia ego R. conſiderans animæ meæ ſtatum periculoſum, meæque ſaluti providere deſiderans in futurum, pietatis intuitu, veni ad eccleſiam Fontis-Morigniaci, ſimul cum abbate & toto conventu poſtulavi ab eis humiliter, & efficaciter impetravi miſſam unam quotidianam pro ſalute animæ meæ, & matris meæ, & propinquorum meorum deinceps in perpetuum jugiter celebrandam. Ad majorem ergo

1180.

Digitized by Google

gratiam meritorum precibus meis acquiescentes, statuerunt mihi quatuor pauperes omni quarta feria perpetua procuratione reficiendos, & lampadem unam die ac nocte ante magnum altare perpetuo lumine semper accendendam, suarumque orationum & spiritualium omnium gratiarum fratrem & compartipem me fecerunt. Ego vero spiritualibus eorum beneficiis gratis acceptis gratias agens, temporalem tamen eorum expensam in pauperibus & in lampade faciendam de meo recompensandam existimans, dedi eis & perpetua stabilitate concessi totum censum de isla Bertain jure perpetuo possidendum, & piscationes in Ligerim juxta eamdem islam habere, & avaloria ad pisces capiendos facere, propriumque navigium ad se suaque transvehenda, quietum habere. Donavi etiam eis, ut sicut a Guidone fratre meo comite sibi datum fuerat per totam terram meam a pedagio, & ab omni consuetudine cum rebus suis liberi transeant & absoluti. Præterea quæcumque de feodis meis sive de casamentis jam acquisita habebant, vel in futurum per elemosynam acquirere poterunt, libere eis in perpetuum possidenda concessi; ita tamen quod casatos meos inde non perdam. Rasturas quoque communes in terra mea pecoribus suis & animalibus necessarias eis habere permisi. Promisi etiam eis unum de molendinis duobus, quæ suo molendino contigua sunt in Ligeri, me daturum. Ut igitur in posterum horum omnium dona sicut descripta sunt suis usibus salva & illibata possideant, memorialibus litteris commendari & sigillo meo communiri præcepi. Actionis hujus testes sunt Guido de Mazeriis, Willelmus de Tormellis capellanus meus, Hugo presbyter de Guireia, Willelmus Baldricus, Haimericus de Plaissait, Petrus senescalcus, Hugo de Bertoino Landricus de Tilia, Bernardus præpositus de Cusc, Heroardus, Rainaldus de Luceio. Actum ab Incarnatione Domini M. C. LXXX. Ludovico Francorum rege & Philippo filio ejus ipso anno coronato, Garino Bituricensi archiepiscopo, Theobaldo Nivernensi episcopo. Hoc vero sciendum quod singulis annis anniversarium meum facient. Ad majorem autem hujus rei confirmationem rogavi dominum T. Nivernensem episcopum, ut sigillum suum apponeret.

LXXIII.

Charta fundationis monasterii Barzellæ.

1158. QUoniam felicitas temporum cito transvolare conspicitur; nos ad imaginem Dei facti, qui intra matris nostræ Ecclesiæ gremium fide confovemur, eamdem Ecclesiam, quæ filios suos ad æternam transmittit felicitatem, pro posse nostro roborare debemus. Et licet adversus eam portæ inferi, sicut legitur in Evangelio, minime valeant prævalere, oportet tamen ejus tuitioni nos omnimodis nostram adhibere industriam. Eapropter ego Rainaudus dominus Graciaci, Barzellensem ecclesiam, quæ in nostro feodo, nostraque castellania sita est, in nostri ipsius tuitionem suscipimus, ejusque possessiunculas commilitonum nostrorum attestatione confirmamus, & quibus testibus inscribi præcipimus, datæ fuerunt, ut patefactæ testium veritate, maledicorum & adversantium deinceps ora obstruantur. Renaudus itaque, cognomento Bigri, positus in extremis, nemus Osmundi, quod a progenitoribus suis in proprio alodio vivens habuerat, Hugoni cuidam religioso viro pro salute animæ suæ ad abbatiam construendam, ea libertate, qua illud possederat, donavit. Addidit etiam huic donationi præfatus Renaudus nemus & terram a rivulo Barzellæ usque ad flumen Naonis, cum quo prata & aquam adjecit, & nemus de Congi, & terram cum voluntate Fulcois de Remorentino, a quo illud habebat. Nunc vero sub quibus testibus, quæ præscripta sunt donata fuerint volumus innotescere Fulco de Vilenstrast, Belinus Tertia-manus, Stephanus presbyter, Gaudefridus Carpentarius, Garnerius de Frassina, Berengerius præfectus ipsius Rainaudi, Martinus Faber, Radulfus Boquerellus, Odo prædicator, & domnus Gueno monachus de Casali S. Petri, frater ipsius Renaudi. Sed & memorandum censuimus quod nemus de Congi supra memoratum jam dictus Fulcois de Remorentino supradicto Hugoni post mortem sæpefati Renaudi pro salute animæ suæ concessis, sicut & ipse Renaudus concesserat. Quod autem Fulcois de Remorentino nemus de Congi post mortem Renaudi Bigri in elemosyna concesserit, subscriptis testibus innotuit: Scarbozo de Remorentino, Umbaudo filio Haimetici, Sturlencus de Buxul, Guanincus Caiglla, Giraudus de Polinis famulus Fulcois, & Stephanus Bochardus, & multi alli. Nemus quoque suum cunctis abbatiæ ejusque grangiarum necessitatibus, sed & pasturam propriis eorum animalibus quod isdem Fulcois absque ullo redditu concesserat subscriptis signatum testibus Renaudus sacerdos de Lentenai, Johannes clericus, Maugerius miles, Petrus de Cernai, Fauco dives, Giraudus de Polinis, Martinus Mulod. Sed & hoc memorandum decrevimus, quod Mainerius de Brussul filius jam dicti Fulcois eadem concesserit Fulcherio Barzellæ, pascarium scilicet de omnibus bestiis quas in proprietate possiderent monachi de Barzella, & de porcis tam minimis quam magnis sine ullo reditu. Nemora etiam sua, sicut a patre suo habuerat, ad proprias necessitates, nemus de Congi, & terram sicut pater suus longe ante libere concesserat. Hoc audivit Matheus Potins & mater ejus Prasia, Rainaudus de Claina, Raimbaudus de Vilestra. Hanc iterum immunitatem, scilicet nemoris de Congi, concessit domina Borella cum Girardo de Verdier nubere vellet, audiente Radulfo Issodunensi, Araudo Bigri, Masselino de Issoduno, Wido de Busenciaco filio Ursi, Giraudo de Polinis famulo ejusdem Borellæ. Illud quoque quod trans flumen Naonis est & ad feodum nostrum pertinet, tam in terra quam in pratis, & aqua, simili auctoritate confirmamus. Nos denique eamdem abbatiam de nostro proprio augmentare volentes, concedimus ut in foresta nostra, scilicet in silva Cheris, perpetuo fratres de Barzella accipiant, ad proprias ejusdem ecclesiæ necessitates quicquid eis opus fuerit. Pasturam etiam in eadem silva cunctis propriis eorum animalibus sine ullo reditu. Nullus itaque deinceps hæredum vel famulorum meorum de bubus eorum, porcis, ovibus, vel quibuslibet animalium aliquid exactionis audeat requirere. Nemus denique de Pomai quod fratres Barzellenses ab Odone de Vastino acceperunt ad censum, præsenti auctoritate inserendum decrevimus. Cognita itaque nostræ confirmationis auctoritate, quisquis deinceps his quæ supra scripta sunt contraire tentaverit, conatus ejus irritus fiat, & si qua nostri juris beneficia possidet, ab his privetur, & in extremo examine, nisi digne correxerit nequitiam suam, ab omnipotente Deo damnetur. Hoc autem factum est Craciaco, anno ab Incarnatione Domini M. C. LVIII. VI. Idus Januarii. Testes sunt Mauguinus prior ecclesiæ S. Mariæ, Renaudus Cicogneus cantor ejusdem ecclesiæ, Rabellus de Bulgia, Haimericus Tronellus, Willelmus Comisseas, Johannes Gaudins, Gaufridus Erois, Gaufridus de Bobomers, Bernardus sacerdos de Genuflec.

LXXIV.

Charta fundationis abbatiæ beatæ Mariæ de Bello-viſu.

1242. IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Amen. Ego Robertus de Curtiniaco, Franciæ buticularius,
a Meun. dominus Magduni *, & ego Mathildis uxor ejus, notum facimus univerſis præſentibus pariter & futuris quod nos divinæ pietatis intuitu & pro animarum noſtrarum & anteceſſorum & hæredum noſtrorum remedio, maxime pro anima piæ recordationis Philippi, Dei gratia quondam regis Franciæ, fundavimus quondam abbatiam monialium Ciſtercienſis ordinis in fundo proprio, in loco qui dicitur Bellus-viſus juxta Magdunum; ad cujus fundationem contulimus & conceſſimus in puram & perpetuam elemoſynam ea quæ ſunt inferius annotata, videlicet duas carrutatas terræ arabilis ſitas juxta dictam abbatiam & antiquam calceiam de Bugneia & totas aquas quas habebamus ab aqua Guiberti Haoyn uſque ad aquas canonicorum B. Mariæ Magdunenſis, & viginti arpenta pratorum contigua abbatiæ memoratæ. Dedimus etiam eidem abbatiæ ſex viginti arpenta nemoris contigui ſita juxta Lapaus & domum Charlet & ruellum de Mamoiæ; inſuper & ſingulis diebus unam quadrigatam ad duos equos de mortuo nemore in foreſta noſtra, quæ dicitur Volt, percipiendam in loco quo alii uſuarii ſuum capiant uſuarium ad ardendum. Tali ſiquidem modo quod ſi forſitan dictam quadrigatam per duos vel tres dies capere dimiſerint, liceat eis poſtea dictas tres quadrigatas ſolummodo recuperare quando voluerint cum ſolita quadrigata, & nemus vivum quantum neceſſe fuerit ad uſum eccleſiæ ſuæ & ædificationem domorum juxta clauſuram dictæ abbatiæ contentarum: item quod per monſtreiam ſervientium domini Magdunenſis & paſnagium quinum ad quadraginta porcos ſuos proprios & paſcuagia & aiſancia animalibus ſuis juxta Carum fluvium & curam ubicumque tempore hujuſmodi donationis noſtræ communia habebantur: ita tamen quod nulli hæredum noſtrorum de cetero dictis monialibus ea prohibere valeat vel auferre. Præterea dedimus abbatiæ ſupradictæ totam decimam Bladi de Bucy prope Dunum-regis, quam emimus de Hugone de Boſco-Buart milite, & Renaudo fratre ipſius pro decem modiis frumenti & quinque modiis hordei & quinque modiis avenæ ad menſuram Magduni, & totam minutam decimam dictæ villæ de Bucy pro quadraginta modiis vini, & quidquid habebamus in molendino de Tyeneto pro viginti quatuor modiis vini, & medietatem totius decimæ vini de Bono-fonte pro viginti modiis vini annui redditus ad menſuram Magduni, & viginti libras Paris. ſingulis percipiendas in præpoſitura Magduni per manum præpoſiti infra octavas Aſſumptionis B. Mariæ; quas ſi præpoſitus noſter qui pro tempore fuerit præpoſitus Magduni ad ſtatutum terminum non reddiderit, nos vel ſucceſſores noſtri domini Magdunenſes unam marcam argenti levabimus pro emenda. Hæc autem omnia ſupradicta ſæpedictis monialibus contulimus & conceſſimus quiete & libere in perpetuum poſſidenda. Similiter & Petrus primogenitus noſter hæc omnia laudavit, voluit & conceſſit fide præſtita corporali. Si quis autem in ſupradictis contentionem poneret, nos vel ſucceſſores noſtri domini Magduni tenemur contentionem & impedimentum removere, & prædicta omnia facere pace perpetua poſſideri, & pertas & miſas ſi quas habuerint pro defectu garendiæ noſtræ, dictis monialibus plenarie reſtaurare. Pro beneficiis vero ſuperius annotatis tenentur habere conventum monialium cum abbatiſſa, & tres ſacerdotes ibidem divinum ſervitium perpetue celebrantes. Quod ut ratum & ſtabile teneatur in poſterum, præſentem paginam ſigillorum noſtrorum munimine fecimus roborari. Actum Magduni anno Domini M. CC. XXXIV. menſe Octobri.

Huic donationi aliam addidit Mathildis Roberti de Curtiniaco uxor, cujus donationis charta ſequitur ex authentico:

Omnibus præſentes litteras inſpecturis Mathildis domina de Meduno in Domino ſalutem. Noveritis quod ego pro remedio animæ meæ & animæ nobilis viri domini Roberti de Curtiniaco bonæ memoriæ mariti mei & omnium anteceſſorum meorum dedi & conceſſi in puram & perpetuam elemoſynam abbatiæ de Bello-videre ordinis Ciſtercienſis quam fundavimus, & monialibus ibidem Deo ſervientibus, totam grangiam meam de Fonte-Leonis cum tota terra quam colebant aratro meo, & uſuarium in nemore ad omnia neceſſaria dictæ grangiæ per manum tamen ſervientis domini terræ dictum uſuarium percipiendo. Hæc omnia eis dedi & conceſſi libere, quiete & pacifice in perpetuum poſſidenda ſicut aliqua elemoſyna melius & liberius haberi poteſt & poſſideri, ita quod nec ego, nec hæredes mei de cetero in eadem grangia vel prædictis poſſeſſionibus aliquid juris omnino poterimus reclamare. Sed hæc eis contra omnes homines tenemur garantizare; quod ut ratum & firmum maneat in perpetuum ſigilli mei munimine roboravi. Actum anno gratiæ M. CC. XLII. die Sabbati proxima poſt feſtum B. Martini hiemalis.

INSTRUMENTA AD ECCLESIAM CLAROMONTENSEM seu Arvernenſem ſpectantia.

I.

Stephani II. Arvernorum epiſcopi teſtamentum quo multis donis plurimas ditat eccleſias.

Ex Chartul. Celſinicenſi eruit D. J. Boyer ſerrata eadem prorſus orthographia. fol. c. xxxvii.

PREVIDENS ego Stephanus epiſcopus labentis vite curſum citius elabi, cunctaque, que ſub ſole ſunt, ut vana finiri; recogitans etiam quali dampnatione dampnandi ſunt qui in caduca hac & fragili vita poſiti, bona & manſura gaudia negleguntˢ; & alta conſideratione perpendens quam terribilis & tremendus conditor & redemptor humani generis Dominus Jeſus Chriſtus ad judicium ſit venturus, tota intentione & ſtudio agere cupio, quomodo venturam iram poſſim effugere, & peccatorum meorum remiſſionem accipere. Itaque diſpoſui in memetipſo, ut ex perituris & tranſeuntibus, que mihi jure parentum hereditario more obvenerunt, manſura & eterna gaudia emam, & in cenobiis communiter viventibus atque canonicis ſub mea poteſtate commorantibus, quomodo Dei miſericordiam pro meis innumeris reatibus exorare poſſint, volo de ſupradicta hereditate aliquid impertire; ut quando ante tribunal tremendi judicis venerim, ipſorum aſſidua deprecatio ſit peccatorum meorum abolitio.

Vide annal. Mabillon. tom. 3. pag. 513. & tom. 4. p. 853.

In primis dimitto Domino Deo & ejus genitrici beate virgini Marie, & ad locum ubi ego epiſcopus eſſe videor, id eſt, ad locum Claromontenſem, & in communia fratrum abbatiam Aidiacenſis * cum omnibus ad ipſam pertinentibus, cum pratis, & campis, & ſilvis, & cum omnibus apendiciis ad ipſam pertinentibus, aquarumque decurſibus; & lacum de Aidaco totum & ab integro, & ad locum ſupradictum unum manſum dimitto, qui eſt in Felici quem tenet Gauzbertus & frater ejus, & eſt fevum Ludovici de Montone, & alium manſum ad Caceriam, qui eſt fevum Willelmi, & tres manſos in Boiſoilo quod tenent Garannones.

* Aidiacum (Aydac.) *ubi eſt eccleſia S. Bartholomei que nunc pendet ab eccleſia Pertuenſi non a cathedrali, ut ait Mabillonius*

Dono etiam ſancto Auſtremonio & ad locum Yciodorenſem villam que appellatur Alta-Riba * cum omnibus ad eam pertinentibus. Cedo etiam in montana ad ipſum locum partem illam quam hereditario jure teneo in villa que vocatur Monna. In alio etiam loco dono ad ipſum locum in villa que appellatur Rauſeria * ipſam partem que mihi hereditario more obvenit. Dimitto etiam S. Petro de Saurias unum manſum qui eſt ad pontum ad ipſam ſtratam, quem ſolebat tenere Beraldus.

* Haute-Ribe.

* Ronzieres

Dono etiam Domino Deo & ſancto Salvatori & ad locum Boortenſem * villam de Caiſiaco, & villam de Maidico cum omnibus ad ipſis villis pertinentibus. Ad locum autem Aureliacum * & S. Geraldo dimitto villam que vocatur Altgrin cum omnibus ad ipſam pertinentibus. Et ad locum ſancte Fides dimitto eccleſiam de Ruffiaco cum omnibus ad ipſam eccleſiam pertinentibus. Sancto etiam precioſo martyri Juliano * relinquo eccleſiam de Luciaco & villam de Fontanas cum totum & ab integro.

* Bort. *prioratus eſt conventualis ord. Cluniac. olim Caſa-Dei ſubjectus.*

* Aurillac, *quæ abbatia fundatorem agnoſcit S. Geraldum.*

Dono etiam Domino Deo & principi apoſtolorum beatiſſimo Petro & ad locum Celſiniacenſem * eccleſiam de Chidraco * cum manſibus, cum pratis, cum vineis, cum campis, cum ſilvis, cum farinariis, cum furnis, cum vernedis, cum aquis, cum aquarum decurſibus, cum apendiciis ſuis, & cum omnibus ad ipſum locum pertinentibus totum & ab integro; & ad Cantaloba dimitto unum manſum. Et ad Momoiraco duos manſos cum campis & vineis, & pratis, & alia terra quam ego epiſcopus Stephanus habere videor, & ad fontem Armoria unum manſum & alium manſum qui appellatur Manſitus, & ad Mirabilia unum manſum, & ad Virnoilo duos manſos, & de ſubter Brolium duos manſos quos tenuit Roticius; & dimitto pratum de Pirtus, & dimitto ſilvam que vocatur Boſchitus, & apendariam, quæ eſt ad ipſum Boſchitum, quam ſolet Geraldus tenere, & aliam terram que ad ipſum locum apertinet; & dimitto manſum de Rauſeria cum tota terra que ad ipſum manſum apertinet, & apendarias omnes quas habeo in Carniaco.

* Fortè Brivatenſi.

* Sauchlanges.

* Chidrac.

Dimitto etiam Domino Deo & S. Sebaſtiano & ad locum Magnum-locum, * eccleſiam que vocatur Hyrundis, * & fevum quem preſbyter debet tenere, & qui apertinet ad ipſam eccleſiam, & dimitto ad locum ſupradictum villam que vocatur Calinnacus cum omnibus ad ipſam pertinentibus, & unum ad Salitas cum omnibus ad ipſum pertinentibus, & unum manſum de Senello & duos molinos in valle, quos tenet Willelmus. Si quis autem hanc donationem, quam ego Stephanus epiſcopus voluntarie facio Domino Deo & ſanctis ejus pro redemptione anime mee, contradicere aut calumpniare præſumpſerit, iram Dei omnipotentis & beate Marie & omnium Sanctorum incurrat, & cum Datan & Abiran & cum Juda traditore Domini in dampnatione inferni permaneat, niſi ad ſatisfactionem & emendationem veniat. Amen, fiat.

* Manlieu.

* Eyronde.

II.

Alia ejuſdem epiſcopi dona.

Ex eodem chartular. fol. vii. Charta de Bulnaco quam dedit domnus Stephanus epiſcopus S. Petro.

DEI omnipotentis ampliſſima largitas, &c. Quod ego Stephanus Arvernorum indignus epiſcopus divina pulſante cor meum clementia, cogitans ne totum in noviſſimo die ad curam corporis expendiſſe redarguar, dono quiddam de rebus meis pro remedio anime patris & matris mee, nec non & mee & omnium parentum meorum, & pro anima Aimoni atque Rotberti, atque item Rotberti abbati vel omnium Chriſtianorum, primo quidem Domino Jeſu Chriſto, earumdem rerum vel omnium, que poſſideo, datori, de in ſacro cenobio Celſinanicas dicato in honore beatorum apoſtolorum Petri & Pauli atque Johannis Evangeliſtæ; quod quidem monaſterium domnus Eimardus abba Clunienſis tam per ſe quam etiam per ſibi ſubditos, ut pote ſibi per omnia ſubjectum regit, ordinat, atque diſponit. Sunt autem ipſe res in comitatu Arvernenſi, in villa que dicitur Abulnacus; hoc eſt, eccleſia cum univerſis appenditiis ſuis, manſis videlicet, vineis, campis, ſilvis, pratis, & quicquid ibi viſus ſum habere ſub integritate dono monaſterio jam prelibato. Similiter eccleſiam de Furnolis cum omnibus que ad eam pertinere videntur. Ea vero conditione interpoſita ut, quandiu vixero, eaſdem res teneam & poſſideam. Et annis ſingulis feſtivitate omnium Sanctorum modium unum inter panem & vinum perſolvam. Me autem ad ſupernum vocato judicium, rectores monaſterii præfatas res ſibi vindicent, ordinaturi prout eis regulariter libuerit. Si quis vero hanc donationem calumpniari &c..... & hæc donatio ſoliditate plena perpetuum obtineat vigorem cum ſtipulatione ſubnexa. Signum domni Stephani epiſcopi qui hanc donationem fieri & firmare rogavit. S. Rotberti vicecomitis. S. Hildegardis vicecomitiſſe. S. Auſtorgii. S. item Auſtorgii. S. Rotberti abbatis. S. Stephani abbatis. S. Hugoni. S. item Rotberti. S. Bertranni. S. Girmaldi. S. Gauſberti.

Digitized by Google

S. Amblardi. S. Arberto. S. Godonis. S. Leudegarii. S. Desiderii. Data menſe Decembrio anno XVIII. regnante Ludovico rege. *

* Eadem prorſus charta exſcripta eſt in dicti chartularii folio CL. præterquamquod Deſiderius ultimum ſubſcriptus cognominatur *de Altricurtal*, & pro anno XVIII. legatur dumtaxat VIII. regni Ludovici fol. XLV. Rex qui deſignatur hac in charta eſt Ludovicus Tranſmarinus cujus an. decimus-octavus reſpondet anno Chriſti 954.

III.

Alia beneficia Celſiniacenſibus a Stephano epiſcopo collata.

Ex chartario Celſin. fol. CXXXVIII.

OMnipotentis Dei &c. Quamobrem ego in Chriſti nomine Stephanus ſanctæ eccleſiæ Claromontenſis epiſcopus, & mater mea atque fratres mei, ſimulque Rorgius, cujus deprecatione & admonitione hanc donationem facio, & filius ejus nomine Faramundus, & mater ejus, & nepos ejus, ſimulque omnes canonici ſanctæ eccleſiæ Claromontenſis, damus Domino Deo & S. Petro principi apoſtolorum, & ad locum Celſiniacenſem, qui regitur ſub gubernatione domni Odilonis abbatis aliquid ex rebus proprietatis noſtre &c. ſunt autem iſte res ſite in comitatu Arvernico in vicaria Bellomenſe * & in territorio Tolomenſi. In primis una eccleſia que vocatur Chauriacus, quam idcirco Domino Deo, & S. Petro, & ad locum jam ſupradictum pro redemptione animarum noſtrarum damus, ut ibi monaſterium conſtruatur. Damus etiam & alias duas eccleſias, que in eodem loco adtinent, hoc eſt, eccleſia S. Mariæ, que in eodem loco poſita eſt: & alia eccleſia, que eſt in honore ſancte Marcelle cum dezmarias & baptiſteriis & cum ſepulturas, cum campis &c. dono etiam & appendarias ſex; una eſt Joventiaco, alia &c. S. Domini Stephani epiſcopi. S. Rotberti comitis & fratris ejus Willelmi. S. Domne Humberge matris eorum. S. Rorgii qui hanc cartam facere rogavit. S. uxoris ejus Iſingardis. S. Faramundi filii ejus. S. Betronis filii Geraldi. S. Arberti vicecomitis. S. Ainardi &c. Donamus etiam tres appendarias que ſunt ad fontem S. Juliani cum ſalicibus & curtibus & omnibus que ad ipſas reſpiciunt, in ſacrificio pro animabus noſtris. Facta eſt autem hæc carta menſe Decembrio feria III. regnante Domino noſtro Jeſu Chriſto.

* Billon.

IV.

Charta de fundatione ſeu inſtauratione eccleſiæ S. Geneſii Thiernenſis.

1016. Ex tranſſumto Grandimontenſi.

DEcet omnes homines qui catholicam inviolabili ritu obſervant fidem, ad memoriam Sanctorum reducere vitam; & idoneum eſt ingenti relatu pronuntiare qualiter omnipotens Dominus in eorum gloria per diverſa terrarum ſpatia elegerit loca. Ut enim Conditor rerum non propter loca homines, ſed propter homines eligere voluit loca; nam in quibus locis ſanctorum martyrum membra recondita ſunt, in illis totius bonitatis Dominus ad laudem illorum & gloriam ſui hæc divina operatur opera, & beneficia præſtat fidelibus populis qui ad eorum confugiunt præſidium, & ex propriis delictis indulgentiam petunt: ſicque eorum nomina glorificat, dum non ſolum eos in cœlis perpetua felicitate coronat, ſed etiam in terris virtutibus diverſis honorat. Quapropter omnis qui templum in eorum memoria ædificat terrenum, celeſte ſibi acquirit meritum, & pro temporali beneficio, quod quiſque in honore eorum largitur, munus indeficiens in celeſti regno a perenni Deo percipere creditur. Qui vero templa eorum violaverit, aut prædium, aut aliquid ex propriis abſtulerit, non ſolum perpetuo carebit bono, ſed etiam ſupplicio ſubjacebit æterno. Igitur locum in quo templum conſtructum eſt in honore perpetuæ virginis Mariæ, atque ſanctiſſimi Geneſii martyris, qui nunc Thiernenſe caſtrum nuncupatur, amplificavit Guydo ditiſſimus atque famoſiſſimus dominus ſupradicti caſtri, cum filiis ſuis, ſcilicet Theotbardo atque Stephano epiſcopo, necnon & Guillelmo, anno ab Incarnatione Domini noſtri Jeſu Chriſti milleſimo ſextodecimo, indictione 13. VIII. idus Januarii, luna quarta, in Francia regnante piiſſimo rege Roberto, Aquitaniam vero gubernante Willelmo Pictavienſi comite, & in Arvernia Roberto honorabili principe, conſtituens ibi clericos quamplurimos, qui omnipotenti Domino in nomine Geneſii martyris beatiſſimi laudes quotidie canerent; inter quos Addradus fuit præpoſitus & Gerardus prudentiſſimus decanus, qui multum ibi laborantes & beneficia eorum multiplicaverunt, & clericorum numerum auxerunt. Guydo vero jam prædictus miles cum filiis ſuis hoc pacto canonicam illam conſtituit, ut nullus poſtremum venturus ſenior de prædiis ſive de aliquo beneficio eorum auderet aliquid demere, ſed hæc ſi aliquis ex ſubditis canonicorum contra eum vel contra ſuos commiſiſſet aliquid inconveniens, ne vindictam inde ſumeret præcepit, ſed proclamationem præpoſito vel decano faceret; quod ſi ipſi etiam ſtatim ſibi rectum non facerent, expectaret uſque ad ſpatium dierum quadraginta; & ſi tunc facere vellent, gratanti animo ſuſciperet; ſin autem, ipſe recto judicio tractaret cum injuriam irrogaſſet, & ne ultra modum vindictam ex eo ſumeret, conſuetudinem vero canonicorum ne frangeret, neque malum uſum illis atque in terris eorum imponeret omnino interdixit; & ut eos in honorem haberet humiliter monuit; miniſtris quoque ſuis, ſive eorum qui poſt eum venturi fuerant interdixit, ut nec in propriis beatiſſimi Geneſii martyris vi aliquid caperent atque ejuſdem ſubditis damnum vel injuriam inferrent, ab epiſcopo illius provinciæ atque a multis aliis ſub anathemate maranatha ponere fecit, ut ſegregatus a conſortio fidelium particeps Judæ traditoris & cum Datham & Abiron atque cum ceteris maleficis pari pœna in infernali ſupplicio condemnaretur. Itaque hæc omnia ſcribere præcepit, atque a religioſo rege Francorum Roberto confirmare fecit; qui rex nobiliſſimus etiam principibus ſibi ſubditis, ut ipſe confirmaverat, manibus propriis confirmare præcepit. Poſtea vero idem venerabilis Guydo Romam veniens, chartulam in qua hoc præceptum ſcriptum continebatur, ſuper altare beatiſſimi Petri apoſtolorum principis, pro teſtimonio confirmationis, impoſuit, atque Benedictum virum apoſtolicum rogavit ex præcepto ſuo, quod fuerat a ſupradictis ſtatutum confirmaret. Benedictus itaque papa non ſolum rogatione illius illud quod ceteri ſtatuerant confirmavit, verumetiam propria maledictione eos excommunicavit, qui donum illius atque preceptum in aliquo violarent. Poſt obitum vero illius glorioſi militis atque Roberti regis Francorum invictiſſimi, Gerardus ejuſdem loci decanus Franciam pergens, Henricum regem piiſſimum, ſupra dicti Roberti filium, rogavit ut hoc præceptum quod pater ſuus confirmaverat, ſua auctoritate ſimili modo confirmare dignaretur; quod rex glorioſiſſimus ſimul cum filio ſuo Philippo ſtatuens atque affirmans, precatu prædicti decani inſuper aliud ſtatuit ut quidquid poſtea pro elemoſyna vel pro aliqua reverentia ab aliquibus ibi largitum fuerit, eodem modo ut de ceteris ſi aliquis inde minuerit vel defraudaverit, ſimili pœna atque excommunicatione fortiretur. Dona vero quæ ſupradictus Guydo eccleſiæ beatiſſimi Geneſii in proprium ex præcepto dedit, hæc ſunt: ſcilicet eccleſia S. Johannis cum villa in qua ſita eſt quæ * Quacours vocatur; dedit etiam ſylvas quæ in circuitu villæ habentur, & omnia pertinentia ad eamdem villam; dedit quoque omnes inciſiones ipſius ſilvæ quæ ad præſens tunc factæ erant & quæ deinceps faciendæ eſſent;

* *Vulgo dicitur* S. Jean du Paſſet.

Digitized by Google

cauſa ſeminandi ab omnibus qui operari ibi voluiſſent: inſuper dedit aliam eccleſiam ſanctæ Mariæ cum villa quæ * Aqua-Sparſa dicitur, atque omnia quæ pertinent ad ipſam villam; ita ut nullus ex ſuis auſus inde fuiſſet aliquid poſtea accipere. Dedit quoque & campum unum in quo ſeminari poſſunt ſextaria octo. Theorardus vero filius ejus in morte ſua dedit ſylvam Bornatam; Guillelmus quoque frater ejus in vita ſua dedit duos manſos, & poſt mortem ſuam ſylvam maximam quæ Born dicitur, dans pro teſtimonio in vita clericis omnia neceſſaria in igne & in ædificandis domibus: luminaria quoque in eccleſia S. Geneſii per totum annum inde ſimili modo pro teſtimonio dedit: paſcuaria etiam porcis eorum dominicis ſimili modo in eadem ſylva conceſſit.

* Aigue-Perſe.

S. BENEDICTI papæ.

S. ROBERTI regis Francorum.

S. HENRICI regis filii Roberti.

S. PHILIPPI regis filii Henrici regis.

S. GUILLELMI comitis Arvernenſis.

S. STEPHANI epiſcopi Arvernenſis.

S. ROBERTI comitis.

S. GUIDONIS militis inſtauratoris eccleſiæ ſancti Geneſii.

S. RIDLENDIS uxoris ejus, al. Richlendis.

S. THEOBALDI filii ejus.

S. GUILLELMI filii ejus.

S. STEPHANI epiſcopi filii ejus.

Hanc notitiam quam jam habebamus ex tranſſumpto Grandimontenſi, rurſus ex veteri inſtrumento Thiernenſi communicavit noſtro D. Jacobo Boyer venerabilis præpoſitus eccleſiæ collegiatæ Thiernenſis in altera charta quæ incipit : Totius conditionis humanæ rector.... *poſt panca ſic habetur*: Idcirco hunc locum ubi corpus ſancti Geneſii quieſcit, cum conſilio uxoris meæ, Richlendis nomine, filiorumque meorum Stephani epiſcopi, Theotardi, atque Guillelmi..... .....ſtatuimus in canonicali ordine hunc locum inſtructum atque ordinatum tali modo, ut ſint duo prelati, ſcilicet præpoſitus & decanus & in numero XII. apoſtolorum XII. canonici ſint electi & ſerviant Domino die ac nocte..... & ego Stephanus Arvernenſis epiſcopus roboravi multo precatu domni Guillelmi filii hujus Guidonis.

Accrevit poſtea canonicorum numerus; viginti ſtatuit bulla Clementis data Viterbii ſecundo Idus Junii, pontificatus anno quarto, hoc eſt circa ann. 1314. Nunc ſuppreſſa decani dignitate ſolus ſupereſt præpoſitus cum 14. canonicis capitulantibus & 4. ſemi-prebendatis.

Collatio beneficiorum eccleſiæ S. Geneſii pertinet ad ejuſdem capitulum. Feſtum ſancti Geneſii agitur 28. Octobris.

V.

Diploma Roberti Arvernorum comitis, quo dat 40. ſolidos redditus annui fratribus Brivatenſibus.

NOtum ſit omnibus &c. Ego Rotbertus comes Arvernorum vocatus .....Cenſeo per ſingulos annos futuri ævi, quandam refectionem, quæ mihi jure hereditario perſolvebatur, ſervitoribus baſilicæ Celſinienſis monaſterii in natale apoſtolorum Petri & Pauli, ut omni anno per ſuccedentes generationes ob mei memoriam proviſoribus hujus loci reddantur quadraginta ſolidi die feſtivitatis S. Juliani de eccleſia S. Vincentii, quæ eſt in caſtro meo quod dicitur Vetus Brivate, de quibus refectio ipſa in ſupradicto die ſancto fratribus præparetur; ut dum ipſi fratres, hoc a Deo & a me ſibi collato munere ſaginantur, ſatietur anima mea illo pane angelorum, quo angeli reficiuntur in cœlis: & non ſolum anima mea, ſed etiam anima patris mei Willelmi, matrisque meæ Philippiæ, necnon fratrum meorum, id eſt Willelmi & Poncii. Signum Stephani Arvernenſis epiſcopi qui preſens fuit, & ſibi placere dixit, & auctoritate epiſcopali firmavit. S. uxoris meæ comitiſſe Judit. S. Poncii de Captol. S. Comarchi. S. Oddonis de Eſpalede. S. Widonis de Ebagno. Facta eſt carta iſta anno ab Incarn. Dom. M. LX. VIIII. XIIII. Kal. Maii, Sabbato in Albis, regnante Philippo rege Francorum, præſidente kathedræ Arvernenſi Stephano præpoſito eccleſiæ Anicienſis.

VI.

Litteræ ſeu notitia fundationis Enneziacenſis eccleſiæ collegiatæ factæ tempore Alexandri papæ II. undecimo ſæculo inclinato; quas ex archivo Enneziacenſi deſcripſimus.

PReſcius Deus futurorum & memor fragilitatis humanæ &c. .....
Guillermus comes Pictavienſis, cum Archimbaldo Borbonenſi, cum Aldino, una cum Fulcone ſuo nepote, necnon & filiis eorum Eldino & Guillelmo & Golferio atque Willelmo, cum conſilio & laude papæ noſtri Alexandri & Stephani noſtri præpoſiti Anicienſis urbis præſulis valde Deo amabilis, & cum voluntate auxiliatorum hujus loci. In nomine Dei omnipotentis, ſancteque Mariæ Dei-Genitricis, & in honore ſanctorum martyrum Victoris & Coronæ laudamus & eligimus libenti animo hunc locum, qui nunc Annaziacus vocatur, in ordine canonicalis regiminis, in quo conſtituimus numerum XII. canonicorum qui Deo omnipotenti quotidie laudes reddant, & unum decanum nomine Arnaldum qui pro poſſe ſuo omnia amplificat & nititur adeſſe quod dicitur, bonis ſtudiis intentus, & unum eleemoſynarium laudamus nomine Radulfum, in honore ſanctorum martyrum Victoris & Coronæ pro animarum noſtrarum redemptione &c. .....
Nihil aliud notatu dignum habetur in hac charta fundationis. Subdendas putavimus has regis Angl. litteras. H. rex Angl. & dux Norm. & Aquit. & comes Andegav. archiepiſcopo Bituric. & epiſcopo Clarom. comitib. & baronib. juſticiar. & omnibus miniſtris & fidelibus ſuis totius Arvernie ſalutem. Sciatis me conceſſiſſe & præſenti charta confirmaſſe eccleſiæ Eneziaci & canonicis ibidem Deo & ſanctæ Mariæ & beatis martyrib. Victori & Coronæ ſervientib. quicquid comes Willelm. Pictav. eis dedit & privilegio ſuo confirmavit, & quicquid eis ab aliis rationabiliter datum eſt vel datum fuit..... Teſte Frõgio epiſcopo Sagienſi. Regni archid. Sap. Rad. de Faia. Ric. de Hum. conſtabulario. Willelmo de Curti dapifero. Roberto de Stut. apud Montem-ferrandum.

Die 14. Maii celebratur feſtum ſolemne SS. Victoris & Coronæ. Ennezac, *aut* Ainezac, *oppidum eſt duabus leucis diſtans a Ricomago. Eccleſia collegiata adhuc conſtat XII. canonicis & decano cui eleemoſynaris officium fuit annexum.*

Digitized by Google

VII.

Willelmus de Baffia Arvernorum epiſcopus donat eccleſiam S. Pardulfi Celſinianenſibus.

Ex chartul. Celſin. f. clxxx.

REligio munda & immaculata apud Deum & patrem hæc eſt, viſitare pupillos & viduas in tribulatione eorum : pupilli vero ſunt filii Eccleſiæ qui in tribulatione ſunt, cum mala mundi propter patris hæreditatem coguntur tolerare. Eccleſia nempe quaſi vidua eſt, que, licet cum ſponſo ſuo partim regnet in gloria cœleſtis patrie, partim tamen peregrinatur in exilio captivitatis ſuæ. Iſtis etiam pupillis Rex omnium regnorum, & eorum matri vidue ſponſus & Dominus pro qualitate meritorum diſponit ac preparat regnum ſempiternum ; ipſo eodemque quibuſdam B
Luc. 22. 28. ſibi preſentibus dicente : *Vos eſtis qui permanſiſtis mecum in temptationibus meis, & ego diſponam vobis ſicut diſpoſuit mihi pater meus regnum, ut edatis & bibatis ſuper menſam meam in regno meo.* Hujus ſcilicet regni regina eſt Eccleſia, & ejus Regis amabilis ſponſa, que non cum pupillis, ſed potius cum liberis gaudebit de caſtiſſimi ſponſi amplexu in eternitate, & accipiet regnandi premia pro exili labore. Hanc videlicet viduam ego Willelmus Arvernorum epiſcopus, Dalmacii de Baſſia filius, non ignorans viſitari & in ſua neceſſitate conſolari, religionem eſſe mundam & immaculatam, die quadam utilitatis gratia meam peragravi parrochiam, Celſinianias deveni, fratres viſitavi, & ut pro meis delictis Deo ſupplicarent obnixius obſecravi, & de multis eos exhortans, quod id C
michi & omnibus fidelibus deberent, evidentiſſimis rationibus demonſtravi. Inter que etiam prior loci Stephanus, qui jamdudum pro eccleſia S. Pardulfi, que eorum cenſualis erat, me interpellaverat, ut eam loco Celſinienſium & ejus habitatoribus concederem, & jure perpetuo habendam darem, omnium precibus rogavit. Quibus auditis annui, & eorum precibus adquieſcens, Deo & ſanctis ejus apoſtolis Petro & Paulo, & preſentibus fratribus, & omnibus eorum ſucceſſoribus predictam eccleſiam cum capella ſua de Turre conceſſi, & abſque omnium ſuccedentium calumpnia contradidi, tenenſque S. Benedicti regulam manu propria confirmavi, ſalvo tamen pontificali jure, & epiſcopalis dignitatis regimine. Cujus nempe conceſſionis ac donationis ſubtitulatos teſtes continet D
opus hujus denotationis. S. Willelmi epiſcopi. S. Stephani ejus conſanguinei & Celſinienſium prioris. S. Giberti archipreſbyteri. S. Mauricii prioris Majenciaci. S. Hugonis prioris Baorti.

VIII.

Ejuſdem epiſcopi charta pro præfatis monachis.

CUnctis miſericordiæ operibus inſiſtentibus ſuperne miſericordiæ patere ſinum, veritatis teſtimonio
Matt. 5. 7. comprobatur, cum dicitur : *Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.* Cujus miſericordiæ dulcedinem in tempore neceſſitatis adipiſci deſiderans ego Willelmus de Baffia, ſervorum Dei ſervus, Arverne ſedis divina permiſſione epiſcopus, memor creberrimarum admonitionum celebrande memorie domni Duranni anteceſſoris ſcilicet mei, qui me ad hoc agendum, dum adviveret, incitabat, dono Domino Deo, & ſanctis apoſtolis Petro & Paulo, & fratribus in monaſterio Celſinienſi degentibus locum de Vivairols, eccleſiam ſcilicet quam edifico & edificare facio, & manſum de villa, & manſum de podio in quo ipſa villa eſt fundata. Villam ergo cum campis, hortis, & pratis, & aliis appendiciis, & cum mercato quod ab Ebraldo de Chalancone data commutatione adquiſivi, & eſſe ſolebat in caſtro meo de Ucionio, ego autem, eo pacifice adquiſito, ipſum apud Vivairols tranſtuli, & monachis cum ceteris que A dixi, perpetuo poſſidendum ſine omni calumpnia liberaliter tradidi ; cum tanta autem conſideratione providens paci eorum, monachos ex his que dixi heredes feci, ut ea que mei juris proprie non erant, ſed ex me mei homines habebant, prius ab eis qui poſſeſſores exiſtebant pacifice adquirerem, quam eos inveſtirem. Ad hanc autem heleemoſynam faciendam anteceſſorum meorum me roboraverunt exempla, qui ſemper idem monaſterium ſpeciali devotione dilexerunt, & magnis poſſeſſionibus auxerunt. Omnipotenti igitur Deo, cujus providencie idem monaſterium & in eo degentes ſpecialiter collatum eſt ab illis qui eum ædificaverunt, & ſanctis ejus apoſtolis, & monachis in eo converſantibus, hec parvitatis noſtræ munera offerimus, ſperantes in eum qui juſtificat impios, quod ipſe devotionis noſtre munera clementer ſuſcipiet, & mercedem ſanctis preparatam & juſtis reſtituet, & animabus progenitorum noſtrorum & omnibus conſanguinitate vel amicicia vel comiſſione cure paſtoralis ad nos pertinentium quietis æterne preſtabit gaudia repromiſſa digne promerentibus ea. Oramus etiam & obſecramus, & epiſcopali auctoritate ſucceſſoribus noſtris precipimus, ut helemoſynam noſtram his quibus facta eſt cuſtodiant, ſcilicet ut ſemetipſos a poſſidentium leſione contineant, & extraneos ſi, quod abſit, infeſtatores inventi fuerint, potenter coerceant. Defenſoribus hujus helemoſyne noſtre eterna bonorum remuneratio, leſoribus, niſi penitendo ſatisfecerint, perpetua malorum proveniat dampnatio. Feci autem hanc donationem tempore domni Stephani prioris Celſinienſis, cognomento Candidi conſanguinei mei, in capitulo ejuſdem monaſterii, domno Hugone abbatiam Cluniacenſem regente, Philippo Franc. rege regnante, in teſtimonio Arvernorum procerum, Mauricii ſcilicet de Monte-Buxerii, Agni de Magno-monte, Bertrandi de Caſtro-Nubiacenſe, Giberti archiprebyteri, & Faramundi nepotis ſui, Petri etiam de Monte-Rebelli, & aliorum multorum clericorum & laicorum. Facta eſt cartula iſta feria III. luna XXVI. *Chartul. Celſin. fol. 250.*

IX.

Aimericus Arvernorum epiſcopus donat Cluniacenſibus multas eccleſias, ad ſedandas diuturnas diſcordias.

Ex charta. Celſin. fol. cclxvi. erut D. J. Beyer.

EGo AYMERICUS Dei gratia Arvernorum epiſcopus, notum facio omnibus tam præſentibus quam futuris graves & diuturnas diſcordias, que inter me & abbatem Cluniacenſem domnum Petrum, ac canonicos Claromontenſes & monachos propter quaſdam eccleſias olim fuerant, taliter Deo auxiliante exſtinctas fuiſſe. Nam Claromonti in feſtivitate beati Mathæi apoſtoli tam nos, quam prædictus abbas Pe. & multi priorum & fratrum Cluniac. convenientes preſente & laudante toto capitulo noſtro, omnes eccleſias illas vel partes eccleſiarum, de quibus adverſus eos queſti fueramus, eis perpetuo poſſidendas conceſſimus ; quarum hæc ſunt nomina : eccleſia S. Pardulphi : capella de Turre : eccleſia de Plauſiaco : eccleſia de Vivairols, que ad Celſinanias pertinent : eccleſia de Arfolio que ad caſtellum de Montibus pertinet : eccleſia de Oratorio : eccleſia S. Martini, que ad S. Florum pertinent : eccleſia de Laſtic que ad voltam pertinet : eccleſia S. Boniti. Preterea eccleſias de quibus tam nos, quam canonici Claromontenſes querebantur, videlicet illam de Charmes, illam de Godoniaeh, illam de S. Deſiderio, illam de S. Hilario, eis conceſſimus, ea conditione ut annuatim XXX. ſol. ſicut etiam ab anteceſſoribus noſtris conſtitutum fuerat, quinque iſte eccleſiæ canonicis Claromontenſibus perſolvant. Illam quoque de Vethina, quam ſimiliter canonici querebantur, eis conceſſimus. Conceſſimus etiam omnes illas eccleſias

Digitized by Google

ecclesias vel partes ecclesiarum de quibus ipsi adversum nos querebantur, vel se a nobis vel ab antecessoribus nostris spoliatos, nos quoque investitos causabantur, quarum hæc sunt nomina: ecclesia de Sendriaco: in ecclesia S. Johannis IIII. solidi: in ecclesia de Barh quarta pars: item in ecclesia de Linirols quarta pars: medietas de ecclesia de Olonzlaco, que omnia ad Silviniacum pertinent: in ecclesia vero de Continiaco & in eccl. de Tresail, quas similiter Silviniacenses querebantur, quicquid juris ego vel canonici Claromont. habebant, eis concessimus, querimoniis Trinorchiensium monachorum sive aliorum quorumlibet exceptis, ut si aliquid in his duabus se jure habere dixerint, presentibus Silviniacensibus fratribus judicio nostro eorum querimonie diffiniantur. Ecclesiam insuper de Calidis-aquis, de qua prior S. Flori; ecclesiam de Peirucha; ecclesiam de Crolantia, de quibus prior de Volta; ecclesiam de Manniaco, de qua prior de Langiaco; eccl. de Montibus, eccl. de Alta-ripa, de quibus fratres Celsinienses querebantur, eis pari modo concessimus. Preter hoc autem ecclesiam S. Christophori & eccl. de Ysarpa, in quibus fratres Cluniacens. nihil unquam habuerant, neque aliquid requirebant, eis dedimus. Concessimus quoque indifferenter omnia illa de quibus tempore Claromontensis concilii, quod per domnum papam Urbanum secundum celebratum est, investiti erant. Confirmavimus insuper omnia illa, que dono vel concessione nostra vel antecessorum nostrorum aliquando adquisierunt. Super hæc autem omnes illas ecclesias, vel partes ecclesiarum, seu omnia ecclesiastica quolibet modo adquisita, de quibus die vel anno quo hæc concordia facta est, jam dicti fratres Cluniacenses investiti erant, ut in perpetua pace possideant concessimus, laudavimus, & confirmavimus. Adjecimus etiam ut ecclesiarum in quibus se partem aliquam habuisse aut habere vel dono aut concessione Claromontensium episcoporum aut investitione supradicti Claromontensis concilii probare potuerint, reliquas partes ipsarum ecclesiarum vel ecclesiasticarum rerum libere ab illis quorum fuerint adquirere, & canonice justeque possidere etiam absque episcopi tunc concessione possint. Ne enim deinceps in petenda ab aliquo subsequentium episcoporum hujusce rei concessione fatigari debeant, nos benigne eorum paci providentes, hoc nunc eis concessimus. Illarum vero ecclesiarum partes quas se habuisse vel habere nec concessione alicujus Claromontensis episcopi, nec investitione jam dicti concilii Claromontensis probare potuerint, habeant quidem & possideant in die vel anno quo hæc concordia inter nos & ipsos facta est, quolibet modo investiti erant; reliquas tamen partes, etiamsi illorum, quorum fuerint, dono adquirere potuerint, sine episcopi Claromontensis concessione suscipere non presumant. Aliarum sane ecclesiarum, in quibus penitus nichil habent, decimas, exceptis feudis presbyteralibus, ab illis quorum fuerint absque episcopi concessione adquirere eis licebit. Hæc omnia nos eis, ipsi autem nobis ecclesiam de S. Lupo cum omnibus ad eam pertinentibus dederunt. Acta sunt hoc anno Incarnationis Dominice M. C. XXX. I. anno secundo pontificatus domini papæ Innocentii II. regnante rege Francorum Lodovico in die festivitatis S. Matthæi apostoli, me & omnibus canonicis Claromontensibus, prædictoque domno Petro abbate Cluniacensi & multis fratrum Cluniacensium præsentibus & laudantibus, quorum quosdam hic subnotamus. De canonicis, prepositus Claromontensis Petrus de Chamalere, decanus Petrus Guidonis. Hildianus decanus de Portu. Rotgerius abbas S. Genesii. Petrus Fulcherii archidiaconus. Guillelmus archidiaconus. Rodulphus Claromontensis archipresbyter. Giraldus de Plantatis. Willelmus archipresbyter. De monachis autem, domnus Adalelmus prior Cluniacensis, Humbertus prior Celsinienſis, Stephanus prior S. Flori, Hildinus prior de Volta, Eustachius prior de Rivis, Petrus prior de Amberta, Petrus prior de Boort, Hugo prior de Nigro-stabulo. In omnibus vero supradictis ecclesiis sinodos & paratas episcopales nobis & successoribus nostris retinemus, & in ecclesia de Barh quinque sol. & in illa de Ferretiis decem.

De prafata S. Lupi Billomensis ecclesia a Mauritio de Monte-Buxerio Celsinis data habetur narratio curiosa cum bulla Urbani papæ II. fol. cxlix. Chart. Celsin. V. Annal. Bened. tom. V. p. 356. & 337.

X.

Charta extinctionis abbatiæ S. Marcellini Cantogilensis unitæ Casæ-Dei.

Ex autographo ejusd. monasterii eruit domnus J. Boyer.

IN nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, ego Raimundus quondam Cantojolensis abbas, videns temporibus meis Cantojolense monasterium ad tantam destructionem perveniſſe, ut spoliato sanctuario, & castellificata ecclesia nullus ibi serviens Deo reperiretur, sed receptaculum esset predonum & homicidarum; in capitulum Casæ-Dei tertia die prius festum beati Roberti veni, & curam & administrationem Cantojolensis abbatiæ in manu A. * Claromontensis episcopi cum virgua deposui, & Casæ-Dei in prioratum perpetuo possidendum firma fide, bona voluntate, consensu etiam & concessione Cantojolensium fratrum attribui, ut per fratres Casæ-Dei locus ille restitueretur, & servitium Dei redintegraretur. Hoc donum Albericus * primas Aquitaniæ laudavit & confirmavit. Hoc A. Claromontensis episcopus in capitulo Claromontensi, me volente & expetente, cum consensu omnium canonicorum fecit & confirmavit. Hoc donum Brivatenses canonici, me presente & expetente, pari consensu fecerunt & confirmaverunt. Hoc ego R. in præsentia episcoporum & abbatum & totius capituli Casæ-Dei feci, concessi, & confirmavi, & munimine sigilli cartam hanc corroboravi anno ab Incarnatione Domini M. C. XXXVII. rege Francorum Ludovico, Romanæ Ecclesiæ papa Innocentio II. † & hoc etiam signum crucis propria manu subscripsi.

* Aimericus *epiſc. Claromont.*

* Albericus *arch. Bituric.*

In necrolog. parthenonis S. Petri de Casis notatur obitus Raimundi abbatis Cantojolensis ad diem Januarii XI. Alius ejusdem loci abbas nobis occurrit:

Obiernus abbas Cantojolensis, in cujus manu Bertrandus clericus & levita ecclesiæ S. Juliani Brivatensis, monasterio Cantogilensi donat ecclesiam S. Saturnini martyris ibidem sitam (qua nunc loci parochia est) seque in monachum ejusdem cœnobii offert, præsentibus & subscribentibus ac firmantibus Dalmatio abbate Brivatensi, Joseph præposito, Hectore decano, Rodulfo vicecomite & aliis. Facta assensione ista in die Mercuris mense Augusto, Ludovico Francorum rege regnante.

XI.

Litteræ præpositi & capituli Claromontensis, quibus petierunt confirmationem electionis Roberti in episcopum.

SAnctissimo patri & domino Henrico, Dei gratia Bituricensi archiepiscopo Aquitaniæ primati W. præpositus, G. abbas, & G. decanus & universum ecclesiæ Claromont. capitulum salutem & devotum obedientiæ famulatum.

Cum ad memoriam reducimus sollicitudinem, curam & diligentiam, qua discretio vestra ecclesiæ Claromontanæ speciali filiæ vestræ, quotiens opus

Digitized by Google

fuerit, paterna ſtuduit proviſione conſulere, a ſolita benignitate nullatenus poſſumus deſperare : immo fiduciam quam de veſtra paternitate indeſinenter habuimus, in præſentis neceſſitatis articulo fiducialius retinemus : præcipue quia nuper receptis veſtræ diſcretionis litteris, ex bona ſpe quam ex eis concepimus, de exaudienda petitione noſtra indubitatam fiduciam obtinemus. Pro eadem autem bona ſpe nobis præſtita, Deo & vobis quas poſſumus gratias exſolventes, preces precibus addimus, & unanimiter ſupplicamus, ut electionem noſtram de dilecto conſanguineo veſtro R. Eduenſi decano unanimiter & concorditer celebratam dignemini confirmare. Cum enim terminus conſtitutus infra quem de petitione veſtra majori conſilio & promovenda veſtræ bonæ ſpei fiducia præſtitiſtis dicatur inſtare, preces congruo tempore duximus innovare. Ne igitur eccleſia noſtra diutius fluctuaret inter varias hujus caliginoſi turbinis tempeſtates, omnes uno deſiderio & communi voto depoſcimus, ut veſtra nobis benignitas indulgeat quod rogamus. Novit enim Deus quod juxta teſtimonia conſcientiarum veſtrarum ſecundum Deum, inſpecto ſtatu totius terræ & noſtræ eccleſiæ, non vidimus quod ſalubrius in alium potuerimus convenire. Spem enim in Deo ponimus, quod per ipſum electum noſtrum & ſtatus eccleſiarum qui apud nos miſerabiliter, immo miſere jam fere corruerat, in melius erigetur, & optata pacis tranquillitate Arvernia potius. * Hoc autem pro certo noveritis quod eidem electo noſtro & litteratura ſufficit, & maturitatem quam majores anni expoſtulant, una cum nobilitate generis, credimus convenire; & ex pluribus donis quæ in flore juventutis in eo vidimus, cum incremento virtutum majora bona proventura ſperamus. Expedit autem, ſicut jam ſignificavimus, ipſam electionem celeriter confirmari, quia mora trahit periculum, & poterunt, quod abſit, obſtacula provenire, quæ non ſine magno ſcandalo & temporalium rerum diſpendio poſſent communem honorem & veſtrum, quod nequaquam volumus, impedire. Ne ergo ex mora poſſit aliquid in diſpendium vel præjudicium Bituricenſis eccleſiæ attentari, ſupplicationem devotæ filiæ Claromontenſis eccleſiæ humiliter petimus exaudiri. Ut autem ſciatis vota omnium concordaſſe in electione præfati R. ſubd. in verbo veritatis aſſerimus, quod ipſa electio in capitulo fuit celebriter facta ſine omni ſchiſmate, conditione, & murmure, & ut indubitatum maneat in verbo veritatis & periculo ordinum dicimus quod omnes perſonæ & archidiac. quotquot fuerant in civitate præſentes, huic canonicæ electioni interfuerunt & conſenſerunt. Ego W. præpoſitus aſſentio & ſubſcribo. W. abbas interfuit & conſenſit, ſed ſubſcribere huic decreto non potuit, quia ſtatim celebrata electione inevitabiliter tractus, ad regem Angliæ properavit. Dominus decanus quia propter ægritudinis cauſam venire non potuit, vocem ſuam & voluntatem domino W. præpoſito & Bert. de Muroliis archidiacono plene commiſit & ipſi pro eo voluerunt & volunt, & huic decreto ſubſcribunt. Ego G. de Cros archidiaconus interfui & conſentio. Ego Eld. cantor interfui, aſſentio & ſubſcribo. † Ego Bert. archid. interfui, aſſentio & ſubſcribo. † Ego Pon. abbas S. Geneſii archidiaconus interfui & volo & ſubſcribo. † Ego J. de Cervam archid. interfui, volo & ſubſcribo. Ego W. de Rodes archid. volo & ſubſcribo. Ego S. archipreſbyter Claromontanus interfui, volo & ſubſcribo. † Ego P. vicarii canonicus & bajulus interfui, & volo & ſubſcribo. † Ego magiſter G. canonicus & bajulus volo & ſubſcribo, & ego Henricus canonicus & archipreſbyter interfui, volo & ſubſcribo, & alii multi.

* F. Poſſetur.

XII.

Litteræ Roberti Claromontenſis epiſcopi, pro inſtauratione abbatiæ Cantoennenſis.

ROBERTUS Dei gratia Clarom. epiſcopus, venerabilibus in Chriſto fratribus abbatibus, prioribus, & dilectis filiis archipreſbyteris, capellanis & omnibus Chriſti fidelibus per Arverniam conſtitutis, ad quos litteræ iſtæ pervenerint, ſalutem in eo qui ſalvat ſperantes in ſe. Quoniam, ut ait apoſtolus, omnes ſtabimus ante tribunal Chriſti recepturi prout in corpore geſſimus ſive bonum fuerit, ſive malum, oportet nos diem meſſionis extremæ miſericordiæ operibus prævenire, ac æternorum intuitu ſeminare in terris, quod reddente Domino cum multiplicato fructu recolligere debeamus in cœlis, firmam ſpem fiduciamque tenentes, quoniam qui parce ſeminat parce & metet, & qui ſeminat in benedictionibus de benedictionibus & metet vitam æternam. Cum igitur ad ſuſtentationem fratrum, & ædificium domus Chantoeni novellæ plantationis perficiendum propriæ non ſuppetant facultates, univerſitatem veſtram monemus & exhortamur in Domino, atque in remiſſionem vobis injungimus peccatorum, quatenus de bonis a Deo collatis vobis, pias eleemoſynas & grata eis caritatis ſubſidia erogetis, ut per ſubventionem veſtram ipſorum inopiæ conſulatur, & ædificium dictæ domus conſumetur; ut vos per hæc & alia bona quæ Domino inſpirante feceritis, ad æterna poſſitis gaudia pervenire. Nos enim de miſericordia Dei confiſi, benefactoribus Chantoeni quadraginta dies de pœnitentia ſibi digne impoſita relaxamus, & omnium ſpiritualium bonorum quæ fiunt & fient in eccleſia Clarom. & omnium miſſarum quæ debentur nobis ab omnibus preſbyteris Arverniæ, quorum ſinguli debent nobis annuatim quatuordecim miſſas, participes facimus & conſortes. Si quam etiam remiſſionem fecerint vicini epiſcopi ſeu archiepiſcopi, vel abbates, eam firmam & ratam Deo auctore habemus. Datum anno Domini milleſimo ducenteſimo decimo nono, menſe Januarii. Valeant per quinque annos.

1219.

Rom. 14. 10.

2. *Cor.* 9. 6.

XIII.

Litteræ ejuſdem Roberti de eodem argumento.

ROBERTUS Dei gratia Clarom. epiſcopus, venerabilibus in Chriſto fratribus abbatibus, prioribus, & dilectis filiis archipreſbyteris, capellanis & omnibus fidelibus per Arverniam conſtitutis, ſalutem in eo qui ſalvat ſperantes in ſe. Omnipotens Dominus in ſuis operibus promovendis bona noſtra imo verius ſua requirat *, non ideo quod eis egeat, ſed ad ſalutem noſtram, ex ipſis bonis quæ dives tribuit, viam multiplicem nobis monſtrat. Quia enim in multis noſtrum Creatorem offendimus, proponit nobis plura remedia, quibus ejus miſericordiam imploremus. Inter opera vero quæ divina pietas gratiora recipit, & magis acceptat, nichil eſt ei gratius & acceptius, quam ei ædificare domum in terris, cum ædificanti proculdubio præparetur æterna manſio non manufacta in cœlis. In eccleſia enim Dei, ſicut in altari lapideo ſacrificium juge offertur, & patri filius immolatur; ita in altaribus cordium offertur Domino ſacrificium vivum, pia & munda devotione fidelium. Jampridem autem vos monuimus ut ad ædificium eccleſiarum & domorum de Chantoen veſtras eleemoſynas & grata ſubſidia mitteretis. Collata vero veſtræ pietatis beneficia, quale bonum jam fecerint, & quantum opus inde appareat, neminem, qui vidit, credimus ignorare : itaut habita conſideratione principii, non tam hominis opus eſſe appareat,

1219.

* F. *Requirit*

Digitized by Google

quam divinum. Et cum bona temporalia queant multis casibus deperire, credimus omnes participes istius operis gaudere in Domino, quod beneficia collata, quantulacumque fuerint, taliter potuerint collocare. Hic est enim thesaurus, quem nec ærugo nec tinea demolitur. Hos autem sumptus pii operis attendentes, & sperantes ut qui tam bene dedit incipere, det & perficere, rogamus & exhortamur in Domino, & in remissionem injungimus peccatorum, ut ad ædificium loci ipsius & ad vitam ministrorum, qui per gratiam Dei ibidem serviunt, sustentandam, vestras elemosynas & pia beneficia transmittatis, & ut mittant vestras subditos sollicite moneatis. Remissionem vero quæ sit benefactoribus demonstramus, auctoritate nobis a Deo concessa, quadraginta dies de pœnitentia digne imposita relaxamus. Nos enim quantum nobis Deo auctore conceditur, omnes qui elemosynas & alia beneficia ecclesiæ & domui de Chantoen dederint aut miserint, omnium missarum & aliorum officiorum divinorum quæ in Clarom. ecclesia fiunt & fient, & omnium missarum quæ nobis debentur ab omnibus presbyteris Arverniæ, quorum singuli singulis annis quatuordecim missas nobis debent, participes facimus & consortes. Participes etiam erunt omnium spiritualium bonorum quæ fient in universis abbatiis Arverniæ & in earum priotatibus, sicut testantur earum litteræ ac sigilla. In ecclesia de Chantoen omnibus horis & missis dicent illam orationem: *Omnipotens sempiterne Deus qui vivorum &c.* Si quam etiam remissionem fecerint vicini episcopi vel abbates, eam firmam & ratam Deo auctore habemus. Eam igitur amore Jesu Christi elemosynam huic operi faciatis, quam ad salutem animarum proficere speretis, & cum gaudio corporum sæpissime propriis oculis corporaliter videatis, & in æterna beatitudine fructum ex ea centuplum colligatis. Datum anno Verbi * millesimo ducentesimo vigesimo nono mense Octobris.

* Incarnati.

In supplementum eorum quæ de Roberto episcopo diximus, hoc loco referemus multa excerpta ex tabulario episcopali ad nos a D. J. Boyer missa.

1207. Anno 1207. Robertus episc. renovavit pacem quam fecerat cum G. comite Claromont. & Arverniæ anno 1201. mense Maii.

Montmorin. Aizargues. Philippus rex Francorum episcopo & ecclesiæ Claromont. concessit feoda dominiorum de Monte-Maurini & de Magdunio. Actum Parisius anno Domini M. CC. VII. regni XXIX. astantibus in palatio, dapifero nullo, Guidone buticulario, Matthæo camerario, Drocone constabulario. Data vacante cancellaria.

1209. Eustorgius de Maenciaco R. episcopo homagium-ligium & fidelitatem juravit pro feudis de *Rignac* & de *Fontinac*. Actum apud Vertaizon anno 1209. mense Junii. Ipso anno die Jovis post Assumpt. B. Mariæ frater Johannes Senaldi præceptor, & conventus domus militiæ Templi de la Folhosa, presente & confirmante fratre Giraldo de *Villers* magistro militiæ Templi in Francia & in Arvernia, confitentur Roberto episc. se debere unum aureum obolum in qualibet episcopi mutatione.

Anna filia quondam Eustachii concedit eidem episcopo dominium Maudunii.

1211. Anno Incarn. M. CC. XI. III. idus Augusti Jarentona & Pontius de *Chapteil* vir ejus, eorumque liberi Petrus de Fay, Jarento, & Willelmus Jordani pactum sollenne ineunt super castro de Vertaizo cum R. episcopo & capitulo Claromontensi coram domino B. Aniciensi episcopo & capitulo ejusdem ecclesiæ, presentibus R. Uticensi episcopo apostolicæ sedis legato, & abbatibus Casæ-Dei, Montis-petrosi & Mansiadæ, & R. magistro militiæ Templi Mainerii. Actum in capitulo novo apud Anicium. Confirmata est carta ista a partibus in dormitorio Aniciensi Idus Augusti, testibus vocatis B. abbate S. Petri, W. thesaurario, R. abbate Brivatensi, Armando vicecomite, B. abbate Claromontensi, P. decano, Q. cantore, Po. abbate S. Genesii, & pluribus aliis. Et hanc quidem conventionem P. Ebrolicnsis, & A. Riomensis abbates a summo pontifice delegati confirmarunt anno Dom. M. CC. XIII. 1213.

Herveus comes Nivernensis homagium reddit Roberto antistiti M. CC. XVII. Item W. dominus de Baffia M. CC. XVIII. in festo Epiphaniæ fidelitatem spondit pro castris de Baffia, de Vivairols, de Martiaco, de Monte-Revelli, de Riols, de Amberto, presentibus G. abbate, P. decano, S. archipresbytero Claromont. P. abbate S. Genesii, Held. cantore, Hugone Revelli bajulo, magistro P. officiali, magistro Arnulpho archidiacono Aurcliacensi, G. de Manso & aliis canonicis & clericis & militibus quamplurimis. 1217. 1218.

Isdem præsul Robertus duos libros perutiles, in archivo episcopali etiamnum asservatos, curavit scribendos; homagiorum alterum, alterum feudorum & hunc divisum per archipresbyteratus, anno 1219. 1219.

Is etiam mense Augusti anni seq. 1220. accepit hominium pro castro Montis-acuti a P. castri hujus domino & ab Archimbaldo domino Borbonii 1221. 1220. 1221.

Huic etiam Anna filia quondam Eustachii donavit Maudunii dominium & justitiam anno Domini 1222. mense Aprili R. Philippo Franc. rege. Quo insuper anno Archimbaldus præfatus dominus Borbonii, Beatrix domina Montis-lucii, & Mathildis comitissa Borbonii, donant eidem quicquid juris habebant in dicto Maudunii dominio; & has donationes confirmavit Simon Bituricensis archipresul mense Maii ejusdem anni. Eod. anno 1222. Guillelmus de Beaufort donum facit episcopo. Fidem clientelarem eidem Roberto promisit Dalmatius de Ponte-Gibaldi 1225. mense Decembri. Anno 1222. Guillelmus comes Claromont. & R. ejusdem filius obligaverunt Alnacum R. episcopo. An. 1221. Archimbaldus dominus Borbonii donavit omne jus quod ipsi competebat in castris Maudunii & Cornonii. An. 1222. hæc donatio confirmatur ab archiantistite Bituric. 1222. Mauzun. Montluçon. Pont-Gibaud.

XIV.

Litteræ Hugonis episcopi Claromontensis quibus reprobat electionem Petri de Lavetz decani S. Illidii in abbatem, & tamen eundem ipse abbatem constituit.

1234. *Ex arch. eccles. S. Illidii.* Nos Hugo Dei gratia Claromontensis episcopus notum facimus præsentes litteras inspecturis, quod cum prior & conventus monasterii S. Illidii Claromont. nobis electionem quam de venerabili viro P. (Petro) decano suo fecerant, præsentassent, confirmari petentes: eandem nos attendentes formam concilii in electione ipsa minime observatam fuisse, ipsam non vicio personæ electæ, si quid fuit in electione peccatum, irritandam ducimus & cassandam. Ceterum ex officio nostro prædicto monasterio providentes hac vice, eundem decanum ipsis priori & conventui dedimus pastorem pariter & abbatem; nolentes ut eis propter hoc in posterum aliquod præjudicium generetur. In cujus rei testimonium, præsentes litteras sigillo nostro fecimus roborari. Datum Claromonti in crastino decollationis S. Johannis anno Dom. M. CC. XXXIV.

Digitized by Google

XV.

Erectionem eccleſiæ S. Petri Claromontenſis in canonicorum collegium ratam habet Hugo epiſcopus Claromontanus.

1141. NOs Hugo Dei gratia Claromontenſis epiſcopus notum facimus univerſis præſentibus & futuris, quod cum capitulum noſtrum Claromontenſe quandam plantationem canonicorum ſecularium de novo inſtituerit in eccleſia ſancti Petri Claromontenſis ad dictum capitulum immediate ſpectantem, & eiſdem canonicis eccleſiam cum pertinentiis contulerit memoratam, ſalvo tamen cenſu capituli & eo quem decanus Claromontenſis conſuevit percipere in eadem, nos factum dicti capituli noſtri pio affectu proſequi cupientes, attendentes quam ſanctum & quam meritorium ſit vineam Domini Sabahot propagare; volentes etiam dictorum canonicorum juſtis deferre petitionibus, prefatam inſtitutionem & collationem prædictis canonicis factam a capitulo memorato laudamus & approbamus, & etiam authoritate diœceſana ſub teſtimonio preſentium confirmamus, ſalvis decem libris ceræ cenſualibus quas debemus percipere in eccleſia predicta. In cujus rei teſtimonium & firmitatem impoſterum obtinendam preſentem paginam ſigilli noſtri munimine fecimus roborari. Datum in capitulo Clarom. an. Dom. M. CC. XLII. menſe Aprilis.

Eccleſia parochialis & collegiata S. Petri in urbe etiamnum capitulo Claromont. ſubjacet, & decanus ac canonici ſolitum hactenus præſtant juramentum.

XVI.

Leges huic præſcriptæ capitulo.

UNiverſis præſentes litteras inſpecturis Guillelmus decanus totumque capitulum eccleſiæ ſancti
1141. Petri Claromont. ſalutem in Domino æternam. Noverit univerſitas veſtra quod cum dicta eccleſia ſancti Petri ad eccleſiam & capitulum Claromontanum immediate & pleno jure ſpectaret, tandem inſinuantibus eidem capitulo prædictæ eccleſiæ parochianis videlicet clericis & laicis & aliis probis viris, quod multum poſſet proficere, & Dei cultum in illa eccleſia dilatare, ſi ſuſtinerent & aſſenſum præberent, quod ſalvo jure ſuo in eadem eccleſia per illius loci parochianos, clericos ſcilicet & laicos canonicorum ſæcularium ibidem congregatio plantaretur; ipſi devotionem eorum attendentes, conſiderantes etiam quam ſanctum & quam meritorium ſit vineam Domini propagare, communem utilitatem propriæ præferentes, dictam eccleſiam ſancti Petri de voluntate & aſſenſu venerabilis patris Hugonis Dei gratia epiſcopi Clarom. nobis dicto decano & aliis tactis canonicis contulerunt pleno jure habendam & regendam in perpetuum pacifice & quiete, cum univerſis pertinentiis, redditibus & proventibus quos in præſenti habemus & poſſidemus, acquiſitis & deinceps acquirendis, excepta decima S. Petri quam modo poſſident, retentis etiam ſibi in dicta eccleſia viginti quinque libris Claromontenſibus cenſualibus quas in dicta eccleſia habebant ſibi & eccleſiæ ſuæ in duabus ſynodis perſolvendis, & decem libris Claromontenſibus quas decanus Claromont. in dicta noſtra eccleſia percipit & conſuevit percipere cenſualibus, & decem libras ceræ quas dominus epiſcopus Claromont. in dicta eccleſia percipit cenſuales; & voluerunt & conceſſerunt quod habeamus certum numerum ſcilicet quindecim canonicorum, computatis canonicis cum decano. Nunc vero in principio voluerunt & permiſerunt quod ſimus viginti; & antequam aliquid innovetur, reducamur ad prædictum numerum quindecim canonicorum cum decano. Ad hæc ſcire volumus quod decanus qui in dicta eccleſia S. Petri nunc de novo inſtitutus eſt, & deinceps in futurum inſtitui debet ab ipſo capitulo, duarum præbendarum fructus percipiat, quamdiu præſens fuerit; in abſentia vero unius tantum: quintam etiam partem vendarum & conceſſionum habebit, ſed nihil percipiet niſi fuerit præſens in proceſſionibus mortuorum, ſicut nec ipſi canonici niſi præſentes fuerint, de quibus omnibus ſupradictis debet eſſe contentus. Ille vero qui pro tempore ab ipſo capitulo in dicta eccleſia noſtra inſtituetur decanus, ipſi capitulo & eccleſiæ Clarom. fidelitatem jurabit. Canonicus vero de novo inſtitutus intra octo dies ex quo factus fuerit, & inveſtituram præbendæ adeptus fuerit, fidelitatem eccleſiæ Claromontenſi jurabit, ad eandem eccleſiam perſonaliter accedendo. Præterea voluerunt & conceſſerunt quod habeamus plenariam poteſtatem eligendi & inſtituendi canonicos in dicta eccleſia noſtra, cum redacti fuerimus ad certum numerum videlicet quindecim cum decano. Item voluerunt & conceſſerunt clericis qui de choro Claromont. nunc fuerunt canonici in prædicta eccleſia noſtra, quod nihil de beneficiis quæ in præſenti habent in eccleſia Claromontenſi amittant; in præfata vero eccleſia S. Petri dicent pro canonicis Claromontenſibus, diebus ſingulis oratio: *Omnipotens ſempiterne Deus, miſerere famulis tuis*, cum antiphona: *Domine rex omnipotens*, & verſiculo, *Oſtende nobis Domine*, in Veſperis: & alteram in matutinis ſcilicet: *Deus qui caritatis dona*, cum antiphona, *Dominator Domine*, prout ipſi in eccleſia Claromont. conſueverunt decantare; ſed pro uno quoque dictorum canonicorum cum obitum didicerimus, in divinis officiis & orationibus tantum faciemus quantum pro uno de noſtris duxerimus faciendum. In cujus rei teſtimonium ſigilla noſtra apponi fecimus huic chartæ. Actum anno Domini M. CC. XXXXII. menſe Julii.

XVII.

Forma juramenti, quod præſtare debent decanus & canonici S. Petri.

EGo N. decanus (vel) canonicus in eccleſia ſeculari & collegiata S. Petri Claromontenſis de novo inſtitutus, juro ſuper hæc ſancta Dei Evangelia, quod amodo ſicut antea fidelis ero capitulo & eccleſiæ Claromontenſi, ſingulisque canonicis ejuſdem; & quod pro canonicis eccleſiæ Claromont. dicam & in eccleſia S. Petri prælibata dicere faciam ſingulis diebus in veſperis antiphonam, *Domine Rex omnipotens &c.* cum verſiculo, *Oſtende nobis Domine &c.* & orationem, *Omnipotens ſempiterne Deus miſerere famulis tuis &c.* & in matutinis antiphonam, *Dominator Domine &c.* cum oratione, *Deus qui caritatis dona &c.* prout & quemadmodum in dicta eccleſia Claromontenſi eſt decantari conſuetum. Et quod pro unoquoque dictorum canonicorum Claromont. cum obitum didicero, in eccleſia S. Petri ſupradicta in divinis officiis & orationibus tantum fieri faciam quantum pro uno de concanonicis eccleſiæ S. Petri prædictæ duxerit idem S. Petri capitulum faciendum. Et demum omnia alia deveria dictis capitulo & eccleſiæ Claromont. per capitulum & eccleſiam S. Petri debita perſolvi faciam, & in contrarium non veniam directe vel indirecte, publice vel occulte. Sic Deus me adjuvet & hæc ſancta Dei Evangelia.

Digitized by Google

Addenda ad hiſtoriam Hugonis de Turre epiſc. ex archiv. epiſcopatus.

HUGO epiſcopus Claromont. & Guillelmus decanus Anicienſis compromiſſum faciunt cum domino de Mercorio ſuper quibuſdam querelis in dominum de Montelauro M. CC. XXX. Permutavit cum Euſtachio domino Montis-Buxerii locum de Locoya pro Yſſandolangis anno M. CC. XXXVIII. menſe Januarii. Accepit hominium Ademari comptoris an 1239. An. 1240. reſidebat in curia domini papæ. Ei præſtat homagium Robertus d'Apchon comes Claromont. Guillelmi quondam filii delphini filius, pro caſtro Camaleriæ cum pertinentiis ſuis, videlicet * Monrunho, Alberia, Chanonac, Paitinac, & Otme, ſalvo feodo abbatis Mauziacenſis. Item pro caſtro Pontis-Gibaldi, pro fortalitio de Chamboat, pro caſtro de Champeils &c. Actum apud Clarom. in craſtino octabarum B. Martini hyemalis anno Domini M. CC. XL. menſe Novemb. Par exhibuit homagium dicto Hugoni epiſcopo die Martis poſt octabas S. Martini hyemal. ejuſd. anni Eblo vicecomes Ventodorenſis pro caſtris de Chaſlus, de Mauriaco, de Tellide, de Miramont, de Montclar, de Belclar &c. Ei quoque Robertus comes Clarom. pro 1500. libr. Clarom. monetæ oppignorat caſtrum de Monterugnon cum pertinentiis ſuis quæ ſunt hæ: Omme, Belmont, Romagnac, Parignac, Seyrac, Parſeyrac, Alberia, Chanonac, Monrodeis &c. Actum Clarom. die Jovis ante feſtum S. Benedicti M. CC. XL. I.

* Mont-Rougnon, Anbiere, Chanonac, Jeyrignac, Omme, Pont-Gibaud, Chamboat, Champeils.

1241.

XVIII.

Vidimus litterarum S. Ludovici pro Piperaco, datum a Widone Claromontenſi epiſcopo.

1250. NOS Fr. Guido Dei gratia Arvernorum miniſter humilis, notum facimus has litteras inſpecturis, quod nos vidimus & diligenter inſpeximus litteras domini regis Franciæ non corruptas, non cancellatas, non in aliqua parte ſui vitiatas; & ſigillo ſano & integro dicti domini regis ſigillatas, quarum tenor talis eſt: LUDOVICUS Dei gratia Francorum rex, dilecto ſuo & fideli Amalrico d'Eſcorillas ſalutem & dilectionem. Mandamus vobis quatenus terram illam quam Petrus Guarinus miles defunctus, ob remedium animæ ſuæ contulit & conceſſit in perpetuam heleemoſynam, ut dicitur, eccleſiæ B. Mariæ Piperacenſi, de ordine S. Auguſtini, quæ terra eſt de feudo noſtro, eidem eccleſiæ tenere permittatis, uſque ad decem libras Turonenſes debitales. Nos enim terram illam pietatis intuitu dictæ eccleſiæ conceſſimus in perpetuum poſſidendam. Datum apud S. Germanum in Laya anno Domini M. CC. XXX. VIII. menſe Auguſti. In cujus rei teſtimonium præſens tranſſumptum ſigilli noſtri munimine duximus roborandum. Datum apud Claromont. anno M. CC. L. tertio menſe Januarii.

Infra appenſum ſigillum exhibet epiſcopum in pontificalibus ornamentis, circa quod legitur: S. Fratris Guidonis Arvernorum epiſcopi.

XIX.

Excerpta ex tabul. epiſcopali de Guidone a Turre Claromontenſi epiſc.

1250. GUIDO epiſcopus compoſitionem fecit cum R. Arverniæ comite ſuper guerra inter ipſos facta ratione caſtri Maudunii, arbitratore Nicolao de Meleta milite, ballivo Arverniæ M. CC. L.

A

Excepit apud Malhiacum caſtrum clientelam M. comitiſſæ Arverniæ, Sabb. poſt feſtum Purificationis M. CC. LI. 1251.

Frater Guido epiſc. Clarom. donat abbati & monaſterio de Maurtio eccleſias S. Stephani & S. Sentini. Actum apud Taulhac anno Domini M. CC. LIII. die Sabbati ante Nativitatem B. Mariæ. Teſtes ſunt Vivianus Rutenenſis epiſcopus, Guillelmus de Sebaſaco decanus Claromont. Ademarus Del Cros Aureliacenſis, (procul dubio Guidonis ſucceſſor) Ademarus præpoſitus Montis-Salvi &c. Anno 1256. ceſſit monachis Caſæ-Dei jus patronatus Capellæ-Agnonis & eccleſiæ S. Johannis de las Oleyras titulo permutationis pro decimis S. Aventini. Eodem anno ei præſtat homagium Odo filius ducis Burgundiæ comes Nivernenſis & dominus Borbonienſis. 1253. 1256. La Chapelle-Agnon & S. Jean des Olieres. *Etiamnum pendent a collatione capituli Caſæ-Dei.*

B

Emit optimus præſul quartam partem vigeriæ nemoris de Bortio precio 47. librar. Claromont. 1258. menſe Novemb. præſentibus Hugone S. Illidii & W. S. Andreæ abbatibus. 1258.

Eo ſedente ac promovente fundatur capitulum de Creſt anno M. CC. LIX. in feſto converſionis S. Pauli. 1259.

Anno ſequenti ſcilicet die Mercurii poſt feſtum S. Fidis, Aldina prioriſſa & conventus Curtæ-petræ ipſi exhibent obſequium. 1260. Courpiere.

Quædam permutavit Guido cum Veziano archidiacono Cutienſi in eccleſia Claromont. 1264. menſe Februarii. 1264.

Ei plures dedit decimas capitulum Cornonii M. CC. LXXII. eique Robertus primogenitus comitis Flandriæ, comes Nivernenſis reddidit hominium M. CC. LXXIII. quo etiam anno pius antiſtes aſſenſum præbuit erectioni capellæ infirmariæ leproſorum apud Sanctum-Florum reſervando ſibi ac ſucceſſoribus ſuis inſtitutionem prioris & duas ceræ libras ab eodem annuatim ſibi reddendas ratione dominii & juriſdictionis. 1272. 1273.

C

Frater Guillelmus prior domus B. Mariæ de Carmelis Claromont. & devotus Deo ejuſdem loci conventus Guidoni clientelam pro dicto conventu profitentur. Actum in capitulo in feſto B. Juliani anno M. CC. LXX. quinto. 1275.

Ei quoque homagium reddit Euſtachius dominus de Monte-Buxerio 1276. necnon Robertus primogenitus comitis Flandriæ, comes Nivern. ejuſque uxor Yolendis comitiſſa 1278. Item Johanna comitiſſa Forenſis tutrix liberorum & heredum illuſtris viri Guidonis quondam comitis Forenſis mariti ſui, homagium præſtitit pro feudis caſtrorum de Maymont, de Voloure, de Malbec, & fortalitii de la Barga. Datum Thierni die Veneris poſt Vincula S. Petri M. CC. LXXIX. quo etiam anno die Veneris poſt feſtum B. Luciæ frater Gaufridus prior totuſque S. Flori conventus Guidoni recognoſcunt tres libras ceræ reddendas pro infirmaria S. Flori & capella ejuſdem. 1276. 1278. 1279.

D

Anno ſequenti decanus Mauriacenſis confitetur ſe debere epiſcopo Clarom. *prima vice quando vadit epiſcopus Mauriacum duas perdrices vel ſex denarios*, pro medietate manſi d'Anglars. 1280.

Capitulum B. Mariæ Portuenſis ceſſit epiſcopo Guidoni & ſucceſſoribus ejus collationem decanatus ipſius capituli ann. 1263. 1263.

E

Guido conceſſit privilegia urbi Billomenſi 1269. 1269.

A Mauricio de Fontanges domicello manſos de Tholoſa ſitos in parochia S. Boniti archipreſbyteratus Mauriacenſis 1272. * 1277. *F. Accepit.*

Accepit hominia Stephani Raſini militis 1257.

Petri d'Apcher militis: 1257.

Bernardi de Marlat domicelli: 1262.

Matildis comitiſſæ Nivernenſis: 1266.

Roberti delphini comitis Claromont. pro caſtris de Campellis, de Ponte-Gibaldi, de Plauzac, de Camaleriis &c. 1256. 1263.

G. epiſcopus plura acquirit ab Hugone de Romagnac domicello in pagis de Mazays & de Chamboat M. CC. LXVI. 1266.

Digitized by Google

1167. Nobilis vir Guillelmus comptor dominus de Apchonio recognoſcit epiſcopo caſtra d'Apchon & de Vaulmieres cum pertinentiis quas habet in parochiis S. Hippolithi, Riomi in Montanis, S. Vincentii &c. quæ omnia cognovit eſſe reddibilia de die & nocte M. CC. LXVII.

1284. Ei redduat homag. dominus Boſo de Miromonte
1287. miles 1284. Radulphus de Pleaux & Guillelmus de
1270. la Garde 1287. Hugo de Fontangiis domicellus &
1278. Agnes ejus uxor 1278. Rigaldus de Fontangiis 1270.
1269. Johannes de Turre 1269. Hugo de Fontangiis &
Stephanus de S. Chriſtophoro domicelli 1269.

1275. Albertus de Longavelia domicellus 1275.

1291. Falco de Monte-claro 1291.

1158. Radulphus comes Gebennenſis, Albertus dominus de Turre & Guillelmus dominus de Baffia fecerunt amicabilem compoſitionem controverſiæ inter Guidonem epiſc. & Robertum comitem Arverniæ obortæ; quam confirmarunt archiepiſcopus Bitur. epiſcopi Lemovicenſis, Anicienſis, & Mimatenſis M. CC. LVIII.

Gu. epiſcopus Clarom. & prior de Cunlhaco, (Cunliac) permutant eccleſias de Turluron & de Mezarac M. CC. LIX. Cunlhacum prioratus eſt in Arvernia pendens a monaſterio S. Michaëlis de Cluſa.

XX.

Excerpta ex tabul. epiſc. de Ademaro epiſcopo Claromont.

1286 ADEMARUS fidem clientelarem Regi juravit 1286. Quia dominus ADEMARUS electus Claromontenſis a capitulo fuerat electus, haud ſignificata Regi vacatione ſedis, ideo ipſe Ademarus & capitulum Clarom. *gagiaverunt emendam* mille librarum inſtante Rege anno 1286. ex litteris Philippi regis quibus tenetur ipſum capitulum nunciare Regi vacationem quando occurrit in eccleſia Claromont.

1289. 1289. anno excommunicatus fuit dominus epiſcopus Claremont. ob non ſolutionem ſummæ 5000. librar. banquaris debitæ, ex litteris pontificiis in quibus ſtatutum refertur quod epiſcopi debeant ſolvere debita prædeceſſorum ſuorum.

1287. Ademaro Arvernorum epiſcopo homagium - ligium reddit Hugo dominus Montis-Maurini domicellus pro caſtro Montis-Maurini, aliiſque feudis die Veneris poſt feſtum S. Barnabæ apoſtoli M. CC. LXXXVII. Idem præſtat junctis manibus & oris oſculo Fr. Bertrandus prior de Calmellis ordinis Coronæ, præſentibus Ægidio præpoſito aliiſque canonicis Claromont. anno Incarn. M. CC. LXXXVIII. Indict. 1. Nicolai papæ IV. anno primo, die vero Julii tertia.

1288.

1289. Huc referenda excommunicatio Ademari.

1291. Anno 1291. abſolvitur ab irregularitate quam incurrerat eoquod celebraſſet excommunicationis vinculo innodatus

1292 1292. emit domum pro ſe ſuiſque ſucceſſoribus Pariſiis in vico Cytharæ prope SS. Coſmam & Damianum.

1293. 1293. menſe Februarii excepit homagium Roberti filii regis Franciæ comitis
1293. Claromont. ac Bellovacenſis, necnon domini Borbonienſis, & XII. Kalend. Julii Humberti delphini Viennenſis, comitis Albonii, domini de Turre.

1294. adfuit concilio Aureliacenſi cum epiſcopis comprovincialibus, qui decimas beneficiorum provinciæ Bituricenſ. conceſſerunt Regi.

1294. Philippus pulcher Franc. rex mandat epiſcopis Claromontenſi, Lemovicenſi &c. *ut habeant ſubditos ſuos in armis paratos* pro regni deffenſione 1294.

1295. Idem rex mandat anno 1295. reddi epiſcopo Claromont. claves portarum urbis, ſigillum, cartas, armaturas, privilegia; & manumlevat a muris, turribus, & foſſatis dictæ villæ. Idem rex ratam habuit acquiſitionem villæ de Maſchalle quam fecit Ademarus epiſcopus titulo permutationis a Petro

1296 Flotte milite domino de Revello an. 1296. quo anno præfatus epiſcopus recepit hominium Raimundi de Monte-alto domicelli domini caſtri de Tulero pro dicti caſtri fortalitio, & anno ſequenti XII. cal. Julii homagium Ademari comptoris domini de Apchonio. Ipſo anno 1297. epiſcopus accepit litteras a Rege quibus approbantur decimæ a papa clero indictæ. Ph. rex Franc. concedit Arvernorum epiſcopo quod fidelitatem ipſius epiſcopi, temporalia ſive regalia civitatis ipſius & dioceſis extra manum regiam non ponat M. CC. XCV.

1297.

1295.

Anno M. CC. LXXXVII. caſtrum de APCHONIO fuit redditum cum clavibus gentibus D. epiſcopi Claromont. die Lunæ poſt feſtum B. Martini hyemalis, & vexillum dicti domini epiſcopi in quadam lancea fuit impoſitum ſuper turrim caſtri, & omnes gentes dicti domini de Apchonio exierunt dictum caſtrum; & die Mercurii vexillum dicti D. epiſcopi in Apchonio per preconem fuit preconiſatum, *Clermont, Clermont, Clermont*; & die Jovis ſequenti fuit redditum dictum caſtrum gentibus domini de Apchonio. Anno 1297. Ademarius comptor de Apchonio recognovit feudum dicti caſtri in qualibet mutatione epiſcopi vel vaſſalli.

1287

Falco de Montclar homagium exhibet Ademaro pro pago de Jaleyrac. 1291.

1291.

XXI.

Excerpta ex tabul. epiſcopali ad Aubertum Aycelin epiſcopum pertinentia.

EXcepit homagium Stephani de Alzonio militis anno M. CCC. VII. quo anno rex Franc. emit Caſtrum-Revelli quod hodie pertinet ad d'Eſtaſn marchionem du Terrail & inter omnia Arverniæ caſtra præcellit.

1307. Rivet.

Anno 1308. Albertus epiſcopus recepit hominia Ludovici comitis Nivernenſis, apud Conam; Petri Dalmas militis, Geraldi Calcati panetarii regis Franciæ, & Bernardi domini de Turre pro caſtris de Sevena, de Rinhac &c. die Dom. in vigilia ſancti Johannis Bapt. M. CCC. VIII.

1308.

Hoc item anno mandatum accepit a Philippo Francorum rege, quo præcipitur prælatis provinciæ Bituricenſis, qui non interfuerunt cuidam conventui quem fecerat Rex ſuper facto Templariorum, quod ſolvant expenſas prælatorum, qui adfuerunt. Inſequente an. 1309. Arbertus epiſcopus cum aliis a Clemente V. delegatis, fecit informationem contra magiſtrum præceptorem & alios fratres militiæ Templi, qui Domino Chriſto, adverſantes in ſcelus *apoſtaſiæ* nefandum, deteſtabile idolatriæ vitium, exſecrabile facinus Sodomorum, & in varias hæreſes lapſi erant. An 1310. Indict. 9. Arbertus clientelam excepit Heliæ vicecomitis de Ventador & Guidonis de Miromonte domicelli, nec-non cum Euſtachio de Monte-Buxerio milite compoſuit pro limitibus Curtæ-Petræ aliarumque villarum Claromontenſis eccleſiæ cum caſtris de Monte-Buxerio, de Boſſonella, de Montilis, & de Albuſſone. Datum die Martis poſt octabas feſti Pentheceſtes M. CCC. X. preſentibus Roberto delphino Arverniæ, Amblardo de Petroſa & aliis militibus &c. & religioſo viro fratre Hugone de Monte-Buxerio.

1309.

1310.

Anno 1311. Indict. X. die Veneris ante feſtum S. Luciæ, Robertus comes Arverniæ & Boloniæ, homagium præſtat Arberto epiſcopo, *pro Leyda quam levat in Claromonte*, pro conſorte ſua Beatrice de Monte-Gaſconis, preſentib. Roberto filio dicti comitis, Guillelmo comptor domino de Apchonio, Petro de Caſlucio, Stephano Chauziti abbate, Hugone de Chalancon cantore, Raynardo de Meſiaco abbate S. Geneſii, Ægidio Aycelini milite domino Montis-acuti &c.

1311.

Albertus epiſcopus mutuatur XII. XX. marcas argenti a capitulo Claromont. ad emendam domum,

Digitized

nuncupatam *palatium Claromontenſe* anno M. CCC.XII.
Excepit homagium Johannis de Bolonia comitis
1315. Montis-fortis 1315.

Obtinuit epiſc. Clarom. a Lud. Franc. R. privilegium ne ſæculares perturbent juriſdictionem eccleſiaſticam, neque temporalitatem ipſius epiſcopi in manu regia ponant, niſi de expreſſo Regis aſſenſu &c. M. CCC. XV.
A Johanne papa XX. recepit bullam contra Paſtorellos
1320 1320. Excepit hominia Petri de Tornamira 1321. & Aymerici de Tornamira, domicellorum 1326. Item 1326. Hugonis delphini pro caſtris de Campellis & Camaleriæ.

Iſdem præſul Albertus curavit fieri terraria Vertaſionis & Maſchale 1311. Cornonii & Laudæ 1314. accepit homagia Dalmatii de Cebaſat domicelli,
1307. Roberti de Monte-Rugoſo ſeu de *Mont-Rogon*, B necnon Girardi de Vermanps militis.

Dalmatii d'Aunac militis & Gaufredi de Urſeto
1308. domicelli.

Guidonis de Murato domini Verinarum.
1310. Johannis de Bolonia comitis Montis-fortis pro
1311. caſtris de Nebozac, de Montredon &c. Petri de
1315. Valelhes 1315.
1308. Petri de Monte-acuto 1308. Guillelmi de Bronaſſol 1308.
1315. Bernardi Dalmatii domini caſtri Alberiæ 1315.
1310. Valeriæ Beliotæ relictæ Hugonis de Monte-Rugoſo, dominæ de Dompme pro decimaria de Dompme & pro domo ſita in parochia S. Caſſii 1310. Stephani
1313. de Vernet 1313.

XXII.

Excerpta ex tabulario epiſcopatus, de Arnaldo de Comminge epiſcopo.

1328. SAcramentum fidelitatis dicit Philippo regi Franc. eique rex dedit unum ſuum ſervientem armorum pro ſpeciali guardiatore an. M. CCC. XXVIII.

Anno ſequenti excepit homag. nobilis viri Stephani de Laſtic clerici. An. 1330. tranſegit cum D.
1329. Montiſ-acuti pro domo dicta *palatio*, aliiſve quæ fuerant domini de Alberia, & cum Hugone de Rocha
1330. domino Caſtri-novi pro quibuſdam limitibus. 1330. Eod. anno die Veneris poſt feſtum Aſſumptionis B. M. recepit ab Hugone domicello domino Petroſæ homagium manus & oris pro tenemento de Layat D
1331. & aliis. 1331. excepit hominia Pontii de Chalancon ſorisdecani Brivatenſis, & Bertrandi de Rupeforti domini de Auroza militis pro caſtro & caſtellania de Moiſſac, necnon pro decima de Salhans quæ ſunt in archipreſbyteratu S. Flori. Hoc item anno ſignificavit Rex epiſcopo Clarom. cum eo velle ſe loqui ad certum diem *ſuper paſſagio ultramarino*.

Arnaldus Arvernorum epiſc. compoſitionem fecit
1332. cum abbate & monachis de Maurtio die Sabb. poſt feſtum tranſlationis B. Nycholai M. CCC. XXX. II.

Ad eum direxit litteras Johannes papa XXII. ſuper indictione decimæ; quibus rex Francorum inſtituitur
1333. *generalis rector & capitaneus paſſagii* exercitus Chriſtiani M. CCC. XXXIII. Ad eundem tanquam decanum ſuffraganeorum provinciæ Bituricenſis ex ſpeE ciali ſedis Claromont. privilegio, ſcripſit eodem anno 1333. Fulco Bituric. archipræſul ſuper *negotio paſſagii ad terram ſanctam*. Ei quoque hoc anno hominium
1334. exhibuit Amedeus d'Apchon pro caſtro de Apchonio. Anno 1334. recepit alias litteras a præfato Fulcone de eodem *paſſagio*.

Extat & in archivo Claromont. epiſtola vica1335. riorum eccleſiæ Rutenenſis aſſerentium ſe recepiſſe litteras epiſcopi Claromontenſis, ut fierent orationes & ſuffragia in eccleſia pro proſperitate Benedicti papæ XII. anno 1335. (vacabant, ut opinor, tunc temporis ſedes Bituricenſis & Rutenenſis, & Arnaldus forſitan ad vicarios hujuſce ultimæ ſedis ſcripſit A tanquam decanus provinc. Bituric.)

Anno 1335. Arnaldus Rotgerii fidelitatis ſacramentum excepit ab abbatiſſa de Caſis pro monaſterio & villa de Caſis, pro caſtro & villa S. Arcontii, pro eccleſia de Salgues &c. & a preceptore domus S. Antonii de Neboxiaco pro manſo de Chancellade &c. 1335.

Obtinuit litteras Philippi regis contra receptorem Arverniæ, qui *prætextu regalia nitebatur levare* certas decimas & quædam alia jura epiſcopalia 1336. 1336.
Exſtat in archivo epiſcopi Clarom. liber homagiorum Arnaldo epiſc. exhibitorum.

Accepit homagia ab Agnete de Chamboat domicella 1334.
Ab Hugone de Rupe domino de Motha 1333.
A Guillelmo de Mazays domicello 1331.
A Johanne de S. Marcello domicello 1333.
A Petro de Rupe-Dagulſi (Rochedagoux) 1330.
A Petro de Fontangiis 1332.
A Raymundo d'Eſcoralha domino de Rouſſille 1331.
Ab Aymerico de Fontangiis 1331.
A Raymundo d'Alberet 1332.

XXIII.

Excerpta quæ ad Raimundum de Pratis pertinent.

C SEcutus eſt Philippum regem quibuſdam in præliis; qua de cauſa mandat Rex an. 1338. ballivo Arverniæ quod ſuperſedeat ab omnibus cauſis ipſius epiſc. 1338.
Anno ſequenti citatus fuit ad inſtantiam capituli cathedralis, quia vendiderat campanile eccleſiæ cathedrali contiguum, & campanas in eo exiſtentes. 1339.
Eod. an. ſcilicet 1339. die VIII. Junii pactum fecit Raymundus cum Philippo de Burgundia comite Boloniæ & Arverniæ. Datum in prioratu de Rivis. VIII. Junii compoſuit & cum fratre Odone de Monte-acuto ſanctæ domus Hoſpitalis S. Johannis Hieroſolymitani de Curta-ſerra in prioratu Arverniæ præceptore. Datum Avinione VII. die menſis Decemb. 1339. Indict. VII. Benedicti XII. anno quinto.

XXIV.

Excerpta de Stephano Alberti.

UNivit eccleſiam B. Mariæ de Prada decanatui Billomienſis collegiatæ fer. 2. poſt Epiphaniam 1340. Juramentum pro privilegiorum capituli & urbis 1340.
conſervatione dixit decano & canonicis Billomenſibus, dum ſolleniter Billomium ingreditur 1341. quo item anno Johannes comes Claromontenſis & delphinus Arverniæ, & Beraldus delphinus dominus 1341.
de Mercorio dicti comitis filius homagium-ligium exhibent Stephano epiſcopo pro caſtris ac terris de Champellis, de Ponte-Gibaldi, de Monte-Renho, de Camaleriis, de Monte-acuto, de Alberia, de Chanonato, de Bellomonte, calend. Febr. 1341.
Eod. 1341. Stephanus accepit hominia domini de Merdonia, Bertrandi de Rupe, Hugonis de Bohano, & Gerardi de las Froteras militum 1341. Guillelmi deNozeriis militis, Raimundi d'Eſcoralha 1341.

Digitized by Google

XXV.

Excerpta ex archivis epiſcop. de Petro Andreæ epiſcopo.

Hic fuerat cuſtos ſigillorum Regis, ex litteris
1342. Philippi Franc. regis an. M. CCC. XL. ſecundo, quibus mandat & vult Petrum Claromont. epiſcopum nichil debere de juribus regii ſigilli, quod ejuſdem fuerit cuſtos; & concedit ut impoſterum ipſius litteræ gratis expediantur. Creavit Petrus vicarios generales frattem Johannem de ſancto Cirico priorem de Peſſato, magiſtros Johannem Hieremiæ Laudunenſem, & Robertum de Lugduno Cenomanenſem, canonicos. *Actum Avinione in domo habitationis noſtræ 6. Octobr.* 1342. quo anno die 22. Novemb. Indict. XI. Clementis papæ VI. anno primo fecit tranſactionem cum capitulo Clarom. præſent. Stephano de Chalancon priore de Capriſ-pinis ordinis S. Benedicti & aliis. Anno ſequenti pariter compoſuit pro urbis juriſdictione cum Petro duce Borbonii, comite Clarom. & Marchiæ, Franciæ camerario die
1343. 15. Maii 1343. quo etiam anno accepit hominium
1344. Guillelmi de Tornamira, & an. 1344. die X. Julii homag. G. abbatis Piperacenſis. Item Chatardi de Monte-Rugoſo domicelli domini Dommæ homag. pro hoſpitio de Turre die Lunæ poſt feſtum Aſſumpt.
1345. 1345. Ad eum reſcripſit Clemens papa VI. VI. Id. Febr. ejuſd. anni, Archimbaldus de Borbonio
1346. ei reddit homagium 1346. quo anno Philippus Franc. rex mandat reparari villas & caſtra Arverniæ ob incurſus Anglorum in Franciam. Godefridus de Montmorin hominium præſtat P. epiſcopo pro feodis de Billomio & de Monte-acuto XI. Maii 1346.

1344. Guillelmus de Mont-vallat Petro epiſcopo clientelam dicit pro pago d'Andelat in diœceſi S. Flori die Jovis poſt feſtum S. Matthæi M. CCC. XL. IV. Item Amedeus de Bonnabaud miles 1343. Guillelmus de Montelar 1344.

XXVI.

Excerpta de Petro de Agriſolio epiſcopo.

Accepit homagia Johannæ de Burgundia co-
1347. mitiſſæ Boloniæ & Arverniæ 1347. Johannis
1348. de Mont-morin 1348. Begonis vicecomitis de Murato, apud Muratum die Vener. poſt feſt. cathed. S. Petri
1349. M. CCC. XLIX. & G. abbatis Piperacenſ. 1352. quo anno Petrus dominus d'Apchon pro caſtro d'Apchon hominium jurat Guillelmo de Ulmo licentiato in decretis, vicario generali in ſpiritualib. & temporal. Petri Clarom. epiſc. die Martii ante feſtum SS. Petri & Pauli M. CCC. LII.

1354. Marguarita de Gauliaco uxor nobilis Guiberti de Marſenaco domicelli fidem ſpondet Petro epiſc. die Sabb. ante feſtum Penthecoſtes M. CCC. LIV.

Tranſlatus fuit Petrus ab epiſcopatu Claromontenſi ad eccleſiam Uticenſem pontificio diplomate Innocentii papæ VI. Avinione dato VI. Idus Febr. pont. anno V.

1343. Petrus III. epiſcopus litteras regias obtinuit contra Riomenſes qui clericum apud Claromontum larvati apprehenderant & in carceribus Riomi captivum detinebant, 1343.

1349. Alias item regias litteras 1349. & 1354. quibus
1354. exempti fuere clerici Clarom. diœceſis a ſubſidiis pro guerra impoſitis.

Ballivus Montisferrandi mandat vicariis epiſcopi, ut civitatem Claromont. defendant contra hoſtes Regis 1353.

1352. Petrus epiſcopus excepit homagia Johannis de Bolonia comitis & Guillelmi de Banſon militis 1352. Amblardi de Caſlucio 1353. Stephani de Chambo 1352. Rigaldi de Turre 1352. Aſtorgii de Vallons 1352. Rigaldi de Fontangiis 1352.

Guillelmi de Bonnebaud pro temporalitate curæ S. Amandi 1350.

XXVII.

Excerpta ex archivo epiſcopali pro Johanne de Mello epiſcopo.

Johannes ex Cabilonenſi cathedra ad Clarо-
1357. mont. transfertur bulla Innocentii papæ VI. data Avinione VI. Idus Febr. pontificatus anno quinto. Excepit hominium Geraldi de Murato domini Villænovæ militis 1357. Johannæ reginæ Franc. comitiſſæ Arverniæ pro comitatu Arverniæ 1358.

1358. Anno 1360. accepit litteras Johannis Franc. regis,
1360. quibus Rex mandat & rogat clerum ut ſibi ſubveniat in quadam magna ſumma argenti quam debebat pro redemptione ſua. Item litteras archiepiſcopi Bituric. ſuper pecuniis decimæ collectæ pro redemptione Regis & anno 1364. reſcriptum Urbani papæ VI. de decima
1364. impoſita per ſummum pontificem pro dicti Regis redemptione & de redemptione pecuniarum in diœceſi Claromont. pro ea collectarum.

1361. Obtinuit Johann. epiſcopus a Carolo R. Franc.
1365. ſalvam-gardiam anno 1365. Compoſitionem habuit
1368. cum Arverniæ comite pro menſuris bladi & ſalis villæ Claromontenſis M. CCC. LXVIII. Eodem anno accepit homag. Guidonis domini de Salerno, & fratris Hugonis abbatis Piperacenſis die 4. Januarii.

Item Berengarii de Caſtro-novo domini de Meleto
1369. 1369. & Aldini de Caſtro-novo militis domini de las
1371. Groleyras 1371.

Item 1358. Petri de Cros militis.

Henrici d'Eſcorailles 1369.

Dominæ Blanchæ Montis-acuti pro caſtro & caſtellania de Malo-introitu * 1358. eod. an. Petri de Roſeriis: * Malinvut

Rigaldi de Fontangiis militis 1368.

XXVIII.

Litteræ Johannis Francorum regis prohibentis nonnullas exactiones epiſcoporum pro ſuo jucundo adventu.

Johannes Dei gratia Francorum rex baillivo Auvergniæ vel ejus locumtenenti, ſalutem. Referente in curia noſtra procuratore noſtro, quod dilectus & fidelis noſter epiſcopus Claromonten. prætextu redibenciarum quas in jocundo adventu ſuo a clericis conjugatis & non conjugatis in ſua diœceſi Clarom. exigere conſuevit, & ſui prædeceſſores conſueverunt hactenus levare, & dicebant ipſe epiſcopus, ſeu ejus officiarii, vel officialis, ſententias excommunicationis & interdicti ſive ceſſus, & alias compulſiones in villa noſtra Montis-ferrandi, & contra habitantes in eadem protulerunt, ac etiam promulgarunt, licet alicui non liceat in domanio noſtro apponere aliquod interdictum ſive ceſſum, nec etiam aliqui de habitatoribus prædictis aliquam redibentiam ex cauſa prædicta perſolvunt, prout fertur, in noſtri & juriſdictionis noſtræ contemptum, dictorumque habitatorum damnum & præjudicium, ſi ſit ita: quo circa vobis præcipiendum mandamus, quatenus, ſi vocatis vocandis conſtiterit ita eſſe, dictum epiſcopum & ejus vicarium & officialem ad deliſtendum de interdicto ſive ceſſu prædictis viis & juris remediis celeriter compellatis. Si vero dicti epiſcopus ſeu vicarius & officiales prædicti aliquid contra habitatores prædictos voluerint occaſione redibenciarum prædictarum experiri, auditis prædictis partibus eiſdem exhibeant ſuper hiis bonum breve juſtitiæ complementum. Sicque ob hoc nobis aut dicta curiæ noſtræ querela minime referatur. Datum Pariſius,

Digitized by Google

Pariſius, in parlamento noſtro, die Novembris anno Domini M. CCC. L. ſub ſigillo caſtel eti noſtri Pariſienſis in abſentia majoris. Per cameram, Rogemont. *Tranſſumptum ex regiſtro inſcripto* Pictavis fol. 75. *editumque eſt in libro de libertatibus eccl. Gallic. c. IV. n. 6.*

XXIX.

Quædam excerpta ex tab. epiſcopatus Clarom. ad Henricum de Turre epiſc. ſpectantia.

1376. FIdelitatis ſacramentum pro temporalitate exhibuit Regi an. 1376. qui Rex percepit cenſum Tornellarum pro ipſo epiſcopo, ſede vacante. Ex aliis litteris
1381. regiis anni 1381. diſcimus quod epiſcopus noſter fue-
1385. rat antea magiſter requeſtarum hoſpitii regii.

1388. Anno M. CCC. LXXXVIII. coram Henrico epiſcopo proteſtantur fratres Prædicatores conventus Clarom. ſe nolle aliquo pacto adhærere ſeu quoquo modo defendere quendam ordinis ſui, qui docuerat concluſiones aliquas per Univerſitatem Pariſienſem damnatas.

1392. Impetravit Henricus a Carolo VI. rege Francorum ſubſidia in favorem Arverniæ, *occaſione guerrarum quæ longo tempore fuerunt in Arvernia* M. CCC. XCII.

* Chaudesaigues. Collegium S. Blaſii de Calidis-aquis * diœceſis S. Flori ſpondet Henrico de Turre anniverſarium in
1394. perpetuum celebrandum poſt ejus obitum M. CCC. XCIV.

Henricus computum fecit cum Thoma de S. Mar-
1395. tino armigero ſuper facto Allodiæ *Alloizæ*. 1395.

Accepit litteras a Carolo rege de receſſu ab obe-
1398. dienda Benedicti *pro papa ſe gerentis* M. CCC. XCVIII.

Fundavit in eccleſia ſua celebritatem feſti S. Laurentii & anniverſarium die inſequenti. Act. die 16. April. M. CCC. XCIX. Indict. VI. Petro Faure abbate & aliis canonicis preſentibus & recipientibus. Eod. anno 18. Novemb. accepit homagium pro caſtro de Montmorin a Godefrido domino dicti loci, & die Maii
1399. 27. anni 1399. ab Audineto de Caſtro-novo domicello domino de Rochabruna, & a Margarita delphina Arverniæ anno 1400. Compoſitionem iniit cum Petro præpoſito monaſterii Montis-ſalvii ord. S. Auguſtini anno Incarn. M. CCCC. III. die Dominica in
1403. feſto B. Katharinæ Indict. XI.
1400.
1401. Henricus de Turre excepit homagium pro abbatia & villa Piperaci ab Roberto abbate ejuſdem loci 28. Decembr. 1401. Præpoſitus & capitulum eccleſiæ S.

* Lezons *prope Billomam.* Petri Laudozi * promittunt Henrico celebrationem perpetui anniverſarii pro decimis caſtellaniæ Laudozi ab epiſcopo ſibi conceſſis. Actum in capitulo 4. Sept. 1401. *Sequitur hic homagium abb. Piperac. & deinde compoſito cum priore Montis-ſalvii.* Mont-ſalvi, *diœceſis S. Flori.*

Scripſit Henricus ad *officiarios ſuos in Montanis* ne moleſtiam inferrent abbati & monaſterio Caſæ-
1407. Dei an. M. CCCC. VII. publicavit litteras cardinalium Tiburi datas, qua cohortantur prælatos provinciæ Bituricenſis ad unitatem Eccleſiæ & pacem procurandam Benedicto & . . . . ſe gerentibus pro ſummis pontificibus, & poriſſimum ut vacent orationibus pro
408. Eccleſiæ ſchiſmate ſedando. M. CCCC. VIII.

Obtinuit areſtum contra conſules & cives S. Flori qui condempnati ſunt reædificare caſtrum d'*Alloize* quod demoliti fuerant, & tradere epiſcopo Clarom.
1410. ſummam 6000. librar. M. CCCC. X. Pacem iniit cum
1413. Johanne Borbonii duce 1413.

Clemens papa. . . . ſcripſit ad Henricum epiſc. ut ad ſe curet mittendum de Chriſti pretioſo ſanguine qui eſt in eccleſia Billomii. Exſtant litteræ ducis Biturigum ad eundem epiſcopum ea de re. In utraque epiſtola deſideratur data. Exſtat & in arch. epiſc. Clarom. liber homagiorum Henrico de Turre exhibitorum. An. 1387. jubente Franc. rege cives Claromont. fidelitatem jurant epiſcopo. Accepit homag. Guillelmi de Brezons anno 1408. item Ludovici d'Apchon 1402. Bertrandi d'Eſcorailles 1398. Acquiſivit a Beraldo de Lardoil quartam partem leydarum, bladorum, nucum, & aliarum rerum quæ levantur in villa & pertinentiis Vertaxionis 1383.

XXX.

Excerpta de Martino Clarom. epiſcopo.

1417. MARTINUS papa V. Martino Clarom. epiſc. commendat cardinales a ſe ad regem Francorum miſſos 1417. pontificatus anno primo. Eidem Carolus VII. rex Franc. conceſſit privilegium pro dominio urbis Billomii. Datum Meloduni 23. Nov.
1416. 1416. Idem rex eidem epiſcopo facultatem dedit ut poſſit facere fabricare monetam tam auream quam argenteam, eoquod factus captivus promiſerit magnas
1427. finantias pro ſua redemptione, M. CCCC. XXVII.

1429. Martinus excepit fidem clientelarem capituli eccleſiæ ſæcularis B. Mariæ de Muraro X. Septemb. 1429.
1438. pactum fecit cum Eduardo de Cebazat domino de Blanzac 3. Febr. 1438.

1440 Anno 1440. interjecta fuit appellatio per abbatem Mauziaci ad Rom. pontificem ſuper eo quod epiſcopus Claromont. delegatus a papa eccleſiam de Vico monachalem in collegiatam, ſuppreſſis monachorum juribus, erigebat.

1425. Fundatur capitulum eccleſiæ collegiatæ Ponris-caſtri
Pont-du-Chateau. a Jacobo de Beaufort-Canillac, loci toparcha, 22. Octobr. 1425.

M. accepit homag. Guillelmi de Caſtro-novo domini de Petra-Bruna 1429. Guillelmi de Chaſlus 1433. Rigaldi de Fontangiis domicelli 1427.

XXXI.

Bulla Martini papæ V. pro Martino epiſcopo Claromontenſi.

MARTINUS epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilecto filio nobili viro Gilberto domino de la Fayeta, mareſcallo Francie, ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Miramur plurimum & dolemus de obſtinata duricie cordis nobilis viri Caroli de Borbonio comitis Claromontis, qui tam contumaciter litteras & mandata noſtra contemnit. Nam poſt exceſſum ejus horribilem quem commiſit, turpiter captivando venerabilem fratrem Martinum epiſcopum Claromontenſem cancellarium Francie, ter ei ſcripſimus caritative monendo, & eidem nichilominus expreſſe mandavimus cum illarum comminatione penarum, que a divino & humano jure ſtatute ſunt contra ſimilia committentes, quatinus ipſum epiſcopum reſtitueret priſtine libertati. Sed ipſe durus & pertinax mandatorum noſtrorum contemptor, & rebellis nobis & Eccleſie factus eſt. Propterea nobilitatem tuam hortamur, requirimus, & rogamus, quatinus ei ſtudeas perſuadere, ut melius honori ſuo conſulat, & ſaluti anime ſue. Nam, ſicut accepimus, plurimum tibi credit & conſiliis tuis innititur; quod ſi ita eſt placet nobis, quia credere non poſſumus conſiderantes prudentiam tuam, quod eidem Carolo inſipienter & inique conſuleres, ut in hoc tanto errore perſeveraret totiens admonitus & requiſitus a nobis. Velis itaque, fili dilecte, fideliter & ferventer ob noſtram & ſedis apoſtolice reverentiam operari circa liberationem prefati epiſcopi, quam ſummo deſideramus affectu. In hoc enim nobis ſingulariter ſervies, & ſervitium tuum nobis gratiſſimum obligabit nos ad condignam retributionem erga te & tuos. Ceterum ſi predictus comes non ſe retrahet a tam iniquo propoſito, & aliquid machinabitur in perſonam aut bona prefati epiſcopi, & perſeverabit in ejus detentione, diſpoſiti ſumus, quantum ſe extendent claves Eccleſie, rigoroſe procedere adverſus eum, & quoſcumque ei dantes auxilium, conſilium, & favorem.

Quod tibi notum eſſe voluimus, ut poſſis eum de A intentione noſtra certius informare. Datum Rome apud ſanctos apoſtolos VIIII. Kal. Septembr. pontificatus noſtri anno decimo.

XXXII.

Bulla ejuſdem papæ pro Martino Claromont. epiſcopo.

MARTINUS epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto filio nobili viro Carolo de Borbonio comiti Clarimontis, ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Unde vel quomodo incipiemus ſcribentes ad te, cum injeceris violentas manus in chriſtum Dei, B cum unum inſigne membrum Eccleſie, magne auctoritatis epiſcopum, turpiter captivaris & adhuc teneas carceratum, cum denique trinas litteras noſtras ſcriptas tibi pro ipſius liberatione neglexeris; ſed ſicut alias tibi ſcripſimus, caritas noſtra vincit iniquitatem tuam, & tibi ſcribimus tamquam filio, cupientes animam tuam lucrari Deo. Cum igitur deſiderium noſtrum & peccatum tuum cognoſcas, cur perſeveras in hac obſtinata duricie? cur non obtemperas mandatis noſtris? cur Deo & Eccleſie ſue rebellis exiſtis pertinax, excommunicatus & ſegregatus a communione fidelium? Nam tenente te epiſcopum carceratum, vix judicari debes Chriſtianus, preſertim cum nos eum de manibus tuis cum tanta inſtantia requiramus; qui ſi etiam graviter deliquiſſet, nec a te, C nec ab aliqua ſeculari, etiam regia poteſtate, puniri debet; ad nos tantum pertinet iſta cognitio & animadverſio, ſi peccavit. Propterea te monemus, tibique ſtricte precipimus & mandamus ſub pena anathematis & indignationis noſtre perpetue, quatinus prefatum epiſcopum ſtatim reſtituas priſtine libertati, vel ſi vis eidem crimen aliquod imputare, ponas in manibus nuntiorum noſtrorum; nam profecto ſi culpabilis reperietur, faciemus eum juſte puniri, & ſi pretendis aliquod pecuniarium intereſſe fieri, faciemus te contentum ſatisfactione condigna. Sed ſuper omnia, caveas ne ponas manum in perſonam ſuam, nec bona ſua diſtrahas, quod iterum precipimus tibi ſub penis eiſdem. Quod ſi contra feceris, & ſi pre- D fatum epiſcopum ulterius detinebis, te & tibi dantes conſilium, auxilium & favorem per nuntios noſtros faciemus publice divulgari, teque notari infamia in omni populo Chriſtiano. Datum Rome apud ſanctos apoſtolos VIIII. Kal. Septembris, pontificatus noſtri anno decimo.

Ex arch. D. epiſcopi Claromontenſis D. J. Boyer has bullas eruit; at quantalibet adhibita diligentia, tres litteras hic commemoratas minime potuit reperire. Scripſit & idem papa anno 1427. de incarceratione Claromont. epiſcopi litteras ad Petrum de Tolon præſidem Delphinatus, necnon ad Johan. Louveti dominum de Mirandol. Binas litteras iſtas recenſet catalogus ſive repertorium inſtrumentorum; ſed neque iſtas, neque proceſſum verbalem captionis Martini epiſcopi apud Suylliacum per Georgium de la Tremouille iſcuit invenire.

In prefato repertorio anni 1503. prater has litteras ac proceſſum, ut vocant, verbalem captionis Martini Gouge, animadverto litteras apoſtolicas legati ad Bituricenſem & Lugdunenſem archiepiſcopos ſuper facto captionis Claromontenſis epiſcopi apud Vertaſionem, contra ipſos captores videlicet Guidonem comitem de Bellojoco, P. de Capolio, & P. de Camaleria & alios. Quis iſte ſit epiſcopus poſſumus ſolummodo conjicere ex captoribus pradallis, quos in variis inſtrumentis ſeculi XIII. nominatos paſſim invenimus, necnon in tabulis ſeculi XII. exeuntis facile crediderim hunc fuiſſe Robertum d'Auvergne.

XXXIII.

Quædam collecta ex archivis epiſcopalibus de Jacobo a Combornio.

COmpoſitionem amicabilem fecit cum abbate Caſæ-Dei, ac prioribus ei ſubditis ſuper facto viſitationis, 1446. Jacobo epiſcopo cives Claromont. obedientiam jurant, urbiſque claves reddunt 1446. Eidem homagium reddit Antonius Riberius domicellus dominus de Lavaur 1452. Jacobus epiſc. Ludovico XI. Franc. regi fidelitatis juramentum præſtat * 1461. Eod. anno excepit homagium Johan- * 21. *Nov.* nis Marionis domicelli, necnon *mareſcallorum* urbis Claromont. quorum unuſquiſque recognoſcit, poſt litem contradictoriam, debere ſe domino epiſcopo duo ferta & XIV. clavos. Anno ſubſequente 1462. fundavit anniverſarium in cartuſia de Glanderiis, cujus exſtitit benefactor; & obtinuit regium privilegium contra Riomi officiarios juriſdictionis eccleſiaſticæ interturbatores. An. 1463. a Ludovico XI. litteras recipit, quibus petit Rex ſibi donari per tres Arverniæ ſtatus ſummam 8000. librar. ad faciendum ſatis duci Burgundiæ pro *villis* impignoratis ab eod. rege. Alias accepit litteras 1470. ad convocanda Arverniæ comitia.

Fundavit pius antiſtes 12. anniverſaria, unum ſcilicet quolibet anni menſe, in ſua cathedrali eccleſia.

Excepit quamplura homagia, ut videre eſt in libro homagiorum ejus juſſu confecto quod ſervatur in epiſcopalibus archivis, ſicuti & octo terraria ejus curis exſcripta an 1457. quorum primum eſt villæ & civitatis Claromont. 2. Belli-Regardi, ejuſdemque caſtellaniæ. 3. Vertaſionis. 4. Laudoſi. 5. & 6. Maudunii. 7. Cornonii & Leudæ. octavum autem anno 1453. confectum continet feuda Curtæpetræ.

2. Beauregard. 3. Vertaiſon. 4. Lezons. 5. Mauzun 7. Cornon & Lande. 8. Courpieres.

XXXIV.

Excerpta de Thoma du Prat epiſcopo ex laudatis archivis.

THOMAS du Prat, Iſſidiori prognatus parentibus Antonio domino de Veyrieres & Johanna de l'Aubeſpine (non vero ex Jaquelina Boyer, ut volunt Samm. fratres gemelli) ita enim legitur in inquiſitione de ipſo facta antequam Thomas epiſcopus crearetur. Porro in hoc inſtrumento quod legit D. J. Boyer notatu digna occurrerunt.

Thomas * Bouhier generalis financiarum domini regis, ætatis quinquaginta duorum annorum depoſuit die Veneris poſt feſtum Paſchæ 17. Aprilis 1517. & dicit ſe recordari quod anno Dom. 1486. fuit ipſe dominus teſtis per regem Carolum VIII. circa finem anni deputatus orator ad civitatem Anicienſem pro pacificatione epiſcopatus ejuſdem loci, tunc natus eſt E dominus electus Iſſidiori ex Antonio & Johanna de l'Aubeſpine (forſan Jaquelina Boyer erat ſoror dicti Thomæ deponentis & prima Antonii du Prat uxor) quem dominus loquens & ipſe Iſſiodorenſis, Anicio rediens, ſolus patrinus ſacro de fonte levavit, eique ſuum nomen impoſuit.

* Thomas Boyer dominus de S. Cirgues reperitur in charta de Monteacuto 1508.

Reperitur Jaquelina Boyer tom. 1. Gall. Chriſt. mater Antonii archiepiſcopi Senonens.

Ex aliis inquiſitionibus Thomas fratres habuit Claudium abbatem Magniloci & Mauziaci, ac poſtea Mimatenſem epiſcopum, & Amatum du Prat dominum de Boſde, de Gondole &c. gubernatorem Claromontis an. 1518. Thomas in decretis baccalaureus, archidiaconus minor eccleſiæ cathedralis . . . . . onenſis * recipitur doctor in academia Toloſana per Petrum de Roſergio epiſcopum Vaurenſem, præpoſitum & cancellarium Toloſan. die 15. Januar. 1517.

f. Turenenſis.

Thomas du Prat canonicus Claromont. annos natus triginta aut circiter, ſuffragiis capituli electus eſt

Digitized by Google

epiſcopus XXV. Martii 1517. confirmatus bulla Leonis papæ X. Romæ apud S. Petrum anno Incarn. Dom. 1517. VI. Cal. Junii, pontificat. anno quinto.

Regi fidelitatem ſpopondit 17. Junii ejuſd. anni; inſtituitur canonicus & comes inſignis eccleſiæ Brivatenſis a capitulo ejuſdem eccleſiæ, XV. Cal. Febr. 1518.

Anno 1522. Thomas epiſcopus fit abbas Candelii; Thomas du Prat epiſcopus Claromont. Antonii du Prat archiepiſcopi Senonenſis vicarius generalis in ſpiritualib. & temporal. ex ſpeciali facultate ſibi facta inſtituit vicarium generalem diœceſis Senonens. Guillelmum du Prat archidiaconum Rotomagenſem. Datum Senonis 7. Auguſti 1525.

Petrus de Albo, canonicus eccleſiæ Claromont. ſuffraganeus erat Thomæ du Prat. Id liquet ex hac capituli deliberatione:

Die Mercurii 21. Junii ann. 1525. DD. canonici dederunt licentiam reverendo in Chriſto patri Petro de Albo ſuffraganeo reverendi domini epiſcopi, & in ſacra pagina doctori, legendi & exponendi Pſalterium hora prima poſt meridiem qualibet die in capella S. Nicolai in clauſtro preſentis eccleſiæ.

XXXV.

Quædam eruta ex archivo epiſcopali de Guillelmo II. du Prat.

LEgitur canonicus & archidiaconus major eccleſiæ Rotomagenſis, canonicus S. Martini Turonenſis, theſaurarius S. Frambaldi Silvanectenſis, annum agens XVI. obtinuit in commendam abbatiam de Mauziaco & prioratum S. Arnulfi de Creſpiaco vacantes per liberam ceſſionem patrui ſui Claudii du Prat ſub annua penſione centum librar. Turonenſ. ex indulto Clementis papæ VII. dato Romæ apud S. Petrum Incarn. Dom. anno 1524. VI. Idus Septemb. pontific. an. primo. Creatur vicarius generalis in diœceſi Senonenſi 1525. Ordinatur ſubdiaconus a Ludovico Carnotenſium præſule in epiſcopali capella 1528. Dominica Brandonum 14. Febr. diſpenſante Johanne SS. Coſmæ & Damiani diacono cardinali de Salviatis legato a latere.

Eodem anno in vigeſimo ætatis anno conſtitutus, bullas pro epiſcopatu Claromont. impetravit a dicto Clemente VII. datas Romæ apud S. Petrum 4. Cal. Martii, pontific. anno ſexto; quas die 21. Maii 1529. fulminavit Johannes le Veneur epiſcopus Lexovienſis, Regis eleemoſinarius major, in loco de la *Bourdaiſiere* diœceſis Turonens. quo etiam anno ſcilicet III. non. Martii Guillelmus creatur notarius domini papæ. Juramentum capitulo præſtitit die 2. Januar. 1535. in manibus Ludovici Chabanier abbatis Claromontenſis ſubtus magnos gradus introitus eccleſiæ cathedralis.

Ruell. Guillelmus epiſcopus erat prior commend. Cunliaci in Arvernia & Rodolii * in Bria.

Exſtant in arch. epiſc. Clarom. litteræ Antonii tit. S. Anaſtaſiæ preſbyteri card. archiepiſcopi Senon. epiſcopi Albienſis, Franciæ cancellarii, legati a latere in regno Franciæ, epiſcopo Roſenſi apud Anicium commoranti, & Guillelmo adminiſtratori Claromontenſi. Dat. apud locum Fontis-bleaudi 1531. XVI. Cal. Auguſti.

Andreas Tixeri Roſenſis epiſcopus prænominatus, Guillelmi Clarom. epiſcopi ſuffraganeus, Claromontenſem viſitavit diœceſim an 1532.

Guillelmus epiſcopus conventionem fecit cum Franciſca de Montboiſſier prioriſſa de Courpieres 22. April. 1545. Collegiata eccleſia B. Mariæ de Broco, concedentibus epiſcopo Claromont. & abbate Caſæ-Dei cui ſubjacet, fundatur a Jacobo Pardinel S. Sedis apoſtolicæ prothonotario, cantore Rutenenſis eccleſiæ, priore SS. Hippoliti & Germani de Ceyraco Ruten. diœceſis 3. April. 1546.

N. D. du Broc, *prope Iſſidorum.*

XXXVI.

Additamenta de Johachimo d'Eſtaing epiſcopo.

ANno 1616. die 29. Decemb. fundantur Urſulinæ apud Ambertum per Margaritam d'Aulmont uxorem Franciſci de Rochebaron loci dynaſtæ.

Moniales a Viſitatione dictæ Claromonti ſtabiliuntur, non tamen 1617. primæ namque moniales ex monaſterio Montis-ferrandi ſunt acceſitæ.

Anna Thereſia filia Gaſpardi le Loup domini de Monfant ex Carola de Beaufort de Canillac, & Gilberti de Langeac comitis de Dalet vidua fundavit monaſterium viſitationis B. Mariæ apud Montem-ferrandum an. 1620. acceſſita e monaſterio Lugdunenſi ſorore Anna-Jaquelina Favre, S. Franciſci Saleſi ſecunda filia, & prima Montis-ferrandi matre, cui & in regimine ſucceſſit Anna-Thereſia ad quam exſtant S. Franciſci Saleſii epiſtolæ.

Eadem Thereſia præfuit monaſterio Rotomagenſi, curavitque fundationem Claromontenſis; ad Chriſtum migravit 31. Julii 1654. ævi ſui 59. apud Montem-ferrandum, ſepulta cum ſorore Johanna-Maria de Lingeone de la Rocque filia domini d'Antil nobilis Arverni ex N. de Clavier, vidua vero domini de Maceban, quæ obiit, & ſanctorum cœtui aggregata eſt ipſorum feſto die 1. Novemb. 1617.

Utriuſque vitam habes ſcriptam a ſorore Franciſca-Magdalena de Chaugy, monaſterii Aneſiacenſis præfecta, typis Jacobi Clerc editam Aneſiaci in quarto, an. 1659.

Stabiliuntur Urſulanæ apud Thiernum 1633. & apud Montem-ferrandum, id maxime curante R. P. Carolo de Crafort ſuperiore preſbyterorum Oratorii Claromont. & vicario generali epiſcopi an. 1638.

Andreas de Sauzea epiſcopus Bethleemitanus fit coadjutor Joachimi epiſcopi an. 1635. frater Johannes de Mallevard dictus P. Cherubimus, nominatur epiſcopus Aulonenſis & ſuffraganeus Claromont. 7. Julii 1648.

XXXVII.

Bulla Alexandri papæ III. qua S. Illidii monaſterium ejuſque poſſeſſiones omnes ſub tutela Romanæ eccleſiæ ſuſcipit.

ALEXANDER &c. Arnaldo abbati monaſterii B. Illidii ejuſque fratribus . . . . . Quotiens illud a nobis petitur quod religioni & honeſtati convenire dignoſcitur, animo nos decet libenti concedere, & petentium deſideriis congruum ſuffragium impertiri. Eapropter, dilecti in Domino filii, veſtris juſtis poſtulationibus clementer annuimus, & præfatum monaſterium . . . . ſub B. Petri & noſtra protectione ſuſcipimus, & præſentis præcepti privilegio communimus. Imprimis ſi quidem ſtatuentes ut monaſticus ordo, qui ſecundum Deum, & B. Benedicti regulam in eodem monaſterio inſtitutus eſſe dignoſcitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter obſervetur. Præterea quaſcunque poſſeſſiones, quæcumque bona idem monaſterium in præſenti juſte & canonice poſſidet, aut in futurum conceſſione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, ſeu aliis juſtis modis, propitiante Domino, poteris adipiſci, firma vobis veſtriſque ſucceſſoribus & illibata permaneant; in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis:

Eccleſiam de * Turiaco cum ſuis pertinentiis: quicquid habetis in villa de Griſolo: eccleſiam de Vicherio, cum capellis ejuſdem caſtelli, & ceteris ſuis pertinentiis: eccleſiam de Chaſannolas: eccleſiam de Belvezer: eccleſiam S. Petri de Chalmea:

* Turet. Griſolio.

Digitized by Google

Neyrac. Blanzac. S. Bonet. Nebouſac. Savene, Baſville, S. Caſſy.

eccleſiam S. Felicis : eccleſiam S. Illidii de Valencha : eccleſiam de Neyraco : eccleſiam de Blanzaco : eccleſiam S. Boniti : eccleſiam de Nebeſac : eccleſiam de Agella : eccleſiam de Schevina : eccleſiam de Baſvilla, cum pertinentiis eorumdem : eccleſiam S. Petri veteli : eccleſiam S. Caſſii cum pertinentiis ſuis.

Ex dono Fulconis de Jaliniaco terras & redditus de Ponte-Latgeno, uſque ad Bellum-montem, & dominium in villa ſancti Elidii. Sepulturam quoque ipſius loci liberam eſſe concedimus, ut eorum devotioni & extremæ voluntati, qui ſe illic ſepeliri deliberaverint (niſi forte excommunicati, vel interdicti ſunt) nullus obſiſtat ; ſalva tamen juſtitia parochialium eccleſiarum, a quibus mortuorum corpora aſſumuntur.

Obeunte vero te nunc ejuſdem loci abbate, vel tuorum quolibet ſucceſſorum, nullus ibi qualibet ſubreptionis aſtutia ſeu violentia præponatur, niſi quem fratres communi conſenſu, vel fratrum pars ſanioris conſilii ſecundum Deum, & B. Benedicti regulam providerint deligendum.

Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatum monaſterium temere perturbare, aut ſuas poſſeſſiones aufferre, vel ablatas retinere, minuere, ſeu quibuſlibet vexationibus fatigare ; ſed omnia integra conſerventur, eorum pro quorum gubernatione & ſuſtentatione conceſſa ſunt uſibus omnimodis profutura, ſalva ſedis apoſt. auctoritate, & diœceſani epiſcopi canonica juſtitia. Si qua ergo in futurum eccleſiaſtica ſecularis-ve perſona hanc noſtræ conſtitutionis paginam ſciens contra eam venire tentaverit, ſecundo tertio-ve commonita, niſi reatum ſuum congrua ſatisfactione correxerit, poteſtatis honoriſque ſui dignitate careat &c.

Ego ALEXANDER Catholicæ Eccl. epiſ. S.



Ego HUBALDUS tit. S. Crucis in Jheruſalem, SS. *Subſcribunt alii undecim cardinales.*

Datum apud Clarum-montem per manum HERMANNI S. R. E. ſubdiaconi & notarii, XVII. Kal. Jul. Indict. XIII. an. Incarnat. Dom. M. CLXV. pontificatus domini Alexandri papæ III. anno VI.

In cenſu poſſeſſionum Illidiani monaſterii hac in bulla exhibito, nulla eſt mentio donorum a Geraldo ſacerdote an. circiter 960. collatorum, de quo hæc leguntur in veteri inſtrumento authentico : Vinea una quæ eſt in villa quæ vocatur ad Noalſ. *campus ad* Sedoc : *arzielium unum, ad fontem* Salvamane, *trilia ad Medium-planetum, in cultura de villa* Pomerios *vineam unam quæ vocatur ad illos* Plaus.

XXXVIII.

Privilegium Henrici I. Francorum regis pro Caſæ-Dei monaſterio.

IN nomine Domini &c. Notum eſſe volumus . . . . . quod noſtram adiens manſuetudinem venerabilis vir & Deo dignus Robertus Brivatenſis canonicus & theſaurarius, a domino Rencone . . . . Arvernorum epiſcopo miſſus & per litteras commendatus, innotuit ſe quandam eccleſiam in pago Arvernenſi in eremo ſitam, & adeo honoribus ampliatam, Caſam-Dei nominatam, ad culmen & honorem abbatiæ promovere velle, noſtræ liberalitatis juſſu & poteſtate, & epiſcopi ſui permiſſione. Agentes itaque conſilium commune cum proceribus & primoribus palatii noſtri, decrevimus ejus annuere precibus, & tam pro noſtro *, quam patrum noſtrorum indulgentia, per præceptum noſtræ firmitatis authoriſamus, & abbatiam fieri juſſimus & permiſimus &c.

* *f.* noſtra.

Omittimus plurima de hac nova abbatia eccleſiæ Claromontenſi ſubjecta, cum onere perſolvendi pro cenſu libram incenſi in feſto Aſſumptionis B. Mariæ. Reliqua quæ continent catalogum poſſeſſionum naſcentis monaſterii deſcripſimus.

Dona etiam pro Dei amore & timore eccleſiæ prædictæ conceſſa, authoritate noſtræ poteſtatis ſignavimus, & ſigillo regio confirmavimus : ſcilicet in eadem villa eccleſiam quandam in honorem SS. martyrum Vitalis & Agricolæ conſecratam. In territorio Brivatenſi eccleſiam unam in honorem S. Andreæ de Compſ. cum omnibus ad eam pertinentibus. In vico Tuniaco eccleſiam S. Germani martyris, cum ipſo vico & omnibus ad eum pertinentibus. In territorio Fomolienſi eccleſiam cum ipſa villa & omnibus ad eam pertinentibus. Eccleſiam de Bello-pomerio cum ipſa villa & omnibus ad eam pertinentibus. Capellam de Caſtello-Bullionis. In vico Luziliaco tres eccleſias cum ipſo vico & omnibus ad eum pertinentibus. In villa S. Domnini duas eccleſias & medietatem ipſius villæ. In caſtro de Monte-Vaſconum capellam. In villa S. Victoris duas eccleſias : in territorio Rocenſi eccleſiam S. Deſiderii ep. & mart. In territorio Lugdunenſi, in villa quæ dicitur Sociacus eccleſiam S. Mariæ cum ipſa villa & omnibus ad eam pertinentibus, & etiam perplura prædia villarum, terrarum cultarum & incultarum, ſilvarum, vinearum, aquarum & paſcuorum. Quiſquis autem aliquam controverſiam vel calumniam huic donationi inferre præſumpſerit . . . . petitio illius irrita noſtro præcepto fiat ; & epiſcopi compatriotæ plenam vindictam faciant. Habeat autem prædicta eccleſia licentiam adaugendi & accreſcendi juſſu noſtræ majeſtatis. Et quidquid rectores ejus in quaſcumque partes noſtri ſalvo jure eccleſiaſtico acquiſierint tam in villis, quam in prædiis, aut aliquibus bonis, firmitate noſtræ majeſtatis ſignavimus ; & tam futura acquirenda, quam præterita & acquiſita bona tradidimus & authoriſavimus &c.

Hoc autem præceptum ut validiori adſtipulatione nitatur, annulo noſtro ſubterfirmavimus, & Arvernenſi epiſcopo, & ceteris noſtri regni authoritate epiſcopis mandavimus. Actum Vitriaco palatio publice obtentu dom. & venerabilis Hugonis Nivernenſis

Digitized by Google

epiſcopi menſe Septembri luna XI. ab Incarn. Dom. an. M. LII. anno regni domini ac invictiſſimi Henrici regis XXL

Subſcribunt huic præcepto præſules qui ſequuntur : Aymo Bituricenſis archiepiſcopus : Renco Arvernenſis ep. Hugo Nivernenſis : Mainardus Senonenſis archiep. Arnulfus Turon. Iſambardus Aurelian. epiſcopus : Enzelinus Pariſ. Agobertus Carnot. Heribertus Antiſſiod. Helmuinus Anguſtod. Guido Cabilon.

Ex principibus & optimatibus Robertus Burgundionum dux Regis frater : Odo ejuſdem Regis frater : Guillelmus Aquitanorum dux : Guillelmus Normannorum dux : comites Guillelmus, Rodulfus, Theobaldus, Rainaldus, Seguinus. Sciolus ſcripſit ad vicem Balduini Regis cancellarii XII. Kal. Octobris.

Eodem fere tempore Leo papa idem monaſterium ſub tuitione S. Sedis apoſtolicæ ſuſcepit, diplomate dato VI. nonas Maii, pontificatus ſui anno IV. Indict. V. poſtea vero tot hujuſmodi diplomatibus ſive pontificiis ſive regiis &c. donata fuit abbatia Caſæ-Dei, ut ex illis facile amplum volumen colligi poſſet, ſed ab illis commemorandis abſtinemus. Primi benefactores fuerunt Stephanus de Mercorio, Gerardus de Turlanda, Willelmus de Laſſia ; ſed præſertim Guido dictus Guillelmus VII. Aquitaniæ dux.

XXXIX.

Fundatio monaſterii S. Sepulcri de Jaligny ex archivis eccleſiæ Claromontenſis.

REcognoſcens Hictor vir honeſtiſſimus, quia labilis & fugitiva & aſpera eſt hæc præſens vita omnibus in ſe fidentibus, & quam chara remuneratio erit data bonis, & perpetualis pœna erit data impiis in die ultima, toto mentis affectu conſiderans miſericordiam ſuperni judicis, poſtquam reverſus fuerit ab itinere Jeroſolimitano, in ſui juris prædio eccleſiam conſtruxit, quam conſecravit in ſummi regis honore & ſuo * deifico ſepulcro ; ad ipſam namque eccleſiam dedit Hildinus filius Golferii illam partem quam habet in Boſc-follo pro remedio anime ſue & parentum ſuorum. Ipſe namque Hictor qui auctor & conſtructor fuit illius eccleſiæ, que vocitatur *ſanctum Sepulcrum*, ab illo loco que eſt ſita in pago Arvernico juxta caſtrum *Galinici*, cum dedit totam hereditatem ſuam quam habet in omni loco & quantum in vita ſua acquirere poterit annuente Domino. Quapropter ego Hictor libens & gaudens cedo vel dono ſuprafcriptam eccleſiam Domino Deo & ſuæ Genitrici Mariæ Arvernicæ ſedis, ubi glorioſiſſimi martyres videntur humati mirifice Vitalis & Agricola, in tali ſcilicet ratione ut dum ego Hictor vixero, teneam ipſam eccleſiam, & unicuique anno libram incenſi in feſtivitate almæ Mariæ mediante Auguſto ſuper altare ipſius matris eccleſie pro cenſu reddam. Poſt mortem videlicet meam ſupradicta eccleſia Dei-Genitricis Mariæ in communia fratrum ibidem Deo ſervientium ſine ullo contradicente remaneat. Sane ſi quis, ego, aut Rex, aut præpotens, nobilis ſeu ignobilis perſona contra chartam vel donationem iſtam aliquid inquietare præſumpſerit, non acquirat quod repetit, ſed iram omnipotentis Dei patris, & filii, & ſpiritus ſancti, ſanctæque Dei-Genitricis Mariæ, cunctarumque omnium cæleſtium virtutum incurrat, & ultimo examine cum Juda proditore, cum Antiocho, Domiciano, & Nerone, & Datam & Abiron particeps in pœnali barathro permaneat. Facta charta iſta menſe Octobrio, nono calendas Novembris, anno ſexto regnante Henrico rege. Signum Hictori qui chartam iſtam ſcribere fecit. Signum Renconi Arvernis eccleſie epiſcopo. S. Stephano abbati. Signum Waldo archidiacono. S. Eldino. S. Guiguoni preſbytero. S. Autberto caput ſchole. Johannes rogitus ſcripſit.

* *Sui deif. ſepulcri.*

Poſtea hec eccleſia tradita eſt monaſterio Caſæ-Dei. Nullum in archivis cathedralis prafata, aut in archivis Caſæ-Dei potui reperire inſtrumentum ex quo intelligatur quando & a quibus monaſterium ſancti Sepulcri Caſæ-Dei monaſterio conceſſum fuerit. Certe in analectorum Mabillonii tomo ſecundo lego Simonem archiepiſcopum Bituricenſem anno 1284. 30. Martii die Jovis ante Dominicam Palmarum viſitaſſe monaſterium Jelleigny *prioratum conventualem de Caſa-Dei.*

Item 1287. 22. Octob. die Mercurii ad Jaligny *prioratum conventualem de Caſa-Dei veniſſe.*

XL.

*Donum eccleſiæ S. Liberatæ * factum abbatiæ Caſæ-Dei.*

* Sainte Livrade.

OPeræ pretium eſt præſentibus elementis perenni memoriæ tradere, quod anno ab Incarnatione Domini M. C. XVII. V. Kalendas Martii, communis conventus clericorum ſanctæ Liberatæ in communi capitulo, ſolo timore & amore Dei, nulla alia exiſtente cauſa concedimus & donamus eccleſiam ſanctæ Liberatæ cum omnibus pertinentiis ſuis beato Rotberto & abbati Stephano & monachis Caſæ-Dei præſentibus atque futuris, ut eam habeant, regant atque poſſideant jure perpetuo. Cum ipſis autem tali foedere jungimur, ut ſi cui canonicorum ad regularis vitæ diſciplinam converti placuerit, benigne recipiatur : qui vero noluerint, ſanctæ fraternitatis affectione a monachis diligantur, & quotidiana ſibi præbenda ſolitis temporibus honeſtiſſime præbeatur, & breve uniuscujuſque defuncti Caſæ-Dei per monachos deferatur, ubi miſſas & orationes, ac ſi monachi eſſent, funditus conſequantur. Infirmis autem eadem cura, quæ & ſanis, nihilominus impendatur, nec umquam quilibet canonicus augeatur in eccleſia. 1117.

Ego AMALDUS cognomento Campanius.
S. EBRALEI ſacerdotis.
S. BERNANDI ſacerdotis.
S. STEPHANI ſacerdotis.
S. GERALDI ſacerdotis.
S. BRUNONIS de Sylva.
S. GUIDONIS de Calanzo.
S. BERNARDI de Podio.
S. FORTIS ſacerdotis.
S. RAIMONDI ſacerdotis.
S. RAYNALDI ſacerdotis.
S. RAIMUNDI Lanfredi.
S. BERNARDI Eſcapati.
S. BERNANDI de Xcida.
S. GARSCIONIS de ſancto Coſma.
S. GRIMOANDI de Campania.
S. GUILLELMI Seguini.
S. AMALEI de Podio.
S. STEPHANI. S. JACOBI.
S. ARNALDI Johannis.
S. GUILLELMI Arnaldi.
S. GUILLELMI de Molivety.
S. FORTETI.
S. PONTII Amanci * qui dicitur abbas.
S. YSARNI decani.
S. GUILLELMI ſacriſtæ.

* Amsnev

His igitur ita peractis petivimus miſericordiam pro parentibus & conſanguineis noſtris, & canonicis eccleſiæ noſtræ defunctis, quam per Dei gratiam taliter conſecuti ſumus, ut omnibus annis in perpetuum prima die Quadrageſimæ anniverſarius dies eorum devotiſſime celebretur, quatinus Deus omnipotens animabus eorum miſereri dignetur.

Teſtes ſunt Robtertus preſbyter qui cognominatur Aviſeres. Raymondus de Podio Delfinii &

Digitized by Google

Raymundus de Cannis milites. Bernardus de Manto A & Rotbertus de Nonede & Hugo de Cannis monachi, qui hoc donum ſuſceperunt, & alii innumerabiles viri. Hæc autem carta monob facta eſt in communi capitulo, perlecta eſt, & interrogante lectore ſi laudaremus tertio, ab omnibus nobis reſponſum eſt, Laudamus.

XLI.

S. Bruno monaſterium a ſe conditum dictum Magnan'-Cartuſiam dat Siguino Caſæ-Dei abbati; qui lubens hunc locum S. Brunonis diſcipulis reddit.

EGo frater Siguinus abbas Caſæ-Dei, notum fieri B volo præſentibus & futuris, quod frater Bruno a D. papa Urbano Romam evocatus, videns loci deſtitutionem, fratribus recedentibus propter abſentiam ejus, dedit locum Cartuſiæ nobis, & congregationi nobis commiſſæ. Poſtmodum vero rogatu patris noſtri papæ Urbani, & precibus prænemorati fratris Brunonis, & eiſdem fratribus, ut ibidem remanerent, a priore eorum Brunone plurimum confortatis, fratri Lauduino quem magiſter Bruno diſcedens ceteris fratribus præpoſuit, ipſi, & ceteris fratribus ſub eo degentibus, & eorum ſucceſſoribus donum, quod nobis prædictus Bruno fecerat coram congregatione nobis commiſſa, in capitulo noſtro ſub præſentia Gratianopolitani epiſcopi Hugonis, ego ipſe frater Siguinus prædictæ Caſæ-Dei abbas, cum conſenſu fratrum noC ſtrorum reliqui, & eis, & ſucceſſoribus eorum locum prædictæ Cartuſiæ, pro voluntate eorum omnino liberum feci, & juri eorum omnino tradidi. Sed charta quam prædictus Bruno nobis fecerat, ideo non eſt reddita, quoniam a fratribus noſtris in capitulo ſub interdicto requiſita, non potuit inveniri: & ſi unquam inventa fuerit, eorum ipſa charta ſit juris. Factum eſt anno ab Incarnatione Domini 1090. 15. Kal. Octobris. Ego Siguinus abbas ſubſcripſi, & in præſentia
f. epiſcopi. archiepiſcopi * Hugonis hanc chartam ex integro confirmavi.

XLII.

Inter dona Caſæ-Dei ætate S. Roberti fundatoris collata non omittenda eſt eccleſia S. Andreæ de Cumis, in qua celebris prioratus pro ſanctimonialibus fundatus eſt; adhucque ſupereſt ſub monaſterii Caſæ-Dei ſubjectione. Cum habeamus præ manibus hiſtoriam hujus parthenonis, quam multæ prioriſſæ nobilitate ac pietate inſignes ad noſtra uſque tempora gubernarunt, eam compendioſe hoc loco dandam opere pretium duximus.

* Compſ. vocatur quoque Latine de Cumbis. *Cœnobium S. Andreæ de Cumis *, poſtea de Valle-Dei, vulgo* la Vau-Dieu.

COnditum eſt pro ſanctimonialibus hoc monaſterium ad ripam fluvioli qui Sinus-aureus dicitur vulgo *Senoire*, liberalitate Radulfi de Lauziaco, qui eccleſiam S. Andreæ in Valle de Cumis dedit S. Roberto Caſæ-Dei abbati, parthenonis hujus conditori. Huic cœnobio Gaubertus de Brolio dedit anno circiter 1058. uxorem ſuam, & Ermengardem filiam. Robertus vero comes Claromontenſis ceſſit allodium villarum de Canteniaco, Paulageto, & Sanciaco. Item Willelmus comes Clarom. dedit terram de Tahon al. de Talvis, vulgo *Tauves* ad ædificandum monaſterium, quod cœnobio de Cumis Caſæ-Dei ſubjecto, pro ſubjectione reſponderet. Porro Cumenſe ad noſtra uſque tempora pietate floret. Mutato vero nomine vocatur Vallis-Dei, regis Caroli VIII. Chriſtianiſſimi decreto dato die 9. Octobris 1487. quod habemus tom. IV. fragmentorum hiſt. Aquit. domni Claud. Eſtiennot. Parthenonem rexerunt hæ prioriſſæ.

Series prioriſſarum.

Petronilla de Murat præerat an. circiter 1148. Huic Willelmus comes Arvernorum hujus nominis V. dedit terram de Taol; qua de re jam diximus.

Agnes anno 1205.

Margarita de Roche-Savine regebat an. 1209.

Raimunda an. 1225. iniit ſocietatem cum priore & conventu S. Fidis de Broſſa.

Beatrix an. 1250.

Margarita II. de Roche-Savine an. 1256. & an. circiter 1277. paciſcitur cum Beraldo de Mercorio pro litigioſis apud Chavaignat.

Margarita III. de Leraud an. 1277. quædam adquiſivit.

Anna de Chauvigny de Blot gente nobili orta 1490.

Antonia du Loup de Beauvoir annis 1493. 1501. 1520.

Petronilla de Levy de Chateau-Morand an. 1529. 1554.

Magdalena le Long de Chenillac an. 1554. & 1609.

Carlota le Long de Chenillac an. 1609. acceſſit ad præfecturam, quam reliquit an. 1631.

Diana Claudia le Long de Chenillac amitæ ſucceſſit ann. 1631. ceſſit ſequenti an. 1651.

Margarita IV. de Guerin de Lugeac cedente Diana Claudia regimen ſuſcepit an. 1651. adhuc præerat an. 1677. Coadjutricem accepit Johannam de Guerin ſuam neptem quæ ipſam excepit.

XLIII.

Diploma Pipini regis pro dotatione ſeu inſtauratione Mauziacenſis monaſterii.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, Pipinus opitulante divina gratia Aquitanorum rex. Si quando fidelibus domus Dei opportunis petitionibus benignum accomodamus aſſenſum, regiæ majeſtatis opera frequentamus. Ac per hoc fideles ſanctæ matris Eccleſiæ, Mauziacenſis noſtri monaſterii quod antiquitus novimus conſtructum a nobiliſſimo ſenatore Romanorum nomine Calminio, quem pravitas malorum hominum de priſtino honore jamjamque magna ex parte a ſuo dejecerat, & eccleſias ac villas ampliſſimaque dona, quæ in eodem ſupradictus vir ac ejus uxor nomine Namadia dereliquerant, cum authoritate glorioſiſſimi regis Theoderici quæ ſub ſigillo ejus ſignata inveniD mus. Igitur abbas Lanfridus ſupradicti cœnobii a nobis enixius expetiit, ut noſtro archiſterio adiremus, proclamationeſque fratrum ibidem commorantium audiendo reciperemus. Idcirco fieri voluimus omnium in notitia fidelium noſtrorum * magnitudinis ſcilicet *f.* noſtræ præſentium ſive futurorum, qualiter Lanfridus abbas ac ejus congregatio, adeuntes præſentiam dignitatis noſtræ, obtulerunt ſtatuta glorioſi patris Calminii ſupradicti, ac regis ſupra memorati; qualiter ſua magnificentia per authoritatem ſuorum præceptorum honoraverint eundem locum quibuſdam rebus denominatis, petentes denuo auctoritatem noſtri præcepti veluti ab anteceſſoribus, Theuderico ſcilicet atque ejus filio Clodoveo, vel que Calminio, uxorique Namadiæ, ac abbati Euterio totique congregatiọni S. Petri
E apoſtoli pariterque ſancti Capraſii martyris, pro remedio animarum ſuarum conceſſa erant, & nos iterum concedamus eorum ſequendo exempla. Denique petitionibus Lanfridi abbatis cunctæque congregationis noſtri monaſterii denegare noluimus: inſuper & ipſis quorum avi & patres injuſte abſtulerunt, vetando voluimus ut relinquerent, & ideo ſervientibus ejuſdem loci traderent, & hoc noſtræ magnificentiæ ſcriptum fieri juſſimus, id eſt eccleſia S. Capraſii quæ vocatur Podaugas cum villis in circuitu ſibi adherentibus, cum ſervis, ancillis ac mancipiis, cunctiſque ad ſe pertinentibus, id eſt in pago Lemovicenſi. Item aliam eccleſiam ſitam in vicaria Brivatenſi vocabulo Vetus-Brivate, & ipſam cum cunctis ad ſe pertinentibus, manſis, cultis & incultis, ſibi adjacentibus terris vel

Digitized by Google

equis. Nam eccleſiam S. Victoris vocabulo Cremi, A & eſt in valle Dorenſi, cum ſervis & mancipiis, & univerſis ad ſe pertinentibus, & eſt eccleſia S. Jobiani cognomine Borne, cum ſylvis & manſis & ſibi pertinentibus villis ac terris, eccleſiam namque S. Andreæ apoſtoli de Paignans, quæ ſita eſt in vicaria Turiacenſi, cum manſis & ſervis & cunctis ſibi adhærentibus terris. Item eccleſia S. Deſiderii cum villa Laurigas, ſylvas, atque prata, manſoſque qui in circuitu ejus habentur ex ipſa hereditate, ſervos ac mancipia, aquarumque diſcurrentia, & villa Nintringas quæ ſita eſt in vicaria Niganenſi, cum manſis & vineis & molendinis, & univerſis ad ſe pertinentibus terris, in vicaria Cantellenſi, eccleſia vocabulo Navas cum manſis & cunctis ſibi adjacentibus terris, eccleſiam namque ſancti Boniti cognomine Carbonerias cum villis & ſervis, ancilliſque, & mancipiis, ſylvis, B pratis, ac univerſis terris, cultis & incultis, quæ ad ipſam eccleſiam ſcimus pertinere in Montana ſita. Item eccleſiam de Modon cum XXV. manſis ad ſe pertinentibus. Villam namque Belenatenſem cum manſis & vineis, ſervis & ancillis, & univerſis ſibi pertinentibus. Item villam de Plumberias cum manſis & cuncta ad ſe pertinentia, in vicaria quoque Rigomenſi eccleſiam quæ ſita eſt prope monaſterium, quæ in honore S. Martini eſt conſecrata vocabulo Sadoc, cum vineis, pratis, molendinis, ſervis, ancillis, cunctiſque adjacentibus terris in circuitu totam & ab integro Domino Deo deliberamus cum villa Poglina, quæ ſita eſt in vicaria Randanenſi, cum ſuis omnibus appendiciis, & unam capellam in honore S. Hilarii in Molino, villam ſitam pertinentem ad Golinam, C villam in Caſſaniolas, manſos & vineas ibidem ad Golinam villam aſpicientes, quidquid in Arvernico, vel Biturico, ac Lemovicino necnon Burgundia viſum eſt fuiſſe de ipſa hereditate deliberamus, & a noſtra hereditate vel authoritate B. Auſtremonio primo præſuli Arvernorum, cujus ſacra oſſa a Vulvico ad cœnobium tranſtulimus, pro beneficio quaſdam villas in comitatu Arvernico ſitas, unam in Brivatenſi quæ vocatur Flagiacus, aliam in Rigomenſi vocabulo Primilianus, cum mancipiis utriuſque ſexus, vineis, pratis, ſylvis, aquis, aquarumque decurſibus, vel quidquid ad jura dicta aſpicere, vel pertinere videtur, totum & ab integro de jure ſupradictorum, ac de noſtro in jus ac dominationem S. Auſtremonii primi præſulis Arvernorum, & S. Petri apoſtoli, & S. D Capraſii martyris jure proprietario cœnobitis ibidem Deo & ſupradictis ſolemni donatione transferimus. Eo ſcilicet tenore & ab hodierna die, hæredibus, ac Chriſticolis in eodem noſtro monaſterio commorantibus jure perpetuo ſint tradita. Hæc ergo authoritas ut ſemper maneat inconvulſa, monogramma noſtrum inſerere curavimus, de annuli noſtri impreſſione inſigniri ſubtus juſſimus. Signum Pipini præcellentiſſimi regis. Y. diaconus ad vicem Aldeberti epiſcopi recognovi. Data Kal. Febr. Indict. XI. anno XXIV. regnante Pipino inclyto rege. Actum Arvernis civitate publice in Dei nomine feliciter. Amen.

Ubi legitur ſupra an. 24. Pipini regis, legendum XIX. putant Cointius, & Bouchetus qui præceptum hoc evulgavit inter probationes vetæ originis domus Francica, ubi occurrunt multæ variantes lectiones, quas edidit Cointius ad an. 833. n. 3. utramque editionem, Sammarthanorum ex codice Johannis Savaronis, & Bouchetianam conferendo. Ceterum hunc annum XIX. refert Cointius ad an. 833. qui erat decimus nonus regni Pipini filii Ludovici Pii. Verum ad illum pertinere non poteſt hoc diploma in quo Pipinus ipſe dicit factam a ſe tranſlationem corporis S. Stremonii, quæ contigit an. 764.

Vide etiam annales Comitis ad an. 681. num. 71. & ſeq.

Hæc porro conveniunt cum hiſtoria tranſlationis S. Stremonii, auctore Lantfredo abbate, quam edidit Mabill. tom. 3. act. SS. parte 2. pag. 191.

Legendum videtur Indict. ſecunda, *quæ an. 764. coïncidit, pro undecima, ut etiam legitur apud Savaronem. Facile autem erat unam ſumere pro altera, quippe nota II. modo pro 2. modo pro XI. explicari poteſt. Porro ubi legitur an. 24. Pipini regis, ſumitur initium ejus regni in Aquitania, a morte Caroli cognomento Martelli, qui anno 741. extinctus eſt, ut omnes fatentur. Quamvis enim ſtatim Regis nomen ſibi non vindicaverit Pipinus, non mirum ſi poſt aſſumtum publice Regis titulum, qui ſolus ei deeſſe videbatur, cancellarii aut qui vice eorum diplomata ſcribebant, annos ejus regni computaverint a tempore adminiſtratæ regia ſummeque poteſtatis in Aquitania. Sane Marianus Scotus vigenti ſeptem annos regno Pipini tribuit, quod non potuiſſet facere, niſi computando ejus exordium a morte Caroli Martelli. Hoc Pipini diploma egregie propugnatum eſt a Johanne Berthon rectore eccleſiæ S. Martini Mauſacenſis, adverſus Joſephum Garachon rectorem S. Pauli apud Mauzacum in lite pendente coram judicibus Ricomagenſibus an. 1707. Hoc modo diploma omni vitio in notis chronologicis carere oſtenditur.*

XLV.

Donum Mauziaci Cluniaco factum confirmat Philippus Francorum rex.

Ex chart. Cluniac.

IN nomine S. & individuæ Trinitatis noverint omnes ſanctæ Dei Eccleſiæ tam præſentes quam poſteri filii, quod Dei gratia Francorum rex Philippus Mauziacum veniens, & multorum teſtimonio locum ipſum culpa & deſidia inhabitantium monachorum regularis diſciplinæ prævaricatione diu attritum addiſcens, rogatu Roberti comitis & Willelmi filii ejus, venerabili Cluniacenſi abbati Hugoni & omnibus ſucceſſoribus ejus, ipſum cum omnibus ad ſe pertinentibus jure perpetuo poſſidendum atque regulariter ordinandum pro ſalute animæ meæ regia auctoritate conceſſi; ſicut præfatos comites dono & confirmatione Arvernenſis epiſcopi Duranni & canonicorum ejus, necnon & archiepiſcopi Bituricenſis Aldeberti audieram conceſſiſſe. Si quis autem huic donationi noſtræ contraire & eam irritam facere præſumpſerit, tam terrena quam ſacerdotali cenſura coerceatur, & niſi reſipuerit, perpetuæ damnationi ſubjaceat. Donum vero noſtrum ut inconvulſum permaneat, & ut hæc conceſſio noſtra ſtabilis & intaminata perſiſtat, manu noſtra ſubterſignavimus, & ſigillo noſtro impreſſo corroborari fecimus. Actum eſt autem hoc publice Mauziaci, an. Dominicæ Incarnationis M. XCV. regni vero noſtri XXXVII. Indictione tertia, preſente & confirmante apoſtolicæ ſedis legato Hugone archiepiſcopo Lugdunenſi & ſubſcribente, præſentibus etiam epiſcopis aliquibus & multis nobilibus, quos huic donationi ſubſcribere, eamque confirmare juſſimus. Signum Hugonis apoſtolicæ ſedis legati & E archiepiſcopi Lugdunenſis. S. Ademari epiſcopi Anicienſis. Sigillum Willelmi de Baffia. S. Aganonis Eduenſis epiſcopi. S. Ademari abbatis Lemovicenſis. S. Roberti præpoſiti Claromontenſis. S. Sancii decani Aurelianenſis. S. Guerini capellani archiepiſcopi Lugdunenſis. S. Beraldi archidiaconi Lugdunenſis. S. Haimbaldi vicecancellarii. S. Odonis ducis Burgundiæ. S. Roberti comitis Arvernorum. S. Willelmi filii ejus. S. Guidonis dapiferi Regis. S. Adelelmi conſtabuli ejus. S. Pontii Humberti de Podio. S. Petri Iterii. S. Humberti de Bello-joco, qui ſubſcripſi juſſu Regis.

Digitized by Google

XLVI.

Ex chartario Clun.

Durandi epiſcopi Claromontani litteræ de abbatia Mauzacenſi Cluniaco data.

NOtum ſit cunctis ſanctæ Dei Eccleſiæ fidelibus tam futuris quam præſentibus, quod ego Durannus Arvernenſis eccleſiæ epiſcopus, cum conſenſu canonicorum meorum, abbatiam Mauziacenſem concedo Domino Deo, & ſanctis apoſtolis ejus Petro & Paulo, & Cluniacenſi cœnobio, cui domnus Hugo abbas præeſt, per manus Rotberti ejuſdem provinciæ comitis, ad quem præfata abbatia temporaliter reſpicere videtur: ut deinceps in poteſtate & ordinatione domni Hugonis Cluniacenſis cœnobii abbatis, omniumque ſucceſſorum ejuſdem, locus perpetualiter maneat. Ita tamen ut abbas ejuſdem loci & fratres ibidem conſtituti huic ſanctæ matri eccleſiæ debitam exhibeant reverentiam. Hanc conceſſionem facimus ego & noſtræ eccleſiæ canonici pro remedio animarum noſtrarum, omniumque anteceſſorum ſeu ſucceſſorum noſtrorum hujus ſanctæ matris eccleſiæ epiſcoporum ſeu canonicorum, necnon pro remedio animæ Roberti præfati comitis, omniumque parentum ejus, pro animabus quoque cunctorum fidelium defunctorum. Et ut nos & ſucceſſores noſtri Dei gratia mereamur fieri participes & confratres omnium bonorum, quæ fient in ipſa Cluniacenſi congregatione, ipſi quoque cunctorum hujus noſtræ eccleſiæ bonorum conſortes exiſtant. S. Durandi Arvernis epiſcopi, S. Rotberti decani Portuenſis, S. Bertranni archipreſbyteri, S. Girberti de Pongibaſt, S. Girini, S. Petri, S. Giraldi, S. Barnardi cabeſcoli, S. Stephani de Neſgetis, S. Anſelmi ſacriſtæ, S. Petri Sirvent, S. Stephani Caſla, S. Stephani nepotis, S. Durandi Raimont.

XLVII.

Bulla Alexandri III. pro monaſterio Mauziacenſi quod ſub tutela S. Sedis ſuſcipit.

An. 1165.

ALEXANDER epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto filio Petro abbati monaſterii Mauziacenſis, cunctiſque fratribus tam preſentibus quam futuris regularem vitam profeſſis, J. N. . . . . Effectum juſta poſtulantibus indulgere, & vigor equitatis & ordo exigit rationis, præſertim quando petentium voluntatem & pietas adjuvat & veritas non relinquit. Eapropter, dilecti in Domino filii, veſtris juſtis poſtulationibus clementer annuimus, & prefatum monaſterium in quo divino mancipati eſtis obſequio, ad exemplar predeceſſoris noſtri ſanctæ recordationis Adriani papæ ſub beati Petri & noſtra protectione ſuſcipimus, & preſentis ſcripti privilegio communimus, ſtatuentes ut quaſcumque poſſeſſiones, quecumque bona idem monaſterium inpreſentiarum juſte & canonice poſſidet, aut in futurum conceſſione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, ſeu aliis juſtis modis preſtante Domino poterit adipiſci, firma vobis veſtriſque ſucceſſoribus & illibata permaneant. In quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis: eccleſiam de Gatteria: eccleſiam de ſancto Hilario cum capella: eccleſiam de Giaco: eccleſiam de Marencalmis: eccleſiam de Bortis, eccleſiam de Oenc cum parochia de Faravel: eccleſiam de Rubiaco Royac, cum appenditiis ſuis; eccleſia videlicet de Caſtello & capella Pontis-Gibaldi: eccleſiam de ſancto Urſo: eccleſiam de montibus cum capella de Caſtro: eccleſiam ſancti Ypoliti: eccleſiam de Wulvico cum capella ſanctæ Mariæ: eccleſiam de Martiaco: eccleſiam de Moneſtrolo: eccleſiam de Cereſio: eccleſiam de Sana-cultura: eccleſiam de Cella: eccleſiam de Aluchiis: eccleſiam ſancti Andreæ de Pathas: eccleſiam ſancti Boniti de Calmis: eccleſiam de Rocca-forti cum capella de Caſtro: eccleſiam ſancti Boniti Montis-Pancherii cum capellis de Caſtro: eccleſiam de Bodonia: eccleſiam ſancti Germani cum capella de Caſtro: eccleſiam ſancti Remigii: eccleſiam de Sulec: eccleſiam de Cruſec: eccleſiam de Laurigiis: eccleſiam de Cos: eccleſiam ſancti Deſiderii: eccleſiam de Dreituraïas cum eccleſia ſancti Prejecti & capella de Palicia: capellam de Botiaco: eccleſiam ſancti Ambroſii: eccleſiam Montis-petroſi: eccleſiam ſancti Dionyſii: eccleſiam de ſancto Leontio prope monaſterium veſtrum: eccleſiam ſancti Laurentii: eccleſiam ſancti Pauli: eccleſiam ſancti Calmutii, & eccleſiam ſancti Martini cum pertinentiis earum Primiliacum, Tauriniacum, Mabiliacum, Salziniam, Plumberiam, Amanziacum & Mirabellum cum valle adjacenti. Terras de feudis domini de Creſto & domini de Rochafort in Lubartes; quicquid habetis in feudis domini de Camaleria, & domini de Ponte. Terras de feudis domini de Caſlucio & domini de Turnolio, domini de Tuirriaco, domini de Monte-Gaſconis, domini de Enaziaco, & domini de Cabaziaco. Terras quas habetis in feudis domini de Monte-Pancerio, & domini de Ṣcola, & domini de caſtello ſancti Germani. Statuimus etiam ut nulli fas ſit novas & indebitas conſuetudines vel exactiones eidem monaſterio vel eccleſiis ejus imponere. Sepulturam quoque ipſius loci liberam eſſe concedimus, ut eorum devotioni & extremæ voluntati, qui ſe illic ſepeliri deliberaverint; niſi forte excommunicati vel interdicti ſint, nullus obſiſtat, ſalva tamen juſtitia matricis eccleſiæ. Obeunte vero te ejuſdem loci abbate vel tuorum quolibet ſucceſſorum, nullus ibi qualibet ſubreptionis aſtutia ſeu violentia preponatur, niſi quem fratres communi conſenſu vel fratrum pars ſanioris conſilii ſecundum Deum & beati Benedicti regulam previderint eligendum. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat prefatum monaſterium temere perturbare, aut ejus poſſeſſiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, ſeu ab abbatiæ dignitate deſtituere, ſive quibuſlibet vexationibus fatigare, ſed omnia integra conſerventur eorum pro quorum gubernatione & ſuſtentatione conceſſa ſunt uſibus omnimodis profutura, ſalva ſedis apoſtolicæ auctoritate & dioceſani epiſcopi canonica juſtitia. Si qua igitur in futurum eccleſiaſtica ſeculariſve perſona hanc noſtræ conſtitutionis paginam ſciens contra eam temere venire temptaverit, ſecundo tertiove commonita, niſi reatum ſuum congrua ſatisfactione correxerit, poteſtatis honoriſque ſui dignitate careat, reamque ſe divino judicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & a ſacratiſſimis corpore & ſanguine Dei & Domini Redemptoris noſtri Jeſu Chriſti aliena fiat, atque in extremo examine diſtrictæ ultioni ſubjaceat. Cunctis autem eidem loco ſua jura ſervantibus ſit pax Domini noſtri Jeſu Chriſti, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant & apud diſtrictum judicem premia eternæ pacis inveniant. Amen.

Ego ALEXANDER

Digitized by Google





Ego ALEXANDER Catholicæ Eccl. epiſc.

† Ego HUBALDUS Hoſtienſis epiſcopus.
† Ego BERNARDUS Portuenſis & ſanctæ Rufinæ epiſc.
† Ego WALTERIUS Albanenſis epiſc.
† Ego BERALDUS preſbyter card. tit. ſanctæ Crucis in Jeruſalem.
† Ego JOHANNES preſbyter card. tit. ſanctæ Anaſtaſiæ.
† Ego GUILLELMUS preſbyter card. tit. ſancti Petri ad vincula.
† Ego JACINTUS diac. card. ſanctæ Mariæ in Coſmydin.
† Ego OTTO diac. card. ſancti Nicholai in Carcere-Tulliano.
† Ego BOSO diac. card. ſanctorum Coſmæ & Damiani.
† Ego CINTHYUS diac. card. ſancti Adriani.
† Ego PETRUS diac. card. ſancti Euſtachii juxta templum Agrippæ.
† Ego MANFREDUS diaconus card. ſancti Georgii ad Velum aureum.

Datum apud Clarummont. per manum HERMANNI ſanctæ Romanæ Eccleſiæ ſubdiac. & notarii XVII. Kal. Jul. Indictione XIII. Incarnationis Dominicæ anno M. C. LXV. pontificatus vero domini ALEXANDRI papæ III. anno ſexto.

Non reperitur Hadriani bulla nec ulla alia prater bullam Gregorii papa XI. datam Urbeveteri XII. Kalend. Febr. anno pontificatus primo, qua confirmat ſummus pontifex privilegia a ſuis deceſſoribus conceſſa monaſterio Mauziacenſi.

A

XLVII.

Epiſtola Johannis prioris Mauziaci ad S. abbatem Cluniac. de electione Aim. prioris ſancti Germani in abbatem Mauziacenſem.

Ex chart. Cluniac. circa 1165.

REverendo patri ac domino Dei gratia S. Cluniacenſis eccleſiæ paſtori devotiſſimo, frater Johannes humilis prior & totus conventus Mauziacenſis ſalutem, cum debitæ reverentiæ & obedientiæ devoto famulatu. Veſtræ diſcretioni, venerabilis pater & domine, ſignificamus quod cum de mandato & licentia veſtra omnes & ſinguli convenìſſemus, ut de B paſtore nobis præficiendo tractaremus; ſicut moris eſt, invocata gratia Spiritus ſancti, cum curioſa & ſollicita circunſpectione ac diligentia tractantes pari voto, communi voce, cum cordis deſiderio convenientes, dilectum ac venerabilem frarrem noſtrum Aim. priorem S. Germani, licet totis viribus contradicentem & renuentem, in patrem nobis eligimus & paſtorem; ſperantes omnes unanimiter in eo qui non deſerit ſperantes in ſe, quod domus noſtra per eum informetur in ſtatum meliorem. Nolentes autem a mandatis veſtris & voluntate in aliquo de- C viare, devotis mentibus honorem & obedientiam vobis debitam in omnibus exhibere volentes, veſtræ diſcretionis pedibus electum noſtrum mittimus & præſentamus votis uberrimis ſicut patri ac domino, ſupplicantes ut eum benigne ſuſcipere & ejus electionem confirmare paterna dignemini devotione, cum gratiarum veſtrarum munere quantocius eum ad nos remittentes.

XLVIII.

Charta Ludovici Franc. regis pro Mauziaco.

IN nomine ſancte & individue Trinitatis Ludovicus, opitulante divine majeſtatis gratia Francorum rex, effectum juſta poſtulantibus & regie rigor equitatis & ordo exigit rationis, preſertim quando petentium voluntatem & pietas adjuvat & veritas comitatur. Eapropter dilecti noſtri Petri Mauziacenſis monaſterii abbatis ejuſque conventus petitionibus clementer annuimus, & Mauziacenſe monaſterium anteceſſorum noſtrorum exempla ſequendo, ſub regia protectione tali ratione & lege quod extra manum noſtram mittere vel cuiquam feudatorio dare neque nobis neque heredibus noſtris liceat, ſuſcipientes preſentis precepti ſanctione communimus; ſtatuentes ut quaſcumque poſſeſſiones, quecumque bona idem monaſterium inpreſentiarum poſſidet aut in futurum conceſſione pontificum, largitione ſucceſſorum noſtrorum vel principum, oblatione fidelium, ſeu aliis juſtis modis poterit adipiſci, firma eis eorumque ſucceſſoribus & illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Prope præfatum monaſterium eccleſiam ſancti Laurentii cum pertinentia ſua, videlicet vicaria terre de Mabiliaco. (*S. Laurent de Mabillac prope abbatiæ curtem, nunc deſtructa eſt eccleſia;*) eccleſias ſancti Pauli, ſancti Martini, & ſancti Calminii ejuſdem monaſterii primi fundatoris, cum pertinentiis earum; (*S. Paul & S. Martin, duæ parochiæ in burgo de Mauziac; S. Carmery, nunc deſtructa eſt.*) Item in montanis eccleſiam de

1169.

Giaco cum pertinentibus ſibi eccleſiis & earum poſſeſſionibus. (*Giac prioratus unitus parthenonis de Marſac.*)

Item eccleſiam de [a] Rubiaco cum pertinentibus ſibi eccleſiis & earum poſſeſſionibus : eccleſiam S. [b] Urſi cum hereditate ſua : item eccleſiam de [c] Montibus cum poſſeſſionibus ſuis : item eccleſiam S. [d] Ypoliti cum hereditate ſua : item eccleſiam de [e] Wulvico cum pertinentibus ſibi eccleſiis & earum poſſeſſionibus : item eccleſias de [f] Martiaco, de [g] Menetrolo, de [h] Ceresio, de [i] Sana-cultura, S. Boniti de Calmis, S. Martini de [k] Aluſchiis & S. Andreæ de Paignans cum earum poſſeſſionibus : item eccleſiam de [l] Rocaforti que in honore ſancte Marie conſtructa eſt, cum caſtro in proprietate ſua poſito & terra adjacente per circuitum : item eccleſiam S. Boniti [m] Montis-Pancherii cum municipio de [n] Cathuſiaco & terra adjacente per circuitum : item eccleſiam de Dononia cum poſſeſſionibus ſuis : item eccleſiam [o] S. Germani cum caſtro ſibi adjacente & pertinentibus ſibi eccleſiis earumque poſſeſſionibus : item eccleſiam de [p] Laurigiis cum hereditate ſua : item eccleſiam de Dreiurais cum adjacente ſibi villa, prediis, aquis & ſilvis per circuitum : item eccleſiam ſancti Ambroſii in monte cum eccleſiis ſibi pertinentibus & earum poſſeſſionibus. Proprietates quoque quarumdam poſſeſſionum prefati monaſterii noſtro ſcripto dignum duximus annotare, ſcilicet Mabiliac. Taurinias. Plumberias, Sauzinias. Primiliac. uſque ad muratas & uſque ad Garmange. Amanziac. quoque & prata illa que protendunt a veteri ſtrata uſque ad terram Willelmi de Roure, & a terra Thebaldi uſque ad rivum currentem : terra etiam que protendit a terra Willelmi de Roure uſque ad publica paſcua, & a rivo currente uſque ad viam que dicitur Molchas de Peſſat : Belanede : Aranea : caſtrum Mirabel cum valle adjacente : Lathuſiac. Bociac. & medietatem leſde Riomenſis ville, quoquo tempore detur, prohibentes ne & feuda jam dicto monaſterio pertinentia, ſicut de jure non licet, aliquis audeat abſque conſenſu abbatis vel fratrum ejuſdem monaſterii violenter intrare aut ſibi uſurpare, ſcilicet feudum caſtelli de Roca-forti, in cujus turre & ceteris domibus habent cenſum annuum : caſtellum de ſancto Germano : feudum domini de ſcola, id eſt, Camuret, & quod habet apud Mauziacum & apud Laurigias : feudum domini Montis-Pancherii, quod habet apud Dononiam & in tertis eccleſie ſancti Boniti cauſa cuſtodie : feudum domini de Thuriaco, ſcilicet condaminas ejuſdem caſtri, & Sanctimacum : feudum domini Montis-Waſconis, id eſt, villam ſancti Andreæ de Paignans & quod habet apud Plumberias : feudum domini de Anaziaco quod habet apud Martiacum, & cenſum annualem quem habet in villis beati Auſtremonii cauſa cuſtodie : feudum domini de Chaſluz, quod habet inter Martiacum & Mauziacum : feudum domini de Chamaleria, ſcilicet Brolium ejuſdem caſtri, Petiatum, Lobariacum, Charaiſun, prata de Ceresio & quod habet apud Martiacum & Mauziacum & ſanctum Bonitum, & Ceresium, & feudatorios multos quos habet ab eccleſia Mauziacenſi : feudum domini de Creſto, ſcilicet quicquid habet apud Riomum, Mauziacum, Mirabellum, Cerezium, vel apud terram que dicitur Cuers : feudum domini de Cebaziaco & domini de Roca-forti in Lubartes : quicquid habent in villis, Mauziaco ſcilicet & Marciaco & Ceresio & pertinentiis earum apud Rubiacum feudum Willelmi de Planis, & feuda omnium militum illorum qui dicuntur de Rubiaco, ſcilicet quicquid habent ipſi vel aliquis alius a via furca uſque ad fontanas, & a via ſancti Petri de caſtello uſque ad viam Montis-ferrati : feuda quoque que habent a beato Auſtremonio homines Mauziacenſis ville, que tota cum ſitu ſuo per circuitum a rivo de Tolon uſque ad eccleſiam de Ceresio & a molendino de Fichet uſque ad molendinum de Mota cum viis, paſcuis, aquis, aquarumve decurſibus in dominio vel proprietate Mauziacenſis eccleſiæ poſita eſſe dinoſcitur, ubilibet ſint cum predictis eccleſiis & earum pertinentiis, prefatis monachis & eorum eccleſiæ confirmamus, precipientes & hujus precepti auctoritate decernentes ut nulla eccleſiaſtica ſeculariſve perſona prefatum monaſterium ab abbatie dignitate deſtituere, vel infra predictas metas turrem ſive caſtellum edificare valeat ; neque aliquis judex publicus aut quiſlibet ſuperioris aut inferioris ordinis Reipublice procurator, ad cauſas judiciario more audiendas, in villas ſeu reliquas poſſeſſiones ubicumque ad eumdem locum pertinentes ingredi preſumat, neque tributa aut tallias vel theloneum tollere, aut homines ſuper terra ipſius diſtringere, violentas hoſpitationes ſeu occaſiones ab eis exigere, noſtris futuriſque temporibus quiſquam temeritate ſua audeat. Quod ut ratum habeatur in poſterum, nominis noſtri caractere inſigniri & ſigillo noſtro muniri precepimus. Actum publice apud Brivat. anno ab Incarnatione Domini M. C. LXIX. aſtantibus in palatio noſtro quorum nomina & ſigna ſubſcripta ſunt. Signum comitis Theobaldi dapiferi noſtri. Signum Mathæi camerarii. S. Widonis buticularii. Signum Radulfi conſtabularii. Data per manum Hugonis cancellarii & epiſcopi Sueſſionenſis.

Sigillum magnum ex cera alba pendet ex ſericia chordula rubei coloris, in quo cernitur imago Regis ſedentis in ſolio, & ſceptrum ſiniſtra geſtantis cum hac epigraphe : Ludovicus Dei gratia Francorum rex.

Hoc Ludovici VII. preceptum confirmavit Ludovicus VIII. litteris datis apud Pontem-Levoy an. Dom. Incarn. M. CC. XXIV. *an. 2. ſui regni adſtantibus in palatio noſtro quorum nomina ſuppoſita ſunt & ſigna, dapifero nullo, S. Roberti buticularii. S. Bartholomæi camerarii. S. Matthæi conſtabularii. Data per manum Guarini Silvan. epiſcopi cancellarii. Sigillum ex cera viridi, chordula ex ſerico viridi & rubro. Effigies eſt Regis. S. Ludovicus in ſuo diplomate dato an. 1269. menſe Decembri, meminit precepti avi ſui Philippi regis dati an. 1217. regni ſui 39. quod confirmat. Alia exſtant S. Ludovici littera pro Mauziaco, an. 1247. menſe Martio, regni ejus anno 22. verum a prolixiori hujuſmodi diplomatum ſive regiorum ſive pontificiorum enumeratione abſtinemus.*

XLIX.

Epiſtola A. abbatis Mauziac. de electione P. in abbatem vel priorem Silviniaci.

1242. *Ex chart. Cluniac.*

R. Patri ac domino H. Dei gratia Cluniac. abbati A. divina permiſſione Mauziacenſis abbas ſalutem, obedientiam, & reverentiam tam debitam quam devotam. Noverit ille qui omnia novit antequam fiant, quantam triſtitiam & dolorem patimur de captione veſtra & de detentione, & nullum poteſt eſſe nobis remedium niſi per deliberationem veſtri corporis quod corporaliter viderimus, ſuper quo requireremus feſtinum medicamentum. Verumtamen ſcire deſideramus quomodo eſt vobis, quia nos per Dei gratiam ſani ſumus & incolumes, quod de vobis ſi poſſet fieri quotidie affectaremus. Et cum prior veſter Silviniacenſis viam univerſæ carnis de novo ſit ingreſſus, paternitatem veſtram, de qua multum confidimus, duximus exorandam quatinus deſolationi

[a] Royac, *prioratus unitus menſæ abbatiali.* [b] S. Ours, *prioratus unitus menſæ abbatiali.* [c] S. George des Monts, *prioratus titularis.* [d] S. Hypolite, *parochia prope Mauziacum.* [e] Wolvicus, *prioratus unitus conventui Marſac.* [f] Marſac. [g] Menetrol, *parochia.* [h] Ceriers. [i] Saincouſt, *prioratus unitus menſæ convent. ſitus in parochia caſtri Guidonis.* [k] S. Martin d'Aloches, *prioratus unitus conventui.* [l] Rochefort, *eccleſia unita monialibus Marſaç.* [m] S. Bonet de Montpenſier, *prioratus.* [n] Chatuſac, *prope Aygueperſe.* [o] S. Germain des Foſſez. [p] Lauriges, *prioratus in tractu Borbonienſi.*

ipſius prioratus compatiendo, & ejus utilitatem attendendo, eundem prioratum viro provido & diſcreto ſicut novit veſtra paternitas fratri P. decano Langiaci concedatis, & placeat vobis facere quod rogatur; quia non tantum utilitas ejuſdem prioratus acquiritur, ſed decus & commodum eccleſiæ Cluniac. procuratur; vel ſi ad præſens iſtud facere vobis non ſit licitum, ſaltem mandetis priori veſtro Cluniac. ne ibidem aliquem inſtituat in priorem, quouſque veneritis ad partes noſtras. Valete & quidquid vobis placuerit nobis remandetis. Datum die Dominica in feſto beati Andreæ, anno Domini M. CC. XLII.

L.

Ex regio Carcaſſon. tab. in biblioth. Colbert.

*Diploma Pipini regis Aquitanorum ad Aymonem abbatem Magnilocenſem * in diœc. Claromont.*

* Manlieu.

PIPINUS annuente divinæ majeſtatis gratia Aquitanorum rex. Si ſacerdotum ac ſervorum Dei juſtis ſuggeſtionibus annuere libenter accommodaverimus, & petitiones eorum quas nobis pro neceſſitate ſua vel eorum qui ſub manu ipſorum in Dei ſervitio conſiſtunt, inſinuaverint, ad effectum perducimus, non modo regiam in hoc conſuetudinem exercemus, ſed etiam ad æternæ retributionis mercedem nobis talia facta profutura confidimus. Igitur notum ſit omnium fidelium magnitudini, noſtrorum præſentium ſcilicet & futurorum, qualiter nos ad petitionem viri venerabilis Aymonis abbatis ex Magni-loci monaſterio, quod eſt conſtructum in honore ſancti Sebaſtiani glorioſiſſimi martyris, & eſt ſitum in pago Arvernico, quo ſanctus Caſſius Chriſti confeſſor corpore requieſcit, tali pro reverentia ipſius ſancti ac pro æterna retributione beneficium viſi fuimus conceſſiſſe ut in villas ipſius ſancti Sebaſtiani, quas moderno tempore, aut noſtro aut cujuſlibet munere videtur habere, vel deinceps in jure ipſius ſancti loci divina pietas ampliare voluerit, nullus judex publicus ad cauſas audiendas vel freda exigenda, nec manſiones aut paratas faciendas, aut homines qui legibus ſperare per eos videntur diſtringendos, aut fidejuſſores tollendos, ullo quoque tempore ingredere præſumat; ſed prædictus Aymo abbas & ſucceſſores ſui qui fuerint rectores per tempora ipſius loci, propter nomen Domini ſub integra emunitate quieti vivere ac reſidere debeant; ſtatuentes ergo jubemus ut neque nos, neque juniores, ſeu ſucceſſores noſtri, vel quiſlibet ex publica judiciaria poteſtate, in villas, ut diximus antedicti monaſterii ſancti Sebaſtiani, proprietatis videlicet noſtræ, quas moderno tempore intra regna Chriſto propitio noſtra juſte & rationabiliter tenere & poſſidere videtur, aut inantea divina pietas inibi cum juſtitia & æquitate augmentare voluerit, ingredere ad cauſas audiendas aut freda exigenda, nec manſiones aut * juratas facere ullo quoque tempore non preſumatis, ſed quidquid exinde fiſcus noſter ſperare poterat, ex noſtra indulgentia pro futura ſalute in luminaribus ipſius eccleſiæ ſancti Sebaſtiani perpetualiter proficiat in augmentis, quatenus melius delecter ipſos ſervos Dei qui ibidem Deo famulantur, pro nobis & prole ſeu cuncta domo noſtra jugiter Domini miſericordiam implorare. Libuit preterea celſitudini noſtræ inſeri jubere ut res quas eis nuper in prædicto pago conſitas in villas quæ vocantur Dendaus & Buxogolus habendas conceſſimus, præſenti quoque auctoritate plenius confirmaremus. Idcirco volumus atque confirmamus ut ſicut tempore quondam Landrici, Gerberti, Berengariique comitum eaſdem res cum omni integritate, cum omnibus eiſdem rebus, appenditiis attinentibus quiete eis liceat a prædicti patre monaſterii, prædicto videlicet abbati ejuſque ſucceſſoribus poſſidere; & ut hæc noſtræ auctoritatis præceptio noſtris & futuris temporibus inviolata Deo adjutore valeat perdurare, manu propria ſubterfirmare viſi ſumus, & de annuli noſtri impreſſione ſigillare juſſimus. Signum Pipini glorioſiſſimi regis * Fridugiſus diaconus atque notarius ad vicem Dodonis recognovi. Data pridie nonas Octobris.

* f. paratas.

* al. Dugiſus.

Inſuper in diplomate regis Ludovici dato apud Clarummontem 1226. menſe Octob. dicitur hæc abbatia ab ipſius anteceſſoribus fundata.

Ex regio Carcaſſon. tabul.

LI.

*Diploma Caroli-Calvi ad Heiradum abbatem Magni-loci. **

* *Ex regio Carcaſſon. tab. in biblioth. Colbert.*

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis Karolus ejuſdem Dei omnipotentis miſericordia imperator Auguſtus. Si locis divino cultui mancipatis emolumentum noſtræ imperialis celſitudinis exhibemus, hoc nobis ad præſentem vitam facilius tranſigendam & ad æternam facilius capeſſendam prodere confidimus. Noverit igitur omnium fidelium ſanctæ Dei Eccleſiæ noſtrorumque tam præſentium quam futurorum induſtria, quod Heiradus venerabilis abbas ex cœnobio, cui vocabulum eſt Magnus-locus, ſito in pago Arvernico, in honore ſancti Sebaſtiani conſtructo, ad noſtram accedens manſuetudinem, oſtendit præcepta tam genitoris noſtri quam & noſtræ authoritatis, in quibus continebatur qualiter idem locus ſub emunitate domni & genitoris noſtri & ſub noſtra per noſtrorum utrorumque præcepta conſiſtere debet. Nos denique eadem præcepta dijudicari per Frotarium venerabilem archiepiſcopum jubentes, invenimus veras eſſe eorum præceptorum authoritates, & quod petiit libenter ei conceſſimus. Quapropter cognoſcentes quod Aymarus Arvernenſis epiſcopus non recte nec regulariter nobis ſuggeſſit, ſcilicet quando nos non utique recordantes quæ ſuperius dicta ſunt de emunitate ejuſdem loci deprecatus eſt, ut eumdem locum ſibi per præceptum dediſſemus, affirmans quod ipſe locus ad ſuum epiſcopatum ex antiquo pertinere deberet; unde ejus fallitatem quaſi ſub veritate ambulantem veram eſſe tunc putantes, quod præcatus eſt, ei per præceptum conceſſimus; ſed licet ipſe idem præceptum habeat, non tamen volumus ut ſtabile ſit, ſed ipſi monachi & omnes illorum res in noſtra & ſucceſſorum noſtrorum ab hodierna die & deinceps emunitate conſiſtant. Præcipimus quoque per præſens altitudinis noſtræ præceptum, ut a noſtra vel ſucceſſorum noſtrorum tuitione memoratus locus numquam excidat, neque cuilibet epiſcopo aut cujuſlibet dignitatis homini concedatur, ſed in eligendis abbatibus & conſtituendis, regula ſancti Benedicti & hæc noſtra imperialis juſſio omnimodis obſervetur. Præcipientes ergo jubemus atque præcipimus ut nullus judex publicus aut quiſlibet ſuperioris aut inferioris ordinis Reipublicæ procurator, ad cauſas judicario more audiendas, in eccleſias aut villas ſeu reliquas poſſeſſiones quas moderno tempore in quibuſlibet provinciis ad eundem locum pertinentes, vel deinceps aut per alios quoſlibet in jure ipſius monaſterii divina pietas augeri voluerit, ingredi præſumat; nec freda aut tributa, aut manſiones, aut paratas, aut teloneum, aut fidejuſſores tollere, aut homines tam ingenuos quam ſervos ſuper terram ipſius loci commanentes diſtringere, nec ullas publicas functiones, aut redibitiones vel illicitas occaſiones requirere, quibus in aliquo idem monaſterium ſibique ſubjecti aliquod injuſte patiantur incommodum. Noſtris futuriſque temporibus quiſquam tam temerarius exiſtat qui id faciendi illicitam ſibi poteſtatem attribuere audeat: & quidquid de rebus præfati monaſterii fiſcus ſperare poterat, totum pro æterna remuneratione prædicto monaſterio concedimus, ut peremnis temporibus in alimonia pauperum, & ſtipendia monachorum ibidem Deo famulantium proficiat in alimentis, qualiter

monachos ibidem deſervientes pro nobis atque ſtabilitate regni a Deo conceſſi atque conſervandi jugiter Domini miſericordiam exorare delectet ; volumus & conſtituimus ut quamdiu inter ſe tales inveniri potuerint qui ſecundum regulam ſancti Benedicti eos regere valeat, ſemper de propria eligant congregatione. Volumus etiam ut fratres ejuſdem loci quemcumque voluerint advocatum eligendi licentiam habeant, & ob remunerationem etiam noſtri totum ei dimittimus ; & ut hoc per omnia tempora inviolabiliter conſerveturi, manu propria ſubterfirmavimus & annuli noſtri impreſſione inſigniri juſſimus. Signum Karoli glorioſiſſimi Imperatoris Auguſti, Audacer notarius ad vicem. . . . . .

LII.

Ad eundem diploma Pipini regis Aquitaniæ.

PIPINUS ordinante divinæ majeſtatis gratia Aquitanorum rex, ſi enim petitionibus fidelium noſtrorum, maximeque Dei ſacerdotum, ad effectum perduximus, non ſolum temporaliter eorum ad præſens noſtri faſtigium & ad capeſcendam peremnis vitæ gloriam liquido credimus profuturum ; idcirco noverit omnium ſanctæ Dei Eccleſiæ fidelium noſtrorum, videlicet præſentium ſive futurorum magnitudo, quia venerabilis ſacerdos Ayraldus nomine Magnilocenſis abbas faſtigia culminis noſtri adiens, deprecatus eſt ut ob noſtræ mercedis augmentum ad æternamque remunerationem, atque ut locus emelioratus vel reintegratus fieret, qui diſciſſus undique a pravis hominibus adverſabatur, tale noſtræ auctoritatis præceptum inprevaricabile ei juberemus fieri, per quod abbatiam ſub honore ſancti Sebaſtiani martyris conſtructam, quæ dicitur nomine vulgari Magnilocenſis, univerſæ vitæ ſuæ tempore ſub noſtra donatione quiete tenere ac poſſidere valeret, veluti deinceps Dei omnipotentis divinum officium inceſſanter abſque ulla diſſentione laudabiliter inibi conſummaretur ; hujus itaque petitioni favorabiliter clementia, ut pote Dei ſacerdoti juſte querenti annuimus, placitumque præbuimus aſſenſum, & hos noſtræ magnitudinis regales apices fieri decrevimus, per quos rata inviolabiliſque jam dicti venerabilis Ayraldi ſacerdotis ſuis temporibus maneat petitio, id eſt hanc noſtram regiam atque excellentem authoritatem concedimus & donandam firmamus abbatiam, quæ vulgari nomine Magnilocenſis dicitur, conſtructam ſub honore ſancti Sebaſtiani martyris, venerabili Ayraldo abbati ex eodem monaſterio monacho ſub omni integritate, atque ſua cum ſumma plenitudine, ut univerſo vitæ ſuæ tempore paſtorali cura eam regat, atque monaſtico ordine inibi degens exiſtat, & ſine ulla dilatione vel minoratione ſecure atque quiete eam teneat & poſſideat. Volumus etiam ipſius pro petitione ut ipſum monaſterium ſub noſtra deffenſione ac immunitatis tuitione maneat, & ut nulli . . . . . neque manſionatici, aut freda, aut paratas a fidelibus noſtris quærant aut accipiant : ſed ſub noſtra emunitate omnibus ſuis locis conſiſtat, nullusque homines ipſius monaſterii ex judiciaria poteſtate, francos ſcilicet aut ſervos ſuper terram ipſius manentes vel legitime ad eum pertinentes, diſtringere audeat ; ſed quidquid fiſcus noſter exigere poterat, totum ob noſtræ mercedis augmentum eidem venerabili abbati atque locis concedimus, Liæ atque eidem abbati vel ejus ſucceſſoribus advocatum habere, qui res prædicti monaſterii diligenter quærat atque recipiat. Poſt obitum vero præfati Ayraldi concedimus ut prædicti monachi habeant licentiam ex ſeipſis eligendi abbates quemcumque utiliorem in eodem loco invenerint, qui ſecundum regulam S. Benedicti regere audeat atque ordinare. Et hic ſæpe dictus Ayraldus abbas, dum vixerit, ſecure & quiete ordinet eumdem locum, teneat atque poſſideat ſine ulla contradictione. Hæc vero præcellentiæ noſtræ authoritas ut ſemper in Dei nomine obtineat firmitatis vigorem, monogramma noſtrum inſerere curavimus, ac annuli noſtri impreſſione inſigniri ſubter juſſimus. Signum Pipini præcellentiſſimi regis. Datum quarto nonas Octobris, Indictione decima, anno octavo regnante Pipino inclito rege.

Ex regio Carteſſon. tabul.

LIII.

Vide aliam chartam jam editam col. 75.

Charta reſtaurationis abbatiæ Thiernenſis.

SCire debet fraternitas unanimitatis Eccleſiæ, quoniam unicuique fidelium eſt valde neceſſarium, ut dona per divinam largitatem ſibi conceſſa ſolerter excolat, ſapienter ordinet, recte ordinet, recte etiam dividat ; ut cum Evangelicus ille paterfamilias rationem poſiturus advenerit, non ſolum ea quæ largitus eſt non auferat, ſed etiam pro terrenis bene miniſtratis duplicata talenta ſimul, & talenta, & celeſtia bona concedat. Talium ac tanta auctoritate præmonitus quidam vir nomine Wido prædives & nobilis, & licet in laïco habitu, per multa laudabilis, conſiderans caſum conditionis humanæ in pejus & pejus præcipiti ac quotidiana ruina defluere, divino ductus amore, cum conſilio uxoris ſuæ Riclendis, & filiorum Theothardi, Willelmi atque Stephani, ſuorumque fidelium, quoddam monaſterium Tiernenſe, quod eſt conſtructum in honore Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, ſanctæque ejuſdem Dei-Genitricis Mariæ & S. Petri apoſtolorum principis ſanctique Symphoriani glorioſiſſimi martyris, ſed & ſancti ac deſiderantiſſimi Deſiderati confeſſoris, a parentibus ſuis quondam ſeculariter poſſeſſum, & plus exigentibus culpis ab eis negligenter quam oporteret tractatum, decrevit ſecundum regulam S. Benedicti ad monaſticum devotiſſime redintegrare cultum. Hoc vero tam ſanum ac ſalubre ſibi aptumque conſilium ut digne poſſit ad vorum explere multis argumentis, ut pote vir prudens, ſtuduit prudenter perquirere. Quodam enim tempore contigit ſupradictum monaſterium Tiernenſe privatum patre in multis fuiſſe humano deſtitutum ſolamine ; non poſt multum etenim temporis, ut mos eccleſiaſticus ſervat, conſentiente domno Widone ſuiſque fidelibus, electus eſt a fratribus & a beatæ memoriæ Begone epiſcopo eccleſiæ Arvernenſis ordinatus domnus abbas Petrus omni nobilitate conſpicuus & beatæ ſimplicitatis filius. Hic in quantum potuit ut monaſterium ſibi commiſſum ad priſtinum ſtatum repararetur elaborare ſtuduit ; ſed, in dies creſcente malitia hominum, non potuit ſuum adimplere propoſitum ; legerat enim ſcriptum : *Væ ſoli, quia cum ceciderit non habet ſublevantem : ſed ſi fuerint duo, fovebuntur mutuo.* Idcirco ut onus eccleſiaſticum levius aliquantulum poſſet ferre, domnum Odilonem Clunienſem abbatem ſtuduit evocare, ut onus ſecum ferret, & ſecundum regulam ſancti Benedicti ex caritatis affectu auxilium miniſtraret. Hæc audiens ſæpe dictus ſenior Wido gaudio gaviſus, ut ſententia abbatis rata fieret & per ſuccedentia tempora inconvulſa permaneret, aſſenſum præbuit, & auctoritate qua potuit tali ſanctione definivit ut domnus Petrus abbas quandiu vixerit, regulariter, honorabiliter & liberaliter cum conſilio & adjutorio ſupradicti domni Odilonis teneat, regat & poſſideat ; poſt obitum illius Clunienſes abbates & monachi cum conſilio domni Widonis ſupradictum Tiernenſe monaſterium regulariter regant, ordinent & diſponant, ea ratione, eo ordine quo regunt ordinantque Celſiniacenſe, * Sylvinianenſe ceteraque non pauca nobiliſſima monaſteria ad jam Deo dicatum nobile illud Clunienſe cœnobium per multa præcedentia tempora firmiter pertinentia. Contulit

Ex chartario Clun.

Eccle. 4. 10. 11.

* Mabill. Sylviniacenſe.

Digitized by Google

inſuper domnus Wido Clunienſi monaſterio unum manſum qui vocatur Broida, & de alio manſo qui vocatur vetula vinea, totum ſervitium quod ipſe ſolitus erat habere, omnes conſuetudines malas & importunas quas anteceſſores ſui & ipſe hucuſque injuſte tenuerunt monaſterio Tiernenſi & circa monaſterium, & annonam quam de eccleſia Saliniaca accipiebat & in vineis quas ipſi monachi excolunt & operantur exacturas; veſtituras etiam de omnibus terris & prædiis & vineis quas ad præſens monachi tenent, & ille eis reddiderit & illius heredes ſuorumque heredum ſucceſſores, perdonavit, reddidit & verpitionem fecit pro redemptione animæ ſuæ, uxorisque ſuæ, & omnium fidelium. Ego in Dei nomine Wido laudo & confirmo, confirmari opto apoſtolico privilegio, regali præcepto, auctoritate Stephani Arvernenſis eccleſiæ pontificis, & donatione cariſſimi ſenioris mei Willelmi. S. Wido & uxor ejus Riclendis. Teotardus, Stephanus, Willelmus, Stephanus epiſcopus, Willelmus comes, Agnus Rodravi, Theotardus, Orbertus, Ambrardus abbas. Franco ſcripſit menſe Septembri feria ſexta regnante Rodberto rege anno XV.

Vide chartularium S. Odilonis in quo hæc fuſe deſcribuntur, ex quo etiam ea excerpſit Baluz. hiſt. dom. Arvern. tom. 2. p. 29.

LIV.

Bulla Paſchalis papæ II. pro Ebrolienſi * *monaſterio.*

* Ebretuille vel Ebreuil.

1115.

PASCHALIS epiſcopus, ſervus ſervorum Dei; dilecto filio Teotardo, monaſterii Ebroïlenſis abbati, ejuſque ſucceſſoribus regulariter ſubſtituendis in Chriſto. Piæ poſtulatio voluntatis effectum debet ſuum ſortiri, quatenus & devotionis ſinceritas laudabiliter eniteſcat, & utilitas poſtulata vires indubitanter aſſumat. Quia igitur dilectio tua, ad ſedis apoſtolicæ portum confugiens, ejus tuitionem devotione debita requiſivit, nos ſupplicationi tuæ clementer annuimus, & beati Leodegarii Ebroïlenſe monaſterium, cui Deo auctore præſides, ſub tutelam apoſtolicæ ſedis excipimus. Per præſentis igitur privilegii paginam, vobis, veſtriſque ſucceſſoribus confirmamus ad perpetuum, burgum cum eccleſia S. Gereonis & capellis ſuis in Arvernenſi pago, eccleſiam ſanctæ Crucis de Velcia, cum capella ſancti Mauricii de Vico, ſanctæ Mariæ de Caliniaco, ſanctæ Mariæ de Salas, ſancti Boniti de Cambra, ſanctæ Mariæ de Eccleſiola, ſancti Boniti de Cervant, S. Geneſii de Buiſſirolas, ſancti Victoris de Pozols, ſancti Pardulphi, ſanctæ Mariæ de Marcillac, ſancti Petri de Campis, eccleſiam ſancti Pauli, ſancti Geneſii de Ret, ſancti Ariani de Bergue, ſancti Quintini, ſancti Leodegarii de Laïac, ſancti Leodegarii de Monte-Frumino, ſancti Petri de Chapde, ſancti Petri de Nerdugna, ſancti Pardulphi de Vilorzangas, ſancti Petri de Valle, ſancti Pardulphi de Carro, ſancti Prejecti, ſancti Juliani de Muroile, ſancti Martini de Garriga, ſancti Bravii de Puntiaco, ſancti Hilarii, ſancti Petri de Cella, ſancti Magnerii, ſanctæ Mariæ de Virgiaco, ſancti Galli, & ſancti Saturnini de Ventac. In epiſcopatu Bituricenſi, eccleſiam ſancti Marcelli de Scaceras, S. Hilarii de Dorminnac, S. Boniti de Balanava, S. Andreæ de Valiniaco, S. Portiani de Navas. In pago Rodonenſi, eccleſiam S. Mariæ de Logangnac, S. Mariæ de Jeveirac, S. Martini de Cromeras, S. Mariæ de Lelna, S. Martini, S. Maurici de Marnac, & S. Agangi. In epiſcopatu Senonenſi, eccleſiam S. Leodegarii cum capellis, S. Mariæ, S. Martini de Cunniaco, S. Sulpicii, S. Mariæ-Magdalenæ de Crong, S. Mariæ de Salas, eccleſiam de Botſac, S. Bibiani de Charuës, eccleſiam de Genten, eccleſiam de Gaverda, eccleſiam S. Leodegarii de Ariazo, S. Petri de Liriorta, & cætera quæ vel in præſenti ſeptima indictione idem cœnobium legitime poſſidet, vel in futurum conceſſione pontificum, liberalitate principum, vel oblatione fidelium, juſte atque canonice poterit adipiſci. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat, idem monaſterium temere perturbare, aut ejus poſſeſſiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, vel temerariis vexationibus fatigare, ſed omnia integra conſerventur, eorum pro quorum ſuſtentatione & gubernatione conceſſa ſunt, uſibus omnimodis profutura, quatenus auctore Domino, locus idem regularis ſemper ordinis cuſtodia vigeat, & in ſua ſemper libertate permaneat. Porro ſepulturam ejuſdem loci omnino liberam eſſe decernimus, ut eorum, qui illic ſepeliri deliberaverint, devotioni, & extremæ voluntati, niſi forte excommunicati ſint, nullus obſiſtat. Obeunte te, nunc ejus loci abbate, vel tuorum ſucceſſorum, nullus ibi, quolibet ſurreptionis aſtutia ſeu violentia præponatur, niſi quem fratres communi conſenſu, vel fratrum pars conſilii ſanioris, vel de ſuo, vel de alieno, ſi oportuerit collegio, ſecundum Domini timorem, & B. Benedicti regulam elegerint, ab Arvernenſi epiſcopo conſecrandum. Si qua igitur in futurum eccleſiaſtica quælibet, ſeculariſve perſona hanc noſtræ conſtitutionis paginam, ſciens, contra eam temere venire tentaverit, ſecundo tertiove commonita, ſi non ſatisfactione congrua emendaverit, poteſtatis honoriſque ſui dignitate careat, reamque ſe divino judicio exiſtere, de perpetrata iniquitate cognoſcat, & a ſacratiſſimo corpore ac ſanguine Dei & Domini redemptoris noſtri Jeſu Chriſti aliena fiat, atque in extremo examine diſtrictæ ultioni ſubjaceat. Cunctis autem eidem loco juſta ſervantibus, ſit pax Domini noſtri Jeſu Chriſti, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud diſtrictum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Amen. Amen. Scriptum per manum Griſogoni notarii ſacri palatii. Ego Paſchalis Catholicæ Eccleſiæ epiſcopus. Datum Laterani per manum Joannis ſacræ Romanæ Eccleſiæ diaconi cardinalis ac bibliothecarii II. nonas Aprilis, Indictione ſeptima, Incarnationis Dominicæ anno milleſimo centeſimo decimo quinto, pontificatus autem domini Paſchalis II. papæ anno ejuſdem XV.

LV.

Charta Archimbaldi de S. Juliano pro parthenone de Cuciaco, al. de Cuſſeto.

NOtum ſit omnibus hominibus tam præſentibus quam futuris, quod ego Archimbaldus de ſancto Juliano olim antequam amiſiſſem caſtrum S. Juliani, accipiebam in eccleſia de Baragniaco oblationem, & ſepulturam, & decimam & ſervicium in preſbytero. Poſtea vero recuperato prædicto caſtro, tradidi prædictam eccleſiam Stephano preſbytero pro quindecim ſolidis cenſualibus annuatim reddendis in feſtivitate omnium ſanctorum. Illos vero XV. ſolidos dono & concedo beatæ Mariæ de Cuciaco & abbatiſſæ Agneti & dominabus ejuſdem loci quandiu vixerit Stephanus capellanus. Poſt mortem vero ejus dono & concedo B. Mariæ de Cuciaco & abbatiſſæ Agneti & dominabus totam eccleſiam prædictam hoc modo, ut mittant ſuum capellanum & habeant oblationem & ſepulturam, & decimam, & cætera quæ ad dictam eccleſiam pertinent. Hujus rei ſunt teſtes, Galvanus, Raymundus de March, Ildinus de Genach, ex parte Archimbaudi; ex parte abbatiſſæ ſunt teſtes, Guido de Vernero & filii ejus, Guido, Petrus, Ebrardus, Guillermus dominus de Vernet, Albuinus de Monteclaro, Hugo de Cullench vicarius & plures alii. Hoc donum fuit factum in feſtivitate B. Barnabæ apoſtoli, regnante Ludovico rege Francorum, & Aimerico Arvernorum epiſcopo. Qui huic dono calumpniam intulerit, maledicatur & a liminibus ſanctæ Eccleſiæ

ſequeſtretur, & cum Datam & Abyron in infernum A dampnetur.

Hæc charta exſcripta ex necrologio, quod exaratum eſt in pergameno poſt martyrologium, regulam patris noſtri eximii, beatiſſimi, necnon ſanctiſſimi Benedicti abbatis, & expoſitiones Evangelii per totum anni circulum, in uno eodemque volumine quod domina Bona de Enezinco fecit ſcribere.

LVI.

Charta fundationis monaſterii S. Andreæ in ſuburbio Claromontenſi a Guillelmo comite & delphino Arverniæ.

1149. NOs Guillelmus comes Claromontenſis & delfinus Arverniæ. Notum ſit omnibus in nomine Domini, quod nos dederimus & damus monaſterio noſtro beati Andreæ apoſtoli, ordinis Premonſtratenſis, & Deo devotis religioſis noſtris abbati & conventui ejuſdem, bona & redditus, domos, & grangias, paſcua, terras cultas & incultas, nemora, cenſus, decimas & paſcerias, feudos & alia quæcumque habemus, & habebamus in Saulzeto, in Juſſiaco, in Gergobia, in Fontantigia, in Sayaco, in Villa-nova, in monte ſive podio de Doma, in ſancto Pardoux, & in dictorum locorum pertinentiis & dependentiis. Damus etiam de libera noſtra voluntate dictis abbati & conventui, totam juſtitiam altam & baſſam in dicto monaſterio, & infra quatuor Cruces quæ ſunt extra, & in habitu ejuſdem, & in prato quod eſt ante magnam pottam, in quantum ſe extendit, comprehendendo fluvium ad longitudinem dicti prati, & in duobus molendinis eidem prato contiguis, & in dicto villagio de Saulzeto; & in nemoribus de Vedrina, & in Fromentali, & de Leyronol, & in Juſſiaco, in quantum tota terra ſe extendit, nec amplius ſolvent tributum noſtro caſtro de Monterigoroſo, ſive de Montrongnon, ratione arcis quam etiam dedimus & damus in Gergobia, & in circuitu ipſius, & in monte ſive in podio qui eſt ſupra, uſque & comprehendendo veterem mazuram antiquæ Gergobiæ, & in dicta Fontantigia in quantum ſe extendit, comprehendendo quartam partem laci Sarlenia, & in Sayaco, ubi eſt grangia, & ambitu comprehendendo fontes qui ſunt prope & ſupra eccleſiam de S. Vincentio, & in villa nova, in quantum totum tenementum ſe extendit, comprehendendo nemora: & in monte ſive podio de Doma a parte Orientis tantum, & in S. Pardoux prope eccleſiam per leucam a parte Aquilonis. Quorum omnes juſtitias altas & baſſas dictorum locorum, volumus quod dependeant & ſuum capiant reſſortium ad juſtitiam quam dedimus & damus in dicto monaſterio, in quo omnes homines de Saulzeto, de Juſſiaco, & aliorum locorum tenebuntur comparere, & eſſe præſentes quoties appellati fuerint, in eis ibidem juſtitia de omnibus adminiſtretur, præcipue quando erit queſtio de aliquo delicto; & ibidem in arctis carceribus ligatis manibus & pedibus, ſi opus fuerit, recludantur: & ſic factis eorum proceſſibus, per ballivos & juſtitiæ officiarios dictorum abbatis & conventus dicti loci, reducentur ad dictos locos, ut in illis publice E puniantur, etiam ad mortem ſecundum quod demeriti fuerint. Pro quibus omnibus bonis, fundis & proprietatibus, & pro dictis juſtitiis & juribus, de quibus nos ſpoliantes dictos religioſos noſtros inveſtivimus. Et ideo tenebuntur ipſi religioſi, abbas, & conventus, tam pro remedio animæ noſtræ quam honorabilis conjugis noſtræ Joannæ de Calabria, & omnium parentum noſtrorum dicere ſolemniter miſſas, & horas canoniales, diurnales, & nocturnales, ſecundum quod dies & feſta requirunt: & ſecundum ritum & conſtitutionem dicti ſui ordinis Præmonſtratenſis; pro quibus faciendis eccleſiam dicti monaſterii, & ipſum monaſterium ædificare fecimus, & amplius Deo nobis adjuvante ædificabimus. Volentes ſepeliri in dicta noſtra eccleſia, & in loco ſepulturæ quam elegimus. Quod ſi adveniat nos mori in bello contra Saracenos, aut alibi extra regnum Franciæ & ducatus ipſius, volumus quod dicti abbas & conventus requirant corpora noſtra, & tranſportare faciant in dicta noſtra eccleſia, & ſepultura noſtra, convocatis parentibus noſtris honorifice & devote ab eis ſepeliantur: & pro nobis in toto primo anno eleemoſyna generalis fiat, & major & ſolemnis commemoratio cantetur. In quarum rerum teſtimonium, nullo jure nobis nec noſtris de eis retento, conceſſimus prædictis cariſſimis noſtris religioſis præſentes litteras noſtri delphinatus ſigillo munitas. Actum anno Domini M. C. XLIX. menſe B Julii.

LVII.

Charta Pontii abb. Cantoenenſis de ſubjectione ſui monaſterii erga Piperacum.

1150. NOs Pontius abbas Chantoenenſis merito cognoſcentes abbatiam noſtram a domo Piperacenſi originem & principium habuiſſe, notum facimus univerſis quod nos fecimus canonicam obedientiam venerabili & chariſſimo in Chriſto patri noſtro Guillelmo abbati Piperacenſi; volentes & ſtatuentes ut omnes abbates Chantoenenſes de cetero qui pro tempore fuerint, eandem faciant dicto abbati Piperacenſi & ſucceſſoribus ejus . . . . . C & omnes canonici noſtri ſimiliter faciant ipſam obedientiam . . . . . Item volumus & ſtatuimus quod abbas Piperacenſis ſemper habeat in domo noſtra tam in capite quam in membris, quandocumque ſibi placuerit, viſitationem, emendationem, & correctionem. Datum anno Domini M. CC. quinquageſimo menſe Julii.

LVIII.

*Epiſtola W. abbatis Piperacenſis * ad Alfredum Cantoëni abbatem.*

* Febrar.

1199. DIlecto in Chriſto filio Ma. Al. in perpetuum. Conſiderata, fili Alfrede, caritativa affectionis devotione D quam ab initio converſionis tuæ ad Piperacenſe monaſterium habuiſti, tibi de indulgentia concedimus in Cantoenenſi eccleſia quam Piperacenſi monaſterio adquiſiviſti, quoſcumque volueris in canonicos & familiares ſive converſos recipere, & de omnibus ibi vel alibi tenes vel tenebis, a te diſpenſanda tuo vel alterius nomine, quod & cui volueris tam inter vivos quam cauſa mortis donare, & tum pro neceſſitate ſecularis converſationis, tum pro exigentia corporalis imbecillitatis in votis, abſtinentia, & in obſervanciis noſtri ordinis, ſalva obedientia, caſtitate, & proprietatis renunciacione, tibi & fratribus tibi commiſſis quod volueris temperare ac relaxare, & penitentiam, & excommunicationis abſolutionem vice noſtra & auctoritate cui & a quo volueris accipere ac conferre. Datum anno M. C. XC. IX. menſe Februario.

In ſigillo e cera ternere eſt abbatem cum pedo paſtorali.

LIX.

Charta pro abbatia Boſcheti ſeu Vallis-lucidæ.

BUlla Cœleſtini papæ abbati & fratribus monaſterii B. M. de Valle-lucida, qua ſummus pontifex ſub B. Petri & ſua protectione ſuſcipit præfatum monaſterium, ſtatuens ut ordo monaſticus qui ſecundum Deum & B. Benedicti regulam & inſtitutionem

Ciſtercienſis ordinis in eodem monaſterio inſtitutus eſſe dignoſcitur, perpetuis ibidem temporibus, inviolabiliter obſervetur.

† Ego Cœlestinus Eccleſiæ Catholicæ epiſcopus.

† Ego Albanus Albanenſis epiſcopus.

† Ego Johannes Preneſtinus epiſcopus.

† Ego Pandulphus preſbyter cardin. eccl. 12. apoſtolorum.

† Ego Mellio ſanctorum Johannis & Pauli preſb. card. tituli Pammachii.

† Ego Johannes tit. S. Clementis cardin. Tuſcanenſis.

† Ego Romanus tit. S. Anaſtaſiæ, preſb. card.

† Ego Johannes tit. S. Stephani in Celio monte preſb. card.

† Ego Gratianus SS. Coſmæ & Damiani diacon. card.

† Ego Bernardus S. Mariæ-Novæ diac. card.

† Ego Gregorius tit. S. Gregorii ad velum aureum diaconus cardinalis.

† Ego Nicolaus S. Mariæ in Coſmydin diacon. cardin.

† Ego Lotharius SS. Sergii & Bacchi diac. card.

Datum Romæ apud S. Petrum per manum Egidii S. Nicolai in Carcere Tulliano diaconi card. Idus Maii Indict. x. Incarn. Domin. anno m. c. xcii. pontificatus vero D. Celeſtini papæ III. anno 2.

Reſtauratio abbatiæ Boſcheti.

1211. NOſcant preſentes & poſteri quod ego Guido comes Claromontenſis in nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis notum facio univerſis quod in monaſterio Vallis-lucidæ meam elegi fieri ſepulturam, & pro ſalute animæ meæ & parentum meorum dedi & conceſſi omnia que conſtitueram ad ipſum monaſterium faciendum, ſcilicet grangiam de Brugeria & oves, boves, & vaccas, & eiſdem paſcua neceſſaria; & poſtquam præfatum monaſterium completum plenarie fuerit, volui & conceſſi ut prædicta inpoſterum perpetuum permaneant integraliter, & ſerventur ad cetera abbatiæ edificia facienda, excepto quod grangia memorata tantummodo completo monaſterio ad heredes comitis revertatur. Item ut dictum monaſterium citius compleatur, dedi centum marcas argenti quas abbas Bonæ-aquæ, deber perſolvere infra annum, & centum libras Claromontenſes quas perſolvi. Addidi inſuper cenſum nummorum Baronis vici, donec monaſterium antedictum integre compleatur. Item dedi & perſolvi centum libras Claromont. de quibus fiat ejuſd. loci capitulum & coquina. In ſignum & teſtimonium hujus pacti, ſigilli noſtri & pariter ſigilli dilectiſſimi noſtri in Chriſto abbatis Vallis-lucidæ munimine roboravi cartam iſtam. Et ut hæc prædicta firmius teneantur, præcepi dilectæ uxori meæ comitiſſe & filiis meis Willelmo & Hugoni & Roberto & Williaco, & Arberto de Turre, ut jurarent ſe iſta ſervaturos, & in ſancto juramento fideliter obſervare teneantur. Actum anno m. cc. xxi.

LX.

Fundatio abbatiæ Clariſſarum apud Aquas-ſparſas diæc. Clarom.

SÇACHENT tous, que Nous Pierre de Giac Chevalier ſeigneur dudit lieu de Giac & de Chatelgai, confeſſons & reconnoiſſons que pour ce que haute & puiſſante dame, madame la ducheſſe de Bourbonnois * avoit intention de faire faire & fonder une égliſe en la ville d'Aigueperce à l'honneur de ſainte Claire, & y mettre ſœur Colette & autres ſes ſœurs, pour prier Dieu & Noſtre-Dame; & pour cette conſideration, & que noſtre houſtel que ſouloit tenir Jean Veauſſe dudit lieu, ſitué en ladite ville d'Aigueperce les hoſtieux de madite dame la ducheſſe de Bourbonnois d'une partie, de l'houſtel du curé d'Aigueperce d'autre partie, la grande ruë de ladite ville d'Aigueperſe d'autre partie, & le mur & foſſé de ladite ville d'autre partie, lequel dit houſtel nous ſouloit donner neuf ſeptiers de froment de rente chacun en chacune feſte ſaint Julien, & eſtoit neceſſaire à faire partie de ladite égliſe, pour ce qu'on ſoit tenu en ladite égliſe prier Dieu pour l'ame de nous & de nos parens, deſdits neuf ſeptiers de froment à nous dûs, à cauſe dudit houſtel ci-deſſus confiné, avons donnez pour faire ladite égliſe leſdits deux ſeptiers de froment de rente, & les autres ſept ſeptiers de froment de rente a nous dûs; & à cauſe dudit houſtel avons vendus à madite dame la ducheſſe de Bourbonnois pour le prix de ſoixante-dix livres, leſquelles nous confeſſons avoir eu & reçû de madite dame la Ducheſſe, par les mains de Durand Doutre, lequel Durand Doutre les avoit eu & reçû de Loüis Cormit receveur de madite dame, de la comté de Montpenſier, de laquelle ſomme de ſoixante-dix livres, nous quittons ladite dame & receveur, & auſſi quittons Jean Veauſſe, n'agueres tenancier dudit houſtel deſdits neuf ſeptiers de froment; & par ces preſentes avons faits & conſtituez, faiſons & conſtituons ladite dame la ducheſſe de Bourbonnois, & autres gouverneurs de ladite égliſe, pour & vrais dame & ſeigneur, comme en leur choſe, & que nous n'avons faits, ne ferons pour quoi ces choſes n'aïent perpetuelle fermeté. En témoin de ce nous avons ſignez ces preſentes de noſtre main, & ſcellées de noſtre ſeel le Vendredy 29. jour d'Octobre l'an 1413. & *Signé*, DE GIAC. 1413.

* Marie de Berri, femme de Jean de Bourbon comte de Clermont & de Montpenſier.

LXI.

Facultas conceditur eccleſiam prædictæ abbatiæ conſecrandi.

MArtinus miſeratione divina Claromontenſis epiſcopus, religioſis & honeſtis dominabus abbatiſſæ & aliis conventus & ordinis ſanctæ Claræ pridem ac de novo fundatis in villa Aquæſperſæ, noſtræ Claromontenſis diœceſis, ſalutem in eo qui eſt omnium vera ſalus. Veſtris ſupplicationibus in hac parte favorabiliter inclinati, vobis tenore præſentium indulgemus ut per quemcunque antiſtitem catholicum gratiam & communionem S. ſedis apoſtolicæ obtinentem per vos eligendum vice, loco & nomine noſtri & pro nobis, cum ſolemnitate qua decet, poſſitis & valeatis eccleſiam veſtram de novo conſtructam & ædificatam, ac altaria in eadem erecta, necnon locum pro cemeterio veſtrarum dominarum tantum diſpoſitum & ordinatum benedici ac conſecrari facere; nam eidem antiſtiti predicta & alia in talibus neceſſaria faciendi & adimplendi, ſecundum tamen ritum Eccleſiæ, & formam ſuper hoc a jure ſtatutam, licentiam & facultatem impertimur ac committimus, quo ad hoc vices noſtras, ſalvo tamen in omnibus jure noſtro & 1414.

Digitized by Google

quolibet alieno, perviſoque quod antequam per dictum antiſtitem ad præmiſſa aliquatenus procedatur, nobis vel vicario noſtro teneamini ejus adventum notificare. Datum in civitate noſtra Claromontenſi ſub ſigillo noſtro, die viceſima nona menſis Novembris, anno Domini milleſimo quadringenteſimo viceſimo quarto. Sign. J. Courtin.

LXII.

Facultas conceditur a Martino V. ſummo pontifice ædificandæ abbatiæ Clariſſarum apud Aquas-ſparſas.

MARTINUS epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilecto filio officiali Claromontenſi ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Sinceræ devotionis affectus, quem filius dilectus nobilis vir Johannes dux Bourbonii, & dilecta in Chriſto filia nobilis mulier Maria ejus uxor duciſſa Bourbonii ad nos & Romanam gerunt eccleſiam, non indigne meretur ut eorum petitionibus, illis præſertim quæ ex devotionis fervore prodire, & ad religionis propagationem & divini cultus augmentum tendere dinoſcuntur, quantum cum Deo poſſumus, favorabiliter annuamus. Exhibita ſi quidem nobis nuper pro parte ducis & duciſſæ prædictorum petitio continebat, quod ipſi gerentes ad ordinem ſanctæ Claræ ſpecialis devotionis affectum, cupientes quoque terrena in cœleſtia, & tranſitoria in æternæ felici commercio commutare, ac propterea de ſua ſuorumque progenitorum & ſucceſſorum animarum ſalute ſolicite cogitantes, de bonis a Deo eis collatis ad Dei laudem & gloriam, ac ob dictæ ſanctæ reverentiam, ejuſque ſacræ religionis propagationem, & dicti cultus augmentum, quoddam monaſterium cum eccleſia, cimiterio, campanili, campana, hortis, hortaliciis, aliiſque neceſſariis officinis pro uſu & habitatione monialium dicti ordinis ſub arctæ paupertatis obſervantia viventium in Aquæ-ſparſæ vel alio loco ad hoc apto & congruo infra Claromontenſem diocœſim conſiſtente conſtruere & ædificare, ſive conſtrui & ædificari facere deſiderant, ſi eis auctoritas & licentia ſedis apoſtolicæ ſuffragentur. Quare pro parte ipſorum ducis & duciſſæ nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eis monaſterium hujuſmodi conſtruendi & ædificandi aut conſtrui & ædificari faciendi, necnon monialibus ſeu ſororibus prædicti ordinis locum hujuſmodi recipiendi & retinendi ac in eo perpetuo remanendi licentiam concedere, & alias eis ſuper hiis opportune providere de benignitate apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui hujuſmodi cultus & religionis exoptamus incrementum, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuæ per apoſtolica ſcripta committimus & mandamus, quatinus, ſi eſt ita, & dictus locus Aquæ-ſparſæ ad hoc aptus & idoneus exiſtat, in eo, alioquin in alio loco ad hoc apto & congruo, dummodo locus ipſe infra temporale dominium ducis vel duciſſæ prædictorum conſiſtat, in dicto Aquæ-ſparſæ aut alio loco ad hoc apto & congruo, & ſub dominio hujuſmodi exiſtente, ut præfertur, ſine alterius præjudicio pro uſu & habitatione monialium dicti ordinis, ſub obſervantia prædicta viventium, conſtruendi & ædificandi ſeu conſtrui & ædificari faciendi, & monialibus ſeu ſororibus prædictis monaſterium prædictum recipiendi & ibidem inhabitandi, dioceſani loci & cujuſlibet alterius licentia ſuper hoc minime requiſita, liberam auctoritate noſtra licentiam largiaris. Et inſuper ſi per te vigore præſentium eiſdem duci & duciſſæ licentiam hujuſmodi monaſterium fundandi concedi contingat, monialibus in hujuſmodi monaſterio pro tempore commorantibus eadem auctoritate concedas quod tam ipſæ, quam monaſterium, ac eccleſia hujuſmodi omnibus & ſingulis privilegiis, indulgentiis, immunitatibus, libertatibus, & gratiis, quibus alia monaſteria & eccleſiæ monialium ſeu ſororum ejuſdem ordinis ſub dicta obſervantia viventium gaudent & utuntur, uti valeant & gaudere, jure tamen parochialis eccleſiæ & cujuſlibet alterius in omnibus ſemper ſalvo. Datum Florentiæ XII. Kalend. Septembr. pontificatus noſtri anno tertio.

INSTRUMENTA AD ECCLESIAM ET DIOECESIM Sancti Flori ſpectantia.

I.

Donum eccleſiæ S. Flori factum Cluniaco.

Exchart. Celſin. DUM in hujus ſeculi laborioſa vivitur peregrinatione, ſummopere laborandum eſt, qualiter facinora noſtra valeamus tergere. Unde noverint tam præſentes quam futuri . . . . . quod nos, ego videlicet *Enſtorgius* & *Amblardus* cognomento Malehibernatus nepos meus, ſedula mente hæc pertractantes, cedimus Domino omnium bonorum datori aliquid ex rebus & proprietatibus noſtris nobis traditis, quæ conjacent in comitatu, in patria que vocatur *Planeſia* in monte *Indiciaco*. Donamus itaque beatis apoſtolis Petro & Paulo, & ad locum Cluniacum & Celſinienſe quibus præeſt domnus & reverentiſſimus pater Odilo, eccleſiam in honore S. Flori dicatam, cum omnibus ad ſe pertinentibus, ut a præſenti die faciant habitatores Cluniacenſes & Celſiniacenſes, inde quod eis placuerit abſque omni calumnia, nulla exiſtente omnino controverſia poſſidentes univerſa hujus eccleſiæ jura & cuncta ejus appendicia. Hoc autem in præſens facimus; in futuro vero conſtituimus primo nobis, deinde cunctis honoris noſtri hæredibus & ſucceſſoribus cuſtodiendum, ut quicumque noſtram donationem prædii ſive alodii, beneficii ſive fevi de noſtro jure procedentis, & ad noſtram ditionem ſeu poteſtatem pertinentis facere voluerit, hic apponat, huic eleemoſynæ adjiciat, ſuper hanc adjungendi & augmentandi licentiam habeat, & monaſterio Celſinienſi adſcribat quidquid unquam fuerit maxime in eccleſiaſticis honoribus, & omnino in cunctis ſive alodii ſive fevi donationibus.

Ceterum aliis monaſteriis ſive monachorum, ſive canonicorum, ſive quarumlibet congregationum, exceptis Clunienſi & Celſinienſi cœnobiis, conferendi aliquid ſupradictum atque donandi, & nobis & ſucceſſoribus noſtris omnem licentiam reſecamus in perpetuo. Sic tenendum firmamus ut ſuperius deſcripſimus. Quicunque autem aliter fecerit, aut contra calumniam noſtram ſuperbo auſu ſtatuta hæc violaverit, & data noſtra vel in futuro danda caſſare alio-ve detorquere præſumpſerit, veniant ſuper eum omnes novi & veteris Teſtamenti maledictiones. S. Euſtorgii. S. Amblardi qui cognominatus eſt Malehibernatus. S. domni Stephani epiſc. Claromontenſis. S. domni Rotberti vicecomitis.

In quadam notitia ſeu narratione, quomodo conſtructum fuit monaſterium S. Flori ab Amblardo, hic vir nobilis cognominatur de Brezons. In eadem notitia multi nobiles recenſentur qui S. Floro plurima contulere beneficia,

Digitized by Google

beneficia, Amblardus comptor, Aldinus de Broſſadels, omneſque milites de Broſſadels; Stephanus de Corberia, Seguinus & omnes homines de Cuciaco, omnes homines de Granſon, de Murato, de Marmoutz, de Caſtro-novo, de S. Urſicio, de Jurlanda, Stephanus filius Guigonis de Salbens, Robertus de Caſtro-vetulo & filii ejus. Ibidem legitur priorem S. Flori tunc fuiſſe Stephanum.

A

II.

Ex chartulario nobiliſſimæ eccleſiæ Brivatenſis Charta Caroli Francorum regis ad inſtantiam Frotarii Burdegalenſis archiepiſcopi abbatiſque ſancti Juliani in gratiam canonicorum Brivatenſium data.

B

Duo alia regia diplomata hic omittuntur, quod ſpicilegii tomo xii. ſint edita.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis Carolus Dei gratia rex. Si locis Divinæ famulationi mancipatis aliquid melioris conferimus, præſenti & futuro ſæculo nobis profuturum non dubitamus. Quamobrem omnium ſanctæ Dei Eccleſiæ fidelium comperiat generalitas, quoniam Frotarius venerabilis Burdegalenſis archiepiſcopus, & noſtra donatione abbas ſancti Juliani Brivatenſis comitatus, noſtram deprecatus eſt munificentiam, ut quia clerici ibi Deo famulantes & famulaturi, clauſtrum monaſterii habebant ex rebus ſancto Juliano pertinentibus, nonarum & decimarum donatione, ex conſenſu comitis a ſe impetratis, ubi præſens habetur clauſtrum, noſtræ largitionis præcepto illis, ut inviolabile eſſet, confirmaremus, & confirmantes æternaliter decerneremus; cujus petitionibus aſſenſum conceſſimus libentius, quo nobis prodeſſe proſpeximus amplius. Statuimus itaque ac delegamus, ut ſupradicti monaſterii clauſtrum præſente & futuro tempore, abſque alicujus contradictione, canonicis ibi conſiſtentibus maneat quietum, hoc eſt manſio caſtelani præpoſiti, quæ habet in longum cum curte & horto perticas novem, in latum perticas 7. & ipſa pertica habet pedes 12. & dimidium. Manſio Adalgiſii quondam præpoſiti in longum perticas quatuor, in latum perticam unam & pedes quatuor. Manſiones Ildeberti & Sebaſtiani habent in longum perticas octo, in latum quatuor. Manſio Stabili habet in longum perticas novem, in latum tres. Cento habet in longum perticas 7. in latum 5. Leo habet in longum perticas 6. in latum 4. Hildegarius habet in longum perticas 10. in latum 6. & pedes 3. Adalgiſius habet in longum perticas 7. in latum 8. Aradus habet in longum perticas 10. in latum 7. & pedes 9. Hildredus habet in longum perticas 10. in latum 5. Imoleus habet in longum perticas 29. in latum 6. & pedes 9. Agambertus habet in longum perticas 21. in latum 3. & pedes 9. Guntranus ſimiliter, Abolenus ſimiliter, Wandalmacius ſimiliter, Giraldus ſimiliter, Stringus ſimiliter habet in longum perticas 3. & pedes 7. in latum perticas 5. & pedes 9. Gedeon habet in longum perticas 5. in latum 2. Uldebertus habet in longum perticas 7. & pedes 4. in latum 5. Ad ipſius quoque deprecationem, conſentiente comite, tam in caſtrolo prope ipſo caſtellario, quam & in reliquis locis, inviolabiliter confirmavimus vineas & omnes res quas Richizindus comitatus colonus, eidem eccleſiæ pertinentes per chartam ex acquiſita ſuo moriens dereliquerit. Præterea volumus & decernimus, ut unuſquiſque clericorum ſupra dictorum manſiones ſuas, quicumque clericorum ejuſdem monaſterii voluerit, dimittendi ſive vendendi licentiam habeat abſque alicujus abbatis contradictione in juſta occaſione. Ut autem hujus noſtræ piæ confirmationis pleniorem

C

D

E

omnibus temporibus obtineat firmitatis vigorem, atque clerici ſupradicti monaſterii liberius pro nobis, conjuge & prole, regnique ſtabilitate Dominum exorare delectentur, manu propria eam confirmavimus, annulli noſtri impreſſione aſſignare jubentes. Datum VI. Id. Martii, Indict. VII. anno XXXIV. regnante Carolo glorioſiſſimo rege & in ſucceſſione regni Lotarii anno V. Actum Compendio in palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

III.

Charta Adalardi Arvernorum epiſcopi de conſecratione eccleſiæ in honore SS. Juliani & Privati martyrum, in proprio ſancti Juliani Brivatenſis fundo, in loco vulgariter vocato Blanedas.

ANno Incarnationis Dominicæ DCCCCV. Indict. VIII. dum exiſteremus nos Adalardus videlicet Arvernenſis eccleſiæ præſul, in gremio matris eccleſiæ in honore beatorum martyrum Agricolæ & Vitalis nobiliter fundatæ; circumque populari ſederent nos fideles ejuſdem eccleſiæ tam eccleſiaſtico quam populari honore præditi, adierunt ſerenitatem noſtram Eldefredus aulæ ſancti Juliani Brivatenſis eximius præfectus, & Nectardus pentarcontarrochii adminiculator non infimus, cæterique canonici quamplures, ſub eis Domino ſanctoque Juliano humiliter devoteque famulantes, obnixe expoſtulaverunt ut eis daremus licentiam in proprio fundo ſancti Juliani eccleſiam conſtruere, in villa videlicet cujus vocabulum Blanedas. Quod mente pertractantes una cum conſilio cunctorum nos circumſedentium agi non renuimus, & mittentes cum eis archipreſbyterum noſtrum nomine Homodei, præcipimus ut deſignaret eis locum templo Dei aptum, quod quidem & fecit. Fabricata autem aula perreximus ad locum ſeptima menſis decimi, dedicavimus eam in honore BB. martyrum Juliani inclyti & Privati nobiliſſimi martyris; qua in die conſecrationis ejus datum eſt eidem eccleſiæ in honore almi Juliani atque Privati jam fundata, de proprio ſancti Juliani ad ſtipendia ſervientium ejus pertinentes, dotis nomine, in comitatu Brivatenſe *, in aïce Nonatenſe *, in ipſa villa Blaneda manſum unum ad ipſam eccleſiam adhærentem, cum terris & pratis & ad integrum, & in Montiniaco vineam unam cum chazale unum & campo uno, & campos illos qui pertinebant ad eccleſiam ſancti Xiſti, & ſunt de eadem ratione ſancti Juliani & videntur eſſe eis Alerium fluvium, & in aïce Bonrochenſe manſionile unum quod vocatur Valilia cum campis, pratis, vineis, & nemoribus atque ſylvis; dantur etiam ei decimæ de ipſa villa Blaneda totum & ad integrum, & omne confugium ejus datur ei in villa quæ vocatur Ortas, de cauſa ſancti Juliani decimæ omnes, & in ipſo aïce. In villa quæ vocatur Banoſus, medietatem decimarum ad eccleſiam ſancti Xiſti pertinentium; & in aïce Ambronenſe * de villa quæ vocatur Grezilium duas partes decimarum, omnes videlicet decimas ejuſdem villæ, exceptis illis quæ pertinent ad eccleſiam de Antonio * in honore ſancti Benigni conſecrata; & in aïce Brivatenſe in villa quæ vocatur * Porcaricias duas partes decimarum. Hæc omnia ſuprafcripta datum eſt eidem eccleſiæ in honore ſancti Juliani, & ſancti Privati in villa quæ vocatur Blaneda fundata, ut habeat ea, teneat atque poſſideat; & ab hodierna die & deinceps rector ipſius eccleſiæ cum omni integritate recipiat, & annis ſingulis feſtivitate ſancti Juliani quæ evenit V. Kal. menſis VII. in cenſum canonicis ſancti Juliani ſolidos quinque incunctanter exolvat, & matri eccleſiæ Arvernorum debitum obſequium, ut cæteræ capellæ ſimiles ejus, perſolvat, & libellus iſte dotis omni

9005. Ex articulo ccccxiii. Brivatenſis chartularii f. cc. luxuil.

* Comté de Brioude.
* Nonette.
* l'Embron.
* Anthoin.
* Porcharesſe.

Digitized by Google

tempore inconvulſus perſeveret & indeficiens ; & ut hæc pagina dotis firmior ſit, veriuſque credatur, manu propria ſubter eam firmavimus, & cæterorum canonicorum matris eccleſiæ Agricolæ & Vitalis, atque canonicorum S. Juliani manibus inſigniri præcipimus. Et in calce hujus opuſculi inſeri juſſimus ut quamdiu Johannes ſacerdos advixerit qui eam fundavit, abſque ullo contradicente regat, & præſcriptum cenſum canonicis S. Juliani perſolvat ; & ſi de ipſo cenſu tardus vel negligens extiterit, legibus emendet, & quamdiu vixerit jam dictam capellam non perdat. Ex auctoritate autem Patris & Filii, & in virtute ſancti Spiritus & lege canonica ac verbo noſtro excommunicamus, interdicendo injungimus ut nullus eam ei diebus vitæ auferat, aut ullus clericus ſuper eum eam accipiat. S. Willelmus comes, S. Amicus archidiaconus, S. Ragefredus abbas, S. Arnardus archidiaconus, S. Eldefredus præpoſitus, S. Aſtorgius abbas, S. Eldebertus, S. Bernardus, S. Rajanar. Actum VI. Kal. Januarii apud Claromontenſem civitatem, regni Caroli Francorum & Aquitanorum principis an. XI.

IV.

Charta reſtitutionis eccleſiæ de Faveirolles per Poncium, Gabalorum comitis nepotem.

OPortet unumquemque fidelium omni tempore de ſpe beatæ retributionis eſſe ſollicitum, viamque pergendi ad æternam beatitudinem toto mentis deſiderio ſitire. Iter namque quo illuc gradimur eſt exhibitio bonorum operum, & diſtributio temporalium facultatum. Quod ego Poncius recognoſcens una cum uxore mea, filiis meis, toto corde reddo vel dimitto eccleſiam quæ vocatur Faveirolas * quam indebite retinui poſt mortem Poncii avunculi mei, Domino Deo ſanctoque Juliano, & canonicis ipſius qui ei quotidie famulantur, ſub ditione Geraldi præpoſiti, & Beraldi decani, Evrardique abbatis, Dalmatii, videlicet ſcholæ præcentoris, ut deinceps ego nec ullus de filiis meis, nec propinquus meus ex ea injuſte aliquid apprehendat. Sin autem ego, aut ulla perſona aliquid contra notitiam iſtam inquiete agere præſumpſerit, non vindicet, nec ejus voluntas perveniat ad effectum, ſed ira omnipotentis Dei, omniumque fidelium, ſemper veniat ſuper eum, & cum Juda proditore particeps ſit in infernum. Facta notitia iſta feria V. luna III. in menſe Martio, regnante Rodberto rege Francorum. Signum Geraldi præpoſiti, ſignum Beraldi decani, ſignum Evrardi abbatis.

* Faveirolle.

V.

Notitia fœderis initi inter eccleſiam Piperacenſem & Brivatenſem, ex terrario ſancti Petri de Chavanon, ſeu chartulario Piperacenſi depromta.

1070. ANNO ab Incarnatione Domini milleſimo LXX. domnus Petrus Piperacenſis eccleſiæ præpoſitus, venit in capitulo S. Juliani Brivatenſis, in præſencia canonicorum ; ibique ſupradictam eccleſiam Piperacenſem, omneſque eccleſias quas acquiſituri erant, ipſe & confratres ſui aut donando aut comparando, condonavit in allodio S. Juliano martiri, canonicisque ſuis per conſenſum fratrum ſuorum Piperacenſium, tali conventione ut ipſi eſſent adjutores & defenſores eorum, eiſque in quantum poſſent, in omnibus rebus ſuis per omnia auxiliarentur & conſiliarentur. Si autem canonicus S. Juliani ad regularem habitum eorum pervenire vellet, ipſi Piperacenſes fratres eos cum magno gaudio, aut cum pecunia, aut ſine pecunia reciperent. Inſuper ſi meritum vitæ condonaret, ſuperiorem aliis facerent : & contra canonici ſancti Juliani condonaverunt domno Petro ſucceſſoribuſque ſuis, qui in eccleſia Piperacenſi prælati eſſent futuri, prænendam in perpetuum, ut ipſi eſſent canonici ſicut unus ex illis. Et ſi canonici Piperacenſes Brivate venirent, quandiu ibi morarentur, cum canonicis ſancti Juliani in refectorio manducarent, ſimulque apud eos in choro & dormitorio manerent. Inſuper canonici Brivatenſes promiſerunt ſe ſe daturos manſiones Brivate canonicis Piperacenſibus ubi ſuam potuiſſent agere voluntatem, ſicuti in dominio ſuo ; deinde condonaverunt ipſi, quod majus eſt, domno Petro & canonicis ſuis tam præſentibus quam futuris, quaſcumque eccleſias aut terras, aut aliquid aliud in terra ſancti Juliani adquirere potuiſſent, aut donando, aut comparando, tali convencione, quatenus ſanctus Julianus & canonici ſui cenſum ſuum ſicuti antea haberent ; quinimo canonici Piperacenſes omne debitum illius adquiſitionis juxta conſuetudinem majorum qui eas res poſſidebant, ex integro perſolverent. Hoc autem in capitulo ſancti Juliani ab utraque parte generaliter conceſſum fuit, ut ipſi communicata fraternitate in Chriſto unanimes eſſent, & Deus eſſet omnia in omnibus.

VI.

Charta W. de Rafaele abbatis ſancti Juliani Brivatenſis, qua dat eccleſiæ Piperacenſi eccleſiam ſancti Juſti.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Ego W. de Rafaele abbas Brivatenſis pro remedio animæ meæ & parentum meorum concedo Deo & ſacro-ſanctæ eccleſiæ B. Mariæ Piperacenſi quaſdam de rebus meis quas habebam a beato Juliano, hæc videlicet : eccleſiam ſancti Juſti & domos quæ ſunt juxta, & cætera quæ infra parochiam eccleſiæ ſancti Juſti habere videtur, & in hermo Ludiaco I. manſum cum omni integritate & duos boves & in Vedrinas medietatem decimarum & ea quæ habui ab Amblardo & in villis decimas . . . . . hoc totum quod ſupra dixi concedo eccleſiæ Piperacenſi, ſalvo tamen jure beati Juliani . . . . . Hæc omnia ſuperius denominata Poncius abbas Piperacenſis in capitulo Brivatenſi ab Eracleo præpoſito, Stephano decano & cæteris omnibus, conſentiente etiam Petro Rotgerio ; & cæteris ſucceſſoribus abbatis vindicavit . . . . . Facta ceſſio iſta fuit anno M. C. XXXVIII. ab Incarnatione Domini, Indictione II. menſe Julio, feria VII. luna VIII. regnante Ludovico rege & Americo epiſcopo. Teſtes hujus conventionis ſunt Eracleus præpoſitus, S. decanus. 1138.

VII.

Bulla apoſtolica Calixti hujus nominis papæ II. ſub annum Domini MCXX. qua capitulum Brivatenſe declaratur Romanæ Eccleſiæ immediate ſubditum, eique conceditur ut chriſma, oleum ſanctum, conſecrationes eccleſiarum aut altarium & clericorum ordinationes a quo maluerint epiſcopo ſuſcipere poſſint.

CALIXTUS epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectis in Chriſto filiis Brivatenſis eccleſiæ ſancti Juliani canonicis tam præſentibus quam futuris in perpetuum. Cum univerſis Eccleſiæ filiis ex apoſtolicæ ſedis auctoritate ac benevolentia debitores exiſtamus, illis tamen locis atque perſonis quæ ſpecialius ac familiarius Romanæ adhærent Eccleſiæ, propenſiori nos convenit charitatis ſtudio imminere. Eapropter petitionibus veſtris annuendum cenſuimus ut beati Juliani Brivatenſem eccleſiam protectione ſedis apoſtolicæ 1120.

Digitized by Google

munieremus, per præſentiſque privilegii paginam apoſtolica auctoritate ſtatuimus ut quæcumque bona, quaſcumque poſſeſſiones conceſſione pontificum, liberalitate principum, oblatione fidelium vel aliis juſtis modis eccleſia eadem in præſenti poſſidet, ſive in futurum præſtante Deo juſte atque canonice poterit adipiſci, firma vobis veſtriſque ſucceſſoribus illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus nominibus annotanda, videlicet: abbatiam [a] S. Germani de Embron: abbatiam [b] S. Marcellini de Cantogila: abbatiam [c] S. Mariæ de Pebrac: abbatiam [d] S. Juliani Turronenſis: eccleſiam S. Ferreoli: eccleſiam de Braſſac: eccleſiam de [e] Valle cum decima: eccleſiam de Solignac cum decima: eccleſiam [f] Deſpaleneo cum decima: villam [g] Tarraza: eccleſiam de [h] Faveirolas cum decima: eccleſiam de [i] Surlange cum decima: eccleſiam de Bellomonte [k] cum decima: eccleſiam de [l] Fontibus. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat eamdem eccleſiam temere perturbare, aut ei poſſeſſiones auferre vel ablatas retinere, minuere, vel temerariis vexationibus fatigare; ſed omnia integra obſerventur eorum pro quorum ſuſtentatione & gubernatione conceſſa ſunt uſibus omnimodis profutura. Porro eccleſia ac prædia quæ per præpoſitorum vel per aliarum eccleſiaſticarum perſonarum temeritatem vel per laïcorum violentiam diſtracta ſunt, in uſus eccleſiæ redducantur, & ſine contradictione alicujus perſonæ, illibata in poſterum obſerventur; ſane ut veſtra eccleſia ſub tutela & juriſdictione ſanctæ noſtræ Romanæ cui, Deo auctore, deſervimus, eccleſiæ conſtituta, libera ſemper & quieta permaneat, omnem cujuſlibet eccleſiæ ſacerdotem juriſdictionem quamlibet habere præter rectorem ſedis hujus apoſtolicæ prohibemus. Chriſma, oleum ſanctum, conſecrationes altarium, vel eccleſiarum, ordines clericorum qui ad ſacros ordines fuerint promovendi, a quo malueritis catholico ſuſcipietis epiſcopo. Obeunte loci ejuſdem abbate, ſive præpoſito, nullus ibi qualibet ſubreptionis aſtutia, ſeu violentia præponatur, niſi quem fratres communi conſenſu, vel fratrum pars conſilii ſanioris ſecundum Deum providerint eligendum. Ad indicium autem juris & proprietatis Romanæ Eccleſiæ, & libertatis veſtræ, aureum unum quotannis Lateranenſi palatio perſolveritis. Si qua ergo in futurum eccleſiaſtica ſæculariſve perſona hanc noſtræ conſtitutionis paginam ſciens temere contra eam venire tentaverit, ſecundo tertiove commonita, ſi non ſatisfactione congrua emendaverit, poteſtatis honoriſque ſui dignitate careat, reamque ſe Divino judicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & a ſacratiſſimo corpore ac ſanguine Dei & domini Redemptoris noſtri Jeſu Chriſti aliena fiat, atque in extremo examine diſtrictæ ultioni ſubjaceat. Cunctis autem eidem eccleſiæ jura ſervantibus ſit pax Domini noſtri Jeſu Chriſti, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant & apud diſtrictum judicem præmia æternæ pacis inveniant.

Ego CALIXTUS Catholicæ Eccleſiæ epiſcopus.

Datum Brivatæ per manum Griſogoni S. Romanæ Eccleſiæ diaconi cardinalis ac bibliothecarii, Kal. Junii Indict. XII. Dominicæ Incarnationis anno MCXX. [a] pontificatus autem domini CALIXTI II. papæ anno primo.

[a] *Anno* MCXIX. *ſecundum novum ſtylum.*

[a] S. Germain l'Embrom. [b] Chanteuge. [c] Peprac. [d] S. Julien de Tours. [e] Laval. [f] Eſpalen. [g] Taleirat. [h] Faverolle. [i] L'Orlange. [k] Beaumont prés Brioude. [l] Fontanes.

VIII.

Odilo de Cambo canonicus Brivatenſis quatuor clericos inſtituit in eccleſia Leproſorum Pontis de la Bajaſſe.

ANno a paſſione Domini noſtri Jeſu Chriſti MCLXI. Odilo de Cambo venerabilis canonicus Brivatenſis eccleſiæ, qui domos Leproſorum de Ponte de la Bajaſſa eis ædificaverat pro ſalute animæ ſuæ, dedit & conceſſit eccleſiam de Ponte de la Bajaſſa, quam ipſe propriis expenſis conſtruxerat, Bij. Demolle capellano eidem eccleſiæ, quem domnus A. Arvernorum epiſcopus ordinavit ad ſervicium illius eccleſiæ. Dedit, inquam, & tribus aliis eidem eccleſiæ ſervientibus, (quatuor enim inſtituit dominus O. in vita ſua) qui omni tempore uſque in finem ſæculi, Domino annuente, ſupradictæ eccleſiæ ſervirent. Ita ſtatuens ut moriente aliquo eorum, tres ſuperſtites quartum eligant, non rapacitatis ingluvie, ſed pietatis intuitu, adtendentes Scripturam ſacram dicentem: *Gratis accepiſtis, gratis date*, amore providi & ſapientis viri, dedit eis unde viverent, ſciens quod qui altario ſervit, de altari vivere debeat. Inſtituit itaque ſemper ibi haberi IIII. clericos qui eccleſiæ de Ponte de la Bajaſſa ſervirent & de beneficiis ejus quæ videlicet ipſe O. ibidem paraverat neceſſaria vitæ ſumerent; dedit, ut diximus, IIII. prædictis clericis & ſequentibus eorum eccleſiam illam & domos quas ædificavit ſupra eccleſiam, & agros & vineas & cætera quæ habebat ultra Elarium * fluvium emptione vel pignore, & plura alia de quibus ſibi placuerat eis caritative impendere. Hoc donum fecit in capitulo Brivatenſis eccleſiæ ejuſdem capituli conſenſu & conceſſu, & teſtimonio & ſigillo, & beati Juliani fecit ſignari; præpoſito W. abbate B. & Pontio cantore & aliis canonicis ejuſdem capituli unanimiter auxilium & deffenſionem eiſdem miniſtris & cuſtodiam ſemper dantibus & promittentibus. Hujus doni teſtes ſunt W. præpoſitus, B. abbas, Pō. de Vizac, B. de Peruza, Pō. cantor, Odilo de Morgo. Bonuſpar de Challes: Malaura. Bertrandus de la Rocha, Stephanus de Laſtic, Giraldus de Ribas. Gaucelinus archipreſbyter. Giraldus de la Rocha. Rotgerius medic. Petrus Chalaires. P. Beraldi. Aſtorgius Papabous. Guigo Botlers. Alterius vero donationis ejuſdem Odilonis ſunt teſtes Pō. Rufus canonicus, Duranz Folcherius preſbyter. Petrus de la Mota. W. Arnaldus preſbyter. Gaſtolius preſbyter. B. Delpont. David. Bern. de la Garda. Petrus de Arbore. Predicti VII. ſunt ſacerdotes. W. de Chambo. Ugo. Petrus ſcriba. Amicus fornerius. Durans Chabiſcols. Omnes predicti ſunt clerici, & ſunt teſtes hujus rei.

1161.

Matt. 10. 8.

* L'Allier.

IX.

Pontius vicecomes Podemniaci hominium reddit capitulo Brivatenſi pro caſtro de Cucia, ratam habens compoſitionem olim initam inter Eraclium vicecomitem Podemniaci & capitulum Brivatenſe.

VIvaci teſtimonio ſcripturæ res geſtæ a contradictione calumniarum, & oblivionis interitu deffenduntur; ideoque præſenti ſcripto tam præſentium quam poſteriorum notitiæ tranſmiſſum eſt quod cum Erails vicecomes * Podemniaci anno ab Incarnatione Domini MCLXXIX. infra octabas Paſchæ, regnante Ludovico rege Francorum, villam Brivatenſem & villam ſancti Germani cum extraneis gentibus incendio & aliis modis damnificaverit ultra pretium duorum millium marcarum argenti; tandem pœnitentia ductus anno ab Incarnatione Domini M.C.LXXXI. infra octabas Aſſumptionis beatæ Mariæ, regnante Philippo

1301.

* De Polignac.

Digitized by Google

rege Francorum, conſilio patris ſui in civitate Aniciensi promiſit in manu venerabilis viri Caturcensis epiſcopi, & quorumdam aliorum canonicorum Brivatensis eccleſiæ ſe venturum in capitulum Brivatenſe propter ſatisfaciendum de prædicto forfacto ad arbitrium prælibatorum canonicorum : juxta quod promiſſum venit Brivatam tertia die poſt feſtum S. Juliani proxime ſequentis, & in hanc formam ſatisfecit, conſilio ſiquidem patris ſui, & Willelmi comitis Montis-ferrandi ſoceri ſui, & aliorum proborum virorum, nudis pedibus Brivatam ingreſſus, & ad portam eccleſiæ ſub virga correctionis humiliatus, ad altare almi martyris Juliani humiliter ac devote acceſſit, & inde capitulum ingreſſus, ſe ipſum reddidit univerſitati canonicorum, & caſtellum * Cuciæ cum omnibus pertinentiis ſuis in quibus erat Barbeſit & quidquid ipſe habebat a Solazvit, & quædam alia, dedit perpetuo habendum toti univerſitati Brivatensis capituli tam præſentis eſſe quam poſtea futuri, & inveſtivit inde capitulum traditione unius guanti ; quam inveſtituram nomine capituli recepit Willelmus Brivatensis præpoſitus filius Willelmi comitis Claromontensis : quo facto idem præpoſitus, prædictum caſtellum dedit in feodum prælibato Erails hoc pacto, ut nec ipſe Erails nec aliquis ei ſucceſſurus in caſtello Podemniaci, poſſet alienare illud caſtellum a dominio & a domino Podemniaci, quin omnis ſucceſſurus ipſi Erails in dominio Podemniaci ita infeodaret a capitulo Brivatenſi de caſtello prælibato ſicut & ipſe Erails, & propter illud hominium faceret, & fidelitatem juraret capitulo Brivatenſi ; quod hominium fecit, & fidelitatem juravit ipſe Erails prænominato præpoſito, nomine totius capituli Brivatensis. Donavit etiam perpetuam ſecuritatem tranſeundi per totam terram ſuam ſine pedagio & guidagio, canonicis & burgensibus & omnibus aliis habitatoribus Brivatæ, & omnibus ſociis & propriis hominibus canonicorum, ubicumque manerent ; quam ſecuritatem dedit etiam ex parte omnium ad eum pertinentium ſive cognatione ſive alia adjunctione ; ita quod ſi quis de poteſtate illius aliquid forifaceret alicui pertinenti ad eccleſiam Brivatenſem, ipſe Erails pro poſſe ſuo cogeret eum ad ſatisfaciendum ; vel ſi malefactor non eſſet de poteſtate illius, laboraret cogere illum per guerram ad ſatisfactionem ſicut pro ſuis propriis hominibus ; ſi vero propter adjunctionem cognationis, vel amicitiæ vel alterius familiaritatis, vel propter timorem nollet movere guerram propter aliquod forfactum prædicti modi, caſtellum Cucia redderet capitulo Brivatenſi propter guerram inde faciendam, donec ſatisfieret de forifacto, & poſt guerram recuperaret caſtellum, ſi tamen ante finem guerræ conſilio mutato, guerram facere vellet, redderetur ei caſtellum propter guerram faciendam. Promiſit etiam quod univerſitatem capituli & villæ Brivatensis, cum opus eſſet, ſequeretur manu armata & ſine prætio ; promiſit etiam quod ſi Brivatensis eccleſia poſſet aliquid acquirere donatione, cauſa mortis, vel quolibet alio modo in terris ejus vel prælibatorum ſucceſſorum ejus, ipſe acquiſitionem illam acceptam ratamque haberet, & tam acquiſita quam prius habita ab omni inquietatione & oppoſitione cuſtodiret. Præterea ſi vel ipſe Erails vel aliquis prælibatorum ſucceſſorum ejus offenderet eccleſiam Brivatenſem in aliqua prædictarum conventionum, in capitulum Brivatenſe veniret propter exhibendam inde ſatisfactionem. Omnes quoque prælibatas conventiones impoſuit obſervandas omnibus ſibi ſucceſſuris, in caſtello Podemniaci. Hæc autem omnia & in perſona propria ſe obſervaturum & omnibus prælibatis ſucceſſoribus ſuis in perpetuum obſervanda impoſiturum juravit tactis Evangeliis & ſacroſanctis reliquiis in conſpectu cleri & populi Brivatensis. Poſt deceſſum vero jam dicti Erailii orta eſt controverſia inter Pontium ejuſdem filium Podemniaci vicecomitem & dominum, & canonicos Brivatenſes, quæ tandem pacificata fuit per manum delfini Arvernorum comitis hoc modo : omnes prælibatas conventiones quas pater ejus prænominatus Erailius fecerat capitulo, ſe obſervaturum in poſterum promiſit, & fidelitatem tactis ſacroſanctis Evangeliis & reliquiis juravit, & prædictarum rerum hominium fecit in manu Willelmi præpoſiti præfati nomine totius capituli recipientis, R. abbate præſente & V. cantore, & multis aliis viris perſonatis tam laïcis quam clericis. Si autem in aliquid prælibatarum conventionum jam dictus Pontius peccavit, admonitus infra quindecim dies, debet Brivatam venire, & ad mandatum ſanioris partis capituli & concilium ſatisfacere. Hoc autem actum eſt anno ab Incarnatione Domini MCCI. menſe Julio luna decima quarta, regnante Philippo rege Francorum ; quod ne poſſit in irritum revocari, confirmatum & munitum eſt appoſitione præſentium ſigillorum.

* Le Chaſteau de Cuſſe.

X.

Bulla Innocentii papæ III. qua capitulum Brivatenſe declaratur Romanæ Eccleſiæ immediate ſubditum, & confirmatur Calixti II. privilegium.

INNOCENTIUS epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectis filiis præpoſito & capitulo eccleſiæ S. Juliani Brivatensis tam præſentibus quam futuris in perpetuum. Etſi debito paſtoralis officii pro univerſarum eccleſiarum ſtatu ſatagere compellamur, illis tamen quæ apoſtolicæ ſedi ſpecialius adhærere noſcuntur, ſtudioſius nos convenit providere. Ea propter, dilecti in Domino filii, veſtris juſtis poſtulationibus benigne duximus annuendum, & præfatam eccleſiam S. Juliani quæ ad apoſtolicam ſedem, nullo mediante, noſcitur pertinere, ad exemplar fœlicis recordationis Calixti papæ prædeceſſoris noſtri ſub beati Petri & noſtra protectione ſuſcepimus, & præſentis ſcripti privilegio communivimus, ſtatuendo ut quaſcumque poſſeſſiones, quæcumque bona, eadem eccleſia inpræſentiarum juſte & canonice poſſidet, aut in futurum conceſſione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, ſeu aliis juſtis modis præſtante Domino poterit adipiſci, firma vobis veſtriſque ſucceſſoribus & illibata permaneant, in quibus hæc propriis duximus exponenda vocabulis : eccleſias villæ Brivatensis & S. Ferreoli cum parrochiis ſuis, ſuper quibus vos ab omni impeditione diœceſani epiſcopi ſententialiter judicavimus abſolutos : abbatiam [a] S. Germani d'Ebron, abbatiam [b] S. Marcellini de Cantogilla, abbatiam [c] S. Mariæ de Pebrac, abbatiam [d] S. Juliani Turonenſis, [e] eccleſiam de Braſſat, eccleſiam [f] de Valle cum decima, eccleſiam [g] de Solignac cum decima, [h] eccleſiam de Eſpalenco cum decima, villam [i] Tarrazar, [k] eccleſiam de Faveirolas cum decima, eccleſiam de Soleto cum decima, eccleſiam de [l] Bellomonte cum decima, eccleſiam de [m] Cultus cum decima, eccleſiam de [n] Fontibus. Porro eccleſiæ ac prædia quæ per præpoſitorum aut aliarum eccleſiaſticarum perſonarum temeritatem, vel per laïcorum violentiam ſunt diſtracta, ad jus & proprietatem ipſius eccleſiæ revocentur, & ſine contradictione alicujus perſonæ illibata impoſterum conſerventur ; ſtatuimus etiam ut nullus infra terminos parochiarum veſtrarum, domum religioſam, vel capellas aut oratorium ſine aſſenſu veſtro ædificare præſumat, ſalvis privilegiis pontificum Romanorum. Sane ut eadem eccleſia libera ſemper & quieta permaneat, omnem prorſus epiſcopum aliquem in ea dictionem * habere præter Romanum pontificem prohibemus. Chriſma quoque, oleum ſanctum, conſecrationes altarium vel eccleſiarum,

1213.

* *f.* ditionem.

[a] S. Germain l'Embron. [b] Chanteuge. [c] Pebrac. [d] S. Julien de Tours. [e] Braſſat. [f] Laval. [g] Solignac. [h] Eſpalen. [i] Taleirat. [k] Faveirolle. [l] Beaumont près Brioude. [m] *Forſaſt* Coltines. [n] Fontanes.

Digitized by Google

ordinationes clericorum qui ad ſacros ſunt ordines promovendi, a quocumque malueritis catholico ſuſcipiatis epiſcopo, qui quidem graciam & communionem apoſtolicæ ſedis habuerit, & ea gratis & ſine pravitate voluerit exhibere. Obeunte vero te nunc ejuſdem loci præpoſito, vel tuorum quolibet ſucceſſorum, nullus ibi qualibet ſubreptionis aſtutia, ſeu violentia præponatur, niſi quem fratres communi conſenſu vel fratrum pars conſilii ſanioris ſecundum Deum duxerint eligendum. Ad indicium autem juris & proprietatis Romanæ Eccleſiæ & libertatis veſtræ, aureum unum nobis & ſucceſſoribus noſtris, annis ſingulis perſolvetis. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat eandem eccleſiam temere perturbare, aut ejus poſſeſſiones auferre, vel ablatas retinere &c. Dat. Lateran per manum Raynaldi acholiti & capellani domini Innoc. III. papæ Kal. Julii Indictione prima, Incarnationis Dominicæ anno M. CC. XIII. pontificatus ejuſdem domini Innocentii anno XVI. *Cum ſigillo plumbeo Innocentii III. ſummi pontificis.*

XI.

Archembaudus dominus Borbonii Arverniæ procurator, juſſu Francorum regis Chriſtianiſſimi, amovet ab urbe Brivatenſi regium ſervientem quem ipſe temere in eadem urbe collocaverat.

1233. EGO ARCHEMBAUDUS dominus Borbonii ex parte domini regis Francorum, Arverniæ procurator. Notum facio omnibus tam præſentibus quam futuris, quod cum ego poſuiſſem in villa Brivatenſi quemdam ſervientem ex parte domini Regis & noſtra pro domini Regis & noſtris negotiis in prædicta peragendis, & cum aliquanto tempore tenuiſſem ibidem, præpoſitus & capitulum ejuſdem loci ad inclitæ recordationis Ludovicum regem Francorum, filium inclitæ recordationis Philippi regis Franciæ, accedentes, propoſuerunt coram eo de me, conquerendo quod, ut dictum eſt, ſervientem quemdam poſueram & tenebam in villa prædicta contra privilegia Karoli regis & ſucceſſorum ejus ſuper hoc eis indulta, & contra libertatem eccleſiæ hucuſque obtentam, & ei humiliter ſupplicarunt ut eum faceret amovere; quorum precibus motus dominus Rex, injunxit & præcepit ut inſpectis eorum privilegiis & inquiſitione legum facta diligenti, ſuper hoc inquirerem veritatem. Verum ad mandatum domini Regis facta inquiſitione diligenti, mihi conſtitit evidenter ſcilicet tam per privilegia Karoli regis & ſucceſſorum ejus, quam per teſtes & legisperitos, & per juramenta proborum & legalium virorum tam clericorum quam laïcorum, & etiam per præſentem famam publicam, quod nullus ſerviens regius aut bajulus, aut aliquis alius ex parte domini Regis, aut noſtra debebat in villa Brivatenſi manere vel manſionem habere, nec aliquam vim vel inferre. Poſtmodum vero domino Rege viam univerſæ carnis ingreſſo, cujus præcepto dicta inquiſitio facta erat, prædictum ſervientem poſt mortem ejuſdem regis Ludovici a villa prædicta diſtuli amovere; quare venerabilis vir & diſcretus Guillelmus de Turre loci ejuſdem præpoſitus, adſereniſſimum dominum meum Ludovicum filium dicti regis Ludovici ſibi in regno Franciæ ſuccedentem acceſſit, & ei attentius & devotius ſupplicavit, ut ſecundum quod pater ſuus præceperat, & inquiſitio facta erat, dictum ſervientem a villa Brivatenſi faceret amovere. Ipſe autem Rex benignitate regia motus, & juſtitiæ & æquitatis debito volens mandatum patris ratum & firmum habeti, & eccleſiam Brivatenſem cum ſuis poſſeſſionibus in ea libertate obſervari in qua manſerat temporibus retroactis, mihi viva voce præcepit, & etiam ſuper hoc ſuas litteras patentes direxit, ut ſecundum inquiſitionem prædictam, a villa Brivatenſi præfatum ſervientem amovarem, & eccleſiam Brivatenſem cum ſuis poſſeſſionibus in prædicta libertate conſervarem. Ego igitur præceptum domini Regis volens ad effectum perducere, nec volens prædicti ſervientis vel ſi quæ alia per me vel per meos contra libertatem Brivatenſis eccleſiæ ſint hactenus attentata in dampnum eccleſiæ cedere, vel in ſuæ præjudicium libertatis, præfatum ſervientem de villa prædicta, ubi eum poſueram removi, cognoſcens nullum de cætero debere immitti, prout inveni per inquiſitionem ſupra prælibatam, & ad indicium prædictæ libertatis eccleſiæ Brivatenſis, prout dictum eſt ſuperius, in perpetuum conſervandæ præſentem paginam ſigilli dixi munimine roborandam. Actum anno Domini M. CC. XXXIII. menſe Junio.

XII.

Decretum Brivatenſis capituli quo abbatia ſancti Germani in Embronio, cum univerſis dominiis eccleſiæ Brivatenſis, communi canonicorum reſidentium menſæ addicta fuit.

NOS Fulco de Monte-acuto præpoſitus, B. de Monte-acuto abbas, Odilo de Mercorio decanus & univerſum almi martyris Juliani capitulum Brivatenſe, notum facimus præſentibus pariter & futuris, quod cum in eccleſia noſtra Brivatenſi, retroactis temporibus uſque ad tempora præſentia, fuerit uſitatum, quod terræ ipſius eccleſiæ quotieſcumque vacare contingebant eas, perſonis ſingularibus ad uſus proprios earum a nobis dicto capitulo conferrentur, inveſtitura præpoſiti pro tempore exiſtentis ſubſequente: nos unanimiter congregati ad ſtatum eccleſiæ reformandum in iis quæ tam in ſpiritualibus quam temporalibus reformatione aliqua indigerent; inter cætera quæ correctionem deſiderant conſideravimus deliberatione ſalubri dictum uſum fore reprehenſibilem, & abuſum, & corruptelam potius judicandum quam plurimis rationibus conſentaneis divino juri pariter & humano. Primo quidem eoquod in noſtra eccleſia ſit octogenarius numerus præbendarum ab ipſius eccleſiæ fundatione ſtatutus, & per conſequens pluralitas & univerſitas perſonarum eccleſiæ ſervitio deputata contingebat ex dicto uſu quoſdam ditari de patrimonio Cruxifixi, qui collata ſibi, non in ſervitio eccleſiæ, ſed ad uſus proprios pro ſuæ voluntatis arbitrio expendebant, & quandoque quamplures de illis non erant in eccleſia reſidentes, cæteris in paupertate degentibus, cum juxta præbendarum numerum non ſit patrimonium eccleſiæ ſpatioſum. In quo caſu verbum Apoſtoli poterat merito adaptari, *quod alius quidem eſurit, alius ebrius eſt.* Secundo quia cum juxta Evangelicam veritatem laborantes in vinea patrisfamilias qui ſingulis ſingulos denarios eſt largitus, ex dicto uſu inremunerati manebant & præferebantur otioſi laborantibus qui portaverant pondus diei & eſtum, qui quotidianis portiunculis ſibi datis, non poterant ex eis competenter etiam ſuſtentari. Tertio quia multi quorum erat cupiditas inſatiabilis, & avaritia in eorum pectoribus æſtuabat ad faciendum quoquo modo ſuæ ambitionis puteum, ad impetrandum terras eccleſiæ, ſpem ponentes in mortem proximi, per fas & nefas nitebantur reprehenſibile deſiderium adimplere; unde oriebantur contentiones, iræ, rixæ, invidiæ, blaſphemiæ, & quandoque, cum non poterant obtinere contentioſo judicio, non abſque immenſa jactantia proveniebant de verbis ad verbera, &, quod erat execrabilius, ſæpiſſime habebatur recurſus ad arma, ſumendo ſcutum belligerum pro ſcuto devotionis & fidei, & gladium effuſionis ſanguinis, pro gladio ſpei, quæ eſt verbum Dei. Quarto, quia multi fatagebant hæreditate Dei ſanctuarium poſſidere, volentes ſuccedere avunculis & conſanguineis; & utrum foret licitum vel illicitum attendere non curabant. Verum quia

1256.

1. Cor. 11. 21.

faſtidioſum eſſet prolixius ſtylum dirigere præter illa quæ intrinſecus latent, quæ iram Dei provocant & vultum divinæ majeſtatis offendunt, deſiderantes, imo cupientes huic morbo qui in eccleſia damnabiliter ſubrepſerat huic ſalutari decreto & ſanctione irrefragabili obviare, uno voto, una mente, ac communi conſenſu unanimi ad hæc expreſſe & ſpecialiter concurrente pro nobis & ſucceſſoribus noſtris in perpetuum, hac ſcriptura interveniente authentica & ſolemni, quam inſtrumenti publici & authentici dicimus, volumus & precipimus perpetuum habere vigorem, habentes præ oculis ſolum Deum, apud quem non eſt acceptio perſonarum, & eorum veſtigiis inhærentes quibus in oratione perſeverantibus *erant omnia communia, & dividebantur prout unicuique opus erat*, dictum uſum & modum conſequendi eccleſiæ noſtræ terras duximus abolendum & penitus extinguendum; & decernimus & irrevocabiliter ſtatuimus ut deinceps in perpetuum terræ noſtræ eccleſiæ vulgariter vocatæ Larogeria & Sancti-Juſti expræſentiarum vacantes & omnes aliæ terræ ſeu dignitates dictæ eccleſiæ, quæ tamen non prælatis ſeu perſonatibus ab antiquo ſunt ſpecialiter aſſignatæ, & ratione prælaturæ ſeu perſonatus deputatæ, prout in futurum eas vacare contingerit, ad communes uſus canonicorum eccleſiæ reſidentium, ſicut hucuſque de quotidianis fiebat portionibus, convertantur & redigantur, contradictione alicujus vel uſu prædicto aut conſuetudine aliqua non obſtante; ut communi ſuſtentatione fructuum gaudeant qui ad ſervitium & honorem eccleſiæ continuam reſidentiam exhibebunt. Ceterum quia ad præpoſitatus dignitatem ſpectabat poſt collationem a capitulo factam inveſtire de terris, ne ſubſtractione hujuſmodi lædatur aliquod, certas perſonas duximus eligendas tam nos præpoſitus quam capitulum ſupradicti, qui deliberatione ad invicem habita, plenarie recompenſent de terris eccleſiæ ipſi præpoſitatui, prout diſcretio viderit faciendum. Nos præpoſitus & capitulum pro nobis & ſucceſſoribus noſtris tenere & cuſtodire promittimus & inviolabiliter obſervare. Inſuper ne callidus hoſtis & ſerpens antiquus diabolus aliqua ſuæ fraudis nova inventione & ſpiritu venenoſo, aſtutia malignorum hanc noſtram ordinationem, ſtatutum & conſuetudinem deliberatione provida & communi tractatu edito de terris & uſu earum, quos in fidelitate qua eccleſiæ noſtræ conſtringimur, nos & noſtros ſucceſſores obſervare, cuſtodire, tenere, & contra non venire promittimus, ſua perverſitate poſſit infringere. Nos dicti præpoſitus & capitulum univerſum ad obſervantiam ſupraſcriptæ ordinationis, inſtitutionis & conſtitutionis noſtræ nos & ſucceſſores noſtros per ſuccedentia tempora volentes & præcipientes vinculo indiſſolubili eſſe affectos, promittimus tibi Iterio de Rupeforti canonico noſtro procuratori ſeu ſindico a nobis ad hæc ſpecialiter conſtituto; & etiam nobis ad invicem interveniente ſupplicatione ſolemni, & per hæc ſacro ſancta Dei Evangelia quæ manibus noſtris tangimus, juramus nos Fulco de Monteacuto præpoſitus, B. de Monte-acuto abbas, Odilo de Mercorio decanus, Bomparius de Langhat, B. de Rupeforti ſeneſchallus, Guillelmus Guarini cantor; Guillelmus de Gondra magiſter, Petrus de Corvo, Dalmarius de Rupe, Armandus Comptor, Guillelmus Racherii, Aſtorgius de Monte-acuto, Hugo de Bonarocha, Iterius de Rupeforti, Petrus de Viſſac, Eracleus de Monte-buxerio, Geraldus de Veza, Petrus & Ebraldus Sarraceni, Chatardus de Niche, Petrus Papabeuf, Guillelmus & Petrus & Stephanus de Laſtic, Guillelmus de Salis, Pontius Chalvert, B. Auriculæ, Draco de Balſac, Antonius de Leautoin, Falcoys, Chatardus de Bloys, Guillelmus de Rupe, Robertus de Corcellis, G. de Chalus, B. Draconis, Caſtus de ſancto-Nectario, P. Pelabous, Armandus de Rupe, P. de Pauliaco, Armandus de Roffiaco, Johannes de Rochefort, Matharus de Raix, W. de Saliens, Guillelmus de Monte-revello, Robertus de Corſo, Guillelmus Aldafre, Geraldus, Aſtorgius de Tailhaco, Guillelmus de Rochefort, Guillelmus de Turlanda, Guillelmus Palaz, Criſpinus, Durandus Mancips, Guillelmus Alaris, Durandus Alboi & Guillelmus Severis canonici dictæ eccleſiæ Brivatenſis, qui omnibus ſupradictis præſentes interfuimus, qui dictam ordinationem, ſtatutum & conſtitutionem ipſam de dictis terris eccleſiæ in communibus uſibus redigendis & convertendis nos & noſtri ſucceſſores in perpetuum teneamus & obſervemus, & contra non veniamus, nec impetremus, nec faciamus impetrari, nec preſtemus auxilium vel aſſenſum machinanti contrarium, ut dicta conſtitutio ſeu ordinatio revocetur: & etiamſi eccleſia noſtra vel etiam noſtrum aliquis ſingulare privilegium aliquod habeamus per quod poſſint prædicta infringi, renuntiamus cum dicto juramento illi privilegio & indulgentiæ, & expreſſe uſui antiquo vel conſuetudini, ſi poteſt conſuetudo cenſeri, & omni alii auxilio facti & juris cujuſlibet canonici, & conſuetudinarii, & cujuſlibet competenti & competituro nobis univerſis & ſingulis ad veniendum contra prædicta vel aliquid de prædictis; volentes quod hæc generalis renuntiatio tantum valeat & tantum obtineat roboris firmitatem, ut nos & ſucceſſores noſtros liget ad prædicta ſervanda; atque contra illa non poſſimus venire ac ſi omnibus juribus & jurium articulis eſſet a nobis renuntiatum expreſſe, quibus neceſſe foret nos debere renuntiare, nec contra prædicta vel aliquid de illis nos & ſucceſſores noſtri venire poſſemus. Porro ut prædicta generalis narratio ſcilicet de terris omnibus & dignitatibus, exceptis illis de prælationibus & perſonatibus, materiam calumniandi non tribuat impugnare volenti, ſed quælibet in lucem veniant, & ſequaces de ipſa generalitate interpretationem ſibi fieri non requirant, quælibet in ſuo intellectu duximus exprimenda; intelligimus ſiquidem quod quicumque de cætero præpoſitus fuerit Brivatenſis, ex debito dictæ conſtitutionis & ordinationis per ea quæ a nobis præpoſito & capitulo ſunt tractata, teneat & teneatur ex ipſa inſtitutione tenere quilibet ſicut pro tempore fuerit præpoſitus, quinque clericos de choro eccleſiæ tam in abſentia quam reſidentia ſua, & habeat terras præpoſituræ ab antiquo tempore deputatas, cum recompenſatione de qua ſuperius eſt tractatum. Item remaneat abbatia, & quicumque fuerit de cætero abbas teneat duos clericos de choro tam in abſentia quam in reſidentia ſua; item remaneat decania, & quicumque fuerit de cætero decanus, teneat tres clericos tam in abſentia quam in reſidentia ſua; item remaneat ſubdecanatus, & quicumque fuerit de cætero ſubdecanus, teneat tres clericos de choro tam in abſentia quam in reſidentia; item remaneat cantoria, & quicumque fuerit de cætero cantor, teneat tres clericos de choro, & juret facere reſidentiam perſonalem; item remaneat unica ſacriſtia, & quicumque deinceps fuerit ſacriſta, habeat jura theſaurariæ & omnium ſacriſtarum & domum tantum, & juret tenere hoſpitium, & facere reſidentiam perſonalem, & teneat duos clericos de choro; omnes vero aliæ terræ ſeu dignitates eccleſiæ, quæcumque ſint & quæ eidem pertineant vel pertinere debebant aliqua ratione, tam terra illa quæ vocatur vulgariter abbaria ſancti Germani de Lembrone, quam de la Rogeria & S. Juſti, & aliæ quæcumque ſint nominatæ vel nominandæ, ſub dicta & in dicta conſtitutione, ordinatione & inſtitutione comprehenduntur & includuntur, qualibet alia exceptione remota. Et ut ſupraſcripta omnia & ſingula perpetuam & illibatam & inconcuſſam habeant firmitatem, in quibus ſi forte aliquis poſſet reperiri firmitatis & roboris perpetui defectus; volumus ex certa ſcientia ea tanta perpetuitatis ſtabilitate gaudere, ac ſi coram quolibet judice ordinario, vel alio cujus præſentia vel auctoritas in illis vel ad illa deberet requiri, facta eſſent prædicta omnia & tractata, &

Act. 4. 35.

Digitized by Google

in his omnibus renuntiamus ſpontanee cuilibet juri introducto pro eo renuntiare. Nos præfatum capitulum hanc chartam ſuper præmiſſis de ſpeciali mandato noſtro & expreſſa voluntate noſtra confectam, ſigillo noſtro communi fecimus roborari. Actum Brivatæ in capitulo noſtro menſe Junii die Veneris ante feſtum ſancti Barnabæ, anno Domini M. CC. LVI. Indictione XIV. Ludovico rege Francorum regnante.

XIII.

Alexander IV. Romanus pontifex ratum habet præcedens Brivatenſis capituli decretum.

1259. ALEXANDER epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis capitulo eccleſiæ Brivatenſis ad Romanam Eccleſiam nullo medio pertinentis, Claromontenſis diœceſis, ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Veſtram & eccleſiæ veſtræ utilitatem plenis deſideriis affectantes, ea nos præcipue grata gerimus & accepta quæ ibidem pro communi commodo ſtatuuntur. Sane petitio veſtra nobis exhibita continebat, quod vos attendentes, quod redditus communis menſæ ipſius eccleſiæ erant minus tenues & exiles, quaſdam terras ibidem vacantes per vos canonicos eccleſiæ uſibus canonicorum inibi reſidentium unanimiter deputatis ſtatuentes ut quædam aliæ terræ conſimiles, in uſus cedant hujuſmodi cum vacabunt, alias quoque pro utilitate ejuſdem eccleſiæ quædam ibidem ſtatuiſtis ſalubria & honeſta prout in litteris inde confectis ſigillo veſtro munitis plenius continetur. Nos igitur veſtris ſupplicationibus inclinati, conſideratione quoque dilecti filii magiſtri Milonis eccleſiæ veſtræ ſorisdecani ſcriptoris noſtri, apoſtolicam ſuper hoc gratiam implorantis deputationem; & firma hujuſmodi quæ firma & illibata perpetuo permanere præcipimus; ſtatuimus etiam ſi dictæ terræ vacantes per vacationem diuturnam eſſent ad collationem noſtram legitime devolutæ, rata habentes & firma illa auctoritate apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus, tenorem litterarum ipſarum de verbo ad verbum præſentibus inſeri facientes, qui talis eſt: Nos Fulco de Monte-acuto præpoſitus, & univerſum almi martyris Juliani capitulum Brivatenſe, notum facimus præſentibus pariter & futuris quod cum in eccleſia noſtra Brivatenſi retroactis temporibus uſque ad tempora præſentia fuerit uſitatum quod terræ ipſius eccleſiæ quotieſcumque &c. Actum Brivatæ &c. Anno Domini &c. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ conſtitutionis & confirmationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hæc attentare præſumpſerit, indignationem Dei & beatorum Petri & Pauli apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Anagniæ IV. nonas Auguſti, pontificatus noſtri anno V.

XIV.

Compoſitio inita inter capitulum Brivatenſe ex una parte, & Odilonem de Mercorio Mimatenſem epiſcopum decanumque Brivatenſem ratione decanatus ſui ex altera, pro villis de Cultinas & de Moret.

1258. NOS Fulco præpoſitus totumque capitulum Brivatenſe, notum facimus univerſis præſentes litteras inſpecturis; quod cum inter nos ex parte una, & venerabilem patrem Odilonem Dei gratia Mimatenſem epiſcopum eccleſiæ noſtræ decanum ex altera, quæſtio verteretur ſuper eo videlicet quod idem decanus nomine decanatus ſui prædicti, villas [a] de Colinas & de [b] Morent cum eorum juribus & pertinentiis univerſis ad ſe & decanatum prædictum pertinere dicebat, prædicto capitulo in contrarium aſſerente. Tandem viri diſcreti Hugo de Bonarupe, Iterius de Rupeforti canonici Brivatenſes, in quos ſuper præmiſſis hinc inde amicabiliter extitit compromiſſum, per ipſoſque receptum decretum ſuum ad inſtantiam partium protulerunt concorditer in hunc modum: Quod villæ prædictæ de cætero cum omnibus ſuis juribus & pertinentiis univerſis præfato decanatui noſtro perpetuo ſint annexæ, & quod pro terris hujuſmodi annis ſingulis deinceps decanus noſter Brivatenſis, quicumque pro tempore fuerit, det & ſolvat cuilibet canonico Brivatenſi & alii diſtributionem capituli percipienti, per totum menſem Januarium diebus ſingulis ejuſdem menſis, ſex denarios Podienſes. Hoc autem arbitrium ſic prolatum, compromiſſum omologando prædictum utraque pars conceſſit, voluit & laudavit & promiſit perpetuo bona fide attendere inconcuſſe, & inviolabiliter obſervare. In cujus rei teſtimonium nos capitulum & decanus prædicti præſentes litteras ſigillis noſtris, una cum ſigillis dictorum Hugonis & Iterii fecimus ſigillari. Datum Brivatæ in capitulo menſe Februarii anno Domini milleſimo ducenteſimo quinquageſimo octavo, præſentibus Bernardo de Rupeforti ſeneſcallo, Willelmo de Montorevello, Dalmatio de Rupe, G. de Veza & pluribus aliis canonicis eccleſiæ Brivatenſis ad hoc ſpecialiter convocatis. *Sigillatum eſt inſtrumentum hoc ſigillis quatuor, quorum primum præfert caput S. Juliani ſuppoſito enſe nudo cum hac inſcriptione: S. CAPITULI BRIVATENSIS. Secundum habet ex una parte effigiem coronati leonis tranſeuntis* [*un lion couronné paſſant*] *cum hoc lemmate: S. O. DE MERCORIO. DECAN. BRIVATEN. ex altera ſcutum gentilitium circa quod legitur: SIGILUM SECRETUM. tertium eſt ſigillum Ugonis de Bonarupe in quo videtur effigies adrepentis leonis* [*un lion rampant*] *& legitur: S. UGONIS DE BONARUPE; Quartum denique habet leonem pariter adrepentem & in capite ſcuti cometam, cujus quidem ſigilli periit pars poſterior; unde remanent ſolummodo hæc verba: S. ITERII . . . . . NONIC. BRIVAT.*

XV.

Odilo de Mercorio hujus nominis III. Brivatenſis eccleſiæ decanus concedit Johanni de Baſſia præceptori domus Frotgeriarum ordinis S. Antonii, in perpetuam emphyteoſim, territorium vulgariter vocatum Porcharreſſas ſub annuo cenſu vigintiquinque ſextariorum frumenti & decem gallinarum annis ſingulis exſolvendo.

1272. ODILO de Mercorio decanus eccleſiæ Brivatenſis. Notum facimus univerſis præſentes litteras inſpecturis, quod cum inter nos nomine decanatus noſtri Brivatenſis ex una parte, & fratrem Joannem de Baſſia præceptorem [a] Frotgeriarum ordinis beati Antonii nomine dictæ domus ex altera, quæſtio verteretur ſuper territorio de [b] Porcharreſſas prope [c] Lenda, cujus quædam pars vocatur Lo Mas Dobles, quod ad nos dicebamus nomine quo ſupra jure dominii pertinere, dictus vero præceptor prædictum territorium cum ſuis pertinentiis ad eandem domum pertinere dicebat, eamque in emphiteoſim ſeu pageſiam a domino Odilone nunc Mimatenſi epiſcopo, tunc Brivatenſi decano, ſibi conceſſam. Quam conceſſionem nos minime valere ſeu valuiſſe dicebamus, eo videlicet quia dictus dominus Odilo in ea deceptus fuerat tam in cenſu debito, quam etiam in juris ſolemnitate omiſſa; quia etiam præceptores dictæ domus ultra jus ſibi conceſſum & per naturam rei emphiteoticæ

[a] Coltines prés S. Flour. [b] Moret prés Alancho.

[a] Frugeres. [b] Porchareſſe. [c] Lembde.

Digitized by Google

quandam partem prædicti territorii aliis in emphiteoſim ſeu pageſiam conceſſerant, conſenſu noſtro ſeu prædeceſſorum noſtrorum minime requiſito: quia etiam in ſolutione cenſus conventi per triennium continuum & amplius dicebatur ceſſaſſe. Tandem inter nos nomine quo ſupra, & dictum fratrem Johannem nomine dictæ domus habentem ſuper iis quæ ſequuntur poteſtatem plenariam & ſpeciale mandatum pro venerabili viro fratre Guillelmo magiſtro hoſpitalis pauperum ſancti Antonii, nomine ipſius hoſpitalis, mediantibus & tractantibus bonis viris fratre Guillelmo de Longa ordinis fratrum Minorum & M. de Laſtic canonico Brivatenſi ad hoc a partibus ſpecialiter deputatis, ſuper iſta quæſtione & iis quæ ex ea ſequi poterunt ſeu oriri compoſitio, pax ſeu tractatio quæ ſequitur perpetua & irrevocabilis interceſſit: videlicet quod nos nomine quo ſupra & noſtrorum in perpetuum ſucceſſorum, conſiderata & inſpecta utilitate decanatus noſtri prædicti, de conſilio bonorum virorum & irrevocabiliter dedimus & conceſſimus in perpetuam emphiteoſim ſeu pageſiam hac præſenti ſcriptura prædicto fratri Johanni præceptori dictæ domus nomine & ad opus dictæ domus ſancti Antonii prædictum territorium de Porchareſſa, cujus pars vocatur Lo Mas Dobles, cum omnibus ſuis juribus & pertinentiis univerſis, ſalvo eo quod alias ibi percipit capitulum Brivatenſe, retinentes & decanatui noſtro ratione dominii in prædicto territorio & pro ipſo cenſum annuum vigintiquinque ſextariorum frumenti boni & vendibilis ad menſuram rectam Brivatenſem tempore meſſium, item decem gallinarum in Natali Domini nobis Brivatæ & noſtris ſucceſſoribus in domo noſtra a dicto præceptore & ejus ſucceſſoribus nomine dicti territorii & ejus pertinentiarum annis ſingulis exolvendum; transferentes in eum nomine dictæ domus plene & libere tanquam in emphiteoticam poſſeſſionem ſeu pageſiam prædictum territorium cum ſuis juribus & pertinentiis univerſis; dicto etiam & convento inter nos & præceptorem prædictum quod præceptor & fratres dictæ domus ad ſe revocent uſque ad Aſſumptionem B. Mariæ omnia ea quæ de dicto territorio hucuſque alienaverant in quaſcumque perſonas per contractum emphiteoticum ſeu alium quovis nomine, & quod aſſentationes factæ de dicto territorio a prædictis præceptore & fratribus, in præſentia noſtra, præſentibus iis qui alienationes receperant antedictas, aut contractus quilibet ſuper his habiti penitus reſcindantur, & pro omni eo quod ad dictos fratres ex tali alienatione provenit ſeu potuit provenire reſtituant nobis decem ſolidos Viennenſes in . . . . . quod nomine majoris dominii & inveſtituræ recipimus ab eiſdem. Si qua vero commiſſio vel ſi quod moramentum interveniſſe poterat propter ceſſationem cenſus conventi, vel propter alienationes ſeu conceſſiones in emphiteoſim de dicto territorio vel aliqua ſui parte, a dicto præceptore vel prædeceſſoribus ſuis factas, hanc ſibi nomine quo ſupra quittamus in perpetuum & remittimus, & hanc præſentem conceſſionem in emphiteoſim quam . . . . . ſive . . . . . præſentis tranſactionis ſeu compoſitionis facimus de facto & de jure perpetuam & ſtabilem eſſe volumus, & firmitatem perpetuam obtinere; promittimus eidem præceptori nomine dictæ domus & ſuorum fratrum ſtipulanti, nos prædicta omnia & ſucceſſores noſtros perpetuo ſervaturos, & ab omni inquietatione ſeu perturbatione ipſos ſuper præmiſſis jure & judicio deffenſuros & de . . . . . eiſdem volumus prout in iſtis partibus in rebus datis in emphiteoſim obſervatur, renuntiantes iis omnibus & ſingulis beneficio reſtitutionis mutagii & petitionis ſupplementi in ſuprafcripti cenſus ſeu canonis, & ſolemnitati legali ſeu canonicæ quæ in alienationibus rei eccleſiaſticæ per contractum emphiteoticum vel alium quemlibet adhiberi, & omni alii juris canonici vel civilis uſui & privilegii, quo vel quibus nos contra præmiſſa vel aliquid de præmiſſis nos juvare poſſemus, deffendere ſeu juvare; volentes etiam quod hæc generalis renuntiatio perinde valeat & eundem ſortiatur effectum quem ſortiretur, ſi de ſingulis quibus contra præmiſſa vel aliquid de præmiſſis nos juvare poſſemus, ſpecialem faceret mentionem; & nos frater Johannes præceptor dictæ domus Frotgeriarum ordinis S. Antonii, nomine dictæ domus, de conſenſu & expreſſa voluntate fratrum meorum, & ſpeciali mandato venerabilis fratris Guillelmi magiſtri hoſpitalis pauperum S. Antonii, pro commodo & utilitate domus noſtræ prædictæ, quam in iis perſpeximus evidenter, prædicta omnia & ſingula laudamus, volumus, approbamus nomine noſtro & fratrum noſtrorum, & ad ea nos & eos perpetuo ſervaturos vobis domino Odiloni de Mercorio decano Brivatenſi prædicto nomine decanatus veſtri ſtipulanti ſpecialiter obligamus, & ad ſolutionem cenſus prædicti frumenti & gallinarum vobis in domo veſtra Brivatenſi, & veſtris ſucceſſoribus, & nobis, & noſtris in præmiſſis terminis annuatim ſolvendi: renuntiantes beneficio reſtitutionis in mutagio & omni alii juris canonici vel civilis uſui & privilegiis quo vel quibus nos contra præmiſſa juvare poſſemus ſeu deffendere aliquid de præmiſſis; volentes etiam quod hæc generalis renuntiatio perinde valeat & eundem ſortiatur effectum quem ſortiretur, ſi de ſingulis quibus contra præmiſſa nos juvare poſſemus, ſpecialem faceret mentionem. In quorum omnium prædictorum teſtimonium & munimentum nos dictus Odilo decanus & capitulum Brivatenſe, & nos Odilo permiſſione divina Gabalitanorum epiſcopus dicti decani patruus, & nos prædictus, frater Johannes præceptor domus prædictæ, & nos frater Guillelmus magiſter pauperum ſancti Antonii, præſentes litteras ſigillorum noſtrorum fecimus impreſſione ſignari. Actum & datum Brivatæ menſe Junio, anno Domini milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo ſecundo.

XVI.

Compoſitio inter capitulum & Iterium de Rupeforti decanum Brivatenſem ratione cujuſdam argenti fodinæ inventæ in territorio de Chazelles.

NOverint univerſi præſentes litteras inſpecturi, quod mediantibus & tractantibus nobis G. de Monte-Revello & Gaucelino de Garda forisdecano Brivatenſi inter venerabiles viros dominum J. de Rupe-forti decanum ex una parte nomine decanatus ſui, & capitulum Bivatenſe ex altera, ordinatio, compoſitio, ſeu conventio quæ ſequitur interceſſit. Cum enim in territorio de Chazelas parrochiæ ſancti Juſti Claromontenſis diœceſis appareret, & poſſe inveniri crederetur minerium argenti ſeu argenti fodina, voluerunt & conceſſerunt partes prædictæ quod dictum minerium ſeu argenti fodina & quidquid obveniet ſeu obvenire poterit utilitatis, commodi, emolumenti, dominii, obventionis, cuſtodiæ ſeu fructus, necnon honoris, expenſarum ſeu ſumptuum cauſa, occaſione, ſeu ratione dicti minerii aut argenti fodinæ prædictæ ad ipſos decanum, nomine quo ſupra, & capitulum pro æquis partibus pertineat, & ab ipſis partibus æqualiter ſupportetur, ita quod nullus eorum prior, paucior ſeu poſterior ſeu deterior ſit in jure dicti minerii & omnibus & ſingulis quæ obvenient ſeu dependebunt ab eo, vel incumbent quoad honera, expenſas vel ſumptus eidem minerio. Et ſi quid juris dictum habebat capitulum in parte dimidia quæ ad ipſum decanum pertinet, ex ordinatione præſenti ipſi decano ſtipulanti ceſſit in perpetuum & quittavit: & vice verſa

ſi quid

Digitized by Google

si quid juris dictus decanus habebat in parte dimidia ipsius minerii quæ ad dictum capitulum pertinet, ex voluntate mutua & ordinatione præsenti illud totum ipsi capitulo stipulanti donavit, quittavit & cessit acto & convento inter partes prædictas & solempni stipulatione vallato. Quod si quocumque modo honera expensarum vel sumptuum ratione dicti minerii altera dictarum partium subierit, vel hucusque sustinuit, sine fraude ad medietatem illorum sumptuum sibi integre reddendam & solvendam pars altera, ex quo requisita fuerit, contribuere seu prosequi voluerit, teneatur sine difficultate & dilatione quacumque super quibus credat ipsius decani vel successoris sui pro parte sua, vel bajulorum capituli qui pro tempore fuerint pro parte ipsius capituli, vel illius seu illorum qui ad hæc a capitulo fuerint deputati, juramento: & ad solutionem dictorum sumptuum, ut præmissum est, quælibet partium possit de plano compelli. Si vero in prosecutione dicti minerii, & negotiorum dicti minerii, & in judicio seu extra, explicandorum aliqui e capitulo contradixerint vel impedire voluerint, quidquid per majorem partem capituli vel ejus mandato seu nomine ipsa ratum habente factum fuerit, procuratum seu gestum, robur obtineat nonobstante partis contradictione minoris. Totum vero territorium de Chazelas prædictum quod ad dominium, jurisdictionem & districtum, vestiendum & devestiendum, ad decanum pertinet ad quem hodie pertinet & pertinuit ab antiquo; hiis tamen quæ occasione dicti minerii obvenient dumtaxat exceptis, quæ inter partes prædictas æqualiter dividentur prout superius est expressum: & excepta alta justitia de qua in præsenti ordinatione nihil agitur, sed in eo statu remanet in quo erat ante ordinationem præsentem. Illis vero qui in dicto minerio magni ministri seu operarii fuerint, illæ immunitates & libertates competant, & a prædictis decano & capitulo concedantur & sigillentur sine difficultate quacumque, quas obtinent in aliis mineriis provinciarum seu diœcesum vicinarum. Hæc ordinatio tantummodo se extendat ad hoc minerium quandiu erit in terris decanatus, & ad alia si quæ invenientur ibidem. Ad hæc nos J. de Rupeforti decanus, & nos universum almi martyris Juliani capitulum Brivatense, universa & singula superius contenta laudamus, volumus & approbamus, donamus, cedimus & quitamus nobis ad invicem hinc inde, prout præmissum est, interposita stipulatione solempni; & ita tenere, complere & inviolabiliter observare & contra non venire promittimus bona fide, & quod nos diximus, fecimus, decernemus seu faciemus in futurum. Quare * prædicta vel aliquid de eisdem minus robur obtineat perpetuæ firmitatis, nos dictus decanus & nos Johannes de Rupeforti & magister Leobinus de mandato dicti capituli in animas omnium de capitulo hoc nobis committentium juramus super sancta Dei Evangelia a nobis corporaliter tacta, renunciantes beneficio restitutionis in integrum & exceptioni doli & omni juris consuetudini, usatgii & privilegii auxilio & beneficio per quod contra prædicta in totum vel in partem venire possemus; seu in aliquo nos juvare; in quorum testimonium & perpetuam firmitatem nos decanus, capitulum, præpositus & forisdecanus supradicti sigilla nostra præsentibus litteris duximus apponenda. Actum in capitulo Brivatensi more solito congregato die Sabbati post festum Exaltationis sanctæ Crucis anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo septimo, præsentibus & consentientibus pro se & toto capitulo venerabilibus viris dominis P. de Monteacuto abbate, B. de Rupeforti seneschallo, P. de Pauliaco, Guillelmo de Lactico, Ebrardo Cerraceni, P. Raschierii, Poncio de Murato, Johanne de Rupeforti, P. Papabeu, A. de Talliaco, Poncio de Alzoino, Guillelmo Bompart, Antonio de Lautoin, Guillelmo de Chales, P. de Pauliaco juniore, Guillelmo de Veza, A. de Balciaco, Guillelmo de Ruppeforti, Rotlando Cerraceni, B. de Balciaco, Girardo de Arlenco, & magistro Leobino de Corsarant, & aliis quibusdam canonicis dictæ ecclesiæ Brivatensis. Actum & datum ut supra. *Deinde scriptum est eodem caractere*: Constat nobis de punctis factis superius in decimanona linea sub illis dictionibus dicti minerii. Datum & actum ut supra. *Sigillis quatuor munitum erat hoc instrumentum, quorum tres tantum supersunt cum vestigio quarti. Primum est sigillum capituli, quod est caput sancti Juliani cum ense nudo; secundum pra se fert imaginem quandam piam cum hac inscriptione*: S. GUILLE. DE MONTE REVELLO. PPOSITI. ANICIEN. *Tertium est diagramma Annuntiationis Dominicæ, cujus in infima sigilli parte videtur effigies presbyteri epomide ornati qui junctis manibus sacra peragere videtur, & legitur*: S. ITERII DE RUPEFORTI. DECANI. BRIVAT..... *Quartum quod desideratur, erat absque dubio sigillum Gancelini de Garda tunc forisdecani Brivatensis.*

XVII.

Decretum Philippi III. Francorum regis in parlamenti curia datum, in gratiam Brivatensis ecclesiæ, quo custodia portarum, clavium, murorum &c. Brivatensis urbis penes capitulum stetit; necnon singulare privilegium ejusdem ecclesiæ confirmatur, quo capitulum non tenetur hominium reddere Regi, nisi in ipso capitulari loco: eodem decreto alia omnia jura & privilegia Brivatensis ecclesiæ salva fiunt.

PHILIPPUS Dei gratia Francorum rex, universis præsentes litteras inspecturis salutem. Notum facimus quod mota causa in curia nostra ab hominibus villæ Brivatensis contra ecclesiam beati Juliani Brivatensis, super eo quod præfati homines in judicio contra dictam ecclesiam opponebant, & dicebant quod ad eos pertinebat habere communitatem in villa Brivatensi, custodiam portarum, clavium, murorum, cornellarum, fossatorum & forteritiarum dictæ villæ; qui muri, fossati & forteritiæ facti fuerunt ab eis & ab antecessoribus suis & de bonis eorumdem. Item super eoquod dicebant quod ad eos pertinebat habere custodiam platearum vacuarum communium infra villam & extra villam, sigillum commune, arcam communem, & quod ad eos pertinebat ponere & statuere in dicta villa guetas & exhaguetas sive excubias pro custodia villæ & murorum; & quod ad eos pertinebat facere & statuere in dicta villa consules, procuratores, atreatores, & administratores, & quod ad eos pertinebat facere & levare talliam in dicta villa, congregare homines & populum, habendi recursum seu resortum ad nos de suis querelis & negotiis; contra capitulum Brivatense, & contra alios; item super eo quod præfati homines dicebant quod omnia prædicta fecerunt & explectaverunt libere & pacifice, scientibus & videntibus capitulo Brivatensi & aliis qui scire & videre voluerunt & qui possent contradicere, vel in præmissis aliquid petere seu reclamare, per tantum temporis cujus non extat memoria, & quod sufficit in talibus ad dominium acquirendum; item super eo quod dicebant quod omnia prædicta tenebant a nobis; & quod ratione prædictorum faciebant & debebant nobis juramentum fidelitatis, exercitum & cavalcatam & gitum nostrum quando venimus in patriam, & hæc faciebant nobis solummodo & non alii ratione prædictorum; item super eoquod dicebant quod usus communis est notorius & approbatus a tanto tempore, de cujus contrario memoria non existit in terra Arverniæ & in locis vicinis, quod bonæ villæ habent

1288.

& poſſunt habere prædicta per longuam demeuram & A
per longuam ſufferentiam, licet ſuper hoc non habeant conceſſionem ab aliquo ſeu litteras vel ſigillum.

Procuratore prædictæ eccleſiæ Brivatenſis ex adverſo dicente, & ad ſui deffenſionem & jurium ſuorum conſervationem contra præfatos homines proponente omnia ſupradicta ad dictam eccleſiam jure communi pertinere tanquam ad dominam dictæ villæ, & omnia alia quæ jure communi ad dominum pertinere poſſunt ratione dominationis, ut jus preconizandi, clamandi vina, edicta faciendi, & alia quæ dominationis exiſtunt; & quod dicta villa temporaliter eſt eccleſiæ, & quod homines dictæ villæ ſunt juſtitiabiles dictæ eccleſiæ temporaliter, & quod muri, turres murorum, tornellæ, foſſata & pertinentiæ eorum, claves por- B
tarum, cuſtodia prædictorum, plateæ vacuæ quæ vocantur froci, pertinent ad eccleſiam ſupradictam; item quod dicta eccleſia per ſe vel per alium ſeu alios conſuevit tenere prædicta & eis uti ut ſuis, & dictas claves tenere per ſe, & eas committere quibus & quando volebat & prout ſibi placebat; item quod præpoſitus Brivatenſis dictæ eccleſiæ canonicus temporalem juriſdictionem quam habet in dicta villa exercet per ſe vel per ſuos nomine & auctoritate eccleſiæ prædictæ ratione ſui officii vel dignitatis, ad quam dignitatem eligitur per capitulum, & quod de factis ipſius habetur recurſus ſeu reſſortum ad capitulum; item quod homines dictæ villæ fecerunt tallias aliquando pro neceſſitatibus dictæ villæ de voluntate, aſſenſu & auctoritate capituli Brivatenſis, & quod capitulum compellit eos C
ad ſolvendum, item quod de prædictis eſt forma publica in illa patria; item quod eccleſia prædicta fecerat ſufficientes interruptiones in judicio & extra, per quas præſcriptiones propoſitæ a parte adverſa, quæ negatæ fuerunt ex parte eccleſiæ, non procedunt. Tandem auditis & diligenter inſpectis proceſſibus habitis in cauſa prædicta, & orationibus & probationibus utriuſque partis: viſis etiam cum diligentia privilegiis a prædeceſſoribus noſtris indultis eccleſiæ ſupradictæ. Cum dicti homines non probaverint intentionem ſuam, præfata eccleſia ſuam intentionem tam per teſtes quam per privilegia prædeceſſorum noſtrorum dictorum, ſufficienter & plene probante; eamdem eccleſiam per judicium curiæ noſtræ abſolvimus ſuper prædictis omnibus ab impetitione hominum prædictorum, ſuper prædictis petitionibus eiſdem hominibus perpetuum ſilentium imponendo. Retinemus tamen nobis juramentum fidelitatis ſucceſſoribus noſtris Francorum regibus, vel eorum ſpeciali mandato in novitate ſua a capitulo Brivatenſi, ſcilicet ab uno de capitulo aliorum nomine & mandato in capitulo Brivatenſi præſtandum pro ſubditis ſibi temporaliter, & pro omnibus aliis temporalibus ſuis, prout alias fieri conſuevit. Item & in villa Brivatenſi giſtum noſtrum ſuper homines & ad ſumptus hominum dictæ villæ ſemel in anno, cum ad partes illas nos, vel ſucceſſores noſtri venerimus aſſidendum ſuper ipſos homines, & ab ipſis levandum, & nobis ſolvendum per dictum capitulum vel ejus mandatum, necnon exercitum & cavalcatam E
noſtram mandandam hominibus Brivatenſibus per dictum capitulum vel ejus mandatum, & diſtringendam per ipſum & habendam ab hominibus villæ prædictæ. Alia vero jura omnia, necnon & privilegia præfatæ eccleſiæ a noſtris prædeceſſoribus indulta in omnibus aliis, eidem eccleſiæ integraliter volumus eſſe ſalva. In cujus rei teſtimonium præſentibus litteris noſtrum fecimus apponi ſigillum. Actum Pariſiis anno Domini M. CC. LXXXII. menſe Martio. *Sigillatum eſt diploma cera viridi in quo videtur ex una parte effigies Philippi regis in tribunale judiciario ſedentis cum hac inſcriptione*: PHILIPPUS DEI GRATIA FRANCORUM REX, *ex altera parte inſignia regni Gallie.*

XVIII.

Clemens VI. ſummus pontifex ſtatuit ut nullus ignobilis poſſit inter canonicos Brivatenſes, invito capitulo, locum habere, virtute litterarum apoſtolicarum cujuſcumque generis.

CLEMENS epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis capitulo eccleſiæ Brivatenſis ad Romanam Eccleſiam nullo medio pertinentis, S. Flori diœceſis, ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Sinceræ devotionis affectus & fidei puritas quos ad nos & Romanam Eccleſiam geritis promerentur, ut vos & eccleſiam veſtram quam proſequimur dilectionis plenitudine ſpeciali, illa prærogativa favoris & gratiæ muniamus per quam honor & decus ipſius continuum, auctore Domino, ſuſcipiat incrementum. Cum itaque ſicut oblatæ nobis petitionis veſtræ ſeries continebat, quod per ipſius eccleſiæ nobiles & potentes canonicos jura & bona ipſius eccleſiæ non ſolum defenſata & conſervata, verumetiam augmentata retroactis temporibus multipliciter extiterunt, nec ſperent ut per alios quam per canonicos ipſius eccleſiæ de genere nobili exiſtentes poſſe propter potentiam multorum nobilium * quarum partium, commode defenſari. Nos ipſam eccleſiam nobilibus, & idoneis perſonis decorari, ac bona & jura ipſius defendi, conſervari & augeri de bono in melius cupientes, veſtris ſupplicationibus inclinati, vobis quoad receptionem alicujus ignobilis in canonicum eccleſiæ veſtræ, de cætero per quaſcumque litteras apoſtolicas minime teneamini, neque ad id compelli poſſitis inviti, niſi in eiſdem litteris caveretur expreſſe quod eum qui per litteras ipſas in canonicum ipſius eccleſiæ recipi mandaretur, ſedes apoſtolica vellet recipi in canonicum eccleſiæ memoratæ hujuſmodi privilegio, non obſtante auctoritate apoſtolica, de ſpeciali gratia tenore præſentium indulgemus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis infringere vel ei auſu temerario contraire; ſi quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri & Pauli D
apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum apud Pontem-Sorgiæ, Avenionis diœceſis, quarto Kal. Maii, pontificatus noſtri anno primo.

1342.

* *f.* illarum.

XIX.

Clemens VI. ſummus pontifex nomina & dignitates Brivatenſium abbatis, foris-decani, & cantoris penitus exſtinguit, & eorum redditus communi canonicorum menſæ addit.

CLEMENS epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectis filiis capitulo ſecularis eccleſiæ Brivatenſis, ad Romanam Eccleſiam nullo medio pertinentis, S. Flori diœceſis, ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Apoſtolicæ ſedis providentia circumſpecta devotorum laudabiles actiones attenta conſideratione diſcutiens, circa eccleſiarum ſtatum proſperum diligenter invigilat, in eis proſpicit redumdare, & ſtuder opportunæ proviſionis remedium adhibere. Sane petitio veſtra nobis exhibita continebat quod vos propter tenuitatem fructuum eccleſiæ veſtræ ac ejuſdem canonicorum numerum exceſſivum, qui ſunt octuaginta, & propter multa & ardua negotia quæ ipſa eccleſia cum nonnullis potentibus ſæcularibus expedire habet, & etiam propter plurimos in ipſa eccleſia perſonatus & officia obtinentes, videlicet abbatem, præpoſitum, decanum, qui dignitates forisdecanatum, præcentorem & ſacriſtam, qui perſonatus ſeu officia obtinentes in eadem & qui nullam curam animarum habent, qui quaſi majorem partem fructuum totius patrimonii

1342.

Digitized by Google

ejuſdem eccleſiæ percipiunt, etiam alibi quam in ipſa eccleſia reſidentes, & quorum aliqui pro cultu divino ac defenſione bonorum & jurium eccleſiæ prælibatæ parum aut nihil expediunt, & aliqui ex eis in expenſis quæ per vos hunt occaſione præmiſſorum aliquid non contribuunt; non habetis unde poſſitis jura hujuſmodi deffendere ſeu tueri, ſed plerumque contingit ſingulares canonicos ipſius veſtræ eccleſiæ, de proprio patrimonio contribuere pro proſecutione jurium eccleſiæ memoratæ, ac propter hoc non poteſtis canonicis & ſervitoribus ejuſdem eccleſiæ in ea reſidentibus de fructibus ipſius eccleſiæ ſaltem pro duabus anni partibus congrue providere; ex quo ſæpe contingit Divinum cultum in ipſa diminui; ipſique canonici non habentes de patrimonio ipſius eccleſiæ ſuſtentationem congruam, coguntur redire ad propria, & eccleſiam ipſam relinquere deſolatam, ſicque poſſeſſiones, bona & jura ipſius eccleſiæ a potentibus illarum partium liberius occupantur; quare nobis humiliter ſupplicaſtis ut de prædictis dignitatibus, perſonatibus & officiis, abbatiam, forisdecanatum & præcentoriam, necnon & parochialem eccleſiam ſancti Ferreoli ad veſtram collationem ſpectantes, ſancti Flori diœceſis, quorum videlicet abbatiæ quinquaginta, forisdecanatus vero nonaginta, præcentoriæ centum, ac eccleſiæ ſancti Ferreoli fructus, redditus & proventus triginta quinque librarum Turonenſium ſecundum laxationem decimæ valorem annuum non excedunt, vobis & menſæ veſtræ unire auctoritate apoſtolica dignaremur. Nos igitur qui eccleſiam veſtram prædicta paterna dilectione proſequimur, quique cum eramus in minoribus conſtituti, præmiſſa per vos nobis expoſita novimus veritate fulciri, volentes ipſius eccleſiæ neceſſitatibus & indemnitatibus impoſterum præcavere, & cupientes in ea cultum divini nominis * ampliare, abbatiam, forisdecanatum, præcentoriam & eccleſiam S. Ferreoli prædictos cum omnibus juribus & pertinentiis eorumdem vobis ex nunc in perpetuum auctoritate apoſtolica incorporamus, annectimus & unimus, reſervato tamen de ipſius ſancti Ferreoli fructibus & proventibus perpetuo vicario inibi ſervituro & per vos inſtituendo in ea congrua portione, ex qua ipſe vicarius congrue ſuſtentari, & alia ſibi incumbentia onera valeat ſupportare. Vobis nihilominus concedentes ut cedentibus vel decedentibus abbate, forisdecano, & præcentore, ac rectore ſancti Ferreoli eccleſiarum prædictarum vel alias quomodolibet dimittentibus corporalem poſſeſſionem abbatiæ, forisdecanatus, præcentoriæ & eccleſiæ S. Ferreoli prædictorum, necnon jurium & pertinentiarum eorumdem per vos vel alium ſeu alios poſſitis libere apprehendere & tenere, fructuſque, redditus & proventus ipſorum libere percipere & habere diſtribuendos inter dictos canonicos & ſervitores & alias in utilitatem ipſius eccleſiæ convertendos, cujuſcumque licentia minime requiſita, non obſtantibus ſi aliqui ſuper proviſionibus ſibi faciendis de dignitatibus, perſonatibus vel officiis in dicta eccleſia, ſeu de parochialibus eccleſiis hujuſmodi ſpeciales, vel de beneficiis eccleſiaſticis in illis partibus generales noſtras vel prædeceſſorum noſtrorum Romanorum pontificum aut legatorum dictæ ſedis litteras impetraverint, etiamſi per eas ad inhibitionem, reſervationem & decretum, vel alias quomodolibet ſit proceſſum; quas litteras & proceſſus habitos per eaſdem, ad abbatiam, forisdecanatum, præcentoriam & eccleſiam S. Ferreoli prædictos volumus non extendi, ſed nullum per hoc eis quoad executionem, dignitatum, perſonatuum, officiorum, eccleſiarum & beneficiorum aliorum præjudicium generari, ſeu quibuſlibet litteris, privilegiis & indulgentiis apoſtolicis generalibus vel ſpecialibus quorumcumque tenorum exiſtant per quæ præſentibus non expreſſa vel totaliter non inſerta effectus præſentium impediri valeat quomodolibet vel differri, & de quibus quorumcumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda ſit in noſtris litteris mentio ſpecialis; decernentes ex nunc irritum & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquo quavis authoritate ſcienter vel ignoranter contingerit attentari. Nullis ergo omnino hominibus liceat hanc paginam noſtræ incorporationis, connectionis, unionis & decreti infringere vel ei auſu temerario contraire; ſi quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli ejus apoſtolorum ſe noverit incurſurum. Datum Avinione III. Idus Julii, pontificatus noſtri anno primo.

* *vel f.* numinis.

XX.

Notitia juramenti fidelitatis capitulo Brivatenſi præſtiti per R. in Chriſto patrem ac dominum D. Petrum Rogerii, ſanctæ Romanæ eccleſiæ diaconum cardinalem, Brivatenſis eccleſiæ præpoſitum, ratione totius temporalitatis dictæ præpoſituræ.

IN nomine Domini, amen. Anno Incarnationis ejuſdem * milleſimo trecenteſimo quadrageſimo nono, indictione tertia, pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto patris & domini noſtri domini Clementis divina providentia papæ ſexti anno octavo, die Jovis poſt feſtum converſionis ſancti Pauli. Noverint univerſi hoc præſens publicum inſtrumentum inſpecturi & audituri, quod in præſentia mei, notarii publici infra ſcripti, & teſtium ſubſcriptorum, nobilis & venerabilis vir dominus Pontius de Auroza canonicus & officialis eccleſiæ Brivatenſis, in diœceſi ſancti Flori, ſubexecutor una cum quibuſdam aliis cum illa clauſula, & eorum cuilibet in ſolidum, gratiæ apoſtolicæ factæ per dictum dominum noſtrum ſummum pontificem reverendiſſimo in Chriſto patri & domino domino Petro Rogerii, beatæ Mariæ-novæ diacono cardinali, de & præbenda & præpoſitatu dictæ eccleſiæ Brivatenſis, prout tam in litteris apoſtolicis hujuſmodi gratiæ, quam in proceſſu facto & habito ſuper executione dictæ gratiæ plenius continetur, exiſtens in capitulo Brivatenſi præſentibus in eodem capitulo venerabilibus viris dominis Geraldo de Caſſutio abbate dictæ eccleſiæ Brivatenſis, Euſtachio de Meyrona forisdecano dictæ eccleſiæ Brivatenſis, & dominis Petro de Manſo, Aldeberto de Petra, Hugone de Caſtro-novo, Aldeberto Villata, Petro de Boſco, Guillelmo Iterii, Philippo de Firmiaco, Gregorio Beſſa, Gilberto de Roſſiaco canonicis dictæ eccleſiæ Brivatæ, ad ſonum campanæ, more ſolito, ad hoc ſpecialiter congregatis capitulantibus & capitulum facientibus; dictus, inquam, ſubexecutor ad requiſitionem venerabilis viri domini Johannis de Veza hebdomadarii dictæ eccleſiæ Brivatæ, nomine procuratoris ejuſdem, prout de mandato ſeu procuratoria poteſtate ſua docuit per quoddam publicum inſtrumentum cujus tenor inferius eſt inſertus, habens ſpeciale mandatum a dicto domino ſuo præſtandi in animam ſuam ſolitum & debitum juramentum de obſervandis ſtatutis & conſuetudinibus ipſius eccleſiæ Brivatæ notificavit, publicavit & inſinuavit dicto capitulo & in capitulo memorato dictas litteras apoſtolicas & proceſſum; quibus notificatis, publicatis & inſinuatis per dictum ſubexecutorem, dictoque domino cardinali recepto in præpoſitum dictæ eccleſiæ & ad prædicta per dictum capitulum in perſona dicti procuratoris juxta tenorem dictæ gratiæ & dictarum litterarum ad requiſitionem dicti ſubexecutoris, præfatus procurator requiſitus ex parte dicti capituli quatenus præſtaret in animam dicti domini ſui juramentum, & recognitionem feudi faceret de dicto præpoſitatu immediate ſubjecto dicto capitulo, prout eſt conſuetum præſtari tam per canonicos quam per prælatos ſeu dignitates, officia vel adminiſtrationem

* *Ao. 1350. juxta novum ſtylum.*

Digitized by Google

habentes in dicta eccleſia Brivatæ, videlicet per dominos præpoſitum, decanum, & abbatem dum & quando primo & de novo recipiuntur in eadem eccleſia Brivatæ; qui dictus procurator in animam domini ſui ad requiſitionem dicti capituli præſtitit juramentum pro domino dicto domino ſuo & nomine ipſius tanquam canonici dictæ eccleſiæ, conſuetum præſtari per canonicos de novo ibidem receptos ſeu recipiendos, & juravit & legit modum & formam ipſius juramenti prout ſequitur: Ego Johannes de Veza procurator & nomine procuratorio dicti domini cardinalis domini mei tanquam canonici dictæ eccleſiæ Brivatenſis, in animam ipſius juro ad hæc ſancta Dei Evangelia meis manibus, corporaliter tacta, quod idem dominus meus erit perpetuo fidelis, legalis & obediens capitulo dictæ eccleſiæ, & in ipſius eccleſiæ actibus pro poſſe utilitatem procurabit ac damna evitabit, & ſecreta capituli nemini pandet, & ſtatuta ac conſuetudines dictæ eccleſiæ ſervabit tam editas quam edendas, & ſpecialiter preces; manum injurioſe non ponet nec poni faciet in canonicos clericos dictæ eccleſiæ, nec familiares ac bona eorumdem; non permittet aliquem potentem ſeu baronem aliquid acquirere in juriſdictione dictæ eccleſiæ, nec ſe accreſcere in eadem in hiis quæ ipſi eccleſiæ poſſent * damnoſa, niſi procederet de univerſi capituli ante dicti conſilio, deliberatione prius habita ſuper hoc diligenti. Juravit etiam idem procurator nomine dicti domini ſui tamquam præpoſiti dictæ eccleſiæ Brivatæ, & in animam ipſius, & legit juramentum juxta tenorem ſtatuti capituli conſuetum præſtari per præpoſitos dictæ eccleſiæ in nova receptione ſeu introitu ſuo, dum primo in præpoſitos ipſius eccleſiæ recipiuntur, recognoſcendo dictum præpoſitatum, totam temporalitatem & juriſdictionem ejuſdem ad feudum & de feudo ad fidelitatem ac dicto capitulo tamquam ipſius eccleſiæ eidem capitulo immediate ſubjectum, ut ſequitur: ego Johannes de Veza nomine procuratorio dicti domini cardinalis tamquam præpoſiti hujus eccleſiæ almi martyris Juliani, juro ad hæc ſancta Dei Evangelia meis manibus corporaliter tacta, quod idem dominus præpoſitus dominus meus erit perpetuo fidelis & legalis & obediens capitulo eccleſiæ ſupradictæ ratione totius temporalitatis, juriſdictionis dicti præpoſitatus, quas nomine dicti domini mei teneo, & recognoſco dictum dominum præpoſitum dominum meum, & me nomine ipſius tenere ad feudum & de feudo ad fidelitatem a dicto capitulo domino ac immediate meo & dicti domini præpoſiti domini mei ſuperiori, & in ipſius capituli ac præpoſitatus actibus pro poſſe utilitatem procurabit, ac damna evitabit, & reget ac deffendet ac regere & deffendere faciet utiliter præpoſitatum & jura ac pertinentias & villam Brivatenſem cum ſuis pertinentiis & ſecreta dicti capituli nemini pandet, & compoſitionem olim habitam inter dictum capitulum ex una parte, & dominum O. de Mercorio quondam præpoſitum ex alia ſervabit, ac a ſuis ſubditis faciet obſervari; & hominibus villæ Brivatæ aliquod procuratorium facere non concedet, nec ſigillum ſuum nec curiæ ſuæ dicto procuratorio apponet ſeu apponi faciet, niſi procederet de totius dicti capituli voluntate & aſſenſu; & non permittet aliquem potentem ſeu baronem nec ſe potentiorem aliquid acquirere in juriſdictione capituli memorati nec dicti præpoſitatus nec ipſos dominos potentes ſeu barones accreſcere permittet in eiſdem niſi de totius dicti capituli procederet voluntate pariter & aſſenſu; & quod ipſe faciet aut fieri faciet ſubditis ſuis juſtitiæ complementum; nec injurioſe ponet manum ſuam ſeu aliam poni faciet in canonicos, clericos dictæ eccleſiæ ſeu extra, ac familiares & bona eorumdem; & dictum capitulum fideliter conſulet in hiis quæ ex parte ipſius fuerit requiſitus; & juravit idem procurator in animam dicti domini præpoſiti domini ſui prædicta & cætera omnia & ſingula capitula fidelitatis ſe nomine quo ſupra, & dictum dominum præpoſitum dominum ſuum facere & ſervare, & ſtatuta ac conſuetudines ipſius eccleſiæ ſervare tam editas quam edendas & ſpecialiter preces. Tenor vero dicti procuratorii ſequitur & eſt talis: Noverint univerſi præſentes patentes litteras ſeu publicum inſtrumentum inſpecturi, quod nos Petrus, miſeratione divina ſanctæ Mariæ-novæ diaconus cardinalis, canonicus præbendarius & præpoſitus eccleſiæ Brivatenſis, ſancti Flori diœceſis; confiſi de fide & legalitate diſcretorum & nobilium virorum dominorum Geraldi de Chaſlut abbatis dictæ eccleſiæ Brivatenſis, Berardi de Gardia militis, ballivique de Motta, Hugonis de Caſtro-novo, Pontii de Auroza, Petri de Manſo, Euſtachii de Molendino, dictæ eccleſiæ Brivatæ canonicorum, Johannis de Veza hebdomadarii dictæ eccleſiæ procuratoriſque fratrum noſtrorum ipſos proxime nominatos abſentes ut præſentes, & quoſlibet ipſorum in ſolidum ita quod occupantis conditio potior non exiſtat; ſed quod unus eorum inceperit, quilibet proſequi valeat & finire, facimus & conſtituimus tenore præſentium & creamus in præſentia notarii publici & teſtium ſubſcriptorum noſtros ac canonicatus præbendæ ac præpoſituræ veſtræ eccleſiæ Brivatenſis, S. Flori diœceſis, veros & legitimos procuratores, actores, factores, negotiatores, geſtores & certos nuntios principales ad perſequendum gratiam apoſtolicam nobis factam de canonicatu & præpoſitura per dictas litteras apoſtolicas & proceſſu ſuper dicta gratia & ejus executione confectas & conficiendas in antea præſentandum, inſinuandum & publicandum perſonis, locis, & temporibus de quibus fuerit opportunum, petendum & faciendum certas litteras & proceſſus executioni debitæ demandare, realem & corporalem poſſeſſionem canonicatus, præbendæ & præpoſituræ prædictorum jurium & pertinentiarum ſuarum nanciſcendum, apprehendendum & retinendum, faciendum ſe ad ipſos canonicatus, præbendam & præpoſituram, ut moris eſt in canonicum prælibatum & præpoſitum recipi & admitti, de obſervandis ſtatutis & conſuetudinibus dictæ eccleſiæ Brivatæ, & quod nos ſimus de legitimo matrimonio nati, præſtandum in animam noſtram ſolitum & debitum juramentum, ſtallum in choro & locum in capitulo ejuſdem eccleſiæ recipiendum; jura, juriſdictiones, conſuetudines, & honores eorumdem canonicatus, præbendæ & præpoſituræ præſentandum .... & retinendum, deffendendum; fructus, redditus, proventus, obventiones, debita & emolumenta quantacumque dictorum canonicatus, præbendæ & præpoſituræ locandum, arrendandum & concedendum ad firmam ſeu certam annuam penſionem, hujuſmodique fructus, redditus & proventus, obventiones, debita, emolumenta, locationes, arrendamenta, conceſſiones, firmas & penſiones, petendum, exigendum & recipiendum, de receptis faciendum finem, quittationem, refutationem plenariam & pactum de amplius non petendo; canonicatum, præbendam & præpoſitatum præfatas ſpiritualiter & temporaliter regendum & gubernandum; omnia ſpiritualia & temporalia eis incumbentia ſupportandum faciendumque alias inibi deſervire laudabiliter in Divinis; curiam noſtram Brivatæ & præpoſituræ noſtræ Brivatenſis petendum & adeundum, homines & ſubditos noſtros & ejuſdem præpoſituræ advocandum, & de gagiis noſtris hominum & ſubditorum prædictorum captis & capiendis, arreſtatis & arreſtandis recredentiam, deliberationem, & relaxationem nobis fieri coram dominis ballivo Arvernix qui pro tempore fuerit, cancellario, præpoſito, inquiſitore, auditore & quibuſvis aliis officialibus regiis deputatis & deputandis & locatenentibus eorumdem, & coram aliis quibuſcumque judicibus ordinariis & extraordinariis & coram quoſlibet eorumdem, petendum & obtinendum pro præmiſſis omnibus & quolibet prædictorum, necnon in ſingulis cauſis & litibus noſtris canonicatus, præbendæ, & præpoſituræ prædictorum eccleſiaſticis & profanis motis & movendis adverſus quoſcumque vel quaſcumque perſonas eccleſiaſticas vel ſæculares,

* eſſe.

Digitized by Google

collegia ſeu univerſitates eorum quolibet judice eccleſiaſtico vel ſæculari delegato vel ordinario dato vel dando ad agendum vel deffendendum civiliter & criminaliter, libellum dandum & recipiendum, excipiendum & replicandum, litem conteſtandam de calumnia & veritate, & cujuſlibet alterius criminis juramentum licitum in animam noſtram præſtandum, ponendum, articulandum, petitionibus & articulis reſpondendum; teſtes, inſtrumenta, jura & alia probationum genera producendum, teſtes adverſæ partis jurare videndum, defectus & crimina opponendum, proteſtandum, probandum, & reprobandum, beneficium reſtitutionis in integrum quoties opus fuerit implorandum & recipiendum, litteras implorandum & contradicendum, ubique confidatos & ſuſpectos eligendum & recuſandum, de locis, judicibus, notariis, & perſonis aliis non ſuſpectis conveniendum, cautiones debitas dandum & recipiendum, concludendum, allegandum, ſententias audiendum, ſi neceſſe fuerit appellandum, appellationes proſequendum, alium vel alios procurare, in præmiſſis & præmiſſorum quolibet ſubſtituendum & revocandum, ſemel & pluries quoties fuerit oportunum, & generaliter omnia alia & ſingula faciendum, gerendum & exercendum quæ in præmiſſis & quolibet præmiſſorum neceſſaria fuerint & quomodolibet oportuna, etiamſi ipſa vel eorum aliqua mandatum exigendum ſpeciale, ut nos ipſi facere & exercere poſſemus ſi perſonaliter adeſſemus; ratum, gratum & firmum nos habere perpetuo promittentes quidquid per eoſdem procuratores noſtros ſubſtituendum vel ſubſtituendos ab eiſdem & quemlibet eorum in prædictis vel aliquo prædictorum factum fuerit atque geſtum, & relevamus procuratorem ſubſtituendum & ſubſtituendos conjunctim & diviſim ab onere omni ſatis dandi, promittimuſque judicio ſiſti & judicatum ſolvi ſub hipotheca & obligatione bonorum noſtrorum ac canonicatus, prebendæ & præpoſituræ prædictorum. In cujus rei teſtimonium præſentes litteras ſeu publicum inſtrumentum per Petrum Adeumi de Chitoyo notarium publicum infra ſcriptum publicari mandamus & ſigilli noſtri appoſitione muniri. Datum & actum Avenioni in hoſpitio habitationis noſtræ, anno Nativitatis Domini milleſimo trecenteſimo quinquageſimo, indictione tertia, vigeſima menſis Januarii, pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto patris & domini noſtri Clementis divina providentia papæ ſexti anno octavo, præſentibus venerabilibus & diſcretis viris dominis Petro Fabri archidiacono Caturcenſis, Petro Maſuerii præcentore & Guillelmo Bacais canonico Albienſis eccleſiarum, capellanis & familiaribus noſtris, teſtibus ad præmiſſa vocatis ſpecialiter & rogatis. Et ego Petrus Adeumi de Chantoyo clericus Catalaunenſis diœceſis, publicus apoſtolica & imperiali auctoritate notarius, præmiſſis omnibus & ſingulis una cum prænominatis teſtibus præſens fui, eaque prout ſuperius ſcripta ſunt & leguntur, fieri vidi & audivi, publicavi, & in hanc publicam formam redegi; aliis quoque negotiis occupatus per alium ſcribi feci, & hic me propria manu ſubſcripſi, huicque publico inſtrumento meum conſuetum ſignum una cum appoſitione ſigilli reverendi patris & domini domini cardinalis prædicti mandatus pariter & rogatus; de quibus omnibus prædictis venerabilis vir dominus Guillelmus Iterii canonicus Brivatenſis bajulus & procurator dicti capituli petiit nomine quo ſupra, fieri & confici publicum inſtrumentum ſigno meo conſueto ſignatum, ſcilicet mei notarii publici infra ſcripti, per me in teſtimonium præmiſſorum. Acta fuerunt hæc Brivatæ in dicto capitulo Brivatenſi præſentibus domino Jacobo Auroza preſbytero, magiſtro Bernardo Bachalar phyſico, Durando Vedrinas clerico diœceſis ſancti Flori, teſtibus vocatis ad præmiſſa ſpecialiter & rogatis, anno, die Jovis, indictione, pontificatu ſupra primò dictis. Et ego Hugo Javalgues clericus diœceſis ſancti Flori auctoritate apoſtolica & imperiali notarius & tabellio publicus præmiſſis requiſitioni, exhibitioni, intimationi, publicationi, lecturæ, recognitioni & præſtationi dictorum juramentorum, cæteriſque omnibus & ſingulis ſupradictis, dum, ſicut præmiſſum eſt, agebantur præſens una cum dictis teſtibus interfui, & prædicta omnia & ſingula manu propria ſcripſi, & in hanc publicam formam redegi, & ſigno meo conſueto ſignavi in teſtimonium præmiſſorum, per dictum bajulum & procuratorem dicti venerabilis capituli Brivatenſis requiſitus & rogatus, anno, die, loco, capitulo, indictione, pontificatu & teſtibus ſupra declaratis.

XXI.

Bulla Martini hujus nominis papæ V. qua octogenarius canonicorum & præbendarum Brivatenſium numerus, ad ſexaginta præbendas, & quinquaginta novem canonicos redactus fuit; erectis tribus ſacerdotalibus præbendis, & exſtinctis viginti & una præbendis non ſacerdotalibus.

MARTINUS epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto filio priori Voltæ, ſancti Flori diœceſis, ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Regimini univerſalis Eccleſiæ, diſponente Domino, præſidentes, curis aſſiduis angimur & ſollicitudinis puſſamur aſſiduitate, ut circa ſtatum eccleſiarum omnium, præſertim Romanæ Eccleſiæ immediate ſubditarum, ſalubriter dirigendum ſoleter intendamus, ac numerum perſonarum in eis Altiſſimo famulantium ſic ordinatione provida limitemus, quod ſuperflua illarum multitudo proviſione non careat, nec ex paucitate dignum Deo ſervitium ſubtrahatur. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilectorum filiorum capituli eccleſiæ ſancti Juliani Brivatenſis, eidem eccleſiæ Romanæ immediate ſubjectæ, S. Flori diœceſis, petitio continebat quod ipſa eccleſia S. Juliani in qua præter præpoſituram, quæ principalis & ad quam quis per electionem aſſumitur, ac decanatum qui inferior, inibi dignitates, numerus octuaginta canonicatuum & totidem prebendarum, quarum ſeptem ſacerdotales & hebdomadariæ, ac alia quæ eleemoſinaria nuncupatur, inſtitutæ exiſtunt a ſui primæva fundatione pro tot canonicorum, etiam inibi hujuſmodi præpoſituram & decanatum obtinendum, aliarumque perſonarum in ea deſervientium perſonarum ſuſtentatione, & eorum & dictæ eccleſiæ onerum ſupportatione ac ſtatu ſatis opulenter, ſufficienter dotata fuit: paſſim in guerris, mortalitatibus & aliis infauſtis caſibus quibus partes illæ diutius afflictæ fuere cauſantibus, ad tantam devenit inopiam quod ipſius ſeu menſæ capitularis ejuſdem, ſupportatis oneribus, fructus, redditus & proventus pro ſexaginta ejus canonicis inibi pro tempore reſidentibus vix ſufficere valent, cum ſinguli ipſorum canonicorum ex fructibus canonicalium prebendarum ultra triginta libras Turonenſes pretium annuatim non percipiant, ac etiam in ea horis diurnis & nocturnis, præter peculiares quæ inibi celebrantur, ſingulis privatis quatuor, feſtivis vero duplicibus diebus tres, ac in Quadrageſima quinque miſſæ ad notam decantantur. Quas omnes canonici hebdomadarii celebrare habent, quod eis non modicum redditur oneroſum; ac inſuper certi pueri choriales ſoliti ſunt in ea officia hujuſmodi & horas canonicas legere & cantare, ac alias in choro ibidem in Divinis ſervire quibus ob hoc de vitæ neceſſariis ſufficienter proviſum non exiſtit, congrua proviſio fieri poteſt. Cum autem ſicut eadem petitio ſubjungebat, præfati capitulum ſperarent quod ſi ex hujuſmodi non ſacerdotalibus prebendis tres ex eis primo quovis modo vacaturæ, etiamſi diſpoſitioni apoſtolicæ generaliter vel ſpecialiter reſervatæ forent, in ſacerdotales prebendas erigerentur & crearentur, ita quod hujuſmodi tres prebendæ erigendæ cum dictis ſeptem ſacerdotalibus

1423. *Plurima ſunt hujus nominis monaſteria.*

etiam hebdomadariæ nuncuparentur, ac canonici illas tres pro tempore obtinentes ad inſtar dictorum aliorum ſeptem canonicorum ſacerdotales præbendas ipſas pro tempore obtinentium preſbyteri exiſterent, & una cum eis miſſas, aliaque Divina officia celebrarent, ſervitia conſueta facerent, ac onera hujuſmodi ſupportarent; ac etiam ut poſtquam tres dictæ præbendæ in ſacerdotales erectæ eſſent, viginti una ex dictis aliis præbendis non ſacerdotalibus ſuppreſſis & extinctis, numerus canonicatuum & præbendarum ad quinquaginta novem, & totidem præbendas reduceretur; ita quod fructus, redditus & proventus viginti, menſæ capitulari perpetuo appropriarentur, incorporarentur, annecterentur, & unirentur; ac unius præbendarum non ſacerdotalium ſic extinctarum ad uſum & ſuſtentationem puerorum choralium præfatorum & magiſtri qui illos in cantu, litteratura, & aliis juxta ritum dictæ eccleſiæ inſtrueret, deputarentur: poſſent indubie eccleſiæ ſancti Juliani & ſtatui hujuſmodi, ipſorumque canonicorum, qui pro majori parte & plurimum nobiles fore noſcuntur, neceſſitati utiliter provideri, ac divinus cultus exinde in eadem eccleſia ſancti Juliani votivum & laudabile ſuſcipere incrementum. Pro parte capituli præfatorum nobis fuit humiliter ſupplicatum ut eis ſuper his oportune providere, ac quaſdam litteras quas ſe a nobis occaſione præmiſſorum obtinuiſſe, & ad quarum executionem nondum ut aſſerunt, eſt proceſſum, tanquam eis minus utiles caſſare de benignitate apoſtolica dignaremur. Nos igitur de præmiſſis certam notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus quatenus vocatis qui fuerint evocandi, de præmiſſis omnibus & ſingulis & eorum circumſtantiis univerſis authoritate noſtra te diligenter informes; & ſi per informationem hujuſmodi repereris ea veritate fulciri, ac in utilitatem & incrementum hujuſmodi cedere evidenter, ſuper quibus tuam conſcientiam oneramus, tu litteris eiſdem authoritate prædicta per te caſſatis & pro incertis nuntiatis, tres ex aliis non ſacerdotalibus, & non eleemoſinaria nuncupata, præbendis hujuſmodi ſimul vel ſucceſſive primo vacaturis cum eorum canonicatibus in ſacerdotales præbendas cum ſimili onere quo aliæ ſacerdotales præbendæ prædictæ eſſe cenſentur & habentur, ita illas pro tempore obtinentes ad inſtar aliorum canonicorum preſbyterorum ad ſacerdotium perpetuo teneantur & ſint aſtricti erigere, convertere, & creare, necnon viginti unam ex aliis non ſacerdotalibus & eleemoſinaria nuncupata, præbendis ipſis cum eorum canonicatibus poſt dictas tres præbendas cum ſimul vel ſucceſſive vacaverint perpetuo ſupprimere & prorſus extinguere ac illas & earum fructus, redditus & proventus unius videlicet in hujuſmodi uſum & ſuſtentationem puerorum & magiſtri, reliquarum vero viginti in communes eccleſiæ & menſæ prædictorum utilitatem necnon onerum hujuſmodi ſupportationem integre convertendos appropriare, aſſignare, incorporare, annectere, & unire procures; ſtatuens authoritate præfata quod donec dictæ tres præbendæ erigendæ in ſacerdotales præbendas erectæ fuerint, & ad dictum numerum quinquaginta novem canonicatuum & totidem præbendarum deventum fuerit, nullus tam apoſtolica quam alia quavis authoritate in dicta eccleſia S. Juliani in canonicum recipi ſeu ad aliquam dictarum extinctarum præbendarum admitti poſſit & debeat. Et quod idem numerus quinquaginta novem canonicatuum & totidem præbendarum inibi perpetuo inviolabiliter obſervetur; non obſtantibus conſtitutionibus apoſtolicis, ac de dicto numero & de ceteris ſtatutis & conſuetudinibus ipſius eccleſiæ S. Juliani, quibuſcumque contrariis, juramento, confirmatione apoſtolica, vel quacumque firmitate alia roboratis, aut ſi aliqui apoſtolica vel alia quavis authoritate in eadem eccleſia ſancti Juliani in canonicos ſint recepti, vel ut recipiantur inſiſtant, ſeu ſi ſuper proviſionibus ſibi faciendis de canonicatibus & præbendis ipſius eccleſiæ S. Juliani ſpeciales, vel aliis beneficiis eccleſiaſticis in illis partibus generales dictæ ſedis vel legatorum ejus litteras impetrarint etiam ſuper eas ad inhibitionem, reſervationem & decretum vel alias quomodolibet ſit proceſſum; quas quidem litteras & proceſſus earum vigore habitos & habendos ſacerdotales erigendas ac etiam extinguendas præbendas hujuſmodi volumus non extendi, ſed nullum per hoc eis quoad executionem canonicatuum & præbendarum aut beneficiorum aliorum præjudicium generari & quibuſlibet aliis privilegiis, indulgentiis, ac litteris apoſtolicis generalibus vel ſpecialibus, quorumcumque tenorum exiſtant, per quæ præſentibus non expreſſa vel totaliter non inſerta, effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri vel de quibus quorumcumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda ſit in noſtris litteris mentio ſpecialis. Nos enim ex nunc irritum decrevimus & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis authoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Datum Romæ apud ſanctum Petrum II. Id. Januarii, pontificatus noſtri anno ſeptimo.

XXII.

Excerpta & ſummaria veterum inſtrumentorum ad cœnobium Aureliacenſe pertinentium.

Diploma Caroli regis, quo notum facit quod illuſtris viri ac dilecti comitis Geraldi miſſi cum monachis accedentes deprecati ſunt, ut monaſterium quod eſt in pago Arvernico ſitum nomine Autilacus, ubi abbas Aldegarius præeſſe videtur, ſub regio mundiburdo ponat; cui ſupplicationi annuit. Datum IV. nonas Junii, Ind. II. an. VII. Karolo ſereniſſimo rege, apud Bituricum.

Aliud ejuſdem Caroli præceptum quo viro inluſtri Geraldo comiti concedit, ut monaſterium quod conſtruxit ponatur in tuitione regia ac mundeburdo, eidemque cœnobio conceſſa confirmat. Dat. IV. nonas Julii, Ind. II. an. VII. regnante ſereniſſimo rege Karolo, apud Liturnum.

Diploma Ludovici Francorum regis, in obſidione Caſtri-Noneda *, ad inſtantiam & preces Petri abbatis an. M. C. LXIX. datum, quo cœnobio Auriliac. olim conceſſa prædia ac privilegia, maxime per præceptum Caroli regis ſui anteceſſoris, iterum concedit & confirmat. Addit inhibitionem cujuſlibet ædificii conſtruendi, unde damnum oriri monaſterio poſſet; & facultatem dat monachis poſſeſſiones ſuas *meliorandi*. Actum apud Nonedam an. ab Incarn. M. C. LXIX.

* Nonnete le Beau.

Ex codicillo Raimundi comitis Toloſani, Ruthenenſis & Gothiæ marchionis.

Illo alode de Pomeriol, & illo alode de Totnayo, & illo alode de Mala-valle, quod de illos monachos de Aureliaco, & de ipſos abbate acquiſivi, S. Petri, & S. Geraldi (Auril) ad ipſo cœnobio remaneat. . . . . illo alode de Langiaco quod vocant S. Afra, Stephano remaneat. Poſt ſuum diſceſſum ad verum filium ſuum, cui ille donare voluerit, & poſt diſceſſum illorum, S. Petri & S. Geraldi Aureliaco remaneat.

Digitized by Google

XXIII.

Compoſitio inter epiſcopum Clarom. & abbatem ac monachos de Maurtio ex una parte, & dom. Germanum de Pomeriis, & fratrem ejus N. domicellum ex altera parte, de nonnullis juribus.

AN. M. CCC. XLII. compoſitio facta fuit ſuper juribus & juriſdictione, quæ habent epiſcopus Claromontanus, & abbas de Mauricio ex una parte, & domnus Germanus de Pomeriis & frater ejus N. domicellus ex altera, in eodem loco Maurcio. Anno vero M. CCC. XLIII. compromiſſum factum fuit inter B domnum epiſcopum, & abbatem Maurcii, ad cauſam homagii. An. M. CCCC. XX. factum fuit feudum dom. epiſcopo de medietate juſtitiæ abbatiæ Maurcii, & de omnibus rebus quæ movent de feudo dom. epiſcopi ratione dictæ abbatiæ.

In tabulario dom. epiſc. Clarom. capſa V. ſunt litteræ donationis medietatis villæ de Maurs factæ abbati dicti loci. not. D. XXII.

XXIV.

Bulla Urbani papæ II. pro parthenone Blazilienſi.

URBANUS epiſcopus . . . . . dilectæ in Chriſto filiæ Florentiæ abbatiſſæ monaſterii S. Petri * C de Blazilia, & eis quæ in ipſius loci regimine ſucceſſerint regulariter in perpetuum. Ad hæc nos diſponente Domino in apoſtolicæ ſedis ſervitium promotos agnoſcimus, ut ejus filiis auxilium implorantibus, efficaciter ſubvenire, & ei obedientes tueri ac protegere, prout Dominus dederit, debeamus. Unde oportet nos venerabilibus locis manum protectionis extendere, & ſervorum atque ancillarum Dei quieti attentius providere.

* Bleſle.

Tuis igitur, dilecta filia in Chriſto Florentia, precibus annuentes, B. Petri de Blazilia monaſterium in Arvernenſi comitatu ſitum, cui Deo auctore præſides, ab Ermengarda comitiſſa conſtructum & Romanæ eccleſiæ traditum ſub jure & protectione ſedis apoſtol. ſuſcipimus, quemadmodum a prædeceſſoribus noſtris D conſtat eſſe ſuſceptum. Per præſentem itaque privilegii paginam apoſt. auctoritate ſtatuimus ut quæcumque intra cœnobium hodie juſte poſſidet, vel in futurum juſte & canonice poſſidebit, & poterit adipiſci, in cellis, in eccleſiis, in villis, & in cæteris rebus mobilibus ſive immobilibus, tibi tuiſque ſororibus tam præſentibus quam futuris regulariter victuris, firma ſemper & illibata permaneant.

Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat idem cœnobium temere perturbare, aut ejus poſſeſſiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, vel temerariis vexationibus fatigare; ſed omnia integra conſerventur, earum pro quarum ſuſtentatione ac gubernatione conceſſa ſunt uſibus omnimodis profutura, E ſalvo canonico ſedis apoſtol. jure. Ad indicium autem hujus perceptæ a Romana eccleſia libertatis, per ſingulos annos quinque monetæ veſtræ ſolidos Lateranenſi palatio perſolveris. Si quis ſane in craſtinum archiepiſcopus, epiſcopus, imperator aut rex, princeps aut dux, aut comes, aut vicecomes, judex, aut quælibet eccleſiaſtica vel ſecularis perſona ſciens hujus privilegii paginam, contra eam venire temere tentaverit, ſecundo vel tertio commonitus, ſi non ſatisfactione congrua emendaverit, poteſtatis honoriſque ſui dignitate careat &c.

Exſtat fere ſimilis pro Blaſilienſibus monialibus bulla Alexandri papæ III. in qua meminit privilegiorum A ipſis conceſſorum a ſummis pontificibus Sergio & Calixto; enumeratque præcipuas monaſterii poſſeſſiones, villam ubi ſitum eſt monaſterium, cum omnibus pertinentiis ſuis, eccleſias S. Saturnini & S. Stephani cum omnibus ad eas pertinentibus, inſuper decimam ſuorum novalium. Datum apud Tuſculum per manus Gratiani S. R. E. ſubdiaconi & notarii XV. Kal. Martii an. Incarn. Dom. M. C. LXX. pontific. dom. Alexandri papæ III. an. XI.

XXV.

Litteræ Beraldi domini de Mercorio beneficii a Blazilienſibus virginibus accepti memoris. *Ex autheutico.*

NOs Beraldus, dominus Mercorii, miles, conſtabulus Campaniæ, notum facimus univerſis præſentes litteras inſpecturis, quod cum religioſa domina Aclis abbatiſſa Blaſiliæ, ex quitta & mera liberalitate ſua, licet non teneretur ad hæc, conceſſerit & dederit nobis viceſimam unius annatæ ſemel percipiendæ ab hominibus ſuis, bonorum eorumdem, ad & in ſubſidium expenſarum a nobis factarum pro noſtra captione, & pro aliis negotiis, quæ nobis hactenus emerſerunt. Quam quidem viceſimam dictorum bonorum nos recepimus & percepimus ab omnibus. Nos recognoſcentes eidem abbatiſſæ ſupradictam gratiam nobis factam, promittimus pro nobis, & ſucceſſoribus noſtris, bona fide, quod per iſtam gratiam non intendimus nec volumus dictæ dom. abbatiſſæ nec conventui ſuo, nec ejus hominibus ſeu ſucceſſoribus, nec eorum privilegiis ſeu libertatibus eorumdem, nec dictæ villæ Blaziliæ ullo unquam tempore præjudicium generari, nec nobis ſeu ſucceſſoribus noſtris per hoc aliquod jus adquiri: & nos concedere dictæ abbatiſſæ litteras domini Regis conſimiles, quandocunque ab ipſa, vel ab altero nomine ipſius fuerimus requiſiti: in cujus teſtimonium & perpetuo firmitatem habendam ſigillum noſtrum præſentibus appoſuimus. Datum die Dominica ante feſtum omnium Sanctorum, anno Dom. M. CCC. IX. *Sigillum exhibet tres faſcias, quæ ſunt Mercoriana domus inſignia.* 1309.

XXVI.

Quædam homagia quæ Claromontenſibus epiſcopis præſtita ſunt ab abbatiſſis de Caſis. * *Ex tabul. ep. Clarom.*

* Les Chaſes.

NOs Margarita humilis abbatiſſa de Caſis, diœceſis Clarom. notum facimus univerſis præſentes litteras inſpecturis, quod nos tenemus, & in veritate recognoſcimus tenere, & abbatiſſas anteceſſores noſtras ab antiquo tenuiſſe a R^do. in Chriſto Patre domno Claromontenſi epiſcopo, monaſterium & villam de Caſis, cum ſuis pertinentiis; & propter hoc juramus, & jurare teneri profitemur ſucceſſores noſtras dicto domino & ſucceſſoribus ſuis canonice ſubſtituendis fidelitatem: & prædictas ſucceſſores noſtras facere & jurare teneri fidelitatem. In cujus rei teſtimonium ſigillum noſtrum præſentibus duximus apponendum. Datum Dominica qua cantatur *Miſericordias Domini*, anno ejuſdem M. CC. LXXVII.

Anno 1255. Willerma abbatiſſa, & an. 1270. Guillelma abbatiſſa fevum & homagium fecerant de ſua abbatia. *Ex eodem tab.*

Anno M. CCC. XLVI. Iſabella de Langeaco abbatiſſa de Caſis recognovit ſe habere a dom. epiſcopo Claromontano abbatiam ſuam & villam de Caſis, villam S. Arcontii, eccleſiam de Scalgue, decimam de Alneta & alia multa, pro quibus fevum fecit & fidelitatem juravit dom. epiſcopo; ſuum & Iſabella de Langeaco abbatiſſa quoque de Caſis fecit an. M. CCC. LXII. & aliæ tum prædeceſſores, tum ſucceſſores earum.

Digitized by Google

XXVII.

Anniverſaria abbatiſſarum de Caſis ex veteri codice.

IV. Id. Januarii obiit Adalais abbatiſſa.

VI. Kal. Febr. ob. nobilis domina Maria de Auberia abb. & Iſabella de Fayetta abb. de Caſis quæ obiit an. M. D. LXIII.

Menſe Febr. XIV. Kal. Martii ob. Guarda abb.

Menſe Martio XVII. Kal. Aprilis ob. Stephana abb. *Eam eſſe Stephanam putamus cujus mater Lucia de Caniliaco mortua notatur Calendis Decembris in eodem necrologio, ex quo hæc ſunt deſumta.*

IX. Kal. Aprilis ob. Antonia de Chalancon abbatiſſa penſionaria de Caſis, & domina Gabriella de la Fayette abb. devoti monaſterii de Caſis. Et obitus Beatricis de Vergezaco bonæ memoriæ abb. de Caſis.

Menſe Aprili III. Kal. Maii ob. Blancha de Seiſſac abb. de Caſis.

Menſe Maio Kal. Maii ob. Adalais abb. de C.

III. Nonas Maii obiit Kanta (al. Lanta) abb. de C.

XVI. Kal. Junii ob. dom. Antonia de Chalancon abb. de C. quæ fecit ædificare magnam turrim & magnam portam dictæ, domus & ob. an. M. CCCC. XXXIII.

Menſe Junio VI. Kal. Julii ob. nob. dom. Gabrielis de la Fayetta abb. de C. quæ fecit facere clauſtra an. M. D. XXXI.

Menſe Julio VII. Kal. Auguſti ob. nobilis Iſabellis de Langeaco abb. de Caſis.

Menſe Aug. Kal. Auguſti ob. Sibylla abb. de Blanda (*forte* de Blanza, Bleſſe) quæ quondam fuerat abb. de Caſis.

XXVIII.

Homagia quæ Piperacenſes abbates epiſcopo Claromontenſi fecerunt ex M. S. codice Maudunenſi. * Maurus.

NOs Armandus humilis abbas monaſterii Piperacenſis ord. S. Auguſtini diœceſis Claromontenſis, notum facimus univerſis præſentes litteras inſpecturis, quod confitemur & in veritate recognoſcimus, nos tenere, & prædeceſſores noſtros hactenus ab antiquo tenuiſſe in feudum a reverendo in Chriſto D. Clarom. epiſcopo & prædeceſſoribus ſuis, videlicet abbatiam noſtram de Piperaco, & gyrum abbatiæ noſtræ prædictæ Piperacenſis, villam de Mongavillo, & alia. Et propter hoc juramus, & jurare teneri profitemur ſucceſſores noſtros dicto Domino & ſuis ſucceſſoribus canonice ſubſtituendis fidelitatem facere, & jurare teneri. In cujus rei teſtimonium ſigillum noſtrum duximus apponendum. Actum an. Dom. M. CC. LXXV.

Idem quoque fecerunt Stephanus abbas an. 1331. G. electus abbas an. 1344.

Idem homaginm fecit Hugo abbas Piperaci Henrico epiſcopo Clarom. an. 1379.

XXIX.

Ex veteri codice agrorum vectigalium abbatiæ Piperacenſis, vulgo Papier terrier, *variæ donationes Piperaco factæ.*

QUoniam ad multorum audientiam congruum eſt pervenire qualiter ut a quibus domnus noſter Petrus in primo Piperacenſem eccleſiam habuerit, quibuſque donis ipſam eccleſiam Deus ob Genitricis ſuæ amorem & ſancti viri religionem poſtmodum ditaverit, ne rei veritas poſteros queat latere, litterarum monimentis mandare provida deliberatione decrevimus.

A Noverit itaque preſens ætas, omniumque ſecutura poſteritas, quia (anno Domini M. LXII. *) cum præfatus Dei ſervus, divina virtute ſuffultus carnis illecebras devitaret, & regulari canonicorum jugo colla ſubmitteret, ut divino cultui tantundem vacaret, non ſimoniaca peſte pollutus, prælibatam accepit eccleſiam ab ipſo Durando venerabili Arvernorum epiſcopo, & Augerio ejuſdem eccleſiæ capellano; & etiam a quibuſdam laïcis principibus, qui in illis temporibus illam ipſam jure hereditario poſſidebant, videlicet Audigerio de Taglac, & Willelmo de Piperaco, & Stephano, & Dalmatio fratribus ejus, & quidquid eorum ſvales in poſterum dare voluerunt. Præterea Raimundus de Digons, & Pontius Caſlanus, & Petrus Rainaldi, quidquid in eadem eccleſia tenebant, Deo & SS. viro penitus dederunt. Quo in loco dum corpus jejuniis attenuaret, &, ut mos eſt talium, vigiliis pernoctaret; fama ſuæ ſanctitatis creſcente, omnes incolæ loci illius ardenti animo dilexerunt, & ſuis honoribus ampliarunt: præterrus * namque pontifex cum relatu multorum & diſcretiſſimorum, eum Dominicæ vineæ non inertem acciperet cultorem, & ſarmentorum ſterilium verbi Dei gladio mirabilem intelligeret amputatorem, quamplures eccleſias communi capitulo Claromontenſium canonicorum, & maxime in audientia domni Anſelmi decani & Willelmi de Ergino &c. . . . . imperio ſuo regendas nutu poſſeſſorum attribuit. Hæc autem ſunt nomina earum: Eccleſiam S. Vincentii &c.

* *Quæ parentheſi clauduntur, recentiori manu ſunt ſcripta.*

* *f.* pretaxatus.

XXX.

Donatio eccleſiarum Vetulæ Brivatæ.

C IN nomine Dei ſummi, & intemeratæ matris Domini, ejuſque almi martyris Vincentii, necnon Andreæ & Magni, eccleſias de Vetula-Brivata quæ antiquitus Brivatenſis eccleſiæ poſſeſſio habetur, ego Stephanus filius Bernardi reddo & commendo, & dono Deo & ſanctæ Mariæ Piperacenſis eccleſiæ, & domno prælato Petro, & cæteris fratribus ejus ſubjectis, necnon & eorum ſucceſſoribus &c. . . . . hoc donum Phylippo rege factum.

XXXI.

Durannus Clarom. epiſcopus donat eccleſiam S. Saturnini de villa nunc dicta La Mothe.

D ANno Incarnationis Domini milleſimo LXII. * domnus Durandus epiſcopus Claromontenſis eccleſiæ, dedit beatæ Mariæ de Piperaco & domno Petro præpoſito ſupradicti loci & cæteris canonicis Deo ibi ſervientibus, eccleſiam S. Saturnini quæ vulgari lingua dicitur villa, in præſentia perſonarum eccleſiæ Claromontenſis, ſcilicet domni Anſelmi decani. . . . . hoc donum factum eſt in menſe Maio feria V. papa Urbanus * IV. gubernat Eccleſiam Dei.

* *Corruptæ ſunt hæ notæ chronicæ.*

* *Gravis error.*

In nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, incipit breve commemorativum de dono quod fecit domnus Durandus Arvernenſis eccleſiæ epiſcopus Deo & beatæ Mariæ Piperacenſis eccleſiæ domnoque Petro præfati E loci præpoſito . . . . . poſt donum vero prædicti epiſcopi laudavit idem donum Petrus vir nobiliſſimus caſtri Bulidonenſis, teſtes ſunt . . . . . abbas Brivatenſis Raculfus.

Ego Durandus Claromontenſis epiſcopus dono eccleſiam S. Boniti de Medeirolas S. Mariæ de Piperaco, & Petro ejuſdem loci præpoſito & ſucceſſoribus. Hujus doni teſtes ſunt Anſelmus decanus &c.

Notum ſit omnibus . . . quod Stephanus de Valle & uxor ſua & filii ejus dederunt Deo & ſanctæ Mariæ de Piperaco & domno Petro ejuſdem eccleſiæ præpoſito, aſſenſu Duranni Clarom. epiſcopi ambas eccleſias de Aniceto, & eccleſ. S. Sebaſtiani de Valorſeira. Quapropter canonici Piperacenſes fecerunt canonicum Willelmum de Valle filium ejus.

Regnante

Digitized by Google

Flagiac. *ibid. fol. 17. verſo.*

Regnante Jeſu Chriſto in perpetuum tam poſterorum memoriæ quam præſentium, officio ſtili deſignamus quod Bliſmot domina de Flagiaco dedit Deo. & beatæ Mariæ de Piperaco. & domno Petro capellam ejuſdem loci.

Taillac. *in terrario S. Petri fol. 15.*

Durannus, Arvernorum eccleſiæ epiſcopus, dedit domno Petro Piperacenſis eccleſiæ præpoſito eccleſiam de Tautlac &c.

Chaſelles *fol. 18.*

Notum ſit omnibus ..... quod Stephanus Calvus, ſacerdos, de ſalute ſua ſollicitus, medietatem eccleſiæ S. Petri de Chaſelas, & vineam quæ dicitur Clauſum-Deo, & S. Mariæ de Piper. & domno Petro ejuſdem eccleſiæ prepoſito dedit & conceſſit. Qua de re in poſterum factus eſt Piperaci canonicus ..... regnante Philippo & præſulante Duranto.

Inſpirante Domino Jeſu, qualiter de eccleſia S. ac beatiſſimi martyris Andeoli peractum eſt pernotare proponimus. Cum per orbem, illuſtriſſimi ac ſanæ mentis viri longe lateque Domino Deo ſuorum actuum & cogitationum placere ſtuderent, quidam inter illuſtres illuſtris, & boni muneris non tardior ipſi placere non diſtulit, videlicet domnus Herimandus vicecomes *. Quapropter eccleſiam beati martyris Andeoli omnipotenti Deo fabricari conſtituit, quam non mediocriter de ſuis & obtimis hereditari placuit, terris videlicet ..... Proinde præfatus Stephanus Arvernorum epiſcopus ſupradictam eccleſiam, & quantum ad eam reſpicere videbatur, conſilio patris ſui, Deo, & S. Piperaci monaſterio, & domno Petro ejuſdem loci præpoſito gratanter iterum attribuit. Unde miſſos ibidem canonicos &c.

* *De Polignac.*, Polignac.

S. Pons en Vivarez. *in terrar. fol. 14. verſo.*

Exiſtimantibus & cogitantibus Geraldo Duſſel & uxore ſua de recuperatione amoris Chriſti, & de ſalute animarum ſuarum & parentum ſuorum, dederunt Deo & beatæ Mariæ de Piperaco, domnoque Petro primo præpoſito ac viro religioſiſſimo eccleſiam S. Pontii * .... donante & concedente Geraldo epiſcopo Vivarienſi, donantibus & concedentibus ſuffraganeis & rectoribus .... poſtea deffuncto ſupradicto præpoſito, & Bernardo religioſo viro in abbatia ſublevato &c. & videns eccleſiam ipſam a canonicis honorari, compunctus divino amore, reliqui omnem honorem eccleſiæ domno Bernardo.

* S. Pons en Vivarez.

Julius epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis Johanni abbati & conventui monaſterii Piperaci ordinis ſancti Auguſtini, ſancti Flori diœceſis, ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Expoſcit veſtræ devotionis ſinceritas, & religionis promeretur honeſtas, ut tam vos, quos ſpeciali dilectione proſequimur, quam monaſterium veſtrum, dignis attollamus honoribus. Hinc eſt quod nos vos & veſtrum quemlibet a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & penis a jure vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati eſtis, ad effectum preſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes & abſolutos fore cenſentes, veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati, ut tu ſcilicet abbas, cujus predeceſſores dicti monaſterii abbates, qui pro tempore fuerunt, baculo paſtorali uti, & religioſis dicti monaſterii primam clericalem tonſuram conferre, & ornamenta eccleſiaſtica benedicere, ut aſſeritur, conſueverunt; & ſucceſſores tui dicti monaſterii abbates pro tempore exiſtentes mitra, annulo & aliis pontificalibus inſignis ubicumque libere uti, ac benedictionem ſolemnem poſt miſſarum, veſperarum, & matutinarum ac aliarum horarum ſolemnia, necnon etiam per vias in proceſſionibus, dummodo ibidem tunc loci ordinarius ſeu apoſtolicæ ſedis legatus preſens non fuerit, ſuper populum elargiri perpetuis futuris temporibus libere & licite poſſis ac poſſint; felicis recordationis Alexandri papæ IV. prædeceſſoris noſtri, quæ incipit Abbates, & aliis conſtitutionibus & ordinationibus apoſtolicis ceteriſque contrariis nequaquam obſtantibus, authoritate apoſtolica, tenore præſentium de ſpecialis dono gratiæ indulgemus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ abſolutionis & indulti infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri & Pauli apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo octavo, ſexto Id. Septembris, pontificatus noſtri anno quinto.

INSTRUMENTA AD ECCLESIAM LEMOVICENSEM SPECTANTIA

I.

Jordani epiſcopi Lemovicenſis epiſtola ad Benedictum VIII. papam, de non ponendo S. Martiali in numero apoſtolorum.

Domno ac venerabili, Deo & hominibus dilecto, papæ noſtro Benedicto, Robertus Dei gratia rex Francorum, Guillelmus dux Aquitanorum, archiepiſcopus Bituricenſis, archiepiſcopus Burdegalenſis, archiepiſcopus Turonenſis, omneſque eorum ſuffraganei, necnon Iſambertus Pictavenſis, Arnaldus Petroguoricenſis, Iſolo, Roo, ceterique eorum confratres, Jordanus epiſcopus Lemovicenſis, qui hanc cartam ſcribere juſſit, hi omnes domno apoſtolico ſalutem & dilectionem. Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum ſcimus & credimus duodecim ſibi elegiſſe apoſtolos, quibus dedit poteſtatem ligandi atque ſolvendi; ex quibus cecidit unus nomine Judas, in cujus locum ceteri apoſtoli elegerunt alium nomine Mathiam, ut duodenum reſtaurarent numerum; in quorum conſortium Dominus noſter alios ſeptuaginta duos ſibi elegit, quos & diſcipulos vocavit, ex quibus beatus Petrus princeps apoſtolorum unum ſibi elegit nomine Martialem, qui una cum illo aderat ante preſentiam Domini noſtri Jeſu Chriſti; & ad cenam, & ubicumque Dominus noſter aliquod ſuis apoſtolis oſtendebat miraculum, beatus Martialis cum S. Petro interfuit. Sed poſt ſanctam Domini Reſurrectionem ac Aſcenſionem beatus Martialis, qui fuit ex ſeptuaginta duobus diſcipulis unus, beato Petro adherebat; quem Martialem beatus Petrus cum duobus preſbyteris Alpiniano & Auſtricliniano Gallicam gentem prædicare tranſmiſit. Illi vero iter carpentes, venerunt Elſam; ibi mortuus eſt Auſtriclinianus unus ex preſbyteris. Inde ſtatim beatus Martialis rediens Romam, ſancto apoſtolo unum ex comitibus ſuis mortuum nuntiavit; cui apoſtolus ait: Sume tibi baculum iſtum, & cum pervenias ad corpus, tange iſtud iſto meo baculo, & dic: In nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti ſurge, Auſtricliniane. Deus erit comes itineris tui. Beatus Martialis juſſa S. apoſtoli implevit, tetigit corpus Auſtricliniani, & ſtatim ſanus effectus eſt; inde proficiſcentes, venerunt Lemovicam civitatem. Ibi invenerunt Stephanum ducem cum tota familia ſua idola adorantem, quem ſtatim Evangelicis prædicavit verbis, ad chriſtianitatem convertit, & cum tota familia ſua baptizavit. In

Digitized by Google

eo autem templo ubi ipſe dux ante adorabat idola A vana & ſurda, beatus Martialis cum duobus ſuis preſbyteris Alpiniano & Auſtricliniano, adjuvante duce Stephano, baſilicam conſtruxit, & in honore B. Stephani primi martyris dedicavit; ibi Divina celebravit miſteria, ammonuit, docuit, uſquedum totam Aquitanicam gentem a via erroris ad veram vitam, quæ Chriſtus eſt, perduxit; tandiu ibi miſſarum ſolemnia celebravit, uſquedum ante ipſum altare protomartyris Stephani finivit, & cum magna angelorum reverentia animam Deo reddidit; dux vero Stephanus cum magno honore corpus illius foras civitatem ſepelivit, in eo loco ubi ipſe ſanctus Martialis eccleſiam in honore S. Petri ſui magiſtri ædificavit. S. Aurelianus ſucceſſor illius quem ipſe S. Martialis de inferno traxit, Ebulus, B Aticus, Ermogenianus aliique ejus ſucceſſores uſque triginta ſex; ego vero ſeptimus qui vocor Jordanus omnium infimus, hi omnes pro ſanctiſſimo confeſſore eum habuerunt. Similiter omnes abbates in ejus monaſterio habitantes uſque in hodiernum diem. Iſte abbas, qui nunc eſt, novitate deceptus, ſuperbia elatus, venit ad me, qui ſum vilior meis anteceſſoribus, deprecans ut in conſilio meo & in ſinodo ſanctiſſimum confeſſorem in numero ponerem apoſtolorum, quod facere nolui. Ille perſeverans dictis, fidem quam habuit, cum duodecim monachis illius monaſterii, mihi promiſit ut cum auctoritate in omni concilio me deffenderet. Hoc facere non potuit in concilio Guillelmi Aquitanorum ducis, audiente archiepiſcopo Bituricenſi, Iſemberto Pictavenſi, ceteriſque eorum C ſuffraganeis. Omnes epiſcopi Francorum, Alvernorum, Vaſconum, Aquitanorum, cum quibus ego fui locutus, comprobant & confirmant ſanctiſſimum confeſſorem Martialem non debere tollere de illo loco ubi ſancti patres & noſtri anteceſſores eum poſuerunt, & non eſſe apoſtolatum niſi auctoritate comprobatum. Talem dicunt rationem: Si ego S. Martialem, qui fuit ex ſeptuaginta duobus, in numero ponam apoſtolorum, illi omnes ſeptuaginta duos in numero ponunt apoſtolorum, & ubi eorum corpora condiuntur, ipſum locum pro apoſtolatu tenere; tibi vero ego Jordanus has litteras mitto de parte iſtorum prædictorum, regis ſcilicet Roberti, Guillelmi ducis Aquitanorum, archiepiſcoporum omnium, videlicet catholicorum, qui mihi contradicunt ne ſanctum Martialem D in numero ponam apoſtolorum. Tu autem ſi auſus es hoc facere quod non fecerunt ſancti tui anteceſſores Gregorius, Clemens, Bonifacius, multi alii, ut ponerent confeſſores inter apoſtolos, ſi peccatum eſt, tuum ſit; ego ero liber a culpa, neque iniquitas neque peccatum meum; voluntatem omnium Aquitanorum tibi monſtrabo, quia ille abbas ſeductor nulla alia cauſa hoc facit, niſi quia vult deſtruere ſedem epiſcopalem primi martyris, & apoſtolatum S. Petri advilare. Per iſtius cartæ portitorem litteras mihi mitte, & per omnia tuam voluntatem mihi manda. Ego ad preſens tecum loqui non potero, ſed quanto citius mihi erit poſſe, limina S. Petri adibo. Vale viriliter, age juſſa patrum, noli prevaricare. E

II.

Præceptum Ludovici imperatoris Regimperto epiſcopo Lemovicenſi conceſſum pro confirmatione doni [a] cellæ de Carantenago, facti eccleſiæ S. Stephani.

Ex chartario Lemovicenſi.

IN nomine Domini Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti Hludovicus Divina ordinante providentia imperator auguſtus. Si petitionibus ſacerdotum juſtis & rationabilibus Divini cultus amore favemus, ſuperni muneris donum nobis a Domino impertire credimus. Idcirco notum ſit omnibus fidelibus ſanctæ Dei Eccleſiæ, & noſtris tam præſentibus quam & futuris, quia vir venerabilis Regimpertus, Lemovicæ urbis epiſcopus, adiens ſerenitatem culminis noſtri, innotuit nobis eo quod quidam diaconus nomine Mathuſalem, ex canonica prædictæ urbis quæ eſt conſtructa in honore S. Stephani, jam dudum ei quaſdam res juris proprietatis ſuæ tradidiſſet, quæ ſunt in eodem pago Lemovicino, in loco nuncupante Carantenago, id eſt cellulam quam ipſe conſtruxerat, & in honore Domini & Salvatoris noſtri dicaverat. Sed ipſam cellulam tam ipſe, quam præfatus epiſcopus de rebus adquiſitis poſtea, largiente Deo, plenius ditaverunt, & omnes has res ad ſtipendia canonicorum in prædicta canonica degentium, in noſtra & eorum eleemoſina per eorum teſtamentum delegaverunt; ob quam cauſam petiit clementiam ſerenitatis noſtræ, ut ſuper hac re noſtrum præceptum ob firmitatis gratiam fieri juberemus, per quod noſtris & futuris temporibus, prædicta cellula cum omnibus ad ſe aſpicientibus vel pertinentibus, ad ſtipendia & uſus canonicorum prædictæ ſedis degentium proficerent. Cujus petitioni aſſenſum præbentes, ac noſtræ auctoritatis præcepto confirmantes, præcipimus atque jubemus ut nullus ex fidelibus noſtris tam præſentibus quam & futuris de prædictis rebus per cupidinem vel occaſionem aliquam . . . . . minuere . . . . . præſumat, ſed prædicta cellula cum omnibus ad ſe legaliter & rationabiliter aſpicientibus, ſicut ab eodem epiſcopo diſpoſitum atque ordinatum eſt, ita deinceps noſtris & futuris temporibus inviolabiliter conſervetur. Et nullus quilibet ex ſucceſſoribus jam prænominati epiſcopi eandem cellulam in beneficium alicui dare audeat, aut in alteros uſus retorquere præſumat; ſed ſicut ab illo & per illum conſtitutum, & per hanc noſtram auctoritatem confirmatum eſt, ita perpetuo maneat inconvulſum. Hæc vero confirmatio ut ab omnibus fidelibus ſanctæ Dei Eccleſiæ & noſtris verius credatur, & diligentius conſervetur, de anulo noſtro ſubter juſſimus ſigillari. Data [b] XVII. Cal. Auguſti, anno, Chriſto propitio, IV. imperii domni Hludovici piiſſimi auguſti, Indictione X. Actum Aquiſgrani palatio regio Durandus diaconus ad vicem Heliſachar recognovit. 818.

[a] Iſta cella videtur deſtructa, & nunc eſt eccleſia parochialis de Razes in territorio Lemovicino ſex leucis ab urbe diſtans.

[b] Eodem die & anno ab eodem imperatore Regimpertus epiſcopus accepit confirmationem privilegiorum eccleſiæ Lemovicenſis a Carolo-magno ejuſque prædeceſſoribus conceſſorum.

Digitized by Google

III.

Ex chartario Lemovicenſi.

Odacearis epiſcopi Lemovicenſis diploma, quo ſuæ eccleſiæ manſum Ramniaci donat.

833. IN nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti. Odacear exiguus epiſcopus ſana mente, integroque conſilio, mihi decrevit voluntas, ut aliquas res proprietatis meæ vobis fratribus ex canonica S. Stephani, matris eccleſiæ Lemovicæ civitatis, ubi ego ipſe præſul eſſe dinoſcor, & Ramnulfus præpoſitus, Hermoarius vero archiclavus, necnon & Boſynus decanus, pro animæ meæ remedio vel pro amore vitæ æternæ, ut pius Dominus pro veſtris ſanctis orationibus mihi veniam in die neceſſitatis tribuat. Idcirco cedo vobis manſum meum in pago Lemovicino, in centena Tarninſe, in loco ſive in villa cujus vocabulum eſt Ramnaco, quem quidam nobilis mihi perſona nomine Hiatafredus per chartam venditionis delegavit vel conceſſit, ipſum jam dictum manſum vobis cedo, trado, transfero atque transfundo, cum eccleſia in honore S. Sebaſtiani martyris, vilaris, pratis, paſcuis, ſilvis, aquis, aquarumve decurſibus, farinariis, vel omnibus adjacentiis ſuis, quæſitum vel * adinquirendum: omnia & ex omnibus quantumcunque in jam dicto loco poſſidere videor, vobis cedo, eo videlicet modo ut dum mihi vita comes fuerit, ipſum manſum uſufructuario mihi habere liceat, necnon & uno ex conſanguineis vel proximis meis, ſive amicis, quem ego ipſe elegero, poſt quando quidem meus venerit diſceſſus, ſimili modo ipſum jam dictum manſum uſurpet actenus; ut quandiu aliquis ex nobis ipſum uſufructuario poſſidet, tres ſolidos annis ſingulis ad feſtivitatem S. Stephani in hiemali jam dictis fratribus exſolvat; & poſt quoque noſtrum diſceſſum, ipſi clerici faciant de ipſas res quod voluerint, in illorum ſtipendia, licet in ceſſionibus neceſſe non ſit pœnas inferere. Tamen pro totius rei firmitate ego adſero ut ſi quis, ego ipſe, aut ullus de hæredibus meis, vel quælibet emiſſa perſona qui contra hanc ceſſionem a me factam vel roboratam aliquam inſultationem vel calumniam ingerere conaverit, ſua voluntas vel conatus in nullum obtineat effectum; & inſuper cui litem intulit, ſotio fiſco ſolidos DCC. coactus exſolvat. Et hæc ceſſio a me facta inconvulſa ac firma in ævum perduret ſtipulatione ſubnixa. Odacear exiguus epiſcopus hac ceſſione relecta ſubſcripſi. Signum Wiltario, Bernardus, Rodlandus, Bertridus. Signum Adalachar. Signum Odacero. Signum Chadolane. Signum Hydoino. Signum Auſtindo. Signum Bertrigo. Signum Sulpitio Ingilberto. Signum Laydulfo. Signum Fulrado. Facta ceſſione in menſe Januario anno XVIII. quod domnus Hludovicus ſumpſit imperium. Aldebertus rogatus ſcripſit & ſubſcripſit.

* Acquirendum.

IV.

Ex chartario eccleſiæ Lemovicenſis.

Pipinus Aquitanorum rex Stodilo Lemovicenſi epiſcopo concedit fiſcum Oziacum & villam Orzis.

PIPINUS opitulante Divinæ majeſtatis gratia Aquitanorum rex. Si enim locis omnipotenti Deo dicatis ob ardentiſſimum ejus amorem, veneratumque ſuorum omnium ſanctorum, quiddam ex noſtra largitione honoris conferimus, non tempora tantum Chriſto auſpici plenius regni noſtri gubernacula credimus exaltari, ſed ipſo ſuffragante futuræ beatitudinis quem non diffidimus adipiſci. Idcirco noverit omnium ſanctæ Dei Eccleſiæ catholicorum tam præſentium quam & futurorum induſtria, quia complacuit celſitudini noſtræ, more prædeceſſorum noſtrorum parentum, videlicet regum, qui ſuis temporibus, Dei eccleſias, meritis ſanctorum, donis ſuis exaltaverunt ac ornaverunt, unde hodie perenni gloria fruuntur; quendam glorioſiſſimum ſanctum, ſcilicet protomartyrem Stephanum Lemovicæ ſedis, cujus rector ſive pontifex venerabilis a Deo nobis dilectiſſimus Stodilus noſcitur, fore ut ipſum ſemper mereamur in cunctis habere propitium, abſolutique omnibus reatibus, tranſire poſt diſceſſum ſine impedimento valeamus ad indefectivam gloriam, de quibuſdam regni noſtri rebus honorare, atque in ejus juris dominationem, liberalitatis noſtræ gratiam transferre; id eſt, per hos noſtræ magnitudinis regales apices conceſſimus glorioſiſſimo protomartyri S. Stephano, fiſcum noſtrum in pago Lemovicino ſitum, qui vocatur Oziacus cum omnium rerum ſumma plenitudine, mancipiis utriuſque ſexus, campis, vineis, ſilvis, pratis, paſcuis, quæſito, & * adinquirendo, culto ac inculto. Conceſſimus etiam ob venerandam ipſius ſancti magnificentiſſimam paternitatem, in eodem pago, ac concedendo jugis ſeculis donavimus villam quæ vocatur Orzis, quantum genitoris noſtri, videlicet bonæ memoriæ Pipini regis, conceſſione Bertricus in eadem habuit villa, cum ſua omni integritate, omnibusque appenditiis vel adjacentiis; utrumque tamen & fiſcum Oziacum integerrime, ſive villam Orzis pleniſſime a die præſente beatiſſimo donavimus protomartyri Stephano Lemovicæ ſedis, ut noſtris diebus pax in noſtro permaneat regno a Deo nobis collato, de conſortio ſanctorum poſt finem mereamur, letitiaque ſempiterna frui, ipſo adjutore, atque ſolemni donatione tranſtulimus; eo tenore ut præfatus venerantiſſimus ejuſdem ſedis antiſtes, nomine Stodilus, eaſdem villas, ſicut ſua paſtorali cura reliquas ipſius epiſcopii tenet, teneat cauſa debiti muneris; atque interim ſequentes per plura * pontifices. Ut autem hæc noſtræ præcellentiæ auctoritas inviolabilis ſive inconcuſſa omni tempore maneat, monogramma curavimus, ac de anulo noſtro impreſſione inſigniri ſubter juſſimus.

* Acquirendo.

* *f.* ſecula.

Signum PIPINI.

Præcellentiſſimi regis.

P. ſubdiaconus ad vicem Hilduini recognovi, data XV. Cal. Februarii, Indictione VIII. anno VIII. regnante Pipino inclito rege. Acta Oriniaco villa in Dei nomine feliciter. Amen.

V.

Ex chartario Lemovicenſi.

Caroli Calvi præceptum Stodilo epiſcopo conceſſum.

850. IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, Carlus gratia Dei rex. Si juſtis ſervorum Dei, ſeu omnibus fidelium qui noſtrorum quas pro ſuis congruis & opportunis neceſſitatibus ſibi nobiſcum implorant noſtræ celſitudinis aurem accommodare non diferimus, eiſque deprecantibus clementiam noſtram impertiri non negamus, hoc nobis proculdubio ad adipiſcendam regni noſtri ſtabilitatem non difidimus. Quam ob rem noverit ſolertia cunctorum ſanctæ Dei Eccleſiæ fidelium, noſtrorumque præſentium ſcilicet & futurorum, quia vir venerabilis Stodilo, Lemovicenſis eccleſiæ pontifex, obtulit obtutibus noſtris præceptum immunitatis a prædeceſſoribus noſtris factum, quo continebatur, qualiter res ejuſdem ſedis atque cellulæ, ſub ſuæ tuitionis mundeburdo cunctis diebus cum hominibus illorum retinuiſſent. Præterea petiit idem memoratus epiſcopus ut nos pro Dei amore ejuſdemque ſanctæ ſedis reverentia, noſtræ auctoritatis atque immunitatis, more prædeceſſorum noſtrorum, ſibique dare juberemus; cujus petitioni pro eo quod rata nobis extitit, aſſenſum denegare noluimus. Idcirco hoc præcellentiæ noſtræ præceptum fieri juſſimus, per quod omnes res atque homines prædictæ ſanctæ eccleſiæ cum

omnibus rebus ad ſe juſte & legaliter pertinentibus tam ex priſco tempore inibi conlatis, redditis atque ſubjectis, quam & cum illis quas divina pietas in futuro ibidem augere, reddi, ſubjicique voluerit, ſub noſtræ tuitionis atque immunitatis mundeburdo recepimus. Præcipientes ergo decernimus ut nullus judex publicus, aut quiſlibet judiciariam exercens poteſtatem, aut nullus ex fidelibus noſtris tam preſentibus quamque futuris, in eccleſias aut loca vel agros ſeu reliquas poſſeſſiones, quas moderno tempore infra regni noſtri ditionem quibuſlibet in pagis & territoriis juſte ac legaliter poſſidet, vel ea quæ deinceps in jus ipſi ſancto loco aut per nos, aut per aliós quoſque divina pietas, ſicut dictum eſt, voluerit augere ad cauſas audiendas, vel freda aut tributa exigenda, aut manſionaticos vel paratas faciendas, aut fidejuſſores tollendos, aut ipſius ſacratiſſimæ ..... ſæpe dictæ ſedis homines, tam ingenuos quam & ſervos ſuper terram ipſius commanentes diſtrigendos; nec ullas tidibitiones, aut illicitas occaſiones requirendas, noſtris nec futuris temporibus ingredi audeat; nec ea quæ ſupra memorata ſunt, ullatenus exigere præſumat, aut degentibus ſupra ipſius nominatiſſimæ matris eccleſiæ terram quibuſcunque ..... priſcis temporibus uſus extitit, exigere præſumat; & quidquid etiam ex præfatæ ſedis rebus fiſcus exigere poterit in integrum ..... præmii manere eidem concedimus præfatæ matri eccleſiæ, ſcilicet ut perpetualibus temporibus in alimonia pauperum, ſtipendia fratrum ibidem Deo famulantium proficiat in augmentum; quatenus inibi Deo famulantes cum omnibus rebus, aut præfixam ſcilicet ſedem aſpicientibus vel pertinentibus, ſub tuitionis noſtræ & immunitatis defenſione, remota totius judiciariæ poteſtatis inquietudine, reſidui commorentur, & pro noſtra incolumitate ac regni noſtri ſtabilitate, clementiſſimam Dei miſerationem eos in perpetuum ..... delectet ..... Ut hoc noſtræ immunitatis atque tuitionis præceptum pleniorem ſemper in Dei nomine obtineat firmitatem, manu propria eam ſubterfirmavimus, & anuli noſtri impreſſione ſignavimus. Signum Caroli glorioſiſſimi regis. Data VII. Cal. Decembris anno X. Ind. XII. regnante Carolo glorioſiſſimo rege.

Aliud diploma obtinuit Stodilus epiſcopus ab eodem rege, quo confirmantur privilegia conceſſa a Ludovico imperatore & aliis regibus; ſed nulla eſt temporis nota.

VI.

Turpionis epiſcopi Lemovicenſis de fundatione monaſterii S. Auguſtini Lemovicenſis.

Ex chartario Lemovicenſi.

IN nomine ſanctæ Trinitatis & individuæ unitatis, in quo omnia facere jubemur. Mundo jam ſeneſcente religio defectum incurrit, & ita irreligioſitas ſeu injuſtitia abundant, ut ipſi nos qui præ ceteris Domino adhærere debueramus, in cujus ſorte eſſe noſcimur, ſimus aliis juxta propheram, laqueus ruinæ; & qui debueramus eſſe paſtores, ſimus lupi veſpertini; compleaturve in nobis quotidie vaticinium Malachiæ dicentis: *Vos receſſiſtis de via & ſcandalizaſtis plurimos*; & poſt pauca: *Idcirco dedi vos contemptibiles eſſe*; & Job ex voce dolentis eccleſiæ: *Ad nihilum redacti ſunt omnes artus mei*; Hieremias quoque plangit dicens: *Quomodo obſcuratum eſt aurum, mutatus eſt color optimus, diſperſi ſunt lapides ſanctuarii in capite omnium platearum.* Quiſquis vero modo non dolet, lumen cordis amiſiſſe convincitur; dominus enim immutabilis eſt, juxta quod ipſe per præfatum propheram loquitur dicens: *Ego dominus & non mutor.* Lumen vero cordis amiſiſſe probatur, quiſquis ille ſit, qui audit quod immutabilis Deus angelo peccanti, primoque homini & qui adhuc novellus & rudis erat, non pepercit; & ſibi credit parci ſi in peccatis perſeverare voluerit, & ſurgere per pœnitentiam noluerit. Quamobrem ego Turpio, Lemovicum omnium epiſcoporum extimus, de ſede quam mihi dominus regendam tuendamque inmerito committere dignatus eſt, religionem auferri conſpiciens, valde pertimui; in memet autem reverſus, diutinis precibus a Domino auxilium petens, implorabam ut ipſo juvante ſancta religio quæ uſque ad nos illibata pervenerat, noſtris temporibus non deperiret, ſed ſucceſſoribus inviolata ſuccederet. Incidit deinde mihi, Deo opitulante, conſilium bonum, ut credo & confiteor, quatenus clauſtrum conſtruerem, & ibi fratres boni teſtimonii adgregarem, qui in commune ſine aliqua proprietate degentes, abſque ullo ſtrepitu ſeculari Divinæ ſervituti incumberent; hoc vero quod nos, utpote turbis ſecularibus admixti, explere nequimus, ſaltem hi qui intra clauſtrum morarentur, ſtrenue & abſque impedimento carnali peragerent. Scriptum eſt enim, & hoc apoſtolus loquitur: *Si primitia ſancta, & maſſa.* Quod & feci; conſentientibus tamen noſtris conſanguineis ſeu obtimatibus Limovicenſi pago degentibus, domno ſcilicet Aimerico abbate, Aymono abbate, Petro præpoſito, Boſone archiclavo, Arnulfo archidiacono, Aymone portario; de laïcis autem, Hildegario vicecomite, Rainaldo vicecomite, Archambaldo, Ademaro. Volo autem atque inhianter cupio ut abſque inopia & ſine aliqua perturbatione Deo ſervire ſtudeant; quod ut decentius fieri poſſit, do illis villam quæ vocatur Bacalaria, quæ decem in ſe manſus continere probatur, & unum manſum in curte Wulteziaco, in villa quæ dicitur Parciacus; juxta autem ipſum manſum cedo illis aliam vineam ſex in ſe arpentos continentem, quæ quondam fuit Frotario. De mea vero vinea indominicata, cedo illis decimum, de illa ſcilicet vinea quæ eſt ſita in proſpectu Wulteziacenſis eccleſiæ. Omnia prædicta ſuperiuſque memorata mobilia & immobilia de meo jure in illorum poteſtatem transfundo; oratorium præterea in quo Deo militant, ipſis committo, ut ipſi prævideant qualiter horæ operis Dei ſignificentur, nemoque eos contriſtet in domo Dei. Miniſterium etiam cantorum, necne lectorum, librorumve ſive omnium quæ ad ſacrum miſterium pertinent, vel ibidem Deo offeruntur, ipſis committimus; clauſtrum & omnia interiora ejus ipſi prævideant & dominentur. In hoc autem quod ego illis do vel committo, ſive etiam deinceps daturus vel commiſſurus ſum, nullus habeat poteſtatem nec licentiam dominandi, niſi his quem ſibi propter Deum & ſecundum vitæ meritum pars humilior * præeſſe popoſcerint, poſt tamen proprium epiſcopum. Obſecro vos, o ſucceſſores mei, in Deo, & propter Deum, ut hoc teſtamentum parvitatis meæ quod pro remedium animæ meæ, anteceſſorumque, vel ſucceſſorum conſcribi juſſi, nullus veſtrum violari præſumat. Sin autem aliter, quod abſit, aliquis egerit, ante conſpectum Divinæ majeſtatis non cum bonis paſtoribus appareat, ſed cum lupo rapace, id eſt diabolo, in inferno ſine fine ardeat; ſic fiat in eo; ſcriptum quippe eſt: *Non tranſgrediaris terminos antiquos quos poſuerunt patres tui.*

* *f.* melior.

Prov. 22. 28.

VII.

Charta fundationis eccleſiæ collegiatæ de Turre S. Auſtregeſili, auctore Diotrico, ſub Eubalone epiſcopo.

Ex chartario Lemovicenſi.

OMnibus S. Dei Eccleſiæ filiis & fidelibus notum eſſe volumus, qualiter ego Diotricus conſtruxi quandam eccleſiam in pago Lemovicenſi in proprio alodo, quod vocatur Ad Turrim, ſacratam honore S. Salvatoris, ſub nomine & reverentia ſanctæ Dei-genitricis Mariæ, quam de rebus propriis, prout potui, ditavi; quamque in conſpectu & præſentia ſeniorum meorum, Rainoldi ſcilicet vicecomitis, & Boſoni

958.

Malac. 2. v. 8. 9. Job 16. 7. Thren. 4. 2.

Malac. 3. 6.

Rom. 10. 11.

Digitized by Google

marchionis, & aliorum nobilium, atque virorum, & parentum utrorumque, cum omnibus ſuis donis quibus præfatam ditavimus baſilicam, vel quæ inibi donis & largitionibus aliorum fidelium hominum, futuro tempore concedenda ſunt, per manus venerabilis præſulis domni Eubalonis, ad nomen ſancti & protomartyris Stephani, dominio & poteſtate cunctorum epiſcoporum ipſius ſanctæ ſedis & matris eccleſiæ Lemovicenſis, per ſuccedentia tempora ſub canonica inſtitutione ordinatis, & conſtructis * inibi canonicis & miniſtris, prout ſumptus præfati cœnobii expetierit, qui ibi cuncto tempore Deo digna * perſolvant canonicæ inſtitutionis laudes, ad regendum & moderandum, ita ut & alia ſui juris & procurationis videntur eſſe monaſteria; Agentum ſcilicet & Avuntium tradidimus, atque ſacrando obtulimus, ante omnia obteſtantes atque deprecantes, per communem omnium judicem Deum conjurantes, ut tam prædictus præſul, quam & quique in præſulatu ſucceſſores ſui, ſemper ſint juris & poteſtatis, immo ſuæ damnationis & perditionis memores, ſi ſua ſcilicet negligentia aut incuria imminutum aut deterioratum fuerit, quod tam devotiſſime Deo fuerint in ſui & tam nobilium perſonarum præſentia oblatum atque conſecratum; ut videlicet monaſteriolum quod Deo ſemel abſque cujuſquam perſonæ hereditariæ ſacravimus contradictione, a ſui umquam quavis occaſione repulerint dominatione, & projecerint regimine, niſi forte quod ad preſens ipſius domni Eubalonis epiſcopi poposcimus dominationem, ut poſt diſceſſum noſtrum quibuſdam duobus heredibus noſtris, hoc eſt cuidam Benedicto filio noſtro, & poſt ejus diſceſſum nepoti noſtro Diotrico, ſi tamen eo decedente ſupervixerit, & hoc ante omnia ſi talem ipſorum perſpexerint intentionem, ut Deo & ipſi ſuam voluerint placere ſervitutem, & ipſius ſanctæ ſedis epiſcopi noluerint deſerere ſubjectionem. Sed & hoc obteſtamur atque deprecamur, ut nullus epiſcoporum, nulla quælibet hæreditaria aut aliunde veniens extranea perſona, cuiquam laïcali ad regendum committat poteſtati. Quod ſi quis, quod minime futurum arbitramur, has ſcilicet litteras violare aut irritas facere voluerit, inprimis iram Divinæ majeſtatis incurrat, & a liminibus ſanctorum reus & anathematizatus appareat; & quod violare & infringere temptaverit, non evindicet. Quicumque autem in hoc meæ oblationis voto adjutores extiterint, eleemoſinæ meæ pariter & cunctorum Dei beneficiorum participes ſub obtentu & interceſſione S. Dei genitricis Mariæ, & ipſius protomartyris pia opitulatione effici mereantur in æterna beatitudine. Et ut hæc donatio firma & inconvulſa permaneat, ſimul cum aliis nobilibus viris firmamus. Data VI. Idus Auguſti anno V. regnante Hlotario rege, Indictione I. item Diotricus nepos ejus, Eubalus præſul Lemovicenſis. Signum Diotricus qui hanc donationem fecit. Signum Benedictus filius ejus. S. Diotici filii ejus. Signum Rainaldi vicecomitis. S. Boſonis marchionis.

* *f.* conſtitutis.

* *f.* dignas.

De Turre S. Auttregeſili.

VIII.

*Litteræ Himblardi * archiepiſcopi pro eccleſia Lemovicenſi, cui tum præerat Eubolo epiſcopus.*

Ex chartario eccleſ. Lemovic.

* Amblardi.

HIMBLARDUS divina propitiante clementia ſanctæ Leudulenſis * metropolis archipræſul omnibus &c. Notum fieri decrevimus quemdam in Chriſto nobis fratrem & coepiſcopum, omnibuſque jure venerabilem Eubalonem ſanctæ Lemovicenſis ſedis præſulem, conſultu ſuorum canonicorum, noſtram reverentiam expetiiſſe, pro quadam terra noſtræ diœceſeos in ſuo epiſcopio & comitatu conſiſtente, quam olim conſtabat noſtris prædeceſſoribus ſublatam, ſeu per potentiam principum, ſeu etiam per fraudem & violentiam ejuſdem Lemovicenſis comitatus quondam incolarum, vel etiam per negligentiam noſtrorum prædeceſſorum; ipſiſque S. Stephani canonicis, quibus præfatus antiſtes epiſcopali auctoritate, Deo procurante, præminebat, ex multo jam tempore a quadam matrona vocabulo Deda, & filio ejus nomine Helia jure perpetuo poſſidendam, per cartarum inſtrumenta traditam, & multis annis jam ſine contradictione quorumpiam noſtrorum prædeceſſorum poſſeſſam, utpote in recompenſatione cujuſdam ſui ſceleris, & noxæ ſatis culpabilis, epiſcopo Turpioni ſuo nimium compellente, imo ſacris legibus conſtantiſſime exigentibus a prædictis perſonis, Deda ſcilicet, & filio ejus, tam ſibi, quam ſucceſſoribus ſuis ad poſſidendum perpetualiter attributam. Denique præfatus epiſcopus noſtram paternitatem viſus eſt expoſcere, ut ſuis canonicis quod tanto tempore ſine cenſuali exactione, & ſine aliqua cujuſpiam noſtrorum interpellatione, per qualemcunque ſibi factam donationem viſi ſunt tenuiſſe, abhinc jam ne iterum ſub ſæcularium redigatur poteſtate perſonarum, noſtra, noſtrorumque donatione ſub annualis cenſus exactione liceat poſſidere. Cujus petitionem ſuggerente illuſtri viro & conſiliario noſtro domino Geilono, cum conſenſu pariter cunctorum fidelium noſtrorum tam clericorum, quam laïcorum, ſeu primoribus noſtræ congregationis, hoc eſt domino illo præpoſito, & domino decano, cantore, & archidiaconibus facere decrevimus. Habetur autem ipſa terra in comitatu Lemovicenſi, in vicaria Noviacenſi, hoc eſt in villa quæ dicitur Oioilo quatuor manſos cum ſervis, & omnibus ſuis adjacentiis, & ſuper fluv. Vienna, in loco qui dicitur Tectiportum manſum I. & in villa Moleras manſum I. & in villa quæ nominatur Sancarus manſi duo, & in valle Corlas manſum unum. Hæc omnia ſuperius nominata cum ſuis adjacentiis & mancipiis ſervilibus utriuſque ſexus præfato epiſcopo Eubaloni, & canonicis ſuæ ſanctique Stephani congregationis, per hæc litterarum inſtrumenta donamus ea ratione, ut per ſuccedentia ſæculorum curricula cum omni ſua emelioratione teneant atque poſſideant, ædificent & conſtruant, & quidquid pro ſua commoditate voluerint, liberaliſſime faciant, & ſingulis annis ſolid. I. partibus noſtris, noſtrorumque canonicorum perſolvant. Et ut hæc carta firmior habeatur; eam ſimul cum canonicis noſtris firmavimus, & honorabilibus laïcis roborandam tradidimus. Data Leudolo cœnobio S. Stephani anno VII. regnante Lothario rege, Indict. XIV. Tali convenientia ego Amblardus, omniſque concio S. Stephani, hanc cartulam firmamus, ſi Deo permittente quiveritis hoc quod petitis, per hoc firmamentum aut ſervitium emelioratum noſtris faciatis uſibus afferri, aut exinde precariam, ſicut mos noſtræ eccleſiæ eſt, accipiatis veſtro nomine & duobus quibuſcumque volueritis.

* Lgd. Lugdunenſis.

IX.

Litteræ Ebuli Lemovic. epiſcopi pro S. Maxentio.

Ex tabulario S. Maxentii. c. 108.

CUm certa mors maneat omnes &c. Hæc ego in Dei nomine Ebulus peccator, Lemovicenſium ſedis epiſcopus, perpendens &c. pro remedio animæ meæ, ſeu liberatione animæ fratris mei Guillelmi, ſive pro conſolatione nepotis mei equivoci Guillelmi Aquitanenſium ducis, plena fidei devotione de proprio jure hereditatis meæ, cedo atque transfundo Domino noſtro præcellentiſſimo Chriſti confeſſori Maxentio, cujus cœnobio præeſſe videtur Ramnulfus abbas, quendam alodum cui vocabulum eſt Baidon, ad ſtipendia monachorum inibi omnipotenti Deo militantium, qui eſt ſitus in pago Pictavo, in vicaria Columborii, cum vineis &c. & in alio loco in villa quæ dicitur Grezilion, alodum meum cum vineis &c.

& in alio loco in villa quæ dicitur Trecono, in vicaria Salvinſe &c. & in alio loco in villa quæ dicitur Siurec-montem, qui eſt ſitus in parochia S. Mariæ de Monte-Tamiſerio &c. S. domini Ebuli epiſcopi. S. Willelmi comitis. S. Petri epiſc. (*proculdubio Pictavienſis*) S. Adraldi vicecomitis. S. Arberti vicecomitis. S. Cadeloni vicecomitis. S. Ugoni &c. regnante Lothario rege. Data menſe Januario.

X.

Ex chartulario S. Maxentii pag. 269.

Notitia de reſtauratione S. Maxentii, Eboli epiſcopi Lemov. beneficio.

SIcut in relatione veterum cognitum eſt, Pippinus rex Aquitanie, edificator monaſteriorum, cognomento pius, filius Ludovici pii imperatoris, poſt multa & laudabilia bona que operatus eſt, animæ ſuæ, æternæ vitæ premia adquirens, dona Regum priſcorum adcreſcere deſiderans, dedit ex rebus propriis ſancto Adjutori Maxentio Bracidunenſem eccleſiam, que eſt vicus, eccleſiamque de Parinec, cum paroechiis decem & octo, cum terris & omnibus illic pertinentibus. Dedit itaque & alodum proprium, qui
a poſtea vocatus eſt Maleſtais [a], cum terris cultis & incultis, necnon eccleſiis poſt edificatis, caſtro nondum exſtructo. Hoc donum poſt obitum Pipini frater ejus Karolus Kalvus rex firmare volens, juſſit in eodem
b alodo fabricari capellulam [b] in honore S. Maxentii. Fideles vero provincie, ex precepto ejus poſt non multum juxta eandem capellam in eodem alodo edificaverunt eccleſiam S. Petri apoſtolorum principis. Igitur poſt non multa tempora Normanni diffuſi ſunt per univerſam Aquitaniam cuncta vaſtantes, judicio Dei regalem locum S. Adjutoris pene ad nichilum redigentes, plura que adquiſierant monachi, in ſolitudine verſa ſunt, & oblivione tradita. Poſt multos autem annos nobiliſſimus Eblo, epiſcopus Lemovice civitatis, & comes Pictavorum, annuente fratre ejus Willelmo duce Aquitanorum, condolens deſolationem tanti loci, totis viribus reſtaurare cupiens, primo in circuitu monaſterii caſtellum perfecit. Dehinc poſſeſſiones vel eccleſias & cetera queque, quod reges vel potentes, fideleſque alii dederant, eidem cœnobio ſollicite perquirens, non ſolum hæc que ſupra ſcripta ſunt, ſed etiam alia multa que in cartulis reperire potuit, cum omni ſtudio inquirens, eidem loco Chriſto famulantibus, ut denuo poſſiderent reſtituit; ducique ſupradicto & obtimatibus, ut hanc cartam firmarent, rogavit. Ipſe vero domnus Eblo manu propria ſignum Crucis impreſſit, relinquens hæc ad memoriam futurorum. Signum Willelmi ducis Aquitanorum cognomento Caput-ſtupe. S. Rotgerii. S. Alduini. S. Goffredi vicecomitis. S. Chadelonis vicecomitis. S. Eblonis epiſcopi nobiliſſimi & comitis Pictavenſis.

XI.

Ex chartario eccleſ. Lemovic.

Litteræ Jordani Lemovicenſis epiſcopi, quibus multa confert capitulo Lemovicenſi.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, ego Jordanus Dei gratia Lemovicæ ſedis epiſcopus, humanæ fragilitatis conſiderans caſum, de meo alodio quod hereditario mihi ſucceſſit, pro remedio animæ meæ parentumque meorum Marbodi & Odolgardæ uxoris ejus, & patri meo Geraldo & uxore ſua Odolgardæ dono atque concedo S. Stephano ad ſedem Lemovicæ civitatis, & ad canonicos ejuſdem ſedis in alodum in communia ad canonicos, ſine omnium hominum contradictione, ſcilicet caſtello novo turrem ſuperiorem & domniono * ubi ſeder, & domos & illas pleiduras quæ ad meam pertinent diviſionem, pratum ſuperiore ad fontem, ſilvam quæ dicitur Serra, quartam partem capella S. Michaelis & S. Quintini cum omni terra quæ ad capellam pertinent, curtæ de Curſates ſicut eſt de fevum comitis Pictavenſis. Ipſe Willelmus comes totum illum fevum dedit mihi in alodum extra epiſcopatum. Si quis vero hanc ſupradictam donationem contradixerit, aut calumniare voluerit, anathema ſit, & cum Dathan & Abiron in infernum demergatur. Signum Jordani epiſcopi, qui hanc cartam firmavit & ſcribere juſſit. Hæc carta facta eſt menſe Februario, regnante Aenrico rege Francorum, & Guillelmo duce Aquitanorum.

* *ſ. quod vulgo dicitur* Donjon.

XII.

Ex chartario eccleſiæ Lemovic.

Concordia inita inter Jordanum epiſcopum Lemovicenſem, & Willelmum comitem Pictavenſem.

CRedimus non latere peritos priſcæ conſtitutionis, quod ſummus opifex totius creationis ea conditione legis fabricam efficiavit hominis, quatinus cunctis præeſſet animantibus quæ moventur in terris. Omnes homines natura æquales genuit; ſed amplifica Dei diſpoſitione cum quæque ſuo juri ſubjecta tenere quiviſſet, non natura accommodante, ſed variante meritorum ordine, alios aliis culpa poſtpoſuit. Immo reges, comites, præſules aliis hominibus dominando præeſſe ceperunt, ſicut dicit Pſalmiſta: *Impoſuiſti homines ſuper capita noſtra*; & beatus papa Gregorius: *Gratia Dei ſupra homines ſumus.* Hiis teſtimoniis Willelmus comes Pictavenſis confirmatus, cauſa pacis Lemovicam venit civitatem, & firmata pace in præſentia nobilium clericorum vel laïcorum, tale cum epiſcopo Jordano habuit conventum. Si comes Pictavenſis in epiſcopatum Lemovicæ ſedis mitteret epiſcopum, nullo modo eſſet factam * ſine electione & ſine conſilio S. Stephani canonicorum, & ſine conſilio Aimirici de Niolio, cum uno filio ſuo, ſi vivus erit vel mortuus fuerit, cum duobus ſuis filiis, ſimiliter cum duobus filiis Alduini de Nobiliaco ſi vivi erunt; ſi mortui ſunt, cum conſilio illorum qui tenent iſtas turres de Niolio & de Nobiliaco. Propter commendamentum epiſcopi hæc electio non ſit facta propter luctum terrenum, neque propter alicujus amicitiam, ſed ad ſalutem S. Stephani Lemovicæ ſedis, illis ſcientibus; & ille epiſcopus qui venerit poſt Jordanum epiſcopum, faciat talem ſecuritatem & firmitatem, qualem fecit Jordanus epiſcopus, & ſui anteceſſores, ad canonicos S. Stephani de epiſcopatu & de communia illorum; aut talem ſecuritatem qualem ipſi inter ſe elegerint & ſine forcia. Comes Willelmus cum Jordano epiſcopo & cum canonicis S. Stephani tale habuit conventum cum juramento, ut de epiſcopatu nihil daret nec minoraret, nec ſuus ſucceſſor qui poſt eum veniret; & ſi de hoc conventu congregatione ſancti Stephani male minaſſet, & in adjutorium infra xl. dies contra illos homines non fuiſſet qui male feciſſent, ac congregatione ſancti Stephani ut eſſent abſoluti quod in ſua fidelitate non ſtarent, hujus rei propter adjutorium, comes Willelmus dedit obſides Aimiricum de Roncum, Albertum de Cambo; & ſi iſti mortui fuerint, alios in locum illorum reſtaurent tantum valentes; & propter conventum & electionem epiſcopatus iſti ſunt obſides: Willelmus de Roca, Guillelmus de Kartes, Ugo de Lacella, Geraldus de Volvent, filius Raimundi Vivian de Brederio, Petrus de Niort; & ſi aliquis illorum mortuus fuerit, infra quindecim dies, ſi comes Pictavenſis ſubmonitus fuerit, reſtauretur; & ille qui eos ſubmonuerit, damnum non habet; & ſi ita non adtendit infra xv. dies poſtquam ſubmoniti fuerint, in caſtellum S. Stephani ſe mittant intus, * clauſum eſt

* *ſ. facturus.*

* *ſ. quod.*

* Forte *Mareſtais*, de quo loco fuſe differit Mabill. tom. 5. annal. pagg. 399. & 469.

[b] Hujus facelli rudera viſuntur adhuc juxta eccleſiam S. Petri de Mareſtalio, *Mareſtais proche Mata.*

muro & foſſato ſine malo ingenio, & inde non exeant ſine abſolutione quinque clericorum qui ſunt obſides . . . . . comitem Pictavenſem ſi vivi ſunt; & ſi mortui ſunt, propter abſolutionem eorum qui honorem illum tenent, cum conſilio aliorum quinque clericorum qui ſunt in loco, & ad ſalutem S. Stephani, illis ſcientibus & de ſubmonitione non vetant. Facta eſt iſta carta tertio nonas Aug. regnante Ainrico rege Francorum, Willelmo duce Aquitanorum, Jordano epiſcopo Lemovicæ ſedis; qui iſtam cartam ſcribere & firmare juſſerunt.

XIII.

Ex chartario eccleſiæ Lemovic.

Epiſtola cleri Lemovicenſis ad Willelmum Aquitaniæ comitem poſt mortem, ut videtur, Jordani epiſcopi.

W. Aquitanorum comiti, Deo devoto omnique honore digno, S. Stephani clerus, aureum Gedeonis vellus totiuſque ſervitutis munus. Tuæ vero almitati noſtras litteras direximus, tuapte omnia bona audivimus; ſed per terrena lucra te mutare timemus; pax abiit terra, ultima vides tempora, mille modis mors rapit homines, impia diſcordia tota ſævit terra. Quare tuam rogamus pietatem, ne propter mundiale lucrum vendes S. Stephani locum; quia ſi tu vendis epiſcopalia, ipſe noſtra manducabit communia. Dei donum lucrum non vult terrenum, quia qui dat & qui accipit, anathema ſit. Locus eſt devaſtatus, clerus eſt deprædatus; opus nobis eſt defenſore, non prædatore; qui vivet propria, non devoret noſtra; bono rectore non diſſipatore. Quid tibi deeſt? tota Aquitania eſt tua; deſpice terrena, aſpice celeſtia; quæramus tibi epiſcopum, non rapacem lupum, qui ſit regimen animarum, non magiſter prædatorum; qui non dicat bonum malum & malum bonum, non curatum neque honore privatum; ſed ſicut anteceſſor iſtius habuit, ita & iſte recipiet. Omnia noſtra ſunt tua; tu cuſtos noſtri es, mitte nobis ovium cuſtodem, non devoratorem. Quia Deus animæ tuæ erit propitior; & quandiu locus ſtabit, noſtra oratio per te erit copioſior. Vale, locum S. Stephani defende.

In eodem chartario Lemovicenſi legimus inſtrumentum electionis Ilderii; ſed jam eſt editum tom. 9. concil. Lab. col. 1080. quapropter ab eo iterum excudendo abſtinuimus.

XIV.

Ex chartario eccleſiæ Lemovic.

1073.

Ademari vicecomitis Lemovicenſis ſatisfactio pro illatis eccleſiæ Lemovicenſi injuriis.

EGO ADEMARUS vicecomes Lemovicenſis, cum conſenſu meæ uxoris Unbergæ, ac filiorum meorum, Heliæ ſcilicet ac Petri, necnon Ademari, pari voluntate dono Deo, & beato protomartyri Stephano, ejuſque canonicis cathedralibus in poſſeſſionem perpetuam, ad ſacram videlicet epiſcopalem ſedem vel eccleſiam Lemovicæ urbis, unum manſum de alodo meo qui eſt in parochia Vineolenſis eccleſiæ, vocaturque Maſſiacus. Recogitans namque me graviſſimi criminis mole depreſſum, quod urbem ſedemque incendio vaſtaverim, clerumque ac cives hoſtiliter cum meis debellando, bonis ſuis privaverim, multiſque neces intulerim, nec locis ſanctis pepercerim, diſcalceatis pedibus pro impetranda venia tanti ſceleris paratus, fructusque dignos penitentiæ, ad eccleſiam beatiſſimi Stephani protomartyris quaſi ad tutum portum ſalutis confugi, ibique coram ſancto altari humiliatus, Deum, ſanctumque ſuppliciter indulgentiam flagitavi, conſiliumque penitentiæ a ſapientibus ſuſcepi. Accedens autem cum duobus filiis meis Helia & Petro ad hoc ſacrum altare, pallium obtuli, quod pallium mecum tenentibus ipſis, hunc, de quo ſermo A eſt, manſum ſemel ſub teſtibus donavi, nec me piget eandem modo cum carta * iterata donationem. De abbatia vero ſancti Andreæ quam cum rebus ad ſe pertinentibus, jam ſancto Stephano & prædictis canonicis donaveram, ſciente atque annuente domino meo Guillelmo duce Aquitanorum, quia propriam exigit cartam, hic tantum commemorare ſufficiat quod cum eodem pallio donationem firmavimus, & de aquæductu per terram noſtram, ſeu de fonte, quod petierunt, conceſſimus. Si quis igitur amodo hunc manſum ſancto auferre tentaverit, fruſtratis ejus conatibus, excommunicationi annuæ pro ſacrilego auſu ſubjaceat, & inſuper auri libra multetur. Qui affuerunt, & qui adſunt, hujus donationis teſtes exiſtunt. Actum ſub rege Philippo, anno Incarnationis Dominicæ M. LXXIII. Indict. undecima, die &c.

* *f.* iterare.

XV.

Ex chartario Lemovicenſi.

Concordia inita inter Umbaldum epiſcopum, & abbatem & monachos Dolenſes de eccleſia Turrenſi.

APoſtolica & auctoritate divina commonemur, quatenus ad concordiam diſcordes provocemus, & pacem, & fraternam caritatem puro corde habeamus cum omnibus hominibus. Tali ac tanta ſanctorum anteceſſorum amonitione roborati, ego V. Lemovicenſis epiſcopus, cum univerſo clericorum conventu Lemovicæ ſedis, rogatu & voluntate domni A. Bituricenſis archiepiſcopi, & Dolenſium abbatis, finire cupientes controverſiam diutinam, quæ inter Dolenſes monachos & clericos noſtros, pro eccleſia de Turri hactenus ventilata fuerat, & pacem eccleſiaſticam reformare, præſente priore R. cum nonnullis aliis ex Dolenſium fratribus ad hoc ipſum expetendum a capitulo deſtinatis, conceſſimus denominatæ eccleſiæ Dolenſi, remota omni occaſione ſimoniacæ hæreſis, & cupiditate pecuniæ, monaſterium Turrenſe ſcilicet totius noſtri juris, & querimoniæ calumniam, quam in eodem habere videbamur, ſeu Mandes manſi, ſive in capella de Bociaco, vel etiam in quibuscunque aliis eccleſiis quas iidem monachi tunc cum placitum fecimus, in Lemovicenſi pago poſſidere dono epiſcopi videbantur. Retinuimus autem pro unitate pacis conſervanda XV. ſolidos annuatim in feſtivitate S. Stephani de Auguſto reddendos de monaſterio Turrenſe. In prima quoque eccleſia quam in Lemovicino adquirere potuerint, exceptis prædariis S. Stephani, dabunt nobis pro cenſu V. alios ſolidos. Precati ſunt vero omnes pariter canonici in eodem capitulo, me pontificem ſuum, quod eccleſiam Dolenſem cauſa tantæ concordiæ in omnibus bene tractarem, protegerem, ac defenſarem. Hoc autem conventum in commune decrevimus cum nos quam monachi, præſentibus abbatibus & clero, cunctis palam audientibus, in noſtra ſinodo recitari ac confirmari. Placuit inſuper monachis ac clericis in commune, ut invicem amicitiam germanitatis tam corpore quam ſpiritu ſibi conſervent; & canonici clamores monachorum in conſiliis & ſinodis ſuſtineant, & res eorum ac loca quaſi ſua tueantur, & monachi ubi oportunum fuerit, ſimiliter illorum, & ut mutuo in omnibus locis ſuis honorifice hoſpitentur. Facta eſt autem iſta VIII. Id. Nov. luna 5. an. ab Incarn. Dom. MXCV. Ind. IV. temporibus domni V. ſecundi papæ, qui tunc temporis in Gallias morabatur, Philippi Francorum regis, & Audeberti primatis Bituricenſis, atque V. præſulis Lemovicenſis, regnante in perpetuum Chriſto rege regum. Si quis vero huic fraternitatis concordiæ & pacis unitati refragari voluerit, cunctipotentis Dei iram ſe incurſurum merito ſui livoris noverit, ſi cito non reſipuerit; componetque calumniator, cui illtem intulerit, lege coactus, C. libras auri, ſuaque repetitio nullum effectum habeat. Et hæc pactio noſtris & aliorum fidelium manibus roborata, firma perpetuo

1095.

Digitized by Google

manebit cum ſtipulatione ſubnixa. Signum domni V. antiſtitis. S. Gosberti decani & archidiaconi. S. Umberti magiſtri. S. domni Gaucherii. S. Stephani Montis-Mainardi. S. Stephani. S. Andreæ. S. Heliæ Gemellis. S. Rigaudi. S. Bernardi Deucairoi. S. Aimoni. S. Guidonis de Jauniaco. S. Aldeberti de Carrofio. S. Geraldi de Frait. S. Amelii. S. Jordani. S. Guidonis de Turribus. Hoc donum ſuſcepit domnus Rainaldus prior, & Guofredus camberarius, & Siguinus frater epiſcopi, cum aliis ſeptem fratribus in capitulo S. Stephani, de manibus D. V. epiſcopi & omnium canonicorum, videntibus quamplurimis clericis ad ſynodum congregatis, & Stephano capellano de Turri, ac Goffrido Helia fratre epiſcopi, & Unbaldo de Corilo.

XVI.

Ex chartario Uzerciæ.

Euſtorgius epiſcopus donat Uzerchiæ abbatias Agidunenſem & Maiſmacenſem.

DOMNUS EUSTORGIUS epiſcopus Lemovicenſis, conſilio & aſſenſu clericorum ſuorum, commiſit domno Gauberto abbati curam & regimen monaſteriorum Uſercenſis, Agidunenſis, & Maiſmacenſis cum eccleſiis & poſſeſſionibus ad eadem monaſteria pertinentibus, ut perpetuo, quiete, & inconcuſſe poſſideat ipſe, & ſucceſſores ſui; cui perhibitioni & conceſſioni affuerunt Aimericus archidiaconus, Aldebertus decanus, Lambertus cantor, Elias de Gunel, Geraldus prior, Guillelmus Aimerici, Petrus Fardet. Hoc autem fuit factum vigilia S. Petri ad vincula, anno quo idem Euſtorgius epiſcopus fuit conſecratus.

XVII.

Ex chartario Bellilocі.

Excerpta ex chartulario Bellilocenſi.

AUSTORGIUS Lemovicenſis epiſcopus, precibus Geraldi abbatis diu rogatus, concedit S. Petro & fratribus in Bellilocenſi cœnobio Deo famulantibus, eccleſiam S. Stephani de Liourdre. Facta carta iſta menſe Septemb. æra IV. luna XXIX. anno ab Incarn. Domini M. C. XVIII. papa Gelaſio, regnante Ludovico rege Francorum.

Idem Auſtorgius, prælectis glorioſiſſimorum regum Franciæ & Aquitaniæ præceptis, videlicet Karoli magni & Pipini, necnon etiam Karlomanni, Oddonis quoque, ſereniſſimi Franc. regis, eccleſiam de Cameriaco abbati Geraldo, ejuſque ſucceſſoribus fratribus concedit in perpetuum habendam. *Sine data.*

Frotarius, ſanctitate glorioſus & primatu magnificus, hanc donationem a deceſſore Rodulfo archiepiſcopo Bituric. factam confirmavit, & a manu regia confirmari impetraſſe legitur.

Ad hæc Anſelmus Lemovic. eccleſiæ epiſcopus cum archidiaconis & archipreſbyteris ſuis cum eccleſiam de Fararіis conſecraret, aſſenſum præbuiſſe refertur.

XVIII.

Ex archivis Caſæ-Dei.

Charta Willelmi Aquitaniæ ducis pro Caſa-Dei, quæ docet tempus epiſcopatus Euſtorgii Lemovic. epiſcopi.

WILLELMUS Aquitanorum dux, Stephano Caſæ-Dei abbati, ejuſque ſucceſſoribus in perpetuum, ſanctæ Liberatæ eccleſiam intra Agennenſem parrochiam in ripa Olti fluminis ſitam, tibi Stephane Caſæ-Dei abbas, prius quidem a domino Aldeberto Agennenſi epiſcopo donatam, deinde domini papæ Calliſti privilegio roboratam eſſe cognoſcimus. Ego vero, cujus juris ac poteſtatis, quantum ad præſens ſæculum eſſe non ambigitur, pro ſalute animæ meæ, parentumque meorum, eamdem eccleſiam cum omnibus pertinentiis ſuis, tibi tuiſque ſucceſſoribus, & univerſis monachis Caſæ-Dei præſentibus atque futuris concedo & dono &c. *Et infra.*

Hujus donationis teſtes ſunt venerabiles viri qui præſentes aſſiſtunt, dominus videlicet Aymericus Arvernenſis, & D. Euſtorgius Lemovicenſis, domnus quoque Rodulphus abbas S. Juniani Nobiliacenſis, Arnulphus capellanus, & Bernardus notarius noſter, & alii quamplures viri.

Data Anaziaci XI. Cal. April. anno ab Incarnatione Domini 1122. Signum comitis manu propria.

XIX.

De modo providendi ſacerdotiis, ſeu beneficiis.

ANno 1503. die 19. Auguſti, Ludovicus XII. ad epiſcopum Lemovicenſem & capitulum litteras dedit, quibus ſignificabat olim in uſu fuiſſe ut anteceſſorum ſuorum rogatu, prælati, aliique collatores aut patroni beneficiorum in regno ſuo, de beneficiis providerent, aut ad beneficia præſentarent cancellarium, præſides, libellorum ſupplicum magiſtros, conſiliarios, exceptores ſive ſcribas (les Greffiers) notarios, regios advocatos, & procuratorem in curia ſui parlamenti, ubi jura, privilegia & libertates eccleſiæ Gallicanæ, quorum rex protector & cuſtos eſt, diligentiſſime conſervantur. Ipſos autem, ex quo ad regnum pervenit, & multo jam ante, ſic provideri, prout moris erat, quum deſiiſſent, de ſua licentia indicem tandem exaraſſe, ac eorum unumquemque vel ſemetipſum, vel alium quempiam præſentaſſe & nominaſſe ad certam quamdam collationem, vel patronatum. In hiſque magiſtrum Germanum Charterlier conſiliarium, filium ſuum ſibi cognominem, ad collationem vel præſentationem epiſcopi & capituli Lemovicenſium conjunctim & diviſim, nominaſſe & præſentaſſe. Quapropter ipſos orat ut eidem Germano filio dent, vel conferant primum beneficium in diſpoſitione collationis, aut præſentationis ſuæ vacaturum, aut ipſum ad illud præſentent juxta priſtinam legitimamque conſuetudinem; atque petitionis ſuæ rationem illos habituros ſperat. Harumce memini litterarum, quod vetuſtiores id genus non facile reperiantur. Vide anno 1495. archiepiſcopum Lugdunenſem. Subſcripſit litteris illis cardinalis de Ambaſia legatus. Hujuſmodi regias nominationes pro jucundo regum adventu Henricus tertius inter regia jura tranſcripſit litteris patentibus Martii menſis anni 1577. ad Magnum conſilium datis, ibique regiſtratis. Ejuſmodi indulta primarum precum concedunt etiam imperatores. Thomas Walſinghamus libro de hypodigmate Neuſtriæ hæc habet ad annum 1148. *reverſus Ludovicus junior de Hieroſolymitana contra Saracenos expeditione, cum quidam clericus Roma papale quoddam privilegium attuliſſet, quo in omni eccleſia cathedrali regni ſui, jus conferendi cui vellet prebendam haberet, cum fructibus medio tempore provenientibus, confeſtim combuſſit, dicens malle ſe illas hic comburere, quam propter illas in inferno torqueri.* Nec alio perculit reſponſo S. Ludovicus legatum ſuum qui ſimile reſcriptum ſibi obtinuerat. *Quod mea negotia*, inquit, *ſtrenue obieris, laudo. Quod mihi a pontifice hoc attuleris, non probo: intelligo enim quantum cum periculo animæ meæ & regni mei id ſuſciperem. Ac protinus diploma in ignem conjecit.* Verba ſunt Broïmardi in ipſius vita.

Hujuſmodi regum noſtrorum indulta locum non habent niſi erga cathedrales & collegiatas eccleſias, quoad dignitates & beneficia morte vacantia, ſemel tantum, quoad Rex idem vixerit, modo eccleſiæ illæ multis hujuſmodi beneficiis potiantur. Nullo autem nituntur Romano reſcripto, tametſi clauſulam irritantem ipſis apponi voluerit anno 1610. Ludovicus XIII. Quod tamen nondum uſu receptum eſt.

XX.

XX.

Additamentum ad inſtrumentum pro Attanenſi monaſterio, quod edidit Quercetanus in notis ad bibliothecam Cluniacenſem.

EGo Cariſſima Chriſti ancilla, iſtis ſupra memoratis parentibus nobiliſſimis, ut ſcriptum eſt, veraciter procreata. Notum fieri volo omnibus Chriſtianis donum & condonationem quam de meo allodio fieri volo domno ac dilectiſſimo Aredio abbati, & famulis ſibi in cœnobio Attano devote ſubditis & S. Juliano, ac pretioſo theſauro reliquiarum ibi famulantibus, de quadam poſſeſſiuncula mea quæ vocatur Ranſolia, videlicet monaſterium S. Martini Turon. conſecratum in ipſius honore, cui præſidet domnus Ebroinus, cum eccleſiis quæ ad illud pertinent, & cum ducentis manſis, & trecentis bordariis, & totum quod pertinet ad iſta. Sit namque ſuper hoc firmiter ratum tali conventu, quatinus dum vixero, totum ſit in mea poteſtate, exceptis quinque ſolidis omni anno loco ſupradicto redditis. Poſt meum quoque deceſſum Attanus locus poſſideat Ranſoliacum cœnobium, & monachi ipſius loci honorifice ibi corpus meum ſepeliant; jam enim ibi habetur mauſoleum meum, quod centum libras argenti a Gilberto nobiliſſimo comite Narbonenſi comparavi. Cenſus vero talis conſtituatur omni anno, quod ad miſſam S. Juliani Ranſoliacenſes monachi ſuper altare ipſius loci decem ſolidos cenſuales mittant, & de propriis relictis a monachis in Ranſolium cœnobium ingredientibus, medietas ſit famulis B. martyris memorati Juliani. Denique fratres Attanenſes, ad feſtivitatem S. Martini, tres aut quatuor, cauſa honoris, vigilias celebrare libenter veniant, & pacem inter fratres ibi relinquant. Si quis ex hac hora hanc ordinationem vel donum S. Juliano mihi dilectiſſimo, Aredio abbati contradixerit, ſit maledictus &c. Facta eſt ordinatio, vel donum iſtud Septembri, Indict. 1. luna 5. veſano Childerico de regali ſede ejecto, atque Pippino rege piiſſimo a Francis in eodem regno pro eo conſtituto, ac Lemovicam, totamque Aquitanicam duce Gaifero imperante, necne Roricio præfatam Lemovicam præſidente, unde epiſcopus a Domino præelectus erat. Signum Cariſſimæ Chriſti famulæ. S. Roricii Lemovicenſis ſedis epiſcopi. S. Ebonis Albuſſonenſis principis, S. Rigaldi Cambonenſis, S. Ebalonis comitis, S. Aymonii præpoſiti, S. Seldini monachi, S. Guillabaldi Viloanenſis, S. Archineddi Dunenſis, S. Dagulfi clerici, S. Arduini vicedomini. Severus S. Martini notarius hanc chartulam ſcripſit.

XXI.

Charta II. Aredii & Pelagiæ pro eodem monaſterio. *

EGo Aredius preſbyter & Pelagia, ſana mente, integroque conſilio, donamus tibi S. Martine per hujus teſtamenti paginam, medietatem Gricicuris cum omni jure ſuo; aliam vero medietatem cum omni jure ſuo, in Attano conſiſtentes monachi noſtri in perpetuo, te S. Martine deffenſante, poſſideant, ea videlicet ratione, ut monaſterium quod Domino inſpirante nos fecimus, & monachos quos ibi Deus per nos peccatores eſſe ordinavit, aut inantea Deus ordinare juſſerit, id eſt tam de ingenuis, quam de ſervis noſtris tibi, domne Martine, fecimus ordinandos. Commendamus cellam quoque noſtram in honore S. Medardi dedicatam, quæ ſub Gaudamnaro ſita eſſe videtur, ut, vulgo Exidolium appellatur, cum omnibus ſuis pertinentiis, monachi Attanenſes, te domne Martine deffenſante, poſſideant. Aredius in Chriſti nomine peccator preſbyter, teſtamentum noſtrum ſcripſi, relegi, ſub die pridie Calend. Novembris an. 17. regni domni noſtri Sigeberti regis. Alidius, rogante domno meo Aredio & Pelagia, teſtamentum noſtrum confirmavit. Pelagia teſtamentum noſtrum relegi & ſubſcripſi. Calpurnus, rogante domno meo Aredio & Pelagia, teſtamentum hoc confirmavi. Leo rogatus a domno Aredio & Pelagia, teſtamentum hoc confirmavi. Nectarius teſtamentum hoc confirmavi, rogante domno Aredio & Pelagia. Sig. Adelfi ſubdiaconi. S. Nectarii teſtis.

* Eſt compendium teſtamenti S. Aredii, quod ſatis amplum legitur t. 2. analect. Mabill. p. 48. vide etiam in appendice ad novam editionem Gregorii Turon. Forte S. Aredius duplex teſtamentum condidit.

XXII.

Ex Gregorio Turon. de S. Aredio & ejus teſtamento. *lib. 8. hiſt. cap. 29.*

ARedius quoque hoc anno terras relinquens, vocante Domino, migravit ad cælum. Lemovicinæ urbis incola fuit, non mediocribus regionis ſuæ ortus parentibus, ſed valde ingenuus. Hic Theodoberto regi traditus, aulicis palatinis adjungitur. Erat enim tunc temporis apud urbem Trevericam vir eximiæ ſanctitatis Nicetius epiſcopus, qui intuens puerum in Regis palatio, neſcio quid in vultu ejus cernens divinum, præcepit ei ſe ſequi. At ille relicto Regis palatio, ſecutus eſt eum. Cumque ingreſſi in cellulam, de iis quæ ad Deum pertinent confabularentur, expetiit adoleſcens a beato ſacerdote in divinis voluminibus exerceri..... Exinde vir Dei Spiritu ſancto repletus, ad patriam genitore ac germano defunctis, regreditur, conſolaturus Pelagiam genitricem, quæ nullum parentem præter hanc ſobolem ſpectabat. Deinde cum jejuniis atque orationibus vacaret, deprecatur eam..... ut ad eccleſias ædificandas ipſe præeſſet. Quid plura? conſtruxit templa Dei in honore Sanctorum, cœnobiumque fundavit, in quo non modo Caſſiani, verum etiam Baſilii, & reliquorum abbatum, qui monaſterialem vitam inſtituerunt, celebrantur regulæ, beata muliere victum atque veſtitum ſingulis miniſtrante. *Poſt multa, ita de ejus teſtamento*: Cumque ad cellulam ſuam acceſſiſſet, teſtamento condito, ordinatis omnibus, ac S. Martino Hilarioque antiſtitibus heredibus conſtitutis, ægrotare cæpit, ac dyſenteriæ morbo gravari. Sexta quoque ægrotationis die..... beatus vir ſpiritum reddidit.

XXIII.

Diploma Caroli magni pro eodem monaſterio.

IN nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, ego Karolus, gratia Dei totius imperii Rom. quamvis indignus, imperator. Anno ſiquidem tertio noſtri imperii, ad Hiſpanias tranſiens partes, ad quendam locum noſtrum, nomine Athanum, una cum exercitu noſtro pauliſper ad manendum duabus hebdomadis ſuperſtitimus; in quo dum moraremur, ante præſentiam noſtri meorum anteceſſorum teſtamenta allata ſunt, in quibus luculenter didici, præfatus locus quatenus meorum prædeceſſorum temporibus, Sigiberti ſcilicet glorioſiſſimi regis, ac reginæ Brunichildæ, filiique ejus Childeberti, necnon etiam filiorum quoque Childeberti, Theodeberti videlicet & Theoderici fratrum, diligentiſſime a domno Aredio abbate, filio Jocundi Lemovicorum principis, ipſis regibus adſtantibus bene fuit præordinatus. Igitur ſereniſſimus ac pius genitor meus Pippinus adiens hunc locum, conſilio ſuorum primatum, voluit eum reſtitui in priſtinum gradum quem invenerat, jam olim omnibus bonis pene deſolatum ac deſtitutum. Volens igitur ibi reſtituere monachorum normam, ſed nonnulli obnixe acclamantes, melius illic urgere canonicorum regulam; dicunt *Ex tabul. S. Martini.*

Digitized by Google

enim inibi deficere victus monachorum, abundantiam aquarum, ſive piſcium, deeſſe flumina, deeſſe ſtagna, ac alia quamplura monachis neceſſaria: quid moror, vicit maxima pars ac ordo canonicorum devotus, cui etenim triginta duas præbendas mancipavit, unde quotidie 32. alerentur Fratres, quibus denique appoſuit quatuor adſtare columnas, videlicet abbatem, decanum, cantorem, & monaſterii ſacriſtam, unde in omnibus neceſſitatibus ſuſtentarentur canonicorum caterva; hos namque vero magnis honoribus ditavit. Canonicos vero in tantam libertatem vivere præcepit, ut nullus ſcilicet nec princeps quiſquam, nec aliqua cujuſque perſona eis ibi coæquaretur, hoc eſt in loco Athano, nec in tota villa; propter quod domnus fuit princeps ipſius villæ, ac Lemovicæ civitatis Aredius, ipſi vero ſint judices ſuarum cauſarum, ſervorum, ac famulorum ſuorum, itaut nullus eccleſiaſticus infra clauſtrum manens, aut alicui eccleſiaſtico ſerviens, gadium, nec telonarium, nec aliquam juſtitiam per vim exſolveret, niſi ipſis dominis cum quibus moratus fuerit; * invaſor vero canonicorum injuſte niſi ſatisfacerent cui læſerint, damnati exilium perſolverent. Unde ego relegens pie genitoris mei Pippini teſtamenta, volo ac judico ut in perpetuum ſint rata, ac perpetualiter firma cum ſtipulatione ſubnixa, nullo contradicente. Si quis hoc deſtruere &c. Ego Carolus gratia Dei rex hoc teſtamentum relegi ac ſubſcribere juſſi, ſub die Calend. Majarum Luna 7. Indict. 8. principibus noſtris adſtantibus, ſcilicet domno Turpione, Otgerio palatino, ac Guillelmo Curbinaſo, Bertranno validiſſimo, Rotgerio Cornualto. Sig. Joſſionis cancellarii, S. Ricardi capellani, S. Aſtonis præpoſiti Pariſii, S. Aldegarii Lemovicorum principis: decrevit etiam ut penes armarium domini Turon. Martini ſemper illud haberetur teſtamentum, nam cura iſtius loci attinet ad locum B. Martini. Sig. Leonis abbatis, S. Frodoarii ſtudioſiſſ. decani, S. Bernerii præcentoris, S. Hicmari ſacriſtæ. Giroardus domni Caroli notarius hoc teſtamentum ſubſcripſit, atque diligenter peregit; & in dorſo ſcripta ſunt quæ ſequuntur, cum ſignis ſeu chirographis, quorum figuræ infra notantur: Caroli magni, Auguſti magni, Auguſti imperat. Carolus gratia Dei magnus, Auguſtus a Deo coronatus; magni Auguſti Caroli victorioſiſſimi principis, Caroli magni Romani imperii patris.

* invaſores.

XXIV.

Ademarus vicecomes & uxor ejus abbatiam S. Martialis Lemov. Cluniaco tradunt.

Ex chartario S. Martialis Lemovic. 1062.

NOverint omnes S. matris Eccleſiæ filii ac fideles, tam præſentis quam futuri temporis, quod ego Ademarus vicecomes Lemovicenſis, domno Hugoni abbati Cluniacenſis monaſterii, omnibuſque ſucceſſoribus ejus abbatibus, qui idem monaſterium Cluniacenſe regulariter gubernabunt, dono & trado abbatiam ſancti Martialis Lemovicenſis, cum conſenſu & auctoritate domni Iterii ejuſdem civitatis epiſcopi, canonicorumque ejus, necnon & conjugis meæ Umbergæ, filiorumque meorum, & obtimatum, ob indulgentiam peccatorum noſtrorum, & parentum noſtrorum, & maxime eorum quæ de eadem abbatia contraximus: conſentientes monachos ibidem degentes, non ſecundum regulam S. Benedicti vivere: & animarum regimen ſimoniace ementibus abbatibus vendentes; quam hæreſim cum ab initio naſcentis eccleſiæ, beatus Petrus apoſtolorum princeps in ipſo ſuo capite extinxerit, nuper tamen Leo papa, & omnes deinceps ejus ſucceſſores, perpetuo anathemate damnaverunt. Pœnitens igitur præteritorum exceſſuum meorum, & confidens ejuſdem abbatis ſucceſſorumque ejus induſtria, eandem abbatiam S. Martialis ad regularem tramitem poſſe reduci, & deteſtabilem hæreſim ſimoniacam, Deo adjuvante, funditus expelli, dono & trado prædictam abbatiam prædicto Hugoni abbati, omnibuſque ſucceſſoribus ejus abbatibus regulariter viventibus, deinceps perpetuo poſſidendam; & abbates quos eidem loco tam ipſe quam ſucceſſores ejus præfecerint, ſi, quod abſit, pro mala converſatione removendi fuerint, ipſe & ſucceſſores ejus ſubmoveant eos, & meliores ſubſtituant abſque contradictione ullius hominis, nichil in eadem abbatia neque ego neque ſucceſſores mei retinendo, exceptis his conſuetudinis cc. ſolidis ad vindemiam colligendam, in feſtivitate ſancti Aredii reddendis, & ſagmario in hoſtem præſtando cum famulo, qui ſagmarius hoſte tranſacto, monaſterio reddatur; & uno recepto comitis Pictavienſis, per juſſionem vicecomitis, & juſtitia panis & vini, cum in hanc villam venerit, eo tenore ut hanc donationem & traditionem omnes ſucceſſores mei confirment, & hanc chartam laudent & auctoriſent; & hæc traditio noſtra ut ſtabilis & inconvulſa permaneat, apoſtolica auctoritate firmetur. Quod ſi ego aut ſucceſſorum meorum aliquis, hanc traditionem infringere aut contradicere voluerit, iram Dei omnipotentis & anathema perpetuum incurrat; & præfatus Hugo abbas & ſucceſſores ejus apud ejuſdem civitatis epiſcopum & omnes Chriſtianos, & præcipue apud apoſtolicam ſedem habeat poteſtatem reclamandi.

Acta eſt autem hæc traditio in urbe eadem Lemovicenſi anno Incarnationis Dominicæ MLXII. Ind. XV. regnante Philippo Francorum rege anno II. cujus traditionis confirmatores & conſignatores & teſtes hii ſunt imprimis: Iterius epiſcopus ſignavit. Ademarus vicecomes ſignavit cum IV. filiis ſuis, & uxor ejus Umberga.

XXV.

Bulla Adriani papæ IV. qua confirmantur jura, ac poſſeſſiones abbatiæ S. Auguſtini Lemovicenſis.

ADRIANUS epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis Petro abbati eccleſiæ S. Auguſtini Lemovicenſis, ejuſque fratribus tam præſentibus quam futuris, monaſticam vitam profeſſis in perpetuum. Quoties illud a nobis petitur quod religioni & honeſtati noſcitur convenire, omnino nos decet libenter concedere; & præterea decernimus congruum ſuffragium impertiri. Eapropter, dilecti in Domino filii, veſtris juſtis poſtulationibus clementer annuimus, & præfatum monaſterium * quo Divino mancipati eſtis obſequio, ſub beati Petri & noſtra protectione ſuſcipimus, & præſentis ſcripti privilegio communimus, imprimis ſiquidem ſtatuentes ut ordo monaſticus qui ſecundum Dei timorem & B. Benedicti regulam in ipſo monaſterio inſtitutus eſſe dignoſcitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter obſervetur; ſtatuentes ut quaſcumque poſſeſſiones, quæcumque bona idem monaſterium inpræſentiarum juſte & canonice poſſidet, aut in futurum conceſſione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, ſeu aliis juſtis modis, præſtante Domino, poterit adipiſci, firma vobis veſtriſque ſucceſſoribus & illibata permaneant; in quibus hæc propriis duximus exprimere vocabulis: Monaſterium de Caro-vico cum pertinentiis: monaſterium de Ambazaco cum pertinentiis ſuis: eccleſiam de Super-boſco cum pertinentiis ſuis: eccleſiam de Colongis cum pertinentiis ſuis: monaſterium & capellam de Caſtro-Lucio cum pertinentiis ſuis: eccleſiam de Bonaco cum pertinentiis ſuis: eccleſiam de Fagia cum pertinentiis ſuis: eccleſiam S. Johannis de Rillaco cum pertinentiis ſuis: eccleſiam S. Pauli cum pertinentiis ſuis: eccleſiam de Buiſſolio cum pertinentiis ſuis: eccleſiam S. Chriſtophori cum pertinentiis ſuis: eccleſiam S. Symphoriani cum pertinentiis ſuis: eccleſiam S. Prejecti cum pertinentiis ſuis: eccleſiam

1158.

* *f.* in quo.

Digitized by Google

S. Lazari cum pertinentiis ſuis : eccleſiam de Femmoreth cum pertinentiis ſuis : eccleſiam de Vernaco cum pertinentiis ſuis : eccleſiam S. Germani de Ledros cum pertinentiis ſuis : eccleſiam de la Vaiſſe cum pertinentiis ſuis : eccleſiam S. Petri & Germani cum pertinentiis ſuis : eccleſiam de Vegrine cum pertinentiis ſuis : eccleſiam S. Petri de Laſcoube cum pertinentiis ſuis : capellam S. Michaëlis de Triguant cum pertinentiis ſuis : capellam S. Michaëlis de Chaſteluts cum pertinentiis ſuis : inſuper decimas integræ parochiæ S. Chriſtophori & S. Symphoriani, quæ a quadraginta retro annis quiete poſſeditis, vobis authoritate apoſtolica confirmamus ; ſepulturam quoque loci ipſius liberam eſſe concedimus, ut eorum devotioni & extremæ voluntati qui ſe illic ſepeliri deliberaverint, niſi forte excommunicati ſint vel interdicti, nullus obſiſtat, ſalvis tamen juribus parochialium eccleſiarum, de quibus corpora mortuorum aſſumuntur. In parochialibus autem eccleſiis quas tenetis, liceat vobis ſacerdotes ſeu rectores electos epiſcopo repræſentare ; quibus ſi idonei inventi fuerint, epiſcopus curam animarum committat. Et de plebis quidem cura iidem ſacerdotes epiſcopo, de temporalibus vero vobis debeant reſpondere. Obeunte vero te nunc ejuſdem loci abbate, vel morum quolibet ſucceſſorum, nullus ibi qualibet ſubreptionis aſtutia ſeu violentia præponatur, niſi quem fratres omnium conſenſu, vel fratrum pars ſanioris conſilii, ſecundum Dei timorem & B. Benedicti regulam providerint eligendum. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatum monaſterium temere perturbare, aut ejus poſſeſſiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, aut aliquibus vexationibus fatigare ; ſed omnia integra conſerventur eorum pro quorum gubernatione vel ſuſtentatione conceſſa ſunt, uſibus omnimodis profutura, ſalvis in omnibus apoſtolicæ ſedis authoritate & diœceſani epiſcopi convenienti juſtitia. Si quæ igitur in futurum eccleſiaſtica ſæculariſve perſona hanc noſtræ conſtitutionis paginam ſciens contra eam venire temere tentaverit, ſecundo, tertiove commonita, niſi reatum ſuum congrua ſatisfactione correxerit, poteſtatis honoriſque ſui dignitate careat, reumque ſe Divino judicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & a ſacratiſſimo corpore & ſanguine Dei & Domini Redemptoris noſtri Jeſu Chriſti alienus fiat, ac in extremo examine divinæ ultioni ſubjaceat. Cunctis autem eidem loco ſua jura ſervantibus ſit pax Domini noſtri Jeſu Chriſti, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud diſtrictum judicem præmia æternæ pacis inveniant. *Sic ſignatum in originalis margine.* Ego Adrianus Catholicæ Eccleſiæ epiſc. Ego Hubaldus preſbyter card. S. Crucis in Jeruſalem. Ego Hyrmarus Tuſculanus epiſc. Ego Gregorius Sabinienſis epiſc. Ego Hubaldus Hoſtienſis epiſc. Ego Johannes preſbyter card. SS. Sylveſtri & Martini. Ego Ildebrandus preſbyter card. baſilicæ XII. apoſtolorum. Ego Odo diaconus card. S. Georgii ad Velum-aureum. Ego Jannetus diaconus card. S. Mariæ in Coſmedin. Ego Ardino diaconus card. S. Theodori.

Datum Laterani per manum Rollandi S. Romanæ curiæ & Eccleſiæ preſbyteri cardinalis & cancellarii, ſexto Idus Februarii, Indictione ſeptima, Incarnationis Dominicæ milleſimo centeſimo quinquageſimo octavo, pontificatus vero domini Adriani papæ quarti anno quinto.

XXVI.

Charta fundationis Uzerchiæ.

CUm beatus Paulus gentium prædicator *, omnes nos manifeſtari oportere ante tribunal Domini noſtri Jeſu Chriſti, ut recipiat unuſquiſque prout geſſit in corpore ſuo ſive bonum, ſive malum ; idcirco neceſſe eſt unicuique homini non ſolum per ſeipſum, vel pro ſeipſo bona agere, verum etiam aliis ad ea cooperanda adjutorem fieri oportere : quatenus tam ſuis operibus adjutus, quamque aliorum ſublevatus, ad cœleſtia regna pervenire valeat, a peccatis & criminibus, Deo propitio, abſolutus. Hæc ego in Dei nomine Hildegarius Lemovicorum pontifex perpendendo conſiderans, & conſiderando perpendens, ut pius & clementiſſimus Deus in die judicii refrigerium præſtare dignetur tam animæ meæ, quam etiam animabus patris & genitricis meæ, necnon & dilecti fratris mei Guidonis ac conjugis ejus Emmæ, quorum adjutorio & voluntate, & conſenſu, hujus privilegii tenorem ſtabilire decrevimus, hortante ſupradicto genitore meo cariſſimo domino Geraldo vicecomite, necnon & dilectiſſima genitrice mea Rotilde, hortantibus etiam fidelibus noſtris Ademaro decano, Ranulfo quoque præpoſito, Jario abbate, Stephano archidiacono, Boſone abbate, & cæteris clericis noſtris, ad petitionem honorabilis fratris mei Guidonis, inclitæque conjugis ejus Emmæ, ſupplicante nobili viro ac noſtro fideli Arberto, & uxore ejus Adelaide, transfundimus quandam eccleſiam noſtræ diœceſeos nomine Uſercam, quæ olim fuerat a pontificis Lemovicenſis cura in laicali obſequio tranſmutata. Eam igitur eccleſiam in cœnobii monachalis religionem tranſvertimus, quatenus per ſuccedentia tempora monaſticus ordo, & religionis obſervantia ſub regula S. Benedicti ibi habeatur, teneatur, & cuſtodiatur, & eo tenore ut deinceps nullus epiſcoporum ſucceſſor noſter qui fuerit, licentiam habeat alienandi a poteſtate S. Petri, & ab ordine monaſtico. Fecerat ante nos ex hac re ſimile privilegium prædeceſſor noſter piæ memoriæ Ebolus, petente & hortante honorabili vicecomite quondam Ademaro, & uxore ejus inclyta Mileſinde, cui etiam loco ad præſens reddiderant eccleſiolam quandam prædictæ eccleſiæ adjacentem Uſerchenſi, in honore beatæ Eulaliæ virginis conſecratam, & manſos quoſdam qui jam fuerant adjacentes altari ſancti Petri Uſerchenſis, his nominibus : manſos quatuor qui dicuntur Adplen. & in alio loco tres manſos cum 3. bordagiis, qui dicuntur ad ſanctum Vincentium : itidem in altero loco tres manſos cum 3. bordagiis qui vocantur Vermogilo : & in villa quæ dicitur Faurgiis 3. manſos & 2. bordarias, & alium manſum in villa quæ vocatur Borziacus : & alium manſum in villa quæ dicitur ad Vallem : & alium manſum in villa quæ dicitur Combons : & alios 2. manſos in villa quæ dicitur Novavilla, & alterum manſum in villa quæ vocatur Domion, & alium manſum in villa quæ dicitur Lacalma : & alium manſum in villa quæ dicitur Adporo, & alium manſum in villa quæ dicitur Laval. Hæc omnia Deo, ſanctoque Petro prædictus Ademarus, poſt cujus obitum gener ipſius frater meus Guido, accepta in conjugio filia ipſius nomine Emma, non diſſimili devotione pro Dei amore & peccatorum ſuorum remiſſione reddit duas eccleſias : unam in honore S. Silvani vineis conſitam : alteram quæ dicitur Benagias ; & in altero loco ad campum Martiuncuillam duos manſos, & ad bordas 3. manſos, & alium manſum qui vocatur Fulgera, & alium manſum in villa quæ dicitur Britannia. Hæc omnia reddidit frater meus Guido beato Petro & monachis ibidem conſiſtentibus ſub Gauſleno abbate. Supradictus autem honorabilis vir Arbertus, & uxor ejus nomine Adelaidis, ſimiliter pro amore Dei, & beati Petri, & peccatorum ſuorum remiſſione, & pro remedio animæ anteceſſoris ſui Radulfi, ex ejuſdem Radulfi alodis. Hæc omnia ſupradicto loco mente devota obtulerunt, hoc eſt, primum villam quæ dicitur Labecia, cum omnibus ibi habitantibus, & aliam villam quæ vocatur Camairacus, & aliam villam quæ dicitur Muciacus, & aliam villam quæ dicitur Borziacus, & aliam quæ dicitur Anciagas, aliam quæ vocatur Machenas. Et in alio loco in vicaria Barrenſe eccleſiam ſancti Salvatoris cum ipſa villa, & aliam villam quæ vocatur Bar : & alium

* *f.* docebat. 2. Cor. 5. 10.

quæ vocatur Autreliacus, & aliam quæ vocatur Hermus. Et in alio loco in fundo Exandomenſe villam quæ vocatur Favars : & in alio loco unum manſum qui vocatur Agudur, & in alio loco villam quæ vocatur Camiliacus, & in alio loco villam quæ vocatur Grazam, cum ipſis vineis quæ ad ipſas villas pertinere videntur. His ita oblatis petimus, & advocamus per adjumentum Domini noſtri Jeſu Chriſti, perque fidem ſanctæ Trinitatis, ac merita cunctorum angelorum, atque omnium ſanctorum, præcipueque B. Mariæ ſemper Virginis, ſanctique Petri apoſtolorum principis, beati quoque protomartyris Stephani, necnon & B. Martialis Aquitaniæ patroni, omnes pontifices ſucceſſores noſtros, ut hoc noſtræ eleemoſynæ privilegium minime infringant ; ſed ſicut ſua a ſucceſſoribus ſuis voluerint ſtatuta ſervari, ſic & noſtra decreta in perpetuum ſtudeant confirmare, & conſervare. Illud quoque addimus & adjuramus, & excommunicamus, ut nullus unquam neque pontifex, neque laïcus licentiam habeat vendere, aut dare alicui ſive clerico, ſive laïco, ſeu etiam monacho alterius loci, ſed liceat eiſdem monachis ipſius loci defuncto abbate ſuo, regularem eligere perſonam cum conſilio & voluntate, ſive noſtra quandiu vixerimus, ſive ſucceſſorum noſtrorum. Quod ſi de his quiſquam pontifex aut nos ipſi, aut aliquis de heredibus noſtris aut propinquis, ſive clericus, ſive laïcus, aut ulla aliqua immiſſa perſona, de his ſcilicet quæ data ſunt vel reddita, dederit aut vendiderit, ſive clerico, ſive laïco, imprimis ira Dei ſuper eum veniat, & ſuper omnes ſequaces ejus, & ſuper omnem progeniem ejus, qui eis in malum conſenſerint, & conſilium dederint, & cum Juda proditore, & cum Datan & Abiron in inferno præcipitetur, cum diabolo & angelis ejus in cruciatu infernorum in ſæcula ſæculorum, amen. Et hoc privilegium firmum & ſtabile permaneat omni tempore cum ſtipulatione ſubnixa. Conſtituimus etiam & bannum imponimus, ut ſi quis hoc monaſterium Uſerchenſe, ſive villam invaſerit, aut violaverit, pro hoc commiſſo componat 12. libras *, & centum argenti ; atque prohibemus, atque interdicimus, ut nulla laïcalis perſona aliquid poteſtatis in hac villa habeat. Hoc fuit ſtatutum juſſu domini Leonis papæ.

* *f.* auri.

XXVII.

Privilegium Archambaldi vicecomitis pro monaſterio Maymacenſi.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Cum omnes religioſi Chriſtiani unitati fidei occurrant, & ſanctam Eccleſiam Catholicam firmiter tenere debeant ; unuſquiſque qui maxime in ſæculo præpotens eſſe cognoſcitur, res eccleſiaſticas pro poſſe ſuo adaugere debet : quatenus ſit ei Dominus propitius in hoc ſeculo, & vitam æternam in futuro adipiſci cum electis gaudenter poſſit. Recognoſcit enim unuſquiſque fidelis Catholicus non poſſe miniſterium Dei in Eccleſia ab illis, qui Eccleſiæ præſunt *, niſi primitus terrarum diviciis ſeu prædiis nobilium ornata, vel ædificata conſiſtat. Hac ſancti patres intentione compulſi, videlicet reges, conſules, & conſulares, & ad ultimum omnes fideles Chriſtiani, Eccleſiam omnibus modis ſupplere cupientes, ea quæ poſſidere videbantur, libenti animo deſervientibus vel commorantibus in Eccleſia adtribuêre : ſcientes pro certo quod mercedem ab illo recepturi ſunt, qui eccleſiam ab initio mundi prædeſtinavit ; illi autem qui e contrario laudatores Domini in eccleſia perturbant, nec prodeſſe illis ullo modo cupiunt ; ſed potius quæ anteceſſores eis condonavêre vaſtant & prædantur : hi nimirum tales præfigurati ab Anania & Saphira, quem * viſu Petri, Spiritus ſanctus interfecit : accipiendo inenarrabilem pœnam, igni gehennæ ſubjacebunt. Legitur enim in Actibus Apoſtolorum, quod diſcipulis igneo amore inflammatis, ac Petro illorum principe prædicationem faciente, ſuaque ſola voce gentes, quæ undique ad ſolemnem diem convenerant, quod mirum fuit, linguas ſuas cognoviſſe tria millia Judaïcæ gentis, adhibito ſacri fontis baptiſmate, per illius doctrinam ad fidem catholicam convolaſſe ; rurſus eo prædicante, incorporati ſunt ſanctæ primitivæ eccleſiæ quinque millia virorum, quibus erant omnia communia. Hæc intuens Ananias infelix, venditis omnibus prædiis, & ad ſocietatem illorum geſtiens pervenire : partem ejus pecuniæ ante pedes Apoſtoli attulit, partemque retinuit, male intelligens, *quibus erant omnia communia*, timens quod ſi opus Spiritus ſancti diſſolveretur qui omnes in unitate fidei conglutinaverat, ſtatim ad illam infelicem particulam converteretur. Intuens autem illum Petrus requiſivit ab eo * omnia quæ habet, ad communitatem nihil retinendo attuliſſet ; quo reſpondente ſe omnia dediſſe, nihilque retinuiſſe, ait Petrus : O mentite Deo ! quis te conſtrinxit Spiritui ſancto contradicere ? mox percuſſo illo, divina vindicta ante pedes Apoſtoli expiravit ; ſicque pœnam recepturi ſunt, qui a fidelibus ſanctæ Dei Eccleſiæ diſcrepant, & terras quibus eam anteceſſores hæreditavere prædantur. Horum ergo talium, ego Archambaldus vicecomes, filius Archambaldi vicecomitis, qui fuit filius Eboli vicecomitis, imaginem fugiens, magiſque volens res eccleſiaſticas adaugeri quam minui, ac diem judicii expaveſcens, nimiſque periculum animæ meæ proſpiciens, pro remedio animæ patris mei ſeu matris meæ, atque animæ meæ, ac fratrum meorum Eboli & Bernardi, necnon & filii mei Eboli, ut Deus ſit nobis propitius, rogavi domnum Guidonem epiſcopum Lemovicæ ſedis cum ſuo clero, ut in illa eccleſia quam ab illis in fevo habebam, monaſterium in honore S. Dei Genitricis Mariæ ædificare permitterent. Quæ eccleſia vocatur Maiſmac, in qua ſecundum S. Benedicti regulam ordo monaſticus habeatur, teneatur & obſervetur ; ea lege ut ſit condonatum altari ipſius eccleſiæ ſine calumpnia alicujus rei, & ut ſit libera ab omni conſuetudine, ſicut monaſterium Uzercheæ, excepta ſynodo & parada ; & hoc rogando, impetravi a domino Guidone epiſcopo Lemovicæ ſedis, & Umberto Rabacerio ejuſdem eccleſiæ archidiacono, & Gauberto archidiacono, & omni clero S. Stephani, ita ut in noſtris ac futuris temporibus hæc conditio inviolabiliter conſervetur, nulluſque alius ex ſucceſſoribus monaſterium iſtud ad aliam eccleſiam dare præſumat, quam cui conceſſum eſt, ſcilicet altari ejuſdem eccleſiæ Maiſmacenſis ; ſed ſicut ego Archambaldus vicecomes pro remedio animæ meæ conſtitui, & per auctoritatem domni Guidonis epiſcopi, ac Umberti Rabacerii archidiaconi ipſius eccleſiæ, & Gauberti archidiaconi, ſeu ceterorum canonicorum decrevi, ita perpetuo inconvulſum maneat. Hæc vero ſcriptura confirmata eſt a domno Guidone Lemovicenſi epiſcopo, & ab omnibus canonicis S. Stephani ; videlicet Umberti Rabacerii archidiaconi, Arnaldi cuſtodis ejuſdem eccleſiæ S. Stephani, de Monmart Arves de Barath, Stephani de Metavall, Geraldi de Frachet, Bernardi d'Elcariot, qui hujus rei teſtes ſunt. Item etiam teſtes hujus privilegii ſunt domnus Geraldus abbas * & Gaubertus abbas Tutellenſis, Stephanus præpoſitus, Petrus de Porcharea monachi. Archembaldus vicecomes qui hoc privilegium fieri decrevit, Ebolus & Bernardus fratres ejus, Galterius de Mirabel, Geraldus de Serzat, Petrus de Tutela, Rotberga mater domni Archambaldi, & Ermengardis uxor quondam ipſius, quæ quicquid in prædicta eccleſia Maiſmacenſi ad ſuum jus pertinebat, S. Mariæ pro animæ ſuæ ſalute & omnium parentum ſuorum gratantiſſime dedit & * prohibuit. Factum eſt hoc privilegium anno incarnati Verbi milleſimo octogeſimo quinto, Indictione octava, tertio nonas Februarii, regnante Philippo rege Francorum, Guidone etiam Lemovicenſi epiſcopo.

* *f.* adimpleri.

Act. 5.

Act. 2. 45.

B

* *f. Addendum* utrum

* *f.* quos.

Act. 2.

C

D

E

* Uſerchiæ.

* *f.* prabuit.

Digitized by Google

XXVIII.

Petri archiepiſcopi Bituricenſis adverſus Meimacenſes ſententia pro Uſercia.

1146. EGO PETRUS, divina miſericordia permittente, Bituricenſis eccleſiæ archiepiſcopus, commendari volo memoriæ fidelium tam præſentium quam futurorum, quod ex præcepto domini Eugenii papæ Bernardum Uſerchienſem abbatem, & Hugonem monachum Meymacenſem ante noſtram præſentiam evocavimus, ad diffiniendam controverſiam quæ inter eos diu agitata fuerat de eccleſia Meymacenſi. Itaque cum ante nos utraque pars die conſtituto convenifſet, abbas Uſerchienſis repetiit inveſtituram Meymacenſis eccleſiæ, aſſerens eccleſiam illam diu & in pace a prædeceſſoribus ſuis in prioratu fuiſſe poſſeſſam; ita quod per prædeceſſores ſuos Uſerchienſes abbates conſtituebantur in eccleſia illa priores & cæteri officiales; monachis & fratribus Uſerchienſibus a priore Meymacenſi annualis refectio reddebatur; & monachi qui apud Meymacum ſuſcipiebant habitum, ducebantur ad Uſerchienſem abbatiam, & ibi accipiebant benedictionem, & faciebant profeſſionem ſub altare Uſerchienſe juxta conſuetudinem monachorum. Hæc cum negaret pars adverſa, abbas Uſerchienſis perduxit teſtes; qui a nobis diligenter examinati, & ſigillatim inquiſiti protulerunt teſtimonia ſibi convenientia de poſſeſſione Meymacenſis eccleſiæ ſecundum ea quæ dicta fuerant ab Uſerchienſe abbate. Communicato ergo fratrum noſtrorum conſilio, ſuſceptis teſtium juramentis, adjudicavimus Uſerchienſi monaſterio inveſtituram proprietatis, jure ſalvo, & reveſtivimus Uſerchienſem abbatem de Meymacenſi eccleſia, & ejus pertinentiis omnibus. Præcipimus etiam ut ipſe Hugo & cæteri Meymacenſes monachi, Uſerchienſi abbati obedientes exiſtant. Hoc autem ut memoriter teneatur, præſenti ſcripto commendatum eſt, & ſigilli noſtri impreſſione firmatum. Actum apud Vodolium videntibus clericis noſtris Emenone decano, magiſtro Umberto, Stephano priore de Salis, Reinaldo priore Exoldun. magiſtro Giraudo priore de Mala-valle, Johanne capellano noſtro, Abſalon cancellario noſtro, anno Incarnationis Dominicæ M. C. XLVI. Indictione IX. pontificatus vero domini Eugenii papæ III. anno II. Ludovico rege Francorum regnante.

XXIX.

Charta S. Eligii pro ſolemniaco.

IN nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti. Ego Eligius, ſervus omnium ſervorum Chriſti, dominæ ſacroſanctæ eccleſiæ, quam in honore ſanctorum Petri & Pauli apoſtolorum, Pancratii, & Dionyſii martyrum cum ſociis ſuis, Martini, Medardi, Remigii, & Germani confeſſorum, in ſuburbio * Lemovicenſi intra fundum agri ſolemniacenſis, Deo auctore, conſtruxi, ubi & auſpice Chriſto præeſſe dignoſcitur venerabilis Rimaclus abbas cum reliquis fratribus. Legumlatores de ſingulis quibuſcumque rebus quid humana fragilitas cuſtodiat expreſſius decreverunt: in ceſſionibus vero ſolam tantum dixerunt profeſſionem ſufficere; ideoque & ego ſupplex veſter conſiderans molem peccaminum meorum, ut merear ab ipſis exui & a Domino ſublevari, cedo vobis parva pro magnis, terrena pro cæleſtibus & temporalia pro æternis, ceſſumque eſſe volo, ac de meo jure inveſtio * ac transfundo, hoc eſt ſupradictum agrum ſolemniacenſem, qui mihi ex munificentia glorioſiſſimi ac piiſſimi domini noſtri Dagoberti regis obvenit, cum ædificiis quæ in ipſo agro vel intra muros ſupradictæ civitatis eſſe noſcuntur, cum omnibus adjacentiis ſuis, cum manſionariis, originariis, inquilinis ac ſervis vel accolanis ibidem commorantibus, cum condaminis, vineis, pratis, paſcuis, ſilvis, arboribus pomiferis ſeu inpomiferis, aquis aquarumve ductibus, itibus ac reditibus, cum ſpeciebus, vel omnibus rebus mobilibus & immobilibus, cum omni termino & integro ſuo ſtatu, cum quadrupedibus omnibus & jumentis, vel pecoribus, cum omni ſupellectili, & præſidio inexquiſitæ domus, ſicut a me nunc uſque poſſidetur, vel quidquid ad ipſum agrum pertinere videtur, ut ſuperius ſum profeſſus; meo exinde ſubtracto dominio, veſtræ dominationi de præſenti cedo perpetualiter in Dei nomen a vobis vel a veſtris ſucceſſoribus * poſſidendum, exceptis libertis meis quibus * per cartulam vel denarium manum miſi, ut in ingenuitate integra maneant, & veſtram tuitionem vel deffenſionem in omnibus habeant; ea tamen conditione interpoſita, ut vos vel ſucceſſores veſtri, tramitem religionis ſanctiſſimorum virorum Luxovienſis monaſterii conſequamini, & regulam beatiſſimorum patrum Benedicti & Columbani firmiter teneatis. Et nullam poteſtatem nullumque jus epiſcopus vel quælibet alia perſona in præfato monaſterio neque in rebus, neque in perſonis niſi tantum glorioſiſſimus princeps penitus ſit habiturus. Si quis ſane, quod fieri non credo, contra hæc ceſſionis meæ munuſcula (quæ ceſſante vi, dolo, ſed propria voluntate & nullius cogentis imperio, pro fœlicitate regum & animæ meæ remedio, & pro exoranda populi pace, & pro ſervorum Dei quiete omnipotenti obtuli Deo,) venire aut in aliquo refragator eſſe tentaverit, vel repletus ſpiritu immundo qui Chriſtianorum ſemper conatur convellere facta, conſilium dederit, aut adminiculum præbuerit, vel quodcumque ſolatium præſtare viſus fuerit, aut hæc devotionis meæ oblatio in aliquo, quod divina potentia non permittat, corrumpatur, veniat ſuper eum ira Dei omnipotentis, & ſicut Dathan & Abiron vivens in infernum deſcendat, & deleatur de libro viventium, & cum juſtis non ſcribatur, ſit ſuper eum peccator, & diabolus ſtet a dextris ejus; cum judicatur exeat condemnatus, & oratio ejus fiat in peccatum, fiant dies ejus pauci, & dignitatem ejus accipiat alter, fiant filii ejus orphani & uxor ejus vidua; commoti amoveantur filii ejus, & mendicent, & ejiciantur de habitationibus ſuis. Scrutetur fœnerator omnem ſubſtantiam ejus, & diripiant alieni omnes labores ejus, non ſit illi adjutor, nec ſit qui miſereatur pupillis ejus; fiant nati ejus in exterminio, in una generatione deleatur nomen ejus in conſpectu domini, & peccatum matris ejus non deleatur; fiant contra Dominum ſemper, & diſpereat de terra memoria ipſius. Et ſuperinferat fiſci juribus auri libras decem & argenti pondo viginti, ſtante nihilominus perpetim hujus ceſſionis meæ decreto. Te vero, clementiſſime princeps, per Regem regum exorare præſumo, qui omnia regna ſuo pugillo conſtringit, ut hanc voluntatis meæ ceſſionem nunquam patiaris in aliquo refragari. Simili modo te, beatiſſime pater Rimacle abba, tuoſque ſucceſſores vel ſubjectos poſt te per individuæ Trinitatis majeſtatem obteſtor, & per illam innumerabilem omnium ſanctorum angelorum archangelorum, patriarcharum, prophetarum, apoſtolorum, martyrum & confeſſorum catervam exoro, ut regulam ſupradictorum patrum quam in ſæpe memorato monaſterio Luxovienſi tenent, omni cuſtodia teneatis, & vigilias atque obſecrationes ad placandam iram furoris Domini aſſidue impendatis. Quod ſi aliqua tepiditate faciente, aut ſubjectorum tumore impediente, a te vel a ſucceſſoribus tuis ſæpe memorata regula fuerit dempta, aut in aliquo prætermiſſa, & ferventer pro Dei timore a vobis non fuerit adimpleta, licentiam habeat Luxovienſis abbas qui tunc temporis fuerit, & ex quorum regula tu nobis complacens, in hoc monaſterio aliis es prælatus, negligentem quem videris ſeu abbatem, ſeu ſubjectum de hoc monaſterio quod conſtitui, benigno animo caſtigare, ut continuo correptus talis inveniatur qui

* *Hoc eſt territorio.*

* *In veſtrum dominium transfundo.*

* *Add. alias*, in jam dicto monaſterio habitantibus.

* *Quos &c. manu miſi.*

Pſal. 108.

Digitized by Google

pro fœlicitate & gloria principis, & abſolutione ſcelerum meorum, Domini indeſinenter valeat exorare miſericordiam. Sic tamen ut nulla diminutio in rebus vel facultatula ipſa præter quod ſuper habetur inſertum, a ſepe memorato principe, ullo unquam tempore inferatur. Et quia, ut ſuperius ſum pollicitus, munuſcula ipſa ex largitate Chriſtianiſſimi & piiſſimi domini Dagoberti regis videor habere & poſſidere, ideo ut perpetuum in Dei nomen ipſa ceſſionis meæ epiſtola ſortiatur effectum, præfato principi obtuli confirmandam; cujus pietas de præſenti ſacratiſſima manu ſua roboratam promulgavit authoritatem, in qua ceſſionis meæ cartula, ſtipulatione & ſponſione ſubnixa, infra manu propria ſubſcripſi, & qui pro teſtimonio ſubſcriberent de præſenti rogavi. Facta ceſſione ſub die decimo calendas Decembris anno decimo regni gloriæ * domini noſtri Dagoberti regis fœliciter. In Chriſti nomine Elegius ſervus ſervorum Dei ceſſione a me facta religioſis *. In Dei nomine ego Adeodatus epiſcopus ª rogante homine Dei, filio meo domino Eligio, hanc ceſſionem ſubſcripſi. In Chriſti nomine Medegiſolus epiſcopus ᵇ ſubſcripſi. Chanoaldus epiſcopus ᶜ rogatus ab Eligio hanc ceſſionis ſuæ cartulam ſubſcripſi. Maurinus epiſcopus ᵈ rogatus ab Eligio hanc ceſſionis ſuæ cartulam ſubſcripſi. Deoremus * peccator rogatus a ſupraſcripto ſubſcripſi. Salapius ᵉ peccator rogatus a ſupraſcripto ſubſcripſi. In Chriſti nomine Lupus ᶠ ac ſi indignus epiſcopus rogatus hanc epiſtolam ſubſcripſi. Hildegarius ᵍ peccator ſubſcripſi. Arogectualis Eligio pro teſtimonio ſubſcripſi. Gundoinus ſubſcripſi. Chramnolenus * pro teſtimonio ſubſcripſi. Gundœnus ſubſcripſi. Chramnoaldus pro teſtimonio ſubſcripſi. Agorichius hanc epiſtolam ſubſignavi. Childeramonenſis * Baſo rogatus a ſupradicto fratre meo Eligio ſubſcripſi. Anſoaldus ſubſcripſi. Dado rogatus a ſupraſcripto. Rado rogatus a ſupraſcripto. Bobobertus * ſubſcripſi. Baſo ſubſcripſi. Bobo rogatus pro teſtimonio ſubſcripſi. ✝ Vincentius minimus omnium levitarum Chriſti, rogatus a filio Eligio hanc ceſſionis cartulam ſcripſi & ſubſcripſi.

* *f.* glorioſiſſimi. *Annum decimum Dagoberti Mabillonius revocat ad an. Chriſti.* 632.

ª *f.* relegi & ſubſcrip.

* *Al.* Deotemius.

* *Al.* Chramnoaldus.

ª *Al.* Childerannio ſeu Baſo.

* *Al.* Rodobertus vel Prodobertus.

De privilegio huic monaſterio conceſſo, vide in ſynodo Sueſſionenſi.

XXX.

De fundatione ſolemniacenſis monaſterii.

Ex vita S. Eligii a S. Audoeno Rotomag. epiſcopo ſcripta.

INter cætera expetivit ab eo villam quandam in rure Lemovicino cognominantes Solempniaco . . . . . Quam ejus petitionem libenter Rex ſicut ſolebat annuit, & ſine mora dato præcepto conceſſit . . . . . Quo in loco primum ac potiſſimum virorum Dei conſtruxit monaſterium, ubi etiam abbate conſtituto, multos ex ſuis vernaculis mancipavit: plures quoque ex diverſis provinciis, uſque ad centenarium, quem quinquagenarius ſupergreditur numerus, monachos congregavit; reditus etiam terræ, qui affluenter ſufficere poſſint, delegavit. Ipſe vero ſe tanta devotione tantoque amore eodem loco diffudit, ut quidquid habere potuiſſet, ut quidquid Regi auferre, quidquid dignè comparare, quidquid etiam gratuito ei a potentibus largitum eſſet, cuncta prædicto loco deſtinaret. . . . . Cogitabat enim & ipſe demum eidem ſe mancipare monaſterio, niſi eum alio in loco Dei obligaſſet diſpenſatio. Quo in loco ipſe quoque acceſſi, & tantam ſacræ Regulæ obſervantiam vidi; ut pene ſingularis ſit vita eiſdem monachis, præ cæteris Galliæ monaſteriis. Eſt autem congregatio etiamnunc magna, diverſis gratiarum floribus ornata . . . . . Eſt autem idem cœnobium haud procul a Lemovica urbe ſitum, ſex circiter millibus ad plagam diſtans meridianam. Ambitur vero in ſperio * muro non quidem lapideo, ſed foſſato ſepi munito, decem fere ſtadiorum ſpatium habente in circuitu; ex uno quidem latere munitur optimo flumine, ſuper quod mons excelſus ſylva opertus, ac prærupta valde eminet rupes, omne autem ſpatium monaſterii arbuſta diverſi generis pomifera occupant.

* ſphærico.

XXXI.

Charta fundationis ſeu donationis abbatiæ Bellilocenſis.

DIgnum ac juſtiſſimum omnimodis judicavimus, ut participem facultatis ac muneris a ſe oblati ipſum præcipue eligamus, quo in hac luce nec tranſitorie, ſed æternæ ac ſemper manſuræ poſſeſſionis eligere nos valuit. Idcirco ego in Chriſti nomine Rodulfus Bituricenſis eccleſiæ epiſcopus, ſollicita mente pertractans qualiter ex rebus caducis atque terrenis turrem conſtruere valeam, cujus aſcenſu ab omni contagione mortalis pulveris exutus, multimodaque ſorde peccati immunis, aulam ſupernæ civitatis merear ingredi, Dominum & Salvatorem omnium, totiuſque bonitatis largitorem, per hoc teſtamenti ſcriptum, nobis hæredem ex rebus proprietatis noſtræ eligimus, quæ ſunt in pago Lemovicino, in vicaria Aſnacenſe, ſuper fluvium Dordoniæ, qui locus nuper a ruſticis Vellinus, a nobis autem Bellus-locus nominatur, cum caſis, domibus, ædificiis, pratis, campis, vineis, ſylvis, paſcuis, aquis, aquarumve decurſibus, farinariis, mobilibus & immobilibus, perviis, adjacentiis, exitibus, & regreſſibus, quantumcumque in ſupradicto loco noſtra cernitur eſſe poſſeſſio, ex emprione ſeu quolibet modo adquiſitum, vel quidquid ad prædictum locum aſpicit, aut aſpicere videtur, totum & ad integrum Deo Salvatori omnium devote offero, & in vice Chriſti, Chuniberto abbati Solemniacenſis monaſterii, necnon Godoni monacho, Frannario, Bernardo, Garulfo, Flotgiſo, Rigaldo, Silvio, Rainerio, Girberto, Umberto, Abraham, trado. Ita duntaxat ut prædictus Chunibertus abbas, vel præfati monachi, in eodem loco cœnobium monachorum ſub regula S. Benedicti degentium, in honore beatiſſimorum apoſtolorum Petri & Pauli conſtruant, & ibi ſub vera religione viventes, pro Regis noſtri, parentumque noſtrorum erratibus, quin etiam pro catholicæ atque univerſalis Eccleſiæ ſtatu, ſedulis precibus divinam clementiam implorare decertent. Damus etiam ad ſupradictum locum curtem noſtram indominicatam, quæ vocatur Bellus-Mons, cum eccleſia quæ eſt ſacrata in honorem B. Stephani martyris, in villa Staliaco, & manſis qui ſunt in Membriaco, cum piſcatoriis & decurſibus aquarum, atque mancipiis in eiſdem locis commanentibus, ſeu aſpicientibus, necnon pertinentibus, cum ſtatibus; atque peculiare eorum, cum terris etiam cultis & incultis, pratis, paſcuis, adjacentiis, aquis, aquarumque decurſibus, ſilvis, molendinis, perviis exitibus & regreſſibus, cum vineis & omnibus appenditiis, vel quidquid ad ipſam curtem, vel ad ipſam eccleſiam aſpicit, aut aſpicere videtur. Et in alio loco, & in prædicto pago in præfata vicaria, aliam curtem noſtram quæ vocatur . . . . . & ad ſanctum Geneſium cum ipſa eccleſia, & omnibus ad ſe pertinentibus, cum manſis & vinea quæ vocatur Curamonte * atque mancipiis ſupra commanentibus, ſeu aſpicientibus, necnon pertinentiis. Similiter & in alio loco in orbe Lemovicino in territorio Torinenſe *, aliam curtem noſtram & eccleſiam quæ vocatur Stivalis, cum adjacentiis atque appenditiis ſuis, cum mancipiis ſupra commanentibus, ſeu aſpicientibus, necnon pertinentibus, cum cenſibus, domibus, ædificiis, pratis, campis, vineis, ſilvis, paſcuis, aquis aquarumque decurſibus, mobilibus, & immobilibus perviis adjacentiis, exitibus,

* Cujaunonis.

* Pagum Turennæ ſignificat.

ª Matiſconenſis ᵇ Turonenſis. ᶜ Laudunenſis. ᵈ Bellovacenſis. * Epiſc. Namnetenſis. ᶠ Lemovic. ep. ᵍ Senonum ep.

Digitized by Google

& regreſſibus, (quantumcumque ibidem poſſidere videor, ex emptione ſeu quomodolibet acquiſitum) & vineis noſtris in Campaniaco & Campania, Golo ſeu Pardinis, & quæ ibidem poſſidere cernimur. Et in alio loco in orbe Lemoviceno, in vicaria Aſnacenſe eccleſiam noſtram cum adjacentiis, & quidquid ibidem habere videmur quæ vocatur Nonars *. Similiter & in alio loco in orbe Lemoviceno & territorio Torinenſe, manſum noſtrum quem de Bobino, dato precio, comparavi in villa Terciaco cum omnibus ad ſe pertinentibus. Hæc omnia ſuperius nominata cum præfatis eccleſiis & villis, atque appenditiis earum, prædicto abbati ſeu prænominatis monachis, necnon & ſucceſſoribus eorum trado atque transfundo in eorum uſibus & ſtipendiis, in venturis generationibus abſque ullius hominis contradictione, firmiſſima libertate. Volumus etiam prout opportunitas atque poſſibilitas ejuſdem loci ſeſe quotidie miſericordiæ operam pauperibus indigentibus & advenis pro venia noſtrorum peccaminum exhibere. Placuit etiam huic inſeri teſtamento, ut non meo nec parentum meorum, nec faſcibus regiæ magnitudinis, nec cujuſlibet terrenæ poteſtatis jugo ſubjaceant, ſed quemcumque præfati monachi ex ſemetipſis abbatem vel paſtorem, ſuique rectorem ſecundum beneplacitum Dei & regulam S. Benedicti eligere voluerint [a], libero in omnibus eligendi abſque ullius poteſtatis inquietudine potiantur arbitrio. Pro infeſtatione vero peſſimorum, iniquorumque hominum, regium petimus mundeburdium, ut illius ſolatio fulti, tuitioniſque ope relevati, lætiori animo pro regiæ dignitatis exaltatione, atque cunctorum catholicorum ſalute, divinæ votis ſupplicibus queant aſtare clementiæ. Rogo etiam & poplite flexo humiliter reges, epiſcopos, abbates, comites, vicarios, cunctoſque Reipublicæ adminiſtratores, atque in commune omnes ſanctæ Dei Eccleſiæ fideles expoſco, & per individuam & inſeparabilem Trinitatis majeſtatem obnixe flagito, & flagitando adjuro, ut ſecundum tempus, poſſe & locum, ſi aliquis Dei inimicus hanc noſtri ſtudii devotionem infringere, aut inſtinctu diabolico maligna cupiditate violare conatus fuerit, adjutorium divini zeli ardore inflammati, charitatis atque veræ fraternitatis igne ſuccenſi, ferre non dedignentur; reges ſecundum virtutis ſuæ potentiam fortiter illos comprimendi, epiſcopi vero juxta poteſtatis ſuæ ſanctitatem a cœtu fidelium, & ab Eccleſia Dei ſeparando, de anathematis vinculo colligando, cæterique fideles, aut per miniſterii poteſtatem cohærendo, aut etiam vel verbis juxta poſſe ſolatium ſupplendo. Ego autem omnium ſervorum Domini exilis ſervus licet indignus, epiſcopali tamen infula adſtrictus, illum omni iniquitate repletum, & in omnibus voluntati Domini contradicentem, qui hoc noſtræ parvitatis donum quod ſpontanee & devotiſſime Deo offero, deſtruere, aut in ſuos vel aliorum quorumque uſus detorquere, niſi in ſtipendia monachorum inibi Deo ſub regula ſancti Benedicti degentium conatus fuerit, non inflationis, vel præſumptionis audacia, ſed miniſterii mihi a Deo commiſſi authoritate, ab omni cœtu fidelium extraneum fore cenſeo, & canonica inſtitutione anathematizo. Si quis vero contra hoc teſtamentum quod ego pro amore Dei omnipotentis, ac veneratione beatiſſimorum apoſtolorum Petri & Pauli fieri ſancivi, aut regiæ poteſtatis dignitas, aut quorumlibet regalium procerum ſublimitas, ſive etiam propinquorum, hæredum, aut proheredum meorum calliditas venire, aut callide tentaverit infringere, doli ejus & fraudes penitus irritæ fiant, & omnipotentis Dei iram ſe incurrere certiſſime ſciat, & ab eccleſia proprio Chriſti ſanguine mercata ſequeſtratus, & a communione Chriſtianorum fiat extraneus; [b] & inſuper ut prius temporalia digna experietur cogente fiſco auri libras centum, argenti pondo l. coactus exolvat, & ſua petitio nullum obtineat effectum; ſed præſens teſtamentum, pro animæ meæ, parentumque meorum remedio inſtitutum, omni tempore maneat inconvulſum, cum ſtipulatione ſubnixa. Et ut verius credatur, & diligentius conſerveur, & ab omnibus firmius cuſtodiatur, manu propria ſubterſignavi, & bonorum hominum canonicorum ſive fidelium laïcorum manibus firmandum contradidi [a]. Signum Rodulfi archiepiſcopi, S. Gottifredi comitis fratris ſui, S. Stodili epiſcopi Limovicenſis. Factum autem teſtamentum hoc anno XVI. regnante rege Carolo minore.

In Frotario Bituric. archiep. an. 878. multa reperiuntur inſtrumenta ubi de Bello-loco agitur.

* Nonaris.

a

b

[a] *Al.* Et vero in omnibus jure eligendi potiantur abſque ullius poteſtatis vel inquietudinis artibus.

[b] Et inſuper ut pœna temporali dignus explatus, cogente fiſco, auri libras centum.

[a] Stodilus ep. Lemovic. eccl. ſubſcripſi. Launus ep. & abba huic teſtamento ſubcripſi. * Rodulfus ep. S. Godefredus. S. Landricus &c. *Vide multas alias ſubſcriptiones ſac. iv. Bened. p. 2. pag. 162.* Data donatione in menſe Novemb. an. 6. regnante Carolo rege ſereniſſimo, Indictione....

XXXII.

*Præceptum Boſonis Marchiæ comitis de monaſterio Agiduno Adalberto abbati * Uſercienſi conceſſo.*

Ex chartario Uſercienſi.

* Uſerche.

997.

EGo in Dei nomine Boſo, pro remedio animæ meæ, & pro remedio animarum genitoris & genitricis meæ, necnon & dilecti fratris mei Gauberti, cujus deſiderio & voluntate hujus privilegii tenorem ſtabilire decrevi, ad hortationem & petitionem nobiliſſimi viri ac fidelis noſtri Hugonis Gareill, transfundo quandam eccleſiam quam olim a parentibus meis jure ſcimus antiquitus poſſeſſam, in honore ſanctæ Dei genitricis Mariæ conſecratam. Eam igitur in cœnobio & religione monachili tranſvertimus, quatenus per ſuccedentia tempora monaſticus ordo, religionis obſervantia ſub regula ſanctiſſimi Benedicti ibi teneatur & cuſtodiatur, eo tenore, ut deinceps nullus ſucceſſor meus qui fuerit, aut aliquis jure conſanguinitatis propinquus, licentiam habeat alienandi ab ordine monaſtico. Eſt autem hæc eccleſia in honore S. Dei-genitricis Mariæ conſecrata, in pago Lemovicino poſita; a vico Agiduno non longe ſita; ex una parte fluvius Croſa decurrendo amœna prata cingit, ex altera vero ex qua eminens proſpicitur vicus, fontium decurrentium, & vinearum copia uberius fluit, ex quibus habitatores hauriendo utriuſque refici poſſint. Hunc ergo locum Deo & S. Petro Uſercenſis cœnobii tradimus ſub dominatu domni Adalbaldi abbatis, ſucceſſorumque ejus, ut unitas fiat cœnobiorum, quatenus hic & illuc mei, animæque Ildeberti fratris mei memoria fiat, pariterque patris & matris meæ, omniumque parentum meorum, ut precibus ſervorum Dei ibi manentium ſedem refrigerii conſequi valeamus. Conſtituimus ergo hoc privilegium firmum & ſtabile ego Boſo, & frater meus Gaubertus ob conſenſum Alduini epiſcopi, & conſilio Rotgerii de Leron, & voluntate Hugonis de Gareill; itaut nullus ex heredibus noſtris propinquus aut extraneus, clericus ſive laïcus alienare præſumat hunc locum a ſupradicto loco & poteſtate abbatis qui præerit, ſed liceat præceſſore loci defuncto abbati Uſiarchico eligere unum ex ſuis, qui ſub regulari norma locum provideat & gubernet. Teſtes hujus privilegii ipſe Boſo comes Marchiæ, qui hoc privilegium firmavit, & Gaubertus frater ejus, Alduinus epiſcopus, domnus Adalbaldus abbas, Hugo Gareill, Ramnulfus frater ejus, Rotgerius de Leron, Boſo de Turre, Guido frater ejus, Atto de Solaniac, Igterius de Magnac, Umbertus Drut, Geraldus Quamormal, Amelius de Pairac, Gaucelmus monachus, Joſue monachus, Radulfus monachus qui hoc privilegium ſcripſit anno Incarn. Dom. D. CCCC. XCVII. Indict. X. regnante rege Rotberto.

XXXIII.

Bulla Alexandri Papæ III. pro Grandimontensi cœnobio.

1174. ALEXANDER epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectis filiis Guillelmo priori & fratribus Grandimontis ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Quanto amplius tenemur religionis profectui congaudere, tanto libentius debemus ea quæ ad regulæ veſtræ obſervantiam pertinent, juxta deſiderium noſtrum, quod ſaluti proficit effectui mancipare. Hac itaque ratione inducti, omnibus regulam veſtram ſervantibus ſicut in ordine veſtro habetur, laborem loco pœnitentiæ & in peccatorum ſuorum remiſſionem injungimus, quem in ipſa obſervantia patiuntur. Inſtitutionem quoque, quam ad caſtigationem veſtram poſt confirmationem felicis recordationis Adriani papæ prædeceſſoris noſtri regulæ veſtræ ſalubriter addidiſtis, auctoritate apoſtolica confirmamus, & futuris temporibus decernimus valituram. Nullis ergo omnino hominum liceat &c. Datum Tuſculani VIII. Idus Martii.

XXXIV.

Bulla Urbani papæ III.

1186. URBANUS epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis priori & fratribus Grandimontis ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Quanto major & gratior per religioſos viros Deo dependitur famulatus, tanto libentius & eorum utilitati debemus intendere, & preces affectuoſius exaudire. Cum igitur locus veſter longe ab hominum ſit habitatione ſemotus, vobis de ſedis apoſtolicæ benignitate duximus indulgendum, quod cum generale terræ fuerit interdictum, liceat vobis unius campanæ pulſatione competentibus horis fratres veſtros de laboribus ad eccleſiam convocare. Hoc autem & in locis veſtris ad inſtar felicis recordationis Alexandri papæ prædeceſſoris noſtri præcipimus obſervari, quæ a civitatibus, caſtris ac vicis adeo ſeparantur, ut ſonus campanæ veſtræ in locis illis minime audiatur. Datum Veronæ II. Idus Julii, pontificatus noſtri anno primo.

XXXV.

Bulla Clementis papæ III.

1188. CLEMENS epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis fratribus Grandimontenſibus ſalutem, & apoſtolicam benedictionem. Rationis ordo requirit, & conſuetudinis eccleſiaſticæ norma commendat, ut quæ dubitationem in obſervantia Chriſtianæ religionis adducunt, proviſione moderationis apoſtolicæ declarentur. Ne igitur de regula veſtra in poſterum quæſtio referatur, quam bonæ memoriæ Urbanus prædeceſſor noſter de conſilio & aſſenſu cardinalium & multorum epiſcoporum Italiæ, præſentibus ex vobis tam clericis quam converſis, ad ejus firmitatem & perpetuam pacem per oſculum, pacis aſſenſum præbentibus, noſcitur correxiſſe, ut in ejuſdem privilegio & in ipſo plenius continetur, eam ſub ſigillo in præſentibus ſcriptis de verbo ad verbum duximus inſerendam, quæ talis eſt: Quiſquis hanc religionem *&c. uſq.* ſalvus erit, amen. Ut autem prædicta regula perpetuis temporibus illibata conſiſtat, ipſam prout ab eodem Urbano prædeceſſore noſtro, ut ſuperius diximus, correcta eſt, auctoritate apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus, ſtatuentes ut nulli omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ confirmationis infringere. Datum Laterani, pontificatus noſtri anno primo.

XXXVI.

Clementis papæ III. de depoſitione duorum priorum Grandimontis, & poteſtate alterius eligendi.

CLEMENS epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis fratribus ordinis Grandimontis ſalutem, & apoſtolicam benedictionem. Ne in quæſtionis ſcrupulum recidant, quæ ſub examine apoſtolicæ ſedis judiciali ſententia terminantur, dignum eſt & conſonum rationi ad poſteritatis memoriam ea litteris comprehendi, & reſcripti apoſtolici munimine roborari. Sane cum pro controverſia quæ de abrenunciatione Guillelmi quondam prioris veſtri, & ſubſtitutione Stephani prioris, ſuadente Chriſtianæ religionis perſecutore cœpit inter vos diutius agitari, quidam inter vos tam clerici quam converſi in noſtra eſſent præſentia conſtituti, certa ratione comperimus memoratum Guillelmum, prioratus honorem coram delegatis a ſede apoſtolica judicibus ſe abrenuntiaturum ad certam diem, juramento præſtito, promiſiſſe; & poſtmodum alia vice in manibus dilecti filii noſtri Octaviani, ſanctorum Sergii & Bacchi diaconi cardinalis, tunc apoſtolicæ ſedis legati, & venerabilis fratris noſtri Petragoricenſis epiſcopi, & dilecti filii abbatis de Corona, ſine juramento viva voce renunciaſſe. De alterius vero, videlicet Stephani ſubſtitutione, licet ejus electio, memorato Guillelmo abrenunciante, canonica eſſe poterit, intelliximus quibuſdam ex vobis, videlicet clericis, grave ſcandalum generari. Volentes ergo tranquillitati & quieti veſtræ circumſpectione moderaminis apoſtolici providere, ut omnis inter vos de cetero, auctore Deo, diſſentionum & jurgiorum materia ſopiatur, de conſilio & aſſenſu fratrum noſtrorum, tam Guillelmum qui abrenunciaſſe dignoſcitur, quam Stephanum, pro bono pacis & concordiæ inter vos reformandæ, a prioratus regimine duximus amovendos, eligendi priorem facultatem vobis liberam concedentes. Volumus etiam & præcipimus ut regulam ordinis veſtri, ſicut eam bonæ memoriæ Urbanus prædeceſſor noſter, de conſilio & aſſenſu cardinalium, multorumque epiſcoporum Italiæ, præſentibus ex vobis tam clericis quam converſis, ad ejus firmitatem & perpetuam pacem invicem oſculum ſibi præſentibus, correxiſſe dignoſcitur, & tam in privilegio ſuo quam noſtro plenius reperitur, in poſterum ſine contradictione qualibet obſervetis. Ut autem ſententia iſta perpetuis temporibus inviolata & ſtabilis perſeveret, eam auctoritate apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Statuentes ut nulli omnino hominum liceat paginam noſtræ diffinitionis & confirmationis infringere &c. Datum Laterani ſeptimo Calendas Julii, pontificatus noſtri anno I.

XXVII.

Ejuſdem Clementis reſcriptum comiti Campaniæ eadem de cauſa.

CLEMENS epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, dilecto filio nobili viro comiti Henrico Campaniæ ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Inter cetera quæ diverſis mundi partibus, apoſtolatus noſtri tempore, ad ſedem apoſtolicam docenda pervenerunt, & gravia, Grandimontenſis domus turbatio non minimum nobis dolorem incuſſit. Quis enim abſque amaritudine audiat domum tam celebris religionis præconio divulgatam, de pacis unanimitate religioſis inſtitutis amica, ad tantum turbationis ſcandalum pertranſiſſe ut factis partibus velut acies hinc inde conſiſterent, & judiciariis diſceptationibus mutuo concertarent, quos ſub religioſo ſilentio traditas oportuerat obſervantias cuſtodire. Proh dolor! Adeo valuit inimicus, ut eos de

laterie

latebris cuſtodiæ clauſtralis eduxerit, & in omnem fere ventum & regionem ipſos ſuſcitata diſperſerit tempeſtate. Nos ſane tanto ipſorum naufragio ex intimis cordis affectibus condolentes, fratribus convocatis, de illorum colligenda diſperſione tractavimus, & pacis inter eos fœdere reformando; tandem diligenti deliberatione, de fratrum noſtrorum conſilio, rem in hunc modum duximus diſponendam. Clemens epiſcopus &c. *ut ſupra in bulla ſupra relata.* Pietatem igitur tuæ celſitudinis quæ loca religioſa fovere ac defendere conſuevit, monemus & exhortamur in Domino, & in remiſſionem injungimus peccatorum, quatinus ſocios Guillelmi quondam prioris, qui in terra tuæ juriſdictioni ſubjecta commorantur, commoneri facias ut ad domum Grandimontis ſine dilatione aliqua revertantur, & domos quas detinent, converſis fratribus ſecundum ſtatutum ordinis ipſius abſque difficultate reſtitui, ab eis pacifice diſponendas, & præfatam provideas, quantum in te fuerit, inſtitutionem noſtram obſervari. Sane quoniam tua diſcretio non ignorat quantum diviſiones ſint religioſis obſervantiis inimicæ, ſi quos noſtræ inſtitutioni repereris adverſari, eis omnimodum ſuberahas tuum in ſua obſervatione favorem. Illis qui humiliter obedierint & ad fraternam redierint unitatem, benignum patrocinium & defenſionem impendas. Datum &c.

XXXVIII.

Clementis papæ VI. de electione Johannis Chabriti abbatis Grandimontis.

1347. CLEMENS epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis univerſis prioribus & fratribus ordinis Grandimontenſis ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Inter ſollicitudines varias quibus aſſidue premimur, illa potiſſime pulſat & excitat mentem noſtram, ut ſtatus eccleſiarum & monaſteriorum omnium, curæ noſtræ Divina providentia commiſſorum, ſpiritualiter & temporaliter augeantur; quodque illis quæ ſuis deſtituta paſtoribus, & præſertim Eccleſiæ Romanæ immediate ſubjecta, vacationis incommoda deplorare noſcuntur, tales miniſtros præficere ſtudeamus, per quorum regimen utiliter & ſalubriter valeant gubernari. Dudum ſiquidem quondam Petro abbate monaſterii Grandimontenſis, ad eamdem eccleſiam nullo medio pertinentis, Lemovicenſis dioceſis, regimini ipſius monaſterii præſidente, nos intendentes eidem monaſterio, cum vacaret, per apoſtolicæ ſedis providentiam idoneam præeſſe perſonam, proviſionem ipſius monaſterii ea vice diſpoſitioni noſtræ ſpecialiter duximus reſervandam, decernentes irritum & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contingeret attentari. Poſtmodum autem dicto monaſterio per obitum ejuſdem Petri, qui extra Romanam curiam diem clauſit extremum, vacante, nos vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta, ad proviſionem ipſius monaſterii celerem & felicem, de qua nullus præter nos ea vice ſe intromittere poterat, reſervatione & decreto obſiſtentibus ſupradictis, ne dictum monaſterium longæ vacationis exponeretur incommodis, paternis & ſollicitis ſtudiis intendentes, poſt deliberationem quam de præficiendo eidem monaſterio perſonam utilem & etiam fructuoſam, cum fratribus noſtris habuimus diligentem; demum ad dilectum filium Johannem abbatem dicti monaſterii, tum priorem prioratus S. Mauricii Grandimontenſis ordinis, * Antiſſiodorenſis diœceſis, in ſacerdotio conſtitutum, litterarum ſcientia præditum, religione conſpicuum, morum & vitæ honeſtate decorum, in ſpiritualibus providum, & in temporalibus circumſpectum, ac aliis multiplicium virtutum meritis, prout ex teſtimoniis fide dignorum accepimus, inſignitum, intuitum direximus noſtræ mentis. Quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona dicti Johannis eidem monaſterio apoſtolica auctoritate providimus, ipſumque illi præfecimus abbatem, curam & adminiſtrationem dicti monaſterii eidem Johanni tam in ſpiritualibus, quam in temporalibus plenarie committendo, in illo qui dat gratias, & largitur præmia confidentes; quod præfatum monaſterium ſub ipſius Johannis abbatis felici regimine, gratia ſibi aſſiſtente divina, proſpere dirigetur, & ſalubria ſuſcipiet incrementa. Quocirca univerſitati veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatinus eidem Johanni abbati tamquam patri & paſtori animarum veſtrarum plene & humiliter intendatis, ac exhibeatis obedientiam & reverentiam debitam & devotam, ejuſque ſalubria monita & mandata ſuſcipiatis hilariter, & efficaciter adimplere curetis: alioquin ſententiam ſive pœnam quam ipſe rite tulerit in rebelles, ratam habebimus, & faciemus, auctore Domino, uſque ad ſatisfactionem condignam inviolabiliter obſervari. Datum Avenioni tertio Idus Aprilis, pontificatus noſtri anno VI.

* *Immo Senonenſis, licet ab Antiſſiodorotribus tantum locis diſtet.*

XXXIX.

Charta fundationis S. Petri de Stirpo. *

* Sterp. *Ex autographo.* *Circa* 1032.

ÆCcleſiæ ſanctæ fideli devotione ſubvenire, ejuſque utilitatibus pio amore concurrere juſtarum eſt mentium; quia exinde cœleſtium gaudiorum credunt percipere portionem. Igitur dum vivimus, movemur, & ſumus, conſiderare debemus, quia de terra ſumus, & in terram ibimus. Proinde ego Jordanus filius Abonis, & uxor mea Dia, conſiderantes immenſa peccatorum noſtrorum pondera, ſimulque pertimentes ultimi judicii diem, in qua unuſquiſque pro id quod geſſit redditurus eſt rationem, cogitare cepimus quod pium rectumque erat, una cum aſſenſu infantum noſtrorum, videlicet Jordani, atque Boſonis, ſive Ainardi, ſimulque Rainaldi Karrofenſis abbatis, prout remedio animarum noſtrarum, necnon & pro futurorum filiorum noſtrorum, ſeu etiam parentum noſtrorum, ut Dominus veniam noſtrorum peccaminum nobis indulgere dignetur, de rebus noſtræ proprietatis ad ſacram & matricem ſedem apoſtolicam ſanctiſſimi Petri apoſtolorum principis, ubi corpus ejus cariſſimum requieſcit, dedimus, donatumque in perpetuum eſſe volumus manſum cum capella quæ vocatur Stirpis, cum decima & omnibus ad ſe pertinentibus, ubi monaſterium conſtruimus ad nomen & gloriam ſanctæ, & individuæ Trinitatis, & memoriam ipſius ſancti Petri, de rebus noſtræ proprietatis, ubi habitet clerus & populus, ab omni noſtro ſervitio & omnium heredum, ac proheredum noſtrorum liber & abſolutus, tantummodo ſubjectus ſit Romano pontifici, & rectoribus hujus loci, & clero ſibi commiſſo, & ſucceſſoribus eorum in perpetuum. Et quia permaximum opus cepimus & ad peragendum difficile, ſed apud Dominum acceptabile, concedimus & noſtris proceribus atque militibus, & omnibus utriuſque ſexus, quicquid unquam in hac erumnoſa terra per nos poſſident in hereditatem ſalutiferam animarum ſuarum, quicquid ex eis ipſi ſupradicto monaſterio Stirpis dederint in eccleſiis vel decimis, & terris cultis aut incultis, pratis, ſilvis, vineis, aquis, aquarumve decurſibus, præviis & exitibus, & ſervis, & ancillis, monaſterio & rectoribus & clero ibi commorantibus, ut habeant ea perpetuo jure, nullo noſtro contradicente herede aut ſucceſſore cedimus, & de noſtro jure & dominatione in jus & poteſtatem ſancti Petri apoſtolorum principis, in ſpeciales uſus abbatum atque rectorum, cum ſibi ſubjectis canonicis transfundimus; quibus ſtatuimus ut reddant per ſingulos annos in cenſum V. ſolidos ipſi Eccleſiæ Romanæ ſancti Petri, & domno papæ, pro ſalute noſtra & tuicione ſua.

Æccleſiæ ſanctæ fideli devotione &c. *ut ſupra.* Proinde ego Jordanus, filius Jordani filii Ainardi conſiderans &c.

Digitized by Google

de rebus meæ proprietatis ad cœnobium ſancti Petri Stirpenſis, quod domnus Fulcherius regit ſecundum regulam apoſtolorum, & ſanctiſſimi patris Auguſtini canonice, ad communem multorum utilitatem, in ſuburbio Lemovicæ ſedis, in ſpeciales uſus Regularium canonicorum ibidem Deo famulantium, do manſum ſitum in pago Lemovicenſi, in vicaria Cabanenſi, in parochia S. Johannis de Caſſano, ſcilicet manſum de la Poïada, cum decima pro manſo quem ordinavit michi pater meus dare, pro animabus noſtris & parentum noſtrorum, quando perrexit Jeroſolymis &c.

† Ego Jordanus hanc crucem propria manu ſubſcripſi. Cum hoc manſo dono curtem de Friuloſa cum ſervis & ancillis, quam ordinaverat atavus meus Jordanus filius Jordani & uxoris ejus Diæ, in jus & poteſtatem S. Petri, in ſpeciales uſus Regularium canonicorum, videlicet abbatis Fulcherii cum ſuis ſibi ſubjectis clericis transfundimus &c. Subſcribunt, Ubo Cabrac, Gauſfridus Bertranx, Willelmus Piſac, Abo Cat, Aimericus archipreſbyter.

In dorſo hujus inſtrumenti lego eadem manu exaratum:

Abo Car Armat genuit Jordanum, qui fundavit Stirpenſe monaſterium, cum Dia uxore ſua, & genuit ex ea IIII. filios Raginaldum abbatem Karrofenſem, & Ainardum monachum Montis-caſſini, & Boſonem, & Jordanum qui ſupradicto cœnobio multos ..... qui accepit uxorem, & genuit ex ea filium nomine Jordanum, & poſtea interfectus eſt ad ſanctum Junianum, & puer Jordanus filius ejus miles effectus, accepit uxorem ..... ex qua genuit filios Ainardum & Jordanum cognomento Eſchivat, & poſtea obiit ad oppidum Caſech. Ainardus genuit Jordanum Exbarrel *, qui perrexit Jeroſolymis, & reliquit filium nomine Jordanum, qui hoc donum fecit, & ex alia uxore duos pueros Ainardum & Boſonem. Jordanus genuit Eſchivat qui genuit Ameliam, uxorem Willelmi de Maſtat ex filia comitiſſæ Marchiæ.

* *vel* Ex Barrel.

Tempore Jordani Eſchivati cum cepiſſet caſtellum confluencii excreſcere, nec haberet ibi cimiterium, ſed corpora defunctorum alia deferrentur ad S. Mauricium ad ſepeliendum, alia ad alia loca, voluit princeps dictus ibi cimiterium benedici, eccleſiamque conſtrui novam ſub jure atque ditione monachorum Carrofenſium &c. *& poſt multa*: Jordanus & Rainaldus abbas Karrofenſis frater ejus, necnon & Ainardus monachus frater eorum, cum aſſenſu ſeniorum ſuorum Guillelmi atque Adalberti, & nepotum ſuorum Jordani, atque Rotberti, & Hicterii, pro remedio animarum ſuarum, & patris ſui Jordani, & genitricis Diæ, & fratris ſui Boſonis, ad cœnobium S. Petri in ſuburbio urbis Romæ ſedis apoſtolicæ, qui vocatur Ad Stirpo, in ſpeciales uſus canonicorum ibidem Domino famulantium, donant eccleſiam in pago Bituricenſium ſitam, eccleſiam de Cavannaco in pago Lemovicino, & plures curtes, prædia, *& alia in authentico inſtrumento recenſita ſed abſque chronicis notis.*

XL.

Ex tabul. domeſt.

Varia donaria eidem monaſterio facta.

1103.

PETRUS de ſancto Marco dedit quoſdam hortos beato Petro Stirpenſi, ac clericis ſuis, in manu dompni Walterii abbatis, de mandato Willelmi patris ſui cum conſilio procerum Albuconenſium anno ab Incarn. Dom. M. C. II. Indictione X. epacta nulla, concurrente I. Fulcherio primo abbati Stirpenſi Gauſfridus de Niol dedit alodium de Vernet; quem poſtea abſtulit Ugo de la Vilata; ſed cognoſcens culpam ſuam, dimiſit ipſum alodium in præſentia ejuſdem abbatis & fratrum ſecundum regulam S. Auguſtini in Stirpenſi eccleſia degentium, ſuper altare qui eſt in vicaria ſancti Germani in parochia de Azac. Notandum obiter ex eodem inſtrumento Fulcherium abbatem præfato Ugoni prædictum alodium commiſiſſe in pœnitentia ad operandum & laborandum, ut poſt ipſius obitum remaneret cum ipſo labore & ædificatione, Stirpenſi eccleſiæ & fratribus.

Eidem Fulcherio Jordanus, filius Ainardi, donavit decimam omnium rerum in duobus manſis villæ de Lamnac. Guido de la Roca eidem dedit eccleſiam ſancti Felicis quæ eſt ultra caſtrum Cofolent in via Karrofenſi.

Willelmus de S. Marco, & Stephanus frater ejus, donant eccleſiam S. Martii de Frùmiger.

Guillelmus de Gannac, Walterius de Rua, Gauzfridus de Vitrac, Aimericus Catus de Faneis, & plures viri nobiles eidem Fulcherio dona fecerunt.

Conio filius Conionis de ſancto Germano, dedit Deo & S. Petro, ſanctoque Gauterio Stirpenſis eccleſiæ, ac canonicis inibi Deo famulantibus, quaſdam alodii ſui partes, in manu Ramnulfi abbatis, anno ab Incarn. Dom. M. C. XXXIII. Indict. XI. epacta XII. concurrente VI.

Idem Ramnulfus abbas reperitur M. C. XXIII. Rigaldus concedit Deo & S. Petro Stirpenſi, quodcumque habebat in eccleſia S. Marci, in manu dompni Walterii abbatis, anno Incarn. Dom. M. C. I. Indict. X. epacta nulla, concurrente I.

Ego Geraldus, cognomento Blanchet, facio donum, & convenientiam, & ordinationem de tota mea ſubſtantia, hoc eſt de terris, & de vineis, & de alia pecunia mea, Deo, & ſancto Petro Stirpenſi, & beato Galterio domino meo, quia ab ipſo & per ipſum habui & adquiſivi omnia mea bona quæ hodie poſſideo. Et propter hoc facio iſtud donum & iſtum conventum in vita mea in manu ſcilicet domini Fulcherii abbatis & in præſentia capituli Stirpenſis, ut ipſi permittant mihi tenere & poſſidere in antea omnia illa quæ hodie teneo & poſſideo, & ea ſimiliter quæ in antea adquirere potuero, hoc eſt, ut habeam & teneam totum in vita mea de domno Fulcherio abbate & ſucceſſoribus ſuis in pace, ſine cenſu, & ſine aliquo ſervitio, niſi ego ipſe facere voluero, tali videlicet convenientia, ut poſt mortem meam totas meas terras, & vineas, & alia omnia quæ habuero, habeat & poſſideat Stirpenſis eccleſia, & beatus Galterius dominus meus, & canonici ſui in pace ſine ulla calumpnia; quia neque uxorem, neque filios unquam me habere adtendo. Factum eſt hoc placitum in manu domni Fulcherii abbatis in capitulo.

XLI.

Confirmatio fundationis abbatiæ Stirpenſis.

1093.

JUſtum valde ac neceſſarium eſſe videtur, ut quicumque ſuorum hereditatem parentum juſte poſſidere deſiderant, juſtas eorum donationes atque conceſſiones, quas adhuc viventes pro animarum ſuarum remedio feciſſe noſcuntur, ſemper illibatas cuſtodiant &c. Quapropter ego in Dei nomine Jordanus filius Jordani qui peregre obiit, non ſolum patris, verum etiam proavorum, & attavorum, ac deinceps data & conceſſa quæ beato Petro apoſtolorum principi, & eccleſiæ Stirpenſi dederunt, conceſſerunt, dimiſerunt, vel quoquomodo a jure vel poteſtate ſua in jus vel poteſtatem ipſius eccleſiæ tranſtulerunt, pro ſalute animæ meæ, & conjugis Ameliæ, parentumque meorum confirmo & auctorizo ſub hujus paginæ teſtificatione. Dedit namque atque conceſſit attavus meus Jordanus filius Abonis Cati Armati, & uxor ejus Dia, filiuſque illorum Jordanus huic Stirpenſi eccleſiæ, dum ab eis fundaretur, quicquid de caſamentis eorum ab aliquo vel ab aliqua datum vel dandum erat, ut immutabili lege ejuſdem eccleſiæ alodium fieret. Sed cum cetera, quæ ab avis vel attavis eidem eccleſiæ ſtatuta ſunt,

Digitized by Google

ordinatim memorare difficile videatur, & alias ſcripta ſint, hic quæ a patre meo data vel conceſſa, a me quoque addita ſunt, ſubtitulantur. Cum igitur quodam tempore legatus ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, Ugo ſcilicet Dienſis, ad Stirpenſem eccleſiam, ut pote in beati Petri alodium, adveniſſet, ſi quid in eadem villa juſte vel injuſte pater meus & ego habere videbamur, in ejus ſacra manu beato Petro reliquimus atque donavimus, & eidem tam eccleſiæ, quam villæ, ab omni inquietudine ac conſuetudine plenam libertatem conceſſimus, excepto quod ſi contra nos hoſtes bella commoverint, prædictæ villæ laïci infra terræ noſtræ tantum terminos nobis auxilium præbeant. Poſt aliquantum vero tempus poſito in Stirpenſi monaſterio a præſule Widone domno Fulcherio abbate, venimus pater meus & ego ante altare ſanctorum apoſtolorum Petri & Pauli, & in manu ſupradicti antiſtitis, & abbatis, cum ſacro codice, conceſſimus eidem loco & villæ, perennem quietudinem ac libertatem, circumaſtante cleri ac populi maxima multitudine. Et ut inibi Deo ſervientes pace & ſecuritate ſemper fruerentur, promiſimus ac dimiſimus eidem abbati, ne quis foriſfactor in alienum damnum tertio die ante vel poſt foriſfactum inde egrediatur, vel regrediatur. Non poſt multos autem dies cum pater meus tranſmarinum aggrederetur iter, inter cetera quæ me corrigendo, ammonendo, deprecando dixerat, plurimis ex noſtris audientibus, & nominatim audiente Geraldo * Ribairol, & Bertrando de * Preiſac, ſic eſt effatus : Omnium bonorum meorum, Kariſſime fili, te ſucceſſorem & heredem inſtituo, & ex Dei parte, ac mea tibi trado atque concedo totum meum honorem, & ſervos, & ancillas, & cetera quæ ad me hereditario jure pertinent, ſicut uſque hodie habui & obtinui, vel alii per me habere & obtinere videntur, ut juſte habeas, teneas, atque poſſideas. Nec mediocriter ſuper hoc Stirpenſi cœnobio me deprecatus ut eum augerem, cuſtodirem, & multiplicarem, & regularem diſciplinam, quam ſecundum ordinem ſancti Auguſtini noviter ipſe, me cooperante, inibi ſtatuerat, defenderem & amarem, ultimum valefecit. Unde ego non immemor, ac nichilominus animæ meæ, atque ipſius, uxoriſque meæ Ameliæ, necnon omnium parentum ſaluti invigilans, cum conſilio procerum meorum addidi hoc, ne alicui eccleſiæ ſive alicui perſonæ, tam laïcali quam clericali, nobili ſive ignobili, utriuſque ſexus ullam eccleſiam ſive monaſterium ædificare liceret infra meæ terræ metas, quæ a me vel per me ab aliis poſſidetur, vel poſſeſſura eſt, niſi tantum præfatæ Stirpenſis eccleſiæ Regularibus clericis. Quod ſi quis forte tantam terræ amplitudinem in meo honore habuerit, ut novellam eccleſiam conſtruere velit & poſſit ad proficuum & honorem Stirpenſis loci, ad conſilium ipſius eccleſiæ abbatis, quatuorque canonicorum ſuorum quos ipſe elegerit, atque quatuor procerum, quorum duo ſint de Cofolento, aliique duo de Cabaniſio, qui videlicet quamor Stirpenſem eccleſiam & canonicos amare noſcantur, de rebus ſuis tantum Stirpenſi eccleſiæ conferat, unde perfici eccleſia poſſit. Eas vero, quæ intra hujus denominatæ terræ fines continentur, eccleſias ſub nullius adhuc alterius eccleſiæ ditione deditas non liceat inpoſterum cuique poſſidentium dare aut accommodare, vel quoquomodo cum alterius incolis eccleſiæ placitum facere, niſi cum Deo famulantibus clericis Stirpenſis eccleſiæ. Pro iſta autem tali donatione, talique conceſſione tale tantumque promerui beneficium, ut dum vita comes extiterit, in Cœna Domini unus pauper recipiatur pro me inter ceteros in clauſtro ad lavandum & reficiendum. Inſuper in unaquaque hebdomada pro me ac pro conjuge mea Amelia ſemel Deo ſanctum offeratur ſacrificium in eodem monaſterio. Poſt obitum quoque meum ſimiliter in ſeptimana, tam pro meæ peccatricis animæ, & conjugis Ameliæ, quam pro omnium parentum meorum defunctorum requie fiet perenniter miſſæ celebratio;

* *Sic eſt in autographo.*

A Septimum vero & trigeſimum inſuper, & annale ejuſdem loci fratres michi impendent officium.

Quamvis etiam pro unoquoque parentum meorum ſpecialiter annua agatur commemoratio, celebrabunt tamen de cetero in ultimo die menſis Febroarii pro omnibus parentibus meis generale anniverſarium. Obteſtor itaque omnes fideles tam laïcos quam clericos, & ex Dei parte, ac mea, parentumque meorum prohibeo, ne contra hoc meum ſcriptum cœca cupiditate perculſi, alias donationes ſive conceſſiones contrarias his ſibi fieri petant, vel a quoque ſuſcipiant. Et ſi forte aliquis parentelæ meæ vel extraneorum, quod abſit, inſurgens, hoc privilegium violare ſive inquietare preſumpſerit, centum libras auri Romanæ Eccleſiæ perſolvat, & ejus præſumptio atque calumnia irrita fiat, & cum Dathan, & Abiron, ac traditore Juda æternis crucietur ignibus. Huic tali nichil hereditatis meæ concedo, immo penitus exheredo.

Hi ſunt teſtes donationis ſive conceſſionis Jordani quam ſuper altare apoſtolorum Petri & Pauli fecit : Galterius abbas. Petrus prior. Aimericus præpoſitus. Ramnulfus ſecretarius. Ugo Bertrandi. Helias de Bordas. Umbertus Samuelis. Goffredus Bertrandi. Guido de Piris. Hiſterius de Preiſac.

Hi ſunt teſtes conceſſionis Ainardi ac Boſonis fratrum Jordani : Galterius abbas. Bernardus prior. Aimericus præpoſitus, & totus conventus. Umbertus Samuelis. Guido de Boſc. Ramnulfus Boch. Petrus Goffridi. Martinus.

Hi ſunt teſtes conceſſionis Willelmi Tallafer Engoliſmenſis comitis, Jordanus de Cabaneſio. Petrus prior. Aimericus præpoſitus. Aimericus de Monte-Cuculi. Iſterius Bertrandi. Gardradus cognomine Ticionis.

Hi ſunt teſtes conceſſionis Umbaldi Lemovicenſis epiſcopi : Galterius abbas. Geraldus archidiaconus. Aimericus archipreſbyter. Ademarus preſbyter. Aimericus de Monte-Cuculi. Aldebertus clericus.

Firmatum eſt hoc præceptum anno ab Incarnatione Domini M. XCIII. Indictione prima, epacta XX. pridie Kal. Aprilis, regnante Philippo rege Francorum, Umbaldo Lemovica ſede reſidente.

XLII.

Charta fundationis abbatiæ Beneventi.

NOtum volumus eſſe catholicæ matris eccleſiæ fidelibus, quia nos canonicalis videlicet eccleſiæ Lemovicenſis canonici clerus, veridicæ Domini noſtri promiſſionis memores, dicentis : *Qui recipit juſtum in nomine juſti, mercedem juſti accipiet*, ut futuram diſtricti judicis, quam pro meritis noſtris meruimus, ſuffugere valeamus ſeveritatem, & cum juſtis inæſtimabilem aſſequi petitionem, in ipſius nominis honore, aſſenſu & voluntate domini epiſcopi noſtri Guidonis, committimus viros religioſos, Raimundum videlicet & Boſonem, alioſque eorum ſocios, atque religionis amatores, locum ædificandæ eccleſiæ aptum, in qua Deo deſervire religioſe & regulariter poſſent, deſiderantes ædificare baſilicam voto ſuo & religioni congruam, in allodio noſtro in villa Domini noſtri, quæ vulgariter nominatur de Conſolas, eiſque & eccleſiæ quam ipſi ædificaturi ſunt concedimus ad victum & alias neceſſitates fratrum, ibidem Deo canonice ſervientium, de beneficiis quæ ſunt in dominio noſtro ſex menſes, tres apud eandem villam, ſcilicet de Conſolas, & unum manſum de Seconſolatas, quas tenebat Angelbertus, & unum manſum apud Salſetum, quem tenebat Rogerius & frater ejus, & borderium de Combis, & apud Sigonlenum decem & octo modios, & duos ſextarios vini : hos manſos, & has borderias donamus & concedimus, ut ſunt ſupra, & dictum eſt libere & abſolute ſupradictæ eccleſiæ, cum omnibus quæ in eis ſunt, tali pacto & conditione, ut eccleſia illa ſemper ſit in poteſtate & in regimine noſtro, imo proprium noſtræ

Circa. 1073.

Matth. 10. 41.

Digitized by Google

congregationis & ſpeciale membrum ; itaut cum Dei miſericordia & providentia eam provexerit, ut oporteat in ea conſtitui priorem, ſive præcentorem, ſive ſacriſtam, fratres in ea Deo ſervientes in capitulo ſuo eligant quemcumque eis placuerit priorem, vel præcentorem, vel ſacriſtam ; & cum ibi electi fuerint, adducantur in noſtrum capitulum, & ibi in omnium præſentia fratrum, accipiant prælationis officium. Quod ſi in eorum capitulo tales perſonas non invenerint, quas ad has prælationes, dignas & utiles viderint, de noſtro capitulo eas accipiant. Quod ſi nec in noſtro, quod abſit, utiles inveniantur, cum noſtro conſenſu & voluntate, eligant ſibi perſonas religioſas aliunde. Similiter ſi canonicum eis placuerit facere, in capitulum noſtrum adducatur, & ibi canonicus approbetur. Præterea conſtituimus ut ſi milites terræ de feuvo eccleſiæ noſtræ, habentes ſe in habitu ſuo judicaverint ſe ibi ſepeliri, & de ipſis terris ſcilicet & feuvo noſtro aliquas ibi contulerint, ut medietas eorum ſit in eorum dominio, & alia medietas in noſtro, exceptis illis conventionibus, quas quidam jam nobis fecerunt ante hanc conſtitutionem, vel quas facturi ſunt, & exceptis rebus preſbyterorum noſtrorum & cellarii, & aliorum miniſtrorum. Qui autem ante obitum in ſanitate ſua, de ſupradictis terris ſcilicet quæ ſunt in feuvo noſtro aliquomodo cum eis fecerint, ſive per donum, ſive per comparationem, ſive per pignus, ſive per conventionem alicujus, ita ſtatuimus ut ſi per donum facta fuerit conventio eorum, ſit medietas doni, & alia medietas noſtra. Si vero per comparationem facta fuerit conventio, nos reddamus medietatem pretii, & habeamus medietatem comparatæ terræ, & ipſi reddant aliam medietatem pretii, & habeant aliam medietatem. Quod ſi nos medietatem pretii non reddiderimus, tandiu teneant illi totam comparationem, donec reddamus illam medietatem pretii, & poſtquam reddiderimus, habeamus ſicut conſtitutum eſt. Si autem per pignus, eodem modo concedimus. Quod ſi per anniverſarium alicujus conventio fuerit, quandiu vixerit ille qui converſus fuerit, totam & integram habeant conventionem ; poſt obitum converſi habeant eorum medietatem conventionis, & nos aliam, & ut parochianos noſtros de Solamaco ibi non ſepeliant, niſi noſtræ prius parochiali eccleſiæ debitam perſolvêre ſepulturam, exceptis illis de burgo ſuo, videlicet de Segonſolas. Firmata eſt hæc conſtitutio VI. Idibus Novembris luna X. epacta XXVI. indictione III. apud Lemovicos in capitulo S. Stephani, præſulante domino papa Gregorio VII. regnante Francorum rege Philippo, epiſcopante Guidone Lemovicæ ſedis epiſcopo, & * ipſius Guidonis & Gualberti archidiaconis, Humberti præcentoris, Jordani archidiaconi, Urnoldi archidiaconi, Geraldi, Bernardi præpoſitorum obedientiæ Solemniacenſis, & canonici S. Stephani, & Gauffredi, Umberti qui hanc cartam dictavit.

* *Deeſſe videtur aliquid.*

XLIII.

Charta donationis abbatiæ Boni-loci.

1141. NOteſcat cunctis præſentibus atque futuris, quod ego Amelius de Cambonio, pater Alardi & Auberti, dono Deo, & beatæ Mariæ, & Geraldo Dei ſervo, ejuſque ſucceſſoribus, pro ſalute animæ meæ, omniumque parentum meorum, in eleemoſynam, manſum de Maxerolis cum omnibus pertinentiis ſuis, manſumque de Rivo-veteri, in manu Euſtorgii Lemovicenſis epiſcopi. Teſtes Guillelmus de Lopiat archipreſbyter, & Gerardus nepos ejus, Rogerius de Crozan-Groſſus. Defuncto autem magiſtro Geraldo, fratres qui erant in eodem loco, cum conſilio Euſtorgii Lemovicenſis epiſcopi, & Guillelmi archipreſbyteri, & Amelii ſupradicti, tradiderunt ſe & locum ipſum eccleſiæ Dalonenſi, & Rogerio ejuſdem eccleſiæ abbati. Eodem tempore Amelius prædictus donavit & conceſſit prædictam terram Rogerio abbati Dalonenſi ad conſtruendam abbatiam. Inſuper donavit manſum de Laval qui eſt ſuper Sermenſana ; donavit etiam in omnibus nemoribus ſuis ligna apta ad ædificandum, & calefaciendum, ad porcos ſuos paſcendos, & alenda animalia, & ad omnes alios uſus. Ego ipſe Amelius dono eiſdem fratribus quidquid poterunt acquirere de fevalibus meis, & ſervientibus, & villariis ubique, & in omnibus locis. Teſtes Archembaldus frater ejus, Guillelmus archipreſbyter, Guido de Turre, Rogerius de Crozan. Defuncto autem Euſtorgio epiſcopo, & Amelio prædicto, Geraldus epiſcopus benedixit cimeterium ibi ; & locum qui prius vocabatur Mazerola, Bonum-locum nominavit, & conventum ibi tenuit, altare conſecravit, abbatem & conventum ibi intronizavit. Factum eſt hoc ab Incarnatione Domini M. C. XLI. VII. calend. Novembris, Innocentio papa II.

XLIV.

Teſtamentum Guillelmi Arverniæ comitis, in quo teſtis Armandus abbas Boni-loci.

TEſtamentum Guillelmi comitis Arvernorum, quod fecit apud Hermenc, cum jam eſſet profectus contra hæreticos. Imprimis Guillelmo primogenito ſuo relinquit comitatum totum, & totam terram Combrallïæ, comitiſſæ matris ſuæ rogatu & inſtantia precum ipſius, & terram de Mirmont. Et ſi deceſſerit, Hugo ſecundus natu, ſucceſſor ejus erit ; ſin autem, donavit ei omnes decimas totius terræ ſuæ quæ nomine decimæ debentur, tam de blado quam de vino, ubique locorum. Ita ſcilicet quod ſi ſumma ejuſdem decimæ quingentorum ſextariorum fuerit, minoritas de reliqua terra ſuppleatur, mediantibus frumento & avena ; & ſi in eadem fuerit majoritas, nihilominus ſua erit. Mille etiam ſolidos Claromontenſes debitales perſolvendos aſſignavit in terra de Limania, quam dederat in dotem Petronillæ uxori ſuæ in villam de Clarlende. Et ſi hoc debitale in villis iſtis reperiri non poterit, de reliqua terra ſuppleatur. Hoc habeat quamdiu vixerit ; & poſt ejus obitum totum redeat ad comitatum. Villam vero d'Alpinac quam dederat in dotem Petronillæ uxori ſuæ, voluit eſſe illius qui fuerit comes. Et ſciendum quod pro his mille ſolidis & pro villa d'Alpinac dedit in cambitionem prædictæ uxori ſuæ villam d'Amanzac cum pertinentiis ſuis. Guidoni vero tertio filio ſuo dedit totum quod habebat in Bellavana, Banaſſac, & in Seuvat in feodum & in dominium, & condaminas Montis-ferrandi, quas Guillelmus præpoſitus ſuus tenebat, & pratum quod tenent infirmi d'Erbers, & trecentos ſolidos Claromontenſes debitales in villa de Coſda : quod ſi non potuerint inde haberi, de furno & de molendinis, quod defuerit, ſuppleatur. Sciendum autem quod ſi primogenitus deceſſerit, Hugo ſuccedat ei in hæreditatem, & Guido habeat omnes decimas totius terræ, eo modo quo Hugoni fuerant datæ, & villam de Sacival ; & ſi ibi voluerit facere domum, juſſit quod ei darentur in adjutorium ædificii centum libræ Claromontenſes a comite fratre ſuo. Donavit etiam ei terram de Bellevane, de Banaſſac, & de Seuvat, & dominium & feudum earum ; his tantum contentus ſit, & poſt ejus obitum totum redeat ad comitatum. Præterea Guillelmus comes pro ſalute animæ ſuæ in ſeptem monaſteriis anniverſaria annuatim facienda conſtituit. In domo Vallis-lucidæ centum ſolidos Claromontenſes debitales apud Vicum pro anniverſario reddendos diſpoſuit. Et pro ædificio monaſterii centum marchas argenti, marcham appretiatam pretio 44. ſolidorum Claromontenſium. A. Leſclacha pro anniverſario in terra de Giazez 100. ſolidos de Barberinis annuatim reddi præcipit. In Bella-aqua 100. ſolidos Giemenſes, in Baroles, vel in Coiles, vel in alio loco ad placitum

Digitized by Google

ſucceſſoris. Monaſterio d'Evahos 100. ſolidos Giemenſes in Ninazez. Monaſterio Boni-loci 100. ſolid. Giemenſes in Brugeſes vel circa Bredez. Domui Caſæ-Dei alendæ 100. ſol. Clarom. debitales ; domui Montiſperroſi dedit molendinum pro anniverſario. Apud S. Amand. monaſterio S. Valeriæ de Cambonio reditus aſſignandos conſtituit, quibus candela ardens ſemper in nocte uſque poſt miſſas valeat provideri. Hujus teſtamenti facti apud Hermenc teſtes ſunt Armandus abbas Boni-loci, Ægidius abbas Vallis-lucidæ, Nicolaus præpoſitus Evahonenſis, Guillelmus de Chauſſa-carta celerarius Boni-loci, R. de Voillaico, Guillel. Beiſſa Chatard, Choulez, & Petronilla comitiſſa, id eſt uxor ſua, & hi omnes præſtitis juramentis firmavere ſe hoc, donec opus fuerit, celaturos. Actum anno ab Incarnat. Dom. M. CC. IX. VI. cal. Junii. Et ut abſque contradictione hæc obſerventur, hanc teſtamenti ſui paginam ſigilli ſui authoritate confirmari præc epit.

XLV.

In nomine Domini Jeſu Chriſti. Amen.

Chartul. fol. 1. **Incipit liber fundationis & donationum abbatiæ B. Mariæ Dalonis.**

1114. ANno ab Incarnatione Domini noſtri Jeſu Chriſti M. C. XIV. Indictione VII. epacta XII. domno Paſchali Romano pontifice feliciter regente, Euſtorgio epiſcopo Lemovicenſi ſedi præſidente, regnante Ludovico rege Francorum, ſuperſtite Ademaro vicecomite Lemovicenſi, domnus Geraldus de Salis eremum quæ ab hominibus Dalonium dicebatur expetiit, atque ad ſervitium omnipotentis Dei quoſdam de fratribus ſuis ibidem conſtituit. Geraldus ſiquidem de Turribus & Golferius frater ejus, qui eremi illius dominium jure hereditario poſſidebant, ab omni ſæcularium dominatione & calumpnia liberam & quietam fieri decreverunt, & Dei famulo hujuſmodi teſtamentum fecerunt.

Ego Geraldus de Turribus, & ego Golferius animarum noſtrarum & omnium parentum noſtrorum utilitati providentes, donamus Deo, & B. Mariæ, & venerabili patri Geraldo de Salis in perpetuam eleemoſynam quidquid habebamus vel habere poteramus, vel aliquis de nobis habebat in nemore quod vulgo Dalonium nuncupabatur, atque ſucceſſoribus noſtris cum omni teſtificatione prohibemus ne illius diſcipulis tam præſentibus quam futuris uſque in finem ſæculi, ibidem Deo deſervientibus, aliquam tyrannidem ſeu dominationem, vel aliquam vexationem inferre præſumant, ſed ipſum Dalonii locum ab aliorum incurſibus ſeu molitionibus præcipimus ut quantum potuerint defendant. Donamus etiam ſupradictis fratribus terras quas de fenalibus ſuis acquirere poterunt, & decimas terrarum, quas terras a nobis ſeu ab aliis hominibus acquiſierunt, & quæ juris noſtri erant. Tum venerabilis magiſter ſic proſecutus eſt : Ego Geraldus Dei gratia ſervorum Dei miniſter, quamvis indignus, conſtituo, & inviolabili decreto confirmo quod totus præſens locus, eccleſiæ videlicet Dalonenſis, ab omni eccleſiaſtica vel ſæculari ſubjectione ſit libera, & quaſi propria Chriſti camera, inſignibus ſublimetur, ſalvo apoſtolico jure & dioceſani pontificis dignitate. Porro ſi aliquis, externus ſive domeſticus, propriæ libertatis dignitate eam fruſtrare tentaverit, tamquam decretorum temerarium violatorem, noſtra ſodalitate indignum, a corpore atque ſocietate noſtræ fraternitatis alienum eſſe decrevimus. Huic rei tunc interfuerunt Stephanus, tunc ſacerdos de Boeſſent, poſtea Dalonenſis prior, domnus Petrus abbas Caſtrenſis, Bernardus Gauberti ſacerdos de Segonzac.

De cetero, ſupradicti patris rogatu, dominus Euſtorgius Lemovicenſis epiſcopus generalem conventum, præſente eo, apud Dalonium congregavit. Cumque dominus præſente clero, & quibuſdam aliis, dominis videlicet Guillelmo Petragorenſi epiſcopo, Mauritio Sollemniacenſi abbate, Guidone Turturiacenſi abbate, Ademaro vicecomite, Geraldo de Turribus, atque Gaulferio, & Iterio de Born, & aliis quam plurimis, de utilitate loci loqueretur, monachus quidam Turturiacenſis, nomine Conſtantinus, in medium venit, & locum Dalonis utpote in ſua pertinentia conſtitutum calumniavit ; ſed epiſcopus querimoniam ejus indiſcuſſam præteriri non ferens, jubet ut vicini ſenes in medium deducantur, & ſi vidiſſent vel audiſſent utrum eremum iſtam aliquando quis hominum incoluiſſet, ab eo coram omnibus requirantur. Qui reſponderunt numquam ſe vidiſſe vel audiſſe eremum iſtam aliquem hominum incoluiſſe, ſed retroactis temporibus ſolitudinem hactenus permanſiſſe. Requiſiti cui potiſſimum pertinentiæ adjaceret, hoc penitus ſe ignorare profitentur. Verumtamen quandam eremi particulam referebant quemdam ruſticum, Robertum de Lage nomine, jam pridem coluiſſe, & decimam prædicto monacho tradidiſſe. Quod cum decimariis de Segonzaco compertum eſſet, Petro videlicet & Geraldo fratri ejus, adjuncto ſibi Emerico de la Rue vicario, præfatum ruſticum pignoraverunt, eo quod decimam eccleſiæ de Segonzaco præfato monacho reddidiſſet : Ruſticus vero monachi patrocinium ſtatim expetiit ; ſed monachus pro prædicta decima a ſe injuſte uſurpata nullam defenſionem exhibuit. Afflictus ergo ruſticus auxilio & defenſione monachi fruſtratus, prædictis decimariis triginta ſolidos & ſex nummos pro ablata decima exſolvit, & ſic tandem de eorum manibus evaſit. Domino igitur præcipiente epiſcopo, præfatus ruſticus Robertus in medium adducitur, atque ab eo ſuper eis conteſtatus, hæc omnia vera eſſe profitetur. Favore igitur atque ſuaſione totius conventus dom. epiſcopus, ſic exorſus eſt :

In nomine Domini ego Euſtorgius, Dei gratia Lemovicenſis epiſcopus, hunc locum qui Dalonium dicitur, in manu dilectiſſimi fratris noſtri Geraldi ab omni eccleſiaſtica ſeu ſæculari ſubjectione, & omnium circumadjacentium pertinentiarum exactione, ſeu ſæculari dominatione ſubmoveo, atque ſalvum ac liberum amodo eſſe confirmo, ſalvo apoſtolico jure ac Lemovicenſis eccleſiæ dignitate.

XLVI.

Alia dona Dalonæ facta.

EGO GERALDUS de Turribus, & ego Golferius fratres, animarum noſtrarum & omnium parentum noſtrorum utilitati providentes, donamus Deo, & B. Mariæ, & venerabili patri domno Geraldo de Salis, & ſucceſſoribus ejus, in perpetuam eleemoſynam totum quod habebamus vel aliquis de nobis habebat in nemore quod vulgo Dalonium nuncupatur. 1114

Ego Bernardus del Burg, & ego Geraldus, & ego Stephanus fratres, ego quoque Arcambaudus de Felez, & ego Ademarus fratres, & ego Petrus de Felez, & ego Aimiricus de Felez foreſtarii prædicti nemoris donamus & concedimus Deo, & B. Mariæ, & magiſtro Geraldo de Salis ejuſque ſucceſſoribus in perpetuam eleemoſynam, foreſtagium & omne aliud ex integro quod habebamus vel requirere poteramus in nemore quod Dalonium vocatur.

Ego Petrus Gaufridi, & ego Guido Garini, donamus & concedimus Chriſto, & B. Mariæ, & magiſtro Geraldo de Salis ejuſque ſucceſſoribus in perpetuam eleemoſynam, quidquid habebamus in prædicto. Facta ſunt hæc anno ab Incarnatione Domini M. C. XIV. Indict. VII. epacta XII. Horum omnium teſtes ſunt domnus Euſtorgius Lemovic. epiſcop. & Audebertus decanus ſancti Aredii. Gaufridus archipreſbyter de Loberzac, Helias de Aïenno, Petrus de Campaniis, Iterius de Born, Sicardus de Raſa, Gaufridus & Geraldus de Tellol.

Hæc omnia fideliter exſcripſit ex chartulario Dalonenſi antiquo & optimæ notæ dominus Jacobus Boyer.

Digitized by Google

XLVII.

Ex chartul. Dalon. fol. lxii.

Charta Hugonis comitis Rutenenſis pro Dalonenſi monaſterio.

1174. EGO HUGO, comes Rutenenſis, dedi & conceſſi Deo, & B. Mariæ & fratribus Dalonenſibus, tam præſentibus quam futuris, in perpetuum per univerſam terram meam, ſive ſit plana, ſive nemoroſa, paſcua omnium animalium cujuſlibet generis fuerint, & quæ ſub eorum cuſtodia vel protectione permanſerint, ſalvo jure fratrum Loci-Dei, quibus ad uſum tantummodo ſuorum animalium in omni terra mea paſturam herbarum conceſſeram. Feci autem donationem iſtam in manu fratris mei domni Willelmi Dalonenſis abbatis anno ab Incarn. Dom. M. C. LXXIV. epacta XV. & Ind. VII. VI. Idus Maii, præſentibus Petro de Chamlazaco, & Stephano de Monte-olivi monachis, & Petro de la Boaria converſo. Teſtes Geraldus de Panath. Rauſtits.

XLVIII.

Charta Fundationis monaſterii Bonæ-aquæ ord. Ciſterc.

1157. NOtum ſit omnibus præſentibus & futuris, quod Guillelmus d'Uſſel, & Petrus frater ejus dederunt Deo, & beatæ Mariæ, in præſentia Stephani primi Obazinæ abbatis, pro remedio peccatorum & ſalute animarum ſuarum parentumque ſuorum, locum qui vocatur Bona-aqua, ad ædificandam abbatiam, quatinus ibidem ordo monaſticus qui ſecundum Domini præceptum & beati Benedicti abbatis regulam inſtitutus eſſe dignoſcitur, perpetuo, Deo concedente, obſervetur. Fratribus etiam inibi Deo ſervientibus IIII. manſos determinate præſtitit: Lo Mas Alfros, Lo Mas Veſcomptal, Lo Mas Benait, Los Mas de la Porta, anno ab Incarn. Domini M. C. LVII. regnante Lodoico rege, & epiſcopante Geraldo Hectore. Iterum prædictus Willelmus d'Uſſel cum tempus ſuæ reſolutionis inſtaret, dedit monaſterio Bonæ-aquæ pro ſalute ſuæ animæ manſum Stephani de Chaſſel, & manſum Arloi, audiente Petro fratre ſuo & concedente, Ugone & Willelmo neporibus eorum ſimiliter concedentibus, teſtibus Rainaldo ſancti Exuperii, & Petro Rogeti ſacerdote.

A *Chartam hanc ex chartulario Bonæ-aquæ excerpſit D. Jacobus Boyer. Hæc autem abbatia, Obazinæ filia, ſita eſt in parochia S. Frigionis diœceſis Lemovicenſis, una leuca ab urbe Uſſello quæ pertinet ad duces de Ventadorio.*

Ex eodem chartulario eruitur fuiſſe tunc temporis monachos apud ſanctum Exuperium, ſcilicet ex donatione ſequenti, quæ chartæ fundationis Bonæ-aquæ immediate ſubjicitur.

Stephanus de Perols & fratres ejus dederunt Deo & fratribus Bonæ-aquæ quicquid juris habebant in grangiam de Chaſſel, audientibus G. abbate de Bona-aqua, in cujus manu hoc donum fecerunt, S. Priore, P. monacho ſancti Exuperii, Iterio de Chabanas &c.

B

XLIX.

Charta Eblonis de Uſſello pro Bona-aqua.

NOtum ſit omnibus tam præſentibus quam futuris, hanc ſcripturam inſpecturis vel audituris, quod ego Eblo Uſſelli dono & concedo pro ſalute animæ meæ parentumque meorum, domui Bonæ-aquæ in perpetuum, ad refectionem fratrum tam monachorum quam converſorum in vigilia Nativitatis Domini & tribus ſequentibus diebus, XV. ſolidos debitales in tenemento P. de Leſpinaz, in pratis, & in omnibus aliis terris cultis vel incultis, & VIII. ſolid. in manſo de Lanozeira ſancti Deſiderii, & duos ſeſt. frumenti in tenemento Duranti molendinarii, & alios II. in tenemento W. molendinarii, & unum in tenemento S. Rapnulfi, & alium in tenemento P. Dellabe, & manſum de Bono-fonte cum omnibus ejus pertinentiis. Hoc feci anno gratiæ M. CC. XXV. III. cal. April. in capitulo Bonæ-aquæ, concedente W. filio meo, præſente B. de Salquis ejuſdem domus exiſtente abbate, toto conventu audiente, P. de Confinh milite, P. Boiſſoneira bajulo meo ſimiliter audientibus. In eiſdem diebus patrem, matrem, fratres, & Ebolum filium meum de cymiterio collegi, & eos in clauſtro juxta capitulum honorifice repoſui. Ad majorem firmitatem ut hæc inviolabiliter in pace teneantur, ne aliqua quæſtio in poſterum, quod abſit, ſuper his valeat ſuboriri, præſentem paginam ſigillo meo ſignavi. 1216. C D

INSTRUMENTA AD ECCLESIAM TUTELENSEM PERTINENTIA.

I.

Reſtauratio monaſterii Tutelenſis ſub Rodulfo rege.

IN nomine S. & individuæ Trinitatis. Rodulfus, gratia Dei, Francorum & Aquitanorum atque Burgundionum rex pius, invictus, ac ſemper auguſtus. Sicut non eſt poteſtas niſi a Deo, qui collocat, ut ſcriptum eſt, reges in ſolio; ſic utique conſequens eſt ut hi qui in ſublimitate ſunt, ſub potenti manu ejus ſe humilient, & ut regni ejus miniſtri juxta ipſius voluntatem ſuas actiones adminiſtrent. Quapropter notum ſit omnibus tam præſenti quam futuro tempore regni munia diſponentibus, quod ego de ſtatu religionis redintegrando ſollicitus, Tutelenſe cœnobium in regulari propoſito, ut olim fuerat, reparare decrevi. Eſt autem in Lemovicenſi pago ſuper fluvio Correzia ſitum, in honore videlicet beatiſſimi domini Martini E conſtructum; quo loco priſca reverentia novellis adhuc miraculis, Deo largiente, ſervatur. Precibus autem viri Ademari, qui locum ipſum eatenus tenuerat, ſuggerente etiam Ebbalo comite, cuidam religioſiſſimo abbati nomine Aimoni, locum eundem ad reſtaurandum regulare propoſitum commendaveram, atque cœnobium S. Savini ſubjectum feceram; ſed quoniam experimento probatum eſt quod eadem ſubjectio religioni obſtaret, eidem religioni penitus conſulere volentes, ſaniore conſilio decernimus ut, antiquo more, ſolius Regis tuitione, non autem dominatione teneatur. Hoc autem contra jus regium fieri nemo cenſeat, quando quidem excellentiſſimi imperatores directa ſua, quoties cauſa exegerit, leguntur immutaſſe, & Apoſtolo perhibente, F neceſſario legis tranſlatio fit. Hoc ergo cœnobium cum omnibus quæ nunc ad eum pertinent, vel quæ deinceps ibidem obvenerint, ita per auctoritatem iſtius noſtri præcepti manere conſtituimus, ut nullius dominationi niſi tantum S. regulæ ſubjaceant; poſt diſceſſum vero fideliſſimi & amantiſſimi noſtri domni Odonis, qui

Hebr. 7. 12.

Digitized by Google

prædicto Aimoni venerabili ſucceſſit; & poſt Adatium, quem idem venerabilis Odo ſibi ad vicem ſuam ſupplendam ordinari petiit, licentiam habeant ſecundum regulam S. Benedicti, quemcumque ſaniori maluerint conſilio, ex ſe ipſis eligendi; & neque rex, neque comes, aut epiſcopus, aut quælibet alia perſona res eorum inquietare, aut alicui dare præſumat; ſed nec oppido quidem dominari audeant; partem vero abbatiæ quam prædictus Ademarus, abbate ipſo conſentiente, retinuit, totam poſt ipſius diſceſſum recipiant; quo decedente, qualem communiter voluerint munburdum & cauſedicum habeant. Jus quoque immunitatis, ac reverentiam quæ S. illo loco & * hunc divinitus obſervatur, ita concedimus, ut nemo vel ipſi, vel rebus ad eum pertinentibus ullam violentiam inferre moliatur. Ceterum tam abbas quam monachi communiter, ſicut ante Dei oculos, regulare propoſitum ſervent. Ut autem hæc noſtra præceptio indelebilis perſeveret, hanc in ſuperni nomine auctoris annullo noſtro ſignamus.

cap. 64.

* *f.* tunc.

Signum Rodulfi glorioſiſſimi regis.

Gotefredus ſacerdos ad vicem Anſigiſi epiſcopi recognovit & ſubſcripſit. Actum Anatiaco, Idus Decembris, Indictione III. anno XI. regnante R. glorioſiſſimo rege.

Hunc annum revocat V. Clar. Stephanus Baluzius ad annum Chriſti 930.

II.

Ex chartario Tutelenſi.

Teſtamentum domni Ademari Schalarum vicecomitis.

Nonnulla deſunt in initio.

IN primis ergo relinquo & reddo ſancto Martino & monachis in antedicto monaſterio ſibi ſervientibus abbatiam veterem, quæ, ſicut jam dictum eſt, a proavo patris mei mihi ſucceſſerat, eccleſiam ſcilicet S. Juliani juxta idem monaſterium conſtructam, eccleſiam S. Petri de caſtro ipſius villæ, eccleſiam ſancti Martini de Laguena, eccleſiam ſanctæ Fortunatæ, eccleſiam ſanctæ Mariæ de Lagarda, eccleſiam ſancti Amantii, eccleſiam ſancti Boniti del Verni, eccleſiam ſancti Martialis Faurcenſis, eccleſiam ſancti Boniti de Avaloſa, eccleſiam ſanctæ Mariæ de Selliaco, eccleſiam ſancti Juliani de Porcaria, eccleſiam ſancti Laurentii de Gorſa, cum ipſis curtis, cum villis, cum pratis, cum ſilvis, & cum omnibus quæ ad ipſam abbatiam pertinebant. Hæc omnia cum injuſte nec ſine crimine poſſiderem, Deo & ſanctis ejus ſatisfaciens, ſponte reliqui. Ut vero miſericors & omnipotens Deus, & mihi & omnibus meis parentibus præſentibus, præteritis, & futuris, tam iſtius quam reliquarum veniam conferre dignetur culparum; & ut præfatus ſacer locus in ſuum ad integrum reſtitui poſſit ſtatum, de proprio jure oprima quæque atque cariora eidem decrevi deleganda, cum legitimum utique non haberem filium. Ex quibus primum omnium eſt Scalas caſtrum meum cum omni * caſſania & cum univerſis fevalibus & cum eccleſiis & cum curte mea de Cannaco, cum villis circumquaque ſitis, & cum curtis, & cum ſilvis, & cum aquis, cum ingreſſibus & exitibus omnibus, ſervis quoque & ancillis. Vicariam quoque Navenſem & vicariam Spaniacenſem, & totum quod habeo in vicaria Beennatenſi, & eccleſiam ſancti Pardulfi, & Placiacum, & eccleſiam de Acuto-monte, & eccleſiam ſancti Martini quæ eſt inter Duſtrem & Dordonia, & eccleſiam de Albuciaco, cum manſis & cum vineis de Murell, & caſtrum meum Mulſedonum cum omni ipſius * caſſania, & cum eccleſia ſancti Martini ſubter eum poſita. Et in vicaria Argentadenſe curtem meam Longor, cum vineis de Cortoiolo, & paxerias, pratis, campis & villam meam Grandem-campum, & alodum quem pater meus adquiſivit de comite Raimundo in vicaria Spaniacenſi ſeu Faurcenſi, & Marcum, & Abilenſem, & eccleſiam ſancti Boniti, & villam quæ eſt in vicaria Brivenſi Pauliacum dictam cum vineis & cum omnibus ad ipſam pertinentibus, & villam quæ vocatur Marcus cum vineis & omnibus nihilominus ad ſe pertinentibus, & in ipſa vicaria manſum meum ubi Eliſeus viſus eſt manere, cum vineis, cum pratis, & omnibus ad ſe pertinentibus, & villam quæ dicitur Clara-faga, & * Biareni, & villam quæ vocatur Vallis, & villam quæ dicitur Grandis-rivus, & villam quæ vocatur * Beronalita, & villam quæ dicitur Bedenas, & capellam quæ Nova-villa dicitur, cum ipſa curte, & totum quod ad ipſam curtem pertinet, & unum manſum in villa de Confulento, & villam quæ dicitur Colia in vicaria Spaniacenſi, & eccleſiam de Branſeliis, & eccleſiam ſancti Juliani de Gartiga, & unum manſum in vicaria Tornenſi in villa Montilio dicta, quæ omnia in comitatu Lemovicenſi ſunt ſita, dono ſancto Martino & monachis ejus Tutelenſibus. In comitatu vero Caturcenſi ſimiliter poſt mortem meam & Gauzberti fratris mei & Gauzlæ uxoris meæ dono ſancto Martino & monachis in monaſterio Tutelenſi ſibi ſervientibus caſtrum meum Folioſum, quod eſt in vicaria Caſiliacenſi, & curtem meam Vairiacum cum eccleſia ſancti Stephani quæ olim vocata eſt ſancti Boicii, & eccleſiam ſancti Martini, ſeu eccleſiam ſancti Germani, necnon & eccleſiam ſanctæ Mariæ de Macerias, & Cambonem cum vinea de Faga, & quatuor manſos de Ampulliaco, & plantadam meam quæ eſt juxta ſanctum Michaelem, & cum vineis de Colſiaco, cum villis & ſilvis, cum aquis, cum exitibus & ingreſſibus, cum ſervis & ancillis & cum liberis, & cum omnibus ad ipſum caſtrum vel ad ipſam curtem pertinentibus, caſtrum etiam Bellum, & eccleſiam de Caleſſo, & manſos de Cambonane, & Mairacum, & Buxarias, & Matronam, & Vichirac, atque Vogaironum, & Longorem, cum ipſis vineis de Cortoiolo, cum vitis * ad piſcandum, & Croiſſiam curtem meam cum eccleſia & cum omnibus appendiciis ejus, & eccleſiam de Mairinaco, & Pardins, & Becedam, & eccleſiam ſancti Medardi, & Cloiols, & foſſam Amalgerii, & villam quæ dicitur Vilaris, & aliam villam quæ dicitur Mons-Joviniani, & Vedri vineas, & manſos de * Juliaco, ſita in prædicto comitatu Caturcenſi, nihilominus ſancto Martino dimitto & eccleſiæ Tutelenſi. Hoc quoque ſciendum, quia in boſco de Borma de curte de Vairiaco conceſſa eſt ad fevum pars quædam vicariis a Borma cognomen trahentibus, ad ædificandum tantum præſidium propter tuitionem atque defenſionem rerum ſancti Martini circumquaque exiſtentium, non ad aliquod quaſi jus proprium ibi ſibi vindicandum, cum eccleſia ſancti Petri de Borma ſimiliter cognominata, & quibuſdam rebus ad ipſam pertinentibus, & quicquid habent in riparia & in aqua, machinas aptas piſcium captionibus. Hæc igitur omnia tam ſcilicet hactenus injuſte poſſeſſa quam jure hereditario ad me pertinentia ego Ademarus reliqui ſive donavi ſancto Martino & ſervientibus ſibi monachis pro ſalute animæ meæ & uxoris meæ Gauzlæ, patris & matris meæ, & omnium propinquorum & amicorum meorum tam in hoc ſæculo adhuc degentium quam etiam ab hoc jam migratorum, præterea pro rege noſtro Rodulfo, atque ſeniore noſtro Ebalo comite, quibus concedentibus hæc omnia perfecimus, poſtremo ſpecialiter pro illis qui prædicti loci atque habitatorum ipſius tutores & defenſores fuerint. Ipſe quoque ego Ademarus vicecomes ſentiens mihi appropinquare terminum præſentis vitæ, videns etiam me legitimum non habere filium cui jure meas amplas dimitterem poſſeſſiones, Deo aſpirante cœpi tractare qualiter rebus quibus temporaliter uſus fueram in præſenti ſæculo æternaliter uti poſſem in futuro, quod taliter mihi eventurum indubie confido ſi quod temporali heredi dimittere nequeo, ſanctæ Eccleſiæ, Chriſti videlicet ſponſæ, reliquero, ut cum ipſe judex vivorum & mortuorum ad judicandum venerit, pro temporali ſuæ ſponſæ ſuſtentatione æterna me donare dignetur mercede. Hac igitur de cauſa dimitto Deo & ſanctæ ejus Eccleſiæ pro ſalute animæ meæ, ſicut jam ſupra dictum eſt, & pro animabus

* *Al.* Castellania.

* *Al.* Castellania.

* *Al.* Biareium.

* *Al.* Betlanico.

* viris.

* *Al.* de Villiaco.

Digitized by Google

omnium propinquorum & amicorum meorum ſive ſeniorum, ipſorum quoque qui hujus mei ſcripti defenſores fuerint, hæc univerſa quæ ſubter habentur deſcripta. Ex his ſunt, poſt rebus ſuperius deſcriptis, curtis mea Tauriacus cum ipſa eccleſia, & quod habeo in Molle, & terras meas de Bulciaco quæ ſunt de Vairaco, & quodcunque in Gintraco & in * Salle, quod de Sigiberto ſacerdote conquiſtavi, & villa mea Maiſir, & manſus meus ubi manet * Adalrandus in Lauſtanicas, curtis etiam mea * Madriniacus & Pariacus cum ipſis eccleſiis, & Vernias, & Meſpolium, & Caſſanias, & Potentins, & Coozono, & Preſangas, & villa mea Caminus cum eccleſia, & Laus, & unam vineam in Roſiniaco, alodus quoque meus Blaviniacus, & manſi duo in Nantiliaco, & vinea in Pardinas quæ fuit Donadei, & quod habeo in Altudere & in Dezenaro, & plantadam meam ad Pogium cum ipſis capmanſis, & cum vinea quam de Arnaldo adquiſivi, necnon & eccleſiam ſancti Albini, & Taurins, & Caſſanias, & unus manſus in Lauſtangas ubi viſus eſt manere Berdandus, & manſi qui ſunt in Brancato, & vineam meam in Donzenaco, & manſum de Braſc quem de Rotberto comparavi, & vineam de valle Mauriana, & unum manſum in Calzfurno, & unam vineam in Lineriaco, & alodum meum in vicaria Cambolivenſe, & ſilvam Malevallis, & villam de Ribaus, cum ſilva de Monbreſme, & manſum ubi Ingelbertus manet prope de Vairaco, & unum manſum in Argentado, & * Camelarias, & Cuculonia, & Vinzaacum, & manſos tres in Dauza, & Pedania cum vinea quam Bernardus plantavit, & Valannonus, & Alix. Hæc quoque inter quoſdam meos relinquo propinquos & amicos, hoc eſt Floriacum & Montelium, & vineam meam Scopiac, & vineæ meæ in Detnato & Damella, & manſi mei de Angulo & Taraiaſa, & unum manſum in Spaniaco, & unam vineam in Blandina, & alodum meum de Montaniaco, cum vineis quas de Witardo adquiſivi, & unam vineam in Quincono, & manſum meum de Rete, & alodum in Verniolas, & alodum meum de Scorbinio. Quamvis igitur ego Ademarus diverſis temporibus diverſis eccleſiis & hominibus tam propinquis quam amicis & fidelibus meis multa vel dicto vel ſcripto fecerim aut mutaverim dona, hoc tamen teſtamentum & ſcriptum volo ut ratum & firmum atque immutabile maneat & perſeveret in ſæcula. Amen.

Sunt autem monachi in munburdo Regis ad locum ſalvum faciendum, non ad aliquid perſolvendum niſi ſolas orationes.

Cæterum conteſtor & adjuro omnes propinquos atque ſucceſſores meos, cunctoſque illius cœnobii vicinos tam præſentes quam futuros per tremendum ſanctæ Trinitatis nomen & meritum beati Martini & ſancti Laudi, qui ibi deportatus eſt, ut nullus vel monachos vel quaſlibet eorum res inquietare ac ſub poteſtate ſæculari ullo modo redigere præſumat. Quod ſi qui hereditatem Dei poſſidere tentaverint, maledicantur per univerſum orbem terrarum, dicaturque de illis, *Deus meus, pone illos ut rotam & ſicut ſtipulam ante faciem venti*, & confundantur in ſæculum ſæculi. Non ſint coheredes Chriſti, niſi reſipuerint, ſed participes Pharaonis, qui ait: *Dominum neſcio, & Iſraël non dimittam.* Principes vero quibus hæc ſcriptura præſentata fuerit per judicem vivorum atque mortuorum conteſtor ut hanc omnimodis defendere ſtudeant, memores quia maledictus eſt omnis qui transfert terminos, id eſt conſtitutiones patrum ſuorum.

Ut autem hæc auctoritas firmior perſeveret, ſenioris noſtri Ebali hanc auctoritate firmari rogavimus.

S. Ebali comitis & Willelmi filii ejus.
S. Ademari, qui hæc fieri rogavit.
S. Odolrici vicecomitis de ſancto Cirico.
S. Gauzberti vicecomitis.
S. Rotberti.

* *Al.* Falle.
* *Al.* Adrabandus.
* *Al.* Mayrianicus.
* *Al.* Cancellarias.

Pſalm. 82. 14.
Exod. 5. 2.

III.

Plurima dona facta monaſterio Tutelenſi, ab Amalgerio milite, tempore Aimonis abbatis.

Ex chartario Tutelenſi.

FUit quidam nobilis miles atque ditiſſimus, qui vocabatur Amalgerius, cognomine Pallo, in villa de Vergonziaco. Hæc villa erat juxta quandam ſilvam quæ vocatur Obazina; ex alia parte hujus ſilvæ erat quædam villa quæ vocabatur Roca, in qua fuit antiquitus conſtructa eccleſia in honore Dei & Domini noſtri Jeſu Chriſti, & beatæ Mariæ ſemper virginis, & beati Petri apoſtoli, in qua multæ reliquiæ fuerunt apportatæ a vicinis Chriſtianis ſive clericis, ſive laïcis, ſcilicet Petri apoſtoli & Pauli, & beati Sylveſtri, & beati Xyſti, & beati Laurentii martyris, & aliorum multorum ſanctorum vel ſanctarum, ſcilicet Chriſtophori, Symphoriani, Juliani martyris, Boniti epiſcopi, Fremerii martyris, Agnetis virginis, Teclæ, Agatæ virginis, & ibi reconditæ. Habebatur autem ille in magna veneratione ab omnibus Chriſtianis. Poſt multum vero temporis venerunt pagani, qui vocantur Normanni, per totam provinciam, & deſtruxerunt eccleſias ſive monaſteria multa, inter quas fuit iſta eccleſia deſtructa ab eis, & in longa oblivione tradita. Poſt multum vero tempus, venit Amalgerius miles, quem ſupra nominamus, cognomine Pallo; & conſilio domni Ademari vicecomitis, & Gauzlæ uxoris ſuæ, reædificavit ipſam eccleſiam amore B. Petri apoſtoli. Ipſe enim frequentiſſime pergebat Romæ cum beato Geraldo conſanguineo ſuo; habebat autem ipſe Amalgerius iſtam villam & eccleſiam ad fevum de vicecomite Ademaro; ideoque reædificavit illam, & miſit ibi capellanum ſuum, nomine Rainaldum de Vergonzac, virum honeſtum atque prudentem, ut ibi deſerviret Deo & beati Petri apoſtoli & aliorum ſanctorum quorum reliquiæ ibi ſunt; dedit ei etiam omne decimum ipſius villæ de omnibus rebus, ſive in ortis, ſive in campis, ſive in ſylvis; ſcilicet in quinque manſos, & in ſeptem bordarias. Similiter dedit ei decimum de agnis, & de porcellis, & de lana & guarr. Willelmus etiam Robertus de Guarda nepos ejus dedit omne decimum de tota terra quam habebat in villa beato Petro apoſtolo, conſilio avunculi ſui Amalgerii; ipſe enim Willelmus acerrimus princeps fuit, ideoque enim multum diligebatur a domno Ademaro vicecomite de Scalas. Dedit itaque Amalgerius beato Petro apoſtolo, & preſbytero Rainaldo bordariam quæ vocatur de Lapeira, quæ eſt ſupra Petra-ficha, habet enim ortum & domum apud Petramficam. Dedit ei ſimiliter omnes ſolarios qui ſunt in cimiterio; deditque ei tertiam partem de decimo d'Alvilar, & de manſo qui vocatur Campalbel, & de omni villa de Vergonzac, & de duobus manſis qui ſunt a Paoillac, & de una bordaria ſimiliter; dedit tertiam partem de decimo de Roca Seth, & tertiam partem de Obazina; ideoque vocavit eandem villam Pallaiangas a cognomine ſuo. Hanc cartam ſcripſi ego Raimundus preſbyter, & tradidi eam domno Aimoni abbati Tutelenſi, quando me miſit monachum; poſtea vero domnus Ademarus vicecomes dedit eamdem villam & eccleſiam S. Martino Tutelenſi cum multis aliis eccleſiis vel terris.

IV.

Donum Bernardo abbati Tutelenſi & epiſcopo Caturcenſi factum.

CUm certa mors maneat omnibus & nemini parcat, providendum eſt unicuique homini de rerum ſuarum facultate, qualiter retributorem omnium bonorum habeat Deum dicentem: *Date eleemoſynam & ecce omnia munda ſunt vobis*; quia *ſicut aqua extinguit ignem ita eleemoſyna extinguit peccatum.* Quam obrem

Luc. 11. 41. Eccli. 3. 33.

obrem ego in Dei nomine Archembaldus & frater A meus Ebalus & mater noſtra nomine Rotberga, nos ſimul tractavimus de Dei amore vel æterna retributione. Placuit nobis ut aliquid de rebus noſtris cederemus Deo & S. Martino ad locum quod vocatur Tutela, pro anima patris noſtri Archembaldi qui gladio corruit, in die ſepulturæ ejus, ut eam pius Dominus de geenna ignis eripere dignetur. Hoc ſunt: duo manſi qui ſunt in pago Lemovicino, in vicaria Barrenſe in villa quæ dicitur Kadalliacus, illum qui vocatur ad Beze, ubi Remundus & Gauſbertus viſi ſunt manere cum uxoribus & filiis & filiabus; & alius manſus hic ipſum qui vocatur Adruliora, qui eſt modo ſine habitatoribus, quantum ad ipſos manſos aſpicit vel aſpicere videtur, cum campis, cum ortis, cum pratis, cum exis & regreſſis. Sane ſi quis, nos ipſi aut ullus ex B heredibus noſtris vel propinquis, contra hanc elemoſinariam, ullam calumniam generare præſumpſerit, imprimis iram Dei omnipotentis incurrat, & omnium Sanctorum; & cum Datan & Abiron in infernum permaneant, & quod petunt non vindicent, ſed inſuper componant eis quibus litem intulerint auri libras 50. argenti pondera centum. Facta elemoſinaria iſta in menſe Februario imperante Domino Jeſu Chriſto, & regnante Ainrico rege. Signum vicecomitum de Comborn Archambaldi, Ebali, & Bernardi, & Rodberganæ matre eorum, qui elemoſinariam iſtam fieri vel firmare rogaverunt. Signum Geraldi epiſcopi Lemovicenſis. Signum Bernardi epiſcopi Caturcenſis & abbatis Tutelenſis. Signum Rotberti vicecomitis. Signum Boſoni. Signum Ramnulfi. Signum Rigaldi.

V.

Baluz. p. 447.

Reſtauratio monaſterii Tutellenſis ſub Guillelmo abbate anno 1103.

QUotieſcumque aliqua agimus quæ ad noſtrorum utilitatem pertinent locorum, memoriæ tradere poſterorum aſtipulatione procurandum eſt litterarum. Sed ſicut in omni fine teſtamentorum ſpecialiter tempus, locus, proprietaſque requiritur perſonarum, ita primum a nobis generale eſt tempus cum loco & excellentioribus perſonis inſinuandum, ut inde evidentius agnoſcatur, hæc de quibus agimus, huic noſtro loco, Tutellenſi videlicet monaſterio unde acciderint. Igitur anno Dominicæ Incarnationis M. C. III. Indictione XI. III. Idus Junii, papa Paſchaſio in Romana ſede D præſidente, Philippo rege regnante, domno Willelmo abbate iſtius Tutellenſis monaſterii paſtoralem curam agente, idem monaſterium, jam pene vetuſtate conſumptum, ceptum eſt reædificari novum. Ad cujus conſtructionem quique comprovinciales ceperunt adjutoria impendere prout cuique facultas & bona voluntas attribuit. Inter quos Bernardus vicecomes dedit Deo & S. Martino ad edificationem ipſius monaſterii quandam partem nemoris quod habebat, Super-pontem-de-Cornelio cognominatum, ſicut termini ipſius diviſionis deſignant. Factum eſt autem hoc donum in ſupraſcripto anno V. cal. Januarii, in ipſo nemore, in manu Stephani ſecretarii, teſtibus Rigaldo de Bolciaco monaco, & Gaufredo de la Genebreira, Ugone Lupo, Roberto, & Ugone de Roſiniaco, Ugone Rotgerio, E Donadeo Delcheir, & Geraldo Portario. Ibidem fecit ipſe vicecomes omnibus ruſticis ad quorum manſos pertinebat ipſum nemus, dare quidquid in eo requirere poterant, dimiſſis annuatim quatuor ſolidis, & dimidium modium inter annonam & civadam. Ibidem ipſe vicecomes auctorizavit totum quod in circuitu ipſius adquirere poterimus de ſuis fevalibus, teſtibus ſupradictis audientibus. Ipſo die in eodem loco eiſdem teſtibus audientibus, in manu ejuſdem ſecretarii dederunt ſimiliter Deo & S. Martino Robertus de Roſiniaco & Stephanus Aldeberti quidquid in ipſum nemus juſte vel injuſte habebant vel requirere poterant. *Sequuntur alia donationes quam plurimæ.*

VI.

Bulla Johannis papæ XXII. de erectione epiſcopatus Tutellenſis.

Ex archivo epiſcopi Tutel. & ex cod. 829. bibl. Colb. 1317.

JOHANNES epiſcopus ſervus ſervorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Salvator noſter, cujus nutui cuncta ſubſerviunt, in agro mundi hujus meſſem multam aſpiciens, & operariorum raritatem attendens, dominum meſſis rogandum eſſe ut in illam operarios mitteret cenſuit, & ipſe idem etiam veniens mane, veluti paterfamilias diligens, horis diei variis operarios in vineam ſuam miſit. Romanus itaque pontifex, qui, ſicut eodem Domino diſponente vicarius ejus in terris eſſe dinoſcitur, ſic & ipſius actibus, in quantum ſinit humana fragilitas, ſe conformare tenetur, ubi ſuperexcreſcere meſſem, populi videlicet multitudinem viderit, operarios debet oportunos adjicere, & juxta propheticum verbum augere cuſtodiam, levare cuſtodes, ac cultores idoneos in Dominicam vineam deſtinare. Sane conſiderantes attentius & intra pectoris clauſtra meditatione ſollicita revolventes quod in tanta multitudine populi, quanta fecundavit Altiſſimus civitatem & diœceſim Lemovicenſem, ſingulorum vultus nequibat, ut condecet, unicus paſtor inſpicere aut alias partes boni paſtoris implere, quodque durum erat atque difficile in eadem diœceſi, quæ lata & diffuſa exiſtit, ad unicum tantum a tot perſonis eccleſiaſticis & mundanis recurſum haberi. Nos cultum augere Divinum & ſpiritualem animarum profectum, quem ex ſubſcriptis indubie C provenire ſperamus, promovere ſalubriter intendentes, præmiſſis & aliis ſuadentibus juſtis cauſis, cum fratribus noſtris habito ſuper hoc diligenti tractatu, de ipſorum conſilio, ex certa noſtra ſcientia ac apoſtolicæ plenitudine poteſtatis, ad laudem Dei & exaltationem Eccleſiæ fideliumque ſalutem, Lemovicenſem diœceſim auctoritate apoſtolica dividimus in duas diœceſes, quas per certos diſtingui limites faciemus, volentes ac etiam decernentes auctoritate prædicta de fratrum eorumdem conſilio & prædictæ plenitudine poteſtatis, quod præter civitatem Lemovicenſem, quæ ſuam propriam & diſtinctam habebit diœceſim certis finibus limitandam, villa Tutellenſis dictæ olim diœceſis, quam veluti ad hoc convenientem & accommodam eadem auctoritate in civitatem erigimus & civitatis vocabulo inſignimus, ſeparatam diœceſim habeat a diœceſi remanſura civitati Lemovicenſi certis limitibus diſtinguendam, quodque eccleſia quondam monaſterii Tutellenſis ordinis ſancti Benedicti civitatis ejuſdem ſit de cætero & habeatur perpetuo eccleſia cathedralis, ipſa & civitate prædicta Tutellenſi cum ſuis capitulo ac dioceſi per nos, ut præmittitur, limitanda, ab omni juriſdictione, dominio, & poteſtate ac ſuperioritate epiſcopi, capituli, & Lemovicenſis eccleſiæ ſemanentibus omnino liberis & exemptis, nullo prædictis Lemovicenſi epiſcopo & capitulo ac eccleſiæ Lemovicenſi ſuperioritatis aut majoritatis titulo in eccleſia & civitate Tutellenſi cum ſuis capitulo & diœceſi quomodolibet remanente. Hæc igitur per dictæ ſedis providentiam circumſpectam ſic facta ſalubriter & utiliter ordinata perpetuis eſſe valitura temporibus & robur incommutabilis firmitatis obtinere volentes, auctoritate prædicta diſtrictius inhibemus ne aliquis, cujuſcunque præeminentiæ, ordinis, conditionis, aut ſtatus, etiamſi archiepiſcopali vel epiſcopali ſeu regia præfulgeat dignitate, hujuſmodi ordinationem apoſtolicam ſeu aliqua vel aliquod de contentis in ea quovis quæſito colore vel modo ſive cauſa vel occaſione qualibet adinventis turbare ſeu quomodolibet impedire præſumat. Nos enim irritum decernimus & inane ſi ſecus ſuper iis a quoquam quavis auctoritate contigerit attentari; & nihilominus in eos qui ex certa ſcientia contrarium præſumpſerint, niſi infra octo dierum ſpatium poſt publicationem præſentium reſipuerint cum effectu,

Digitized by Google

excommunicationis in perſonas,& interdicti in univerſitates,ac ſuſpenſionis ſententias in conventus, capitula, ſeu collegia promulgamus de conſilio & auctoritate prædictis, a quibus nonniſi per Romanum pontificem abſolutionis beneficium præterquam in mortis articulo valeant obtinere. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam noſtrarum diviſionis, creationis, decorationis, conſtitutionis, voluntatis, deputationis, aſſignationis, ſubjectionis, exemptionis, liberationis, inhibitionis, & promulgationis infringere vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Avinioni Idus Auguſti, pontificatus noſtri anno ſecundo.

VII.

Ex originali in archivo epiſc. Tutel.

Bulla Leonis papæ X. de reductione ſeu ſeculariſatione eccleſiæ Tutellenſis.

1514. LEo epiſcopus ſervus ſervorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. In eminenti militantis Eccleſiæ ſpecula conſtitutus Romanus pontifex,beati Petri cæleſtis clavigeri ſucceſſor, in cunctas orbis eccleſias terræque amplitudinem præcipuum facultatis obtinens principatum, inter curas multiplices quibus occurrentibus negotiorum varietatibus obſidetur, illam libenter amplectitur per quam eccleſiarum cathedralium inſignium in illis plantata ſupprimendo, & earum ſtatum mutando, venuſtas & decor augeatur, ac Divinus cultus & animarum ſalus ſuſcipiant incrementum, prout catholicorum Regum vota id expoſcunt, ac eccleſiarum, perſonarum, locorum, & temporum qualitatibus & conditionibus diligenter conſideratis, conſpicit in Domino ſalubriter expedire. Sane cariſſimus in Chriſto filius noſter Ludovicus Francorum rex illuſtris tam ſuo quam dilectorum filiorum capituli & monachorum eccleſiæ Tutellenſis ordinis ſancti Benedicti ac ſyndici communitatis civium & habitatorum civitatis Tutellenſis nominibus nuper nobis exponi fecit quod licet in dicta eccleſia Tutellenſi olim de monaſterio dicti ordinis in cathedralem eccleſiam apoſtolica auctoritate erecta eſt, ſumptuoſo opere fundata, ac inter alias regni Franciæ cathedrales eccleſias plurimum inſignis & famoſa, plures præpoſituræ, præpoſitatus, adminiſtrationes, & officia, aliaque beneficia eccleſiaſtica, etiam cum dominio & juriſdictione temporalibus, necnon præbendæ ſeu monachales portiones pro monachis dictæ eccleſiæ Tutellenſis in Divinis pro tempore deſervientibus fore noſcantur; nihilominus cum eadem eccleſia Tutellenſis, in centro dictæ civitatis ſita ſit, & pro eorumdem monachorum habitatione parvæ cameræ ſeu cellulæ muris ejuſdem civitatis contiguæ dudum ordinatæ fuerint, nec ampliari aut de novo conſtrui poſſint occaſione aquarum illam circumdantium,& aliorum ſolo deficiente, ac eccleſia ipſa viridariis aut aliis locis ſpatioſis, in quibus ipſi monachi recreationis cauſa, dum expedit, ſtare poſſint, careat, præfati monachi loca ſpatioſa infra ambitum ædificiorum ejuſdem eccleſiæ Tutellenſis, ad quæ completis officiis ſuis divertere poſſint, non habentes, quodam modo cogantur ad plateam publicam dictæ civitatis, in qua eccleſia ipſa Tutellenſis conſiſtit, & forum rerum venalium, ad quod confluunt utriuſque ſexus perſonæ etiam uſque ad valvas ejuſdem eccleſiæ Tutellenſis tenetur & celebratur, ſe conferre, & interea a regularibus inſtitutis quodam modo aliena ducere, quo fit ut vota ſua Altiſſimo juxta dicti ordinis regularia inſtituta non reddentes, animarum ſuarum ſaluti minime conſulunt; & ſæculares ex eorumdem monachorum mutua in eccleſia Tutellenſi pariter & in aliis locis publicis converſatione & vita a regularis diſciplinæ obſervantia quodam modo aliena,illorum famæ & honori nonnunquam detrahunt, & eorum ſolita devotio ad eccleſiam Tutellenſem & ordinem prædictos diminuitur, ac non facile comperiuntur viri nobilitate generis & litterarum ſcientia aliiſque virtutum donis inſigniti qui ordinem ipſum in prædicta eccleſia Tutellenſi profiteri & ad illius regularem obſervantiam obligari velint; & interdum in ipſa eccleſia Tutellenſi ſunt monachi quorum opera & favore bonorum & jurium dictæ eccleſiæ Tutellenſis conſervationi & occupatorum recuperationi & aliis ipſius eccleſiæ Tutellenſis neceſſitatibus conſuli ut expediret minime poteſt, ac etiam nonnulla beneficia eccleſiaſtica regularia a dicta eccleſia Tutellenſi dependentia ad quartam partem vel circa aſcendentia per diverſas eccleſias tam ſæculares quam regulares perſonas in commendam ex conceſſione & diſpenſatione apoſtolica obtineantur, unde monachorum ejus numerus & Divinus cultus in ea valde diminuitur non ſine ipſius eccleſiæ Tutellenſis maximo detrimento; & niſi deſuper opportune provideatur, gravia incommoda, pericula, ſcandala forſan ſubſequentur. Verum ſi ipſa eccleſia Tutellenſis,cui epiſcopus ſæcularis præeſt, cum illius officiis & beneficiis & ab ea dependentibus ordo ſancti Benedicti & dependentiæ ſupprimerentur & extinguerentur, & illa ad ſtatum canonicorum ſæcularium ad inſtar aliarum cathedralium & ſæcularium eccleſiarum dicti regni reducerentur, facilius reperirentur perſonæ nobilitate generis & litterarum ſcientia ac aliis virtutibus præditæ quæ dignitates, canonicatus, & præbendas in ea obtinere & inibi reſidere vellent, ex quarum inibi reſidentia & Divino cultui intereſſentia ac conſiliis & doctrina, necnon conſanguineorum & amicorum favore, ipſius eccleſiæ Tutellenſis decus, honor, & ſtatus, necnon Divinus cultus, in ea maximum incrementum reciperent, & occupata reſtituerentur,ac alia dictæ eccleſiæ Tutellenſis jura & bona conſervarentur, necnon Chriſti fidelium devotio cum animarum ſalute augeretur, & præmiſſis incommodis ac animarum periculis ſalubriter obviaretur. Quare præfatus Ludovicus rex dictis nominibus humiliter ſupplicavit ut in dicta eccleſia Tutellenſi ac omnibus & ſingulis illius dignitatibus, officiis, præbendis, ſeu monachalibus portionibus & beneficiis etiam ab ea dependentibus, etiam nunc in commendam obtentis, prædictum ordinem omnemque ſtatum & dependentiam regulares de conſenſu majoris & ſanioris partis capituli eccleſiæ Tutellenſis hujuſmodi penitus & omnino ſupprimere & extinguere, ipſumque ſtatum regularem in ſtatum canonicorum preſbyterorum & clericorum ſæcularium immutare,& ad ſtatum ſecularem reducere ac ſæcularem ſtatum hujuſmodi necnon capitulum ſæculare in ea inſtituere & omnes & ſingulos monachos dictæ eccleſiæ Tutellenſis, etiam dignitates & officia non obtinentes, ordinem ipſum tacite & expreſſe profeſſos, ad obſervationem ſtatutorum & ordinationum ac votorum quorumlibet per eos in profeſſione hujuſmodi emiſſorum, necnon a regula ejuſdem ſancti Benedicti, ac ſtatutis eccleſiæ Tutellenſis, prorſus penitus abſolvere & totaliter liberare, necnon in ipſa eccleſia Tutellenſi quatuor dignitates, quarum una decanatus loco prioratus clauſtralis, quæ prima ſeu major poſt pontificalem & electiva, & alia præpoſitatus, quæ ſecunda, necnon alia theſauraria loco ſacriſtiæ, quæ tertia, necnon reliqua cantoria, quæ quarta, dignitates inibi exiſtunt, ac omnia & ſingula beneficia & officia in eadem eccleſia Tutellenſi conſiſtentia ſeu ab ea dependentia, quæ in titulum vel commendam aut alias a quibuſvis ſæcularibus & regularibus perſonis obtineantur, in beneficia ſæcularia, perſonaſque monachorum hujuſmodi in canonicos ſæculares, ſuaſque & cujuſlibet eorum monachales portiones in canonicatus & præbendas etiam ſæculares perpetuo erigere & inſtituere, atque collationes, proviſiones, præſentationes, inſtitutiones, ſeu quævis aliæ diſpoſitiones quorumcunque beneficiorum vel officiorum ſæcularium vel regularium, etiam in diverſis

Digitized by Google

dioceſibus conſtitutorum, quæ ante ſuppreſſionem & erectionem prædictas ad capitulum & monachos dictæ eccleſiæ tam ratione beneficiorum vel officiorum in eadem eccleſia Tutellenſi exiſtentium ſeu ab ea dependentium, quam alias communiter vel diviſim reſpective pertinebant ſeu pertinere poterant, ad eoſdem capitulum & canonicos, & eorum quoſlibet reſpective, ut prius, pertineant, & de eiſdem beneficiis & officiis & quolibet ipſorum, etiam in diverſis dioceſibus conſiſtentibus, ut præfertur, capitulum & canonici beneficia & officia ipſa in ſæcularia ſic erecta obtinentes & eorum quilibet reſpective diſponere & ordinare libere & licite poſſint & valeant, quemadmodum ipſi & eorum ſinguli de illis ante ſuppreſſionem hujuſmodi diſponere & ordinare poterant ſeu etiam debebant, perpetuo ſtatuere & ordinare aliaſque in præmiſſis opportune providere de benignitate apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui eccleſiarum quarumlibet, præſertim cathedralium, & illarum perſonarum ſalubrem ſtatum, decorem, & venuſtatem, ac Divini cultus augmentum, & animarum ſalutem ſinceris deſideramus affectibus, præpoſitum & capitulum prædictos ac ipſorum capituli ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a jure vel ab homine, quamvis alia quam præmiſſorum occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtant, ad effectum duntaxat præſentium conſequendum, harum ſerie abſolventes & abſolutos fore cenſentes, necnon fructuum, reddituum, & proventuum ſingulorum beneficiorum ac menſæ capitularis eccleſiæ Tutellenſis hujuſmodi veros annuos valores præſentibus pro expreſſis habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, in dicta eccleſia Tutellenſi ac omnibus & ſingulis dignitatibus, officiis, præbendis, ſeu monachalibus portionibus & beneficiis illius ac etiam ab ea dependentibus, etiam nunc in commendam obtentis, prædictos ordinem omnemque ſtatum & dependentias regulares hujuſmodi, ſanioris partis dictorum capituli ad hoc per dilectum filium Aphricanum Severolum clericum Faventinum procuratorem eorum ad hoc ab eis ſpecialiter conſtitutum expreſſo accedente conſenſu, auctoritate prædicta tenore præſentium penitus & omnino ſupprimimus & extinguimus, ipſumque ſtatum regularem in ſtatum canonicorum preſbyterorum & clericorum ſæcularium immutamus, ac ad ſtatum ſæcularem reducimus, necnon ſæcularem ſtatum hujuſmodi & capitulum ſæculare in ea inſtituimus, ac omnes & ſingulos monachos dictæ eccleſiæ, etiam in illa dignitates & officia obtinentes, ordinem ipſum tacite vel expreſſe profeſſos, ab obſervatione ſtatutorum & ordinationum ac votorum quorumlibet per eos in profeſſione hujuſmodi emiſſorum, caſtitatis, paupertatis, & obedientiæ votis ſubſtantialibus duntaxat exceptis, necnon a regula ejuſdem ſancti Benedicti, ac ſtatutis eccleſiæ Tutellenſis prædictæ, itaut canonici ſæculares ipſius eccleſiæ Tutellenſis exiſtant ac pro talibus habeantur & reputentur, & de cætero regularem habitum dicti ordinis geſtare, ac ejuſdem ordinis regularia inſtituta, ordinationes, definitiones, & mores quoad Divinorum in dicta eccleſia Tutellenſi celebrationem, jejunia, victum & ciborum uſum, ac alia quæcunque obſervare minime teneantur, ſed in habitu, ordine, ceremoniis, & ritu, moribus, & vita quoad omnia ſæcularibus preſbyteris & canonicis eccleſiarum cathedralium illarum partium ſe omnino conformare poſſint & debeant, eiſdem auctoritate & tenore penitus abſolvimus & totaliter liberamus; ac in ipſa eccleſia Tutellenſi quatuor dignitates, quarum una decanatus loco prioratus clauſtralis, quæ prima ſeu major poſt pontificalem & electiva, alia autem præpoſitatus, quæ ſecunda, & alia theſauraria loco ſacriſtiæ, quæ tertia, reliqua vero cantoria, quæ quarta, dignitates exiſtant, ita quod decanus inibi caput aliorum exiſtat, & tam in choro, capitulo, & proceſſionibus, quam aliis actibus cæteris præſit, illique correctio omnium canonicorum ejuſdem eccleſiæ Tutellenſis pro tempore exiſtentium cum aſſenſu prædictorum capituli, & non aliter, prout in aliis eccleſiis cathedralibus ſæcularibus ubi decanus exiſtit fieri conſuevit, omnino pertineat, idemque decanus duplicem in præſentia accipiat, & cæteri in prædicta eccleſia Tutellenſi quaſcunque alias dignitates obtinentes, quilibet ipſorum unam ſimplicem præbendam percipiant, prout clauſtralis præpoſitus, cantor, & ſacriſta, ac quilibet eorum antea percipere conſueverant, ipſique decanus primum & digniorem a parte ſiniſtra, præpoſitus vero primum a parte dextra poſt epiſcopum, theſaurarius ſecundum a parte dextra, cantor ſecundum a parte ſiniſtra, ac ſtallum in choro & locum in capitulo ut alii reſpective obtineant prout ante reductionem hujuſmodi conſueverant; necnon omnia & ſingula beneficia eccleſiaſtica & officia in eadem eccleſia Tutellenſi conſiſtentia ſeu ab ea dependentia, quæ in titulum vel commendam aut alias a quibuſcunque ſæcularibus aut regularibus perſonis obtinentur, ut præfertur, beneficia eccleſiaſtica ſæcularia perſonaſque monachorum hujuſmodi in canonicos ſæculares, ſuaſque & cujuſlibet eorum monachales portiones in canonicatus & præbendas etiam ſæculares; quorum quidem canonicorum & canonicatuu & præbendarum numerus, dum pro tempore canonicatus & præbendæ prædictæ per obitum eorumdem canonicorum vacabunt, uſque ad numerum ſexdecim canonicorum ac totidem canonicatuum & præbendarum, prædictis quatuor dignitatibus, quarum quælibet unum canonicatum & unam præbendam illis reſpective unitos obtinebunt, incluſis, reduci debeat; & præbendæ ſeu monachales portiones quæ per ipſos monachos beneficia ejuſdem eccleſiæ Tutellenſis ſeu ab ea dependentia in titulum obtinentes hactenus percipi conſueverant, in canonicatus & præbendas ſæculares erectæ, ut præfertur, a beneficiis ſeu officiis hujuſmodi quibus unitæ cenſentur, penitus diſmembratæ, diſſolutæ, & ſeparatæ exiſtant; ac quotiens canonicatus & præbendæ ac ſingula beneficia & officia hujuſmodi reſpective quoquo modo vacare contigerit, illi & illa ac quælibet ipſorum ſeparatim & de per ſe etiam diverſis perſonis & diverſis temporibus concedi & de illis provideri poſſint, demptis tamen ſpecialiter & exceptis prædictis quatuor dignitatibus, ut præmittitur, erectis, quibus quatuor canonicatus & totidem præbendæ, ut præfertur, perpetuo unitæ ut prius remaneant una cum eorum annexis juribus & obventionibus univerſis, ſic quod quicunque aliquam ex dignitatibus hujuſmodi pro tempore aſſequetur, canonicus, ut præmittitur, actu præbendatus ſit & eſſe cenſeatur eo ipſo, eiſdem auctoritate & tenore perpetuo erigimus & inſtituimus, ac quod collationes, proviſiones, præſentationes, inſtitutiones, ſeu quævis aliæ diſpoſitiones quorumcunque beneficiorum & officiorum ſæcularium vel regularium, etiam diverſis dioceſibus conſtitutorum, quæ ante ſuppreſſionem & erectionem prædictas ad capitulum & monachos eccleſiæ Tutellenſis hujuſmodi tam ratione beneficiorum vel officiorum in illa exiſtentium ſeu ab illa dependentium quam alias communiter vel diviſim reſpective pertinebant ſeu pertinere poterant, ad eoſdem capitulū & canonicos & eorum quoſlibet reſpective ut prius pertineant, & eiſdem beneficiis & officiis & quolibet ipſorum, etiam in diverſis dioceſibus conſiſtentium, ut præfertur, capitulum & canonici pro tempore beneficia & officia ipſa ſic in ſæcularia erecta pro tempore obtinentes, & eorum quilibet reſpective diſponere & ordinare libere & licite poſſint & valeant, quemadmodum ipſi & eorum ſinguli de illis ante ſuppreſſionem hujuſmodi diſponere & ordinare poterant ſeu etiam debebant, dioceſanorum locorum in quibus beneficia ſeu officia ipſa forſan fuerint aut quorumvis aliorum licentia ſuper hoc minime requiſita; quodque poſt ſuppreſſionem & reductionem prædictas omnes & ſingulos cenſus, redditus, fructus & proventus, penſiones, pia legata, donationes,

Digitized by Google

dotationes, anniverſaria, jura, juriſdictiones, decimas, emolumenta, homagia tam mobilia quam caſtrenſia, plebeia, emphyteutica, aliaque bona & jura temporalia & in favorem dicti ordinis quomodolibet ſibi tam in communi quam in particulari hactenus eiſdem capitulo & canonicis conceſſos & conceſſa ac per eos exigi ſolitos & ſolita, ad eccleſiam Tutellenſem & beneficia & officia hujuſmodi ut prius pertineant, ipſique capitulum & canonici ac eorum ſucceſſores qui pro tempore erunt, illos & illa a quibuſcunque perſonis, etiam beneficia & officia a dicta eccleſia Tutellenſi dependentia in titulum vel commendam obtinentibus, quocunque nomine cenſeantur, & quacunque præfulgeant dignitate, qui quoad illa ſolvenda quibuſcunque viis & modis compelli poſſint, exigere & percipere abſque contradictione quacunque libere & licite valeant, prædicta apoſtolica auctoritate earundem tenore præſentium perpetuo ſtatuimus & ordinamus, ac eiſdem capitulo & canonicis concedimus pariter & indulgemus. Et nihilominus pro felici ſtatu & ſalubri directione dictæ eccleſiæ Tutellenſis, illius decano pro tempore exiſtenti & capitulo præfatis ſeu majori parti eorumdem quæcunque ſtatuta & ordinationes ſalubria & honeſta ſacris canonibus non contraria faciendi & edendi ac facta & edita immutandi, quæ ab omnibus obſervari debeant, necnon duodecim capellanias ſeu vicarias perpetuas, prout inſpecto valore fructuum eorum menſæ capitulari expedire viderint, dicta auctoritate erigendi, eiſque ex fructibus dictæ menſæ congruam dotem aſſignandi, & pro prædictis capellaniis ſeu vicariis obtinendis duodecim perſonas eccleſiaſticas ſæculares, qui vicarii perpetui ejuſdem eccleſiæ Tutellenſis nuncupentur, & omnibus horis canonicis ac aliis Divinis officiis diurnis & nocturnis intereſſe & Divina celebrare teneantur, nominandi & deputandi, & de illis dum & quando vacabunt, providendi, eiſdem auctoritate & tenore facultatem concedimus. Et inſuper eoſdem monachos & eorum ſingulos qui propter tranſgreſſionem inſtitutorum regularium prædictorum aliquam apoſtaſiæ notam ſive irregularitatem aut inhabilitatem forſan incurrerint, ab hujuſmodi exceſſibus necnon apoſtaſia ac quibuſvis excommunicationis & aliis cenſuris, ſententiis, & pœnis eccleſiaſticis quas præmiſſorum occaſione forſan quomodolibet incurrerint, eadem auctoritate abſolvimus, & cum eis ſuper irregularitate, ſi quam cenſuris hujuſmodi ligati miſſas & alia divina officia celebrando, aut illis ſe immiſcendo, contraxerint, quodque etiam quæcumque, quotcunque, & qualiacunque, cum cura & ſine cura, ſecularia alias ſe invicem compatientia beneficia eccleſiaſtica, etiamſi canonicatus & præbendæ, dignitates, perſonatus, adminiſtrationes, vel officia in cathedralibus, etiam metropolitanis, vel collegiatis, & dignitates ipſæ in eiſdem cathedralibus, etiam metropolitanis, poſt pontificales majores ſeu in collegiatis eccleſiis hujuſmodi principales fuerint, & ad dignitates, perſonatus, adminiſtrationes, vel officia hujuſmodi conſueverint qui per electionem aſſumi, eiſque cura immineat animarum, ſi eis alias canonice conferantur aut eligantur, præſententur, vel alias aſſumantur ad illa & inſtituantur in eis, etiam poſt ſuppreſſionem & reductionem hujuſmodi recipere, & illa necnon quæcunque, quotcumque, & qualiacunque alia beneficia eccleſiaſtica ſæcularia & regularia quæ eorum ſinguli, etiam ex quibuſvis conceſſionibus apoſtolicis in titulum vel commendam obtinent & expectant, necnon in quibus & ad quæ jus eis & eorum cuilibet competit, ut prius retinere, illaque omnia & ſingula quotiens eis placuerit dimittere & eidem juri cedere, ac loco dimiſſi vel dimiſſorum aliud vel alia ſimile vel diſſimile aut ſimilia vel diſſimilia beneficium ſeu beneficia eccleſiaſticum vel eccleſiaſtica quæcunque, quotcunque & qualiacunque ſe invicem compatientia ſimiliter percipere, & ut præfertur, retinere, ac quaſcunque penſiones annuas ſuper quibuſvis fructibus & proventibus eccleſiaſticis eis aſſignatas ut prius quoad vixerint percipere & levare, necnon quibuſcunque gratiis & indultis ac diſpenſationibus eis & eorum cuilibet apoſtolica vel alia quavis auctoritate quomodolibet conceſſis uti & gaudere, & beneficia ſub eiſdem diſpenſationibus comprehenſa recipere & juxta illarum tenorem retinere, quodque horas canonicas diurnas pariter & nocturnas ac alia Divina officia ſecundum uſum & morem Romanæ Eccleſiæ tam in choro quam extra chorum ipſius eccleſiæ Tutellenſis dicere & recitare libere & licite valeant, & nihilominus eidem eccleſiæ Tutellenſi & illius decano ac aliis dignitates & officia ac canonicatus & præbendas inibi pro tempore obtinentibus, necnon eiſdem vicariis & aliis perſonis ejuſdem eccleſiæ Tutellenſis pro tempore exiſtentibus quod omnibus & ſingulis privilegiis, immunitatibus, favoribus, prærogativis, conceſſionibus, & indultis quibus aliæ eccleſiæ cathedrales ſæculares & illarum canonici & dignitates & officia in eiſdem obtinentes, de jure vel conſuetudine utuntur, potiuntur & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere poterint quomodolibet in futurum, uti, potiri, & gaudere poſſint & debeant, eiſdem auctoritate & tenore diſpenſamus eiſque pariter indulgemus, omnemque ab eiſdem monachis inhabilitatis & infamiæ maculam ſive notam præmiſſorum occaſione contractam penitus abolemus; necnon beneficia obtenta & jus hujuſmodi propter reductionem prædictam non vacare & commendas non ceſſare, ac diſpenſationes, gratias, & indulta prædicta non expirare, & penſiones extinctas non fore, ſed diſpenſationes, gratias, & indulta hujuſmodi plenam roboris firmitatem obtinere, ac cum permutandi & commendis cedendi, necnon derogationibus omnibuſque aliis & ſingulis in eis contentis clauſulis eiſdem monachis etiam poſt reductionem hujuſmodi ſuffragari poſſe & debere in omnibus ac per omnia perinde ac ſi reductio prædicta minime facta fuiſſet, necnon irritum & inane ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari decernimus, non obſtantibus præmiſſis ac conſtitutionibus & ordinationibus apoſtolicis, necnon fundatione dictæ eccleſiæ Tutellenſis, ac illius & dicti ordinis juramento, confirmatione apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, necnon quibuſvis privilegiis & indultis apoſtolicis eidem eccleſiæ Tutellenſi etiam per ſedem prædictam conceſſis, quibus etiam ad illorum derogationem de illis eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, & expreſſa ac individua & de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda eſſet, illorum omnium tenores præſentibus pro ſufficienter expreſſis & inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat harum ſerie ſpecialiter & expreſſe derogamus, ac quacunque contradictione per majorem partem monachorum eccleſiæ Tutellenſis prædictæ jam forſan facta vel in poſterum facienda, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem quod monachi aliqua irregularitate aut inhabilitate forſan innodati, pœnitentiam ſalutarem per confeſſores idoneos quos quilibet eorum duxerit nominandos, eis pro præmiſſis injungendam omnino adimplere teneantur. Alioquin præſentes literæ quoad abſolutionem hujuſmodi nullius ſint roboris vel momenti. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ ſuppreſſionis, extinctionis, immutationis, reductionis, inſtitutionis, abſolutionis, liberationis, ſtatuti, ordinationis, conceſſionis, indulti, diſpenſationis, abolitionis, decreti, derogationis, & voluntatis infringere vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri & Pauli apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo quarto decimo, ſexto Kalendas Octobris, pontificatus noſtri anno ſecundo.

VIII.

Ex veteri chartulario Valletæ ord. Ciſterc.

ANno M. C. XL..... regnante Ludovico Francorum rege Robertus de Durforti dedit omne quod habebat apud Valletam pro ſuſceptione Stephani fratris ſui. Mater vero Stephani ejuſdem loci manſionarii, dedit cum filiis ſuis omne quod ibi proprium habebant. Ademarus ſacerdos, & Hugo ibidem ſuſcepti ſunt monachi.

Hoc donum factum eſt a ſupraſcriptis viris ſine ulla retentatione mali religioſis de Valleta. S. Stephani Obazinenſis abbatis. S. Begonis ejuſdem loci abbatis. S. Petri prioris.

Girbertus de Vigoro dedit Deo & B. Mariæ omnibuſque ſanctis & fratribus in hoc loco qui dicitur Valleta, in ſervicio Dei conſiſtentibus, omne quod habebat in villa de la Chalm, & plurimas alias poſſeſſiones pro ſuſceptione Rigaldi filii ſui. Data vero ſunt hæc & accepta in præſentia Petri abbatis, audiente Conſtantino priore, Petro cellerario, &c.

Fulco de Vigoro conceſſit Deo & B. Mariæ & domui de Valleta pro anima ſua parentumque ſuorum, & pro XII. ſolidis quos ab abbate & fratribus accepit omne quod a cognato ſuo Girberto de Vigoro in villa de Valleta conceſſum fuerat. Actum in præſentia Stephani abbatis tertii.

Guicardus de Durfort ac filius ejus dederunt Deo & B. Mariæ ac fratribus in domo de Valleta Deo ſervientibus pro XXV. ſolidis quos ab abbate & fratribus acceperunt, omne per integrum quod habebant in villa de Valleta. Factum eſt hoc in audientia G. Lemovicenſis epiſcopi, & G. Tutelenſis abbatis, & Marfredi decani Mauriacenſis, & Petri ejuſdem domus abbatis, & Stephani de Scorralia.

Domnus G. abbas Valletæ & B. prior & fratres ejuſdem loci emunt feudum de Moſtolac c. ſol. anno ab Incarn. Dom. M. C. ſeptuageſimo nono.

Guido de Miramonte & homines de Chalviniac dederunt Deo, & abbati de Obazina omne quod habebant in Domiſco pro animabus ſuis. Lo prat d'Auza cum bordariis dedit Stephanus de Chambre pro ſuſceptione filiarum ſuarum in Obazina. Raimundo de Scorralia donante eis omne quod ibi habebat G. de Mont-clar, dedit pro ſuſceptione filiarum ſuarum in Obazina omne quod habebat in villa de Seirac cum nemore & omnibus quæ circa habebat. D. de Cuzac & filii ejus dederunt Deo & religioſis omne quod habebant in grangia de Caſa-fracta. Ipſi vero religioſi emerunt de hominibus de Biliac hoc quod ibi habebant. Stephanus de Charobre dedit hoc quod ibi habebat Radulphi fratris ſui & filiarum ſuarum. Hoc donum factum eſt a memoratis viris religioſis, in domo de Domiſco Deo ſervientibus, regnante Ludovico Francorum rege & domno Aimerico Claromontenſem eccleſiam fideliter regente. S. Stephani Obazinenſis abbatis. S. Begonis ejuſdem loci patris. S. D. de Cuzac.

Beraldus Petrus de Seirac dedit Deo & fratribus de Domiſco pro ſuſceptione ſua terram quam habebat in Caſa-fracta quæ vocatur Danchaſeffradas. Præterea filius ejus Guillelmus in quamdam partem iſtius terræ calumpniam faciens, accepit ipſe & filius ejus ab abbate & fratribus de Valleta XX. ſolidos &c. Hujus rei teſtes ſunt P. abbas, & Guido de Mauriac, &c.

Duo fratres de la Conca dederunt omnem hereditatem ſuam religioſis de Domiſco pro ſuſceptione ſua. Poſtea vero Durandus fugitivus Valletæ a Conſtantino abbate & fratribus unam equam accepit, totum in perpetuum conceſſit, teſte Petro Signario & aliis fratribus.

Bernardus Bonafos dedit Deo & B. Mariæ de Valleta manſum de Peiredeiras pro LXX. ſolidis. Hujus rei teſtes ſunt Bego abbas & Bartol. & Pontius monachus de ſancto Sereno & Radulphus fratres ejus & multi alii.

Guillermus de Noalac ſancti Amantii miles miſit in vadimonium fratribus de Valleta omnia quæ habebat in grangia de la Chalm..... teſtes autem ſunt G. de Bordas, B. ſubprior, Conſtantinus, Johannes de Neſpol. & alii plures. Abb. vero R. Obazinenſis procurator domus Valletæ tunc erat.

Johanna fidelis fœmina in caſtro de Tuire recluſa pro amore Dei & conſilio fratris ſui P. converſi dedit XXXV. ſol. ut ſemper in Annuntiatione B. Mariæ conventui de Valleta detur panis frumenticius.

Willelmus de Rialac dedit Deo & cœnobio de Valleta pro ſuſceptione ſua quandam bordariam a Sarnat quæ dicitur Giroi; hanc conceſſit Hugo filius ejus P. abbate audiente &c. Factum eſt in præſentia Petri ſecundi abbatis, & Bartol. cantoris, audiente Guillelmo de ſancto Amantio &c.

Stephanus de Turniaco dedit religioſis de Valleta quicquid habebat in decimis & præferentiis eccleſiæ de Tourniac.

Et hoc factum in præſentia domni Stephani Obazinenſis abbatis, & Begonis ejuſdem loci abbatis, & Petri prioris, & Johannis Obazinæ cellerarii & alior. plurimor. laïcorum..... anno ab Incarnatione Domini M. C. LVI. regnante Lodoico Francor. rege & domno Stephano de Mercurio Claromontenſem cathedram præſidente.

P. abbas & Conſtantinus prior teſtes ſunt donationis Rainaldi de Beſchamel.

Stephanus de Scorralia plures dedit manſos religioſis de Valleta, cum conſilio Mathfridi decani Mauriacenſis & domni G. abbatis Tutelenſis qui conſanguinei ipſius erant.

Hoc autem donum factum eſt coram his teſtibus abbate videlicet Tutelenſi, abbate Obazinenſi, decano Mauriacenſi, Stephano de Scorralia, Durando de Montal, Guidone de Miramont & multis aliis anno ab Incarnatione Domini M. C. LI. ducatum Aquitaniæ Henrico Anglor. rege ac comite Andegavenſium regente, ac D. Guidone in Lemovicenſem cathedram feliciter præſidente.

Aga de Montaut ſoror prædicti Stephani dedit religioſis de Valleta manſum dal Cros, & poſtea pergens ad religionem una cum marito ſuo, dedit alios duos manſos ipſis fratribus, unum a Ali & alterum a la Grelieira. Hujus rei teſtes ſunt domnus Stephanus abbas Obazinæ, & domnus Bego, & Guido de Mauriac & multi alii.

Poſt diſceſſum vero prædictæ dominæ, Durandus de Montalt filius ejus calumpniatus eſt ipſum manſum de la Grelieira, & per violentiam tulit, & pro pace quam promiſit, dati ſunt ei a fratribus Valletæ LXXX. ſolidi & una mula &c. teſtes ſunt domnus G. abbas Valletæ, & Bernardus de Tellet monachus, *&c.*

Bernardus de Sencriſtophol ſeculum dimiſit, habitumque religionis in domo Valletæ accepit, & manſum de Faiola fratribus in ead. domo Deo ſervientibus dedit. Hunc conceſſerunt omnes filii ejus, & hoc in audientia Secundi abbatis & Conſtantini prioris & P. cellerarii &c. regnante Lodoico Francor. rege & domno G. in Lemovicenſi cathedra præſidente.

Guillelmus de S. Chriſtoforo omne quod habebat in villa de la Chalm pro CC. ſol. quod a fratribus Valletæ accepit, ipſi domui in perpetuum dedit; teſtes D. Bego abbas ejuſdem loci & Guido de Mauriaco & Durand. de Cuzac & alii plures.

Idem Bego multa alia emit in favorem ſui monaſterii.

Stephanus abbas Valletæ emit 190. ſol. unam bordariam in villa de Artigiis ab Auſtorgio de Bordiis. Anno 1164. Indict. XII. epacta VI. die IV. Martii, Lodovico Francor. rege, G. epiſcopo Lemovicenſi.

Idem abbas multa alia acquiſivit.

Bernardus de Faurigolas dedit Deo & domui de Valleta annuatim II. denarios ad Artigias. Hoc fecit audiente R. abbate Obazinenſi, *&c.*

Digitized by Google

Auſtorgius de Vilà ſeculum fugiens, habitum religionis in domo Valletæ ſuſcepit, & manſum de Beceta domui dedit; teſtes ſunt Conſtantinus abbas & omnes fratres ejus.

B. abbas Valletæ a Guillelmo Daltafia emit manſum de la Vedrina a Lopiac, LXV. ſol.

Rotbertus abbas Valletæ dedit XL. ſol. Willelmo de Rocilla pro bordariis de Selva; & ipſe Willelmus in præſentia totius conventus ipſum abbatem oſculatus eſt, 1198.

Abbas R. anno ab Incarn. 1198. plura emit prædia. Odo de Sanhas dedit Deo & abbati Rotberto & fratribus Valletæ villam de Montel anno ab Incarnatione 1187.

Archambaldus de Sanhas in craſtinum Nativitatis Domini M. CC. fundat anniverſarium ſuum in domo Valletæ, abbate B.

Ugo de Miramont dedit manſum de Boſquet domui Valletæ, anno ab Incarn. M. CC. I. R. abbate Obazinæ, B. abbate Valletæ.

Idem Ugo dedit bordariam de la Beſſa A. abbate Valletæ, M. CC. V.

Ademarus abbas Valletæ 1204. & 1206. 1207.

Anno 1217. menſe Auguſti die Veneris poſt feſtum S. Bartholomæi G. abbas Valletæ compoſitionem fecit cum Odone de Sanhas & G. fratre ejus coram R. epiſcopo Claromontenſi pro villa de Montel.

Ex altero Valletæ chartulario.

Halchajeta Dei permiſſione Ruthenen. comitiſſa & Hugo filius ejus comes ejuſdem loci conſiderantes bona quæ fiunt, & fient in antea in domo Valletæ Ciſterc. ord. Lemovic. dioceſis, ſcilicet in eleemoſynis, in hoſpitalitate, in vigiliis, & aliis Divinis officiis, pro ſalute animarum ſuarum, & domni Henrici bonæ memoriæ viri ſui quondam comitis Ruthenenſ. & etiam dom. Guidonis de Eſcorrailla patris ſui & domnæ Beatricis matris ſuæ, & omnium anteceſſorum ſuorum, tam in comitatu Rutenenſi quam in domo de Scorrallia, concedit abbati & conventui de Valleta villam de Chareils ſitam in parochia de Rialhaco.

Et nos Petrus abbas dictæ domus Valletæ pro nobis & conventu noſtro recepimus dictos nobiles domnam comitiſſam & domnum comitem filium ejus in omnibus bonis noſtris ſpiritualibus & orationibus & ſacrificiis, & eorum anteceſſores, promittentes quod in die obitus dominæ comitiſſæ prædictæ in perpetuum, annuatim pro ipſa & pro domno comite Henrico quondam viro ſuo, & pro aliis anteceſſorib. ſuis, faciemus annuale; & quod prædictam comitiſſam in capitulo generali Ciſtercien. abbatiæ faciemus ipſam recipere & abſolvere ſicut unum de abbatibus noſtri ordinis & conſuetum. Actum anno Domini M. CC. XLVI. menſe Auguſti.

Anno Domini M. CC. XLVI. idem Petrus abbas concordat cum P. la Garda milite pro manſo de las Chalmetas, mediante Aureliacenſi abbate.

Anno M. CC. XXXVI. Raimundus de Forena in præſentia domni G. abbatis Valletæ & totius conventus, conceſſit Deo & domui Valletæ ad luminare ſanctæ Mariæ XII. ſol. renduales... epiſcopus Arbertus dedit ſimiliter XX. ſol. renduales in manſo del Peiro.

Anno M. CC. XLIV. Willelmus de Varanzac miles inſtituit conventui Valletæ annualem refectionem in die Cœnæ. Eodem anno Willelma ſancti Martini, relicta quondam bonæ memoriæ P. Leyder militis, conceſſit medietatem manſi de Rigals, ſiti in villa de Fontanelias, in parochia ſanctæ Eulaliæ, in manu domni G. abbatis Valletæ. Et hanc cartam venerabilium virorum R. de Scorralla & Maurini de Fontangiis militum ſigillis fecit roborari.

Domno G. abbati Valletæ A. de Cerveira donat pedagium & paſcua, & leſdam in tota Lautriæ terra, anno 1222. Eodem an. A. vicecomes de Ventador & Ebolius frater ejus eidem abbati leſdam in toto vicecomitatu de Ventador concedunt.

Anno M. CC. XXXVIII. domnus Ebolius de Ventadoro dedit conventui Valletæ XL. ſol. renduales pro annuali refectione duob. ſequentibus diebus nathale Domini videlicet B. Stephani & B. Johannis Evangeliſtæ.

P. de Margarida miles elegit ſepulturam in domo Valletæ & dedit tres ſextarios ſiliginis cenſuales in manu G. abbatis Valletæ 1241.

Anno 1223. Hugo miles & domnus de Turre la Rocha dedit domui Valletæ annuatim in perpetuum pro G. fratre ſuo ejuſdem loci monacho IV. ſextarios de ſegel. & II. ſol. probatæ monetæ.

Anno Dominicæ Incarn. 1235. G. abbas Valletæ dedit M. CCC. L. ſol. Claromont. monetæ G. domno de Turre & A. nobili ejus uxori pro manſo del Cheirer.

G. de Jo. abbas Valletæ. A. D. M. CC. XL.

Guillelmus Comtors domnus d'Apchon concedit domui de Valleta & G. abbati ejuſdem terram quæ dicitur Mons de Marlo, cum omnibus turribus ad eandem pertinentibus &c. Actum fuit in capitulo Valletæ die Mercurii poſt quindenam Pentecoſtes A. D. M. CC. XXXIX.

Anno Domini M. CC. XXXII. Hugo de Miramont relinquens ſæculum, & intrans in domum Valletæ, dedit ſeptem ſextarios ſiliginis annuatim, & unum ſextarium frumenti in manſo del Cros ad opus hoſtiarum. Iſtud conceſſerunt domnus Guido & domnus Ugo filii ſui in manu domni G. abbatis M. CC. XXXII.

Ex aliis Inſtrumentis.

Bulla Honorii papæ III. data Lateranis per manum Guidonis capellani D. papæ IV. non. Jan. Ind. XI. Inc. Dom. M. CC. XXIII. pontif. anno ſeptimo, qua ſummus pontifex monaſterium Valletæ ſub B. Petri & ſua ſuſcipit protectione. Sunt & aliæ bullæ quæ hanc confirmant.

Innocentius IV. priori Mauriacenſi mandat ut moleſtatores Valletæ per cenſuras eccleſiaſticas coërceat. Datum Lugduni, pontif. an. VII. privilegium ſalvæ-gardiæ Philippi Franc. regis datum 1304. frater Jacobus abbas Valletæ concordat cum Guidone de Scorralha 1269.

INSTRUMENTA AD ANICIENSEM ECCLESIAM SPECTANTIA.

I.

Caroli Calvi imperatoris præceptum pro eccleſia Vallavenſi.

Circa 876. IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, Karolus ejuſdem omnipotentis Dei miſericordia imperator Auguſtus. Si ſacris locis Divinis cultibus mancipatis aliquid ſubſidii ..... præſente & futuro ſeculo, ob id magis propitium non dubitamus ..... quocirca omnium ſanctæ Dei Eccleſiæ præſentium & futurorum comperiat univerſitas, quoniam Wido venerabilis eccleſiæ Vallavenſis epiſcopus ad noſtram ..... magnificentiam oſtendit nobis præceptum a patre noſtro, anteceſſori ſuo factum, in quo continebatur, quod abbatiam Calmelii (in qua ſanctus Theofredus requieſcit) anteceſſor ſuus ejuſdem eccleſiæ ..... monaſtico ordine vivere delegaverat, atque inibi abbatem mittere conſueverat, ſalvo per omnia ſuo & eccleſiæ ſuæ honore. Hac ergo de cauſa incuria epiſcoporum a jam dicta ſede ſubtractus fuerat, & ..... nos autem, deprecante eodem venerabili epiſcopo, præceptum patris noſtri, eandem abbatiam poteſtati epiſcopi, & ſanctæ matris eccleſiæ Vallavenſis ſubjicimus, & ſubjectam nunc & æternaliter ſubjiciendam decernimus; ac ..... ſalvo ibi monaſtico religionis ordine, ſecundum diſpoſitionem & providentiam epiſcopi, ſicut in præcepto patris noſtri habetur ..... abbas autem qui ibi futurus fuerit, ſeu etiam præpoſitus ab epiſcopo, cum eorum * ..... eligatur. Ipſe vero epiſcopus miniſterium ſuum agens, non conſentiat eligere prælatum, qui vitiis & voluptatibus eorum faveat, ſed epiſcopus regularem normam excolere faciens, necnon ..... pro hoc fine dubio rationem redditurum. Ut autem hujus noſtræ reſtaurationis reintegratio pleniorem in Dei nomine obtineat firmitatis vigorem, manu propria eam ſubterfir ..... impreſſione ſubter juſſimus obſignari.

* *f.* conſenſu & approbatione.

R

Signum K S Karoli glorioſiſſimi imperatoris.

L.

Anno XXXVI. regni Karoli glorioſiſſimi imperatoris; regni autem ut imperii an ..... monaſterii ſancto Dionyſio ..... feliciter. Amen.

II.

Rodulfi regis præceptum pro Anicienſi eccleſia.

IN nomine Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, Rodulphus Divina ordinante providentia rex. Si petitionibus ſervorum Dei pro quibuſlibet eccleſiaſticis neceſſitatibus aurem ſerenitatis noſtræ libenter accommodamus, id nobis, & ad vitam immortalem temporaliter deducendam, & ad æternam feliciter obtinendam profuturum liquido credimus. Idcirco notum fore volumus cunctis fidelibus ſanctæ Dei Eccleſiæ, & noſtris præſentibus ſcilicet ac futuris, qualiter veniens Adelardus epiſcopus eccleſiæ Anicienſis ſeu Vallavenſis, expetierit celſitudinem noſtram, ut eccleſiam, cui Deo ordinante præſul eſſe dignoſcitur, de rebus juris noſtri adcreſcere ſub noſtræ præceptionis auctoritate dignaremur; cujus petitioni benignum præbentes aſſenſum, regum morem ſervantes, hoc præceptum immunitatis fieri juſſimus, concedentes ei, omnibuſque ſucceſſoribus omnem burgum ipſi eccleſiæ adjacentem, & univerſa quæ ibidem ad dominium, & poteſtatem comitis hactenus pertinuiſſe viſa ſunt; forum ſcilicet, teloneum, monetam, & omnem diſtrictam cum terra & manſionibus ipſius burgi, & ita deinceps hæc noſtri præcepti authoritas, quam pro remedio animæ noſtræ, conſentiente fideli noſtro Guillelmo comite, pro remedio animæ Guillielmi avunculi ſui atque omnium parentum ſuorum, Dei-genitricis & perpetuæ virginis, eccleſiæ prædicto pontifici commiſſæ concedimus, firmiter & inviolabiliter deinceps conſervetur, ut nullus comes, aut judex publicus, aut aliqua ſæcularis poteſtas ibi audeat aliquam exactionem facere, neque manſionaticas, aut pactiones, aut aliquas redhibitiones exigere ſine voluntate, aut permiſſione epiſcopi qui ipſam tenuerit eccleſiam, ſed omnia in poteſtatem epiſcopi rediganter, & ipſe omnia, prout ſibi recte placuerit, ordinet, teneat atque poſſideat. Ut autem hæc authoritas firmiter habeatur, & a fidelibus ſanctæ Dei Eccleſiæ futuris temporibus diligentius conſerventur, id annulo noſtro ſubter juſſimus ſigillari.

L

Signum Rodulphi R V S regis glorioſi.

P.

Datum VI. Idus April. Indictione X. anno primo regnante Rodulpho rege glorioſiſſimo; anno 923. Actum Cabilone civitate in Dei nomine feliciter. Amen.

III.

Præfatio Gomeſani abbatis Hildenſis in librum S. Hildefonſi Toletani archiep. de perpetua B. Mariæ virginitate ad Goteſcalcum Anicienſem epiſcopum.

EGo quidem Gomeſanus licet indignus, preſbyterii tamen ordine functus in finibus Pampiloniæ, Abba Hyldenſe in archiſterio infra atria ſacra ferens reliquias ſancti ac beatiſſimi Martini epiſcopi, regulariter degens ſub regimine patris, almi videlicet Dulquitti abbatis, inter agmina Chriſti ſervorum ducentorum fere monachorum, compulſus a Gotiſcalco epiſcopo, qui gratia orandi egreſſus a partibus Aquitaniæ devotione promptiſſima, magno comitatu fultus, ad finem Galliciæ pergebat, concitus Dei miſericordiam, ſanctique Jacobi apoſtoli ſi fragium humiliter imploraturus, libellum libenter conſcripſi a B. Ildefonſo Toletanæ ſedis epiſcopo dudum luculentiſſime editum, in quo continetur de laude virginitatis S. Mariæ perpetuæ virginis, Jeſu Chriſti Domini noſtri Genitricis; ubi prædictus Ildefonſus epiſcopus, Divino ſpiramine afflatus, gladio verbi Dei armatus, Joviniani perfidiam vulneravit, & pugione veriſſimæ rationis, Heluidii errorem deſtruxit. Unde æſtimo incunctanter ut pari gloria dicetur a Chriſto pontifex Gotiſcalcus, qui hanc laudem Genitricis Domini, nunc Aquitaniæ S. Mariæ Anicio in propriam Sedem ſpecialiter advexit, ſicut Ildefonſus epiſcopus, qui eam univerſæ Eccleſiæ catholicæ dudum generaliter tradidit; quia etſi materia defuit laboris, æquiparatur tamen ſacra devotio retributione mercedis. Mihi autem exiguo atque miſerrimo Gomeſano concedat Chriſtus, glorioſæ Genitricis ſuæ interventu placatus, hic emundari a ſorde facinorum; & poſt expletum vitæ hujus curſum, cum ſanctis omnibus in regno cælorum perfrui gaudio feliciter ſine fine manſuro. Amen ..... Tranſtulit hunc libellum ſanctiſſimus Gotiſcalcus epiſcopus, ex Hiſpania ad Aquitaniam tempore hyemis, diebus * cœptis Januarii menſis, currente feliciter æra nongenteſima octogeſima nona.

923.

* *f.* certis.

IV.

Notitia de Widonis Anicienſis epiſcopi geſtis.

995. FUit vir quidam ex nobili Francorum progenie ortus Guido nomine, qui, providentia Dei diſponente, traditus a parentibus literarum ſtudiis, relictis ſeculari-bus pompis, monachus factus in cœnobio quod vocatur Cormarium, viriliter militavit ibi ſub regula S. Benedicti. Patre vero illius monaſterii migrante ex hac luce, fratrum concordante conſenſu, abbas ibidem eligitur, atque juxta morem canonicum benedicitur. Sublimatus autem ita bonis fulſit moribus, ut etiam fama bonitatis ejus perveniret ad aures regis Franciæ, cujus rex idem innixus conſilio, diſponebat quod bene placitum erat Deo, ut utile populo. Quo in tempore Anicienſi eccleſia viduata ſuo antiſtite, a clero & populo . . . unanimiter legari mittuntur ad regem, ut daret illis utiliſſimum paſtorem, præfatum ſcilicet abbatem, cui erat frater germanus nobiliſſimus comes Gaufridus, cognomento * Griſagonella. Unde rex nimium gaviſus, convocans electum virum, multa prece monuit eum ut, pergens Podium, fieret ibi animarum paſtor, ſibi, & populo fideliſſimus procurator. Hæc ille audiens, nec citius conſentiens, Rege cogente velit, nolit, fratribus vale dicens, ſumtis inde ſociis, cum miſſis Anicienſibus iter aggreditur. Hoc factum audientes Pontius ac Bertrandus ejus nepotes, Aquitaniæ clariſſimi conſules, cum matre eorum Adelaide ſorore ipſius, venerunt ei obviam, ſe & ſua ei dantes; cum quibus Podium ingreſſus, fit ei magna proceſſio clericorum, fit grandis exultatio laïcorum, quod Deus eis talem patronum dediſſet. Pontificali igitur cathedra ſublimatus, cogitans aſſidue de tenenda pace, de rebus eccleſiæ quas vi abſtulerunt raptores hujus terræ, juſſit ut omnes milites ac ruſtici de epiſcopatu ſuo convenirent in unum, auditurus ab eis quale ſibi de regenda pace darent conſilium. Ipſe vero apud Brivatenſem vicum nepotibus ſuis mandans congregare exercitum, omnibus de pontificatu ſuo coadunatis in unum in prata S. Germani quæ ſunt prope Podium, quæſivit ab eis ut pacem firmarent, res pauperum & eccleſiarum non opprimerent, ablata redderent, ut ſic, ſicut decet fideles Chriſtianos, ita ſe haberent; quod illi dedignantes, juſſit exercitum ſuum a Brivate tota nocte venire mane, volens eos conſtringere ut pacem jurarent, & pro ipſa tenenda obſides darent, rura & caſtella B. Mariæ, & res eccleſiaſticas quas rapuerant, dimitterent; quod factum fuit Deo auxiliante. Poſtquam vero Deus omnipotens cuncta ſibi ſubjiciens, dedit ei tranquillam & ſerenam pacem, convocavit majores eccleſiæ, dicens voluntatem ſuam eſſe ut clerici ibidem Deo ſervientes, haberent communiter victum & veſtitum ſufficienter; hac de cauſa bipartita oblatione altaris B. Mariæ, dedit unam partem canonicis Deo & ejus Genitrici ſervientibus: alteram vero reſervavit ſuis uſibus. Præterea cum Truano decano, optimo viro, magno ingenio, fecit incidi rupem quam vocant Aculeam *, in cujus cacumine ædificavit eccleſiam in honorem B. Michaëlis dedicatam, quam ſimiliter, cum magnis * appendentiis dedit prædictis * canonicis. His ita compoſitis Div. inſpirante clementia, dum dominus Guido S. Vallavenſis eccleſiæ ſuperno nutu epiſcopus, ſollicita inveſtigatione mentis arcano ſecum diſcuteret, qualiter paſtorali officio a Deo ſibi commiſſo ad utilitatem ſuarum eccleſiarum, ſeu cœnobiorum, atque animæ ſuæ profectum, & ceteris quæ præſulari curæ congruere videntur, die noctuque invigilare deberet, ſemetipſum erga id officii in multis offendiſſe referens * in terra, judicis Chriſti examinatione perculſus, Domini benignum cœpit implorare auxilium, ne univerſæ carnis ita viam perficeret, priuſquam quicquid deliquerit, pro poſſe ſatisfaceret. Unde, Dei gratia ſuccurrente, cum ſtudioſe ſecum tacita cogitatione revolvens qualiter facinorum faſciculos, Deo propitio, deponere potuiſſet, ſibi memoria accidit quod ut eccleſiarum decus augeretur, per multas civitates, monaſteria conſtructa haberentur; ipſa vero Anicienſis cui præeſſet, tali religione viduata manebat. Quocirca decus Vallavenſis eccleſiæ augmentare conrendens, ut peccaminum molem ſibi internus judex remitteret, in Anicienſi * urbe cœnobium conſtituere, Deo largiente, diſpoſuit. Suam igitur diſpoſitionem ſuæ ſorori Adelaidæ comitiſſæ, ſuiſque filiis, videlicet Pontio & Bertrando, ejus neporibus, cunctorumque canonicorumque collegio manifeſtans, cunctis hoc laudantibus, in * prædicta Anicienſi urbe pro animæ ſuæ, omniumque epiſcoporum qui ante ſe in eadem urbe paſtoralem curam rexerunt, & ſuorum ſucceſſorum, necnon Stephani cognati, Adelaidæ ſororis, eorumque filiorum Pontii & Bertrandi, & omnium Anicienſis eccleſiæ canonicorum, animarum redemptione, ſuorumque peccatorum remiſſione, quandam eccleſiam ſub nomine * Monaſterii * ædificavit. Poſtea vero quadam die ipſo domino Guidone epiſcopo jam prædicto [b] in capitulo Anicienſi perſonaliter exiſtente, dominis canonicis ad hoc ſpecialiter vocatis, ex quorum numero erant venerabiles viri domini Guido præpoſitus Anicienſis, & Valentinæ eccleſiæ epiſcopus, Truanus decanus, Petrus S. Petri abbas, Vincæcienſiſque eccleſiæ præſul, Guitardus etiam Vincæcienſis eccleſiæ archidiaconus, & abbas Robertus, qui tunc S. Anicienſis eccleſiæ erant canonici, cum cæterorum canonicorum collegio in capitulo reſidentium, per ferulam ſui pontificatus indagatricem tradidit prædictæ eccleſiæ, ſeu cœnobio prædicto de S. Mariæ terra, cunctis canonicis conſentientibus, in territorio * Vincenenſi quandam villam quæ dicitur * Iſla [c] cum omnibus juribus & appendentiis ſuis, quæ ad epiſcopi partem pertinere videntur, excepta dumtaxat capella quæ in ipſa villa eſt ædificata, atque in honore B. Cypriani * epiſcopi & martyris conſecrata, vivente Truano decano. Poſt cujus obitum ſimiliter dedit ipſam capellam cum toto * dominio ſuo, ſive cum univerſa hæreditate quæ ad ipſum pertinere videtur, quæ eſt in ipſa villa * Fuſteſſina, de vinea, & in villa de Thauliaco [d] manſus unus: rurſus de proprio * in Vivatienſi territorio in villa nomine Gimellis [e] manſos duos, quos acquiſivit de Guidone, Deſiderii nepote. In alio autem loco in * territorio Vellaico in villa quæ vulgo nominatur [f] Caciacus, totum quod modo ipſe dominus Guido epiſcopus in dominium tenere videtur, videlicet prata, vineas, campos, ſylvas, & appendarias duas. Et in eodem Vellaico, quæ Lanciacus dicitur, manſum unum, quem * Roffredus canonicus in beneficio tenebat; in villa * S. Germani [g] unam appendariam ad gallinas nutriendas, & in eodem Vellaico in pago quem vocant * Fiver, unam eccleſiam in honore S. Juliani dedicatam, ſuo epiſcopio Anicienſi ſubjectam, a ſuis nepotibus Pontio & Bertrando * accepit, eo quod jam præfatum Guigonem præpoſitum, captum violenter, a beatæ Mariæ Anicienſis eccleſia Mimate duxerunt. In ipſa autem civitate, cui præeſſe videtur, unum molendinum, quem 90. ſol. Petrus ſibi vendidit, & unum furnum quem ab Hugone Arcadi * abbatis nepote ob canonicam pro pretio 60. ſol. accepit, & in ipſa civitate de terra illa quam vulgus proprie terram S. Mariæ nominat, quam epiſcopus ipſius loci in propriis uſibus tenere ſemper ſolitus eſt; totam ſepulturam, * & in Alverneo quoque territorio clauſum unum, quem de Imberto preſbytero 100. ſol. comparavit. Inſuper pro cunctorum utilitate

* Martellus.
* ſuburbano.
* in præd. ſuburbano pro.
* S. Petri dedicavit.
a
b
* Vivarienſi.
* Faſcia. c
* *Dnſt* epiſcopi.
* decimo.
* Faſcia una. d
* prædio. e
* villa de Nido Aquilino vineam unam quam 10. ſolidis emerat de Ebrardo. In alio autem loco in territorio.
* Boſfredus.
* quoque.
* Fines.
* in emendationem accepit, & quod.
* De l'Aiguille.
* appendiciis.
* clericis.
* Richardi.
* & in Brolio dominico ad jumentorum paſcua tantum de prato, quantum homo unus in die, falce voluerit ſecare. In Avernico quoque.
* In tamen judicis exam.

[a] Prioratus S. Petri de Monaſterio, abbatiæ S. Theofredi ſubjectus, habuit priorem & 12. monachos, a ſuæ fundationis primordio. Nunc congregationi Cluniacenſi reformatæ unitus eſt. Vulgo appellatur, S. Pierre le Moneſtier.

[b] Cum Guidone præpoſito Valentinæ ſedis epiſcopo, & Truanno decano, & Petro Vivarienſis eccleſiæ ep. Guitardo archid. & abbate Roberto, ceterorumque canonicorum.

[c] L'Iſle en Vivarez. [d] Tauillac prés du Puy. [e] Gimel en Vivarez. [f] Cuſſac. [g] S. Germain la Prade.

laborare

Digitized by Google

laborare contendens, & ut ſui ſucceſſores indefici-
* Indefi-ciente. entem * a totius bonitatis largitore mercedem pro tem-
porali diſpendio accipiant, ex omnibus quæ in eccleſia
ceterarum Vallavenſium matre, quæ cunctis ſibi ſub-
jicientibus pontificali cathedra excellentius eminet,
Chriſto Dei & hominum mediatori pro requie de-
functorum, ſalute vivorum oblatum fuerit, decimam
partem jam prædicto cœnobio tribuit; ut ita cœnobitæ
ſub B. patris Benedicti regula in eodem monaſterio
Chriſto famulantes, decimam partem ſub futuris epiſ-
copis ex eorum ſemper medietate accipiant. Super hæc
omnia unam integram canonicam ex quadraginta de-
dit, * & omnes canonici tam præſentes quam præte-
* ut. riti & futuri, * ſic in ipſa ſocietate perenne, Deo
* ſicut ipſe in hac ſocietate. concedente, bonum valeant adipiſci. Hæc autem om-
* ſicut legitur pro remedio animarum cunctorum prædictorum, eo tenore ipſe. nia quæ ſupra deſcripta ſunt, * ſic legantur eo teno-
re, ſicut ipſe dominus Guido epiſcopus prædicto cœ-
nobio tradidit, ut * cœnobitæ ibi degentes Chriſto
Domino pro ſalute vivorum & requie defunctorum
ſervientes, proprietario jure ita habeant, teneant,
firmiterque poſſideant, ad ſuorum ipſiuſque cœnobii
utilitatem diſpenſent, quatenus meliorando in ipſa
ſemper eccleſia maneant, & nunquam niſi ad Eccleſiæ
& eorum utilitatem ab ipſa recedant. Canonicorum
vero congregatio, ut partem ſempiternæ remunera-
tionis a Deo accipiant, pro ejus rogatu promiſerunt, ſe
talem * ſeveritatem pro ſtabilitate hujus prædicti mo-
* ſecundum abbatis qui eidem loco præfuerit juſſionem cœnobitæ. naſterii poſt mortem ipſius Guidonis epiſcopi a futuris
epiſcopis ipſius loci petere, & hoc pro conſuetudine
ac lege teneri laudaverunt, qualem pro ſua parte al-
taris & communia. Sic * ut enim futuri epiſcopi ipſius
* ſunt enim. loci omnia quæ canonici ex eadem Anicienſi eccleſia
in ſua parte habere videntur, jurejurando conſervare
promiſerunt, ita res hujus monaſterii ſupradictas, vel
quæ Deo propitio ibi donatæ fuerunt, nullo modo a
ſemetipſis epiſcopis minorari jurejurando promittant.
Denique pro certiori ſecuritate & ſtabilitate, ut cer-
tius credatur, & firmius teneatur, a ſe & a ſuis ſuc-
ceſſoribus hanc cartulam in præſentia canonicorum
præfatus dominus Guido epiſcopus ſcribere rogavit.
Quam manu propria inferius litterarum apicibus ro-
borans, cunctos S. eccleſiæ diverſorum ordinum ca-
nonicos, quorum nomina inferius deſcripta haben-
tur, propriis manibus firmare præcepit; nimis enim
inhoneſtum & indecens, atque omnibus bonis operi-
bus contrarium videtur, ut quod ordinatum eſt ad ec-
cleſiaſticam utilitatem, alter quærat perperam funde-
re; & quod ſuo debet ſtudio creſcere, pernicioſe ten-
tet prævertere. Quapropter &c. Actum eſt autem hoc
in Anicienſi civitate Idus Aprilis, luna XVII. anno
Incarnationis DCCCC. XCVI. Indict. VI. epacta
XXV. concurrente VI. feliciter. Hanc cartulam firma-
verunt Guigo præpoſitus Valentinenſis eccleſiæ epiſ-
* Vivarien-ſis. copus, Truanus decanus, Petrus abbas, * epiſcopus
canonicus, Ademarus abbas canon. Guitardus abbas
canon. Robertus abbas canonicus, Theotardus canon.
Bofredus canon. Arnaldus, Robertus cuſtos eccleſiæ
* Eddenus. canon. * Adenan. Wibernus canon. &c.

V.

Statuta per Widonem Anicienſem epiſcopum ad pacem inter Chriſtianos conciliandam promulgata.

Ex chartulario Celſiniac. fol. xii. fideliter exſcripſit D. J. Boyer.

IN nomine Dei ſummæ & individuæ Trinitatis. Wido, Dei gratia Anicienſis præſul, ſupernæ pie-
tatis miſericordiam expectantibus, ſalutem & pacem.
Notum eſſe volumus omnibus Dei fidelibus, quoniam
videntes maleficia quæ in populo cotidie accreſcunt,
congregamus quoſque epiſcopos, domnum Pe. Vi-
varienſem, Wigonem Valentinenſem, Begonem Ar-
vernenſem, Raimundum Toloſenſem, Deusde Ruten-
enſem, Fredelonem Elnenſem, & domnum Ful-
crannum Ludevenſem, & Widonem Glandenſem,

A & alios quamplures epiſcopos, & quoſque prin-
cipes & nobiles, quorum numerus non eſt inven-
tus. Et quia ſcimus, quia ſine pace nemo videbit
Deum, ammonemus propter nomen Domini, &
ut ſint filii pacis, ut in iſtis epiſcopatibus, quos
iſti epiſcopi regunt, neque in iſtis comitatibus de
iſta hora & in antea eccleſiam homo non infrin-
gat, extra eccleſiam quæ in firmamento caſtellaniæ,
ſe ſciente niſi epiſcopi * propter eorum cenſum. * Hic ſcriptor videtur omiſiſſe aliquod verbum.
Prædam in iſtis comitatibus, neque in iſtis epiſco-
patibus homo non faciat; de equis parvis, de bo-
vibus, de vaccis, de aſinis vel de aſinas, vel de
faſcibus quos ipſi portant, neque de ovibus vel de
capris, neque de porcis, neque ea occidat niſi per
conductum ſuum vel ſuorum; in itinere poſitus acci-
B piat victum ſicut ad ſuam domum, nichil porter, vel
ad caſtellum baſtire, aut obſidere, niſi unuſquiſque de
ſua terra, aut de ſuo alode, vel de ſuo beneficio, vel
de ſua commanda; clerici non portent ſecularia arma;
monachis injuriam nullus * homo aliquam non faciat, * ullus.
neque his qui cum eo perrexerint, qui arma non por-
taverint, niſi epiſcopi aut archidiaconi propter eorum
cenſum; villanum aut villanam propter redemptionem
nonniſi per ſuum ſorsfactum * ; & in eundem villa- * f. forefactum.
num qui alterius terram araverit vel laboraverit, quod
eſt in contentione, niſi unuſquiſque de terra ſua aut de
ſuo beneficio; terras eccleſiaſticas, epiſcopales, canonica-
les, monachales, nullus præſumere audeat, neque aliqua
mala conſuetudine dishonorare, niſi de manu epiſcopi
aut fratrum voluntate per precariam adquiſierit de iſta
hora & in antea; negotiatores etiam nullus apprehen-
C dere vel rebus ſuis ſpoliare præſumat ſe ſciente. In-
terdicimus etiam ut nullus laïcorum ſe intromittat de
ſepulturis eccleſiæ, vel offerendis; & nullus preſbyte-
rorum precium de baptiſterio accipiat, quia donum
ſpiritus ſancti eſt. Si vero aliquis raptor fuerit aut ma-
ledicus qui hanc inſtitutionem infregerit & tenere no-
luerit, ſit ipſe excommunicatus, & anathemarizatus,
& a liminibus ſanctæ Dei Eccleſiæ ſegregatus, * uſque * f. niſi.
ad ſatisfactionem veniat. Quod ſi non fecerit, preſ-
byter ei miſſam non cantet, divinum ei officium non
faciat; & ſi mortuus fuerit, preſbyter eum non ſepe-
liat, neque ad eccleſiam ſit ſepultus, communionem
non donet ei ſe ſciente, & ſi aliquis preſbyter hoc in-
fregerit ſe ſciente, ab ordine deponatur. Precamur
etiam vel ammonemus ut in iſto tempore, ſcilicet me-
D diante Octobrio menſe, ad iſtum Dei placitum cum
bono animo & bona voluntate veniatis, in Dei nomi-
ne, ut remiſſionem peccatorum veſtrorum conſequi
valeatis, præſtante Domino noſtro Jeſu Chriſto, qui
cum Patre & Spiritu ſancto vivit & regnat. Confirmat
hoc archiepiſcopus Dagobertus Bituricenſis ſedis, &
domnus Theotbaldus Viennenſis archipræſul.

VI.

Silveſtri papæ II. epiſtola. De electione Theotardi in epiſcopum Anicienſem.

SILVESTER, ſervus ſervorum Dei, dilectiſſimo in
Domino, filio Theotardo, ſanctæ Vallavenſis eccle-
ſiæ epiſcopo. Quotiens quæſtiones ex adverſo oriun-
tur, oportet ut ſynodali concilio finis quæratur, &
ſecundum ſynodalem definitionem, quod ſtatutum
fuerit impleatur. Quocirca, quia conſtat ex generali
ſynodo habita Romæ *, Stephanum tunc eccleſiæ inva-
ſorem a prædeceſſore noſtro (*Gregorio V.*) jure dam-
natum, & ab omni ſacerdotali officio depoſitum; quod
Guidone vivente epiſcopo avunculo & prædeceſſore
ſuo ſit electus, ſine cleri & populi voluntate; & a
quibuſdam tantum epiſcopis in epiſcopum poſt ejus
mortem, ſit ordinatus; & quia in ea ſynodo clericis,

* Huic ſynodo ſubſcripſerat Silveſter tunc archiepiſcopus Ravennæ, ſub nomine Gerberti.

Digitized by Google

in Vallavenſi eccleſia Deo famulantibus, licentia alium eligendi epiſcopum prius conceſſa decretum eſt, ut eorum electus a Romano pontifice in epiſcopum ordinaretur, & cum te ab eiſdem electum didicerimus; ideo eorum electioni favente auctoritate apoſtolica, te in epiſcopum ordinamus, atque paſtorali ſollicitudine te, frater cariſſime, hortamur, ut ſolerti cura gregem tibi commiſſum cuſtodias: temetipſum ſic in bonis operibus diſponas &c. ut ſi quis epiſcopus te vel num locum auſu temerario excommunicare præſumpſerit, aut anathematis vinculis irretire tentaverit, noſtro fretus munimine ipſam excommunicationem parvipendas &c.

VII.

Ex chartario eccleſiæ Nemaus.

Charta Bernardi Peliti militis, domini d'Anduſe; pro eccleſia Nemauſenſi, ex qua parentes, fratres, & genus Fredoli d'Anduſe epiſcopi Anicienſis dignoſcuntur. Damus chartam ut eſt in ipſo autographo.

[c2] AB ortu ſolis uſque ad ejus occubitum, & a ſeptentrione uſque ad meridiem ſatis notum eſt Chriſticolis, quanta & qualia beneficia præbeantur per beatæ Dei-genitricis virginis Mariæ merita. Dum conſiſtet homo in hoc ſæculo, ſemper debet tractare de futuro; ut quando ei tranſitus advenerit, aperiantur ei portæ juſtitiæ. Unde motus pietate ego Bernardus miles, Pelitus & infantes mei epiſcopi, id eſt Fredolus præſul, & Geiraldus pontifex, & Almeradus, & alii infantes mei Raimundus, Bermundus, & mater illorum Garſindis, qui voluerunt & conſenſerunt, donamus ad locum ſacrum S. Mariæ, ſede principale, qui eſt fundata in Nemauſo civitate, unde domnus Geiraldus epiſcopus præeſſe videtur, aliquid de alode noſtrum, qui eſt in comitatu Nemauſenſi, in caſtro Anduſienſe, vel Salavenſe, ubi vocant porcaricias ipſos manſos, qui ibidem habemus, cum omnibus appendiciis eorum, & cum omnibus ajacentiis ſuis, & in alio loco ubi vocant Ilice ipſum manſum ubi Petrus Bucca Rauſtida viſus eſt manere, cum omnibus ajacentiis ſuis & appendiciis ſuis, & ibidem prope, ubi vocant manſo ipſum manſum. Iſtos manſos ſuperſcriptos cum omnibus ajacentiis vel pertinentiis illorum donamus ad præfatam caſam S. Mariæ, & ad canonicos in illorum elemoſyna ob hanc rem, ut ſancta Dei-Genitrix virgo Maria cum omnibus ſanctis ſuis ſit protectrix noſtrorum apud Dominum in die noviſſimo. Si quis autem hanc cartulam vel donationem iſtam contradixerit, ſit maledictus & excommunicatus a papa Romano & ab Eccleſia Chriſti anathematizatus, & inſuper fiat anathema, maranata, & a conſortio omnium Chriſtianorum extranei fiant, & cum Juda traditore in infernum pœnas ſuſtineant, & inſuper ſolvant ad epiſcopum & ad canonicos S. Mariæ, qui ibidem erunt, auri obtimi libras centum. Et hæc donatio inconvulſa permaneat; ea vero ratione quod ſi epiſcopus aut ullus homo, aut ulla femina, aut ulla omiſſa perſona, qui iſtum alodem ſupraſcriptum commutare, donare a ſeo voluerit, aut fecerit, veniant infantes mei aut propinqui mei, & donent per unoquoque manſo ad canonicos S. Mariæ in illorum alimonia ſolidos x. denarios obtimos otomineos olemotitanos. Facta carta donatione iſta die Jovis XIII. cal. Novembris anno XXVI. quod Robertus rex cepit regnare. Salve ſancte pater Mariæ virginis beatæ, teque tuoſque Deus benedicat hic in ævo. S. * Fredolus præſul, S. Geiraldus pontifex, S. Almeradus, S. Raimundus, S. Bermundus, S. Garſendis comitiſſa, S. Petrus de Anduſea mandatarius, Fulco, Rotbaldus, & Pontius Guillelmus mandatarius, Bermundus, Petrus Delicas, Petrus Carbonellus. S. Pontius præpoſitus, S. Bernardus archidiaconus vel deganus, S. Petrus archidiaconus, S. Ermendramnus archimandrita, Radulfus, Pontius, & alius Pontius, Adalburnus, Geiraldus, Pontius, Froterius, Adalbertus abba, Geiraldus abba de S. Egidio, Siguinus abba de Cenderatis. Hæc ſunt nomina canonicorum; teſtis Folcherius archipreſbyter ſcripſit.

* Fredolus d'Anduſe ep. Anicienſis hoc ipſo tempore.

VIII.

Bulla Leonis papæ IX. qua Stephano Anicienſi epiſcopo ejuſque ſucceſſoribus uſum pallii concedit.

LEO, ſervus ſervorum Dei, Stephano ſanctæ Anicienſis eccleſiæ venerabili epiſcopo, perpetuam in Domino ſalutem. Si paſtores ovium ſolent gelu pro gregis ſui cuſtodia die ac nocte ferre &c. Palleum autem fraternitati tuæ concedimus ad miſſarum ſollemnia celebranda, pro beatæ ac glorioſæ ſemperque virginis Dei-genitricis Mariæ digna reverentia, cujus in hac eccleſia Anicienſi, quæ & Vallavenſis, ſeu Podium ſanctæ Mariæ dicitur, ſpecialius ac præcordialius præ cæteris eccleſiis ſibi dicatis colitur, amatur, veneratur memoria a cunctis qui circumquaque univerſa morantur in Gallia. Hæc ſancta, pia, & præclara virginis Mariæ dignitas ab omnibus uſitata, a nobis auctius & beatius honore ſummo & gloria multiplici eſt exaltanda, ut ejus interceſſionem propitiam habeamus ad ipſius unigenitum multæ miſericordiæ veracem & benignum &c. quia nec potiorem meritis inveniemus ad placandam iram judicis, quam illam quæ meruit ejuſdem mater eſſe & Redemptoris & judicis, in cujus Nativitate humillima, & Epiphania, in ipſius Domini memoriali Cœna, in cujus Reſurrectione ſanctiſſima, & Aſcenſione glorioſa, & in Pentecoſtes ſolemnitate pretioſa, tibi, Frater, palleo uti concedimus, & in Natalibus apoſtolorum Petri & Pauli, ſimul & Andreæ apoſtoli, & in omnibus ſollemnitatibus piæ interventricis, mitis dominæ noſtræ, ac tuæ B. Mariæ, & in Dedicatione eccleſiæ tuæ; ea ſi quidem conditione, ut ſicut eccleſiæ tuæ privilegiis in ſuo ſtatu manentibus, ordinatio epiſcoporum hujus ſedis ad Romanum ſpectet pontificem; ita etiam ad hunc locum ordinandus per nos epiſcopus, per noſtram ſcilicet, cleri etiam ac populi hujus civitatis intres electionem &c.

IX.

Diploma Bernardi Bigoritani comitis, comitatum ſuum ſubjicientis eccleſiæ Anicienſ. clientelæ.

MUndi ruinis crebreſcentibus, plurimis quoque hominum potius tranſitoriis commerciis quam perpetuis, inhærentibus, coegit me valde humanitas meæ fragilitatis, ut non * pertractaret ultimum inevitabilis mei obitus diem, verum etiam præſentem, quoad vixero, mei meorumque utilitatem. Hac ergo ſententia nec irrationabiliter ſuffultus, non meis meritis, ſed miſericordia Chriſti præveniente, Bigorrenſis comitatus, ab ipſo auctore Deo, qui cuncta diſponit regna mundi, comes prælectus, hoc perutile negotium tractavi, ut me, & omnem præmiſſum comitatum, omnipotenti Deo committerem, & almæ Mariæ virginis tutelæ ac defenſioni, me, atque omnia mea commendarem. Dominicæ ergo Incarnationis M. LXII. anno, Petro epiſcopo Anicienſi eccleſiæ præſidente, ego Bernardus Bigorrenſis comes egregius, adveni prædictam eccleſiam, gratia orationis, imploraturus ſuffragia pro ſalute animæ meæ, & corporis. Ergo convocatis canonicis, commiſi me eorum orationibus aſſiduis, ac devovi me, & omnem comitatum Anicienſi eccleſiæ, ſub honore ſanctæ & intemeratæ virginis Mariæ conſecratæ, quatenus regina cœli & mundi domina ſolamen miſerorum, ac peccatorum venia, protegat, defendat & muniat me famulum ſuum, necnon & omnia mihi ſubdita: ea ſcilicet lege ac perpetuo tenore, ut quamdiu vitam mihi conceſſerit Omnipotens Deus, LX. ſolidos pro ſalute ac tuitione mea offeram Anicienſi eccleſiæ,

1062.

* Solum.

Digitized by Google

eosque vel deferam, vel deferri faciam in capitulo fratribus meis canonicis. Nec solum ego, sed & omnis posteritas mea hunc servet tenorem, & quasi debitum censum præscriptos LX. solidos offerat in perpetuam mei commemorationem. Ut autem hoc donativum, pietatis ac religionis gratia perectum, stabile permaneat atque firmum, ego Bernardus Bigorrensis comes, & uxor mea Clementia comitissa, hanc scripturam pro testimonio donationis fieri rogavimus, ac propriis manibus stabilem atque inviolabilem esse decrevimus. Quod si quis, vel nos, vel posteritas nostra, vel aliquis post obitum nostrum præsidens honori quem mihi Deus concessit, hanc donationem temerare, vel violare molitus fuerit, omni subjaceat anathemati, ac perpetuæ maledictioni, donec ex præsumptione cepta, Deo & B. Mariæ Virgini satisfaciat, & canonicorum congregationi. S. Bernardo de Baseliaco. S. Guilhermo de Aster. S. Arnaldo Guilhermo.

X.

Ex tab. Piperacensi.

Litteræ seu breve Armandi vicecomitis de Podemniaco, pro S. Andeolo.

INcipit in nomine Domini breve de dono quod fecit Armandus vicecomes, & ejus filius Scindens-ferrum Stephanus, mortuo patre, in castro Podemniaco in honore Domini nostri Jesu Christi. Ego Armandus dono pro anima mea, & pro anima Adalaisis meæ uxoris, & pro animabus filiorum meorum, & filiarum, & etiam pro animabus omnium parentum meorum Domino Deo, & beatæ Mariæ, & sancto Andeolo, mansum unum in Podemniaco quem vocamus mansum Del-Col, & Furno, & las Dagodenas. Dono similiter sex vineas quæ dicuntur vineæ de Pratalis, & mansos supradictos in vadimonio pro CCCC. L. solidis monetæ Podiensis. Dono mansum omnino, & vineas, & quantum ad mansum & vineas attinere videtur Domino Deo, ut dictum est, & sancto Andeolo clericisque ibi Deo deservientibus; & ego Stephanus Inscindens-ferrum dono eodem pacto quo & pater, appendariam quam tenet Petrus Calaldus, & quantum ad eam respicere videtur, & medietatem cujusdam prati ad Dagodenas quod dicitur Graveira. Dono etiam aliam parvam graveriam ad fondredas, ubi si posse clericis fuerit, molendinum faciant. Dono etiam illud quod habeo in brolio Aquidaniæ & quod habeo in prato Leschot. Dono etiam clericis illud quod super fontem Berundam, ubi faciant domum vel quidquid potius optaverint, Pontio vicecomite, meo nepote, atque fratre suo Eradio, & horum matre faventibus, nullo prorsus homine contradicente. Si aliquis aut ulla ex omnibus meis heredibus dicti comitis Hermandi hanc cartam inquietare voluerit, in arverno flamivomis ignibus cum Datan & Abiron & Juda traditore demergatur. Penitus ista carta firma permaneat. S. Hermanni vicecomitis qui hanc cartam fieri jussit. S. Stephani ejus filii Anicensis patriæ episcopi. S. Wuillelmi. S. Petri. S. Hermandi de S. Privato. Sig. Durantis abbatis Casæ-Dei. Facta carta hæc feria sexta in mense Octobris, luna prima, regnante Philippo rege Francorum. Bertrandus scripsit.

XI.

Charta Raimundi Tolosatum & Ruthenensium comitis, qua multa donat ecclesiæ Anicensi.

An. circ. 1095.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego Raimundus de sancto Egidio tam Tolosanorum, quam Ruthenensium comes, pro redemptione delictorum meorum & parentum meorum, ob amorem S. Egidii, quem multis injuriarum modis frequenter offendi; quatenus ejus festum in Anicensi ecclesia, & in ceteris illi subditis ecclesiis annuatim celebretur; & ut omni canonicorum Podiensium conventui, illo festivitatis die, de meæ largitionis servitio, annuus victus, qui tantum festum, tamque venerabilem conventum deceat, perenniter exhibeatur; & ut candela, dum vixero, incessanter die ac nocte pro me ante Dei-Genitricis venerandam imaginem super altare ardeat; & ut post mortem meam, Defunctorum officium in eadem & in ceteris illi subditis ecclesiis annuatim mihi decantetur; & ut indesinenter quotidiana oratio pro me vivente seu mortuo ibidem dicatur; dono hoc alodium, & hanc terram meam quam rectius & rationabilius pro ratione mea posse dare video, scilicet villas Segreriis & Brugeriæ, & hujus terræ bajulum, nomine Martinum Bertrandi, dono pro servo altari B. Mariæ; & terram illam de Fabrajargues, quam ibi laborare facio, & meos boves cum bubulco nominato Rodulpho, quem pro servo, sicut bajulum, trado. Hanc terram cum omnibus ejus redditibus, ita libere, sicut ego eam ipsam possideo, concedo & largior prædicto Dei-Genitricis altari, absque omni retenta, & absque omni usu mei, vel meorum parentum. Hanc igitur donationem donant & laudant * B. filius meus, & uxor mea Aldephonsi regis filia. Verum & ego hoc donum confirmo & stabilio authoritate Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Quod si aliquis homo hanc donationem tollere & inquietare voluerit, id ei contradico, ipsique Dei omnipotentis maledictione maledico; nec dubitet se esse positum sub anathemate domini Urbani papæ, & omnium episcoporum, & abbatum, qui Claromontensi concilio interfuerunt; quod factum est super eos qui impugnare præsumpserint donationes, & laxas, quas illi faciunt, qui ad Dominici sepulchri liberationem vadunt. Istud namque donum, sicut dedi ante glorioſum altare Dei-Genitricis coram omni ejusdem ecclesiæ conventu, sic apud Uticensem civitatem corroboro, & confirmo in præsentia Domini R. ejusdem civitatis episcopi..... Hujus honoris redditio facta est secunda die quando R. comes mancipium & fortalitatem sancti Maximini invasit, & eadem die hæc charta facta est.

* Bertrandus, *ex archiepisc. Tyr. l. 2. c. 5.*

XII.

Umbertus, electus Anicensis, multa donat ecclesiæ Piperacensi.

IN nomine Domini nostri Jesu Christi. Anno ab Incarnatione Domini M. C. XXVIII. ego Umbertus, sanctæ Anicensis ecclesiæ electus, dono ecclesiæ beatæ Mariæ de Pebrac, atque S. Andeoli, quæ est in castro quod vulgariter vocatur Podempnac; & tibi Poncio, Dei gratia, abbati prædictæ ecclesiæ beatæ Mariæ, videlicet de Pebrac, atque successoribus tuis similiter, & canonicis sub regimine tuo ibi Deo servientibus, ecclesiam S. Martini, quæ similiter est sita in prædicto castro, scilicet Podemniac. Hanc vero S. Martini ecclesiam, Armandus vicecomes Podempniacensis, quatenus ecclesiæ de Pebrac, atque S. Andeoli de Podemniac pro salute animæ suæ daretur, a Pontio de Glavenas adquisierat, qui jure hereditario, quamvis contra sanctorum canonum decreta, ad se pertinere credebat, & hoc titulo etiam pro tempore possidebat. Facta est autem hæc donatio in festivitate Dominicæ Annunciacionis, quæ celebratur VIII. Kal. Aprilis, in communi capitulo Anicensi, omni canonicorum conventu hanc donationem confirmante; eo videlicet anno quo prædictus electus * U. consecrationis causa, Romam adivit. Post consecrationem autem sequenti anno confirmavit, Innocencio Romanam sedem optinente, Lodovico rege Francorum regnante. S. Willelmi Anicensis ecclesiæ decani; S. Armandi de Securet; S. Petri abbatis S. Petri; S. Odilonis sancti Evodii; S. trium archipresbyterorum sancti Petri de Graciaco, Raimondi de sancto Quintino, Gerentonis de sancto Pauliano; S. Poncii de Chambarlac; S. Heraclii; S. Willelmi

1128.

* Umbertus.

de Raphaël abbatis S. Juliani ; S. Petrus de Monte-Rebello.

Hanc chartam fideliter ex ipſo authographo, in archivio Piperacenſi adſervato, exſcripſit D. Jacobus Boyer. Initiales characteres denticulati ſunt, per medium ſecti.

XIII.

Diploma Ludovici VII. Francorum regis, quo confirmat eccleſiæ Anicienſis bona & dominia.

1146. IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, Ludovicus Dei gratia rex Francorum, & dux Aquitanorum. In augmentum cedit regiæ poteſtatis, & ad honorem præcipue regni noſtri ſpectare videtur, ut dum, Divinæ providentiæ clementia, principalis regiminis locum tenemus, eccleſiarum quieti & libertati in poſterum provideamus. Ea profecto conſideratione notum facimus univerſis tam præſentibus, quam futuris, quod in anno quo ſignum ſanctæ Crucis pro Chriſti exaltatione ſuſcepimus, Petro venerabili Anicienſi epiſcopo, & eccleſiæ ſibi commiſſæ, gratiæ noſtræ ſerenitatem reddimus, & antiquam eccleſiæ libertatem, quam in diebus prædeceſſorum noſtrorum habuerat, epiſcopo & eccleſiæ perenniter habendam conceſſimus; civitatis etiam Anicienſis, quæ Podium appellatur, prout antiquitus ab anteceſſoribus noſtris anteceſſores ſui juſte tenuerant dominationem & firmitates : caſtrum videlicet Cornelium, cum cæteris omnibus munitionibus : conſuetudines quoque fori, theloncei, monetæ, & juſtitiæ civitatis, cum terris & manſionibus ad ſua jura reſpicientibus, prænominato epiſcopo, ſuiſque ſucceſſoribus rationabiliter ſubſtituendis, perpetuo tenenda conceſſimus, ſalva in omnibus regiæ dignitatis dominatione, & univerſis juſtitiis, & conſuetudinibus noſtris. Epiſcopus autem ſecundum ſuorum conſuetudinem anteceſſorum nobis, & ſucceſſoribus noſtris, & regno fidelitatem juravit, & univerſas firmitates, ac fortalitia civitatis, quoties ad Podium veniremus, ad voluntatis noſtræ præceptum ſe redditurum nobis firmavit. Ad majorem quoque Podienſis eccleſiæ libertatem ſtatuentes præcipimus, & per præſentis paginæ præceptum confirmamus, ut nulli hominum omnino liceat ſive in civitate, ſive in cæteris locis, quæ de jure præfati epiſcopi vel eccleſiæ fuerint, ſive etiam infra metas ad eccleſiam & epiſcopum reſpicientes, videlicet a Rhodano uſque ad Elagium, ab Aleſt uſque ad Montem-Briſonis, a ſancto Albano uſque ad Podium violentiam aliquam irrogare, nec aliquas exactiones, aut conſuetudines ponere, neque pedagium exigere, neque novas munitiones, aut aliqua receptacula ædificare ſine noſtra, & epiſcopi Anicienſis permiſſione. Et præter hæc omnia, quoniam propter urgentem quæ nobis incumbit Hieroſolymitanæ peregrinationis neceſſitatem, oportuit ut epiſcopus de pecunia civitatis ad tam arduum opus nobis ſubvenerit, providentes in poſterum ne in uſum & conſuetudinem ad gravamen eccleſiæ vertatur, prænoceant epiſcopo Petro & eccleſiæ, regiæ pietatis intuitu benigne conceſſimus ad notitiam tam præſentium quam futurorum ſcripto ſignari voluimus, quod neque nos ipſe, neque noſtrorum aliquis ſucceſſorum ex uſu conſuetudinis ulterius id exigeret, nec in hunc modum eccleſiam moleſtaret. Ut igitur hoc noſtræ conſtitutionis & conceſſionis præceptum in futurum ratum permaneat & inconcuſſum, ſcripto commendari, ſigilli noſtri authoritate muniri, noſtrique nominis ſuperinſcripto charactere corroborari præcipimus. Actum publice Podii anno ab Incarnatione Domini M. C. XLVI. regni noſtri decimo, aſtantibus in palatio Radulpho dapifero Viromand. comite, Guillelmo buticulario, Mattheo camerario, Mattheo conſtabulario.

XIV.

Diploma Ludovici VII. Francorum regis, quo confirmat Pontio Anicienſi epiſcopo dominium urbis &c.

Ex cod. Colb. 2669.

EGO LUDOVICUS Dei gratia Francorum rex, Pontio eadem gratia Anicienſi epiſcopo amico & fideli noſtro, omnibuſque ſucceſſoribus ſuis canonice ſubſtituendis in perpetuum. Si petitionibus ſervorum Dei pro quibuſlibet eccleſiaſticis neceſſitatibus aurem ſerenitatis noſtræ libenter accommodamus, id nobis & ad mortalem vitam temporaliter deducendam, & ad æternam felicitatem obtinendam procul dubio credimus profuturum. Idcirco notum eſſe volumus cunctis Eccleſiæ Dei fidelibus, præſentibus ſcilicet & futuris, qualiter Anicienſis eccleſiæ ſeu Vallavenſis epiſcopus celſitudinem noſtram expetivit, ut ea quæ a prædeceſſoribus noſtris, prædeceſſoribus ſuis data ſunt, noſtræ præceptionis auctoritate confirmaremus. Hujus petitioni benignum præbens aſſenſum, regium noſtræ dignitatis conſervando morem, hoc præceptum noſtræ auctoritatis illi fieri diſpoſuimus, concedentes ei omnibuſque ſucceſſoribus ſuis totam civitatem quæ Anicienſis vocatur, ſeu Podium. Caſtrum videlicet Cornelia & cum aliis munitionibus, forum, teloneum, monetam, & omne diſtrictum, cum terra & manſionibus totius civitatis; ſalvo tamen in omnibus & per omnia jure noſtro..... dominatione & univerſis conſuetudinibus noſtris. Et ita deinceps hæc noſtri præcepti auctoritas, quam pro remedio animæ noſtræ ac prædeceſſorum noſtrorum prædicto Pontio Anicienſis eccleſiæ epiſcopo, & ſucceſſoribus ſuis concedimus, firmiter atque inviolabiliter conſervetur, ut nullus comes, nullus judex, nulla eccleſiaſtica perſona ibi audeat aliquam exactionem facere; nec manſionaticos, paſtiones, aut aliquas redhibitiones exigere ſine voluntate aut permiſſione epiſcopi qui ipſam tenuerit eccleſiam. Atque omnia quæcumque in civitate Anicienſi ſunt, in poteſtate epiſcopi redigantur. Quod ne valeat oblivione deleri, ſcripto commendari præcepimus. Et ne poſſit a poſteris infirmari, ſigilli noſtri auctoritate, & noſtri nominis caractere inferius annotato confirmavimus. Actum Bitur. anno Dom. M. C. LVIII. aſtantibus &c. Signum &c. Datum per manum Hugonis cancellarii.

1158.

XV.

Compoſitio facta a B. epiſcopo, Hugone decano &c. cum clericis Anicienſis eccleſiæ.

Ex inſtrumento S. Evodii Anicienſis.

IN nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, anno ab Incarnatione ejuſdem M. CC. VIII. XIV. Septemb. ego B. Anicienſis epiſcopus, & nos Hugo decanus, & V. præpoſitus, & B. abbas S. Petri a Turre, abbas Secureti, & abbas S. Evodii per nos & ſucceſſores noſtros laudamus, approbamus, & confirmamus compoſitionem factam inter nos, & clericos Anicienſes ſuperpelliceum portantes &c. concedimus clericis ſuperpelliceum portantibus tam præſentibus quam futuris, quod poſſint acquirere feuda libera per donationem vel emptionem, vel alio juſto titulo, quin itaque nil inde percipiamus, ſed tamen ſe a nobis habere clerici recognoſcant &c. Concedimus etiam quod præfati clerici poſſint acquirere ruſtica prædia, villas, agros, prata, vineas, & graverias in quibus cenſum habeamus &c. Fuit hæc carta ſigillo Anicienſis capituli, & capituli Brivatenſis conſignata. Fuit autem hæc facta compoſitio in aula U. præpoſiti Anicienſis bajuli clericorum ſuperpelliceum portantium.

1208.

Clemens papa IV. confirmavit hanc compoſitionem bulla ſua. Data Viterbii decimo Kalend. Junii, pontif. noſtri anno tertio. *Item Benedictus papa*... Avenione menſe Martii, pontificatus anno....

Digitized by Google

A

XVI.

Ex cod. mſ. bibliothecæ Colbert. fol. 131. col. 1. 1230.

Litteræ Stephani Anicienſis epiſcopi de hominio pro caſtro de Albenacio & aliis ſibi debitis.

NOS STEPHANUS .... Anicienſis epiſcopus notum facimus univerſis &c. Quod nos & ſucceſſores noſtri, qui pro tempore erunt, tenemur recipere pro caſtris de Albenacio *, & de S. Laurentio, & de Vicello, in hominem & fidelem noſtrum dominum Alfonſum, fratrem chariſſimum domini noſtri Ludovici illuſtris regis Francorum, qui habebit in uxorem filiam R. comitis Toloſani, quando ad legitimam devenerit ætatem; vel illum qui fuerit comes Toloſanus. In cujus rei teſtimonium fecimus præſentes litteras ſigilli noſtri munimine roborari. Datum Pariſius, VI. Kal. Maii, ann. Dom. M. CC. XXX.

* Aubenas.

B

S. Ludovicus rex præcipit Heraclio de Montelauro ut epiſcopo Anicienſi homagium faciat pro caſtro de Albenaco &c.

LUDOVICUS, Dei gratia Francorum rex, dilecto & fideli ſuo Heraclio de Monte-lauro, ſalutem & benedictionem. Mandavimus vobis & bene volumus, quod vos pro caſtro de Albenaco, & de S. Laurentio, & de Vicello, quæ movent de feudo eccleſiæ Anicienſis, ſicut nobis per veſtras patentes litteras intimaſtis, dilecto ac fideli noſtro epiſcopo Anicienſi hommagium, & alia quæ debetis pro hommagio faciatis, quouſque cariſſimus frater noſter Alphonſus pervenerit ad legitimam ætatem, vel ille qui fuerit comes Toloſanus, eidem epiſcopo facere hommagium pro prædictis caſtris. Actum Pariſius anno M. CC. XXX. menſe Aprili.

C

S. Ludovicus rex præcipit hominium reddi Anicienſi epiſcopo ab Alphonſo ejuſdem regis fratre.

LUDOVICUS Francorum rex. Noverint univerſi quod nos volumus & concedimus quod cariſſimus frater noſter Alphonſus, quandiu ad legitimam pervenerit ætatem, vel ille qui fuerit comes Toloſanus, faciat hommagium, & ea quæ facere debebit pro hommagio, dilecto ac fideli noſtro epiſcopo Anicienſi, & ſucceſſoribus, pro caſtro de Albenaco, ſancti Laurentii, & de Ucello, Vivarienſis diœceſis; quæ caſtra movent de feudo ejuſdem epiſcopi, & quæ prædeceſſores dilecti ac fidelis noſtri R. comitis Toloſani tenuerunt ab eodem epiſcopo, ſicut idem comes confeſſus eſt coram nobis. Actum Pariſius anno 1230. menſe Aprili.

D

XVII.

Epiſcopis Anicienſibus conceditur præbenda in eccleſia Brivatenſi.

1259. UNIVERSIS præſentes litteras inſpecturis Fulco de Monte-acuto præpoſitus, totumque capitulum Brivatenſe ſalutem in Domino ſempiternum. Noverit univerſitas veſtra quod nos, habito ſuper hoc diligenti tractatu, præbendam eccleſiæ noſtræ Brivatenſis, cum plenitudine juris canonici, venerabili ac reverendo in Chriſto patri domino Guidoni, Dei gratia Anicienſi epiſcopo, & per eum omnibus ejus in eadem ſede ſucceſſoribus in futurum, conferimus, voto unanimi ac conſona voluntate; præſentes ſibi litteras ſigillo noſtro communi ſignatas in teſtimonium concedentes. Datum Brivate in craſtinum nativitatis beatæ Mariæ, anno Domini milleſimo ducenteſimo quinquageſimo nono.

E

XVIII.

Diploma S. Ludovici Francorum regis de jure regaliæ regum Franciæ in eccleſiam Anicienſem.

LUDOVICUS, Dei gratia Francorum rex. Notum facimus univerſis quod inter nos, & eccleſiam Anicienſem ſuper regalibus quæſtione ſuborta, inquiri fecimus diligenter de aſſenſu ejuſdem eccleſiæ, quæ ſint illa, quæ a nobis & a noſtris anteceſſoribus, regalium nomine, vacante eadem eccleſia, accipi conſueverunt ab antiquo. Quia vero per enqueſtam, quam fieri fecimus, probatum non extitit, ſeu inventum, quod vacante eccleſia ſupradicta, nos vel noſtri anteceſſores domum epiſcopalem, vel fortalitia alia civitatis, caſtra etiam extra civitatem, ſeu villas alias habuerimus aliquo unquam tempore, ſed nec podagia extra civitatem ad epiſcopum pertinentia, niſi a duabus proximis vacationibus extra; vel quod unquam, vacante eccleſia, nos vel noſtri anteceſſores dignitatem aliquam in ea contulimus, ſeu præbendam; vel nobis aut noſtris anteceſſoribus denuntiata fuerit mors epiſcopi, ſive ceſſio, vel petita a nobis ex parte capituli licentia eligendi; ſuper his ex nunc in perpetuum dictam eccleſiam nolumus moleſtari. Sane, licet ratione vacationis, fortalitia civitatis peti nolumus in poſterum, prout diximus, jus tamen petendi ratione dominii, & recuperandi nobis & noſtris ſucceſſoribus retinemus in illis caſibus in quibus nobis competit ab antiquo. Unde quia per eandem enqueſtam invenimus, quia a longis retro temporibus, vacante eadem eccleſia, ad nos pertinent jure regaliorum juriſdictio temporalis in civitate, ſuburbiis, & territorium ad epiſcopum pertinens, podagium etiam civitatis & alii reditus in eadem civitate vel territorio ad epiſcopum pertinente, exceptis reditibus altarium, ea nobis & noſtris ſucceſſoribus regibus Franciæ in perpetuum retinemus. Actum apud Corbelium an. Dom. M. CC. LIX. menſe Julio. 1259.

Receptis his litteris decanus & capitulum gratias egerunt Regi hac epiſtola, quam eruimus ex archivo regio Carcaſſonenſi.

XIX.

Decanus & eccleſia Podienſis gratias agunt Ludovico ſereniſſimo regi quod litteris ſuis definierit quodnam jus vacante eccleſia Podienſe reges Francorum habeant. Litteræ huic epiſtolæ ſunt inſertæ.

Ex archivo regio Carcaſſ. juſſu D. Colbert.

EXcellentiſſimo domino ſuo Ludovico Dei gratia ſereniſſimo Francorum regi * G. decanus & capitulum Anicienſis eccleſiæ ſeipſos ad ſuæ beneplacita voluntatis. Serenitatis veſtræ litteras per patrem venerabilem dominum * G. Dei gratia epiſcopum noſtrum nuper nobis tranſmiſſas vidimus in hæc verba &c.

* Guido de Montelauro.

* Guidonem.

LUDOVICUS, Dei gratia rex Francorum &c. Veſtræ igitur regiæ majeſtati referentes quas ſcimus & poſſumus gratiarum humillimas actiones, quia veſtræ benivolentiæ placuit jus noſtrum & eccleſiæ noſtræ, per uſurpationes diverſas a quibuſdam in ambiguo poſitum, declarare, quæ in eiſdem litteris continentur habentes accepta, ea ad vos & ſucceſſores veſtros reges Franciæ jure regalium, vacante eccleſia noſtra, recognoſcimus pertinere quæ in veſtris prædictis vobis & ſucceſſoribus veſtris retinuiſtis expreſſe. In cujus rei teſtimonium præſentem cedulam eminentiæ veſtræ mittimus, ſigilli noſtri munimine roboratam. Datum Anicii in capitulo anno quo ſupra, menſe Auguſto.

Digitized by Google

XX.

Ex regiſtro inſcripto : Curiæ Franciæ fol. 37. aſſervato in arch. Montis-peſſulani.

Pacta inter S. Ludovicum Francorum regem, & B. archiepiſcopum Arelatenſem, & capitulum inita, mediatore Guidone Anicienſi epiſcopo.

SEreniſſimo domino Ludovico, Dei gratia Francorum regi, B. eadem gratia, ſanctæ Arelatenſis eccleſiæ archiepiſcopus, & capitulum ejuſdem eccleſiæ ſalutem, & regni & honoris ſui perpetuum incrementum terræ. Regiæ ſerenitatis veſtræ litteras vidimus in hæc verba : Ludovicus, Dei gratia Francorum rex. Noverint univerſi præſentes pariter & futuri, quod dilectus noſter Arelatenſis archiepiſcopus ſuper caſtro Bellicadri, & Argentia, quæ in ſua tenemus diœceſi, nobis ſuſcitaverat quæſtionem, aſſerens quod bonæ memoriæ Simon, olim comes Ceyceſtriæ, & dominus Montis-fortis dictum caſtrum cum Argentia in feudum receperat ab eo qui tunc erat Arelatenſis archiepiſcopus, ad fidelitatem & homagium, per ipſum comitem, & ſucceſſores ipſius, Arelatenſi archiepiſcopo, & ejus ſucceſſoribus facienda, mille etiam marchas argenti eidem archiepiſcopo protinus dare promiſit, & centum marchas pro cenſu, annis ſingulis imperpetuum ; & ideo petebat a nobis archiepiſcopus, qui nunc eſt, pro fidelitate & hommagio quod nemini facimus, recompenſationem debitam ſibi fieri, & dictum cenſum impoſterum ſibi ſolvi, & tam ſexcentas marchas, quam de illis mille marchis, quæ ſupererant ad ſolvendum & arreiragia tranſacti temporis ſibi reddi. Pro parte vero noſtra, & ad noſtram deffenſionem inter cætera facere videbatur longa cariſſimi genitoris noſtri, & noſtra poſſeſſio, necnon & Raymundi, comitis quondam Toloſani, ſuper quem idem noſter genitor acquiſiſſe dignoſcitur dictum caſtrum : quod quidem de noſtro feudo, cum ſit in regno noſtro, potius videretur quam Arelatenſis eccleſiæ, quæ ſita eſt in imperio, licet ad regnum fines diœceſis extendantur. Tandem veniente ad noſtram præſentiam Guillelmo archidiacono Arelatenſi, procuratore archiepiſcopi ſupradicti, mediante dilecto ac fideli noſtro Guidone, Anicienſi epiſcopo, qui ex mandato ſummi pontificis ſpeciali, ad componendum inter nos, & dictum archiepiſcopum, ſeu procuratorem ipſius fideliter intendebat, cum eodem procuratore compoſuimus in hunc modum : Videlicet, quod caſtrum Bellicadri cum Argentia, nobis, & ſucceſſoribus noſtris regibus, francum, liberum remaneat ab omni fidelitate & hommagio & recompenſatione debita pro eiſdem : ſi vero dictum caſtrum ad manum alicujus ſucceſſoris noſtri veniret, qui non eſſet rex Franciæ, ille ac ejus imperpetuum ſucceſſores qui reges Franciæ non fuerint, archiepiſcopo Arelatenſi qui pro tempore fuerit, fidelitatem jurare & hommagium facere teneantur : & per hanc partem dictus procurator, procuratorio nomine pro dicto Arelatenſi epiſcopo, in prædicta compoſitione conſentiens, tam de cenſu centum marcharum annuo, quam a ſexcentis marchis, quam etiam a præſenti temporis arreiragiis, animam cariſſimi patris noſtri, nos etiam, & ſucceſſores noſtros quittavit imperpetuum, & abſolvit. Nos vero ex cauſa hujus compoſitionis, eidem Arelatenſi archiepiſcopo, aſſideri, ſeu aſſignari faciemus apud Bellicadrum, vel in Argentia in poſſeſſionibus centum libratas Turonenſes annui redditus, ab eo, & ſuis ſucceſſoribus in perpetuum poſſidendas. Quod ut ratum & ſtabile permaneat in futurum, præſentes litteras ſigilli noſtri fecimus impreſſione muniri. Actum Pariſius anno Domini milleſimo ducenteſimo quinquageſimo nono, menſe Octobris.

Nos igitur archiepiſcopus & capitulum ſupradicti quæ cum procuratore dicto Guillelmo archidiacono noſtro egiſtis, ſicut ſuperius continentur rata habentes & firma, & in omnibus & per omnia acceptantes, ea univerſa, & ſingula per nos, & ſucceſſores noſtros imperpetuum illibata ſervare bona fide promittimus, renunciantes beneficio reſtitutionis in integrum & omni juri tam canonico quam civili, ſcripto etiam & non ſcripto, litteris inſuper impetratis & impetrandis, quo vel quibus contra prædicta venire poſſimus, vel aliquid de prædictis ; & ad majorem horum ſeveritatem hæc omnia in animas noſtras jurari fecimus, jurantibus noſtro nomine & mandato pro univerſis nobis, & ſingulis noſtrum archidiaconis Arelatenſibus ſuper ſancta Dei Evangelia propria manu tacta. Et ut prædicta perpetuam firmitatem in futurum obtineant, præſentes litteras ſigillorum noſtrorum impreſſionibus fecimus communiri. Actum Arelati in capitulo eccleſiæ Arelatenſis, anno Domini milleſimo ducenteſimo quinquageſimo nono, ſcilicet duodecimo calendas Decembris.

Cum audiſſem a nonullis viris doctis optatum fuiſſe ut has litteras quas laudavi in Bertrando I. Arelat. archiepiſcopo integras exhibuiſſem inter Inſtrumenta ; eas hoc loco repræſentare lubet, occaſione Guidonis Anicienſis epiſcopi, qui pactorum in his litteris initorum fuit mediator.

XXI.

Excerpta ex chronico Anicienſi, & ex variis chartis de Guillelmo de Rota epiſcopo.

ANN. M. CC. LX. fuit electus epiſcopus Anicii D. Guillelmus de Rota, circa feſtum M. Magdalenæ.

Guillelmus de Peliſſac domicellus reddit Guillelmo epiſcopo homagium-ligium M. CC. LXIV. *Ex tab. epiſc.*

Clemens papa IV. concedit pallium Guillelmo ſucceſſori ſuo in ſede Anicienſi, & confirmat privilegia a prædeceſſoribus ſuis ſummis pontificibus epiſcopo & capitulo Anicienſis eccleſiæ indulta. Cui privilegio ſubſcribunt cardinales XIII. Datum Viterbii per manum magiſtri Michaëlis de Tholoſa S. R. E. vicecancellarii XIV. cal. Septemb. Indict. X. Incarn. Dominicæ anno M. CC. LXVII. pontificatus vero domini Clementis papæ IV. an. III.

L'an M. CC. LXVII. Chevaugerent les hommes del Deu a Rieutort per Moſſen Guillaume de la Roda eveſque del Peu el mes de Septembre. *Ebr. Anici.*

Ademarus dominus de Beaudiner pro caſtris de Bellodinario & de Monte-regardo calend. Martii M. CC. LXVII. hominium reddidit : Petrus de Bouzols pro caſtris de Bouzols, de Serviſſas &c. menſe Junii M. CC. LXIX. *Ex tabulis epiſcopi Anicienſi.*

Heraclius de Monte-lauro reddit homagium Guillelmo M. CC. LXIX.

Alphonſus filius regis Francorum comes Pict. & Toloſ. conceſſit privilegium G. epiſc. Anic. Datum Nyorti, M. CC. LXIX.

Frater Guillelmus Anicienſis epiſcopus de conſenſu capituli cudi jubet monetam epiſcopalem, M. CC. LXIX.

Stephanus & Dalmatius de Viſſac, domicelli, reddunt hominium fratri Guillelmo Anic. epiſcopo pro caſtro & feudo de Viſſac, eod. anno M. CC. LXIX.

Guillelmus fratri Raymundo de Chambarone præceptori S. Johannis Anicienſis concedit, ut juxta domum ſuam de la Salvetat, conſtruere faciat capellam in honorem B. Mariæ, cum cimiterio pro fratribus & familiaribus ſuis ; eidemque alia indulget privilegia, reſervato ſibi ſuiſque ſucceſſoribus homagio ſolito. M. CC. LXX. menſe Auguſti. *Tab. epiſc.*

Sollennem compoſitionem fecit cum Armando vicecomite Podemniaci arbitris Garino domino Montis-acuti milite, & Johanne cardinali canonico & forisdecano Anicienſi, anno Incarnat. M. CC. LXXIII. menſe Septembr. Quam ſtipulationem renovavit cum Armandero vicecomite Podempniaci filio & hærede univerſali præfati Armandi, anno prænominato M. CC. LXXIII. die Mercurii poſt feſtum Epiphaniæ Domini, confirmante Odilone Mimatenſi epiſcopo.

Guillelmus epiſcopus, ejuſque vicarius generalis

Digitized by Google

Johannes Cardinalis forisdecanus, aliam compoſitionem ineunt cum Armando vicecomite Podemniaci, & Guidone de Monte-acuto, anno M. CC. LXXIII. *ex tab. epiſcop.*

Guillelmo epiſc. reddit hominium an. M. CC. LXXIV. Eracleus de Monte-lauro, Pontii frater, præſente G. de Monte-Revello præpoſito &c.

Guillelmus eccleſiæ ſuæ, & ſucceſſoribus ſuis pretio 1020. libr. Turonenſ. acquiſivit caſtrum & parariam de Bello-joco a Jarentone de ſancto Romano domicello. Actum in ſuperiori fornello Choſiæ Anicienſis anno Domini M. CC. LXXIX. die Martis poſt feſtum S. Nicholai, præſentibus Guillelmo de Monte-Revello præpoſito, Hugone Delchior, Stephano priore S. Juliani de Chaptolio &c. *ex autographo.*

Giraldus & Guillelmus de Romegeris milites reddunt homagium Guillelmo de Rota pro caſtro de Bonas, die Mercurii ante feſtum S. Luciæ M. CC. LXXX. *ex tab. epiſc.*

Anno M. CC. LXXXIII. rex Philippus Anicium venit decem diebus ante feſtum omnium Sanctorum, die ſcilicet Sabbati, & profectus eſt die Lunæ, & D. Guillelmus de Mont-Revel præpoſitus Anicienſis, & alii canonici ei tradiderunt claves urbis & clauſtri, in ædibus Bartholomæi Cambefort; quas Rex tradidit D. Guillelmo de Pont-Chabran ſeneſcallo Bellicadri. Eodem quoque anno electus eſt in epiſcopum Anicienſem D. Petrus d'Eſtaing archidiaconus Rutenenſis, die Martis ante feſtum Sanctorum omnium, & noluit epiſcopatum acceptare.

Guillelmi anniverſarium notatur in necrologio Monaſterii Anicienſis S. Petri quinto Idus Auguſti. In necrologio fr. Minorum legitur quoque: v. Idus Auguſti obiit D. Willelmus de Rota epiſcopus quondam Anicienſis, qui legavit fratribus Minoribus Anicii x. ſol. Turon. quos debent ſolvere annuatim bajuli clericorum Anicienſium. *Ibid. quoque legitur:*

XIV. Kal. Septemb. D. Guillelmus de Rota epiſcopus quondam Anicienſis legavit fratribus XV. ſol. Podienſes pro animabus bajuli & ſervientium occiſorum in domo fratrum Minorum.

XXII.

Excerpta ex epiſcopali tabulario & variis ex chartis, de Fredolo epiſcopo.

JAUCERANDUS Maleti miles pro Capreſpina menſe Jan. M. CC. LXXXIV. præſtat homagium Fredolo epiſc.

Bertrandus de Sereys canonicus Anicienſis, & Guerinus de Sereys clericus pro pago de Jalavoux eodem anno M. CC. LXXXIV.

Marqueſia relicta Pontii domini de Captolio 1184. menſe Aprili.

Petrus de Glavenas eques Fredolo reddit homagium fidelitatis pro caſtris de Lardeyrol & de Glavenas M. CC. LXXXV.

Ymbertus de la Garde domicellus M. CC. LXXXV.

Fredolus epiſc. jura ſuæ eccleſiæ tuetur adverſus Pontium de Godet M. CC. LXXXV. menſe Martio. Cum eodem compoſuit pro caſtro de Captolio M. CC. LXXXVIII.

Beraldus de Bouzols Fredolo epiſcopo hominium jurat pro caſtris de Bouzols, & de Serviſſas M. CC. LXXXV.

Eodem anno, Philippo Franc. rege, die Veneris poſt octabas Paſchæ eidem Fredolo plura redduntur homagia præſentibus Raymundo Argerii decano Anicienſi, Guillelmo de Monte-Revello præpoſito, Randone de Tornello, Jaucerando Maleti, & Guigone de Bouzols canonicis.

Dalmatius de Viſſac reddit homagium Fredolo epiſcopo M. CC. LXXXV.

Fredolus fecit concordiam cum Pontio de Godeto milite II. Calend. Januarii die Lunæ ante Purificationem B. M. M. CC. LXXXVIII. præſentibus Raymundo Atgerii decano, Guillelmo de Monte-Revello præpoſito, Armando de Bouzols abb. S. P. de Turre, Auſtorgio de Monte-acuto abbate Secureti & aliis.

VIII. Idus Octobr. obiit D. Fredolus quondam Anicienſis epiſcopus. *In necrol. fratrum Minorum conventual.*

XXIII.

Pro Guidone epiſcopo excerpta ex tabulis Anicienſibus & aliis.

JAUCERANDUS Maleti, dominus de Turre, juramentum fidelitatis exhibet Guidoni, pro caſtro de Turre, & aliis terris, M. CC. XC. menſe Novembri.

Briandus de Rupe-Barone homagium exhibet Guidoni epiſcopo M. CC. XC.

Bertrandus de Rupe-Barone Guidoni reddit homagium, M. CC. XC. Indict. IV. Nicolai papæ IV. anno III. præſentibus Guillelmo de Monte-Revello præpoſito, Guigone de Bouzols abbate S. Evodii &c.

Stephanus de Alta-villa domicellus reddit homagium pro manſo de Salis G. Anic. epiſcopo, anno M. CC. XC.

Beraldus Iterii, dominus de Giorando, homagium-ligium præſtat Guidoni de Nova-villa pro Yſſartellis &c. menſe Septemb. M. CC. XCI.

Item Hugo de Mercoyreto miles, & Ademarus de Vaux domicellus, M. CC. XCI.

Guido confirmavit anno M. CC. XCIII. fratrem Petrum de Monte-lauro, electum abbatem S. Theofredi, poſt obitum Petri abbatis.

Johannes Cardinalis, vicarius generalis G. epiſcopi Anicienſis, componit cum fratre Bartholomæo, priore S. Martini de Tenſa Kal. Sept. M. CC. XCIV.

Johanni Cardinali, canonico, & forisdecano Anicienſi, vicario generali Guidonis ſtipulanti, homagium præſtant Petrus de Glavenas, Hugo Malharol, & Guillelmus de Seneughol equites M. CC. XCV. menſe Februar.

Johannes Cardinalis præfatus, tranſigit nomine Guidonis cum fratre Pontio de Fayno, præceptore S. Johannis Anicienſis M. CC. XCV. menſe Januarii.

G. Emit ab Ayſelena filia & herede Hugonis de Gaſco domini de Mons quicquid habebat in mandamento caſtri de Mons. Actum in clauſtro fratrum Minorum Annoniaci, die Sabbati, non. Martii, M. CC. XCV.

Guigo de Nova-villa cum præceptore domus hoſpitalis S. Johannis de Jeruſalem extra muros Anicii, tranſigit menſe Januarii anno M. CC. XCV.

XXIV.

Varia excerpta ex tabulis epiſcopalibus &c. ubi Johannis de Cumenis, epiſcopi Anicienſis, fit mentio.

JOHANNES Cardinalis erat vicarius generalis Johannis de Cumenis, X. Junii M. CC. XCIX.

Frater Matthæus de Monte-Bacone, ordinis Minorum, ejuſdem epiſcopi erat vicarius generalis M. CCC. IV.

Johanni Anicienſi epiſcopo, & eccleſiaſticis civitatis & dioceſis Anicienſ. Philippus Franc. rex plura concedit privilegia, libertates, immunitates, pro liberalitate a dictis epiſcopo & eccleſiaſticis ſibi facta ad ſubſidium exercitus Flandrenſis. Actum Pariſiis XV. menſis Junii an. Dom. M. CCC. IV. Sigillum pendet cum Regis imagine e cera viridi. Quædam prædia emit apud Captolium a Pontio d'Apchet domicello M. CCC. IV. menſe Novemb.

Johannes tranſigit cum fratre Guillelmo de Corne, priore prioratus de Chambon pro juſtitia dicti prioratus M. CCC. V. & fecit concordiam cum Guillelmo de Corno, decano Anaſiaci, priore de Chambone pro juſtitia dicti prioratus, præſentibus Stephano de Anduſia priore S. Petri de Monaſterio Anicienſi, Petro de Turre priore de Valentia, & Jacobo Pauliani,

monachis Caſæ-Dei, anno M. CCC. V. die Sabbati qua cantatur, *Lætare Jeruſalem* XIV. Kal. April. Ind. IV. Clementis papæ V. anno primo. Cum Armando, vicecomite de Polignac, ſe dicente majorem annorum XII. pro juriſdictione oppidi S. Pauliani M. CCC. VI. menſe Junii.

Johannes epiſcopus compromiſſum fecit cum Guillelmo Boyer domicello pro juſtitia manſi Boerii, ſive del Mas Boyer in parrochia Yſſingeaci. Actum apud Spaletum prope Anicium anno M. CCC. VI. die Veneris poſt octabas Paſchæ, XVII. Kal. Maii Indict. IV. Clementis papæ V. anno primo, præſentibus Jacobo Pauliani monacho Caſæ-Dei, Bartholomæo Jaumarii priore Ciriaci comitalis, Raymundo Guigonis milite &c.

Johannes conſtruxit ſacellum S. Michaëlis in eccleſia Minorum, M. CCC. VI.

Guillelmus Boyer dominus de Mas-Boyer compoſitionem iniit cum Johanne epiſcopo, pro dicto manſo Boyerii, ejuſque pertinentiis, anno M. CCC. VI.

Ad ejuſdem epiſcopi requiſitionem Ludovicus, Vivarienſis epiſcopus, eccleſiam B. Mariæ Nidi-Aquilini, diœceſis Vivarienſis, ad collationem Anicienſis epiſcopi pertinentem, univit menſæ epiſcopali Anicienſi, ob reverentiam eccleſiæ Anicienſis, cujus, inquit, favorem & honorem libenter amplectimur & zelamur, & B. Mariæ virginis, cujus negotium agitur in hac parte. Actum apud Vivarium in hoſpitio epiſcopali an. M. CCC. VIII. die Veneris poſt feſtum Pentecoſtes.

Caſtrum ſeu oppidum Moniſtrolii, quod epiſcopis Anicii ſpiritualiter ſuberat, & temporaliter pleno jure, ac eccleſiam ibi poſitam promovere volens, (Bernardus de Caſtaneto) locumque ipſum habere cupiens quaſi ſecundariam civitatem, ad inſtar deceſſorum ſuorum bonæ memoriæ Guillelmi & Johannis, de conſilio capituli majoris eccleſiæ & aſſenſu, ſtatuit ut in dicta eccleſia, quæ eſt in honore beati Marcellini confeſſoris atque pontificis venerabiliter dedicata, cujus etiam corpus eſt ibidem in altari repoſitum, & in pace ſepultum honorifice requieſcit, canonicorum ſæcularium collegium numeri XIII. ſemper ibi ad ſerviendum Domino habeatur, qui in ordinum ſuorum gradibus devote Domino famulantes, ſint pro peccatis interceſſores idonei ad Divinitatem placandam. Decernit etiam ut canonicatuum collatio pertineat ad epiſcopum Anicienſem, cui canonici jurabunt fidelitatem, & obedientiam manualem facient.

Ad ampliorem hujus fundationis notitiam infra dabimus integram fundationis chartam; omiſſa tamen prolixa præfatione parum ad rem pertinente.

Anno Incarn. M. CCC. VIII. die Martis poſt feſtum B. Luciæ virginis, quæ dies fuit XVI. Kalend. Januar. Indict. VII. Clementis papæ V. anno quarto G. decanus & capitulum Anicienſe requiſivit D. B. de Caſtaneto ibi præſentem, ut præſtaret dicto capitulo juramentum per epiſcopos Anicienſes in eorum novitate præſtari conſuetum, in forma a domino Guidone Fulcodii, quondam Anic. epiſcopo præſtita. Quamvis autem dictus Bernardus electus diceret ſe non credere teneri ad dictum juramentum præſtandum, volens tamen capitulo ſatisfacere, juravit in forma requiſita, ſalva tamen interpretatione ſummi pontificatus: AUDITE CANONICI &c.

B. de Caſtaneto, capitulum Anic. & prior ſancti Petri de Monaſterio, compoſitionem faciunt cum Carmelitis, quibus in civitate morandi licentiam faciunt, adjectis duris conditionibus. Datum Spaleti in camera epiſcopali anno M. CCC. XVI. XII. Julii.

XXV.

Communicavit D. Hilarius Monet canonicus Moniſtrolii. 1309.

Charta fundationis capituli apud Moniſtrolium.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, & glorioſæ ſemper Virginis Mariæ matris Redemptoris noſtri Dei, & Domini Jeſu Chriſti. Nos Bernardus de Caſtaneto, miſeratione Divina Anicienſis epiſcopus, ad ſcientiam præſentium & memoriam futurorum * &c. Nos itaque caſtrum, ſeu oppidum Moniſtrolii, quod nobis ſpiritualiter ſubeſt, & temporaliter pleno jure, ejus honorem & commoda, ac eccleſiam ibidem poſitam promovere volentes, locumque ipſum habere velimus quaſi ſecundariam civitatatem, ad inſtar prædeceſſorum noſtrorum bonæ memoriæ Guilhelmi, & Johannis, qui locum ipſum, & ejus eccleſiam licet non plene necdum ſufficeret, voluerunt honore collegii eccleſiaſtici inſigniri; ſtatuimus de capituli noſtræ majoris eccleſiæ conſilio, & aſſenſu, quod in dicta eccleſia, quæ eſt in honore beati Marcellini confeſſoris atque pontificis venerabiliter dedicata; cujus etiam corpus eſt ibidem in altari repoſitum, & in pace ſepultum honorifice requieſcit, canonicorum ſæcularium collegium numeri tredecim ſemper ibi ad ſerviendum Domino habeatur, qui in ordinum ſuorum gradibus devote Domino familiantes *, ſint pro peccatis interceſſores idonei ad Divinitatem placandam & ad dicti loci præſidium contra volentes adverſati, eidem præbendo conſilium, & juvamen; quibus collegii nomen, & jus ſub modo qui ſequitur attribuimus & donamus: Videlicet quod canonicatuum, & præbendarum collatio ad ſolum Anicienſem epiſcopum, nos ſcilicet, & nobis canonice ſubſtituros epiſcopos ſemper, & perpetuo pertinebit; ſicque ille ab omnibus, & ſingulis dicti collegii verus canonicus habeatur, abſque contradictione quacumque, cui per nos, vel ſucceſſores noſtros dicti canonicatus & præbendæ collatio facta fuerit. Omnes vero tam præſentes, quam futuri ſemper canonici qui ibidem fuerint, jurabunt fidelitatem, & obedientiam manualem facient epiſcopo, qui nunc eſt, & aliis epiſcopis qui ſunt in Anicienſi eccleſia perpetuo ſucceſſuri. Bona vero acquiſita per clericos dictæ eccleſiæ olim, nunc fratres canonicos, per ordinationem præſentem ſic erunt omnino communia, atque inter eos communiter dividentur. Rector eccleſiæ, qui curam omnium tam canonicorum, & cleri, quam populi abſque juriſdictione aliqua, præterquam in foro pœnitentiali, ſemper habebit portionem tantummodo duplicatam. Rectoriæ vero omnes & ſinguli proventus, & redditus, ex nunc authoritate præſentium, de ipſius rectoris qui nunc eſt, & Anicienſis capituli expreſſo conſenſu, perpetuo ipſi collegio applicamus, retentis nobis, & noſtris ſucceſſoribus Anicienſibus epiſcopis tam in præſtationibus annuis quæ nobis debentur ibidem, & in omnibus aliis jure noſtro & collatione etiam rectoriæ. Correctio vero, omnium & ſingulorum dicti collegii, & omnis juriſdictio ad nos, & ſucceſſores noſtros Anicienſes epiſcopos perpetuo pertinebit. Bona etiam immobilia quæ nunc habent, & ſunt in poſterum habituri quæ ab aliis dominis non tenerentur, vel ſi tenebantur per eos, ab aliis, ſunt vel erunt libere acquiſita ab epiſcopis Anicienſibus per ipſos, ad fidelitatem & homagium-ligium tenebunt. Itaque in mutatione epiſcopi per ſcindicos ad hoc per ipſorum capitulum ſpecialiter ordinatos, de hoc poteſtatem habentes, in ſingulorum de capitulo animas hoc jurare, & eorum nomine facere tenebuntur. Illis tamen qui probatum nunc excedunt numerum manentibus in ſtatu ſuo cum aliis de bonis antiquis, & de novo quæſitis recipientibus uniformiter, ut canonici, portiones; ſed decedentibus qui excedunt nullus ſubſtituatur eiſdem, donec ventum fuerit ad numerum ſupradictum. Et ſi in tota ſerie, vel parte aliqua ordinationis præſentis, quomodocumque dubium oriatur, reſervamus nobis, & noſtris ſucceſſoribus interpretandi, & declarandi omnia, plenam & liberam poteſtatem; prædicta vero omnia, & ſingula in præſentibus facta, conceſſa & tradita, collata, ac etiam ordinata; fecimus, conceſſimus, contulimus dictis jam fratribus canonicis, & eorum collegio, volentibus, & conſentientibus & recipientibus, pro ut jacent per omnia, de noſtri majoris eccleſiæ capituli conſilio, & aſſenſu.

* *Hic omittimus longam & inutilem præfationem.*

* *ſ.* famulantes.

Digitized by Google

aſſenſu. Quod nos omnes & ſinguli procuratores infra ſcripti dicti collegii, nomine noſtro, & nomine procuratoris confitemur; & nos ſupradictum capitulum confitemur, & etiam cognoſcimus hæc omnia quæ in præſentibus litteris redactis ad formam publici inſtrumenti continentur, eſſe vera, & eſſe facta & ordinata per omnia de noſtro conſilio, & aſſenſu. In quorum omnium teſtimonium, & perpetuam firmitatem tam nos epiſcopus ſupradictus, quam nos etiam capitulum Anicienſis eccleſiæ, de voluntate dicti domini noſtri epiſcopi præſentes litteras juſſimus ſcribi, & per infra ſcriptos notarios in formam redigi publici inſtrumenti. Acta fuerunt prædicta per dictum reverendum in Chriſto patrem dominum Bernardum de Caſtaneto, Dei gratia Anicienſem epiſcopum, in capitulo, ſeu in domo capituli eccleſiæ beatæ Mariæ Anicienſis, anno Domini milleſimo trecenteſimo nono, die Veneris ante feſtum beati Laurentii, quæ dies fuit ſexto Idus Auguſti, Indictione ſeptima, ſanctiſſimo patre domino Clemente papa V. ſanctæ Romanæ ac univerſalis Eccleſiæ præſidente, ac illuſtriſſimo domino Philipo, Dei gratia rege Francorum regnante, ac domino Bernardo de Caſtaneto eadem gratia Anic. epiſcopo exiſtente, congregatis in dicto capitulo, ad ſonum campanæ, prout moris eſt, venerabilibus viris Joucerando Malet S. Petri de Turre, Guigone de Bouſolio S. Evodii abbatibus Anicienſibus: Petro de Serviſſas theſaurario, de Chalanconio, Bertrando, & Garino de Sereys, Guillelmo Mareſcali.....de Poiolario, Guilhelmo de S. Boneto, Guillelmo de Seyſſac, Bertrando de Bidagiis; Falcone de Spaleto, Georgio de Amplo-Puteo, Pontio Vilata & Stephano Sauneris canon. Anic. qui ſupra dicta omnia & ſingula ſuper iis ſcripta per dictum dominum epiſcopum facta & ordinata aprobaverunt, laudaverunt, pro ſe, & nomine dicti capituli, & omnia rata, & grata habuerunt, & eis conſenſum ſuum præſtiterunt, pariter & aſſenſum. Prædicta vero & ſingula ſuperius ſcripta per dictum dominum epiſcopum ſuperius facta, & conceſſa, tradita, collata ac etiam ordinata magiſter Hugo Torta, Johannes Torta, Johannes de Pozols clerici Anicienſes præſentes procuratores ſcindici, & actores univerſitatis clericorum Moniſtrolii prout de procuratione ipſorum plene conſtat, aprobaverunt, & laudaverunt pro ſe, & nomine univerſitatis prædictæ; & ea rata, & grata habuerunt, & prædictis jam factis & ordinatis dum recitarentur, conſenſum ſuum præſtiterunt pariter & aſſenſum, præſentibus teſtibus dominis Raymundo Juliani canon. Albienſi, Johanne Ademarii, Guilhelmo Pellicerii preſbyteris, & pluribus aliis, &c. & me Felice de Furno, authoritate regia in regno Franciæ publico notario, qui ſupra dictis omnibus una cum magiſtris Bernardo de Maloere, & Petro de Crozo notariis prædictis, & aliis teſtibus prænominatis præſens interfui. Poſt hæc, eadem die Veneris, anno & ſexto Idus prædictis, venerabiles viri domini Guilhelmus de Monte-lauro præcentor eccleſiæ Anicienſis, Odo Cardinalis abbas Secureti, & Odo de Senolio canon. Anicienſis in præſentia mei Felicis de Furno, Bernardi Maloere, & Petri de Crozo, notariorum prædictorum ſupradictis per dictum dominum epiſcopum factis, & ordinatis in dicto capitulo conſenſerunt & ea rata, & grata habuerunt. Actum, quantum ad conſenſum dicti domni Guilhelmi de Monte-lauro, Anicii ante portam hoſpitii ſui de Graralop, anno, die, ſexto Idus prædictis, præſentibus teſtibus Guilhelmo Belandi, & Hugone de Chierio clericis Anicienſibus, & magiſtro Andrea Cæſari, & magiſtro Bernardo de Maloere, & Petro de Crozo notariis prædictis, & me Felice de Furno de Agantico Magalonenſis diœceſis, regis Franciæ in toto regno Franciæ publico notario, qui in prædictis omnibus interfui, & ea omnia, & ſingula de mandato dicti domini epiſcopi, & venerabilium canonicorum Anicienſium prædictorum ſcripſi, & in hanc publicam formam redegi, ſignoque meo ſolito ſignavi rogatus. Ego vero Bernardus de Maloere, clericus Anicienſis, ſacro ſanctæ Romanæ eccleſiæ authoritate publicus notarius prædictus, omnibus interfui, una cum notariis, & teſtibus ſupradictis, & hic ſubſcripſi; & juſſu, & ad requiſitionem dicti domini epiſcopi, capituli, & procuratorum prædictorum fui requiſitus quod de prædictis omnibus facerem publicum inſtrumentum, cum per eos fuero requiſitus; & in teſtimonium præmiſſorum ſignum meum appoſui, quod in aliis inſtrumentis publicis per me factis apponere conſuevi. Ego vero prædictus Petrus de Crozo clericus, authoritate imperiali ac regali publicus notarius prædictis omnibus, & ſingulis interfui, una cum &c. Ad hæc nos Bernardus de Caſtaneto prædictus, miſeratione divina Anicienſis epiſcopus, & nos capitulum Anicienſe prædictum, ad majorem firmitatem habendam, & in teſtimonium omnium præmiſſorum, ſigilla noſtra huic præſenti inſtrumento vero, & publico duximus apponenda & appendenda.

XXVI.

Pro Durando de S. Portiano Anicienſi epiſcopo quædam excerpta.

Ex tabulis epiſc.

1324.

Bernardus Hugonet, Durandi epiſcopi vicarius generalis, compoſitionem fecit cum Gerentone de ſolemniaco priore de Chalanconio, patruo & adminiſtratore Gerentonis de Solignac, domini de Romigieres, pro pago de la Socheyre.

Durandus epiſcopus, Guillelmo Vincentii, ex oppido S. Leonardi, diœceſis Lemovicenſis, & Guillelmo de Feritate, licentiam dedit cudendi monetam, die XI. Auguſti M. CCC. XVIII.

Durandus tranſigit cum Pontio de Glavenas, domino de Lardeyrol M. CCC. XXIV.

Bernardus Hugoneti, prior monaſterii S. Petri Anicienſis, & vicarius generalis D. epiſcopi, ejus nomine accipit homagium a Bertrando Hugon milite pro Vialareti feudo &c. eodem an. menſe Julii.

XXVII.

Litteræ Johannis papæ XXII. pro Durando Anicienſi epiſcopo.

Ex regeſto Johan. pap. XXII. in archivo vicelegati Avenion.

1322.

Johannes papa XXII. dilectis filiis abbati monaſterii Doe, & priori Camaleriarum, Anicienſis diœceſis, ac officiali Claromontenſi ſalutem. Significavit nobis venerabilis frater noſter Durandus epiſcopus Anicienſis, quod in eccleſia Anicienſi quidam inolevit abuſus, quod in primo adventu cujuſlibet epiſcopi ad dictam eccleſiam accedentis, per capitulum ejuſdem eccleſiæ ab eo exigitur juramentum, in quo verba quæ ſequuntur inter cætera continentur: *Vos, aut aliquem ſucceſſorum veſtrorum canonicorum, aut clericum veſtrum, aut militem, aut famulum non capiam, nec capi faciam.* Ex quo ſiquidem juramento, vel ejus occaſione, multa & diverſa maleficia remanent impunita, ſcilicet homicidia, adulteria, & tranſgreſſiones canonum & ſynodalium ſtatutorum multis pœnis & ſententiis vallatorum, in contemptum Dei, & ſedis apoſtolicæ, ac epiſcopi Anicienſis qui eſt pro tempore, injuriam & jacturam; & ſi forte per dictum epiſcopum, vel alium ejus nomine ad correctionem talium delinquentium procedatur, impingitur ei perjurium per capitulum memoratum. Quare cum juramentum eſſe non debeat iniquitatis vinculum &c. diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus capitulum præfatæ eccleſiæ, & perſonas ſingulas de eodem ex parte noſtra peremptorie citare curetis, ut vigeſima die poſt citationem ejuſmodi, cum omnibus privilegiis &c. compareant legitime coram nobis &c. Datum Avenione IV. Calend. Septembris, pontificatus noſtri anno VI.

XXVIII.

Excerpta ex tab. epiſc. & aliis, pro Bernardo Bruni epiſcopo.

B. Anicienſis epiſcopus reperitur in charta Guigonis de Mercoyreto domicelli parochiæ S. Johannis de Retornaco, XIV. die Februar. M. CCC. XXXVI. Item in inſtrumento præfatæ eccleſiæ de Retornaco, XI. Martii M. CCC. XLI. Item in aliis chartis ejuſdem XIII. Decemb. M. CCC. XXXI. & XVI. April. M. CCC. XXXVI.

Bernardus Bruni pactum fecit cum Armando vicecomite Podemniaci, IV. April. M. CCC. XXXVII. quo item anno accepit homagium ab Armando Aſpaſio de Polignac pro pago de Limandris, & a nobili Johanne Pagani M. CCC. XXXVII. Item a Gerentone de Bronac pro caſtro de Bronac M. CCC. XXXIX.

Reperitur in tabul. ſilvæ-Benedictæ an. M. CCC. XXXVIII. X. Kal. Febr. obitus R. in Chriſto P. D. Bernardi Bruni, epiſcopi quondam Anicienſis. *Notatur in necrol. fratrum Miner. Anicienſium.*

XXIX.

Excerpta ex chartis epiſc. & aliis; pro Johanne de Chamdorat, & Johanne Jauſens, epiſcopis Anicienſibus.

JOHANNES de Chamdorat fecit ſolemnem tranſactionem cum Roberto Blavi foris-decano, Guillelmo de Chalancon, Raymundo de Satilhet, Hugone de Turre, & Petro Boyet canonicis deputatis, & procuratoribus capituli Anicienſis, ſuper juriſdictione clauſtri, aculeæ, & aliis rebus magni momenti M. CCC. XLIII. menſe Septembri.

Johannes epiſcopus, & Geraldus de Champdorat, dominus de montibus prope Anicium, tranſigunt cum Jacobo Rouſſel, M. CCC. XLVII. menſe Novemb.

Johannes de Champdorat quædam prædia permutat cum nobili Guillelmo de Borne, VII. Febr. M. CCC. XLVII.

Johannes fecit concordiam cum Armando d'Alegre, die IV. Novemb. M. CCC. LII.

Guillelmus Baſſet decanus Valentinenſis, Johanni homagium præſtat pro caſtris de Fayt, & de Bellodinario, XXIV. Oct. M. CCC. XLIX.

Johannes compromittit cum Armando de Rupebarone, pro terra de Bauſac, mediantibus Randone de Tornello, & Odone abbate Secureti M. CCC. XLI.

Plurima emit a nobili Johanne de Monte-calvo, diœceſis Vivarienſis. Actum in caſtro epiſcopali d'Eſpaly menſe Maii M. CCC. LV. Apud Moniſtrolium Lauthardo, domino de Solignac, ſolvit 3000. florenos auri, quos ſpoponderat pro D. Guillelmo de Cruſſol XX. Novemb. M. CCC. L.

Guillelmus Rogerii de Bello-forti, vicecomes Turennæ, Johanni epiſcopo reddit homagium per Johannem de Cros epiſcopum Lemovicenſem, procuratorem ſuum, pro caſtris de Bouzols, de Serviſſas, de Volhac, de Fay & aliis, menſe Junii M. CCC. LII.

Obitus domini Johannis Chandorati, epiſcopi Anicienſis, notatur ad III. calend. Octob. in necrolog. fratrum Minorum Anicienſ.

Anno Domini M. CCC. LIII. & die VI. menſis Aprilis, jacuit in eccleſia conventus Carmelitarum Podii corpus bonæ memoriæ domini Clementis papæ VI. comitantibus illud quinque cardinalibus, & tribus archiepiſcopis, & pluribus aliis prælatis; qui datus fuit ſepulturæ in eccleſia Caſæ-Dei. *Ex charta præfati conventus.*

Die XXVIII. Septemb. in cathedrali celebratur officium ſolenne cum miſſa, pro Johanne de Chamdorat epiſcopo. Is fundavit miſſam, officium, & proceſſionem die XIX. Octobr. in honorem tranſlationis S. Roberti abbatis Caſæ-Dei.

Clemens papa VI. requirente capitulo Anicienſi, A paupertate gravato, ejuſdem neceſſitatibus paterno compatiens affectu, & cupiens quod canonici reſidentes in eccleſia Anicienſi, in qua B. Maria virgo virginum a Chriſti fidelibus veneratur, valeant decenter ſuſtentari, abbatiam ſæcularem de Segureto, necnon forisdecanatum majorem ejuſd. Anicienſis eccleſiæ, & eccleſiam S. Marcelli cum ſuis juribus, fructibus &c. eidem capitulo in perpetuum incorporat, annectit, & unit. Datum Avenioni VI. Idus Febr. pontific. anno VIII. anno Dom. M. CCC. L.

In quolibet menſe totius anni, quæ numquam deficiunt, fiunt quatuor proceſſiones prælatorum: prima eſt pro epiſcopo Chandoraſſi quæ fit in collegio a parte ſiniſtra ſupra tumulum ejus, ſecunda &c. *Ex obituario Caſæ-Dei.* B

XXX.

Ex archiv. S. Evodii Anic. de Johanne Jauzens epiſcopo.

NOs capitulum eccleſiæ collegiatæ S. Evodii Anicienſis hac die Lunæ præſenti, de ſumma quingentorum florenorum auri, nobis & noſtræ S. Evodii eccleſiæ per reverendum in Chriſto patrem dominum Bertrandum epiſcopum Camelerenſem, domini noſtri papæ camerarium ſeu deputato * ac commiſſario ab eodem ſuper hiis deputato de bonis & debitis bonæ memoriæ domini Johannis Jauzens, quondam Anicienſis epiſcopi, cujus corpus in prædicta noſtra S. Evodii eccleſia, & in choro ejuſdem tumulatum exiſtit, C aſſignatorum; vobis domino Johanni Langonha concanonico noſtro præſenti & ea acceptanti pro ipſa ſumma &c. * In quorum teſtimonium ſigillum capituli noſtri prædicti præſentibus apponi fecimus & appendi. Datum Anicii in noſtro capitulo die Lunæ poſt feſtum Conceptionis B. Mariæ, anno Domini M. CCC. LXX.

* *forſan deputatum.*

* *Aliquod verbum deeſt.*

IN nomine Domini, Amen. Noverint, &c. quod anno ab Incarn. Dom. M. CCCC. V. & die XXVI. menſ. Octobr. ſereniſſ. principe D. Karolo, Dei gratia rege Francor. regnante, & reverendiſſ. in Chriſto P. & D. D. Helia, miſeratione Divina, Anicienſi epiſcopo, comitatuſque Vallaviæ comite exiſtente, in præſentia mei notarii publici, & teſtium ſubſcriptorum exiſtentibus & inſimul congregatis in refectorio ſive domo capitulari eccleſiæ S. Evodii Anicii, in qua conſuetum eſt capitulare & capitulum ſuum tenere per dominos canonicos ejuſdem eccleſiæ S. Evodii Anicienſis, venerabilibus & diſcretis viris dominis Durando Maſſoti & ceteris canonicis eccleſiæ collegiatæ S. Evodii &c. attendentes & conſiderantes quod recolendæ memoriæ reverendiſſimus in Chriſto pater dominus Johannes Jaugent, condam epiſcopus Anicienſis, cujus corpus in medio chori ejuſdem eccleſiæ eſt tumulatum, ordinavit & fecit quamplurima legata, & certas ordinationes, anniverſaria, & diſtributiones fieri & diſtribui ſervitoribus ipſius eccleſiæ, prout plenius & clarius continetur in canoliis ipſius eccleſiæ, pro quibus legatis & ordinationibus ſolvendis, adimplendis & complendis ipſe condam dominus Anicienſis epiſcopus dictæ eccleſiæ reliquit & aſſignavit certos redditus ad ſupportandum onus & librationem dictorum legatorum &c. D E

Ex iiſdem arch.

XXXI.

*Excerpta ex chartis variis de Bertrando * de Turre epiſcopo.*

* *qui aliquando Bernardus vocatur.*

BERTRANDO Anic. epiſcopo apud Monaſtrolium in caſtro ſuo exſiſtenti, hominium reddunt Julianus Gaudonis rector eccleſiæ de Retornaco, & Stephanus Imſſagueti preſbyter, ſervitor ejuſdem eccleſiæ die XI. Auguſti anno Dom. M. CCC. LXV. Indict. XII. Gregorii papæ XI. anno quarto.

Digitized by Google

Bertrandus in chart. Retornaci, XXIX. Aug. M. CCC. LXII. & XXVIII. Maii M. CCC. LXXI.

Bernardus de Turre componit cum fratre Roberto de Caſtro-novo, magno priore Arverniæ, pro hominibus præceptoriæ de Deveſſet. Actum in conventu S. Laurentii Anicienſis XVIII. Octob. M. CCC. LXXX.

Unde vides modo Bernardum, modo Bertrandum vocitari iſtum præſulem.

Petrus de Murat, decanus Bituricenſis, vicarius erat generalis Bertrandi de Turre annis M. CCC. LXXI. & LXXIV. Eadem habet inſignia ac G. de Murat Anicii præſul.

Geraldus Blanc, forisdecanus Anicienſis, ejuſdem Bertrandi vicarius erat generalis, M. CCC. LXXIV.

Guigo de Rupe-barone homagium exhibet Bertrando M. CCC. LXII.

Bernardus epiſcopus Anic. M. CCC. LXXX. menſe Nov.

Petrus de Murat epiſcopi nomine concordat cum magiſtro Jacobo de Compendio pro urbis pariagio cum rege Francorum XXVII. Febr. M. CCC. LXXI.

Pridie Idus Maii, obiit reverendus in Chriſto pater & dominus dignæ memoriæ, dominus Bernardus de Turre quondam Anicienſis epiſcopus, qui fuit in habitu ordinis beati Franciſci hic ſepultus.

Ex necrolog. fratrum Minor. conventualium.

XXXII.

Excerpta de Petro Girardi, Anicienſi epiſcopo.

EO ſedente an. M. CCC. XCIII. Coleti eremitorium conſtruitur, ubi poſtea anno M. D. XXV. Margarita de Pompadour, relicta Guillelmi Armandi vicecomitis de Polignac, ſacellum ædificavit.

Petrus epiſcopus nominatur in charta eccleſiæ Retornaci XIV. Januarii M. CCC. LXXIX. regnante Karolo.

Prior & conventus Carmelitarum Anicii, eidem epiſcopo reddunt homagium, pro quadam terra ſibi a Roberto de Caſtro-novo, magno priore Arverniæ, præceptore S. Johannis Jeroſolymitani prope & extra muros Anicii, conceſſa; ac ſpondent ſe in qualibet epiſcopi Anicienſis mutatione, miſſam de Spiritu ſancto celebraturos, M. CCC. LXXXIX.

Petrus epiſcopus in charta abbatiæ de Silva-Benedicta M. CCC. XCIII.

XXXIII.

Excerpta ex chartis quæ ſpectant ad Guillelmum de Chalanconio epiſc.

TRanſegit cum Philippo de Levis, domino de Rupe, XIX. Junii M. CCCC. XIX. Compoſitionem fecit cum Hugone Boyer magiſtro donatorum Brivæ, M. CCCC. XXII.

Nominatur in chartis Retornaci M. CCCC. XXI. & M. CCCC. XXIX.

Tranſigit cum Gilberto de la Fayette Franciæ mareſcallo, & cum Gabriele, domino de Rupe prope ſanctum Paulianum XXIX. April. M. CCCC. XXXIX.

Pridie Kal. Decemb. obiit D. Guillelmus de Chalanconio epiſcopus Anicienſis.

Ex necrol. fratrum Minor. conventualium.

Guillelmus de Chalancon fundavit in eccleſia ſua miſſam & officium S. Gabriëlis archangeli, die XVIII. Martii ſolenni ritu peragendum. *Ex lib. fundation.*

XXXIV.

Notitia de dignitate [a] præpoſiti, ejuſque juribus.

IN nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti. Annô Incarnationis ejuſdem M. C. LXXIX. menſe Septembri, domino Philippo, Dei gratia rege Francorum regnante, & domino Guillelmo, eadem gratia Anicienſi epiſcopo exiſtente. Pateat univerſis quod Anicienſis præpoſitus quædam ſolebat percipere in Anicienſi eccleſia & habere quæ modo non percipit nec habet; ipſe ſolebat habere locum ex adverſa parte chori quando epiſcopus faciebat officium; aliis diebus ſedebat ad locum qui dicitur *alpomel*, ſed illum locum habuit decanus in pignore pro decem marchis argenti. Faciebat ſacriſtam majorem cum viginti canonicis, & ille tenebat omnes canonicos & comedebant in capitulo; & ultimus ſacriſta, qui, ſi fuit, faciebat ſuum *otho* [b], & providebat ipſis canonicis in victu & veſtitu, & ille dabat panem & vinum præpoſito, & uno ex ſociis ſuis; & debebat dare præpoſito ſeptem candelas unius libræ, quaſlibet in feſto beati Johannis Baptiſtæ, & alias ſeptem in Adventu, in die qua cantatur *O Emmanuel*, & multa alia faciebat quæ modo non percipit. Quod totum illud quod offerebatur ad reliquias, erant domini præpoſiti, & dictus præpoſitus dabat de illis illud quod ſibi placebat ſacriſtæ & aliis clericis ſuis. Modo vero non habet reſponſorium in breve niſi in die Circumciſionis Domini, & tunc habet tertium, & non debet legere lectionem niſi nonam; ſed ſi epiſcopus præſens fuerit, qui nonam legat, ipſe poteſt legere octauam. Item facit caſales de familia ſua & de familia theſaurarii, & ſacriſtas, & canonicos pauperes, & ſacriſtam de cruce & altaris Dei. Item facit theſaurarium in domo ſua, cum quindecim canonicis, & illo creato, incontinenti jurat & facit ſibi homagium & fidelitatem. Item facit canonicos pauperes in præſentia aliorum canonicorum de conſenſu eorum; & ipſis creatis jurat in manu ſua bona canonicorum pauperum fideliter cuſtodire & amparare. Item confert eccleſiam B. Johannis Baptiſtæ. Item confert capellam ſancti Geneſii, quæ eſt infra eccleſiam B. Mariæ. Item planities quæ eſt inter eccleſiam S. Johannis & campanile majus, & capellam S. Michaëlis, uſque ad fores prædictæ eccleſiæ B. Mariæ, eſt dicti præpoſiti. Sciendum eſt quod campanile majus eſt in tenemento præpoſiti fundatum; & ſi erat guerra, dicitur quod præpoſitus debet eum munire & cuſtodire, & domum præpoſituræ cum illo amparare & defendere.

1179.

XXXV.

Compoſitio inter Antonium de Chabanes, Anicienſem epiſcopum, & decanum, capitulumque, de collatione dignitatum, præbendarum &c. ejuſdem eccleſiæ.

IN illius nomine, qui cuncta de nihilo creavit, Amen. Noverint univerſi, & ſinguli, præſentes litteras inſpecturi, quod nos Antonius de Chabanes, miſeratione divina Anicienſis epiſcopus, & Vallavlæ comes, & nos Gauffredus de Turribus jurium licentiatus decanus, Guillelmus de Corbofoſſa etiam licentiatus forisdecanus major, Petrus Guitardi forisdecanus minor, Antonius & Petrus Civeyraci, Andreas Vende, Ludovicus Seguin, Jacobus Maurini, Guy de

1519.

[a] Ex veteri rotulo pergameno longitudinis 18. circiter pedum, quem noſtro D. J. Boyer communicavit reverendiſſimus præpoſitus. Ibidem recenſentur tenementa, cenſus, recognitiones &c. quæ ad præpoſitum pertinent.

[b] Otho eſt ritus fieri ſolitus ante Natale Domini, quando concinuntur antiphonæ majores O, & dignitates capituli Anicienſis diſtribuunt canonicis anifum ſaccharo conditum, & vinum ſubmiſtum &c.

Counaco, Johannes Guerini, & Antonius de Turnone, Guillelmus de Peliſſaco, Petrus Tamiſeri, Artaudus Rocherii, Petrus de Fays, Petrus Brunelli, Guillelmus Paſcalis, Johannes Bruſier, Petrus Roſtaing, Claudius Eymaris, Johannes Bertrandi, Marcellinus Ponchon, Gabriel Eyraudi, & Petrus David canonici dictæ eccleſiæ inſimul congregati capitulantes, & capitulum facientes & tenentes, ut dictum eſt, divina diſponente clementia, congregati, circa regimen eccleſiæ noſtræ, ſollicitudinem, & curam prout tenemur adhibendam, ut major ſemper tranquillitas, & pacis vigor creſcat, & conſolidetur ad divini nominis gloriam & exaltationem, ac Officii Divini dictæ eccleſiæ augmentum; ſcientes ab olim per recolendæ bonæ memoriæ dominum Johannem, Anicienſem epiſcopum, prædeceſſorem noſtrum, decanumque & capitulum dictæ eccleſiæ de anno Domini milleſimo trecenteſimo quadrageſimo tertio, indictione undecima, die nona menſis Septembris, pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto patris & domini D. Clementis, divina providentia papæ ſexti anno ſecundo, ſereniſſimoque principe domino Philippo, Dei gratia rege Francorum regnante, quaſdam fuiſſe initas & paſſatas tranſactiones, compoſitiones, & conventiones, authoritate ſanctæ ſedis apoſtolicæ roboratas, & firmatas tam per nos, quam per noſtros prædeceſſores, ac capitulum prædictum inviolabiliter hucuſque obſervatas, ſecundum quas pluries etiam in contradictorio judicio fuit judicatum; quarum tenore, inter cætera dictarum compoſitionum & tranſactionum capitula conventum reperitur, quod nos epiſcopus Anicienſis, & ſucceſſores noſtri poſſumus perpetuo conferre in capitulo prædicto, vocatis prius canonicis reſidentibus in epiſcopatu noſtro Anicienſi ante per quatuor dies; quibus lapſis, cum voluntate & conſenſu majoris & ſanioris partis canonicorum præſentium in capitulo, dignitates, canonicatus & præbendas eccleſiæ prædictæ Anicienſis, vel ante ſi de voluntate & conſenſu dicti capituli procedatur; & licet dictæ compoſitiones, ut dictum eſt, fuerint hucuſque obſervatæ, quia tamen nos variis ex cauſis, tam in regali palatio domini noſtri regis pro defenſione jurium dictæ eccleſiæ noſtræ, quam alias ſæpius occupati, nos contingat abeſſe a dicta noſtra eccleſia, unde ut plurimum non valemus neque poſſumus ſine grandi noſtræ eccleſiæ diſpendio, pro conferendis cum dictis canonicis fratribus noſtris ſecundum formam compoſitionum dictarum, dignitatibus, canonicatibus & præbendis in dicto capitulo intereſſe, difficileque admodum exiſtit dictos canonicos per diœceſin diſperſos congregare, propter quod ſæpe contingit dictos canonicatus & præbendas longius vacationi ſubjacere, eccleſiamque conſuetis fruſtrari ſervitiis, & quod deterius eſt, valde graves ſuſcitantur diſcordiæ, lites & controverſiæ diverſis coram judicibus, tam ſpiritualibus quam ſæcularibus, in grande dictæ eccleſiæ diſpendium, ſervitorum dictæ eccleſiæ vacationem, & depauperationem, ac divini cultus ſubtractionem & diminutionem, quod cedit in maximum noſtræ dignitatis epiſcopalis, & ſucceſſorum noſtrorum, noſtræque eccleſiæ præjudicium & damnum. Nos autem moleſte ferentes incommoda dignitatis, & eccleſiæ noſtræ, tam noſtri, quam ſucceſſorum noſtrorum in omnibus; & per omnia prius reſervatis, & retentis ſanctæ ſedis apoſtolicæ, aut alteriùs ſuper hoc poteſtatem habentis voluntate, beneplacito, approbatione, & authoritate; &, quatenus opus eſt, juramentorum tam per nos, & dictum decanum & canonicos præſtitorum relaxatione & abſolutione, ad honorem Dei, glorioſæque Virginis Mariæ, dictæque noſtræ eccleſiæ exaltationem, & divini cultus augmentum, pacem & concordiam cum fratribus noſtris decano & capitulo habere cupientes, certiſque aliis de cauſis animos noſtros moventibus, compoſitione antedicta in cæteris articulis juxta illius formam & tenorem in ſuis robore, efficacia, firmitate, & virtute remanente, & citra illius aliqualem innovationem, & immutationem, articulo ſupraſcripto tantummodo excepto, ſuper quo componimus, & tranſigimus, tranſactionem & compoſitionem perpetuam & irrevocabilem, tam pro nobis, quam ſucceſſoribus noſtris facimus in hunc modum ſequentem:

Et primo, quia in noſtra prædicta ſancta Anicienſi eccleſia ſunt quadraginta quinque beneficia, quatuor videlicet dignitates ſicut decanatus, præpoſitatus, qui habent annexos canonicatus & præbendas, duæque abbatiæ ſæculares, ſcilicet ſancti Petri de Turre & ſancti Evodii ſimplices ſine canonicatu & præbenda, quadraginta canonicatus & præbendæ, ac minor hebdomadaria non habens vocem in capitulo, habens tamen præbendam ſecundum modum conſuetum, quæ, ut præmiſſum eſt, per tenorem antedictæ compoſitionis, & modum ſolitum nos epiſcopus conferre non valemus, niſi in capitulo vocatis prius canonicis in epiſcopatu Anicienſi reſidentibus, modis, & formis in articulo dictæ antiquæ compoſitionis ſuperius exarato, incorporato, deſcripto, ſuper quo quidem articulo ſolum & duntaxat pro commodo noſtræ eccleſiæ nos epiſcopus, decanus, & capitulum tranſigimus, & tranſigendo componimus, & convenimus pro nobis, & ſucceſſoribus noſtris, quod amodo in antea perpetuis in temporibus collatio, proviſio, & omnimoda plenaria diſpoſitio dictorum decanatus, præpoſitatus, abbatiarum ſancti Petri de Turre, beatique Evodii, numero viginti ſex canonicatuum & præbendarum, quos inpræſentiarum tenent, & canonice poſſident fratres noſtri qui ſunt & fuerunt canonici præbendati noſtræ dictæ eccleſiæ, videlicet dominus Guichardus de Roveria, Necterius de ſancto Necterio, Guillelmus de Corbefoſſa, Petrus Guitardi, Antonius Civeiracy, Petrus Civeiracy, Andreas Vende, Ludovicus Seguin, Jacobus Maurini, Guy de Counaco, Johannes Guerini, Guillelmus de Alzonio, Johannes de Turnone, Antonius de Turnone, Reynaudus de Clavieres hebdomadarius, Guillelmus de Peliſſaco, Petrus Tamizerii, Arthaudus Rocherii hebdomadarius, Petrus de Fays, Petrus Brunelli alias Folhoſa, Guillelmus Paſcalis, Johannes Pruſier, Jacobus de Turre alias de ſancto Vitali, Petrus Roſtaing, Bartholomæus Laurentius, & Michaël Vignolis hebdomadarius minor prædictus, quoties per ceſſum, vel deceſſum viventium, ſuorumve quorumcumque in dictis beneficiis ſucceſſorum, aut ex cauſa permutationis ſimplicis, reſignationis, aſſecutionis alterius beneficii incompatibilis, aut alias qualitercumque, quomodocumque & ubicumque ex quavis perſona, ſeu cauſa expreſſa, vel tacita nuſc, & in futurum vacare contingeret, ad nos epiſcopum & ſucceſſores noſtros epiſcopos, aut vicarios noſtros & ſucceſſores, nullis expectatis nec requiſitis capituli conſilio ſeu conſenſu, pleno jure pertineant, & ſpectent perpetuo, inviolabiliter, irrevocabiliter ſine differentia.

Item, & pariformiter tranſigendo componimus, & convenimus, quod collatio, proviſio, omnimodaque & plenaria diſpoſitio quindecim canonicatuum & præbendarum reſtantium, quos inpræſentiarum tenent, & canonice poſſident fratres noſtri domini Ludovicus Foreſterii, Huguo de Copulatorio, Johannes de Beleunco hebdomadarius, Claudius Eymarius, Johannes Bertrandi, Jacobus de Copulatorio hebdomadarius, Marcelinus Ponchon, Gabriel Eyraudi, Carolus de Gruteria, Petrus David, Jacobus de Fontanet, Carolus de Levis, Gabriel Alberti, Nicolaus Prudhomme & Jacobus de Turnone Vivarienſis diœceſis canonici præbendati dictæ noſtræ eccleſiæ: quotieſcumque per ceſſum, vel deceſſum viventium, & ſuorum ſucceſſorum quorumcumque, ex cauſa permutationis, reſignationis ſimplicis, vel aſſecutionis alterius beneficii incompatibilis, aut alias qualitercumque, quandocumque, & ubicumque ex quavis perſona, vel ex cauſa tacita, vel expreſſa vacare contingerit, nunc, & in futurum ad nos capitulum perpetuo inviolabiliter,

Digitized by Google

ſolum, & in ſolidum pleno jure, nullo noſtri epiſcopi & ejus ſucceſſorum expectato nec requiſito conſenſu, pertinere, & expectare dignoſcatur ſine contradictione.

Item, quod tempore vacationis adveniente, canonicus in canola deſcriptus in ſua exiſtente hebdomada ad beneficia conferenda, ejuſdemque vicarius ad hoc deputatus, dictos canonicatus & præbendas modo præmiſſo vacantes, vice & nomine capituli infra diœceſim, & extra, ubicumque ipſum canonicum, aut ejus vicarium adeſſe contingerit, libere & plenarie conferre valeat, & licitum ſit ut in collatione cæterorum beneficiorum ad collationem capituli pleno jure ſpectantium, ut juxta ejuſdem ſtatuta hactenus eſt fieri conſuetum.

Item tranſigimus, & componimus pro nobis, & ſucceſſoribus noſtris, quod præſens compoſitio juretur per nos epiſcopum & ſucceſſores noſtros, & per nos decanum, & capitulum, ſeu canonicos ipſum capitulum facientes in qualibet mutatione, & nova epiſcopi & canonicorum receptione, cum juramentis per nos, & prædeceſſores noſtros præſtare ſolitis, in quibus nihil immutari intendimus.

Item componimus quod compoſitiones & tranſactiones de quibus ſupra mentio habetur in ceteris, & ſingulis ſuis capitulis & articulis, juxta eorum formam, & tenorem in ſuis plenariis robore, & efficacia, & perpetua virtute permaneant, nihil harum ſerie mutatum ſeu innovatum fore cenſentes, hac immutatione collationum, dignitatum, canonicatuum, ac præbendarum tantummodo excepta.

Item componimus, quod nos & ſucceſſores noſtri teneantur hanc præſentem tranſactionem, & compoſitionem cum ceteris ſupra memoratis antiquæ compoſitionis articulis & capitulis tenere, & inviolabiliter & ſine infractione de puncto in punctum obſervare, & quomodocumque non contravenire: volentes, mutuoque conſenſu decernentes quod per quoſcumque actus contrarios, curſu qualiſcumque temporis tolleratos, nullum huic compoſitioni generetur præjudicium quodcumque, nulla etiam quantumcumque longiſſimi temporis præſcriptione innovari, & mutari poſſit, ſed ſemper perpetuoque ſit duratura & valitura ſub pœna centum marcharum argenti per partem contravenientem ipſo facto incurrenda, & committenda, partique acquieſcenti applicanda.

Item componimus pro nobis & ſucceſſoribus noſtris quod ſi, & quoties dubia de contentis in præſenti compoſitione in futurum oriri contingat, quod duo ex dominis canonicis per capitulum deputandis una cum domino officiali, qui pro tunc reſidebit, amicabiliter dubia prædicta clarificare poſſint & debeant, hac præſentis compoſitionis ſubſtantia in nihilo mutata, ſed in ſuo vigore, ac virtute remanente.

Item componimus, & componendo declaramus, quod per hanc noſtram tranſactionem & compoſitionem derogare non intendimus quo minus more conſueto proviſi a nobis epiſcopo, vel capitulo juxta præſentis compoſitionis tenorem, eorum proviſiones, & collationes a nobis, decano, & capitulo præſentare, & receptionem poſtulare, & obtinere, & laudabilia debita, & conſueta jura exolvere teneantur, uti hactenus inviolabiliter extitit obſervatum.

Item, Nos epiſcopus, & Nos decanus & capitulum convenimus & componimus quod quotieſcumque nos epiſcopus vel ſucceſſores noſtri, vel vicarii, proviſiones, vel collationes fecerimus de dictis dignitatibus, canonicatibus, & præbendis ad nos epiſcopum, & diſpoſitionem noſtram pertinentibus ſecundum præſentem compoſitionem, quod præſentatis litteris proviſionis & collationis in forma, probante nobis decano & capitulo, quod nos decanus & capitulum tales proviſiones teneamur recipere more conſueto, jura conſueta & debita ſolvendo, & ſimili modo proviſos a nobis decano, & capitulo. Has autem tranſactiones, compoſitiones, & conventiones, modificationes ſuperius expreſſas, nos epiſcopus, decanus, & capitulum, pro nobis & ſucceſſoribus noſtris, etiam juramentis noſtris a nobis epiſcopo ad pectus more prælatorum ponendis, & decano & capitulo, & ſingulis fratribus canonicis præbendatis in dicto noſtro capitulo intereſſentibus, & aliis, & ipſis abſentibus more ſolito vocatis, & pro & nomine abſentium, & vice totius capituli noſtri ad ſacroſancta Dei Evangelia præſtitis, perpetuo & inviolabiliter obſervare, & non contravenire promiſimus, & promittimus, ac convenimus, ſalvis, ut præmiſſum eſt, ac retentis beneplacito & voluntate & authoritate ſanctæ ſedis apoſtolicæ, & ita ut præmiſſum eſt, per nos epiſcopum & decanum actum, factum, promiſſum, & juratum extitit ſtipulatione ſolemni, & juramento in pleno prædicto capitulo, die viceſima menſis Januarii, anno ab Incarnatione Domini milleſimo quingenteſimo decimo nono, teſtibus præſentibus egregiis & venerabilibus viris dominis Johanne de Lobeyrac jurium doctore, locumtenente domini bayllivi regis Vallaviæ, Guillelmo Montanhac jurium licentiato judice curiæ communis Anicii, Johanne Luqueti, etiam licentiato judice caſtrorum dicti epiſcopatus, venerabiliſque capituli prædicti Anicienſis eccleſiæ, Johanne Montanhac jurium baccalaureo advocato publico Anicii, in quorum teſtimonium fidemque perpetuam juſſimus præmiſſa ſigillis noſtris epiſcopi, decani, & capituli prædictæ Anicienſis eccleſiæ ſigillari, & per notarium ſecretarium dicti capituli authoritatibus apoſtolica & regia publicum, manu ſua propria ſignoque ſuo authentico, quo uti conſueverunt, ſignari volumus, & conſentimus, & ordinamus: volentes communi conſenſu, quod hujuſmodi tranſactio & conventio corrigatur, emendetur, augeatur vel minuantur, ad commodum eccleſiæ noſtræ, ad dictamen ſapientum, ſubſtantia in aliquo nullatenus mutata, & me Gauffredo de Chalmelis clerico notario authoritatibus apoſtolica & regia publico, curiæque domini officialis Anicienſis jurato, & dicti venerabilis capituli prædictæ Anicienſis eccleſiæ ſecretario ſubſignato, qui præmiſſa omnia ſupradicta præſentibus teſtibus ſuperius nominatis recepi, indeque huic præſenti & publico inſtrumento vice mea groſſato, mea manu & ſigno meo manuali ſignavi. G. de Chamelis not.

Bulla Leonis papæ X. qua compoſitio præmiſſa confirmatur.

LEO epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Ea quæ pro ſingularum eccleſiarum præſertim cathedralium inſignium obviandis diſpendiis, ac ne diuturnæ vacationis ſuſtineant detrimenta, ſed de celeri & provida proviſione illis, ac dignitatibus, canonicatibus, & præbendis eccleſiarum earumdem pro tempore vacantibus ſuccurri valeat, terminata fuiſſe dicuntur, ut firma & illibata perſiſtant, libenter, cum a nobis petitur, apoſtolico munimine roboramus. Sane pro parte venerabilis fratris noſtri Antonii de Chabanes epiſcopi Anicienſis, & dilectorum filiorum moderni decani, & capituli eccleſiæ Anicienſis nobis nuper exhibita petitio continebat, quod alias ipſi conſiderantes tranſactiones, conventiones, & compoſitiones olim inter bonæ memoriæ Johannem epiſcopum Anicienſem ac tunc decanum, & capitulum dictæ eccleſiæ pro felici ſtatu, & directione ejuſdem eccleſiæ, ac dignitatum & beneficiorum illius initas & factas; ac proinde intendentes quod ex eiſdem tranſactionibus & compoſitionibus, licet tamquam laudabiles & honeſtæ, apoſtolica authoritate approbatæ & confirmatæ, ac eatenus obſervatæ fuiſſent in ea parte ſive eo capitulo, qua, ſive quo cavebatur quod epiſcopus Anicienſis, pro tempore exiſtens, in capitulo eccleſiæ prædictæ, vocatis prius illius canonicis in diœceſi Anicienſi reſidentibus per quatuor dies ante, & illis lapſis cum voluntate & conſenſu majoris, & ſanioris partis canonicorum, qui tunc præſentes 1519.

Digitized by Google

forent in dicto capitulo, vel ante, ſi voluntas, & conſenſus dicti capituli procederet, canonicatus, præbendas, ac dignitates eccleſiæ hujuſmodi conferret. Quia ſæpiſſime contingebat dictum Antonium, & pro tempore exiſtentes epiſcopos Anicienſes apud Francorum regem Chriſtianiſſimum pro tempore exiſtentem, & alibi etiam pro defenſione dictæ eccleſiæ neceſſario ſe conferre, & ab hujuſmodi eccleſia abeſſe, difficileque admodum exiſtebat dictos canonicos per dictam diœceſim diſperſos congregare, prout rerum magiſtra experientia edocuerat, præfatus Antonius, & pro tempore exiſtens Anicienſis epiſcopus erga hujuſmodi quamplurima diſpendia, ac canonicatus, & præbendæ, necnon dignitates ipſius eccleſiæ longæ vacationis incommoda ſuſtinebant, exindeque dicta eccleſia conſuetis ſervitiis fruſtrabatur, & fraudabatur, illius ſervitoribus vagandi occaſio præſtabatur, divinuſque cultus in eadem eccleſia diminuebatur, & quod deterius eſt, innumeræ lites, & controverſiæ coram diverſis eccleſiaſticis & ſecularibus judicibus oriebantur. Cupientes igitur præmiſſis obviare & providere, illaque in melius reformare ſuper dicto articulo, dictis tranſactionibus, conventionibus, ſeu compoſitionibus in omnibus aliis capitulis ſalvis, & integris, ac in ſuis vi, & firmitate remanentibus, & citra illorum aliqualem innovationem, aut immutationem, modo infra ſcripto convenerunt, & tranſegerunt, ſedis apoſtolicæ beneplacito ſemper ſalvo; videlicet quod ex tunc de cetero perpetuis futuris temporibus, dignitatum dictæ eccleſiæ, quæ quatuor numero, videlicet decanatus, præpoſitatus ſive præpoſitura, ſingulæ earum canonicatum & præbendam annexos habentes, & duæ abbatiæ ſeculares, una ſancti Petri de Turre, alia ſancti Evodii in dicta Anicienſi eccleſia abſque canonicatu & præbenda illis annexis eſſe conſueverunt, ac viginti ſex canonicatus, & totidem præbendæ, quos nunc tenent, & poſſident dilecti filii Guichardus de Roveria, Necterius de ſancto Necterio, Guillelmus de Corbefoſſa, Petrus Guitardi, Antonius Civeyraci, Petrus Civeyraci, Andreas Vende, Ludovicus Seguin, Jacobus Maurini, Guydo de Counaco, Johannes Guerini, Guillelmus de Alzonio, Johannes de Turnone, Antonius de Turnone, Reynaudus de Clavieres hebdomadarius, Guillelmus de Peliſſaco, Petrus Tamizerii, Arthaudus Rocherii hebdomadarius, Petrus de Fays, Petrus Brunelli alias Folhoſa, Guillelmus Paſcalis, Johannes Pruſier, Jacobus de Turre, alias de ſancto Vitali, Petrus Roſtaing, Bartholomæus Laurentius, Michaël Vignols hebdomadarius minor, quos & quæ viginti ſex ad dictum Antonium de Chabanes epiſcopum, & pro tempore exiſtentes Anicienſes epiſcopos, & reliquorum dictæ eccleſiæ canonicatuum, & præbendarum quindecim quæ ſuperſunt, quos nunc obtinent & poſſident Ludovicus Foreſterii, Hugo de Copulatorio, Johannes de Beleunco hebdomadarius, Claudinus Eymarius, Johannes Bertrandi, Jacobus de Copulatorio hebdomadarius, Marcelinus Ponchon, Gabriel Eyraudi, Carolus de Gruteria, Petrus David, Jacobus de Fontanet, Carolus de Levis, Gabriel Alberti, Nicolaus Prudhomme, & Jacobus de Turnone, Vivarienſis diœceſis, ad decanum & capitulum præfatos ſolum, & in ſolidum, ad eorum collationem, proviſionem, & omnimodam aliam diſpoſitionem pertinerent. Ita quod dignitatibus, & canonicatibus, ac præbendis prædictis per ceſſum vel deceſſum illa tunc obtinentium, eorumque ſucceſſorum ſimpliciter, vel ex cauſa permutationis, aut affectionis alterius beneficii incompatibilis, ſive alias qualitercumque, quomodocumque, quandocumque, & ubicumque ex quavis perſona, ſive cauſa expreſſa, vel tacita tunc, & in poſterum vacantibus, dictus Antonius, & pro tempore exiſtens Anicienſis epiſcopus de dignitatibus, ac viginti ſex canonicatibus, & præbendis primo loco nominatis per ſe, aut ejus vicarios ubicumque, ſive in præfata diœceſi, vel extra eam forent ſolum, & in ſolidum pleno jure, nullo prorſus decani, & capituli prædictorum expectato aut requiſito conſilio, vel aſſenſu: de aliis vero quindecim canonicatibus, & præbendis dictæ eccleſiæ ſupra nominatis, ſimiliter per ceſſum vel deceſſum illos tunc obtinentium, eorumque ſucceſſorum ſimpliciter, vel ex cauſa permutationis, aut aſſecutionis alterius beneficii incompatibilis, ſive alia qualitercumque, quomodocumque, quandocumque, & ubicumque ex quavis perſona, ſive cauſa expreſſa, vel tacita tunc, & in poſterum vacantibus, ut præfertur, canonici dictæ eccleſiæ in tabula reſidentium, & collationum beneficiorum deſcripti, videlicet eorum quilibet alternatis turnis, & vicibus in ſua hebdomada exiſtens, ſecundum conſuetudinem in conferendis beneficiis in dicta eccleſia obſervatam, per ſe vel ejus vicarium, aut eorum vicarios, ſive in dict. diœceſi, ſive extra illam ubicumque exiſteret, ejuſdem capituli nomine, pleno jure, ſolum, & in ſolidum, nullo epiſcopi Anicienſis, nec alterius expectato, ſeu requiſito conſilio & conſenſu, ſeu ad illos canonicatus & præbendas providere, ac de illis etiam diſponere poſſent, & deberent. Præterea quod dictus Antonius, & pro tempore exiſtens Anicienſis epiſcopus, necnon decanus & capitulum præfati, ſeu ſinguli canonici ejuſdem eccleſiæ in qualibet receptione novorum canonicorum, ac mutatione epiſcopi, de præmiſſis obſervandis cum aliis juramentis præſtari ſolitis, in quibus nihil mutare intendunt, juramentum præſtare, ac poſteriorem tranſactionem, & compoſitionem hujuſmodi, cum cæteris prioris tranſactionis & compoſitionis articulis, juxta illorum formam & tenorem, in ſuis plenariis robore, efficacia, & virtute nihil prorſus immutato, ſeu innovato remanentibus tenere, & inviolabiliter, abſque eo quod in aliquo infringeretur, cum integritate obſervare tenerentur; & ſi forſan ſuper in ea contentis dubia oriri contingeret, illa quoties orirentur per duos ex eiſdem canonicis per dictum capitulum ad id deputandos, ac officialem Anicienſem pro tempore exiſtentem, poſteriori tranſactione ipſa præterea in ſui ſubſtantia nihil immutata, ſed ut præfertur in ſuis vi & virtute remanente, ſolvi & declarari poſſent & deberent: necnon decreverunt & declararunt, poſteriori tranſactioni & compoſitioni per quoſcumque actus contrarios, quocumque temporis curſu & diuturnitate toleratos, nullum in aliquo præjudicium generari, neque hujuſmodi poſteriorem compoſitionem, & tranſactionem, quantumcumque longiſſimi temporis, contraria præſcriptione innovari, aut mutari poſſe: ſed illis nonobſtantibus, durare & valere ſub centum marcharum argenti puri pœna, quam partem non obſervantem ipſo facto incurrere, & parti obſervanti ſolvere voluerunt; & inſuper quod decanus & capitulum, eos quibus epiſcopus de dignitatibus, ac ad ejus collationem, proviſionem, & diſpoſitionem pertinentibus, & e contra epiſcopus præfatus eos, quibus decanus, & capitulum prædicti de ad eorum collationem, proviſionem, & diſpoſitionem pertinentibus canonicatibus & præbendis dictæ eccleſiæ, juxta dictæ poſterioris tranſactionis & compoſitionis continentiam & formam, & illius vigore pro tempore providiſſent, poſtquam proviſi per eos reſpective litteras proviſionis in forma probante præſentaſſent, ad dignitates, ac canonicatus, & præbendas de quibus eis proviſum foret recipere, & admittere etiam tenerentur: perſolvendo tamen, more conſueto, per eoſdem proviſos pro eorum receptionibus jura debita & conſueta, quibus propterea minime derogare, & forſan alia tranſegerunt, convenerunt, compoſuerunt declaraverunt, & decreverunt, prout in inſtrumento publico per dilectum filium Gaufredum de Chalmelis ſub anno Domini milleſimo quingenteſimo decimo nono, & die vigeſima menſis Januarii recepto, ſive eorum litteris authenticis deſuper confectis plenius continetur. Quare pro parte eorumdem Antonii epiſcopi, & decani moderni, & capituli nobis fuit

Digitized by Google

humiliter ſupplicatum, & poſteriori compoſitioni, & A tranſactioni, necnon decreto, & ordinationi prædictis pro illorum ſubſiſtentia firmiori, robur apoſtolicæ confirmationis adjicere, aliaſque in præmiſſis opportune providere, de benignitate apoſtolica dignaremur. Illos igitur Antonium epiſcopum, & decanum modernum, ac capitulum præfatos, & eorum quemlibet, ac capituli ejuſdem ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, poſteriores tranſactionem, & compoſitionem, ac decretum, & ordinationem, necnon B inſtrumentum, ſive litteras prædictas cum omnibus, & ſingulis in inſtrumento, ſive litteris hujuſmodi contentis clauſulis, authoritate apoſtolica, tenore præſentium approbamus, & confirmamus, illaque perpetuæ firmitatis robur obtinere, & inviolabiliter obſervari debere decernimus, ſupplemuſque omnes & ſingulos defectus tam juris quam facti, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem; & inſuper volumus, & eadem authoritate decernimus & declaramus, quod de cætero in quibuſvis collationibus, proviſionibus, & aliis diſpoſitionibus, quæ pro tempore, etiam apoſtolica authoritate fient, de nominibus, & cognominibus ſupradictorum canonicorum, canonicatus, & præbendas de quibus providebitur nunc obtinentium mentio fiat, & alias de illis etiam per ſedem prædictam pro tempore C factæ collationes, proviſiones, & aliæ diſpoſitiones nullius ſint roboris, vel momenti. Quocirca dilectis filiis Caſæ-Dei, & ſancti Theofridi de Monaſterio, Claromontanæ & Anicienſis diœceſis monaſteriorum abbatibus, ac officiali Mimatenſi, per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut unus eorum per ſe vel alium ſeu alios, præſentes litteras, & in eis contenta quæcumque, ubi, quando, & quoties opus fuerit, ac pro parte Antonii, & pro tempore exiſtentis epiſcopi Anicienſis, necnon decani & capituli prædictorum, ſeu aliquorum eorumdem fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, eiſque in præmiſſis de efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant authoritate noſtra præſentes litteras, & in eis contenta quæcumque per quoſcumque inviolabiliter obſervari, contradictores D quoſlibet, & rebelles per cenſuras eccleſiaſticas, & alia juris opportuna remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis, nonobſtantibus felicis recordationis Bonifacii papæ VIII. prædeceſſoris noſtri conſtitutione qua cavetur ne quis extra ſuam civitatem & diœceſim, niſi in certis exceptis caſibus, & in illis ultra unam dietam a fine ſuarum civitatis & diœceſis, ad judicium evocetur; ſeu ne judices a ſede prædicta deputati, extra civitatem & diœceſim in quibus deputati fuerint, contra quoſcumque procedere, aut alii vel aliis vices ſuas committere quoquomodo præſumant; & de duabus dietis in concilio generali editis, dummodo aliquis authoritate præſentium ultra tres dietas a fine ſuarum civitatis & diœceſis ad judicium non trahatur; & E quibuſvis aliis conſtitutionibus, & ordinationibus apoſtolicis, necnon præmiſſis, ac juramento per Antonium epiſcopum, necnon decanum & capitulum ejuſdem in contrarium forſan præſtito, quod eis, & eorum cuilibet relaxamus, contrariis quibuſcumque, aut ſi aliquibus communiter, vel diviſim ab eadem ſit ſede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari, aut ultra vel extra certa loca ad judicium trahi non poſſint per litteras apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ abſolutionis, approbationis, confirmationis, ſuppletionis, voluntatis, decreti, declarationis, mandati, & relaxationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo decimo nono, ſexto Idus Martii, pontificatus noſtri anno ſeptimo. A. Gratia-Dei, F. de ſancto Johanne. Jo. de Radicibus. *Et ſuper plicam ſcriptum eſt*: Je. Attanantis. *Autographum bulla ſignatur ſigillo plumbeo, in quo ex una parte calatum eſt imago ſanctorum Petri & Pauli, ex altera vero ſcriptum eſt*: LEO PAPA X.

Exemplar promulgationis hujus bullæ.

CAROLUS de Senectorio, humilis abbas monaſterii 1520.
ſancti Theoffredi, judex & executor, una cum quibuſdam aliis collegis noſtris, cum clauſula: *quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum*, a ſancta ſede apoſtolica ſpecialiter deputatus, reverendiſſimo in Chriſto patri, & D. D. Anicienſi epiſcopo, ejuſve in ſpiritualibus vicario, necnon reverendis patribus & dominis decano, & capitulo eccleſiæ Anicienſis, ac omnibus univerſis & ſingulis abbatibus, prioribus, decanis, præpoſitis, curatis, rectoribus, plebanis, clericis, notariis, & tabellionibus publicis, & omnibus & ſingulis, quibus infra ſcriptum tangit negotium, aut in futurum quandocumque tangere poterit, & eorum cuilibet in ſolidum. Nos litteras apoſtolicas ſanctiſſimi domini noſtri domini Leonis divina providentia papæ decimi, pro parte reverendiſſimi in Chriſto patris, & D. D. Anicienſis epiſcopi, & dominorum decani & capituli ſupradictorum obtentas, cum filo ſericeo impendenti, ac ſigillo plumbeo more Romanæ curiæ ſigillatas, & plumbatas, ſanas ſiquidem & integras, non vitiatas, non cancellatas, nec in aliqua earum parte ſuſpectas, ſed omni prorſus vitio & ſuſpicione carentes nobis præſentatas, cum honore & reverentia quibus decet, recepiſſe noveritis, & quarum litterarum apoſtolicarum tenor ſequitur ſub his verbis: Leo epiſcopus ſervus ſervorum Dei, ad perpetuam rei memoriam, &c. *ut ſupra ad longum; & in fine*: Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo decimo nono, ſexto Idus Martii, pontificatus noſtri anno ſeptimo. Attanantes. Poſt quarum quidem litterarum apoſtolicarum præinſertarum præſentationem, & receptionem nobis, & per nos, ut præmittitur factas, fuimus pro parte reverendiſſimi in Chriſto patris, & D. D. epiſcopi Anicienſis, & dominorum decani, & capituli Anicienſis eccleſiæ præfatorum impetrantium debita cum inſtantia requiſiti, quatenus ad interinationem, & totalem executionem dictarum litterarum apoſtolicarum procedere dignaremur. Nos vero abbas, judex & executor prænominatus, volentes, ut tenemur, mandata apoſtolica reverenter exequi, ut filii obedientiæ; igitur viſis per nos litteris prædictis apoſtolicis præinſertis, diligenterque inſpectis, & examinatis, eaſdem litteras apoſtolicas, omniaque & ſingula in eis contenta juxta eorumdem tenorem, & mandatam formam, approbamus, confirmamus, & ſolemniter publicamus, ac pro publicatis haberi volumus, & illis in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtimus, & aſſiſtendum fore, ac perpetuæ firmitatis robur obtinere; reverendiſſimumque in Chriſto patrem dominum Anicienſem epiſcopum, & ejus ſucceſſores, ac decanum, & capitulum ſupra & in dictis litteris nominatos, perpetuo inviolabiliter obſervare debere; ac effectu, & virtute earumdem litterarum apoſtolicarum, & ſingulorum in eis contentorum, abſque aliquo impedimento, aut moleſtatione aliqua eis per quoſcumque, aut quomodolibet inferentes, pacifice uti, frui, & gaudere decernimus, denuntiamus & declaramus: eaſdem inſuper litteras apoſtolicas juxta ipſarum continentiam & formam plenarie exequendo, & executioni debitæ demandando, executionem ulteriorem earumdem litterarum

Digitized by Google

apoſtolicarum præinſertarum, nobis, & ſucceſſoribus, ac collegis noſtris, & cuilibet noſtrum in ſolidum ſi quando, & quoties opus fuerit, reſervamus. In quorum omnium, & ſingulorum fidem, & teſtimonium præmiſſorum, nos abbas præfatus ſigillum noſtrum una cum ſubſcriptione, & ſigno manuali notarii publici infra ſcripti litteris præſentibus duximus apponendum. Actum, & datum Bulhonis, die penultima menſis Februarii, anno Domini milleſimo quingenteſimo vigeſimo, teſtibus præſentibus venerabili viro fratre Antonio Champſalado monacho Bulhonis, domino Antonio de Regibus curato Montisfalconis, Vincentio Bartholomæi canonico S. Pauliani diœceſis Anicienſis, & me Gauffredo de Chalmelis clerico, notario authoritatibus apoſtolica & regia publico, & dicti venerabilis capituli eccleſiæ ſanctæ Anicienſis ſecretario ſubſignato, qui hujuſmodi proceſſus fulminationis inſtrumentum, præſentibus teſtibus ſuperius nominatis, recepi, indeque huic præſenti & publico inſtrumento, vice mea groſſato, mea manu, & ſigno meo manuali ſignavi in teſtimonium præmiſſorum. De Chalmelis.

Juramentum dominorum canonicorum eccleſiæ cathedralis ſanctæ & angelicæ B. Mariæ Anicii.

AUdite canonici ſanctæ Mariæ Anicii, qui eſtis nunc canonici, vel qui in diebus vitæ meæ hujus eccleſiæ eritis canonici. Ego N. Anicienſis canonicus, fidelis ero eccleſiæ & capitulo Anicii; eorum utilia procurabo, & inutilia, quantum potero, evitabo, & in feſtivitate omnium ſanctorum, vel in proxima die ſequenti, quolibet anno in præſenti capitulo una vobiſcum conveniam. Nec inde exibo, vel de clauſtro ſeu eccleſia Anicii eidem capitulo contiguis, niſi de licentia decem canonicorum, & decani, ſi præſentes fuerint in dicto capitulo. Vel ratum habebo quicquid factum fuerit per præſentes, & ſemper etiam una vobiſcum huc conveniam pro juribus eccleſiæ defendendis, quotieſcumque per commune capitulum fuero requiſitus, niſi legitimam habeam excuſationem.

Eccleſiam ſanctæ Mariæ, & ejus munitiones, caſtra, & fortalitia, villas, terras, & poſſeſſiones quaſcumque, quæ & quas nunc tenet capitulum, vel tenebit in futurum, una vobiſcum deffendam ab omni impetente ſeu inquietante, nec eas mihi appropriabo, nec mihi conferri procurabo, & mihi collatas, quacunque authoritate ſeu titulo non recipiam, nec etiam retinebo; etiam quacunque diſpenſatione ſuper hoc obtenta, ſive facta; & ſi quis eas vel ea ſibi vel aliis conferri procuraverit, vel etiam qualicunque titulo ſive cauſa retinuerit, ego me ei opponam quantum potero, atque contradicam.

Si epiſcopus, decanus, præpoſitus Anicienſis, vel quilibet alius prælatus honores, vel perſonatus, dignitates, officia, quæ canonicis, vel clericis Anicienſibus debent conferri, ſibi retinere vel alicui non canonico, ſeu non clerico Anicienſi conferre voluerit, ei quantum potero contradicam.

Item ſi epiſcopus, vel quilibet prælatus noſter, ſeu quiſvis alius, alicui prælato, ſeu canonico noſtro injuriam fecerit, & eam ſecundum noſtros uſus, in communi capitulo emendare noluerit, vel alicujus canonici, ſeu clerici teſtamentum ſeu ultimam voluntatem ſubvertere conetur ſeu præſumpſerit, ego illud & illam pro poſſe vobiſcum repellam, & emendare procurabo & defendam.

Item ſi epiſcopus, vel prælatus, vel canonicus, ſacramentum quod debet capitulo facere recuſaverit, ego eum vobiſcum, quibus modis potero, id facere compellam.

Et ſacramentum huic eccleſiæ noxium non feci, nec ultra faciam.

Secretum capituli nulli revelabo, niſi de licentia ipſius.

Numerum quadraginta canonicorum hic antiquo ſtatutum ſervabo.

Statuta, conſuetudines, & libertates eccleſiæ & capituli cuſtodiam pro poſſe, & deffendam.

Compoſitionem quam olim editam inter dominum epiſcopum & capitulum hujus eccleſiæ, ſine fraude conſervabo.

Item, in nullum canonicorum manus injiciam violentas, vel in habitationem, ſeu familiam ipſius, nec alius, me conſentiente, niſi quantum mihi vel illi incumberet ſeu competeret ratione officii mihi, ſeu illi a capitulo tunc commiſſi, vel liceret de jure. Et ſi quis prædicta fecerit, vel facere vellet, quamcito ſcivero opponam me illi, & factum emendari procurabo. Nec aliquem admittam ad canonicalem ſocietatem, quouſque prædicta juraverit. Et, antequam aliquid in dicta eccleſia, occaſione collationis præbendæ hujuſmodi recipiam, unam capam faciam ad opus eccleſiæ, uſque ad valorem quadraginta ſcutorum auri novorum, & indubitanter ipſam capam factam ad ſervitium eccleſiæ reddam theſaurario, vel ſacriſtæ capituli, aut auri quadraginta ſcuta nova pro ipſa capa ſolvam ſtatim, & ſine mora ſacriſtæ dicti capituli, vel receptori ejuſdem. Item, uniones factas per ſedem apoſtolicam ipſi capitulo ſuper terris, quas olim conferebant domini decanus & præpoſitus, necnon ordinationes, & compoſitiones ſuper eis, & diviſione collationis earum dudum inhitas inter ipſum capitulum & præfatos dominos decanum & præpoſitum, tenebo, & inviolabiliter obſervabo; nec quoquomodo contra eas veniam tacite vel expreſſe. Et cuicumque alteri eas, vel earum aliquam infringere volenti me opponam; & ei una vobiſcum contradicam. Et hæc omnia ſupradicta vobis & ſucceſſoribus veſtris, qui hæc juraverint, fideliter & ſine enganno attendam. Sic Deus me adjuvet, & hæc ſancta.

Profeſſio fidei e concilio Tridentino excerpta.

EGo N. firma fide credo & profiteor omnia & ſingula quæ continentur in Symbolo fidei, quo ſancta Romana eccleſia utitur, videlicet: Credo in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem cœli & terræ, viſibilium omnium, & inviſibilium: & in unum Dominum Jeſum Chriſtum, Filium Dei unigenitum, & ex Patre natum ante omnia ſæcula, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum, de Deo vero; genitum non factum, conſubſtantialem Patri, per quem omnia facta ſunt; qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis; & incarnatus eſt de Spiritu ſancto ex Maria Virgine, ET HOMO FACTUS EST; crucifixus etiam pro nobis ſub Pontio Pilato, paſſus, & ſepultus; & reſurrexit tertia die ſecundum Scripturas; & aſcendit in cœlum, ſedet ad dexteram Patris; & iterum venturus eſt cum gloria judicare vivos & mortuos cujus regni non erit finis: & in Spiritum ſanctum, Dominum, & vivificantem; qui ex Patre Filioque procedit; qui cum Patre & Filio ſimul adoratur, & conglorificatur, qui locutus eſt per Prophetas; & unam ſanctam Catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam: Confiteor unum baptiſma in remiſſionem peccatorum, & expecto reſurrectionem mortuorum, & vitam venturi ſæculi, Amen. Apoſtolicas & Eccleſiaſticas traditiones, reliquaſque ejuſdem Eccleſiæ obſervationes & conſtitutiones firmiſſime admitto, & amplector. Item ſacram Scripturam juxta eum ſenſum quem tenuit & tenet ſancta mater Eccleſia, cujus eſt judicare de vero ſenſu, & interpretatione ſacrarum Scripturarum, admitto; nec eam unquam niſi juxta unanimem conſenſum patrum accipiam, & interpretabor. Profiteor quoque ſeptem eſſe vere & proprie Sacramenta novæ legis a Jeſu Chriſto Domino noſtro inſtituta, atque ad ſalutem humani generis, (licet non omnia ſingulis) neceſſaria, ſcilicet: Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam, Pœnitentiam, Extremam-Unctionem, Ordinem & Matrimonium;

& Matrimonium ; illaque gratiam conferre ; & ex his Baptiſmum, Confirmationem, & Ordinem ſine ſacrilegio reiterari non poſſe. Receptos quoque & approbatos Eccleſiæ catholicæ ritus, in ſupradictorum omnium Sacramentorum ſolemni adminiſtratione recipio & admitto. Omnia ſingula quæ de peccato originali, & de juſtificatione in ſacroſancta Tridentina ſynodo definita & declarata fuerunt, amplector, & recipio. Profiteor pariter in miſſa offerri Deo verum, proprium & propitiatorium ſacrificium pro vivis & defunctis, atque in ſanctiſſimo Euchariſtiæ ſacramento eſſe vere, realiter & ſubſtantialiter corpus & ſanguinem, una cum anima & divinitate Domini noſtri Jeſu Chriſti, fierique converſionem totius ſubſtantiæ panis in corpus, & totius ſubſtantiæ vini in ſanguinem ; quam converſionem catholica Eccleſia tranſubſtantiationem appellat. Fateor etiam ſub altera tantum ſpecie, totum atque integrum Chriſtum, verumque ſacramentum ſumi. Conſtanter teneo Purgatorium eſſe, animaſque ibi detentas fidelium ſuffragiis juvari ; ſimiliter & ſanctos una cum Chriſto regnantes, venerandos atque invocandos eſſe, eoſque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias eſſe venerandas. Firmiſſime aſſero imagines Chriſti, ac Dei-paræ ſemper Virginis, necnon aliorum ſanctorum habendas & retinendas eſſe, atque eis debitum honorem ac veneration-em impertiendam. Indulgentiarum etiam poteſtatem a Chriſto in Eccleſia relictam fuiſſe ; illarumque uſum Chriſtiano populo maxime ſalutarem eſſe affirmo. Sanctam, Catholicam, Apoſtolicam, Romanam Eccleſiam, omnium eccleſiarum matrem & magiſtram agnoſco ; Romanoque pontifici, beati Petri apoſtolorum principis ſucceſſori, ac Jeſu Chriſti vicario veram obedientiam ſpondeo, ac juro. Cetera item omnia a ſacris canonibus, & œcumenicis conciliis, ac præcipue a ſacroſancta Tridentina ſynodo tradita, definita, & declarata, indubitanter recipio atque profiteor. Simulque contraria omnia, atque hæreſes quaſcumque ab Eccleſia damnatas, rejectas, & anathematizatas, ego pariter damno, rejicio & anathematizo. Hanc veram catholicam fidem, extra quam nemo ſalvus eſſe poteſt, quam in præſenti ſponte profiteor & veraciter teneo, eamdem integram & inviolatam, uſque ad extremum vitæ ſpiritum conſtantiſſime (Deo adjuvante) retinere & confiteri, atque a meis ſubditis, vel illis, quorum cura ad me in munere meo ſpectabit, teneri, doceri, & prædicari, quantum in me erit curaturum, ego idem N. ſpondeo, voveo, ac juro. Sic me Deus adjuvet & hæc ſancta Dei Evangelia.

XXXVI.

Ex chartario S. Theofredi.

Præceptum Pipini Aquitaniæ regis, nepotis Ludovici pii imperatoris, pro monaſterio S. Theofredi.

Circa 846.

PIPINUS, opitulante Divinæ majeſtatis gratia, rex Aquitaniorum. Si erga loca Divinis cultibus mancipata, beneficia oportuna largimur, propter amorem vitæ eorum qui ſibi famulantur in eiſdem locis, præmium nobis apud ipſam Divinam clementiam æternæ remunerationis rependi confidimus. Noverit interea ſagacitas prudentiæ omnium fidelium noſtrorum, tam præſentium quam futurorum, quia veniens vir venerabilis Galterius abbas, ex cœnobio quod dicitur Calmilius, & eſt ſitum in pago Vellaico, conſtructum in honore beati Petri, principis apoſtolorum ; & S. Theofredi, ubi ipſe corpore quieſcit ; obtulit obtutibus noſtris authoritatem conſcriptam, in qua erat inſertum quod ipſum locum Berengarius comes, domno Ludovico, piiſſimo, cæſari, auguſto avo noſtro ad habendum in proprium obtulerit, & ipſe poſtmodum pius cæſar, ob perpetuæ vitæ meritum, monachis in eodem loco degentibus, & venerabili Bodoni abbati, hujus ſcilicet Galterii anteceſſori, eorumque ſucceſſoribus, ad gubernandum, atque perenne regulariter vivendum jure proprio tradidit & conſignavit. Obtulit etiam reverendam patroni noſtri Karoli, regis invictiſſimi, auctoritatem, noſtri videlicet * avunculi, qualiter ipſum locum ſanctum regaliter veluti pater illius domnus Ludovicus imperator, ſicut dictum eſt, olim fecerat, ſua defenſione atque munburdo recepit, immunitatiſque tuitione. Ideoque pro ſtudio firmitatis præfatus abbas Galterius deprecatus eſt ut prædictum monaſterium cum omnibus rebus ad eum moderno tempore jure pertinentibus, ſicut alii reges egerunt, ita & nos, eorum ſequentes memoriam, ſub noſtra reciperemus defenſione, atque immunitatis tuitione. Cujus precibus libenter acquievimus, eique quod petebat conceſſimus, atque per hoc præceptum confirmavimus, per quod præcipimus, atque jubemus ut nullus judex publicus, nec quiſlibet ex judiciaria poteſtate, aut ullus ex fidelibus noſtris, in eccleſia, aut locis vel agris, ſeu quibuſlibet poſſeſſionibus quas nunc juſte ac legaliter infra ditionem regni noſtri poſſidet, vel quæ deinceps in jure ipſius monaſterii Divina pietas conceſſerit augeri, ad cauſas audiendas, vel freda exigenda, ſive paradas faciendas, aut homines tam ingenuos quam ſervos, ſuper terram prædicti monaſterii commanentes, diſcingendos, aut ullas redibitiones, aut illicitas occaſiones requirendas contra præceptionem noſtram facere audeat, vel ea quæ ſuper memorata ſunt penitus exigere præſumat. Quicquid etiam de præfatis rebus monaſterii jus fiſci exigere poterat, pro æterna remuneratione totum eidem concedimus monaſterio ; & omni tempore in alimonia pauperum, ſtipendia monachorum ibidem Domino famulantium proficiat in augmentum. Concedimus hoc etiam, quo magis locus ipſe publicetur, cunctiſque creſcat in augmentum. Et ſicut in aliis locis ejuſdem regionis aggreganturque mercata, ſic & in jam dicto loco juxta eccleſiam S. Johannis, præſentibus ac futuris temporibus quinta feria mercatum agatur ; nec ab ullo comite, vel miſſo comitis, ab ipſo aliquid exigatur ; nec quiſlibet homo in eodem mercato ab illis diſtringatur ; ſed quicquid fiſcus noſter vel comes habere poterat, pro æterna remuneratione, totum eidem eccleſiæ concedimus. Quod ſi quiſlibet reus in eodem mercato repertus fuerit, a nemine diſtringatur, niſi prior, quicumque fuerit in eodem loco, licentiam dederit, vel certe criminoſi ex ipſo mercato foras fuerit expulſio. Quando vero præfatus abbas Galterius ex hac vita migraverit, ſi tales inter ſe invenerint qui eos ſecundum regulam S. Benedicti regere valeant, per hanc noſtram auctoritatem licentiam habeant eligendi abbates ; quatenus monachos ibi degentes pro nobis, noſtrorumque ſalute, id eſt, pro ſtabilitate regni nobis a Deo conceſſi, ejus miſericordiam jugiter exorare delectet. Ut autem hæc noſtra ſemper authoritas maneat inconvulſa, monogramma noſtrum inſerere curavimus, ac de annuli noſtri impreſſione inſigniri ſubter juſſimus.

* *Sic in autographo.*

Signum PIPINI Precellentiſſimi regis, anno regnante octavo, Indicione VIII.

XXXVII.

Ex chartario S. Theofredi.

Aliud præceptum Karoli regis & imperatoris, datum Roſtagno abbati.

877.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, Karolus *, ejuſdem Dei omnipotentis miſericordia imperator, auguſtus. Si locis Divino cultui mancipatis emolumentum noſtræ imperialis celſitudinis exhibemus, hoc nobis ad præſentem * facilius tranſigendam, & ad æternam facilius capeſcendam prodeſſe confidimus. Noverit igitur omnium fidelium ſanctæ Dei Eccleſiæ, noſtrorumque tam præſentium quam futurorum induſtria, quoniam venerabilis abbas, nomine Roſtagnus, ex cœnobio, cui vocabulum eſt Calmilius, ſito in pago Vellaico, in honore S. Theofredi conſtructo, ad

* Calvus.

* vitam.

Digitized by Google

noſtram accedens manſuetudinem, oſtendit tam præcepta genitoris noſtri, quam & noſtræ authoritatis, in quibus continebatur qualiter idem locus ſub immunitate domni genitoris noſtri, & ſub noſtra, per utrorumque præcepta conſiſtere deberet. Nos denique eadem præcepta dijudicari volentes per Frotarium venerabilem archiepiſcopum, invenimus veras eſſe eorum præceptorum authoritates, & quod petebat, libenter ei conceſſimus. Quapropter cognoſcentes quod Guido Vallavenſis epiſcopus non recte, nec regulariter ſuggeſſit, ſcilicet quando nos non recolentes quæ ſuperius dicta ſunt de immunitate ejuſdem loci, deprecatus eſt ut eumdem locum ſubter præceptum dediſſemus, affirmans quod ipſe locus ad ſuum epiſcopatum ex antiquo pertinere deberet. Unde falſitatem ejus quaſi ſub veritate ambulantem, veram eſſe tunc putantes, præceptum ei, quod precatus eſt, conceſſimus. Sed licet ipſe idem præceptum habeat, nos tamen volumus quod ſtabile non ſit; ſed ipſi monachi, & omnes ipſius monaſterii res ad eos pertinentes, in noſtra ac ſucceſſorum noſtrorum immunitate conſiſtant, ex hoc & in futurum. Præcipimus quoque per noſtræ ſublimitatis præceptum, ut a noſtra vel ſucceſſorum noſtrorum tuitione memoratus locus numquam excidat, neque cuilibet epiſcopo, aut alicujus dignitatis homini concedatur, ſed in eligendis & conſtituendis abbatibus, regula ſancti Benedicti, & hæc noſtra imperialis juſſio omnimodis obſervetur. Præcipientes ergo jubemus ut nullus judex publicus, aut quiſlibet reipublicæ procurator ad audiendas cauſas, more judiciario in eccleſias, aut villas, ſeu reliquas poſſeſſiones ingredi præſumat; nec freda, aut tributa, aut teloneum, aut manſiones, aut paradas, aut fidejuſſores tollere; aut homines tam ingenuos quam ſervos, ſuper terram ipſius loci commanentes, diſtringere; nec ullas publicas functiones, vel illicitas occaſiones requirere, quibus in aliquo idem monaſterium ſibique ſubjecti patiantur injuſte aliquod incommodum, nec noſtris futuriſque temporibus quiſquam tam temerarius exiſtat qui faciendi hoc, illicitam ſibi poteſtatem attribuere audeat. Quicquid ex rebus præfati monaſterii fiſcus ſperare poterat, totum nos pro æterna remuneratione prædicto monaſterio concedimus, ut perennibus temporibus in alimoniam pauperum, ac ſtipendia monachorum ibidem Deo famulantium proficiat in augmentum; qualiter monachos ibidem deſervientes, pro nobis atque ſtabilitate regni a Domino conceſſi, atque jugiter conſervandi, Domini miſericordiam exorare delectet. Volumus etiam ut quamdiu tales inter ſe poterint invenire qui ſecundum regulam ſancti Benedicti regere valeant, ſemper de propria congregatione eligant, per noſtram & ſucceſſorum noſtrorum licentiam, abbatem. Hoc etiam volumus ut fratres ejuſdem loci, quemcumque voluerint advocatum, eligendi licentiam habeant. Ob remunerationem etiam noſtram totum ei dimittimus. Et ut hoc per omnia ſubſequentia tempora inviolabiliter conſervetur, manu propria ſubterfirmavimus, & annuli noſtri impreſſione inſigniri juſſimus. Signum Karoli glorioſiſſimi imperatoris auguſti.

KAROLUS. Datum Kl. Aug. per manus Frotardi archiepiſcopi * Abacs. Indicione x. anno XXXVIII. regni domni Karoli in Francia, & imperii ejuſdem ſecundo. In Dei nomine, feliciter. Amen.

* Mabillonius qui libro VI. de re diplomatica c. 7. præceptum hoc edidit, hic legit: *Ambaciaterii*. Omiſit vero Caroli monogramma.

XXXVIII.

Ex MS. cod. Calmeliacenſi. Circa 937.

Charta reſtaurationis monaſterii S. Theofredi.

IN nomine Dei ſummi, notum ſit omnibus ordinum gradibus tam præſentibus quam futuris, quod anno 2. regnante Ludovico rege, cum ego Gotiſcalcus humilis præſul Vallavenſis eccleſiæ, pro poſſe proviserem plebem & clerum, incidit mihi deſiderium in corde meo ut locum ſancti Theotfredi Calmilienſis cœnobii, quod olim regale fuit, & a prædeceſſoribus noſtris regali beneficio obtentum, & per incuriam & ſecularem cupiditatem res præfati loci male direptæ ſint, & exigente inopia, religionis ſtatus inibi penitus annihiletur, in priſtinum pro poſſe reſtituerem ſui ordinis gradum; unde accitum dominum Arnulphum, de cœnobio ſancti Geraldi abbatem, deprecatus ſum eum, ut prædictum locum in ſuo dominio ſuſciperet, & fratres ibi regulariter ſecundum normam patris Benedicti viventes deligeret. Caventes itaque recidivam cupiditatis rabiem ſucceſſorum noſtrorum, aſſenſu Geilini marchionis, & plurimorum epiſcoporum, dedimus eis licentiam, ut ſupradictum eſt, ut monita S. patris Benedicti obſervent, & cum noſtro communi conſilio, cum fuerit neceſſarium, eligant talem rectorem qui illos bene regere ſciat. Si autem, quod abſit, inſtigante diabolo, a propoſito bono devlaverint, non ſolum illa quæ percceperint amittant, hoc eſt Roſerias cum ſuis adjacentiis, & villam Coleneiam de communia fratrum, Camelarias inſuper & Ventreciacum, cum illorum finibus, quæ benevolo animo tribuimus, ad noſtram redeant utilitatem. Et iſtas res ſupradictas eo tenore concedimus eis ab hac die & deinceps, ut quotidie, exceptis diebus feſtis, una quaque hora, pro nobis & ſucceſſoribus noſtris tam pontificibus quam clericis & omnibus adjutoribus ac benefactoribus noſtræ ſedis & eccleſiæ, duos Pſalmos flexis genibus decantent; pro defunctis vero, quando poſſibile eſt, vigiliam & miſſam. Res vero ſancti Theofredi quas noſtra vel quælibet ſecularis potentia tenere videtur, aut beneficiario jure, ab abbate ejuſdem loci & monachis ibidem degentibus obtineat eo tenore ut quandiu vixerit cenſualiter teneant, poſt mortem vero ipſorum abſque ulla contradictione rector & monachi ejuſdem loci percipiant. Si quis autem hæc temerare præſumpſerit, tam noſtra quam epiſcoporum præſentium excommunicatione & æterna damnatione ſe innodandum ſciat, niſi reſipuerit & ſatisfaciendo emendare ſtuduerit. S. Gotiſcalchi epiſc. S. Gerontii archiepiſc. Bituricenſ. S. Begonis epiſc. S. Widonis epiſc. S. Bernardi abb. S. Dalmatii abb.

Supra dictum epiſcopi donum factum eſt anno 2. regni Ludovici.

XXXIX.

Privilegium Chonradi regis Waldo abbati Calmeliacenſi conceſſum.

Ex chartul. S. Theotfredi. Circa 956.

IN nomine S. & individuæ Trinitatis, Chonradus, divina largiente clementia, rex &c. Noverit igitur induſtria virorum nobilium, atque ſimul omnis eccleſia fidelium, quoniam abbas venerabilis Calmiliacenſis monaſterii, nomine Waldus, cum aliquibus monachis noſtram adiit præſentiam, poſcens humiliter ut prædia terrarum ac villarum quas inclytus vir & martyr Theofredus, munere nobilium virorum Dilonis comitis & Argidii præſulis, Sylvii atque Teuberti, & adjutorio atque eleemoſyna Geilini comitis in pago Dienſi atque Valentinenſi poſſidet, præcepti noſtri corroborarione firmarentur, ut rector monaſterii, cui ſubjacent, & ſucceſſores ejus ac monachi regulariter ibidem ad præſens & in futurum degentes, ipſarum rerum ſtabili adepta firmitate, debita obſequia almo martyri valeant exhibere. Talis ergo petitio in conventu omnium noſtrorum laudabilis extitit, & viſa eſt placuiſſe nobis. Volumus igitur authoritate noſtri regiminis, & ſucceſſorum noſtrorum, cum conſenſu Geilini comitis, & Aymonis epiſcopi, & Waldi petitoris, firmum conſiſtere, ut omnia quæ ad monaſterium S. Theofredi in pago Dienſi atque Valentinenſi nunc videntur pertinere, aut hic de fiſco regali aut de poteſtate epiſcopali, aut de poteſtate comitali ſive de franchiſia & quæ in

Digitized by Google

poſterum ibidem ipſi monachi poterunt acquirere, A omnia regali poteſtate deffendantur. Simul autem ipſa res ſive in comitatu Dienſi atque Valentinenſi in loco qui prius dictus eſt Stuenna, cum eccleſia S. Stephani, & modo dicitur Ad Pontem; ſcilicet ex utraque parte fluminis, quod dedit Odilo comes, & in adjacente loco, quod dicitur Chaorovolis, & in alio loco villa de Cleva, & iſta de Motta ſubteriore cum portu; hæc omnia quæ nunc ipſi monachi poſſident, & quæ in poſterum potuerint acquirere, & ſemper, totius firmitatis obtineant vigorem, & nullius temeritate poſſint violari. Has litteras regali auctoritate corroboravimus, & annuli noſtri impreſſione ſignavimus, & noſtrorum fidelium manu roborari juſſimus, quorum nomina deſcripta ſunt. Signum Conradus rex. Signum Gelli comitis. Signum Aimoni epiſcopi. S. Amedei comitis. S. Umberti comitis. Signum Arnaldi.

B *Aliorum diplomatum & bullarum ſummorum pontificum mentio fiet in hiſtoria abbatum.*

XXX.

Alexander papa confirmat Doënſi cœnobio partem fructuum epiſcopatus, decanatus, canonicatuum &c. vacantium.

ALEXANDER epiſc. ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis abbati & conventui monaſterii domus Doë, Præmonſtratenſis ord. Anic. diœceſ. ſalutem &c. Sane exhibita nobis veſtra petitio continebat quòd bonæ memoriæ Petrus epiſcopus, præpoſitus, decanus, & capitulum Anicienſe pia deliberatione, pro ſuarum animarum vobis conceſſerunt ſalute, ut cum epiſcopum, ſeu aliquem habituatum perſonatum, vel dignitatem aut canonicum in eccleſia Anicienſi decedere contingeret, vos quoſdam redditus primo anno tantum poſt uniuſcujuſque obitum perciperetis in certis locis Anicienſis eccleſiæ ac terminis; quod poſtmodum bonæ memoriæ Bertrandus, ſucceſſor ipſius epiſcopi approbavit &c. Nos itaque &c. Id auctoritate apoſtolica confirmamus &c. Datum Viterbiis IV. Idus Januar. pontif. noſtri anno quarto.

INSTRUMENTA AD PROVINCIAM BURDIGALENSEM PERTINENTIA.

QUÆ SPECTANT AD METROPOLIM BURDIGALENSEM.

I.

Ex chartario eccleſiæ Pictavienſis.

Privilegium apoſtolicum archiepiſcopo Burdigalenſi conceſſum a Clemente V. quo a juriſdictione archiepiſcopi Bituricenſis eximitur.

1306. CLEMENS epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri Arnaldo archiepiſcopo Burdigalenſi ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Gerentes ad Burdigalenſem eccleſiam, cujus regimini præeramus cum jugum ſuſcepimus apoſtolicæ ſervitutis, benevolentiæ ſpecialis affectum, libenter ipſius prælatos favoribus glorioſis attollimus, ac apoſtolicis gratiis communimus. Tuis itaque ſupplicationibus inclinati, tibi tuiſque ſucceſſoribus archiepiſcopis Burdigalenſibus, qui pro tempore fuerint, auctoritate apoſtolica indulgemus ut quotiens te vel aliquem de ſucceſſoribus antedictis Burdigalenſem provinciam viſitare contigerit, poſſitis etiam epiſcopos dictæ provinciæ, veſtros videlicet ſuffraganeos, necnon & capitula cathedralium & aliarum collegiatarum eccleſiarum dictæ provinciæ, diviſim viſitare, ac procurationes ratione E viſitationis recipere, ac exigere ab eiſdem tam in domibus dictorum epiſcoporum, & capitulorum, quam ſingulorum prælatorum, perſonarum ſeu canonicorum ipſarum eccleſiarum, prout vobis magis placuerit; & ibi etiam pernoctare, contradictione cujuſpiam ſeu conſuetudine, ſi qua prætendatur in contrarium, non obſtante. Nos enim dudum cum ante ſuſcepti a nobis apoſtolatus officium, dictæ Burdigalenſis eccleſiæ regimini præeramus, Burdigalenſem provinciam viſitan-

C tes, procurationes hujuſmodi juxta modum recepimus antedictum. Et quia nonnulli ſuper hoc contendere videbantur, nos ad informationem veſtram a pluribus diſcretis viris qui fuerunt cum prædeceſſoribus noſtris archiepiſcopis Burdigalenſibus dum dictam provinciam viſitabant, ſuper hoc inquiſivimus diligenter; per quos invenimus ſic fuiſſe ab olim de antiqua & approbata conſuetudine in dicta provincia obſervatum. Nos quoque propterea dictam conſuetudinem approbantes, illam decernimus perpetuis futuris temporibus irrefragabiliter obſervandam. Nulli ergo omnino hominum D liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis, approbationis & conſtitutionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præſumſerit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum. Datum apud Peſſant * prope Burdegalim VIII. * Peſſac. Kal. Martii, pontificatus noſtri anno ſecundo.

Privilegium exemtionis eccleſiæ, civitatis, diœceſis ac provinciæ Burdigalenſis a Bituricenſis eccleſiæ ſubjectione.

E CLEMENS epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilecto filio Arnaldo electo Burdigalenſi, ejuſque ſucceſſoribus archiepiſcopis Burdigalenſibus qui pro tempore fuerint, in perpetuum. In ſupremo ſolio dignitatis, diſponente Domino, conſtituti, de univerſis Orbis eccleſiis, quarum cura nobis imminet generalis, quantum nobis ex alto permittitur ſollicite cogitamus, ad ea ferventibus ſtudiis intendentes per quæ tranquillitatis commoda poſſimus, eiſdem, ſubmotis 1305.

Digitized by Google

quibuſlibet ſcandalorum turbinibus, procurare. Ad Burdigalenſem eccleſiam quæ dudum nos habuit primo filium, ſuis nos educans uberibus, ſecundo ſponſum noſtro commiſſa regimini, ac demum patrem recognoſcit, cum de ipſa ſimus apoſtolici ad ſummum officium gratis divina vocati, eo propenſioris conſiderationis intuitum vertimus, quo ſpecialiorem dilectionis affectum præmiſſorum conſideratione gerimus. Ad eamdem dudum ſiquidem occaſione primatiæ, quam olim prætendebant Bituricenſes archiepiſcopi in Burdigalenſi provincia ſe habere, gravis inter eos & archiepiſcopos Burdigalenſes qui fuerant pro tempore, exorta exſtirit materia quæſtionis; ex qua diſſentionis quamplurima ſcandala, multaque pericula pervenerunt. Sane felicis recordationis Gregorius papa prædeceſſor noſter intendens huic morbo ſalubriter providere, quamdam ſuper hujuſmodi quæſtione ordinationem dicitur edidiſſe. Ex licet prædicta ordinatio Burdigalenſibus archiepiſcopis & eorum provinciæ præjudicialis non modicum fuerit, ac etiam oneroſa, prout facti evidentia manifeſtat; quia tamen archiepiſcopi Bituricenſes qui fuerunt pro tempore, ordinationem non ſervaverunt eamdem, quinimmo in multis eamdem pro ſuæ voluntatis libito violantes, juriſdictionem, contra illius tenorem, ſibi indebitam uſurparunt, ex quibus in illis partibus homicidia, fractiones eccleſiarum, ſacrilegia, commotiones populorum, & alia multa in Burdigalenſi eccleſia memorata, & etiam graves & periculoſæ diſſentiones tempore quo nos ipſam eccleſiam regebamus; propter quod ipſius debent carere commodo, cum eam minime duxerint obſervandam. Nos qui dudum ante ſuſceptum a nobis apoſtolatus officium dictæ Burdigalenſi eccleſiæ præſidentes, diſſentiones, ſcandala & pericula prædicta palpavimus, attendentes quod per hujuſmodi ordinationem nihil utilitatis accreſcat eidem Bituricenſi eccleſiæ, ſed ſibi & Burdigalenſi eccleſiæ jactura non modica provenit ex ea, prout exiſtimamus in ea veriſimiliter, pejora poſſunt impoſterum provenire, ac præterea non indigne volentes prædictas eccleſias ab hujuſmodi oppreſſionibus, ſcandalis, & gravaminibus ex prædictis provenientibus præſervare, & eas in pacis & tranquillitatis pulchritudine conſervare, te & ſucceſſores tuos, eccleſiam ipſam, civitatem, diœceſim, provinciam Burdegalenſem, & quaſcumque perſonas tam eccleſiaſticas quam ſæculares degentes in eis, ab hujuſmodi jure primatiæ vel ſuperioritatis, omnique juriſdictione ac poteſtate Bituricenſis archiepiſcopi & ſucceſſorum ſuorum qui pro tempore fuerint, tam circa articulos in eadem ordinatione contentos, quam contra alios omnes, auctoritate apoſtolica & de poteſtatis plenitate prorſus exuimus & penitus liberamus, diſtrictius inhibentes ne idem archiepiſcopus Bituricenſis vel ejus ſucceſſores, ſeu decanus & capitulum Bituric. communiter vel diviſim, etiam ſede Bituricenſi vacante, in te vel ſucceſſores tuos Burdigalenſes archiepiſcopos qui pro tempore fuerint, ſeu in eccleſiam, civitatem, diœceſim aut primatiam Burdigalenſem vel perſonas degentes in eis, juriſdictionem aliquam prætextu hujus juris primatiæ vel ſuperioritatis, aut etiam dictæ ordinationis, vel alias ſibi vindicare, vel exercere quoquomodo præſumant. Nos enim ex nunc irritum decernimus & inane, ſi ſecus ſuper his ab archiepiſcopo Bituricenſi vel ejus ſucceſſoribus ante dictis, decano vel capitulo Bituricenſi communiter vel diviſim, aut quibuſvis aliis occaſione præmiſſa contigerit attemptari, non obſtantibus ordinatione prædicta ſeu quibuſcumque proceſſibus ſuper hoc habitis, conſuetudinibus contrariis, compoſitionibus factis, & ſententiis promulgatis, aut quibuſvis litteris conſervatoriis, vel aliis quibuſcumque a prædeceſſoribus noſtris Romanis pontificibus vel eorum legatis impetratis indulgentiis ac privilegiis apoſtolicis de quibus quorumcumque totis tenoribus, etiam de verbo ad verbum debeat in noſtris litteris fieri mentio ſpecialis; præmiſſa enim omnia ſingula quantum poſſunt eſſe, præſenti exemptioni vel aliis ſupradictis contraria, caſſamus, irritamus & caſſa & irrita nuntiamus, & nullam penitus habere volumus roboris firmitatem. Nulli ergo hominum omnino liceat hanc paginam noſtræ exemptionis, liberationis, inhibitionis & conſtitutionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hæc attemptare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis & beatorum Petri & Pauli apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Lugduni VI. Kalend. Decembris, pontif. noſtri anno primo.

Archiepiſcopus Burdigalenſis poteſt viſitationem ſuæ provinciæ ubi maluerit inchoare.

B CLEMENS epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri Arnaldo archiepiſcopo Burdigalenſi ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Magnæ tuæ devotionis & ſinceritatis affectus quem ad nos & Romanam eccleſiam te habere conſpicimus promerentur ut perſonam tuam ſpeciali benevolentia perſequentes, tibi reddamur ad gratiam liberales. Hinc eſt quod nos tuis ſupplicationibus inclinati, tibi & ſucceſſoribus tuis archiepiſcopis Burdegalenſibus qui pro tempore fuerint, auctoritate præſentium indulgemus ut in qualibet civitate diœceſis veſtræ provinciæ poſſitis incipere & continuare viſitationis officium, ſi vobis videbitur, antequam veſtram civitatem veſtræ diœceſis incœperitis viſitare, qualibet conſtitutione contraria non obſtante. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis infringere, vel C ei auſu temerario contraire. Si quis autem hæc attemptare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum apud Vignandraldum Burdigalenſis diœceſis XII. Kal. Decemb. pontif. noſtri anno quarto. 1308.

Archiepiſcopus Burdigalenſis poteſt unire ac dividere ſine conſenſu capituli Burdigalenſis eccleſias, perſonatus, ac dignitates.

CLEMENS epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabili Arnaldo archiepiſcopo Burdigalenſi ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Meritis tuæ devotionis inducimur ut perſonam tuam præcipua benevolentia perſequentes, petitionibus tuis, quantum digne D poſſumus, favorabiliter annuamus. Hinc eſt quod nos tuis devotis ſupplicationibus inclinati, tibi & ſucceſſoribus tuis archiepiſcopis Burdigalenſibus qui erunt pro tempore, auctoritate præſentium indulgemus, ut tu ac iidem ſucceſſores præter conſenſum tui capituli, eccleſias, dignitates ac perſonatus tuæ eccleſiæ ac diœceſis Burdigalenſis unire ac dividere poſſitis, prout, eorum utilitate penſata, expedire videritis, non obſtantibus quibuſcumque conſtitutionibus ſuper his in contrarium editis ac ſtatutis, & conſtitutionibus prædictæ Burdigalenſis eccleſiæ, necnon & quibuſvis privilegiis præconceſſis libere valeatis; præſertim cum de longa conſuetudine ſic fuiſſe audiverimus obſervatum: & nos etiam obſervavimus tempore quo ipſius eccleſiæ regimini præeramus. Nulli ergo E omnino hominum liceat hanc &c. *ut in præcedentibus.* Datum apud Vinhandraldum Burdigalenſis diœceſis XII. Kl. Decemb. pontif. noſtri anno quarto. 1308.

Archiepiſcopus Burdigalenſis poteſt ex cauſa talliare ſubjectos.

CLEMENS epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabili Arnaldo archiepiſcopo Burdigalenſi ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Illa ſpecialis dilectio quam habemus ad Burdigalenſem eccleſiam de qua, providentia divina favente, gradum ſuprema dignitatis aſcendimus, merito nos inducit ut ad ea quæ ſunt favoris & gratiæ prælatis ejus paternis ſtudiis 1308.

favorabiliter intendamus. Hinc eſt quod nos tuis ſupplicationibus inclinati, tibi & ſucceſſoribus tuis archiepiſcopis Burdigalenſibus qui erunt pro tempore, auctoritate præſentium indulgemus ut cum per te vel ſucceſſores eoſdem ac ſuffraganeos tuæ eccleſiæ Burdigalenſis, vel majorem partem ipſorum fuerit ordinatum de mittendo aliquas perſonas ad Romanam, vel regum ſeu principum, aliorumve judicum ſecularium curias, vel alibi pro domibus veſtris, ſuffraganeorum ipſorum negotiis, vel alicujus eorumdem ſeu perſonarum eccleſiaſticarum provinciæ Burdigalenſis; aut hominum ſeu vaſſallorum tuorum, vel eorum, liceat tibi ac eiſdem ſucceſſoribus tuis de conſilio ſuffraganeorum dictæ eccleſiæ qui tunc præſentes erunt, adhibitis tecum & ſucceſſoribus tuis, ad hoc aliquibus abbatibus vel aliis eminentibus perſonis dictæ provinciæ, prout tuæ & eorumdem ſucceſſorum diſcretioni videbitur expedire, * hujus perſonas mittendas eligere, ac eis de competenti ſalario pro expenſis & labore ipſorum, prout tibi & eiſdem ſucceſſoribus expedire videbitur, providere; ac propter hoc perſonis eccleſiaſticis non exemptis civitatis & diœceſis ac provinciæ Burdigalenſis collectas imponere, ipſaſque inter eaſdem perſonas eccleſiaſticas dividere prout tibi ac dictis tuis ſucceſſoribus de conſilio dictorum ſuffraganeorum videbitur faciendum; ac nihilominus hujuſmodi perſonas eccleſiaſticas ad ſolutionem imponendorum eiſdem per cenſuram eccleſiaſticam, appellatione remota, auctoritate apoſtolica cohercere, cum olim occaſione hujuſmodi collectarum imponendarum & diſtribuendarum in conciliis ejuſdem provinciæ magnas turbationes viderimus, & ex hoc negotia eorumdem pati non modica detrimenta; non obſtante ſi aliquibus communiter vel diviſim a ſede apoſtolica ſit indultum quod ad ſolutionem aliquarum collectarum imponendarum, eiſdem minime teneantur; & ad id compelli ſive quod interdici, ſuſpendi vel excommunicari non poſſint per litteras apoſtolicas quæ de indulto hujuſmodi plenam & expreſſam ac de verbo ad verbum non fecerint mentionem, & qualibet alia dictæ ſedis indulgentia generali vel ſpeciali, cujuſcumque tenoris exiſtat, per quam præſentibus non expreſſam vel totaliter non inſertam effectus præſentium impediri valeat quomodolibet vel differri, & de qua cujuſque toto tenore habenda ſit in noſtris litteris mentio ſpecialis. Nulli ergo omnino hominum hanc paginam noſtræ conceſſionis infringere &c. *ut in ſuperioribus.* Datum apud Vingandraldum Burdegalenſis diœceſis XII. Kl. Decembris, pontificatus noſtri anno quarto.

* *f.* hujuſmodi.

Privilegium conſervatorium privilegiorum eccleſiæ Burdigalenſis.

CLEMENS epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabilibus fratribus Aquenſi & Baionenſi epiſcopis, ac dilecto filio archidiacono Vaſatenſi ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Ad compeſcendum conatus nepharios perverſorum qui non ſolum perſonas eccleſiaſticas, verum etiam venerabiles fratres archiepiſcopos & coepiſcopos noſtros offendere, ac multiplicibus perturbare moleſtiis non verentur; tanto magis nos convenit contra temeritates talium remedium apoſtolicæ proviſionis apponere, quanto magis hujuſmodi offenſæ & moleſtiæ in eccleſiaſticæ libertatis noſcuntur diſpendium redundare. Cum itaque venerabilis frater noſter Arnaldus Burdigalenſis archiepiſcopus, ſicut ipſe nobis expoſuit, a nonnullis qui nomen Dei in vanum recipere non formidant, graves patiatur injurias & jacturas, nos volentes eidem archiepiſcopo ſuper hiis de opportuno ſubventionis remedio contra præſumtionem talium providere, diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus quatinus vos vel duo aut unus veſtrum per vos vel per alium ſeu alios eidem archiepiſcopo & ſucceſſoribus archiepiſcopis Burdigalenſibus qui pro tempore fuerint, efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, non permittatis eos contra indulta privilegiorum eis ac eccleſiæ Burdigalenſi a ſede apoſtolica conceſſorum, in perſonis & bonis eorum ab aliquibus indebite moleſtari; exhibitum dictis archiepiſcopis & ſucceſſoribus cum ab eis aut procuratore ſeu procuratoribus ſuis fueritis requiſiti, de prædictis moleſtatoribus cujuſcumque conditionis, dignitatis, aut ordinis vel ſtatus exiſtant, etiamſi pontificali vel alia quavis præemineant dignitate, ſuper hiis videlicet qui judicialem requirunt indaginem ſummarie de plano ſine ſtrepitu & figura judicii, ſuper aliis vero prout qualitas negotiorum exegerit juſtitiæ complementum moleſtatores hujuſmodi, & contradictores quoſlibet per ſuſpenſionis & excommunicationis in perſonas ſingulares, & per interdicti in capitula, conventus, & collegia, univerſitates & communitates quaſlibet, & civitates, caſtra & terras omnium ſingularium prædictorum ſententias, appellatione non poſita, compeſcendo, invocato ad hoc, ſi neceſſe fuerit, auxilio brachii ſecularis; non obſtante ſi aliquibus a ſede apoſtolica ſit indultum vel in poſterum indulgeri contingat quod excommunicari, ſuſpendi vel interdici, ſeu quod extra vel ultra certa loca ad judicium evocari non poſſint per litteras apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem, aut quibuſcumque indulgentiis dictæ ſedis per quas noſtræ juriſdictionis explicatio in hac parte valeat quomodolibet impediri; & conſtitutione de duabus dictis, edita in concilio generali, & illa quam felicis recordationis Bonifacius papa VIII. prædeceſſor noſter edidit de aliquo a fine ſuæ diœceſis ultra unam dietam ad judicium non vocando, dummodo ultra tertiam vel quartam aliquis extra ſuam diœceſim ad judicium non trahatur. Volumus autem & apoſtolica auctoritate decernimus quod a data præſentium ſit vobis & cuilibet veſtrum in his omnibus & ſingulis poteſtas & juriſdictio attributa, ut ex nunc in præmiſſis & eorum quolibet ita libere procedere valeatis, ac ſi eadem juriſdictio per citationem vel alium actum perpetuata legitimum extitiſſet, & quaſi re non integra perpetuata præfata juriſdictio cenſeatur; quodque unuſquiſque veſtrum articulum per collegarum ſuorum aliquem inchoatum, prædicti prædeceſſoris noſtri Bonifacii contraria conſtitutione ceſſante, perſequi libere valeat, etiam eodem collega vivente, nec impedimento aliquo præpedito quotiens & quando fuerit oportunum. Datum apud Montem-Peſſullanum Magalonenſis diœceſis V. Kl. Martii, pontificatus noſtri anno quarto.

CLEMENS epiſcopus ſervus ſervorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Magnus dilectionis affectus quem ad Burdigalenſem eccleſiam gerimus, mentem noſtram ſollicitat ut ad ea quæ ſui ſtatus incrementa reſpiciunt, ſollicitis ſtudiis intendamus. Nuper ſiquidem accedentibus ad eamdem eccleſiam in die tranſlationis B. Andreæ apoſtoli, in cujus honore eadem eccleſia eſt conſtructa, quatuordecim annos & quatuordecim quadragenos, & qui per viginti dies ante, & viginti dies tranſlationem eamdem ſequentes immediate venerabiliter viſitarint diebus ſingulis quibus infra hujuſmodi tempus cauſa devotionis accederent ad eamdem, ſeptem annos & ſeptem quadragenas indulgentiæ duximus concedendos prout in noſtris ſuper hoc confectis litteris plenius continetur. Cum autem ſperemus quod ratione hujuſmodi indulgentiæ confluat ad eamdem eccleſiam de diverſis mundi partibus fidelium multitudo: nos fidelibus ipſis in his quæ ſpectant ad animarum ſalutem ſalubriter conſulere cupientes, ut eis magis exiſtat hujuſmodi indulgentia fructuoſa, apoſtolica auctoritate ſtatuimus quod temporibus dictæ indulgentiæ ſex pœnitentiarii, ſi tot archiepiſcopo Burdigalenſi qui nunc eſt & pro tempore fuerit, neceſſarii videbuntur, ad hoc idonei aſſumendi de eadem eccleſia vel etiam aliunde per ipſum archiepiſcopum

1307.

perpetuis futuris temporibus in eccleſia prædicta exiſtant ad quos fideles ipſi pro pœnitentiis, abſolutionibus & cœteris quæ ad ſuarum ſalutem animarum pertineant, valeant habere recurſum. Qui quidem pœnitentiarii taliter ab eodem archiepiſcopo deputati, erga omnes qui ad eccleſiam ipſam pro hujuſmodi indulgentia vel ſaltem pro majori parte ipſius viſitabunt, illam per omnia quam habent pœnitentiarii veſtri minores ſeu inferiores, præterquam in caſu excommunicationis, obtineant firmitatem. In quo autem caſu ab eadem excommunicatione illos abſolvere nequeant qui eam incurrerunt vel incurrent in poſterum, latam ab homine vel a jure. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ conſtitutionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem &c. *ut in ſuperioribus.* Datum Pictavis Kl. Julii, pontificatus noſtri anno tertio.

II.

Notitia de inſtauratione monaſterii S. Crucis Burdigalenſis.

REgnante Willelmo comite quod vocatur bonus in civitate Burdegalenſi, convocavit majores domus ſuæ quodam die, & ait ad illos: Date mihi conſilium de hoc quod vobis loqui volo. Audio quod per multas regiones conſtruunt monaſteria ad ſervicium Dei faciendum in ordine monachile, & volo ut cogitetis & dicatis in quo loco dederitis mihi conſilium ut pro redemptione animæ meæ, vel omnibus adjutorium facientibus conſtruam unum monaſterium intus civitatem aut foras. Erat autem juvenis eloquentiſſimus de nobili genere, litteris eruditus, cujus nomen vocabatur Trencardus, locutus eſt coram omnibus dicens: Non eſt convenientia ut tam perfecta provincia, ſicut eſt iſta, ſit extranea a conſortio monachorum. Audivimus a multis ſenibus quod foras civitate in oratorio quod eſt in honore ſanctæ Crucis, ædificata ab antiquis temporibus fuiſſet habitatio monachorum non parva, ſed a paganis eſt deſtructa, & eſt in mea hereditate, & fuit anteceſſoribus parentibus meis, & ſi tibi & omnibus placet, ut reædificare velis, hoc quod a me pertinet, ac ſervicio Dei faciendum, ego derelinquam. Placuit hoc conſilium comiti & hominibus qui ibi aderant, ſcientes quod per voluntatem Dei eveniſſet. Venit comes Willelmus & cœpit ædificare & perſeveravit. Cum completa eſſet ædificatio monaſterii, conſtituit XIII. monachos & abbatem XIV. cui nomen Elis in ſervicio Dei perſeverantes, & congregans omnes principes Burdigalenſium & vocavit matrem ſuam nomine Entregodis, & uxorem ſuam Aremburgis, & venerunt ante altare quod eſt in honore ſanctæ Crucis ædificatum, & dixit coram hominibus Willelmus comes: In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, Ego Willelmus filius Raimundo comiti do iſtas terras cum iſtas vineas, & eccleſiam ſancti Ylarii de Ortellano cum omnia ei pertinente & villa, quæ vocatur Solaco cum oratorio ſanctæ Dei Genitricis Mariæ, cum aquis dulcis de mare ſaliſſa uſque ad mare dulcia, cum montanecis, cum pineta, cum piſcatione, cum cuncta prata ſalvicina capiente, cum ſervis & ancillis. Cuncta hæc dono Deo & hoc altare in honore ſanctæ Crucis ædificato a conſtitutione hunc locum & Dei ſervicio adimplendum. Si quis vero, quod futurum eſſe non credimus, voluntati noſtræ, vel quilibet adinventionibus, aut aliquis de hæredibus noſtris, ſeu judicum cupiditas, vel quælibet perſona obvius vel repetitor extiterit, a conventu omnium Chriſtianorum, vel limitibus eccleſiarum extraneus habeatur, & Judæ traditoris domini noſtri Jeſu Chriſti perfruatur conſortio. Inſuper etiam partibus ipſius monaſterii, vel fratrum ibidem conſiſtentium, ſociato quoque cum exactione ſacratiſſimo fiſco auri libras C. & argenti mille coactus exſolvat, & quod repetit, nullatenus valeat vindicare, ſed præſens donatio, quæ a nobis pro amore Dei eccleſiæ ſanctæ Crucis conſcripta eſt, firma & illibata omni tempore valeat permanere cum ſtipulatione ſubnixa. Actum ibi, Signum Willelmo comiti, S. Aldeberti archiepiſcopi, S. Ociando, S. Aichelm, S. Erad. S. Willelmo, S. Aixardo, S. Adaiz, S. Aladem.

III.

Gumbaudo archiepiſcopo ſedente, confertur S. Severino Burdigalenſi media pars eccleſiæ S. Petri in villa Parrumpoira.

IN nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti. Tempore illo quo B. Severinus angelica admonitione ad has partes venit, hicque Domino volente, expulſa omni Arriana hæreſi requieſcere voluit, ſancti Patres fecerunt poſt extinctionem ejus, locum in ejus honore conſecratum. Conſecrato illo loco dederunt de poſſeſſionibus ſuis, ſecundum quod habebat unuſquiſque; & ex eo tempore parentes noſtri ſecuti ſunt ejus veſtigia, audientes Dominicum ſermonem, ut quiſque daret huic loco & aliis in honore Domini & Sanctorum, multiplicatum redderetur ſibi hic, & in futuro; quapropter quædam matrona multis nobiliſſimis parentibus orta, cui nomen Peironeria, venit ſupplici vultu ad hujus patroni locum, & vocatis canonicis, qui ibi aderant, ut viderent, dedit medietatem eccleſiæ S. Petri S. Severino in villa quæ vocatur Parrumpoira, hoc pacto ut quicumque ſervirent huic loco & haberent memoriam ejus, expulſo omni hærede & contradictore aliquo inſtigante diabolica nequitia poſſederit. Hoc ſi quis contradicere voluerit, authoritate B. Petri & Pauli, necnon Gumbaudi archiepiſcopi, qui tunc temporis archiepiſcopus Burdig. erat, excommunicamus, & ab omni Chriſtianitate expellimus; & ſi morte præoccuparus fuerit, quicumque ſit ſive laicus ſive clericus, numquam ſepeliatur in cœmeterio, neque ſibi faciat quiſquam divinum officium, ſed ponatur in ſepultura aſinorum. S. Willel. de Forca. S. Willel. Errat. S. Helias. S. Andraldus Gater.

IV.

Diploma Willelmi ducis Aquitaniæ quo villam S. Macharii in qua iſte ſanctus requieſcit, concedit eccleſiæ S. Crucis Burdigalenſis.

EGo in Dei nomine Guillelmus Deus dono dux Aquitaniæ, & uxor mea Aremberga, conſidero gravitatem * peccatorum meorum, * & propterea concedo ad baſilicam S. Crucis Burdegalæ, ſalvitatem illius loci & allodium liberum *, & villam S. Macharii ubi ipſe B. Macharius tumulatum ejus corpus requieſcit, cum decima & cum omnes res, jus de terra & ex mare & cum juſtitia ſanguinis *, & cum pedagio & aliam ſalvitatem S. Mariæ de Macha * cum decima, & omne jus & conſuetudines, & eam * prope adjacentem inſulam, & cum paduenſa in terra & in mare, & alteram villam S. Hilarii de Ortellano * cum decima * & alteram quæ vocatur Solaco cum oratorio S. Genitr. Mariæ, cum decimis & aquis dulcis, & terris de mare Saliſſa uſque ad mare de Gironda & de Ubre de Syort uſque ad grava, cum mariſco, & cum montaneis, cum pineta, cum piſcatione, cum cuncta prata Salvicina capiente; cum ſervis & ancillis. Ecce vero omnes iſtas villas cum juſticiis ſanguinis, & de omnes res cum eccleſiis earum & cum omnes conſuetudines & jura, cum conſuetudine trium modiorum ſalis & cum la pojadas & la fromentada, & cum totas pertinentias in pratis, in conſuetudinibus, in nemoribus, in vineis, & in viis, & in ſemitis, ad ſacratiſſimum lignum, ſeu & ad ipſius congregationem Deo ſervientem, quod Burdegalæ ſitum eſt, dono, & transfero atque transfundo in illorum ibi

1026.

* gravitudinem.
* & reminiſco bonitatem Dei dicentem: *Date eleemoſynam & ecce omnia munda ſunt vobis.*
* dè omnem malam exactionem, & de omnem rapinam.
* & de omnes res.
* Machao.
* cum.
* Ortoillano.
* & cum paduenſa, de aquas, & de ligna, & de terras; & alteram villam.

Digitized by Google

degentium monachorum ad ſtipendia & congrua ipſorum trado, & do poteſtatem vel dominationem ad habendum & libere poſſidendum, & faciendum communiter quidquid voluerint, neminem contradicentem. Si vero aliquis aſſurrexerit deinceps falſo nomine comes, epiſcopus, vel aliquis hujus ſæculi tyrannus, qui iſtas res ſupra ad ſuum opus mittere non timuerit, & per violentiam aliquid abſtulerit, imprimis iram Dei omnipotentis incurrat; & a conſortium Chriſtianorum extraneus fiat, & cum Dathan & Abiron terra vivos abſorbeat, & nunquam ad ſanctam reſurrectionem cum juſtos appareat, ſed in cocheti laqueis pœna perpetua crucietur. Et ſi aliquis adverſariorum aſſurrexerit, ſi ſalvitates violaverit, mille libras auri coactus fratribus componat. Hæc donatio quippe facta eſt anno M. XXVII. Incarn. Dom. præſente Fulconi-Gaufridi, & Trancardo baronis, Combaudo Oſtendi, & Guillelmo præpoſito, Eduardo & Guitberto milites & alius; aſſiſtente monaſteriis imprimitus ſanctæ Crucis, & S. Mariæ de Solaco, & S. Macharii & eccleſiis aliis abbate Gombaudo, & eccleſiæ Burdigalenſi archiepiſcopo Godefredo.

Hoc inſtrumentum a ſe viſum teſtatus eſt Henricus III. rex Angliæ, illudque refert in ſuis litteris, ex quibus multas varias lectiones collegimus. In fine litterarum addit Rex: Nos ergo ut omnis ſuſpicio falſæ latinitatis qua prædicta charta vicioſa videtur, præſentibus & futuris radicitus amoveatur, ne aliquatenus poſſit ob hoc prædicto monaſterio ſanctæ Crucis Burdigalenſis & abbati & monachis ibidem Deo ſervientibus, quos ſincera complectimur in domino charitate, præjudicium aut gravamen aliquod generari, non obſtante hujuſmodi vitio, chartam ratificantes eandem, prædictas conceſſiones & donationes ratas & gratas habentes, eas pro nobis & hæredibus noſtris prædicto monaſterio libere concedimus & confirmamus, ſicut prædicta charta præfati ducis, in qua prædictæ conceſſiones & donationes plenius continentur, ſicut & confirmationes Guillelmi quondam ducis Aquitaniæ & regis Ricardi avunculi noſtri, tunc temporis comitis Pictavenſis & reginæ Alienor matris ipſius quondam reginæ Angliæ rationabiliter teſtantur. Hiis teſtibus venerabilibus patribus Ay. archiepiſcopo Ebredunenſi, & P. Hersfordenſi epiſcopo, Johanne filio Gofridi, Philippo Baſſet, Radulfo filio Nachat, Johanne de Lexenthon, Johanne de Pleyſſadas, Paulino Pebre, Johanne Maninfett, Guidone de Roſſilhon & multis aliis. Datum per manum noſtram apud Burdegalam XXIII. die menſis Auguſti, anno regni noſtri viceſimo VII.

V.

Ex chart. S. Crucis fol. 53.

Ama comitiſſa dat monaſterio B. Mariæ de finibus terræ quandam partem hereditatis ſuæ juxta Dordoniam.

1043. IN Chriſti nomine, cujus gratia diffuſa eſt per ſæcula cuncta. Ego Ama comitiſſa Burdegalenſis ſeu Petragoricæ patriæ ad reſtaurationem ſanctæ Dei Eccleſiæ ob remedium animæ meæ, necnon parentum meorum, confidens in ejus promiſſionibus qui dixit: *Quicumcumque dederit uni ex minimis iſtis calicem aquæ frigidæ, non perdet mercedem ſuam*; ob cujus amorem do quamdam meam hæreditatem cum omni integritate cuidam monaſterio conſtructo in honore ſanctæ Mariæ de Finibus-terræ, ut ibi Deo famulantibus, ſive digne obſequium perſolventibus ſit ſupplementum inopiæ; quatenus remuneratori bonorum omnium gratias agentes, & agendo gratias mercedem centuplum accipientes, mereamur jungi conſortio electorum quorum Chriſtus eſt caput & præmium. Igitur notum fieri volumus cuncto cœtui tam præſentium quam futurorum virorum illuſtrium, quod ipſa hæreditas eſt intra Dordonia & vocatur *Medrins*, quæ jure ab anteceſſoribus meis uſque ad me deducta eſt, Deo auxiliante; nec illis nec mihi minime impediente vel contradicente. Quam ſi quis deinceps arripuerit, ſeu abſtulerit vel prædaverit, inimicam habeat matrem totius ſæculi conditoris. Hæc datio quippe facta eſt anno M. XLIII. Incarnationis Domini noſtri Jeſu Chriſti, Francorum rege Henrico regnante, præſidente Godefredo archiepiſcopo, & incomparabili luce ſapientiæ ac morum honeſtate refulgente ſedi ſanctæ eccleſiæ Burdegalenſi, domno Gombaldo abbate aſſiſtente monaſteriis inprimitus ſanctæ Crucis & ſanctæ Mariæ, cui hæc datur hereditas, & S. Macharii; & ut hæc noſtra ſit munita, ſucceſſorum noſtrorum oppido precamur juvamina, ne illorum ignorantia, hæc Domini perdat ſancta eccleſia.

VI.

Ex chartul. Barbezilli quod aſſat apud Barnabitas Laſcurrenſes.

Charta fundationis prioratus Barbezilli ordinis Cluniacenſis, ſuaſu Gotfredi Burdigalenſis archiepiſcopi conſtructi.

NE poſterorum deleantur memoria, cartis adſignantur priorum geſta; ut quod mortalis recitare nequit generatio, certa litterarum repræſentet adnotatio. Quoddam igitur memoria dignum noſtris temporibus geſtum more litterario memoriæ tranſmittimus ſequentium. Alduinus Berbezilli caſtri jure hereditario poſſeſſor ac dominus, in honore S. Mariæ ædificavit monaſterium, ſuaſu ac favore atque inceptu domini Gotefridi Burdegalenſis archiepiſcopi, qui primas fundamento appoſuit petras, data ſibi licentia ab eodem archiepiſcopo, ut ubicunque vellet monaſterium idem regulariter regendum pro animæ ſuæ remedio daret. Hac accepta licentia, orationis gratia cum uxore ſua Giberga S. Mariæ Magdalenæ adiit oratoria, unde dum reverteretur gravi corporis infirmitate corripitur. Mox Cluniacum inſigne monaſterium petiit, ibique Deo ac ſanctis apoſtolis ejus Petro & Paulo, ac domno Hugoni abbati prædictum monaſterium cum omnibus quæ illi dederat contradidit, conteſtans & anathematizans omnes qui huic dono inſurgerent ut exhereditaretur a celeſti patria & ab omni illa quam poſſederat terra, & poſt hæc monachicum ſumpſit indumentum. Hæc ſunt autem dona quæ illi monaſterio ipſe Aldoinus & alii ſeniores contulerant: dedit Alduinus & filius ejus Iterius capellam S. Eumachii cum omnibus appenditiis ſuis & altare S. Severini cum cimeterio & terra altaris, dedit & cimeterium S. Mariæ liberum & omnis exactionis immunem a ſucceſſoribus ſuis & conſuetudines Burgi, dedit & extra caſtrum terram in qua monachi fecere grangiam ſuam & aream. In hoc dono ſunt ſex ſexteratæ terræ & amplius. Aliud etiam fecit donum ut quiquid monachi poſſent adquirere de feudis ad ſe pertinentibus emtione ſive donatione vel oblatione ſeu vadatione, eſſet liberum & inmune a ſucceſſoribus ſuis perpetuis temporibus. Donavit etiam culturam ſuam quæ vocatur Tornaſol. In hac terra mainaverunt monachi ruſticos qui reddunt eis quartum terræ & oblias, viginti ſcilicet & duos ſolidos & queſtam & avenam & gallinam & ſervitium omne quod ab eis exigunt monachi. Hæc villa libera eſt & omnis exactionis immunis etiam de domno caſtri Berbezilli & de omnibus militibus qui in eodem caſtro habitant.

Matth. 10. 42.

Digitized by Google

VII.

Ex tab. S. Severini. ***Charta cujuſdam cenſus ſolvendi S. Severino, ab eccleſia Berbezillenſis principatus.***

1060. SIcuti ex antiquo tempore exigente ratione conſtitutum eſt, quiſquis Berbezillenſis principatus fructus fortitur, de S. Severino, & archiepiſcopo ſe principatum prænotatum habere non ignorare debet. Heiterius itaque plurimorum veſtigia prædeceſſorum ſequutus, hunc ipſum honorem ſe tenere fatetur, ſicut præmiſimus. Cujus etiam pater Alduinus cum in territorio Berbezillenſi unam eccleſiam fundare vellet, advocavit archiepiſcopum Godefridum ut fundamento ponendo intereſſet, & eodem diſponente eccleſiam faceret. Qui cum veniſſet ad locum conſtitutum, tres lapides ſuis manibus in fundamento eccleſiæ poſuit in Dei & B. Mariæ honore. Poſtquam vero hæc compoſita fuit eccleſia, Alduinus præfatus jam ſenex, etiamque emeritus, S. Petro Cluniacenſi & ejus monachis, factus & ipſe monachus, eam injuſte donavit. Quo defuncto Heiterius, qui ejus filius fuerat, animadvertens patrem ſuum in hoc dono quidem erraſſe, coactus ratione, S. Severino & archiepiſcopo illam eccleſiam reddidit, cum rebus ſuis pertinentibus. Et quoniam Eleazerus diligenter procuravit ut hæc eccleſia ad S. Severinum, cujus ipſe decanus eſt, rediret, ab eodem S. & archiepiſcopo eam habet, & in uno quoque anno quandiu vixerit, B. Severino 10. ſol. ſolvet tributum. Quicumque vero poſt eum ſive decanus, ſive aliquis alter ſub decano hoc habebit, tantumdem ſupradicto ſancto ſolvat. Hæc autem charmula compoſita fuit anno ab Incarn. Dom. M. LX. Philippo rege regnante, & Guillelmo Aquitaniæ duce rebelles triumphante, & Goſcelino populum ſibi commiſſum catholice docente.

VIII.

Diploma Willelmi al. Gosfredi Aquitaniæ ducis, quo, petentibus eccleſiæ S. Hilarii canonicis, præſertimque Goſcelino archiepiſcopo Burdigalenſi, & ejuſdem eccleſiæ theſaurario, decernit ut nullus in ea fiat canonicus ex filiis presbyterorum aut aliorum clericorum, vel ex ſpuriis.

GOSFREDUS Dei gratia dux Aquitanorum, & Willelmus filius ejus, univerſis canonicis eccleſiæ glorioſiſſimi confeſſoris Hilarii, tam præſentibus quam futuris, imo & univerſis in ducatu Aquitaniæ &c. Quapropter nos, ego videlicet Gosfredus, gratia Dei Aquitanorum dux, & abbas, quantum laïco licet, eccleſiæ beati patroni noſtri Hilarii, filiuſque meus chariſſimus Willelmus, ex petitione canonicorum eccleſiæ præfatæ, & præcipue domni Goſleni venerabilis Burdegalenſis archiepiſcopi, & ejuſdem eccleſiæ theſaurarii, necnon conſenſu & collaudatione domni Iſemberti Pictavenſis pontificis, pariterque procerum noſtri palatii determinando confirmamus & confirmando determinamus, ut ab hac die in perpetuum nullus cujuſlibet preſbyteri filius, vel diaconi, vel ſubdiaconi, aut alicujus clerici, nullus quoque ſpurius, id eſt qui non eſt de legitimo matrimonio natus, fiat unquam in eccleſia ſupradicta quolibet modo canonicus. Si autem aliquis ex iſtis, ſcilicet ex clericorum filiis, vel cæteris ſpuriis, antequam edictum domini papæ Gregorii VII. quod de illis promulgatum eſt in concilio Pictavenſi a domno Hugone Dienſium epiſcopo, & Sedis apoſtolicæ legato, eſſet recitatum, factus eſt in illa canonicus, ſicut ille utique permiſit, ut ita permaneat permittimus. Sed tamen ut nullo modo ibi ad quodlibet miniſterium amplius promoveatur, indiſſolubiliter ſanciendo ſtatuimus, & ſtatuendo ſancimus; uſque adeo etiam per univerſa tempora ſuccedentia decretum iſtud auctoritatis noſtræ, immo apoſtolicæ, ratum eſſe duximus, & illibatum fore voluimus, quod illud ſcribi fecimus, ſcriptumque manibus propriis confirmavimus, confirmatum autem ſigillo noſtro conſignavimus, conſignatum quoque perſonis ſuppoſitis ad conſtipulandum tradidimus. Addimus quoque præſenti decreto aliud, quod in prædeceſſorum noſtrorum privilegiis ſtatutum eſſe invenimus, ut ab hac die & deinceps ſupra LX. canonicos nullus in canonicum conſtituatur; neque donum, neque inveſtitura, neque pretium cuilibet detur; donec aliquis de numero LX. moriatur; exceptis illis quos ſupra LX. poſitos eſſe modo invenimus, quos in canonicos conſtituendos eſſe ſuis temporibus concedimus. Signum Otgiſii cantoris, Willelmi neporis archiepiſcopi, Hugonis de Cohec, Willelmi ſubdecani &c. Gosfredi Aquitanorum ducis, Guillelmi filii ejus, Goſcelini Burdegalenſis archiep. & theſaurarii S. Hilarii, Iſemberti Pictavenſis epiſcopi, Amati apoſtolicæ Sedis vicarii, Rainaldi theſaurarii S. Martini, Simonis prioris S. Nicolai, Guidonis abbatis Novi-monaſterii, Ademari abbatis S. Martialis, Odonis abbatis S. Johannis, Gervaſii abbatis S. Savini, Bertranni abbatis S. Juniani. Hæc ſunt nomina laïcorum: ſignum Hugonis Surgeriarum, Borelli de Monſterolio, Hugonis præpoſiti, Maingonis de Mella. Hugonis de Lezignem. Hujus autem privilegii ſcienter violatores, omneſque eis conſentientes ex prece prædicti principis, & filii ejus Willelmi, & ſupplicatione canonicorum præfatæ eccleſiæ, ego Goſcelinus Burdegalenſis archiepiſcopus, & Iſembertus Pictav. præſul, & Amatus Sedis apoſtolicæ vicarius, excommunicamus atque maledicimus, niſi reſipuerint, & ad emendationem quam citius venerint.

IX.

Ex tabul. Vindocin. ***Ex qua probatur Archembaldum Burdigalenſem archiepiſcopum hac dignitate potitum non eſſe uſque ad mortem.***

1068. ANno Incarnationis Dominicæ M. LXVIII. menſe Octobri, ultima Dominica ejuſdem menſis, cum apud caſtrum quod Surgeriis accolæ nuncupant, remorantem Guidonem Aquitanorum ducem, Odericus abbas Vindocini & quidam de monaſterii fratribus expetiſſemus, quatenus inquietudines & injurias terræ S. Trinitatis de S. Aniano a præpoſito ſuo, qui Seniorulus dicitur, irrogatas, ſicut nobis ante promiſerat, in jus reduceret, & terram antiquæ ſuæ libertati qua donata fuerat, ad integrum reſtitueret, contigit ut quibuſdam aliis neceſſitatibus ſuis præpeditus, cauſam noſtram duobus ſuis fidelibus Archembaldo videlicet archiepiſcopo jam depoſito, atque Gosfrido de Rupeforti, tractandam examinandamque committeret. Cauſa igitur incœpta, cum ad id ventum eſſet ut jam dictus præpoſitus hanc in maritimis noſtris eſſe conſuetudinem affirmare vellet, ut quamdiu comitis ſervientes ſalem juſto pretio vellent emere, nulli alii homines S. Trinitatis auderent vendere: proteſtantibus e contra monachis noſtris qui aderant, omnino falſum eſſe: teſtem ſibi chartam donationis a fundatoribus loci legitime confirmatam in medium produxerunt. Quæ cum in audientia univerſorum qui aderant, recitata fuiſſet, repertum eſt non ſolum maritima illa & terram de S. Aniano, ſed omnem omnino terram S. Trinitatis cœnobii Vindocinenſis, ubicumque ſita ſit, ab omni conſuetudine conſulari liberam penitus & quietam eſſe. Sed cum memoratus præpoſitus importunius adhuc idcirco ſeſe præfatam conſuetudinem nequaquam relicturum proclamaret: conſilio domnus abbas Odericus cum fratribus accepto, placitum illum utpote non nobis taliter utile derelinquens, ad comitem venit, conſuluitque utrum donationem jure factam

Digitized by Google

factam & certam, ut erat, legitime corroboratam annueret. Comes vero libenter & donationem ſicut prius a matre ſua Agnete comitiſſa & Gosfrido comite facta legaliter fuerat, & chartam ſimiliter ut fratris ſui Guillelmi Pictavorum comitis manu fuerat conſignando roborata, conſenſit, & adſtipulavit &c. Teſtes qui affuere nomina ſunt hæc: Odo abbas S. Johannis de Angeriaco, abbas S. Michaëlis de Heremo, Oſtenſis de Tailliburgo, Hugo de Surgeriis, Gosfridus de Talniaco, Gosfridus de Rupeforti, Archenbaldus archiepiſcopus de S. Maxentio.

X.

Concilium Burdigalenſe cui Goſcelinus archiep. intereſt, eccleſiam B. M. de Solaco adjudicat abbati S. Crucis Burdig.

1079. IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis Patris & Filii & Spiritus ſancti. Ego Amatus ſanctæ Romanæ Eccleſiæ legatus, Elorenſiumque humilis epiſcopus, juſſu ac vice domini papæ Gregorii ſeptimi ob eccleſiarum Dei correctionem in Aquitaniæ partes directus, omnibus fidelibus præſentibus & futuris per hoc privilegium noſtræ auctoritatis notum fieri volo, quod controverſiæ illi & altercationi, quæ inter Arnaldum Trencardi abbatem ſanctæ Crucis, & Arnaldum abbatem ſancti Severi & monachos utriuſque congregationis, ſuper eccleſia ſanctæ Mariæ de Solaco diutius agitata, & uſque ad prædictam ſedem apoſtolicam fuerat perlata, in ſynodo, quam cum confratre noſtro Hugone ſanctæ Romanæ Eccleſiæ legato Dienſiumque venerabili epiſcopo apud Burdigalenſem celebravimus urbem, quantum in nobis, vel potius quantum in ipſa fuit juſtitia, certum & canonicum impoſuimus finem. Cum enim in prædicta ſynodo convocatis archiepiſcopis, Gocilino ſcilicet Burdigalenſi, & Willelmo Auſcienſi, Radulfo quoque Turonenſi, necnon & Dolenſi cum eorum ſuffraganeis coepiſcopis & abbatibus, ſimulque aliis religioſis perſonis tam clericorum quam laïcorum reſideremus, atque domino noſtro Jeſu Chriſto cooperante, & ſermones concilii confirmante, de multis utilitatibus ſanctæ Dei Eccleſiæ profecturis pertractando decerneremus adquandam definitionem canonicam ſuper controverſia quæ erat inter ſupra memoratos abbates de prædicta eccleſia beatæ Mariæ penultimum concilii indiximus diem. Die igitur determinato inſtante, utrique ſupra nominati abbates cum advocatis & rationatoribus ſuis in concilio aſtiterunt. Et prout quiſque melius potuit, cauſam ſuam licenter enarraverunt, & enarrando peroraverunt. Clamoribus itaque tenoribuſque utriuſque partis, omnibuſque eorum rationibus a concilio diligenter auditis ac ſubtilius pertractatis, ad ultimum ut per omnem modum ſatisfieret importunæ invaſioni Arnaldi abbatis ſancti Severi, & ut perpetuum ſilentium ipſi & omnibus ſucceſſoribus ejus ſuper eccleſia ſanctæ Mariæ de Solaco canonica cenſura imponeretur; ex decreto concilii juravit Arnaldus Trencardi abbas ſanctæ Crucis, ſexta manu monachorum ſuorum ante nos in medio, & in conſpectu concilii, illud idem ſacramentum ſive juramentum de veritate, ſcilicet ſui privilegii quod dominus papa Alexander jam diu ante decreverat Romæ, debere ante ſe jurari ab ipſo Arnaldo Trencardi, tertia tantum manu monachorum ſuorum Gregorio abbati ſancti Severi. Omnium etenim fidelium poſteritati notificari volumus quod multis teſtificationibus canonicis ipſo concilio Burdegalenſi coram nobis approbatum fuit Gregorium abbatem anteceſſorem Arnaldi abbatis S. Severi uſque adeo legibus canonicis jam ante convictum fuiſſe Romæ ante dominum papam Alexandrum * pro injuria quam faciebat Arnaldo abbati ſanctæ Crucis, de eccleſia ſanctæ Mariæ do Solaco; quod ipſe abbas Gregorius ipſam eccleſiam ſanctæ Mariæ in manu ipſius domini papæ Alexandri dimiſit, & in manu ejuſdem ipſam eccleſiam ſe ulterius non invaſurum promiſit: ſubinde ipſe dominus papa Alexander ipſum Arnaldum Trencardi abbatem ſanctæ Crucis de ipſa eccleſia ſanctæ Mariæ de Solaco veſtivit. Apoſtolica ergo & concilii fulti auctoritate, Arnaldum Trencardi abbatem ſanctæ Crucis de eccleſia ſanctæ Mariæ de Solaco in ipſo concilio inveſtivimus, & ab omnibus ſucceſſoribus ſuis jure perpetuo cum omnibus ad ſe pertinentibus poſſidendam canonum cenſura decrevimus. Ut autem hæc concilii definitio firma ſemper & illibata per ſuccedentia maneat tempora, hoc privilegium noſtræ auctoritatis ſcribi præcepimus, & ſigilli noſtri impreſſione ſignari juſſimus. Actum & definitum in concilio Burdigalenſi in ipſa matre eccleſia in honore beatorum apoſtolorum Andreæ & Jacobi conſtructa anno M. LXXIX. ab Incarnatione Domini, Ind. II. concurrente I. epacta XV. IV. Idus Octobris, anno vero VI. pontificatus domini papæ Gregorii ſeptimi, aſtante & confirmante Willelmo nobiliſſimo Aquitanorum duce & comite Gaſconiæ cum ſuis principibus.

Quam ordinationem confirmavit Willelmus filius ejuſdem ducis & comitis ſucceſſor, cum Matilde uxore ſua, & Hugone fratre ſuo, ante altare S. Andreæ anno M. XCVI. Incarnationis dominicæ, VIII. Kal. Aprilis, epacta XXIII. Indict. IV. domino Urbano II. papa, & domno Amato Burdegalenſi archiep. exiſtentibus, Fulcone abbate, præſentibus Petro decano S. matris eccleſiæ Burdegalenſis & archidiacono, Eblone archidiacono, Arnaldo Simonis cantore, Ramundo Maurini, Androne, & multis aliis canonicis. Arnaldo de Blancafort, W. Præpoſito, Gumbauldo Auſtindi, & aliis militibus.

* ſecundum.

XI.

Goſcelinus Burdigalenſis archiepiſcopus plurima beneficia collata Silvæ-majori confirmat.

POſtquam egregius Pictavenſium comes duxque totius Aquitaniæ [a], domnum Geraldum ſummæ religionis abbatem cum ſibi ſubjecta congregatione velle in Silva-majori permanere, eccleſiamque in honore S. Dei-Genitricis Mariæ ædificare cognovit, multa loco ipſi beneficia contulit, non ignorans ſe fore ſempor ipſius eccleſiæ participem orationum. Donatum itaque ipſum ab omnibus poſſeſſoribus allodium, ac coram principibus regionis traditum S. Mariæ & præfato abbati, & undique diſterminatum ita a ſua omniumque poteſtate abſolvit, ut nemo ibi quicquam juris ſive dominationis audeat exhibere ſalvitatem; præterea ad luminaria eccleſiæ donavit curtem Broja; ac ejus precatu Aiguelmus Willelmi de Blanquafort quidquid in ea habebat dedit, ſed & Willelmus Heliæ Burdegalenſis vicarius piſcaturam ibi dedit Silvæ-majoris fratribus. Acta eſt hæc omnis donatio ab ipſo comite in Burdegalenſi civitate anno ab Incarnatione Domini M. LXXIX. epacta XV. Ind. II. anno VII. Gregorii VII. papæ, Philippo Francorum rege. Iſti ſunt nodatores ac præfatæ donationis firmatores, Goſcelinus venerabilis Burdegalenſium archiepiſcopus, Achelmus archidiaconus, totuſque S. Andreæ clerus, Centulfus de Biarno, Willelmus Fortis de Hornono Balduini de Centujano. S. Bernardi de Baſlada. S. Amelrici vicecomitis. S. Odonis nepotis comitis. S. Balduini de Dun. Igitur præfatus Willelmus præſentibus his aliiſque nobilibus viris, XII. Kal. Julii firmavit hoc beneficium... Acta eſt vero ſupradicta confirmatio Burdigalenſi civitate in concilio, anno ab Incarn. Dom. MLXXX. Ind. III. epacta XVI. II. nonas Octob. VIII. anno Gregorii VII. papæ, Philippo in Francia regnante. S. Willelmi

1080.

[a] Guido, dictus in baptiſmo Willelmus, cognomine Potensarmis, clarus geſtis, defenſor eccleſiarum.

Aquitanienſis ducis, confirma † hoc Deus. Ego Amatus A S. ſedis apoſt. legatus confirmo, †. Ego Hugo S. ſedis apoſt. legatus confirmo, †. Ego Gocelinus Burdegalenſis archiepiſcopus præſente concilio concedo & confirmo, †. S. Rodulphi Turonenſis archiepiſcopi, S. Willelmi Auxienſis archiepiſcopi, S. Bozonis Xantonenſis epiſcopi, S. Ademari Engoliſmenſis epiſcopi, S. Willelmi Petregorenſis epiſcopi, S. Raimundi Baſacenſis epiſcopi, S. Hugonis Bigorrenſis epiſcopi, S. Donaldi Agennenſis epiſcopi, S. Petri Agerenſis epiſcopi, S. Donis abbatis S. Johannis, S. Drogonis Malliacenſis abbatis, S. Raynaldi S. Cipriani abbatis, S. Bertrandi S. Juliani abbatis, S. Hildeberti Nantulliacenſis abbatis, S. Fulcrandi S. Salvatoris abbatis, S. Achelmi Gocelini Burdigalenſis eccleſiæ archidiac.

XII.

Ex S. Ser. tab. *De quadam reſtitutione facta eccleſiæ S. Severini Burdegalenſis, Simone Aginnenſi epiſcopo ſedem vacantem adminiſtrante.*

1088. ANno M. LXXXVIII. regnante Philippo Gallorum rege, Willelmo Aquitaniæ duce, ego Willelmus Ferran denarios VI. datos B. Severino & ejus canonicis a patre & matre mea, injuſte abſtuleram. Unde etiam ante præſentiam archiepiſcopi Gotſelini, ducisque noſtri Guillelmi, vicecomitis ſcilicet Raymundi Aquis, aliorumque circunſtantium cum illis placitavi, & ex utriſque partibus audita querimonia rectum affirmaverunt donum patris & matris meæ unquam me amplius recuperaturum. Ideoque quamvis per vulgus tenera ætate & ſenſu non timore Domini, ſed timore ducis noſtri ſupradicti volens nolens dimiſi. Poſt diſceſſum autem Gotſelini ſcilicet ac ducis excommunicatus, diabolo inſtigante, gaudens recuperavi, ſed tamen Deo volente non diu moratus dolore ſequeſtrationis Eccleſiæ & populi, conſilio amicorum meorum ad locum beatiſſimi Severini cucurri, ibique covocatis clericis & laïcis recognovi quod injuſte abſtuli. Factum eſt hoc III. Nonis Decembris, III. X. Luna, Simone Agennenſium epiſcopo locum Burdegalenſis archiepiſcopi tenente.

XIII.

Amatus archiepiſcop. Burdegalenſ. dat Silvæmajori eccleſiolam S. Lupi.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, ego Amatus Dei gratia Burdegalenſis archiepiſcopus. Si locis Deo dicatis aliquid largitionis noſtræ munere ob divini cultus amorem impertimur, præmium æternæ remunerationis nobis rependi procul dubio non diffidimus. Notum itaque ſit omnibus fidelibus tam præſentibus quam futuris, quoniam eccleſiæ ſanctæ Mariæ de Silva-majore ad divini cultus augmentum eccleſiolam quandam, quæ eſt inter duo maria conſtructam, in honore S. Lupi confeſſoris perpetuo concedimus, & ſanctuaria ad ſupradictam eccleſiolam pertinentia; & ut hæc conceſſio per ſuccedentia tempora firma & inconvulſa permaneat, hanc cartulam ſigillo noſtræ auctoritatis inſigniri præcepimus.

Item anno M. XC. *confirmat omnes eccleſias quas Goſcelinus prædeceſſor ſuus, & ipſe dederat monaſterio Majoris-Sylvæ. Teſtis Petrus decanus & archidiaconus S. Andreæ.*

XIV.

Quædam acta ad Amatum Burdegalenſem ſpectantia. *Ex chartul. Angeriac.*

AMATUS gratia Dei Burdegalenſium archiepiſcopus & S. R. E. legatus, ad petitionem venerandi Aſculfi Angeriacæ immo Angelicæ congregationis S. Johannis Baptiſtæ abbatis, dedit privilegium de quibuſdam eccleſiis quas anteceſſor Aſculfi, Odo bonæ memoriæ abbas, a Goſcilino archiepiſcopo in archipræſulatu Burdegalenſi adquiſiverat; quatenus ipſa ſupradicta Angelica congregatio ſimul cum ipſis eccleſiolis tam in augmento rerum temporalium per tempora ſuccedentia creſcat, quam in divino ſervitio in dies melius proficiat. Sunt autem iſtæ eccleſiæ: S. Maria de Vairas, S. Petrus de Vals, S. Sulpitius de Averniaco, S. Martinus de Iſon, S. Martinus de Boiſeth, S. Maria de Griſiliaco, S. Vincentius de Molon, S. Laurentius de Medulco; & hæ eccleſiæ ſunt inter duo maria. Petrus decanus & archidiaconus, Eblo archidiaconus, Arnaldus Simonis cantor, & ceteri canonici in capitulo S. Andreæ confirmant hoc privilegium. 1098.

Actum & conceſſum Burdegale, anno M. XCVIII. Incarnationis Domini, Indict. VI. concur. IV. epacta XV. domino Urbano ſecundo Romanæ ſedi papa reſidente. Data per manum Petri decani ipſi abbati A. in capitulo S. Andreæ V. Idus Martii. *Ex chartul. Angeriac. fol. 97.*

Idem Amatus definivit in concilio Burdegalenſi altercationem quæ erat inter Anſculfum abbatem S. Johannis de Angeriaco, & Garnerium abbatem S. Maxentii, & monachos utriuſque monaſterii propter eccleſiam S. Petri de Mareiſtais vetulo ſitam prope caſtrum quod nominatur Maſtacius; in favorem Angeriacenſium res fuit diffinita.

Actum & conceſſum in Burdegalenſi concilio anno ab Incarnatione Domini M. XCVIII. Indict. VI. epacta XXVI. aſſiſtentibus & præſidentibus R. Aucienſium archiepiſcopo, & R. Dolenſium archipræſule cum ſuffraganeis eorum epiſcopis & abbatibus, necnon & S. Agennenſium, & R. Petragoricenſium epiſcopis cum ſuffraganeis eorum abbatibus. Anno vero XI. pontific. domini papæ Urbani II. data, III. nonas Octobris. *Ex chartul. Angeriac. fol. 95.*

Depoſitio domni Amati archiepiſcopi notatur in necrolog. Monaſt. novi Pictavienſ. X. Kalend. Junii.

XV.

Amatus archiepiſcopus & legatus S. Sedis, abbati & monachis S. Crucis eccleſiam S. Michaëlis adjudicat. *Ex chartulario S. Crucis. fol. 53.*

IN nomine Domini Dei ac Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, Amatus ſanctæ Romanæ Eccleſiæ legatus, Burdegalenſium quoque archiepiſcopus. Quoniam ſæpiſſime hominum memoria mundanis adeo ſollicitudinibus impeditur, quod non ſolum olim, verum etiam nuperrime actorum obliviſcitur; ut deinceps præſentium mens litteris excitata, quæ vidit & audivit facile imaginetur, & futurorum ingenia iiſdem notulis de præteritis erudiantur, placuit paucis comprehendere & ſcriptis ſanctæ matris Eccleſiæ fidelium tam præſentium quam futurorum mentibus inſerere, qualiter controverſiam inter abbatem ſanctæ Crucis, videlicet dominum Fulconem, & decanum dominum Petrum ſuper eccleſia ſancti Michaëlis exortam infringibili judicio ſedavimus. Conſiſtentibus namque in præſentia noſtra abbate cum ſuis, & decano iterum cum ſuis, totiuſque cauſæ rationibus utrinque attenta ſpeculatione circumſpectis, illorum cauſæ tale judicium impoſuimus: Si abbas ſanctæ Crucis tenorem ſancti Michaëlis a 1099.

Digitized by Google

prædeceſſore ſuo A. & a ſeipſo habitum, prout multis confirmat aſſertionibus, ipſe cum duobus ſuis monachis ſacramento probaverit, quiete in poſterum eccleſiam habebit: ſin autem, ipſius cauſæ ſuperſedendum decrevimus. Quod judicium, arguente rectitudinis examine, collaudandum cunctis enituit. Quocirca in conſpectu omnium ibidem conſiſtentium abbas S. Crucis dominus Fulco aſſurgens cum ſuis, ſuper quatuor Evangelia juravit, quod prædeceſſor ſuus bonæ memoriæ A. Trencardi cum ſuis monachis, a reverentiſſimo prædeceſſore noſtro domino Gocelino & a ſancti Andreæ capitulo eccleſiam ſancti Michaëlis extra urbem ſuper Garonam ſitam prorſus ex integro in jus ſanctæ Crucis adquiſivit, præter illud quod vocatur triceſimum, & confeſſiones. Et ut prædictus abbas & ſui juxta ſanctorum patrum decreta, aliqua commutatione prædictam eccleſiam firmiter & quiete poſſiderent; quoque anno in feſtivitate S. Andreæ, ejuſdem matris eccleſiæ canonicis duos ſolidos perſolverent. Hanc ergo eccleſiam hoc modo ſanctæ Cruci conceſſam prædictus abbas, quoad vixit, quiete obtinuit. Necnon juravit ſeipſum in abbatem conſtitutum, eundem tenorem obtinuiſſe, quapropter ut deinceps eccleſia ſancti Michaëlis inviolabiliter & quiete, tamen ſemper per capellanos, ſecundum deliberationem capituli ſanctæ Crucis tractaretur. Hoc privilegium noſtræ auctoritatis firmavimus, quod impreſſione ſigilli noſtri ſignari præcepimus. Actum & conceſſum in præſentia noſtri, aſſiſtentibus P. decano, & E. archidiacono cum ceteris canonicis ſancti Andreæ, & quam pluribus aliis valentibus * tam clericis quam laïcis, an. ab Incarn. Dom. M. XCIX. Indict. VII. epacta XXVI. an. XII. pontificatus domini papæ Urbani II.

* *f.* Volentibus.

XVI.

Inſtrumentum fundationis prioratus S. Fidis de Manſirot, diœceſis Burdigalenſis, ſub Begone abbate, ex libro mirabili S. Fidis de Conchis, Arnaldo tunc archiep. laudante.

1108. IN Dei nomine. Ego Gaucelmus & fratres mei Arnaldus Cati-armati, Achelmus Willelmi, Bonbaldus quoque Rotberti, coram principibus caſtri noſtri, ducti amore Dei, & precibus domni Galterti, donamus S. Salvatori & beatæ Fidi glorioſæ virgini de Conchis, atque Begoni abbati, monachiſque ejuſdem loci tam præſentibus quam futuris, pro redemptione etiam animarum noſtrarum & omnium parentum noſtrorum, illum locum qui vocatur *Manſirot*, ſitum inter mare & ſtagnum, quantum ad nos pertinet & cognationem noſtram integre & ingenue in perpetuum poſſidendum. Hoc autem facimus ad ſalvetatem, & monaſterium ſub honore Dei & beatæ Fidis ibi conſtruendum; & ad cunillos etiam per foreſtem nutriendos, ſicuti cruces impoſitæ deſignant per circuitum: extra quoque hunc terminum damus prædicto loco omnem terram arabilem quæ in tota illa foreſte inveniri bona poterit ad laborandum, & cætera quæ inde neceſſaria fuerint ad uſus fratrum ibi Deo ſervientium; concedentes etiam paſcua porcorum ingenue, & vaccas, a Padvir per foreſtem, tam in æſtate quam in hyeme. De venis quoque piſcatoriis cum factæ fuerint ingenue; concedimus etiam partem ad ipſam beatæ Fidis ſalvetatem, quam, ſecundum loci ſitum, placuit appellari Mare-ſtagnum. Poſt diſceſſum vero domni Galteri, prior præfati loci de ipſa beatæ Fidis congregatione vir religioſus & timens Deum eligatur: nec facile aliquando dejiciatur, niſi forte quod abſit, vitioſus repertus fuerit, & ſic, clareſcentibus culpis, ejecto, alius qui dignus ſit ſubrogetur. Ego gratia Dei * A. Burdegalenſis archiepiſcopus, cum conſilio & auctoritate clericorum meorum, ſupradictam omnem dotationem laudo, & confirmo; & in quantum pertinet ad ipſam beatæ Fidis ſalvetatem, ſalva reverentia noſtræ ſedis, concedo ingenue omne jus & debitum eccleſiaſticum perpetuo inibi conſervandum. Ego W. dux Aquitaniæ, ductus precibus domni patris venerabilis Pampilonenſis epiſcopi, ſeu domni Galterti ſervi Dei, hanc cartam donationis laudo & confirmo, & quidquid deinceps ab aliquo in terra mea ad ipſam beatæ Fidis ſalvetatem datum fuerit, ingenue concedo: dans ſecuritatem ſemper, & ingenuitatem per totam terram meam coram principibus patriæ, rebus omnibus quæ ad ipſam jam prænominatam ſalvetatem pertinent. Facta carta donationis anno domini M. CVIII. in feſtivitate beati Andreæ, coram principibus patriæ, regnante Philippo rege Francorum, ac domno Petro epiſcopo præſidente Pampilonenſi eccleſiæ, & Conchenſi monaſterio domno Begone abbate. S. A. archiepiſcopi, S. W. ducis & comitis, S. Hugonis de Laſiniano, S. Arnaldi de Blancafort, S. W. Furt, S. Aimerici de Burg. S. Gambaldi archidiaconi. Fortis Gaucelmi archipreſbyter inter alios laudavit. S. Gaucelmi & fratrum ejus de Laſparra, S. Gombaldi Roberti, S. W. Heliæ, S. W. præpoſiti, S. Rotlandi & fratrum ejus de Caſtello-novo, S. Guitardi de Burg, S. Petri de Burdegala. Bonefacius beatæ Fidis monachus hanc donationis ſcripturam dictando ſubcripſit.

Reg. S. Benedicti c. 62. & 65. *Arnaldus.

XVII.

Arnaldus Guidonis de Cabanaco Burdigalenſis archiepiſcopus, cogit priorem & monachos S. Macharii, ad obedientiam & obſequium abbati & monachis S. Crucis exhibendum.

Ex chart. S. Crucis.

ARNALDUS, Dei gratia Burdegalenſium archiepiſcopus, omnibus qui ſanctæ matris Eccleſiæ & dici & eſſe filios gloriantur. Harum apicibus litterarum palam fieri volumus, quod vir venerabilis Andro abbas cœnobii ſanctæ Crucis, quod extra muros noſtræ urbis ſitum eſt, adiit humilitatem noſtram, conquerens ſuper monachis ſuis apud ſanctum Machatium degentibus, qui contra eum, ſicut ipſe aſſerebat, rebelles atque inobedientes erant. Nos autem hujuſmodi querimoniam nequaquam negligendam putantes, evocatis ad nos abbate & prædictis monachis, comperimus abbatem quoſdam ipſorum a ſancto Machario in monaſterium S. Crucis emendationis eorum gratia voluiſſe tranſponere, ſed eoſdem monachos vehementius reſtitiſſe: aſſerebant quippe tantæ libertatis monaſterium ſuum eſſe, ut non ei deberent in monaſterio S. Crucis, ſed in ſuo tantum vel cellis ad idem pertinentibus obedire. Cupientes itaque diſſidentium animos vel lenitate componere, vel certe juſta ſeveritate ad id quod religio expetit, compellere; deſignata competenti die, tam abbatem quam monachos cum munitionibus, quas ſe habere fatebantur, ante nos Burdegalam mandavimus convenire; abbates etiam diœceſis noſtræ ac religioſos quoſque huic negotio juſſimus intereſſe; quatenus eorum aut conſilio, aut judicio tali controverſiæ finis congruus poneretur. Cum ergo ſtatuto die, quos præmiſimus, ante nos Burdegalæ affuiſſent, tentavimus cum prædictis abbatibus, & aliis religioſis viris jam dictos monachos ad ſanum conſilium revocare, abbatique ſuo per debitam ſubjectionem reconciliari; ſed cum ſalubri conſilio nullatenus aſſentirent, cepit abbas in eos ita agere, dicens quod cum in pleriſque ſibi inobedientes exiſterent, in hoc pertinacius reſiſtebant, quoniam cum eos vellet a ſancto Machario in monaſterium S. Crucis religionis intuitu transferre, in hac re nolebant ei penitus obedire. At contra monachi, & qui pro eis agebat Raimundus archidiaconus noſter reſponderunt, ideo non debere eos habitandi cauſa ad ſanctam Crucem venire, quoniam ſanctus Macharius non cella S. Crucis, ſed per ſe monaſterium

1120.

erat. In eo petitiones ſuas regulariter fecerant &c. Itidem referebant hanc queſtionem ante dominum Goſcelinum archiepiſcopum, & Vidonem comitem Pictavenſem habitam jam olim perſolutam fuiſſe, de qua etiam re cartas ſe habere fatebantur, in quibus ſignificabatur & libertas monaſterii ſui, & quod nec ipſi apud ſanctam Crucem, nec S. Crucis monachi apud ſanctum Macharium habitaturi venire deberent. Ipſas itaque cartas juſſimus proferre; quas cum ſecum denegabant habere, datis triduanis induciis a ſancto Machario ſepoſita mandavimus occaſione defferre. Sed cum inſolentiæ ſuæ diffugium quærentes, hoc facere recuſarent, abbates & ejuſdem ordinis, qui aderant, fratres juſſimus ſuper auditis judicii proferre ſententiam. Judicaverunt itaque abbates, & qui cum eis juſſi fuerant fratres, ut quia prædicti monachi abbatem ſanctæ Crucis, ſuum quoque abbatem profitebantur, eique obedientiam indeterminatam promiſerant, tam apud S. Crucem quam apud S. Macharium perſolvere, ibique quo illos ſecundum timorem Domini conſtitueret, habitare deberent, quamdiu eis vitæ neceſſaria non deeſſent. Quam judicii ſententiam auctoritate plenam, cum vir venerandus Rumaldus abbas Silvæ-majoris recitaſſet, ſe quoque hanc ſtrenue defenſurum ſpopondit, ſi quiſquam contra ipſam appellare voluiſſet. Quia ergo præfati monachi, vel appellare vel ſequi quod judicatum fuerat, contempſerunt, excommunicationis ſententiam ab abbate ſuo non immerito ſortiti ſunt; nobis quoque, quoniam id juſtitia requirebat, auctoritate Dei & noſtra illam placuit confirmare. Actum anno MCXX. Verbi Incarnati, domino Calixto Romanæ cathedræ præſidente & Ludovico regnante.

Cum poſtea abbas Andro & monachi ſancti Macharii Engoliſmæ coram domino Girardo epiſcopo & apoſtolicæ ſedis legato contendiſſent, judicatum eſt, conſentiente utraque parte, quod monachi S. Macharii in capitulum S. Crucis veniant, & prædicto abbati ſuo ſecundum regulam S. Benedicti de inobedientia ſatisfaciant..... Interfuerunt autem huic deffinitioni A. Aginnenſis & B. Baſatenſis epiſcopi, A. abbas ſancti Martialis, E. decanus Pictavenſis, Hilarius Pictavenſis capicerius & alii plures .... anno Incarnationis Dominicæ M.C. XXI.

Quam archiepiſcopi ſententiam Calixtus II. papa ad ejus præſentiam ab eo vocatis & archiepiſcopo & abbate, & monachis prædictis, in generali concilio IX. Lateranenſi primo, collaudavit ut prædicta S. Macharii eccleſia, ſit in obedientia & diſpoſitione monaſterii S. Crucis. Datum Laterani per manum Hugonis S. R. E. ſubdiaconi III. Kalend. Aprilis Ind. I. Incarnationis Dominicæ M. C. XXIII. pontificatus domini Calixti ſecundi quinto.

XVIII.

Giraldus Engoliſmenſis epiſcopus legatus S. Sedis, ad ſedem Burdigalenſem tranſlatus, eccleſiam S. Petri de Benciaco dat monaſterio S. Crucis.

1130. GIRARDUS Burdegalenſis archiepiſcopus, & ſanctæ Romanæ eccleſiæ legatus, venerabili fratri Androni abbati S. Crucis & monachis ei a Deo commiſſis eorumque ſucceſſoribus in perpetuum. Quamdiu epiſcopalem ſollicitudinem gerimus, eccleſiarum ordinationi, atque venerabilium & religioſorum locorum amplificationi quantum poſſumus ſtudere debemus. Eapropter, cariſſimi in Domino fratres, eccleſiam ſancti Petri de Benciaco perſonis ad ejus ſervitium olim deputatis deſtitutam, cum aſſenſu archidiaconorum noſtrorum Gombaldi & Willelmi atque canonicorum capituli noſtri, cujus eſt eadem eccleſia cenſualis, vobis dedimus & conceſſimus, ut eam cum eccleſiis ſancti Martini & ſancti Bibiani & omnibus poſſeſſionibus & pertinentiis ſuis tam vos quam ſucceſſores veſtri in perpetuum quiete habeatis & poſſideatis, ſalvo canonico jure archiepiſcopi & archidiaconi. Nos vero & canonici in eccleſia de Benciaco, vobis concedentibus, retinuimus ut vos & ſucceſſores veſtri in feſtivitate S. Andreæ per ſingulos annos X. ſolidos Burdegalenſis monetæ capitulo beati Andreæ ad menſam canonicorum cenſualiter reddatis. Retinuimus etiam ut quotieſcumque S. Andreæ canonicus ſenex aut debilis, aut infirmus, aut paupertate preſſus in eccleſia illa manere voluerit, ibi maneat & procurationem ab eadem eccleſia habeat. Retinuimus etiam ut quotieſcumque canonici S. Andreæ illuc ierint, ab ejuſdem eccleſiæ habitatoribus honeſte ſuſcipiantur & procurentur. Et ut hoc donum firmius & certius permaneat, in hac carta propria manu ſubſcripſimus & ſigillo Engoliſmenſis eccleſiæ, quia nondum in Burdegalenſi eccleſia ſigillum feceramus, muniri præcepimus. Interfuerunt huic dono venerabilis Ægidius Tuſculanus epiſcopus, Gregorius & Romanus apoſtolicæ ſedis cardinales & legati. Ego Girardus Burdegalenſis archiepiſcopus & S. R. Eccleſiæ legatus.

Ejuſdem Gerardi archiepiſcopi litteræ pro S. Crucis monaſterio.

GIRARDUS Burdegalenſis archiepiſcopus, & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ legatus, venerabili fratri Androni abbati monaſterii S. Crucis Burdegalenſis & monachis ei a Domino commiſſis, ſalutem & benedictionem. Pro querela quam apud nos depoſuiſtis, & apud deceſſorem noſtrum depoſueratis; Willelmum priorem S. Nicholai de Grava & monachos in eodem loco morantes longo termino poſito litteris noſtris invitavimus, ut cum abbate ſuo vel cum litteris & reſponſalibus ejus ante nos ſe præſentarent, ut vobis de eccleſia S. Nicholai de Grava, quæ, ut aſſeritis, veſtri juris eſt, & in parochia eccleſiæ veſtræ S. Mariæ de Solaco ſita eſt, juſtitiam exequerentur. Termino vero ſtatuto vos ad cauſam iſtam agendam ante nos præſto fuiſtis; ſed nec illi nec abbas eorum ante nos affuerunt, nec aliquam allegationem pro ſe miſerunt. Vos itaque & monaſterium S. Crucis de prædicta eccleſia S. Nicholai de Grava cum conſilio archidiaconorum Burdegalenſis eccleſiæ & aliorum clericorum noſtrorum inveſtivimus, ut eccleſiam illam & omnia ad eam pertinentia habeatis & poſſideatis, ſalvo tamen fundi, ſi quod jus ibi in fundo Cluniacenſe monaſterium habet; & ſalvo Burdigalenſis archipiſcopi jure. Et ut hæc inveſtitura firmior & certior habeatur, cartam iſtam ſigillo noſtro muniri fecimus.

Donum iſtud factum a D. Girardo Engoliſmenſi Anacleti pſeudopapæ legato patet, quia Gregorius ejus etiam legatus ab eo in Aquitaniam miſſus, ut ait Baronius tom. 12. pag. 195. n. 38. ſubſcripſit.

XIX.

Ludovicus rex VII. jus regaliorum remittit archiepiſcopo Burdigalenſi, & epiſcopis, abbatibuſque Burdigalenſis provinciæ.

EGO LUDOVICUS junior, magni Ludovici filius, Dei gratia rex Francorum, & dux Aquitanorum, tibi, Gaufride Burdigalenſis archiepiſcope, cum tuis ſuffraganeis epiſcopis, Raymundo Agennenſi, Lamberto Angoliſmenſi, Guillelmo Santonenſi, Guillelmo Pictavenſi, & Guillelmo Petragoricenſi, necnon cum abbatibus Burdegalenſis provinciæ, veſtriſque ſucceſſoribus: Petitionibus veſtris, communicato prius epiſcoporum, abbatum & procerum noſtrorum conſilio, duximus annuendum, & in ſede 1136.

Digitized by Google

Burdigalenſi, & in prænominatis epiſcopalibus ſedibus, abbatiis ejuſdem provinciæ, quæ defuncto Aquitanorum duce & comite Pictavis Guillelmo, per filiam ipſius Alienoram nobis ſorte matrimonii cedit, in epiſcoporum & abbatum ſuorum electionibus, canonicam omnino concedimus libertatem, abſque hominii, juramenti, ſeu fidei per manum datæ obligatione. Porro decedentis archiepiſcopi, & ſuffraganeorum ipſius epiſcoporum, ſive abbatum præcedentium, res univerſas ſucceſſorum uſibus, regia auctoritate ſervari volumus, & concedi præcipimus illæſas. Hoc quoque adjicientes, ut omnes eccleſiæ infra denominatam provinciam conſtitutæ, prædia, poſſeſſiones, ac univerſa ad ipſas pertinentia ſecundum privilegium, juſtitias & bonas conſuetudines ſuas habeant & poſſideant, illibata. Quinimo eccleſiis ipſis univerſis, & earum miniſtris cum poſſeſſionibus ſuis canonicam in omnibus concedimus poteſtatem. Actum Burdigalæ, M. C. XXXVI. regni noſtri IV.

XX.

Donatio facta S. Cruci Burdigal. ex qua chronologia confirmatur.

1138. GUILLELMUS HELIAS Burdegalæ vicarius, & Inſulæ dominus, primo anno quo Ludovicus rex Francorum duxit in matrimonium filiam comitis Pictavorum & Vaſconum, ſecundo autem anno Gaufridi Burdigalenſis archiepiſcopi, dedit eccleſiæ S. Crucis in ſuorum remiſſionem peccatorum ... medietatem decimæ ab illo loco qui dicitur Eſteriuſlin, uſque ad diviſionem feudi de Benaujas..... præſentibus Willelmo Gombaudi abbate, Petro priore..... anno M. C. XXXVIII. epacta VII. Ind. I. concurrente V.

Ex autographo, fol. 35. verſo.

Litteræ compoſitionis de procuratione ab abbate S. Crucis archiepiſcopo Burdig. debita.

GAUFRIDUS Dei gratia Burdegalenſis archiepiſcopus Petro abbati S. Crucis Burdegalenſis & omni conventui ſalutem ..... finem controverſiæ quam cum abbate S. Crucis Petro ſuper quadam procuratione quam quærebamus, habuimus, ne iterum renaſcatur, ſcripti memoriæ commendavimus... de pace inter nos tractantes in hunc modum compoſitionis convenimus: Quod eccleſia S. Crucis archiepiſcopum a Sede apoſtolica reverſum, ad procurationem, ſicut ad proceſſionem, & ſicut cum noviter ſuſcipitur, ſemel recipiat; nec umquam archiepiſcopus aliam procurationem ab eccleſia S. Crucis exigat, niſi per abbatem gratis invitetur, præſentibus canonicis S. Andreæ, Ramundo de Cambas archidiacono; ex parte abbatis Roberto de Hoirag priore, W. Gombaut priore de Solaco, Gaufrido ſubpriore... anno ab Incarnatione Domini, M. C. XXXVIII.

XXI.

Litteræ Gaufredi III. Burdigal. archiepiſcopi, pro S. Cypriano Pictav. in quibus fit mentio ſynodi Burdigal. incognitæ.

1149. GAUFRIDUS Dei gratia Burdigalenſis archiepiſcopus. Notum fieri volumus inter venerabilem fratrem noſtrum Giſlebertum Pictavenſem epiſcopum, & eccleſiam S. Cypriani de Pictavis querelam diutius agitatam fuiſſe, ſuper quibuſdam eccleſiis, de Bonolio ſcilicet, & S. Saturnini extra muros Pictavæ civitatis. Dicebat ſiquidem epiſcopus eccleſias non eſſe de jure B. Cypriani. Abbas vero ejuſdem eccleſiæ, dilectus ſcilicet in Domino frater noſter Maſcelinus, & fratres ſui e contra aſſerebant eccleſias illas ſui juris eſſe, & de dono & conceſſione venerabilis fratris noſtri Guillelmi bonæ memoriæ ejuſdem ſedis epiſcopi, eas longo tempore tenuiſſe; atque ad munimentum ſuæ partis in medium proferebant privilegium ejuſdem epiſcopi, in quo continebatur de dono earumdem eccleſiarum, ſimul & aliarum. Poſtquam autem ſatis hinc inde diſputatum eſt, tandem per concordiam eadem querela hoc modo terminata eſt. Die enim tertia a conſecratione fratris noſtri Heliæ Agennenſis epiſcopi, apud Burdegalam celebrata eſt ſynodus, cum jam dictus epiſcopus Pictavenſis una cum cæteris comprovincialibus illuc advenifſet, ibidem in præſentia noſtra aſſiſtentibus fratribus noſtris Bernardo Xantonenſi, Raimondo Petragoricenſi epiſcopis, Petro Pictavenſi archidiacono, Raiginaude priore ſanctæ Radegundis, & aliis, idem epiſcopus nobis intercedente prædicto abbate querelam iſtam finivit, & de cætero ſupradictas eccleſias quiete, & in pace habendas, eccleſiæ B. Cypriani conceſſit, ſimul & alias, quæ in privilegio prædeceſſoris ſui Willelmi continebantur. Sed & poſtea eandem conceſſionem noſtri interventione eidem abbati fecit apud Malliacum *, eumque ibi inveſtivit de eiſdem eccleſiis ſub teſtimonio noſtro, & jam dicti Xantonenſis epiſcopi, & fratrum noſtrorum Arnaudi, Calonis, Petri Pictavenſis archidiaconorum, & ſupradicti prioris S. Radegundis & multorum aliorum. Nos ergo quod ſub oculis noſtris & auribus ita conceſſum eſt, ut ratum deinceps & inconcuſſum teneatur, ad memoriam & munimentum rei præſenti ſcripto illud commendari, & ſcriptum ſigilli noſtri robore firmare fecimus. Actum eſt hoc IV. Kal. Septemb. apud S. Romanum de Benais, juxta locum Sabluncelli, Dom. Incarn. anno M. C. XLIX. Ind. XII. epact. IX. Romano pontifice domino Eugenio papa III. Ludovico rege Francorum & duce Aquitanorum, epiſcopatus vero noſtri anno decimo quarto.

* Maille.

XXII.

Diploma Ludovici regis VII. pro cœnobio Malleacenſi contra Sebrannum Chabot, qui in illud jus cuſtodiæ ſibi vindicabat.

1150. LUDOVICUS Dei gratia rex Franc. & dux Aquitanorum. Sciant univerſi præſentes & futuri, quod in præſentia noſtra acta eſt controverſia inter abbatem Malleacenſem Gaudinum nomine, & Sebrannum Chabot. Clamavit Sebrannus jure hereditario & ab anteceſſoribus ſuis ſe habere cuſtodiam in eccleſia Malleacenſi, tam in capite, quam in membris, & quod abbas ea conſuetudine homines ſuos ante eum habeat ad juſtitiam. Abbas abnegavit Sebrannum habere cuſtodiam in eccleſia ſua, neque homines ipſius ad ſubmonitionem venire vel adduci, nullamque penitus conſuetudinem ei debere eccleſiam, quam comes Pictavorum & dux Aquitanorum Willelmus in plena libertate fundavit, & ab omnium ſubjectione abſolvit, excepto eo dominio quod ſibi ſoli retinuit. Auditis utriuſque partis allegationibus, res poſita eſt ſuper judices, & itum eſt ad judicium. Cumque tractaretur a judicibus, & quæreretur ſententia, judicium ſuum pronunciavit in audientia noſtra & omnium, nec aliud judicium ſe dixerunt niſi ſuum eſſe recepturum. Cumque tractaretur a judicibus, abbas judicio curiæ ſe obtulit, & illud audire paratus fuit. Prudenti igitur, juſto & diſcreto examine proſpectum eſt & ſtatutum, ut Sebrannus totam querelam ſuam importunitate & contumacia perdat, & eccleſia in perpetuum ſit libera, ne Sebrannus vel heres ejus in ipſa aliquam conſuetudinem habeat. Affuerunt judicio huic Gofridus archiepiſcopus Burdegalenſis, Giſlebertus epiſcopus Pictavenſis, Bernardus epiſcopus Santonenſis, comes Engoliſmenſis, abbates Angeliacenſis, & S. Maxentii, Gofridus de Rancone, Hugo de Liziniaco vicecomes Caſtri-Airaudi, abbas Burgulienſis, Hugo

Digitized by Google

cancellarius, Guido buticularius, Guido de Cabroſa *, Guido de Garlanda, Terricus Galerani, Adam Bruſſard. Quod ut ratum ſit, ſigilli noſtri auctoritate fecimus roborari. Actum publice Angeliaci IV. Non. Februarii, anno ab Incarnat. Dom. M. C. LI. Data per manum Hugonis cancellarii.

* *f.* de Caproſa. *Cherreuſe.*

XXIII.

Charta Gaufridi Burdigalenſis archiepiſcopi, ex qua probatur eum fuiſſe ſedis apoſtolicæ legatum.

1153. GAUFRIDUS Dei gratia Burdigalenſis eccleſiæ dictus archiepiſcopus & S. Sedis apoſtolicæ legatus, dilecto filio Arnaldo eccleſiæ S. Crucis Burdigalenſis abbati, omnique conventui ſalutem in perpetuum. Ex officii noſtri ſollicitudine tenemur viros religioſos qui elegerunt eſſe abjecti in domo Domini magis quam habitare in tabernaculis peccatorum, manutenere, & eorum jura firma & integra conſervare. Quoniam igitur tam ex multorum virorum teſtimonio, quam ex prædeceſſorum noſtrorum monumentis percepimus vos a longis retro temporibus jus præſentandi capellanos in eccleſiis veſtris habuiſſe. Nos qui jura veſtra non diminuere, ſed augere deſideramus: ſicut vobis a prædeceſſoribus noſtris conceſſum eſſe cognovimus, ita ratum & firmum habemus. Et ne a ſucceſſoribus noſtris ſuper hoc aliqua vobis quæſtio moveatur, hanc noſtræ confirmationis paginam ſigilli noſtri impreſſione munimus; anno ab Incarnatione Domini M. C. LIII. præſentibus Joleno, Willelmo de ſancto Johanne, Goceranno, Elia, Milone, Arnaldo Lamberti canonicis ſancti Andreæ.

Pſ. 83. 11.

XXIV.

Guillelmus I. le Templier dictus archiep. Burdigal. jura & limites parochiæ S. Crucis Burdigalenſis his litteris deſcribit.

1175. GUILLELMUS Dei gratia Burdegalenſis archiepiſcopus, univerſis ad quos præſens cartula pervenerit in Domino ſalutem.... Quædam querela diu ventilata eſt inter canonicos ſancti Andreæ & abbatem Geraldum & monachos S. Crucis Burdigalenſis ſuper capellania S. Crucis, ſuper chriſmate & oleo & ſuper decurtatione parrochiæ S. Michaëlis. Cum igitur ſuper his diutius diſputarum fuiſſet; tandem auditis hinc inde rationibus & allegationibus, quia nobis conſtitit ex teſtimonio plurium perſonarum, eccleſiam S. Crucis capellaniam, baptiſma, & alia parrochialia jura per XL. annos & eo amplius in pace poſſediſſe, eadem ſupra nominatæ eccleſiæ S. Crucis quiete in perpetuum habenda conceſſimus. Terminos parrochiæ ipſius, ne de cetero inde dubitari poſſet, ſubſcribentes, a domo videlicet Boneti de Rioutz ſupra littus maris uſque ad Eſterium major, & a parte occidentali a Spineto, quod eſt ultra aream Bibiani de ſancta Cruce, uſque ad bivium euntibus ad Lodors, quod eſt ultra lo Peirad. Hoc etiam firmiſſime conceſſerunt Geraldus decanus & canonici S. Andreæ, querelis omnibus renuntiantes.... poſtea vero abbas & monachi ut firmior perſiſteret & permaneret concordia, ſponte ſua, nullo cogente, ut dilectionem canonicorum perpetuo poſſiderent, duas manſiones in civitate, quæ eis ſeptem ſolidos cenſuales annuatim perſolvebant, ſcilicet Iterii ad portam Vegeiram, & domum Auſtendi de ſancto Projecto S. Andreæ canonicis donaverunt..... teſtes ſunt Milo canonicus S. Severini, Rufatus Garſias Arnaldus, Arn. de Vitrinis, Ramundus de Benauges, Bernardus Archambaudi, & alii plures... Quam ſententiam Alexander papa III. ad inſtantiam dicti domini archiepiſcopi confirmavit, diplomate miſſo Giraldo abbati & capitulo S. Crucis, dato Laterani VII. Kalendas Junii, ne ſuper his poſſent amodo indebita vexatione gravari.

GUILLELMUS Dei gratia Burdigalenſis archiepiſcopus, venerabili eadem gratia abbati & univerſo conventui S. Crucis Burdegalenſis in perpetuum. Ex tenore litterarum patris noſtri ſanctiſſimi & domini beatiſſimi Alexandri tertii univerſalis eccleſiæ ſummi pontificis perſpicue cognovimus, quod ipſe vobis inter cetera domus veſtræ privilegia in parrochialibus eccleſiis veſtris, quas tenetis, poteſtatem eligendi ſacerdotes, & electos epiſcopo loci repræſentandi, ſpeciali conceſſione indulſit. Nos igitur in cœlum os ponere, & apoſtolicas ſanciones ſive beneficia infringere nullatenus volentes attemptare, quinimmo veſtigiis ipſarum attenta devotione inhærentes, quod vobis a domino papa indultum eſt; ſicut eſt conceſſum ita ratum & firmum, quantum in nobis eſt, & ad partem noſtræ ſollicitudinis pertinet, auctoritate metropolitica, & ſtabilitate perpetua irrefragabiliter deſideramus & volumus ab univerſis obſervari. Anno ab Incarnatione Domini M. C. LXXV....

GUILLELMUS Dei gratia Burdigalenſis archiepiſcopus... ad querelam Geraldi abbatis S. Crucis mandatum apoſtolicum ſuſcepimus quod cauſam illam quæ vertebatur inter eccleſiam S. Crucis, & Amalvinum de Blancafort audiremus... Cum itaque eſſent in noſtra præſentia conſtituti abbas S. Crucis & prædictus Amalvinus; propoſuit abbas Amalvinum de Blancafort injuſte exigere in villa de Macau avenam & panem ad canes, & gallinam ad accipitrem, & & colacum in ſingulis retibus; prænominatus vero Amalvinus in hunc modum excepit, quod avus ſuus & pater ſuus, & fratres ſui, & ipſemet in prædicta villa de Macau ſupradicta quatuor acceperant.... produxit abbas ſex teſtes omni exceptione majores; contra quos nihil fuit dictum; qui jurati & diligenter examinati depoſuerunt concordes in ſententia quod ſenior Amalvinus avenam & panem ad canes, & gallinam ad accipitrem & colacum in ſingulis retibus dimiſit & quitavit in manu abbatis Bertrandi & in præſentia eorumdem & aliorum plurium, & injuſte exegiſſe confeſſus eſt. Nos igitur per diffinitivam ſententiam cum prudentibus viris habita deliberatione adjudicavimus ſæpe nominatam villam de Macau immunem & deinceps liberam eſſe ab ejuſmodi exactionibus, & ne in poſterum bona illa exigerentur præcepimus.... Teſtes ſunt P. archidiaconus Medulcenſis, R. archid. Blav. W. Blavienſis abbas, W. abbas de Vertolio, Rufatus, Galhard de Camparrian, R. capellanus de Macau, W. de Cabanac.

XXV.

Guillelmus Burdig. archiep. fert ſententiam in quoſdam milites, Silvæ-majoris jura uſurpantes.

1184. RAIMUNDUS IX. abbas Silvæ-majoris querimoniam contra W. de Curton & Ricardum de Rioucio milites juſtitiam de Corbelac vi rapientes Petro eleemoſynario, in præſentia domini Guillelmi archiepiſcopi, qui vocatis & non comparentibus, eorum comperta malicia, in eos excommunicationis tulit ſententiam; cujus animadverſione coërciti, ad Silvam venerunt cum Willelmo Seguini de Ruincio, Petro de la Roca, & Arnaldo de Curton militibus, & Grimoardo Burgenſi de Silva, & ſponte promiſerunt quod ſi abbas cuilibet e converſis ſuis jurare faceret juſtitiam de Corbelac juris eſſe eccleſiæ Silvæ-majoris, ipſi tam pro ſe quam pro ſuis ſecuram in perpetuum facerent. Abbas cum quibuſdam e fratribus venit ad eccleſiam S. Petri, quæ eſt in burgo de Silva ſtatuto die & coram nobilibus viris & clericis ac laïcorum

multitudine, ubi aſtantibus prædictis W. de Curron & Ricardo de Riuncio, converſum ad præſtandum juramentum produxit, virum utique honeſtum, grandævum, longa converſionis converſatione probatum. Willelmus de Curton juramentum recipere noluit, ſed coram omnibus querimoniam gurpivit. Ricardus vero in malitia ſua perſeverans, confuſus, convictus ac redargutus abceſſit. Actum eſt hoc anno ab Incarn. Domini M. C. LXXXIV. Indict. II. feria III. IV. Idus Aprilis. Hujus rei teſtes de clericis Petrus Heliæ, W. Bruni, Aiguelmus de Laurian preſbyteri; de militibus, W. Seguini de Riuncio, Petrus de Montpeſad, Raimundus de Grezinag.

XXVI.

Ex archiv. archiepiſc. Burdigal.

Diploma Alienoris reginæ Angliæ, ducisſæ Normanniæ &c. in gratiam archiepiſcoporum Burdigalenſium, ſedente tunc Helia.

ALIENOR Dei gratia regina Angliæ, ducisſa Normanniæ & Aquitaniæ, comitiſſa Andegavenſis ... Noveritis quod nos concedimus & confirmamus omnes donationes & libertates olim conceſſas per quoſcumque prædeceſſores noſtros quondam Vaſconiæ dominos Odonem ſive Sancium & omnes alios, archiepiſcopis Burdegalenſibus, ſcilicet tertiam partem cameræ, vendæ, monetæ Burdegalenſis & tertiam partem omnium teloneorum de Boeys & navim liberam ab omnibus teloneis a Mauritania uſque ad Lingonem; adjicientes pro ſalute animæ noſtræ & omnium noſtrorum quod omnes Burdegalenſes archiepiſcopi canonicam habeant libertatem, & quod nullus de noſtris aut ſucceſſorum noſtrorum gentibus aut ſubditis vel miniſtris ſive fidelibus, archiepiſcoporum Burdegalenſium eccleſias, capellas, villas, domos, terras, territoria, homines, poſſeſſiones, bona, & quaſcumque res alias, aut ſuorum invadere, occupare, moleſtare, ſeu in aliquo gravare ſive damnificare audeat, nec nunc, nec in perpetuum, & quicumque aliquid de præmiſſis fecerit, archiepiſcopi Burdigalenſes ſua autoritate talium maliciam ſine cujuſquam requiſitione arcere & cohibere valeant ..... his teſtibus Helia archiepiſcopo Burdegalenſi, Roberto de Corneani ſeneſcallo Pictavenſi, Martino Algay ſeneſcallo Vaſconiæ, Joſcelino & Rampnulphis capellanis noſtris & multis aliis....

XXVII.

Diploma Richardi Aquitaniæ ducis & comitis Pictavenſis pro eccleſia Burdigalenſi.

1186. RICARDUS dux Aquitaniæ, comes Pictaviæ, filius regis Angliæ, archiepiſcopis, epiſcopis, baronibus, juſtitiariis, ballivis & omnibus has litteras videntibus, ſalutem; ſciatis quod ego pro redemptione animæ meæ & parentum meorum conceſſi eccleſiæ S. Andreæ Burdigalenſi integre & plenarie quidquid anteceſſores mei eidem eccleſiæ donaverant & conceſſerant ſicut carta eorum teſtificatur & affirmat, ſcilicet tertiam partem cameræ ſeu monetæ, ſive etiam omnium teloniorum, ac curtem legiam cum omnibus ad ſe pertinentibus, Cadaviac & Berarol, & Serporale cum omnibus ad ſe pertinentibus, & tertiam partem telonei de Boeys, & navim liberam ab omnibus teloneis a Mauritania uſque ad Lingonem, & formentagium ad reſtitutionem ædificiorum, ſeu poſtmodum ad menſam canonicorum. Hujus vero conceſſionis cartulam ſigilli mei impreſſione & munimine confirmo. Actum hoc apud Capſius anno ab Incarnatione Domini M. C. LXXXVI. teſtibus Stephano Burdigalenſi decano & Raymundo Blavienſi archidiacono, Arnaldo Burdigalenſi canonico, Willelmo de Mauſtac tunc magiſtro hoſpitalis in Burdigalenſi epiſcopatu, Johanne clerico & notario meo, Gaufrido de Lezinhan, & Gaufrido de Ponte militibus; Ademaro comite Engoliſmenſi.

XXVIII.

Heliæ archiep. Burdigal. litteræ pro monaſterio S. Crucis.

HELIAS Burdigalenſis archiepiſcopus... Scire volumus quod filia Stephani de Turre, Comtors nomine, contra eccleſiam S. Crucis quæſtionem movit, repetens medietatem molendini de la Grava in aqua de Petra-Longa conſtructi, quam ejus pater uſque ad exitum vitæ poſſederat... Pro eccleſia S. Crucis fuit reſponſum quod nominatus Stephanus de Turre in ſua ægritudine recognovit quod gravem injuriam S. Crucis eccleſiæ intulerat, eo quod dictum molendinum cum Raim. Arn. conſtruxerat. Unde quidquid juris ibidem habere videbatur, totum eccleſiæ S. Crucis dimittebat & aquitabat. Abbas vero Giraldus & monachi ejuſdem eccleſiæ, ad inſtantiam ipſius & preces, ipſum & ejus filium in fratres & monachos receperunt: qui filius ante ſuſceptum habitum in fata conceſſit, & eſt cum patre in clauſtro honorifice ſepultus ..... item quod mater dictæ mulieris per compoſitionem in ipſa eccleſia duas eſquartas frumenti retinuit annis ſingulis quoad viveret perſolvendas, & in ſororem recepta, feſtis præcipuis præbendam recipiet ut unus monachorum, & juxta virum ſuum ſepelietur in clauſtro. Auditis itaque his & aliis rationibus maluimus huic jurgio finem imponere concordia, quam judicio mediante. Receptis itaque ab eccleſia ccc. ſolidis, nominata mater duas eſquartas, & ejus filia quidquid juris in dicto molendino vel aqua habere videbantur, totum eccleſiæ S. Crucis dimiſerunt in manu noſtra... Hæc compoſitio fuit concepta & interlocuta in capitulo S. Crucis per cariſſimos clericos noſtros magiſtrum Bernardum theſaurarium eccleſiæ noſtræ, & Arnaldum de Romafort archidiaconum Agennenſem & canonicum eccleſiæ noſtræ, & per Gaufridum de Donzac, & Galhardum de Burdegala milites.... & poſtmodum firmata fuit in præſentia noſtra in eccleſia S. Andreæ ante altare S. Macharii, Dominica qua cantatur: *Miſericordia Domini*, an. Domini M. C. XCII. epact. IV. præſente & concedente Petro Giraudong viro ſæpe nominatæ Comtors. 1192.

XXIX.

Ex chartul. S. Crucis. fol. 29.

Helias de Malemort archiepiſcopus Burd. facit amicabilem compoſitionem inter monaſterium S. Crucis, & dominum de Leſparra.

HELIAS, Dei gratia Burdigalenſis archiepiſcopus, & Gaufridus de Cellis ſeneſcallus Pictaviæ & Vaſconiæ amicabilem concordiam quæ inter Arnaldum de Vitrinis abbatem S. Crucis & capitulum ejuſdem eccleſiæ, ex una parte; & Aiguelmum Willelmi dominum de Leſparra & Senebrunum fratrem ejus pro ſe & hæredibus ſuis ex alia, in noſtra manu fuit firmata, fecimus annotari & ſigillorum noſtrorum impreſſione muniri... Jam dicta eccleſia S. Crucis remiſit prædictis duobus fratribus & eorum ſucceſſoribus omnes querelas, quas ſuper terris, quæ ſunt del Bre de Syort infra, contra ipſos proponebat. Ipſi vero fratres pro hujuſmodi remiſſione donaverunt & conceſſerunt nominatæ eccleſiæ perpetuis temporibus... decimam de molendinis & de ſalinis ſuis, & ſalinam de Portu-Lairon, & XXIV. cuniculos pro decima de venatione ſua a feſto S. Andreæ uſque ad octavas ſancti Hilarii.... inſuper fuit conditum ut redditus plateæ, quæ eſt ante eccleſiam, procuratores utriuſque partis fideliter colligent, & medietatem habebit dicta eccleſia, alia vero 1195.

menetas conferetur eccleſiæ de Solaco ad opus candelæ per totam Quadrageſimam annuatim arſuræ, & uſque ad octavas Paſchæ; ſi vero meditetas platagii ad hoc ſufficere non poterit, dominus de Leſparra aliunde ſupplebit. Hæc omnia firmata fuerunt & jurata prius in capitulo S. Crucis Burdigalenſis in manu archiepiſcopi, & poſtea ſupra ſacroſancta Evangelia & reliquias & altare S. Mummoli, concedentibus verbo & oſculo prænominato abbate & Aiguelmo priore, Bertrando de Peſſac & univerſo capitulo, aſtantibus etiam ibidem Bernardo theſaurario S. Andreæ, & Willelmo de Caſſer priore ſancti Jacobi... & Gombaudo de Leſparra milite, & Amanevo de Vitrinis & Garſione & Buſone filiis ipſius ſimiliter militibus. Hoc idem iterum fuit recitatum & firmatum a ſæpe dicto abbate S. Crucis & ab Aiguelmo Willelmi & Senebruno fratre ejus in manu noſtra apud Montem-Marciani in camera Regis, præſentibus Petro de Motari, Raimundo Bernard de Rovigna & Arnaldo Willelmi de Baſcoot, & Chalone fratre ſeneſcalci & Petro Chalone cancellario ſeneſcalci & cognato; & Guidone Gaſtinelli, & Willelmo Arnaut de Ladius. Hoc actum eſt anno ab Incarnatione Domini M. C. XCV. Cæleſtino papa III. præſidente in civitate Romana, Ricardo vero regnante in Anglia.

XXX.

Ex chart. Silvæ-maj. fol. 189.

Compoſitio facta ab Helia Burdigal. arch. inter monaſterium S. Crucis, & milites Templi.

1196. HELIAS Dei gratia Burdigalenſis archiep. notum fieri volumus quod cum inter dilectos fratres noſtros militiæ Templi & abbatem ac monachos Silvæmajoris ſuper multis rebus, mutuæ quæſtiones coram nobis propoſitæ fuiſſent; rationibus & allegationibus hinc inde auditis & cognitis, teſtibus etiam ſuper hiis productis & examinatis.. tandem utraque pars conſiliis & admonitionibus noſtris & aliorum amicorum ſuorum aquieſcentes pro controverſiis ſuis pacificandis arbitrio noſtro ſe appoſuit. Nos autem habito cum prudentibus viris, qui nobis aſſidebant tractatu diligenti, quoniam occaſione Petri Eſpic mortui tota fere diſcordia & contentio ſuborta fuerat, in primis arbitrati ſumus quod decem libras, quas idem Petrus fratribus Silvæ-majoris in teſtamento ſuo reliquerat, ipſi monachi fratribus Templi in pace dimittent. Item quod Templarii retinerent nemus & terram de la Bardella....In ſumma quæſtiones quas Templarii propoſuerant contra monachos ſuper domo de Bello-fonte, & ſuper quibuſdam defunctis quos monachi ſepelierant, gratia pacis remiſerunt. Similiter & monachi fecerunt de quæſtionibus ſuper domo de Monteroig & quibuſdam defunctis, quos Templarii ſepulturæ tradiderant. Et de domina Maſſeta, quæ ſe prius Silvæ, quam Templo reddiderat. Noviſſime hinc inde conceſſum eſt ne Templarii, homines vel ruſticos Silvæ; nec monachi, homines vel ruſticos Templi recipiant, niſi proprietatibus ſuis & ſæculo renunciantes, habitum religionis monaſticæ vel templariæ cum cruce aſſumpſerint... Factum eſt iſtud anno Incarnationis Dominicæ M. C. XCVI. epacta XI. in feſto S. Dionyſii.

XXXI.

Commutatio inter Guillelmum archiepiſcop. & abbatem S. Crucis.

1225. GUILLELMUS Dei gratia Burdigalenſis archiep... notum ſit, quod cum nos haberemus Arnaldum de Granolhet, Bovinum de Solio, & Raimundum fratrem ſuum feudatarios pro vineis quas tenent a nobis in palude de Maucor, feudatarios ſupradictos & vineas dedimus abbati & capitulo S. Crucis Burdegalenſis; ita tamen quod ipſi dederunt nobis vineas, terras, poſſeſſiones, redditus, feoda & etiam feodatarios & omnia jura quæ habebant apud Calamiac perpetuo poſſidenda, excepta capella, quam habeant ſicut uſque ad hæc tempora habuerunt. Et ne in poſterum poſſit ſuboriri diſcordia, nos & abbas S. Crucis Burdegalenſis præſentem cartulam ſigillorum noſtrorum munimine fecimus roborari. Datum apud Burdegalam in feſto beati Dionyſii martiris anno gratiæ M. CC. XXV.

XXXII.

Geraldus de Mala-Morte Burdegal. archiepiſc. benedicit cæmeterium fratrum Minorum apud Burdigalam.

1228. GERALDUS Dei gratia Burdegalenſis archiepiſcopus univerſis Chriſti fidelibus præſentes litteras inſpecturis, in Domino ſalutem. Noveritis nos ad inſtantiam fratrum Minorum apud Malum-calculum * infra terminos parochiæ S. Michaëlis cimiterium ſacraviſſe, tali ſiquidem conditione inducta, quod dicti fratres neminem ad ſepulturam ibi recipiant niſi ſit de eorum ordine, & ſanus exiſtens, eorum dinoſcatur habitum ſuſcepiſſe. Ipſis etiam fratribus Minoribus auctoritate noſtra firmiter injungentes, ut cum aliquis de monachis S. Crucis voluerit divina celebrare, ipſi fratres Minores ei contradicere non præſumant, nec aliquam inferant moleſtiam vel gravamen. Si vero memorati fratres præſumpſerint conditionem tranſgredi ſupradictam, & præſumpſerint ibidem aliquem vel aliquam ſine voluntate abbatis & conventus S. Crucis ſepelire per ſe vel per alium, ipſo facto & ipſa tranſgreſſione, cimiterium illud diſtricto ſuppoſuimus interdicto. Datum apud ſalvitatem Laurimontis * v. Kal. Junii anno ab Incarnatione Domini M. CC. XXVIII.

* Mauzaillau.

* Lormont.

XXXIII.

Ex chartul. S Crucis. fol. 47.

Leges fratribus Minoribus Burdigalæ receptis impoſitæ.

1227. NOverint univerſi quod talis forma pacis & amicabilis compoſitio inter abbatem & conventum S. Crucis Burdigalenſis ex una parte, & miniſtrum fratrum Minorum in Aquitania commorantium ex altera intervenit: quod dicti fratres & ſucceſſores eorum in habitaculo ſuo, ſcilicet in territorio S. Michaëlis, nullas in miſſarum celebratione recipiant oblationes, videlicet panem, neque pecuniam, neque alia præter thus & candelas; nec recipiant aliquem parochianum vel parochianam S. Crucis, vel S. Michaelis, ad pœnitentiam, vel ad ſepulturam, ſine licentia capellani; nec recipiant poſſeſſiones ad memoratas eccleſias pertinentes. Ut autem hoc ratum & ſtabile perſeveret, præſens charta ad petitionem prædicti abbatis & fratris Raimundi, qui ſigillum miniſtri Aquitaniæ defferebat, ſigillis venerabilium patrum Burdigal. archiepiſcopi & epiſcopi Convenarum exſtitit ſigillata. Ipſi autem abbas ſuum ſigillum, & fr. R. ſigillum miniſtri Aquitaniæ huic cedulæ appoſuerunt anno Dom. M. CC. XXVIII. menſe Octobri.

XXXIV.

Ex chartul. Silvæ, pag. 155.

Salvusconductus Raimundi comitis Toloſani & plurimorum comitum, pro fidelibus ad dedicationem Silvæ-majoris pergere volentibus.

1231. RAMUNDUS Dei gratia Tholoſanus comes ſalutem & æternæ ſalutis præmia promerere. Quanta religione & honeſtate monaſterium Silvæ majoris in Burdegalenſi diœceſi conſtitutum a diebus antiquis claruerit, non eſt neceſſe veſtris auribus inculcari... Sane cum ex relatione venerabilis in Chriſto patris Grimoardi Dei gratia

Digitized by Google

Dei gratia epiſcopi Convenarum, rectoris monaſterii ſæpe dicti, nobis innotuerit eandem eccleſiam non modo hominibus, ſed ipſis etiam, ut credimus, Angelis venerandam, in proximo feſto S. Bartholomei apoſtoli fore dedicationis munere decorandam; univerſitati veſtræ præſentium tenore facimus manifeſtum, quod nos univerſis clericis & laïcis qui divino dilectionis fervore, & prædicti monaſterii devotione ad dedicationem eandem acceſſerint, in rebus & perſonis eorum in eundo & redeundo conductum liberum & ſecurum pro nobis & pro fidelibus & hominibus noſtris plene concedimus & donamus; non tam in ipſius ſolemnitate, ſed etiam a quindecim diebus ante feſtum, uſque ad finem nundinarum quæ tunc temporis ſient ibi; imo etiam quantum indulgentias epiſcoporum & prælatorum eccleſiarum quæ fient ibidem, contigerit prolongari, uſque ad Paſcha Domini proximo venturum. In cujus rei teſtimonium præſentes litteras ſigilli noſtri munimine fecimus roborari. Datum nonas Junii anno Domini M. CC. XXXI.

A

B

Hugo de Lezia marchio & Engoliſmenſis comes, ſalvumconductum parem dedit apud S. Johannem Angeliacenſem die Veneris in feſto S. Jacobi menſe Julii M. CC. XXXI.

Item A. comes Petragoricenſis, Helias Rudelli dominus Brangiaci atque Genciaci, Amanevus de Lebreto, Petrus de Gavareto vicecomes de Vezaumes, G. Rudelli dominus de Blavia, Henricus de Trepavilla ſeneſcallus Vaſconiæ, mandans R. de Solio quatinus ad feſtum S. Bartholomei ad monaſterium Silvæ-majoris loco ſui interſit, intendentes & reſpondentes omnibus hiis quæ D. archiepiſcopus Auxitanus illis præceperit, & facientes quod omnes qui in conſecratione dictæ eccleſiæ venient, ſint in conductu & protectione regis Angliæ & ſua. Olerone anno Domini M. CC. XXXI. in craſtino Aſſumptionis B. M. V.

C

XXXV.

Chart. Sylvæ-maj. pag. 126.

Geraldus archiepiſcopus & clerus Burdigal. ſcribunt ad regem Angliæ de exceſſibus ejus ballivorum.

1235. EXcellentiſſimo domino Henrico, Dei gratia illuſtri regi Angliæ, domino Hyberniæ, duci Normanniæ & Aquitaniæ, comiti Andegavenſi, Geraldus eadem gratia Burdegalenſis archiepiſcopus, S. Andreæ & S. Severini decani & capitula, abbas & conventus S. Crucis Burdegalenſis, Silvæ-majoris, & S. Romani, S. Salvatoris, de Aquiſtris, de Plana-ſilva, S. Vincentii, de Faezia, S. Emiliani, de Bono-Loco, de Bertolio & de Inſula abbates & eorum conventus; ordinis Prædicatorum & S. Jacobi priores, miniſter fratrum ordinis Minorum & eorum fratres, militiæ Templi & hoſpitalis Hieroſolimitani præceptores in Vaſconia ſalutem; & ſic in præſenti regnare ſæculo, ut cum ſanctis conregnare valeat in futuro. Injuſtitias ac contumelias, injurias ac preſſuras, afflictiones & anguſtias quas ballivi veſtri faciunt, & fecerunt ſpecialiter a tempore regni veſtri, & ea quæ a potentioribus terræ veſtræ fieri conſentiunt conniventibus oculis & permittunt, Deo, eccleſiis & eccleſiaſticis perſonis, militibus & dominabus minus potentibus, viduis & orphanis & agricolis veſtris, necnon & noſtris, ſublimitati veſtræ non ſine cordis amaritudine referimus & dolore; utpote quos zelus animæ veſtræ & regni veſtri comedit, & opprobria exprobrantium vobis & regno ſuper nos proculdubio ceciderunt, quoſque remordent conſcientiæ, quia tam diu tacuimus prædicta vobis minime revelando, ne exceſſus hujuſmodi ſeveritate debita puniendo, veſtræ in hac parte & veſtrorum reverentiæ deferentes. Unde dicere poſſumus nunc ſinguli cum Propheta: *Va mihi quia tacui.* Sane quia prædicti ballivi & potentiores qui minores poſſunt opprimere, tolerantibus hoc eiſdem ballivis, taliter affligunt perſonas eccleſiaſticas & alias ſupradictas, quod ſacerdotum, religioſorum, clericorum, agricolarum & pauperum, pupillorum, alii interficiuntur, alii verberantur, alii capiuntur & incarcerantur, alii minis & terroribus, alii captionibus perſonarum, alii occupationibus rerum, ad redemptionem nihilominus compelluntur; abbates, priores & conventus; templarii, hoſpitalarii, capellani & aliæ perſonæ eccleſiaſticæ, & eorum homines, necnon & veſtri, tam gravibus tamque frequentibus albergagiis, de quibus, ſi veritatem ſciret regia celſitudo, non ſolum miraretur, ſed afflictis in hac afflictione mirabili condoleret; & queſtis & aliis exactionibus indebitis, & frequentibus vocationibus de loco ad locum, ſola occaſione extorquendi ab eis pecuniam, adeo prægravantur, quod ubi antea fuerant decem, vel quindecim, vel etiam viginti eccleſiæ ſervitores, duo vel unus vix nunc valeat ſuſtentari; capellaniæ & prioratus multi remanent jam deſerti, & vix invenitur parochia, in qua tertia pars remanſerit inhabitantium, duabus vel defunctis, fame & inedia eis inflictis per gravamina memorata, vel compulſis in terras extraneas exulare; eccleſiæ infringuntur; cimiteria & alia loca, quæ immunitate eccleſiaſtica gaudere conſueverant, violantur; homines plerumque ibi interficiuntur; res quas propter timorem ballivorum veſtrorum, & aliorum quos ipſi ſuſtinent, ibi recondunt homines, ut ſalventur; vel exinde ab ipſis per violentiam extrahuntur; vel, quod gravius eſt, ibidem ab eiſdem prædonibus devorantur. A quibus in hoc & aliis infinitis magis libertas Eccleſiæ & immunitas violatur, quam conſuevit a ruptariis violari. Hiis igitur & pluribus aliis incitati, viros venerabiles & diſcretos magiſtrum Vitalem archipreſbyterum de Interduo-maria, præceptorem totius militiæ Templi in Vaſconia, præceptorem de la Grava ejuſdem ordinis, & Amalvinum Dallan hoſpitalarium, qui dum erat in ſæculo, vobis & veſtris negotiis fuit, & adhuc eſt, utilis, Majeſtati regiæ dignum duximus tranſmittendos, in dilectione & reverentia qua vobis tenemur, & ſinceris conſcientiis humiliter poſtulando & requirendo per aſperſionem ſanguinis Jeſu Chriſti, quatinus receptis ſuper hiis & aliis articulis, quos ex parte noſtra ipſi vobis expoſuerint, eorum petitionibus auditis fidem adhibendam omnimodis ſupplicamus. Super præmiſſis tam ſalutare conſilium apponatis, quod eripiamur nos & terra noſtra de manibus prædictorum; non enim minore libertate gaudebat ſub Pharaone quondam populus Iſraeliticus, quam Dei Eccleſia & clerus vobis commiſſus gaudeat, nec ſub ipſis, committentes nos, ſi placet, & terram eandem ballivis talibus, qui ſe a prædictis abſtineant, & ab aliis pacem Eccleſiæ Dei conferri faciant atque plebi, ut ſic reſpirare valeat clerus & populus infinitis injuriis laceſſitus, libertate debita congaudendo, excluſis pietate regia albergagiis, tirannide, exactionibus & gravaminibus memoratis. Datum Burdegalæ IV. Kalend. Marcii, anno gratiæ M. CC. XXXV....

D

E

Iſa. 6. 5.

Hæc ſunt litteræ quas dominus rex Angliæ miſit fratri Johanni quondam abbati de Gratia-Dei, & domino Huberto Hoſe militi, quos ad inquirendum de prædictis miſerat: Nos frater Johannes, & Hubertus Oſatus miſſi a domino Henrico rege Anglorum in Vaſconia ad inquirendum ſtatum terræ ejuſdem, & jura ejuſdem domini Regis, præter hujus generale mandatum cum ab ipſius latere receſſimus nobis factum; poſtquam in Vaſconiam venimus, de hominibus terræ de Interduo-maria mandatum ipſius domini Regis ſpeciale recepimus ſub hac forma: Henricus Dei gratia rex Angliæ, dominus Hyberniæ, dux Normanniæ & Aquitaniæ, comes Andegavenſis, dilectis & fidelibus ſuis Henrico de Treplavilla ſeneſcallo ſuo Vaſconiæ, fratri Johanni quondam abbati de Gratia-Dei, & Huberto Hues ſalutem. Sciatis quod poſtquam vos frater

2. Chart. 6. 7. & 56.

1236.

Digitized by Google

Johannes & Huberte Hues a latere noſtro receſſiſtis ituri verſus partes Vaſconiæ ad exequendum ea quæ vobis injunximus, recepimus litteras venerabilium patrum Geraldi Burdegalenſis archiepiſcopi, & A. Vaſatenſis epiſcopi, & R. prioris de Regula, continentes tranſcriptum quarumdam litterarum patentium, quas dicunt homines de Interduo-maria habere de domino Johanne rege patre noſtro in hac forma: Johannes Dei gratia rex Angliæ &c. omnibus ballivis & fidelibus ſuis, ſalutem: Sciatis quod conceſſimus probis hominibus noſtris de terra, quæ vocatur Interduo-maria, quod habeant omnes libertates & liberas conſuetudines quas habuerunt temporibus Henrici regis patris noſtri, & Ricardi regis fratris noſtri; & volumus quod omnes homines, qui terras habuerunt in prædicta terra, & eas reliquerunt, qui adeo propinqui ſunt a terris ſuis, quod ad eas redire poſſunt infra inſtantem Pentecoſten anno regni noſtri XVI. ſi infra terminum illum ad eas non redierint, omnino ſint inde abjudicati, & terræ ſuæ nobis & hæredibus noſtris remaneant in perpetuum. Volumus etiam quod alii qui terras habuerunt in prædicta terra, qui eas reliquerunt, ſi adeo diſtantes ſint a terris ſuis, vel peregre proficiſcendo vel alio modo, quod ad eas infra prædictum terminum Pentecoſtes redire non poſſint, a die illo Pentecoſtes in unum annum & unum diem redeant ad terras ſuas. Quod ſi infra terminum illum non redierint, omnino ſint inde abjudicati, & terræ ſuæ nobis & hæredibus noſtris remaneant in perpetuum. Et ideo mandamus vobis quod iſta obſervari firmiter faciatis. Et in hujus rei teſtimonium has litteras noſtras patentes inde fieri fecimus, teſte me ipſo apud S. Emilianum * XVI. die Aprilis, anno regni noſtri XV. Et quia memorati archiepiſcopus, epiſcopus & prior nobis ſignificaverunt, quod licet Johannes prædictus rex pater noſter tales libertates eis conceſſerit, quales in litteris prædictis audiſtis contineri, nihil commodi ſunt ex conceſſione ſua homines prædicti poſtmodum aſſequuti; nos rogantes quod per nos ipſos, vel per aliquos aſſignatos ex parte noſtra faceremus libertates prædictas eis teneri; vobis mandamus quatinus litteras illas, quas dicunt ſe habere a præfato patre noſtro, & quarum tranſcriptum audiſtis, coram vobis venire faciatis & diligenter videri, ſi litteræ illæ conſonent tranſcripto prædicto, & ſigillum ipſius patris noſtri eiſdem appendatur; & viſo diligenter quod litteras habeant in forma prædicta, modis quibus poteritis inquiri diligentius faciatis, tam per ſacramentum fide dignorum, quam alio modo, quales conſuetudines & quales libertates prædicti homines habuerunt temporibus Henrici regis avi noſtri, & Ricardi regis avunculi noſtri, ut in albergagiis & aliis de tempore prædicti Johannis patris noſtri vel noſtro nihil inquirentes, niſi ſolummodo de tempore prædicti avi noſtri & tempore prædicti avunculi noſtri, & inquiſitionem inde factam, cum ad nos redieritis, vobiſcum deferatis in Angliam, nullam facientes emendam ſuper albergagiis prædictis auctoritate alicujus mandati vobis injuncti ante receſſum noſtrum, qua audita inquiſitione prædicta, volumus per nos ad hæc remedium adhiberi. Sic igitur ſollicite huic inquiſitioni faciendæ inſiſtatis, quod diligentia veſtra debeat merito commendari, & quod pro defectu noſtri non debeat ad nos ulterior inde querela pervenire; teſte me ipſo apud Wndeſto XXVII. die Novembris anno regni noſtri XXI. Auctoritate igitur generalis & ſpecialis mandati præſcripti jurare fecimus W. Forton præpoſitum domini regis, & P. Daira præpoſitum infeodatum, & capellanos, & ſeniores ſingularum parochiarum de Interduo-maria quod de libertatibus, quas homines terræ ipſius habere conſueverunt temporibus Henrici & Ricardi regum Angliæ....

Jurati igitur depoſuerunt quod cum tempore regum Henrici & Ricardi fuerit terra in bona & debita libertate, mortuo rege Ricardo, per albergagias, queſtas, exercitus & alias exactiones indebitas Mercadarii, Martini, Dargais, & multorum aliorum ruptariorum, quos conſtituerat ſeneſcallos dominus rex Johannes, fuit terra deſolata & deſerta, ſicut nunc eſt, & tandem idem Rex veniens ad terram, & ſic eſſe reperiens, eos reſtituit in priſtinas libertates ſicut in præmiſſis litteris continetur; & cum hominibus ad propria remiſſis fuiſſet aliquamdiu terra in bono ſtatu & populoſa, tandem idem Rex conſtituit ſeneſcallum Reginaldum de Ponte, dictum Palmarium, retentis ſibi terræ redditibus, ad eos recipiendos Templariis conſtitutis; & ideo idem Reginaldus paupertate compulſus exercuit albergagias, queſtas & alias exactiones indebitas, quas ruptarii exercuerant; & ad inſtar ipſius hoc fecerant fere omnes ſeneſcalci qui ei poſtea ſucceſſerunt; cum tamen nec albergagias, nec queſtas nec exercitus ſe debere Regi, vel ſeneſcalco ſeu præpoſito, vel aliis ballivis ejus, nec alia jura niſi quæ & quando & qualiter inferius ſubſequuntur, nec alia ſeu aliter memorati reges Henricus & Ricardus conſueverant recipere tempore ſuo in terra ipſorum.

1°. Milites faciunt homagium domino Regi, & de certis rebus quas tenent ab ipſo, exercitum unius militis vel duorum, & vel ſcutarii cum armis determinatis, libere & ſine exactione.

2°. Agricolæ parochiarum quæ ſunt domini Regis pro majori parte debent queſtam domino Regi quadraginta librarum, a feſto S. Michaëlis uſque ad feſtum omnium Sanctorum, quam aſſignavit dominus Johannes rex ad ſuſtentationem certorum pauperum qui paſcuntur & veſtiuntur ab archiepiſcopo Burdegalenſi, in domo ejuſdem archiepiſcopi, propter illos & alios quoſdam redditus, quos idem Rex ad hoc faciendum archiepiſcopatui aſſignavit.

Ipſe tamen dominus Rex, ſicut credimus, dedit poſtea vicarias ſuas paucis quibuſdam militibus ſuis, qui ſanguinis juſtitiam vice ipſius exercent in toto vel in parte, & in aliquibus locis quæ ſunt domini regis, ſicut domino de Benaujas, & domino de Latrena, & domino de Bairas & domino Montisferrandi. Privilegia etiam dedit, ſicut dicitur, Silvæ-majori in hominibus ejuſdem monaſterii. Item dixerunt quod cum rex Karolus acquiſivit terram a Sarracenis, duxit ſecum milites & alios nobiles ad ſoldatam. Minores autem ſecuti ſunt exercitum ejus ſine ſoldata; & ideo militibus quibus minus tenebatur, eo quod propter ſoldatam venerant, dedit poſſeſſiones quas habent ſub certo ſervicio exercitus. Minoribus autem qui gratis venerant, & qui gaudebant de populatione terræ, liberas tradidit poſſeſſiones, & eos francos id eſt liberos conſtituit, hoc ſolum injungens, quod juvarent ipſum ad tuendam terram. Unde nec prædictas quadraginta libras ab initio debuerunt, ſed avus vel proavus Gallardi de la Landa tunc ballivus Regis petiit ab hominibus de Interduo-maria, quod darent ſibi equum quadraginta librarum, & quædam parochiarum dederunt ſibi prædictum equum, aliæ nihil voluerunt dare; & ideo quædam tributariæ, aliæ liberæ remanſerunt a præſtatione 40. librarum, quas quilibet eis ſuccedens bajulus voluit habere. Item jurati dixerunt quod eorum libertas erat tempore prædictorum regum Henrici & Ricardi, quod unicus eſſet ſeneſcalcus totius terræ Regis in archiepiſcopatu Burdegalenſi & Auxitano, & unicus præpoſitus Interduo-maria. Nec fiebat ſubſtitutio ſeneſcalci, immo non eſt diu quod primo fuit facta, & hoc deſtruit totam terram. Requiſivimus inſuper dominum archiepiſcopum Burdegalenſem, & epiſcopum Vaſatenſem, dominum Henricum ſeneſcallum, majorem, & juratos, & alios probos homines de Burdegala, item barones dominum Heliam Rudelli, D. Arnaldum de Blancafort, D. Senebrunum Deſparra, Amanevum de Bodio, Petrum de la Mota, Roſtandum de Landirans, Amanevum de Noallan & Petrum de Burdegala, R. de Rionts, B. Deſcoſſan... & idem in omnibus reſponderunt, vel pene idem, quod prædicti capellani & ſeniores terræ jurati depoſuerunt. Facta fuit hæc inquiſitio in

* S. Emilion.

Digitized by Google

castro Burdegalensi in majori camera, anno Domini M. CC. XXXVI. die Sabbati proxima post festum S. Agathæ virginis incœpta, & terminata in Dominica Septuagesimæ.

Hæc sunt speciales injuriæ sub Henrico tunc senescallo: In parochia de Lennan capellanum flagellaverunt servientes ejus, & nudum cum maximo frigore duxerunt diutius, unde mortuus est: Item capellanum de Cursan eum projiciendo super caput tigni petentes XV. libras, unde etiam mortuus est; archipresbyter autem Robinum excommunicavit propter hoc.

Item Johannem Segin sacerdotem de Avaron, priorem de Talla ordinis Cisterciensis, in parochia S. Germani, turpiter verberatum ad redemptionem compulerunt; & multos alios capellanos similiter tractaverunt. Ipse Henricus in ecclesia sancti Romani, & S. Mariani mille & quinque marchas argenti extorsit.

Actum fuit hoc VIII. die exitus Novemb. anno Domini M. CC. LIX. regnante Henrico rege Angliæ, Geraldo archiep. Burdigal. A. Calhau majore; testes sunt Gaucen Artic, Ant. de la Yla.

Actum est hoc III. die introitus Januar. an. Domini M. CC. LIX. regnante Henrico rege Angliæ, G. archiepisc. Burdeg. A. Calhau majore; testes sunt W. de Cassanhas lo Canorr. A. Bert de sancta Crois.

Actum fuit hoc I. die introitus Marcii anno Domini M. CC. LIX. Henrico reg. Angliæ, sede Burdegalensi vacante, A. Calhau majore, item XIV. exitus Marcii an. Domini M. CC. LIX. regnante Eduardo rege Angliæ, sede Burdegalensi vacante, A. Calhau majore.

Obiit ergo Geraldus de Malamori, aut mense Januario aut Februario M. CC. LIX.

XXXVI.

Litteræ P. Burdegalensis archiepiscopi, quibus se excusat quominus veniat ad concilium Bituricense.

1263. VEnerabilibus & in Christo sibi carissimis J. Dei gratia Bituricensi archiepiscopo, & ejus suffraganeis P. eadem gratia Burdegalensis archiepiscopus salutem in Domino. Cum instantibus octabis S. Martini hiemalis Parisius interesse personaliter habeamus, citati ad concilium per reverendum in Christo patrem Egidium Dei gratia Tyrrensem archiepiscopum, apostolicæ sedis legatum, tunc celebrandum ibidem; concilio die Lunæ post instans festum omnium Sanctorum Bituris celebrando interesse commode non valemus, videlicet cum mora debita tracta in eundo, morando, & redeundo juxta tenorem provisionis apostolicæ sedis super negotio Bituricensi & Burdigalensi olim factæ, & satisfaciendo huic inde provisioni prædictæ, articulum hujusmodi in prædictis octabis Parisius interesse congrue minime valeremus. Propter quod tam per has nostras patentes litteras, quam per dilectum clericum nostrum magistrum Arn. Guischardi exhibitorem præsentium, nostram penes vos absentiam quoad prædictum Bituricense concilium excusamus. Datum in palatio nostro Burdegalensi XI. calendas Novembris anno Domini M. CC. LXIII.

XXXVII.

Testamentum Margaritæ de Turena: quæ ipsius protectorem instituit Henricum Burd. archiepiscopum.

1289. IN nomine &c. Nos Margarita de Turena Brageriaci & Genciaci domina, sana mente, ægra corpore, cogitantes de supremis, testamentum nostrum seu ultimam voluntatem nostram condimus, ordinamus, & facimus in hunc modum. Imprimis concedimus omnipotenti Deo animam nostram &c. Item legamus domino Alexandro de la Pebreya marito nostro, mille libras renduales ad vitam suam, tantum assignatas in castris & castellaniis de Genciaco & de Castromaurdne. Item legamus Margaritæ filiæ nostræ centum libras, & & mille semel solvendas. Legamus Johannæ filiæ nostræ centum libras, & mille, & in prætmissis, easdem Margaretam & Johannam hæredes nobis instituimus. Legamus Aude, & Aeliz & Ysabelli filiabus nostris, cuilibet viginti quinque libras renduales, ultra dotes sibi promissas, &c. dominæ Geraudæ filiæ nostræ uxori Arnaudi de Gironda militis quinquaginta lib. Instituimus Heliam Rudelli militem filium nostrum, hæredem in castro & castellaniis de Brageraco, de Monteleyderii & de Genciaco. Gaufridum de Ponte filium nostrum hæredem instituimus in singulis castris, & castellaniis nostris &c. existentibus in vicecomitatu Turenæ. Si vero dictum Heliam, vel filium suum sine herede masculo mori contigerit, eidem substituimus Gaufredum filium, vel hæredem ipsius Gaufredi masculum &c. Hujus testamenti nostri executores ordinamus Guillelmum de Turre archidiaconum Petragoricensem, Heliam Galteri canonicum Petragoricensem, & dom. Aymericum la Porta militem &c. Protectores autem hujusmodi testamenti nostri esse volumus excellentissimum dominum nostrum regem Franciæ illustrissimum, ac nobilem virum senescallum Vasconiæ, pro domino nostro illustri rege Angliæ, duce Aquitaniæ, & reverendos patres in Christo, dominos Henricum Dei gratia archiepiscopum Burdegalensem, Raymundum episcopum Petragoricensem &c. Testes autem vocati dictus Raymundus episcopus, dominus Pontius de Baynaco dominus ejusdem loci, Gaufredus de Ponte prædictus &c. Datum VII. Kal. Februarii an. Dom. M. CC. LXXXIX.

XXXVIII.

Quibus diebus abbas & conventus S. Crucis Burdig. teneantur ad procurationem erga Burdegal. archiepiscopum.

Ex autographo.

1294. HENRICUS Dei gratia Burdegalensis archiepiscopus... Cum nos religiosis viris abbati & conventui monasterii S. Crucis Burdegalensis per nostras litteras mandavissemus, quod ad dictum monasterium descendere volebamus visitationis causa, & quod nobis pararent procurationem debitam de jure communi... tandem pars dictorum abbatis & conventus proposuit in judicio coram nobis, ipsos abbatem & conventum nos velle recipere ad visitationem, sed ad procurationem prædictam non teneri, nisi cum noviter Burdegalensis archiepiscopus susceptus & ex more consecratus, si ad dictum monasterium, visitandi gratia descendere voluerit, tam ad solemnem processionem quam ad procurationem tunc semel recipi debet, & quando archiepiscopus, qui pro tempore est, a Romana curia revertitur, tum similiter semel recipiendus est & non amplius. Nos vero visis & inspectis rationibus eorumdem abbatis & conventus, comparentibus & litteris super hoc factis, sigillis prædecessorum nostrorum sigillatis & litteris apostolicis super confirmatione compositionum, & litterarum, quia nobis constitit prudentum virorum consilio communicato, deffensiones ipsorum abbatis & conventus esse rationabiles atque justas, eisdem promittimus bona fide, quod procurationem prædictam vel quamcumque aliam, nisi in prædictis duobus casibus non petemus ab eis; privilegia eorum inviolabiliter servabimus, & ipsos & eorum monasterium ad bonos usus & consuetudines prædecessorum nostrorum tenebimus in futurum. Datum Blaviæ die Dominica ante festum Pentecostes, anno Domini M. CC. XCIV.

Digitized by Google

XXXIX.

Philippi Francorum regis IV. diploma pro archiepiſcopo & omni clero Burdigalenſi.

1299. PHILIPPUS, Dei gratia Francorum rex, univerſis præſentes litteras inſpecturis, ſalutem. Decens reputamus & congruum, ut illos qui ſecundum ſui ſtatus decentiam nobis devotos & affectibus indeficienter exhibent ſe paratos, condignis muniamus favoribus, & ne injuriosis quorumcumque moleſtiis prægraventur, regiæ protectionis munimine foveamus. Nuper ſiquidem dilectus noſter Burdegalenſis archiepiſcopus ad noſtram præſentiam pro quibuſdam regni noſtri ſtatum contingentibus evocatus, nobis nonnulla porrexit gravamina, moleſtias, oppreſſiones & injurias, in quibus per ſeneſcallum, ballivos, ſervientes & miniſtros noſtros, ſe & ſuos ſubditos fuiſſe gravatos dicebat, ſupplicans tranquillitati ſuæ per nos ſuper hæc oportuno remedio provideri: ipſius, in quo ſinceræ devotionis & promptæ noſtris deſideriis affectionis gratitudinem invenimus, ſupplicationibus inclinati, ſuper præmiſſis gravaminibus, moleſtiis, oppreſſionibus & injuriis ſic duximus providendum, videlicet quod nullus ſæcularis judex clericos & perſonas eccleſiaſticas, coram ſe ſuper perſonalibus actionibus conveniat, & ſuper eiſdem actionibus reſpondere compellat. Concedimus etiam ut nullus de officialibus, judicibus, ſervientibus & miniſtris noſtris eccleſias, cimeteria & alia religioſa & ſacra loca contra jura & locorum conſuetudines infringat. Inhibemus præterea, ut nullus ſæcularis judex prædictum archiepiſcopum & ipſius ordinarium judicem impediat quominus ſuam juriſdictionem eccleſiaſticam in omnibus & per omnia, præcipue in cognitione cauſarum, teſtamentorum, decimarum non feodalium, & alias exercere poſſit, prout ex antiqua & approbata conſuetudine loci conſueverunt.

Concedimus inſuper ut ſeneſcalli, judices & ballivi noſtri clericos & perſonas eccleſiaſticas per eos vel eorum ſervientes pro actionibus vel delictis perſonalibus captos vel capiendos, ad requiſitionem ſuorum ordinariorum judicum, eiſdem ordinariis judicibus ſine qualibet contradictione reddant. Volumus etiam quod inhibitio, quæ per gentes noſtras in diœceſi Burdegalenſi facta fuiſſe dicitur, ne quis coram eccleſiaſtico judice ſub certa pœna aliquem citare vel convenire ſuper actionibus ad temporalem juriſdictionem pertinentibus præſumat, revocetur quantum ad caſus, quorum juriſdictio ad eccleſiaſticum judicem pertinet, ſeu pertinere poteſt de conſuetudine vel de jure. Concedimus præterea, ut nullus ſeneſcalliæ judicum, ballivorum, ſervientium & miniſtrorum noſtrorum, aut eorum locumtenentium temporalitatem archiepiſcopi prædicti univerſaliter ad manum noſtram ponat, niſi pro magna & ardua cauſa, vel aſſenſu noſtro ſuper hoc requiſito & obtento. Si vero pro quocumque debito, contumacia vel delicto ipſius archiepiſcopi, partem temporalitatis ſuæ ad manum noſtram poni oporteat, volumus quod pars illa modum ſeu qualitatem debiti, contumaciæ vel delicti non excedat. Concedimus etiam quod beneficia in quibus per eorum vacationem annalis, ſeu fructus beneficii vacantis primi anni debemus percipere, bonis & honeſtis deſervienda committantur perſonis, & pro ſufficienti ſuſtentatione deſervientium, & juxta antiquam cujuſlibet eccleſiæ conſuetudinem hactenus pacifice obſervatam faciendum fuit, de fructibus ab ipſis percipiendis annualibus miniſtretur, & alia onera quæ ab antiquo heredes eccleſiæ debent ſupportare, perſolvantur. . . . . Actum in abbatia Longi-Campi die Jovis poſt brandones, anno Dom. M. CC. IC.

XL.

Hominium præſtitum archiepiſcopo Burdigalenſi a priore S. Cypriani.

IN nomine Domini, Amen. Pateat univerſis per præſens publicum inſtrumentum, quod apud ſanctum Cyprianum, diœceſis Sarlatenſis, ante magnum altare monaſterii ejuſdem loci, die XII. menſis Decembris, circa horam tertiam, anno Domini milleſimo terceteſimo trigeſimo tertio, indictione ſecunda, pontificatus SS. patris & domini noſtri Johannis Divina providentia papæ XXII. anno decimo octavo, regnante excellentiſſimo principe domino Philippo rege Franciæ, in præſentia noſtrorum notariorum & teſtium ſubſcriptorum, necnon dominorum Bernardi Laroqua, Bertrandi de S. Eumachio, Gaillardi de Caſnaco, Gerardi de Marciliaco militum; magiſtrorum Johannis de Boſſa, Petri de Faux juriſperitorum; Bertrandi Samozens domicelli dictæ diœceſis; fratrum Petri de Engoliſma, Arnaldi Lapoyada, Samboni Danty, & Petri Laſudria canonicorum dicti monaſterii ad hoc vocatorum & rogatorum, perſonaliter conſtitutis reverendo patri in Chriſto domno Arnaldo, miſeratione Divina archiepiſcopo Burdigalenſi ex parte una, & venerabili viro domno Hugone Laroqua priore dicti monaſterii ex altera, dictus D. archiepiſcopus exhibuit nobis notariis, & per me Petrum Archambaudi publicari, legi, & exponi in romantio fecit quandam cartam publicam ſigno publici notarii ſubſcripti ſignatam, omni ſuſpicione carentem, ut prima facie videbatur, cujus tenor verbo ad verbum ſequitur in hunc modum:

1333.

Notum ſit quod anno Domini M. CCC. die Mercurii poſt feſtum beati Michaëlis, domnus Hugo de Baynac prior monaſterii S. Cypriani, conſtitutus perſonaliter in præſentia mei notarii, & teſtium ſubſcriptorum ad hoc ſpecialiter vocatorum & rogatorum, oſtendit reverendo in Chriſto domno Bertrando, permiſſione Divina Burdegalenſi archiepiſcopo præſenti apud S. Cyprianum in monaſterio ejuſdem loci quandam clavem quæ erat ſuper altare, quod altare eſt in capite ejuſdem loci; quam clavem dixit eſſe clavem cujuſdam turris ejuſdem monaſterii, quæ turris eſt ante aulam ſeu domum dicti prioris, & ibidem dictus dominus epiſcopus Burdegalenſis cepit dictam clavem in ſignum dominii, ut dixit, de ſupradicto altari, & tradidit ſeu commendavit Bertrando de Boſco ſeneſcallo ſuo, ut dicebat de Bigarroqua, & de S. Cypriano, & de alia terra ſua Petrachoricenſi, qui ſeneſcallus illico fecit aſcendi in dictam turrim quemdam ſervientem ſuum vocatum, ut dicebat, Guillelmum Delbez; qui ſerviens in ſignum dominii, ut dixit, proclamavit ſuper dicta turri alta voce: Boſdel, Boſdel, Bigarroqua, Bigarroqua; & tunc quidam alius ſerviens ejuſdem domini archiepiſcopi, ut dicebatur, tubicinavit ibidem cum quodam cornu per magnam pauzam; & hæc fuerunt facta ſine aliqua contradictione. Super & de quibus præmiſſis dictus ſeneſcallus, nomine dicti domini archiepiſcopi, ut dixit, petiit per me notarium infra ſcriptum ſibi fieri publicum inſtrumentum, quod ſibi conceſſit. Actum apud S. Cyprianum anno & die prædictis, regnante domino Philippo Dei gratia Francorum rege, teſtibus præſentibus magiſtro Arnaldo Lacaſa juriſperito, domno Guillelmo Arnaldi ſacriſta Burdigalenſi, Bernardo de Boſco minore, Gerardo Boſqueti, Pontio de Micanio, Helia Gauſſelini, & me Petro de Bovis clerico authoritate regia publico notario in ſeneſcallia Petrachoricenſi & Cadurcenſi, qui hoc inſtrumentum publicum recepi & ſcripſi, ſignoque meo ſolito ſignavi requiſitus & rogatus.

Qua charta ſic publicata & lecta, dictus dominus Hugo nunc prior, recognoſcens contenta in ea eſſe vera, poſuit ſuper dictum altare quandam clavem

quam dicebat eſſe clavem dictæ turris. Dictus dominus archiepiſcopus in ſignum dominii, ut dicebat, eamdem clavem accepit, de voluntate & aſſenſu prioris prædicti, ipſamque tradidit Arnaldo Devalato domicello diœceſis Burdegalenſis, quem quoad infraſcripta conſtituit & fecit ſeneſcallum ſeu locumtenentem in hac parte; qui quidem domicellus, accepta dicta clave de manu dicti domini archiepiſcopi, acceſſit ad pedem dictæ turris; & cum non pateretur aſcenſus ad oſtium dictæ turris, eo quod erat multum altum, nec eſſet ibi ſcala, ipſe una cum Guillelmo Ceboterii ſerviente dicti domini archiepiſcopi, & multis aliis, aſcendit ſuper eminens & amplum murum clauſuræ dicti prioratus prope dictam turrim; & dictus ſerviens, de mandato dicti domicelli clamavit pluries in ſignum dominii alta voce: Boſdel, Boſdel, Bigarroqua, Bigarroqua; & deinde tubicinavit longa pauza cum quadam troyna, & iterum clamavit ut ſupra, præſentibus dominis Arnaldo de Pratello capellano de Manzaco, magiſtro Guillelmo de Boſco licentiato in decretis, domno Helia de Gorbelia preſbytero, Radulpho de Pratella, Helia Gauſſelini domicellis, Guillelmo de Rotis, Helia de S. Eumachio domicellis; Gombaudo Deſpera, Gerardo de Calezio, Petro de Biraco, Gaillardo de Bedaco, Arnaldo Guillelmi de Lanti domicellis Petrachoricenſis, Burdegalenſis, & Agenenſis diœceſum, teſtibus ad hæc vocatis & rogatis. Et ſubſequenter eadem die & in eodem monaſterio circa horam meridiei dictus dominus prior in noſtrorum notariorum & teſtium ſubſcriptorum præſentia conſtitutus, coram eodem domino archiepiſcopo, avoavit & recognovit ſe tenere in feudum a dicto domino archiepiſcopo & eccleſia ſua Burdigalenſi, quidquid juris habet in parochiis de Mozens & Daltos, & in locis de Capella & de Reyniaco, & pertinentiis eorumdem, juxta & ſecundum quamdam compoſitionem olim initam inter bonæ memoriæ dominos Bertrandum, tunc archiepiſcopum Burdigalenſem, Hugonem de Baynac, tunc priorem dicti loci; cujus tranſcriptum ibidem lectum extitit qua recognitione ſit facta. Cum idem dominus archiepiſcopus diceret quod feudum requirebat fidelitatem, & fidelitas juramentum; & adjiceret quod dictus prior tenebat, & ſe tenere debebat recognoſcere in feudum ſicut alia ſupradicta baſſum juſtitiatum vel id quod habet in baſſo juſtitiatu de S. Cypriano, & requireret eumdem priorem quod faceret hujuſmodi recognitionem, & præſtaret juramentum fidelitatis; præfatus dominus prior dixit quod ipſe fecerat & compleverat id ad quod tenebatur in hac parte ſecundum formam & tenorem compoſitionis prædictæ, & alias prout prædeceſſores ſui facere conſueverunt, & non apparebat ſibi quod ipſe teneretur ad aliquid aliud faciendum; proteſtatus tamen fuit quod ſi ſibi apparebat impoſterum quod ipſe nomine ſui prioratus teneretur, eidem domino archiepiſcopo nomine ſuæ eccleſiæ Burdegalenſis ad aliqua alia facienda, vel quod de hoc ſibi poſſet conſtare per legitima documenta, quod ex tunc paratus erat, & ex nunc ut eſt, tunc & ex tunc ut eſt nunc, ſe offerebat facere cum effectu quod facere deberet, & in omnibus agnoſcere bonam fidem. Idem vero dominus archiepiſcopus replicabat quod dicta compoſitio fuerat facta ſuper & de locis prædictis de quibus erat quæſtio inter partes non ſuper recognitione dictæ baſſæ juſtitiæ de S. Cypriano, ſuper qua nullum erat tunc nec adhuc eſt dubium. Et cum dictus dominus prior reſponderet & ſe offerret ut ſupra, nec aliud faceret, idem dom. archiepiſc. proteſtatus fuit, & ſibi & eccleſiæ ſuæ Burdegalenſi ſalvavit expreſſe jus ſi quod ei acquirebatur, ex hoc quod dictus dominus prior volebat facere recognitionem & juramentum fidelitatis petitæ, & quod non præjudicet ſibi aut ſuis ſucceſſoribus ſeu Burdigalenſi eccleſiæ in futurum, ſi dictus dominus prior tenebatur ad plura, quia ea non intendit remittere vel quittare, præſentibus nobilibus viris & diſcretis dominis Pontio de Beynaco decano Aurelianenſi, Gaillardo de Caſnaco, Gerardo de Marciliaco militibus; magiſtris Raimundo de Capella, Petro de Fagia, Guillelmo de Boſco, Guillelmo de Cantarana juriſperitis; Gaillardo de Bedaco & Guiraldo de Galezio domicellis Petrachoricenſis & Burdegalenſis diœceſum teſtibus ad hæc vocatis & rogatis. De quibus omnibus & ſingulis tam dictus dominus archiepiſcopus quam magiſter de Cantarana juriſperitus procurator ipſius, & dictus domnus prior petierunt ſibi fieri publica inſtrumenta. Et nos notarii duo ejuſdem tenoris inde confecimus; unum videlicet pro domino archiepiſcopo, & aliud pro domino priore prædictis. Ego Petrus Archambaudi clericus Lemovicenſis diœceſis, apoſtolica authoritate publicus notarius, prædictam cartam in præſenti inſtrumento inſertam legi & publicavi, & recognitioni, acquiſitioni, reſponſioni, proteſtationi & aliis omnibus, prout ſuperius continentur, una cum ſubſcriptis teſtibus, & infraſcripto notario præſens fui; & hoc inſtrumentum recepi, & propria manu ſcripſi, illudque in formam publicam redigendo, ſigno meo ſolito conſignavi vocatus & rogatus. Et ego Petrus Martini clericus authoritate regia publicus notarius in ſeneſcallia Petrachoricenſi & Cadurcenſi & ejus reſſorto, cartam in præſenti inſtrumento inſertam vidi & legi; & requiſitioni, recognitioni, reſponſioni, proteſtationi & aliis omnibus prædictis, una cum notario & teſtibus ſupraſcriptis præſens fui; & hoc inſtrumentum recepi, & ei manu propria me ſubſcripſi, & illud in formam redigendo, ſigno meo ſolito ſignavi rogatus.

XLI.

Abbas & conventus S. Crucis concedunt archiepiſcopo Burdig. per quinquennium primum annum redituum cujuſlibet prioratus, officii clauſtralis &c.

PAteat univerſis per hoc præſens publicum inſtrumentum quod in præſentia mei notarii & teſtium ſubſcriptorum, præſentibus in capitulo monaſterii ſanctæ Crucis Burdegalenſis reverendo patre in Chriſto & domino noſtro, domino Bertrando digna Dei providentia Burdegalenſi archiepiſcopo, & domino Guillelmo abbate, & conventu ejuſdem monaſterii, videlicet Arnaldo Heliæ ſubpriore, Raymundo de Montibus camerario, Petro Aiquelini infirmario, Bernardo de Trena piſcionario, Guillelmo Conſtantini pitanciario, Arnaldo Heliæ cantore, Arnaldo Vitalis refectuario, Arnaldo Conſtantini hoſtalario, Petro Deus Perilhs camerario S. Macharii, Arnaldo Raymundi de Mota priore Montis-Aurioli, Arnaldo Guilhelmi priore de Inſula in Arnario, Galhardo de Mochav. priore de Sadiraco, Raymundo de Lopa, Raymundo de la Mota, Raymundo de Gardurio, Guilhelmo de Artigiis, & Arnaldo de Falgueriis monachis ejuſdem monaſterii; idem reverendus pater dominus archiepiſcopus propoſuit quod ipſe & ſua Burdegalenſis eccleſia tanta debitorum eidem & eccleſiæ ſuæ prædictæ importabilium ſarcina . . . . . gravi uſurarum voragine per . . . . . prædeceſſorum ſuorum in tanta multitudine fuerant contracta, quod fructus ſuæ ſedis archiepiſcopalis, qui propter guerrarum diſcrimina quaſi ad nihilum redacti erant, nec alia bona ſua ſufficiebant ad onera debitorum, uſurarum, ſumptuum neceſſariorum, ſuorum & familiæ, reparationem locorum eccleſiæ, guerrarum diſcrimine dirutorum, allaque ſibi incumbentia ſupportanda; quinimo eidem domino archiepiſcopo, capitulo ſuo, ipſis abbati & conventui ſupradictis, pluribus aliis probis viris cuilibet intuenti veraciter notum exiſtit quod ſi non adjungerentur plura opportuna remedia, pateretur ſua Burdegalenſis eccleſia 1301.

lationem irreparabilem & jacturam. Propter quæ tam inevitabili neceſſitate compulſus, ab eiſdem abbate & conventu monaſterii S. Crucis prædicti moderatum ſubſidium poſtulabat; præſertim ſuffultus ſuper hoc privilegio ſanctiſſimi patris ac domini noſtri domini Bonifacii Divina providentia ſacroſanctæ ac univerſalis eccleſiæ ſummi pontificis, ſibi & eccleſiæ ſuæ gratioſe conceſſo, in relevationem onerum ſuorum. Poſt quæ abbas & conventus prædicti, in capitulo, ut dictum eſt, congregati, & ſuper præmiſſis, ut diximus, capitulum facientes, tractatu & deliberatione præhabitis diligenter, attendentes prædicta per ipſum dominum archiepiſcopum poſita veritatem notoriam continere, & quia requiſitionem ad effectum exauditionis per ipſos debere perduci, per hoc maxime dicto privilegio ipſi domino archiepiſcopo ab eodem domino ſummo pontifice conceſſo, ſuper petendo & recipiendo a perſonis eccleſiaſticis civitatis & dioceſis ac provinciæ Burdegalenſis pecuniario ſubſidio moderato, prout melius & decentius poterant affectantes parere, ac ſicut devoti eorumdem & eccleſiæ Burdegalenſis filii, volentes quod ipſa ſua mater eccleſia in ſuis neceſſitatibus temporalibus auxiliis minime careat, quin potius, ipſis adjuta, ſpiritualibus ſemper proficiat incrementis, in ſubſidium & pro ſubſidio relevationis debitorum Burdegalenſis eccleſiæ, & cæterorum onerum prædictorum, conceſſerunt, ordinaverunt, ſtatuerunt, & unanimiter voluerunt, nullo penitus diſcordante, quod omnes fructus, exitus & proventus omnium & ſingulorum prioratuum, eccleſiarum, grangiarum, & quarumcumque aliarum adminiſtrationum, officiorum & obedientiarum ſeu beneficiorum quorumcumque, & quocumque nomine cenſeantur ſeu cenſeri poſſint, per collationem, ordinationem, præſentationem, cuſtodiam & diſpoſitionem quamcumque conjunctim vel diviſim ſpectantium ad ipſos abbatem & conventum, vel ad ſubditos eorumdem, quos, quas, vel quæ a data præſentis inſtrumenti uſque ad quinquennium continuum & expletum qualitercumque vacare contigerit in civitate, in dioceſi, ac provincia Burdegalenſi, vel extra, primi anni vel ſequentis cujuſcumque, ſi in primo, ſecundo vel alio anno dictus dominus archiepiſcopus fructus vel proventus prædictos non poſſet libere colligere & habere, deputentur & convertantur in exonerationem & relevationem debitorum & cæterorum onerum prædictorum. Ita videlicet quod per ipſum dominum archiepiſcopum ſeu deputatum vel deputatos ab eo colligantur, leventur & percipiantur, & in uſus prædictos convertantur, prout eidem domino archiepiſcopo viſum fuerit expedire. Sic tamen quod idem dominus archiepiſcopus anno perceptionis dictorum fructuum, annalia onera ordinaria & extraordinaria ipſorum beneficiorum anni ipſius teneatur de ipſorum beneficiorum fructibus ſupportare. In quibus ſtatuto ſeu conceſſione ipſi abbas & conventus noluerunt includi, ſed potius fore exceptas omnes adminiſtrationes & quaſcumque obedientias & officia infra ſepta monaſterii ſui exiſtentes. Et ibidem dictus dominus archiepiſcopus omnia & ſingula prædicta grata habuit & accepta, ſuamque autoritatem & aſſenſum præſtitit, prout melius fieri potuit & debuit juxta canonicas ſanctiones. Voluerunt inſuper dominus archiepiſcopus, abbas & conventus prædicti, quod de ſtatuto, ordinatione & conceſſione prædictis duo ejuſdem tenoris fierent publica inſtrumenta, ſigillis ipſius domini archiepiſcopi & abbatis ac conventus prædictorum ſigillata, quorum unum ipſi domino archiepiſcopo, alterum vero ipſis abbati & conventui traderetur; quibus tamen ſigillis appoſitis vel non appoſitis, apparentibus vel non apparentibus, voluerunt dominus archiepiſcopus, abbas, & conventus prædicti ipſa inſtrumenta habere perpetui roboris firmitatem. Acta fuerunt hæc in capitulo dicti monaſterii S. Crucis, die Veneris poſt feſtum Pentecoſtes, videlicet ſexta die exitus Maii, anno Dom. M. CCC. I. regnante Philippo rege Francorum, prædicto domino noſtro Bertrando Burdegalenſi archiepiſcopo, Johanne Vigerii milite majore Burdigalenſi teſtibus præſentibus, domino Raymundo Guilhelmi Sarmenſi archidiacono, domino Ramnulpho de Bloyaco cartore Burdegalenſi, domino Petro Arnaldi priore de Buſero, magiſtro Guilhelmo Arutfat canonico S. Severini Burdegalenſis, domino Guilhelmo Arnaldi ſacriſta Burdegalenſi, dominis Arnaldo de Blanquefort & Monta-fino de Podonas canonicis Burdegalenſibus, magiſtris Raymundo Gaufridi, & Raymundo Juder canonicis S. Severini Burdegalenſis, magiſtro Gombaldo de Fonte, domino Amanevo Ferrioli, Raymundo Mercerii clericis, domino Arnaldo Vitalis preſbytero, & me Guilhelmo de Bolhaco publico notario Burdegalenſi, qui præſentibus interfui, & hoc præſens publicum inſtrumentum recepi & inquiſivi ad preces & rogatum domini noſtri archiepiſcopi, abbatis & conventus prædictorum, quod Guilhelmus Fabri notarius urbis Burdegalenſis de voluntate & mandato meo ſcripſit, ſignoque ſuo conſueto ſignavit. Et ego Arnaldus de Coſta-Cayſſano clericus Burdegalenſis dioceſis, autoritate archiepiſcopali in civitate, dioceſi, & provincia Burdegalenſi notarius publicus, præmiſſis omnibus & ſingulis, una cum notario & teſtibus ſupraſcriptis præſens interfui, & præſens publicum inſtrumentum ſubſcripſi, ſignoque meo conſueto ſignavi rogatus.

XLII.

Acta pro immunitate archiepiſcoporum Burdigalenſium ab homagio & ſacramento regi Franciæ præſtando.

UNiverſis præſentes litteras inſpecturis. Miſeratione divina Petrus Noviomenſis, Bertrandus Agennenſis, frater Iterius Leudovenſis & Martinus Adurenſis & S. Quiteriæ epiſcopi, ſalutem & fidem præſentibus adhibere. Noveritis quod reverendis in Chriſto patribus dominis Stephano Senonenſi, Ægidio Narbonenſi archiepiſcopis, Gerardo Attrebatenſi, Raymundo Agathenſi, Guillelmo Mimatenſi & Petro Carcaſſonenſi & nobis cum illis & prælatis aliis regni Franciæ Pariſiis convocatis; in eorumdem dominorum archiepiſcoporum, epiſcoporum, noſtra & plurium aliorum præſentia, in quadam camera palatii Pariſienſis ipſius domini Regis, coram magnificis principibus D. D. duce Burgundiæ, comitibus Attrebatenſi, Droenſi, & Bononienſi, & domino Petro Floto præfati domini Regis milite ac vicecancellario, ac etiam pluribus prælatis aliis & baronibus de conſilio præfati domini Regis una nobiſcum præſentibus, qui ibidem intererant nomine prædicti D. Regis, R. in Chriſto pater D. Bertrandus Dei gratia Burdegalenſis archiepiſcopus proteſtatus fuit in modum qui ſequitur, videlicet: In præſentia omnium veſtrum hic aſtantium proteſtor & proteſtationem facio vobis prædictis principibus & vicecancellario nomine D. Regis Franciæ prædicto, ego Bertrandus Burdegalenſis archiepiſcopus, pro me & eccleſia Burdegalenſi, quod cum ego non tenear ad homagium vel ſacramentum fidei D. regi Franciæ, nec prædeceſſores mei fecerint aut conſueverint ea ſibi facere, nolo nec intendo quod pro eo quod ad vocationem prædicti D. Regis veni vocatus ſub virtute homagii, fidelitatis ſacramenti & quocumque modo alio, quo ſibi tenebar, vel propter appoſitionem ſigilli mei faciendam in quibuſdam litteris quarum una ſanctiſſimo patri domino noſtro Bonifacio ſummo pontifici, & alia R. R. in Chriſto patribus dominis noſtris ſacro ſanctæ Romanæ eccl. cardinalibus ex parte prælatorum regni Franciæ diriguntur ſuper illis qui vocationem prædictam tangere dignoſcuntur, & ſuper ſtatu regni factam mihi 1302.

Digitized by Google

archiepiſcopo Burdigalenſi, eccleſiæ meæ prædictæ, vel ſucceſſoribus meis archiepiſcopis, qui erunt pro tempore, fiat vel generetur aliquod in futurum præjudicium, vel domino regi prædicto, aut ſuis ſucceſſoribus jus aliquod ſeu novitas propter quod creetur vel acquiratur quantum ad homagium, fidelitatem vel quodcumque aliud novum deberium, vel zelus cujuſlibet alterius ſervitutis. Ad quæ præfatus dominus Petrus pro domino Rege, aſtantibus ſupradictis principibus reſpondit ibidem, quod intentio non eſt nec fuit domini Regis propter prædicta vel aliquod prædictorum, eidem domino archiepiſcopo, eccleſiæ, vel ſucceſſoribus ſuis imponere, vel imponi jubere aliquam ſervitutem. Unde cum præfatus D. archiepiſcopus de Burdegala litteras noſtras ſibi diceret ſuper hiis opus eſſe, nos pro illius & eccleſiæ ſuæ cautelis, in præmiſſorum teſtimonium ſigilla noſtra præſentibus litteris duximus apponenda. Actum & datum Pariſiis die Mercurii ante feſtum Paſchæ, anno Dom. M. CCC. II...

XLIII.

De libertate & immunitate eccleſiæ & archiepiſcopi Burdigalenſis.

1324. ANno M. CCC. XXIV. ſecunda introitus menſis Julii Ind. VII. D. Arnaldus archiep. in loco de Cauderot, dixit coram notario & teſtibus quod dominus Edmundus frater D. Eduardi regis Angliæ miſſus pro reformatione terræ, ſcripſit ſibi litteram continentem quod inſtanti die Lunæ poſt feſtum beatorum apoſtolorum, ſecunda introitus Julii apud Lingonum coram ipſo intereſſet.....Et cum ipſe non teneatur in aliquo parere mandatis, niſi ſolum mandatis apoſtolicis, proteſtatus fuit ſuper hoc non obedire, ſed ſolum ob reverentiam & honorem domini Regis Lingonum ibit. Ubi cum D. Guillelmus de Caſis legum profeſſor propoſuit quod archiepiſcopus vocatus eſſet ut præſtaret conſilium & juvamen eiſdem reformatoribus, ſalva eorum reverentia, archiepiſcopus reſpondit quod non eſt nec fuit homo domini Regis & ducis, nec prædeceſſores ſui, nec teret ab ipſo, ſed a D. ſummo pontifice, cui & nulli alii viventi tenetur de fidelitate & ſacramento faciendo; præſentibus R. in Chriſto patre D. Raymundo de Armaniaco, & D. Amanevo de Lebreto.

Eodem anno ante feſtum S. Laurentii apud Caturcum D. Guillelmus Conge procurator dicti D. archiepiſcopi, coram D. Carolo comite Valeſii a rege Franciæ delegato, declaravit quod D. archiep. erat & ſui deceſſores in pacifica libertate non præſtandi hominium pro caſtris quæ poſſidebat in Aquitania; qui commiſſarius reſponſum diſtulit.

XLIV.

Clemens papa V. unit abbati & conventui S. Crucis Burdigalenſis eccleſiam S. Michaëlis.

1305. CLEMENS epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis abbati monaſterii Leſatenſis Appamiarum diœceſis, & archidiacono Sarnenſi, & cantori eccleſiæ Burdigalenſis, ſalutem & apoſt. benedictionem. Dum inter alias ſolicitudines & curas innumeras circa quas animus noſter juxta debitum paſtoralis officii jugi meditatione verſatur, ad ſtatum monaſterii S. Crucis Burdegalenſis, ad quod ejuſque perſonas ab olim, dum adhuc in minoribus ageremus, ſpecialis habuimus dilectionis affectum, noſtræ retorquemus conſiderationis intuitum, ſactæ religionis honeſtatem, ſub qua devotum Domino famulatum impendunt, diligenter attendimus. Dignum, quinimmo debitum reputamus ut abbatem & conventum ac monaſterium ipſum oportunis proſequamur favoribus. Hinc eſt quod nos volentes eidem abbati & conventui, ut neceſſitates ſuas commodius & facilius ſupportare poſſint, de alicujus ſubventionis remedio providere, eccleſiam S. Michaëlis Burdegalenſis curam habentem animarum annexam cum juribus & pertinentiis ſuis, ipſis abbati & conventui & per eos dicto monaſterio in uſus proprios auctoritate apoſtolica duximus deputandam; eis nihilominus concedentes, ut cedente vel decedente eccleſiæ prædictæ rectore, libere poſſint ejuſdem eccleſiæ poſſeſſionem apprehendere, eamque in uſus retinere prædictos, cujusquam aſſenſu minime requiſito; ac decernentes ex tunc irritum & inane, ſi ſecus ſuper hoc a quoquam contingeret attentari. Volumus autem quod de ipſius eccleſiæ proventibus pro vicario in ea perpetuo ſervituro congrua portio reſervetur, ex qua commode ſuſtentari valeat, ac archiepiſcopalia & alia ſibi incumbentia onera ſupportare. Quocirca diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus veſtrum per vos vel alium ſeu alios, eoſdem abbatem & conventum vel procuratorem ſuum eodem nomine in corporalem poſſeſſionem eccleſiæ, jurium & pertinentiarum prædictarum, eodem rectore cedente vel decedente, vel quomodolibet alias eccleſia ipſa vacante, inducatis auctoritate noſtra & deffendatis inductos, facientes ipſis de illius proventibus integre reſponderе, non obſtantibus omnibus ſupradictis, aut ſi aliquibus ab eadem ſit ſede indultum quod excommunicari, ſuſpendi vel interdici non poſſint per litteras apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam & de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem, contradictores per cenſuras eccleſiaſticas, appellatione poſtpoſita compeſcendo. Datum Lugduni X. Decembris, pontificatus noſtri anno primo.

In favorem D. archiepiſcopi bullas refert D. Lopeus, pag. 142. in favorem capituli pag. 575.

XLV.

Inſtrumentum fundationis collegiatarum Uzeſtæ & Villandraudi.

Ex archivis archiepiſc. Burdigal. fol. 179.

1316. JOHANNES epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis S. Mariæ de Uzeſta, & S. Martini de Gout Vazatenſis & Burdegalenſis diœceſum, eccleſiarum decanis & capitulis ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Dudum felicis recordationis Clemens papa V. prædeceſſor noſter volens terrena pro cæleſtibus, & tranſitoria pro æternis felici commercio commutare, veſtras S. Mariæ & S. Martini olim parochiales eccleſias, prius eadem eccleſia S. Martini de ipſo loco du Got infra caſtrum de Villandraud Burdegalenſis diœceſis apoſtolica auctoritate tranſlata, eadem auctoritate in collegiatas erexit; & de bonis propriis convenientibus dotibus conceſſis eiſdem, duodecim canonicorum & quatuordecim prebendarum numerum, ac dignitatem decanatus, ut in iiſdem eccleſiis pro redemptione criminum frequentius immolaretur hoſtia ſalutaris, amplioribus laudum præconiis glorificaretur omnipotens, ipſeque divinam miſericordiam conſequeretur facilius, conſtituit; in qualibet earumdem vero, ut decani qui eſſent pro tempore in eccleſiis ſupradictis eo ſolertius divinis vacarent obſequiis, quo uberioris commodi fructum ex his ſe noſcerent percepturos, eiſdem dignitatibus decanatuum, omnes videlicet ipſius de Uzeſta ejuſdem ac dictæ S. Martini eccleſiarum poſſeſſiones & bona ipſius S. Martini decanatibus annexanda duxit perpetuo, & etiam unienda. Statuens nihilominus auctoritate prædicta ut quilibet decanorum ipſorum in eccleſia in qua decanus exiſteret, præter hæc, duas, ſinguli vero ex dictis canonicis ſingulas prebendas ex quatuordecim prebendis percipierent antedictis, quodque prædictorum canonicatuum, prebendarum, decanatuum & aliarum dignitatum, perſonatuum ac officiorum quæ in dictis eccleſiis & earum qualibet forſan in poſterum crearentur,

Digitized by Google

cum illa vacare contingeret, etiamſi ad prædictam ſedem apoſt. vacarent, vel alias ipſorum proviſio ac diſpoſitio pertineret ad dilectum filium nobilem virum Bertrandum Deugot Leomaniæ & Altivillaris vicecomitem, ejuſque ſucceſſores; illo videlicet qui in dicto caſtro de Villandraud, cujus ipſe Bertrandus eſt dominus, eidem ſuccederent, pertinerent omnimode pleno jure, ac illis quibus per dictos vicecomitem aut ſucceſſores de canonicatibus, præbendis, dignitatibus, perſonatibus & officiis pro tempore proviſum exiſteret, abſque confirmatione qualibet, & ejuſdem ſuperioris auctoritate, in eiſdem canonicatibus, præbendis, decanatibus, dignitatibus, perſonatibus, & officiis poſſent in ſpiritualibus & temporalibus, prout eſſet congruum, plene & libere miniſtrare; ac perſonæ quibus B provideretur de decanatibus memoratis cum litteris ſuæ proviſionis hujuſmodi, videlicet ipſe de Uzeſta coram epiſcopo Vazatenſi, & iidem S. Martini eccleſiarum prædictarum decani coram archiepiſcopo Burdegalenſi, qui eſſent pro tempore, aut ipſis abſentibus coram vicariis eorumdem, ſeu Vaſatenſi & Burdegalenſi eccleſiis paſtorum regimine deſtitutis, coram eccleſiarum ipſarum capitulis infra menſem ſe perſonaliter præſentarent, approbationem proviſionum hujuſmodi, ſi factæ de idoneis perſonis exiſterent; alioquin caſſationem ipſarum infra menſem alium recepturi. Quod ſi forte iidem archiepiſcopus & epiſcopus aut vicarii ſupradicti eaſdem proviſiones infra menſem, a tempore præſentationis ipſarum approbare, vel recuſare differrent, liceat eis ad quemcumque de vicinis epiſ- C copis infra tres dietas a prædictis S. Mariæ & S. Martini propinquis eccleſiis pro approbatione vel caſſatione proviſionum hujuſmodi habere recurſum; qui examinatis perſonis ad eoſdem decanatus aſſumptis, dictas proviſiones ſuper quibus eis & ipſorum cuilibet plenam poteſtatem conceſſit, & eorum conſcientias oneravit, approbare vel etiam infirmare. Voluit tamen prædeceſſor ipſe quandocumque, & quotieſcumque præfati Bertrandus ſeu ſucceſſores etiam circa unam vacationem decanatuum prædictorum, & cujuſlibet eorum, peccarent vel errarent de perſona minus idonea eiſdem decanatibus, vel eorum alteri providendo, poſſent iidem Bertrandus, & ſucceſſores, peccato ſeu errore hujuſmodi non obſtante, eiſdem proviſionibus reprobatis, & aliis perſonis idoneis, quoties proviſiones ipſas reprobari contingeret, præfatis decanatibus, & ipſorum cuilibet providere. Statuit inſuper idem prædeceſſor, etiam ordinavit quod decani & canonici ſupradicti in eiſdem eccleſiis continuam facerent reſidentiam perſonalem, & hi ex eis, qui erunt in legitima ætate conſtituti, ſe facerent infra annum ad ſacerdotium promoveri; illi vero qui nondum forſan ad hujuſmodi perveniſſent ætatem, quamprimum ad illam pervenire contingeret, ordinem ſacerdotii tempore debito recipere tenerentur; & interim per ſacerdotes idoneos, præbendis, quas in eiſdem eccleſiis obtinebunt, facerent deſerviri. Voluit etiam memoratus prædeceſſor quod in præfata eccleſia B. Mariæ tres miſſæ per canonicos ejuſdem eccleſiæ, prima videlicet pro defunctis, ſecunda de ipſa B. Virgine, & tertia de feſto diei ſingulis diebus, præterquam tertia & quinta feria, quibus miſſam de Spiritu ſancto voluit celebrari; ac diebus Quadrageſimalibus aut Vigiliis alicujus feſti ſeu alia ſolemni die, qua non deceret proprium officium prætermitti, cum nota celebrarentur, debita ſolemnitate ſervata. Aliæ vero ſeptem miſſæ ſine nota in honorem ejuſdem B. Virginis, & aliæ ſeptem de Spiritu ſancto, & reliquæ ſeptem pro defunctis, tam per canonicos ipſius eccleſiæ S. Mariæ, quam per capellanos preſbyteros, quos per ipſius S. Mariæ, necnon & prædictos S. Martini eccleſiarum canonicos, videlicet ſingulos canonicorum ipſorum, ſingulos capellanos preſbyteros continue ſecum habere voluit, celebrarentur: niſi ejuſdem eccleſiæ S. Mariæ decanus, vel ille qui haberet in eadem eccleſia miſſam celebrare majorem, aliter in hac parte duceret ordinandum; cujus ordinationem ſuper hoc faciendam, per eum firmiter voluit obſervari. In prædicta quidem eccleſia S. Martini tres miſſas ſolemniter modo ſimili, videlicet primam pro defunctis, ſecundam ad honorem ejuſdem beatæ Virginis & tertiam de beato Martino cum nota per canonicos ipſius eccleſiæ præcepit die qualibet celebrari, niſi forte duplex feſtum occurreret, quo miſſam pro defunctis in eiſdem eccleſiis celebrandam cum nota omitti voluit & mandavit; at in Quadrageſimali tempore ſeu Vigilia, qua non deceret diei officium prætermitti; tertia namque ac ſexta feria in dicta eccleſia S. Martini, de S. Spiritu, & aliæ miſſæ celebrarentur ſicut in dicta eccleſia S. Mariæ tertia & quinta feria ordinatum exſtiterat, ut præmittitur celebrari, volens quod omnes prædicti canonici cum memoratis capellanis preſbyteris, præfatis minoribus miſſis ac vigiliis & veſperis defunctorum, quas præcepit in eiſdem eccleſiis diebus ſingulis celebrari, ac omnibus horis canonicis tenerentur perſonaliter intereſſe; & nihilominus majore miſſa pro defunctis in eadem eccleſia S. Mariæ, ut prædicitur ſolemniter celebrata, canonicus qui celebravit eandem cum aliis canonicis & preſbyteris ſupradictis, ſacris, caſula dumtaxat excepta, veſtimentis indutus, cujus loco pluviale deferret, præcedente cruce per unum de preſbyteris antedictis, & aqua benedicta per alium de ipſis preſbyteris, deferendis ad tumulum vel ſepulchrum parentum prædeceſſoris ejuſdem, & deinde ad cœmeterium eidem eccleſiæ magis propinquum, dicendo tam ſuper tumulum quam cœmeteria ſupradicta, Pſalmos & Reſponſoria, Verſiculos & aliarum orationum ſuffragia, quæ pro abſolutionibus & defunctorum venia impetranda, dici conſueverunt, proceſſionaliter accederent, ſicut erat fieri conſuetum. Ille autem canonicorum qui cum capellano ſuo preſbytero præſens in dicta proceſſione non eſſet, legitimo impedimento ceſſante, illius diei eo ipſo careret diſtributionibus & præbenda: quod ſi forſan per menſem continuum vel interpolatum ab hujuſmodi proceſſione, dicto impedimento ceſſante, illum abeſſe contingeret, præbenda & diſtributionibus ſuis ejuſdem eccleſiæ per annum eſſet ipſo facto privatus. Illud idem quoad proceſſionem hujuſmodi in cœmeterio magis propinquo eccleſiæ S. Martini prædictæ faciendum per ipſius eccleſiæ S. Martini canonicos & capellanos ipſorum; & quoad pœnas eaſdem circa canonicos ipſos voluit inviolabiliter obſervari; ſi qui vero ex canonicis ſupradictis ultra menſem ab eccleſia, in qua ſunt canonici, ſe forſitan abſentarent, legitima cauſa ceſſante, vel qui ſe non facerent ad ſacerdotium, ut præmittitur, promoveri, eo ipſo, canonicatibus & præbendis, quas in iiſdem eccleſiis obtinebant, omni eorum eſſent emolumento privati. Præterea auctoritate prædicta memoratus ſtatuit prædeceſſor quod omnes & ſinguli eccleſiarum ipſarum canonici in eorum nova receptione ſigillatim, hujuſmodi & alia earumdem eccleſiarum ſtatuta eis nominatim & diligenter expoſita, jurarent tactis ſacroſanctis Evangeliis E inviolabiliter obſervare; ac decrevit S. Mariæ ac S. Martini eccleſias ſupradictas cum eorum membris, bonis, juribus & pertinentiis univerſis, quæ tunc obtinebant, ac quæ favente Deo inpoſterum obtinerent, ad apoſtolicam ſedem plene & immediate ſpectare, ipſaſque eccleſias, membra, bona, jura & pertinentias plena libertate gaudere, eas eccleſias ipſarumque capitula, canonicos & clericos ſupradictos ex tunc ab omni juriſdictione, lege, ac ſubjectione & poteſtate ordinariorum quorumlibet eximens, dictiſque capitulis, canonicis & clericis concedens de gratia ſpeciali quod ordinariis ſupradictis, aut legatis vel nuntiis dictæ ſedis, vel quibuſvis aliis procurationes aut aliquid ipſorum nomine, ſeu qualibet alia ratione ſolvere aut exhibere, ſeu decimam per dictam ſedem alicui vel aliquibus conceſſam, vel in poſterum concedendam, etiamſi ſedes ipſa pro ſuis neceſſitatibus illam imponeret,

ſolvere.

ſolvere minime tenerentur, nec ad id per dictæ Sedis litteras cogi poſſent, etiamſi hujuſmodi conceſſioni ſeu decreto poſſet quomodolibet derogare; ex tunc eis per hujuſmodi privilegium derogari decernens ex certa ſcientia, & de apoſtolicæ plenitudine poteſtatis, ſtatuens & ordinans idem prædeceſſor & archiepiſcopo Burdegalenſi & epiſcopo Baſatenſi prædictis in virtute obedientiæ, & ſub pœna ſuſpenſionis expreſſe præcipiens, ut idem archiepiſcopus B. Mariæ, & memoratus Vaſatenſis epiſcopus S. Martini eccleſias ſupradictas auctoritate apoſtolica eorum expenſis propriis, ita quod per decanos & capitula ſupradicta vel perſonas ſingulares ipſorum aliquid non poſſit archiepiſcopo vel epiſcopo ſupradictis, cujus valor ſummam viginti ſolidorum monetæ Burdegalenſis excederet, hujuſmodi viſitatione durante, quæſito colore quolibet, præſentari; contrarium vero facientes, dantes ſcilicet & recipientes, etiam incurrerent excommunicationis ſententiam ipſo facto, teneantur perſonaliter de biennio in biennium viſitare; ac in his, quæ durante præfatæ viſitationis officio inchoaſſent, quæ non potuiſſent tunc tempore expleto corrigere, ac etiam reformare quæ reformanda fuiſſent in eccleſiis ſupradictis, ſummarie procedere poſſent de plano ſine ſtrepitu judicii & figura. Voluit etiam dictus prædeceſſor quod pœnæ pecuniariæ ſive mulctæ, quas eoſdem archiepiſcopum & epiſcopum, aut ipſorum aliquem dictis capitulis aut canonicis, preſbyteris, clericis & aliis eccleſiarum ipſarum ſeu alterius earum ſervitoribus & miniſtris infligere quovis modo contingeret, ſuis non applicarentur commodis; ſed in ornamenta aut alios pios uſus infra dictas eccleſias, vel illam cujus capitulum ſeu canonici aut preſbyteri & clerici, aut ſervitores ſeu miniſtri exiſterent condemnati; ita quod in ipſorum punitorum ſeu mulctatorum utilitatibus nihil penitus cederet, converterentur omnino. Quod ſi forte Burdegalenſem & Vaſatenſem eccleſias, vel ipſarum alteram paſtoris regimine carere contingeret: ſive alias archiepiſcopum vel epiſcopum ſupradictos nolle dictis viſitationibus, vel non poſſe vacare, venerabilis frater epiſcopus Aginnenſis & ſucceſſores ſui Aginnenſes epiſcopi, qui eſſent pro tempore, hujuſmodi viſitationis officio & omnia & ſingula ipſum contingentia, exercere prædicta auctoritate ſingulis eiſdem bienniis tenerentur. Proviſo tamen quod archiepiſcopus, & Vaſatenſis & Aginnenſis epiſcopi memorati, vel aliquis eorumdem, neminem de perſonis, quæ decanatus, præbendas, dignitates, beneficia, vel officia obtinebant, vel in futurum obtinerent in eccleſiis ſupradictis, privarent, niſi vicecomite vel ſuis hæredibus, ſive ſucceſſoribus antedictis vocatis & præſentibus, ſi vellent intereſſe, ipſiſque proceſſibus & cauſis oſtenſis, propter quas ad privationem intenderent procedere ſupradictam. Verum quia dicto prædeceſſore, ſicut Domino placuit, morte prævento, ſuper præmiſſis nequiviſtis litteras apoſtolicas obtinere; nos veſtris ſupplicationibus inclinati, ne probationis inopia erectio, conſtitutio, ſtatuta, ordinationes, præcepta & mandata ac exemptio, aliaque ſuperius expreſſata deperire valeant, vel in dubium revocari; ipſa grata habentes & rata, præſentes litteras ex certa ſcientia bulla noſtra juſſimus communiri. Datum Avenione XVII. Kal. Februar. pontificatus noſtri anno primo.

XLVI.

Clementis papæ V. bullæ duæ in gratiam civium Burdegalæ.

CLEMENS epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis majori, juratis, & univerſitati Burdegalenſi, ac ſingulis civibus ejuſdem univerſitatis, ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Specialis illa dilectio quam ad vos & civitatem veſtram habemus, mentem noſtram ſollicitat & inducit ut apoſtolicis vos foveamus præſidiis & condignis gratiis honoremus. Hinc eſt quod nos veſtris ſupplicationibus inclinati, auctoritate apoſtolica indulgemus, ut vos vel aliquis veſtrum per litteras prædictæ Sedis legatorum ejus impetratas, jam vel in poſterum impetrandas extra civitatem Burdegalenſem, dummodo illam parati ſitis de vobis conquerentibus coram competenti judice de juſtitia reſpondere, in cauſam trahi, vel ad judicium evocari nullatenus valeatis inviti, niſi ejuſdem Sedis litteræ impetrandæ plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum fecerint de indulto hujuſmodi mentionem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemtare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum apud Faolam Xantonenſis diœceſis II. nonas Aprilis, pontificatus noſtri anno ſecundo.

CLEMENS epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri epiſcopo Vaſatenſi, & dilectis filiis Silvæ-majoris & S. Romani de Blavia Burdegalenſis diœceſis, monaſteriorum abbatibus ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Affectus benevolentiæ ſpecialis, quam præ dulcedine natalis ſoli, dilectos filios univerſitatem civitatis Burdigalenſis proſequimur, devotionis quoque ſinceritas & fidei promptitudo, quas in ipſis erga nos vigere conſpicimus, inſtanter ſollicitant mentem noſtram, ut civitatem eandem ejuſque incolas paternæ dilectionis brachiis amplectentes, quæ ſuppliciter poſtulabant a nobis, quæve conſona voci eorum fore conſpicimus, patris more benevoli, univerſitati civitatis prædictæ favorabiliter concedamus. Ipſorum itaque ſupplicationibus inclinati, ei apoſtolica auctoritate duximus indulgendum, ut ſi forte aliqui cives Burdegalenſes vel ipſius incolæ excommunicationi ligati deceſſerint, abſolutionis beneficio non obtento, & eccleſiaſtica propter hoc caruerint ſepultura, officialis Burdegalenſis teneretur eis auctoritate noſtra, dummodo in ipſis tempore ſui obitus apparuerint ſigna pœnitentiæ manifeſta, de abſolutionis beneficio juxta formam Eccleſiæ ſine mulcta & exactione qualibet providere, ſibique poſt hujuſmodi abſolutionem impenſam, ſepulturam reſtituere ſupradictam. Ita tamen ut hæredes ipſorum defunctorum, vel alii pro eis, illis quorum interierit, ſuper iis pro quibus excommunicati fuiſſent, ſatisfacerent competenter, vel de ſatisfaciendo exhiberent idoneam cautionem, prout ab eiſdem defunctis faciendum fuiſſet, ſi ante dictum obitum munus abſolutionis hujuſmodi recepiſſent. Quocirca diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus quatenus vos vel duo aut unus veſtrum per vos, vel per alium, ſeu alios, ſi officiales prædicti, videlicet qui nunc eſt, & qui pro tempore fuerint, ſe in hac parte redderent negligentes, vel forte præmiſſa exequi non valerent, vos tunc juxta formam hujuſmodi eis traditam, præmiſſa omnia exequi eadem auctoritate efficaciter ſtudeatis. Datum Lugduni, Idus Januarii, pontificatus noſtri anno primo.

Regiſtrata in curia D. officialis Burdegalenſis die Lunæ poſt feſtum S. Gregorii papæ, XIII. Marcii, anno Incarnationis Dom. M. CCC. LXII. Ind. I. pontificatus SS. D. Urbani papæ V. anno primo ad inſtantiam mag. Guillelmi de London notarii & procuratoris majoris & juratorum Burdegalenſium.

XLVII.

Multa inſtrumenta quæ ad Petrum archiepiſcopum ſpectant.

Ex archivis archiepiſc.

INitio poſſeſſionis ſuæ cauſam habuit cum decano & capitulo S. Martini de Villandraud. Utraque pars ad Sedem apoſtolicam appellavit, ut patet ex inſtrumento hac de re confecto: In Dei nomine, Amen. Noverint univerſi præſentis inſtrumenti ſeriem inſpecturi, quod cum SS. in Chriſto pater & D. noſter D. Johannes Divina providentia papa XXII. ad inſtantiam

Digitized by Google

procuratoris venerabilium virorum dominorum decanorum & capitulorum B. Mariæ de Uzeſta Vaſatenſis diœceſis, & S. Martini de Villandraud Burdegalenſis diœceſis, & eorum membrorum, cauſam appellationis & negotii principalis, quæ vertebatur & verti ſperabatur inter ipſos decanos & capitula & eorum membra appellantes ex parte una; & R. in Chriſto patrem & D. noſtrum D. Petrum miſeratione Divina archiepiſcopum Burdegalenſem, & ejus vicarios ſeu officiales, ex parte altera: ex eo quia dicti D. Petrus archiepiſcopus & ejus vicarii & officiales, vicarios & capellanos perpetuos dictarum eccleſiarum & membrorum ipſarum ad ſuam ſynodum venire, & jura epiſcopalia & archiepiſcopalia per ipſos ex olim facere, & ipſas eccleſias & membra taxare ad certas pecuniæ ſummas & extorquere quaſdam præſtationes annuas, quæ vocantur quarteriæ, ad ſolvendum nitebantur compellere. Necnon cauſam nullitatis proceſſuum contra ipſos D. archiepiſcopum & vicarios audiendam, commiſiſſet venerabili viro D. Petro Raymundo de Montebruno legum doctori, præpoſito Agathenſi, domini papæ capellano, & ipſius ſacri palatii cauſarum primi gradus auditori; & comparuiſſent in judicio coram præfato D. auditore in palatio apoſtolico D. Bernardus de Baſeto procurator dictorum decanorum . . . . & D. Guillelmus Alberti procurator D. archiepiſcopi poſt certos terminos, ut conſtat in actis curiæ coram ipſo D. auditore; tandem anno a nativitate Domini M. CCC. XXXIII, Indict. I. die Mercurii, XIII. menſis Octobris, pontificatus ejuſdem D. Johannis XXII. papæ anno XVIII. poſtquam procurator dictorum decanorum fidem feciſſet de erectione & exemptione dictarum eccleſiarum in collegiatas per litteras prædicti D. papæ: procurator dicti D. archiepiſcopi liti ceſſit, ut in mandato habebat, & conſenſit quod dicti decani, capitula, vicarii & ipſarum eccleſiarum membra gauderent privilegiis in bulla prædicta expreſſis.

Anno MCCCXXXII. die Mercurii ante feſtum B. Gregorii, pontificatus D. Joannis papæ XXII. an. XVII. Ind. I. Helias Gardradi de Chalezio domicellus, amoto ſolo capucio, ſtando complosis manibus, fecit homagium ſimplex & planum R. patri D. Petro archiepiſcopo Burdegal. & ſolvit unum morbotinum de acaptamento de valore ipſius in moneta currente pro decima beati Chriſtophori & de Roſſiaco.

Anno M. CCC. XXXVI. Ind. IV. pontificatus D. Benedicti XII. anno III. D. Petro archiepiſcopo diœceſim Engoliſmenſem viſitanti, D. Johannes abbas monaſterii de Cella-fraiſini ejuſdem diœceſis, promiſit ſub pœna centum marcharum argenti quod ſubiret arbitrium boni viri pro criminibus de quibus inficiebatur contra dictum archiepiſcopum ab ipſo eligendi.

Anno M. CCC. XXXII. 5. introitus Februarii ſedebat Petrus iſte archiepiſcopus, & urbs Burdegalenſis obſeſſa erat ab exercitu Franciæ, fruſtra.

Petrus miſeratione divina Burdegalenſis archiepiſcopus diſcreto viro D. Petro Præpoſiti, rectori eccleſiæ de Molano, noſtræ Burdegal. diœceſis, ſalutem in Domino. Cum de circumſpectione veſtra geramus in Domino plenam fidem, ſperantes * ea quæ vobis committimus curabitis laudabiliter adimplere. Vos igitur in viſitatorem Condomienſis diœceſis eligimus, ordinamus, dantes & concedentes vobis plenam & liberam poteſtatem exercendi in ipſis civitate & diœceſi viſitationis & correctionis officium anno præſenti, prout nobis per litteras apoſtolicas eſt indultum. Datum Burdegalæ ſub ſigillo noſtro, quo in talibus utimur, XVII. menſis Junii anno Domini M. CCC. XLIV.

* quod.

Eodem anno, XVIII. Novembris, Ind. XIII. pontificatus Clementis VI. anno III. apud Condomium idem D. Petrus Præpoſiti viſitator, præſentavit dominis Vitali de Fumello officiali Condomienſi, Guillelmo Raymundi de Savinaco operario, & Guillelmo Raymundi de Fortelli ſacriſtæ monaſterii Condomienſis vicariis D. Geraldi Condomienſis epiſcopi in remotis, proceſſum factum a D. Petro Dei gratia abbate S. Crucis & judice ſeu executore, cum aliis collegis ſuper gratia per dominum papam data domino archiepiſcopo Burdegalenſi de viſitando provinciam ſuam ad biennium per perſonas idoneas, & recipiendis procurationibus in pecunia a perſonis & monaſteriis ſic viſitatis occaſione dictæ viſitationis debitis, ipſaſque litteras apoſtolicas ſibi ſuper hiis conceſſas continentem, ſigilloque ipſius executoris munitum, requirens ut ipſum viſitatorem reciperent ad officium viſitationis, de quo in dictis litteris. Qui vicarii reſponderunt quod ipſi erant parati ob reverentiam domini archiepiſcopi; & de facto receperunt in eccleſia.

In craſtinum XIX. Novembris idem viſitator accedens ad præceptoriam ordinis S. Johannis Hieroſolimitani, fuit ibi pacifice receptus per curatum & alios fratres dictæ domus, & in aliis urbis & diœceſis prioratibus & parochialibus eccleſiis . . . .

Anno M. CCC. XLIV. Indict. XII. pontificatus SS. D. Clementis papæ VI. anno II. die XX. Maii D. Petrus de Sermeto abbas S. Crucis & monachi in clauſtro congregati, ut moris eſt, a quadam relaxatione juramenti præſtiti per magiſtrum Heliam de Labatuto vicarium perpetuum S. Michaëlis, de obſervandis omnibus contentis in concordia facta inter abbatem & monachos S. Crucis rectoreque dictæ eccleſiæ, & Petrum de Britannia deceſſorem dicti Labatuti inita IV. Nov. M. CCC. XVII. in litteris approbationis ejuſdem, a R. D. Petro archiepiſcopo obtenta, provocarunt & appellarunt ad S. Sedem apoſt. coram notario & teſtibus. Cujus appellationis actum dictus abbas 4. exitus ejuſdem menſis notificavit dictis D. archiepiſcopo & vicario in eccleſia S. Pauli hora tertia, præſentibus D. Guillelmo de Boſco officiali Burdeg. & fratre Petro Neumes priore fratrum Auguſtinorum Burdeg. Quam appellationem papa Clemens VI. remiſit judicandam archidiaconis Medulcenſi & Sermenſi, ac priori fratrum Prædicatorum Burdegalæ, brevi dato Avenione Kalendis Octob. pontificatus anno III.... ſed præfato vicario cedente, contentio ultra non proceſſit.

Anno M. CCC. XLVI. 12. exitus Aprilis vacabat ſedes archiepiſcopalis; *ex charta S. Crucis.*

XLVIII.

Acta controverſiæ inter Davidem archiepiſcopum & Petrum abbatem S. Crucis.

Ex actis Johan. de Sabreſio notarii.

ANno M. CCCC. XXIV. Indict. III. pontificatus D. Martini V. papæ anno VIII. 1. die Jan. D. Petrus Andreæ abbas S. Crucis provocavit ad dictum D. papam, a quodam proceſſu facto per dominum Davidem archiepiſcopum, ad inſtigationem nonnullorum æmulorum aſſerentium me veſtram juriſdictionem uſurpaſſe, licet revera minime uſurpaverim, nec uſurpare intendam, ſed ſolummodo auctoritate apoſtolica, & ut collector apoſtolicus omnia debite peregerim, officium meum collectoris apoſtolici executioni demandando, ut de jure mihi permittitur; & ſecundum quod per meos prædeceſſores collectores apoſtolicos obſervatum, poſſeſſionem eorumdem continuando; & dixiſtis quod me faceretis carceribus veſtri archiepiſcopalis palatii mancipare, expreſſe mandando certis de veſtris ſervitoribus ut me, quatinus poſſent, dictis carceribus manciparent, & hoc injuſte & indebite, ſemper cum omni honore & reverentia loquendo, licet revera in me vel bona mea juridictionem aliqualem minime habeatis; cum ſit notorium, & clare, R. pater, vobis innoteſcat me fore exemptum prorſus & omnino a juridictione ordinaria, & totaliter ſubjici immediate domino noſtro ſummo pontifici. Sicque præmiſſis attentis a vobis D. meo antedicto, & a dictis proceſſibus & gravaminibus illatis & in poſterum inferendis cum omni honore & reverentia veſtra ſemper loquendo ego provoco & appello.....

Digitized by Google

Anno M. CCCC. XXV. die XXII. Jul. Ind. III. pontificatus D. N. papæ Martini V. anno VIII. Johannes Dei gratia humilis abbas S. Severi de ſancto Severo judex & executor, ac conſervator exemptionis privilegii infraſcripti, una cum R. P. epiſcopo Adurenſi, ac venerabili decano eccleſiæ S. Severini extra muros Burdegalenſes, cum illa clauſula, quatenus vos duo, aut unus veſtrum per vos vel alium, litteras SS. in Chriſto patris & D. N. D. Martini Divina providentia papæ V. univerſiſque ejus officialibus tam præſentibus quam futuris....litteras apoſtolicas ac proceſſum... intimavit, inſinuavit ac notificavit..... Martinus epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabili fratri epiſcopo Adurenſi, & dilectis filiis abbati monaſterii S. Severi de S. Severo Adurenſis diœceſis, ac decano eccleſiæ S. Severini Burdegalenſis. Noſtras conceſſimus litteras tenoris ſubſequentis:

Martinus epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis abbati & conventui S. Crucis Burdegal. ord. S. Benedicti ſalutem & apoſt. bened. Sedes apoſtolica cui, diſponente Domino, Orbis, eccleſiæ, & eccleſiaſtica loca univerſaliter ſunt ſubjecta, nonnumquam ex eis aliqua perpetuo vel ad tempus ſpecialiter ſibi ſubdit, pro ut rerum & temporum qualitate penſata, id conſpicit in Domino ſalubriter expedire. Cupientes itaque ut tu, fili abbas, qui, ut aſſeris LV. annorum ætatis, ac fructuum cameræ apoſt. debitorum in civitate ac diœceſi Burdegalenſi collector exiſtis, ac vos filii conventus monaſterii S. Crucis; ut eo quietius Domino deſervire ac virtutum operibus intentiores eſſe valeatis, quo potiori fueritis apoſt. ſedis protectione muniti, veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati, vos tam conjunctim quam diviſim ac dictum veſtrum monaſterium cum perſonis & membris per monachos ejuſdem monaſterii gubernari ſolitis, juribus & pertinentiis...ab omni juriſdictione, dominio & poteſtate, necnon viſitatione & correctione venerabilis fratris noſtri Davidis archiepiſcopi Burdegalenſis, & aliorum quos regimini & adminiſtrationi eccleſiæ Burdegalenſis præeſſe contigerit, ac quorumlibet officialium ſuorum auctoritate apoſtolica, tenore præſentium prorſus eximimus, abſolvimus & totaliter liberamus, ac interim ſub beati Petri & Sedis apoſt. protectione ſuſcipimus; atque noſtra decernentes, vos & veſtrum quemlibet cum monaſterio, perſonis, membris, juribus & pertinentiis, necnon bonis, ubicumque & in quibuſcumque rebus conſiſtant, nobis & eidem Sedi ſubjacere; ita quod archiepiſcopus & officiales prædicti, ſeu eorum aliquis, etiam ratione delicti vel contractus, nullam poſſint in vos abbatem & conventum, ac perſonas, membra, bona & jura prædicta..... juriſdictionem ſeu poteſtatem, aut viſitationem, ſeu correctionem, ſeu aliud dominium quomodolibet exercere.... Datum Florentiæ VII. Kal. Aug. pontificatus noſtri anno II. Cupientes igitur ut noſtræ litteræ prædictæ ſuum ſortiantur effectum, diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus..... Datum Romæ apud SS. apoſtolos, IV. Kalendas Aprilis, pontificatus noſtri anno VIII. Poſt quarum litterarum præſentationem & receptionem fuimus per procuratorem...Datum & actum in clauſtro monaſterii S. Severi de S. Severo die XXII. menſis Julii anno ab Incarnatione Domini M. CCCC. XXV.

Extatis G. de Bravia notarii.

Anno M. CCCC. XXVI. 10. Aprilis, in monaſterio S. Crucis, hora veſperarum, Ind. IV. pontificatus D. Martini papæ V. anno IX. venerabili & circumſpecto viro D. Teobaldo Dages decano eccleſiæ Burdegalenſis commiſſario deputato a dom. Benedicto de Guidalottis legum doctore, apoſtolicæ cameræ clerico, locumtenente vicegerentis D. camerarii ad hoc ſpecialiter deputato, & in manibus ejus vice & nomine dicti D. camerarii, D. abbas S. Crucis fidelitatis juramentum ſuper ſacroſancta Dei Evangelia præſtitit ſolemniter atque fecit, prout in forma in litteris commiſſionis continetur:

Ego Petrus abbas monaſterii S. Crucis Burdegalenſis, in Burdegalenſi, Baionenſi, Aquenſi, & certis aliis civitatibus & dioceſibus Sedis apoſt. nuncius, ac fructuum, proventuum, cenſuum & aliorum jurium in eiſdem civitatibus & dioceſibus cameræ apoſt. debitorum & debendorum collector ſive receptor apoſtolicus; ab hac hora in antea fidelis ero beato Petro, S. R. E. & domino meo D Martino papæ V. ſuiſque ſucceſſoribus canonice intrantibus; non ero in facto, conſilio vel conſenſu quod vitam perdant aut membrum, vel capiantur mala captione; conſilium quod per eos aut nuncios ſuos vel litteras mihi credituri erunt, ſigno, verbo vel nutu ad eorum damnum ſeu præjudicium, me ſciente, nulli pandam .....officium collectoriæ ſive receptoriæ fructuum, reddituum, proventuum & aliorum jurium in prædictis civitatibus & dioceſibus mihi commiſſum, cæteraque alia negotia & officia mihi a D. papa prædicto vel ejus camerario committenda fideliter & legaliter geram, procurabo, & exercebo.... & de omnibus & ſingulis ad receptam mihi commiſſam pertinentibus reddam cameræ domini papæ veridicam rationem; & reliqua vacationis præſtabo, & ultra tempus in litteris conceſſionis dicti mei officii mihi datum illam rationem ſive computum malitioſe reddere non differam, præſentibus ibidem diſcretis viris D. Petro Berlandi canonico S. Andreæ, magiſtro Andrea Maſcaronis legum baccalaureo.

An M. CCCC. XXX. 3. Aprilis ſedem Burdeg. tenebat D. David, quæ vacabat XVI. Decembris ejuſdem anni.

XLIX.

Alexandri papæ III. bulla pro Mainardo abbate Aquiſtrenſi.

ALEXANDER epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis Mainardo abbati monaſterii S. Mariæ de Aquiſtris, ejuſque fratribus tam præſentibus quam futuris, regularem vitam profeſſis in perpetuum. Religioſis deſideriis dignum eſt nos facilem præbere conſenſum, ut fidelis devotio celerem ſortiatur effectum. Quocirca, dilecti in Domino filii, veſtris juſtis poſtulationibus clementer annuimus, & præfatum monaſterium in quo divino mancipati eſtis obſequio, ſub B. Petri & noſtra protectione ſuſcipimus, & præſentis ſcripti privilegio communimus. Imprimis ſiquidem ſtatuentes, ut ordo monaſticus qui ſecundum Domini & B. Benedicti regulam in eodem loco noſcitur inſtitutus, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter obſervetur. Præterea quaſcumque poſſeſſiones, quæcunque bona eadem eccleſia impræſentiarum juſte & canonice poſſidet, aut in futurum conceſſione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, ſeu aliis juſtis modis præſtante Domino poterit adipiſci, firma vobis veſtriſque ſucceſſoribus & illibata permaneant; in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis: in pago Burdegalenſi eccleſiam S. Petri de la Landa, S. Geneſii de Lugon, eccleſias de Fronſiaco, S. Petri & S. Martini, eccleſiam ſancti Petri de Gorcia, eccleſiam S. Johannis de Coutras, eccleſiam S. Petri de Porchiers, eccleſiam S. Stephani de Camedel, capellam S. Mariæ de Inſula, cap. S. Mariæ de Fronſiaco, cap. S. Jacobi de Malmico, cap. S. Mariæ Ægyptiacæ de Bayas, cap. S. Jacobi de Rotellans, cap. S. Vincentii de Picturis, cap. S. Nicolai de Fecie, cap. S. Mariæ Magdalenæ de las Artigas. In pago Xantonenſi eccleſiam S. Mariæ de Barda, eccleſiam S. Martini de Cruc, eccleſiam S. Martini de Aria, eccleſiam S. Viviani de Cleirac, eccleſias ſanctorum Saturnini & Nazarii de Sercou, capellam S. Jacobi de Triac; cap. S. Ægidii de Caſis ſolis, cap. S. Leodegarii de la Clota, cap. S. Pauli de Monte Ebrioſo, cap. S. Mariæ de Bedenac, cap. S. Valeriæ de Frainel. Sane novalium veſtrorum quæ propriis manibus, aut alienis colitis, ſine detrimentis veſtrarum animarum, nullus a vobis

Digitized by Google

decimas præſumat exigere. Cum autem commune interdictum in * fuerit, liceat vobis, clauſis januis, excluſis excommunicatis, & interdictis, non pulſatis campanis, ſuppreſſa voce officia celebrare. Sepulturam quoque ipſius loci liberam eſſe concedimus, ut eorum devotioni & extremæ voluntati qui ſe illic ſepeliri deliberaverint, niſi forte excommunicati vel interdicti ſint, nullus obſiſtat, ſalva tamen juſtitia illarum eccleſiarum a quibus mortuorum corpora aſſumuntur. In parochialibus veſtris eccleſiis quas tenetis, liceat vobis ſacerdotes eligere, & electos epiſcopo repræſentare, quibus ſi idonei fuerint, epiſcopus animarum curam committat, ut de plebis quidem cura illi, vobis autem de temporalibus debeant reſpondere. Præterea proceſſionem quam habet eccleſia veſtra in ultimo die menſis Auguſti, ab archiepiſcopis & epiſcopis Burdegalenſis provinciæ ab antiquis temporibus rationabiliter conceſſam, nihilominus confirmamus; prohibentes ne his qui ad eandem proceſſionem ex devotione acceſſerint, eundo vel redeundo aliquis moleſtiam vel injuriam inferre præſumat. Decernimus ergo ut nulli hominum liceat &c. Amen. Ego Alexander catholicæ Eccleſiæ epiſcopus, ego Hubaldus Oſtienſis epiſcopus, ego Hildebrandus preſbyter cardinalis baſilicæ XII. apoſtolorum, Johannes card. S. Anaſtaſiæ, Guillelmus cardin. S. Petri ad Vincula, Boſo cardin. S. Potentianæ, Hiacinthus cardin. S. Mariæ in Coſmedin, Manfredus cardin. S. Georgii ad Velum aureum. Datum Tuſculano per manum Granerii ſanctæ Romanæ Eccleſiæ ſubdiaconi & notarii Idib. Maii, Indict. IV. Incarnat. Dominicæ anno M. C. LXXI. pontificatus Alexandri papæ III.

* *Preſſ aliquid in autographo.*

L.

Donum altaris S. Mariæ de Solaco factum cœnobio S. Crucis Burdegal.

1096. EGO WILLELMUS, Divina ordinante providentia Aquitaniæ ſimul & Vaſconiæ dux & comes, notum omnibus fidelibus præſentibus & futuris per hoc privilegium noſtræ authoritatis fieri volumus, quod vir venerabilis Fulco ſanctæ Crucis abbas poſtulavit a nobis, ut ſicut clariſſimus genitor noſter venerandæ memoriæ Willelmus, qui & Goffridus vocatus eſt, altare S. Mariæ de Solaco, cum omnibus ſuis appendiciis judicio legatorum S. Romanæ Eccleſiæ, Amato videlicet Eloreníium epiſcopo, & Hugone Dienſium pontifice, in concilio Burdegalenſi præſidentibus, Goſcelino Burdegalenſi archipræſule aſſiſtente, cum multis aliis archiepiſcopis & epiſcopis, & abbatibus, Arnaudo abbati S. Crucis jure perenni, & ejus ſucceſſoribus conceſſit, ita ipſe concederet, & alia ad eos pertinentia ſub defenſione ſuſceperit, quod fecit cum conſilio procerum ſuorum pro redemtione animæ ſuæ, dilectiſſ. patris G. anteceſſorumque & ſucceſſorum principum confirmavit quæ a prædeceſſoribus data. Ut autem hoc privilegium ſive præceptum noſtræ auctoritatis inconcuſſum permaneat, Petro decano & archidiacono S. matris eccleſiæ Burdigal. qui ſupra memorato concilio legatorum S. R. Eccleſiæ & huic noſtræ conceſſioni interfuit, ut hoc ſcriberet aut ſcribi præciperet ſub teſtimonio ſubſcriptorum virorum animo benigno præcipimus, ita & nos concederemus, & locum S. Crucis cum loco S. Macharii ſub tutela & defenſione noſtra ſuſciperemus. Cui petitioni libentiſſime noſtrum præbuimus aſſenſum; & Petro decano, & archidiacono eccleſiæ Burdegalenſis, ut totum hoc ſcriberet, aut ſcribi præciperet, ſub teſtimonio &c. præcepimus, & ſigilli noſtri impreſſione ſignari. Ego Mathildis uxor dom. Guillelmi ducis Aquitaniæ & comitis Guaſconiæ, aſſui & aſſenſum præbui. Ego Petrus decanus S. matris eccleſiæ Burdegalenſis & archidiaconus ſubſcripſi propria manu; confirma hoc Deus. Eblo archidiaconus, Arnaldus Simonis cantor, Raymundus Maurini, Andro & multi alii canonici S. Andreæ interfuerunt. Hugo frater comitis Guillelmi, Arnaldus de Blancafort, Willelmus Præpoſitus, Gumbaldus Auſtrini & multi alii milites ſimiliter. Actum eſt & conceſſum anno * M. LXXXXVI. Incarnationis Dom. VIII. Cal. April. epacta XXIII. concurrente II. Ind. IV. domino papa Urbano II. & D. Amato Burdegalenſi archiepiſcopo aſſiſtente. Data per manum D. Guillelmi comitis ante altare S. Andreæ, Fulconi abbati VIII. Kal. April. prima conceſſio in turri Aaltellari XI. Kal. April.

* *Al.* M. XC. VII.

LI.

Bulla Calixti papæ II. pro S. Cruce Burdegalenſi.

CALIXTUS epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis Androni & monachis S. Crucis ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Inter vos & monachos ſancti Macharii de ſubjectione & obedientia querimonia eſt agitata: & quidem vos fratres illos in religione veſtrique ſubjectione cœnobii pertinere juxta veſtram conſuetudinem volebatis; ipſi autem rebelles vobis & inobedientes effecti, a veſtra ſe ſubjectione ſubtrahere nitebantur, proinde a Burdegalenſi archiepiſcopo evocati, ad præſentiam ejus venerunt, ſed ipſius & religioſorum abbatum ac monachorum qui aderant obedire judicio contempſerunt; qua de re ab ipſo excommunicati ſunt. Tunc illi magis ſe contra vos erigentes, ad legatum noſtrum Girardum Engoliſmenſem epiſcopum perrexerunt, & ab eo virgam quandam paſtoralem dictam, quibuſdam ſurreptionibus acceperunt. Cujus virgæ occaſione S. Macharii eccleſiam per ſe abbatiam eſſe liberam voluerunt, ſicut monaſterium S. Crucis exiſtit; deinde archiepiſcopus ad noſtrum concilium evocatus, eos mandatis ſuis & monitis evocavit, ut de tranſgreſſione hac in noſtra præſentia reſponderent. Cum autem utrique ad noſtram præſentiam veniſſetis, & illi a nobis inducias poſtulaſſent, diem utrique parti præfiximus, qua coram nobis & noſtris fratribus querimonia ſopiretur. Die igitur conſtituta vos affuiſtis, ſed altera pars a noſtro conſpectu ſe abſentavit. Nobis ergo & fratribus noſtris juſtum & rationabile viſum eſt, ut neque vos veſtra fraudari juſtitia, neque illi de ſua debuiſſent lucrari abſentia. Idcirco in generali fratrum noſtrorum epiſcoporum & cardinalium & aliorum archiepiſcoporum, epiſcoporum, abbatum ac religioſorum virorum concilio collaudavimus ut prædicta ſancti Macharii eccleſia, ſicut ab antiquo fuit, ita in poſterum in veſtri monaſterii ſit obedientia & diſpoſitione ſubjecta. Ille vero baculus ſive ſubreptionis virga in veſtrum dominium redigatur, & ne aliquod de cætero ſcandalum moveat, omnino frangatur. Si quis autem hanc noſtram & generalis concilii conſtitutionem & collaudationem aliqua temeritas infregerit, S. Spiritus judicio & indignationi Sedis apoſtolicæ ſubjacebit. Monachi autem S. Macharii, excommunicatione qua a nobis & archiepiſcopo percuſſi ſunt, tamdiu teneantur, donec ad abbatis S. Crucis obedientiam revertantur. Ego Calixtus catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus. Datum Laterani per manum Hugonis S. Romanæ Eccleſiæ ſubdiaconi III. Kalendas Aprilis, Indictione I. Incarnationis Dominicæ anno M. C. XXIII. pontificatus autem domini Calixti ſecundi papæ, V.

1123.

Digitized by Google

LII.

Bulla Alexandri papæ III. pro S. Cruce Burdegal.

1164. ALEXANDER epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis Bertrando abbati monaſterii ſanctæ Crucis Burdegalenſis, ejuſque fratribus tam præſentibus quam futuris regularem vitam profeſſis in perpetuum. Piæ poſtulatio voluntatis debet effectu proſequente compleri ; & ut devotionis ſinceritas laudabiliter enitefcat, & utilitas poſtulata vires indubitanter aſſumat. Eapropter, dilecti in Domino filii, veſtris juſtis poſtulationibus clementer annuimus, & præfatum monaſterium ſanctæ Crucis, in quo divino mancipati eſtis obſequio, ſub beati Petri, & noſtri protectione ſuſcipimus, & præſentis ſcripti privilegio communimus. In primis ſiquidem ſtatuentes, ut ordo monaſticus qui ſecundum Deum & beati Benedicti regulam in eodem monaſterio inſtitutus eſſe dignoſcitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter obſervetur. Quaſcumque præterea poſſeſſiones, quæcumque bona idem monaſterium inpræſentiarum juſte & canonice poſſidet, aut in futurum conceſſione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, ſeu aliis juſtis modis præſtante Domino poterit adipiſci, firma vobis, veſtriſque ſucceſſoribus & illibata permaneant, in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis : eccleſiam S. Macharii ſicut eam de communi fratrum noſtrorum concilio monaſterio veſtro adjudicavimus : quidquid Guillelmus bonus quondam Burdegalenſis comes fundator ejuſdem monaſterii rationabiliter eidem monaſterio conceſſit : eccleſiam S. Michaëlis extra urbem Burdegalenſem ſupra Garumnam fluvium ſitam cum oblationibus & libertatibus ſuis : eccleſiam S. Martini de Sadiraco cum omnibus pertinentiis ſuis : eccleſiam S. Mariæ de Machao, cum decima & adjacenti inſula : eccleſiam S. Hilarii de Ortulano, cum decima & pertinentiis ſuis : eccleſiam S. Georgii de Inſula, cum decima & pertinentiis ſuis : eccleſiam S. Stephani de Wlturna, cum decima & pertinentiis ſuis : eccleſiam S. Martini de Cambas, cum ſuis pertinentiis : eccleſiam S. Petri de Lupiag, cum parte decimæ & pertinentiis ſuis : eccleſiam S. Severini de Marca, cum pertinentiis ſuis : eccleſiam S. Martini de Blancafort cum pertinentiis ſuis : eccleſiam S. Albini de Blanhac : eccleſiam S. Cirici de Catirenaco, cum pertinentiis ſuis. In Agennenſi epiſcopatu eccleſiam S. Mariæ de Alemannis, cum decima & pertinentiis ſuis : eccleſiam S. Johannis de Auriolo, cum parte decimæ & pertinentiis ſuis : eccleſiam S. Mauritii, cum decima & pertinentiis ſuis. [a]

Præterea definitivam ſententiam ſuper querela illa quæ inter veſtrum & beati Severi monaſterium de eccleſia S. Mariæ de Solaco præteritis temporibus vertebatur per Amatum quondam Olorenſem, & Hugonem olim Dienſem epiſcopos tum ſedis apoſtolicæ legatos in Burdegalenſi concilio promulgatum, & ab anteceſſoribus noſtris Urbano & Paſchali Romanis pontificibus, cum ad eorum eſſet relata præſentiam, de fratrum ſuorum epiſcoporum & cardinalium concilio confirmatam, ſicut in autenticis eorum ſcriptis exinde factis noſcitur contineri, nos authoritate apoſtolica confirmamus. Sepulturam quoque ipſius loci liberam eſſe concedimus, ut eorum devotioni & extremæ voluntati qui ſe illic ſepeliri deliberaverint, niſi forte excommunicati, vel interdicti ſint, nullus obſiſtat, ſalva tamen juſtitia parochialium eccleſiarum, de quibus mortuorum corpora aſſumuntur. In parochialibus autem eccleſiis, quas tenetis, liceat vobis ſacerdotes eligere, & electos epiſcopo repræſentare ; quibus ſi idonei inventi fuerint, epiſcopus animarum curam committat, & de plebis quidem cura iidem ſacerdotes epiſcopo ; de temporalibus vero vobis debeant reſpondere. Obeunte vero te nunc ejuſdem loci abbate, vel tuorum quolibet ſucceſſorum, nullus ibi, qualibet ſubreptionis aſtutia, ſeu violentia præponatur, niſi quem fratres communi conſilio, vel fratrum pars ſaniotis conſilii ſecundum Deum & beati Benedicti regulam providerint deligendum. Decernimus ergo &c. Ad indicium hujus a Sede apoſtolica perceptæ protectionis, marbotinum unum nobis noſtriſque ſucceſſoribus vos, vel ſucceſſores veſtri annis ſingulis perſolvetis. Si quæ igitur in futurum eccleſiaſtica ſæculariſque perſona &c.

Ego ALEXANDER catholicæ Eccleſiæ epiſcopus, S.
Ego UBALDUS Hoſtienſis epiſc. S.
Ego BERNARDUS Portuenſis & S. Rufinæ epiſc. S.
Ego GALTERIUS Albanenſis epiſc. S.
Ego HYACINTHUS diaconus cardinalis S. Mariæ in Coſmedin, S.
Ego CENSIUS diaconus cardinalis S. Adriani, S.
Ego PETRUS diaconus cardinalis S. Euſtachii juxta templum Agrippæ, S.
Ego MANFREDUS diaconus cardinalis S. Georgii ad velum aureum, S.
Ego HUBALDUS preſbyter cardinalis tit. S. Crucis in Jeruſalem, S.
Ego HENRICUS preſbyter cardinalis tit. SS. Nerei & Achillei, S.
Ego JOHANNES preſbyter cardinalis tit. S. Anaſtaſiæ, S.

Datum per manum HERMANNI S. R. E. ſubdiaconi & notarii Senonas, II. non. Febr. Indict. XIII. Incarn. Dominicæ anno M. C. LXIV. pontificatus domini Alexandri papæ III. anno VI.

[a] *Addit breve Cæleſtini papæ III. anno* M. C. XCIII. *datum :* In Burdegalenſi epiſcopatu eccleſiam ſanctæ Crucis de Monte : eccleſiam S. Mauritii de Aubiag, cum pertinentiis ſuis : eccleſiam S. Johannis de Gaſnag, cum parte decimæ & pertinentiis ſuis : locum de Balag cum pertinentiis ſuis : oratorium S. Remigii cum ſuis pertinentiis.

LIII.

Quomodo donatus ſit locus Silvæ-majoris.

Ex chartulario Silvæ-majoris.

CUm ego Geraldus, licet indigne abbas appellatus, primum in Silvam-majorem veniſſem cum commilitonibus meis, & in loco qui antiquitus appellatus eſt Altus-villaris nobis remanere placuiſſet, quæſivimus poſſeſſores loci ipſius, ut ipſorum conceſſione ibi habitare poſſemus. Erat quidam vir nomine Autgerius de Rions, cujus erat ipſius allodii medietas : nam alterius medietatis multi participes erant ; ſed ad ipſum Autgerium juſtitia & decimæ totius allodii pertinebant. Hic itaque Autgerius Divina inſpiratione præventus, quidquid ipſo in allodio habebat, nobis donavit. Similiter Olivarius de Turri & fratres ejus Guillelmus Gulfrandi & Arnaldus, Oſtendus quoque & Bonefuſus de ſancto Severino, & alii plurimi qui partem clamabant in ipſo allodio, quidquid ibi habebant libere nobis donaverunt. Inter quos quædam matrona fuit nomine Ermengardis de Giſtris, quæ etiam partem ſuam nobis dedit. Sed hæc matrona in hac ſua parte habitationem dederat cuidam monacho Mallicenſis cœnobii, ſolitariam vitam ducere volenti, ea tamen, ut ferebatur, conditione, quandiu ibi voluiſſet habitare. Qui cum ibi habitare cœpiſſet, ac oratorium de terra feciſſet, locus ipſe ad manendum illi diſplicuit, habitationemque in alio territorio mutavit, ac ipſam capellam quam fecerat, deſertari permiſit. Hic cum audiſſet, quod nobis totum allodium donatum eſſet, nec ſua particula excepta fuiſſet, abiit ad ſuum abbatem nomine Drogonem, reique geſtæ illi indicavit ordinem. Qui abbas ad concilium venit, quod eo tempore in Burdegalenſi urbe fuit, ac de nobis, quod ſuæ eccleſiæ poſſeſſionem invaſiſſemus, ibi querimoniam fecit. At nos magis volentes omnia relinquere, quam quidquam cum lite retinere, quippe

qui noſtra dimiſeramus, pro acquirenda pace rogavimus domnum Amatum Romanum legatum, ac domnum Guillelmum magnæ memoriæ Aquitanicæ ducem, comitemque Pictavenſem, cujus conſilio & auxilio in prædicto loco remanſeramus, quatinus illi ab ipſo abbate impetrarent, ut ipſam particulam nobis cum pace dimitteret, unde videlicet nihil proficui haberet, nec magis ibi feratum quam hominum ac Deo ſervientium habitationem deligeret; ſed ille ab his & ab aliis pluribus epiſcopis & bonis viris poſtulatus reſpondit ſe hoc facere non poſſe ſine patrum ſui monaſterii conceſſione. Tunc domnus Amatus ad Malliacenſe cœnobium perrexit, ſecumque unum de noſtris monachis nomine Litherium duxit. Cumque fratres ipſius loci in capitulo congregati eſſent ante domnum Drogonem ſuum abbatem, indicavit domnus Amatus coram omnibus noſtram petitionem. Qui primum quidem valde contradixerunt, ſed tandem convicti ratione, quod non eſſet caritati ſimile, ut id contradicerent ad Dei ſervitium, unde nullum haberent ſubſidium, aſſenſum præbuerunt. Itaque domnus Drogo abbas cum conſenſu monachorum quidquid in ipſo nobis donato allodio clamabat, dimiſit, nobiſque liberum conceſſit, præſente domno Amato cardinali Romano, cum capellanis ſuis Lirgerio & Arraldo, & monacho noſtro Litherio cum famulo ſuo Etluino.

LIV.

Ex chartulario Silvæ-majoris.

De libertate quam dedit domnus Goſcelinus archiepiſcopus loco Silvæ-majoris.

1080. OMnia orta occidunt, & aucta ſeneſcunt, nec multum hominis tempus protenditur, ejuſque memoria breviſſima probatur; ſed oblivione ne prorſus præterita abſorbeat, neceſſe eſt ut rerum geſtarum notitiam littera retineat, quatinus quid ſit mutabile futuros non lateat. Igitur hoc præſens non ignorat eccleſia, ſed nec poſteritas hinc hæreat ambigua, quod noſtra geſtum eſt præſentia. Ego itaque Geraldus Deo largiente abbas, quamvis indignus, diu optaveram eripi de mundanis fluctibus, quibus contundebar acrius quam fragilis ferre poſſet animus. Cæterum ſubjecti mihi minus obediebant, nec eorum ferrea molliri pectora quiverant, quos quidem ſæcularia plus nimio negotia induraverant. Denique, monſtrante Divina clementia portum ſalutis, placuit animo antra petere ſolitudinis, ubi nulla eſſet ſæcularis habitatio hominis. Itaque, commendata epiſcopo cura commiſſi gregis, egreſſus ſum de monaſterio comitantibus paucis, ignorans omnino quo curſus foret itineris. Sed tandem, Domino ducente, quippe qui numquam abeſt ſperantibus in ſe, pervenimus ad domnum Willelmum Pictavenſem comitem, virum adprime nobilem, totius quoque Aquitaniæ ducem, qui locum attribuit nobis congruum, Silva-major nuncupatum. Quod allodium ita nobis ab illo abſolutum redditur, ut a nullo ibi quidquam juris requiratur, ſicut etiam alia cartula teſtatur. Cum ergo ibi vellem incipere monaſterium, perrexi ad domnum Goſcelinum Burdegalenſem archiepiſcopum, in cujus epiſcopatu prædictum erat allodium, ejus quidem rogaturus beneficium. Qui, interveniente præfato duce, jam inceptum monaſterium ita omni donavit libertate, ut nec ipſe, nec alius poſt eum, non archiepiſcopus, non archidiaconus, non archipreſbyter, non cujuſlibet ordinis perſona aliquod in eo jus, vel dominationem poſſit habere. Quatinus ibi degentes monachi abſque ulla inquietudine, libere poſſent Deo ſervire. Sed & hoc ſtabilitum eſt ab ipſo, eodem precante Willelmo, ut ſi quandoque, diſponente Chriſto, villa creverit, nihilo majus in ea archiepiſcopus, vel quilibet miniſter ejus quidquam habeat juris, nec in clericis, nec in laïcis, ſed omnia referantur ad abbatis diſpoſitionem vel congregationis. Hoc etiam ſibi nobiſque providit, ut nihilominus eccleſiarum conſecrationem, ſacroſque ordines vel chriſma ab archiepiſcopo accipiamus, cum neceſſe fuerit. Sed hæc conſtitutio iterum ab eodem firmata eſt in proximo concilio, præſentibus Romanis legatis Hugone atque Amato, multoque aliorum epiſcoporum collegio. Hoc quoque definitum eſt, ut ſi quis hoc decretum violare tentaverit, ſe ſciat excommunicatum, donec ſatisfecerit, tam ab archiepiſcopo quam ab omnibus qui fuerunt in concilio. Nec non & hoc, conſulente domno Amato conſtituimus, ut hoc cœnobium ſolummodo Romanæ foret eccleſiæ ſubjectum, obque ſui tutelam domno apoſtolico ſingulos annos ſolveret quinque ſolidorum. At ego jam deſcendens in defectum ætatis decrepitæ, jamjam curam monachorum cupiebam dimittere, atque minus utilis meliori cedere. Verum domnus Amatus a noſtris rogatus fratribus, licet totis reſiſterem niſibus, tamen mihi ex parte domini apoſtolici teſtatus obedientiam, eorum commendavit providentiam.

Acta eſt vero ſupradicta confirmatio Burdigalenſi civitate in concilio, anno ab Incarnatione Domini M. LXXX. Indictione III. epacta XXVI, II. nonas Octobris, octavo an. Gregorii papæ VII. Philippo in Francia regnante.

S. WILLELMI Aquitanenſis ducis. Confirma † hoc Deus.
Ego AMATUS * apoſtolicæ ſedis legatus confirmo. † * *epiſcopus Dhoronenſis*
Ego HUGO * ſedis apoſtolicæ legatus confirmo. † * *epiſcopus Dienſis.*
Ego GOCELINUS Burdegalenſis archiepiſcopus præſente concilio concedo & confirmo. †
S. RODULPHI Turonenſis archiepiſcopi.
S. WILLELMI Auxienſis archiepiſcopi.
S. BOSONIS Sanctonenſis epiſcopi.
S. ADEMARI Engoliſmenſis epiſcopi.
S. WILLELMI Petragoricenſis epiſcopi.
S. RAIMUNDI Vaſatenſis epiſcopi.
S. HUGONIS Bigorrenſis * epiſcopi. * ſeu Tarbienſis.
S. DONALDI Agennenſis epiſcopi.
S. PETRI Adurenſis epiſcopi.
S. ODONIS abbatis ſancti Johannis. * * Angeriacenſis.
S. DROGONIS Malliacenſis abbatis.
S. RAINALDI ſancti Cypriani abbatis Pictavenſis.
S. BERTRANDI S. Juliani abbatis V. Nobiliacenſis.
S. HILDEBERTI Nantulliacenſis abbatis V. Nantolii in Valle.
S. FULCHRADI S. Salvatoris abbatis V. Blavia.
S. ANCHELINI, GOCELINI Burdegalenſis eccleſiæ archidiaconi.

LV.

Bulla Cæleſtini papæ III. qua conceſſa cœnobio Silvæ-majoris prædia & privilegia recenſet & confirmat.

1197. CŒLESTINUS epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis Petro abbati monaſterii ſanctæ Mariæ Silvæ-majoris, ejuſque fratribus tam præſentibus quam futuris regularem vitam profeſſis in perpetuum. Quotiens a nobis petitur quod religioni & honeſtati convenire dignoſcitur, animo nos decet libenti concedere, & potentium * deſideriis congruum ſuffragium impertiri. Eapropter, dilecti in Domino filii, veſtris juſtis poſtulationibus clementer annuimus, & præfatum monaſterium, in quo divino mancipati eſtis obſequio, ad exemplar felicis recordationis Lucii papæ prædeceſſoris noſtri ſub beati Petri & noſtra protectione ſuſcipimus, & præſentis ſcripti privilegio communimus. In primis quidem ſtatuentes, ut ordo monaſticus, qui ſecundum Deum & beati Benedicti regulam in eodem monaſterio noſcitur inſtitutus, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter obſervetur. Præterea quaſcumque poſſeſſiones, quæcumque bona idem monaſterium inpræſentiarum juſte & canonice poſſidet, * *f.* petentium.

aut in futurum conceſſione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, ſeu aliis juſtis modis, præſtante Domino poterit adipiſci, firma vobis veſtriſque ſucceſſoribus & illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis: locum ipſum, in quo præfatum monaſterium ſitum eſt, cum omnibus pertinentiis ſuis; in eadem villa eccleſias S. Petri & S. Johannis: grangias ad iſtum monaſterium pertinentes, ſcilicet Malforat, cum terra de Bunaſſe: grangiam de Daignac & de Carenſac, cum eccleſia de Nerigean: grangia de Fontgravoſa & S. Nicolai de Geniſaco, & de Montfaitol cum pertinentiis earum: decimas, molendina, colonos, quæ ſpecialiter ad monaſterium veſtrum ſpectant; prioratus quoque de [a] Senon, [b] de ſancto Lupo, [c] de Caſtelleto, [d] d'Avaron, de Croignon & de [e] Foncanbalada, de Madiraco, de Loupiac, de Berabat, de Baignaus, de Benalgia veteri, de Gribon & Aguillaco, de Ardenas, [f] de Daignaco, cum omnibus pertinentiis eorumdem prioratuum: eccleſias etiam [g] de Epieto, de Caniac, de ſancto Leone, de Montinac, de Corbillac, [h] de ſancto Sidonio, de Dlaſſaco, de ſancto Germano de Campet; prioratus quoque [i] S. Andreæ de nomine Domini, [k] de Podio Dodonis cum eccleſiis ſuis S. Chriſtophori & S. Severini; prioratum S. Martini & S. Saturnini de Boëns, & [l] S. Vincentii de Porteto, & S. Laurentii d'Eſcures, cum omnibus pertinentiis eorum; quidquid habetis apud Brojas & Jalam. In Xantonenſi diœceſi prioratum S. Nicolai [*] de Royano, cum eccleſia ſua S. Mariæ de Inſula quæ eſt in Arverto & poſſeſſionibus ſuis de Oleron & Pratfornel. In Vaſatenſi diœceſi eccleſiam [m] de Brana, cum aliis poſſeſſionibus veſtris; prioratus S. Johannis de Blaignac, & S. Petri de Caſtet, cum eccleſia ſua de Siurac; prioratus de Ruffio de [n] Sorſaco, de Coiraco, de Fiſtals, de la Gardera, de Niaco, [o] de Lingone, cum omnibus pertinentiis eorum & [p] de Bello-fonte cum pertinentiis ſuis. In Petragoricenſi diœceſi prioratus S. Martini [q] Campi-Martini, & [r] de Scaurniaco, de Piſone, & S. Ulrici & S. Nicolai de Gorſon, [s] de Loupehaco, cum eccleſia ſua de Minzac; prioratus S. Saturnini [t] de Puteo, cum eccleſiis ſuis S. Mariæ de Belpojet & de Lonaſio; prioratum [v] de la Vernia, cum eccleſiis ſuis S. Martini de Combis & [x] de Croſſia; prioratum [y] S. Paſtoris, cum eccleſiis ſibi pertinentibus, & prioratum de [z] Atenaco & [aa] de Nauſis, cum omnibus pertinentiis eorum, & de Sioraco, cum pertinentiis ſuis. In Agennenſi diœceſi prioratum S. Antonii, & de Runauld, cum eccleſia S. Rufinæ & de Maureliaco, & S. Mariæ de Culturis; prioratus S. Sylveſtri de Pena, [bb] S. Petri de Gontaldo de Eſcaſſefort, cum eccleſiis & aliis pertinentiis ſuis; prioratus etiam de Monthurt, de Culezun, S. Capraſii de Lavardac, S. Mariæ [cc] de la Fita, [dd] de Caubeoſa cum eccleſia ejus S. Andreæ, cum omnibus pertinentiis eorum. In Caturcenſi diœceſi monaſterium monialium, ſcilicet [ee] Pomaretum, cum prioratibus, eccleſiis & aliis poſſeſſionibus ſuis, ſalvitatem de Blanquefort. In Auxitanenſi diœceſi prioratum [ff] Gavarreti, cum decima & cenſu totius villæ, furnis & aliis poſſeſſionibus ſuis; prioratus de Lucader, de Mauvaiſin, de [gg] Gilo, de [hh] Perquerio, de [ii] Boga del-mont de Canens. In Aragonenſi diœceſi prioratus de [kk] Roſta, de Pintano, [ll] de Unocaſtello, de [mm] Exea, de Pratella, de Alcala, cum eccleſiis, decimis & aliis poſſeſſionibus eorum... In Lincolnienſi dioceſi in Anglia, prioratum de [nn] Procſla, cum pertinentiis ſuis. In Cameracenſi diœceſi abbatiam S. [a] Dionyſii de Brocares, cum eccleſiis, decimis & aliis pertinentiis ſuis. In Sueſſionenſi diœceſi prioratus [b] S. Leodegarii & [c] S. Pauli de nemore, & Bellævallis. In Laudunenſi diœceſi, prioratus de Geſy & S. Probæ & de Lapion. In Remenſi diœceſi prioratum [d] Novelli. In Catalaunenſi diœceſi prioratum de Chentry. In Senonenſi diœceſi prioratum Neroniſvillæ. In Aurelianenſi diœceſi prioratum S. Bartholomæi [e] de Sede Meri, cum eccleſiis S. Johannis de [f] Curcy, & S. Simphoriani de Complens. [g] Sane novalium veſtrorum, quæ propriis manibus aut ſumptibus colitis, ſive de nutrimentis animalium veſtrorum, nullus a vobis decimas exigere vel extorquere præſumat. Liceat quoque vobis clericos vel laïcos liberos & abſolutos & e ſæculo fugientes ad converſionem recipere, & eos abſque contradictione aliqua retinere. Cum autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis clauſis januis, expulſis excommunicatis & interdictis, non pulſatis campanis, ſuppreſſa voce Divina officia celebrare. In parochialibus autem eccleſiis, quas habetis, liceat vobis ſacerdotes eligere, & diœceſano epiſcopo præſentare, quibus, ſi idonei fuerint, epiſcopus animarum curam committat, ut ei de ſpiritualibus, vobis autem de temporalibus debeant reſpondere. Chriſma vero, oleum ſanctum, conſecrationes altarium, ſeu baſilicarum, ordinationes monachorum vel clericorum, qui ad ſacros ordines fuerint promovendi, a diœceſano accipietis epiſcopo, ſi quidem catholicus fuerit, & gratiam atque communionem apoſtolicæ Sedis habuerit, & a vobis gratis, & abſque pravitate aliqua voluerit exhibere: alioquin liceat vobis quemcumque malueritis catholicum adire antiſtitem, qui, noſtra fultus auctoritate, quod poſtulatur indulgeat. Ad hoc, præſenti decreto ſtatuimus [*] & obeunte te nunc ipſius loci abbate, vel tuorum quolibet ſucceſſorum, nullus ibi qualibet ſurreptionis aſtutia, ſeu violentia præponatur, niſi quem fratres communi conſenſu, vel fratrum pars conſilii ſanioris, ſecundum Dei timorem & beati Benedicti regulam providerit eligendum. A laïcis autem decimas exigi, ſub interminatione anathematis prohibemus. Inhibemus quoque ne infra terminos parochiarum veſtrarum eccleſiam vel oratorium ſine aſſenſu diœceſani epiſcopi & veſtro quiſquam ædificare præſumat, ſalvis tamen privilegiis Romanæ eccleſiæ..... Libertates præterea & immunitates a felicis recordationis Alexandro papa prædeceſſore noſtro, ſive ab archiepiſcopis & ducibus Aquitaniæ, necnon & aliis illius terræ baronibus monaſterio & hominibus veſtris pietatis & religionis conſideratione indultas ratas habentes, auctoritate apoſtolica confirmamus, ſtatuentes, ut, ſicut ab eodem prædeceſſore noſtro ſtatutum fuiſſe dignoſcitur, nulla eccleſiaſtica ſæcularisve perſona habitatores veſtros ad arma compellere, vel indebitas exactiones ab eis extorquere præſumat... Sepulturam præterea illius loci liberam eſſe decernimus, ut eorum devotioni & extremæ voluntati, qui ſe illic ſepeliri deliberaverint, niſi forte excommunicati vel interdicti ſint, nullus obſiſtat; ſalva tamen juſtitia illarum eccleſiarum a quibus mortuorum corpora aſſumuntur. Decernimus ergo, ut nulli hominum fas ſit præfatam eccleſiam temere perturbare, aut ejus poſſeſſiones auferre, ablatas retinere, minuere, ſeu quibuſlibet vexationibus fatigare. Sed omnia integra conſerventur,

[*] ut.

[a] Royan. l'Iſle d'Arvert.

[a] Senon. [b] S. Loubet. [c] de Caſtelleu. [d] de Daron. [e] Foncambalas. [f] la Daux Renaugo vieille. [g] Etpiet. [h] S. Sidoin. [i] S. Andras. [k] Puy Dodon. [l] Portets. [m] de Branc. Ruch. [n] Sourtac. Seſcas. [o] Langon. [p] Beſſont. [q] Camp-Martin. [r] Eſcaurnac. [s] Loupehac de Villefranche. [t] de Puch. [v] de Verdhs. [x] Creiſſe. [y] S. Paſtour. [z] de Caderes & Tenac. [aa] les Nautes. [bb] de Gontaut de Nogaret. [cc] la Hite. [dd] Cabeouſe. [ee] la Pomarede. [ff] de Bavarret. [gg] du Gel. [hh] Perquelier. [ii] Bougue. [kk] Reuſta. [ll] un Caſtille. [mm] Exac. [nn] Beroëlle.

[a] S. Denys en Broqueraye lés Mons en Hainault. [b] S. Leger. [c] S. Paul aux bois. [d] Nauvy. [e] Semois. [f] Cureys.

[g] *His beneficiis adde*, prioratus S. Annæ de Artoleia.

S. Catharinæ de deſerto, S. Johannis de Campania.

S. Laurentii de obſcuris: *in diœceſi Burdigalenſi. In diœceſi Vaſatenſi*, prioratus S. Martini de Coyraco. *Eccleſias parrochiales in diœceſi Burdegal.* S. Romani de Targon cum ſua annexa. S. Geneſii de Totigac. S. Dionyſii de Climat vulgo S. Donys. S. Mariæ de Credonio vulgo Creon S. Petri de Bat. In diœceſi Vaſatenſi, eccleſ. parrochiales B. Mariæ de Boleſon. In diœceſi Aginnenſi, prioratus S. Antonii de Aginno. eccleſ. parochial. S. Hilarii de Verdegas. S. Pardulptii. S. Geminæ. S. Albini & S. Stephani de Preignac.

Digitized by Google

eorum pro quorum gubernatione ac ſuſtentatione conceſſa ſunt, uſibus omnimodis profutura, ſalva ſedis apoſtolicæ autoritate, & diœceſani epiſcopi canonica juſtitia.... Si qua igitur in futurum eccleſiaſtica ſæcularisve perſona hanc noſtræ conſtitutionis ſciens contra eam temere venire tentaverit, ſecundo tertiove commonita, niſi reatum ſuum congrua ſatisfactione correxerit, poteſtatis honoriſque ſui dignitate careat, jamque ſe divino judicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & a ſacratiſſimo corpore & ſanguine Dei & Domini Redemptoris noſtri Jeſu Chriſti aliena fiat; atque in extremo examine diſtrictæ ultioni ſubjaceat. Cunctis autem eidem loco jura ſua ſervantibus ſit pax Domini Jeſu Chriſti, quatinus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud diſtrictum judicem præmia æternæ pacis inveniant, Amen.

† Ego Petrus tituli S. Ceciliæ preſbyt. cardinalis, S.
† Ego Jordanus preſbyter cardinalis S. Puden. tituli Paſtoris, S.
† Ego Johannes tituli S. Clementis card. Viterbienſis, & Tuſculanus epiſcopus, S.
† Ego Guido preſbyter cardinalis S. Mariæ Tranſtiberinæ, tituli Callixti, S.
† Ego Hugo preſbyter cardinalis S. Martini tituli Equicii, S.
† Ego Johannes tituli S. Stephani in Cælio monte preſbyter cardinalis, S.
† Ego Sosfredus tituli ſanctæ Praxedis preſbyter cardinalis, S.
Ego Johannes tituli S. Priſcæ preſbyter cardinalis.

Ego Cœleſtinus catholicæ Eccleſiæ epiſcopus.
† Ego Octavianus Hoſtienſis & Velletrenſis epiſcopus, S.
† Petrus Portuenſis & S. Rufinæ epiſc. S.
† Ego Gran.....ſanctorum Coſmæ & Damjani epiſcopus, S.
† Ego Gerardus S. Adriani diaconus cardin. S.
† Ego Gregorius S. Mariæ in Porticu diaconus cardinalis, S.
† Ego Gregorius S. Mariæ in Aigro diaconus cardinalis, S.
† Ego Gregorius S. Georgii ad Velum aureum diaconus cardinalis, S.
† Ego Lotarius ſanctorum Sergii & Bacchi diaconus cardinalis, S.
† Ego Nicholaus S. Mariæ in Coſmidin diaconus cardinalis, S.
† Ego Bobo S. Theodori diaconus card. S.

Datum Laterani per manus Cenſii S. Luciæ in Orthea diaconi cardinalis, domini papæ camerarii, ſexto Idus Maii Indictione xv. Incarnationis Dominicæ anno m. c. xcvii. pontificatus vero domini Cœleſtini papæ tertii anno ſeptimo.

LVI.

Fundatio monaſterii S. Sepulcri de Gavarreto ejuſdemque ſubjectio Silvæ-majori.

Notum ſit præſentibus & futuris, quod ego Petrus Gavardenſis vicecomes incepi monaſterium in meo territorio quod dicitur Gavarretum in nomine Domini & ſancti ejus ſepulchri, quod concedo domno Geraldo Silvæ-majoris abbati, & omnibus ejus ſucceſſoribus, ut ſemper abbas Silvæ-majoris ſit abbas S. Sepulchri; & qualis religio & vita ibi tenetur, talem faciat & hic teneri, & qualem poteſtatem habet in illius eccleſiæ monachis, rebus, & poſſeſſionibus, talem habeat & in iſtius, quatenus ſemper locus Silvæ-majoris & S. Sepulchri in Dei ſervitio & bona religione unum ſint, pariterque paupertatem & abundantiam partiantur, ſalva ſemper auctoritate Auxienſis archiepiſcopi, & Aduenſis epiſcopi qui hoc donum conceſſerunt & confirmaverunt. † S. Guillelmi archiepiſcopi Auxienſis. S. Petri Aduenſis epiſcopi. † Hoc quoque confirmavit domnus Guillelmus Aquitaniæ dux, & ſalvitatem ipſi loco conceſſit & omnibus ad eum pertinentibus. S. Guillelmi † Aquitaniæ ducis. S. Arnaldi Rotgerii fratris vicecomitis ipſius. S. Stephani de Calmonte. S. Raimundi Guillelmi de Mazerolis. S. Petri de Vico. S. Petri de Gavareto-Cuſin vicecomitis. S. Amanevi de Tillieto. S. Odonis de Pardiliono.

LVII.

Gerardi Engoliſmenſis epiſcopi littera adverſus Guillelmum Aquenſem epiſcopum pro Silva-majore.

Ex chartario Silvæ-majoris.

Ego Girardus Engoliſmenſis epiſcopus, & S. Romanæ Eccleſiæ legatus, præſentibus & futuris notum facio quod fratres noſtri Petrus abbas Silvæ-majoris, & monachi ejus apud nos querelam depoſuerunt de Willelmo Aquenſi epiſcopo quod eos de eccleſia S. Vincentii de Aquis ſine judicio & audientia expoliavit; unde iſdem epiſcopus a nobis vocatus, conſtituto termino, ante nos non venit, nec canonicam excuſationem pro ſe miſit; unde ei litteris noſtris præcepimus ut de eadem eccleſia monaſterium Silvæ-majoris inveſtiret, & bona ablata ex integro reſtitueret. Quod quia non fecit, ei epiſcopale officium interdiximus, & civitatem Aquenſem & ſuburbium ſub interdicto poſuimus, & eccleſiam S. Vincentii divinis privavimus officiis. Poſtea vero prædictus epiſcopus, & abbas, & monachi Silvæ-majoris in concilio quod Burdegalæ celebravimus, in præſentia noſtra fuerunt, & epiſcopum eundem ut abbati & monachis Silvæ-majoris de inveſtitura eccleſiæ S. Vincentii, & de omnibus bonis ad ipſam pertinentibus ſecundum judicium concilii juſtitiam exequeretur ſubmonuimus; quod epiſcopus facere noluit. Tandem ad ſedem concilii ad nos accedens ut abbatem & monachos Silvæ-majoris de prædicta eccleſia S. Vincentii ex noſtra & ſua parte reveſtiremus, conceſſit & ipſe ut eis inveſtituram illam corporaliter faceret, & teneret in præſentia noſtra promiſit; & nos quidem apoſtolicæ Sedis auctoritate abbatem & monachos Silvæ-majoris de ipſa eccleſia S. Vincentii, & de omnibus ad ipſam eccleſiam pertinentibus de quibus inveſtiti erant, quando eos de eadem eccleſia expulſit, inveſtivimus ſalvo jure Aquenſis eccleſiæ, ſi quid ibi habeat, & ipſe in præſentia noſtra eos ſimiliter inveſtivit. Et ut inveſtitura firmior & certior habeatur, in hac carta propria manu noſtra ſubſcripſimus & ſigillo noſtro muniri fecimus. Ego Girardus Engoliſmenſis epiſcopus & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ legatus.

An. circiter 1130.

LVIII.

De conſecratione eccleſiæ Silvæ-majoris.

Ex chart. Silvæ-majoris. fol. 157. 1231.

Univerſis S. matris Eccleſiæ filiis Geraldus Dei gratia Burdegalenſis archiepiſcopus ſalutem in vero ſalutari. Cum decorem domus Dei, quicumque in ea admitti deſiderat, diligere teneatur, ut eo cæleſtis Hieruſalem civis mereatur aſcribi, quo ſtudet in terris dilecta ſui Domini tabernacula venerari. Nos qui hujus domus diſpenſatores, licet indigni, ſumus a patrefamilias conſtituti, ad hoc propenſiori cura debemus intendere, & ad id exemplo laudabili alios invitare. Sane cum eccleſiæ Silvæ-majoris, Burdegalenſis dioceſis, tanto religionis fervore tantaque perſonarum & vitæ honeſtate præfulgeat, ut Chriſti bonus odor exiſtens, in odore unguentorum ſuorum multos currere faciat; itaut domus Dei & porta cœli merito debeat nuncupari, ſicut noverunt vicini pariter

Digitized by Google

pariter & remoti. Nos qui eam ſincero corde diligimus, ejus honorem & gloriam multipliciter affectamus. Hinc eſt quod cum noſter cariſſimus & ob ſuorum excellentiam meritorum merito diligendus venerabilis pater Grimoardus Convenarum epiſcopus, rector ejuſdem eccleſiæ, nobis ſæpius duxerit ſupplicandum ut ipſi eccleſiæ munus conſecrationis impendere dignaremur: Nos, venerabili patre ac domino Amaneo Auxitano archiepiſcopo nobis adhibito, adunatis nihilominus honorabili epiſcoporum, abbatum ac clericorum procerumque collegio & plebis multitudine copioſa, dictam eccleſiam in honore B. Mariæ ſemper virginis curavimus rite & ſolemniter conſecrare. Quia vero tantæ conſecrationis ſublimitas admonebat, ut fidelis populi devotio merebatur, ut tam a nobis quam ab aliis eccleſiarum prælatis parte aliqua de injunctis pœnitentiis relaxata, unuſquiſque in ſua cum gaudio remearet; nos cum præfato venerabili Auxitano archiepiſcopo & aliis epiſcopis qui præſentes aderant, habita deliberatione, & eorum qui tam de Burdegalenſi quam de Auxitana provinciis aberant, percepta nihilominus voluntate, de Dei miſericordia & B. Mariæ ſemper virginis, & beatorum apoſtolorum Petri & Pauli, necnon Andreæ meritis confidentes, omnibus qui ad ipſam conſecrationem devoto animo convenerint, vel ad ipſam conſecratam a nobis eccleſiam uſque ad proximas inſtantis feſti omnium ſanctorum octabas; ſive in poſterum ſingulis annis in feſto conſecrationis & infra octabas ejuſdem devote convenerint, quadraginta dies de injunctis ſibi pœnitentiis miſericorditer relaxamus. Venerabiles quoque fratres ac ſuffraganei noſtri, videlicet Agennenſis, Engoliſmenſis, Santonenſis, Pictavienſis, Petragoricenſis, & alii, ſcilicet Lemovicenſis & Caturcenſis epiſcopi eodem modo quadraginta dierum nunc & in futuro indulgentias conceſſerunt, ſicut in eorum litteris plenius continetur, & in hujus rei teſtimonium præſentes litteras dedimus ſigilli noſtri munimine præmunitas. Actum apud Silvam in die S. Bartholomæi anno gratiæ M. CC. XXXI.

1231. GERALDUS Dei gratia Burdegalenſis archiepiſcopus omnibus præſentes litteras inſpecturis ſalutem in Domino. Ad veſtræ volumus univerſitatis notitiam pervenire quod Marcellus abbas S. Dionyſii de Brochareio recognovit apud Silvam-majorem in generali capitulo coram nobis, & in præſentia venerabilis patris Grimoardi epiſcopi Convenarum rectoris monaſterii Silvæ-majoris, & in præſentia multorum abbatum & monachorum qui aderant, ſe veniſſe ad conſecrationem jam dicti monaſterii Silvæ-majoris, quam tunc per Dei gratiam honorifice celebravimus ad mandatum ejuſdem patris Grimoardi epiſcopi Convenarum rectoris monaſterii ſæpe dicti. Quod tanquam filius eccleſiæ Silvæ-majoris volebat ei obediens exiſtere & devotus, ac ſervare obedientiam & juramentum, quod exhibuerat abbati & conventui Silvæ-majoris. Hæc autem recognitio in craſtinum conſecrationis monaſterii, videlicet octavo Kalendas Septembris, facta fuit; & quoniam hæc vidimus & audivimus, ſuper iis vos certos reddimus præſentium teſtimonio litterarum. Actum anno Domini M. CC. XXXI.

GERALDUS Dei gratia Burdegalenſis, & Amanens eadem gratia Auxitanus archiepiſcopus, univerſis Chriſti fidelibus præſentes litteras inſpecturis ſalutem in Domino. Cum venerabiles fratres & ſuffraganei noſtri omnibus qui ad monaſterium Silvæ-majoris, Burdegalenſis diœceſis, in feſto conſecrationis ejuſdem monaſterii, ſcilicet in die S. Bartholomæi apoſtoli & infra octabas ipſius deinceps ſingulis annis cauſa devotionis acceſſerint, de injunctis ſibi pœnitentiis quadraginta dies duxerint miſericorditer relaxandas, ita quod ſinguli eorum ſingulis tam ſuis quam aliorum ſubditis præmiſſos dies, & nunc & in perpetuum pia miſeratione relaxant. Univerſitati veſtræ præſentis ſcripturæ teſtimonio volumus fieri manifeſtum, quod nos eaſdem indulgentias modis omnibus ratas & firmas habemus, & eas profitemur de noſtro aſſenſu & licentia factas eſſe, in hujus rei teſtimonium ſigilli noſtri præſentes litteras munimine appendentes. Datum anno Incarn. Dom. M. CC. XXXI.

LIX.

Charta fundationis monaſterii S. Mariæ de Faezia, ordinis Ciſtercienſis, diœceſis Burdegalenſis.

EGO P. vicecomes de Caſtellione, dedi ac perpetuo jure conceſſi pro ſalute animæ meæ & parentum meorum, Deo & B. Mariæ & eccleſiæ Cadunenſi in foreſta mea Faezia locum ad conſtruendam abbatiam. Hanc donationem feci apud Burdegalam in clauſtro B. Andreæ in manu domni G. archiepiſcopi cum anulo ipſius, & in manu G. abbatis Cadunenſis, in hebdomada videlicet qua concilium ab eodem domino archiepiſcopo & a comprovincialibus ſuis epiſcopis inibi celebrabatur. Hujus donationis teſtes ſunt Willelmus epiſcopus Xantonenſis, W. epiſcopus Petragoricenſis, Lambertus epiſcopus Engoliſmenſis, Helias abbas S. Eparchii, Helias Goet canonicus Aſterienſis, F. de Monteleuno, Aizo de Podio Normando, & plures alii, anno ab Incarnatione Dom. M. C. XXXVII. 1137.

LX.

Confirmatio ejuſdem fundationis.

EGO P. vicecomes Caſtellionis ſpecialem ac ſingulārem devotionem quam præ ceteris locis pater meus domni de Faezia exhibebat, utpote quam in proprio allodio fundaverat, ſollicita mente pertractans; attendens etiam religionem & honeſtatem, atque ejuſdem loci hoſpitalitatem, veſtigia prædicti patris mei ſequi cupiens, prædictum locum ſemper ſingulariter dilexi, & augmentare curavi, ſperans per Dei miſericordiam & ejuſdem loci ſuffragia, peccatorum meorum veniam a Domino percepturum. Ne igitur de his quæ intuitu pietatis præfato monaſterio conferre curavi, proceſſu temporis ſeu malignitate perſonarum invicem per futura tempora ſuccedentium aliqua controverſia poſſit oriri, propriis vocabulis ea deſignare curavi. Innoteſcat itaque tam præſentibus quam futuris, quod manſum qui vocatur Daudenes, quem domina mea vocabulo Agnes, mater ſcilicet mea, pro ſalute animæ ſuæ ob devotionem ſepulturæ ſuæ dederat, ego reddere curavi. Actum apud religioſam domum de Lopſaut, anno Incarnat. Dom. M. C. LXXVIII. Teſtes ſunt P. Willelmi prior prædicti loci, R. abbas Faeziæ, fr. He laicus, Ar. de S. Aſterio, R. de Durfort, G. Præpoſitus, & plures alii. Præterea alio tempore molendinos de la Poiada quos pater meus poſt mortem ſuam pro ſalute animæ ſuæ totiuſque generis ſui præfatæ abbatiæ in pura elemoſyna delegaverat poſſidendos, ego voluntati patris mei ſatisfacere cupiens, in feſto omnium Sanctorum ſuper majus altare glorioſæ ſemper virginis Mariæ in Faezia, præſente omni conventu, quidquid poſſidebam in prædictis molendinis de la Poiada in terra ſive in aqua, domui de Faezia jure perpetuo tradidi poſſidendum. In eodem quoque loco dedi Deo & B. M. de Faezia & fratribus ibidem manentibus jure perpetuo in foreſta mea de Faezia paſcherium ſcilicet & paduentiam ad omne genus animalium, ſive ligna ad focum, vel ad quamlibet ædificationem faciendam domorum ſive molendinorum, vel grangiarum ſuarum, vel quicquid omnino neceſſarium fuerit prædictis fratribus, in pura elemoſyna conceſſi. Præterea decrevi & conceſſi domui de Faezia ut in prædicta foreſta vel in toro allodio de Pales aliqua domus alterius ordinis unde aliquam moleſtiam domus de Faezia poſſit ſuſtinere, minime conſtruatur. Homines quoque qui ad ipſam ſpectant 1201.

Digitized by Google

abbatiam, ex omni dominio meo liberos feci, ſcilicet A ut in exercitu non eant, vel bianum faciant, nec aliquam exactionem ad me pertinentem exſolvant. Præterea conceſſi quicquid acquiſivit prædicta domus, vel deinceps acquiſitura eſt in tota terra mea ab his qui feudum habent de me. Actum anno ab Incarnatione Dom. M. C. LXXXVII. Teſtes ſunt G. præpoſitus, Bertrandus de Nabilatt, P. Faidiu, W. Bernardi, R. abbas de Faezia, R. prior, Sal. ſubprior & omnis conventus ejuſdem loci, & Willelmus de Pers canonicus de Bertolio, poſtea abbas, & plures alii. Hæc omnia & ſi qua alia prætermiſſa, ſive quæ pater meus & ego aut aliquis de genere meo vel de hominibus meis dedit vel daturus eſt prædictæ abbatiæ, gratanter approbo & confirmo. Ad ultimum cum gravi ægritudine apud Albam-terram laborarem, unum ſextarium frumenti, & unam ſaumam B vini ad miſſas cantandas in Faezia pro redemtione animæ meæ totiuſque generis mei, de frumentada & de vinada quæ cenſualiter in terra & podio Johannis ſine contradictione nuncio domus de Faezia omnibus annis præcipio reddendam. De his omnibus in prædicta elemoſyna mea apud Albam-terram domnum abbatem Hel. & domum de Faezia jure perpetuo inveſtivi. Actum anno Incarn. Dom. M. CC. I.

LXI.

Chartæ Goſcelini archiepiſcopi Burdigalenſis pro inſtituendis canonicis Regularibus in eccleſia S. Emiliani.

IN nomine Domini ſumni & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, ego Goſcelinus Divina præminenti gratia, licet indignus Burdegalenſium archiepiſcopus, omnibus matris Eccleſiæ alumnis tam præſentibus quam futuris volo manifeſtum fieri, quoniam quidam confratres noſtri, parvitatis noſtræ adeuntes præſentiam, perſuaſerunt nobis locum quo S. Emilianus corporaliter requieſcit pervaſum, & a laïcis diu poſſeſſum, cum omnibus ad eum pertinentibus, niſi ſubveniretur, ad nihilum in proximo fore venturum. Hoc etiam deprecantes, ut eum ab eorum dominio & ſervitute ereptum, & ut juſtum eſt & canonicum, in poteſtatem & diſpoſitionem noſtram ſucceſſorumque noſtrorum perpetuo redactum conſecraremus. Quorum deprecationem juſtam benigne ſuſcipientes, immo magis ſanctuarium Dei diripientibus laïcis periclitari condolentes, ab eorum manibus & ſubjectione locum ipſum, Domino juvante, ſtuduimus liberare. Igitur præeunte Divina clementia, primum quidem illius terræ primatem, Oliverium ſcilicet vicecomitem aggredientes, juſto Dei judicio & ratione perſuadendo ad hoc perduximus quod ſpontanea voluntate dimiſit diſponendo nobis, & ſucceſſoribus noſtris quæcumque juris eccleſiæ injuſte invaſerat, violenter tenuerat; & ad ea iterum invadenda, vel diripienda nulla occaſione ſe ſe amplius reverſurum promiſit. Itaque illius & quorumdam religioſorum virorum conſulta ſupradictum locum conſecrando juſtitiæ Dei & noſtræ vannum impoſuimus. Deinde paterna ammonitione Fortem Rotlandi ut beneficium eccleſiæ quo apoſtatice ac ſeculariter cum uxore ac liberis abutebatur, canonice ac regulariter cum fratribus & eccleſiæ deſervitoribus participaretur exhortantes; ad ultimum qua debuimus auctoritate cogentes; tandem quæ exhortabamur, uxore quam non legitime habebat dimiſſa, impetravimus. Ut igitur iſte locus a nobis conſecratus, in augmentum religionis proficiendo exurgeret, & Dei ſervitium decentius ac frequentius fieret, pro noſtra omniumque ibidem benefacientium ſalute, ſedis noſtræ prælatorum & canonicorum conſilio, collaudante & aſſentiente Oliverio ſcilicet vicecomite, adjuvantibus terræ illius optimatibus, ipſum Fortem Rotſlandi & ceteros fratres religioſius vivere volentes, huic loco canonicos inſtituimus. Quibus clauſtraliter ac regulariter viventibus, ſub hoc auctoritatis & tuitionis noſtræ privilegio ipſum locum & omnia ejuſdem loci beneficia in proprios uſus habenda conceſſimus, ſemel, bis, ac tertio repetentes ut regulariter ac clauſtraliter vivant, habito priore, qui canonice ab eis electus, Burdegalenſium archiepiſcopo præſentetur, ut ab eo in ſui prioratus auctoritate confirmatus, rigore diſciplinæ inquietos potentius corripiat. Conceſſimus etiam ipſis, exceptis eccleſiæ noſtræ juſtitiis, ut quæcumque ab eis ſive ab aliis in vineis, in pratis, in ſilvis, in terris cultis & inculcis, ſeu in cæteris hujuſmodi eccleſiæ jam ſunt donata vel donanda, omni tempore permaneant firma & illibata, auctoritate noſtra, ibidem Deo deſervientium uſibus modis omnibus profutura. Poſtremo conſtituimus & conſilio quorumdum fratrum noſtrorum coepiſcoporum, abbatum communi quoque aſſenſu ſedis noſtræ prælatorum, & canonicorum ſub anathemate interdicimus, ut nullus comes, nullus vicecomes, nullus princeps, nulla quælibet laïcalis perſona habeat licentiam ut rebus hujus eccleſiæ, vel canonicis ipſis inferat moleſtiam, ſive aliquid eorum auferat per violentiam. Si quis vero contra hujus inſtitutionis noſtræ privilegium inſurgendo violare præſumſerit, ſeu violaverit, omnipotentis Dei ſanctique Emiliani, & Sanctorum omnium iram incurrat, & anathematis vinculo obligatus, a communione Dominici corporis & ſanguinis, niſi reſipuerit, alienus exiſtat. Ut autem hæc authoritatis noſtræ inſtitutio firmior & inceſſabilior habeatur, ſigilli noſtri impreſſione corroboratam ſubterfirmavimus, & eam coepiſcoporum, abbatum & canonicorum noſtrorum, & hujus C terræ principis manibus, & omnium ſubterſcriptorum firmandam tradidimus.

† S. Goſcelini archiepiſcopi. S. Guillelmi principis. S. Oliverii vicecomitis. S. Aiquelmi archidiaconi. S. Arnaldi abbatis. S. Garmundi Aiquelini. S. canonicorum. S. Severini Bonafaſi, Auſtindi, Arraldi.

LXII.

Reſtauratio abbatiæ S. Emiliani, diœceſis Burdegal. ordinis S. Auguſtini.

EGO ARNALDUS, Dei gratia Burdegalenſis eccleſiæ licet indignus archiepiſcopus, tam præſen- D tibus quam futuris notum fieri volumus qualiter eccleſia S. Emiliani confeſſoris, conſilio archidiaconorum noſtrorum & aliorum Burdegalenſis eccleſiæ clericorum, Divina opitulante gratia, a nobis regularem * ordinata ſit. Diu namque atque longis temporum intervallis non ſolum a clericali, ſed etiam a laïcali manu præfata eccleſia enormiter poſſeſſa fuerat, ſed quia ad hoc in eminenti domus Domini poſiti ſumus, ut laboranti ſponſæ ſuæ quo poſſumus affectu ſubveniamus, aſcito, ut prædiximus, clericorum noſtrorum conſilio, & baronum illius terræ convocata multitudine, ad prænominatam eccleſiam deſcendimus. Cumque clericos ibi ſæculariter viventes auctoritate debita moneremus, ut regulari habitu & arctioris vitæ continentia clauſtraliter in caſtitate & ſine proprio ſub S. Auguſtini regula E amodo Chriſto militarent, & bona eccleſiæ in pios & ſanctos uſus expenderent, pars ipſorum divino afflata ſpiritu, noſtræ benigne favens petitioni, religionis habitum illico aſſumpſit. Altera vero pars, & ſi religionis ad præſens habitum non aſſumſit, tamen ut alii loco eorum ſub religionis habitu clauſtrum intrarent, aſſenſum præbuit; ac ut religionis inſtitutio firmius teneretur, quemdam venerabilis vitæ virum, Aimonem nomine, de Stirpenſi cœnobio advocavimus; & ut novellæ præeſſet religioni, eum in abbatem benediximus. Ut igitur locus iſte in religionis augmentum proficiendo reſurgat, & Dei ſervientium decentius & frequentius hic fiat pro noſtra omniumque ibidem benefacientium ſalute, ſedis noſtræ prælatorum & canonicorum conſilio conlaudante, & devote adjuvante Helia vicecomite, & omnibus aliis inter Dordoniæ

* *f.* regulariter.

Digitized by Google

optimatibus, tibi Aimoni dilecto filio noſtro in Chriſto A Regulari canonico S. Emiliani abbati, & fratribus tuis canonicis Regularibus in ipſa eccleſia tecum Deo ſervientibus, & ſucceſſoribus tuis canonice conſtituendis, eamdem eccleſiam cum omnibus appenditiis ſuis tam adquiſitis quam adquirendis in perpetuum habendam concedimus. De quibus in primis hæc propriis nominibus exponenda decrevimus: capellaniam ipſius eccleſiæ cum omnibus beneficiis villæ quæ ad eccleſiam pertinent, & eccleſiam B. M. Magdalenæ quæ eſt in eodem territorio, eccleſiam S. Johannis de Fozela, eccleſiam S. Martini de Mazerac, eccleſiam S. Petri Dermenes, eccleſiam S. Georgii de Montania, eccleſiam S. Andreæ. Statuimus etiam ut nullo interdicto publico ſive privato altare ſanctiſſimi confeſſoris Emiliani divino B careat officio, quin ibi divinum officium ſecrete celebretur. Præterea quæcumque donatione pontificum ſeu quarumlibet ſæcularium poteſtatum ſive in eccleſiis, in vineis, in pratis, in ſilvis, in terris cultis & incultis, ſeu in ceteris reditibus eccleſiæ S. Emiliani jam donata vel donanda ſunt omnibus diebus, firma & illibata Dei & noſtra auctoritate permaneant, uſibus canonicorum modis omnibus profutura. Inſuper ſtatuimus atque ſub anathemate interdicimus, ut nullus archiepiſcopus, nullus epiſcopus, nullus abbas, nullus comes, nullus vicecomes, nullus princeps, nulla etiam clericalis vel laïcalis perſona hanc noſtram canonicam inſtitutionem immutare vel perturbare præſumat. Quod ſi fecerit, Dei omnipotentis & B. Emiliani & omnium C ſanctorum iram incurrat, & excommunicationis vinculo aſtrictus, a ſacra ſancti corporis & ſanguinis communione, donec a tanto facinore reſipiſcat, omnino privetur; ſed ut hæc inſtiturio firma & inconvulſa permaneat, noſtri ſigilli auctoritate firmavimus.

LXIII.

Quod in eccleſia S. Romani de Blavia, vulgo Blaye, ſynodus Burdegal. celebretur. *Ex tabulario S. Romani de Blavia.*

NOtandum eſt & ſciendum, quod in eccleſia S. Romani, quæ ſecunda ſedes eſt in diœceſi Burdigalenſi, ſolet celebrari ſecunda ſynodus tam hyemalis quam æſtivalis ab archiepiſcopo Burdegalenſi, in qua ſynodo debent intereſſe per ordinem hi prælati:

I. dominus archiepiſcopus, vel ejus vices gerens.
II. domnus abbas ſancti Romani.
III. domnus abbas S. Salvatoris de Blavia.
IV. domnus abbas S. Emiliani.
V. domnus abbas de Aquiſtris.
VI. domnus abbas S. Vincentii de Burgo.
VII. domnus abbas S. Mariæ Magdalenæ de Plana-Sylva. Induti debent eſſe cappis cum ſuis bajulis * paſtoralibus ſive croſſalibus. * *f.* baculis.

Vide Gregorium Turonenſem lib. de gloria confeſſorum cap. 46.

LXIV.

Authentica probationes pro parthenone S. Eulaliæ in civitate Burdegalenſi, vulgo, S. Eulalie. Ex vita S. Wannigi confeſſoris act. SS. ord. ſæculi II. t. 2. f. 973.

In Fiſcanenſi loco templum fideliter conſtrue; completum autem templum ſanctis virginibus commendabis quibus Childemarcham Burdegalenſem virginem, ibique multarum virginum matrem inclytam, abbatiſſam præponere curabis.

INSTRUMENTA AD ECCLESIAM PICTAVIENSEM PERTINENTIA.

I.

Teſtimonium Petri epiſcopi Anicienſis de reliquiis S. Hilarii epiſcopi Pictavienſis in Anicienſi eccleſia.

OMNIBUS Chriſtianæ religionis fidem ſervantibus notum fieri volumus, quod ego Petrus Anicienſis epiſcopus, conſilio prælatorum eccleſiæ noſtræ, Armanni abbatis Secureti, Anthonii & Stephani ſacriſtarum, Petri Guilhermi theſaurarii, Stephani de Pratis tunc præcentoris, Armanni hebdomadarii, magiſtri Simonis Baldi, Caldairi & aliorum qui in eadem eccleſia commanebant, anno ab Incarnatione Domini milleſimo centeſimo ſexageſimo ſecundo, Indictione decima, feria quarta ante diem Paſchæ, feci aperiri me præſente cum ſupradictis & pluribus aliis, quoddam vas quod erat poſt altare ſancti Georgii; & inveni ibi E membra ſanctorum cum duabus tabulis marmoreis, in una quarum erat ſcriptum ſic: *Hic requieſcunt membra ſancti ac glorioſiſſimi Georgii epiſcopi.* In altera: *Hic requieſcunt membra ſancti ac glorioſiſſimi Hilarii epiſcopi Pictavenſis*; & eadem membra cum eiſdem tabulis repoſui in vaſe ligneo laminis ferreis hinc inde firmiter ligato, in die natalis S. Stephani protomartyris; & eadem die repoſui illud vas in vaſe lapideo; & in ſignum memoriæ hanc chartam ſcribi & ſigillo meo muniri præcepi, & intus repoſui: aliam autem eadem continentem extra reſervari ad majorem fidem poſteris relinquendam juſſi.

D *Anno* M. DCC. XII. *vidit chartam hanc D. Jacobus Boyer, in capſa S. Georgii incluſam, e qua pendet ſigillum epiſcopi pontificalibus ornamentis induti cera impreſſum cum hac epigraphe*: Petrus Anicienſis epiſcopus. *Aliam quoque ſimilem chartam autographam vidit in archivo S. Georgii. Utramque vero ipſi exhibuit D. Guiton ſuperior ſeminarii Anicienſis & canonicus S. Georgii.*

II.

Teſtimonium medicorum de oſſibus S. Hilarii Pictavenſis epiſcopi, in parte capſulæ ligneæ, quæ Anicii in eccleſia S. Georgii aſſervatur inventis.

OBſervavimus in altera parte diſtincta & ſeparata prædictæ capſulæ, oſſa glorioſiſſimi confeſſoris & doctoris eccleſiæ divi Hilarii epiſcopi quondam Pictavenſis, ſequenti ſerie numerata: In primis partem cranii futuris ſagittali & lambdoide ſpecioſam, item particulas alias ejuſdem cranii ſemiuſtas numero viginti, vertebras quindecim ſpinæ dorſi, os ſacrum integrum & non comminutum, partes duas maxillarum dentibus deſtitutas, humerum unicum, fruſtum alterius cubiti, binas fibulas tibiarum, tibiam unam ſemiuſtam, coxam unam cum medietate femoris, os femoris alterum in duas partes fractum, partem aliam oſſis femoris cum patella, aſtragalum unum & calcem unam, ſcapulam unam, partem alterius ſcapulæ, claviculam unam, undecim coſtas, os digiti pedis, & denique quamplurima alia oſſa quæ diminuta &

Digitized by Google

perfracta ad proprium nomen & veram notitiam reduci vix poterant. Et continuo nobis oblatæ fuerunt a venerabili domino Jacobo le Breton in facultate Pariſienſi licentiato theologo & canonico dictæ eccleſiæ collegialis S. Georgii Anicienſis, duæ differentes thecæ reliquiarum in formam & figuram brachii conflatæ, in quarum una argenteis laminis obducta deficientem ſuperius tibiam S. Georgii reconditam nobis exhibuit, in altera vero lignea depicta maximam partem tibiæ ſancti Hilarii; quæ oſſa contulimus cum prædictis dictorum ſanctorum oſſibus & ſecundum proceſſus ſuos correlativa eſſe enunciamus. &c.

Haud dubie quæ illic deſunt oſſa, apud S. Dionyſium in Francia remanſerunt. Certe audita hac ultima revelatione reliquiarum S. Hilarii, & earum elevatione ab Henrico epiſcopo facta, venerabiles domini Ludovicus Regnault preſbyter canonicus & ſubdecanus regalis eccleſiæ S. Hilarii majoris, necnon Renatus de Brilhac preſbyter canonicus & hebdomadarius magnus ejuſdem eccleſiæ, deputati a decano, canonicis & capitulo dictæ eccleſiæ S. Hilarii majoris, ut patet ex litteris capitulo 15. Sept. 1657. datis, munitis aliis regiis litteris commendatitiis Ludovici XIV. datis apud Sedanum 20. Auguſti 1657. Anicium venerunt, & ab epiſcopo prafato, annuentibus S. Georgii canonicis, obtinuerunt os integrum majus brachii ſiniſtri S. Hilarii Pictav. ep. quod vocatur humerus, quodque fere ſolum inter alia membra hujus ſancti læſionem ignis evaſit; & partem cranii ejuſdem ſancti igne denigratam & ſeminuſtam. Hæc anno prafato 1657. die 2. Octobris facta leguntur in utriuſque eccleſiæ Pictavenſis, & Anicienſis commentariis.

III.

Diploma Caroli Calvi datum pro Glanofolienſi S. Mauri monaſterio, ad Ebroini Pictavorum epiſcopi & archicapellani preces.

848. HEBROINUS venerabilis epiſcopus ſacrique noſtri palatii protocapellanus, ad noſtram accedens clementiam, innotuit ſerenitati noſtræ ſe quoddam monaſteriolum in pago Andegavo ſecus fluvium Ligerim ſitum, ubi B. Mauri corpus venerabiliter habetur humatum, a domno & genitore noſtro in jus proprietarium ſibi conceſſum, in ſtatum & religionem monaſtici ordinis funditus retraxiſſe, atque in habitum quo olim excultum fuerat, omnino diſparaſſe. Obtulit etiam clementiæ noſtræ, noſtriſque obtutibus, teſtamentum ſcriptum, ſua aliorumque RR. epiſcoporum auctoritate inviolabili roboratum, quo continetur qualiter idem ea quæ præmiſſa ſunt diligenti peregerit ſtudio; qualiterque omnium aſſenſu ſtatuerit præfati S. Mauri monaſteriolum ſub monaſticæ religionis cultu, perpetua lege manſurum; atque adeo noſtram humiliter oravit benignitatem, ut eandem eorumdem ſanctorum patrum teſtamenti ſacram auctoritatem noſtræ quoque dignitatis præcepto planius confirmare dignaremur. Ejuſdemque deprecationem clementer excipientes, hoc magnitudinis noſtræ ſcriptum fieri juſſimus, per quod præcipimus atque firmamus, ut nihil eorum quæ in præſcripta teſtamenti auctoritate ſacro jure continentur, noſtris neque futuris temporibus quiſquam Dei noſtrorumque fidelium immutare audeat, aut ſecus quam ab ipſis patribus ſancitum eſt de prænominati B. Mauri monaſterioli ſtatu, aut de rebus ſibi pertinentibus invertere aut agere præſumat; ſed ea quæ ab ipſis conſtituta ſunt, inviolabiliter conſervanda cognoſcat. Sciantque quod nos hac eadem noſtra auctoritate præceptum domini & genitoris noſtri, per quod id monaſterium cum omnibus ſuis appenditiis præfato venerabili antiſtiti Ebroino in jus proprietatis tradidit, pleniter confirmatum, videlicet ut quamdiu vixerit, ſine alicujus contradictione ſui ſit juris ſuæque dominationis. Poſt ejus vero ab hac vita tranſitum conſanguinitate ei conjunctus religioſus vir Gauſlenus, per hanc noſtram auctoritatem pleniter habeat illud conceſſum, quatenus juxta patris Benedicti inſtitutionem religioſam vitam deducens, ejus loci cohabitatores regulari decreto gubernare non negligat. Illo ſiquidem hominem exuto.... fratres ibidem Deo famulantes ſecundum regulam S. Benedicti, ex ſeſe eligendi abbates habeant poteſtatem, niſi forte poſt eumdem Gauſlenum talis eorum progeniei inveniri poſſit, qui ſecundum Dei voluntatem a nobis vel a ſucceſſoribus noſtris ei ſubrogari queat &c. Datum pridie Idus Julii, anno VIII. regnante Karolo rege glorioſiſſimo. Actum Bonogeſilo.

IV.

Froterius epiſcopus dotat & ditat S. Cypriani monaſterium.

EGO FROTERIUS epiſcopus, ſervorum Dei extimus, ædifico hoc monaſterium juxta noſtram civitatem, quod vulgo antea dicebatur *ad S. Cyprianum*, & gliſco dicare in honore Dei Genitricis Mariæ, necnon & S. Martini confeſſoris Chriſti, conſentiente tamen rege noſtro Radulfo, necnon comite noſtro Willelmo, noſtris quoque conſanguineis, necnon clericis noſtris ſeu ſenioribus iſtius pago degentibus, Petro præpoſito, Brocardo * archidiacono ceteriſque quampluribus. Concedo ei donum ex hæreditate mea quæ ex genitore & genitrice devenit mihi, & quantumcumque ſuper eam viſus ſim me habere, & quantum ad ipſius eccleſiam pertinet, totum & integrum illuc trado atque concedo, & illis videlicet monachis ibidem commorantibus, tali tenore ut nihil de poteſtate S. Petri diſrumpere cupio; ſed tali modo ut nullus deinceps epiſcopus propter ſuperbiam aut contumaciam aut arrogantiam niſi cauſa caritatis & amore Dei auſus ſit noſtram frangere firmitatem. Quod ſi præſumpſerit, in primis iram Dei incurrat, & S. Dei Genitricis Mariæ, & S. Petri clavigeris, ſanctæque Mariæ *, necnon & S. Severiani & aliorum quorum reliquiæ ibidem continentur. Dicamus omnes, Amen.

* Richarde.

* Sanctique Martini.

Anno Dom. DCCCC. XXXVI. Ind. X. ego Tetolo epiſcopus vice dom. Froterii epiſcopi, dicavi hanc eccleſiam, & dicamus cum dote, ſicut mos eſt, & conſuetudo eccleſiaſtica docet, in Pictavorum pago, in vicaria Raciacinſe, in villa quæ nuncupatur S. Maxentii, maſnilis, curtiferis, virdegariis, vineis, pratis, farinariis in fluvium Saleroni, terris cultum incultum, quæſitum vel ad inquirendum, & de mancipiis meis his nominibus, Johanne cum uxore ſua, & infantibus ſuis Dominico, Landrico. . . . . & eſt fundata eccleſia in honore S. Maxentii. Item dono in ipſo pago in prædicta vicaria, in villa quæ vocatur Landricus, & in villa quæ ad illam pertinet & vocatur Forcax, maxnilis, curtiferis, viridigariis, vineis, pratis, farinariis ſuper fluvium Croſa, terris cultum & incultum, quæſitum vel ad inquirendum. Et eſt ibi eccleſia fundata in honore S. Fercinctæ. Et de meis mancipiis his nominibus: Adam cum uxore ſua, & infantibus ſuis; Kainone cum uxore ſua & infantibus ſuis; & quæ ad ipſum alodum aſpicit & aſpicere videtur. Etiam dono in ipſo pago in ipſa vicaria Pauliniacenſe, in villa quæ dicitur Proliacus, maxnilis, curtiferis, viridigariis, vineis, pratis, terris. Et dono in ipſo pago in ſupradicta vicaria, in villa quæ vocatur Alinaris quantum viſus ſum habere in ipſo pago, in ipſa vicaria, in villa quæ dicitur Villena quantum viſus ſum habere. Et dono in ipſo pago, in villa Saviniaco quantum viſus ſum habere, quæ de pretio meo comparavi, & dono in ipſo pago, in vicaria Toarcenſe, in villa quæ vocatur Allilias cum capella S. Severini, & quantum viſus ſum habere;

Digitized by Google

& de mancipiis meis his nominibus, Dominico cum uxore ſua & infantibus ſuis, & Landuino cum nepotibus ſuis, Warnerio ceteriſque omnibus aliis. Et dono in ipſa vicaria, in villa quæ vocatur Taſiacus quantum viſus ſum habere vel poſſidere, & de mancipiis meis his nominibus : Amadicena cum uxore ſua & infantibus ſuis & ceteris aliis.

a S. Tetelonis * Turon. ep.
S. Ricardi archidiaconi.
S. Petroni &c.
S. Hilarii clavigeri.
S. Willelmi Pictavorum comitis.
S. Savarici vicecomitis, *ſcilicet Thoarcenſis.*

Multas omiſimus ſubſcriptiones, ex quibus nihil diſcere poſſumus. Charta ſequens confirmat donationes a Froterio ep. factas.

V.

Alboinus epiſcopus confirmat donationes Froterii epiſcopi.

NOtitia qualiter reſidens domnus Alboinus divinæ pietatis gratia pontifex, in generali ſynodo menſe Maii, ſecundum antiquorum patrum conſuetudinem diſcernens rei veritatem, & ſecundum judicium optimatum, ſacerdotum, canonicorum, abbatum, vicariorum procurabatur, ut unuſquiſque reciperet quod ſuum proprium in auditorio S. Petri apoſtoli majoris eccleſiæ Pictavis. Surrexit Aymo abbas cum congregatione monachorum qui ſecum ibi aderant de monaſterio S. Cypriani martyris, quod eſt dedicatum in honore B. Mariæ virginis matris Domini; proclamantes dicebant quod Dodo preſbyter, & Iſraël preſbyter de vico * Betinas, qui eſt in poteſtate S. Petri, voluerunt invadere decimas injuſte per illorum malignam cupiditatem de illa villa quæ dicitur Cuſiacus : quæ decimæ pertinent ad ipſam capellam S. Maxentii, quam dominus Froterius epiſcopus pro redemptione animæ ſuæ, cujus quondam alodus fuit, & prædicto monaſterio S. Cypriani, cum omnibus ſuis rebus ſibi pertinentibus delegavit, & B. Mariæ virgini tradidit, ut monachi qui in monaſterio prædicto certatim militant Chriſto, perpetualiter inde viverent. Pontifex vero Alboinus præfatus, ut paſtor egregius, rogavit omnibus in concilio ſancto circumquaque reſidentibus, ut rei veritatem de hac altercatione diffinirent. Qui Dodo preſbyter & Iſraël preſbyter prædicti dicebant, quod decimæ de Cuſiaco villa pertinebant ad vicum Betinas. Aymo autem abbas prænominatus demonſtravit largas litteras, atque valde utiles, palam omnibus in generali ſynodo quibus cum honore * Ingenaldus pontifex ipſam capellam S. Maxentii dotavit, & ibi inventæ ſunt ſcriptæ decimæ de Cuſiaco pertinentes ad ipſam capellam, poſtea vero preſbyteri wadiaverunt quod injuſte ita ſane fecerant, & illorum exſtitit fidejuſſor Launo abbas. His videntibus facta omnia, Alboinus Pictavenſis paſtor egregius, Galtarius decanus, Mairannus ſubdecanus * Richardus archidiaconus, Petrus archidiacon. Odo cantor, Boſo ſacerdos &c. regnante Ludovico rege.

a Betinas.

ep Pictav. Al. Ingenaldus.

* Al. Rothardus uti legitur in S. Cypriani chartulario.

De hac tabula conſulendus Mabillonius in annalibus ad an. 943. n. 61. tom. 3. pag. 470. ubi etiam alia ejuſdem Alboini charta pro S. Cypriano data menſe Aprili, regnante Ludovico rege & Hugone comite Pictav. recenſetur.

a Tetelo vice Froterii epiſcopi dedicavit S. Cypriani eccleſiam an. Dom. D. CCCC. XXXVI. Ind. X. ex chartulario S. Cypr. fol. 3.

VI.

Diploma Willelmi ducis Aquitanorum; quo curtem quandam dat Cluniacenſibus.

QUi perpetuæ beatitudinis memores dum in hac terra vivunt, ex mundialibus quæ poſſident opibus Chriſtum conſtituunt hæredem, noverint pro certo quia de rebus quas ſecum auferre nequeunt, æterna lucra adipiſci poſſunt &c. Quæ ego Guillelmus dux Aquitanorum conſiderans, fragilitatemque communis fragilitatis attendens, de his quæ poſſidere videor, dum licet, dumque indulta tempora permittunt, Chriſtum heredem conſtituere deſidero, ut in tempore ſupremæ neceſſitatis ipſe mihi pius remunerator occurrat. Eſt igitur mihi quædam curtis in vicaria Marevenno, quam olim mater mea tenuit, & domno Guiſliberto epiſcopo donavit, ubi eſt eccleſia in honore S. Pauli apoſtoli conſecrata, quam de meo jure una cum conſenſu & voluntate ipſius pontificis, qui eam tenebat, in uſus famulorum Dei in loco Cluniaco degentium, ſicut idem pontifex poſſidebat transfundere cupiens, curtem ſupradictam cum cunctis ad eam pertinentibus, terris ſcilicet, vineis & pratis, & paſcuis adjacentibus cum colonis ibidem degentibus, atque cum omni debito reddendo ipſius curtis, ſanctis apoſtolis Petro & Paulo contrado : quatinus inibi Domino famulantes, emolumentum inde capiant ſalutare, noſtrumque teneant continuum memoriale. Si quis vero inventus fuerit, qui hujus noſtræ eleemoſynæ calumniator exiſtere præſumſerit, æterni anathematis mucrone perculſus, cum Petrus clavigер cœleſtis regni fideles admiſerit, ei januam vitæ interdicat, & ad ſanctorum conſortium intrare non ſinat. Hoc vero noſtræ auctoritatis ſcriptum ut robuſtius convaleſcat, ego Willelmus dux manibus meis firmavi, obtimatumque meorum manu roborari juſſi. S. Agnetis comitiſſæ, S. Willelmi junioris, S. Guiſleberti epiſcopi, S. Fulconis comitis, S. Iſemberti archidiaconi, S. Maneſſei & Gausfredi vicecominum, S. Ebboli, Ugonis, Radulfi, Rohonis, S. Arnaldi decani. Data menſe Martio, anno Incarnationis Dominicæ M. XVIII. regnante Roberto rege. Frogerius ſcripſit.

1011.

Giſlebertum epiſcopum alium non eſſe a Pictavenſi, perſuadent ſigna Iſemberti archidiaconi & Arnaldi decani qui in eccleſia Pictavienſi dignitates ſuas ſub Guiſliberto epiſcopo obtinebant.

VII.

Charta Iſemberti Aquitanorum præſulis de eccleſia S. Johannis & Petri in loco qui dicitur Mulgon ſita, Clunienſibus ſubdita.

Ex chartario.

QUicumque cœleſtis imperii inſpiratus ſublimitate, necnon Romanorum principatus inſtructus lege, voluerit erga ſanctam Dei Eccleſiam, quæ eſt virgo, vera mater, atque totius mundi regina, Jeſu Chriſti filii Dei vivi, cooperante Spiritu ſancto, ſponſi benivolentiam libenti animo exercere, pro multorum rabie invidorum, quæ nunc in hoc fluctivago ævo comprobatur evidentiſſime, id quod ſibi fidelis ſuis xaritoſe donante conſenſerit impendere, ne denuo aliquam diſruptionem patiatur, ſcriptionis ſerie antiquitus legaliterque libuit alligare, ſub Romana poteſtate & privilegii auctoritate. Quamobrem ego Iſembertus quanquam non meis meritis, præeunte tamen Divina miſericordia in dignitate pontificum poſitus, cupio intimare omnibus ſanctæ Dei Eccleſiæ fidelibus, quod inſpirante cœleſti gratia, Cadelo vicecomes, & filius ſuus Willelmus itidem vicecomes, reminiſcentes vitæ labentis excurſus, in ſemet reverſi, uterque in bonum converſi pio affectu, humili vultu deprecati ſunt, per

Digitized by Google

noſtræ auctoritatis ſcriptum a nobis fieri privilegium, ad quandam eccleſiam in honore beati Johannis & Petri dedicatam, in * Metulenſi pago, in loco qui vulgo nuncupatur Mulgon ſitam, ut & decimæ & omnia prædia ad eam pertinentia & eccleſiaſtica auctoritate tali tenore ita ſint conceſſa, ut nunquam ille locus amplius vendatur, neque comparetur, cenſum non ſolvat, nec laïcali poteſtati vel alterius ordini ſubjiciatur; ſed ſub juſſione epiſcopi hujus loci atque ſub regimine monachorum Clunienſium omni tempore regatur. Quod ego audiens, nulla cupiditate coactus, ſed factus humili eorum deprecatione placatus, conſenſi per omnia voluntati eorum, per conſenſum noſtrorum canonicorum ſeu venerabilis domni Odilonis abbatis Cluniacenſis cœnobii, necnon omnium Pictavorum abbatum, cunctorumque Aquitanorum principum, pro amore videlicet noſtri piiſſimi redemptoris, qui ad hoc homo dignatus eſt fieri, ut qui ſedebant in tenebris & umbra mortis, ſecum regnarent in cœlis, luce fulgentes ſummæ veritatis. Precamur denique ut ea quæ pro redemptione animarum noſtrarum atque omnium fidelium Chriſtianorum juſte & rationabiliter ſtatuimus, omnes noſtri ſucceſſores ita conſervent, ſicut ſua a ſuis ſucceſſoribus obtaverint permanere geſta. S. Iſemberti pontificis Aquitanorum. S. Willelmi vicecomitis. S. Ameliæ matris ſuæ. S. Willelmi comitis. S. Willelmi filii ſui. Item S. Oddonis filii ſui. S. Jordanis epiſcopi Lemovicenſium. S. Rohonis epiſcopi Engoliſmenſium. Item ſignum Ranulfi. S. Rainaldi. S. Gosfridi vicecomitis. S. Acfredi vicecomitis. S. Aymerici. S. Willelmi de Partenaco. Data menſe Maio regnante Rotberto rege, necne præſidente Aquitanis Willelmo duce.

* Melle.

VIII.

Ex chartul. S. Maxentii.

Notitia concilii Pictavienſis ſub Iſemberto I. epiſcopo.

CUm inter mundi fluctivagos diſcurſus ſanctæ Dei Eccleſiæ ſtatus dilabi videretur, & pro innumeris hominum delictis, ſuadente diabolo, religio ſancta corrumperetur, miſertus Dominus generi humano non diu paſſus prævalere Zabulon & dominari mundo, tandem his cladibus permiſit finem fieri, ſicque voluit ad ſanctæ religioſitatis mores priſtinos revocari. Præveniente ergo miſericordia piiſſimi conditoris actum eſt ſub principibus Aquitanorum, rege videlicet Rotberto Francorum regna juſte diſponente, & ducibus ſub regimine ejus degentibus, pontificibus quoque quamplurimis, necnon & diverſorum ſacerdotum, ſimulque omnis ordinis clericorum, ut concilia per ſingulas civitates celebrarentur, ac innumera multitudo plebium coadunata, tam nobilium quam pauperum, de fide Katholica & rebus ſanctæ Dei Eccleſiæ ibi concionaretur, ut emendata fides in omnibus a Deo confirmaretur. Inter ceteras ergo diverſas partes accidit ut Pictavæ urbis concilium ageretur, duce videlicet nobiliſſimo Willelmo, ſub Iſemberto ipſius urbis epiſcopo, & Jordane Lemovicenſium præſule, atque Arnaldo Petragoricæ regionis, & diverſorum ordinum Chriſtianorum abbatibus, videlicet monachis & clericis, necnon & fidelibus populis. Cum igitur de plurimis rebus tractarent, ſtatuerunt ut ſi quis hominum res ſanctæ Dei Eccleſiæ fraudulenter aut violenter poſſederat, aut injuſte rapuerat, cum ſummo ſtudio reſtitueret, & ut terras monaſteriorum integras libertaſque perſolverent. Quod & ita omnes decreverunt fieri, & ſub omni excommunicatione & juramento firmaverunt. Sub iiſdem ergo diebus contigit ut domnus Willelmus comes deveniret in quoddam caſtrum quod vocatur antiquitus Metulo, ut ibi cum ſuis judicibus, & præpoſitis, ac multis de nobilibus de rebus plurimis judicia exigerent juſta. Cujus præſentiam adeuntes monachi ex cœnobio beati Maxentii atque beati Leodegarii, interpellati ſunt eum de propriis terris in quibus judices ac præpoſiti per falſitatem & cupiditatem injuſta judicia exercebant, & pauperes condempnabant. Tunc ipſe convocans majores natu, & qui priores antiquitus noverant conſuetudines, interrogavit ſi vera eſſent quæ dicebantur. Quibus adteſtantibus, ait: Accedat quis ex teſtibus qui ſub juramento adfirmet, & fiat ſicut ipſi requirunt. Tunc quidam ex ſubjudicibus teſtatus eſt patrem ſuum judicem fuiſſe pluſquam LXX. annis, ſeque poſt mortem ejus annis quamplurimis exegiſſe hujus rei negocium, ſicque ſuper altare & reliquias ſanctorum juravit ſic eſſe conſuetudines priores. Tunc comes & omnes qui aderant tam nobiles quam pauperes teſtati ſunt, ita perenniter abſque ulla contradictione permanerent inleſa. Cauſæ autem hujus rei hæc ſunt, de terra S. Maxentii quod eſt in parochia [a] Vedrinas, & [b] Montiniaco, & [c] Bonolio, Virinella, [d] Boſſiaco cum villis qui * ad ipſam villam pertinent, & villam novam. De quatuor cauſis, * raptum, furtum, homicidium, incendium, medietatem vicarii accipiant, aliam dimidiam monachi habeant. Omnem autem clamorem quiſcumque hominum ſe clamaverit de intus in terra S. Maxentii, monachi rectum faciant, ſine ullo homine partiente. Et ſi foras terram S. Maxentii vicarii clamum habuerint, ipſi diſtrictum accipiant. Sed de propriis hominibus S. Maxentii nemo præpoſitorum, nullus judex judicet niſi ante monachum, aut in quo loco ipſe juſſerit; & in his cauſis nemo præpoſitorum partem habeat. In totam autem terram ſupraſcriptam nullus vicarius, nec ullus præpoſitus nullum interſignum mittat, & ſi quis miſerit, nullus hominum horum ad ipſum pergat, ſed ante monachum judicium fiat. Ut autem hæc deſcriptio firma permaneat, ſub omni firmamento & ſtabilitate & permiſſione concilii, manibus propriis corroborarunt principes & nobiles qui adfuerunt; Willelmus videlicet, & Odo frater ejus, & Willelmus vicecomes, & Conſtantinus, & Maiengodus, & Leterius, necnon & Stephanus, & Ugo, & Ramnulfus, Gaſzho, & Girbertus, aliique quamplurimi. Facta eſt autem ſtabilitas hujus negotii IV. Idus Decembris ſub domno Amblardo abbate & monachis ſibi ſubditis, quorum nomina enarrare prætermittimus. Si quis hanc violaverit, iram Dei omnipotentis incurrat, & cum dampnatis pereat, ſicque omnibus maledictionibus Dei ſubjaceat. Sicherius levita rogatus ſcripſit.

[a] Veyrines. [b] Montigny. [c] Bonneuil. [d] Bauſſay.

* *f.* quæ.

* *f.* rapto, furto &c.

IX.

Goffridus Aquitanorum comes multa S. Maxentii monaſterio reſtituit.

ANno M. LXXX. Aldebrando papa, qui & Gregorius dicitur, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ præſidente, Philippo autem regnum Francorum gubernante, Burdegalæ civitatis archiepiſcopo Goſcelino, & Iſemberto Pictavenſis ſedis epiſcopo, Goffridus venerabilis comes & armipotens dux Aquitanorum, medietatem pedagii de burgo S. Maxentii quod comes Willelmus frater ſuus & mater amborum Agnes comitiſſa, per unum equum quingentos ſolidos valentem, & inſuper CCC. ſol. longe ante archiepiſcopo Archembaudo dederunt, iſte ſupradictus dux acceptis a ſenioribus loci bis mille ſolidis quam diu abſtulerat, reddidit S. Maxentio &c. Hanc chartam confirmavit comes Goffredus in capitulo S. Maxentii nonas Decembris, & ibidem ipſemet propria manu ſubter ſcriptam crucem ſignavit, & deinde ſuper altare S. Maxentii poſuit. Inde levaverunt eam monachi duo Girbertus videlicet & Willelmus. †

1080.

S. Rotberti Burgundi. S. Rainaldi prioris &c. Et hanc crucem fecit Willelmus ejus filius † apud

Digitized by Google

Pictavum VIII. Idus Febr. qui pro hac carta firmanda habuit C. ſol. videntibus & audientibus quorum nomina ſubſcripta ſunt.

S. Audeberti comitis de Marchia. S. Otgiſii cantoris S. Hilarii. &c.

X.

Charta fundationis eccleſiæ S. Crucis apud Laucidunum. *.

Loudun

1062. * Andegavorum.

IN nomine Domini Dei ſummi & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, Gaufridus gratia ipſius * comes. Oportet nos beneficiis Dei aſſidue, clementerque faventes, nec immemores eorum eſſe, nec ingratos, imo ubique ſollicite juxta ſalutarem illam admonitionem, qua jubetur, *date eleemoſinam, & omnia munda ſunt vobis*, debemus & nos, ei placita opera exercere, & alios quoſque id ſatagentes noſtris adminiculis adjuvare. Igitur notum ſit cum ſanctis fidelibus noſtris Deum diligentibus, tam præſentibus quam futuris, qualiter quidam venerabiles preſbyteri de caſtello meo quod nominatur Laucidunum, acceſſerint ad præſentiam meam, & ex Dei videlicet amore & devotione conceptum, condiderunt * enim juxta ſuburbium ſupra nominati caſtelli in loco ad id opportuno, in honorem Dei, & glorioſæ ſemper Virginis, & omnium ſanctorum, atque ad Chriſtianæ religionis augmentum, a novo fundare monaſterium, & rebus poſſeſſiuncularum ſuarum, aliorumque fidelium Chriſti, ſpontaneis oblationibus inſtruere, clauſtroque & canonialibus manſionibus adornare, in quibus cum quanto facultas loculi permitteret, aggregato collegio ſecundum canonicæ regulæ inſtituta degere, & Deo omnium creatori deſervire ſatagerent. Ad hoc itaque bonæ voluntatis propoſitum peragendum, poſtularunt a me donare Deo, ſanctæque ejus Genitrici, & omnibus ſanctis, paginam quandam terræ prævisam ad hoc ipſum. Quod ego libenter feci ob amorem Dei, & ſpem ſupernæ retributionis, tali conditione, ſcilicet ipſi conſtituerent id ibidem, Deo auxiliante, conſtructo monaſterio & clauſtro in perpetuum ſocialiter viventes, clerice ſervire Deo ſtudeant, & pro me, meiſque parentibus, qui nos præceſſerunt, quique poſtmodum hanc eleemoſynam conſervantes futuri ſunt, Dei deprecentur clementiam. Itaque agrum illum per illos limites quos præſentialiter ipſe determinavit, Deo & B. Mariæ, & omnibus ſanctis Dei ad ipſum opus, ſicut ſuperius narratum eſt, per præſentis notitiæ conſcriptionem trado. Et de jure meo in jus clericorum ibidem regulariter transfundo ad habendum, & poſſidendum cum omni quiete, & ſoliditate, ſine ulla conſuetudinum exactione. Hoc etiam ad Dominum iſtud ſpontaneo adaugeo, quod quicumque fidelium virorum, vel mulierum beneficia mea tenentium, aliquid de rebus ſuis ibidem Deo in eleemoſynam dare voluerint, habeat licitum, & fiat dominium, ibidem mea authoritate ſubnixum. Ut igitur hujus devotionis tenor in poſteras generationes & veraciter rememoretur, & firmius conſervetur, iſtius cartæ ſubnotationem conſenſi, rogavi, & ſalutiferum ſanctæ Crucis ſignum imprimentes confirmavi, ſed & fidelium meorum manibus ad roborandum obtuli. Actum caſtro Laucidano VI. Kal. Janu. anno ab Incarnatione Domini M. LXII. regnante Philippo Francorum rege anno III. in Dei nomine feliciter. Amen.

Lec. 11. 41.

* ſ. conſtituerunt.

XI.

Litteræ fundationis prioratus S. Nicolai de Caſa.

IN nomine Domini Jeſu Chriſti Salvatoris noſtri. Ego Herbertus Dei nutu, Toarcenſis diſcretiſſimi patris mei Aimerici vicecomitis bono zelo congaudens, imo permotus, exhortante Apoſtolo qui ait: *dum tempus habemus operemur, bonum ad omnes, maxime autem ad domeſticos fidei*; quidquid pater meus ob ſalutem animarum noſtrarum S. Florentio & monachis ejus ubique donavit & conceſſit, ſollicitus & memor iniquitatum mearum itidem donavi & conceſſi. Pater meus itaque vir miræ prudentiæ cœpit ædificare eccleſiam prædictis monachis apud Caſam in honore S. Nicolai, in qua Deo devote & ordinate famularentur, quam multis dotavit bonis, pluribuſque ſe dotaturū promittebat. Sed quia, ut eſt noſtræ naturæ, pater meus neceſſario inevitabili reſiſtere nequivit, ingrediens viam univerſæ carnis, relinquit mihi filio ſuo & hæredi, tanquam David filio ſuo Salomoni, perficere cœptum opus quod affectaverat: adhortans me multis & rationabilibus ſupplicationibus, ut quod Deo & S. Florentio, & monachis ejus voveramus, diligenti ſtudio perficeremus. Nunc igitur cum ſim ejuſdem conditionis, dum licet, dum tempus habemus, ne fiat fuga noſtra hyeme vel Sabbatho, decrevi cum conſilio domini Petri patris noſtri Pictavenſis epiſcopi, & fratris mei Gauzfridi, & optimatum noſtrorum conſecrari prædictam S. Nicolai eccleſiam, & amplius dotare de rebus meis, ſicut pater meus morte præventus ſe facturum promiſerat. Itaque dono & concedo Deo & S. Nicolao, ſanctoque Florentio terram de Crechis, terram Durandi de Greleria, terram Morini cum tota ſilva, terram Guillelmi Belini, ochas meas quæ ſunt apud S. Florentium, feudum quod Raynaldus præfatæ eccleſiæ preſbyter tenebat de Loho, & quod ipſe Loho indonaverat, & conceſſerat in vita ſua, ut eſſet S. Nicolai, Goſlenus de Nois cum ipſis Nois, foreſtarum paſnaticum, vendam, atque pedagium hominum S. Nicolai dominicorum: eccleſiam S. Florentii cum toto preſbyterali feudo, eccleſiam Lemoſinariæ, Giraldum de Tamis meum medietarium. Ad burgum faciendum a porta Caſæ, ſicut via levat ad ſiniſtram, uſque ad Bauras: feudum Petri de Porta, iliud teneat de monachis, quemadmodum tenebat de me, ſi monachi non potuerint ſecum aliud placitum facere. Forum dedicationis eccleſiæ S. Nicolai per totam hebdomadam quietum. Iſta vero quæ ſupradictis monachis concedo, tam liberaliter eis confero, ut nullus ex judiciaria poteſtate ibi cauſa exercendi poteſtatem ingrediatur, nec aliquid imperare audeat. Addo etiam auctoritate & velle totius terræ meæ baronum, quatinus ipſi barones, & omnes diverſorum officiorum meorum procurationem tenentes, fidei ſignaculo promiſerunt in ſingulis annis, in tranſitu S. Nicolai certum cenſum ſeſe reddituros; eo quoque tenore, quod ſi forte aliquo accidente caſu ipſi, vel officiorum meorum miniſtri demutentur, eorumdem ſucceſſores in prædicto termino perſolvant. Ut autem hæc omnia impermutabilia perſiſterent, ego Herbertus & frater meus Gauzfridus, inter nos fidem noſtram in conſpectu prædicti epiſcopi, atque Willelmi Aquitanorum ducis, ac innumerabilium nobilium virorum tam clericorum, quam laïcorum promiſimus, cum ſucceſſoribus baronum præſentialiter regnantium, nullum de feodis illorum placitum obfirmare, donec eodem modo cum ſignaculo fidei prædictum cenſum ſe reddere promittant: ſimili modo de noſtris propriis villicis. Nomina vero eorum qui cenſum promiſerunt, hæc ſunt: Hildegardis uxor domini Hugonis de Leziniaco, pro amore patris ſui Aimerici vicecomitis reddet XX. ſolidos, Mauricius de Monteacuto XX. ſolidos, Ebbo de Parteniaco X.

Gal. 6. 10.

Digitized by Google

solidos, Simon de Aurea-valle x. solid. Hugo de Doc x. sol. Sigebrannus de Passavante x. sol. Aimericus de Argento x. sol. Johannes de Berceurio x. sol. Savaricus filius Tetmari x. sol. Aimericus de Tellio x. sol. Rainaldus de Foresta x. sol. Radulphus de Maloleone avunculus præfati Herberti vicecomitis x. sol. Gauzfridus de * Telfagia frater Herberti vicecomitis x. sol. Willelmus de Castello-muro x. solidos, Mauricius de Pozalgis x. sol. Bertrannus de Exarsis x. sol. Stephanus de Blezis, seu de Bornezello x. sol. Bernardus de Rocha x. sol. Barborinus de Asperomonte x. sol. Goscelinus de Lezay x. sol. Petrus de Guasnachia x. sol. & multi alii. Cum vero ea quæ ab antecessorum consideratione constituuntur, succedente temporum varietate depravari soleant, ego Petrus Pictavensis episcopus facta deliberatione prædictæ ecclesiæ, ante Dominicum altare, priusquam missa celebraretur, prædictos barones vocari præcepi, & in eorum præsentia prædicta concessi, & sigilli mei impressione signari jussi, ipsique de manu mea hoc totum confirmaverunt. Et si hi barones, seu hæredes & successores eorum hoc donum reddere neglexerint, excommunicati sint, & anathematizati usque ad emendationem. Hoc autem actum est apud Casam VII. Idus Decemb. anno ab Incarnat. Domini M. XCVIII. Ind. XI. * regnante Philippo Francorum rege anno XL. Petro Pictavensium episcopo anno XIV. Guillelmo Aquitanorum duce an. XIV. Herberto Toarcensium vicecomite an. VII. Guillelmo abbate S. Florentii anno XXX.

* Tiffuge.

XII.

Litteræ Petri Pictavorum episcopi pro Fonte-Braldensi parthenone.

1108. EGO PETRUS Dei gratia Pictavorum episcopus, quieti sanctæ Ecclesiæ providens, & in ipsa pacem formare, & altercandi occasionem sopire desiderans, ecclesiæ sanctæ Dei-genitricis de Fonte-Heuraudi, quam frater noster Robertus de Herbressello vir religiosus, verbo sanctæ prædicationis deditus, nostro tempore in nostra diœcesi fundavit, dominus b Paschalis apostolicus auctoritate sui privilegii munivit; eaque modo possidet, quæ pro suarum salute animarum subscripti homines sibi dederunt, quiete in perpetuum possidenda sine reclamatione alicujus, vel personæ, vel ecclesiæ concedo & confirmo: scilicet terram in qua ipsa ecclesia fundata est, quam dederunt prædicto Roberto Aremburgis & Adalaidis filia ejus, a terra Berlai quæ supra fontem est, sicut via publica dividit, usque ad secundum molendinum; præterea tantum terræ, quantum quatuor boves possunt excolere in duobus temporibus, & terram quam dederunt præfatæ ecclesiæ Hugo filius Gregorii, & Berlaius de Monsteriolo, & uxores eorum, & filii, a terra Guidonis Osmundi filii, usque ad boscum Milonis de Tuille, & usque ad clausum S. Martini, usque ad terram S. Radegundis: & totum nemus usque ad Ulmum de Maistre; insuper omnes consuetudines quas prædictæ ecclesiæ dedit Gauterius de Monte-Sorelli, quascunque homines hujus loci facturi erant per totam terram de Logiis: concessit & vigeriam, & alias consuetudines quas habebat Gauterius in illa terra, omnes pro amore Dei eidem ecclesiæ dedit, & quidquid homines ipsius Gauterii huic ecclesiæ dare voluerint, salvo suorum militum servitio, & quicunque dabit huic loco terram in silva Borni; dedit eidem ecclesiæ idem Gauterius secretariam suam, & vigeriam suam, & omnes consuetudines suas. Hæc autem huic ecclesiæ data, auctoritate nostra confirmamus, ut in perpetuum quiete possideant: & si quis contra hæc machinari aliquid præsumpserit, anathematis gladio feriatur, & illius machinatio irrita deficiat. Hoc venerabilium canonicorum nostrorum consilio egimus. Sig. Petri Pictavensis episcopi, S. Petri archidiaconi, S. Willelmi archidiaconi, S. Raginaudi succentoris, S. Willelmi magistri scholæ, S. Rainerii archipresbyteri, S. Willelmi Aleelmi, S. Ularii, S. Willelmi, S. Johannis. Data Pictavi in camera anno ab Incarnatione Dom. M. C. VI. Indictione XIV. epacta XIV. papa Paschali, Petro Pictavorum episcopo, Philippo Francorum rege, Willelmo Aquitanorum duce.

a

b

A

B

C

D

E

XIII.

Petrus Pictav. episcopus quasdam Pictavensi capitulo dat ecclesias.

1108. EGO PETRUS Dei gratia Pictavorum episcopus, notum facio omnibus tam futuris quam præsentibus, me dedisse sponsæ meæ sanctæ Pictavensi ecclesiæ, ammonente dilectissimo fratre meo Roberto de Herbressello viro religioso, ecclesiam de Roffiaco * inter Lausdunum & Montem-Sorelli sitam, ac ecclesiam de Senentio inter Anglam & Calviniacum positam, ut eas amodo in perpetuum habeat & possideat; eo tenore, ut nulli meo successori liceat supradictas ecclesias alii ecclesiæ dare, vel aliquo modo donum meum transmutare: quod ut firmum & inviolabile permaneat, præsentis privilegii pagina munivi, & omnem dandi, vel accipiendi, vel transmutandi licentiam, interposito anathematis gladio resecavi. Si tamen forte, quod absit, aliquis episcopus, vel frater ecclesiæ nostræ, ignorantia hujus nostri decreti, aut aliquo alio modo prædictas * ecclesias alii ecclesiæ dare præcipio, constituo, confirmo ut eas habeat ecclesia quam supradictus Robertus in honore sanctæ Dei-Genitricis semperque virginis Mariæ in loco qui Fons-Heuraudi vocatur, Dei opitulante misericordia fundavit. Hoc autem factum est communi consilio venerabilium ecclesiæ nostræ canonicorum, & auctoritate totius synodi generalis confirmatum. Signum Petri episcopi, Aimerici decani, Gaufridi cantoris, Willelmi archidiaconi, Arvei archidiaconi Willelmi archidiac. Rainerii capicerii, Willelmi magistri scholarum, Raginaldi subd. Sig. omnium canonicorum. Data Pictavi anno ab Incarnatione Domini M. C. VIII. Ind. II. epacta XVII. XIII. Cal. Julii, secundo Paschali papa, Petro præsidente cathedræ Pictavorum, Lodovico rege Francorum, Willelmo duce Aquitanorum, in Christo Jesu feliciter. Amen.

* Ruffé.

* *Aliqua videntur deesse.*

XIV.

Variæ donationes factæ S. Maxentio, a Petro episcopo.

Ex chartul. S. Maxentii.

PETRUS D. G. Pictavæ civitatis episcopus sedens in viridario domus suæ in eadem urbe, dedit Deo & S. Maxentio atque abbati Adæ cum consilio Radulfi archidiaconi, & Aimerici decani, ecclesiam S. Martini de Roca, quæ sita distat interstitio unius miliarii contra Occidentem ab oppido Voluria. Quidam autem clericus nomine Achardus, cujus juris & patrimonii ecclesia erat secundum antiquum seculi morem, ibidem coram episcopo confirmavit.

Petrus Pictavensis ecclesiæ episcopus *dedit* B. Adjutori Maxentio ecclesias SS. Laurentii & Sebastiani martyrum, quæ sunt apud Martiacum in ipsa obedientia juxta castrum Callerii, in opus servitorum S. Maxentii atque B. Leodegarii. Hoc donum fecit domno Adæ abbati, & Ademaro obedientiario ejusdem Martiaci, & omnibus aliis fratribus per consilium Simonis canonici, postea Agennensis episcopi, qui tunc erat cum Petro episcopo, & Radulfi archidiaconi, & aliorum clericorum suorum. Postea hoc idem donum firmavit Fontiniaco ad quandam

* In historia characteres istos chronicos emendavimus.

b Cujus in litteris datis hoc an. MCVI. VII. Kal. Maii Ind. XIII. legitur eas concessas fuisse ad petitionem Petri Pictav. ep. de quo hic agimus.

quandam benedictionem Martino monacho præpoſito Martiaci per conſilium Guillelmi Adelelmi poſtea archidiaconi, (adde & epiſcopi) & Conſtantini archipreſbyteri & aliorum clericorum ſuorum tempore Garnerii abbatis.

XV.

Giſlebertus de Loſduno plurima dat monaſterio Abſiæ in manu Guillelmi I. Pict. epiſcopi.

1123. OMnium tam præſentium quam futurorum memoriæ commendetur, quod ego Giſlebertus de Loſduno abbatiæ quæ vocatur Abſia famam audiens, & bonorum quæ in ea fiunt cunctis diebus particeps eſſe deſiderans, laudante & rogante dom. meo Willelmo Pictavorum epiſcopo, dono in eleemoſynam monachis Abſiæ omnes conſuetudines & ſervitia quæ juris mei ſunt, & hæredum meorum in omnibus terris d'Eſcocai, & de Falloſio, quas jam acquiſierunt, & omnes terras in quocumque territorio ſint quas in dominio habent, & ſunt habituri, & quas propriis aratris excoluerint, vel alii in quolibet feodo ab ipſis in capturam tenuerint, ab omnibus conſuetudinibus & ſervitiis mihi & hæredibus meis pertinentibus libertico. Hoc autem donum meum apud Loſdunum feci in eccleſia S. Crucis in manu dicti Willelmi epiſcopi, cujus ſigillo munire præcepi, & Petro abbati Abſiæ conceſſi, ſpirituale tantum mihi & hæredibus meis retinens, quod jamdictus abbas ſicut uni e fratribus libentiſſime conceſſit, & anniverſarium meum in abbatia. Hæc omnia viderunt & audiverunt Goſbertus decanus eccleſiæ Pictavienſis, Arveus archidiaconus, Goffridus cantor, Hilarius cantor, capicer, Laurentius archipreſbyter Loſdunenſis, Radulphus prior Abſiæ, Guillelmus de Loche miles, anno ab Incarn. M. C. XXIII.

XVI.

Charta fundationis eccleſiæ collegiatæ B. Mariæ de Mirabello:

MAURICIUS Dei gratia Pictavenſis epiſcopus &c. Omnibus notum fieri volumus, quod in eccleſia B. Mariæ de Mirabello, ad inſtantiam & ſupplicationem cleri & populi ejuſdem Mirabelli, clericorum convenum & canoniam duximus cum divino auxilio ſtatuendum, ut in eadem eccleſia ad honorem Chriſti & B. Virginis matris ejus, atque omnium ſanctorum Divinæ laudis exequutio laudabiliter augeatur, & ipſa eccleſia per noſtræ ſollicitudinis qualecumque initium, ac ſucceſſorum noſtrorum regimen, necnon & Dei fidelium grata ſubſidia, divino procurante auxilio, meritis beatiſſimæ Virginis ad optandum donante Domino perveniat incrementum. Volentes igitur præſcriptam canoniam in memorata eccleſia B. Mariæ de Mirabello a nobis cum aſſenſu domini terræ, & voluntate, divino intuitu conſtitutam, perpetuis temporibus juxta inſtituta canonica ſtabilem permanere, ad ſuſtentationem canonicorum ibidem Domino ſervientium, ipſam eccleſiam B. Mariæ, & eccleſiam B. Hilarii in eorum caſtro ſtatutam cum omnibus earum pertinentiis, præfatis canonicis donavimus, illas ab omni queſta liberas eis in perpetuum concedentes: quæ videlicet eccleſiæ de Pictavenſis epiſcopi donatione hactenus permanſerunt, canonicos vero, necnon & clericos in eccleſia B. Mariæ jam ſupradictæ Domino ſervientes, ad præſentationem ſuæ perſonæ ſecundum eccleſiarum conſuetudinem conventionalium volumus ordinari. Proventum etiam oblationum, quem etiam in eccleſia B. Andreæ conſuevit habere epiſc. Pictav. dedimus canonicis prætaxatis percipiendum, ſicut hucuſque Pictavenſes epiſcopi ſuſceperunt. Illud nobis & ſucceſſoribus noſtris in eccleſia prætaxata, auctoritatis atque dignitatis retinuimus, quod noſtrum erit & ſucceſſorum noſtrorum, unum ſcilicet de canonicis ejuſdem eccleſiæ in perſonam conſtituere qui caput ſit capituli, & in ipſa eccleſia ſupremum habeat perſonatum. Prætaxatos quoque canonicos ab omni procurationis executione immunes, & liberos ſtatuimus; ita tamen quod ipſi canonici nobis & ſucceſſoribus noſtris triginta ſolidos Andegavenſis monetæ, de ipſis eccleſiis, annis perſolvant ſingulis cenſuales. Statuimus igitur ut præſcriptam canoniam a nobis rationabiliter & canonice inſtitutam, ſeu donationes & conſtitutiones ſæpe dictis canonicis ab eiſdem a nobis, & ab aliis factas, nulli audeant infringere, vel temeritate qualibet violare, decementes præſumptores quoſlibet anathemati ſubjacere.

XVII.

Bulla Innocentii papæ III. fundationem dictæ collegiatæ eccleſiæ de Mirabello confirmantis.

INNOCENTIUS epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis & canonicis B. Mariæ de Mirabello ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Cum a nobis petitur quod juſtum & honeſtum, tam vigor æquitatis quam ordo exigit rationis, ut id per ſollicitudinem officii noſtri ad debitum perducatur officium. Quapropter, dilecti in Domino filii, veſtris juſtis precibus grato concurrentes aſſenſu, perſonas veſtras & eccleſiam ipſam B. Mariæ de Mirabello, in qua eſtis per venerabilem fratrem noſtrum Mauricium Pictavenſem epiſcopum diœceſanum conſtituti, canonice in omnibus pertinentiis ſuis, & aliis bonis, prout inpræſentiarum rationabiliter poſſidet, aut in futurum juſtis modis Deo propitio poterit adipiſci, ſub B. Petri & noſtra protectione ſuſcepimus. Propterea de donatione ejuſdem epiſcopi eccleſiam ipſam, & eccleſiam S. Hilarii de Mirabello, & oblationes S. Andreæ & ejuſdem caſtri, quas idem epiſcopus percipere in certis feſtivitatibus conſuevit, cum poſſeſſionibus & proventibus aliis, quos tam per ipſius epiſcopi quam fidelium largitionem eſtis adepti, necnon libertates & immunitates ab eodem epiſcopo vobis & eccleſiæ veſtræ conceſſas, ſicut in ejuſdem ſcripto authentico plenius continetur, & vos & ea omnia quæ juſte & pacifice poſſidetis, vobis & per vos eidem eccleſiæ, auctoritate apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat &c. Anagniæ III. nonas Octobris, noſtri pontificatus IV. 1209.

XVIII.

Philippus decanus Pictavenſis dat fratribus Prædicatoribus eccleſiam S. Chriſtophori.

Ex arch. Fr. Præd. Pictav.

OMnibus Chriſti fidelibus præſentes litteras inſpecturis Philippus humilis decanus eccleſiæ Pictavienſis ſalutem in auctore ſalutis. Ad univerſorum notitiam præſentis ſcripti teſtimonio volumus pervenire quod nos ad quem jus patronatus eccleſiæ S. Chriſtophori Pictavienſis pertinebat, de conſenſu & approbatione domini Willelmi, tunc temporis epiſcopi, & totius capituli Pictavienſis, dedimus & conceſſimus fratribus de ordine Prædicatorum S. Jacobi Pariſienſis, ipſam eccleſiam S. Chriſtophori cum trilia & platea, & tota illius loci amplitudine circumquaque ad ipſam eccleſiam pertinente, onere tamen parochiali cum reditibus ejuſdem eccleſiæ ad eccleſiam B. Mariæ minoris ante aulam regiam tranſlatis, & de hoc inveſtivimus fratrem Guillelmum tunc temporis priorem fratrum Prædicatorum ibidem commorantium; id eis cum omni immunitate liberaliter concedentes, ſalva tamen & retenta domno epiſcopo, & nobis, & eccleſiæ Pictavienſi humili reverentia & obedientia prioris & fratrum ipſorum, cum ſubjectione debita & devota. Quæ ut prædicta perpetuæ ſtabilitatis majorem obtineant firmitatem, præſentem paginam ſigillo venerabilis

patris noſtri Guillelmi epiſcopi, & capituli Pictavienſis, & noſtro fecimus roborari.

XIX.

Philippus epiſc. quandam vineam dat fratribus Prædicatoribus.

1222. PHILIPPUS Dei gratia epiſcopus Pictavienſis univerſis Chriſti fidelibus præſentes litteras inſpecturis, ſalutem in Domino. Univerſitati veſtræ ſub teſtimonio præſentium innoteſcat, quod nos vineam de Viſcana cum pertinentiis ſuis, quam Richardus quondam illuſtris rex Angliæ A. Therberti clerico ſuo nepoti domini Philippi quondam epiſcopi Dunelmenſis contulit, ita quod poſſet eam dare, vendere, vel quocunque modo alienare, ſicut ipſius Regis litteræ plenius teſtantur, ob ſalutem animarum illorum dictorum A. Therberti, & domini epiſcopi avunculi ſui, necnon & Guillelmi Therberti fratris ejuſdem, de voluntate & aſſenſu eorumdem fratrum in eleemoſynam contulimus fratribus ordinis Prædicatorum Pictavienſium commorantibus, prope quorum manſiones vinea prædicta ſita eſt, ut ipſi præfatam vineam perpetuo habeant & pacifice poſſideant. Actum Pictavii anno Verbi incarnati M. CC. XXII. pridie nonas Auguſti.

1231. Idem Philippus miſeratione Divina eccleſiæ Pictavienſis miniſter humilis, de propriis ſumptibus conſtruxit domum juxta eccleſiam fratrum Prædicatorum Pictavienſium in ſolo ipſorum, ob gratiam & amorem quem erga illos & eorum ordinem gerebat, & iſtam domum eiſdem poſt obitum ſuum conceſſit. Actum Pict. vigilia S. Georgii anno Dom. M. CC. XXX. primo.

XX.

Epiſtola Nicolai papæ III. ad Francorum regem, de Galtero ad epiſcopatum Pictavenſem promoto.

1278. NICOLAUS epiſcopus, D. cariſſ. in Chriſto regi Francorum illuſtri ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Divinæ gratia majeſtatis acquiritur, ſi miniſtris ejus, & his præcipue qui pontificali ſunt præditi dignitate condignus honor impenditur, & favor neceſſarius exhibetur. Sane dudum Pictavenſis eccleſia paſtoris ſolatio deſtituta, capitulum ipſius eccleſiæ duas electiones, unam videlicet de Radulfo decano, reliquam vero de Johanne capicerio ejuſdem eccleſiæ in diſcordia celebrarunt. Negotio igitur electionum earumdem per appellationem ad Sedem apoſtolicam devoluto, poſt multos & varios proceſſus apud ſedem habitos in eodem: idem decanus & capicerius omne jus quod eis ex electionibus hujuſmodi competebat, ſponte ac libere in noſtris manibus reſignarunt. Nos autem paterna volentes ſollicitudine præcavere ne dicta eccleſia diſpendia * prolixæ vacationis incurreret, & ad perſonam venerabilis fratris noſtri Gualteri epiſcopi Pictav. quem odor famæ nobis reddit acceptum, cum habeatur vir vitæ laudabilis, litterarum ſcientia præditus, diſcretionis maturitate conſpicuus, præclaris meritis, & alias in ſpiritualibus & temporalibus circumſpectus, aciem mentis noſtræ convertimus, ac ſperantes quod eandem Pictavenſem eccleſiam ſalubri, dante Domino, regimine gubernabit, ipſaque utilis præſidio munita paſtoris, optatis affluet incrementis. Ipſum tunc miniſtrum ordinis fratrum Minorum in Francia, prædictæ Pictavenſis eccleſiæ, de fratrum noſtrorum conſilio, & apoſtolicæ plenitudine poteſtatis in epiſcopum præfecimus & paſtorem, ſibique munus conſecrationis noſtris manibus duximus impendendum. Rogamus itaque ſerenitatem Regiam, & hortamur attente, quatenus te præfato epiſcopo pro Divina & apoſtolicæ ſedis reverentia reddens affectu benevolum, & opere gratioſum, ejuſdem eccleſiæ jura quantum in te fuerit benigno favore protegas & defendas; ita quod idem epiſcopus in exequenda ſollicitudine ſibi tradita poſſit proſperari facilius, & nos celſitudinem regiam dignius inde laudum præconiis attollamus. Datum Romæ apud S. Petrum, pontificatus anno II.

* prolixioris.

XXI.

Teſtimonium de magno miraculo facto ad tumulum Galterii Pictavorum epiſcopi.

PRæſentes litteras inſpecturis ſalutem. Noveritis quod in præſentia venerabilis & diſcreti viri domini Raimundi archipreſbyteri de Loduno *, ego Johannes Amandi preſbyter canonicus ſecularis eccleſiæ ſanctæ Crucis de Loduno, diœceſis Pictavienſis, fateor, & in veritate recognoſco me audiviſſe a quodam ſcutifero bonæ memoriæ Clementis papæ V. quod ipſe vidit, & præſens fuit quando is domnus papa Clemens intempeſtivæ noctis ſilentio, ſeu de nocte, fecit aperire tumulum fratris Galteri quondam epiſcopi Pictavienſis, pro eo quod audiverat dici quod is frater Galterius appellaverat ab eodem, & quod habebat appellationem in manu, petierat ibi poni poſt mortem, tempore quo vivebat, & quod vidit is ſcutifer, & præſens fuit cum de mandato dicti domni papæ Clementis V. archidiaconus deſcendit in dictum tumulum ſic apertum, & invenit appellationem in manu dicti fratris Galteri, ſed eam non potuit eripere nec habere de manu tenentis eam, donec de mandato prædicti domni papæ, is archidiaconus prædicto fratri Galtero eam ſibi reddere ſub aſſeverationis certitudine repromiſit. Quo facto, manum laxavit dictus Galterus, & eam accepit archidiaconus, & tradidit domno papæ; & cum vellet exire idem archidiaconus tumulo antedicto, non potuit, aſſerens ſe detentum; nec potuit, donec appellationem ſibi redderet, & in manu poſuit, ut promiſit. Qua appellatione reſtituta, ut promiſerat, de tumulo facile & leviter exivit. Hæc in verbo ſacerdotis me aſſero a ſcutifero audiviſſe, aſſerente mihi per juramentum ſuum præmiſſa omnia eſſe vera. Datum anno M. CCC. XXIX.

1329. * Lugduno.

XXII.

Ex archivis fratrum Minorum conventus S. Catharinæ Pictavienſis.

FRater Galterus epiſcopus Pictavenſis ſuum condidit teſtamentum, de poteſtate ſibi facta a Bonifacio VIII. & Honorio IV. ſummis pontificibus, datum in domibus fratrum Minorum de ſancto Maxentio dioc. Pictav. an. Dom. M. CCC. IV. Benedicti papæ XI. anno primo, die Jovis poſt feſtum SS. Jacobi & Chriſtophori. Omnia ſua partitur ſuo ſucceſſori, ſuis fratribus provinciæ Turoniæ, & pauperibus. In quo teſtamento dicit pius antiſtes regem Francorum ab anno 1286. ad 1290. recepiſſe fructus menſæ epiſcopalis, ejuſdemque Regis ſeneſcallos fregiſſe portas, areas, & cluſuras domorum epiſcopalium, & bona violenter rapuiſſe, regalium capite ac ductore Ægidio de Aula clerico.

In tumulo Galteri Pictavenſis epiſcopi legebantur olim verſus ſequentes; ex vetuſto codice FF. Minorum.

Frater Galterus, qui doctor Theologiæ,
Qui tam ſeverus vitiis, qui gemma ſophiæ,
Qui ſpeculum morum fuerat, terrorque malorum,
Hunc decorare chorum meruit, decor ipſe Minorum,
Qui pugil Eccleſiæ fuerat, poſt geſta valoris,
Ut decet, in requie fruitur mercede laboris:
Clara patris merita multis patrocinia præſtant,
Publica, quod ſit ita, miracula jam manifeſtant.

Digitized by Google

Ad caput ſepulcri hæc erant ſcripta.

Pontifex Galterus,
Dei cultor verus,
Vitæ ſuæ termino
Quievit in Domino
Menſe Januarii
Pridie Vincentii
Anno trecenteſimo
Sexto cum milleſimo:
Oret pro lætantibus
Ut ſint cum celeſtibus.

Hoc ſepulcrum erat in medio chori fratrum Minorum; nunc ejus veneranda oſſa adſervantur in capſa lignea in medio majoris altaris repoſita. Beatum epiſcopum haud incaſſum invocant epileptici; dicitur ejus feſtum celebrari apud Minores Brugenſes.

XXIII.

*Alboinus Pictavorum epiſcopus, erga reſtauratum à Froterio * epiſcopo S. Cypriani monaſterium ſe benevolum exhibet.*

* *Vide ipſius chartam in Hiſtoriæ Pictav. num. IV.*

EGO ALBOINUS Pictavenſium urbis epiſcopus, cum pleriſque notum eſſe cernitur, benevolum me ad monaſterium aliquod nuncupante S. Cypriano, ubi ipſe glorioſus corpore quieſcit, & eſt in proſpectu Pictavis civitatis ſuper alveum Clini, quem venerabilis vir Frotherius nomine & præſul ſanctæ Pictavenſis eccleſiæ anteceſſor meus, olim mirifico opere conſtruxit, ibique monachorum agmina inſtituit, & de rebus S. Petri ad ipſam abbatiam pertinentibus, quam etiam ditavit de ſua propria hæreditate; unde prope his diebus *&c. ut apud Beſlium, epiſc. Pictavenſ. cum emendationibus ſequentibus.*

Pag. 44. lin. 21. ſicut antiquus, *lege*, ſicuti mos antiquitus.

lin. 25. Sacuiniæ, *lege* Salvinſe.

lin. 26. Jociaco, *lege* Potiaco. Mancile, *lege* manſile.

Pag. 45. lin. 2. dele ſeu quantumcumque. *lin. 6.* Sutrinus, *lege* Sutrini. lin. *7. pone punctum poſt* poſſidere. *lin. 13.* ſupradictam, *lege* ſupradicti hereditas. *lin. 16. deeſt* vicaria. *Ibidem* vindopunt, *lege* vindopere.

Pag. 46. lin. 20. conjunctæ, *lege* conjuncti. *lin. 21.* conſtitutæ, *lege* conſtituti.
S. Alboini epiſcopi.

Pag. 47. Helias levita... Walterius decanus.... Willelmus levita. Rainaldus levita. Indelgarius preſb. Rodricus levita. Hugo levita.

Hæc menda correximus ad codicem manu exaratum. Alias chartas commemorare non licet, quarum tanta eſt copia in S. Cypriani tabulario, ut ex ipſis compacta hujus monaſterii domeſtica hiſtoria quam penes nos habemus, plures tomos contineat.

XXIV.

Varia excerpta ex S. Maxentii tabulis.

ANNO M. XLI. nobilis homo nomine Gauterius terras S. Maxentii prædavit, villaſque vaſtavit. Sed pœnitentia ductus, dedit monaſterio eccleſiam ſanctæ Arediæ *, in loco qui dicitur Senſciacus ſuper flumen qui dicitur Severa, ſuper quod conſtructum caſtrum qui vocatur Mota; itaut in eadem eccleſia altare beati Maxentii conſtruatur, ibidem quoque Deo famulantibus monachis ex præfato cœnobio omnis conſuetudo ſit relaxata, ſcilicet vicaria vel decimæ quæ de illorum terris illic adjacentibus exire debuerant, ſine ulla dominatione terrena ſit illis donata. Donatio autem iſtius eccleſiæ talis eſt, ſcilicet baptiſterium,

* La Motte ſainte Heraye, *in archipreſbyteratu Exodunenſi.*

A confeſſiones, proferentia, & tota ſepultura, & omne quod in eccleſia venerit, & in circuitu eccleſiæ tantum de terra ubi officinæ monachorum conſtruantur &c. Hæc autem omnia facta ſunt per licentiam epiſcopi qui tunc temporis ſuperſtes degebat in epiſcopatu Pictavenſi, videlicet Iſemberti, ad cujus dioceſim pertinet ipſa eccleſia; & per conſenſum Maingoti de Metulo ac filiorum ejus, qui ipſam eccleſiam donavit fideli ſuo Gauterio.

Poſt ſubſcriptionem Gauterii, ejuſque uxoris, fratris, ac filiorum, & filiæ ejuſdem Luviæ ſequuntur ſigna Maingoti, Albuini majoris de Mota, Iſemberti epiſcopi; Willelmi comitis, Agnetis comitiſſæ, Manaſſes fratris epiſcopi, & Iſemberti filii ejus; domni Archimbaudi abbatis, & plurium monachorum, Uberti prioris Malliacenſis, Rainaldi de Lezigniaco, Joſcelmi B *preſbyteri, Guillelmi cantoris, Conſtantini de Metulo, &c.*

Anno XX. poſt tranſitum domni Rotberti regis, regnum Francorum filius ejus Ainricus ſuſcepit regendum. In pago vero Pictavenſi dominari contigit domnum Willelmum ducem cum ſuo germano Goffredo, necnon illorum genitricem Agnen comitiſſam. Illis autem in temporibus quidam bonæ indolis Archimbaldus abbas vocitatus, cœnobium B. Maxentii Adjutoris procurandum ſuſcepit. Qui illum magnis opibus ditavit, atque in omnibus rebus Deo ſe devotum exhibuit, &c. petiit duos colliberros Petri Fortis, qui & ei conceſſi fuere. Huic donationi ſubſcribunt Willelmus dux, Goffredus ejus frater, Agnen comitiſſa, Hiſembertus epiſcopus.

C Domnus Archimbaudus Burdegalenſis civitatis archiepiſcopus electus, locumque S. Maxentii ſtrenue gubernans, obtinuit a Willelmo Aquitanorum duce, qui ſuperaverat Heliam militem, tunc temporis in caſtello de Vulvent dominatum tenentem, & proprium domicilium relinquere coëgerat; obtinuit, inquam, ut tollerentur malæ conſuetudines apud Marciacum, terraſque de Argenteriis, de Linalibus, &c. deditque Duci unum equum valentem D. ſolidos, & inſuper CCC. ſol. nummorum. Quinto die ante natale Domini regnante Henrico, Iſemberto Pictavenſi præſule, atque archiepiſcopo Archimbaudo utriuſque ordinis inſula præeminente. *Subſcribunt Willelmus dux, ejuſque uxor Ermenſendis, Agnes comitiſſa, Iſembertus epiſcopus, archiepiſcopus Archimbaudus, Rainaldus prior cum monachis quinque.*

D *Hoc inſtrumentum reperitur apud Beſlium comit. Pict. & apud Gall. Chriſt. tom. I. p. 203. cui ſubjungendum eſt ſequens in archiepiſc. Burdegalenſibus.*

..... erat ſancto Maxentio quædam eccleſia in honore S. Radegundis cum parochia ſua; ſed oriente permixtione terræ fugati ſunt omnes habitatores eccleſiæ. Ruſtici enim relinquentes eccleſiam, venerunt habitare in ſilva Volvenſis *, nolentes illuc amplius redire. Quod cernens Archimbaudus archiepiſcopus qui ejuſdem monaſterii regimen tenebat, petiit comitem dari ſibi ex eadem ſilva ubi fabricaretur eccleſia; qui ejus petitionem non renuens, ei junctum ſilvæ ejuſdem dedit, & eccleſia illic fabricata eſt in honore S. Maxentii ipſo annuente. Ipſe autem comes hanc cartulam firmavit & manu propria ſuper aram S. Maxentii poſuit. S. Widoni comitis. S. archiepiſcopi Archimbaudi. S. Iſemberti epiſcopi Pictavis. S. Fulconi comitis Engoliſmenſis, &c. Data menſe Aprilis anno ab Incarnat. Domini M. LIX. regnante Henrico Francorum rege.

* Voulvent.

Præſidente Philippo rege in regimine Francorum, & obtinente Widone duce Gallorum fines, atque dominante archiepiſcopo Archimbaudo abbatiam S. Maxentii, adepto ſacerdotii gradu Iſemberto epiſcopo Pictavienſis eccleſiæ, accidit quidam caſus in villa quæ vocatur Marciacus, quod quidam miles, Ugo videlicet nomine, inſurgente ira aggreſſus eſt quendam hominem ſupradicti ſancti, occiditque eum. Quapropter tranſacto unius anni ſpatio recognoſcens contra

locum & ſeniores male egiſſe, deprecatus eſt eos ſuppliciter convocatos in capitulo veniam ſibi dari pro iſtius facti crimine, ſpondenſque ſe gratanter derelicturum feodum patris ſui quod obtinebat per donum abbatis *(a la Bigotere)* &c. Ergo ſeniores accepto conſilio, petitioni ejus adquieverunt, & ut ſuppliciter poſtulaverat, data caritate ei conceſſerunt. S. Ugonis. S. Widoni prioris. S. Gerberti monachi. S. Petri monachi. S. Winemari monachi. S. Warini monachi. S. Benedicti monachi. S. Willelmi pueri. S. Focaldi pueri. S. Widoni comitis. &c.

Anno ab Incarn. Domini M. LXXV. apoſtolicæ ſedi præſidente Gregorio, regnante Philippo rege, Aquitaniæ Guidone ducatum tenente, Iſemberto epiſcopo Pictavæ civitatis reſidente, cœnobii S. Adjutoris Maxentii domno Benedicto abbate curam paſtoralem gerente, venit quidam laïcus Rainaldus Bernerius nomine, habitum ſanctæ religionis accipiens, fecitque donationem ſupradicto S. Maxentio ex propriis rebus quæ ei jure ſucceſſerant, ſcilicet alodum qui eſt ſitus in villa quæ vocatur Tremunt, flagitans indulgentiam ſuorum criminum. Hanc ergo donationem firmaverunt duo filii ejus Petrus atque Rainaldus ejus rogatu; inſuper ſocietatem loci acceperunt, &c. S. domni Benedicti abbatis. S. Rainaldi monachi. S. Girberti monachi. S. Willelmi monachi qui ei habitum monachi tradidit. S. Ademari ceterorumque fratrum. S. Benedicti ſacerdotis. S. Radulfi Gros. S. Archembaldi.

Mirum cur Willelmus monachus, & non potius abbas Benedictus Benedictinum habitū ad converſionem venienti tradiderit. In alia charta S. Maxentii anni M. C. XI. Indict. IV. regnante Paſchali papa, Ludovico in Francia, Guillelmo comite impugnante, *legitur quod Arnaldus monachus Bernardum ad monachum recepit.*

Succeſſorum memoriæ notificare curavit antiquitas, quod eccleſia ſancti Leodegarii proprii juris ſit eccleſiæ ſancti Maxentii, prope quam conſtructa eſt. Hanc antiquitus ſeculares abbates tradiderunt quatuor ſecularibus clericis qui male ſe erga Deum habebant, & eandem eccleſiam ſuo pigro officio impeditam tenebant. Unde accidit quod domnus abba Adam & monachi ſui videntes multimodum ſuæ eccleſiæ dampnum, noluerunt illos clericos inevitabili ſorte defunctos ultetius in eadem eccleſia propagare, ſed juſſu atque conſilio Petri Pictavenſis ſedis epiſcopi, & Radulfi archidiaconi, vel Aimerici decani, ſeu Garnerii clericorum ſanctæ Mariæ abbatis, ſive Stephani Sicci, ipſam eccleſiam antiquo errore liberatam, in propriam ſibi retinuerunt, taliter ut divinum officium, ſicut ab antiquis conſtitutum eſt, in ea fieret; ſcilicet matutinæ cum miſſa matutinali tantum, & in diebus Dominicis intra eccleſiam humili cantu celerique proceſſio fiat, & veſpere. Hæc autem eccleſia nullam habet parœchiam, ſed quod monaſterium non capit, iſta ſuſcipit. Anno ab Incarnatione Domini M. LXXXVIII. regnantibus Philippo rege in Francia, Guillelmo tunc infante & ſeptemdecimum annum habente, duce in Aquitania.

Anno ab Incarnatione Domini M. C. V. epacta XXII. Indictione XII. papa Paſcali, Philippo rege Francorum, Petro epiſcopo Pictavorum, Willelmo duce Aquitanorum, Ugo de Leziniaco fecit placitum cum abbate & monachis S. Maxentii, cui ſubſcribunt viri inſignes, ſcilicet Leodegarius Bituricenſis archiepiſcopus, Willelmus Aquitanorum dux, Petrus epiſcopus, Aimericus decanus, Herveus archidiaconus, Petrus archidiaconus, Marquerius abbas Novi-monaſterii, Garnerius abbas S. Mariæ, Willelmus magiſter ſcholarum, Henricus abbas S. Johannis Ingeriaci, Baudricus abbas Burgulienſis, Rotbertus de Arbriſſello, Hugo de Duerio, & Giſlebertus dapifer.

Sequenti anno idem Ugo vetulus, & filius ejus Rotgo venientes in capitulo B. Maxentii & cum iſto libro, placitum hoc firmaverunt in manu domni Garnerii abbatis, vidente ipſo epiſcopo domno Petro, & Marquerio abbate, & ceteris ducentis aliis tam clericis quam laïcis; & promiſit ſe omnem terram S. Maxentii ſervaturum & defenſurum ab omnibus quibus potuerit, & hoc amore Dei, &c.

XXV.

De concilio Pictavenſi anni 1104. & placito ibidem habito pro S. Maxentio.

Extabulario Angeriacenſi.

POſt Pictavenſe concilium celebratum anno M.C.IV. Willelmus prior S. Johannis Angeriacenſis, & Goffredus monachus de Neriaco, & Ramnulphus archipreſbyter, in capitulo S. Maxentii conceſſionem placiti in præfato concilio facti pro Mareſtaſio acceperunt ab abbate Garnerio, ejuſque priore Lamberto, & omni conventu, die decollationis S. J. Baptiſtæ. His ita geſtis venerunt ipſe abbas Garnerius & ſupprior ejus Archimbaldus, Willelmus quoque & Beraldus ejus monachi, in capitulum S. Johannis & in conſpectu Ramnulfi Santonenſis egregii epiſcopi, & abbatis Fulcherii Talniacenſis, atque Godefredi abbatis Baciacenſis; archidiaconorum quoque Petri atque Amalvini, necnon Ramnulfi archipreſbyteri & monachorum totius collegii, conceſſerunt iterum hoc placitum quod jam conceſſerant in capitulo apud ſanctum Maxentium. Factum eſt autem hoc placitum anno ab Incarnatione Domini M. C. IV. Luna XV. Indictione XI. *(ſeu potius XII. ut emendat Mabillon. annal. tom. V. pag. 480.)* Paſchali papa Romanæ Eccleſiæ præſidente, Ramnulfo epiſcopo eccleſiam Santonenſem viriliter gubernante, Philippo rege Gallicani regni apicem regente.

1104.

XXVI.

Goffridus abbas pro monaſterii S. Maxentii intra paucos annos ter incenſi reparatione ſollicitudinem gerit.

EGO GOFFREDUS abba S. Adjutoris Maxentii volo ut ſciant omnes præſentes & futuri convenientiam & dona * quod feci cum Conſtantino, cognomento Enforce, compulſus magna neceſſitate. Tractavimus namque ego & prior ſæpius de monaſterio cum omnibus officinis noviter incenſo, cum conſilio fratrum nobiſcum devote ſervientium S. Adjutori Maxentio, qualiter cooperirentur ne perirent. Tandem concordavimus, & præſidente me in capitulo ante portam S. Mariæ cum omnibus fratribus, dedimus ei benigne ſicut quæſierat duos panes & duas juſtas plenas de vino, & de pane, ex quibus habuerint & refecerint ipſi fratres quotidie in refectorio, &c. Hoc autem non pro aliqua neceſſitate & cupiditate, ut ſuperius dictum eſt, niſi pro monaſterio perficiendo & cooperiendo, quod judicio & pro peccatis noſtris ſicut alia villa erat igne conflagrata, & tertia vice infra XXX. & unum annos erat ita incenſum & deſtructum ut antequam perficeretur, ignis ſuperveniens arderet; tantaque penuria & anxietas incumbebat, ut non aliter niſi de ornamentis eccleſiæ, quæ valde erant parva, ſecundum honorem & antiquitatem loci noſtri, non potuiſſet reſtaurari. Ipſe vero pro tanto beneficio XL. marchas de argento dedit S. Adjutori Maxentio, & convenit & promiſit ſe in perpetuum cariſſimum amicum & filium noſtræ eccleſiæ, & filium ſuum Guillelmum hominem proprium fore habiturum &c. Intrante * XL. menſe Febroario facta eſt hæc charta anno ab Incarnatione Domini M. C. XIV. Indict. VII. regnante Guillelmo juniore comite in Aquitania.

1114.

* quæ.

Anno 1052. habetur in chron. Maliacenſi. Vide Mabillon. annal. tom. V. pag. 182. & 597.

* hoc eſt, incipiente Quadrageſima.

Digitized by Google

XXVII.

Litteræ Atonis Santonum epiſcopi pro Nobiliaco apud Piclones.

Circa 871.

PERVIGIL paſtor curam gerat de ſuis creditis ovibus, ne lupus ille fraudulus, qui ſemper rapiendi paratus eſt callidus inveniendi locum, nequeat, nec de manu paſtoris vexare ovem valeat, ut ait Salvator: *Joh. 10. 11.* *Paſtor bonus ſuam ponit pro ovibus animam.* Et Gregorius; *Homil. 14. in Evang. col. 1464.* *Qui non dat ſuam pro ovibus ſubſtantiam, quomodo pro his daturus eſt animam?* Igitur in Dei nomen ego ATO humilis, & ſervus ſervorum Dei ultimus, pontifex urbis Santonicæ ſancti Petri eccleſiæ ſenioris canonicæ, necnon & rector monaſterii ſancti Hilarii *, ſitum prope Pictavis, ubi ipſe ſanctiſſimus humatus eſſe videtur, monente ſummum catholicum domnum regem Carolum glorioſum, ut unuſquiſque paſtor curam gerat ſuper gregem ſibi commiſſum vigilanti animo, notumque eſt magnifico nobile domno Hlodoico rege, & ſuis optimatis & viris catholicis, quod aliquod monaſterium, cujus vocabulum eſt Nobiliacus, ubi a nobis pater ibidem præeſſe videtur Hermentarius ſacerdos, de ratione ſancti Hilarii, & in ſuo ſancto nomine editum, ſitumque in loco quieto, & valde congruum ad habitandos monachos, ipſum renovavimus, & monachos ibidem inſtituimus, ad mercedem cumulandam dominorum regum & noſtram. Locella quæ a longo tempore ex ipſo fuerant ablata, propter neceſſitates monachorum & pauperum ſupplendas, necnon & noſtra facinora abluenda, reddendo conjunximus vel adhærere fecimus, quarum ſunt vocabula: una qui dicitur Joüarinna *, & eſt inter Alona & Alveum Eludæ, & alia Colnago, qui eſt in Briolenſe pago. Humili prece depoſco omnipotenti Domino, ut ſemper bona dignetur augere ſuis ibidem ſervientes famulis. Ex intimo corde & promto animo univerſos, ſucceſſoreſque noſtros firmiter conjuro, & per Trinitatem inſeparabilem conſtringo, ut ſupradicta locella, vel alias ad ipſum monaſterium a viris catholicis allatas nunquam audeant abſtrahere, ſed ſemper ſint adjunctas vel adunatas ad alendam gregem ibidem congregatam. Si quid præ temeritate aliquis auſus fuerit abſtollere, damnandum ſe ſciat a Domino in profundum infernum. Et ut hæc carta firmiorem habeat vigorem, manu noſtra propria ſubterfirmavi, & confratres noſtros vel nobiles viros poſt nos ad roborandum decrevimus.

* *Damus cartam ut eſt in autographo.*

* *Jouarenc.*

Et ego Hermenbertus * ac ſi indignus ſacerdos & monachus, una cum meis fratribus pariter libentiſſimo animo promiſimus ad præfato pontifice domno Atone nobile, paſtorique noſtro piiſſimo, & dummodo advivimus per ſingulos dies propria miſſa per eum celebrare debeamus & ad omnes curſos Pſalmum unum in oratione decantare faciamus. Unde & ſucceſſoribus noſtris qui poſt nos in ipſum monaſterium venturi erunt, conteſtare præſumimus, ut hæc ſupradicta domno Atone promiſſa nunquam fiat dimiſſa, ſed inceſſanter pro ſalute animæ ejus ſemper ſit adimpleta.

* *Hermentarius.*

S. ego Ato indignus epiſcopus Sanctonicæ urbis eccleſiæ, hanc conjunctionem libentiſſimo animo fieri vel adfirmare rogavi.

Bodoſindus ac ſi indignus preſbyter ſeu cuſtos ſepulchri ſancti Hilarii, jubente piiſſimo pontifice domno Atone. Arnülphus, Aigobertus preſbyter, Frotbertus, Lonnaldus ..... Florentius, Ibbo, Abbo, Berdenus diaconus, Ragadeus preſbyter, Dodo clericus, Madalfredus, Ingobertus, Abbo clericus, Gundolaïcus, Aldebertus.

Data in anno XXXI. regnante domno Karolo rege in menſe Martio ..... Bertramnus ſcripſit.

XXVIII.

Charta Ludovici regis Aquitaniæ, qui poſtea pius dictus eſt, pro Nobiliaco.

Chartam damus ut eſt in autographo.

793.

HLODOICUS Dei gratia rex Aquitanorum in Chriſti nomine. Nobis rectum videtur ut quodcumque eccleſiaſtici viri catholici, & Dei ſacerdotes, clerici, & pauperes ad noſtram petent clementiam, eis regalis poteſtas tuitionem impertiat, qui fideliter ad noſtram deſiderant pertingere magnificentiam, & Chriſto auſpici ſine dubio plenius credimus Divina miſericordia nobis exaudire, ſi petitionibus ſacerdotum placitis auribus obaudimus, & ea quæ recta popoſcerint ad effectum perducimus. Denique oſtenſum eſt in conſpectu noſtro per magnifico viro & parente noſtro Atone diacono atque abbate ſtatuta quam ipſi ex ore glorioſiſſimi & genitoris mei regis Caroli ſummumque catholicum ſumſit, qualiter cellola cujus vocabulum eſt Novaliacus, de ratione S. Hilarii ſita in loco quieto, & valde congruo ad habitationem ſervorum Dei, & pauperum, juxta poſſibilitate loci illius monachos qui ſecundum regulam S. Benedicti degere deberent inſtituit, & venerabilis vir jam memoratus domnus Ato abba parens noſter fideliſſimus Domino & genitore meo, & noſter nobis ſubtiliter ſuggeſſit, ut ipſa cella vel reicula, quas ipſe ibidem detulit, necnon & hoc quod Hermenbertus ſacerdos & rector ipſius cellolæ ibidem confirmavit, & illas conjunctiones quas anteriori pontifici Pictavienſis, quem nos recognovimus Anſaldus, Ebaſius & Groſbertus * ad ipſam cellam detulerunt, vel Deum timentes & viri catholici in antea conferre voluerint, per noſtram munificentiam ſemper ſit conjunctum, & numquam ſit interruptum. Præcipiendo præcipimus univerſis fidelibus noſtris epiſcopis, abbatibus, ducibus, comitibus, vicariis, centenariis, telonariis vel omnibus miſſis noſtris diſcurrentibus, ſeu qui curam publicam & privatam habere noſcuntur, ut in reculas præfatæ cellolæ, vel homines eorum ubique commanentibus, qui ibidem recte aſpiciunt nullo unquam tempore ad cauſas audiendas vel freda undique exigenda, ſeu manſiones requirendas, ingredi non præſumant, ſed pro integra firmitate petiit memoratus domnus Ato abba ſuique monachi, ut circa ipſa cella domini per noſtram auctoritatem in omnibus confirmare deberemus, quod pia reverentia domini & patroni noſtri beatiſſimi Hilarii benigniſſimo animo illud præſtitiſſe & confirmaſſe comperiet; & quicquid exinde fiſcus noſter augmentare potuerit inſpectam noſtram firmitatem, ſicut per emunitates anteriorum regum declaratum fuiſſe indulto tam de ipſas res quæ præſenti tempore ad ipſa Caſæ-Dei legitime obtingunt, quam & de eas quæ a Dominum timentibus hominibus ibidem in antea fuerit condonatum, in luminaribus ipſius ſancti loci, vel ſtipendia monachorum perpetualiter debeat proficere in augmentis, quatenus ipſa congregatio pro ſtabilitate regni noſtri melius debeat * & Domini miſericordiam adtentius exorare. Et ut hæc præceptio firmiorem habeatur & melius conſervetur ſubter eam decrevimus adfirmare.

* *Gauſbertus.*

* *delectent.*

In Dei nomine Reginpertus ſeu indignus vocatus epiſcopus ſive capellanus Hlodoici regis Aquitanorum. Signum † Magnario, ſignum † Immone, ſignum † Adalberto, ſignum † Exlaldo, ſignum † Garico, ſignum † Witfredo, ſignum † Ademaro, ſignum † Raganhedo, ſignum † Bicone, ſignum † Giſſemaro, ſignum † Harialdo, ſignum † Abbone.

Signum H

glorioſiſſimi regis.

Data VI. nonas Auguſtas, anno XX..... XIIII. regni noſtri. Actum Jogundiago palatio noſtro.

Digitized by Google

XXIX.

Bulla Gelaſii papæ II. in qua Nobiliaci poſſeſſiones recenſentur.

GELASIUS epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto filio Radulpho abbati monaſterii S. Juniani Nobiliacenſis, ejuſque ſucceſſoribus regulariter ſubſtituendis in perpetuum, &c. Statuimus enim ut eccleſia S. Lucæ in Pictavenſi civitate, cum eccleſiis S. Petri de [a] Pranziaco, S. Aquilini de Liziniaco, S. Petri de [b] Mazeroliis, S. Mariæ de [c] Bouëreſſia cum caſtello Montis-cunctorii, cum eccleſia de [d] Apriliaco, cum duobus molendinis juxta eandem civitatem, cum hortis & ceteris appenditiis ſuis; eccleſia [e] S. Mariæ de Liziniaco, S. Martini de [f] Ingambia, S. Florentiæ de [g] Condato cum appenditiis ſuis, eccleſia de [h] Marciaco cum capella S. Amandi de Columberio, de Faduntiis cum pertinentiis ſuis, eccleſia S. Martini de [i] Floriaco cum appenditiis ſuis, ſanctæ Mariæ de [k] Avalia cum [l] ſilvis Bornelli, [m] Pineti, Borneti, S. Mariæ de [n] Allona, S. Hilarii de [o] Jugo-Arenæ cum terra de [p] Vintriaco cum molendinis, pratis, & cæteris ad eam pertinentibus, eccleſia S. Juniani de [q] Mairiaco cum eccleſiis de [r] Plibotiis, de [s] Limalongis, de [t] Coniaco, de [v] Clotiaco, de [x] Capella, cum terra de [y] Libardone, & [z] Furfanno & cum villis, terris, & pertinentiis ſuis: eccleſia S. Petri de [aa] Iſinodio, S. Nicolai de [bb] Sivriaco cum parochia ejuſdem caſtri, S. Martini de [cc] Coherio cum parochia ejuſdem caſtri: S. Martini de [dd] Bruzo cum terra de [ee] Permeliaco, eccleſia de Roomo, de [ff] Argilloſiis cum pertinentiis ſuis, eccleſia S. [gg] Genardi de Notiaco cum eccleſia de [hh] Paiziaco, & cum cæteris appenditiis ſuis; S. Petri de [ii] Frontiniaco cum pertinentiis ſuis, S. Salvatoris in [kk] Alniſio cum villa & cum eccleſia de [ll] Rioſt, cum molendinis, ſalinis, pratis, terris, & cæteris appenditiis ſuis: S. Mauritii de [mm] Capella, eccleſia de [nn] Columberio in caſtellania Caſtri-Airaldi: S. Petri de [oo] Pugniaco cum pertinentiis ſuis, [pp] S. Gaudentii juxta Frontiniacum, [qq] S. Brictii de Cundagia, terra de Ferrariis, terra [rr] de Ferribouis; univerſa etiam quæ idem monaſterium vel in præſenti poſſidet, vel in futurum conceſſione principum, vel oblatione fidelium, vel aliis juſtis modis poterit adipiſci, firma tibi tuiſque ſucceſſoribus & illibata permaneant. Decernimus ergo ut nulli &c. Porro de preſbyteris qui per parochias ad monaſteria pertinentes in eccleſiis conſtituuntur, prædeceſſoris noſtri ſanctæ memoriæ Urbani papæ ſecundi ſententiam confirmamus, ut videlicet abbates in parochialibus eccleſiis, quas tenent, epiſcoporum conſilio preſbyteros collocent: epiſcopi vero parochiæ curam cum abbatis conſenſu ſacerdoti committant, ut ejuſmodi ſacerdotes de plebis quidem cura epiſcopo rationem reddant; abbati autem pro rebus temporalibus ad monaſterium pertinentibus debitam ſubjectionem exhibeant; & ſic ſua cuique jura ſerventur. Illam ſane pravam conſuetudinem decreti præſentis interdicto reſecamus, ne videlicet in feſtivitate beati Juniani clerici ſancti Hilarii chorum, refectorium, & clauſtrum monaſterii aggrediantur vel inquietent, ſed monachi ſecundum regularem conſuetudinem ſine tumultu ſæcularium clericorum quiete ac ſolitarie ſua ſollemnia peragant. Si qua igitur in futurum eccleſiaſtica ſæcularis-ve perſona &c. æternæ pacis inveniant. Amen.

Ego GELASIUS Eccleſiæ Catholicæ epiſcopus.
Signum manus meæ.
Deus in loco ſancto ſuo.

Datum Maſſiliæ per manum Gregorii S. R. E. diaconi cardinalis x. Kal. Novemb. Indict. XII. anno Dom. Incarn. M. C. XIX. pontificatus autem domini Gelaſii papæ II. anno primo.

[a] Pranzay lez Luſignan. [b] Mazeroles. [c] Bouëreſſe cum caſtro de Moncontour. [d] Auvrilly. [e] Noſtre-Dame de Luſignan. [f] Anjambes lez Luſignan. [g] Comblé. [h] S. Medard de Marſay. [i] Fleuré. [k] Availles. [l] Bois de Bourneau. [m] Pinier. [n] Allone. [o] Jouarene. [p] Vintray. [q] Maire l'Eveſcaut. [r] S. Martin de Pliboux. [s] S. Jean-Baptiſte de Limalonges. [t] Conay. [v] Noſtre-Dame de Cluſſey. [x] La chapelle de S. Junien Poulioux. [y] Libardon. [z] Farſan.

[aa] Exodun. [bb] Sivray. [cc] Couhé. [dd] de Brutz. [ee] Premilhan. [ff] S. Junien d'Ardilleux. [gg] Saint Genard. [hh] Paizai le tort. [ii] Frontenay l'abbatu. [kk] S. Sauveur en Aunis. [ll] Rioux. [mm] La chapelle Souclan. [nn] Noſtre-Dame de Colombiers. [oo] Pugny. [pp] S. Gaudent. [qq] S. Bris de Dinc. [rr] Ferrabeuf.

XXX.

Donum Willelmi III. Pictav. comitis & Aquitanorum ducis factum Nobiliacenſi monaſterio.

WILLELMUS comes Pictavis civitate, dux Aquitanorum, alodem ſuum indominicatum qui eſt ſitus in pago Alnienſe in villa quæ vocatur Liguriaco, & eccleſiam S. Salvatoris, necnon eccleſiam beatæ Mariæ de Rioſto donat ad cœnobium ſanctæ Dei-Genitricis ſemperque virginis Mariæ Nobiliacenſis monaſterii, quæ eſt conſtructus in honore beati Hilarii & S. Juniani confeſſoris Chriſti, ubi præeſſe dignoſcitur domnus Fulco abba.

Subſcribunt Willelmus comes, & ejus filius, ac uxor Emma, Kadelo, Hatfredus Maynardus, & Aimericus vicecomites. Giſlebertus epiſcopus, Manaſſes, Savarus clavicularius domni Hilarii, Fratgarius abbas, plures præpoſiti ac vicarii, necnon alii plurimi.

Data in menſe Januarii anno II. rege Roberto; *intellige, quo regni particeps cum Hugone factus eſt, hoc eſt 989.*

XXXI.

Præceptum Ludovici imperatoris pro Caroffenſi monaſterio.

IN nomine Domini Dei & Salvatoris Jeſu Chriſti, Ludovicus divina ordinante providentia Imp. aug.... Noverit ſagacitas ſeu utilitas omnium fidelium noſtrorum, tam præſentium quam & futurorum, quia vir venerabilis Juſtus abbas ex monaſterio Carroff. quod eſt conſtructum in honore Domini & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, ſitum in pago Pictavenſi prope fluvium * Karentonæ, obtulit obtutibus noſtris auctoritatem immunitatis domini & genitoris noſtri Karoli bonæ memoriæ piiſſimi aug. in qua erat inſertum, quod ipſum monaſterium Rotgerius quondam comes in ſuo ædificavit proprio, & cum omnibus rebus & ornamentis eccleſiæ, ſeu & cum omnibus appendiciis & adjacentiis ſuis eidem genitori noſtro per cartulam delegaverit donationis; & quod ad ejus petitionem ob inquietudinem judiciariæ poteſtatis, ſub ſua devotione & immunitatis tuitione conſiſtere fecerat. Pro firmitatis namque ſtudio deprecatus eſt prædictus Juſtus abbas, & omnis congregatio ibidem Deo ſerviens, ut paternum morem ſequentes, hujuſmodi noſtræ immunitatis præceptum circa ipſum monaſterium fieri cenſeremus. Quorum petitioni libenter aſſenſum præbuimus, & noſtræ auctoritatis præceptum erga ipſum monaſterium, immunitatis atque tuitionis gratia pro divini cultus amore, & animæ noſtræ remedio fieri decrevimus. Per quod præcipimus atque jubemus, ut nullus publicus, nec quiſlibet ex judiciaria poteſtate, aut ullus ex fidelibus noſtris tam præſentibus quam & futuris, in eccleſias, aut loca vel agros, ſeu reliquas poſſeſſiones, quas moderno tempore in quibuſlibet pagis & territoriis, infra ditionem imperii noſtri juſte ac legaliter poſſidet, vel ea quæ deinceps in jure

* Karentæ.

Digitized by Google

ipſius ſancti loci, aut per nos, aut per alios voluerit divina pietas augeri, ad cauſas audiendas, vel freda aut tributa exigenda, aut manſiones, vel paratas faciendas, aut fidejuſſores tollendos, aut homines ipſius monaſterii tam ingenuos quam & ſervos ſuper terram ipſius commanentes diſtringendos, nec ullas redibitiones, aut illicitas occaſiones requirendas, noſtris nec futuris temporibus ingredi audeat, nec ea quæ ſupra memorata ſunt penitus exigere præſumat. Quicquid etiam de præfatis rebus monaſterii ſuffici exigere poterat in integrum, pro æterna retributione eidem concedimus monaſterio, ſcilicet ut perennibus tempotibus in alimoniam pauperum & ſtipendia monachorum ibidem Deo famulantium proficiat in augmentum. Et quandoquidem divina vocatione ſupradictus abbas, vel ſucceſſores ejus, de hac luce migraverint, quamdiu ipſi monachi inter ſe tales invenire potuerint, qui ipſam congregationem ſecundum regulam S. Benedicti regere valeant, per hanc noſtram auctoritatem & conſenſum, licentiam eligendi abbates concedimus, quatenus ipſi monachi qui ibidem Deo famulari videntur, cum rebus vel hominibus eodem monaſterio aſpicientibus, vel pertinentibus, ſub tuitionis & immunitatis noſtræ defenſione, remota totius iniqua poteſtatis inquietudine, quieto ordine poſſidere, & pro incolumitate noſtræ conjugis & prolis, ſeu etiam totius imperii a Deo nobis collati, & ejus clementiſſima miſeratione perpetuo conſervandi, Dei per immenſam clementiam jugiter exorare delectet. Hanc itaque auctoritatem &c. ſigilli noſtri impreſſione ſignari juſſimus. Signum Ludovici ſereniſſ. imp. Heliſachar recognovi. Data II. Idus Febr. anno Chriſto propitio II. Imperii Domini noſtri, Ind. VIII. Actum Aquiſgrani palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

XXXII.

Ex archivis epiſcopi Carpentoratenſis. 1372.

Caroli V. regis Francorum litteræ in gratiam Petri abbatis Karoffenſis.

CAROLUS Dei gratia Francorum rex univerſis præſentes litteras inſpecturis ſalutem. Noveritis quod litterarum ſcientia commendabilis & circumſpecta prudentia, aliaque probitatis & virtutum merita quibus dilectus noſter Petrus dictus la Plette abbas monaſterii Karoffenſis Pictavienſis diœceſis, doctor in jure canonico, multipliciter decoratur, necnon grata & placida ſervitia per ipſum nobis & reipublicæ regni noſtri exhibita multis modis, & quotidie impendere, circa negotiorum noſtrorum & dicti regni noſtri proſecutionem apud ſummum pontificem, cujus exiſtit cubicularius, non deſiſtit, prout de hiis ſumus plenarie certificati, merito nos inducant ut eundem abbatem prærogativa favoris regii liberaliter proſequamur, qua prout decet honorati valeat, & ad ſerviendum nobis & reipublicæ ferventius animetur. Igitur nos ipſum abbatem in noſtrum conſiliarium & de magno & ſecreto noſtro conſilio retinuimus, & ex certa ſcientia & ſpeciali gratia tenore præſentium retinemus, ac ipſum conſortio noſtrorum aliorum conſiliariorum aggregavimus & aggregamus. Volentes & ei concedentes ut privilegiis, libertatibus, & franchiſiis alii noſtri conſiliarii de magno & ſecreto noſtro conſilio exiſtentes, uti & gaudere conſueverunt & debent, ipſe abbas utatur & gaudeat pacifice & quiete, noſtriſque conſiliis intereſſe poſſit & valeat quando & quotiens ei placuerit, & negotiorum expeditio ſuadebit. In cujus rei teſtimonium ſigillum noſtrum litteris præſentibus mandavimus apponi. Datum in caſtro noſtro Vincenn. ſecunda die menſis Auguſti, anno Domini M. CCC. LXXII. & regni noſtri nono.

XXXIII.

Ex authentico. *Excerpta quædam ex tabulario S. Savini ad * Wartimpam.* * *Cartampe.*

Donum Gaufridi de Englia.

1163. IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Præſentibus & futuris notum ſit quod ego Ugo filius Gaufridi de Englia, ſequens erga eccleſiam B. Savini paterna veſtigia, cujus, ſicut pater meus, monachus fieri opto, dono, dimitto, concedo decimam in omni re de Mairiniaco & de Boſcho, qui vocatur la Foreſt, quam Aleardis La Graſleta feodali jure de beneficio meo habet, ſancto Savino & ſancto Sulpicio, & monachis ibi Deo ſervientibus. Hanc eleemoſynam ab Ugone de Rocha patre meo legaliter & ſolempniter factam, ego Gaufridus filius ejus pravis conſiliis adquieſcens, juvenili cupiditate ductus, fateor me in hoc peccaſſe delicto; atque pro parentum meorum peccatis jam dictam decimam & eleemoſynam cum omni integritate feodi & ſervitii in manu Boneti abbatis, in domo ubi pauperum pedes abluuntur, dimitto, dono, confirmo, & uxor mea Beatrix. Huic dimiſſioni, donationi & confirmationi præſentes adfuerunt Petrus prior, Egidius eleemoſynarius, Airaudus de ſancto Savino, pater & filius Targavaira, Umbertus Chaſtel, Guillelmus Laidet avunculus ejuſdem Gaufridi, Guillelmus de Turre prior de Mairineo. Hoc actum eſt tempore Ludovici regis Francorum & Aenrici regis Anglorum & ducis Aquitanorum, Pictavenſi ſede vacante, anno ab Incarnatione Domini M. C. LXIII. Cum hac conceſſione omnem rancorem dimitto, & pro poſſe meo omnem eccleſiæ defenſionem promitto. Signum Gaufridi †. ſignum Beatricis uxoris ſuæ †. ſignum Luciæ filiæ ejus †.

Emerici Leterii abbatis litteræ.

1319. UNiverſis Chriſti fidelibus præſentem paginam inſpecturis, D. Emericus Leterii abbas S. Savini ſalutem in Domino. Noverit univerſitas veſtra quod Gaufridus Pupelli miles in præſentia noſtra conſtitutus dedit pro ſalute animæ ſuæ in perpetuam eleemoſynam eccleſiæ Stellenſi quidquid juris habebat, aut percipere ſolebat, in decima vinearum quas fratres Stellenſes habent vel unquam habituri ſunt vel acquirere poterunt in clauſo quod dicitur Bellum-Podium. &c. Et quia ſæpe dictus miles ſigillum non habuit, nos ad ipſius inſtantiam præſenti chartæ ſigillum noſtrum appoſuimus. Datum anno gratiæ milleſimo ducenteſimo nono decimo.

Alia charta pro eodem abbate Aimerico.

UNiverſis Chriſti fidelibus præſentes litteras inſpecturis domnus Aimericus Leterii abbas S. Savini ſalutem in Domino. Noverit univerſitas veſtra quod Guido Torillet miles S. Savini, cum migraret ab hac vita, dedit in perpetuam eleemoſynam eccleſiæ Stellenſi unam minam frumenti receptabilis in decima ſua de Antiniaco, ad communem menſuram S. Savini, prout creverit, vel decreverit, perferendam ſingulis annis in perpetuum, in domum fratrum Stellenſium quæ eſt apud S. Savinum, & ibi ſolvendam mandato abbatis Stellenſis, infra quindenam beati Michaëlis abſque fraude. Prædictus miles dedit ſimiliter unam minam frumenti in eadem decima, & ad eamdem menſuram magiſtro Guillelmo Præpoſito, tunc temporis Pictavienſi epiſcopo, quam idem epiſcopus eccleſiæ Stellenſi donavit & carta ſua confirmavit. Ita videlicet quod eccleſia Stellenſis percipiet ſingulis annis in perpetuum unum ſextarium integrum in prædicta decima. Illius donationis & eleemoſinæ teſtes fuerunt Johannes Malamuſca monachus S. Savini, Hugo & Guillelmus Malamuſca milites fratres prædicti monachi,

Digitized by Google

illi tres nepotes fuerunt & eleemoſynarii ſæpedicti Guidonis militis ; & quia nec ipſi nec avunculus eorum ſigillum habuerunt , nos ad eorum inſtantiam præſenti cartæ ſigillum noſtrum appoſuimus. Datum anno gratiæ M. CC. XIX.

Charta de Guillelmo etiam abbate S. Savini.

1179. UNiverſis præſentes litteras inſpecturis Guillelmus miſeratione Divina abbas S. Savini , totuſque ejuſdem loci conventus ſalutem in Domino. Noveritis quod cum religioſi viri abbas & conventus de Stella Ciſt. ordinis , quaſdam domos , vineas , terras , poſſeſſiones , & res alias acquiſierint ab antiquo ; quin etiam quaſdam de novo in caſtro & caſtellania S. Savini in noſtris feudis , retrofeudis , dominio ſeu diſtractu quas a nobis .... ſe tenere. Nos in favorem religioſorum acquiſita ab ipſis & ab eorum prædeceſſoribus ab antiquo ſibi concedimus in perpetuum poſſidenda , ad cenſus & reditus antiquitus debitos , ex eiſdem videlicet , domum in qua eſt torcular ad annuum cenſum quatuor ſolidos &c. in cujus rei teſtimonium nos prædicti abbas & conventus S. Savini ſigillum noſtrum quo unico inſimul utimur , una cum ſigillo prædictorum abbatis & conventus de Stella quo unico utuntur , & ſigillo venerabilis viri archipreſbyteri Montis-Maurilii * duximus apponendum in teſtimonium veritatis. Datum die Veneris poſt feſtum ſancti Savini anno Domini M. CC. LXXIX.

* Montmorillon.

XXXIV.

Charta dotationis Monaſterii-novi ex hiſtoria comitum Pictav. Johannis Beſly ; & alia diplomata.

1077. POſtquam humana conditio &c. Ego Willelmus qui & Gaufredus dux Aquitanorum , Dei miſericordiam adipiſci deſiderans , & vel minimum cavens in futurum , in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti , ſanctæ & individuæ Trinitatis , pro enormitate ſcelerum meorum , pro redemptione animæ meæ , patris & matris , & omnis meæ parentelæ , ad honorem Dei omnipotentis , & ſanctæ ejus genitricis ſemper virginis Mariæ , & ſanctorum apoſtolorum Johannis & Andreæ , ſtatui mihi conſtruere monaſterium in ſuburbio Pictavis , quatenus in extremo examine , Dei miſeratione protectus , & ſanctæ ejus genitricis , & præfatorum apoſtolorum , omniumque ſanctorum orationibus munitus , facinorum meorum veniam adipiſci merear , & de parte beatæ reſurrectionis partem obtinere. Quod monaſterium tam illud , quam ea quæ ad ſe pertinere videntur, conſtituo & confirmo liberum & francum , cum omnibus quæ ad ſe pertinere videntur , quæſitis & acquirendis : videlicet burgum novum quod ultra fluvium eſt ſitum , burgum quod circa illud monaſterium in terra & poſſeſſione ipſius monaſterii conſtruitur ; in tanta enim libertate & quiete volo & jubeo eſſe illud monaſterium , ut ſi aliquis pro aliquo forisfacto , vel etiam me irato timore aliquo preſſus,ad prædictum burgum fugerit , liber & quietus ſine aliquo timore , velut in eccleſia maneat : donec aut placitum faciat , aut in pace diſcedat. Cæteri vero illic commorantes , vel ſua illic afferentes ſive reponentes , homines ſcilicet extranei ; cum ſuis omnibus , abſque ulla injuria a meis hominibus ſibi facta permaneant. Et ita volo eos eſſe quietos , ſcilicet monachos , & omnes res eorum , hominumque eorum ubilibet poſitorum , ut nullus meorum non filius , non filia , non uxor , non aliquis propinquus , non dapifer , non præpoſitus , non mariſcalcus , non ſerviens , aut in aliquo miniſterio poſitus , aut monachos jam dicti monaſterii , aut homines eorum in quocumque loco eorum habitent , cogat ſibi præbere arbergariam , aut hoſpitium , aut quærat ab eis quod talliatam vocant. Nec cogantur prædictorum homines monachorum ubicumque habitent , ire in exercitu , aut expeditione , niſi agatur nomine belli. Concedo quoque eidem monaſterio ea quæ uſque ad muros civitatis acquirere poterit , nullam omnino in his conſuetudinem mihi retinens. Dono etiam ipſi monaſterio ſtagnum ipſius civitatis contiguum , cum piſcaria , & cum molendinis in eodem poſitis , & cum conſuetudine molarum quæ neceſſariæ erunt eiſdem molendinis. Quas etiam molas homines conſuetudinarii , qui eas extrahunt , debent ſine aliquo pretio , exceptis molis veteribus quas ipſi homines accipiunt. Quas etiam molas judex de Bonolio per conſuetudinem debet conducere uſque ad lacum de Forgiis : & judex de Forgiis uſque ad molendina ſine aliquo pretio. Dono quoque burgum S. Saturnini cum tannatoribus ſuis conſuetudinariis , & villam Aggriciacum : villam ſimiliter Puteoli & reveſtituram Monſtrerolii , cum quæſitis & acquirendis , & villam Jamias quæ de Molerias dicitur. Terram quoque de Legudiaco , & terram Prati-Maledicti , atque terram de Paſſiaco , cum ſilvis , ſicut eas ab archiepiſcopo Burdegalenſi & canonicis ejuſdem eccleſiæ acquiſivi. Dono & in territorio Santonenſi medietatem villæ & terrarum de Ololai , & cimeterium eccleſiæ , & Jarretam , cum terris ſibi appendentibus : & reveſtituram de Faia , & de Uſſello, & reveſtituram de Cromer, & terram & ſilvam a via quæ tranſit per Carretam uſque ad viam quæ tranſit per Uſſel , totum ab integro quòd ad me pertinebat : & medietatem pedagii de Uſſel. Similiter dono & concedo reveſtituram de Boeth cum quæſitis & acquirendis , & vineis ejuſdem villæ contiguis , quas ego hucuſque in dominio habueram , & quandam ſilvam in territorio Santonicæ ad reveſtituram faciendam , ſcilicet inter Pontem Labenſem , Rabenſem , & Rametam , & Botiram , & Mabam villam. Dono quoque prædicto monaſterio paſcherium de Jart , & quartam partem de Oleron , excepta turre & caſtro. Similiter dono & concedo ſibi villam de Bennaco cum caſamentis militum , ſicuti eam hucuſque habueram , & paſcherium ejuſdem villæ , & medietatem terræ de Cugulo , & medietatem de Gerbegaria. Et in burgo S. Johannis de Angeriaco X. modios vini cenſuales quoque anno , & dono ortigiam extremam. Concedo quoque monachis ſæpefati monaſterii per totam terram meam vendas & pedagia de rebus ſuis. Et concedo eis ut nullam omnino conſuetudinem dent in tota terra mea. Concedo etiam eis omnes ſilvas meas, ad ignem , ad domos ſuas conficiendas , vel reædificandas , ſive ad omnia neceſſaria facienda , tam hiis qui habitant in monaſterio , quam iis qui ſunt per obedientias. Auctorizo autem & concedo quicquid milites mei vel homines mei in honore meo , ſive de honore meo , dederint vel vendiderint prædicto monaſterio. De contentionibus autem & querelis quæ plerumque etiam inter fratres oriri ſolent , ſi contigerit oriri inter homines meos & homines monachorum , præcipio ut ita teneatur. Si enim aliquando aliquis hominum monachorum fortitudinem fecerit præpoſito meo , nullo modo cogat eum præpoſitus meus in curiam ſuam rectum facere : ſed magis facta proclamatione monachis , & ſtatuto die vadat in curiam eorum ante abbatem aut præpoſitum , & ibi accipiat quicquid curia indicaverit. Concedo etiam eis pedagium Pontis-novi & in aqua Clenni hoc quod meum erat a molendinis de Caſſannis uſque ad molendinos de Sartis. Facta eſt hæc charta donationis ſive confirmationis , ſeu conceſſionis , V. Kal. Februarii anno ab Incarnatione Domini M. LXXVII. Indict. XV. regnante rege Franc. Philippo , pontificatum Romanum tenente Gregorio VII. papa an. pontificatus ejus IV. in manu Willelmi filii mei , iſtis audientibus & videntibus Odone abbate S. Johannis , Guidone de Nevers, Hugone de Leziniaco , Borello de Moſteriolo , Berado de Duris , Magingodo de Mella , Guiberto de S. Johanne , Gauterio Corbonario , Odone præpoſito , Pontio & Vitale monachis XXXI. *Hujus fundationis meminit tabula chartophylacii quæ ſic habet* :

In nomine

Digitized by Google

In nomine ſanctæ individuæ Trinitatis, ego Gaufridus, Dei gratia Aquitanorum dux, omnibus notum fieri volo, quod quando eccleſiam S. Johannis Evangeliſtæ ædificare volui, ad limina B. Petri Romani profectus, Audebrannum papam adii, atque hujus cum eo conſilium cœpi. Qui bonæ voluntati meæ multum congaudens, quod deſiderabam annuit, & præcepit in locum pœnitentiæ, conceſſitque ut prædictam eccleſiam authoritate ſua fundatam, præcepto firmarem de propriis bonis & caſamentis baronum meorum, cum aſſenſu eorum qui a me habebant, honorifice ditarem.

Hoc ipſum docet Guillelmus dux Aquitaniæ, cum prædicta abbatiæ dona, villas, & cætera ejus privilegia hoc diplomate firmavit: Gratia Dei omnipotentis in cujus manu ſunt poteſtates & omnia jura regnorum, 1026. poſt mortem patris mei ſublimatus in principatum, ego Guillelmus dux Aquitaniæ prima vice poſt obſequium funeris ejus, qua Pictavim veni, deſcendi inviſere fratres Novi-monaſterii, videre ſepulturam ejus: & fratres ejuſdem eccleſiæ exeuntes mihi obviam, ornamentis eccleſiaſticis induti, ſuſceperunt me cum honore digno & gloria. Completo cantu, oratione, conventus omnis, ego, & proceres mei & maxima multitudo populi quæ ibi confluxerat, venimus in capitulum. Videns vero ſepulturam tam clariſſimi & virtuoſiſſimi ducis, tactus dolore cordis intrinſecus, commota ſunt omnia viſcera mea ſuper patre meo, & poſt multas lacrymas & ægra ſuſpiria, & conſolatione procerum meorum & circumſtantium relevatus, revixit ſpiritus meus, & repræſentatæ ſunt cartæ quas avus meus & pater fecerant, & ſignis ſuis firmaverant de conſtructione illius eccleſiæ, immunitate & omnium hominum, cunctarumque rerum quæ pertinent illi eccleſiæ libertate. Pietate itaque patris mei ducis, & conſilio illuſtrium virorum qui mecum erant admonitus, pro remedio animæ, meæ, patris, & avi mei, & pro ſalute mea, illa omnia quæ eccleſiæ S. Johannis Evangeliſtæ Novi-monaſterii avus meus donavit, conceſſit, & firmavit, & ſimiliter pater meus donavit, confirmo, & imperpetuum tenenda præcipio tam in acquiſitis quam in acquirendis. Concedo cuncta munimenta quæ avus & pater meus eidem monaſterio dederunt, & concedo tam illud quam ea quæ ad ſe pertinere videntur ſub totius libertatis munimine, ab omni inquietudine cujuſcunque poteſtatis, & omnium parentum meorum, cunctorumque ſucceſſorum, videlicet ipſum monaſterium conſtituo liberum & francum, burgum quod circa monaſterium eſt &c. Facta eſt hæc carta confirmationis hujus anno Dominicæ Incarnationis M. C. XXVI. Indict. IV. quando fuit Paſcha tertio Idus Aprilis, regis Francorum Ludovici anno decimo ſeptimo * Willelmo Adelelmi Pictavienſi ſedi præſidente, anno primo mei principatus. Hujus rei teſtes ſunt Vulgrinus comes Engoliſmenſis, Aimericus vicecomes Thoarcenſis maritus ſororis meæ, Rannulphus abbas S. Petri Deaurati: Robertus Burgundus: Chotardus de Mauritania: Willelmus de Aſpromonte: & Arveus de Morolio frater ejus: &c.

* melius. XIX.

Gregorius autem Pont. Max. ad petitionem Guillelmi comitis Pictavorum, hoc monaſterium quod in ſuburbio civitatis ſub honore beatorum apoſtolorum Johannis Evangeliſtæ, Simonis & Judæ extruxerat, libertate apoſtolica, & privilegiorum munivit reſcripto Laterani dato V. Idus Decemb. pontificatus anno IV.

Ludovicus rex Franciæ, duxque Aquitanorum Monaſterium-novum ſub protectione regia ſuſcepit, Pictavis anno MCXLVI. *per manum Caduci cancellarii. Denique Karolus rex Francorum confirmavit omnia privilegia a ſuis deceſſoribus conceſſa religioſis, abbati & conventui Monaſterii-novi.* Datum Pictavis menſe Novembris anno Domini M. CCCC. XXXIV. regni vero noſtri XIII.

XXXV.

Charta Willelmi Aquitanorum ducis de Monaſterio-novo Pictavis abbati Cluniacenſi ſubjecto.

Ex chartario Cluniacenſi.

IN nomine Domini Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, Willelmus dux Aquitanorum ſeu Guaſconum. Si erga loca Divinis cultibus mancipata propter amorem Dei, ejuſque in eiſdem ſibi famulantes beneficia opportuna largimur, præmium nobis apud Deum æternæ remunerationis rependi non diffidimus. Idcirco noverit omnium fidelium noſtrorum tam præſentium quam & futurorum ſolertia, quia nos Hugonem venerabilem abbatem ex monaſterio SS. apoſtolorum Petri & Pauli Cluniacenſis, ubi eorum memoria digne recolitur, una cum congregatione ibidem Deo famulante, necnon ſucceſſoribus eorum concedo monaſterium quod facio ædificare juxta civitatis ſedem Pictavis, cum ipſis conſtructuris, quas ad præſens licitum mihi non eſt differere, ſed Dei auxilio gubernante, futuro adveniente temporis ſpacio opportune vel decenter conceſſurum me affirmo, & cum expleverim omnia, ita ut abbas & congregatio regulariter & honeſte vivere poſſint, ſupradictus abbas H. regulariter ſecundum præceptum Domini & ſancti Benedicti abbatem ordinet cum monachorum catervis ob redemtionem animæ meæ, & parentum meorum, omniumque fidelium. Quapropter volumus & per hoc noſtræ auctoritatis præceptum decernimus atque jubemus, ut nullus judex publicus, vel quilibet ex judiciaria poteſtate, in eccleſias aut loca vel agros ſeu reliquas poſſeſſiones memorati monaſterii, quas moderno tempore infra ditionem imperii noſtri juſte & rationabiliter poſſidet, vel quæque deinceps in jure ipſius monaſterii voluerit Divina pietas augeri, ad cauſas audiendas vel freda aut tributa exigenda, aut paratas faciendas, vel manſiones, aut fidejuſſores tollendos, aut homines ejuſdem monaſterii tam ingenuos quam ſervos ſuper terram ipſius commanentes diſtringendos, nec ullas redibitiones aut illicitas occaſiones requirendas noſtris & futuris temporibus ingredi audeat, vel ea quæ ſupra comemorata ſunt penitus exigere præſumat, ſed liceat memorato abbati ſuiſque ſucceſſoribus res prædicti monaſterii ſub emunitatis noſtræ defenſione quieto ordine poſſidere; & quicquid exinde fiſcus ſperare poterat * tutum, nos pro æterna remuneratione præfato monaſterio concedimus, ut in alimonia pauperum & ſtipendia monachorum ibidem Deo famulantium proficiat perennibus in augmentis. Hæc vero auctoritas emunitatis noſtræ, ut per diuturna tempora inviolabilem atque inconvulſam obtineat firmitatem, & ut a fidelibus ſanctæ Dei Eccleſiæ & noſtris verius certiuſque credatur, & diligentius conſerveatur, manu propria firmavimus, anno M. LXXVI. præſidente domno Gregorio Romanæ ſedis papa, regnante Philippo rege Francorum. Inſuper ego W. dono ſilvam ex campis de Travent uſque ad Limuel, ex alia parte de Valent uſque ad Uhiſel, & in alio loco totam ſilvam de Boet, ſicut eam aqua dividit, & ipſam aquam. Hanc ergo terram procalcaverunt milites, Willelmus Baſtart, Vivianus de Mummorium, Barduns de Beneun, & ceteri quam plures. Molendinos quoque cum ſtagno aquæ excepto decimam quæ eſt S. Nicolai; Eſpant de Muſtero qui eſt ultra aquam ſuper viam de Curſai. S. W. ducis Aquitanorum qui hoc privilegium juſſit fieri, S. Joſcelini archiepiſcopi Burdegalenſis, S. Boſonis epiſcopi Santonenſis, S. Iſemberti epiſcopi Pictavenſis, S. Aimerici vicecomitis Tuarcenſis, S. Savarici fratris ejus, S. Radulfi, S. Iſemberti de Caſtello-Allionis, S. Gaufredi de Talmaco, S. Gelduini de Colniaco, S. Hugonis de Liziniaco, S. Hugonis de Surgeres, S. Willelmi, S. Petri de Bridet, S. Widonis de Nevert, S. Normanni de Monte-Revello, S. Arnaldi de Monte-Orſerio.

1076.

* totum.

XXXVI.

De prioratu Fayæ, Monaſterii-novi cella.

An. circ. 1135. IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, Patris & Filii & Spiritus ſancti. Notum fieri volumus cunctis noſtræ eccleſiæ filiis præſentibus & futuris, quod bonæ memoriæ Gaufridus [a] Aquitanorum, dux conſtructor Novi-monaſterii, dedit de ſilva ſua quæ vocatur * Arjacon ad obedientiam exſtruendam quæ vocatur Faya, in qua miſſus eſt quidam Petrus Eriſpelli nomine, magnæ probitatis & honeſtatis vir, monachus, qui eam a primo lapide exſtruxit, ædificavit, & rexit ſtrenuiſſime pluſquam quadraginta ſex annis. Ad hanc ergo adductus eſt quidam nomine Aleardus de caſtello Oleron, cui cura ejuſdem commiſſa eſt quantum placeret monachis ſine aliquo fevo, conſuetudine aliqua, juſtitia aſſocianda, & nihil omnino faceret, niſi quod prior loci imperaſſet; & haberet veſtimenta ſua & quotidianum victum ſicut unus ex minoribus domus. Hic habuit tres filios Petrum capellanum, & Conſtantinum, & Aleardum minorem. Pro iſto deprecatus eſt abbatem & monachos ut ei in vita ſua curam hominum commendarent, ſicut prius ſibi fecerant, quod facere domini multum diſtulerant; ſed precibus ejus & obſequiis flexi, conceſſerunt ei ut haberet eam, tamen ſine aliquo fevo, ſine aliqua juſtitia; & ut in boſco nullam poteſtatem haberet nec vendendi, nec donandi, nec accipiendi, nec in viridi, nec in ſicco. Poſt multum vero temporis defunctis jam ſex abbatibus orta eſt contentio maxima de præpoſitura inter duos fratres Conſtantinum videlicet & Aleardum qui ipſam præpoſituram tenebat, & quandiu vixit, tenuit. Qui venientes Pictavim ante domnum Petrum abbatem, Pictavenſis comitis cognatum, advocatis ſapientibus viris civitatis, clericis ac laïcis, inter ſe judicaverunt. Quorum clamores & reſponſiones ita ſe habebant: Clamavit ſi quidem idem Conſtantinus major natu quod pater ſuus ſibi & fratribus ſuis in fevum præpoſituram Fayæ emerat, datis pro hoc abbati vel monachis DCC. ſolidis Pictavenſis & Andegavenſis probatæ monetæ. Addens quod ipſe Aleardus DCCCC. denariorum libras poſtea dedit, quando in capitulo illa recepit. Aleardus vero bis ac tertio jurejurando affirmavit ſe vero ita recepiſſe, dicens nec fratribus, nec filiis, nec parentibus, ſed ſibi ſoli tantum in vita ſua præpoſituram datam fore. Et ita abraſus eſt Conſtantinus ipſe, & omnis progenies ejus poſt ipſum. Iſtud judicium ac definitionem fecerunt Egidius Tuſculi epiſcopus & Romanæ Eccleſiæ vicarius qui pro contentione Gregorii [b] & Petri Leonis apoſtolicorum tunc temporis Pictavi morabatur, & magiſter Hilarius, & magiſter Laurentius, Willelmus prior S. Radegundis, Guillelmus, Johannes prior S. Nicolai, Conſtantinus de Moleriis, Hugo de Chartune, Guillelmus Richerii, Arnaldus ſacriſta, Aimardus prior Fayæ, Ingelbaudus, Helias, Marinus Pictavenſis præpoſitus, Palendus miles, Lombardus ſubpræpoſitus, & multi alii.

XXXVII.

Charta Aldeardis uxoris Gaufridi Aquitanorum ducis.

An. circ. 1120. QUia humani generis primi parentes &c. Igitur ego Aldeardis Pictavorum comitiſſa de ſalute tam mea quam charorum ſolicita, volenſque tam peſſimi domini ſervitute liberari, dono Deo & ſancto Evangeliſtæ Novi-Monaſterii quod dominus Gauffredus Aquitanorum dux vir meus fundavit, ibique tumulatus quieſcit, omnes metarias quas in Jard habeo, quaſque etiam mihi prædictus vir meus pro ſponſalibus dederat &c. Factum eſt hoc donum in ſæpedicti monaſterii oratorio, in manu domini Marci abbatis, aſtante ibidem Enrico nepote meo, tunc priore Cluniaci, & aliis quam plurimis monachis.

S. † Aldeardis comitiſſæ.

Ex chartulario Novi-monaſterii.

[a] Quod probat charta Aldeardis uxoris Gaufridi infra edenda.

[b] Hic Gregorius fuit anti-papa dictus Victor III. quem præceſſit Petrus Leonis, dictus Anacletus II.

XXXVIII.

Bulla Urbani papæ II. qua Geraldo abbati Monaſterii-novi prioratum S. Nicolai Pictav. concedit.

URBANUS epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, dilecto in Chriſto filio Geraldo abbati Monaſterii-novi, quod in Pictavienſi ſuburbio ſitum eſt, ipſiuſque ſucceſſoribus regulariter ſubſtituendis in perpetuum. Ad hoc ſedi apoſtolicæ, omnipotente Deo, & beato Petro cooperante promoti cognoſcimur, ut pro data divinitus facultate injuſtitiam opprimere, juſtitiam erigere, & religionem augere curemus. Unde ſervorum Dei quieti providere magnopere ſatagimus, ut a ſæcularibus tumultibus liberi, divinæ contemplationi ardentius inhærere prævaleant. Tuis igitur, cariſſime fili Geralde abbas, piis votis, & reverentiſſimi confratris noſtri, quondam autem patris mei Hugonis Cluniacenſis abbatis, juſtis petitionibus annuentes, omnem libertatem ſive immunitatem veſtro Novo-monaſterio, poſt apoſtolicæ memoriæ Gregorii ſeptimi prædeceſſoris noſtri privilegium attributum, nos quoque præſentis decreti auctoritate conferimus; præterea beati Nicolai eccleſiam ſecus muros Pictavis ab Agnete comitiſſa ædificatam, tibi tuiſque ſucceſſoribus perpetuo poſſidendam concedimus, ſicut a legato meo Amato Burdegalenſi epiſcopo, & a reverentiſſimo confratre meo Petro Pictavenſi epiſcopo, præſentibus epiſcopis & abbatibus, cum filii noſtri Guillelmi comitis favore, in concilio definitum eſſe cognovimus; ſicut & venerabilis filius noſter Rainaldus monaſterii beati Cypriani abbas ſe publice conſtitutum veridica coram nobis aſſertione teſtatus eſt. Quia enim ſtatuti canonici, ſecundum accepti a Romana Eccleſia privilegii tenorem vivere contempſerunt, & ab ipſius civitatis epiſcopo ſive a legatis noſtris admoniti, ad ſuæ regulæ propoſitum * comiti pertinaciter renuerunt, non immerito juxta angelicum judicium, regnum Dei ab eis ablatum, & fructus ejus facientibus datum eſt; illorum autem querela omnino deinceps conſopita, ſilentio perpetuo conticeſcat. Veſtra itaque intereſt, filii in Chriſto chariſſimi, apoſtolicæ ſedis libertati & gratiæ dignis actionibus reſpondere, regularis diſciplinæ ordini ſollicite inſudare, ut quanto a ſeculoribus tumultibus liberiores eſtis, tanto amplius placere Deo totius mentis & animæ virtutibus anheletis. Si quis vero regularium ſacerdotum, judicum, atque ſæcularium perſona hanc meæ conſtitutionis paginam agnoſcens contra eam temere venire tentaverit, poteſtatis honoriſque ſui dignitate careat, reumque ſe divino judicio de perpetrata iniquitate cognoſcat; & niſi quæ ab illo ſint male ablata reſtituerit, niſi digna pœnitentia illicite acta defleverit, a ſacratiſſimo corpore & ſanguine Dei & Domini Redemptoris Jeſu Chriſti alienus fiat, atque in extremo examine diſtrictæ ultioni ſubjaceat. Cunctis autem eidem loco juſta ſervantibus ſit pax D. N. J. C. quatenus & hi fructum boni operis percipiant, & apud diſtrictum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Datum.... per manus Johannis ſanctæ Romanæ Eccleſiæ diaconi cardinalis, ſexto decimo Kal. Novembris, Indictione I. anno Dominicæ Incarnationis milleſimo nonageſimo tertio, pontificatus autem Urbani papæ II. anno ſexto. 1093.

* Argenſon

* *ſ.* conniti.

Digitized by Google

Exſtat alia ejuſdem Urbani papæ bulla, data apud Angeliacum, per manum Johannis S. Rom. Eccl. diaconi cardinalis VII. Idus Aprilis, Indict. IV. an. Dom. Incarn. M. XCVI. *pontificatus ejuſdem an. nono, in qua meminit bullæ Gregorii VII. pro Monaſterio-novo, teſtaturque ſe hunc cœnobio eccleſiam dedicaſſe; quapropter abbati monachiſque ejuſdem loci amplum immunitatis præceptum conceſſit.*

XXXIX.

Ex chartario Cluniacenſi.

Epiſtola Guidonis ſubprioris Monaſterii-novi de electione Fulconis.

1233. SAnctiſſimo patri ac domino Cluniac. abbati, frater Guido ſubprior, totuſque conventus humilis Novi-monaſterii Pictavienſis, ſalutem & tam debitam quam devotam domino patri obedientiam. Sanctitati veſtræ notum fieri volumus quod die Dominica poſt Purificationem B. V. M. una cum domno Ozrico quondam abbate noſtro, in capitulo noſtro ſimul convenimus, & G. venerabilis prior S. Eutropii Sanctonenſis, & camerarius veſter in Pictavia litteras veſtras nobis exhibuit ſub hac forma; Venerabili & chariſſimo fratri noſtro G. priori S. Eutropii Sanctonenſis & camerario noſtro in Pictavia. Frater ſancte humilis abbas Cluniacenſis ſalutem, gratiam & benedictionem. Mandamus vobis quatinus ſi venerabilis in Chriſto & chariſſimus frater noſter Ozricus abbas S. Johannis Monaſterii-novi Pictavienſis, aliqua neceſſitate compulſus abbatiæ ſuæ voluerit reſignare, reſignationem illius recipiatis, dantes illius loci conventui auctoritatem noſtram eligendi juxta tenorem Cluniacenſis eccleſiæ privilegiorum; & ita quod inde nullum præjudicium fiat eccleſiæ Cluniacenſi. Mandamus etiam vobis quod ſi ita eſt, de redditibus dictæ abbatiæ dicto abbati competenter & honneſte quamdiu vixerit, in neceſſariis ſibi auctoritate noſtra providere faciatis. Quarum litterarum auctoritate prædictus abbas noſter maxima neceſſitate compulſus, & impotentia ſui corporis exigente, propria voluntate in præſentia veſtri camerarii jam dicti, adminiſtrationi eccleſiæ ſuæ reſignavit. Quo facto nobis data a camerario veſtro licentia eligendi, in ſeptem fratres noſtros bonæ vitæ & opinionis vota noſtra unanimiter tranſtulimus, qui jurati eccleſiæ noſtræ de paſtore idoneo providerint, ſecundum quod eis ſecundum Deum videbitur expedire; & nos omnes fidem dedimus volentes dare pacem eccleſiæ, quod electionem ab illis factam ratam & firmam ſine reclamatione aliqua haberemus. Cum vero poſtmodum illi ſeptem de electione tractaſſent, in venerabilem fratrem noſtrum Fulconem præpoſitum eccleſiæ noſtræ unanimiter conſenſerunt, & eundem in paſtorem eccleſiæ noſtræ elegerunt; quam electionem nos omnes unanimiter approbavimus & approbamus. Unde ſanctitati veſtræ, in quantum poſſumus, ſupplicamus humiliter & devote quatinus prædictum electum noſtrum bonum virum & honeſtum, quem vobis per chariſſimos in Chriſto fratres Guillermum armarium & J. cellerarium eccleſiæ noſtræ, & per parentes litteras præſentamus, recipiatis liberaliter & benigne, & electionem ipſius, ſi placet, dignemini confirmare, ſcientes pro certo quod nos in eccleſia noſtra aliquem habere non credimus qui ad regimen eccleſiæ noſtræ tam ſit neceſſarius & honeſtus. Bene & diu valeat in Domino ſanctitas veſtra. Datum die Sabbati poſt feſtum beati Mathiæ apoſtoli, anno Domini M. CC. XXXIII.

XL.

Ex chartario Cluniacenſi.

Epiſtola P. cuſtodis Monaſterii-novi ad abbatem Cluniacenſem de electione Benedicti Ullac & demiſſione P.

SAnctiſſimo patri ac domino abbati Cluniacenſi ac ſacro conventui P. cuſtos ordinis Monaſterii-novi & ipſius eccleſiæ totus conventus, promptam cum omni devotione obedientiam. Quia frequenter legimus quod jacula quæ prævidentur minus lædunt, ideo ad curanda pericula quæ nobis imminebant, chariſſimos & venerabiles fratres noſtros H. priorem noſtrum, & P. armarium ad vos & conventum Cluniacenſ. deſtinamus, per ipſos & per litteras noſtras patentes devotiſſime ſupplicantes, ut ad eccleſiam noſtram pariter & veſtram deſcenderetis, ipſi indampnitati attentius proviſurus, & eam penitus ordinaturus, & etiam quæ corrigenda eſſent in eadem eccleſia regulariter corrigentes. Sperabamus enim quod quanto magis ipſi nuntii digniores inter nos fide inveniebantur, tanto citius ad executionem petitionis noſtræ animum veſtrum poſſent inclinare. Verum quia impedientibus negotiis uſque modo venire diſtuliſtis, quæ urgente neceſſitate fecimus, vobis ad quem poſt Deum tota noſtra actio unicum habet reſpectum notificamus. Noverit ergo ſanctitas veſtra, quod cum dominus P. abbas Monaſterii-novi, nimia proprii corporis anxietate cruciaretur, & tantus eſſet dolor ægritudinis, quod nullam in agendis ſuis concederet facultatem, abbatiæ ſuæ omnino renuntiavit. Tunc vero in arcto poſiti, & timentes ne ſuadente diabolo inter nos ſuſcitarentur diviſiones & ſciſmata, vel malitia principis contra libertatem eccleſiæ noſtræ & juriſdictionem & dominium quod habetis in eadem eccleſia, aliqua intruderetur perſona, juxta regulam beati Benedicti convenientes in unum, & dignitatem veſtram integram in omnibus retinentes, cum timore Dei & reverentia venerabilem & chariſſimum fratrem noſtrum & monachum veſtrum Benedictum Ullac priorem Monaſterii-novi unanimiter & concordes in noſtrum eligimus paſtorem pariter & abbatem. Et quia electio iſta ad honorem Dei & totius eccleſiæ Cluniac. & etiam ad profectum eccleſiæ noſtræ, quantum perpendere poſſumus, facta eſſe dignoſcitur, ſupplicamus univerſitatis veſtræ ſanctitati, quatenus electionem noſtram tam rationabiliter factam amore Dei, ſi placet, confirmetis, & onus eccleſiæ noſtræ in proſequenda appellatione contra epiſcopum Pictavienſem tanquam proprium onus ſuſcipiatis; ita ut eccleſiam noſtram de manu eripiatis aliena, & ipſam deinceps veſtram poſſideatis propriam.

XLI.

Ex apographo tabularii S. Crucis Pictav.

Ludovicus Balbus Francorum rex confirmat poſſeſſiones monaſterii S. Crucis Pictavienſis.

877. LUDOVICUS miſericordia Dei rex. Notum eſſe volumus omnibus fidelibus ſanctæ Dei Eccleſiæ noſtris præſentibus & futuris, quia venerabilis Ava abbatiſſa ex monaſterio S. Crucis, quod eſt ſitum infra muros urbis Pictavenſis, noſtram adiens clementiam, obtulit obtutibus noſtris præcepta domni auguſti avi noſtri Ludovici, & piæ memoriæ genitoris noſtri Caroli glorioſorum imperatorum, in quibus erat inſertum, quod non ſolum ipſi, verum etiam & prædeceſſores eorum reges Francorum videlicet, ſub ſuo nomine & immunitatis tuitione, cum monaſterio S. Radegundis, quod eſt ſitum in ſuburbio prædictæ urbis, & cum omnibus rebus, vel hominibus ad ſe pertinentibus, vel aſpicientibus conſiſtere fecerant, & eorum immunitate authoritatum, eumdem munitum atque defenſum eſſet monaſterium. Sed pro rei firmitate

Digitized by Google

roitulavit nobis, ut paternum, ſeu prædeceſſorum noſtrorum regum videlicet & imperatorum morem ſequentes, hujuſcemodi noſtræ immunitatis præceptum ob amorem Dei erga prædicta monaſteria S. Crucis & S. Radegundis pro divini cultus amore fieri decrevimus, * per quod præcipimus atque jubemus, ut nullus judex publicus, vel quiſlibet ex judiciaria poteſtate eccleſias & loca, vel agros, ſeu reliquas poſſeſſiones prædictorum monaſteriorum, quas moderno tempore juſte & rationabiliter poſſidere videntur, in quibuſlibet pagis & territoriis, quidquid ad ipſa loca propter divinum amorem collatum fuerit, vel quæ deinceps in jure ipſorum voluerit Divina poteſtas augeri, ad cauſas audiendas, vel fieda exigenda, aut manſiones, vel paratas faciendas, aut fidejuſſores tollendos, aut homines tam ingenuos quam ſervos ſuper terram ipſorum commorantes irrationabiliter diſtringendos, nec ullas redibitiones, aut illicitas occaſiones requirendas, ullo unquam tempore ingredi audeat, ut ea quæ ſuperius memorata ſunt penitus exigere præſumat, & quicquid de rebus ipſorum fiſcus noſter ſperare poterat, nos pro æterna remuneratione prædictis monaſteriis concedimus, ut perennibus temporibus in alimonia pauperum, & ſtipendia ſervorum vel ancillarum Chriſti in eiſdem monaſteriis Deo famulantium proficiat in augmentum. Et quando quidem ipſa abbatiſſa Divina vocatione, vel ſucceſſores ejus de hac luce migraverint, quandiu ipſæ ancillæ Dei inter ſe tales invenire poterunt, quæ ipſam congregationem ibi Deo famulantium ſecundum Regulam regere valeant, per hanc noſtram auctoritatem licentiam habeant eligendi abbatiſſam, quatinus pro nobis, conjuge, proleque noſtra, & ſtabilitate regni noſtri a Deo nobis collati, jugiter Dei miſericordiam exorari delectet. Concedimus etiam prædictis fratribus S. Radegundis & ancillis S. Crucis quaſdam villas ſicut dominum genitorem noſtrum Carolum Auguſtum conſtat eis conceſſiſſe, Deniacum, Novam-villam, Bitronium, Mermenterum. Et ut hæc noſtra auctoritas noſtris & futuris temporibus firmitatem obtineat perpetuam, manu propria ſubterfirmavimus, & de anulo noſtro inſigniri juſſimus. Datum civitate . . . Indictione XI. an. I. regni domini Ludovici glorioſiſſimi regis. Actum Turonis monaſterio S. Martini in Dei nomine feliciter, Amen.

* *Quadam reclamatur deeſſe.*

XLII.

De S. Radegunde regina, S. Crucis fundatrice.

PAtrem habuit Beretharium regem Thoringorum ſive Brittarium, patruum Hermenfridum & ipſum regem, avum Baſſinum qui fuit quoque rex. Quando vero Theodoricus Auſtraſiorum rex tributarios ſibi Toringos bello fecit, prædamque Chlothario fratri pro lato auxilio conceſſit, iſte Radegundem anno 529. captivam abduxit, quæ in Veromandenſem * ducta Atteias * in villa regia nutriendi cauſa, cuſtodibus eſt deputata. Ibi puericiam egit ſanctiſſime, ſocium precum & piorum operum nacta Samuëlem parvulum clericum. Interea vero litteras docebatur; aſt (anno 538. ut Cointio placet,) cum præparatis expenſis Victuriaci * Rex eam ducere vellet, Betarchom ab Atteis nocte cum paucis elapſa eſt, deinde Sueſſionem directa iterum fugit ut pompam regalem evitaret; tandemque terreno regi ſic nupſit, ut a cœleſti non ſepararetur. Hanc in aula vitam inſtituit, ut monacham potius quam reginam thori conſortem habere ſe Rex diceret; quippe quæ convivio ſeſe ſubduceret ad decantandum curſum, noctu ſurgeret e lecto, geluque rigens illuc reverteretur, cilicium ferret, pauperes ipſa lavaret, mundaret, paſceret, curaretque; neglectis vero cibis regiis, fava & lenticula ipſa veſceretur. Sæpius ob hæc a Rege increpita & objurgata, & a domeſticis perſecutionem paſſa; tandem occiſo ab illo fratre ſuo, licentiam obtinuit a Rege monalticam veſtem induendi, ſuſcipiendique diaconatus a S. Medardo Noviomagi; quem ut ſibi conferret, prope compulit invitum. Variis poſtea cellis ſeu monaſteriis pretioſas veſtes diſtribuit, ſalutatoque S. Martini ſepulcro, in villam Suaëdas * Pictavienſis territorii a Rege ſibi datum abdidit ſe, ibique metuentem ne a Rege ſicut fama erat, repoſceretur, Johannes in caſtello Cainone * reclauſus ab hoc metu liberavit, Regem quidem id velle, Deum vero nolle confirmans. Poſt hoc dictum ſupradicta domina Radegundis mente tota intenta ad Chriſtum Pictavis, inſpirante & cooperante Deo, monaſterium ſibi per ordinationem præcelſi regis Chlotharii conſtruxit; quam fabricam vir apoſtolicus Pientius epiſcopus & Auſtrapius dux, per ordinationem Dominicam celeriter fecerunt: in quod monaſterium ſancta Regina mundi falſa blandimenta reſpuens, gaudenſque ingreſſa eſt: ubi perfectionis ornamenta conquireret, & magnam congregationem puellarum Chriſto numquam morituro ſponſo traderet. Chlotharium autem Turonos uſque ad illam retrahendam progreſſum, ſolicitatus a regina S. Germanus epiſcopus Pariſienſis ab illo conſilio ſupplex abſterruit; Ariique mortem experti ſunt qui Regi hoc perſuaſerant.

* *f.* pagum.
* Athiez.
* Vitry proche Douay.
* Sais.
* Chinon.

XLIII.

Inſtrumentum fundationis D. Trinitatis Pictavienſis.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis Hlotharius Divina providente clementia rex & auguſtus. Univerſarum eccleſiarum decus priſcis gliſcens augmentis, ſuccedente religione ſervantibus ſtatum cum ſanctorum, tum etiam ſanctarum; eorumdem fons humanorum, fortitudo venuſtatis adhærens cœleſtibus creditur unita animi devotione cum Chriſto atque non unius animæ ſalus, ſed multarum manus * remiſſionum ſolutis contagiis. Quod cernens clara Guillelmi comitis, dilectique fidelis noſtri mater Adela: poſtquam ſuus homo exierat *, ſerviturum ſe Domino obligavit, jugiter illi ſoli innitens, a quo mente & puro corde anhelabat ſupernæ vitæ deſiderium. Verum in univerſis magis quam in unius ſubſiſtentia Chriſti ſervitus felicius exercitata audiretur, atque ſuis religioſarum ſuffragio matronarum id fieri fruſtrata ejus ſpes ſatiſcebat, conſilio religioſarum, una cum filio Guillelmo comite, noſtræ ſerenitatis aures humili precamine aggreſſa eſt, ut infra Pictavenſem urbem in prædio ſuo quod ad hoc emerat juxta priſtinam cellam S. Hilarii, monaſterium ad honorem ſanctæ & individuæ Trinitatis, id quod eſt, conſtrui licitum foret, ubi pro noſtra totiuſque regni noſtri ſalute, ac pro remedio mariti filiique jugiter laudes debitas a deſponſatis, ſponſus Eccleſiæ Chriſtus audiret: atque ad hoc detinendum curtes duas cum ſuis appenditiis noſtro daremus præcepto, & dnos, quod allodos nuncupant ejuſdem loci incolæ. Quapropter omnium fidelium ſanctæ Eccleſiæ ac noſtrorum ſolertia innoteſcat, ſupradictæ Adelæ comitiſſæ, Dominoque devotiſſimæ, conſenſu ac precatione filii Guillelmi comitis, noſtrique palatii dignitatum aſſenſione conceſſum eſſe, & munimine noſtri præcepti datum locum infra urbem prænominatam, cum omnibus quæ tam ipſa quam ibi Domino militantes, aut acquiſita obtinent, aut Chriſto largiente pro tempore acquirere valebunt. Quem locum de omni regali auctoritate munitum, atque circumſeptum, neque Reipublicæ exactor cauſa cujuſpiam negotiationis excutiendo, normæ ſanctarum monacharum offendat inviolabilem tramitem, tenoremque ſuæ obtineat religioſitatis, damus prælibatas cum omnibus ad eas pertinentibus curtes duas: quarum una Fagia vocatur, habens capellas duas, unam in honorem

* munus.
* hominem exuerat.

S. Juliani, alteram in honorem S. Gervaſii ; altera vero Curs vocatur Secundiniaca cum capella in honorem S. Petri in pago Metulenſi, & duos alodos quorum unus Veluetus, alter Sartum vocatur. Hæc omnia præſcripta tam in cortibus quam in alodis damus, atque largimur tum Domino ibi famulantibus, tum etiam ipſi comitiſſæ Adelæ, cum vineis, pratis, ſilvis, paſcuis, aquis, aquarumve decurſibus, molendinis, exitibus & regreſſibus, & mancipiis utriuſque ſexus cum omni integritate ad eaſdem curtes, vel alodos pertinente. Et ſi quis locum, vel ibi Domino militantes, inquietare præſumpſerit, libras auri c. mulctetur, medietatem prædicto monaſterio, & cameræ noſtræ alteram, atque anathematis ſancti Spiritus, ſanctorumque, ſanctarum etiam feriatur & damnetur. Et ut firmius maneat, & in poſterum inconvulſum ſervetur, manu propria ſubterfirmantes, a nobis datum hoc præceptum noſtri ſacri palatii ſigillo ſignari præcepimus. Domini Hlotharii ſignum
* Gezo. glorioſiſſimi regis & auguſti. Gero * cancellarius ad vices Adelrici archiepiſcopi, ſummique cancellarii recognovit & ſubſcripſit.

XLIV.

Diploma Lotharii fundationem hanc confirmantis.

962. LOTHARIUS Divina ordinante providentia rex Francorum. Specialibus cujuſcumque fidelium noſtrorum cauſis inſpectis ſubveniendum eſſe regalis auctoritas monſtrat. Quanto magis ad debitam regalitatis providentiam, æquum, dignumque pertinet, ut eccleſiæ catholicæ atque apoſtolicæ, quam Chriſtus ſuo pretioſo ſanguine redemit, eamque nobis, qui per adoptionem filii exiſtimus, regendam tuendamque commiſit, piam ſollicitamque in cunctis curam gerere ſtudeamus. Et ut in ejus profectu ſive exaltatione, congruam debeamus exhibere diligentiam, ad ejus neceſſitatem & utilitatem, atque dignitatem neceſſaria & utilia provideamus, conſtituri. Sanctæ igitur Eccleſiæ catholicæ filiis Dei, cunctiſque fidelibus præſentibus & futuris perſpicuum eſſe volumus: quoniam conſobrini, ducisque potentiſſimi Eblonis conjux illuſtris Adela vocabulo noſtram expetiit ſerenitatem, quatenus pro noſtra, conjugis, & prolis ſalute, regni quoque noſtri ſtatu, cœnobio noviter in Pictavia urbe ab inclyta genitrice ſua, per aſſenſum marchionis Guillelmi ſui itidem filii conſtructo, atque in nomine & honore S. Trinitatis dicato, noſtræ auctoritatis præcepto munimen & robur præbere dignaremur. In quo cœnobio venerabilis matrona & fundatrix Adela, ad honorem & cultum Domini adminiſtrandum, cum ſatis honeſtiſſimum apparaſſet ornatum, & monachatum Deo famulantium aggregato cœtu quæ ſub abbatiſſæ unius imperio ſecundum Regulam S. patris Benedicti probabiliter viverent, ſufficientiam neceſſariam copioſe addidiſſet rerum, conſiderans quod adhuc eſſet quod egerent; eget enim ſemper femineus grex divino cultui mancipatus, ſacerdotum, & eorum qui in clero ſunt ſolatio miniſtrorum, nec rationabiliter conſiſtere valet ſine eo; impetravit ut quandam abbatiam quæ olim monaſterium puellare S. Petri vocatum ob puellas ibi deſervientes, nunc verſa vice, quoniam ſors omnia verſat, & eam canonicis inſtituratam eodem cœnobio attribuerat: ita ut amodo tam ipſa abbatiſſa, quam canonici, eorumque prædendæ abbatiſſis dicti cœnobii cum omni integritate ſubjaceant, ſicque loci opportunitas, noſtra cum Dei auxilio ſuperveniente auctoritate, integra exiſteret. Igitur petitione accepta decrevimus, fidelis noſtræ, cui nil tatum negare fas, judicamus petitioni ſatisfacere, cum neque matri ejus neque fratri velimus contraire. Et ſi quis hunc locum noſtra auctoritate fundatum inquietare præſumpſerit, libras auri centum mulctetur, medietatem monaſterio prædicto, cameræ noſtræ alteram, atque anathematis ſancti Spiritus, ſanctorumque, ſanctarum etiam feriatur, & damnetur. Statuimus ergo, & noſtra auctoritate regia confirmamus ad illum locum omnia, quæ ſive mater ſive filius contulerunt, ſeu quidquid fideles collaturi ſunt, tam in ornamentis eccleſiaſticis, quam in ædificiis intus & extra poſitis, eccleſiis, villis, & omnibus legitimis appendiciis inconvulſe tenenda, quiete poſſidenda omni inquietudine ſecluſa. Ut autem hæc noſtræ confirmationis auctoritas majoris per ſuccedentia temporum curricula eſſet roboris, præcepti noſtri ſcriptum ſcedulæ noſtræ juſſimus impreſſione inſigniri. Anno Dominicæ Incarn. DCCC. LXII. Indictione VI. regnante Hlothario glorioſiſſimo rege ſub an. IX. regni ejus. Signum Lotharii regis excellentiſſimi. Actum Lauduno urbe regali. Arnulphus notarius ad vicem domini Adelrici archiepiſcopi recognovit, & relegit.

Hæc duo Lotharii diplomata, cum plurimis mendis in Gallia Chriſtiana veteri excuſa, iis purgata recudenda cenſuimus. Alia ejuſdem principis legeſis apud Beſlium hiſt. comit. Pict. p. 258. cum ipſius monogrammate.

XLV.

Excerptum bullæ Calixti papæ II. pro SS. Trinit. Pictav.

1119. ELISABETH abbatiſſæ Pictavenſis monaſterii SS. Trinitatis Calixtus papa confirmat bona monaſterii, videlicet eccleſiam S. Petri de Camberria cum decima ſua, eccleſiam S. Martini de Pailet cum decima ſua, eccleſiam S. Juliani cum curte ſua, eccleſiam S. Nicholai de Prato-maledicto cum curte ſua, eccleſiam S. Petri de Secondigrec cum curte ſua, eccleſiam S. Maximi de Contre cum curte ſua, eccleſiam ſancti Ylarii de Villafolet cum curte ſua, eccleſiam SS. Gervaſii & Protaſii cum curte ſua, eccleſiã S. Mariæ de la Foreſt cum integritate ſua, eccleſiam S. Mariæ de Murnai cum integritate ſua, eccleſiam S. Gregorii in ſuburbio Pictavis cum integritate ſua, eccleſiam S. Pelagii in ſuburbio cum integritate ſua; infra ipſam civitatem Pictavenſem S. Petri puellare monaſterium cum integritate ſua, ita etiam ut cellerarius officium, & canonici præbendas de manu abbatiſſæ in capitulo accipiant, & ſervitium debitum atque obedientiam, ſicut hactenus feciſſe noſcuntur, monaſterio & abbatiſſæ prorſus exhibeant. Datum Pictavi per manum Chriſogoni S. R. E. diaconi cardinalis ac bibliothecarii V. Kal. Septemb. Indict. XII. Dominicæ Incarn. anno M. C. XIX. Calixti II. anno primo.

XLVI.

Eugenii papæ III. litteræ de electione Mathildis ſecundæ abbatiſſæ Fontis-Ebraldi.

1119. EUGENIUS epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilectis in Chriſto filiabus ſanctimonialibus eccleſiæ Fontis-Ewraldi ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Sicut ex litterarum veſtrarum inſpectione perpendimus, bonæ memoriæ abbatiſſa veſtra, Domino vocante, humanæ conditionis debitum ſolvit; de cujus morte paterno condolentes affectu, animam ipſius noſtris precibus Domino commendamus. Vos autem poſt obitum ejus, ſicut eiſdem nobis litteris intimaſtis, M. nobilis Andigavenſis comitis ſororem in abbatiſſam vobis regulariter elegiſtis, eamque benedici a venerabili fratre noſtro G. Pictavienſi epiſcopo poſtulaſtis: quod quia ipſe abſque promiſſione obedientiæ facere recuſaret, nos juxta petitionem veſtram eidem cauſæ finem imponere non differemus. Præterea univerſitatem veſtram per præſentia ſcripta monemus, & exhortamur in Domino, ut in bono veſtro propoſito perſeverare attentius ſtudeatis, & ita divino cui mancipatæ eſtis

Digitized by Google

obſequio adhærere, ut odor veſtræ bonæ converſationis, multis exempla proponens, longe lateque, ſicut hactenus, effundatur; ne bona quæ de veſtro collegio uſque modo prædicantur, virtuti vel probitati unius plurium aſcribantur. Agite ergo, dilectæ in Domino filiæ, & lampades veſtras ſtudeatis ita bonis operibus adornare, ut cum Chriſto cui deſponſatæ eſtis, mereamini ad æternas nuptias introire. Datum Tuſculani VII. Idus Septembris.

XLVII.

Bertæ abbatiſſæ Fontis-Ebraldi litteræ de conſtructione capellæ S. Catharinæ ab Ala ducissa Borbonii moniali Fontis-Ebraldi.

1225. BERTA Dei gratia Fontis-Ebraudi abbatiſſa omnibus præſentes litteras inſpecturis ſalutem in Domino. Noveritis quod venerabilis Ala quondam ducissa Borbonii, poſt vero multo tempore religioſa monialis & benefactrix noſtra, dedit noſtro conſilio & aſſenſu in puram & perpetuam eleemoſynam capellæ quam adſtrui fecit de ſuo proprio, in medio cimiterii noſtri, in honore beatæ Catharinæ XLIX. ſolidos quatuor denarios minores ſingulis annis percipiendos, per manum prioris de Montilibus, hiis tribus terminis, videlicet in feſto S. Albini XXII. ſolidos IV. denarios minores, in feſto S. Michaëlis XIX. ſolidos, & in Natale Domini VIII. ſolidos. Dedit iterum octo ſolidos dictæ capellæ quos annuatim percipiat apud Codreium Marchoardi per manum Philippi Jacob in feſto S. Michaëlis recipiendos, & duos ſolidos apud Fontenei recipiendos, per manum prioris ejuſdem loci, in feſto S. Michaëlis, & triginta ſextaria frumenti apud Torcan ad luminare præfatæ capellæ faciendum, in eodem feſto ſimiliter recipienda per manum Aimerici d'Erter. Ut autem hæc donatio firma & ſtabilis in perpetuum perſeveret, ad petitionem ſupradictæ Alæ, præſentes litteras ſigilli noſtri munimine fecimus roborari. Actum anno gratiæ MCCXXV.

XLVIII.

De Johanna Baptiſta de Bourbon abbatiſſa Fonte-Braldenſi.

Ex necrologio Font-Ebrald.

MIgravit a ſæculo reverendiſſima mater noſtra ac domina Johanna Baptiſta a Borbonio Henrici IV. Francorum regis filia. Vix decennis dum regni primates eximiis ejus tum animi tum corporis dotibus rapti, eam ſibi conjugem poſtularunt; ſed hæc, inquiebat, ſponſi injuria eſt expectare placituram. Iteratis itaque precibus Mariam Mediceam reginam, quam veluti matrem colebat adduxit ut ab aula regia in primævo juventutis flore avelleretur, & curis peculiaribus Mariæ a Lotharingia regii Calenſis cœnobii prope Pariſios abbatiſſæ committeretur. Ibi autem ad omne virtutis ſtudium efformata, ſolemni votorum profeſſione ſe Dei & religionis obſequio mancipavit. Quantum tunc in omni opere bono progreſſum fecerit, ſuadet magnus ille animi ardor quo aggrediebatur difficiliora: ſuadent & obedientiæ, humilitatis, modeſtiæ, caritatis, aliarumque virtutum exempla quibus omnes ad regularem diſciplinam accendebat. Jam tot & tanta virtutum ſpecimina ac regiæ indolis argumenta præbuerat, ut ſanctæ religionis bonus odor ubique exilteret. Hinc feliciter contigit, ut a Fonte-Braldenſi monaſterio, in ſuffraganeam reverendiſſimæ matris noſtræ Ludovicæ a Borbonio de Lavedan fuerit ardenter exoptata, ac uno omnium tam ſororum quam fratrum aſſenſu, annuente rege chriſtianiſſimo Ludovico decimo tertio, in abbatiſſam electa. Mirum ſane eſt quanto fuerit ſolatio prædictæ matri noſtræ abbatiſſæ, dum per annorum duodecim ſpatium in perferendo onere regiminis abbatiæ, totiuſque ordinis eam ſtrenue adjuvit, & præcipue dum majoris prioriſſæ munus aſſumpſit: quod tam egregie ſeptem annis noſcitur expleviſſe, ut omnibus eſſet admirationi. Tunc enim ſtrictiori diſciplinæ ſtuduit quammaxime. Prima aderat choro, abibat ultima, diu noctuque pſallendis divinis laudibus erat intenta. Quantis vero affligeret ſe macerationibus, extenuaret jejuniis, attereret vigiliis incredibile. Non plumam, ſed paleam, non lineam culcitram, ſed tabulam vel ſacrum glunia refertum in capiendo ſomno adhibebat. Sic innocens victima non ſuum, ſed noſtrum, ne pro illo puniretur, puniebat peccatum. Poſtquam autem a morte Ludovicæ matris noſtræ ac domnæ, totam domum in ſe inclinatam recumbere perſpexit, curam omnem & induſtriam in regendo ſuo ordine collocavit, ſed quam fauſte probavit eventus. Quod ſemel ex conſilio cœperat, firmitudine pluſquam virili proſequebatur. Erat enim animo infracta, adeo ut nihil objiceretur tam arduum quod ejus tereret conſtantiam. Nec mirum; non enim viſus eſt unquam, qui rem cautius proponeret, aut actius defenderet, vel ad exitum felicius perduceret ubique & ſemper invicta. Componendis magnatum & quorumvis aliorum jurgiis, ea qua in proximum efferebatur caritate vacabat. Nec propterea ab iis quæ ad ſui regimen ordinis ſpectabant diſtrahebatur. Præſens animo, matura conſilio, univerſali quadam providentia etiam minutiſſimis proſpiciebat. In ea apparuit ſemper ſumma cum venuſto corpore cellitas mentis, quæ comitati & affabilitati ſermonis conjuncta, omnium conciliabat animos. Nec deerat amabilis quædam in verbis & geſtis gravitas, quæ non tam extorquebat metum quam impetrabat reverentiam. At ſi eleganti & decora erat facie, mente moribuſque longe formoſior agnoſcebatur; ingenio ſiquidem erat ſublimis, doctiſſime & mira quadam facundia loquebatur, itaut ſtuperent univerſi. Linguam Hiſpanam VIX annos novem nata exquiſite callebat: procedente tempore Latinam didicerat, philoſophicis & theologicis animum ſuum adjunxerat, & potiſſimum lectioni ſanctorum patrum, quorum mentem pari facilitate & eloquentia eam attigiſſe & explanaſſe teſtantur plura manuſcripta, quæ licet æterna luce digna, pro ſua ſingulari modeſtia noluit prælo ſubjici. Verum an cœleſtis illius doctrinæ radii parerent affectum piæ voluntatis: an veluti fœtus & ſacri partus ab illa promanarent non diſcutimus. Hoc unum dumtaxat compertum habemus, quod ſcientiam quæ inflat ſemper reſpuit; caritatem quæ ædificat ſummopere excoluit: ea vero quæ didicit, non tam ratione, quam oratione, non tam ſtudio intellectus quam ſtudio voluntatis, nec tam humano magiſterio quam longo rerum uſu & proprio experimento videtur comparaſſe. Didicit enim ex iis quæ paſſa eſt in ſublevandis die & nocte infirmis patientiam; ex vilioribus officiis, cujuſmodi ſunt lavare & extergere ſcutellas, clauſtra & coquinam ſcopis mundare, ſororibus in refectorio & noſocomio miniſtrare, infirmas frequenter inviſere, moriturıs (abdicato perſonarum diſcrimine) præſentem ſe numquam non exhibere; ex iis, inquam, didicit humilitatem, benignitatem, caritatem & alias virtutes, quibus vitam ſuam mirifice contexuit. Laudanda quoque illuſtriſſimæ principis noſtræ munificentia. Cryptam arcuatam humandis abbatiſſarum corporibus coaptavit, & ab illa exorſa, & auſpicata eſt, ut ſibi mortem ob oculos poneret: pretioſiſſimis aræ veſtiariis majus monaſterium exornavit, ſacrarum reliquiarum thecas ampliſſimas & ditiſſimas donavit: craticulam majorem cum variis quibus decoratur ornamentis conſtruxit: porticulam quæ ducit ad altare S. Benedicti, ubi audire ſacrum & divinam Euchariſtiæ alimoniam percipere valeant infirmæ, ædificandam curavit, ornavitque ſingulorum effigie. Quin etiam in bibliotheca S. Johannis de Habitu excitanda & exornanda plurimum contulit, eamque aureis divi Thomæ operibus ac pluribus aliis voluminibus illuſtravit. In omnes

tandem natura ipſa fecerat liberalem: unde non mirum quod nemo ab ea rediret vacuus. Non omittam quod ſummo vigore privilegia Ordinis coram regibus & principibus defendit, eorumque confirmationem, & ampliationem obtinuit, non tam oraculo vocis, licet potentiſſimo, quam manifeſta profeſſione virtutis: quæ & ſummos pontifices, & reges ac totius Europæ principes, ipſi fecerat devinctos. Poſt hæc & alia præclare geſta incidit in præproperum & gravem morbum, quo periculoſe decumbens, ad mortem læto & patienti animo ſubeundam ſeſe comparavit. In lectulo mortis tamquam chriſtianæ fortitudinis theatro, non tam jacere, quam erigi videbatur: ipſa enim mortem ſibi prænuntiatam non exhorruit, ſed conſtanter expectavit. Nec mirum, quia ejus vita perpetuum fuerat pretioſæ mortis magiſterium. Non timuit nec tremuit moriens: quia & timuerat & tremuerat vivens, dum in timore & tremore ſalutem ſuam operabatur quotidie. Conſtantem itaque & confidentem natura non fecerat, ſed gratia; cujus impulſu antequam e vivis excederet, ſingula ordinavit, atque ſacri viatici & extremæ unctionis munita præſidiis, ſuis utriuſque ſexus religioſis circumſtantibus & collacrymantibus, maternam & capitalem benedictionem impertivit. Sed pro dolor! matura cælo, præmatura ſolo, dura nobis, jucunda ipſi, mors eam oculis noſtris, non cordibus ſurripuit, anno ætatis ſuæ ſexageſimo ſecundo pene abſoluto, a ſui ordinis moderamine trigeſimo tertio inchoato, a Chriſto nato MDCLXX. die decima ſexta Januarii. Sic vitam inter ſororum ſuarum lamenta non tam finiit, quam meliorem inchoavit, Deo in æternum victura.

XLIX.

Ex Fonte-Braldenſi necrologio.

Elogium Mariæ Magdalenæ Gabrielis de Rochechouard abbatiſſæ Fonte-Braldenſis.

MIgravit a ſæculo reverendiſſima mater noſtra Maria Magdalena Gabriëla de Rochechouart-Mortemart, ex patre duces inter & Franciæ pares, ac ſupremis in aula dignitatibus cumulato perilluſtris filia. Hæc a tenero, virtutis non modicæ monimentum poſteritati exhibuit; oblectamentorum ſæculi junior contemptrix, jam religioni matura apud Abbatiam a nemore in urbe regia profeſſionem edidit. Ibi quanto naturæ donis erat pulcrior, tanto fuit pietatis operibus Deo gratior: quibuſlibet monaſterii religioſis exemplo, Ludovico magno, apud quem gratiæ conciliatrix unica pietas, admirationi. Majori theatro digna ad abbatiſſæ Fonte-Braldenſis authoritatem, increpans annorum moras brevi fuit provecta. Sed vero poſt conſecutam dignitatem quot & quanta fecerit quis recenſeat? Miniſterio ſuo pervigil, reformationis cupiens, abbatiſſa munere abbatiſſæ negotiorum pondere, monaſteriorum ſuorum diſciplinis ſemper intenta, dies noctesque hanc partem curis, alteram ſtudiis adhibens, inſomnes ducebat. Hinc in ſcientia fructus fecit adeo uberes ut in omni eruditionis genere prodigium eruditis non minus videretur quam oraculum. Quicquid fuit apud Græcos ſalis, apud Romanos urbanitatis vivens jucunde ſapuit. Quæ ſancivit, plura loquuntur quam effari poſſim; plura ſapientiſſime ordinavit, quam hominis etiam ſublime ingenium capiat. Hæc tamen, quantacumque ſint, nondum ſunt ſingula. Totius monaſterii ornamento ſtudens, ſacras ædes & collabentes refecit, & cultu multiplici ditavit. Tabernaculum majus auro fulgens, & oſtenſorium aliud margaritis gemmiſque radians condidit: altare columnis decoratum marmoreis cancellis clauſit, multaque ſupellectili auxit. Vermiculato miræ magnitudinis opere chorum exornavit, dormitorium majus ex parte conſtruxit: unum & aliud ſuis impenſis una cum novitiarum domo a fundamentis ædificavit, ſuperius lapideis cellis diſtinxit. Quid inſuper? domum abbatialem prius cœptam, additis pluribus ædificiis, hortiſque immenſa teſtudine adjunctis, ſumptu proprio complevit. Hæc ſunt quæ in nos liberali manu beneficia contulit vivens. Mortalibus adhuc nobis etiam moriens proderit precibus apud Deum, ad quem viatico & aliis ſacramentis munita, cœlo gaudente, Fonte-Braldo lugente, inter propinquarum & utriuſque ſexus perſonarum acerbos dolores evolavit, anno ætatis ſuæ quinquageſimo octavo, ſuſcepti regiminis trigeſimo quarto, Chriſti nati milleſimo ſeptingenteſimo quarto, die vero Auguſti decima quinta; ut quo die virgo Maria in cœlum aſſumta eſt, Maria Magdalena de Rochechouard in cœlum aſcenderet, & alibi aliorum &c.

L.

Charta Lotharii regis pro Bonavalle juxta Thoartium.

DIvinæ legis ſublimitate cernitur fore ſancitum, quia totius orbis imperium regali axiomate ſublimatum numquam debeat violari ab ullo principum, quorum principatus feliciter nobili ſceptro regitur regum. Ideoque quicquid ab illo verbis vel ſcripto hauritur pactatum ſeu pactandum, inviolabile debet perſiſtere & fixum, &c. Quamobrem ego Lotharius rex Francorum, Divina permittente gratia, excellentiſſime cupio intimare cunctorum auribus fidelium utriuſque ſexus diverſi ordinis, diverſæque poteſtatis, quod accedens ad me Gofredus comes Andegavorum, conſentiente tamen ſuo ſeniore domino Guillelmo Aquitanicorum duce precatus eſt, ut quoddam beneficium in pago Pictavo per diverſa loca ſitum, beneficium videlicet quod Aymericus Thoarcenſis de illo tenuit, illam prorſus curtim, quæ vulgo nuncupatur Faya, cum ipſa capella in honore ſancti Hilarii dicata una cum pratis, molendinis, ſilvis, aquis, aquarumve decurſibus, ſimulque & collibertis utriuſque ſexus, & omne quod ad ipſam curtim cernitur pertinere; & in alio loco in ipſo pago alteram capellam in honore S. Petri dicatam in villa Miſſeria ſitam, cum domibus, curtiferis, virdegariis, vineis, pratis, molendinis, aquis aquarumve decurſibus, terris cultis & incultis, quæſitis & inquirendis, & cum omnibus in carris. Inſuper & in alio loco in Niorrenſi pago unam capellam in honore S. Saturnini ſacratam, ſitam in villa quæ nunc vocatur Cavanias, ſed antiquitus vocabatur Lapheriacus, & quicquid ad eam pertinere videtur. Inſuper & quarumcumque ad ipſum beneficium Aymerici quod tenebat ex præfato Gofrido comite, totum & integrum quod inquiſitum noſcitur eſſe, vel mortalis homo poterit adquirere, Arberto Thoarcenſi vicecomiti, & uxori ſuæ Hildegardi nomine per regalis præcepti teſtamentum meæ poteſtatis donum dignarer concedere. Quod audiens ego Lotharius rex Francorum, non cujuſpiam cupiditatis face accenſus, ſed inviolabili amore ducis Aquitanicorum, & exhortatione mei apocrifariorum domini videlicet Helbetii, plurimorum metropoli epiſcoporum, & domini Geboini magnificæ genetoſitatis epiſcopi placatus, quod mentis deſiderio a me poſtularunt, libenti animo a me impetrarunt; eo ſcilicet tenore, ut quamdiu vixerint ſub teſtimonio Regum præcepti teneant & poſſideant. Poſt illorum quoque diſceſſum non revertatur ad ullum filiorum, ſeu ceterorum propinquorum vel heredum illorum, ſed ad opus abbatiſſæ & puellarum loci illius, Deo, & ejuſdem beatæ Mariæ genitrici, necnon & beato Andreæ & ſancto Johanni Baptiſtæ famulantium, ut in ſubjectione ancillarum Domini monachalium, reſpectuque earum inviolabiliter permaneat ſub imperio ſpiritalis abbatiſſæ quæ ad regendas animas inventa fuerit idonea. Precamur denique omnes noſtros ſucceſſores reges, comites, præſuleſque &

an. 973.

abbates, necnon & cunctos hujus ævi proceres, ut talis abbatiſſa inibi omni tempore conſtituatur, quæ non ſolum ſibi, ſed & cæteris aliis præeſſe & prodeſſe videatur. Quicunque autem diabolici inſtinctus errore auſuque temerario provocatus, huic noſtræ auctoritatis ſyngrapho refragationis obicem proterum ingerere niſus fuerit, excommunicationis atque anathematis eum ex auctoritate ſummæ & vivificæ Trinitatis Patris & Filii & Spiritus ſancti innodamus vinculis, atque alienum facimus a conſortio beatæ Mariæ & omnium angelorum Dei, necnon & beati Petri apoſtolorum principis, quatenus cum Juda proditore, Anna & Caipha, atque Pilato damnationem accipiat, niſi cum ſatisfactione emendaverit futuræ hujus loci abbatiſſæ. Actum Pictavis civitate anno Dominicæ Incarnationis D. CCCC. LXXIII. XIV. Kal. Februarii, anno regnante domno Lothario glorioſiſſimo rege XXI. Ego Adalbero regius notarius ad vicem domni Adalberonis Remorum archiepiſcopi & ſummi cancellarii recognovi. Signum Lotharii glorioſiſſimi regis.

LI.

Bulla Alexandri papæ III. pro abbatia S. Johannis de Bonavalle prope Thoartium.

1169. ALEXANDER epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilectis in Chriſto filiabus Aladæ abbatiſſæ monaſterii ſanctorum Johannis atque Andreæ de Thoartio, vobiſque ſororibus tam præſentibus quam futuris rectam vitam profeſſis in perpetuum. In primis locorum venerabilium cura nos admonet de eorum quiete atque utilitate ſollicite cogitare; nec dubium quod ſi ancillarum de profectibus benigne concurrimus, noſtris opportunitatibus clementem Deum reperiemus. Eapropter, dilectæ in Chriſto filiæ, veſtris juſtis poſtulationibus clementer annuimus, & præfatum monaſterium ſanctorum Johannis & Andreæ, in quo divino eſtis obſequio mancipatæ, ſub beati Petri apoſtolorum principis & noſtra protectione ſuſcipimus, & præſentis ſcripti privilegio communimus. In primis ſiquidem ſtatuentes ut ordo monaſticus, qui ſecundum Dominum & beati Benedicti regulam in eodem monaſterio inſtitutus eſſe dignoſcitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter obſervetur. Præterea quaſcumque poſſeſſiones, quæcumque bona idem monaſterium juſte & canonice poſſidet, aut in futurum conceſſione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, ſeu aliis juſtis modis præſtante Domino poterit adipiſci, firma vobis & his quæ poſt vos ſucceſſerint, & illibata permaneant; in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis: locum ipſum in quo præfata eccleſia ſanctorum Johannis & Andreæ ſita eſt cum omnibus pertinentiis ſuis, eccleſiam S. Dionyſii de Thoartio cum omnibus pertinentiis ſuis, eccleſiam ſancti Medardi cum decimis & pertinentiis, & in eadem eccleſia cenſus quinque ſolidorum Andegavenſis monetæ, quos in Cœna Domini annuatim recipitis; eccleſiam ſancti Lazari & domum heleemoſinariæ, quæ ſita eſt extra muros prænominati caſtri, eccleſiam ſanctæ Mariæ de Caſtro-novo Regis, eccleſiam ſancti Petri de Miſſe & domum juxta eccleſiam cum omnibus pertinentiis ſuis, duos ſolidos annuos de domo Aimerici præſtoris pro oblatione, eccleſiam ſancti Hilarii de Faya, & domum juxta eccleſiam cum tota villa de Faya & omnibus pertinentiis ſuis, eccleſiam beati Benedicti cum molendino & appendentiis, ex dono bonæ memoriæ prioris Simonis Mangot, uſuarium ad ignem pro domo veſtra in nemore de Calca Rubea, tres ſolidos annuos in domo Berthepoſe, in Pentecoſte tres ſolidos annuos de terra veſtra de Berte Porrea, in Cœna Domini cenſus quos habetis in præfato caſtro Thoartii intus & extra, decimas terrarum & vinearum atque annuatim præfati caſtri tam intus quam extra rationabiliter vobis conceſſas, decimas annonæ & vini quas dividitis cum canonicis ſancti Hilarii Pictavienſis, decimas vini & annonæ quas habetis cum Willielmo de Foreſta, decimas quas habetis cum eccleſia ſancti Hilarii de Vigné, quartam partem decimarum de veſtra terra d'Orbé cum appenditiis ſuis, villam de Tourtenay cum appenditiis ſuis, domum Aſſay cum appenditiis ſuis, villam Ruau cum appenditiis ſuis, villam Cintreyo & domum cum omnibus appenditiis ſuis, molendinum de Duppe, molendinum ponte ſancti Jacobi, nonam partem molendini de Vrouvay, medietatem molendini de Colins, molendinum de Cintreyo, eccleſiam ſancti Clementis juxta Nyortum, & domum cum omnibus appenditiis ſuis. In epiſcopatu Xantonenſi eccleſiam ſanctæ Mariæ in Boſco cum omnibus pertinentiis ſuis, eccleſiam ſanctæ Mariæ de Craſpé cum omnibus pertinentiis ſuis, cenſus ſex denariorum de clauſtro ſancti Laoni * de Thoartio.

* S. Laon.

In parochialibus vero eccleſiis quas tenetis, liceat vobis capellanos eligere, & epiſcopo repræſentare, quibus, ſi idonei fuerint, epiſcopus curam animarum committat, ita quod eſt id de ſpiritualibus, vobis autem de temporalibus debeant reſpondere. Præterea cum generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis clauſis januis, non pulſatis tintinnabulis, excluſis interdictis & excommunicatis ſuppreſſa Divina officia celebrare.

Sepulturam quoque ipſius loci liberam eſſe concedimus, ut eorum devotioni & extremæ voluntati, qui ſe illic ſepeliri deliberaverint, niſi forte excommunicati vel interdicti fuerint, nullus obſiſtat, ſalva juſtitia illarum eccleſiarum a quibus mortuorum corpora aſſumuntur. Obeunte vero te monaſterii eodem loco abbatiſſa, vel tuarum qualibet ſuccedentium, nulla ibi qualibet ſurreptionis aſtutia ſeu violentia præponatur, niſi quam ſorores communi conſenſu, vel ſororum pars conſilii ſanioris ſecundum Deum & beati Benedicti regulam providerint eligendam. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatum monaſterium temere perturbare, aut ejus poſſeſſiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, ſeu quibuſlibet vexationibus fatigare; ſed omnia integra & illibata ſerventur earum . . . . quarum gubernatione ac ſuſtentatione conceſſa ſunt uſibus omnimodo profutura, ſalva ſedis apoſtolicæ authoritate & diœceſani epiſcopi canonici juſtitia. Si quæ igitur in futurum eccleſiaſtica ſæculariſve perſona hanc noſtræ conſtitutionis paginam ſciens contra eam temere venire tentaverit, ſecundo tertiove commonita, niſi reatum ſuum congrua ſatisfactione correxerit, poteſtatis honoriſque ſui dignitate careat, reamque ſe divino judicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & a ſacratiſſimo corpore Dei & Domini Redemptoris noſtri Jeſu Chriſti privata fiat, atque in extremo examine diſtrictæ ultioni ſubjaceat. Cunctis autem eodem loco ſua jura ſervantibus ſit pax Domini noſtri Jeſu Chriſti perpetua, & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud diſtrictum judicium præmia æternæ pacis inveniant. Amen.

Datum Romæ anno Incarnationis Dom. M. C. LXIX. pontificatus vero domini noſtri Alexandri papæ, X.

LII.

Charta ſocietatis inter canonicos S. Hilarii Pictavienſis, & canonicos S. Urſini Bituricenſis.

1079. IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis Patris & Filii & Spiritus ſancti. Nos canonici S. Hilarii notificamus ſanctæ Dei Eccleſiæ filiis præſentibus atque futuris quod canonici ſancti Urſini Bituricenſis deprecantes fraternitatem noſtram, a nobis impetraſſe merentur, ut illis in eccleſia noſtra unam præbendam donemus, de qua cum ad nos venerint in diebus feſtis,

in

in hujus loci ſervitio vivant, & chorum noſtrum ſicut A noſtri canonici habeant. Nos vero eorum ſocietatem ſic habeamus & beneficium, ut quotiens ad ſuam ibimus eccleſiam cauſa viſitandi confratres, ſeu quolibet alio exigente negotio, ab illis itidem ut eorumdem canonici recipiamur. Neceſſaria quoque, quandiu remorari nos ibidem contigerit, ſive nobis placuerit, habeamus. Complacuit autem ut ſi eorumdem canonicis qualibet occaſione, quod interdum contingit, de ſua elimineur eccleſia, confugium atque ſolamen ſicut noſter canonicus habeat in noſtra; noſter vero eodem tenore apud illos victus & neceſſariorum præſidio perfruatur, dum videlicet utraque cauſa diligenter diſcuſſa, vel juſte cogatur ſatisfacere, vel miſericorditer ſuæ reconcilietur eccleſiæ. Quam noſtræ igitur fraternitatis ſocietatem tam humiles tamque devoti ſtuduere B adipiſci, donamus illis in duabus eccleſiis, Marcelliaco ſcilicet & Fuciaco, quæ in territorio Bituricenſi ſub jure & titulo S. Hilarii ſitæ ſunt, mediam partem de decimis & omnibus quæ ad eaſdem eccleſias pertinent, terris cultis & incultis, acquiſitis & acquirendis, aquis, molendinis, pratis, vineis, ſervis, ædificiis, atque ſervorum familiis. Quicquid itaque jam ibi acquiſierunt, aut in futurum ibidem & ubique ſub nomine S. Hilarii acquiſituri ſunt, totum ſibi per omnia pertinere, medietatem illis per omnia damus, medietatem nobis per omnia retinemus. Statuimus etiam ut ex medietate uniuscujuſque altaris, quam illis dedimus, tam acquiſiti quam acquirendi nobis unoquoque anno duodecim denarios, vel ſi magis volueri- C mus, totum paſchalem cereum ex debito cenſu in Quadrageſima perſolvant. Illi itaque tantam circa ſe humanitatem noſtram videntes, ad recordationem beneficii accepti, crucem auream ſuper S. confeſſoris Hilarii altare in charitatem obtulerunt. Eſt autem talis nobis cum illis conventio, ut medietatem precii ad redimendas terras impenſi, aut nos de noſtro ſolvamus, aut illis quidquid de eiſdem rebus exierit, quouſque ſolutum ſit, retinere permittamus. Si quis autem ſucceſſorum noſtrorum, ſeu clericalis, ſeu laïcalis perſona in futurum hanc conventionem calumniari præſumſerit, noverit ſe apoſtolicæ auctoritatis & beatorum epiſcoporum Hilarii, Urſini excommunicationis vinculo alligatum; Iſemberti quoque Pictavenſium epiſcopi, necnon & Richardi Bituricenſis affirmatione conſtrictum; & divinæ ultionis ſupplicia perpetuo luiturum. Ut vero hæc adſtipulatio firmiter habeatur, eam memori cartæ commendari, atque clericorum & laïcorum ſubnotatis perſonis affirmari, ſanctique Hilarii ſigilli impreſſione ſignari præcipimus. Facta autem hæc carta Pictavis Gregorio ſummo pontifice, Philippo Francorum rege, Iſemberto Pictavenſi pontifice, Gaufrido Aquitaniæ duce, Idibus Januarii, anno ab Incarnatione Domini M. LXXIX. Hanc adſtipulationis cartam Goſcelinus Burdegalenſis archiepiſcopus, B. Hilarii theſaurarius ſua auctoritate, & anathemate confirmavit, eiſdem S. Urſini canonicis pallium unum, & unum aurifriſum B. Hilario caritative offerentibus. Conceſſum eſt etiam ut præbendam quam illis dedimus, totam in- E tegram intra in perpetuum habeant, ſicut unus eorum canonicorum qui cathedræ in eccleſia deſerviunt. Signum Goſcelini Burdigalenſis archiepiſcopi & B. Hilarii theſaurarii, S. Guillelmi decani, S. Orgiſii cantoris, S. Guillelmi ſubdecani, S. Viviani ſuccentoris, necnon & totius capituli, S. Gaufridi Aquitanorum ducis, S. Guillelmi filii ſui.

LIII.

Charta fundationis monaſterii B. Mariæ Fontis-Comitis, diœceſis Pictavienſis, ordinis S. Auguſtini.

Ex autographo.

IN nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti. Ego Willelmus dux Aquitanorum & comes Pictavorum, pro ſalute animæ meæ, & parentum meorum, & filiorum meorum, do magiſtro Gaufrido de Laureolo & fratribus ejus qui ſæculo abrenuntiantes noſtris temporibus paupertatem Chriſti elegerunt; his, inquam, ſucceſſoribuſque eorum ibi religioſe Domino deſerviturıs, do locum qui dicitur de Fonte-Comitis, ad ædificandam eccleſiam Domino, cum nemoribus & landis, & univerſis quæ ibidem ad jus noſtrum pertinere dinoſcuntur, ut libere deinceps & quiete poſſideant; qui locus ſitus eſt prope urbem Pictavim, & extenditur in longum a nemore Herberti uſque Cruptellas, & in latum á nemore de Maſeils uſque ad viam S. Maxentii, quæ per Fontem-Comitis tendit Pictavim, ſcilicet & nemus prædicto loco contiguum, quod Savaricus de Malleone & Ugo Geudomi Dei gratia & noſtra dederunt. Concedo & quicquid a baronibus noſtris vel ab aliis hominibus meis adquirere dono vel emtione poterunt, illud eis liberum, & quietum perenniter poſſidendum annuo. Inſuper prædictis Chriſti pauperibus, ſcilicet magiſtro Gaufrido & fratribus ejus do in pago Xantonico in foreſta quæ dicitur Baconeis, locum de Sabluncel is ad ædificandam eccleſiam Domino, & de foreſta in uſus fratrum inibi Domino famulantium; do quicquid in Mala-villa habeo, & quicquid in villa S. Romani de Bannaiſe habeo, ſive in parochia ejus, tam in landis quam in paludibus, & terris cultis ſeu incultis, & quicquid in monte de Tolum habeo, & in ſubjacenti palude, & landis & circumſtantibus terris, cultis vel incultis, locum quoque de Bertevil cum landis & præterfluentibus do; quæ palus extenditur a loco de Sabluncellis uſque verſus vadum de molendinis. Do etiam eis locum qui dicitur de Mans, cum agro, nemore, terra culta vel inculta, * dulci vel ſalſa, & cum D exiſtentiis & pertinentiis volatilium & quadrupedi m atque piſcium, & quicquid ibi habeo, ſcilicet & landam de Pendente-caſtro, do eis quæ extenditur uſque verſus nemus quod dicitur Volanis ad hoc tempus, & do landam quæ dicitur de Arbore-curvata, quæ extenditur ab ampliatione prædicta, uſque verſus Gozzam de Fanario. Conſtituimus etiam ut quæcumque hic ad ædificia conſtruenda, ſive ad uſus quotidianos fratribus prædictæ eccleſiæ de Sabluncellis lignis vel lapidibus, vel paſcuis vel agris ſeu aliquo alio modo neceſſaria fuerint, de foreſta quæ vocatur Baconeis, abſque alicujus contradictione ſeu exactione vel precio libere ac quiete percipiant. Et ut in vendendo res ſuas vel emendo alienas ſic tranſeundo per loca ditioni noſtræ ſubdita, cujuſlibet conſuetudinis obtentu, nihil ab eis vel eorum ſuppoſitis exigatur, neque aliqua occaſione paſcherii, vectigalium, tributi, tailliatæ, ſeu cujuſlibet alterius rei exactione vel occaſione, aliquid ab eis accipiatur, hoc in terris, aquis, pratis, vineis, hortis eorum, laborantibus; & præterea lignorum ſeu lapidum opifices ac poſtremo omne operariorum genus, quandiu operibus eorum intendunt, vel dum de opere ad proprtia remeant, vel de domibus ſuis ad opera veniunt, ſicut cetera eorum familia ſalvi remaneant undique & illæſi; nec per aliquam violentiam miniſterialium noſtrorum quiſquam operariorum ab opere ipſorum amoveri atque ad alia traduci ſit licitum. Hanc autem rerum noſtrarum largitionem & prædictam libertatem pro amore Dei, & pro ſalute animæ meæ prædictis fratribus indulgentes, ſigilli noſtri munitione confirmamus; & ne

* *Adde* aqua.

Digitized by Google

quis de miniſterialibus vel familiaribus noſtris inſuper, & ne quis de poſteritate noſtra quidquam conſuetudinaliter accipiat ab eis, vel expetat, ex parte Dei & noſtra modis omnibus inhibemus, ac poſteris noſtris ne hoc faciant vel fieri permittant ſub maledicto interdicimus.

LIV.

Confirmatio ejuſdem fundationis.

1184. IN nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti. Amen. Ego Richardus dux Aquitanorum & comes Pictavorum, notum fieri volo præſentibus & futuris quod Guillelmus atavus meus comes Pictavorum pro ſalute animæ ſuæ & parentum ſuorum dedit & conceſſit in puram elemoſynam magiſtro Gaufrido de Lauriolo & fratribus ejus qui ſæculo abrenuntiantes, ſuis temporibus paupertatem Chriſti elegerunt; his inquam, ſucceſſoribuſque eorum ibi religioſe Domino deſerviturîs, dedit locum qui dicitur de Fonte-Comitis ad ædificandam eccleſiam Domino, cum omnibus nemoribus, & landis, & univerſis quæ ibidem ad jus ſuum & dominium pertinere dinoſcebantur, deinceps in perpetuum libere & quiete poſſideant; qui locus ſitus eſt prope Pictavim, & extenditur in longum a nemore Herberti uſque ad Cruptellas, & in latum a nemore de Maſſellis uſque ad viam S. Maxentii, quæ per Fontem-Comitis tendit Pictavim: ſcilicet & nemus prædicto loco contiguum, quod Savaricus de Malleone & Hugo Geudomi Dei gratia & ſua prædictis Deo ſervientibus dederunt, conceſſit, & quicquid a baronibus ſuis, vel ab aliis hominibus ſuis adquirere dono vel emptione poſſent, illud eis liberum & quietum perenniter annuit; in quibus ad majorem rei notitiam & hæc propriis duxit vocabulis exprimenda, videlicet locum ipſum de Fonte-Comitis cum vineis, pratis, aquis, landis, nemoribus, terris cultis & incultis, omnibuſque ſuis pertinentiis; & poſtremo quicquid continetur infra ſubſcriptos terminos, ſcilicet a via de Cruptellis, uſque ad lacum de Calvo-monte; ſicut extenditur terra de Lujat & ab eodem lacu uſque ultra locum qui dicitur Ayquineres, quantum nemus Comitis ſe extendit in ea parte, Voonolium, & exinde ad locum qui dicitur Gelaſius, ſicut idem nemus Comitis deſcendit, & jungitur nemori Herberti; & a loco illo ubi jungitur nemus nemori uſque ad viam de Udray, ſicut ad eamdem viam dirigitur via quæ venit de caſtro Berugia, & ab eadem via de Udray uſque ad prædictam viam de Cruptellis, ſicut via publica dividit nemus de Maſſellis & nemus Herberti; quæ univerſa & ſingula ſupradicta dedit prædictus atavus meus prædictis Deo deſervientibus & ſucceſſoribus eorumdem, cum omni jure, proprietate, & dominio, quæ in eiſdem habebat, vel habere poterat quoquo modo. Inſuper vero conſtituit & confirmavit atavus meus ut prædicti Deo ſervientes liberi penitus remaneant, & quod in vendendo res ſuas, vel emendo alienas, ſeu tranſeundo per loca ditioni ſuæ ſubdita, cujuſlibet conſuetudinis obtentu, nihil ab eis vel eorum ſuppoſitis exigatur, neque aliqua occaſione paſcherii, vectigalium, tributi, pedagii & talliatæ, ſeu cujuſlibet aliæ rei exactione vel occaſione aliquid ab eis accipiatur, ſive in terris, aquis, pratis, vineis, vel in hortis eorum laborantibus; & præterea lignorum ſeu lapidum opifices, ac poſtremo omne operariorum genus, quandiu operibus eorum intendunt, vel dum de opere ad propria remeant, ſeu de domibus ſuis ad opera veniunt, ſicut & cetera eorum familia, ſalvi remaneant undique & illæſi; nec per aliquam violentiam miniſterialium ſuorum quiſquam operariorum ab opere ipſorum amoveri atque ad alia traduci ſit licitum. Hanc autem rerum ſuarum largitionem & prædictam libertatem pro amore Dei & pro ſalute animæ ſuæ prædictis fratribus indulgens, ſigilli ſui munitione confirmavit; & ne quis de miniſterialibus vel familiaribus ſuis, inſuper & ne quis de familiaritate vel poſteritate ſua quidquam conſuetudinaliter accipiat ab eis vel expetat, ex parte Dei æterni modis omnibus inhibuit, ac poſteris ſuis ne hoc faciant vel fieri permittant, ſub maledicto interdixit. Quod ego audiens & a prædicto atavo meo pie & miſericorditer factum fuiſſe certiſſime cognoſcens, omnia ſupradicta & ſingula volui & conceſſi, & ſigillo meo confirmavi; & ne ſuper his omnibus ſupradictis aliquid ambiguitatis ſit, aliquid impedimenti vel calumniæ poſſit in poſterum ſuboriri; ego pro ſalute animæ meæ & parentum meorum, ſi quid juris & dominii in eiſdem prædictis habeo vel habere debeo, prædictis fratribus totaliter quitto, do, & concedo, & modis omnibus omnia prædicta & ſingula ordino, ſtatuo, corroboro, & confirmo; & ne quis de poſteritate mea contra prædicta veniat, ſeu eadem impediat vel impediri faciat vel permittat, modis omnibus inhibeo, & ſub maledicti ſententia interdico. Hoc autem factum eſt anno ab Incarnatione Domini M. C. LXXXIV. Indictione II. epacta VI. concurrente VII. ſub papa Lucio, Willelmo Pictavienſi electo, rege Francorum Philippo, rege Anglorum Henrico.

I. Goffridus de Laureolo primus abbas poſtea archiepiſcopus Burdegalenſis.

Ademarus abbas memoratur in donatione Hugonis Bruni de Luzigniaco anno 1166.

Guido abbas eccleſia porticum reparavit ante annos 300.

LV.

Charta Giſleberti Pictav. epiſcopi pro eccleſia Cellenſi, abbatiali dignitate poſtmodum aucta.

Ex autographo.

GISLEBERTUS Pictavenſis epiſcopus P. Cellenſium abbati in perpetuum, &c..... Notum facimus quod canonici Stirpenſes aſſerebant dudum ſe habere quædam jura conſuetudinaria, de quibuſdam ſpiritualibus in eccleſia beatæ Mariæ de Cella. Cum igitur Cellenſes Johannem de Uzone canonicum ſuum conſilio & aſſenſu Willelmi anteceſſoris noſtri, & matris eccleſiæ Pictavienſis in abbatem ſibi concreaſſent, orta eſt inter eos pro hujuſmodi facto non minima contradictio..... Stirpenſibus & Johanni de Uzone & quibuſdam ejus complicibus, ſaniore tamen parte de Cella reclamante ut..... edulio lenticulæ primogenita ſpiritualia pro temporalibus, ſcilicet LX. ſolidis annuatim ſibi cenſualiter reddendi, ... verent. Cum itaque Petrus ſancti Rufi canonicus præfato abbati eccleſiæ de Cella in abbatem ſucceſſiſſet, re diligentius inſpecta, ſpecie ſimoniacæ hæreſis in tali commutatione ſubintellecta, cenſum prænominatum, ne reus criminis haberetur.... orta contentione Cellenſis abbas & Stirpenſes ad Eugenium Romanum pontificem ſuper his acturi convolaverunt.... omnibus auditis his quia commutatio fuerat malefacta contemplans, conſuluit & præcepit ut Stirpenſes temporalia quæ in eccleſia de Cella ſe habuiſſe dicebant, pro pace & quiete altercationis utriuſque eccleſiæ prorſus..... ergo tam Stirpenſis quam Cellenſis abbates ante præſentiam noſtram in capitulo S. Petri, & hoc communi aſſenſu utriuſque ſui capituli, & præcepto ſummi pontificis præfati obſequentes, quicquid juris prius in ſpiritualibus, poſtmodum in temporalibus Stirpenſes in prædicta eccleſia habere ſibi videbantur, in manu noſtra in perpetuum omnino dimiſerunt, & omnia munimenta quæ ſuper his habebant..... Romani pontificis Cellenſium abbati conquaſſanda tradiderunt. Inſuper etiam Iterius abbas Stirpenſis in capitulo ſuo, conventu ſuo communiter conſentiente, litteras ſigillatas ſuper hac dimiſſione & pace firmanda Petro Cellenſi abbati tradidit. Si quis autem huic ..... auctoritatibus ſuffultæ contraire præſumpſerit, ſecundo vel tertio commonitus, niſi reſipuerit, veniat mors... anathematis gladio percuſſus deſcendat in infernum ſuppliciis æternis perimendus. 1148.

. . . . . Laurentius S. Petri decanus. Arnaldus Briocenſis archidiaconus. Calo Toarcenſis archidiaconus. Petrus Pictav. archidiac. Durandus ſubdecanus. Iſenbertus de Avallia. Petrus Guillelmi. Guillelmus Cotin. Guillelmus de Suiolio. Petrus Silvanus. Petrus Garollia . . . . . Aimericus de Coëco. Et hi omnes canonici ſancti Petri; & præter hos alii multi. Factum eſt autem hoc anno ab Incarnatione Domini M. C. XLVIII. Indictione XI. epacta XXVIII. concurrente IV. Data per manum Johannis magiſtri ſcolarum.

Hoc inſtrumentum fideliter exſcripſit D. Jacobus Boyer ex archetypo muribus vel tineis corroſo, in Cellenſibus archivis adſervato; erectio vero monaſterii Cellenſis in abbatiam, non videtur facta ante annum M. C. XXXVII. *antiquius enim inſtrumentum in iſdem archivis vidit idem D. J. Boyer, quo Willelmus Pictavorum epiſcopus confirmat chartam Maengodi de Metulo * in favorem Johannis prioris (forſitan poſtea primi abbatis) & canonicorum B. M. de Cella, anno Incarn.* M. C. XXXVII. *epacta* XXVI. *regnante Ludovico. Cur enim præſul præfatum inſtrumentum ad priorem dirigeret, ſi ibi tunc abbas exſtitiſſet.*

* Mêle.

LVI.

Fundatio abbatiæ S. Launi Toarcenſis, ordinis S. Auguſtini.

1107. ANtiquorum ſanctorum patrum induſtria modernorumque comprobatur ſolertia, res in ſtatu firmo permanſuras ſcripto commendare, ne amplius ullis impugnationibus poſſint titubare. Quorum exemplo ego Petrus Dei gratia Pictavorum epiſcopus, hoc quod de eccleſia S. Launi de Toarcio Deo auctore ſtatui & firmavi, ſcripto tradidi, ut ſtabile & firmum maneat in perpetuum. Prædictæ itaque eccleſiæ fundatores Achardus & Roſcia uxor ejus, qui corpus B. Launi de alodo ſuo, quod eſt juxta Curzaicum, & adhuc dicitur Ad S. Launum, Toarcii tranſtulerunt, & Cadalo filius & hæres eorum dono Iſemberti primi epiſcopi conceſſerunt prædictam eccleſiam canonicis perpetuo habendam, & primum in ea quatuor canonicos poſuerunt: nunc vero noſtro tempore, Deo juvante, in tantum excrevit, quod canonici XII. Deo in ea famulantur. Quia ergo canonici prædictæ eccleſiæ S. Launi nimis laxe & nimis fluxe prioribus vixerant temporibus, divino tandem ſpiritu compuncti, vitam meliorare cupientes, deprecati ſunt ut concederem de bonis eccleſiæ, quæ in domibus in proprios uſus conſumebant, clauſtraliter & communiter ad ſervitium & honorem eccleſiæ vivere. Quorum benignæ petitioni, precibus canonicorum matris eccleſiæ Pictavienſis, cui prædicta eccleſia cenſum v. ſolidorum per ſingulos annos perſolvit, libenter aſſenſum præbui, hoc ſtatuens, & ſub anathemate confirmans, ut nulli ordini alteri liceat ſe ingerere aliqua occaſione in prædictam eccleſiam, ſed canonici eam perpetuo obtineant, nec liceat eis ad fluxum prioris vitæ reverti. Sed ſi aliquando, Deo aſpirante, ad culmen regulæ S. Auguſtini conſcendere voluerint, laudamus & concedimus. Eccleſias quoque quas prædictus Iſembertus primus, epiſcopus, & præceſſor meus alter Iſembertus, eis dederunt, conceſſione Achardi, & uxoris ejus Roſciæ, & Cadalonis filii eorum, de quorum caſamento erant, eis concedimus, videlicet tres eccleſias de Rothai, & eccleſiam de Romania, & eccleſiam S. Dionyſii de Petrato cum decima, & eccleſiam S. Petri de Bello-loco, & totam decimam terræ ſuæ, quam in ejuſdem eccleſiæ parochia habent. Confirmamus etiam donum, quod fecit eis Achardus filius Cadalonis, qui dedit eis totam terram ſuam quam habebat in villa quæ dicitur Traimée, totam etiam terram quam dedit Theophania mater Achardi, & uxor Cadalonis, in villa quæ dicitur Veinerias, & molendinum Blanchardi, quod dedit Landricus Berens. Quisquis hanc noſtræ inſtitutionis chartam caſſare vel aliquo modo falſificare tentaverit, iram omnipotentis Dei incurrat, & æternæ damnationi ſubjaceat. Hi ſunt qui propria manu ſignaverunt hanc chartam, ſinguli per ſe ſimili figura S. Petrus epiſcopus, Aimericus decanus, Guillelmus Toarcenſis archidiaconus, Arveus archidiaconus, Petrus archidiaconus, Goffridus præcentor, Raginaldus præcentor, Guillelmus ſcholarum magiſter, Rainerius ſecretarius. Data eſt autem hæc charta Pictavis XIV. Calendas Maii, anno ab Incarnatione Domini noſtri M. C. VII. epacta XXV. Indictione XV. papa Paſchali, Petro Pictavorum epiſcopo, Philippo rege Francorum, Guillelmo duce Aquitanorum.

LVII.

Confirmatio fundationis monaſterii S. Launi Toarcii a vicecomite Toarcii.

Ex chartulario S. Launi.

ANtiquorum patrum ſancitum eſt prudentia, poſterorumque experientia, res geſtas cartis inferere, hinc ne oblivione deleantur, inde ne verſutia malignantium pervertantur. Ego igitur Aimericus Toarcenſium vicecomes & dominus, notum fieri volo omnibus tam præſentis quam futuri temporis hominibus, quod canonici B. Launi qui uſque ad tempus noſtrum cum proprio & ſæculariter vivere conſueverant, amodo ſine proprio & regulariter juxta inſtituta B. Auguſtini Domino annuente, vivere diſponant; quorum bonæ voluntati ego & uxor mea Agnes congaudentes, pro redemptione animarum noſtrarum, eccleſiæ S. Launi Toarcii ſitæ, & canonicis tam famulantibus ibidem tam famulaturis, conſilio & aſſenſu noſtrorum procerum, concedimus quaſcumque poſſeſſiones præfatis canonicis præfatæ eccleſiæ * attribuunt, & quaſcunque quicunque ad hanc eandem convenient, eidem attribuent; concedimus inſuper ſupradictæ eccleſiæ quæcunque proceres noſtri & alii, ſive clerici ſive laïci dederunt, vel daturi ſunt, & nos deffenſuros bona fide promittimus, & ſucceſſores noſtros ut deffendant deprecamur atque diſponimus, ut in elemoſynam libere poſſideant. Hanc conceſſionem fecimus in capitulo S. Launi, aſtantibus proceribus noſtris eadem eodem modo concedentibus; Normando de Medio Toarci cum uxore ſua Aenore, qui eadem die dederunt & conceſſerunt eccleſiæ S. Launi quandam borderiam terræ inter Toarcium & monaſterium ſanctæ Virganæ, Goffredo de Malleono, Chalone nepote ſuo, Normando Flavo, Savarico Meſchino, Lapodo de Molli-campo, Pictavino fratre Savarici, Willelmo de Marobo Meſtiverio, Tetbaudo Daniet, E. Goffredo Plantavigna, Willelmo Pictavienſi archidiacono, ejuſdem eccleſiæ canonico, Iſemberto ejus clerico cum aliis canonicis Raginaudo Orbeio, Pagano Arrivé, Willelmo Guillodo, Nivardo Goſlenno, Aimerico de Orionio, Goffredo Iſardi de Mirebello, Airaudo ſocio ejus, Goffredo de ſancto Leobino. Hæc carta firmata fuit v. Idus Januarii Luna XIII. anno ab Incarnat. Domini M. C. XVII. regnante Ludovico Gallorum rege, Willelmo Pictavorum epiſcopo, Willelmo Pictavienſium comite. Aimericus vero ſupra memoratus Toarcenſium vicecomes, & Agnes uxor illius ſimile ſignum ✝ in hac charta ſinguli propria manu fecerunt.

1117.

* attribuunt.

LVIII.

Notitia de abbatia S. Crucis de Angla.

ABbatia S. Crucis de Angla primitus pertinebat ad monachos S. Cypriani, ut liquet ex inſtrumento ejuſdem monaſterii quod hic referre juvat. Hugo Liziniacenſis, & Hugo Brunus filius ejus conſilio & auxilio domini Petri epiſcopi in manus Rainaldi

abbatis conceſſerunt monachis S. Cypriani eccleſiam ſanctæ Crucis de Ingla cum eccleſiis ſibi ſubjectis, villiſque, & agris, cæteriſque omnibus ex integro rebus ſibi competentibus funditus omnino conceſſerunt; ut de cetero per manus ſupradicti abbatis, ſucceſſorumque ejus ſtudio & labore, monaſteriique ſancti Cypriani auxilio ordinaretur, diſponeretur, & melioraretur in Dei ſervitio abſque inquietudine & abſque aliqua conſuetudine præter id quod ſupradicti domini retinuerunt ut eſſent defenſores & advocati illorum omni tempore.

S. Hugonis Liziniacenſis caſtri domini. S. Hugonis Bruni filii ejus qui uterque hoc fecerunt. S. Letgerii archidiaconi. S. Petri archidiaconi, Rainerii capellani, Willelmi de Partiniaco, Aimerici Granollia, Petri de ſancto Saturnino, Petroni Rotherti monetarii, Airaudi Agnelli, Aimonis Roſſelli, Rainaldi preſbyteri, Rotberti Meſchins. Philippo regnante.

Petrus epiſcopus conceſſit monachis S. Cypriani per manum R. abbatis eccleſiam S. Martini de Caſtro Inglenſi cum omnibus rebus ad eam pertinentibus, ut de cetero in ordinatione eorum & poteſtate conſiſteret. S. Petri epiſcopi, S. Garnerii abbatis, Petri Rool, Gauterii cantoris eccleſiæ Calviniacenſis, Rainerii capellani, Willelmi de Partiniaco.

Vide annal. Mabillon. tom. 5. p. 291. Garnerius videtur eſſe abbas S. Mariæ majoris quem reperi, annis 1088. & 1097. in inſtrumentis S. Maxentii & S. Crucis Talmundenſis.

Parochia S. Martini de Angla nunc præſentatur epiſcopo per abbatem S. Crucis de Angla.

LIX.

*Charta fundationis monaſterii B. Mariæ Bonæ-vallis * ordinis Ciſtercienſis in diœceſi Pictavenſi.*

* Bonnevaux.

EGO HUGO BRUNUS Leziniaci caſtri dominus, & uxor mea Saracena, dedimus Deo & ſanctæ Mariæ & Eliæ abbati monachiſque eccleſiæ Cadunenſis in nemore noſtro Gaſtinæ, in loco qui nunc Bonavallis dicitur, pro ſalute animarum noſtrarum ac parentum noſtrorum, tantum terræ quantum ſufficere poteſt ad conſtruendum monaſterium monachorum, eſtque neceſſarium officinis, & ad hortos, & virgulta ædificanda. Et ſi in eodem nemore ad facienda prata & molendinum componendum locus idoneus inveniretur, nihilominus conceſſimus. Hoc donum etiam conceſſit Sancia & Hugo de Vivona filius ejus, qui ejuſdem nemoris nobiſcum participes erant, Willelmo de Rocamelo marito Sanciæ concordante, Arnaldo de la Planea clerico, & Aymerico Bruno, & Guillelmo Paſcant teſtibus. Præterea etiam ego Hugo Brunus & uxor mea Saracena dedimus prædictis monachis in eodem nemore tantum terræ quantum ſufficiat bobus duarum quadrigarum temporibus, & paſcua univerſis pecoribus eorum, ipſumque nemus ad omnia eorum ædificia conſtruenda, aliiſque ſuis privatis neceſſitatibus peragendis. Hæc omnia libere dedimus in ipſo eodem nemore, præſentibus & teſtibus domno Willelmo Gileberto Pictavenſi epiſcopo, & Radulpho eccleſiæ Nobiliacenſis abbate, & Hugone de Cella, Willelmo Samſone, Gaudino Francigena, Johanne Godello, Willelmo Ayraut, aliiſque quampluribus. Hanc autem donationem in ſequenti die filii noſtri conceſſerunt, Hugo, Willelmus, Rorgo, præſente ſupradicto abbate, Simone de Partiniaco nepote meo, ac Vendichono ſacerdote teſtibus. Terram vero quam ad culturam monachis dedimus, Sancia prius calumniata eſt, niſi in eodem nemore tantumdem terræ ſibi proprium, pro ea quam dedimus acciperet. Cui tandem morienti ego Hugo Brunus gratia viſitationis affui; & terram quam petebat ei conceſſi. Sancia vero & Hugo filius ejus hora eadem, me præſente, terram illam & donum quod ſupradictis monachis dedi, integre eiſdem monachis dederunt & conceſſerunt, & quia ego conceſſi, ipſa Sancia moriens oſculata eſt manum meam.

Exſtat præterea ejuſdem fundationis confirmatio & aliarum donationum a prædeceſſoribus ſuis factarum ab Hugone de Lezignan Marchiæ & Engoliſmæ comite anno 1245.

Item alia anni 1268. longe fuſior facta ab Hugone domino de Leſignan comite Marchiæ & Engoliſmæ, & domino Folgerienſi.

LX.

De controverſia inter abbatem Bonæ-vallis & Gaufridum de Laureolo, pro Fonte-comitis.

EGO GAUFRIDUS Dei gratia Carnotenſis epiſcopus, apoſtolicæ Sedis legatus omnibus præſentibus & futuris notum fieri volo, quod cum partes Aquitaniæ viſitaremus, contigit nos ad abbatiam de Bona-valle quæ ſita eſt in territorio prope urbem Pictavim habuiſſe deſcenſum. Proinde exhortationis cauſa capitulum in quo fratres generaliter convenerant ingreſſi, ibidem concordiam per interventionem venerabilis fratris noſtri Grimoardi abbatis Allodiorum, & magiſtri Laurentii nuperrime factam de querela quæ inter monachos de Bona-valle, & virum venerabilem magiſtrum Gaufridum dictum de Laureolo & fratres ejus ſuper loco qui dicitur de Fonte-comitis, juxta quod a Fulcone reverendo ejuſdem loci abbate Pictavis acceperam, in præſentia fratrum recitavimus, & cognovimus eandem concordiam omnibus placuiſſe; & quia ad ipſius concordiæ executionem operam dederamus, fratres gratias nobis egiſſe. Unde & nos communem & ſpontaneum omnium fratrum aſſenſum in eandem concordiam intelligentes, paginam hanc ad poſteritatis notitiam conſcribi, & ſigillo noſtro firmari præcepimus & ſubſcriptionem noſtram & ſupradicti fratris noſtri Grimoardi venerabilis abbatis Allodiorum qui & præſens aderat, conſequenter annotari decrevimus.

Ego Gaufridus Carnot. epiſcopus apoſt. Sedis legatus vidi et ſubſcripſi. †

Ego Grimoardus abbas Allodiorum vidi & ſubſcripſi. †

Exſtat quoque inſtrumentum Fulconis abbatis Bonæ-vallis quo prafatam concordiam, requirente Gaufrido archiepiſcopo Burdegalenſi, confirmat & renovat, cum Ademaro abbate & fratribus de Fonte-comitis, præſentibus Giſleberto Pictavienſi epiſcopo, Laurentio olim Loſdunenſi archipreſbytero, tunc decano Pict. Arnaudo, Calone, Petro archidiaconibus, Matthæo abbate S. Cypriani, Petro canonico Burdegalenſi, Stephano & Joſleno fratribus de Sabluncellis. Actum Bonæ-valli in capitulo anno Incarn. M. C. XLVIII. pridie Kal. Junii Indict. X. epacta XXVIII. ſubſcribunt Fulco abbas, Willelmus prior, & Giraudus ſubprior Bonæ-vallis.

Addendum ex eodem inſtrumento quod monachi Bona-vallis hoc donum prafatum ceſſerant canonicis Fontis-comitis in grati animi teſtimonium pro decima ſibi conceſſa in loco de Cloſellis a canonicis S. Mariæ Pictavienſis, hortatu dicti archipræſulis Burdegalenſis.

Innocentius papa III. prafatam concordiam confirmavit diplomate dato apud S. Petrum, III. non. Martii pontif. anno octavo.

LXI.

Charta Willelmi Pict. epiſcopi de eadem controverſia.

W Dei gratia Pictavorum epiſcopus, magiſtro Gaufrido de Laureolo. Hoſtis antiquus, &c. orta eſt querela inter te, chariſſime, & venerabilem fratrem noſtrum Fulconem abbatem Bonæ-vallis, conquerentem te locum tenere qui dicitur Fons-comitis: quem dicebat ſibi ante datum fuiſſe a Willelmo illuſtri duce Aquitanorum quam tibi. Cujus diſſenſionis veritatem nos perſcrutantes, ex ipſius ore Ducis audientes cognovimus prænominatum locum, præfato fratri noſtro Fulconi non ante quam tibi a Duce datum fuiſſe, tibi vero primo omnium ſicut locum quem proprium, & quietum tenebat, ad religionis cultum Ducem dediſſe, & conceſſiſſe. Ut igitur removereetur ſcrupulus altercationis ab inimico ſeminatæ, ad ſuffocationem meſſis religionis, tam tibi quam præfato abbati diem & locum ſtatuimus, ut judicii ordo unicuique juſtitiæ debitum redderet; & cum ei non placuiſſet cauſam intrare, cum agere in judicio contra te non voluiſſet, tibi parato & reſpondere volenti quod tenebas ex dono Ducis, nec auferre poſſumus vel debuimus; ſed conceſſione & authoritate noſtra quantum in nobis erat confirmavimus.

LXII.

Notitia fundationis abbatiæ Miſericordiæ-Dei. *

* La Mercy-Dieu.

NOtum ſit omnibus præſentibus & futuris, quod ego Amalricus Karoli-loci abbas, laudantibus fratribus noſtris, qui ſunt in Becherum, conceſſi Ramnulfo filio Sanfredi, & Stephanæ uxori ſuæ, & filiis & filiabus eorum, & Gerbertæ matri ejuſdem Stephanæ, quamdam partem terræ, quam dedit nobis Hugo Bocel de Prulliaco, & Riveria de Anglis, in eleemoſynam . . . . determinata eſt. Ita inquam tradidi eis liberam & quietam *, ut pro ipſa nec a nobis, nec a quolibet ullum ſervitium ſeu aliqua conſuetudo ab eis exigatur. Dedimus etiam quamdam partem prati ſub eadem libertate, pro quibus & ipſi conceſſerunt nobis, abſque ulla retentione liberam totam terram illam quæ Becherum vocatur, ad abbatiam conſtruendam, cum arboribus & pratis quæ ibi habebant. Teſtes ſunt hi: Johannes preſbyter de Rupe, Eſquivardus dominus Prulliaci, Petrus de Monrabua & Joſbertus filii ejus qui & ipſi conceſſerunt, Petrus Aſchivardi.

* eleemoſynam.

Epiſtola P. de Monte-Rabei ad J. Pict. epiſc. de eadem fundatione.

DOmino ſuo chariſſimo J. Dei gratia Pictavienſi epiſcopo P. de Monte-Rabei ſalutem & fidelem dilectionem. Niſi traheret me ad aliud negotium Regis mandatum, per meipſum in præſentia veſtra eleemoſynam patris mei & meam veniſſem atteſtari, & tueri abbatiæ Becheronis. Nunc autem per præſentia ſcripta certifico prudentiæ veſtræ, quod pater meus conceſſione mea & fratrum meorum dedit abbatiæ prædictæ in prima fundatione ipſius quicquid ſui juris erat inter aſſignatas ſibi metas, ita ut * eo nec a nobis, nec ab aliis ulla donatio alicujus alii eccleſiæ exinde fieri poſſit. Verumtamen propter quaſdam conſuetudines ordinis ſui, quibus eis minus licitum erat accipere cenſus vel decimas, interim permiſerunt ut nos ea reciperemus tamquam ſui juris, donec ad eorum proprietatem coloniæ ruſticorum deveniant, tamquam ad proprios dominos fundi, ſeu venditione, ſeu donatione, ſeu morte, aut deſertione, aut quocumque jure hujuſmodi coloniæ in manus domini ſui devenire poſſint. . . . . interim nec ego cenſus aut decimas aut quicquam ad dominium ſpectans alienare a monachis valemus. Quotiens autem a ruſticis colonias adquirunt, ſtatim dominium a nobis libere accipiunt. Valete.

* f. nec ab eo.

LXIII.

Litteræ dotationis abbatiæ de Stella ord. Ciſterc. diæc. Pictav.

EGO GUIDO de Cenuis memor conditionis humanæ, & finis vitæ noſtræ, ad quam quotidie properamus; ſimiliterque conſiderans, quod ſicut nihil huc attuli, nihil hinc reportaturus ſum; amore ſiquidem Dei & timore commotus, Domino Deo & S. Mariæ & SS. virginibus, & abbati Iſembaudo, & fratribus ejus in perpetuum dedi locum & terram apud Fontem-Calcis, ad abbatiam faciendam, & conſtruendam, & ad Dei ſervitium faciendum: dedi etiam totam terram quam habebam circa abbatiam, quæ terra hoc modo metatur, * detro quodam magno lacu qui vulgo dicitur de Marchais uſque ad ſpinas eorum culturas, & de ſuptus uſque ad initium cujuſdam parvæ foſſæ, & de hac foſſa uſque ad rivum, & ſicut rivus fluit uſque ad foſſatum molendino eorum, & ex altera parte de ſuptus uſque ad eundem foſſatum, & deſuper uſque ad terram Petri Buche, terramque des Arſet, omnia infra has metas poſita, ſive ſit nemus, ſive pratum, ſive terra mei juris, ſine aliqua retentione juſtitiæ dedi fratribus Deo ibi ſervientibus & abbatiæ quantum primo nomen Stellæ accipit: dedi adhuc eis totum boſcum Tyraudi, ut accipiant, & utantur illo in perpetuum, in viridi, & in ſicco, & in paſcuis, & omnino in omnibus neceſſitatibus ſuæ abbatiæ Stellenſis cum omnibus pertinentiis, in aliis omnibus boſcis, boſcum mortuum & paſcua omnibus beſtiis ſuis groſſis, & minutis, & cujuſcunque fuerint generis, & paſcuarium porcis ſuis per totam communitatem terrarum, & boſcorum, quæ ſunt communia inter me & Petrum Eliæ libere accipiant, & utantur monachi & fratres ſui omni tempore, & ſi neceſſe fuerit, de viridi boſco accipiant, carrucis & aratris ſuis. Hoc donum fecit & conceſſit mecum uxor mea Roſta; dominus Rorgo & dominus Simon, domini Angliæ, hanc eleemoſynam conceſſerunt & laudaverunt. Hujus rei teſtes fuerunt Gauterius, & Aſinus, Petrus Berucaudus, & Joſcerannus fratres eorum, Elias Archiniacenſis, Johannes Calvimontis, & Fulgerius Neptarius & multi alii. Factum fuit hoc anno ab Incarnat. Dom. M. C. XXIV. Ludovico rege Francorum, domino Pictaviæ, Giſleberto Porreia præſidente in eccleſia Pictavienſi. Qui autem hanc eleemoſynam frangere aut violare voluerit, iram ſummi Dei incurrat, & centum libras auri reddat, viginti Eccleſiæ Romanæ, viginti eccleſiæ Pictavienſi, viginti regi Franciæ, quadraginta eccleſiæ Stellenſi.

* f. retro, vel dextro.

LXIV.

De Willelmo primo abbate de Pinu ord. Ciſterc.

Ex chartario S. Hilarii vulgo in Chaine ſuscepto.

GILBERTUS Pictavienſis epiſcopus in perpetuum. Innoteſcere tam præſentium quam futurorum notitiæ volumus, quoniam canonici beati Hilarii in capitulum fratrum ſanctæ Mariæ de Pino nobis præſentibus convenerunt, ibique cum Willelmo primo ipſius loci abbate, & ejus fratribus querelam hujuſmodi habuerunt, dicentes ſiquidem quoniam quodcumque idem abbas a prima ſuæ religionis converſione conquiſierat, ad eccleſiam beati Hilarii pertinebat; & hoc ipſum tali ratione confirmabant, quoniam cum abbas ipſe Willelmus olim in eccleſia beati Hilarii ſacerdotali propoſito degens, religioſiorem vitam ducere vellet, a canonicis locum quemdam de jure beati

Hilarii, qui dicitur Ferraria, tali conditione poſtulavit, ut ſi locus ille per ipſum aliquomodo amplificaretur, vel ſi aliquid fratrum acceſſu ſeu religionis merito alicubi ſibi daretur, totum ſicut prior Ferrario locus ad eccleſiam beati Hilarii pertineret; & ſub hoc pacto dictum locum a canonicis obtinuit. Quod cum abbas Willelmus plane concederet, maluerunt fratres de Pino & ipſe abbas querelam hanc terminari per concordiam, quam per aliam dijudicationem, conſenſeruntque in noſtra manu canonici quod ſingulis annis libram unam thuris beato Hilario ad feſtum de ejuſdem tranſlatione quod in æſtate eſt, perſolvendam deferrent; & quoties canonicus ejuſdem eccleſiæ obiret, ſeptenarium pro ſalute animæ ejus integre ſicut uni monacho perficerent. Inſuper anniverſarium pro cunctis canonicis beati Hilarii qui ab hac vita egreſſi eſſent, ſimiliter in unoquoque anno celebrarent. Canonici itaque non hoc abnuentes, concordiam hujuſmodi ſuſceperunt, & eundem quem diximus abbatem omneſque ejus fratres tam præſentes quam futuros, quam confratres & comparticipes beneficiorum beati Hilarii habere decreverunt, talique modo factam concordiam in manu noſtra ex aliaque parte firmaverunt, ſigilli quoque noſtri munitionem & ſigilli beati Hilarii, & ſigilli Guillelmi abbatis de Pino cartis per chirographum factis appoſuerunt. Hæc autem quemadmodum ſcripta ſunt, viderunt & audierunt ego Gilbertus Pictavienſis epiſcopus, Johannes decanus, Johannes cantor, Willelmus Hugo de Chorec, Petrus de Monſterol, & multi alii clerici ſeu laïci. Acta eſt publice Ludovico Francorum rege & Aquitanorum duce & Giſleberto Pictavenſi epiſcopo.

LXV.

Bernardus abbas Nantolienſis, quædam donat abbatiæ de Groſſo-boſco.

NOtum ſit omnibus tam futuris quam præſentibus quod ego Bernardus Dei gratia Nantolienſis eccleſiæ miniſter humilis, Bernardo eadem gratia abbati de Groſſo-boſco, & omnibus ibidem Deo ſervientibus, do & concedo conſilio fratrum noſtrorum Bernardi prioris & Guillelmi Otberti, & Seguini, & Letgerii, & Geraldi Guielini, & aliorum quamplurium in generali capitulo Nantolii, terram noſtram quæ eſt ab ulmo de la Femada uſque ad antiquum nemus quod vocatur li Eiſart ſancti Benedicti; & iterum a via quæ tranſit juxta Bordavalum & ducit ad ulmum Montis-Robeli & uſque au defes & deu defes, uſque ad viam quæ nominatur la Chaucada, tali pacto ut ibi eccleſia non ædificetur, nec miſſa celebretur, nec mortui ſepeliantur, & ut de frugibus hujus quintam partem monachis in area de Salas fideliter reddant, exceptis ſextariis VI. terræ quos ſub cenſu XV. ſolidorum reddendorum prioti de Salas in die Circumciſionis Domini, liberas eis damus. Si vero in illis VI. ſextariis fruges fecerint, vel vineas plantaverint, medietatem decimæ monacho de Juliaco & participibus ſuis reddant. Inſuper etiam illorum pecoribus terræ noſtræ paſcua damus. Decimam vero beſtiarum ſi fratres de Groſſo-boſco a militibus adquiſierunt, partem quæ nobis contingit damus. Volumus etiam ut de Boſco ſupradicta deus Eiſart omnia eis neceſſaria præter quercum & fagum & caſtaneam accipiant. Si tamen ex his tribus lignis ad ædificandum aliquid neceſſe habuerint, a priore de Salas petant. Sciendum vero eſt quod ſi aliquis in hac terra eis calumniam fecerit, ſecundum juſtitiam garentiam eis faciemus. Ego Bernardus dictus abbas de Groſſo-boſco hoc donum ſive hoc pactum tam de miſſa quam de ſepultura & de omnibus quæ in hac charta continentur, in capitulo de Groſſo-boſco concedo, audiente B. de Nantolio abbate, & Geraldo de Codorz laïco, & Johanne de Glana ſacerdote. Hoc donum factum eſt in capitulo Nantol. IV. nonas Novemb. anno ab Incarnat. Domini M. C. LXXII. regnante Ludovico rege Francorum, & Aenrico rege Anglorum & duce Aquitanorum; & Johanne in ſede Pictavienſi pontificatum agente. Ego Bernardus Nantol. miniſter humilis. †

Hæc charta denticulata in archetypo, exſcripta eſt fideliter a D. Jacobo Boyer ex archivo B. M. de Groſſo-boſco ord. Ciſterc. diœceſ. Engoliſmenſis. In ſigillo cernere eſt effigiem preſbyteri ſacerdotalibus veſtibus induti, ſed ſine pedo abbatiali.

INSTRUMENTA QUÆ AD MALLEACENSEM

ſeu Rupellenſem eccleſiam pertinent.

I.

Diploma Guillelmi IV. ducis Aquitaniæ & comitis Pictavienſis, quo multa confert monaſterio Malliacenſi.

DUM unuſquiſque mortalis in hoc vivit corruptibili corpore, de rebus ſibi jure acquiſitis, taliter debet providere, qualiter vitam æternam poſſit percipere. Quapropter ego in Dei nomine Guillelmus Aquitanorum dux, Pictavienſium comes, tractans de de Dei timore & æterna retributione, trado ad monaſterium S. Petri qui vocatur Malliacus, in honore Dei & S. Petri dicatum, quem pro remedio animæ meæ, vel parentum meorum ſtatui, & monachis ibidem Deo & S. Petro famulantibus adunare ſtudui, has res quæ mihi jure hæreditario poſſidere videntur, videlicet villam quæ vocatur S. Mariæ Ermenaldis, cum mercato, & aliam quæ vocatur Fontem-Bundoriam, & villam Calvariam cum omnibus quæ ad eas videntur pertinere, id eſt terris cultis & incultis, vineis plantis atque plantandis, pratis, rivis cum molendinis inſuper jacentibus, in Separim * quoque fluvium excluſam quæ dicitur Aureus-Beccus, cum molendinis duobus & totam aquam ex utraque ripa uſque ad excluſam de Aqua-quieta, in mari quoque Alninſe in loco qui dicitur Eſnenda, & Lonzania, vendas, & cenſus quos inibi habeo poſt diſceſſum Friderici clerici. Eas igitur res ea conditione Deo & ſancto Petro ita contrado, ut nullus miniſterialis publicus, non vicarius, non venator, non auceps, nec equorum cuſtodes, vel pro ſanguine, vel pro homicidio, pro rapto, pro incendio, pro furto, pro teloneo, id eſt pro venda, pro paſcuario arietum, porcorum, & vaccarum, vel aliqua repetendarum legum conſuetudine introeundi habeat poteſtatem. Inſuper & omnes coloni qui eas terras incolunt, ita ſint ab omnibus negotiis publicis ſoluti, ut nec ad caſtella facienda, vel in hoſtem ire, vel biduanum aliquid reddere, vel ipſi, vel boves eorum. Statuimus ergo ut ſi quis calumniator ſurrexerit, ex nobis ipſis aut ulla perſona intromiſſa fuerit, quæ hanc cartam inquietare vel promovere tentaverit, ſolidos mille de auro explodat, & iram omnipotentis Dei, & omnium Sanctorum incurrat, & cum Dathan &

* la Sevre

Abiron, & Core & Juda traditore maledictionem Dei percipiat in ſæcula ſæculorum. Hanc autem cartam ego Guillelmus manibus meis roboravi, & optimatum meorum conſpectibus roborandam tradidi. Signum ipſius Guillelmi comitis, S. Adelmodis uxoris, S. Giſleberti, S. Bernardi abbatis, S. Gilleberti abbatis, S. Aimerici archidiaconi, S. Joſcelini fratris ejus, S. Aimerici decani, S. Guillelmi militis.

II.

Ex chart. S. Steph. de Vallibus. n. 17.

Notitia de ſubjectione Sulliacenſis monaſterii apud Turones, abbatiæ S. Stephani de Vallibus: & utriuſque, aſceterio Malliacenſi.

QUidam nobilis miles nomine W. de Monte-Sorello, & Gauterius filius ejus, & Vu. frater ejus, atque Gervaſius & Arſendis uxor ejus, dederunt eccleſiam S. Petri de Sullico, quam ſecundum ſæculi conſuetudinem poſſidebant, eccleſiæ S. Stephani quæ eſt ſita in loco qui dicitur Vallis; dederunt autem villam & terram in circuitu eccleſiæ, ut quicunque ibi habitarent, nullam conſuetudinem nullumque ſervitium cuiquam, niſi eccleſiæ facerent: donaverunt etiam omnes panes quos tertio per annum a parochianis accipiebant; & totam ſepulturam, & omnes oblationes, & furnagium totum, & unum molendinum, & ligna ſylvæ ad quidquid opus fuerit. Mater autem ipſius Vu. nomine Mabilia, medietatem molendini de Viridei eccleſiæ dedit. Præterea dictus Vu. conceſſit, ut quicumque de poſſeſſione ſua eccleſiæ dare voluerit, licenter faceret, & fratres allodialiter poſſiderent, &c. Revoluto vero tempore Gauterius de Monte-Sorello filius ſupradicti Vu. pactionem faciens cum Reginaldo abbate de Vallibus, petivit ab eo ut liceret prioratum eccleſiæ de Sullico in abbatiam tranſmutari, tali videlicet pacto, ut abbatia de Sullico redderet annuatim cenſualiter eccleſiæ S. Stephani de Vallib. in Circonciſione Domini xx. ſolidos publicæ monetæ a fratribus abbatiæ de Sullico defertos: ſi vero, quod abſit, de hoc cenſu reddere negligentes exiſterent, & reclamatio ad epiſcopum veniret, coacti ab epiſcopali juſtitia, xxx. ſolidos redderent, & canonice corrigerentur, ne ulterius fieret. Primo igitur abbate ibidem a domino Reginaldo abbate S. Stephani de Vallibus conſtituto, & prius defuncto, ſucceſſores ipſius volentes recalcitrare, & a dominio S. Stephani de Vallibus ſe ipſos emancipare, domnus abbas Seguinus tantam injuriam ſuſtinere nolens, acceſſit ad dominum abbatem Malliacenſem, ſupplicans ut ad domandas cervices improborum eum adjuvaret; abbas vero Malliacenſis conſilio habito dixit: quod ſi illud dominium quod habebat in abbatia de Sullico ei concederet, ita tamen quod illum cenſum quem fratres de Sullico ei debebant annuatim perſolveret, ipſemet, & ſui ſucceſſores ei & poſteris ejus perſolveret pro donatione dominii, & adjutorium impenderet, & expenſas quas pro recuperatione faceret, reſtitueret. Deinde domnus abbas Gaudinus cum perſonis Malliacenſis monaſterii Girardo Baudoini, Emerico Dardu, Petro Clarvil, Petro Vu. & ſervientibus Petro Vaitot, Petro Poil, Vu. Buſerna, Vu. Maina venerunt pariter cum domno Seguino abbate de Vallibus ad abbatiam S. Stephani, & in capitulo domnus Seguinus abbas conſilio fratrum ſuorum, ſalvo cenſu ſupradicto, quem debent recipere ab abbate Malliacenſi, dedit domno abbati Malliacenſi dominium abbatiæ de Sullico, & domnus abbas Malliacenſis firmavit, quod annuatim cenſualiter abbas & conventus Malliacenſis tranſmitterent xx. ſolidos abbati de Vallibus in Circonciſione Domini. Si tamen præſcripta die cenſus non redderetur, & pro defectu ab abbate de Vallib. ſerviens mitteretur, xxv. ſolidos reciperet, ſi monachus mitteretur, xxx. ſolidos reciperet. Facta autem ſolemni conſtitutione jam dictus Gaudinus & ſocii ſui præſcripti, & Seguinus abbas de Vallibus pariter cum ſociis ſuis Petro Daganardi, & magiſtro Oſtenſio clerico, & Petro Heliæ, & Amelino ſervientibus, Turonis perrexerunt, & recuperato in præſentia domni Angebaudi, archiepiſcopi Turonenſis, juſtitia dictante, dominio abbatiæ de Sullico, venerunt ad abbatiam, & fratres de Sullico receperunt domnum Seguinum abbatem de Vallibus cum ſolemni proceſſione, & cognoverunt eum pro domino & patre, & claves univerſas ei conſignaverunt. Deinde vero ſecundum conſuetudinem factam domnus Seguinus abbas de Vallibus tradidit claves, & dominium denuo Gaudino abbati S. Petri Malliacenſis. Hæc conſtitutio facta fuit tempore quo rex Ludovicus regnabat in Francia, regente eccleſiam Xanctonenſem domno Bernardo epiſcopo.

III.

Bulla Johannis papæ XXII. pro erectione Malleacenſis eccleſiæ in ſedem epiſcopalem.

JOHANNES epiſcopus ſervus ſervorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Salvator noſter in cujus manu cuncta ſubſerviunt, in agro mundi hujus meſſem multam aſpiciens, & operariorum raritatem attendens, Dominum meſſis .... reddendam eſſe, ut in illam operarios mitteret cenſuit, & ipſe idem exiens mane veluti paterfamilias horis diei variis operarios in vineam ſuam miſit. Romanus itaque pontifex qui ſicut eodem Domino diſponente vicarius ejus in terris eſſe dignoſcitur: ſic ipſius actibus, in quantum ſinit humana fragilitas, ſe conformare tenetur, ubi ſuperexcreſcere meſſem, populi videlicet multitudinem videret, operarios debet optimos adjicere, & juxta propheticum verbum, augere cuſtodiam, levare cuſtodes, ac cultores idoneos in Dominicam vineam deſtinare. Sane conſiderantes attencius, & intra pectoris clauſtra, meditatione ſollicita revolventes, quod in tanta multitudine populi quanta fœcundaverit Altiſſimus civitatem & diœceſim Pictavenſem, ſingulorum vultus nequibat, ut condecet, unicus paſtor agnoſcere, aut alias partes boni paſtoris implere; quodque durum erat atque difficile, in eadem diœceſi, quæ lata & diffuſa exiſtit, ad unum tantum a tot perſonis eccleſiaſticis & mundanis recurſum haberi. Nos cultum augere divinum & ſpiritualem animarum profectum, quem ex ſubſcriptis indubio provenire ſperamus, promovere ſalubriter intendentes, præmiſſis & aliis ſuadentibus juſtis cauſis, cum fratribus noſtris habito ſuper hoc diligenti tractatu, de ipſorum conſilio & exacta * ſcientia, & apoſtolicæ plenitudine poteſtatis ad laudem Dei, & exaltationem Eccleſiæ, fideliumque ſalutem, epiſcopatum & diœceſim Pictavenſem in tres diœceſes, certis portionibus ſeu limitibus ipſarum cuilibet, ut infra ſubjungitur, aſſignatis, apoſtolica auctoritate dividimus, ac Malliacenſem & de Lucionio villas pridem de Pictavenſi diœceſi exiſtentes, veluti loca inſignia, & ad id convenientia & accommoda, ac rerum ubertate fœcundata, de novo in civitatem erigimus, & civitatum vocabulo decoramus: volentes ac decernentes auctoritate prædicta de ipſorum fratrum conſilio, ac ejuſdem plenitudine poteſtatis, ut Malleacenſis & de Lucionio dudum monaſteriorum eccleſiæ ordinis S. Benedicti, ſint de cætero & habeantur perpetuo eccleſiæ cathedrales. Et quod tam prælibata civitas Pictavenſis, quam dictæ villæ jam per nos, ut præmittitur, civitatum titulis inſignitæ, ipſarum videlicet ſingulæ, ſuam propriam & diſtinctam diœceſim habeant, a duobus reliquis, prout ſequitur, ſeparatam. Et ut ipſarum quælibet habeat diœceſim magis accommodam & decentem, de Fontiniaco, de S. Laurentio, de Viheriis, de Berchorio decanatus, ac archipreſbyteratum de Arducio, rurales, civitati Malliacenſi: Marollii vero, Thalemundenſis, Aſianenſis,

1317.

* *Al.* de certa noſtra.

& Montis-acuti decanatus, ac archipreſbyteratum Alperienſem rurales dudum de prædicta diœceſi Pictavenſi exiſtentes, ipſi civitati de Lucionio, cum eccleſiis, dignitatibus, perſonatibus, territoriis, juribus & pertinentiis earumdem, monaſteriis quoque & prioratibus ſæcularibus & regularibus, ac juriſdictionibus omnibus temporalibus & ſpiritualibus, prout hactenus fuerunt diœceſis Pictavenſis, & epiſcopo Pictavenſi competebant quomodolibet, in duas diœceſes perpetuo deputamus, & etiam aſſignamus, exceptis homagiis & deveriis, ſi aliqua in prædictis vel earum alterius diœceſis exiſterent, ratione quorum duntaxat quivis teneretur facere homagium epiſcopo Pictavenſi, ac ipſum in jocundo adventu ſuo & debita ratione prædictorum, portare ab eccleſia B. Mariæ majoris Pictavenſis uſque ad eccleſiam cathedralem Pictavenſem, quæ erunt & remanebunt epiſcopo Pictavenſi; dictaſque diœceſes deputatas & taliter aſſignatas epiſcopis qui pro tempore fuerint, ac a capitulis & eccleſiis Malleacenſi, & de Lucionio prædictis, juxta diviſionem, deputationem, & aſſignationem noſtras hujuſcemodi de dictis diœceſibus factas ſpiritualiter & temporaliter juriſdictione ordinanda, a ſuperioritate epiſcopi, capituli, & eccleſiæ Pictavenſis in totum eximimus, ac etiam liberamus. Volentes ut quicquid in ipſis Malleacenſi & de Lucionio diœceſibus per nos taliter limitatis præeminentiæ, majoritatis, juriſdictionis & exercitii juris ſpiritualis & temporalis prælibatis epiſcopo, capitulo, & eccleſiæ Pictavenſi, jure ordinario nunc uſque competiit, de cætero epiſcopis qui erunt pro tempore a capitulis & eccleſiis Malleacenſi & de Lucionio prædictis perpetuo juxta præmiſſas diviſionem, deputationem & aſſignationem noſtras, eodem jure competat in eiſdem; jura, proventus & redditus dignitatum, proventuum, perſonatuum, & officiorum eccleſiæ Pictavenſis in nullo præter hoc diminuere intendentes, reliqua parte dictæ diœceſis Pictavenſis præter eoſdem decanatus, & archipreſbyteratus cum ſuis diſtinctionibus & juriſdictionibus ſuperius nominatis quantumcumque & in quibuſcumque conſtat, prælibatæ civitati Pictavenſi in ſua diœceſi integraliter remanente. Hæc igitur * prædictæ ſedis providentiam circumſpectum ſic facta ſalubriter & utiliter ordinata perpetuis eſſe valitura temporibus *, & robur incommutabilis firmitatis obtinere volentes, auctoritate prædicta diſtrictius inhibemus, ne aliquis cujuſcunque præeminentiæ, ordinis, conditionis, aut ſtatus, etiamſi archiepiſcopali, vel epiſcopali, ſeu regia præfulgeat dignitate, hujuſcemodi ordinationem apoſtolicam, ſeu aliquam, vel aliquid de contentis in ea quovis quæſito colore, vel modo ſive cauſa, vel occaſione qualibet adinventis, turbare, ſeu quomodolibet impedire præſumat. Nos enim irritum decernimus & inane ſi ſecus ſuper his a quocumque quavis auctoritate contigerit attentari. Et nihilominus in eos qui exacta * ſcientia contrarium præſumpſerint, niſi infra octo dierum ſpatium poſt publicationem præſentium reſipuerint cum effectu, excommunicationes in perſonas, & interdictum in univerſitates, ac ſuſpenſionis ſententias in conventus, capitula, ſeu collegia promulgamus de conſilio & auctoritate prædictis, a quibus nonniſi per Romanum pontificem abſolutionis beneficium, præterquam in mortis articulo valuerit obtinere. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrarum divitionis, creationis, decorationis, conſtitutionum, voluntatum, deputationis, aſſignationis, ſubjectionis, exemptionis, liberationis, inhibitionis & promulgationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hæc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum. Datum Avenioni Idibus Auguſti, pontificatus noſtri anno I.

* *f.* ad.

* *f.* decernimus.

* ex certa.

IV.

Bulla Innocentii papæ X. pro erectione Rupellenſis epiſcopatus.

INNOCENTIUS epiſcopus.... ad perp. rei memoriam. In ſupereminenti militantis Eccleſiæ ſolio, & apoſtolicæ poteſtatis plenitudine ſumma Redemptoris noſtri benignitate conſtituti, &c. Dudum ſiquidem per nos accepto civitatem Malleacenſem valde exiguam, nullis mœnibus cinctam, paucis domibus, aliiſque everſis, pleriſque ruinoſis conflatam, aërem vero adeo inſalubrem, ob paludes undique adjacentes ſortitam eſſe, ut pauci admodum incolæ, & omnes fere pauperes eam modo inhabitent, domumque prope nullam, neque conſeptum vel dormitorium pro capitulo, licet regulari, ord. S. Benedicti, nullum monaſterium nec collegium, nullum ſeminarium nec hoſpitale, ſed unam tantum confraternitatem adeſſe; eccleſiam denique ipſam extremam fere ruinam hæreticorum injuria paſſam debitæ ſtructuræ nunquam fuiſſe reſtitutam. Hiſque atque aliis de cauſis felicis recordationis Urbanum papam VIII. prædeceſſorem noſtrum eccleſiam ipſam ad oppidum Fontaniaci-Comitis, Malleacenſis diœceſis transferri mandaſſe, & ſucceſſive eccleſiam ipſam ſeculariſaſſe, ipſam tamen tranſlationem effectum ſortiri nequiviſſe..... ex parte oppidi Fontaniaci multo anguſtioris & inferioris reperti, quam quod dignitatem ad illud transferendam capere poſſit.

E converſo vero oppidum Rupellenſe celebre ad Oceanum Aquitanicum emporium, ab ipſa Malleacenſi civitate ſeptem vel octo tantum leucis diſtans, circuitu amplum, mœnibus circundatum, propugnaculis validum, domibus magnificum, habitatoribus pleriſque nobilibus refertum & opibus abundans exiſtere, in eoque præter plures eccleſias, conventus & unum hoſpitale, adeſſe eccleſiam, templum majus nuncupatam, amplæ ac elegantis & recentis ſtructuræ, &c.

Nos inſtantiam regis prædicti (Ludovici Francorum & Navarræ regis Chriſtianiſſimi ſupplicantis pro tranſlatione ſedis epiſc. Malleacenſis ad urbem Rupellam) negotiumque ſuppreſſionis, erectionis & tranſlationis hujuſmodi congregationis, venerabilium fratrum noſtrorum S.R.E. cardinalium rebus conſiſtorialibus præpoſitorum examinandum & diſcutiendum commiſimus, &c.

Hoc examine facto, habitaque ratione conſilii Ludovici regis chriſtianiſſ. XIII. de hac tranſlatione facienda poſt ſubactam Rupellam, Innocentius papa X. decernit ut deinceps epiſcopalis cathedra e Malleacenſi oppido, in quo unicus tantum parochus cum paucis clericis relinquendus, ad magnas Rupellæ templum transferatur; cui nova ſedi præter urbem Rupellam prius ad Santonenſem diœceſim pertinentem, annectitur pagus Almizienſis (l'Aunis) cum Rea inſula (l'iſle de Ré) quæ prius regebatur ab epiſcopo Santonenſi, retentis omnibus aliis locis qui ad Malleacenſem diœceſim pertinebant. Bulla ita clauditur verbis:

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ revocationis, circumſcriptionis, ſuppreſſionis, extinctionis, diſmembrationis, ſeparationis, erectionis, inſtitutionis, decorationis, tranſlationis, aſſignationis, ſuppoſitionis, tributionis, impertionis, & derogationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beat. Petri & Pauli apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud S. Mariam Maj. an. Incarnationis Dominicæ milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo octavo, IV. nonas Maii, pontificatus noſtri anno quarto.

V.

*Fundatio abbatiæ S. Vincentii de Niolio ad Altiziam * auctore Airaldo Gaiſſadener, confirmatur diplomatibus Gaufredi Aquitaniæ ducis, & Ludovici Francorum regis.*

1076. IN nomine beatæ & individuæ Trinitatis, omnibus ſanctæ matris Eccleſiæ alumnis, tam præſentibus quam futuris. Ego Gaufridus Dei gratia Aquitanorum dux, volo manifeſtum fieri quia omnia quæ Airaldus Gaſſedener cognomine, pro redemptione animæ ſuæ, aliorumque fidelium eccleſiæ ſancti Vincentii, quæ ab ipſo in villa quæ Niolium nuncupatur, fundata eſt, ad canonicorum Deo & ſancto Vincentio inibi ſervientium uſus donavit: videlicet quicquid de patrimonio ſuo apud Bennacum poſſidebat, tam in burgo quam in terris: & quæ ipſi canonici pro indiſſolubili gloria vitæ æternæ ſecundum Domini præceptum ſupradictæ eccleſiæ reliquerunt; cuncta etiam quæ egomet ad præſens dono, ſcilicet quantum ex meis filiis neceſſe fuerit, tam eccleſiæ quam officinis, excepto Exſpalto, vel ea quæ alii fideles de caſamentis ad me pertinentibus dedere vel dederint, annuo & concedo, ut firmiter & inconcuſſe canonici in perpetuum poſſideant. Si quis vero ſtimulatione tactus dæmonica, & ſuperbiæ telo inflatus, percuſſus, aut flamma incenſus avaritiæ nequiſſima, ſuprafcriptam inſtitutionem, aut donaria quæ beatiſſimi martyris Vincentii eccleſiæ annuente me data ſunt, quæque fideles alii de caſamentis ad me pertinentibus pro ſuarum animarum redemptione daturi ſunt, infirmare voluerit, & calumniam quoquo modo intulerit, nullam licentiam habeat, quinimo perpetuo anathemati ſubjaceat. Acta eſt hujuſmodi eccleſiæ cartula apud Vulventum in domo Airaudi præfati, domino papa Gregorio S. Petri poſſidente cathedram, Philippo regnante in Gallia, Gaufrido dominante in Aquitania, Iſemberto præſidente in Pictavenſi eccleſia, miniſtrante ſibi Rainaldo partibus iſtis archidiacono, anno Dominicæ Incarnationis M. LXXVI. indictione XIV. cyclo Paſchali X. epacta XII. concurrentibus V. præſentibus iſtis ſubſcriptis, ac ſibi invicem pellem porrigentibus Gaufridi comitis, Aimerici Thoarcenſium vicecomitis, Savarici fratris ejus, Mauritii Girardi. S. Girardi patris ejus de Monte-acuto, Theobaldi Caboz. S. Raimundi Callies, Goſberti Francigenæ. S. Tetbaldi Lunelli, Airaldi Gaſſedener. S. Burchardi de Vulvento. S. Clerembaldi Juvenis. S. Aimerici Tornelli. S. Petri Mainardi. S. Amelli de Fonteneyo. S. Hugonis Mareventenſis. S. Hugonis ſacerdotis comitis. S. Mauritii Zachariæ Puſagenſis. S. Radulfi vicecomitis.

VI.

Præceptum Ludovici regis ejuſdem argumenti.

1141. IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis: ego Ludovicus Dei gratia rex Francorum & dux Aquitanorum, notum fieri volumus tam futuris, quam præſentibus, quod omnia quæ Airaudus Gaiſſedener cognomine pro redemptione animæ ſuæ aliorumque fidelium, eccleſiæ S. Vincentii, quæ ab ipſo in villa quæ Niolium nuncupatur fundata eſt, ad canonicorum Deo & S. Vincentio inibi ſervientium uſus donavit; videlicet quicquid de patrimonio ſuo apud Bennacum poſſidebat, tam in burgo quam in terris, & quæ ipſi canonici pro indiſſolubili gloria vitæ æternæ ſecundum Domini præceptum ſupradictæ eccleſiæ reliquerunt. Cuncta etiam quæ comites Pictavenſes intuitu caritatis eis contulerunt: ſcilicet quantum ex ſylvis quæ ſunt in caſtellania Mareventi, & in adjacentibus locis neceſſe fuerit, tam eccleſiæ quam eorum officinis, excepto Eſpalto: vel ea quæ alii fideles de caſamentis ad nos pertinentibus dedere vel dederint, aſſenſu & petitione Alienordis reginæ collateralis noſtræ, cujus mater ibi ſepulta requieſcit, æternæ retributionis obtentu, abſque aliqua exactione annuimus, & ut canonici perpetuo poſſideant, conceſſimus. Ipſos quoque canonicos cum omnibus poſſeſſionibus ſuis, communicato Reginæ conſilio, in tutela & defenſione noſtra ſuſcepimus. Quod ut ratum & inconcuſſum habeatur impoſterum, ſcripto commendari, & ſigilli noſtri auctoritate muniri, atque nominis noſtri caractere corroborari præcepimus. Actum publice apud Niortum, anno Incarnati Verbi M. C. XLI. aſtantibus in palatio noſtro, quorum nomina ſubtitulata ſunt & ſigna. Signum Radulphi Viromandorum comitis dapiferi noſtri, ſig. Guillelmi buticularii, ſig. Mathæi camerarii, S. Mathæi conſtabularii. Data per manum Cadurci cancellarii.

VII.

Donum Guidonis vicecomitis, & uxoris ejus Emmæ, filiorumque illorum Geraldi, Ademari & Petri de eccleſia de Niolil ejuſque pertinentiis.

QUicunque ergo talentum erogationis ſibi a Deo conlatum obeat fideliter, oportet & dignæ fructificationis agrum jugiter exerceri, quatinus ſi quid fertilis conſcientia ſuper id quod creditum eſt illi protulerit, ſupernæ remunerationis mereatur bravium palmæ ſibi adquiri. Hæc ego in Dei nomine Guido & uxor mea Emma, ſed & filii noſtri Geraldus, Ademarus, Petrus, pro remedio animarum noſtrarum & filiorum noſtrorum, & pro anima aviæ meæ Tethbergæ, & pro anima patris mei Geraldi, & pro anima Rotildis matris meæ, vel parentum noſtrorum; ut nobis pius Dominus ſit adjutor in die judicii, tradimus quendam alodum noſtrum Deo & S. Petro ad Uzercham & ad monachos ibidem habitantes: hoc eſt, unam eccleſiam quæ eſt dedicata in honore S. Bibiani, & vocatur locus ille Anioli, & omnia quæ ad ipſam medietatem de eccleſia pertinere videntur, itaut ab hodierno die ipſi teneant & poſſideant. His ita oblatis petimus & adjuramus tam nos quam filii noſtri, per adventum Domini noſtri Jeſu Chriſti, perque fidem S. Trinitatis, ac merita cunctorum angelorum, atque omnium ſanctorum, præcipueque beatæ Mariæ ſemper virginis, ſanctique Petri apoſtolorum principis, beati quoque protomartyris Stephani, necnon & beati Martialis Aquitaniæ patroni, omnes parentes noſtros & ſucceſſores eorum, ut hoc noſtræ elemoſynæ privilegium minime infringant, ſed ſicut ſua a ſucceſſoribus ſuis voluerint ſtatuta ſervari, ſic & noſtra decreta in perpetuum ſtudeant confirmare & conſervare. Quod ſi de his quiſquam aut nos ipſi, aut aliquis de heredibus aut propinquis noſtris ſive clericus, ſive laïcus, aut ulla immiſſa perſona, de his ſcilicet quæ data ſunt, dederit aut vendiderit, aut invaſerit, aut intulerit, imprimis iram Dei Patris omnipotentis & Filii & Spiritus ſancti incurrat, ſanctuſque Petrus & beatus Stephanus ſint ei in contrarium in anima & corpore; & ira Dei ſuper eum veniat, & ſuper omnes ſequaces ejus, & ſuper omnem progeniem ejus qui eis in malum conſenſerint & conſilium dederint, & cum Juda proditore & cum Datan & Abiron in infernum præcipitentur cum diabolo & angelis ejus in cruciatu infernotum in ſecula ſeculorum. Amen. Et hoc privilegium firmum & ſtabile permaneat omni tempore, cum ſtipulatione ſubnixa. Signum Guidoni & uxoris ejus Emmæ, qui hoc privilegium fieri vel firmare rogaverunt. S. Geraldi epiſcopi. S. Ademari fratris ſui. S. Petroni fratris ſui. S. Fulcherii fratris ſui. S. Rotildis. S. Aimerici filii ſui. S. Fulchaldi de Rocha. S. Guidoni filii ſui. S. Ademari fratris ejus. S. Avæ. S. Aimerici filii ſui. S. Geraldi. Factum eſt hoc privilegium menſe Auguſto, anno ab Incarnat. Dom. M. XIX. regnante Rotberto rege Francorum. Ramnulfus monachus ſcripſit & firmavit.

1019.

Digitized by Google

VIII.

Notitia fundationis abbatiæ Gratiæ-Dei ord. Ciſtercienſis.

Ex archetypo deſcripſit D. Jac. Boyer.

EGO GOFFRIDUS Dei gratia Carnotenſis epiſcopus, apoſtolicæ Sedis legatus, omnibus tam futuris quam præſentibus notum fieri volo, quod Guillelmus comes Pictavienſis & dux Aquitaniæ, dedit Bernardo abbati Claravallenſi, pro anima ſua & pro animabus prædeceſſorum ſuorum in foreſta ſua de Arianſum [a] quicquid habebat intra has duas vias, videlicet intra illam viam quæ a caſtro [b] Mauzé ducit ad villam quæ dicitur [c] Chremeri, & illam viam quæ a villa quæ dicitur [d] Legnez ducit [e] Beneonem; dedit, inquam, libere & abſque ulla retentione ad faciendam abbatiam Ciſtercienſis ordinis. Conceſſit etiam ut fratres, qui ibi manerent, acciperent in perpetuum de lignis, quantum opus haberent, ad facienda & reparanda ædificia, & ad ceteros uſus abbatiæ, ubicumque voluerint in eadem foreſta, etiam in [f] Defenſis quæ dicuntur Eſpaud, ſi tamen alibi in eadem foreſta quæ neceſſaria ſunt non poterunt inveniri. Conceſſit præterea in eadem foreſta ubique, excepto in defenſis quæ dicuntur Eſpaud, paſcua equis fratrum, armentis & gregibus & eorum porcis paſturagium. Fecit autem ipſe comes hoc donum in manu præſcripti abbatis in præſentia noſtra per annulum noſtræ pontificalis dignitatis. Teſtes dominus Gofridus Burdegalenſis archiepiſcopus, Guillelmus epiſcopus Xantonenſis, Grimoaldus abbas de Allodiis, Guillelmus capellanus de Beneone, Hugo avunculus ejus, Goffridus de Ranconia, Guillelmus de Mauzi dapifer comitis Pictavienſis, Lethardus de Beneone, Guillelmus Guateri de Beneone, Hugo de la Legnia, Gofridus Venator. Laudavit poſtea hoc donum Ludovicus rex Francorum & dux Aquitanorum, filius Ludovici regis, qui poſt obitum ſupradicti Guillelmi comitis, qui apud ſanctum Jacobum ſepultus eſt, filiam ejus nomine Alienoram duxit in uxorem, & totam terram obtinuit. Laudavit etiam & confirmavit hanc eleemoſynam patris ſui Alienor tunc regina, ſupradicti Ludovici regis uxor, & prædicti Guillelmi comitis filia. Ut autem præſens ſchedula rata illibataque in perpetuum maneat, eam auctoritate noſtra confirmamus, & impreſſione ſigilli noſtri communimus. Si quis autem, quod abſit, ejus tenorem violare vel minuere auſu temerario attemptaverit, donec reſipiſcat & digne ſatisfaciat, a liminibus ſanctæ matris Eccleſiæ alienus fiat, & Chriſtianorum communione careat: omnibus autem iſta ſervantibus pax inpræſentiarum & peccatorum remiſſio ab omnium remuneratore condonetur. Amen.

[a] Benon *Comitatus cui ſubjacent quatuor baronet de Surgeres, de Nuaillé, de Pauleon, & Mauzé; necnon 77. parochiæ.*

Exſtant & littera Philippi Francorum regis, quibus concedit religioſis viris abbati & conventui Gratiæ-Dei uſagium quod habebant in foreſta regia de Benon, ad facienda & reparanda ædificia ſua, & ad cæteros uſus abbatiæ prædictæ, videlicet pro corpore & porprifia ejuſdem, & pro grangiis & domibus dictæ abbatiæ ſituatis intra metas fundationis ejuſdem, & pro aliis grangiis & domibus ſuis quæ ſequuntur, videlicet pro grangia de [e] Nactatoria, [g] de Dardais, [h] de Aloëta, [i] de Bria, [k] de Cellario, [l] de Rupella, de Agerna, & [m] de Plainpoint, modo & forma quibus uſque nunc uſi ſunt, prout in eorum cartis & privilegiis a prædeceſſoribus regibus ſibi conceſſis plenius continetur. Hoc autem privilegium monachis conceſſit Philippus rex, attendens quod cariſſimæ conſortis ſuæ Johannæ, quondam Franciæ reginæ, anniverſaria annuatim in ſuo monaſterio facere liberaliter conceſſiſſent. Actum anno M. CCC. VIII. menſe Auguſti.

[a] Bois-l'Abbé. [b] Mauzé. [c] Cramohé. [d] la Leigne. [e] Les Deffens des Eſpaux dans la foreſt de Benon.
[f] La Nevoire ou la petite Abbaye. [g] Dardsy. [h] les Alouettes. [i] la Brie. [k] le Cellier. [l] la Jarne. [m] Plainpoint.

Idem privilegium confirmavit Carolus regis Franciæ filius, Marchia ac Bigorræ comes, ac dominus Creſciaci & Surgeriarum, litteris datis Pontiſaræ anno Domini M. CCC. XIX. *menſe Maii; quæ omnia poſtea roboravit Carolus rex Francorum, litteris datis Pariſiis an. Dom.* M. CCC. LXXII. *regni ſui nono, menſe Januarii.*

IX.

Litteræ Richardi Angliæ regis & ducis Aquitaniæ, de fundatione abbatiæ ordinis Ciſtercienſis quæ vocatur Gratia B. Mariæ.

Deſcripſit ex autographo D. J. Boyer.

RICHARDUS Dei gratia rex Angliæ, dux Normanniæ & Aquitaniæ, comes Andegavenſis, archiepiſcopo Burdegalenſi, & epiſcopo Xanctonenſi, comitibus, baronibus, juſtitiariis, præpoſitis, & omnibus miniſtris, & fidelibus ſuis ſalutem. Sciatis nos conceſſiſſe, & præſenti carta confirmaſſe eccleſiæ noſtræ Gratiæ beatæ Mariæ, & monachis ibidem Deo ſervientibus, omnes donationes quas eis fecimus de fundatione ipſorum in inſula de Lagullona, & loco de Pala cum pertinentiis ſuis. Concedimus etiam quod fratres de Gratia beatæ Mariæ accipiant in perpetuum de lignis quantum opus habebunt ad facienda & reparanda ædificia ſua & ad ceteros uſus abbatiæ, ubicumque voluerint in foreſta de Argenchum, etiam in defenſis quæ dicuntur Eſpaut, & ubique in eadem foreſta paſcua equabus fratrum, armentis & gregibus & eorum porcis paſtinagium. Et quaſcumque terras, aut prata, aut vineas, aut alias poſſeſſiones, ſeu medietarias ex feodo noſtro adquirere poterunt, & in ſuam vel ex aliorum largitione, vel ex propria emptione, vel ex commutatione redigere poſſeſſionem, omnes præfatæ eccleſiæ fratribus in perpetuum poſſidendas confirmamus. Et eandem libertatem in omnibus terris & aliis rebus quas nos donavimus, quibuſcumque eas donavimus, quam habebant in illis antequam donarentur, & quam adhuc habent in propria terra noſtra quam nobis retinuimus. Concedimus etiam eis & confirmamus ut in omnibus rebus antiquas conſuetudines Beneonis vel Rochellæ eis tenere liceat; id eſt ea quæ in parochia quam habitant per annum & diem, vel in alia parochia quam non habitant per diem & ſeptempnium ſine calumpnia tenuerint, deinceps libere & quiete poſſideant. Et donationes quas fecerunt prædictæ eccleſiæ & prædictis fratribus Guido de Toars, & Petrus Bertin, & Willelmus de Rupe, & quilibet alii vel in futurum rationabiliter facient. Si quis autem in hiis vel in quibuſlibet aliis poſſeſſionibus ſuis, eis calumpniam movere voluerit, nonniſi coram nobis, vel capitali juſtitia noſtra, vel prælatis eccleſiæ reſpondere cogantur. Quare volumus & firmiter præcipimus quod prædicta eccleſia & ejuſdem eccleſiæ monachi habeant & teneant omnia prædicta bene & in pace, libere & quiete, integre, plenarie, & honorifice, in terris, in boſco, & plano, in pratis, & vineis, & paſcuis, in aquis, & molendinis, in ſtagnis & vivariis, in piſcariis & mariſcis, in viis & ſemitis, & in omnibus aliis locis, & aliis rebus, cum omnibus libertatibus & liberis conſuetudinibus ſuis, ſicut cartæ ſigillorum noſtrorum teſtantur. Has, inquam, omnes conſuetudines & poſſeſſiones ab omni conſuetudine proprie noſtra liberas fecimus & immunes. Sciant ſi quidem univerſi quod præfata eccleſia & monachi, & omnes res eorum & poſſeſſiones & homines, ſunt in manu & cuſtodia & protectione noſtra. Quare prohibemus ne eis vel hominibus ſuis ſive rebus eorum aliquam injuriam faciatis vel fieri permittatis. Teſtibus Guidone de Toarz, Willelmo de Fors, P. Bertin, P. de Volviria, Gaufrido de Pons, fratre Milone. Data per manum Johannis de Alenconio Lexovienſi archidiacono vicecancellario VIII. die Maii apud Coingnac; anno primo regni noſtri.

X.

Litteræ Alienoris reginæ fundationem a Richardo filio ſuo factam confirmantis.

1199. ALIENOR Dei gratia humilis regina Angliæ, ducissa Normanniæ & Aquitaniæ, & comitissa Andegavenſis, archiepiſcopis, epiſcopis, comitibus, baronibus, ſeneſcallis, præpoſitis, juſtitiariis, ballivis, & univerſis tam futuris quam præſentibus ad quos litteræ iſtæ pervenerint, ſalutem. Sciatis nos conceſſiſſe & præſenti carta confirmaſſe abbatiæ de Gratia ſanctæ Mariæ, quæ eſt filia abbatiæ Gratiæ-Dei, donum quod eidem abbatiæ fecit Otho nepos noſter, tunc dux Aquitaniæ & comes Pictavienſis, quam fundavit karissimus filius noſter Ricardus Dei gratia quondam venerabilis rex Angliæ; videlicet quicquid comes Pictavienſis habebat A in banchis de Rochella, & in Olerone; redditum quemdam qui vocatur Meſtiva de Trea; & quicquid ad eumdem redditum pertinet, & quicquid comes Pictavienſis habebat in cenſibus domorum de Olerone; & unam procurationem quam annuatim habebat in prioratu ſancti Petri de Olerone, & aliam procurationem cum uno ſextario avenæ quem ſimiliter annuatim habebat in villa quæ dicitur Alberium. Quæ ut perpetuo firma conſiſtant, præſentem cartam ſigillo noſtro fecimus ſigillari. Hæc, inquam, omnia pro remedio animæ noſtræ, & karissimi filii noſtri Ricardi regis Angliæ, præfatæ eccleſiæ libere & quiete conceſſimus & confirmavimus. Datum apud Niortum anno ab Incarnatione Domini M. C. XCIX. menſe Maio, teſtibus hiis, Guidone abbate Ciſtercii, Johanne abbate * Oratorii, P. Bertin tunc ſeneſcallo Pictavienſi, Chalone de Rupe-forti, Longuo Ogerio, & pluribus aliis. B

* *Abbatia quæ vocatur* Loroux.

INSTRUMENTA AD ECCLESIAM LUCIONENSEM SPECTANTIA.

I.

Bulla Johannis papæ XXII. qua Petrus epiſcopus primus Lucionenſis creatus, ſignificatur archiepiſcopo Burdegalenſi.

ANNO M. CCC. XIX. Ind. II. pontificatus Johannis papæ XXII. anno III. frater Guido prior ſancti Chriſtophori in Medulco *, procurator D. Petri epiſcopi Lucionenſis primi, inſinuavit D. archiepiſcopo noſtro litteras ſuæ creationis hujus formæ: Johannes epiſcopus ſervus ſervorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Salvator noſter in agro mundi hujus meſſem multam aſpiciens, & operariorum raritatem attendens, Dominum meſſis rogandum eſſe, ut in illam operarios mitteret juſſit, & ipſe idem exiens mane veluti paterfamilias diligens, horis diei variis operarios in vineam ſuam miſit. Romanum itaque pontificem qui ſicut eodem Domino diſponente, vicarius ejus in terris eſſe dignoſcitur, ſic & ipſius actibus, inquantum finit humana fragilitas, ſe conformare tenetur. Ubi ſuper excreſcentem populi multitudinem viderit, operarios debet oportunos adjicere, & juxta propheticum verbum augere cuſtodiam, relevare cuſtodes, ac cultores idoneos in Dominicam vineam deſtinare.

* Medoc.

Sane, &c. *ut in charta III. Malleacenſi.* De Fontiniaco, de ſancto Laurentio, de Vieriis, de Barcorio decanatus, ac archipreſbyteratus de Arducio rurales civitatis Malleacenſis: Marotii autem Halemundenſis, Aſiani & Montis-acuti decanatus de archipreſbyteratu Alpienſi rurales, dudum de prædicta diœceſi Pictavienſi, ac ipſum de Joando in ſuas diœceſes perpetuo territoriis, juribus & pertinentiis eorumdem, monaſteriis quoque ac prioratibus ſæcularibus ac regularibus ac juriſdictionibus omnibus temporalibus ac ſpiritualibus, prout hactenus fuerant diœceſis Pictavienſis, ipſi civitati de Lucionio cum eccleſiis, dignitatibus, perſonatibus deputamus ac etiam aſſignamus; volentes quod quidquid in ipſis Malleacenſi & Lucionenſi diœceſibus per nos taliter limitatis, præeminentiæ & majoritatis, ſuperioritatis, juriſdictionis & exercitii juris ſpiritualis & temporalis prælibato epiſcopo, capitulo & eccleſiæ Pictavienſi jure ordinario nunc uſque competit, de cætero epiſcopis.... eodem jure competat....

Reliqua prædictæ diœceſis Pictavienſis, præter eoſdem decanatus & archipreſbyteratus cum ſuis diſtrictibus & juriſdictionibus ſuperius nominatis prælibatæ C civitati Pictavienſi in ſua diœceſi integraliter permaneant. Hæc igitur per dictæ ſedis providentiam circumſpectam ſic facta ſalubriter & utiliter ordinata, perpetuis eſſe volumus temporibus, & robur incommutabile firmitatis obtinere volentes, auctoritate prædicta diſtrictius inhibemus ne aliquis cujuſcumque præeminentiæ..... Datum Avenione Idibus Auguſti, pontificatus noſtri anno primo.

Frater Petrus, permiſſione Divina Lucionenſis epiſcopus, ad legendum, præſentandum.... domino archiepiſcopo Burdegalenſi, ſeu ejus venerabili officiali ejuſdem litteras apoſtolicas factas & confectas de & ſuper creatione noſtra in epiſcopum Lucionenſis eccleſiæ, necnon ad petendum fieri publicum inſtrumentum de & ſuper prædicta lectura, dilectos noſtros fratrem Guidonem priorem S. Chriſtophori in Medulco, magiſtrum Petrum Frobac clericum procuratores noſtros ſpeciales fecimus & creavimus per præſentes..... Datum die Martis poſt feſtum B. Johannis ante Portam Latinam anno Domini M. CCC. XIX. D

Datum & actum apud Laureum-montem Burdegalenſem in manerio prædicti D. archiepiſcopi, poſt horam primæ, XIV. Maii, die Lunæ ante feſtum Aſcenſionis Domini, anno M. CCC. XIX. pontificatus dicti domini papæ anno III. præſentibus religioſo viro fratre Petro Bolho priore de Floiriaco Xantonenſis diœceſis, G. de Barrerio de Targon & aliis.

II.

Bulla ſeculariſationis inſignis eccleſiæ Lucionenſis.

IN nomine ſanctiſſimæ & individuæ Trinitatis Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Amen. Noverint univerſi & ſinguli has præſentes noſtras litteras viſuri, lecturi, pariter & audituri, quod nos Henricus tituli ſanctæ Pudentianæ preſbyter cardinalis Cajetanus, ſanctæ Romanæ eccleſiæ camerarius, ad inſtantiam RR. DD. capituli & canonicorum eccleſiæ Lucionenſis principalium, omnes & ſingulos ſua communiter, vel diviſim, quomodolibet intereſſe putantes ex adverſo principales, eorumque procuratores, ſi qui eſſent in Romana curia, ad videndum ſumptum litterarum apoſtolicarum felicis recordationis Pauli papæ II. erectionis eccleſiæ Lucionenſis in ſecularem, ac ſuppreſſionis & extinctionis ordinis ſancti Benedicti, tam in eadem eccleſia, quam in ſingulis membris, prioratibus, E

præpoſituris, & capellis ab illa dependentibus, & aliorum in eodem ſumpto expreſſorum, alias pro parte claræ memoriæ Ludovici [a] Francorum regis, ac bonæ memoriæ Nicolai [b] epiſcopi Lucionenſis; necnon capituli, cleri, & populi civitatis & diœceſis Lucionenſis, obtenti clauſum & ſigillatum more Romanæ curiæ aperiri, & clauſulas ceratas in eodem ſumpto contentas, juxta ejuſdem Romanæ curiæ ſtylum extendi & publicari, ac in publicam tranſſumpti formam redigi, mandari, auctoritatemque noſtram pariter & decretum judiciale deſuper interponi: vel dicendum, & cauſam ſi quam haberent rationabilem, quare præmiſſa fieri non debeant allegandum per unum ex ſanctiſſimi domini noſtri papæ curſoribus, & per affixionem ad valvas cameræ apoſtolicæ, & in acie Campi-Floræ, ut moris eſt & fieri conſuevit, citari fecimus, & mandavimus ad diem & horam infraſcriptas. Quibus advenientibus comparuit in judicio coram nobis magnificus D. Benignus Remond, clericus Lingonenſis diœceſis, regiſtri ſupplicationum apoſtolicarum magiſter, & dictorum RR. DD. capituli & canonicorum Lucionenſium procurator; & eorumdem citatorum non comparentium contumacia, & in eorum contumaciam dictum ſumptum ita clauſum & ſigillatum facto realiter exhibuit, & præſentavit, illudque aperiri, & clauſulas ceratas ex ipſo appoſitas extendi & tranſſumptari, ac in publicam tranſſumpti formam redigi, mandari, noſtramque auctoritatem pariter & decretum deſuper interponi debita cum inſtantia poſtulavit.

Nos igitur Henricus cardinalis camerarius prædictus hujuſmodi juſtis precibus moti, dictis citatis non comparentibus, merito id exigente juſtitia, contumacibus reputatis, & in eorum contumaciam dictum ſumptum aperiri, & clauſulas ceratas in eo appoſitas, juxta ſtylum Romanæ curiæ extendi, & in hujuſmodi publicam tranſſumpti formam redigi mandavimus. Tenor vero dicti ſumpti eſt qui ſequitur, videlicet:

Paulus [c] epiſcopus ſervus ſervorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Conſtitutus in ſpecula ſupremæ dignitatis Romanus pontifex, circa quarumlibet eccleſiarum præſertim cathedralium, quarum cura ſibi imminet generalis, ſtatum proſpere dirigendum ſollicite intendit, illumque quandoque mutat, & ipſarum eccleſiarum venuſtatem & decorem auget, ac alia ſtatuit, ordinat & diſponit, quæ earum felicem gubernationem, ac regimen, divinique cultus augmentum concernunt, prout catholicorum regum, & antiſtitum, & aliarum eccleſiaſticarum perſonarum expoſcit devotio, temporum & locorum qualitas exigit, & in Domino conſpirat ſalubriter expedire.

Sane pro parte chariſſimi in Chriſto filii noſtri Ludovici Francorum regis, illuſtris & venerabilis fratris noſtri Nicolai epiſcopi Lucionenſis, necnon dilectorum filiorum capituli eccleſiæ Lucionenſis, ordinis ſancti Benedicti, nobis nuper exhibita petitio continebat quod ipſi, ac etiam dilecti filii clerus & populus civitatis & diœceſis Lucionenſis ſummopere affectant, quod dicta eccleſia Lucionenſis in ſæcularem eccleſiam erigatur: ac ordo ipſe tam in ea quam in ſingulis membris ab ipſa eccleſia dependentibus penitus ſupprimatur, & extinguatur, ac alia per nos fiant, ſtatuantur, diſpenſentur, indulgeantur, & ordinentur per quæ eccleſia ipſa in conſpectu Dei & hominum refloreſcat, ac in ſpiritualibus & temporalibus optatæ felicitatis ſuſcipiat incrementum. Quare pro parte tam Regis, quam epiſcopi, & capituli prædictorum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eamdem Lucionenſem eccleſiam in ſecularem eccleſiam erigere, ac ordinem ipſum in ea & membris hujuſmodi penitus ſupprimere, aliaſque in præmiſſis opportune providere de benignitate apoſtolica dignaremur.

Nos igitur regis, epiſcopi, & capituli prædictorum votis in hac parte favorabiliter annuentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, ipſorum ad omnia & ſingula infraſcripta expreſſo accedente conſenſu, ad laudem omnipotentis Dei, dictæque eccleſiæ Lucionenſis venuſtatem & decorem, ac Divini cultus augmentum, auctoritate apoſtolica, ex certa ſcientia, tenore præſentium ipſam eccleſiam Lucionenſem in ſecularem eccleſiam erigimus, ac in ea & ſingulis ejus membris, prioratibus, præpoſituris & capellis ab illa dependentibus, ordinem ipſum penitus ſupprimimus, & extinguimus; ac decernimus & declaramus dictam eccleſiam, illiuſque membra, prioratus, præpoſituras, & capellas de cætero non ordinis ſancti Benedicti, ſed ſecularia eſſe, & in perpetuum per clericos ſeculares regi & gubernari debere.

Et nihilominus prioratum ejuſdem eccleſiæ quem Aymericus Goyon licentiatus in decretis, in decanatum, qui in dicta eccleſia dignitas major poſt pontificalem curata & electiva: & eleemoſynariam, quam Petrus Saucelli baccalaureus in theologia, in archidiaconatum: necnon ſacriſtiam, quam Petrus Helye, in archidiaconatum Azianenſem: & archipreſbyteratum ruralem Alperienſem, quem magiſter Jacobus Bigneti abbreviator litterarum apoſtolicarum, & familiaris noſter, in archidiaconatum Alperienſem: & cantoriam, quam Guillelmus Creſſon: ac aquariam, quam Ludovicus Charruelli, in præpoſituram ejuſdem eccleſiæ: theſaurariam vero, quam Nicolaus Giraudelli baccalaureus in decretis; necnon de novo cancellariam, ſive cancellariarum in dignitates: ac ſuppriorатum ejuſdem eccleſiæ, quem Mauritius Limoſin, in ſubdecanatum: necnon cameràriam, quam Jacobus Hublon, & quæ omnia ſupradicta in eccleſia Lucionenſi prædicta officia ſimplicia exiſtebant, in ſuccentoriam: & ſancti Laurentii de Parteniaco, quem Guillelmus Gervani; ac de Fonteniaco, quem Johannes Bernardi; & de Exartis, quem Valerianus de Roccha dilecti filii ejuſdem eccleſiæ monachi ordinem ipſum expreſſe profeſſi obtinent, prioratus ab eadem eccleſia dependentes, in præpoſituras, quæ ac ſubdecanatus & ſuccentoria præfati perſonatus ſint. Et inſuper triginta duas integras, & ſeptem ſemiprædendas cum totidem canonicatibus in eadem eccleſia, auctoritate, ſcientia & tenore præmiſſis etiam perpetuo erigimus, & conſtituimus; ac decernimus, ſtatuimus & ordinamus quod novem ex monachis integras prædendas obtinentibus cedentibus, vel ubilibet decedentibus, vel illas alias quomodolibet dimittentibus, ſemiprædendæ hujuſmodi ex tunc ſuppreſſæ penitus & extinctæ ſint, earumque fructus, reditus, & proventus pro diſtributionibus quotidianis in ipſa eccleſia divinis intereſſentibus applicentur; quodque in eadem eccleſia tam integratum, quam ſemiprædendarum numerus tricenarius ſit, & perpetuo eſſe ac cenſeri debeat.

Præterea eiſdem prænominatis perſonis, videlicet Aymerico Goyon, Petro Saucelli, Petro Helye, Jacobo Bigneti, Guillelmo Creſſon, Ludovico Charuelli, Nicolao Giraudelli, Ivoni Simonis, ac dictam cancellariam, cujus quadraginta, in dignitatem, ut præfertur erectam, Mauritio Limoſin, Jacobo Hublon, Johanni Bernardi, Valeriano de Roccha, ac dilectis filiis Johanni Aprilis utriuſque juris doctori, Petro Davidis, Johanni Baraton, Johanni Portevin in decretis licentiato, Jacobo Marchand, Franciſco Pelin, Johanni Guilloriti, Guillelmo Coterelli, Guillelmo Rouſſelli, Gabrieli Berthelot in utroque jure licentiato, Henrico Mervaud, Petro de Boſco, Petro Grollerii, Guillelmo Prevouſt, Petro de Monaſterio, Leonardo de Roccha, Mathurino de Laurriere, Stephano de Horp, Nicolao Challou, Jacobo Goberty monachis, & clericis ſingulos canonicatus, & integras, quorum ſingulorum canonicatuum, & integrarum viginti; necnon Petro Texier, Ludovico Prevouſt, Petro Ruffin,

[a] *Ludov. XI.*
[b] *Nicol. Boutard XIII. Lucion. epiſc.*
[c] *Paul. II.*

Digitized by Google

Matthiæ Gazeau, Andreæ Durandi, Leoneto Hyver, Reginaldo Goyon, ſingulos etiam canonicatus & ſingulas ſemiprædendas, quarum ſingularum decem librarum Turonenſium parvarum fructus, redditus, & proventus ſecundum communem exiſtimationem, valorem annuum, ut aſſeritur, non excedunt pro hac primaria vice, ab hujuſmodi erectione vacantes ſcientia, tenore & auctoritate prædictis, cum plenitudine juris canonici, ac omnibus honoribus & pertinentiis eorumdem conferimus, & de illis etiam providemus omnia & ſingula beneficia eccleſiaſtica, cum cura & ſine cura, quæ quilibet ipſorum etiam ex quibuſvis apoſtolicis diſpenſationibus obtinet & expectat, ac in quibus & ad quæ jus ſibi quomodolibet competit, quæcumque, quotcumque & qualiacumque fuerint, eorumque fructuum, reddituum & proventuum veros annuos valores, ac hujuſmodi diſpenſationum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, alienatione tamen quorumcumque bonorum immobilium, & pretioſorum mobilium, ac canonicarum, ac integrarum, & ſemiprædendarum hujuſmodi prænominatis perſonis, ſub pœnis in quadam noſtra ſuper hæc edita conſtitutione contentis, penitus interdicta.

Et ne in eadem eccleſia ſit habitus diſparitas, nec inter ſeculares clericos, & inibi exiſtentes monachos ſit diverſitas incedendi, ſcientia & auctoritate prædictis ſtatuimus, & etiam ordinamus, quod ejuſdem eccleſiæ monachi prædicti veſtibus nigris, aut aliis pannis obſcuris tantum, abſque alio ſigno aliquo uti, ac cum illis publice incedere, & in eccleſia prædicta ſuperpelliciis, cum almutiis griſeis, ſeu variis, ac hyemis tempore cappis nigris, ſicut alii ſæculares, & ad inſtar eccleſiæ Pictavienſis uti valeant: permanentibus tamen in ſuo robore tribus votis ſubſtantialibus per ipſos promiſſis, eos nihilominus a cæremonialibus & obſervantiis regularibus penitus abſolventes.

Quodque ſinguli de capitulo & ſingulæ perſonæ dictæ Lucionenſis eccleſiæ ſint abſolutæ a quibuſcumque ſolutionibus de cætero faciendis ipſi capitulo & capitulum erga ſingulares illius perſonas, ſalvis certis exceptionibus inquodam articulo infra declaratis.

Collationes vero & proviſiones omnium & ſingularum dignitatum ac perſonatuum, necnon canonicatuum & prædendarum dictæ eccleſiæ Lucionenſis, illiuſque adminiſtrationum & officiorum, cum illos, illas, vel illa extra Romanam curiam per ceſſum vel deceſſum vacare contigerit, ad epiſcopum Lucionenſem pro tempore exiſtentem, prout antea officiorum & beneficiorum ejuſdem eccleſiæ pertinebat. Electio quoque decani ad capitulum, & illius confirmatio ad epiſcopum, hujuſmodi ceſſantibus apoſtolicis reſervationibus pleno jure pertineant.

Canonici vero prædendati ejuſdem eccleſiæ ſecundum eorum antiquitates pinguiores pro tempore vacantes prædendas, & domos canonicales, cæteroſque proventus ad inſtar ejuſdem eccleſiæ Pictavienſis, excepta prædenda eleemoſynariæ, optare poſſint & valeant.

Et quia officium divinum diœceſis Lucionenſis & Pictavienſis diœceſis eſt conforme, de cætero in eadem eccleſia Lucionenſi commune officium celebretur, proviſo quod officium B. Virginis Mariæ, more dictæ eccleſiæ Lucionenſis, propterea non omittatur.

Et ne in futurum in diviſione & partitione fructuum, reddituum & proventuum inter dignitates, canonicatus & prædendas, ac officia obtinentes diſſenſio, ſeu controverſia oriatur, partitiones & diviſiones fiant in hunc, qui ſequitur, modum:

Ordinamus videlicet quod dictus Aymericus Goyon & ſucceſſores decani ejuſdem eccleſiæ fructus, reditus & proventus, quos in tempore ipſius prioratus ſuppreſſi, cujus quadraginta percipiebat, & ultra hoc ſuper fructibus menſæ capitularis, centum libras Turonenſes, monetæ uſualis in partibus illis currentis quolibet anno, donec eſſet commenda officii archidiaconatus ejuſdem eccleſiæ per nos infra ſuppreſſi, quem obtinet in commendam dictus filius Alanus Loret abbas monaſterii de Inſula Calveti, cujus fructus, redditus & proventus decanatui hujuſmodi harum ſerie perpetuo applicamus, & pro groſſis fructibus ſuæ prædendæ percipiet & habebit quandam peciam terræ, Rouſſionatam nuncupatam, & partem de pratis officii cameratiæ, ſitam inter duo canalia Lucioni, cum quodam feudo vinearum vulgariter nuncupatarum la Minée, ac etiam feudo de Reſtaud dicto capitulo pertinente.

Dictuſque Petrus Saucelli archidiaconus pro groſſis fructibus dicti archidiaconatus percipiet omnes & ſingulos proventus quos percipere conſueverunt eleemoſynarii, ante ipſam ſuppreſſionem eleemoſynariæ, cujus etiam quadraginta, exceptis illis quos inferius deſcribemus, in alios uſus, ipſeque & ſucceſſores ſui archidiaconi in de Marolio & Talamundo decanatibus ruralibus Lucionenſis diœceſis, eccleſias & monaſteria, ac alia loca eccleſiaſtica intra metas dictorum decanatuum conſiſtentia, in quibus viſitationis officium de jure & conſuetudine archidiaconis illarum partium competit, & competere poteſt, eorumque perſonas anno quolibet quotiens tempus hujuſmodi viſitationis ingruerit, viſitare, necnon a ſingulis eccleſiis, monaſteriis, locis & perſonis prædictis taliter viſitatis ſingulas procurationes ſibi, ratione viſitationis hujuſmodi ſecundum morem partium illarum debitas, integras vel ſaltem moderatas etiam in pecunia numerata, aut alias ſecundum formam juris recipere, ac perſonas prædictas ad ſolutionem procurationum earumdem per cenſuram eccleſiaſticam ſua auctoritate compellere poterunt & valebunt: præfatus quoque archidiaconus major dictæ eccleſiæ Lucionenſis pro tempore exiſtens, pro ſua habitatione domum infirmariæ ejuſdem eccleſiæ, cum aliis domibus adjacentibus dictæ domui, & de viridario ſecundum quantitatem domorum prædictarum, una cum domibus & ſuis pertinentiis, quas obtinet infirmarius dictæ eccleſiæ prope dictam infirmariam perpetuo obtinebit: ipſe quoque archidiaconus pro groſſis fructibus ſuæ prædendæ percipiet tertiam partem fructuum, reddituum & proventuum prioratus ſancti Stephani de Brilloëto.

Inſuper archidiaconus Azianenſis præfatus pro groſſis fructibus archidiaconatus Azianenſis hujuſmodi pro ſe, & ſucceſſoribus ſuis archidiaconis Azianenſibus, fructus, redditus & proventus dictæ ſacriſtiæ ſuppreſſæ, cujus ſimiliter quadraginta percipiet, demptis domo du Bourdeau vulgariter nuncupata, cum ſuis juribus & pertinentiis, ac juribus, cenſibus & redditibus, quos hactenus percepit idem ſacriſta in parochiis de Campo ſancti Petri, & ſancti Vincentii ſupra Graon, una cum oblationibus & emolumentis quæ idem ſacriſta percipit & percipere debet in eccleſia parochiali & parochia de Lucionio, quæ omnia remanebunt pro fabricæ ipſius Lucionenſis eccleſiæ ſupportatione & exoneratione deveriorum, in quibus tenebatur idem ſacriſta eccleſiæ & fabricæ antedictis, poteritque viſitare & procurare in decanatibus ruralibus Azianenſi & Montis-acuti dictæ diœceſis, necnon procurationes recipere, & compellere perſonas, ſecundum formam juris: ipſeque ſacriſta & ſucceſſores ſui percipient pro groſſis fructibus ſuæ prædendæ tertiam partem fructuum, reddituum & proventuum prioratus de Aſperomonte.

Præfatus vero Jacobus Bigneti archidiaconus Alperienſis in dicta eccleſia, & ſui ſucceſſores archidiaconi, percipient fructus, redditus & proventus dicti archidiaconatus Alperienſis, una cum ſuis unionibus & incorporationibus, cujus octoginta, & pro groſſis fructibus ſuæ prædendæ, tertiam partem fructuum, reddituum & proventuum prioratus de Mignone, quodque archidiaconus Alperienſis pro tempore etiam poſſit viſitare & procurare eccleſias, monaſteria & prioratus, ac alia loca infra limites ejuſdem ſupreſſi

Digitized by Google

archipreſbyteratûs conſiſtentia & procurationes recipere & compellere, ſecundum formam juris, ut præfertur.

Dictuſque Guillelmus Creſſon cantor, & ſui ſucceſſores dictæ cantoriæ, cujus etiam quadraginta, una cum domo contigua domibus ſacriſtiæ, ex una & reliqua partibus, domibus armariatus dictæ eccleſiæ Lucionenſis, & pro groſſis fructibus ſuæ præbendæ duas petias pratorum Rouſſionatas nuncupatas, quæ ſunt de proventibus dictæ cantoriæ, ſitas inter duo canalia Lucioni, ac fructus cujuſdam feudi vinearum, vulgariter nuncupati, la Sexterée, percipient & habebunt.

Necnon dictus Ludovicus Charuelli præpoſitus, & ſui ſucceſſores dictæ eccleſiæ Lucionenſis præpoſiti pro tempore exiſtentes, pro groſſis fructibus & proventibus dictæ præpoſituræ percipient ea quæ aquariæ officium ſuppreſſum percipere conſuevit in parochia ſancti Joannis de Bugneyo de Plana, & etiam illa quæ idem aquarius & capitulum præfati habent commune & conjunctim in parochia ſanctæ Gemmæ, una cum his quæ idem aquarius percipiebat Lucioni & circa dictum Lucionum, exceptis clibanis ſeu furnis, quintana & commenditia, quæ omnia remanebunt capitulo memoratis, cum aliis juribus, redditibus & proventibus dicti officii aquariatus ubicumque exiſtant. Dictuſque Ludovicus Charuelli pro ſe & ſucceſſoribus ſuis, pro groſſis fructibus ſuæ præbendæ percipiet & habebit quamdam domum una cum ſuis pertinentiis, nuncupatam vulgariter la Blouynere, ſitam in parochia de Inſula Olonæ dictæ diœceſis, quam tenere conſuevit idem aquarius.

Inſuper dictus Nicolaus Giraudelli theſaurarius ejuſdem eccleſiæ, quam theſaurariam ad vitam ejus dumtaxat in dignitatem ereximus, & quam eo cedente, vel decedente ſuppreſſam & extinctam eſſe decernimus, pro groſſis fructibus & proventibus dictæ theſaurariæ, cujus ſimiliter quadraginta, percipiet ea quæ conſuevit percipere Lucioni & circa, ratione dictæ theſaurariæ: & pro groſſis fructibus ſuæ præbendæ pro ſe percipiet ea quæ idem theſaurarius in parochia de Olona, & circa dictam parochiam percipiebat.

Idem etiam Ivo Simonis cancellarius, & ſucceſſores cancellarii dictæ eccleſiæ pro tempore exiſtentes pro groſſis fructibus cancellariæ dictæ eccleſiæ, cujus quadraginta, percipient ea quæ aquarius dictæ eccleſiæ percipere conſuevit in mareſiis de montibus, donec prioratus S. Hermetis per ceſſum vel deceſſum vacaverit, & idem cancellarius illum pacifice fuerit aſſecutus; fructus vero & proventus dicti S. Hermetis percipiet, & ea quæ idem aquarius, ut præfertur, percipere conſuevit in dictis mareſiis de montibus, remanebunt perpetuo menſæ capitulari Lucionenſi prædictæ: ipſeque Ivo Simonis & ſui ſucceſſores pro groſſis fructibus ſuæ præbendæ percipient & habebunt domum vulgariter nuncupatam la Rouffiere dependentem a dicto prioratu S. Hermetis, una cum ſuis pertinentiis univerſis.

Dictus vero Mauritius Limoſin ſubdecanus percipiet proventus, quos percipere conſuevit, ratione ſuppreſſi officii ſubprioratus, cujus triginta, una cum proventibus, quos percipere conſuevit aquarius dictæ eccleſiæ apud Chailleium Malleacenſis diœceſis, necnon feudo vinearum vulgariter nuncupato Poveſcous ſito prope Lucionum, & ipſe, ac ſucceſſores ſui pro groſſis fructibus ſuæ præbendæ quartam partem proventuum prioratus de Floriaco Santonenſis diœceſis a dicta eccleſia dependentis.

Ac dictus Jacobus Hublon pro ipſius ſuccentoriæ groſſis fructibus proventus dictæ cameratiæ ſuppreſſæ, cujus etiam triginta, necnon pro groſſis fructibus ſuæ præbendæ, ipſe & ſui ſucceſſores, omnes & ſingulos proventus, quos hactenus perceperunt camerarii dictæ eccleſiæ Lucionenſis in parochia de Meſſereya, & circa dictam parochiam, excepta quadam rouſſionata pratorum ſupraſcripta, & applicata decanatui præfato.

Dictique Guillelmus Gervani S. Laurentii de Parteniaco, Johannes Bernardi de Fonteniaco, & Valerianus de Rocha de Exartis prioratuum in præpoſituras erectorum, quorum cujuſlibet reſpective triginta librarum Turonenſium ſimilium fructus, redditus & proventus hujuſmodi, ſecundum prædictam exiſtimationem, valorem annuum, ut etiam aſſeritur, non excedunt, reſpective percipient, excepto prioratu ſancti Salvatoris de Guire-emnays unito prioratui de Parteniaco hujuſmodi, quem harum ſerie diſmembramus & ſupprimimus, & illius fructus, redditus & proventus menſæ capitulari prædictæ applicamus.

Bernardi quoque prædictus capellam ſancti Martini a prioratu de Fonteniaco, una cum juribus ſuis & pertinentiis: ac Valerianus antedictus capellam ſancti Melani de Exartis prioratibus prædictis dependentes, cum juribus & pertinentiis ſuis, & ſucceſſores ſui pro groſſis fructibus ſuarum præbendarum reſpective percipient.

Et inſuper quod Aymericus Goyon, Petrus Saucelli, Petrus Helye, Jacobus Bigneti, Guillelmus Creſſon, Ludovicus Charuelli, Ivo Simonis, Mauritius Limoſin, Jacobus Hublon, Johannes Bernardi, Valerianus de Roccha, ratione ſuarum præbendarum dumtaxat quotidianas diſtributiones recipient.

Itaque vacantibus hujuſmodi dignitatibus, perſonatibus, & præpoſituris, ipſæ dignitates, perſonatus, & præpoſituræ conferantur canonicis dictæ eccleſiæ præbendatis, aut ſaltem canonicis apoſtolica auctoritate ad finem illas obtinendi creatis.

Cæterum Johannes Aprilis groſſos fructus in prioratu de Mauritania, Petrus Davidis medietatem proventuum prioratus de Rouſſayo, Johannes Baraton prioratum de Cavenis, Johannes Portevin triginta libras Turonenſes monetæ currentis in illis partibus de menſa capitulari annuatim percipient, donec prioratus de Paredo dictæ Lucionenſis diœceſis per ceſſum vel deceſſum vacaverit, ac eo vacante, omnes fructus dicti prioratus idem Johannes & ſucceſſores ſui pro groſſis fructibus ſuæ præbendæ.

Jacobus Marchand & ſucceſſores ſui pro groſſis fructibus ſuæ præbendæ, medietatem proventuum prioratus de Meſſereya dictæ diœceſis percipient & habebunt; Franciſcuſque Belin quoad vixerit, fructus, redditus & proventus officii infirmariæ infra ſuppreſſi percipiet, & domum eleemoſynarii, ſitam infra caſtrum Lucionenſe pro ſua habitatione obtinebit.

Johannes vero Guilloriti ſeptimus canonicus in ordine, ſuppreſſi draperiatus officii, quoad vixerit, fructus, & proventus pro ſua præbenda percipiet, demptis triginta ſex libris monetæ, quas percipere conſuevit annuatim ſuper monaſterio loci de Imardo, quæ triginta ſex libræ remanebunt capitulo, ex eo quod ipſe Johannes exoneratur a deveriis quibus tenebatur religioſis, & eo cedente vel decedente, omnes & ſinguli fructus ejuſdem officii præfatæ menſæ perpetuo applicari cenſebuntur.

Idem vero Guillelmus Coterelli & ſui ſucceſſores, qui præbendam eleemoſynariæ dictæ eccleſiæ ſibi collatam obtinebunt, pro illius groſſis fructibus decimas bladi & vini, quas eleemoſynarius pro tempore ipſius eccleſiæ a prædicto capitulo recipere conſueverat, ac quodam feudo vinearum Reſtaud nuncupato, cum Alberia & Mota, retro domum ipſius eleemoſynariæ ſitis, pro groſſis fructibus ſuis percipient, ac curam pauperum habebunt, prout hactenus fieri ſolitum eſt per eleemoſynarios dictæ eccleſiæ, quodque groſſi fructus hujuſmodi, ac alii proventus in pauperum uſus deputati minime poterunt ab aliis canonicis optari; tenebiturque canonicus & præbendatus hujuſmodi præbendæ ad reſidentiam perſonalem in eadem eccleſia, ac eleemoſynas generales facere, ſicut in feſto omnium ſanctorum in pane & vino, & Dominica in Quinquageſima lardo & fabis, ac in Quadrageſima ter in hebdomada de fabis, ſicut conſuetum eſt.

Digitized by Google

Guillelmus vero Rouſſelli pro groſſis fructibus ſuæ A prædendæ, quoad vixerit, proventus ſuppreſſi officii armariæ; Gabriel Berthelot, medietatem proventuum prioratus de Campo S. Petri, & ſucceſſores ſui, pro groſſis fructibus; Henricus Mervaud, de Chalandio; Petrus de Boſco, medietatem de Rouſſeio; Johannes Grolerii, medietatem de Meſſereya; Guillelmus Prevoſt, duas partes de Mignone; Petrus de Monaſterio, duas partes de Aſperomonte; Leonardus de Rocha, duas partes de Brilloëto; Mathurinus de Laurziere, prioratum de Callereria; Stephanus de Horp, tres partes de Floriaco; Nicolaus Challou, de Campo-ſancti Petri medietatem; Jacobus Goberti, præfati ſancti Vincentii ſuper Graon prioratum a dicta eccleſia dependentem, proventuum duas partes pro groſſis ſuis fructibus, ſingularum ſuarum prædendarum ratione, reſpective percipient & habebunt. B

Alii autem ſeptem ſemiprædendati, videlicet Petrus Texier, de Rorta; Ludovicus Prevouſt, tertiam partem proventuum ſancti Vincentii, & omnes redditus ſubſacriſtiæ dictæ eccleſiæ; Petrus Ruffini, officii procuratoris, quod obtinet; Matthias Gazeau, de Chocheyo; Andreas Durandi, de capella Themerii, quam obtinet, & qui eo cedente vel decedente, menſæ capitulari applicari cenſebuntur; Leonetus Hyver, de ſancto Gregorio quam obtinet; Reginaldus Goyon, capellaniæ de Meſſereya prioratum pro ſuis groſſis fructibus percipient.

Quodque duo ex ipſis ſemiprædendatis in omnibus diſtributionibus & anniverſariis tantum recipient, quantum unus ex integre prædendatis percipiet, vel habebit. C

Ad communes vero actus prædicti ſeptem canonici ſemiprædendati, ut cæteri alii canonici, vocabuntur & admittentur, & in omnibus aliis plenum jus canonicatus obtinebunt.

Rurſuſque Nicolaus epiſcopus prædictus, & in ejus abſentia dictus Aymericus, & pro tempore decanus, & ipſo decano abſente dignitates obtinentes, & deinde cæteri per ordinem canonici in capitulo præſidebunt.

Nicolaus vero epiſcopus, & capitulum prædicti pro divino cultu ampliando ſex hebdomadarios, & certum numerum capellanorum erigere, & inſtituere, & eis de communibus dictæ menſæ capitularis, aut alias ejuſdem eccleſiæ membrorum ab illa dependentium proventibus certam portionem aſſignare.

Ac ſtatuta, conſtitutiones, ac ordinationes ad inſtar D eccleſiæ Pictavienſis, vel alias, prout eis videbitur, condere, & illa juramento, aut alias firmitate apoſtolica roborare valeant, dummodo canonicis non obvient inſtitutis, & pro illorum confirmatione ad ſedem apoſtolicam venire teneantur.

Verum ſi inter canonicos & in dignitate conſtitutos dictæ eccleſiæ Lucionenſis lites & controverſiæ moverentur, vel aliquis ipſorum pro ſuis criminibus, aut exceſſibus puniendus, & corrigendus fuerit, litium, & controverſiarum, criminum, & exceſſuum hujuſmodi cognitio, punitio, & correctio ad epiſcopum pro tempore, ac capitulum hujuſmodi communiter pertinebunt, & ſimiliter de litibus, controverſiis, criminibus, & exceſſibus cujuſlibet hebdomadariorum, E capellanorum, & aliarum perſonarum eccleſiaſticarum dictæ eccleſiæ, ac aliorum beneficiatorum in illa, & etiam quarumque aliarum civilium & criminalium cauſarum inter eaſdem perſonas pro tempore vertentium, ac quorumcumque canonicorum, & in dignitate conſtitutorum, familiarium, continuorum, commenſalium cognitionem communiter habebunt.

Dictuſque Nicolaus, & ejus ſucceſſores epiſcopi Lucionenſes domum de Pillariis Pictavis ſitam, quæ ad aquarium ejuſdem eccleſiæ pertinebat, cum ſuis juribus & pertinentiis univerſis, una cum quadam alberia de Bugneyo nuncupata, ſita retro domum epiſcopalem Lucionenſem, de cætero obtinebunt, quas ex nunc menſæ epiſcopali Lucionenſi perpetuo applicamus.

Capitulum quoque, necnon officiarii ejuſdem eccleſiæ ab omnibus ſubventionibus, oneribus & deveriis, quæ capitulum officiariis & religioſis quibuſcumque eccleſiæ Lucionenſis ſupradictis, ac dicti officiarii eccleſiæ & capitulo, ac religioſis perſolvere hactenus reſpective tenebantur, quitti, liberi & immunes penitus, & abſoluti remanebunt, nec illa perſolvere de cætero tenebuntur, nec ad illas ſolvendas a quoquam, quavis auctoritate, per cenſuram eccleſiaſticam, vel alias compelli, ſeu coarctari poterunt, retentis tamen, & expreſſe reſervatis eidem menſæ capitulari dictæ eccleſiæ Lucionenſis penſionibus, juribus, cenſibus, ſeu deveriis ſolvi ſolitis per priores prioratuum ab illa dependentium procuratori & officio procurationis ejuſdem eccleſiæ Lucionenſis, necnon ſexaginta ſolidis debitis, & ſolvi ſolitis annuatim per priorem Parteniaci, camerario dictæ eccleſiæ, & etiam triginta ſolidis reddituum ſuper ejuſdem eccleſiæ oblationibus, quos elemoſynarius percipere conſueverat; quæ omnia de cætero ſolventur capitulo.

Et loco ſuppreſſorum canonicatuum & prædendarum, officiorum, ſeu beneficiorum, cedentibus vel decedentibus illa poſſidentibus, alii non valeant inſtitui, nec in eadem eccleſia ultra numerum triginta prædendarum aliqui creari, nominari, ſeu inſtitui poſſint, donec ad numerum triceſimum canonicatuum & prædendarum, cedentibus vel decedentibus monachis, qui nunc pro hujuſmodi erectione conſtituuntur, canonici prædendati reducantur, neque cedentibus, vel decedentibus aliquibus ex eiſdem monachis & canonicis prædendatis, alii eorumdem loco inſtituantur, & ultra, numerum hujuſmodi canonicatuum triginta & prædendarum, capitulum eccleſiæ Lucionenſis hujuſmodi aliquos alios minime recipere teneantur, niſi apoſtolica auctoritate creati, prædendas expectarent.

Dictique eccleſiæ Lucionenſis monachi, beneficia ab aliis eccleſiis dependentia, per eoſdem in commendam obtenta, & quæ ſibi commendata fuerint, in vim litterarum apoſtolicarum retinere poſſint, & valeant ſecundum earumdem litterarum apoſtolicarum tenorem & formam, ſicuti & poterant ante erectionem eccleſiæ Lucionenſis hujuſmodi de regulari ad ſæcularem; ſintque capaces, & habiles ad omnes actus, & honores, ac quæcumque beneficia eccleſiaſtica, etiam ſæcularia compatibilia obtinendum, ſicuti ſunt alii clerici ſæculares, nonobſtante profeſſione per eos emiſſa, & in quibuſcumque litteris apoſtolicis gratiam, & juſtitiam concernentibus, de præmiſſis per nos ſic geſtis, & conceſſis nullam de cætero teneantur facere mentionem.

Monachi vero dictæ eccleſiæ Lucionenſis tam beneficiati, quorum beneficiorum fructus ſunt exiles & tenues, quam non beneficiati, in inſtituendis hebdomadariis, & vicariis, aut capellanis in eadem Lucionenſi eccleſia aliis præferantur qui non ſunt de ipſa eccleſia, & ſibi provideatur competenter, directioni, & arbitrio dictorum epiſcopi, decani & capituli.

Circa commendas vero auctoritate apoſtolica factas de beneficiis, quæ aliqui ex monachis eccleſiæ Lucionenſis hujuſmodi extra illam obtinent, nihil propterea innovetur eorum vita durante; quodque quilibet ex prædictis monachis, quodcumque beneficium eccleſiaſticum ſæculare cum obtento regulari recipere & retinere libere & licite valeant.

Cæterum pro manutentione fabricæ dictæ Lucionenſis eccleſiæ, & eiſdem diſtributionibus quotidianis, intereſſendis divinis largiendis, prioratum de Medoc, cujus quinquaginta; & Bouſſaio, cujus triginta; de Buigneio in Vaſtina, cujus viginti; ſanctæ Solinæ, cujus ſex; ſancti Martini Arſi, cujus decem; ſancti Johannis de Livreſſaio, cujus etiam decem; ſancti Salvatoris de Guire-ennays, cujus ſimiliter decem, de Soligniaco, cujus etiam decem; de Frigido Nido, cujus ſex, de Podio-Lacu, cujus trium; de capella Themerii, non conventuales prioratus ab ipſa eccleſia

dependentes, necnon theſaurariæ dictæ Lucionenſis ecclefiæ, cujus quadraginta, & procurationis cujus quindecim; necnon armariæ, cujus viginti; croceriatus, cujus decem; archidiaconatus, cujus ſexaginta; draperiatus, cujus triginta; infirmariæ, cujus viginti librarum Turonenſium parvarum ſimilium fructus, redditus, & proventus, ſecundum prædictam exiſtimationem, valorem annuum, ut etiam aſſeritur, non excedunt; officia ex nunc, pro ut ex tunc, ſimiliter ſupprimentes & extinguentes, eorum fructus, redditus & proventus hujuſmodi ad uſum fabricæ & quotidianarum diſtributionum hujuſmodi perpetuo applicamus, & etiam appropriamus. Itaque cedentibus, vel decedentibus prioratuum prioribus, prædictorum officiorum poſſeſſoribus, aut illos, ſeu illa, alias quomodolibet dimittentibus, liceat eidem capitulo per ſe, vel per alium, ſeu alios, fructus, redditus, & proventus hujuſmodi propria auctoritate libere apprehendere, ac in eoſdem uſus & utilitatem, & non alias, convertere, diœceſani aut cujuſvis alterius, ſuper hoc licentia minime requiſita.

Præterea ſinguli canonici dictæ eccleſiæ, ac dignitates, perſonatus, adminiſtrationes, vel officia inibi pro tempore obtinentes, quandiu vixerint, & in eadem eccleſia reſederint, quorumcumque ſuorum beneficiorum eccleſiaſticorum, cum cura, & ſine cura, per eos pro tempore, in quibuſvis eccleſiis ſive locis obtentorum, etiamſi canonicatus, & præbendæ, ac dignitates, perſonatus, adminiſtrationes, vel officia in cathedralibus etiam metropolitanis, vel collegiatis, & dignitates ipſæ in cathedralibus etiam metropolitanis, poſt pontificales majores, ſeu in collegiatis eccleſiis hujuſmodi principales, & ad illas, ac perſonatus, adminiſtrationes, vel officia hujuſmodi conſueverint, qui per electionem aſſumi, eiſque cura immineat animarum, cum ea integritate, quotidianis diſtributionibus dumtaxat exceptis, libere percipere valeant, cum qua illos perciperent, ſi in eccleſiis ſuis, locis, vel beneficiis hujuſmodi perſonaliter reſiderent, & ad reſidentiam alibi, quam in eadem Lucionenſi eccleſia prædicta minime teneantur, nec ad id a quoquam inviti compelli.

Quodque fructus, redditus, & proventus prædictos, quibuſvis perſonis etiam laïcis, cum quibus dictorum ſuorum beneficiorum conditionem efficere poterunt meliorem ad tempora, de quibus videbitur arrentare, locare, aut ad firmam, & annuam penſionem concedere, dictæque perſonæ illos in arrendam, ſeu penſionem hujuſmodi recipere libere, & licite valeant.

Quodque ipſi in eadem eccleſia reſidendo, ratione aliorum ſuorum beneficiorum in ſynodis, ſeu aliis convocationibus perſonaliter minime comparere teneantur, necnon in eadem eccleſia Lucionenſi reſidentes, in aliis eccleſiis in quibus canonicatus & præbendas obtinuerint.

Et ubi ſtatutum optandi viguerit pinguiores præbendas, domos canonicales, & alios proventus, ſi vacaverint, per procuratores legitimos, ac ſi inibi reſiderent, & perſonaliter intereſſent, optare valeant, ſcientia & auctoritate prædictis, in perpetuum tenore præſentium concedimus, ac etiam indulgemus, nonobſtantibus felicis recordationis Bonifacii papæ VIII. prædeceſſoris noſtri, illa præſertim per quam conceſſiones de fructibus percipiendis, ſine præfinitione temporis fieri prohibentur, & aliis apoſtolicis conſtitutionibus, & ordinationibus, ſtatutis quoque, ac conſuetudinibus dictæ Lucionenſis, & aliarum eccleſiarum, monaſteriorum, & locorum, in quibus beneficia hujuſmodi forſan fuerint, aut a quibus illa dependere contigerit, etiam juramento, confirmatione apoſtolica, vel alia quavis firmitate roboratis contrariis quibuſcumque, aut ſi canonici in dignitate conſtituti, & beneficiati, & alii miniſtri eccleſiæ Lucionenſis hujuſmodi primam non fecerint reſidentiam perſonalem

A conſuetam, etiamſi illis, quod in perpetuum, vel ad certum tempus, jam forſan, vel nondum elapſum, fructus, redditus, & proventus ſuorum beneficiorum percipere valerent, apoſtolica, vel ordinaria fuerit auctoritate conceſſum, etiamſi de ſervandis hujuſmodi ſtatutis, & de non impetrandis litteris contra ea, vel ipſis litteris ab alio, vel aliis impetratis, vel alias quovis modo conceſſis, non utendo per ſe, vel procuratores hactenus præſtiterint, vel in poſterum eos præſtare contigerit forſan juramenta, ſeu ſi locorum ordinariis, vel quibuſvis aliis communiter, vel diviſim a ſede apoſtolica ſit conceſſum, vel in poſterum concedi contingat, per canonicos, & perſonas eccleſiaſticas, eccleſiarum ſuarum, civitatis, & diœceſis, etiam in dignitatibus, perſonatibus, adminiſtrationi-
B bus, vel officiis ac beneficiis quibuſcumque conſtitutis, per ſubſtractionem proventuum ſuorum, eccleſiaſticorum beneficiorum, vel alias, compellere valeant ad reſidendum perſonaliter in eiſdem; aut ſi ordinariis, & capitulis dictarum eccleſiarum, vel quibuſvis aliis communiter vel diviſim a dicta ſit ſede indultum, aut in poſterum indulgeri contingat, quod canonicis, & perſonis eccleſiarum ſuarum, civitatis, & diœceſis, etiam in dignitatibus, perſonatibus, adminiſtrationibus, vel hujuſmodi officiis conſtitutis, in illis non reſidentibus, aut qui dictam primam reſidentiam in ipſis non fecerint, fructus, redditus, & proventus ſuorum beneficiorum eccleſiaſticorum minime miniſtrare teneantur, & ad id compelli non poſſint: ſeu, ſi qui ſuper proviſionibus ſibi faciendis de prioratibus & officiis, ac aliis beneficiis eccleſiaſti-
C cis, in illis partibus ſpeciales, vel generales dictæ ſedis, aut legatorum ejus litteras impetrarint, etiamſi per eas ad inhibitionem, reſervationem, decretum, vel alias quomodolibet ſit expreſſum; quas quidem litteras, & proceſſus habitos per eaſdem, & quæcumque inde ſecuta, ad prioratus, & officia, ac canonicatus, & præbendas hujuſmodi unita, applicata, ac ſuppreſſa volumus non extendi, ſed nullum per hoc eis quoad aſſecutionem prioratuum, officiorum, canonicatuum, & præbendarum, vel beneficiorum aliorum præjudicium generari, & in quibuſlibet aliis privilegiis, indulgentiis, & litteris apoſtolicis generalibus, vel ſpecialibus quorumcumque tenorum exiſtant, per quæ præſentibus non expreſſa, vel totaliter non inſerta, effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus quorumque totis te-
D noribus habenda ſit in noſtris litteris mentio ſpecialis.

Volumus autem quod propter eaſdem ſuppreſſionem & applicationem, prioratus, ac officia, canonicatus, & præbendæ, necnon per monachos obtinenda beneficia, hujuſmodi debitis non fraudentur obſequiis; & animarum cura, ſi quæ ipſis beneficiis immineat, nullatenus negligatur, ſed per bonos & ſufficientes vicarios exerceatur, & deſerviatur inibi laudabiliter in divinis, & illorum congrue in omnibus ſupportentur onera conſueta.

Quodque prædicti capitulum, quamdiu nos vitam duxerimus in humanis, in principio cujuſlibet menſis, in recognitionem & reverentiam tanti beneficii miſſam de Spiritu ſancto, cum collectis Romanorum pontificum; & perpetuo defunctis Romanis pontifi-
E cibus miſſam ſingulis menſibus ſolemniter celebrare debeant, & etiam teneantur.

Præterea irritum & inane decernimus, ſi ſuper his a quoquam quavis authoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam noſtrarum erectionis, ſuppreſſionis, extinctionis, decreti, declarationis, conſtitutionis, ſtatuti, ordinationis, collationis, proviſionis, applicationis, demonſtrationis, appropriationis, conceſſionis, indulti, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraïre. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

incurſurum. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ M. CCCC. LXVIII. pridie Idus Januarii, pontificatus noſtri anno quinto.

Tenor vero executorialium præinſertarum litterarum apoſtolicarum, eſt qui ſequitur, videlicet:

Paulus epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabilibus fratribus Oſtienſi & Nannetenſi epiſcopis, ac dilecto filio officiali Pictavenſi, ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Hodie litteræ noſtræ emanarunt tenoris ſuperius deſcripti; cupientes igitur, ut litteræ ipſæ plenum ſortiantur effectum, diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus veſtrum per vos vel alium ſeu alios, litteras prædictas, ac omnia & ſingula in eis contenta, ubi & quando expedire videritis, ac pro parte ipſorum epiſcopi, decani, & capituli fueritis requiſiti, ſolemniter publicantes, ipſiſque epiſcopo, decano, & capitulo, canonicis, perſonis beneficiatis & miniſtris eccleſiæ Lucionenſis hujuſmodi, efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciatis præmiſſa omnia, & ſingula inviolabiliter obſervari, ac perſonis prædictis, vel ſuis procuratoribus eorum nominibus, fructus, redditus, & proventus ſuorum beneficiorum, juxta noſtræ prædictæ conceſſionis tenorem, integre miniſtrari, & quemlibet ex prædictis, quibus canonicatus, & integras, ac ſemipræbendas, necnon cancellariam hujuſmodi contulimus, vel procuratoribus ſuis eorum nominibus, ad eis collatas præbendas in eadem Lucionenſi eccleſia in canonicum recipi, & in fratrem, ſtallo ſibi in choro, & loco in capitulo ejuſdem eccleſiæ, cum dicti juris plenitudine aſſignatis, ac ipſum ad cancellariam hujuſmodi, ut eſt moris, admitti, eiſque de canonicatuum, & præbendarum, ac cancellariæ hujuſmodi fructibus, redditibus, proventibus, juribus, & obventionibus univerſis integre reſponderi, non permittentes perſonas ſuper percipiendis fructibus, per locorum ordinarios, ac capitula hujuſmodi, ſeu quoſvis alios, contra indulti hujuſmodi, necnon omnes, & ſingulos quos prædictæ litteræ concernunt, contra illarum tenorem quomodolibet perturbari, injuriari, aut moleſtari, recepto tamen prius ab ipſo Aymerico ratione dicti decanatus, noſtro & Romanæ eccleſiæ nomine fidelitatis debitæ, juxta formam quam ſub bulla noſtra mittimus introcluſam, ſolito juramento, nonobſtantibus omnibus ſupradictis; aut ſi ordinariis & capitulis prædictis, vel quibuſvis aliis communiter, vel diviſim a prædicta ſit ſede indultum, quod intendi, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per litteras apoſtolicas, non facientes plenam ac expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem, contradictores auctoritate noſtra prædicta, appellatione poſtpoſita compeſcendo. Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ M. CCCC. LXVIII. pridie Idus Januarii, pontificatus noſtri anno quinto.

Volentes de mandato ſanctiſſimi domini noſtri papæ, vivæ vocis oraculo nobis deſuper facto, & auctoritate noſtri cameriatus officii ſtatuentes, & mandantes, quod hujuſmodi noſtro publico tranſſumpti inſtrumento in Romana curia, & extra eam ubique locorum, in judicio, & extra ſtetur, illique adhibeatur talis & tanta fides, qualis & quanta adhiberetur eiſdem originalibus litteris, ſi in medium exhibitæ & oſtentæ forent.

Quibus omnibus & ſingulis præmiſſis, tamquam rite, recte, & legitime geſtis, noſtram, dictique noſtri cameriatus officii auctoritatem pariter & decretum judiciale interponendum fore duximus, prout interpoſuimus, ac interponimus per præſentes. In quorum fidem has præſentes fieri, & per infraſcriptum noſtrum, & cameræ apoſtolicæ notarium publicum ſubſcribi, ſigillique ejuſdem cameræ, quo in talibus utimur, juſſimus & fecimus appenſione muniri. Datum Romæ in camera apoſtolica, ſub anno a Nativitate Domini M. D. XCV. Indictione octava, die vero nona menſis Januarii, pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto patris, ac domini noſtri domini Clementis divina providentia papæ octavi anno tertio; præſentibus ibidem magiſtris dominis Andrea Martini Nicienſi, & Lucio Calderino Narnienſi, noſtris, & ejuſdem cameræ notariis teſtibus ad præmiſſa vocatis, habitis, & rogatis. F. cujus decem lo. Vc. Vc. ſumptum ex regiſtro bullarum apoſtolicarum, collationatum per me Hieronymum Avila, ejuſdem regiſtri magiſtrum. Locus † ſigilli app. Idem Jo. Maria Ciuccius.

Subſignatum Henricus card. cam. & infra.

Ego Johannes Maria Ciuccius cameræ apoſtolicæ notarius, de præmiſſis rogatus, præſens inſtrumentum tranſſumpti ſubſcripſi & publicavi requiſitus.

Et inferius Franc. Centius auditor.

Et infra, Tranſſumptum in forma prob. Ciuccius notarius.

III.

Statuta inſignis eccleſiæ Lucionenſis.

IN nomine ſanctiſſimæ & individuæ Trinitatis Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, Amen. Univerſis, & ſingulis has præſentes noſtras viſuris, lecturis, pariter & audituris. Innoteſcat, quod Nos Petrus ſancti Nicolai in carcere diaconus cardinalis Aldobrandinus nuncupatus, S. R. E. camerarius, ad inſtantiam R. R. D. D. decani, capituli, & canonicorum eccleſiæ Lucionenſis principalium, omnes & ſingulos ſua communiter vel diviſim, quomodolibet intereſſe putantes, ex adverſo principales, & eorum procuratores, ſi qui eſſent in curia Romana, ad videndum ſumptum litterarum apoſtolicarum felicis recordationis Sixti papæ quarti confirmationis, & approbationis quorumdam ſtatutorum, & ordinationum per epiſcopum, & capitulum Lucionenſe tunc exiſtentes conditorum, prævio illorum examine, & inſpectione in cancellaria apoſtolica factis per eumdem Sixtum, ad ſupplicationem bonæ memoriæ Nicolai epiſcopi, & capituli dictæ eccleſiæ tunc exiſtentium, apoſtolica auctoritate ex certa ſcientia factarum, more Romanæ curiæ, hujuſmodi clauſum & ſigillatum aperiri, & clauſulas in eodem ſumpto ceratas juxta ejuſdem curiæ ſtylum extendi, & publicari, in publicam tranſſumpti formam redigi, mandari, auctoritatemque noſtram pariter & decretum judiciale deſuper interponi, vel dicendum & allegandum cauſam, ſi quam haberent rationabilem quare præmiſſa fieri non debeant, per unum ex ſanctiſſimi domini noſtri papæ curſoribus, & per affixionem ad valvas cameræ apoſtolicæ, & in acie Campi-Floræ, ut moris eſt, fieri conſuevit, citari fecimus, & mandavimus ad diem & horam infra ſcriptas. Quibus advenientibus comparuit in judicio coram nobis D. Petrus Eſchinard clericus Pictavienſis, in dicta curia ſollicitator, & dictorum D. D. decani, capituli, & canonicorum procurator, & eorumdem citatorum non comparentium contumacia accuſata, in eorum contumaciam dictum ſumptum, ut probatur, clauſum, & ſigillatum facto, & realiter exhibuit & præſentavit, illudque aperiri, & clauſulas in eo ceratas extendi, & tranſſumi, ac in publicam tranſſumpti formam redigi, mandari, noſtramque auctoritatem pariter & decretum deſuper interponi debita cum inſtantia poſtulavit. Nos igitur Petrus cardinalis camerarius prædictus juſtis & honeſtis precibus hujuſmodi moti, dictis citatis non comparentibus, merito id exigente juſtitia, contumacibus reputatis, in eorum contumaciam dictum ſumptum aperiri, & clauſulas ceratas in eo appoſitas, juxta ſtylum prædictum extendi, & in hanc publicam tranſſumpti formam redigi mandavimus, prout infra videbitur.

Sixtus * epiſcopus ſervus ſervorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Circa decorem & venuſtatem

* *Sixtus IV.*

cunctarum noſtræ curæ cælitus commiſſarum, & præ- A
ſertim cathedralium eccleſiarum, ac perſonarum continuo intenti, illa libenter quæ pro ipſarum eccleſiarum, ac perſonarum in illis Altiſſimo famulantium felici regimine, & adminiſtratione tam in ſpiritualibus, quam in temporalibus proinde ſtatuta & ordinata fore noſcuntur, ut firma, perpetua & illibata perſiſtant, cum a nobis petitur, apoſtolico munimine roboramus. Sane pro parte venerabilis fratris noſtri Nicolai epiſcopi, ac dilectorum filiorum capituli eccleſiæ Lucionenſis, nobis exhibita petitio continebat, quod olim poſtquam felicis recordationis Paulus papa II. prædeceſſor noſter eccleſiam ipſam, quæ tunc regularis ordinis ſancti Benedicti exiſtebat, in ſæcularem, cum nonnullis dignitatibus, canonicatibus, & præbendis, ac officiis, & beneficiis eccleſiaſticis per ſuas litteras gra- B
tioſe erexerat, præfatiſque epiſcopo & capitulo, ut ſtatuta, conſtitutiones, & ordinationes ad inſtar eccleſiæ Pictavenſis, & alias prout videbitur, condere, & illa juramento aut aliter roborare valerent, dummodo canonicis non obviarent inſtitutis, & pro eorumdem ſtatutorum & ordinationum confirmatione ad ſedem apoſtolicam per ſe, vel alios venire tenerentur, conceſſerat. Ipſi epiſcopus & capitulum cupientes dictam eccleſiam tam in ſpiritualibus, quam in temporalibus augeri & gubernari, ſolemniter in eorum capitulo generali, ut moris eſt, nonnulla quæ a ſacrorum canonum inſtitutis non deviant, ſtatuta & ordinationes fecerunt, prout in quibuſdam litteris authenticis inde confectis ipſorum epiſcopi & capituli ſigillis munitis, in quibus ſtatuta & ordinationes hujuſmodi annotata ſunt, & quorum tenores, ſignis & C
caracteribus dumtaxat exceptis, de verbo ad verbum præſentibus inſeri fecimus, plenius continentur. Quare pro parte epiſcopi & capituli præfatorum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ordinationibus & ſtatutis prædictis pro illorum ſubſiſtentia firmiori robur apoſtolicæ confirmationis adjicere, aliaſque in præmiſſis opportune providere de benignitate apoſtolica dignaremur.

Nos igitur qui litteras, ſtatuta & ordinationes epiſcopi, & capituli hujuſmodi in cancellaria apoſtolica inſpici & examinari fecimus diligenter, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, ſtatuta & ordinationes hujuſmodi (illo excepto, quo cavetur, quod lite pendente ſuper canonicatibus, & præbendis, ac dignitatibus ejuſdem eccleſiæ, ſi contingat illorum fructus D
ſequeſtrari, quod fructus prædicti dictæ menſæ, pendente dicto ſequeſtro, pro oneribus ſupportandis cederent) ac omnia & ſingula in eis contenta auctoritate apoſtolica, tenore præſentium, ex certa ſcientia confirmamus, & approbamus, ac præſentis ſcripti patrocinio communimus, ſupplentes omnes & ſingulos defectus, ſi qui intervenerint in eiſdem. Tenor vero litterarum epiſcopi, & capituli prædictorum talis eſt:

Nicolaus, Dei & ſanctæ ſedis apoſtolicæ gratia epiſcopus & dominus Lucionenſis, decanuſque & capitulum ejuſdem eccleſiæ Lucionenſis, univerſis præſentes litteras inſpecturis & audituris, ſalutem in Domino ſempiternam. Notum facimus per eaſdem, quod nos hodie in capitulo noſtro ejuſdem eccleſiæ, hora E
capitulari, de mane ad ſonum campanæ, ut moris eſt, congregati, & capitulum generale ipſius eccleſiæ facientes, tenentes, & repræſentantes, de negotiſque dictæ eccleſiæ tractantes, conſiderantes quod ipſa eccleſia, quæ noviter fuit de regulari in ſæcularem per ſedem apoſtolicam erecta, niſi legibus, conſuetudinibus, ritibus, ſtatutis, conſtitutionibus, & uſibus approbatis regatur, ſolideturque, & manuteneatur, prout, & quemadmodum cæteræ, & ſimiles eccleſiæ regi & manuteneri conſueverunt, periclitabitur, in ruinam labetur, & incommoda patietur maxima.

Nos incommoditatibus hujuſmodi, quantum poſſumus, & prout a ſede apoſtolica, & per eamdem nobis indulgetur, occurrere volentes, tractatu per & inter nos de ſuper his prahabito diligenti, cum auctoritate & beneplacito ejuſdem ſedis duximus ſtatuendum, & ſtatuimus, ac ſtatuta ejuſdem eccleſiæ inviolabiliter in eadem ac perpetuo tenenda, & obſervanda fecimus, condidimus, facimus, & condimus in modum, formam, & tenorem ſubſequentes:

Primo, ſtatuimus, & ordinamus quod nullus canonicus poſſit percipere groſſos fructus ſuæ præbendæ, quouſque primam, & ſecundam reſidentiam fecerit.

Et ne circa reſidentiæ tempus modumque impoſterum dubietas oriatur, decernimus quemlibet canonicum, a feſto ſancti Johannis Baptiſtæ uſque ad feſtum Nativitatis Domini in eccleſia per ſex menſes continuam debere reſidentiam facere, quatuor ſeptimanas pro ſingulis menſibus computando; canonicum autem, in eccleſia, quoad groſſorum fructuum perceptionem intelligimus reſidere, ſi diebus ſingulis prædictorum ſex menſium, in matutinis, magna miſſa, aut veſperis interſit, vel ſaltem in duabus illarum horarum. Secundam vero reſidentiam, ad quam omnes tam præſentes, quam abſentes, qui ſuarum fructibus præbendarum gaudere voluerint, aſtringi volumus per ſex menſes, a capitulo S. Lucæ, quos continue, vel diſcontinue in ipſius anni circulo eligere duxerunt, computandos peragendam cenſuimus, atque determinandam.

Præterea epiſcopus, & canonici de novo recipiendi, antequam recipiantur, & locum in capitulo, & ſtallum in choro obtineant, perſolvant capitulo pro pane, ſummam ſexdecim regalium auri, & fabricæ ſummam duodecim regalium, & minuta deveria miniſtris eccleſiæ, juxta ritum ipſius eccleſiæ debita; ſemipræbendati vero ſolvent mediam partem omnium ſupradictorum. Epiſcopus vero ſolvet capellam munitam tribus cappis, caſula, & duabus dalmaticis; aut pro illa ſummam trecentorum ſcutorum auri deponet.

Item canonici de cætero in dicta eccleſia vigore gratiarum expectativarum, ſeu alias recipiendi, non admittentur ad tractatus communes, nec in electionibus, aut aliis actibus capitularibus vocem habebunt, nec in eccleſia, vel extra aliquid de bonis ipſius eccleſiæ percipient, donec ſecundum ſuarum interpretationum, & receptionum ordinem, præbendas aſſecuti pacifice, & in ſacris ordinibus conſtituti fuerint, & primam ſecundamque reſidentiam fecerint.

Ulterius ſinguli canonici poterunt vacare negotiis ſuis, & reputabuntur reſidentes, per triginta dies poſt quodlibet capitulum generale, quoad perceptionem groſſorum fructuum ſuarum præbendarum, & per decem dies, quoad perceptionem ſuarum diſtributionum, dum tamen in capitulis generalibus perſonaliter interfuerint.

Item omnes canonici dictæ eccleſiæ, in dictis capitulis generalibus bis in quolibet anno celebrandis, comparere perſonaliter tenebuntur, ſaltem in capitulo celebrando die Lunæ poſt Aſcenſionem Domini, alioquin eo ipſo groſſis fructibus ſuarum præbendarum careant, & menſæ capitulari applicentur.

Porro attente conſiderantes pium eſſe pro defunctis exorare, ſanctumque & ſalubre fore Altiſſimo fundere preces, ut defuncti a peccatis ſolvantur, ſtatuimus & ordinamus quemlibet canonicum poſt ſui concanonici obitum, infra duos menſes a tempore ſcientiæ numerandos, teneri celebrare, ſeu celebrari facere ſeptem miſſas pro ſalute animæ defuncti ſui concanonici; de celebratione quoque miſſarum hujuſmodi per proprium juramentum infra inſtans tunc capitulum generale fidem facere tenebitur, ſi eaſdem miſſas in propria perſona celebraverit; alioquin per debitam relationem capellani ad hoc commiſſi & deputati.

Item cum juris ordo pariter, & rationis expoſcat eos, qui in eccleſiis ſua diutius impartiti ſunt obſequia, ſtipendiorum, & honorum in eis debere ampliori prærogativa gaudere, ſtatuimus & ordinamus antiquiores

canonicos perſonalem in ipſa eccleſia reſidentiam facientes, juxta antiquitatis eorum diverſos gradus, per ſe ipſos dumtaxat, infra viginti dies, a tempore ſcientiæ numerandos, meliores præbendas, ſeu pinguiores, vel magis accommodas, cum eaſdem vacare contigerit, auctoritate ſanctæ ſedis apoſtolicæ ſemper ſalva, libere eligere poſſe, vel optare.

Rurſus cenſemus, & decernimus quod canonici in eadem eccleſia poſt confirmationem ſtatutorum hujuſmodi intrantes, niſi perſonaliter in dicta reſideant eccleſia, pro groſſis fructibus ſuarum præbendarum ſummam decem librarum Turonenſium, & ſemipræbendari ſummam centum ſolidorum, per manus dicti capituli habebunt & percipient, dummodo privilegio ſufficienti fuerint ſuffulti; & quod ſupererit de fructibus præbendarum hujuſmodi, menſæ capitulari pro oneribus dicti capituli ſupportandis cedet, & applicabitur.

Item dictorum canonicorum omnes domus, etiamſi in dignitate vel perſonatu fuerint conſtituti, poſt mortem ſeu deceſſum eorumdem, remanebunt capitulo, & poterit dictum capitulum vendere, ſeu locare primo canonicis, ac deinde perſonis aliis in eadem eccleſia deſervientibus, quibus videbitur id fiendum, exceptis domibus eleemoſynariæ, quas olim piorum mentes fundatorum in pauperum uſus deputarunt.

Inſuper fructus præbendarum per mortem vacantium, ſeu quomodocumque alias vacent, per unum annum immediate ſequentem applicabuntur menſæ capitulari, pro oneribus dicti capituli ſupportandis.

Diſtributiones vero & anniverſaria percipiet novus canonicus in locum alterius defuncti ſuccedens, ſi in ipſa eccleſia reſideat, & ſua deveria perſolverit, reſidentiaſque fecerit, ut præmiſſum eſt, præbenda eleemoſynariæ excluſa, eoquod cedit in uſus pauperum.

Item quod fructus, redditus, & proventus dignitatum, perſonatuum, præpoſiturarum dictæ eccleſiæ, & officiorum ejuſdem etiam per mortem vacantium quomodocumque, ut præmiſſum eſt, applicabuntur menſæ capitulari, & fabricæ eccleſiæ mediatim, pro oneribus ſupportandis per unum annum, a tempore vacationis poſſidentis dictos perſonatus, præpoſituras, officia, ſeu dignitates computandum.

Rurſum quod obeuntibus canonicis dictæ eccleſiæ, de bonis mobilibus groſſis, ut ſunt magna dolia, arcæ, tabulæ, ſcamna, ſcabella, tripodes, & dreſſoria in domibus dictorum decedentium exiſtentia, remanebit portio congrua pro manutentione, ſeu inhabitatione dictarum domorum.

Item quod dicti epiſcopus, & capitulum, alicui canonico ſuper prima & ſecunda reſidentiis dictæ eccleſiæ gratiam facere, ſeu aliquem in vicarium & choriſtam quotidianis eccleſiæ diſtributionibus percipiendis recipere, aut ultra ſummam quadraginta ſolidorum alicui gratiam facere non poterunt, niſi dumtaxat indictis capitulis generalibus.

Quod ſi contingat litem, ſeu controverſiam inter canonicos dictæ eccleſiæ, aut in dignitate vel perſonatu in eadem conſtitutos, ratione dignitatum, perſonatuum, ſeu canonicatuum hujuſmodi moveri; & ob litem, & controverſiam hujuſmodi fructus, jura, ſeu redditus ſequeſtrentur: iidem fructus, jura, & redditus pendente ipſo ſequeſtro, menſæ capitulari, pro oneribus dictæ eccleſiæ ſupportandis applicabuntur.

Item quod omnes, & ſinguli canonici infra triennium, a tempore publicationis horum ſtatutorum per ſedem apoſtolicam confirmandorum, & approbandorum, capitulo generali dictæ eccleſiæ fiendæ, intra ſepta dictæ eccleſiæ reſidere, & morari teneantur; alioquin diſtributionibus quotidianis ipſo facto ſint & maneant privati, abſque alia declaratione, eleemoſynario dictæ eccleſiæ, propter adminiſtrationem pauperum dumtaxat excepto.

Etiam quod nullus canonicus, aut quivis alius de eccleſia, divino durante ſervitio, ſcilicet matutinis, miſſa, & veſperis per eamdem eccleſiam incedat, aut deambulet, per ſe, vel cum aliquo de eccleſia confabulando, alioquin diſtributionibus unius diei integri privabitur.

Simili quoque pœnæ ſubjaceant, qui in choro dictæ eccleſiæ dicto ſervitio durante, horas ſuas particulares dicere, privatim legere, aut confabulari præſumant.

Item & ſimiliter nullus canonicus, aut quivis alius de eadem eccleſia, eodem durante ſervitio per ipſam eccleſiam deambulare, aut ſtare abſque habitu decenti, ſcilicet ſuperpelliceo ad minus, præſumat; contrarium vero faciens, ſi ſit canonicus, una libra ceræ; ſi autem alius de dicta eccleſia, quarta parte unius libræ ceræ, fabricæ eccleſiæ applicandis, eo ipſo ſit mulctatus.

Ulteriuſque omnes, & ſinguli canonici, cæterique dictæ eccleſiæ clerici in eadem eccleſia deſervientes in officiis & ſervitiis, veluti lectionibus, reſponſoriis, epiſtolis, evangeliis decantandis, ceteriſque ſervitiis, & cæremoniis in dicta eccleſia fiendis, juſſionibus, monitionibus, & præceptis præſidentis, aut alterius ad id deputati, cum effectu pareant; contradicentes vero, & contemnentes ſeu negligentes, vel remiſſi, eo ipſo diſtributionibus quotidianis dictæ eccleſiæ ipſa die ſint & remaneant privati; & ſi offenſa adeo fuerit gravis, quod majorem exigat pœnam, fiat juſtitia in capitulo, prout juris ordo dictabit, & rationis.

Demum quod hebdomadariæ dictæ eccleſiæ ſint preſbyterales, & ſolum preſbyteris, & cantoribus conferantur: tenebunturque dicti hebdomadarii ad reſidentiam perſonalem.

Sed quia fructus & proventus dictarum hebdomadariarum ſunt tenues, humiliter ſupplicant ſanctæ ſedi apoſtolicæ epiſcopus, & capitulum memorati, quatenus dictæ hebdomadariæ nihilominus beneficia ſimplicia cenſeantur, & deputentur, quodque per canonicos dictæ eccleſiæ non valeant obtineri.

Poſtremo, quod omnes canonici tam præſentes, quam futuri, tenebuntur hujuſmodi ſtatuta inviolabiliter juramento ſolemni obſervare.

Si quis vero horum temerarius violator extiterit, præter pœnas ſuperius indictas contra tales, etiam ad declarationem perjurii poterunt dicti epiſcopus, & capitulum procedere, aut alias pœnas, prout de jure, ſecundum qualitatem, & quantitatem delictorum & exceſſuum infligere.

Finaliter quod de & ſuper præmiſſis epiſcopus, & capitulum prædicti in capitulis generalibus prædictis poterunt diſpenſare, & gratiam facere latiorem, prout eis videbitur, & merita perſonarum exigent.

Quæ omnia, & ſingula unanimes & concordes (dempto Jacobo Marchand canonico ejuſdem eccleſiæ, & una nobiſcum capitulante, qui, quoad ſtatuta, & articulos, item cum jure & rurſus cenſuimus, inſipienter ſe oppoſuit, ac quia oppoſitionem ſuam tanquam temerariam non admiſimus, verbo appellavit) voluimus, fecimus, ſtatuimus, ordinavimus, volumus, facimus, ſtatuimus, & conſentimus, obnixe ſanctiſſimo domino noſtro papæ moderno, & dictæ ſanctæ ſedi apoſtolicæ ſupplicantes, quatenus ſtatuta hujuſmodi auctoriſare, confirmare, & futuris temporibus in eadem eccleſia tenenda, cuſtodienda irrefragabili firmitate decernere dignetur, de gratia ſpeciali ſupplendo defectus, ſi qui ſint in eiſdem.

Et ad præſentes, ſive dicta ſtatuta eidem S. ſedi exhibenda, præſentanda, confirmationem illorum ab eadem ſede devote petendam, requirendam, & obtinendam, illa prout ſupra deſcribuntur, nihil addito, aut remoto de novo, ſi opus fuerit, faciendum & conſentiendum quemlibet noſtrum capitulantium, ac venerabiles & diſcretos viros dominos ac magiſtros Jacobum Bigneti archidiaconum de Paredo in eadem noſtra eccleſia, Michaëlem de Bay, Hugonem Jacobi, Nicolaum Guiſcardi curiam Romanam ſequentes, & eorum quemlibet in ſolidum noſtros fecimus, deputavimus, facimus, & deputamus ſpeciales procuratores,

dantes eiſdem & eorum cuilibet in ſolidum plenam & liberam facultatem, ac mandatum ſpeciale, eadem præmiſſa volendi, faciendi, & conſentiendi, & alia in eis requiſita, debita, & conſueta, promittentes bona fide, & ſub omnium, & dictæ noſtræ eccleſiæ immobilium hypotheca obligatione ratum, & gratum habere, & habituros, quicquid per dictos procuratores noſtros, & eorum quemlibet actum, dictum, geſtumve fuerit in præmiſſis, & in futurum non contravenire.

In quorum omnium, & ſingulorum fidem & teſtimonium has præſentes per notarios publicos ſubſcriptos, & eorum quemlibet, ſignari, & ſubſcribi, noſtroque, & dicti capituli ſigillis appenſione communiri fecimus, requiſivimus, & juſſimus. Datum & actum in noſtro dicto capitulo, nobis dicto Nicolao epiſcopo prædicto, Aymerico Goyon in decretis licentiato decano, Petro Saucelli archidiacono, Petro Helye archidiacono Azianenſi, Guillelmo Creſſon cantore, Ludovico Charruelli præpoſito Lucionenſi, Mauritio Limoſin ſubdecano, Jacobo Hublon ſuccentore, Valeriano de Roccha præpoſito de Exartis in eadem eccleſia, Gabriële Berthelot, Mathurino de Lauriere, Johanne Grollerii, Leonardo de Roccha, Reginaldo Goyon, canonicis ejuſdem eccleſiæ capitulantibus, & dictum capitulum generale facientibus, & tenentibus ſub anno a Nativitate Domini milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo ſecundo, Indictione ſexta, menſis vero Novembris die ſeptima, pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto patris, & domini D. N. D. Sixti divina providentia papæ quarti anno ſecundo, præſentibus ad hæc venerabilibus viris magiſtris Luca Boveau preſbytero, in legibus licentiato, & nobili viro Guidone Daulnis ſcutifero Lucionenſis diœceſis teſtibus, ad præmiſſa vocatis ſpecialiter & rogatis.

Et ego Petrus de la Couſſaye preſbyter, in decretis baccalaureus, Malleacenſis diœceſis oriundus, publicus apoſtolica & imperiali auctoritatibus notarius, quia præmiſſis omnibus & ſingulis, dum ut ſupra ſcribuntur, per prænominatos dominos capitulantes agerentur, dicerentur, & fierent, una cum venerabili connotario publico ſubſcripto, & teſtibus prænominatis præſens interfui, eaque ſic fieri, & dici, vidi, audivi, in notam ſumpſi, & in hanc publicam formam redegi. Idcirco his præſentibus, ſive huic publico inſtrumento præſenti, manu aliena fideliter ſcripto, ſignum meum publicum & conſuetum appoſui requiſitus & rogatus, in fidem & teſtimonium omnium & ſingulorum præmiſſorum.

Et ego Philippus Babouëti clericus, civis Lucionenſis, publica & imperiali auctoritatibus notarius, quia præmiſſis omnibus & ſingulis, dum, ut ſupra ſcribuntur, per prænominatos dominos capitulantes agerentur, dicerentur, & fierent, una cum venerabili connotario publico ſubſcripto, & teſtibus prænominatis præſens interfui, eaque ſic fieri & dici vidi & audivi, in notam ſumpſi, & in hanc publicam formam redegi: idcireo his præſentibus, ſive huic præſenti publico inſtrumento manu aliena fideliter ſcripto, ſignum meum publicum, & conſuetum, quo dictis auctoritatibus utor, hic me propria manu ſubſcribente appoſui requiſitus & rogatus, in fidem & teſtimonium omnium & ſingulorum præmiſſorum.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ confirmationis, approbationis, communionis, & ſuppletionis infringere, vel ei auſu temerario contraire.

Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ M. CCCC. LXXII. tertio Idus Martii, pontificatus noſtri anno ſecundo. LXXX. ſumptum ex regiſtro bullarum apoſtolicarum, collationatum per me Ja. Avila ejuſdem regiſtri magiſtrum.

Quibus omnibus & ſingulis præmiſſis tamquam rite, recte, & legitime geſtis noſtram, dictique noſtri cameriatus officii auctoritatem pariter & decretum judiciale interponendum fore duximus, prout interpoſuimus & interponimus per præſentes. Volentes, de mandato ſummi domini noſtri papæ vivæ vocis oraculo nobis deſuper facto, & auctoritate noſtri cameriatus officii prædicti ſtatuentes, & mandantes quod hujuſmodi noſtro publico tranſſumpti inſtrumento in Romana curia, & extra eam, ubique locorum in judicio, & extra ſteatur, illique adhibeatur talis & tanta fides, qualis & quanta adhiberetur, quæ data fuit & daretur eiſdem originalibus litteris, ſi in medium exhibitæ forent, vel oſtenſæ.

In quorum omnium & ſingulorum fidem & teſtimonium has præſentes fieri, & per infra ſcriptum noſtrum & Romanæ curiæ apoſtolicæ notarium publicum ſubſcribi ſigillique ejuſdem cameræ, quo in talibus utimur, juſſimus, & fecimus appenſione muniri.

Datum Romæ in camera apoſtolica ſub anno a Nativitate Domini M. DC. II. indictione decimaquinta, die vero XVIII. menſis Novembris, hora XVI. pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto patris & domini noſtri domini Clementis divina providentia papæ VIII. anno ejus undecimo; præſentibus ibidem magiſtris D. D. Laureto Campello laïco Spoletanenſi, & Johanne Jacobo Bulgarino etiam laïco Firmanenſis diœceſis, ejuſdem cameræ apoſtolicæ connotariis teſtibus ad præmiſſa vocatis, habitis, & rogatis.

Subſignatum, P. cardinalis Aldobrandinus camerarius.

Et infra, Cæſar Bartolellus auditor.

Et inferius, ego Lauretus Perſicus de Spoleto, cameræ apoſtolicæ notarius, de præmiſſis rogatus præſens tranſſumpti inſtrumentum ſubſcripſi, & ſignavi requiſitus. Lauretus Perſicus.

Nos Petrus S. Nicolai in carcere diaconus cardinalis Aldobrandinus, S. R. E. camerarius, univerſis & ſingulis per has præſentes noſtras litteras notum facimus, & atteſtamur ſuprafcriptum D. Lauretum Perſicum, qui præſens tranſſumpti inſtrumentum ſubſcripſit & publicavit, fuiſſe, & eſſe noſtrum, & reverendæ cameræ apoſtolicæ notarium, eiſque ſcripturis publicis in judicio, & extra adhibitum ſemper fuiſſe, & de præſenti adhiberi fidem indubiam, in quorum fidem ſubſcripſimus.

Datum Romæ in camera apoſtolica, ſub anno a Nativitate Domini M. DC. II. die vero XIX. menſis Novembris, pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto patris, & domini noſtri domini Clementis divina providentia papæ VIII. anno ejus undecimo.

Subſignatum Jo. Jacobus Bulgarinus.

Et inferius. *Regiſtré, oüy le Procureur general du Roy, à Paris en Parlement, le 5. Septembre 1645. Signé*, DUTILLET.

IV.

Charta reſtaurationis abbatiæ S. Michaëlis in Eremo.

UNiverſis tam præſentibus quam futuris, notum fieri volumus quod cum Eblius cariſſimus ornatiſſimuſque frater, ordinante divina majeſtatis gratia, Lemovicenſis epiſcopus, conſiderans incerta humanæ conditionis tempora, ac mundum ad conſummationem incurrere, opeſque mundanas ſicut fumum evaneſcere; ut bonis quæ Divina providentia ipſi impartita eſt ingratus non reprobaretur, ſpe præmii & æternæ retributionis, piis operibus diſpenſare cupiens pro Dei amore & pro ſalute animæ ſuæ & parentum, & pro proſperitate noſtræ familiæ, cœnobium ſancti Michaëlis in Eremo de novo ab everſionibus Normannorum infidelium reſtituiſſet. Nos vero Willelmus * 961.

* Eblus epiſcopus Lemovicenſis fratrem habuit Willelmum qui cognominatus eſt Caput-ſtupæ, Aquitaniæ ducem.

Hugo divina miſeratione dux in Aquitania, & in Pictavia comes, ut monachi inibi Deum omni ſanctitate * ſervientes nos in memoria habeant, in ſacris votis quæ in altaribus jugiter offerunt ei in Pſalmis vel clamoribus quos ſæpe unanimiter meditant, ut per merita Jeſu Chriſti & ſanctorum interceſſionem mereamur gratiam & regnum cum Beatis poſſidere, germani munificentiam augmentare decrevimus. Quoniam in hac parte nullas poſſeſſiones habemus, concordatum & conventum cum Hugone de Theſaco equite in modo & forma ſubſequenda fecimus. Nempe dictus Hugo noſtra requeſta motus, præcipue bona voluntate erga ſervitium Divinum, ſponte omnes feodales poſſeſſiones quas habebat a latere dicti cœnobii, uſque ad mare conſiſtentes cenſibus, cultibus.... menſis, pratis, vineis, nemoribus, ſervis ancilliſque cum omni jure caſtellanerii & præventionis, videlicet omnia ſicut hactenus ſui juris extiterint, & ſunt ubique longe lateque diffuſa, ſuiſque certis terminis undique metata, cum omnibus pertinentiis dicto cœnobio ceſſit & tranſportavit in perpetuum; ita a modo dicti cœnobii & monachorum prædictorum juris per omnia habentur, & ad eorum uſum & libitum abſque ulla contradictione in perpetuum perdurent. In cambio & recompenſatione donavimus & donamus dicto Hugoni de Thezaco acceptanti & ſuis hæredibus in perpetuum feudum quod nuncupatur Xanctonum Vigeria, cum omnibus pertinentiis & integritatibus, ut ſolebant frui Ligerius de Taunadio & anteceſſores ejus, a quo emimus illud ut faceremus dictum cambium: ipſum vero feudum componitur juribus quæ ſequuntur: nempe menſuræ omnimode Sanctonum & inſularum adjacentium, jure quoque navium ſtationis allevationiſque arenæ in omnibus portubus pagi Sanctonum, a Rupella ad Blaviæ portum, item ſubhaſtationibus mobilium & immobilium quæ clangore buccinæ & alto clamore buccinatoris fieri ſolent in omnibus urbibus, oppidis, & vicis prædicti pagi, & inſularum prædictarum. Reditus autem menſuræ conſiſtit denario uno ex quocumque ſalis boicello quod in boſcis, ſalinis & in omnibus portubus dicti pagi & inſularum menſuratur; item ſex denariis ex quibuſcumque vinariis vaſis ubique dicti pagi; item ſex aliis denariis ex quibuſcumque dictis vaſis ob menſuram poculorum vinariorum in urbe Sanctonum & ſuburbanis ejus; item ob menſuram olei libræ pondere per annum ſingulis diebus Nativitatis Domini noſtri Jeſu Chriſti feſtis, a quocumque mercatore oleum vendente in urbe & ſuburbanis prædictis; item ſalinæ cujuſque libræ pondere a quocumque advena mercatore, quoties oleum in dictam urbem & ſuburbanos aportatur. Reditus autem granorum menſuræ in prædicta urbe ſubhaſtationum publicarum ſtationis, & allevationis navium arena conſiſtit utilitatibus aſſuetis. Item ex eodem feudo pedagium aſſuetum dependet, quod ſalis aliorumque menſurabilium boiſſello ex omnibus navibus naviculiſque ſuper Carentaneum flumen & ſub ponte Sanctonenſi fluentibus & refluentibus, aut portus præfatæ urbis adpulſantibus cum tribus denariis jure appulſus conſiſtit. Item ex membris & dependentiis dicti feudi ſunt quinque ædes ab omni tributo immunes in dicta urbe; tres in parochia ſancti Michaëlis, quæ ab uno capite tangunt ambergamentum regum, ab altero viam quæ ducit ab eccleſia dicti ſancti Michaëlis ad eccleſiam ſancti Petri; reliquæ tangunt ex una parte ad forum venalium, ex altera brevem viam quæ ducit a burgio ſancti Viviani ad viam quam Judæi Sanctonenſes habitant: una ex iis prædictam viam Judaïcam penetrat. Hæc omnia ſupra deducta in hac carta ipſi Hugoni de Tezaco donamus & dimittimus per cambium perpetuum & irrevocabile, cum omnibus dependentiis & integritatibus univerſis habendis, & pacifice & quiete poſſidendis, reſervato homagio-ligio nobis & heredibus & ſucceſſoribus noſtris, ad debitum hanaphum, ſcyphorum aliorum quoque terræ patriæ vaſorum ad noſtrum uſum, ad noſtrumque dumtaxat primum in Sanctonicam urbem adventum, hoſpitium etiam canum noſtrorum in una ex prædictis ædibus. Tenebimur etiam alimentis dictum Hugonem & ſucceſſores ſervoſque eorum eſca, piſcibus, potu quoque ſecundum diem nutriri, & reliquias ſcyphorum, hanaphum, & vaſorum reddere; mercedem quoque ſervis qui domum canum vertiſſent ſolvere, & ipſos nutriri. Actum civitate Pictavenſi ſexto die Kalendas Februarias, anno Incarnati Verbi D. CCCC. LXI. regnante Clotario * Francorum rege fœliciter, præſentibus domino Eblo Lemovic. epiſcopo, Dione dicti ſancti Michaëlis abbate, domino dominii de Sanſayo, domino dominii de Mela, domino dominii de Chiſiaco ſcutifero, & pluribus aliis.

* Hoc eſt *Lothario.*

Signum † Willelmi Hugonis.

Signum † Eblii Lemovic. epiſcopi.

Signum Dionis ſancti Michaëlis abbatis.

Signum domini de Sanſayo.

Signum domini de Mela.

Signum domini de Chiſeaco ſcutifero.

Signum Odonis clerici Pictavienſis dioceſis, & imperiali authoritate notarii qui hoc cambii inſtrumentum audivit, perlegit & recepit.

Hæc verba autumamus eſſe notarii nomine Odonis, qui diu poſt ſcriptum iſtud inſtrumentum, de ipſo a ſe viſo & lecto teſtimonium dedit. Certe, in diplomatibus labente ſeculo x. ſcriptis vix occurrit mentio notarii imperiali auctoritate muniti. Cæterum hoc inſtrumentum deſcriptum eſt a quodam viro docto, Amelot cognominato, ut intelligitur ex ſubſcriptione. Fuit olim quidam civis apud Rupellam cognomento Amelot, ſectæ Calvinianæ addictus; ex cujus ſchedis forſan hoc tranſumtum prodiit.

V.

Abbatia S. Michaëlis in Eremo traditur S. Florentio.

Ex origin. S. Florentii Salmuricenſis.

Circa 990.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, Guillelmus gratia Dei comes. Notum eſſe volumus omnibus ſanctæ Dei Eccleſiæ fidelibus præſentibus ſcilicet ac futuris, præcipueque ſucceſſoribus noſtris, quoniam adiit nos fidelis noſter Aymericus Toarcenſium vicecomes, cum multa deprecatione & humili ſupplicatione, uti cellam ſancti Michahelis quam vocant In heremo, quamque de nobis in beneficium tenere videtur, ad Dei ſervitium faciendum, pro animæ noſtræ ac filii, ſive conjugum ac parentum noſtrorum emolumento, ac peccatorum noſtrorum remiſſione, abbati cœnobii ſancti Florentii, Rotberto nomine, concederemus. Eo videlicet tenore atque conventione, ut iſdem præfatus abbas in loco illo monachos ad habitandum ſeu ad Dei ſervitium faciendum mittat, & ipſe ſuper eos, dum advixerit, pervigil ac procurator exiſtat. Cum vero ſuprema dies illum ab hac luce evocaverit, iſdem locus in illorum gubernatione atque tuitione remaneat qui rectores poſt ipſum cœnobii ſancti Florentii exſtiterint. Cujus * deprecationi aſſenſum præbentes, pro amore Dei & Domini noſtri Jeſu Chriſti, & pro ſancti Michahelis honore ac veneratione, ut ipſe ſanctiſſimus archangelus pro noſtris peccatis Dominum dignetur exorare, conceſſimus prædictam cellam jamdicto abbati Rotberto ad providendum, ac ſucceſſoribus ejus, cum omnibus quæ ad ipſam pertinent, & quicquid deinceps adquirere poterunt; ut habeant ſervi Dei in loco illo commorantes unde Dominum ac Deum noſtrum pro animabus noſtris patris ſcilicet mei, ac matris, & mea, ac filii, ſive conjugum, Aimerici quoque ac uxoris, quorum deprecatione hoc facimus, exorare poſſint. Hanc autem kartam ut firmior, ſit verioreque credatur, manu propria eam firmavi ac filio meo ſeu fidelium noſtrorum manibus roborandam tradidi. Si vero aliquis fuerit qui contra hanc manu firmam aliquam calumniam inferre præſumpſerit; ſi ego ipſe, aut filius meus, aut aliqua intromiſſa perſona, imprimis iram

* cui not.

Dei omnipotentis incurrat, & ſancti Michahelis fulminibus in inferno confodiatur, & cum Dathan & Abiron & Juda proditore infernales pœnas ſociatus luat. Et hæc eleemoſyna quam facimus, omni tempore ſtabilis perſeveret. Decimam autem illam quam a loco illo recepi, pro amore Dei & ſancti Michahelis, integram ut prius dedi reſtituo, de Malleacenſe.

† S. Guillelmi comitis ſeniotis. S. Aimerici vicecomitis. S. Elvis uxoris ejus, per cujus deprecationem & ammonitionem hæc carta facta eſt. S. Savarici. S. Gaufredi. S. Tetbaldi. S. Rodulfi. S. Simonis. S. Leotebaldi. S. Girberti. S. Anſberti. S. Ademari.

VI.

Litteræ fundationis monaſterii Bellæ-Noæ quod ſubjicitur abbatiæ S. Michaëlis in Eremo.

PIus vicecomes Toarcenſis Gaufredus, uxorque ejus Adenor, pro ſalute animarum ſuarum interpellaverunt domnum abbatem Aſzhonem ſancti Michaëlis, de ædificando monaſterio in loco qui vulgo nuncupatur Bella-Noa tali conventione, ut ipſe abbas illud in ſua dominatione ſucceſſoreſque ejus abbates de loco ſancti Michaëlis, & quoſcumque vellent monachos de eodem loco profeſſos ibi conſtituerent ad ſerviendum Deo & omnibus ſanctis, & ipſi darent ei loco præfato decimam de omni paroechia, tantumque terræ quantum eis videretur. De omni hac re facta donatione reveſtivit prædictus vicecomes cum ſua uxore Adenor abbatem Aſzhonem cum virga quam ipſe abbas portabat, priuſquam fundamentum monaſterii fuiſſet locatum. Ad quod opus diſponendum miſit ibi unum ex ſuis monachum valde induſtrium nomine Savaricum, qui inſiſtens operi, de facultate ſancti Michaëlis, & de his rebus quas ipſe uxorque ejus tribuit, ad finem uſque perduxit. Qui dum advixit, nemo loco ſancti Michaëlis de illa re impedimentum fecit. Dum vero moreretur ſe profeſſiis eſt monachum Deo, ſanctoque Michaëli, necnon abbati Aſzhoni pro caritate quam invicem habebant. Poſt mortem vero ejus, defuncto etiam abbate Aſzhone, Aimericus filius ejus qui ſucceſſit patri in honore, voluit una cum matre ſua Adenor prædictum monaſterium auferre fratribus in loco ſancti Michaëlis degentibus; ſed Hildebertus & Savaricus hoc cernentes, qui inibi tunc morabantur, pactum firmiſſimum de hac re ſtabilire cum vicecomite Aimerico volentes, dederunt ei decem libras. Quinetiam ego Hildebertus, quod majus eſt feci, poſtquam miſſam celebravi ſuper altare ſanctæ Mariæ, quam vicecomes cum ſuis militibus audivit, fecit donum cum miſſale, ubi eſt Nativitas & Paſſio & Reſurrectio & Aſcenſio Domini noſtri Jeſu Chriſti de ſua manu in noſtra, de eodem monaſterio cum apendiciis ſuis tali intentione, quod nullus hominum nec femina requirendi haberent poteſtatem. Propter hoc reveſtivi eum cum eodem libro de omni ſervitio quod faciunt monachi Deo in monaſterio ſancti Michaëlis, videlicet orationum, horarum nocte ac die, miſſarum, elemoſynarum cotidie factarum: qui tunc temporis pro Deo & anima Gaufredi patris ſui, noſtri monachi in eodem loco ſepulti tantæ pietatis & benignitatis circa nos exſtitit, ut cibum qualem habebant monachi nobiſcum in refectorio ſumeret. Præcepit itaque ut hanc cartam faceremus. Nos vero communi habito conſilio, primam conventionem adnectere curavimus ſecundæ, quatinus poſteris ad memoriam revocent litteræ quod oblivione ſolæ deperirent. Si quis præſumptor poſthac hæc omnia voluerit contradicere, iram Dei omnipotentis incurrat, ſanctuſque Michaël cuſtos animarum, qui vicit draconem inimicum humani generis, cum Dathan & Abiron quos terra abſorbuit, & Juda qui filium Dei tradidit, præcipitet eum in cloacam gehennæ ignis.

Hanc veterem cartam domnus abba Petrus S. Michaëlis relegit coram Aimerico vicecomite. Qui vicecomes dona parentum ſuorum quæ ab abbate P. audivit ſibi ut diximus explanante, confirmavit. Conceſſit & malas conſuetudines, quæ perverſitate pravorum dominorum impoſitæ ſuper hanc eleemoſynam fuerant, videlicet v. ſolidos Natale Domini, runcinum qui quærebatur in expeditionibus; talletam de hominibus noſtris, bianum, & omnem aliam conſuetudinem malam quæ a pravis ut adſolet adinvenitur omnino finivit, & ipſum P. abbatem hac ipſa carta reveſtivit. Addens etiam ut amplius decimam parochiæ noſtræ monachi colligerent; Petro de Vietiis, Rainaldo de la Foreſt, Arberto de Campis, Bertranno Gaſtinello, Willelmo de Bille, & aliis quam pluribus, & Freſlone dapifero, & Petro Humberto monacho, & aliis quos enumerare longum eſt teſtibus: & Rainaldo qui tunc prior loci erat.

Signum † Aimerici vicecomitis.

VII.

Bulla unionis menſæ abbatialis monaſterii S. Michaëlis in Eremo, collegio vulgo Mazarinæo nuncupato.

CLEMENS epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, dilecto filio officiali venerabilis fratris noſtri epiſcopi Lucionenſis, ſalutem & apoſtolicam benedictionem. In ſupremæ dignitatis ſpecula, licet immeriti, diſponente Domino, conſtituti, ad univerſas Orbis regiones noſtræ vigilantiæ creditas, earumque profectus, & commoda tamquam univerſalis gregis Dominici paſtor, commiſſæ nobis ſpeculationis aciem, quantum nobis ex alto permittitur extendentes, fidelibus ipſis ad quærendam litterarum ſcientiam, per quam divini nominis laus fideique catholicæ cultus protenditur, juſtitia colitur, tam publica quam privata res utiliter geritur, omniſque proſperitas humanæ conditionis augetur, gratioſos favores impendimus, & opportunæ commoditatis auxilia libenter impartimur. Sane chariſſimus in Chriſto filius noſter Ludovicus XIV. Francorum & Navarræ rex chriſtianiſſimus, nobis nuper exponi fecit, ac pro parte dilectorum filiorum modernorum adminiſtratorum collegii a bonæ memoriæ Julio ſanctæ Romanæ Eccleſiæ cardinale Mazarino nuncupato, in civitate Pariſienſi fundati, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod alias dictus Julius cardinalis in ſuo ultimo, ſub cujus diſpoſitione deceſſit teſtamento, ſeu alia diſpoſitione per eum facta, inter alia collegium, & in eo academiam in civitate præfata, in quo ſexaginta alumni ſcholaſtici, quindecim videlicet ex regione Pinarolii ac territoriorum & vallium adjacentium, & ex Statu Eccleſiaſtico, in Italia præferendo illos ex regione præfata ac territoriis & vallibus hujuſmodi quibuſcumque aliis, ac ſucceſſive Romanos & eiſdem Romanis deficientibus, illos aliarum provinciarum Status Eccleſiaſtici in Italia ſubſtituendo. Deinde quindecim ex Tribocibus ſeu Alſatiis & Germanis partibus illis conterminis; tum viginti ex Flandris, Attrebatenſibus, Hannonibus & Lucemburgenſibus; ac demum decem alii ex Rouſilione, Confluenti, & Cerdagna gratis inhabitarent, alerentur, foverentur & docerentur, liberaliter fundavit & inſtituit; & ad hujus collegii, & in eo academiæ hujuſmodi conſtructionem, & ſuſtinendas in eo ſuperiorum ſeu adminiſtratorum ac magiſtrorum, & ſcholaſticorum expenſas bis decies centena millia ſeu duos milliones librarum Turonenſium in numerato erogavit, & præterea nonnulla vectigalia ſeu annuos

1671.

reditus ſuper domo civica attribuit. Et cum illa pecuniarum ſumma, & ut ſupra attributi redditus, tanto hominum numero in dicto collegio, cujus ædificia ad illos excipiendos ſunt capacia, ſuſtentando longe impares exiſtant, & niſi eidem collegio de aliquo alio ſubſidio provideatur, tam laudabilis ac fructuoſa inſtitutio ſubſiſtere non poſſit; cumque monaſterium ſancti Michaëlis in Eremo ordinis ſancti Benedicti, Lucionenſis diœceſis, cujus menſa abbatialis a menſa conventuali ſeparata & diſtincta exiſtit, & ad quoddam pro tempore vacat nominatio perſonæ idoneæ vigore concordatorum dudum inter ſedem apoſtolicam & claræ memoriæ Franciſcum Francorum regem, tunc in humanis agentem, ſuper nominatione perſonarum certis inibi expreſſis modis qualificatarum, ad ecclesias & monaſteria regni Franciæ privilegio eligendi non ſuffulta, pro tempore vacantia promovendarum per regem Franciæ pro tempore exiſtentem facienda initorum, & ad dictum Ludovicum regem ſpectat & pertinet; & quod idem Julius cardinalis in commendam ad ſui vitam ex conceſſione & diſpenſatione apoſtolicis dum viveret obtinebat, commenda, hujuſmodi per obitum dicti Julii cardinalis, qui extra Romanam curiam debitum naturæ perſolvit ceſſante, adhuc eo quod ante commendam ipſam vacabat, modo vacare noſcatur ad præſens; & dictus Ludovicus rex quem dictus Julius cardinalis ſub ejus vitæ fine enixe rogavit, ut fructus, reditus & proventus, bona, jura, obventiones & emolumenta quæcumque menſæ abbatialis monaſterii hujuſmodi, cum primum illud commenda præfata per ceſſum vel deceſſum ipſius Julii cardinalis, aut alias quovis modo ceſſante vacare contigiſſet, eidem collegio applicare & addicere dignaretur ad tam pium opus, & ita Deo ut creditur gratum, ſuas regias partes conferre gaudens; quo etiam poſt obitum dicti Julii cardinalis, ejus conſilium & intentum ſupremum executioni demandari curans, poſteris magis teſteretur quanti illum vivum fecerit, idem Ludovicus rex provide conſiderans quod idem collegium pro ſupportandis illius expenſis & oneribus nondum ſufficienter dotatum exiſtit, titulum & dominationem abbatiæ, necnon ſtatum collativum ejuſdem monaſterii, ac jus ad illud nominandi ſupprimi, illiuſque menſam abbatialem collegio præfato, perpetuo uniri, annecti & incorporari ſupra ſcripta & infra ſcripta per nos fieri & ordinari ſummopere deſideret. Si igitur ſicut eædem expoſitio & petitio ſubjungebant, titulus etiam collativus, ac denominatio abbatiæ in dicto monaſterio ac jus dicto Ludovico & ſucceſſoribus ſuis Franciæ regibus ad dictum monaſterium nominandi, de ipſius Ludovici regis conſenſu, perpetuo ſupprimerentur & extinguerentur, ac omnimoda juriſdictio extra monaſterium hujuſmodi, res, bona, jura & actiones menſæ abbatialis præfatæ, ſalvis tamen omnino & illæſis juribus dictæ menſæ conventualis, illiuſque prioris & monachorum remanentibus, ac ſatisfactis prius omnibus, & ſingulis oneribus, juxta Lateranenſis concilii noviſſime celebrati aliaſque canonicas ſanctiones & apoſtolicas conſtitutiones dicto collegio perpetuo unirentur & applicarentur; ex hoc profecto dicto collegio, illiuſque ſuperioribus ſeu adminiſtratoribus, magiſtris & ſcholaſticis de competenti reditu & ſubſiſtentia ſufficienter proviſum foret. Quare nomine dicti Ludovici regis, ac pro parte adminiſtratorum præfatorum nobis fuit humiliter ſupplicatum, quatenus proſpero & felici dicti collegii ſtatui, illiuſque ſcholaſticorum & aliorum præfatorum neceſſitatibus ac alias in præmiſſis opportune providere de benignitate apoſtolica dignaremur. Nos igitur qui pro munere nobis commiſſo invigilare debemus ut piæ teſtantium voluntates, præſertim ſanctæ Romanæ Eccleſiæ cardinalium, debita conſequantur, effectumque, tum in populorum maximam utilitatem, tum etiam in Chriſtianiſſimorum regum votorum adimplementum tendere dignoſcuntur:

A ipſos adminiſtratores a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium duntaxat exequendum, harum ſerie abſolventes & abſolutos fore cenſentes; diſcretioni tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vocatis omnibus qui fuerint evocandi, dictum monaſterium, cujus fructus, reditus & proventus ad quingentos viginti ſex florenos auri, cum duobus tertiis alterius floreni ſimilis in libris cameræ apoſtolicæ taxati reperiuntur quovis modo & ex cujuſque perſona, ſeu per liberam dicti Julii cardinalis aut cujuſvis alterius ceſſionem de illo illiuſque regimine & adminiſtratione in dicta curia, vel extra eam, etiam coram notario publico & teſtibus ſponte
B factam, aut conſtitutionem felicis recordationis Johannis papæ XXII. prædeceſſoris noſtri quæ incipit: *Execrabilis*, vel aſſecutionem alterius beneficii eccleſiaſtici quavis authoritate collati, commenda præfata ceſſante, vacet etiam ſi tanto tempore vacaverit, quod ejus proviſio juxta Lateranenſis ſtatuta concilii præfati, aut alias canonicas ſanctiones ad ſedem apoſtolicam legitime devoluta exiſtat, illaque ex quavis cauſa ad ſedem eamdem ſpecialiter vel generaliter pertineat, eique cura etiam juriſdictionalis immineat, & de illo conſiſtorialiter diſponi conſueverit ſeu debeat, ac ſuper regimine & adminiſtratione prædictis inter aliquos lis ſeu illorum poſſeſſorio vel quaſi moleſtia cujus ſtatu præſentibus haberi volumus pro expreſſo, pendeat indeciſa, dummodo de tempore datarum ea-
C rumdem præſentium dicto monaſterio de abbate proviſum, aut illud alteri commendatum canonice non exiſtat; titulum etiam collativum & denominationem abbatiæ in illo ac jus ad illud nominandi de ipſius Ludovici regis conſenſu, authoritate noſtra & ex voto congregationis venerabilium fratrum noſtrorum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ cardinalium rebus conſiſtorialibus præpoſitæ perpetuo ſupprimas & extinguas, illiuſque ſic ſuppreſſi & extincti menſam abbatialem una cum omnibus & ſingulis illius fructibus, reditibus & pro-
D ventibus, honoribus, prærogativis & præeminentiis, juriſdictionibus non tamen ſpiritualibus, intra ſepta & fines dicti monaſterii, officiorum & beneficiorum præſentationibus, collationibus & inſtitutionibus, terris, dominiis, pertinentiis, juribus, & obventionibus, ac emolumentis univerſis ad dictam menſam abbatialem quomodolibet ſpectantibus & pertinentibus ac ab ea dependentibus, cujuſcumque nominis, naturæ & ſpeciei, quantitatis & qualitatis exiſtant, ſine ulla exceptione & reſervatione dicto collegio, ita quod liceat illius ſuperioribus & adminiſtratoribus nunc & pro tempore exiſtentibus dicti monaſterii ſeu illius menſæ abbatialis hujuſmodi fructuum, reddituum & proventuum, prærogativarum, præeminentiarum, juriſdictionum extra dictum monaſterium, jurium, bonorum, obventionum, pertinentiarum, emolumentorum univerſorum, corporalem, realem & actualem poſſeſſionem per ſeipſos, vel alium ſeu alios, eorum
E nominibus propria authoritate apprehendere & apprehenſam perpetuo retinere, illaque locare, diſlocare, arrendare, exigere, percipere, levare & recuperare; ac in dicti collegii illiuſque & academiæ hujuſmodi ſuperiorum & adminiſtratorum, ac magiſtrorum & ſcholaſticorum hujuſmodi nunc & pro tempore exiſtentium communes uſus, & utilitatem ac neceſſitates convertere, diœceſani loci vel cujuſvis alterius licentia deſuper minime requiſita, menſa tamen conventuali, illiuſque prioris & monachorum juribus ratis & firmis ut antea perſiſtentibus, authoritate noſtra & ex voto præfatorum perpetuo unias, annectas & incorpores: nos enim ſi unionem, annexionem & incorporationem hujuſmodi per te vigore earumdem præſentium fieri contigerit ut petitur; eaſdem præſentes ſub quibuſvis ſimilium vel diſſimilium unionum & gratiarum revocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus,

Digitized by Google

derogationibus & aliis contrariis diſpoſitionibus & conſtitutionibus apoſtolicis & cancellariæ apoſtolicæ regulis etiam uniorum effectum non ſortitarum revocatoriis a nobis & a quibuſvis Romanis pontificibus prædeceſſoribus & ſucceſſoribus noſtris etiam in craſtinum aſſumptionis cujuſlibet ipſorum ad ſummi apoſtolatus apicem emanatis vel emanandis minime comprehendi vel confundi poſſe, ſed ſemper ab illis exceptas; & quoties illæ emanabunt, toties in priſtinum & validiſſimum, ac eum in quo ante præmiſſa, quomodolibet erant ſtatu reſtitutas, repoſitas, ac plenarie reintegratas, ac de novo & ſub quacumque poſteriori data per modernos & pro tempore exiſtentes dicti collegii adminiſtratores quandocumque eligenda conceſſas eſſe & fore, ſemperque & perpetuo validas & efficaces exiſtere ac ſuperioribus & adminiſtratoribus ac ſcholaſticis collegii hujuſmodi pro tempore quomodolibet exiſtentibus ſuffragari debere, nec eos de ſuper a quoquam quavis authoritate fungente moleſtari, inquietari, perturbari, aut quoquo modo impediri nullatenus umquam poſſe; ſicque per quoſcumque judices etiam cauſarum palatii apoſtolici auditores, ac ſanctæ Romanæ Eccleſiæ cardinales etiam de latere legatos, vicelegatos, ac ſedis præfatæ nuncios judicari & deffiniri debere; & ſi ſecus ſuper his a quoque quavis authoritate ſcienter vel ignoranter contingerot attentari, irritum & inane decernimus, nonobſtantibus regula noſtra & cancellariæ apoſtolicæ de exprimendo vero annuo valore, necnon Lateranenſis concilii noviſſime celebrati uniones perpetuas niſi in caſibus a jure permiſſis fieri prohibentis, aliiſque conſtitutionibus & ordinationibus apoſtolicis, necnon monaſterii & ordinis hujuſmodi, etiam juramento, confirmatione apoſtolica vel quavis firmitate alia roboratis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque indultis & litteris apoſtolicis pro tempore exiſtentibus abbati & monachis aliiſque ſuperioribus & perſonis monaſterii hujuſmodi, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis clauſulis & decretis in contrarium factis, quomodolibet conceſſis, & approbatis, & innovatis; quibus omnibus & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa & individua ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio ſeu alia quævis expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat harum ſerie ſpecialiter & expreſſe derogamus contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud ſanctam Mariam majorem, anno Incarnationis Dominicæ M. DC. LXXI. tertio nonas Auguſti, pontificatus noſtri anno ſecundo.

VIII.

Ex chartul. hujus monaſterii fol. 3.

Charta fundationis S. Crucis de Talemonte, & varia dona ei conceſſa.

QUiſquis Domino domum pro poſſe dignam præparat in terris, par eſt ut ei Dominus domum non manufactam conderet in cœlis. Ipſi autem nuſquam melius ædificatur domus, quam in piis mentibus, Chriſtumque ſincere diligentibus. Sed hanc ædificare nonniſi paucorum eſt, & Regi cœlorum violentiam irrogantium. Multi namque huic mundo dediti, quanto actionibus hujus ſæculi promptiori ſtudent animo, tanto pigriores ab hoc torpent ædificio. Unde factum eſt quia dum animadverterem quo poteram intellectu, ego Willelmus Talemontis caſtri princeps & dominus, me parum ab illis diſtare quibus dicitur, *Vos eſtis templum Dei*, ut pote hujus ſeculi curis impeditus, mecum deliberavi eccleſiam ex proprio facere; quatenus inter filios computari mereat Eccleſiæ, ut qui videlicet vacare non poſſem quo Domino digna facerem, illi ſaltem per me domus haberent, in quibus Dominus habitaret. Hanc prope denominatum meum caſtellum conſtrui placuit in honorem Dominicæ crucis; ut cum in ultimo die examinis ipſa crux ſacroſancta apparuerit, magnum fiat præſidium tam mihi quam liberis meis, & omnibus propinquitate conjunctis. In hac igitur monachos ſub norma ſancti Benedicti Chriſto militaturos aggregavi, quorum aſſidua pro nobis apud Deum oratio, fiat efficax interceſſio. His ad victum vel veſtitum, vel aliquem alium uſum de propriis rebus aliqua largitus ſum: ſcilicet eccleſiam ſancti Petri intra caſtellum ſitam, cum ornamentis ejus & conſuetudinibus cunctis vel redditionibus: eccleſiam etiam S. Hilarii cum cœmeterio & burgo, & conſuetudinibus, & omnibus redditionibus. Ferias quoque ea integritate dedi, ut in ipſa die feſtivitatis, & in vigilia omnes feriantes ubicumque vendiderint ſive in caſtello, ſive in feria, ſive in agro, in via, omnem conſuetudinem abbati, ſeu hominibus ejus reddant, nullamque juſtitiam niſi pro eis faciant. Dedi etiam omnem decimationem totius parochiæ & caſtelli, ſcilicet de agnis, de porcellis, de vitulis, de lino, de lana, de ſali, & de vino; eo pacto, ut ſi quis terram ſuam plantaverit in vineam, decima ipſius vineæ fieret ſanctæ Crucis propria, exceptis his vineis quas tenet Petrus filius Mainardi in Broil abbatis, & quæ ſunt in terra Aſcelini in Britonnaria, & in his quæ ſunt in terra Arberti Baſtardi in Torterel. Et ne aliquis forte de ſummis optimatibus hujus terræ diabolica quandoque ſuggeſtione, controverſia qualibet decimas iſtas ſanctæ Cruci datas perturbare incipiat, tam vinum de proprio cellario meo, quam oves ſi habuero, in perpetuum ad opus ſanctæ Crucis decimabuntur. Dedi etiam quandam terram ſuper rivum Fagi ſitam, in qua eſt caſamentum Convaldi Præpoſiti, & terra Martini Carpentarii: ſed caſamentum Grimaldi Præpoſiti perſolvit per ſingulos annos quinque ſolidos ad Natale Domini, & unum equum uſque Pictavum, & qui habuerit illud, faciet hominium abbati. Conxuli & quatuor molendina, duo cum ſtagnis ſuis de dulci aqua, & duo de mari molentia, & unum furnulum in ipſo caſtello: piſcatorias quoque in Stoenrio de Jard ad ſæpias, & ad alios piſces capiendos. Adauxi etiam Domino meo Jeſu & vivificæ cruci ejus, atque monachis ibidem Deo militantibus, & militaturis, de ſylva Orbiſterii de viridi & de ſicco ad omnia neceſſaria officiorum, ædificiorum, videlicet ad eccleſiam, ad clauſtra facienda atque recuperanda cum deciderint, ad coquinam, ad furnuliam, ad cameram abbatis, ad domum infirmorum, ad balnea & ad omnes manſiones faciendas uſui monaſterii neceſſarias. Similiter intus vel foris caſtrum quantum opus habuerint de ipſa ſylva, de viridi & ſicco accipiant: & in ipſa Orbiſterii foreſta condonavi etiam receptaculum paſcuale porcis, bobus, vaccis, equabus tam in æſtate quam in hyeme. Similiter & paſnagium porcorum, itaut ubicumque porci mei ambulaverint, & porci monachorum; capreæ quoque ad fotularia monachorum facienda, bruſtum habeant per totum boſcum. Ad hæc & navem unam conceſſi liberam & quietam & ſolutam ab omni conſuetudine in portu Talemontis, & in omnibus portubus mei honoris. Addidi, omnibus optimatibus meis ſubfirmantibus, ut ſi quis ex iſto meo honore voluerit loco S. Crucis, ac monachis ibidem Deo ſervientibus de poſſeſſione ſua dare vel vendere, non prohibeatur, ſed potius commoneatur, tantillo interdicto, ut dominus ſuus inde ſuum non perdat ſervitium. Supereſt adhuc conventio quam Dominicæ cruci contuli, quod ſi homo S. Crucis prælietur in campo, ſive vincat, ſive vincatur, bannum non reddet niſi S. Cruci & ejus abbati. Si homo ſanctæ Crucis, quod abſit, eventu hominem occiderit, aut vulneraverit, ſi in caſtello, ſive foris caſtellum in toto meo honore bannum non reddat, neque banleugam, neque aliquam aliam conſuetudinem, niſi ſolummodo ſanctæ Cruci & ejus abbati. Si furtum fecerit,

2. Cor. 6. 16.

fecerit, tota juſtitia abbatis erit; ſimiliter de falſa menſura erit. Si homo S. Crucis vendiderit bovem vel vaccam, aut aliquam aliam pecuariam in toto honore meo, non reddat venditionem niſi S. Cruci & ejus abbati; ſi in publico mercato vendiderit, tantummodo ibi venditionem reddit. De propria vero pecunia ſanctæ Crucis in mercato ſive foris mercatum, in caſtello ſive foris caſtellum, in via ſive extra viam, inſuper per totum honorem meum venditio non reddatur neque quæratur. Si diſſentio inter nos & vicinos noſtros & turbatio creſcet, quod abſit, homines S. Crucis non ſubmoneantur neque moneantur ut eant homines occidere, vel terras Chriſtianorum prædare atque devaſtare, neque caſtellum neque vallum facere, neque in quoquam ſint angariati; ſed ab omni perturbatione bellorum laborem in pace quieti, neque perturbatione in ulla re proſequentur. Verbi gratia, amici pro eis auctores pacem cum omnibus habeant, etiam cum pacis inimicis. Si tamen inimici noſtri in honorem noſtrum ſupervenerint, tunc omnes eant ut deffendant ſua ab inimicis propria.

Ubi vero ego Willelmus perſenſi adeſſe diem mortis meæ, ſuſcepi monachilem habitum in hoc eodem monaſterio quod conſtruxeram in honorem S. crucis; & convocans omnes barones meos quos de diverſis regionibus adduxeram, quoſque in iſto meo honore placitaveram, eos multum rogavi ut ſecundum ſuum poſſe, eccleſiam quam ædificaveram de rebus quas eis dederam, augmentarent, maximeque decimam & eccleſias quas in meo honore ædificaverant, debeant a ſe ubi eas a ſe ſepararent, nulli eccleſiæ niſi meæ darent; ſed neque filii eorum; quibus ſuccłamantibus, omnes poſtmodum filios optimatum meorum, infantes, pueros, adoleſcentes, parvos & adultos congregari feci in præſentia patrum. De ſupradictis omnibus habui etiam teſtimonia filiorũ. Hujus donationis tot ferme teſtes exiſtunt quot Talemontis pagi accolæ inveniri poſſunt; verum ne poſteritas neglectrix noſtræ ſuæque ſalutis quaſi præteritorum ignara, cupiditate ducta, hæc quandoque infringere præſumat; idcirco ſtylo memoriæque commendo, meaque auctoritate & filiorum meorum Willelmi atque Pipini, una cum filia mea nomine Aſcelina, voluntaria ſtipulatione per hanc chartulam roboro, ſancio atque confirmo ſub teſtimonio legitimorum virorum, ſcilicet fidelium meorum, quorum hæc ſunt nomina, videlicet, Ramnulfus de Bullo & filii ejus Petrus & Ramnulfus, Arbertus Baſtardus, Aſcelinus Senex, Aimericus Rufus, Stephanus Vinderiam, Abel Barbatus, Antonius pincerna, Maturinus camerarius, Johannes & Iſembertus frater ejus, Cochteas mareſcallus. De clericis vero Ademarus, Garinus, Thechardus, Bartholomæus, Gauterius, & alii multi.

Ex eod. tabul. fol. 7.

IX.

Decet bonos bonorum patrum filios paterna vota, quæque illi minis præventi mortis confirmaverunt, & maxime quæ ad divinum pertinent cultum, prout potuerint, implere ſtudeant; ſicut Salomon de templo conſtruendo David patris ſui implevit votum. Unde ego Willelmus minor, Talemontis caſtelli dominus, fidele votum patris mei de conſtruendo monaſterio S. Crucis ſecundum poſſe meum adimplere, Deo autore, cupiens, venerabilem virum Vitalem abbatem, cum conſilio fidelium meorum inibi ad præſens inito invito, eccleſiarum autem Aulonæ dimidiam partem quam ipſe abbas de Agnete habet, eidem loco concedo; quas quidem eccleſias pater meus illi vivus totum dederat ex integro, cum omnibus quæ ad altare pertinent. Sed Agnes comitiſſa tulit mihi dimidiam partem, quam de ipſa tenuit, dum vixit pater meus; quam ſi, Domino annuente, recuperare potuero ſecundum conventionem quam mecum domina illa habet, ſcilicet ut nulli det vel vendat, præter me vel alium qui hoc habuerit caſtellum, ſicut alteram concedo; A medietas autem iſta quam abbas habet, ſic eſt: medium altaris & omnia quæ altare tangunt: medium totius decimæ minutæ beſtiarum, ſalis, lini, lanæ, & vini quod in terra domus meæ orietur: medietas abbatis atque dominicarum vinearum decima ſua erit, vinearumque in burgo abbatis nullam habemus conſuetudinem neque ego neque comitiſſa. Hanc donationem ſancio, legitimorumque virorum teſtimonio per præſentem chartam confirmo, quorum hæc ſunt nomina: Pipinus frater meus, &c.

X.

Ex eodem tabul. fol. 8.

Poſt mortem Willelmi & Pipini filiorum primi Willelmi Calvi, qui Talemontenſe caſtrum primus ædificavit, ſucceſſi eis ego Kadelo in eodem honore, accipiens eorum ſororem in uxorem nomine Aſcelinam, qui &c. cupiens augmentare, contuli eidem loco eccleſias quæ mei juris erant, videlicet S. Vincentii Jardis, & S. Hilarii de Foreſta, S. quoque Nicolai de Groſbrol; atque ad eaſdem eccleſias cooperandas & reſtaurandas cum ceciderint, ſilvam Orbiſterii, eccleſiam quoque ſanctæ Mariæ, quæ vulgo vocatur Perata, quæ ſita eſt in regione Thoarciæ, quam ipſe tenebam de vicecomite Aimerico, & omnia quæ ad eam pertinebant, videlicet decimam totius parochiæ de vino, de annona, de agris, de porcellis, de lana & lino, & burgum intra cæmeterium ſitum, pratum ad fontem ..... famulis, & alium pratum in proſpectu eccleſiæ ſitum; terram quoque ſubtus vineam ſitam, quæ fuit Gaufridi Tholardi, aquam etiam fluminis Thoerii; inſuper etiam ſilvam Dalacenſem, & terram ſimiliter quæ ad ſilvam pertinet, quam ego propriam retinueram, terram etiam Adelardi Gerlarii, & terram Odonis de Moue, atque omnia propria quæ poſſidebam in parochia S. Mariæ Peratæ, atque Albienſi, exceptis caſamentis unde meos homines feaveram. Dedi etiam unam bordariam terræ in foreſta, & minutam decimam duarum parochiarum, ſancti videlicet Vincentii de Jardis, & S. Hilarii de Foreſta, hoc eſt, decimam de lana, de lino, de canaba, de aquis, de porcellis, de vitulis.

XI.

Ex eodem tabul.

Legimus B. David templum Domino ædificare voluiſſe, ut quæ tali uſui neceſſaria forent devotus præpararet; ſed prohibitus eſt a Domino, quia vir ſanguinis erat; quod Salomon poſt, patre mortuo, cœpit atque perfecit. Sed abſit ne ſanctiſſimus ille, quem Dominus invenit ſecundum cor ſuum, juſti deſiderii ſui, & ſi inhibitus ab opere, debitam tamen amiſerit mercedem. Hujus ergo rei ductus exemplo, ego videlicet Willelmus minor, Dei promiſſu, a quo omnis poteſtas, ac jure hæreditario Talemontis indeptus honorem, eccleſiam quam genitor meus dilectiſſimus antequam obiret, in meritum & honorem S. crucis Dominicæ ædificare cæperat, ad effectum uſque pro poſſe meo curarem perducere, & factam Domino dedicare in honorem jam dictæ S. crucis; auctore Deo, fere omnia quæ pater meus dederat Deo inibi ſervientibus, & ipſe lætus conceſſi; & in dotem eccleſiæ terram cujuſdam hominis nomine Iſraëlis adauxi, ſperans in eo apud quem tantum valet recte voluiſſe, licet deficiat poſſe, quatenus & feciſſe & eum ſancti deſiderii non perditurum præmium; me quoque aliquem retributionis locum vel veniæ habiturum. Uxor vero mea, Macſlandra nomine, dedit jam dicto loco ſanctæ Crucis pro utroque noſtro decimam annonæ terræ noſtræ quæ eſt in inſula Bernardi. Et ut hæc donatio firma permaneat, propria manu ſuper altari ſancti Hilarii poſui, eo quod eſt hæc parochiæ mater * eccleſiæ, ut ſi quis hanc donationem deſtruere voluerit, anathema ſit.

** f. eccleſia.*

Ex eodem tabul. fol. 5.

XII.

QUia ſanctorum patrum atque ipſius noſtri Salvatoris ſententia commonemur poſſeſſiones noſtras fidelibus laxare, maximeque res illicitas ſine dilatione reddere, ego Guillelmus, Talemontis dominus, Vitali abbati qui abbatiam S. Gildaſii, cui præerat, monachorum ſuorum importunitate ejectus, a me ſibi locum aliquem dari in quo Deo juxta propoſitum deſervire poſſit exſpoſtulans acceſſerat; cujus * mortalitatis atque ſanctitatis fama non ſolum apud habitatores vicinarum, verum etiam remotarum provinciarum perlucebat; conſilio atque inſtinctu conjugis, necnon filiorum meorum Willelmi atque Pipini atque procerum meorum, eccleſiam ſanctæ Mariæ in Ollona dedi ab omni conſuetudine ſolutam, cum decima agnorum, porcorum, lanæ, lini, & totius vini quod in illa terra quam propriam in Ollone hodie habeo, ortum fuerit; & duas menſuras terræ ita proprias, ut proprias eo die habebam: & præterea modium unius frumenti de proprio meo in ſervitio eccleſiæ deputatum: burgum, quoque & furnum unum in ipſo burgo, ita ut aliud furnum non fiat ibi. Datum eſt hoc donum VII. xal. fer. II. luna V. epacta XVIII. Actum eſt anno ab Incarnatione Domini milleſimo quadrageſimo ſecundo, regnante Francorum rege Henrico, Pictavorum pontifice Iſemberto, duce vero Aquitanorum Guillelmo.

* *f.* mortalitatis.

Ex eodem tabul. fol. 8.

XIII.

POſt deceſſum Willelmi & Pipini filiorum primi Willelmi etiam * Calvi Talemontis principis, ego Willelmus comes Pictavenſis adeptus in dominio Talemontenſe caſtrum, una cum toto honore ad illud pertinente, adiens aliquando idem caſtellum, obviavit mihi reverendiſſimus Vitalis abbas, clamitans de injuria quam mater mea Agnes comitiſſa ei fecerat, ea quæ a primo prædicto Calvo Guillelmo tenuerat in Ollona libera & ſoluta ab omni calumnia per vim invaſerat, ſcilicet medietatem offerentiæ, & decimas de ſua terra propria, & de ſua vinea, & de ſuis ſalinis; quem in Talamontem mecum redire feci, & cauſam ejus calumniæ quærimoniæ ante meos proceres qui mecum venerunt ſimul cum Talemontenſibus judicare ac diſſolvere præcepi. Qui omnes judicaverunt atque auctoriſaverunt eam rem abuſive actam quam mater mea fecerat; præter ea quæ non nos, ſed alii ſanctorum locis contulerunt in mea ætate atque dominatione affirmo omnia, ac concedo ſanctis eccleſiis & earum miniſtris, ut antiquitus tenuerunt, reddere. Idcirco ego Willelmus Pictavorum comes, jubeo reddere quæ mater mea injuſte abſtulerat, &c. Teſtes uxor mea Ermenſendis, epiſcopus Willelmus Engoliſmæ, Savaricus vicecomes, & alii plures.

* dicti.

Poſt hæc ego Willelmus, Pictavorum comes, condonavi paſnagium ad porcos ſanctæ Crucis in nemore Jardis.

Poſt deceſſum quoque ejus, frater ſuus hoc donum Gofridus Guido auctorizavit eſſe perpetuum.

XIV.

Charta fundationis B. Mariæ de Fontanellis ord. S. Auguſtini.

OMnibus ad quos præſens carta pervenerit tam præſentibus quam futuris Guillelmus de Malleone dominus Thalemondi ſalutem & amorem. Ex approbata deſcendit conſuetudine ea quæ eccleſiis, ſeu eccleſiaſticis viris conferuntur, ne oblivione, vel invidentium ſeu calumniantium malignitate depereant, authentico ſcripto communire. Inde eſt quod ad communem omnium notitiam tam præſentium quam futurorum volumus pervenire, nos inuitu Dei, & pro ſalute animæ noſtræ, & anteceſſorum noſtrorum, & ſucceſſorum quandam abbatiam fundaviſſe de ordine de Cancellata in ſilva Rochæ in honore Dei & ſanctæ Mariæ, aſſenſu & voluntate & conceſſione Beatricis uxoris noſtræ, per quam terram Rochæ * & Luci cum omnibus pertinentiis poſſidebamus. Nos igitur abbatiæ prædictæ & canonicis ibidem Deo ſervientibus providere cupientes, dedimus & conceſſimus prædictæ abbatiæ & canonicis nemus & terram in prædicta ſilva de Prato Bechet, ſicut diviſio crucium vadit ad doitum Lobin & vias extra ſilvam ſupra domum Giraudi-Beraudi, ſicut via quæ venit de domo Tornatorum dividit uſque ad aquam Colæ. Præterea dedimus eis minagium Rochæ, & quicquid in foro Rochæ capiebamus, & unum eraudum apud Pereyum juxta eccleſiam S. Michaelis liberum & immunem ab omnibus coſtumis & rebus aliis, & Guillelmum Garet & hæredes ſuos liberos & immunes ad hoc quod debent illuminare unam lampadem in prædicta abbatia die ac nocte, & duos cereos ardentes ad omnes miſſas; & cenſus carnificum de Pereyo, ſcilicet de unoquoque duos ſolidos uſualis monetæ. Hanc autem fundationem & donationem confirmavit & dedit & approbavit Bernardus de Machecolio qui terram Rochæ & Luci cum omnibus pertinentiis filiæ ſuæ, uxori noſtræ Beatrici prænominatæ in matrimonium dederat & conceſſerat. Et hoc dederunt & conceſſerunt Radulphus de Machecolio, & Bernardus frater ejus, filii prædicti Bernardi. Et ut hæc donatio contra omnium malignantium verſutias ratum & inconcuſſam obineret firmitatem, præſentem cartam ſigilli noſtri teſtimonio dignum duximus roborare. Et Beatrix uxor noſtra fundationem iſtam & conceſſionem dedit, voluit, & conceſſit, & figilli ſui atteſtatione confirmavit; teſtibus his Radulpho de Perrata abbate Thalemundi, P. Pelet capellano de Olona, Radulpho capellano domini Guillelmi de Malleone, Nicolao de Olona, Thoma clerico, Guillelmo Giraudi ſeneſchallo Thalemondi, Guillelmo de Motha, Hugone Primaut, B. de Monte-acuto, Guillelmo Chabot, P. de Pruilleio, militibus, Ruffinello ſeneſcallo de Rupe, G. Mauſacre, Hugone Sebrant, Hugone Normant, Thoma Foreſtario, Simone Boſchier, & pluribus aliis.

* Rocha ſuper Oyonem, la Roche ſur-Yon. Le Luc, *locis 4. a Fontanellis diſtans, principatus tituo gaudens.*

XV.

Aliæ Willelmi de Malleone litteræ pro Fontanellis.

QUæ geruntur in tempore, ne labantur cum tempore, litterarum teſtimonio debent perhennari. Noſcat igitur præſens ætas & ſciat poſtera, quod ego Willelmus de Malleone tunc temporis dominus Talemondenſis, & dominus de terra Rochæ & pertinentiis, dedi & conceſſi in puram & perpetuam helemoſynam pro ſalute animæ meæ, & anteceſſorum meorum, & ſucceſſorum Deo & eccleſiæ beatæ Mariæ de Cancellata, in foreſta mea de Rocha, terram, ſcilicet terram de domo Tornatoris de Cola ſicuti cheminus ducit uſque ad foramen quod eſt ſuper domum Giraudi Beraut, & de Doito de Cola ſicut pratum Paſtel dividit uſque ad Plancham de Roiſol, & ſicut cheminus de Roiſol qui percutit in Noa ſuper Fontenellas, dividit & vadit uſque ad pratum Bechet. Ut autem hæc donatio & conceſſio rata & inconcuſſa in poſterum permaneat, præſens ſcriptum ſigilli mei munimine roboravi. Ego vero Beatrix uxor domini Guillelmi de Malleone, cui dominus Bernardus de Machecon pater meus cum terra Rochæ & pertinentiis me dedit ad uxorem, hanc donationem & conceſſionem, quam dominus meus Guillelmus de Malleone fecit, volui & approbavi; & ut majorem obineat firmitatem, præſentem paginam ſigilli mei teſtimonio confirmavi. Hoc donum factum fuit anno ab Incarnatione Domini milleſimo ducenteſimo decimo, menſe Julii, regnante Ottone in Alemannia, Philippo in Francia, Johanne in Anglia.

Hujus rei teſtes ſunt Guillelmus de Mota, Brientius A de Monte-acuto, Gaufredus Ruſſion, Guillelmus Vigier, &c.

XVI.

Charta fundationis abbatiæ Brolii Grollandi.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Ego Aimericus de Bulio locum ædificare volens in quo omnipotenti Domino a devotis famulis ſemper deſerviretur, multotiens rogavi virum venerabilem Meſchinum abbatem Moroliæ, quatinus in eodem loco, id eſt Brolium * G. certum fratrum numerum mitteret, abbatemque deſignaret qui ibidem aſſidue viverent, & pro meis meorumque, necnon & omnium fidelium tam vivorum quam defunctorum erratibus Dominum jugiter exora- B rent. Quod prædictus abbas Meſchinus facere multum diſtulit; ſed meis multorumque precibus ſæpe commonitus ad ultimum conceſſit. Unde ego Aimericus utiliter providi, ut de facultatibus meis illorum neceſſaria adminiſtrentur qui illic ſunt Domino ſerviturі. Et quæcunque illis dare diſpoſui, ſcripto communiri volui hoc modo. Ego Aimericus de Bulio dono & concedo Deo & beatæ Mariæ & prædictis monachis ipſum locum qui vocatur Brolium * G. & gerriam illam, & terram quæ ante eſt, & extenditur uſque ad terras Airaudentium, & determinatur de valle quæ ſubtus jariam illam eſt uſque in viam quæ de Talemundo venit ad quercum de Leva, & inde vadit uſque ad viam quæ de * ſancta Flavia venit ad Perus, & ſequitur illam viam uſque C ad terram Guineber; atque etiam ducitur per convallem uſque ad calceam ſtagni quod promiſi me eiſdem monachis facturum. Item terram dedi eis quæ ſita eſt inter duas vias quæ tendunt de Leva a la foreſt. Item molendinum, quod ſubtus terram de Perus eſt, ſimiliter illis concedo. Iterum dono eis & concedo omnia quæ in parochia ſanctæ Flaviæ poſſideo, ſcilicet ego A. de B. accipio ibidem quinque partes, & Achardus Renox tres. Item dono eis ad Perus in celario meo decimam panis & vini. Similiter dono eis hoc quod habeo in duobus quarteriis vinearum, id eſt complantum in Rimartin, & in duobus in medietaria Talemundi. Item dono eis in nemore de Verto, ut ibi paſcantur animalia eorum univerſi generis. Ibi, ſi neceſſe fuerit, porcarius arbores virga percutiet ad deponendos fructus, ut porci copioſius alantur; & ligna ejuſdem nemoris ad omnia neceſſaria illis concedo. Item ad chevarderiam dono eis ſtagnum & molendinum paratum ad molendum. Item dono eis ad capud Perati-Curſonii grangiam cum omnibus adpenditiis ſuis. Iterum dono eis & concedo omnes cobrantias quas in terra mea facere potuerint, ita ut baroniam meam non perdam, & hominia non amittam. Iterum dono eis decimam molendini quod eſt in ponte Curſonii, & decimam in molendino Villenæ; ſimiliter illis concedo ea quæ poſſideo in molendinis de Jart, id eſt, dominium & medietatem, in quibus per abbatem B. G. cuſtos conſtituatur, & ipſe clavem annonæ in cuſtodia ſua debet habere. Horum donorum teſtes ſunt Fulcherius abbas de Orbiſterio, & Meſchinus abbas Moroliæ, & Petrus abbas B. G. & Petrus decanus Talemun- E di, & Petrus de Perus, & Tancres ſacerdos.

Ego Petrus, & Aimericus filii Aimerici de Bulio concedimus, ſimulque donamus Deo & beatæ Mariæ & monachis B. G. hæc dona præſcripta patris noſtri jure perpetuo poſſidenda, tali ſcilicet pacto quatinus bonorum ſpiritualium quæ per gratiam ſuam & per ſervos ſuos in eodem loco facturus eſt Deus, participes eſſe poſſimus in Chriſto Jheſu Domino noſtro. Amen.

Hujus doni conceſſionisque iſtorum Petri de B. & Aimerici teſtes ſunt Meſchinus A. Moroliæ, & Petrus A. B. G. & Petrus de Perus, & Aimericus filius ejus, & Tancrez de Antiochia, & Babinus de Curſonio, & Petrus Meſchinort, & plures alii.

Sic abbreviatur in chartulario. lege. Grollandi.

* Grollandi.

* *Sainte Flaire.*

Notum ſit omnibus quod Petrus de B. & Aimericus frater ejus cartam iſtam ſibi recitari fecerunt, & illam auditam grataner ſuſceperunt, & ſignum ſanctæ crucis †. †. imprimentes in eccleſia ſanctæ M. B. G. ſuper altare obtulerunt in præſentia abbatis Andreæ, teſtantibus Morino monacho, & Petro de Cholez, & Johanne de Lezaïco, & Florentio, & Bernardo ſanctæ Gauborgis, & Gauterio Bruno, & toto conventu.

XVII.

Charta fundationis Triſagii ord. Ciſterc.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Ad prælatorum curam pertinet ſubjectorum ſuorum, tam laïcorum quam clericorum ſaluti ac quieti providere, non ſolum vero præſenti, ſed etiam futuræ & maxime perpetuæ. Propterea ego Guillelmus Dei gratia Pictavenſis epiſcopus, conſilium dedi fundationi ſanctæ Mariæ de Vado Trizaci, per præſentem cartulam præſentium commendare memoriæ, & futurorum mandare notitiæ; ipſam denique cartulam prece domini Ricardi abbatis Pontiniacenſis, Andreæ de Baldeamento monachi ſui, necnon & aliorum fratrum, qui prædictum locum ad ædificandum ſuſceperant. Et ex alia parte ipſorum fundatorum Arvei de Marolio, Gaudefredi de Tiphaugio, & Petri epiſcopi fratris ejus de Caſa, ſigilli noſtri auctoritate munivi: ut ea quæ ibidem facta eſt eleemoſyna monachis ibi Chriſto ſervientibus in futurum, libera maneat, & quieta, & per hoc in perpetuum valeat eſſe fructuoſa. Arveus itaque de Marolio, amaritudine peccatorum ſuorum, & malefactæ vitæ, compunctus ſpiritu recti conſilii, & noſtra perſuaſione admonitus, pro ſalute animæ ſuæ, & parentum ſuorum, & uxoris ſuæ, & filii, & filiæ ſuæ, prædicti loci, id eſt Triazi * fundatores, monachos devote, & benigne ſuſcepit de manu noſtra. Hos namque ego, & veræ religionis teſtimonium, & celebre nomen Ciſtercienſis ordinis, de domo Pontiniaci, in epiſcoparum noſtrum adduxi. Curavi etenim tamquam circonſpectus agricola in vineam Domini mei tale germen vitis plantare, unde cum ipſo vinum novum bibam in regno patris ejus. Dedit ergo prædictus Arveus de Marolio, Domino, & ſanctæ Mariæ, & Ricardo Pontiniacenſi abbati, & monachis ſupradicti Triazi in manum noſtram, ſacratam ſedem ipſius abbatiæ, ſicut D cimeterium dedicatum eſt. Hanc tamen ab alio quodam ſine ulla violentia, vel coactione cum bona voluntate poſſidentis per commutationem accepit. De propria vero terra ſua dedit eis totam terram quæ eſt inter montem Botentreum, & Lanaias, & Perreriam uſque ad terram Reginaudi Papini: illam quoque de Campo Chenrer, & illam de Bugreſſe, & terram & vineas de Aſperlerio, & ſine ullo retinaculo, totam terram Tetbaudi Bacheler, ubicumque ſciri & inveniri poterit, totam & ſuam quam dividit cum Guillelmo Griffer, quæ appellatur terra de altari, ſive alio nomine Boſcus-communis; inſuper totam terram Aimerici de Foliera: & totam terram Goffredi Peſtilentiæ, quam de ipſo Arveo habuit: necnon quartarium de Algargleria, & terram de Nuce ſub Boſco-Morini, & totam terram quam habuit ad Rainarderiam. Hoc totum de propria terra ſua dedit Domino, & S. Mariæ de Trizaco, in ipſius fundationis principio, in præſentia domini Ricardi abbatis Pontiniacenſis, & Andreæ de Baldamento, & aliorum monachorum, & fratrum ejuſdem loci: in præſentia militum & ſervientium ipſius Arvei Savarici, Sanibrandi dapiferi de ſancto Hermene, & Petri de Marolio fratris ipſius, Pagani Bodini, Reginaudi Bucher Amere, Gerardi Sanibrandi, Petri Peagerii, Cambillarii Carpentarii, Frunaldi de Borneſel, Tauſſelini Audeberti, qui omnes hujus rei teſtes ſunt. Hoc totum laudante Theobaudo Chabot filio Arvei & Belina filia ſua. Præterea dedit eiſdem monachis alias terras, quas ab aliis, tam per ematonem,

* Trizaci.

quam per emptionem eis acquiſivit, item terram in boſcum Neber, quæ ſupra ipſam abbatiam eſt, ſic includitur, ex inferiori parte fluminis abbatiæ, ex ſuperiore Petri Peagerii, & Burgundiæ ex uno latere Aimerici Ganachel, ex alio rivulo Pontis-Aimerici; terram quoque Petri Peagerii, & Reginaudi Papini Burgundi, quæ de eodem feodo intra eoſdem terminos, eſt de hac terra Burgundi, Johannes Baptiſta & Berus, fratres Burgundi, partem ſuam gratis Domino, & monachis dederunt. Hujus rei teſtes ſunt: Petrus Achard, Sturnius Beris Malus, clericus Florentinus: & ex parte monachorum frater Radulphus. Totam quoque terram & vineas Willelmi du Peudufou ultra finem abbatiæ verſus meridiem. Hujus rei teſtes ſunt, Theobaudus Chabot filius Arvei, Saintr. Savaricus Sinbrandus, Paganus Bodin, Reginardus Bodin, Bucher Amere: de parte monachorum, frater Radulphus. Præterea vero conceſſit eidem per omnia fora ſua libere & quiete neceſſaria ſibi vendere & emere, & per omnem terram ſuam, & per omnia nemora ſua omne uſuarium ad ædificandum, ad ardendum, ad paſcua tam porcis, quam aliis pecoribus, & omnino omnia neceſſaria. Similiter Gofridus de Tifangia, Petrus epiſcopus frater ejus in clauſtro monachorum de Marolio per cultellum Andreæ de Baldamento, dederunt in manu noſtra ſacrata Deo, & abbatiæ de Trizaco in boſco ſuo de Caſa, totum uſuarium ad ædificandum, ad ardendum, ad paſcua tam porcis quam aliis pecoribus. Et omnia neceſſaria, præter dare & vendere, fora quoque ſua ſine omni conſuetudine libera, & quieta de Marolio conceſſerunt. Hujus rei teſtes ſunt, Giſlebertus epiſcopus Pictavenſis, in cujus manu ipſum donum factum eſt, Wicardus abbas Pontiniacenſis, Andreas de Baldamento, Paſchaſius preſbyter de S. Hilario, Arveus de Marolio, Savaricus Sainbrandus.

XVIII.

Lieu-Dieu en Jard.

Diploma Richardi Angliæ regis, fundatoris Loci-Dei in Jardo.

Richardus Dei gratia rex Angliæ, dux Normanniæ, Aquitaniæ, comes Andegavenſis ſalutem. Sciatis nos pro ſalute animæ noſtræ, & anteceſſorum conceſſiſſe, & confirmaſſe abbatiæ noſtræ de Loco-Dei quam fundavimus ad honorem Dei & beatæ Mariæ matris ejus in nemore de Jar in liberam & perpetuam eleemoſynam totum prædictum nemus de Jar, & quidquid juris in ea poſſidebamus, & totam terram quæ prius Terra-comitiſſæ nuncupabatur, cujus una pars eſt circa præfatum nemus, alia apud Carſonum, alia in villa quæ dicitur la Champernuyere cum omnibus hominibus, pertinentiis, & libertatibus, & conſuetudinibus ſuis. Dedimus etiam præfatæ abbatiæ terram quam habebamus in territorio Roche quæ ſimiliter Terra-comitiſſæ vocabatur, cum omnibus hominibus, & jure quod in ea poſſidebamus. Præterea dedimus ei partem foreſt quæ eſt juxta Rocam ubi prædicta abbatia fuit prius fundata, & inſuper in parte noſtra memoriæ prænominati conceſſimus ei uſum lignorum ad conſtruendas domos proprias, ad comburendum, & ad paſturagium animalibus ſuis. Contulimus etiam illi complantum vinearum quod poſſidebamus apud Rocham, & annonam quam recipiebamus in terra Dampiere, & quaſdam emtiones terrarum quas ibi fecimus ad opus abbatiæ prædictæ: terram ſcilicet de Tornoguailiere, & de la Bicertiere, & Tornetaliere, & terram de Gondebaut cum boſco, & terram monachorum des Mouſtiers, & ſartum viginti ſalinas apud Inſulas; dedimus etiam ei xxxv. ſolid. de cenſibus noſtris, quos poſſidebamus in mareſiis de Longavilla ad faciendum mutationem cum monachis monaſteriorum pro quadam terra quæ prædictæ domui adjacens erat: dedimus etiam dictæ abbatiæ partem illam piſcaturæ quam accipiebamus in portu Ollone, & partem feodi vinearum quod in Ollone poſſidebamus: dedimus etiam partem pratorum noſtrorum quam in territorio Thalemundi habebamus, & mareſcum noſtrum apud Maraant, liberum ab omni paſcuerio & conſuetudinibus. Quare volumus & firmiter præcipimus quod prædictam abbatiam & canonici in ea Deo ſervientes, omnia hæc habeant & teneant in perpetuum libere & quiete, integre, cum omnibus pertinentiis, libertatibus & conſuetudinibus ſuis. Concedimus etiam quod omnes homines ejuſdem abbatiæ ſint liberi ab omni expeditione, angaria & ſeculari exactione. Præterea conceſſimus abbatiæ prædictæ & canonicis quod ſi aliquam terram & de feodo noſtro rationabiliter acquiſierint, ſeu emptione ſeu dono alicujus, eandem in omnibus libertatem in terra illa, ſive in alio acquiſito habeant in cæteris terris eorum quas & contulimus. Conceſſimus etiam eis ne aliquis officialium noſtrorum præſumat hominia eorum placitare, ſine aperta rationabilique cauſa teſtibus de illo diſtringat Gofrido de Sella ſeneſcallo Pictaviæ, mag. Radulpho capellano, magiſtro Garnerio, magiſtro Gaulterio de Vocherio, Benedicto Judeo, & pluribus aliis. Datum per manum Euſtachii Elienſis electi, agentis vicem cancellarii IV. die Novembris apud Thallemundum anno octavo noſtri regni.

Exſtat & in chartario Loci-Dei diploma Philippi regis Franciæ quo abbatiam patrocinio ſuo tuetur menſe Februario M. CCC. XXXII.

XIX.

Conventio facta ab abbate & conventu Loci-Dei in Jardo, in qua deſignantur præcipui hujus eccleſiæ benefactores.

Ego Andreas promiſſione Divina dictus abbas Loci-Dei in Jardis, Præmonſtratenſis ordinis. Notum fieri volumus præſentibus & futuris, quod domina Beatrix vidua Guillelmi de Maloleone, viro ſuo, & Bernardo de Machecou patre ſuo, & Radulpho fratre ſuo defunctis, petiit ab abbatia noſtra Loci-Dei in Jardo, ut tam ipſa, quam prædicti, ſcilicet vir ejus, & pater, & frater, defuncti, reciperentur in participationem orationum & omnium beneficiorum jam dictæ abbatiæ noſtræ. Quod ei benigne conceſſimus ac devote. Præterea vero domina Beatrix conceſſit abbatiæ & canonicis Loci-Dei ut homines eorum de Popelineria habeant paſturagium in foreſta Rochæ; itaut unuſquiſque manſionarius qui jure hæreditario dictam villam Popeliniere incolit, habeat in eadem foreſta duos boves & duas vaccas. Qui autem boves ſimul * & vaccas non habuerit, quatuor boves & quatuor vaccas in eadem foreſta ſine * æſduma ad paſturagium habere poterit. Hoc autem paſturagium dicta domina Beatrix in perpetuum illis conceſſit ad emendationem dampnorum quæ ſuperfluitas aquæ de molendino abbatiæ de Fontenellis facit in pratis eorum. Ego vero Andreas abbas Loci-Dei, & conventus noſter, conceſſimus ſupradictæ dominæ B. quod abbatiæ de Fontenellis pacem ſervabimus ab hominibus Popelinerie, qui conquerebantur quod aqua de Molendino dictæ abbatiæ de Fontenellis ſuperfluebat in pratis eorum; homines tamen de Popelinaria prata illa propter hoc paſturagium omnino non perdent; ſed ſive in æſtate ſive in hyeme eiſdem pratis in retractione aquæ ad profectum ſuum & animalium ſuorum, quantum aqua permiſerit, utentur. Ipſa vero domina Beatrix, ſicut nobis fideliter promiſit, dictæ abbatiæ noſtri Loci-Dei, & univerſarum poſſeſſionum ejus contra omnium violentiam pro viribus ſuis ſemper erit ſervatrix & deffenſatrix. Ut autem prædictam pacem a nobis vel hominibus noſtris faciamus inviolabiliter obſervari, ad confirmationem ejuſdem abbatiæ de Fontenellis, cartulam iſtam dedimus ſigilli noſtri teſtimonio roboratam.

* aut. * *id eſt*, æſtima *vel* æſtimatione.

XX.

Charta immunitatis pro Granateria.

1410. JEAN DE TORSAY ſeigneur de Lezay, maiſtre des arbaleſtriers de France & ſeneſchal de Poictou pour le Roy noſtre ſire, au premier ſergent de noſtre dit ſeneſchal ordinaire ou baillage ſur ce requis. Nous avons reçû les lettres de noſtredit ſeigneur non viciées, non corrompuës & non ſuſpectes, mais ſaines & entieres, ſcellées de ſon grand ſceel en cire jaune, & en queuë ſimple, contenant cette forme : CHARLES par la grace de Dieu roy de France, au ſeneſchal de Poictou & à tous les autres juſticiers de noſtre royaume ou à leurs lieutenans, ſalut : humble ſupplication de nos amez les religieux, abbé & convent de la Grenetiere de l'ordre de ſaint Benoiſt au diocéſe de Luçon, avons reçûë, contenant qu'icelle abbaye eſt de moult ancienne fondation, aſſiſe en tres-mauvais païs, toute environnée de bois, loin de bonnes villes, de chaſteaux & de forteresſes, à trois lieuës ou environ de tout refuge & retrait; en laquelle égliſe ou abbaye iceux ſupplians ont de leur ancienne fondation toute juſtice & juridiction, haute, moyenne & baſſe, chaſtel, ou maiſon forte avec droit de ſeigneurie, pluſieurs hommes & femmes leurs ſujets & juſticiables, & autres choſes reſſortiſſantes à ladite abbaye ou maiſon forte; laquelle abbaye de toute ancienneté, eſt forte, bien fortifiée & emparée, & en icelle ſe retrayoient, avoient & ont accoûtumé de ſe retraire leſdits hommes & ſujets, & auſſi ceux des lieux & villes voiſines, parce qu'en lieu plus prochain, ou ſi aiſé, pour leſdits hommes, ſujets & voiſins, ils ne ſe peuvent retraire, & en icelle leur égliſe ou abbaye forte ont droit & accoûtumé leſdits ſupplians de mettre & ordonner capitaine tel que bon leur ſembloit, icelui inſtituer & deſtituer, lequel capitaine ils éliſoient bon & profitable pour eux, & leſdits retrayans à la moindre charge d'iceux ſupplians & retrayans qu'ils pouvoient. Mais parce qu'au tems du vivant de feu noſtre tres-cher & tres-amé oncle le duc de Berry, & par importunité icelui noſtre oncle à qui ne à la volonté duquel iceux ſupplians ni leurs predeceſſeurs, lors étans dans ladite abbaye, n'euſſent pû ni oſé deſnier ni contredire choſe qui lui eût plû ordonner; certain capitaine fut mis en noſtre dite abbaye de par noſtre dit oncle, auquel furent taxez certains gages, qu'il prit ſur les retrayans en ladite abbaye; depuis ce & mêmement depuis que nous ſommes venus en noſtre couronne & ſeigneurie, aucuns ſe ſont efforcez & efforcent de tenir ladite capitainerie, & de eux dire capitaines d'icelle abbaye, & de lever par raiſon & à cauſe des gages & ſommes de deniers, & de lever certaines autres charges, leſquelles ſont importables auſdits ſupplians & retrayans, & pour leſquelles iceux pauvres ſupplians & retrayans ſont tellement opprimez, qu'à peine peuvent-ils plus demeurer en leur abbaye, & faudra, ſi pourvû n'y eſt, qu'iceux ſupplians & retrayans, délaiſſent ladite abbaye déſolée & voiſent autre part querir leur vie. En nous requerant, que comme ladite inſtitution de capitaine faite par noſtre dit feu oncle fût faite par volonté, non pas par raiſon, ni iceux ſupplians oüys en leurs droits, que ladite inſtitution ou ordonnance de capitaine ainſi faite violemment ne doit eſtre à conſequence, ou préjudice des droits d'icelle égliſe, que la ſouffrance qu'ils en ont faite a eſté par crainte, peur & menaces, que à nous eſt de garder les droits & prérogatives des égliſes de noſtre royaume, à ce qu'aucune entrepriſe ne ſoit faite ſur iceux, nous leur veulions ſur ce pourvoir au relevement d'icelles oppoſitions & des droits d'icelle égliſe & ſupplians; pour ce eſt-il que nous, ces choſes conſiderées, voulans les droits des égliſes de noſtre royaume, dont nous ſommes protecteurs, eſtre favorablement traittez, ſans ſouffrir aucune diminution, vous mandons, & pour ce qu'icelle abbaye eſt aſſiſe en nos païs de Poictou, enjoignons & commettons par ces preſentes, que ſi par information faite ou à faire ou autrement dûëment, il vous appert iceux ſupplians avoir ſeigneurie & juridiction, haute, moyenne & baſſe, droit de maiſon forte & inſtitution de capitaine, & deſdits droits avoir joüy & uſé le tems paſſé: vous iceux ſupplians auſdits cas, maintennez & gardez de par nous en leurs droits des ſuſdits, les faites joüir & uſer en oſtant tout empeſchement à eux mis au contraire, en contraignant tous ceux qui ſeront à contraindre, & dont ſerez requis à ce faire & ſoufffir, & à les laiſſer joüir & uſer de leurſdits droits, & à ceſſer deſdites entrepriſes & charges, & de eux dire & porter capitaines, ſinon par le gré & conſentement d'iceux ſupplians. Et ſi aucun s'oppoſe au contraire, attendu qu'icelle abbaye eſt aſſiſe en noſtre païs de Poictou, prés du lieu de Poictiers, & environ le lieu de Pouſauge ſont demeurans ceux a qui ce touche, que cette choſe eſt de grande choſe & entre grande partie, que en noſtre Cour de parlement de Poitiers cette cauſe ſera mieux & plus brievement terminée que ailleurs en noſtredit païs, qu'en noſtre dite cour de parlement de Poitiers, leſdites parties recouvriront de bon & notable conſeil pour le devoir de leurs droits adjournez ou faites adjourner les oppoſans à certain & competant jour ordinaire ou extraordinaire en noſtre preſent parlement, nonobſtant qu'il ſoit, & que les parties ne ſoient pas avanture des jours dont l'on plaidera, lors pour dire les cauſes de leur oppoſition, répondre auſdits ſupplians ſur ce que dit eſt, proceder & aller avant en outre, ſi comme de raiſon en certifiant ſuffiſamment auſdits jours nos amez & feaux conſeillers les gens tenans noſtre dit parlement audit lieu de Poictiers, de tout ce que fait aurez, auſquels nous mandons & commandons que aux parties, icelles oüyes, faſſiez bon & brief accompliſſement de juſtice : car ainſi nous plaiſt-il eſtre fait. Et auſdits ſupplians avons octroyé & octroyons de grace ſpeciale par ces preſentes, nonobſtant quelconques lettres ſubreptices au contraire. Donné à Chinon le ſixiéme jour de Mars mil quatre cens vingt, & de noſtre regne le trois, ainſi ſigné par le ROY, le ſieur DE MIRANDOL & autres preſens. DE LUCE avec paraphe.

Par vertu deſquelles lettres & dit pouvoir à nous donné & commis par icelles : nous vous mandons ou commettons, ſi meſtier eſt, nonobſtant qu'il ne ſoit en voſtre pouvoir, office ou baillage, que appelliez avec vous aucun notaire dûëment ſecariſé non ſuſpect ni favorable, vous informiez bien diligemment & fort ſecretement de, & ſur ce que les religieux, abbé & convent de la Grenetiere aſſis eſdites lettres, du manoir, ſeigneurie & juridiction moyenne & baſſe, droit de maiſon forte & juſticiers hauts de ladite abbaye & des droits appartenans à iceux, auroit joüys & uſé le tems paſſé, & le tout ſelon la forme & teneur que le Roy noſtre dit ſeigneur le mande par ſeſdites lettres, ainſi qu'il vous appert deſdites lettres, maintenez & gardez leſdits religieux, de par le Roy noſtre dit ſeigneur en leurs droits ſuſdits, & d'iceux les faites joüir & uſer nonobſtant empeſchement quelconque, en contraignant tous ceux qui ſeront à contraindre, & dont ſerez requis à ce fait . . . . . & à les laiſſer joüir & uſer de leur dits droits, & à ceſſer des entrepriſes, d'eux dire & porter capitaines, ſinon par le congé & conſentement deſdits religieux. Et en cas de debat, adjournez les oppoſans ou faiſant debat en la Cour à jour ordinaire ou extraordinaire du parlement du Roy noſtre dit ſeigneur à Poitiers, nonobſtant qu'il ſiée, & que les parties ne ſoient pas par avantures des jours dont l'on plaideroit, pour dire les cauſes de leur oppoſition, répondre auſdits religieux ſur ce que dit eſt, proceder & aller en avant en outre ſelon raiſon; & ſur l'information que faite aurez ſur ce, apportez ou envoyez audit parlement

par devers ladite cour, cloſe & ſcellée des ſceels de vous & de voſtredit adjoint, pour en faire & ordonner ce qu'il appartiendra par raiſon, pourvû faites à la reception des lettres qui vous ſeront preſentées & baillées par leſdits religieux ou procureur pour eux; vous appellerez ceux qui pour ce ſeront à appeller à l'intimation accoûtumée, de ce faire vons donnons plein pouvoir & mandement ſpecial. Mandons à tous les ſujets du Roy noſtredit Sire, que à vous en ce faiſant obéiſſent & entendent diligemment. Donné ſous le ſceel de ladite ſeneſchauſſée le 15. jour de Decembre l'an M. CCCC. XXV.

INSTRUMENTA PRO AGINNENSI ECCLESIA.

I.

Ex tabulario Sylvæ-majoris.

Charta Simonis Agenn. epiſcopi qua eccleſiam S. Antonii in civitate Agennenſi dat monaſterio Sylvæ-majoris.

Circa an. 1083. SIMON Dei gratia Aginnenſium epiſcopus conſilio canonicorum noſtrorum tam S. Stephani, quam S. Capraſii, eccleſiam S. Antonii monaſterio Sylvæ-majoris & domno Geraldo abbati, quantum attinebat, dedimus, & illam conſecrari, & divinum officium in ea celebrari, tali quidem conditione concedimus, ut fratres ibi commorantes, ſecundum quod juſtum eſt, tam nobis quam ſucceſſoribus noſtris obedientes exiſtant, & ut nihil ſine conſilio Aginnenſis epiſcopi & communi canonicorum S. Stephani vel S. Capraſii, vel eccleſiarum civitatis Agenni, neque de omnibus quæ ad illos pertinent, accipere præſumant. Poſtea dominus papa Urbanus intelligens hoc non recte egiſſe, conceſſit ut & monachi & eorum familia ibi ſepelirentur. Ut autem hæc donatio ſive conceſſio ſine fine firma permaneat, hanc cartam fecimus, & manu propria confirmavimus, & ſupradicto abbati, necnon canonicis noſtris & monachis ſuis confirmandum tradidimus. S. Simonis epiſcopi Aginnenſis.

S. Geraldi abbatis. S. canonicorum & monachorum.

II.

Charta Gosberti Aginn. epiſcopi qua Sylvæ-majori concedit eccleſiam S. Capraſii de Bediſſan.

1105. PRædeceſſores noſtros epiſcopos pro animabus ſuis quaſdam eccleſias in jus eccleſiæ S. Mariæ de Sylvamajore transfudiſſe ratum habeo. Unde ego Gozbertus Aginn. epiſcopus, ut eorum intereſſe merear beatitudini, meorum conſilio, Hugonis videlicet archidiaconi, Arſini de Montignaco, Petri de Nemore, & circumſtantium aliorum, do ſeu concedo eccleſiæ S. Mariæ de Sylva-majore totam eccleſiam S. Capraſii de Bediſſan juxta Lavarzac, cantariam & quicquid juris vice epiſcopali in ſupradicta eccleſia de Bediſſan habeo ſeu poſſidere debeo. Et ut inconcuſſum perpetuo permaneat, ſigilli noſtri impreſſione confirmo, ſalva tamen providentia epiſcopali. Hæc autem eccleſia ſita eſt ſub dominio monachorum S. Vincentii de Caladuno ab antiquis, quæ nihilominus Caladuni eccleſia juris eſt Sylvanorum monachorum. Teſtes ſunt Gaufridus abbas Blavini-Montis, Arnaldus de Poderno, Bonellus de Bollo, Guillelmus de Senon, cum cæteris multis. Anno ab Incarnat. Domini M. C. V. Luna XXI. regnante Hludovico rege in Gallia, Guillelmo duce Aquitaniæ, Arnaldo Giraldi Burdigalenſi in cathedra præſidente.

III.

Charta ejuſdem Gosberti qua concedit Sylvæmajori eccleſiam S. Mariæ.

Eccli. 12. 2. Mat. 10. 41. BENEFAC juſto & invenies retributionem magnam, & ſi non ab ipſo, certe a Domino; & alibi: *Qui recipit juſtum, mercedem juſti accipiet.* Hæc ego conſiderans Aginnenſium pontifex Goſbertus, conceſſi conſilio clericorum meorum eccleſiam S. Mariæ, cum omnibus appendiciis ſuis monachis S. Mariæ Sylvæ-majoris. Trado etiam cuncta quæ in epiſcopio meo præfatæ eccleſiæ dabuntur. Hujus rei ſunt aſſertores & teſtes hi qui aſſeruerunt, Vigoroſus ejuſdem ſedis canonicus, & Goffredus; laïci vero, Arnaldus de Montfavent, pater ejus, Martinus miles de Eſcaſſe-fort. Actum eſt in manu Bernardi Burgundienſis.

IV.

Bulla Calixti papæ II. de dono eccleſiæ ſanctæ Liberatæ, facto Stephano abbati Caſæ-Dei ab Hildeberto epiſcopo Agennenſi.

1120. CALIXTUS epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, dilecto filio Stephano abbati monaſterii Caſæ-Dei ſalutem & apoſtolicam benedictionem. In eccleſia B. Liberatæ quæ in Agennenſi parochia ſita eſt, clerici quondam ſeculari nimium converſatione vivebant. Nuper vero Divina gratia aſpirati, pro vitæ ſuæ correctione & ſe, & locum ſuum veſtro monaſterio contulerunt: quatenus ibi deinceps omnipotenti Deo ſub monaſtici ordinis regula ſerviatur. Verum ne frater noſter Hildebertus Aginnenſis epiſcopus gravari ſuper hoc videretur, eum præſentem rogavimus, ut præfatam eccleſiam ad honorem Dei & monaſticæ religionis diſciplinam deinceps inibi conſervandam cœnobio veſtro concederet: aliter enim fratres tui eam ſuſcipere * recuſabant. Ille vero noſtris precibus inclinatus, pro deſiderio, & pura, ut credimus, voluntate, eamdem B. Liberatæ eccleſiam cum pertinentiis ſuis B. Roberto veſtriſque monachis præſentibus atque futuris per manus noſtras plenaria donatione conceſſit, ſalvo epiſcopali jure, quod in eadem eccleſia hactenus viſus eſt habuiſſe. Nos igitur hanc prædicti epiſcopi conceſſionem tamquam per nos factam apoſtolicæ ſedis auctoritate firmamus, & ſæpe dictam B. Liberatæ eccleſiam, in tua tuorumque ſucceſſorum tuitione ac diſpoſitione per omnia perpetua ſtabilitate manere decernimus. Sane ſi quis huic noſtro decreto, quod abſit, contraire tentaverit, honoris & officii ſui periculum patiatur, aut excommunicationis pœna plectatur, niſi præſumptionem ſuam digna ſatisfactione correxerit. Datum Toloſæ idibus Julii Indictione XII. Dominicæ Incarnationis anno M. C. XX. pontificatus autem domini Calixti papæ II. primo.

* *Vide inſtrumentum 40. eccleſiæ Clarom.*

V.

Willelmi Aquitaniæ ducis præceptum, de dono facto ab Hildeberto epiſcopo Aginnenſi, Stephano abbati Caſæ-Dei.

1122. W. Aquitanorum dux Stephano Caſæ-Dei abbati, ejuſque ſucceſſoribus in perpetuum. S. Liberatæ eccleſiam intra Aginnenſem parochiam in ripa Olti fluminis ſitam, tibi, Stephane Caſæ-Dei abbas, prius quidem a domno Aldeberto Agennenſi epiſcopo donatam, deinde domini papæ Calixti privilegio roboratam eſſe cognoſcimus. Ego vero cujus juris ac poteſtatis quantum ad præſens ſeculum eſſe non ambigitur, pro ſalute animæ meæ parentumque meorum, B eandem eccleſiam cum omnibus pertinentiis ſuis, tibi tuiſque ſucceſſoribus & univerſis monachis Caſæ-Dei præſentibus atque futuris, concedo & dono, & ut eam libere & integre perenniter habeatis & teneatis, ibique omnipotenti Deo juxta veſtræ religionis ordinem deinceps ſerviatis volo. Quiſquis vero huic noſtræ conſtitutioni contraire voluerit, ſeu quolibet modo fratres illic Domino ſervientes, quod abſit, inquie-
Matt. 12. 30. tare præſumpſerit, cum ſcriptum ſit: *qui non eſt mecum, adverſum me eſt*, patet profecto quia meus adverſarius erit, noveritque pro certo quoniam me protinus ſuum pro viribus ſentiet inimicum. Hujus donationis teſtes ſunt venerabiles viri qui præſentes aſſiſtunt, domnus videlicet Aimericus Arvernenſis, & domnus Euſtorgius Lemovicenſis, domnus quoque Rodulfus C abbas ſancti Juniani Nobiliacenſis, Arnulphus capellanus, & Bernardus notarius noſter, & alii quamplures viri.

Data Anaziaci II. cal. April. anno ab Incarnatione Domini M. C. XXII.

Ego Aimericus Arvernorum epiſcopus. Signum comitis manu propria factum. ego, ego, SS. †

Ego Euſtorgius Lemovicenſis epiſcopus, SS. †

VI.

Guillelmi Aquitaniæ ducis pro Aldeberto epiſcopo Agennenſi.

G Dei gratia dux Aquitanorum univerſo clero & populo civitatis Agennenſis ſalutem. Sapiatis D & ſine dubio cuncti credatis comitaliam quam pater meus & ego S. bonæ memoriæ Agennenſi epiſcopo dedimus & conceſſimus, Aldeberto quoque epiſcopo veſtro dediſſe ſimiliter & conceſſiſſe, ſicut umquam a prædeceſſoribus noſtris ſui anteceſſores illam melius habuere. Quapropter per fidem quam mihi debetis vos ſubmoneo ut eam neque auferatis illi, neque denegetis, ſed contra omnem mortalem qui hoc agere tentaverit, fideliter eum adjuvetis. Juſtitiam quoque pro duello, & menſurarum falſationem, quæ ſexaginta ſolidorum eſt, & omnem aliam quæ ad nos pertinet juſtitiam, illi ſine ulla contradictione reddite. De moneta etiam quæ noſtri eſt beneficii, præcipio ut ubicumque prædictus pontifex illam magis ſibi profuturam intellexerit, illuc ſine calumnia cujuſlibet ho- E minis eam transferat, & in conſpectu eorum qui videre voluerint ibi fieri faciat. Quicumque vero hoc impignorare voluerit, iram noſtram incurrat.

Eamdem comitaliam Agennenſem Bertrando epiſcopo confirmavit Richardus Angliæ rex & Aquitaniæ dux, præſentibus archiepiſcopo Auxitano, & epiſcopo Bajonenſi qui cum eo in peregrinatione erant.

VII.

Audeberti epiſcopi Agennenſis charta pro Sylva-majore.

Ex chartario Sylvæ-majoris.

1123.

AUDEBERTUS Agennenſis epiſcopus, Gaufredo abbati omnique conventui S. Mariæ de Sylva-majore ſalutem. In adminiſtratione Agennenſis eccleſiæ poſitus, operari bonum ad omnes debeo maxime autem ad illos quos domeſticos in fide percipio. Eapropter, frater Gaufrede, monaſterio de Sylva-majore cui Deo diſpenſante præſides, do ſeu confero eccleſiam S. Stephani de Primaco & eccleſiam S. Aviti, abſque aliqua rei alicujus retentione quiete perpetuo poſſidendas, ſalvo tamen jure Agennenſis eccleſiæ; eccleſias etiam quas prædeceſſores mei eidem contulerunt monaſterio, ut ſemper quiete poſſideant & diſponant, ego concedo, & quantum in me eſt, Deo auctore, confirmo ſigilli noſtri impreſſione; ſalvo tamen jure Agennenſis eccleſiæ. Hoc autem donum feci conſilio & aſſenſu archidiaconorum noſtrorum Arnaldi de ſancta Marciana & Guillelmi de Villa-Nova, anno ab Incarnatione Domini M. C. XXV.

R. Agennenſis epiſcopus donum Audeberti confirmat anno M. C. XXX.

VIII.

Charta Raimundi Agennenſis epiſcopi, qua eccleſias monachis Sylvæ-majoris in ſua diœceſi conceſſas ipſi adſtruit & confirmat.

Ex chartario Sylvæ-majoris.

1142.

RAYMONDUS Dei gratia Aginnenſis epiſcopus, Petro venerabili Sylvæ-majoris abbati & fratribus ibidem Deo ſervientibus ſalutem perpetuam. Poſtulationem veſtram, quia juſta eſt, grataner ſuſcepimus & obaudítione dignam judicavimus. Poſtulatis ſiquidem ut eccleſias quas in epiſcopatu Aginnenſi poſſidetis, donatione noſtra vel prædeceſſorum noſtrorum Sylvæ-majori conceſſas, firmius iterum concedamus, nominatim videlicet expreſſas, cum munitione ſigilli noſtri poſterorum notitiæ deſignemus. Scimus autem vos iſtas eccleſias poſſidere in diœceſi noſtra: eccleſiam S. Antonii de Agiano, S. Rufinæ, S. Caprafii de Bedeyſſan, S. Vincentii de Calezuno, S. Mariæ de Tezan, S. Mariæ de Manihort, S. Martianæ d'Eſcaſſefort, S. Aviti prope S. Marcianam, S. Stephani de Prinhac, S. Symphoriani de Leou, S. Pardulphi, S. Mariæ de Fuerto, S. Chriſtophori de Marillac, S. Aviti prope Marillac, S. Gemmæ, S. Albini, S. Mariæ de Canillac, S. Mariæ de la Salvetat prope Blancafort, eccleſiam de Millac, eccleſiam de Serenac, eccleſiam S. Sylveſtri de Pena. Harum poſſeſſionem in perpetuum confirmamus veſtro monaſterio, ut fratres inibi Deo ſervientes, quiete ſemper illas, ſalvo jure Aginnenſis eccleſiæ, poſſideant, & hanc confirmationem conſilio canonicorum Eliæ Vigoroſi, Raymundi de la Rivol archidiaconi, Arnaldi de Vineis, Petri de S. Savino ſigillo noſtro communiri fecimus. Actum eſt hoc anno Incarn. Dominicæ M. C. XLII. Innoc. papæ II. Romanæ ſedi præſidenti, Ludovico filio Ludovici regis rege Francorum, & Aquitanorum duce.

IX.

Heliæ epiſcopi Agennenſis charta pro Sylva-majore.

Ex chartario Sylvæ-majoris.

1100.

IN nomine Domini ego Helyas Agennenſis epiſcopus, de gratia, prece, & aſſenſu archidiaconorum & canonicorum ſedis noſtræ, do & concedo tibi, Petre Sylvæ-majoris abba, & monaſterio tuo eccleſiam S. Petri de Nogared cum ſanctuario & pertinentiis ejus acquiſitis vel acquirendis. Conſideravi enim charitatis

intuitu, quod exemplo fratrum ibidem commorantium, & aſſiduitate divini ſervitii, ad fidei ſinceritatem & divinam reverentiam informentur homines de Gontald & eorum affines. Hoc ipſum poſtulavit a nobis Vitalis de Gontald qui propter hanc ſpem terram ad habitandum fratribus de Sylva donavit juxta prædictam eccleſiam. Itaque donationem iſtam confirmo, ac ſigilli noſtri munitione corroboro, ut monaſterium Sylvæmajoris eccleſiam de Nogareth in perpetuum poſſideat, & ſalvo jure ſedis Agennenſis, habitationem monaſticam ibi ædificent. Huic donationi aſſenſum præbuerunt Hugo archidiaconus, Garcias de Blanchet archidiaconus, Arnaldus de Anguairac archidiac. Arnaldus de Lauzel archidiaconus, Arnaldus de Vineis archidiaconus, Arnaldus de Fontlaironor archidiaconus, Petrus de Vineis cellerarius, & Willelmus Petri canonicus, B Altherius, Arnaldus de Moriac, & ceteri canonici. Acta ſunt hæc anno ab Incarnatione Domini M. C. LX. epacta XXII. Ludovico regnante in Francia, Henrico regnante in Anglia, & ducatum tenente in Aquitania.

Idem Helias anno 1164. dat Petro abbati eccleſiam S. Mariæ de Culturis infra terminos Agennenſis epiſcopatus ſitam. Item an. 1169. Petro abbati eccleſiam S. Petri non longe a caſtello de Pinus, ſitam, & aliam eccleſiam S. Andreæ de Cambioſa.

X.

Ex archivio regio Carcaſſon. in libro cujus hic titulus: Regiſtrum curiæ Franciæ.

Quod comes Montis-fortis habet medietatem in juſtitia, & obventionibus, & pace fracta civitatis Agennenſis; & quod epiſcopus Agennenſis, aliam medietatem & monetam teneat ab ipſo, & juret ei fidelitatem.

1217. IN nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, amen. Anno Incarnationis ejuſdem M. CC. XVII. XIV. cal. Maii. Univerſis præſentem paginam inſpecturis plenius inno*Arnaldum teſcat, quod cum inter dominum A.* epiſcopum *Simonem. Agennenſem ex una parte, & dominum S.* de Monteforti ducem Narbonæ & comitem Toloſæ ex altera, ſuper pluribus capitulis & diverſis orta eſſent quæſtiones; tandem fuit inter ipſos de conſenſu capituli compoſitione amicabili deffinitum, præſentibus & aſtantibus dominis W. Burdegalenſi, G. Auxitanenſi archiepiſcopis, & A. Tarvienſi, G. Convenenſi, A. Lectorenſi, & C. Coſeranenſi epiſcopis, & P. abbate Clariacenſi, R. archidiacono Vaſatenſi, & magiſtro P. de Rama, quod ſæcularis juſtitia civitatis Agennenſis & ſuburbiorum quæ ratione dominii habetur, & donum vel mutuum*, & quælibet obventiones quæ communiter *f. & dominium mutuum.* a communitate villæ eis exhibebuntur, per medium inter ipſos a præpoſitis, ab epiſcopo, & comite conſtitutis fideliter dividantur. Pacis autem violatæ gagia dominus epiſcopus in terris & feodis ſuis extra civitatem & ſuburbia integre percipiet & quiete. Si homines villarum, burgorum & caſtrorum ad dominium & juriſdictionem eccleſiarum pertinentium pacem infregerint, gagia quæ per violationem pacis ab eis habebuntur inter prædictos epiſcopum & comitem a ballivis eorumdem per medium dividantur. Si commune pro pace deffendenda & emendis abbatum faciendis in diœceſi colligatur, neuter altero in collectione, cuſtodia vel expenſa majorem habeat poteſtatem. Prædictas autem medietates juſtitiarum, & monetam Agenni epiſcopus tenebit a comite in feudum, & in mutatione comitis ſeu epiſcopi tanquam domino jurabit epiſcopus comiti fidelitatem, ſalva in omnibus eccleſiæ Romanæ auctoritate, & dabit in mutatione comitis ſeu epiſcopi accaptamentum in recognitione dominii unum hoſtearium, pro quo procurationem quam ab eodem requirebat ſibi remiſit. Comes etiam jurabit epiſcopo tanquam princeps deffenſionem & tutelam ſibi & eccleſiis ſuis in jure ſuo & eccleſiarum ſuarum exhibendam. Prædicta omnia ſic definita fuerunt, ſalvo in aliis utrique & eccleſiis ſuis tam in civitate quam extra plenius jure ſuo. Ut prædicta omnia majorem perpetuo obtineant firmitatem prædictorum prælatorum, & comitis ſigilla fuerunt appoſita huic ſcripto. Actum Agenni in eccleſia S. Caprafii anno & die quo ſupra.

Charta hæc eſt inſtrumentum pariagii inter Arnaldum Agennenſem epiſcopum, & Simonem de Monteforti; quod iterum confirmavit Raimundus Simonis filius charta quæ ſequitur.

XI.

Pariagium factum inter R. comitem Toloſanum & A. epiſcopum Aginnenſem.

NOs R. * Dei gratia dux Narbon. comes Toloſæ, 1214. * Raimun- marchio provinciæ, notum facimus præſentibus dus. & futuris, quod in præſentia R. P. domini A. archiepiſcopi Narbonenſis, & venerabilium dominorum epiſcoporum B. Biterrenſium & P. Ruthenenſ. & abbatum Grandis-ſylvæ, & Bellæ-perticæ, & Moyſiacenſis, & quorumdam aliorum, promiſimus & conceſſimus per bonam & firmam ſtipulationem pro nobis & ſucceſſoribus noſtris, & obligavimus nos corporaliter, præſtito ſacramento, quod nos ſervabimus, & obſervari perpetuo fideliter faciemus venerabili patri domino A. * Agennenſium epiſcopo & ſucceſſoribus ſuis, * Arnaldo. omnia ea quæ in præſenti pagina inferius continentur: videlicet quia ſæcularis juſtitia civitatis Agennenſis & C ſuburbiorum, quæ ratione dominii habetur, dominium mutuum & quælibet obventiones quæ communiter a communitate villæ exhibebuntur, per medium inter nos & eundem dominum epiſcopum a præpoſitis ab ipſo & a nobis conſtituris fideliter dividantur. Pacis autem violatæ guagia domnus epiſcopus in terris & feudis ſuis extra civitatem & ſuburbia per ſe tantum habebit. Similiter nos guagia pacis violatæ in terris & feudis noſtris extra civitatem & ſuburbia percipiemus integre & quiete. Si homines villarum, burgorum & caſtrorum ad dominium & juriſdictionem eccleſiarum pertinentium pacem infregerint, guagia quæ pro violatione pacis ab eis habebuntur, inter dictum domnum epiſcopum & nos communiter a ballivis ſuis & noſtris per medium dividantur; ſi commune pro pace defendenda & emendis ablatorum faciendis in Agennenſi D diœceſi colligatur, neuter altero in collectione, cuſtodia vel expenſa majorem habeat poteſtatem. Prædictas autem medietates juſtitiarum, & monetam Agenni epiſcopus tenebit a nobis in feudum; & in mutatione comitis ſeu epiſcopi, tanquam domino jurabit epiſcopus nobis & ſucceſſoribus noſtris fidelitatem, ſalva in omnibus Eccleſiæ Romanæ auctoritate, & dabit in commutatione comitis ſeu epiſcopi accaptamentum in recognitione dominii unum hoſtorium pro quo procurationem quam ab eo requirebamus remiſimus; nos etiam jurabimus epiſcopo, tamquam princeps, deffenſionem & tutelam ſibi & eccleſiis ſuis in jure ſuo & eccleſiarum ſuarum exhibendam. Prædicta omnia conceſſimus & approbavimus, ſalvo in aliis nobis & ipſi & E eccleſiis ſuis tam in civitate quam extra plenius jure ſuo. Et ut prædicta omnia plenam habeant firmitatem, ſigilli noſtri munimine præſentes litteras fecimus roborari, & nos A. Dei gratia archiepiſcopus Narbonenſis, B. Dei gratia Biterrenſis, & P. Ruthenenſis epiſcopi, & Helias Grandis-ſylvæ, &... Bellæ-perticæ & R. Moyſiac. abbates præſentem paginam in hujus rei teſtimonium ſigillorum noſtrorum appenſione fecimus communiri. Actum apud Montem-peſſulanum, anno Domini M. CC. XXIV. in vigilia beati Bartholomæi.

XII.

Ex archivo PP. Societ. Jeſu Toloſæ.

P. epiſcopus Agennenſis remittit quidquid Alfonſus comes Pictaviæ & Johanna uxor ejus potuerant tenere, ſede vacante, ratione cuſtodiæ epiſcopatus.

1269. UNiverſis præſentes litteras inſpecturis P. miſeratione Divina epiſcopus Agennenſis ſalutem in Domino. Noveritis quod nos attendentes liberalitates quas illuſtris dominus Alfonſus comes Pictaviæ & Toloſæ, & domina Johanna uxor ſua nobis exhibuere; quidquid per ſeneſcallos ſeu bajulos eorumdem vel prædeceſſorum ſuorum de bonis epiſcopalibus, epiſcopali ſede vacante, ratione cuſtodiæ, vel alio quoquomodo occupatum extitit, ſeu levatum, eiſdem domino comiti & dominæ comitiſſæ & ſuis, totum remittimus & quittamus; in cujus rei teſtimonium ſigillum noſtrum præſentibus litteris duximus apponendum. Datum idus Junii anno Domini M. CC. LXIX.

Ex eod. archivo, libro 116. fol. nec integro.

Idem epiſcopus, R. quondam comiti Toloſæ remittit 500. libras ſibi debitas.

1269. UNiverſis præſentes litteras inſpecturis P. miſeratione Divina epiſcopus Agennenſis ſalutem in Domino. Notum facimus quod cum bonæ memoriæ R. quondam comes Tholoſæ, teneretur nobis ratione eccleſiæ Agennenſis in quingentis libris Arnaldenſium, pro eo quod baſtidam de Grandi-caſtro in feudo eccleſiæ prædictæ conſtrui fecerat & baſtiri, abſque conſenſu & voluntate epiſcopi Agennenſis, prout in litteris ſuper hoc confectis liquere poterat manifeſte: nos attendentes devotionem quam vir illuſtris dominus Alfonſus filius regis Franciæ comes Pictaviæ & Toloſæ habere dinoſcitur ad eccleſiam Agennenſem, volentes ſaltem pro parte modica relevare onera expenſarum quæ ipſum cruce ſignatum ſubire oportet pro ſubſidio Terræ ſanctæ, pecuniæ prædictæ ſummam pro nobis & ſucceſſoribus noſtris nomine noſtræ eccleſiæ ſibi ſuiſque poſteris remittimus & quittamus, eumque penitus abſolvimus ab eadem. In cujus rei teſtimonium præſentes litteras ſigilli noſtri munimine duximus roborandas. Datum anno Domini M. CC. LXIX. die Jovis poſt feſtum beati Barnabæ apoſtoli.

XIII.

1364. IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, Patris, &c. ad perpetuam rei memoriam. Sciant cuncti quod anno Incarn. Domini M. CCC. LXIV. die XIV. menſis Sept. apud abbatiam de Moyſiac. Caturc. diœceſis, in exitum magnæ creſſæ RR. in Chriſto pater & dominus Remundus de Salg, Dei gratia patriarc. Antiochenus, & adminiſtrator perpetuus eccleſiæ Agennenſis a ſede apoſtol. deputatus, veniendo de Avenione primo ad dictam ſuam eccleſiam Agennenſem, & tranſitum faciens per locum prædictum, juravit ut adminiſtrator præfatus inclito domino Eduardo regis Angliæ primogenito, principi Aquitaniæ ibidem exiſtenti fidelitatem pro medietate ſecularis juſtitiæ & dominii villæ Agenni & ſuburbiorum ejus, ac pro moneta Agennenſi & aliis juribus ejuſd. eccleſiæ, ſalva in omnibus Eccleſiæ Rom. auctoritate; & dictus domn. princeps in continenti tactis cum manibus ſacroſanctis Evangeliis, juravit etiam dicto domino patriarchæ adminiſtratori tanquam princeps, deffenſionem & tutelam ei & ſuis eccleſiis in jure ſuo & eccleſiarum ſuarum exhibendam juxta formam partiagii initi inter R. condam ducem Narbonæ & comitem Toloſæ, & A. tunc epiſcopum Agenn. ac etiam manum ſuam per eum aut gentes ſuas appoſitam in dicti domini adminiſtratoris eccleſiæ Agennenſis levavit & amovit omnino, ac levari & tolli præcepit & mandavit, & dicto adminiſtratori per ſuas patentes litteras deliberavit temporalitatem prædictam, eum in ſuum conſiliarium retinendo, præſentibus ad hæc reverendis in Chriſto patribus domino * P. epiſcopo Oloronſi, F. * abbate Moyſiaci, ac nobilibus & ſtrenuis viris dom. Jacobo d'Andele, Oliverio de Pomeriis, Bertrando de Terrida, dom. de Gramato militibus, Johanne de Borma, Henrico Oreſme canonico Bajocenſi, Theoderico Snoec notario publico, & aliorum nobilium & clericorum multitudine copioſa.

* Petro
* Fredolo.

XIV.

Deſcriptio ingreſſus ſolemnis Remundi de Salg in urbem Aginnum.

EOdem anno, XXVI. die dicti menſis, præfatus dominus patriarcha & adminiſtrator intravit civitatem Agen. cum magna procerum & nobilium Aquitaniæ & Angliæ, ac prælatorum, abbatum, cleri & civium comitiva; & in eccleſia S. Capraſii Agen. ubi de ſuo equo deſcendit, fuit indutus ut moris eſt pontificalibus ornamentis; deinde in cathedra ad hoc aptata & ornata ſituatus, & abhinc fuit per barones & nobiles ejus homines infraſcriptos, videlicet per dominos Jordanum de Inſula militem, condominum de Claromonte ſuperiore, & alios qui ad portandum dictum adminiſtratorem tenebantur portus * ſolerter in dicta eccleſia ſuper eorum humeros, uſque ante fores majoris eccleſiæ Agennenſis, ei obviante & ipſum aſſociante dicto domino principe, eques a latere cum magnifico apparatu vallato undique comitum & baronum venerabili comitiva & multitudine copioſa. Præcedebant etiam dictum dominum adminiſtratorem in introitu civitatis & continue in deportatione prædicta validus dicti principis ſagittariorum cuneus, deinde ſtrenuiſſimi milites dominus Jacobus d'Andele, & Johannes Monachi ſeneſcallus Agen. cum pluribus aliis equitibus dicti domini principis; ad honorandum adminiſtratorem prædictum intererat etiam ad omnia P. Dei gratia epiſcopus Florentinus, apoſtolicæ ſedis tunc ad dictas partes nuntius deſtinatus. Sæpe fatus adminiſtrator intrans eccleſiam Agen. & ſecum a dextris dictus dominus princeps, & honorifice proceſſionaliter receptus, in ea veneratione reliquiarum decantata, & oratione præmiſſa, indutus caſula, miſſam de S. Spiritu ibidem celebravit ſolemnem; qua dicta ipſe cum dicto principe, & omnes alii prælati, nobiles, clerus, conſules, & populi Agenni & Agennenſes qui per plures dies ante & per litteras & nuntios invitati ad hoc fuerant, & voluerunt venire, iverunt ad domum fratrum Prædicatorum Agenni, & ibidem dicta die dedit dominus princeps præfatus prandium ſplendidiſſimum & regale, valvis patentibus omnibus, nullo quantumcunque parvi ſtatus repulſo, fecitque dictus princeps ſuis propriis ſumptibus & expenſis feſtum introitus prædicti pro dicto domino adminiſtratore ſolemnius, opulentius, & honorabilius quam unquam alias in Agenno de memoria hominum eſſet factum; & de propriis rombis ſuis rubeæ ſcarlatæ, cum forraturis minutorum variorum induit domnum patriarcham adminiſtratorem prædictum. Poſtmodum vero diebus ſequentibus domnus patriarcha adminiſtrator præfatus a ſuis capitulo & canonicis Agen. juramenta fidelitatis prout ei facere tenebantur recepit; & etiam a baronibus & nobilibus Agennenſis hominibus ſuis recepit recognitiones & homagia quæ ſequuntur, &c.

* portatus.

XV.

Petrus epiſcopus ſeu adminiſtrator Aginnenſis inſtituit vicarios generales Johannem de Borgia olim epiſcopum Agin. & Philippum Berardi ſuum conſanguineum.

1461. PETRUS, Dei ac ſanctæ ſedis apoſtolicæ gratia Aginnenſis adminiſtrator, univerſis..... Quoties fragilitatis humanæ conditio neminem permittit ſimul & ſemel locis in diviſis præſentiam exhibere corporalem, juris beneficio rationabiliter indultum credimus iis quorum adminiſtratio longe lateque dilatatur, per alios efficere poſſe, quod per ſeipſos nequeunt adimplere. Nos itaque pluribus & variis tam noſtris & eccleſiæ noſtræ Aginnenſis prædictæ, cui divina diſponente clementia præſidemus, quam aliis arduis negotiis præpediti, ac præſertim litterarum ſcientiæ inſiſtentes, ſtudiorum cauſa exigente, quibus præſentialiter occupamur; in ipſa noſtra Agennenſi eccleſia & illius adminiſtratione nobis commiſſa perſonaliter reſidere nequeuntes, nolenteſque noſtram abſentiam eccleſiæ noſtræ, ſubditiſque noſtris fore damnoſam: confidenteſque ad plenum de induſtria, probitate, fidelitate, circonſpectione, ſcientia reverendi in Chriſto patris & dom. domini Johannis de Borgia olim epiſcopi Agennenſis immedietate noſtri præceſſoris, per cujus ceſſionem apud S. ſedem apoſtolicam juſtis de cauſis factam & admiſſam, ad regimen & adminiſtrationem ejuſdem eccleſiæ ſuperna diſpoſitione vocati ſumus: & venerabilis ac circumſpecti viri dom. Philippi Berardi preſbyteri conſanguineique noſtri, per cujus ſolertem ſollicitudinem abſentia noſtra ſupplebitur; eoſdem dominos Johannem de Borgia olim epiſcopum memoratum, & Philippum Berardi, & eorum quemlibet in ſolidum, melioribus modo, via, jure & forma quibus melius & efficaciter poſſumus, vicarios noſtros generales in ſpiritualibus & temporalibus conſtituimus.....concedentes dicto dom. Johanni de Borgia ob honorem pontificiæ dignitatis, in eccleſia noſtra & tota diœceſi plenam & generalem licentiam conſecrandi ſacroſanctum chriſma, oleumque ſanctum conficiendi; ordines tam majores quam minores conferendi, beneficia ad collationem epiſcopi agendi, conferendi.....Datum Chiſſeyo ſub ſigillo noſtro 1. die menſis Auguſti, anno Domini M. CCCC. LXI. Petrus adminiſtrator eccleſiæ Agin. De mandato dicti domini, Chavigneau.

XVI.

Bernardus Jordani abbas Exienſis, dat locum de Gaiaco ad conſtructionem urbis Villæ-novæ.

1164. PAteat univerſis præſens inſtrumentum inſpecturis, quod religioſus & venerabilis pater in Chriſto Bernardus Jordani, miſeratione Divina abbas Exienſis, univerſus totuſque conventus religioſorum monachorum ejuſdem loci, ſcil. P. de Relhaco prior major monaſterii Exienſis, Vitalis de Paratge ſacriſta prædicti monaſterii, Stephanus de Relhaco prior Montis-Flanquini, Yſarnus de Memmeia, & Pegaſius d'Auſtore decani de Natiſols, Sicardus de S. Egidio prior de Cadilhaco, Raymundus Daventaiac prior de Donhaco, Petrus de la Capela, Johannes Arney, Galhardus Jordani, & Arnaldus de Curiaco monachi prædicti monaſterii Exienſis, non coacti, nec circumventi, nec vi, nec meru, nec dolo ad hæc inducti, imo jure ſuo certiorati, præmiſſa & conſiderata per eoſdem abbatem & conventum magna utilitate ſui prædicti monaſterii A Exienſis & domus, donaverunt, dederunt, & conceſſerunt vera & irrevocabili donatione, ceſſione, & conceſſione, pro ſe & univerſis ſuis ſucceſſoribus, & pro univerſis ſui conventus monachis abſentibus unanimiter & concorditer, & in ſuo capitulo Exienſi, nobili & ſtrenuo viro domino Philippo de Villa-Faverosa milite ſeneſcallo Agennenſi & Caturcenſi, recipienti præſentem donationem, ceſſionem & conceſſionem pro inclyto, & illuſtriſſ. domino noſtro Alphonſo Dei gratia comite Pictaviæ, & Toloſæ, & nomine ejuſdem terram vocatam de Gaiac, ſitam in diœceſi Agennenſi, & in parochia prædicti monaſterii Exienſis, quæ terra prædicta tenet ſe & adhæret ex una parte cum terra domini Guillelmi de Calvia, & Bertrandi de Calvia fratrum, & ex alia parte cum fluvio Olti: & ex omni- B bus aliis partibus cum terris prædicti domini abbatis, & conventus Exienſis; videlicet quod donaverunt, dederunt, & conceſſerunt prædicti abbas, & conventus prædicto domino ſeneſcallo recipienti præſentem donationem, ceſſionem & conceſſionem prædicto domino noſtro Alphonſo comiti Pictaviæ, & Toloſæ, & nomine ejuſdem de prædicta terra vocata de Gaiac, tantum quantum neceſſe fuerit ad baſtidam ſeu villam faciendam, & conſtruendam, & ad carreyrias, & plateas dictæ baſtidæ, ſeu villæ, prout cognoſcent, & arbitrabuntur fore neceſſarium, & capacem dictæ baſtidæ faciendæ, religioſus vir & diſcretus Stephanus de Relhaco, & dominus Galbertus de Rampo miles prædicti domini noſtri Alphonſi comitis Pictaviæ, & Toloſæ: & magiſter Pontius Mamardi communis notarius de Agenno, de terra prædicta de Gaiac, de tota C & tanta quanta prædicti viri Stephanus de Relhaco, Galbertus de Rampo, & magiſter Pontius Mamardi cognoſcent, & arbitrabuntur fore neceſſarium ad conſtruendam & faciendam baſtidam, ſeu villam, & ad plateas, & carreyrias dictæ baſtidæ, ſeu villæ capacem, convenienter prædicti abbas & conventus ſe deveſtiverunt, & prædictum dominum ſeneſcallum nomine prædicti domini noſtri Alphonſi comitis Pictaviæ & Toloſæ, & pro eodem domino noſtro comite inveſtiverunt, & in plenam & corporalem poſſeſſionem miſerunt unanimes, & concordes, promittentes eidem Domino ſeneſcallo firma, & legali ſtipulatione nomine prædicti domini noſtri Alphonſi bonam & firmam fieri guarentiam de prædicta terra de Gaiac, de omnibus monachis abſentibus ſui conventus, vel etiam ſuæ domus, D videlicet de tota & tanta, quanta dicti domini de Relhaco, Galbertus de Rampo, & magiſter Pontius Mamardi cognoſcent, & arbitrabuntur fore neceſſarium ad dictam baſtidam, ſeu villam faciendam, & conſtruendam, & ad carreyrias, & plateas baſtidæ, ſeu villæ: & pro dicta guarentia facienda prædicto domino noſtro ſeneſcallo nomine prædicti domini noſtri Alphonſi comitis Pictaviæ & Toloſæ univerſa bona ſui monaſterii concorditer & unanimiter obligaverunt. Quam donationem, ceſſionem, & conceſſionem prædictam, & univerſa, & ſingula ſupradicta promiſerunt prædicti abbas & conventus firma & legali ſtipulatione, prædicto domino noſtro Alphonſo comiti Pictaviæ & Toloſæ, nomine ejuſdem grata, & firma, & irrevocabilia in perpetuum obſervare, & contra non ve- E nire, nec contra aliquid de præmiſſis aliquo jure, uſu, conſuetudine, ſeu etiam aliqua ratione. Prædictus vero ſeneſcallus nomine prædicti domini noſtri Alphonſi comitis Pictaviæ & Toloſæ, & pro ipſo domino comite prædictam donationem, ceſſionem, & conceſſionem prædictæ terræ de Gaiac, & de tota, & tanta, quanta prædicti domini Stephanus de Relhaco, Galbertus de Rampo, & magiſter Pontius Mamardi cognoſcent, & arbitrabuntur fore neceſſariam, & capacem ad dictam baſtidam ſeu villam faciendam, & conſtruendam, & ad plateas, & carreyrias dictæ baſtidæ, ſeu villæ, & inveſtitionem ejuſdem recepit; & promiſit & conceſſit prædictus dominus ſeneſcallus nomine prædicti domini noſtri Alphonſi comitis Pictaviæ

& Toloſæ, prædicto abbati & univerſo ac toti conventui Exienſi, quod ipſi abbas & conventus habeant, teneant, & poſſideant, & percipiant ſicut ante iſtam præſentem donationem, ceſſionem, & conceſſionem prædictæ terræ de Gaiac tenebant, & poſſidebant, ſeu percipere conſueverant ſuum portum in flumine Olti, & ſua molendina, & molendinaria, & aquas, & aquarum loca quæ habent, & habere debent in dicto flumine Olti, cum introïtibus & ſuis exitibus, & ſua pedagia, & omnes actiones reales, & perſonales, ordinarias & extraordinarias, mixtas, & criminales, & omnes alias actiones, & omnia alia jura, & dominia integre & in pace, quas & quæ prædicti abbas & conventus retro actis temporibus & tempore prædictæ donationis, ceſſionis, & conceſſionis habuerunt, tenuerunt, & poſſederunt, ac etiam perceperunt, & percipere conſueverunt apud Exium, & in diſtrictu, & territorio Exienſi ſine diminutione, & diſtractione quacumque. Promiſit etiam & conceſſit prædictus dominus ſeneſcallus nomine prædicti domini noſtri Alphonſi comitis Pictaviæ & Toloſæ, & pro eodem domino noſtro comite prædicto abbati & conventui, quod ſi quis vel aliqui de ſuis hominibus ab ipſis abbate & conventu feuda tenentibus, & ſub dominio commorantibus, venirent ſeu confluerent ad dictam baſtidam, ſeu villam cauſa habitandi ibidem, prædicti abbas & conventus terras, & feuda, quas & quæ illi tenebant ab ipſis abbate & conventu, poſſunt ad manum ſuam mittere, & capere, & tenere, non deſtructis prædictis feudis nec exutis, ſine contradictione ipſius domini ſeneſcalli, vel alterius cujuſcumque nomine prædicti domini noſtri Alphonſi comitis Pictaviæ & Toloſæ, & ſine contradictione alicujus habitantium dictæ baſtidæ, ſeu villæ, niſi de ipſorum abbatis & conventus voluntate procederet, & aſſenſu. Præterea promiſit & conceſſit prædictus dominus ſeneſcallus nomine prædicti domini noſtri Alphonſi comitis Pictaviæ & Toloſæ, & pro eodem domino noſtro comite prædicto abbati & conventui Exienſi, quod bajulus dictæ baſtidæ ſeu villæ, aliquem vel aliquam de Exio prædicto, ſeu habitantem in prædicto Exio nequaquam compellat ex aliqua cauſa coram ſe litigare, niſi abbas & conventus negligentes exiſterent ſeu remiſſi ad hæc omnia prædicta. Prædictus dominus ſeneſcallus, prædicto abbati & conventui Exienſi, a prædicto domino noſtro Alphonſo comite Pictaviæ, & Toloſæ, bona fidè, & ut brevius poterit, faciet approbari ac etiam confirmari: & eorumdem abbatis & conventus honorem, & utilitatem in quibuſcunque poterit promovebit, & diligentiſſime procurabit. Acta ſunt hæc apud Exium in capitulo Exienſi, decima die ab exitu menſis Aprilis, præſentibus & teſtibus ad hæc vocatis & rogatis prædicto domino Galberto de Rampo milite, magiſtro Johanne Coferii clerico prædicti domini noſtri comitis Pictaviæ, & Toloſæ, & canonico monaſterii S. Capraſii de Agenno, domino Armengaudi præceptore hoſpitalis de Salvanhas, domino Yſarno de Valens milite, Petro de Alta-ripa milite, Guillelmo Galteri de Talvia, & fratre ſuo Bertrando de Talvia domicellis, Bernardo Argueri, Petro Pellicerii, Arnaldo de Furcis, Johanne Martini, Raymundo Papelli burgenſibus de Penna diœceſis Agennenſis, Raymundo Aldemar bajulo de Turnone, & me Arnaldo Delherm communi notario Pennæ prædictæ, qui de mandato utriuſque partis hæc ſcripſi, & duo publica inſtrumenta inde confeci ejuſdem tenoris, quorum unum habuit prædictus dominus abbas & conventus Exienſis prædicti, & alium dominus ſeneſcallus prædictus. Anno Domini M. CC. LXIV. regnantibus prædicto inclyto, & illuſtriſſimo domino Alphonſo comite Pictaviæ & Toloſæ, & venerabili patre Domino Petro Agenni epiſcopo.

INSTRUMENTA AD ECCLESIAM CONDOMENSEM SPECTANTIA.

I.

Litteræ Hugonis epiſcopi pro fundatione abbatiæ Condomenſis.

IN nomine ſummæ & individuæ Trinitatis, ego Dei gratia epiſcopus Hugo * ſecundum tranſitoriæ nobilitatis gradum alto florens germine parentum, & pro illo deciduo putreſcentis carnis flore terreno ſublimatus honore, infra pectoris armarium ſæpius volvebatur illud Salomonicum: quanto gradus altior, tanto caſus gravior. Et dum hoc ſollicita meditatione mecum agerem, & omnem ſæcularis dignitatis ordinem de die in diem in pejus declinando deficere viderem, paululum confidens in tam fragili flore nobilitatis, qui tam cito amittit honorem ſuæ viriditatis, perterruit me illud teſtimonium Eſaiæ: *Omnis caro fenum, & omnis gloria ejus quaſi flos feni.* Et illud: *Exſiccatum eſt fenum, & cecidit flos; verbum autem Domini manet in æternum.* Ad hæc quotidie illo admonebar exemplo quod David profert in Pſalmo: *Homo ſicut fenum dies ejus, tamquam flos agri ſic efflorebit. Et hoc quod ſequitur: Quoniam ſpiritus pertranſibit in illo, & non ſubſiſtet, & non cognoſcet amplius locum ſuum*, & cætera. His ergo & hujuſmodi ſcripturarum teſtimoniis aliquantulum correctus, ea quæ mihi contulit benevolentia parentum ad radicem ſæcularis honoris propagandam, illuc decrevi ut deportarentur ubi fures non effodiunt, nec furantur, & ob promiſſa centupla retributionis Deo diſpoſui conferre. Salubrius mihi & illis exiſtimans ſecundum Deum conſulere, ſi hoc quod contulerant pro amore carnis peccati & vitii fomentum, per me ſanctæ Dei Eccleſiæ produceretur in augmentum. Sed ut hoc convenienter poſſet fieri, & ne ulla in poſterum tempus meis parentibus ſervaretur occaſio, hoc diſponere volui communi conſilio, & plurimorum provincialium confirmare teſtimonio.

Anno igitur Dominicæ Incarnationis M. XI. glorioſo Henrico Romanam urbem imperante, Rothberto autem Franciam regente, Sedi vero apoſtolicæ ſummæ ſanctitatis viro Benedicto præſidente, apud provinciam Vaſconiam Sanctione illuſtri viro ducatum obtinente: ego ſupra nominatus Ugo, licet immeritus præſul, ſecundum lineam carnis eidem duci propinquus & affinis, inito conſilio cum eodem duce, & provincialibus epiſcopis, & abbatibus, ceteriſque terræ principibus, id eſt, Arnaldo epiſcopo & Arnaldo vicecomite, & cum conjuge ſua, eorumque filio Arnaldo, ejuſque conjuge Adalias, Bernado vicecomite, & Arnaldo Lupo vicecomite, Amnardo, Ganzelmo, Arhuino, Gauſelmo alio vicecomite, aliiſque bonis hominibus, qui in præſentia aderant, terrenis poſtpoſitis heredibus, omnis meæ poſſeſſionis Chriſtum heredem feci, & ſecundum Pſalmiſtam: *Elegi abjectus eſſe in domo Dei mei, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.* Omnem itaque portionem meæ hereditatis, quam in pago Leumanniæ * libere & abſolute & abſque ulla parentum occaſione poſſedi,

* *In diplomate Gregorii papæ infra dicitur fundator.*

Iſai. 40. 6.

Ibid. 7. 8.

Pſal. 102. 15.

Ibid. 16.

Pſal. 83 11.

* *id eſt* Leomaniæ.

Domino Deo, principique apoſtolorum Petro, ſedique Romanæ in conſpectu plurimorum dedi; in primis eccleſiam ſancti Petri, & locum Condomus, quod interpretatur quaſi domus ſublimis, cum omnibus appenditiis.

Et ut hoc donum apud Deum ſemper eſſet in memoria, placuit mihi, ſeu duci Sanctioni, vel aliis principibus terræ, clericos ſæculariter & abſque regulari diſciplina ibi degentes penitus amovere, & monachos Deo jugiter ſervientes, & ſub regulari jugo militantes in illorum loco ſecundum inſtituta vel monita ſancti Benedicti ibi ordinare, & hoc juſſu & apoſtolica auctoritate firmare. Ad hoc omnium commune votum idonee perficiendum, quemdam noſtrum filiolum, nomine Petrum, divinitus nobis collatum, virum omni virtute probatum, apoſtolica auctoritate ut præeſſet ceteris in loco patris conſtituimus, abbatemque ſecundum inſtituta patrum benediximus. Quem etiam ut jugum Chriſti ſuave, & onus ejus leve aliis regulariter imponeret, paterna ammonitione ſubmonuimus. Monachos vero, ut ſibi quaſi patri & ſeniori in omnibus obedirent, devote poſtulavimus, inſuper anathematis lege indiximus.

Sed quia pleraque loca maxima calamitate obpreſſa audivimus, & jam omnino deſolata noſtris temporibus vidimus, ob hoc præcipue quia aliquanti ſub ſpecie regiminis uſurpantes ſibi dominium, dum ab aliis defendere debent locum, ipſi peſſimum & abominabilem immittunt uſum, aſſiduis comeſtionibus bona loci turpiter conſumentes, importuneque ſupervenientes, non familiariter, ſed hoſtiliter hoſpitantes; & quod his omnibus eſt intolerabilius, vendunt abbatias ipſis abbatibus: & hoc fit quod ipſi non in loco ſpiritualium patrum ceteris præeſſe videntur, ſed bonis quæ comparantur turpiter dominando aburuntur, & inde gravia ſcandala in monaſteriis oriuntur. Nos ab illa ſimoniaca hæreſi declinantes, & quæ Dei ſunt, Deo reddentes, pro obedientia tradita & remedio animæ meæ meorumque parentum, item Garſiæ Sancii comitis, & filii ſui Sancii Garſiæ comitis, & Guillermi Sancii comitis, & Gumbaldi epiſcopi, & Guillelmi comitis, & Garſiæ comitis, & Bernardi Guillermi comitis, & Urachæ comitiſſæ, & ceterorum tam vivorum quam defunctorum: ita ordinamus & conſtituimus ut ipſe locus, ſcilicet Condomus, tali libertate ſit condonatus, ut ex hac die in deinceps nullus meorum heredum ſit particeps: quidquid ad nos pertinere uſque huc videbatur, ad ſolvendum pertineat, ipſeque cum ceteris ſuis fidelibus, quorum nomini adſcribitur, amodo in perpetuum poſſideat. Monachi autem ibi Deo ſervientes nulli ſæculari perſonæ propter honorem loci reſpondeant, nec comiti, vel epiſcopo, aut ceteris coacti aliquod ſervitium faciant, excommunicationem epiſcopi non timeant, niſi rationabili cauſa exiſtente legalem eſſe cognoſcant: ſed & hanc libertatem ſemper habeant, ut abbatem ex ſe ipſis eligant; omnino tamen prohibemus ne quis pretio inter eos honorem adipiſci velit, quia Apoſtolus dixit: *Qui dat & qui recipit, anathema ſit.*

Hanc igitur noſtram deſcriptionem, & apoſtolicæ auctoritatis confirmationem ſi quis meorum heredum infringere voluerit, & Deo ſuiſque fidelibus vim inferre & noſtro dono ſtuduerit, ullus cujuſcumque ordinis ſit, qui violare velit, cum Sem & Japhet non habeat partem benedictionis, ſed cum Cham ſervo ſervorum mercedem recipiat maledictionis, & cum omni ſua poſſeſſione perditioneque animæ incurrat ſententiam Sodomæ & Gomorræ, fiat, fiat, anathema, maranatha †. Hæc deſcriptio acta eſt IV. Kal. Auguſti Ugone epiſcopo, & Sanctione duce jubente, Domino autem ſine fine regnante. Amen, Amen, Amen.

II.

Ejuſdem Hugonis charta, in qua multæ poſſeſſiones abbatiæ Condomenſis enumerantur.

QUoniam vita præſens incerto tramite graditur, & immenſis mundus tribulationum quatitur turbinibus, homo quoque hodie vivens cras moriturus præſtolatur: ſatagendum eſt cunctis ſane ſapientibus juſtis ſolerter inſiſtere operibus, & vitam quæ nullo fine clauditur, totis appetere viribus. Sane ad illam nequaquam pervenitur, niſi bonis actibus curratur. Ergo *dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes*, ſicut apoſtolus ammonet, *& ambulemus in lucem vitæ, ne tenebræ mortis nos comprehendant*: hoc quippe infimis & majoribus dicitur, juſtis & peccatoribus præcipitur, egenis & divitibus injungitur, unicuique ſecundum propriam virtutem & conſcientiæ puritatem. Cunctis audientibus Chriſtus clamat humanitus: *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos.* Ab hac refectione nullus excuſatur, nec inopia, nec infirmitate; ſicut ipſe cuidam ex prædicatoribus præcepit dicens in Evangelio: *Exi cito in plateas & vicos civitatis, & pauperes ac debiles, cæcos & claudos compelle intrare, ut impleatur domus mea.* Multis namque bona voluntas a Deo pro opere computatur, illi videlicet qui facultate indigent operationis. Porro divitibus & principibus ſæculi hujus, maximeque ſanctæ Eccleſiæ rectoribus qui opibus abundant, honoribus tument, ſuperba dominatione gaudent, ſalute corporis & ſoſpitate vigent, poſſibilitatem bene operandi habent, & voluntate carent, atque ad exercenda bona opera pigri remanent, quid aliud debetur, niſi gehenna & confuſio numquam terminum habitura.

Ego itaque Ugo, quamvis indignus, officium gerens præſulatus, divitiis locuples, & abundans honoribus, quia Deus omnipotens mihi poſſe contulit bene operandi, ipſius favente clementia velle aſſumſi, & potius ſitiens animæ ſalutem quam corporis, nolui piger remanere in operibus bonis. Scio enim quia cui plus committitur, plus ab eo exigitur. Ergo de rebus mihi a Deo commiſſis & conlatis, cedo ipſi locum nomine & memoria dignum, ſicut olim conceſſi Condomum in honorem ſancti Petri principis apoſtolorum, locatum eadem ratione & ingenuitate, quam jam diximus, & in primo hujus ſeriei privilegio deſcripſimus, quod in archivis ejuſdem cœnobii hodie reſervatur. Sed quia de ſtatu & ordinatione ipſius monaſterii ſatis in eodem privilegio diſſeruimus, nec bonum nobis viſum eſt quidquid idem locus, ſcilicet Condomus, promeruit diverſis temporibus ſive a noſtris temporibus, ſeu a viris Deo dignis & fidelibus noſtris in uſque diebus, hoc eſt, eccleſiis, vicis, alandis, vel territoriis ſuccinctum colligamus, & in uno corpore redigamus, ne quando oblivione deleantur.

Primam itaque omnium eccleſiarum de his quæ ſancto Petro debentur, ſive primum alaudum, ponimus in Aurelianum infra Vaſconiam conſtitutum, & nomine ſancti Cyrici decoratum. Hunc locum meus genitor Gumbaldus Deo & ſancto Petro devote obtulit cum terris, & vineis atque caſalibus, aquis aquarumve decurſibus, intrandi & exeundi aditibus, & cunctis ad eum pertinentibus, abſque ulla reſervatione pro ſalute ſua ex redemptione ſui ſpiritus.

Huic ſubjungitur in eadem Vaſconiæ provincia ſancti Petri eccleſia, Sangor nuncupata, & ipſius nomine inſignita, quam meus patruus & Vaſconiæ comes Sanctius eidem cœnobio fideliter delegavit cum omnibus quæ ad ipſam pertinere videbantur: quo obeunte, ſucceſſit illi frater ejus Guillelmus Sanctius, meus itidem patruus, & agnoſcens eleemoſynam ſui deceſſoris, firmiter roborare inſtituit, ut ſimul accipere mererentur portionem in regno Dei.

S. Bened. prol. in Reg. Ad Gal. 6. 10. Johan. 12. 35.

Matt. 11. 28.

Luc. 14. 21.

Regul. S. Bened. c. 2.

Ecclesiam sancti Petri Sanagorensis, quam Amaneus Lebrestensis eodem tempore quasi propriam vindicabat, datis Siguinis * duobus equis magni pretii, & viginti solidis redemit ad augendum honorem sancti Petri Condomensis, cui fideliter deservire studuit.

* *in Spicileg.* Siguinis.

Postea sequitur sancti Stephani ecclesia Berringus dicta, quam ego jam tradidi sancto Petro cum omni censu ecclesiastico, deprecans ut ipse mihi succurrat in futuro, cui me toto cordis affectu commendo.

In tomo XIII. Spicilegii, ubi ha charta Hugonis, & duæ quæ sequuntur excusæ sunt, multa alia prædia Condomensis monasterii, multæque quoque ecclesiæ ad illud pertinentes enumerantur consequenter post hæc verba secunda charta Hugonis: toto cordis affectu commendo; *sed hæc minime sunt ex contextu litterarum Hugonis. Qui ea legere velit, consulat tomum XIII. Spicilegii.*

III.

Bulla Gregorii Papæ VII. qua confirmat fundationem & donationes factas ab Hugone Aginnensi episcopo.

1076. GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, dilecto in Christo filio Raymundo abbati monasterii sancti Petri siti in loco qui dicitur Condomus, suisque successoribus in perpetuum. Supernæ miserationis respectu ad hoc universalis Ecclesiæ curam suscepimus, & apostolici moderaminis sollicitudinem gerimus, ut justis precantium votis attenta benignitate faveamus, & libramine æquitatis omnibus in necessitate positis, quantum Deo donante possumus, subvenire debeamus. Proinde juxta petitionem tuam præfato monasterio, cui tu præesse dinosceris, hujusmodi privilegia præsenti auctoritatis nostræ decreto indulgemus, concedimus atque confirmamus; statuentes nullum regum, vel imperatorum, antistitum, nullum quacumque dignitate præditum, vel quemcumque alium, audere de his quæ eidem venerabili loco a quibuslibet hominibus de proprio jure jam donata sunt, vel in futurum, Deo miserante, juste collata fuerint, sub cujuslibet causæ occasionisve specie minuere vel auferre, & sive suis usibus applicare, vel aliis piis de causis per suæ avaritiæ excusationem concedere: sed cuncta quæ ibi juste oblata sunt, vel offerri contigerit, tam a te, quam ab eis, qui in tuo officio locoque successerint, perenni tempore illibata & sine inquietudine volumus possideri, eorum quidem usibus pro quorum sustentatione & gubernatione concessa sunt, modis omnibus profutura.

Et quia Ugo episcopus idem monasterium ex bonis hereditatis suæ ditatum Romanæ Ecclesiæ juri contradidit, ad futuram defensionis suæ cautelam constiturum est, ut singulis annis pensis quinque solidorum monetæ illius terræ apostolicæ sedi reddatur. Nominatim igitur confirmamus eidem monasterio illas possessiones, quas prædictus Ugo episcopus ejusdem monasterii fundator, in pago Leumaniæ ex jure patrimonii sui præfato loco contulit: videlicet ecclesiam sancti Petri & locum Condomus, quod interpretatur *domus sublimis*, cum omnibus suis appendiciis. Item constituimus, ut obeunte abbate, non alius ibi quacumque obreptionis astutia ordinetur, nisi quem fratres ejusdem loci communi consensu secundum timorem Dei elegerint. Hoc quoque præsenti capitulo subjungimus, ut ipsum monasterium & abbates ejus, vel monachi ab omni sæcularis servitii sint infestatione securi, omnique gravamine mundanæ oppressionis remoti, in sanctæ religionis observatione seduli atque quieti, & nulla aliqua habeantur occasione subjecti.

Hæc igitur omnia quæ hujus præcepti decretique nostri pagina continet, tam tibi quam cunctis qui in eorum loca successerint, in perpetuum servanda decernimus. Si quis vero regum, sacerdotum, clericorum, judicum ac sæcularium personarum, hanc constitutionis nostræ paginam agnoscens, contra eam venire tentaverit, possessionis honorisque sui dignitate careat, reumque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat. Et nisi ea quæ ab illo sunt male ablata, restituerit, vel digna pœnitentia illicite acta defleverit, a sacratissimo corpore ac sanguine Domini Redemtoris nostri Jesu Christi alienus fiat. Cunctis autem eidem loco justa servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus & hic fructum boni operis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Datum Lateranis VIII. Idus Martii per manus Petri sanctæ Romanæ Ecclesiæ presbyteri cardinalis ac bibliothecarii, anno tertio pontificatus Domini VII. Gregorii papæ, Indictione XIV.

IV.

Litteræ Seguini Condomensis abbatis, de multis hujus abbatiæ bonis a se recuperatis.

DUm prius sæculum, memorandarumque rerum monumenta non uniformi lege sancita, sed diversæ intentionis astipulatione alligata secundum illustrium virorum dicta considerarem, multo honestioris seu utilioris facti nostrum decretum fore existimavimus, scilicet quod tunc temporis in regalibus fiscis augendis, vel in divitiis Reipublicæ adquirendis studiosa litterarum impressione commendabatur posterorum memoriæ, nostris temporibus singula quæque ad obtinendam memoriam diligenter informarentur, quæcumque in augmentum sanctæ matris Ecclesiæ deputarentur. Nam in hac ultima labentis sæculi ætate & pene naufraga mundi tempestate tanto diligentius fieri credimus, quanto agnoscitur prius sæculum declinatum esse in pœnis. Quapropter ego Siguinus, licet indignus abbas loci qui dicitur Condomus, dum viram procelloso imminentis tempestatis gurgite absque remige laborarem, & plurimorum desolationem locorum considerarem, communi consilio fratrum decrevi, ut bona nostri loci jam a bonis hominibus data, & tum a pessimis ablata, undequaque sparsa in unum colligeremus, & & quæ nostris temporibus pretio, vel quocumque alio placito, Deo adjuvante, recuperavimus, nostrorum successorum memoriæ per chartas commendaremus; & ut indivulsa in perpetuum permanerent, comitum vel episcoporum, testium & fidejussorum legali auctoritate Deo & sancto Petro, istius scilicet loci provisori, constanter firmaremus.

In nomine ergo summæ & individuæ Trinitatis, ego supradictus Siguinus ceterique fratres, de quodam honore sancti Petri Causac nomine, & omnibus suis appenditiis cum Guillelmo Astanova comite conventionem habuimus, & ut nostro loco sanctoque Petro redderetur, pretio licet gravi & carissimo tandem impetravimus. Quem scilicet locum, ut relatu plurimorum audivimus, Gumbaldus comes, & post eum ejus filius Ugo episcopus hereditario jure possederat, semperque cum honore istius loci in suo dominio tenuerat; sed Sanctio comes post mortem Ugonis vim inferens, dedit suæ sorori, scilicet Guarsindæ, post cujus mortem iterato idem Sanctio sua potestate Amerigo comiti vendidit, qui & filium suum Guillelmum ejusdem honoris quasi hæredem reliquit; de cujus manu vel potestate, ut supra diximus, tali conventione extraximus, ut pretium mille solidorum daremus; cujus pretii existimationem omnino solvimus, quamvis maximo labore secundum conventionem. Nam mulam optimam & unum caballum secundum ipsius electionem pro septingentis solidis dedimus in pretium, insuper ex bona moneta trecentos solidos denariorum.

Qua firmata conventione coram plurimis testibus, ex integro dedit super altare sancti Petri, quod tunc temporis videbatur possidere; & hoc ita libere &

abſolute, & tali ratione, ut nullus umquam ex ſuis heredibus, & nulla alia quælibet ſuſpecta perſona ullam vim monachis intuliſſet, ſed ſanctus Petrus cum ſuis proprie in dominio in perpetuum poſſediſſet & ut in ſua vita & omnibus locis auctoriſaret, & legaliter confirmaret cum textu Evangeliorum, & ligno Dominicæ crucis Deo in præſentia plurimorum promiſit, & duos fidejuſſores ſcilicet vicecomitem Rugerium de Gavaret, & Guillelmum Arnaldum de Vilera, in manu fratrum dedit ea ratione, ut ſi eam umquam vel ipſe comes ſeu ullus ſuorum, vel cujuſcumque perſonæ homo, diabolo inſtigante, vim vellet inferre, vel ulla occaſionis intentione placitum commonere, ipſi in fidelitate Dei & ſancti Petri placitarent, & ſi opus eſſet, & contra omnes defenſarent.

Quæ ſequuntur in tomo XIII. Spicilegii p. 459. non ſunt ex contextu epiſtolæ Seguini abbatis, ſed pertinere videntur ad hiſtoriam MS. hiſt. Condom. hoc tomo Spicilegii 13. contentam.

V.

Ex biblioth. Colb. tir. 65 concernant les maiſons de Foix, Armagnac, Rhodez, Albret, Navarre &c. depuis l'an 1510. juſqu'a l'an 1514.

Bulla Julii II. qua vetat ne cedente vel decedente Marra Condomienſi præſule, alius præter cardinalem Amanevum de Albreto eligatur.

JULIUS epiſcopus, ſervus ſervorum Dei univerſis & ſingulis præſentes litteras inſpecturis ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Cum jamdudum felicis recordationis Alexander papa VI. prædeceſſor noſter in adminiſtratorem eccleſiæ Condomienſis, tunc paſtoris ſolatio deſtitutæ, dilectum filium noſtrum Amanevum S. Nicolai in carcere Tuliano, de conſilio fratrum noſtrorum, de quorum numero eramus, præfecerit: & quidam frater Johannes de Marra, pro electo ſe gerens, nihilominus in illa ſe intruſit, a qua illum fultum præſidio quorumdam judicum ſecularium expellere nequivit, prout nequit, in præjudicium noſtrorum & ſedis noſtræ, ac ipſius cardinalis damnum, & gravamen non modicum. Nos cupientes eumdem cardinalem in futurum a ſimili moleſtia liberare, & præcipue Sedis iſtius auctoritatem vigere, ut decet, non ut ipſi cardinali morem geramus, quanquam illi non immerito plurimum afficimur; ſed ut auctoritas ipſa integra perſiſtat, dilectis filiis capitulo eccleſiæ Condomienſis ordinis S. Benedicti, in virtute ſanctæ obedientiæ, ac ſub excommunicationis latæ ſententiæ, & privationis omnium & ſingulorum beneficiorum & officiorum eccleſiaſticorum ſuorum pœnis, quas quemlibet eorum contra faciendo ipſo facto incurrere decernimus, per præſentes diſtricte eis & eorum ſingulis præcipiendo mandamus, ne dicto Johanne de Marra intruſo cedente vel decedente, aut alias eccleſiam prædictam dimittente, ad aliquam electionem ſeu poſtulationem procedant; nos enim quamcumque poſtulationem ſeu electionem quas per eos alias quam ut præfertur fieri, necnon quidquid ſecus a quoquam ſuper his attemptari contigerit, ac inde ſecuta quæcumque, irrita & inania, ac nullius roboris vel momenti fore, authoritate apoſtolica decernimus. Datum Bononiæ anno Incarn. Dom. M. D. X. pridie idus Octobris, pontificatus noſtri anno ſeptimo.

INSTRUMENTA AD ENGOLISMENSEM ECCLESIAM SPECTANTIA.

I.

Ex chartulario cathedral. eccleſiæ Engoliſm.

Gumbaldus Engoliſmenſis epiſcopus jubet ut quicumque in territorio urbis Engoliſmæ vineas plantare voluerit, pro unoquoque juncto terræ quatuor ſolvat denarios.

SANCTORUM decrevit authoritas ..... Propterea igitur ego Gunbaldus qui per donum Dei Æqualiſmorum eccleſiæ epiſcopus præſſe exiſto, prævidi naufragium, vel confractam poteſtatem ſancti Petri ſenioris canonice ipſius civitati, quomodo a paganorum perſecutione poteſtas ipſius eccleſiæ erat proſtata, & a perfidis chriſtianis erat confuſa. Propterea inivi conſilio cum canonicis ipſius eccleſiæ, vel nobilium laïcorum, ut quicumque homo, ſive clericus, ſive laïcus infra duos miliarios circa ipſius civitatis, in ipſo territorio, quod ſancti Petri poteſtas adeſſe videtur, aut militare, aut vineas ædificare voluerit, pro uno quoque juncto, ſimiliter & pro plurimis quatuor denariis in feſtivitate ſancti Petri ad poteſtatem ipſius eccleſiæ per ſingulos annos poſt quinquennio tranſacto reddere cenſuimus ..... Gunbaldus epiſcopus firmitate a me facta. Eroiginus archidiaconus. Godinus levita. Marcellus levita. Item Frotterius claviger S. Petri. Adalramnus præpoſitus. Item Eroigius ſacerdos ſeu Coraula. Iſſo abbas ſive claviger S. Eparchii. Gauſleno vicecomite. Adalmando vicario. Data in menſe Nov. anno XXV. regnante Carolo filio Ludovico regi.

II.

Ex eodem chartulario.

Guillelmus comes Engoliſmenſis cedit eccleſiæ cathedrali eccleſiam ſancti Bibiani.

GLorioſiſſimo domino & michi poſt Deum fortiſſimum patronum ſancto Petro principem apoſtolorum, cui traditæ ſunt claves januæ celeſtis, in cujus honore vel pontificium in Equaliſma civitate eccleſiæ ſenioris canonicæ, ubi domnus Ebulus epiſcopus rector præſſe videtur. Ergo nunc venerabilis Guillelmus comes, conſideravi fragilitatem hujus ſæculi ..... cedo ad prædictum locum ſancti Petri, ſuiſque canonicis, in communia fratrum, in pago Sanctonico, in vicaria Pedrezacinſe, in villa quæ vocatur Tavaniaco, capella mea, quæ eſt fundata in honore ſancti Bibiani, cum manſibus & mancipiis dede .... *(hic plures villæ a Guillelmo comite conceſſæ nominantur, ſed ſine ulla temporis nota.)*

III.

Ex tabular. cathedr. eccleſ.

Willelmus comes Engoliſmenſis quædam tribuit eccleſiæ cathedrali.

WILLELMUS comes beatiſſimo Petro, in cujus honore mater eccleſia Engoliſma in civitate miro labore conſtructa flaveſcit, urgente in ea Hugoni epiſcopo (tribuit) ante feſtivitatem S. Johannis Baptiſtæ ſeptem diebus & dimidium, duas partes de venda, ſicut olim tertiam partem, id eſt vicecomitalem ipſa ſedes habere videbatur.

IV.

Ex eodem tabulario.

Grimoardus Engoliſm. epiſcopus dat eccleſiæ ſuæ nonnulla altaria & ſacriſtiam.

IN nomine Domini Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti Grimoardus epiſcopus Divina ordinante providentia. Notum ſit omnium fidelium Chriſtianorum præſentium & futurorum ſolertiæ, quia me ſuperno amore accenſo, pro remedio animæ meæ & omnium catholicorum, ut pius Dominus peccaminum noſtrorum maculas tergere & ſupernis civibus adſciſci dignetur, dono atque dimitto altare Equaliſimorũ matris eccleſiæ, quod olim fundatum eſſe videtur in honore beatiſſimi Petri apoſtolorum principe, cum altario S. Michaële, necnon & ſancto Stephano, videlicet & ſancto Hilario, cum ſegreſtania, hoc eſt manſus de Tornaco .... Hæc omnia ſuperius conſcripta ad ſtipendia fratrum ibidem Domino militantium, ea ſcilicet conditione, ut quandiu in hac luce permanſero, nocturnis horis pro me Pſalmum Daviticum decantare ſtudeant, atque in celebrationibus miſſarum cotidianis diebus propciam miſſam decantent. Poſt diſceſſum quoque meum ſimili modo, ſicut mos eſt, defunctorum celebrare non deſiſtant,& omnibus diebus unum pauperem in helemoſynam teneant ..... *abſque temporis inſcriptione. Sic autem explicit inſtrumentum* : ut manibus meis ſubterfirmavi, & canonicis ipſius loci adfirmare rogavi, & nobilibus laïcis firmari. Similiter diſpoſui tempus per omne ut domum capitis ipſius eccleſiæ cooperire & gubernare atque exornare procurent. *In margine autem legitur*: Omnes iſti epiſcopi excommunicatio affirmant. Grimoardus epiſcopus & Iſlo epiſcopus.

V.

Ex eodem tabulario.

Otgerius canonicus dat eccleſiæ cathedrali altare crucifixi.

1021. INitio naſcentis Eccleſiæ apoſtolorum pedes glomerabantur copia terrena fidelium, quo facilius ubertas frugum cœleſtium in mentibus fœcundans exuberaret eorum ..... itaque ego Dei ſervus S. Petri Engoliſmenſis eccleſiæ matris canonicus nomine Otgerius, ſpem animæ meæ committens ſancto vultui Crucifixo, ſancto que altari ad pedes ejuſdem Crucifixi fundato in monaſterio S. Petri memoratæ civitatis, quia utraque Domino annuente a me ſunt condita ex proprietate mea, cum conſilio timentium Deum volo generalitatem ex hoc perpetuam fieri. Igitur ut perpetualiter deveniat communialiter ad generale dominium omnium clericorum iſtius loci hoc altare ..... S. ſancti patris domni epiſcopi Engoliſm. Rohonis & omnium clericorum ejus. S. Arnaldi epiſcopi Petragoric. S. Iſlonis epiſcopi Santonicenſium; & omnium clericorum ſupradictorum epiſcoporum ſubſcriptio, IV. Kal. Februarii anno M. XXI. ab Incarn. Indict. III.

VI.

Ex eodem tabular

Guillelmus I. Engoliſmenſis epiſcopus bona ad hoſpitalitatem exercendam canonicis conceſſa, & injuſte poſtmodum ablata reſtituit.

1063. IN Dei nomine ego Willelmus Engoliſmenſis epiſcopus ad hoc cathedræ epiſcopali me ſublimatum agnovi, ut *quod perierat requiram, & quod abjectum reducam, quod erat fractum ſolidem, & quod pingue & forte cuſtodiam.* Ego igitur Dominicæ præceptum inſtitutionis pro poſſe fragilitatis noſtræ exequi deſiderans, opus eximiæ caritatis quod noſtrorum anullatum erat incuria prædeceſſorum reſtaurare diſpoſui, miniſterium ſcilicet hoſpitalitatis. Quia enim Dominus in Evangelio, *hoſpes*, inquit, *eram, & collegiſtis me; nudus eram & cooperuiſtis me; eſurivi & dediſtis mihi manducare; ſitivi & dediſtis mihi bibere*, & cætera hujuſmodi, quid aliud innuit niſi ut ad eam caritatis accingamur adoperationem, per quam æternæ beatitudinis ſortiamur retributionem. Unde bene a patribus primis inſtitutum, ſed male a poſteris ordinatum injuſte poſſidentium de manibus hopitalitatis beneficium eripui, & juſto ordine canonicis reſtitui. Ea tamen ratione ut per dies ſingulos reficiant pauperes, ex quibus unum pro ſalute animæ domni Grimoardi epiſcopi & defunctorum omnium noſtræ congregationis fratrum deputavimus colligendum. Pro peccatis vero & negligentiis vivorum, alium. Noſtris vero, ſalutari pro commemoratione, diſtinximus tertium. Statuimus quoque ut Quadrageſimali tempore omni die tredecim ad refectionem colligantur, quibus devota humilitate miniſtretur. Statuimus,& hoc perpetuo manere decrevimus in præſentia & adſtipulatione domini Andronici Burdegalenſis metropolitani, & domini Willelmi epiſcopi Agennenſis, domini quoque Arnulphi Sanctonenſis epiſcopi, & domini Hicterii Lemovicenſis epiſcopi, domini etiam Willelmi Petragoricenſis epiſcopi, regnante D. N. J. C. anno II. regni Philippi regis; ab Incarn. vero Domini anno M. LXIII. menſe III. XI. menſis.

Matt. 25. v. 35. 36.

VII.

Ademari Engoliſmenſis epiſcopi charta, de electione Amati in archiepiſcopum Burdigalenſem,& donis monaſterio S. Maxentii factis.

EGO ADEMARUS Dei gratia Engoliſmæ ſedis epiſcopus, fui Santonas ad ſinodum in qua ab omnibus nobis Amatus Burdegalæ civitati archiepiſcopus electus eſt; ubi nobis ſatis convenienter abbas Adam ſancti Adjutoris Maxentii ſervivit & honoravit. Nobis quoque amore ſancti Maxentii placuit ei dare cum conſilio clericorum meorum eccleſias de epiſcopatu meo Floriaci & Uraci; quarum prima conſtructa eſt in honore S. Remigii, alia in honore S. Bibiani. Hoc donum firmavit mecum Achardus archidiacomus meus, & Arnaldus de Porta, videntibus monachis & laïcis qui ibi aderant, Imberto cantore, Johanne monacho, Radulpho Groſſo, & Johanne Marmoreo.

1088

Sequenti tempore Giraudus capellanus harum aeccleſiarum veniens ad monachicum habitum in manu Goffredi monachi, conceſſit eas pio Adjutori Maxentio, videntibus Arnaldo clerico nepote ſuo, Audeberto &c. anno ab Incarnat. Domini M. LXXXVIII. præſidente Guillelmo comite in Aquitania.

Sequenti item tempore idem ipſe Ademarus ſedens in capitulo S. Petri Engoliſmæ, venit ad me Garnerius abba ſucceſſor Adæ; & ego eis eaſdem aeccleſias cum illa de Montebo quæ in honore S. Salvatoris eſt conſecrata, dedi videntibus iſtis teſtibus Achardo archidiacono, Rainaldo epiſcopo Petragoricenſi, Ugone abbate, Arnaldo de Porta &c. & multis aliis ibi ſedentibus. Hoc donum affirmavit Guido de Roca, cujus juris erat, in camera ſua, videntibus Fulcaudo de Salacans, & Guidone Davit. Jordanus de la Branda firmavit hoc donum vidente Giraudo Ulrico; Stephanus de Jarnac & Goffredus frater ejus ad Vitrac cum miſſallo aeccleſiæ, videntibus Goffredo Rotberto, & Audierio de Vitrac. Guido Davit & Oſbertus frater ejus ante aeccleſiam, videntibus Rotberto Letgerio & Bernardo epiſcopo, &c. anno ab Incarnat. Domini M. XCVIII. Indictione V. Guillelmo in Aquitania & Philippo rege in Francia.

Ex chartulario S. Maxentii Pictav. cap. tt. xxiii. pag. 287.

VIII.

Ex prædicto tabular. *Ademarus Engolism. epiſcopus ſacrorum cuſtodis nominationem ſibi attribuens, a canonicis in jus vocatur, cauſa cadit, & litis definitioni conſenſit.*

1089. HOc donum Grimoardi epiſcopi inviolatum nec contradictum tenuerunt canonici ejuſdem eccleſiæ ſub temporibus trium epiſcoporum poſt Grimoardum ſibi ſuccedentium. Succedente autem quarto Ademaro epiſcopo, XIII. præſulatus ipſius anno, contigit defunctum eſſe Ucberum, qui ſacrorum cuſtodiam, quam vulgo ſegreſtaniam vocant, a primis annis Willelmi epiſcopatus uſque ad XIII. dictum ſuperius annum ipſius Ademari epiſcopi obtinuit. Defuncto igitur Ucberto Ademarus epiſcopus tentavit ſibi uſurpare ſacrorum cuſtodis conſtitutionem, tali ſcilicet modo, ut quem ſuo arbitrio eligeret, volentibus aut nolentibus canonicis, cuſtodem ſacrorum ſtatueret. Quod fieri renitentes canonici, rationem cum eo habuerunt, & ex utraque parte ſtatutus eſt dies quo utriuſque partis cauſa ageretur. Canonici vero miſſa legatione ad Petragoricenſis & Xanthonicenſis eccleſiæ clericos, ſibi advocaverunt, & quot poterant ex eis convenire fecerunt. Diu igitur ventilata partis utriuſque cauſa, tandem judicatum eſt, ut * quem ex teſtamento Grimoardi epiſcopi in proprietatem canonicorum ceſſerat ipſius ſegreſtianæ poſſeſſio, jure etiam eorum ſacrorum cuſtodis ſit conſtitutio; ita ut ipſi quem idoneum ſciant ad hoc, bonis quidem probatum moribus, ſua eligant ex congregatione, quem illius temporis annuente epiſcopo conſtituant, &c.

* quum.

Factum eſt hoc anno ab Incarn. Dom. M. LXXXIX. in perpetuum imperante Domino Jeſu Chriſto, & in Galliis regnante Philippo, XIV. ejuſdem Ademari præſulatus anno, menſe V. menſis ejuſdem die XII. Ind. VII. luna XXX. ſub teſtibus & cauſæ utriuſque auctoribus Ramnulpho abbate cœnobii S. Amandi, Agno quoque priore cœnobii S. Pauli ſub oppido Botonevillæ ſiti, & Iterio monacho & procuratore cœnobii S. Eparchii, Petro etiam priore in cœnobio S. Dionyſii in valle Montis-morelli poſiti. Interfuerunt duo eccleſiæ Xantonenſis canonici Petrus Vitalis & Arduinus, & omnis congregatio canonicorum ejuſdem eccleſiæ ſancti Petri. Affuerunt autem laïci, Audoinus Oſtendi, & Gauſcelmus Raimbaldi, & Gerardus Remaldi, & Willelmus Boniparis, &c.

IX.

Ex eodem tabular. *Præpoſitura Juliacenſis, quæ plurimorum malorum occaſio fuerat, ſupprimitur; ab Ademaro & capitulo exercenda, prout melius judicaverit, aſſignatur.*

1096. IN nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti. Ego Ademarus gratia Dei S. Engoliſm. eccleſiæ pontifex humillimus, notum fieri volo ſucceſſuris & præſentibus, quia adierunt humilitatem noſtram eccleſiæ, cui Deo authore præſideo, canonici, ſupplicantes quatenus præpoſituram unam quæ juris pontificalis erat, communitatis eorum victualibus profuturam concederem. Præpoſitura ſi quidem ipſa per ſuccedencia temporum curricula ad nos uſque hæreditario more poſſidebatur, & aperta venalitate diſtrahebatur. Quod quantum divinis inſtitutionibus adverſum fuerit, quam elimanda ſimonia proceſſerit, quicumque ſanum ſapit facile dijudicat. Quiſquis enim præpoſitus ambitione hæreditativa ſucceſſione pecunia promovebatur, neceſſario diaconus habebatur, & inolita conſuetudine ebdomadarius levita in Dominica Reſurrectione deputabatur. Propterea in tantum pravæ conſuetudinis labes pullulaſſet, ut præpoſiti, maxime ſuis utilitatibus dediti, communes canonicorum poſſeſſiones diſtraherent, & propriis uſibus res diſtractas applicarent. Super quam ſacrilegii injuriam cum canonici perſæpe conqueſti fuiſſent, aliquando contigit ut proviſor rerum canonicarum ſub præpoſito canonicus conſtitueretur conſilio epiſcopi & canonicorum aſſenſu electus. Unde accidit ut homines villicationis illius, malivolo præpoſiti conſenſu conſili, in canonicum inſurrexerint, mortique tradiderint. Cum autem tantis calamitatibus res fratrum agitari perpenderem, imo ipſam tribulari eccleſiam conſpicerem, tactus gravi dolore cordis intrinſecus, fraternis quoque inclinatus ſupplicationibus, ut etiam ſimoniaca hæreſis quæ in hac præpoſitura adhuc erat reſidua, ab eccleſia noſtra extirparetur radicitus, habita mecum, imo cum ſpiritualibus viris & proceribus noſtris diligentiſſima deliberatione, Spiritus ſancti cooperante conſolatione, in capitulo S. Petri Engoliſm. præpoſituram ipſam in canonicorum transfudi uſus, ut ab hodie in perpetuum nulla in eadem præpoſitura ſubſtituatur per quemlibet epiſcopum perſona, nulla exerceatur venalitas, nulla dominetur poteſtas; ſed canonici prout eis melius viſum fuerit, communi conſilio procuratores, judices, decimarios, vel quoſlibet proviſores ſibi diſpenſent, & quidquid præpoſitus ſuis proprietatibus delegare ſolebat, canonici ſuæ communitati mancipent. Præterea pro diuturna præpoſitorum abuſione multi fevi de rebus ſanctuarii laïcis dati erant, quos pro longa retentacione non pro recognita juſtitia ſicut erant, perpeſſi ſumus, tamen & illud canonicis conceſſimus, ut in quacumque die a fevatis illis fevos illos extorquere canonici valebunt, extorqueant, & abſque ulla contradictione noſtra vel ſucceſſorum noſtrorum poſſideant. Erat autem hæc præpoſitura in pago Sanctonico, in villa Juliaco, & in quibuſdam locis circumadjacentibus. Ut autem donatio hæc firmior & inviolabilior permaneret, Engoliſm. comitem Willelmum Tallifer nepotem meum, & Fredelandum iterum nepotem meum in teſtimonium vocavi, ipſis & videntibus & concedentibus confirmavi, donum ſub altare manu mea poſui, plures alios ex utraque parte teſtes adjunxi. Iſta fideliter conſervantibus pax & noſtra pontificalis abſolutio; his autem obviantibus, hoc perturbantibus veniat omnis maledictio, & eis obviet quam propterea fecimus in ſynodo plenaria noſtra ſub anathemate excommunicatio, eidemque noſtræ excommunicationis ſuper inquietatores, ſi qui emerſerint, a D. papa Urbano per ſupplicationem noſtram nobis applaudente corroboratio, & a regno Dei niſi reſipuerint eliminatio. Feci enim hanc donationem tam pro ſalute ſucceſſorum noſtrorum, pro eccleſiæ noſtræ tranquillitate, pro filiorum & cariſſimorum fratrum noſtrorum communi familiaritate, pro extirpanda ſimoniacæ hæreſeos ſucceſſiva radice. Actum Engoliſmæ ſolemniter, in capitulo S. Petri, & ſicut dictum eſt ſynodali excommunicatione corroboratum; anno Dominicæ Incarnationis M. XCVI. Indict. III. anno pontificatus domini papæ Urbani II. qui id ipſum ſuo confirmavit, VIII. Ademari Engoliſm. XX. Philippo Francorum rege, Willelmo Tallefer Engoliſm. comite. † S. Ademari epiſcopi. S. Baldrici abbatis Burgulienſis. S. Marbodi archidiaconi Andegavenſis. S. Jordani Cabarnenſis. S. Willelmi Tallefer comitis.

X.

Digitized by Google

X.

Ademari Engoliſmenſis præſulis epiſtola ad Urbanum papam qua ſe excuſat quod ad Claromontenſe concilium non proficiſcatur, & poſtulat ut confirmet a ſe definita circa præpoſituram de Juliaco.

Ex ſcript. citato tabul.

DOmino papæ Urbano Engoliſm. eccleſiæ ſacerdos indignus Ademarus ſalutem & debitam obedientiam. Quoniam Arvernis, ubi me vocaſtis, Pater Reverende, adeſſe non poſſum, graviter tolero; adſum tamen præſens ſpiritu, per omnia mandatis veſtris obediturus, quem gravis incommoditas a veſtris modo defraudat jocundis obtutibus. Ut enim verum fatear, præter illa quæ circa nos ſunt quoridiana bellorum incommoda, tanta me corporis infirma affecit imbecillitas, ætatis ingraveſcens ponderavit antiquitas, ut equitandi laborem amiſerim, ipſa vita michi pene ſit oneri. Excuſatam igitur habeat gravedinem, imo impoſſibilitatem meam veſtra paternitas, & compatiatur pedibus veſtris proſtrato ſeni diſcretionis apoſtolicæ manſueta caritas. Præterea unum quid, domine mi, veſtræ ſuggero paternitati, quem ut dignum eſt, favoralis exhilarate viſitatione reſcriptionis. In eccleſia michi commiſſa, præpoſitura quædam fuit, quæ ab antiquo & per precium & per ambitionem adquirebatur, & quaſi jure hæreditario poſſidebatur. Hanc quoniam præceptis veſtris, ut pote canonicis, obedire volebam, in communes uſus canonicorum noſtrorum, Deo gratias, in commune viventium in perpetuum profutura transfundens attribui. Et ne de cætero eis auferatur, ſcripto & excommunicationis noſtræ officio confirmavi. Supplico igitur paternitati veſtræ, ut particeps ſitis ejuſdem eleemoſinæ, ut ſuper inquietatores, ſi qui emerſerint, gladium S. Petri extendatis, & tuitione veſtra eccleſiam Engoliſmenſem lætificetis, & reſpectu apoſtolico quod canonice petimus corroboretis. Orantem pro nobis paternitatem veſtram Dominus ad perpetuam dirigat tranquillitatem.

XI.

Urbani II. papæ epiſtola ad canonicos Engoliſmenſes, qua præpoſituræ de Juliaco attributionem ipſis ab Ademaro factam confirmat.

Ibidem.

1096. URBANUS epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectis filiis Engoliſm. eccleſiæ canonicis ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Officii noſtri nos hortatur authoritas pro eccleſiarum ſtatu ſollicitos eſſe, & quæ recte ſtatuta ſunt ſtabilire. Illam igitur conſtitutionem, quam venerab. frater noſter Ademarus epiſcopus de præpoſitura illa conſtituit, quæ eſt in villa Julliaco in pago Sanctonenſi, nos litterarum præſentium authoritate firmamus. Conſtituimus enim ut præpoſitura eadem nulla unquam venalitate diſtrahatur, nulla unquam vel conſanguinitatis, vel ſucceſſionis occaſione fratrum communiter in Engoliſmenſi eccleſia viventium gubernationi & victui ſubtrahatur; ita ut nec epiſcoporum Engoliſmenſium alicui liceat illius villæ ſeu præpoſituræ redditus in uſus alios vendicare, ſed tam ipſa quam cætera quæ juſte hodie poſſidetis, & quæcumque vel de amiſſis recuperare, vel aliunde legitime poteritis adquirere, vobis veſtriſque ſucceſſoribus in communi vita permanentibus integra ſemper & illibata permaneant. Si quis vero conſtitutioni huic & decreto noſtræ authoritatis pertinaciter contraire temptaverit, per convenientes inducias monitus, niſi ſatisfactione congrua emendaverit, S. Spiritus gladio & apoſtolicæ diſtrictionis ultione plectatur. Data apud Clarummontem Arvemiæ XI. Kal. Dec. per manum Johannis S. R. E. diaconi cardin. Ind. III. an. Dom. MXCVI. pontif. domni Urbani II. P. P. VIII.

XII.

Charta Willelmi comitis Engoliſm. teloneum ſalis canonicis majoris eccleſiæ concedentis.

EGO WILLELMUS TALEYER comes Engoliſm. & Vulgrinus filius meus, donamus & concedimus B. Petri majori Engoliſmenſi eccleſiæ & ejuſdem loci canonicis theloneum ſalis quod habemus in nave Baſſellis, excepta parte B. Eparchii. Hoc autem donum facimus pro noſtrarum noſtrorumque parentum redemptione animarum in præſentia Ademari epiſcopi, Mainardi Cramalli, Iterii Archembaldi. S. Willelmi comitis †. S. Vulgrini †.

XIII.

Charta Petri I. Engoliſm. epiſcopi, qua declarat monaſterium S. Eparchii a jure abbatiæ Angeriacenſis eſſe liberum.

Ex chartul. Angeriaci & S. Eparchii Engoliſmenſ.

QUoniam controverſiarum deciſiones, ſive aliæ quælibet facta de facili ab humana recedunt memoria, ego Petrus Dei gratia Engoliſm. epiſcopus, ad cavendam iteratæ litis vexationem, concordiam quæ inter eccleſiam Angeliacenſem & eccleſiam S. Eparchii, in præſentia D. W. Dei gratia tituli S. Petri ad vincula preſbyteri cardinalis, & S. Sedis apoſtolicæ legati, & noſtra, & D. M. Andegav. epiſcopi, & aliorum religioſorum quamplurium facta eſt, duraturis commendare ſcriptis neceſſarium duximus. Cum enim Angeliacenſis eccleſia eccleſiam S. Eparchii ex antiqua Engoliſm. epiſcopi & comitis donatione ad jus ſuum pertinere, & per ſe abbatem & priorem, & alias perſonas in ea debere conſtitui aſſereret; econtra vero eccleſia S. Eparchii ſe ab illius ſubjectione prorſus liberam fore & immunem aſtrueret, P. abbas Angeliac. & fratres ſui quamplures primo apud Andegavum in præſentia D. legati & noſtra, præſentibus etiam B. Xantonenſi epiſcopo, & E. archidiacono, & He... decano Xanton. & P. B. Martialis abbate, eccleſiæ S. Eparchii ſub ectionem & obedientiam, quam ab ea exigebant remittentes, omnimodam libertatem conceſſerunt, ſecundo vero in capitulo B. Petri Sedis Engoliſm. in præſentia noſtra, præſente Geraldo abbate S. Eparchii, & R... priore ejuſdem eccleſiæ, Jordano, Bertrando, Arnaldo, & Geraldo monachis ſuis; deinde tertio in capitulo S. Eparchii, eiſdem præſentibus, & toto conventu; quarto vero & ad ultimum in capitulo S. Johan. Angeliac. in feſtivitate apoſtolorum Philippi & Jacobi, toto conventu aſſenſum præbente, prædicta libertas & ſubjectionis immunitas præfatæ eccleſiæ B. Eparchii in præſentia quoque noſtra conceſſa eſt. Huic ultimæ conceſſæ libertati interfuerunt G... abbas S. Eparchii, & quam plures monachi ſui, B... prior, R... ſacriſta, R. prior de Agernaco, B... prior de Marciliaco, Jordanus, Wi... vicarii. Interfuit etiam Joſ. abbas S. Amantii, Kal... archidiac. Jo... theſaurarius, & Gombaldus canonicus Engoliſm. Nos vero huic providentes tranſactioni, eccleſiam de Aent cum decimis ſuis & omni jure ſuo in recompenſationem eccleſiæ Angeliac. donavimus, & etiam ſuper eodem dono contra omnes calumniatores authoritatem & defenſionem ſecundum juſtitiam eidem exhibituros nos & ſucceſſores noſtros conceſſimus. Hæc autem donatio primo a nobis apud Andegavum, in præſentia & manu D. legati cum baculo Senieus epiſcopi facta eſt, præſentibus D. abbate Angeliac. & quamplurimis monachis ſuis, Willelm. videlicet Camborlereo, B. de Pardella, Wil. de Laulay; ſecundo vero in capitulo Sedis Engoliſm. toto conventu aſſenſum præbente; tertio in capitulo S. Eparchii; quarto & ad ultimum in capitulo Angeliac. in feſtivit. apoſt. Philippi & Jacobi in facie totius conventus. Si quando

1161.

etiam Cluniac. eccleſia abbatiam S. Eparchii ſupradictam ſubjectionem in ea exigendo moleſtare tentaverit, Angeliac. abbas & ejus ſucceſſores ſecundum juſtitiam, authoritatem ei & defenſionem in judicio præſtare teneantur intereſſe, & quod acceperunt reſtituturi, niſi fecerint. De ordine autem concordiæ præfatæ & exigentia nobis & ſucceſſoribus noſtris pro ipſa eccleſia & decima xx. ſolidos inforciatorum in feſtivitate omnium ſanctorum abbas Angeliac. & ejus ſucceſſores annuatim perſolvent. Hoc autem totum factum eſt de collaudatione & arbitrio D. legati prædicti, in cujus manu ego & uterque abbas, videlicet Angeliac. & S. Eparchii, ut ſuo ſtaremus arbitrio & voluntati nos poſuimus, anno ab Inc. Dom. M. C. LXI. pontificatus D. Alexandri papæ III. anno II. Ego Petrus Engol. epiſcopus. Ego Kalo archidiac. Ego Johannes theſaurarius. Ego Gumbaldus canonicus.

XIV.

Exantographo archivi decani Engoliſ. & ex chartulario epiſcopali. 1213.

Charta erectionis decanatus in primam Engoliſmenſis eccleſiæ dignitatem.

WILLELMUS Dei gratia Burdigalenſis archiepiſcopus, Petrus decanus Xantonenſis, & magiſter Guillelmus prior de Royano, Willelmo Divina providentia epiſc. & capitulo Engoliſmenſi in perpetuum. Cum de præficiendo in eccleſia veſtra decano ſub certa forma mandatum ad nos Sedis apoſtolicæ deſcendiſſet, univerſis veſtrum, & ſingulis die ad hoc ſtatuta, coram nobis in veſtro capitulo congregatis, vos, domine epiſcope, cum archidiacono, theſaurario, cantore, ſacriſta & ſex aliis. Metuentes vobis & dignitatibus veſtris præjudicium impoſterum generari, petitioni a pluribus de capitulo factæ de magiſtro Ameneo in decanum præficiendo præmittentes in primis, poſtmodum operante illo qui facit utraque unum, ut janua diſcordiæ, quæ videbatur aperta inter partes videlicet prædictas & alios de capitulo, perenniter clauderetur, univerſi & ſinguli diſpoſitioni noſtræ in omnibus & per omnia diſſentiones ſuper theſauraria, cantoria & magiſtriſcolaſtu & vota veſtra ſub corporalis juramenti vinculo contuliſtis. Sic igitur magiſtro Amaneo de communi conſenſu capituli canonice coram nobis electo, & a vobis, domine epiſcope, poſtmodum confirmato de conſenſu veſtri capituli, necnon de prudentium virorum conſilio ſtatuimus & ſic providimus in veſtra eccleſia perenniter obſervandum, videlicet quod capitulum perpetuo abſque pontifice decanum libere eliget, & electus a capitulo epiſcopo præſentabitur, & epiſcopus confirmabit electum, niſi perſonæ electæ vel electioni obviaret aliquid de canonicis inſtitutis. Dotavimus inſuper decanatum de communi conſenſu omnium in hunc modum: percipiet enim decanus duas præbendas canonicales & dimidiam integre, & de communitate per annos ſingulos decem libras, donec eccleſiam de Flayac vacare contigerit; qua vacante, & in proprietatem decanatus converſa, a præſtatione decem librarum communitas fiet immunis. Percipiet inſuper medietatem terræ du Mayne quæ ad capitulum dignoſcitur pertinere; decanus ſiquidem confirmatus, in urbe & in ſuburbio in cauſis tractandis juriſdictionem plenam habebit, ſalva epiſcopali juriſdictione. Præterea in hominibus capituli, & injuriis ſibi factis, & terris propriis, juriſdictionem plenam habebit ubicumque cauſam tractare voluerit, & decanus poterit vocare quoſlibet qui ſunt in epiſcopatu ad civitatem & ſuburbia, & ibidem audire cauſas, condemnare & punire pœna canonica contumaces; extra tamen civitatem vel ſuburbia non cognoſcet, ſalva tamen juriſdictione epiſcopali, qui de iis poterit cognoſcere, etiam præſente decano. Præterea etiam ſtatutum fuit quod in omnibus primum locum poſt epiſcopum obtineat decanus. Homagia univerſa fidelitatis quæ ad capitulum pertinent fient decano, & achaptamenta erunt ejuſdem. Sigillum ſacriſta per manum decani habebit, jurans quod nihil ſine conſenſu decani & majoris partis capituli ſigillabit. Decanus etiam habebit primas domos vacantes, quas ſcilicet viderit competentes, niſi fuerint domus quæ poſſidentur nomine dignitatum. Si epiſcopus aliquibus de urbe vel ſuburbiis ſive de toto epiſcopatu diem in civitate aſſignaverit, in abſentia ejus decanus de cauſis illis cognoſcet, niſi epiſcopus aliquas de extrinſecis aliquando alii duxerit delegare, matrimoniales cauſas audiet decanus in civitate & ſuburbiis, ſi archidiaconus conſuevit audire; epiſcopo ſiquidem in urbe & ſuburbio & in toto epiſcopatu juriſdictio ſua & jus ſuum atque coertio ſalva manet. In compenſationem vero hujus juriſdictionis quam archidiaconus in urbe & ſuburbiis habere conſueverat, dimidiam præbendam perpetuo percipiet, nec aliquam de cætero habebit juriſdictionem ibidem; ſed ſi aliquibus de epiſcopatu in urbe diem ſtatuit idem archidiaconus, ibi de cauſis illis, ſi voluerit, cognoſcet. Porro capitulum abſque pontifice in inſtituendis canonicis & præbendis ordinandis, ut epiſcopus abſque capitulo, nihil poterit ordinare. In vicariis ſeu baliis aſſignandis epiſcopus cum capitulo, ſi voluerit, interſit, ſalvo in omnibus jure ſuo; epiſcopus autem archidiaconatum, theſaurariam, cantoriam, & dignitatem magiſtriscolatus ſolus libere & perenniter ordinabit. Decanus vero primum ſtallum in choro a dextris poſt mortem Gardradi archidiaconi vel tranſlationem habebit, in quo poſtquam fuerit electus, & poſtmodum confirmatus, per manum cantoris debet ſolemniter inſtallari; poſſeſſiones etiam omnes, & alia jura quæ epiſcopus & archidiaconus & aliæ perſonæ habent & poſſident, integre & perenniter retinebunt, quibus ſua jura in integrum reſervamus, præmiſſis omnibus in ſuo robore duraturis; quæſtiones etiam omnes quas habebat capitulum contra epiſcopum & alias perſonas dignitates habentes, omnino remiſſæ ſunt & ſopitæ. Ad hoc univerſis & ſingulis veſtrum autoritate Sedis apoſtolicæ quam in diſpoſitione iſta de conſenſu ſingulorum & omnium ſpecialiter retinuimus, & expreſſe præcipimus in virtute & debito præſtiti juramenti, ut ſi forte quicumque ſuæ ſalutis immemor & quietis eccleſiæ perturbator contra epiſcopum vel quemlibet de eccleſia hujus occaſione ſtatuti vel contra ipſum ſtatutum intenter aliquid machinari, omnes & ſinguli extra epiſcopum tamquam excommunicatum & perjurum bona fide ſe ſtatuant, ſtatim & perenniter * defenſores; omnibus autem ſtatutum iſtud bona fide ſervantibus ſit pax hic, & in ævum. Actum eſt hoc publice in refectorio eccleſiæ noſtræ, Incarnati Verbi anno milleſimo ducenteſimo decimo tertio, menſe Novembrio. Aſtiterunt autem cum fieret hæc diſpoſitio una nobiſcum W. epiſcopus, magiſter Amaneus novus decanus, G. archidiaconus, Will. theſaurarius cantor, He ſacriſta, W. G. Xantonenſis archidiaconus, W. de S. Johanne, Hæ. de Gratia, J. Mabelli & nepos ſuus Helia de Feneſtra, R. Vigerii pœnitentiarius, Helia de Matorin, Iterius, J. Roberti, Audonius, Brodranus, Arneas, Ar. Seſcal. W. de Marcheio, J. Guyot, J. Guis, W. Ramulfi, Jordanus de S. Johanne, Hel. Arma, J. Marelli, J. nepos ſuus, H. de Monte-Morelli & L. Gros.

* definientes.

XV.

Excerptum ex actis originalibus in bibliotheca illuſtriſſimi D. de Coiſlin Franciæ ducis, epiſcopi Mettenſis (olim Segueriana,) titulo: Fondations d'Egliſes, *a folio 158. verſo & deinceps.*

Circa 1297.

INvenitur in litteris quod dominus Eſblo de Ruperforti, dominus de Torcio fecit homagium-ligium domino Roberto epiſcopo, pro fortalitio & reparo de Torcio cum pertinentiis. Poſt mortem dicti Eſblonis,

Digitized by Google

domina Hindia relicta ſua domina de Torcio, ratione A patrimonii ſui, fecit prædictum homagium domino Guillelmo epiſcopo pro dicto reparío de Torcio cum pertinentiis; & in ſeptenario dictæ dominæ Hindiæ venit dictus dominus Guillelmus epiſcopus perſonaliter apud Torcium, & ad introitum foſſatorum dicti reparii, quæ ſunt proximiora eccleſiæ de Torcio, epiſcopus mandavit dicto domino de Torcio quod portaret ſibi omnes claves dicti riparii, & etiam carcerum dicti loci, aſſerens ſe hoc jus habere in dicto ripario, quæ epiſcopo Engoliſmenſi debebant reddi omnes claves dum eſſet ibi, & ipſe debebat & poterat per gentes & cuſtodes ſuos cuſtodire & tenere dictum fortalitium cum pertinentiis & eccleſiis, equis domini de Torcio & familia, ſuos equos ſtabulare in marchociis dicti reparii, & incarceratos quos inveniret in ipſo reparío, B ſi eſſent condemnandi ad mortem, idem epiſcopus per gentes ſuas poterat condemnare, vel facere abſolvi per ſententiam, ſecundum quod ei videretur; & tenere & explicare locum tamquam verus dominus. Iſto modo dictus dominus de Torcio portavit claves reparii de Torcio, & tradidit dicto epiſcopo ad mandatum ipſius in introitu foſſatorum qui ſunt prope dictam eccleſiam, recognoſcens omnia præmiſſa vera eſſe in præſentia epiſcopi. Et exinde epiſcopus cum familia ſua & cum multis aliis qui ſequebantur eum, intravit tunc riparium & fecit de machoriis expelli omnes equos quos invenit ibi, & ſuos & familiæ ſuæ & eorum qui ſecum erant, ibi reponi. Claves vero reparii tradidit gentibus ſuis cuſtodiendas, ut ipſi aperirent & clauderent volentibus intrare & C exire, nomine dicti epiſcopi, & non alio, quod factum eſt. Epiſcopus etiam exiſtens in reparío fecit per gentes ſuas aperire omnes carceres loci, & cameras, ut ſi quos inveniret ibidem incarceratos, faceret de eis ut ſupradictum eſt. Et cum diu ſic fuiſſet in dicto reparío, ſic jus ſuum prædictum exercendo, prædictum dominum de Torcio præſentem, & confitentem eumdem epiſcopum ut prædeceſſores ſuos tale jus habuiſſe in dicto reparío ab antiquo, & habere, & volentem etiam per eſgardum curiæ, judicavit, prout moris eſt, de dicta confectione, recognitione & prædicto expleto; quod eſgardum idem dominus de Torcio approbavit. Et recedens de reparío idem epiſcopus cum dictis clavibus uſque ad dicta foſſata quæ ſunt prope dictam eccleſiam, ibidem recitavit jus ſuum prædictum dicto domino, & quæ jure ſuo utendo præmiſſa fece- D rat, quæ dominus de Torcio iterato recognovit præmiſſa; & fuit per eſgardum curiæ epiſcopi judicatum de iis; quo facto epiſcopus reddidit ei dictas claves, dicendo: commendo vobis iſtas claves, & cuſtodiam reparii hujus de Torcio, quo uſque nos vel ſucceſſores noſtri huc venientes, eas a vobis requiramus; qui dominus eas hoc modo recepit. Interfuerunt autem iis præſentes vero & teſtes rogati fratres P. Fontis-dulcis, Guillelmus Baſſiacenſis, &.....de Loco-Dei abbates, dominus Hymoſius, domino Roſino, dominus Guillelmus, dominus de Novo-vico & magna multitudo clericorum & laïcorum.

Poſt mortem vero dicti Eblonis, Eblo junior filius ſuus fecit dictum homagium epiſcopo Guillelmo; & poſt mortem illius Eblonis junioris, (caſu fortuito mortuus eſt & deceſſit ſine liberis,) dominus Savaricus de Vivaonamiles, habens in uxorem ſororem dicti Eblonis junioris, fecit dictum homagium epiſcopo Guillelmo, & in iſto & in omnibus aliis præmiſſis homagium fecit epiſcopo de redditione caſtri & clavium publice, illud idem quod in præcedenti pagina ſuperius eſt expreſſum & ſimiliter ex parte epiſcopi de eſgardo & commenda.

XVI.

Bulla Johannis papæ XXII. qua Galhardum ab Arelatenſi ſede ad Engoliſmenſem tranſlatum cum facultate ſemper utendi pallio, a juriſdictione archiepiſcopi & capituli Burdigalenſis eximit.

JOANNES epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri Galhardo epiſcopo Engoliſmenſi ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Perſonam tuam paterna proſequentes in Domino charitate, votis tuis libenter annuimus, in iis præſertim, quæ perſonæ tuæ quietem reſpicere dignoſcuntur. Sane pro parte tua fuit nobis humiliter ſupplicatum ut te, qui ex certis & rationabilibus cauſis per te tunc nobis expoſitis, regimini Arelatenſis eccleſiæ cui præeras ſponte ceſſiſti, quemve poſt hujuſmodi ceſſionem tuam per nos admiſſam, ad tuæ ſupplicis petitionis inſtantiam ad Engoliſmenſem eccleſiam tunc paſtore carentem authoritate apoſtolica, & de fratrum noſtrorum conſilio duximus transferendum, curam & adminiſtrationem ipſius tibi plenarie committendo, a juriſdictione venerabilis fratris noſtri archiepiſcopi & dilectorum filiorum capituli, & eccleſiæ Burdegalenſis metropolitanæ tuam eccleſiam Engoliſmenſem ad vitam tuam eximere de benignitate apoſtolica dignaremur. Nos igitur volentes in hoc perſonam tuam, cui per alias noſtras litteras uſum pallei ad vitam tuam duximus reſervandum; contemplatione præſertim ipſius pallei, in quo plenitudo pontificalis officii deſignatur, ſpecialiter honorare, perſonam tuam a juriſdictione archiepiſcopi, capituli & eccleſiæ prædictorum ex certa ſcientia noſtra, quamdiu præfueris eccleſiæ Engoliſmenſi prædictæ, eximimus de gratia ſpeciali, ita quod ſoli Romano pontifici de cætero ſubeſſe noſcaris, nec idem archiepiſcopus, vel ejus officialis, aut quivis alii in te, vel officiales aut vicarios tuos juriſdictionem aliquam valeant exercere, nonobſtantibus quibuſcunque privilegiis, & litteris apoſtolicis eiſdem archiepiſcopo, capitulo, & eccleſiæ Burdegalenſi conceſſis, etiamſi de ipſis plenam & expreſſam oporteret in præſentibus fieri mentionem; nos enim irritum decernimus & inane, ſi quid contra hujuſmodi exemptionem noſtram contigerit attentari; nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ exemptionis, & conſtitutionis infringere, vel ei auſu temerario contraire; ſi quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Avenione, nonis Martii, pontificatus noſtri anno ſecundo.

XVII.

Charta Hugonis Engoliſmenſis epiſcopi pro monaſterio de Groſſo-boſco. *Ex authenticis inſtrumentis.*

HUGO Dei gratia Engoliſmenſis epiſcopus dile- 1155. E ctis in Chriſto filiis Guillelmo abbati Fontis-vivi, ejuſque fratribus canonicam vitam profeſſis veram in Chriſto ſalutem. Caritatis pia devotio, & ſuſcepti a Deo epiſcopalis officii cura nos ammonet religioſis deſideriis facilem præbere conſenſum, ut juſta vota humilium de conſenſu noſtro celerem ſortiantur effectum. Eapropter, fratres kariſſimi, veſtris juſtis poſtulationibus annuentes, eccleſiam S. Petri de *Sofriniaco conſilio & aſſenſu canonicorum eccleſiæ S. Petri Engoliſm. ſedis, ſalvo jure & dignitate Engoliſmenſis epiſcopi, vobis veſtriſque ſucceſſoribus in perpetuum damus & concedimus, ut eam integre cum pertinentiis ſuis eccleſia veſtra in perpetuum habeat & poſſideat. Ut autem hæc noſtra donatio & conceſſio certior & *Sofiniac.

Digitized by Google

firmior habeatur, in hac carta propria manu subscripsimus, eamque sigillo nostro muniri fecimus. Huic donationi interfuerunt Chalo Engolism. thesaurarius, Guillelmus Vendrici sacrista, Geraudus Benedicti, Rainaldus de Monte-Berulfi, Petrus Charelli, Johannes de Senovila, & Focaudus de Veireires, sacerdotes & canonici. Hoc autem factum est v. Kalend. Novembr. Dominicæ Incarnationis an M. C. LV. Romano pontifice Dom. Adriano IV. Ludovico rege Francorum, Aenrico duce Aquitanorum, Willelmo Talafer comite Engolismensi. Ego Hugo Engolismensis episcopus subscripsi. SS.

XVIII.

Petri episcopi Engolismensis charta pro eodem monasterio.

1177. PETRUS, Dei gratia Engolismensis episcopus, dilectis in Christo filiis Bernardo abbati de Grossoboſco, ejusque religiosis fratribus monachicam vitam professis perpetuam in Christo salutem. Justis petentium votis facilem præbere assensum, & ea quæ a rationis tramite non discordant, effectu prosequente complere debemus. Eapropter, dilecti in Domino filii, quia Deo donante, ecclesiæ vestræ religio, vita, status, & habitus in melius mutata sunt, nos vestris justis & honestis petitionibus grato & benigno concurrentes assensu, ecclesiam S. Petri de Sofriniaco, quam de dono bonæ memoriæ domini Hugonis prædecessoris nostri Engolismensis episcopi ecclesia vestra possedit, vobis vestrisque successoribus in perpetuum donamus & concedimus, ut eam integre cum pertinentiis suis, salvo jure & dignitate Engolismensis episcopi ecclesia vestra in perpetuum libere habeat & quiete possideat. Et ne aliquis propter mutationem religionis & ordinis ecclesiam vestram turbare vel inquietare præsumat, nos donationem a prædecessore nostro factam, ratam & firmam habemus, & eam præsentium auctoritate confirmamus, statuentes ut nullus contra donationem & confirmationem nostram venire præsumat. Si quis autem contra venerit, iram omnipotentis Dei incurrat, & sit anathema in perpetuum. Facta est autem hujus donationis confirmatio apud Grossum-boscum sequenti die post festum Purificationis B. Mariæ, anno ab Incarnatione Domini M. C. LXXVII. in capitulo, audientibus Burgundione Engolismensis ecclesiæ magistro scolarum, & Rotberto de S. Germano, & Iterio clerico nostro, & Petro de Sarazac, & Johanne de Grana, & Geraldo cantore, & Petro Bornello, & quamplurimis aliis.

Hæc duo instrumenta quæ D. Jac. Boyer exscripsit, publicæ luci donamus, ut pateat monasterium de Grosse-boſco, primitus nuncupatum Fontis-vivi, occupatum fuisse a canonicis Regularibus, tum cessisse monachis, procul dubio Cistercien sibus. Certe non reperitur instrumentum fundationis, nec aliud instrumentum his duobus antiquius.

XIX.

Charta fundationis parthenonis d'Espanhac, beneficio Ademari, Coronæ abbatis.

IN nomine S. & individuæ Trinitatis. Omnibus Christi fidelibus tam præsentibus quam futuris, Divina favente clementia, sit notum quod ego Ademarus, Dei permissione ecclesiæ S. Mariæ de Corona abbas, de consensu & voluntate fratrum nostrorum, Divinæ pietatis intuitu, & ut religionis ordo augmentetur, donamus in perpetuum atque tradimus ecclesiam d'Espanhac cum omnibus pertinentiis suis infra aquam Celeris, videlicet terris cultis atque incultis, silvis, pascuis, seu ceteris rebus tibi dominæ Elizabeth & omnibus aliis dominabus quæ ad eundem locum causa vivendi religiose accesserint, ut ibidem sub ordine disciplinæ & contemplatione Dei vivere valeant. Libertatem etiam talem vobis atque prædictæ ecclesiæ, auctoritate Dei & ecclesiæ B. Mariæ de Corona, & nostra concedimus quod in nulla pietatis exactione vel servitio domui ecclesiæ B. Mariæ de Corona teneamini, excepto quod pro reverentia * duos aureos pro censu annuatim in festo Pentecostes domui de Corona persolvendos retinemus. Verum si in eadem ecclesia congregationem dominarum fieri contigerit, & priorissam ibi Domino concedente, habere voluerint, libertatem eligendi secundum Deum inter vos habeatis, salvo tamen jure confirmationis quod nobis ac nostris successoribus reservamus. Si autem controversia de electione inter dominas, quod Deus avertat, insurgeret, ad nullum alium prælatum propter definitionem ejusdem, nisi ad nos vel successores nostros volumus ut recurratis, omnique contradictione, & appellatione cessante. Præterea decimas propriorum laborum, & nutrimentum animalium vestrorum vobis remittimus & donamus, hoc tamen salvo, si aliis hominibus terras aliquas de vestris ad colendum concesseritis, dicti homines exinde decimas solvere nostris fratribus tenebuntur. Si vero insuper fratres nostri de sylvis dictæ ecclesiæ arbores ad ædificia sua resecare voluerint, facultatem eis plenam retinemus. Præterea si in prædicta ecclesia aliquid corrigendum emendandumque nobis vel successoribus nostris visum fuerit, corrigendi emendandique volumus habere potestatem. Si autem, quod absit, contingeret quod ibi dominarum conventus fieret, vel nullæ penitus ibi dominæ habitarent, nullum per prædictam donationem præjudicium volumus ecclesiæ B. Mariæ de Corona exinde generari, immo vellemus supradictam ecclesiam cum rebus jam dictis absque diminutione aliqua recuperare. Ut autem præfata donatio majorem habeat firmitatem, præsentem paginam nostro sigillo duximus confirmandam. Acta sunt hæc apud Figiacum anno ab Incarnatione Domini M. CC. X. mense Februarii. 1210.

* Hodie hæc jura vigent, & pro duobus aureis quindecim solidi nostræ monetæ persolvuntur.

Digitized by Google

INSTRUMENTA QUÆ AD ECCLESIAM SANTONENSEM PERTINENT.

I.

Diploma Agnetis Pictavorum comitiſſæ pro S. Mariæ Santonenſis parthenone.

1047. EGO AGNES comitiſſa comparavi de Willelmo de Parteniaco auctoritate filii mei Aquitanorum ducis Willelmi, inſulam quæ vocatur Vicus in pago Pictavenſi, ſitam in maritimis aquæ * Seuriæ, habentem ſiniſtro latere haud multum caſtellum Fonteniaci, ad orientem monaſterium S. Petri Malliacenſis proſpicientem, quam de illo ſupradicto Willelmo ſic integram emi, ut nihil penitus in ea remaneret, quod pro rectum debitum quivis unquam reclamare poſſit, totam ſcilicet eccleſiam cum appenditiis, terram & ædificia, & quæ inde exire debent conſuetudines, piſcarias per omne maritimum circumquaque. Dedi Willelmo pro hac inſula mille & quinquaginta nummorum ſolid. cum plurimis auxiliis quæ ſibi alias feci. Hanc meam emptionem annuit meus filius Pictavinus comes Willelmus; ſimiliter annuerunt uxor hujus Willelmi Partheniacenſis Arengarda nomine, & filius ejus prior natu Willelmus, & fratres ejus Goſcelinus S. Hilarii theſaurarius, & Simon, & Geldoinus. Horum pater cum iſtis nominatis filiis jurejurando fiduciam mihi dederunt, nunquam in futurum hæc mea emptio & venditio per aliquem de ſuis hæredibus reclamaretur &c. Hanc inſulam ſicut emeram, conceſſi eccleſiæ quam apud Xantonas civitatem in honore ſanctæ virginis Mariæ & omnium Sanctorum humilis ejus ancilla de novo fundavi, & ſanctimonialibus in eadem omnipotenti Deo, ſub S. Benedicti regula ſervientibus pro redemptione animæ meæ, & ſalute filiorum meorum, tali tenore ſupradictæ eccleſiæ contuli, eccleſiam cum appenditiis, & omnia &c. Et ſi forte locus qui eſt apud Xantonas omnino deſtrueretur, ſic deſtino, ut ubicumque aufugeret abbatiſſa cum monachabus, vel deveniret, vel hoſpitaretur, hujus emptionis noſtræ redditionem, vel expletum ſibi & ſuis accipiat in vivendi uſum. Quod factum ut ſtabile videretur, D. Willelmus & uxor Arengarda filiam quam habebant parvulam Deo & matri ſuæ, & omnibus ſanctis ad inibi ſerviendum obtulerunt, & de hac venditione donum ſuper altare matris miſerunt. Hoc quoque donum confirmavimus, & fidelibus teſt. cartam roborandam tradidimus. Signum Willelmi ducis Aquitaniæ, S. comitiſſæ Agnetis, S. Iſemberti Pictavi epiſcopi, S. Arnulphi Santonenſis epiſcopi, S. Willelmi Partheniacenſis, S. Willelmi filii ejus, S. Joſcelini fratris ejus theſaurarii S. Hilarii, S. Simonis fratris ejus, S. Geldoini fratris ejus, S. Ebonelli fratris ejus, S. Beatricis ſororis eorum, S. Hugonis & Willelmi neporum ejus, S. Hugonis vicecomitis de * Caſtroairaldi, S. Stephani Rufi de Caſtroairaldi, S. Johannis * de Chinone, S. Guidonis * de Pruliaco, ſignum Willelmi Baſtardi, S. Bucardi * de Mauritania, his & aliis multis videntibus. Actum eſt civitate Xantonis anno ab Incarn. M. XLVII. Indict. XV. Henrico rege Francorum in Dei nomine fœliciter. Amen. Et ſciendum quod omnes epiſcopi qui ad eccleſiam B. Mariæ adfuerunt dedicare, excommunicaverunt illos qui donationes factas illi eccleſiæ deſtruxerint. Iſti epiſcopi fuerunt Archembaldus ſanctæ Burdegalenſis eccleſiæ archiepiſcopus, Hugo ſanctæ Biſunticenſis eccleſiæ indignus archiepiſcopus, A Aimo ſanctæ Bituricenſis ſedis archipræſul, Arnulfus ſanctæ Santonicæ eccleſiæ novus epiſcopus, Hugo Nivernenſis eccleſiæ humilis epiſcopus, Willelmus Engoliſmenſis eccleſiæ humilis ſeſſor, Geraldus Petragoricorum epiſcopus, Pudicus ſanctæ Nanneticæ eccleſiæ epiſcopus, Jordanus ſanctæ Lemovicenſis eccleſiæ epiſcopus.

* la Sevre.
* Chatelraud.
* Chinon.
* Pruilly.
* Mortagnes.

II.

Excerpta ex tabulario Angeriacenſi ad Ramnulfum Santon. epiſcopum ſpectantia.

B DUm invigilare debeat cura pontificalis eccleſiis diſponendis, ut in talium perſonarum providentia mittantur, per quarum ſollicitudinem in divinis officiis gubernentur, in ædificiis conſtruantur, in ornamentis honorentur; ego Ramnulfus Santonicæ ſedis epiſcopus, do & concedo eccleſiam ſanctæ Mariæ de Corma * monaſterio S. Johannis, ut eam ſemper habeat & in æternum poſſideat ad laudem & honorem Dei & beatæ Mariæ ſemper Virginis. Hujus donationis cartam ſigno crucis confirmo. ✝. S. Petri archidiaconi. S. Gaufridi capellani epiſcopi. S. Johannis prioris de Mauritania.

* de Corme exclusé *in archipreſbyteratu de Arverto.*

Ex chartul. Angeriac. fol. IV. XX. XI. verſo.

C Idem Ramnulfus epiſcopus ſubſcribit cum Amalvino archidiacono, & Willelmo archipreſbytero, chartæ qua Willelmus Legerii archipreſbyter capellam S. Radegundis, quæ eſt in caſtro Talemonio concedit Angeriacenſi monaſterio per manum & conſilium Ramnulfi Santonarum epiſcopi, annuentibus Benedicto atque Joſcelino ejuſdem capellæ capellanis, hoc donum corroborante Ramnulfo præfati caſtri domino.

Idem Ramnulfus Angeriacenſis monaſterii benefactor præcipuus, ſequentem edidit chartam.

Cum conſideratem ego Ramnulfus Dei gratia Santonenſis epiſcopus eccleſiam * S. Aredii ſitam juxta oppidum Maſtacii, bellorum incendiis conſumptam, & per imperitorum ſacerdotum inertiam libris ac ornamentis denudatam, poſſeſſionibus quoque ſuis exſpoliatam, ad horum reſtaurationem magno eſſe opus auxilio patenter intellexi. Unde ex paſtorali cura ab omnipotente Deo mihi commiſſa, conſilium cum perſonis probabilibus habui, ut præfatam eccleſiam in diſpoſitione virorum Deum timentium mitterem, per quorum induſtriam ea quæ male peſſundata jacebant, in bonum ſtatum erigerentur, diruta conſtruerentur, diſperſa colligerentur. Ad quod perficiendum nichil melius arbitratus ſum, quam ut cœnobio Angeliacenſi adjungeretur.

* S. Herie lex. Mallas *ubi poſtea fuit erectum capitulum canonicorum ſæcular.*

Ramnulfus Santonenſis eccleſiæ humilis epiſcopus, & archidiaconi ejus Amalvinus & Petrus, & canonici ejus, communi aſſenſu eccleſiam B. Petri de * Maſtacio, E cum appendiciis ſuis, cimiterio, vineis, terris, &c. donant eccleſiæ S. Johannis, & Aſculfo abbati, & monachis. Factum eſt hoc anno ab Incarn. Domini M. XCIX. Urbano II. Romanæ Sedis pontificatum exornante, Amato archiepiſcopatum Burdegalenſem adminiſtrante pariterque beati Petri legatione fungente, Philippo in Francia regnante, Willelmo ducatum Aquitaniæ tenente.

* Maſtac.

Ramnulfus Santonenſis venerandus epiſcopus dedit eccleſiam quandam * Pariniacum nuncupatam, in honore caſtri Maſtazii ſitam, Deo & S. Johanni præcurſori, concedente Petro venerabili archidiacono, atque Conſtantino archipreſbytero. Hoc autem donum

* Pregnac *in archipreſbyt. de Maſtacio.*

Digitized by Google

factum eſt apud * Creſſiacum vicum, in manu Hugonis monachi in domo monachorum.

* Creſſé ubi prioratus S. Salvatoris qui Cavoſſo ſubjacet.

Ut poſterorum utilitati conſuleremus, convenientiam inter abbatem S. Johannis, & canonicos S. Stephani factam de capella S. Mariæ quæ eſt infra muros * Mauritaniæ litteris ſubnotavimus. Placuit enim præfato abbati ut illud juris quod in ſupradicta capella habebat, & eccleſiolam * S. Romani cum terra Ulrici Arnuchonis pro eccleſia de Barzan canonicis relinqueret. Hæc autem commutatio in capitulo Santonenſi facta eſt præſentibus & benigne faventibus Ramnulfo Santonarum epiſcopo, Petro quoque archidiacono, & Willelmo archipreſbytero cum aliis multis. S. Joſceramni de Mauritania.

* Mortagne.

* S. Romain de Belmont.

Ex tabul. Angeriac. fol. IV. xx. XI.

Ex tabular. S. Cypriani Pict.

Ramnulfus Santonenſis epiſcopus & canonici majoris eccleſiæ ejuſdem civitatis, conceſſerunt abbati Rainaldo & monachis S. Cypriani eccleſiam S. Leodegarii & quæ in eccleſia de Tanac adquiſierant, & eccleſiam S. Mariæ de Iſla, & decimam de S. Severo, & cetera omnia quæ in epiſcopatu adquiſierant.

S. Ramnulfi epiſcopi, Petri archidiaconi, Arduini, Heliæ, Adam, Rainaldi, Chai, Gauffredi de Chat, & aliorum; Philippo R.

Mabillonius in appendice ad tom. V. Annal. pag. 650. edidit quamdam chartam, ubi ſit mentio Ramnulfi, ſed in multis emendandam ex obſervationibus D. Jac. Boyer qui eam legit chartularii Anger. fol. 62. col. 2. Primo legi debet an. M. XC. *non* M. XCVI. *& quidem indictio* XIV. *ab ipſo Mabillonio notata convenit an. 1090. non vero 1096. Secundo* * *procerum qui in charta recenſentur ſupplenda ſunt nomina hoc modo:*

* Ita vocantur in codice MS.

Hugo de Surgeriis, Albuinus de Rocaforti, Aimericus Bechetus, Oſtendus Conſtantinus, & Willelmus filius ejus, Hugo Serpentinus, Willelmus Galterius, Mainardus Oſtendus, Ademarus Funellus, Gaufridus Geraldus, Arnaldus de Chambone, Johannes de Santonia, Ramnulfus Lambertus, Ramnulphus de Vilarciaco, Petrus Trenchardus, Gerardus de ſancta Herminia *(ſainte Hermine)* Willelmus Johannes, & Morinus frater ejus, & Willelmus Bernardus.

Tertio pag. 650. linea 17. poſt gradu *adde* pergit.

l. 34. abbatia *lege* abbatem.

l. 50. Ildebrandum *lege* Aldebrannum.

l. 62. Santonicæ diœceſis *lege* Santoniæ eccleſiarum.

pag. 640. lin. 50. poſt Taunico *adde* ſuſpirans.

lin. 61. Altanus *lege* attavus ejus.

Ramnulfus Santonenſis epiſcopus donavit eccleſiam de Chero Deo ſanctoque Johanni die ſancto Nativitatis ejuſdem, in manu domni Anſculfi abbatis audiente Petro archidiacono, & Marchario priore ſanctæ Radegundis.

Ex chartulario Angeriac. fol. LXII. *columna 2. idem Ramnulfus benedixit Fulcherium monaſterii B. Mariæ Tanniacenſis, vulgo Tannay-Charente abbatem primum, anno* M. XC. *non* M. XCVI. *ut habetur in appendice annal. Benedict. tom. 5. pag. 650.*

III.

Charta de decima Nioli quam Petrus de Niolo atque Willelmus clericus fratres comparaverunt, & poſtea beatæ Mariæ reddiderunt, Willelmo ſedem Santonenſem tenente.

Ex chartario B. Mariæ Santonenſis.

1133.

ANtiquorum relatione didicimus, & in cartulis noſtris ſcriptum habemus, quod dux Aquitanorum Gaufridus, donavit eccleſiæ beatæ Mariæ decimam de Niolio, unde ſylva noviter extirpata fuerat, vel unde in poſterum extirpanda erat. Hanc utique donationem conceſſit poſtea Willelmus Frebelandus, tempore dominæ Herſendis abbatiſſæ *, ſicque eccleſia B. Mariæ annis multis tenuerat decimam illam in pace. Poſt multum vero temporis Gaufredus de Ponte, & frater ejus Petrus de Niolio volentes ipſam decimam eidem eccleſiæ beatæ Mariæ ſubtrahere, & ſibi quaſi propriam ſubjicere, æſtivo tempore rapuerunt eam in arca de manu dominæ Agnetis monachæ per violentiam; ſed non poſt multos dies per rectum judicium factum in curia Willelmi comitis Pictavienſis, ſatisfacientes ei de injuſta calumnia, reſtituerunt ſibi & dominabus integre quod invaſerant. Eodem anno ſupradictus Gaufridus præſentem vitam perdidit morte præoccupatus, cujus obitum cum audiſſet dominarum congregatio, præparata proceſſione ſua venerunt apud ſanctum Eutropium, ibique in capitulo antequam corpus ſepulturæ traderetur, Petrus de Niolio atque Willelmus clericus fratres ejus ſupra memorati Gaufredi, jam dictam calumniam & querelam gratis dimiſerunt dominabus, rogantes eas ut pro animabus patris & fratris eorum anniverſarium facerent ſemel in anno; & conceſſum eſt eis; & ut hoc dimiſſum firmius haberetur, ipſis manibus ſuis ſigna crucis in charta fecerunt, dantes eam in manibus dominarum Emæ videlicet ſacriſtanæ, atque Theodoræ, iſtis videntibus Willelmo Gabiliant Comitis præpoſito, domino Francone, Helia vicario, Willelmo David, multiſque aliis nobilibus viris. Ex altera parte Pontio priore S. Eutropii, Iterio monacho, Petro Girberti, atque Pipino canonicis S. Petri, Willelmo de Pino, Aimaro capellano dictante ac ſcribente ipſam cartam, Petro Girberti, Fulcherio, Rufo, Willelmo de Petragorico capellanis eccleſiæ beatæ Mariæ teſtibus, atque aliis pluribus, anno Incarnationis Domini M. C. XXXIII. regnante Ludovico Francorum rege, Willelmo Aquitanorum duce, Willelmo Sanctonenſi pontifice in Dei nomine. Amen. S. Ademari ſcriptoris †. S. Petri †. S. Willelmi Num † fratris.

* S Mariæ Santon.

IV.

Charta Bernardi Santonenſis epiſcopi eccleſiam S. Nicolai de Mornate Raymundo abbati S. Rufi concedentis.

Ex chart. S. Rufi.

BERNARDUS Dei gratia Sanctonenſis epiſcopus, dilectis in Chriſto fratribus Raymundo abbati & canonicis S. Rufi tam præſentibus quam futuris in perpetuum. Epiſcopalis officii eſſe dignoſcitur, religioſa loca diligere, eiſque ex intuitu pietatis congrua impertiri beneficia. Eapropter, dilecti in Domino fratres, conſiderata honeſtate & religione veſtra, quæ in dies propitiante Domino magis ac magis dilatetur, eccleſiam S. Nicolai de Mornaco cum pertinentiis ſuis, conſilio capituli noſtri, & communi corniventia fratrum ejuſdem eccleſiæ, donamus, perpetuiſque temporibus quiete habendam concedimus, ut ordo canonicus ibidem a vobis conſervetur, ſalvo jure & auctoritate Xantonenſis epiſcopi, in obedientia prioris & fratrum ejuſdem eccleſiæ, qui ad regendas capellanias eidem epiſcopo præſentati fuerint, & in ceteris omnibus quæ ad dignitatem pertinent epiſcopi & miniſtrorum ejus, & ſalvo cenſu quem ſub annua penſione quinque ſolidorum eccleſiæ Xantonenſi reddere eadem conſuevit eccleſia. Ut igitur hæc donatio noſtra firmior certiorque habeatur, præſentem inde cartam fieri, & ſigilli noſtri munimine roborari fecimus, manu propria ſubſcribentes. Si qua ergo eccleſiaſtica ſeculariſve perſona, hanc noſtræ donationis paginam ſciens contra eam temere venire tentaverit; niſi ſemel, ſecundo, tertiove commonita condigne reſipuerit, iram & indignationem omnipotentis Dei, & apoſtolorum ejus Petri & Pauli incurrat, & excommunicationi ſubjaceat. Datum apud ſanctum Florentium juxta Niortum, decimo ſexto calendas Sept. Dom. Incarnationis anno M. C. LIX. indictione VII. Romano pontifice domno Adriano papa IV. Henrico rege Anglorum & duce Aquitanorum, epiſcopatus vero noſtri anno decimo octavo. Ego Bernardus Xantonenſis epiſcopus.

1159.

Ego Eldradus Xantonenſis archidiaconus, conceſſi & ſubſcripſi. Ego Helias Xantonenſis eccleſiæ decanus conceſſi & ſubſcripſi. Ego Johannes archidiaconus conceſſi & ſubſcripſi. Ego Michaël cantor Xantonenſis eccleſiæ, conceſſi & ſubſcripſi. Ego Willelmus canonicus & archipreſbyter de Surgeriis conceſſi & ſubſcripſi. Ego * Ademarus Carbonelli canonicus conceſſi & ſubſcripſi. Ego G. Mauſeaci conceſſi & ſubſcripſi. Ego Helias canonicus conceſſi & ſubſcripſi. Ego Petrus Papini conceſſi & ſubſcripſi. Ego Willelmus Aleardi canonicus conceſſi & ſubſcripſi. Ego Robertus capell. conceſſi & ſubſcripſi. Ego Petrus Heliæ canonicus conceſſi & ſubſcripſi. Ego Ademarus ſubſcripſi & conceſſi.

* *Idem ut putamus Bernardo jamregatus epſ.*

V.

Judicium Bernardi Santon. epiſcopi, pro abbatia S. Stephani de Vallibus, adverſus W. de Monte-Andronis dominum caſtri Didoniæ, ejus libertati infeſtum.

1151. EGo Bernardus Sanctonenſis epiſcopus, omnibus in Chriſto fidelibus tam præſentibus quam futuris. Cum in ſecularibus negotiis antiqua ſit conſuetudo teſtibus & ſcripto, quæ rationabili & prudenti conſilio geſta ſunt, ut rata habeantur, firmare, expedit in eccleſiaſticis id fieri, quibus malignantium pravitas impugnans veritatem ſæpius nititur obviare. Notum itaque fieri volumus, quod eccleſia B. Stephani de Val. quam Vu. de Monte-Andronis dominus caſtri Didoniæ ſuper quibuſdam, ea tam renitente, infeſtabat, ab omni exactione & illius & omnium ſucceſſorum ſuorum immunem ſe fecit. Cum de illis inter ſe altercarentur, hoc modo aſſerebat ſi quidem Vu. ille, in manſionariis hominibus illius eccleſiæ, quam illuſtres viri qui eam fundarunt poſſeſſionibus ſuis & reditibus ditarunt, quaſdam exactiones & conſuetudines ſe habere, de quibus has cæteris præferebat, dicens quod homines illius eccleſiæ armis illum ſequi quærens * terram ſuam hoſtes ſui ingrederentur, & quod ad mandatum ſuum cum illos vocaret, venire debebant; quod niſi facerent, paſcua quæ ſua eſſe dicebat, & vias, & aquas, & omnia quæ illius eſſent, illis inhiberent *. Contra vero eccleſia iſta inſtantius cum omni reluctamine hæc omnia negabat, aſſerens quod nec conſuetudines iſtas, nec vigeriam, nec exactionem aliquam in hominibus ſuis habebat, nec habere debebat; nam ex his omnibus & aliis exactionibus a primo lapide per tempora longa ſe fuiſſe liberam & homines ſuos, & eſſe debere dicebat. Cum vero hæc eſſet prædicti Vu. impetitio, & negantis eccleſiæ refutatio, inter eos pax inventa eſt, mediante concordia, & finis ſic huic impetitioni, & querelæ eccleſiæ impoſitus, ut impoſterum extincta radicitus ita ſuccideretur, quod nec ille Vu. nec aliquis ſucceſſor ejus ſuper his in aliquo eccleſiam illam, vel homines ſuos infeſtare, nec aliquid ab eis violenter unquam exigere deberet, nolens .... Eccleſia quod ſuum erat retinere, quod ſæpe fit: dedit x. libras efforciatorum nummorum caritative prædicto Vu. & juſtæ an injuſtæ forent illæ conſuetudines & & exactiones, quaſcunque ſe ibi habere dicebat, eccleſiæ illi & hominibus ſuis omnes eas finivit & conceſſit tam in vigeria, quam contra hoſtes terram ſuam ingredientes, proſecutione & hominum ante ſe advocationem & in cæteris omnibus exactionibus quæ qualicunque modo ab hominibus illis exigebat, indulta & conceſſa libertate illis & paſcuarum, & aquarum, & viarum quæ omnia communia debent eſſe: conceſſit nihilominus ut ſi ſuper aliquo de hominibus illis clamaret pro quolibet delicto, nec per ſe, vel per alium ad exequendam inde ſibi juſtitiam vocaret, nec cogeret, ſi clamans ad abbatem prædictæ eccleſiæ querelam ſuam illi oſtenderet, qui de homine ſuo ante ſe juſtitiam & clamanti faceret. Factum eſt hoc & conceſſum a jamdicto Vu. v. Idus Decembris in domo religioſorum fratrum de Sabluncellis, apud S. Romanum de Benais, * ubi ratum haberetur impoſterum. Ipſemet huic cartæ ipſa manu ſubjacens, ſignum fecit in præſentia noſtra, videntibus & audientibus Siguino abbate illius eccleſiæ de Val. & Johanne vicario fratre Sabluncellenſi, & Vu. Aleardi capellano noſtro cathedrali canonico Xanctonico, & magiſtro Gabardo de Medis, & magiſtro Oſtenſio de Didonia preſbyteris, Ramnulpho domino de Talamundo caſtro, & Helia filio ſuo, & Guiberto de Didonia & Vu. Bovone, & Gombaudo Arnaudi militibus, & aliis multis tam clericis quam laicis. Quod nos ne a memoria decideret, ad munimentum rei, præſentem chartam exinde præcepimus fieri, & ſigilli noſtri impreſſione muniri anno quo factum eſt M. C. LI. ab Inc. Domin Indict XV. Romano pontifice domino Eugenio, Ludovico rege Francorum & duce Aquitanorum, domino Gaufrido Burdegalenſi archiepiſcopo, epiſcopatus noſtri anno X.

* *f.* quoties.

* *f.* inhibetentur.

* *f.* ut.

VI.

Privilegium Ademari Xantonenſis ſuper eccleſiâ de Arpes & aliis bonis.

ADemarus Dei gratia Xanctonenſis epiſcopus dilectæ in Chriſto filiæ Agneti eccleſiæ S. Mariæ abbatiſſæ ejuſque ſororibus in eadem eccleſia Dei ſervitio conſtitutis & deinceps conſtituendis in perpetuum. Juris & æquitatis dictat diſciplina, necnon ſacrorum canonum aſſeverat auctoritas ad epiſcopale ſpectare officium loca religioſa diligere, eiſque caritatis intuitu congrua impertiri beneficia. Eapropter, dilectæ in Domino filiæ, conſiderata honneſtate atque religione veſtra quæ in dies, Deo annuente, magis ac magis dilatatur, eccleſiam S. Mariæ de Arpes cum omnibus ad jus ipſius eccleſiæ pertinentibus vobis & eccleſiæ veſtræ perpetuis temporibus habendam donantes concedimus, eandam eccleſiam & cetera bona quæ ibidem inpræſentiarum poſſidetis, aut in futurum, Deo annuente, acquirere poteritis, auctoritate pontificali vobis confirmantes, retentis XII. nummis in Aſſumptione S. Mariæ nobis & ſucceſſoribus noſtris annuatim perſolvendis, atque ſalvo in omnibus & per omnia jure Xanctonenſis epiſcopi atque miniſtrorum ejus. Statutum ſiquidem fuit a nobis atque conceſſum, quod vobis liceat capellanum in præfata eccleſia epiſcopo Xanctonenſi præſentare, eumque de præſentatione veſtra recipiendum decrevimus ſi in aliquo, quod abſit, notabilis non extiterit. Quod ut hæc noſtra donatio firmior certiorque in poſterum habeatur, ſucceſſoribuſque noſtris evidens ac manifeſta perſiſtat, ad evitandum controverſiæ & oblivionis incommodum, præſens inde ſcriptum fieri ſigillique noſtri munimine corroborari fecimus. Hujus autem donationis noſtræ teſtes ſunt iſti dilecti filii noſtri Johannes Aunifienſis archidiaconus, cujus conſilio & aſſenſu hoc donum fecimus, magiſter Arnaudus, Petrus de Phalac notarius noſter, eccleſiæ S. Petri canonici Aimericus Bertet, Helias Arnaudi capellani S. Mariæ, Iterius ſcriba, Willelmus Faſcetus, Johannes Thebbaudus ſacerdotes, Agnes præfata abbatiſſa, Agnes ſacriſtana, Hymberga Maremniæ prioriſſa, Galarda, & plures alii tam clerici quam laici.

VII.

De eccleſia S. Bartholomæi in pago Alnienſi tempore Bernardi Santonum epiſcopi ædificata.

TEmporibus Ludovici regis minoris, filii Ludovici Magni regis Francorum, qui mortuo Guillelmo Pictavorum comite apud S. Jacobum, filiam ejus conſilio & voluntate patris cum conſulatu Pictavenſi, & Aquitanorum ducatu ſibi conjugio copulavit,

* pais d'Aunis.

insurrexerunt in pago Alnienſi * duo viri conſanguinei, Elbo de Maloleone, & Gaufridus de Rupeforti cum filiis ſceleratis, filiis inquam Belial, diſperdentes totam terram, & interficientes homines, & caſtrum Julii ſupra mare poſitum cum viris & munitionibus nihilhominus poſſidere cupientes. Hoc igitur caſtrum cum adjacenti patria dominus Iſambertus vir per omnia pacificus jure paterno poſſederat, quoad uſque prædictus comes invidiæ ſtimulo agitatus, clandeſtina obſidione exinde quaſi idem illum expulerat. Et quoniam præfati duo viri Elboſius & Goffridus videbantur eſſe de genere & familia ipſius Iſamberti, adeuntes Ludovicum regem impetraverunt ab eo tam verbis pacificis, quam armis dominium totius terræ, retenta ab eo duntaxat munitione caſtri Julii, cum medietate redituum Rochellæ. Deinde duobus his pacificatis, qui prius diſcordiam inter ſe propter eandem poſſeſſionem habuerant, ſiluit terra in conſpectu eorum a præliis; & dum pacifice dominarentur in territorio Alniſienſi, multitudo hominum tam indigenarum, quam advenarum ex diverſis orbis partibus illuc per terram & mare applicantium, poſtulaverunt a prædictis dominis ad habitandum, campum Guillelmi de Syre, qui erat villæ & portæ contiguus. Quia enim grave erat eis propter viæ longitudinem adire parochialem eccleſiam S. Mariæ de Connia in ſuperiori parte ipſius villæ ſitam, poſtulaverunt ſibi in campo prædicto eccleſiam fieri in honore S. Bartholomæi apoſtoli. Prænominati igitur duo viri eorum petitioni acquieſcentes, convenerunt priorem Ayenſem Guillelmum videlicet, & alios fratres ſuos, ad quorum jus ſpectabat parochia matris eccleſiæ totius Rochellæ, putantes ut commodam, ubi dictum eſt, ædificarent eccleſiam: & ad ædificium operis urgendum largiti ſunt monachis XX. cubitos terræ in longitud. & totidem in latitud. ubi Guillelmus prior inſtantibus fratribus cœpit ædificare eccleſiam per manum Petri de Mogono monachi ſui, cui hoc opus pro remedio animæ ſuæ injunxerat. Unde iratus Bernardus Xantonenſis epiſcopus, in cujus diœceſi eſt Rupella, prædictum opus Guillelmo priori interdit *. Qua de cauſa Guillelmus prior, conſilio fratrum ſuorum, cum domino abbate Cluniacenſi perrexit, & papæ Eugenio apud Signiam civitatem tunc conſtituto rem geſtam exponens, licentiam & conceſſum & libertatem ædificandi eccleſiam ſicut volebat, ab eodem papa obtinuit; inſuper ad confirmationem rei litteras apoſtolicas ad Xantonenſem pontificem deſtinatas revexit, datas anno M. C. LII. Signiæ X. Kal. Martii.

* f. interdixit.

VIII.

Extabul. S. Stephani de Vallibus n. 21.

Charta Arnaudi Gemo militis qua S. Stephano de Vallibus, ob multa mala quæ intulerat, cedit locum de Defens, fitque monachus.

* Al. Gammo.

EGO ARNAUDUS * Gemo, miles de Vall. excogitans quanta mala eccleſiæ S. Stephani de Vallibus & ejus membris intuleram &c. dedi præfatæ eccleſiæ locum qui vulgo appellatur Defens: præterea quidquid juris habebam in duabus manſionibus Petri Bru & Vu. Fou, & X. ſolidos ſingulis annis ad illuminandum eccleſiam. Actum apud Valles in manu Vu. Funelli abbatis qui tunc eccleſiam regebat, qui me monachum fecit, & ad religionem hujus eccleſiæ me ſuſcepit, Incarnati Verbi anno M. CC. LVI. Innocente papa III. regnante Philippo rege Francorum, Richardo rege Angliæ, Othone ducatum Aquitaniæ feliciter gubernante, Henrico epiſcopo Xantonenſi. Teſtes ſunt S. prior ejuſdem abbatiæ, G. prior S. Palladii, S. monachus, P. archipreſbyter Arverti, R. de Montandra clericus, A. Andros clericus, Vu. Bocha & P. Savaris milites, & domina Nembriea quæ hoc donum voluit & conceſſit.

IX.

Innocentius papa III. confert nonnullas præbendas vacantes in eccleſia Santonenſi, epiſcopo & capitulo ſcribens.

an. 1212. ep. 38. Reg. 15.

CUm de ordinanda eccleſia veſtra per dilectos filios.... archidiac. & A. Fulcherii canonicos veſtros ex parte una; & magiſtros A. veſtrum & P. decani eccleſiæ veſtræ procuratores ex altera, habitus fuiſſet in præſentia noſtra tractatus; ex utriuſque partis aſſertione nobis conſtitit evidenter decem in eadem eccleſia vacare præbendas, quarum ſeptem vacavere tamdiu, quod earum ad nos ſecundum ſtatuta Lateranenſis concilii eſt donatio devoluta. Nos ergo unam ex illis dilecto filio magiſtro Fulcher. archipreſbytero de Maſtatio conferentes, & facientes ipſum a præfatis procuratoribus in præſentia veſtra * recipi ad eamdem; ſic duximus ſtatuendum, ut dilecti filii..... de Talemundo &.. ... de Batiaco abbates P. Claven. & Xanton. diœceſum, & Hel... de Græcia canonicus Engoliſmen. quibus ſuper hoc dirigimus ſcripta noſtra; revocato in irritum, ſi quid de ipſis, poſtquam ad nos devoluta extitit donatio earumdem, invenerint attentatum; reliquas ſex perſonis idoneis conferant, aſſignent, & faciant, appellatione remota, tam præfatum Fulcher. quam illos quibus ipſi præbendas eaſdem contulerint, pacifica ipſorum poſſeſſione gaudere: quod ſi tres aliæ per vos non fuerint ordinatæ, nec in ordinatione ipſarum poteritis concordare, ipſas perſonis idoneis, ſublato appellationis obſtaculo, aſſignare procurent, contradictores per cenſuram eccleſiaſticam compeſcendo. Quocirca univerſitati veſtræ per apoſtol. ſcripta mandamus, atque præcipimus, quatenus quod ab eis de dictis præbendis fuerit ordinatum ratum habentes, ſine contradictione qualibet firmiter obſervetis. Datum Laterani XI. Kal. Maii pontificatus noſtri anno XV.

* f. noſtra.

X.

Charta Ludovici Tranſmarini pro Angeriaco.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis Ludovicus Dei gratia Francorum rex. Si loca ſancta Divino cultui mancipata ob amorem Dei & ſanctorum ejus rite diſponimus, atque in melius reformamus, a ſummo remuneratore id nobis recompenſari pro certo confidimus. Quapropter omnium ſanctæ Dei Eccleſiæ fidelium tam præſentium quam & futurorum noverit ſolertia, & prudens induſtria, quod noſtræ dignitatis adientes præſentiam Ragarius comes illuſter, & Eblo humiliter noſtram expetierunt clementiam, quatinus quandam abbatiam in honore S. Johannis Baptiſtæ, in loco qui dicitur Angeriaco, nunc a priſtino penitus honore deſolatam, cuidam ſervo Dei nomine Martino cauſa emendandi per præceptum noſtræ regalitatis conferre dignaremur. Quod & fecimus. Unde hoc noſtræ altitudinis decretum fieri, ac memorato Martino donare præcipimus, per quod præfatam eccleſiam cum omni integritate quandiu advixerit teneat, & monachos inibi Deo regulariter viventes auxiliante collocet: ipſi monachi ſecundum regulam S. Benedicti omni tempore poſt diſceſſum iſtius abbatem eligant ſibi, & nullus comes aut aliqua perſona præpotens aliquod prænominatæ abbatiæ S. Johannis inferat, ſed ſecundum aliorum morem locorum ſub regula jam dicti almi Benedicti militantium immunis, ſub noſtra defenſione, & ſucceſſorum noſtrorum permaneat. Et ut hoc noſtræ auctoritatis * emolumentum per ſuccedentia temporum curricula inviolabiliter perſeveret, manu propria ſubterfirmantes, annuli imagine noſtri corroborari præcepimus. Signum domini Ludovici glorioſiſſimi regis. † Odilo notarius ad vicem Eiri epiſcopi recognovi

* muni mentum.

recognovi. Actum Pictavis civitate, VII. Id. Januarii, A * Indictione XIV. anno autem VI. regnante Ludovico rege Francorum, in Dei nomine. Amen.

* *Prius legebatur : ind. X. & in chartul. XV. Quod emendavimus ex annalibus Mabill. ad an. 940. num. 10.*

XI.

Charta Willelmi Aquitanorum ducis pro Angeriaco.

HOc eſt præceptum quod fecit Willelmus dux Aquitanorum ad monaſterium ſancti baptiſtæ Johannis Ingiriacenſis. Cum olim Aquitaniæ diſſipata eſſent ab atrocibus barbaris cuncta cœnobia, Willelmus dux, clarumque ſidus Aquitaniæ, lux & decus patriæ, cum * præſulis, abbatibus, ſuadentibus inclitis ducibus, cunctiſque principibus ſuis, quandam abbatiam in honore beatiſſimi præcurſoris Chriſti Johannis ædificatam, ubi caput ipſius latitatum eſſe dinoſcitur, corpuſque ſancti confeſſoris Reverentii in loco Angeriaco nuncupato, pro redemptione atque ſalute animæ ſuæ cunctorumque parentum ſuorum antiſtare cupiens, id præceptum affirmatum habetur, quatenus nemo foret deinceps mancipium neque vernula in ſervitio domino ſuo poſitus, ſi propter expellendam animam ſuam a gehennæ igne loco ipſo adhærere, at ſubjectus adeſſe voluerit, ibique vita viduata rumpendi ſeculi ad Chriſtum migraverit, quitquit de ſubſtantia ſua loco ſancto dimiſerit, totum foret fratribus regulariter ibi famulantibus nemine contradicente. Fecit itaque memoratus dux hoc donum prænominati præcurſoris Chriſti Johannis, necnon & beati Reverentii ex his poſſeſſionibus quibus continuo audituri eſtis. Itaque ex alodo ſuo indominicatu * quod eſt ſitum in pago Sanctonico ultra fluvium Cherantonia nuncupatum, curtam unam quæ vocatur Pariacus cum eccleſia, & omnia quæ ad medietatem pertinent. Item in ipſo comitatu curtam alteram dimidiam quæ vocatur Fraxina. Non vero procul ab ipſo loco villulam dimidiam quæ vocatur Paliacum * cum eccleſia integra *(hic recenſentur plurima villa, curtes, prædia, & nominatim eccleſiæ de Fontanico *, & de Niriaco *, eccleſiæ quæ ſunt infra caſtrum Metulenſe *, & infra caſtrum Mortuiſe, eccleſiola de Cracmartio, eccleſia Muromis * cum inſulis, duo capella S. Petri & S. Reverentii in villa de Bencon; & poſt plura dona ſubjicitur :)* dedit itaque ſupradictus dux aquam vocatam Treſenciam * piſces ferentem juxta fluvium Vultunnæ * non procul a Talniaco oppido *. Item placuit mihi, atque bona decrevit voluntas ut quandam ſilvam quæ eſt ſita in pago Arjeniſſe quæ appellatur * Exulverto, pro remedio animæ meæ & patris mei, vel omnis progeniei noſtræ ad cœnobium almi præcurſoris Chriſti Johannis baptiſtæ, quod nos ipſi ædificavimus, deberem concedere, quod ita & feci. Habet ipſa terra & ipſa ſilva in circuitu lateraliones..... *(& poſt quædam alia dona ſic habetur :)* .... ſalinas CCC. & piſcatorias XX. duas.

Hoc itaque præceptum Willelmus filius ſuus, inſtar genitoris ſui confirmare juſſit. Hic vero præſens G. recipiens honorem patris ſui cum omnibus principibus nobilium ſuorum confirmare præcepit, aſſerumque perpetim tenere. *(Tandem poſt comminationes exitii & ejectionis ab Aquitania, & poſt alia dona iſta ſubſcriptiones habentur.)* Signum Guillelmi, & iterum Guillelmi qui hanc condonationem fecerunt. S. Giſleberti epiſcopi. S. Arberti vicecomitis. S. Kadelonis vicecomitis. S. Airaldi vicecomitis. S. Ebbonis. S. Hugonis. S. Mainardi vicecomitis. S. Joſcelini. S. Raînaldi. S. Airaldi. S. Bernardi. S. Bertranni. S. Johannis. S. Grimaldi. Data menſe Julio regnante * Lodovico rege anno XV.

* *f.* præſulibus.

* indominicato.

* S. George de Paillé *in archipreſbyteratu Talleburgenſi.*
* Fontenet,
* Neré,
* Meſſe.
* Muron.

* la Treſence.

* la Boutone.
* Taunay-Charante.
* le bois d'Eſſouvert

Tranſmarino.

XII.

Charta alterius Willelmi Pictav. comitis & Aquit. ducis pro Angeriaco.

CHarta Willelmi comitis quam ſcribi juſſit de rebus quas ipſe dedit ſancto Johanni Baptiſtæ. Poſtquam in hujus mundi turbine..... in æterna tabernacula recipi mereamur. Igitur ego Willelmus Pictavorum comes & Aquitanorum dux, reminiſcens enormitatem meorum ſcelerum, dampnatorumque pœnas perhorreſcens, ſanctorum gloriam inhianter deſiderans, ex mei juris hereditate concedo Domino Deo, & ejus baptiſtæ Johanni, & ſancto confeſſori Reverentio aliquid pro remedio animæ meæ & genitoris mei Willelmi, & genitricis Agnetis, atque omnium parentum meorum. Sunt autem res ipſæ ſitæ in epiſcopatu Santonenſe, & in comitatu Pictavenſe in villa quæ dicitur * Lolaïcus, hoc eſt, ipſam eandem eccleſiam cum omnibus ibi pertinentibus, id eſt ſepulturam & baptiſterium cum fiſco preſbyteri eccleſiæ pertinenti, cum offerendis & decimis de omni jarrigia, vel de omnibus locis eccleſiæ pertinentibus quæſitis & inquirendis, ut ab hodierno die & deinceps habitatores loci Johannis beati Baptiſtæ habeant & poſſideant jure perpetuo. Hanc autem donationem facio in præſentia domni Hugonis abbatis Clunienſium & domni Oddonis ejuſdem loci abbatis, videlicet B. Johannis, & quamplurimorum nobilium monachorum ſeu laïcorum. Si quis autem &c. Actum publice apud ſanctum Johannem baptiſtam anno ab Incarnatione Domini MLXXIII. Indictione X. epacta IX. concurrente I. reſidente in ſede apoſtolica domno Gregorio, gubernante Francorum rempublicam Philippo rege, officium epiſcopatus Santonicæ ſedis gerente domno Boſone.

Signum Willelmi Aquitanorum ducis †.

1073.

XIII.

Epiſtola Johannis papæ XIX. pro Angeriaco.

RJOHANNES epiſcopus ſervus ſervorum Dei, urbis Romæ vicarius beatorum Petri & Pauli apoſtolorum, omnibus archiepiſcopis & epiſcopis Galliarum degentibus, cum Willelmo religioſo duce Aquitanorum, & Goffredo comite Engoliſmæ civitatis commoranti, necnon Helia comite Petragoricæ urbis degenti, ſimulque filiis Hugonis caſtro Leziniaco habitantibus; itemque Willelmo de Parteniaco, & alio Willelmo de Talamonte, pariter cum Willelmo vicecomite filio Kalonis de Caſtello-oniaco, Aimerico de Taleburgo, Willelmo de Surgeriis, & Albuino, omnibuſque ſenioribus, minoribuſve Aquitaniæ partibus commorantibus ſalutem beatiſſimam cum benedictione apoſtolica. Rogamus vos omnes, ſupraſcripti ſeniores, & qui hic nominetenus non ſunt poſiti, vos, veſtrique ſucceſſores uſque in perpetuum cuſtodire hujus noſtræ epiſtolæ textus. Videlicet ut monaſterium ſanctiſſimi ac beatiſſimi præcurſoris & martyris Chriſti Johannis, & confeſſoris domini Reverentii, poſitorum in loco qui dicitur Angeriaco, ab hac præſenti die Kal. Maiarum, defendere ac benigne tractetis cum religioſo domno Aimerico ejuſdem patre loci, cum cuncta caterva monachorum a Deo ſibi credita ita venerari, ſicuti decet in omnibus, maxime tamen pro eo quod regulam ſanctiſſimi patris Benedicti inibi inviolabiliter audivimus cuſtodiri. Quapropter obnixe precamur & præcipiendo præcipimus, ut nullus ſit ab hac hora inantea uſque in ſæcula ſæculorum res prædicti monaſterii temerare, & quod abſit, aliquid exinde auferre præſumat, niſi tantummodo ex conſenſu ejuſdem

Circa 1030.

* S. Sauveur de Loulay, & Noſtre-Dame de la Jarrie-Audouin. Utraque eccleſia in archipreſbyteratu S. Johannis Angeriacenſis.

Digitized by Google

loci patris & omnium fratrum. Si quis autem hanc noſtram aſſertionem cuſtodire voluerit, habeat benedictionem a filio S. Mariæ & a præcurſore ejuſdem Domini noſtri Jeſu Chriſti, & abſolutus ſit a B. Petro apoſtolo, & a me ejuſdem paſtoris vicario, ab omnibus peccatorum vinculis, &c. Vos autem valete, & pro me orate.

XIV.

Charta Agnetis comitiſſæ de conſuetudinibus villæ S. Johannis Angeliacenſis.

Circa 1050. IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, notum ſit omnibus fidelibus præſentibus & futuris, quod ego Agnes comitiſſa pœnitens de malefactis quæ feceram eccleſiæ S. Johannis, & eccleſiis quæ ad eam pertinent, in die conſecrationis eccleſiæ, quando ſcilicet caput ipſius monaſterii dedicatum eſt, gratia præcurſoris Chriſti invitante, veni ad ſolemnitatem cum duobus filiis meis mecum venientibus, comite Pictavenſi Willelmo, qui cognominatus eſt Aigret, & Guidone fratre ejus. In ipſa igitur conſecratione domno Arnulfo Xantonenſi epiſcopo, ac venerabili Willelmo Engoliſmenſi epiſcopo, honorabili quoque Brunone Andegavenſi epiſcopo, ſolemniter benedicentibus caput monaſterii, aſtiti ego, & duo filii mei ante altare S. Johannis, & omnes illas violentias & injuſtas exactiones quas in villa, vel in obedientiis ſancti Johannis injuſte habuimus & tenuimus, in præſentia Dei & ſanctorum epiſcoporum, & domni Gaufridi ejuſdem monaſterii abbatis, & omnium qui ad dedicationem convenerant, pariter dimiſimus, & in perpetuum dimittimus. Burgum quoque S. Johannis, cum eccleſiis quæ in eo ſunt, & alodium quod juxta eſt, & omnia ad ipſum burgum pertinentia, omnem ſcilicet terram arabilem, cum vineis & nemoribus, & pratis, ſylvis, & aquis, & fontibus, & molendinis, cultis & incultis, quæ olim reges Francorum & duces Aquitanorum S. præcurſori Chriſti dederunt, ſed poſtea raptores & mali homines abſtulerunt, ego & filii mei, eccleſiæ S. Johannis ad integrum reſtituimus, concedimus, & confirmamus; cuttem S. Johannis, & cuncta quæ in ea fuerint, & omnes qui ad eam confugerint, cujuſcumque criminis rei ſint, ſecuros ab omnibus, & tutos eſſe præcipimus, & nullus his quicumque intra ambitum ejus fuerint, aliquam violentiam inferre præſumat.

Concedimus etiam ut omnes præpoſiti eorum & vicarii, & ſutores & pelletarii, & molendinarii, & hortulani, & omnes famuli proprii, & qui ballias eorum tenuerint, & miniſteria eorum habuerint, & propria eorum opera egerint; quos vel hereditario jure habuerint, vel ipſi de hominibus burgi, qui omnes fere juris eorum ſunt, pro voluntate ſua de quolibet gradu elegerint, quieti ac liberi ſint ad ſervitium eorum. Nulluſque ex his in expeditionem, vel in exercitum eat, niſi comes bellum campeſtre facere voluerit. Clerici quoque, & milites, ac mulieres viduæ, & pauperes omnes, & peregrini qui orationis cauſa tranſeunt, in cuſtodia abbatis, & defenſione eccleſiæ perpetuo maneant. Si comes & comitiſſa vel aliquis hominum de ſupradictis hominibus querimoniam fecerit, abbas de his omnibus in curia ſua juſtitiam faciat, & extra curiam ſuam nullus eam de hominibus ſuis facere juſtitiam compellat. In hac immunitate & libertate ſunt etiam illi duo vici intra burgum S. Johannis, quorum unus vocatur Rua Alerici, alter Rua epiſcopalis. Nundinas atque mercata eccleſiæ S. Johannis libere habenda concedimus. Hominibus vero cujuſcunque negotiationis cauſa tranſeuntibus, venientibus & redeuntibus, nullam ulterius violentiam inferemus. Ceterum ſi aliquis de capite ſuo, aut de conſuetudine ſua forisfecerit, prius conveniendus erit; & ſi emendare noluerit, ad juſtitiam cogendus erit. Stagnum de blado & vino ſuo quotiens voluerint, facient, & minagium numquam dabunt: & ſuper ſtagnum eorum nullus aliud ſtagnum facere audebit. Habebit etiam abbas conductum in villa S. Johannis, ſi quem conducere voluerit, per ſe aut per præpoſitos ſuos, ſecurus erit in villa in eundo & redeundo. Præpoſiti S. Johannis & vicarii, de clamoribus qui ad eos venient, juſtitiam facient, quod capiendum erit capient, & quod ſolvendum erit, ſolvent: neque in captione, neque in ſolutione, aliquis eis vim inferre, vel in aliquo reſiſtere præſumat. Homines eorum ſupradicti ſi monomachiam facere ſuſceperint & etiam pro ea fidejuſſores dederint, aut faciant, aut non faciant, bannum non dabunt; ſi pro defenſione eccleſiæ, & pro rebus S. Johannis arma protulerint & in quolibet loco ſanguinem fuderint, nulli de hoc niſi abbati reſpondere habebunt. Ipſius enim eſt dominium, & quicquid in burgo omne habemus, ab ipſo procedit, venda, & nummularium, & tabulæ ejus abbatis ſunt propriæ, quicumque habere voluerit, ab ipſo habebit, & ipſe cuicumque voluerit dabit. Tabulas nummulariorum ubicumque & quomodo voluerit, ipſe diſponet, & ubi eas eſſe præceperit, ibi erunt. Si aliquis cauſa vendendi aliquid in burgum attulerit, vel alius pro eo illud emere quæſierit, nullus alteri vendat, quouſque ipſe dimittat. Ipſe etiam abbas habet in villa credentiam quindecim diebus. Habet etiam præconem in villa, & nullus alius ibi habet nec habere poteſt præconem. Si aliquis domum aut vineam, aut quamlibet terram vendere, vel emere voluerit, non valebit emptio aut venditio abſque conceſſione abbatis: ſed uterque empror ſcilicet & venditor abbati ad juſtitiam ſtabunt, & quod ſine ipſo factum eſt, irritum erit. Si abbas in aliqua domo nummum vel obolum, vel quemlibet cenſum habuerit, propter hoc tota domus in dominio ejus erit: nullus alius eam vel tradere, vel capere, vel auferre, vel dare alicui poterit, etiamſi multomajorem cenſum in ea habuerit. Ut autem in paucis multa colligamus, in burgo & in cunctis pertinentiis ejus, & in omnibus quæ ſuperius conceſſa & confirmata ſunt ſecundum ſapientiam a Deo ſibi datam, abbatem ſicut dominum dominium ſuum libere & potenter habere concedimus & exercere. Sed quia eccleſia conſuetudinariam procurationem nobis debet, quam præ nimia paupertate ferre non poteſt, placuit domno abbati, & fratribus ejus monachis, ut de redditibus eccleſiæ concederent nobis pro ipſa procuratione minagium, fornagium, præpoſituram, credentiam quindecim dierum, & in panetariis diebus Dominicis unum denarium, peagium quoque de ſale & gema, ſi cauſa vendendi transferatur, aliter autem nec peti debet, nec dari. Ad indicium tamen procurationis quam huc uſque habuimus, retinuimus, ut detur comiti & comitiſſæ, quando in hanc villam veniemus, aut nos aut ſucceſſores noſtri, ſecundum quod unicuique monachorum illo die in refectorio dabitur una præbenda. His ita finitis & deliberatis, ego Agnes comitiſſa, & duo filii mei chariſſimi ſupradicti pro amore Chriſti & S. præcurſoris ejus, quieti ac libertati eccleſiæ providentes, ne quilibet eam amplius de ſuo jure valeat defraudare, manſionem etiam noſtram quam in burgo inhabitamus, & furnos cum domibus in quibus ſunt, & domos quamvis perpaucas, ſi quas tamen in burgo habemus, & omnia quæ in burgo, vel in his quæ ad eum pertinent, poſſidemus, omnia de abbate & de eccleſia habere volumus, & concedimus: ita ſcilicet ut omnibus annis publicæ monetæ ſeptem denarii pro his omnibus eccleſiæ S. Johannis cenſualiter perſolvantur. Omnia igitur ſicut ſuperius ſcripta & definita ſunt, concedimus, & confirmamus, ego Agnes comitiſſa, & duo filii mei. Et ut firma in perpetuum maneant, ponimus ſinguli in teſtimonium veritatis ſingula grana incenſi ſuper altare S. Johannis, oblationem Deo in odorem ſuavitatis. Si quis ſane in poſterum, rex aut

princeps, aut dux, comes, vicecomes, aut quælibet persona ecclesiastica vel sæcularis, hujus nostræ constitutionis decretum rescindere voluerit, & oblationem bonæ voluntatis nostræ, quam Deo & S. præcursori ejus facimus, destruere præsumpserit, si bis aut ter commonitus satisfactione idonea non emendaverit, hereditatis & honoris nostri dignitate perpetuo careat, & perpetratæ iniquitatis reus, in extremo examine æterni ignis, qui paratus est diabolo & angelis ejus, supplicio tremendo subjaceat. Omnes autem qui hanc donationem nostram firmiter & juste servaverint, sit pax Domini nostri Jesu Christi cum eis, & in præsenti hæreditatem nostram in pace feliciter regant, & in futuro sempiternæ hæreditatis præmia percipiant. Amen. Facta est autem hæc constitutio in celebri solemnitate consecrationis ecclesiæ, ad quam totius Aquitaniæ multitudo maxima convenerat, cum scilicet caput ecclesiæ dedicatum est, in præsentia supradictorum antistitum, & domni Gaufridi ejusdem monasterii abbatis, qui ad ejus etiam confirmationem auctoritatis sua signa subscripsere. S. dom. Arnulfi ep. Xanton. S. dom. Willelmi episcopi Engolismensis. S. Brunonis episcopi Andegavensis. S. Gaufridi abbatis Angeliacensis. S. domnæ Agnetis comitissæ. S. domni Gaufridi comitis. S. domni Willelmi Aigret. S. domni Guidonis fratris ejus. S. domni Fulconis comitis Engolismensis. S. domni Aimerici vicecomitis Thoarcensis. S. Steph. Magalaudi.

A prædictum est super altare B. Johannis posui. Et ut in perpetuum firmiter & integre ecclesia S. Johannis hæc omnia supradicta possideat, manu propria inferius signo crucis firmavi, & baronibus meis, & aliis circumstantibus ad corrobandum tradidi. Testes sunt hujus doni Hugo Angeliacensis ecclesiæ electus in abbatem, Aldebertus abbas Lucionensis, Rotgo monachus camerarius, Bernardus monachus sacrista, Rainaldus monachus cellerarius coquinæ, Rotbertus monachus qui hanc scripsit chartam, Rannulfus Lemovicensis episcopus, Maingodus Metulensis, Guillelmus de Mausiaco, Petrus Fortis, Hugo de Pontibus, Hugo Tirol, Rogerius capellanus comitis, & multi alii. Acta est hæc charta anno ab Incarnat. Dom. M. C. XXXI. sedente in sede apostolica * Anacleto II. Giraldo Engolismensi episcopo, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ legato, Guillelmo Gardradi Santonensi episcopo, regnante in Francia rege Ludovico cum filio suo Philippo. * antipapa.

Subscriptiones ita ordinantur:



XV.

Charta alterius Willelmi ducis Aquitan. pro Angeriaco.

1131. EGO WILLELMUS Aquitanorum dux, notum fieri volo omnibus tam præsentibus quam futuris, quod pro salute & remedio animæ meæ & parentum meorum, dono & concedo Deo & Angeliacensi ecclesiæ, quæ fundata est in honore S. Johannis Baptistæ, & monachis ibidem Deo servientibus, cameras meas, & domum, & plateas, & fossatum, quæ omnia in aspectu ipsius monasterii habuerant, & possederant antecessores mei duces Aquitaniæ; consuetudines etiam quas ecclesia S. Johannis antiquitus soleòat habere in burgo illo concedo, & volo ut libere & integre ecclesia illa deinceps & quiete possideat. Et quicumque obnoxius in aliquibus infra curiam S. Johannis confugiens se miserit, nemo inde illum extrahere audeat qualicunque culpa reus teneatur, sed securus in illa immunitate, sicut in ecclesia ab omni invasione permaneat. Hoc donum feci in capitulo S. Johannis Baptistæ in manu Hugonis qui tunc erat electus in abbatem ipsius ecclesiæ, pro salute animæ meæ, & præcipue pro invasione quam feceram in ipsa ecclesia, in die quo nativitas B. Johannis Baptistæ celebratur; quia invaseram monachos celebrantes diem festum in ipsa ecclesia, & oblationes ipsius ecclesiæ in proprios usus redegeram; unde culpabilem & reum in ipso capitulo ubi hoc donum feci me coram omnibus monachis assidentibus reddidi. Et egrediens a capitulo coram ipsis & baronibus meis, nudis pedibus satisfaciens, & virgas in manibus tenens, usque ante altare, super quo caput Præcursoris erat, humiliter deveni, & ibi ante præcursoris Christi caput humi projectus, pro his facinoribus & malefactis culpabilem & reum me recognovi, & per hoc pergamenum hoc donum sicut

XVI.

Alia ejusdem Willelmi Aquitaniæ ducis charta pro Angeriaco.

EGO WILLELMUS Aquitanorum dux, ille videlicet qui Tolosanæ matris filius fui, propter enormitatem peccatorum meorum dono & concedo Deo, & S. Johanni & monachis Angeliacensibus, quidquid in concha de Esnenda habebam, cum omni libertate, & sine aliqua mala consuetudine. Hæc enim concha tenet a cruce quæ est in via usque ad portum Savarici. Concedo itaque abbati domno Gosfredo, cujus tempore hoc donum atque concessionem feci, atque monachis Angeliacensibus præsentibus ac futuris, ut in eadem concha molendina, piscatorias, vel aliud quodlibet ædificium faciant. Solummodo de redditibus conchæ patris mei anniversarium, & meum solemniter per singulos quosque annos celebrent; aquitavi enim ibidem burgum S. Johannis de Esnenda, de exercitu, & talliata, atque omni mala consuetudine; pro quibus domnus Gosfredus abbas dedit mihi calicem unum in quo erant c. unciæ auri. Hoc donum feci apud Mausiacum in curia Ottonis sub umbraculo, istis videntibus, Willelmo de Mausiaco, Ottone fratre suo, Bordino sacerdote, Aimerico de Hispania, Guillelmo Isemberti, Giraldo de Jarrie, cum baculo dato ibidem in manu domni abbatis Gaufridi confirmavi. Signum Willelmi ducis Aquitanorum, illius qui Tolosana matre natus est, Willelmus de Malsiaco.

XVII.

Charta pro Tauniacensi abbatia olim Angeriacensi subjecta.

SAnctis attestantibus scripturis innumerabiles viros ac mulieres fuisse firmiter retinemus, qui amore & desiderio æternæ felicitatis percipiendæ succensi, propriis corporibus parcere despexerunt. Verumtamen tantæ beatitudinis ingressus non solum martyribus sanctis concessus est, sed & omnibus boni operis actionem habentibus prævius patet. Ad hujus igitur tantæ beatitudinis dulcedinem Gaufridus de Tauniaco suspirans, inter cetera misericordiæ opera, quæ facere studuit, quoddam beneficium, cujus attavus ejus nomine Mascelinus inceptor extiterat, sicut in consequentibus apparebit, satis convenienter ad finem

1090.

uſque perduxit. Eſt autem eccleſia beatæ Mariæ ſemper virginis infra Tauniacenſes muros fundata, quæ de ſancti martyris Ypoliti corpore venerando ſit præcipue glorioſa. In hac quoque a præfato Maſcelino collocantur canonici, ut devota mente ſervo Dei famularentur, quorum numerum, majoribus ſuis defunctis, Gaufridus adauxit in diebus ſuis. Canonici vero male viventes ſæpius ammoniti, dum vitam ſuam corripere nollent, in præſentia venerabilis Ramnulfi Santonicæ ſedis epiſcopi eccleſiam tali tenore relinquunt generaliter omnes, ut in eadem eccleſia monachi ponantur, & abbas qui die noctuque Deo pariter & martyri ſuo dignam ſervitutem exhiberent. De quorum relictione Gaufridus vehementer admirans & gaudens; quippe qui quod diu deſideraverat, ſine difficultate adimpleri videbat, concito gradu pergit ad Angeriacenſe cœnobium, Odoni ejuſdem loci abbati quæ facta fuerant per ordinem relaturus, & ut eccleſiam ordine monaſtico corroboraret ſecundum canonicorum petitionem omnimodo rogaturus. Vix tandem apud abbatem auditus, turba cleri ac populi ſubſequente, capitulum ingreditur. Ibi nempe circumſtante conventu in manu præfati abbatis Odonis eccleſiam, ubi fieri abbatiam precabatur, ordinationem quoque & omnia quæ ipſius ſunt eccleſiæ, vel quæ poſſunt eſſe, Deo ſanctoque Johanni per hanc cartulam jure perpetuo ſubjugavit, quam poſtmodum, depicta cruce ſua propria manu, principali altari ſancti Johannis ſuperpoſuit, videntibus illis quorum nomina in ſummitate cartulæ ſcripta habentur. Hujuſmodi autem abbatiam tali conditione Odo abbas accepiſſe perhibetur, ut quemlibet de monachis ſuis in ea abbatem ordinari juſſerit vel ipſe vel ſucceſſores ſui, illi ſcilicet ordinando virga paſtoralis in capitulo dabitur, & ibidem auferetur, ſi negligenter vivens deponi promeruerit. Sane novitios, qui per ejus doctrinam & magiſterium adhærere Deo voluerint, in congregatione ſua recipiet, ac poſtea ad monaſterium ſancti Johannis profeſſionem ſuam facturos adducet. His ita firmatis Romam petiit Gaufridus, notificans Urbano papæ reverentiſſimo, qualiter eccleſiam ſuam de manu canonicorum male viventium juſto Dei judicio ereptam ad gradum libertatis per Odonem exerat. Unde papa valde lætificatus, ex auctoritate Petri & Pauli & ſua, quicquid de eccleſia fiebat, & danti & accipienti diligenter annuit, ſequutus anteceſſorem ſuum Aldebrannum magnæ & ammirandæ ſanctitatis virum, qui dum adviveret, hoc ipſum Gaufrido conceſſiſſe cognoſcitur. Itaque apoſtolicæ ſedis auctoritate & privilegio, Odo abbas prædictus quoſdam de monachis ſuis tranſmiſit Tauniacum, quibus præfecit abbatem nomine Fulcherium. Ad hunc ergo benedicendum cum acceſſiſſet prædictus Santonenſis eccleſiæ præſul, & paupertatem novellæ abbatiæ viſu corporeo intueretur, motus tam pietate quam præſentium prece, prout divina benignitas diſpoſuerat, ei compatiendo ſubvenit. Sciant, inquit, omnes quicumque in illis partibus Santoniæ eccleſiarum fiunt poſſeſſores, quæ dominii vel juris Tauniacenſis domini exiſtunt, à me datam eſſe liberalem licentiam, qua cuique volenti licebit, quod in eiſdem eccleſiis ſuum eſt, proprium donare ſoli ſancto Ypolito martyri. Quo audito Gaufridus hoc idem facere conceſſit hominibus ſuis, videlicet ut de rebus omnibus, quaſcumque ab eo feodaliter tenere videntur, tribuant ſuam rectitudinem præfato martyri, ſi eis placuerit. Sed & proceres qui aderant, ſimilem dederunt licentiam, Hugo ſcilicet de Surgeriis, Albuinus de Rocaforti, Aimericus Bechetus, Oſtendus Conſtantinus, & Willelmus filius ejus, Hugo Serpentinus, Willelmus Galterius, Mainardus Oſtendus, Ademarus Funellus, Gaufridus Geraldus, Arnaldus de Chambone, Johannes de Santonia, Ramnulfus Lambertus, Ramnulfus de Vilarciaco, Petrus Trenchardus, Gerardus de ſancta Herminia, Willelmus Johannes, & Morinus frater ejus, & Willelmus Bernardus. Tunc demum accedens propius Gaufridus in conſpectu memorati pontificis, totiuſque præſentis ſenatus, flexo genu ante Odonis abbatis præſentiam, cum textu Evangelico, quem utraque manu tenebat, iterum conceſſit atque donavit eidem Odoni & ſequacibus ſuis, tam ipſe quam filii ſui ad medium deducti & allati Talniacenſem abbatiam, ſicut prius ſolus fecerat apud S. Johannem. Deinde celebratur benedictio abbatis, quæ quidem Gaufrido ſæpius nominato tantum gaudium generavit, ut mox dederit ei ſcilicet novello abbati & poſteris ſuis tantum calefactionis omni tempore in boſco ſuo, qui vocatur Foreſtis, quantum unus aſinus deferre poterit aſſidue quotienſcunque pergat in die. De alio quoque boſco Cheſeiaco nomine, officinas totius monaſterii fieri conſtituit, & ſicut ipſa neceſſitas officinarum expetierit, de eodem boſco ipſas ſemper renovari. Ad hæc etiam addidit viridiarium de la Marzella cum terra arabili juxta poſita, necnon & molendina de la Beſſa donavit, quemadmodum Teſcia mater ejus tenuit & habuit dum vixerit. Horum vero quæ donantur, teſtes exiſtunt ipſe epiſcopus Ramnulfus, Odo abbas, Anſculfus prior, Humbertus monachus, Oſtendus Conſtantinus, Aimericus Bechetus, & alii complures. Facta ſunt autem hæc anno ab Incarnatione Domini milleſimo nonageſimo, Indictione XIV. regnante Philippo rege Francorum, duce Aquitanorum Willelmo, epiſcopo Santonarum Ramnulfo. Hii ſunt teſtes, Terbaudus Gotmarus, Willelmus Galterius, Rothertus de Gemaudac, Embo de Tauniaco, Willelmus Ebroïnus. Ex noſtris vero Bernardus de Meletio, Rothertus Garna, Fulcherius camerarius abbatis, Witbertus Talo, Arbertus de Sarre, & multi alii.

Ex chartulario Angeriacenſi fol. LXVI. fideliter exſcripſi; eadem omnino ſervata orthographia D. Jacobus Boyer.

XVIII.

Charta fundationis Baſſacenſis abbatiæ.

1003. UNiverſis catholicæ fidei cultoribus toto orbo terrarum degentibus cognitum volo fieri, quoniam ego Wardradus adhuc juvenis cum eſſem Romæ in diebus ſanctæ Quadrageſimæ, quatenus per temporalis exercitii curſum in libro cœleſtis vitæ mereat aſcribi, præceptum eſt mihi a domino Benedicto ſanctæ Romanæ Eccleſiæ* ut monaſterium monachorum ordini congruum in honore beati protomartyris Stephani, & beati Petri apoſtolorum principis ædificare ſatagerem. Hoc igitur mandatum toto animi deſiderio ſuſcipiens, & humili puraque devotione ovanter amplectans, itinere feſtinato ad propria ſum reverſus. Convocatis itaque parentibus meis, familiaribus & amicis, de negotio injuncto privatim & publice cum eis ſollicitus cœpi tractare; quorum tandem conſilio, diſponente Dei providentia, inventus eſt locus tantæ rei ſatis conveniens. Eſt namque villa quædam in poſſeſſione mea quæ appellatur nomine Baſſiacus in territorio Xantonenſi, prout videtur tali operi ſatis acceptabilis. Exiſtunt enim ex una parte fluvius Carentonis*, & ſilva, prata, & molendina; ex altera autem parte virgulta, & horti, & vinea, & terra fructibilis uſibus humanis ſatis apta. In hac villa igitur adveniens dominus Iſlo Xantonenſis epiſcopus, ſicut mos eſt epiſcoporum, monaſterii fundamenta deſignavit; cujus pia ammonitione & adjutorio tantum opus ſuſcepi. Quid plura? incepto igitur monaſterio, atque decenter perfecto, monachiſque in eodem diſpoſitis, inii conſilium cum amicis, quatenus de meis propriis rebus diſponerem ex quibus monachi regulariter in hoc monaſterio inhabitantes vivere poſſent. Quapropter ego Wardrardus ſupradictus Domino Deo ac eiſdem monaſterii ſancti Stephani Baſſiacenſis ſupradicti habitatoribus, ejus in perpetuum ſucceſſaris offero & offerendo dono ſilvam meam nomine Marlina, prata, & virgulta, & horros, & aquam, & molendinos, & omnia quæ infra & circa eam ſunt, quæ mei juris

* Pontifices.

* la Charante.

eſſe videntur; item & villa in qua monaſterium ſitum eſt, & terram totam quæ infra villam, & circa villam eſt, parochiam, & decimam, præpoſituras, & omnes conſuetudines, & domos, & manſiones, & hortos, & virgulta, prata, & vineas, & culturas meas, & aliarum terrarum agriculturas, & campum ſancti Romani & boſcum Dardena, & virgultum, & vineas, & terram quæ ante boſcum ſunt, & omnes totius parochiæ redditus. Quid plura, inſuper omnem alodem meum, ubicumque ſit, & omne quod in dominium habere videor. Et ſi quis de parentela mea ſupradicto monaſterio aliquid dare voluerit, nullus aliorum ultra requirat, & ſi requiſierit, talis requiſitio omnino irrita fiat. Quicumque iterum de dominatu meo, vel de feodo meo, vel aliquid quod mei juris eſſe videtur habuerit, & dare voluerit, ſimiliter dono; & ſi omnis parentela mea moriendo defecerit, tota poſſeſſio mea & fedales mei ad monaſterium ſicut ſupradictum eſt & in vita, poſt mortem meam monaſterio beati Stephani ſupradicto, ſine ullo retentu dono jure perpetuo. Igitur poſtquam perfectum eſt monaſterium monachiſque traditum, & auro & argento, palliis, diverſoque genere metalli, & terris, pratis, & vineis, & ſilvis, & molendinis, & redditibus multis, aliiſque rebus quamplurimis, ſatis decenter pro viribus meis adornatum eſt, timor magnus ſine dubio cordi meo inhæſit, metuens ne parentum meorum improbitate poſt deceſſum meum monaſterium diſſiparetur. Qua de cauſa inito conſilio cum uxore mea Rixandi, Romam perrexi, & omnia quæ ſupradicta ſunt conſpectui domini mei papæ Benedicti aliorumque qui ibi aderant ex ordine enarravi, atque ſupplica devotione exorans humiliterque obnixis precibus depreeans, ne malignorum infeſtatione conturbaretur: quod pietatis ejus benignitas componere præcepit. Unde toto cordis affectu providentiæ veſtræ excellentiam expoſco, ut ſcriptorum veſtrorum apicibus corroboretur, & authoritatis veſtræ ſigillo ſigilletur. Hæc autem omnia recitata ſunt Romæ, & confirmata in præſentia domini Benedicti Romanæ Eccleſiæ pontificis, & aliorum epiſcoporum nobiliumque virorum, qui ibi gratia orationis advenerant, quorum ita * ſunt nomina: domnus Hiſlo Xantonenſis epiſcopus, cujus conſilio & induſtria hoc ædificium præparatum eſt, Grimoardus Engoliſmenſis epiſcopus, Gilebertus epiſcopus Pictavienſis, Sanx * dux Gaſconiæ, Seguinus archiepiſcopus Burdegal. & alii archiepiſcopi & abbates. Item Guillelmus Aquitaniæ dux, Guillelmus comes Engoliſm. & alii comites, vicecomites, & marchiones & alii quamplures. Acta ſunt hæc regnante Roberto Francorum rege, anno ab Incarnatione Domini milleſimo ſecundo Indictione XV.

* *ſ.* iſta.

* *Al.* Savo.

Haud immerito obſervat Mabillonius in annalibus, notas chronicas hujus inſtrumenti, cujus pauca deſcripſit, eſſe vitioſas, & cum ætate nonnullorum, epiſcoporum ibidem commemoratorum non convenire.

XIX.

Fundatio abbatiæ S. Stephani de Vallibus, a ſynodo Santonenſi an. M. LXXV. confirmatur.

Exantographo in tabulario S. Steph. notato 53.

1075. QUoniam omnes apud orthodoxos divinæ legis auctoritate ſancitum, ratum, immo etiam inconvulſum tenetur, tenendumque judicatur, fluxa ſcilicet atque momentanea ut immobilibus, necnon ſempiternis mutentur, Petrus Gamnonis filius, Arnalduſque frater ejus humiles atque indigni ſervi ſervorum Dei, deſtinaverunt locum de Valle in Stephani protomartiris honore. Petro autem viam carnis univerſaliter ingreſſo, Arnaldus cum de patrimonii, tum etiam de poſſeſſione ſui beneficii omnifariam adhibito aſſenſu, ducis Aquitaniæ Gaufridi ſcilicet, necnon Goderanni epiſcopi, aliorumque Xantoniæ principum, abbatiam condidit, abbatemque abbatiæ præfecit: quo facto, ut ſuum hoc inſtitutum nullatenus poſſet duci in irritum, urbem Xanctonicam adiit ſub tempore ſynodi generalis, ibique circumcirca aſtantibus epiſcopo Boſone, Eleazaro, & Goſcelino archidiaconis, cæteriſque auctoritatis magnæ viris, conceſſit, confirmavit, confirmarique ab omnibus obtinuit, ut neque ille ipſe, nec quiſquam ſua de progenie prædictam abbatiam ſubjugaret alicui eccleſiæ; ſed libera, & ab omni jugo hujuſmodi ſervitutis permaneret ſine his: quidquid vero & ipſe fundator, & quilibet religioſi contulerunt ſupranominatæ abbatiæ, idem epiſcopus conceſſit benigne, & inpoſterum ſpopondit ſe conceſſurum abſque ulla retractatione, immo protecturum officioſiſſime. Quid plura, ne quis ore temerario tale viri profanaret inſtitutum, volens ac devotus inſtituit ſubditam fore præſuli Xanctonenſium in his tantum quæ ſunt ad dominium: ſi quis autem de prædicti fundatoris proſapia ævo venienti agere tentaverit iſtud contra decretum, S. ſynodus Xanctonenſis ejuſdem viri impulſa precibus decrevit perpetui anathematis ſpiculo infodiendum, atque a liminibus noſtræ matris eccleſiæ arcendum, ac ſequeſtrandum. Facta autem eſt & firmata hæc carta M. LXXV. anno ab Incarnatione Domini, regnante Philippo rege Francorum, & Gaufrido duce Aquitanenſium, & Boſone epiſcopo Xantonenſi. Signum archiepiſcopi Burdegalenſis Goſcelini, S. Guillelmi Engoliſmenſis epiſcopi, S. Boſonis epiſcopi, S. Guillelmi Petragoricorum epiſcopi, S. Arnaldi Gamnonis, S. Eleazari archidiaconi, S. Gaufridi Aquitaniæ, S. Gaufridi Mauritaniæ, S. Heliæ Didoniæ, S. Odonis abbatis S. Johannis, S. Seguini abbatis Engoliſmæ, S. Goſcelini abbatis S. Stephani de Bachac, S. Arnaudi militis, S. Hugonis de Leziniaco, S. Geraudi de Ranco, S. Audeberti comitis de Marcha.

XX.

Notitia de ejuſdem abbatiæ fundatione & hiſtoria.

Eadem tab. n. 55

NOtum ſit tam præſentibus quam futuris quod fundatores abbatiæ de Val. P. videlicet & A. frater ejus, burgum & burgi habitatores ſicuti per metas dividitur, immunes ab omni conſuetudine dederunt eccleſiæ, & in manu principum Didoniæ, Mauritaniæ, conſulis Aquitaniæ, & epiſcopi Boſonis poſſidendos, jure hæreditario conceſſerunt; dederunt & paludem eccleſiæ ſubjacentem ex integro, nil juris ibi retinentes, præter dimidiam partem avium ſi in ſtagno ibi habito quondam caperentur. Dederunt & alia multa, ſcilicet terras, vineas, decimam totius parochiæ tam panis quam vini, quam omnium etiam quæ decimantur; ita quidem ut meſſis ad aream a colonibus deportaretur, & vindemia ad cubas vocato decimatore cum terragii præpoſito. Dederunt & furnum, & in ſaltibus parochiæ ad calefactionem furni neceſſaria, excepto defenſo mari circumjacente. Dederunt & alia multa, quæ hic non continentur ſcripta, continentur autem in antiquis eccleſiæ paginis.

Horum quædam ſucceſſor eorum tertius, ſcilicet A. Gamo, eccleſiæ detrahere conabatur, paludis partem ſcilicet non modicam, & taleatas in palude ædificatas, & prata & ſaltuum neceſſaria; unde coram epiſcopo Ademaro cum multæ agerentur controverſiæ, tandem de juris executione deficiens ſententia paſſus eſt. A. autem viam univerſæ carnis ingreſſo, coram ſucceſſore ejus Hugone, cum cauſa iſta ventilaretur, tamen indefinita remanſit, poſt tot & tam diuturnas habitas querelas, tamen Deo miſerante per Fulconem de Maſtacio, & Gifardum de Didonia, & Benedictum de Mauritania, & filium ejus Gaufridum, ad quem feodi ſpectat obtentus, & præter

alios quamplures honeſtos viros tam clericos quam laïcos, huic controverſiæ finis impoſitus eſt hoc modo: Paludem cui amplius inſiſtebat, de jure eſſe eccleſiæ cognovit & ad integrum eccleſiæ reddidit poſſidendam, nil ibi juris retinens. Abbas vero pacificam eam habere volens, duas broſaſtas fœni annuatim ad domum ſuam deportandas dum vixerit, quoniam de inopia fœni conquerebatur, libenter permiſit, partem vero paludis ejuſdem quam P. Benedicti ſub cenſu duorum ſolidorum poſſidet, A. prædictus uxori ſuæ in dotem dederat dum obtineret; hoc etiam abbas & eccleſia dominæ reliquit dum vixerit obtinendum; qua defuncta, miniſtris eccleſiæ, vel palus, vel cenſus ſine querela reddatur. Quod ſi præfatus A. taleatam ibi facere voluerit, victui domus ſuæ neceſſariam, per manum abbatis ſumat, & ædificet, & dum vixerit obtineat: eo vero defuncto ad eccleſiam, ut fuerit ædificata, ſine querela reddatur. De taleatis vero Vu. Pet. quæ de jure eccleſiæ fuerant, A. prædictus poſt exceſſum ſuum v. ſolidos annuales & cenſuales reddidit eccleſiæ habendos, terragia vero totius coloniæ eccleſiæ quæ ipſi in eleemoſynam dederat, nunc autem detrahere conabatur, & conceſſit eccleſiæ habenda, & jure perpetuo poſſidenda: de præfatis vero taleatis dum prædictus A. & uxor ejus vixerint, ſex nummos cenſuales eccleſiæ reddent; quibus defunctis ad eccleſiam ſine querela reddantur omnes cenſus taleatarum in palude, ab abbate ſibi demonſtrata ædificatarum. Hujus rei teſtes Iſembardus, G. de Domzac, B. de Rufinac & alii plures. Sig. Benedicti de Mauritania, S. Fulconis de Maſtacio, S. Heliæ, S. Gamnonis, S. Petri, S. Gaufridi, S. Candidæ matris eorum. Helias de Didonia cum uxore ſua Avicia & filio Gautero cognomine Gifardo, regnante Philippo rege, atque Wil. Pictavenſi comite conceſſerunt quidquid poſſidebant in præfata villa memoratæ eccleſiæ.

XXI.

Ex chartul. n. 18. *Documentum de iis quæ huic monaſterio acquiſivit abbas Bonus.*

1070. NOtum ſit omnibus tam præſentibus quam futuris, quod abbas Bonus acquiſivit eccleſiam S. Palladii de Bren. aſſenſu epiſcoporum Sanctonicæ ſedis, ſcilicet domni Goderanni atque Boſonis, & tertiam partem ejus decimæ ejuſdem eccleſiæ de Gioberto cognomento Spada, & de Petro Ramone, & de Fulcone Cementario qui eam poſſidebat; ſed poſt mortem ſupradicti abbatis Boni magna altercatio fuit de præfata eccleſia & decima inter abbatem Reginaldum ſucceſſorem ejus, & Willelmum Aichardum & fratrem ejus Fulcaldum. Tandem quidem Deo annuente tam eccleſiam quam decimam quæ juris illorum erant, Deo & S. Stephano, & monachis ipſius loci, & abbati Reginaldo & ſucceſſoribus ſuis conceſſerunt jure perpetuo, annuente Gifardo & Helia fratre ejus ad habendum atque poſſidendum, ut neque ipſi, neque ſucceſſores eorum propter hanc rem aliquod humanum ſervitium ulterius requirant, vel habeant propter ſocietatem loci, vel fratrum; hoc donum ſuſcepit Reginaldus abbas in capitulo ſuo a Fulcaldo Echardo. Teſtes hujus donationis exiſtunt Urſus monachus, Arnaldus monachus, Raimundus Arnaldus Petri miles, Daguardus, Martinus Gauſelini. De ſtagno quod ad caput præfatæ eccleſiæ adjacet hoc conſtituerunt, ut media pars omnium piſcium ſit in uſu monachorum, & duæ partes molendinorum; hoc enim ex parte Conſtantini Craſſi eſt de terra de Bernazac, quod ipſe dedit S. Stephano, & Reginaldo abbati, ſucceſſoribuſque ſuis jure perpetuo apud oppidum Ponti pro remedio animæ ſuæ & parentum, vidente Roberto de Ponto, & Gubaldo de Cayo milite &c. Helias cognatus Benedicti Galabru dedit partem ſuam decimæ de parochia S. Palladii S. Stephano de Vallibus in manu Petri abbatis Saure, & concedente Gifardo, & Benedictus Galabru conceſſit; poſtea fuit diſſenſio inter Seduinum abbatem & Heliam Gumbaudum de hac parte decimæ, & fecerunt concordiam tali pacto: quod Helias Gumbaudi conceſſit partem iſtam pro ſe & anteceſſoribus ſuis, & Gauſſerandus qui erat prior de S. Palladio dedit illi caritatem ſolid. xxv. Teſtes ſunt Seguinus abbas, Petrus Iterius, Gauſſerandus, Gumbaudus monachi, Foreſterius &c. Actum anno M. LXX. ab Incarnatione Domini, regnante Philippo rege Francorum, A. epiſcopo Xanctonum temporibus ducis.

XXII.

Immunitas monaſterii a Reginaldo abbate definita.

EGO REGINALDUS [a] abbas notum fieri cupio, quod in quadam terra quæ eſt apud Podium-Rebellem, quam prædeceſſores mei Martinus atque Bonus abbates in allodio poſſederant, hominem quemdam hoſpitare nolens, acceſſi ad Heliam dominum de Didonia, atque Guillermum Mainardi vicarium, atque cæteros viros qui ſubſcripti ſunt, ego cauſam judivi, ne forte inpoſterum aliqua ſuſpicione moveret. Conceſſit itaque jam dictus Helias de Didonia, ut ſicut eccleſia Vallis terras in allodio poſſederat, ita homines ibi commanentes liberi & immunes eſſent ab omni conſuetudine & ſervitio, ut non ibi quicquam exigeret vicarius, ſive præpoſitus, niſi tantum abbas de Val. Hujus conceſſionis teſtes ſunt Renaldus abbas, Goſcelinus, Helias de Didonia, Willelmus Mainardi vicarius, Robertus de Ponto, Willelmus Gumbaudi, Helias Gumbaudi, Petrus de Trena, Willelmus Viviani, M. XCVIII. anno ab Incarnatione Domini, regnante Willelmo duce Aquitanorum qui Toloſanam accepit uxorem, & Ramnulfo epiſcopo Xanctonico.

Nobilis vir Bernardus Deſcoza eccleſiolam in honore S. Germani antiquitus conſtitutam, tunc deſertam eidem Rainaldo donavit: ut autem hoc donum firmum maneret, *inquit ſcheda*, Amanum archiepiſcopum adeunt, qui ut erat ſanctiſſimus, ſanctam viri intelligens devotionem, piis petitionibus annuit, & quæcumque ad illam eccleſiam pertinerent. Facta eſt donatio apud Burdegalam in eccleſia metropoli per manum Amati archiepiſcopi & Eblonis archidiaconi, & Bernardi d'Eſcoza an. M. C. IV. regnante Willelmo duce Aquitanorum nepote Fulconis comitis Andegavenſis, & Ranulfo epiſcopo Xanctonenſium.

XXIII.

Alexandri papæ bulla pro monaſterio S. Steph. de Vallibus.

ALEXANDER epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis Petro Willelmi abbati monaſterii S. Stephani de Vallibus, ejuſque fratribus tam præſentibus quam futuris regularem vitam profeſſis in perpetuum &c. Quapropter, dilecti in Domino filii, veſtris juſtis poſtulationibus libenter annuimus, & præfatum monaſterium in quo divino mancipati eſtis obſequio, ſub B. Petri & noſtra protectione ſuſcipimus, & præſentis ſcripti privilegio communimus, ſtatuentes ut quaſcunque poſſeſſiones, quæcunque bona idem monaſterium in præſenti juſte & canonice poſſidet aut in futurum conceſſione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, ſeu aliis juſtis modis, propitiante Domino, poterit adipiſci, firma vobis, veſtriſque ſucceſ-

[a] Rainaudus Mallinceniis monachus abbatiæ Vallium S. Stephani præficitur a Gaufrido Malliac. abbate, rogatu Ramnulfi Santon. epiſcopi & Heliæ de Didonia circa an. 1081. ex tom. v. annal. Mabill. p. 646.

foribus illibata permaneant, in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis : villam de Vallibus & dominium ejuſdem villæ liberum & abſolutũ cum cimiterio ejuſdem loci, cum decimis, juſtitiis, & univerſis pertinentiis ſuis, jus quod habetis in villa de Arcis, eccleſiam S. Saturnini, eccleſiam S. Palladii, eccleſiam S. Auguſtini, eccleſiam S. Sulpitii, eccleſiam S. Eparchii, eccleſiam S. Martini de Arcis, eccleſiam de Banella, eccleſiam S. Petri de Graia, eccleſiam S. Martini de Bots, eccleſiam S. Germani de Langoira; ſepulturam quoque ipſius loci liberam eſſe concedimus, ut eorum devotioni & extremæ voluntati qui ſe illic ſepeliri deliberaverunt, niſi excommunicati, vel interdicti ſint, nullus obſiſtat, ſalva tamen juſtitia illarum eccleſiarum a quibus mortuorum corpora aſſumuntur. Sane novalium veſtrorum, quæ propriis manibus aut ſumptibus colitis, ſive de nutrimentis veſtrorum animalium, nullus a vobis decimam præſumat exigere; cum autem commune interdictum fuerit, liceat vobis clauſis januis, excluſis excommunicatis & interdictis, non pulſatis campanis, ſuppreſſa voce divina officia celebrare. Obeunte vero te nunc ejuſdem loci abbate, vel tuorum quolibet ſucceſſorum, nullus ibi qualibet ſubreptionis aſtutia, ſeu violentia præponatur, niſi quem fratres communi aſſenſu, vel fratrum pars conſilii ſanioris de ſua, vel de Malliacenſi eccleſia ſecundum Dei timorem, & B. Benedicti regulam præviderint eligendum. In parochialibus vero eccleſiis quas tenetis, liceat vobis preſbyteros eligere, epiſcopo præſentare; quibus ſi idonei fuerint, epiſcopus curam animarum committet, ut de plebis quidem cura epiſcopo, vobis autem de temporalibus debeant reſpondere; terras quoque, prata & omnia alia quæ Arnaldus quondam de Mauritania, & ſucceſſores ejus eccleſiæ veſtræ pia largitione dederunt, necnon prata, terras & terragia quæ dedit Arnaldus Gamno & præpoſiti ipſius, Ramnulfus videlicet Gunbaldus, eidem eccleſiæ obtinenda jure perpetuo confirmamus. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat &c. Ego Alexander catholicæ Eccleſiæ epiſcopus, ego Bernardus Portuenſis eccleſiæ epiſcopus, ego Hubaldus preſbyter cardinalis tituli S. crucis in Jeruſalem, ego Johannes preſbyter cardinalis SS. Johannis & Pauli tituli Pammachii, ego Guillelmus preſbyter cardinalis tit. S. Petri ad Vincula, ego Jacynthus diacon. card. S. Mariæ in Coſmydyn, ego Hugo diac. card. S.....juxta templum Agrippæ. Datum Verul. per manum Gratiani ſanctæ Rom. Eccl. ſubdiaconi & notarii VII. Calend. Julii, Indict. III. Incarnat. Dominicæ an. M. C. LXX. pontificatus vero domini papæ anno XI.

XXIV.

Charta Othonis Aquit. ducis pro B. Maria de Sabluncellis.

OTO dux Aquitaniæ, comes Pictaviæ, omnibus præſentibus & futuris chartam iſtam videntibus ſalutem. Sciatis me conceſſiſſe, & præſenti charta confirmaſſe R. abbati, & fratribus de Sabluncellis pro amore Dei & pro ſalute animæ meæ & parentum meorum, omnes eleemoſynas, dona, conceſſiones, quas ſuis prædeceſſoribus ante me fecerunt comites Pictavienſes : videlicet locum in quo ſita eſt abbatia de Sabluncellis, & quidquid habet in * Malavilla, ut ducit via * de Parirach ad campos * de Peyrateaux arcis, & in villa [a] ſancti Romani de Benais, ſive in parochia ejus tam in landis, quam in paludibus, tam in terra culta quam inculta; præterea quidquid habent in monte [b] Toulon, cum ſubjacenti palude & landis & buſchis circumſtantibus, terris cultis, vel incultis. Locum quoque de [c] Bertegiles cum landis, & buſchis, & præterfluenti palude, quæ palus extenditur a loco de Sabluncellis verſus uſque ad molendinum de Gado; rurſus confirmo illis locum qui dicitur [b] de Manſagro cum nemore & terra culta ſive inculta, dulci vel ſalſa; & cum externis, & cum captione volatilium & quadrupedum & piſcium. Confirmo etiam eis landam [c] de Pendente-Capra, quæ extenditur verſus nemus quod dicitur Ulmus; necnon etiam landam quæ dicitur [d] de Arbore-curvata, & extenditur ad ampliationem prædictam, uſque verſus [e] Gorzan de Favaus. Iterum confirmo eiſdem ut quæcumque, ſive ad ædificia conſtruenda & reparanda, ſive ad quotidianos uſus eccleſiæ, ſive domorum ſuarum, in lignis & lapidibus, paſcuis & aquis, ſeu aliquo alio modo accipiant, libere & quiete, ſine omni pretio, & ſine omni contradictione & exactione in foreſta quæ vocatur [f] Baconeis. Hoc quoque adjicitur in vendendo res ſitas, & emendo alienas, ſeu tranſeundo per loca ditioni meæ ſubjecta, nihil ab eis exigatur, obtentu cujuſlibet conſuetudinis, videlicet paſcheriæ, vectigalium, & tributi, & talliæ, ſeu cujuſlibet alterius exactionis; neque a ſubditis eorum laborantibus in terris & aquis, pratis, vineis, & hortis eorum; præterea lignorum ſeu lapidum opifices, & omne operariorum genus, quandiu operibus prædictorum fratrum intendunt, vel dum de opere ad propria remeant, & domibus ſuis ad opera veniunt, ſicut cætera familia ſalvi maneant undique & illæſi : nec per aliquam violentiam miniſterialium meorum quenquam operariorum ab operibus eorum amoveri & alias traduci ſit licitum. Quidquid etiam a baronibus meis, & ab aliis hominibus meis acquirere dono & emptione poterunt, illud eis liberum & quietum annuo perenniter poſſidendum. Inſuper confirmo præſcriptis fratribus ſicut continetur in charta ſecundi W. C. M. N. comitis Pictavienſis atavi mei duas maſuras de foreſta mea ad ampliationem circa locum de Sabloncellis, & nemus quod * Lemeum dicitur, cum circumfluentia pratorum & paludis. Terminus autem quo dividitur illud nemus, quod Lemeum dicitur, eſt foreſta, & via quæ ducit de * Balenzac ad pratum ſanctæ Gemmæ. Amplius confirmo eis annuam levatam anguillarum in fluvio Carontonæ a civitate Xanctonica uſque ad caſtrum quod dicitur * Merplins. Et ſicut burgenſes Xanctonenſes de conſuetudine ibant ad ſubmonitionem comitis cum navibus ſuis ad levatam illius faciendam, ſimiliter faciant ad ſubmonitionem fratrum de Sabloncellis, ſine omni remoratione, niſi fratres voluerint eos relaxare. Confirmo etiam ſupradictis fratribus in Xanctonenſi epiſcopatu per ſingulas villas, ſingulos hoſpites qui eis deſerviant; & ob hoc ab exercitu & equeſtri convocatione & talliata liberi habeantur. Rurſus confirmo eis quadraginta ſolidos publicæ monetæ, quos eis reddendos præcepit avunculus meus Richardus rex Angliæ per manus præpoſiti * de Rochela ſingulis annis. Ut autem hæc mea conceſſio & confirmatio ſtabilis perpetuo maneat & inconcuſſa, eam litteris annotari feci, & ſigilli mei munimine roborari, teſtibus Gaufredo de la Cela ſeneſcallo Pictaviæ, Petro Bertin, Raymundo Muio de Lozay præpoſito Xanctonenſi, & multis aliis, apud * Sulbiſiam octavo die Martii, comitatus mei anno primo.

* Maleville.
* Peyriere.
* Peyratau, *ubi ſunt ruinæ arcis quæ nunc-patur* la Tour de Cefar.

[a] S. Romain de Benais. [b] Toulon. [c] Bertegilet.

* Lemur.
* Balenzac.
* Merpins.
* la Rochelle.
* Soubize.

XXV.

Charta fundationis percelebris abbatiæ S. Mariæ apud Santonas.

QUandiu mortali carne circundati, in hac lacrymarum convalle degimus, poteſtate liberi arbitrii fruimur; & quia non mercatibus noſtris gratuita Dei bonitate abundant divitiæ rerum temporalium, opeſque comitantes terrenarum delitiarum, non tanquam 1047.

[a] Le moulin du Gad. [b] Malaigre. [c] Chevre-Penduë.
[d] Arbrecour. [e] la Gorſe de Favaux. [f] foreſt de Baconay.

ſervi mali abuti debemus eiſdem in ſuperbiam : ſed quia pulvis & cinis ſumus, reminiſcentes & in pulverem ac cinerem nos reverſuros, ſcientes creaturarum omnium opifici, humani quoque generis Redemptori, de iis quæ ipſe clementi manu condonavit, offerre debemus temporalia, ut ab eo in cœlesti gaudio percipere mereamur ſine fine manſura. Quapropter in nomine ſummi Salvatoris noſtri Dei ego Gaufridus comes, & uxor mea Agnes, perpendentes animarum noſtrarum ſarcinas, & pertimeſcentes ultimum valdeque pertimeſcendum judicii diem, in quo unuſquiſque de factis propriis rationem redditurus eſt ac recepturus, atque prout geſſerit ſive bonum, ſive malum judicandum. Deliberavimus pariter pro remedio peccatorum noſtrorum, necnon pro ſalute parentum tam vivorum quam mortuorum, ex rebus noſtris votum Deo omnipotenti offerre, & monaſterium puellarum in honore Dei omniumque Salvatoris, & glorioſæ ſemper virginis Mariæ, in poſſeſſione noſtra apud civitatem Santonas, in loco ad id opportuno a novo fundare. Quod quidem opus ardente intentione aggreſſi, prout poſſibilitas noſtra aſſenſum præbet, annuente clementia miſericordis Dei, fideliter inſiſtimus ut monachas ibidem ſub ditione abbatiſſæ Domino ſervientes, ex propriis facultatibus, quæ nobis ſcilicet jure hæreditario proveniunt, ſive legitima pecuniarum noſtrarum comparatione providenter fovere diſponimus, ut pariter cum illis quæ ipſe deinceps Domino tribuente acquiſierint, ad quotidianum uſum earum etiam dona noſtra proficiant, ut ab eis ad Dominum pro nobis & univerſo Chriſtianorum populo aſſidue fiat oratio. Ipſam namque rerum neceſſariarum, rerum donationem litteris comprehendere, & ſcriptura annumerare decrevimus, & notitiam inde notatam manibus propriis roborantes confirmavimus, & fideles noſtros, nobileſque utriuſque ordinis viros, laïcalis videlicet ac clericalis, corroborare aſſenſus ſui collatione rogavimus. Igitur facultatis ipſius ſumma ut certius declaretur, ipſas res nominatim exprimere curavimus. Donamus huic ſacro loco ſanctæ Mariæ in hoc pago Sanctonico curtem unam ſcilicet Pontem-Labum, cum eccleſia B. Petri & appendiciis ſuis, S. Mariæ de Valanſay, & eccleſia S. Supplicii cum univerſa integritate, & utilitate uniuſcujuſque eccleſiæ, & totius curtis ; eccleſiam etiam S. Johannis de Anglis cum integritate ſua, & redecimatione de univerſis medietatibus noſtris dominicis ; curtem quoque aliam quæ nominatur Corma-Regalis, cum eccleſia in honore S. Petri apoſtoli & B. Nazarii noſtris *, cum tota parochia ſive integritate, & utilitate ipſius eccleſiæ, & totius curtis : ibi quoque juxta de ſylva noſtra dominica tantum delegamus ad complantandum, & hoſpitandum cultores, ut fiant inter prænominatam curtem, & illam ſaltem extirpationem trecenti manſi terræ integri. Item in hoc ipſo pago Sanctonico, loco qui dicitur Maritimus, donamus Domino & S. Mariæ eccleſiam S. Saturnini Marenniæ, & S. Juſti, & S. Petri de Salis, & ſancti Martini de Seazillac, & S. Laurentii de Gado cum parochiis & utilitatibus univerſis. Inſuper dedimus dictæ eccleſiæ eccleſiam S. Petri, & S. Eutropii de Broa, cum decima totius terræ Maremniæ, tam agrorum quam vinearum, nemorum atque * marmorum, cunctarumque aliarum rerum unde decima progredi debeat, a monte Aquilino uſque ad Chapuſium, ſicut illa omnis terra clauditur ex duobus maris lateribus, canali videlicet Seudra, & Broadgio. In ſupra autem dicto Maritimo donavimus Domino & S. Mariæ ſeptem manſos terræ, quos ego Agnes legitime datis pretii, & ſex millium ſolidorum, cum de milite quodam Petro de Didonne. Item in eodem loco adauxi ego Gaufridus tres manſos integros terræ, dando & concedendo domui dominarum in burgo S. Saturnini. Item de ſylva noſtra quæ vocatur Baconeis de omnibus arboribus, quæcumque fuerint neceſſaria, ad domos ſcilicet ædificandas vel reſtaurandas, ad cuppas, ad dolia, ad vallum, ad naves, ad furnos calefaciendos, & ad omnia facienda quæcumque fuerint domibus neceſſaria. Damus quoque in inſula cui Olarion * nomen eſt, quamque famoſiſſima ſoli fertilitas, & amœnitatis commoditas nobilitat, eccleſiam S. Dionyſii cum appendiciis & utilitatibus ſuis, & duos manſos terræ. Item in eadem inſula Olarionis adauximus in dotem hujus monaſterii, in ipſo conſecrationis momento ſancti officii venerabilitate compuncti, alios duodecim manſos, præter illos duos ſuperiores, & decimam omnium roſiarum, cervorum, cervarumque, quæ in ipſa captæ fuerint * ad librorum volſuras. Adjunximus autem donis noſtris monetam & monetagium, per cambitum totius epiſcopatus Xantonenſis, medietas cujus procedebat a nobis, aliam vero medietatem emi ego Agnes, de Macelino Tauniaci domino, dato pretio trium millium ſolidorum, & duobus equis de pretio. Congregatis autem monetariis, monetam qui facerent ex diverſis civitatibus, fecimus eos facere fidelitatem & ſecuritatem S. Mariæ, in abbatiſſæ manu Conſtantiæ, & omnibus ſub caſtimoniæ jugo ſibi parentibus. Dedimuſque ad monetam fabricandam domum juxta arcam pontis ſitam exeuntibus de civitate, quæ eſt ad dexteram. Offerimus etiam Deo & B. Mariæ abbatiam S. * Palladii, quam Willelmus vicecomes dedit ſponte, & bona voluntate conceſſit, a quo procedebat ex genere ipſa abbatia cum appendenciis, ſcilicet cum horto adjacente, muro circumdanti eccleſiam B. Mariæ, cum quibuſdam domibus & hortis ſuis, & cum quadam cultura terræ, quæ eſt ad montem Abadeus, & cum terra per partes diviſa, quæ eſt ad Tairat, juxta viam arenarum de Valay, quæ terra etiam vocatur S. Palladii. Donamus etiam eccleſiam de Naveras cum tota terra Deo & beatæ Mariæ, & decima omnium extirpationum quæ in ſylva Baconeis factæ ſunt, vel factæ fuerint, ita ut eccleſia B. Mariæ libere in ſempiternum poſſideat. Inſuper Chriſti pietate compuncti ſtatuimus ut quotannis abbatiſſa miſſo venatore ſuo quoquo modo poterit, habeat de præfata ſylva ad recreandum fœmineam imbecillitatem aprum unum cum ſua fera, cervum cum cerva, damum cum dama, caprum cum caprea, duos lepores. In pago Pictavenſi ego Agnes comitiſſa, dedi eccleſiæ B. Mariæ inſulam quæ dicitur Urcus in maritimis aquæ Seutiæ, quam emi de Vilelmo de Parteniaco pro mille quingentis ſolidis, & aliis auxiliis, quæ ſibi alias fecit nutu & authoritate filii noſtri Vilelmi Aquitanorum ducis : ipſam itaque inſulam ſcilicet, & eccleſiam in honore S. Mariæ cum ſuis appendentiis, & totam terram & ædificia, & quæ inde exire videntur, tali modo dedi & habendam conceſſi, ut eccleſia B. Mariæ integra libere poſſideat. In pago autem Andegavenſi dedimus prædictæ eccleſiæ ego Gaufridus & uxor mea Agnes, terram de Montepolicio, cum eccleſia in honore S. Mariæ, cum omni parochia, & decima, & cæteris appendentiis ſive utilitatibus univerſis. Dedimus etiam eccleſiam S. Germani cum decimis ſibi pertinentibus, de Monte-Gadon, & molendinis, & cæteris utilitatibus. Curtes igitur prænominatas & terras, quaſcumque dedimus Deo & B. Mariæ, ſic concedimus poſſidendas, ut nec nos ipſi, nec præpoſiti, nec famuli, nec foreſtarii noſtri, nec ullus homo nos in eo ibi arbergamentum, aut exercitum, quæſtam, procurationem aliquam, aut cavangadam, vi

* Oleron.

* Id eſt operturas.

* f. poſt B. Nazarii, *perendus apex legendumque* noſtris cum tota parochia.

* Olim SS. Petri, Pauli, Laurentii & Pancratii, quæ a ſuo fundatore S. Palladio ibidem ſepulto, poſtea nomen accepit. Palladius autem vivebat tempore S. Gregorii Magni, a quo impetravit reliquias ad conſecranda baſilicæ quam condiderat, altaria ; ibi enim erant tria ſupra decem. Vide epiſtolam olim 50. lib. v. S. Gregorii Magni, nunc 49. lib. v. Jam eſt eccleſia parochialis. Quidam tamen eccleſiam S. Eutropii putant eſſe Palladianam. * S. Pallais.

* Jus fortaſſe judiciorum, quæ fiebant per aquam frigidam in vaſe marmoreo. Vide gloſſarium noſtrum ad calcem inſtrumentorum.

aut terrore

aut terrore aliquo ulterius habeamus. Conſuetudinem etiam illam quæ vigeria dicitur, ſcilicet de homicidio, de furto, raptu, incendio, Deo & B. Mariæ ſinimus. Hæc omnia prædicta ſicut ſcripta ſunt concedimus B. Mariæ & ſanctimonialibus in loco iſto Deo famulantibus, ubicumque ſint in eccleſiis, in terris, in vigeribus, in ſtagnis, in curtibus, in manſilibus, in pratis, in allodiis, in ſilvis, in villis & pagis, in aquis aquarumque decurſibus, in paludibus, in cera & denariis, in boſcis, ſalinis, molendinis, piſcationibus, in foreſtibus, in cenſibus & decimis, & vineis, & utilitatibus univerſis; & præterea in aliis rebus quas conceſſimus, ſive aliæ hominum perſonæ concedent. Ut plane nulla humana poteſtas Regis, ducum, comitum, vicecomitum, galſtadionum, ſcarionum, vel archiepiſcoporum, epiſcoporum, vel tam eccleſiaſticæ militiæ quam ſecularis officii præſumat, audeat, pertentet aliquid de rebus & facultatibus auferre monaſterio B. Mariæ, quod ego Gaufredus comes & Agnes comitiſſa de propriis ſumptibus conſtruximus. Has itaque omnes ſupraſcriptas res & poſſeſſiones in diverſis locis conſtitutas, ſicuti a nobis moderno tempore conſtat eſſe poſſeſſas ſuis, ſive comparatas, a die preſenti in ſpeciales uſus monacharum cœnobii ſanctæ Mariæ delegamus, atque de noſtra poſſeſſione in earum poſſeſſionem, quatenus cum aliis quæ ſibi poſt-hac undequaque acquirere potuerint, abſque ulla diminutione, aut contradictione teneant, poſſideant, ut quicquid pro utilitate monaſterii agere decreverint, liberam & firmiſſimam licentiam in omnibus habeant. Si vero ab hodierna die & deinceps aliquis ex heredibus vel ſucceſſoribus, aut violentiis calumniam inferre tentaverit, iram Dei & S. Mariæ, & omnium ſanctorum incurrat, & quod moliebatur minime efficiens, inſuper etiam legibus coërcitus, partibus monaſterii auri libras centum perſolvere cogatur; ut præſens donatio noſtra fidelium noſtrorum nobiliumque virorum authoritate roborata firma in perpetuum perſeveret. Signum Gaufridi comitis, S. Agnetis uxoris ejus, S. Almerici de Rancon, S. Franconis Capitolini, S. Oſtenſii, S. Ilgerii de Tauniaco, S. Alboini de altero Tauniaco, S. Petri de Didona, S. Gileberti de Mauritania, S. Gumbaudi de Mornaco, S. Arnaudi de Coſnaco, S. Willelmi ducis Aquitanorum, S. Gaufridi comitis fratris illius, S. Willelmi comitis de Martais, S. Willelmi vicecomitis de Odeniaco, S. Hugonis de Liziniaco, S. Eblonis de Caſtello Allonis, S. Willelmi de Parteniaco, S. Berlaii, S. Emerici de Rupechoart, S. Fulconis de Bagaſini, S. Willelmi Franciſci de Chamilliaco, S. Gaufridi Graſſi de eodem, S. Galteri Ticionis, S. Aitardi vicecomitis Toarcenſis, S. Oudonii præpoſiti Andegav. S. Fulcardi de Rupeforti, S. Gaufridi comitis Engoliſmenſis, S. Fulconis, Gaufridi, Arnaudi, Mainardi filiorum ejus, S. Helis de Chaliſio, S. Heliæ de Jarnaco, S. Fucaudi de Rupe. Actum civitate Xantonas, anno incarnati Verbi M. XLVII. indict. XV. regnante Henrico Francorum rege feliciter.

XXVI.

Ex eodem chartul.

Fundationis confirmatio.

REctore omnium ordinante Deo, Leo ego Romanæ ſedis papa innoteſcat volo omnibus catholicæ atque apoſtolicæ eccleſiæ cultoribus, quod Goffridus comes Andegavenſis, & Agnes comitiſſa, locum S. Mariæ Sanctonenſis cœnobii, quod monachabus inibi ſub beati Benedicti regula degentibus Deo devote fundaverunt, noſtra auctoritate confirmari & auctoriſari poſtulaverunt & noſtri regiminis tuitione confortari deprecati ſunt; quorum petitioni aſſenſum præbentes confirmamus, & conſtitutionis tantæ locum liberali, ut deprecati ſunt, jure ſub noſtra deffenſione ſuſcipimus. Unde omnes Dei fideles caritative ſubmonemus ne tantum opus diſturbare, & diſſipare Dei ſervicium vel Deo devotas patiantur. Quod ſi aliquis huic divino operi inſidiari præſumpſerit, conceſſa vel concedenda calumniando & devaſtando, iram perpetuæ damnationis incurrat, & S. Dei genitricis omniumque ſanctorum accuſationem non evadat, & noſtrum anathema, quantum Dei judicio traditum nobis eſt, apoſtolica etiam auctoritate conceſſum Dei inimicum date in interitum, in æternum damnatus ſentiat. Hujus vero conſcriptionis cartam ut firmiorem obtineret vigorem, ſigilli noſtri impreſſione ſignari curavimus.

XXVII.

Ex chartario S. Mariæ Santonenſis.

Charta de dono abbatiæ S. Palladii.

ABbatiam S. Palladii dimiſit ſponte Guillelmus vicecomes comiti Goffrido a quo habebat, ad conſtruendum cœnobium monacharum in honore S. Mariæ. Abbatiam vero ejuſdem quam tenebat Conſtantinus Metalenſis a prædicto vicecomite, dimiſit ſimiliter. Dedit etiam commurationem cuidam ſuo caſato de eadem abbatia Willelmo Forſblandito. Omnes autem auctoriſaverunt ſponte. In qua abbatia conſtruxit* comes Goffridus & comitiſſa Agnes canonicos ad ſerviendum S. Palladio & monachabus.

* *f.* conſtituit.

XXVIII.

Ex eodem chartul.

Privilegium ſive confirmatio archiepiſcoporum & epiſcoporum in conſecratione eccleſiæ, ſuper donis quæ comes Gaufridus & Agnes comitiſſa vel alii fecerant vel facturi ſunt.

NOn ſolum qui loca divinis cultibus mancipanda exſtruere, & rerum copia ad neceſſitates ſervorum ſive ancillarum Dei ſuſtentandas religioſa munificentia ditare ſatagunt, præmium a largiſſimo bonorum omnium remuneratore conſequuntur; ſed etiam illi qui eiſdem aſſenſu ſaltem & ſolatio in locorum ipſorum & ſtabilitate diſponenda & conſtituenda adjutores exiſtunt, competentem mercedem ſibi quoque repoſitam eſſe confidunt; quatinus qui fuerint prompta voluntate bonorum operum cooperatores, fiant etiam in retributione participes. Quapropter in nomine Dei omnipotentis Patris & Filii & Spiritus ſancti, nos omnes præſentes archiepiſcopi, epiſcopi, abbates, aliæque multimode clericalis ordinis perſonæ, ex diverſis urbibus & pagis ab illuſtri comite Goffrido & uxore illius venerabili Agnete ad conſecrationem ordinationemque monaſterii hujus, quod ab ipſis recens videlicet fundatum, & laudabili ædificantium ſtrenuitate jam propemodum exactum eſt, evocati ac religionis ſtudio congregati ſumus, ubi & debitum officii ſacerdotalis congratulanter celebrantes, præſenti die, quod eſt ſcilicet IV. nonas Novembris, monaſterium hoc in honorem ac nomen Domini Salvatoris & glorioſiſſimæ genitricis ejus ſemper virginis Mariæ dedicamus, atque in eo monaſticum ordinem ancillarum Dei ſub abbatiſſæ regimine ſecundum regulam S. Benedicti inſtituimus: ut hic amodo in reliquum tempus, divina illuſtrante & conſervante gratia, ſupernæ majeſtati regulariter militetur, Deoque regi regum pro incolumitate & ſalute chriſtiani populi indeſinenter ſupplicetur. Primum namque concorditer cenſemus, inſtituimus, atque ſalubriter proviſum obſervari in poſterum pronunciamus, ex divina auctoritate, & conceſſa miniſterio noſtro eccleſiarum ſollicitudine, ut hic per ſuccedentia ſeculorum tempora abbatia ſit Domino tribuente famularum Chriſti, non cella cuiquam ſubjecta monaſterio. Et abbatiſſæ hic probabili ſororum hujus cœnobii ceterorumque Dei fidelium electione ad animas ſaluti lucrandas ſubſtituantur, non aliqua perambitione vel

vi cujuſquam poteſtatis ſuffulti, vel pecuniæ commercio freta, inſiliæ aut irrepat; quod qui conatus fuerit ſive qui conati conſenſerint, ſimoniacæ maledictionis ſicuti reus ſic & damnatus intereat, rerum etiam univerſarum donationes quas hic Domino ſanctæque Mariæ pro redemptione animarum ſuarum, aut ſuperius nominati fundatores, aut alii quilibet fideles contulerunt aut deinceps collaturi ſunt, ſive etiam facultates omnimodas quas congregationis iſtius ſorores ſibi legitima emptione comparaverunt, cum omni integritatis plenitudine & quiete, in quibuſlibet pagis aut territoriis in uſus ipſarum ac perennem hujus monaſterii poſſeſſionem perpetualiter manere, aſſignari, conſtabiliri ſub atteſtatione divinæ majeſtatis, & tremendi juſti judicii Chriſti Jeſu Domini noſtri confirmamus, aſtipulamur atque unanimi pronuntiatione ſancimus. Has igitur inſtitutiones noſtras ordinationeſque ex auctoritate divinæ legis aſſumptas, & monaſterio iſti a nobis aſſignatas & roboratas, quicumque fideliter tenere & conſervare ſtuduerint, benefactorum orationumque omnium hic per ſecula futurarum a Domino Deo conſortes deputentur. Si quis vero, quod abſit, earum deſtructor aut violator perſtiterit, excommunicationis noſtræ & anathematis damnatus poteſtate nobis in apoſtolis tradita dicente Domino Salvatore: *Quodcunque ligaveritis ſuper terram erit ligatum & in cœlis*, & pœnis infernalibus deputatus, niſi forte reſipiſcens noxam illam ſatisfactione correxerit: quod quidem ceſſionis & conſtabilitatis firmamentum ut veracius per tempora ſucceſſura credatur firmiuſque conſervetur, notitiam iſtam conſcribi juſſimus & in auditum frequentiæ popularis recitatam manibus propriis ſubſcripſimus.

Matt. 16. 19.

† Ego ARCHEMBALDUS S. Burdegalenſis eccleſiæ archiepiſcopus.

† Ego HUGO ſanctæ Biſontienſis eccleſiæ indignus archiepiſcopus.

† Ego AIMO S. ſedis Bituricenſis archipræſul.

† Ego ARNULPUS ſanctæ Sanctonicæ eccleſiæ novus epiſcopus.

† Ego HUGO Nivernienſis eccleſiæ humilis epiſc.

† Ego WILLELMUS Engoliſmenſis cathedræ indignus ſeſſor.

† Ego GERALDUS Petragoricorum epiſcopus.

† Ego PUDICUS S. Nanneticæ eccleſiæ epiſcopus.

† Ego JORDANUS S. Lemovicenſis eccleſiæ epiſcopus.

* *addendum aut præmittendum*: Signum.

GOFFRIDI abbatis S. Johannis Angeriaci *.
AZONIS abbatis S. Michaëlis de Eremo.
JOHANNIS abbatis de Luzione. Goſleni abbatis S. Leodegarii.
Abbatis de Bazaio. Frederici abbatis S. Florentii.
RAINALDI abbatis S. Petri Burgulienſis. Odrici abbatis S. Trinitatis Vindocini.
ISEMBERTI clerici de Pictavis deſignati epiſcopi.
MANGODI capicerii. Ingebaldi cantoris S. Hylarii.
BERNARDI diaconi. Joſcelini archidiaconi Andegavenſis. GOFFREDI theſaurarii Nivernenſis. Maingodi theſaurarii Biſſonticenſis.

XXIX.

Donum Willelmi Aquitanorum ducis de quibuſdam eccleſiis factum S. Mariæ Santonenſi.

EGO WILLELMUS Dei gratia dux Aquitanorum eccleſiam S. Juliani de Stapio cum decima & omnibus appenditiis ſuis, & eccleſiam S. Mariæ de Clida, cum decima omnium rerum quæ in territorio ejus ſunt, dono & concedo, & ſi quid juris inibi habeo, eorum finio eccleſiæ S. Mariæ Sanctonenſis & abbatiſſæ Sibillæ amitæ meæ, & conventui ejuſdem loci, pro animabus patris mei, & matris meæ, parentumque meorum, a quorum dono idem donum eidem eccleſiæ conceſſum fuerat antiquitus. Hoc autem dono * confirmo teſtamento manus meæ ſcribens hanc † crucem, videntibus eadem abbatiſſa Sibilla, & comitiſſa Tholoſæ avia mea, & Agnete amita mea, & Aremburgi de Volvent monacha; baronibus Gavaino, Petro epiſcopo, Oliverio, Prictio Lemozino capellanis, Johanne Pontolabenſi, Bernardo Toloſæ clientibus, Vitale Audeberto, Petro David, Giraudo Helia, pluribuſque aliis. Facta in camera ſancti Johannis & data XII. cal. Septembris.

* donum

XXX.

Notitia de fundatione B. M. de Tenallia.

NOTUM ſit ſucceſſoribus noſtris quod agriculturam de Puteo-Novo, quæ eſt inter Trinnac & Salum, Gerardus de Blavia Willelmo abbati de Fonte-dulci fratribuſque ibi Deo famulantibus, pro ſalute animæ ſuæ dedit, remoto omni redditu omnique conſuetudinaria exactione quantum ad ſe pertinuit. In hac autem donatione legitimi & idonei auditores affuere Richardus de Paulinac, & Petrus Arbaleſters. Deinde ſupradictus abbas regularn ſancti Benedicti propagare cupiens, duodecim fratres elegit, quibus tertium decimum patrem dedit, eoſque ad locum qui Tenallia vocatur, ubi libere Deo ſervirent ac regulariter viverent, ire diſpoſuit. Sed quia paupertas plerumque animos fratrum minus perfectorum ſolet perturbare, illud providus abbas pertimeſcens, terram quam a Gerardo de Blavia dono ſuſceperat, tunc in communi capitulo eis dedit. Illud vero donum poſtea Geraldus de Blavia & filii ejus ſcilicet Gauffredus Rudelli, & Willelmus Freelandi libenti animo conceſſerunt. In conceſſione Gaufredi auditores & teſtes fuerunt Fulcho Guarini & Ramnulphus Peitavin. In conceſſione vero Willelmi auditores & teſtes fuere Willelmus de Roca, & Villelmus Aichardi de Aſneires. In hac autem ſupradicta terra monachi de Tenallia multas agricolarum querelas invenientes, Geraldo de Blavia quantocius judicaret curaverunt. Qui non poſt multos dies ad villam de Trinnac veniens, querelas pacificare cupiens, abbatem de Tenallia, necnon & ruſticos querelоſos in præſentia ſua coadunare fecit. Ipſe vero cum ruſticis rationem ponens, quare terram quam pro anima ſua dederat calumniarentur? Reſponderunt: Nos, Domine, terram illam diu pertinuimus, & eam ſine judicio amittere nolumus. Sed quia in tua curia præjudicari timemus, mitte nos ante Gifardum, & ejus judicio ſuæque curiæ libenter adquieſcemus. Quibus Gerardus, ne illos magis vi quam ratione cogere videretur, conſenſit. Gerardus itaque diem quo judicium audirent inſtituit, & quia die conſtituto præſens eſſe non potuit, Villelmum Viventii ſuum præpoſitum juris ſui rationem dicere, & pro ſe judicium audire mandavit. Die ergo conſtituto, auditis clamoribus Gifardus baroneſque ejus, rem rationabiliter diſcutientes, judicium fecerunt. Sed ruſtici magis voluerunt querelоſi manere, quam judicio obedire. Abbas vero audiens eorum querelas eſſe injuſtas, eas tamen pacificare

cupiens præpoſitos ejuſdem terræ Villelmum Viventii ſcilicet & Rotbertum Viventii ad ſe vocavit, a quibus qualiter quereloſos pacificaret, conſilium quæſivit. Laudaverunt itaque quatinus ſupradictis quereloſis aliquid daret, & terram ſine contradictione poſſideret. Qui eorum conſilio adquievit, & ut laudaverunt fecit. In præſentia enim illorum omnes quereloſos venire juſſit, & unicuique ſecundum terræ quantitatem quam requirebat dare diſpoſuit. Quereloſi vero ſcientes non amplius ſuas querelas valentes, munera quæ non ſperabant libenter ſuſceperunt, & ut monachi de Tenallia terram in pace ſemper haberent præpoſitis audientibus, Villelmo videlicet & Rotberto, conceſſerunt, necnon & ipſi præpoſiti Villelmus & Rotbertus quicquid juris in hac terra ſupradicta habebant, pro redemptione animarum ſuarum Villelmo Conſtantini & Fulcherio Fadat auditoribus conceſſerunt.

Hoc inſtrumentum ſcriptum, ut videtur diu ante Ciſtercienſis ordinis exordium deſcripſit D. Jacobus Boyer ex archetypo ſibi perhumaniter communicato a R. P. Jacobo de Meſſiez rectore collegii Santonenſis Societatis Jeſu an. 1713.

INSTRUMENTA AD ECCLESIAM PETRAGORICENSEM SPECTANTIA.

I.

Ex chartul. S. Martialis Lemovic.

Frotarius Petragoricenſis epiſcopus reſtitutum monaſterium Palanetenſe libertate & immunitate donat.

Hanc chartam citat D. J. Mabillon annal. Benedict. l. 56. n. 47.

EGO in Dei permiſſu, quamvis non meis meritis, Petragoricenſis præſul Frotarius, omnibus eccleſiæ cultoribus notum eſſe volo, quia a prædeceſſoribus noſtris tam regiæ magnitudinis quam etiam epiſcopalis authoritate ſuffulti, in noſtra regione quoddam monaſterium in honore ſummi Dei & B. Martialis, & omnium ſanctorum erat conſecratum. Etenim abbatis & monachorum ubi ſanctus Domini Martialis requieſcit obſecratione delinitus rex Francorum Carolus, ipſum locum vocatum Palnacum cum omnibus ibidem ipſi loco debitis eccleſiaſticis redditibus ad ſedem Petragoricam pertinentibus, præcepto regali & epiſcopali Petragoricenſi cum conſenſu cæterorum epiſcoporum qui cum eo aderant, conſilio & authoritate liberũ exiſtere, divinum debitum Dei ſervitium ex more redderet. Interpoſito autem tempore, & peccatis exigentibus, ipſe locus ob paganorum infeſtationem deſertus factus eſt, & ad nihilum redactus eſt. Deo autem annuente & domini noſtri Martialis apoſtoli, necnon omnium ſanctorum precibus ad præſens emeliorando reparatus eſt. Unde volo omnibus notum fieri quod ego non ſolum rogatu abbatis monaſterii domini Martialis & fratrum ibidem Deo ſervientium, cui ille locus ſubditus eſt, ſed etiam pro utilitate animæ meæ conſtitui ut in die conſecrationis * ipſius monaſterii tale donum conferamus, quod michi & ſucceſſoribus meis commodum omnimodis eſſe videatur. Igitur in authoritate antiqua regali & edicto epiſcoporum qui edicta regalia conſtituerunt eſſe ſervanda, nos quoque qui hujus negotii miniſtri exiſtimus, delegamus inſtitutiones eidem loco & ſubditis eidem monaſterio eccleſiis, ut ſicut ex præfato regali & epiſcopali decreto inſtituto prænotatur, noſtro etiam nunc corroboretur notatu. Videlicet ut ab omni prorſus rigore eccleſiaſtico abſolutus libet locus ipſe ibi manentium monachorum pro ſtatu omnium ordinum Deo ſervienti ſtabili vigore perſeveret immunis. Hujus vero teſtamenti ut traditio firma & ſtabilis perſeveret cum authoritate ſubtus inſerta .... S. domini Caroli regis. Adraldus rogitus ſubſcripſit. Pohon & Itherius in hoc libello conſcripſit.

* *dicitur porro illa dedicatio Palanſenſis baſilicæ facta menſe Julio regnante Carolo rege.*

II.

Ex chartar. Sylvæ-Majoris.

Guillelmus epiſcopus Petrac. dat Sylvæ-Majori eccleſiam S. Mariæ de Lopiaco & eccleſiam S. Johannis de Lunaz.

1117.

EGo GUILLELMUS Dei gratia Petragoricenſis epiſcopus, videns & cognoſcens eccleſiam B. Mariæ de Majori-Sylva, necnon & monachos Domino Deo in ea deſervientes, tam ſuis quam prædeceſſoris ſui Geraldi quamplurimum fulgere meritis, dignum factum credens tam religioſæ congregationis fratres extollere, dedi & conceſſi præfatæ eccleſiæ, & Gaufrido IV. abbati eccleſiam S. Mariæ de Lopiaco, quæ eſt ſita in caſtellania de Gorſon, & eccleſiam S. Johannis de Lunaz juxta rivulum Airau cum appendiciis ſuis, ſalvo jure epiſcopi, vigente papa * P. II. & regnante Ludovico rege Francorum, Burdegalenſi eccleſiæ * A. metropolitano anno M. C. XVII. ab Incarn. Dom. Indict. X. epacta XXVI. concurrens VII. luna VIII. in feſto beati Nicolai, menſe Decembri. Et ut donatio iſta firmior & magis autentica habeatur, ego Guillelmus epiſcopus ſubſcripſi +. Ego Arnaldus Guillelmi ſubſcripſi +. Ego Willelmus de Nandario ſubſcripſi +. Ego Iterius de Salas ſubſcr. +. Ego Haldebertus decanus ſubſcr. + Ego Giraldus de Calcada ſubſcripſi +. Ego Helias de Bels Plas ſubſcripſi, ego Helias Loeth ſubſcripſi.

* Paſchali.

* Arnaldo.

III.

Ex tabulario.

Willelmus Petragoric. epiſcopus dat Cluniaco & Pontio abbati eccleſiam S. Theodori de Rocaboucort.

1121.

WILLELMUS Dei gratia Petragoricenſis epiſcopus venerabili abbati Cluniacenſis monaſterii domino Pontio, & ſucceſſoribus ejus regulariter ſubſtituendis in perpetuum. Sapientium auctoritate proviſum eſt, temporum ſuorum geſta ſtili officio perpetuare, ne poſteritatis memoria obliterari futurorum intercapedine queat. Notum itaque tam præſentibus quam abſentibus præſentis ſcripturæ apicibus fieri volo, quod ego ex officii noſtri neceſſitate erga omnes diœceſis noſtræ eccleſias curam gerens, & in eis religionis jura conſervari deſiderans, dono & in perpetuum habendam concedo, Deo & ſancto Petro apoſtolorum principi, domno quoque Pontio abbati ſupradicti monaſterii & ſucceſſoribus ſuis, eccleſiam S. Theodori de Rocaboucort, conſilio clericorum Petragoricæ ſedis, Vvillelmi ſcilicet de Nanclart, Arnaudi, Vvillelmi, Iterii de Sauzet, & aliorum plurimorum qui nobiſcum intererant, dantibus pariter & concedentibus canonicis ejuſdem eccleſiæ, Iterio videlicet,

Gardra, & Helya de Sauzet, Petro Iterio, Geraldo Ferrono, atque Petro Hugone, aliisque quamplurib[us] ; laudante etiam atque confirmante domno Girardo Engoliſmenſi epiſcopo, & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ legato, præſentibus clericis Engoliſmenſis eccleſiæ Ricardo, & Vvillelmo fratre ſuo ejuſdem legati nepotibus, Eudrardo vero capellano, atque Theaumo ejus notario. Ut autem donum iſtud abſque alterius calumnia certum habeatur, & ratum perduret, hanc cartam ſigilli noſtri munimento conſigno, & prædictum abbatem Cluniacenſem inveſtio, ſub eorumdem clericorum noſtrorum teſtimonio : monachorum vero Pontii prioris de Berbezil, Geraldi Roberti prioris de Monte-Berulfi, Arnaudi prioris de Rocenac. Factum eſt autem hoc donum anno ab Incarnatione Domini M. C. XXI. Calixto papa in ſede apoſtolica præſidente, atque in Francia Ludovico rege regnante, ubique Domino J. Chriſto imperante. Amen.

IV.

Ex chartar. S. Mariæ Santonenſis.

Willelmus Petragoricenſ. S. Silvani eccleſiam Xantonenſibus monialibus aſſerit adverſus S. Martialis Lemovic. monachos.

1131. EGO VVILLELMUS ſedis Petragoricæ humilis epiſcopus, tam præſentibus quam futuris certum fieri volo quod ſicut ex relatione auctoriſabilium & antiquarum perſonarum, necnon tam ex munimine ſcripturarum quam ex probatione teſtium deprehendi, quod Vvillelmus qui quartus ante me urbis Petragoricæ epiſcopatum regebat, concedentibus ac laudantibus Goſcelino Burdegalenſi archiepiſcopo, Amato Oleronenſi epiſcopo, ac ſanctæ ſedis apoſtolicæ legato, Boſone Xanctonenſi, Iſemberto Pictavenſi, Aimaro Engoliſmenſi epiſcopis, dono & conceſſu Boſonis Petragoricenſis comitis, ac filii ſui Audeberti, eccleſiam ſancti Silvani cum appenditiis ſuis eccleſiæ beatiſſimæ Mariæ Xanctonenſi, & Arſendi abbatiſſæ ejuſdem loci donavit perpetuoque habendam conceſſit, ſub tali ſcilicet ratione, ut abbatiſſa Xanctonenſis ibi ſanctimoniales Chriſto & ejus genitrici aſſidue famulaturas poneret. Hanc vero eccleſiam abbatiſſæ & ſanctimoniales Xanctonenſes firma & tranquilla pace per longa temporum ſpatia uſque ad tempus Vvillelmi Petragoricenſis comitis poſſederunt; qui Vvillelmus diaboli inſtinctu monachis S. Martialis Lemovicenſis eccleſiæ, præfatam ſancti Silvani eccleſiam pro mille ſolidis vendidit, & inſuper ad augmentum nequitiæ ſuæ armata manu eccleſiam ingreſſus, ancillas Chriſti inde violenter expulit, & deſpicabiliter pedites Xanctonas venire coëgit. Pro hac igitur expulſione tam injuſta clamaverunt ad me abbatiſſa Sibilla & ſanctimoniales, poſtulantes ut tantam injuſtitiam converterem in judicium. Unde capituli noſtri communi conſilio dedimus & diem & locum abbati S. Martialis Amblardo, & abbatiſſæ Sibillæ Petragoricæ, ante nos agendi. Aſſignata autem die præſentavit ſe ante nos abbatiſſa, cum non minima clericorum religioſorumque virorum caterva, abbati reſpondere parata, & facere quod utrique adjudicarem ; ſed abbas prorſus venire renuit, nec reſponſales perſonas pro ſe delegavit, nec monachi, qui in eccleſia morabantur, quibus ego ipſe huic cauſæ maximæ intereſſe injunxeram, ſe mihi præſentaverunt, ſed venditis omnibus eccleſiæ redditibus, & quæ vendere non poterant in vadimonio poſitis noctu fugientes, domum & eccleſiam cunctis bonis privatam reliquerunt. Proinde habito conſilio cum venerabilibus perſonis tam clericalis quam monaſtici ordinis quas ad hoc judicium tractandum convocaveram, quia abbas & monachi ex toto defecerant, adjudicavit eccleſia Petragoricenſis & ego religioſorum conſilio inveſtituram eccleſiæ S. Sylvani abbatiſſæ Sibillæ & ſanctimonialibus, & ego ipſe cum eis perrexi, & eccleſiam deinceps habendam tradidi. Factum eſt autem hoc anno incarnati Verbi M. C. XXXI. epacta XX. Indictione IX. concurrente III. Regl. I. ex noſtra parte videntibus Roberto capellano noſtro, domno Helia Muſea viro religioſo, Stephano de Brea, Helia Apurail milite, pluribuſque aliis : ex parte vero abbatiſſæ Beraudo Xanctonenſi theſaurario, Petro Bruns Xanctonenſi archipreſbytero, Pipino clerico Xanctonenſi, ſanctimonialibus autem Agnete Aremburgi, Augarde. Datum Petragoricæ XVIII. cal. Julii per manum Roberti cancellarii noſtri.

V.

Ex chartulario S. Mariæ de Liguro.

Epiſtola Petri Petragoric. epiſcopi ad Pontium Santonenſem præſulem qua teſtatur abbatiſſam Liguris deferre brachium S. Simeonis ad eleemoſynas percipiendas.

VEnerabili in Chriſto patri Pontio, Dei gratia Xantonenſi epiſcopo, & venerabilibus viris decano & archidiaconis ejuſdem epiſcopatus, P. ejuſdem miſeratione Petragoricenſis epiſcopus, ſalutem & ſinceram charitatem in Domino. Per præſentes litteras vobis facimus manifeſtum, quod brachium S. Simeonis pro certo creditur eſſe in abbatia de Ligurio noſtræ diœceſis, & quod ibi fuit allatum de Conſtantinopolitana civitate, prout a viris intellexim[us] fide dignis ; & dum Almoicis venerabilis abbatiſſa ejuſdem loci, de cujus vita & moribus vobis laudabile teſtimonium perhibemus, quæ modeſtiſſime a puericia ſua in dicta abbatia vixit, dictum brachium per veſtram diœceſim portare ſecum proponat, & ſe transferre ad partes veſtras, fidelium eleemoſynas peritura, diſcretionem veſtram affectuoſe rogamus, quatinus abbatiſſæ eidem veſtras litteras & indulgentias ad inferiores prælatos & capellanos vobis ſubjectos, pro neceſſitatibus monaſterii ſui miſericorditer concedatis, & eam in ſuis juſtis & honeſtis petitionibus audiatis ; tantum inde facientes, ſi placet, quod dicta abbatiſſa preces noſtras in iis quæ ad nos pertinent apud vos ſibi ſentiat fructuoſas. Datum die Lunæ poſt *Invocavit me*, anno Dom. M. CC. LXIII. 1263.

VI.

Ex chartario Sylvæ-Majoris.

Ademarus Petragoric. epiſcopus dat Sylvæ-Majori eccleſiam S. Petri de Siorac cum capella & omnibus pertinentiis.

A Dei gratia Petragoricenſis epiſcopus, cariſſimis . in Chriſto P. venerabili abbati totique conventui monaſterii Sylvæ-majoris, ſalutem & caritatem. Si eruditionis apoſtolicæ tenor : *Quia bonum operari ad omnes & maxime ad domeſticos fidei admonemur*, ad quemlibet Chriſti fidelem quadam generalitate reſpiciat ; pertinere videtur ſpecialiter ad prælatos, qui doctrinæ ſalutiferæ videntur eſſe populo Chriſtiano executores a Domino deputati ; domeſticos autem fidei eos intelligere poſſumus congruenter, qui digniſſimo capiti Jeſu Chriſto tamquam digniora membra per munditiam mentis & corporis cohærentes, profeſſionem fidei Chriſtianæ perſeverantia jugi immaculatæ converſationis obſervant ; ut ſicut in eis ſacris caracteribus eſt impreſſa, ita continuatis operibus caritatis piæ ſollicitudinis opera confirmetur. Unde vobis æſtimantes nos ex præmiſſa exhortatione teneri, qui quaſi proximi domui veſtræ, ſi non meritis, tamen loco jam dudum ſenſimus approbatæ converſationis veſtræ fragrantiam, opinionis integræ famam & ſuavitatis odorem ; ad revelandam circa temporalia veſtræ paupertatis inopiam manum voluimus proviſionis extendere, ut commutatione fideli, favente Domino, in ſpiritualium deliciarum quibus per Dei gratiam 1194. Ademarus. *Gal 6. 10.*

exhuberat domus veſtra participium admittamur. Favore itaque perſonarum & totius capituli eccleſiæ noſtræ, vobis & monaſterio veſtro eccleſiam S. Petri de Siorac cum capella & omnibus pertinentiis ſuis libere conceſſimus veſtris in perpetuum uſibus profuturam, in qua etiam ad præſentationem veſtram Petragoricenſis epiſcopus, qui pro tempore fuerit, capellanum inſtituet, qui vobis de temporalibus & ei de ſpiritalibus reſpondebit, ſalva in omnibus & miniſtrorum noſtrorum juſtitia. Ut autem hæc noſtra donatio tam ſolemniter quam canonice facta firma & inconcuſſa perpetuis temporibus perſeveret, eam præſenti carta expreſſius annotari præcepimus, & ſigilli noſtri robore præmuniri. Actum vero eſt hoc in civitate Petragoricenſi in domibus noſtris anno incarn. Verbi M. C. XCIV. ſub multorum teſtimonio ſapientium qui ad hoc fuerunt ſpecialiter convocati.

VII.

Ex charta-rio B. Mariæ Santonenſis.

Charta fundationis S. Silvani.

QUicumque fidelium pro animæ ſuæ ſalute baſilicam in cujuſcunque ſanctorum veneratione fundaverit, vel fundatæ aliquam ejus poſſeſſionis partem gratanter impenderit, a * remuneratione Chriſto proculdubio mercedem recepturus eſt, pro quibus ſe in terra pauperaverit. In hac ergo certiſſima fidei ratione Petragoricæ dux civitatis Dei gratia nomine Boſo, cœnobium in honore beatiſſimæ virginis Mariæ & S. Silvani pro delictis ſuis parentumque ſuorum ſtuduit gratioſius fundare; quo pacto ut in eodem cum conſilio ſuorum monachas conſtitueret, pace tranquilla deſſinivit, voluntate vero illas benigniſſima, dum viveret, ſervavit. Deinde ejus ſucceſſor necnon & filius Aldebertus prout potuit curare curavit. Tertio namque ſupradicti filio regnante Helia, caſus diabolo ſuadente talis incubuit, quatinus locum quem cæteri conſtituerant, cum habitatoribus diſſipavit. Poſtea vero ipſis proclamantibus cum populo, quas ejecerat, ſanctimonialibus eccleſiæ Xanctonenſis atque abbatiſſæ cum ſuis monachabus pernimium Deo auxiliante, religioſiſſimis matre favente donavit, ac in perpetuum ſe in omni tenere fidelitatem, remota occaſione promiſit. Hoc ergo donum iſtis videntibus fecit Leocretia, Garſendi, & Adela ſanctimonialibus, & Gitberto ſcilicet & Petro de Grepvilla qui hoc donum acceperunt, & Odo capellanus, qui ut iſta ſcriberet interfuit, & Oto Bernardus, Ugo & Gaufredus de ſancto Aſterio, & Arnaudus Aramon, Helias Gaufredus & ceteri innumerabiles, papa noſtro Gregorio apoſtolatus vice fungente, Philippo rege regnante, Willelmo comite, epiſcopo noſtro Bozone, Petragoricæ civitatis Willelmo pontifice, archiepiſcopo Joſcelino Burdegalenſi, abbatiſſa Xanctonenſi Arſendi Bruna, Deo auxiliante qui vivit & regnat in ſæcula. Amen.

* remuneratore.

VIII.

Ex charta-rio Uſſer-cenſi.

Privilegium Guidonis vicecomitis de monaſterio Turturiacenſi ſeu Tuſturiacenſi.

1025. EGo in Dei nomine Guido vicecomes, & Emma uxor mea, pro animabus noſtris & pro anima Geraldi patris mei, ac matris meæ Rotildis, pro anima quoque Ademari vicecomitis patris uxoris meæ, & matris ejus Miliſſendis, quorum adjutorio & voluntate, & de conſenſu, hujus privilegii tenorem ſtabilire decrevimus, hortante etiam Ademaro filio meo & uxore ejus Senegunde, dilectoque filio meo Petrone & uxore ejus Sulpitia, conſentiente etiam fideliſſimo domno Richardo abbate a quo jure ipſe locus de quo loqui volumus Tuſturiacus cognomento, ſub regulari jam norma fuerat inſtitutus; hortantibus quoque fidelibus noſtris Rogerio de Leron, Guidone de Turribus, Bernardo de Capriolo, Boſone de Riallac, archembaldo de Bochiac, Stephano Bellet, Geraldo d'Elpoi, & fratribus ejus Guidone & Gardrado; Guidone quoque de Aent, & Amblardo de Anz, hunc locum ſupradictum nomine Tuſturiacum tradimus Deo & ſancto Petro cœnobii Uzercenſis, & abbati Richardo, ac ſenioribus ejus curam ejuſdem loci committimus, & in monachico habitu ac religione ſicut jam pridem fuerat inſtitutus, nunc in ipſa religione & habitu locum ipſum inſtituimus, ſub Stephano decano Uzercenſi, qui nunc a domino Richardo abbate ibi abbas inſtituitur, eo tenore ut nullus epiſcopus aut clericus ſive laïcus, licentiam habeat alienandi ipſum locum ab ordine monaſtico, & a cœnobio Uzercenſi; ſed per ſuccedentia tempora monaſticus ordo & regularis obſervantia, ſub regula S. Benedicti ibi teneatur & cuſtodiatur. Idcirco ego Guido vicecomes, & uxor mea Emma, & filii mei ſupra ſcripti, cum uxoribus ſuis damus Deo & S. Petro Tuſturiacenſi loco, & monachis ibidem habitantibus medietatem de eccleſia S. Hylarii quæ adjacet ipſi loco Tuſturiacenſi. Item in alio loco damus eccleſiam S. Troiani cum villa quæ appellatur Alpoi, & omnibus ibi habitantibus, cum vineis, pratis, & ſilvis, & omnibus quæ ad ipſam villam pertinere videntur. Et in alio loco in Exandonenſe, in loco qui vocatur Anticiac, unum manſum cum omnibus quæ ad ipſum manſum pertinent. Petrus * vero filius meus, & uxor ejus Sulpicia, dederunt Deo & S. Petro, Tuſturiacenſi ſcilicet loco, unum manſum in loco qui vocatur Ars-Perers, cum ſervis & ancillis, cum pratis, & vineis, & omnibus quæ ad ipſum manſum pertinent. Item damus Deo & S. Petro unam villam quæ vocatur Caſtra & ſunt octo manſi juxta locum S. Riberii cum vineis, pratis, ſylvis, cultis & incultis, & cum omnibus quæ ad ipſam villam pertinere videntur. Item in alio loco in ipſo pago Petragoric. damus ipſi loco eccleſiam in honore S. Martini dicatam, quæ vocatur Agrangias, vineam conſitam cum vicaria, & omnibus quæ ad ipſam eccleſiam pertinere videntur. Damus etiam ſupradicto loco unum manſum qui appellatur Eſchaurniac cum vineis, ſylvis, campis, & cum omnibus quæ ad ipſum pertinent. Item damus unam villam quæ appellatur Acavallon; & ſunt quatuor manſi cum ſylvis, vineis, terris cultis & incultis, & cunctis quæ ad ipſam villam pertinent. Aliam quoque villam damus quæ appellatur Bau, & ſunt ſex manſi cum ſervis & ancillis, cum vineis, pratis & ſylvis, & omnibus quæ ad illam villam pertinent, in alio loco duos manſos in villa quæ appellatur Alaicta cum omnibus quæ ad ipſos manſos pertinent. Hæc omnia ego Guido, & uxor mea Emma, filiuſque meus Ademarus, & uxor ejus Senegundis, Petrus quoque filius meus & uxor ejus Sulpicia mente devota obtulimus Deo & ſancto Petro & loco Tuſturiacenſi ac monachis ibidem conſiſtentibus ſub domno Richardo abbate ac Stephano abbate poſt ipſum præſidente. Rogamus quoque & obſecramus omnes ſucceſſores noſtros ut hoc noſtræ elemoſinæ privilegium non infringant; ſed ſicut ſua a ſuis ſucceſſoribus voluerint ſtatuta ſervari, ſic & noſtra decreta ſtudeant conſervare. Illud quoque prohibemus ut nullus ex heredibus noſtris ſive aliqua perſona licentiam habeat vendere aut dare alicui clerico aut laïco ſeu monaco alterius loci; ſed defuncto abbate vel præpoſito ipſius loci, liceat abbati Uzercenſi unum ex ſuis eligere qui ſub regulari norma ipſum locum diſponat. Conſtitutum eſt autem pro domno Guidone & uxore ejus Emma eorumque heredibus, ut una quaque hebdomada una miſſa generalis in ipſo loco dicatur, & unus Pſalmus ad unamquamque horam, & omni die unus pauper in elemoſina. Teſtes ſunt ipſe Guido qui hoc privilegium firmavit, Emma uxor ejus, Ademarus filius ejus, Senegundis uxor ejus, Petrus filius ejus,

* vero.

a Initio hujus inſtrumenti vocatur Petro filius Guidonis vicecomitis cum uxore Sulpicia.

Sulpicia uxor ejus, domnus Ricardus abbas, Arnaldus Petragoricenſis epiſcopus, Stephanus abbas, Rotgerius de Leron, Guido de Turre, Bernardus Captiolus, Boſo de Rialac, Fruinus Debre, Bernardus filius ejus, Guido Caſte, Geraldus Delpoi, Guido de Aen, Amblardus Danz, Gaufredus Malmiros, Archambaldus de Bohiac. Factum eſt hoc privilegium anno incarnationis Dom. M. XXV. regnante Rotberto rege.

IX.

Bulla Calixti papæ pro Guidone abbate Turturiaci.

CALIXTUS epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto filio Guidoni Turturiacenſi abbati, ejuſque ſucceſſoribus regulariter ſubſtituendis in perpetuum. Turturiacenſe monaſterium, quod a bonæ memoriæ Guidone vicecomite in allodio ſuo ad honorem Dei & beatorum apoſtolorum Petri & Pauli conſtructum eſt, ſpecialiter ad Romanam Eccleſiam ex ipſius vicecomitis oblatione cognoſcitur pertinere. Quamobrem nos illud beati Petri tuitione protegere, ejuſque apoſtolicæ ſedis munimine decrevimus confovere. Tibi ergo, tuiſque ſucceſſoribus, dilecte in Chriſto fili Guido abbas, & per vos eidem monaſterio in perpetuum confirmamus quæ in præſenti aut ex prædicti vicecomitis largitione aut ex alia qualibet acquiſitione legitime poſſidetis; eccleſiam videlicet ſancti Martini de Granges cum decimis & cæteris pertinentiis ſuis, eccleſiam ſancti Stephani de Naillac . . . . . C de Caſtris in qua ſancti Johannis eccleſia continetur, eccleſiam ſancti Trojani cum decimis & pertinentiis ſuis, capellam de Caſtro-Felicis, eccleſiam ſancti Raphaëlis archangeli cum pertinentiis ſuis, & domum quod a Petro Bertramno archipreſbytero de cimeterio ejuſdem eccleſiæ in manu Rainaldi epiſcopi factum eſt, eccleſiam ſancti Johannis de Valentino cum pertinentiis earum, eccleſiam ſancti Raphaëlis quæ infra muros caſtri Geloſii ſita eſt, ſicut eam Bertramnus Vaſatenſis epiſcopus & ejus clerici noſtro * monaſterio tradiderunt, & ejus cimeteria quæ intus vel extra muros poſita ſunt, capellam ſanctorum Magni & Medardi, quæ infra muros caſtri Excidolii poſita eſt, eccleſiam ſancti Saturnini de Majac, eccleſiam ſancti Chriſtophori de Saviniaco, eccleſiam ſancti Michaëlis de la Penduda, eccleſiam ſanctæ Eulaliæ, eccleſiam ſancti Martini de Boſeira cum appenditiis ſuis, eccleſiam ſancti Pantaleonis, eccleſiam ſancti Bartholomei de Bauſens; eccleſiam ſancti Petri de Bars cum decimis & appendentiis ſuis, eccleſiam ſancti Petri de Sarlhac; quæcumque præterea in futurum conceſſione pontificum, liberalitate principum, vel oblatione fidelium juſte atque canonice præſtante Domino adipiſci poteritis, firma vobis veſtriſque ſucceſſoribus, & illibata permaneant. Decrevimus ergo ut nulli hominum liceat idem monaſterium temere perturbare, aut ejus poſſeſſiones auferre, aut oblatas retinere, minuere, vel temerariis vexationibus fatigare, ſed omnia integra conſerventur eorum pro quorum ſuſtentatione & gubernatione conceſſa ſunt uſibus omnimodis profutura. E Obeunte te nunc hujus loci abbate, vel tuorum quolibet ſucceſſorum, nullus ibi qualibet ſubreptionis aſtutia ſeu violentia præponatur, niſi quem fratres communi conſenſu, vel fratrum pars conſilii ſanioris, ſecundum Dei timorem & B. Benedicti regulam providerint eligendum. Sepulturam quoque monaſterii veſtri, ſecundum antiquam conſuetudinem, liberam permanere cenſemus. Ad indicium autem protectionis hujuſmodi, quam a ſede apoſtolica obtinetis, aureum unum quotannis Lateranenſi palatio perſolvetis. Si quis igitur in futurum archiepiſcopus aut epiſcopus, comes, vicecomes, aut eccleſiaſtica quælibet ſeculariſve perſona hanc noſtræ conſtitutionis paginam ſcienter contra eam temere venire tentaverit, ſecundo & tertio commonita, ſi non ſatisfactione congrua emendaverit, poteſtatis honoriſque ſuæ dignitate careat, reamque ſe divino judicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & a ſacratiſſimo corpore ac ſanguine Dei & Domini Redemptoris noſtri Jeſu Chriſti aliena fiat, atque examini diſtrictæ ultionis ſubjaceat. Cunctis autem eidem loco juſta ſervantibus, ſit pax Domini noſtri Jeſu Chriſti, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud diſtrictum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen. . . .

Infra viſitur papæ ſigillum in quo legitur:

& in averſa parte: Calixtus papa II. *& circa ſigilli orbem*: Firmamentum eſt Dominus timentibus eum. *Prope ſigillum ſic ſubſcripſit ſummus pontifex*, ego Calixtus Catholicæ Eccleſiæ epiſcopus. *Bullam pontificiam claudunt hæc verba*: Datum Petragoricis per manum Griſogoni ſanctæ Romanæ Eccleſiæ diaconi cardinalis ac bibliothec. & archivis. nonis Auguſti, indictione duodecima, Dominicæ Incarnationis anno milleſimo centeſimo vigeſimo, pontificatus autem domini Calixti ſecundi papæ anno primo.

X.

Notitia fundationis Cancellatæ.

IN nomine ſummæ & individuæ ſanctæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, & in honore B. & glorioſæ ſemper virginis Mariæ, genitricis Dei & Domini noſtri Jeſu Chriſti, & in honore S. Mariæ Magdalenæ, atque omnium ſanctorum, bonæ memoriæ Geraldus de Monte-lauduno venerabilis & primus abbas de Cancellata, & frater Gerardus Bernardi ſacerdos, primus ejuſdem loci prior, & frater Helias ſacerdos, qui poſtea fuit ſecundus abbas, & frater Geraldus del Chauze ſacerdos, & frater Petrus de Cluſello ſacerdos, & frater Folcherius Archauz ſacerdos, & frater Gerardus Ranulphi ſacerdos, & frater Elias Laoudries laïcus, & frater Gerardus Guiberti laïcus, & frater Guillelmus de Malleſec dignus memoria laïcus, monaſterium de Cancellata divina virtute & auxilio roborati ædificare cœperunt, atque in feſtivitate ſanctorum apoſtolorum Petri & Pauli, quam Catholica Eccleſia III. Calendas Julii venerabiliter toto orbe celebrat, magno gaudio ſpirituali repleti, primos lapides in fundamento hujus ædificii, in Deo omnium bonorum diſpenſatore firmiter ſperantes poſuerunt, anno ab Incarnatione Domini M. C. XXIX. Indictione VII. domno Guillelmo de Alba-Rupe venerabili epiſcopo Petragoricenſem epiſcopatum procurante; qui antequam præfatum monaſterium inciperetur, ſupradictum Geraldum de Monte-Lauduno in prima capella valde parva & vili ſchemate facta, quæ in loco de Cancellata juxta fontem fuit, qui fons Cancellatus antiquitus dicebatur, unde & abbatia ibi ædificata Cancellata nunc dicitur, in abbatem petentibus omnibus ejuſdem loci fratribus libenter*, atque in eadem capella ordinationes multorum clericorum fecit, & in eodem loco cimiterium benedixit, & multociens benedictiones ibi fecit, & eccleſiam de Beurona * fratribus, & loco de Cancellata, dedit, atque in loco de Borno * cimiterium benedixit, præſente domno Geraldo abbate, qui illum locum ædificare incepit, & primus ibidem miſſam coram eodem epiſcopo cantavit. Defuncto vero domno Guillelmo de Alba-Rupe venerabili epiſcopo, ſucceſſor ejus Guillelmus de Nauclaro valde laudabilis epiſcopus locum de Cancellata pro Divino amore & animæ ſuæ ſalute, non mediocriter dilexit, benedictiones multociens ibi fecit, atque illud altare quod eſt in ſiniſtra parte monaſterii ejuſdem loci in nomine ſummi & omnipotentis Dei & in honore beatorum

* *add.* inſtituit.

* S. Saturnin de Bauranna, *qua in parochia ſitum eſt Cancellatæ monaſt.*

* Sainte Catherine de Born *diœceſis Petracor.*

Digitized by Google

apoſtolorum Petri & Pauli atque omnium ſanctorum apoſtolorum præſente domno Geraldo primo ejuſdem monaſterii abbate venerabiliter conſecravit. Tranſactis deinde aliquot annis idem venerabilis Guillelmus de Nauclaro Petragoricenſis epiſcopus aliud altare quod eſt in dextera parte monaſterii de Cancellata in nomine Domini cunctipotentis, & in honore beatiſſimi protomartyris Stephani & S. Laurentii & S. Vincentii atque omnium ſanctorum martyrum in tempore præfati Geraldi abbatis honorabiliter conſecravit, & ordinationes clericorum in eodem monaſterio fecit, & eccleſiam S. * Sulpicii, & eccleſiam S. * Innocentiæ loco & fratribus de Cancellata dedit. In cujus tempore anno ab Incarnatione Domini M. C. XXXIII. piæ recordationis domnus Geraldus de Mölave * primus abbas de Cancellata amore Divino repletus & zelo ſanctæ religionis accenſus cum ceteris fratribus in eodem loco in Chriſti ſervitio ſibi adhærentibus, & in ſanctis votis eidem devote & fideliter adjuvantibus, ordinem canonicalem in abbatia de Cancellata Deo favente primus conſtituit, atque in feſtivitate ſanctorum apoſtolorum Petri & Pauli III. Kal. Julii in nomine Domini regularem vitam cum fratribus ſibi commiſſis tenere incipiens, primos canonicos in eodem loco primum benedixit, videlicet fratrem Geraldum Bernardi primum ejuſdem loci priorem, & fr. Heliam ſacerdotem, & fr. Heliam Audoini clericum, & fr. Guillelmum de Longo-Campo clericum. Iſti habitum & benedictionem canonicalem in loco de Cancellata primi a præfato abbate ſuſcipientes, regularem ordinem in eadem abbatia primum in nomine Domini inceperunt, & uſque ad finem firmiter tenuerunt, & fratribus ſibi ſuccedentibus eumdem ordinem ſervandum verbo & exemplo bene docentes oſtenderunt; & ut ipſi poſteros ſuos ſimiliter inſtruerent ſtudioſiſſime ammonuerunt; & ideo eorum memoria in benedictione erit, & nomen eorum requiretur a generatione in generationem. Interfuerunt autem huic primæ primorum canonicorum benedictioni & alii tunc fratres clerici; ſed quoniam in ſua promiſſione ac profeſſione uſque ad ultimum ſui obitus diem non perſeveraverunt, ſed a monaſterio ſuo & fratribus ſuis recedentes minime redierunt, iccirco inter eos qui perſeveraverunt aſcribi non meruerunt. Sciendum ſane eſt quia domnus Geraldus de Mon-lava ideo primus abbas de Cancellata dicitur, quia ſicut ſuperius dictum eſt, primus in abbatem in hoc loco conſecratus fuit, & primus ordinem canonicalem ibidem conſtituit. Nam & ſi abbas Folcaudus ob ſui ſanctitatem & reverentiam a fratribus ejuſdem loci humiliter eſt antea abbas vocatus, non tamen ibi in abbatem fuit conſecratus, nec nomen abbatis in hoc loco primum accepit, ſed antequam fratribus illis pro amore Dei & ſanctæ paupertatis ſe copulaſſet, abbas erat de Cella-fruini & nuncupabatur, nec in ejus tempore canonicalis ordo Cancellatæ fuit, ſed more heremitarum vivebant. Eodem quoque modo domnus Geraldus Bernardi primus ejuſdem loci prior dicitur, quia poſt primam canonicalem benedictionem primus prior ibi fuit. Epiſcopo autem Guillelmo de Nauclaro viam univerſæ carnis ingreſſo, venerabilis Gaufridus ei in epiſcopatum ſuccedens locum de Cancellata, ſicut prædeceſſores ſui fecerant valde amavit, & in illo parvo tempore quo in epiſcopali officio vixit, benedictionem fratribus ipſius loci libentiſſime fecit, atque locum de * Merlandia cum omnibus ſuis appendiciis abbatiæ de Cancellata integre adjunxit, & in locum de Landia præſente domno Helia ſecundo abbate quem ipſe epiſcopus in abbatem conſecraverat, qui locum illum ædificare incepit, miſſam primus cantavit, & cimiterium ibidem benedixit, atque in eodem loco benedictiones fecit. Quo patribus ſuis appoſito, dominus Raimundus epiſcopalem cathedram ſuſcipiens, & nichilominus prætaxatam abbatiam pro religione diligens, multa beneficia ei contulit, atque ordinationes clericorum multotiens in ea & multas benedictiones fecit. Illam vero baſilicam quæ in loco de Cancellata eſt foris juxta domum ſita, in nomine ſanctæ Trinitatis & in honore B. Johannis Baptiſtæ præcurſoris Domini, & in honore S. Frontonis patris noſtri anno Incarn. Dominicæ M. C. XLVII. præſente domno Helia ſecundo abbate, Deo omnipotente ſibi miſericorditer opitulante, honorabiliter IV. idus Octobris ipſe venerabilis Raimundus Petragoricenſis epiſcopus dedicavit. In loco quoque de * Marnaco primus miſſam celebravit & cimiterium inibi benedixit & in eodem loco atque in aliis de Cancellata locis plures benedictiones fecit. Eccleſiam vero S. Martialis de Artentia *, & eccleſiam S. Saturnini de Blis *, atque eccleſiam * S. Vincentii fratribus & loco de Cancellata integre & libere dedit; ipſe autem non multo poſt Burdegalenſis archiepiſcopus factus conſecravit altare quod eſt inter baſilicam infirmorum & monaſterium de Cancellata anno ab Incarnat. Domini M. C. LIX. idus Aprilis indict. VII. & cum domno Helia abbate ceteriſque ejuſdem loci fratribus in capitulo conſtituit, ut in eodem altari miſſa defunctorum in totius anni diebus, excepta ſolummodo Paraſceve, ſecreto dicatur; & hic itaque eodem anno X. Kl. Januarii ex hoc migravit ſeculo. Poſt cujus exceſſum magiſter Johannes Pictavenſis Petragoricenſem cathedram epiſcopalem ſuſcepit. Qui in monaſterio de Cancellata ordinationes clericorum fecit, & locum de Lateira domno Heliæ abbati & fratribus de Cancellata dedit atque conceſſit; & loco qui Saccus dicitur, primum miſſam conceſſit. Quo mortuo venerabilis magiſter Petrus Mimez epiſcopatum Petragoricenſem regendum ſuſcepit. Qui domno Helia ſecundo abbate de Cancellata defuncto, domnum Geraldum tertium abbatem de Cancellata in abbatem conſecravit, & locum de Cancellata valde dilexit, & augmentavit, atque ibidem ordinationes clericorum celebravit, locumque * de Cantamerle; & locum * de Faïa & locum * de Caprefico, & locum de Guarno, domno Geraldo abbati & fratribus de Cancellata dedit, & eccleſiam infirmorum de Cancellata, & altare ejuſdem eccleſiæ in honore ſanctæ & individuæ Trinitatis Patris & Filii & Spiritus ſancti, & in honore ſanctæ crucis, & in honore beatæ & glorioſæ ſemperque virginis Dei genitricis Mariæ, & in honore ſanctorum apoſtolorum Philippi & Jacobi, & in honore ſanctorum martyrum Sebaſtiani & Blaſii, & in honore ſanctorum confeſſorum atque nobiliſſimorum epiſcoporum Auguſtini atque Nicholai, & in honore SS. virginum Agnetis & Ceciliæ, præſentibus domno Geraldo tertio abbate & fratribus de Cancellata, anno ab Incarn. Domini M. C. LXXI. quinto nonas Maii honorabiliter Spiritu ſancto cooperante inunxit atque conſecravit. Quartum quoque altare monaſterii de Cancellata in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti, & in honore S. crucis, & in honore S. Matthæi evangeliſtæ, & in honore S. Martini glorioſi confeſſoris Turonenſis epiſcopi, & in honore S. Thomæ glorioſi martyris Cantuarienſis archiepiſcopi, & in honore S. Catharinæ glorioſæ virginis & martyris præſentibus domno Geraldo tertio abbate & fratribus de Cancellata, anno ab Incarn. Domini M. C. LXXVIII. IV. Kal. Junii, idem Petrus epiſcopus honorabiliter conſecravit, & in loco de Cancellata & in ejus obedientiis plures populares benedictiones fecit.

Ex chartulario Cancellata optimæ notæ, quod auſpicatur a ſuperiori inſtrumento; ſequunturque plures donationes.

* S. Sulpice *diœceſis Sarlatenſis.*
* S. Innocente *diœceſis Sarlatenſis.*
* Monte-Lauduno.
* Noſtre-Dame de Marniac *D. Petric.*
* S. Martial d'Artince ſur l'Iſle *D. Petric.*
* S. Saturnin de Blis *D. Petric.*
* S. Vincent ſur l'Iſle.
* S. Jean de Merlande *D. Petric.*
* Chatemerle
* Faye.
* Garne Cabrefie.

INSTRUMENTA SARLATENSIS ECCLESIÆ.

I.

Donatio Bernardi comitis Petracoricenſis Sarlato facta.

DISPOSITOR ordinatorque mirificus omnium rerum Deus, qui ut ſcriptum eſt, quos vult humiliat, & quos vult exaltat. Certum eſt quia multos quos modo exaltat, in ſæculo venturo humiliabit, qui de ipſis bonis ſuperbientes, ſub potenti manu illius humiliari dedignantur; quapropter juſtum eſt ut homo ſubditus ſit Deo, & de iis quæ ab ipſo percipit, eidem placere ſtudeat. Quod ego Bernardus, gratia Dei comes Petragoricenſis, hæc omnia conſiderans, monaſterium S. Salvatoris quod vocatur Sarlatum, quod modo minime regulariter degit, ſub jure meo retinere timui, & in ordine monaſtico reſtituere dignum duxi. Quocirca notum ſit omnibus tam præſentibus quam futuris, quod ego conſentiente uxore mea Garſinda, prædictum locum cum omni abbatia * ad eum pertinentia in poteſtate S. Salvatoris de mea dominatione tranſpoſui, pro anima videlicet patris mei, & matris meæ, & prædeceſſoribus propinquis, & pro me & uxore mea, & filiis & filiabus noſtris, pro fratribus quoque noſtris, & amicis fidelibus, & ſpecialiter pro illis qui prædictum locum & habitatores deffenderint. Igitur, ut dictum eſt, trado præfatum locum Deo & domno Oddoni Cluniacenſi abbati, atque Adacio coabbati ejus, & monachis quos ibi vel adduxerint vel congregaverint, ut videlicet ipſi & ſucceſſores eorum tam cœnobium quam omnem abbatiam ſine ulla contradictione teneant, ut poſt illorum diſceſſum, qualem voluerint ſecundum regulam S. Benedicti abbatem eligant, & ſibi conſtituant: ſint autem & ipſi monachi in ſubjectione Regis ad locum ſalvum faciendum, & non ad aliquid perſolvendum niſi ſolas orationes. Cæterum conteſtor atque adjuro omnes propinquos atque ſucceſſores noſtros, cunctoſque illius cœnobii vicinos tam præſentes quam futuros, per tremendum ſanctæ Trinitatis nomen, & meritum beatorum ſanctorum quorum reliquiæ inibi continentur, ut nullus vel monachus, ſeu quilibet homo res eorum inquietare, aut in poteſtate alicujus redire præſumat; quod ſi quis hæreditatem diſpoſſidere tentaverit, maledicatur per univerſum orbem, & audiat: *Deus meus, pone illum ut rotam & ſicut ſtipulam ante faciem venti, & confundatur in ſæculum ſæculi & perrat*; non ſit cohæres Dei noſtri niſi reſipuerit, ſed ſit particeps Pharaoni, qui ait: *Deum neſcio, & Iſraël non dimittam.* Ego Bernardus hoc datum a me factum nutu Dei diſponente, ratum perfectumque in perpetuum eſſe volo cum ſtipulatione ſubnixa. Signum Bernardi comitis qui hoc donum fecit, & ſcribere rogavit, & manu propria firmavit, S. Guillelmi, S. Arnaldi, S. Gauberti, S. Bernardi, S. Ramnulphi, S. Alduini, S. Gaufredi, S. Heliæ, S. Amalgerii, S. Fulcherii, S. Odolrici. Data in menſe Junio, regnante Deo, & domino * Ludovico imperante.

1. Reg. 2. 7.

Pſalm. 82. 14.

Exod. 5. 2.

* Scilicet Ludovico Tranſmarino circa an. 937.

II.

Bulla Eugenii papæ III. qua fundatum a Pipino & Carolo principibus monaſterium Sarlatenſe, ſub ſancti Petri tutela recipit.

EUGENIUS epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilecto filio Raymundo abbati Sarlatenſis monaſterii S. Salvatoris, ejuſque ſucceſſoribus regulariter ſubſtituendis in perpetuum &c. Eapropter, dilecte in Domino fili Raymunde abbas, tuis juſtis poſtulationibus gratum impertientes aſſenſum, Sarlatenſe monaſterium cui Deo auctore præſides, ſub B. Petri & noſtra protectione ſuſcipimus, & præſentis ſcripti privilegio communivimus; ſtatuentes ut idem locus ſicut ab ejus fundatoribus nobilis memoriæ Pipino, & Carolo principibus inſtitutum eſt, quietus & ab omni exactione ſeu gravamine liber in perpetuum perſeveret. Præterea quaſcunque poſſeſſiones, quæcunque bona idem monaſterium in præſenti juſte & canonice poſſidet, aut in futurum conceſſione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, ſeu aliis juſtis modis, Deo propitio, poterit adipiſci, firma tibi tuiſque ſucceſſoribus & illibata ſerventur, in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis: Eccleſiam videlicet S. Mariæ de Mercato cum decimis & appendiciis ſuis, S. Martini de Campaignaco, S. Leontii cum appenditiis earum, S. Mariæ de Montignaco cum capella intra muros ipſius caſtri poſita, S. Riberii cum appenditiis ſuis, S. Petri de Corn, S. Mundanæ cum curiis de Marciliaco, de Calabro, S. Simeonis de Gordonio, S. Petri de Cador, capellam S. Mariæ de Carlux, eccleſias S. Amandi de Symeyrols, medietatem redituum eccleſiæ S. Mariæ de Pratis, S. Jacobi de Trapa cum appenditiis ſuis, curtes de Syourac, eccleſiam S. Mariæ de Moncuq, S. Mariæ de Capella cum plurimis eccleſiis & terris in vicaria de Cauves poſitis, eccleſias S. Hilarii de Doiſſac, S. Mariæ de Sales, eccleſiam S. Sacerdotis de Aurenca cum appenditiis ſuis in eccleſiis S. Vincentii, S. Aviti, S. Martini de Drot, S. Petri de Auvert, eccleſiam S. Mariæ de Valle, S. Martini de Calviaco cum appendiciis earum, eccleſiam S. Deſiderii, S. Saturnini, S. Martini de Cauſac, eccleſiam S. Martini de Perrus, S. Martini de Lenvilla, S. Johannis de Podio Girolmi cum capella S. Mariæ Magdalenæ, eccleſias S. Martini de Sauſſignac, S. Saturnini de Annac, S. Stephani de Borchet, S. Aviti de Balares, eccleſiam de Somenſac, S. Juliani, S. Petri de Roqueta, eccleſiam S. Sulpitii de Pico, eccleſiam S. Michaëlis de Lantes, eccleſias S. Germani de Ravanella cum appenditiis ſuis, S. Petri de Neſſa cum appenditiis ſuis; medietatem redituum eccleſiæ S. Amandi, eccleſiam S. Chriſtophori cum appenditiis ſuis, monaſterium Sigiacenſe cum appenditiis ſuis, eccleſias S. Mariæ de Mercato, S. Mariæ de Aurevilla, S. Severini, S. Frontonis, S. Petri de monaſterio S. Crucis, S. Perdulphi, S. Eulaliæ, capellas S. Mariæ de Monte, S. Johannis de Agen, S. Martini de Gardelus: duas partes redituum eccl. S. Mariæ de Monſaguel, monaſterium quoque de Fita cum eccleſiis S. Fidis, S. Mariæ de la Eſterna, S. Mauritii, S. Damiani, S. Mariæ de Borbel, S. Mariæ de Rocella, S. Mariæ de Berrat cum decimis & earum appenditiis, & cum medietate redituum eccleſiæ S. Petri de Toules, vobis & per vos Sarlatenſi cœnobio confirmamus: eccleſias S. Petri de Caviac, S. Martini de Genebredo, S. Mariæ de Sergiaco, cum pertinentiis earum: in parochialibus

Digitized by Google

parochialibus autem eccleſiis quas tenetis, preſbyteros eligatis & epiſcopo præſentetis, quibus, ſi idonei fuerint, epiſcopus animarum curam committat, ut de plebis quidem cura epiſcopo reſpondeant; vobis vero pro temporalibus ad ipſum monaſterium pertinentibus debitam ſubjectionem exhibeant. Obeunte te nunc ejuſdem loci abbate, vel tuorum quolibet ſucceſſorum, nullus ibi qualibet ſubreptionis aſtutia ſeu violentia præponatur, niſi quem fratres communi conſenſu, vel fratrum pars conſilii majoris ſecundum Dei timorem, & B. Benedicti regulam providerint eligendum. Sepulturam quoque veſtri monaſterii & locorum ad ipſum pertinentium ſicut hactenus habuiſtis, ſecundum antiquam conſuetudinem, liberam & quietam permanere cenſemus; nec archiepiſcopus vel epiſcopus aliquis, tam ipſum Sarlatenſe cœnobium, quam Fitenſe & Iſſigiacenſe monaſteria, ſeu abbatis perſonam interdicere, vel excommunicare præſumat; nemo inobedientes monachos contra abbatem manu teneat, nullus circa eccleſias ſeu monaſteria veſtra novas eccleſias vicinius ſolito fundare præſumat. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatum monaſterium temere perturbare, aut ejus poſſeſſiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, ſeu quibuſdam vexationibus fatigare, ſed omnia integra conſerventur eorum pro quorum gubernatione, ac ſuſtentatione conceſſa ſunt, uſibus omnimodis profutura; ad indicium autem hujus a ſede apoſtolica perceptæ libertatis, de ſupradicto Sarlatenſi monaſterio aureum unum, de Fitenſi vero alterum, de Iſſigiacenſi alium, quotannis, C nobis noſtriſque ſucceſſoribus perſolvetis. Si qua igitur in futurum eccleſiaſtica ſecularisve perſona, hanc noſtræ conſtitutionis paginam ſciens contra eam temere venire tentaverit, ſecundo, tertiove commonita, non ſatisfactione congrua emendaverit, poteſtatis honoriſq; ſeu dignitatis careat, reamque ſe divino judicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & ſacratiſſimo corpore & ſanguine Dei & Domini Redemptoris noſtri Jeſu Chriſti aliena fiat, atque in extremo examine diſtrictæ ultioni ſubjaceat; cunctis autem eidem loco ſua jura ſervantibus, ſit pax Domini noſtri Jeſu Chriſti, quatenus hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud diſtrictum judicem præmia æternæ pacis inveniant, Amen. Ego Eugenius catholicæ Eccleſiæ epiſcopus, ego D Conradus Sabinenſis epiſcopus, ego Odo Dircardus ſancti Georgii ad Velum-Aureum, ego Iacyntus diaconus card. S. Mariæ in Coſm. ego G. G. preſbyter card. Caliſti, ego Guido preſbyter card. S. Griſogoni, ego Iſmarus Tuſculanus epiſcopus, ego Hugo Oſtienſis epiſcopus. Datum Romæ apud S. Petrum per manum Boſonis ſanctæ Romanæ Eccleſiæ ſcriptoris, v. non. Maii indictione 1. an. Incarnat. Dom. M. C. LIII. pontificatus vero Domini Eugenii VIII.

III.

Bulla Johannis papæ XXII. pro erectione abbatiæ Sarlatenſis in eccleſiam epiſcopalem.

AD perpetuam rei memoriam. Dudum conſiderantes attentius, & intra pectoris clauſtra meditatione ſollicita revolventes, quod in tanta multitudine populi quanta fœcundavit Altiſſimus civitatem & diœceſim Petragoricenſem, ſingulorum vultus nequibat, ut condecet, unicus paſtor inſpicere, aut alias partes boni paſtoris implere; quamque durum erat atque difficile in eadem diœceſi, quæ lata & diffuſa exiſtit, ad unum tantum a tot perſonis eccleſiaſticis & mundanis recurſum haberi. Nos ad augmentum cultus divini, & ſpiritualem animarum profectum ſalubriter intendentes, præmiſſis & aliis ſuadentibus juſtis cauſis, cum fratribus noſtris plene diſcuſſis, de ipſorum concordi conſilio, & apoſtolicæ plenitudine poteſtatis, ac ex certa ſcientia, noſtram diœceſim Petragoricenſem in duas diœceſes dividentes, voluimus, & auctoritate apoſtolica decrevimus, quod præter civitatem Petra- A goricenſem, quæ ſuam propriam & diſtinctam haberet diœceſim, certis finibus limitandam, civitas Sarlatenſis olim villa dictæ diœceſis, quam veluti ad hoc convenientem & accommodam eadem auctoritate in civitatem ereximus, & civitatis vocabulo duximus decorandam, ſeparatam habere diœceſim, a diœceſi remanſura eccleſiæ Petragoricenſi certis limitibus diſtinguendam. Et quod eccleſia ſancti Sacerdotis quondam monaſterii Sarlatenſis eſſet, & ex tunc haberetur perpetuo cathedralis, prout hæc in noſtris ſuper hoc confectis litteris ſeriosius continentur. Nuper autem per quem modum diœceſes diſtingui & limitari debeant, & poſſint accommode; & quæ & quanta de ipſis ſit portio eidem Sarlatenſi diœceſi deputanda, & qualis & B quanta præfatæ Petragoricenſi diœceſi remanſura, & quid & quantum utrique ipſarum conveniat, per fide dignas & ſufficientes perſonas plenius & ſeriosius informati; ac per hoc ad ſeparationem & limitationem dictarum diœceſium in Dei nomine procedentes, volumus & decernimus infra ſcriptas ſeparationem & limitationem & deputationem noſtras, eadem auctoritate ac de ejuſdem plenitudine poteſtatis, in perpetuum inter dictas diœceſes inviolabiliter obſervandas, videlicet ut flumina * Veſere & * Dordoniæ ex nunc & in perpetuum dictas Petragoricenſem, & Sarlatenſem diœceſes, prout ſequitur, dirimant, conterminent & diſtinguant. Ut quæcunque videlicet ultra idem flumen Veſere, ſicut deſcendit & fluit de caſtro dicto de Larcha, quod eſt in Lemovicinio, uſque ad ingreſſum C dicti fluminis Dordoniæ prope caſtrum de Limoſio, ubi dictum flumen Veſere nomen amittit, & poſtmodum prout deſcendit dictum flumen Dordoniæ, in quantum protenditur dicta olim diœceſis Petragoricenſis verſus eamdem civitatem Sarlatenſem conſiſtere dignoſcuntur, quæve fuerunt huc uſque de diœceſi Petragoricenſi, ſint de diœceſi Sarlatenſi; & omnia quæ Petragoricenſis eccleſia inibi habuit hactenus & percepit, & habere & percipere debuit, quocunque nomine cenſeantur, cum eorum pertinentiis cedant, & accreſcant in ſpiritualibus Sarlatenſi eccleſiæ prælibatæ, exceptis feudis ac juriſdictionibus temporalibus, quæ eccleſiæ Petragoricenſi volumus remanere; dictamque diœceſim taliter limitatam epiſcopo Sarlatenſi, qui eſt & pro tempore fuerit, ac eccleſiæ Sarlatenſi juxta diviſionem, limitationem & deputationem noſtras hujuſmodi ordinario epiſcopali jure ſubjecimus, ac ipſam ab omni juriſdictione epiſcopi & capituli, ac eccleſiæ Petragoricenſis in totum eximimus, & etiam in perpetuum liberamus. Quæcunque vero ſunt citra flumina prædicta verſus civitatem Petragoricenſem, prout prius erant de diœceſi Petragoricenſi, integraliter eidem Petragoricenſi diœceſi volumus remanere. Hæc igitur per dictæ ſedis providentiam circunſpectam ſic facta ſalubriter & utiliter ordinata, perpetuis eſſe valitura temporibus, & robur incommutabilis firmitatis obtinere volentes, auctoritate prædicta diſtrictius inhibemus, ne aliquis cujuſcumque præeminentiæ, ordinis, conditionis aut ſtatus, E etiamſi archiepiſcopali vel epiſcopali præfulgeat dignitate, hujuſmodi ordinationem apoſtolicam, ſeu aliqua vel aliquod de contentis in ea quovis quæſito colore, vel modo, ſive cauſa, vel occaſione qualibet adinventis turbare, ſeu quomodolibet impedire præſumat. Nos enim irritum decrevimus & inane, ſi ſecus ſuper his a quocumque, quavis auctoritate contigerit attemptari; & nihilominus in eos qui ex certa ſcientia contrarium præſumpſerint, niſi infra octo dierum ſpatium poſt publicationem præſentium reſipuerint, cum effectu excommunicationis in perſonas, & interdicti in univerſitates, ac ſuſpenſionis ſententias in conventus, capitula, ſive collegia promulgamus, de conſilio & auctoritate prædictis, a quibus non niſi per Romanum pontificem abſolutionis beneficium, præterquam in mortis articulo, valeant obtinere, &c. Datum Avinioni idus Januarii anno 11.

* la Vezere.
* la Dordogne.

IV.

Compoſitio inter abbatias Pontiniacenſem & Caduinenſem facta ab Helia Burdigalenſi archiepiſcopo & Ademaro epiſcopo Petracoricenſi.

Ex libro Uſuum.

HELIAS D. gratia Burdegalenſis archiepiſcopus, & Ademarus eadem gratia Petragoricenſis epiſcopus dilectis in Chriſto univerſis præſentem paginam inſpecturis, perpetuam in vero Salutari ſalutem. Quæ ratione prævia in cauſis & negotiis eccleſiaſticis ſtatuuntur & diſponuntur, tractatu præhabito diligenti, utillima eſt a viris diſcretis conſideratione proviſum ea litteris commendare; ne temporum curſu labente, res geſta provide, a poſterorum decidat memoria, & antiquata quæſtio relabatur in dubium: quod de facili poteſt contingere, niſi forte tenacitas ſcriptorum obſiſtat. Cum itaque inter domum Pontiniacenſem ex parte una, & domum Caduinacenſem ex altera, ſuper ſubjectione quam abbas Pontiniacenſis Ciſtercienſis ordinis petebat in domo Caduinenſi, quæ libera fuerat ab antiquo, fuiſſet diutius litigatum: & non ſine damnis, laboribus, & expenſis per plures & coram pluribus fuerit cauſa eadem multipliciter agitata; tandem commiſſione ſuper hoc nobis facta a ſummo pontifice, damna & gravamina utriuſque domus quæ fuerant ex hoc paſſa conſiderantes, & volentes ipſis præcavere in poſterum, prudentibus viris & eccleſiaſticis perſonis nobis aſſiſtentibus, poſtquam intelleximus rationes & vota utriuſque partis, & ea examinavimus diligenter; habito tractatu cum viris religioſis Deumque timentibus; venerabilis quoque in Chriſto Arnaldi abbatis, & generalis capituli Ciſtercienſis litteris affectuoſis receptis, ut intenderemus paci domorum earumdem: ad componendum inter utramque domum; conſenſu abbatum & fratrum ipſarum domorum requiſito prius & obtento, proceſſimus in hunc modum; videlicet quod domus Caduinenſis filia eſſet domus Pontiniacenſis: tali tamen pacto, quod eccleſia Caduinenſis univerſas filias ſuas, abbatias ſcilicet & prioratus, eccleſias & capellas quas habebat vel quas poſtmodum acquirere poſſet, Domino concedente, in perpetuum poſſideret pacifice ac quiete. Sunt autem prædictæ domus Caduinenſis filiæ: abbatia Gondonii ſita in diœceſi Agennenſi, & abbatia Fontis-Willelmi in diœceſi Vaſatenſi, & abbatia Faëſiæ in Burdigalenſi diœceſi, & abbatia Bonæ-vallis in diœceſi Pictavienſi, & abbatia ſancti Marcelli in diœceſi Caturcenſi, & abbatia Ardurelli in diœceſi Albigenſi, & abbatia Clarianæ in diœceſi Elnenſi. Et iſtæ abbatiæ poſſideant prioratus ſuos & eccleſias ſuas, & conſtitutiones ſuas obſervent ſicut domus Caduinenſis mater earum, & eadem libertate utantur qua mater earum utitur & utetur. Additum fuit & compoſitum eidem, concedente G. venerabili abbate Pontiniacenſi pro ſe & pro domo ſua, quod eccleſia Caduinenſis liberam electionem & pacificam habeat & poſſideat in abbate ordinando, quando & quotieſcumque eadem eccleſia indigebit. Dictus quoque Pontiniacenſis abbas promiſit fratribus per ſe viſitationem facere perſonaliter in eccleſia eadem, & conſtitutiones ejuſdem inviolabiliter obſervare, & domui paterna ſollicitudine providere, nec aliqua inſtituere niſi quæ ſunt in generali capitulo edita, quæ non præjudicant conſtitutionibus domus Caduinenſis ibidem obſervatis hactenus & obtentis. Statuimus etiam, & præcipimus ſtatutum firmiter obſervari, quod in domo Caduinenſi & univerſis abbatiis, prioratibus ſeu domibus ad domum Caduinenſem ratione ſubjectionis pertinentibus, ordo Ciſtercienſis tam in habitu quam divinis officiis legendo, cantando, & modis quibus obſervatur in eodem ordine, de cætero conſervetur; & quod etiam abbas Caduinenſis cum ſubjectis A ſibi abbatibus ad generale capitulum Ciſtercienſe, ſicut eſt moris in prædicto ordine, accedat. Fuit etiam a nobis utili & neceſſaria deliberatione proviſum, quod, nonobſtantibus ordinis Ciſtercienſis conſtitutionibus, eccleſia Caduinenſis & abbatiæ ſibi ſubjectæ in capellis ſeu eccleſiis eorum in quibus monachi reſidere conſueverunt, licenter maneant; cum loca illa ea conſideratione fuerint a baronibus ſeu militibus vel ab aliis Chriſti fidelibus ad hoc religioſis ipſis pie ac devote conceſſa, ut pro ipſorum ſalute in ipſis locis a monachis Domino perpetuo ſerviretur; aliter enim largitores ſeu ſucceſſores eorum poſſent merito conqueri, cum pia intentione ſua defraudati fuiſſent; & cum mundus ſit in maligno poſitus, poſſent habere B qualemcumque materiam retractandi conceſſionem ſuam & loca eadem vendicandi. Volumus etiam & pia conſideratione ſtatuimus, ut ſi qua eccleſiarum illarum curam animarum habeat ſibi annexam, per ſeculares preſbyteros monachi morantes in illis faciant parochianis ſacramenta eccleſiaſtica miniſtrari, cum ipſis non liceat in hujuſmodi præſumptione temeraria apponere manus. Et quoniam domus Caduinenſis in medio pravæ nationis eſt poſita, & propter terræ ſterilitatem & pravorum hominum aſſiduitatem tam in operibus ſuis quam in aliis neceſſitatibus a Chriſti fidelibus ſubſidia petere conſuevit, indulgemus pie & ſalubriter fratribus dictæ domus ut eiſdem petere liceat eleemoſynas pro neceſſitatibus & inopiis ſibi inſtantibus relevandis. Conceſſum fuit nihilominus ex utraque par- C te, & tactis ſacroſanctis Evangeliis juramento firmatum, quod univerſa pacta ſuperius expreſſa, firma & indiſſolubilia hinc inde in perpetuum conſerventur. Si vero rebellis aliquis vel inſanus prædictam compoſitionem auſu temerario violare præſumpſerit vel contravenire, auctoritate apoſtolica qua fungimur & noſtra, & ipſos excommunicamus, & eſſe indignos perceptione corporis & ſanguinis J. C. illos cenſemus, hoc tamen excepto quod ſi dictus Pontiniacenſis abbas præpeditus arduis negotiis vel infirmitate detentus, ad viſitationem faciendam in eccleſia Caduinenſi annis ſingulis perſonaliter non poterit intereſſe, excommunicationis ſententiæ non ſubjaceat in hoc caſu. Ut autem dictæ pacis & compoſitionis ſtatutum robur habeat firmitatis, & ne ſucceſſorum aſtutia, vel longi tem- D poris intervallo corrumpi valeat vel infringi; inſtrumentum iſtud præſentia teſtium roboratum, præmiſſa auctoritate præcipimus in monaſterio Caduinenſi ad ferendum teſtimonium, ſi neceſſe fuerit, fideliter conſervari, & in libris uſualibus & authenticis qui in armariis ſeu bibliothecis ipſius eccleſiæ reponuntur ac ſervantur, conſcribi: ne malitia ſeu verſutia, vel negligentia cujuſlibet in poſterum deleri poſſint quæ a nobis de prudentum & religioſorum virorum conſilio ſunt ſtatuta, & cœnobiorum Pontiniacenſis & Caduinenſis utilitati & religioni proviſa. Acta ſunt hæc in capitulo Caduinenſi, Aymerico abbate & conventu eodem ea concedentibus, & approbantibus, & G. Pontiniacenſi abbate pro ſe ac domo Pontiniacenſi, quarto nonas Maii, feria ſexta, anno ab Incarnatione Dom. M. CC. I. domino Innocentio papa III. Eccleſiæ Romanæ præſidente, & Philippo rege Francorum regnante, Johanne rege Angliæ ducatum Aquitaniæ gubernante. His autem ſolemniter geſtis interfuerunt P. de E Laubeſe abbas de Silva-Majori, R. de Siurac abbas de Sarlat, magiſter Ar. Gauberti, Selebrunus Win. Gaufridi, Helias de Petragoris archidiacones Petragorenſes, G. de Rupe prior S. Aviti, Willelmus de Caſals prior S. Cypriani, magiſter Helias de Claromonte cellerarius eccleſiæ ſancti Frontonis Petragorenſis, & magiſter P. Rocinolis, & magiſter P. de Rama, & nobilis vir Helias Rudelli dominus de Bragairiaco, & Willelmus de Boviſvilla dominus de Limolio, Henricus de Gontaldo dominus de Bironcio & plures alii.

INSTRUMENTA QUÆ SPECTANT AD PRIMUM TOMUM.

Animadvertenda ad quoddam inſtrumentum diœceſis Arelatenſis.

D. Raybaud cujus non ſemel meminimus in priori tomo, amica manu mihi obtulit exemplar teſtamenti S. Cæſarii Arelatenſis epiſcopi, quod deſcripſit ex veteri codice; exiſtimatque ſincerius eſſe quam quod habemus, apud Saxium, & Baronium: quapropter nos hortatus eſt ut inter inſtrumenta tam venerandum ſacræ antiquitatis monumentum recudere curaremus. Sed eo lecto exploratum nobis eſt idem prorſus eſſe ac teſtamentum S. Cæſarii ut a Baronio, Saxio & Cointio eſt editum, niſi quod ad nos miſſum exemplar plurimis ſcatet mendis quorum alia expertia ſunt. Sic paulo poſt exordium: *Cunctum monaſterium Arelatenſis S. Johan.* legitur, pro: cunctum monaſterium Atelatenſe. Infra habes: *Ceterum autem Arelatenſi epiſcopo*, pro: Arelat. epiſcopum cohæredem meo monaſterio, &c. Paulo poſt: *Excepto birro amiculari mei*, pro: excepto birro amiculari. Item: *Et hoc ipſi ſancti papæ Urbicanis ſuis auctoritate*, unde nullus ſenſus extundi poteſt, pro: & hoc ipſa S. papæ Urbicani ſuaſit auctoritas; quod debet intelligi de Hormiſda papa qui S. Cæſarii teſtamentum approbarat. Cetera omiſſa facimus. Unum eſt ex quo emendari poſſint alia exemplaria, ſeu potius unicum exemplar, quod idem eſt apud Baronium, Saxium & Cointium: nimirum in iſto ſæpe archiepiſcopi titulus occurrit; ubi Raybaudianum exemplar habet ſemper epiſcopum.

Donatio facta abbatiæ de Scala-Dei diœceſis Tarbenſis.

Ex regeſto 248. theſauri regii. n.° 51.

Annis M. CCC. XXX. menſe Martii & M. CCC. XCV. menſe Julii, Philippus Valeſius & Carolus VI. Francorum reges in ſuis tranſcriptis ſeu *Vidimus* confirmant litteras per quas Beatrix & Petrus maritus ejus, quibus Bigorritanorum regendorum poteſtas diſponente gratia divina conceſſa eſt, locum de Scala-Dei in honore beatiſſimæ virginis Mariæ conſtructum ſub ſua protectione ſuſcipiunt. Quapropter ego Beatrix Bigorritanorum comitiſſa . . . recepta & in Chriſto inter fratres Scalæ-Dei ſoror numerata, conſilio & voluntate mariti mei Petri de Marciano, pro redemptione animæ meæ, & Petri, & patris mei Centulli, & matris meæ Amabiliæ, & aliorum parentum &c. dono & concedo . . . . eccleſiæ B. M. de Scala-Dei, & tibi Garciæ abbati . . . . totam partem montis qui vocatur Durban &c. Facta eſt hujuſmodi donatio & confirmatio in præſentia D. Willelmi Auxitani archiepiſcopi & epiſcoporum comprovincialium D. B. Bigorritani, D. Vitalis Aduренſis, D. R. Laſcurrenſis, D. Willelmi Aquenſis, D. . . Convenenſis, D. Hugonis Coſeranenſis, D. R. Toloſani, anno ab Incarnatione Domini M. C. LX. menſe Octobr. XXIII. die ejuſdem menſis, X. videlicet cal. Novemb. in die dedicationis quando dedicatum eſt monaſterium in honore beatæ ſemperque virginis Mariæ & altaria ſua conſecrata, indict. VIII. papa Alexandro Eccleſiæ Romanæ præſidente, regnante Ludovico Francorum rege, Henrico Anglorum rege, Normannorum & Aquitanorum duce, Petro conſule Bigorritano.

Hanc donationem laudat Centullus prædictor im filius, P. ſcilicet comitis & Beatricis comitiſſæ, in manu Vitalis Aduренſis epiſcopi præſente patre meo; teſtibus Willelmo abbate Gratiæ-Dei, Arnaldo abbate de Perignan * &c.

* *f.* Parniaci, *Perignac* dicæ. Aginn.

Hoc diploma magni eſt momenti ad multa quæ priori tomo diximus de Auſcienſibus archiepiſcopis, epiſcopis & abbatibus hujus provinciæ confirmanda, maxime vero ad ſuppeditandos duos epiſcopos, huc uſque ignotos, Vitalem Aduренſem collocandum inter Bonum-hominem, & Odonem de Orbeiſſano; ac Hugonem Coſeranenſem, cui locus inter Petrum & Regerium aſſignari debet.

GLOSSARIUM

VOCUM CORRUPTIORIS LATINITATIS, ALIARUMQUE

peregrinarum his in Inſtrumentis occurrentium, de quarum ſenſu noſtras damus conjecturas.

A

ACCAPTAMENTUM, achaptamentum : *quod vulgo* relevium, *ſeu agnitio in dominum.* 307. C. Inſtr.

Accaptare : *capere vel poſſidere ſub relevii conditione.* Et ut accaptaret terras vacantes. 833. B.

Accenſuare : *dare ad cenſum.* 415. B.

Adjacentiæ : *dependances, loca vicina eidem domino ſubdita.* 227. C. Inſtr.

Aditus intrandi & exeundi : *droits d'entrée & de ſortie.* 440. E. Inſtr.

Advocati : *qui jura, bona, & facultates eccleſiarum tuebantur ; quibus id muneris conferebatur ut eſſent qui in publicis judiciis earum cauſas defenderent.* 259. D. Inſtr.

Aeſantia (ſeu Aiſantia) *vox forenſis ; facultas quam quis habet utendi in alieno prædio rebus non ſuis, vel ex jure municipali, vel proprietariorum conceſſione a Gallico* Aiſance. Item quod per monſtreiam ſervientium domini Magdunenſis... & paſcuagia & aeſancia animalibus ſuis.... communia habebantur. 71. C. Inſtr.

Æſduma, *eſtime, eſtimation ; quaſi æſtima.* Qui autem boves ſimul aut vaccas non habuerit, quatuor boves & quatuor vaccas in eadem foreſta ſine æſduma ad paſturagium habere poterit. 424. D. Inſtr.

Æſtima. *Vide* æſduma.

Affaria vel affarium : *idem ac fundus, prædium.* 638. A. 682. D.

Afferſamentum : *locatio dominii cujuſcumque, Gallice* bail, tranſaction. Monachi approbant afferſamentum a Jord. abb. factum. 947. B.

Aicis. *Cangius nihil affirmat de ſignificatione hujus vocis. Innuere videtur univocam eſſe nominis* vicaria, viguerie *Gallice. Veroſimilius puto eſſe partem ſeu diſtrictum vicariæ, locale aliquod vel territorium.* Datum eſt.... in aïce Nonatenſe..... manſum unum ad ipſam eccleſiam adhærentem, &c. 130. D. Inſtr.

Albergagia æ : *logement de garniſons ou de gens de guerre....* Et aliæ perſonæ eccleſiaſticæ..... tamquam frequentibus albergagiis.... adeo prægravantur, &c. 290. A. Inſtr.

Alberga : *domicilium.* 1103. E.

Alleluiaticum : *Pſalmi 148. 149. 150.* Pſalmo 50. & benedictione decantata, & alleluiatico cum capitello expleto, &c. *Ideo vocantur alleluiaticum, quia eis Alleluia præmittitur.*

Allodium ſicut Alodis. *Eſt omne genus fundi a qualibet præſtatione liberum, Gallice :* Alleu. *Vel ſumitur allodium, pro laudamento ſeu laudimio Gallis* lods & ventes. Et propterea concedo.... & allodium liberum. 268. D. Inſtr.

Almutia de cirogulis ſive eſcuroli, *Gallice :* Ecureüils. 294. A. B.

Alodis : *fundus quivis, prædium, id eſt poſſeſſio, hereditas.* Dux Aquitanorum, alodem ſuum indominicatum... donat. 348. B. Inſtr.

Aloxinium : Pro anniverſario ſuo dimiſit clericis... potationem vini per ſex dies Paſchæ faciendam, & in prima die *aloxinium.* 742. A. *id eſt*, ſerculum *vel* prandium.

Alpomel, *ſedes decani eccleſiæ cathedralis Anicienſis, quando epiſcopus non facit officium.* 246. B. Inſtr.

Altare, & omnia quæ altare tangunt : *obventiones ac reditus altaris ſeu eccleſiæ.* Medietas autem iſta quam abbas habet, ſic eſt : medium altaris & omnia quæ altare tangunt. 418. A. Inſtr.

Ambergamentum regum : *forte locus ita dictus eo quod Rex aut dux aliquis ibi hoſpitatus fuerit vel caſtra poſuerit.* 409. E. Inſtr.

Amparare : *tueri, protegere.* 246. C. D. Inſtr.

Annata : *Reditus unius anni, ſignificatio omnibus nota.*

Annona : *triticum, frumentum, bladum.*

Anuſtare : *exstare, reſtaurare.* 465. B. Inſtr.

Apocriſarii : *viri a ſecretioribus conſiliis ; qui reſponſa principum, &c. deferebant & eorum decreta & mandata denunciabant. Item : nuntii, legati.* 366. D. Inſtr.

Appendaria : *Cangio eſt appendix, ſeu potius ædificium ruſticum cum terris levioris pretii ac momenti reſpectu eorum quæ capita manſuum appellabantur.* 229. Inſtr.

Aquito as : *dimittere, cedere.* 470. C. Inſtr.

Arbergamentum : *jus domicilii, hoſpitii.* 480. E. Inſtr.

Arbergaria : *jus giſti, ſumitur ut & albergaria pro hoſpitii jure.* 351. E. Inſtr.

Argenſatæ de vineis : *Gallice* journal de vignes, *ab argento ſolvi ſolito pro mercede diurna laboris ; ſignificat autem vineæ quantitatem quam uno die fodere poteſt agricola.*

Archiſterium : *quaſi archimonaſterium, aliorum monaſteriorum caput.* Igitur abbas Lanfridus ſupradicti cœnobii [Mauziacenſis] a nobis [Pipino rege] expetiit, ut noſtro archiſterio adiremus, proclamationeſque fratrum ibidem commorantium audiendo reciperemus. 108. D. Inſtr.

Arenæ allevatio : *forte eſt jus cujuſdam vectigalis pro reſtauratione portuum, in quibus arena nimia eſſet, vel licentia arenæ colligendæ : vel licentia, mediante pecunia quadam onerandi naves arena, Gallice :* leſte d'un vaiſſeau. Jure quoque navium ſtationis allevationiſque arenæ in omnibus portubus pagi Sanctonum. 409. C. Inſtr.

Armarium : *bibliotheca.* Decrevit etium ut penes armarium domini Turon. Martini ſemper iſtud haberetur teſtamentum. 179. C. Inſtr.

Aribanum : *dominium.* 1250. C.

Aripennem *appellabant veterres Galli, ut monet Valerius, ſemijugerem continentem 120. pedes. Greg. Tur. lib. 5. hiſt. c. 24. col. 238. 238.* E.

Armarius : *qui bibliothecæ præeſt ; vel in monaſteriis prope mare poſitis, ille qui præficitur armamentario, ut apud S. Victorem Maſſilienſem exiſtit adhuc, dicitur* l'armurier *& eſt officium clauſtrale.* 357. D. Inſtr.

Arreator : *qui res aliorum curat, orator, Gall.* advocat. 146. D. Inſtr.

Arrendamentum : *arrentement ;* fructus, redditus... locationes, arrendamenta, conceſſiones. 152. D. Inſtr.

Arrendare : *arrenter, donner a rentes.* 152. D. Inſtr.

Avaloriæ. *Inſtrumentum piſcatorum, Gallice filets.* 69. B. Inſtr.

Avere, Averia groſſa : *Brebis, ſic appellantur in pagis Ruthenenſi & S. Flori maxime.*

Aveirent : *corrupte pro* occiderent. *In pago Fuxenſi vulgo dicitur* aveire *pro* occidere.

Avocare : *avoüer*, donner aveu. 297. C. Inſtr.

Auſtozium. Recognovit ſe debere... unum *auſtozium*, unum paleſredum. 1257. A. *nonne idem ac hoſtearium, hoſterium, de quibus ſub littera* H.

B.

BACCALARIA ſeu Vaccalaria : *B. pro V. locus ubi nutriebatur vel recludebatur vaccarum armentum.* 603. C.

Bailia : *Gallice, bail.* 626. D.

Bajulus : *fiſcalis judex prædiorum & feudorum.....* 204. D. Inſtr.

Baliæ, Balliæ : *quævis rerum adminiſtratio, vel locatio honorum eccleſiæ alicujus.* 452. B. Inſtr. *vel diſtrictus juriſdictionis ballivi cujuſcumque domini.* 467. D. Inſtr. 1103. B. C.

Banca : *ſtallum ubi mercatores merces ſuas exponunt.* 390. A. Inſtr.

Banleuga : *Gallice* banlieüe, *diſtrictus quidam, territorium, vel multa imponi ſolita iis qui infra banleugam delinquunt.* Si ..... hominem occiderit.... bannum non reddat, neque banleugam... niſi... abbati. 416. E. Inſtr.

Banlia : *Gallice*, Juſtice haute moyenne & baſſe. 46. E. Inſtr.

Bannum dare : *multam pecuniariam ſolvere ob delictum aliquod ;* vel : *cogere ad rationem reddendam coram judiciariis miniſtris domini.* Homines eorum ſupradicti, ſi monomachiam facere ſuſceperint... bannum non dabunt. Si pro defenſione eccleſiæ & pro rebus S. Johannis [Angeriac.] arma protulerint..... nulli de hoc niſi abbati reſpondere habebunt. 468. A. Inſtr. *Hic vero indicatur exemtio a præſtatione qua tenebantur vaſſali qui a domino ad militiam vocati, venire neglexerant.*

Bannum imponere : *multam pecuniariam imponere ob aliquod delictum.* 183. C. Inſtr,

Bannum reddere : *multam ſolvere pro delicto.* 416. E. Inſtr.

de Barbarinis. Dedit centum ſolidos de barbarinis 636. C. *nummi a Lemovic. vicecomitibus cuſi.*

Digitized by Google

Barta : *haye , buiſſon. In comitatu Fuxenſi pagani ſic loquuntur :* y aura in lebraut *lepuſculus* dins aquit le barte.

Baſtida : *caſtrum , turris , propugnaculum.* 443. C. Inſtr. *Maiſon de plaiſance , metairie.*

Baſtire : *baſtir , edifier.* 226. B. Inſtr.

Bianum facere : *Gallice , exiger , vel aller travailler a la corvée.* 323. A. Inſtr.

Birotoca : dono iterum..... unam birotocam brandæ ſive bruerix ad uſum furni ſui. 1448. E. *Hæc voce intelligendum id quod Gallice*, brouëttée, charettée.

Bladagium : domus bladagii S. Frontonis, quæ erat in chauſtro..... conſtracta eſt. 1465. C. *Locus ubi grana cujuſcumque generis ad nutrimentum ſervantur.*

Bladum : *blé , quodvis triticum.* 200. C. Inſtr. 71. D. Inſtr.

Boaria *ferme metairie.* 1539. D.

Boqueſtallum. Remiſit conſuetudines..... bannum, boqueſtallum.... ſalinas. 1368. D.

Borda : *domus , ædes , tugurium.* 182. D. Inſtr.

Bordagium, Bordaria, Borderia : *tenementi ſpecies , ratione cujus bordarius , ſive qui in bordam tenet , vilioribus ſervitiis domino obnoxius eſt , itaut nec bordam vendere aut alienare ei liceat , inconſulto & invito domino , cujus tamen bordagii nullum præſtatur homagium.* Et in alio loco tres manſos cum tribus bordagiis..... itidem in altero loco tres manſos cum tribus bordagiis. 182. D. Inſtr.

Borderia, Borderia : *vel idem quod* borda ; *vel prædium ruſticum , Occitanis* bordo , *noſtris* metairie , ferme. 182. C. Inſtr. 217. C. Inſtr. 374. D. Inſtr. 625. D. 1023. D.

Boſcus : *ſilva , foreſta : Gallice* bois. 68. C. Inſtr.

Botagium : *præſtatio pro vino , quod in botis ſeu vaſis vinariis diſtrahitur.* Ita ſcilicet ut nemo illorum..... botagium vini alicui reddat. 46. D. Inſtr.

Branda. Concedo..... unam birotocam brandæ ſive bruetiæ ad uſum furni. 1440. E. *Hujus vocis ſignificatio patet in contextu.*

Brandones : *prima Quadrageſimalis jejunii hebdomada.* Actum in abbatia Longi-Campi die Jovis poſt brandones. 295. E. Inſtr. *Ita dicta , quod hujus prima die ſub veſperum pueri brandonibus ſeu facibus accenſis februare ſolerent.*

Broſium : *nemus , ſilva , aut ſaltus in quo ferarum venatio exercetur ; maxime vero ſilva muris aut ſepibus cincta.* boiſtaillis. Dono etiam illud quod habeo in broſio Aquidaniæ. 229. D. Inſtr.

Broſaſta : *fœni manipulus.* Abbas vero..... duas broſaſtas fœni,... libenter permiſit. 475. A. Inſtr.

Bruſtum : *paſtio animalium ex bruſcis ſeu dumetis* , le brouſt. Capreæ quoque..... bruſtum habeant per totum boſcum. 416. D. Inſtr.

Burgenſes : *municipes , burgorum ſeu villarum clauſarum incolæ.* 284. E. Inſtr.

Burgeſia , Burgus , Burgum : *crebra habitacula , ſeu domorum congregatio , quæ muro clauditur.* Vide conſuetudines burgi.

Buſcus : *vide Boſcus.* 477. E. Inſtr.

C.

CABALLUS : *equus.* Mulam optimam & unum caballum... dedimus in pretium. 442. E. Inſtr.

Calcea , Calceia : *via ſtrata , Gallice* , chaucée ; *itinerarius agger.* 421. C. Inſtr. 71. B. Inſtr.

Calfagium : *Gall.* chauffage , *jus percipiendi in ſilva ligna ſufficientia ad uſum cujuſpiam.* Concedit calfagium in ſuis ſilvis. 417. A. 1073.

Calixta : *ligamentum.* Offerimus eidem domino Martino.... hoc eſt calixtam novam cum eccleſia in honore S. Georgii conſtructa, &c. 8. C. Inſtr. *Quando quidem hic reſtituuntur dona vi ablata ab heredi donatoris, & nova ſunt ; conjici poteſt hac voce ſignificari chartam novam , qua & ablata reſtituantur ac confirmantur , & nova ſuperaddantur. His enim olim conceſſebatur poſſeſſio doni, vel ceſſionis alicujus traditione corrigiæ inſtrumento alligatæ.* Vide Cangium ad vocem corrigiæ.

Calta : *ſineſſe , a voce caute , ſinement prudemment.*

Calvacata : *vide* Cavangada.

Cambitio , Cambium : *echange , Gallice ; permutatio.*

Cambitus : *Gallice* change , *nummulariorum officina.* 480. B. Inſtr.

Camera : *officina monetaria principis.* Sciatis quod ego (Richardus dux Aquitaniæ) conceſſi... ſcilicet tertiam partem cameræ ſeu monetæ, ſive etiam omnium teloniorum ..... Cadaviac & Berarol, &c. 285. E. Inſtr.

Cameræ : Cui princeps dedit cameras ſuas, domum, & plateas & foſſatum ; quæ omnia in conſpectu monaſterii ipſius habuerunt ejus anteceſſores. 1404. E. *Vide Gloſſar. Cangii ad hanc vocem ; cameras ſuas , id eſt dominia regia plurima.*

Caminata : *Domus rectoris parœciæ ; vel area prope eccleſiam principalem ubi obambulant incolæ , vel ſunt cœtus publici. Vaſconice* caminade *a* camin , chemain battu, *Gall.* la grande place.

Canagium : *jus ſolvi ſolitum pro alimento canum venaticorum.* 1342. B.

Canola æ : *actorum codex* , Regiſtres *Gallice.* 244. D. Inſtr.

Canonia : *conventus , ſeu collegium canonicorum.* Clericorum conventum & canoniam duximus cum divino auxilio ſtatuendum..... ipſam eccleſiam B. Mariæ... prædictis canonicis donavimus. 337. D. C. Inſtr.

Capmanſum , Capmanſus, Capmaſium : *chef d'heritage : domus præcipua domitis.* 207. B. Inſtr. 945. E.

In Capturam tenere : *levare , Gallice*, affermer. 337. B. Inſtr.

Carnera : *eſt jus decimæ in oves , agnos* , &c.

Carniprivium : *deſignat præciſe diem Cinerum.* Compoſuit Sabbato ante carniprivium. 724. B.

Carreyria : *via , ſed illa proprie per quam carrus tranſire poteſt.* Videlicet quod donaverunt..... quantum neceſſe fuerit ad baſtidam ſeu villam faciendam , & conſtruendam , & ad carreyrias & plateas dictæ baſtidæ ſeu villæ. 436 B. Inſtr.

Carri : *cenſus ſolvendus carris tranſeuntibus per quandam viam , apud nos :* droits de travers , de roüage. 366. D. Inſtr.

Carruata : *charetée ; certa menſura terræ arabilis.* 139. A.

Carta : *pars quarta jugeris.* 1246. D.

Caſa : *ædificium ſacrum , eccleſia & cœnobium.* Illos manſos... donamus ad prædictam caſam S. Mariæ , & ad canonicos. 227. C. Inſtr.

Caſale : *villa , ſuburbanum , certus caſarum , ſeu domorum ruſticarum , numerus ; domus etiam ſingularis.*

Caſales. Donamus... duas in villa caſales. 903. E. 443. E. Inſtr.

Caſamentum : *feudum cui alia ſubjiciuntur : aliquando* domus. 69. B. Inſtr.

Caſales facere : *aſſignare fundos , rem familiarem.* 246. C. Inſtr.

Caſatum , Caſatus : *domeſticus vel vaſſallus ; feodatus , feudum , dominium.* 62. C. Inſtr. 69. B. Inſtr.

Caſſania : *caſtellaria , châtellenie.* Ex quibus primum omnium eſt Scalas caſtrum meum cum omni caſſania.....& caſtrum meum Muſſedonum cum omni ipſius caſſania. 205. D. E. Inſtr.

Caſtrenſis abbas : *præfectus monachis aut clericis rem ſacram facientibus in caſtris vel in aula Principis.* 17. A. E.

Cavangada : *equitatio quam exigit dominus a vaſſallis , quoties in exercitum pergit.* 146. E. Inſtr. 480. E. Inſtr.

Cayrelli : *Præter interpretationem quam in noſtri primi tomi gloſſario propoſuimus , hanc communiſcitur R. P. de la Coudre congreg. Gallic. canonicus Regularis , vir eccleſiaſticæ antiquitatis illuſtrandæ ſtudioſus , olim Piperacenſis prior meritiſſimus , nunc Burgi-medii Bleſenſis :* de petites tours, des guerites , *turriculas , ſpeculas quæ conſtruuntur in maniis angulis ; nam in corrupto , inquit , idiomate* caire *ſignificat angulum. Noſter D. Jac. Boyer cenſet cayrellos ſignificari in computo Johannis de Ponciaco theſaurarii domini Humberti Delphini ab anno 1333. ad 1336.* Item ſolvit pro emptione ferri ad faciendum carellos, &c. Item Perroneto Bayſſati pro *carrellis* factis per ipſum ad projiciendum ignem. *Et in computo Stephani Ruffi caſtellani Greſſivaudani 23. Maii 1349.* pro CCCC. *carrellis* tam de uno pede , quam de duobus garnitis fletonibus & empennatis..... pro munitione caſtri Bellæcumbæ. *Item in computo Aymundi de S. Petro equitis caſtellani Avalonis :* pro centum *carrellis* garrotorum ad cor factis apud Alzvardum dat ſex denar. pro quolibet *carrello. Demum apud Cangium ſub verbo* Baliſta *legit :* Baliſta ſine nuce quæ duos projicit *quarellos ; ex quibus liquet cayrellos , ſive quarellos , carellos , carrellos , vel ut Cangius dicit loco cit. quadrellos , genus eſſe ſagittæ ferreæ quadratæ è baliſtis emittendæ. Et quidem (ut diximus in computo S. Ruffi ,) hæ ſagittæ vel jacula duos vel unum pedem longa, pennis erant inſtructa.*

Centena : *diſtrictus , juriſdictio, dominium ; Gallice* , ſeigneurie. Idcirco cedo vobis manſum meum in pago Lemovicino, in centena Tarnenſe. 165. B. Inſtr.

Chazale : *vide* caſale. *Item , domus ruſtica.* 130. D. Inſtr.

Chalſe arum : *chauſſes , bas de laines.* Eique tradit unas chalſas panni albi lanæ. 683. B.

Cheminus : *via , iter , ſtrata ; e Gallico chemin.* Dedi..... ſcilicet terram de domo Tornatoris de Cola ſicuti cheminus ducit uſque ad foramen , &c. 420. D. Inſtr.

Cherchia : *miniſter ſeu officiarius cœnobii Talniacenſis.* Incenſabat altaria (abbas Talniaci) cum abbate Angeriacenſi,

adſiſtente ſibi *cherchia* Angerianenſis cœnobii, vel ſacriſta. 1117. A.

Chevarderia. Item ad chevarderiam dono eis ſtagnum & molendinum paratum ad molendum.

Choſia. 237. A. Inſtr. Guillelmus ecci.... acquiſivit caſtrum... Actum in ſuperiori fornello choſiæ Anicienſis. *Aula aliqua vel habitaculum ſeu domus ; vel palatium epiſcopi Anicienſis ; vel locus publicus ubi hujuſmodi acta conficiuntur.*

Chriſmarium : *Vas in quo ſervabatur S. chriſma ; imo in chriſmario condebantur reliquiæ ſanctorum. Vide notam Ruinart. in cap. 32. l. 4. S. Greg. Turon. de miraculis S. Martini.*

Circada. *Jus viſitationis quod pertinet ad epiſcopos.* 1163. C.

Civada : *hordeum vel avena, illa præſertim quæ domino feudi penditur. Vox adhuc uſitata in Vaſconia*, de la civade.

Clamare : *Vendicare, repetere : Gallice* former complainte. Omnem autem clamorem quiſcunque hominum ſe clamaverit de intus in terra S. Maxentii, monachi rectum faciant. 332. B. Inſtr.

Clamor, clamum ſeu **clameum** : *actio quam quis intentat ad recuperandam proprietatem rei ſuæ, vel juriſdictionis vendicatio inter judices.* 332. B. Inſtr.

Clavis annonæ : *præfectura vel cuſtodia.* 421. B. Inſtr.

Clodicium : *ſpatium terræ muris vel foſſis concluſum. Gallice* clos. Dono iterum totum clodicium meum, &c. 1440. E.

Cobrantia : *acquiſitio.* Iterum dono eis & concedo omnes cobrantias quas in terra mea facere potuerint. 421. D. Inſtr.

Cocheti laqueus : *infernus, quaſi cocyti laqueus.* Numquam ad ſanctam reſurrectionem cum juſtis appareat, ſed in cocheti laqueis pœna perpetua crucietur. 269. A. Inſtr.

Colacus : *piſcis ſpecies. Vaſconice* cola, *Gallice* clauſe. Propoſuit abbas Amalvinum de Blancafort exigere.... & colacum in ſingulis retibus. 284. C. Inſtr.

Collector apoſtolicus : *exactor miſſus per provincias a ſum. pont. ad vendicandas ex bonis eccleſiæ male congeſtas opes.*

Colliberti : *dicuntur in jure civili qui ab eodem domino ſeu patrono cujus ſervi fuerant, libertate donati ſunt. Sed apud nos, nec inter omnino liberos nec inter omnino ſervos aſcenſebantur, ſed mediamquandam inter utroſque conditionem tenebant, ita ut nec liberis nec ſervis annumerarentur, licet ad ſervorum ſtatum propius accederent. Plura vide in Cangii Gloſſ.* Archemb. ... petiit duos collibertos Petri Fortis, qui & ei conceſſi fuere. 342. B. Inſtr. 1143. A. *Malleacenſis monachus auctor librorum de antiquitate & commutatione in melius Malleac. inſulæ putat hos collibertos eſſe reliquias Normannorum qui tandiu Gallias vaſtaverant, ſedeſque ſuas fixerant in oris Aquitan. Bibl. Labb. 2. tom. pag. 223. præcipue in pago Alnienſi.* 463. B. Inſtr.

Colonia : *villa ſeu villula cum menſura agri quantum colonus unus colere poteſt ; coloni ædes, prædium.* 475. B. Inſtr.

Comitalia, comitalis poteſtas : *cenſus qui comiti ſolvebatur ; vel præſtatio debita pro jure dominii.* 429. D. Inſtr. 260. E. Inſtr.

Comitellus territorii : *judex, vel ballivus.* 957. D.

Comitiva : *obſequium, comitatus viæ, Gallice* compagnie, ſuite. 434. B. C. Inſtr.

Commanda ſeu commenda : *prædium ruſticum, conceſſum a domino, propter commendationem* 226. B. Inſtr. *aut conceſſio dominii vel feudi, conditione homagii præſtandi ſuperiori domino quoties voluerit.* 463. E. Inſtr.

Commendare : *concedere prædium vel feudum ſub conditione homagii.* Commendo vobis iſtas claves & cuſtodiam reparii hujus de Torcio, quouſque nos vel ſucceſſores noſtri huc venientes, eas a vobis requiramus. 415. D. Inſtr. *ſe commendare* : idem ſignificat quod hodie, faire foy & homnage ou ſerment de fidelité. Ex Baluzio.

Commenditiæ : *tutela ; præſtatio etiam pro commenditia.* Remiſit conſuetudines..... commenditias, paſſagium. 1368. D.

Commonere placitum : *litem intentare, litigare.* 443. A. Inſtr.

Commune : *penſitationis ſpecies tam a clericis quam a laicis pro defenſione ſecuritatis publicæ.* Si commune pro pace defendenda & emendis abbatum faciendis in diœceſi colligitur. 431. E. Inſtr. & 432. C. Inſtr.

Communia, communitas : *Incolarum urbis, aut oppidi univerſitas, domino vel Rege concedente, ſacramento invicem certiſque legibus adſtricta.* Quæ communiter a communitate villæ exhibebuntur. 432. C. Inſtr. Pro bono pacis & utilitate communi jurare debent treugam & communiam [quæ conſtituta eſt] ſe..... ſervaturos. *Significantur hac voce leges ipſæ.* 57. D. Item 23. D. Inſtr.

Comparatio. 1163. C..... Ea lege, ut altaria quæ ſunt..... per totam diœc. Pictav. nullam amplius *comparationem* reddant tam Iſemberto quam ſucceſſoribus [epiſc. Pictav.] præter ſynodum & circadam.

Comptarii, comptor, vel **comitor** : *ita dicuntur qui in ordine militiæ vel vaſſallatus poſt vicecomites & ante vavaſſores recenſentur.* Accepit hominium Ademari comptoris 89. A. Inſtr. nobilis vir Guillelmus comptor dominus de Apchonio recognoſcit epiſcopo caſtra d'Apchon, &c. 91. A. Inſtr.

Concada · *certa menſura terræ agri.* Conceſſit duas concadas de terra liberas. 960.

Concha : *idem ac* comba *quæ apud Vaſcones deſignat locum declivem & propenſum qui in vallem deſinit : Anglo-Saxonibus eſt vallis montibus undique obſita.* Concedo itaque quidquid in concha de Eſnenda habebam.... hæc enim concha net a cruce quæ eſt in via uſque ad portam Savarici. 470. B. Inſtr.

Condamina : *ager, qui eſt de jure urius domini, & ab omni onere agrario immunis* 186. A. Inſtr.

Condonatus : *qui ſimul cum alio ſe dederat cuidam eccleſiæ vel monaſterio*, &c. 1103. B. C.

Complantum vinearum : *ager jure uſufructuario ad complantandas vineas, certis conditionibus datus.* Similiter dono eis hoc quod habeo in duobus quarteriis vinearum, id eſt complantum in Rimartin. 421. C. Inſtr.

Congadaria : *conventio qua pro ſeſe invicem plures ſpondent.* 765. A.

Conqueſtare : *acquirere.* Et..... quod de Sigiberto ſacerdote conquiſtavi. 207. A. Inſtr.

Conſtumæ, couſtumæ, coſdumæ : *quodlibet genus veſtigalis vel ſtumulatus.* 34. B.

Conſuetudo : *præſtatio, penſitatio quæ ex conſuetudine præſtatur.* 184. C. Inſtr. 341. E. Inſtr. 335. D. E. Inſtr.

Conſuetudines burgi : *veſtigalia debita a quibuſdam hominibus in burgis.* 270. D. Inſtr.

Conſuetudines ponere : id eſt *tributa, veſtigalia, exactiones.* 231. D. Inſtr.

Malæ conſuetudines : *veſtigalia, tributa indebita ; vi & male exacta ſub ſpecie telonei.* 412. A. Inſtr.

Conſuetudinarii : *conſuetudinibus ſeu tributis obnoxii, villani.* 352. A. Inſtr.

Convenientia : *commutatio, Gall.* tranſaction, échange. Convenientiam inter abbatem S. Johannis & canonicos S. Stephani factam de capella S. Mariæ..... litteris ſubnotavimus..... Hæc commutatio in capitulo Santonenſi facta eſt. 459. A. Inſtr. Item 110. D.

Conventionales eccleſiæ : *collegiatæ eccleſiæ.* 337. E. Inſtr.

Pro corpore & porprifia ; *ſcilicet ædificiorum : corpus abbatiæ ſunt omnia ejus ædificia, porprifia eſt ejus ambitus.* Concedit religioſis..... uſagium quod habebant in foreſta regia de Benon, ad facienda & reparanda ædificia ſua & ad ceteros uſus abbatiæ, videlicet pro corpore & porprifia ejuſdem, & pro grangiis, &c. 387. D. Inſtr.

Corrigia : *courroye* & corrupte *courege, eſt portio terræ parum lata & in longum protenſa.*

Corſelet : *vox omnino Gallica, Latine* levis lorica, *littera c. pro ſ in medio ponenda.* A quo comes Engoliſm. recuperavit un corſelet quem Giraudus..... eccleſiæ S. Eparchii legaverat. 1032. B.

Coſdumæ, coſtumæ, couſtumæ : *vide* conſtumæ.

Cotharelli ſeu Coterelli : *prædones militares, qui & ruptarii dicebantur, vulgo olim appellati* : Cotereaux, Routiers. *De his agit conc. Lateran. an. 1179. cap. 27.* 274. E. 1006. B. E.

Credentia : *Jus quoddam peculiare dominorum in rebus præſertim ad victum neceſſariis quas emebant a ſubditis, quaſi ab illis mutuo ſumere iis fas erat per certum tempus præfixum.* Ipſe etiam abbas habet in villa credentiam quindecim diebus. 468. B. Inſtr.

Creſſa : in exitum magnæ creſſæ. 433. D. *Nomen proprium loci, forſan deſumtum a creta, quæ ibi abundaret, aut ex qua locus eſſet conditus. A creta derivata eſt creſſa nota :* Creſſa ni careat pulcra dies nota ; *apud Horacium. Si legeretur* criſta, *explicatio eſſet facilis ; nam cenſeretur hoc juramentum, vel hæc recognitio data in exitum magnæ creſſæ ſeu criſtæ, id eſt circa exitum loci ſublimis, nam* creſta *& criſta ſignificant verticem montis vel collis.*

Crocha : *baculus paſtoralis epiſcopi, Gallice* croſſe. Requiſivit hoc donum.... ab ipſo.... Petro epiſcopo.. & ipſe cum crocha ſua... veſtivit eum. 1066. B.

Crocerius. 1408. E. Fundavit capellaniam.... deſerviendam per crocerium eccleſiæ, *id eſt* cruciferum.

Cultellus : *forte calamus ſcribæ publici ſuo fungentis officio. Notandum inveſtituram datam olim per cultellum.* Similiter Goffridus de Tifaugia, Petrus epiſcopus frater ejus in claufiro monachorum de Marolio per cultellum Andreæ de Baldamento [monachi Pontiniacenſis] dederunt in manu noſtra ſacrata Deo & abbatiæ de Trizaco.. totum uſuarium ad ædificandum, &c. 423. B. Inſtr.

Cumus, *vel potius*, cumi : *ſunt loci inter montes poſiti qui in lingua ruſticana quarumdam provinciarum vocantur* les Commes. *Prioratus virginum Benedictinarum non longe a Caſa-Dei, qui nunc vocatur*, Vallis-Dei, olim *appellabatur* de Comms.

Cunilli : *Gall.* lapins, connils ; *vel alia ſpecies animalis ſimilis lepori.* Et ad cunillos etiam per foreſtem nutriendos. 277. D. Inſtr.

Cuppa : *vas vino condendo paratum, Gallis* cuve *vel etiam* coupe. Item de ſilva noſtra .....ad domos ſcilicet ædificandas, vel reſtaurandas, ad cuppas, ad doſia, &c. 480. A. Inſtr.

Curia : *Idem quod manſus.*

Curſor : *hic ſignificat* meſſager. Teſtes Guido prior Dalonenſis..... Ebrardus *curſor* abbatis. 627. D.

Curſus : *hodie* breviarium, *officium eccleſiaſticum, ſeu ſeries orationum, pſalmorum.... & ceterarum precum quæ quotidie in Eccleſia decantantur* 345. D. Inſtr. Et ego Hermembertus...cum meis fratribus... promiſimus... & ad omnes curſos pſalmum unum in oratione decantare faciamus. Quippe quæ [S. Radegundis] convivio ſe ſubduceret ad decantandum curſum. 359. E. Inſtr.

Curta, curtis, curtifera : *villa, habitatio ruſtica ædificiis, colonis, ſervis, agris*, &c. *ad rem agreſtem neceſſariis inſtructa.* 328. D. Inſtr. 455. C. Inſtr.

Curtis-legia : *forte villa ſeu habitatio ruſtica abſque ulla recognitione domini.* 285. E. Inſtr. 808. E.

Cuſtodia epiſcopatuum, monaſteriorum ac eccleſiarum : *hæc vox ſumitur pro* advocatia, *Gall.* l'Avouerie. *Hanc ambibant viri nobiles, quam eccleſiæ ut onus grave depellebant.* Item finierunt inter...abbatem Malliac. & Sebranum Chabot, contendentem *cuſtodiam* hujus monaſterii ad ſe pertinere, ſed judices judicium tulerunt pro hujus monaſterii libertate. 1070. B. C. 433. A. 1367. B. E.

D.

Dapifer : *idem ac ſeneſcallus.* 351. E. Inſtr. *De ſeneſcallis conſule Gloſſarium Cangii ad hanc vocem. Seneſcallus eſt miniſter in aulis regum, vel procerum, atque etiam privatorum, cui domus cura incumbebat.*

Deberium. *vide* deverium. 1301. Inſtr.

Defenſa : *ager, pratum vel ſilva quo ad paſcua immittere, aut aliud quippiam agere quod iis noceat, non licet.* 388. B. Inſtr.

Defenſum : *idem ac defenſa.* 474. D. Inſtr.

Demanda : *petitio.* Reliquerunt demandam quam faciebant ſuper honore Begonis, &c. 945. D.

Demeura : *reſidentia, Gallis* longue demeure. 146. E. Inſtr. 147. A. Inſtr.

Deverium : *debitum, penſitatio.* 88. E. Inſtr.

Dezmaria : melius *decimaria ; prædium, ager in quo percipitur fructuum decima.* 75. B.

Diſcingere : *dirimere, decidere lites.* 258. B. Inſtr.

Dishonorare : *probro afficere.* 226. B. Inſtr.

Diſtringere : *compellere ad aliquid faciendum per mulctam, pœnam, vel capto pignore.* In jam dicto loco juxta eccleſiam S. Johannis, præſentibus ac futuris temporibus feria quinta mercatum agatur ; nec ab ullo comite vel miſſo comitis ab ipſo aliquid exigatur ; nec quiſlibet homo in eodem mercato ab illis diſtringatur ; ſed quicquid fiſcus noſter vel comes habere poterat....totum eidem eccleſiæ concedimus. 258. C. Inſtr. *Pignoris loco capere quicquid in feudo reperitur, donec domino de relevio ſatisfactum fuerit.* Conceſſimus etiam ne aliquis officialium noſtrorum præſumat hominia eorum placitare, ſine aperta rationabilique cauſa de illo diſtringat. col. 424. B. Inſtr.

le Dogue : *terrariorum quorumdam nomen in Arvernia, forſan a notario qui vocari poterat* le Dogue, *vel potius eo quod terraria ſint documenta.* 318. C.

Doitum : *eſcluſe.* Vadit ad doitum. 420. A. Inſtr. D.

Dominica ſilva : *eſt ea quam dominus feudi aut in manibus ſuis retinet, aut ſaltem ad annos, aut voluntatem ſuam aliis locat.* Ibi quoque juxta de ſilva noſtra dominica tantum delegamus ad complantandum & hoſpitandum cultores, ut fiant inter prænominatam curtem, & illam ſaltem extirpationem trecenti manſi terræ integri. 479. D. Inſtr. *vel eſt ſilva quam habet dominus in proprietatem & demanium ad propriam alendam familiam.*

Dominicum, Dominicale, Dominicatio, Dominicus, Dominicarius : *proprietas, dominium quod ad dominum ſpectat, quo dominus fruitur.* 1288. E.

Dominicus *adjective*, proprius domini. *Domus dominica Gallice*, maiſon ſeigneuriale. *Ab hoc vocabulo* dominicus, *vox Gallica* domaine *efficta eſt.*

Dominicatura, dominicatus, Indominicatus : *Dominium, proprium, proprietas.*

Dominicatus, indominicatus, *adjective, idem eſt ac Dominicus, ut ſupra. vide* indominicatus.

Domnionum : *Gallice*, donjon, *caſtellulum, minus propugnaculum in domo ſeu colle ædificatum, ſeu in loco excelſiori domus.* 172. A. Inſtr.

Duellum : *monomachia, ſeu ſingulare certamen quo dirimebantur ambiguæ diſceptationes, quæ ordinario judicio terminari non poterant.* 429. D. Inſtr. 1128. C.

E.

Effarciati nummi : *Spiſſi nummi, ſpecies monetæ cujus materia purior erat, minuſque adulterata.* 461. D. Inſtr.

Eiraudum : *forte, ager vel pratum, vel prædium aliud.* 420. A. Inſtr.

Ematio : tam per ematione quam per emptionem. 422. E. Inſtr.

Emenda : *pecuniaria mulcta, compenſatio damni, emendatio, quæ arbitrio judicis irrogatur.* 431. E. Inſtr.

Emunitas : *privilegium a Principe conceſſum, vi cujus, viri eccleſiæ ac prædia ſub ejus protectione eſſe intelliguntur.* 354. C. Inſtr.

Engannum : *fraus, machinatio, calliditas.* Et hæc omnia ſupradicta vobis.... fideliter & ſine enganno attendam. 256. C. Inſtr.

Enqueſta : *inquiſitio, Gallis* enquête. Quia vero per enqueſtam quam fieri fecimus, probatum non exſtitit. 234. A. Inſtr.

Epomis idis : *Græce*, Ἐπωμὶς, *ſtola quæ humeris presbyteri imponitur, ſuperhumerale. Sumitur etiam pro ſcapulari monachorum.* 146. B. Inſtr.

Erband : *genus pugnæ ſeu duelli.* Ita ſcilicet ut nemo illorum pergat ad pugnam, quæ alio nomine vulgariter vocatur Erband. 46. D. Inſtr.

Eſgardum : *judicium, ſententia judicis cum cognitione cauſæ.* Et volentem etiam per eſgardum curiæ, judicavit, prout moris eſt, de dicta confectione. 453. C. Inſtr.

Eſpaltum, exſpaltum : *Gallice* eſpaux, *menſuræ genus.* 385. B. E.

Eſquarta : *pro* quarta, menſura frumentaria. 486. B. Inſtr.

Exartum : *un eſſart, un lieu defriché.* 1434. C.

Excurſus. Ego.... conceſſi.... quendam excurſum liberum & immunem ab omni conſtuma & exactione, ad excurrendas aquas de omnibus mareſiis, &c. *patet ex hoc contextu quæ ſit ſignificatio vocis* excurſus.

Exercitus : *auxilia ad quæ vaſſalli ſive Laici, ſive eccleſiaſtici tenebantur erga dominos cum ad bellum procedebant. Vide* queſta vel arbergamentum.

Expeditio : *obligatio eundi in exercitum domini.* Remiſit conſuetudines...expeditionem, exercitum, bannum. 1368. D.

Explicare : *dominii poteſtatem omnem exercere in dominio vaſſalli.* Et tenere & explicare locum tanquam verus dominus. 453. B. Inſtr.

Expleclare : *Gallis, exploiter, joüir*, vox *forenſis.* 146. D. Inſtr.

Expletum : *explois de juſtice. Dominii etiam recognitio erga dominum.* 433. C. Inſtr.

Externi, vel externa. 478. A. Inſtr. Rurſus confirmo illis locum qui dicitur de Manſagro cum nemore & terra, culta ſive inculta, dulci vel ſalſa ; & cum externis ; & cum captione volatilium, quadrupedum & piſcium. *Hac voce* cum externis *intelligitur forteſſe præſtatio ſolvenda a mercatoribus vel aliis tranſeuntibus, aut advenientibus, aut negotiantibus in hac regione.*

Extirpatio : *avulſio arborum in ſilva.* 480. C. Inſtr.

F.

Fagina : *Glans fagea, fructus fagi, Gallice* ſeine, *cui porcorum eſui convenit.* 66. E. Inſtr.

Falerare : *forte, cum magno apparatu & magnificentia colere, venerari, ſignificatione petita ex ornamentis equitum Romanorum.* Ad cujus gaudia (ſupernæ Jeruſalem) triumphantis, aſſidue militans filia, pro ſuæ poſſibilitatis modulo falerando Altiſſimo repræſentat. 28. D. Inſtr.

Farinarium : *molettrina ſeu molendinum, ubi ex frumento molito farina conficitur.* 73. E. Inſtr. 165. B. Inſtr. col. 38. D. Inſtr.

Feodum : *genus eſt clientelæ, quo vel dignitas, vel vectigal, vel prædium aliquod ea lege alicui datur ut & ipſe & ipſius poſteri atque heredes beneficii auctorem perpetuo agnoſcant certis quibuſdam recognitionibus.*

Feare : *in feudum conferre.* 418. C. Inſtr.

Fenalia orum. 201. D. Inſtr. Donamus etiam ſupradictis fratribus terras quas de *fenalibus* ſuis [*forte de fevalibus ſuis, Gallice, de leurs fiefs ou ſeigneuries*] acquirere poterunt.

Feriæ : *nundinæ, mercata; Gallis* foires. 416. B. Inſtr.
Fevalia : *feudi, Gallice* fiefs. 205. D. Inſtr.
Fevatus : *feudatarius.* 448. C. Inſtr.
Feum, ſevum, fevus : *feudum, Gallice* fief. 199. B. Inſtr.
Fidejuſſores tollere *dicebatur judex, qui in jus vocatum, aut accuſatum de aliquo crimine, vadem dare cogebat quod ad dictam diem juri ſe ſiſteret,* 349. A. Inſtr.
Fidelitas Dei & S. Petri. 443. A. Inſtr..... Ex integro dedit ſuper altare S. Petri...ita.... ut S. Petrus cum ſuis proprie in dominio in perpetuum poſſediſſet.... ut ſi.... vel ipſe comes.... vim vellet inferre, vel ulla occaſionis intentione placitum commonere, ipſi in fidelitate Dei & S. Petri placitarent, *id eſt, in obſervatione juramenti Deo & S. Petro præſtiti perſeverantes, litem proſequerentur, & contra omnes defenſarent.*
Firmatores : *Gallis* les cautions, les garands.
Firmare : *cautionner, ſe rendre garand.* Iſti ſunt nodatores ac præfatæ donationis firmatores, Goſcelinus ven. Burdegal. archiepiſc. &c..... igitur præfatus Willelmus firmavit hoc beneficium. 274. E. Inſtr.
Firmitas : *munitio, caſtrum undique firmatum ſeu clauſum.* 231. C. Inſtr.
Fiſcalenſe pratum : *ſorte, quod eſt fiſci & ad fiſcum ſeu ad dominum pertinet.* 49. E. Inſtr.
Fiſcus : *res quæ fiſci eſt & ad fiſcum pertinet, fiſci jus, jura a feudatariis ſuo principali domino debita.* 258. B. Fondredæ. 229. C. Inſtr. Dono etiam aliam parvam graveriam ad fondredas, ubi ſi poſſe clericis fuerit, molendinum faciant. *Vocabulum nullibi explicatum; forte idem eſt ac apud Gallos fondrieres, ubi ſæpiſſime reperiuntur aquæ fluentes; hanc ſignificationem indicare videtur locus inſtrumenti, vel ſaltem locum declivem.*
Forcia : *vis, violentia.* Et ille epiſcopus faciet..... talem ſecuritatem qualem ipſi inter ſe elegerint, & ſine forcia. 172. D. Inſtr.
Foreſtes, foreſta, foreſte, foreſtus, &c. *ſaltus, ſilva, nemus.* Et ad cunillos etiam per foreſtem nutriendos. 177. D. Inſtr.
Foreſtagium : *jus utendi foreſta, vel ipſa præſtatio pro iſto jure.* 202. E. Inſtr.
Foreſtarii : *qui foreſtas ſeu ſilvas curant, ſervant.* 202. D. Inſtr.
Forfactum, forsfactum : *delictum, crimen.* 135. C. Inſtrum. 226. B.
Forifacere : *offendere, nocere, quaſi foris facere, id eſt, extra rationem.* 135. C. Inſtr.
Formentagium ſeu frumentagium : *præſtationis agrariæ ſpecies, primitus ex frumento, deinde etiam ex ipſis vineis.* 285 E. Inſtr.
Fornagium, fortnagium, ſeu furnagium : *præſtatio pro coctione furnaria, quæ domino furni datur ob furni uſum.* 468. D. Inſtr.
Fornellum : *locus ubi ea quæ ad res tum ſpirituales tum temporales monaſterii, vel cujuſcunque ſocietatis pertinent, agitantur & concluduntur; ſignificatio hæc petitur ex voce Latina* fornix *Gall.* voute. *Unde etiamnunc apud Cluniacenſes, & alios iſte locus vocatur ſimpliciter,* la Voute. *Vide 237. A. Inſtr. 1478. C. Inſtr. & chartam a clar. Cangio citatam in ſuo gloſſ. ad hanc vocem. Quamquam poſſit quoque intelligi locus ubi laici ad monaſterium accedentes excipiebantur, quacunque de cauſa.*
Fortalitas, fortalitium : *munitio, Gallis* forteresſe. 230. C. Inſtr. 452. E. Inſtr.
Fortitudo : *violentia, vis. Vide inſtrumentum citatum in voce,* Proclamatio.
Franchiſia : *Vide* Comitalis poteſtas.
Fredum : *exactio forenſis, Gallice* : frait. *Eſt & multa, ſeu compoſitio, qua fiſco exſoluta, reus pacem a Principe conſequitur vel ob violatam pacem publicam indicta.* 167. A. Inſtr. 258. B. Inſtr.
Frocus : *ager inultus qui urbi vel ædibus adjacet.* 147. B. Inſtr.
Fromentada : *vide formentagium.*
Furnagium. *Vide fornagium.*

G.

Gadium, guadia, Wadium : *pœna, multa pecuniaria.*
Gagiare : *pignus dare.* Gagiaverunt emendam mille librarum, inſtante Rege. 191. C. Inſtr. *item Gall.* donner caution.
Gagium : *pignus, Gallice* gage ; *quandoque* caution, garantie. 152. E. Inſtr.
Gallinagium : cenſus ex gallinis, *Gallice* gelinage. Fecit immunes a præſtatione gallinagii, &c. 889. C.
Galſtadio : *œconomus, cuſtos, ſeu præfectus villarum, prædiorum, & aliarum rerum Regis, epiſcopi, vel cujuſcunque domini.* 481. A. B. Inſtr.
Garda, ſeu Warda monaſterii : *bonorum monaſterii tuitio & cuſtodia.* A. B. Inſtr.
Garendia : *cautio, aſſertio pro obſervatione pactionis ſeu tranſactionis, Gallice* garentie. 72. B. Inſtr.
Gauſitæ : *jouiſſances ; corrupto idiomate in multis trans Ligerim provinciis* : Gauzide, vel Geouzide.
Gema : ſed quia eccleſia conſuetudinariam procurationem nobis debet..... placuit domno abbati..... ut.... concederent.... peagium quoque de ſale & gema, ſi cauſa vendendi transferatur. 468. D. Inſtr.
Geneſtum : *vide* Rama.
Gerria, Jarria, Jorria. *Vide* Jarrigiæ. 421. B. Inſtr.
Giſtum ſeu Gitum : *hoſpitalitas, Gallice* gite : *jus quod dominis feudalibus competebat in vaſſallorum ſuorum prædiis, qui ſtatis ac conditis vicibus eos in domibus ſuis hoſpitio & conviviis excipere tenebantur.* 146. D. Inſtr.
Grava, graveira : *ſignificat locum ſabuloſum, arenoſum. Item arboretum & fruteſum.* Dono..... medietatem cujuſdam prati....quod dicitur graveira. Dono etiam aliam parvam graveiram ad fondredas. 229. C. Inſtr. Concedimus etiam quod præfati clerici poſſunt acquirere ruſtica prædia, villas, agros, prata, vineas & graverias, in quibus cenſum habeamus. 232. E. Inſtr.
Guagia. *Vide* gagium.
Guardela : *pratum arboribus ſeptum, ubi paſtores cuſtodiunt in commune greges & colloquuntur* : une guardelle, un communel, un coudere, ſecundum varias regiones.
Guardiator ſeu gardator : *qui* gardas *facit. Vide* Garda. Sacramentum fidelitatis dicit Philippo regi Francorum, eique Rex dedit unum ſuum ſervientem armorum pro ſpeciali guardiatore. 93. C. Inſtr.
Guarentia. *Vide* Garendia.
Guaſtum : planum ſeu ſpatium definitum terræ. 1297. D.
Guatt : *menſuræ frumentariæ ſpecies apud Anglos.* Dedit ei decimum de agnis & de porcellis & de lana & guatt. 208. C. Inſtr. Guatum *eſt glaſtum, herba tinctoria.*
Guerra : *bellum publicum vel privatum.* Vel ſi malefactor non eſſet de poteſtate illius, laboraret cogere illum per guerram ad ſatisfactionem. 135. C. Inſtr. Vide etiam 19. E. Inſtr. & 246. D. Inſtr.
Guidagium. Donavit etiam perpetuam ſecuritatem tranſeundi per totam terram ſuam ſine pedagio & guidagio, *id eſt abſque ſalvoconductu, ſeu abſque ea præſtatione quæ domino exſolvitur pro ſecuro tranſitu, vel exportatione mercium.* 135. C. Inſtr.
Gurpire, guerpire, werpire, gerpire : *poſſeſſionem rei alicujus dimittere, deſerere.* 285. A. Inſtr. 1032. D.

H.

Hanaphes : *vaſa, paterœ, ſcyphi.* 409. E. Inſtr. 419. A. Inſtr.
Herbergamentum. 1396. E. *vide* Alberga.
Hoſtalarius : *id eſt* hoſpitalarius. 749. A.
Hoſtearium, hoſtorium : *præſtatio illa quam tenentes ac vaſſalli domino exſolvunt in belli ſumtus.* 431. E. Inſtr.

I.

Ignes ſeu brandones. *Quid his vocabulis ſignificetur vide* col. 70. E. & litter. B. in brandones.
Illas feos : le luminaire, les torches, tædæ ; *dictæ* feos, *feux, quia ardent.*
Incurrimentum : *idem ac incurſus, Gallice* incours, *amiſſio feudi vel prædii defectu homitii vel cenſus præſtiti.* Qui in controverſia inter ſuos prædeceſſores & oppidum mota, ratione incurrimenti, pacem reformavit. 962. A.
Indominicatus : *dominicus, proprius.* Damus etiam ad ſupradictum locum curtem noſtram indominicatam. 188. D. Inſtr. 168. & 465. Inſtr.
Juratæ : *Videntur fuiſſe tributa juratis burgenſibus impoſita, ac domino feudali præſtita. Quanquam in inſtrumento hic relato pro* juratas, paratas *legi poſſe monuerimus. Jurata apud Anglos eſt numerus duodecim legalium hominum juratorum, per quos omnis fere facti probatio fit, & ex quorum arbitrio judex ſententiam ſuam conficit & profert.* Statuentes ergo jubemus ut..... neque quiſlibet ex judiciaria poteſtate..... ingredere ad cauſas audiendas aut freda exigenda, nec manſiones aut *juratas* facere ullo quoque tempore præſumatis. 117. D. Inſtr.
Juſtitiatus baſſus : *juriſdictio alii ſuperiori ſubdita, & in feudum conceſſa.* 297. C. Inſtr.

L.

Laudamentum : *idem ac arbitrium, ſententia arbitralis.* Werpivit malas conſuetudines.... per laudamentum D. Arberti. 748. D.
Laxa : *donatio, legatum.* Quod factum eſt ſuper eos qui impugnare præſumſerint donationes & laxas, quas illi faciunt qui ad Domini ſepulcri liberationem vadunt. 230. C. Inſtr.

Leidæ.

Leidæ. *Vaſconice.* Leude. Pedagia remiſit, atque leidas rerum omnium in terra ſua. 124. D. *idem ac* pedagium.

Levata : *quodvis tributum, exactio.* Annuam levatam anguillarum in fluvio Carantonæ. 478. C. Inſtr.

Libralia : *Forte vox monetaria deducta a libra,* livre ; *apud Plin. & Colum.* libralis *reperitur ad ſignificandum pondus.* XII. denaria & dimidia *libralia* dantur & magna cymbala pulſantur [pro anniverſario] 347. A.

Libratio, ſeu deliberatio : *traditio ; Gallice livrement, deliverance, deliverement.* Aſſignavit certos redditus ad ſupportandum onus & librationem dictorum legatorum, &c. 244. E. Inſtr.

Lingarella : *Anguſtum vellus leucopharum quod canonici Anic. eccleſiæ deferunt in modum thoracis ſeu ſcapularis tempore Paſchali.* 703. B.

M.

MACELLARII : *qui pecora mactant vel carnes vendunt : carnifices.* 46. D. Inſtr.

Mainare : *locare, Gallice* donner a ferme. 270. E. Inſtr.

Mainagia orum, *Gallice* meſnage. Ratione maiſnagiorum, munitionum, refectionum .... 724. P. C.

Mandiburdum. *Vide* mundiburdum.

Manerium : *habitatio cum certa agri portione : vulgo accipitur pro præcipua feudi domo.* Actum .... in manerio prædicti D. archiepiſcopi. 390. D. Inſtr.

Manſio, Manſionatici : *eruo ex contextibus mox citandis, vocabulo* manſionis *ſignificari jus diverſorii & hoſpitii pro Rege, miniſtris regis, & aliis ibi deſignatis. Eccleſiæ & monaſteria ab hujuſm. hoſpitum exceptione eximebantur a principibus vel epiſcopis privilegio peculari quod emunitatis nomine appellabatur, & ſub formula in utroque inſtrumento rolata* ..... Ergo jubemus ut neque nos vel quiſlibet ex publica judiciaria poteſtate, in villas .... S. Sebaſtiani ... ingredere ad cauſas audiendas .... nec manſiones aut juratas [*forte* paratas] facere .... præſumatis. 117. D. Inſtr. Item iiſdem verbis col. 354. C. Inſtr. Manſio, & Manſionatici *proprie eſt diverſorii jus, vel munus ac ſumtus pro recipiendis hoſpitibus.*

Manſile : *agri portiuncula cum manſione ſeu æde.* Cum quadam mancile (*legendum* manſile) Ordono ſcilicet tribus manſis. 8. D. Inſtr.

Manſionarius : *qui ratione manſionis in aliqua æde ſive urbana ſive ruſtica, vectigal aut cenſum quotannis domino perſolvebat.* 424. D. Inſtr.

Manſionatici. *Idem ac manſiones.* 167. A. Inſtr. & 232. C. Inſtr.

Manſionaticæ. *Idem ac manſiones.* 222. A. Inſtr.

Manſionile. *Idem ac manſile.* Et in aice Bonrochenſe manſionile unum ..... cum campis, pratis, &c. 130. D. Inſtr.

Manſus, manſum : *Certa agri portio quæ colitur & in qua eſt ædes coloni.* 130. D. E. 168. B. Inſtr.

Manulevat, manulevamentum : *mainlevée.* 452. B. *Vide Cangium ad hanc vocem.*

Manufirma : *eſt fundus conceſſus alicui ad vitam & heredum ſub cenſu annuo, certis conditionibus interpoſitis.* 203. A.

Manus ſeptima : *id eſt, vel pro ſeptima vice ſubſcribendo, vel adhibitis teſtibus ſeptem.* Jurat tandem electus ſeptima manu nullas alicui promiſiſſe vel dediſſe pecunias. 523. C.

Mapparius : *ille qui offert ex officio Regi mantile ad manus abſtergendas.* 16. B.

Marbotinum : *ſpecies monetæ ab Hiſpanis vulgatæ ; de origine hujus vocabuli conſule Cangium hic.* Ad indicium hujus a ſede apoſtolica perceptæ protectionis, marbotinum unum nobis .... perſolvetis. 314. A. Inſtr.

Marchocia & Marchoria : *per abbreviationem vocabuli mareſchacia,* quo *ſignificatur equile ſeu equorum ſtabulum.* Suos equos ſtabulare in marchociis dicti reparii .... Et exinde epiſcopus ... intravit tunc reparium & fecit de marchoriis expelli omnes equos quos invenit & ſuos ibi reponi. 453. A. B. Inſtr.

Mareſcalci ſeu mareſcalli : *qui hoſpitia magnatibus ac dominis ſuis parant, olim* manſionarii, *nunc* maréchaux des logis, *Qui etiam in domibus privatis nobilium & præſertim epiſcoporum, regunt eorum aulas & interiora.* Et ita volo eos eſſe quietos ... ut nullus meorum ... non præpoſitus, non mareſcalcus, non ſerviens ... cogat ſibi præbere arbegariam. 351. E. Inſtr.

Mariſcus : *palus, Gallis marais vel mares.* Concedo ad baſilicam S. Crucis ..... cum mariſco & cum montaneta, &c. 268. E. Inſtr.

Marmor : *Jus fortaſſe judiciorum, quæ fiebant per aquam frigidam in vaſe marmoreo. Vel ſumendum hoc vocabulum in ſua ſolita ſignificatione ; ita ut marmora exciſa e fodinis juri decimarum eſſent obnoxia.* Inſuper dedimus dictæ eccleſiæ eccleſiam S. Petri .... cum decima totius terræ Maremniæ, tam agrorum quam vinearum, nemorum atque marmorum, &c. 470. E. Inſtr.

Martyrarius : *is qui martyrum oratoriis præficiebatur : vel qui moderabatur neſocomia. Vide* 240. E.

Maſnili : *idem ac* Manſile. 328. D. Inſtr.

Maſura. 478. C. Inſtr. Inſuper confirmo præſcriptis fratribus ... duas maſuras de foreſta mea ad ampliationem circa locum de Sabluncellis ; *hoc vocabulo poteſt intelligi id quod vocabulo* manſile ; *vel quod a Gallis dicitur* arpent, *Latine* jugerum, *ſeu alia ſilvæ diviſio.*

Mat : *bon, apud Aremoricos ; unde* Mat-monos, Bonmoine, Mat-frid, &c. *nomina propria.*

Materini, orum : *lanea culcitra, ex Gallico* materas. 14. B. Inſtr.

Maxmili : *idem ac* Manſile.

